Ch.
Non ...
8. 52. G. 11

Digitized by Google



R·P·TOBIAE LOHNER,
SOC. JESU PRESBYTERI ET THEOLOGI,

AUCTARIUM
AMPLISSIMUM

BIBLIOTHECÆ
MANUALIS

CONCIONATORIÆ,

NOVIS TITULIS ADAUCTUM.



AUCTARIUM BIBLIOTHECÆ MANUALIS CONCIONATORIÆ,

NOVIS TITVLIS ADAVCTVM,

SELECTISSIMIS SS. PATRUM ET DOCTORUM SENTENTIIS ILLUSTRATUM; RARIORIBUS QUOQUE ET FUSIUS ENARRATIS HISTORIIS, SIMILITUDINIBUS, MOTIVIS, MEDIIS, ET DOCTRINIS ASCETICIS LOCUPLETATUM:

AC

DENIQUE INGENIOSIORIBUS PRO FORMANDA CONCIONE CONCEPTIBUS, EX FAMOSISSIMIS QUIBUSVIS AUCTORIBUS COLLECTIS, NON MODICE REFERTUM.

In Gratiam & subsidium Omnium Verbi Divini Praeconum, Exhortatorum, & Ascetarum, Patrúmque Spiritualium, magnâ industriâ & labore collectum, & publicæ luci datum

à

R. P. TOBIA LOHNER,
SOC. JESU PRESBYTERO.

Cum Gratia & Privil. Sac. Cæs. Majestatis.
Et facultate Superiorum.

DILINGÆ,
Apud JOAN. CASPAR. BENCARD, Bibl. Acad.

ANNO M. DC. LXXXXI.

AUCTARIUM AMPLISSIMUM BIBLIOTHECÆ MANUALIS CONCIONATORIÆ,

NOVIS TITULIS ADAUCTUM,

SELECTISSIMIS SS. PATRUM ET DOCTORUM

Sententiis illustratum; rarioribus quoque & fusius enarratis Historiis, Similitudinibus, Motivis, Mediis, & Doctrinis Asceticis locupletatum;

NEC NON INGENIOSIORIBUS PRO FORMANDA

Concione Conceptibus, ex famosissimis quibusque Auctoribus collectis, non modicè refertum;

AC

INDICE QUADRUPLICI ADORNATUM, AUCTORUM

Uno: Altero Titulorum: Tertio Conceptuum pro Concionibus in Dominicis & Festis; & Quarto denique Memorabilium Materiarum, in hoc opere contentarum.

In gratiam & subsidium Omnium Verbi Divini Præconum, Exhortatorum, & Asceticorum, nec non quorumlibet ... studiosorum ... collectum, & publicæ luci datum

à

R. P. TOBIA LOHNER.

SOC. JESU PRESBYTERO ET THEOLOGO.

Cum Gratia & Privil. Sac. Cæs. Majestatis, & Facultate Superiorum.

DILINGÆ,

Typis & Impensis JOANNIS CASPARI BENCARD, ...

Anno M. DC. LXXXXI.



PRAEFATIO
AD LECTOREM.

DEcem ferè elapsi sunt anni ab eo tempore, quo Bibliothecam Manualem tibi, amice Lector, omnigenâ ad Conciones formandas materiâ instructam, typóque commissam obtuli; ea quoniam Curatoribus animarum (ad quorum potissimum subsidium fuerat præparata) adeò utilis est visa, ut plurima, quæ impressa fuerant, exemplaria, universa fuerint distracta, ac divendita, neque multorum avidè illa expetentium desiderio satisfieri ampliùs queat, decrevit Bibliopola, qui illam suis sumptibus imprimi curaverat, denuò eandem prælo subiicere. Sed quia non pauci in priori Exemplari historias paulò fusiùs enarratas, conceptus item Concionatorios paulò sublimiores & ingeniosiores, aliáque nonnulla ad scopum meum abundantiùs assequendum non parùm conductura desiderabant, ideo summopere institerunt, ut has ipsas materias per distinctum Tomum velut Auctarium proponerem, priorique Tomo, alterâ iam vice impresso, adiungerem, cui desiderio tantò libentiùs satisfeci, quantò pluribus hunc Tomum gratum, utilémque fore, meritò poteram sperare, utpote qui & novos Titulos, & selectiores SS. Patrum Sententias, rariores & fusiùs enarratas Historias, ac Conceptus denique ingeniosiores ex Didaci Nysseni potissimùm lucubrationibus ingeniosissimis decerptos continebit. Quæ ipsa tamen antè, quàm præstem, de tribus te, amice Lector, præmonitum velim.

Primum est, me in hoc Auctario iure Libertatis meæ usurum, & aliquos quidem Titulos, qui in priori Tomo propositi fuerant, rariùs occurrentes omissurum, alios verò novos, qui utiliores videbuntur, eorum loco substituturum.

Secundum est, me Authores quidem pro singulis materiis potiori ex parte in margine citaturum, sed, quia proprios ubique fontes inspicere, in tanta rerum farragine & varietate operosum nimis, & ob defectum Authorum citatorum propè impossibile fuerat, sub ea fide, quam Auctores, ex quibus has materias collegi, merentur, propositurum, id quod passim etiam ab aliis, qui tomos grandiores typo commiserunt, factum esse adverto.

)(Ter-

Tertium est, me in Auctario hócce, nihil ex meo sensu, sed omnia propriis Authorum citatorum verbis propositurum: Neque ab hoc labore me absterreri sum passus, quòd propterea aliqui Corniculæ alienis plumis superbienti me fortè sint comparaturi. Nam cùm utilitatem duntaxat, & laboris in comparanda pro concionibus materia facilitationem hoc opere quæsierim, abundanter me scopum meum attigisse existimabo, si materiam talem tibi undecunque collectam obtulero, perinde ac beneficus utique censeretur, qui Bibliothecam alicui copiosam instrueret, libris non à se scriptis aut proprio sumptu coëmptis, sed aliorum liberalitate, donóque acceptis locupletatam. Multò minùs verò me morabatur eorum Crisis, qui Polyantheam Josephi Langii à me descriptam criminantur; nam præterquam quòd in hoc Auctario colligendo librum illumne vix semel, iterúmque aspexerim, etiam qui prioris Tomi materias accuratiùs inspexerit, facilè videbit, vix paucas fuisse S. Scripturæ, aut SS. Patrum sententias, quas inde excerpere potuissem, eásque ipsas in meliorem ordinem, pro meliori usu à me fuisse redactas. Tu ergo, mi Lector, animo magis benevolo, mitioréque affectu, hoc libro utere, & de eodem illud pii Asceta pronuntiatum applica: Non quære, quis hoc dixerit (vel scripserit) sed quid dicatur, attende: Quærere namque potiùs debemus utilitatem in Scripturis, quàm subtilitatem Sermonis, & Authoris qualitatem. l. 1. de imit. c. 5.

P R I-

PRIVILEGIVM CÆSAREVM.

LEOPOLDUS Divinâ favente clementiâ electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ, &c. Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ & Wittembergæ, Comes Tyrolis. Augustalis est munificentiæ, eorum, qui publicis insudant utilitatibus, curias, vigilias & labores benigniore Cæsarei favoris affectu suscipere adjuvandos tuendósque. Cùm itaque venerandæ Societatis JESU Pater Provincialis Superioris Germaniæ nobis humillimè exposuerit, quòd, licèt à sacratissimis Imperatoribus, Divis quondam Rudolpho Secundo, Matthiâ & Ferdinandis II. & III. Dominis, Magnis Propatruelibus respectivè, Avo ac Genitore prædecessoribus nostris gloriosissimæ memoriæ privilegio donata fuerit, ne libri à Patribus dictæ Societatis, unà cum imaginibus per Typos emissi, passim à quibuslibet Typographis & Sculptoribus imprimerentur, & pro libitu evulgarentur citra consensum ejusdem Societatis; nihilominus illa experiatur adhuc indies hac in re magno se affici incommodo, dum libri quidam à suis Patribus elucubrati, improbantibus ac reluctantibus Auctoribus eorum in toto & in parte à lucripetis quibusdam Typographis subindè etiam corruptè recudantur, & quidem sub prætextu privilegij à Nobis desuper obtenti, & hujusmodi libris à Societate JESU scriptis, temerariè præfixi, in lucem prodeant cum magno Authorum incommodo, atque etiam, si res mala in exemplum abeat, non sine gravi Religionis Catholicæ præjudicio; adeóque Nos demisissimè, pariter ac enixissimè rogârit, ut privilegium antehac gratiosissimè concessum nostrâ etiam auctoritate de novo confirmare, corroborare & contra recentem illam audaciam declarare clementissimè dignaremur. Nos benignè considerantes, quàm gnaviter & strenuè dicti Patres in Vinea Dominica excolenda, Catholicæ Religionis pomerijs proferendis desudent; tum etiam quantum Christianæ rei intersit, ut Catholicorum libri ac scripta & imagines hujusmodi à Catholicis & probatis Typographis & Calcographis cum Theologorum censurâ edantur, humillimis ipsius Patris Provincialis precibus eò annuimus libentiùs, quò certiùs Nobis constat, quòd omnium ipse scriptor optimè libros suos, ne Religioni, authoribúsve injuria, aut fraus aliqua inferatur, censere & recensere noverit. Ideoque privilegium à præmemoratis, Augustissimis Cæsaribus Divis quondam Rudolpho Secundo, Matthiâ, Ferdinandis II. & III. Dominis nostris Propatruelibus Magnis respectivè Avo ac Genitore sacratissimæ recordationis, dictæ Societati concessum clementer confirmantes & corroborantes, nec non declarantes nostræ intentionis nunquam fuisse, nec esse, ut in privilegijs Impressorijs ad edendum quibuscunque alijs hactenus concessis vel in futurum concedendis includantur, aut inclusa comprehensáque intelligantur, libri ab authoribus è sæpe laudatâ Societate JESU scripti, nisi in Concessione aliquâ expressa & specifica eorum mentio fuerit facta; Ac proinde Auctoritate nostrâ Cæsarea omnibus & singulis Typographis, Bibliopolis, Calcographis, Sculptoribus, atque alijs quamcunque librariam negotiationem exercentibus seriò vetamus, atque inhibemus, ac jam ante vi sæpe dicti privilegij vetitum & prohibitum fuisse declaramus, ne quis libros, vel æri insculptas imagines, ac scripta ab ipsis Patribus hactenus edita, vel imposterum edenda, ne quidem prætextu ullius privilegij, nisi, ut præfertur, intra sacri Romani Imperij, Regnorúmque ac Provinciarum nostrarum hæreditariarum fines simili vel alio characteris genere aut formâ, sive in toto, sive in parte, recudere, sculpere, vel aliò recudenda, sculpendáve mittere, aut impressa vel sculpta adducere, vendere aut distrahere, clàm seu palàm, citra præmorati Patrum consensûs indicium, ac testimonium, quod nobis, cùm nostrum impetrare privilegium volent, ostendere teneantur, audeat vel præsumat. Si quis autem secus faciendo privilegium hoc nostrum, & Divorum Antecessorum nostrorum temerario quodam ausu negligere, transgredi aut violare non fuerit veritus, is non solùm prædictis libris & iconibus, perperam quippe recusis & adductis (quos prænominati Patres, eorúmve Mandatarij ubicunque locorum deprehensos, vel propriâ auctoritate, vel Magistratûs illius ope & auxilio sibi vendicare poterunt) de facto privandus, sed viginti insuper marcarum auri puri puti probi Ærario sive Fisco Imperiali, fraudis nimirum vindici ex uno, ex altero semisse sæpè dictis Patribus, eorúmve Mandatarijs, omni spe veniæ ac remissionis præcisâ pendendarum mulctam dare damnatus esto. Hanc tamen legem ac conditionem expresſè ac disertim adjicimus, ut omnium & singulorum Operum, seu librorum quaterna ut minus exempla ad Cancellariam nostram Imperialem quamprimùm per eosdem Patres, vel Typographum privilegij hujus beneficio uti volentem, transmittantur. Mandamus ergo omnibus & singulis nostris ac sacri Romani Imperij, Regnorúmque ac Ditionum nostrarum hæreditariarum subditis, cujuscunque status, ordinis, dignitatis, conditionis ac fortunæ existant, tam Ecclesiasticis quàm sæcularibus præsertim verò ijs, qui in Magistratu constituti, vel proprio Superiorum nomine, & loco jus dicunt, ac

)(2 justitiæ

Justitiæ administrationem exercent, ne quenquam hoc privilegium nostrum Cæsareum temerè & impunè transgredi aut violare patiantur, quin potiùs contumaces, si quos fortè compererint, præscriptâ pœnâ puniri, aliísque modis idoneis coërceri curent, quatenus & ipsi eandem mulctam evitare voluerint. Harum testimonio literarum, manûs nostræ subscriptione: & Sigilli nostri Cæsarei impressione munitarum, quas dedimus in Civitate nostra Viennâ die sextâ Maij, Anno millesimo, sexcentesimo septuagesimo septimo, Regnorum nostrorum Romani decimo nono, Hungarici vigesimo secundo, Bohemici verò vigesimo primo.

LEOPOLDUS.

V. Leopoldus Guilielmus
Comes in Kinigsegg.

(L. S.)

Ad Mandatum Sacræ Cæsareæ Majestatis proprium.

Christoph Beüer.

PRIVILEGIUM ET FACULTAS
Adm. R. P. Præpositi Provincialis Soc. JESV per Provinciam superioris Germaniæ.

CUm Sacræ Cæsareæ Majestatis rescripto, omnibus & singulis Typographis, Bibliopolis, ac alijs, quamcunque librariam negotiationem exercentibus seriò, firmitérque inhibeatur, ne quisquam libros à Societatis JESU Patribus editos, vel imposterum edendos, intra S. R. Imperij, Regnorum & Dominiorum suæ Cæsareæ Majestatis hæreditariorum fines, simili vel alio characteris genere, aut formâ sive in toto, sive in parte recudere, vel aliò recudendos mittere, aut alibi jam impressos adducere, vendere, & distrahere, clàm seu palàm, citra consensum ac testimonium supra dictorum Patrum audeat vel præsumat; Ideo Ego Benedictus Painter Societatis JESU per superiorem Germaniam Præpositus Provincialis, juxta potestatem mihi ab Adm. Reverendo Patre nôstro Joanne Paulo Oliva, ejusdem Societatis JESU Præposito Generali factam, Domino Joanni Casparo Bencard, Bibliopolæ Dilingano Academico, ejúsque Hæredibus seu Successoribus, omnes prædictæ Typographiæ hactenus concessas, & usurpatas facultates concedo, libros à Patribus nostræ Societatis conscriptos, singulariter

R. P. Ernrici Pithing S. J. Commentarium in quinque Libros Decretalium.
R. P. Tobiæ Lohneri Instructiones Practicas. &c. &c. &c.

Cæteróſque omnes tam Scholasticos, quàm non Scholasticos antehac Dilingæ, cum simili Cæsareo Privilegio editos, & in futurum scribendos, cum consensu Societatis JESU recudendi, vel de novo edendi, liberam potestatem facio. Eidémque & ipsius hæredibus Privilegium Cæsareum Societati nostræ concessum, eatenus indulgeo, ut Societate, & ipso invitis, nemo supradictos libros recudere, nemo intra Sacri Romani Imperij finem, & hæreditarias Sacræ Cæsareæ Majestatis Provincias importare, aut venum exponere audeat.

Et quia ex prædictis libris jam antea editis, aliquos sine licentia Societatis JESU, in grave nominatæ Typographiæ, & prædicti D. Joannis Caspari Bencard præjudicium, & detrimentum, nonnulli recudere præsumpserunt; Eidem D. Joanni Casparo Bencard de damnis illatis querenti omnia hujus Generis Privilegia hactenus illi Typographiæ competentia, & à prædecessore meo in ipsum collata, tribuo & confirmo: Ut ijsdem omni meliore modo, contra ante dictos, & quoscunque alios illius Cæsarei Privilegij Violatores utatur, & indemnitati suæ consulat, in librorum ante memoratorum, aliorúmque cum suprapositо Societatis JESU consensu Dilingæ impressorum, ac imprimendorum distractione. In quorum omnium fidem, ac testimonium, has meâ manu subscripsi, ac Sigillo mei officij communivi. Dilingæ 22. Junij. Anno 1676.

BENEDICTUS PAINTER S. J.

CATA-

CATALOGUS AUCTORUM,
in hoc Opere citatorum.

A.

Abbas Absalon.
Acta Mediolanensia.
Adrichomius.
Ælianus Claudius.
Agellius.
Alanus.
S. Albertus Magnus Ratisb. Episc.
Alcuinus.
Alegambe Philippus. S. J.
Alensis.
Alvarez Jacobus S. J.
S. Ambrosius Mediol. Episc.
Amphilochius Iconij Episc.
B. Angela Monialis.
Annales Cistercienses.
Annuæ Austriacæ.
Annuæ Granatenses.
Annuæ Mechlinienses.
Annuæ Neapolitanæ.
Annuæ Poloniæ.
Annuæ Philippinæ.
Annuæ Taurinenses.
S. Anselmus Cantuariensis Episcopus.
S. Antiochus.
S. Antoninus Florentinus Episc.
S. Antonius Paduanus.
S. Aquinas Thomas Ordinis Prædic.
S. Areopagita Dionysius.
Aresius.
Arias Franciscus S. J.
Aristoteles.
S. Arnoldus Carnot. Abbas.
Asterius.
S. Athanasius Alex. Episc.
Athenæus.
S. Augustinus Aurelius. Hipponensis Ep.
Author operis imperfecti.

B.

Baldesanus Guilielmus.
Baronius Cæsar. Card.
Barry Paulus S. J.
Bartoli Daniel S. J.
S. Basilius Magn. Cæsar. Episc.
V. Beda Presbyter.
Bellarminus Robertus S. J. Cardin.
Bellovacensis Vincentius Episc.
Berchorius Petrus.
S. Bernardinus Senensis Ord. min.
Bernardinus de Bustis.
S. Bernardus Abbas.
Beyrlinck Laurentius.
Bibliotheca Pauperum.
S. Birgitta.
Le Blanc Thomas S. J.
Blessensis Petrus.
Blosius Ludovicus Ord. Bened.
Boëtius Anicius Manlius.
Bohemus Joannes.
Boiterus.
Bollandus Joannes S. J.
Bona Joannes Card. Ord. Cisterc.
S. Bonaventura Card. Ord. Min.
Bonartius.
Borromæus Carolus Card.
Boverius Zacharias Ord. Capuc.
Bozius Thomas.
Bredenbachius Tilmannus.
Brunner Andreas S. J.
Brissonius.
S. Bruno Ord. Carth. Fundator.
Bourgensis.
Bzovius.

C.

Cæsarius Arelatensis Episc.
Cæsar Wittenbergensis.
Cajetanus.
Cantipratanus Thomas Ord. Præd.
Caraffa Vincentius S. J.
Carbo Ludovicus.
Cassia Simon.
Cassianus Joannes.
Cassiodorus. M. Aurelius.
Castillo.
S. Catharina Senensis.
Caussinus Nicolaus S. J.
Cellensis Petrus Abbas.
S. Chromatius Aquileg. Ep.
Chronicon S. Franc.
S. Chrysologus Petrus Raven. Episc.
S. Chrysostomus Joannes. Constantinop. Episc.
S. Clemens Alexandrinus.
S. Climacus Joannes.

Concilium Ephesinum.
Concilium Narbonense.
Concilium Tridentinum.
Cornelius à Lapide S. J.
Costerus Franciscus S. J.
Crombecius Joann. S. J.
S. Cyprianus Cæcilius Carthag. Episc.
S. Cyrillus Alexandrinus Ep.

D.

Damascenus Joannes Ep.
B. Damiani Petrus Card.
Daurolțius Antonius. S. J.
Decreta Ecclesiæ Gallicæ.
Delrio Martinus S. J.
Dio Cassius.
Dionysius Carthusianus.
S. Dorotheus Archimandrita.
Drexelius Jeremias S. J.
Durandus.

E.

Eboracensis Guilielmus.
Elias Cretensis.
B. Elredis.
Engelgrav. Henricus S. J.
S. Ephrem Diaconus.
Epictetus Philosophus.
Eucharius.
Eugenius.
Eusebius Emyssenus.
Eusebius Nierenbergius S. J.
B. Eutychianus.

F.

Faber Matthias S. J.
S. Ferrerius Vincentius Ord. Prædic.
Florimundus Remondus.
Franciotti Cæsar.
S. Franciscus Seraphicus.
Francus Abbas.
S. Fulgentius Ruspensis Episc.
Fulgosus Jo. Baptista.
Fullonius Joannes Erardus S. J.

G.

Gerson Joannes Ord. Cisterc.
Giardinus.
Gillibertus.
Goar Jacobus.
S. Gertrudis Ord. Bened.
S. Gregorius Magnus Papa.
S. Gregorius Nazianzenus Episc.
S. Gregorius Nyssenus.
S. Gregorius Turonensis.
Guilielmus Parisiensis Ep.
Guarricus Abbas.

H.

Hartung Philippus S. J.
Haymo.
Herold Joannes.
S. Hieronymus D. Eccl.
S. Hilarius Pictav. Episc.
Hugo Carnotensis.
Holkot Robertus.
Hugo Cardinalis.
Hugo Victorinus.

I.

Jacobus de Voragine.
Jansenius.
Idiota ficto nomine.
S. Ignatius M.
Joannes à S. Maria.
B. Jordanus.
Innocentius III.
B. Jordanus.
Joseph. Judæus.
S. Irenæus Lugd. Episc.
Isaac Presbyt.
S. Isidorus Hispal. Episc.
Isidorus Pelusiota.
S. Justinianus Laurentius. Venetus Patriarcha.
Justinianus Fabianus.
S. Justinus Philosophus Mart.
Justus Orgelitanus.

K.

Kempensis Thomas.
Kepplerus Laurentius S. J.
Kircherus Athanasius S. J.
Kysselius Philippus S. J.

L.

Lactantius Firmianus.
Lancitius Nicolaus S. J.
Landspergius.
Latinus Pacatus.
Laurentius Presbyter.

S. Leo

S. Leo Magnus Papa.
Lessius Leonardus. S. J.
Liranus Nicolaus.
Lippelous Zacharias, Ord. Carthus.
Livius Titus.
Lonzona.
Lorinus Joannes. S. J.
Ludovicus de Saxonia.
Lugo. Joannes S. J. Card.
Lyræus Nicolaus S. J.

M.

S. Macarius Senior.
Madriliensis Alphonsus.
Majolus Simon, Ep.
Major Joannes S. J.
Malacenses Literæ.
Mancinus Leopoldus S. J.
Manni Augustinus.
Mansi Josephus.
Marchantius Jacobus.
Mariana Joannes S. J.
Mendoza Franc. S. J.
Menelogium Cisterc.
de Messia Petro.
Molina Ludovicus S. J.
Michaël de Bononia.

N.

Nadasi Joannes S. J.
de Natalibus Petrus Equil. Episc.
Nicephorus Callisto.
Nicetas Choniates.
Nicius Janus. S. J.
Nilus Constanti. Episc. M.
Novarinus.
Nuza.

O.

Oecumenius.
Olaus Magnus.
Oleaster.
Onselius.
Origenes Adamantius.
Orcandinus Nicolaus. S. J.
Osorius.
D' Outreman Philippus S. J.

P.

S. Paschasius.
S. Paulinus Nolanus Episc.
Paulus de Palatio.
Pelbartus Ord. Min.
Pennequin Petrus S. J.
Pererius Bened. S. J.
Petrarcha Franciscus.
Petrus Crinitus.
Philippus à S. Trinitate.
Philippus de Marinis.
Philo Judæus.
Pierius Joannes.
Pineda Joannes S. J.
Platina.
Plato Philosophus.
Platus Hieronymus S. J.
Plinius Junior.
Polidorus.
de Ponte Ludovicus S. J.
Pontificale Romanum.
Pratum Spirituale.
Probus Æmilius.
Procopius Cæsariensis.
S. Prosper Aquitanus.

Q.

Quintilianus.

R.

Raderus Matthæus S. J.
Raynaldus.
Recupitus.
Relatio Japonensis.
S. Remigius Episc.
Remondus Franciscus. S. J.
Rho Joannes S. J.
Rhodiginus Cælius.
Ribadeneira Petrus S. J.
Richardus de S. Victore.
Richeomus Ludovicus.
Risse.
Rodriquez Alphonsus S. J.
Rupertus Abbas.

S.

Salazar.
S. Salesius Franciscus Ep.
Salmeron Alphonsus. S. J.
Salvianus. Massil. Episc.
Sanctius.
Sanderus.
Santiure Joann. Baptist.

Sava-

INDEX



INDEX UNIVERSALIS TITULORUM GENERALIUM.

Pur-

TITULI
BIBLIOTHECÆ MANUALI
Superadditi in hoc Auctario.

AUCTA-

AUCTARII BIBLIOTHECÆ MANUALIS CONCIONATORIÆ

TITULUS I.

ABSTINENTIA.

§. I.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Qualitas.

I.

S. August. s. 64. de temp.

QUi abstines à carnibus, quibus aliis diebus uti licet, quomodo peccata admittes, quæ omnino nunquam licent?

S. Chrysol. serm. 8.

II. Jeiunium tunc viget, tunc vincit, tunc triumphat, cùm duce misericordiâ pugnat.

August. in ps. 42.

III. Hæc iustitia hominis in hac vita, ieiunium, eleemosyna, oratio. Vis orationem tuam volare ad Deum? fac illi duas alas, ieiunium, & eleemosynam.

Aug. serm. 56. de temp.

IV. Considerate, fratres, si horrea, & cellaria nostra annis singulis replemus, unde uno anno cibum habeat caro nostra, putas, quantum debemus recondere, unde in æternum sustentetur anima nostra?

S. Leo s. 8. de ieiunio.

V. Semper virtutis cibus ieiunium fuit.

S. Chrysost. Hom. 1. in c. 1. Gen.

VI. Jeiunium schola precum, animæ cibus, oris frænum. Jeiunium animæ nostræ alimentum est: & sicut corporalis iste cibus impinguat corpus, ita & ieiunium animam habitiorem efficit, & valentiorem. Leves ei pennas producit, ut in sublime feratur, & summa contemplari queat. Vellem ergo vos purificatâ mente, valéque deliciis & voracitati dicto, matrem omnium bonorum & pudicitiæ, aliarúmque virtutum omnium magistram, ieiunium explicitis vestræ mentis finibus suscipere.

S. Ambros. serm. 34.

VII. Legimus primùm in veteri testamento Noë temporibus, cùm omne genus humanum scelerata iniquitas occupâsset, tot dierum numero patefactis cataractis cœli, aquarum pluvias defluxisse &c. Ita & modò nobis Dominus illius temporis quadragesimam dedit, ut constituto dierum numero patefactis cœlis, pluviâ nos misericordiæ cœlestis irroret, & inundatione factâ per Baptismum, lavacri salutaris nos imber illuminet, & sicut tunc factum est, aquarum fluctibus extinguatur in nobis delictorum iniquitas, virtutum iustitia conservetur.

S. Aug. de utilit. ieiunii to. 9. c. 3.

VIII. Si suggerentem audias intrinsecus tentatorem: quid facis, quia ieiunas? defraudas animam tuam, non ei das, quod eam delectat, tibi ipsi ingeris pœnam, tuus ipse tortor, & cruciator existis, &c. Responde huiusmodi tentatori per hanc similitudinem: si iumento fortè insideres, si equo契 utereris, qui te gestiendo posset præcipitare; nónne ut securius iter ageres, cibaria ferocienti subtraheres, & fame domares, quem fræno non posses? Caro mea iumentum meum est: iter ago in Hierusalem; plerumque me rapit, & de via conatur excludere; via autem mea Christus est. Ita exultantem non cohibebo ieiunio?

S. Cyprian. lib. de ieiun.

IX. Quotquot viros virtutum videmus, sine ieiunio non legimus ascendisse, nec aliquid magnum moliti sunt, nisi priùs abstinentia præcessisset. Quanta res Jeiunium! Angelós ex hominibus facit.

S. August. serm. 2. de Domin. 1. Quadrag.

X. Advertamus ergo; quanta sit inter ieiunium, & saturitatem distantia, inter ventrem vacuum & pulmones epulis distentos. Moyses quia ieiunavit, Dominum vidit. Populus quia manducavit & bibit, idola fabricavit. Impetraverunt unius hominis ieiunia, quod totius populi saturitas desperaverat. Princeps humani generis Adam, quamdiu ieiunavit, in paradiso fuit: Ubi verò comedit, eiectus est de paradiso. Eiecit ergo nos de paradiso cibus; reducat esuries, reducat ieiunium. Semper enim iuncta est saturitati lascivia. Sancto Eliæ ieiunanti, etiam elementa famulata sunt. Videte Charissimi, quanta sit Dei clementia erga ieiunantes.

S. Basilius hom. 1. de ieiun. ante Medit.

XI. Uno temporis momento ob gulam populus ille per maxima prodigia Dei cultum edoctus, in Ægyptiacam idololatriam turpissimè devolutus est. Ex quo si utrumque simul conferas, videre licet, ieiunium ad Deum ducere, delicias verò salutem perdere. Quid Esau inquina-

Digitized by Google

quinavit, servúmque fratris reddidit? nónne esca una, propter quam primogenita vendidit? Samuelem verò nónne per ieiunium oratio largita est matri? Quid fortissimum Samsonem inexpugnabilem reddidit? nónne ieiunium, cum quo in matris ventre conceptus est? Ieiunium concepit, ieiunium nutrivit, ieiunium virum effecit. Quod sanè Angelus matri præcepit, monens quæcunque ex vite procederent, ne attingeret, non vinum, non siceram biberet. Jeiunium Prophetas genuit, potentes confirmat atque roborat. Jeiunium Legislatores sapientes facit: animæ optima custodia, corporis socius securus, fortibus viris munimentū & arma, athletis & certantibus exercitatio. Hoc præterea tentationes propulsat, ad pietatem armat, cum sobrietate habitat, temperantiæ opifex est: in bellis fortitudinem affert, in pace quietem docet: Nazaræum sanctificat, Sacerdotem perficit.

Necessitas.

S. Chrysost. tom. 5 de pœnit. hom. 1.

XII. Propterea & Deus hominem à principio faciens, illico frænum ei ieiunii manibus imposuit, veluti piæ amabilique matri & magistro optimo committens. Si in paradiso ieiunium necessarium fuit, extra paradisum multò magis erit. Si ante plagam utilis medicina fuerat, multò magis post plagam. Si necdum bello voluptatum insurgente, nobis arma fuerant opportuna, multò magis post voluptatum, vitiorumque prælium à dæmonibus nobis illatum. Igitur nobis necessaria sunt à ieiunio auxilia. Vidisti, quomodo irascitur Deus ieiunio spreto? Disce & quomodo lætatur ieiunio honorato. Quemadmodum ieiunio spreto mortem spernenti obtulit, sic iterum eodem honorato à morte revocavit.

S. August. tom. 10. serm. 65. de temp.

XIII. Sed cur Eliæ Deus panem & aquam tantùm, non etiam submisit prandium, sicut Danieli in cavum leoninum? Augustinus respondens: sciebat Deus, inquit, prophetam suum tentantem diabolum aliter superare non posse, nisi ieiuniis eruditus insidiantis inimici tentamenta depelleret.

S. Hieron. l. 2. adversus Iovin.

XIV. Nos creaturam Dei omnem laudamus, sed maciem saginæ, abstinentiam luxuriæ, ieiunia præferimus saturitati. A diebus Joannis Baptistæ ieiunatoris & virginis, regnum cœlorum vim patitur, & violenti diripiunt illud. Timemus enim, ne ab adventu æterni Judicis, sicut in diebus diluvii, & eversionis Sodomæ & Gomorrhæ, deprehendamur manducantes, & bibentes, & nubentes, & nuptui tradentes. Nam & diluvium, & ignis de cœlo saturitatem pariter & nuptias, quas deleret, invenit.

Jucunditas.

S. Chrysost. Hom. 1. in Gen.

XV. Jeiunium animæ nostræ alimentum est, leves ei pennas producit, ut in sublime feratur, & summa contemplari queat, voluptatibúsque, & omnia, quæ in hoc mundo habentur suavia, ipsa sit superior. Et quemadmodum, leviores naves maria velociùs transeunt, contrà multis oneribus gravatæ submerguntur: ita ieiunium quidem leviorem reddens mentem, efficit, ut faciliùs huius vitæ pelagus transmittat, & in cælum, ac ea, quæ in cœlis sunt, respiciat, & nihili faciat præsentia, sed ut umbras, & si quid minus, diffugere censeat.

Jejunium Quadragesimale.

August. serm. 65. de Temp.

XVI. Adest nobis venerabile, & medicabile tempus quadragesimæ, per quod ieiunantes peccatorum nostrorum vulnera curare debemus, illius prorogatio tædium parere non debet: quia quantò plures dies sunt ieiunii, tantò maior est causa remedii. Sunt messis illi, & vindemiæ dies, inquit B. Hilarius Episcopus Arelatensis de init. quadrag. omni acceptione dignissimi, propter fructuum, & cœlestium gratiarum, quas nobis parturiuntur, copiam.

S. Chrysol. serm. 11.

XVII. Videtis, quia, quòd quadragesimam ieiunamus, non est humana inventio; Auctoritas est divina; & est mysticum, non præsumptum: nec est de terreno usu, sed de cœlestibus secretis.

S. August. serm. 1. in Cin.

XVIII. Ecce, fratres charissimi, Deo propitio tempus quadragesimæ venit, & ideo rogo dilectissimi, ut dies istos corporibus salubres, & animæ medicinales ita cum Dei adiutorio sanctè & spiritualiter celebremus: ut observatio sanctæ Quadragesimæ non nobis iudicium pariat, sed profectum. Si enim negligenter agimus, si nos minùs occupationibus implemus, si castitatem servare nolumus, si ieiuniis & vigiliis & orationibus non insistimus, si Scripturas Divinas aut ipsi non legimus, aut legentes alios non libenter audimus, ipsa nobis medicamenta convertuntur in vulnera, & inde habebimus iudicium, unde potuimus habere remedium. Et ideo rogo vos, fratres charissimi, ad vigilias maturiùs surgite, ad Tertiam, ad Sextam, ad Nonam ante omnia convenite. Nullus se à sancto opere subtrahat, nisi, quem infirmitas, aut publica utilitas, aut fortè certa & grandis necessitas tenuerit occupatum. Infelix voluptas, infelicior cupiditas atque luxuria per transitoriam dulcedinem præparant sempiternam amaritudinem. Abstinentia verò, vigiliæ, orationes atque ieiunium per brevissimas angustias perducunt ad paradysi delicias: quia non mentitur veritas, quæ in Evangelio dicit: Arcta & angusta via est, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inveniunt eam. Nec per latam viam diu gaudetur, nec per angustam & asperam longo tempore laboratur: quia & isti post brevem tristitiam accipiunt vitam æternam, & illi post parvum gaudium patiuntur sine fine supplicium. Et ideo, fratres charissimi, in istis quadraginta diebus, quasi totius anni cibaria animæ nostræ, ieiunando, legendo vel orando providere debemus. Nam licet per totum annum Deo propitio, lectiones divinas frequenter & fideliter audiatis, in istis tamen diebus de pelago & fluctibus mundi huius quasi ad portum Quadragesimæ confugientes, debemus requiescere, & lectiones divinas in exceptorio cordis nostri cum silentio & pace suscipere: ut Deo propitio pro amore vitæ æternæ, quod per totum annum multis tempesta-

pestatibus, id est, peccatorum fluctibus, aut fractum, aut dissolutum, aut corruptum, aut perditum est, omni sollicitudine istis diebus reparare studeamus atque componere.

Idem. l. 1. quæst. 69. XIX. Non enim frustra quadraginta dies ieiuniorum sunt constituti, quibus Moyses & Elias, & ipse Dominus ieiunavit, & Ecclesia præcipuam observationem ieiuniorum, Quadragesimam vocat. Unde & in Hebræo de Ninivitis apud Jonam Prophetam scriptum perhibent, Quadraginta dies, & Ninive subvertetur: Ut per tot dies accommodatos humiliationi pœnitentium, intelligatur in ieiuniis sua deflevisse peccata, & impetrâsse misericordiam Dei.

Idem Epist. 119. XX. Quadragesima sanè ieiuniorum habet auctoritatem, & in veteribus libris ex ieiunio Moysis & Eliæ, & ex Evangelio.

Idem. XXI. Omne vitæ nostræ tempus, stadium quoddam debemus putare virtutum & ad cœleste bravium totâ virtute contendere. Sed hoc præcipuè in Quadragesimæ diebus implendum est, qui abstinentiæ & ieiuniis dedicati, tantum nobis ad virtutem animi conferunt, quantum & de corpore voluptatem decerpunt. Est autem legitimus numerus iste ieiunii, & qui in Sanctis celebratur exemplis. Celebremus ergo hos dies cum omni alacritate mentis & gaudio, & eos omnibus epulis & corporalibus deliciis præferamus. In his enim præcipuè diebus ad implendam Domini voluntatem accendimur, quando maximè per abstinentiam voluptas carnis extinguitur. Tunc enim ad Dominum, & ad eius futura promissa tota mens purior facienda festinat, cùm nullâ crapulâ, nullâ cibi vel potûs satietate crassatur. Unde & Salvator in Evangelio dixit: Attendite itáque vobis, ne graventur corda vestra in crapula, & ebrietate, & cogitationibus sæcularibus, & superveniat in vos dies illa repentina: tanquam laqueus enim superveniet universo mundo, & nemo effugiet.

Idem serm. 1. Dom. 1. Quadr. XXII. Sed & illa est in Quadragesimæ diebus grandis utilitas, quòd, dum etiam à licitis abstinemus, magis ac magis admonemur illicita vitare. Qui enim abstinemus nos à carnibus, quibus aliis diebus uti licet: qui nos abstinemus à vino, quo moderatè uti licet: qui ergo ista vitamus, quæ aliquando licent, inprimis peccata fugiamus, quæ omninò nunquam licent. Itáque si volumus bene ieiunare à cibis; ante omnia ieiunemus à vitiis. Quid enim prodest vacuare corpus ab escis, & animam replere peccatis? Quid prodest, pallidum esse ieiuniis, si odio & invidiâ livescas? Quid prodest, vinum non bibere, & iracundiæ veneno inebriari? Quid prodest abstinere à carnibus ad edendum creatis, & malignis obtrectationibus fratrum membra lacerare? Quid prodest, si abstineamus ab his, quæ aliquando licent, & faciamus illa, quæ nunquam licent? Deus enim illos honorat & diligit, qui illicita fugiunt. Sic ergo, ut dixi, ieiunemus à cibis, ut multò magis ieiunemus à vitiis, ut sanctorum morum ubertate saturemur, ut & in futuro mereamur ipsorum operum retributione satiari: sicut in Evangelio legimus, Beati, qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Illam enim compensationem magis eligere debemus, ut cibis, quibus nos abstinemus, eos pauperibus ac debilibus largiamur: secundùm illud, quod scriptum est, Beati, qui contenti sunt esurire, ut alibi reficiantur. Satis Deo acceptum est munus, quando indigens saturatur, quando nudus vestitur, quando ira non perficitur, & iracundiæ tempus non reservatur, quando malum pro malo non redditur. Tunc grata sunt Deo nostra ieiunia, si illi, qui necessitate ieiunant, reficiantur à nobis. Tunc illam Domini sententiam audire merebimur: Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni ex minimis istis, mihi fecistis. O benignissimum Dominum ad edomandam hominum avaritiam, qui sibi dari dicit, quod vel minimo pauperi donatum fuerit. Vobis autem, fratres, præstet Domini misericordia, ut ei ieiuniis, & eleemosynis in bonis operibus serviatis.

XXIII. Non enim leve peccatum, fidelibus indictam Quadragesimam à Domino non ieiunare, & ieiunia consecrata ventris voracitate dissolvere. Scriptum est: qui dicit, se in Christo manere, debet, sicut ille ambulavit, & ipse ambulare. Si vis ergo Christianus esse, debes, quod Christus, facere. Ille qui peccatum non habebat, Quadragesimam ieiunavit, tu non vis Quadragesimam ieiunare, qui peccas? Ille peccatum non habebat, sed pro nostris ieiunavit peccatis. Qualis ergo apud conscientiam tuam Christianus es, cùm Christo pro te esuriente tu prandes? Cùm Salvatore pro te ieiunante tu reficeris? Non igitur, sicut dixi, leve peccatum est, indictum violare ieiunium. *S. Ambr. to. 3. serm. 25 de Quadrag.*

§. II.

EXEMPLA SACRA.

I. Venantii quondam Patricii in Sammii partibus villa fuit, in qua colonus eius filium Honoratum nomine habuit, qui annis puerilibus ad amorem cœlestis Patriæ per abstinentiam exarsit. Cùmque tam magnâ conversatione polleret, séque iam ab otioso quoque sermone restringeret, multúmque, ut præfatus sum, per abstinentiam carnem domaret, die quadam parentes eius vicinis suis convivium fecerunt, in quo ad vescendum carnes paratæ sunt: quas dum ille ad esum contingere præ abstinentiæ amore recusaret, cœperunt eum parentes eius irridere, ac dicere: Comede, nunquid tibi in his montibus piscem allaturi sumus? illo verò in loco pisces audiri consueverant, non videri. Sed dum his sermonibus Honoratus irridetur, repentè in convivio aqua defuit ad ministerium, & cum situla lignea, sicut mos illic erat, mancipium ad montem perrexit. Dúmque hauriret aquam, piscis situlam intravit. Reversúmque mancipium ante ora discumbentium piscem cum aqua fudit, qui ad totius diei victum potuisset Hono- *Specul. exempl. tit. de Abstinent. exempl. 1.*

rato sufficere. Mirati sunt omnes, totáque illa parentum irrisio cessavit. Cœpere námque in Honorato venerari abstinentiam, quam antè deridebant, sicque à Dei homine irrisionis detersit opprobria piscis de monte.

Daurault. c. 4. tit. 9. exempl. 1. II. Procopius de Justiniano Imperatore sic scribit: Omnibus illis diebus, qui Paschalem solennitatem præcedunt, ieiunio addictus duram quandam vitam egit, nedum Regali alienam, sed néque privato alicui aliquo modo acceptabilem. Per dies abstinebat: summo mane itidem è lecto consurgens Reipublicæ invigilavit, cuius negotia verbo & opere pertractans, matutinum, meridianum, & non minùs nocturnum tempus implevit: nam in seram noctem lectum petens mox surrexit, quasi plumarum pertæsus. Cibi appetens, vinum, panem & alia id genus cibaria abesse voluit, brassicam solùm, & agrestes herbas longo tempore sale & aceto maceratas edebat: potus aqua erat sola: néque his ad saturitatem utebatur, sed petitum cibum paulisper degustatum mox dimisit, non eo sumpto, quod naturæ satis erat.

Niceph. l. 11. c. 43. III. Evagrius, Nicephoro teste, ad Macarium Anachoretam sub meridiem revisit, cúmque fatigatione ac siti exhaustus frigidam postularet, Macarius ad illum placidè: Mi fili, ait, contentus esto hâc umbrâ; multi enim viatores, & navigantes eâ nunc carent. Evagrius vir mitioris ingenii ad tranquillitatem se componens, de temperantia cœpit disserere. Cui Macarius: Confide, ô fili, ait, & bono esto animo; ego iam totis viginti annis néque panem, néque aquam, néque somnum ad satietatem admisi. Et panem quidem ad modicum libellæ pondus comedi, aquam ad mensuram parcissimam bibi; cùm verò fatigatio me cogeret, parieti acclinis, exiguam somni partem rapui. Hæc vitæ meæ methodus est.

Speoul. exempl. l. c. exempl. 14. IV. Legitur in Scala Cœli, quòd quidam Prælatus semel erat, qui non comedebat carnes, tamen faciebat multas iniustas exactiones. Cùm igitur semel exhæredâsset unam viduam, illa cum filiis suis in brachiis accessit ad eum, dicens: Domine, tu non comedis carnes mortuas, sed comedis carnes vivas, quia cum deprædationibus tuis interficis, & devoras omnes subditos tuos. Devóra ergo etiam istos duos filios meos, & comede eos. Quod ille audiens & compunctus, restituit ei omnia. Patet ex hoc abstinentiam à carnibus nihil homini profuturam esse, néque ullas castigationes corporis, si homo non abstineat à peccatis, & præsertim ab oppressione pauperum, quia non prodest bonum facere, nisi abstineatur à malo. Sunt enim duæ partes Justitiæ, scilicet declinare à malo, & facere bonum.

Necessitas.

V. Referebant quidam fratres de Abbate Niceta, qui fuit Discipulus Abbatis Silvani, quia quando in cella sua in monte Sina degebat, moderatè abstinebat pro necessitate corporis: quando autem Episcopus ordinatus est in Faran, nimis constrinxit se ipsum diutinâ abstinentiâ, & in vigiliis propensiùs, atque in orationibus intentiùs agebat. Hæc autem videns Discipulus eius, dixit ei: Quid est Domine hoc, quia quando in eremo conversabamur, non tantum in abstinentia laborabas. Respondit ei Beatus Vir dicens: Considera, frater, quoniam ibi eremus erat, & secreta vita, ac paupertas: nunc autem egressi de eremo cum sæcularibus conversamur hominibus, & multæ ac variæ nobis occasiones occurrunt, & ideo timeo, ne in fine vitæ meæ aliqua occasione Deum offendamus. Si enim S. Apostolus Paulus, qui Christum in se loquentem habebat, & qui tantas virtutes animi possidebat, ut usque ad tertium cælum, adhuc in corpore positus, ascenderet, tamen dicebat: Macero corpus meum & servituti subiicio, ne forsan aliis prædicans ipse reprobus inveniar: quid nos humiles & peccatores facere oportet?

Utilitas.

VI. Legi aliquando in Teutonicali libro, quòd erat in Civitate Genuensi Virgo quædam pulcherrima facie, nobilis genere, dives rebus, honestis orta parentibus, nomine Marina. *Ibidem exempl. 15.* Hanc cùm quidam ditissimus atque honestissimus vir, nomine Aronus, in matrimonium accepisset: & aliquamdiu cum ea in summa dilectione vixisset, secretiùs eam in thalamum ducens: Scis, inquit, dulcissima Marina, quomodo negotiationis auxilio, res, famam, honores, & universa, quæ habemus, accepimus, & per eam in hunc felicissimum statum accessimus. Unde quia in Alexandria res, & causæ, quas cum cæteris huius officii viris habui, inordinatæ relictæ sunt, nisi tibi acerba esset mea absentia, vellem illuc pergere, & singula ritè ordinare, & sic reverti ad te, nunquam à te nisi per mortem separandus. Ad hæc Marina ingemiscens: Etsi gravis est mihi, inquit, tua absentia, & cùm te non videro, erit omne tempus longissimum, quia tamen tibi utile visum est, placet, quod concepisti. Age, quod libet, tantùm ne rebus dispositis ad me desertam sponsam tuam revenire cuncteris. At Aronus: Unum, inquit, est, ô Marina, quod tui causâ expaveo. Sciunt enim Juvenes & adolescentes civitatis huius, te fœminam decoram esse, & pulchris fore pulchriorem, unde timeo, si me absentem audierint, & te legitimi mariti carere tutore, parabunt laqueos pudori tuo, & te in sui amorem fraudibus conabuntur allicere. Quòd si agerent, ut tu pudoris oblita in adulterium labereris, certè te honore, & me vitâ privarent. Ad quæ verba Marina in lacrymas resoluta: Ne timeas, inquit, ô Arone, ego enim mallem vitâ defungi, quàm rem tam scelestam admittere. Perge igitur securus, non est, quod in hac parte formides, quia Deo ferente præsidium, præter te, nullum amatorem admittam. Tali responso accepto Aronus, rebus dispositis in Alexandriam navigavit: Ubi eum esse, cùm Proceres civitatis Genuensis cognovissent, ordinatis ante domum Marinæ choreis, institutis ludis, resonantibus cantilenis, cor Marinæ nitebantur

bantur evertere. Sed Marina, ut sponsionem marito factam illibatam servaret, clausit fores, fenestras omnes obstruxit, oculos simul & aures, quantùm prævalebat, avertit. Cùm igitur post multas insidias castum Marinæ pectus vulnerare non possent, fierétque fœmina de accepto trophæo liberior, custodiam solitam mitigavit. Quod dum faceret, quendam virum pulcherrimum, procerum formâ, nomine Dagmannum ante domum suam frequentiùs pertransire videbat; unde interrogat ab ancillis, quisnam, qualisve esset vir ille, qui tam insigne decus, & corporis, & morum præferret. Verum cùm audisset eum in utroque Jure Doctorem, dotatúmque ingenti scientiâ, ampliùs eum cœpit amare, felicem se iudicans, & nimiùm beatam, si talis viri amplexibus quandoque uti contingeret. Ut igitur texeret laqueum innocenti, ornatam fulgidâ veste se ante fores domûs suæ quotidiè à Dagmanno visendam deposuit, ut suo decore, tanquam veneno per oculos Dagmanni prætereuntis misso, cor saucium amore vulneraret. At verò Dagmannus vir prudens cùm esset, & sapiens, nunquam ad eam vel modicè intuendam oculum vertit, sed sibi suísque rebus intentus, maturo vultu semper præteriit. Videns ergo Marina, occultis dolis se non posse proficere, vi acta amoris, & pudore vacillante, ad aperta certamina fugiebat. Porrò misit nuncium Dagmanno, petens, ut ad se venire non cunctaretur. Dagmannus verò nihil sinistrè suspicatus, venit ad eam, ratus, quia secum de aliqua causa iuris haberet conferre. Quem cùm Marina in thalamum meretricio cultu ornatum induxisset, post multas verborum ambages, se eius amore captam indicavit, petiítque instantiùs, ut mutuis amplexibus fruerentur. Quod ubi audivit Dagmannus, Vir utique pudicissimus, ingemuit, miserabile ducens, tantum decus tam indebitis amoris procellis agitari, doluítque vehementer, tam vasti pudoris armarium adulterinis connubiis consensisse. Verùm volens eius vulneri adhibere remedium, amorem reciprocum simulavit. O me felicem, inquiens, ô me faventibus Fatis beatum, quòd in eam horam mihi venire concessum est, ut tanto decore frui liceret! Et conversus ad Marinam: Sis felix pulcherrima fœmina, quæ te primam ad huiusmodi amorem obtulisti. Noveris tamen, huius coniunctionis, quam utrique optamus, leve esse repagulum, atque celeriùs removendum, quod, quia mihi amica esse cepisti, liberiùs intimabo, ut si dies, in quo tibi iungar, sese protraxerit, causam dilationis agnoscas. Cùm Bononiæ in studiis vitam agerem, contigit quadam vice studentes seditionem suscitare. In qua seditione quidam quidem vulnerati sunt, quidam verò etiam morte prostrati. Quibus ita fientibus, armati Præsides in tumultum militibus vallati cucurrerunt, & nonnullos è studentibus captivantes, in carcerem proiecerunt. Inter quos & ego ducebar tanquam unus ex eis, qui tam cruentam seditionem in urbe concitâssent. Videns ergo me carceris caligine retineri, & servari ad pœnam, votum vovi Domino, qui conscientiarum latebras novit, quòd si me huius sceleris expertem, liberum & incolumem ad patrium solum reduceret, redderétque vivum parentibus, per integri anni spatium castè, illibatéque viverem, ac per idem tempus in pane & aqua ieiunarem. Favit voto Conditor rerum, & me miraculosè satis vinculis, quibus iniustè ligabar, absolvit, reddidítque liberum parentibus, quod paulò antè vehementiùs flagitabam. Quapropter ne tanto liberatori ingratus existerem, & sponsionis meæ infaustus infractor, statim ut carcerem liber exissem, ieiunium promissum inchoavi, & eousque hodie productum est, ut sexaginta tantùm dies ieiunii existimem superesse, quibus transactis, ut citò facient, in tuos amplexus, dulcissima Marina, perveniam. Tu interim fortiter age, & amoris nostri faces foveto. Ad hæc verba alta ferens suspiria Marina, ait: O tempus nimis longum, & dies tædiosos animo diligenti! cœpítque anxiari vehementer. Quod videns Dagmannus, dixit feminæ: Si igitur tibi nimis longè videntur hi sexaginta dies, tu mecum hoc tempus divide. Sume tibi triginta dies ieiunii, & ego triginta dies mihi ipsi reservabo, quo fiet, ut infra triginta dierum spatium cupitis amplexibus fruamur. Nam ita voti mei qualitatem moderavi, ut per interpositam personam urgentibus causis satisfacere valeam sponsioni. Dicebat ista vir castus & sapiens, non eò, quòd aliquid mali opere adimplere cogitârit, sed ut tentatam fœminam abstinentiæ remedio liberaret. Ad huiusmodi igitur consilium vultu & animo exhilarata promptissima voluntate pro Dagmanno ieiunium femina inchoavit. Et Dagmannus tunc quidem decessit ab ea, sed post tres dies ad eam reversus est, visurus quid ageret, & utrùm assumptum ieiunium, prout promiserat, inviolatum servaret. Quæ statim, ut vidit venientem, assurgit intranti, sedem locat, charitatis intimæ signa demonstrat. Dagmannus verò monuit eam, ut constanter agat, & inchoata ieiunia compleat, atque sic recedens, post septem dies revertitur. Rediens autem, vidit in ea paulò antè rubentia ora, ex inedia palluisse. Unde impensiùs eam consolans, suadet, ne ieiunia sibi dura existimet, per quæ celeriùs coniungantur. Et rursum post monitionem abscessit. Rediens autem tertiò decima quinta die ieiunii, invenit eam usque adeò imbecillem factam, ut vix assurgere prævaleret venienti, & usque adeò in ea sanguinem friguisse, ut plurimis licèt vestibus circumamicta esset, nullatenùs tamen calesceret. Quam ut priùs confortatam derelinquens Dagmannus, vigesimo nono die revertitur, & invenit eam in lecto decumbentem, & omnibus viribus usque adeò destitutam, ut vix anhelitum ad loquendum sufficientem retentâsset. Quod ubi vidit: quomodo, inquit, nunc tecum agitur, Marina dulcissima? Num inter frigentia membra, adhuc ad me fervidum amore pectus observas? Tunc Marina ad se reversa, intelligénsque, prudentem virum huiusmodi

di consilium, ad sibi medendum, invenisse. Grates, inquit, tibi, sapientissime virorum, mille refundam, nec vel sic possum tuæ charitatis insignis satis esse, quibus non modò honori meo, sed etiam amplissimè pudori providisti. Tu igitur vale, & me tibi debitricem teneto, quia tuis muneribus, industriâ, consiliô, non solùm ad te irreverens amor refriguit, sed & omnis illiciti amoris, ieiunio saluberrimo medente, usque adeo ardor avolavit, ut marito reverrenti castra pudoris inviolata servare contendam. Ad quod me iuvabit Dominus, qui sit Deus benedictus in sæcula.

Ibidem. exempl. 7. VII. Ad conservandam sanitatem nihil efficacius, quàm cibi & porûs identitas conservata; varia enim fercula variarum sunt naturarum. Omnis autem talis varietas parit humorum repugnantiam, & omnis humorum repugnantia repugnat sanitati. Unde elegantissimè, & prudentissimè respondit quidam de nostris adolescentibus Beluacensi Episcopo eum interroganti, unde contigerat, quòd sanior, & pulchrior esset in Claustro, quàm solebat esse in sæculo: quia, inquit, uniformiter vivo, & decenter. De quorum primo habeo, ut sanus sim, de secundo, ut pulcher sim. In seculo enim vivebam tam deformiter, quàm multiformiter, de quorum primo turpitudo nascitur etiam corporalis, de secundo ægritudo; Perrexitque quærere dicens: quid ergo comedisti hodie? satis, inquit. Quid heri? similiter satis. Non quæro, inquit, de quantitate, sed de qualitate. Quid comedisti heri, quid hodie? Heri, inquit, comedi pisa & olera; & hodie olera & pisa; cras autem comedam pisa cum oleribus; pòst olera cum pisis. Vide ergo quàm pulchro circuitu eandem sententiam circumduxit, ut variis modis ostenderet, eâdem se semper diætâ uti, quæ præstat corpori sanitatem & pulchritudinem.

S. Hieron. epist. 15. VIII. D. Hieronymus de Asella sanctissima Virgine eiusmodi, ad Marcellam scribens, adfert exemplum, dicens: Cùm per omnem annum iugi ieiunio pasceretur, biduo, triduóque sic permanens, tum verò in Quadragesima navigii sui vela tendebat, omnes penè hebdomades vultu lætante coniungens, & quod impossibile forsitan est hominibus ad credendum, Deo autem præstante possibile est, ita ad quinquagenariam pervenit ætatem, ut non doleret stomachus, non visceruM cruciaretur iniuriâ, non sicca humus, in qua cubabat, iacentia membra conficeret, non sacco asperata cutis fœtorem, situmque contraheret, sed sano corpore, animo sanior, solitudinem putaret delicias, & in urbe turbida eremum inveniret Monachorum. In genibus durities camelorum præ orandi frequentia occalluisse reperta est.

Pœna, violata abstinentia.

S. Gregor. Naz. epist. 24. IX. D. Gregorius Nazianzenus virtute præstans, qui, etsi statu humilis, tamen tanquam è celsiori loco vibrare iacula in delinquentes, cùm occasio opportuna daretur, minimè prætermisit, non Hæreticos solùm Ecclesiæ Catholicæ perduelles, sed & Ecclesiæ quoque filios pravitate morum à disciplina Ecclesiastica aberrantes coërcuit. Cùm enim (ut vel unum de his hic referamus exemplum) accepisset Eleusium Præfectum sibi familiaritate coniunctum, ab Ecclesia ieiunium institutum prætermittere, ut gravis offensæ reum, ad ipsum scribens ita redarguit: Excepi te etiam tacens, ut silentii quoque sermonem esse intelligas per calamum se proferentem. Loquar autem, quæ & amicitiæ & huiusmodi tempori conveniunt. Legibus iniuriam facis, Judex, qui non ieiunas. Et quomodo Leges humanas servabis, qui divinas contemnis, & pro nihilo ducis? Purga tribunal tuum, ne duorum alterum tibi accidat, ut aut malus fias, aut existimeris. Fœda spectacula proponere, se ipsum traducere est. In summa, ò Judex, futurum scito, ut iudiceris, & minùs peccabis. His nihil melius habebam, quòd tibi præberem.

X. De B. Elphego Wintoniensi in Anglia Episcopo, Sanctitate claro, legitur, quòd in die Cinerum, cùm de more pœnitentes de Ecclesiæ liminibus removeret, hortatus est eos, ut tempore Quadragesimali ieiunio & castitate vacantes, diebus illis uxorum etiam deliciis abstinerent. Quorum unus, cœteris Episcopi iussionibus reverenter obtemperantibus, iocari cœpit, dicens se abstinere non posse à Venere, à cibo pariter & coniugio. Cui Episcopus: contristas me, miser, oppido, nesciens, quid tibi pariat dies ventura. Et sic homo ille recedens duram B. Elphegi prophetiam nebulo experitur, dum postera luce in cubiculo est repertus exanimis, incertum, utrùm à diabolo sit suffocatus. *Baronius to. 10. Annal. ad annum Domini. 947.*

XI. Anno 1575. in Septimana Sancta: Milites Comitis Ludovici à Nassau contempta Religione veteri, carnibus passim vescebantur, & immodicâ lætitiâ efferebantur. Parochus verò id temporis agens in loco non valdè à castris militum remoto suos confortabat, ut sacrum Quadragesimæ tempus pergerent religiosè peragere: illos quidem divinis humanisque sanctionibus contemptis, nunc strenuè commessari carnibus, victitare & lætari, sed lugubre & funestum Pascha habituros, se verò ac suos fausto ac felici Paschate gavisuros. Quod & factum: nam Catholicis post exactos sanctæ Quadragesimæ labores Paschalem Solennitatem festivis gaudiis celebrantibus, ecce subitò feriâ quartâ Paschæ universus ille Ludovici exercitus cum ipso Comite Ludovico, omnibúsque Antesignanis cæsus & interfectus est, paucissimis fugâ salvatis. Adhuc escæ erant in ore eorum, inquit Psalmista, & ira Dei ascendit super eos, & gladius Catholicorum devoravit carnes & carnivoros. Hanc stragem Gerhardus Candidus in appendice Historiarum Belgicarum Joannis Meyeri his verbis succinctè annotavit. Decimo quarto, inquit, Aprilis die, auxiliares copiæ, quæ Auraici vires nitebantur firmare in Ericeto Mokensi, vulgò auff der Mocker Hayden / ab Hispanis fusæ sunt, & dissipatæ, præcipui exercitûs Duces, Ludovicus & Henricus *Dauroult. c. 4. tit. 10. exempl. 6.*

ricus Nassovii Comites, & Christophorus Palatinus, nec inter vivos, nec inter mortuos reperti.

Delrio in Disquis. p. 1. q. 3. XII. His quoque non absimilem Historiam refert P. Martinus Delrio Disquisitionum Magicarum tom. 2. his verbis: Paucis ab hinc annis, postquam Torpatenses in Lutheranam doctrinam concesserant, feriâ sextâ solenne Paschæ festum proximè præcedente, finitâ Lutherani Ecclesiastæ concione, civibus è templo D. Matri Virgini sacro revertentibus, quidam alium concivem & familiarem invitat ad prandium: rogat, unà domum comitetur, habere se egregium paratum petasonem Westphalicum: alter parùm abhorrens respondet, sibi esse gallum opiparè elixum, quem cupiat in symbolum adferre. Dum ad mensam accumbitur, alter os quoddam galli ambedere volens, imprudens penè ipsum deglutit: quod cùm neque transmittere, neque eximere valeret, eo ipso die suffocatur: Alter postridie Paschæ malo spiritu corripitur, & non multò post rabie & furore exagitatus animam unà cum dæmone exhalat.

Daurolt. l. c. exempl. 9. XIII. Rusticus noster die Veneris negotii causâ hæreticum Villæ ministrum adiit. Erat in mensa opiparè sanè apparata carnibus. Jubet ille assidere hospitem, ut irridendum propinet compotatoribus, quippe Catholicum invitat ad carnes: cùm ille constanter abnueret, & se eo die arceri ab iis Religione diceret, arripiunt risûs materiam, urgent, sollicitant, risu, cachinnis, atque temulentis clamoribus admovent ori, intrudunt propè in oculos: tam egregius minister magnum bolum delicatissimæ carnis arripit, rusticum nomine appellat, & in eius ludibrium cunctis intentis ad spectaculum manum attollit, ac deglutiturus pandit impurissimas fauces. Adhuc esca erat in ore ipsius, & ira Dei descendit super eum. Hæsit aperto atque hianti ore: nullo conatu, nulla vi coniungi iterum maxillæ potuerunt, quas Deus disiunxerat. Perducitur Uratislaviam, frustra adhibet Chirurgos, aliósve Medicos: dúmque magni fiunt ad rem novam concursus, ille qui contra Religionem Catholicam os aperuerat, & ore apertissimo verbum nullum exprimere poterat, eo miraculo prædicabat aptissimè fidei veritatem, in ciúsque testimonium os habebat apertum invitus. Non absimili modo, funestiore exitu, petulans muliercula inter Catholicos immorans, die Sabbathi, ut primum carnis bolum in os ingessit, extincta repentè in terram concidit.

Ibidem exempl. 10. XIV. In Provincia Polonica Anno Domini millesimo quingentesimo octogesimo quinto Juvenis quidam in Podlachiæ Oppido cùm feriâ sextâ carnibus vesceretur, nec ab hospitibus monitus resipisceret, hospita, ut est fœminarum sexus ad imprecandum promptus naturâ, ad helluonem conversa, utinam, inquit, vel diabolum vores. Habuítque subitum eventum mala precatio: Nam carnium vorator à diabolo cœptus est obsideri. Cúmque ad patrem delata res esset, adhibitæque de more preces, & exorcismi, sævire malus dæmon in Sacerdotem cœpit, furere in eos, qui aderant, iuvenémque illum miserandum in modum excruciare, donec interclusis faucibus enecavit. Fuit hæc res iuveni quidem ipsi luctuosa, etsi eum æquitatis divinæ pœna ad sanitatem iam ante traduxerat, sed imperati ab Ecclesia ieiunii contemptoribus, quos inopinatus casus perterruit, salutaris.

§. III.

EXEMPLA PROFANA.

I. Galenus Medicus decimò quoque die ieiunium sibi indicebat, sanitatis videlicet conservandæ gratiâ. Hippocrates Medicorum Princeps ad annos centum & quadraginta vixit; causam rogatus, respondit, quia nunquam satur à mensa surrexi. *Cal. Rhod. lib. 30. c. 18.*

II. Gallenus, Traiani & Antonini Imperatorum Archiater interrogatus cur ad tantam senectutem pervenerit (sunt enim, qui sciebant vixisse eum annos centum & quadraginta) hanc attulit causam: Nunquam satur à mensa discessi; nunquam sic me effudi in cibum & potum, quin aliquod semper superfuerit edendi, bibendique desiderium. Hinc benè Ecclesiasticus: Qui abstinens est, adiiciet ad vitam. *Math. Faber fer. 4. Cinerum conc. 1. pag. 251.*

III. Pompeio ægrotanti Medicus turdos præscripserat ea tempestate, quâ comparari non poterant; suggerente verò quodam, apud Lucullum inveniri posse: Itáne, inquiebat Pompeius, nisi deliciis deditus esset Lucullus, nequaquam viveret Pompeius? contemptóque Medico, cibis parabilibus usus est. O verè masculum animum, qui ne vitam quidem deliciis acceptam ferre sustinuit. *P. Risse ex Lyc. hort. Scholast. 261 ex apoph.*

IV. Agesilaus cùm per Thasiorum agros, quæ gens ut rerum copiâ abundabat, ita voluptati erat addicta, exercitum duceret, Thasii, honoris gratiâ dono liberali miserunt farinas, anseres, bellaria liba ex melle condita, variísque generis, ac pretii tum esculenta, tum poculenta: at ille præter farinas nihil admisit, & reliqua domum referri iussit, tanquam sibi, suísque prorsus inutilia: Cæterùm, cùm illum precibus, & obtestationibus urgerent omnino, ut acciperet Xenia, iussit ea inter Helotes distribui, (id erat apud Lacedæmonios mancipiorum genus.) Eius facti causam sciscitantibus respondit; non decere, qui virtutis, fortitudinísque studio tenerentur, istiusmodi delicias cupediásque recipere. Sapienter ostendens, nihil esse servilius, abiectiúsque, quàm gulæ, ventrísque cupiditatibus obnoxium vivere. *Idem l. c.*

V. Socrates semper iucundè edebat & bibebat, quia neutrum faciebat, nisi esuriens, ac sitiens, dicere solitus: optimum condimentum esse famem, quod & optimè edulcaret omnia, & nullius esset impendii. Quod sapit, nutrit, Medicorum maxima est. At enim nunquam cibus sapidior est, quàm cùm modicè in postrema refectione admissus est. *P. Risse l. c.*

VI. Regina Carum Addas illud habebat in more, ut assiduò mitteret Alexandro obsonia, bellariáque per similium rerum Architectos, coquós- *Idem ex apoph.*

coquósque magna arte parata. Alexander verò dixit: se ipsum habere meliores obsoniorum artifices, ad prandium quidem nocturnum iter, ad cœnam verò tenue prandium.

§. IV.

MISCELLANEA ET CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Qualitas.

Nyssenus serm. 2. in die Cin. §. 3. I. NOn probat Dominus qualiacunque illa ieiunia, quia si totâ Quadragesimâ ab illicitis eduliis abstineas, interim verò in malo statu perseveres, non est hoc bonum ieiunium, quod famelicam relinquit animam. S. Basilius Magnus Hom. 2. de ieiunio. quod sit legitimum ieiunium sic describit: Verum ieiunium est à vitiis immunem esse, continentia linguæ, iræ cohibitio, obtrectationis, mendacii, periurii, ab his abstinere, verum ieiunium est. Non est aurum, quidquid lucet; neque ieiunant omnes, qui non comedunt. Temperare animo à pravis cupiditatibus, manibus à malefactis, oculis à petulantibus obtutibus, linguæ à susurrio, obtrectatione, contumeliis, blasphemiis, ventri à gula simul & Venere, id verum ieiunium ex S. Basilio. Quantâ verborum gratiâ hoc expressit Leo, ille omnium, quotquot Ecclesia habuit, mansuetissimus: Superfluum est, inquit, Magnus Pontifex ser. 8. de ieiunio decimi mensis, suscipere esuriem, & iniquam non deponere voluntatem, rescisso affligi cibo, & à concepto non desistere peccato. Carnale est, non spirituale ieiunium, ubi soli corpori non parcitur, & in iis, quæ omnibus deliciis nocentiora sunt, permanere.

Ibidem. II. Quis nescit, quàm perditis quondam moribus Ninivitarum urbs magna fuerit? Destinavit ad eam Deus Jonam Prophetam, qui in viam, & ad vitæ sanioris studia eam revocaret. Ivit Propheta, fecit, quod iussus, & quoniam quadraginta dierum inducias, quibus scelera sua pœnitentiâ damnare, & errata emendare possent, addixit, Rex omnibus ieiunium, saccos, cilicia, cineres & supplicia, quæ de se quisque sumeret, publico edicto imperans, ita decrevit: Homines, & iumenta, & boves, & pecora non gustent quicquam, nec pascantur, & aquam non bibant, Jonæ 3. v. 7. Primus legem subiit, qui tulit, & mox post illum ceteri, nec enim magnes tam facilè ferrum ad se allicit & trahit, quàm propensè ad omnem boni operis usum subditos exemplum Principis adducit. Postquàm devotè obtemperârunt Regi, & pœnitentiâ tam strenuâ suos in se erratus mulctârunt, resiliit à superiore illo severiore proposito Deus, qui novit retractare sententiam, dum impius mutat mentem. Sed quam nobis Scriptura revocati à Domino fatalis decreti causam assignat? Et vidit Deus opera eorum, inquit, quia conversi sunt de via sua mala, & misertus est Deus super malitiam, quam locutus fuerat, ut faceret eis, & non fecit. Operepretium est hîc figere pedem, & pensiculare id, quod dicitur Deus vidisse opera eorum. Quare unum non commemorat ieiunium ieiuniorum omnium, quæcunque nobis historiæ produnt, prodigiosissimum? Quod ieiunârint homines, quos ratio in rerum sublimiorum notitiam adduxit, visum id sæpè, fitque hodie, ut communem abstinentiam servent plurimi: Sed parvulos, & pecudes observantes ieiunii quis vidit? Cur ergo tam inauditi ieiunii non fit mentio, vel ut inde intelligeremus, placuisse etiam illud Numini? Theophylactus prætermissi ieiunii causam adfert causæ nostræ plurimùm opportunam: Respexit autem Dominus, ait ille, opera ipsorum, videlicet bona, quæ fecerant, ieiunium ipsorum non aspexit, proinde ieiunium non fuit per se sufficiens, ut Deum redderet propitium, ut eum placaret, nisi & mores correxissent, & bona opera exhibuissent. Si victum tantùm à se abdicâssent Ninivitæ, non vitium, nihil obtinuissent, ieiunium, quod solum Deo probatur, est à vitiis immunem esse.

III. Gravis quidam & acutus Author subtilem habuit de re aliqua cogitationem, dignam, quam expendatis, & observetis. Quid mysterii subsit, aiebat, quòd vix dum unus militum, Longinus quidam, lanceâ latus Christi aperuit, quando continuò exivit sanguis, non ille solus, sed comitatus aquâ? Latet sub hoc sanguinis & aquæ pari effluxu non Sacramentum tantùm, sed insigne quoque documentum. Quale porrò documentum? Respondet, eo mysterio cum sanguine aquam concurrisse, ut hinc instrueremur, id à nobis in omnibus nostris mortificationibus, afflictationibus, ieiuniis agi oportere, ut sanguinis comes semper sit aqua, ut qui in carnem suam flagris animadvertit, donec sanguinem vertat, qui ieiuniis corpus emaciat, debilitátque, is hæc taliáque opera non sinat esse fletibus orba, sed cruori lachrymas adiungat, Deúmque offendisse doleat, nam fundere sine aqua sanguinem, infructuosus labor est: ieiunare, nec meliorem simul vitam vivere, inanis fatigatio est; abdicare à se cibos, non flagitia, est operam ludere, & oleum præterea perdere. *Ibidem.*

IV. Evangelicus Propheta eandem nobis doctrinam egregiè tradit. Prævidebat ille stupendas mortificationes, & asperitates, quibus se afflicturi erant viri, qui in lege gratiæ futuri sancti erant, atque ne se infructuoso labore frustra conficerent, verùm debito modo ea opera perficerent, his eos verbis, ex sensu allegorico appellat: Egredietur virga de radice Jesse Isa. 11. v. 1. Et talibus docemur, quem servare in ieiuniis, cæterisque afflictionibus modum debeamus? imò verò. Mox nempè subiicit: Et flos de radice eius ascendet. Quis horum sensus, aut quomodo ea accipiam, ut in rem præsentem conveniant? Virga Judiciariæ potestatis, à qua supplicia decernuntur, & inferuntur, pœnitentiæ symbolum est, quâ de nobis ipsis pœnas repetimus. Unde hæc pœnitentia oriri debet? de radice. Dicat, dicat hoc amplioribus, & illustrioribus verbis Albertus *Ibidem.*

bertus Magnus: Non solùm ex summitate virgæ, sed ex radice ascendet flos, quia non tantùm ex afflictione corporis, sed ex humilitate mentis ascendit flos, id est, spes æternæ beatitudinis. Hæc ille serm. 56. Non efflorescet Christianus, nec quicquam proficiet, nisi virga, afflictatio, ieiunium suam ab humili radice originem ducant, & cum animi demissione, pœnitudine, ac vero dolore sint coniuncta; quod verò cum his coniunctum, idem bonum est ieiunium.

Ibidem. V. Id genus ieiunium, & pœnitentia obsonant Angelos, & lautas epulas ad voluptatem beatis illis Spiritibus ministrant. S. Athanasius, cùm verbis amplificare laudes ieiunii vellet, non invenit commodiora, quàm si diceret: ieiunium Angelorum cibus est, lib. de Virgin. in tantam sublimitatem assurgit, qui ritè ieiunat, ut Angelis mensam opulentam, opiparámque instruat: sed ne simplex quidem, & promiscuum ieiunium putes; ita post ista monet D. Athanasius: non enim qui à cibis ieiunat solummodò, probè se gerit, sed qui abstinet ab omni opere malo, hoc enim ieiunium censetur. Qui sic ventrem cibis vacuat, & ex animo simul vitia exhaurit, & abstinentiam escarum abstinentiâ condit offensarum, seu culparum, is ex voto, & ad gustum Angelorum ieiunat, & epulum illis dat tam gratum, quàm splendidum. At si tale ieiunium est Angelorum epulum, quisquis ieiunat, & non ad modum, quem dixi, hoc facit, idem, quantum in ipso est, Angelos, Cœlitésque reliquos fame conficit, & necat: è contra verò dæmones pascit, inferisque convivium celebrat, quibus enim operibus offensionem adfert Angelis, iisdem voluptatem conciliat dæmonibus.

Filius prodigus id testatum dabit. Reliquit ille patrias ædes, prodegitque extemplo facultates omnes cum meretricibus. Hinc in tantam incidit egestatem, ut famulatui se addicere opus habuerit Domini, qui misit illum in villam suam, ut pasceret porcos, Lucæ 15. Porrò qui porcos ad pastum ducebat, ipse impastus, atque inesus dies totos transmittebat, cupiebàtque saturari de siliquis, & nemo illi dabat. Itáque qui suibus suum victum procurabat, ipse arctissimè ieiunabat. Quos porcos dicas à prodigo filio pastos? pascebat porcos, id est, dæmones, aiunt S. Augustinus & Hugo Cardinalis. Cibos ergo dæmonibus inferebat copiosos, ipse ex ieiunio famelicus. Sic quisquis perperam ieiunat, quisquis vitiis pascitur, dum à victu abstinet, idem dæmones pascit, Cœlites fame necat. Pascebat dæmones, cibus & alimentum ipse erat; talis est unusquisque peccator, dæmonem ex se pascit. Quid facit alimentum in corpore eius, quem nutrit? in substantiam comedentis transit, non aliter, quàm mansuetudo ovis in feritatem simul & cibum leonis vertitur. Ergo qui ieiunat, & interim peccat, uti filius prodigus fecit, si est cibus & nutrimentum dæmonis, in dæmonem vertitur, non transformatione naturæ, sed imitatione morum & vitæ. Prorsum hoc piissima veritas habet, qui ieiunat, simúlque peccat, dæmon est, diabolus est, inferorum verna est. S. Eligius & Isidorus id his paribus verbis affirmant: Qui à cibis abstinent, & pravè agunt, dæmones imitantur, quibus esca non est, & nequitia semper est.

Utilitas.

VI. De ieiunio Sanctus Julianus Archiepiscopus Toletanus in suis Commentariis in Nahum sic ait: ieiunium est mors vitiorum, vita virtutum, est ieiunium pars corporis, decus membrorum, ornamentum vitæ, castitatis murus, civitas Sanctitatis. Omnia hæc sacri ieiunii elogia vehementer probo, unum tamen est, in quo non nihil difficultatis invenio, quòd dicitur ieiunium pars corporis, & decus membrorum. Quòd abstinentia sit internecio scelerum, gladius flagitiorum, sanctitatis vigor, & hospitatio, murus castitatis adamantinus, arx pietatis invicta, id facilè est intellectu: Verùm quòd sit pars corporis, & partium illius ornamentum, quomodo persuaderi queat, nescio, præsertim cùm magis videatur imminuere, extenuare, & tanquam lima deterere corpus, & consumere, & membra eius squallore obducere, & marcida efficere. At erras, mi homo, inquit S. Julianus, pusillanimitásque tua, & vana imprudentis rationis apprehensio à vero te abducit, ieiunium enim non debilitat, sed roborat, & pœnitentia non est gladius interimens, sed panis confirmans, & vitam in eis reperis, in quibus invenire mortem putabas, cùm econtra sæpè morbos, mortémque incurras ex ciborum luxu, & delitiarum intemperante usu, ex quibus & constantiorem incolumitatem, & vitam perdurabiliorem expectabas. Videte tale quidpiam in tribus pueris, Sancti Prophetæ Danielis sociis, qui cùm leguminibus tantùm vescerentur, & stata ieiunia observarent, tam decentem formam, liberalémque, & elegantem speciem eis tenuis ille victus, & diuturnior inedia attulit, ut de eis sacer Textus Dan. c. 1. v. 19. ita pronunciet: Non sunt inventi tales de universis, ex omnibus adolescentibus, qui ad hoc nutriebantur, ut Regi ab intimis cubiculis essent, non fuit aliquorum tam grata Nabuchodonosoris oculis, quàm Danielis, asseclarúmque eius venustas. Ex quo arbitrari licet, quòd ieiunium non enecat, non mactat abstinentia, sed ornat potiùs corpus, membráque illius honestat: Est ieiunium pars corporis, decus membrorum. Maiórque ex illo pulchritudo nascitur, quod fœdissimam turpitudinem allaturum videbatur. *Idem part. 1. l. 6. Polit. c. 1.*

VII. Quanta autem sit ieiunii efficacitas non parùm ex eo elucescet, quòd Regi virtutum, & omnis potentiæ Domino in supremo illius, & pœnali cum acerba morte conflictu accidit. Blasphemias in illum plurimas, & atrocissimas hostes ipsius capitales omnes iactabant, quod ipse ex sententia S. Augustini, multò antè prævideràt, & per os Prophetæ Regii prædixerat, quando Psalmo 68. v. 5. sic aiebat: multipli- *Idem l. 6. c. 7.*

cati sunt super capillos capitis mei, qui oderunt me gratis, confortati sunt, qui persecuti sunt me inimici mei iniustè; & cùm sitim meam, quâ intolerantissimè laborabam, illis significarem, dederunt in escam meam fel, & in siti mea potaverunt me aceto; ibid. v. 22. Satis manifestè hic videre licet, inquit egregius Doctor, quàm accuratè ad ipsum literæ sensum expletum hoc fuerit in mitissimi Agni acerbissima passione. Cùm enim videret, quòd omnia iam tormenta exantlâsset, solúsque reliquus esset ex aceto degustando cruciatus, vix ardentem, sævámque sitim suam aperuerat, quando Judæi, ut illius dolores exasperarent magìs, auctiorésque redderent, mordax acetum ei propinârunt. Verùm Evangelista monet, quod cùm gustâsset, noluit bibere. Matth. 27. v. 34. Dicit nunc Augustinus: quidnam inter hos tam acres, & acerbos conflictus, tantásque amaritudines patientissimus Dominus agit? Id, quod Propheta cum Evangelista congruens affirmat: Operui in ieiunio animam meam. ibid. v. 11. In quæ Augustinus: ieiunare elegit; impotus manere maluit, quàm bibere. Cúmque hac ieiunii loricâ se texisset, consummatum est, inquit apud S. Joannem c. 19. 30. velut dixisset: Ad umbilicum deductum est negotium, & certa victoria. Qui enim forti hac, insignique loricâ communitus est, non habet, quòd metuat, hostiúmque profligationem, & indubitatum sibi promittere potest triumphum. Irrugiant itaque inimici, furiant hostes, ac perbacchentur, armentur blasphemiis, iactent convitia, vomant probra, quidquid libitum est, id faciant, & dicant, totus contra me orcus coniuret, sed hoc sibi persuasum habeat, quòd inanis à me redibit, nam in me non habet quidquam, Joan. 14. 30. hoc est, non inveniet, quâ parte me invadere queat, ut ferè exponit S. Gregorius. Cur istud? Quoniam operui in ieiunio animam meam, ieiunio contectus, ieiunii scuto munitus, & à summo vertice usque ad extremas calces sum obarmatus. Quis sub his armis timeat? quis tali clypeo scutatus tremat? Tanta nimirum vis est ieiunii, ut Deus ipse illâ uti videatur adversùs omnes suos visibiles, & invisibiles hostes, tanquam non haberet nativum robur suum, & defendendi se, ac protegendi potentiam immensam. Quòd autem ieiunii præsidium sibi adhibere voluit magnus Dominus, hoc ad illius singularem commendationem fecit, ut, quanta sit illius virtus, & potestas, nobis innotesceret, quod scilicet solum tueri illum, cùm tam multis in locis, tam rabiosis ab hostibus oppugnaretur, potuisset, tametsi vires, quibus seipsum defenderet, alias nullas habuisset.

Philipp. Harttung fol. 274. VIII. Levitici 14. Mandat Deus duos passeres sacrificari, quorum alter occidendus erat, alter permittendus evolare; ut unus evolet, alteri moriendum est. Quid hoc indicat? Sacrificium, quod à nobis Deus exigit. Duo passeres, sunt corpus & anima. Utrumque teneris offerre. Quomodo? accipe cultrum, & guttur alteri scinde, cultrum ieiunii; sic evolabit alter. Ita Orig. in Psal. 37. homil. 1. ita opere ipso Paulus Actorum c. 9. v. 9. Erat tribus diebus non videns, & non manducavit, neque bibit. Corpus illius quasi passerculus iacebat in terra mortificatum, & ecce anima quomodo evolavit? usque ad tertium cœlum, & raptus est in Paradysum; ieiunium illum elevavit, ut fusè Hieronymus l. 2. contra Jovinianum.

IX. Elias & Moyses, quorum hic coniugatorum, ille Virginum & Religiosorum exemplar à Christo assumpti sunt, ut constet, utrumque statum obligari ad ieiunium. Eliam & Moysen iterum expendite, cuius utriusque corpus, vel non habetur, vel non videtur, quia ieiunium sic corpus extenuat, ut videri non possit, ut rapi ad Paradysum, & transfigurari cum Christo mereatur. At dum extenuatur corpus, impinguatur animus. David de se: in terra deserta invia & inaquosa, sic in Sancto apparui tibi. psal. 62. Hoc desertum, ieiunium est, & à cibis temperantia, inquit S. Ambrosius, serm. 32. de Quadragesima. à cibis temperare, est Deo in Sancto apparere; ieiunium observare, est animo impinguescere, additur enim mox v. 6. sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea. Semper virtuti cibus ieiunium fuit, teste S. Leone serm. de ieiunio. *Ibidem.*

X. Eleganter S. Ambrosius homil. 37. in Quadragesima explicans id Genes. 36. comedit, & aperti sunt oculi amborum, cúmque cognovissent se esse nudos &c. Adam Evam non nisi intemperantiâ cognovit, quamdiu ieiunavit ab interdictis epulis, tamdiu & à pudendis ieiunavêre peccatis. Fames enim amica Virginitatis est, & inimica lasciviæ. Saturitas verò castitatem prodigit, nutrit illecebras. Nota, quòd David dicat: Operui in ieiunio animam meam. At verò Adam violatô ieiuniô vidit se nudum, quia nempe gula nudos facit, ieiunia operuit. Bonum operimentum, quod animam tegit. Hæc iterum S. Ambrosius l. 1. de Elia. *Ibidem & Ambros. hom. 30. in Gen.*

XI. 1. Regum 7. contra Philisthæos victores pugnaturi, sub Samuele Israëlitæ, ieiunaverunt in die illa, v. 6. & ita fregerunt hostes, ut nunquam redierint: Nec apposuerunt ultrà, ut venirent in terminos Israël. Nec tantùm ante pugnam, sed in ipsa die pugnæ ieiunatum fuisse lego. 1. Regum. 14. Saul cum decem millibus contra Philistæos iturus, adiuravit populum dicens, maledictus vir, qui comederit panem usque ad vesperam. & quia Jonathas, qui solus paulò ante exercitum hostilem fregerat, ignarus iuramenti, gustavit modicum mellis, penè se & suos perdidisset. 1. Machab. 3. v. 47. Judas Machabæus cum suis ieiunaverunt illâ die; quo fructu? die sequenti cum tribus millibus virorum tantùm, qui tegumenta & gladios non habebant; contra Gorgiam, qui mille equites electos habebat, & quinque millia virorum selectissimorum (hi docti ad prælium) ad conflictum processit: venit, vidit, vicit. *Harttung. fol. 276.*

XII. Satis de ieiunio; addamus aliquid de modo ieiunandi, qui ex modo edulium princeps huius temporis, salpam, inquam, parandi, de- *Harttung. fol. 277.*

sumi-

sumitur. Quò Salpa candidior, eò melior; & quò sincerior est ieiunantis intentio Deo placendi, & Maiestatem supremam, exemplo JESU Christi, placandi, hoc ieiunium perfectius, sapidius, & acceptius divino est palato. Candor Pharisæis defuit, hinc illud Christi Matth. 6. v. 16. Nolite fieri sicut Hypocritæ. Maceratur in aquis Salpa, ieiunium tuum aquis pœnitentiæ, & lacrymarum mergatur, nec desint eleemosinæ, quas aquis conferri, ex c. 3. v. 33. Ecclesiastici didicimus: Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosina resistit peccatis. Salpa denique tunditur, ut mollescat, & aromatis variis conditur, ut sapiat.

Nyssenus Dom. 1. Quadrag. §. 3.

XIII. Jeiunavit Salvator noster, quando à dæmone tentandus, ut tali exemplo nos doceret, adversus tentationes nulla esse ieiunio validiora arma, non scutum, non loricam defensioni commodiorem. Subnotavit hoc S. Basilius Magnus Homil. 1. de Jeiunio, ubi sic habet: Dominus noster non priùs in carne, quam pro nobis assumpserat, Diaboli insultus excepit, quàm eam ieiunio communîsset. Itaque tam est potens armatura ieiunium, ut securus inire bellum, & congredi cum hoste possit Christianus, quisquis illâ est instructus. Magna sanè exaggeratio est, quòd Christus non priùs in carne diaboli insultus excepit, quàm eam ieiunio communîsset. Quid enim amplius, aut maius dici queat? Videtur enim ieiunium tam forte esse scutum, ut illo satis esse tectus, ac tutus Christus potuerit, tametsi omni alio defensionis genere nudus.

Ibidem.

XIV. Aiunt nonnulli, Samsonem fuisse gigantem. Si ita est, ut ii volunt, quis eum gigantem fecit, atque ita fascinavit, ut perpetuus ab hostibus victor rediret, quem siâ viribus, & robore æstimes, magis ex ære fusum, quàm ex carne & sanguine coagmentatum dicas? Quæ res fortissimum Samsonem fecit inexpugnabilem? clamat Magnus Basilius Homil. 1. de ieiunio. Respondetque: An non ieiunium? cum ieiunio in utero matris conceptus est, cum ieiunio educatus est. Jeiunio in virum adolevit; & quomodo non omnes superaret, ac vinceret.

Ibidem. fol. 61.

XV. Cui familiare est ieiunium, is non hominum, sed Angelorum posthac catalogo est inserendus, de quo S. Athanasius Orat. de Virgin. Qui ieiunio utitur, Angelici ordinis censendus est. Quid habet Angelus? illam unam inter plurimas excellentias, quòd nec benedictione, nec maledictione movetur. 2. Regum. 14. v. 17. cuius tam est inexpugnabilis fortitudo, ut nec adulationibus intumescat, nec deiiciatur probris. Talis est, qui ieiunii observans, Angelici ordinis censendus est, vivit ut Angelus, atque ob id est insuperabilis. Quid verò si etiam Dei vitam vivat? de quo David ait: Non accedat ad te malum, psal. 90. Ipse namque ex sua essentia habet immunitatem, ac libertatem ab omni malo, damno, incommodo. Tali privilegio ex gratiæ dono gaudet, qui ieiunat, nec enim alius illo viciniùs Deum accedit, quod S. Ambrosius enarrat: 1. in Jonam sic expressit: Aliter Deo proximi esse non possumus, nisi ad eum ieiuniis propinquemus; Deus enim ipse Ieiunans, & Sanctus est. At si Dei vitam vivit, quisquis ieiunat; quomodo non semper triumphet, donec in hoc mundo agit? Quæ illi pœna incommodabit? Quæ illum tentationes subigent? Quis hostis suppeditabit?

S. Chrysost. serm. 1. de ieiunio.

XVI. Murus est Christiano ieiunium, inexpugnabilis Diabolo, intransgressibilis inimico. Quis enim unquam Christianorum ieiunavit & captus est? quis sobrius mansit, & victus est? Temulentum aggreditur Diabolus, luxuriosum aggreditur inimicus. Ubi autem ieiunium videtur, fugit, metuit, terretur, pertimescit; debilitatur inediâ, infirmitate prosternitur. Prosternitur, inquam, infirmitate, quia Christianorum infirmitas fortitudo est.

Drex. l. 2. c. 11. Aloë.

XVII. Ne sis ingratus erga Dominum JESUM, ne deplora, quòd ieiunas, sed plora, quòd non semper ieiunas, (hoc obsecro, altè infige animo, non plora, quòd ieiunas, sed plora, quòd non semper ieiunas) Qui non compatitur JESU, ignorat JESUM; qui repellit ieiunium, ignorat crucem, quæ ut non est mala, ita nec tu eam, quasi malam suspiceris, ne sit fœdus servus, qui minister est Dei.

Ibidem.

XVIII. Jeiunium modestiæ principium, fructuosa naturæ violentia, malarum cogitationum fuga, gulæ victoria, insigne lumen animæ, interioris hominis refectio, orationis mundities, mentis custodia, meritorum schola, luxuriæ restinctio, noxarum abolitio, contritionis ianua, intemperantiæ disciplina, Angelorum vita, quietis occasio, obedientiæ custos, tranquillitatis parens, robur animi, spiritûs vigor, radix gratiæ. Jeiunium salutis alimentum, libidinis trophæum, castitatis murus, pudicitiæ propugnaculum, humilitatis augmentum, concupiscentiæ triumphus, imbecillitatis allevamentum, sanitatis asylum. Jeiunium omnis esculenti condimentum, valetudinis summum præsidium, ieiunium pœnitentiæ fundamentum, crapulæ antidotum, ægrotationis remedium, contractæ culpæ excidium, fidei vexillum, peregrinationis necessarium viaticum, reconciliationis acceptum sacrificium, omnis piæ actionis adiumentum maximum. Jeiunium prorsus est Aloë saluberrimi, licet amarioris succi, ieiunium verè pharmacum est pharmacorum omnium præstantissimum. Jeiunium mors vitiorum, incrementum & vita virtutum, paradisi ostium. Vides, ait Chrysostomus, quanta res sit ieiunium; Angelos ex hominibus facit.

§. V.

AXIOMATA.

Drexel Aloë lib. 1. c. 5.

I. Est sanitatis mater abstinentia.

II. Ut tibi non malè sit, fuge, quidquid in arbore crescit.

Ibid. c. 4.

Servares vires, si rura frequenter obires.

Bacchus amet Glaucum, victum quoque sumito paucum.

Ibidem. III. Esurias, sitias, vigiles; sic rheumata cures.
Nam morbos multos fercula multa ferunt.
Abstinentiâ ac quiete morbos cures plurimos:
Ibidem c. 5. IV. Vis sanus permanere?
Horis omnibus exercêre:
Cursum canis non æmulare:
Modico cibo utere.

Wilt du bleiben g'sund?
Ub' dich alle Stund:
Lauff nit / wie ein Hund /
Wenig eß dein Mund.
V. Liessen wür die Güß /
So liessen uns die Flüß.
VI. Anima sicca sapientissima. *Heraclitus.*

TITVLVS II.

ACEDIA.

§. I.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

S. Thom. 2. 2. q. 35. a. 1. Acedia est remissi animi languor ab bene operandum, præsertim verò tristitia est de re spirituali. *Ibid. a. 4.* Quæ has gignit filias: Malitiam, rancorem, pusillanimitatem, desperationem, torporem circa præcepta necessaria, mentísque circa res illicitas evagationem. Juxta S. Damascenum verò acedia est quædam tristitia aggravans, quæ scilicet ita deprimit animum hominis, ut nihil ei agere libeat, sicut ea, quæ sunt acida, frigida sunt: Et ideo acedia importat quoddam tædium operandi, ut patet per hoc, quòd dicitur in Glossa super illud psalmi: omnem escam abominata est anima eorum, & à quibusdam dicitur, quòd acedia est torpor mentis, bona negligentis inchoare. *S. Bonav. p. 1. consil. c. 6.* S. Bonaventura, S. Augustinum sectatus, eam definit: Tædium interni boni. Denominatur à græca voce ἀκηδία seu tristitia, ac tædio, quia per eam anima tædium habet de omni spirituali difficili, &c. Desidia dicitur, quasi desistentia: negligentia verò magis respicit significationem propriam, scilicet omissionem circumstantiæ debitæ, quasi non diligentia: sunt autem comites negligentiæ, torpor, & pigritia, quæ, quamvis sint idem, tamen pigritia dicitur, eò quòd pigeat difficultas laboris: torpor verò aspicit appetitum quietis.

Filiæ Acediæ.

S. Isidor. l. 2. de summo bono c. 37. ap. S. Th. cit. a. 4. II. S. Isidorus sequentes septem filias ei assignat, quæ sunt, otiositas, somnolentia, importunitas mentis, inquietudo corporis, instabilitas, verbositas, curiositas.

§. II.

EXS. SCRIPTURA.

Prov. 18. v. 8. I. Pigrum deiicit timor: animæ autem effœminatorum esurient; qui mollis & dissolutus est in opere suo, frater est sua opera dissipantis.

Ib. c. 19. v. 15. 16. II. Pigredo immittit soporem, & anima dissoluta esuriet. Qui custodit mandatum, custodit animam suam: Qui autem negligit viam suam, mortificabitur. Abscondit piger manum suam sub ascella, nec ad os suum applicat eam. *24.*

III. Desideria occidunt pigrum: noluerunt enim quicquam manus eius operari: totâ die *Ib. c. 21. v.*
concupiscit & desiderat: qui autem iustus est, *25.*
tribuet, & non cessabit.

IV. Dicit piger, leo est in via, & leæna in itineribus: sicut ostium vertitur in cardine suo, ita piger in lectulo suo. Abscondit piger manū sub ascella sua, & laborat, si ados suū eam converterit. Sapientior sibi piger videtur septē viris loquentibus sententias. *Ib. c. 26. v. 13. 14. 15. 16.*

V. Qui operatur terram suam, satiabitur panibus: qui autem sectatur otium, replebitur egestate. *Ib. c. 28. v. 19.*

VI. In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur. Ideò tenuit eos superbia, operti sunt iniquitate & impietate sua. *Psal. 72. v. 5.*

VII. Maledictus, qui facit opus Domini fraudulenter: vel, ut septuaginta transtulerunt, negligenter. *Ier. 48. v. 10.*

VIII. Sic stulti estis, ut cùm spiritu cœperitis, nunc carne consummemini? *Gal. 3. v. 3.*

IX. Videns fici arborem unam secus viam, venit ad eam: & nihil invenit in eâ, nisi folia tantùm: & ait illi: Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum. Et arefacta est continuò ficulnea. *Matt. 21. v. 19.*

X. Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua: & venit quærens fructum in illa, & non invenit. Dixit autem ad cultorem vineæ: Ecce anni tres sunt, ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, & non invenio: succide ergò illam: ut quid etiam terram occupat? At ille respondens, dicit illi: Domine, dimitte illam & hoc anno, usquedum fodiam circa illam, & mittam stercora: & si quidem fecerit fructum: sin autem, in futurum succides eam. *Luc. 13. v. 6.*

XI. Ego sum vitis vera, & Pater meus agricola est: Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum: & omnem qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plùs afferat. *Io. 15. v. 1.*

XII. Serve male & piger, sciebas, quia meto, ubi non semino, & congrego, ubi non sparsi: oportuit ergò te committere pecuniam meam nummulariis, & veniens ego recepissem utique, quod meum est, cum usura. Tollite itaque ab eo talentum, & date ei, qui habet decem talenta. Omni enim habenti dabitur, & abundabit: ei autem, qui non habet, & quod videtur habere. *Matth. 25. v. 26.*

bere, auferetur ab eo. Et inutilem servum eiicite in tenebras exteriores: illic erit fletus, & stridor dentium.

Marc. 13. v. 33. 35. XIII. Videte, vigilate, & orate: nescitis enim quandò tempus sit. &c. Vigilate ergò, (nescitis enim quando Dominus domûs veniat: serò, an mediâ nocte, an gallicantu, an manè) ne, cùm venerit repentè, inveniat vos dormientes. Quod autem vobis dico, omnibus dico: vigilate.

Eph. 5. v. 14. XIV. Surge, qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus. Videte itaque fratres, quomodo cautè ambuletis. &c. redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.

Apoc. 3. v. 2. XV. Esto vigilans, & confirma cætera, quæ moritura erant. Non enim invenio opera tua plena coram Deo meo. In mente ergò habe, qualiter acceperis & audieris: & serva, & pœnitentiam age. Si ergò non vigilaveris, veniam ad te tanquam fur, & nescies, quâ horâ veniam ad te.

Matt. 11. v. 12. XVI. A diebus autem Joannis Baptistæ usque nunc, regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.

§. III.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Qualitas.

S. Hier. in c. 13. prov. I. REctè pigri vocabulo denotatur, qui vult regnare cum Domino, & non pati pro eo; delectant præmia, cùm pollicentur; deterrent certamina, cùm iubentur.

Dion. Carth. apud Mansi. c. 53. disc. 3. n. 4. II. Vult & non vult; habet voluntatem optativam, non imperativam; Itaque vult finem, sed media ad finis adeptionem necessaria non vult amplecti; vult perfectionem & beatitudinem obtinere, sed non vult ieiunare, in vigiliis, disciplinâ, & orationibus perdurare; cunctas vanitates & delectationes pravas derelinquere; iniurias, persecutiones, & contemptus propter Deum gaudenter perferre.

HugoCard. 16. III. Noli fidem pensare temporibus, nec me idcirco meliorem putes, quòd prior in Christi exercitu cœperim militare. Paulus Apostolus in vas electionis de persecutore mutatus, novissimus in ordine, primus in meritis est, quia, extremus licèt, plùs omnibus laboravit: subitus calor longum vincit teporem.

S. Bonav. spec. anim. c. 5. IV. Tunc quis torpere dicitur, cùm ad bene operandum invenitur inefficax, sicut aqua tepere seu tepida esse dicitur, cùm non est efficacis caloris: Unde tibi in Apocalypsi dicitur, utinam esses calidus, aut frigidus, sed quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo, & talis torpor ex displicentia boni videtur procedere, quæ tanta esse poterit, quòd erit cum peccato mortali, ut cùm quis palatum animæ sic corruptum habet, quòd in nullo bono spirituali complacentiam invenit, & propter hoc, quicquid boni facit, tepidè & indevotè facit: Unde ex hoc ramo procedit negligentia, cùm quis negligit facere quod debet; vel si fortè illud facit, absque diligentia facit, & secundùm hoc dupliciter potest habere rationem mortalis; uno modo, si dimittantur per negligentiam necessaria ad salutem. Alio modo, ut si fortè talia fiant, sic cum contemptu fiant, quòd quoquo modo fiant, non curat omninò, & sic intelligitur illud: Qui negligit vitam suam, mortificatur.

Damnum.

V. Si inchoata bona fortis operantis manus ad perfectionem non sublevat, ipsa operandi remissio contra hoc, quod operatum est, pugnat. Hinc est, quod per Salomonem dicitur: Qui mollis & dissolutus in opere suo fuerit, frater est sua opera dissipantis, quia videlicet, qui cœpta bona districtè non exequitur, dissolutione negligentiæ manum destruentis imitatur. Hinc Sardis Ecclesiæ Episcopo ab Angelo dicitur: Esto vigilans, & confirma cætera, quæ moritura erant, non enim invenio opera tua plena coram Deo meo; quia ergo plena coram Deo eius opera inventa non fuerant, moritura reliqua, etiam, quæ erant gesta, prædicabat. Admonendi sunt etiam, ut perpendant, quòd tolerabile esse potuisset, rectam viam non accipere, quàm post arreptam post tergum redire, nisi enim retrò aspicerent, erga cœptum studium nullo tempore languerent. Audiant ergo, quod scriptum est: Meliùs erat eis non cognoscere viam iustitiæ, quàm post agnitionem retrorsum converti. *S. Gregor. 3. p. pastor admonit. 15.*

VI. Revertitur (pater familias) ut de talentis rationes ponat, quia si à bona actione torpescimus, de ipsis donis, quæ contulit, nos districtiùs iudicat. Consideremus ergo, quæ accepimus, atque in eorum erogatione vigilemus. Nulla nos à spirituali opere terrena cura impediat, ne, si in terra talentum absconditur, talenti Dominus ad iracundiam provocetur. Piger enim servus, cùm iam culpas Iudex examinat, talentum de terra levat, quia sunt plerique, qui tunc se à terrenis desideriis vel operibus subtrahunt, quando iam per animadversionem iudicis ad æternum supplicium trahuntur. *Idem hom. 9. in Evan.*

VII. Negligentia multorum malorum fit causa non vigilantibus, paulatim à spirituali consuetudine ac ratione vivendi abducens, & fidei ardorem deprædans, efficiénsque, ut voluptatibus tanquam dominis serviamus, non enim sinit cogitatione complecti, quæ post hanc vitam erunt retributiones. *S. Ephrem. de record. mort.*

VIII. Locum diabolo præparat (Acedia): in ollam tepidam libenter muscæ insident, quæ ferventem fugiunt. Tentationibus patet, unde legitur in Collationibus Patrum, quòd monachum operantem dæmon unus pulsat, otiosum verò innumeri; Est enim homo acediosus quasi urbs absque murorum ambitu, & quasi signum positum ad sagittam. Præterea acediosus receptaculum sordium se facit. *S. Albert. M. l. 3. comp. c. 18.*

IX. Faciliùs Diabolus occupat illos, quos in bono opere non invenit occupatos; nam immundus spiritus cùm invenit domum vacantem, scilicet per acediam, assumit alios septem spiritus nequiores se, id est, universa vitia, & ingressi habitant ibi, ut dicitur Lucæ 11. *S. Bonav. diat. tit. 1. c. 7.*

X. Tepidi, si diu permanserint sub onere tepiditatis, aut opprimuntur, aut succumbunt, aut *S. Bern. s. 3. de Ascens.*

aut quodammodo in inferno sunt, necunquam respicient in lucem miserationum Domini, nec in libertatem spiritûs, quæ sola facit iugum suave, & onus leve. Rarò affectiones suas dirigunt in Deum, & eorum compunctio non continua, sed horaria est. Non spiritus & caro, ignis & tepiditas in uno domicilio commorantur, præsertim cùm tepiditas ipsi Domino soleat vomitum provocare.

Id. S. 5. de Ascens. XI. Non tibi horum vita inferno penitus appropinquare videtur, dum intellectu affectui, & affectu intellectui repugnante, necesse habent mittere manum ad opera fortia, qui cibo fortium minimè sustentantur, socii planè tribulationis, sed non consolationis? Exsurgamus obsecro, quicunque eiusmodi sumus, refarciamus animas, spiritum recolligamus, abiicientes perniciosam tepiditatem, & si non, quia periculosa est, & Deo solet (quod interdum miserabiliter plangimus) etiam vomitum provocare, certè, quia molestissima, plena miseriæ, & doloris, & inferno planè proxima, umbra mortis purè censetur:

S. Ephrem S. de vit. relig. XII. Simplicem gehennam, in sæculo viventes, sibi compararent; duplicis gehennæ supplicio, in monasteriis negligenter viventes, se reos faciunt.

S. Bernardus p. 3 S. 7. XIII. Væ animæ illi, quæ in tepiditate sua secura consistit, se iustificando, de qua Dominus in Apocalypsi in persona talis animæ ait: Sedeo, ut Regina, vidua non sum, luctum non video. Et subdit: propterea una die venient plagæ eius.

S. Grego. l. 3. past. admon. 35. XIV. Admonendi sunt, ut perpendant, quòd tolerabilius esse potuisset rectam viam non arripere, quàm post arreptam post tergum redire, nisi enim retrò respicerent, erga cœptum studium nullo tempore languerent. Audiant ergo, quod scriptum est: Melius erat eis non cognoscere viam iustitiæ, quàm post agnitionem retrorsum converti. Audiant quod scriptum est, utinam frigidus esses, aut calidus, sed quia tepidus es, nec frigidus, nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo: Calidus quippe est, qui bona studia & arripit, & consummat; Frigidus verò est, qui consummanda nec inchoat. Et sicut à frigore per teporem transitur ad calorem, ita à calore quoque per teporem reditur ad frigus. Quisquis ergo amisso infidelitatis frigore, sed nequaquam tepore superato, exardescit, ut ferveat, procul dubio calore desperato, dum noxio in tepore demoratur, agit ut frigescat. Sed sicut post teporem frigus sub spe est, ita post frigus tepor in desperatione. Qui enim adhuc in peccato est, conversionis fiduciam non amittit: qui verò post conversionem tepuit, & spem, quæ esse potuit, de peccatore subtraxit. Aut calidus ergo quisque, aut frigidus esse quæritur, ne tepidus evomatur, ut videlicet, aut needum conversus adhuc, de se spem conversionis præbeat, aut iam conversus in virtutibus inardescat, ne evomatur tepidus, qui à calore, quem proposuit, torpore ad noxium frigus redit.

S. Lauren. Iust. c. 7. XV. Qui Domini talentum, nullo de ipso facto lucro, in terra absconderit, timeat, ne quasi indignus à sponsi convivio amoveatur. Est quidem disciplina cælestis velut mare, in eo nihil, nisi vivat, perseverare potest; omne enim morticinum & immundum ad litora proiicit. Hinc est, quod in Apocalypsi dicitur: utinam frigidus &c. væ! qui evomitur, quoniam Regno Dei ineptus iudicatur. *de cast. connub.*

S. Bonav. in c. 13. Luc. XVI. Secundùm morum informationem spiritualiter notandum, quòd arbor infructuosa succiditur, maximè, quæ per triennium fructum non facit, in quo intelligitur rectè, homo negligens ad opera virtutis: & quidem rectè per ficum infructuosam negligentia humana arguitur. Primò, quia ficus habet folia magna & multa, & in illo potissimè arguitur negligentia illius, qui magna habet verba, ut in Ecclesiastico: Noli citatus esse in lingua tua, & inutilis & remissus in operibus tuis. Secundò, quia folia ficûs sunt manui similia, & in illo potissimùm reprehenditur negligentia eius, qui alios ad operandum invitat, cùm ipse nihil operetur. Tertiò, quia fructus ficûs est suavis, ideo meritò ipsius carentia negligentiam designat, & præsentia ipsius designat opus virtutis, quod est suave & delectabile.

Dion. Carth. in c. 6. prov. XVII. Pigri in divinis in præsenti & in futuro sustinent detrimentum, quia id ipsum boni, quod agunt, faciunt cum labore & tædio, & sine consolatione, & gustu. Propter quod & parùm, aut nihil merentur: ferventes verò & agiles serviunt Deo cum gaudio, & delectabile est eis exercere divina, ideòque in præmio crescunt præcipuè, & sunt Deo chari & complacentes. Pigritia ex charitatis defectu, & in consideratione Divinæ Maiestatis, ac novissimorum procedit.

Fuga

Thomas Vill. ap. Mansi disc. 5. n. 3. XVIII. Quia vitam expendimus in vanitatibus, ex hoc provenit illud, quod valde timendum, quòd multi vocati, pauci electi. O quàm timenda sententia, & quàm expavescenda, quis hoc dicit, nisi ille procurator, cui commissum est præmiare operarios? credite mihi, fratres, credite, quod sæpiùs admonui, sæpiùs clamavi; nisi viriliter laboraveritis, non recipietis præmium.

S. Ephrem S. de vit. Relig. XIX. Ne dulcescat nobis hîc negligentia, ut non postea nobis amarescat æternus ignis, & vermis nunquam dormiens.

S. Gregor. p. 3 past. admon. 16. XX. Aliter admonendi sunt pigri, atque aliter præcipites: illi namque suadendi sunt, ne agenda bona, dum differunt, amittant; isti verò admonendi sunt, ne, dum bonorum tempus incautè festinando præveniunt, eorum merita immutent; Pigris itaque intimandum est, quòd sæpè, dum opportunè agere, quæ possumus, nolumus, paulò post, cùm volumus, non valemus, ipsa quippe mentis desidia, dum congruo fervore non attenditur, à bonorum desiderio funditus convalescente furtim torpore mactatur.

S. Bern. ep. 253. XXI. Vidit Jacob scalam, & in scala Angelos: ubi nullus residens, nullus subsistens apparuit, sed vel ascendere vel descendere videbantur

bantur universi; quatenus daretur intelligi, inter profectum & defectum in hoc statu mortalis vitæ nihil medium inveniri, sed quomodo ipsum corpus nostrum continuè crescere constat, aut decrescere, sic necesse sit, & Spiritu aut proficere semper, aut deficere.

Cassian. Collat. 6. c. 7. XXII. Lapsus quispiam, nequaquam subitâ ruinâ corruisse credendus est, sed aut pravæ institutionis deceptus exordio, aut per longam mentis incuriam paulatim virtute animi decidente, & per hoc sensim vitiis increbrescentibus, casu mirabili concidisse. Ante contritionem enim præcedit incuria, & ante ruinam mala cogitatio: Quemadmodum domus nunquam ad ruinam subitaneo procumbit impulsu, nisi aut antiquo vitio fundamenti, aut longâ inhabitantium desidiâ, stillicidiis primùm paucissimis penetrantibus corrupta sensim fuerint munimenta tectorum, quibus per vetustam negligentiam in maiorem modum patefactis, atque collapsis, paulatim post hæc influit pluviarum imbriumque tempestas. *Eccl. 10. 18.* In pigritiis enim humiliabitur contignatio, & in segnitie manuum perstillabit domus; & Salomon aliis verbis: stillicidia eiiciunt hominem in die hyemali de domo sua.

§. IV.
EXEMPLA SACRA.
Fuga.

Sophron. prat. spir. c. 142. I. FRater quidam perrexit ad Abbatem Alexandrum, ipsius Monasterii Abbatis Gerasmi Antistitem, & ait illi: Abba, volo ex loco, ubi habito, discedere: valde enim acediâ, & tædio animi laboro, respondit ei Abbas Alexander: istud, fili, signum est, quia nec regnum cælorum, nec æternum cruciatum in mente habes: nam si ista sollicitâ intentione cogitares, nullam in cella tua acediam sentires.

Idem c. 169. II. Erat senex quidam in Scithi captus oculis in Monasterio Abbatis Sisci. Distabat autem cella ipsius à puteo ferè mille passibus, & nunquam passus est, ut sibi alius afferret aquam, sed facto fune, unum ipsius caput ad puteum ligavit, & alterum in cella sua, iacebat autem funis in terra. Quando ergo pergebat sibi haurire aquam, suprà funem ambulabat; hoc autem faciebat senex, ut inveniret puteum, cùm autem arena propter ventum operuisset funem, tenebat ipsum manu, & excutiebat, & rursus illum in terra ponebat, & super eum ambulabat. Frater autem quidam rogabat senem, ut se permitteret illi afferre aquam, cui respondit senex: fili, viginti iam & duo sunt anni, ex quo mihi semper ita hausi aquam, & laborem meum tu modò auferre vis?

Mansi disc. 5. n. 5. III. Abbas Athanasius illud frequenter in ore habebat: olim Patres nostri conati sunt vitare Spiritus distractionis, omnémque temporis iacturam studiosè cavere; nunc autem negligentia, acediáque, duo hostes capitalissimi, in eorum locum successerunt. Idem cogitans aliquando, quid nam inter eos, qui dæmoni pigritiam offerenti resisterent, quique ei obsequerentur, interesset, raptus est in amœnum locum; socio verò roganti, ut ad eam legitimam Societatem, quam videre sibi videbatur (quámque solus audiebat) admitteretur, responsum est: neminem pigrum, oscitabundum & negligentem eò pertingere, aut pervadere posse.

IV. Quidam frater volens discedere in solitudinem, à matre propriâ prohibebatur: ille verò dicebat matri suæ: permitte me, mater, salvare enim volo animam meam; cùm autem non posset retinere eum mater, dimisit eum. Ille verò veniens in solitudinem, per negligentiam omnem vitam suam consumebat: contigit autem, ut moreretur mater eius; & post tempus aliquod factus est & ipse ægrotus, & raptus in ecstasi ad iudicium, invenit matrem cum his, qui iudicabantur: illa autem cùm vidisset eum, obstupuit dicens: quid est hoc, fili? & tu in hunc locum deductus es condemnandus? & ubi sunt illa verba, quæ solebas dicere, quoniam salvare volo animam meam? Erubescens ergo ille in verbis, quæ audiebat, stabat, nihil habens, quòd responderet: Et ecce voce factâ, ut hic revocaretur, tanquam altero iusso, ex cœnobio fratrum transire, reversus ad se, omnia quæ cognoverat, quæque audierat, astantibus referebat. Ad confirmationem sanè verborum suorum rogavit, ut aliquis ex astantibus iret ad monasterium, ut videret, si transisset frater eiusdem nominis, de quo audierat: qui profectus invenit ita, ipse verò postquam sanus effectus est, reclusit se, & sedit cogitans de salute suâ, pœnitens, & lachrymans super his, quæ fecerat priùs in negligentia: Tanta autem erat ei compunctio, ut cùm multi eum rogarent paululum requiescere, ne forsitan noxium aliquid pateretur per incessantem fletum, ille noluit, dicens: si matris meæ improperium non portavi, quemadmodum præsente Christo & Angelis eius in die iudicii, aut improperia aut tormenta portabo? *Vita PP. l. 3. n. 216.*

Damnum.

V. In vita sanctæ Brigidæ virginis ex Scotia oriundæ legitur, quòd, cùm aliam quandam virginem ad mensam suam invitâsset, notârit iuxta latus eius constitutum spiritum quendam malignum, quem cùm ipsa etiam videre cuperet, Brigida sancta eidem, ut oculos suos Crucis signo muniret, præcepit; quo facto, vidit satanam teterrimâ specie, immani & vasto capite, & per foramina & rimas omnes capitis flammam fumúmque erumpentem. Tum Brigida, loquere, ait, nobis dæmon. At ille, non possum, inquit, tibi loqui, Sancta virgo, nec tamen tua iussa contemnere, quandoquidem tu præcepta DEI non contemnis. Cur verò, ait sancta Brigida, huc accessisti? Apud virginem hanc, inquit, demorandi mihi & spatium & opportunitatem præstat eius desidia & torpor. Conversa ad Virginem sancta Brigida, vide nunc, inquit, quem tam multis annis apud te foveris: atque ex illa die liberata est virgo ab illo nequam spiritu. *Dauroult. c. 6. tit. 22. ex 14.*

VI. Franciscus Picus Comes Mirandulanus in vita Joannis Pici patrui scribit, non longo post obitum Joannis Pici tempore, spectrum Joannis *Delrio L. 2. disquisit. mag. q. 26. sect. 2.*

nis apparuisse Hieronymo Savonarolæ, eique dixisse, torqueri se pœnis expiatoriis, eò quòd non satis diligenter & fœcundè talentum sibi à Deo creditum eruditionis & ingenii multiplicâsset, & quia non, quanti par erat, fecisset internas Dei suggestiones, inspirationésque, quæ adhortabantur, honestos labores, quos inchoavit, non abrumpere, & quæ sibi animo proposuerat, ea instanter operari atque perficere. Quæ Hieronymus mox in concione proposuit, & omnium precibus Picum commendavit.

Cantip. l. 2 apum c. 9 p. 2. VII. Vidi Juvenem, inquit Thomas Cantipratanus, cuius amarissima relatione memini, quod subiungo: hic piorum fratrum suorum labore manuum vivebat: ipse verò segnis otio vacabat & tædio, & factum est animadversione divinâ, ut eo cum patre & fratribus ad mensam sedente, cibi (sicut ei soli videbatur) verterentur in angues, sapore tamen rerum deterrentium non mutato. Hoc cùm per aliquot dies continuaretur in peius, tandem mutato vitæ proposito liberatus est, & sanatus.

Sophron. c. 40 prat. VIII. Senex quidam narravit nobis, cùm Thebaidem venissemus, quòd senex unus morabatur extra Civitatem Antinoum, magnæ virtutis vir, qui in cella sua egerat annos septuaginta. Erant autem illi discipuli decem, ex quibus unus erat valde negligens sui, senex ergo sæpius illum corripiebat, & hortabatur dicens: frater, sollicitudinem gere pro anima tua: habes enim mori, & nisi te emendaveris, in supplicium tendes: Frater autem ille semper seni inobediens erat, nec ea, quæ ab ipso dicebantur, admittebat. Contigit autem post aliquantulum temporis, ut iste moreretur; contristatus verò senior super illo valde (sciebat enim quòd in magna desidia, & negligentia de sæculo exiisset) cœpit orare ac dicere: Domine Jesu Christe, verax Deus noster, revela mihi, quid sit circa fratris animam. Aspexit autem in excessu mentis effectus, fluvium ignis, ingentémque in ipso igne multitudinem, ac medium fratrem illum ad collum usque demersum, tunc ait illi senior: nónne te propter hanc pœnam orabam, ut curam animæ tuæ ageres, fili? respondit frater, & ait seni: gratias ago Deo, Pater, quòd vel caput meum requiem habet, per orationes enim tuas supra caput Episcopi sto.

Cæsarius l. 4 c. 38. IX. Cæsarius factum quoddam memorabile, refert, quòd Religioso cuidam somnolento accidit: ita enim scribit: vix sunt duo menses elapsi, quòd Dominus Abbas Campensis retulit nobis de Monacho quodam, qui semper in choro solebat dormire, rem terribilem valdè, nocte enim quodam, cùm ex more dormiret, aliis psallentibus, crucifixus de Altari venit, dormientem excitavit, & cum tanto nisu maxillam eius percussit, ut infra tertium diem moreretur.

Ibidem. c. 39. X. Paulò antè idem Cæsarius aliud quoddam retulerat exemplum, licèt non æquè terribile, aptum tamen ad acediosos ex desidiæ lethargo excitandos. Cùm enim Monachus quidam post matutinum, eo tempore, quod orationi destinatum est, sedem quandam ad dormiendum occupâsset, Christus ei ostendere volens, somnum hunc nec tali horæ, nec tali loco convenire, eidem in cruce quidem apparuit, sed obverso ei dorso, ut dicere videretur: quia tepidus es, & acediosus, non es dignus faciem meam intueri.

§. V.

EXEMPLA DOMESTICA.

I. EGo inter rara omnis ævi exempla eorum, qui ardentissimo animo ad discendum incubuerunt, Ignatium iure optimo censeo reponendum. *Rho. l. 7. n. 11. n. 1.* Quum enim inter admiranda Philosophiæ abdicatas eius gratiâ voluptates, etiam quibus vita modestissimè assuevit, libenter audiamus prædicari; longè maior profectò eius erit laus, qui litterarum causâ ea sibi dempserit solatia, quæ ipsum animum liquidissimè, atque innocentissimè oblectant. Mitto triginta annos natum hominem militarem, atque ingenii præfervidi, & cum extremâ rerum necessariarum egestate luctantem inter pueros Grammaticæ addiscendæ militâsse. Dissimulo repetitam Parisiis studiorum omnium rationem, quam Compluti, & Salamanticæ ipsa festinatio audiendi conturbâsset. Quid, rogo, fuit liquidissimis, quibus quàm maximè iam tum abundabat, animi sensibus abstinuisse? quid fraudes dœmonis, qui vel ad levissimas amoris voculas voluptates eas eventilabat, pérque illarum illecebras avocabat à litterarum commentatione, fraudes, inquam, agnovisse, atque constantiâ & demissione discussisse? Ostendit Ignatius, si quos divinus amor litteris mancipavit, eas totius amoris invitamento esse anteferendas.

Ibid. n. 2. II. Nec segniter à summis viris litteris opera data est, ut auxiliares veluti copias promptas haberent. Et Lainii quidem, nisi res in clarissimâ Concilii Tridentini luce peracta scribatur, vix fidem inveniat portentosa studendi contentio. De gravissimâ controversiâ Pontificis Theologus dicturus Lainius, quo dictis plus ponderis inesset, nullum à se laudatum iri auctorem, quem à capite ad calcem diligenter perlectum non excussisset, aut etiam in Breviaria non redegisset, vir minimè gloriosus propalam professus edixit; mox continenti trium horarum oratione supra triginta Patrum testimonia in medium attulit, in iisque, ut antiquos dissimulemus, Alphonsi Tostati Episcopi Abulensis, cuius ingentia volumina vitam eximunt legenti: trigesimum quartum duntaxat annum agebat Lainius, quum in ea Synodo tunc disputavit, quorum bonam partem ex Ignatii disciplinâ Apostolicè fuerat peregrinatus. Sed solidum hominis ingenium librorum pariter, ac laborum vasto capax tolerantissimum, & legendis, & retinendis sufficiebat, ut de hoc viro dixerit olim Salmeron, tantum sibi præstâre Lainium, quantum ipse illiteratis hominibus antecelleret.

Ibidem n. 3. III. Nemo eruditiorum est, qui Francisci Turriani

Turriani nomen non audierit, clarâ inter Principes sui ævi Theologos famâ, quæ tum vivâ disserentis voce in clarissimâ totius Christiani orbis luce Tridenti collecta, tum deinde immortalis eruditionis libris consignata non abolebitur. Huic quàm acris fuerit adnotandi scribendíque contentio, docuêre dexteræ articuli, in modum habitúmque scribentis ita contracti, ut facilè non possent explicari; sed plures thesauros orbi dedit contracta Francisci manus, quàm Regum extenta. Huic viro parem unum habuit antiquitas, Chrysantium Sardianum, quem infelicis laboris reum habita cum desertore Juliano peragit consuetudo.

ibidem n. 4. IV. Inter præclara ingenia, quæ doctissimis ævúmque laturis monumentis Reipublicæ profuerunt, ingens Delrii nomen famâ habet, vel uno Magicarum Disquisitionum opere, supra invidiam elata. Incredibilem illam rerum, ac linguarum cognitionem ut sibi compararet, summo ingenio, acerrimum studendi laborem sibi addendum putavit. Ergo ne cursandi per Bibliothecam necessitas commentationem interrumperet, curulem sellam subditis rotis ita librariis pluteis illigaverat, ut pede pulsa, quam liberet in partem progrederetur, itaque quum novis libris opus esset, eo se, nihil aliorum intermissâ lectione, moliebatur, ubi repositos esse sciebat. Egregia enim verò parsimonia temporis, quæ famæ immortalitate compensetur.

ibidem n. 5. V. Vivit etiamnum Possevini memoria, quamvis monumenta eam viventis non habeant celebritatem, quam egregia vel à prima adolescentia litterarum omnium ac principum linguarum cognitione est consecutus. Quia enim antelucanas horas somno æquè, atque commentationi aptissimas esse non ignorabat, ne illas mollissimè adlabens redormiendi amor studio litterarum adimeret, alterum fidiculis pedem ad lectuli, & conopæi fulcrum cubitum iturus alligabat, ut si primo, ac legitimo exhausto somno, matutinam, & minùs necessariam ad quietem se convertisset in latus, adductis illicò fidiculis excitaretur.

ibidem n. 6. VI. Vidimus ingentium voluminum, & spisso admodùm opere scriptorum auctorem Joannem Lorinum, hominem verè Calcenterium in contentione studendi. Nullâ ille die ab opere cessàbat, horásque minimùm septenas in Bibliotheca stans in studium divinarum litterarum incumbebat, tanta capacissimæ mentis contentione, ut quamvis evocatus à peregrinis, qui hominis aut videndi, aut consulendi causâ confluebant, illos humanissimè ad ostium exciperet, ubi se Bibliothecæ reddiderat, scriptionem illicò continuaret, nulla dubitantis animi litura, ut non tam commentari, quàm olim composita memoriæ causâ scripto consignare videretur.

ibidem n. 7. VII. Alterum in divinis litteris exponendis lumen Cornelium à Lapide habuit Collegium Romanum, hominem, qui perpusillo corporis modulo ingentem animum, & nullis studiorum laboribus fractum claudebat. Hic exiguâ ac propè nullâ cum sociis consuetudine, quamquam suavissimis ac sanctissimus esset moribus, adeò scribendo ac meditando erat addictus, ut abalienato quasi ab huius mortalitatis curis animo uteretur. Somnus ipse, qui quatuor non ampliùs horis definiebatur, recurrentibus diurnis curis, atque illustriorum cogitationum imaginibus sese obiicientibus, levis erat, ac suspensus, & non sui iuris, sed vigiliarum. Huic tantæ contentioni, quamquàm tenui semper valetudine ab adolescentia, usque ad duodeseptuagesimum quum sufficisset, ad extremum relictis immortalibus monumentis inter carmina scripturarum, quibus insueverat, extinctus est.

R. P. Lohn. Auctar. Bibl.

VIII. Inimitabili propemodum temporis parsimoniâ fuisse oportet, ac studendi sciendíque avidissimum Thomam Sanctium. Quî enim aliter poterat decem quotidiè horas litterario negotio constanter habere sepositas, qui multus esset divinis in precibus, ac mysteriis, sedulásque aures animos confessione expiantibus daret? sed qui nugis procul vitam destinatò vivunt, illis tempus, ut vanis nunquam supersit, seriis semper abundat. *Ibid. n. 8.*

IX. Magnum utriúsque nomen Francisci Suarii, & Mendozæ, inter sæculi principes litterarum viros, sive acutè disputare de divinis, sive divina oracula incredibili eruditione opus sit interpretari. *ibidem n. 9.* Et Suario quidem fracto leviter die perennis erat commentandi, docendi, dictandive labor, ut etiam in Italica peregrinatione statim ac lectica, quâ debilitatis viribus vehebatur, fuisset deposita, in meritoriis hospitiis avito librario, quæ tacitus secum fuerat meditatus, divinæ arcana sapientiæ, & cedro digna monumenta dictaret. Mendozam nos ipsi Genuæ olim vidimus, & incredibilem hominis diligentiam, ac temporis parsimoniam satìs mirari nequivimus. Quamquam enim tantùm non mutatis ad celeritatem equis in urbem properaret, ac famâ nominis omnibus expetitus effusissimâ humanitate fuisset exceptus, illicò tamen post religiosi moris amplexus, brevésque salutationes in cubiculum aliquid scripturus, se recepit, & quamlibet parvam temporis moram, quam necessaria iumentorum mutatio attulerat, in ærarium intulit sapientiæ. Nisi nos quotidianis casibus ad mortis iniurias occalluissemus, indignari promptum erat, homines immortalitate dignissimos, & Reipublicæ maximè utiles ac frugiferos in ipsa laborum contentione abripi, ne destinata perficiant. Sed admonendi fuimus, ne tempus per iniuriam aliud, aut etiam nihil agentes prodigamus, quum instantibus ac studiosissimè utentibus abrumpatur.

§. VI.

SIMILITUDINES.

Fuga.

I. Sicut vas plenum, nullius alterius rei admittendæ capax est; ita & mens *Mansi dis. 4. n. 8.*

nis apparuisse Hieronymo Savonarolæ, eique dixisse, torqueri se pœnis expiatoriis, eò quòd non satis diligenter & fœcundè talentum sibi à Deo creditum eruditionis & ingenii multiplicâsset, & quia non, quanti par erat, fecisset internas Dei suggestiones, inspirationésque, quæ adhortabantur, honestos labores, quos inchoavit, non abrumpere, & quæ sibi animo proposuerat, ea instanter operari atque perficere. Quæ Hieronymus mox in concione proposuit, & omnium precibus Picum commendavit.

Cantip. l. 2 apum c. 9 p. 2. VII. Vidi Juvenem, inquit Thomas Cantipratanus, cuius amarissima relatione memini, quod subiungo: hic piorum fratrum suorum labore manuum vivebat: ipse verò segnis otio vacabat & tædio, & factum est animadversione divinâ, ut eo cum patre & fratribus ad mensam sedente, cibi (sicut ei soli videbatur) verterentur in angues, sapore tamen rerum deterrentium non mutato. Hoc cùm per aliquot dies continuaretur in peius, tandem mutato vitæ proposito liberatus est, & sanatus.

Sophron. c. 44. prat. VIII. Senex quidam narravit nobis, cùm Thebaidem venissemus, quòd senex unus morabatur extra Civitatem Antinoum, magnæ virtutis vir, qui in cella sua egerat annos septuaginta. Erant autem illi discipuli decem, ex quibus unus erat valde negligens sui, senex ergo sæpius illum corripiebat, & hortabatur dicens: frater, sollicitudinem gere pro anima tua: habes enim mori, & nisi te emendaveris, in supplicium tendes: Frater autem ille semper seni inobediens erat, nec ea, quæ ab ipso dicebantur, admittebat. Contigit autem post aliquantulum temporis, ut iste moreretur; contristatus verò senior super illo valde (sciebat enim quòd in magna desidia, & negligentia de sæculo exiisset) cœpit orare ac dicere: Domine Jesu Christe, verax Deus noster, revela mihi, quid sit circa fratris animam. Aspexit autem in excessu mentis effectus, fluvium ignis, ingentémque in ipso igne multitudinem, ac medium fratrem illum ad collum usque demersum, tunc ait illi senior: nónne te propter hanc pœnam orabam, ut curam animæ tuæ ageres, fili? respondit frater, & ait seni: gratias ago Deo, Pater, quòd vel caput meum requiem habet, per orationes enim tuas supra caput Episcopi sto.

Cæsarius l. 4 c. 38. IX. Cæsarius factum quoddam memorabile, refert, quòd Religioso cuidam somnolento accidit: ita enim scribit: vix sunt duo menses elapsi, quòd Dominus Abbas Campensis retulit nobis de Monacho quodam, qui semper in choro solebat dormire, rem terribilem valdè, nocte enim quodam, cùm ex more dormiret, aliis psallentibus, crucifixus de Altari venit, dormientem excitavit, & cum tanto nisu maxillam eius percussit, ut infra tertium diem moreretur.

Ibidem. c. 39. X. Paulò antè idem Cæsarius aliud quoddam retulerat exemplum, licèt non æquè terribile, aptum tamen ad acediosos ex desidiæ lethargo excitandos. Cùm enim Monachus quidam post matutinum, eo tempore, quod orationi destinatum est, sedem quandam ad dormiendum occupâsset, Christus ei ostendere volens, somnum hunc nec tali horæ, nec tali loco convenire, eidem in cruce quidem apparuit, sed obverso ei dorso, ut dicere videretur: quia tepidus es, & acediosus, non es dignus faciem meam intueri.

§. V.

EXEMPLA DOMESTICA.

I. EGo inter raras omnis ævi exempla eorum, qui ardentissimo animo ad discendum incubuerunt, Ignatium iure optimo censeo reponendum. *Rho. l. 7. c. 12. n. 1.* Quum enim inter admiranda Philosophiæ abdicatas eius gratiâ voluptates, etiam quibus vita modestissimè assuevit, libenter audiamus prædicari; longè maior profectò eius erit laus, qui litterarum causâ ea sibi dempserit solatia, quæ ipsum animum liquidissimè, atque innocentissimè oblectant. Mitto triginta annos natum hominem militarem, atque ingenii præfervidi, & cum extremâ rerum necessariarum egestate luctantem inter pueros Grammaticæ addiscendæ militâsse. Dissimulo repetitam Parisiis studiorum omnium rationem, quam Compluti, & Salamanticæ ipsa festinatio audiendi conturbâsset. Quid, rogo, fuit liquidissimis, quibus quàm maximè iam tum abundabat, animi sensibus abstinuisse? quid fraudes dæmonis, qui vel ad levissimas amoris voculas voluptates eas eventilabat, pérque illarum illecebras avocabat à litterarum commentatione, fraudes, inquam, agnovisse, atque constantiâ & demissione discussisse? Ostendit Ignatius, si quos divinus amor litteris mancipavit, eas totius amoris invitamento esse anteferendas.

II. Nec segniter à summis viris litteris opera data est, ut auxiliares veluti copias promptas haberent. *Ibid. n. 2.* Et Lainii quidem, nisi res in clarissimâ Concilii Tridentini luce peracta scribatur, vix fidem inveniat portentosa studendi contentio. De gravissimâ controversiâ Pontificis Theologus dicturus Lainius, quo dictis plus ponderis inesset, nullum à se laudatum iri auctorem, quem à capite ad calcem diligenter perlectum non excussisset, aut etiam in Breviaria non redegisset, vir minimè gloriosus propalam professus edixit; mox continenti trium horarum oratione supra triginta Patrum testimonia in medium attulit, in iisque, ut antiquos dissimulemus, Alphonsi Tostati Episcopi Abulensis, cuius ingentia volumina vitam eximunt legenti: trigesimum quartum duntaxat annum agebat Lainius, quum in ea Synodo tunc disputavit, quorum bonam partem ex Ignatii disciplinâ Apostolicè fuerat peregrinatus. Sed solidum hominis ingenium librorum pariter, ac laborum vasto capax tolerantissimum, & legendis, & retinendis sufficiebat, ut de hoc viro dixerit olim Salmeron, tantum sibi præstâre Lainium, quantum ipse illiteratis hominibus antecelleret.

III. Nemo eruditiorum est, qui Francisci *Ibidem n. 3.*
Turriani

Turriani nomen non audierit, clarâ inter Principes sui ævi Theologos famâ, quæ tum vivâ disserentis voce in clarissimâ totius Christiani orbis luce Tridenti collecta, tum deinde immortalis eruditionis libris consignata non abolebitur. Huic quàm acris fuerit adnotandi scribendíque contentio, docuêre dexteræ articuli, in modum habitúmque scribentis ita contracti, ut facilè non possent explicari; sed plures thesauros orbi dedit contracta Francisci manus, quàm Regum extenta. Huic viro parem unum habuit antiquitas, Chrysantium Sardianum, quem infelicis laboris reum habita cum desertore Juliano peragit consuetudo.

Ibidem n. 4. IV. Inter præclara ingenia, quæ doctissimis ævúmque laturis monumentis Reipublicæ profuerunt, ingens Delrii nomen fama habet, vel uno Magicarum Disquisitionum opere, supra invidiam elata. Incredibilem illam rerum, ac linguarum cognitionem ut sibi compararet, summo ingenio, acerrimum studendi laborem sibi addendum putavit. Ergo ne cursandi per Bibliothecam necessitas commentationem interrumperet, curulem sellam subditis rotis ita librariis pluteis illigaverat, ut pede pulsa, quam liberet in partem progrederetur, itaque quum novis libris opus esset, eo se, nihil aliorum intermissâ lectione, moliebatur, ubi repositos esse sciebat. Egregia enim verò parsimonia temporis, quæ famæ immortalitate compensetur.

Ibidem n. 5. V. Vivit etiamnum Possevini memoria, quamvis monumenta eam viventis non habeant celebritatem, quam egregia vel à prima adolescentia litterarum omnium ac principum linguarum cognitione est consecutus. Quia enim antelucanas horas somno æquè, atque commentationi aptissimas esse non ignorabat, ne illas mollissimè adlabens redormiendi amor studio litterarum adimeret, alterum fidiculis pedem ad lectuli, & conopæi fulcrum cubitum iturus alligabat, ut si primo, ac legitimo exhausto somno, matutinam, & minus necessariam ad quietem se convertisset in latus, adductis illicò fidiculis excitaretur.

Ibidem n. 6. VI. Vidimus ingentium voluminum, & spisso admodùm opere scriptorum auctorem Joannem Lorinum, hominem verè Calcenterium in contentione studendi. Nullâ ille die ab opere cessabat, horásque minimùm septenas in Bibliotheca stans in studium divinarum litterarum incumbebat, tanta capacissimæ mentis contentione, ut quamvis evocatus à peregrinis, qui hominis aut videndi, aut consulendi causâ confluebant, illos humanissimè ad ostium exciperet, ubi se Bibliothecæ reddiderat, scriptionem illicò continuaret, nulla dubitantis animi litura, ut non tam commentari, quàm olim composita memoriæ causâ scripto consignare videretur.

Ibidem n. 7. VII. Alterum in divinis litteris exponendis lumen Cornelium à Lapide habuit Collegium Romanum, hominem, qui perpusillo corporis modulo ingentem animum, & nullis studiorum laboribus fractum claudebat. Hic exiguâ

R. P. Lohn. Auctar. Bibl.

ac propè nullâ cum sociis consuetudine, quamquam suavissimis ac sanctissimis esset moribus, adeò scribendo ac meditando erat addictus, ut abalienato quasi ab huius mortalitatis curis animo uteretur. Somnus ipse, qui quatuor non amplius horis definiebatur, recurrentibus diurnis curis, atque illustriorum cogitationum imaginibus sese obiicientibus, levis erat, ac suspensus, & non sui iuris, sed vigiliarum. Huic tantæ contentioni, quamquàm tenui semper valetudine ab adolescentia, usque ad duodeseptuagesimum quum sufecisset, ad extremum relictis immortalibus monumentis inter carmina scripturarum, quibus insueverat, extinctus est.

VIII. Inimitabili propemodum temporis parsimoniâ fuisse oportet, ac studendi sciendíque avidissimum Thomam Sanctium. Quî enim aliter poterat decem quotidiè horas litterario negotio constanter habere sepositas, qui multus esset divinis in precibus, ac mysteriis, sedulásque aures animos confessione expiantibus daret? sed qui nugis procul vitam destinatò vivunt, illis tempus, ut vanis nunquam superest, seriis semper abundat. *Ibid. n. 8.*

IX. Magnum utriúsque nomen Francisci Suarii, & Mendozæ, inter sæculi principes litterarum viros, sive acutè disputare de divinis, sive divina oracula incredibili eruditione opus sit interpretari. Et Suario quidem fracto leviter die perennis erat commentandi, docendi, dictandive labor, ut etiam in Italica peregrinatione statim ac lectica, quâ debilitatis viribus vehebatur, fuisset deposita, in meritoriis hospitiis avito librario, quæ tacitus secum fuerat meditatus, divinæ arcana sapientiæ, & cedro digna monumenta dictaret. Mendozam nos ipsi Genuæ olim vidimus, & incredibilem hominis diligentiam, ac temporis parsimoniam satis mirari nequivimus. Quamquam enim tantùm non mutatis ad celeritatem equis in urbem properaret, ac famâ nominis omnibus expertus effusissimâ humanitate fuisset exceptus, illicò tamen post religiosi moris amplexus, brevésque salutationes in cubiculum aliquid scripturus, se recepit, & quamlibet parvam temporis moram, quam necessaria iumentorum mutatio attulerat, in ærarium intulit sapientiæ. Nisi nos quotidianis casibus ad mortis iniurias occalluissemus, indignari promptum erat, homines immortalitate dignissimos, & Reipublicæ maximè utiles ac frugiferos in ipsa laborum contentione abripi, ne destinata perficiant. Sed admonendi fuimus, ne tempus per iniuriam aliud, aut etiam nihil agentes prodigamus, quum instantibus ac studiosissimè utentibus abrumpatur. *Ibidem n. 9.*

§. VI.

SIMILITUDINES.

Fuga.

I. Sicut vas plenum, nullius alterius rei admittendæ capax est; ita & mens & *Mansi disc. 4. n. 1.*

& cor nostrum, quando per fidelem nostram cum gratia cooperationem rebus repletur divinis, nullum dæmoniacis locum dabit suggestionibus, quin potiùs iis ingruentibus intrepidè respondebit: Apage hinc sis, siquidem possessio iam capta est, nec ulli ultrà aditus patet: siquidem intus existens prohibet extraneum.

Senec. l. 4. nat. qq. c. 2. II. Sicut crocodilus est animal fugax audaci, audacissimum timido; ita & crocodilus infernalis heroica opera aggrediêntes horret, & expavescit, timidis verò gloriosè insultat. Talem aliquando se præbuit Basilius Magnus, quando à Modesto, Imperatoris Valentis præfecto, per minas ad Arianorum sectam amplexandam sollicitatus, cum incredibili animositate in hæc respondit verba: Modeste, Basilio Magno iubes? Formica es, rugias licèt ut leo. Invicibilem hanc Basilii fortitudinem, S. Hieronymus adumbrâsse videtur, quando illum explicans Amos textum (Qui dormitis in lectis eburneis) ita discurrit: Qui athleta est Domini, & exercetur ad luctam, & præparat se contra adversarias potestates, dormit in nuda humo, imitans Iacob, & ponit sibi lapidem ad caput, quem reprobaverant ædificantes, & factus est in caput anguli. Qui verò deliciis vacant, atque luxuriæ, & omnia causâ ventris faciunt, dormiunt in lectis eburneis, mortui animalis, & immundis hærent ossibus; & quia pulchra videntur vitia, & præsenti nitore delectant, requiescunt in eorum lectulis, & sopore gravissimo deprimuntur. S. Ephrem modum tentationis acediæ à nobis repellendi his verbis tradit: si obveniente acediâ resisteret frater operando, & se exercendo, tunc acediæ spiritum divinæ gratiæ auxilio repelleret. Quod S. Hieronymus confirmat, dum Rusticum salubriter his verbis monet: semper aliquid boni, fac, facito, ut te diabolus non inveniat otiosum.

S. Ephrem param. 19. III. Sicut athleta corpus suum studiosè exercet, ut illud ad certaminis artificium aptum, compositúmque reddat, ita & pietatis pugil seipsum ad omne opus bonum exercere debet, cùm dicat Apostolus. 1. Timoth. 4. 7. Te ipsum verò ad pietatem exerce; Nam corporalis exercitatio ad modicum utilis est; pietas autem ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ.

S. Greg. l. 1. past. c. 35. IV. Sicut, si quis in medio cursu rapidi, & præcipitis cuiusdam torrentis constitutus firmare se vellet, nec ulteriùs progredi, in evidenti esset periculo, ne ab impetu aquarum deiectus periret: eodem modo in vita spirituali accidit, utpote quæ naturæ nostræ depravatæ opponitur: nam passionum nostrarum impetus ad vitium, ad peccatum, ad torrentem mundi sequendum nos pertrahit, nisi nobismet ipsis faciamus violentiam, ut rapidum appetituum nostrorum torrentem securè transire valeamus, vincendo & mortificando ipsos; hoc enim si commiserimus, retrogrediemur, decidemúsque à spiritu, nam regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.

Damna

V. Sicut paralysis facit membra arida & impotentia, sic acedia facit pedes impotentes ad ambulandum, manus ad operandum, & membra omnia ad laborem pœnitentiæ sustinendum; unde de talibus dicitur in Psalmo: manus habent, & non palpabunt; pedes habent, & non ambulabunt. S. Bonav. diat. tit. 1. c. 7.

VI. Sicut immensum Babyloniæ Colossum exile destruxit saxum, inque minutissimos redegit pulveres (abscissus est lapis de monte sine manibus, & percussit statuam in pedibus, & comminuit, tunc contrita sunt pariter ferrum, testa, æs, argentum & aurum, & redacta quasi in favillam) ita quoque vel unicum exile saxum, id est, una negligentia, seu pigritia, circa alicuius momenti materiam admissa sufficiens est, ut humi prosternat, inque ultimum coniiciat præcipitium animam quampiam, quæ priùs in virtute atque sanctitate eminenter excellebat. Mansi. disc. 2. n. 2.

VII. Sicut ignis rarefactus nullum caloris gradum amittit, sed tamen debilior fit, & quamvis in semetipso non minùs calidus sit, quàm antè, eosdem tamen, quos antè effectus producere non potest, nec contrariis tam fortiter resistere. Ita quoque charitas, quæ cælestis quidam ignis est, per peccata venialia verè quidē non diminuitur, nec aliquem intensionis gradum amittit, attamen per illa rarefit, quia cor, quod illis subiectum est, ad diversas creaturas dilatatur, & extenditur; quia nunquam peccatum aliquod veniale committitur, quin sit aliquis ad obiecta creata affectus; charitas autem tametsi tam extincta non sit, minorem tamen, quàm antea vim habet, nec est ad resistendum contrariis idonea; Et ideo peccata venialia non imminuunt charitatem, sed eius fervorem. Arefius ibid. n. 4.

VIII. Sicut lucerna oleo & lychno præparata lucet, si autē per negligentiā non acceperit oleum, paulatim extinguitur, atque ita invalescunt tenebræ adversus eam, sed & mus veniens ad eam, volénsque myxum eius comedere, priúsquam perfectè extinguatur, non potest propter calorem ignis; si autem viderit, quòd nec lumen habet, nec calorem iam retinet ignis, tunc volens trahere myxum eius, deiicit etiam ipsam lucernam in terram, quæ, si testea fuerit, minutatur; si ærea, à domino suo reparatur: Ita etiam, si neglexerit anima, paulatim recedit ab ea Spiritus S. donec perfectè extinguatur calor eius, atque ita inimicus consumit, & devorat propositum animæ illius, sed & corpus nequitiæ exterminat. Si autem quis per affectum, quem habet in Deo, bonus fuerit, simpliciter autem ad negligentiam raptus fuerit, Deus, qui misericors est, excitat in eo mentem suam &c. Vit. PP. l. 5 libell. 11. n. 37.

IX. Sicut infructuosa arbor intricat cespitem, necat spatia, exhaurit terræ vires, cultorem conficit damno, afficit tædio possidentem, ac sic excidere istam, lucrum est, & istam commodum non habere. Sic homo utique, qui S. Chrysol. s. 106.

qui naturæ donum, munus animæ, rationis beneficium, excellentiam sensuum, Iudicium mentis, artis industriam, culturæ bonum per steriles atque inopes actus evertit, occupat, mergit, auctori fructum, cultori gratiam negat; Sicut arbor è terra, sic iste è vita meretur excidi. Et sicut infœcunda arbor, si fuerit in vinea, dum fundit mortiferam subiectis vitibus umbram, inimica non sibi soli, sed etiam palmitibus fit fœcundis; ita homo deses, ignavus, non sibi fit noxius, sed multis.

Prov. c. 16. 26. X. Sicut acetum dentibus, & fumus oculis, sic piger his, qui miserunt eum. Quasi diceret, sicut acetum valde est ingratum dentibus, & fumus oculis invisus est, ita quoque homo piger supra modum est abominabilis.

S. Ephrem S. de vit. virg. XI. Sicut si quis manibus ac pedibus sanus sit, habeátque ante se escas plurimas appositas, & segnitie torpens noluerit ori suo eas admovere, iisque vesci, ut animam corpúsque reficiat, talis sibi ipsi necis suæ author est; Ita quoque Monachus (seu quilibet alius piger & acediosus) qui suavissimos divinæ gratiæ cibos expertus est, si neglexerit ipsam invocare, haudquaquam dulcedine eius satiari, recrearíque poterit, sed velut fame consumptus, auxilióque destitutus tabescet. Quis ergo illius miserabitur, qui cùm gratiæ cœlestis escam, si manus extenderet, gustare posset, sponte se illius svavitatis epulis per desidiam privat?

§. VII.

MOTIVA.

Mansi. dist. 14. n. 1. I. Exemplum Dei: hinc S. Ioannes Damascenus Spiritum Sanctum, non sine ingenti mysterio, Divinitati ignis nomen attribuisse notat, ut per hoc insinuet, quòd sicut elementum istud semper activum existit, ita quoque Deus in continua versetur operatione. Idem quoque Spiritus Sanctus, quando primâ omnium vice se mundo manifestum fecit, operativum prorsus & activum se exhibuit: nam, ut Scriptura ait: Spiritus Domini ferebatur super aquas; De Verbo æterno S. Ioannes pariter inquit: Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est; denique de Patre æterno in primis totius Bibliæ verbis dicitur: In principio creavit Deus cœlum & terram. Et ipse Christus de ipso dixit: Pater meus usque modo operatur. Ideo Bellovacensis rectè ait: cùm audis, Deum operatum fuisse sex diebus, & in septima quievisse, frustra speras requiem, nisi post laborem. Operatur enim Deus continuè gubernando mundum, ordinando, providendo. Unde Ioan. 5. Pater meus usque modò operatur. Neque prætereunda nobis est moralitas quædam, quam Oleaster his verbis adducit. Est, quod hîc advertas, scilicet non quiescendum esse, nisi priùs laboraveris; similiter pluribus diebus laborandum, paucioribus quiescendum.

Bellovac. Spec. Moral. l. 3. p. 6. dist. 1.

Bellov. Ibid. II. Exemplum Christi, de quo sic discurrit Bellovacensis: Exemplum Christi habemus, qui dicit: Pauper sum ego, & in laboribus à iuventute mea. Pius Dominus laborare non destitit, usque ad diem mortis suæ; diebus prædicando, discurrendo, corripiendo, miracula faciendo; noctibus in orationibus insistendo. Matthæ. cap. 8. 16. dicitur: Vespere autem facto, obtulerunt ei multos dæmonia habentes, & eiiciebat: At verò quam ob rem Christo dæmoniacos illos liberandos tam serò obtulerunt? quónam spectat ista tarditas? Albertus Magnus inquit, quia in die occupatus erat, Verbi Dei prædicatione, ex compassione ad ignorantiam populi, & in sero per miraculum confirmavit, quæ prædicaverat, & excitavit populum ad laudem Dei. Psal. 41. 9. In die mandavit Dominus misericordiam suam, & nocte canticum eius. Quæ omnia confirmans S. Bernardus, ipse, inquit, hominum sæculíque author, quamdiu in terris visus est, & cum hominibus conversatus est, nunquid stetit? & quidem teste Scriptura: Pertransiit benefaciendo, & sanando omnes. Pertransiit ergo sicut non infructuosè, ita non remissè, non pigrè, non lento gressu: sed quemadmodum de eo scriptum est: Exultavit ut gigas, ad currendam viam. Porrò currentem non apprehendit, qui & ipse pariter non currit: Et quid prodest, Christum sequi, si non contingat consequi? Ideo Paulus aiebat: sic currite, ut comprehendatis. S. Bern. s. p. 13.

III. Exemplum Angelorum, per quos Deus continuè & incessanter operatur; de quibus proinde vates regius ait: qui facit Angelos suos spiritus & ministros suos ignem urentem. S. Antoninus citat S. Bernardum in hæc verba scribentem: O impudens & imprudens! millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei, scilicet ad operandum, quod eis congruit; & tu sedere præsumis, & otiari? Unde Seraphini circa thronum Dei ab Isaia sex alis instructi visi fuerunt: sex alæ uni, & sex alæ alteri; ubi Glossa ait: Propter velocem in omnibus discursum, sicut & venti alati dicuntur. Etenim cœlestes illæ Intelligentiæ in continua sunt activitate, volvendo semper primum Mobile, omnésque alias sphæras supernas; superintendendo tutelæ provinciarum atque regnorum, suámque circa singulos nostrûm quotidie dies & noctes perficiendo sollicitissimam custodiam, nam Angelis suis Deus mandavit de te. S. Antonin. part. 2. tit. 9. c. 14. §. 1.

IV. Exemplum Mundanorum, quod sic proposuit Thomas Morus: Mundani, eheu! laborant, & sudant, ut eant ad infernum, cùm tamen, si longè minùs pro gloria Dei, & animæ propriæ salute facerent, sublimissimos sibi gloriæ gradus in cælo comparaturi fuissent; Et ideo, licèt mundani in temporalibus negotiis sagaciores & astutiores sint, viris spirituali & veræ Christianæ vitæ deditis, attamen in rebus ad futuram vitam spectantibus, ab his longè superantur; Et ideo Lyranus ly prudentiores, interpretatur; astuti & fervidi in temporalibus negotiis. Lucas Burgensis pariter finem à Christo in hac parabola intentum declarans, inquit: Verba sunt Christi, occasione Mansi dist. 15. n. 1.

ne laudatæ prudentiæ iniqui huius villici, exprobrantis filiis Dei misericordiam suam. Eusebius Emissenus inquit: Prudentiores sunt illi in malo, quàm isti in bono; vix enim inveniuntur aliqui Sancti, qui tantam prudentiam habeant in acquirendis bonis æternis, quantam calliditatem isti habent in acquirendis bonis temporalibus: pro eis enim nocte diéque vigilant, laborant, angustiantur. Quod confirmans Strobæus sic loquitur: ut faciliùs & promptiùs labores illos sustineamus, quos virtutis & honestatis gratiâ subituri sumus, hæc animo reputare secum, utile fuerit; videlicet, quàm multa tolerent aliqui propter malas cupiditates, ut qui amat luxuriosè; & quantùm sufferant alii lucrandi causâ. Item quanta patiantur nonnulli, dum gloriam venantur. An non igitur iniquum foret, illos quidem huiusmodi pro nulla re honesta sustinere, nos verò honestatis gratiâ, & declinandæ causâ pigritiæ, (quæ planè pestis est vitæ nostræ) tum comparandæ virtutis (quæ nobis bonorum omnium dux est) non quosvis labores promptè subire; atqui verbis exprimi non potest, quantò præstantius sit, eniti, ut cupiditates propriæ castigentur, quàm laborare ad uxorem potiendum alienam; item frugalitatem exercere, quàm in comparandis pecuniis laboriosum esse: Et operam dare, ne sis ambitiosus, quàm gloriæ conquirendæ causâ multis negotiis molestari.

Strobæus S. 29.

V. Exemplum avarorum; de quo S. Augustinus eleganter sic discurrit: non est gravis avaritia? Quare ergo te de somno excitat, quæ te aliquando etiam dormire non sinit? Et fortasse habes cum illa alterum onus pigritiæ: & ista duo nequissima onera, secúmque pugnantia premunt te, & dilaniant te; non enim paria imperant, non enim similia iubent. Pigritia dicit: dormi; Avaritia dicit: surge. Pigritia dicit: noli pati frigidos dies; avaritia dicit: tolera in mari etiam tempestates. Illa dicit: requiesce: ista non sinit quiescere; iubet, non solùm procede, sed & naviga trans mare; quære terras, quas ignoras; merces in Indiam deportandæ sunt. Non nôsti linguam Indorum, sed intelligibilis videtur sermo avaritiæ. Venies ignotus ad ignotum: das, accipis, emis, portas: periclitatus pervenisti; cum periculis redis, exclamas in mari exagitatus tempestate: Deus, libera me! non audis respondentem: quare? misi te? avaritia tibi iussit, ut acquireres, quod non habebas; Ego tibi iussi, ut sine labore ante ostium tuum pauperi dares, quod habebas; Illa te ad Indos misit ad reportandum aurum. Ego tibi ad ostium Christum posui, à quo emeres Regnum Cælorum. Tandémque hæc notatu dignissima subdit verba: laboras in iussione avaritiæ, in iussione mea non laboras.

S. August. S. 42. de verb. Apost.

VI. Exemplum peccatorum, quod Bellovacensis sic proponit: vehementer & efficaciter nos excitare deberet, imò compellere labor, quem voluntariè sumunt, & gaudenter sustinent plures mundani omnibus diebus vitæ suæ, pro modico lucro vel commodo temporali. Denique si consideremus, quantos labores, timores, & pericula, quantas sollicitudines & angustias sustinent miseri peccatores pro flagitiis suis, & perversis voluntatibus suis adimplendis, quibus non vitam, sed mortem sibi mercantur æternam. Augustinus in libro de patientia ait: Intuemur, quanta in laboribus, & doloribus sustineant pro rebus, quas vitiosè diligunt, quanta pro falsis divitiis, & pro vanis honoribus, quanta pro ludicris affectionibus periculosissima & molestissima patientissimè tolerant. Pecuniæ, gloriæ, lasciviæ cupidos videmus, ut ad desiderata perveniant, optatisque non careant. Soles, imbres, nives, glacies, fluctus & procellosissimas tempestates, aspera, & incerta bellorum immanium, ictus & vulnera, horrenda plagarum non inevitabili necessitate, sed culpabili voluntate perferre, & pro apertis sceleribus, non ut ea puniant, sed perpetrent, homines multi gravissima perferunt. Unde rectè Thomas Kemp. dixit: Plures mundum libentiùs audiunt, quàm Deum: faciliùs sequuntur carnis suæ appetitum, quàm Dei beneplacitum. Promittit Mundus temporalia & parva, & servitur ei aviditate magnâ: ego promitto summa & æterna, & torpescunt mortalium corda. Quis tantâ curâ mihi in omnibus servit & obedit, sicut Mundo & Dominis eius servitur? Erubesce Sidon, ait mare.; & si caussam quæris, audi quare. Pro modica præbenda, longa via curritur: pro æterna vita, à multis vix pes semel à terra levatur. Vile pretium quæritur: pro uno numismate interdum turpiter litigatur: pro vana re & parva promissione, die noctúque fatigari non timetur. Sed, proh dolor! pro bono incommutabili, pro præmio inæstimabili, pro summo honore & gloria interminabili, vel ad modicum fatigari pigritatur. Erubesce ergo, serve piger, & querulose, quòd illi paratiores inveniuntur ad perditionem, quàm tu ad vitam. Gaudent illi ampliùs ad vanitatem, quàm tu ad veritatem.

Bellovac. L. 3. spec. p. 6. dist. 1.

Th. Kemp. de imit. Chr. l. 3. c. 3.

VII. Exemplum ægrorum; nam, ut rectè notavit Sanctus Chrysostomus, si vel parùm aliquid in corpore morbi pulsaverit, statim & Medicos adhibemus, & pecuniam profundimus, & omni observantiâ, quæ competunt, gerimus, nec priùs cessatur, quàm quæ molesta sunt, mitigentur; anima verò cùm quotidie vulneretur, cùm per singula lanietur, uratur, præcipitetur, & modis omnibus pereat, nec parva quidem pro ea nos cura sollicitat.

S. Chrysost. L. 1. de compunct.

VIII. Exemplum Creaturarum; quod sanctus Augustinus sequentibus verbis proponit: aperi oculos mentis, & corporis, videbisque singulas creaturas ad officia singula deputatas. Ecce enim sol cursum anni perficit: luna etiam mensibus, ut vicissitudinibus discurrit: & cæteræ stellæ. Omnia enim sibi deputata officia sine quiete exercent. Nunquid etiam animalia bruta ad suæ naturæ industriam otium fugiunt? nunquid etiam semper laborant, ut conserventur in esse? nunquid in suis necessitatibus deficere & pigrescere ea videmus? absit; omnia enim sub obedientia sunt, omnia agunt, quod agere

S. August. S. 17. ad fratr.

agere debent. Solus autem miser homo acediâ superatus, à suo officio frequenter recedit, & Dei imaginem in se deturpans, in acedia perseverat. Erubesce, ô Christiane, & absconde te à facie Salvatoris tui, quoniam insipientior iumentis & formicis hodie factus esse comprobaris.

S. Basil. ho. 8. IX. Exemplum formicarum; nam: ut desidem & pigrum exsuscitet, ait sanctus Cyrillus, formicam creavit Dominus; cùm enim aliquis inertem degit iuventutem, tum ab animantibus rationis expertibus docetur, redarguitur à Scriptura Divina, quæ ait: vade ad formicam ô piger, & æmulare vias eius. Unde rectè infert S. Basilius: non tu tibi eandem homo diligentiam adhibebis? non tu tibi ipsi demum elaborabis? non hoc tempore præsenti fruges tibi recondes? Requiémque ad futurum, formicæ exemplo parabis? Formica temporis hyberni pabulum æstate sibi sedulò condit, & non quòd hyemis incommoda nondum adsunt, otiosa tempus traducit, sed incessabili quodam intentóque studio legendi, ad semina tantisper incumbit, dum sufficiens alimentum in cellulis sibi recondet. Neque id incuriâ facit, sed sapienti quadam providentiâ, ut quamplurimo tempore pabulum sibi persistere, conservarique possit. Secat enim unguiculis fructus medios, arrosósque condit, ne rursum in fruges exeant de terra, atque inutiles sibi in usum alimoniæ fiant. Cùm senserit eos madefactos imbre, profert, & exsiccat, nec omni tempore id agit, sed cùm præsenserit aërem serenâ in statione teneri, serenúmque cœlum. Sed & Hugo Card. consentiens: Mittit Salomon, inquit, ad formicam, quia in eius natura ferè contra omnia vitia cautela reperitur, quia parvum animal est, sic docet humilitatem. Item sollicitum, sic docet vitare otium. Item providum, sic docet providentiam de futuro. Galat. 6. *Ergo dum tempus habemus, operemur bonum.* S. Hieronymus ait: Cadentes sub onere humeris suis sublevabant. Item arcto calle incedit, ut Hugo Cardinalis observat, & sic docet pœnitentiam Luc. 13. *Contendite intrare per angustam portam.* Item terram egerit de cavernis, sic docet contemptum terrenorum. Item grano pascitur, sic docet honestatem vitæ.

Apud Mansi disc. 13. n. 11.

§. VIII.

MEDIA.

Bellovac. spec. dist. 10. I. Amor Dei, nam qui fideliter diligit, ait Bellovacensis, nec faciliter obliviscitur dilectum, nec negligit implere beneplacitum voluntatis eius: unde, ubi parvus est amor, ibi parùm invenitur de diligentia; ubi perfectus amor, ibi nulla negligentia. Deuter. 8. *Cave, ne obliviscaris Domini Dei tui, & negligas mandata eius.* Unde ergo in nobis tanta negligentia, nisi ex defectu amoris?

S. Basilius in reg. brev. interrog. 37. II. Præsentia Dei cogitata, quam S. Basilius efficacissimum esse medium dixit adversus acediam. Postquam enim hanc præmisisset quæstionem: Qui piger est ad mandatum, quomodo is ita poterit excitari, ut gnavus sit? Mox respondet: Nempe si ei persuasum sit, ubique Dominum Deum adesse, & omnia cernere, & comminationem illam veram esse, quæ facta est adversus pigrum. Idem quoque remedium ex quibusdam S. Bernardi verbis deducitur, dicentis: quo modo negligens poterit fieri, qui intuentem Deum nunquam desinit intueri? Aut quomodo non quasi proprium illum habere videtur, qui sic eum super se videt intentum, ut omnia interiora eius & exteriora omni horâ considerare non cesset, omnésque non solùm actus, sed ipsos subtilissimos motus animæ perscrutetur, atque diiudicet? In vita S. Ignatii de Loiola legitur, quòd, cùm quendam in tradito sibi munere valde remissum, atque oscitantem invenisset, quæsivit ex eo, cuinam in tali ministerio daret operam, Deóne, an hominibus? Cùm ille se Deo utique deservire dixisset; Plectêris igitur, inquit Ignatius, nam in rebus humanis minùs accuratè versanti iure forsan ignoverit quispiam, at immortali Deo ministrare negligenter, id verò nullo pacto ferendum est. Quisquis igitur assiduè Dei præsentiam in mente sua revolverit, huic impossibile erit, ut frigidus permaneat, aut in divino servitio otiosus, quia Deus ignis consumens est.

III. Continuum exercitium; sicut enim ignis modicus faciliter extinguitur, si quis illum per materiam combustibilem fovere & nutrire negligat: eodem modo de igne charitatis dicere possumus, quòd faciliter deficiat, si per negligentiam, & pigritiam nostram continuis virtutum actibus vivum conservare negligamus. S. Bernardus in sermone quodam de modo bene vivendi ita scribit: tunc verè Deum diligis, si pro amore illius bona, quæ potes, operaris. Unaquæque sancta anima debet in se monstrare amorem Dei, & verbis sanctis, & actionibus; unde in Canticis Canticorum sponsus, scilicet Christus, sponsam, id est sanctam animam ornat, dicens: *Pone me, ut signaculum super cor tuum, & super brachium tuum.* In corde sunt cogitationes, & in brachiis operationes; ergo super cor & super brachium sponsæ Dilectus ut signaculum ponitur, quia in sancta anima quantùm ab ea diligatur, & voluntate & actione designatur, quia amor Dei nunquam est otiosus. *S. Bern. s. 7. de modo bene viv.*

IV. Non comparare se cum aliis &c. nam ut S. Isidorus Pelusiota dixit, plerique hominum (vereor enim dicere, omnes, quamvis istud Scriptura dicere non vereatur) non quòd amplectantur sanctitatem, sed quoniam iniquioribus se ipsos comparent; sub hac ad deteriora collatione imaginariam sibi arrogant sanctitatem, non ipsa per se divina præcepta ponderantes, atque vitam suam ad illorum regulam componentes, sed cum languidis & socordibus, vitæ statum, & rerum suarum tenorem commensurantes. Quod confirmans S. Bernardus: Hinc, ait, elevaris in superbiam, dum te præponis alteri. Hinc proficere negligis, dum te magnum quempiam arbitraris. Hinc demum incipis & deficere, dum tibi alterius comparatione *S. Isidor. l. 3. Epist. 137.* *S. Bern. s. exhor. ad frat.*

tione etiam nimis egisse videris, sicque in tepiditatem incidis, & incipis remissiùs agere. Scimus autem, quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam; &, quia maledictus, qui opus Dei negligenter fecerit.

S. Gregor. Naz. in somniis. V. Nunquam subsistere, uti S. Gregorius Naz. suasit dicens: Optimus esse contende, cave unquam in via virtutis subsistas, tibi enim, qui à vitiosa vita excessisti, perinde esse puto, consistere, ac si in imum vitii gurgitem labereris. *Eccl. 18.* Hinc & Salomon ait: Cùm consummaverit homo, tunc incipiet, id est, se inchoasse reputabit, ut Hugo Cardinalis ait: & quasi nihil egerit, agere illa incipiet. Nescit mens per torporem veterascere, quæ semper studet per desiderium inchoare. In libello quodam apophtegmatum ex Arabico à Druso translato, inter alias sententias hæc quoque recensetur: Homo sapiens est, quàm diu quærit sapientiam, ubi autem putat, se ad eius culmen pervenisse, desipit. *Ps. 83.* Sed & S. David, beatus vir, inquit, cuius est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit; At verò quæ nam sint hæ ascensiones, quas servus Dei in corde suo disponit, per quas tandem beatus evadit, S. Hieronymus his verbis declarat: Ille disponit ascensiones in corde suo, quicunque quotidie in priora extenditur, & præteritorum obliviscitur.

S. Bern. S. 2. de altit cord. VI. Odium Dei adversus tepidos considerare, quod patheticè S. Bernardus sic proponit. Simplex natura simplicitatem cordis exquirit. Denique, & cum simplicibus sermocinatio eius; vir duplex animo inconstans est. Non potest, quem quæritis, inveniri ab his, qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Æternitas est, quæ, nisi perseveranter quæsita, non invenitur. Væ peccatori terram ingredienti duabus viis! nemo enim duobus dominis servire potest. Ne hanc quidem duplicitatem amat integritas illa, perfectio illa, illa plenitudo: indignum est enim ei, ut inveniendam se præbeat, nisi perfecto eam quæsieris corde. Cæterùm si odibilis est canis reversus ad suum vomitum, & sus lota in volutabro luti, sed & ipsum quoque, quem invenerit tepidum, ex ore suo evomere incipit Deus; simulator, & proditor ubi parebunt? si maledictus, qui facit opus Dei negligenter, qui fraudulenter fecerit, quid meretur? Fugiamus hanc duplicitatem, carissimi; & à fermento pharisæorum omnimodi caveamus. Si non volumus frustra quærere Dominum, quæramus veraciter, quæramus frequenter, quæramus perseveranter: ut nec pro illo quæramus aliud, nec cum illo aliud, nec ab illo ad aliud convertamur.

S. Laur. Iust. c. 14. de discip. VII. Dona collata considerare, nam ut sapienter S. Laurentius Iust: advertit, divinum atque naturale Jus, nec non & humanæ leges clamant, ut, cui plus dilectionis & muneris elargitum est, tantò amplius exigatur ab eo, & tantò magis ingratitudinis vitio quisque sit reus, quantò contra honorem, voluntatem, & præcepta sui largitoris segnior, atque protervior extiterit. Propter hoc rationalis creatura, quæ præ cæteris nobilitate naturæ & gratuitis donis sublimata est, plus cunctis suo debet famulari Conditori, debet quippe ipse homo infatigabiliter exercere se, quatenus ad cognitionem beneficiorum Dei valeat pervenire.

VIII. Præmium ob oculos ponere, uti Bellovacensis suasit his verbis: Fructus alliciens, scilicet spirituale præmium. & æternum præmium, quod modico tempore, & non multo labore potest acquiri, nam quasi pro nihilo lucrari potest homo plus, quàm valeant omnes divitiæ, & omnia Regna Mundi, scilicet gratiam & gloriam, de qua Psalmista ait: Gratiam & gloriam dabit Dominus. In libro Judicum cap. 18. legitur, eos, qui in Lais abierunt, post reditum suis dixisse compatriotis: surgite, ascendamus, vidimus enim terram valde opulentam, & uberem, nolite negligere, nolite cessare, eamus & possideamus eam, nullus erit labor. Quandoque enim non iam spes præmii, sed illius aspectus nos allicit, nullus prorsus sentitur labor. Unde S. Augustinus ait: attendis te habere laborem, sed attende, qualem ille requiem pollicetur: nunquid cogitare poteris? si illum posses cogitare, videres, te nihil laborare ad compensationem. Idem quoque S. Doctor alibi in Epistola quadam inquit, omne opus leve fieri solet, cùm eius præmium cogitatur, & spes præmii solatium est laboris. *Bellov. spec. l. 3. p. 6 disc. 4.*

§. IX.

ASCETICA.

I. Ante omnia sciendum est Ascetæ, duplicem esse tepiditatem, de qua S. Antoninus sic loquitur: O mala tepiditas, quæ veræ spem conversionis abscindit, sed illam dico malam, quæ calorem sequitur, non autem, quæ præcedit, quæ ad remissionem tendit fervoris, non quæ ad fervorem disponit. Aqua enim, quæ debet calefieri, priùs tepet, quàm caleat, & ista tepiditas non est mala, quia tendit ad bonum; demum postquam est calida effecta aqua, si igni non adhæreat, iterum ad teporem descendit. Hæc tepiditas mala est, quæ tendit ad frigidum, & citiùs congelat in glaciem, quàm si calida nunquam antè fuisset, natura enim fortiùs agit, ubi maiorem resistentiam sentit; qui enim aliquando fuit bonus, igni divino applicatus, & paulatim indè recedens, calorem illum non nutrit, sed remittit, & ad talem obstinationem descendit, quòd in stomacho divinæ digestionis, ubi separatur pretiosum à vili, bonum à malo, stare non potest. Hoc autem accidit omnibus spiritualibus, qui manum suam posuerunt ad aratrum, & postea se retrò verterunt, in inchoata pœnitentia vel religione non se conservantes. *S. Anton. p. 1. t. 1. c. 5. §. 5.*

II. Præterea nosse debet, quomodo tepiditas peccatum mortale sit; id quod S. Thomas suo more clarè explicat sequentibus verbis: Potest dupliciter contingere, quòd negligentia sit peccatum mortale; uno modo ex parte eius, quod prætermittitur per negligentiam: quod quidem si sit de necessitate salutis, sive sit actus, sive circumstantia, erit peccatum mortale. Alio modo *S. Thomas 2. 2. q. 54. a. 3.*

Digitized by Google

modo ex parte causæ, si enim voluntas in tantum sit remissa circa ea, quæ sunt Dei, ut totaliter à DEI charitate deficiat, talis negligentia est peccatum mortale; & hoc præcipuè contingit, quando negligentia sequitur ex contemptu: Idem Angelicus Doctor in alio quodam articulo differentiam explicans, quæ est inter peccatum veniale & mortale in communi, ad acediam deveniens inquit: Motus acediæ in sola sensualitate, quandoque est per repugnantiam carnis ad spiritum, & tum est peccatum veniale; quandoque verò contingit usque ad rationem, quæ consentit in fugam & horrorem, & detestationem boni divini, carne contra spiritum omninò prævalente, & tunc manifestum est, quòd acedia est peccatum mortale.

Mansi disc. 1. n. 6. III. Tertiò nôsse debet media efficaciter curandi hanc Acediam, inter quæ præcipuum meritò censeri debet radicis, ex qua oritur, sublatio, quam quidem latè indicavit Mansi sequenti discursu: Filii Ruben, & Gad defatigati, ulteriùs progredi nolentes, coram Moyse comparuerunt, rogantes, ut illos in loco, qui ad pascenda animalia copiosissimus erat, remanere permitteret: *Regio enim uberrima est ad pastum animalium, & nos servi tui habemus jumenta plurima.* Ecce tibi veram causam, ob quam homines in via Dei contepescunt, ob nimiam videlicet adhæsionem ad bona terrena. Unde S. Philippus Nerius dicere consueverat, quòd, quantùm de affectu suo homo tribuit creaturis, tantumdem de eodem affectu suo adimat Creatori. Acediosi igitur & pigri cum Ruben & Gad pro nihilo habuerunt terram desiderabilem, quia bonis terrenis intenti, cælestia bona nihil faciunt.

S. Antioch. ho. 16. de aced. IV. Quartò nôsse debet, quo præcipuè tempore hæc Acedia oppugnet; id quod S. Antiochus sat clarè indicavit, dum dixit: Talis suggerit dæmon hic acediæ cogitationum intemperiem, nempe aliò ut emigret, & quia tempus omnia, & labor omnis vacua sibi erunt, & frugis bonæ inania, ni se ad alia conferat loca. Et paulò pôst subdit: Si quando dæmon hic ex adyto cellæ non quiverit extrudere, tunc horâ maximè Communionis ipsum adoritur, ut eius mentem dissipet, & in diversa abripiat. Avocat à laudibus divinis, mentem reddit vacuam bonæ operationis, & ab omni fruge alienam; cuncta hæc quid aliud operatur, quàm iners otium, & socordia animi lentescentis? Neque hic maligni spiritûs quiescit astutia, siquidem, ut religiosum in via DEI negligentem desidémque reddat, negotiorum temporalium curis ipsum illaqueat: Unde idem subdit Author: Talem in posterum Mundi negotiis curat obstringendum, atque ita irretitum, velut offâ porrectâ sensim inescat, & decipit istis occupationibus, quousque tandem deturbet è fastigio Monasticæ professionis.

S. Bernar. to. 4. s. 7. p. 3 V. Quintò nôsse debet, cur tam difficulter curetur hic morbus; id quod S. Bernardinus his verbis indicavit: Reputant se (tepidi & acediosi) sanctos, & in peccatis non advertunt, dicentes: Quæ aut qualia peccata commisi ergo? Nunquam violavi virgines, non adulteravi, non succendi sacras ædes &c. Quid mali feci? Et sic isto modo se excusat tepidus, non videns, quòd tunc intricatus est, &c. Horum status est periculosior omnibus aliis, quia melius est esse facinorosum, quia sceleratus cognoscens se pessimum, tremit dicendo: Heu miser, quot mala feci! Essem mille mortibus dignus: & sic sæpe se humiliat Deo, flendo de peccatis suis. Tepidi sunt ad instar panni nigri, in quo non bene videntur maculæ, & in albo panno omnis macula quantumcunque parva discernitur. In progressu verò eiusdem sermonis inquit idem Bernardinus: Magna & reprehensibilis est ægritudo tepidorum, qui se iustos putant, cùm sint peccatores, & si quid boni habent in se, non Deo, sed sibi attribuunt.

VI. Sextò nôsse debet, cur tepidi magis, quàm frigidi, Deo sint exosi & abominabiles; cujus rationem Mansi sequenti discursu indicat: *Mansi disc. 7. n. 4.* Mysteriis plena sunt illa Ecclesiastici verba; Melior est canis vivus leone mortuo; veruntamen licet ab omnium sapientissimo homine, quem Mundus habuit, hæc verba dictata fuerint; primâ tamen facie videtur, pellem leonis mortui incomparabiliter magis appretiandam esse, quàm canem vivum quemcúnque. Hugo Cardinalis igitur textum illum in sensu mystico his verbis ad nostrum exponit propositum, inquiens: *Melior est canis vivus, id est, peccator pœnitens, leone mortuo, id est, quàm justus torpescens.* Cuius hæc potest esse ratio; Quia anima, quæ vivit in gratia, si à vita spirituali remittat, & tepidè vivat, ab amicitia Dei decidendi periculum incurrit; Unde in Apocalypsi dicitur: *scio opera tua, quia neque frigidus es, neque calidus, sed quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo.* Veruntamen videri non immeritò posset melioris conditionis esse eum, qui tepidus est, & non frigidus, quia frigus nullum prorsus caloris gradum participat, sicut tepiditas, similiter secundùm allusionem moralem satius est, animam quandam centum peccatis levioribus, quàm unico mortali esse obnoxiam. Veruntamen optimè dicitur, *utinam frigidus esses* quia ex tepiditate perniciosissima quædam nascitur consequentia, quando enim quis cum fervore Deo servivit, ac demum in eius servitio relaxatur; & in medio spiritualis vitæ defatigatus, cœpta spiritualia exercitia intermittit, non solùm ut plurimum ad pristina redit peccata, verùm etiam aversionem quandam concipit à facienda pœnitentia; unde Apostolus ait: *Impossibile est, eos, qui semel illuminati sunt, gustaverunt etiam donum celeste, & participes facti sunt Spiritûs Sancti, & prolapsi sunt, rursum renovari ad pœnitentiam.*

§. X.

MISCELLANEA.

Fuga.

I. S. Chrysostomus responsionem considerat, quam Christus duobus fratribus sibi perquam dilectis tunc dedit, quando per matrem suam *S. Chrys. ho. de petit. Fil. Zebed.*

suam primas, in regno suo, sedes postulârunt; aiebat enim: *non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo.* Quasi diceret: laboribus coronas propono, & laboribus honores, & præmia sudori. Hæc apud me commendatio valet maximè, quæ ab operum exhibitione promanat; vidésne, non frustra dixisse, nec ipsius esse, nec Patris, sed eorum, qui decertant, labores exantlant, & molestiis conflictantur? vides, fieri non posse, ut ex illis, qui otiosi sunt, ac desides, & supini iacent, ullus aliquando salvus fiat?

Mansi disc. 7. n. 6. II. Considerandus est, inquit Josephus Mansi, textus ille sponsæ, quando dixit: *Ego dormio; vox dilecti mei pulsantis: aperi mihi, soror mea.* Anima enim ista obdormierat, id est, negligenter & tepidè vivebat, quam proinde sponsus cælestis à socordiæ suæ somno excitare volens, fortiter inclamavit, suásque inspirationes immisit, animæ quoque fores, ut aperiret, pulsavit, ut iis apertis liberum ad cor aditum acciperet; Motiva verò aperiendi hæc adduxit: *Quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium.* At verò quid inter se commune habent ros, & invitatio, qua sponsus dilectam suam à pigritiæ somno expergefacere satagit? Responderi quidem posset, Christum hisce verbis innuere voluisse, quòd eius tepiditas totidem spinis suum transfigeret caput, quot erant transgressiones veniales, per guttas roris denotatæ, quia etiam hæ culpæ, quando sunt deliberatè & voluntariè commissæ, ei displicent. Aptiùs tamen ad præsens propositum nostrum respondemus, quòd scilicet per hunc rorem pigritia & acedia denotetur: quia sicut ros non nisi cœlo sereno, & sub aëre temperato, id est, non nimis calido, nec excessivè frigido stillare solet, ita ros tepiditatis non descendit in animam, nec in caloribus maioribus, id est, in fervore spiritûs, nec pariter tempore rigidissimi frigoris, scilicet quando est tribulata & tentata, sed tunc vel maximè stillat, quando se cœlo sereno gratiæ frui censet, & quasi securam se reputat: ex hac namque securitate præsumptionem quandam concipiens, fervore charitatis & devotionis relaxatur. Hic ros mysticus caput Christi, ut ita dicam, offendit, & ideò lamentatur, dicens: *Quia caput meum plenum est rore &c.* Imò hic dolor stomacho pariter communicari videtur, dum eidem vomitum causat, & nauseam, *quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo.*

Ibid. disc. 11. n. 4. & 5. III. Inter omnes alios antiqui Testamenti Heroës, duo fuerunt illustrissimi, atque ideò à Deo in cœlo & in terra, præ aliis sublimati; Ambo enim primi sunt in Genealogia unigeniti Filii sui: Liber generationis Jesu Christi Filii David, Filii Abraham. Ambo quoque fuerunt præ cunctis aliis generis humani accepti & privilegiati, eò quòd maximopere in eius obsequio ferventes se probârint. Vix enim Abraham à Deo vocatus fuerat, dicente: *Egredere de terra tua, & de cognatione tuâ, & de domo Patris tui, & veni in terram, quam monstrabo tibi,* cùm ecce sine ulla dilatione egressus est, sicut præceperat ei Dominus. Quando in Mambre iuxta limen tabernaculi sedebat, iners & otiosus videri potuisset, maximè cùm tempus meridianum esset, quo homines dormire solent; At verò ut S. Ambrosius bene observat, ante ostium sedebat Abraham, sedebat meridie, quando alii requiescebant, ipse hospitum explorabat adventum. Et paulò pòst subiungit: studium hospitalitatis studiosissimè requirebat. Non otiosus sedet, qui longè aspicit, nec aspexisse contentus, cucurrit obviam. Festinavit occurrere, quia non satis est rectè facere, nisi etiam matures, quod facias. Festinanter manducare Pascha lex iubet; uberiores enim fructus habet celerata devotio. Disce, quàm impiger esse debeas. Sed & David ardentissimum se Dei amatorem ostendendo, Dei sibi cor lucratus fuit, iuxta illud: *Inveni hominem secundum cor meum.*

IV. Zacharias Propheta Dei, de adventu Filii Dei, Messiæ promissi, inquit: *Ecce ego adducam servum meum orientem.* Et in cap. 6. eiusdem Prophetiæ pariter inquit: *Ecce vir oriens nomen eius.* At verò dic sodes, si nosti, cur Propheta Messiam venturum potius orientis, quàm occidentis nomine appellat, maximè cùm eo fine venerit, ut Mundum moriendo redimat? Respondetur, Prophetam dicere velle, quòd Messias, tanquam verus sol iustitiæ, in horizonte huius vitæ mortalis, velut sol quidam, claráque lux promicaturus sit, quæ semper crescit, & adaugetur, usque ad meridiem: Quasi lux splendens procedit, & crescit, &c. Unde Christum, ad nostram doctrinam, videri debeat, quasi crescere in sapientia & ætate, & gratiâ, id est, ut S. Bernardus declarat, secundùm quod apparebat, intelligendum est (à principio enim perfectus, à principio plenus fuit spiritus sapientiæ) ad instructionem fidelium, qui in perfectione & spiritu semper crescere debent. S. Paulus Philippensibus sensum, quem de semetipso habuit, his verbis exponit: *Fratres, ego non arbitror, me comprehendisse. Unum autem, quæ retrò sunt, obliviscens, ad ea verò, quæ sunt priora, extendens me ipsum, ad destinatum persequor bravium supernæ vocationis Dei in Christo Iesu.* Quicunque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus. *Idem disc. 12. n. 1.*

V. Ecclesiasticus aptâ quadam similitudine distinctionem declarat, quæ est inter illum, qui semper in spiritu proficit, & inter alium, qui contentus est remanere in eo statu, in quo est, nec ulteriùs proficere desiderat; dicit igitur: *Homo sanctus in sapientia manet sicut sol, nam stultus sicut Luna mutatur.* Sol autem, ut in principio diximus, quando ab oriente oritur, & exsurgit, semper altiùs & altiùs ascendit; suósque luminosos radios diffundit; luna autem, quando luminosissima est, tunc declinat, & deficit: Et ideo Ecclesiasticus appellat illam *luminare, quod minuitur in consummatione.* Hæc autem est multorum spiritualium ingens stultitia, quòd postquam ad eminentes virtutis gradus pervenerunt, iam se securos esse existiment, quòd ampliùs non deficient, nec retrocedent, & ideo ibi sistunt, & in præcedentibus *Eccl. c. 27.*

dentibus fervoribus intepescunt, donec omnimoda sequatur spiritualis vitæ nausea. Hi autem, qui tales sunt, insignem illam S. Bernardi in epistola quadam traditam auscultent doctrinam, dicentis; quod si studere perfectioni, esse perfectum est, profectò nolle perficere, deficere est, ubi ergò sunt, qui dicere solent: Sufficit nobis, nolumus esse meliores, quam Patres nostri? O Monache, non vis proficere? Non vis ergo deficere? Nequaquam. Quid ergo? Sic mihi, inquis, vivere volo, & manere, in quo perveni, nec peior fieri patior, nec melior cupio. Hoc ergo vis, quod esse non potest. Quid enim stat in hoc sæculo? Et certè de homine specialiter dictum est: Fugit velut umbra, & nunquam in eodem statu permanet.

S. Bern. Ep. 351.

VI. Inter alios antiquæ legis ritus, quibus Deus ab electo populo suo honorari, colique volebat, non infimus ille est, quo iussit super tabernaculi mensam duodecim perpetim asservari panes. Quos propositionis panes appellatos, calidos esse, omnique die renovari per duodecim alios pariter calidos substitutos præcepit. Meritò admiramini decretum; nunquid enim Deus ille, qui de se ipso attestatur, inquiens: *Ego sum panis vivus*, nunquid ille, inquam, huiusmodi indigebat alimento. Minimè quidem; sed figurativè panes illi duodecim, totidem significabant tribus populi Hebræi, qui inter omnes Mundi nationes unius veri Dei lumen possidebat, eique debitum præstabat obsequium. Per illam igitur duodecim panes calidos habentem mensam denotabat Dominus, quòd populum Hebræum suo in cultu ferventem esse vellet, neutiquam frigidum aut pigrum; Hósque ipsos panes quotidie renovari voluit, ut scilicet indesinenter bona nobis proposita renovanda, nósque ipsos ad multiplicata virtutum & perfectionis exercitia absque ulla defatigatione, aut tepiditate excitandos esse doceremur, eam imitaturi amoris divini sponsam, quæ animæ electæ figura, nunquam descendens, aut subsistens, sed semper ascendens exhibetur; de ea namque dicitur: *Quæ est ista, quæ ascendit &c. Trahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum, &c.* Quæ omnia verba profectûs, progressûs, & incrementi spiritualis sunt expressiva. Indefessè eam ad exemplum nostrum insecutus est Apostolus, qui de se ipso veraciter gloriabatur: *Sic curro, non quasi in incertum.* Ideóque Augustinus hoc salutari nos omnes munit consilio, dicens: Nemo dicat; sufficit, iustus sum; Ubi dixerit; sufficit, inhæsit. Attende Apostolum, cui non sufficit. Ille currit, tu hæsisti? Ille dicit, se nondum perfectum, tu de perfectione gloriaris? Id quod S. Bernardus in quadam epistola pariter nobis inculcare nititur, dum ita scribit: Nemo quippe perfectus, qui perfectior esse non appetit, & in eo quippe perfectiorem se probat, quòd ad maiorem tendit perfectionem.

Mansi disc. 12. n. 11.

VI. Democritus aliquando interrogatus: Quâ re industrii ab inertibus differrent? respondit: Quia impii à piis, spe nimirum bonâ; laboribus quippe incumbens, suæ industriæ sperat præmium amplissimum; ignavus autem desperans, nullam habet bonorum futurorum spem, qua fulciatur. Homo etenim piger, & iners meritò timere debet, ne tanquam palea in æternum & inextinguibilem coniiciatur inferni ignem, iuxta illud: *Paleas comburet igne inextinguibili.*

In theatro vit. hum. v. Ignavia. R. P. Lohn. Auctar. Bibl.

VIII. Bellovacensis factum quoddam refert curiosum, quod contigit cuidam, qui in suis agriculturæ laboribus socors & negligens, & consequenter ad paupertatem redactus erat; Hic etenim ad vetulam quandam, quæ apud omnes venefica audiebat, accessit, ab eadem exploraturus, unde mala eius sors derivaretur, quæ quotidie de malo in peius abibat, ab eâque aliquod ad conciliandam sibi rerum suarum prosperitatem remedium poposcit. Illa circumspiciens eum, notavit illum multâ oppressum pigritiâ, & dixit: Quòd manè surgeret, & attenderet, quid primùm ei dicerent hirundines, aut cornices, cùm primò surgerent; similiter hoc idem attenderet, cùm serò iret cubitum, & ad eam rediret, & dicta harum avium referret; quod cùm attendisset, rediens ait, quòd voces dictarum audierat, sed non intellexerat, quid vellent ei dicere, vel quid garritus earum significaret; Tunc illa ait: dixerunt tibi, si intellexisses: Cuba tardè, & surge citò, & discurre pro cibo, & habebis bladam in sacco. Si non dixerunt hoc tibi verbo, dixerunt tamen exemplo suo, quia eiusmodi aves manè surgunt, & totâ die discurrunt, & per multum laborem sibi necessaria acquirunt; unde & tu fac similiter.

Bellov. disc. 3. & spec.

IX. Ieremias Propheta orbi fatalem stragem, calamitosámque ruinam indè potissimùm illatam affirmat, quòd officii sui obligationes obiter tantùm, ac perfunctoriè aspexit: levibúsque passibus momenta suorum debitorum pertransiit: *Desolatione desolata est omnis terra, quia nullus est, qui recogitet corde:* ait ille c. 12. v. 11. Unum hoc totam in rudera detraxit terram, quòd non fuerit, qui fixis cogitationibus pensaret, quàm multis & magnis modis Deo servire obligati omnes essent. Notandum in his, quanto cum mysterio Propheta terræ appellatione donet hominem, qui non reddit fructum, quem debet Domino, cui tam magnum in modum est obnoxius; Quænam præcipua causa sit, quòd terra non satis fructificat, neque respondet exspectationi eius, qui tritici semina illi credidit? Ea nempe, quòd nec aratro, quantùm par, subiicitur, nec vomere satis proscinditur, ac perstringitur, ut exsurgere in culmos grana, atque in spicas explicare se se possint. Nam ut benè dicendi Magister Hispanus Quintilianus lib. 10. c. 3. ait, terra altè effossa generandis, alendísque seminibus fœcundior est. Quæ verò leviter solùm, & secundùm superficiem, tantùm tenuiter rumpitur, raditúrque magis, quàm sulcatur, ea seminis iacturam facit, & dominum suum suo labore defraudat, sudorémque illius plerumque lædit, & lassitudinem frustratur,

Did. Nyss. p. 1. polit. c. 6.

tur, ad hunc modum *vitio hominum fit*, inquit Ieremias, *quòd terra vastetur, quia nullus est, qui recogitet corde*, aratrum meditationis non penetrat terram pectoris, obligationum suarum momenta nemo satis expendit, nec quisquam est, qui animum, ut debet, advertat ad statum, cui se consecravit. Quid enim non à se obtineret homo, si altiùs seipsum scrutaretur?

Idem in vit. Abrah. l. 1. c. 6. X. Propheta regius de Hebræis dixit: *Quemadmodum Patres eorum conversi sunt in arcum pravum*, Psal. 77. 57. hoc est, non degenerârunt improbi illi, & perfidi à maioribus suis, sed pro eorum more & pravi arcûs solenni, ad malitiam sunt conversi. Quid voluit iis verbis indicare Propheta? Sanctus Bruno sic exponit illum versum Davidicum: Arcus pravus, cùm priùs intenditur, aliquantulum eiicit, postea verò paulatim remittendo ex toto deficit. Sic & ipsi priùs in præceptis Dei valde intensi, & aliquantulùm operati, paulatim remittendo ex toto defecerunt. Vitiosus arcus cùm iaculum unum, alteriumve eiecit, prorsum dissolvitur, ut nullus sit illius deinceps ad explosionem usus: sic & Hebræi olim, & hodie Christiani plurimi sunt, fuerúntque arcus pravi, qui cùm initio essent firmi, & validi, postea fiunt laxi & ignavi, & oscitabundi ac remissi. Quantâ sæpe asperitate macerant aliqui carnes suas inter prima virtutis Rudimenta? quàm acriter mortificant suas passiones! quàm crebrò adeunt Sacramenta! quàm sunt observantes silentii! quàm amantes latebrarum, & recessûs! at quàm citò hæc omnia intercidunt! quàm facilè desistunt! communis hæc multorum est infelicitas: priùs in præceptis Dei valde intensi, & aliquantulùm operati, paulatim remittendo ex toto deficiunt.

Damnum.

Mansi disc. 15. n. 7. XI. Vita nostra stationi bellicæ assimilatur à Propheta dicente: *Militia est vita hominis super terram*; quæcunque autem vel minima negligentia, & oscitantia sufficiens est, quæ nos prædam constituat inimici, multásque ei conciliet victorias; ideóque Vegetius hanc fusiùs prosequens materiam, tale posteris reliquit documentum: Multa sunt discenda atque observanda pugnantibus, siquidem nulla sit negligentiæ venia, ubi de salute certatur. De æterna animæ nostræ salute negotiamur; ideóque qualiscunque etiam minima circa eiusdem assecurationem admissa negligentia, si denique in gravia peccata desinat, pœnis castigatur æternis.

S. Antonius Pad. S. infra oct. Nat. XII. Deus olim cùm Hebræorũ populo omnium primogenitorum oblationẽ, tam de hominibus, quàm de animalibus faciendam præcepisset, ab hac oblatione solum Asini primogenitum excipit dicens: *Primogenitum asini mutabis ove*. Sed quonam id mysterio factum fuisse putas; certè non alio, quàm quia asinus pigerrimum est iumentum, ideóque tardum habens gressum, ad properandum non nisi fude & fuste adigitur. Audiamus hac de re S. Antonium de Padua in sermone quodam ita loquentem: *In asino semper reperitur torpor negligentiæ, quæ est sentina omnium vitiorum*; Unde dicitur asinus, quasi alta sinens; torpor enim negligentiæ non alta conscendere, sed per plana semper vult ire; unde Gen. 22. dixit Abraham ad pueros suos: *exspectate hic cum asino*. Pueri sunt puerides & carnales affectus, qui exspectant cum asinino torpore & tarditate.

XIII. Nusquam constat, quòd Israelitæ in Ægypto genua sua coram Idolis flexerint, vel murmurationibus & detractionibus suis iustitiam Dei exasperaverint, præterquam in deserto, ubi cum mulieribus Madianitarum inverecundè fornicati sunt, aliísque enormibus excessibus sese commaculârunt, in quorum condignum supplicium Deus illos per quadraginta annos velut vagabundos oberrare, & circuire iustè voluit; at verò undenam ortum suum habuit hæc in Israelitis tam notabilis diversitas & alteratio, maximè cùm potiùs in Ægypto omnem debuissent addidicisse impietatem, ubi nil nisi impia quotidie videbant exempla, iuxta illud: *Cum perverso perverteris*. Pro resolutione observandum est, quod paulò antè ex mente Psalmistæ diximus: *Operti sunt iniquitate & impietate suâ, quia in labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur*: Contrariorum enim est eadem disciplina. Cùm igitur in itinere ad terram promissionis, necquicquam laboraverint, sed incerti otio dediti fuerint, cuius in Ægypto contrarium faciebant, indè consecutum fuit, quòd se a tædio vinei permiserint. Locutus est contra Dominum & Moysen, cuius unica hæc causa fuit, quia tædere cœpit populum itineris & laboris. Mox enim ut hoc rerum divinarum fastidium, & nausea apud hominem locum habere incipit, lingua in murmurationes laxatur, & cor ad omnem concupiscentiam & effrænem appetitum sese pandit, nec ullum est vitium, quod non sectetur. *Mansi disc. 3. n. 4.*

XIV. Quis Mysticum Prophetæ Evangelici non obstupescat calamum, dum Luciferum potiùs in Aquilonis lateribus, quàm in quacunque alia re repræsentat? *Sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis!* ventus aquilonaris frigus gelúque importat, ideóque pigritiæ & algoris in divino servitio prædominantis est symbolum; hoc autem vitium Pulcherrimum Angelorum in naufragium & barathrum coniecit abyssi infernalis; sedere námque volebat acediosus, nec quidquam gratiis donísque cooperari Altissimi; Ideo enim præsumptuosè dicebat: *Sedebo*. *Idem disc. 4. n. 1.*

XV. Non fine mysterio spiritus infernales à Christo licentiam postulârunt ingrediendi Gerasenorum immundissimos porcos; Porci enim hominum pigrorum & desidiosorum sunt symbolum, siquidem ad nihil aliud attendunt, quàm ad se per continuam voracitatem saginandos, absque eo, quòd ullum præstent laborem, & luto ac sordibus immersi gaudeant; Ita pariter spiritus immundi in hominibus acediosis, commoditatibus vitæ, otio, ac pigritiæ deditis omne suum gaudium positum habent. *Idem n. 6.*

XVI.

Ibid. XVI. S. Iob infernalis huius monstri, quod Behemoth vocat, cautè aliquando vestigia sectatus, ubinam delitesceret, suúmque haberet diverticulum, se assecutum fuisse probat, dum ait: *sub umbra dormit, in secreto calami, & in locis humentibus, protegunt umbra umbram ejus, circumdabunt eum salices torrentis.* Quæ ultima verba admiratione non carent, potiùs enim credidissem, ipsum superbiâ suâ (per quam gloriatus fuerat, dicendo: *super astra conscendam, similis ero Altissimo*) exstimulatum, potiùs ambivisse circumdari cedris libani, vel palmis Cades, vel platanis, quæ sunt trans Iordanem, quàm salicibus torrentis; Hi enim genus quoddam sunt arborum sterilium & infructuosarum; Cur igitur salicibus torrentis diabolus circumdatus esse dicitur? Nimirum salices, arundines, & iunci, qui in stagnantibus nascuntur paludibus, verum sunt pigrorum & negligentium symbolum, à quibus dæmon, tanquam ab obsequiosissimis servis suis circumdatur. Audiamus hac de re Dionysium Carthusianum ita scribentem: per quod insinuatur, quòd diabolus in hominibus otiosis, & voluptuosis mansionem sibi constituit in secretis concupiscentiarum latibulis, qui homines contra labores pœnitentiales, & æstus pugnarum, quibus adversùs humanæ salutis hostes pugnatur, umbras carnalium deliciarum, & refrigeria pausationis acediosæ optant, & amplectuntur, ita quòd umbra super umbram oritur eis, de quibus cantatur in psalmo. 72. *In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur; Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum &c.* Denique cùm sint arbores infructuosæ, per quas homines vitiosi à bonis operibus steriles designantur, omnes Diabolo se adiungunt, & eum quasi circumdant.

S. Antonin. Pad. in Dom. 1. Quad. XVII. Amalecitæ impetum fecerunt à parte Australi in Siceleg, & percusserunt, & incenderunt eam igni, & captivas duxerunt mulierculas ex ea, à minimo usque ad magnum 1. Reg. 30. Amalec interpretantur lingentem animarum, id est, compunctionem lachrymarum lingere & devorare cupiunt. Isti à parte Australi Siceleg invadunt. Auster est ventus tepidus, de quo Job. 6. *considerate semitas Theman, itinera Sabba.* Theman interpretatur Auster tepidus. Hæc est fluxa & otiosa conversatio vivendi, per quam tentat diabolus: nam cùm spiritus immundus domum invenerit remissam, & otio vacantem, intrat in eam. S. Ephrem inquit: *si acciderit, fratrem aliquem ad monasticam ac solitariam vitam quacunque occasione venire, & non se vigilantem præbuerit, protinus & è vestigio devorabit eum diabolus.* Paulò pòst verò modum insinuat, quo diabolus acediæ venenum animæ infundit, dicit enim: Infert inimicus dæmon cogitationem acediæ: Hodie otiabor (ita intra se Religiosus loquitur) ut paululum meipsum reficiam, & cras opus meum prosequar, faciámque duorum dierum opus. Interea in otio versatur. Postero die honestatis hostis dæmon vehementiorem fratri circumfundit acediam, quàm die præcedenti, in memoriam ipsi præteritum revocans diem, atque præsentem.

XVIII. Apud S. Lucam cap. 12. recensetur, quid diviti illi evenerit, qui abundantem collegerat messem, pro cuius custodia granaria ampliare coactus erat: Cogitabat intra se dicens: *Quid faciam, quia non habeo, quò congregem fructus meos? Et dixit; hoc faciam: destruam horrea mea, & majora faciam, & illuc congregabo omnia, quæ nata sunt mihi.* Dum autem hæc diceret, ab Æternæ & Primæ veritatis ore emanantem terribilem hanc audivit vocem: *Stulte, hâc nocte repetunt animam tuam à te, quæ autem parasti, cujus erunt?* Circa quam parabolicam historiam quærendum venit, quanam in re miser & infelix hic homo deliquerit, siquidem non videtur ulla in ea culpa, quòd præcavere voluerit, ne perirent, aut marcescerent sub aperto aëre fructus, grana, vel aliæ similes segetes, quas Deus illi dederat, cur igitur non poterat nova erigere ædificia, quando illa non nisi propriis sumptibus fabricare intendebat? Sed ecce tibi errorem manifestum, ob quem merebatur, ut in eius perniciem ira de cœlo descenderet, nimirum, determinaverat in corde suo vitam deinceps transigere otiosam, socordem, & desidem: Unde ait: *Quiesce, bibe, & epulare.* *Mansi dist. 6. n. 4.*

XIX. Compassione utique dignus est casus ille terribilis, qui ex dispositione Dei, qui omnia fecit, uxori Loth accidisse legitur. Etenim manserat hæc in Sodoma tot annis illæsa, vivens, & irreprehensibilis, Angelos hospitio exceperat, simúlque cum Loth & filiabus suis infame ex decreto divino effugerat incendium, quando ecce gradientem ira oppressit divina, & versa est in statuam salis; quæ tanti támque severi supplicii causa? Respondebitis utique, ei cælitùs inhibitum fuisse, ne retrò oculos convertens flammas aspiceret; quo spreto mandato, respiciens post se, versa est in statuam salis. Huiusmodi quidem legem etiam fuisse non nego, sed eam soli Loth intimatam astruo, conformiter ad sacrum textum inquientem: Locuti sunt ad eum dicentes: *Salva animam tuam, noli respicere post tergum.* Et interim in eodem capitulo de Abrahamo traditur, quòd intuitus est Sodomam: Quarè igitur infelix illa mulier, dum retrò respexit, talem in se concitavit vindictam divinam? Pigritiam segnitiémque præfigurabat animæ, quæ ex Sodomæ incendio, id est, è peccati, æternæque mortis periculis egressa est, ut ad perfectionis montem gradiatur, passus autem non modò promovet lentos, sed potiùs etiam retrocedit, nullo ad divinarum legum transgressionem habito respectu. Describitur mora uxoris Loth (inquit Caietanus) non solùm tardando gressus ad sequendum Loth, sed etiam vertendo se ad respiciendum; remanebat siquidem post Loth senem, contra mandatum Angeli; sed & , si Iosepho creditur, non semel, sed sæpe uxor Loth tardabat, vertendo se. Angelus quidem salutem, evasionémque spoponderat, sed qua cum conditione, notetis velim; *Caietanus in 19. Gen.*

R.P. Lohn. Auctar. Bibl.

lim: *Festina, & salvare*; ubi salutem sollicitudini & fervori coniungit, prohibens, ne in procedendo pigra sit, & lenta.

Abulens. q. 16. in c. 25. Matt. XX. Abulensis differentiam, quæ inter prudentes & stultas virgines intercedit, in hæc verba assignat: Verisimilius est, quòd prudentes dormitabant, & non dormiebant: Hoc enim pertinet ad prudentes, nam cùm tenerentur curâ exspectationis sponsi venturi, nō poterant dormire profundè, quin cura eas excitaret, sed dormitabant, id est, paululùm & leviter rapiebantur sopore, & statim evigilabant; Fatuæ verò, licet essent in exspectatione sponsi venturi, quasi non esset eis aliqua cura, sine sollicitudine dormiebant, & ideo dormire, & non dormitare dicebantur.

S. Bonav. in diæt. sal. t. 1. c. 9. XXI. Comparatur piger ferro, terræ, aquæ, vesti. Scholari negligenti, homini stanti, & non ambulanti. Ferrum, quod non tractatur, citò rubiginatur. Terra, quæ non colitur, malas herbas generat. Aqua, quæ non movetur, citò corrumpitur; vestis, quæ non portatur, de facili à tinea corroditur. Scholaris negligens, qui non addiscit, de necessitate nihil scit: Homo stans, qui non cavet, faciliùs cadit, quàm ille, qui semper incedit: sic acediosus, qui non exercet se in aliquo bono opere, ideo succumbit vitiis, & vincitur tentatione.

TITVLVS III.

AMBITIO.

§. I.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Qualitas.

S. Basil. c. 10. const. Monast. I. Diabolica pestis est libidinis dominandi labes, quæ proinde insigne est primæ illius diabolicæ pravitatis indicium.

S. Hilarius in c. 3. Matt. II. Omnis honor sæculi, diaboli est negotium.

S. Bern. l. 4. de Asc. III. Quàm pauci evadunt, quibus non dominandi libido dominetur? quem sequimini miseri homines? an non videtis satanam tanquam fulgur de cœlo cadentem? nónne est iste mons, in quem ascendit Angelus, & diabolus factus est?

Innocent. III. l. 2. c. 30. IV. Ambitio priores dedignatur amicos, notos ignorat, externos comitatur, contemnit antiquos, vultum avertit, visum extollit, cervicem erigit, fastum ostendit, grandia loquitur, sublimia meditatur.

Idem de cont. mund. c. 30. V. Ambitiosus humilitatem simulat, honestatem mentitur, affabilitatem exhibet, benignitatem ostendit, subsequitur, & obsequitur, cunctos honorat, frequentat curias, visitat optimates, assurgit & amplexatur, applaudit & adulatur.

Fuga.

S. Chrys. hom. ad Tit. VI. Non quæramus honores, imò eos, cùm oblati fuerint, repellamus, & abiiciamus à nobis, & huiusmodi concupiscentiam extinguere omnibus modis studeamus: ista nos & ad Principes, & ad subditos dicimus: Anima omnis, quæ honoris tenetur appetitu & gloriam ab hominibus quærit, non videbit cœlorum regnum: non mea hæc oratio est, à me ipso ista non loquor, hæc verba Dei Spiritus profert.

Idem apud Mansi tr. 3. disc. 13. n. 8. VII. Si novisses, quòd Episcopus debet omnium onera gestare, quòd aliis iacentibus datur venia, ipsi verò nequaquam; quòd aliis peccantibus superest excusatio, ipsi verò minimè, haud quaquam festinâsses ad primatum.

Isid. Pelus. Epist. ad Pallad. VIII. Ex illo pendent omnium subditorum necessitates, probationes eorum, qui ordinantur, potus sitientium, cibus esurientium, vincti, viduæ, iniuriam passi.

S. Anselm. in Epist. ad Tim. IX. Episcopus idem est, quod superintendens: ut intelligat se non esse Episcopum, qui præesse dilexerit, non prodesse; nec desiderare Episcopatum æstimandus est, qui suam desiderat lucrum, vel honorem, non plebis salutem; Non enim dicitur: *Qui Episcopatum desiderat*, bonum gradum desiderat, sed *bonum opus desiderat*, quod in maiori ordine constitutus, possit, si velit, occasionem exercendarum habere virtutum.

Innoc. III. l. 4. de cont. mund. c. 37. X. Ut omnem ambitionem Christus discipulorum cordibus eximeret, parvulum in medio eorum statuit, déque primatu certare prohibuit: *Qui maior*, inquit, *est in vobis*, *fiat sicut iunior*, *& qui processor est*, *sicut ministrator*; *nam quis maior est*, *qui recumbit*, *an qui ministrat? nónne qui recumbit?* Quis vero ignorat Clericum in medio Ecclesiæ esse, tanquam eum, qui ministrat? Quare meminerimus potiùs officii nostri, quàm dignitatis: neque enim ad dominationem vocati sumus, sed ad opus. Non immeritò S. Hieronymus, ut pestem quandam fugiendos Clericos, ait, qui à speluncis domorum paternarum abstracti, & pòst in Ecclesia sublimati, ac Sacerdotiis ditati, vanæ gloriæ & superbiæ stimulis efferuntur.

S. Chrys. ho. 49. ad Pop. XI. Pecunias quidem contemnere volenti, satis est facile, honorem autem despicere, multi laboris indiget, magnæ sapientiæ, Angelicæ quidem cuiusdam animæ, ipsum cælestis celsitudinis vertiginem tangentis.

Damnum.

Innoc. III. l. 1. c. 17. XII. Supplicat, & promittit, offert, tribuit, pro pudor! gratiam, quam gratis adipisci non potuit, per fas, & nefas nititur adipisci.

pisci, nec desistit adhuc, sed instat,& invadit violenter honorem, & impudenter arripit dignitatem, amicorum suffragio, præsidio propinquorum, tantóque dominationis inflammatur ardore, tantâ libidine præsidendi,ut nec schismata abhorreat, nec scandala formidet.

S. Bernar. l. 4. de consid. XIII. Hi sunt, qui subesse non sustinent, præesse non nôrunt, superioribus infideles,inferioribus importabiles: Hi inverecundi ad petendum, ad negandum frontosi; Hi importuni,ut accipiant, ingrati, ubi acceperint; docuerunt linguam suam grandia loqui, cum operentur exigua? Largissimi promissores, & parcissimi exhibitores, blandissimi adulatores, & mordacissimi detractores, simplicissimi dissimulatores, malignissimi proditores.

§. II.

EXEMPLA SACRA.

Qualitas.

Mansi disc. 2. n. 7. I. ARrius, qui Arrianæ hæreseos caput & author extitit, toto animi conatu in Patriarchali S. Petri Alexandri sede succedere studuit: ita enim de eo refert Tertullianus contra Valentin. c. 4. quòd Episcopatum ambiens, quia & ingenio poterat & eloquio, sed alium ex Martyrii prærogativa loci positum, indignatus, de Ecclesiæ authentica regula abrupit (ut solent animi pro prioratu exciti, præsumptione ultionis accendi) ad expugnandam conversus veritatem.

Ibidem. II. Tertullianum Pamelius scribit, ideò ab Ecclesia defecisse, quòd ab Episcopatu Carthaginensi turpem passus fuerit repulsam.

Ibidem III. De Novatiano Hæresiarchâ Annales Ecclesiastici pariter attestantur: Ne in Ecclesia inglorius haberetur, qui inter Ethnicos magnam fuerat gloriam consecutus. Romanus Pontifex voluit eum inter Romanæ Ecclesiæ Presbyteros cooptare, sed qui semel fuerat ambitionis stimulis agitatus, eò infelix abductus est, ut quod iure non licuisset, malis sibi artibus, Pontificiam dignitatem procaciter arrogaret. Factus est igitur Antipapa, variósque in diversas partes misit legatos, multásque diversis Ecclesiis imposuit commissiones, falsas, fictásque S. Cornelio Papæ opponens calumnias.

Ibid. n. 8. IV. Percelebris illa PP. Capucinorum Religio inter alios primos fundatores, qui in eâ instituendâ & promovendâ graviter laborârunt, Ludovicum quoque habuit de Fossambruno, qui munus Commissarii Generalis multis annis in ea laudabiliter administravit, variósque pro illius reformationis stabilimento sustinuit squalidos carceres, aliásque sine numero iniurias: at verò, cùm in quodam Capitulo Generali se simularet ex desiderio religiosæ quietis, à munere Commissarii Generalis totaliter alienum, tametsi id interiùs minimè sentiret, iámque alius in eius locum electus fuisset, omnem subitò versùs superiores suos deposuit obedientiæ respectum, & obedire detrectans, in præsentia omnium fratrum publicè conscenso pulpito, dixit: Ego sum Ludovicus ille de Fossambruno, ego Ludovicus Tanaglia multa hactenus machinatus sum, pluráque machinari prævaleo, & machinabor deinceps quamplurima, ad quorum famam sive rumorem pili capitis vestri erigentur, prout reverà postea ab ipso factum est, siquidem multas tandem excitavit in Religione sua seditiones, à qua tandem turpiter & ignominiosè expulsus fuit.

Fuga.

V. S. Franciscus à Papa interrogatus, an fratres suos ad Prælaturas promoveri æquo animo ferre posset, respondit: Domine, fratres mei, ideo vocati sunt minores, ut maiores fieri non præsumant. Si vultis, quòd fructum faciant in Ecclesia DEI, dimittite eos in statu vocationis eorum, & ad Ecclesiasticas dignitates ascendere nullatenus permittatis. *Mansi disc. Sum. 7.*

VI. S. Chrysostomus de sua ad Episcopatum promotione ita scripsit: Ab eo ipso die, quo tu mihi Episcopatûs suspicionem hanc iniecisti, factum est identidem, ut corpus hoc ab anima propemodum dissolveretur, tam ingens pavor, tam ingens tristitia meum animum occupavit. *S. Chrys. l. 6. de sacer.*

VII. S. Hieronymus refert de quodam olim electo Episcopo, quod, priusquam oblatum sibi Episcopatum acceptaret, quendam Patruum suum, qui vitam agebat Eremiticam, accessit, ut cum ipso, an dignitas illa sibi acceptanda esset, consilii causâ deliberaret. Bonus igitur hic Eremicola nepotem suum, quandam proximè vicinam valdè altam & præacutam rupem ascendere iussit, qui postquam conscensâ rupe descendisset, senique Eremitæ dixisset, se in eadem rupe in magno fuisse præcipitii horrendi periculo, Sanctus ille Senex subiunxit: Crede mihi, in longè maiori periculo constitutus eris, ubi Episcopus factus fueris. *S. Hier. in reg. Monach. c. 11.*

VIII. S. Anselmus, quo animo Sedem Episcopalem conscenderit, hisce verbis de semetipso testatur. Quod ignorare nequiverunt illi, qui eo die vultum meum inspexerunt, quando me Episcopi, Abbates, aliique primates ad Ecclesiam trahentes, & contradicentes rapuerunt, ita ut dubium videri posset, utrùm sanum insani, an insanum traherent sani, nisi quia illi canebant, & ego magis mortuo, quàm viventi colore similis, stupore & dolore pallebam. *S. Ansel. l. 2. Ep. 1.*

IX. In vita S. Raymundi de Pegnaforte Ordinis Prædicatorum refertur, quod, cùm Archiepiscopatus Terraconensis, qui tunc Arragoniæ Metropolitanus erat, vacaret, Gregorius IX. eius familiarissimus eidem præceperit, ut illum inter dies aliquot determinatos acceptaret, ipse verò, cùm Papæ supplicâsset, ne eum gravi hoc onere molestaret, nec tamen Papa in hanc eius petitionem condescenderet, quin potiùs violentiam maiorem ei intenderet, adeò ex hoc afflictus fuit, ut gravi febri correptus lecto affigeretur, donec tandem Papa erga infirmantem Raymundum compassione motus, eum ab hoc ei oblato honore liberum pronuntiaret, ex quo gratissimo ad eum transmisso nuntio adeò gavisus fuit, ut præ nimia lætitia imme- *Mansi disc. 11. n. 11.*

immediatè à gravi hac febri liberatus fuerit: ab hoc autem supremo honore acceptando eâ lege & pacto à Papa liberatus fuit, ut ad eandem dignitatem alium pariter dignum nominaret. Demùm verò Author vitæ huius velut ingens prodigium notat, quòd, cùm Raymundus præfato Summo Pontifici longo tempore, meritis & virtutibus Heroïcis plenus, in variorum officiorum gravibus functionibus inservisset, ita tamen cautè omnes honores, eum iure merito expectantes, declinârit, ut in eodem, quo Romam ingressus fuerat, humili statu, ab eâdem quoque almâ urbe recesserit.

Ib. n. 11. X. Nilamon ante civitatem Geras, tuguriolum quoddam inhabitabat, quod adeò firmiter, ne ullus ad eum daretur aditus, occluserat, ut ipsas quoque domûs fores muro obstruxerit: Cùm verò mortuo loci illius Episcopo, populus sanctum hunc virum in defuncti locum elegisset, ipse verò omnibus modis sese ab eo acceptando excusaret, in eadémque reluctantia firmus persisteret, Theophilus Alexandrinus ad eum permovendum cunctam eloquentiæ vim, quâ mirè præcellebat, adhibuit, tantúmque profecit, ut, cùm Sanctus hic monachus se hoc modo ab authoritate & obedientia, quam tanto Prælato debebat, constrictum esse cerneret, instantiam maximam fecerit, ut saltem consecratio sua in diem sequentem usque suspenderetur, ut modico hoc temporis spatio Deo se pro felicibus tanti muneris auspiciis, tantò ferventiùs recommendare posset: Quod ut ei indultum fuit, Sanctus nocte illa tanto cum fervore & desiderio ab illa dignitate liberari petiit, ut illucescente die, cùm tugurium deiecto portæ muro apertum fuisset, iámque omnes, & inter cæteros Theophilus magna cum lætitia ad eius consecrationem accurrissent, ipse subitò expirârit.

Surius 23. Nov. XI. De S. Gregorio Episcopo Agrigentino in Sicilia legimus, postquam se â Summo Pontifice sui temporis per instinctum quendam admirabilem in illius civitatis Episcopum electum esse intellexisset, â civitate Agrigenti fugiens, inter condensas arbores se se abscondit, ubi, postquam eum nonnulli, qui ipsum minimè, quis esset, cognoscebant, invenissent, ut eorum, quos sibi insidiari credebat, manus evaderet, clamabat se magnis obnoxium, & obstrictum criminibus: nimirum maluit existimari homo facinorosus, multorúmque gravium delictorum reus, quàm salutari Episcopus.

Cornel. à Lap. in c. 11. Num. XII. Pius V. dicere solitus fuit: Cùm essem Religiosus, sperabam bene de salute animæ meæ; Cardinalis factus, extimui, nunc Pontifex creatus, penè despero.

§. III.

EXEMPLA DOMESTICA.

Phil. 7. c. 10. n. 6. I. CLaudius Iaius, in quem primum è Societate honores incurrêre, primus etiam, & quidem ut hominem & imperatoriâ illâ Ignatianâ decuriâ decuit, fortissimè de illis triumphavit. Nec temerè invehebantur honores, verùm magnis suffulti iudiciis Ferdinandi I. Cæsaris, Purpuratorum aliquot Patrum, Pontificis demum ipsius, cui Ferdinandi vehementiùs in rem incumbentis gratia, ut summo iure, atque pro imperio cum Claudio ageret, propemodùm persuaserat. Verùm quamquam undique petitus Claudius, & suâ virtute, & verò etiam Ignatii Romæ ultima omnia moventis, ope stetit incolumis, quamquam, quousque Ignatii litteris de Societatis moribus certior factus Ferdinandus ab actione non destitit, minimè tutus.

II. Ab eadem Ferdinandi benevolentia, à qua primo periculum creatum est, iterum Societatis tentata est virtus, atque constantia. Etenim Petrus quidem Canisius, quum alia omnia ageret, ingentium virtutum admiratione Ferdinandum eò consilii adduxit, ut illi vacuam pastore Viennensem deferret Ecclesiam, sed quâ se dignum infulis illis ostenderat, eâdem, an etiam aliquanto maiore virtute, Ferdinando admirante, atque repulsam æquo animo ferente, contempsit. Et non irritatum Regis animum, sed probatam illi magis ac magis disciplinam satis ostendit conatus ille, quamquam ab eadem sociorum virtute irritus, quo sex subinde alios ex illius alumnis Episcopos creari â Pontifice postulavit. Magna planè tentatio, nisi maior eorum virtus fuisset, quos, ut Magistros veneramur. *Ibidem n. 1.*

III. Et eorum quidem exemplum non veteranis modò verùm etiam candidatis animos in modestiæ, atque privatæ vitæ amore confirmavit; Antonius certè Corduba, cuius & perantiquæ nobilitati, & litterarum gloriæ petente Philippo Principe, purpuram Iulius Pontifex designaverat, quámque tantùm non induerat, voto de Societate ineundâ concepto, illius amplissimæ dignitatis desiderium sedavit primùm, ac paulò post extinxit omninò, unáque antiquissimi sanguinis claritatem, ac purpuræ Vaticanæ splendorem, post Societatis habuit humilitatem. *Ibidem n. 4.*

IV. Incesserat Clementis VIII. animum Neapolitano amplissimo Archiepiscopatui Claudium Aquavivâ imponendi cupido, unde illi ad propè domesticam purpuram non admodùm difficilis gradus fuisset. Hoc simul atquè auditum est, tum eius, cuius petebatur caput, tum sociorum, qui erant in urbe, veluti publico in Societatis funere consternati sunt animi. Nullus in ea ordo fuit, quem non attingeret dolor. Itaque pro se quisque obluctari, votis, Sacrificiis, suppliciisque Deum ciere. Tum in quibus aliquid humanæ opis, viros Principes adire, atque obtestari, ad Clementem, quem Claudii repulsa in sententia obfirmaverat, allegare, ut prudentissimum Principem de iustissima Claudii, ac Societatis causâ docerent. Et hæc quidem foris apud amicos quærebantur præsidia; domi verò, qui per ætatem, aut studia attinebantur, divinam iram (sic enim interpretabantur illam Pontificis voluntatem) solennibus artibus avertere, *Ibidem n. 6.*

ec

Digitized by Google

ac Societati pacem avitámque modeftiam fartam tectam impetrare conabantur. Tum primò Claudium, quem per incredibilem, quæ in illo fuit, animi magnitudinem, nulla unquam fortunæ fregerat iniquitas; focii pavidum ac mœftum videre. Sed exorato tandem Deo alia Pontifici mens eft iniecta. Quod effusè lactantibus fociis univerfis Claudius publicâ ipfe concione fibi gaudens gratulatus eft, maximi omnium, quæ ad eam diem plurima fuftinuerat, certaminis victor &c.

Ibidem n. 7. V. Longè minori contentione gravius admodum periculum declinavit Iacobus Lainius, vetus huius belli miles, nec unius pugnæ victor. Primùm enim Labacenfis infulas, quibus inclyta fapientiæ fama illum tantùm non exornârat, conftanti humilitate vitavit. Deinde purpuræ à Paulo IV. obfirmatiffimi animi Pontifice deftinatus, pavido Ignatio, qui Pontificis ingenium nôffet, novo ambitûs genere Cardinales adeundo, atque prenfando, precibusque acriter apud Deum agendo, evafit incolumis, ad extremum virtute ac fapientiâ, ipfo infuper honorum contemptu clariffimus Pontificatu Maximo a duodecim Patribus habitus, intra Comitiorum conclavia per fpeciem confultandi advocatur. Sed fufpicacem ex præteritis periculis humilitatem, ftatim favoris aura perculit, itaque ex illo comitio, tanquam ex aliqua tempeftate feftinus fe fe eiecit, atque confpiratorum Patrum ftudia & conatus præproperâ fugâ debilitavit. Dignus profectò, qui primus ab Ignatio tam illuftri modeftiæ magifterio Societatem temperaret univerfam.

Ibidem n. 10. VI. Francifcus Villanova dignus, quem virtutis ergo laudaret Ignatius, regebat Placentiæ Collegium, quúmque Epifcopus ædes, quæ tam maximè attollebantur, infpectum veniffet, atque aquæ defectu, quæ parce fabris fubminiftraretur, parùm urgeri opus doleret, quæfivit de Rectore, an non agafonem haberet, qui afello affatim conveheret. Opportunè, inquit Rector, ac prorfus in tempore patrio è pago advenit Martinus Timon frater meus, quem huic operi deftinabimus. Quod cùm abnueret Epifcopus, neque Martino Timoni honeftiorem domi fuæ locum defuturum affirmaret. At ille, inquit Rector, ad alia omnia ineptus, huic rei à natura factus eft. Obftupuit Epifcopus generofam hominis modeftiam, ceffitque poftulatis. Itáque Rectoris Collegii Frater Martinus Timon afellum agens, præ fe tamdiu vitam toleravit, quoufque Francifci fratris virtutem imitatus, Deo fe totum dicavit.

Ibidem n. 13. VII. Ierat fortè Nonnius Barretus, iam Æthiopiæ Patriarcha, dum navigationem Indicam exfpectat Ulyffippone, ad expiandum Æthiopicum mancipium, uno tantum de fociis comite. Vidit prætereuntem Ludovicus Lufitaniæ Princeps, atque aulicum mifit, qui ponè fequens, quo fe conferret Patriarcha, exploratè renuntiaret. Vbi audivit Æthiopici mancipii gurguftio fucceffiffe, hominique aures dare, ac blandiri; enimverò in ampliffima Patriarchatûs dignitate modeftiam fufpiciens, inftemi illico mulam; & nobiles aulicos Patriarchæ accedere, atque domum honorificè deducere, iuffit. Verùm pervicit Nonnii modeftia, affirmantis nullo ampliffimæ dignitatis dedecore ire fe peditem, Chrifti Domini, atque Apoftolorum exemplo. Porro quàm ex animo nihil fcenæ ferviens, rem ageret humilitatis, tota eius vita teftis fuit. Patriarchatu enim, quo Summi Pontificis adactus imperio fe ornari permiferat, abdicare fe non femel voluit. Et quoniam, ut fibi fas effet, non tenuit, ad exactiffimæ modeftiæ normam fefe totum compofuit. Itaque & veftes fuis ipfe manibus confuit, & peregrinis pedes de genu abluit, & Societatis Præfidibus, qui fecundus à Chrifti Vicario effet, honorem habuit, quafi unus de Sociorum grege, demum toto oris, ac corporis habitu eam demiffionem animi, modeftiámque prætulit, quam Æthiopia non meruit.

De Societate univerfa.

VIII. Non eft igitur, quòd per fingulorum decora eam laudem deducam, quam univerfæ Reipublicæ communem habemus. Prima enim Societas fuas leges folemni auctoramento profeffas, non modò ad honorum ambitum fugiendum, eorúmque repulfam; fed ad ambientium peragendum indicium gemini voti religione interpofitâ obftrinxit. Scio religiofis quibufdam familiis moris huius placuiffe imitationem, fed uni confirmatis iam moribus fruftra tentatam, aliis inter condendum ceffiffe feliciùs; integrâ Societatis laude, quæ rigidam illam virtutis formam priftinæ redditam feveritati à fuis amari voluit, occlufis ad excubantem in vicinia virtutis ambitionem diverticulis, ut id faciliùs facere condifcerent. Saluberrimum hoc profectò fuiffe confilium confequuta tempora docuerunt; quum enim viris five à generis claritate, five à fapientiæ ac virtutis laude præftantiffimis (abfit verbo invidia) abundet Societas, res fanè pleniffima femper erit admirabilitatis, illorum nullum limina potentiorum terere, aut dignitatum aucupandarum gratiâ, fed in privatæ vitæ amore ita perftare omnes rigidos, ut plerique æmuli contumaciam interpretentur. Felix enimverò contumacia, quâ contra blandum ambitionis malum, atque pellacem honorum ambitionem obarmamur: Placet hic cruda quædam obluctandi obftinatio, nullo Principum quorumcúnque refpectu, quorum gratiam atteri, quàm difciplinam hac ex parte molliri præftat. Tot igitur habeo honorum fugâ gloriofos, quot illis dignos educat Societas, cuius cognita conftantia ineluctabilis, pacem plerifque omnibus, & fine prælio victoriæ contulit tranquillitatem. *Ibidem n. 6.*

§. IV.

EXEMPLA PROFANA.

Qualitas.

I. HUmeias quidam, qui à Cordubenfibus militibus Rex creari poftulabat, excufantibus, quòd fæpe malè ceffiffet Re- *Mariana l. 2. hift. c. 10.*

gnum ambientibus, dixit: Hodie Regem dicite; cras perimite.

Sueton. in Cæsare. II. C. Iulius Cæsar Consul cum M. Bibulo unus omnia in Republica, & ad arbitrium administravit, ut nonnulli urbanorum, cùm quid per iocum testandi gratiâ signarent, non Cæsare & Bibulo, sed Iulio & Cæsare Coss. actum scriberent, bis eundem præponentes, nomine atque cognomine; útque vulgò mox circum ferrentur hi versus:

Non Bibulo quidquam nuper, sed Cæsare factum est,
Nam Bibulo fieri consule, nil memini.

Philipp. de Marinis in Miss. pro Iap. l. 1. c. 10. III. Rex quidam Travancoris invidebat Brachmanibus, quòd eorum origo suâ, qui Rex esset, nobilior haberetur. Quare unum è Brachmanibus rogat, num fieri possit, ut & ipse salvâ Regis dignitate, posset fieri unus è Brachmanibus, cui alter respondit, facile id esse, si curaret fundi vaccam auream intùs excavatam, & ita capacem, ut ipse in ventrem introire, velutique noviter conceptus, posset per eius os exire. Ibi enim in eo ventre posse illum Regis & Brachmanis personam nancisci, ut Rex sit simul & Sacerdos, prius non amittens, & secundum nanciscens. Rex gaudio gestiens, curat mox vaccam ex auro fieri, & eam iam Senex subintrat, & per os exit iam novus Sacerdos, & festum haberi eum diem, ut natalem suum voluit: ac ut esset facti memoria lætior, illius anni tributum populo remisit. Interim Brachmanes aureâ vaccâ gaudebant. Hunc errorem Regi quidam è vulgo ingeniosè detexit. Ubi enim didicit diem huic secundæ nativitati destinatum, cum iumento in foro apparet, quod erat macrum, gracile & parvum, id spectante Rege pectinabat eburneo pectine, aquâ odoratâ lavabat, blandiebatur manu ac lautius ei pabulum dabat, ita denique tractabat, ut Rex indè recreatus, scire voluerit, quis ille ioculator esset; ubi verò intellexit eum hominem prudentem ac ingeniosum esse, ad se vocatum rogavit, cur ita blandè asinum illum tractaret? cui alter respondit, ut asinus iste fiat equus. Tunc Rex, rectè dixi, inquit, hunc hominem stolidum esse; quis enim unquam vidit, asinum fuisse mutatum in equum? cui alter, ego, ait, stolidus habeor, quòd ex asino fieri equum velim: & Rex ille sapiat meus, qui sibi persuadet, posse se è Rege fieri Brachmanem ex aurea vacca.

Lyraus in Trisag. Mar. IV. Quædam mulier volens vocari Domina, finxit se catellum perdidisse, quare per præconem pronuntiari iussit, amissum esse catellum, quem, qui repererit, ad Dominam N. uxorem Domini N. referat.

Ibidem. V. Euphorbus aliquis videns quendam singulari dignitate Comitis aut Marchionis auctum, ac unicè sollicitum, quomodo res hæc in publicum veniret, hoc ei suggessit consilium; finge, inquit, patentes Regias tibi excidisse, & cura præconis voce per urbem totam promitti magnam mercedem ei, qui eas reperisset litteras, quibus Rex te Comitem aut Marchionem creavit, & eas ad Excellentiam tuam reportet.

Damnum.

VI. Themistocles gloriæ amore insaniens, cùm Miltiadis ad Marathonem victoriam secum reputaret, noctes insomnes duxit, & symposiis consuetis abstinuit, dicens: somnum sibi adimere trophæa Miltiadis. Plutarch. in Themist.

VII. Iasoni totus ferè Oriens templa, ut conditori divinos honores & templa constituit: quæ Parmenion Dux Alexandri M. post multos annos dirui iussit; ne cuiusquam nomen in Oriente venerabilius, quàm Alexandri esset. Iustinus l. 42.

VIII. Walthertus Atholiæ Comes, Iacobi I. Regis in Scotia patruus audierat à saga, se publicè coronandum: spe igitur regni Regem occidi curavit; sed ille dein affectus variis suppliciis, & curru per urbem vectus, populo ad ludibrium nudus fuit ostensus, coronâ candenti capiti impositâ. Le Blanc. in ps. 7. n. 48.

IX. In Hispania iussit Wamba Gothorum Rex, ut Paulus quidam, qui Regis nomen & Insignia occupârat, sibi cum pompâ redeunti præiret, ludibrii causa coronâ ex nigro corio factâ capiti impositâ. Mariana. l. 6. c. 13.

X. In Sicilia cùm quidam in Regem Amergium rebellâsset, Regnúmque affectaret, comprehenso iussit coronam æream cum quatuor foraminibus in caput magnis clavis defigi, atque ita hominem abire iussit, his verbis: Habes coronam, quam voluisti, nemo tibi invidet. Is verò vertigine obortâ humi prolapsus, paulò post exspiravit. Le Blanc. in ps. 7. n. 48.

XI. Anno 1671. Leopoldi I. Cæsaris iussu, nomen mutavit Nicolai Serini filius, & iussus est, se scribere ac nominare *à corona*; quia compertum est, eius patrem, qui creditus ac dictus est ab apro occisus, affectâsse Coronam Imperii Hungarici. Ex litteris.

XII. Sacerdos quidam Nicolaus Romæ spe cupiti honoris excidens, indignatus in Orientem abiit, ubi plurimos Saracenos à se in fraudem inductos, à veri Dei cultu ipse iam alienus, suasit, ut idola desererent; sed sequerentur non aliam doctrinam, quàm ipse eis traditurus esset. Ibi in Mahometem incidens eum erudivit, promisítque Regem eum Saracenorum se facturum. Id astu egit. Columbam enim ex nido sumpsit, eámque assuefecit, è Mahometis auribus cibum capere. Ista columba sensim assueta eius auribus, ubi primum Mahometem vidit, ad humerum eius advolans, rostrum auribus applicabat. Ubi ergo omnes sui sequaces Saracenos Nicolaus collegit, dicebat expedire, ut eum Regem sibi deligerent, quem Spiritus Sanctus in forma columbæ delapsus monstraret. Assentientibus, mox dato consciis fraudis signo columba emissa, pro veteri consuetudine in humerum Mahometis insidens, auri rostrum admovet. Eo miraculo, ut credebant, moti Saraceni Mahometem Regem pronuntiârunt. Silv. Var. lect. p. 4. c. 1.

§. V.

§. V.

SIMILITUDINES.

Qualitas.

Mansi disc. 4. n. 3. I. Sicut Bucephalus, Alexandri M. equus, phaleris regiis indutus, nullum insessorem præter Regem admisit, cùm tamen hisce ornamentis exutus, quemlibet dorso suo insidere permitteret, adeóque ornamenta & phaleræ illæ regiæ superbos elatósque ei spiritus videbantur imprimere: Eodem prorsus modo multos hodie videmus, qui in statu fortunæ privatæ humiles existunt, cunctisque se humiliter submittunt, neminem dedignantur, omnibus sese benignos & affabiles exhibent, mox verò, ut ad honores & dignitatum infulas sublimantur, adeò inflantur, & extolluntur, ut iam non iidem, qui antea, sed prorsus diversi esse videantur; Eiusmodi est serpentis natura, qui ad solis calorem venenum suum evomit, veterique pelle depositâ novam prorsus induit.

S. Greg. l. 1. reg. ep. 1. II. Sicut fumus ascendendo deficit, & sese dilatando evanescit, sic videlicet fit, cùm peccatoris vitam præsens felicitas comitatur, quia ostenditur, ut altus sit, indè agitur, ut non sit.

Mansi disc. 7. n. 2. III. Sicut quantò maior est umbra, magisque crescit, & exaltatur, tantò est defectioni vicinior; ad eundem quoque modum dignitates humanæ quantò prosperiùs fluunt, tantò sunt occasui magis propinquæ.

Idem disc. 8. n. 10. IV. Sicut arundo in exteriori quidem apparentia aureum præ se colorem refert, & lucida est, interius autem inanis & vacua: ita quoque honores dignitatésque terrenæ primâ quidem facie, ob auctoritatem, pompam, atque divitias, quas secum adferunt, speciosi & appetibiles esse videntur, veruntamen interiùs in Principum illorum cordibus, gaudia illa & consolationes, quas nos quidem illis inesse somniamus, minimè reperiuntur; tametsi enim sceptra ipsorum aurea sint, non tamen solida, sed intus inania & vacua existunt; Hâc arundine vel sceptro ficto, Salvatoris capiti spinas validissimè imprimebant, ad significandum, quòd territorium subditorum, regimen, & dominium curarum, anxietatum & molestiarum spinas (quibus tantò magis abundant, quantò maius possident Dominium) in verticibus coronatis, quàm maximè multiplicent.

S. August. in ps. 21. V. Sicut ignis, licet non sit diversus, diversa tamen agit, paleam in cinerem vertit, auro sordes tollit: Ita quoque, experientiâ teste, una eadémque dignitas hominem aliquem magnis virtutibus & meritis præditum quàm maximè conspicuum, omníque existimatione & veneratione dignum efficiet: cùm econtra si eiusmodi dignitas in indignum ceciderit, eius vitium, & ignorantiam omnibus innotescere faciet. Gloriam sapientes possidebunt, stultorum exaltatio ignominia.

Mansi disc. 12. n. 2. VI. Sicut si statuam quandam rudìter elaboratam & defectuosam super basim quandam eminentiùs collocaveris, efficit, ut eius in sublimi positæ defectus faciliùs animadvertantur, quàm si humi semper iacuisset; ad eundem quoque modum multorum defectus non observantur, aut notantur, quamdiu privatim vivunt: cùm tamen, mox ut in altari, omniúmque oculis expositi fuerint, defectus eorum omnibus manifesti evadant. S. Bernardus de aliquo qui de eorum numero erat, ita scribit: Eò deformior, quò illustrior; nunquid potest civitatis supra montem positæ desolatio abscondi, aut latere fumus lucernæ extinctæ super candelabrum? Lyranus quoque super illa verba sapientis: Ignominiosa exaltatio, quia tunc magis apparet turpitudo suæ fatuitatis: Adducítque aptissimam simiarum in altum ascendentium similitudinem, dum ait: sicut turpitudo posteriorum simiæ magis apparet, quando ascendit in altum.

VII. Sicut quando Legati Romam in solemni pompa equestri ingrediuntur, muli circumquaque superbissimè adornati, oneráque utrimque teguminibus auro, argentóque præfulgidis contecta circumferentes, omnium ad se oculos cum stupore singulorum attrahunt: at verò postquam equestris illa pompa finem suum accepit, muli prædictis omnibus illis phaleris pretiosis exuti, ad stabula reducuntur, solitísque denuò sordibus, aliisque oneribus portandis applicantur: Idem quoque multis accidere solet, qui sine ullo merito ad honores promoventur; quamdiu enim potentia & favor illius, à quo ad talem dignitatem promoti fuerunt, superstes manserit, æstimantur, honorantur, seu, ut meliùs dicam, timentur; at verò mox ut illo mortuo depositi fuerint, ad eandem denuò revertuntur vilitatem, & contemptum, in quo antea erant. *Idem n. 10.*

VIII. Sicut in Piscina Probatica è tam ingenti infirmorum numero unus duntaxat sanabatur, non obstante, quòd omnes firmissimam recuperandæ salutis spem haberent; ita quoque in aulis dignitate aliquâ vacante, multi sunt bene meriti prætensores, unusquisque proinde sperat, veruntamen in fine unus duntaxat consolationem accipit, cæteris omnibus delusis remanentibus. A Salvatore quoque iuxta eandem piscinam unus per miraculum pristinâ fuit sanitate donatus, hic autem triginta octo annis languidus in lecto decubuerat, ita quoque tametsi contingat, quòd aliquis prætensionem suarum portum extraordinario modo assequatur, id tamen fortè accidet, postquam omnes ferè ætatis suæ annos in laborioso quodam servitio consumpserit. *Idem disc. 17. n. 8.*

Damnum.

IX. Sicut cacumen arborum in excelso positarum, etiamsi lenis aura flaverit, movetur, sic sublimes homines in culmine dignitatum existentes, etiam levis nuntii fama conturbat. Sicut Principes Edom, robustos Moab obtinuit tremor. S. quoque Hieronymus dicit, Regum talis conditio: feriúntque summos fulmina montes. *Author oper. imper. ho. 2. Mansi disc. 17. n. 10.*

X. Sicut is, qui in exercitu cunctis aliis supereminet, non solùm propter auctoritatem, *Mansi disc. 12. n. 14.*

verùm

verùm etiam ob staturam vel armorum splendorem & ornatum, inter alios primus erit, qui ab hoste conspicitur, vel vulneratur; eadem quoque Magnatum conditio esse noscitur, qui præ cunctis aliis, insidiis, mortisque periculis subiiciuntur. Eodem tempore, quo Scriptura Sacra ob oculos nobis ponit Antiochi fastum & arrogantiam, dicens: Is qui videbatur sibi fluctibus maris imperare, mox illum simul & semel velut cadaver quoddam fœtore & scaturientibus ex omni corporis parte vermibus horridum repræsentat.

§. VI.

Motiva.

S. Greg. p. 1. past. c. 3. I. CHristi exemplum; de quo S. Gregorius sic loquitur: Sed quia idcirco in carne apparuit, ut non solùm nos per passionem redimeret, verùm etiam per conversationem doceret, exemplum sequentibus præbens, Rex fieri noluit, ad crucis verò patibulum sponte pervenit, oblatam gloriam culminis fugit, pœnam probrosæ mortis appetiit, ut membra eius discerent, favores mundi fugere. Ubi Caietanus aptè observat, quòd Evangelista de hac turba non dicat, illam Christum in Thronum collocare, eidémque sic magnificè confidenti obedientiam promittere voluisse, sed tantùm eos de ipso in Regem eligendo inter se consultâsse: Non dicit, quòd tunc facturi erant ipsum Regem, sed quòd venturi essent, significans, quòd ipsi dispositi erant ad tractandum cum aliis, & redituri ad hoc, ut facerent eum Regem. At verò quonam ducebantur motivo ad hoc, ut eum Regii sceptri administratione dignum & habilem esse existimarent? Num fortè ideò, quia eum sæpè miracula patrare viderant? non certè, quia aliàs quoque multoties in miraculis faciendis liberalem prorsus & admirabilem sese exhibuerat: aut fortè ideò, quia adeò prodigiosè panes piscésque multiplicaverat? neque id dici potest, quia aliàs quoque idem miraculum, innumeros homines modicissimâ annonâ perfectissimè satiando patrârat, nec tamen ullus de ipso in Regem sublimando cogitaverat. Pro resolutione igitur notanda sunt verba illa: *ut raperent eum*: ex his enim colligitur, quòd, quia Christum ab omni semper pompa & gloria mundana alienissimum esse conspexerant, ideo ipsum Imperio dignissimum, & sceptro gubernando aptissimum, maximéque idoneum esse iudicabant. In quo monstratur (inquit idem Cardinalis) quòd cognoscebant Iesum alienum esse ab appetitu Regni, utpote quem oportebat rapere: hi enim verè sunt illi, quorum in moderandis animabus Imperium felicissimo semper fine clauditur, quo ab omni fastu alieni sunt, & quoad possunt, dominari detrectant: bene imperant, qui non libenter imperant.

Mens. disc. 7. n. 4. II. Brevitas honorum; pro qua cognoscenda legatur duntaxat Catalogus Imperatorum exactè conscriptus, & quàm subitò, quámque violentâ morte potior illorum pars interierit; protinus inveniemus. Inter Summos quoque Pontifices, quàm sint pauci, qui Pontificatum suum etiam usque ad integrum anni spatium producere potuerint. Severinus & Lucius II. undecim duntaxat supervixit menses: Leo II. & Alexander V. menses tantùm decem: Benedictus X. & Joannes XX. octo solùm menses vixerunt; Stephanus V. septem; Eugenius I. sex; Innocentius V. & Cælestinus V. quinque tantùm rexerunt mensibus: Alii duo Joannes XVI. & Lando quartum tantummodo mensem attigerunt; Gregorius VIII. & Innocentius IX. in duos usque menses Pontificale solium insederunt. S. Antherus M. huius nominis unicus, Regiminis Ecclesiæ universalis unicum duntaxat mensem numerare potest: at verò longè angustioribus limitibus, breviorique periodo vitam suam alii clausêre Pontifices, qui suum non nisi ad dies aliquot producere potuerunt Ecclesiæ Imperium; etenim Leo XI. & Pius III. in Pontificatu solùm supervixêre viginti sex diebus; Damasus II. diebus viginti tribus; Marcellus II. diebus duobus supra viginti; Sisinnius huius nominis unicus diebus viginti; Cælestinus IV. diebus septendecim: Bonifacius VI. diebus quindecim. Urbanus VII. diebus tredecim; Stephanus II. & Valentinus quatuor duntaxat dies attigêre; adeóque iustam habuit Beatus Petrus Damianus exclamandi rationem? O termini dominandi! qui etiam in extrema miseria videri possent angusti, quid ni in suprema gloria angustissimi videantur? Verùm enim verò specialissimus hic est divinæ providentiæ modus, ad humanam tantò efficaciùs supprimendam superbiam, ut humano generi, quàm despicienda sit temporalis gloria, in ipso gloriæ principatu evidenter ostendat.

III. Instabilitas honorum, de qua David rectè dixit: Deus meus pone illos ut rotam. S. Bernardus autem de rota optimè his verbis scribit: sicut rota nunquam stat, sed perpetua volubilitate circumagitur, ita in hac vitæ rota nulla stabilitas aut securitas reperiri potest. Fortunatus quidam ex aulæ Proceribus, suóque Principi cumprimis charus, à Duce quodam, num in fortuna sua melius quid desideraret, interrogatus, unicam duntaxat rem sibi deesse respondit, cúmque ulterius ad edicendum, quidnam illud esset, urgeretur, subiunxit, se clavum aliquem, quo volubilem fortunæ rotam sisteret, ne à statu, in quo nunc est, verti aliqua ratione posset, unicè desiderare: quod quidem responsum prudentissimum fuisse, nemo dubitabit: Etenim verissima est illa S. Ambrosii sententia: bona huius sæculi instabilia sunt, & rotarum in morem cum ipso sæculo volvuntur. Sapiens divinam sapientiam pilâ in hoc mundo ludere perhibet: Ludens in orbe terrarum. Lusus autem hic pilæ, quem Deus in hoc mundo exercere dicitur, alius, ut ego quidem arbitror, non est, quàm continua illa sceptrorum, regnorum, Dominiorúmve ab una manu in alteram per gyrum, ad purum Dei beneplacitum, ad instar pilæ facta transmissio;

missio; Mundus enim communiter ad instar globi seu pilæ in forma sphærica ab omnibus describitur. Id quod Boëtius Severinus optimè ad propositum nostrum hisce verbis exponit: Hunc continuò ludum ludimus, rotam volubili orbe versamus, infima summis, summa infimis mutare gaudemus. Hinc prudentissimè factum, quòd præcelsioribus Principibus Serenitatis titulus attribuatur; coronæ item in figura solis, sceptra verò in florum specie efformentur; Etenim sicut hi subitò languent, clari quoque diei serenitas à repentino quodam turbine ex improviso obfuscatur, ipse sol sub caliginosis nubibus persæpe absconditur; ita quoque per hæc symbola humanarum dignitatum instabilitas haud incongruè designatur; id quod expertus est Salvator noster, qui in triumphali illo in Ierosolymam ingressu ab omnibus urbis illius civibus, imò & pueris festivo cum gaudio veluti verus Messias solemnissimè receptus fuit; Turbæ autem, quæ præcedebant, & quæ sequebantur, clamabant, Hosanna Filio David, Benedictus qui venit in nomine Domini; Et tamen ad vesperam eiusdem diei in vastissima illa civitate, neminem, qui illum hospitio excipere vellet, reperire potuit, unde in Bethaniam foras secedere coactus fuit; Imò idemmet populus, qui illum hisce verbis: *Benedictus, qui venit in nomine domini*, honoraverat, postea exclamavit: *Tolle, tolle, crucifige*; qui antea se propriis vestibus exuerant, ut easdem in eius obsequium in terram prosternerent, ipsum paulò pòst suismet despoliaverunt vestibus; quique ipsum proiectis in terram olivarum ramis, palmásque triumphales manibus suis gestantes læti exceperant, paulò post ingentem ligni truncum eidem in patibulum præpararunt: O quàm dissimile est: *Tolle, tolle, crucifige*! ab illo, benedictus, qui venit in nomine domini! Quàm dissimile, Rex Israël, Et non habemus Regem nisi Cæsarem; Quàm dissimile, rami virentes & crux; flores, & spinæ; Cui prius sternebant vestimenta aliena, ecce suis exuitur, inquit S. Bernardus. *S. Bern. S. 2. in Psal.*

Iudic. 9. IV. Curarum & insidiarum copia; uti Parabola de arboribus Regem sibi eligentibus indicat, in qua quidem primò oblatum sibi sceptrum oliva repudiavit, cuius exemplum imitatæ mox fuêre ficus & vitis; atqui postquam & Rhamnum regiæ dignitatis ultroneâ oblatione honorâssent, hoc inde responsum retulêre: *Si verè me Regem constituitis, venite, & sub umbra mea requiescite.* Quo facto ambitiosi edocentur, quòd in populorum gubernatione, sceptrorúmque administratione anxietatum, sollicitudinum, laborum, periculorum, vigiliarum, similiúmque ærumnarum spinæ & tribuli minimè desint. Uti clariùs Innocentius III. indicavit dicens: Sed esto, quòd sublimetur in altum, statim curæ succrescunt, sollicitudines cumulantur, vigiliæ producuntur, ex quibus natura corrumpitur, Spiritus infirmatur, abrumpitur somnus, amittitur appetitus, debilitatur virtus, attenuatur corpus, & sic in seipso deficiens, non dimidiat dies suos, sed miserabilem vitam miserabili fine concludit. *Innoc. III. l. 2. c. 29.* Hinc Deus è medio rubi Moysen ad regimen vocavit, ut ex hac visione cognoscere posset, Thronos magnificos, in quibus Magnates resident, laborum, curarum, anxietatum, aliarúmque molestiarum puncturis plenissimos existere. De Adriano IV. legimus, ipsum solitum fuisse dicere, Pontificam quaquaversum spinis acutissimis plenam, cinctámque esse, qui uniuscuiusque Sedem Pontificis humeros quantumvis generosos & fortes rumpere & dilacerare non desinunt. Platina pariter de alio quodam Alexandro Papa huius nominis VI. refert, hunc lapidi sepulcrali verba sequentia insculpi iussisse: *Adrianus VI. hic situs est, qui nihil sibi infelicius in vita, quàm quòd imperavit, duxit.* Specialiter verò hoc ipsum Dionysius Tyrannus servo suo Damocli ostendit; cùm enim hic Principum statum admodum felicem & desiderabilem esse crederet, Rex, ut hunc eius errorem corrigeret, isque graviter se deceptum esse videret, eum die quadam ad mensam suam invitavit, iussitque ensem nudam ex tenui, subtilissimóque filo pendulum super loco, quem is occupaturus erat, suspendi, quem cùm cœnaculum ingressus cum horrore vidisset, pœnitere eum cœpit, quòd Regi ipsum invitanti tanta cum facilitate acquievisset, cúmque Regem deprecaretur, ut à mensa abesse liceret, hoc à Rege responsum tulit: Scito, hanc esse Regibus propriam conditionem, quòd etiam in mensa & deliciis positi, in continuâ sint mortis, iis inferendæ formidine. *Cicero l. 5. Tusc. 33.*

§ VII.
ASCETICA.

I. In primis nôsse oportet Ascetam, quomodo dignitates verè suscipi, & administrari debeant, id quod pulchrè Cardinalis Hugo indicavit, dum illa verba, *Redde rationem villicationis tuæ:* ponderans, ita scribit: Revolvenda erit à quolibet Prælato triplex quæstio; prima erit, amice, quomodo huc intrâsti id est, in Prælationem, quis te introduxit? Nummus, vel Christus? Ad quid venisti? ad honores, vel onus? Per quam portam intrâsti? Charitatis, aut cupiditatis? Postea ad secundum examen descendit, quod circa vitam, quam Prælaturæ tempore duxerunt, instituetur: Quomodo vixisti? scilicet, sicut Episcopus, vel sicut rusticus? sicut homo, vel sicut equus? sicut pastor, vel sicut pecus? Tertium examen habebitur circa regimen, quod administrârunt: Quomodo rexisti? in quibus pascuis gregem meum pavisti? quomodo à lupis & latronibus custodisti? quantas vigilias & labores pro grege meo sustinuisti. *Hugo in c. 16. Eccl.*

II. Nosse debet, qualitates veri Regentis, de quibus rectè S. Basilius dixit: Verus Princeps non per hæc externa insignia internoscitur, cuiusmodi sunt purpura, torques, seu amiculum pertenue ac molliculum, & diadema, sed per id, quia inprimis virtutem obtinet Principe dignam. Quod clariùs significans Stephanus Cantuariensis super illa Esdræ verba: Esdras paravit cor suum, ut investigaret legem Domini, & faceret, & doceret *S. Bas. in c. 6. Isaia.* *Steph. Cant in 1. Esdr. c. 7.*

ceret in Israël præceptum, & iudicium scribens, tres considerat conditiones, iis, qui regimini publico admoventur, cumprimis necessarias: *Ad illa tria debet Prælatus præparare cor suum*, id est, *ad scientiam, vitam, & doctrinam: ut investigaret, ecce scientia: ut faceret, ecce vita: ut doceret, ecce doctrina.* Hinc rectè Aurelius Cassiodor. dixit: Fasces accipimus, ut graves esse debeamus, Tribunalia conscendimus, ut morum gradibus evehamur, nil vile, nil cupidum Judices decet: Pergit posteà ulteriùs, & quidem ad propositum nostrum aptissimè: Claras enim suas maculas reddunt, si illi, ad quos multi respiciunt, aliqua reprehensione sordescunt: alioquin expedit non videri, quàm cunctorum reprehensione signari.

Aurel. Cass. l. 12. ep. 2.

III. Nôsse debet, quo sensu S. Paulus dixerit: *Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat*: quem quidem S. Thomas sic declaravit, dum ait, tria in Episcopatu posse considerari. Primum est operatio, per quam saluti proximorum intendit. Secundum altitudo gradûs, quia Episcopus super alios constituitur. Matth. 25. *Fidelis servus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam.* Tertium honor & reverentia, & sufficientia bonorum temporalium: Appetere ratione reverentiæ & honoris, vel sufficientiæ bonorum temporalium, non licet, quia est ambitio & cupiditas, item ratione gradus alti, quia est præsumptio. At verò quandonam casus daretur, in quo Episcopatûs desiderium foret licitum? quando nimirum desiderium nullum alium finem respicit, quàm purè servitium & obsequium Dei, & subsidium saluti animarum impendendum. Aliter eadem verba explicat Salmeron dicens: Episcopatus in primitiva Ecclesia sine honore & sine divitiis erat: Nihil aliud erat, quàm crucem optare, & opus charitatis impendere; nunc verò ubi Episcopatus cum magno honore & divitiis coniunctus est, non nisi periculosè appetitur: Idem hoc diu antè S. Anselmus hisce verbis monuit: Notandum, quia quando Apostolus hoc dixit plebibus, quicunque præerat, primus ad Martyrii tormenta ducebatur; tunc ergo laudabile fuit Episcopatum quærere: quando per hunc quasi ad Martyrium festinaretur. Eandem quoque expositionem legi apud Dionysium Carthusianum, in libro de regimine Præsulum: Non advertunt (de ambitiosis loquitur) quòd Apostolus dixit hoc, quando Episcopi trahebantur primi ad amarissimas pœnas, & acerbissimas mortes Martyrii, ita quòd tunc in Episcopatu non poterat amari, nisi opus bonum. Quidam huius nostri sæculi insignis Orator, dicit, quòd, quando S. Paulus sæpedicta thematis verba edixit, omnes Episcopatum refugiebant, quia ovium greges tales erant, ut iis gubernandis vix ulli reperiri possent pastores; & tales pastores erant, ut pro gregibus pascendis vix pascua inveniri possent, adeóque tempora illa talia erant, in quibus simul stare poterant, dignitas cum humilitate, & dominandi fortuna cum miseria serviendi. Sacerdotes tunc aurei erant, calices verò lutei, vel lignei: mitræ plus curis quàm gemmis onustæ erant: Episcoporum chlamydes paupertate potiùs, quàm acupicturâ perforatæ erant: Erant eo tempore pastores sine baculo vel clava, oves sine lana, lupi sine timore, dignitates sine dignitate, Ecclesiæ sine dote, honores infamiâ pleni, eminentiæ præcipitiis coniunctæ, curæ curarum plenissimæ, denique eiusmodi in statu tunc primatus erant, ut maiorem quis pareret ambitionis suspicionem dignitates fugiendo, quàm illas desiderando.

S. Thom. 2. 2. q. 185. a. 1.

Salmeron. to. 4. tr. 17.

IV. Nôsse debet, & bene notare S. Ambrosii sententiam, quando dixit: Mensura oneris pro mensura debet esse gestantis, alioquin impositi oneris fit ruina, ubi vectoris infirmitas est. *S. Ambros. l. de vid.*

V. Nôsse, & ponderare debet, quòd illi, qui est in gubernationis dignitate & officio constitutus, gravis ratio de omnibus subditis sit reddenda, nam unicuique Prælato dici posse videtur, quod l. 3. Reg. c. 20. legimus, nimirum: *Custodi virum istum, qui si elapsus fuerit, erit anima tua pro anima eius*; De qualibet enim anima obstrictus est rigidissimum reddere computum: *Durissimum iudicium his, qui præsunt, fiet.* Non enim illis solùm de seipsis reddenda est ratio, verùm & de omnibus aliis ipsorum curæ commissis. *Ubi est grex* (inquit Deus, ad Jeremiam) *qui datus est tibi, pecus inclytum tuum?* quid dices, cùm visitaverit te? Hinc S. Chrysostomus dixit; ab eo ipso die, quo tu mihi Episcopatûs susceptionem hanc iniecisti, factum est identidem, ut corpus hoc ab anima propemodum dissolveretur, tam ingens pavor, tam ingens tristitia meum animum occupavit. *S. Chrys. l. 6. de Sac.*

VI. Nôsse debet, honorem, qui ab aliis defertur, non homini, sed Deo exhiberi, uti sequens factum pulchrè ostendit: cùm olim Minervæ statua in iumento quodam, veste attalicâ auro, argentóque intertextâ exornato, honorificentissimè accommodatâ, processionaliter ab idololatris quibusdam passim per plateas magna cum solemnitate circumferretur, accidit, quòd, dum unusquisque in plateis illis, quas processio illa obibat, Minervæ statuam summâ, qua poterat, reverentiâ veneraretur, asinus honorem illum sibi delatum esse existimans, quemlibet caput inclinando resalutabat, quod alius quidem, qui asinum sequebatur videns, eundem acriter fustigatum sic est allocutus: Non tibi, sed deæ: Idem quoque moneri possunt indigni ad dignitates præter omne meritum evecti, honores enim quos recipiunt, non sibi, sed magistratui, quem administrant, aut dignitati, quâ gaudent, attribuere debent, cuius veritas tunc pridem manifestè cernitur, quando honoribus (ut sæpè talibus accidit) exuuntur, tunc enim patet, quàm viles, & contemptibiles, risúque digni existant. *Mansi disc. 12. n. 3.*

§. VIII.

§. VIII.

MISCELLANEA ET CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Qualitas.

Joseph. l. 6. antiq. 17. c. 14.

I. VAlde considerabile est, quod Josephus Hebræus de Archelao Herodis filio refert, nimirum, quòd, cùm is de gravibus quibusdam delictis apud Imperatorem accusatus esset, quorum idem nonnullorum quidem iudicio reus, aliorum verò sententiâ innocens esse iudicabatur; verùm ex mente eorum, qui causæ illius examinandæ præfecti Judices erant, vera existimabantur delicta ab illo patrata, etiam illa, quæ eidem per calumniam fuerant imposita: Et quidem ob hunc præcipuè respectum credibilia videbantur, scilicet propter naturam suam, quòd fieri posse iudicabant à iuvene tam accenso regnandi cupiditate. Unde Didacus Stella optimè hunc in modum scribit: Est adeò detestabile vitium ambitio, ut ex eius cupiditate quodvis malum possit præsumi; nullum est flagitium, quod ambitiosus facere non tentet.

Hugo in c. 2. Jo.

II. Hugo Cardinalis optimè notat, quòd Salvator noster quantumvis aliàs mitis & mansuetus fuerit, attamen in eiiciendis templi profanatoribus, & specialiter quidem in expellendis bobus, qui ibidem ad sacrificandum vendebantur, tanto fuerit indignationis motu correptus, ut hoc facinus propriis manibus suis exequi non dubitaverit; Bos est animal ordinatum ad laborem, & significat illos Simoniacos, qui promittunt & exhibent laboriosa servitia pro præbendis: adducitque præfatus Cardinalis illum Proverbiorum textum, quo dicitur: *ubi non sunt boves, præsepe vacuum est, ubi autem plurimæ segetes, ibi manifesta est fortitudo bovis*; Ambitiosi enim velut indefessi boves esse videntur, quotiescunque tam de temporalium bonorum lucro, quàm de honorum assecutione agitur. Unde Chrysostomus ait: Quid enim refert, si non das pecuniam, sed pecuniæ loco adularis, multáque machinaris? pecunia tua sit tecum in perditionem, quoniam putâsti ambitu humano parari donum Dei: quibus verbis de muniis seu officiis loqui intendit.

Mansi disc. 4. n. 9.

III. Axioma vulgatam, quo dicitur: Honores mutant mores, adeò verum est, ut S. Paulus ad Ephesios scribens, déque Christi in cœlos Ascensione tractans, specialiter nos erudiat, Christum etiamnum, dum ad æterni Patris sui dexteram cum tanta Maiestate gloriosè considet, eundem prorsus nihilominus sine ulla sui mutatione perseverare: *Qui ascendit, ipse est, qui descendit.* Verùm dicat aliquis: quænam esse poterat dubitandi ratio, ob quam dubitari poterat, num Christus ad dexteram Patris residens idem sit, qui antea in carne passibili vivens erat? Ratio illius hæc est, quia nimirum inter nos ita fieri videmus, ut ad honores evecti non iam sint ampliùs iidem, qui antea, sed potiùs faciem, mores & affectus suos prorsus in diversos à prioribus commutent.

IV. In statua à Nabuchodonosore visâ pulcherrimum quoddam observandum est Mysterium. Sicut enim Deus in statua illa Monarchiarum repræsentat honores & præcellentias, ita quoque eodem tempore easdem proponit, ut præcipitio proximas: *Abscissus est de monte lapis sine manibus, & percussit statuam in pedibus eius ferreis, & fictilibus, & comminuit eos, tunc contrita sunt pariter ferrum, testa, argentum, & aurum, & redacta quasi in favillam æstivæ areæ, quæ rapta sunt vento, nullúsque locus inventus est eis.* Circa quæ verba Hugo Cardinalis ait: statuam percutit in pedibus, quando maiores aliquos in sæculo, qui mundum videbantur sustinere & portare, deiicit in paupertatem vel mortem. Mansi disc. 6. n. 9.

V. Valde consideranda sunt illa Oseæ verba: *transire fecit Samaria Regem suum, quasi spumam super faciem aquæ.* Etenim hæc est aquarum omnium naturalis conditio, quòd, quando obortis tempestatibus intumescunt, seseque in altum erigunt, in littore, quod allidunt, spumas illas protinus gignant, quæ aquæ ex igne effervescentis videntur esse bullitus; porrò intumescentes hæ aquæ Dominiorum & Imperiorum sunt symbolum, in quibus ambitiosi totaliter evanescunt: hæc autem dominia instabilia sunt, ad eúmque modum, quo spumæ, velociter disparent. Quod & S. Gregorius optimè confirmat, dum ait, per hanc similitudinem nobis insinuari, quòd dignitates & honores hanc habeant naturalem proprietatem quòd etiamnum vix emicantes subitò evanescant: sic spumosæ aquarum bullæ inchoantibus pluviis excitatæ ab intimis certatim prodeunt, sed eò celerius disruptæ depereunt, quò inflata citiùs extenduntur, cùmque excrescunt, ut appareant, crescendo peragunt, ne subsistant. S. Greg. l. 16. mor. c. 5.

VI. Simon Machabæus super sepulchro demortui gloriosi Patris sui naves quasdam exsculpi fecit, ut hac ratione unusquisque naves hasce cum aliis possessorum honorum insignibus coniunctas videns, inde honorum mundi huius instabilitatem tantò clariùs agnosceret: naves enim in maximè volubili elemento continuò fluctuant, adeò ut nunc deprimantur usque in abyssum, mox verò ad stellas usque evehantur. Legantur magnifici illi applausus, quos in Saulis primi Israelitarum Regis electione universus populus Israeliticus edidisse scribitur: *Et clamavit omnis populus, & ait: vivat Rex!* postquam verò omnes ipsum adorâssent, dimisit Samuel omnem populum singulos in domum suam: at verò vix pedem suum pro adeundis domibus suis moverant, cùm ecce mox adversus eum quædam rebellionis species excitata fuit: *Filii Belial dixerunt. Num salvare nos poterit iste? & despexerunt eum.* 1. Mach. c. 13.

VII. Tertullianus unico verbo, eoque valde significante & expressivo ambitionem describit, dum illam versiformem appellat. In Isaia quoque scribitur: *Ecce gentes quasi momentum stateræ reputatæ sunt.* Sapiens similiter ait: *tanquam momentum stateræ, sic est ante te orbis terrarum, &* Tertull. l. de pallio, c. 2. Isa 40. 15. Sap. 11. 23.

tanquam gutta roris antelucani, quæ descendit in terram. Arabicus loco ly momentum, legit, tanquam depressio linguæ bilancis. At verò scire percuperem, in quonam illa, inter dominium, quod obtinetur in subditos, & stateram, sive roris antelucani guttam, consistat proportio: quidnam enim statera, quæ ad emendum & vendendum facta est, commune habet cum sceptris & Dominiis? pro responsione notandum est, quòd bilances eriguntur, & deprimuntur, ascendunt sursum, & descendunt deorsum: idem quoque in conspectu DEI fit, quoad honores mundi huius; quos enim superbi procurant, & ambiunt honores, nunc ascendunt, paulò post descensuri. Hanc continuò ludum ludimus, rotam &c.

Mansi disc. 7. n. 12. VIII. Dominus Deus noster Aaronis summum sacerdotium prænuntiare volens, idipsum florescenti quadam virgâ mediante præstitit: *Invenit germinâsse virgam Aaron:* at verò haud importuna hoc loco moveri potest quæstio, cur scilicet non potiùs ad hunc effectum oraculo, quo in Arca dari solebant desiderata responsa, usus fuerit, aut verâ revelatione quadam Moysi specialiter factâ? Nimirum Deus, qui omnia in sapientia fecit, Aaroni per hoc insinuatum esse voluit, ut supremam illam dignitatem haud secùs labilem atque fugacem esse agnosceret, ac labilis est species seu pulchritudo elegantissimi floris, qui manè in lucem editur, & vesperi efflorescit, & interit: Ut summam haberet humilitatem, sciens commissum sibi florem potestatis.

S. Ambros. c. 4. in Luc. IX. Divinâ quoque dispositione factum est, ut, quando Lucifer Christo omnia totius mundi regna obtulit, & spectanda proposuit, idipsum in unico duntaxat momento factum fuerit: ita enim expressè S. Lucas scribit: *Ostendit illi omnia regna orbis terræ in momento temporis.* Ubi S. Ambrosius ita ait: Benè in momento temporis sæcularia & terrena demonstrantur, non enim tam conspectu celeritas indicatur, quàm caducæ fragilitas potestatis exprimitur; in momento enim cuncta illa prætereunt, & sæpe honor sæculi abiit, antequam venerit.

Theodor. orat. 3. in Dan. X. Theodoretus ingeniosè prorsus considerat, quòd quatuor nobis in Scriptura Sacra repræsententur statuæ aureæ, quarum prima fuit vituli aurei, quem ingratus ille Dei populus in Oreb adoravit: Secunda fuit Samaritanorum statua aurea sub Jeroboam erecta: Tertia Babyloniorum pariter aurea: Quarta verò Nabuchodonosori Regi in somno commonstrata fuit, non quidem totaliter aurea, sed partim ex auro, partim etiam ex argento, ære, ferro, & terra coagmentata: Verùm dic sodes, quodnam in eo putas latere mysterium, quòd tres primæ totaliter aureæ fuerint, absque ulla alterius metalli interveniente mixtione: quarta verò ex aliis metallis diversis auro multùm inferioribus mixta, imò & ex terra & luto composita fuisse dicatur? Nimirum statuæ istæ dignitates præfigurabant humanas: Et quidem tres statuæ hominum manibus fuêre fabricatæ, atque ex puro auro fusæ, quia homines omne id, quod in Magnatibus splendet, oculósque intuentium ad se rapit, aurum esse sibi imaginantur, cùm tamen in oculis & iudicio Dei reverà ita non sit: ideo namque in statua illa, quam Deus superbissimo illi Monarchæ in somno videndam præbuit, solum caput aureum erat, deinceps verò semper ex ignobiliori & indigniori metallo conflata cernebatur, siquidem brachia & pectus argentea, venter æneus, tibiæ ferreæ, pedes verò cretei seu lutei erant, ut per hoc innuatur, quòd, tametsi in Principibus verè sit aurum, argentum, & æs divitiarum, authoritatis, & dominii, hæc tamen omnia in illis ferro, id est, bellorum tumultibus cernantur esse coniuncta, imò & luto infirmitatum multarúmque aliarum molestiarum, & inquietudinum, quæ capita coronata divexare & torquere communiter solent.

XI. Quærit S. Gregorius Nyssenus, cur Sancta illa & felix Patria, in quâ Beati sempiternâ gaudent quiete, vocetur Regnum. Primum quippe sermonem, quo doctrinam suam Magister cœlestis initiavit, (ut auditores attraheret) à tali nomine est exorsus, inquiens: *Beati pauperes Spiritu, quoniam ipsorum est Regnum Cœlorum:* Matth. 5. *Beati qui huius vitæ bona temporaria volentes, libentérque propter me dereliquerint, quia in futurâ vitâ Reges erunt, qui hic spontanei sunt pauperes.* An fortè non erat nomen aliud aptius, quo donari posset illa cœlestis habitatio, quàm Regni? Aut non poterat alia re validius, efficaciúsque ad se adducere Dominus, quàm unâ pollicitatione regni? *Did. Nyss. l. 1. Polit. c. 1.*

XII. Non infirmum huic veritati ministrabit suffragium Hugo Cardinalis, cuius ea est observatio, quòd sacrorum fastorũ scriptor, cùm plurima de multorum populi Hebræi Regum gestis, & moribus dixit, talibus verbis narrationes ferè singulas absolvere solet: *veruntamen excelsa non abstulit*; quod 3. Reg. 15. v. 14. & 4. Reg. 12. v. 3. & 2. Paralip. 20. v. 33. & alibi reperias, & hunc habet sensum: Quidquid hic, vel ille Rex fecerit, hoc tamen non fecit, ut loca profana & sacrilega in locis editioribus constructa demoliretur, in quibus turpis cultus deastris, & inanibus dæmoniorum simulachris, ad insignem veri Dei iniuriam deferebatur. Hugo ait: de paucis dicitur, quòd excelsa abstulerint. Quamquam nonnullorũ Regum virtutes aliquas regia historia memoret, ut Asæ, Ioas, aliorúmque, descriptiones tamen vitæ penè omnium sic concludit: veruntamen excelsa non abstulit, idolorum aras in montibus, collibus, alisque sublimioribus locis excitatas non evertit, cùm multa alioquin benè, laudabilitérque gesta post se reliquerit. Soli Ezechias, & Iosias communem hanc notam, & reprehensionem evasisse, nec meruisse videntur. Tali quadam censurâ, inquit Hugo, perstringi posse videntur penè omnes totius Mundi homines, atque in iis etiam non pauci, qui virtutibus magis exculti maiorem perfectionem sunt assecuti: Ferè omnibus convenit illa exceptio, quæ to- *Ibid.*

ties in libris Regum repetitur: *veruntamen excelsa non abstulit.* Sed nec multi Religiosi auferunt hæc excelsa: vix quisquam est, de quo non possit affirmari, quòd in libris Regum de Regibus illis plerisque dicitur, hoc unum ferè multis eorum præclarè factis defuisse, quòd excelsa non abstulerunt. Quotusquisque enim est ex omnibus totius orbis terrarum hominibus, si in his etiam exercitatissimos Religiosos, & perfectiores anachoretas recenseas, qui inter quantosvis virtutum profectus Excelsa cupiditatis dominandi prorsus deiecerit? Ambitionis idolum, & libido imperandi ex loco superiori, supremam animi arcem penè apud omnes obtinet: Ferè omnibus convenit illa exceptio; regnandi appetitus, dominandi aviditas, à primo parente hæreditariò accepta, contagium est tam commune, tam vulgaris pestis, malum tam latè diffusum, ut mortis, quæ nemini parcit, simile videatur. Non relinquit perfectum, non prætérit laxum, invadit magnum, tentat parvum, oppugnat pastorem, aggreditur vilem, & vix reperias aliquem, cui caput à vana dominandi cupiditate non intumuerit. Quis tam agrestis paganus, tam sylvestris montanus, qui oblatam Præturæ Virgam non lætus excipiat, non quærat ambitiosus? Cui unquàm displicuit locus sublimis, & sedes superior? Cuius animus exhorruit dignitatem, reformidavit imperium, & fugit præfecturam, non secùs ac Moyses suam in serpentem transmutatam virgam?

Ibidem. XIII. Quærit Plutarchus Problem. 10. istud: Quid est, quod Honori aperto capite rem divinam faciunt? Videtur Plutarchus subindicare, Sacerdotes, cùm cæteris diis victimas litabant, tecto id capite fecisse; nisi enim ita esset, non tantum mysterii in eo poneret, quòd Honori, quem ut deum quendam, & numen cæca Gentilitas venerabatur, suos deoperto vertice honores, sacrificiáque offerebant. At cur eâ ad illius deastri cultum utebantur cæremoniâ? Respondet ille: Quia splendidum quiddam, & illustre, & apertum, & latè patens Gloria est. Quando procerum, aut magnatum quispiam plateas obit, non illum omnes passim nudato capite honorant, sed noti solùm, & quotquot urbani, & comes videri amant: At cùm Rex compita transit, omnes assurgunt, omnes ad regiæ coronæ & Maiestatis observantiam, & reverentiam submittunt poplites, nec quisquam est, qui non sibi detrahat pileum. Sic nunc ait Plutarchus: Honori aperto capite rem divinam faciunt, tanquam pluribus dixisset: Reliquis diis, Marti, Veneri, Mercurio tecti capita res divinas faciebant, nam iræ, turpi libidini, immoderato quæstûs studio hic, aut ille, & de toto hominum grege nonnulli tantùm suos animos contradunt, & reverentiæ cultum deferunt; at verò gloriæ, honori, dominatui, imperio, maiestati nemo est, qui non detecto se capite submittat: Honori aperto capite rem divinam faciunt, non unus, & alter solùm, non etiam pauci tantùm, aut plurimi, sed omnes. Nam dominandi appetitus tam est insitus velut à naturâ penitis hominum animis, & regnandi cupiditas, & gloriæ, existimationísque præclaræ studium ita corda eorum subigunt, ut vix sint, qui illorum tyrannidem effugiant, vix qui ab illa contagiosa infirmitate immunes evadant.

XIV. S. Ambrosius describit hominem, quem peccata omnia pro bonis, sive (ut veriùs dicam) pro malis, quæ ab iis habuit, tanquàm debitorem in prætorium ad tribunal pertraxerint primùm, dein vero, cùm viderent non esse solvendo, certatim appetierint, sed una vehementius Ambitio invaserit, idque iure maiore, & antiquiore, quàm vitia reliqua: Venit libido, inquit ille, & dicit, meus es: Venit avaritia, & dicit: Argentum & aurum, quod habes, servitutis meæ pretium est. Venit luxuria, & dicit: Meus es; ecce noncurrentes adversùs debitorem hominem creditrices noxas, ecce litem uni à tam multis intentatam, ecce chirographa, testificationes, indicia, quibus libido, gula, avaritia, luxuria, & vitia certa suarum creditarum rerum tempora, & exactionis Iustitiam, æquitatémque asserunt. Sed unam hic ex omnibus peccatis ambitionem desidero. Ubinam illa hæsitet, aut quî fiat, quòd illa, quæ scelerum princeps est, & creditrix facilè primaria hominis, nihil ab illo suum repetat? Illáne verò absit, ubi homo talium debitorum nomine incursatur, & nihil exigat? Audite, quid Sanctus Mediolanensium Archiantistes inquiat: Venit ambitio, ait ille, & dicit: Planè meus es, neque opes tantùm tuas, sed & teipsum, quantus quantus es, magno & notorio iure mihi vendico. Nonne videtis, quo iuris discrimine, & quàm imparibus verbis, ac meritis, hominem sibi vitia adscribant? Nam cùm cætera dicant simpliciter, Meus es; sola ex omnibus ambitio fidentiùs loquitur, & audacter affirmat: Planè meus es, manifesto, indubitatóque iure ad me spectas, nemo æquè ac ego, te sibi arrogare potest, luculentioribus testimoniis, quàm mihi, non es obnoxius, devinctúsque alteri ulli. Hinc videas, quàm liberè, & clarè hîc loquatur ambitio. Tametsi enim peccata reliqua libido, gula, avaritia, maledicentia, & quæ sunt huius generis alia, convenire hominem, & dicas ei scribere possint, sed nulla fronte apertiore, quàm ambitio, nulli enim vitio ita succumbit homo, ut illi, nec ab ulla æquè opprimitur passione, ut ab una dominandi aviditate. *S. Ambros. in ps. 118.*

XV. Huius dicti veritatem, & cupiditatis vim, potestatémque satis indicarunt duo infantes, qui intra uterum matris positi confligere cœperunt. Primus indè prodibat Esau, & Iacob, velùt iam tunc intellexisset fore, ut ab eodem sibi præriperetur & primogenitura, & paternæ domûs locus dignior, à quo prævertebatur exitu celeriore, egrediens plantam fratris tenebat manu. Gen. 25. vers. 25. Esau in pedes se conuciebat, ut fratrem cursu prævenirer: *Nyss. l. c.*

niret: Iacob autem manum alteri pedum illius iniiciebat, ut moras abscurrere volenti afferret, & præoccupare illum posset. Primatum namque ambire, & nolle ab alio quoquam antreverti, tam est naturale homini, ut, quando etiamnum aliud nihil scit, iam hoc noverit, quomodo primarium locum quærere, & cavere debeat, ne quis illum alius dignitate aut gradu antecellat. In hac sententiâ est Oleaster, quam talibus verbis expressit. Non mirum, si tanta pro primogeniturâ sit inter fratres disceptatio, postquàm videmus, quæ pueri faciant propter hoc. Prorsus nihil novum, quòd fratres adultiores de imperio corrixentur, & pro dominatuum administratione altercentur, quando & pueri nondum in lucem editi tam acriter, ardentérque de primatu, & dignitate dimicant.

Idem peri-sch. 3. Dom. 16. post Pentec. XVI. Ut Abrahæ solidam erga se fidelitatem promptámque obsequendi voluntatem toti mundo testatam Deus faceret, hæc ei quondam imperabat: *Tolle Filium tuum unigenitum, quem diligis, Isaac, & vade in terram visionis, atque ibi offeres eum in holocaustum,* Gen. 22. 2. Oleaster hoc loco aliquid notavit dignissimum observatu, nempe quòd Deus Pater solum Filium suum voluit de ambitione Monarchiæ mundi tentari, cùm ei dæmon regna mundi semel omnia obtulit, quòd scierit, apud illum solum nihil obtenturam huiusmodi tentationem. Quia noverat neminem, nisi Christum victorem evasurum ex præsentata mundi monarchia, eum solum voluit illâ tentari, inquit ille, velut dixisset Dominus: Tentare possum Abrahamum sacrificio filii, qui illi unigenitus est, neque tam charus tamen, quin pro me facilè victimam mactabit. Possum alios tentare ærumnis, explorare, & exagitare adversis; atque ea illi propter me animo æquo, & magno ferent. Monarchiarum verò & amplissimorum honorum oblatione neminem tentabo, nec enim quisquam est, qui regnandi ambitum superare, & opprimere possit, Filio meo hic servatus triumphus, sola illum ea expectat victoria, qui solus aspernari imperia, & calcare Monarchias posse videtur. *Quia noverat neminem, nisi Christum victorem evasurum ex præsentata mundi Monarchia, eum solum voluit illâ tentari.*

Ibid. XVII. Quærit Abulensis, quam ob rem Christus, qui vivam omnium virtutum imaginem de se nobis exhibere potuit, atque ad earum exercitationem sæpe exhortari solitus fuit, solius mansuetudinis, & humilitatis prototypon se nobis præstituere voluit dicens: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Loquebatur alibi de ieiunio, & quamquam ipse quadraginta dies, totidémque noctes incsus transmisisset, solùm dicebat: *Tu autem cùm ieiunas, &c.* Matth. 6. 17. neque ait: Discite à me ieiunare. Lucæ 6. 12. *erat pernoctans in oratione Dei;* cúmque studium eiusdem rei tam utilis, & ex qua salutis nostræ momenta plurimùm dependent, persuadere nobis vellet, hoc solum ait: *Tu autem cùm oraveris, &c.* Matth. 6. 6. neque dicit: Discite à me, qui totas orando noctes exegi, quomodo rectè precari debeatis. Rursum cùm sit ipsa liberalitas, ut nos ad largitatem excitaret, inquit: *date eleemosynam;* Lucæ 11. 41. & non ait: Discite à me munificentiam, cuius tanta est benignitas, & liberalitas. Idem est de reliquis virtutibus, At quid causæ, quòd solius humilitatis formam à se desumi voluit? Respondit magnus Doctor q. 66. in c. 11. Matth. dicendum, quòd hoc fuit, quia Christus dixit, Discite à me: ipse autem ostendebatur sicut perfectissimus, in viro autem perfecto non est magnum, quòd non sint, quæ ab omnibus ut vitia reputantur. Qui meritis vitæ sanctioris aliis præit, & ad altiorem virtutum gradum evasit, non debet gloriæ ducere, quòd vel absque vitiis sit, quibus inquinati sunt alii, aut virtutes habeat nec alias, nec maiores, quàm cæteri. Vincit quispiam gulam, & ieiunat, quid ille magnum facit? Amat alius orare, quid hoc mirum in misero, & egentissimo Dei mendicabulo? Alius in pauperes stipem erogat, quid eâ in re arduum, atque operosum? sed illam famem gloriæ, illam imperandi sitim extinguere, & repudiare dignitates, & calcare obvia sceptra, & per humilitatem cordis proclivem ad pompas animum coërcere, ut ne sursum tendere cupiat, hoc eximium quiddam, & æternâ famâ dignum facinus est. Quod secum reputans Christus, aiebat: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde;* Magnus enim Magister, & vir perfectissimus hoc solum laudi sibi ducere debet, quòd dicat, & faciat magna, quibuscum comparari nequeant, quæcunque ab aliis vel dicuntur, vel fiunt.

XVIII. Plutarchus author est, coiisse quondam Philosophos, ut unum quoddam comminiscerentur nomen, quod homini, nativæque eius proclivitati quàm maximè conveniret, & post diligentem consultationem non occurrisse aptius, quàm ut græcè Φῶς appellarent, quod latinis Lux dicitur. Rationem verò nominis affert Plutarchus in Moral. l. 2. talem: Opinor autem dictum à luce, propterea quòd omnibus vehemens quædam insita sit cupiditas innotescendi. Prudentissimè lucis nomine donârunt hominem: ut enim ea in omnes partes diffunditur, nec rimulam præterit, per quam non se insinuet, ita homo, ut plurimùm amat videri & eminere, & superior esse aliis, sic nullam prætermittit occasionem, quâ primatum obtinere sperat: Neque hoc admodum miror; hanc enim ab ipso matris suæ utero ostendit propensionem. Versabatur S. Petrus Chrysologus in consideratione maturationis, quâ fœtus naturæ vinculis eximi, & maternæ alii prodire angustiis festinat, sic ut constituti temporis terminos prævertere soleat, septimóque sæpe mense erumpere, neque nonum aut decimum exspectare. Quid causæ est, quærit Chrysologus. Illud, quòd versari in luce, & innotescere amat, & expetit: Disruptis temporum moris, inquit ille serm. 56. & rudi latrocinio, & fractis viscerum claustris, repentina vivendi lucra *Idem per L. in fer. 4. post Dom. 1. quadrag.*

era quærunt, & rapiunt nascituri. Tam ardenter expetunt homines esse illustres, & conspicui.

Ibid. XIX. Potuit David Saulem, cùm eum in antro invenit, obtruncare, & ita potiri regno. Sed abstinuit à cæde manum, Deique providentiæ omnia reliquit. Postquam tamen speluncâ egressus est Saul, vocibus illum prosecutus, omnium, quæ acciderant, certiorem fecit, dicens: *Considera, & vide hodie*; tanquam ex S. Joannis Chrysostomi Commentario hom. de David & Saul. tom. 2. dixisset: Nihil loquor de anteactis, mihi ad probationem satis est hæc dies, nolo vetera mea in te officia, quæ nec parva sunt, neque pauca, commemorare, quando id, quod hodie à me factum, mei in te animi testis esse locupletissimus, luculentissimusque potest. Quare autem dies illa poterat testatissimam facere sanctitatem, & integritatem Davidis, suprà, quàm ea, quæ diebus cæteris fecerat? Nimirum illâ die adire regnum Saulis potuit, dum vitam illi adimeret, modò voluisset. Quòd verò homo sursum evadendi occasionem prætermittat, & nactus imperii adeundi occasionem negligat, id sanctitatis omnium maximæ, & consummatissimæ virtutis indicium est.

Damnum.

Mansi disc. 9. n. 1. XX. Cùm Redemptor noster cum Apostolis suis de passione & morte sua iam imminente familiatiter dissereret, ecce protinus duorum illorum ambitiosorum fratrum mater coram Christo se statuens, arrogantem illam porrexit supplicam: *Dic, ut sedeant hi duo filij mei unus ad dexteram tuam, alter ad sinistram in regno tuo.* Ac proinde valde notanda est dictio illa, *Tunc*, quâ S. Evangelista hanc recensens historiam utitur, dicens: *Tunc accessit*: id est, ex illo Salvatoris de amarissima Passione & morte sua habito discursu, occasionem sumpsit, supplicationem hanc Christo porrigendi pro filiis promovendis. At verò quamnam patibulum crucis cum throno regio, sceptra cum clavis, chlamys regia cum lacerata, sordida, & obsoleta purpura, corona spinea cum diademate regio proportionem habet? Etenim verò aliud ad huic difficultati respondendum non occurrit, præterquam trita illa S. Bernardi sententia. O ambitio, ambientium Crux! Etenim incarnata sapientia specialiter ita disposuisse videtur, ut hæc mulieris & filiorum ambitio, cùm Christi tormentis concurrerent, ut indè omnibus manifestum fieret, quod Regum throni & imperia gravia sint, eos admodum torquentia, animorúmque patibula.

Salmer. to. 4. tr. 27. XXI. *Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem*: Porrò fulgura & fulmina, balistæ cælorum dici possunt: & ideò quando Christus dicit: *Videbam Satanam sicut fulgur de cælo cadentem*, idem est ac si diceret; superbus ille & arrogans de cœlo in terram, instar alicuius è balista eiaculati fulminis, præcipitatus fuit, in signum, quòd omnes suos conatus in id duntaxat directurus esset, ut mediante ambitione rixas, discordias, & contentiones iugiter seminare posset. Inter superbos (inquit sapiens) semper iurgia sunt. Did. Stella illa S. Lucæ verba; facta est contentio inter eos, quis eorum videretur maior, ponderans, ita scribit: Habes hic, ex quo fonte bella & dissidia oriuntur, nempe ex ambitione. Hæc fuit causa, quòd Romani totum orbem maculârunt sanguine humano. Imò, quod valdo deplorandum est, discordiæ, rixæ, & dissensiones etiam inter Prælatos Ecclesiasticos propter præcedentiam, quam ambiunt, sæpenumero locum habent. Unde Salmeron ait: omnis in Ecclesia Dei tentatio & altercatio de sedium est primatu & eminentia: Videas enim Principes huius Mundi de loco certare inter se, & cum Ecclesiasticis: Videas Ecclesiasticos de eâdem re contendere: videas etiam interdum ipsos Religiosos, qui Mundi contemptum profitentur, contentiosè inter se de honore loci decertare.

XXII. Ingeniosa prorsus est illa Hugonis Cardinalis observatio, nimirum quòd Salvator noster in die Purificationis Mariæ ab eâdem Matre sua delatus, seu portatus fuerit Hierosolymam: in fuga sua, qua Herodianam declinavit sævitiam, abvectus fuerit in Ægyptum, ac denique ieiunans in deserto delatus fuerit supra templi pinnaculum. Porro per Hierosolymam vita Contemplativa designatur, quæ pace fruitur & quiete altissima; Ægyptus verò vitam præfigurat Activam, quæ turbationibus & inquietudinibus intimè est coniuncta. Joan. 16. In Mundo pressuram habebitis, in me autem pacem. Desertum denique, Religionis figura existit, in qua vita in sanctæ solitudinis recessu traducitur, & dæmon continuis victoriis subiugatur. Mons verò altus, in quem Christus à dæmone translatus fuit, superioritates denotat, & prælaturas; templi verò pinnaculum, sedem denotat seu cathedram Magistralem, ex qua per Sacerdotes erudiebat populum. In his quinque locis (verba sunt præcitati Eminentissimi Cardinalis) est JEsus, id est, salus; unde in his locis quærendus est Iesus, sed unde quis portavit Jesum, & in Jerusalem, & in Ægyptum, & in desertum? & quis in montem, & in pinnaculum? Porro Hierosolymam Christus deportatus est per S. Josephum & Beatissimam Virginem: in desertum deductus est per Spiritum Sanctum: ductus à Spiritu. In Ægyptum, & in Jerusalem Stella maris, & Augmentum, Fides & Charitas: Spiritus autem Sanctus duxit eum in desertum: In montem verò, & super pinnaculum duxit eum diabolus: ideo timendum est tam Prælatis, quàm Magistris, ne eos diabolus in montem Prælationis portaverit, & istos in sedem Magistralem: Cæsarii etenim Arelatensis veridica sententia est: quisquis superbus est, dæmone plenus est. *Hugo in c. 2. Luc.*

XXIII. Primus Christi in terra Vicarius, qui tantas de Christo ad mortem usque consectando, futuræ fidelitatis & constantiæ suæ promissiones fecerat, pedem suum aulæ Caiphæ vix intulerat, quando è vestigio Christum Magistrum, & Dominum suum esse, turpissimè negavit, *Mansi disc. 2. n. 4.*

negavit. Unde Glossa optimè dicit: Non in monte, non in domo sua, non in templo Petrus negat, sed in Prætorio Judæorum, in domo Principis sacerdotum, ubi non est veritas, ubi Christus captus & ligatus est. Hugo Cardin. similiter scribit: Petrus semel intravit curiam, & ibi vigorem animi perdidit, & Christum negavit: quid si diu permansisset in curia? Quinimo addendum est insuper, Petrum aulam ingressum fuisse Principis sacerdotum, phreneticâ illâ ambitionis febri minimè ardente, quin potiùs cum intentione Christum in ipsam usque mortem consectandi, & defendendi, & tamen adeò fuisse ignominiosè prolapsum; ac proinde cogitate, quantò faciliùs & probrosiùs lapsuri sint illi, qui ibidem non alio fine commorantur, quàm ut ad ambitiosarum prætensionum suarum metam tandem aliquando pertingere possint. Advertendum quoque est, Petrum aliis mediantibus in Pontificis domum fuisse introductum: *Petrus autem stabat ad ostium foris; exivit ergo discipulus alius, qui erat notus Pontifici, & dixit ostiariæ, & introduxit Petrum.* Quo in facto Petrus illos præfigurâsse perhibetur, qui ad honores admittuntur, vel Ecclesiastica aut temporalia munia consectantur, per viam solius alieni favoris, per viam autem meriti minimè promoventur: hi etenim in millena præcipitia corruunt, eò etiam usque, ut ipsum quoque Christum per quotidiana scandala pernegent; Nullibi enim Christus (quod bene advertendum est) tot fuit iniuriis, colaphis, sannis, flagellis, spinis, aliisque diversis improperiis & tormentis affectus, quemadmodum in Annæ, Caiphæ, Pilati, & Herodis, (qui omnes Magnates & Principes fuère) maledictis aulis. In aulam quoque, muliere mediante, introductus fuit: *Dixit ostiaria, & introduxit Petrum*; quia nonnunquam etiam per similes mediatrices in dignitatum culmina conscenditur. Hugo quoque Cardinalis de Petro insuper notat, quòd etiam non ibi, sed foris pænituit, & egressus foras flevit amarè; quasi Evangelista dicere vellet, quòd, quamdiu homo in ambitionis culmine consistit, pœnitentia ne quidem per umbram aditum habere possit.

Pet. Bless. ep. 6. XXIV. Petrus Blessensis in ea est opinione, quòd Etymologia huius dictionis, Curia, derivetur, â nomine Cruor; quasi totum ambitiosorum aulicorum negotium nulli alteri rei intenderet, quàm ut unus alterius eruat oculos, vel sanguinem effundat. Scholiastes Tertulliani â Baëza relatus, olim vetustissimum Ecclesiæ morem fuisse, scribit, dandi in Missa pacis osculum cunctis præsentibus, præterquam aulicis; cuius hanc protinus rationem subnectit: circumferatur patena pacis inter fideles, præterquam tamen inter aulicos, quos unanimes esse & pacificos non sinit ambitio. Et hinc est, quòd S. Bernardus superborum implacabilis persecutor & hostis, ita scribat: Displicuit mortalibus angelica illa partitio, quâ Gloria Deo, pax hominibus nuntiatur, & quia gloriam usurpant, turbant pacem.

XXV. S. Bernardus in libris de consideratione ita scribit: Claustrum quosdam malos recipit, quos ut plurimùm bonos efficit; at curia bonos faciliùs recipere, quàm facere consuevit. *S. Bern. l. 4. de consid.*

XXVI. S. Bernardinus Seniensis nonnullos considerat scopulos, in quos nos dæmon impingere facit, ut sic eos, qui ad dignitates sublimantur, in multa ruere vitia faciat, bonósque eorum mores corrumpat: mentes enim, inquit, quæ non sunt multis virtutibus habituatæ & roboratæ, citò deficiunt, ex multa distractione distrahuntur ab adulatoribus, qui circumstant: nemo talium magnatibus aperit veritatem, nemo sinit eos cernere peccata sua, sed in illis laudantur: Adducitque illum psalmi textum: *Ascendunt usque ad cœlos, scilicet per gloriam & honorem: & descendunt usque ad abyssos, per multiplicationem gravium peccatorum.* Móxque rationem reddit ex eodem Psalmista huius tam turpis in peccata præcipitii. *Anima eorum in malis tabescebat*, id est, in peccatis resolvebatur. *S. Bernardin. to. 1. S. 50. a. 4.*

XXVII. Idem thronum Darii Regis regium septem gradibus constantem nobis describit: Omnes autem hi gradus ex variis erant lapidibus pretiosis confecti, præter ultimum. En ipsissima Sancti huius Scriptoris verba: *Rex Darius fecerat sibi thronum de auro, & per septem gradus ascendebatur ad eum; primus erat de Amethysto, secundus de Smaragdo, tertius de Topazio, quartus de Granato, quintus de Adamante, sextus de Auro, septimus de luto*; Magìs autem, dicat fortasse aliquis, necessarium videbatur, ut gradus ultimus, utpote Maiestati regiæ proximæ vicinus, omnium esset pulcherrimus & pretiosissimus; cur igitur ex luto sive cretâ fabricatus fuit? Respondeo igitur, id factum esse, ut per hoc Principibus viris insinuaretur, quòd, quantò sunt potentiores & formidabiliores, tantò quoque maiores patiantur insidias, ipsique morti viciniores existant. Vel etiam dici potest, ita factum esse, ad denotandum, quòd eo tempore, quo quis ad altissimum honoris gradum usque pervenit, tunc inconstans fortunæ rota communiter vel maximè mutari & gyrare soleat, ita, ut, qui antea consistebamus in vertice, mox mutato fortunæ statu iaceamus in luto, cunctorúmque pedibus conculcemur. *Idem to. 1. s. 25.*

Fuga.

XXIIX. Moyses, utpote existimatus genuinus filiæ Pharaonis filius, & hæres Regius, quadraginta annis in eiusdem Pharaonis regiâ, regni moderatus est sceptra, demum verò in sylvestribus Madian se abscondit, ibique totidem annis ovium gregibus pascendis intentus fuit, donec tandem ab altissima Maiestate divina populo Israëlitico quidam Dei Locumtenens Generalis præfectus fuit, at verò postquam honorificentissimo hoc munere insignitus esset, audite, qualiter sub hoc onere ingemiscens lamentatus fuerit: *Cur afflixisti servum tuum? quare non invenio gratiam coram te? & cur imposuisti* *S. Bern. ep. 42.*

posuisti

posuisti pondus universi populi huius super me? Quis obsecro novum hunc in cunctis sæculis inauditum sermonem non obstupescat? Variæ quidem quotidie audiuntur humani generis querelæ, dum varii se à Deo abiectos existimantes, mœsti vivunt ac tristes, eo quòd in statu humili semper perseverent; nemo enim est, qui in hominum existimatione esse, & honorari, authoritatéque ac Dominio præfulgere non diligat? Et tamen Moyses à Deo ad honores subvectus contrarium sentit, dicens: *Cur afflixisti &c. quare non invenio gratiam coram te?* Ambitiosi gratiâ Dei se excidisse arbitrantur, quando ad Mundi Gloriam non subvehuntur; Et tamen iis, qui verum lumen, cælestiúmque bonorum notitiam habent, verissimum est, quòd honores onus secum gravissimum adferant, sub quo consequenter miserè ingemiscunt. Unde optimè S. Bernardus scribit: Meditantibus honoris blandiuntur, sed onera pensantibus tædio sunt atque formidini, non autem omnes capiunt hoc Verbum; multi enim non tantâ fiduciâ & alacritate currerent ad honores, si esse sentirent & onera, gravari profectò metuerent, nec cum tanto labore & periculo quarumlibet affectarent infulas dignitatum. Porro Moyses sub hoc sibi à Divinâ Maiestate imposito onere lamentans, hanc planctûs sui reddidit rationem: *Nunquid ego concepi omnem hanc multitudinem, vel genui eam, ut dicas mihi: Porta eos in sinu tuo?* Universam, obsecro, scripturam sacram pervolvite, nec tamen unquam Moysi hoc à Deo impositum fuisse præceptum reperietis, ut populum hunc sibi commissum inter brachiorum suorum amplexus, imò & sinu suo portaret, quin potiùs eum iussu divino Generalem populi sui ducem factum esse, eique eundem gubernandi authoritatem, Dominiúmque collatum fuisse deprehendetis; cur igitur mandatum sibi esse ait, ut ipsos in sinu suo portaret? scitisne quidnam ad hoc responderi debeat? nimirum idem prorsus esse, dicere, Moysen Israëlis Dominio & gubernaculo fuisse admotum, quàm ipsum erga populum hunc patris, matris, & nutricis officium exercere iussum fuisse, asserere; hoc enim est pondus & onus, quod gubernatori plebis alicuius censetur impositum, ut scilicet se sollicitum erga sibi subditos Patremfamilias exhibeat, eisdem in infirmitatibus suis summâ cum amoris & benevolentiæ significatione subveniendo, abblandiendo, & compatiendo. Hinc etenim factum est, quòd prudentissimus vir ille apud Isaiam, sponte sibi oblatam à populo Regni sceptrum constanter recusârit, dicendo: *Non sum Medicus, & in domo mea non est panis, neque vestimentum, nolite constituere me Principem populi.* Quasi diceret, illi, qui erga sibi commissos paternæ charitatis viscera non habet, qui subditorum necessitatibus sollicitè prospicere, infirmitates eorum curare, eósque, ubi opus fuerit, vestimentis congruis induere & fovere nescit, Imperium etiam sponte oblatum, nequaquam acceptandum esse. Septuaginta loco verborum illorum: *Non sum Medicus*, legunt: *Non ero Princeps.* Pagninus: *Non ero Dominus.* Chaldæus: *Non sum dignus, ut sim caput, aut Princeps.*

XXIX. Nonnulli optimè observârunt, nusquam de Christo Salvatore nostro legi, quod in toto triginta trium annorum decursu unquam equo aut iumento aliquo usus fuerit, tametsi varia aliàs loca eundo peragrârit: *Pertransibat benefaciendo*; præterquam in solo & unico die triumphi sui, in quo veluti Rex asino insidens honorificentissimè exceptus fuit; Neque existimandum est, id Christum fortè fortuitò fecisse, siquidem deditâ operâ nonnullos è discipulis suis in proximum castellum misit, qui asinam & pullum ligatos solverent, & adducerent, imò expressè adiecit, quòd si quis eorum conatui reluctaturus & iumentorum adductionem impediturus esset, dicerent: quia Dominus his opus habet. Respondetur igitur, quòd, quando Salvatori nostro decretum erat Regis titulum sibi acclamatum admittere, non uno, sed duobus iumentis vicissim seu per vices uti voluerit, asinâ nimirum & pullo eius, animalibus scilicet naturâ suâ gravibus portandis oneribus destinatis; ad denotandum gravitatem & difficultatem oneris, quod portare debent, qui aliis præsunt & dominantur. Mansf. disc. 10. n. 6.

XXX. In cuius confirmationem notandum est, quòd, quando Samuel venturo Sauli extemporaneum præparabat convivium, in quo ipsum Regem declaraturus erat, modus quidam specialiter observandus sit, quo Samuel in ferculis appositis distribuendis uti voluit; per hunc namque modum futuro Regi indicatum esse voluit, quòd Regno, eiúsque oneribus portandis humeri ipsius submittendi essent: Dedit locum in capite eorum, qui fuerant invitati, dixítque Samuel coquo; *Da partem, quam dedi tibi, & præcepi, ut reponeres seorsum apud te. Levavit autem coquus armum, & posuit ante Saul*; Hæc autem carnis portio à Propheta à Deo illuminato, Sauli nequaquam casualiter proposita fuit, quia idem Propheta mox subiungit: *Ecce quod remansit, pone ante te, & comede, quia de industria servatum est tibi, quando populum vocavi; & comedit Saul.* Nequaquàm dubito, quin curiosi sitis ad intelligendum, quænam sit inter sceptrum & armum seu humerum bovis proportio; atque ideò pro meliori huius mysterii intelligentia, quandam Gregorii Magni sententiam priùs audite: Tantorum quippe pondera, inquit sustinere compellitur, quantis in hoc mundo principatur. Etenim Propheta Samuel, qui Iudex populi erat, Saulem commonitum esse voluit, ut se suósque humeros ad Dominii sibi commissi onus & pondus fortiter portandum bene præpararet, nam iuxtà verissimam S. Gregorii sententiam, onus sive pondus hoc, non unum duntaxat est, & simplex, sed quot sunt in Regno subditi, totidem quoque onera portanda esse, existimandum est: E qua sententia evidenter colligitur, quòd, qui maiori dominio, copiosiorique

Ibid. n. 2.

1. Reg. 9 v. 24.

R. P. Lohn. Auctar. Bibl.

rique subditorum numero præest, is quoque fortiores robustioresque humeros, ut habeat, necessum sit. Unde optimè ad propositum author quidam de Saule tractans ita scribit: quòd, cùm armus maximè valeat ad onera ferenda, Saul cogitaret, se non ad lusum, ad voluptates, sed ad maxima onera ferenda vocari.

antiq. con. Gvval. lib. 1. c. 33.

XXXI. Non defuit, qui indignè promotos ambitiosos homines Ezechielis currui similes esse pronuntiâret; Hic enim currus quatuor facies referebat, quarum prima erat leonis, quia superbus leonis instar ad gradus sublimes violenter ascendit; Postquam verò in editiori loco conspicuus sedet, faciem Aquilæ induit, (hæc enim est facies secunda) adeò altè evolando, ut iam neminem eorum, quibus aliàs familiariter uti consueverat, agnoscat. Tertia facies hominis erat, quia paulatim postquàm illo sibi acquisito honore exciderit, iterum se hominem aliis similem esse commonstrat. Quarta facies bovem referebat; quam etiam ambitiosus ille tandem induit, quia omnibus tandem, stolidum & ignorantem ipsum esse, manifestum evadit. Unde maiori quàm unquam alius ludribrio exponitur. Stultorum exaltatio, ignominia.

Idem disc. 12. n. 11.

XXXII. Porro advertendum est, quòd, quando Christus perspicuis verbis dixit: *Qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus*, expressam fecerit servitutis mentionem. Ubi Lucas Burgensis ait: vobis prorsus addictus, nullatenus liber: Plùs est servum esse, quàm ministrum, nam minister liber esse potest, servus autem totus est Domini sui, quidquid habet in bonis sive naturæ, sive fortunæ, totum addictum est servituti Domini, idque totum in iis superioribus specialiter exemplificat, quibus regimen incumbit animarum: adeò servitio vestro obnoxium se esse sciat, ut quidquid habet bonorum, sive animi, sive corporis, adeóque & vitam suam, ubi fuerit opus, séque ipsum totum impendere debeat, tutandæ saluti vestræ. Porro priùs dixerat: *sit vester minister*, sed quasi parùm nimis se dixisse videretur, subiunxit: *Erit vester servus.* Unde S. Thomas ambitiosos monet dicens? si aliquis desiderat habere primatum in Ecclesia, sciat, quòd illud non est habere Dominium, sed servitutem; in cuius confirmationem illam adducit ab Apostolo factam declarationem: *cùm essem liber ex omnibus, omnium me servum feci.* Ac proinde author operis imperfecti valde impensè miratur, neque causam se invenire posse dicit, cur dignitates tàm anxiè, tantáque cum aviditate procurentur: Primatum Ecclesiasticum concupiscere, neque ratio est, neque causa, quia neque iustum est, neque utile; quis enim sapiens ultro se subiicere festinat servituti, labori, dolori, & (quod maius est) periculo tali, ut det rationem pro omni Ecclesia apud iustum iudicem, nisi fortè, qui non credit iudicium Dei, nec timet, ut abutens primatu suo Ecclesiastico sæculariter, convertat eum in sæcularem.

Luc. Burg. in c. 20. Matth.

XXXIII. Memorandum est, quòd, dum à Pharaone è carcere eductus Joseph à compedibus ascendit ad Thronum, traditúmque est ei in universam Ægyptum absoluti Dominii sceptrum, simul etiam ab eodem Pharaone Rege catena quædam collo eius iniecta fuerit. Postquam enim dixisset: *Tu eris super Domum meam, & ad oris tui imperium cunctus populus obediet, uno tantùm Regni solio te præcedam*; ut omnem quoque authoritatem, potestatémque regiam ei delegaret, collo torquem auream circumposuit: catenis & compedibus liberâsse dicitur is, qui mox collo eiusdem aliam non minùs ponderosam & gravem catenam iniecit? Ita profectò res se habet; verùm per hoc insinuare nobis voluit, quòd, licet carceribus exire Josephum iusserit, non tamen per hoc illum ab omni servitute liberum effecerit, quin potiùs eandem novis denuo incrementis adauxerit, dum eidem in throno collocato, Imperii sceptrum in manus dedit, & ideò catenam collo eius iniecit. Verum quidem est, quòd catena hæc aurea fuerit, quia servitus, sub quâ Reges, Principes, & Magnates ingemiscunt, honorifica & splendida est, ut diximus, tametsi Seneca optimè dixerit: Stulti est, compedes suos quanquam aureos adamare. Porrò libertas per collum liberum exprimitur; Et hinc est, quòd Deus significare volens populum suum sibi minimè subiectum, dixerit de eo: Duræ cervicis es; dúmque se Hierosolymam in pristinam libertatem repositurum esse, promittere voluit, eidem dixit: Solve vincula colli tui, filia Sion; adeóque quòd Pharao catenam, quâ antea Josephi pedes obstrinxerat, nunc collo eiusdem iniiciat, id nequaquam eâ mente factum est, ut eum liberaret, sed potiùs, ut eidem tacitus innueret, quòd eâ in dignitate graviori quàm antea, servitutis iugo subiectus & pressus esset.

Mansi disc. 16. n. 4.

XXXIV. Quando S. Propheta Elisæus de Elia charissimo Magistro suo loquebatur, qui tanquam sacri Prophetici gregis caput, omnibus Prophetarum Filiis summa in veneratione erat, edicere solitus fuit: *Pater mi, currus Israël, & auriga eius.* Quibus in verbis illud specialiter notandum venit, quòd Elias uno eodémque tempore currus pariter & auriga appelletur? Quis est, qui nesciat, currum & aurigam duas res esse inter se distinctissimas; cur igitur respectu unius & eiusdem hominis eadem simul unit, & coniungit: Currus viatorum sarcinas, aliáque viarum impedimenta intra se portat, auriga verò currum per loca magìs pervia ducit, dirigit, ac proinde imaginari vobis debetis, hanc veram quandam figuram esse eorum, qui imperant, & gubernant; hi enim, tametsi leges subditis imponendi, eósque, prout illis placet, gubernandi & dirigendi authoritatem habeant, cum hoc tamen stat, quòd eodem prorsus tempore illis necessarium sit, ut pondus subditorum portent, miseriis & calamitatibus subditorum universalibus & particularibus compatiendo, alimoniæ sufficientem illis annonam procurando, urbes & oppida fortificando, eisdémque de munitionibus & militum sufficienti numero prospiciendo, atque quieti & saluti publicæ invigilando. Unde Drogo Ostiensis

Ibid. n. 6.

Digitized by Google

Ostiensis ait: Currus Israël, & auriga eius, portas & regis, sustinens & gubernans.

Ibid. n. 7. XXXV. Ex unanimi multorum sacrorum Expositorum interpretatione certum est, quòd columna illa, quæ populo Israëlitico in deserto ducis & rectoris loco inserviebat, cœlestis quidam nuntius fuerit, ad hunc specialem effectum à Deo cœlitus missus? at verò dicito sodes, quamnam ob causam Angelus ille columnæ similitudinem induerit? Nimirum quia columnam ad ædificii pondus sustentandum destinatam esse scimus, ac proinde Angelus ille insinuare nobis voluit, quòd, qui populos regendo, illisque imperando, Dux & Gubernator est aliorum, eodem tempore, quo à subditis obedientiæ debitum accipit, eosdem quoque portare, & sustentare debeat.

Justin. lib. 18. hist. XXXVI. Justinus historiam refert, quòd per pronuntiatam ab oraculo sententiam talem aliquando Regem eligendum esse, statutum fuerit: Qui primus omnium solem orientem conspexisset; factùmque indè esse, quòd omnes suos orientem versùs oculos deflexerint, unico duntaxat excepto, qui ut altissimorum montium cacumina, quæ omnium primò à sole oriente irradiari solent, aspicere posset, occidentem versus oculos suos defixit, atque ideo quia in solis luce conspiciendâ primus fuit, idemmet votis omnium Rex proclamatus fuit: E qua historia non sine rationabili fundamento hæc potest deduci optima moralitas, nimirum eos qui dignitatum non orientem (id est, delitias, honores, thesauros, imperia & dominia) respiciunt, sed occidentem (id est, terminum, in quem tandem in fine resolvendi sunt) considerant, humilitatem in se conservare, & modestiam, séque ad illarum legitimam administrationem meritissimos reddere, maximéque idoneos. Unde S. Greg. ait: Lux miseris datur, quando, qui se in hac peregrinatione miseros agnoscunt, claritatem transitoriæ potestatis accipiunt, & tolerare insuper honoris onera compelluntur. S. Petrus Damianus superbos ad Magnatum mausolea spectanda hisce verbis invitat: Ubi sunt modò tot potentes sæculi, tot invictissimi Reges, & qui cœlo videbantur superextolli, & totam penè Mundi latitudinem sub suæ potestatis imperio possidere? Nonne si ad horum sepulchra respicias, corpus illud, sub quo Mundus tremere cogebatur, vix unius libræ pondus invenitur.

S. Isidorus, & alii Patres decreverunt: Tantùm ab ambitu debet esse sepositus Antistes, ut quæratur rogandus, rogatus recedat, invitatus effugiat, sola illi suffragetur necessitas excusandi. Et paulò post subiungit: Profectò indignus est, nisi fuerit ordinatus invitus. *S. Isidor. ep. 1 ...*

XXXVIII. Oleaster ad dignoscendum eum, qui imperiis gerendis idoneus sit, hoc infallibile signum esse statuit: Quemcunque videris sub præfectura, quasi onere gemere, crede, illum optimè demandatum munus administrare, quem verò lætum ac gaudentem de hac re conspexeris, dicito, illum utilitatem & vanitatem in dignitate quæsisse. *Oleaster in c. 11. Num.*

TITVLVS IV.

ANGELUS.

§. I.

QUOAD ESSENTIAM.

Numerus Angelorum.

S. Greg. l. 17. mor. c. 56. I. Daniel Propheta visionem quandam habuit, quam ipsemet cap. 7. Prophetiæ suæ describit, in qua innumerabilem quendam vidit Angelorum, thronum Dei circumstantium, numerum, qui omnes ad Divinæ Maiestatis nutus exequendos erant promptissimi; cum qua visione mirè consentit visio illa, quam S. Joannes in Apocalypsi se pariter habuisse scribit; vidit enim, quòd erat numerus eorum millia millium. Porrò Sanctus Gregorius Magnus rationem reddit, cur Spiritus S. illos cœlestis curiæ exercitus in numero quodam definito describat, cùm tamen ille nobis pro infinito habeatur: Supernorum Civium numerus infinitus est, & definitus exprimitur, ut qui Deo numerabilis est, iste esse hominibus innumerabilis demonstretur. Sanctus Bernardinus per adductam Dionysii Areopagitæ authoritatem (an verè, an verò per exaggerationem loquatur, non satis liquet) dicit: Angeli in Paradiso existentes sunt plures, quàm sint stellæ, quàm sint arenæ maris & terræ, quàm sint folia & herbæ, & quàm sint omnia quæcunque creata.

Divisio.

II. S. Bonaventura illorum nobis distinctionem explicat, dum ait: Distincti sunt in triplici Hierarchia, scilicet suprema, media & infima. Suprema est altissimi Maiestati assistentium: Media autem est Angelorum contrariis se se potestatibus opponentium; Infima denique est humanis necessitatibus ministrantium: Adeò ut ex novem Angelorum choris maior pars nostris sit obsequiis destinata. Eandem distinctionem S. Gregorius tradit, dum in infimam Hierarchiam collocat Angelos, Archangelos, & virtutes. In secunda ponit potestates, Principatus, & Dominationes. In suprema denique Thronos, Cherubinos, & Seraphinos. *S. Bonav. ser. de Angel. nost.*

Officium.

S. Paul. Hebr. 1. v. 14.

III. S. Paulus Apostolus omnes Angelos non solùm ad obsequium & ministerium DEI, verùm etiam ad servitium & ministerium nostrum destinatos esse existimat, dum ait: *Omnes sunt administratorii Spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hereditatem capiunt salutis.* Porrò officium eorum in specie quidam sic explicant, ut *Angelorum* quidem officium sit, ut nos custodiant; *Archangelorum*, ut in divina lege, ministeriisque cœlestibus nos erudiant; *Principatuum*, ut viam nostram gubernent, & rectè ordinent, *Potestatum*, ut rebellium spirituum insultus à nobis propellant: *Virtutum*, ut ad virtuosè operandum nos exstimulent; *Dominationum*, ut ad inordinatas passiones nostras superandas vires sufficientes nobis subministrent; *Thronorum*, ut nos in bono cœpto stabiliant, nobisque in eo perseverantiam ad finem usque concedant; *Cherubinorum*, ut mentem & intellectum in divina sapientia illuminent; *Seraphinorum* ut corda nostra divino amore accendant, adeò ut meritò non solùm de duabus, sed de omnibus tribus Hierarchiis, & novem choris dicere liceat, quòd verè sint salutis nostræ ministrales.

Apud Mansi tr. 6. disc. 1. n. 4.

§. II.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Qualitas.

S. Laur. Iust. ser. de S. Mich.

I. MInistrantium ordinibus iniunctum est particulare hoc regimen universum, ad quod perficiendum nec tabescunt tœdio, nec labore succumbunt, neque seducuntur errore.

S. Thom. Villan. con. 1. de S. Mich.

II. Quantæ virtutis & potestatis fuit, omnes Ægyptiorum primogenitos una nocte occidere? maris fluctus siccare? currus & exercitum Pharaonis submergere? tot gentes & tam robustas subvertere, & populum Israël in terram eorum introducere? quæ tamen omnia unus Angelus, cui populus à Deo commissus est, qui eundem in deserto in columna præcedebat, operatus est.

Ibidem.

III. Non valdè mirabimur hæc, si orbes illos cœlestes tam vastos & amplos singulos à singulis spiritibus tantâ velocitate, & uniformitate, tot sæculis, sine ullo velocitatis aut tarditatis augmento vel decremento moveri, consideraverimus. Ad vocem Archangeli totus suscitabitur mundus, totum terrarum orbem à summo usque deorsum, à convexo cœli, usque ad infimum abyssi penetrabit illa vox.

S. August in Ps. 102.

IV. Vix audierunt vocem divini præcepti, statim faciunt verbum eius, ut quamvis Divini Verbi præceptum antecedat, tamen tanta illorum in exequendo velocitas, & intentio est, ut nescias penè, quid prius est, vóxne sermonum Dei, an illorum in exequendo celeritas.

S. Bonav. serm. 1. de Angel.

V. Vide quanta sit Angelorum charitas, qui in cœlo empyreo creati, tanquam in loco sibi convenienti, & apto Divinæ contemplationi, pro divina obedientia, & charitate ad proximum, habitant nobiscum in terra, in loco obscurissimo, si cœlo empyreo comparetur, licèt divina contemplatione non careant, quia Deum ubique contemplantur.

Orig. hom. 1. in Ezech.

VI. Dicunt inter se: si ille descendit, & descendit in corpus, si mortali indutus est carne, & sustinuit crucem, & pro hominibus mortuus est, quid nos quiescimus? quid parcimus nobis? Eia omnes descendamus de cœlo! Ideo & multitudo militiæ cœlestis erat laudantium, & benedicentium Deum, quando natus est Christus.

S. Aug. to. 9. c. de dilig. Deo.

VII. De excelso cœlorum habitaculo, ad consolandos, visitandos, & adiuvandos nos, attrahit supereminens charitas Angelos, propter Deum, propter nos, & propter seipsos: Propter Deum utique, cuius tanta erga nos pietatis viscera ipsi quoque, ut dignum est, imitantur: Propter nos, in quibus nimirum propriam similitudinem admirantur: Propter seipsos, quorum ordines instaurandos ex nobis, toto desiderio præstolantur.

Abulensis in c. 18. Matt. q. 67

VIII. Angeli boni proniores sunt, ad adiuvandum, quàm Dæmones ad infestandum; atqui Dæmones nunquam ab infestatione hominis cessant usque ad mortem; Ergo neque Angeli custodes cessant aliquando in custodia hominum.

S. Petr. Dam. apud Mansi disc. 10. n. 16.

XI. Quotidiè illos ad nostri custodiam deputatos multipliciter offendimus, & offensam negligentiâ cumulamus, ipsi autem licèt à nobis frequenter iniurias patiantur, sustinent tamen, & compatiuntur peccantibus, nec minor illorum circa nos custodia, imò maior sollicitudo, cùm boni custodis sit, infirmis magis, quàm sanis, operam exhibere.

S. Anselm. in c. 16. Luc.

X. Annunciant Deo Angeli opera nostra cuncta, nec non orationes, non, ut ipse discat, quæ nesciebat (nihil enim est, quod ignoret:) sed quia necesse habet rationalis creatura obtemperans Deo, temporales causas ad æternam veritatem referre, sive petendo, quid erga se, vel erga nos fiat; sive consulendo, quid faciat, qui pius mentis affectus est, ut ipsa construatur, non ut Deus instruatur.

S. Laur. Iustin. c. 16. de vita solit.

XI. Noli, O homo, tale Conditoris tui negligere munus, noli custodis tui Angeli benevolentiam spernere, suffragium abiicere, & ignorare consilium. Sta super custodiam tuam, & dùm oras, legis, sedes, ambulas, loqueris, vel aliud agis, attende diligenter, quæcunque versantur in te; tibi assistunt Angeli à dextris boni, à sinistris mali, eorum singuli ut te rapiant ad se, illisque consentias,

Oleaster in c. 48. Gen.

XII. Vigilat super nos indefessus ille divinæ providentiæ oculus, mittens & remittens administratorios illos Spiritus, qui nos custodiant in omnibus viis nostris, & cavendum est nobis à malis factis, aut verbis, cùm sciamus Deum ad nos incessanter Angelos destinare, qui omnia nostra bona & mala eidem renuncient, & considera, quanta aviditate nostras res audiat, qui ad ostium accedit, ad nuncios suscipiendos.

Dignitas.

Dignitas.

S. Aug. ser. 46. ad frat. XIII. In supernis Spiritibus non solùm admirabilis dignitas est, & dignatio amabilis invenitur, sed tanta gloria est, quòd lingua vel cor humanum nullatenus dicere valet, vel cogitare.

Ibidem. XIV. Domestici Dei sunt, Cœli cives, Principes Paradisi, scientiæ Magistri, Doctores sapientiæ.

Beneficia.

S. Thom. Villan. conc. 2. de S. Mich. XV. Propter nos inserviunt nobis, miserantur enim sortem nostram, videntes periculum nostrum, & laborem vitæ nostræ, qui conspiciunt nos in magno discrimine positos, in medio scilicet inter gloriam & gehennam, quibus aut perpetuò regnandum est, aut ardendum, & tanto discrimine obnoxios, omni sollicitudine curant in bonam partem deflectere.

S. Bonav. apud Mansi disc. 1. n. 4. XVI. Castra Dei hæc sunt, quia ad modum castrorum nos muniunt, qui sumus faciles ad seducendum, fragiles ad resistendum, debiles ad operandum, & ideo occurrunt nobis tanquàm potentissimi coadiutores, ut eorum auxilio muniti discamus hostium potentias non timere.

S. Laur. Iust. c. 16. de vit. sol. XVII. Semper suadent bona, ad orandum provocant, excitant ad compunctionem & fletum, Dei scientiam ingerunt, timorem filialem docent, pacificant mentem, cogitationes ordinant, spei infundunt dulcedinem, occulta pandunt, custodiunt unitatem, legis instruunt servare mandata, obtemperare Deo, subesse maioribus, pacem diligere, humilitatem sectari, & cuncta odisse, quæ noverunt repugnare virtuti.

S. Chrysost. ho. 3. ad Hebræ. XVIII. Propter nos laborant, circa nos cursitant, & ut dixerat quispiam, nobis serviunt, hoc est, eorum ministerium, propter nos in omnes partes mitti.

S. Io. Damasc. l. 2. fidei orth. c. 3. XIX. Benedicantur Cœlestes Spiritus (verba sunt Damasceni) qui tametsi eximiâ naturæ dignitate & perfectione longè nobis supereminenant, non tamen aspernantur nostri curam, & custodiam: sed mirâ humilitate nobis condescendentes omnem exhibent sollicitudinem, ut tandem cohæredes & consortes ipsorum efficiamur in cœlis.

S. Laur. Iust. c. 7. de Obed. XX. Assiduâ vigilantiâ comitantur nos in periculis, in laboribus, in infirmitatibus, in negotiis, in itineribus, semper exhortantes ad bonum, detestantes malum, protegentésque à malo, si tamen intentâ cordis aure eorum sacra monita audire velimus.

S. Aug. ser. 46. ad frat. XXI. Isti sunt, per quos sustentamur, per quos in mari & in terra iuvamur, per quos mente & corpore illuminamur, per quos in tribulationibus & angustiis consolamur, per quos ab infirmitatibus frequenter liberamur.

S. Laur. Iust. ser. de Euch. XXII. Hinc est, quòd nos in huius peregrinationis naufragio, ne periclitemur, protegunt, præbent consilia salubria, deprecantium orationes perferunt, coram Deo offerunt vota, supplicationes impetrant, reportant gratiam, torporem excitant, de ignotis erudiunt; instruunt ad certamen, spirituales arcent nequitias, atque indeficientem imbecillitati humanæ custodiam exhibent.

XXIII. Si orant, eorum preces offerunt Deo, nec vacui revertuntur ad nos; si pugnant, æquè ipsi cum eis pugnant; si quiescunt, ipsi excubias agunt, ne quid mali ab adversariis patiantur; si ignorant, docent eos; si cadunt, erigunt; si pusillanimes efficiuntur, sanctis exhortationibus roborant, & accendunt; & quâ parte humana curvatur iniquitas, eâ parte se opponunt casuris. *Idem c. 5. de discipl. Monast.*

XXIV. Fidelis Paranymphus, qui mutui amoris conscius, sed non invidus, non suam quærit, sed Domini gratiam, discurrit medius inter dilectum & dilectam, vota offerens, & referens dona. *S. Bern. ser. 31. in Cant.*

XXV. Tunc offendimus pedem ad lapidem, cùm oblatâ occasione temporalis boni acquirendi, vel temporalis mali evadendi, labimur in peccatum, unde bonum æternum amittimus, & sempiternum supplicium incurrimus; sed qui habitant in adiutorio Altissimi, ab Angelo custode iuvantur, ut vel occasio illa tollatur, id est, affectu elevato à terra, occasio temporalis boni, quod sine peccato acquiri non potest, facilè contemnatur, & malum temporale, quod sine peccato vitari non potest, patientissimè toleretur. *Bellarm. in Psal. 90.*

XXVI. Pessimi dæmones nostram cupiunt perditionem usque adeò, ut videre sanguinem humanum effusum in bellis, eorum luxuria sit, & non nisi humano sanguine invocati à Magis, respondeant ad quæsita, tanta est eis humani sanguinis sitis, Angeli autem è converso has truculentas bestias à nobis abigunt, atque pro nobis decertant adversus eos, ac veluti parvulos suâ protectione tuentur. *S. Thom. Villa. ser. 2. de S. Mich.*

XXVII. Grandis est eis cura de nobis, magnus est affectus dilectionis erga nos, & hoc totum propter honorem tuæ inæstimabilis charitatis, quâ dilexisti nos, diligunt enim, quos tu diligis. *S. Aug. soliloq. c.*

Cultus.

XXVIII. Si vita nostra tam prava videtur, & squallida, ut etiam carne vestitis hominibus fœteat, qualis putas est Angelis, qui iugiter semper eminent in spiritualis munditiæ culmine? Vnde & illud formidolsè pensandum est, ne illos, qui ad custodiam nostram deputati sunt, Angelos vitæ nostræ fœtor offendat, ut potiùs apud Deum conqueri, quàm sua nos debeant attestatione tueri. *S. Petr. Dam. l. 6. ep. 31.*

XXIX. Cave, homo, ne quando relinquit te Medicus, sive Angelus Dei; manifestum, quia abscessio eorum condemnatio tua sit, ut irremediabilis, nolentisque curari; cùm autem te deseruerint, quid tibi aliud eventurum est, nisi quod solet his accidere, qui à Medicis desperantur, utentes voluntate morbi sui, ut ad peiora demergantur. *Orig. hom. 1. Ierem.*

§. III.

§. III.
EXEMPLA SACRA.
Beneficia.

Tob. c.12. v.3. I. Tobias iunior de se fassus est: me duxit, & reduxit sanum, pecuniam à Gabelo ipse recepit, uxorem ipse me habere fecit, & dæmonium ab ea ipse compescuit, gaudium parentibus eius fecit, me ipsum à devoratione piscis eripuit, te quoque videre fecit lumen cœli, & bonis omnibus per eum repleti sumus.

Mansi disc. 1. n.15. II. Quando tempore S. Gregorii Magni urbs Romana sævissimâ flagellabatur pestilentiâ, adeò, ut præ cadaverum multitudine, urbs illa vastissima visa fuerit ingens quoddam esse mortuorum cœmeterium, placatâ demum divinâ iustitiâ Angelus quidam supra molem Adriani visibiliter sese conspiciendum præbuit, qui strictum habens, cruentúmque gladium in vaginam recondebat, in signum quòd mortalis illa, quæ hactenus sævierat, influentia iam penitus cessaret; unde moles prædicta deinceps castrum S. Angeli denominata fuit.

Baron. ann. 400. n.44. III. In Annalibus Ecclesiasticis legitur: Quòd cùm quidam, cui nomen Gainas erat, urbem Constantinopolitanam armorum suorum vi & potentiâ in exterminium animo statuisset adducere, accidit, ut quidam immensæ magnitudinis Cometes, qui ad terram usque pertingeret, consp iceretur: ipse insidias suas palam futuras esse metuens, milites suos palatium, immissis ignibus, aggredi & infestare iussit, qui prope palatium venientes, ingentem quendam armatorum militum excessivæ magnitudinis, & grossitiei admirabilis numerum conspexêre, ex quo viso, metu & terrore consternati, retrogressi sunt, unde venerant, Tyrannus autem alios denuò milites ad idem palatium emittens, eosdémque non minùs, quàm primos ab eodem spectaculo perculsos esse cernens, tandem ipsemet in propria persona ad idem se palatium recepit, eandémque armatam multitudinem oculis propriis cernens, eosdem deforis ad palatii custodiam missos milites esse credidit, adeòque tandem à perverso suo attentato destitit, qui tamen postea milites illos Angelos civitatis illius tutelares esse certò cognovit; utpote qui clientibus suis ab omni ærumna & gravi tribulatione eripiendis, sollicitè & graviter invigilant.

Idem Anno 421. IV. Cardinalis Baronius de Theodosio Imperatore refert, quòd is Persarum Regem formidabilem quendam exercitum congregâsse præsentiens, fiduciâ suâ in Deum totaliter collocatâ, suum tametsi modicum & rarum militem adversus hostem urserit; Cùmque in urbe Constantinopolitana ob ancipitem prælii futurum eventum ingens omnes timor incessisset, nonnullis in Bithynia Christi fidelibus multi apparuerunt Angeli, eisdem præcipientes, ut ad populum Constantinopolitanum consolandum abirent, eundémque de reportanda per Theodosium victoria, securum, certioremque redderent, eò quòd multi Angelorum à Deo expediti essent, ut in hoc prælio ministri & Duces essent; undè cæsa fuerunt ex inimicis fidei nostræ centum millia, quorum maior pars in Euphrate submersa fuit.

V. Arabes Cordubam de facto inhabitantes, adversùs Catholicos Hispanos centum quinquaginta millia peditum, & quinquaginta millia equitum conscripserant; Dum vero Ramirus Rex de cœlo sibi mitti postularet subsidium, subitò ante Catholicorum militum exercitum cœlestes comparuêre Spiritus, militari habitu induti, quorum præsidio & ductu Ramirus cæcidit 80. millia, reliquis totaliter profligatis, & dissipatis. Idem Anno 938. n.1.

VI. Memorabilis quoque illa victoria fuit, quàm B. Joannes Capistranus ante Belgradum à Turcis obsidione cinctum, sub Pontificatu Calixti III. reportavit; in quo prœlio Mahometus Christiani sanguinis avidissimus, qui in propria persona eidem prœlio præsens aderat, unà cùm ducentis millibus pugnatorum vulneratus est, & occubuit. Et quidem de B. Joanne præfato Annales memorati dicunt: Cum duobus fratribus ipse solus cùm per parvam transiret naviculam, visum est Turcis innumeram armatorum multitudinem contra eos transisse, cùm in rei veritate essent solùm tres personæ, & ideo rabidi canes in sese mutuò sævierunt, & ad numerum viginti quatuor millium interierunt. Raynaldus an. 1456. n. 13.

VII. De S. Paulo simplice S. Antonii discipulo, sequens narratur visio; Hic enim die quadam multos, serenam præ se ferentes faciem, atque ab Angelo eorum custode associatos iucundos & hilares Ecclesiam ingredi vidit: Inter alios verò unum postea nigrum, à dæmonibus capistro per nares alligatum, eius verò Angelum è longinquo mœstissimâ facie subsequentem conspexit; Ex qua visione S. Paulus plurimùm contristatus fuit, licèt eum Deus postea subitò per immissam ei consolationem denuò erexerit: siquidem eundem, dum ab Ecclesia regrederetur, omninò ex atro & deformi, in candidum valdéque speciosum mutatum, eiúsque Angelum ante eum maxima cum hilaritate præcedentem, dæmonem verò procul ab eo positum & afflictum conspexit; Cùmque S. Eremita visionis huius significatum summo cùm desiderio scire cuperet, divinâ ex revelatione accepit, illum ideo nigra fuisse facie antea visum, quia fornicationis peccato multo tempore immersus fuerat; Verba autem sequentia Isaiæ audiendo, nimirum: *Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum de animabus vestris coram oculis meis, discite benè facere; Etsi fuerint peccata vestra sicut coccinum, tunquam nix dealbabuntur*; perfectè compunctum fuisse, seriámque egisse pœnitentiam. Specul. Exemp. ex.7.

VIII. In Annalibus Ecclesiasticis de quodam Hispaniarum Rege, cui nomen Vamba erat, refertur, quòd, cùm exercitum suum adversùm fidei rebelles ducturus esset, primò & ante omnia sollicitus fuerit, ut milites suos armis spiritualibus timoris Dei, virtutúmque Christianarum Baronius an. 674.

rum communiret; At verò cùm deinceps multos sub signis suis merentes adulterii crimen commisisse intellexisset, iustam de illis capturus vindictam, partes eorum secretiores amputari iussit, dicens: Frustra pergit ad bellum, quem iniquitatis comitatur exemplum; At verò, qui tot militum passus fuerat iacturam, quosnam postea habuisse putatis, quos adversus exercitum inimicum in sui regni defensionem opponeret? visus est Angelorum excubiis protectus noster exercitus, & ipsos Angelos super castra corusca volitatione protectionis suæ signa protendere.

Specul. Exemp. ex. 2. IX. In speculo exemplorum refertur, unum è senioribus Eremitis die quadam vidisse, quòd dum Eremitæ sui spirituales inter se conferentias sive colloquia miscerent, Angeli valdè læta & hilari facie iisdem adstiterint, quasi significare volentes magnam se ex devotis colloquiis voluptatem percipere: ècontra verò dum de aliis rebus vanis & inutilibus confabularentur, sese iidem cœlestes Spiritus velut indignabundi subduxerint, eorúmque in locum animalia quædam successerint immunda, luto turpiter defœdata, quæ in medio Monachorum sese circumvolutabant, voluptatem nimirum indicantia, quam dæmones ex vanis & inutilibus discursibus hauriunt.

Biblio pau. p. 2. Bonav. 6. Angeli boni. X. Petrus ab Alva & Estorga in portento gratiæ ex diversis revelationibus & authenticis Scriptoribus astruit, S. Franciscum per Angelum à Deo missum in Assisiam Civitatem ad matrem eius Picam fuisse annuntiatum, additque, in eius conceptione quatuor mira contigisse. 1. Quòd conceptus eius annuntiatus sit ab Angelo. 2. Quòd fuerit in utero matris sanctificatus. 3. Quòd anima eius fuerit infusa corpori 25. Martii, quo die Christus est conceptus. 4. Quòd statim, ut anima eius corpori fuit infusa, tantus splendor in valle Spoletana apparuerit, ut omnes dæmones exterriti iudicium timuerint; cùm autem mater eius dies plures ægrè parturiret, quidam dæmon accedens in specie peregrini, dixit, in stabulo eam parituram, nec prolem in sericis sed in fœno edendam. Ita in stabulo & fœno natus est.

Philipp. à SS. Trinit. in Itin. Orient. l. 2. c. 13. XI. Religiosus quidam pietatis causâ in Armenia volebat montem conscendere, ubi dicitur Arca Noë quiescere, ut illam videret; idque conatus est magno labore: sed cùm totâ nocte, quâ potuit, celeritate, fuisset progressus, manè ad montis radicem se reperit, Angelúmque vidit Arcæ particulam deferentem sibi cum dicto: Accipe has de Arca reliquias: supra montem ascendere nulli mortalium licet; his dictis evanuit.

Lit. annua 1635. XII. In Paraquaria quidam prænoxio pudore scelera in confessione reticens, in vitæ discrimine, quod morbus creabat, vidit spectrum horrendum sibi imminere; quare unum è nostris vocat, confitetur sincerè; Monstrum evanescit, succedit Angelus, (utique custos) in iuvenis forma formosissimus, coronam gerens in vertice auream, gemmis distinctam, dextrâ linteum ferebat. Hæsit in limine tantisper vultu ad severitatem composito: tum iacenti propior: sume, inquit, linteum hoc, & lacrymas exterge; linteum vix manu tetigit, tum subitò sic se commoveri sensit ad deflenda scelera, ut doloris impatiens in gemitus & lamenta proruperit. Dolentem subinde excepit suavitas cœlestis, quâ eousque aspersus est, dum Angelus evanuit, relicto in prodigii fidem strophiolo.

XIII. Christianus quidam, Lucas nomine, forte cum Gentili inimicitias exercebat, qui ei magicis artibus illusurus, sub lecto Lucæ fascinum posuit. Iturus igitur cubitum Lucas, vidit per suum cubile dæmonem discurrere cum lanceâ in una manu, in altera cum gladio, & infra pedes accensam flammam: quo exterritus Lucas socium suum Benedictum vocat; Tunc dæmon ei ictum infligit: Undè magis territus, opem Angeli sui custodis invocat, qui mox comparet, & eum iubet vicissim ictum cultro, quem ad cervical habebat, spectro infligere? Quod ubi Lucas fecit, mox humi concidit homo stramineus, dæmoni similis, qui discurrebat, & Angelus evanescit. Sequenti nocte adest idem dæmonium: simul Angelus custos iterum à Luca invocatur, hortans eum, ne timeret, sed, ut heri, spectrum percuteret, dum cecidit, alius è stramine efficitur homo. Addebat Angelus, sub scamno cubiculi alia adhuc latere eiusmodi terriculamenta tredecim, quæ iussit eum protrahere & calcare: neque deinceps sibi timeret. Paruit Lucas, rémque totam suâ manu ad nostros Patres perscripsit, tunc in Regis Palatio Tunquinensis existentes: qui legerunt, Medico Regio audiente, (sunt enim his locis Medici ferè magiæ dediti) tùm Medicus subiunxit; Eum, qui has incantationes fecisset, esse insignem magum; sed eum, qui has ei solvit, esse utique potentiorem, & scientiorem. Et fuit utique S. Angelus dæmone potentior. *Relat. Iapon. 1644.*

XIV. Mancipium Bengalense, Macao in Chinas profugum Christianum, quadam die Dominicâ templum ingressum, audiendi Sacri causâ, cùm ei videretur longius, impatiens moræ, post dimidium Sacrum egressus est templum, fastidio plenus: Unde Christiani offensi sunt. Vix pedem extra limen templi extulit: cùm coram eo duo iuvenes comparent, quorum unus iniectâ in pectus manu eum sistit: alter tam sonantem ei colaphum inflixit, ut in toto templo audiretur. Unde Christiani versi ad locum, unde sonus ille prodibat, vidêre hominem hunc prostratum, & sensu destitutum, ut vitæ indicio careret. Demum se erigit, & ad se redit; tremebundus tamen Christianis, quid sibi à duobus Angelis (ut ipsemet dicebat) ad sui emendationem accidisset, retulit. *Bartoli in China l. 4. fol. 1069.*

XV. Ammonas prope Diolcon in eremo aliquando offerens Deo cultum, ut habet Palladius sect. 66. Lausiac. hist. vidit Angelum stantem à dextris Altaris, & signantem fratres accedentes ad Sacramentum (SS. Eucharistiam) & scribentem in libro eorum nomina. Cùm autem non adfuissent aliqui in Synaxi, vidit deleri eorum *VVadingus tom. 3. n. 22.*

eorum nomina, qui post tres dies mortui sunt.

Iul. Cæsar Recupitus de Vesuvii incendio.

XVI. Nicolaus quidam obscuri generis, sed pius admodum, in Vesuviano incendio inauratam statuam, quam tutelari Angelo fieri curaverat, & in pagi, Porticus dicti, æde sacrâ collocârat, sensit sibi profuisse: templo enim illo per torrentem igneum deleto, Nicolaus relictâ casâ, & prædiolo, Neapolim profugit interea, & rogatus ab amicis, nunquid detrimenti esset passus in prædio, respondit: omninò nihil; Nam meus tutelaris Angelus adstat ad agelli mei limites, & vim ignis prohibet. Ita ille divino utique afflatu. Paulò pòst aliqui prope Portum navigantes, viderunt pueri speciem veluti litori adnantis, putant mersum in aquas, dum cæteri in igne pereunt, eò remis contendunt, propiùs vident, statuam esse Angeli tutelaris, erecto vertice extantem undis, adstantem tipis, quæ Nicolai prædio prominebant.

Virid. Raderi p. 3.

XVII. Duo erant fratres Eremitæ, quorum unus obvium thesaurum saltu superavit; Alter verò eo sumpto urbem ingressus, Monasterium, Xenodochium &c. ædificavit. Cui tamen Angelus ita fratrem prætulit, ut ei dixerit: fratrem uno illo saltu plùs meruisse, quàm ipsum omnibus operibus, quæ illâ pecuniâ effecit, & ob id se fratri suo verè prætulit. Addidit, eum post hac non ampliùs aut fratris, aut suo aspectu fruiturum, quoad annis 49. pœnitendo eam gratiam recuperet. Ergo extra urbem Edessam annis 49. columnæ institit. Anno autem quinquagesimo Angelus redux eum consolatus est; ab eo die meruit videre Angelos, & dæmones pellere. Vidit etiam homines peccatis obstrictos longo intervallo Angelos sequi bonos, & mœrentes clientis sui casum, dæmones verò agminatim eos circumstare, ac vinculis constringere; Contrà vidit, si ad se vir bonus accederet, bonos Angelos esse eorum anteambulones, tripudiantes, ac lumina præferentes radianti veste; dæmones verò longo intervallo sequi.

Vita l. 1. c. 8.

XVIII. Marinæ de Escobar, præter custodem Angelum, decem alii Angeli in forma Iuvenum scitissimorum aderant, semper ad solatia, opem, & auxilia.

Lyraeus de imit. Christ. l. 7. c. 1, doct. 6.

XIX. B. Iacobus de la Marca dum versus carnificinam, seu locum, ubi rei plectebantur, inter orandum oculos reflecteret, admirabili viso Deus oculos aperuit; Prospiciebat isthuc per fenestram cubiculi sui Iacobus, & ecce Angelorum cohors præfulgida loco imminebat, auditáque vox, ideò advenisse, quia plurimi ex eis, qui plectuntur inibi, cœlesti gloriâ patiebantur; quibus cùm iusta funebria pro more hominum non fuissent persoluta, voluisse Deum, ut ab Angelis persolverentur.

Idem l. 8. modo 31.

XX. In Gallia mulier ægra à B. Virgine fuit monita, ut se in vicinum montem curet deferri, ibi eam convalituram, ac velle se ibi coli. Angeli comites interrogati, eam Dei Matrem esse dixerunt, iubentes fœminam adire Episcopum Georgium, eíque rem totam aperire. Probat is visum, & cum muliere & sociis montem adit, Mons nive tectus erat, etsi dies 11. Iulii esset. Et mox cervus exiliit, qui cursu suo templi topographiam expressit, quam statim Episcopus voluit sepimento notari, donec fabricam inchoaret; quâ feliciter absolutâ, accedentes Angeli templum B. Virgini dedicarunt. Et hæc Aniciensis illa B. V. Ecclesia est, in Avernis miraculis clara.

Vita Alex.

XXI. Cùm Alexander Bertius sepeliretur, eius exequiis etiam Angeli præsentes fuisse dicuntur: Nam quatuor feretrum accipere, atque ad maximam aram catervatim cœlitibus affluentibus, deportare conspecti sunt, cùm primùm funus illarum est templi Sacrario virgineum corpusculum, longâ tabe consumptum, colorem vividum induere animadversum est, maximis postea miraculis claruit, qui totus fuit miraculum.

Barr. anni sanctif. 1. c. 5. devot. 3. pro 4. Febr.

XXII. Erat vir pius Ecclesiasticus, qui sæpissimè B. Virginem salutabat iis verbis: Beatus Venter, qui portavit æterni Patris Filium, & Beata ubera, quæ lactaverunt Christum Dominum. Quod aliquot annos solitus facere, gravi morbo opprimitur, cuius vi & vehementiâ ille dentibus labia & linguam laceravit, commiseratione omnium dignus. Tunc Angelorum unus (utique eius custos) ad pedem lecti conspicuus, versus ad B. Virginem per huius ægri fidissima obsequia obtestatus est, ei sanitatem restitueret, cum quadam pia & reverenti expostulatione, quòd os & linguam illam eius obsequiis sacram pateretur tam acerbè lacerari; vix finivit Angelus, cùm B. Virgo aliquot guttis lactis ex ubere expressis eius labia & linguam aspersit; qui illicò totus convaluit, gratiísque de genu actis Religionem iniit, ubi moriturus B. Virginem vidit adventantem cum ingenti Sanctorum numero, & Angelorum, à quibus ad cœlum deduceretur morientis anima.

Ibid. p. 2. c. 2. devot. 1. Hebd. 2. post Pasch.

XXIII. B. Henricus Suso solebat B. Virginem ante solis ortum salutare, quod fuit à SS. Angelis doctus, quos audivit manè, cùm sol immineret, admirando concentu B. Virginem salutare, cuius Cantici thema fuit istud: Stella Maria maris hodiè processit ad ortum.

Ibid. p. 2. c. 2. devot. 14. die Merc. 5. post Pasch.

XXIV. Anno 1621. Fœmina fuit in Iaponia, quæ adhuc gentilis, Amidæ (qui est Deus Iaponiorum) nomen quotidiè centies quadragies millies pronunciabat, in quem finem summo manè surrexit, adiuta per spiritum familiarem sive dæmonem: Postea conversa ad veram fidem, toties Iesu & Mariæ nomen pronunciavit, ad quod obsequium maturandum deinde fuit ab Angelo custode excitata,

Vit. PP. l. 5. libell. 7.

XXV. Fuit in deserto senex Anachoreta, qui diu ab omnibus in suo ultimo morbo destitutus, habuit demum ministrum Angelum, qui ei septem dies inservijt. Interim vicini eremitæ memores, se diu cum hoc sene non fuisse, statuunt, se eum adituros, & si æger esset, opem laturos: Adsunt igitur, quibus fores pulsantibus Angelus evanescit: cùm interim senex æger clamat: Ite, recedite, quòd videret ab iis Angelum fugatum. Denique

vi

vi emoto pessulo ad senem ingrediuntur, à quo clamoris causam percontati cùm essent, senex respondit: dum vos cunctamini, me ægrum invisere, Angelus mihi minister septem dies adfuit; cùm verò vos portæ imminetis, ille abscessit, & ad cœlos rediit, hæc ultima eius vox fuit, & illicò obiit.

Paedag. Christ. to. 2. p. 1. c. 4. S. 5. n. 12. XXVI. B. Passideus subinde habuit in purgandis ollis, lancibúsque adiutorem, custodem Angelum.

Ibidem. XXVII. Apud Lucanos in Hetruria ancilla quædam Sancta, Sita nomine, è templo, ubi Deo vacabat, seriùs ad coquendum panem domum rediisset, nisi Angelus fermentatam massam interim subegisset, inque panes efformâsset, & in mensa posuisset, ut clibano immitterentur.

Ibid n. 13. XXIIX. Sed longè mirabilius est, quod narrat Ximenes Hierosolymitanus de Falcone quodam, imprimis nobili Iuvene Constantinopolitano, qui in Angeli sui Custodis honorem, voto nunquam mentiendi se obstrinxerat, illúdque dum sanctè servat, etiam cum mortis periculo, eo, per Angelum miro modo liberatur. Cùm enim bonus ille, ortâ sine arbitris rixâ ad manus cum sodale quodam venisset, eúmque confodiens occidisset, posset verò negando factum evadere, voti memor mentiri noluit. Fassus ergo scelus protinus ad Iudicem trahitur; & latâ promptè in eum mortis sententiâ, indè ad supplicii locum nihil tergiversatus, re Angelo suo commendatâ, alacer & fiduciâ plenus deducitur; Ibi flexis humi genibus cervices in ictum parat; & expedito iam gladio instat lictor, quando ex adverso videt rarâ pulchritudine Iuvenem stricto illi ense, nî abstineat, minitantem. Territo visô lictori gladius excidit; à circumstante populo, qui frequentissimus ad spectaculum confluxerat, murmuratur, exclamatur; submittitur alius ab irato Iudice, qui protinùs caput eodem situ exspectanti demetat; sed nec ille quidquam audet, neque tertius, quartúsque, qui ab Angelo territi omnes pedem referebant. Erat ex occisi propinquis unus aliquis, qui ipse se ad ulciscendam amici mortem, de istorum ignaviâ indignabundus, Iudici offert &c. impetratâ licentiâ theatrum conscendit, ac totus vindictæ ardens, gladium in ictum extollit; verùm & illi se continuò Angelus videndum offert, vetátque voce distinctâ, ne clientem suum, qui negando homicidium evadere poterat, sed eius honore & reverentiâ mentiri nolens, morti se obtulerat, ipse tangeret, sed ad Iudicem iret potiùs deprecaturus pro liberatione illius, quem sciret olim in virum magnum evasurum. Fecit hic, quod iusserat Angelus, & dimittitur reus liber, meliori se mox in Monasterio mortis generi submissurus: Ubi cum veste Monachali nomen assumpsit Angeli, vitámque inibi ac mortem obivit Angelicam.

Ibid. n. 11. XXIX. Petrus de Natalibus narrat de cive quodam Aurelianensi, qui susceptâ ad D. Iacobi Compostellum peregrinatione, iter hoc suum S. Archangelo Raphaëli commendarat; eum enim & ducem habuit à via aberrans, & servatorem in persequentium latronum incursu, & fluminis transvectorem, ne in istorum iam iam imminentium manus veniret. Quin & ab eodem in Patriam, peractâ peregrinatione, ex loco, ubi priùs latronum manus evaserat, ac simile iam periculum metuens progredi non audebat, interim dum somno correptus quiescit, translatus est.

XXX. In vitis P.P. legitur de Abbate Moyse, *Ibid. n. 10.* qui cùm gravi carnis tentatione pulsatus, ad S. Isidorum consilii ac opis causâ confugisset, nec productis ab eo Sacræ Scripturæ sententiis, satis sibi ille adversùs tentationis impetum, armatus videretur, timerétque abs sancto sene recedere, duxit eum ad editum cellæ locum Isidorus, & apertâ occidentem versùs fenestrâ, ingentes cacodœmonum turmas, tanquàm ad prœlium instructas: Deinde ad orientem conversus, innumeram cœlestium spirituum multitudinem, arma aurea gestantem ostendens: En ait, fili, quos ad occidentem vidisti, spiritus nequam sunt ad oppugnandos homines semper parati; contra verò quos ab oriente videndos dedit Deus bonos Angelos, eos paratos semper esse vult idem Deus, ad homines defendendos. Non est ergo, cur timeas, plures enim nobiscum sunt, quàm contra nos.

XXXI. Circa Annum reparatæ salutis 1635. *Ibid. n. 15.* Cordubæ apud Paraquarios Indiæ occidentalis, fuit provectæ ætatis homo, quem libidinibus diu ac multùm assuetum suis, propositâ exaggeratâque vitæ turpitudine, eò impulit, ut vitam pertæsus, salutémque desperans, ipse sibi mortem laqueo afferre cogitârit: Et iam collum resti erat inserturus, quando voce Angeli absterritus, ac de faciendâ peccatorum confessione monitus, ad mentem rediit, & continuò se domo proripuit, Sacerdotem, cui conscientiam expiandam offerret, quæsiturus; sed id ut fieret, passus non est stygius latro, qui viri, cui ille, ob acceptum beneficium, multum debebat, indutus formam, factus obviam, variis moratum sermonibus, sensim sana hominis elisit, illusitque consilia; adeò ut non difficile fuerit (quæ est naturæ nostræ ad malum potiùs, quàm ad bonum adnata proclivitas) ad lubricitatis inveteratam redire consuetudinem, cui postquam sex ipsos annos iterum immersus vixisset, sui ac Dei immemor, maiori quàm antè cœpit conscientiæ agitari stimulis, salutisque desperatione vehementissimè urgeri. Et de vita actum erat, & æternâ salute, nisi Angelus etiam ea vice hominem collum laqueo inserenclara voce absterruisset, & de peccatorum venia per pœnitentiæ Sacramentum impetranda iterum commonuisset. Et tametsi tunc quidem vitæ emendatio, in confitendi voluntate steterit, dæmone amicum, ut ante sex annos, simulante, & à confessionis tribunali, quò properabat, aliò divertente; Non diu tamen pòst audito pro concione Sacerdote vehemen-

ter in eos, qui de salute sua desperarent, invehente, tandem monitoris Angeli consilia secutus, ad Sacerdotis pedes accidit; ubi præteritæ vitæ turpitudinem multis cum lacrymis eluit, factus acerrimus suimet acusator; quàm autem id seriò fecerit, testata est vita, quam deinceps, non vulgari virtutis exemplo, laudabilem duxit.

Discipulus lit. M exempl. 41. XXXII. In Brabantia, Villâ Banden, fuit virgo religiosa, quâ præsente, cùm Sacerdos in villâ Sacrum faceret, vidit corpus Sacerdotis & sacras vestes mirè decoras. Cùm verò S. Hostiam elevaret, vidit duos Angelos miræ puchritudinis hinc indè assistere, & eius brachia sustentare: & cùm S. Hostiam deponeret, manicas utriusque manus, ne quid eas tangeret, decenter constringere; qui etiam elevatis manibus, & inclinato capite depositam adorârunt. Circa tempus sumptionis vidit corpus Sacerdotis tam clarum & perspicuum, ut velut per phialam crystallinam corpus hominis videretur. Missâ completâ, dum Sacerdos vestimenta deponeret, illa ad se reversa, vidit corpus Sacerdotis paulatim inspissari, & in formam pristinam redire. Hæc puella, Oda dicta, habuit gratiam dignè communicantes ab indignis discernendi, & aliquando in Paschate vidit tantùm decem homines dignè communicare.

B. Alanus l. 1. de ortu Fratr. c. 12. XXXIII. B. Alanus testatur, cùm esset B. Virgo adhuc in vivis, tanti Salutationem Angelicam fuisse æstimatam, ut eam Christus, Angeli & Apostoli pronuntiarent. Addit, B. Virginem sibi apparentem dixisse; Quia vim Angelicæ salutationis probè intellexi, ipsamet ego singulari devotione pronuntiavi. Ego Maria iuxta humanam naturam & esse, oravi & invocavi Mariam secundùm esse gratiæ & gloriæ. Angeli quoque in cælo salutant eâ salutatione virginem Mariam, non signis sed animis; Norunt enim per eam Salutationem sedes Angelorum lapsorum vacuas repletas, Deum hominem factum, & Mundum redemptum esse.

Io. Rho. l. 1. c. 4. exempl. 1. XXXIV. Veteris Germanicæ pietatis magnificentia, quæ olim amplissimis templis excitandis maximè inclaruit, ne superiori sæculo vulgatâ per eas oras hæresum pestilentiâ periisse crederetur, Guilielmus Boius raræ, ac nullâ unquam prædicatione satis celebrandæ religionis Princeps Monachii posito templo augustissimo effecit. Eo nihil inter Principum opera hoc sæculo Germania maius habet, aut elegantius. Id verò cœlestium legionum fidissimi ac fortissimi Imperatoris Michaëlis nomine augustius esse voluit; quòd eiusdem sacrâ die lucis huius usuram primam hausisset, atque in eius perpetuo patrocinio vitâ omni traductâ, in æternæ possessionem mittendum se haud dubiè confideret. Hoc habent Principes viri, quòd suæ pietatis perennatura statuere possunt monumenta.

Ibid. ex 4. XXXV. Acceptam à S. Francisco Paulano familiæ Minimorum parente, pietatem constantissimè filii hodiéque servant; ille quùm modestiâ præcelleret, ratus, surgentem familiam sine aliquo valido patrono, se tueri non posse, Angelorum omnium Imperatorem adoptavit, & præcipua quadam religione à suis coli voluit. Id illi, cùm aliis obsequiis plurimis faciunt; tum eius præcipuè festis diebus solemni abolitione omnium offensionum, sine quibus, quamquàm sub ipso charitatis vexillo, hominum tamen vita non transigitur. Præclarè factum, atque ex Reipublicæ Christianæ sensu, quæ per eadem solemnia Angelum pacis à Deo mitti, publicis votis precatur. Non aliam ob causam arma induit Michaël, quàm ut cœlestis aulæ pacem tueretur. Quare qui cœlo dedit, terris etiam unus omnium optimè dabit.

§. IV.

EXEMPLA DOMESTICA.

Rho l. 1. c. 4. ex nostris Ex. 1. I. UT hominibus sæpe ex propinquo decidit veneratio, quam è longinquo intenderet opinio; famâ, quo propius ad eius acceditur cubile, ut in fluminibus accidit, decrescente: ita contra cœlitibus, quo familiarius cognoscuntur maiorem inesse illis dignitatem, admirabilitatémque palam est, quibus & reverentia promptior, & cultus diligentior debeatur. Igitur quùm Ignatio non semel se beatus ille Aligerum spectabilem videndum præbuerit exercitus, illum ego in hac etiam religionis parte admirabilem fuisse conficio. Et sanè singulos per ordines venerari, atque in illis rerum bene agendarum spem maximam collocâsse accepimus, quum ardua quæque pro DEI gloria apud mortales amplificanda aggrederetur. Illius etiam prudentissimum ab illorum imitatione documentum non dissimulaverim, quo eorum, qui aliis præsunt, anxietatem tranquillabat. Aiebat enim, ut Angeli nihil eorum omittunt, quæ pro clientum salute sibi præstanda esse intelligunt: neque ideo tamen, si res minus cedat ex sententia, pace tranquillissima non fruuntur: ita Præsidibus satagendum quidem esse, verùm utut res cedant, sine pacis, amatæque magnis animis quietis ullo detrimento.

Ibid. Ex. 3. II. Flagitium esset, dum de Angelis colendis agimus, Aloysii, quem Romanæ Rotæ Patres amplissimo honoris titulo Angelicum Juvenem appellârunt, dissimulâsse virtutem, & enim appellationem eam, quùm ille castissimis moribus, vitâque ab omni mortifera labe immuni meritus sit, hæc tamen si deessent, ipso Sanctorum Angelorum cultu consequi potuisset. Sanè si minutis etiam officiis, sed constantibus ea ratio tota continetur, qualis quantúsque in his fuerit Aloysius, edita de Angelis meditatio liquidò manifestat; qui enim de illis adeò præclara sentiret, ac facienda præscriberet, illis diu multúmque assuevisse sit necesse.

Ibid. Ex. 7. III. Eximiæ atque attentissimæ religionis vir Petrus Faber fuit, qui cùm per Europam ferè omnem Pontificis Imperio vitiis, atque hæresi bellum peregrinando circumferret, quo feliciter sibi cederent omnia, Superûm opem quæsitissimè implorabat, ut ad oppidum urbémque ac-

accedebat, tum conceptis ritè votis, sacrisque Psalmorum carminibus Tutelarem eius loci Angelum, Archangelúmve salutabat, útque subeunti præsens, ac favens adesset, quásque moliretur res, ad communis DEI gloriam promovere vellet, suáque ope iuvare, haud dubiâ bonæ frugis spe precabatur. Gratam cœlestibus eam fuisse Religionem, non dubiis docemur experimentis; Ubicunque enim ille pedem posuit, non modo altè impressa sanctimoniæ vestigia reliquit, verùm etiam animarum lucra inde reportavit. Nusquam libentius vocati adsunt Angeli, quàm si in partem labores ac curarum pro mortalium salute susceptarum evocentur. Hic illis optimis geniis genius est; nam animorum salute, illorum suppletur Respublica.

Ibid. Ex. 4. IV. Et domesticis curis Angelos præesse voluit Deus; ea propter illorum familiaritatem omni conatu illos ambire decet, quibus religiosarum familiarum cura est demandata, quod cum Petro Cottono manifestè illos fecisse accepimus, occultè plerumque peragentes, quæ in rem sunt, admonent, ac in partem veniunt sollicitudinum, vigiles nunquam dormiturientes. Sed Cottonus non exquisito cultu ac veneratione tantùm, sed qui Angelis homines associat, illibato pudicitiæ flore, quem constantissimè vernantem servaverat, ut sibi frequens adesset Tutelaris, illóque familiarissimè uteretur, meritò fuerat consequutus. In Angelum transmigret, qui illorum frui optat consuetudine.

Rho Ibid. Ex 1. V. Et immigraverat, opinor Alphonsus Rodericus, qui Angelorum vigilias æmulabatur, vitámque omnem illorum cultu metiri didicerat. Quoties enim velocissimæ temporis fugæ, vitæque furto per momenta nobis sublatæ, campani æris sonitu ex rotati horologii partitione admonemur, toties ille unum ex viginti quatuor, quos sibi Angelos in patronos delegerat, apposito sacro carmine consalutabat. Mira dictu res: vigilabat noctu pietas, excitabátque singulas ad horarum significationes alumnum suum, ut illud faceret officium salutationis. Salve igitur unus omnium mortalium, quos ego legerim, omnium non modò vigiliarum, sed horarum vir, ac proinde immortalitate dignissimus.

Ibid. Ex 8. VI. P. Balthasar Alvarez omnes quidem Angelos religiosè admodum venerari, sed quatuor singulari cultu didicerat. Gabrielem divinæ illius atque incomparabilis Dei adversus homines benevolentiæ ad Virginem olim Legatum. Tum illum, qui Christo in horto adeò graviter anxio, & ad preces tertiò incumbenti Summi Patris mandata detulit; & victoriæ per eam pugnam paulò post referendæ amplitudinem aptissimis ad consolandum verbis explicavit. Tertiò illum, cui nostrorum sacrificiorum quædam est demandata provincia, ut illa iuxta precantium vota Deo offerat. Postremò Tutelarem ac Patronum suum, & quùm Collegia, aut Provinciam regeret suorum omnium subditorum, ut eos & sibi faciles, & in virtutum exercitatione strenuos validósque præstarent. Duos illos primos sua satis munera commendant, ut pro omni ratione, illorum sit amplitudo.

VII. De Josepho Arriaga, & Francisco Abbato, sive litterarum ac sapientiæ, sive demissionis ac laboriosæ modestiæ laude quis præcellat Angelorum familiaritatem obsequiis cultúque diligenti posse promereri videtur. Arriaga mirum quanta pietate Custodem coleret suum, eíque sapientiam, qua erat instructus, commendaret. Abbatus item licet nullâ litteraturâ idem facere non omittebat. Utrúmque familiaria cum Angelis miscuisse colloquia memoriæ proditum est. Et Abbatus quidem, cui etiam pinsenti adfuisse dicebantur, adeò liberâ simplicitate hoc præseferebat, ut quùm solitudinem captaret, secederétque ab arbitris, interrogatus, quo se reciperet, ad colloquendum Angelis responderet. Neque id quidem mirum erit, servos cum simplicibus sermonem habere; quibus cum Dominus ipse sermocinaturum se pronuntiavit. *Ibid. Ex 9.*

VIII. Jacobus Samaniegus perpetuis ac diligentissimis obsequiis ita totius cœlestis exercitûs Imperatorem Michaëlem sibi demeruerat, ut post multa beneficia, quibus Clientem suum in dies cumulabat, ad extremum mirâ quadam dignatione, se videndum illustri specie collucentem obiiceret, ac bonæ spei plenum ad barbarorum regiones penetrandas, inferendúmque cæcis gentibus Evangelii lumen hortaretur, séque tantis operis adiutorem futurum polliceretur. Manet adhuc impetus ille nunquam remittendus, quo impressione factâ in Idololatriæ architectos, ac divinorum honorum usurpatores consceleratos exclamavit: *QUIS UT DEUS?* quo veluti tonitru attoniti ac fulmine icti conciderunt. *Ibid. Ex 3.*

IX. Guilielmus Elfinsthonus patriâ Scotus, sanguine & ingenio, & virtute admodùm nobilis, cùm penè adolescens nondum integro mense, postquam in Societatem nostram admissus fuisset, in lethalem febrim incidisset, incredibilem semper alacritatem & verbis & vultu, & factis ipse prætetulit, cùm satiari non posset gratiis Deo agendis, quòd in Religione moreretur. Extremo autem fermè spiritu, cùm fratres in cubiculum confertim introeuntes videret, in hanc ipsam vocem erùpit; O gloriosam, inquit, mortem, tot Angelorum agminibus constipatam? Quin etiam ingenti atque insolito elatus gaudio; Non videtis, inquit, non videtis Angelos? Simulque Angelum suum custodem compellans, aliquamdiu ita cum eo locutus, quasi eum oculis aspiceret, à quo sibi deinde nunciatum narravit, se per purgatorii quidem loca transiturum, sed celerrimè evolaturum. Quærente autem, nescio quo, quâ specie & quâ forma is Angelus esse, adolescentem quendam, qui tum aderat, indicavit, cui simillimum esse dixit. Mox etiam dulcedine quadam, mixtóque fervore ita completa est eius anima, ut corpus ipsum, licèt gravitate morbi *Pædag. Christ. to. 1. p. 1. c. 4. §. 3. n. 14.*

morbi, & mortis propinquitate fractum, aliquamdiu tamen insolitis motibus super lectulum quasi exiliens & gestiens agitaretur, cum omnium admiratione, qui nunquam simile aliquid viderant. Simul etiam oculos rectò post cervical, cum magna quadam exultatione reflectens, ac nescio quæ, quæ à nullo percipi potuêre, submurmurans, indicabat se aliquid ibi spectare, quo maiorem in modum oblectaretur. Inter quæ gaudia repentè consistens, tanquam placidissimo somno consopitus, spiritum exhalavit.

§. V.

MOTIVA.

Mansi disc. 9 n. 4. I. Quia *Angeli in morte soli propemodùm adstant, & defendunt*; Nam experientia quotidiana nos docet, quòd, dum morti appropinquamus, amici ut plurimum à nobis recedant: Etenim filii nihil nisi hæreditatem cogitant; Uxor de dote sua assecuranda laborat, parentes de temporalium bonorum dispositione nos urgere tunc solent, Medici totam curam suam in corporis salute procuranda collocatam habent; at verò quis est, qui de animæ suæ salute, de Sacramentis conferendis, de suggerendis salutaribus monitis, & cogitationibus bonis inspirandis sollicitus existat? Is est solus Angelus, hic enim se se in defensionem adversus dæmonem armat; is facit, ut infirmus ad confessionem anhelet; is Parochos vel alios religiosos ad eum visitandum acriter monet, is denique ipsemet de procurandis ad æternam salutem remediis sollicitè cogitat. *Annal. Cistert. an. 1136. c. 3. n. 70.* In Annalibus Cistertiensibus legitur, quòd eiusdem Ordinis Sacerdos quidam novitiatûs sui tempore, quod ingenti cum fervore transegerat, iam iam moriturus esset, hæc duobus eiusdem Monasterii & Ordinis fuerit visio exhibita: Cohortes namque Angelicas è cœlo descententes Ecclesiam ingredi, ibidémque ab illis officium defunctorum celebrari & viderunt, & audierunt: Animam solemni officio DEO commendabant, & Divinæ præconia laudis usque ad cœlum sonoris vocibus extollebant. Insuper iidem Monachi signum ad conventum pro assistentia moribundi congregandum, dari solitum, sonare audierunt; Unde clarè liquet, quàm sint Angeli in illo articulo pro nobis solliciti, ut nos in eo momento orationibus & intercessionibus suis adiuvent, multósque alios fideles ad idem faciendum permoveant. *Vit. l. 1. c. 7. n. 9.* Sed in vita S. Philippi Nerii, cuius magnus ille DEI servus P. Camillus de Lellis, Filius spiritualis, nec non religionis Clericorum infirmis ministrantium primus fundator extitit, legimus, quòd die quadam, ut nonnullos dictorum Patrum in hoc sancto charitatis exercitio perseverare faceret, iisdem dixerit, se Angelos vidisse, qui duobus illius Instituti Patribus morientium animam recommendantibus, verba suggerebant, quibus infirmos alloquerentur.

S. Bonav. ser. 1. de Angel. II. *Quia specialiter illuminant*, ad quod probandum S. Bonaventura illum cap. 10. Apocal. textum adducit: *Accipe librum de manu Angelis*; Et dicit: Quid hoc est, nisi per eum instrui & doceri? Si omnes homines, ut Philosophus ait, scire desiderant: nec scire possumus, nisi doceamur, quantùm illos amare debemus, à quibus continuè non in vanis, sed salutiferis edocemur? quis adeò malus esset, qui, si cæcus esset, illum non amaret: qui sibi lumen redderet? Angelicus Doctor super illa verba: *Quis revolvet nobis lapidem?* scribens, citat S. Remigium dicentem: Significat autem revolutio lapidis reserationem sacrorum, quæ literâ legis tegebantur, lex namque in lapide scripta fuit, & ideò per lapidem signatur.

Mansi disc. 13. n. 11. III. *Quia sedulò ministrant*; quod beneficium Josephus Mansi sic elucidat: si Rex aliquis vel magnus alius Mundi huius Monarcha in personato servi habitu nobis se in via comitem iungeret, nobisque serviret, quis eius respectus futurus esset? vel quam ei reverentiam & gratitudinem exhibituri essemus? aut quænam consiliis, ne dum nutibus eius obedientia à nobis sperari posset? utique nulla, vel admodùm exigua. Jam verò ex fide nobis certum est, quòd Angeli, qui veri sunt Reges cœlestis Paradisi (fecisti nos Deo nostro Regnum, & regnabimus) nos custodiant, nobis tanquàm servi ministrent, nósque instruant, sed in habitu non solùm personato, sed nec unquàm à nobis viso, absit tamen, ut propterea illos despiciamus, aut servitia aut obsequia nobis ab eisdem exhibita contemnamus. Ex dispensatione divina, inquit S. Bonaventura, sunt nobis præsentes, & ideo est ministerium ipsorum continuum. Optimè Regius Propheta novit, quam illis reverentiam deberet, ideo ut se ad debitam illis exhibendam reverentiam excitâret, hisce semetipsum verbis monuit: *In conspectu Angelorum psallam tibi*, circa quæ verba reflectens se S. Hilarius ita scribit: Scit, se sub specula Angelorum omnem vitam, morésque agere, & ubique hæc divinorum mysteriorum auxilia fidelibus cunctis assistere. *S. Bernar. ser. 12. in Psalm. 90.* S. Bernardus eiusdem Psalmistæ verba: (*Vt custodiant te in omnibus viis tuis*) glossando dicit: Quantam tibi debet hoc verbum inferre reverentiam, afferre devotionem, conferre fiduciam? reverentiam pro præsentia, devotionem pro benevolentia, fiduciam pro custodia. Cautè ambula, ut videlicet, cui adsunt Angeli, sicut eis mandatum est, in omnibus viis tuis, in quovis diversorio, in quovis angulo, Angelo tuo reverentiam habe; tune audeas illo præsente quod vidente me non auderes? an præsentem esse dubitas, quem non vides? Nos enim non solùm Angelos adeò de nobis benè meritos benefactores nostros offendimus, sed etiam ipsammet divinam & supremam Altissimi maiestatem, quæ in vultu & facie ipsorum immediatè resplendet, (*siquidem Angeli semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est*) offendimus. Quod absit, ut faciamus; Neque enim Angeli ex alio motivo nobis sunt venerandi, quàm quia imaginem Dei sibi insertam, imò ipsummet in se Deum circumferunt.

IV. *Quia*

Ibidem disc. 16. n. 3 IV. *Quia plurima alia beneficia conferunt,* uti citatus Author sequenti discursu declarat: Si aliquis nobis per quinquaginta vel sexaginta annis servivisset in mari, inter syrtes & scopulos, inter procellas & tempestates, inter naufragia & alia similia: Si custodisset ab innumeris maritimis monstris, pyratis, Turcis &c. illæsos nos conservando & incolumes. Si præterea nos qualibet horâ per tot annos eripuisset à morte, insuper thesauros, sceptra, & regna lucrari nos fecisset, quam mercedem daremus ei? aut quid dignum poterit esse beneficiis istis? Talia autem sunt bona infinita, quæ nobis in huius vitæ procelloso mari præstantur ab hisce cœlestibus nuntiis; Hoc mare magnum &c. qui nos post laboriosam hanc navigationem æternaliter cum Deo regnaturos ad beata Paradisi littora feliciter perducunt; Quòd si autem hanc nobis assistentiam & servitutem gratuitò, & sine ullo ipsorum interesse aut lucro præstitissent, quantò amplius hæc nostra erga ipsos obligatio adaugeretur? talis autem est custodia & ministerium Angelicum, quod nequaquam ad aliquod à nobis tanquam servis suis stipendium recipiendum ordinatur, sed potiùs huc spectant tantùm, ut nobis benefaciant, nósque omnibus naturæ, fortunæ & gratiæ bonis locupletent: sunt enim ipsi in eo statu, in quo nostro stipendio nequaquam indigent; Bonorum nostrorum non egent, *Angelus qui eruit me de cunctis malis,* inquit S. Patriarcha Jacob, quando se in ultima *Gen. 48. v. 16.* & decrepita ætate ipsorum ope tot infortunatos ipsi occurrentes eventus feliciter evasisse deprehendit. Quòd si verò homo aliquis reperiretur adeò ingratus, qui beneficia à suo benefactore recepta nequaquam agnosceret, imò cogitationibus suis ad illa sese nunquam reflecteret, quàm atrocibus pœnis talis mulctari mereretur? Et tamen quot reperiuntur animæ fideles, quæ in totius vitæ suæ decursu Angelorum custodum ne vel semel quidem recordantur, multò minùs aliquod illis gratitudinis donativum exhibent.

§. VI.

Cultus Angelorum.

S. Chrysost. or. 2. de precat. I. *Oratio crebra;* nam, ut S. Chrysostomus sapienter dixit: Cætera illorum omnia, & nostra, ut natura, victus, sapientia, & quidquid dixerit quispiam, longo intervallo inter se distant, precationis autem officium commune est hominibus cum Angelis; Hæc te Angelis iungit, hac brevi sanè illorum Reipublicæ, illorum vitæ, vivendíque rationi, dignitati, nobilitati, sapientiæ, intelligentiæ adiungetur, qui omnem sibi vitam in precibus ponendam putabit.

S. Bernardus ser. 1. de S. Mich. II. *Concordia*, uti S. Bernardus indicat dicens: Sobrietas, castitas, paupertas voluntaria, crebri in cœlum gemitus, & orationes cum lacrymis, & cordis intentione; attamen super hæc omnia unitatem & pacem à nobis exigunt Angeli pacis. Et paulo post: Quomodo civitatis illius participatio est in id ipsum, sic & nos id ipsum sentiamus, id ipsum dicamus omnes, & non sint in nobis schismata; nihil verò æquè offendit, & ad indignationem provocat eos, quomodo dissensiones.

III. *Humilitas*, de qua sic idem Bernardus *idem serm. 4. de Nativ.* loquitur: Quid est, quòd sola ab Angelis commendari videtur humilitas, nec tamen sola à Pastoribus invenitur? fortè specialiùs commendat Angelus humilitatem, quia ruentibus cæteris per superbiam, ipse in humilitate stetisset. S. Michaël, qui supremus est cœlestis militiæ Princeps, templum quoddam in monte Gargano in Sanctorum Angelorum honorem dedicari & consecrari voluit; qua autem ratione id factum sit, velim audite: In monte Gargano venerabilis memoria B. Michaelis Archangeli, ubi ipsius nomini consecrata habetur Ecclesia, vili facta schemate, sed cœlesti prædita virtute. Chrysostomus tabernaculum, in quod S. Abraham *S. Chrysost. apud Mansi disc. 14. n. 8* Patriarcha tres Angelos hospitio suscepit, hisce verbis considerat: Non auro tectum linivit, sed apud quercum illam tabernaculum figens, foliorum umbrâ contentus erat, & tam splendidum ipsi erat diversorium, ut nec Angelos apud ipsum manere puderet; Non enim quærebant domûs splendorem, sed animæ puritatem; sciebat etenim, quantùm Angelis modestia & humilitas placeret, quàm insuper deinceps à Creatore suo in eius in terram descensu didicerunt; Jacob Angelos vidit in scala illa ascendentes & descendentes; Et verè ita est, nam miseriis, humilitati, & vilitati nostræ Angeli compatiendo condescendunt.

IV. *Labor sedulus;* Novimus enim oblectari *S. Bern. Serm. 3. de Nat.* Angelos labore, quia in continuo motu versantur. Unde S. Bernardus ait: Agnoscant homines, quia qui in labore hominum non sunt, visitari ab Angelis non merentur, agnoscant, quàm placeat supernis civibus labor. Quæ verba mellifluus Doctor scripsit, dum illos Pastoribus, Agricolis & laboratoribus, non verò iis, qui Hierosolymis otio & delitiis vacabant, apparuisse consideravit; Idem quoque S. Doctor Angelos in scala Jacob in continuo motu versari, conspiciens, vidit Angelos ascendentes & descendentes, nullum quiescentem. Eandem quoque doctrinam tradit Doctor Seraphicus cuius hæc sunt verba: Simus obedientes, in divinis operibus laborantes, si Angelos volumus habere assistentes, nam nón laborantibus, non obedientibus, sed voluptatibus & delitiis vacantibus resistunt Angeli.

V. *Patientia generosa;* Nam ut rectè S. Laurentius Justinianus advertit, nunquam Angeli *S. Laur. Iust. l. de obed. c. 7.* lassantur ab opere salutis nostræ, & à profectuum nostrorum studio nunquam deficiunt, potissimè si prospiciunt nos Deum diligere, devotioni insistere, sectari virtutes, spiritualiter conversari. Mundum spernere, æquanimiter adversa tolerare, terrena calcare, & desiderare cœlestia. In sacris Canticis legimus: *Vinea meâ* *Cant. 8. 12.* *coram me est. Mille tui pacifici, & ducenti his, qui custodiunt fructus eius.*

VI. *Gratitudo;* Nam Angelis specialiter *S. Ambros. apud Mansi disc. 16. n. 2.* eam deberi, S. Ambrosius sic ostendit: Canis viator & comes Angeli est, quem Raphaël non otiosè

otiosè sibi & Tobiæ filio adiungendum putavit, mutæ specie bestiæ Sanctus Raphaël, Tobiæ Iuvenis, quem tuendum receperat, ad relationem gratiæ erudiebat affectum, quis enim non erubescat, gratiam benè de se merentibus non referre, cùm videat etiam bestias refugere crimen ingrati? Ab hac igitur sanctus ille Juvenis ad gratitudinem Angelo benefactori suo maximo exhibendum magis magisque exstimulatus fuit; Unde cuncta ab Angelo recepta beneficia sigillatim Patri suo recensendo dixit: *Quam mercedem dabimus ei? aut quid dignum poterit esse beneficiis ejus?*

Vit. P.P. l. 7. c. 44. VII. *Timor*; Ob præsentiam, uti Sanctus quidam Abbas indicavit, qui dum interrogaretur de honore & reverentia, quam Angelo suo custodi deferebat, respondit, quòd Angelos veneraretur memor verborum illorum: *Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi, ne commovear:* timeo ergo eum, ut custodientem vias meas, & quotidie ascendentem ad Deum, & insinuantem ei actus meos, & verba. Quòd si nos sciremus quendam Regis intimum amicum, & familiarem nobis adesse, qui cuncta verba, gressus & actus nostros consideraret, ut, quidquid agimus, Domino suo referre posset, quàm futuri essemus in verbis circumspecti, quantùm studeremus ad eius nobis benevolentiam conciliandam; omne illi ex parte nostrâ exhibendo obsequium & reverentiam? Tobias iunior Angelum Raphaëlem magnâ reverentiâ semper prosequebatur, tametsi simul cum ipso in peregrini seu viatoris habitu iter ageret: id namque ex verbis illis: *Domine invadit me!* clarè deducitur: Et quidem Domini titulum ei attribuit, dum eum ignoraret, quis esset; at vero postquam sese illi, & parentibus eius, quis esset, manifestavit, ipse & Pater eius trementes ceciderunt super terram in faciem suam; Enimverò si Angelus nobis visibiliter appareret, quantum ei delaturi essemus honorem? Jam vero fides nostra nos docet, ipsos semper nobis præsentes esse propter custodiam, quam nobis exhibent, ac proinde non minùs eos revereri debemus, quàm si visibiliter nobiscum consortium haberent.

§. VII.

Ascetica.

S. Aug. in lib. 83. qq. I. Inprimis nosse debet Asceta, *quibus dentur Angeli?* Ad quam quæstionem S. Augustinus sic respondet: Unaquæque res visibilis in hoc mundo habet Angelicam potestatem sibi præpositam; & fortè id ipsum S. Bernardinus ex eodem quoque fundamento asseruit, licet is nonnihil universaliùs, assertionem videlicet suam ad animalia quævis minutissima extendendo, loquatur, & Damasceni authoritatem alleget, sic enim scribit: Non solùm hominibus dantur Angeli ad custodiam, sed Damascenus in sua prima parte cap. 10. dicit, quòd muscæ, & pulices, & formicæ, & omnes creaturæ habent unum Angelum secundùm species suas.

II. Nosse debet, *à quo tempore homines habeant custodes Angelos?* pro quo dubio S. Thomas citat Origenem, qui aliquos in ea opinione esse refert, quòd Angeli nobis à tempore collati baptismi assignati fuerint; alios autem existimare, deputatos nobis esse à die nativitatis. Estque hæc opinio à S. Hieronymo approbata; Et rationabiliter, inquit Doctor Angelicus: Beneficia enim, quæ dantur homini divinitùs, ex eo, quòd est Christianus, incipiunt à tempore baptismi, sicut perceptio Eucharistiæ, & alia; at ea, quæ providentur homini à Deo, in quantùm habet naturam rationalem, ei exhibentur, ex quo nascendo talem naturam accipit; & tale beneficium est custodia Angelorum. Ulteriùs idem sanctus Doctor ait, quòd quoad usque homo est in utero materno, pars est matris, sicut fructus est pars arboris, ac proinde spectet ad Angelum tutelarem illius, custodire etiam fructum ventris sui, donec ab ea separetur. S. Thom. p. 1. q. 113. a. 5.

III. Nosse debet, *cur Angeli tot mala interdum infligant hominibus?* de quo sic discurrit Mansi: Advertendum est, quòd Sponsa, per quam anima à Deo electa denotatur, lamentetur dicens: *Invenerunt me custodes, qui circumeunt civitatem, percusserunt me, & vulneraverunt me, tulerunt pallium meum mihi custodes murorum.* Quòdsi enim sponsa symbolum est animæ à Deo singulariter dilectæ, quâ ratione tot ei ærumnæ accidunt? ubi est custodia Angelica, quæ ipsam defendit? Imò potiùs ipsimet Angeli esse videntur illi, qui adeò indignis modis eam tractant. Respondet igitur; Modus quidem ille tractandi, quo sponsa excepta fuit, oculis nostris displicere videtur, non tamen displicens aut adversus esse videtur in conspectu Dei, imò nec in oculis ipsarummet animarum, quæ adeò indignè tractantur. Siquidem quo magis anima aliqua à Deo diligitur, nec non quo ardentius Deum diligit, tanto magis pro ipso pati desiderat: Pœna interroget, si quis veraciter amet; ideòque bonis terrenis spoliari, tormenta aut iniurias pro dilecto pati, vitam denique ipsam aut sanguinem pro Christo fundere, optimæ sunt deliciæ, quæ ardenter Deum amans anima posset optare. Mansi disc. 6. n. 11. Cant. 5. v. 7.

IV. Nosse debet *effectus custodiæ Angelicæ*, quos breviter sic enumerat Abulensis: Primus effectus est, ad bonum inducere; Secundus, retrahere à malis; tertius, tollere impedimenta profectûs spiritualis; quartus, liberare ab exterioribus periculis, nam quiscunque potest incidere in mille pericula, nisi liberetur. S. Laurentius Justinianus de iisdem sic loquitur: Nos instruunt in dubiis, sustentant in adversis, in prosperis humiliant, orationes perferunt, reportant gratiam, cumulant merita, & erga nos infatigabiliter ministeria sua exercent. Abulens. in c. 18. Matt. q. 63. S. Laur. Iust. Ser. de S. Mich.

V. Nosse debet, *quomodo deserant*; Id quod iterum declarat Abulensis, nimirum in quantum ei aliquem custodiæ suæ effectum, quem aliàs eidem ministrare solet, subtrahit, per quem aliàs ab hac vel illa tribulatione evadere potuisset; vel etiam ideo illam deserere dicitur, Abulensis apud Mansi disc. 10. n. 5.

citur, quia progressus spiritualis obstacula, aliáque ad lapsum irritantia offendicula è medio non aufert: Et quia nemo unquam fuit, quem Deus secundùm altam providentiam suam non permittat incidere in aliquos defectus pœnæ vel culpæ, nemo est de custoditis, quem interdum Angeli non deserant; quomodo autem derelictio ista intelligenda sit, immediatè pòst exponit, dum ait, id fieri: Non impendendo aliquod auxilium, quod impendere poterant. Similem quoque explicationem S. Thomas tradit, dum ait: Nunquam totaliter dimittit, sed ad aliquid, prout scilicet non impedit, quin subdatur alicui tribulationi, vel etiam, quin cadat in peccatum, secundùm ordinem divinorum iudiciorum.

S. Bonav. in Luc. VI. Nôsse debet, *cur Angeli gaudeant magis super uno pœnitentiam agente, quàm super iustis?* id quod S. Bonaventura indicat, dicens: Gaudent Angeli de pœnitentia hominis peccatoris, quia destruitur culpa, restituitur iustitia, confutatur dæmonum superbia, efficax efficitur Angelorum custodia, reparatur Ecclesia, placatur ira divina, & restauratur Ierusalem superna.

S. Anselm. in c. 1. ad Hebr. VII. Nôsse debet, *quomodo Angeli Deum assiduè aspicere, & tamen nobis ministrare possint?* ad quod dubium respondet imprimis S. Anselmus dicens: Mittuntur, & assistunt, quia etsi circumscriptus sit Angelicus spiritus, summus tamen spiritus, qui Deus est, circumscriptus non est; Angeli itaque & missi ante ipsum sunt, quia quolibet missi veniant intra ipsum currunt. Deinde etiam S. Thomas: *S. Thom. p. 1. q. 113. art. 6.* Angelus etsi interdum derelinquat hominem loco, non tamen derelinquit eum quoad effectum custodiæ, quia etiam cùm est in cœlo cognoscit, quid circà hominem agatur, nec indiget mora temporis quoad motum localem, sed statim potest adesse. Rationem verò huius velocitatis Abulensis in his verbis tradit: Cùm non sit corpus, neque corpori alligatus, non movetur per continuum, ideò neque per tempus, sed subitò fit transitus eius de cœlo in terram.

Tob. c. 12. 6. VIII. Nôsse debet, *quæ gratitudo debeatur Angelis*, ea videlicèt, quam S. Raphaël à Tobia utroque petiit, dicens: *Benedicite Deum cœli, & coram omnibus viventibus confitemini ei, quia fecit vobiscum misericordiam suam*: Nimirum pro exhibitis beneficiis & servitiis præstitis Angeli, nihil aliud à nobis gratitudinis & recognitionis loco deposcunt, quàm ut Deo laudes, gratias, & benedictiones, mille titulis aliunde debitas referamus, in eiúsque sancto timore perpetuò vivamus.

§. VIII.

MISCELLANEA ET CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Mansi disc. 4. 8. I. IN Genesi mentio quidem fit omnium creaturarum tam visibilium quàm invisibilium, qualis erat cœlum Empyreum, & tamen Moyses naturæ Angelicæ nullam aliam mentionem facit, nisi tantùm sub nomine lucis, ut existimat S. Augustinus: *Fiat lux*; ubi novum se pro præsenti proposito nostro mysterium prodit; Cur enim Angeli lucis nomine exprimuntur? quia nimirùm, experientiâ teste, hæc in unico momento, mox ut oritur, cunctis tenebris diffugatis aërem totum illuminat, & calefacit, cunctósque effectus suos summa cum celeritate operatur, ac proinde similitudo isthæc spiritibus hisce beatis aptissimè congruit.

II. Observandus singulariter est modus, *S. Chrysost. in Cat.* quo incarnata sapientia utitur, dum de custodia & ministerio Angelorum loquitur; *Videte*, inquit, *ne contemnatis unum ex his pusillis; Dico enim vobis, quia Angeli eorum in cœlis, semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est*; Cur obsecro de Angelis tutelaribus parvulorum, qui tum propter ætatem, tum propter simplicitatem nihil æstimantur, loquitur, & non potiùs de Angelo custode Abrahæ, Davidis, Ioannis Baptistæ, S. Petri vel aliorum sanctitate & doctrinâ insignium mentionem facit? Chrysostomus duplicem huius rationem adfert. Primò enim ita Christum loqui dicit propter innocentiam puerilem, quam summè diligit; Secundò, quia parvuli ob teneram ipsorum ætatem parvi fiunt; Horum igitur exemplum Christus allegare voluit, ut per hoc innueret, quòd Angeli nullum habeant respectum ad merita & dignitates illorum, quorum servitiis & obsequiis sunt deputati, sed potiùs similitudinem & imaginem Dei in nobis respiciunt, & qui maiori premuntur necessitate, minorémque habent rerum agendarum experientiam, securiores sunt de tutelâ, defensione, obsequiis & indesinenti assistentiâ Angelorum.

III. Iacobo Patriarchæ Deus olim cœlum *Ibid. Serm. de Nativ.* apertum ostendit, & scalam quandam, cuius una extremitas terram, altera verò cœlum contingebat; neque hoc tantùm, verùm insuper Angelos per eam ascendentes & descendentes ei ostendit; Quæro autem, numquid, ut Iacob ad gloriam ascenderet, scala sufficiebat, absque eo quòd Angelos per eam ascendentes & descendentes conspiceret? Nequaquam, neque enim nos ad Beatitudinem vocatos esse, & cœlum apertum videre sufficit, nisi etiam quoad usque viatores sumus, cœlestium Spirituum directionem præstò habeamus, sintque ipsi duces nostri, qui sursum nobis eundi viam ostendant. Unde Chrysostomus ait: Aspice mirandum processum, Angelos ad nos deduxit priùs; ac deinde deduxit hominem ad superna.

IV. Sponsa in sacris Canticis ad cavernas *Cassiodorus in Cant. c. 2.* invitatur; *Surge amica mea, speciosa mea, & veni, columba mea in foraminibus petræ, & in caverna maceriæ.* At verò nunquid ipsa erat, quæ dixerat sponso: *Ostende mihi faciem tuam?* Cur igitur nunc ab ea postulat, ut in cavernæ latibulo se se abscondat? Cassiodorus ait: in cavernæ maceriæ moratur, qui præsidio An-

R. P. Lohn. Auctar. Bibl.

 gelorum

gelorum utique circumdatur, & à tentationibus diaboli custoditur.

Cant.8.12. V. In sacris Canticis legimus: *Vinea mea coram me est, mille tui pacifici, & ducenti his, qui custodiunt fructus eius.* Septuaginta in bibliis Sixtinis legunt: *Mille Salomoni & ducenti &c.* Observandum est autem, quòd in eorundem Canticorum cap. 3. dicatur: *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt*; Ubi quærendum, quænam sit hæc utriusque loci differentia; Ibi enim *mille ducenti*, hìc verò *sexaginta* exprimuntur? Respondet S. Ambrosius: Crevit numerus, ubi crevit & fructus, quia quô sanctior quispiam, eò munitior; quantò enim homo ampliùs crescit in virtutibus & meritis, tantò sanctitas eius magìs adaugetur, tantò maiori cum contentione Angeli nobis obsequia sua præstant, & familiariùs nobiscum conversantur. S. Ambrof. l.1.de Virg.

VI. S. Ioannes Apostolus dum adhuc mortali hâc carne indutus hîc nobiscum moraretur in terris, & prout ipsemet in Apocalypsi recenset, die quadam ad pedes cuiusdam Angeli provolutus adorare eundem vellet, illum sibi dicentem audivit: *Vide, ne feceris*, & subitò rationem addidit: *Conservus tuus sum*, quasi diceret, paris ambo conditionis sumus; At verò quis est, qui, quanta naturam Angelicam inter & humanam differentia intercedat, ignoret? Quid enim viatorem inter & comprehensorem, inter corpus è luto plasmatum, & purissimum quendam spiritum commune esse poterit? Cui dubio S. Petrus Damianus respondet: Nolluit adoratorem, quem decernebat æqualem, Angelicæ munditiæ est contubernalis & cognata virginitas; Porò Apostolus ille in hac virginitatis virtute adeò solidè fundatus erat, ut Guerricus Abbas, qui Christum introducit Matrem suam interrogantem, an post eius ex hac vita discessum, Gabrielem Archangelum sibi vellet substitui, eandem Christo in hæc verba respondentem quoque subintroducat: Non opus est, sufficit mihi meus novus in carne Angelus: *Discipulus ille, quem diligebat Iesus.* S. Petr. Damianus ser. 1. de s. Ioan.

VII. In Canticis dicitur: *Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Per hoc tam forte & copiosum armamentarium ex mente Gregorii Nysseni patrocinium intelligitur Angelorum: Puto autem eam turrim clypeorum multitudine significare Angelicam custodiam, qua circumsepti sumus; ubi notandum est, ly circumsepti, quaquaversum enim circa nos munimenta, valla, & fortalitia in nostri defensionem erigunt. S. Greg. Nyss. hom. 7. in Cant.

VIII. Petrus Blessensis discurrens de motivis, ob quæ Angeli ad nos defendendos, nobisque ministrandum tanta solicitudine & Zelo perurgentur, hæc tria tangit: Propter nos, quia naturam nostram, in animabus nostris, quæ sunt rationales spiritus, recognoscunt, nósque sibi coniunctos conformitate naturæ, & quadam cognatione intelligunt, quia sunt participes, & capaces beatitudinis; Propter Deum, cuius viscera vident effusa circa nos, diligunt nos; ac tandem ultimo loco utilitatem, quæ ex nostra custodia in ipsos redundat, adducit, dum ait: Propter se, quia de nobis, tanquam de lapidibus rationalibus & vivis, restaurandum est suæ civitatis excidium, atque cælestium ruina murorum. Diligunt concives suos, inquit etiam S. Augustinus, per quos suæ ruinæ scissuras instaurari exspectant, ideóque magna cura, & vigilanti studio adsunt nobis, omnibus horis & locis succurrentes inter nos, & te, Domine. Petrus Bless. ser. 47. S. Augustinus solilog. c. 27.

TITVLVS V.

ANIMA.

§. I. Dignitas.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Qualitas.

S. Greg. Naz. orati. 42. I. Dem homo & caro est, & spiritus; Spiritus quidem anima est propter gratiam, ut immortalis sit, tantíque beneficii authorem laudet: Caro autem propter superbiam, ut per corpus patiatur, ac patiendo submoneatur, quòd terra est, atque ita, si quando propter mentem efferatur, propter terram deiiciatur.

Dignitas.

II. In ea Creator est, sub ipsa est Mundus, propter ipsam factus; supra ipsam Deus, à quo, & ad quem, & propter quem ipsa facta est. Hugo Vict. apud Mansi tr. 7. disc. 2.n.6.

III. Tantò maior est omnibus creaturis, quantò ipsa magìs conformis & similis Deo.

IV. Omnis creaturæ nomine signatur homo, omnis autem creaturæ aliquid habet homo, habet námque commune esse cum lapidibus, vivere cum arboribus, sentire cum animalibus, intelligere cum Angelis: Si ergo commune habet aliquid cum omni creatura homo, iuxta aliquid omnis creatura est homo. S. Aug. l. de anim. quant. c. 1. S. Greg. ho. 29. in Evang.

V. Quemadmodum fatendum est, animam humanam non esse, quod Deus est, ita præsumendum, nihil inter ea omnia, quæ creavit, Deo esse propinquis. S. Augusf. licet.

VI.

S. Aug. S. 48. ad FF. VI. Anima humana omnium creaturarum naturam participat, omne spirituale suum est, quia cœlum habet ad manendum, Angelos ad congaudendum, gloriam ad habendum, & Trinitatem ad fruendum; De aliis verò creaturis, quin homine inferiores, illique subiectæ sunt, dubitari nequit: *Omnia subiecisti sub pedibus eius, oves & boves universas, insuper & pecora campi, volucres cœli, & pisces maris. &c.*

S. Gregor. l. c. VII. Anima similis est terræ per sensum, aquæ per imaginationem, aëri per rationem, firmamento per intellectum, cœlorum cœlo per intelligentiam; Similis est lapidibus per essentiam, arboribus per vitam, animalibus per sensum, hominibus per rationem, Angelis per intellectum, Deo per intelligentiam.

S. Gregor. Naz. orat. 42. VIII. Sic igitur Dei Filius hominem fabricatus, quasi alium quendam Mundum, ab eo, qui aspectu sentitur, ipsum in eo collocat, magnum nimirum in parvo.

S. Ambros. l. 6. ex c. 8. IX. Cognoscete, decora anima, quia imago Dei es; Cognosce te, O homo, quia gloria es Dei; audi, quomodo gloria; Propheta dicit: *Mirabilis facta est cognitio tua ex me*, hoc est, in meo opere mirabilis facta est maiestas tua, in consilio hominis tua sapientia prædicatur.

S. Petrus Dam. l. 2. ep. 1. X. Spiritualis est Paradisus, mens sancta, mens munda, atque ad sui conditoris imaginem signanter expressa: iure dicitur Paradisus, quæ & cœlestium charismatum est fluentis irrigua, & tanquam fertilium arborum, vel herbarum, sic virentibus sanctarum virtutum vernat germinibus adornata.

Hugo Card. in prov. XI. Dicitur anima templum Dei, multis rationibus; In templo Deus adoratur, similiter in anima fideli. In templo offeruntur sacrificia, similiter in anima fideli: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus; cor contritum & humiliatum Deus non despicies.* In templo sunt Cruces intus & extra; ita in anima debent esse cruces intus per memoriam Passionis, & exteriùs per imitationem. In templo reponuntur Reliquiæ Sanctorum; sic anima fidelis debet semper recolere exempla Sanctorum. In templo est aqua benedicta, quæ fugat dæmones; ita in templo spirituali nostro debet esse aqua lachrymarum, quâ fugatur diabolus.

S. Bernardin. t. 51. 2. a. c. 2. XII. O quanto labore, & quàm ferventi amore quæsivit animam amorosus Iesus; Virginis uterum vix egressus est, & dilectam animam more infantium vocat A. A. A. id est, anima mea, anima, anima, te quæro.

S. Thomas apud Mansi disc. 10. n. 13. XIII. Omnes Angelos convocat ad congratulandum, non homini, sed sibi, quasi homo Dei Deus esset, & tota laus divina in ipsius inventione dependeret, & quasi sine ipso beatus esse non potest,

S. Chrys. ho. in ps. 48. XIV. Vis scire, quantum sit pretium animarum nostrarum? redempturus eam Unigenitus non Mundum dedit, non hominem, non terram, non mare, sed suum pretiosum sanguinem; quocirca dicebat Paulus: *Empti estis pretio magno.*

S. Bernardin. l. c. c. 1. XV. Magno pretio æstimata es, O anima, pro qua requirenda è summo Cœlorum Dei Filius descendit in uterum Virginis: Quis sapiens pro requirendo obolo itinere centum dierum voluntariè laboraret. Ergo magna quidem res est anima mea, pro qua requirenda Deus in Mundum descendere dignatus est.

S. Bernardin. de dign. anim. a. 1. c. 3. XVI. Non custoditur magnâ diligentiâ à sapientibus res quæ vilis est, sed pretiosa; in hoc profectò patet, quàm pretiosa sit anima iustorum, quando solus Dominus illius vult esse custos. psal. 96. *Custodit Dominus animas sanctorum suorum.*

S. Aug. to. 9. l. de dil. g. Dei c. 6. XVII. Voluit ad se trahere per similitudinem, quas ad se trahebat per dilectionem: transisse ipsum video in pretium meum, tam copioso munere redemptio agitur, ut homo Deum valere videatur.

S. Bernard. c. 3. med. XVIII. Totus iste mundus ad unius animæ pretium æstimari non potest: non enim pro toto mundo Deus animam suam dare voluit, quam pro anima humana dedit; sublimius ergo est animæ pretium, quæ non nisi sanguine Christi redimi potuit: quam ergo commutationem dabis pro anima tua, qui pro nihilo das illam?

Cura animæ?

Origenes ho. 2. in Cant. XIX. Nisi cognoveris temetipsam, & agnoveris, pulchritudinis tuæ causas indè descendere, quòd ad imaginem Dei facta es; quod nisi feceris, iubeo te exire, & in ultimis gregum vestigiis collocari, & hædos pascere, illos scilicet, qui præ pravitate à sinistris statuti sunt.

S. Thomas. vill ps. in Dom. 19. Pent. XX. O anima, si videres te ipsam! O si agnosceres tuam excellentiam & pulchritudinem, non ita te deiiceres ad amorem vilium terrenorum, quàm pudendum est generosam creaturam in luto voluptatum fœdari, & sponsam cœlestis Regis vilissimo æthiopi copulari.

S. Euseb. Emyss ho. 2. de Sym XXI. Nobilem vult esse vitam tuam, qui tibi commisit imaginem suam.

S. Ambros l. 1. Hexam. c. 7. XXII. Grave est, ut de te dicat Deus, non agnosco colores meos, non agnosco imaginem meam, non agnosco vultum meum, quem ipse formavi.

S. Bern. S. de miser. hum. XXIII. Miser homo, ut miserum paleas corpus, & vestias, & carnis voluptatibus, quæ post paucos dies à vermibus devorabitur, satisfacias, sollicitus laboras, discurris, vigilas, & somnum non capis oculis, ut repleas ventrem; & pro anima tua, quæ Deo præsentanda est in cœlis, cur non sollicitus fatigaris?

S. Chrys. st. in c 5 Gen. XXIV. Cum tantæ sit excellentiæ anima, haud scio quomodo nostrum subverterimus ordinem, & usque adeò inoleverit malitia, quæ in tantum cogit carnis concupiscentiis obsequi, ut deturbetur à throno suo Regina, cuius erat præsidere, ordinare, & imperare.

S. Bern c. 12. de conv ad Cler. XXV. Unde hæc tanta pusillanimitas, & abiectio tam miserabilis, ut egregia creatura, capax

gelorum utique circumdatur, & à tentationibus diaboli custoditur.

Cant.8.12. V. In sacris Canticis legimus: *Vinea mea coram me est, mille tui pacifici, & ducenti his, qui custodiunt fructus eius.* Septuaginta in bibliis Sixtinis legunt: *Mille Salomoni & ducenti &c.* Observandum est autem, quòd in eorundem Canticorum cap. 3. dicatur: *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt*; Ubi quærendum, quænam sit hæc utriusque loci differentia; Ibi enim *mille ducenti*, hîc verò *sexaginta* exprimuntur? Respondet S. Ambrosius: Crevit numerus, ubi crevit & fructus, quia quò sanctior quispiam, eò munitior; quantò enim homo ampliùs crescit in virtutibus & meritis, tantò sanctitas eius magìs adaugetur, tantò maiori cum contentione Angeli nobis obsequia sua præstant, & familiariùs nobiscum conversantur. S. Ambros. l.1.de Virg.

VI. S. Ioannes Apostolus dum adhuc mortali hâc carne indutus hîc nobiscum moraretur in terris, & prout ipsemet in Apocalypsi recenset, die quadam ad pedes cuiusdam Angeli provolutus adorare eundem vellet, illum sibi dicentem audivit: *Vide, ne feceris*, & subitò rationem addidit: *Conservus tuus sum*, quasi diceret, paris ambo conditionis sumus; At verò quis est, qui, quanta naturam Angelicam inter & humanam differentia intercedat, ignoret? Quid enim viatorem inter & comprehensorem, inter corpus è luto plasmatum, & purissimum quendam spiritum commune esse poterit? Cui dubio S. Petrus Damianus respondet: Nolluit adoratorem, quem decernebat æqualem, Angelicæ munditiæ est contubernalis & cognata virginitas; Porrò Apostolus ille in hac virginitatis virtute adeò solidè fundatus erat, ut Guerricus Abbas, qui Christum introducit Matrem suam interrogantem, an post eius ex hac vitâ discessum, Gabrielem Archangelum sibi vellet substitui, eandem Christo in hæc verba respondentem quoque subintroducat: Non opus est, sufficit mihi meus novus in carne Angelus: *Discipulus ille, quem diligebat Iesus.* S. Petr. Damianus ser. 1. de S. Ioan.

VII. In Canticis dicitur: *Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Per hoc tam forte & copiosum armamentarium ex mente Gregorii Nysseni patrocinium intelligitur Angelorum: Puto autem eam turrim clypeorum multitudine significare Angelicam custodiam, qua circumsepti sumus; ubi notandum est, ly circumsepti, quaquaversum enim circa nos munimenta, valla, & fortalitia in nostri defensionem erigunt. S. Greg. Nyss. hom. 7. in Cant.

VIII. Petrus Blessensis discurrens de motivis, ob quæ Angeli ad nos defendendos, nobisque ministrandum tanta solicitudine & Zelo perurgentur, hæc tria tangit: Propter nos, quia naturam nostram, in animabus nostris, quæ sunt rationales spiritus, recognoscunt, nósque sibi coniunctos conformitate naturæ, & quadam cognatione intelligunt, quia sunt participes, & capaces beatitudinis; Propter Deum, cuius viscera vident effusa circa nos, diligunt nos; ac tandem ultimo loco utilitatem, quæ ex nostra custodia in ipsos redundat, adducit, dum ait: Propter se, quia de nobis, tanquam de lapidibus rationalibus & vivis, restaurandum est suæ civitatis excidium, atque cælestium ruina murorum. Diligunt concives suos, inquit etiam S. Augustinus, per quos suæ ruinæ scissuras instaurari exspectant, ideóque magna cura, & vigilanti studio adsunt nobis, omnibus horis & locis succurrentes inter nos, & te, Domine. Petrus Bless. ser. 47. S. Augustinus solilo. c. 27.

TITVLVS V.

ANIMA.

§. I.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Qualitas.

S. Greg. Naz. orat. 42. I. Dem homo & caro est, & spiritus; Spiritus quidem anima est propter gratiam, ut immortalis sit, tantíque beneficii authorem laudet: Caro autem propter superbiam, ut per corpus patiatur, ac patiendo submoneatur, quòd terra est, atque ita, si quando propter mentem efferatur, propter terram deiiciatur.

Dignitas.

II. In ea Creator est, sub ipsa est Mundus, propter ipsam factus; supra ipsam Deus, à quo, & ad quem, & propter quem ipsa facta est. Hugo Vict. apud Mansi tr. 7. disc. 2.n.6.

III. Tantò maior est omnibus creaturis, quantò ipsa magìs conformis & similis Deo.

IV. Omnis creaturæ nomine signatur homo, omnis autem creaturæ aliquid habet homo, habet námque commune esse cum lapidibus, vivere cum arboribus, sentire cum animalibus, intelligere cum Angelis: Si ergo commune habet aliquid cum omni creatura homo, iuxta aliquid omnis creatura est homo. S. Aug. l. de anim. quant. c.2. S. Greg. ho. 29. in Evang.

V. Quemadmodum fatendum est, animam humanam non esse, quod Deus est, ita præsumendum, nihil inter ea omnia, quæ creavit, Deo esse propinguis. S. August. l. cit.

VI.

S. Aug. S. 48. ad FF. VI. Anima humana omnium creaturarum naturam participat, omne spirituale suum est, quia cœlum habet ad manendum, Angelos ad congaudendum, gloriam ad habendum, & Trinitatem ad fruendum; De aliis verò creaturis, quin homine inferiores, illique subiectæ sunt, dubitari nequit: *Omnia subiecisti sub pedibus eius, oves & boves universas, insuper & pecora campi, volucres cæli, & pisces maris. &c.*

S. Gregor. l. c. VII. Anima similis est terræ per sensum, aquæ per imaginationem, aëri per rationem, firmamento per intellectum, cœlorum cœlo per intelligentiam; Similis est lapidibus per essentiam, arboribus per vitam, animalibus per sensum, hominibus per rationem, Angelis per intellectum, Deo per intelligentiam.

S. Gregor. Naz. orat. 42. VIII. Sic igitur Dei Filius hominem fabricatus, quasi alium quendam Mundum, ab eo, qui aspectu sentitur, ipsum in eo collocat, magnum nimirum in parvo.

S. Ambros. l. 6. ex c. 8. IX. Cognoscete, decora anima, quia imago Dei es; Cognosce te, O homo, quia gloria es Dei; audi, quomodo gloria; Propheta dicit: *Mirabilis facta est cognitio tua ex me*, hoc est, in meo opere mirabilis facta est maiestas tua, in consilio hominis tua sapientia prædicatur.

S. Petrus Dam. l. 2. ep. 5. X. Spiritualis est Paradisus, mens sancta, mens munda, atque ad sui conditoris imaginem signanter expressa: iure dicitur Paradisus, quæ & cœlestium charismatum est fluentis irrigua, & tanquam fertilium arborum, vel herbarum, sic virentibus sanctarum virtutum vernat germinibus adornata.

Hugo Card. in prov. XI. Dicitur anima templum Dei, multis rationibus; In templo Deus adoratur, similiter in anima fideli. In templo offeruntur sacrificia, similiter in anima fideli: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus; cor contritum & humiliatum Deus non despiciet.* In templo sunt Cruces intus & extra; ita in anima debent esse cruces intus per memoriam Passionis, & exteriùs per imitationem. In templo reponuntur Reliquiæ Sanctorum; sic anima fidelis debet semper recolere exempla Sanctorum. In templo est aqua benedicta, quæ fugat dæmones; ita in templo spirituali nostro debet esse aqua lachrymarum, quâ fugatur diabolus.

S. Bernardin. s. 51. a. 4. c. 2. XII. O quanto labore, & quàm ferventi amore quæsivit animam amorosus Iesus; Virginis uterum vix egressus est, & dilectam animam more infantium vocat A. A. A. id est, anima mea, anima, anima, te quæro.

S. Thomas apud Mansi disc. 10. n. 13. XIII. Omnes Angelos convocat ad congratulandum, non homini, sed sibi, quasi homo Dei Deus esset, & tota laus divina in ipsius inventione dependeret, & quasi sine ipso beatus esse non potest,

S. Chrys. ho. in ps. 48. XIV. Vis scire, quantum sit pretium animarum nostrarum? redempturus eam Unigenitus non Mundum dedit, non hominem, non terram, non mare, sed suum pretiosum sanguinem; quocirca dicebat Paulus: *Empti estis pretio magno.*

XV. Magno pretio æstimata es, O anima, pro qua requirenda è summo Cœlorum Dei Filius descendit in uterum Virginis: Quis sapiens pro requirendo obolo itinere centum dierum voluntariè laboraret. Ergo magna quidem res est anima mea, pro qua requirenda Deus in Mundum descendere dignatus est. S. Bernardin. l. c. a. 1.

XVI. Non custoditur magnâ diligentiâ à sapientibus res quæ vilis est, sed pretiosa; in hoc profectò patet, quàm pretiosa sit anima iustorum, quando solus Dominus illius vult esse custos. psal. 96. *Custodit Dominus animas sanctorum suorum.* S. Bernardin. de dign anim. a. 1. c. 3.

XVII. Voluit ad se trahere per similitudinem, quas ad se trahebat per dilectionem: transiisse ipsum video in pretium meum, tam copioso munere redemptio agitur, ut homo Deum valere videatur. S. Aug. to. 9. l. de dil. g. Deo c. 6.

XVIII. Totus iste mundus ad unius animæ pretium æstimari non potest: non enim pro toto mundo Deus animam suam dare voluit, quam pro anima humana dedit; sublimius ergo est animæ pretium, quæ non nisi sanguine Christi redimi potuit: quam ergo commutationem dabis pro anima tua, qui pro nihilo das illam? S. Bernard. c. 3. med.

Cura animæ?

XIX. Nisi cognoveris temetipsam, & agnoveris, pulchritudinis tuæ causas indè descendere, quòd ad imaginem Dei facta es; quod nisi feceris, iubeo te exire, & in ultimis gregum vestigiis collocari, & hædos pascere, illos scilicet, qui præ pravitate à sinistris statuti sunt. Origenes ho. 2. in Cant.

XX. O anima, si videres te ipsam! O si agnosceres tuam excellentiam & pulchritudinem, non ita te deiiceres ad amorem vilium terrenorum, quàm pudendum est generosam creaturam luto voluptatum fœdari, & sponsam cœlestis Regis vilissimo æthiopi copulari. S. Thomas. vill ps. in Dom. 19. Pent.

XXI. Nobilem vult esse vitam tuam, qui tibi commisit imaginem suam. S. Euseb. Emyss. ho. 2. de sym

XXII. Grave est, ut de te dicat Deus, non agnosco colores meos, non agnosco imaginem meam, non agnosco vultum meum, quem ipse formavi. S. Ambros l. 2. Hexam. c. 7.

XXIII. Miser homo, ut miserum pascas corpus, & vestias, & carnis voluptatibus, quæ post paucos dies à vermibus devorabitur, satisfacias, sollicitus laboras, discurris, vigilas, & somnum non capis oculis, ut repleas ventrem; & pro anima tua, quæ Deo præsentanda est in cœlis, cur non sollicitus fatigaris? S. Bern. S. de miser. hom.

XXIV. Cum tantæ sit excellentiæ anima, haud scio quomodo nostrum subverterimus ordinem, & usque adeò inoleverit malitia, quæ in tantum cogit carnis concupiscentiis obsequi, ut deturbetur à throno suo Regina, cuius erat præsidere, ordinare, & imperare. S. Chrysost. in c. 2 Gen.

XXV. Unde hæc tanta pusillanimitas, & abiectio tam miserabilis, ut egregia creatura, S. Bern. c. 12. de conv. ad Cler.

capax æternæ beatitudinis, & gloriæ magni Dei, utpote cuius sit inspiratione condita; similitudine insignita, cruore redempta, fide dotata, spiritu adoptata, misera non erubescat sub putredine hac corporeorum sensuum gerere servitutem.

S. Chrys. ho. 22. in Gen. XXVI. Quare non sicut visibilis corporis gerimus curam, ita & animæ, quæ incorporea & invisibilis? præsertim cùm cura eius levis sit & facilis, & nihil insumatur, neque laboretur.

Idem ho. de anim. XXVII. Magnoperè deplorans confusam hominum animis dementiam, densamque ipsis incumbentem caliginem, invenire vellem speculam aliquam excelsam, quæ omnia mihi genera hominum cernenda subiiceret; vellem autem & vocem adipisci, quæ per omnes terminos resonaret, & omnibus, qui in terra sunt, sufficeret, staréque & vociferari, ac Davidicâ illâ voce exclamare: *Filii hominum, usquequo gravi corde?* quomodo enim non absurdum est in corpore, si id qualiscunque etiam morbus invaserit, & Medicos vocare, & pecunias expendere, & tolerantiam ostendere, nec priùs desistere omnia facere, quousque id, quod nos infestat, amoverimus; cùm verò anima in singulos dies stimulatur, præcipitatur, atque omni modo seipsam perdit, ne brevem quidem habere sermonem.

S. Laur. Iust. l. de Spirit. an. inter. XXVIII. Cùm iuxta humanæ usum prudentiæ detestabile plurimùm sit, neglectis margaritis & gemmis, lapidum, qui sternuntur in via, curam gerere; longè reprehensibilius esse arbitror, contemptâ vita animæ, in sola corporis incolumitate laborare.

S. Ambros. S. 15. in die Cin. XXIX. In homine interiori facti sumus ad imaginem Dei, in carne autem de limo terræ formati sumus; & videte, fratres, si iustum est, ut caro de terra facta, interdum bis in die capiat cibum, & anima nostra, imago Dei, vix vel post plures dies accipiat Dei verbum, cùm tamen expediat nobis, ut ampliùs Dei imaginem, quàm nostram carnem honorare debeamus? qui enim de sola carne cogitant, bestiis & pecoribus similes sunt, & qui ita agunt, iam in se Dei imaginem contriverunt. S. Basilius quoque hanc animæ cibandæ curam instantissimè urget, suadétque, ut, quotiescunque corpus pascimus, de anima quoque refocillanda serò cogitemus. Quandocunque, inquit, corpus esurit, & nutrimentum appetit, cogita & animam tuam suo tunc cibo necessariò refocillari velle; & quemadmodum corpus, nisi pane sustentetur, vivere nequit, sic & anima, nisi spiritualis sapientiæ alimento reficiatur, mortua est.

S. Laurentius Iustin. l. c. XXX. Nihil rationabili anima pretiosius, nihílque possidendum est charius, quæ Dei est ornata imagine, Christi redempta sanguine, atque sanctorum Angelorum felicitate ditanda: hanc quisquis semel amiserit, ulteriùs recuperare non valet, etiam ex ipsa omnium Sanctorum intercessione.

§. II.

EXEMPLA SACRA.

I. S. David animam coram se positam esse, & in manibus à se portari dicebat (ad eum modum, quo rem aliquam pretiosam, nobísque unicè charam in manibus portare solemus) seu, quod idem est, seriam valde circa animam propriam reflexionem habebat, atque ideo Deo tantoperè gratus, acceptúsque erat, ut de eo diceret: *Inveni virum secundùm cor meum*; idem quoque universo generi humano summâ, qua poterat, cum eloquentia inculcare nitebatur, ut tantum thesaurum, qualis est anima, toto animi conatu consideraret, eíque custodiendo incumberet, ideóque omnes ad se auscultandum convocabat dicens: *Venite, audite, & narrabo, omnes qui timetis Deum, quanta fecit animæ meæ*; Ubi Albertus Magnus ait: Narrabo, quanta fecit animæ meæ, ut sciatis, quid faciat vestræ, nisi per vos steterit. *Mansi disc. 1. n. 1.* *Ps. 65. 16.*

II. S. Theresia, quæ maxima & peritissima fuit vitæ spiritualis Magistra, sequentia meditationis utilissima puncta suis specialissimè commendavit, & ut continuò in eorum mentibus versarentur, præcepit, nimirum unicam esse animam, unicam esse vitam, unicam esse gloriam. *Ibid. n. 10.*

III. S. Gertrudis Virgo à cœlesti sponso suo cœlitus edocta fuit, nimirum ut, quotiescunque Christi crucifixi intueretur imaginem, illum unumquemque hominem his verbis alloqui credat: En vides quomodo pro te sum vulneratus in cruce? Si saluti tuæ expediret, vellem pro te solo tolerare omnia, quæ toleravi pro toto Mundo. *Blos. in mon. spirit.*

IV. S. Carolus Borromæus, postquam in vastæ illius Diœcesis Mediolanensis Archiepiscopum electus fuit, firmiter apud se, nunquàm à sua Residentia procul abire aut manere velle decrevit, solitus dicere, paratum se esse Cardinalitiam deserere dignitatem, si hæc illi in accumulando animarum sibi commissarum fructu impedimento foret, quarum unam pluris æstimabat, quàm omnes totius Mundi dignitates. Legatur in eius vita caput illud in quo de eius Zelo salutis animarum tractatur: Refert enim vitæ eius Historiographus, hanc illi maximam valde fuisse solemnem, quâ dicere solebat, unicam duntaxat animam continuam Pastoris cuiusdam curam dignè mereri; Unde cuidam Cardinali Episcopo quem, ne à sua diœcesi procul discederet, seriò adhortatus fuerat, se excusanti dicendo, Diœcesin suam non admodum populosam esse quoad animas, eámque proinde facili negotio per alium substitutum administrari & gubernari posse, S. Carolus summa cum solicitudine respondit, tametsi Diœcesis vestra multa animarum millia non contineat, attamen vel una tantum anima cuiusvis magni pastoris præsentiâ dignissima existit. Hinc in concione quadam exclamabat: *Vit. l. 8. c. 1.*

O

Conc. 11. ad Cler. O si videremus, quid sit è faucibus inferni animam unam liberare, non dubito profectò, quin hodie plurimi ad nos accederent, qui se oblatos fieri postularent, & non modò montes transirent, sed etiam apertissimis & maximis quibuscunque vitæ periculis sese exponerent, ubi spes aliqua esset, vel unius etiam animæ recuperandæ.

Thomas Cant. l. 2. apud c. 56. p. 2. V. Thomas Cantipratanus refert, de impio quodam homine, quòd, dum in publica quadam taberna in quorundam epulonum contubernio constitutus, quosdam audisset de rebus alterius vitæ misceri sermones, is effusè illos deridens dixerit, animas corporibus mortuis etiamnum superstites immortaliter vivere, merùm esse sacrificulorum & Monachorum somnium atque commentum: quod cùm à combibonibus cum applausu exceptum fuisset, acciderit, quòd eorum societati vir quidam se iungeret proceræ staturæ, complexionisque, ut videbatur, fortis & robustæ, qui & ipse potum sibi dari postulabat; cùmque qua de re inter se colloquerentur sciscitatus fuisset, impius ille temerè, de animabus post mortem etiamnum vitam agentibus sermonem esse, responderit, subiunxeritque: si quis animam meam à me sibi comparare vellet, illam utique bono, facilíque ei pretio divenderem, comparatúmque indè lucrum potando consumerem: quam pollicitationem procerum hocce monstrum grato animo accipiens, se eius animam sibi pactò æquo pretio comparare paratum esse dixit: convenitur inter utrumque, moxque promissâ pecuniâ exsolutâ, non priùs à potando cessatum est, donec receptum pro anima pretium in multam usque noctem crapulando abliguritum fuisset; tum verò personatus ille gigas combibonibus tempus iam adesse dixit, quo domum quisque suam ut repeteret, nox ipsa serotina suaderet; rogavit tamen, ut, priusquam sibi mutuò valedicerent, causam quandam, in qua ipsos constitueret Iudices & arbitros, æquitate servatâ dirimerent: quam proinde in hunc ferè modum iisdem enarravit: Est, qui equum aliquem funi seu capistro alligatum, iusto pacto persoluto pretio, sibi comparavit, dum verò equus extradendus, nunquid iustitia postulat, ut & funis sive capistrum, quo cum alligatus fuerat, pariter extradatur? Omnes idipsum æquissimè à venditore fieri debere, incunctanter responderunt; Inter hos verò temerarius ille sacrilegus, mysterium propositæ quæstionis advertens, impallescere, fugatáque crapulâ toto corpore contremiscere cœpit, qui proinde ab hoc personato gigante, qui verus dæmon erat, in aëra sublevatus, & in æternam damnationem abductus, nusquam ampliùs comparuit. Inimici nostri sunt iudices. Ecce qualiter ipsemet dæmon, qui nobis corpus animæ (in summum eius præiudicium) præhabendum esse suadet, eandem tamen permagni faciat, talisque præcellentiæ esse censet, qualis equi, si cum fune seu capistro comparetur: Quàm igitur delirat ille, qui tantopere sibi in fune seu capistro, cui animal alligatum fuit, complacet, ut ne illud amittat, equum negligat, & fame extingui patiatur?

VI. In vitis Patrum de sancto quodam Eremita scribitur, quòd, cum Cellam suam egressus fortè fortuitò mulierem quandam elegantissimè exornatam habuisset obviam, intra semetipsum suspirans, propriam tacitus reprehenderit animam, dolendo, quòd illam non iis adornâsset virtutibus Christianis, ut DEO magis placere posset, sicut hæc mulier corpus suum summa cum assiduitate composuerat, cultissimóque mundo muliebri condecorârat, ut placeret hominibus, seu potiùs incautas animas seduceret. *Mansi disc. 17. n. 15.*

VII. Cùm Indiæ Prorex Constantinus admodùm pius Goæ à præcipuis Regni Administratoribus, suisque Consiliariis admoneretur, quòd Regia vectigalia non parùm iacturam acceptura essent, si tantis impensis Christianorum conversioni intendere vellet, ille verè ac sapienter respondit, plùs ad regni statum amplificandum, & splendorem Regis mei conducit vel unius abiectissimi mancipii in hac Insulâ conversio, quàm divitiarum immensa copia, vel naves pipere aliisque aromatibus plenissimæ; firmiter enim apud se statuerat: omnia sua in discrimen dare pro unius animæ conversione & incolumitate. *Ex Epist. anno 1559.*

Immortalitas.

VIII. Non erit abs re, hoc loco recensere historiam, quam habet S. Augustinus in Epistola ad Evodium scripta de Gennadio rerum naturalium scientiâ apprimè imbuto, de immortalitate tamen animæ dubitante his verbis: Genadius Medicus dubitabat aliquando cùm adhuc esset Adolescens, & in his eleemosynis ferventissimus, utrùm esset ulla vita post mortem. Huius igitur mentem & opera misericordiæ quoniam Deus nullo modo desereret; apparuit illi in somnis conspicuus iuvenis & dignus intendi; eique dixit sequere me: Quem dum sequeretur, venit ad quandam civitatem, ubi audire cœpit à dextera parte sonos suavissimæ cantilenæ, ultra solitam notámque suavitatem. Tunc intento quidnam esset, ait, hymnos esse beatorum atque sanctorum. Sinistrâ autem parte quid se vidisse retulit, non satis memini. Evigilavit, & somnium fugit, tantúmque de illo, quantùm de somnio cogitavit. Alia verò nocte ecce idem ipse iuvenis eidem rursus apparuit; atque ab illo, utrum cognosceretur, interrogavit. Respondit iste, quòd eum bene, planéque cognosceret. Tunc ille quæsivit, ubi se nosset: nec memoriæ defuit, quid iste identidem responderet: totúmque visum illud, hymnósque sanctorum, ad quos audiendos eo duce venerat, quâ recentissimos recordabatur, facilitate, narravit. Hîc ille percunctatus est: utrùmnam id, quod narraverat, in somnis vidisset, an vigilans? Respondit, in somnis. At ille, bene, inquit, recolis: verùm est, in somnis illa vidisti: sed etiam nunc in somnis te videre scias. Hæc cùm audisset iste, ita esse credidit, atque id responsione firmavit. Tunc qui hominem docebat, adiecit, *S. August. Epist. 110.*

& ait: Ubi est modò corpus tuum? Ille respondit: In cubiculo meo: scisne, inquit ille, in eodem corpusculo nunc illigatos esse & clausos, & otiosos oculos tuos, nihilque illis oculis te videre? Respondit: scio: Tunc ille: Qui sunt ergo, inquit, isti oculi, quibus me vides? Ad hoc iste non inveniens quid responderet, obticuit. Cui hæsitanti, ille, quod his interrogationibus docere moliebatur, aperuit: & continuò, sicut, inquit, illi oculi carnis tuæ utique in dormiente atque in lectulo iacente nunc vacant, nec aliquid operantur; & tamen sunt isti, quibus me intueris, & ista uteris visione: ita cùm defunctus fueris, nihil agentibus oculis carnis tuæ, vita tibi inerit, quâ vivas, sensúsque, quo sentias. Cave iam deinceps ne dubites, vitam manere post mortem. Ita sibi homo fidelis ablatam dicit huius rei dubitationem: Quo docente? nisi providentiâ & misericordiâ DEI.

IX. Michaël Mercatus, S. E. R. Protonotarius, narrabat de avo suo, eodem, quo ipse nomine nuncupato, Michaële Mercato seniore, cui cum Marsilio Ficino nobilissimi ingenii viro summa intercedebat amicitiæ consuetudo, parta & aucta Philosophicis facultatibus, in quibus Platonem ambo affectabantur auctorem. Accidit autem aliquando, ut ex more, quidnam post obitum supersit homini, ex eiusdem Platonis sententia, non tamen sine trepidatione deducerent, quæ labantia, Christianæ fidei Sacramentis suffulcienda essent: eo enim argumento extat eiusdem Marsilii ad ipsum Michaëlem Mercatum erudita quidem epistola de animi & Dei immortalitate. Cùm verò inter disserendum eorum progressa longiùs fuisset disputatio, eam ad calcem perductam illo clauserunt corollario, ut iunctâ simul dexterâ pacti fuerint, uter eorum ex hac vita prior decederet (si liceret) alterum de alterius vitæ statu redderet certiorem. Quibus inter se conventis, ambo iurati ab invicem discessêre. Inter lapso autem haud brevi temporis spatio, evenit, ut, cùm summo manè idem Michaël senior, in Philosophicis speculationibus vigilaret, ex inopinato strepitum velociter currentis equi, eiusdémque ad ostium domûs cursum sistentis audiret, vocémque simul Marsilii clamantis: O Michaël, O Michaël, vera, vera sunt illa! Ad vocem amici Michaël admiratus, assurgens, fenestrámque aperiens, quem audierat, vidit post terga, ad cursum iterum acto equo candido candidatum: prosecutus est eum voce, Marsilium, Marsilium invocans; prosecutus & oculis, sed ab eis evanuit. Sic ipse novi casûs stupore affectus, quid de Marsilio Ficino esset, sollicitus perquirendum curavit (degebat ille Florentiæ, ubi diem clausit extremum) invenítque eundem illâ ipsâ horâ defunctum, qua eo modo auditus & visus est sibi. Quid tum ipse? licet enim antiquæ probitatis vir esset, innoxiámque & proficuam omnibus vitam hactenus excoluisset (prout decebat verè Philosophum) ex eo tamen tempore, valedicens Philosophicis disciplinis, solius Christianæ Philosophiæ, cæteris eminentioris, propensior cultor effectus, quod reliquum fuit temporis, Mundo defunctus, soli vitæ futuræ vixit, specimen edens absolutissimi omnibus numeris Christiani, qui inter Philosophos sui temporis magna cum laude claruerant, nulli secundus.

Baron. to 5. ann. 411.

§. III.
SIMILITUDINES.
Qualitas.

I. Sicut qui in alieno habitant, multis anguntur incommodis, semper de aliqua domicilii parte queruntur, ita animus nunc de capite, nunc de pedibus, nunc de stomacho, nunc aliud de alio queritur, significans se esse non in suo domicilio, sed unde brevi sit emigrandũ. *Senec. apud Mansi disc. 3. n. 10.*

II. Sicut Reges & Magnates, postquam sublime aliquod valdéque magnificum erexerunt palatium, vel civitatem aliquam è fundamentis erexerunt aut notabiliter restaurârunt, aliquam sibi in loco conspicuo erigere solent statuam, effigiem ipsorum & similitudinem ad vivum repræsentantem, ut posteritati in futuris sæculis, quisnam fabricæ illius author, & fundator sit, manifestum fiat: Eodem quoque modo Deus postquam vastam hanc Mundi machinam creavit, ut deinceps, quis author illius fuisset, clarè ab omnibus agnosci posset, statuam aliquam, imaginem & similitudinem suam exactè referentem, fabricare & erigere voluisse videtur, dum hominem condidit, qui veluti parvus quidam Mundus erat, ut ex huius tam nobilis creaturæ aspectu deveniretur in notitiam Creatoris. Unde Venerabilis Beda super illa verba: *signatum est super nos lumen vultûs tui Domine*; ita exponit: Id est, luminosus vultus tuus impressus est nostræ animæ, ut sit dictum ad similitudinem, quasi vultus Dei ita expressè sit in anima nostra, sicut in aliqua statua expressa est alicuius vultûs imago, iuxta quod dictum est, *formavit Deus hominem ad imaginem & similitudinem sui.* *Ibid disc. 4. n. 5.*

III. Sicut æs statuæ, eiusdem non est cum Rege substantiæ, sed tamen hanc ausi ludere, pœnas dederunt; sic & in hominibus, & si non eiusdem cum Deo substantiæ sint homines, sicut neque reverà sunt, veruntamen imago illius vocati sunt. *S. Chrys. ho. 1. ad pop.*

IV. Sicut Deus est Pater, Deus est Filius, Deus est Spiritus Sanctus, non tamen tres Dii, sed unus est Deus, & tres personæ, ita anima est intellectus, anima voluntas, anima memoria, non tamen tres animæ, sed una anima & tres vires; At verò paulò antè dixerat: Sicut ex Patre generatur Filius, & ex utroque procedit Spiritus Sanctus, ita ex intellectu generatur voluntas, & ex his ambobus procedit memoria. *S. Bernar. de inter. dom. c. 47.*

V. Sicut Deus nomine caret, ideòque incomprehensibilis est, ita nomine carens, & ignota spiritualis & immortalis animæ tuæ substantia, ad imaginem & similitudinem typicam nomine carentis & incogniti atque immortalis, substantiam ullus hominum, qui à sæculo fuerunt, unquam novit. Ex hac autem incomprehensibilitate Nyssenus aliam quandam analogiam *S. Gregor. Nyssenus apud Mansi disc. 6. n. 4.*

logiam & similitudinem inter animam & Deum deducit, dicens: quod percipi, cognoscique non potest, nullius alterius rei est argumentum, quàm illam verè ac propriè incomprehensibilis Dei esse imaginem.

S. Aug. de spir. & an. VI. Sicut Deus Spiritus est, sic & anima Spiritus dictus est; Deus est immortalis, inquit S. Bernardinus, anima est immortalis, & si justa est, cum DEO victura in sæcula sæculorum. Sicut DEUS, inquit idem Sanctus, est interminabilis, & infinibilis, ita anima licet habeat principium, nunquam habebit finem. Creata est, inquit S. Bernardus, vitâ à vita, simplex à simplici, immortalis ab immortali, accepit, etsi non esse, posse tamen esse beata: summo proinde gradui quantum licet appropians.

S. Aug. ubi supra c. 18. VII. Sicut DEUS ubique est totus in toto Mundo, & in omni creatura sua: sic anima ubique tota in toto corpore suo, tanquam in quodam Mundo suo; sicut enim DEUS in omni loco præsens existit, eodem modo de animâ ratiocinari possumus, ac proinde S. Ambrosius de illa ita scribit: Diffusis cogitationibus atque consiliis huc atque illuc vagatur, quæ considerando spectat omnia, dum in Italia commorantes, inquit idem Sanctus Doctor, de Orientalibus & Occidentalibus cogitamus, nósque illis, qui Persiam inhabitant, adesse putamus, eodem mox momento oculum cogitationis nostræ in Africam dirigere possumus, sequimur proficiscentes, inhæremus peregrinantibus, copulamur absentibus, alloquimur separatos, defunctos quoque ad colloquium suscitamus, eósque ut viventes complectimur. Anima nostra alis imaginationis, cogitationum, discursuum, & desideriorum suorum, in unico momento ab uno polo volat ad alterum; iam est in cœlo, mox in abysso, amplectitur, & pervagatur totum universum, & absque eo, quòd ullum locum tangat, in millenis præsens esse reperitur locis diversis. Unde S. August. id considerans ait: spectat omnia, videt absentia uno momento, sensus suos per totius orbis fines & mundi secreta circumfert, descendit ad inferna, ascendit indè, versatur in cœlo, adhæret Christo, coniungitur DEO.

S. Bernardin. s. 51. de dign. anim. VIII. Sicut DEUS causa est in mundo, inquit S. Bernardinus, incrementi in plantis, herbis, floribus, fructibus, &c. sic anima causa est in corpore augmenti cuiuslibet membri.

Ps. 134. v. 6. IX. Sicut DEUS omnia, quæcunque voluit, fecit, in cœlo, & in terra, & in omnibus abyssis, educens nubes ab extremo terræ, fulgura in pluviam fecit, qui producit ventos de thesauris suis, sic quoque anima liberi arbitrii sui Dominio à Deo adornata operatur, quicquid ei libet, nunc ridet, mox plorat, nunc irascitur, mox se benignam exhibet, & voluntatis suæ dominam. Una in essentia, inquit S. Bernardinus, trina in potentiis nobilissimis, libero arbitrio prædita, & dominio in res omnes corporeas. Hinc S. Thom: de Villanova. Grandis, ait, humanæ naturæ dignitas, altissimaque prærogativa est, ut ad Dei imitationem ipsa quoque quodammodo sui iuris sit, & suo arbitrio derelicta.

S. Bernardinus ubi supra.

X. Sicut DEUS est incorruptibilis, incorporeus, invisibilis, immortalis, ita anima pariter nulli subiecta est corruptioni, non illam humorum malignitas alterat, aëris pestilentia non inficit, non illam cogit violentia motûs, non afficit illam intemperies elementorum, indivisibilis est, immortalis, æterna, invisibilis est oculis nostris, tametsi videri possit ab oculis Creatoris: Immortalis est anima, inquit S. August. ne à Creatoris sui similitudine discrepare videatur, non enim poterat esse imago & similitudo DEI, si mortis termino clauderetur. S. Aug. l. 1.

XI. Sicut DEUS stans in toto Mundo omnia vario modo ornat, ita anima stando in corpore variat diversimodè membra, dando unicuique varias & mirabiles operationes, nam oculo dat visum, naribus odoratum, auribus auditum, pedibus gressum. S. Bernardinus de dignit. hom. s. 51.

XII. Sicut DEUS non continetur ab universo, sed continet illud, sic secundùm Damascenum: lib. 1. cap. 18. anima non continetur à corpore, sed continet illud, sicut Deus implet totum mundum, sic & anima totum corpus humanum. Plena & occupata sunt omnia suo auctore, inquit Tertullianus, ita quoque in toto Microcosmo, id est, parvo mundo corporis humani nullum est invenire punctum, quod non vivificetur ab anima. Idem l. c.

XIII. Sicut Deus regit, & gubernat orbem, inquit, S. Bernardinus, sic anima vegetat, conservat, vivificat regit, & gubernat corpus: sicut Deus stabilis manens dat cuncta moveri, ita anima in corpore quiescendo facit humores discurrere per corpus, & membra movet diversimodè secundùm corporis dispositionem, &c, prout placet, ipsi animæ. Idem.

XIV. Sicut Deus non inficitur sordibus orbis, quamvis totum impleat orbem; velut sol, qui non inficitur luto; sic animus non inficitur corporeâ sorde, quantumcunque sordescat caro. Idem.

XV. Sicut Deus unitam sibi humanam naturam primò habuit passibilem, & postea gloriosam, sic anima primò iuncta est carni passibili, demum glorificanda in cœlo. Idem.

XVI. Sicut, quamdiu aurum terræ commixtum est, auri nomen non habet, ita quoque anima, quamdiu bonis temporalibus & terrenis immersa conspicitur, Spiritûs nomen minimè meretur; Et ideo, quando anima Spiritus potiùs, quàm caro dici mereatur, S. Ambrosius his nobis verbis declarat: Ut possit quis dicere, inquit, anima mea in manibus meis semper erit, non in carne sit, sed in spiritu: sed quando hoc fiet? Erit, si se terrenis non immisceat. Mansi Disc. 8 de anima. S. Ambros in c. 53. Isaia.

Dignitas.

XVII. Sicut Pupilla oculi, cùm sit exigua, tamen est vas ingens, quoniam intuetur unâ Cœlum, Astra, Solem, Lunam, urbes, & alias creaturas; & eodem modo, quo conspiciuntur in illa parva pupilla oculi simul, & eodem mo- S. Macarius ho. 48.

do

do efformantur & effinguntur, hoc modo fe mens habet in corde; ipsum cor est vas quoddam exiguum, ibi tamen Deus, ibi Angeli, ibi vita & regnum, ibi tamen Apostoli, & cœlestes orbes, ibi thesauri gratiæ, ibi sunt omnia.

Mansi disc. 11. n. 2. XVIII. Sicut si Rex palatium aliquod comparaturus, pro quo emendo centum auri milliones abundè sufficerent, ipse nihilominus pro eo omnes thesauros impenderet, omniaque regna sua obæraret, de eo utique dicere possemus, quòd palatium istud infinito pretio dignum esse æstimaret; ita cùm Deus noster pro animæ redemptione non mundum, non cœlum Empyreum, non universam Angelorum naturam & multitudinem, non denique unam tantùm pretiosissimi sanguinis stillam, quæ universæ terræ, Cœlo & Angelis, simul & collectivè sumptis, largè præponderabat, erogârit, facile tibi est hinc iudicare, quanti hanc animam fecerit, & æstimârit.

Idem disc. 12. n. 10. XIX. Sicut experientiâ constat, nonnullas inveniri imagines in tali situ & positura depictas, ut oculos suos in te solum directos habere videantur, absque eo quòd alios respiciant, non obstante, quòd eodem tempore in plures alios oculos suos defixos teneant: Eodem modo Redemptor noster in cruce suspensus velut viva æterni Patris sui imago, Divinæ pietatis suæ oculo unumquemque nostrum in particulari respicit, haud secus ac si copiosissimus passionis suæ fructus ad alios minimè extenderetur, unde laudabilissimus usus obtinuit, quòd imagini *Ecce homo*: verba illa subscribi soleant: vide, quæ pro te patior.

S. Bernardinus de dign. ani. a. 1. c. 3. XX. Sicut fatuus esset, qui optimum equum extra ad pluviam poneret, & quadrigam optimè in stabulo custodiret; sic quoque fatuus est, qui diligenter custodit corpus, & de anima sua nihil curat.

S. Basil. de compunct. anim. XXI. Sicut corpus, nisi pane sustentetur, vivere nequit, sic & anima nisi Spiritualis sapientiæ alimento reficiatur, mortua est.

§. IV.

Motiva.

S. Bernardinus S. 51. de dign. animæ. a. 1. c. 3. I. Dignitas animæ, quæ colligitur ex quatuor capitibus. 1. *Ex pulchritudine illius*, de qua S. Bernardinus dixit: si formarentur tot Empyrei cœli, quot sunt aquarum guttæ, quot sunt grana arenæ maris, omnis pulchritudo eorum simul sumpta non posset æquari pulchritudini unius animæ. Et paulò post: Pictor atque Creator animæ ipsa sapientia est, cuius sapientiæ non est numerus, Deus scientiarum Dominus est; ad creandum hominem infinitâ potentiâ usus est, voluit eâdem infinitâ potentiâ & sapientiâ suâ formare animam ad imaginem & similitudinem suam: Mensura pulchritudinem Dei, ad cuius imaginem facta est. Mensura & potentiam, quâ potuit: sapientiam, quâ novit, & voluntatem, quâ voluit sic eam creare, & intelliges pulchritudinem eius. 2. *Ex creatione animæ*, de qua

S. Laurenti Iustin. in festo S. Thom. sic loquitur S. Laurentius Iustin. Si id ex te, inquit, nequis addiscere, disce ab eo qui creavit cœlum, terram, maria, & cuncta, quæ in eis sunt, qui scit singula, quanti sint, quoniam singulis impertitus est, quicquid habent decoris, quicquid virtutis, quicæstimationis & pretii, iste docebit, quanti sit anima hominis, illam ipse magni pendit, qui opus suum agnoscit: pro eruditione eius, universi fecit hanc machinam, ipsiùsque eam subiecit imperio, non ut inhæreat illi, fruitionémque captaret ex illa, sed ut eruditus per illam, ascenderet ad notitiam eius, qui fecit omnia. 3. *Ex Incarnatione*; de quo motivo sic discurrit Iosephus Mansi: si civitas ista, quam inhabitas, à valido quodam exercitu quaquaversum obsessa, ad extremum redacta esset, adeò ut iactura illius secundùm vires humanas esset irreparabilis, Deus autem è cœlo copiosas demitteret Angelorum phalanges, quæ pro tui solius defensione adversus hostes dimicando pugnarent, simúlque per Angelum quendam notum tibi faceret, hoc se tibi submisisse auxilium, ut periculum istud indeclinabile evadere posses, iámque reipsâ obsidione solutâ hostem non solùm totaliter dissipâsset, verùm insuper te in totius universi Monarcham sublimâsset, haud dubiè favorem hunc inauditum & minimè imaginabilem tibi singulariter præstitum permagni æstimares. Mystica animæ tuæ Hierosolyma in potestatem inimici per peccati obsidionem redacta erat, cùm ecce Deus pro illius liberatione, non iam Angelos misit (licet per illos pacem intimari fecerit; *Et in terra pax*) sed ipsemet in propria persona de cœlo in hanc miseriarum vallem descendit. *Propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis &c.* Tibi verò speciatim, quo fine id fecerit, his verbis insinuat dicens; *Propter te sustinui opprobrium, operuit confusio faciem meam.* 4. *Ex Redemptione*; quod motivum S. Bernardinus sic proponit: Quòd si quis quandam pretiosissimi sanguinis Christi guttam penès se haberet, quantâ illam reverentiâ & curâ custoditurus esset? Sed quantùm debes habere charam unam animam, pro qua totus sanguinis Christi est sparsus? similem ferè conceptum S. Bernardus, his verbis utens, ait: Si stillantem de Cruce Domini sanguinem collegissem, essetque repositus penes me in vase vitreo, quod portare sæpius oporteret, quid animi habiturus essem in discrimine tanto? certè pretiosissimum animarum thesaurum servandum accepi, pro quo Christus mercator non insipiens, id est, ipsa sapientia Patris, totum suum sanguinem fudit. Quid ergo infelix, quò me vertam, si, quod sibi Christus proprio sanguine pretiosius iudicavit, contigerit negligentius custodire? utique non solùm irreparabile super nos redundabit æternæ damnationis damnum, verùm, tanquam conculcati sanguinis Agni immaculati rei, severissimè puniemur. Optimè igitur Eusebius Emissenus nos monet dicens: Custodiamus ergo sollicitè, quod tanti Cruoris commercio Christus redemit; Reus itaque erit non parvi pretii, sed

Mansi disc. 13. n. 14.

S. Bernardinus S. 40. de anim. dign.

S. Bern. S. 3. de Adv.

Digitized by Google

sed sanguinis Christi, qui violat, & commaculat animam, Christi sanguine & passione mundatam. Quod beneficium maximè augetur ex eo, quòd pro unâ etiam solâ æquè omnia pati paratus fuisset; unde par (inquit S. Chrysostomus) esse declarat, ut quisque nostrûm non minùs agat gratias Deo, quàm si ob ipsum solum advenisset: neque enim recusaturus fuisset, vel ob unam, tantam exhibere dispensationẽ, adeò singulum quemque hominem pari charitatis modo diligit, quo diligit orbem universum.

S. Chrysost. in c. 2. ad Galat.

II. *Æquitas*; quæ iterum ex tribus capitibus colligitur. Primò *ex unitate animæ*, de qua sic discurrit S. Chrysostomus. Si in corpore, inquit, quamvis infinitis coronis redimitus sis, corpus interim habeas naturâ morbidum & insanabile, etiamsi regnum totum impenderis, ut etiam innumerabilia corpora, & urbes, & pecunias adiicias, non poteris corpus corrigere, quantò id magis in anima? omnia duplicia dedit Deus naturæ nostræ, duos oculos, duas aures, duas manus, duos pedes, ut si alterum horum læsum sit, per alterum indigentiam relevemus. Animam verò unam nobis dedit, hanc si perdiderimus, quonam pacto vivemus? Quod confirmans S. Ephrem, Non est nobis, ait, certamen de pecuniis, quarum iacturam licèt quis fecerit, alias pro illis rursus comparare sibi poterit: de anima nobis periculum, quam si perdiderimus, non ampliùs recuperare poterimus, iuxta quod scriptum est, *quid prodest homini, si mundum &c.* Unde naturalis ingenii censura exigit, ut tantò unaquæque res pluris æstimetur, & diligentiùs custodiatur, quantò magis est proficua, illiúsq; amissio maiorem possidenti iacturam facit, uti rectè concludit S. Laurent. Justin. Secundò *ex corporis cura*; de qua sic discurrit S. Thomas Villanova. O si sanandis animæ passionibus eam adhiberemus curam, quam curandis corporum ægritudinibus adhibemus! quid non sustinet, quid non patitur ægrotus pro recuperanda salute? Atroces ustiones, horribiles incisiones, amaras potiones, diuturnas inedias faciles reputat, dummodo concupitam recuperet sanitatem, sed si animæ languor curandus est, quicquid iniungitur, durissimum est: modico vino abstinere non sustinet lubricus, exiguo lucro privari non sustinet avarus, sed modicum humiliari non tolerat; ambitiosus, flocci penditur animæ perpetua vita & mortalis corporis amittenda salus supra modum diligitur. Unde rectè infert S. Chrysostomus: Quam defensionem habebimus? aut quam veniam? cùm corporis ægrotantis, ubi & argentum expendendum est, & Medici accersendi, & dolor magnus perferendus, tantam habeamus curam, animam verò negligamus? Præsertim neque argentum expensuri, neque negorium aliis exhibituri, neque dolores subituri, sed absque his omnibus electione & voluntate solâ omnino corrigere nos ipsi valentes, & exactè scientes, quòd, nisi id fecerimus, extremam luituri sumus supplicium. Tertiò *ex ratione reddenda*, nam, ut iterum S. Thomas Villan. rectè advertit, grandis honor, sed grandis timor; ex hoc pensandum nobis est, cum quanto timore & sollicitudine cavere debet anima iusti, ne fortè in ea aliquid turpe aut indecens veniatur, quod oculos tantæ Maiestatis offendat.

S. Chrysost. ap. Mansi disc. 19. n. 14. *S. Ephrem l. de virt. in prol.* *Laurent. Iust. de st. an. inter.* *S. Chrys. ho. de an.* *S. Thom. Vill. de dedic. Eccl.*

III. *Odium dæmonis erga animas*; nam sicut tauro proprium est, quòd quando ex recepto vulnere saucius, eum, qui ipsum vulneravit, invenire non potest, ut se de vulnere accepto vindicare possit, figuram seu statuam illius in theatro repertam aggrediatur, eámque cum ingenti rabie cornibus, dentibus, & pedibus impetat, atque conuellat; idem quoque inimicus infernalis facere videtur; quia enim Deum, qui ipsum in abyssum præcipitem egit, per vindictam lædere non potest, omnem vindictam adversùs hominem toto conatu exercere tentat, utpote in quo imaginem & effigiem Dei invenit, atque ideo in hoc mundi theatro eidem per suggestiones & insultus suos omne malum inferre satagit; quasi in hoc omnibus viribus connitens, ut imaginem & similitudinem, quam Deus illi impressit, destruere & totaliter abolere possit, scit enim, quòd illâ imagine sublatâ, comparatur iumentis insipientibus; Imaginem ipsorum ad nihilum rediges. Quod confirmans S. Bernardinus, Tantæ, inquit, æstimationis est anima apud diabolum, ut mysticè, cùm vellet divisionem de regno inter se & Deum, poposcerit à Domino dicens: Gen. 14. *Da mihi animas, cætera tolle tibi.* Sed insensatus & stultus homo, nihil vilius habet, quàm animam suam.

Mansi disc. 4. n. 15. *S. Bernardinus de an. dig. a. 1. c. 7.*

§. V.

MEDIA

Ad dignam animæ æstimationem acquirendam.

I. Lectio & notitia S. Scripturæ, uti Salvator noster indicâsse videtur, dum modum nos docere volens, quo animam nostram hisce bonis caducis & terrenis immersam reinuenire valeamus, parabolam illam de drachma illa sive gemma perdita adducit. Circa quam Hugo Cardinalis ita scribit: Per drachmam significatur quælibet anima, Dei imagine insignita; Et interlinearis ait: Drachma est nummus certæ quantitatis habens imaginem Regis, talis autem nummus est anima nostra, qui Dei in se imaginem expressam refert. Beda modum exponit, quo hæc moneta perditur, dicens: Mulier Drachmam perdidit, quando homo, qui conditus ad imaginem Dei fuerat, peccando à similitudine sui Conditoris recessit; frequenter enim gemmam hanc inter emolumentorum temporalium, vel carnalium voluptatum sordes & immunditias perdimus, quisnam verò modus ad eam reinveniendum præcipuè est observandus? Accendit lucernam, scripturas & sacros Doctores pervoluendo: Lucerna pedibus meis verbum tuum; quia qui natalium animæ nobilitatem, & quantam Deus noster illius habeat æstimationem, pulchritudinem item & finem, ob quem à Deo creata est, intelligere cupit, necessum illi est ad hoc, ut divini verbi lucernâ adhibitâ sacra volumina pervoluat,

Hugo Card. in c. 15. Luc.

Quid autem in specie magis considerare debeat, clarè S. Bernardinus declarat dicens: considera anima mea, primò in quanta altitudine es creata. Secundò, quàm magnus thesaurus es æstimata. Tertiò cum quanta diligentia es custodita. Quartò cum quanto dolore es deperdita. Quintò cum quanto dolore es quæsita. Sextò cum quanto stupore es considerata. Septimò cum quanto pretio es redempta. Octavò cum quanto gaudio es reinventa. Nonò cum quanto præmio eris beata. Quantum anima aliqua ex horum omnium motivorum consideratione haurire lumen potest, ad semetipsum cognoscendum & æstimandum, ne ex hoc tantæ dignitatis culmine decidere aliquando possit? At verò summa nostra infelicitas est, quòd animam nostram huic corporis luto coniunctam, in mediis horum inferiorum bonorum sordibus, nimis faciliter perdamus. Unde S. Bernardus ait: Affectionibus obligata, & illita terrenis, suam ipsius faciem considerare non potest; Infixa est in limo profundi, & seipsam non vidit, sed putat formam suam esse luteam illam, quam portat, imaginem.

S. Bernardin. de dign. animæ.

II. *Consideratio fabricæ corporeæ*, de qua sic discurrit S. Bernardus: Corporis staturam dedit Deus homini rectam, forsitan ut ista corporea exterioris viliorisque rectitudo figmenti, hominem interiorem, illum, qui ad imaginem Dei factus est, spiritualis suæ servandæ rectitudinis admoneret, & decor limi deformitatem argueret animi; quid enim indecentius, quàm curvum, recto corpore gerere animum? Perversa res est, & fœda, luteum vas, quod est corpus de terra, oculos habere sursum, cœlos liberè suspicere, spiritualem verò & cœlestem creaturam suos oculos, id est, internos sensus atque affectus, trahere in terram deorsum.

S. Bernardin. S. 24. in Cant.

§. VI.

ASCETICA.

I. INprimis nosse debet Asceta, *cur homo rectus sit conditus*; nam ut Ecclesiastes ait: *Inveni, quod fecerit Deus hominem rectum.* Rupertus Abbas Tuitiensis ait: Forma corporis in hoc solo animante sursum caput attollit, cœlum intuetur, terrámque calcans pedibus, erecto pectore incedit: redditque mox rationem, cur divinus ille artifex corpus humanum, utpote animæ mansionem, cœlum versùs erigere voluerit: Sydera vel cœlestia regna supernè positis meditari commonentur oculis. Quod confirmans S. Gregorius, Ad Deum, inquit, suspensa est, à quo formata; & quia ad Deum solum appetendum facta est, omne autem, quod infra appetit, minus est, iure ei non sufficit, quod Deus non est.

Eccles. c. 7. Rupertus in c. 2. Gen.

S. Gregor. l 26 mor. c. 28.

II. Nosse debet, *cur inspirando creata sit anima*; id enim ob varia mysteria indicanda est factum, & inprimis quidem Theodoretus ait, Moysen hoc loquendi modo insinuare voluisse, divinæ omnipotentiæ æquè esse facile, animam nostram creare, quàm nobis pronum est respirare. Quòd si urgeas, cur igitur divina sapientia ad illam creandam divinarum personarum consistorium congregârit? Respondet, id factum fuisse ad honorandam natalium animæ nobilitatem, sive ad adeò digni operis maiorem honorificentiam. Aliud Mysterium, cur animam nostram inspirando creârit, est, ut nobis insignem quandam, qua anima præ cunctis aliis creaturis præfulget, excellentiam insinuaret, nimirum quòd non educatur è potentia materiæ, sed à Deo immediatè ex nihilo creata, corpori infundatur. Unde Abulensis ait: Notatur, quòd anima hominis est aliis formis perfectior, quia non est educta ex potentia materiæ, sed fuit creata à Deo, & infusa corpori, quod notat spiratio à Deo facta. Denique aliud quoque mysterium à Pererio tangitur, nimirum, ut per hunc admirabilem productionis suæ modum dignitas animæ nobis insinuaretur; hic enim æmulatur modum, ut ita dicam, quo ipsamet divina sapientia procedit, quæ de semetipsa dicit: *Ego ex ore Altissimi prodivi*, siquidem etiam anima nostra de eâdem prærogativâ gloriari posse videtur; sicut enim halitus seu respiratio homini vitam tribuit, ita quoque Deus est, qui animæ vitam donat, & per quem ipsa subsistit.

Theod. l. 4. in Gen. q. 4. v. 7.

Abulens. ibid.

Pererius in c. 2. Gen.

III. Nôsse debet, *cur anima ad imaginem Dei creata sit*; Cuius rationem assignat S. Augustinus, dicens: fecisti nos Domine, ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te. B. Laurentius Justinianus quoque ait: Ad imaginem Dei facta anima rationalis, cæteris omnibus occupari potest, repleri non potest, capacem enim Dei, quicquid Deo minus est, non implebit.

S. August. l. 1. conf. c. 1.

S. Lauren. Iust. c. 5. de lign. vit.

IV. Nôsse debet, *cur hominem Deus manu propriâ creârit*, de quo sic loquitur S. Clemens; quoniam eius figmentum est, & alia quidem solo iussu fecit, hominem autem per se manu fabricatus est, & quid ei proprium inspiravit.

S. Clemens Alex. l. 2. Paed. c. 2.

V. Nôsse debet, *cur homo imago Dei dicatur*, id quod Hugo de S. Victore sequentibus verbis indicavit: Creavit ad imaginem suam, quia non est ei usque quaque similis: Filius autem imago est Patris, & non ad imaginem; quia quicquid habet Pater, totum habet Filius per naturam: Homo verò est imago Dei, quod ad imaginem, quia non per naturam, sed participatione vel imitatione habet ea, quæ Deitatis sunt; Quod confirmans S. Bernardinus Senensis. Quælibet anima, inquit, ad imaginem Dei formata, tres potentias habet, videlicet intellectum, memoriam & voluntatem, quæ sunt facta ad imaginem Trinitatis; Primò quidem intellectus, & hic creatus est ad imaginem Filii; Secundò memoria, & hæc creata est ad imaginem Patris; Tertiò voluntas, & hæc creata est ad imaginem Spiritûs Sancti. Et iterum alibi: Imago Dei in anima, inquit, consistit in naturalibus proprietatibus & potentiis, eius similitudo verò in gratuitis, hoc est, in virtutibus, divinâ charitate & divinâ dilectione. S. verò Thom. de Villan. ait: Imago consistit in potentiis, similitudo

Hugo vict. in summa sent. tr. 3. c. 4.

militudo in bonis. Primum est debita proportio potentiarum; secundum ornatus gratiarum & virtutum.

S. Leo. ser. 1. de ieiun. dec. Mens.

VI. Nôsse debet, *quo fine condita sit anima*; id quod S. Leo indicavit dicens: Si creationis nostræ intelligamus exordium, inveniemus hominem ideo ad imaginem Dei conditum, ut imitator sui esset authoris; & hanc esse naturalem sui generis dignitatem, si in nobis quasi in quodam speculo divinæ benignitatis forma resplendeat. S. Bernardus verò causam hanc reddit, Consilio sanctæ Trinitatis ad imaginem & similitudinem suam creavit te Creator tuus, quod nulli alteri ex creaturis donavit, ut tantò eum ardentiùs diligeres, quantò mirabiliùs ab eo te conditam intelligeres. S. Ambrosius verò sic de hoc fine discurrit: Ita homo creatus est, ut charitatem haberet, ut bonus esset, & iustus, ut patiens atque mitis, mundus & misericors foret; quas virtutes quantò plùs quisque in seipso habet, tantò propiùs est Deo, & maiorem sui conditoris gerit similitudinem.

S. Bern. c. 47. de int. dom.

S. Ambros. l. de dign. condit. hum. c. 3.

Elias Cret. orat. 1.

VII. Nôsse debet, *cur anima corpori sit immersa*, ad quod dubium Elias Cretensis, Gregor. Nazianzeni commentator hisce verbis respondet: Hæc una causa est, inquit, cur anima cum corpore copulata sit, nempe ut per colluctationem adversùs ipsum & mundum, & afflictionem, quam hinc perpetitur, non tantùm ut donum, sed etiam ut ærumnarum & afflictionum, quas in hac vita pertulit præmium, futurorum bonorum iucunditatem habeat. Magnam igitur Anima per hanc cum corpore coniunctionem habet prærogativam præ tota natura Angelica, siquidem hæc pro illo solùm instanti, quod Scholæ Angelicum appellant, mereri potuit; anima verò meritis se divitem facere potest, quamdiu corpori unita fuerit, suisque meritis omnes spiritus beatorum, etiam Seraphinorum, in immensum potest transcendere. Huic accedit, quòd, ut S. Paulus ait: *Non coronabitur, nisi qui legitimè certaverit*: ad hanc verò luctam subeundam Anima corpore opus habebat, quia *caro concupiscit adversùs spiritum, & spiritus adversùs carnem*: at proinde plurimùm animæ corporis beneficio lucrantur, dum mediante corpore tot gratiis cælestibus locupletantur. S. Bonaventura inter alias rationes, ob quas animam cum corpore unitam esse dicit, etiam in medium affert sequentem: ut anima serviendo Deo in corpore, habeat maius meritum, quia ubi maior pugna, maior victoria, & per consequens, maior corona; difficultas enim corporis multùm valet ad efficaciam merendi; sicut corpus vivum valet ad fructum pœnitentiæ, sic post mortem resuscitatum valebit ad consecutionem stolæ duplicatæ. Neque enim sola anima, sed etiam corpus coronabitur gloriâ, utpote quod unà cum anima meriti fuit instrumentum, dum secundùm dictamen animæ & rectæ rationis ei subiectum fuit, seque affligi permisit: atque hic stimulus ille erat, quem S. Chrysostomus ab anima corpori suggeri & monitionis loco proponi volebat, ut tantò libentiùs se pateretur pro animæ salute mortificari; Dicit enim: Nequaquam nos umbra hæc fugitiva seducat. Largissimam profectò mercedem pro contempta voluptate capiemus; atque ipse ad tuam animam loquere: Tristaris, quòd te corporis voluptate defraudo? Sed lætare potiùs, quia tibi cœlorum regna providebo. Tertiam rationem S. Nazianzenus assignat: Hæc nostra temperatio est, ut, cùm imaginis dignitas nobis animos extulerit, pulvis eosdem deprimat, contrahátque. Idem quoque Laurentius Iustinianus his verbis tradit: Ut ex qualitate exterioris hominis discat, non elatè præferre se, sed ex continuis punctionibus, quas indesinenter propter infirmitates & necessitates carnis patitur, spiritus materiam sumat, se in humilitate custodiendi.

S. Bonav. l. 2. de oper. condit. c. 60.

S. Gregor. Naz. orat. 6.

S. Chrysost. hom. 44.

VIII. Nôsse debet, *in quo consistat pulchritudo animæ; & quomodo ornanda sit*, de qua materia sic discurrit S. Chrysostomus: Quæ est pulchritudo animæ? Eadem hæc est, quæ animam Creatori suo similem efficit, nimirum Christianæ virtutes; Temperantia, æqualis motum moderatio; misericordia in indigos, charitas, mutuus amor fratrum; erga filios pietas; morigera & obsequens erga Deum obedientia; legis plena observatio; iustitia, animæ contritio; hæ sunt animæ pulchritudines; atqui non sunt hæc naturæ, sed propensioris studii, ac liberæ voluntatis. Hæc pulchritudo, hæc nostra cum illo, de quo scriptum est: speciosus formâ præ filiis hominum: similitudo, in manu nostra est: Quum penes se non sunt hæc animæ ornamenta, potest is suo iure sibi sumere. Quomodo verò ornanda sit, S. Ambrosius his verbis indicavit: Quisque diligentium attendat primæ conditionis suæ excellentiam; & venerandam in seipso Sanctæ Trinitatis imaginem agnoscat, honorémque similitudinis divinæ, ad quam creatus est, nobilitate morum, exercitio virtutum, dignitate meritorum habere contendat; at verò ut hæc omnia consequi valeat, curet ut priùs præmittat, quod sequitur: Diligentiùs attendat primæ conditionis suæ excellentiam. S. Bonaventura conditiones Deo desponsatæ animæ sequentibus verbis indicat: In sponso eligendo quatuor sunt, Genus, Virtus, Sapientia, Pulchritudo, quæ omnia summè in filio Dei reperiuntur, & ideo oportet quòd sponsa eius præparet se & nobilitet; in sponsa eligenda similiter quatuor considerantur, Genus, pulchritudo, divitiæ, mores.

S. Ambros. l. de dig. cond. hum. c. 3.

S. Bonav. in c. 3. Io.

Toletus in cit. 8. cap.

IX. Nôsse debet, *qualis obligatio oriatur animæ ex beneficiis acceptis*, de qua sic discurrit Mansi: S. Lucas c. 15. Evangelii sui nonnulla recenset miracula, quæ Salvator noster unicuique languido manus suas imponendo patravit: *At ille singulis manus imponens, curabat eos*; circa quæ verba quæstio exoritur, cur scilicet Christus hoc modo infirmos cu-

randi usus fuerit? Ratio autem difficultatem hanc movendi est, quia tot aliis non solùm sanitatē sed & vitam solo verbo restituit: Leprosum enim solo verbo *volo* mundavit: Cœcum per unicum verbum *respice* illuminavit; Filium viduæ â mortis suscitavit solùm dicendo: *Adolescens tibi dico: surge.* Cardinalis Toletus ad præsens intentum optimè ita loquitur: Significabat unumquemque beneficio accepto ita obligatum manere, ac gratum se debere benefactori præstare, ac si solus ipse beneficium recepisset; Vitium enim hominum est frequens, minùs se obligatos agnoscere beneficiis, quæ aliis etiam conferuntur, quasi maior liberalitas conferentis minùs obliget recipientes, cùm potiùs id eos debeat efficere magis gratos. Quod confirmans Eusebius Emyss. Christus, ait, sicut pro cunctis passus est, sic pro singulis, sicut ei totum debent universi, sic totum singuli, sed quodammodo plus singuli, quàm universi, quia quantum acciperent singuli, tantum universi. Quid enim interest, si & aliis præstitit, cùm, quæ tibi sunt præstita, ita integra sunt, & ita perfecta, quasi nulli alii ex his aliquid fuerit præstitum? Quam eandem doctrinam pariter D. Chrysostomus tradit lib. 2. de compunctione cordis.

Eusebius Emys exh. ad pleb.

S Chrys. de comp. cord, l. 2.

X. Nôsse debet, *in quo consistat sanitas animæ*, quam S. Bonaventura breviter explicat, dicens: sanitas animæ consistit in recta & circumspecta actione, in cautæ locutionis observatione, in rectitudine voluntatis, in ordinatione affectionis, & utilitate cogitationis. Salus corporalis in humorum consistit bono temperamento, ita ut unus non prævaleat aut prædominetur alteri: Eodem modo salus spiritualis in recta appetituum & affectuum temperie consistit; quia si hi inordinati & minùs bene regulati fuerint, & rectæ rationi, Deo, sanctæque eius legi non subiiciantur, mox indè talis necessariò intemperies exoritur, quæ mortem spiritualem infallibiliter inducit. Et ideo S. Ambrosius inquit: Hæc est animæ sanitas, hæc salubritas mentis, ut affluentia cesset erroris, sistatur culpa, ne serpat; cessante incentivo culpæ, salus tua est, atque inoffensus vigor animæ se refundit.

S. Bonav. l. 2. c. 8. de prof. relig.

XI. Nôsse debet, *quàm turpe sit, tantam corporis curam, & animæ exiguam gerere*; quid enim de eo dicturus esses, qui omne studium, magnorúmque sumptuum impendium in habitatione sua superbis tapetum pretiosorum peristramatibus exornanda, marmoribus elegantissimis incrustanda, auro, argentóque illustranda, statuis, picturisque artificiosissimis decoranda impenderet, séque ipsum postea in sterquilinio omnibus aëris temporisque iniuriis nudum, veluti futurum prædam exponeret? Talis est illorum stultitia, qui toto vitæ suæ decursu pro corpore, quod pro brevissimo tempore animæ est domicilium & habitaculum, laborant, vestibus pretiosis illud adornando, cibis exquisitis pascendo, atque ut eius appetitibus planè satisfaciant, eidem de omnis generis deliciis, voluptatibus, divitiis, honoribus, & aliis centenis eiuscemodi commoditatibus prospiciunt, animam interea adeò turpiter despicientes & posthabentes, ac si simul cum corpore moritura & interitura esset. D. Chrysostomus de modica quadam corporis parte ita loquitur: Pupillam oculorum tuorum, ne minimo lædatur pulvere, diligenter custodis, animam autem tuam tantâ malorum congerie pressam negligis.

S Chrys. ho. 45. in Matt.

XII. Nosse debet, *quo sensu verum sit axioma: Anima magis est, ubi amat, quàm ubi animat*: Horum sensum verborum S. Albertus Magnus sic explicat: Trahit amor amantem extra se, & collocat eum in amato, faciens ei intimè adhærere. Plùs enim est anima, ubi amat, quàm ubi animat, quia sic est in amato secundùm propriam naturam, rationem, & voluntatem; sed in eo, quod animat, tantùm est secundùm quod est forma, quod etiam brutis convenit.

S. Albertus M. l. de adhær. Deo c. 11.

§. VII.

MISCELLANEA ET CONCEPTVS PRÆDICABILES.

Qualitas.

I. Diversitatem animarum in hac vita operantium pulchrè Iosephus Mansi per araneæ & bombycis similitudinem ostendit: Etenim aranea, inquit, se ad subtilissima quædam fila texenda eviscerat, sed non alio id fine facit, quàm ut in reti illo ex hisce filis laboriosè fabricato muscas capiat; at verò quid tandem ei accidit? Postquam miserum hoc insectum telam suam multis laboribus contexuit, servus familias scopam adducit, quâ hanc tot laboribus fabricatam telam totaliter abolendo destruit, & disperdit, imò & eiusdem telæ artificem omni conatu persequitur, ut mortem inferat; Non verò idem Bombyci contingit, quin potiùs unusquisque vermiculum hunc quærit, illúmque delicatè fovet, & nutrit, quia fila serica contexit, ex quibus pretiosissimi deinceps panni seu vestes sericæ conficiuntur; & ideo, cùm aranea muscas tantùm capiat, bombyx econtra Principes & Reges post se captivos ducit: siquidem hi ambo labores eius ambiunt, quibus non regia solùm conclavia, sed & sacra altaria adornant, & ideo bombycini partus ob eorum pretium & æstimationem ab uno Mundi polo ad alterum deferuntur. Hi autem figura sunt earum animarum, quæ bonis cœlestibus adipiscendis vacant, quæque ex industria ad Creatoris sui servitium se applicant, & continuò pro salute æterna consequenda laborant, & fructificant; *Thesaurizant Thesauros in cœlo, ubi neque ærugo, neque tinea demolitur, neque fures effodiunt*; Hæ profectò animæ à gratiis, cœlestiúmque consolationum dulcissimo manna exinanitæ non sunt, sed potiùs iisdem refertissimæ; unde David ait: *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te.*

Mansi disc. 1. n. 1.

II. Vi-

Idem disc. 8. n. 23. II. Videbitis aliquando nobilissimam palatii alicuius faciem & introitum, mirabili architectura ex marmore, pretiosis statuis, sculpturis, aliisque ornamentis mirè adornatam & elaboratam, tandem verò dum ex curiositate plura eiusmodi artis magisterio absoluta opera videndi ad interiora palatii penetralia ingredimini, conclavia fœno offenditis referta, ambulacra passim aranearum telis obsepta, hortos ex urticis & vepribus sylvescentes, fontes destructos, meram denique cunctis in locis desolationem conspicitis; dúmque ingemiscentes causam tantæ desolationis inquiritis, hæc sola adducitur, quia Princeps, vel Dominus, Palatii illius incola, illud pro tempore deseruit, suóque in discessu tapetes omnes, omnem pretiosam supellectilem, universas, quibus conclavia illustrabantur, picturas, cunctáque ornamenta secum sustulit, & ideò dum nulla iam palatii interioris cura habetur, omnia in eo desolata apparent, & horrescunt ingredientibus. Eodem prorsus modo de anima quadam ratiocinari licet, hæc enim, dum imagini & similitudini Creatoris sui correspondebat, omnibus erat donis, gratiis, virtutibúsque Christiano homine dignis decenter adornata, adeò ut ipsum quoque speciositate suâ in admirationem raperet Paradisum: At verò dum sponsus & incola animæ Deus eandem ob propriam animæ culpam deseruit, sibi deinceps minimè similis esse videtur: Quomodo mutatus est color optimus? Iam enim vitiis repleta, passionúmque & affectuum inordinatorum tyrannidi subiecta esse conspicitur, & cùm antea DEUS de illa dixerit: *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum*: iam in ea præter effrœnium appetituum sentes, lolia, urticas, & stirpes, nihil quod oculis DEI placeat, in ea conspicitur; intellectus factus est cæcus, voluntas deses & iners, memoria ingrata, irascibilis, vindicativa: Orientur in domibus eius urticæ, & spinæ, & erit cubile draconum, & pascua struthionum. Unde S. Thomas Villanovanus ait: Nullus virtutum germinat affectus, nullos bonorum operum producit fructus.

Dignitas.

Idem disc 10. n. 10. III. S. Matthæus parabolam illam refert de Rege, qui præparavit nuptias filio, ad quas inter multos, qui ad easdem convenerant, præsumptuosus ille, qui sine veste nuptiali nuptiale triclinium ingredi præsumpserat, ad ignem condemnatus fuit: *Mittite eum in tenebras exteriores*; Quo facto sapientissimus Magister noster parabolam illam his verbis concludit: *multi enim sunt vocati, pauci verò electi.* Circa quæ verba meritò inquirendum venit, quomodo intelligenda, cùm enim unus tantùm convivarum condemnatus fuerit, cæteris omnibus mensæ imperturbato animo accumbentibus, contrarium potiùs dicendum fuisse videtur, scilicet multi electi, non verò pauci electi, siquidem ex multis unus tantùm periit? Ad quam difficultatem alia nequit dari responsio, quàm quòd Deus unius duntaxat animæ salutem tanto in pretio & æstimatione habeat, ut, dum illam perdit, innumeras se perdidisse arbitretur. Unde S. Augustinus ait: certè unus erat ille, qui non habebat vestem nuptialem, quare dicit: *Multi sunt vocati, pauci verò electi*, quia in unius perditione sic afficitur, quasi multos perderet.

Cura animæ.

IV. In prœlio Gedeonis adversùs Madianitas, tunc quæ secum abscondita habebant, lumina emicare cœperunt, quando vasa fictilia, in quibus reclusa tenebantur, fuêre confracta; ita quoque (quia omnia in figura contingebant) lumen gloriæ in fidelium animabus tantò ampliùs resplendebit, quantò ipsorum corpora, quæ verè vasa sunt fictilia & fragilia, crudeliùs fuerint afflicta & lacerata. *Idem disc. 31. n. 3.*

V. Plutarchus de Demetrio refert, quòd is Rhodum obsidens, eandem igne conflagrare, & penitus destruere omiserit, tametsi id promerita fuisset, idque ob hoc solùm, quia in mœnibus admirabili artificio cuiusdam Philosophi, Protogenis videlicet imago depicta erat: Idem quoque Plinius his verbis scribit: Rhodum non incendit Rex Demetrius, expugnator cognominatus, ne tabulam Protogenis cremaret à parte ea muri locatam; qualis igitur nobis erit confusio, si cum hoc gentili & crudeli milite comparemur; hic enim ob Philosophi cuiusdam effigiem muris Rhodensibus impressam, eidem civitati, ne illam perderet, pepercit, cùm tamen nos mysticam animæ nostræ Ierosolymam, de qua scribitur: *Gloriosa dicta sunt de te civitas Dei*: tam frequenter, tantáque cum facilitate & temeritate ad flammas condemnemus infernales, non obstante quòd eidem impressa sit imago non hominis alicuius, sed ipsiúsmet Dei, qui illam fundavit: *Ipse fundavit eam altissimus.* *Idem disc. 4. n. 11.*

VI. De magno illo Cardinali Reginaldo Polo, qui verus Angliæ Polus Arcticus, & Fidei Catholicæ in eo Regno columna & fulcrum fuit, legitur, eum corpus suum tam flocci fecisse, ut solitus fuerit dicere, eum, qui sibi vitam hanc erepturus esset mortalem, nihil esse facturum amplius, quàm quod illi nocte cubitum eunti servus facere solet, dum eum vestibus suis exuit; Quo Cardinalis dicto, ut verissimo supposito, quæro ex te, quisquis es, quidnam maioris facias, vestémne, an corpus, quod tali veste contegitur? utique, nisi delirus sis, respondebis, stolidum esse eum, qui pluris vestem æstimat, quàm corpus: nunquid verè ita est? Et tamen hæc est innumerabilium hominum ingens stultitia, quòd, tametsi aliàs in cæteris sensati sint & sapientes, corpus tamen, quod nihil est aliud, quàm simplex quædam animæ vestis, maiori in pretio habeant, quàm animam. *Idem disc. 16. n.*

VII. Berchorius refert, quòd Alexandro Magno præsentata gemma quædam fuerit, eâ virtute & naturali proprietate prædita, ut in bilancem seu libram posita, cuiusvis alterius rei ponderi, etiam immenso, imò vastissimo cuidam monti *Apud eundem disc. 18. n.*

præ-

præponderaret, ita tamen, ut dum eidem gemmæ vel modicum quid pulveris inspergebatur, subitò hanc suam miram virtutem amiserit; quòd si verè ita est, aptior hâc gemmâ animæ nostræ figura inveniri minimè poterit; Hæc enim à Deo cum tali virtute & valore creata fuit, ut universus Mundus ei comparatus, eidem præponderare non possit. Imò sui pondere & æstimatione omnia creata in immensum excedit, quia Deus ipse dedit omnia, quæ habuit, & emit eam; Imò semetipsum, quantus est, eidem comparandæ superimpendit: Veruntamen si vel minimo pulveris atomo, id est, affectu quodam terreno contaminetur, hic ipsam omne pretium amittere facit.

S. Chrys. ho. de anim. VIII. D. Chrysostomus Philosophum quendam fuisse refert, qui in domum quandam viri præpotentis auro ubique fulgentem, marmoribus elegantissimè incrustatam, columnis pretiosissimis suffultam, quaqua versùm peripetasmatibus tapetibúsque phrygio opere artificiosissimè elaboratis vestitam ingressus, vidénsque pavimentum insuper stragulis magno pretio æstimatis, ubique contectum, in faciem exspuit domini Domûs; cúmque de hac inurbanitate ab eodem graviter reprehenderetur, confestim se excusavit dicendo, ideo se faciem illius hâc contumeliâ affecisse, quòd nusquam alibi in domo id facere licuisset: nusquam etiam in hâc ubique tam eleganter exornata domo locum invenire potuerit viliorem, quàm vultum domini illam incolentis. Ex qua historia Sanctus Doctor egregiam elicit moralitatem ad condemnandum illos, qui nulli alteri rei tantam adhibent operam & studium, quàm ut bona sibi terrena acquirant ad deliciosè tractandum corpus, dum interea pretiosissimam illis à Deo inditam animam marcidam & emaciatam prorsus negligunt: Vide, inquit, quàm sit ridiculus, qui exteriora nimis sollicitè exornet, & apud omnes, qui mentis compotes sunt, est contemptibilis; & meritò sanè, nam cùm parietes quidem & solum, aliáque omnia accuratè exornes, animam verò velut pannis obsitam, squalentem, ieiunantem, plenam vulneribus, ab innumerabilibus canibus laceratam negligas, quodnam supplicium non sustinebis?

Mansi disc. 18, n. 11. IX. Si Regem aliquem inter aulæa regia, & in penetralibus reconditioribus equos, aliáque iumenta asseruantem, sibi verò stabulum pro sua mansione eligentem videres, quid diceres? & tamen eadem stultitia quotidie à tot committitur Christianis, qui corpori & sensibus suis exterioribus divitias, delicias, honores, voluptates, omniáque alia huius vitæ bona accumulant, cùm tamen ob hoc comparati simus iumentis insipientibus; animam verò intra stabulum squalentem negligunt, siquidem hæc in hoc corporis ergastulo putredine & immunditiis pleno absque ulla bonorum auxiliorúmque Spiritualium & æternorum provisione habitare cogitur; quòd enim illi commoditates & solatia præparentur temporalia, ut potior pars hominum indefesso studio facit, hoc nihil est aliud, quàm animam in stabulo inter immunditias, & fœtida stercora positam negligere, siquidem de his omnibus Apostolus optimè dicit: *Omnia arbitror ut stercora:* & ideo dum hoc facimus, animam adeò nobilem velut brutum & irrationale quoddam animal tractamus.

X. Apud Marcum. c. 1. & Lucam. c. 4. si rem benè discutias, invenies, primum opus, quò Christus brachii sui potentiam ostentavit, fuisse expulsionem dæmonum ex hominibus, quos occupârant, post hæc verò cœpisse alia facere miracula, & emaculare leprosos, dare visum cœcis, brachiorum, pedúmque usum restituere paralyticis, claudis, mancis, impertiri sanitatem ægris, vitam mortuis. Est ea S. Joannis Chrysostomi observatio hom. 21. in cap. 8. Matt. operis imperfecti, ubi sic habet: Sciendum est, quòd Lucas quidem, & Marcus statim in primis ponunt dæmoniacum curatum, in secundo autem loco mulierem carnali infirmitate febrium laborantem. At si quæras, cur ab Energumenorum curatione potiùs, quàm aliorum infirmorum, aut malè habentium curatione exorsus fuerit Dominus, respondet ibidem: Eâ videlicet causâ, quia maior cura est ei de salute animæ, quàm corporis. Dæmones, quando corpora humana invadunt, id eo maximè consilio, & voto faciunt, ut destruant, vasténtque animas. Itaque illos primùm aggreditur, eiicítque Dominus; hoc enim præ cæteris rebus omnibus agere debet Christianus, ut animæ negotia primò curet, velut curavit Christus, quia maior cura est ei de salute animæ, quàm corporis. S. Chrys. ho. 21. in c. 8. Matth.

XI. S. Basilius expendit finem, ad quem homo conditus fertur: Non dixit: Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, ut vescatur ligno fructifero, sed ut præsit, imperet, tum demùm esitet: Quæ concernunt carnem, secundas obtinent, nam primas sibi asserit primogenia præsidendi auctoritas, attributa animæ. Comedere, bibere, carnis sunt opera; præesse, imperare, ad animam spectat. Priùs ergo Dominus de his, quæ ad animam hominis pertinent, statuit, quàm de rebus corporis; ut significaret, illam in omni occasione huic præferendam, eámque diligenter, ac studiosè curandam; útque omnes intelligerent, esse illam dominam, corpus verò mancipium. Eam ergo ob causam Adam priùs præest, quàm comedat; quæ enim concernunt carnem, secundas obtinent, nam primas sibi asserit primogenia præsidendi auctoritas, attributa animæ. S. Basil. ho. 10. in hexam.

XII. Accessit Christum quidam Scriba, & velut ingenti serviendi Deo desiderio teneretur, perpetuóque illi adhærere vellet, aiebat: *Magister, sequar te, quocunque ieris:* Matt. 8. 19. Non admisit Dominus obsequium, quin multas illi in medio posuit difficultates, dicens, esse sua ruri animalibus diverticula, foveas vulpibus, avibus nidos; se verò tam pauperem vitam ducere, ut nullum in mundo locum habeat, in quo vel delassatum ieiuniis, & vigiliis caput reclinare queat. Percontatur Tostatus, quare Christus, qui alios ad sui sequelam invitare solebat, Abulens. in c. 8. Matth. q. 59.

lebat, hunc, qui se ultrò offerebat, & scholæ eius velle nomen dare videbatur, à suo contubernio repulit, qui hoc nomine admitti dignus erat, quòd admitti rogabat. Respondet magnus Doctor, iubétque Lucam adire, qui rem hanc ita narrat, ut ex circumstantiis, à quibus eam describit, proclive sit, causam, ob quam scriba ille repudiatus sit, divinare. Is verò c. 9. v. 57. sic habet: *Factum est autem, ambulantibus illis in via, dixit quidam ad illum: sequar te, quocunque ieris.* Dum Christus fortè transiret, scriba ille in via, quasi ex occasione, ac præter rem, dare se disciplinæ Domini, & salutis suæ studio volebat, non præmeditatò, non consultò, & maturo consilio, idcirco & repulsam passus est; nam quæ animæ sunt, non illa casu, non velut ab aliud agentibus per viam, obiter, sed ex composito, & ab exoccupatis, & hæc solùm tum cogitantibus, tum curantibus, tractanda sunt.

S. Gregor. Naz. orat. 1. XIII. S. Gregorius Nazianzenus egregiè hanc doctrinam confirmavit, dum expendit ea, quæ ad opus nostræ Redemptionis concurrerant, dicens: Huc magistra Lex tendit, huc inter Christum & legem interiecti Prophetæ, huc Spiritualis legis perfector, & finis, Christus, huc exinanita Deitas, huc assumpta caro, huc nova illa mixtio, Deus, inquam, & homo. Atque hæc omnia propter omnia, & pro uno illo generis nostri Principe, in unum coiêrunt. Hæc ille; in quibus mihi hæc postrema verba ad trutinam vocate, diligentérque expendite; Hæc omnia pro uno illo generis nostri Principe in unum coiêrunt. Si videres in unam infirmi cuiuspiam potionem hyacinthos, adamantes, aurum, uniones, quæ neque numerum haberent, nec pretium, adhiberi, quid diceres? Illud puto, plurimùm positum esse in illius incolumitate, maximóque in pretio esse sanitatem, quæ tanto pretiosissimarum rerum impendio procuratur. Vide nunc, inquit Nazianzenus, quo loco Deus animarum nostrarum salutem habeat, quam ut curaret, legem & Prophetas in unum coëgit, & quod caput est, se ipsum, suam divinitatem, suam humanitatem, sua attributa, sapientiam, omnipotentiam, & quæcunque taliæ, in remedium nostrum convertit. Hæc omnia in unum coiêrunt. O! quales species, è quibus salutis nostræ medicamentum conficitur? Quàm pretiosæ! Et quomodo Deitas velut consumitur! Deitas exinanita. Vide quid Deo valeat animarum salus, & an earum negotium velut in cursu, aut perfunctoriè, ac non magis multâ cum maturitate, summáque attentione, & omni virium contentione procurandum?

S. Bernard. S. de quadr. debito. cit. à Nyss. Dom. 5. post Pent. §. 5 XIV. S. Bernardus alicubi sic loquitur: venit ad carcerem tuum, ad limum tuum, infixus (ut dicitur) usque ad cubitos in limo profundi. Quid non suave tibi: cùm tibi collegeris omnes amaritudines Domini tui, & rememoraberis primùm quidem illarum infantilium necessitatum, deinde laborum, quos pertulit in prædicando: fatigationum in discurrendo: tentationum in ieiunando: vigiliarum in orando: lachrymarum in compatiendo: insidiarum in colloquendo: postremò periculorum in falsis fratribus, convitiorum, sputorum, colaphorum, flagellorum, irrisionum, subsannationum, exprobrationum, clavorum, horúmque similium, quæ in salutem nostri generis operatus est triginta, & tribus annis, & passus in medio terræ? Tot annos, ærumnosissimam vitam, inter miserias tam multas & magnas exegit, ut salutem animabus adferret. *Nyssenus l. c.* Quantum verò temporis redemptioni corporum dabit? *In momento, in ictu oculi &c. mortui surgent incorrupti.* 1. Cor. 15. 52. Tantúmne temporis curandis animabus impendit, & revocandis in vitam meliorem corporibus solum momentum! Disce hinc, quantum inter curam utrorumque intersit. Momento corpora reviviscunt, animæ triginta, & ampliùs annorum longo labore curantur. Nimirum animabus diu multúmque vacandum, ad corpora si modò velut per viam, obiterque attendas, satis hoc sit.

XV. In Authore quodam de duobus fratribus legisse me memini, quorum unus sapiens, *Mansi tr. 7 disc. 17. n. 13.* alter verò delirus erat, quòd, dum simul in eodem itinere constituti ad bivium quoddam pervenissent, intérque se de via eligenda deliberarent, stultus viam elegerit amæniorem & deliciosiorem: sapienti verò magis via aspera placuit, & difficilis; cúmque diu inter se concertâssent, tandem sapiens, ne fratrem suum delirum contristaret, eius voluntati & optioni cessit, séque ab illo vinci permisit: demum verò aliquousque progressi in latrones inciderunt, à quibus apprehensi, in tetrum carcerem fuerunt abducti: tandem verò cùm ad eius, qui caput & præfectus latronum erat, tribunal educerentur, sapiens totam culpam in delirum, hic verò in sapientem coniecit, utpote qui sanæ rationis Iudicio præditus, à stulto se vinci & superari permisit; Iudex verò utrumque culpæ reum esse pronuntiavit, stultum quidem, quòd se ab eo, qui se sapientior erat, gubernari non permiserit, sapientem verò, quòd sano iudicio pollens, ab eo, quem stultum esse noverat, permiserit seduci. Enimverò tametsi nobis necessum non sit, ut D. Chrysostomus ait, de mendacio adstruere veritatem, attamen ex hac fabula utilissimam quandam elicere possumus moralitatem; corpus enim & Anima sunt veluti duo fratres germani, licet inter se conditione valde inæquales, siquidem anima sapiens est; *Spiritus est, qui vivificat:* Caro vero econtra fatua est, & stolida; *caro non prodest quidquam*; anima ratione prædita est, & intellectu, ideóque per sanæ rationis discursum sibi potest consulere: corpus vero instar stolidi iumenti, insipiens est; Et ideo anima à via ardua & difficili minimè terretur, quia hæc est, quæ ad cœlum perducit: *Arcta est via, quæ ducit ad vitam*; & ideo temperantiam, mortificationem, pœnitentiam, suíque ipsius abnegationem, bonorúmque terrenorum contemptum eligit, & diligit. *Spiritus quidem promptus est,* corpus verò asperioris vitæ arduitatem exhorrescit: *caro autem infirma,* & ideo ieiuniorum, macerationis carnis, vigiliæ, custo-

ſtudiæ ſenſuum deterrita difficultate, viam eligit delicioſam, amat voluptates, divitias, honores, cunctáſque alias vitæ præſentis commoditates: dúmque inter ſe diu concertando confligantur, quia *caro concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adversùs carnem*, tandem anima ſe ſuis continuis perſuaſionibus nihil proficere videns, à corporis importunitate ſuperata, carnem ſuo modo vivere ſinit, illique compatiens fræna laxat: Unde fit, quòd, dum ſimul gradiuntur, in latrones & viæ prædones, id eſt, appetitus inordinatos, pariter incidant, qui illos vinculis irretitos in captivitatem abducunt; funibus peccatorum ſuorum unusquisque conſtringitur: ac tandem dum coram ſupremo Iudice comparent, ut ſuam quæque pars ſententiam accipiat, ambæ ad infernum condemnantur; anima quidem, quia ſe, ſuppreſſo rationis lumine, à ſenſualitate vinci permiſit: Corpus verò, quòd animam aggravaverit, ſuiſque affectibus inordinatis ſuppreſſerit, & ideo corpus & anima perduntur in gehennam.

TITVLVS VI.

AVARITIA.

§. I.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Fuga.

S. Bern. 1. ſer. 4. de adven.

I. Ilii Adam, genus avarum & ambitioſum audite; Quid vobis cum terrenis divitiis, & gloria temporali, quæ nec veræ, nec veſtræ ſunt? Aurum & Argentum nonne terra eſt, rubra & alba, quam ſolus hominum error facit, aut magis reputat pretioſam.

S. Chryſoſt. ho. 21. ad popul.

II. Nec luto melius aurum eſſe cogitemus, materiæ namque pretium non ex natura eſt, ſed ex opinione noſtra; ſi quis enim diligenter inquireret, multò magis auro ferrum neceſſarium; & quid dico auri & ferri comparationem? Hi enim vulgares lapides magis neceſſarii ſunt, quàm pretioſi, nam ex his nihil utile fieri poteſt; illis verò domus, & muri, & urbes conſtructæ ſunt: tu verò mihi demonſtra, quæ de margaritis utilitas iſtis, quin imò quod non indè fiat damnum? etenim ut tu feras unionem unum, innumeri pauperes fame premuntur.

Idem to. 5. ſe. 21.

III. Quamprimum Apoſtoli verbum pietatis ſeminare cœperunt, annumerata ſunt eis ſtatim tria millia, *erátque ipſorum omnium cor & anima una*; Et quis tantæ concordiæ author? quod illud charitatis vinculum? opum contemptus; nullus enim ipſorum dicebat ſuum aliquid eſſe ex his, quæ poſſidebant, ſed erant ipſis omnia communia; omnia enim bona ſtatim proveniunt, ubi malorum radix, avaritiam dico, ſublata fuerit, iam frivola illa verba: Meum & tuum, quæ tot bella mundo invexerunt, ex ſancta illa Eccleſia erant exterminata, inhabitabatúrque non aliter terra, quàm ab Angelis cœlum.

Idem ho. 81. in Matt.

IV. Quotidie ille (Iudas) cum eo erat, qui non habebat, ubi caput reclinaret, & quotidie verbis & operibus inſtituebatur, ut non argentum, non aurum, non duas tunicas habere vellet, & tamen reprimere ſe non potuit; quomodo igitur tu ſperas abſque magna cura & diligenti ſtudio, contagionem huius morbi effugere?

S. Gregor. ap Manſi tr. 8. diſc. 10 n. 7.

V. Admonere vos volo, ut relinquatis omnia, ſed non præſumo. Quia verò, quisquis in hoc ſæculo vivit, bonis huius terræ pro ratione ſtatûs ſui indiget, quonam hac in re conſilio nobis utendum erit? ſic tenete quæ huius mundi ſunt, ut per ea non teneamini in mundo.

Turpitudo.

S. Chryſoſt. ho. 22. in Matt.

VI. Hoc loco, & animo prorſus toto perhorreſcamus, & corpore, intelligentes iſtud, quod Chriſtum dixiſſe memoravimus, ex adverſo ſcilicet Deum, aurúmque conſiſtere & componi: ſi igitur iſtud ſono quoque ſermonis horribile eſt, quantò eſt horribilius, cùm ipſis operibus tyrannis auri Dei timori præfertur?

S. Io. Damaſ. l. 3. c. 54.

VII. Cum quis opes iniquis artibus collegit, atque hinc ſibi robur & potentiam conciliari cenſet, ſimilis eſt ægroto, in morbi abundantia ſanitatem ſitam eſſe ſtatuenti.

S. Petrus Damian. l. 2. ep. 2.

VIII. Nulla ſanè putredo vulneris, inquit S. Damianus, in Dei naribus intolerabiliùs fœtet, quàm ſtercus avaritiæ, & cupidus quisque, dum ſordentis pecuniæ quæſtus accumulat, vertens exedram in latrinam, quaſi molem ſtercoris coacervat.

Damnum.

S. Ambroſ l. 2. offic. c. 48.

IX. An non vanè etiam ille conturbatur, qui ſummo labore coacervat, quod neſciat, cui hæredi relinquat? ſæpe, quod avarus ſummâ congeſſit ſollicitudine, præcipiti effuſione dilapidat hæres luxurioſus, & diu quæſita, turpis helluo, præſentium cæcus, futuri improvidus, quadam abſorbet voragine.

S. Cyprian. ep. 2. ad Donat.

X. Quibus argenti & auri maximum pondus, hos etiam inter divitias ſuas, trepidos cogitationis

nis interna sollicitudo discruciat, ne prædo vastet, ne percussor infestet, ne inimica cuiusque locupletioris invidia calumniosis litibus inquietet, non cibus securo somnusve contingit. Suspirat ille in convivio, licet bibat in gemma, & cùm epulis marcidum corpus thorus mollior alto sinu condiderit, vigilat in pluma, nec intelligit miser speciosa sibi esse supplicia, auro se illigatum teneri, & possideri magis, quàm possidere divitias atque opes.

Anonym. apud Mansi disc. 15. n. 7. XI. Aurum est Monarcha in imperio, Imperator in campis, arbiter in litigiis, cotes ferri, flammarum fomes, scopulus fidelitatis, affectuum tyrannus, Magnes curarum, fortissimarum expugnator urbium, debellator regnorum, mundi triumphator: Aurum est, quod innocentissimas corrumpit animas, acutissimas excæcat oculorum pupillas, iustissimas manus catenis constringit, generosissima sibi corda subiugat.

S. Hier. ep. ad Rustic. XII. Æstimato malo pondere peccatorum, leviùs videtur alicui peccare avarus, quàm idololatra; sed non mediocriter errat, non enim graviùs peccat, qui duo grana thuris proiicit, super altare Mercurii, quàm qui pecuniam avarè, cupidè, & inutiliter servat; & congregat. Ridiculum videtur, quòd aliquis iudicetur idololatra, quia duo grana thuris offert creaturæ, quæ debuit Deo offerre, & ille non iudicetur idololatra, qui totum servitium vitæ suæ offert creaturæ.

S. Cypr. de ord. dom. XIII. Cæca est avaritia, sed diversis fraudum oculata ingeniis, non videt, quæ divinitatis sunt, sed cogitat, quæ cupiditatis sunt.

S. Asterius l. de avar. XIV. Avarus propinquis est odiosus, famulis gravis, amicis inutilis, exteris difficilis & vix affabilis, vicinis molestus, uxori malus contubernalis, liberorum parcus atque sordidus educator, sui ipsius malignus curator, noctu interdiúque sollicitus & cogitabundus.

S. Leo ser. 9. de pass. XV. Non est in illo corde Iustitiæ vestigium, in quo sibi avaritia fecit habitaculum.

S. Basil. ho. 7 in divit. avar. XVI. Avaritia est animarum laqueus, mortis hamus, peccati esca, belli materia; propter opes propinqui, cognati naturam negant, fratres inter se digladiantur, loca deserta grassatoribus, mare piratis, civitates calumniatoribus replentur; quis mendacii pater est? quis falsæ accusationis minister? quis periurii genitor? nonne divitiæ, ac circa divitias studium?

S. Valerian. l. 10. de avar. XVII. Derelinquitur ampliata possessio, & quamvis sit in alterius potestatem transfusa, testimonium tamen tui sceleris servatura: apud alium facultatum tuarum pompa resedit, & tecum pœna migravit; stultitiæ genus est, aliis fecisse lucrum, & sibi paràsse supplicium.

Hugo Card. in 1. Tim. XVIII. Sunt laquei (Divitiæ) malè acquirendo per fœnus & rapinam, furtum, fraudem: servando sunt laqueus immisericordiæ & impietatis, timoris mundani, superbiæ, & perversæ confidentiæ; in amittendo, sunt laqueus desperationis, invidiæ, iræ, odii.

Sixtus Tertius l. de divit. XIX. Quis sapiens dubitet, cupiditatem fontem esse omnium malorum, radicem scelerum, culparum fomitem, & propter quam nec terra, nec maria, nec ullus omnino locus aut securè inhabitatur, aut sine pavore transitur? Huius concupiscentiæ causâ, prædones in fluctibus, in itineribus latrones, in vicis & urbibus fures; propter hanc circumventiones, rapinæ, mendacia, periuria, falsa testimonia, fraudes, impietates; huius causâ innocentium sanguine quotidie terra polluitur, spoliatur pauper, miser opprimitur, nec viduis, aut orphanis parcitur; propter hanc omnibus penè momentis lex divina contemnitur; Huius causâ nonnunquam expugnatur pudor, castitas vincitur, & per illicitas voluptates impudens libido vagatur: Per hanc sæpe parricidia partim votis, partim operibus perpetrantur.

XX. Videmus, quòd per divitias homo acquirit facultatem perpetrandi quodcunque peccatum, & adhibendi desiderium cuiuscunque peccati, eò quòd ad habenda quæcunque temporalia bona potest homo per pecuniam iuvari. Iuxta illud Eccl. 10. *Pecuniæ obediunt omnia.* *S. Thom. 1. 2. q. 54. n. 1.*

XXI. Aurum nemo tutum habet, nisi qui semper abscondit in perniciem domini; fulget, per tenebras quæritur, per tenebras custoditur. Aurum, amanti se, nihil de sua possessione permittit, refundens ei reatum suum, cui usum suum negat, gravis acquisitio, ærumnosa possessio. *S. August. S. 10. in divit. avar.*

XXII. Reginam illam vitiorum procacium avaritiam fuge (O Cancellarie) cui cuncta crimina detestabili devotione famulantur; quæ dum pectus hominis ingressa fuerit, gregatim quoque malefidas cohortes admittit. Ferri non potest recepta, quia nescit esse solitaria, agmen habet blandissimum: arma suscipit ex talentis, & per dulcedinem superat, quos amarâ deceptione captivat. *Cassiodorus l. 12. ep. 8.*

XXIII. Dum Christus Luc. 16. dicit: *Homo quidam*, & nomen non exprimit, significare voluit, quòd dives ille ignorabatur in Paradiso, ubi stabat Christus: quia in Paradiso ignoratur nomen avari amatoris Mundi, & divitiarum, plùs quàm Dei. *Amen dico vobis: nescio vos.* Sed Lazarus pauper, Paulus Apostolus, & similes benè cognoscuntur in Paradiso. *S. Bernardinus to. 4. ser. 16. p. 1.*

XXIV. Hoc interest inter mortem divitis & pauperis, quod inter accipitris & gallinæ. In vivis accipiter blandè habetur & fertur in manibus, gallina contemptim habetur, & alitur. At in morte accipiter abiicitur in fimetum: gallina verò grata & accepta in herili mensa & stomacho ponitur, & fit caro & sanguis Domini sui. *Idem p. 3.*

§. II.

EXEMPLA SACRA.

Qualitas.

I. NOvi fratrem, ait S. Bernardinus, qui à cognatis cuiusdam divitis rogabatur, ut in extremis posito pœnitentiam suaderet. *S. Bernardinus ser. 13. a. 2. c. 2.*

K Nam

Nam triginta annis non fuit confessus. Adit, hortatur. At æger, quale nunc, ait, est pretium piperis? centenarius lanæ quantum valet? suntne reversæ naves? multúmne sacchari est in nundinis venale? Quidquid frater ille de pœnitentia, & misericordia Dei loqueretur. Cùm verò semper æger ea repeteret, quæ sanus tractabat, frater ille seriò in extremis positum hortabatur; at ille voce magnâ respondit: Non possum, non possum, non possum: & sic infelix obiit.

Idem serm. 14. a. 1. c. 3. II. Quidam dives portari ad se iussit opes, & thesauros suos, quos tristi ore alloquens: O denarii mei, ait, O thesauri mei! en morior: iuvate me quæso, iuvate me denarii mei. Relinquámne vos, dilecti denarii mei! tangebat eos, palpabat, osculabatur, amplectebatur, lamentabatur denarii mei! heu denarii mei. Demum accepto argenteo calice, in illud quasi rabidis morsibus stringens, cum diabolo expiravit.

Ibidem a. 2. c. 1. III. Quidam vir Nobilis moriturus exclamavit: O Domine, quàm contemnendus est Mundus iste! Ecce ego, qui tot habeo arces & hospitia ad divertendum: & tamen nescio, quorsum ire debeam: aut quis mihi hospitium præbiturus sint.

S. Bernardin. to. 4. s. 46. p. 3. IV. S. Bernardinus de avaro quodam, civitatis Ariminensis incola refert, quòd ex ingenti tritici coacervata quantitate, in magna annonæ caritate, nec quicquam in usus publicos distrahere aut vendere volens, caritatem præsentem vehementer adauxerit, adeò ut unius tritici modius 40. solidis venderetur; Et licèt tunc etiam pro simili pretio tritici ab eo postularetur annona, se tamen triticum venale habere pertinaciter negârit, quippe qui illud eo usque conservare decreverat, donec pretium ad 50. solidos ascenderet, ideóque ne quis eum ad venditionem sollicitaret, relictâ civitate ad villam quandam se receperat, ne domi reperiri posset; interea tamen quotidiè ab iis, qui Arimino venientes illac transibant, currens frumenti pretium sollicitè exquirebat, & audiens, quòd dictum esset carius, fingebat compati pauperibus ore, sed corde gaudebat. Accidit autem, inquit idem Sanctus Pater, quòd duo mercatores, qui ingentem in Apulia frumenti provisionem sibi comparârant, magnam quandam navim frumento plenam ad sublevamen populi Ariminensis in dictæ civitatis portum advexerint, & quemlibet frumenti modium pro tribus solidis cum dimidio passim omnibus vænum exposuerint, quod cùm in tota illa Civitate & in cunctis locis finitimis innotuisset, occurrerunt omnes, domibúsque suis de sufficienti mox annona prospexerunt, festivique, & *gloriam in excelsis DEO* decantantes, domum rediêre. Cúmque avarus ille asinos frumentis onustos plurimos villam suam videret transeuntes, reíque totius eventum ex variorum relationibus intellexisset, stupefactus voce magnâ exclamavit: væ mihi, tres solidos cum dimidio! Heu mihi, tres solidos cum dimidio; cúmque ab obviis salutaretur amicis & notis, hoc solum respondebat: Tres solidos cum dimidio! nec quicquam aliud occurrebat dicendum, præterquam tres solidos cum dimidio. Hisce verbis salutabat uxorem, filios, servos; Qui eum ab hoc proposito divertere cupientes, aliud nihil ab eo torquere potuerunt, quàm verba illa, tres solidos cum dimidio; Tandem sano corpore lecto se commisit, uxor morbum suspicata, Medicum accersivit, qui nullum aliud verbum ab eo obtinere potuit, præterquam quod identidem ingeminabat: Tres solidos cum dimidio: sic dicendo præ dolore crepavit, & diabolus eius animam asportavit, inquit præfatus Sanctus Pater.

Fuga.

V. Dum S. Franciscus unà cum sodali suo è Civitate Bariensi in Apulia discessisset, ingens quoddam in via publica repererunt bene fartum marsupium, quod cùm auro argentóque refertum à socio eius crederetur, is Sancto Patriarchæ magnam fecit instantiam, licentiámque sibi ab eo dari poposcit, illam aperiendi, & quid intus lateret, studiosiùs examinandi. Sanctus autem vir Dei, utpote à Deo in hoc casu specialiter illuminatus, fraudulenti serpentis artificium & dolum subitò detexit, cui tamen bonus ille frater, genuinam in loculis pecuniam asservari arbitratus, minimè acquievit, dolendúmque esse dixit, quòd pauperes neglectâ illâ pecuniâ defrauderentur, quæ aliàs in magnum illorum subsidium erogari potuisset. Tunc sanctus ille Patriarcha, unà cum socio ut turbatum sodalis sui animum non nihil componeret, dæmonisque fraudem perspicuè magìs eidem detegeret, retrogressi sunt ad locum, in quo loculos iacere viderant; factáque ab utroque oratione, Sanctus vir Dei socio suo, ut marsupium aperiat, & pervestiget, imperare cœpit: oratione præmissâ, iubet socio illam levare: Tremefactus frater obstupuit, diabolicum iam præsentiens monstrum, propter obedientiæ tamen mandatum, dubietatem abigens cordis, manum extendit ad bursam, & ecce serpens non modicus de bursa exsiliens, simúlque cum ipsa subitò evanescens, diabolicam deceptionem fratri monstravit. Tunc S. Franciscus hanc sanctitate personæ suæ dignam protulit sententiam: Pecunia servis Dei, ô frater, nihil aliud est, quàm diabolus, & coluber venenosus. *S. Bonav. in vit. S. Franc. c. 7. n. 5.*

VI. Idem quoque S. Antonio Magno accidisse legitur; dum enim is perfectionis viam ingressus, tanquam destinatus à Deo Eremitarum Anachoretarúmque Patriarcha, in vastam solitudinem iter ageret, dæmon ut à via cœpta eum diverteret, atque à sanctis propositis revocaret, quid fecit? vas ingens argenteum in mediam viam abiecit, ut Antonius illac transiturus, vas illud intuens inescaretur, & velut altera Atalanta in cœpto cursu sisteret. Antonius autem ad dictum locum veniens, viso dicto vase argenteo, corporis quidem gressibus substitit nonnihil, nequaquam verò animus eius moram admisit per adhæsionem affectûs, quia argentum intuens protinus artificium agnovit tortuosi *Mansi disc. 4. n. 4.*

tuosi serpentis, illúdque declinavit, siquidem argentum istud torvo vultu respiciens, dæmoni dixit: Dispareat unà tecum argentum istud, tortuose coluber; ad quæ verba fumi instar evanescens disparuit, sanctus autem vir Dei iter suum, tanquam victor, gloriosè prosecutus fuit.

S. Chrys. ho. 16. in 1. ad Cor. VII. In vita S. Odoardi Angliæ Regis legimus: Quòd, cùm eius subditi propter bella, quæ Rex pater eius contra Dacos gesserat, magnopere ab eodem patre suo gravati essent exactionibus, earúmque executiones ministri Odoardi Regis etiamnum prosequerentur, accidit, quòd, dum pecunia illa ad certum quendam ad hoc deputatum locum recondita esset, sanctus hic Rex super eadem dæmonem incubantem viderit, magnáque cum hilaritate ludos & iocos agitantem conspexerit, qui proinde illas deinceps à subditis exigi seriò prohibuit: Nihil sic diabolo, inquit idem D. Chrysostomus, hominem subiici facit, ut inhiandi opibus, atque habendi amore superari.

Damnum.

Mansi disc. 4. n. 15. VIII. De certo quodam avaro referunt historiæ, quòd, cùm insignem quendam auri cumulum in rupis cuiusdam loco recondito & secreto reposuisset, acciderit, quòd vir quidam pauper ob summam, quam patiebatur, egestatem desperabundus, & laqueum, quo sibi vitam abrumperet, manu suâ ferens, in hunc eundem locum inciderit, cùmque ex certis signis thesaurum ibi latere deprehendisset, & cœpisset fodere, incidit feliciter in reconditum aurei depositi thesaurum, quem protinus ex eodem loco sustulit, & in locum thesauri laqueum, quem secum attulerat, eodem in loco recondidit. Post dies autem aliquot dives ille avarus cùm ad repetendum depositum accessisset, illúdque sublatum vidisset, obstupuit primum, ac quasi toto corpore obriguit, ut præ desperatione inventum in loco depositi laqueum collo iniecerit, séque ibidem suspendio suffocârit. Quid vobis de tragico hoc casu videtur? Nunquid verè in eo verificatum fuisse videmus, quòd opes scilicet in amittendo sint laqueus desperationis?

S. Bernardinus, to. 1. S. 45. a. 1. IX. S. Bernardinus de avaro quodam refert, quòd, cùm sua armaria auro per usuram adimplere, ac tum ab omni deinceps usura desistere decrevisset, magna cum parsimonia in hunc finem vivere cœperit, continuóque se pro pecuniis accumulandis, sudore fatigârit: at verò cùm ea vix ad medietatem replesset, dæmon metuens, ne post repleta armaria ab ipso deficeret, & meliorem vitam agere inciperet: taliter guttur constrinxit, quòd quicquam non poterat deglutire; dénique allatis variis cibis, cæpit æger clamare dicens: Crucior, crucior, & morior fame, sed quia à diabolo suffocabatur, spiritum exhalavit, ut verificetur, quod dicitur Eccl. 5. *Qui amat divitias, fructum non capiet ex eis.*

Baron. to. 8. an. 559. X. Constantino Heraclii Filio imperante, vir quidam pecuniosus Constantinopoli in morbum incidit; mortémque formidans in pauperes triginta auri libras distribuit: convaluit subitò, & pecuniæ expensæ pœnitentiâ (haud dubiè dæmone impulsore) ductus, rem cum sincero quodam & recto amico, eóque locuplete communicat: qui ad amicum: Repelle, inquit, mi homo, hanc impiam cogitationem, nec te pœniteat eleemosynæ in egentes distributæ, ne Deum, qui tui misertus te sanitati restituit tuæ, graviter offendas, fortéque infausta & subitâ morte repentè opprimaris, atque sine pœnitentiâ discedas. Sed frustrà: Consilium enim amici fidum omninò reiicit. Tum amicus: Quando ea, quæ salutaria suasi, non admittis, aliud suggeram tibi. Et ille: Quid suades? Et amicus verè misericors: Age, inquit, huc mecum ad templum adi, & ibi profitêre: Domine, non ego, sed iste dedit eleemosynam: & ego ibi statim triginta auri libras denuo annumerabo. Placet hoc consilium avaro: ad templum venitur, verba concepta pronuntiantur, aurum ab amico infelici illi in manus traditur: receptâ pecuniâ, dum pedem ex templo effert, subitò mortuus concidit, omnibus, qui præsentes aderant, ingenti horrore & pavore correptis, qui iustum iudicem laudabant, & celebrabant. Cùm autem, qui aderant Clerici, monerent amicum, ut suam sibi ipse pecuniam sumeret: Absit, inquit, hoc factum à me, imò cogitatio impia, ut ego Deo devotum aurum, & cœlo iam inscriptum recipiam. Domini est, nullum mihi in id amplius ius aut potestas. Quòd Ananias & Sapphira immemores de suo iam Deo dedicato suffurati, pœnas subitâ morte, quemadmodum & iste, persolverunt. Deus enim non irridetur. His illius dictis ab omnibus mirificè comprobatis, aurum pauperibus est divisum.

XI. Huic non absimile refert S. Gregorius Turonensis, accidisse in Galliis: Mulier quædam, inquit, sub specie religionis vacabat ieiuniis, orationibus insistebat, vigilabat pertinaciter, ac loca sancta devotione simulatâ circuibat assiduè, cùmque in hoc colore iustæ vitæ duraret, immensas opes à multis suscipiebat, congregabat aurum quotidie, & quod devotio Christiana pro redimendis porrigebat captivis, loculis abdebatur occultis, & quæ dabantur inopum necessitatibus profutura, iniquis marsupiis condebantur: nam mulier effossâ humo in medio cellulæ ollam immensam imposuit: ibíque cùm aliquid datum fuisset, recondebat diligenter, & lapide super posito claudens, ut nulli pateret occultum. O térque quatérque execranda cupiditas, quæ luce fraudans homines, demergis in tenebras! Quid plura? Cùm olla impleta fuisset nummis, huic mulieri tempus resolutionis advenit. Mortua verò Deo, migrans in inferno sepulta est, post cuius exequias Sacerdotes, qui aderant, puellam eius familiarem interrogant, quid de tanta fecisset pecunia, aut si ea eroganda temporis sui permisit spatium? At illa respondit, nunquam se vidisse, quòd ulli inopum manus misericordiæ porrexisset: aut quò pecunia data devenisset *S. Gregor. Tur. l. de glor. MM. c. 106.*

ignorare se confitetur: unum tantùm scio, ait: quòd cellulâ deportatum, regressum foras ultrà non vidi. Hæc audientes Clerici stupent, & quid ex hoc factum fuisset, diligenter inquirunt, totúmque crebris ictibus pavimentum tundentibus, locus in quo occulta iacebat pecunia, tinnitum dedit impulsus, cavóque resonans prodit, quæ latebant, & statim remoto lapide invenitur auri congeries, & clerici stupentes tantæ subtilitatis perversitatem, Episcopo, quid actum fuerat, indicant. Ille verò commotus, iussit reserato sepulchro pecuniam super corpus exanime proiici, dicens: Sint tua tibi, quæ congregâsti: pauperibus verò Christi non deerit, unde sustententur. Nec mora, cùm prima quies nocturno tempore data fuisset, audiuntur voces à tumulo, fletus & ululatus immensus: inter quas voces hoc maximè resonabat, se miseram, se infelicem, quæ auri consumebatur incendio. Denique cùm per triduum hæ voces adveniente nocte resonarent, populis non durantibus, ad Sacerdotem venitur. At ille accedens iubet tumuli opertorium amoveri, submotóque videt aurum quasi in fornace resolutum, in os mulieris ingredi cum flamma sulphurea. Tunc Sacerdos oravit ad Dominum, ut quia malitia eius populis fuerat declarata, tandem Dominus pœnam iuberet cessare à corpore, & operto tumulo discessit, vocésque mulieris amplius non sunt auditæ.

Idem de glor. Confess. c.109.

XII. Quidam apud Lugdunensem urbem vix ita laborans, ut unum trientem posset habere; accensus auri execrabilis sacra fame voluit per eam sacculi ora replere, iuxta illum Prudentii nostri versiculum:

Auri namque fames parto conquiritur auro.

Igitur de hoc triente vinum comparat: admixtisque aquis, iterum per argenteos venundans duplat pecuniam. Hoc iterum atque iterum agit, & tam diu turpis lucri secutor est factus, usque quo centum solidos de hoc triente lucraretur: sed iudicium Dei confutavit lucra diaboli. Congerens enim avarus negotiator aurum in sacculum, possessurus pecuniam unius horæ momento, alterius negotiatoris nundinas adit. Extractóque triente, quasi aliquid negotiaturus colloqui cum socio cœpit. Erat autem sacculus ex pelle phœnicia, sicut his manu gestare mos est, & ecce subitò adveniens Miluus rapit cum pedibus, atque decerpere tentat, putans à colore partem aliquam carnis esse. Sed cùm nihil pinguedinis sentiret in eo, evolans super alveum Araris, de quo hic aquas hauriens vino miscuerat; laxatum sacculum deiicit in flumen. At ille apprehensis capillis elidens se ad terram, spargénsque pulverem super caput, aiebat: Væ mihi, qui iudicio Dei oppressus, perdidi pecuniam, quæ iniquè fuerat aggregata. Nam ex uno triente centum erexi solidos. Nunc perditis centū solidis, unus tantùm mihi remansit triens. Væ mihi, sicut feci, sic recepi: & qui nihilò eos habui, ad nihilum rediisse conspicio. Talis pecunia, diabole, tua est, per tale lucrum deduxisti Deo inobedientes in tartarum. Tale enim commercium & in præsenti damni notam ingerit, & in futuro diversarum pœnarum genera parit.

XIII. Sanctius Cicatellus nuper Genuæ obiit 95. annos nactus, Euclio avarus, qui cùm esset morti proximus, à Sacerdote inventus est habere secum in lectulo marsupium nummis plenum, & alteram crumenam brachio alligatam, quam identidem exiguis intervallis præ metu, ne sublata esset, manu contrectabat. Monitus de periculo, tantam auri cupiditatem formidolosam esse; respondit: Non possum aliter facere. Quô dictô cum suis idolis animam exspuit.

Lyr. de imitat. Christi pat. l.7.c.1. doct.15.

XIV. Præfectus oppidi cuiusdam in Lusitania octavo quoque die confiteri, & S S. Eucharistiam sumere solitus, summam in vultu Religionem præferebat, verùm subiectos avarè & crudeliter regebat; Dúmque studet maximè opes (iure, iniuriâ) corradere, die quadam ignotus fit illi obvius in via, ac litteras reddit, qui statim evanuit, nec visus uspiam postea. Præfectus litteris acceptis, lectisque, statim heu mihi! horridè exclamat, & amissis viribus, domum inter manus delatus in lecto collocatur: verùm in eo cubiculo, ubi decumbebat, 27. dæmones horribili formâ se obtulerunt, quorum 20. statim intrò in hominem irruerunt, totúmque immaniter possederunt, reliqui verò septem in eodem cubiculo se continuerunt. Hoc aspectu territis omnibus, Sacerdotes mox vocantur, adsunt, & exorcismos adhibent; at dæmones, operam inquiunt, luditis; Dei iussu huc venimus, nullâ aliâ voce eiiciendi: qui foris in cubili sunt, citiùs expellentur, quàm nos nequam hunc hominem deseramus. Sacerdotes indè commoti, cubiculi dæmones aggrediuntur, qui singulorum peccata, qui aderant, aperiebant. Ex iis cùm iam sex emigrassent è cubili, postremus, qui supererat, conversus ad eos, qui in hominem immigrarunt, eúmque acriter cruciarunt; Quandoquidem, inquit, relicti sumus à sociis, quid hîc agimus? cur non eos sequimur; qui eo dicto, mox omnes facto impetu excesserunt, atque unà secum infelicem illam animam ad inferos detulerunt.

Ianus Nicius exemplo 4.

§. III.

EXEMPLA PROFANA.

Mussard. disc. gebet.

I. Tempore Xerxis Regis vir quidam fuit Pythas nomine, qui uxorem habebat sapientissimam, atque ad omnem benevolentiam & humanitatem optimè efformatam; Hic fortuitò in locum quendam incidens, ubi purissimi optimique auri venam prædivitem latere, certis ex vestigiis deprehendebat, omnes conatus suos, cunctorúmque subditorum suorum vires, industriam & labores tanta cum vehementia in aurum illud ex imis terræ visceribus eruendum applicuit, ut, posthabitis cunctis ruris, domuúmque suarum negotiis, huic uni labori intenti esse cogerentur; unde factum est, quòd omnia non solùm tribunalia quiescerent, verùm etiam agri sylvescentes, nil nisi lappas, sentes, & tribulos germinarent, horti quo-

ti quoque & oliveta in mera degenerarent deserta, vites denique nil nisi otiosos & infœcundos germinarent pampinos, adeóque ubique intra breve tempus tanta unicuique domui invaluit egestas, ut mulieres regionis illius lachrymabundæ ad Palatium Pythæ turmatim accurrentes à prudente ipsius coniuge opportunū plangentes poposcerint subsidium, id quod ab eadem protinus promissum fuit. Accidit autem ut Pythas certa quadam ex necessitate aut voto exstimulatus, peregrinationi cuidam in remotum locum instituendæ se accinxerit; quo è domo sua absente, uxor eius quicquid ferculorum ad lautum aliquod instituendum convivium desiderari poterat, ex mero, puróque auro perartifices adhibitos eâ, quâ fieri potuit, cum industria & ingenio fabricari fecit: Quibus omnibus ritè perfectis, Pythas domum reversus, cœnam sibi apponi postulavit; Quapropter sagacissima coniux eius, ingentem ferculorum apparatum ex auro vivacissimè expressum mensæ inferri iussit, quem quidem avarus princeps primitus summa cum voluptate, & complacentia lustrando probavit, mox tamen famis vehementiâ exstimulatus, veros, non fictos, nutritivos, non verò aureos sibi cænaturo cibos poposcit, unde sagacissima mulier optimam (eius nimium auri investigandi studium & avaritiam reprehendendi) occasionem nacta, his eum verbis aggressa fuit; An non vides, optime marite, quantam hactenus per excessivum illud probrosúmque auri accumulandi studium, tibi, subditisque tuis accersiveris egestatem, & universalem miseriam; Ex quo subditis tuis à summo diluculo in seram usque noctem in plures iam annos auro egerendo à te plùs nimium adstrictis, aratri stiva quiescit, terra passim tui solius culpâ in eam usque sterilitatem redacta fuit, ut præ nimia sui infœcunditate vix pecoribus pascendis & nutriendis germen illius sufficiat: Hácque efficaci, licèt brevi invectivâ effecit, ut universali regionum illarum fami solerter pariter & suaviter fuerit provisum: siquidem maritus eius stultitiam, quâ hactenus auri cupiditate possessus laboraverat, agnoscens, resipuit, morésque pristinos emendando, bono communi consulere & prospicere studuit. Meritò igitur Aristoteles. 3. lib. Politicorum. cap. 6. admirabile illud paradoxum pronunciavit, quòd scilicet divitiæ in civitatibus annonæ parere soleant caritatem: quod iam adductum exemplum evidenter satis probavit. Hæc omnia ex magno illo oratore dicta sunto.

II. Nidificabat aliquando in monte alauda, & quotidie accedebat ad S. Franciscum, ut cibum pro enutriendis pullis acciperet, quos ut domum duxit, & maior ex pullis rostro minores appeteret, ac cibo prohiberet, vel privaret, exosus S. Vir tantam cibi aviditatem, & inhumanitatem, velut ad rationis capacem, inquit: inhumana, & insatiabilis alaudicula, malam mortem obibis, nec erit ex carnivoris animalibus, quod velit tuis carnibus vesci. Ita accidit, nam in vasculum aquæ, quod ipse vir Sanctus pro potu earum apposuerat, alauda cadens suffocata est; ex quo extracta felibus canibúsque proiecta, ab omnibus mansit intacta. *In Biblioth. paup. lit. l. de ira.*

§. IV.

SIMILITUDINES.

Qualitas.

I. Sicut per insaniam mente emoti, res non ut sunt, sed pro morbi sui ratione quævis imaginantur: Sic anima tua ab avaritia possessa, cuncta aurum, cuncta argentum respicit: Libentiùs vides aurum, quàm Solem: quæcúnque vides, in aurum verti cupis, dásque operam, quoad possis, & liceat: Quid enim rerum non moliris, movésque, unius auri gratiâ? Frumentum tibi in aurum vertitur, vinum in aurum concrescit, lanæ ipsæ transeunt in aurum, omnis mercatura, studium omne tuum ac solertia, conciliat tibi suggerítque aurum. *S. Basil. hb. 6. in diresc.*

II. Sicut sterquilinium quidem dispersum utile est, agros enim uberes reddit: congregatum verò non tantùm est inutile, magis autem inquinat, & fœtet: sic divitiæ dispersæ fructiferum reddunt agrum humani cordis, congregatæ verò amatorem suum inquinant. *S. Bern. apud Mansi disc. 19. n. 16.*

Fuga.

III. Sicut sublatâ & radicitus evulsâ arboris alicuius radice, omnes quoque eius frondes, flores, & fructus deficiunt: Eodem quoque modo sublato affectu inordinato ad bona temporalia, animas quoque puras & immaculatas remanere deprehendetis. *Mansi disc. 5. n. 5.*

IV. Sicut putei illi, qui identidem exhauriuntur, longè elegantiores cæteris esse solent: sic etiam divitiæ illæ, quæ quiescunt, & reponuntur, nullius usui existunt; at quæ moventur, & hinc indè transeunt, summam utilitatem fructúmque afferunt. Audiamus denique pro conclusione, quisnam ex mente D. Chrysostomi dives appellari verè mereatur: Dives est, non qui multa possidet, sed qui multa largitur. *S. Basilius Orat. 4.*

V. Sicut Agricola prudens, qui viam, per quam neminem vult transire, fossatis præcidit, ac palis in terra confixis, applicatis pungentibus spinis illam obstruit, atque munit: sic nempe sapientia Dei in itinere divitiarum posuit angustias multas, in eas acquirendo, sollicitudines & timores in eas conservando, & dolores plurimos in eas amittendo, ut sic saltem impedirentur homines per talem viam turmatim currere ad infernum. Unde Deus apud Oseam diviti cuidam avaro dicit: *sepiam viam tuam spinis.* *S. Bernard. to. 2. S. 45. c. 2. c. 1.*

VI. Sicut qui spinas laxâ tenet manu, non pungitur aculeis; sin vero manum contrahat, quo magis contrahit, eo magis sauciatur; sic divitiæ si manibus extensis, id est, liberalibus geras, noxiæ non sunt, at verò si arctiùs & avidiùs utaris & comprimas, mirum est, quàm non modo animam, sed etiam corpus enervent. *Did. Stella in c. 8 Luc.*

Damnum.

S. Aug. to. 4. l. de sal. doct. c. 30. VII. Sicut infernus, quantoscunque devoraverit, nunquam dicit, satis est: sic etsi omnes thesauri confluxerint in avarum, nunquam satiabitur.

Mansi disc. 20. n. 7. VIII. Sicut aviculæ, quæ reti illaqueatæ, aut visco innexæ captæ sunt, continuò quidem expansis alis volare nituntur, sed quò maior est earum ad volandum conatus, tanto alas suas copiosiori visco imbuunt, & tenaciùs retinentur, & à volatu plùs impediuntur, idem quoque multis accidit animabus, quæ bonis hisce terrenis debitâ quidem cum temperantiâ & sobrietate frui & gaudere volentes, attamen postquam illorum dulcedinem degustârunt, tanto deinceps cum affectu illis sese immergunt, ut ab illis se expedire aut illa affectu suo deserere nunquam possint, *incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia & nociva, quæ mergunt homines in interitum.* Tim. 1. c. 6. v. 9.

S. Ant. Pad. in dom. 6. post Pasch. IX. Sicut tinea vermis, vestimentum, ita avaritia, mentem corrodit; unde tinea dicta est, eo quod teneat, & eousque insideat, quousque corrodat; sic avaritia mentem avari corrodit, ut plena multiplicet, sed secundùm multiplicationem suam plùs esuriat.

§. V.

MOTIVA.

Didac. Stella in c. 10. Luc. I. *QVia avaritia nemini prodest, multùm verò nocet*, uti rectè Didacus Stella advertit dicens: superbus & arrogans amplissimas ædificat ædes, & ita ædificatores famulósque alat, necesse est: Helluo pistoribus, venatoribus, cauponibus edacitate suâ prodest: & sic aliis emolumento sunt alii peccatores, quod in divitibus avaris multo aliter se habet; nam præter hoc, quod nemini ex usu sunt, Reipublicæ summè nocere solent, frumentum reliquáque necessaria asservantes, & in tempora cariora reponentes, pauperes affligentes, omnésque summis incommodis afficientes. Nec patientibus avarus compatitur, nec miseris subvenit, vel miseretur, sed offendit Deum, seipsum, proximum; nam Deo retinet debita, proximo denegat necessaria, sibi subtrahit oportuna, Deo ingratus, proximo impius, sibi crudelis.

Stella in c. 14. Luc. II. *Quia nauseam cœlestium creat*; Non aliter, quàm si quis ad magnum & lautum convivium invitatus, moræ impatiens vilibus dapibus se adeò in principio ingurgitaret, ut postea omni edendi appetitu amisso, reliqua comedere non posset, iam enim inediæ satisfecerat, antequam lautioribus cibis fruitus erat. Hoc contingit quàm plurimis, qui naturale desiderium divinorum bonorum, quod Deus hominibus, quasi quandam cœli famem dedit, rebus terrenis tradunt, & ita inebriati bonis temporalibus vivunt, ut æterna cœlorum bona non desiderent, dicántque: *nauseat anima nostra super cibo isto levissimo.* Unde prudens negotiator, qui videt in divitiis laborem, in honoribus pœnam, invidiam in gloria, facit sarcinam suam, mundi contemptum, & fugit. *S. Bern. S. de 4. negot.*

S. Gregor. ho. in Evang. Luc. 8. III. *Quia animam vehementer cruciat*, uti S. Gregorius indicavit dicens: Quis mihi unquam crederet, si spinas divitias interpretari voluissem, maximè cùm illæ pungant, istæ delectent; & tamen spinæ sunt, quæ cogitationum suarum punctionibus mentem lacerant, & cùm usque ad peccatum pertrahunt, quasi inflicto vulnere cruentant. Et iterum: Quis talem non miseratur? angustatur abundantiâ, constringitur, & coangustatur ex opulentia: ager ei non tam reditus largiores, quàm gemitus attulit graviores. Salmeron quoquè de hisce spinis ex S. Ambrosio ita scribit: Spina crucians, cogitatio est comparandi divitias, labor in illis augendis & cumulandis, timor in illis amittendis, dolor in eis expendendis. *S. Ambros. ibid.*

IV. *Quia bona, de quibus avarus gaudet, non sui ipsius, sed aliena sunt*, uti S. Bernardinus ostendit hac similitudine: sicut si videns canem aliquem, duos homines insequentem, & agnoscere velis, uter ex illis canis illius Dominus sit, id meliùs experiri non poteris, quàm dum duo illi homines ab invicem separantur; sic divitiæ temporales, non apparent, cuius sint, hominis, an mundi, sed cùm mundus ab homine separatur, tunc manifestè apparet, quòd proditor mundus illas non dedit, sed mutuavit.

§. VI.

Media.

S. Basil. ... 20. 9. 31. I. *SEperegrinum æstimare*, uti S. Basilius agnovit dicens: Exilium haud agnosco, qui nullo loco circumscriptus sum, & neque terram hanc, quam nunc incolo, meam habeo: universam terram DEI esse scio, cuius sum advena & peregrinus. Ideo etiam Christus in peregrini specie apparuit, ut nos, qui membra eius sumus, in hac vita peregrinos & advenas nos esse sentiamus. Hinc S. Bernardus dixit: obsecro, in peregrinatione huius seculi, in militia hac super terram, ædificemus nobis non domos ad habitandum, sed tabernacula ad deferendum, utpote citò indè evocandi, & migraturi in patriam, & civitatem nostram. *Haymo in c. 24. Luc.* *S. Bern. ad FF. de monte Dei.*

S. Chrysost. hom. 12. in Matt. II. *Cœlestis Patriæ meminisse*, quia ibi est domus nostra, id est, in Cœlo, ibi etiam omnia recondamus, nihil hîc penitus relinquentes, quicquid enim hîc dimiserimus, amittimus. Sicut enim viator, quantò magis ad viæ suæ terminum appropinquat, tantò magìs gaudet, & exultat, animúmque resumens tantò celeriori gressu progreditur: ita quoque anima fidelis, quæ oculos suos in cœlum defixos tenet, ad iter suum, quantumvis difficile prosequendum, animatur, omniáque obstacula facilè superat. Hinc S. Laurentius Iust. dixit: validissimum contra præsentis vitæ illecebras medicamentum est, futuræ vitæ habere notitiam: absque æternæ vitæ gustu & scientia, istius non habemus contemptum. Quod confirmans S. Gregorius, si semel, inquit, quisque ad æterna se erigat, *S. Laur. c. 1. de casto conn.*

erigat, atque in his, quæ incommutabiliter permanent, oculum cordis figat, propè nihil esse conspicit, quicquid ad finem currit.

S. Gregor. Nyss tr. 1. in ps. 107.

III. *Vanitatem rerum mundanarum considerare*, nam, ut S. Gregorius Nyssenus rectè advertit, omnia, quibus in hac vita mortalium curæ destinantur, inanis quædam opinio sunt, nihilque subsistens; opinio est honor, dignitas, generis claritudo, superbia, elatio, divitiæ, & his similia. Unde & Seneca: Nemo ex his, quos purpuratos vides, felix est, non magis, quàm illi, quibus sceptrum aut chlamydem in scena fabulæ assignant.

Senec. ep. 80.

S. Bonav. in c. Apocal.

IV. *Damna avaritiæ pertendere*; Quæ S. Bonaventura, explicans textum illum Apoc. 3. 17. *quia dicis, quòd dives sum &c.* indicat dicens: nota hîc, quanta sint infortunia avari, est enim miser, quia divitias cum labore acquirit; pauper, quia cum dolore perdit; cæcus, quia nihil aliud respicit; & nudus, quia nihil aliud bonum facit.

§. VII.

Ascetica.

S. Bruno de imit. Christ. in paupert.

I. Inprimis nosse debet, *quomodo utendum sit divitiis*, id quod S. Bruno indicavit dicens: *Qui volunt divites fieri &c.* Ecce, qui volunt fieri, dixit; non qui sunt: cupiditatem damnabilem ostendit, non divitias: possunt divites esse, & boni, sed illi de quibus dicitur: *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere.* Cor autem apponit, si aliquid agat eorum, quæ saluti officiunt, sive eorum, quæ salutaria sunt, aliqua omittat. Uti S. Abraham fecit, de quo S. Laurentius Iustinianus dixit: cùm locuples esset, inquit, nequaquam inordinatè divitias dilexit; unumquemque Deus non secundùm affluentiam rerum, sed secundùm inordinatum affectum iudicabit; nec diviti obsunt opes, si benè utatur, nec pauperem egestas commendabilem facit, si inter sordes & inopiam ambire non desierit. Habeat homo multas facultates, si in eis non extollitur, pauper est; non habeat aliquid, sed cupiat, & inflietur, inter divites & reprobos iudicabitur, quia dites & pauperes in corde interrogat Deus, non in arca, & in pecuniis.

Titelman. in Psal. 61.

S. Laur. Iust. c. 4. Lign. Vitæ.

Mansi dis. 17. n. 8.

II. Nosse debet, *cur Deus cor humanum taliter efformârit*, nimirum illud in medio corporis, tanquam omnium sensuum & operationum nostrarum primum mobile, reposuit; eo quoque modo illud formavit, ut ex ea parte, quâ terram & hæc terrena bona respicit, illud strictum, acuminatum, clausum, & angustum esse voluerit; ex ea verò parte, quâ cœlum suspicit, apertum esset & largum, ut ex hoc unusquisque homo intelligeret, quòd ad consequenda bona cælestia, tantundem affectum, cogitationes, curas & animi contentionem ditare & ampliare possit, quantùm se quoad bona terrena coërcere, moderari, & constringere tenetur, ne modum excedat.

S. Salvianus l. 1. ad Cath. Eccl.

III. Nôsse debet, *cur opes datæ sint*; id quod S. Salvianus indicavit dicens: Ad hoc Deus facit homines locupletes, ut bonâ operatione sint divites, ut commutent scilicet divitias, quas acceperunt, in bonis operibus collocantes DEI opes, quas habent in hoc sæculo temporarias, benè utendo, facientes sempiternas, ac sic agnoscentes munera Dei, duplici bono gaudeant, cùm, qui sunt divites in hoc sæculo, esse quoque divites mereantur in cœlo. Unde S. Augustinus etiam dixit: Bonæ sunt divitiæ, bonum est aurum, bonum est argentum, bonæ familiæ possessiones, omnia ista bona sunt, sed unde facias bene, non quæ te faciant bonum.

S. August. S. 72. de div.

Senec. ep. 75.

IV. Nôsse debet, *divitias, & similia bona, ex se ipsis utilia non esse ad salutem, sed id solùm ex possessoris bonitate provenire*, ut ipse etiam Seneca naturali lumine agnovit, dicens: Aut ista bona non sunt, quæ vocantur, aut homo felicior Deo est: quoniam quidem quæ parata nobis sunt, non habet in usu Deus, nec enim libido ad illum, aut opes: Ergo (quod incredibile est) bona Deo desunt, aut hoc ipsum argumentum est, bona non esse, quæ DEO desunt.

Cassianus l. 7. Instit. c. 14.

V. Nôsse debet, *triplicem Religiosis avaritiæ morbum contrahi posse. Unus*, qui decipiens miserabiles quosque, ea, quæ ne antea quidem, cùm in sæculo degerent, possidebant, congregare persuadet. *Alius*, qui hæc, quæ in primordiis suæ renuntiationis abiecerant, postea resumere, & rursum desiderare compellit. *Tertius*, qui initio malo, vitiosoque contractus, & ab imperfectione incipiens, eos, quos semel hoc tepore mentis infecerit, paupertatis ac diffidentiæ timore perterritos, spoliare se cunctis mundi facultatibus non sinit.

S. Bernardinus tom. 2. ser. 43. a. 2. c. 3.

VI. Nôsse debet, *cur avari nunquam satientur*: nimirùm quia potus pecuniæ non ibi est, nec ibi ponitur, ubi est sitis auri. Unde sicut vinum in dolio non sedat corporalem sitim, sic pecunia in arca sitim mentis sedare non potest. Rationalis enim anima ad imaginem Dei facta, creaturis omnibus occupari potest, satiari non potest: quia capacem Dei, quidquid Deo minus est, implere non valet. Insuper nullum corpus in spirituali loco contineri potest; Nam sicut sapientiâ non potest repleri arca, sic nec pecuniâ repleri potest anima. Unde Bernardus: Non plùs satiabitur cor hominis auro, quàm corpus aurâ.

§. VIII.

MISCELLANEA ET CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Qualitas.

Lyranus in c. 7. Iud.

I. DEUS Gedeoni insignem illam adversus Madianitas victoriam impertiri volens, hoc ei signum dedit, è quo, quosnam in suum exercitum seligere posset proficuos milites, quorum opera in illo erat certamine adhibenda, perspicuè dignosceret: *Qui linguâ lambuerint aquas, sicut solent canes lambere, separabis eos seorsum: qui autem curvatis genibus biberint, in altera parte erunt*: Hi autem

tem, qui commodè bibebant, genuáque sua, cum qua poterant commoditate flectebant, ut se super aquas extendere, easque tantò copiosiùs bibere possent, repudiati fuère, electi verò sunt & probati, qui obiter ad instar canum undas lambebant; omnia in figura contingebant. Lyranus enim in moralitate in hanc historiam ita scribit: Per illos, qui biberunt aquas flexo poplite, significantur illi, qui ad hauriendum huius mundi bona sunt nimis effusi, & illi non sunt apti ad sequendum Christum. Per illos autem qui biberunt manu aquam ad os proiiciente, significantur illi, qui de bonis huius mundi accipiunt, quantùm sufficit ad necessitatem. Hi enim sunt milites ad militiam Christianam aptissimi, & adversùs inimicum infernalem insuperabiles, & ab illis solis corona cœlestis gloriæ acquiritur.

Hugo Card. in Ezech. II. Idem Deus quondam Ezechieli Prophetæ ad se die quodam accersito præcipit, ut acceptâ novaculâ capillos capitis sui sibi abraderet: eósque adhibitâ iusti ponderis trutinâ libratos in tres partes æquales divideret, & primam quidem harum partium in medio civitatis igne succensam combureret: secundam verò portionem in minutissimas partes discinderet: Tertiam denique in ventos dispergeret. Quo quidem divino præcepto Prophetæ imposito, quoad sensum literalem, strages populo immittenda, & quas in ea passurus erat, miseriæ significabantur: quia aliqui eorum in igne perituri erant, alii in minutissimas particulas comminuendi, alii denique velut mancipia in captivitatem abducendi erant: In sensu autem spirituali per capillos bona significantur temporalia, quia sicuti corpori & vitæ corporali superflui capilli sunt, non verò essentiales, cùm sint quædam capitis excrementa, ita quoque bona terrena necessariam cum vita spirituali Christiani hominis, & cum anima connexionem non habent: mysterium verò, ob quod sic capilli in tres partes dividendi erant, ab Hugone Cardinali his verbis tangitur: Divitiarum prima pars in ignem, secunda in ventum, tertia in gladium traditur, quia divites huius mundi suas divitias expendunt, alii in igne libidinis, alii in vento superbiæ, alii in lites & bella.

Holkot in Sap. Lect. 65. III. Iniusti opum corrasores non immeritò cygnis comparantur, qui in morte omnium suavissimè canunt. Quia & hi morte suâ, ceu cantilenâ suavi, testamento hæredes recreant. Unde Seneca rectè: Avarus nihil boni facit, nisi cùm moritur.

Fuga.

Mansi disc. 22. n. 13. IV. In magna illa caritatis annona, quæ universam penè terram affligebat eo tempore, quo Ioseph Ægypti salvator audire meruit, magna erat in Ægypto ex præfati Ioseph speciali providentia & directione frugum quarumlibet abundantia; Unde Ægyptii, ut alias nationes ad se pro frumentis comparandis evocarent, paleas, è quibus frumentum excussum fuerat, in Nilum coniecerunt, ut ex illis deorsum per varias regiones decurrentibus annonæ in Ægypto reservatæ omnibus insinuaretur notitia: Omnia in figura contingebant: Etenim Salvator totius Mundi, per transitorias huius præsentis vitæ aquas, paleas decurrere facit, id est, multa nobis bona apparentia, honores videlicet, divitias, delicias & voluptates ob oculos obiicit, ut ex illarum palearum vi attractiva & apparentiâ permoti, apprehendere & coniicere valeamus, quòd in cæli granario frumentum Electorum copiosissimè abundet, de quo dicitur: *Triticum autem congregate in horreum meum*; Ibi enim sunt thesauri, gaudia, & gloria stabilis ac vera. Et ideo Sanctus Augustinus nos monet dicens: Ama alteram vitam, & videbis, quòd ista vita tribulatio est, quacunque prosperitate fulgeat, quibuscunque deliciis superabundet & affluat.

Damnum.

V. Consideratione dignissimum est, quòd is, qui opulentissimus, multarúmque Provinciarum Dominus fuit, Iob nimirum, Spiritûs Sancti instinctu de auro scripsit, dicens: *Ab Aquilone aurum venit.* Cur enim aurum potiùs à regionibus Aquilonaribus, quàm ab aliis Mundi partibus provenire dicit, cùm certum esse constet, aurum ex aliis quoque terræ partibus in magna copia ad nos adduci? Mysterium huius dicti ex illis Ieremiæ Prophetæ verbis desumi posse existimo, quibus dicit: *Ab Aquilone pandetur omne malum*: Unde enim aurum venit, inde pariter omne vitium derivari necessum est: nam, ut S. Gregorius optimè dicit: Ubi aurum placet, ibi & vitium. Dic sodes, ubinam is qui omnis mali, omnísque vitii author & inventor extitit, sedem suam primitus collocavit? Num ad orientem? Vel ad meridiem aut occidentem? Minimè: quin potùs ipsemet dicit: *Sedebo in lateribus Aquilonis*: Et ideo tametsi omnia vitia laquei sint dæmonis, quibus homines involvit, Apostolus tamen solam avaritiam specialiter *dæmonis laqueum* solemni nomine appellat. *Idem disc. 1. n. 5.* *1. Tim. 6. 9.*

VI. Hugo Cardinalis in c. 5. Ezech. dicit, quòd per capillos, quæ pars quædam sunt corporis nostri superflua, bona temporalia & divitiæ significentur; addit tamen, notandam esse, magnam inter capillos M. Magdalenæ, & Absolonis differentiam, quia tametsi illa capillos suos valdè prophanaverit, tot animas in lascivos eius mores illaqueando, eosdem tamen etiam tanta cum pietate & devotione in obsequium Redemptoris adhibere noverat, ut & ipse eius caperetur amoribus, & cordis eius præda fieret: De Absalone autem verè dici potest, illum, quot ex eius vertice capilli prominebant, totidem etiam in capite suo gestâsse laqueos, ex quibus in arbore quercûs infami modo suspensus remansit. Nostisne aliquam differentiæ assignare causam? Non est alia, quàm hæc; Quia capilli Absalonis laquei erant dæmonis, quia hactenus specia- *Hugo Card. in c. 5. Ezech.*

specialia avaritiæ fomenta præbuerant ; per quæ quis peccat ; per hæc & torquetur ; Etenim non obstante , quòd tanti Regis Filius esset , nihilominùs capillos suos vel comam capitis sui detonsam vendebat , & in ea negotiabatur : *Ponderabat capillos capitis sui ducentis siclis pondere publico.* Quid magis admirandum audiri potest ? &c.

2. Reg. 14. 26.

S. August. in c. 1. Gen.

VII. S. Augustinus sequens movet dubium ; cur videlicet DEUS non æquè arboribus & plantis benedixerit , ac aliis creaturis ? & respondet , ideo id Deum non fecisse , quia arbores per fibras & radices in lateribus terræ inhærent. Cùm igitur homines arboribus sint similes , unde & Philosophus hominem arborē inversam appellabat : Et Psalmista de eodem dicit : Quòd sit *lignum , quod plantatum est secus decursus aquarum* ; Hinc est , quòd Deus arboribus non benedicendo insinuare nobis voluerit , se benedictiones suas cælestes nequaquam communicare illis , qui affectibus & cogitationibus suis , bonis terrenis immersi hæreñt.

Mansi disc. 14. n. 2.

VIII. Refert Magister Henricus de Gandavo in suo Quodlibeto , quando Constantinus dedit Ecclesiæ bona temporalia , vox fertur audita fuisse : Hodie cecidit venenum in Ecclesia DEI. Id tamen accidisse narrat propter malorum abusum. Quis autem est , qui Constantinum Magnum Fidem & Religonem Christianam de interitu periclitantem restituisse , & stabilivisse nesciat ? & tamen ex alterâ parte , quando illam bonis temporalibus adauxit , valdéque locupletem fecit ; eidem præjudicium quoddam intulisse dici potest , non quidem ex intentione & culpa ipsius , sed eorum culpâ , qui divitiis illis in pravos fines abutebantur.

Idem disc. 14. n. 8.

IX. In carcere Pharaonis Regis Ægypti duo ex Regiis servis eius detinebantur captivi , pincerna videlicet Regius , & magister pistorum , qui ambo Dominum suum graviter offenderant , ambo in somnis visionem habuerant , sed valde inter se differentem ; quas Iosephus utrique declarans , primo Regiæ gratiæ redintegrationem , alteri verò pœnam capitalem prædixit : cuius porrò præsagii multæ quidem adduci possent rationes ; verùmtamen ea , quæ ad præsens nostrum propositum pro sensu morali aptissimè quadrat , hæc est , quia scilicet Pincerna tali fungebatur munere , in cuius executione manus suas coinquinare necessum non erat ; siquidem acceptum cyathum disco imponebat , vinúmque ei infusum Regi bibendum propinabat , quæ omnia sine ulla manuum suarum coinquinatione facillimè facere poterat : Magister verò pistorum non item ; hic enim massam continuò tractabat , quæ ubi manibus eius adhærescebat , easdem farinâ conspersas , & non aliter , à massæ glutine depurare poterat. Omnia in figura contingebant ; Etenim historia hæc monet illos , qui mundas manus non habent , qui terrenis rebus immersi vivunt , iisdémque accumulandis continuò student ; monet , inquam , illos , ut sibi ab ira Dei ; & à condemnatione æterna diligenter caveant ; eò quòd manus suas semper immundas habeant ; placent enim illis res alienæ , móxque visas concupiscunt , rapinas , & extorsiones continuò committunt , suntque bona temporalia , veluti massa quædam , quæ faciliter æquè ac tenaciter ea tractantibus adhærescit. Unde Albertus Magnus super illa verba Psalmi : *Nolite cor apponere* ; hanc glossam adjicit : quasi dicat : habere , non damno ; sed affectum ponere in illis , reprobo , hoc enim est , quod divites reprobos efficit.

R. P. Lohn. Auctar. Bibl.

Idem disc. 3. n. 4.

X. Quando in tempestatibus maritimis periculum est submersionis , aut naufragii ; nautæ se invicem alligare solent rei alicui , quam in navi habent ; maximè autem alicui tabulæ vel trabi , aut asseri ligneo ; sperantes , quòd dum huic arctè alligati in superficie natant , tandem aliquando salvi ad litus maris sint perventuri ; Quòd si verò aliquis ferro vel massæ aureæ , vel argenteæ firmiter se astringeret ; quæ naturâ suâ fundum peteret , nequaquam verò in aquarum superficie natare solet , is utique omni fore spe periculum evadendi frustratus ; siquidem unà cum illis in fundum usque demergendus foret. Ad eundem quoque modum , hæc est ingens avari præ cæteris peccatoribus infelicitas , quòd scilicet ambitiosi adhærescant honoribus , dignitatibus ; luxuriosi crapulæ ; iracundi vindictis ; Cùmque hi affectus quantumvis immoderati sint , tandem nihilominùs sive per similes ætatis annos , sive per illarum continuum usum ; sive per infirmitates ; aut aliud quodvis simile accidens moderantur ; vel certè totaliter deficiunt ; cuius contrarium fit in peccato avaritiæ , utpote quæ non solùm per annos quantumvis decrepitæ ætatis ; verùm etiam per divitiarum incrementum magis semper magisque adaugetur ; ac proinde etiam vicinæ mortis tempore avarum non deserit , sed æquè firmiter ei adhærescit. Unde Hugo Cardinalis ait : Signanter dicit : Mergunt ; quia divites ad modum naufragantium , quod tenent , vix dimittunt.

Idem disc. 6. n. 5.

XI. Videmus quotidè , quòd , dum à piscatore vermiculus aut alius gratus cibus in aquas cum hamo projicitur ; omnes certatim accurrant , ut illum aliis præcipiant , illique , qui eum unà cum hamo deglutivit ; alii quasi invideant ; sed immeritò ; cùm potius eidem compati suo modo deberent , quia nondum retraxit hamum piscator , quem ubi retraxerit ; cibus ille causabit , ut paulò post ex suo , cui innatabat , elemento extrahatur agonizans , móxque torrendus vel assandus superimponatur carbonibus : Idem quoque multis accidit , qui in hac præsenti vita pinguibus hæreditatis opulentæ , vel insignis fortunæ , vel dignitatum , Dominiorum , deliciarum , voluptatum , aliarumque prosperitatum temporalium bolis , iuxta cordis sui votum impinguantur. Sed caveant sibi tales ; Nondum retraxit hamum piscator , ipsi hamum , quem unà cum cibo deglutierant , intra fauces suas habent , nec tamen id advertunt , id quod præcipuum & manifestum est æternæ re-

probationis suæ indicium: *recordare, quia recepisti bona in vita tua*; sed quænam hinc nascitur consequentia? hæc cruciatuum causa tota; Etenim in hac vita gaudere, ad ignem infernalem hominem condemnat: *sicut pisces capiuntur hamo*, inquit Sapiens, *& sicut aves laqueo comprehenduntur, sic capiuntur homines in tempore malo, cùm eis extemplo supervenerit interitus*; aves enim lætæ prorsus hinc indè circumvolant, dum escam sub laqueo vel reti reconditâ sese nutriunt: pisces pariter festivi in aquis circumnatant, seque hamum unà cum iniecta aquis esca deglutiisse ignorant, & tantò faciliùs ambo morti in prædam cedunt: Idem quoque multis mortalium accidit, qui in hac vita felicissimè vivunt; quando enim se sibi in hoc Mundo verum quendam stabilivisse Paradisum credunt, quando in prosperrimo humanæ felicitatis statu degunt, rota fortunæ protinus eversa circumvoluitur, Sol ad occasum vergit, ipsique ad infernum ex improviso aguntur præcipites.

TITULUS VII.

BACCHANALIA.

§. I.

EX S. SCRIPTURA.

Fuga.

Eccles. c. 3. I. TEmpus flendi, tempus ridendi: tempus plangendi, & tempus saltandi.

Eccl. c. 2. II. Risum reputavi errorem, & gaudio dixi: quid frustrà deciperis?

2. Cor. 6. III. Nolite iugum ducere cum infidelibus; quæ conventio Christi ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? qui autem consensus templo cum idolo?

Psalm. 80. IV. Ibunt in adinventionibus suis.

Rom. c. 12. V. Obsecro vos, Fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum, & nolite conformari huic sæculo.

Damnum.

Luc. 18. VI. Ecce ascendimus Ierosolymam & consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas de Filio hominis; tradetur enim gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur.

2. Machab. c. 5. VII. Omnes, qui ad spectaculum processerant, trucidavit.

Apoc. c. 12. VIII. Descendit diabolus ad vos, habens iram magnam, sciens, quoniam modicum tempus habet.

Num. c. 11. IX. Adhuc carnes eorum erant in dentibus eorum, nec defecerat huiuscemodi cibus: & ecce furor Domini concitatus est in populum, & percussit eum plagâ magnâ nimis.

§. II.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Fuga.

S. Chrysost. hom. 1. in Gen. I. Si Medici pharmaca dare volentes, ut putridum & corruptum humorem abigant, à corporali hoc cibo abstinere præcipiunt, ita ut pharmaci efficaciæ desit obstaculum, & operari, suámque vim illud possit ostendere; multò magis nobis hoc spirituale remedium, hoc est, utilitatem, quæ ex ieiunio est, suscepturis, tenuitate victûs nostram mentem expurgare, & leviorem reddere convenit.

II. Hem, quid facis, O homo? nemo uxorem castam in matrimonium ducturus, pellices ac meretrices præassumit, secúmque habitare facit; nam mulier honesta ferre non poterit, ut scorta unà secum habitent. Noli igitur & tu, cùm inediâ corpus tuum macerare vis, ebrietatem priùs introducere, ebrietatem, inquam, quæ nihil aliud est, quàm publicum scortum, quàm bacchans & furens mulier, ad omne genus turpitudinis prompta, ac parata. *S. Basil. Orat. 5. de ieiunio.*

III. Quis est adeò doloris expers, ut non doleat, cùm in ea, quæ ad diabolum pertinent, plùs studii conferri cernat? Atqui nulla spes veniæ nobis, vel excusationis reliqua esset, si vel æquale studium conferretur, cùm autem etiam longè superet, quis nobis defensionis locus relinquitur? Quotidiè nos invitant spectacula, nec ullus pigritatur, nullus est, qui cunctetur, nullus est, qui negotiorum occupationes obtendat, sed tanquam expediti, & omni curâ soluti occurrunt omnes, non canitiem senex reveretur, non ardorem naturæ ac libidinis iuvenis suspectum habet. *S. Chrysost. to. 5. ser. 48.*

Damnum.

IV. Est tempus hoc tempus descendendi de peccato in peccatum, & per consequens ad infernum, & ideò dicitur: *Tenent tympanum, & citharam, & ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad infernum descendunt.* *S. Vinc. Ferrer. ser. 3. in Quinquag.*

V. Spectacula etiam iuxta nostram professionem opera sunt diaboli. Quomodo, O Christiane, spectacula post Baptismum sequeris, qui opus diaboli esse confiteris? Renuntiasti semel diabolo, semel & spectaculis eius, ac proinde necesse est, prudens & sciens, dum ad spectaculum remeas, ad diabolum te redire agnoscas. *Salvianus l. 6. de provid.*

VI.

S. Carolus Borr. Act. Mediol. p. 7. pag. 1131.

VI. Vide retia inextricabilia, quæ dæmon inimicus noster hoc tempore nobis tendit; vide fossas peccatorum, in quas tot homines cæco quidem modo præcipites agit; vide innumerabilium animarum prædam, quam hoc tempore sibi surripit. Quid plura? vide, inquam, quantùm hodie Sathanas triumphet, quomodo in hoc populo tuo regnet, & tyrannizet, idque non solùm ad plebeios toto anno vitæ vanitati deditos, verùm etiam persæpè quoad illos, qui alio anni tempore bonam habent animæ suæ custodiam, & à mundo sapientes esse existimantur.

S. Ephrem to. 1 de abstin. a ludicr.

VII. Ubi citharæ & chori, ac plausus manuum, ibi virorum tenebræ, & mulierum perditio, Angelorum tristitia, & diaboli festum.

§. III.

EXEMPLA SACRA.

Fuga.

Mansi disc. 13. n. 4.

I. S. Catharina Senensis toto hoc durante Bacchanalium tempore, pro maiori parte noctis in profunda oratione absorpta erat? dato autem signo, quo aliæ sorores ad Matutinum decantandum accersebantur, ipsa licentiam sibi à Deo dari postulabat, ut per modicam quietem membra corporis nonnihil restaurare posset, hoc enim commodiori tempore fieri non posse credebat, quàm illo tempore & hora, quo multi diversorum ordinum religiosi & religiosæ Deum psallendo in cordibus suis laudabant.

Chron. S. Franc. p. 3. l. 6. c. 35.

II. In Chronicis S. Francisci de quodam Patre F. Michaële de Barca magnæ sanctitatis viro legitur, quòd tantam peccatorum, quæ hisce diebus liberè committuntur, habuerit displicentiam, ut ad locum, ubi mulieres ad tripudia, & choreas instituendas congregatæ erant, accedens, unamquamque illarum seorsim his verbis fuerit obtestatus: Quòd si mihi, O benedicta filia, promiseris, quòd ex puro amore Dei illum per hæc tripudia, & alia huius temporis peccata offendere nolis; vicissim sanctè tibi polliceor, quòd te toto hoc anno Deo per orationes specialissimè recommendabo; hisque promissis, plurimas illarum à vanitatibus illis frequenter abstraxit. Accidit quoque, quòd hisce diebus locum quendam, qui caligarum dicitur, ubi varii prophani lusus exercebantur, accedens, in medio ludentium tanto cum fervore in dictorum ludorum detestationem prædicaverit, ut multos præsentium non solùm pro illo anno, sed & pro aliis sequentibus à similibus lusibus sæcularibus deterruerit.

Vit. S. Ludvv.

III. In vita S. Ludvvinæ Virginis legitur, quòd dum hæc pientissima Virgo instar Iobi ulceribus pleni & afflicti, variis morbis excruciaretur, audito ingenti quodam dissolutorum hominum strepitu in plateis hoc Bacchanalium tempore excitato, postquàm de causa illius sibi adstantes domesticos interrogasset, eidem responsum fuerit, hosce clamores à nonnullis consuetis recreationibus operam dantibus excitari; quod ipsa audiens zelo reparandi honoris cœlestis sponsi sui, qui illis prophanis diebus conculcabatur, mota, eundem sponsum suum enixè rogavit, ut pro diluendis prophanorum istorum hominum offensis, afflictum corpusculum suum novo quodam & vehementi morbi genere dignaretur exercere, & ecce subitò gravissimâ quâdam infirmitate correpta fuit, quæ acerrimos ei accersivit dolores, qui per totam Quadragesimam usque ad Pascha Resurrectionis sine ulla intermissione continuârunt.

IV. S. Gertrudis, quia Sabbatho Bacchanalium tota in Deum absorpta, ab omni se applicatione exteriori sequestrabat, ideo Deus illam summa cum benignitate in sinum suum recepit, ubi tantâ cœlestium consolationum abundantiâ fruebatur, ut sibi planè videretur, quòd simul cum Domino suo de omnibus cœli terræque Regnis liberè disponere posset: Ad hæc cœlestis eius sponsus dixit ei: O Dilecta mea tu hodie facta es protectrix mea, ita enim tibi persuasum & decretum esse scio; quòd si sana esses, libenter pro me laboratura esses, ut securus efficerer ab iis iniuriis, quibus hoc tempore specialissimè offendor, ac proindè cùm hodie passim ab omnibus repellar, ad te veni, ut meam in te quietem habeam. Vit. l. 4. c. 5.

V. Eidem virgini Christus Redemptor noster in Dominica Quinquagesimæ eodem modo & forma apparuisse legitur, in qua flagellatus, & inter duos lictores circumductus fuit, quorum unus spinis caput eius cingere, & dolorosissimè pungere videbatur; Cùmque S. Virgo funestum hoc & lacrymabile spectaculum memoriâ suâ circumferens, ad amarum fletum incitata, stagnantibus præ lacrymis oculis eum sciscitata fuisset, an aliquis hunc eius dolorem mitigandi modus excogitari posset, Christus cœlestis sponsus eius ei respondit: Quòd si quis amaram passionem meam devoto & amoris pleno corde ad mentem seriò revocaverit, seque exinde in corde suo compungi sentiens, pro peccatoribus Deum precatus fuerit, is utique suavissimum afflicto cordi meo emplastrum conficiet, quo mediante dolor hic meus mitigari, & lenior ac tolerabilior fieri possit. Ibidem.

Damnum.

VI. Annales Ecclesiastici de Episcopo quodam referunt, quòd is, quia Ioannis nomine insignitus erat, in festo S. Ioannis Evangelistæ, multas fœminas nobiles ad tripudiandum invitare consueverit, cùmque ipse in medio illarum dicu choreas velut choragus duxisset, repentè cadens miserabili morte expiravit, mortuus non ut Episcopus, non ut Sacerdos, sed veluti histrio; mortuus non in atrio, sed in theatro; non in loco sacro, sed prophano; non in Ecclesia, sed chorea. Annales Eccl. Anno 1352. n. 31.

§. IV.

Motiva.

I. *Quia Bacchanalia sunt contra finem ab Ecclesiam tentum*, ut Iosephus Mansi ostendit, sic discurrens: Inter cæteros, qui in hunc mundum irre- Mansi Tr. 1. disc. 1. n. 3.

irrepserunt, errores, unus hic est, quòd, quia paulò pòst in decursu Quadragesimæ, ieiuniis, mortificationi, pœnitentiæ & solitudini nobis vacandum est, ideo hoc tempus, Quadragesimale ieiunium immediatè præcedens, recreationibus, ludis, spectaculis, choreis, commessationibus, aliisque similibus dissolutionibus & vanitatibus iure merito transigendum esse censeatur. Hoc autem falsum est, quia in Dominica Septuagesimæ, in qua mundani Bacchanalibus celebrandis se accingere solent, Sancta Mater Ecclesia longè contrarium nos docet, dum ita canit: *circumdederunt me gemitus mortis &c.* Unde venerab. Ivo Carnotensis in sermone de Septuagesima ita scribit: Sub typo universi temporis commendati sunt nobis specialiter hi septuaginta dies, quibus recitatione lectionum, & canticorum, casum humani generis recolimus, ut mortalitatis nostræ dolores attendentes, quotidie doleamus; Unde in Introitu hodiernæ Missæ, Sancta Ecclesia per lapsum primi parentis mortem sibi illatam esse, deplorat.

Idem dist. 3. n. 4. II. *Quia stulta est eorundem Bacchanalium celebratio, si peccatis sit coniuncta*; quid enim, inquit idem Author, de sapienti quodam viro diceres, qui se lavare & mundare volens, priùs manus & faciem, ac totum corpus atramento totaliter defœdaret, utique rationis & iudicii deliquium pati assereres. Et revera ita est; & ideo Bacchanalia nos recto rationis usu destituunt, adeóque hoc tempore verè stultorum infinitus est numerus.

S. Chrysost. hom. 6. in Matth. III. *Quia Diabolicum inventum sunt*; uti S. Chrysostomus indicavit, dicens: Non est hoc eorum, qui ad æternum Regnum vocati sunt, quique sunt in cœlesti illa civitate conscripti, non est spiritualia arma gestantium, quod certè proprium est Diabolo militantium; ille enim est ille, qui etiam in artem iocos ludósque digessit, ut per hæc ad se traheret milites Christi, virtutísque eorum nervos redderet molliores; propterea in urbibus etiam theatra construxit, & illos risuum ac turpium voluptatum incentores paravit, ut per illorum lucem universas prorsus urbes communi peste corrumperet.

§. V.

MEDIA.

Ad illa eliminanda.

Vit. S. Caro li l. 7. c. 7. I. *Exempla bona abstinentium*; ita S. Carolus Borromæus suasit, dum dixit: quòd exempla bonorum magnam in se efficaciam habeant, ut eos, qui totaliter depravati non sunt, ad ea imitanda invitent; ac proinde eo ipso, quo exercitia spiritualia hisce diebus tractabuntur à bonis, hoc saltem obtenturus sit, ut non omninò mali ad eadem sectanda facilè se induci permittant.

Ibidem. II. *Prædicatio fervens, quâ abusus Bacchanalium perstringatur*; uti iterum idem Sanctus insinuavit dicens: Verbum Dei fœcundum semper fuit & fructuosum, ac proinde nequaquam convenit, ut hisce diebus, quibus Mundus pravis suis exemplis prædicando, homines ad mala sectanda hortatur & invitat, ego à prædicando verbo Dei desistam. Tandem ait: Eo tempore, quo multæ animæ ad interitum properare, Divinæque iracundiæ flagella à populo provocari conspiciuntur, bonus & sollicitus Episcopus ad placandum Deum, cúmque ad compassionem erga peccatores promovendum, ad orationem & pœnitentiam, unà cum bonis confugere arctè obligatur. Hinc S. Chrysologus tam seriò dehortatur; si quæ sunt viscera pietatis nobis, si qua est in nobis contemplatio humanitatis, si qua nos habet fraternæ salutis affectio, abstrahamus eos, qui sic ad perditionem currunt, rapiuntur ad mortem, trahuntur ad Tartara, festini sunt ingehennam. *S. Chrysol. ser. 155.*

S. Aug. in l. 50. III. *Oratio seria*, uti Sanctus Augustinus monuit, dicens: Deprecanda est misericordia Dei, ut donet intellectum ad ista damnanda, & affectum ad fugienda, & misericordiam ad ignoscenda.

S. Ambros. s. 11. IV. *Passionis Dominicæ consideratio*; quemadmodum S. Ambrosius monuit, inquiens: Non corporalibus vinculis, ut Ulysses, ad arborem alligandus est animus, sed ad Crucis signum spiritualibus nexibus vinciendus, ne lascivarum moveatur illecebris, cursúmque naturæ detorqueat in periculum voluptatis. Quod ipsum etiam Origenes confirmans dixit: Certum est, quia, ubi mors Christi animo circumfertur, non potest regnare peccatum; Est enim tanta vis Crucis Christi, ut si illa ante oculos ponatur, nulla concupiscentia, nulla libido, nullus furor, sed continuò ad eius præsentiam totus ille peccati & carnis fugatur exercitus. *Orig. in c. 6. ad Rom.*

Sylva Hist. l. 7. c. 1. n. 5. V. *Cœlestium gaudiorum consideratio*, uti puella illa experta est, quæ choreis semper valdè addicta fuerat, adeò ut illas frequentissimè adire desideraret, si id ei à parentibus concessum fuisset, tandem hanc suam in choreas propensionem Confessario manifestavit, qui illam interrogavit: Quid si chorearum voluptas per integrum annum quotidiè continuanda promitteretur, cum ea tamen conditione, ut unicâ tantùm die ab illis adeundis abstinendo te mortificares, nunquid hanc acceptares conditionem? Cui cùm illa, omninò se hanc conditionem libenter admissuram esse, respondisset, subiunxit Confessarius: Scito igitur, quòd, si te hisce tripudiis, quæ in terris instituuntur, voluntariè ex mortificatione uno tantum die privaveris, perpetuis Paradisi Choreis semper & in æternum interesse & assistere poteris. Ad quod illa subintulit, quòd si ita res se habet, ut asseris, libentissimè tripudiis terrenis in perpetuum renuntiabo; Ac proinde Confessarius, ut illam choreas ac tripudia contemnere doceret, hortatus est, ut verba illa Jeremiæ frequenti meditatione intra se ruminaret: *Ornaberis tympanis tuis, & egredieris in choro ludentium*; Item ut illa Davidis verba penes se ponderaret, dicentis: *Prævenerunt Principes coniuncti psallentibus, in medio iuvencularum tympanistriarum*; nec non verba illa ex hymno Virginum: *Quocunque pergis, Virgines sequuntur, atque laudibus post te canentes,*

canentes cursitant, *hymnósque dulces personant*; quæ dum hosce Paradisi cantus melodicos, choreas, & gaudia seriâ meditatione aliquamdiu in mente sua revoluisset, suam in brevi tempore animam prorsus immaculatam in cœlum moriens transmisit.

§. VI.

Ascetica.

S. August. contra Faustum l. 22. c. 21. I. INprimis nôsse debet Asceta, *quomodo excusationibus Bacchanalia inordinatè celebrantium occurrere debeat*; quòd videlicet illis, qui per Ecclesiæ permissionem dissolutiones Bacchanales exercentes se tuentur, & defendunt, idem respondere possumus, quod S. Augustinus contra Faustum his verbis scribit: Aliud est, quod sustinemus; aliud, quod præcipere iubemur; aliud, quod compellimur; emendare præcipimur, & donec emendemus, tolerare compellimur.

II. Nôsse debet, *quid de spectaculis & Comœdiis ludicris sentiendum sit*; Nempè quod nihil magis damnosum moribus sit, quàm in spectaculis desidere, tunc enim faciliùs per voluptatem vitia subrepunt, ut Seneca rectè notavit. *Seneca ep. 7 Petrarcha c. 30. de remed.* Et consentiens Petrarcha, multum, inquit, mali auribus invehitur, sed multò magis oculis, illis quasi fenestris bipatentibus, in animam mors irrumpit, nil potentiùs in memoriam descendit, quàm quod visum subit, facilè auditum prætervolat, conspectarum imagines rerum hærent etiam invitis, nec se tamen nisi volentibus ingerunt, perrarò & perocyus obituræ. *S. Clemens l. 6. Pæd. c. 11.* Hinc Clemens Alexandrinus, prohibeantur, inquit, spectacula, quæ nequitiâ, verbisque obscœnis & vanis, temerè profusis plena sunt; quod enim turpe factum non ostenditur in theatris? quod autem verbum impudens non proferunt, qui risum movent scurræ & histriones? Qui autem ex vitio, quod in se est, delectationem aliquam perceperunt, evidentes domi imagines imprimunt.

S. Carol. p. 7. Act. Mediol. c. 2. III. Nôsse debet, *quid de larvis sentiendum sit*; de quibus sensum suum S. Carolus Borromæus sequentibus verbis expressit: Proscriptæ sunto in perpetuum omnes larvæ, per quas homines figuram, quam Deus illis indidit, non solùm transformare, sed & delere student; imò per quas aliqui in turpi illa stultitia eo usque progrediuntur, ut antiquas, in bestias se transformandi, metamorphoses æmulari videantur; sint etiam præter omnem alium respectum maledictæ & execrandæ larvæ, utpote antiquæ ruinæ nostræ, quam dæmon serpentis larvâ contactus nobis procuravit, nobis refricantes memoriam. Abominabiles larvæ, sub quibus hominibus verba inhonesta eloqui, & in gesta & acta impudicitiæ plena prorumpere, fas esse videtur; sceleratæ larvæ impugnatrices honestatis & pudicitiæ, gravitatis inimicæ, omnisque custodiæ, quam Christiani hominis anima intus forisque habere debet, extrema ruina.

S. Ambros. l. 3. de Virg. IV. Nôsse debet, *quid de choreis iudicandum sit*; idem videlicet, quod S. Ambrosius, & S. Franciscus Salesius iudicârunt, quorum prior sic discurrit: Ibi intuta verecundia, illecebra suspecta est, ubi comes deliciarum est extrema saltatio; Nemo, ut dixit quidam sæcularium Doctor, saltat sobrius, nisi qui insanit; quod si iuxta sapientiam sæcularem, saltationis author est aut temulentia, aut dementia, quid divinarum scripturarum cautum putamus exemplis, cùm Ioannes prænuntius Christi saltatricis optione iugulatus, exemplo sit, plus nocuisse saltationis illecebram, quàm sacrilegi furoris amentiam? Posterior sic locutus est: Choreæ & tripudia naturâ suâ ex se indifferentia sunt: sed hoc exercitium communiter usurpatum, valdè in partem mali propendet, & proinde periculi plenum est. *Salesius in Introduct. p. 3. c. 33.* Quia verò noctu, & in tenebris ac caligine plerumque instituuntur, hinc multa opera tenebrosa & vitiosa facilè se insinuant in rem, quæ ex se ipsa mali admodum susceptibilis est. Illorum causâ vigilatur in multam noctem, unde fit, ut matutinum crastini diei tempus postea depereat, & Deo quis & pietatis exercitiis vacare non possit. Verbo ut dicam, semper stultitia est, diem cum nocte, lucem cum tenebris, & opera sancta cum ineptiis commutare. Omnes, ad invidiam quodammodo & certatim, secum vanitatem ad tripudia ferunt: ipsa autem vanitas tam evidens est, ad pravos effectus, & periculosos & illaudabiles amores colligendos dispositio, ut hæc omnia facilè sit è tripudiis oriri. Hoc tibi Philothea, de choreis dico, quod de fungis Medicorum filii. Nam ut hi fungos optimos nihil valere aiunt, sic ego dico, optima tripudia non admodum esse bona: si tamen fungis tibi vescendum sit, vide, ut benè præparentur, & condiantur; si aliqua ex causa, à qua te non facilè queas excusare, tripudia te adire oporteat, vide ut tripudia tua benè sint condita & præparata. At quomodo, petes, illa condiam? modestiâ, dignitate, & bonâ intentione. Comede parùm, & rarò, aiunt Medici loquentes de fungis, nam quantumcunque benè cocti sunt, copia eorum venenum & virulenta est. Parùm & rarò tripudia, Philothea, aliter enim si feceris, periculo te expones, ut eisdem affectum applices. Fungi, teste Plinio, cùm spongiosi & porosi sint, omnem, quæ sibi proxima est, infectionem & virulentiam facilè attrahunt, ut si serpentibus vicini sint, illorum venenum ex vicinitate recipiant. Tripudia, choreæ, & id genus tenebrosa & nocturna conventicula, plerumque vitia & peccata aliquo in loco dominantia (puta iurgia, invidias, irrisiones, & carnales vanósque amores) ad se attrahunt. Et sicuti hæc exercitia, corporis illa exercentium poros aperiunt, ita etiam animi illorum: unde si virulentus & pestilens aliquis serpens, verbum aliquod lascivum, aliquam ineptiam, & sermonem impudicum auribus tunc afflet; vel basiliscus quispiam impudicos intuitus, & amorosos oculorum nutus coniiciat, facili negotio animi occupantur, & intoxicantur. Vnde meritò Petrarcha dixit, choream esse Veneris præludium, libidinum stimulum, laxamentum licentiæ, ubi liberæ manus, liberi oculi, liberæ voces. Pro quorum

con-

confirmatione proderit referre, quod in vita Io. Baptistæ Vitelli de Fulginio refertur, quòd scilicet, dum civitas Fulginiensis pro Bacchanalibus solenniter celebrandis magnos sumptuosósque apparatus faceret, ipse ad illa impedienda ferventem instituerit orationem, ad quam unà cum ipso faciendam, aliam quandam animam valdem sanctam invitaverat, quæ, dum oraret, in spiritu elevata vidit in principio Choreæ per aulam saltantia septem dœmoniorum capita, quæ tam viris, quàm mulieribus dictis tripudiis operam dantibus, omnigenas suggerebant malas cogitationes, quæ illos vel maximè à Deo elongare, & vitiis tenaciùs irretire poterant. Hi quoque dæmones, in medio ipsorum spiritus rixarum, & homicidiorum immiserant: At verò, quia inter hæc omnia tantò ferventiùs orationi insistebat, vidit, quòd in eodem momento, quo choreæ inchoabantur, Angelus quidam de cœlo descenderet, qui stricto gladio, quem in manibus gerebat, dæmones in fugam agebat, simúlque tibicinum instrumenta minutim confringebat; Unde corruente theatro omnia in confusionem conversa fuerunt; Ex quo facto, dæmonem, chorearum & tripudiorum originem, authorem, & promotorem esse, clarè satis colligitur.

Vit. l. 2. c. 9.

§. VII.

MISCELLANEA ET CONCEPTVS PRÆDICABILES.

Fuga.

S. Bernardinus to. 1. ser. 41. a. 2. c. 4.

I. MEmorabile factum est, quod à pluribus Classicis & Authenticis Scriptoribus, nominatim verò à S. Bernardino de Senis refertur. Hic enim postquàm quæsisset; vis nôsse hanc distinctionem filiorum Dei, & diaboli? Mox subdit: audi exemplum. Vir quidam uxorem cum tribus filiis habebat, quos veros & legitimos filios suos esse hactenus semper existimabat, donec tandem aliquando coniux eius adultera suam erga maritum bilem evomere volens, apertè ei diceret, quòd ex tribus illis filiis, quos maritus suos esse hactenus crediderat, duos ex habito cum aliis viris commercio genuisset; cúmque maritus eam instanter, uter ex tribus illis verus suus & naturalis filius esset, interrogâsset, illa hanc ei notitiam dare pertinaciter renuit, & paulò pòst, absque eo, quòd filium legitimum manifestaret, mortua fuit; Maritus verò paulò post etiam infirmatus testamentum condidit, in quo illum hæredem suum futurum esse declaravit, qui ex tribus illis verus, legitimus & naturalis filius eius esse probaretur, absque specifica illius nominatione. Post mortem verò huius, singuli hæreditatem tanquàm veri filii adire contendentes ad iudicem concurrerunt, qui ad imitationem Regis Salomonis, ad discernendum, uter illorum verus filius esset, hoc medium excogitavit: Præcepit enim eorum Patrem ad arborem alligari, & quòd quilibet eorum fratrum sagittâ impeteret Patrem, ut noscere posset ex ictu, quis verus filius eius esset; fuit forte memor iste prudentiæ Salomonis 3. Reg. 3. de meretricibus coram eo contendentibus, tam mirabiliter ex vinculo amoris naturalis veritatem coniecturantis, & iustissimè iudicantis. Primus illorum fratrum sagittam iacit rectissimè, quantùm sapuit, in cadaver Patris defuncti; Secundus toto conamine nititur superare primum; cùm ad tertium pervenitur, concutiuntur viscera eius, titubare incepit animus eius, & contremuit, negat natura filii vulnerare propriam carnem Patris, horret facinus, patet vulnus, stupet Spiritus, & demum ipsius naturæ vinculo tractus, prælegit potiùs pro hæreditate Patris naturalem dilectionem, quàm eius substantiam temporalem, aitque Iudici: Date hæreditatem, cui dare licet, quia potiùs eligo eam amittere, quàm meum licèt mortuum vulnerare Patrem. Nesciturrei veritas, palàm fit per naturam, quod absconditum erat per culpam, manifestatur hic esse filius verus, & tota hereditas eius in manibus relaxatur. Enim verò quis nostrum est, qui non videat, Salvatorem nostrum hisce diebus vehementiùs, quàm aliàs, lamentari posse de fidelibus suis dicendo: *Posuerunt me quasi signum ad sagittam*; Etenim corpus & sanguis Christi in trunco crucis publicè expositus esse cernitur, Sancta quoque Mater Ecclesia eos, qui veri filii, & ad cœlestem hæreditatem adeundam prædestinati sint, explorare nititur; Quotquot igitur hisce diebus, gaudiis & recreationibus suis, ex vero Dei amore se privant, hi veri fideles sunt. E contra verò: *ecce peccatores paraverunt arcum, paraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent*, quia qui hisce diebus appetitibus suis inordinatis omnem libertatem indulgent, qui peccatorum suorum iacula sine ullo filiali respectu, aut reverentia in pectus Christi figunt, hi infallibile in se signum edunt, è quo agnosci possit, quòd filii sint adulteri & spurii; Non sic anima illa electa fecit, de qua dicitur: *Arcum conteret, & confringet arma.* Hi igitur cœli veri declarabantur hæredes.

II. Si pictor aliquis virum doloribus plenum delineare volens, caput illius exprimeret, spinis & tribulis undequaque cinctum, cuius capilli livido sanguine rigentes, oculi profundati, vultus pallidus, & sputis defœdatus ac lividus esset, collum verò eboris instar candidum, ac cætera totius corporis membra veste pretiosissimâ auro & gemmis distinctâ, amicta depingeret, ipsum verò citharam intra manus illius depictam plectro tangentem, & hilari voce cantantem exprimeret, nunquid pictoris illius stoliditati & imprudentiæ indignareris? Nunquid illum pictorem amentem, & delirum esse diceres? utique sic de illo arbitrareris; sed audi, quid Apostolus de nobis Christianis dicat: Imprimis de Christo asserit: *Ipse est caput corporis Ecclesiæ*; sed quænam sunt huic capiti subordinata membra? Nos Christiani membra illius sumus: *An nescitis, quoniam corpora vestra membra sunt Christi?* Quænam igitur est illa stoliditas nostra, quòd, cùm sancta Mater Ecclesia Christum caput nostrum nobis exhibeat, sanguinem & lachrymas manantem: cum clamore valido, & lacry-

Mansi disc. 18. n. 8.

lacrymis flagellatum, spinis circumdatum, & felle potatum, nos stolidi homines, aliud nihil, quàm voluptates, convivia & gaudia requiramus & cogitemus?

III. Deus olim serpentem æneum, qui Christi Crucifixi figura fuit, in palo quodam erigi iussit, ut omnes, qui ex serpentinis morsibus accensi & intoxicati erant, ex huius ænei serpentis aspectu sanarentur. Serpentes infernales hoc tempore vel maximè igniti, in nostram pernitiem venenum suum certatim evomere contendunt, lasciviam nimirum, gulam, prophanitatem larvarum, & similes alias carnalis hominis dissolutiones, quonam verò remedio id obtinebimus, ut ab horum serpentem morsibus, venenum prorsus nullum contrahamus, aut contractum protinus in nobis curetur? S. Bernardus ait: Si tentationum sentis aculeos, exaltatum serpentem æneum intuere, & fuge non tam vulnera, quàm ubera crucifixi.

S. Bern. epist 35.

IV. De insigni Dei servo Joanne Baptista de Fulginio, implacabili illo Bacchanalium hoste refertur, quòd, cùm quidam è germanis fratribus suis his diebus mortuus fuisset, ipse se lætum esse ostenderit, ea præcipuè de causa, ut cadaver illius publicè expositum, multis frænum illis diebus iniiceret, quo à peccatis coërcerentur: sperabat enim, quòd per hoc spectaculum, si non plures, saltem aliquem à peccato aliquo veniali deterrere posset. Sed quænam est proportio inter hominem aliquem naturali morte extinctum, & inter filium Dei propter peccata nostra in crucis infami ligno suspensum? Fratres, exclamabat S. Augustinus, ut à peccato sanemur, Christum crucifixum intueamur.

Mansi l. c.

Turpitudo.

V. Si miles aliquis crastino die cum valido quodam & exercitato inimico suo in duello conflictaturus, hodie eidem arma in manus consignaret, quibuscum adversus ipsum validè decertare posset, quid id ipsum videns de eo diceres? Omnibus nobis evidenter & clarè satis constat, corpus nostrum intra paucos dies ieiunio esse macerandum, ut tantò magis efficiatur spiritui subiectum, cur igitur tanta cum industria efficere satagimus, ut spiritui caro prævaleat? Dictio illa, *Carnevale*, quæ Italicè idem, quod Bacchanalia significat, secundùm suam Etymologiam, idem significare videtur, quod, *Caro prævaleat*; quod mirum non est, quia nos inimico nostro arma subministramus, adeóque directè operamur contra consilium Apostoli dicentis: *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis eius, sed neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato*, Porrò convivia, ebrietates, voluptates, & aliæ Bacchanalium dissolutiones arma sunt, quibuscum caro & corpus nostrum adversus spiritum dimicabit.

Mansi disc. 3. n. 7.

VI. S. Augustinus Bacchanaliorum gaudia vocare solitus est diaboli sacramenta, quia sicut Sacramenta à Christo instituta sunt ad sanctificandas animas, ita sacramenta diaboli contrarium operantur effectum, siquidem eò solùm tendunt, ut perdant animas, easque gratiâ & amicitiâ Dei privent, per voluptates ab ipso excogitatas, ut conscientias indissolubilibus peccatorum nodis illaqueare possit. Sacramenta in quantùm sacrificia, iram Dei placant; at verò dæmonis sacramenta, qualia sunt Bacchanalia, eandem semper magis irritant; Sacramenta Christi S. Augustinus portas Paradisi appellat, sine quibus ad vitam, quæ vera est vita, non intratur: At verò hæc dœmonis Sacramenta, scopuli quidam sunt, procurantes nobis præcipitium inferni; cuiusmodi sunt larvæ, comœdiæ, spectacula prophana, scurrilitates impudicæ, tripudia, choreæ, crapulæ, ebrietates, & quævis aliæ Bacchanalium turpitudines.

S. Aug. tr. 9. in Io. c. 2.

S. August. tr. 120. in Ioan.

VII. Quæstio est moralis, quare in Dominica Quinquagesimæ Sancta Mater Ecclesia facit mentionem de Christi Passione, cùm dicat sapiens: *Omnia tempus habent, tempus flendi &c.* Omne negotium ipsius opportunitatem habet; cùm ergo hodiè sit tempus lætitiæ & exultationis, quare fit mentio de Christi Passione, quæ est flebilis & tristis? Respondétque hic vir sanctus sequentibus verbis: Respondeo, quòd Sancta Mater Ecclesia à Spiritu sancto gubernata & recta, sciens excessum & gulositatem filiorum suorum, quam faciunt his tribus diebus in comedendo & bibendo, ideo cogitavit ponere coram filiis Christi Passionem, ut fideles restringantur à gulositate, considerantes quantum constitit peccatum gulæ primorum parentum, non gallinarum & perdicum, sed unius pomi fructûs, esu commissum, quòd Filius Dei habuit suspendi in patibulo crucis. Et quidem quod sanctus hic Prædicator de gula dixit, nos quoque aliis dissolutionibus, & turpitudinibus Bacchanalibus applicare possumus.

S. Vincent. Ferrer ser. 1. in Dom. Quinquag.

Damnum.

VIII. Quærunt nonnulli, cur inter tot arborum & plantorum genera, ficus potissimùm ab illo Deo, qui præ cunctis aliis virtutibus de mansuetudine gloriatur, dicens: *Discite à me, quia mitis sum:* maledictionem accepit, cur non potiùs pinus, vel ulmus, aut alia quædam arbor inutilis hoc maledictionis fulmine percussa fuit? Idque eo præcipuè tempore, quod fructibus pariendis nequaquam à natura destinatum erat (non enim erat tempus ficorum) solvit hanc difficultatem S. Bonaventura dicens: Per fici arborem potest intelligi homo deditus dulcedini mundanæ, qui dicitur esse secus viam, id est, in via carnis, non in via spiritûs. Per hanc verò viam homo Bacchanaliorum tempore dici potest incedere, ac proinde mirum non est, si Dei super se provocat maledictionem.

S. Bonav. ser. 1. in Dom. 7. post Pentecost.

IX. Cùm Archias Thebarum Tyrannus die quodam in numeroso amicorum se creantium, & dulciter conversantium agmine constitutus, lætus, festivus & hilaris assisteret, litera quædam ad eum delata est, in qua ipse secretò monebatur, multos in ipsius necem coniuratos hostes eodem

Mansi disc. 9. n. 4.

eodem in loco ipsi machinari mortem, ac proinde necessum ei esse, ut ab eorum insidiis se cautè subduceret; cúmque literarum baiulus instanter, literas ut aperiret, illarúmque seriem attentè perlegeret, sollicitaret, is nihilominùs earum lectionem usque & usque distulit; cúmque ulteriùs literas illas arduum illi significare negotium, ac proinde in mora lectionis magnum subesse periculum, moneretur; Tyrannus respondit; Seria in castrinum; sed gravi mulctâ moram hanc luere coactus fuit; Siquidem mox ut ab amicis digressus fuit, violentâ hostium suorum manu protinus interemptus occubuit. Quot sunt, qui hisce diebus internas à Deo inspirationes accipiunt, à Prædicatoribus enixè rogantur, monentur ex librorum lectione spiritualium, nec non ab optimis timoratorum hominum exemplis, ut hisce diebus à mundi universali vanitate se subducant, qui tamen, tempus adhuc sufficiens superesse, respondent, quo in imminente Quadragesimali tempore se ab iis subtrahere, & bona operari possint; nunc tempus esse, ut pro communi hominum aliorum more genialiter vivant, quos tamen Deus in Quadragesima iusto suo iudicio à mortali quadam infirmitate corripi, vel occasione insolentiarum illius temporis inimicitiæ alicuius gravissimum subire periculum, vel per crapulam suam totaliter perdere valetudinem, taliáque experiri discrimina permittet, ob quæ totâ vitâ suâ suspirare, & gemere cogantur.

Idem disc. 10. n. 7. X. Sardonica herba hanc proprietatem habet, quòd tales in illam degustante spasmos causet, ut moriens os suum eo modo aperiat, & expandat, ut omnibus ridere videatur; quot sunt hisce diebus, qui ex hac herba degustârunt, id est, certi peccati cuiusdam, vel dissolutionis venenum absorpserunt, qui tametsi modò rideant, & iucundi ac hilares existant; attamen intra breve tempus se mulctandos ac puniendos esse pertimescunt, aut verò culpæ illius mortalis, quæ illos æternæ mortis reos effecit, gravem interiùs puncturam, & remorsum sentiunt?

Baron. anno 156 n. 1 XI. In Annalibus Ecclesiasticis refert Baronius, quòd, dum Gentiles in urbe Neocæsariensi prophano cuidam festo celebrando insisterent, ingens quædam hominum in confinibus habitantium multitudo eò confluxerit, adeò ut dum unus alteri præ nimia populi confluentis densitate cedere vix posset, dæmonem, cuius solennitates agebantur, supplices interpellarint, ut largiorem illis, commodiorémque locum indulgeret, altâ voce clamantes: Jupiter fac nobis locum. Quod cùm S. Gregorio Thaumaturgo innotuisset, subitò ad eos misit, qui illis futurum esse, nomine eius prædicerent, quòd post modicum tempus largiorem & capaciorem locum essent habituri, imò voto & desiderio ipsorum longè ampliorem; Unde eodémmet die pestilentialis quædam illis est immissa mortalitas, quæ cantus ipsorum in planctus subitò convertit; tantus enim ex eâdem lue morientium numerus fuit, ut vivi mortuis sepeliendis minimè sufficerent, nam quotidiè terribilis coram eis figura se spectandam præbuit, domus autem, ad quas propiùs accedebat figura ista, sine ullo remedio aut iuvamine subitò exanimabantur ab incolentibus illas; Tandem verò ideo supplicium istud sibi à Deo immissum fuisse animadvertentes, quia dæmonem invocaverant, ad Thaumaturgum accurrerunt, qui flagellum istud orationum suarum efficaciâ protinus amovit, eósque ad Christianam Religionem integerrimè perduxit.

XII. Surius in vita S. Eligii refert, quòd *Surius 1. Decembr.* dum populo suo die quadam prædicans, eidem ut à saltibus & tripudiis, cunctísque aliis prophanitatibus, à dæmone ad præcipitandas in infernum animas adinventis, abstineret, persuadere conaretur, quidam ex eis Episcopum se ipsorum petulanti levitati opponentem diutiùs sustinere non valentes, de inferenda ei nece inter se deliberârint. Quod cùm sanctus hic Præsul Martyrii patiendi cupidus audisset, cum uno tantùm Diacono & duobus Clericis, ad eam se civitatis partem, ubi hi morabantur, contulit, & medium furibundæ multitudinis pertransiens, in locum quendam sublimiorem, & elevatum ascendit, indéque contra chôreas, & tripudia mira cum energia prædicans, vanitates, dæmonis instrumentum & inventiones esse dixit: è contra verò furens plebecula variis eum convitiis & iniuriis afficiens, mortem ei, nisi desisteret; comminabatur, apertè protestando, quòd his se consuetis recreationibus & ludis nequaquam paterentur privari. Quarè sanctus hic vir ovium suarum emendationem & resipiscentiam vehementer desiderans, Deum enixè rogat, ut ad salvandas ipsorum animas, dæmones ipsorum corpora obsidere, & ingredi permitteret, & subitò quinquaginta ex illis, qui contra eum coniuraverant, à dæmone fuerunt obsessi, qui omnes furiosè salire & saltare cœperunt, non obstante, quòd alii flexis coram S. Episcopo genibus in terram provoluti eum supplices rogarint, ut pro infelici illa hominum obsessorum multitudine suas apud Deum preces & orationes interponeret, quibus ipse respondit, admiranda potiùs & laudanda ab ipsis esse iusta Dei iudicia, qui in reos iustis benéque promeritis suppliciis ad aliorum exemplum & correctionem animadverteret: Ad tempus illis traditi sunt, quos amant; sentiant magistros suos, quos colant; Unde hi obsessi per annum integrum choreas & tripudia sua continuârunt, in cuius fine, recurrente die, quo saltare cœperant, eosdem aquæ benedictæ aspersione absoluit, & à tripudiis abire iussit.

TITV-

Digitized by Google

TITVLVS VIII.
BEATITUDO.

§. I.
EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Qualitas.

S. August. ser. 1. de verb. Ap. I.  Ualis sit hæc gloria futura, & quibus divitiis floreat, quantóque splendore præfulgeat, laudare possumus, explicare non possumus. Quare? quia legimus: *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis descendit, quæ preparavit Deus diligentibus se.*

S. Bernar. ser. in Dom. 5. post Epiph. c. 4. II. Quantum est illud Regnum! hic deficit sensus, imaginatio, ratio, intelligentia; est enim magnum longitudine æternitatis interminabilis, latitudine capacitatis incoarctabilis, celsitudine sublimitatis incomprehensibilis.

Idem to. 1. ser. 51. a. 2. c. 2. III. Tanta est magnitudo Cœlorum, quòd, si de novo crearet Deus huius magnitudinis tot terrarum orbes, quot grana arenæ maris, adhuc non impleretur Empyreum Cœlum.

S. Bernar. apud Mansitr. 10. disc. 3. n. 3. IV. Civitas ista est in mensura valdè spatiosa, unde dicit Bernardus, quòd ad literam quilibet Sanctus in Cœlo Empyreo habebit locum sibi assignatum proprium, & specialem magis spatiosum, quàm sit ab oriente ad occidentem.

S. Aug. ser. 18. de verb. Dom. c. 17. V. Non tibi sit angusta domus eius, pariter ab omnibus, totum à singulis possidetur Regnum Dei, crescente possessorum numero non minuitur, quia non dividitur, unicuique integrum est, quod concorditer habetur à multis.

Idem in Man. c. 34. VI. Cùm sint hæc omnia valdè delectabilia, quæ bonis, paritérque malis communia tradidisti, qualia futura sunt illa, quæ solis bonis recondisti? si tam innumera & varia tua dona, quæ nunc amicis pariter tribuis & inimicis, quàm magna & innumerabilia, quàm dulcia & delectabilia, quæ solis tuis es largiturus amicis? si tanta solatio in hac die lacrymarum, quanta conferes in die nuptiarum? si tanta delectabilia continet carcer, quanta quæso continet Patria?

Didacus Stella in c. 21. Luc. VII. In hoc præcipuè Regnum Dei est mirabile; nam quando quis in extera proficiscitur, dicitur abiisse in Franciæ, vel in aliud quodvis, non tamen rectè diceretur venisse Regnum Franciæ in illum: Verùm cum Regnum Dei priùs in hominem, quàm homo in illud ingrediatur, optimè dicitur, ad nos venisse Regnum Dei, tunc enim regnat in homine, cùm homo suscipit illud per fidem & charitatem.

R. P. Lohn. Auctar. Bibl.

VIII. Alii violenter rapiunt, alii mercantur, alii furantur, alii compelluntur. Illi rapiunt, qui relinquunt omnia, & sequuntur Christum; mercantur, qui dant temporalia, & accipiunt æterna; furantur, qui bona occultè faciunt, & laudem humanam vitantes solo divino testimonio sunt contenti; compelluntur intrare pauperes, quos hic ignis paupertatis, Deo dispensante, probat, ne in futuro ignis iudicii damnabiliter premat. *S. Bonav. in c. 16. Luc.*

Jucunditas.

IX. Hæc est plena beatitudo, & tota glorificatio hominis, videre faciem Dei sui; videre eum, qui fecit cœlum & terram, videre eum, qui fecit eum, qui salvavit eum, qui glorificavit eum, videbit eum cognoscendo, amabit diligendo, laudabit possidendo. *S. Aug. in 9. solil. c. 16.*

X. Ibi anima valdè delectabitur in continua visione delectabilis vultûs Dei, de qua dicit Glossa super Psalmum, quòd visione nihil delectabilius, quia semper amabunt, quem semper videbunt; In ea tanta est delectatio, quòd, teste Augustino, si possent mali, mallent esse in pœnis, & Deum videre, quàm esse extra pœnas & Deum non videre, illa enim facies delectabiliter mirabilis est, & plena gratiarum. *S. Thom. opusc. 63 c. 3.*

XI. Tanta in Deo est iucunditas & amabilitas, ut cognitus ab anima statim ipsam ad se trahat, eámque vehementer in se absorbeat, ad similitudinem magnetis, qui virtute sua fortiter ferrum ad se trahit. *Ibidem*

XII. Triplex gaudium illos beatos Spiritus lætificat & delectat. Gaudent delectabiliter in perfecta & clarissima divinæ claritatis contemplatione; gaudent dulciter in melliflua & suavissima Divinæ bonitatis degustatione: gaudent sempiternaliter in tranquilla & securissima divinæ Maiestatis tentione. *S. Bonav. in solil.*

XIII. S. Petrus unam stillam dulcedinis gustavit, & omnem aliam fastidivit dulcedinem; quid putas, dixisset, si magnam illam multitudinem dulcedinis Divinitatis gustâsset, quam abscondisti timentibus te. *S. Aug. in solil. c. 21.*

XIV. Cur per multa vagaris quærendo bona creata? Ama unum, in quo sunt omnia; si delectat pulchritudo; *fulgebunt iusti sicut Sol*; si libertas, aut fortitudo: *Similes erunt Angelis Dei in cœlo*; si longa & salubris vita: *Est ibi sanitas æterna*; si satietas aut ebrietas: *Satiabuntur de gloria, & inebriabuntur de ubertate domûs Dei*, si melodia: *ibi canunt Angeli*; si societas & amicitia: *ibi est beatorum Societas, & una omnium voluntas*; si honores & divitiæ: *Gloria & divitiæ in domo eius*; si securitas & certitudo: *ibi omnium temporum æterna longitudo.* *S. Bonav. in solil.*

XV. Si singula bona delectabilia sunt, cogita *S. Aug. in medit. c. 18.*

gita mente; vide quàm delectabile sit illud bonum, quod continet iucunditatem omnium bonorum, & non qualem in rebus creatis sumus experti, sed tantò differentem, quantùm differt Creator à creatura.

Idem. XVI. Si bona est vita creata, quàm bona est vita creatrix? si iucunda est salus facta, quàm iucunda est salus, quæ fecit salutem? si multæ & magnæ delectationes sunt in rebus delectabilibus, qualis & quanta est in illo, qui fecit omnia delectabilia? O! qui hoc bono fruetur, quid illi erit, & quid illi non erit?

Dignitas.

S. Anselm. c. 66. de simil. XVII. Si Rex aliquis curatum suis regalibus ornamentis indutum sibi præsentari præciperet, ut in regno suo filius suus à cunctis haberetur, atque in nullo, quod imperaret, à quoquam contradiceretur, hæredum suum, filiique sui cohæredem institueret, & cum suo nomine vocari vellet, nónne diceres hunc magnificè & inopinatè honoratum? Et certè Deus nobis hæc omnia faciet; nati enim de putredine carnis, replemur multis miseriis; vocatos nos nomine suo Deos faciet; ipse enim dicit: *Ego dixi, Dii estis, & filii excelsi omnes*, sed ipse Deus Deificans est, tu verò Deus Deificatus.

§. II.

EXEMPLA SACRA.

S. August. tr. de Beat. I. S. Augustinus dum die quadam tractatum de Beatitudine scriberet, ad horam Completorii in extasim raptus, suavissimam quandam vocem audivit; Cúmque cuiusnam hæc vox esset, inquisiisset; Respondit loquens: Ego sum Hieronymus amicus tuus, qui dum in hac vita etiamnum superstes esset, varia circa hanc materiam dubia contulit: Tunc S. Augustinus lætus ad hunc dixit: Utique ex quo in cœlis videntem omnia clarè & intuitivè intueris, omnes hactenus inter nos agitatas difficultates resolvere tibi, iam minimè arduum erit: Cui S. Hieronymus ait: ut uno verbo edicam, quod desideras, opus erit, ut mihi priùs ad sequentia interrogata respondeas; Putásne totam terræ rotunditatem in uno pugno claudere poteris? Aut universam maris aquam in parvo vasculo coërcere? si autem id impossibile esse iudices, longè impossibiliùs esse dico, quòd intellectus aliquis creatus illius gloriæ, quam Deus diligentibus se præparavit, minimam partem capere valeat; hísque dictis protinus disparuit.

Surius in vita S. Cæciliæ. II. In vita S. Cæciliæ refertur, quòd, cùm Martyrii ipsius ministri ipsam acriùs reprehenderent, quòd in flore ætatis pulcherrimo constituta, sponsalitii sui voluntates, divitias, cunctáque alia huius vitæ bona simul & semel perdere non dubitaret, ipsa voce libera responderit: Hoc est dare lutum, & accipere aurum; dare tabernaculum breve & miserabile, & magnam spatiosámque, & amplam domum accipere ex lapidibus pretiosis & auro ædificatam, dare angulum, tenebrosum locum, & accipere lucidum, margaritis cœlestibus resplendentem, dare lapidem miserabilem, quem pedibus conculcatis, & accipere lapidem pretiosum, qui resplendet in Regio diademate.

Mansi disc. V. n. 1. III. S. Fulgentius Romanæ Urbis magnificentiam demiratus, dixit: Quàm speciosa esse potest Civitas cœlestis, si ita fulget Romana terrestris? Et si in hoc sæculo tanti honoris dignitas diligentibus vanitatem, quænam præstabitur Sanctis diligentibus veritatem?

Ibidem disc. 9. n. 6. IV. S. Franciscus excessivâ quâdam melancholiâ oppressus, in lecto decumbens, rogavit fratrem Pacificum, ut Assisium abiens quendam sui Ordinis religiosum, qui perfectus citharædus erat, ad se accerseret, ad hoc ut ex citharæ sono modulato nonnihil sublevaretur. Cui frater Pacificus, multos exinde scandalizandos fore, respondit, ac proinde monuit, ut meliori usus consilio, ad Deum potiùs se toto corde converteret; sic enim futurum esse aiebat, ut pro molestæ illius tristitiæ mitigatione solatium aliquod perciperet. Cui consilio cùm Seraphicus Pater morem gerere vellet, contigit, ut dum Sanctus Vir Dei ad sublevamen istud implorandum, suam in Deum mentem elevaret, protinus Angelus quidam citharam artificioso plectro pulsans, coram viro Dei compareret, qui, dum vix primæ chordæ plectrum admovisset, Seraphicus Franciscus mox se tanto iubilo adeóque immensâ lætitiâ demulceri & perfundi sensit, ut eum ne secundam chordam tangeret, impensè rogârit, timens, ne præ nimia suavitate & infinita dulcedine, quâ interiùs afficiebatur, spiritum exhalaret; Unde ad infinitum hunc iubilum, quem in corde suo persentiscebat, temperandum, crucem quandam vicinam amplexatus Passionem Redemptoris nostri menti suæ vivacissimè impressit.

Dauroult. c. 8. tit. 22. n. 5. V. Dimidio ferè anno, priusquàm vitâ excederet Archiepiscopus Anno, visus est sibi domum quandam omni decore intus & foris resplendentem intrare. Et ecce in subselliis iudicialibus, tanquam ad concilium solenniter evocati residebant, Heribertus Coloniensis Archiepiscopus, Bardo Moguntinus Archiepiscopus, Boppo, & Eberhardus Trevirenses Archiepiscopi, Arnulphus Wormatiensis Episcopus, & alii quamplures Galliarum Episcopi, quorum alios in carne noverat, alios famâ tantùm, & lectione compererat, amicti omnes stolis Pontificalibus, & habentes vestem instar nivis candidam, ipse quoque admodum candidis ac pretiosis indutus sibi videbatur, sed partem candentis vestimenti, eam scilicet, quâ pectus tegebatur, sordida quædam ac fœda caligo obduxerat, ac cæterum cultûs eius splendorem suâ fœditate plurimùm obfuscabat, quam tamen ipse nimio rubore perfusus, obiectâ manu tegere ac celare, ne inspicientium offenderet obtutum, conabatur. Videt inter eos sibi quoque sedem miri decoris paratam. Quam cùm occupare gaudio & exultatione æstuans procuraret, surgens Arnulfus Wormatiensis Episcopus, modestâ voce eum prohibuit, dicens, reverendos Patres, qui assiderent, nolle

eum

eum in suum admittere consessum, propterea quòd vestem eius turpis hæc macula fœdaret. Cúmque iussus loco cedere, flens, confectóque nimiùm animo egrederetur, insecutus eum idem Episcopus: Æquo animo, ait, esto Pater, maculam tantùm hanc, quæ vestem tuam infecit, maturiùs ablui præcipe, quia non post multos beatæ huius mansionis consortium, & Sanctorum Patrum, quos adspexisti, consessum voti compos percipies. Manè facto cùm familiari cuidam suo visionem retulisset, ille sapienter rem coniiciens: macula, inquit, hæc vesti tuæ illita, nihil aliud est, Pater, ut æstimo, quàm memoria iniuriæ civium tuorum, qui te anno superiore Coloniâ expulerunt, quibus te, Divinæ pietatis aspectu, iam olim oportuerat admissi huius veniam dedisse. Hæc, quod bonâ veniâ dixerim, pectori tuo tenacius, quàm æquum sit, insidens, & amarissimo mœrore contra fas mentem tuam decoquens, cæteram sanctissimæ tuæ conversationis claritatem molestâ quâdam caligine obducit, & obscurat. Archiepiscopus conscientiæ suæ testimonio convictus, ne inficiaretur, quod audiebat, reatum suum humiliter agnovit, statimque destinatis circumquaque nunciis, cives omnes Coloniæ, quos in ultionem iniuriæ suæ excommunicatos urbe fugaverat, ad se evocavit, eísque proximâ festivitate Paschali (nam in Quadragesima visionem viderat) non solùm communionem Ecclesiasticam, sed etiam bona sua omnia, quæ direpta fuerant, benignissimè restituit. Sic gravis illa tempestas, quæ spiritu diabolico suscitata totam concusserat Coloniam, conquievit, pater filios, filii patrem recognoverunt, Archiepiscopus amaritudine, populus metu & sollicitudine, civitas liberata est solitudine.

S. Gregor. l. 4 Dial. c. 26.

VI. In ea mortalitate, quæ Patritii Narsi temporibus hanc urbem vehementer afflixit, in domo Valeriani, Romanæ urbis Advocati, puer Armentarius fuit præcipuæ simplicitatis & humilitatis. Cùm verò eiusdem Advocati domus eâdem clade vastaretur, idem puer percussus est, & usque ad extremum deductus. Qui subitò sublatus à præsentibus rediit, sibíque Dominum suum fecit vocari, cui ait: Et ego in cœlo fui, & qui de hac domo morituri sunt, agnovi. Ille, atque ille morituri sunt, tu verò non timeas; quia hoc tempore moriturus non es; ut verò scias, quia me fuisse in cœlo verum fateor, ecce accepi illic, ut linguis omnium loquar. Nunquid non cognitum tibi fuit, Græcam linguam me omninò nescisse? & tamen Græcè loquor, ut cognoscas, an verum sit, quòd me omnes linguas accepisse testificor. Cui tunc Græcè Dominus suus locutus est, atque ille in eadem lingua respondit, ut cuncti, qui aderant, mirarentur. In eadem quoque domo prædicti Narsi Spatarius Ulgarus manebat, qui festinè ad ægrum deductus, ei Ulgaricâ linguâ locutus est, sed ita puer ille in Italia natus, & nutritus in eadem barbarâ locutione respondit, ac si eâdem fuisset gente generatus. Mirati sunt omnes, qui audiebant, atque ex duarum linguarum experimento, quas eum ante nescisse noverant, crediderunt de omnibus, quas probare minimè valebant. Tunc per biduum mors eius dilata est, sed die tertio (quo occulto iudicio, nescitur) manus & brachia lacertósque suos dentibus dilaniavit, atque ita à corpore exivit. Quo mortuo, omnes illi, quos prædixerat, ex hac protinus luce subtracti sunt, nullúsque in illa domo ex eadem tempestate defunctus est, qui voce illius denunciatus non est.

Belluac. l. 25. cap. 106.

VII. Anno Domini M. CIV. quidam Clericus de Vendopera, cùm studeret in scholis apud Lugdunum, vidit visione noctis vallem sub monte, super quem Civitas pulcherrima sita erat, cuius aspectus nimium delectabat intuentes, ita ut quisquis eam videret, de aspectu illius satiari non posset, & modis omnibus laboraret, quomodo ad eam pervenire valeret. Interea vidit fluvium quendam sub pede montis, quem dum circumiret, quærens, quomodo illum transmearet, vidit super ripam fluminis duodecim pauperes lavantes in flumine tunicas suas. Inter quos erat quidam veste candidissimâ indutus, aliis dissimilis, qui iuvabat alios in tunicarum suarum ablutione, qui postquam adiuverat unum, ibat postea adiuvare alium. Tunc Clericus, qui hoc videbat, accessit ad illum, qui alios iuvabat, & dixit: Quæ gens estis vos? qui ait: Isti pauperes, homines sunt pœnitentiam agentes, & se à peccatis suis lavantes, & ego Filius Dei Jesus Christus, sine cuius auxilio nec isti, nec alii possunt benefacere. Civitas hæc pulchra, quam vides, Paradisus est, ubi ego maneo, & quando quis tunicam suam laverit, id est, pœnitentiam egerit, in illam intrabit. Tu ipse satis diu quæsivisti viam, quâ itur ad illam, sed nulla alia via, quàm ista ducit ad eam. His dictis Clericus evigilavit è somno, & mirari cœpit de visione. Cúmque non multò post rediisset de schola in patriam, narravit Episcopo Cabilonensi visionem hanc: cui familiaris erat, quâ auditâ Episcopus suasit ei, ut seculum relinqueret, & religionem intraret, commendans ei super omnes Ordines novellum istum Ordinem Cisterciensem. Ille venit Cistercium, & invenit locum incultum & desertum, & fratres inter bestias conversantes. Ad portam verò Monasterii, quæ de vimine facta erat, pendebat malleus ferreus, cuius sonitu ad portam, portarius compellabatur ab intrare volentibus. Hoc verò sonitu portarius vocatus, venit ad eum foras, & inclinans se salutavit eum. Quem Clericus intuens, statim cognovit eundem vidisse inter eos, qui tunicas in flumine lavabant. Rogavítque eum, ut duceret ad Abbatem. Abbas igitur & totus Conventus venit ad eum, & recognovit Clericus omnes se vidisse tunicas suas in flumine lavantes. Statimque cecidit ad Abbatis pedes, rogans eum lacrymis, ut susciperetur, qui susceptus non multò post factus est Prior.

Io. Herolt in Promptuario lit. G.

VIII. Contigit aliquando Fratrem Jordanum Generalem Prædicatorum, qui cuidam obsessæ; quæsivit à spiritu immundo, ubi foret liben-

Digitized by Google

libentius? Respondit: In cœlo; & cùm scrutaretur causam, quare magis desideraret, esse in cœlo: Respondit, ut faciem Creatoris videret. Quæsivit Magister, quàm libenter videret, respondit Spiritus: Paulò ampliùs vidi, quàm ad ictum oculi, sed propter tamdiu denuò videre faciem Creatoris omnes pœnas, quas omnes dæmones sustinuerunt à die, quâ eiecti sunt de cœlo, & etiam quas sustinebunt usque ad diem iudicii, vellem sustinere. Quod audiens Magister expavit vehementer, ita ut non videretur in eo spiritus. Postea ad se reversus dixit spiritui. Optimè dixisti mihi, sed alicuius pulchritudinis comparationem dicas mihi ad pulchritudinem Dei. Et respondit spiritus nequam: stultè quæsivisti, quia non potest enarrari. Sed propter instantiam petitionis tuæ unum tibi narrabo, quod tamen frivolum est, & penitus nihil respectu veritatis. Considera, inquit, quòd si omnes pulchritudines omnium pulchritudinum terrarum sive cœlorum, atque gemmarum, vitri, auri, argenti, florum, atque omnium metallorum, & eorum omnium, quæ pulchritudine suâ visum delectant, redactæ essent in unum, & omnes stellæ ad solis similitudinem lucerent, & sol præ omnibus stellis iã prædictis, lucem haberet, & omnes illæ pulchræ stellæ, & sol radios suos iactarent in pulchritudinem unam: Scias hoc pro certò, quòd omnis illa pulchritudo humanam æstimationem excederet, & tam incomparabilis esset illa pulchritudo, ad pulchritudinem Creatoris, quam nox tenebrosa, est ad diem seu solem clarissimum. Væ ergo illis, qui separabuntur ab illa inæstimabili gloria.

Specul. Exempl. v. cœlest. glor. exempl. 14.

IX. Fuit quidam Monachus, qui legens in matutinis cum aliis fratribus: *Mille anni ante oculos tuos, tanquam dies hesterna, quæ præteriit*, miratus est nimis, quomodo illud esset possibile. Erat enim sanctus & devotus valdè. Post matutinas ergo mansit in choro in sua devotione, ut consueverat, & petivit sibi illum versum revelari à Deo, & incepit discere, & cùm staret, avis pulcherrima ante oculos eius, volavit & avolavit. Sequebatur eam, quia totus fuit intentus ad visionem eius. Tandem volavit extra Ecclesiam, tamen semper prope ipsum, ut posset videri, & ita propè, ut posset apprehendi. Tandem deduxit eum extra claustrum, & ulteriùs deduxit eum ad unum nemus, quod fuit ante claustrum magnum, & spatiosum valdè. Et ibi Monachum detinebat per dulcem melodiam per trecentos annos, nunc avolando, nunc appropinquando, quousque omnes Monachi dicti Monasterii essent defuncti. Et præ dulcedine cantûs dictæ avis non esurivit, nec sitivit, nec comedit, nec bibit, postea avis avolans monachum dimisit. Statim Monachus ad se reversus monasterium suum petiit, quia propè erat, putans se eâdem nocte post matutinas recessisse. Jam erat hora tertia, ut sibi videbatur, & se petivit intromitti. Dixit portarius quis esset. Qui dixit: sum Sacrista istius Monasterii, qui post matutinas egressus sum. Portarius putans eum delirum, non cognovit eum omninò, tamen requisivit ab eo nomina fratrum, scilicet Abbatis, Prioris, & Cellarii. Recitavit ergo nomina eorum, qui erant temporibus suis, & Portario omninò incogniti erant. Et admirans Monachus, quòd non intromitteret eum, & simularet, se nescire nomina fratrum, petivit, ut duceret eum ad Abbatem. Ductus autem ad Abbatem, nec ipse cognovit Abbatem, nec Abbas è converso eum. Et inquisivit Abbatem de prædecessore suo, & sic inventum fuit, quòd Abbas ille cum aliis, quos nominavit, ante trecentos annos esset defunctus. Tunc ostendit Abbati, & omnibus fratribus, quid Deus secum operatus est per tot annos in eremo per avem, & illum versiculum: *Mille anni &c.* & de gaudio Paradisi, & tunc ipsum in fratrem receperunt, qui statim sumptis Sacramentis Ecclesiasticis, dulciter obdormivit in Domino, & ad gaudia vitæ æternæ pervenit.

Utilitas Beatitudinis considerata.

ibidem exem. X. Milites tres fidelitatem mutuò promiserunt, ut in quacunque necessitate se non delererent; erant in bellis & torneamentis strenui, & ad omnia mundi facta probi. Contigit tandem quadam die transisse sylvam omnes in silentio; cùm autem essent extra sylvam, unus eorum dixit: Miror, quare sic obmutuimus in transitu sylvæ huius; & dixit unus causam sui silentii esse hanc, quia videns amœnitatem sylvæ memor fui amœnitatis cœlestis, quam causam etiam cæteri confessi sunt. Quibus senior dixit: Credite, non sine causa hoc factum esse, sed nutu Dei, ut sicut hactenus mundo, ita nunc Deo serviamus. Quapropter consulo, ut claustrum ingrediamur, & eandem fidelitatem in Domino habeamus. Quod factum est. Et laudabiliter & strenuè per aliquod tempus illic vixerunt. Tandem duo iuniores cœperunt tepescere, & hoc invicem confessi sunt, & consolationem ad invicem quæsierunt. Venerunt ergo ad tertium de statu quærentes suo, & invenerunt eum Deo servientem, hilarem & devotum. Videns autem ille vultus eorum tristes, dixit: Ex multo otio & tædio, estis tristes & segnes, mihi autem totum tempus breve videtur, quia semper occupor. Illis autem mirantibus, quibus studiis, & occupationibus tempus impenderet, cùm, sicut ipsi, illiteratus esset, dixit: Tres literas tantùm inveni, quas docuit me Magister meus in ingressu meo, quas legens quotidiè, nullo unquam tædio afficior, sed præ desiderio legendi deficit mihi tempus. Una scripta est nigro colore, quæ significat peccata mea, quæ denigraverunt animam meam, & falsitatem & instabilitatem mundi, & pœnas inferni. Hanc lego à manè usque ad Missam. Secunda scripta est colore rubeo, quæ significat passionem Salvatoris nostri, qui multa pro nobis sustinuit. Hanc lego à Missa usque ad Nonam, quando emisit spiritum. Tertia scripta est aureis literis, hæc est amœnitas & multiplicitas gaudii cœlestis. Hanc lego

lego usque ad Completorium, & sic expendo tempus meum sine tædio. Quo audito cæteri multùm accensi, profecerunt de cætero & ipsi.

Vita Prædicat part. 5. c. 11.

XI. Cùm quidam Novitius laboraret in extremis in Conventu Argentinensi in Teutonica, & fratres recommendarent animam ipsius Creatori, ex insperato aperuit oculos suos, & ait: Audite, Fratres charissimi, mihi accidit, sicut alicuieunti ad forum, & parvo pretio magnas merces ementi. Ecce enim regnum accipio; & causas nescio meritorum, & hoc dicto requievit in pace.

Specul. Exempl. l. c. exempl. 6.

XII. Quidam Iuvenis valdè nobilis, & delicatus venit ad Ordinem S. Francisci, qui indutus habitu Fratrum post aliquos dies, diabolo instigante, cœpit habere in tanta abominatione habitum, quem gerebat, quòd videbatur sibi portare saccum vilissimum, & propterea horrebat manicas, abominabatur caputium, & ipsam longitudinem tunicæ, & eius asperitatem tanquam importabilem æstimabat. Unde factum est, quòd crescente Religionis fastidio, deliberavit penitus reiicere habitum, & redire ad sæculum. Magister autem eius docuerat eum, quòd quando ante Altare Conventûs transiret, in quo servabatur Sanctissimum Christi Corpus, cum magna reverentia genibus flexis, & discooperto capite & cancellatis manibus, se devotissimè inclinaret. Dictus autem Iuvenis hoc semper sollicitè observavit. Accidit autem illa nocte, quâ deliberaverat dimittere habitum, & redire ad sæculum, quòd oportebat eum transire Altare, ubi, sicut consueverat, genuflexit, & statim fuit raptus in spiritu, & ostensa fuit sibi mirabilis visio. Vidit enim quasi multitudinem infinitam coram eo processionaliter transeuntem, omnes verò, qui in illa processione beatâ erant, bini incedebant, & erant vestiti in ornatissimis diasperis. Facies autem eorum & manus, & quidquid apparebat de corpore, sole splendidius radiabat: & ibant cum cantu, & iubilo Angelorum solemnissimè & dulcissimè decantando. Inter quos duo Nobiliores cæteris incedebant, tantâ claritate velati, quod mirandum stuporem inspicientibus ingerebant, & quasi circa finem processionis prædictæ vidit etiam quendam tantâ gloriâ decoratum, quòd videbatur quasi novus miles ab omnibus singulariter honorari. Dictus autem Iuvenis hoc videns mirabatur valdè, & nesciebat, quid hoc esset, nec interrogare transeuntes audebat, nec poterat, nimiâ dulcedine stupefactus. Sed cùm processio pertransisset, & ipse adhuc videns extremos, resumens audaciam cucurrit, & illos interrogans, dixit: O charissimi, rogo vos, quòd dicere placeat, qui sunt isti tam admirabiles, quos continet hæc veneranda processio? Illi verò convertentes ad eum splendidissimas facies dixerunt. Nos omnes sumus Fratres Minores, qui modò venimus de paradiso. Et ille rursum interrogans ait: Qui sunt illi duo, qui tam excellenter inter alios rutilant? Responderunt: Illi duo, cæteris clariores, sunt Beatus Franciscus & S. Antonius. Ille autem ultimus tantum honoratus, est quidam sanctus Frater noviter mortuus; quem (quia valenter contra tentationes pugnavit, & usque ad finem perseveravit in sancto proposito) ad gaudia æterni Regni cum gloria & triumpho perducimus, non solùm comitantibus Sanctis, sed etiam lætantibus Angelis. Ista verò vestimenta diasperi, quæ nos tam decora portamus, data sunt nobis propter asperas tunicas, quas in Religione patienter detulimus: & gloriæ claritas, quam tu vides, data est nobis à Deo propter humilem patientiam, quam fecimus, & propter sanctam paupertatem & obedientiam, & castitatem mundissimam, quam usque in finem hilari mente servavimus. Unde, fili, non sit tibi durum, saccum Religionis tam fructiferum deferre: quia si in sacco beati Francisci, amore Domini Dei nostri IESU Christi mundum spernendo, carnem mortificando, & contra diabolum dimicando, viriliter te habueris, nobiscum simili veste fulgebis. Et his dictis Iuvenis ad se rediit, & confortatus ex ipsa visione, omnem tentationem abiecit: Culpam coram Gardiano & aliis Fratribus recognovit, asperitatem pœnitentiæ, & indumenti, ut divitias de cætero concupivit, & sic mutatus in melius, in sancta vita finivit.

Surius in vita ea. 1.

XIII. Ingravescente vi persecutionis, Præses Martianus sanctum Iulianum post dira tormenta, & diversis pœnis afflictum, & vinculis ferreis per omne corpus oneratum, iussit sub voce præconis civitatem circumire, dicens: Hæc merentur Deorum rebelles, & Principum contemptores. Et cùm veniret ad locum, ubi Celsus unicus filius Præsidis studebat, ait puer ad condiscipulos suos: Rem inauditam video, illum scilicet Christianum, quem ducunt, cum multitudine albatorum colloquentem, & coronam super caput eius ex gemmis & auro, cuius fulgor excæcat huius aëris lucem, & alios tres viros albescentibus comis, alarúmque volatu in similitudinem aquilarum, super eum excubias celebrantes. Et hoc mihi videtur, quia dignum est tali Deo servire, qui suos sic tuetur, & tali decore circumdat. Hoc audientes discipuli, & Magister eius, blandè corripientes eum, ab intentione revocare conati sunt. At ille doctorum volumina abiiciens, etiam vestes, quas indutus erat, abiecit dicens: Nudum me mater fudit huic seculo, quod mundi est, mundo relinquo. Hæc dicens per plateas civitatis cursum arripuit, donec ubi sanctus Iulianus torquebatur, veniens, pedibus eius prostratus, ait: Te secundæ nativitatis, quam mihi Christus ostendit, patrem agnosco: Martianum verò genitorem meum, veritatis inimicum despicio. Tota autem civitas concurrebat, & filium Præsidis sic vulnera Martyris osculantem mirabatur. Si quis autem voluisset, ex præcepto Præsidis, puerum à Iuliani complexu avellere, statim manus eius & brachia contrahebantur. Præsentatis ergo eis Præsidi, ait Iuliano Præses: Spei meæ fructum magicis artibus auferre contendis, & ipsum parentum amorem negare compellis. Hoc eo dicente advenit, & mater cum multiplicata familia, crine soluto, &

nudatis uberibus clamans. Quod videns Præses clamavit incisis vestibus ad Iulianum: Iuliane crudelis, aspice dolorem patris & matris, & planctum tantæ familiæ, & à magicis artibus innocentem solve, & ego Imperatoribus suggeram, ut illæsus abscedas. Cui ille respondit: Suffragiis tuis opus non habeo, nec dimitti desidero. Ecce adest, qui à te natus, modò credendo mecum renatus est, ipse tibi & matri respondeat. Respondit puer: de spinis rosæ nascuntur, nec rosa nata de spinis, odorem suavissimum, nec frutex, qui rosas genuit, amittit aculeos suarum pœnarum. Ut ergo consuestis, pungite, & me odorem suavitatis credentibus propinare permittite. Vobis obediant, qui perire parati sunt; me imitentur, qui de tenebris ad lucem venire contendunt. Ego pro Christo vos parentes nego, & per vitam temporalem vitam æternam adquiro. Non possum in vos pius esse, & in me crudelis: Quid moraris? quasi incredulus & crudelis, non quasi Abraham, paternis manibus apprehende gladium, & victimam offer filium. Vani sunt vultus vestri, falsæ lacrymæ, ab hac confessione pietatis nemo me valebit disiungere. Mox ergo iubetur in tenebrosum carcerem vermibus scaturientem includi. Quem ingressus statim tenebræ vertuntur in lucem, & ebulliens pœna disparuit. Hoc videntes milites viginti conversi sunt.

Paucitas Salvandorum.

Hieronymus Platus l. 1. c. 5.

XIV. Quo tempore Bertoldus ex Franciscana Familia in Germania inter prædicandum Dei verbum acriùs in vitium invectus esset, mulier, quæ eo vitio tenebatur, pœnitentiæ ac contritionis vi in media concione mortua concidit. Verùm, cùm omnibus in preces procumbentibus, paulò post revixisset, narravit omnibus mortis causam, iussamque se ad corpus redire, ut peccatum illud confessione expiaret. Adiecit etiam tùm alia multa, quæ viderat, tum illud imprimis horribile, & dictu etiam mirabile; Cùm ipsa ad Dei tribunal apparuisset, adducta simul esse sexaginta animorum millia, quæ in omnibus mundi partibus, fidelium & infidelium, variis casibus excesserant ex hac vita, atque ex his tres tantùm addictas purgatorio, reliquas omnes ad ignem æternum damnatas; unum autem ex Franciscanis Fratribus, eodem ipsum quoque temporis articulo defunctum, per purgatorii quidem locum transisse; sed tamen non modò ibi diutiùs non commoratum, verùm etiam par animarum, quæ præcipuâ cum eo amicitiâ coniunctæ fuerant, secum in cœlum abduxisse.

Io. Trithemius ad Annum 1160.

XV. Cùm D. Bernardus Abbas Clarevallensis ab hac vita migrâsset, quod contigit Anno Domini 1153. Indictione 1. 13. Calendar. Septembris, Anno ætatis suæ sexagesimo quarto, horrenda visio Lingonensi Episcopo facta est. Apparuit ei namque Eremita quidam mortuus, quem viventem olim noverat, qui Divino timore compunctus ante aliquot annos, cùm esset Decanus dives & nominatus, omnia contemnens, eremitorium pro Christi amore intravit. Quem cùm de statu suo, & divini Iudicii districtione interrogâsset, ille respondit: Eâ horâ, in qua ego de corpore migravi, triginta hominum millia ab hac luce transierunt. E quibus Bernardus Clarevallensis Abbas, qui eâdem horâ obiit, unà mecum ad cœlos evolavit; tres alii ad purgatorium missi sunt; cæteri omnes per sententiam iusti Iudicis condemnati, ad infernum perpetuò cruciandi descenderunt.

§. III.

SIMILITUDINES.

Qualitas.

I. Sicut in corpore humano, vel pes loco, aut officio manûs, vel manus pedis fungi non exoptat, aut os vel nasus, ubi oculi sunt, aut oculi ubi os & nasus, relictis sedibus non cupiunt transferri; aut, si transferrentur, convenienter & sine iniuria, non id paterentur; eodem modo in illa admirabili & glorificata dispositione, & æquè disposita glorificatione beatæ civitatis Dei, ita quisque quod adeptus fuerit, amabit, ut statum suum potiori gradu immutari non velit: Quare? quia cuique satìs erit sua felicitas, & beatitudo sibi pro meritis suis misericorditer impertita.

S. Anselmus l. de similit. c. 64.

II. Sicut oculus unus verti non potest, quò non vertatur & alius, sed in eandem partem semper volvuntur; sic etiam corpus & anima, vel societas illa iustorum, nihil poterunt velle diversum, sed eandem semper voluntatem habebunt.

Idem c. 62.

Utilitas.

III. Sicut stilla aquæ modica, multo infusa vino puro, à se deficere tota videtur, & saporem vini induit, & colorem; & quomodo ferrum candens ignitum, simillimum igni fit, pristinâ, propriâque formâ exutum; Et quomodo solis luce aër perfusus, in eandem transformatur luminis claritatem, adeò ut non tam illuminatus quàm ipsum lumen esse videatur: Sic omnem tunc in sanctis humanam affectionem, quodam ineffabili modo necesse erit à semetipsa liquefacere, atque in Dei penitus transfundi voluntatem.

S. Bernard. de diligendo Deo.

IV. Sicut mercenarius agricola omnibus aëris iniuriis expositus arat, secat, fodit, sudat, & laborat, nec eum toto die hosce labores continuare piget, quia ad mercedem, quam ex diurno labore sibi comparat, cor & animum suum directum habet; sic electi quique dum mundi huius adversa patiuntur, cùm inhonestates contumelias, rerum damna, cruciatus corporis tolerant, esse gravia, quibus exercentur, pensant; sed cùm mentis oculum ad æternæ patriæ considerationem tendunt, ex comparatione præmii, quàm sit leve, quod patiuntur, inveniunt.

S. Greg. l. 8. mor. c. 5.

Dignitas.

V. Sicut is, qui indubitatum ius habet, ut in Regno aliquo succedat, Rex communiter vocari solet; tametsi sceptrum Regni illius actua-

Mansi disc. 2. n. 14.

Digitized by Google

ctualiter non moderetur; ita quoque dici posse videtur, quòd is, qui gratiam Dei in anima sua possidet, quæ pignus quoddam & semen est gloriæ, Regnum quoque Dei intrà se habeat.

Perpetuitas.

Idem disc. 16. n. 11.

VI. Sicut corallus, licèt arbusculum tenue & flexile sit, mox tamen, ubi ex aqua extrahitur, solidatur, & indurescit, nec ampliùs flecti se patitur, colorem quoque suum pallidiusculum in rubicundum mutat; eodem modo nos, quamdiu in mari huius mundi constituti sumus, continuis lapsibus, iisque periculosis subiicimur, continuam contra nosmetipsos luctam experimur: & prævaricari facilè possumus. At verò ex huius maris undis extracti, & in aliam vitam translati, in amore Dei solidi, & constantes efficimur, atque in beatitudine immutabilem quendam statum nobis comparamus. Unde S. Bonaventura ait: De huius regni, & convivii æternitate dicit Augustinus: O vita vitalis, dulcis & amabilis, ubi summa securitas, secura tranquillitas, tranquilla iucunditas, iucunda felicitas, felix æternitas, æterna beatitudo, & beata vita sine fine.

§. IV.

MOTIVA.

Ierem. c. 17.

I. QUia in cœlis sunt meri Reges, uti Jeremias Propheta indicavit, dicens: *ingredientur per portas Civitatis huius Reges & Principes sedentes super solium*; Quàm nobilis Societas, inquit ibi Doctor Seraphicus, quàm gloriosa civitas illa esset, in qua nullus omninò nisi Principes & Reges habitarent; Si in civitate aliqua, duos civium Milliones numerante, neminem videres alium, quàm Principes, Reges, Papas, qualis in tali Regnorum & Monarchiarum Metropoli nobilitas & magnificentia reluceret! Pergit autem idem S. Bonaventura de Regno Cœlorum ulteriùs dicere: Reges utique sunt, qui de manu supremi Imperatoris coronam Regni accipiunt.

S. Anselm. de simlit. c. 53.

II. *Quia voluntas beatorum semper impletur*; sicut enim Angelis nihil obsistit, nec aliquid eos impedire potest, nec constringere, quin pro velle suo cuncta penetrent liberrimè; ita non erit aliquod obstaculum, quod nos retardet; nulla clausula, quæ nobis ullatenus obstet; non elementum, quod nobis ad velle nostrum promptum omninò non extet. Quod confirmans Angelicus Doctor ibi ait, voluntas cuiusque semper & ubique complebitur, iuxta illud S. Augustini: Omnipotentes erunt voluntatis suæ, sicut Deus suæ.

S. Thom. Opusc. 63. c. 4.

Ibidem.

III. *Quia* ut idem S. Doctor testatur, *ubi nullus alteri subjicitur, ibi cessabit omnis prælatio*, sed soli Deo omnes subiecti sunt.

S. Vincen. Ferrer. ser. 2 in Dom. in Albis.

IV. *Quia ibi omnes pulchritudine summâ sunt præditi*; Nam S. Vincentius Ferrerius corpus aliquod gloriosum septies sole luminosius futurum scribit, unde id ipsum arguit, quòd si Deus ad mundum illuminandum glorioso aliquo corpore, loco solis uteretur, hoc maiori lumine mundum perfunderet, quàm quo sole illustratur. Quod confirmans S. Augustinus, huius corporis claritas, inquit, tantùm solem excedit, quantùm sol nostrum corpus in claritate præcellit. Si ergo unicus tantùm sol in cœlo suo constitutus omnes homines, animalia & plantas lætificat, vitam & calorem omnibus viventibus subministrat, tótque alios admirandos hîc in terra, quæ vallis est lacrymarum, effectus producit, quale gaudium, qualis lux & claritas in cœlo empyreo ex tot innumerabilium animarum beatarum, & gloriosorum corporum consortio coruscabit, ubi hæc velut totidem soles luminosa erunt, suósque radios in illam civitatem Dei ex auro instar crystalli corusco stratam, tótque inæstimabilibus & splendentibus gemmis locupletatam effundet?

S. August. to. 9. tr. 5. c. 47.

V. *Quia omnes beati impassibiles erunt*, quæ impassibilitas resultabit ex virtute animæ suum corpus potenter retinentis, ita quòd à nullo exteriori agente immutari valebit. Unde in Apocalypsi dicitur: *Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis sanctorum; etiam non erit amplius neque clamor, sed nec ullus dolor.* Ibi lætitia ut S. Augustinus notat, sine tristitia, salus sine dolore, via sine labore, lux sine tenebris, vita sine morte, bonum sine omni malo. Ubi iuventus nunquam senescit, ubi vita terminum nescit, ubi decor nunquam pallescit, ubi amor nunquam tepescit, ubi sanitas nunquam marcescit, ubi gaudium nunquam decrescit.

Apocal. c. 7.

S. Aug. in solil. c. 35

VI. *Quia summè agiles erunt iidem Beati*; nam teste S. Bernardo tanta credenda est futura corporum levitas, & agilitas Beatorum, ut possint, si velint, absque omni mora seu difficultate ipsam quoque cogitationum nostrarum sequi ad omnia velocitatem. Huius autem velocitatis exemplum in radio solis licet intueri, qui statim orto sole in plaga Orientali, pertingit usque ad ultimum plagæ Occidentalis, ut eo perpendamus non esse impossibile, quod de nostra dicimus futurâ celeritate, præsertim cùm rebus animatis soleat inesse maior velocitas, quàm inanimatis.

S. Bern. ser. 4 in Fest. Omn. SS.

S. Anselm. de simılit. c. 51.

VII. *Quia summa intra Beatos unio & concordia erit*; nam ut S. Laurentius Justinianus notat, tanta vis in illa cœlesti pace nos sociat, ut quod in se quisque non accipit, hoc se accepisse in altero exultet; Una cunctis erit Beatitudo lætitiæ, quamvis non una sit omnibus sublimitas vitæ. Et confirmans id ipsum S. Anselmus, ibi inquit, erit tam perfecta & beata charitas iustorum, quòd unusquisque in tantùm diligit proximum suum, quantùm se ipsum, ex quo illud inæstimabile sequetur bonum, quòd ita unusquisque de alterius bono, vel gaudio gaudebit, sicut de merito proprio, proinde cùm inenarrabilis sit numerus Electorum, quis putas, narrare sufficiat gaudium Beatorum. Ibi virgo gaudebit de sanctæ viduitatis merito: Ibi vidua exultabit de castæ virginitatis privilegio; ibi Confessor de Martyris iucundabitur triumpho;

S. Laur. Iust. de lign. vit. c. 7.

S. Anselm. l. c. 59.

pho; Ibi Martyr tripudiabit de Confessorum bravio; ibi Propheta lætabitur de Patriarcharum pia conversatione; ibi Patriarcha exultabit de Prophetarum fide; ibi Apostoli & Angeli gaudebunt de merito omnium inferiorum; ibi omnes inferiores lætabuntur de gloria & corona superiorum. Omnibus erit una voluntas, ut S. Anselmus ait, quasi nulla esset iis, nisi Dei voluntas; ideo erit omnibus plena concordia, & ideò sicut volent illi non aliud, quàm quod ille, ita volet, quidquid volent illi, & ideo Filii Dei, & Dii vocabuntur, cuius rationem genuinam reddens S. Augustinus, hæreditas, inquit, in qua cohæredes Christi sumus, non multitudine minuitur filiorum, nec fit angustior numerositate cohæredum, sed tanta est multis, quanta paucis, tanta singulis, quanta omnibus.

S. Anselm. de similit. c.71. VIII. *Quia iucundissima erit in cœlis Societas*, ut iterum S. Anselmus notavit, dicens: Ad cumulum beatitudinis suæ aliud habebit, unde magis possit gaudere, quia enim quisque sicut se, alterum amabit, patet, quia sic de illius felicitate, ut de sua gaudebit. O quot igitur, & quanta gaudia quisque obtinebit, qui de tot tantisque beatitudinibus Sanctorum iubilabit? Quòd si tantùm de aliis, quos ut se diliget, gaudebit, quantùm de Deo, quem supra se diligit, exultabit? Gaudium ei erit intus & extra, gaudium sursum & deorsum, ubique gaudium plenum.

S. August. Medit. c.10. IX. *Quia ibidem erit perfecta perpetuitas omnium gaudiorum*, teste S. Augustino dicente: Quæ dat (Deus) in præsenti, temporalia sunt, quæ autem in futuro sæculo se promittit suis daturum, æterna sunt. Temporalia bona difficilè acquiruntur & acquisita facilè dilabuntur, & quæ habita sunt, cum gravi sollicitudine custodiuntur, & cum dolore amittuntur, & amissa cum gravi labore recuperantur: Futuri autem sæculi bona nunquam amittuntur, cum gaudio & quiete possidentur, cùm semel quis acceperit, ita securus erit, se ea nunquam amissurum, sicut certus est, vel erit, se nunquam velle amittere. *S. Bonav. in solil.* Cui consentiens S. Bonaventura, cuius cursus, ait, sine termino, usus sine fastidio, refectio sine cibo, sub antiquis perpetuisque gaudiis semper nova iucunditas, & sine timore amittendi continuata felicitas.

S. Aug. ser. 37. de Sanctis. X. *Quia brevis labor exigitur ad beatitudinem obtinendam*, nam ut S. Augustinus notavit, Dei ineffabilis & immensa bonitas, inquit, etiam hoc providit, ut laboris quidem tempus, & agonis non extenderet, nec longum faceret, aut æternnm, sed breve, & ut ita dicam, momentaneum. *Idem in Ps. 93.* Et alibi, qualis misericordia Dei? non dicit: decies centena millia annorum labora; non dicit: vel mille annos labora, cùm vivis, labora in paucis annis, indè iam requies erit, & finem non habebit: Momentaneum hoc &c. Ecce quantum pretium damus, quodammodo unam siliquam ad accipiendos thesauros sempiternos.

S. Thom. Villan. Conc. Quinquag. XI. *Quia facilis est via perveniendi ad beatitudinem*; non enim exigitur, ait S. Thoma Villanov. hodie à te, O Christiane, mors, non sanguis, non supplicia; ama, & regna; quid facilius, quàm amare? O quàm constrata est via, & quàm plana! ut diligendo pervenias, quò pervenit Laurentius patiendo, cuius rationem assignans Paulus de Palatio, non pigeat, ait, audire causam, cur Dominus solam charitatem & misericordiam delegit, cui possessionem regni tribueret; causa est, quia nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo; at sola charitas deduxit Christum ad nos, igitur solà charitas efferet nos ad Christum.

§. V.

MEDIA

Ad Beatitudinem obtinendam.

S. Euseb. Emissenus inc. 11. Luc. v. 9. I. Desiderium ardens, uti S. Eusebius monet: *Petite, & accipietis, quærite, & invenietis! pulsate & aperietur vobis*, id est, ut petamus orando, quæramus laborando, pulsemus desiderando, pulsemus proficiendo, pulsemus perseverando, & in spem cœlestium promissorum tanto incitemur studio, tantòque inardescamus affectu, ut cum præmiorum dignitate desideriorum magnitudo concordet. Certè quantopere Deus à nobis hoc desiderium requirat, testatur S. Vincentius, dum narrat, *S. Vincent. Ferrer. in Fest. Omn. SS.* quòd, cum quidam eximius Dei servus, qui cum magna sanctitatis opinione semper vixerat, ad alteram vitam moriendo transisset, vehemens quendam suorum amicorum incesserit desiderium sciendi, an anima eius rectà evolâsset ad cœlum, cúmque super hoc Dei responsum sibi revelari ardenter petiisset, anima dicti servi igne circumdata ei apparuit, & terrefacto ex hac apparitione amico suo dixit, se in purgatorio ad aliquod tempus condemnatam hærere, eò quòd in vita sua cœli gloriam eo, quo par erat, ardenti desiderio non quæsisset, aut desideràsset.

1. Cor. c. 2. v. 9. II. *Charitas seu dilectio Dei*; uti S. Apostolus indicavit, dicens; *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus.* Sed quibus? *iis, qui diligunt illum*, adeò ut S. Thomas firmiter hanc statuat conclusionem: Qui plus diligit, maiorem locum habebit.

Luc. c. 24. II. *Patientia constans*, iuxta Christi testimonium: *Nónne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* Et illud Actuum Apostolorum: *Per multas tribulationes oportet nos introire in Regnum Dei.* *Act. c. 14.* Hinc S. Bernardinus quoque ait, *S. Bernardinus Dom. 5. post. Epip.* Deum ante Paradisum constituisse Angelum cum flammeo gladio, ut significaret, quòd nullus possit intrare in Regnum Dei, nisi transeat per flammeum gladium, atque versatilem, qui positus est ad custodiam ligni vitæ; sed hoc nullus potest facere, nisi per patientiam in tribulatione, gladius enim flammeus atque versatilis tribulatio est, affligens animam & corpus. Cuius ulteriorem reddit rationem *Mansi disc. 23. n. 2.* Jos. Mansi sic discurrens: Trita iure regula est; quòd hæres possessionis alicuius, maius in illam ius habere nequeat, quàm testator habuerit?

buerit; Ac proinde cùm Christus Discipulis suis, ac consequenter nobis omnibus, sub iisdem oneribus & obligationibus regnum suum relinquat, quibuscum ipse illud ab æterno Patre suo accepit, consequens est, quòd si in supernæ illius hæreditatis possessionem subingredi volumus, onera quoque & obligationes illius adimplere necessariò debeamus. Unde Caietanus verba illa: *Dispono vobis &c.* ita explicat: Similes mihi dispono vos futuros in Regno, qui perseverâstis mecum in afflictionibus. Prius enim Apostolus dixit: *vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis*; & postea subdit: *Et ego dispono vobis Regnum.*

Didac. Nyssens. 5 ep. in Dom. 1. post Epip.

IV. *Pœnitentia seria*; hinc B. Virgo olim ad Christum dixit: *Dolentes quærebamus te*: ut nos doceret, ut siquidem invenire eundem in templo gloriæ volumus, ubi in medio Angelorum, & aliorum cœlicolarum positus omnes suo aspectu beatos efficit, ad eum modum, quo Maria & Joseph, quæramus illum dolentes cum luctu & lacrymis, per opera pœnitentiæ, & tolerantiam adversitatum. Qui enim Deum gloriosum aliter quærunt, illi spe suâ frustrabuntur, & non invenient. Non incommoda quoque huc veniet quædam mellifluì Doctoris observatio: Sponsum invitabat sponsus, ut sursum erectis cogitationibus, relictisq; rebus hisce terrenis aspiraret ad vitæ futuræ quietem, ùtque alacrem illam redderet, aiebat: *Surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni*; Cant. 2. 10. *Vide simul, quàm vernet patria nostra floribus, quàm flagret rosis: flores apparuerunt in terra nostra.* S. Bernardinus in horum expositione ait: In eodem Cantico evidenter expressum est, quòd florum apparitio turturis comitetur auditum. Sed quid mysterii habet apparitio florum coniuncta cum auditione turturis? Flores Symbolum gloriæ sunt, turtures typus pœnitentiæ, & animi ex recordatione malè actæ vitæ mœsti, ac tristis, quod S. Gregorius Magnus, Pierius Ricciardus, Lauretus & alii affirmant. Et rectè hominem pœnitentem scelerum suorum, & illachrymantem peccatis hæc avis designat, quæ pro cantu gemit, & querulas dat voces. Quòd ergo Sponsus fragrantes flores, quibus gloria significatur, cum gemebundis turturibus, pœnitentiæ symbolis, coniungit, tantundem est, ac si dixisset, separari horum aliud ab alio non posse, sed necessum esse, ut per amaritudinem pœnitentiæ, per acerbitatem luctus, ac suspiriorum transeat, qui ad amœnitatem æternùm vernantis, ac florentis gloriæ anhelat, nec enim coronabitur, nisi qui legitimè certaverit.

S. Bern. in c. 2. cant.

V. *Contemptus Mundi*, uti S. Bernardinus per aptum Apologum ostendit, dum ait: Patrem quendam fuisse, qui duas habebat filias, aliam facie valdè decoram, turpem verò valdéque deformem alteram, quarum primam quidem singuli procabantur; aliam verò nemo non abominabatur, qua de re cùm hæc apud patrem querulâ voce lamentaretur, pater, ut eam consolaretur, bono eandem animo esse iussit, subdens, quòd primæ nullam assignâsset dotem, ipsi verò, id est, deformi omnes suas facultates fecisset dotales, tametsi hæ regnum facilè adæquarent. Móxque prædictum Apologum in sensu morali explicans, per patrem Deum intelligit, per filiam verò apparentet speciosam, prosperitatem mundanam, per deformem verò paupertatem exponit; Hanc turpem filiam qui acceperit in uxorem, promittit ei Deus Regnum suum, dicens: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum Cœlorum.* Quantò autem facilius est unicuique, paupertatem profiteri, quàm divitem esse.

S. Bernardinus ser. de paupert. & ...

VI. *Misericordia erga miseros*; uti S. Laurentius Justinianus indicavit dicens: Venalis est beatitudo cœlestis, & tanti valet, quantùm quis potest expendere. Hanc per egenorum susceptionem sibi vendicavit Abraham; Job per miserorum compassionem; Tobias per defunctorum exequias, Zachæus per distributionem dimidii bonorum suorum, vidua duobus minutis, alii verò pro calice aquæ frigidæ. Quod ipsum etiam S. Chrysostomus confirmavit in persona Dei sic loquens: Pretium non appono, ne obiicias inopiam, quanti potes, tanti eme; habes obolum, eme cœlum. Non habes obolum, da calicem frigidæ aquæ, da panem, & accipe Paradisum. Unde S. Augustinus, quid potentius, ait, quàm ut regnum Cœlorum non solùm Zachæus emat dimidio rerum suarum, sed & vidua duobus minutis, & tantundem ibi uterque possideant? Quid potentius; quàm ut idem regnum & thesauris diviti, & calice aquæ frigidæ pauperi valeat?

S. Laur. Iust. l. 2. spir. ann.
S. Chrysost. hom. 57. ad pop.
S. Aug. in Psalm. 118.

VII. *Consideratio seria cœlestium gaudiorum.* Nam ut S. Gregorius notavit, si semel quisque ad æterna se erigat, atque in his, quæ incommutabiliter permanent, oculum cordis figat, propè nihil esse hoc conspicit, quicquid ad finem currit. Imò teste S. Thomâ Villanovâ momentum tibi erit vita præsens, si oculum dirigas ad æternum præmium, transit citò, quod cruciat, permanet in æternum, quod coronat. Et quò altiùs in æternorum, civium visione quispiam suspenditur, eò & sibi fortior, & aliis utilior invenitur, ait iterum S. Gregorius.

S. Gregor. l. 10. moral. c. 13.
S. Thom. Villan. in conc. funeb.
S. Greg. in lib. 1. Reg. c. 9.

§. VI.
ASCETICA.

I. IMprimis nôsse debet Asceta, *duplicem Beatis coronam esse præparatam, scilicet auream & aureolam.* Aurea dicitur præmium substantiale, quod consistit in tribus, scilicet in visione Dei clarissima, in fruitione suavissima, & in recreatione securissima, de qua dicitur: *Corona aurea supra mitram eius*, quæ est ornatus Pontificum, quia omnes Sancti non solùm erunt Reges omnipotentes voluntatis suæ, sed etiam erunt Sacerdotes & Pontifices, offerentes Deo semper sacrificium laudis; & ideo dicitur: *Fecisti nos Deo nostro Regnum & Sacerdotes.* Alia corona dicitur aureola, id est, coronula parva; redditque coronæ huius rationem dicendo, quòd sit gloria quædam specialis accidentalis, quæ Sanctis quibusdam propter excellentiora quædam opera communicatur: Datur tribus generi-

S. Bonav. in Diat. sal l. 10. c. 1.

eòdem in loco ipsi machinari mortem, ac proinde necessum ei esse, ut ab eorum insidiis se cautè subduceret; cùmque literarum baiulus instanter, literas ut aperiret, illarùmque seriem attentè perlegeret, sollicitaret, is nihilominùs earum lectionem usque & usque distulit; cùmque ulteriùs literas illas arduum illi significare negotium, ac proinde in mora lectionis magnum subesse periculum, moneretur; Tyrannus respondit; Seria in castrinum; sed gravi mulctâ moram hanc luere coactus fuit; Siquidem mox ut ab amicis digressus fuit, violentâ hostium suorum manu protinus interemptus occubuit. Quot sunt, qui hisce diebus internas à Deo inspirationes accipiunt, à Prædicatoribus enixè rogantur, monentur ex librorum lectione spiritualium, nec non ab optimis timoratorum hominum exemplis, ut hisce diebus à mundi universali vanitate se subducant, qui tamen, tempus adhuc sufficiens superesse, respondent, quo in imminente Quadragesimali tempore se ab iis subtrahere, & bona operari possint; nunc tempus esse, ut pro communi hominum aliorum more genialiter vivant, quos tamen Deus in Quadragesima iusto suo iudicio à mortali quadam infirmitate corripi, vel occasione insolentiarum illius temporis inimicitiæ alicuius gravissimum subire periculum, vel per crapulam suam totaliter perdere valetudinem, taliáque experiri discrimina permittet, ob quæ totâ vitâ suâ suspirare, & gemere cogantur.

Idem disc. 10. n. 7. X. Sardonica herba hanc proprietatem habet, quòd tales in illam degustante spasmos causet, ut moriens os suum eo modo aperiat, & expandat, ut omnibus ridere videatur; quot sunt hisce diebus, qui ex hac herba degustârunt, id est, certi peccati cuiusdam, vel dissolutionis venenum absorpserunt, qui tametsi modò rideant, & iucundi ac hilares existant; attamen intra breve tempus se mulctandos ac puniendos esse pertimescunt, aut verò culpæ illius mortalis, quæ illos æternæ mortis reos effecit, gravem interiùs puncturam, & remorsum sentiunt?

Baron. anno 156 n. 1 XI. In Annalibus Ecclesiasticis refert Baronius, quòd, dum Gentiles in urbe Neocæsariensi prophano cuidam festo celebrando insisterent, ingens quædam hominum in confinibus habitantium multitudo eò confluxerit, adeò ut dum unus alteri præ nimia populi confluentis densitate cedere vix posset, dæmonem, cuius solennitates agebantur, supplices interpellarint, ut largiorem illis, commodioremque locum indulgeret, altâ voce clamantes: Jupiter fac nobis locum. Quod cùm S. Gregorio Thaumaturgo innotuisset, subitò ad eos misit, qui illis futurum esse, nomine eius prædicerent, quòd post modicum tempus largiorem & capaciorem locum essent habituri, imò voto & desiderio ipsorum longè ampliorem; Unde eodémmet die pestilentialis quædam illis est immissa mortalitas, quæ cantus ipsorum in planctus subitò convertit; tantus enim ex eâdem lue morientium numerus fuit, ut vivi mortuis sepeliendis minimè sufficerent, nam quotidiè terribilis coram eis figura se spectandam præbuit, domus autem, ad quas propiùs accedebat figura ista, sine ullo remedio aut iuvamine subitò exanimabantur ab incolentibus illas; Tandem verò ideo supplicium istud sibi à Deo immissum fuisse animadvertentes, quia dæmonem invocaverant, ad Thaumaturgum accurrerunt, qui flagellum istud orationum suarum efficaciâ protinus amovit, eósque ad Christianam Religionem integerrimè perduxit.

XII. Surius in vita S. Eligii refert, quòd dum populo suo die quadam prædicans, eidem ut à saltibus & tripudiis, cunctisque aliis prophanitatibus, à dæmone ad præcipitandas in infernum animas adinventis, abstineret, persuadere conaretur, quidam ex eis Episcopum se ipsorum petulanti levitati opponentem diutiùs sustinere non valentes, de inferenda ei nece inter se deliberârint. Quod cùm sanctus hic Præsul Martyrii patiendi cupidus audisset, cum uno tantùm Diacono & duobus Clericis, ad eam se civitatis partem, ubi hi morabantur, contulit, & medium furibundæ multitudinis pertransiens, in locum quendam sublimiorem, & elevatum ascendit, indéque contra chóreas, & tripudia mira cum energia prædicans, vanitates, dæmonis instrumentum & inventiones esse dixit: è contra verò furens plebecula variis eum conviciis & iniuriis afficiens, mortem ei, nisi desisteret, comminabatur, apertè protestando, quòd his se consuetis recreationibus & ludis nequaquam paterentur privari. Quarè sanctus hic vir ovium suarum emendationem & resipiscentiam vehementer desiderans, Deum enixè rogat, ut ad salvandas ipsorum animas, dæmones ipsorum corpora obsidere, & ingredi permitteret, & subitò quinquaginta ex illis, qui contra eum coniuraverant, à dæmone fuerunt obsessi, qui omnes furiosè salire & saltare cœperunt, non obstante, quòd alii flexis coram S. Episcopo genibus in terram provoluti eum supplices rogarint, ut pro infelici illâ hominum obsessorum multitudine suas apud Deum preces & orationes interponeret, quibus ipse respondit, admiranda potiùs & laudanda ab ipsis esse iusta Dei iudicia, qui in reos iustis benéque promeritis suppliciis ad aliorum exemplum & correctionem animadverteret: Ad tempus illis traditi sunt, quos amant; sentiant magistros suos, quos colunt; Unde hi obsessi per annum integrum choreas & tripudia sua continuârunt, in cuius fine, recurrente die, quo saltare cœperant, eosdem aquæ benedictæ aspersione absolvit, & à tripudiis abire iussit. *Surius 1. Decembr.*

TITV-

TITVLVS VIII.

BEATITUDO.

§. I.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Qualitas.

S. August. ser. 1. de verb. Ap.

I.  Ualis sit hæc gloria futura, & quibus divitiis floreat, quantóque splendore præfulgeat, laudare possumus, explicare non possumus. Quare? quia legimus: *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis descendit, quæ preparavit Deus diligentibus se.*

S. Bernar. ser. in Dom. 5. post Epiph. c. 4.

II. Quantum est illud Regnum! hic deficit sensus, imaginatio, ratio, intelligentia; est enim magnum longitudine æternitatis interminabilis, latitudine capacitatis incoarctabilis, celsitudine sublimitatis incomprehensibilis.

Idem to. 1. ser. 51. a. 2. c. 2.

III. Tanta est magnitudo Cœlorum, quòd, si de novo crearet Deus huius magnitudinis tot terrarum orbes, quot grana arenæ maris, adhuc non impleretur Empyreum Cœlum.

S. Bernar. apud Man sir. 10. disc. 3. n. 3.

IV. Civitas ista est in mensura valdè spatiosa, unde dicit Bernardus, quòd ad literam quilibet Sanctus in Cœlo Empyreo habebit locum sibi assignatum proprium, & specialem, magis spatiosum, quàm sit ab oriente ad occidentem.

S. Aug. ser. 18. de verb. Dom. c. 17.

V. Non tibi sit angusta domus eius, pariter ab omnibus, totum â singulis possidetur Regnum Dei, crescente possessorum numero non minuitur, quia non dividitur, unicuique integrum est, quod concorditer habetur à multis.

Idem in Man. c. 34.

VI. Cùm sint hæc omnia valdè delectabilia, quæ bonis, pariterque malis communia tradidisti, qualia futura sunt illa, quæ solis bonis recondisti? si tam innumera & varia tua dona, quæ nunc amicis pariter tribuis & inimicis, quàm magna & innumerabilia, quàm dulcia & delectabilia, quæ solis tuis es largiturus amicis? si tanta solatio in hac die lacrymarum, quanta conferes in die nuptiarum? si tanta delectabilia continet carcer, quanta quæso continet Patria?

Didacus Stella in c. 11. Luc.

VII. In hoc præcipuè Regnum Dei est mirabile; nam quando quis in extera proficiscitur, dicitur abiisse in Franciæ, vel in aliud quodvis, non tamen rectè diceretur venisse Regnum Franciæ in illum: Verùm cum Regnum Dei priùs in hominem, quàm homo in illud ingrediatur, optimè dicitur, ad nos venisse Regnum Dei, tunc enim regnat in homine, cùm homo suscipit illud per fidem & charitatem.

R. P. Lohn. Auctar. Bibl.

S. Bonav. in c. 16. Luc.

VIII. Alii violenter rapiunt, alii mercantur, alii furantur, alii compelluntur. Illi rapiunt, qui relinquunt omnia, & sequuntur Christum; mercantur, qui dant temporalia, & accipiunt æterna; furantur, qui bona occultè faciunt, & laudem humanam vitantes solo divino testimonio sunt contenti; compelluntur intrare pauperes, quos hic ignis paupertatis, Deo dispensante, probat, ne in futuro ignis iudicii damnabiliter premat.

Jucunditas.

S. Aug. to. 9. solil. c. 36.

IX. Hæc est plena beatitudo, & tota glorificatio hominis, videre faciem Dei sui; videre eum, qui fecit cœlum & terram, videre eum, qui fecit eum, qui salvavit eum, qui glorificavit eum, videbit eum cognoscendo, amabit diligendo, laudabit possidendo.

S. Thom. opusc. 63. c. 3.

X. Ibi anima valdè delectabitur in continua visione delectabilis vultûs Dei, de qua dicit Glossa super Psalmum, quòd visione nihil delectabilius, quia semper amabunt, quem semper videbunt; In ea tanta est delectatio, quòd, teste Augustino, si possent mali, mallent esse in pœnis, & Deum videre, quàm esse extra pœnas & Deum non videre, illa enim facies delectabiliter mirabilis est, & plena gratiarum.

Ibidem

XI. Tanta in Deo est iucunditas & amabilitas, ut cognitus ab anima statim ipsam ad se trahat, eámque vehementer in se absorbeat, ad similitudinem magnetis, qui virtute sua fortiter ferrum ad se trahit.

S. Bonav. in solil.

XII. Triplex gaudium illos beatos Spiritus lætificat & delectat. Gaudent delectabiliter in perfecta & clarissima divinæ claritatis contemplatione; gaudent dulciter in melliflua & suavissima Divinæ bonitatis degustatione: gaudent sempiternaliter in tranquilla & securissima divinæ Maiestatis tentione.

S. Aug. in solil. c. 21.

XIII. S. Petrus unam stillam dulcedinis gustavit, & omnem aliam fastidivit dulcedinem, quid putas, dixisset, si magnam illam multitudinem dulcedinis Divinitatis gustâsset, quam abscondisti timentibus te.

S. Bonav. in solil.

XIV. Cur per multa vagaris quærendo bona creata? Ama unum, in quo sunt omnia; si delectat pulchritudo; *fulgebunt iusti sicut Sol*; si libertas, aut fortitudo: *Similes erunt Angelis Dei in cœlo*; si longa & salubris vita: *Est ibi sanitas æterna*; si satietas aut ebrietas: *Satiabuntur de gloria, & inebriabuntur de ubertate domûs Dei*, si melodia: *ibi cantant Angeli*; si societas & amicitia: *ibi est beatorum Societas, & una omnium voluntas*; si honores & divitiæ: *Gloria & divitiæ in domo eius*; si securitas & certitudo: *ibi omnium temporum æterna longitudo.*

S. Aug. in medit. c. 18.

XV. Si singula bona delectabilia sunt, cogita

gita mente; vide quàm delectabile sit illud bonum, quod continet iucunditatem omnium bonorum, & non qualem in rebus creatis sumus experti, sed tantò differentem, quantùm differt Creator à creatura.

Idem. XVI. Si bona est vita creata, quàm bona est vita creatrix? si iucunda est salus facta, quàm iucunda est salus, quæ fecit salutem? si multæ & magnæ delectationes sunt in rebus delectabilibus, qualis & quanta est in illo, qui fecit omnia delectabilia? O! qui hoc bono fruetur, quid illi erit, & quid illi non erit?

Dignitas.

S. Anselm. c. 66. de simil. XVII. Si Rex aliquis curatum suis regalibus ornamentis indutum sibi præsentari præciperet, ut in regno suo filius suus à cunctis haberetur, atque in nullo, quod imperaret, à quoquam contradiceretur, hæredum suum, filiíque sui cohæredem institueret, & eum suo nomine vocari vellet, nónne diceres hunc magnificè & inopinatè honoratum? Et certè Deus nobis hæc omnia faciet; nati enim de putredine carnis, replemur multis miseriis; vocatos nos nomine suo Deos faciet; ipse enim dicit: *Ego dixi, Dii estis, & filii excelsi omnes*, sed ipse Deus Deificans est, tu verò Deus Deificatus.

§. II.

EXEMPLA SACRA.

S. August. tr. de Beat. I. S. Augustinus dum die quadam tractatum de Beatitudine scriberet, ad horam Completorii in extasim raptus, suavissimam quandam vocem audivit; Cúmque cuiusnam hæc vox esset, inquisiisset; Respondit loquens: Ego sum Hieronymus amicus tuus, qui dum in hac vita etiamnum superstes esset, varia circa hanc materiam dubia contulit: Tunc S. Augustinus lætus ad hunc dixit: Utique ex quo in cœlis videntem omnia clarè & intuitivè intueris, omnes hactenus inter nos agitatas difficultates resolvere tibi, iam minimè arduum erit: Cui S. Hieronymus ait: ut uno verbo edicam, quod desideras, opus erit, ut mihi priùs ad sequentia interrogata respondeas; Putásne totam terræ rotunditatem in uno pugno claudere poteris? Aut universam maris aquam in parvo vasculo coërcere? si autem id impossibile esse iudices, longè impossibiliùs esse dico, quòd intellectus aliquis creatus illius gloriæ, quam Deus diligentibus se præparavit, minimam partem capere valeat; hísque dictis protinus disparuit.

Surius in vita S. Cæciliæ. II. In vita S. Cæciliæ refertur, quòd, cùm Martyrii ipsius ministri ipsam acriùs reprehenderent, quòd in flore ætatis pulcherrimo constituta, sponsalitii sui voluntates, divitias, cunctáque alia huius vitæ bona simul & semel perdere non dubitaret, ipsa voce libera responderit: Hoc est dare lutum, & accipere aurum; dare tabernaculum breve & miserabile, & magnam spatiosámque, & amplam domum accipere ex lapidibus pretiosis & auro ædificatam, dare angulum, tenebrosum locum, & accipere lucidum, margaritis cœlestibus resplendentem, dare lapidem miserabilem, quem pedibus conculcatis, & accipere lapidem pretiosum, qui resplendet in Regio diademate.

III. S. Fulgentius Romanæ Urbis magnificentiam demiratus, dixit: Quàm speciosa esse potest Civitas cœlestis, si ita fulget Romana terrestris? Et si in hoc sæculo tanti honoris dignitas diligentibus vanitatem, quænam præstabitur Sanctis diligentibus veritatem? *Mansi disc. V. n. 1.*

IV. S. Franciscus excessivâ quâdam melancholiâ oppressus, in lecto decumbens, rogavit fratrem Pacificum, ut Assisium abiens quendam sui Ordinis religiosum, qui perfectus citharædus erat, ad se accerseret, ad hoc ut ex citharæ sono modulato nonnihil sublevaretur. Cui frater Pacificus, multos exinde scandalizandos fore, respondit, ac proinde monuit, ut meliori usus consilio, ad Deum potiùs se toto corde converteret; sic enim futurum esse aiebat, ut pro molestæ illius tristitiæ mitigatione solatium aliquod perciperet. Cui consilio cùm Seraphicus Pater morem gerere vellet, contigit, ut dum Sanctus Vir Dei ad sublevamen istud implorandum, suam in Deum mentem elevaret, protinus Angelus quidam citharam artificioso plectro pulsans, coram viro Dei compareret, qui, dum vix primæ chordæ plectrum admovisset, Seraphicus Franciscus mox se tanto iubilo adeóque immensâ lætitiâ demulceri & perfundi sensit, ut eum ne secundam chordam tangeret, impensè rogârit, timens, ne præ nimia suavitate & infinita dulcedine, quâ interiùs afficiebatur, spiritum exhalaret; Unde ad infinitum hunc iubilum, quem in corde suo persentiscebat, temperandum, crucem quandam vicinam amplexatus Passionem Redemptoris nostri menti suæ vivacissimè impressit. *Ibidem disc. 9. n. 6.*

V. Dimidio ferè anno, priusquàm vitâ excederet Archiepiscopus Anno, visus est sibi domum quandam omni decore intus & foris resplendentem intrare. Et ecce in subselliis iudicialibus, tanquam ad concilium solenniter evocati residebant, Heribertus Coloniensis Archiepiscopus, Bardo Moguntinus Archiepiscopus, Boppo, & Eberhardus Trevirenses Archiepiscopi, Arnulphus Wormatiensis Episcopus, & alii quamplures Galliarum Episcopi, quorum alios in carne noverat, alios famâ tantùm, & lectione compererat, amicti omnes stolis Pontificalibus, & habentes vestem instar nivis candidam, ipse quoque admodum candidis ac pretiosis indutus sibi videbatur, sed partem candentis vestimenti, eam scilicet, quâ pectus tegebatur, sordida quædam ac fœda caligo obduxerat, ac cæterum cultûs eius splendorem suâ fœditate plurimùm obfuscabat, quam tamen ipse nimio rubore perfusus, obiectâ manu tegere ac celare, ne inspicientium offenderet obtutum, conabatur. Videt inter eos sibi quoque sedem miri decoris paratam. Quam cùm occupare gaudio & exultatione æstuans procuraret, surgens Arnulfus Wormatiensis Episcopus, modestâ voce eum prohibuit, dicens, reverendos Patres, qui assiderent, nolle *Davroit. c. 8. tit. 22. n. 5.*

eum

eum in suum admittere consessum, propterea quòd vestem eius turpis hæc macula fœdaret. Cúmque iussus loco cedere, flens, confectóque nimium animo egrederetur, insecutus eum idem Episcopus: Æquo animo, ait, esto Pater, maculam tantùm hanc, quæ vestem tuam infecit, maturiùs ablui præcipe, quia non post multos beatæ huius mansionis consortium, & Sanctorum Patrum, quos adspexisti, consessum voti compos percipies. Manè facto cùm familiari cuidam suo visionem retulisset, ille sapienter rem coniiciens: macula, inquit, hæc vesti tuæ illita, nihil aliud est, Pater, ut æstimo, quàm memoria iniuriæ civium tuorum, qui te anno superiore Coloniâ expulerunt, quibus te, Divinæ pietatis aspectu, iam olim oportuerat admissi huius veniam dedisse. Hæc, quod bonâ veniâ dixerim, pectori tuo tenacius, quàm æquum sit, insidens, & amarissimo mœrore contra fas mentem tuam decoquens, cæteram sanctissimæ tuæ conversationis claritatem molestâ quâdam caligine obducit, & obscurat. Archiepiscopus conscientiæ suæ testimonio convictus, ne inficiaretur, quod audiebat, reatum suum humiliter agnovit, statimque destinatis circumquaque nunciis, cives omnes Coloniæ, quos in ultionem iniuriæ suæ excommunicatos urbe fugaverat, ad se evocavit, eísque proximâ festivitate Paschali (nam in Quadragesima visionem viderat) non solùm communionem Ecclesiasticam, sed etiam bona sua omnia, quæ direpta fuerant, benignissimè restituit. Sic gravis illa tempestas, quæ spiritu diabolico suscitata totam concusserat Coloniam, conquievit, pater filios, filii patrem recognoverunt. Archiepiscopus amaritudine, populus metu & sollicitudine, civitas liberata est solitudine.

S. Gregor. l. 4 Dial. c. 26.

VI. In ea mortalitate, quæ Patritii Narsi temporibus hanc urbem vehementer afflixit, in domo Valeriani, Romanæ urbis Advocati, puer Armentarius fuit præcipuæ simplicitatis & humilitatis. Cùm verò eiusdem Advocati domus eâdem clade vastaretur, idem puer percussus est, & usque ad extremum deductus. Qui subitò sublatus à præsentibus rediit, sibíque Dominum suum fecit vocari, cui ait: Et ego in cœlo fui, & qui de hac domo morituri sunt, agnovi. Ille, atque ille morituri sunt, tu verò non timeas; quia hoc tempore moriturus non es; ut verò scias, quia me fuisse in cœlo verum fateor, ecce accepi illic, ut linguis omnium loquar. Nunquid non cognitum tibi fuit, Græcam linguam me omninò nescisse? & tamen Græcè loquor, ut cognoscas, an verum sit, quòd me omnes linguas accepisse testificor. Cui tunc Græcè Dominus suus locutus est, atque ille in eadem lingua respondit, ut cuncti, qui aderant, mirarentur. In eadem quoque domo prædicti Narsi Spatarius Ulgarus manebat, qui festinè ad ægrum deductus, ei Ulgaricâ linguâ locutus est, sed ita puer ille in Italia natus, & nutritus in eadem barbarâ locutione respondit, ac si eâdem fuisset gente generatus. Mirati sunt omnes, qui audiebant, atque ex duarum linguarum experimento, quas eum ante nescisse noverant, crediderunt de omnibus, quas probare minimè valebant. Tunc per biduum mors eius dilata est, sed die tertio (quo occulto iudicio, nescitur) manus & brachia lacertósque suos dentibus dilaniavit, atque ita à corpore exivit. Quo mortuo, omnes illi, quos prædixerat, ex hac protinus luce subtracti sunt, nullúsque in illa domo ex eadem tempestate defunctus est, qui voce illius denunciatus non est.

Belluac. l. 25. cap. 106.

VII. Anno Domini M. CIV. quidam Clericus de Vendopera, cùm studeret in scholis apud Lugdunum, vidit visione noctis vallem sub monte, super quem Civitas pulcherrima sita erat, cuius aspectus nimium delectabat intuentes, ita ut quisquis eam videret, de aspectu illius satiari non posset, & modis omnibus laboraret, quomodo ad eam pervenire valeret. Interea vidit fluvium quendam sub pede montis, quem dum circumiret, quærens, quomodo illum transmearet, vidit super ripam fluminis duodecim pauperes lavantes in flumine tunicas suas. Inter quos erat quidam veste candidissimâ indutus, aliis dissimilis, qui iuvabat alios in tunicarum suarum ablutione, qui postquam adiuverat unum, ibat postea adiuvare alium. Tunc Clericus, qui hoc videbat, accessit ad illum, qui alios iuvabat, & dixit: Quæ gens estis vos? qui ait: Isti pauperes, homines sunt pœnitentiam agentes, & se à peccatis suis lavantes, & ego Filius Dei Jesus Christus, sine cuius auxilio nec isti, nec alii possunt benefacere. Civitas hæc pulchra, quam vides, Paradisus est, ubi ego maneo, & quando quis tunicam suam laverit, id est, pœnitentiam egerit, in illam intrabit. Tu ipse satis diu quæsivisti viam, quâ itur ad illam, sed nulla alia via, quàm ista ducit ad eam. His dictis Clericus evigilavit è somno, & mirari cœpit de visione. Cúmque non multò post rediisset de schola in patriam, narravit Episcopo Cabilonensi visionem hanc: cui familiaris erat, quâ auditâ Episcopus suasit ei, ut seculum relinqueret, & religionem intraret, commendans ei super omnes Ordines novellum istum Ordinem Cisterciensem. Ille venit Cistercium, & invenit locum incultum & desertum, & fratres inter bestias conversantes. Ad portam verò Monasterii, quæ de vimine facta erat, pendebat malleus ferreus, cuius sonitu ad portam, portarius compellabatur ab intrare volentibus. Hoc verò sonitu portarius vocatus, venit ad eum foras, & inclinans se salutavit eum. Quem Clericus intuens, statim cognovit eundem vidisse inter eos, qui tunicas in flumine lavabant. Rogavítque eum, ut duceret ad Abbatem. Abbas igitur & totus Conventus venit ad eum, & recognovit Clericus omnes se vidisse tunicas suas in flumine lavantes. Statímque cecidit ad Abbatis pedes, rogans eum lacrymis, ut susciperetur, qui susceptus non multò post factus est Prior.

Io. Herolt in Promptuario l. G.

VIII. Contigit aliquando Fratrem Jordanum Generalem Prædicatorum, qui cuidam obsessæ; quæsivit à spiritu immundo, ubi foret

libentius? Respondit: In cœlo; & cùm scrutaretur causam, quare magis desideraret, esse in cœlo: Respondit, ut faciem Creatoris videret. Quæsivit Magister, quàm libenter videret, respondit Spiritus: Paulò ampliùs vidi, quàm ad ictum oculi, sed propter tamdiu denuò videre faciem Creatoris omnes pœnas, quas omnes dæmones sustinuerunt à die, quâ eiecti sunt de cœlo, & etiam quas sustinebunt usque ad diem iudicii, vellem sustinere. Quod audiens Magister expavit vehementer, ita ut non videretur in eo spiritus. Postea ad se reversus dixit spiritui. Optimè dixisti mihi, sed alicujus pulchritudinis comparationem dicas mihi ad pulchritudinem Dei. Et respondit spiritus nequam: stultè quæsivisti, quia non potest enarrari. Sed propter instantiam petitionis tuæ unum tibi narrabo, quod tamen frivolum est, & penitus nihil respectu veritatis. Considera, inquit, quòd si omnes pulchritudines omnium pulchritudinum terrarum sive cœlorum, atque gemmarum, vitri, auri, argenti, florum, atque omnium metallorum, & eorum omnium, quæ pulchritudine suâ visum delectant, redactæ essent in unum, & omnes stellæ ad solis similitudinem lucerent, & sol præ omnibus stellis iã prædictis, lucem haberet, & omnes illæ pulchræ stellæ, & sol radios suos iactarent in pulchritudinem unam: Scias hoc pro certò, quòd omnis illa pulchritudo humanam æstimationem excederet, & tam incomparabilis esset illa pulchritudo, ad pulchritudinem Creatoris, quam nox tenebrosa, est ad diem seu solem clarissimum. Væ ergo illis, qui separabuntur ab illa inæstimabili gloria.

Specul. Exempl. v. cæl. glor. exempl. 14. IX. Fuit quidam Monachus, qui legens in matutinis cum aliis fratribus: *Mille anni ante oculos tuos, tanquam dies hesterna, quæ præteriit*, miratus est nimis, quomodo illud esset possibile. Erat enim sanctus & devotus valdè. Post matutinas ergo mansit in choro in sua devotione, ut consueverat, & petivit sibi illum versum revelari à Deo, & incepit discere, & cùm staret, avis pulcherrima ante oculos eius, volavit & avolavit. Sequebatur eam, quia totus fuit intentus ad visionem eius. Tandem volavit extra Ecclesiam, tamen semper prope ipsum, ut posset videri, & ità propè, ut posset apprehendi. Tandem deduxit eum extra claustrum, & ulteriùs deduxit eum ad unum nemus, quod fuit ante claustrum magnum, & spatiosum valdè. Et ibi Monachum detinebat per dulcem melodiam per trecentos annos, nunc avolando, nunc appropinquando, quousque omnes Monachi dicti Monasterii essent defuncti. Et præ dulcedine cantûs dictæ avis non esurivit, nec sitivit, nec comedit, nec bibit, postea avis avolans monachum dimisit. Statim Monachus ad se reversus monasterium suum petiit, quia propè erat, putans se eàdem nocte post matutinas recessisse. Jam erat hora tertia, ut sibi videbatur, & se petivit intromitti. Dixit portarius quis esset. Qui dixit: sum Sacrista istius Monasterii, qui post matutinas egressus sum. Portarius putans eum delirum, non cognovit eum omninò, tamen requisivit ab eo nomina fratrum, scilicet Abbatis, Prioris, & Cellarii. Recitavit ergo nomina eorum, qui erant temporibus suis, & Portario omninò incogniti erant. Et admirans Monachus, quòd non intromitteret eum, & simularet, se nescire nomina fratrum, petivit, ut duceret eum ad Abbatem. Ductus autem ad Abbatem, nec ipse cognovit Abbatem, nec Abbas è converso eum. Et inquisivit Abbatem de prædecessore suo, & sic inventum fuit, quòd Abbas ille cum aliis, quos nominavit, ante trecentos annos esset defunctus. Tunc ostendit Abbati, & omnibus fratribus, quid Deus secum operatus est per tot annos in eremo per avem, & illum versiculum: *Mille anni &c.* & de gaudio Paradisi, & tunc ipsum in fratrem receperunt, qui statim sumptis Sacramentis Ecclesiasticis, dulciter obdormivit in Domino, & ad gaudia vitæ æternæ pervenit.

Utilitas Beatitudinis considerata.

X. Milites tres fidelitatem mutuò promiserunt, ut in quacunque necessitate se non delererent; erant in bellis & torneamentis strenui, & ad omnia mundi facta probi. Contigit tandem quadam die transisse sylvam omnes in silentio; cùm autem essent extra sylvam, unus eorum dixit: Miror, quare sic obmutuimus in transitu sylvæ huius; & dixit unus causam sui silentii esse hanc, quia videns amœnitatem sylvæ memor fui amœnitatis cœlestis, quam causam etiam cæteri confessi sunt. Quibus senior dixit: Credite, non sine causa hoc factum esse, sed nutu Dei, ut sicut hactenus mundo, ita nunc Deo serviamus. Quapropter consulo, ut claustrum ingrediamur, & eandem fidelitatem in Domino habeamus. Quod factum est. Et laudabiliter & strenuè per aliquod tempus illic vixerunt. Tandem duo iuniores cœperunt tepescere, & hoc invicem confessi sunt, & consolationem ad invicem quæsierunt. Venerunt ergo ad tertium de statu quærentes suo, & invenerunt eum Deo servientem, hilarem & devotum. Videns autem ille vultus eorum tristes, dixit: Ex multo otio & tædio, estis tristes & segnes, mihi autem totum tempus breve videtur, quia semper occupor. Illis autem mirantibus, quibus studiis, & occupationibus tempus impenderet, cùm, sicut ipsi, illiteratus esset, dixit: Tres literas tantùm inveni, quas docuit me Magister meus in ingressu meo, quas legens quotidiè, nullo unquam tædio afficior, sed præ desiderio legendi deficit mihi tempus. Una scripta est nigro colore, quæ significat peccata mea, quæ denigraverunt animam meam, & falsitatem & instabilitatem mundi, & pœnas inferni. Hanc lego à manè usque ad Missam. Secunda scripta est colore rubeo, quæ significat passionem Salvatoris nostri, qui multa pro nobis sustinuit. Hanc lego à Missa usque ad Nonam, quando emisit spiritum. Tertia scripta est aureis literis, hæc est amœnitas & multiplicitas gaudii cœlestis. Hanc lego *Ibidem ex. 11.*

lego usque ad Completorium, & sic expendo tempus meum sine tædio. Quo audito cæteri multùm accensi, profecerunt de cætero & ipsi.

Vita Prædicat part. 3. c. 2. XI. Cùm quidam Novitius laboraret in extremis in Conventu Argentinensi in Teutonica, & fratres recommendarent animam ipsius Creatori, ex insperato aperuit oculos suos, & ait: Audite, Fratres charissimi, mihi accidit, sicut alicuieunti ad forum, & parvo pretio magnas merces ementi. Ecce enim regnum accipio; & causas nescio meritorum, & hoc dicto requievit in pace.

Specul. Exempl. l. c. exempl. 6. XII. Quidam Iuvenis valdè nobilis, & delicatus venit ad Ordinem S. Francisci, qui indutus habitu Fratrum post aliquos dies, diabolo instigante, cœpit habere in tanta abominatione habitum, quem gerebat, quòd videbatur sibi portare saccum vilissimum, & propterea horrebat manicas, abominabatur caputium, & ipsam longitudinem tunicæ, & eius asperitatem tanquam importabilem æstimabat. Unde factum est, quòd crescente Religionis fastidio, deliberavit penitus reiicere habitum, & redire ad sæculum. Magister autem eius docuerat eum, quòd quando ante Altare Conventûs transiret, in quo servabatur Sanctissimum Christi Corpus, cum magna reverentia genibus flexis, & discooperto capite & cancellatis manibus, se devotissimè inclinaret. Dictus autem Iuvenis hoc semper sollicitè observavit. Accidit autem illa nocte, quâ deliberaverat dimittere habitum, & redire ad sæculum, quòd oportebat eum transire Altare, ubi, sicut consueverat, genuflexit, & statim fuit raptus in spiritu, & ostensa fuit sibi mirabilis visio. Vidit enim quasi multitudinem infinitam coram eo processionaliter transeuntem, omnes verò, qui in illa processione beatâ erant, bini incedebant, & erant vestiti in ornatissimis diasperis. Facies autem eorum & manus, & quidquid apparebat de corpore, sole splendidius radiabat: & ibant cum cantu, & iubilo Angelorum solemnissimè & dulcissimè decantando. Inter quos duo Nobiliores cæteris incedebant, tantâ claritate velati, quod mirandum stuporem inspicientibus ingerebant, & quasi circa finem processionis prædictæ vidit etiam quendam tantâ gloriâ decoratum, quòd videbatur quasi novus miles ab omnibus singulariter honorari. Dictus autem Iuvenis hoc videns mirabatur valdè, & nesciebat, quid hoc esset, nec interrogare transeuntes audebat, nec poterat, nimiâ dulcedine stupefactus. Sed cùm processio pertransisset, & ipse adhuc videns extremos, resumens audaciam cucurrit, & illos interrogans, dixit: O charissimi, rogo vos, quòd dicere placeat, qui sunt isti tam admirabiles, quos continet hæc veneranda processio? Illi verò convertentes ad eum splendidissimas facies dixerunt. Nos omnes sumus Fratres Minores, qui modò venimus de paradiso. Et ille rursum interrogans ait: Qui sunt illi duo, qui tam excellenter inter alios rutilant? Responderunt: Illi duo, cæteris clariores, sunt Beatus Franciscus & S. Antonius. Ille autem ultimus tantum honoratus, est quidam sanctus Frater noviter mortuus; quem (quia valenter contra tentationes pugnavit, & usque ad finem perseveravit in sancto proposito) ad gaudia æterni Regni cum gloria & triumpho perducimus, non solùm comitantibus Sanctis, sed etiam lætantibus Angelis. Ista verò vestimenta diasperi, quæ nos tam decora portamus, data sunt nobis propter asperas tunicas, quas in Religione patienter detulimus: & gloriæ claritas, quam tu vides, data est nobis à Deo propter humilem patientiam, quam fecimus, & propter sanctam paupertatem & obedientiam, & castitatem mundissimam, quam usque in finem hilari mente servavimus. Unde, fili, non sit tibi durum, saccum Religionis tam fructiferum deferre: quia si in sacco beati Francisci, amore Domini Dei nostri IESU Christi mundum spernendo, carnem mortificando, & contra diabolum dimicando, viriliter te habueris, nobiscum simili veste fulgebis. Et his dictis iuvenis ad se rediit, & confortatus ex ipsa visione, omnem tentationem abiecit: Culpam coram Gardiano & aliis Fratribus recognovit, asperitatem pœnitentiæ, & indumenti, ut divitias de cætero concupivit, & sic mutatus in melius, in sancta vita finivit.

XIII. Ingravescente vi persecutionis, Præses Martianus sanctum Iulianum post dira tormenta, & diversis pœnis afflictum, & vinculis ferreis per omne corpus oneratum, iussit sub voce præconis civitatem circumire, dicens: Hæc merentur Deorum rebelles, & Principum contemptores. Et cùm veniret ad locum, ubi Celsus unicus filius Præsidis studebat, ait puer ad condiscipulos suos: Rem inauditam video, illum scilicet Christianum, quem ducunt, cum multitudine albatorum colloquentem, & coronam super caput eius ex gemmis & auro, cuius fulgor excæcat huius aëris lucem, & alios tres viros albescentibus comis, alarúmque volatu in similitudinem aquilarum, super eum excubias celebrantes. Et hoc mihi videtur, quia dignum est tali Deo servire, qui suos sic tuetur, & tali decore circumdat. Hoc audientes discipuli, & Magister eius, blandè corripientes eum, ab intentione revocare conati sunt. At ille doctorum volumina abiiciens, etiam vestes, quas indutus erat, abiecit dicens: Nudum me mater fudit huic seculo, quod mundi est, mundo relinquo. Hæc dicens per plateas civitatis cursum arripuit, donec ubi sanctus Iulianus torquebatur, veniens, pedibus eius prostratus, ait: Te secundæ nativitatis, quam mihi Christus ostendit, patrem agnosco: Martianum verò genitorem meum, veritatis inimicum despicio. Tota autem civitas concurrebat, & filium Præsidis sic vulnera Martyris osculantem mirabatur. Si quis autem voluisset, ex præcepto Præsidis, puerum à Iuliani complexu avellere, statim manus eius & brachia contrahebantur. Præsentatis ergo eis Præsidi, ait Iuliano Præses: Spei meæ fructum magicis artibus auferre contendis, & ipsum parentum amorem negare compellis. Hoc eo dicente advenit, & mater cum multiplicata familia, crine soluto, &

Surius in vita to. 1.

nudatis uberibus clamans. Quod videns Præses clamavit incisis vestibus ad Iulianum: Iuliane crudelis, aspice dolorem patris & matris, & planctum tantæ familiæ, & à magicis artibus innocentem solve, & ego Imperatoribus suggeram, ut illæsus abscedas. Cui ille respondit: Suffragiis tuis opus non habeo, nec dimitti desidero. Ecce adest, qui à te natus, modò credendo mecum renatus est, ipse tibi & matri respondeat. Respondit puer: de spinis rosæ nascuntur, nec rosa nata de spinis, odorem suavissimum, nec frutex, qui rosas genuit, amittit aculeos suarum pœnarum. Ut ergo consuestis, pungite, & me odorem suavitatis credentibus propinare permittite. Vobis obediant, qui perire parati sunt; me imitentur, qui de tenebris ad lucem venire contendunt. Ego pro Christo vos parentes nego, & per vitam temporalem vitam æternam adquiro. Non possum in vos pius esse, & in me crudelis: Quid moraris? quasi incredulus & crudelis, non quasi Abraham, paternis manibus apprehende gladium, & victimam offer filium. Vani sunt vultus vestri, falsæ lacrymæ, ab hac confessione pietatis nemo me valebit disiungere. Mox ergo iubetur in tenebrosum carcerem vermibus scaturientem includi. Quem ingressus statim tenebræ vertuntur in lucem, & ebulliens pœna disparuit. Hoc videntes milites viginti conversi sunt.

Paucitas Salvandorum.

Hieronymus Platus l. 1. c. 5.

XIV. Quo tempore Bertoldus ex Franciscana Familia in Germania inter prædicandum Dei verbum acriùs in vitium invectus esset, mulier, quæ eo vitio tenebatur, pœnitentiæ ac contritionis vi in media concione mortua concidit. Verùm, cùm omnibus in preces procumbentibus, paulò post revixisset, narravit omnibus mortis causam, iussamque se ad corpus redire, ut peccatum illud confessione expiaret. Adiecit etiam tum alia multa, quæ viderat, tum illud inprimis horribile, & dictu etiam mirabile; Cùm ipsa ad Dei tribunal apparuisset, adducta simul esse sexaginta animorum millia, quæ in omnibus mundi partibus, fidelium & infidelium, variis casibus excesserant ex hac vita, atque ex his tres tantùm addictas purgatorio, reliquas omnes ad ignem æternum damnatas; unum autem ex Franciscanis Fratribus, eodem ipsum quoque temporis articulo defunctum, per purgatorii quidem locum transisse; sed tamen non modò ibi diutiùs non commoratum, verùm etiam par animarum, quæ præcipuâ cum eo amicitiâ coniunctæ fuerant, secum in cœlum abduxisse.

Io. Trithemius ad Annum 1160.

XV. Cùm D. Bernardus Abbas Clarevallensis ab hac vita migrâsset, quod contigit Anno Domini 1153. Indictione 1. 13. Calendar. Septembris, Anno ætatis suæ sexagesimo quarto, horrenda visio Lingonensi Episcopo facta est. Apparuit ei namque Eremita quidam mortuus, quem viventem olim noverat, qui Divino timore compunctus ante aliquot annos, cùm esset Decanus dives & nominatus, omnia contemnens, eremitorium pro Christi amore intravit. Quem cùm de statu suo, & divini Iudicii districtione interrogâsset, ille respondit: Eâ horâ, in qua ego de corpore migravi, triginta hominum millia ab hac luce transierunt. E quibus Bernardus Clarevallensis Abbas, qui eâdem horâ obiit, unà mecum ad cœlos evolavit; tres alii ad purgatorium missi sunt; cæteri omnes per sententiam iusti Iudicis condemnati, ad infernum perpetuò cruciandi descenderunt.

§. III.

SIMILITUDINES.

Qualitas.

I. Sicut in corpore humano, vel pes loco, aut officio manûs, vel manus pedis fungi non exoptat, aut os vel nasus, ubi oculi sunt, aut oculi ubi os & nasus, relictis sedibus non cupiunt transferri; aut, si transferrentur, convenienter & sine iniuria, non id paterentur; eodem modo in illa admirabili & glorificata dispositione, & æquè disposita glorificatione beatæ civitatis Dei, ita quisque quod adeptus fuerit, amabit, ut statum suum potiori gradu immutari non velit: Quare? quia cuique satis erit sua felicitas, & beatitudo sibi pro meritis suis misericorditer impertita. *S. Anselmus l. de similit. c. 64.*

II. Sicut oculus unus verti non potest, quò non vertatur & alius, sed in eandem partem semper volvuntur; sic etiam corpus & anima, vel societas illa iustorum, nihil poterunt velle diversum, sed eandem semper voluntatem habebunt. *Idem c. 62.*

Utilitas.

III. Sicut stilla aquæ modica, multo infusa vino puro, à se deficere tota videtur, & saporem vini induit, & colorem; & quomodo ferrum candens ignitum, simillimum igni fit, pristinâ, propriáque formâ exutum; Et quomodo solis luce aër perfusus, in eandem transformatur luminis claritatem, adeò ut non tam illuminatus quàm ipsum lumen esse videatur: Sic omnem tunc in sanctis humanam affectionem, quodam ineffabili modo necesse erit à semetipsa liquefacere, atque in Dei penitus transfundi voluntatem. *S. Bernard. de diligendo Deo.*

IV. Sicut mercenarius agricola omnibus aëris iniuriis expositus arat, oecat, fodit, sudat, & laborat, nec eum toto die hosce labores continuare piget, quia ad mercedem, quam ex diurno labore sibi comparat, cor & animum suum directum habet; sic electi quique dum mundi huius adversa patiuntur, cùm inhonestates contumelias, rerum damna, cruciatus corporis tolerant, esse gravia, quibus exercentur, pensant; sed cùm mentis oculum ad æternæ patriæ considerationem tendunt, ex comparatione præmii, quàm sit leve, quod patiuntur, inveniunt. *S. Greg. l. 8. mor. c. 5.*

Dignitas.

V. Sicut is, qui indubitatum ius habet, ut in Regno aliquo succedat, Rex communiter vocari solet; tametsi sceptrum Regni illius actua- *Mansi disc. 1. n. 14.*

Digitized by Google

ctualiter non moderetur; ita quoque dici posse videtur, quòd is, qui gratiam Dei in anima sua possidet, quæ pignus quoddam & semen est gloriæ, Regnum quoque Dei intrà se habeat.

Perpetuitas.

Idem disc. 16. n. 12.

VI. Sicut corallus, licèt arbusculum tenue & flexile sit, mox tamen, ubi ex aqua extrahitur, solidatur, & indurescit, nec ampliùs flecti se patitur, colorem quoque suum pallidiusculum in rubicundum mutat; eodem modo nos, quamdiu in mari huius mundi constituti sumus, continuis lapsibus, iisque periculosis subiicimur, continuam contra nosmetipsos luctam experimur: & prævaricari facilè possumus. At verò ex huius maris undis extracti, & in aliam vitam translati, in amore Dei solidi, & constantes efficimur, atque in beatitudine immutabilem quendam statum nobis comparamus. Unde S. Bonaventura ait: De huius regni, & convivii æternitate dicit Augustinus: O vita vitalis, dulcis & amabilis, ubi summa securitas, secura tranquillitas, tranquilla iucunditas, iucunda felicitas, felix æternitas, æterna beatitudo, & beata vita sine fine.

§. IV.

MOTIVA.

Jerem. c. 17.

I. Quia in cœlis sunt meri Reges, uti Jeremias Propheta indicavit, dicens: *ingredientur per portas Civitatis huius Reges & Principes sedentes super solium*; Quàm nobilis Societas, inquit ibi Doctor Seraphicus, quàm gloriosa civitas illa esset, in qua nullus omninò nisi Principes & Reges habitarent; Si in civitate aliqua, duos civium Milliones numerante, neminem videres alium, quàm Principes, Reges, Papas, qualis in tali Regnorum & Monarchiarum Metropoli nobilitas & magnificentia reluceret! Pergit autem idem S. Bonaventura de Regno Cœlorum ulteriùs dicere: Reges utique sunt, qui de manu supremi Imperatoris coronam Regni accipiunt.

S. Anselm. de similit. c. 53.

II. *Quia voluntas beatorum semper impletur*; sicut enim Angelis nihil obsistit, nec aliquid eos impedire potest, nec constringere, quin pro velle suo cuncta penetrent liberrimè; ita non erit aliquod obstaculum, quod nos retardet; nulla clausula, quæ nobis ullatenus obstet; non elementum, quod nobis ad velle nostrum promptum omninò non extet. Quod confirmans Angelicus Doctor ibi ait, voluntas cuiusque semper & ubique complebitur, iuxta illud S. Augustini: Omnipotentes erunt voluntatis suæ, sicut Deus suæ.

S. Thom. Opusc. 63. c. 4.

Ibidem.

III. *Quia* ut idem S. Doctor testatur, *ubi nullus alteri subjicitur, ibi cessabit omnis prælatio*, sed soli Deo omnes subiecti sunt.

S. Vincen. Ferrer. ser. 1 in Dom. in Albis.

IV. *Quia ibi omnes pulchritudine summâ sunt præditi*; Nam S. Vincentius Ferrerius corpus aliquod gloriosum septies sole luminosius futurum scribit, unde id ipsum arguit, quòd si Deus ad mundum illuminandum glorioso aliquo corpore, loco solis uteretur, hoc maiori lumine mundum perfunderet, quàm quo sole illustratur. Quod confirmans S. Augustinus, huius corporis claritas, inquit, tantùm solem excedit, quantùm sol nostrum corpus in claritate præcellit. Si ergo unicus tantùm sol in cœlo suo constitutus omnes homines, animalia & plantas lætificat, vitam & calorem omnibus viventibus subministrat, tótque alios admirandos hîc in terra, quæ vallis est lacrymarum, effectus producit, quale gaudium, qualis lux & claritas in cœlo empyreo ex tot innumerabilium animarum beatarum, & gloriosorum corporum consortio coruscabit, ubi hæc velut totidem soles luminosa erunt, suósque radios in illam civitatem Dei ex auro instar crystalli corusco stratam, tótque inæstimabilibus & splendentibus gemmis locupletatam effundet?

S. August. to. 9. tr. 5. c. 47.

V. *Quia omnes beati impassibiles erunt*, quæ impassibilitas resultabit ex virtute animæ suum corpus potenter retinentis, ita quòd à nullo exteriori agente immutari valebit. Unde in Apocalypsi dicitur: *Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis sanctorum; etiam non erit ampliùs neque clamor, sed nec ullus dolor.* Ibi lætitia ut S. Augustinus notat, sine tristitia, salus sine dolore, via sine labore, lux sine tenebris, vita sine morte, bonum sine omni malo. Ubi iuventus nunquam senescit, ubi vita terminum nescit, ubi decor nunquam pallescit, ubi amor nunquam tepescit, ubi sanitas nunquam marcescit, ubi gaudium nunquam decrescit.

Apocal. c. 7.

S. Aug. in solil. c. 35

VI. *Quia summè agiles erunt iidem Beati*; nam teste S. Bernardo tanta credenda est futura corporum levitas, & agilitas Beatorum, ut possint, si velint, absque omni mora seu difficultate ipsam quoque cogitationum nostrarum sequi ad omnia velocitatem. Huius autem velocitatis exemplum in radio solis licet intueri, qui statim orto sole in plaga Orientali, pertingit usque ad ultimum plagæ Occidentalis, ut eo perpendamus non esse impossibile, quod de nostra dicimus futurâ celeritate, præsertim cùm rebus animatis soleat inesse maior velocitas, quàm inanimatis.

S. Bern. ser. 4 in Fest. Omn. SS.

S. Anselm. de similit. c. 51.

VII. *Quia summa intra Beatos unio & concordia erit*; nam ut S. Laurentius Justinianus notat, tanta vis in illa cœlesti pace nos sociat, ut quod in se quisque non accipit, hoc se accepisse in altero exultet; Una cunctis erit Beatitudo lætitiæ, quamvis non una sit omnibus sublimitas vitæ. Et confirmans id ipsum S. Anselmus, ibi inquit, erit tam perfecta & beata charitas iustorum, quòd unusquisque in tantùm diligit proximum suum, quantùm se ipsum, ex quo illud inæstimabile sequetur bonum, quòd ita unusquisque de alterius bono, vel gaudio gaudebit, sicut de merito proprio, proinde cùm inenarrabilis sit numerus Electorum, quis putas, narrare sufficiat gaudium Beatorum. Ibi virgo gaudebit de sanctæ viduitatis merito: Ibi vidua exultabit de castæ virginitatis privilegio; ibi Confessor de Martyris iucundabitur triumpho;

S. Laur. Iust. de ligno vitæ c. 7.

S. Anselm. l. c. 59.

pho; Ibi Martyr tripudiabit de Confessorum bravio; ibi Propheta lætabitur de Patriarcharum pia conversatione; ibi Patriarcha exultabit de Prophetarum fide; ibi Apostoli & Angeli gaudebunt de merito omnium inferiorum; ibi omnes inferiores lætabuntur de gloria & corona superiorum. Omnibus erit una voluntas, ut S. Anselmus ait, quasi nulla esset iis, nisi Dei voluntas; ideo erit omnibus plena concordia, & ideò sicut volent illi non aliud, quàm quod ille, ita volet, quidquid volent illi, & ideo Filii Dei, & Dii vocabuntur, cuius rationem genuinam reddens S. Augustinus, hæreditas, inquit, in qua cohæredes Christi sumus, non multitudine minuitur filiorum, nec fit angustior numerositate cohæredum, sed tanta est multis, quanta paucis, tanta singulis, quanta omnibus.

S. Anselm. de similit. c.71. VIII. *Quia iucundissima erit in cœlis Societas,* ut iterum S. Anselmus notavit, dicens: Ad cumulum beatitudinis suæ aliud habebit, unde magis possit gaudere, quia enim quisque sicut se, alterum amabit, patet, quia sic de illius felicitate, ut de sua gaudebit. O quot igitur, & quanta gaudia quisque obtinebit, qui de tot tantisque beatitudinibus Sanctorum iubilabit? Quòd si tantùm de aliis, quos ut se diliget, gaudebit, quantùm de Deo, quem supra se diligit, exultabit? Gaudium ei erit intus & extra, gaudium sursum & deorsum, ubique gaudium plenum.

S. August. Medit. c.10. IX. *Quia ibidem erit perfecta perpetuitas omnium gaudiorum*, teste S. Augustino dicente: Quæ dat (Deus) in præsenti, temporalia sunt, quæ autem in futuro sæculo se promittit suis daturum, æterna sunt. Temporalia bona difficilè acquiruntur & acquisita facilè dilabuntur, & quæ habita sunt, cum gravi sollicitudine custodiuntur, & cum dolore amittuntur, & amissa cum gravi labore recuperantur: Futuri autem sæculi bona nunquam amittuntur, cum gaudio & quiete possidentur, cùm semel quis acceperit, ita securus erit, se ea nunquam amissurum, sicut certus est, vel erit, se nunquam velle amittere. Cui consentiens S. Bonaventura, *S. Bonav. in solil.* cuius cursus, ait, sine termino, usus sine fastidio, refectio sine cibo, sub antiquis perpetuísque gaudiis semper nova iucunditas, & sine timore amittendi continuata felicitas.

S. Aug. ser. 37. de Sanctis. X. *Quia brevis labor exigitur ad beatitudinem obtinendam*, nam ut S. Augustinus notavit, Dei ineffabilis & immensa bonitas, inquit, etiam hoc providit, ut laboris quidem tempus, & agonis non extenderet, nec longum faceret, aut æternnm, sed breve, & ut ita dicam momentaneum. Et alibi, qualis misericordia Dei? *Idem in Ps. 93.* non dicit: decies centena millia annorum labora; non dicit: vel mille annos labora, cùm vivis, labora in paucis annis, indè iam requies erit, & finem non habebit: Momentaneum hoc &c. Ecce quantum pretium damus, quodammodo unam siliquam ad accipiendos thesauros sempiternos.

S. Thom. Villan. Conc. Quinquag. XI. *Quia facilis est via perveniendi ad beatitudinem*; non enim exigitur, ait S. Thoma Villanov. hodie à te, O Christiane, mors, non sanguis, non supplicia; ama, & regna; quid faciliùs, quàm amare? O quàm constrata est via, & quàm plana! ut diligendo pervenias, quò pervenit Laurentius patiendo, cuius rationem assignans Paulus de Palatio, non pigeat, ait, audire causam, cur Dominus solam charitatem & misericordiam delegit, cui possessionem regni tribueret; causa est, quia nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo; at sola charitas deduxit Christum ad nos, igitur solà charitas efferet nos ad Christum.

§. V.

MEDIA

Ad Beatitudinem obtinendam.

I. Desiderium ardens, uti S. Eusebius monet: *Petite, & accipietis, quærite, & invenietis! pulsate & aperietur vobis*, id est, ut petamus orando, quæramus laborando, pulsemus desiderando, pulsemus proficiendo, pulsemus perseverando, & in spem cœlestium promissorum tanto incitemur studio, tantóque inardescamus affectu, ut cum præmiorum dignitate desideriorum magnitudo concordet. *S. Euseb. Emissenus inc.11. Luc. v.9.* Certè quantopere Deus à nobis hoc desiderium requirat, testatur S. Vincentius, dum narrat, *S. Vincent. Ferrer. in Fest. Omn. SS.* quòd, cum quidam eximius Dei servus, qui cum magna sanctitatis opinione semper vixerat, ad alteram vitam moriendo transisset, vehemens quendam suorum amicorum incesserit desiderium sciendi, an anima eius rectà evolâsset ad cœlum, cúmque super hoc Dei responsum sibi revelari ardenter petiisset, anima dicti servi igne circumdata ei apparuit, & terrefacto ex hac apparitione amico suo dixit, se in purgatorio ad aliquod tempus condemnatam hærere, eò quòd in vita sua cœli gloriam eo, quo par erat, ardenti desiderio non quæsisset, aut desideràsset.

II. *Charitas seu dilectio Dei*; uti S. Apostolus indicavit, dicens; *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ preparavit Deus.* *1. Cor. c. 2. v. 9.* Sed quibus? *iis, qui diligunt illum*, adeò ut S. Thomas firmiter hanc statuat conclusionem: Qui plus diligit, maiorem locum habebit.

II. *Patientia constans*, iuxta Christi testimonium: *Nónne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* *Luc. c. 24.* Et illud Actuum Apostolorum: *Per multas tribulationes oportet nos intrare in Regnum Dei.* *Act. c. 14.* Hinc S. Bernardinus quoque ait, Deum ante Paradisum constituisse Angelum cum flammeo gladio, ut significaret, *S. Bernardinus Dom. 5. post. Epip.* quòd nullus possit intrare in Regnum Dei, nisi transeat per flammeum gladium, atque versatilem, qui positus est ad custodiam ligni vitæ; sed hoc nullus potest facere, nisi per patientiam in tribulatione, gladius enim flammeus atque versatilis tribulatio est, affligens animam & corpus. Cuius ulteriorem reddit rationem Jos. Mansi sic discurrens: *Mansi disc. 23. n. 2.* Trita iure regula est; quòd hæres possessionis alicuius, maius in illam ius habere nequeat, quàm testator habuerit?

buerit; Ac proinde cùm Christus Discipulis suis, ac consequenter nobis omnibus, sub iisdem oneribus & obligationibus regnum suum relinquat, quibuscum ipse illud ab æterno Patre suo accepit, consequens est, quòd si in supernæ illius hæreditatis possessionem subingredi volumus, onera quoque & obligationes illius adimplere necessariò debeamus. Unde Caietanus verba illa: *Dispono vobis &c.* ita explicat: Similes mihi dispono vos futuros in Regno, qui perseverâstis mecum in afflictionibus. Prius enim Apostolus dixit: *vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis*; & postea subdit: *Et ego dispono vobis Regnum.*

Didac. Nyssenus §. 10. Dom. 1. post Epip.

IV. *Pœnitentia seria*; hinc B. Virgo olim ad Christum dixit: *Dolentes quærebamus te*: ut nos doceret, ut siquidem invenire eundem in templo gloriæ volumus, ubi in medio Angelorum, & aliorum cœlicolarum positus omnes suo aspectu beatos efficit, ad eum modum, quo Maria & Joseph, quæramus illum dolentes cum luctu & lacrymis, per opera pœnitentiæ, & tolerantiam adversitatum. Qui enim Deum gloriosum aliter quærunt, illi spe suâ frustrabuntur, & non invenient. Non incommoda quoque huc veniet quædam melliflui Doctoris observatio: Sponsum invitabat sponsus, ut sursum erectis cogitationibus, relictisq; rebus hisce terrenis aspiraret ad vitæ futuræ quietem, útque alacrem illam redderet, aiebat: *Surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni*; Cant. 2. 10. *Vide simul, quàm vernet patria nostra floribus, quàm flagret rosis: flores apparuerunt in terra nostra.* S. Bernardinus in horum expositione ait: In eodem Cantico evidenter expressum est, quòd florum apparitio turturis comitetur auditum. Sed quid mysterii habet apparitio florum coniuncta cum auditione turturis? Flores Symbolum gloriæ sunt, turtures typus pœnitentiæ, & animi ex recordatione malè actæ vitæ mœsti, ac tristis, quod S. Gregorius Magnus, Pierius Ricciardus, Lauretus & alii affirmant. Et rectè hominem pœnitentem scelerum suorum, & illachrymantem peccatis hæc avis designat, quæ pro cantu gemit, & querulas dat voces. Quòd ergo Sponsus fragrantes flores, quibus gloria significatur, cum gemebundis turturibus, pœnitentiæ symbolis, coniungit, tantundem est, ac si dixisset, separari horum aliud ab alio non posse, sed necessum esse, ut per amaritudinem pœnitentiæ, per acerbitatem luctus, ac suspiriorum transeat, qui ad amœnitatem æternùm vernantis, ac florentis gloriæ anhelat, nec enim coronabitur, nisi qui legitimè certaverit.

S. Bern. in c. 2. cant.

S. Bernardinus ser. de paupert. in proœmio.

V. *Contemptus Mundi*, uti S. Bernardinus per aptum Apologum ostendit, dum ait: Patrem quendam fuisse, qui duas habebat filias, aliam facie valdè decoram, turpem verò valdéque deformem alteram, quarum primam quidem singuli procabantur; aliam verò nemo non abominabatur, qua de re cùm hæc apud patrem querulâ voce lamentaretur, pater, ut eam consolaretur, bono eandem animo esse iussit, subdens, quòd primæ nullam assignâsset dotem, ipsi verò, id est, deformi omnes suas facultates fecisset dotales, tametsi hæ regnum facilè adæquarent. Móxque prædictum Apologum in sensu morali explicans, per patrem Deum intelligit, per filiam verò apparentet speciosam, prosperitatem mundanam, per deformem verò paupertatem exponit; Hanc turpem filiam qui acceperit in uxorem, promittit ei Deus Regnum suum, dicens: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum Cœlorum.* Quantò autem facilius est unicuique, paupertatem profiteri, quàm divitem esse.

VI. *Misericordia erga miseros*; uti S. Laurentius Justinianus indicavit dicens: Venalis est beatitudo cœlestis, & tanti valet, quantùm quis potest expendere. Hanc per egenorum susceptionem sibi vendicavit Abraham; Job per miserorum compassionem; Tobias per defunctorum exequias, Zachæus per distributionem dimidii bonorum suorum, vidua duobus minutis, alii verò pro calice aquæ frigidæ. Quod ipsum etiam S. Chrysostomus confirmavit in persona Dei sic loquens: Pretium non appono, ne obiicias inopiam, quanti potes, tanti eme; habes obolum, eme cœlum. Non habes obolum, da calicem frigidæ aquæ, da panem, & accipe Paradisum. Unde S. Augustinus, quid potentius, ait, quàm ut regnum Cœlorum non solùm Zachæus emat dimidio rerum suarum, sed & vidua duobus minutis, & tantundem ibi uterque possideant? Quid potentius; quàm ut idem regnum & thesauris diviti, & calice aquæ frigidæ pauperi valeat?

S. Laur. Iust l. 2. spir. ann.

S. Chrysost. hom. 37. ad pop.

S. Aug. in Psalm. 112.

VII. *Consideratio seria cœlestium gaudiorum*. Nam ut S. Gregorius notavit, si semel quisque ad æterna se erigat, atque in his, quæ incommutabiliter permanent, oculum cordis figat, propè nihil esse hoc conspicit, quicquid ad finem currit. Imò teste S. Thomâ Villanovâ: momentum tibi erit vita præsens, si oculum dirigas ad æternum præmium, transit citò, quod cruciat, permanet in æternum, quod coronat. Et quò altiùs in æternorum, civium visione quispiam suspenditur, eò & sibi fortior, & aliis utilior invenitur, ait iterum S. Gregorius.

S. Gregor. l. 10. moral. c. 19.

S. Thom. Villan. in conc. funeb.

S. Greg. in lib. 1. Reg. c. 9.

§. VI.
ASCETICA.

I. Imprimis nôsse debet Asceta, *duplicem Beatis coronam esse præparatam, scilicet auream & aureolam.* Aurea dicitur præmium substantiale, quod consistit in tribus, scilicet in visione Dei clarissima, in fruitione suavissima, & in recreatione securissima, de qua dicitur: *Corona aurea supra mitram eius*, quæ est ornatus Pontificum, quia omnes Sancti non solùm erunt Reges omnipotentes voluntatis suæ, sed etiam erunt Sacerdotes & Pontifices, offerentes Deo semper sacrificium laudis; & ideo dicitur: *Fecisti nos Deo nostro Regnum & Sacerdotes.* Alia corona dicitur aureola, id est, coronula parva; redditque coronæ huius rationem dicendo, quòd sit gloria quædam specialis accidentalis, quæ Sanctis quibusdam propter excellentiora quædam opera communicatur: Datur tribus generi-

S. Bonav. in Diat. sal. l. 10. c. 2.

generibus operum; *Virginibus*, & hæc est *florea*; *Martyribus*, & hæc est *gemmea*; *Doctoribus* & hæc est *stellata*.

S. Anton. de Padua apud Mansi dis. 17. n. 5.

II. Nôsse debet, *in quibus consistat beatitudo*, quæ distinctè insinuat S. Antonius Paduanus, dum ait: Primum gaudium à dextris est de iucunda Angelorum societate, quando inter Sanctos tanta erit claritas, ut gaudium singulorum sit omnium commune. Neque enim anima glorificata solùm in gaudium Domini sui intrabit: *Intra in gaudium Domini tui*; verùm etiam in gaudia ingredietur omnium beatorum, cunctorúmque Angelorum in genere, & in specie. Secundò, de beatudine & stola propria animæ, quando lætitia sempiterna erit super caput eorum, & gaudium & lætitiam obtinebunt. Isaiæ 58. *implebit splendoribus animam tuam.* Tertium, de Resurrectionis exspectatione, quando in terra sua duplicia possidebunt. Quartum, de admirabili Christi hominis fraternitate, quando carnem illam gloriosam oculo ad oculum videbimus, quando poterimus eum vocare fratrem, & dicere os meum, & caro mea. Adducítque Authoritatem S. Bernardi dicentis: Plenum prorsus omnis suavitatis dulcedine, hominem videre hominis Conditorem, hoc gaudium speciale præ Angelis habebimus. Quintum, de manifesta Trinitatis cognitione. Sextum, de horum omnium æterna & secura possessione: *Gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* Apocal. 3. *Foras non egredietur ampliùs.*

S. Bernardinus to. 3. ser. 49. c. ult.

III. Nôsse debet, *cur Beatitudo à Christo gaudium plenum dicatur*, nimirum propter tria. Primò, quia adimplebit totum animi appetitum, de quo Propheta ait: *Adimplebit me lætitiâ cum vultu suo.* Secundò, quia consistit in visione, fruitione, & possessione plenissimi & consummati boni, quod est Deus trinus & unus. De quo immenso & infinito bono intelligendum esse dicit Textum illum Exodi cap. 33. *Ego ostendam tibi omne bonum.* Tertiò quia tale & tantum gaudium omninò inamissibile est. Unde S. Joan. 16. dicit discipulis suis: *Et gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* S. Bonaventura per 12. fructus explicat horum gaudiorum plenitudinem; quorum primus est, sanitas absque infirmitate. Secundus, iuventus sine senectute, Tertius, satietas sine fastidio. Quartus, libertas sine servitute. Quintus, pulchritudo sine deformitate. Sextus, impassibilitas, vel immortalitas. Septimus, abundantia sine indigentia. Octavus, pax sine perturbatione. Nonus, securitas absque timore. Decimus, cognitio absque ignorantia. Undecimus, gloria sine ignominia. Duodecimus, gaudium sine tristitia. S. Bernardus per similitudinem coronæ duodecim stellarum, eandem plenitudinem demonstrat; quarum prima est, memoria sine oblivione: secunda, ratio sine omni errore: Tertia, voluntas sine omni perturbatione. Quarta, impossibilitas moriendi, quia resurget corpus incorruptibile. Quinta, claritas, quia configuramur claritati Christi corporaliter. Sexta, agilitas, ut corpus sit agile secundùm agilitatem mentis. Septima est subtilitas, ut corpus nostrum penetret omnia corpora. Octava est, ut quilibet diligat alterum, sicut seipsum. Nona est, videre, quòd proximus quilibet diligit ipsum sicut se ipsum. Decima est, DEUM perfectè diligere, & plus quàm se ipsum. Undecima est, diligere seipsum tantummodò propter Deum. Duodecima est, videre Deum se diligentem, plus quàm homo ille diligat se ipsum.

S. Bonav. h. e. c. 4.

S. Bernardus ibidem

S. Ambros. in c. 6. Exodi.

IV. Nôsse debet, *quibus mediis oporteat obtinere beatitudinem*, de quibus sic discurrit Mansi: S. Ambrosius in ea est opinione, quòd, quando se Deus Moysi in spineto, sive rubo spinoso videndum exhibuit, mysterium incarnationis nobis, licèt à longè, præfigurare voluerit: Per rubum, Christum intelligendum existimo, secundùm quod homo est; flamma verò ibi, eius Divinitatem figuravit. Quô supposito, quærendum venit, cur DEUS non potiùs in alia quadam arbore, vel planta nobiliori, v. g. Platano, cedro, vel alia simili apparere voluerit? cur videri voluit intra densum quoddam dumetum, spinis & sentibus undique obseptum? Cur non potiùs se rosas inter & flores conspiciendum exhibuit? Ipse quidem lilio comparatur; *sicut lilium*: sed inter spinas constituto. Unde Seraphicus Doctor ait: volue & revolue vitam boni IESU, & non invenies eum nisi in cruce, ex quo enim carnem assumpsit, semper in pœna fuit. A primo instanti, quo filius Dei hac se mortalitate nostrâ vestivit, nusquam illum alibi, quàm inter spinas inveniemus. Unde & S. Eusebius ait: Omnes Sancti, quanta passi sunt tormenta! Ecce per totum mundum in Sanctis Apostolis atque Martyribus felicitati adversitas viam fecit, saluti perditio militavit, & ostium dum vitæ claudit, gloriæ patefecit.

S. Euseb. hom. de SS. Elph. & Alexandro.

Mansi disc. 24. n. 4.

V. Nôsse debet *cur Deus per tribulationes voluerit beatitudinem obtineri*; de qua quæstione sic Mansi discurrit: Lactantius Firmianus optimè considerat, quòd, licèt Deus adeò se erga hominem benignum, & propitium exhibuerit, ut in eum ad imaginem, & similitudinem suam à se creatum, pretiosissimos quosque cœli thesauros infuderit; ex altera tamen parte corpus illi dederit corruptibile, millenísque miseriis & ærumnis subiectum; sed quonam fine id eum fecisse existimas? Ut proponeret homini virtutem, id est, tolerantiam malorum; sed quâ utilitate id fecit? Per quam possit gloriam immortalem adipisci, ne immortalitas homini sine ulla difficultate constaret; Et quidem horum ultimorum verborum Eusebius Emissenus rationem assignat, dicens: Non vult Deus bona sua nimiâ inveniendi facilitate vilescere, pretiosa & concupiscibilis merces cupidum amatorem, & avidum negotiatorem requirit. Quid avari continuò laborando non sustinent, ut opulentas sibi facultates congregare valeant? Et cœlum nobis acquirere volemus quietè & suaviter dormiendo?

§. VII.

§. VII.

MISCELLANEA ET CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Qualitas.

Idem disc. 2. n. 15. I. FUerunt nonnulli, qui ad cœlestem gloriam adumbrandam Emblemate usi sunt, cuius corpus erat cœlum quoddam, stellis, sole, Lunâ, aliisque omnibus elegantissimis & pretiosissimis ornamentis mirè adornatum; anima autem dicti Emblematis hac epigraphe exprimebatur: *Pulchriora latent*; Idem quoque nos in præsenti dicere possumus; postquam enim de cœlesti gloria multùm speculati sumus; postquam de ea scripsimus, legimus, diximus, quicquid de ea à nobis scribi, legi aut dici potuit; imò postquam imaginationi, & desiderio nostro, omne quidvis bonum, pulchrum, iucundum & appetibile, quod excogitari potest, imaginandi & desiderandi libertatem indulsimus, tandem liberè dicere possumus & debemus, quòd longè plura, nobiliora, & præstantiora in cœlis visuri & possessuri simus, siquidem *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit &c.*

S. Bonav. ser. 5. de Resur. II. S. Bonaventura explicans illa verba: *Tunc iusti fulgebunt sicut Sol*. In hoc planeta quatuor corporum gloriosorum dotes considerat, dicens: In splendore significatur dos claritatis: In perpetuitate solis, dos impassibilitatis; in virtute solis activa (sol enim penetrat integrum vitrum) dos subtilitatis; in celeritate solis, dos agilitatis, sole celeriores erunt Sancti.

S. Bernardinus to. 1. ser. 63. a. 1. c. 1. III. S. Bernardinus quatuor hasce dotes enumerat, illúmque Sapientiæ textum: *Fulgebunt iusti, & tanquàm scintillæ in arundineto discurrent*, adducens, ita scribit: Primò in fulgore designatur claritas: Secundò impassibilitas denotatur in igne: Terriò in subtilitate scintillæ subtilitas indicatur: Quartò in discursu potest agilitas designari.

S. Thom. in c. 25. Matt. IV. Angelicus Doctor dubium movet, cur increata & incarnata Sapientia potiùs dixerit: *Intra in gaudium Domini tui*, quàm, accipe gaudium; cui hac adhibitâ distinctione respondet: Quod est in aliquo, continetur ab illo, & continens maius est; quando ergo gaudium est de aliquo, quod minus est, quàm cor tuum, tunc gaudium intrat in cor tuum: Sed DEUS maior est corde, ideo qui gaudet de DEO, intrat in gaudium. Caietanus tamen aptiùs ad propositum loquitur, dum ad gaudiorum cœlestium æternæ Beatitudinis immensitatem sese reflectens, inquit: Tam magnum est gaudium cœlestis patriæ de DEO, ut non possit concludi in homine, & ideo homo intrat in gaudium illud incomprehensibile, & non intrat gaudium illud in hominem, velut comprehensum ab homine.

Mansi disc. 7. n. 10. V. Accessit quondam ad Salvatorem mater sanctorum Iacobi & Ioannis, & suppliciter eum rogavit: *dic, ut sedeant hi duo filij mei unus ad dexteram tuam, & unus ad sinistram:* cui iure merito ab eodem Salvatore protinus responsum fuit: *Nescitis, quid petatis*. Verùm dicet fortassis aliquis: Cur Christus hos discipulos, & matrem eorum reprehendit, & ignorantiæ redarguit, qui aliàs ab eius ore verba hæc audierant: *Primùm quærite Regnum Dei?* Nunquid illos in oratione Dominica petere docuerat: *Adveniat Regnum tuum?* cur igitur nunc illos reiicit, dicens: *nescitis, quid petatis?* Nimirum errorem, in quo hærebant, è mentibus eorum tollere voluit, siquidem ipsi in beato cœlorum Regno etiam sinistram reperiri credebant, in quo tamen graviter errabant, nequaquam enim ibi sinistra locum habet, sed solus & merus ibi dexteræ locus reperitur; nullum est ibi tristitiæ genus, sed solùm gaudium, & mera lætitia, Delectationes in dextera tua usque in finem. Ibi lætitia est sine melancholia, tranquillitas sine turbatione, divitiæ sine iactura, honores sine periculis, sanitas sine indispositione, abundantia sine paupertate, vita sine morte, felicitas sine miseria. E contra verò in hac lacrymarum valle nullus unquam sol sine sua eclipsi nascitur, nulla dies sine nocte oritur; omnis creatura vanitati subiecta est.

Idem disc. 13 n. 5. VI. Considerari meretur ad hunc finem, differentia, quæ est inter margaritas, & alias gemmas, & lapides pretiosos; Hi enim scalpello opus habent, & expoliri debent, postquam è terræ visceribus eruti sunt. Quantus enim non adhibetur labor ad perficiendum & expoliendum aliquem adamantem, Iaspidem, vel alios lapides similes? Sola margarita eo modo, quo ex aquis marinis extrahitur, ad exornandas regum coronas apta est & idonea, omnémque ab ipsis primis natalibus suis perfectionem secum adfert, tales autem esse quoque debent animæ, quæ paradisum ingredi volunt, scalpello indigere minimè debent: quia *non intrabit in eam aliquid coinquinatum*, ideóque necessariò mundæ, puræ, nitidæ, atque ab omni culpæ nævo expurgatæ esse debent.

Ibidem disc. 10. n. 3. VII. In Exodo, inter auri, argenti, purpuræ, gemmarúmque pretiosas oblationes, pili quoque caprarum, licèt viles sint, connumerabantur: *Pilos caprarum, pellésque arietum*; Pari quoque modo pauperes rustici pro patientia, paupertate & laboribus, quos in hac vita sustinuerunt, pari in cœlis præmio remunerabuntur, quo multæ animæ, quæ in hac vita sublimibus Ecclesiæ ministeriis suam impenderunt industriam; Unde S. Isidorus Agricola in cœlo cum multis Sanctis Episcopis par erit in præmio; Ac proinde nullus est adeò egenus, & pauper, quantumvis mendicus sit, qui non habeat, unde Regnum Dei comparare sibi possit. Inveniuntur quidem nonnunquam mendici, qui ne micam panis ad sui refectionem habent; At verò nullus hominum adeò est desolatus, qui monetam non habeat ad comparandam sibi cœlestem gloriam; cuius evidens in Lazaro habemus exemplum, cui quantumvis pauperrimo & afflictissimo, solemnes in cœlo ab Angelis celebratæ fuerunt exequiæ, suáque mendicitate comparavit sibi Regnum cœlorum; liberalitati enim

enim & magnificentiæ illius, qui absolutus est Dominus Paradisi, abundè sufficit, si demus, quod habemus.

Ibidem. IIX. Imitari hac in re DEUS videtur creditores, qui, ut à morosis debitoribus tandem solutionem expeditam obtineant, acceptant, quidquid apud illum inveniunt; Unde si debitor dixerit: Non sunt mihi ullæ pecuniæ, creditor iuxta pecuniæ debitæ quantitatem, granum se libenter acceptaturum esse, respondet; si non habet grana, acceptabit ligna; si ligna desint, acquiescit fœno; si fœno careat, tantâ fimeti aut sterquilinii quantitate contentus erit: Eodem quoque modo in casu nostro discurrere possumus; Salvator etenim à divitibus pro pretio gloriæ pecunias postulat in eleemosynas erogatas; cui non est facultas dispensandi nummos, corpus suum per disciplinas & cilicia affligat; qui verò corporis austeritates ob nimiam debilitatem sustinere nequit, lucro animarum se consecret; qui neque ad hoc faciendum talentum à Deo habet, in operibus misericordiæ corporalibus sese exerceat: qui infirmus est, tribulationem à DEO sibi immissam patienter sustineat, divinæque obsequatur voluntati; si contemnatur aut afficiatur opprobriis, gaudens Deum benedicat & collaudet, qui pro eius amore patiendi occasionem ei tribuit, quòd si etiam nudus cum Iobo redigatur in sterquilinium, roget DEUM, ut peccata offensæ & iniuriæ, quibus illum adversum se irritavit, illius miseriæ intuitu condonet, sic enim peccata nostra nobis ad cœlum conscensuris scalæ loco deservient, dummodo pro illis pœniteamus, & emendemur.

Modus acquirendi Beatitudinem.

Mansi disc. 10. n. 3. IX. DEUS in venditione Paradisi ad eum se modum habuisse videtur, quo mercatores in nundinis merces suas vendere solent, in principio etenim nundinarum omnia caro pretio divendunt, quæ tandem in fine pro levi pecunia dimittunt; Quando Christus in die Ascensionis cœli officinam primâ vice aperuit, primis sæculis illam sequentibus magna fidelium pars sub persecutionum, solitudinum, martyriorum pretio, æternam sibi beatitudinem comparare non dubitavit; tunc in Ægypto vastæ pro Christô incolebantur horridorum desertorum solitudines, fervidissimi Christiani tunc in equuleis extendi, uncinis & pectinibus ferreis dilaniari, feris obiici, ab iisdémque devorari se permittebant; Postea verò cessantibus persecutionibus faciliori & planiori viâ cœlum sunt ingressi, in quiete contemplationis cœlestium dulciter conquiescendo, aut fervidos charitatis actus exercendo, aut verò virtutum Christianarum praxi & studio assiduam operam impendendo.

1. R. 30. X. Quando David Rex post devictos Amalecitas victor in Siceleg rediit, orta est inter milites, qui ad sarcinarum custodiam remanserant, & alios, qui cruento illi prælio interfuerant, gravis de spoliorum participatione controversia, hisce nimirum adversùs illos prætendentibus, nullam illis ex partis spoliis partem deberi: Respondénsque omnis vir pessimus & iniquus de viris, qui ierant cum David, dixit: *Quia non venerunt nobiscum, non dabimus eis quicquam de præda, sed sufficiat unicuique uxor sua, & filii.* David autem iustus Princeps, ambabus partibus ritè auditis, controversiam prædictam in favorem determinavit illorum, qui ad sarcinarum & hospitiorum custodiam remanserant: Dixit autem David: *Non sic facietis, Fratres mei, de his, quæ tradidit vobis Dominus, æqua enim pars erit descendentis ad prælium, & remanentis ad sarcinas, & similiter divident.* Origenes historiam hanc proposito nostro applicans considerat, quòd illi, qui Davidem ad prælium fuêre secuti, Religiosos significent, qui mortificationis ferrum in se ipsos vertentes, implacabile sibi ipsis bellum indicunt; aut verò gladio Verbi DEI vibrante multas animas convertunt, atque ab inimico infernali liberant, cum inferno continuò præliantur, nec non adversus mundi illecebras, & allicientes blanditias: Per illos verò, qui domi ad sarcinarum custodiam remanserunt, sæculares intelligit, quibus ob vocationem suam bonis hisce temporalibus sese applicare incumbit. Terminato prælio, id est, post vitæ huius, quæ *militia est super terram*, consummationem, Religiosi fortè se solos spoliorum æternæ beatitudinis participes futuros esse credent, sed deceptos esse experientur, siquidem DEUS (verus David) declarabat: *æqua pars erit &c.* Et ratio est, quia amor DEI adeò intensus esse, adeóque vehementer ardere potest sub purpura & paludamento regio, quàm sub vili aliquo sacco & cilicio. Quot enim Cardinales, Reges, Imperatores, & Summi Pontifices in supremo honorum, thesaurorum, & terrenæ felicitatis culmine positi Sancti fuêre?
Orig. hom. 2 s. in Num. — Iob. 7. v. 1.

XI. Ad quartam vigiliam noctis, apparuit quondam inter procellosi maris fluctus, Christus discipulis suis, quos sæva tempestas miserè & periculosè exagitabat. Ut viderunt tam inusitatum prodigium, phantasma arbitrati sunt, quod oculis usurpabant, quibus cùm locutus, & de sermone cognitus fuisset, aiebat Petrus: *Domine, si tu es; iube me venire ad te super aquas.* Matt. 14. 28. cui Christus: Esto, veni, accurre, sis, huc ad me, scis enim quàm hoc percupiam, qui huc omnes invitavi, cùm dixi: *Venite ad me omnes*; Matt. 11. 28. & quomodo te unum prohibeam venire cupientem, qui alios nihil tale cogitantes advocavi? Desiliit ad ea verba in mare Petrus, cúmque ventus validior derepentè excitatus, velle illum fluctibus involvere videretur, præsentaneúmque periculum suum animadverteret, Christum inclamabat, atque ut à proximo discrimine eriperet, magnis vocibus obsecrabat. *Videns ventum validum timuit, & cùm cœpisset mergi, clamavit dicens, Domine salvum me fac.* ibidem v. 30. Quid est, quòd Petro ad Christum aspiranti, iámque contendenti occurrunt irati maris fluctus, & rem tam bonam, sanctámque meditanti minatur interitum tempestas, cui favere debuisse elementa omnia videntur, ut securus appellere posset ad eum, quem
Didac. Nyssen. 3. in Dom. 1. post Epiph.

quem petebat? cur à turbine in periculum adductus fuit, qui ad Christum totius salutis portum anhelabat? Respondet S. Ambrosius ser. 2. de Sanctis, Sanctus Petrus, dum fluctuat, dum mergitur, sic pervenit ad Dominum, ostendens nobis, quòd non nisi per pericula properatur ad Christum. Exemplo ergo Petri docemur, qui naufragii pericula non fortiter ferat, qui vitæ discrimina non libenter adeat, qui tribulationes & ærumnas, & rerum suarum iacturas non æquo & magno animo toleret, eum pervadere in gloriæ portum tranquillum non posse, ac delirare, qui aliter, quàm per tempestates adversitatum eò pervenire posse existimat. Non enim nisi per pericula properatur ad Christum.

Ibidem 1. 56. in sab post. 1. Dom. Quadrag. XII. Quæstio est, quare Dominus Moysen & Eliam, præ aliis veteris Testamenti Patriarchis, testes gloriæ suæ adesse voluit? Respondet appositissimè Galfridus in Allegor. Biblior. apud Godefrid. Tilman: Ne clarificato facilè credas, nisi occurrant ei Moyses & Elias; ut si quis affirmet ac glorietur, Christum in se glorificari, se quendam Thaborem esse, & theatrum factum gloriæ, donorum, ac favorum illius, non credas, nisi fideiussores adducat Moysen & Eliam, testes omni exceptione maiores, quorum alter promulgator & reverentissimus observator Legis, alter acerrimus illius propugnator fuit, ardens & vivus ignis, formidabile & horribile fulmen, qui nec Regibus parcebat, neque cum subditis connivebat. Illa tuta gloria, ille indubitatus favor, inquit Galfridus, quem observantia & zelus Legis probant, commendantque. Plurimùm enim suspecta, & parùm tuta gloria, quæcunque talium testium calculis & suffragiis destituitur. Ne Christo clarificato facilè credas, nisi occurrant ei Moyses & Elias.

Ibidem. XIII. S. Joannes cùm amœnam & cœlestem Paradisum gloriæ, & æternæ Patriæ Beatorum, sub metaphora magnæ, amplæ, elegantis, & sumptuosæ civitatis delineat, murórumque firmitatem, & portarum magnitudinem adumbrat, denique situm his paucis exprimit: *Civitas in quadro posita est*; Apoc. c. 21. v. 16. Qui architectandi periti sunt, aiunt hanc esse stabiliendæ civitati commodissimam fabricam; sed cùm felix illa civitas, si etiam quocunque alio modo constructa foret, æternùm nihilominùs duratura esset, quare magis in quadrangulum, quàm in orbem, & sphæricam formam redacta fuit? Respondet Aretas: Cùm civitas quadrangularis sit, per figuram crucis ex diametro dividitur. Quid sibi velit, quòd in formam crucis ordinata est illa Beatorum civitas? Indicio est, & documento, parùm fidendum gloriæ huius vitæ, quæ non obtinetur pretio crucis & afflictionis, postquàm æterna, ut videtur, opus habet crucis commendatione, & adminiculo, ut suam habeat à cruce securitatem. Quòd ergo illa superna civitas in quadro posita fertur, tale est, ac si diceretur: Civitas supremæ gloriæ in formam crucis digesta consistit, secura ergo ea gloria est; quæcunque enim è cruce nascitur, eadem firma, stabilis gloria est, & interitùs nescia: cùm civitas quadrangularis sit, per figuram crucis ex diametro dividebatur.

Conclusio.

XIV. Festinemus (igitur) ingredi in illam requiem, ubi verè magnus est, quisquis etiam in ea minimus est; Non mihi curæ est; Deus meus, quantus futurus sim apud te in regno tuo, sed hoc magis curo & exopto, ut de Regno tuo sim, quia si ad domum tuam pertineo, qualiscunque fiero, magnus ero. Quanta enim illa gloria, quo tendimus, ubi omnium minimus maximo; sapientiâ, puritate, virtute, perfectione maior est? quisquis maximus habetur, ad illam felicitatem comparatus, velut infantulus reputatur. *S. Thom. Villanov. Conc. 1. de S. Ioanne.*

TITVLVS IX.

BLASPHEMIA.

§. I.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

S. Aug. l. 2. de Mor. Manich c. 11. I. Blasphemia iuxta S. Augustinum est vitium, quo aliqua mala dicuntur de bonis; itaque iam vulgò blasphemia non accipitur, nisi mala verba Deo dicere; De hominibus namque dubitari potest, Deus verò sine controversia bonus est. Unde & Suarez ait: *Suarez to. 1. de indign. c. 4.* usu receptum est, ut blasphemia ad derogationem divini honoris, ac bonitatis applicata sit. Citátque eodem loco Hugonem de S. Victore, dicentem: blasphemiam esse cum quadam probrosa irreligiositate, & diminutione honoris Divini, vituperium, ac convitium.

Divisio.

II. S. Bonaventura tres modos declarat, quibus aliquis blasphemiam committere possit, scilicet vel cùm attribuitur Deo, quod sibi non convenit; vel cùm removetur ab eo, quod sibi convenit, vel cùm creaturæ attribuitur, quod propriè Deo convenit. *S. Bonav. in c. 5. Luc.*

III. S. Thomas Deum variis modis offendi posse scribit: Primò quantùm ad suas creaturas, scilicet in homicidiis, furtis, adulteriis, & similibus

milibus. Secundò quantùm ad ſuam familiam ſpiritualem. Tertiò quoad perſonam velatam. Quartò quantùm ad naturam aſſumptam. Quintò quantùm ad naturam Divinam. Etenim qui furatur, inquit hic Sanctus, qui committit fornicationem, vel homicidium, Deum in ſubditis ſuis malè tractat; qui verò Martyribus, Apoſtolis, aliiſque familiaribus Dei amicis necem infert, gravius illum offendit. Denique qui ſacratiſſimum eius Corpus ſumptum pedibus ſuis protereret, & conculcaret, præcedentibus longè abominabiliorem Deo inferret iniuriam: ſed qui offendunt Deum, quantùm ad naturam Divinam, graviſſimè peccant, quod faciunt blaſphemantes. Nam blaſphemia eſt peccatum immediatum contra Deum.

§. II.

EX S. SCRIPTURA.

Gravitas.

Luc. 5. c. I. QUis eſt, qui loquitur blaſphemias?

Pſal. 72. II. Poſuerunt in cœlum os ſuum, & lingua eorum tranſivit in terra.

Eph. c. 4. III. Blaſphemia tollatur à vobis, cum omni malitia.

Iſaiæ c. 52. IV. Dominatores eius iniquè agunt, dicit Dominus, & iugiter tota die nomen meum blaſphematur: propter hoc ſciet populus meus nomen meum in die illa.

Matt. c. 12. V. Spiritus autem blaſphemiæ non remittetur.

Iſaiæ c. 1. VI. Blaſphemârunt ſanctum Iſrael, abalienati ſunt retrorſum, dereliquerunt Dominum.

Apoc. c. 17. VII. Vidi mulierem ſedentem ſuper beſtiam coccineam, plenam nominibus blaſphemiæ.

Damnum.

Tob. c. 13. VIII. Maledicti erunt, qui contempſerint te, & condemnati erunt omnes, qui blaſphemaverint te.

1. Timoth. c. 1. IX. Tradidi Sathanæ, ut diſcant non blaſphemare.

Levit. c. 24. X. Educ blaſphemum extra caſtra, & ponant omnes, qui audierunt, manus ſuper caput eius, & lapidet eum populus univerſus.

§. III.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Gravitas.

S. Hieron. in c. 18. Iſai. I. NIhil eſt horribilius blaſphemiâ, quæ ponit in cœlum os ſuum; omne quippe peccatum comparatum blaſphemiæ, levius eſt.

S. Chryſoſt. hom. 16. ad pop. II. Neſcitis, quis ſit Deus, & quali debeat ore vocari? Quod ſi de ſtudioſo quodam viro malè loquamur, dicimus: os tuum ablue, & ita commemora; nunc verò nomen venerandum, quod audientes dæmones horrent, temerariè circumferimus?

III. Non metuis, ne fortè ignis de cœlo deſcendat, & devoret te, qui ſic os adversùs Omnipotentem aperis? Neque vereris, ne fortè terra ſub te diſrumpatur, & te abſorbeat? Ne decipiaris, ô homo; impoſſibile enim eſt, manus effugere Creatoris; audi eum, qui dicit: Blaſphemantes rationem reddent Deo, qui paratus eſt iudicare vivos & mortuos. *S. Ephrem. 2. paræn. n. 93.*

IV. Non eſt hoc peccatô ullum deterius, ſed neque par; nam in eo & acceſſio omnium malorum eſt, omniſque confuſio, inexpiabile ſupplicium & intolerabilis pœna. *S. Chryſoſt. t. 1. Orat. 2. de fato & provid.*

V. Alii peccatores appetunt delectationes, honores, vel aliud quidpiam mundi; & vellent, ſi poſſent, his bonis frui, ſine Dei offenſa, ſed blaſphemus multò aliter, quia conſultò & præmeditatè contra Deum inſurgit. *Didac. Stella in Luc. c. 5.*

VI. Omnia alia peccata videntur procedere partim ex fragilitate humanæ naturæ, partim ex ignorantia, ſed illud peccatum blaſphemiæ procedit ex propria malitia, & quantò eſt maior perſona offenſa, tantò maior culpa, & plùs creſcit malitia culpæ, & ſic blaſphemia continet in ſe maiorem malitiam aliis peccatis, & nullum eſt peccatum, quod habeat in ſe tantam iniquitatem, ſicut blaſphemia. *S. Bernardin. t. 4. ſerm. 33.*

VII. Peccatum tantò maius & gravius eſt, quantò minus motivum habet; ſi iuvenis & ſenex adulterium perpetrant, plus in hoc peccaret ſenex: In cæteris peccatis aliquod motivum eſt ad peccandum inducens, ſicut in ſuperbia excellentia dignitatis, in luxuria delectatio carnis, in gula guſtus, in avaritia pecunia, in blaſphemia autem nullum eſt motivum, quia nulla eſt ibi delectatio ad blaſphemandum inducens. *Idem t. 1. ſer. 41. a. 1. c. 3.*

VIII. Quis magis ingratus eſt Deo de beneficio ſpecialiter ſibi collocato præ cæteris creaturis, ſcilicet loquelâ & linguâ, quàm blaſphemator Nominis Dei? qui cum dicere debeat cum Propheta: *Benedicam Domino in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo*; Dominum ſuo ore fœtido maledicit? Omnes enim creaturæ, & quælibet ſuo modo ſollicitè laudant Deum, & benedicunt potentiam, ſapientiam, & clementiam Salvatoris. *Ibidem.*

IX. Ingratus etiam de beneficio Incarnationis: nam membra illa humanæ infirmitatis, quæ pro ſalute noſtra aſſumpſit Dei Filius, blaſphemus nominat ad contumeliam, quaſi non ſatis afflictus fuerit Chriſtus pro ſua & aliorum ſalute, ab impietate Judaica, propterea compleat contumelias eius. *Ibidem.*

X. Patet, quòd blaſphemantes Deum peiores ſunt beſtiis, canibus & aliis, canes enim non mordens Dominos ſuos, licèt ab eis lædantur, ſed blaſphemus eodem ore, quo Dei beneficium percipit, & bibendo vinum, Deum blaſphemat. *Manſi diſc. 4. n. 6.*

XI. Blaſphemia eſt lepra, quæ omninò mundari non poteſt, & ideo extra caſtra pellenda, hoc eſt, crimen blaſphemiæ, quod in Spiritum ſanctum committitur, de quo dicitur: *Qui peccat in Spiritum Sanctum, non remittetur ei.* *Gloſſ. c. 13. Levit.*

XII. Nihil eſt, quod animum noſtrum magis *Iulius III. Bulla 13.*

gis exulceret, & confodiat, quàm horribilis atque impia, & Christianis auribus intolerabilis divini nominis blasphemia, cùm audivimus sacratissimum Dei, & Jesu Christi Domini nostri nomen, quod super omne nomen, cœlestia venerantur, terrestria adorant, inferna contremiscunt (quod ne temerè quidem à quopiam propter eius sublimitatem & Maiestatem usurpandum sit) passim pravorum efferatorúmque hominum vocibus scindi &c. ut minimè mirandum sit, si à Christianis populis, in tantis calamitatibus constitutis, divinæ iracundiæ flagella non amoveantur.

Mansi disc. 7. n. 2. XIII. Blasphemia est peccatum diabolicum, loquela infernalis: Sicut enim Spiritus Sanctus loquitur per bonos, ita diabolus per blasphemos.

S. Bernardinus to. 4. ser. 33. XIV. O lingua diabolica, quid potest te inducere ad blasphemandum Deum tuum, qui te plasmavit, in quo tuum summum bonum consistit, qui te pretioso sanguine redemit?

S. Bernardus ser. 2. de Convers. S. Pauli. XV. Horrendum penitus sacrilegium, quod & ipsorum videtur excedere facinus, qui Domino Maiestatis manus sacrilegas iniecerunt.

§. IV.

EXEMPLA SACRA.

Fuga.

Ep. Iuda. v. 9. I. Cum S. Michaël Archangelus cum diabolo disputans, altercaretur de Moysi corpore, non est ausus judicium inferre blasphemiæ, sed dixit: Imperet tibi Dominus. Ex quo Josephus Mansi sic concludit, quòd si is, qui cœlestis militiæ princeps est, pro divini honoris defensione inimico Dei non fuit ausus maledicere, quâ fronte homo, vilissimus ille terræ vermiculus, tantis à Deo beneficiis cumulatus, eundem optimum Deum, cum tanto honoris & reverentiæ ei debitæ præiudicio, blasphemare, & execrari, eique maledicere audebit?

Mansi disc. 4. II. S. Polycarpus quando sollicitabatur à Tyranno, ut si vitæ suæ consulere vellet, Christum blasphemaret, animosè respondit: Jam octoginta sex anni elapsi sunt, quibus Christo meo inservio, nec tamen unquam mali quidpiam ab illo recepi, imò multis iisque præclaris bonis de manu ipsius auctus sum, quâ igitur ratione illum, prout tu, O Proconsul, à me fieri desideras, blasphemare, illique maledicere potero, qui tot mihi beneficia præstitit, & hactenus adeò benignè conservavit? qua fronte tam bono Deo & Domino ingratus esse potero?

Ruffin. Aquil. l. 3. in vit. PP. de verbis seniorum. n. 37. III. Venerabilis Pœmen Abbas quendam discipulorum suorum, qui frequentibus à spiritu blasphemiæ pulsabatur tentationibus, docuit, ut tentatus semper diceret: Ego causam non habeo, blasphemia tua super te sit Satanas, hanc enim causam anima mea non vult. Ita sanus frater ille discessit.

Annal. Eccles. Rayn. 1267. n. 63. IV. Cùm S. Ludovicus Rex Franciæ edicto publico sancivisset, ut cuilibet nomen Dei blasphemanti, ignito ferro in labiis stigma inureretur; accidit, ut postquàm civis quidam Parisinus huius pœnæ reatum incurrisset, multi pro illius ab hac pœna exemptione intercederent, quem Rex iustus absque misericordia cauterizari præcepit in labiis ferro candenti, in peccati sui memoriam sempiternam, & in aliorum exemplum; Non defuêre quidem multi etiam secundùm Mundum sapientes viri, qui S. Regem, velut nimis crudelem & rigidum censurarent. At verè S. Rex verissimum esse sciens, quod ait Christus: *Beati estis, cùm maledixerint vobis homines, & dixerint omne malum propter me*, hanc protulit Regiâ Maiestate suâ dignam sententiam, videlicet quòd desideraret potiùs simile cauterium sibi in labiis esse inustum, & quoad viveret, talem indecentiam sustineret, dummodo huiusmodi perniciosum vitium de Regno suo penitus tolleretur.

V. De Philippo, pariter Franciæ Rege, legimus, quòd, quotiescunque aliquos in tabernis, vel etiam in bello milites blasphemias protulisse audiebat, illos protinus submergi iusserit, hancque legem in Regno suo perpetuò ac inviolabiliter observari voluit: Et de hoc Edictum posteris firmiter tenendum, reliquit ante mortem. *Vincentius in spec. Histor.*

VI. Anno 1509. accidit Argentinæ, quòd Senatus pro tribunali sedens iudicium ferre debuerit, quoad duos milites urbis præsidiarios, quorum unus armis suis Gubernatorem suum graviter datâ operâ offenderat, alter verò enormes in Deum blasphemias evomuerat; & quidem unus illorum pro se suique liberatione habebat advocatos, alter verò neminem habebat, qui in eius defensionem os suum aperiret: Pro illo ob spectatam fortitudinem optimi quique intercedebant, pro hoc nulli; Senatus prudens ratus, violatorem Dei non meliori conditione esse, quàm calumniatorem hominis, causæ cognitione, quibus oportuit, demandatâ, ubi blasphemiam horrendam, licet ab ebrio, & emotæ mentis homine admissam cognovit, plus divinæ Maiestatis, quàm humanæ gratiæ & intercessioni tribuendum ratus, supplicio capitali, extractâ per cervicem linguâ, blasphemum affecit. *Mansi disc. sup. 19.*

VII. Michaël de Barro Navaræus Ordinis S. Jacobi Nobilis Eques, de Rege suo optimè meritus, semel tantùm, per vitam Dei, publicè iurans, triginta & uno diebus in carcerem compactus fuit; cùmque de gravi nimis pœna, quâ mulctabatur, apud Regem conquereretur, Rex Filium suum se ipsi in socium additurum respondit, qui catenarum pondus dimidiatum cum ipso ferret, ita enim de se meritum esse, ut libenter ipsum iuvare velit, hac verò in re nullam aliam gratificandi rationem displicere; ac proinde carcerem quidem in gratiam illius nonnihil ornamentis apparari fecit, at verò compedes & catenas ab ipso tollere renuit. *Florem. de Orig. haref. l. 1. c. 6.*

VIII. Ezechias Rex, utpote à Deo magnoperè illuminatus, mox ut horrendam Sennacherib blasphemiam audivit, certam contra ipsum obtinendam victoriam in manu sua se habere existimavit, neque tam Hierosolymæ fortificationibus, munitionibus, victualium *S. Cyrillus Alexandr. l. de fide ad Theodos.*

Annona

Annonæ, militúmque suorum generositati innixus est, quàm indubitatæ spei, quam de DEO protinùs concepit, quâ futurum esse confidit, quòd Deus honorem ab inimico suo Sennacherib enormissimè læsum defensurus esset, vindicando illatas sibi per blasphemiam gravissimas iniurias. Unde S. Cyrillus Alexandrinus ait: Convitia in Deum detorta, ægerrimè ferens Rex, eáque si dissimularentur, capiendæ civitatis causam esse posse, piè prudentérque considerans, & se nihilominùs ab ipso blasphemarum vocum crimine exsolvere percupiens, derepentè conscissâ veste in domum Dei ascendit, precibúsque, quibus potuit, iræ divinæ se opposuit: sciebat enim, quòd eo ipso, quo de illatis Deo iniuriis intrinsecum cordis exteriùs testaretur dolorem, divinámque eius iustitiam ad iniurias illas debitè mulctandas imploraret, consequens futurum esset totius hostilis exercitus infallibile exterminium.

Surius in c. 24. Lev.

IX. Robertus Rex Franciæ, pacem publicam in regnis suis pro virium suarum possibilitate conservare satagebat, eóque fine devotissimas coram Crucifixo quodam preces effundebat. In proœmio pragmaticæ Sanctionis narratur, quòd Roberto Regi Francorum, filio Capeti in urbe Aurelia pro pace Regni sui oranti, Crucifixus non sine ingenti prodigio, & ingenti miraculo respondit: Non habiturum pacem in Regno, donec blasphemias extirparet.

Raynald. ad ann. 1270. n. 15.

X. In Annalibus Ecclesiasticis legimus, quòd S. Ludovicus Rex verè Christianissimus, inter alia monita, quæ filio suo, qui in Regno successurus erat, specialiter commendata esse voluit, unum hoc fuerit: Maximè autem nullum verbum blasphemiæ de Deo, sive de Sanctis, patiaris dici ab aliquo, quin vindictam de eo fieri facias. Et paulò pòst vitæ eius historia ibidem num. 17. repetit, Sanctum hunc Regem eidem filio suo de novo, singulari cum anxietate animi, & sollicitudine dixisse: Labora, quòd omne peccatum de terra tua removeatur, maximè autem blasphemia.

Damnum.

Baron. Año 494. n. 54.

XI. Baronius in Annalibus refert, quòd, cùm Constantinopoli ex Arrianæ sectæ hæreticis, qui SS. Trinitatis iurati hostes erant, unus, cui nomen Olympius, in balneo corpus suum abluens, impias contra eandem & horrendas blasphemias evomuisset, confestim in rabiem actus, semetipsum unguibus miserabiliter dilaniârit, & paulò pòst sacrilegam animam ad infernum transmiserit.

Ungarus Minorit. ser. 0 in expl. Symboli.

XII. Alius quoque Scriptor memorabilem quendam casum recenset, qui in Regno Hispaniarum contigit circa quendam, qui postquam omnia, quæ habebat, ludendo perdidisset, Deum instanter rogavit, ut pro iactura sua reparanda, gratiam suam impertiretur, at verò, quia fortunâ illi totaliter adversante, ludus semper de malo devolvebatur in peius, pecuniis ludendo penitùs amissis, tandem vestes quoque suas eiusdem ludi exponebat discrimini, ac demum vestibus denudatus domum repetiit, ibidémque assumptis armis, & conscenso equo in forum concessit, ubi coram multis altâ voce exclamavit, & ait, Si quis est amicus, & fidelis Dei, qui dicat, Deum esse aliquid, vadat, & se armet, & congrediatur mecum in nomine Dei sui, & ego ipsum occidam sine Deo, & intelliget, quòd nullus sit Deus. Ad quam propositionem omnes quidem exhorrescentes, præ nimio stupore hæsêre attoniti, nullus tamen ex omnibus erat, qui detestabile facinus illud, eiúsque inverecundam temeritatem ei improperare auderet: sed cui non respondit homo, protinus Deus respondit, nam qui olim flagellaverat Pharaonem, se potentiæ suæ opponentem, non ursis & leonibus, sed ranis & muscis; immisit Deus huic væsano unam muscam, licet esset tempus hyemis, quæ eum in facie sic invasit, & sic inter faciem & galeam se opponens, aculeis suis graviter illum læsit, ita quòd oportuit galeam deponere, & ad terram proiicere; at ubi musca liberum habuit accessum, sic eum in facie feriebat, quòd se defendere non valens, de equo ad terram decidit, faciem versùs terram firmans, ut posset se tueri à musca, quæ etiam ibi eum fortiter invasit, nec cessavit, quousque publicè blasphemiam, quam ore prophano protulerat, omnibus audientibus cum cordis gemitu revocavit.

Thom. Cantiprat. l. 2. apum. c. 48. §. 4.

XIII. De alio quoque blasphemo refertur, quòd cùm in villa quadam Terræ Laboris, in Regno Neapolitano situatæ, in die sancto Parasceves duo, quorum unus Christianus, alter Iudæus erat, taxillis luderent, & Iudæus magnam pecuniæ summam perdidisset, hic Christum horrendum in modum blasphemare cœperit, cùmque ludum repetere volens, taxillos apprehendere niteretur, subitò nervi manuum eius contracti fuerunt; quarè magìs indignatus, manibus hoc modo contractis mensam lusoriam in terram deiicere contendit, maiori cum impetu blasphemias contra Christum, eiúsque Sanctissimam Matrem multiplicando; At verò confestim super temerarium hunc hominem divina vindicta animadvertere cœpit, siquidem subversis in capite oculis protinùs in terram corruit mortuus: Christianus collusor illius pavore nimio in amentiam versus elanguit, & miseram vitam morte miserâ finivit.

In Historiis Ordin. Cisterc.

XIV. In historiis virorum illustrium ordinis Cisterciensis, Abbas Ghereb aldus quendam inverecundum Beatissimæ Virginis blasphematorem, dæmonis potestati traditum fuisse refert, qui idem insuper durissimâ passione divexatus atque distortus est, ita ut oculis eversis, & facie totâ enormiter intumescente, linguam ardentem atque eiectam longiùs ab ore porrigeret, qui cùm ita fuisset longo & horrendo tormento excruciatus, tandem miserabilem animam dæmoniacis spiritibus reddidit, linguámque effrænem, quam extraxerat, nec in morte retraxit.

Bredemb. l. 3 coll. c. 17

XV. Dum post demolitum quoddam in Flandria Ordinis S. Francisci monasterium, dum multæ Sanctorum statuæ igne conflagrante absumerentur, unus illorum sacrilegorum in statuam

tuam quandam S. Antonii incidens, postquam variis illam contumeliis affecisset, tandem in execranda hæc verba prorupit: si quam vim aut virtutem habet, declaretur: & ecce protinus ignis è statua illa egressus, eundem viventem totaliter combussit.

Ibidem. XVI. In eiusdem libri c. 29. & 30. narratur, quòd, dum hæreticus quidam eiusdem Sancti statuam ad ignem comburendam deportaret, eidem ludibriosè dixerit: Antoni, Antoni, tu quidem soles in mortale genus desævire, eósque miserè ustulare, at ubi nunc vires illæ? Et ecce subitò lingua illius peste correpta est, ac demum paulò pòst cum tota familia sua igne pestilentiæ consumptus est.

S. Petr. Damian. c. 2. epist. 15. XVII. B. Petrus Damianus refert de quodam impio, rixisque dedito clerico refert, quòd, cùm tempore diem & horam præsignasset, in qua cum quodam hoste suo, qui nonnullas beneficii sui possessiones usurpabat, manus conserere decreverat, acciderit, quòd manè Missæ audiendæ assistens, verbaque illa audiens: *Omnis qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur*; illicò hic clericus conversus in hanc vocem sacrilegam protervus eruperit: Hæc sententia vera non est, nam si ego me meis adversariis humiliter inclinâssem, hodiè tot possessionum copias, atque clientum non haberem; cùmque in eodem loco ab adversario clerici missus nuntius, alterum de clerici proposito informaturus, præsens adesset, hancque à clerico prolatam blasphemiam ei, à quo missus fuerat, referret, mox ille plaudens in Domino lætus efficitur, atque ad spem procul dubio obtinendæ victoriæ milites cohortatur. Pridie verò, quàm manus conserturi ad invicem erant, DEUS blasphemum istum castigare volens, iumentum eius quendam salis modium in via obvium habere permisit, quem cum avidè abligurrisset, sitibundus equus, ad copiosum quendam aquarum rivum perveniens, ut se in torrentem illum mergeret, sitimque suam mitigaret, frænum clerico è manibus avulsit: Ille verò dum eâ manu, qua scutum tenebat, cum iumento confligit; hostilibus iaculis faciem coactus exponit, & ecce repentè gladius os eius fulminis more transfigit, talique fine reprobus vitam suam conclusit. O quàm congruè in illa pertulit corporis parte vindictam, quâ nigri fellis in Dominum vomuerat blasphemiam! & cùm Propheta de talibus dicat: *Filii hominum dentes eorum arma & sagittæ, & lingua eorum gladius acutus*; qui linguam suam, & dentes adversùs Deum gladii more vibravit, dignè per eadem membra materialis gladii pœnas exsolvit.

Drexelius in Phaeth. c. 14. §. 2. XVIII. P. Hieremias Drexelius refert, quòd, cùm Anno 1581. in civitate Bituriensi Elisabetha Blæstina in die Sacratissimi Corporis Christi unà cum marito suo, matre item & ancilla, in Ecclesiam S. Severi filiolum suum in ulnis deferens ingressa fuisset, quendam verbum Dei publicè ex pulpito declamantem audiens, eum deriserit; concione verò finitâ, dum Parochus eiusdem loci sacrum Missæ officium exordiretur, ipsa risus Missæ & ceremonias sacras pari risu prose-quens, dixit: Accedamus propinquiùs, & spectemus stulti illius Presbyteri superstitiosas gesticulationes. Et ecce mox ut ad altare propiùs accessit, subitò veluti fulminata, sine ulla pueruli, quem in ulnis portabat, læsione, in terram ad pedes Gubernatoris civitatis illius concidit; Mater autem eius, quæ blasphemiæ consors fuerat, muta, nec sibi præsens, elata templo, ubi magnam sanguinis copiam ex ore & naribus eiecit.

XIX. Refert quidam Scriptor, quòd Alvarado Regio Hispaniarum Ministro, in prælio cum Xalifcæ populis habito, mortuo, Beatrix de Cuena uxor illius in blasphemas voces eruperit, dicendo: Nullam in Deo esse omnipotentiam; Unde subitanea quædam tempestas oborta, è vicino monte, diluvio quodam civitatem à marito ipsius ædificatam inundavit, quod prægrandia secum à monte divulsa saxa rapiens in domum, in qua blasphemiam illam, in cuius pœnam universa civitas subversa remansit, evomuerat, ingenti cum impetu allisit, solóque tenus eandem subvertit; quod verò vel maximè ad propositum nostrum facit, est, quòd præfatus Author scribat, quòd blasphema hæc mulier imminentem domûs suæ ruinam videns, saniori exinde mente conceptâ, precibus malum, quod imminebat, à domo sua avertere quidem conabatur, sed incassum, siquidem diluvium raptata secum saxa in domum illidens, eandem oppressit, totámque civitatem momento evertit. Apud Mansi disc. 3. n. 8.

XX. Narrat Drexelius, quòd Batavi, postquàm sacellum B. Virginis Sichemiensis deprædati fuerunt, duas deinceps valdè præcipuas amiserint civitates, Ostendam nimirum, & Bredam; multáque alia infausta & funesta illis acciderint; Et quidem hoc loco sileri non debet, quòd ex prædonum illorum numero unus fuerit, qui equo cæco insidens per ludibrium dicit: Eia Maria, nunc miracula faciendi tempus adest, si potes, huic equo meo visum restituas; quibus verbis dictis, equo quidem oculorum lumen restitutum fuit, ipse autem blasphemus prædo penitus excæcatus remansit, in multam criminis, quo Deiparam Virginem ipse deriserat. Drexelius l. c. c. 6. §. 4.

XXI. Eusebius in Historia Ecclesiastica Maximiani Imperatoris odium, quo Christianos prosequebatur, tantum fuisse refert, ut multas adversus Christum componi fecerit blasphemias, easdémque scholarum didascalis seu ludimagistris dari & distribui præceperit, ut scholares easdem edocti, ad maius fidei nostræ ludibrium per vicos & plateas publicas decantarent, ut tantò firmiùs teneræ illius ætatis menti & memoriæ imprimerentur: At verò per sævam adeò pestilentiam punitus fuit, ut mortuorum cadavera ob nimiam illorum multitudinem insepulta remanserint, ita tamen, quòd nullus Christianorum eâdem infectus fuerit. Ipse quoque Imperator oculorum lumine orbatus, & rabie plenus, caput suum columnæ sæpiùs validéque allidens, totus desperatus necem sibimet ipsi intulit. Eusebius apud Mansi disc. 10. n. 15.

Mansi disc. 11. n. 9. XXII. Ludovicus Episcopus Tudensis refert, Eliam, qui S. Francisco in Generalatu Ordinis Minorum successit, sequentem casum retulisse, qui Laudæ reverà accidit; Ibi namque in hospitali quodam hæreticus quidam, licèt ignotus, ad mortem usque infirmabatur, quem proinde Sacerdos, ut sacro se viatico armaret, hortatus fuit, cui hæreticus cum suspiriis respondit: Ecquis dabit mihi Corpus Christi, ut accipiam, & adorem. Cui Sacerdos, Sacellanum illud confestim allaturum esse respondit: cui infirmus replicavit: Apage sis, Presbyter non deferet Corpus Dominicum, sed panem nostrum. Et ecce eodem, quo hæc dicebat, momento, cattus quidam, qui aliàs cicur & domesticus fuerat, in gulam temerarii illius insilivit, dentibúsque & unguibus illum miserè discerpere cœpit, adeò ut summa cum difficultate cattum istum ab illo avellere possent. Quo miraculo circumstantes animati, infirmo enixè conati sunt persuadere, ut Christi in hoc Sacramento præsentiam crederet, suámque hæresin detestans abiuraret, eo vel maximè, quòd iam oculis conspexisset, qualiter se bestiola ista ad insultum, in communem sui & ipsius Creatorem ab ipso temerè dictum vindicandum, armasset: Quibus ille, cattum illum utique antea ferocem & rabidum fuisse, respondit: Ubi verò ab illis rei veritatem percepisset, quòd scilicet nunquam ferocisset, quin potiùs hactenus semper unicuique familiaris & blandus existens, hanc suam ferociam & rabiem, tanquam instrumentum ab ultrice divina Iustitia assumptum exercuit, infirmus etiamnum licèt, in sua contumacia perseverans, subticuit: cùm verò Sacerdos paulò post ad eum accedens, hortaretur eum, ut se ad saniorem fidem converteret, ille verò de novo blasphemaret, & in Sacerdotis faciem conspueret, cattus ille protinus reversus, eum, ut antea crudeliter invasit, unguibúsque atrociter in collo & facie discerpsit, eúmque quasi ad mortis angustias reduxit: qui tamen à circumstantibus coërcitus, & ne deinceps ipsum lædere posset, videretúrque, num infirmus ad saniorem rediturus esset mentem, caveæ inclusus fuit; Interea blasphemus ille desperatus, & obstinatus mortuus est; cúmq; sua catto restitueretur libertas, ex hospitali ad agrum properavit, in quem cadaver impii illius proiectum fuerat, ibique clamoribus & eiulatibus aëra replens, tandem & ipse mortuus est.

Pratum Florum. p. 2, l. 1. c. 6. XXIII. In partibus Vasconiæ duo laniones in blasphemiis quotidianis habituati, Corpus Christi frequenter per diem ex contemptu nominare consueverunt, cúmque ambo die quadam à suis inimicis ad mortem usque sauciati essent, omnes regionis illius canes certatim ad eos accurrentes, utrumque aggressi, corpora illorum dilaniârunt, & in minutas partes discerpserunt.

Cæsar. Visterb. l. 7. c. 44. XXIV. In alio quodam Scriptore legimus, quòd, cùm ex duobus lusoribus unus, qui sua ludendo perdiderat, varias contra Deum blasphemias effutiisset, collusor id ipsum audiens ei dixerit, quòd modum efficaciter blasphemandi ignoraret; ac proinde ipsum docere volens, horrendas contra Deum & Sanctissimam eius Matrem evomuerit blasphemias: Et ecce subitò vox quædam audita fuit, hæc verba articulatè pronuntians: Hactenus illatam mihi iniuriam dissimulavi, at verò nunc, quia de honore Matris meæ agitur, vindictam differre nequeo, & confestim in eodem loco ab invisibili manu ferro transfossus animam exhalavit.

XXV. In eadem historia de Nobili quodam legitur, quòd, dum longo tempore aërem quotidie turbari, novámque imminere tempestatem vidisset, impatiens & furore plenus dixerit: Ecce de novo iste diabolus se prodere incipit. Qui vix blasphemum hoc verbum finierat, cùm ecce filius eius inter manus nutricis positus fulminis sagittâ percussus interiit, nutrice prorsus illæsâ permanente. Eodem fulmine quædam eius ædificia conquassata corruerunt, omniáque eius armenta, & ovium greges disparuerunt. *Ibid. lib. 4. c. 41.*

XXVI. Non procul à celebri quadam Galliarum urbe, degebat vir magnæ Nobilitatis, sed sceleribus infamis, neque contentus peierare, idem liberos docebat. Provocatus à viro nobili, cùm alacriter cum eo congrederetur, lethale vulnus accepit. Uxor eius perquam pia, mox virum religiosum acciri curat, qui mariti confessionem audiat (fuit is ipse rei totius oculatus testis) sed is ab ægro aliud nihil audiit, nisi blasphemias, iuramenta, & execrationes. Cúmque, nihil efficere se, videret, cum socio in proximum conclave secedit, & per horæ quadrantem pro misero illo Deum orat. Interea audit clamorem in cubiculo, & inter vociferationes & eiulatus, has voces interruptas. Pater, Pater, misericordia! Adest Pater, & videt hominem furiis & horrendis convulsionibus agitatum. Interrogatus, quid vellet, respondit verbis concisis: Video ante me scripturam: Pater legere scripturam iubet, quam semimortuâ & languente voce protulit; & erat: *Dum tempus habemus, operemur bonum.* Tum Pater sumpto Crucifixo, lacrymis plenus in collum & postea pedes ægri ruit: eum amplexatur, orat, obtestatur, ut confiteri velit, Dei in obstinatos iustitiam, in pœnitentes misericordiam ob oculos ponit; præstare, serò tandem, quàm nunquam resipiscere. Ubi Pater mite responsum accepit, spem salutis concepit, voluítque in eo actum contritionis elicere; multa in eam rem prolocutus. At ille, Pater, inquit, voce concisâ, & oculis dolore quocunque plenis: Ah! Pater, quid cogitas de contritione? è centum millionibus vix quatuor ad eam mortales pertingere possunt. Pater cùm ostenderet, facilè id ope Dei fieri posse, cùm neque blandis verbis, nec minis Dei iudicis quidquam efficeret, iterum in proximum conclave se contulit, & coram B. Virginis imagine se prostravit, subinde æger in magnum deliquium incidit, ut coactus fuerit aliquid medicamenti sumere, quod vires restauraret. Interim æger ad mortem festinat, intus computrescit, vexatur insomniâ, infestatur somniis, & iterum auditur instar rabidi vociferari: Pater, mi Pater, misericordia! Redit Pater, *Thom. Blaneus in milite Generoso l. 1 c. 1.*

ter,

ter, & instar canis spumantem reperit, iam vultum hominis damnati præseferentem. Quem æger quidem inclamat, sed cum eiulatu, blasphemiis, & omnis impietatis phrasi. Pater illum animat, superesse adhuc locum pœnitentiæ, & veniæ. Cui ille; non hoc agitur: velut furens loquitur: Iterum scripturam video, cùm tamen & Pater & coniux nil viderent. Tunc voce raucâ legit: *Quæretis me, & non invenietis.* Hîc Pater zelum suum & minas intendit, spem & lenitatem admiscens. At æger: non moriar, clamat cum rabie & dentium stridore, vulnus non est mortale, iniuriam facerem generosæ menti, & commilitones iure possent meam timiditatem criminari, ac dicere, me mortis metu confessum esse. Igitur Pater tertiâ iam vice secedit, planè consternatus, & mox iterum horrendos clamores execrandi hominis audit. Accurrit, hortatur ad Confessionem. Cui æger: non est iam tempus ampliùs: Diabolus ingens volumen meorum scelerum mihi ostendit, iam sentio eius sævitiem, & uncos, qui viscera mihi evellunt. Habuit tunc tantum adhuc virium, ut diceret, tertiam se scripturam videre (quam ipse vidit solus) legit igitur & hanc, sed horribili cum clamore: *In peccato vestro moriemini.* Eô momentô, quo hæc edixit, supremum agonem adiit, fremuit, tremuit, & stridit dentibus, modo prorsus horrendo: Et inter inauditos terrores immanè vociferatus, infelicem animam orco transmisit. Eodem tempore corpus apparuit tam terribile, ut vix alicuius hominis formam retineret. Vermes ex omni parte cadaveris scaturiebant, tanto cum fœtore, ut nemo eum posset perferre, præter duos agrestes, qui ad eum sepeliendum in cubiculo relinquebantur. Pater postquam consolatus est viduam, ut potuit, ex arce egreditur, mortuo similis. Cùmque in via ea secum volvit, quæ gesta sunt, vocem audit se appellantem, vidétque ex arce hominem formidine plenum ad se adventare, qui ait: Ah Pater, revertere quantocyus, diaboli herum abstulerunt: duo molossi nigerrimi per caminum illapsi, corpus abripuerunt, & per caminum regressi corpus abstulerunt nullâ re aliâ de hero relictâ, quàm linteamine, cui insutus erat. Pater propè exanimatus est hoc nuntio, ac robur à Deo expostulavit: & reversus ad arcem, reperit omnia, uti in via audierat, & linteum super culcitram stramineam; dæmones in linteo foramen pugni magnitudine fecêre, ut indè cadaver auferrent: Támque tetrum fœtorem post se reliquêre in cubili, ut ne fortissimis quidem tolerabilis esset, quin illico pedem referrent. Interea Pater viduam vidit ad Crucifixi pedes prostratam, oculis in cœlum levatis, adeò desolatam, ut vocem ab ea elicere non posset: & pro illa Christum inibi è cruce pendentem precatus, eidem valedixit, & ipse mœrore plenus, itáque fractus, ut quindecim dies præ languore ægresceret. Uxor autem proba cœpit maturè penitùsque res mundi abiicere: negotiísque compositis, ac liberis duobus adhuc admodùm teneris (qui intra paucos menses mortui sunt) in tutorum manus traditis, eodem adhuc anno religioni Visitatæ B. Virginis se adiunxit. Ad anni finem, feralis fuit dies mortui anniversarius; nam eodem die, qui est à morte annuus, eâdem horâ & momento, quo anno priore impiam animam efflavit, tam horribili fragore fulmen in eius cubile irruit, ut turres corruerent, & muri minutim confracti per aëra volarent: Tota denique arx ita in voraginem subsedit, ut ne vestigium eius supersit, & nunc locus sit curribus passim pervius, neque de execrabili homine aliud monumentum restat, quàm eius apud inferos corpus & anima. Contigit hæc tragœdia 15. Octobr. 1653. quam vidit, & sua manu consignavit vir ille Religiosus, qui ad eum evocatus erat.

XXVII. P. Hieremias Drexelius refert, quòd Anno 1583. Novesii in Diœcesi Coloniensi mulier quædam hæretica, sed occulta, interrogata, cur cum aliis non frequentaret Ecclesiam, & officia divina, per ludibrium respondit: adeò alta & sublimis est illius fabrica, ut de illius ruina vix in ea securi esse possimus: Accidit autem eodem tempore, ut ibidem Monasterium quoddam religiosorum extra urbis mœnia situm dirueretur, alibi in urbe situ quodam commodiori & securiori reædificandum; quod prædicta videns mulier, ex petulantia quadam hæretica, se gaudere dixit, quòd ad illud usque tempus vitam suam produxisset, quo Papistarum Ecclesias devastari, & solo tenus everti videre liceret; & ecce, dum prædictam Monasterii demolitionem iucundo vultu spectat, columna quædam in ipsam collapsa eandem oppressit, & totaliter contrivit, aliis astantibus nec quicquam læsis. *Drexel. in Phaeth. c. 14. §. 2.*

XXVIII. In Annalibus Ecclesiasticis, ex Thoma Waldensi Carmelitano, oculato teste, refertur, quòd iam memoratus præclarus Ecclesiæ & fidei pugil propriis oculis quendam viderit hæreticum, qui cùm veram & realem Christi in Sanctissimo Altaris Sacramento præsentiam credere nollet, ab Episcopo illum reverenter adorare iussus, dixerit: Verè dignior est aranea revereri. Dicitque præfatus Waldensis, qui id ipsum Londini in Ecclesia Cathedrali S. Pauli vidit, quòd, dum Archiepiscopus Cantuariensis ipsum ad saniorem fidem apprehendendam, frustra & incassum hortaretur, divina Justitia vindex, debitum huic temerario homini immiserit supplicium; Nam statim de alto culmine tecti descendens ingens & horrenda visu aranea, ad os blasphemi pervenit, &, dum loqueretur, ut intraret per polluta labia, sollicitè procuravit, & multorum manibus vix potuit prohiberi. Undè Episcopus occasione hac usus, hanc Divinæ iustitiæ demonstrationem populo manifestavit; Nec mora, qui pretiosissimæ carni Agni prælegit araneam, peccatricem carnem suam flammis devorandam amisit. *An. ... 13...*

XXIX. Refert Baronius de Libanio Sophista, qui S. Gregorii Nazianzeni Magister fuit, de quo etiam Theodoretus lib. 3. c. 18. scribit, quòd Juliani Apostatæ amicus & sectator existens, Christianorum quendam sibi familiariter notum per ludibrium, quid filius fabri, id est, *Baron. An. no 363. n. 34.*

est, Christus faceret, interrogarit; cui ille id, quod postea revera accidit, protinus respondit, videlicat: Deus huius universi Creator, quem tu per ludibrium fabri filium appellas, Juliano feretrum, in quo mox moriturus collocabitur, fabricat; factúmque est, ut paulò post Julianum pessimâ morte defunctum fuisse nuntiaretur, nam ex vulnere lethifero, quo ab invisibili manu sauciatus fuerat, effluentem sanguinem volâ manûs excipiens, cœlum versùs proiecit, ad ultimum usque spiritum blasphemâ voce dicendo: Vicisti Galilæe.

Thom. Cantiprat. l. 2. Apum c. 49. §. 10.

XXX. Thomas Cantipratensis refert, quòd dum Lovanii in Brabantia civis quidam timoratæ conscientiæ manè in die Veneris sancto ad templum properans, ante tabernam quandam transeundo, dissolutos iuvenes quosdam audiret ludentes, Deúmque enormiter blasphemantes, viderit pariter in platea, quam pertransibat, multos homines, ex compassione miserabilis cuiusdam hominis graviter sauciati, ignoti tamen amarè plorantes: cúmque circumstantes, quisnam crimen illud commisisset, sciscitaretur, responderunt, id à iuvenibus illis petulantibus, Deúmque in taberna sine intermissione blasphemantibus fuisse patratum, ad quos proinde ingressus, execrabile hoc facinus acerrimè illis improperavit, qui tamen id ab se minimè factum esse, constanter asseverârunt, falsámque hanc de illis conceptam opinionem efficacibus rationibus à se nisi sunt propulsare, utpotè qui nec verbis, nec factis illi homini saucio molestiam ullam intulissent; quia verò egressi, ut vulneratum hunc hominem viderent, & criminis authorem ab eo explorarent, ipsum disparuisse invenerunt: Conversi singuli ad se ipsos, animadverterunt, blasphemiis suis rursus Christum Dominum contumeliis affectum, rursus improperiis cruciatum.

§. V.

SIMILITUDINES.

Plutarchus in Moralibus

I. Sicut iaculum, si in solidum aliquod ceciderit, nonnunquam in mittentem retorquetur, ita convitium in fortem & constantem virũ tortum, recidit in convitium facientem; Et quidem si id ipsum in hominibus virtuosis locũ habet, quantò magis in Deo; ac proinde David cùm dixisset (Ps. 72. 9.) *Posuerunt in cœlum os suum*, immmediatè subdit: *Et lingua eorum transivit in terra.*

S. Chrysost. hom. 3. de natura Dei.

II. Sicut qui lapidem sursum iaculatur, corpus cœleste non attingere, nedum lacerare potest, plagam autem suo capite excipit, cùm lapis eodem, unde iaculatus est, redeat, ita qui beatam illam blasphemat substantiam, ut nunquam offendere eam potest, cùm longè potior, atque excelsior sit, quàm ut affici aliquo possit detrimento; sic ferrum adversùs animam suam acuit & parat, cùm se ingratum Domino benè merenti exhibet.

§. VI.

MOTIVA.

Ad fugiendam blasphemiam.

S. Bernardinus tr. 1. ser. 41. A. 3. c. 1.

I. *Quia Deus Genitor noster est*: quòd si enim honor & reverentia erga proprios genitores, adeò unicuique hómini ab omni lege, naturali, positivâ, humanâ & divinâ, sub gravissimis pœnis præcipitur, quantò magìs unumquemque urgere debet reverentia erga illum Patrem, ex quo omnis paternitas in cœlo & in terra nominatur? Hoc scelus est in cœlestem Patrem, & ideò dignum æternâ morte. *Qui maledixerit Patri aut Matri, morte moriatur.*

S. Chrysost. ho. 3. de Lazaro.

II. *Quia Deus præcepit, ut inimicos tuos diligas*: tu verò Deum te amantem aversaris? Deus iussit, ut convitiis insectantibus benignè loquaris, maledicentibus benedicas? tu verò illi benefacienti, & tui curam agenti maledicis, cùm nulla in re læsus sis?

S. Ephrem. Paræn. 41.

III. *Quia idem Deus tot nobis beneficia contulit*; Unde S. Ephrem sic loquitur; Quousque tandem exacerbamus eum, qui tanta nobis bona donavit? Qui pulverem è terra capiens formavit hominem, & spiravit in eum spiritum vitæ? Qui cuncta subiecit sub pedibus suis, & nos dormientes custodit, & excitatos protegit, & esurientes nutrit, & nudos vestit, pusillanimes consolatur, corripit & miseretur, qui etiam filium suum unigenitum pro omnium vita tradidit.

§. VII.

MEDIA.

Engelgrav. in tt. 2. Panth. de Assump. B. V. §. 4.

I. *Spes præmij, propter fugam blasphemiæ, conferendi*; ita correctus est miles ad urbem Ostendam, qui adeò blasphemiis assuetus erat, ut ad singula verba iteraret; monitus sæpè dicebat, usu ita roboratam eam consuetudinem, ut dediscere nequiret. Tandem inopiâ pressus stipem petiit ab uno è Patribus nostris castrensibus, qui solitus erat eam egenis militibus præbere. Aureum illi nummum Pater promittit, si per horam se sequatur, castra & stationes militum lustrando, citra iuramentum: acceptat conditionem: Dum per transennam à sociis variè lacessitur, irritatur. Sacerdos præit, aureum illi ad hos insultus ostendens. Res mira! solus conspectus & spes aurei ita hominem cepit, ut consuetudinem omninò superârit.

§. VIII.

ASCETICA.

I. Imprimis nôsse debet Asceta, *quomodo blasphemia per Sanctos aut alias creaturas committatur*, id quod S. Thomas sequentibus verbis ostendit: Sancti ex vi sui status habent quasi intrinsecam habitudinem ad Deum, & ideo si contumeliâ afficiantur, iniuria transit in Deum ipsum; etiamsi hoc formaliter non intendatur,

tendatur, vel illa habitudo expresè non consideretur, sicut considerari posset, & deberet. Unde S. Thomas ait: Sicut Deus in Sanctis suis laudatur in quantum laudantur opera, quæ Deus in Sanctis efficit, ita & blasphemia, quæ fit in Sanctos, ex cõsequenti in Deum redundat. Quia verò obiicere quis posset, pari ratione futurã esse blasphemiam, si quis contumeliam aliquam proferat contra quamvis aliam creaturam, ideo cum eodem S. Thoma respondetur: Maledicere rebus irrationalibus, in quantùm sunt creaturæ, esse peccatum blasphemiæ.

S. Thom. 2. 2. q. 76. a. 2.

II. Nôsse debet, *unde oriatur gravitas blasphemiæ*, quod S. Bernardinus sic ostendit: In omnibus aliis peccatis, quæ fiunt maximè contra proximum, nullus intendit Divinam offensam, neque intendit se vindicare de Deo; sive committat homicidium, sive furtum, sive adulterium, sive quod simile crimen, imò potiùs cuperet homo huiusmodi operari, ita quòd non offenderet Deum; In blasphemia autem intendit homo directè offensam Dei, & de ipso se vindicare, qui nullam commisit, neque committere potest culpam.

S. Bernardinus tom. 1. ser. 41. a. 1. c. 1.

III. Nôsse debet, *cur blasphemantes Judæis deteriores à SS. Patribus dicantur*: nimirum ob sequentes causas. Prima, quia Judæi Christum in crucem egerunt, & dirè tractarunt, dum mortalis etiamnum esset, & in statu abiecto, paupere & vili nobiscum viveret: At verò blasphemans illum, in cœlis gloriosè regnantem iniuriâ afficit; adducitque quandam, ex Alexandro de Ales petitam rationem, qui ait: fit maior iniuria ratione maioris status, status autem regnantis in cœlis est maior ipsius regnantis in terris. Secunda ratio illius est: Judæi hoc fecerunt ex ignorantia; *si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* 1. Corinth. 2. blasphemus autem hoc perpetrat ex malitia. Tertia, eáque præcedentibus non minùs efficax, est: Judæi non promiserunt ei fidem, blasphemi autem in baptismate promiserunt, & in Chrismate confirmaverunt; ac proinde Deum illis apud Isaiam improperare dicit: *Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis; dereliquerunt Deum, blasphemaverunt Sanctum Israël.*

Idem l. c. a. 2. c. 3.

IV. Nôsse debet, *cur blasphemia neque in hoc sæculo, remitti dicatur, neque in futuro*; Nimirum quia, ut Hugo Victorinus ait: hoc malum nihil in se habet excusationis, non meretur habere executionem remissionis. Ubi notanda est dictio illa, executionem remissionis: quia tametsi Deus nonnunquam ad placandum, concedendámque ei commissarum in se culparum remissionem promptus esset, iusto tamen iudicio suo permittit, ne blasphemus promptâ hac eius voluntate utatur, quin potiùs ad recidivam subitò redeat. S. Bernardinus quendam textum S. Joannis adducit, dicens: Spiritus blasphemiæ non remittitur, ideo vocatur peccatum ad mortem; Unde 1. Joan. 5. dicitur: *Est peccatum ad mortem, non dico, ut pro eo, quis roget*, id est, quilibet, quia necesse est, ut magni meriti sit, qui huius sceleris remissionem impetrare valet, cuius ratio est, quia tanta cæcitate obtenebratur mens talis, maximè iudicio Dei, in puncto mortis, quòd peccatum suum nullo modo cognoscere potest, unde pervenire ad veram pœnitentiam possit. Juxta illud Levitici cap. 20. *Qui maledixerit Patri*, id est Christo, & Deo, *vel Matri*, id est, Virgini, vel Ecclesiæ triumphanti, *extinguetur lumen eius in mediis tenebris*! id est, in puncto mortis. In alio quoque sermone, qui est in Tom. 4. serm. 13. idem Sanctus textum illum S. Matthæi: *Non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro*, ponderans ait: Quia propter eius ingratitudinem in puncto mortis non recordatur pœnitendi se, & isto modo remanet damnatus, quia est extra gratiam Dei, & est peccatum in Spiritu Sancto.

Hugo Victor à S. Bernardino l. c. citatus.

§. IV.
MISCELLANEA ET CONCEPTUS PRÆDICABILES

I. Machometus infidelissimus canis in Alchorano suo præcepit, quòd quicunque Deum & Christum, & etiam B. Virginem blasphemaret, medius divideretur; Retulit mihi quidam frater de Ordine socius noster, unum Saracenum in Terra Sancta graviter fuisse punitum ab officiali Pagano, eò quòd verbum inhonestum contra Virginem protulisset. Quanta igitur Christianismi indignitas erit, quòd minorem reverentiam & respectum Deo, & Beatissimæ Virgini deferat.

S. Bernardinus to. 1. serm. 41. a. 3. c. 3.

II. Si quis lupum cooperiat pelle ovinâ, quomodo cognoscas illum, nisi aut per vocem, aut per actum? Ovis inclinata deorsum balat, lupus in aëra convertit caput suum contra cœlum, & sic ululat. Qui ergo secundùm Deum vocem humilitatis & confessionis emittit, ovis est: qui verò adversùs veritatem turpiter blasphemiis ululat contra Deum, lupus est, sicut dicit Propheta de illis: *Iniquitatem in excelso locuti sunt, posuerunt in cœlum os suum.*

Auth. imp. hom. 19.

III. Ex duobus illis famosis latronibus, qui eorundem erant criminum rei (*in eadem damnatione es*) quique Christo crucifixo æque vicini in crucibus suis hærebant, illique sanguini, qui in salutem & redemptionem peccatorum etiam obstinatissimorum tanta cum aviditate bulliebat, æque proximi erant, unus ex sanguine illo vitam consecutus est æternam, alter verò nullum illius in se effectum sensit. Sed quænam fuit huius in duobus hisce latronibus diversitatis ratio? scio equidem multorum opinionem esse, quòd, quia bonus latro ex illa crucis Christi parte crucifixus pendebat, in qua Beatissima Virgo, quæ refugium est peccatorum, subsistebat, ideo ipsa pro eius conversione apud filium suum intercesserit; At verò cur eadem Sanctissima Virgo, cuius intercessio adeò est liberalis & efficax, ut etiam alteri latroni reprobo pœnitentiæ donum facili negotio impetrare potuisset, non pariter illi latroni patrocinata fuit? Ideò id facere omisit, quia is non merebatur, ut patrocinio eius frueretur, siquidem is unà cum aliis Filium eius pariter blasphemavit:

Mansi disc. 5. n. 15.

Unus autem ex his, qui pendebant, latronibus, blasphemabat eum dicens: *si tu es Christus, salvum fac temetipsum & nos*: Alter verò non item, quin potiùs: *Respondens autem alter increpabat eum, dicens. Neque tu times Deum, qui in eâdem damnatione es; nos quidem iustè, nam digna factis recipimus, hic verò nihil mali gessit.* Atque ideo patrocinium Mariæ iure promeruit, quia tametsi ipse quoque ante blasphemâsset, hoc tamen eo tempore factum est, quo lumen & notitiam Dei non habebat: protinus verò ut eum cognovit, blasphemiam in eum evomere tantoperè horruit, ut ad consodalem suum asperè reprehendendum, Zelo se ardentissimo obarmârit.

IV. Participes sunt Prælati & animarum Rectores (intellige tam quoad culpam, quàm quoad pœnam) qui, si in correptione huius sceleris sunt negligentes, Iudæis sunt deteriores, qui auditâ blasphemiâ lapidabant blasphemantem; si hoc agere non poterant, aures obturabant, vestes scindebant. In hoc scelere participes sunt Domini, & regimina civitatum habentes, de correctione huius vitii non curantes; quid enim si in terra sua Idololatriam sustinerent, nonne æstimaretur horrendum? tamen blasphemia in hoc deterior est, quia Idololatria honorem suum Deo aufert, sed ultra hoc blasphemia contumeliam eidem infert. *S. Bernardinus to. 1. ser. 41. c. 4.*

TITULUS X.

CASTITAS.

§. I.

Quoad Essentiam.

22. q. 151. art. 1. ad 1. I. Uxta S. Thomam castitas est virtus, quâ homo secundùm iudicium rationis, & electionem voluntatis, moderatè utitur corporis membris: cui adiuncta est pudicitia, quæ re ipsâ eadem est ac castitas, quamvis propriè externas actiones hominis ad honesti normam dirigat. Virginitas verò à S. Augustino describitur: in carne corruptibili incorruptionis perpetua meditatio. Per meditationem intelligitur propositum, in quo perpetuò virgo perseverat. Hinc adiungitur proxima viduarum continentia.

Apud Lauret. op. 4. n. 118. II. S. Bonaventura castitatis gradus sic enumerat, aitque, Primum Gradum esse continentiam ab actu carnali, cum proposito manendi, & omnibus illicitis motibus consensum negandi. Secundum gradum ait esse, cùm maceratione carnis, & per alia studia spiritualia, affectus ita mundatur, & caro ita spiritui subiugatur, ut rariùs tentetur & mitiùs. Tertium ait esse, ita edomitas habere carnis concupiscentias, quòd vix rarissimè & tenuissimè sentiantur. Et ex affectu talis induitur castitatis amor, ut horreat, & ita detestetur omnes carnales motus, quòd quasi nauseam inde patiatur, nec possit audire tractari de operibus carnis, nisi cum horrore cordis, & extorsione. Si verò pro utilitate aliorum, de Matrimonii casibus aliquid tractandum occurrerit (ut in confessione, Scholasticis lectionibus, & studiis rerum talium ad scienda peccata necessariis) ità quietos motus suæ carnis sentiat, ac si de luto vel lapidibus, vel similibus tractetur. Et cùm per soporem humoris (id est, seminis) abundantia naturaliter se resolvit, ita quietè & insensibiliter profluat, ut nec turpium phantasiarum imaginationibus illudatur, nec in sensu fœdæ delectationis titilletur. Ita perfectæ castitatis distinctio, prout in hoc peccati corpore potest haberi, à viris perfectissimis obtinetur. Ut autem stabiliter in hoc gradu, & continuè perseverent, puto, ad hoc requiri privilegium singulare. Quod etiam confirmans Abbas Chæremon apud Cassianum, hæc, ait, probare, utrùm possibilia sint, certo examine definire poterit nemo, nisi per experientiam longam, & puritatem cordis, ad confinia carnis ac Spiritûs, verbo Domini dirigente, pervenerit. *Cass. col. 12. c. 8.*

§. II.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Qualitas.

I. PUritatis hoc erit evidens indicium, ac plena probatio, si vel nulla imago decipiens quiescentibus nobis, & in soporem laxatis occurrat, vel certè interpellans, nullos concupiscentiæ motus valeat excitare. Licet enim ad plenam peccati noxam talis commotio minimè reputetur, tamen needum perfectæ mentis indicium est, nec ad purum excocti vitii manifestatio, cùm per fallaces imagines huiusmodi operatur illusio. *Cass. l. 6. Instit. c. 10.*

II. Pudicus est ille, qui in somnis nullum motum, nullámque status sui mutationem sensit: qui & in somnis perfectam semper insensibilitatem in corporum specie, & varietate possidet. Hæc regula est perfectæ consummatæque castitatis, ut ita animata, sicut inanimata intueamur, atque ita rationalibus, sicut brutis corporibus afficiamur. Initium quidem castitatis est, cogitationibus sordidis non acquiescere, atque per intervalla temporum obscœno liquore illo simpliciter, & absque ulla imaginationis illusione respergi: medium verò naturalibus motibus ex repletione ciborum advenientibus absque imaginibus (scilicet phantasmatibus *S. Climacus grad. 15.*

maribus imaginationis) inquietari; ita tamen ut ad fluxum usque illi non perveniant: Finis mortificare corpus, iam anteà mortuis cogitationibus sordidis. Felix revera est, qui ad omnem colorem corporis, atque aspectum perfectè insensibilis effectus est. Magnus ille est, qui nullâ ex tactu passione movetur. Maior verò, qui nullo aspectu vulneratus est, atque cogitatione supernæ pulchritudinis igneum spectaculum vicit.

III. Hæc est consummatio castitatis, ut vigilantem Monachum oblectatio libidinis nulla pertingat: ut quiescentem somniorum non fallat illusio, sed cùm dormienti tantùm per sopitæ mentis iniuriam commotio carnis obrepserit, quemadmodum sine ulla titillatione voluptatis excitata est, ita & sine ullo pruritu corporis conquiescat.

Utilitas.

S. August. l. 10. conf. c. 19. IV. Per continentiam colligimur, ac redigimur in unum, à quo in multa defluximus. Hoc autem unum Deus est, summum ac solum bonum, quo amando nos quoque boni, & quo fruendo beati sumus. Aptissimè etiam Nazianzenus castitatem laudans, ut aqua, inquit, quæ plumbeis canalibus inclusa defertur, quia multùm comprimitur, & conglobatè voluitur, in altum erumpit, suprà naturæ suæ pondus; sic si anima per continentiam totum suum amorem strinxerit, nec in creaturas diffluere patiatur, sed eum in Deum effundat, sursum tendet, nec unquam humi prolabetur.

S. Nazianz. Orat. 36.

Dignitas.

S. Cypr. de hab. Virg. V. Quod futuri sumus, vos iam esse cœpistis; vos resurrectionis gloriam in hoc seculo iam tenetis, per seculum sine seculi cogitatione transitis, cùm castæ perseveratis, ac virgines, Angelis Dei estis æquales.

S. Ambros. lib. 1. de Virg. VI. Quis humano eam posset ingenio comprehendere, quam nec natura suis inclusit legibus? aut quis naturali voce complecti, quod suprà usum naturæ sit? è cœlo accersivit, quod imitaretur in terris. Nec immeritò vivendi sibi usum quæsivit è cœlo, quæ sponsum sibi invenit in cœlo. Hæc nubes, aëra, Angelos, sideráque transgrediens; Verbum Dei in ipso sinu Patris invenit, & toto hausit pectore. Nam quis tantum, cùm invenerit, relinquat boni? Postremò non meum est illud; quoniam quæ non nubunt, neque nubentur, erunt sicut Angeli Dei in cœlo. Nemo ergo miretur, si Angelis comparentur, quæ Angelorum Domino copulantur.

S. Cassianus lib. 6. c. 6. VII. Quodammodo exire de carne est, in carne commorantem, & ultra naturam est, fragili carne circumdatum, carnis aculeos non sentire. Et idcircò impossibile est, hominem suis, ut ita dixerim, pennis ad tam præcelsum, cœlestéque præmium subvolare, nisi eum gratia Domini de terræ cœno munere eduxerit castitatis. Nullâ etenim virtute tam propriè carnales homines spiritualibus Angelis imitatione conversationis æquantur, quàm merito, & gratiâ castitatis; per quam adhuc in terra degentes habent, secundùm Apostolum, municipatum in cœlis, quod depositâ corruptelâ carnali habituros Sanctos promittitur in futurum, hic iam in carne fragili possidentes.

VIII. Videtis rei huius præstantiam, atque sublimitatem; propemodum enim talis reperitur, ut concipi, comprehendique prorsus nequeat. An non enim præstantius est quàm pro carnis fragilitate, id, quod ex carne creatum sit, in carnem non gignere? An non planè Angelicum eam, quæ carnis vinculis alligata sit, non secundùm carnem vivere, sed naturâ excelsiorem esse? Caro cum mundo revinxit, sed ratio ad Deum subvexit. Caro depressit, sed ratio extulit, eique velut pennas addidit. Caro vinculis adstrinxit, sed amor solvit. Igitur nisi planè cæci esse volumus, sed potiùs recto iudicio uti, quæ maior videri potest dignitas, quàm castitatis, quæ non dicam Regibus, ac dynastis, quod homines tanti æstimant, sed illis supernis Principibus, ac potestatibus nos exæquet. S. Greg. Naz. Hom. in Matt.

IX. Sola est castitas, quæ in hoc mortalitatis loco, & tempore, statum quendam immortalis gloriæ repræsentat. Sola inter nuptiarum solemnia morem beatæ illius vendicat regionis, in qua neque nubent, neque nubentur, præbens quodammodo in terris cœlestis iam illius conversationis experientiam. Vas interim fragile, quod portamus, in quo & crebrò periclitamur, tenet castitas (ut monet Apostolus) in Sanctificationem, & instar odoriferi balsami, quo condita cadavera incorrupta servantur. Sensus ipsa, & artus continet, & constringit, ne dissolvantur otiis, ne corrumpantur desideriis, ne carnis voluptatibus computrescant, quemadmodum legitur, de quibusdam, quia computruerunt, ut iumenta, in stercore suo. S. Bern. epist. 42.

X. Quâ re differebant ab Angelis Helias, Helisæus, Joannes, veræ amatores integritatis? Nullâ, nisi quòd mortali naturâ constabant. Nam de cætero si quis diligenter inquirat, hi nihilo aliter affecti reperirentur, quàm beati illi Spiritus, & idipsum quo inferiore videntur esse conditione, in magna est eorum laude ponendum. Ut enim terrarum incolæ, & ii, qui essent mortali naturâ, possent ad illam virtutem vi & studio pervenire, vide, quantâ eos fortitudine, quantâ vitæ ratione præditos fuisse oporteat. S. Chrysost. de Virg. c. 79.

XI. Et hi profectò, qui continentiam servant, Angeli sunt, qui viventes in carne corruptibili mortalium vitam illustrando tuentur. Sunt autem Angeli non ex infimo quovis ordine, sed certè illustrissimi ac nobilissimi. Illi enim carneis nexibus liberi integritatem suam in cœlis servant, & loco, & naturâ inviolabiles, & apud summum regem omnium Deum constituti; At verò illi in terra carnis illecebris, & voluptatibus diu reluctantes, ac diaboli tentamenta perpetuâ exercitatione vincentes, incorruptionem Angelicæ puritati parem, virtute præcipuâ ante Creatoris oculos custodierunt. S. Basilius apud Platum l. 2. c. 4.

XII.

S. Leo ser. 4. de Passione. XII. Nihil est in omnium virtutum dignitate præstantius, quàm pietas misericordiæ, & puritas castitatis, his, tanquam duabus elevatis alis, de terrenis cœlestes esse meremur,

S. Paulin. ep. 4. ad Severum. fine. XIII. Christi nisi morte commoriar, resurrectione non vivam, ergo illum amemus, quem amare debitum est; illum osculemur, quem osculari castitas est; illi copulemur, cui nupsisse virginitas est; illi subiiciamur, sub quo iacere supra Mundum stare est; propter illum deiiciamur, cui cadere, resurrectio est; illi commoriamur, in quo vita est.

Jucunditas.

S. Basilius c. 1. constit. Monast. XIV. Quicunque à Mundi vinculis liber esse cupit, coniugium velut compedes quasdam profugere debet, & Deo vitam suam consecrare, & castitatem profiteri, Qui enim huiusmodi est, cùm Deum solum sibi amandum proposuerit, eiusque puritatem, & tranquillitatem omnis perturbationis expertem, & quæ ex his nascitur, lætitiam & gaudium degustare optet, in eo tantùm versatur, ut ab omni materiæ concretione, & corporis affectione animum quàm maximè abducat, & cœlesti lumine insatiabiliter hausto, puris oculis, nullâque caligne præpeditis, divina contempletur.

S. Ephrem. t. 1. ser. de castitate. XV. O Castitas, quæ cor possidentis te lætificas, & animæ ad cœlestia alas adiungis! O Castitas, quæ passiones minuis, & animum à perturbationibus liberas! O Castitas, quæ iustos illuminas, & diabolo tenebras offundis! O Castitas currus spiritalis, possessorem suum in sublime evehens! O castitas, quæ rosæ instar in medio animæ, & corporis, flores, universámque domum odoris fragrantiâ reples.

§. III.
EXEMPLA SACRA.

S. Athanas. in vita. I. EST insigne pudoris exemplum in S. Antonio, qui Lycum flumen vado transmissurus, cùm nudandi essent pedes, iussit Theodorum vitæ comitem, longiùs à se abesse; sed ne hoc quidem pudori eius satis fuit, siquidem ipse aliquid sui nudum videre erubescens, veste se exuere non potuit: Id quàm superis gratum esset, Deus miraculo testatus est, qui famulum suum momento in adversam ripæ partem intactâ aquâ transvexit.

Ribad. 9. Iulii ex Metaph. II. S. S. Julianus & Basilissa celebratis ritè nuptiis, cùm prima nocte utriusque consensus mirabiliter ad illibatum pudicitiæ florem Deo servandum conspirâsset, mira quædam toto cubili afflata est odorum suavitas, affulsit amœna lux, & in luce cœlitum chori duo, quorum alteri, qui erat masculorum, Christus, alteri puellarum Virgo Mater præsidebat? Et ille quidem suavissimo concentu ita cœpit applaudere: vicisti Juliane, vicisti. Tum alter subdidit: Benedicta Basilissa, quæ sanctis monitis aures præbens, & animum, vanas despexit illecebras, & æternâ vitæ cælestis laureâ dignam se reddidit. Sub hæc viri duo ex cœlesti turba niveâ induti veste prodeuntes, inter utrumque coniugem, novo cœlestis amoris vinculo, stipulatâ manu, castum innovant coniugium: Interim alio quodam canitie venerabili librum offerente, in quo aureis exarata literis legebatur: Quicunque obsequii divini causâ mundi infamis voluptatibus nuntium remittet, ut fecisti, Juliane, in album eorum, qui cum mulieribus non sunt coinquinati, refertur. Basilissa verò pro eo, quòd illibatam corporis sui innocentiam servare intendit, virginum numero apponetur, cuius principem locum tenet Maria Mater Jesu.

Io. Rho. l. 7. c. 3. exemp. 3. III. De Pasquale Baylon, Ord: Min: in hæc verba scribit Joannes Rho: Verberare servilem in modum (hostem domesticum) sat habuit Baylon, & in officio continuit, quùm enim de adolescente, qui iam tum inter pastores, à quorum mapalibus ad Francisci castra se transtulit, famâ esset pudicitiæ celeberrimus, rogaret perquàm familiariter gregalium unus, num hoc bello, ex quo tam pauci abeunt Victores, & ipse peteretur? Ille quidem, respondit, minimè quietum esse hostis permittit, ego verò viminibus armatus eum tamdiu verberibus castigo, donec satis habens, quod doleat, otium libertatémque meam perturbare non possit. Verum illud Ægidianum hîc tenuit, invadentem molossum, morsúq; appetentem fuste abigere oportere.

Idem ex. 4. IV. S. Carolum Borromæum eduxerant importunè in suburbanum viri Principes, &, quæ temporum ante Tridentinam Synodum obtinebat licentia, mulierculam in comitatu clam habebant, quæ formâ excellenti in Principum decus abuteretur? hæc enim ineptis ac prophanis hominibus expeditissima ratio visa est, Caroli ab eâ tristi, ut ipsi quidem interpretabantur, severitate, quam ab Ignatii commentationibus hausisset, evocandi. Solus, dilapsis de industria comitibus, in cubiculo quùm sub noctem relictus esset, adfuit occultis submissa scalis, veluti ex inferni machina, procax mulier, iámque blanditias addebat; sed Carolus, quem improvisa res paululùm defixerat, suos illicò austeriori voce inclamat, ac pestem illam irarum plenus abigit, abominatúsque tectum, quod periculo, ac fraudi senserat opportunum, insterni equos iubet, in urbem reverti se velle. Abiit profunda iam nocte, nullisque precibus de sententia potuit dimoveri, quasi maiores nusquam tenebras offensurus, quàm ibi reliquisset.

Ibidem exempl. 12. V. Severiùs sibi agendum censuit Laurentius Fuccinensis, Capucinus, veterísque moris exempla revocanda, quùm Forolivii Concionatoris partes ardentissimè sustineret, suam illa orationem, quam sequenti die ad populum haberet, multa iam nocte parabat, cùm pulcherrima, flagitióque prompta, se in cubiculum fœmina penetravit, hominémque ad libidinem provocare ausa est. Id quorundam scelere factum deinde innotuit, qui in libidinum sordes vehementissimè declamantis Laurentii auctoritatem eâ se machinâ subvertere posse confidebant; At Laurentius ubi periculum, & flammam

mam circa se animadvertit, libris intentus, immotúsque, ac si nihil acturus esset, scorto ne quidem appellato, digitum lucernæ flammæ admovet, constantérque in illa habet, donec caro difflueret, incredibili animi pariter corporísque patientiâ, satiùs duxit, totum digitum igne perdere, quàm vel levi afflatu castitatem amburi.

Ibidem exempl. 12. VI. Bonaventura Regiensis Capucinus, non suo, sed alterius dolore impudicas, quibus illa exarserat, flammas extinguendas sibi duxit, Bernardini Senensis, opinor, exemplum secutus. Seductum in conclave sceleri opportunum, de stupro impudica, , & nobilis Matrona procacissimè compellabat, quùm prompto ferreis ex catenulis flagello impudicæ os, & quà membra ictibus patebant, validè verberans, adductáque fronte, ac truci voce terribilis audaciam, ac petulantiam increpitans, egregio adversùs libidinis insaniam medicamento, ab ea cogitatione in concepti ac designati flagitii dolorem saluberrimum dedit, sive ipse geles, sive flammas procul submoveas, tantumdem est.

Ib. exempl. 13. VII. Ut nulla tuta sit ætas, maximè tamen periculis obnoxia est adolescentia; cui, quasi verò domestico igne non satis arderet, consceleratis hominibus faces subdere ludus est, ineptíque habentur, qui ardere nolunt. Sed horum insana iudicia insuper, quùm haberet Antonius Caraffa adhuc adolescens (is, qui deinde Cardinalis factus, Vaticani Senatûs sapientiæ famâ diu Princeps fuit) placuit impuris nebulonibus constantiam experiri. Puellam formâ egregiam, & sermonis procacem comptam, ornatámque, quantùm impudicæ satis erat, in Antonii cubiculum adhuc in lectulo quiescentis summo mane immittunt, multis oneratam promissis, si pelliceret ad amplexus. Nec leve Antonii periculum fuit; etenim ad primum aspectum exiliens, ad ostium, quum accurrisset, illud suorum fraude occlusum invenit; quùm voce contentissimâ famulos inclamâsset, nemo respondit; nec illa interim sibi deerat, sed omnibus agebat blandimentis, totáque meretriciâ arte pugnabat. Quid faceret deprehensus, suóque in cubiculo veluti constrictus, hostíque traditus adolescens? Caminum ibi habebat, in eóque priùs quàm se cubitum reciperet, luculentum ignem excitarat, nam hyeme summa initum certamen est. Ergo ad illum accurrit, batillóque usus, ingenti cineris nube, atque ardentium adhuc prunarum grandine, petulantis, ac cœptis instantis mulieris os, crines, sinum implet, ac semiustulatam egregiè fugat. Meruit castissimus adolescens, divinorum librorum scientiâ postea inclarescere; nam castis ea maximè patent adyta; prophani procùl arcentur.

Ib. exempl. 14. VIII. Adolescens quidam Paraquariensis iuerat socius seni exploratum, quæ vicinæ genti moribus perditissimæ, ac pro veteri barbarie adhuc in silvis agitanti mens esset, si de pago constituendo, Evangelióque recipiendo sermo inferretur. Verùm commercium statim abrumpentes barbari, nudas illicò fœminas utrique offerunt, & adolescenti præcipuè puellam, principis inter suos filiam, formæ ut id loci pulcherrimæ, sed libidinis proiectissimæ, illásque, negatâ spe reditûs, ducere, ac sibi habere iubent; ni pareant, præsentem utrique mortem, ac laniatum, in feralium usum epularum, superbissimè comminantur. Non semper pro ætate virtus est; senex turpiter succubuit, novúsque ex marito (nam uxorem domi habebat) adulter, imperata facturum se, & cum illis se futurum spopondit, Adolescentis animus, neque imminentis necis crudelissimæ terrore, neque blandientis voluptatis, quæ plurima in oculos incurrebat, dulcedine victus, & datam coniugi fidem, & paulò antè susceptam Religionem vitæ præhabuit. Nam & nudam puellam vel aspicere non sustinuit, séque apud consceleratos esse posse tanto cum animi discrimine, pernegavit. Itaque constans animi, instigante puellæ patre, qui repulsam filiam indignissimè ferebat, à barbaris cæditur, ac immanissimè devoratur. Quo in facto, & quantùm à se ipso per vitia degeneret, quantúmque supra se virtute attollatur humanum genus, egregio in utramque partem experimento, comprobatum est.

R. P. Lohn. Auctar. Bibl.

Ibidem exempl. 15. IX. Nomen in Annalibus non legimus hominis in hoc bello nobili victoria longe clarissimi. Pugna hæc fuit. Duodecimo ab urbe Limâ lapide Idolum libidinis (nos Venerem diceremus) colebant Peruani, contra tam nefariam pestem eo in pago per quatuor integros dies declamavit ex Prædicatorum Ordine Sacerdos, qui tantam iniuriam Divinitatis non ferret, multósque à nefario cultu dimovit. Ubi Limam reversus est, eum aggreditur Satanas, obiectáque pulcherrimæ puellæ specie noctu ad flagitium omni nequitiarum arte sollicitat, sed ille flagello depugnans domesticum hostem continuit, admonuítque, ne lascivire vellet. Postridie illius noctis ad pagum redeunti nunciant Indi, eâ nocte auditas esse voces Dæmonis, flagellari se queritantis, eáque verbera minaci prece deprecantis. Rem porrò indignam videri tantam Deo suo illatam ab eo esse contumeliam. Risit in sinu Sacerdos lætus, quòd iis flagellis, quibus se ipse ceciderat, satanas tam luculenter vapulâsset. Id quamquam non semper queritur dœmon, semper tamen dolet.

X. S. Vitalis, à S. Ruperto secundus in Salisburgensium numero Episcopus, eâ fuit castimoniâ, ut ex castissimo eius iam sepulti pectore candidissimum lilium per ipsa se tumuli marmora, & munimenta in lucem penetrarit, Præsulísque integerrimi virgineam mentem, corpúsque ab omni labe intactum mundo prodiderit. *Rader. in Bavaria sancta vol. 1. pag. 86.*

XI. Noë continentiam servavit per quingentos annos, cùm autem 500. esset annorum, Deo inspirante nupsit, & genuit tres filios, Sem, Cham, & Japhet. *S. Chrysost. in Hom. 23. in Gen.*

Mulierum.

S. Gregorii l. 4. Dialog. c. 13.

XII. Gothorum tempore huius urbis nobilissima puella Galla Symmachi Consulis ac Patricii filia, inter adolescentiæ tempora marito tradita, unius anni spatio eius est morte viduata. Quam dum ferventе mundi copia ad iterandum thalamum, & opes, & ætas vocarent, magis elegit spiritualibus nuptiis copulari Deo, in quibus à luctu incipitur, quàm carnalibus nuptiis subiici, quæ à lætitia semper incipiunt, & ad finem cum luctu tendunt. Huic autem cùm valdè ignea conspersio corporis inesset, cœperunt Medici dicere: quia, nisi ad amplexus viriles rediret, calore nimio contra naturam barbam esset habitura, quod ita post factum est. Sed sancta mulier nihil exterioris deformitatis timuit, quæ interioris sponsi speciem amavit, nec verita est, si hoc in illa fœdaretur, quod à cœlesti Sponso in ea non amaretur. Mox ergo ut eius coniux defunctus est, abiecto sæculari habitu ad Omnipotentis Dei servitium se se apud Beati Petri Apostoli Ecclesiam monasterio tradidit, ibique multis annis simplicitati cordis, atque orationi dedita, larga indigentibus eleemosynarum opera impendit. Cùmque Omnipotens Deus perennem iam mercedem reddere eius laboribus decrevisset, cancri ulcere in mamilla percussa est. Nocturno autem tempore ante lectum illius duo candelabra lucere consueverant: quia videlicet amica lucis non solùm spirituales, sed etiam corporales tenebras odio habebat. Quæ dum nocte quadam ex hac eadem iaceret infirmitate fatigata, vidit B. Petrum intra utraque candelabra, ante lectum suum astitisse, nec perterrita timuit, sed ex amore sumens audaciam exultavit, eique dixit: Quis es Domine mi: Dimissa sunt mihi peccata mea? Cui ille, benignissimi ut est vultûs, inclinato capite annuit, dicens: dimissa, veni. Sed quia quandam sanctimonialem fœminam in eodem monasterio præ cæteris diligebat, illicò Galla subiunxit: Rogo, ut soror Benedicta mecum veniat. Cui ille respondit: Non, sed illa talis tecum veniat. Hæc verò, quam petis, die te erit tricesimo secutura. His ergo expletis, Apostoli visio assistentis & colloquentis ablata est. At illa protinus cunctæ congregationis matrem accersivit, eique quid viderit, quidvè audierit, indicavit. Tertio autem die cum ea, quæ fuerat iussa, soror defuncta est. Illa verò, quam poposcerat, tricesimo die subsecuta est. Quod nunc usque in eodem Monasterio manet memorabile. Sicque hoc à præcedentibus Matribus traditum, narrare illic subtiliter solent iuniores, quæ nunc sunt sanctimoniales Virgines, ac si illo in tempore huic tam grandi miraculo & ipsæ affuissent.

Cantiprat. lib. 2. cap. 30. part. 37.

XIII. Erat homo (ut frater Ordinis Prædicatorum retulit) faber lignarius, admodùm tenuis, uxorem habens pulchram & bonam. In hanc dives quidam pecuniâ, sed inops corde, oculos iniecerat impudicos. Missa ergò ab eo vetula nefanda, intrat domum iuvenculæ, salutat eam, quasi incognitam, residet ad ignem. Nec mora, circumductis oculis, fatigatam se plangit. Quærit hinc iuvencula, unde veniat, aut quid quærat. Et vetula: Si ipsa iis nescio talis nominis, talisque matris filia, quam habere me credo in ista vicinia consobrinam. Cui iuvencula: si sum, nescio, tali quidem nomine censeor, & etiam habui talem matrem. Tunc vetula illa dolo & astutiis plena, ruens in oscula iuvenculæ, benè, inquit, assimilaris matri tuæ. Tu autem qualem virum habes? Cui illa: Bonum, inquit, opere fabrum lignarium. Mox vetula altiùs elato gemitu: Heu, inquit optimæ matris filia, quomodo ad istam miseriam venisti, ut fabrum habeas virum, quæ tot in parentela tua magnos & divites habuisti? Hæc dicens quasi mœsta, nil amplius locuta recessit. Inde quarta die reversa inquit: Verè multùm sollicitor, ut post infortunium saltem copiosiùs rebus valeas abundare. Inveni ergo viam, quâ hoc fieri poterit, si mihi consentis. Est in civitate ista vir dives & potens valde, qui te (ut heri mihi dixit, cùm tuum infortunium deplorarem) super omnia diligens, concupiscit. Cum isto ubertim habebis, quidquid corpori placere poterit, & decere. Cui iuvencula: Bonum, inquit, virum, & meliorem me habeo. Divitias autem cum peccato augere non cupio. Cui vetula quasi blando vultu congratulans, Et hinc inquit, magis te diligo charissima. Hæc dicens abiit. Et post triduum reversa dixit. Veni mecum charissima, & Ecclesiam pariter gloriosissimæ Virginis visitemus. Nihil mali suspecta simplex iuvencula, paret illi, & cum vetula vadit. At ubi ante portam divitis transeunt, ut prærordinaverat vetula, iuvencula rapitur, & protrahitur in conclave. Angustiata iuvencula, & eminus ad aures vetulæ se inclinans, ait: Mihi hac nocte contigit secundùm consuetudinem fœminarum. Ad horam nunc liberes me cognata dulcissima, & fide data spondeo cras redire. Annuit vetula, consensit & dives. Hinc ergo iuvencula domum rediens, quid fiat, excogitat. Præparat de vicinia tres fortes & validas fœminas, & eas cum scopis clam in thalamo collocavit, & quasi vellet melioribus vestibus indui, venientem vetulam velut ad suum auxilium, introduxit, firmatóque ostio concurrunt fœminæ, & nudatam vestibus, percutiunt scopis miseram usque ad sanguinis effusionem. Nec cessant à verberibus, donec eluctuato conamine vetula ostium exilivit, & nuda penitus per plateas aufugit: Mirantibus cunctis, quid factum sit, audiunt, & constantem in castitate iuvenculam per totam civitatem extollunt, plùsque lucrata est in honore & gloria bonæ famæ, quàm fuisset in omnibus copiis & divitiis adeptura.

XIV. Cùm Otho IV. Imperator Florentiæ esset, & inter multas formâ, atque ætatis flore insignes fœminas Gualdratam Bertham, ipse plurimùm laudaret puellæ Pater, qui aderat, Bellincionus nomine, obtulit facturum se, si ita eius ferret animus, ut deosculandæ puellæ copiam haberet, quod cum puella audisset, respondis-

Specul. exempl. V. castitas. exempl. 14.

spondissetque: Nullius unquam, nisi eius, qui vir suus esset, suavium accepturam, adeò modesto Principi ea res placuit, ut indignum duceret, sine præmio puellam dimittere. Itaque eam in matrimonium Guidoni germano locavit, viro non solùm armis atque virtute, verùm generis quoque nobilitate insigni, & totam eam vallem, quæ sub Cassentini nomine, in Aretino agro censetur, cum Comitatûs honore utrisque dedit. A quibus postea familia manavit, quæ Comitum Guidorum nuncupata est.

Io. Rho. l. 7. c. 2. ex. 4. XV. Non interfuit narrantium, nomen tradere Hispanæ mulieris, cuius virtutem audire frugiferum erit, opinor. Dum transeuntem cum fortunæ suæ pompâ Philippum Regem eius nominis II. è fenestrâ intectа mammas incautiùs spectat, visa ab eo est, atque ut erat formæ eximiæ, adamata; nec subitus Regis ardor clam fuit Aulico ex illis uno, quibus talia rimari haud dubius fortunæ fundus est; Itaque ad mulierem adit, atque in aulam invitat. Illa, cui castitas cum formâ certaret, dicti fœditatem aversata, interrogat tamen, quid ita se unam Rex elegisset, quid ve ex sua forma illi carum magis. Ubi nives pectoris, & mammarum ebur audivit arrisisse: Hîc ego, inquit, compta mox adero, & hæc ipsa pars mundo, atque arte muliebri crescet ad pulchritudinem, & simul se in cubiculum abdit. Ibi ferventi latice pectus ac mammas perfundens, quidquid Regis animum corrupisse indignabatur, generosa corrumpit, ac præclarè victrix in aulam progrediens, nudato pectore, cuius iam forma decoxerat, lenonem increpuit: Hæccine tam fœda pectoris species Regis oculos icit? Nec plura opus fuit dicere. Perierant nives, quibus frigidior, abiit stupri conciliator, se, artémque suam victam esse confessus.

Ibid. ex. 5. XVI. Gravis profectò est hostis Regum libido, adversùs quam castæ Matronæ etiam igne pugnandum fuit. Hæc quamquàm paulò antiquioris ævi, quia tamen minùs Latinis, quod sciam, literis est cognita, his nostris fuit consignanda; nam plurimis quamvis agamus exemplis, vereor, ut satis munire possimus. Quùm igitur sibi à Regis libidine periculum imminere sentiret, quòd nullum faceret rogandi finem (& Regum preces imperiis ipsis magis validæ sunt) faciem, cuius formâ Regem captum esse, non ignorabat, titione non uno in loco adussit, eóque seminigro igne pulchritudinem omnem oblitteravit. Sed non ideo regius extinctus furor, veteris formæ quamvis confessa vestigia impotentiùs adhuc adamabat: Ergo ne post formam pudicitiam perderet, sanctioris, cui se clanculum addixit, vitæ religionem demum obiecit furenti, atque in latebras abdita hiantem delusit; docens, alienam etiam libidinem fugâ faciliùs vinci, quam pugnâ. Hæc sub Francisco meruit.

Iuvenum.

Bandaus in flore Mystico orat. 5. pag. 569. XVII. S. Thomas Aquinatium Comes in ætatis flore, titione propudium abegit. Bernardus incondito clamore scortum repulit. Bernardinus integerrimâ pudicitiâ adolescentulus floruit. Edmundus Cantuariensis ad illicita pertrahentem fortissimè profligavit. Iacobus Regis Lusitani nepos mortem subire, quàm castitati contraria patrare elegit. Item Casimirus Poloni Regis Filius mortem oppetere potiùs, quàm Legem continentiæ Virgineæ violare voluit. Michaël Verinus Poëta Hispanus, qui vix octodecim annos natus pudicitiæ servandæ studio vitam contempsit. Robertus Cardinalis Nobilius, qui carnis integritati iacturam vitæ posthabuit. Ex eadem familia Robertus Cardinalis Bellarminus, qui, quam à matre Virginem carnem acceperat, quam à Sacro Lavacro innocentiam, Deo reddidit. Nicetas iuvenis speciosissimus, vinctus in strato, præcisam morsu linguam cum sanguinis profluvio in provocatricem est iaculatus. Pelagius puerulus Hispanus, à Rege barbaro de turpitudine, identidem appellatus, cùm precibus vinci non posset, & vis adhiberetur, procaci ac libidinoso Principi pugnos in faciem impegit. Ludovicus Cathalaunensium Episcopus corpore perquam venusto, sed æquè pudico, qui à Regina opportuno loco ad flagitium invitatus, ita torvùm est intuitus procacem fœminam, ut territa se subduxerit; cuius oculus post quadringentos & ampliùs annos in cadavere lucidissimè instar Crystalli splenduit.

R.P. Lohn. Auctar. Bibl.

Coniugatorum.

XVIII. Castitatem etiam in thoro coniugali servârunt Marcianus & Pulcheria. Valerianus cum Cæcilia. Julianus cum Basilissa. Edvardus Britanniæ Rex cum Editha. Henricus Imperator Deiparæ studiosissimus cum Cunegunde uxore perpetuam virginitatem coluit. Emericus S. Stephani Hungarorum Regis filius cum sponsa Regia carnis integritatem perpetuò illibatam custodivit. Pelagius Adolescens primâ nuptiarum nocte in ipso thalamo nuptiali sponsæ castitatem persuasit. Elzearius Comes & Dalphina pari consensu incorruptum virginitatis florem Deo consecrarunt. Quod etiam fecêre Chrysanthus & Daria in Italia. Ansbertus & Angadrisina in Gallia. Alphonsus II. Castellæ Rex, vocatus castus, cum Berta in Hispania. *Idem.*

Virginitatis.

XIX. Solebat Abbas Joannes non ad imitationis formulam, sed tantummodo pro admonitione proferre, quia quidam veniens ad prædictum senem habitu sæculari, cùm ei quasdam frugum suarum primitias detulisset, ferocissimo quendam dæmonio arreptum ibidem reperit. Qui cùm Abbatis Ioannis obtestationes, ac præcepta despiciens, testaretur se nunquam ad illius imperium, de corpore, quod obsederat, migraturum, huius adventu perterritus, cum reverendissima nominis illius inclamatione discessit: cuius tam evidentem gratiam senex non mediocriter admirans, eoque ampliùs obstupescens, quòd hunc in habitu cerneret seculari, cœpit ab eo vitæ, ac professionis eius ordinem *Cassianus collat. 4. part. 7.*

diligenter inquirere. Cùmque ille secularem se, atque uxorio vinculo obligatum esse dixisset, Beatus Ioannes excellentiam virtutis eius, & gratiæ, mente pertractans, quænam illi esset conversatio, attentiùs explorabat. Ille se rusticum, & quotidiano manuum opere victum quærere, nec ullius boni se esse conscium testabatur, nisi quod nunquam ante ad ruris opera manè exercenda procederet, neque vespere domum reverteretur, nisi in Ecclesia pro quotidianæ vitæ commeatu Largitori suo Deo gratias retulisset, neque se unquam de fructibus aliquid usurpâsse, nisi priùs Deo primitias eorum, ac decimas obtulisset, & nunquam se boves suos per alienæ messis traduxisse confinium, nisi priùs ora clausisset, ne vel parùm damni per iniuriam eius proximus sustineret. Et cùm hoc quoque Abbati Ioanni necdum ad comparationem tantæ gratiæ, quâ eum sibi prælatum esse cernebat, idonea viderentur, atque ab eo, quidnam esset illud, quod tantæ gratiæ meritis conferri possit, sciscitans scrutaretur, ille reverentiâ tam sollicitæ inquisitionis adstrictus, uxorem se parentum vi imperioque compulsum, cùm profiteri Monachum vellet, ante undecim annos accepisse confessus est, quam nemine etiam tunc conscio, sororis loco à se Virginem custodiri testabatur. Quod factum cùm audisset senex, tantâ est admiratione permotus, ut coram ipso publicè proclamaret: Non immeritò dæmonem, qui se despexerat, illius non tolerâsse præsentiam, cuius ipse virtutem non solùm in iuventutis ardore, sed ne nunc quidem sine discrimine castitatis auderet appetere.

S. Hieron. in vita S. Pauli Eremitæ.

XX. Sub Decio & Valeriano persecutoribus, quo tempore Cornelius Romæ, Cyprianus Carthagine, felici cruore damnati sunt, multas apud Ægyptum & Thebaidam Ecclesias sæva tempestas depopulata est. Votum tunc erat Christianis pro Nomine Christi gladio percuti. Verùm hostis callidus tarda ad mortem supplicia conquirens, animas iugulare cupiebat, non corpora, & ut ipse, qui ab eo passus est, Cyprianus ait, volentibus mori non dababur occidi. Cuius crudelitas sequenti exemplo notior fiet. Decius iuvenem quendam iuvenili ætate florentem in amœnissimos hortulos adduci præcepit, ibíque inter candentia lilia & rubentes rosas, cùm leni iuxtà murmure serperet rivus, & molli sibilo arborum folia ventus stringeret, super stratum plumis lectulum resupinari iussit: &, ne indè se excurere posset, blandis serico nexibus irretitum relinqui. Quò, cùm, recedentibus cunctis, meretrix speciosa venisset, cœpit delicatis stringere colla complexibus, & (quod dictu quoque nefas est) manibus attrectare virilia. Quid ageret miles Christi, quò se converteret, nesciebat. Et quem tormenta non vicerant, superaret voluptas? Tandem cœlitus inspiratus, præcisam mordicus linguam in osculantis se faciem expuit; sic libidinis sensum, succedens doloris magnitudo superavit.

S. Gregor. Turon. de gloria confess. cap. 32.

XXI. Refert Beatus Gregorius Turonensis, quòd quidam Nobilissimus iuvenis Romæ de nobilioribus Senatorum, cum virgine æquè nobili contraxerit, temporibus Arcadii, Honorii & B. Martini, quæ tamen non sponte suâ, sed parentum & vi & auctoritate premebatur, ut in matrimonium consentiret, cùm itaque solemnes nuptiæ celebrarentur lætantibus cunctis, & cantantibus organis, hæc in corde suo soli Domino decantabat dicens: Fiat cor meum & corpus meum, Domine, immaculatum, ut non confundar. Solemniter itaque cunctis nuptialibus celebratis, cùm serò pariter in cubiculum ducerentur, ipsa conversa ad parietem, virginitatis suæ periculum amarissimâ cœpit lamentatione deflere. Miratur iuvenis (utpote propositi virginalis ignarus) atque tanti causam mœroris sollicitâ cœpit interrogatione perquirere. Tunc illa profundis gemitibus cordis dolores aperiens: Hæc (inquit) est causa tanti mœroris, quoniam thesauro Virginitatis pretiosissimo, quem voto fideli soli Deo dedicaveram, nunc invita privabor. Respondit iuvenis: Quod & placeret Deo coniugium, quippe quod ipse à principio constituisset hominibus observandum, ex quo proles adquiritur, quæ est parentum gaudium, hærésque bonorum. Instabat illa contrariè asserens, Virginalem statum Domino acceptissimum, cuius quidem principium in cœlestibus spiritibus dedicasset, atque post hæc in terras veniens Virgo mansurus, de sola virgine nasci voluisset. His itaque & pluribus aliis virgine prosequente fit consensus amborum, ut videlicet castitatem sub solo nomine coniugii ambo servarent: cùm autem iam diu sub solo nomine coniugii sic fideles Virgines, atque (ut dixerim) in igne fideles Martyres Christi manerent inusti: placuit tandem Domino, ut de fæcibus vitæ præsentis puellam educeret. Postquàm autem circa corpus eius Ecclesiasticum complêsset officium, stans iuvenis supra uxoris (ut putabatur) sepulchrum, manibus extensis in cœlum: Gratias (inquit) ago tibi Domine Deus, atque hunc thesaurum à te mihi commissum, immaculatum, & integrum tibi restituo. Tunc illa de tumulo quasi subridens: Cur (inquit) ante tempus ea loqueris, quæ non interrogaris? Audiebant hæc cuncti, & mirabantur. Non multò verò post tempore etiam iuvenis ipse evocatus migravit ad Dominum. Sepultus est etiam ipse, sed per multum spatium à tumulo uxoris putativæ. Cùmque non post multum tempus exigentibus causis circa locum fodientes iuvenis corpus non invenirent; in sepulchro Virginis quæsitum est, atque repertum, ut videlicet, quorum coniunctas animas non separat cœlum, etiam sepultorum corpora non separet monumentum. Incolæ autem tantis mirabilibus visis, cùm pòst horum duorum memoria venisset in medium, duos amantes eos nuncupabant.

Vincentius Belvacensis in speculo morali l. 3. p. 3. dist. 96.

XXII. Refert Vincentius in speculo morali: Sigismundus Rex Lotharingiæ Christianissimus iuvenili florens ætate, ne ætas illa ad mala semper proclivior per luxuriæ inquinamenta deflueret, secundùm Apostoli consilium nubere magis elegit, quàm uri. Audiens ergo de Virgine quadam, quam per omnes terras virtutum fama vulga-

vulgaverat, quòd videlicet nobilis esset origine, famâ procerior, atque super hæc omnia castitate, atque virtute omni præstantior, accensus est animo, ut hanc habere possit uxorem, & regni sui Reginam efficeret. Mittit solemnes nuncios cum muneribus regiis in Alemaniam, ubi præfata virgo morabatur, pro parentum & Virginis requirendo consensu. Parentes igitur audientes Regis affectum facilè consentiunt, utpotè qui omnem suam posteritatem talibus nuptiis nobilitandam, ac sublimandam esse sperarent. Cùmque Regales nuncii de virginis consensu sollicitarentur, promiserunt parentes, quoniam ipsi eam ad nuptiarum consensum inducerent. Timebant enim, quoniam sciebant, filiam Virginitatis habere propositum, ne si negaret assensum, tanta gloria de eius parentela periret. Educitur itaque Virgo de domo, & de patria omnis fraudis ignara, utpotè quæ nesciebat, quò duceretur. Sed cùm perventum esset ad locum, atque intellexisset, se Regali matrimonio copulandam, flere cœpit & gemere, dicens, se virginitatem suam Reginæ & Domino cœli devovisse. Atque ideo nunquàm mortali homini se nupturam. Quæ enim cum agno Virginum gloriâ gaudere cupiebat in cœlis, exaltationem etiam regalem cum detrimento castitatis non requirebat in terris. Sed parentes atque cognati omni cavebant solertiâ, ne hoc ad Regis notitiam perveniret. Verùm cùm Virgini omnis evasionis demeretur occasio, tandem die statuto ad Ecclesiam S. Stephani adducitur in sponsalibus ornamentis, ut scilicet ibi solenniter secundùm morem Ecclesiasticum Regi regaliter iungeretur. Sed ubi ad Ecclesiam ventum est, videns virgo Christi nimis imminere periculum, atque maiori iam libertate potita, infusa lacrymis gemens ad beatæ Virginis Altare confugit. Quo per cornu apprehenso eadem gemens repetebat, quæ prius, atque nunquam se fatebatur ab altari avellendam, nisi promitteretur virginitas permansura. Erubescunt parentes, imò, ut verè dicam, insaniunt, se scilicet esse deprehensos. Mirantur assistentes, hi quippè causam Virginis nesciebant. Ad Regis aures tandem fama pervenit. Qui ubi sacrum Sponsæ propositum intellexit, devotionem castitatis, atque constantiæ propositum miratur, & laudat, promittens eidem, quatenus si ab Altari se pateretur abduci, non violator, sed protector & custos eius castitatis existeret. Omnia tamen, inquit, solemniter præparentur in vestibus, epulis atque cæteris nuptialibus, tanquam mihi desponsanda sit, neque enim dignum est, cum minori solennitate eam cœlorum Regi desponsari, quàm mihi. Fecit itaque iam indui Regalibus vestimentis, atque regalem coronam capiti eius desuper imponi. Lætantibus igitur omnibus, virgine quidem de obtento proposito castitatis, Rege verò mirante cum cæteris de devotione tanta in ætate tam tenera, convivium celebratum est. Quô expletô, omnibus regalibus redimitam cum ingenti gaudio fecit in Ecclesiam S. Petri monialem collocari. Soli verò parentes eius cum grandi confusione in sua reversi sunt, dolentes videlicet, quòd tam sperato honore defraudati essent. Virgo autem DEO devota vitam superstitem in Domini exegit servitio, atque nuptiis huius mundi spretis, pervenit ad nuptias æternas.

XXIII. Nobilis quædam Virgo, nomine Euphemia, voverat castitatem in annis puerilibus Domino, & votum suum (ut voverat) strenuè adimplebat, se coram DEO & hominibus conservans irreprehensibilem. Pater huius secularis videns eam formosam (licèt invitam & omnibus viribus renitentem) cuidam Comiti desponsavit. At Virgo plena Spiritu Sancto capellam intrabat, & proiiciens se in terram orabat Reginam misericordiæ, ut eam in voto castitatis conservaret. Et advertens, quòd ratione suæ pulchritudinis iacturam castitatis patiebatur, accepto cultello, amplius (inquit) vana pulchritudo occasio peccati non eris, & hoc dicto nasum sibi præscidit & labia; Pater Tyrannus audiens hæc, vocato quodam crudeli suo rustico, filiam illi tradidit in ancillam, mandans, ut sub obtentu gratiæ suæ illam servitiis rusticanis manciparet. Ac rusticus compati nescius sanguini nobili, ultra modum eam laboribus & plagis affligebat. Et hæc illa omnia libenter devincebat, DEO regratians, quòd in istum statum deduxit, in quo aliquid pro DEO sustineret. Cùm verò in Dei servitio septem annis permansisset, in Vigilia Nativitatis Christi, in nocte (ut mos est Christianis comedere) familiâ ad mensam sedente, ipsa cucurrit in stabulum, ut laudes redderet suo creatori. Sed rusticus non visâ Virgine, arrepto baculo eam quæsivit. Et directis oculis in stabulum fulgor ibidem coruscus apparuit. Et putans ignem, propiùs accessit, & ecce Virgo Maria cum multitudine virginum & Angelorum eam confortabat dicens: Constans esto filia, quia pro hoc servitio dabitur tibi corona regni cœlestis. Quod rusticus videns, totam familiam clamore convocavit, & viderunt Euphemiam nasum, & labia pulcherrima habentem, & facie rutilantem, & omnes, qui eam viderant, de immenso dono pulchritudinis Deum laudabant. Cùmque pater eius hoc audisset, veniam petens in loco stabuli claustrum virginum construxit. In quo Sancta Euphemia DEO serviens, in brevi quievit in Domino.

Spec. exempl. v. Virgo exempl. 9.

XXIV. Refert Iacobus de Vitriaco, Sanctimonialem quandam pulchram fuisse facie, quam Princeps dives & potens (in cuius potestate fundatum erat monasterium) concupivit, & cùm nec precibus, nec muneribus sibi eam usurpare posset, mandavit per nuncios Abbatissæ, ut unum ex duobus eligeret, aut scilicet Monialem illam sibi corrumpendam transmitteret, aut ipse totum monasterium ignibus conflagraret. Terretur vehementer Abbatissa, utpotè quæ sciret, quoniam nisi quæ desiderabat, obtineret, faceret peiora, quàm dixerat. Pavida igitur moniali illi Sanctæ Regis edictum crudele denunciat. Quæ tremens & dolens cœpit

Ibidem exempl. 10.

cœpit inquirere, cur eam præ cæteris monialibus sic amaret, audivit ex nunciis: Propter pulchritudinem (inquiunt) oculorum tuorum in te ardenti amore succensus est. Exhilarata illa, atque segregata parùm à cæteris, ambos sibi oculos piâ crudelitate evulsit, atque componens in disco præsentavit ministris Principis dicens: Ite & Principi vestro hæc præsentate ex me, ei dicentes: Ecce sagittæ, quæ cor tuum importuno ardore confoderant. Habes, quod desiderasti, nunc eis utere pro libito, atque oculos cordis mei intactos, atque illæsos relinque.

Ibid. ex. 21. XXV. Legitur in Itinerario Dietmari, quia inter Hierusalem & Bethleem est Cœnobium, ubi erant Sanctimoniales, quando terra Sancta perdita fuit, pulchræ valde. De quarum pulchritudine intellexit Soldanus, voluit eis commisceri, & præcepit eis, ut sese pulchris vestibus induerent, & ornarent, nequitiæ incestum passuræ: Abbatissa autem earum, ne sic ludibrio esset carni & diabolo, & ne castitatis suæ lilium mergeret in luxuriæ cloacam, sui laboris annullans meritum, se suásque maluit mutilare, quàm corpore integro, facie sidereâ immundissimum scortum existere. Igitur tanquam divinitus edocta, cùm iam præ foribus esset Tyrannus, præmissâ exhortatione, hac confortatione usa est. Sorores venerabiles, tempus tribulationis, ac persecutionis nostræ est. Soldanus nostræ virginitatis & pudoris inimicus in promptu est, manus eius evadere non potestis, utamini ergo meo consilio, & quod ego fecero, vos quoque faciatis. Quod dum ratum singulæ concepissent, ipsa Abbatissa primitus se naso mutilavit, & singulæ postmodùm voluntate spontaneâ se mutilaverunt. Quo audito, Soldanus vehementer admirans constantiam illarum, & prudentiam obstupuit, & multum hoc factum, & suæ fidei tenacem constantiam approbavit.

Ibidem exempl. 24. XXVI. Tres erant Moniales in uno Claustro sociæ speciales, & ex illis duæ erant Virgines, Hæ autem singulæ studebant se devotas Beatæ Virgini exhibere. Mortuâ verò unâ Virgine, & iam viduâ in extremis agente, tertia soror superstes rogabat viduam, ut post mortem rediret, & de prœmio sociæ certificaret eandem. Quod promittens (si tamen foret de beneplacito DEI) expiravit. Die autem tricesima, istâ ante Altare in orationibus procumbente, apparuit socia vidua inæstimabili splendore fulgens nimis & dicens: Veni, quia ad reditum obligasti me. Et ecce modicam partem præmii mei, sed benedicta dies, in qua nata sum. Illa verò confortata & resumpto spiritu quæsivit de statu prioris defunctæ. Cui illa dixit: si totus mundus esset pergamentum, & mare incaustum, & omnia folia, & gramina scriptores cum omnibus hominibus, qui fuerunt, & sunt, & erunt futuri, primò omnes deficerent, quàm immensitatem præmii cœlestis exprimerent. Sed parumper (ait) ad præsens dicam tibi: Soror nostra in infinitis claritatibus me præcellit, & meritò, quia ipsa heri choream cum agno duxit candidam, cum multitudine candidarum puellarum cantans Canticum singulare, solis Virginibus appropriatum, & gerens sertum de divinis floribus confectum. Rogavi autem eam, ut saltem ad horam mihi sertum concederet, quæ ait: non expedit tibi. Tamen de ipsis floribus dedit mihi, quos attuli tibi sociæ meæ charissimæ, ut aliqualiter virtutem eorum, quantùm sensus capere poterit, humaniùs perpendas. Facto ergo ab ea circulari tactu in pavimento cum floribus, tam miri odoris processit fragrantia, quòd illa soror præ suavitate rapta fuit in extasim. Et sic vidua expleto promisso ad cœlum rediit. Omnes qui Monasterium intraverunt, per multum tempus senserunt cœlestem odorem.

Violatæ castitatis pœna.

XXVII. Abbas Polychronius nobis narravit, inquit Ioannes Eviratus, quòd in Cœnobio Penthucula Frater quidam erat sibi ipsi valdè intentus & continens. Cùm autem aliquando impugnaretur à spiritu fornicationis, non valens hanc pugnam sustinere, egressus de Monasterio, profectus est Hierico, ut concupiscentiæ suæ satisfaceret. Moxque ut meretricis cellam ingressus est, leprosus factus est totus. Videns autem lepram, continuò rediit ad monasterium, Deo gratias referens, & dicens: Idcircò Deus hac me castigatione percussit, ut anima mea salva sit, & magnificè glorificabat Deum. Pratum Spirit. c. 14.

XXVIII. Narravit nobis, inquit idem Eviratus, Abbas Elias, dicens: cùm aliquando morarer in Partibus Sancti Iordanis in spelæo iuxta Eunuchorum Monasterium, ideò quòd non communicarem Macario Archiepiscopo Hierosolymitano, die quadam circa horam sextam, æstu vehementissimo coquente desuper (erat enim Augustus Mensis) pulsavit quidam ostium speluncæ meæ. Egressus verò vidi mulierem, & dixi ad illam: Quid tu hic facis? Et respondens dixit mihi: & ego, mi Pater, eiusdem, quo tu, instituti sum, & quasi uno lapide distat à te spelunca mea. Ostendebat autem & locum, quasi ad Austrum. Et ait: Lustravi hanc eremum, & præ æstu nimio siti fatigata sum, fac ergo charitatem, Pater, & da mihi pusillum aquæ. Itaque protuli urceum, & dedi ei. Quæ cùm sumens bibisset, dimisi illam. Cùm autem abiisset, cœpit diabolus impugnare me, immittens cogitationes sordidas in eam. Superatus igitur, neque ferens libidinis ardorem, sumpta virgâ meâ, cellam egressus sum, in fervore æstus, cùm lapides ignescerent, profectúsque sum ad illam, ut implerem turpem concupiscentiam. Cùm verò fermè uno stadio ab eius adhuc spelæo distarem, urente me graviter æstu libidinis, repentè factus in ecstasi, vidi apertam terram, & me hiatu terræ absorptum. Aspitióque illic cadavera putrida iacentia, & resoluta, & incredibili fœtore plena, quendámque reverendi habitûs virum ea mihi demonstrantem, ac dicentem: Ecce istud mulieris est, istud viri, istud pueri, fruere iam ut vis, & quantùm libet, concupiscentiâ tuâ: huius tamen volu- Ibidem, c. 19.

voluptatis gratiâ vide, quot labores amittere voluisti. Vide, propter quod peccatum vos ipsos privare vultis regno cœlorum. Væ humanæ miseriæ; propter unius horæ voluptatem tanti laboris mercede frustramini. Ego autem præ nimio fœtore in terram corrui. Tunc accedens vir ille venerabilis, qui mihi apparuerat, erexit me: & gratias agens Deo reversus sum in locum meum.

Daurault, p.4.c.7. Tit.71.Ex.3. XXIX. Hartfridus beati Trudonis consanguineus, continentiæ voto non amore, quem gratia remunerat, sed timore potiùs, quem iustitia punire solet, se se obstinxerat. Is postea promissionis immemor coniugium postulat, implet, & consummat. Nocte verò sequenti, ecce vir Dei, totâ sanctitatis suæ coopertus auctoritate, cum terrore ad eum ingrediens, sic increpat: Cur violatâ fide, uxorem ducere non timuisti? Quàm frustra hoc feceris, vel ex hoc intellige: quamvis uxoratus sis, semper tamen eris sine sobole; & virgâ, quam gerebat: percutiens in femore: signum, ait, id sit neglectæ promissionis; donec vives, curvo crure, incessu malè prono damnaberis. Expergefactus homo, eruditus eo verbere, agnoscit auctoritatem, & culpam fatetur; mutatus in meliùs comam deponit, & monasterium ingreditur, ubi vitam castigatè satis emendat.

Daurault ibid. Ex.4. XXX. Cùm sanctimoniales sub instituto S. Claræ militantes ab Hæreticis è Civitate Gebennensi expulsæ fuissent, in quandam Sabaudiæ Civitatem, quam Catholici incolebant, se se transtulerunt. Una tamen earum maluit cum perditissimô quopiam, qui Monasticam vitam abiurârat, matrimonium inire, quàm sodalium suarum consortio uti, ac patriæ dulcedine privari. Sed perditionis filia dignam factis mercedem accepit: Sacrilegus enim eius maritus: votifragus, eam postea vivam excoriavit, iustitiæque divinæ executor fuit.

Guilielm. Baldesanus l.2. Simul. virt. c.1. XXXI. Bello Pedemontano, nostrâ pænè memoriâ, cùm civitas quædam occuparetur, Dux militum virginem iam marito desponsatam, eximiâ pulchritudine corporis, maiore etiam animæ, quam adamare cœperat, in sua domo validè est aggressus. Illa verò, cùm celerrimè manus hominis evasisset, ostium, quo effugiendum erat, præter spem occlusum invenit. Itaque cùm incerta hæreret, quorsum evaderet, hoc invenit consilium. Fenestra erat patens, in publicum versa, per hanc ita exiliit, ut postem fenestræ medium amplexa penderet. Sic enim futurum cogitabat, ut tum ipsius conspecto periculo, tum concursu hominum in via publica, quos rei novitas contraheret, absterritus, vim adhibere non pergeret. Sed immanis, & huic prædæ inhiantis belluæ libido, ne sic quidem repressa est. Cùm ergo ne sic quidem molestus esse desineret, casta Lucretia (hoc ei nomen erat) coacta est, nodum, quem manibus strinxerat, solvere, atque in terram (& erat fenestra loco satis edito) deorsum labi, ut corpore confracto, animus integer maneret. Sed hoc corporis damnum, præclarissimis virtutis donis postea pensavit. Cùm enim sanctissimam vitam multis deinde annis egisset, mortua est Perusiæ in Alexandrinorum ædibus.

XXXII. Jacobus de Vitriaco vir doctus S. R.E.R. olim Cardinalis, refert, suâ ætate fuisse virgines complures, quæ Leodiensi urbe ab hostibus occupatâ, suis habitationibus eiectæ sunt. Ex his aliquas ad templa confugisse, alias, quæ id minùs poterant, in flumen se præcipitasse; quòd mortem castitatis violationi postponerent: partim in cloacas insiliisse, ut nullam doloris tetritudinem cum libidinis fœtore comparandam ostenderent. Nec dubia erat mors, nisi admirabili prorsus modo sic à Deo fuissent conservatæ, ut in tanta multitudine nulla prorsus, vel vitæ, vel castitatis detrimentum acceperit. Præclarum verò quod uni ex eo numero contigit. Laborantem illam exceperant cymbulâ duo milites, exceptámque sollicitabant ad flagitium. At illa, cùm mori, quàm corrumpi mallet, tanto saltu iterum se in undas dedit, ut eodem impetu scapham everteret, corruptorésque ipsos submergeret. Ipsa verò absque omni aut animi, aut corporis damno, fluvio obsequente, ad litus emersit. *Daurault. p.4.c.7. Tit.84. exempl.16.*

XXXIII. Dum Alaricus Romam cepisset, ac diriperet, mulier quædam maximum exhibuit pudicitiæ specimen. Quod namque & ætatis flore, & formæ venustate præstaret, ex Alarici militibus iuvenis quidam pulchritudine eius, quùm eam vidisset, captus, ad concubitum eam sollicitavit. Quùm autem illa piaculum id aversaretur, miles ense stricto mortem ei minatus, veluti cum amore concertans, per misericordiam summum tantùm collum vulneravit. Illa verò cruore diffluens, iugulum ferro subdit, meliùs sibi esse rata, ut cum pudica mente mortem oppeteret, quàm cum viro alio concumberet. Et postquam ferociùs Barbarus illam aggressus est, plurimùmque eam oppugnando nil egit, ad castitatem eius consternatus, in Apostolicum Divi Petri templum eam duxit, Ecclesiæque custodibus commendavit, sex illis aureis nummis datis, ut puellam viro suo conservarent. *Ibidem exempl. etiam 16.*

XXXIV. Refert Pater Jacobus Alvarez de Paz è Societate Jesu celeberrimus Scriptor, quòd, cùm in America Hispani adversus Gentiles dimicantes in prælio succubuissent, ideóque omnes urbis Osorno incolæ tam indigenæ, quàm Hispani advenæ, maioris securitatis causâ è civitate ad fortalitium quoddam confugissent, ad idem quoque asylum Moniales quædam ex instituto S. Claræ, ut vitæ & pudicitiæ suæ consulerent, confugerint. Quia verò ob diuturnam, quæ in illa munitione trahere cogebantur, moram, omnes inibi degentes magnâ famis cruciabantur inediâ, una è monialibus, quæ pro herbis colligendis egressa fuerat, à milite quodam capta, in cuiusdam belli Ducis potestatem consignata remansit, quam is tandem in uxorem sibi adsciscere decreverat, quod illa animadvertens, his illum verbis allocuta fuit: Celare te nequeo, quòd virgo sim, & quidem Christo Jesu per votum desponsata, ac in Monasterio consecrata *P. Jacobus Alvarez. Tom. 2 de Castit. l.5 p.4. c.12.*

secrata, prout ex eo, quem desero, habitu monastico videre tibi licet, ac proinde carnalibus voluptatibus operam dare, aut alium mihi sponsum adoptare, mihi non licet, ne Deo, & sponso meo pro obsequio iniuriam inferam; Cave igitur sis, ne violentiam mihi inferas, ne iram Dei, atque vindictam protinus incurras, tibique me in uxorem adoptando concilies mortem; Quam Virginis in loquendo animositatem Barbarus obstupescens, ab omni deinceps violentia abstinuit, eámque more suo vivere permisit. Insuper talem erga illam venerationem concepit, ut illam haud secùs ac divinum quoddam numen deinceps veneratus fuerit, omnem illi relinquendo libertatem, qua ad cœlesti sponso suo inserviendum opus habebat, quæ proinde ut Religionis suæ cultum & institutum prosequi posset, Breviarium sibi ab eo dari petiit, & Monasticam vestem, quæ utraque inter spolia Christianis erepta, & penes militem quendam asservata, singulari Dei providentiâ reperta, eíque subministrata fuêre; adeò insuper sanctimonialem hanc honorabat, ut quotiescunque eam se cum aliis captivis mulieribus ministerio alicui domestico ingerentem videbat, ab eisdem illam removerit, dicendo, quòd minimè illam deceret aliis, quàm Sponso suo, cui se consecrârat, inservire, rogandóque, ut suam eidem cœlesti Sponso salutem instanter recommendaret. Postquam verò hæc virgo per anni spatium in domo dicti belli Ducis fuisset commorata, tandem in fine anni Deus huic Duci, indignum esse, inspiravit, ut Sponsa Christi eius ulteriùs subiiceretur imperio domestico, illam proinde in manus consignaret Christianorum; Quia verò si id patenter exequeretur, pœnis atrocibus se subiiciendum esse formidabat, hunc pro divinæ voluntatis executione modum excogitavit; ad Christianorum nempè vigiles, quantùm sibi securè licebat, appropinquans, eosdem ut ad illam excipiendam tantisper egrederentur, instanter rogavit, utpote quam fugam simulando, eo in loco hoc fine relicturus esset. Dictum, factum; Vigiles enim egredientes eam exceperunt cum gaudio, adeóque ipsa de pudicitia conservata triumphans, & victrix ad Catholicos rediit, suóque benefactori ad sanctam fidem nostram amplexandam, ferventibus precibus suis lumen à Deo impetravit; Unde tandem pius hic Barbarus patriâ suâ fugiens, omnibus facultatibus suis pro Christo relictis in Peruanum Regnum concessit, ubi hæc omnia Christianis, quibus in fide erudiendus traditus fuerat, ex ordine recensuit, quæ demum fideliter exposita fuêre Authori, qui præsentem Historiam conscripsit.

§. IV.

EXEMPLA DOMESTICA.

Daurolt. P.4.c.7. Tit. 34. Exempl. 43. I. SAnctitatem animi Patris Francisci Xaverii perpetua corporis sanctitas honestavit. Satis constat, ab eo virginalem pudicitiæ florem ad extremum usque spiritum custoditum. Id & Meliapore Vicarius, ex sermone cum Francisco ibidem habito, se comperisse liquidò confirmavit, & alii eius Confessiones excipere soliti, se perspexisse testati. Insignis profectò in illo amor castimoniæ, insigne odium libidinis fuit; adeò ut vel minimas huius generis labeculas exosus, ipsum horreret libidinis nomen. Quod ex eo, quod subiiciam, existimari licebit. Olyssippone profectionis Indicæ diem opperiens cum Simone Roderico, in eodem diversabatur cubiculo. Ibi intempestâ nocte repentè excitatur è somno, adeò commotus, ut è naribus magnam cruoris vim profunderet. Eius deinde rei causam Simonem rogitantem obstinato silentio celavit, quamdiu in Lusitania fuit. Ad ultimum ubi solvendi advenit tempus, sub digressum, in navis angulum cum eo secessit, & sine arbitris, nunc demum, inquit, tempus est enunciandi, quod toties ex me, Simon, frustra es sciscitatus: quippe hoc ultimùm, ut arbitror, sum te in hac vita visurus. Scito igitur, illâ nocte impuram speciem per somnium mihi oblatam, summâque vi repellere conanti, tantam illam sanguinis copiam erupisse. Hisce signis humanisque testimoniis divinum indicium, ac testimonium extincti corporis accessit integritas. Quod eximium Dei beneficium inter alia egregiæ virginali castimoniæ concessum accepimus. Cæterùm Franciscus, ut tantum custodiret thesaurum, non castior fuit, quàm cautior. Etsi enim vir sanctissimus cœlestium rerum contemplationi maximè deditus, excellentisque temperantiæ armis tectus, nullo negotio tela nequissimi ignea extingueret; tamen adeò timidus in hoc genere & cautus erat, ut si maximè obnoxius esset libidini. Nunquam cum fœmina ulla nisi luce palàm, & adhibitis arbitris, de rebus utique necessariis collocutus est, ratus, mulieres fermè adiri minore emolumento, quàm periculo.

II. Parum ab hac quidem laude abfuisse oportuit Angelum Montiolam, hominem Italum, qui cum in terra Peruica Evangelio per barbaras illas Provincias disseminando, diu multùmque peregrinaretur, agerétque inter gentes nudis perpetuò corporibus, priusquàm Evangelii lumen aspicerent, incedentes, non magis ea tantâ turpitudine unquam commotus est, quàm si statuas inter versaretur, à quibus tamen & periculum timeri debet, quùm marmoreorum signorum nuditate irritatam, & quidem non unius fuisse libidinem legamus. Verum sicut mollem argillam, ubi efficax illa marmoribus progignendis vis comprehendit, non amplius licet retringere duratam in rigidum, ac nisi ferro cædas, indocile marmor; haud aliter, ut humanum cor divina penitus pervasit gratia, ita obfirmat, ut signi statuæque instar obiectas sensuum illecebras respuat, ac supra lapidum omnium contumaciam, si ferro cædas, alienam nihilominus imaginem refutet. *In Rhet. l. 3. cap. 2. exempl. 1. ex Surio.*

III. Sed non pluribus eâ pace frui datum, plerisque omnibus pugnandum est, quamquàm non iisdem semper artibus venerit victoria, quidam enim prompto ingenio, expeditóque consilio, *Ibidem exempl. 2.*

consilio, quidam acie ac duello vicère. Videamus unum è Sociis per lusum è vicina flamma evadentem. Hunc Nobilis in Brasilia adolescentula perditè cùm amaret, nec virtutis reverentiâ flammas auderet profiteri, diu animi ægra, corporis ad extremum valetudinem simulans, hominem per speciem arcanæ confessionis excipiendæ; iubet advocari. Ubi remotis minùs cautè arbitris, soli fuêre, ægritudinem confessa, vulneri per vulnera medicinam malè sana facere tentavit, & quia blandiendo nihil proficiebat, imò gravi contrà oratione insuper castigabatur, ut quem simplici voluptate pellicere non poterat, duplici circumventum, capitis, ac famæ periculo expugnaret, ardens libidinis per summam audaciam interminata est, ni pareat, sublato clamore, ut violatorem, stupratorémque, validissimis mancipiorum mox se obiecturam ad verbera, ad necem. Quid faceret deprehensa virtus, quùm ex solitudine impudicæ audacia, casto periculum crearetur? Exuit ictum validissimum levi admodum declinatione. Quominùs ei morem gerat, sitim causatur, & illa, ut potum inferant, servos advocat, cùm quibus blandè sermonem Sacerdos tantisper ducit, donec intrante adolescentulæ matre, ad eam explicatissimâ fronte conversus; Benè, inquit, habere nata mihi videtur, & confessioni, ut in hoc tanto æstu laboriosæ, atque levi à valetudine decumbentibus ominosæ, supersedendum censeo. His artibus elusa impudentia, dum templum ingreditur, Deo pro depulso periculo gratias acturus, obvium habuit Josephum Anchietam, magnum illud Brasiliæ lumen, qui re divinitus cognitâ, magna precum contentione apud Deum egerat, ne caderet; itaque ad eum: & ego, inquit, rogavi pro te, ut non deficeret fides tua. Scilicet humanæ opis haud quaquam est, è flammis ne leviter quidem afflatum exire, imò longè facilius ab igne illæsus abeas, quàm à procacis fœminæ petitione pudicus.

Ibidem ex empl. 4.

IV. Consimilem proiectæ libidinis impressionem Claudius Aquaviva, graviore, ac validiore consilio repulit, & quamquam in lubrico & ipse positus, ac ruinæ imminens, altè tamen vestigia castitatis reliquit impressa. Quæ enim eius formâ exarserat alia, quam prætendebat, febri laborans, ubi exclusis de more ab illo iudicio arbitris, quorum aures omninò quidem, sed oculos nusquam arceri debere, idem Claudius rerum arbiter postea sancivit, ut, inquam, solitudo audaciam fecit, nudato repentè corpore (quod flagitii pars non minima esse censetur) ardentibúsque verbis Claudium aggressa, preces, blanditias, minas, Satana erudiente, miscet. Validis profectò machinis petebatur, & grandis erat tentatio homini, cui aut libidinis, aut calumniæ flammis esset conflagrandum. Sed utroque ex periculo emersit Claudius consilio, tam in speciem fœdô, quàm exitu salutari; scaphium conspicatus invadit, haustísque manu alvi purgamentis (parcite, qui hæc legitis) os inungit, atque attonitæ ad oscula, ad amplexus, ti tetertimi odoris gravitas, & sordium inquinamenta arriderent, contemptim increpitans obiectavit. Quod de Claudio tradidi, de Oliverio Manereo, Viro Societatis primævæ itidem tradunt; næ isti libidinis fœditatem penitus animô informaverant, qui tam sordidâ personâ illi occurrendum censuerunt. Certè nulla tanta est sordium quarumlibet fœditas, quæ, si cum Venereis componatur, non debeant præoptari.

Ibidem exempl. 5.

V. Domesticum sæpè bellum pro castitate pugnantes, externo longè periculosius experiuntur, lapsu faciliore, ut sine teste. Quare non minor in hoc profligando (nam confici vix unquam potest) virtus laborat: quanta fuit igitur in eo viro, qui quùm hostium importunitati solus vix par esset, formicarum legiones immisit? Crescunt in Paraquaria, vicinísque regionibus formicæ formâ, atque ingenio nihil nostris dissimiles, sed magnitudine admodum enormi, quas etiam squillarum instar accolæ esse non dubitant; ergo quà rubrum (neque enim nigræ illæ sunt) maximè fervebat agmen, nudum se abiiciens, immotum corpus morsibus earum diu præbuit lancinandum, ut totâ cute cruentus, ac tumentibus membris victor abscederet. Quantùm hic à Benedicto distat? Equidem vivos morsus, quàm mortui aculei, crediderim esse molestiores.

Ibidem exempl. 6.

VI. Joannes Ribera nondum erat de Societate, quùm illius decora auxit. Pulcherrimus Adolescens in ipso ætatis flore ab excellentis formæ muliere adamatus, sollicitatúsque ad flagitium, nequiter blandientem maiori, quàm pro ætate constantiâ repulerat; nec ideò tamen illa irascebatur, sed ipsâ repulsâ libidinem vehementius irritante, adolescentem solitario in loco deprehensum occupat, amplexúmque expedit, ablatura per vim, quod precibus ac blanditiis non impetrârat. Pallio manus iniecerat, sed Joannes prævalens viribus, ac reluctans, lacerati frustum exiguum flagitiosi conatûs monumentum, illi relinquens, liber evolavit. Fœminas vepribus similes non malè quis dixerit; in quas cum incideris, aut sanguinem, aut pallium dare sit necesse.

Nadasi an. dier. memor. 12. Ian.

VII. P. Franciscus Adornus (qui S. Caroli Cardinalis Boromæi Confessarius, ab eodem in honore & reverentia unicè est habitus) procacem fœminam, quæ liberali, eius forma pellecta, scelus ab eo blanditiis flagitare aggressa erat, castissimo ingenio elusit; quando turpificatâ sordibus, seu retrimentis è latrina petitis, facie, fœdiores illius amores in horrorem, nauseámque convertit.

ibid. 1. Iul.

VIII. P. Joannes Hieronymus tolerantiâ, & Ecclesiastæ munere præstans inter primos Hispaniæ, cùm Granatense Collegium regeret, à procacissima fœmina obscœni flagitii est accusatus. Hispali Provincialis eam rem Patrum cuidam viro prudenti, ac non incurioso vesperi in cubiculo clàm ad candelæ lumen exposuit, vehementi dolore plenus. Is verò, qui hæc audiebat, posteaquam nihil veri mendacio illi tam enormi subesse, constanter dixisset, adiecit: Ego, ô Pater, pietatem castitatémque P. Jo-

R. P. Lohn. Auctar. Bibl.

Q annis

annnis ita perspectam habeo, adeóque eum ab hoc flagitio immunem scio, ut ad innocentiam viri testificandam, atque ab omni suspicione vindicandam, ausim nudam manum ardenti foco inserere: Intérque verba manum protinus extendit, & in mediam lychni ardentis flammam ingessit, ac tamdiu immotam sine ullo doloris sensu eam Scævola hic Christianus istic tenuit, donec omnia, quæ dicenda fuêre, narrasset, ac Provincialis rei novitate attonitus, non sine admiratione tam præclari experimenti, ab omni disquisitione tunc faciendâ cessavit &c. Proterva verò accusatrix doloribus correpta, se ipsam percutiebat, cruciatus illos turpis mendacii supplicium esse fassa, & coram Provinciali, testibus, ac Notario veniam petens calumniæ sceleratæ. Romæ quoque apud Gregorium XIII. innoxius est compertus ab omni suspicione hæresis, quam ei, nescio, quis imposuerat. Obiit Hispali Anno 1605. 1. Julii ætatis 60. Societatis 43.

P. Alegamb. in vict. chari. 1601. c. 2. p. 146. & 47.

IX. P. Antonius Cordeses multis laudibus excellenter eminuit, & imprimis constans virorum gravium sensus fuit, eum primævam Baptismi gratiam nullo unquam crimine perdidisse. Totis ille quidem annis sexdecim pravarum cogitationum molestiam, difficultatémque perpessus; sed eo in igne purior eius spectata semper integritas est, ut procacem etiam aliquando fœminam, ad quam fuerat velut ægram, obtentu Confessionis accitus, egregii facti insolentiâ, primùm ad horrorem, tum verò etiam ad suæ detestationem lasciviæ commoverit. Nimirùm ut ab ea sollicitari cœpit ad flagitium, ipse dissimulato consilio, postulatóque levandæ naturæ spatio, illud ubi datum est, vultum egestâ proluvie delibatum præstolanti obtulit, eôque spectaculo vehementer absterruit. Ipse verò ab omni eâ mentis vexatione liberatus est, piæ fæminæ (ut rebatur) oratu, quæ suas illi preces apud Deum moriens, quidquid demum obtinere libuisset, spoponderat, quippe qui secundùm eius obitum perpetuæ deinceps fructum pacis & tranquillitatis expertus sit. Cœterùm hoc illi sivè ad indulgentiam, sivè ad negligentiam nullo unquam loco fuit; tantâ, támque pertinaci sensuum usque custodiâ, ut muliebrem in formam non auderet obtutum defigere; Cúmque ad sextum usque & sexagesimum ætatis annum, modico propter stomachum vino sibi indulsisset, reliquo vitæ frigidâ semper sitim levavit.

Arbor. vital. l. 1. c. 4.

X. P. Petro Corono, cùm aliquando in somnis contra immissa â Dœmone visa impuritati affinia, magno animi, corporísque conatu luctaretur, purissimi duo Spiritus, fugatis puritatis hostibus capitalissimis, femora, fune bis circum ea convoluto, tam arctè compressêre, ut cicatrix ruptæ in ambitu cutis, ante & post mortem conspicua fuerit.

§. V.

M E D I A

S. Hieronym. epist. 22.

I. O*Ratio*. Hoc clypeo S. Hieronymus usus est, qui de se ipso sic scribit: O quoties ego ipse in eremo constitutus, & in illa vasta solitudine &c. putabam me Romanis interesse deliciis? Sedebam solus, qui amaritudine plenus eram: horrebant sacco membra deformia, & squalida cutis situm Æthiopicæ carnis obduxerat, quotidiè lacrymæ, quotidiè gemitus &c. Ille igitur ego, qui ob gehennæ metum tali me carcere damnaveram, scorpionum tantùm socius, & ferarum, sæpè choris intereram puellarum: pallebant ora ieiuniis, & mens desideriis æstuabat in frigido corpore &c. Itáque omni auxilio destitutus, ad Jesu iacebam pedes &c. Memini me clamantem diem crebrò iunxisse cum nocte, nec priùs à pectoris cessâsse verberibus, quàm rediret, Domino increpante, tranquillitas.

Nadasi in Anno memorabil. Julii 23.

II. *Voti renovatio*, Sic Michaël Sartre, è Societate Jesu Coadiutor Gallus, cum ruri ferè solus degeret, œconomiæ administrandæ causâ, & à procacibus fœminis non semel ad turpia variè urgeretur, sese humi proiiciebat in genua, & conceptam vototum Religiosorum formulam recitabat ardenter; aiebatque, id sibi semper præsentissimo remedio fuisse ad omnes turpes imagines è mente penitus abstergendas.

Sandaus in flore mystico varia. 5. fol. 36. & 108.

III. *Castigatio corporis*; Hoc medio usi sunt Paulus castigans corpus suum & in servitutem redigens, quod non fit profectò vulpinâ caudâ. Hieronymus pectus tundens non levi digitorum pulsu, sed gravi lapidis percussu. Franciscus in nive se volvens nudus, & uxorculam ex nive conficiens, cuius frigore flammas extingueret. Benedictus detracta sibi veste, in spinis se rotans, ut carnis stimulum spinarum aculeis contunderet. Guilielmus Aquitanus ferreo thorace pectus, catena renes constringens, ut hâc fibulâ sensualitatis belluam frænaret. Dominicus catenâ in corpus sæviens, profectò non ut muscas abigat. Damianus scopis se armans, & novus in palæstra Christi virgator, corpus sævissimè dilanians. Alphonsus Rodriquez annis 47. fœminam de facie nunquam videns, ideòque crebro à virgine Virginum visitatus.

Surius tom. 7. 23. April.

IV. *Principiis obstare*; de quo in vita B. Ægidii Minoritæ sic legitur: Non ita diu post obitum sancti Francisci, Religiosi aliquot, quorum plerique cum illo vixerant, inter se habuere consilium, in quo quisque proferret, quid de intemperantiæ importunitate vincenda maximè sentiret. Dictæ sunt à variis sententiæ variæ; fuit qui diceret, se, cùm impugnaretur, obiicere sibi deformitatem huius vitii, quod non modo abominaretur Deus; sed ne homines quidem perditissimi, nisi occultantes se, lucémque effugitantes, admitterent. Tum alius: ut primum, inquit, tentationem hanc sentio, provolvor in genua, & cum lacrymis Virginis Matris auxilium imploro; neque ego precandi finem ante facio, quàm hostis faciat impugnandi. Sequebatur, ut tertius diceret, Juniperus: Ego: inquit, cum procul adventantem hunc inimicum prospicio, portas animi bonis desideriis, sanctissimísque cogitationibus occludo: & interius sublata vo-

ce,

ce, procul, procul, exclamo, occupatus est diversorii locus. Erat tum præsens sanctissimus vir Ægidius, charissimus olim S. Francisco discipulus. Is audito responso Juniperi, ego, inquit, arma mihi Juniperi assumo: Certè enim, qui potestatem subeundæ domûs inimico facit, periclitatur, ne plus damni, quàm lucri reportet; eò quòd proditrix nostra caro mox se cum hoste coniungat. Itáque non exspectandum, dum ingressus opprimatur, sed ab ipso etiam prohibendus ingressu.

S. Hieronymus epist. 47. V. *Fuga mulierum*; Sic S. Hieronymus suasit dicens: Quid tibi necesse est in ea versari domo, in qua necesse habes quotidiè aut perire, aut vincere? quis unquam mortalium iuxta viperam securos somnos capit? quæ etsi non percutiat, certè sollicitat. Securius est, perire non posse, quàm iuxta periculum non *lib. 2. epist. 32.* perisse. Et alibi: Hospitiolum tuum aut rarò, aut nunquam mulierum pedes terant. Puellas & Virgines Christi aut æqualiter ignora, aut æqualiter dilige. Ne sub eodem tecto mansites, nec in præterita castitate confidas. Nec sanctior David; nec Samsone fortior, nec Salomone potes esse sapientior. Memento semper, quod mulier paradisi colonum de possessione sua eiecit.

S. August. Manual. cap. 32. VI. *Memoria passionis Christi*: Hanc S. Augustinus expertus est efficacem, dicere solitus: Nullum tam potens est, & tam efficax medicamentum contra ardorem libidinis, sicut mors Redemptoris mei. Tunc enim occurret illud Bernardi: Deus meus pendet in patibulo, & ego voluptati operam dabo? Et dices cum fideli Uria: *Arca Dei, & Israel, & Juda habitant in papilionibus, & Dominus meus Joab, & servi Domini mei super faciem terræ manent: & ego ingrediar domum meam, ut comedam, & bibam, & dormiam cum uxore mea? per salutem tuam, & per salutem animæ tuæ non faciam rem hanc.* Olim Romanus quidam, quòd lugente patria, domi rosis coronatus fuisset, capitis est condemnatus, & Christianus Ducis sui: ac Dei summo luctu, rosis coronari; voluptatibus indulgere audebit?

S. Bern. VII. *Obedientia*: Ita S. Bernardus præscripsit: qui terram illam, quam Dominus dixit, à mitibus possidendam, corpus hoc nostrum intelligit esse, quod si possidere vult anima, si regnare desiderat super membra sua, necesse est, ut ipsa sit mitis, & superiori suo subiecta. Itaque non dubitat affirmare, cùm caro à Spiritus imperio rebellat, indicium esse, quòd ipsa quoque anima non perinde ac deberet, superioribus potestatibus subiecta sit, & contrà, si se subiecerit, ipsam quoque corpus suum *S. Aug. in Psal. 103.* obediens, & subiectum inventuram. Quod ipsum egregiè confirmans S. Augustinus: expedit, inquit, inferius subiici superiori, ut ille, qui sibi subiici vult, quod inferius est, se subiiciat superiori suo. Agnosce ordinem, quære pacem, Tu Deo, tibi caro, quid iustius? quid pulchrius? Tu maiori, tibi minor. Servi tu ei, qui te fecit, ut tibi serviat, quod propter te factum est: Si autem tu contemnis servire Deo, nunquam efficies, ut tibi caro obtemperet. Qui non obtemperas Domino, cruciaris à servo. Hinc & Thomas Kempensis ait: *Thom. Kemp l. 3. de imit. C. c. 13.* Qui non libenter & sponte suo superiori se subdit, signum est, quòd caro sua necdum perfectè sibi obedit, sed sæpè recalcitrat, & remurmurat. Disce ergò celeriter superiori tuo te submittere, si carnem propriam optas subiugare; citiùs namque exterior vincitur inimicus, si interior homo non fuerit devastatus.

§. VI.

MISCELLANEA ET CONCEPTUS PRÆDICABILES.

I. ID, quod in Virginibus quàm maximè diligitur, est vultus, morúmque pulchritudo, & elegantia, quæ profectò in anima est eximia & singularis; Unde Psaltes Regius ait: *Concupivit Rex decorem tuum.* Et S. Augustinus inquit: Pulchra est casta iuvenum pudicitia, & Deo amabilis, & ad omne bonum diliguntur. Sponsus in sacro sui Epithalamio sponsæ pulchritudinem depingere, aut describere volens, inquit: *Venter eius eburneus, distinctus saphiris.* Pro cuius loci intelligentia sciendum, quòd ebur ex dentibus Elephanti confici soleat, hic autem animal est castissimum, siquidem generationis causâ semel tantùm in vita cum sua commiscetur consorte: præterquam quòd ebur eximio candore suo hanc repræsentet virtutem: Saphirus autem instar cœli stellati colorem habet cœruleum, auri punctis hinc inde venustissimè distinctus; & ideò hæc quoque gemma honestatis & pudicitiæ virgineæ egregium est symbolum. Idem quoque sponsus, seu Spiritus Sanctus alia sponsæ virginea membra describens talibus semper utitur symbolis, quæ ad virgineam puritatem exprimendam specialiter diriguntur; Unde oculos eius esse dicit sicut columbæ, caput verò eius aurum optimum, labia eius per lilii candorem exprimit, manus denique hyacinthis plenas, capillos verò elatis palmarum ramis similes esse asserit. Verum quidem est, quòd ultimus capillos sponsæ inter & palmarum ramos adductus parallelus, prima facie ab omni videatur proportione esse alienus, siquidem capilli subtiles, graciles sunt, & debiles, palmarum verò rami grossi & robusti; attamen si quis parallelum hunc intimiùs consideraverit, inveniet utique, quòd debilior sexus fœmineus, in quo virginitas quàm maximè germinat, & efflorescit, longè sit victoriosior, plurésque triumphorum erexerit palmas, quàm robustus sexus virilis; Adhæc sicut capilli specialem capiti venustatem adferunt, & ornamentum, ita quoque casti, & virgines Christo, qui Ecclesiæ caput est, magnam conciliant speciem & venustatem. Unde S. Cyprianus ait: Flos est ille Ecclesiastici germinis, decus atque ornamentum gratiæ spiritualis, Dei imago, respondens ad sanctimoniam Domini, illustrior portio gregis Christi. Et ideo Spiritus sanctus de puræ cuiusdam animæ pulchritudine disse-

Iosephus Mansi tract. 14. disc. 1. num. 12.

rens, cum admiratione dicit: *O quàm pulchra est casta generatio cum claritate.* Capilli porrò ex carne nascuntur, nec tamen ullam cum ea necessariam habent coniunctionem, unde sine dolore aut ullo damno à carne raduntur: pari quoque modo casti in carne præter carnem vivunt, & tametsi hac carne circumcingantur, vivunt tamen, ac si carnis prorsus essent expertes.

Ibid. n. 20. II. Indubitatum est, quin inter pretiosiores, & venustiosiores gemmas, quæ virgineam symbolicè referunt puritatem, Margarita primum omnium locum teneat; hæc autem tametsi suam in aquis marinis originem habeat, quantùm tamen ab illis differens est & diversa? Mare enim colorem refert viridem, aut cæruleum, Margarita verò album, & candidum; Mare salsum est, & amarum, Margarita verò colliquefacta dulcescit; Mare pavorem & terrorem incutit, iuxta illud: *Mare vidit, & fugit*, innata verò Margaritæ proprietas est, quòd cor hominis dilatet, & lætificet; Mare instabile est, & procellosum, Margarita verò solida est, & firma; Margarita tametsi in medio huius maritimi elementi nascatur, concha tamen, in qua generatur, rorem cœli, aliósque concipit influxus cœlestes: quæ eadem prodigia in anima cernuntur pura & virginea, tametsi enim in huius nostræ mortalitatis luto nascatur, fragilis quoque & ipsa, lapsibus frequentibus subiecta, à carnis desideriis stimulata, & instigata à spiritu fornicationis, vivit tamen pura & immaculata haud secùs, ac si nullum haberet cum terra commercium, & veluti si purus spiritus esset; Unde fit, quòd immortalis animæ sponsus, qui spirituum ponderator est, tanti talem quandam animam faciat, ut ad instar prudentis negotiatoris, inventâ unâ pretiosâ Margaritâ, abierit & vendiderit omnia, quæ habuit, & emerit eam; ac proinde non est digna ponderatio &c.

Ibid. disc. 2. n. 3. III. Hugo Cardinalis in hæc Thematis verba scribens, dubium quoddam movet, cur scilicet Joannes illos Christum sequi viderit, qui virginitatis laureolâ insigniti erant? aut cur non potius sacros Doctores & Martyres in Agni contubernio & comitatu conspexerit? & respondet: quia nec martyrium, nec prædicatio signum est generalis innocentiæ generaliter, sed integritas virginitatis signum est generale innocentiæ generalis, quia probabile est, quòd, qui se ipsum propter Deum contempserit, contempsit & mundum, & ea, quæ in eo sunt, unde signanter dicitur, quòd sequuntur non Christum, sed Agnum, in quo innocentia exprimitur, & signatur.

S. Thomas Aquinas, vel quisquis commentarii illius Author est, super sæpè dicta Apocalypseos verba, virgines Filium Dei sibi valdè familiarem efficere scribit; acquirit, inquit, de virtute castitatis divinam familiaritatem in statu viæ; unde B. Joannem familiariùs diligebat Jesus, in cuius sinu recubuit. Hinc etiam quisquis sanctarum virginum vitas legerit, frequentissimas illis à Christo ipsarum sponso visiones, revelationes, aliáque familiarissimæ benevolentiæ signa concessa fuisse reperiet, hæ enim præ cunctis aliis sanctis animabus, visitationibus, raptibus, extasibus, & admirandâ spiritûs suavitate, & consolatione à Christo demulceri solent. Virgines Virginem sequuntur, inquit Hugo Cardinalis, magìs delectabiles, & iucundi Deo, quàm cœteri sancti; ac proinde primitiarum nomine à Spiritu sancto appellantur, eò quòd, sicut primitiæ fructuum delectabiliores sunt, & gratantiùs recipiuntur. B. Albertus Magnus quoque super illa verba: *empti sunt ex hominibus*, dicit: id est, quadam prærogativa ab aliis separati sunt; sicut primitiæ eliguntur ex fructibus. Et quidem observandum est, quòd dicantur empti, qui baptismalem innocentiam servaverunt; redempti verò, qui à peccatis per pœnitentiam redierunt.

IV. Enim verò nihil est, quod natura no- *Ibid. n. 5.* stra vehementiùs appetat, quàm cibum, qui in substantiam nostram convertitur; at verò pari quoque appetitûs vehementiâ virgines à Dei Filio, velut spiritualis quidam eius cibus, eísque gratissimus, desiderantur; siquidem spiritus veritatis ipsemet, qui virtutis continentiæ author & largitor existit, ipsum inter lilia pasci, & nutriri testatur: *Qui pascitur inter lilia*, quod idem est, ac si diceret: Qui virgines plus amat, & desiderat, quàm quoslibet alios sanctos; unde Ecclesia in Hymno canit: *Qui pascis inter lilia, septus choreis virginum*; & sacer quidam Interpres ait: Sicut Diabolus cruentâ iracundiâ, & execrandô cœnô libidinis saginatur, ita Christus Dei Filius misericordiæ, mansuetudinis, vel castimoniæ liliis pascitur.

V. Nobilissimum acceptissimúmque Dei *Ibid. n. 6.* consortium, quo Maiestas eius vel maximè honoratur, castæ sunt & puræ animæ: *Virgines sunt, hi sequuntur agnum quocunque ierit*; quia ab Agni immaculati latere nunquàm separantur. Unde S. Mater Ecclesia in earum honorem ita canit: *Septus choreis virginum Sponsus decorus gloria: Quocunque pergis, virgines sequuntur, atque laudibus post te canentes cursitant.* Porrò quotidianâ videmus experientiâ, quòd, tametsi Principes omnes benemeritos Aulicos suos diligant, inter illos tamen aliqui communiter inveniuntur, qui ipsorum se maiori gratiâ dignos efficientes, iisdem præ cæteris chariores sint, sivè id fiat, quia ipsorum se genio aptiùs componunt, sivè ob aliam quandam prærogativam, & virtutem singularem, per quam se clementiæ Domini sui maiori insinuarunt; quibus proinde ad penetrandum ad Principis sui secretiora penetralia; nulla opus est ianitoris aut ephebi camerarii insinuatione, sed liberum habentes aditum familiarissimè cum eo conversantur, & ut plurimum, quocunque se eiusmodi Principes recipiunt, individui eorum socii, & grati comites existunt: Eodem quoque modo tametsi Salvator noster omnes servos suos honoret; diligat, suámque illis gratiam, & paternam benevolentiam exhibeat, in illis tamen quàm maximè sibi complacet, qui virgi-

nitatis

Digitized by Google

nitatis suæ florem illibatè custodiunt. *Hi sequuntur Agnum, quocunque ierit*; Nullus eis locus, inquit Hieronymus, in illa cœlesti aula clauditur, sed cuncta eis divinarum mansionum habitacula reserantur. S. Isidorus super præcitata Apocalypseos verba scribens dicit: Tantum autem est in virginibus castitatis donum, ut etiam Ioannes tantùm eos Agni vestigiis inhærere præscribat, qui contaminati à mulierum coitibus non fuerint, ipsi enim sunt centum quadraginta millia Sanctorum Cytharistarum illibatæ virginitatis, inviolatæ castitatis in corde, qui sequuntur Agnum, quocunque ierit, quem nemo sequi vel auditu valet, nisi tantùm Virginitas.

Ibidem, n. 7. VI. Anselmus illa Apostoli ad Corinthios verba: *Præceptum Domini de virginibus non habeo, sed consilium do*, ponderans, rationémque assignare volens, cur virtus isthæc adeò Christo grata sit, & accepta, dicit: Quia ubi præceptum, ibi necessitas est servitutis, ubi verò consilium datur, ibi est arbitrium offerentis; ibi aliud facere non licet, hic autem licet, & ideò plus amat virgines Christus, quia sponte tribuunt, quod sibi non fuerat imperatum; maioris autem gratiæ est, offerre quod non debes, quàm reddere, quod exigeris. Unde Albertus Magnus super illa verba: *Hi sequuntur Agnum, quocunque ierit*, dicit: sequuntur in quamcunque viam, sivè ad viam præceptorum, sivè ad viam consiliorum. Enimverò Virginitatis lilium illibatum servare, actus est perfectionis & heroicæ virtutis; ac proinde S. Ioannes ex mero instinctu divino dicit: *Hi empti sunt ex hominibus primitiæ*, non quasi alii homines, Agni in monte Calvariæ occisi pretioso sanguine empti, aut redempti non fuerint, sed, ut inde discamus, Virgines ab eo primo loco fuisse privilegiatas; & ideo dicit: *empti sunt ex hominibus primitiæ*, quasi diceret virgines in præmium sequelæ suæ primæ fuerunt, quæ ex ditissimo & pretioso Agni thesauro participârunt: *Hi sequuntur Agnum, quocunque ierit*. Huius quoque specialis Christi erga virgines benevolentiæ, alia assignari potest ratio, quam S. Antonius de Padua adducit, dum ait: Cùm omnes animæ sponsæ sint Christi, specialiùs tamen Virgines, quia sicut sponsus & sponsa una sunt caro. 1. Corinth. 7. ita caro Virginum carni Christi veriùs se conformat, quàm aliorum, quia sicut caro Christi non vidit corruptionem, sic nec caro Virginum.

Ibidem, n. 10. VII. S. Augustinus canticum novum, quod in processione Agnum immaculatum turmatim sequentes Virgines modulaturæ sunt, considerans, amabilibus hisce verbis eas invitat dicens: Perseverantes, laudate Dominum dulciùs, quem cogitatis uberiùs, sperate feliciùs, cui servitis instantiùs; amate ardentiùs, cui placetis attentiùs: lumbis accinctis, & lucernis ardentibus exspectate Dominum, quando veniat à nuptiis: vos afferetis ad nuptias Agni canticum novum, quod cantabitis cytharis vestris, non utique tale, quale cantat universa terra, cui dicitur: *Cantate Domino canticum novum, cantate Domino omnis terra*; Sed tale, quale nemo poterit dicere nisi vos; Ita enim testatur quidam, Agno inter omnes alios quàm maximè dilectus, inquit S. Augustinus: *Nemo poterat dicere canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti sunt de terra*. Quò ire putamus hunc Agnum, quò eum nemo sequi vel audeat, vel valeat, nisi vos? quò putamus, eum ire? in quos saltus? & prata? gaudia virginum Christi de Christo, in Christum, cum Christo, post Christum, per Christum, propter Christum. Gaudia propria Virginum Christi, non sunt eadem non Virginum, quamvis Christi; nam sunt aliis alia, sed nullis talia, meritò eum sequimini virginitate cordis & carnis, quocunque ierit: quid est eum sequi, nisi imitari? Porrò quâ ratione intelligendum sit, quòd canticum illud à nullis aliis, quàm à Virginibus cani possit, Venerabilis Beda declarat dicens: Singulariter canticum Agno cantare, est cum eo in perpetuum præ cunctis fidelibus etiam de carnis incorruptione gaudere, quod tamen electi cæteri canticum audire possunt, licet dicere nequeant. Laudes, gratiæ, voces & cantus à Virginibus modulati, suaviorem Agno harmoniam efficiunt, quàm si omnes alii Sancti ad modulos canere contenderent.

VIII. Daniel famosam illam trium puerorum recenset historiam, qualiter scilicet, dum hi in flammarum vehementia, haud secùs ac in rorulento quodam, ac spirante aëre festivi gestiebant, Rex sacrilegus obstupefactus, propiùsque accedens dixerit: *Nonnè tres viros misimus in medium ignis compeditos? Qui respondentes Regi dixerunt: Verè Rex; respondit & ait: Ecce ego video quatuor viros solutos & ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis est, & species quarti similis filio Dei*. Circa quam historiam meritò quærendum venit, cur Filius Dei hisce pueris se iungere, illisque in habitu, vultu, moribus, cunctisque actionibus similis videri voluerit? *Video quatuor viros*. Sed ecce tibi rationem in promptu: Nihil corruptionis in eis erat; hi namque pueri vitam agebant incorruptam, immaculatam, Virgineam; Et ideò Aponius super illa Canticorum verba: *Qui pascitur inter lilia*, dicit: Tres pueri Hebræi virginitatis dilectione missi sunt inter Babylonicas flammas, in eisque mediis ardente fornace, quasi inter lilia Dominus pascitur, eò quòd semper requiescat in cordibus diligentibus virginitatem.

IX. S. Joannes, ut in Apocalypsi legimus, Angelum adorare volens ab Angelo eodem passus est repulsam: *Cecidi, ut adorarem ante pedes Angeli, & dixit mihi: vide ne feceris*: Ubi meritò quærendum venit, quonam motivo hic Angelus voluntarium hoc S. Apostoli obsequium admittere renuerit? *Conservus enim tuus sum*. Sed quo pacto Angelus, qui humanam naturam adeò sua natura præcellit, Ioannem verè conservum & collegam dicere poterat, quando hic etiamnum in terra constitutus mortali carne præcinctus erat? Respondeo: verum quidem est Angelum naturâ suâ Ioanne præcellentiorem fuisse, veruntamen Virgo erat, & ideò verus — Ibid. disp. 10. n. 1.

 Ange-

Angeli collega erat, nam ut Rupertus Abbas Tuitiensis ait: Altioris honoris & gratiæ est sacra Virginitas, quam pia commendat humilitatis venustas. B. Petrus Damianus serm. 1. de hoc S. Apostolo ait: noluit adoratorem, quem decernebat æqualem, socium iudicavit: quamvis enim in omnibus Sanctis semper sit Angelicæ munditiæ contubernalis & cognata virginitas, Beatus tamen Ioannes tantò reliquos virgines superat, quantò virginitati B. Mariæ, per sedulitatis & perpetuæ custodiæ meritum appropinquat.

Ibid. n. 7. X. In actibus Apostolorum Hebræi pertinaces & increduli, suos in Sanctum Protomartyrem defigentes oculos, viderunt faciem eius tanquàm faciem Angeli, cùm tamen illum mortali carne cinctum esse cernerent, talémque ex vulneribus per coniectos in illum lapides inflictis, & sanguine manantibus agnoscere possent. Veruntamen mirum non est, quòd his non obstantibus S. Stephanus illis Angelus quidam esse videretur, siquidem ut S. Augustinus ait: In amico Angelorum similitudo apparuit; quia igitur purus & immaculatus Virgo erat, vultum præseferebat Angelicum.

XI. S. Bonaventura multas continenter viventium excellentias & prærogativas recenset, ex quibus hæc potissimùm præsenti proposito nostro deservit, quòd scilicèt Angelis amabiles faciat, cuius hanc adducit rationem, quia cùm naturaliter omne animal diligat simile sibi, etiam Angeli casti homines castos familiariùs diligunt; Ideo quoque S. Apostolus dicebat: *Nostra conversatio in cœlis est*; at verò ex quo Sanctus hic Apostolus cum hominibus commorabatur in terra, quomodo se in paradiso conversari, veraciter dicere poterat? sciendum est igitur Paulum purum & castum Virginem fuisse, Virgines autem etiam dum hîc in terris nobiscum degunt, consortio gaudent Angelorum. Unde S. Ambrosius ait: Dicit Apostolus, *nostra autem conversatio in cœlis est*, & cœlestium conversatio potest esse nobiscum, hoc est, ut qui vitâ vivimus Angelorum, rectè consortium mereamur. Legatis velim S. August. in quodam sermone in Dominicam 25. post Trin. ibi namque hoc de Virginibus invenietis testimonium: Qui in castitate vivunt, Angelicam habent in terris conversationem: castitas homines cœlo coniungit, Angelis facit civem.

Ibid. disc. 7. num. 20. XII. De Matrona quadam Anglicana, Cicilia nomine, Annales Ecclesiastici referunt, quòd post mariti sui mortem coram Archiepiscopo Cantuariensi votum emiserit perpetuæ castitatis; cùm autem in propinquo esset, ut ex hac vita in alteram commigraret, confessarium suum, qui ex ordine S. Dominici Religiosus erat, ad se accersiri fecit, qui in digito eius annulum conspiciens aureum, ancillis eius præcepit, ut eum è digito tollerent, ne in eo momento, quo vel maximè humilitas ei profitenda erat, hoc esset ornamento conspicua; Quod illa inaudiens, licet semiviva, resumpto Spiritu sic loqui conata est; Absit, absit hoc Pater à me, ut unquam recedat à me viva vel mortua hic annulus, quem ante tribunal Dei sponsi mei proferam, in testimonium inviolatæ, quam ei per hunc annulum promisi, continentiæ, ut recipiam, quam pepigimus, retributionem. Scio, cui credidi, quoniam nobilium amplexus, pro ipso, cum optimis dotibus recusavi. Ecce tibi quanta cum libertate & fiducia æternam sperabat retributionem; atque hæc dicens expiravit animam, in Paradisum, ut piè creditur, transferendam.

XIII. Præterea homo castus ipsius quoque Dei sibi comparat gratiam & benevolentiam, teste Sapiente, qui in Ecclesiastici libro ait: *Gratia super gratiam mulier Sancta, & pudorata.* In pessimo illo Sæculo, in quo ipsomet Spiritu Sancto teste, *Omnis caro corruperat viam suam*, nullus in universo genere humano reperiebatur, qui gratiam & amicitiam Dei non amisisset, nisi solus Noë. Unde in universali illo diluvio solus ipse cum sua familia commune evasit naufragium. *Noë vero invenit gratiam coram Domino*, Sed quænam de ipso ad posterorum memoriam in sacra Historia conscribuntur opera aut facta Heroica, unde hanc sibi gratiam promeritus fuit? Num fortè, quòd exemplo Abrahæ patriam & parentes dereliquit? Aut verò, quia ad imitationem Isaaci vitam suam propriam Deo in Sacrificium obtulit? Nihil horum in Scriptura de ipso legitur, sed solùm hoc de illo dicitur: *Iustus atque perfectus fuit, ambulavit cum Deo*, & hoc totum est, quod de ipso quò ad merita huius sibi comparatæ benevolentiæ in scriptura sacra legitur: Veruntamen doctissimus Oleaster verba illa Scripturæ: *Noë verò cum quingentorum esset annorum genuit Sem*, maturè ponderans ipsissimam attigisse videtur rationem; cur Noë tantã sibi apud Deum comparârit gratiam & benevolentiam. Dicit enim: Commendat valdè castitatem & continentiam Noë, qui quingentis annis cælibem vitam duxit, & ideò fortè tam gratus Deo esse meruit, ut in toto terrarum orbe solus in oculis Dei iustus videretur; De nullo enim alio legimus, tam diu generationem distulisse. Quòd verò postea matrimonio se iunxerit, id eum ex speciali divina inspiratione, credibile est, eâ præcipuè de causâ fecisse, quia nimirum Deus ex toto genere humano, parvam quandam scintillam, eius videlicèt familiam reservare decreverat, ac proinde volebat, ut ipse, & familia eius homines essent castissimi, & continentissimè viventes, ut hac ratione, sicut reliquos totius generis humani homines propter incontinentiam disperdebat, ità humanæ stirpis iacturas per viri alicuius, castitatis virtuti addictissimi, progeniem restauraret.

Ibidem discurs. 6. n. 3. (margin note to XIII)

Ibid. disc. 11. n. 17. XIV. S. Bonaventura in lilio sex grana, quasi aurea, & sex folia nivis instar candida considerans dicit: Et nota, quod in lilio sex sunt folia nivei coloris, & sex grana aurei coloris; sex folia nivea significant carnis pudicitiam, & sex grana aurea significant mentis munditiam. Primò ergo in lilio sunt sex folia, in quibus figurantur sex ad pudicitiam necessaria; Primum folium est cibi & potûs sobrietas, iuxta illud S. Hieronymi in epist. 22. ad Virginem Eustochiam

um ita scribentis. Virgo fugiat vinum, ut venenum; nam vinum & adolescentia est duplex incendium voluptatis. Nam Pierius Valerianus in suis Hieroglyphicis huic flori proprium esse dicit, quòd si vino humectetur, candorem suum primò deperdat. Secundum folium, inquit Seraphicus Doctor, est habitûs asperitas; Unde dicit Bernardus: Memento, quòd asperior carduus pannum facit leniorem, sicut asper habitus carnem facit castiorem. Tertium folium est laboris strenuitas, & per contrarium ignavia & otium sunt fumnum luxuriæ nutrimentum; iuxta illud Ezechielis: *Hac fuit Sodoma iniquitas sororis tua, superbia, saturitas, abundantia panis, & otium.* David in domo otians commisit adulterium. Quartum folium est custodia sensuum, & maximè quoad visum & auditum, quia curiositas videndi & audiendi, via est ad peccatum, cuius exemplum patet in Dina. Quintum folium est modestia verborum, & maximè immundorum, quia maximè excitatur luxuria per verba dissoluta & inhonesta, nam dicit Apostolus. 1. Corinth. 15. *Nolite corrumpi inanibus verbis, corrumpunt enim bonos mores prava colloquia.* Et ideo S. Hieronymus epistola prima ad Demetriadem post med. Tomi noni inquit: Sermo virginis prudens sit, & modestus, tardus, vel rarus, nec tam eloquentiâ pretiosus, quàm pudore. Sextum folium est fuga occasionum; idque confirmat authoritate S. Bernardi, Homiliâ tertiâ super *Missus est*, ita monentis: Virgines, quæ veræ Virgines sunt, semper debent esse pavidæ, & nunquàm securæ, ut & non timenda securè etiam perhorrescant.

Ibidem. n. 39. XV. Est alia quoque huius floris proprietas, quam observat S. Bernardus, dum ait: Nec enim vel levissimam spinæ sustinet ullatenus punctionem floris teneritudo, sed mox ut modicè premitur, perforatur. Ita pariter candor huius virtutis, per quamvis puncturam; aut per quodvis verbum minùs honestum, per obtutum minùs pudicum, vel denique per cogitationem, aut contactum turpem facilè nimis offenditur. Nam ut S. Hieronymus ait: Tenera res in fœminis fama pudicitiæ, quasi flos pulcherrimus, citò ad levem marcescit auram; levique flatu corrumpitur, maximè ubi ætas consentit ad vitium.

XVI. S. Bonaventura de consiliis Evangelicis differens, tres distinguit aureolas; scilicet Virginum, Martyrum, & Doctorum: Virginum florea, Martyrum gemmea, Doctorum aurea: At verò quænam est ratio, quòd, cùm virginitas aliis virtutibus superior existat, non tamen ipsa honoretur, aut remuneretur coronâ aliquâ, sive aureolâ gemmeâ, sed ex floribus contextâ? Quia in Scriptura castitas flos dicitur, meritò castis corona de floribus datur; & nota, quòd castitas instar floris solo tactu marcescit, quia tactus impudicæ delectationis, castitatem omninò corrumpit.

Ibidem dissert. 16. XVII. Si Doctoribus sacris fidem adhibere volumus, virginitati & continentiæ Martyrii meritum nequaquam deest; Hoc enim S. Bernardus clarè & perspicuis verbis asserit, dum ait: Genus Martyrii, Spiritu facta carnis mortificare, illo nimirum, quo membra cæduntur ferro, horrore quidem mitiùs, sed diuturnitate molestiùs. B. Laurentius Iustinianus in sermone quodam de S. Hieronymo, Sanctum hunc Doctorem ex hoc capite Martyrem fuisse probare nititur: Nempè sine sanguinis effusione gloriosi Martyrii triumphum obtinuit, quod enim carnificis mucrone non pertulit, hoc in se ipso castitatis amore complevit. Idem quoque S. Hieronymus in vita S. Paulæ, illos, qui cum sævo hoc carnis tyranno fortiter dimicant, illiùsque victores evadunt, inter Martyres quasi numerandos esse dicit: Non enim solùm effusio sanguinis in confessione reputatur, sed devotæ quoque mentis servitus immaculata, quotidianum martyrium est; illa corona de rosis & violis plectitur, hæc de liliis. De S. Thecla Divus Chrysostomus ait: erat igitur in ipsa etiam virginitas, quæ illis, qui rem accuratè perpendunt, magnum quoddam martyrium ante martyrium videtur; cuius convincentem hanc assignat rationem: sunt enim crudeles quidam carnifices corporis, imò carnificibus crudeliores. S. Isidorus Pelusiota in quadam epistola suâ idem punctum his verbis tangit, dicens: Virginitatis certamen magnum quidem & præclarum & divinum est, nam adversùs corporis voluptatem ipsi bellum est, quod in aliis certaminibus labores minuit; voluptates enim & delectationes maximè carnales nimis sunt homini connaturales, & ideo eximiâ virtute opus est, ut debellentur.

XVIII. Signum Virginis in cœlesti Zodiaco, ut diximus, in medio Leonis & Libræ consistit, ad denotandum, quòd Virgo ad instar Leonis, qui apertis oculis dormit, vigilare debeat, atque insuper discat quodvis verbum, unumquemque obtutum, omnem motum &c. librandum sibi, & ponderandum esse exactè, omniàque & singula eidem suspecta esse debere. *Idem diss. 25.*

XIX. Lucas Waldingus in Annalibus Franciscanis refert, quòd cùm Religiosus quidam F. Ægidium conveniens, coram eo gloriatus de obtenta adversus carnis vitium gloriosâ victoriâ, modum quoque recensuisset, quò carnis præparatos sibi evasisset laqueos, inter cætera, sequentis à tergo fœminæ dixerit sibi immissam concupiscentiam, eòque validiorem, quò propiùs illa accedebat, stetisse verò parumper, atque prætereuntem seriùs aspexisse, mox omnem evanuisse tentationem. Quem F. Ægidius mox interrogavit, an mulier illa speciosa, an verò deformis, iuvencula aut vetula fuerit; cui cùm Religiosus vetulam & turpem fuisse respondisset, mox vir Dei in hæc verba subiunxit: Quid ergo mirum, si præterit tentatio apposito antidoto? Scias, fili mi, potiùs succubuisse te, quàm vicisse. In eo consistebat victoria, quòd prætereuntem non aspiceres, sed demissis vel clausis oculis te tentantem omninò negligeres; Hisque, utilissimum quoddam, nostro proposito admodùm opportunum, subiunxit documentum, dicens: Victoria tentationis carnalis, non in *Idem diss. 25. n. 4.*

con-

Digitized by Google

congressu, sed in fuga securior & firmior: cave iterum, ne molestas tibi fœminas, neque in universum ullas in faciem respexeris, nam pro vetula adolescentula, & pro fœda, speciosa se tibi obiiciet, quæ tentationem non remittet, sed augebit, non tollet, sed immittet, quò fiet, ut facilè pro victoria turpem lapsum, & pro gloria perpetuam reportes infamiam.

§. VII.

AXIOMATA.

I. CAstitas in Juventute, Martyrium est sine sanguine. *S. Bernardus.*

II. Voluptatem vicisse, voluptas est maxima. *S. Cyprian.*

III. Nulla maior victoria, quàm quæ de cupiditatibus carnis refertur. *Idem.*

TITVLVS XI.

CHARITAS DEI.

§. I.

QUOAD ESSENTIAM.

S. Dionys. de div. no. c. 4. I. S. Dionysius eam sic describit: Est virtus unionem (cum Deo scilicet) faciens. Quam descriptionem sic exponit: Amor facit unionem, vel effectivè, ut amor concupiscentiæ movens ad desiderandam, & amandam præsentiam amati, quasi sibi convenientis, & ad se pertinentis: vel formaliter, ut amor amicitiæ, qui est talis unio vel nexus; unde S. Augustinus dicit, quòd amor est quasi iunctura quædam duo aliqua copulans, vel copulare appetens, amantem scilicet, & quod amatur. Quod enim dicit (copulans) refert ad unionem affectûs, sine qua non est amor: quod verò dicit (copulare intendens) pertinet ad unionem realem. Utramque amoris rationem & vim exprimit David; priorem quidem illis verbis: *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus*; posteriorem verò sequentibus: *Quando veniam & apparebo ante faciem Dei.* Sic S. Augustinus: Quis mihi dabit, ut venias in cor meum, & inebries illud, ut obliviscar mala mea, & unum bonum amplectar te? Noli abscondere faciem tuam. Moriar, & eam videam.

Lancic. opusc. 10. n. 210. fol. 822. II. P. Ludovicus de Ponte illius actus paulò fusiùs declarat, dum, ut Nicolaus Lancicius de eo refert, imaginabatur sibi amorem instar fluvii, qui in rivos dividitur, & suo impetu vias sibi aperit, & obstacula perrumpit, & facit canales, per quos currant inclinationes amorosæ.

Prima inclinatio amoris Dei est, destruere maiores Dei inimicos, quos habet, scilicet peccata, & satisfacere Deo pro illis, castigando suam voluntatem, sensus, & carnem, tanquàm authores tanti mali dignissimos omni pœnâ, & fugere imposterum talia, & ad hoc utitur mortificatione.

Secunda inclinatio amoris est, crescere infinitè, desiderando magìs ac magìs cognoscere, & amare suum Deum; Ideò rumpit obstacula, quæ habet ad crescendum, scilicet affectiones terrenas, quia diminutio cupiditatis est augmentum charitatis, & hoc facit per mortificationem.

Tertia inclinatio amoris est, cum debita gratitudine recognoscere authorem sui esse, qui Deus est, qui nos creavit, sustentat, auget, perficit infinitis beneficiis, ideóque desiderat illa facere obsequia usque ad sanguinis effusionem, quod facit abnegatione sui. *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? calicem salutaris accipiam.*

Quarta inclinatio amoris est, assimilare se amato, quia ita magis amabitur, & quia similitudo est causa amoris; & quia vita Christi, tota fuit mortificatio in paupertate, contemptu, dolore, labore, ideò mortificatio amat hæc.

Quinta inclinatio amoris est, benefacere amatis ab amato, qui sunt proximi, procurando lucrari eorum animas, ad augendum patrimonium amati, & serviendo illis corporaliter; quia in illis est suus dilectus, & hoc non potest præstare, quin perdat multa commoda sua, ideò amat mortificationem.

Sexta inclinatio amoris perfecti est, desiderare conspectum sui dilecti, & gaudere eius præsentiâ, & præsumit duas res esse posse impedimento. Primò non complevisse numerum meritorum, quem Deus vult illum habere. Secundò post completa merita, non satis fecisse pro pœnis peccato debitis; ideò ut acceleret primum, & auferat secundum, exercet se in abnegatione & mortificatione: quia scit eum, qui vivit & moritur in cruce, currere valdè, & volare sine impedimento ad gloriam: siquidem & bonus latro audivit in cruce: *hodiè mecum eris in Paradiso.*

Septima inclinatio, & super omnes est, implere voluntatem dilecti, anteponendo eam, omnibus suis utilitatibus & commodis, etiam visioni Dei. Ideò delectatur mortificatione propriæ voluntatis, & acceptat omnem abnegationem, quia ita vult eius dilectus.

Denique sicut homo satiatus cibis pretiosis, fastidit alios; ita amor solo Deo contentus nihili facit omne creatum: & ita illi facilis est omnis mortificatio, in non videndo eo, nec gustando, nec possidendo. Multoties ad hoc propositum obtulit se mihi satietas, quam habuit Beatissima Virgo tenendo suum Christum, quem possidendo, non sentiebat paupertatem, contemptum & alia: Sicut dicebat mater Tobiæ,

biæ, omnia in te uno habentes, in Deo solo habeo omnia.

§. II.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Qualitas.

S. Bern. ser. 51. de modo benè vivendi. I. Rogo, ut amorem Christi ostendas sociabus tuis, non solùm verbis, sed & operibus bonis. Tunc verè Deum diligis, si pro amore illius bona, quæ potes, operaris. Unaquæque anima sancta debet in se monstrare amorem Dei, & verbis sanctis, & actionibus. Unde in Canticis Canticorum sponsus scilicet Christus, Sponsam, id est, animam sanctam ornat dicens: *Pone me ut signaculum super cor tuum, & super brachium tuum*: In corde sunt cogitationes, in brachio operationes. Ergo super cor, & super brachium sponsæ, dilectus in signaculum ponitur, quia in sancta anima, quantùm ab ea diligatur, & voluntate & actione designatur: quia amor Dei nunquam est otiosus. Si verè est amor, magna operatur: si verò non operatur, amor non est. Si verè Deum diligis, nullâ horâ otiosa eris.

S. August. tract. 123. in Ioan. II. Nescio, quo inexplicabili modo quisquis se ipsum, non Deum amat: & quisquis Deum, non seipsum amat, ipse se amat. Qui enim non potest vivere de se, moritur utique amando se; cùm verò ille diligitur, de quo vivitur, non se diligendo, magis diligit, qui propterea se non diligit, ut eum diligat, de quo vivat.

Idem Homil. 38. ex 50. III. Amicitiæ amor debet esse gratuitus: non enim propterea debes habere amicum, vel amare, ut aliquid tibi præstet. Si propterea illum amas, ut præstet tibi vel pecuniam, vel aliquod commodum temporale; non illum amas, sed illud, quod præstat; amicus gratis amandus est propter se se, non propter aliud, si hominem te hortatur amicitiæ regula, ut gratis diligas: quàm gratis amandus est Deus, qui iubet, ut hominem diligas? Nihil delectabilius Deo: Nam in homine sunt, quæ offendant, per amicitiam tamen cogis te, ut etiam illa, quæ offendunt in homine, toleres propter amicitiam. Si ergo non debes propter quædam toleranda dissolvere hominis amicitiam; Dei amicitia, quibus rebus debet cogi, ut dissolvatur à te?

Ibidem. IV. Sed dicturus es mihi, non Deum video, quomodo sum amaturus, quem non video? Modò ostendo, ecce amas amicum gratis. Sed fortè homo senex est amicus iste tuus. Quid amas in sene; incurvum corpus, album caput, rugas in fronte, contractam maxillam? corpus, quod vides, non amas, quia deforme est. unde vides, quod amas? responsurus es, te amare; quia homo est fidelis. Ergo fidem amas. Quibus oculis videtur fides, ipsis oculis videtur Deus.

Idem in Psal. 72. V. Amat anima sponsum suum. Quid ab illo quærit? à sponso suo, quem diligit, fortè divitias & aurum eius amat &c? Absit. Ipsum solum amat, & gratis amat; quia in ipso habet omnia. Hinc ipse amantissimus, dulcissimus. Quoties talem salutas, etiam ad te conversio eius.

R. P. Lohn. Auctar. Bibl.

Idem in Psal. 121. VI. Habet omnis amor vim suam, nec potest vacare amor in anima amantis: necesse est, ut ducat; sed vis nosse, qualis amor sit? vide, quò ducat. Non enim monemus, ut nil ametis; sed monemus, ne mundum ametis; ut eum, qui fecit mundum, liberè ametis. Obligata enim anima amore terreno, quasi viscum habet in pennis, volare non potest. Mundata verò ab affectibus sordidissimis sæculi tanquam extensis pennis; & duabus alis resolutis ab omni impedimento, id est, duobus præceptis dilectionis Dei, & proximi volat. Quò, nisi ad Deum volando, quia ascendit amando.

Idem tr. 9. in Epist. 1. Ioan. VII. Quomodo diligis eum, cuius odisti præceptum? quis est, qui dicat: Diligo Imperatorem, sed odi leges eius?

S. Greg. hom. 30. VIII. Probatio dilectionis exhibitio est operis: verè enim diligimus, si ad mandata eius à nostris nos voluptatibus coarctamus.

S. Thomas. IX. Anima, quæ amat, operatur magna, & reputat parva; operatur multa, & reputat pauca; operatur diu, & reputat breve.

S. Bern. de dil. Deo. X. Dilectio, quæ tendit in Deum, tendat in immensum, in infinitum (nam & infinitus Deus est, & immensus) quisnam, quæso, dabatur finis esse nostri, vel modus amoris? Quid? quòd amor ipse noster non iam gratuitus impenditur, sed rependitur debitus, amat ergo immensitas, amat æternitas, amat supereminens scientiæ charitas, amat Deus, cuius magnitudinis non est finis, cuius sapientiæ non est numerus, cuius pax exsuperat omnem intellectum, & vicem rependimus cum mensura? Diligam te, Deus meus, adiutor meus, diligam te pro dono tuo, & modulo meo, minùs quidem iusto, sed planè nonminùs posse meo; qui etsi, quantùm debeo, non possum, non possum tamen ultrà, quàm possum, potero verò plus, cùm plus donare dignaberis; nunquam tamen, pro ut dignus haberis.

Utilitas.

S. Bern. Epist. 42. XI. Nec absque charitate quodlibet magnum bonum suscipitur, nec cum illa quodlibet exiguum respuitur.

S. Bas. (?) in Psal. 44. XII. Beati, qui veræ illius pulchritudinis amore inardescunt, charitatis enim vinculis quodammodo adstricti, cœlestem ac beatum amantes amorem, obliviscuntur domesticorum, & amicorum; obliviscuntur familiæ, & facultatum omnium, quin & immemores potûs & cibi ad corporis sustentationem necessarii, soli divino & puro amori penitus adhærescunt.

S. August. in Psal. 49. XIII. Quisquis habet charitatem, ut quid eum longe mittimus, ut videat Deum? conscientiam suam attendat, & ibi videt Deum, vult eum fortè videre sedentem in cœlo? habeat charitatem, & in eo habitat, sicut in cœlo.

Æquitas.

S. Bern. tract. de diligendo Deo. XIV. Meretur amari propter se ipsum Deus, & ab infideli: qui etsi nesciat Christum, scit tamen se ipsum. Proinde inexcusabilis est omnis etiam infidelis, si non diligit Dominum

R Deum

Deum summ, toto corde, totâ animâ, tota virtute sua: clamat nempe intus ei innata, & non ignota ratione iustitia, quia ex toto se diligere debeat, cui se totum debere non ignorat.

S. August. medit. c. 35. XV. Si homo hominem tanta diligit dilectione, ut alter alterum vix patiatur abesse; si sponsa sponso tanto conglutinatur mentis ardore, ut præ magnitudine amoris nulla perfrui valeat requie, chari sui absentiam non sine magno mœrore ferens: Qua ergo dilectione, quo studio, quo fervore, anima, quam desponsâsti tibi fide & miserationibus, debet diligere te verum Deum, & pulcherrimum sponsum, qui nos sic amâsti, & salvâsti: qui pro nobis tot, tanta & talia fecisti? Quamquam autem hæc infirma habeant suas delectationes, suósque amores, non tamen tali modo delectant, sicut tu Deus noster. In te enim delectatur Justus, quia amor tui suavis est, & quietus. Nam pectora, quæ possides, dulcedine & suavitate reples. Et contra amor seculi, & carnis anxius est, & perturbatus: animas certè, quas ingreditur, quietas esse non patitur. Semper enim suspicionibus & perturbationibus, variísque timoribus sollicitat eas. Tu itaque es delectatio rectorum, & meritò. Quies enim valida est apud te, & imperturbabilis vita. Qui intrat in te bone Domine, intrat in gaudium Domini sui.

S. Aug. Man. c. 18. XVI. Solus est amor ex omnibus animæ motibus, sensibus atque affectibus, in quo potest creatura, etsi non ex æquo, respondere Authori, vel ipsi mutuam rependere vicem. Amor ubi venerit, cæteros in se omnes traducit, & captivat affectus, animæ per se sufficit, per se placet, & propter se, ipse meritum, ipse causa, ipse fructus, ipse usus.

Jucunditas.

Idem tract. 7. in Epist. Ioan. XVII. Laudatur vobis charitas, erigimini, acclamatis, laudatis? exhortor vos, quantùm datur ad magnum thesaurum: si vobis ostenderetur aliquod vasculum anaglyphum, inauratum, operosè factum, & illiceret oculos vestros, & duceret in se intentionem cordis vestri, & placeret vobis manus artificis, & pondus argenti, & splendor metalli: nónne unusquisque vestrûm diceret: O si haberem vasculum istud? Laudatur vobis charitas, si placet, habete, possidete; Non opus est, ut furtum alicui faciatis, non opus est, ut emere cogitetis, gratis constat: tenete eam, amplectimini eam, dulciùs illa nihil est: si, cùm commemoratur, talis est, cùm habetur, qualis est?

S. Bern. ser. 84. in Cant. XVIII. Existimo, quia nec cùm inventus fuerit, cessabitur à quærendo: non pedum passibus, sed desideriis quæritur Deus. Et utique non extundit sanctum desiderium felix inventio, sed extendit. Nunquid consummatio gaudii, desiderii est consumptio? oleum magis est illi.

Dignitas.

S. Aug. hom. 2. in 1. Ioannis. XIX. Talis est quisque, qualis ejus dilectio: Terram diligis? terra es:

XX. Deum diligis? quid dicam? Deus es. *Ego dixi, Dij estis.*

XXI. Cùm enim quæritur, utrum quisque sit homo bonus? non quæritur: quid credat, aut speret: sed quid amet? Item: nihil esse isto Dei dono excellentius. *Idem in Enchir. c. 117.*

Facilitas.

XXII. Nihil difficile est, nihil grave est, quòd nobis imperatur, si voluerimus. *S. Chrysost. hom. 14. in Epist. ad Hebr.*

XXIII. Quomodo grave est mandatum Dei? aut enim quisquam non diligit, & ideò grave est: aut diligit, & grave esse non potest. *S. Aug. l. 9. de nat. & gratia, c. 9.*

XXIV. Amor facilis est, omnibus se exhibet, nulli se negat, capit eum Juvenis, & senex, vir, & mulier, sanus & infirmus, dives & pauper, summus & infimus, liber & servus, sæcularis & Religiosus, debilis & fortis, nec est, qui se valeat excusare. *Idiota de Div. amore, c. 1.*

§. III.

EXEMPLA SACRA.

I. B. Ægidius è Francisci familia ita aliquando S. Bonaventuram familiari sermone, & innato, quo erat, candore aggressus legitur: O vos beatos, quibus eruditio miros Deo serviendi, laudandíque modos suppeditat? Nos idiotæ quid ea in re scimus, quid facere possumus? Cui Bonaventura, etsi cætera omnia, quæ tu tantoperè suspicis, desint, mi Ægidi, parùm est, si Dei adsit amor, illo enim uno plus ad Dei obsequium poteris, quàm aliis omnibus. At potéstne, subiicit Ægidius, tam facilè, & ardenter amare imperitus aliquis, quàm doctus? Potest vel maximè, inquit Bonaventura. Ad quæ sanctus ille Idiota è conspectu se illius proripit, ad Monasterii muros, qua parte in Urbis plateam patebat aspectus, accurrit, & qua potest, voce clamat: Audite, O vetulæ, audi ignarum vulgus. Si Dominum Jesum Servatorem vestrum ambitis, Doctore nostro Bonaventura poteritis esse apud Deum maiores. Quo dicto hæsit in Deum absorptus non minùs tres horas immobilis. *Chron. Franc. p. 2. l. 7. c. 14.*

II. S. Augustinus dixisse fertur: Domine Deus, ita te diligo, ut si Deus essem, vellem sortem inter nos commutare, & ego Augustinus esse, ut tu Deus esses. In quo apparet quasi cæco impetu voluntatem in amati bonum ferri, neque dare otium intellectui, ut attendat ad ea, quæ dicit, & dictorum, ac voti impossibilitatem videat: Impossibile enim est Deum velle non esse; cùm ultimus ipse sit sibi omnium suorum amorum, & desideriorum finis.

Non immeritò ergo cor ipsius Angelis traditum est, ut incorruptum servaretur: Sigiberto deinde Episcopo Lugdunensi post longas preces ad impetrandum aliquid reliquiarum S. Augustini ad Deum fusas pyxide crystallinâ, auro gemmísque distinctâ inclusum ab eodem tutelari Angelo donatur, ac dum in Hymno: *Te Deum*, in gratiarum actionem decantatur, ad illa verba, *Sanctus*, *Sanctus*, palpitare, & exultare conspicitur, Deo ad tanti viri celebrem *Peneguin. consid. 21. fol. 581.*

in

in amore Sancto memoriam hominum animis imprimendam, in corde eius post quinque amplius annorum centurias tam admiranda amoris divini argumenta manifestante, dum ille viveret, à Trinitatis comprehendendo mysterio à puero cochleari totum mare in exiguam fossam exhaurire satagenti deterretur; Non verò ab illa infinitæ charitatis divinæ, quàm proximè poterat, accessione, à qua tantos amoris ignes concepit, repellitur.

Thom. Cantipr. lib. 2. apum c. 57. p. 14.

III. Erat puella quædam in Brabantiæ partibus inter Proceres generosa, quæ in amorem cuiusdam Iuvenis per multos annos miro dæmonum stimulabatur insultu. Hæc enim cùm mihi frequenter cum multis lacrymis in confessione diabolicas insidias aperiret, consului, ut summoperè caveret, ne nutu aut verbo Iuveni tentationis occasio præberetur; & paruit illa diligenter, ut monui. Cùmque adeò graviter tentaretur, ut somni cibique perderet appetitum, accidit nocte quadam, ut tanto dæmonum agitaretur impulsu, ut superveniente aurora surgere cogitaret, & clam adire Iuvenem, qui in vicinia morabatur. Nec mora, ubi oculos aperuit, vidit Christum, quasi plagis recentibus crucifixum, leni sermone dicentem sibi linguâ patriâ: *Tu me dois aymer, ie suis tres-beau; bon & doux, noble & Loyal.* Quod nos latinè colotatis verbis exponimus: Me diligas, qui sum formosus, bonus, dulcis & generosus. Unde versus:

Dilige formosum, dulcémque, bonum, & generosum.

Hæc ut dixit, repentè disparuit, & puellam in omni pace, & gaudio, & gratiarum actione ab omni tentatione liberrimam dereliquit. Benè, & veridicè de se Christus asseruit. Diligendus est enim præ omnibus; quia *speciosus formâ præ filiis hominum*; & splendor est gloriæ, & figura substantiæ Patris. Contrà de homine dicitur: *Omnis caro fœnum.* Diligendus est etiam, quia *bonus, à quo omne bonum*: Contrà de hominibus; *Nemo bonus, nisi solus Deus.* Diligendus est etiam, quia dulcis, *cuius labia favus distillans. Misericordia enim eius super omnia opera eius.* Contrà de homine Salomon quærit: *Nequius oculo quid creatum est? qui tamen est lucerna corporis nostri.* Diligendus est etiam, quia generosus, *quem Deus Pater constituit Hæredem universorum, per quem fecit & sæcula.* Contrà de hominibus Malachias ait: *Nunquid non pater unus omnium nostrum? Quare despicit unusquisque proximum suum?* meritò ergo puellæ Iuvenem diligenti Christus per hæc verba conclusit, & se potiùs diligendum, formosum, bonum, dulcem & generosum comprobavit.

Speculum Exempl. v. Dilectio exemp. 1. R. P. Lohn. Auctar. Bibl.

IV. Erat quædam Virgo Nobilis 14. annorum, quæ B. Virgini valdè erat devota. Hæc gloriosam Virginem rogabat continuè septem annis, ut sibi dignaretur ostendere Filium suum. Quæ cùm in Vigilia Nativitatis Domini orationis causâ sola capellam intrâsset, apparuit ei Virgo pulcherrima, tenens filium in manibus, & allocuta est virginem Dei: Accipe filium meum, & lude cum eo. Quæ gaudens fecit. Cui puer: Diligisne me? Et illa: omninò. Et ille: Quantùm? Tunc illa: plusquàm corpus meum. Et IESUS ait: quantùm plus corde tuo diligis me? Et illa: nescio dicere, sed ipsum cor loquatur. Quo dicto statim cor eius præ amore scissum est. Tunc B. Virgo acceptâ animâ eius in concentu Angelorum deduxit in Cœlum. Ad cantum verò Angelorum familia cucurrit, & virginem mortuam invenientes, odore inenarrabili sunt repleti. Et Fratres Prædicatores, qui aderant, cor eius aperientes scissum invenerunt, & in eo scriptum erat: Diligo te plus, quàm me, quia tu creâsti, redemisti, dotâsti me.

Ioan. Rho. Hist. 1.

V. Sanctæ Mariæ Magdalenæ de Pazzis frequentissimum fuit, cursare per domum, obvias sorores apprehensâ dexterâ ardentibus verbis ad amorem Dei excitare, hortum ingredi, spatia citato gressu conficere identidem succlamare. O amorem! ad æris campani turrim accurrere, illudque totis connixa viribus pulsare, cum illis vocibus: Excitemus mortales omnes, ut amorem hunc ament. O amor! si mihi ferrea vox foret, quam vocalissimè profectò inclamarem? Amate hunc amorem mortales, amate. Ad hæc ardoris haud tolerans, brachia & sinum, frigida immergere, ac spargere consueverat. Hæc illa in ipso æstu charitatis, quæ ex imo cordis Oceani instar effusa in animæ facultates, minoris prudentiæ fines omnes obruit; eadem, quùm sibi relinquebatur, mirum quantâ modestiâ eos ignes dissimularet, quorum pallido in ore cineres gerebat.

Idem exemplo 2.

VI. Cornelia etiam Lampugnana, quùm se unam illis ardoribus exhauriendis imparem sentiret, identidem ad socias succlamabat: Ferte opem, properatæ sociæ, ut amorem amem. Tum vehementiùs incitata, iamque amore victa: Satis est, satis, non ultrà ferre valeo. Mox: Proh! quàm libenter cor mihi dilacerari vellem pro Dei honore. Parcite, qui hæc legitis, imperiosus amor est, & mira velocitate omnes ciet, agitque animæ affectiones.

Ibidem exempl. 6.

VII. Violentior in S. Philippum Nerium incubuit divina flamma, quàm ut excussâ iustè contentus acquiesceret; huic olim triumphalibus Martyrum in spelæis ad D. Sebastiani, profundâ iam nocte intentiùs precanti, tantus repentè divini amoris incidit è cœlo calor, ut animo in amorem dulcissimè liquescente, humi abiectus exclamaret: Impar sum, Domine, impar sum. Mox ubi concitatissima illa vis, paulùm se remittens, consuetæ vitæ officiis, liberum animum reliquit, sinistras inter costas repentinum tumorem dolore nullo animadvertit Philippus: Novum insuper cordis laxato spatio motum existere, cùm veluti exultans subsultaret, ac inaudito sub fornice, costis duabus maiorem in arcum curvatis, vel triumphum ageret de sæculi cupidine victo, vel regium in morem, magnificè habitans, ac sibi in illa perplacens novâ ædis laxitate gloriosissimè plauderet. Fuit hoc deinde Philippo proprium, ut quùm divi-

nis rebus tractandis, mysteriisque impertiendis amorem excitâsset, illius vim non ferens toto corpore concuteretur. Quin summâ non minùs hyeme, quàm senectute, iam octogenario ab hac pietate æstuanti facies, oculique dulcissimâ quadam vi emicabant, totúsque in ore erat amor, cuius lumini venerabilis quidam pallor, & qualis amantûm solet esse, succedebat: Non hæc tamen summa illius amoris laus, sed quòd liquidissimis hisce voluptatibus carere, ut sincerius amaret, præoptabat.

Ibidem exempl. 15. VIII. Nicolao Factorio Ordinis Minorum adeò promptus amoris flammæ explicandæ animus erat, ut vel levi eius recordatione à sensibus procul abriperetur, eóque duce ad divina peregrinaretur; Itaque opere summo cavebat, ne in publico de amore sermonem inferret, cuius recordatione violentiùs excitabatur. At quùm domi se illi permiserat, nihil omittebat eorum, quæ amantibus solemnia sunt suspiria, concursationes, gemitus. Verùm illud non vulgare, quod quùm æstum non ferens, in piscinas desiliret, ferveret illicò frigida, quasi admoto igne; haud aliter, ac in fabrorum lacubus, quùm tingitur ferrum. Et verò admirabilis erat tinctura charitatis, quæ mediis in aquis fervorem excitabat.

Barry in blandit: c. 6. exercit. 6. IX. B. Iacoponus quondam interrogatus, cur tantam vim lacrymarum profunderet? Quòd amor non amatur, respondit. S. Franciscus Seraphicus concepto etiam voto se obligavit, nihil se cuiquam postulanti negaturum, si amore Dei postularet. Unde accidit, ut cùm quidam ex eius Sancta Familia ob viri Sancti venerationem cuperet illius veste uti, per amorem Dei poscenti, quamprimum facta permutatione suam illi tunicam cederet. Unicum duntaxat pauperem semel reiecit, etsi legitimâ esset observandi formulâ usus, quòd domesticis negotiis nimiùm quantùm esset occupatus, mox tamen, repulsæ memor, inquisito liberalem stipem erogavit, veniam etiam precatus, quòd eum indonatum ad primas preces dimisisset.

Ibidem l. c. X. Raymundus Lullus quavis occasione amoris nomen iteravit, & responsi loco reposuit: si ab eo quæsiisses: cuius es? Amoris, respondisset. Unde venis? ab Amore. Quò pergis? ad Amorem. Quis te huc adduxit? Amor. Unde vivis? Amore. Ubi habitas? in Amore. Totum eius ac unicum negotium erat, de Amore cogitare, ac loqui.

Insinuat. c. 60. XI. S. Gertrudis, recolens vice quadam diversos casus instabilitatis, conversa ad Dominum dixit: Mihi adhærere tibi soli, dilecte mi, bonum est. Tunc Dominus inclinatus circumplectebatur eam dicens: & mihi semper adhærere tibi suave est, dilecta mea. Quod cum diceret, omnes Sancti assurgentes obtulerunt merita sua ante Thronum ob reverentiam Domini, ut inde tribueret animæ istius, ut vel sic dignior sibi fieret habitatio in ea. Unde intellexit, quàm faciliter Dominus inclinatur ad animam, & quàm libenter Sanctorum cœtus ipsi ad hoc famulantur, quò ex ipsorum meritis indignitas animæ suppleatur. Hinc cùm ex affectu desideriorum diceret: Ego vilis homuncio saluto te, amantissime Domine. Tale à dulcissima pietate Dei accepit responsum: Et ego resaluto te meam amantissimam. Per quod intellexit, quòd, quotiescunque aliquis dicet Deo: dilecte mi: vel dulcissime, vel amantissime, & similia cum intenta devotione, frequenter ab ipso tale accipit responsum, ex quo ipse quasi privilegium specialis gratiæ habebit in cœlis, sicut Ioannes Evangelista specialem habet gloriam in terris ex eo, quòd vocatur *Discipulus, quem diligebat IESVS.*

XII. Eadem Virgo cùm quadam vice circa Dominicam Passionem memoriam haberet devotiùs occupatam, & inde quasi effrenis in abyssum desideriorum ageretur, sensit iecur suum præ nimio æstu desideriorum valdè succensum, & dixit ad Dominum: Mi Amator dulcissime, si istud, quod nunc sentio, scirent homines, dicerent, quòd Iure à tali fervore abstinere deberem propter recuperandam corporis sanitatem: cùm tamen tibi occultorum meorum cognitori perspicuè pateat, quòd omni conatu virium, & sensuum meorum non possem me modò continuisse à tuæ suavitatis pertransitiva commotione. Ad quod Dominus respondit: Quis, nisi sensu carens nesciat, quòd inæstimabiliter efficax dulcedo divinitatis meæ incomprehensibiliter longè excedit omnem humanam, & carnalem delectationem, cùm omnis dulcedo corporea, divinæ dulcedini coæquata, sit quasi stilla roris exigua ad immensum pelagus totius maris, cùm tamen sæpius homines tam efficaciter humanâ delectatione trahantur, quòd nullatenus se possunt continere ab aliquibus, unde non corporis, sed etiam animæ se sciunt periculum incursuros æternum. Quantò minus anima meæ divinitatis dulcedine penetrata se potest ab amore meo continere, unde sibi scit æternam felicitatem provenire? *Ibidem lib. 3. c. 44.*

XIII. S. Petrus, audiente S. Birgitta, ad militem quendam dicebat: Ego, qui graviter cecidi, sed fortiter surrexi, impetrabo tibi loricam, id est, divinam charitatem: sicut enim lorica ex multis constat ferreis circulis, sic charitas defendit contra tela inimici, & animæquiorem reddit hominem ad toleranda mala ingruentia: agiliorem efficit ad amorem Dei, & ferventiorem ad divinos labores, invictum in adversitatibus, longanimem in spe, perseverantem in inceptis. Hæc itaque lorica fulgere debet, ut aurum, fortis esse ut chalybs, & ferrum. Quia omnis homo charitatem habens, ductilis esse debet, ut aurum, per patientiam contra omnes adversitates, fulgensque per sapientiam, & discretionem, ne hæresim recipiat, pro integritate fidei, dubiáque pro certis. Sit quoque lorica fortis, & ut ferrum domat omnia, sic homo utens charitate, studeat humiliare eos, qui resistunt fidei, & bonis moribus. Non retrocedat propter oblocutiones, non flectatur propter amicitias. Non tepescat propter commoda sua temporalia. Non dissimulet propter quietem carnis. Non revereatur propter *Lib. 4. Revel. c. 74.*

pter mortem, quia nemo potest auferre vitam, nisi permittente Deo. Veruntamen quamvis lorica ex multis constet circulis, tamen duo sunt principales circuli, quibus lorica contexitur charitatis. Primus itaque circulus est cognitio Dei, & frequens consideratio divinorum beneficiorum, ac præceptorum, ut sciat homo, quid faciendum sit Deo, quid proximo, quid mundo. Secundus circulus est refrœnatio propriæ voluntatis propter Deum; omnis quippe, qui Deum perfectè & integrè diligit, nihil sibi de voluntate, quæ contra Deum est, reservat. His similia tradit S. Gregorius Papa: Qui perfectè Deo placere desiderat (quales sunt omnes ii, qui volunt perfecta erga Deum charitate fervere) sibi de se nihil relinquat.

Relatio pro Canonizatione. XIV. De S. Ignatii Loiolæ eximia charitate clarum testimonium habetur in Relatione pro Canonizatione in hæc verba: Quantoperè diligeret, patet ex summa illa cura, ac diligentia, quâ studuit propter Deum proximo in spiritualibus ac temporalibus semper benefacere; & ex maxima vigilantia, quâ curavit cor suum mundum custodire. Neque verò tantummodò custodivit cor suum ab iis, quæ sunt contra dilectionem, sed etiam à se ipso amorem omnium rerum, quæ Deus non sunt, prorsus abiecit, atque in eundem transtulit Deum: omnémque affectionem ad Dei dilectionem referre conatus est. Hanc in Deum charitatem (pergunt iidem Apostolici Commissarii) adeò puram in suo corde aluit, retinuítque, ut etiam sui ipsius amorem prorsus amandârit. Dixit enim aliquando; se, si optio daretur, velle potiùs vivere cum incertitudine Beatitudinis, & interim servire Deo, quàm cum certitudine tunc obire: & iudicare, sibi magìs durum, & pœnale futurum, audire blasphemias in Domini nomen, quàm pœnas inferni pati, si unquam ad inferos detruderetur à Deo. Tanto denique erga Deum amore flagrabat, ut tota die illum exquireret, & nihil aliud loqueretur, nihil aliud cuperet, quàm placere Deo, & illius obtemperare voluntati. Itaque illi se totum committebat, illum omninò sequi decreverat, etiamsi toto cœlo, terráque privaretur. Omnes suas cogitationes, verba, opera in Deum, tanquàm in finem referebat; ad Deum, ac Dei gloriam honorémque destinabat: Atque ad hoc, veluti symbolum, *Ad maiorem Dei gloriam,* in ore semper habebat. Ex his nimirum oriebatur illud magnum gaudium spirituale, quo hîc Dei servus planè repletus erat; illa serenitas, quam semper in vultu præseferebat; illa pax interior animi. Hæc illi.

Ioan. Rho. Hist. 2. fol. 13. XV. Insuetus in Ioanne Baptista Sanctio amoris ardor fuit, & votum ultra mortalium vota quæsitissimum. Nam, quùm amori se totum permisisset, ita comparatus vivere didicerat, ut una moriendi, id est, ad videndum, quem unicè diligebat, Deum, evolandi spe vitam toleraret. Hinc gravissima illi affirmatio, si integram sibi vitæ diem superesse, vel divinitus acciperet, vel certâ crederet persuasione, atroci se doloris telo confixum iri, ideóque certissimè moriturum, quod tamdiu ab amato Deo abfuturum se certus esset. Res igitur plena erat admirabilitatis, vivere hominem eâ tantùm gratiâ, quòd se citò speraret, esse moriturum.

XVI. Vincentius Carafa iam inde à pueritia perenni Numinis memoriæ mentem assuefecit; & ut sensus quoque, præter genium suum, eius imagini effingendæ famularetur, à tyrocinio solitus erat obiicere oculis hæc verba: Præsentia Dei. Quam artem Iunioribus, aliisque amandi necdum satìs peritis suadebat, usque dum animus suopte impetu in Deum feratur. Idem benefaciebat omnibus, non tantùm extra spem cuiuslibet commodi, verùm etiam actionis gratiarum, malè námque repeti, aiebat, ab hominibus, quod Deo omnino dederis. Semper in ore habuit hæc verba: amare, & pati: pati, & amare. Et in rei huius memoriam diu super nudo pectore gestavit paupertinum signum Redemptoris in cruce pendentis; at sine cruce; sive quod ipse cordi suo tanquàm cruci clavis amoris, illum affigi desideraret; sive quod molestiam, atque crucem maiorem ferre. *l. 2. vitæ 9. & 10.*

§. IV.

SIMILITUDO.

I. Sicut cœlum plùs lucet, cùm unum solis oculum habet, quàm cùm mille stellarum oculis distinguitur, sic anima mea à te unico Deo meo plùs splendoris, quàm ab omnibus creaturis accipit. Fabulis annumerari potest, quod Aristoteles narrat, ad Phasim amnem arbusculam nasci, quæ à marito in thoro collocata, coniugem fidam, & amore firmam reddat; Verè autem eius plantæ gratiam præstare nobis potest Dei gratia, quæ cordibus nostris illata, amorem eorundem firmare, & devincire potest, ne vagam, & lascivientem flammam per creaturas circumferant. *Mich. Staudacher Affectu 41. pag. 129. l. c. pag. 137.*

§. V.

MOTIVA.

I. *Quia in Deo omnia perfectissimè velut in fonte continentur.* Hinc S. Anselmus dicebat: cur, O anima, vagaris per multa, quærens bona corporis & animæ? quære unum bonum, in quo est omne bonum, & sufficit. Et S. Augustinus: si quæris (verum gaudium) quære; sed non ubi quæris: quære in fonte; ibi enim omnia vivunt. Nam ut idem S. Doctor rectè dixit: Si multæ & magnæ delectationes sunt in rebus delectabilibus, qualis & quanta est delectatio in illo, qui fecit omnia delectabilia? amemus unum bonum, in quo sunt omnia bona, & sufficit. S. Francisco Deum ardentissimè amanti, ac proinde Seraphico appellato, valdè familiaria fuêre verba illa: *Deus meus & omnia*; quænam etenim à quopiam imaginari poterit pulchritudo & venustas amabilior illâ, in quam desiderant Angeli prospicere, quæque paradisum verè paradisum esse facit. Aliam adhuc rationem addit S. Thomas, dum ait: *S. Anselmus. S. Augustinus.*

S. Thom. 1. 2. q. 23. a. 8. Bona creata delectant tantùm superficialiter, Deus autem intimè; solus Deus substantiam animæ substantialiter penetrat, & ideò medullitùs delectat. Clariùs denique hoc proponens motivum S. Thomas Villanova sic loquitur: *S. Thom. Villan. ser. de S. M. Magdal.* Amor, teste Philosopho, est naturalis inclinatio quædam in bonum, quantò ergo aliquid melius, tantò amore dignius; Primum igitur ac summum bonum, in quo omne bonum, quo amore prosequendum erit? Dic mihi, obsecro te, anima mea, quid tibi potest placere, quod in Deo tuo non reperias? Si delectat te sapientia, sapientissimus est; si potentia, omnipotens est; si pulchritudo, candor est lucis æternæ; si divitiæ, si gloria, *gloria & divitiæ in domo eius*; si delectatio, si vita; *Delectationes in dextera eius usque in finem, & vita in voluntate eius.*

Ibidem. II. *Quia nemo dignior amore, quàm Deus,* uti idem S. Episcopus indicavit dicens: Quis amore dignior, quàm Deus? quis præstantior? quis perfectior? quis gloriosior? nihil nobis contulerit Deus, nihil pro nobis passus fuerit, nihil nobis promiserit, certè propter hoc, quòd ipse est, omni amore à nobis amandus est, quia scilicet eius excellentia infinita infinito etiam amore dignissima est.

S. Bernard. ser. 84. super Cant. III. *Quia invitat ad amorem, imò præcipit:* Nam ut S. Bernardus ait, huc nos provocavit anticipantis benignitas, illius, qui nos & prior quæsivit, & priùs dilexit, cuius utraque tam amica comperta suavitas, & ausum dedit, & verecundiam depulit, & movit affectum. S. Thomas de Villanova quoque obstupescit, quòd Deus tanto hominem dignetur honore, ut se ab illo amari velit, idque sub gravi pœna ei facere præcipiat. Sed nequeo satis mirari, & intra me obstupesco, Domine mi, quid est hoc, quod sic amari vis à me, ut mihi mortem & æternos cruciatus mineris, si non amavero te? tanti facis amorem meum? quis ego sum, ut sic æstimes amari à me? *S. August. l. 5. conf. c. 10.* S. Augustinus similem prorsus considerationem instituit dicens: Dic mihi per miserationes tuas Domine Deus meus quid tibi sum ipse, ut amari à te iubeas me, & nisi faciam irascaris mihi? Hinc igitur infinita cognoscitur æstimatio, quam Deus de nobis habet; id quod continui calcaris, & stimuli loco ad illum quoque æstimandum & amandum esse meritò deberet: Totum Evangelium, omnésque hactenus datæ leges ad hunc amorem ordinantur. *Plenitudo legis est dilectio,* Porro S. Thomas de Villanova hæc omnia considerans continere se nequit, quin exclamet: Inter tot & tanta cœlestium Spirituum agmina, & tam splendidam, támque decoram te diligentium multitudinem, despicabilis huius ac vilis vermiculi tu Domine, non solùm non despicis amorem, sed insuper velut grande aliquid & pretiosum cum minis & terroribus reddi tibi efflagitas; & indicas? multùm dignificas me, dum sic amari vis à me; sed intelligo Domine, quoniam in amore meo non tuam, sed meam inquiris utilitatem.

Richard. de S. Victore p. 1. de grad. char. c. 3. IV. *Quia sine charitate omnia nihil sunt,* uti sapienter Richardus de S. Victore advertit, dicens: Hæc est virtus, in qua nec minimum opus respuitur, sine qua nec maximum acceptatur; Non prædicatio, etiam si fiat linguâ Angelorum: Non fides, etiamsi montes transferat: Non eleemosyna, etiamsi omnes facultates in cibos pauperum distribuat: non corporis afflictio, etiamsi tradatur corpus ita, ut ardeat. Adeóque ad hoc, ut omnia opera apud Deum accepta & grata habeantur, necessum est, ut huius amoris signaculô, velut legitimationis charactere, sint obsignata, cui perfectè consonat, quod in S. Augustino legimus, scilicet: Sola charitas sufficit, si adsit: cætera omnia nihil prosunt, si sola charitas desit.

V. *Quia charitas omnia opera meritoria facit,* *S. Bern. Sen. t. 2. ser. 5. a. 2. c. 1.* uti S. Bernardinus indicat dicens: O quàm pretiosus est amor, qui in conspectu Dei omnia pretiosa facit! ideo aurum denominatur; aurum enim omnium thesaurorum pretium est. Adducitque iam mentionatam similitudinem, quòd, sicut auro appretiantur omnia, quæ per illud comparantur; sic cunctæ hominis cogitationes & affectiones, cuncti sermones, insuper omnes operationes amoris pretiô mensurantur.

VI. *Quia charitas est optima via perveniendi ad Deum,* *S. Thom. Villanov. apud Mansi disc. 3. n. 15.* uti S. Thomas Villanov. indicavit dicens: Hæc est via altior, via securior, planior & brevior perveniendi ad Deum, omnis via, quæ à charitate non procedit, circuitus est. Similiter Idiota ad Deum conversus dicit: Non ergo, Domine susceptor amoris & largitor, ieiunium, oratio, & eleemosyna est via recta omninò, sed amor & dilectio tua est via rectissima absq; devio, via brevis absque tædio, via plana absque tumulo, via clara absque nubilo, via secura absque periculo, via iucunda cum bono socio, scilicet cum te, Domine, amantissimo duce. Si quis ad patriam cœlestem velit celeriter pervenire, per viam dilectionis & amoris ambulare debet, quia qui amat ardentiùs, currit velociùs, & pervenit citiùs.

VII. *Quia Deus propriè noster est,* iuxta illud: *S. Thom. Villan. ser. in Dom. 17. Pentec.* *Diliges Dominum Deum tuum.* Quod confirmans S. Thomas Villanova sic loquitur: Si non diligis quia Deum, neque diligis quia Dominum, saltem dilige, quia *tuum*; quis enim propria sua non diligat? O homo diligis vestem tuam, diligis domum tuam, diligis arva tua, dilige quoque *Deum tuum.* Dilige vel quia tuum; nihil enim ita tuum est, sicut Deus tuus, quia tibi magis est tuus, quàm tu. Nimirum Sanctus hic Archipræsul considerat, quòd nos creaturas vehementer amemus, & Deus noster, qui creator est omnium creaturarum, nonnunquam, ut ita dicam, contentus esset, si pari saltem, quo ipsas, prosequeremur & illum. Cur Deum maximè & super omnia tuum à communi tuorum exceptas dilectione? solúsne inter tua indignus à te iudicatur amore? ut cùm omnia tua diligas, ipsum maximè tuum minimè diligas? Nonne indignabitur Deus super tam execrando contemptu? pallium tuum diligis, caligas tuas diligis, Zonam tuam diligis, & Deum tuum non diligis. Didacus Stella idem ly, *tuum*, ponderando iisdem motivis aliis licet ver-

verbis utitur, dum ait: Deum dilige, quia tuus est, nam nihil est sic tibi proprium & tuum, ut ipse Deus, qui potiùs tibi tuus est, quàm tu ipse tibi.

S. Laur. Iust. de lig. Virt. c. 4.

VIII. *Quia thesaurus est animæ*, uti S. Laurentius Iustinianus testatur dicens: Nullæ maiores sunt divitiæ, quàm Deum possidere, & charitatem habere; cui consonat, quod Idiota meditatur dicens: Amorem animæ thesaurum nullus superat; nescit enim homo pretium eius, omne aurum in comparatione eius arena est exigua; sine amore dives pauper est, & cum illo pauper dives est, quia qui Deum totâ animâ amat, & diligit, iam habet, quem amat. In alio verò eiusdem Tractatûs capite scribit: Non potest esse pauper, qui Deum habet, quem amat, & quomodo potest esse pauper, qui te, qui es omne bonum, habet in conscientiâ? Qui habet aurum in arca, dives non est, sed qui te habet in conscientia, dives est; unde scribitur de te: In me sunt divitiæ & gloria, ut ditem omnes diligentes me, & thesauros eorum repleam.

Idiot. c. 4.

Oleaster in c. 10. num.

IX. *Quia omnes creaturæ suo exemplo incitant ad amandum Deum*, uti Oleaster rectè advertit: Omnia, inquit, etiam insensata dant Deo Creatori suo, quidquid ab eis postulaverit, etiamsi id suâ naturâ non habeant, solus homo negat Deo suo, quod Deus ab eo petit, nempe amorem & præcordia sua, ac tandem meritò ferrea nos viscera habere, & silicibus duriores esse concludit: Ferreus, & plùs quàm lapideus es, si dante petrâ aquas Deo & populo, tu non des Domino Deo tuo cor tuum.

S. Thom. opusc. 61. c. 21.

X. *Quia summè in nos beneficus est.* Hinc S. Thomas: Præponderat, inquit, evidenter Deus, qui tibi communicans & dat sua, & se: de donis datis magna & multa donavit in præterito: donat, & donare non cessat in præsenti, sed maxima, & plura donabit in futuro. Alius quoque eiusdem nominis S. Thomas eleganter ostendit, quantum affectum nostrum ad se rapiat is, qui nulli alteri rei adeò intenta mente studet, quàm ut nobis benefacere possit. Quem in sensum etiam Didacus Stella loquitur dicens: Saltem amorem eius amplectere eo tempore, quo tibi benefacit, cùm verò beneficia non contulerit, non eum diligas; parùm certè homo ab homine peteret, qui solùm postularet, ut, si quando beneficia aliqua ipso actu in eum exerceret, tum temporis diligeret; cùm igitur Deus omni tempore & omni horâ beneficiis factis alia maiora & ampliora semper cumulet, amorem semper illi debes. Ita S. Augustinus iniuriam illam, quam anima ingrata Deo facit, dum tot se ab eo beneficiis cumulatam cernens, eum non amat, graviter exprobrat dicens: Maiorem charitati eius iniuriam facis, si dona illius accipis, & tamen vicissitudinem dilectionis non impendis.

S. August. l. 1. de catech. rudibus.

XI. *Quia per Eucharistiam se, suáque omnia donat*; hinc S. Augustinus: Ama amorem, inquit, illum, qui amore tui descendit in substantiam panis, & ibi amorem suum amori tuo copulavit, humiliando se, sublimando te, coniungendo lumen suæ æternitatis, limo tuæ mortalitatis. S. Laurentius Iustinianus in libro de casto connubio, de cœlesti inter Deum & animam sponsalitio tractans ait: Quid se maius dare potuit? se fecerat Fratrem, & ad humanæ inclinaverat naturæ consortium; parùm se iudicavit egisse, nisi etiam se daret in cibum. O incomprehensibilis bonitas! & paulò pòst, quonam ad hoc faciendum motivo ductus fuerit, edisserit dicens: ut per quotidianum experimentum ipsius agnoscatur dilectio usque ad mundi terminum, voluit, ut hoc perseveret mysterium.

S. August. apud Mansi disc. 10. n. 1.

XII. *Quia propter beneficium redemptionis amorem nostrum specialiter sibi vendicat*, ut præclarè S. Augustinus advertit dicens: Magnum quidem mihi est de Deo, quòd esse me sentio opus suum, sed multò plùs est, quòd transisse ipsum video in pretium meum; quandoquidem tam pretioso munere ipsa redemptio agitur, ut homo Deum valere videatur. Hinc Didacus Stella meritò dixit: Tot sunt ora, tot linguæ, quæ in eius amorem te invitant, quot sunt vulnera, quæ in suo corpore pro tuo amore accepit, quilibet ictus est lingua quædam, quæ semper vociferatur, ut eum diligas. Et S. Thomas Villanova exclamat: Heu, heu! dic, obsecro, O Christiane, qui nomen Christi solo verbo profiteris, despicis in Christo, quod non despicis in vernaculo, & in filio æthiopis amas æthiopem, & multùm amas, & iustè amas, quia ipse amat te. Et amat te Deus tuus, & amore tuo ardet, & pro tuo amore moritur, & solus Deus & eius dilectio habetur contemptui, non dignus redamari putatur. Et alibi: Si adhuc in amando frigidus inveniris, duriorem te lapidibus ostendis, siquidem ad tantæ dignationis conspectum durissimi lapides confracti sunt, & qui sensum non habent, sensum ostenderunt, ut attendas, quid facere teneantur hominum corda, si tantum pondus amoris, neque rupes ipsæ sustinere valuerunt. Quæ omnia iterum confirmans S. Augustinus, opus, ait, nostræ redemptionis totam vitam nostram, totum laborem nostrum, totum obsequium nostrum, amorem deneque nostrum facilè sibi vendicat, totum hoc, inquam, est, quare devotionem nostram & excitat meliùs, & quærit suaviùs, & auget ampliùs.

Did. Stella inc. 10. Luc.

S. Thom. Villan. c. 3. in Dom. 17. Pentec.

§. VI.

MEDIA.

Richardus de S. Victore de gradibus charitatis c. 3.

I. *Consideratio creaturarum*, nam ut Richardus de S. Victore ait, integer amator Dei, quocunque se vertit, familiarem habet admonitionem amoris, rebus his pro speculis utitur, & in omne, quod cernit, sui amatoris sibi resultat memoria. Aspicit cuncta, quæ condidit, & quo condiderit fine, & in his non tam admirabilis, quàm amabilis sibi occurrit: Atque ex arrha dilectionis, quam præcontulit, sapienter æstimat, quanta reservavit in dotem. Castus profectò columbinusque oculus amor est, qui in rebus humano usui concessis nulla li-

S. Thom. 2. 2. q. 23. a. 8. Bona creata delectant tantùm superficialiter, Deus autem intimè; solus Deus substantiam animæ substantialiter penetrat, & ideò medullitùs delectat. Clariùs denique hoc proponens motivum S. Thomas Villanova sic loquitur: Amor, teste Philosopho, est naturalis inclinatio quædam in bonum, quantò ergo aliquid melius, tantò amore dignius; Primum igitur ac summum bonum, in quo omne bonum, quo amore prosequendum erit? Dic mihi, obsecro te, anima mea, quid tibi potest placere, quod in Deo tuo non reperias? Si delectat te sapientia, sapientissimus est; si potentia, omnipotens est; si pulchritudo, candor est lucis æternæ; si divitiæ, si gloria, *gloria & divitiæ in domo eius*; si delectatio, si vita; *Delectationes in dextera eius usque in finem, & vita in voluntate eius.*

S. Thom. Villan. ser. de S. M. Magdal.

Ibidem. II. *Quia nemo dignior amore, quàm Deus,* uti idem S. Episcopus indicavit dicens: Quis amore dignior, quàm Deus? quis præstantior? quis perfectior? quis gloriosior? nihil nobis contulerit Deus, nihil pro nobis passus fuerit, nihil nobis promiserit, certè propter hoc, quòd ipse est, omni amore à nobis amandus est, quia scilicet eius excellentia infinita infinito etiam amore dignissima est.

S. Bernard. ser. 84. super Cant. III. *Quia invitat ad amorem, imò præcipit:* Nam ut S. Bernardus ait, huc nos provocavit anticipantis benignitas, illius, qui nos & prior quæsivit, & priùs dilexit, cuius utraque tam amica comperta suavitas, & ausum dedit, & verecundiam depulit, & movit affectum. S. Thomas de Villanova quoque obstupescit, quòd Deus tanto hominem dignetur honore, ut se ab illo amari velit, idque sub gravi pœna ei facere præcipiat. Sed nequeo satis mirari, & intra me obstupesco, Domine mi, quid est hoc, quod sic amari vis à me, ut mihi mortem & æternos cruciatus mineris, si non amavero te? tanti facis amorem meum? quis ego sum, ut sic æstimes amari à me? S. Augustinus similem prorsus considerationem instituit dicens: Dic mihi per miserationes tuas Domine Deus meus quid tibi sum ipse, ut amari à te iubeas me, & nisi faciam irascaris mihi? Hinc igitur infinita cognoscitur æstimatio, quam Deus de nobis habet; id quod continui calcaris, & stimuli loco ad illum quoque æstimandum & amandum esse meritò deberet: Totum Evangelium, omnésque hactenus datæ leges ad hunc amorem ordinantur. *Plenitudo legis est dilectio,* Porro S. Thomas de Villanova hæc omnia considerans continere se nequit, quin exclamet: Inter tot & tanta cœlestium Spirituum agmina, & tam splendidam, támque decoram te diligentium multitudinem, despicabilis huius ac vilis vermiculi tu Domine, non solùm non despicis amorem, sed insuper velut grande aliquid & pretiosum cum minis & terroribus reddi tibi efflagitas; & indicas? multùm dignificas me, dum sic amari vis à me; sed intelligo Domine, quoniam in amore meo non tuam, sed meam inquiris utilitatem.

S. August. l. 1. conf. c. 5.

Richard. de S. Victore p. 1. de grad. char. c. 3. IV. *Quia sine charitate omnia nihil sunt,* uti sapienter Richardus de S. Victore advertit, dicens: Hæc est virtus, in qua nec minimum opus respuitur, sine qua nec maximum acceptatur; Non prædicatio, etiam si fiat linguâ Angelorum: Non fides, etiamsi montes transferat: Non eleemosyna, etiamsi omnes facultates in cibos pauperum distribuat: non corporis afflictio, etiamsi tradatur corpus ita, ut ardeat. Adeóque ad hoc, ut omnia opera apud Deum accepta & grata habeantur, necessum est, ut huius amoris signaculô, velut legitimationis charactere, sint obsignata, cui perfectè consonat, quod in S. Augustino legimus, scilicet: Sola charitas sufficit, si adsit: cætera omnia nihil prosunt, si sola charitas desit.

S. Bern. sen. t. 2. ser. 5. a. 1. c. 1. V. *Quia charitas omnia opera meritoria facit,* uti S. Bernardinus indicat dicens: O quàm pretiosus est amor, qui in conspectu Dei omnia pretiosa facit! ideo aurum denominatur; aurum enim omnium thesaurorum pretium est. Adducitque iam mentionatam similitudinem, quòd, sicut auro appretiantur omnia, quæ per illud comparantur; sic cunctæ hominis cogitationes & affectiones, cuncti sermones, insuper omnes operationes amoris pretiô mensurantur.

S. Thom. Villanov. apud Mansi disc. 3. n. 15. VI. *Quia charitas est optima via perveniendi ad Deum,* uti S. Thomas Villanov. indicavit dicens: Hæc est via altior, via securior, planior & brevior perveniendi ad Deum, omnis via, quæ à charitate non procedit, circuitus est. Similiter Idiota ad Deum conversus dicit: Non ergo, Domine susceptor amoris & largitor, ieiunium, oratio, & eleemosyna est via recta omninò, sed amor & dilectio tua est via rectissima absq; devio, via brevis absque tædio, via plana absque tumulo, via clara absque nubilo, via secura absque periculo, via iucunda cum bono socio, scilicet cum te, Domine, amantissimo duce. Si quis ad patriam cœlestem velit celeriter pervenire, per viam dilectionis & amoris ambulare debet, quia qui amat ardentiùs, currit velociùs, & pervenit citiùs.

S. Thom. Villan. ser. in Dom. 17. Pentec. VII. *Quia Deus propriè noster est,* iuxta illud: *Diliges Dominum Deum tuum.* Quod confirmans S. Thomas Villanova sic loquitur: Si non diligis quia Deum, neque diligis quia Dominum, saltem dilige, quia *tuum*; quis enim propria sua non diligat? O homo diligis vestem tuam, diligis domum tuam, diligis arva tua, dilige quoque *Deum tuum.* Dilige vel quia tuum; nihil enim ita tuum est, sicut Deus tuus, quia tibi magis est tuus, quàm tu. Nimirum Sanctus hic Archipræsul considerat, quòd nos creaturas vehementer amemus, & Deus noster, qui creator est omnium creaturarum, nonnunquam, ut ita dicam, contentus esset, si pari saltem, quo ipsas, prosequeremur & illum. Cur Deum maximè & super omnia tuum à communi tuorum exceptas dilectione? solúsne inter tua indignus à te iudicatur amore? ut cùm omnia tua diligas, ipsum maximè tuum minimè diligas? Nonne indignabitur Deus super tam execrando contemptu? pallium tuum diligis, caligas tuas diligis, Zonam tuam diligis, & Deum tuum non diligis. Didacus Stella idem ly, *tuum*, ponderando iisdem motivis aliis licet ver-

verbis utitur, dum ait: Deum dilige, quia tuus est, nam nihil est sic tibi proprium & tuum, ut ipse Deus, qui potiùs tibi tuus est, quàm tu ipse tibi.

S. Laur. Iust. de lig. Vit. c. 4. VIII. *Quia thesaurus est animæ*, uti S. Laurentius Iustinianus testatur dicens: Nullæ maiores sunt divitiæ, quàm Deum possidere, & charitatem habere; cui consonat, quod Idiota meditatur dicens: *Idiot. c. 4.* Amorem animæ thesaurum nullus superat; nescit enim homo pretium eius, omne aurum in comparatione eius arena est exigua; sine amore dives pauper est, & cum illo pauper dives est, quia qui Deum totâ animâ amat, & diligit, iam habet, quem amat. In alio verò eiusdem Tractatûs capite scribit: Non potest esse pauper, qui Deum habet, quem amat, & quomodo potest esse pauper, qui te, qui es omne bonum, habet in conscientiâ? Qui habet aurum in arca, dives non est, sed qui te habet in conscientia, dives est; unde scribitur de te: In me sunt divitiæ & gloria, ut ditem omnes diligentes me, & thesauros eorum repleam.

Oleaster in c. 20. num. IX. *Quia omnes creaturæ suo exemplo incitant ad amandum Deum*, uti Oleaster rectè advertit: Omnia, inquit, etiam insensata dant Deo Creatori suo, quidquid ab eis postulaverit, etiamsi id suâ naturâ non habeant, solus homo negat Deo suo, quod Deus ab eo petit, nempe amorem & præcordia sua, ac tandem meritò ferrea nos viscera habere, & silicibus duriores esse concludit: Ferreus, & plùs quàm lapideus es, si dante petrâ aquas Deo & populo, tu non des Domino Deo tuo cor tuum.

S. Thom. opusc. 61. c. 21. X. *Quia summè in nos beneficus est.* Hinc S. Thomas: Præponderat, inquit, evidenter Deus, qui tibi communicans & dat sua, & se: de donis datis magna & multa donavit in præterito: donat, & donare non cessat in præsenti, sed maxima, & plura donabit in futuro. Alius quoque eiusdem nominis S. Thomas eleganter ostendit, quantum affectum nostrum ad se rapiat is, qui nulli alteri rei adeò intenta mente studet, quàm ut nobis benefacere possit. Quem in sensum etiam Didacus Stella loquitur dicens: Saltem amorem eius amplectere eo tempore, quo tibi benefacit, cùm vero beneficia non contulerit, non eum diligas; parùm certè homo ab homine peteret, qui solùm postularet, ut, si quando beneficia aliqua ipso actu in eum exerceret, tum temporis diligeret; cùm igitur Deus omni tempore & omni horâ beneficiis factis alia maiora & ampliora semper cumulet, amorem semper illi debes. Ita S. Augustinus iniuriam illam, quam anima ingrata Deo facit, dum tot se ab eo beneficiis cumulatam cernens, eum non amat, graviter exprobrat dicens: Maiorem charitati eius iniuriam facis, si dona illius accipis, & tamen vicissitudinem dilectionis non impendis.

S. August. l. 2. de catech. rudibus. XI. *Quia per Eucharistiam se, suáque omnia donat*; hinc S. Augustinus: Ama amorem, inquit, illum, qui amore tui descendit in substantiam panis, & ibi amorem suum amori tuo copulavit, humiliando se, sublimando te, coniungendo lumen suæ æternitatis, limo tuæ mortalitatis. S. Laurentius Iustinianus in libro de casto connubio, de coelesti inter Deum & animam sponsalitio tractans ait: Quid se maius dare potuit? se fecerat Fratrem, & ad humanæ inclinaverat naturæ consortium; parum se iudicavit egisse, nisi etiam se daret in cibum. O incomprehensibilis bonitas! & paulò post, quonam ad hoc faciendum motivo ductus fuerit, edisserit dicens: ut per quotidianum experimentum ipsius agnoscatur dilectio usque ad mundi terminum, voluit, ut hoc perseveret mysterium.

XII. *Quia propter beneficium redemptionis amorem nostrum specialiter sibi vendicat*, ut præclarè S. Augustinus advertit dicens: *S. August. apud Mansi disc. 10. n. 1.* Magnum quidem mihi est de Deo, quòd esse me sentio opus suum, sed multò plùs est, quòd transiisse ipsum video in pretium meum; quandoquidem tam pretioso munere ipsa redemptio agitur, ut homo Deum valere videatur. Hinc Didacus Stella meritò dixit: *Did. Stella in c. 10. Luc.* Tot sunt ora, tot linguæ, quæ in eius amorem te invitant, quot sunt vulnera, quæ in suo corpore pro tuo amore accepit, quilibet ictus est lingua quædam, quæ semper vociferatur, ut eum diligas. Et S. Thomas Villanova exclamat: *S. Thom. Villan. c. 3. in Dom. 17. Pentec.* Heu, heu! dic, obsecro, O Christiane, qui nomen Christi solo verbo profiteris, despicis in Christo, quod non despicis in vernaculo, & in filio æthiopis amas æthiopem, & multùm amas, & iustè amas, quia ipse amat te. Et amat te Deus tuus, & amore tuo ardet, & pro tuo amore moritur, & solus Deus & eius dilectio habetur contemptui, non dignus redamari putatur. Et alibi: Si adhuc in amando frigidus inveniris, duriorem te lapidibus ostendis, siquidem ad tantæ dignationis conspectum durissimi lapides confracti sunt, & qui sensum non habent, sensum ostenderunt, ut attendas, quid facere teneantur hominum corda, si tantum pondus amoris, neque rupes ipsæ sustinere valuerunt. Quæ omnia iterum confirmans S. Augustinus, opus, ait, nostræ redemptionis totam vitam nostram, totum laborem nostrum, totum obsequium nostrum, amorem deneque nostrum facilè sibi vendicat, totum hoc, inquam, est, quare devotionem nostram & excitat meliùs, & quærit suaviùs, & auget ampliùs.

§. VI.

MEDIA.

Richardus de S. Victore de gradibus charitatis c. 3. I. Considerátio creaturarum, nam ut Richardus de S. Victore ait, integer amator Dei, quocunque se vertit, familiarem habet admonitionem amoris, rebus his pro speculis utitur, & in omne, quod cernit, sui amatoris sibi resultat memoria. Aspicit cuncta, quæ condidit, & quo condiderit fine, & in his non tam admirabilis, quàm amabilis sibi occurrit: Atque ex arrha dilectionis, quam præcontulit, sapienter æstimat, quanta reservavit in dotem. Castus profectò columbinusque oculus amor est, qui in rebus humano usui concessis nulla li-

libidine figitur, sed in transitoriis contemplatur æternum. Quod confirmans S. Augustinus, si ista diligis, inquit, ut subiecta dilige, ut arrham sponsi, ut munera amici, ut beneficia Domini, sic tamen, ut memineris, semper, quid illi debeas, nec ista propter se, sed ista propter illum: nec ista cum illo, sed ista propter illum, & per ista illum, & super ista diligas illum.

S. Bernard. s. de tri. Dei.

II. *Consideratio sui ipsius*, Sic enim S. Bernardus suasit dicens: Quærat homo eminentiora bona sua in ea parte sui, quâ præeminet sibi, hoc est, in anima, quæ sunt dignitas, scientia, virtus. Dignitatem in homine liberum arbitrium dico, in quo ei nimirum datum est, cæteris non solùm præeminere, sed & præsidere animantibus; scientiam verò, quâ eandem in se dignitatem agnoscat, non à se tamen. Porrò virtutem, quâ subinde ipsum, à quo est, & inquirat non segniter, & teneat fortiter, cùm invenerit.

§. VII.

ASCETICA.

Vita. part. 1. 5. 5.

I. *INprimis nosse debet Asceta quatuor amores*, quos S. Maria Magdalena de Pazzis communicari sponsis Verbi divinitus accepit. Primus est *unitivus*, qui cum magna velocitate eas unit cum sponso, ac purificat certas maculas imperfectionum, quas habere possent sponsæ.

Secundus amor est *communicativus*, quem, qui habet, non potest eum gustare, nisi videat eum gustari simul ab omnibus creaturis, & libenter se privaret Deo, ut illum posset communicare cuilibet creaturæ, sicut eum gustavit Paulus, cùm dixit, *optabam anathema esse à Christo, pro fratribus*.

Tertius est *transformativus*, qui facit, ut anima per participationem voluntatis, & amoris, fiat quasi unus quidam Deus, & hæc transformatio, est quasi vinculum, quod vincit, & ligat animam cum Deo.

Quartus est *præsentativus*, qui facit voluntatem operari sapienter & prudenter; quia facit, ut operationes omnes fiant recta intentione, tantùm ad honorandum Deum: prudenter, ut conserventur omnes virtutes, quæ producent in anima amores. Qui simul uniti in unum, facient pretiosissimum annulum ad desponsandam sponsam.

S. Thom. opusc. 61. c. 10.

II. *Nosse pariter debet naturam divinæ dilectionis*, quam quidem eleganter declaravit S. Thomas sic scribens: Natura humani cordis cognata est dilectionis actioni; est enim cor in complexione calidum & siccum, hæc est ignea natura, sicut naturale igni calere est, ideò naturale est cordi amando ardere, adducitq; sequentem Hugonis à S. Victore Authoritatem, ita scribẽtis: vita cordis amor est, & ideò impossibile est, ut sine amore sit cor, quod vivere quærit, Psal. 38. concaluit cor meum intra me: calidum consequitur leve, & sursum mobile; sed heu *filii hominum, usque quò gravi corde, ut quid diligitis vanitatem*? Prosequitur deinde causas structuræ & architecturæ cordis humani, & primo quidem loco cordis substantiam ex materia solida constare considerat, huiusque mysticam quandam & spiritualem reddit rationem dicens: est cor in substantia solidum, ne facile à voluptate dissolvatur; est inferiùs acutum, superiùs latum; inferiùs acutum, ut ad temporalia, & hæc inferiora modicè attingat; superiùs latum, ut ad cœlestia dilatet affectum. Item est interiùs concavum, in signum, quod per creaturas sufficienter impleri non valet, citátque sequens S. Bernardi testimonium, dicentis: Capacem quippe Dei rationalem animam, quicquid Deo minus est, non implebit.

III. *Nosse debet modum rectè diligendi Deum*, quem iterum percommodè S. Thomas sequentibus verbis indicavit: Ex parte diligentis tunc est charitas perfecta, quando diligit tantùm, quantùm potest, quod quidem contingit tripliciter; Uno modo sic, quòd totum cor hominis actualiter semper feratur in Deum, & hæc est perfectio charitatis patriæ, quæ non est possibilis in hac vita, in qua impossibile est, per humanæ vitæ infirmitatem, semper actu cogitare de Deo, & moveri dilectione ad ipsum. Alio modo, ut homo studium suum deputet ad vacandum Deo, & rebus divinis, prætermissis aliis, nisi quantùm necessitas vitæ præsentis requirit, & ista est perfectio charitatis, quæ possibilis est in via, non tamen est communis omnibus habentibus charitatem. Tertius verò modus, quem assignat, cuilibet statui, sexui, ætati, conditioni, & personarum professioni adaptari potest, estque facilis, & ab unoquoque practicabilis: sic enim loquitur: Tertio modo ita, quòd habitualiter aliquis totum cor suum ponat in Deo, ita scilicet, quòd nihil cogitet, vel velit, quod divinæ dilectioni sit contrarium, & hæc perfectio est communis omnibus charitatem habentibus.

Ibidem. 2. 2. q. 184. a. 2.

IV. *Nosse debet, quomodo creaturæ, salva charitate Dei diligi queant*, id quod S. Augustinus sic declarat: Quando tibi dicitur: nolite ista diligere, an hoc dicitur, ut non manducetis, aut non bibatis, aut filios non procreetis? non hoc dicitur, sed sit modus propter Creatorem, ut non vos illigent ista dilectione, ne ad fruendum hoc ametis, quod ad utendum habere debetis. Et iterum alibi: *Qui amat Patrem aut Matrem super me, non est me dignus*, ita ait: Amorem parentum, uxoris, filiorum non abstulit, sed ordinavit; Non dixit, qui amat, sed qui amat super me; Hoc est, quod Ecclesia loquitur in canticis Canticorum: *Ordinavit in me charitatem*; Ama patrem, sed noli supra Dominum: Ama genitorem, sed noli supra Creatorem. Quod confirmans S. Leo sic loquitur: æternis bonis inseparabiliter inhærendum, temporalibus verò transeunter utendum est, & peregrinantibus nobis, & ad patriam redire properantibus, quidquid de prosperitatibus mundi huius occurrerit, viaticum sit itineris, non illecebræ mansionis.

S. Aug. apud Mans. disc. 14. n. 1.

S. Leo ser. 5 de ieiun. 7. mens.

V. *Nosse debet signa vera dilectionis*; quæ quidem breviter indicavit S. Laurentius Justinianus dicens: De signis, quibus cognoscitur, utrum homo Deum diligat, hæc accipe: cùm aliquis cogitat de Deo libenter, & audit, cùm quis libenter pro Deo dat, cùm quis pro Deo libenter patitur.

S. Laur. Iust. de lign. vit. c. 11.

S. Bonav. Ser. de S. M. Magd. patitur. Quod confirmans S. Bonaventura, vis scire, inquit, si Deum perfectè diligas, vel aliud plus Deô amas? Attende, si de Deo plùs, quàm de aliis rebus cogitas, quia de illo plus cogitas, quod plus amas; Ubi enim thesaurus tuus, ibi cor tuum est, si plùs cogitas de mundo, plus de lucro, plus de amico vel socio, quàm de Christo, nõ vertas in dubium, sed tibi certissimum sit argumentum, quòd ames ista plus, quàm Christum. Hinc Sponsus sponsæ dixit in Canticis: *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum*, ut per hoc nobis insinuaret, ut non diligamus verbo, neque linguâ, sed opere. Medicus infirmi vigorem exploraturus pulsum cumprimis tangit, qui si debilis est, vitam periclitari significat, simili modo Idiota ait: Amor vita est animæ, & qui non amat, mortuus est; si autem, an vita hæc in debito vigore constituta sit, an verò languescat, experiri volumus, opera examinemus; Nam probatio dilectionis exhibitio est operis; Amor semper aliquid operatur, inquit idem Idiota, semper crescit, & augetur.

Cant. 8. v. 6.

§. VIII.

MISCELLANEA ET CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Ioan. Rho. v. amor. exempl 11. I. Balthasar Alvarez ex Societate Jesu aiebat; Religiosas domos videri sibi Nosocomia divina charitate vulneratorum; quî enim aliter ibi ex disciplina vitam possent traducere? Fornaces item, in quibus innumerabilibus Dei donis, quasi subditis ignibus corda quantumvis lapidea amore solverentur. Nimirum tum ex rei dignitate loquebatur, tum ex animi sententia, quùm ita comparatus viveret, ut humanis omnibus maior, Deòque tantummodò intentus.

Didacus Nyssenus Dom. 4. quadrag. §. 3. II. Sacer Textus refert, quòd *plurima turba sequebatur Christum*, & causam hanc adiicit, *quia videbant signa, quæ faciebat super his, qui infirmabantur*. Variæ fuerunt sequelæ consilia. Námque alii illum sequebantur, ut viderent miracula nova, hi curiosi: Alii, ut comederent de panibus eius, hi gulosi: Alii, ut sanitatem reciperent, hi infirmi: Alii, ut eum in sermone caperent, hi Pharisæi: Alii, ut doctrinam eius acciperent, hi discipuli. Cúmque tam multi illum sequerentur, solos hoc nomine laudat Discipulos, dicens: *vos, qui secuti estis me*; Matthæi decimo nono, versu vigesimo octavo. Sed quomodo Christus solos ait secutos Discipulos, cùm Joannes dicat, *sequebatur eum multitudo magna!* Respondet, Christi arbitrio, & existimatione eos solos illum sequi, qui solum sequuntur, ut sequantur, & ob id tantùm amant, ut ament, sine alterius lucri cuiuspiam expectatione, aut cupiditate, quia & hoc omnium maximum lucrum est, quòd Deus amari se permittit à creaturis tam vilibus, & abiectis, quàm sunt homines, itáque vult etiam diligi, tantùm ut diligatur, quia amor, qui non est avidus lucri, huic Deus plurimum defert. Propterea dicebat S. Augustinus tractatu septuagesimo sexto in Joannem: Quia diligunt, eliguntur, hoc est, ii, qui amant solùm, ut ament, hos Deus unicè amat, ii Dei ingenium, quantùm homini fas, referunt, & mores æmulantur.

III. Dignum est notatu, quòd Deus in veteri lege cavit, ne sibi asinus offerretur; *Nolo mihi brutum tàm brutum immoles, sed primogenitum asini mutabis ove, quòd si non redemeris, interficies*, inquit, Exod. decimo tertio versu decimo tertio. Bovem è contra tam gratum habebat, ut eũ sibi litari etiã præceperit. Quid verò causæ, quòd tam vehementer & probârit bovem Dominus, & improbârit asinum? S. Basilius Magnus in caput primum Isaiæ reddit rationem quàm acutam, tàm opportunam, aitque ab Isaia indicatam causam, cùm inquit: *Bos cognovit possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui*. Isaiæ c. 1. vers. 3. Bos Dominum suum novit, nec præter illum aliud quidquam spectat: Asinus verò non Domini, sed præsepis, sed pabuli, sed commodi sui rationem habet. Hinc iam elucebit, quare domo suâ prohibeat asinum, quare tecto dignetur bovem Deus. Facit nempe hoc, ut intelligatur, eos solos Domino charos, qui pro more bovis cognoscunt possessorem suum, illúmque solùm, nec aliud extra, aut præter ipsum spectant; ii scilicet diligunt illum tantùm, ut diligant: sed qui asino similes solùm sibi quæstum, & emolumentum proprium propositum habent, ut asinus præsepe Domini sui; Hos non tantoperè diligit Deus, nec enim amat amatores ambitiosos utilitatis suæ, nec gratam habet voluntatem, quæ commodis propriis nititur. Ibidem.

IV. Disputat S. Joannes Chrysostomus ibidem, utrius horum sanctorum Patriarcharum maior fuerit fides, & amor in Deum. Definitque ita: Maiorem iste (Henoch) fidem, quàm Abel ostendit. Quo argumento id, Doctor sancte, evincis? Eo, inquit, quia nihil illi retributum erat. Obsequia Henochi nullâ exteriori benevolentiâ remuneravit Deus, uti Abelis, qui cùm lectiora & præstantiora obtulit, *respexit Dominus ad Abel*, Geneseos quarto, versu quarto, ubi aliorum versio habet: *inflammavit Dominus super Abel*; igne scilicet inde submisso, quo significabat, acceptam sibi esse eius oblationem, & gratum officium. Nunquam tale quidquam cum Henoch egit. Is verò est integerrimus amor, inquit Chrysostomus, ea sincerissima fides hominis, qui Deum amabat, illique credebat; & serviebat, quanquam nullo indicio declaratum haberet, talia sua opera illi probari, hinc enim palam erat, quòd Deum amabat tantùm, ut amaret, eique famulabatur solùm, ut famularetur. Neque magnum erat, quòd Deum Abel diligeret, & coleret; privatum enim suum hoc ex illo emolumentum habebat, quòd sciret grata esse illi sua obsequia. Minus ergo aliquid hac re faciebat, quàm Henoch, ut proinde bene dictum sit à S. Chrysostomo: Maiorem fidem habuit Henoch, quàm Abel, quia nihil illi retributum erat. Ibidem.

V. Salus mundi tantis sæculorum omnium suspiriis expetita in lucem Mundi prodiit, quòd cùm Ibidem p. 2. fol. 467.

cùm Angelus quidam pastoribus nuntiâsset, subitò facta est cum illo multitudo militiæ cœlestis laudantium Deum, & dicentium: *Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Lucæ 2. 13. 14. S. Cæsarius notavit pacem è cœlis nuntiatam non boni ingenii, felicis memoriæ, multarum divitiarum, sed bonæ voluntatis hominibus. Quare his solùm pro bona sua voluntate, non aliis similiter pro opum copia, ingenii præstantia, virium robore, corporis valetudine pax nuntiata fuit? Respondet ille Homil. 19. Quia potest dicere aliquis, facultatem non habeo. Ut non obsecundes Deo præcipienti eleemosynam, inopia facere potest. Infirmum ægra sua valetudo excusat, ut sit immunis à ieiunio. Sic alia sunt non pauca, quæ homo, cùm per vires suas moraliter nequeat, non teneatur etiam præstare, quamdiu ista imbecillitas obstat. Verùm nunquid potest quispiam dicere: bonam voluntatem habere non possum? Ergò cæterorum bonorum operum intermissio iustam rationem habere potest, sed ut non propendeas voluntate in Deum, ut non ames illum, id citra piaculum fieri nequit: Nunquid enim potest dicere: bonam voluntatem habere non possum? Non potest sanè, propterea etiam bonæ voluntatis hominibus pax promittitur, ut ad omnes pax illa pertinere intelligatur, velut omnes bonæ voluntatis esse possunt.

Idem fol. 218. VI. Meritò admireris, quòd Rex ille, cùm ingrederetur nuptiarum locum, ut videret convivas suos, quibus opulentissimum epulum apparaverat, & quantùm quisque splendoris suo vestium ornatu, & elegantiâ ad convivii magnificentiam conferret, unum ex omnibus obiurgavit, quòd cum sordido habitu ad nuptias tam illustres venisset, dicens: *Quomodo huc intrâsti non habens vestem nuptialem?* Math. 22. 12. Notandum quòd hunc hominem increpat, non de auri, argenti, gemmarum, unionum, taliúmque rerum inopiâ, sive neglectu, sed de solo incuriatiore vestitu, quòd indumentum non haberet nuptiale. Quid hoc vestimenti erat, quod apud ignavum & improvidum convivam Rex desiderabat? S. Gregorius Homil. 38. ait: Quid ergo debemus intelligere per nuptialem vestem, nisi charitatem? Charitas ergo fuit, quâ ornatum suum hospitem Rex volebat, de cuius neglectu, cùm illum obiurgavit, eo nobis paradigmate significare voluit, si fortè ad festa Dei conveniamus à ieiuniorum, vigiliarum, cæterarúmque corporis afflictationum, aut virtutum quarundam aliarum ornamentis nudi, non propterea pœnas à nobis exacturum Deum, cùm viderit nos ea pro tenuitate seu virium, seu facultatum parare non posse: At si absque charitatis trabeâ nos videat, id gravissimè ulciscetur, quòd ea parabilissima sit, nec quicquam ardui insit amori Dei, ob quod excusatè prætermitti possit, quantumvis sint alia, quorum sæpè vel pars aliqua excusabilis. Ea propter dicebat Regius Propheta: *Non est, qui se abscondat à calore eius,* Psal. 18. 7. In quæ Hugo Cardinalis sic commentatur: Nec est, qui se excusare possit, quin eum diligere possit. Dilectio nimirum actio voluntatis est, & liberi arbitrii opus, idcircò qui non diligit, non habet, quo negligentiam hac in re suam purget, nec est, qui se abscondat. Quidquid obtendas, non effugies pœnam, si negligas præcepti tam iusti observantiam.

VII. Pulchrè hanc in rem dictum à Philone Iudæo de victimas offerentibus: Quid hîc molestum est, aut difficile? Non iuberis maria nondum priùs tentata traiicere, & tempestate furente in mediis fluctibus susque déque iactari procellis inter se conflictantibus, non itinera ingredi feris infestata & latronibus, satis est si annuat animus. Cor, animum, voluntatem promptam appetit Dominus, hæc illi sufficit, eâque satisfacis officio tuo, quam si prætermittas, inexcusabilis est tua ignavia. *Ibidem.*

VIII. Quamquam longum erat septem annorum, & tanti laboris spatium, septennium tamen illud non maius septiduo Iacobi videbatur, breveque tempus, & levem laborem, & facilem pactionem putabat, quoties ea conferebat cum flagranti amore, quo animus illius occupatus formosam Rachelem deperibat: *Videbantur ei dies pauci præ amoris magnitudine.* Gen. 29. 20. Ubi Interpretes, cùm in hunc locum incidunt, notant potentiam amoris magnam, & vires, quas pectori infundit, quod invadit, nec enim est mare, quod non sulcet, nec mons, quem non complanet, nec ignis, quem non oppugnet, nec incommodum, quod non contemnat, vel conterat, nec impossibile, quod non tentet. Ita sentit Abulensis, quando observat, quod Iacob tam promptè lætanterque suscepit septennis servitutis duros, ac diuturnos labores, ut formosam ovium custodem nancisci posset, neque lubens tantùm suscepit, verùm & exiguos brevésque, ac leves, prout illam deperibat, existimavit: Nullus enim labor magnus videtur amanti, ignes non timet, nives spernit, gladiis se opponit, & omnia pericula sibi grata reputat, inquit ille. Quidquid aliis durum, molestum, operosum, hoc illi voluptas est, & deliciosus paradisus. *Idem in Polit. part. 2. l. 2. c. 4.*

IX. Dictis vires adiiciet id, quod Diogenes Laërtius, qui veterum Philosophorum historias conscripsit, refert, estque ferè huiusmodi. Interrogati Athenienses de nomine, quod accommodatissimum Amori fore putarent, postquam diu secum altercati varios expendissent titulos, qui in illum quadrare videbantur, sed proprietates eius non satis exactè exprimebant, demum unum repererunt epithetum, quod significandis illius qualitatibus, & conditionibus aptissimum putârunt. Itaque propositæ quæstioni sic responderunt: Amor pro nomine annuens vocetur. Annuens idem est, quod omnibus assentiens, der zu allem ja sagt. Admirabilis reverâ titulus, & qui aptiùs in neminem, quàm in amantem cadat. Effusissimus, & maximè prodigus homo non concedit semper omnia, quæ rogantur, non occurrit omnibus, quæ petuntur, valentissimus nonunquam debilitatur. Ingeniosissimus non semper superat *Ibidem fol. 62.*

superat obscuritatem alicuius difficilis quæstionis. Prudentissimus & consultissimus non semper ita comparatus est, ut rectè de omni re quovis tempore pronuntiet. Facilis ad risum, hilari & iucundo promptóque ad honestos iocos animo non semper exporrigit frontem, non semper remittit supercilia: At qui verè & integrè amat, semper idem est, omni occasione ad omnia promptus, quia est annuens; omnibus assentiens, ut Maria Magdalena gladiis, spiculis, tormentis æneis, machinis fulminaribus intrepidum pectus animosè obiicere, cuique temporis inclementiæ sese accommodare, nemini quidquam noverat negare, gratificari omnibus, quantùm poterat, studebat, idque amore sui IESU.

Ibidem. X. S. Gregorius in Psalm. 114. ait: Machina cordis vis amoris. Benè expressit iis verbis Doctor Sanctus magnam violentiam amoris. Quando sive muniendi, sive exornandi ædificii necessitas postulat, ut ingens aliquod, vastúmque saxum ad locum illius editiorem sublevetur, quod humeris in locum sibi convenientem efferri nequeat, invenit ingeniosa hominum industria instrumentum quoddam, seu machinam volubilem, quam viri pauci, dum ineunt, & gyrant, ac velut convolvunt, immanes lapides, & gravissima saxa tam leviter attollunt, ac si exiguus lapillus esset. Huc allusisse videtur S. Gregorius, cùm ait: vim amoris esse Machinam cordis. Amor enim cor, quocunque libet, transfert & attollit. Nónne hoc experimento quotidiano discimus? Avarus, cuius tam grave semper ac durum cor, manus autem, ac si congelaverint, tam pigræ & torpentes ad dandum, si pectoris sedem amori semel concedat, & permittat, quam faciliter à sordida parcitate ad generosam liberalitatem transfertur, aut transit ipse? Timidus & ignavus, quem levissima umbra exterret, nónne est ferox, & Mars quidam bellicosus, simul ac sub cupidinis vexillis militare incipit? Quis negare possit? Qui furiosè rixatur, & cæcatur irâ, nónne mitescit, ut agnus, tigridísque feritatem facilè deponit, cùm eam videt, quam deperit? Per momenta singula experimur. Quis has facit mutationes? quis corda ista sic movet? quis sublevat illa tam gravia saxa? Amor, cuius vis est machina sursum attollens quantavis pondera? Machina cordis vis amoris. Ubi amor regnat, non est periculum, quòd exterreat, neque discrimen, quod adferat metum.

XI. Sponsa illa de Canticis, cùm de Sponso suo, vitæque ac morum illius conditione differeret, aiebat, illum malo frondosæ, opacæ, patulæ, prolixæ, ac venustæ similem esse, quæ foliorum copiâ calorem prohibeat, elegantiâ oculos pascat, fructibus necessitatem famis levet, inquiens: *Sicut malus inter ligna sylvarum, quem desideraveram, sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.* Cant. 23. Acuta est in hunc locum S. Bernardi annotatio, quæ sic habet: Non dixit, sub umbra illius, quem desideraveram, sed illius, quem desideraveram, ut indicaret, se non umbram ad refrigerium sui quærere, sed arborem spectare, & devenerari; velut dictum fuisset, illam ad benè agendum non donis Sponsi, sed ipsius puro amore motam fuisse: Neque munera illius, sed personam solùm respexisse. Illum unicè attendebat, is illi actionum omnium scopus & finis erat, beneficia, quæ ab illo consequi poterat, non cogitabat. Integerrimus nempe amor magis dilectum, quàm eius favorem spectat, ipsiúsque amore magis, quàm remunerationis exspectatione movetur, ut gratificari ei studeat; Maximum enim & largissimum præmium, quodcunque tali ex re evenire potest, illud est, si non ob aliud diligat, quàm ut diligat, & solius amoris amore amet.

XII. Sophis Rex Indorum, teste Curtio l. 9. ut Alexandro Magno quàm nobiles ad venandum canes aleret, quàm Leonibus infestos, quàm in defensione, morsúque pertinaces ostenderet, in conspectu leonem eximiæ magnitudinis iussit emitti, & quatuor omninò admoveri canes, qui celeriter occupârunt feram, tum & iis, qui assueverant talibus ministeriis, unius canis, leoni adhærentis, crus avellere, & quia non sequebatur, ferro amputare cœpit; Nec sic quidem pervicacia victa, rursus aliam partem secare institit, & inde non segnius hærentem ferro subindè cædebat, ille in vulnere feræ dentes moribundos infixerat. Hoc emblemate perfecti amoris constantiâ repræsentatur, qui ubi semel dilectum apprehendit, ita res omnes humanas despicit, ita infra se positas arbitratur, ut omnes fortunas, vitæque commoda everti, dissipatíque facilè sinat, dummodò Deo tranquillè potiatur. *Panegyr. parte 1. c. 21.*

XIII. Tollatur Sol, & hortis venustas, nemoribus vigor, & viror, campis amœnitas, palatiis splendor, Mundo sua forma periit. Auferatur amor, & castitati nitor, fortitudini decus, modestiæ gratia, prudentiæ fulgor, pietati meritum, spei prœmium, fidei utilitas occubuit. *Barrii usf. fed. 51.*

XIV. Meditando quandoque cognoscere cœpit S. Gertrudis interiorem deformitatem suam, & in ea tantùm sibimetipsi displicere, quòd quasi anxiè vacillans, cogitabat, quomodo unquam perpenderet, ibi penetrans oculus divinitatis conspiceret infinitas. Super quo tali responso est consolata: Amor facit placentiam. Unde intellexit, quodsi in terrenis hominibus amor tantùm prævalet, quòd quandóque deformes propter dilectionem placent eis, à quibus diliguntur, & etiam interdum tantùm placent, quòd amatores per vim dilectionis desiderent similari amatis, quomodo tunc diffidendum est in eo, qui Deus Charitas est, quòd ex vi amoris non possit placitos facere, quos amat? *Lib 3. insin. c. 30. §. 2.*

XV. Seneca de virtutum moralium consecutione cum amico suo disputans, quid tibi opus est, ut sis bonus? inquit, & uno verbo quæstioni primo aspectu arduæ, & intricatæ respondet: velle. Quod responsum dedit etiam S. Thomas in rebus pertractandis, & illustrandis perspicacissimus, dum sorori, qua breviori via ad perfectionem niteretur, interroganti dixit: *Epist. 10.*

Velis. Unde meritò cum S. Augustino concludere possum. Vides igitur in nostra voluntate esse positum, ut hoc fruamur tanto, & tam vero bono: quid enim tam in voluntate, quàm ipsa voluntas est? Neque est, quòd hanc difficultatem in Deum aliquis reiiciat, cùm ipse hunc amorem super omnia imperet, gratiâ præveniat, & eius impetratione delectetur. Ignem veni, inquit, mittere in terram, & quid volo, nisi ut accendatur? Quid si etiam ex parte nostra accedat, deprecatio? eâ verò quid faciliùs, quid expeditiùs? præsertim si brevis oratio etiam hac in parte non parum momenti, & virium ad impetrandum sit habitura. Dixit aliquando S. Brigittæ Mater Dei amantissima, eum, qui unum duntaxat Pater pro charitate obtinenda pronunciaret, effectu, fructúque non esse frustrandum.

Mansi disc. 18. n. 11. XVI. Sponsa in Canticis, tametsi à custodibus civitatis pessimè habita, multisque fuisset verberibus, aliisque iniuriis affecta: *Invenerunt me vigiles, qui custodiunt civitatem, percusserunt me, & vulneraverunt me, tulerunt pallium meum mihi.* Et tamen filiabus Ierusalem, quas fortuitò obvias habuit, dixit: *Adiuro vos filiæ Ierusalem, si inveneritis dilectum, ut nuncietis ei, quia amore langueo.* Ubi notandum, quòd nullam prorsus verberum, vulnerum aliarúmque acceptarum iniuriarum mentionem fecerit; quia syncerè & ardenter amans pro deliciis & voluptatibus habet omne illud, quod pro obiecto amato sustinet & patitur. S. Greg. l. 5. c. 1. in 1. Reg. 12. Unde S. Gregorius ait: Quid grave non leviter tolerat, qui amat; quicquid enim diligitur, cum magna devotione portatur. Est quædam magna Dei ancilla, valdè ab eodem illuminata, quæ dicere solebat, quòd, postquàm à cœlesti sagittario vulnerata fuit, deinceps quid pati sit, prorsus ignoraverit, quia fortis est ut mors dilectio: si dederit homo omnem substantiam suam pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.

S. Aug. l. 8. conf. c. 6. XVII. Aulici nonnulli, prout in Confessionibus S. Augustini legimus, ad mundi contemptum in se excitandum ita inter se loquebantur: quot & quænam molestiæ subeundæ sunt, ut quis in Imperatoris amicitiam & benevolentiam pervenire possit: imò, dicebant, posito etiam, quòd quis ad illud felicitatis culmen tandem pertingat, per quot pericula pervenitur ad grandius periculum? At verò, subiungebat inter eosdem alius, amicus Dei, si voluero esse, nunc fio. Quænam obsecro illa futura esset hominis felicitas, in cuius arbitrio & libera potestate consisteret Monarchæ alicuius potentissimi concilianda gratia, & intima amicitia, seu potiùs Monarchiæ eius inseparabilis societas, & tamen longè excellentiùs quid est, quòd aliquis amicus Dei constituatur; & quidem id, si voluero, nunc fio. Ad hoc enim sufficit, si interiùs synceri erga Deum amoris actus elicias. S. Thom. Villan. conc. de fed. S. Thomas postquàm tributum illud, quod Deus noster à nobis exigit, leve esse hisce verbis dixisset; Advertite & considerate, quàm leve tributum Dominus à nobis exigat; pro tantis beneficiis nihil aliud exigit, nisi amorem; mox nisi tributum illud promptè solvamus, nostram nobis ingratitudinem severissimè exprobrat, & iusta Dei comminatur supplicia, dicens: O quàm meritò, quàm iustè damnabitur, qui maluit ardere, quàm amare. O peccator talis tibi visus est Deus, tam onerosus amor Dei tui, ut malis sempiternis incendiis deputari, quàm amare?

XVIII. S. Augustinus illa S. Joannis verba: *Mandata eius gravia non sunt*, declarans, aliam quandam rationem assignat, cur iugum hoc facili negotio sustineatur. S. Aug. l. de nat. & grat. Quomodo est grave, inquit, cùm sit dilectionis mandatum? Idiota in c. 1. libri, quem de amore Dei composuit, ita scribit: Inclinat amor amantem, neque in hoc laborat, amor difficultatem non novit. Amor lascivus, quantumvis duram ei, qui illum sectatur, legem præscribat, hæc tamen ei semper suavis esse videtur, quantò igitur maiorem vim in peccatore Christiano obtinebit amor divinus? Chrysologus ait: Fortem faciat vis amoris, quia nihil durum, nil amarum, nil grave, nil lethale computat amor verus. Quod ferrum? quæ vulnera? quæ pœna? quæ mortes amorem prævalent superare perfectum.

XIX. *Vulnerâsti cor meum soror mea sponsa, vulnerâsti cor meum in uno oculorum tuorum*; Verbis hisce cœlestis amator suos erga ardentissimè amantem animam exprimit amoris reciproci affectus. S. Gregorius textum hunc aptissima quadam similitudine explicat; sicut enim, qui sagittam suam in meditullium scopi evibrare nititur, ad hoc, ut non erret, sed sagittæ iactum tantò de metæ assecutione securiorem efficiat, unum oculorum suorum occludere solet, ita quoque sponsa unum oculorum suorum sponso suo clausum exhibet, clausum inquam, ad cunctas hasce res terrenas, ut alterum affectus sui oculum tantò vehementiùs in Creatorem suum defigat: Qui ad solam Dei naturam visus acumen dirigit, is in cœteris omnibus cæcus, ad quæ multorum oculi respiciunt.

XX. Figura prædictæ veritatis maximè expressiva, nisi fallar, fuit illa coram Salomone à duabus Matribus habita contentio & controversia: Mansi disc. 15. n. 11. Porrò historia notissima est, quodnam scilicet fuerit sapientissimi illius Iudicis in hac perplexitate dirimenda iudicium. Nimirum ut quænam ex ambabus mulieribus germana Mater esset, clariùs elucesceret, præcepit; *afferte mihi gladium*; Eóque allato, infantem per medium secari, & unam illius partem uni, & dimidiam partem alteri dari. Quâ sententiâ, quænam infantis vera & indubitata genitrix esset, detexit: Commota sunt quippe viscera eius super filio suo, unde & dixit: *Obsecro, Domine, date illi infantem vivum*, non verò eadem fuit fictæ & personatæ matris opinio, utpote quæ ait: *Nec mihi, nec tibi, sed dividatur.* Paulus de Palatio ait: Bona mater integrum, non divisum vult filium, licèt quæ se matrem fingebat, dividi filium optaret, ita Deus integrum cor, non divisum vult: ita quoque tunc, quænam anima à Deo electa & prædilecta sit, agnoscetur, si

Diabolo

Diabolo consulenti, ut cor inter Deum & ipsum per affectum dividatur, nec mihi, nec Deo, sed dividatur, ipsa non consentiendo solida in se, & constans perseveraverit, nec cor per amorem in diversa dispersum dividi permiserit. Hac historiâ Didacus Stella verba illa: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua*, exponens utitur, dum ait: Non vult Deus cor divisum, sed integrum. Salomon veluti prudentissimus infantem integrum & intactum matri tradidit, & noluit, ut divideretur. Mundus, inquit, dividatur, Deus verò contrarium. Enimverò si certum, & indubitatum aliquod signum nosse desideremus, è quo, an noster erga Deum amor filialis sit, agnoscere possimus, examinandum nobis cor nostrum erit, videndúmque, an sit divisum, sive an aliquam illius partem creaturis cesserimus; quia si simul cum Deo voluptates, honores, aut divitias dilexerimus, manifestum id nobis indicium erit, quòd Deus à nobis eô modô, quo amari cupit, minimè diligatur. Unde S. Augustinus ait: Exclude malum amorem mundi, ut implearis amore Dei: vas es, sed adhuc plenum es, (*amore scilicet mundi*) funde, quod habes, ut accipias, quod non habes.

S. Athanasius ser. 3 in Arian. XXI. S. Athanasius quoque aptè ad intentum interrogat, cur Pater æternus redemptionem nostram à Filio consummari voluerit, non verò ad hunc finem Angeli cuiuspiam opera uti voluerit? Respondétque id factum esse, ne ulla nobis daretur occasio amorem Deo debitum transferendi in creaturam; quia si ab Angelo fuissemus redempti, motivum utique efficacissimum habituri fuissemus amoris nostri partem eidem quoque impendendi. Conveniebat redemptionem fieri per eum, qui naturæ Dominus erat, ne alium nobis Dominum agnosceremus. Cui consonat illa S. Anselmi meditatio, dicentis: Qui creavit te, ipse redemit te, ne amorem tuum dividas partim creatori, partim tribuens Redemptori.

XXII. Quodnam obsecro in eo latet mysterium, quòd Salvator noster innocentissimam quidem carnem suam sibi dilacerari & vulnerari permiserit, nec tamen tunicam seu vestem inconsutilem dividi voluerit? Num fortè ideo id factum est, quia tunica hæc opus manuum sanctissimæ Matris suæ fuit? sed & corpus Christi è virgineo Matris suæ sanguine conditum fuit; aut verò factum est ideò, quia vestis illa unitatem Ecclesiæ suæ præfigurabat, prout in apparitione S. Petro Alexandrino facta ostendit? omnia in figura contingebant. Omnia hæc benè quidem dicuntur & aptissimè, veruntamen

Idiot. c. 34. Idiota per vestem hanc charitatem seu amorem divinum intelligit, qui divisionem minimè admittit: Designatur, inquit, per tuam tunicam inconsutilem, quæ nec scissa fuit, nec divisa, quia amor neque dividi debet, neque scindi, & qui eum dividunt, vel scindunt, peiores videntur, quàm milites te crucifigentes, qui tuam tunicam dividere noluerunt.

Isai. c. 28. v. 20. XXIII. Deus per os Isaiæ Prophetæ nobis quoque insinuat, angustum esse lectum seu thalamum, in quo cùm anima dulciter quiescit, ac proinde eundem alterius incapacem esse: coangustatum est enim stratum, ita ut alter decidat, & pallium breve utrúmque operire non potest. Porrò quid per hunc *lectum angustum* intelligatur Dionysius Carthusianus optimè declarat, dum ait: Hoc stratum est fundus cordis humani, in quo pariter quiescere nequeunt amor mundi, & amor Dei, carnalis affectio, & spiritualis dilectio, sed alter alterum pellit; ac proinde cùm cor nostrum adeò sit modicum & angustum, & consequenter ad hoc, ut Deo nostro adeò nos ferventer & tenerè amanti, tantóque benefactori nostro dignè respondere possit, ignem & amorem sufficientem nequaquam exhibere possimus, minimè profectò convenit, ut modicum hunc amorem dæmonio, mundo, sensui, ac inimicis nostris pariter communicemus.

XXIV. Sponsus cœlestis animæ amanti præcipit dicens: *Pone me ut signaculum super cor tuum*; Etenim quando in littera aliqua sigillum aut figura Principis alicuius conspicitur, magnus illi honor & respectus ab omnibus illam videntibus defertur, nec quisquam est, qui illam contemnere aut aperire audet; atqui Deus noster, utpote valde Zelotypus, & amoris animæ nostræ cupidissimus illius sponsus per hanc similitudinem eandem monere voluit, futurum esse, ut, si ipsum, velut sigillum quoddam cordi suo imprimeret, nullus alius affectus vel amor ad illam aliquem sit aditum obtenturus; ex quo enim Creatorem illud occupâsse conspiciunt, nulli eò subingredi licebit creaturæ. Unde S. Ambrosius ita meditatur: Dulcissime & amantissime IESU, infunde obsecro multitudinem charitatis tuæ pectori meo, ut te solum in corde habeam, scribe digito tuo in pectore meo, dulcem tui memoriam, nulla unquam oblivione delendam. *S. Ambros. in meditat. 18.*

XXV. Didacus Stella nobilem quendam considerationem in medium adducit; considerat enim, quòd amor nobis superabundanter à Deo recompensetur, aut remuneretur, cùm tamen nulla sui retributione indigeat. Dicit igitur: Nulla ratio est, ut amor mercede & retributione sit dignus. Verùm est, quòd operarius, qui manè summo diluculo surgit, & ad vesperam usque laborat, suum mereatur stipendium; at verò qui amat, quid est, quod præmium accipiat? Estne aliquid iucundius, dulcius, aut suavius, quàm semper diligere? amor certè sui ipsius est merces, nobis verò ratione amoris & dilectionis gloriam retribuere, nihil aliud est, quàm mercedem mercedi addere, & præmium præmio, & beneficium beneficio. Pro cuius meliori intelligentia evidentissimam quandam adducit similitudinem alicuius sitibundi hominis, qui ardentissimam patitur sitim, miráque cum aviditate aquam bibendam tradi sibi postulat; Quodsi enim tali homini non solùm petita subministraretur aqua, verùm etiam eidem pro aqua postulata & exhibita pecunia daretur, ad hoc ut eandem biberet, nunquid largitas & munificentia ista inaudita res esset? Unde mox ita *Did. Stella ser. 10. Luc.*

 ex-

exclamat: O divina charitas, quibus te laudibus commendabo? nam cùm anima hæc nostra (qua nihil à Deo accepimus pretiosius) fine amore non vivere, nec stabilis permanere queat, præcipit, ut amemus, & pro amoris mercede, gloriam retribuit.

Mansi disc. 8. n. 5. XXVI. B. Ægidius, qui socius fuit S. Francisci, ut sæcularem quendam ad verum Dei amorem accenderet, die quodam in hunc cum ipso discursum digressus fuit: Erat aliquando non nemo, qui nec manus, nec pedes, nec oculos habebat, qui, dum ab amico suo interrogaretur, an si aliquis in mundo inveniri posset, qui ei lumen daret ad videndum, ad ambulandum pedes, nec non & manus, quas non habebat, ei donaret, eum etiam amaturus, séque erga hunc benefactorem gratum exhibiturus esset? miser ille è vestigio respondit, me ei omnibus diebus vitæ in servitutem etiam durissimam addicerem. Quo responso accepto Ægidius cœptum discursum resumens, ei dixit: Ecquis autem ille est, qui tibi oculos, aures, linguam, manus, pedes, caput largitus est? quis nobilissimum hoc corporis & animæ compositum tibi donavit? Non alius utique, quàm Deus: *Manus tuæ, Domine, fecerunt me, & plasmaverunt me totum in circuitu*; ac proinde si te in servitutem addiceres hominis illius, qui tibi solùm manus, pedes & oculos dedisset, qualis igitur, & quænam est tua erga Deum gratitudo & amor, qui tibi ultrà hósce sensus omnia alia donavit, imò & animam ipsam, eámque ad imaginem & similitudinem suam tribus nobilissimis potentiis suis instructam creavit?

S. August. in Psal. 31. XXVII. Quando fons aquæ vivæ in paludem se exonerat ibidem stagnaturus, inficit aërem, animalia venenosa producit, prorsúsque corrumpitur: Non verò item, quando in meatibus seu canalibus subterraneis constrictus, in deliciosum quendam amœnúmque hortum derivatur, ibi námque per varios sese aquæ ductus in altum erigens, posteà ad terram fœcundandam descendit, illámque herbas, flores, fructus, & quicquid tandem in horti areolis pulchrum & utile est, à natura arte cultivata produci potest, progerminare facit. Hæc utique quantum ego existimo, allusio pariter & exhortatio S. Augustini fuit, dicentis: Aquam amoris tui fluentem in cloacam, converte ad hortum; etenim amor noster, dum fertur ad creaturas, veluti in paludibus & luto stagnans generat serpentes, buffones, aliáque animalia venenosa, id est, multa vitia, & peccata; ac proinde divini amoris Secretarius optimè nos monet: *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt; si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo, quoniam omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.* Non verò id nobis timendum est, quando amorem nostrum ab omnibus híisce rebus creatis subtrahimus, & Deo unimus, tunc enim verè contempletur, quod Christus Salvator noster ait: *Si quis bibit ex hac aqua, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Mystica hæc aqua terram animæ nostræ fœcundat floribus & fructibus omnium virtutum: ac proinde ait Ambrosius: Charitas omnium virtutum forma est, cùm per ipsam omnium virtutum actus in debitum & ultimum finem ordinentur. 1. Ioan. 2. v. 15. & 16.

TITVLVS XII.

COMMUNIO.

§. I.

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas.

Hebr. c. 13. 16. I. Eneficentiæ & Communionis nolite oblivisci.

Matt. c. 24. 27. II. Ubicunque fuerit corpus, illic congregabuntur & Aquilæ.

Sap. c. 16. 20. III. Paratum panem de cœlo præstitisti illis.

Utilitas.

Gen. c. 27. 37. IV. Frumento & vino stabilivi eam.

Zach. c. 9. 17. V. Quid enim bonum eius est, & quid pulchrum eius, nisi frumentum Electorum?

Ioann. 1. b. 29. VI. Ecce Agnus Dei, ecce, qui tollit peccata mundi.

Psa. 127. 3. VII. Filii tui sicut novellæ olivarum, in circuitu mensæ tuæ.

VIII. Parâsti in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant me. Ps. 22.

IX. Transibit enim Dominus percutiens Ægyptios: cúmque viderit sanguinem in superliminari, & in utroque poste, transcendet ostium Domûs, & non sinet percussorem ingredi domos vestras, & lædere. Exod. c. 12. 23.

X. Faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc convivium vindemiæ. Et præcipitabit in monte isto faciem vinculi colligati. Isaia 25. 6.

XI. Et cognoverunt eum in fractione panis. Luca c. 24.

XII. Quotiescunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis. 1. Cor. 11.

XIII. Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Ioann. c. 6.

Jucunditas.

XIV. Paratum panem de cœlo præstitisti eis, omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suavitatem. Sap. c. 16. 20.

XV. Si-

Ps. 62. XV. Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea, & labiis exultationis laudabit os meum.

Ps. 30. XVI. Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti (id est, in hoc Sacramento abscondite tribuisti, ut S. Bernardus exponit) timentibus te.

Ps. 80. XVII. De Petra melle saturavit eos.

Sap. c. 16. 21. XVIII. Substantia tua dulcedinem tuam, quam in Filios habes, ostendebat: & deserviens uniuscuiusque voluntati, ad quod quisque volebat, convertebatur.

Dispositio.

Isa. c. 52. XIX. Mundamini, qui fertis vasa Domini.

Osee c. 7. XX. Super triticum & vinum ruminabunt.

1. Cor. 11. XXI. Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat.

Exod. c. 12. XXII. Sic autem illum comedetis: Renes vestros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus.

Matt. 27. XXIII. Accepto corpore Joseph, involvit illud in sindone munda.

Ibid. c. 8. XXIV. Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantùm dic verbo, & sanabitur puer meus.

Indigna Communio.

1. Cor. 11. XXV. Quicunque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit Corporis & sanguinis Domini.

Ibid. XXVI. Qui manducat, & bibit indignè, iudicium sibi manducat, & bibit, non diiudicans Corpus Domini.

Matt. 22. XXVII. Amice, quomodo huc intrâsti, non habens vestem nuptialem? Tunc Rex dixit ministris: Ligatis manibus, & pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores.

Levit. c. 22. XXVIII. Loquere ad Aaron & filios eius, ut caveant ab his, quæ consecrata sunt Filiorum Israël, & non contaminent nomen sanctificatorum mihi, quæ ipsi offerunt; ego Dominus, dic ad eos, & ad posteros eorum: omnis homo, qui accesserit de stirpe vestra ad ea, quæ consecrata sunt, & quæ obtulerunt Filii Israël Domino, in quo est immunditia, peribit coram Domino.

Lev. c. 7. 20. XXIX. Anima polluta, quæ ederit de carnibus hostiæ pacificorum, quæ oblata est Domino, peribit de populis suis.

Io. c. 13. XXX. Post buccellam introivit in eum Sathanas.

§. II.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Dispositio.

S. Bernard. s. 20. de modo bene viv. I. ROgo, ut audias prudentiam serpentis: serpens enim cum cæperit ire ad bibendum, ante quam veniat ad fontem, evomit omne venenum: imitare ergo & tu, Charissima, hunc serpentem in hac parte, ut, antequam venias ad fontem, id est, communionem Corporis, & sanguinis Domini nostri JESU Christi, evomas omne venenum, scilicet odium, iram, malitiam, invidiam, voluntatem carnalem, & noxias cogitationes ex corde tuo.

S. Bonav. in fasc. c. 7. II. Quomodo tu ad illam mensam, ad præsentiam Christi, ad tactum Dei Filii, intrepidus audes accedere, quem Joannes Baptista tangere contremiscit? Petrus Apostolorum Princeps à se præ formidine repulit, dicens: *exi à me Domine, quia homo peccator sum*? cogita, quòd iste, quem tu sumis, erit Judex tuus. Notandum autem, Apostolum, eodem tempore & loco, quando nos ad cælestem hunc panem verbis illis invitat: *Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat*, nos pariter ad rigorosum exstimulare examen, & Christum nobis in hoc Sacramento tanquam iudicem oculis nostris proponere, dum ait: *Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat.* Voluit namque Apostolus per hanc Judicis mentionem, nobis communicantibus, sanctum quendam imprimere timorem Judicii particularis animæ nostræ, quasi ita præparati ad mensam hanc accedere deberemus, veluti si Judicem nos iudicaturum, & non Salvatorem nos nutriturum, excepturi essemus. Honor regis, inquit S. Bernardinus, Judicium diligit, videlicet in sumptione corporis eius: discutienda est enim conscientia, quasi homo ex hoc mundo sit transiturus ad Patrem. Profectò si Principem vestrum ad ædes vestras admissuri essetis, summa utique cum sollicitudine procùl inde eliminaretis, quidquid ei displicere posset, & offendere, maximè si vos puniendi potestate polleret.

S. Bernardin. t. 56. a. 2. c. 1. III. Quam civilem vivendi methodum considerans S. Bernardinus, se continere nequit, quin exclamet. O si exspectares in domo tua, cuiusdam magni Domini temporalis adventum, quantâ solertiâ, quantâ munditiâ, quantâque diligentiâ disponeres domum tuam? Quantò magis præparandum est conscientiæ hospitium Regi cœlorum, & Domino Angelorum?

S. Francisc. op. c. 1. ep. 12. IV. Audite, fratres mei, si Beata Virgo Maria honoratur (ut dignum est) quia ipsum portavit in sanctissimo utero suo; Sic B. Joannes Baptista contremuit, & non audebat tangere Domini verticem; si sepulchrum, in quo per aliquod tempus iacuit, sic veneratur, quantùm debet esse sanctus & dignus, qui non iam moriturum, sed in æternum victurum & glorificatum, *in quem desiderant Angeli prospicere*, contrectat manibus, corde & ore sumit, & aliis ad sumendum præbet.

Utilitas.

S. Chrys. apud Mansi disc. 3. n. 9. V. Non est sanguis Christi deterior Babylonio igne, ille scit sanctorum in camino honorare corpora, & Chaldæos comburere, quantò magis sanguis ille pretiosissimus scit perdere incredulos, & servare fideles?

Petr. Dam. i ad Blanc. c. 3. VI. Terretur adversarius, cùm Christiani labia videt Christi cruore rubentia.

Indigna

Indigna Communio.

Salmeron r. 4. c. 9.

VII. Porrò gravissimum est, horrendum malè communicantium delictum: peius enim est quodammodo, quàm Christi Corpus cruci suffigere, atque pretiosum eius sanguinem fundere; propter quod dicit Apostolus: *reus erit Corporis & sanguinis Domini.* Deteriùs enim peccat vel ipso Judâ, qui Filium Dei & pretio vendidit, & osculo prodidit: nam hic non solùm exterius osculatur, sed intus morsu lethali afficit, ut Propheta dicat, *aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens, & rugiens*: atque, quod ad se attinet, renovat Filii Dei mortem.

Petr. Bless. ep. 1 2.

VIII. Domine JESU Christe, inquit Petrus Blessensis, sacramentum corporis & sanguinis tui, quasi pignus & obsidem cælestis gratiæ dimisisti, & in eo constituisti nobis, non mortem, sed vitam, non iudicium, sed salutem: quàm perditus ergo est, qui redemptionem in perditionem, qui sacrificium in sacrilegium, qui vitam convertit in mortem!

S. Chrys. ho. 51. in Matth.

IX. Audiamus ergo, & per hoc horrescamus, inquit S. Chrysostomus: carnes suas nobis tradidit, seipsum immolatum proposuit, quam igitur satisfactionem offeremus, cùm tali pabulo nutriti taliter peccemus, cùm agnum comedentes in lupos convertimur, cùm ovinis carnibus saturati, ut leones rapiamus.

Dionys. S. de indign. com.

X. Tales socii sunt Judæ proditoris, de quo in Joanne legitur: *Post buccellam introivit in eum Satanas*; nam & antè in eum intravit, sed quia Corpus Domini indignè accepit, magis possedit eum diabolus.

S. Thom. Vill. c. 3. de sacr.

XI. Quantum flagitium sit in spurcissimam pectoris tui cloacam sacratum Christi sanguinem fundere, Apostolica illa tuba personuit, dicens: *Quicúnque manducaverit panem hunc* &c. reus erit, acsi occidisset, & effudisset, non æqualiter, sed proportionaliter, quascunque enim blasphemias, quascúnque irrisiones, quæcunque opprobria impiissimi Judæi in Christum corporaliter exercuerunt, has omnes spiritualiter repetit impius comestor, Filium Dei rursum in semetipso crucifigens, & ostentui habens.

S. Bernardinus S. 55. a. 1. c. 3.

XII. O ingratitudo omni nequitiâ plena! nonne ingratissimus putaretur, qui haberet Dominum, à quo cuncta, quæ habet, accepisset bona, & ipsum à morte, & à suspendio multis suis laboribus liberâsset, & tamen ipsum Dominum in immundissimum stabulum inimici sui prodigiosè locaret, ut crudeliter necaretur? Longè maiori ingratitudine plenus est, qui in mortali culpa dominicum sumit Sacramentum. Ideo Dominus lamentabiliter ait: *Conculcaverunt me inimici mei totâ die.*

S. Chrys. ho. 7. in Matt.

XIII. Cave, ne Herodi efficiaris similis, & dicas: *ut & ego veniens adorem eum*, cúmque veneris, interimere coneris, huius enim similes sunt, qui indignè abutuntur Communionis mysterio.

Petr. Bless. ep. 123.

XIV. Repositum fuit illud pretiosissimum corpus in sindone munda, & in monumento novo: Iste autem in ore, adhuc potu hesterno fœtente, & in sentina ventris, adhuc ex præcedenti crapula æstuante, demergit eum, quem Angeli prospicere concupiscunt, quem prospiciendo delectationes æternas accipiunt. Nónne potiùs Antichristianus, quàm Christianus iudicandus est, qui quantùm in se est, Christum iam factum impassibilem, ita tractat indignè, ita probris afficit, ita crudeliter interimit, & sepelit inhonestè?

S. Bernardin. l. c.

XV. Quàm temerarium, quámque nefarium est, cruentis manibus intemeratæ virginis tractare filium? quis auditus hoc sustinet aurium, quis oculus non confunditur ad intuitum, ubi pretium mundi mittitur in sterquilinium? etenim non minùs est detestabile, in os pollutum, quàm in lutum, mittere DEI Filium.

Rara Communio.

S. Thomas Vill. con. 1. in F. Corp. Chri.

XVI. Desidiam vestram perpendite, quippe qui corpus in via toties in die reficiatis, & animam miseram longâ peregrinatione laborantem, vel semel in mense reficere negligatis.

Salmeron tr. 40. n. 9.

XVII. Si dicas: si gratiam habes, cur ad Sacramentum participandum accedis? Respondebo, & pariter obiiciam, si vivis, quorsum edis? inquies, ne vitam perdam, eádem ratione & ego subiungam; pane vitæ pascor, ne gratiam, quæ in me est, amittam; nam ita etiam lucernæ oleum infundis, ne propter olei defectum extinguatur: denique, non tantùm, ne gratiæ iacturam faciam, ad hunc cibum accedo, sed ut etiam gratiam corroborare & perficere valeam.

Frequens Communio.

S. Dionys. apud Maximum Monach. & 30. Eccl. Hyer. c. 3.

XVIII. Oportet omnem Christianum beatæ Ecclesiæ vacare, & nunquam abesse à SS. Communione, quæ in ea peragitur, propter SS. Angelos, qui in ea permanent, & eos, qui ingrediuntur, semper describunt, & Deo aperiunt, & pro eis orationes faciunt; & propter S. Spiritûs gratiam, quæ invisibiliter quidem semper permanet, maximè autem, & propria ratione, tempore S. Syntaxis, & unumquémque eorum, qui inveniuntur, transmutat, & transformat.

S. Basil. in epist. ad Patritiam de comm.

XIX. Quotidie communicare, & participem fieri SS. Corporis & sanguinis Christi bonum est, & utile, cùm ipse apertè dicat: *Qui manducat meam carnem &c.* Joan. 6. nam assiduè participem fieri, id demum nihil aliud esse, quàm frequenter, & multifariàm vivere, quis dubitet?

S. Franc. Salesius in Philoth. p. 2. c. 21.

XX. Sæpè communica, & quàm potes sæpissimè, idque suasu & consilio Confessarii tui: & mihi crede, sicuti lepores in montibus nostris hyberno tempore albescunt, quòd præter nivem nil videant, aut comedant; ita te pulchritudinem, bonitatem, & puritatem ipsam in hoc Divino Sacramento sæpiùs adorando & sumendo totam pulchram, bonam & puram fore.

§. III.

§. III.

EXEMPLA SACRA.

Cultus.

Io. Rho l. 3. c. de virt. Ex. s. n. 5. I. MAria, Maximiliani II. Coniux postquam è Germania in Hispanias revertit, incredibili quadam pietate emicuit, dies duos, quoties Mysteriis communicaret (faciebat autem frequentissimè) divinæ in illis liberalitati recolendæ adeò ab omnibus curis sepositos hahabebat, ut nihil rerum humanarum cogitationibus in illos vellet licere. Id, cùm aliàs sæpe, tum eo tempore maximè apparuit, quo Maximilianus Filius, qui dissimulatâ personâ sacrum Jacobi tumulum veneraturus in ultimos Gallecię fines fuerat peregrinatus, in Germaniam revertens Mantuæ Carpentanorum substitit, seque secretò Cæsaris Legato indicavit. Ille curriculo ad Mariam defert, adesse Maximilianum, ac manum osculari, matrémque amplecti percupere. Ad hæc Maria, ego perendie eum videbo; hodierna enim dies expiandis culpis destinata est; crastina Eucharistiæ sumendæ dicata; qui dies cùm Deo solidi debeantur, non est, quòd in Maximiliani gratiam eos diminuam.

Ibid. n. 16. II. Anna ab Almedia, ordinis Minorum, noctem eius diei, qui sacris epulis festus erat futurus, iusto pervigilio ita ducebat insomnem, & ne quid, quamquam longâ vigiliâ edomitum corpusculum, pro innata insolentia in animum auderet, flagello acriter cæsum servitutis admonebat.

Ibid. n. 29. III. Corruptissima licèt apud Moschos Christiana res sit, remanent nihilominus antiquæ dignitatis præclara vestigia, quæ observasse non pœniteat. Quis enim non miretur extremos Europæ homines, & rerum divinarum altâ mersos ignoratione, attamen hæc divina Mysteria usque adeò venerari, ut, quâ die iisdem participant, quod sæpiusculè faciunt, sicci omnino, nullo cibo, potúque eam frangentes, perfrigidâ illâ in regione perseverent? Nescio, quò modo plùs illi suis in tenebris, quàm plerique apud nos clarissima in luce videant.

Daurolt. t. 5. f. 89. ex. 14. IV. Corpus Christi in Sacramento Altaris devotissimè venerabatur S. Margaretha, virgo Illustrissima, Regis Hungarorum filia, & sub elevatione illius in Missa flebat uberrimè, & frequenter ab elevatione usque ad sacram communionem, sic præ devotione manebat abstracta à corporis sensibus, ut quasi mortua videretur. Quando verò sacram erat communionem perceptura, die præcedenti non sumebat, nisi panem & aquam, & totâ nocte in orationibus permanebat. Sumebat autem ipsum Sacramentum cum magna devotione, & multo lacrymarum imbre, atque interdum adeò rapiebatur in spiritu, ut ceu mortua videretur: nec rarò visa est inter cœlum & terram, plùs quàm cubiti altitudine elevata nullis corporis sensibus utens. Post acceptam verò Eucharistiam, tenebat ab una parte mappulam ante facies ad Communionem accedentium, hoc fine, ut videret identidem Corpus Christi, ipsa quoque die, qua communicârat, persistebat continenter in precibus usque ad noctem: & tunc cibo valde modico utebatur.

Desiderium.

V. S. Bernardinus de insigni illo Dei servo Hugone de S. Victore refert, quòd cùm morti vicinus esset, & sanctissimum Sacramentum avidissimè expeteret, circumstantes cùm eum cibum retinere non posse viderent, hostiam ei non consecratam obtulêre, móxque Dei servus ad eos conversus ait: misereatur vestri, Deus fratres, cur me deludere vultis, iste enim, quem mihi portâstis, non est Dominus meus? at illi attoniti, corpus Domini mox attulerunt, sed ille videns, se non posse illud accipere, elevatis in cælum manibus, sic oravit: ascendat filius ad Patrem, & spiritus ad eum, qui fecit illum. Et inter hæc verba emisit spiritum, & Corpus Domini indè disparuit. *S. Bernardinus S. 53. a. 2. c. 2.*

VI. Bollandus scribit, S. Lucianum Presbyterum & Martyrem carceribus inclusum, cùm aliud altare illi non suppeteret, incruentum sacrificium super pectus suum, quod loco altaris adhibuit, celebrâsse. Salmeron quoque aliud insigne memorat cuiusdam Religiosi factum, qui, cùm cibum propter languorem, stomachíque infirmitatem retinere non posset, & nihilominus Communionis desiderio traheretur, sacerdotem rogavit, ut hostiam sacram candido inclusam lino, super pectus eius collocaret, quod cùm fecisset Sacerdos, Corpus Domini penetravit in cor eius, & ita compos desiderii sui ex fide magna profecti, non minùs, quàm Hæmorrhoissa, tangens Domini fimbriam, factus est. *Bollandus 7. Ian. c. 4.*

VII. Mediolani, dum pestis grassaretur, fuit in publica hospitali domo S. Gregorii homo quidam, qui peste mortuus putabatur: indè igitur ad locum asportatur, unde cæteri mortui ad cæmeterium efferuntur. Eò loci, cùm in magno cadaverum acervo totâ nocte penè sepultus fuisset, manè dum publicæ curationis Sacerdos, qui peste ægrotantibus sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum ferre consueverat, illac transiret, ubi ille cadaveribus planè opertus iacebat, de repente ardenti sumendæ Eucharistiæ desiderio excitatus, se in genua erexit, & hac divina occasione exhilaratus, voce, quam ab illo animam exhalante consolatio vix elicuerat, à Sacerdote supplex petiit, sibi quoque dari sanctissimum viaticum, quod ubi Sacerdos libentissimè ministravit, & ille religiosè, summâque veneratione accepit, eodem loco statim in pestis acerbitate, cum summo percepto sacri viatici gaudio, ex hac vita migravit. *S. Carol. Bor. conc. 5. fran.*

VIII. B. Franciscus à puero JESU propè conficiebatur desiderio, cùm dies communionis aderat; hinc exclamabat sæpe: Jo: adhuc tantùm septem horæ, ad hinc unica ad illam superest: eamus, iam tempus est. *Bertrus p. 1. c. 2. pran. 3.*

S. Thom. Vills. ca. 2. in fest. Corp. Christ.

IX. S. Thomas Vill: sequens narrat factum: Vidi Monialem quandam, quæ Corpus Domini, sicut cervus fontem aquarum, desiderabat sitiens, cui, ut videbatur, difficile erat, à Sacramento, vel unâ solâ die abstinere, tanta erat sumendi aviditas, tantus accedendi appetitus. Die Sancto Parasceves, cùm Corpus Domini Ecclesiastico more in monumento reponitur, quia oblitus Sacerdos formam, quam illi daret, non reservavit, eiulatibus & clamoribus Domum replevit, ut Filii unigeniti sepulturam lugere videretur; neque enim eius desiderio subveniri poterat. Tandem cùm in fletibus & lachrymis amarissima tota die persisteret, mirabile dictu, duæ manus visibiliter ei cum Sacramento apparuerunt, ex quibus ipsum accepit, quo accepto omnis illa amaritudo in consolationem uberrimam mutata est. Hæc omnia, inter multas alias revelationes, ab eius ore ipse audivi, quæ mihi non sponte sua, sed obedientiâ astricta narravit, quia in Ordine nostro mihi subdita erat.

VVadingus 1228. n. 9.

X. In Ecclesia S. Francisci aliud mirabile perpetuis signatur monumentis. Præparaverant se duo Fratres Laici pro modulo suo ad Sacram Communionem cum cæteris Fratribus de religioso more in die Cœnæ Domini faciendam; cúmque nihil minùs cogitaretur à loci Guardiano (urgebat siquidem necessitas) panem mendicaturi in civitatem mittuntur, qui tandem domum tardiùs reversi, cùm & divinum officium persolutum, & reliquos Fratres mensæ assidentes invenissent, Ecclesiam, ubi Venerabile Christi Salvatoris Corpus de more asservabatur, contemptâ refectione, petunt, ibique suas vices, quod sacra Communione in tanta solennitate privarentur, miserrimè dolentes, gemitibus ac singultibus anxiè vacabant. Dúmque nihil minùs cogitarent, ex ipsa arcula, quâ Sacro-Sancta Eucharistia recondebatur, gratissimus quidam, pulcherrimus, ac compositus iuvenis prosiliit, qui asserens se Christum Dominum esse, eorum utrique sacram Communionem porrexit, statímque locum, unde prodierat, repetiit. Extant adhuc vestigia pedum ipsius, pavimento eius sacelli, in quo hoc contigit, impressa, atque ferreis craticulis contecta.

Utilitas.

Baron. 844. ann. n. 15.

XI. Ramirus Rex Hispaniæ infeliciter cum Saracenis præliatus, in montes se contulit, ad certum quendam locum, totus desolatus, ubi illi per noctem S. apparuit Iacobus Apostolus, suum ei promittens auxilium & infallibilem victoriam; hac tamen conditione, ut postridiè milites omnes sacrâ se armarent communione: quâ corroborati 70. Millia Saracenorum occiderunt. A 1040. dum Barbari iidem Messanam Ministris imperialibus subditam invaderent, hi omnes sacrâ priùs refecti Communione, portas aperientes, tanto cum impetu in canes illos proruperant, ut irreparabilem iis intulerint stragem, cadaveribus planities, valles, & flumina implentes; quo ex tempore amplissima Siciliæ Insula, Tyrannico cæteroquin Barbarorum iugo pressa, in pace reflorescere cœpit.

Vita P. Lud. de Pont. l. 1. c. 8. c. 3.

XII. Maria de Escobar licèt senio, morbis, & minimo cibo deformata esset, quando tamen divinum epulum sumebat, elegans erat, facie plenâ & roseâ instar Angeli, ac vires corporis instaurabantur.

Euseb. Nirnberg. in Troph. Marian. c. 53.

XIII. Rodericus Ininguez, seu Ignatius, Magister Ordinis S. Iacobi cùm Lerenam obsideret, diffidens humanis viribus, suos milites iussit se Confessione, & SS. Communione munire, ac invocato Dei, & B. Virginis auxilio, urbem aggredi. B. Virgo post hæc in somnis Sacerdoti eiusdem Ordinis apparens gratias egit, ob administrata militibus Sacramenta; cum Sanctorum Angelorum & Virginum comitatu spectabili, ait, hæc plùs illis profutura, quàm omnia arma; & victoriam pollicetur. Narravit hæc Sacerdos omnia militibus, & quòd à B. Virgine in signum victoriæ malum granatum accepisset. Unde milites animati urbem invaserunt: Tum in platea quidam sagittarius in Mahometanum urbis gubernatorem sagittam expedit: *en nombre de la Virgen de la Granada*, & cor illius contigit, & victoriam inclamat, & mox se Mauri dederunt.

Indigna Communio.

Mansi disc. 47. n. 4.

XIV. In silva historiarum de quodam mercatore lucris illicitis dedito, divitiásque per fraudes accumulare satagente, scriptum reperio, quòd statim post sumptam Communionem Paschalem, pallidum & tetrum vultum præseferens infirmatus, cùm à suis ad Sacramenta recipienda exhortatus fuisset, se ea nolle, responderit, utpote à quibus omnino abhorreret, siquidem Hostia, quam in Paschate sumpserat, faucibus eius etiamnum inhærens, magnum sibi dolorem causaret; cúmque ei suaderetur, ut in divinam confideret misericordiam; Frustra id sibi inclamari, dixerit, utpote cui iam damnato locus in inferno demonstratus esset, in quo iuxta collegam suum, qui paulò antè Vesperi sanus lectum ingressus, noctu à diabolo abreptus fuerat, in æternum torquendus esset; cúmque imago Crucifixi ad eum delata esset, ipséque divinam eius moneretur invocare clementiam, manibus oculis admotis, eandem nequaquam respicere valuerit, dicendo, quòd non nisi severum in eâ Iudicem suum videret, utpote diaboli iam manibus traditus, hísque dictis, confestim exspirârit.

Revel. S. Birg. l. 1. c. 2.

XV. In revelatione quadam, quæ S. Birgittæ obtigit, cuius titulus est: *Filij querimonia de quadam animâ damnandâ*, sequentia leguntur. Cùm enim dæmon moribundi cuiusdam animam suam esse prætenderet, Beatissima Virgo, cui moribundus ille mirè devotus fuerat, se apud Filium suum intercessione suâ fortiter interposuit. At verò non forte hoc peccatorum refugium & asylum, aliquid pro obtinenda peccatorum miseri huius veniâ, à Filio suo impetrâsse existimatis? Minimè gentium; quin potiùs Filius eius illi respondit; scis, Mater mea,

mea, & vides omnia in me; hæc anima quamvis te in memoria habuerit, Corpus meum mundissimum non sic tractabat, ut debuit, quamvis me sumpsit continuè, non tamen ex hoc meliorabatur, quia non se præparavit, ut debuit. Qui enim colligere vellet hospitem bonum, præparare debet non solum hospitium, sed & omnia utensilia; sic homo iste, quia etsi mundavit domum, non tamen scopavit eam reverenter & diligenter, nec pavimentum stravit virtutum floribus.

Mansi disc. 42. n. 11. XVI. Carnalis quidam & lascivus pessimam suam vitam deserere nolens, à suo legitur prohibitus fuisse Parocho, ne ad Communionem accederet; temerarius nihilominùs publicè accessit cum reliquis, unde Sacerdos, qui per solam Confessionis viam, in peccati notitiam devenerat, ei sacram sinaxin præbere coactus fuit, dicens intra se; Deus iudicet inter me, & te: ut primùm itaque sacram hostiam receperat impius, medium crepuit guttur, Hostiaque intacta exiliit, infelici illo immundam animam eodem tempore in manibus dæmoniorum exspirante.

Vita S. Bern. l. 1. c. 11. XVII. Agebatur (inquit Guiliel. Abbas in Vita S. Bernardi) solemnitas quædam præcipua, & Frater aliquis, quem pro secreta culpa ab Altaris Sacri Communione Bernardus suspenderat, notari timens, & ruborem non sustinens, ad manum eius cùm cæteris nimiùm præsumptuosus accessit. Intuitus autem eum Sanctus quoniam causa latens erat, repellere hominem noluit, sed intimo corde orabat Deum, ut de tanta præsumptione melius aliquid ordinaret. Itaque sumens homo Eucharistiam, non poterat ad interiora traiicere, & diu multúmque conatus, cùm nullo modo prævaleret, anxius & tremebundus clausam ore servabat. Expletâ denique horâ orationis sextâ Patrem Sanctum traxit in partem, cuius pedibus advolutus cum multis ei lacrymis, quod patiebatur, aperuit, & aperto ore ipsam quoque Eucharistiam ostendebat. Increpans autem eum Sanctus, confitentem absolvit, & sine difficultate recepit Dominica Sacramenta.

Ex lit. ann. 1585. Miss. Lucern. XVIII. In valle Lucernensi quidam, cùm peccatum, quod conceperat, vomere præ pudore non posset, eo in Confessione præterito, contamminatissimo ore, & Spiritu, sumere cœlestes dapes non dubitavit, sed dum levissimam Hostiam illapsam in stomachum putat, sensit ponderosam veluti plumbum, per fauces pectúsque delapsum, quod intolerabili onere cor opprimens enecabat: quem dolorem mox etiam ardens febris excepit, & tormenta crescebant in corpore, dum animus resipisceret. Resipuit tandem, & à nostris excitatus ad spem, peccata sua accuratâ Confessione detexit: quibus animo liberato ponderibus, suo quoque pondere levatum est Corpus.

§. IV.

SIMILITUDINES.

Qualitas.

Dial. 8 Cathar. Sen. tr. 13. c. 110. R. P. Lohn. Auctar. Bibl. I. Sicut si multi varias ad accendendum candelas afferrent, quarum una ponderaret unam unciam, alia duas, alia sex uncias, alia denique unam libram, tam quidem primæ, quàm ultimæ ignem conciperent, quo accenderentur, ita tamen, quòd candela unius unciæ minus lumen conceptura esset, quàm quæ integram libram adæquaret: Ita contigit in hoc Venerabili Sacramento iis, qui recipiunt illud, & candelas suas accendunt; videlicet Sanctum desiderium, cum quo recipiunt Venerabile Sacramentum: tantùm accipitis ex isto lumine, quantùm de materia syncerææ dilectionis, & amoris, & igniti desiderii portatis, quamvis totum in veritate recipiatis.

II. Sicut si vivus fons quidam scaturire incipiens, indifferenter omnium necessitatibus pateat; multi quidem ad potandum ex illo concurrent, alii verò haustam indè aquam in domum suam ad potandum deferent, veruntamen ex eo unus plùs, alius verò minus inde bibet, iuxta sitim, cum qua ad illum properat, vel iuxta capacitatem, vel angustiam vasis, quod ad illam hauriendam secum defert. Salvator noster inquit: *si quis sitit, veniat ad me, & bibat*; sed quis est fons ille, quæ sunt aquæ, ad aquas nos invitat? *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo, non sitiet in æternum; sed aqua, quam ego dabo ei, fiet, in eo fons aquæ, salientis in vitam æternam.* Fons autem ille est Eucharistia, ex quo aquæ dimanant cælestium gratiarum. Dicit autem Caietanus: Non sufficit venire ad fontem, sed oportet bibere, si levanda est, sitis; Non sufficit venire ad IESUM fide, sed oportet incorporare sibi JESUM. Quantò enim ardentior sitis nostra fuerit, tantò copiosiùs ex his aquis bibere poterimus. Mansi disc. 53. n. 3.

III. Sicut Corporalis cibus, cùm ventrem invenit adversis humoribus occupatum, ampliùs lædit; ita & iste Spiritualis cibus, si aliquem invenit malignitate pollutum, magis eum perdet, non suâ naturâ, sed accipientis malitiâ. S. Bernardinus to. 2. s. 51. a. 1. c. 9.

IV. Sicut solis lumen sanis oculis delectabile est, ægris verò odiosum, ita Corpus Domini, cum innocentibus salutis medicamentum sceleſtis autem animæ mors. S. Laurentius inst. c. 24 de cast. connub.

V. Sicut gemma virtutem suam effundendo, non minuitur, sic Corpus Christi nos pascendo non minoratur. S. Albertus M. s. 17. de Corp. Christ.

Dispositio.

VI. Sicut ii, qui profundissimas aquas natando traiiciunt, oculos & os obturant, dentes stringunt, respirationem coërcent, veruntamen aures semper apertas tenent, ita quoque in hoc mysterio oculi, sapor oris, & naturalis rationis iudicium obturari, solæ verò aures apertæ teneri debent. Nam fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei, cui semper patula præbenda est auris; cùm igitur verbum Dei dicat: *hoc est Corpus meum*, hîc sistendum est, nec quidquam ulteriùs indagandum. Nam ut V. Thomas à Kempis ait: si non intelligis, nec capis, quæ infra te sunt? noli disputare cum cogitationibus tuis, crede verbis DEI. Mansi disc. 51. n. 14.

S. Thomas opusc. 58. c. 15. VII. Sicut farina commixta est ad invicem per aquam & ignem decocta, & in panem solidata, sic peccator, qui dignus erit, Corpus Christi sumere, debet se per tria, quæ in his signantur, præparare, scilicet per cordis contritionem, per oris confessionem, & per proximi dilectionem. Farina, quæ per molam teritur, contritionem designat; aqua compunctionem & planctum, lachrymosæ Confessionis effectum; ignis dilectionem Dei & proximi.

Salmeron to. 9. tr. 391. VIII. Sicut nullus cibus, quantumcúnque substantiæ & saporis contineat, ullum in corpore mortuo effectum operatur, ita nec panis ille suos in nobis producit fructus, si mortui, id est, in disgratia, & inimicitia Dei fuerimus, siquidem Sacramentum hoc institutum est, ut vitam nutriat spiritualem; Nihil autem nutritur, nisi vivum (subiungit dictus author) ergo opus est, ut quis spiritualiter vivat, ut cum fructu accedat ad Sacramentum.

S. Cæsarius Arel. ho. 30. IX. Sicut de fonte terreno non potest aliquis bibere, si se noluerit inclinare; ita & de vivo fonte Christi, nemo aquam vivam haurire poterit, nisi se humiliter inclinare voluerit.

Idem. X. Sicut pluvia si montem nimis erectum invenerit, citò in vallem decurrit, & ideo qui se ad accipiendam benedictionem humiliter inclinantes, quasi valles se faciunt, ipsi pluviam divinæ benedictionis accipiunt, & impletur in eis illud, quod scriptum est; *omnis vallis implebitur.*

Indigna Communio.

Mansi disc. 48. n. 9. XI. Sicut gemmæ, adamantes & carbunculi sacco rupto impositi, certissimæ exponuntur iacturæ, simile damnum anima incurrit fidelis, quæ post communionem, ad delicias Mundi, vanitates & peccata priora revertitur; talis námque omnes perdit & insolenter proiicit thesauros cœli.

Salmeron to. 9. tr. 41. XII. Sicut insignis temeritatis notam latro incurreret, si postquam vasa aurea & argentea clàm furto sublata domique reposita habet, iudicem ac satellites in domum suam accerseret: non secùs ille videtur facere, qui, cùm vitiis scateat, graviáque peccata admiserit, audet tamen per participationem Eucharistiæ iustum iudicem in domum suam introducere.

S. Chrys. 8. 14. XIII. Sicut putridum dolium, optimum vinum in se recipiens, statim amittit, fecésque solùm sibi retinet: pari ratione facere videtur, qui nullo cum fructu communicat, & peccata, quæ malè communicando admittit, sibi solùm retinet.

Usus.

Salmeron apud Mansi disc. 45. n. 3. XIV. Sicut balsamum vulneri appositum, & citò ablatum, fructum nullum præstat (opus est enim diu illi inhærere, tenaciter insistere, ut tandem sanitatem restituat, & cicatricem obducat) ita hoc pretiosissimum Corporis Christi balsamum, vulneribus animæ nostræ curandis, non tantùm semel in anno, sed frequenter est applicandum ut fructum desideratum efficiat.

XV. Sicut Regina Vasthi, eò quòd ad convivium Assueri invitata venire renuit, ex consensu Regii consilii diademate Regio spoliata, atque ex thalamo Regio extrusa, ex Regina serva & ancilla facta fuit, ita quoque iusto Dei supplicio, animæ, quæ huic accumbere convivio renuunt, reprobantur à regno cœlorum.

Utilitas.

XVI. Sicut rami arboris alicuius, quando sunt onustiores fructibus, tantò vehementiori pondere ad terram inclinant; econtrà verò sursum eriguntur, quando fructuum sunt expertes, ita animus Dei donis destitutus, superbit magìs, effertúrque inaniter; qui verò divinis muneribus repletus est, deiicitur atque demittitur, vel ex eo, quòd ante oculos habet à Christo humiliato, & in formam servi exinanito, insigne humilitatis argumentum. *Idem to. 9. tr. 40.*

XVII. Sicut arbor, cui ramus insertus est, suam participat, communicátque naturam, & proprietatem arbori insertæ; ita eundem effectum anima dignè communicans ex corpore consequitur Christi, ipso attestante: *qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo.* *Io. c. 6.*

§. V.

MOTIVA.

Ad dignam Communionem.

I. Quia nemo in arcam sordibus plenam velit mittere vestem suam, & si in arcam sordibus plenam vestis non mittitur pretiosa, quâ fronte in anima, quæ peccatorum sordibus inquinatur, Christi Eucharistia suscipitur! *S. August. s. 252. de temp.*

II. *Quia nemo vestem temerè, & inconsideratè immundis manibus contrectaverit, etiamsi sit in solitudine, etiamsi nemo adsit;* atque nihil est aliud vestis, quàm tamen vermium. Sin autem tincturam admiraris, ipsa quoque est sanguis piscis morte affecti, sed tamen nemo eam voluerit, ausúsque fuerit immundis contrectare manibus. Si autem vestem hominis, ne ausus fuerit quisquam solùm tangere, quomodo Dei Corpus, qui est super omnia, propter quod fractæ sunt portæ inferorum, & aperti fornices cœli; propter quod sumus & vivimus, accipiemus cum probro & contumelia! *S. Chrys. ho. 24. in 1. cap.*

III. *Quia omnia, quæ in ipso (Christo) sunt, corpus anima, & Deitas esse noscuntur;* corpus ex purissimis est sanguinibus gloriosæ Virginis, qui ex spiritûs sancti gratia sunt mundati, numquam ullâ originalis vel actualis peccati maculâ infecti; Anima autem à Deo Patre, & Filio, & Spiritu sancto, ad imaginem Dei perfectissimè creata de novo: & Deitas æterna, in cuius munditiam, nihil unquam immundum potuit incurrere. *S. Albert. M. de Euchar. dist. c. 4.*

IV. *Quia si vasa aurea, ad hoc Sacramentum recipiendum pertinentia expoliuntur, mundantur, & in veneratione habentur;* Iustissimum utique erit, ut pectus & cor nostrum multò magis mundum sit, in eoque aurum amoris Dei & sancti- *Mansi disc. 30. n. 1.*

ſanctitatis reſplendeat; hoc enim ſi negligatur, *de corde exeunt cogitationes malæ, furta, & adulteria, &c.*

Abulenſis q. 13. in c. 20. Reg. 1.

V. *Quia ſi lex homini exiſtenti in neceſſitate, non permittebat comedere de pane illo propoſitionis, qui nullam differentiam ab aliis panibus habebat ſecundùm veritatem, ſed ſolùm ſecundùm opinionem;* quantò ſolicitiùs hoc obſervandum eſt in Dominico Corpore, ubi non eſt panis & vinum, ſed vera Chriſti caro? Sicut hîc ſpecialiter inquiſivit Abimelech de immunditia, quæ eſt à mulieribus, ita & in ſumptione Dominici Corporis obſervandum eſt, non enim merentur carnem ſupercœleſtem deguſtare, qui turpibus carnis illecebris immorantur.

S. Bonav. comp. Theo. Ver. c. 17.

VI. *Quia ſi Raab ſalvata eſt, quia benignè ſuſcepit nuncios Domini*, quantò magìs ſalvabitur, qui dignè ſuſcipit ipſum Dominum.

§. VI.

MEDIA.

S. Laur. Juſt. diſc. Monaſt. c. 9.

I. *Vita honeſta & bona*; etſi enim, ut S. Laurentius Juſt. notat, devotio plurimùm congruat huic Sacramento, tamen priùs vita commendabilis habenda eſt, deinde devotio; nam vita ſine devotione multùm confert, abſque vita devotio nihil.

Manſi

II. *Deſiderium ardens*; de quo ſic loquitur Manſi: S. Mater Eccleſia ad hoc Sacramentum, omnes ut ieiuni accedant, ſtatuit, non ſolùm ex motivo reverentiæ, verùm etiam, ut ego quidem exiſtimo, ad inſinuandam nobis famem ſpiritualem, qua cum ad illud accedendum eſt nobis, ſi ineffabiles eius ſapores & ſuavitates percipere, & fructum ex eo conſequi velimus: *Eſurientes* enim *replet bonis.* Hinc Chriſtus (ut idem S. Laurentius Juſt: advertit) *Deſiderio* (inquit) *deſideravi hoc Paſcha manducare vobiscum.* Tradidit ea re nobis doctrinam, quam obſervare debeamus, quicunque optatum ex tam divino Sacramento fructum referre cupimus. Documentum autem tale eſt, ut, priusquam Sacramentum ipſum ſuſcipimus, communionem communione antevertamus, Sacramentalem dico ſpirituali; ut enim ignis igne inardeſcit, & ferrum ferro, & adamante adamas acuitur, ſic una communio gradus eſt ad aliam, priore námque perpolitur, & præparatur anima ad poſteriorem.

S. Laur. Juſt. de agon. Chriſti c. 3. & 3.

S. Bernardinus ſer. 60. c. 5. 57. Art. 2.

III. *Pura conſcientia*, quæ autem ſit pura conſcientia, inquit S. Bernardinus, quæ requiritur ad huius Sacramenti ſuſceptionem, declarat Hugo de S. Victore dicens: pura conſcientia eſt, quæ non habet de præterito iuſtam accuſationem, de præſenti iniuſtam delectationem, de futuro iniuſtam voluntatem. In cuius confirmationem, ſindonis mundæ & politæ, quam Joſeph ab Arimathia in Corporis Chriſti obſequium comparavit, eiuſdémque novi monumenti in ſaxo exciſi, in quo nullus adhuc ſepultus fuerat, mentionem ſubdit. Authoritati Gloſſæ inſiſtens, dicentis: in ſindone mundâ Jeſum involvit, qui purâ mente eum ſuſcepit. Pergit ulteriùs dicendo, hinc derivatum fuiſſe laudabilem illum, Euchariſtiam ſuper lino, non verò ſuper ſerica, aut lanâ conſecrandi uſum, indéque quoad conſcientiæ noſtræ purificationem, ſequentem eruit moralitatem, dicens: In tribus, quæ producunt linteum Corporale candidum, tria intelliguntur, quæ faciunt ad noſtram munditiam ſpiritualem; primò lavatur, ſecundò torquetur, tertiò deſiccatur: ſic qui vult ad Dominum diligenter ſuſcipiendum mundificari, primò debet per aquam lachrymarum lavari; ſecundò per opera pænitentiæ debet torqueri; tertiò, qui ſumere debet hoc Sacramentum, neceſſe eſt ei, per fervorem divini amoris à carnalium deſideriorum amore deſiccari.

IV. *Pœnitentia ſeria*; uti S. Bernardus ſuaſit dicens: Frangete, ut ſe diſcat frangere, quia non cognoſcetis, niſi in fractione panis. Si vis ipſum cognoſcere, ſicut ſe fregit, ita te frange, quia qui dicit, ſe in ipſo manere, debet, ſicut ille ambulavit, & ipſe ambulare. Frange te ad laborem obedientiæ, ad humilitatem pœnitentiæ. Hinc Jacob Patriarcha ſuis ſequens edictum propoſuit: *Abjicite Deos alienos, qui in medio veſtri ſunt, & mundamini, ac mutate veſtimenta veſtra.* Circa quod præceptum, ſcire percuperem, cur ſimilem S. Patriarcha legem citiùs non præſcripſerit? ſed facilis ex ipſomet immediatè hoc ſubſequenti contextu eruitur reſponſio, cùm dicitur: *ſurgite & aſcendamus in Bethel, ut faciamus ibi Altare Deo.* Igitur ubi Sacramenti huius remota duntaxat figura contrectanda erat, omnia diſperdi abiicíque iubentur idola, perfectáque inſtitui lotio, cui proinde ſubditi obtemperantes, dederunt ei omnes Deos alienos, quos habebant, & ille infodit; & ſub terram omnia idola abſcondit, penitúſque abolevit, priusquam ullus eorum monti Bethel pedem inferret, quæ Domus Panis interpretatur.

S. Bernard. ho. diſc. in Emaus.

Gen. c. 35.

Salmeron to. 9. tr. 40.

V. *Gratitudo affectuoſa*, uti Salmeron monuit dicens: Quieſcendum eſt, aliquantulùm, & non ſtatim ad labores & negotia ſæcularia prodeundum, ut ita gratum reddamus, & iucundum Chriſto, nobis verò ſalutare, quo eum excepimus, hoſpitium. Imò Balthaſar Alvarez dicere ſolebat; extremam eſſe ſtultitiam, tam pretioſum negligere tempus, illud ſcilicet, quo Filium Dei intra nos ipſos poſſidemus, ſiquidem tum opportuniſſima favet commoditas, ut noſtræ ſubſignentur ſupplicæ, cùm gratiæ ſignaturam in nobis habeamus, ipſáque Euchariſtia gratiæ ſit inſtrumentum. Circa quod accommodem valde ſimilitudinem, eámque nulli non perfacilem in præſenti adducit D. Chryſoſtomus, dum ita diſcurrit: Si quis amicorum te cum aliis invitaſſet, túque repleto ventre ante omnes ſurgens, tempore inconvenienti, te è conſortio proriperes, an non hæc maxima incivilitas foret? nunquid enim benefactori tuo propter præſentem gratiam, gratias agere oporteret? quare igitur convivio illi aſtens, cui ipſimet invident Angeli, tam abitò te ſubtrahis, & rusticè Chriſtum delinquis, absque eo quòd pro tanto tibi collato beneficio gratias agis? durum, odioſumque videbitur,

S. Chryſoſt. Hom. de Bapt. Chriſti.

quod

quod sum dicturus, sed necesse est, ut ob multorum negligentiam dicatur: Quando ultimæ Cœnæ communicavit Judas; reliquis omnibus recumbentibus: ipse se proripiens excessit. Illum imitantur & isti, qui ante ultimam gratiarum actionem discedunt.

VI. *Humilitas profunda*; ubi exemplum Miphiboseth ob oculos habendum, de quo in scriptura legitur, quòd *corruit in faciem suam, & adoravit* Davidem scilicet. Sed quandonam hunc obsequii, & cultûs actum Davidi exhibuit? tunc videlicet, quando illum sibi dicentem audivit: *Tu comedes Panem in mensa semper.* Cui ipse tam protinus respondit: *Quis ego sum servus tuus, quia respexisti super canem mortuum, similem mei?* Eodem modo, quando verus David hunc panem Eucharisticum nobis manducandum proponit, nósque ad illum adorandum accedimus, dicere meritò deberemus: *Verè Panis filiorum, non mittendus canibus*, Verè enim panis ille, Angelorum panis est: *Ecce panis Angelorum*; nos autem veluti canes sumus in comparatione ipsorum, ideóque pane hoc indigni sumus: *quis sum ego* &c. Demum verò ad mensam Eucharisticam accedentes, dicere possumus cum sapiente illa muliere Cananæa: *Etiam, Domine, nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa Dominorum suorum.* Unde S. Ambrosius ait: O uberes micæ, quæ repellitis ieiunium sempiternum, quæ colligentem pauperem æternis expletis alimentis.

Rupertus l. 2. in Exod. c. 13. VII. *Castitatis studium*; ideò dictum olim Israëlitis: *Renes vestros accingetis.* Ubi Rupertus Abbas per hos renes concupiscentiam intelligit carnalem, Sacramenti huius virtute reprimendam, ideóque inquit: Quid in renibus, nisi delectatio carnis accipitur: Qui Pascha comedit, accinctos renes habere debet, ut voluptates edomet, carnis luxuriam restringat. Dionysius Carthusianus superaddit, dicens; fluxum & desideria turpia restringetis, ut sitis corde & corpore casti.

Abulens. q. 1. 8. in 26. Matt. VIII. *Præparatio prævia*, sic enim Deus insinuavit, dum Israëlitis quoad esum Agni Paschalis præcepit dicens: *Nec comedetis ex eo crudum quid.* Quis autem hominum palatum ita vitiatum, stomachúmque adeò inhumanum habebit, qui carnes crudas manducare appetat, maximè in ea occasione, in qua ritus adeò sanctus adimplendus est, qualis erat esus Agni, & debita Paschatis celebratio? Et tamen minimè dubitandum est, quin speciale in hoc præcepto lateat mysterium: Deus enim omnia in sapientia fecit. Abulensis dubium hoc solvit dicens: Dicitur, quòd non sumatur agnus crudus; crudum enim cibum manducat, qui nullam circa illum dispositionem, aut præparationẽ præmittit, & sic crudum cibum sumit, qui Corpus Domini ab aliis cibis non discernit, sed sic impurus ad illum cibum accedit, sicut ad communem. Quâ autem ratione hic agnus coctus ab illis manducandus erat? assus igni; ubi per ignem amor Dei, sive charitas intelligitur, quia iuxta mensuram charitatis, effectus percipitur huius Sacramenti, ut ait. B. Laur. Just. Et S. Bonavantura ait: Adverte, quòd effectus Sacramentorum solet esse secundùm dispositionem & præparationem suscipientium.

§. VII.

ASCETICA.

Toletus in Luc. I. INprimis nosse debet, *quòd, dum digna communio præcipitur, dignitas hæc duplex sit, una rei*, & hâc nemo potest dignè suscipere Christum; *alia* est *præparationis*, & hâc potest homo dignè eum suscipere, si ea faciat, quæ ipsemet fieri, qui suscipi voluit, mandavit: quòd si quis ea non exhibet, indignè suscipit. Unde ad spiritualem nostrum profectum, duas considerationes instituere possumus; primam videlicet, circa humilitatem & submissionem Christi in hoc Sacramento, secundam, circa agnitionem nostræ nihilitatis & vilitatis, quam ex nobis ipsis habemus, quæ ad eum in Communione dignè recipiendum, optima est dispositio. Quod etiam confirmans S. Bonaventura; cogita, inquit, quòd, licet mille millibus annorum te ad hoc Sacramentum per puras orationes sacratissimásque præparationes præparaveris, nihil esset ad condignam susceptionem, & iam si haberes merita omnium sanctorum: ob hoc tamen intermittere non debemus, quin, quantùm ad nos spectat, & quantùm fragilitas nostra facere prævalet, puritatem Christi imitemur, maximè cùm ipse datâ operâ eo fine semetipsum Eucharistia cibaverit, ut nobis ad illam dignè sumendam suo nobis exemplo præiverit. *S. Bonav. to. 2. om fascic. c. 7.*

Mansi disc. 17. n. 1. II. Nosse debet. *Cur Deus olim certum tempus pro esu Agni paschalis determinarit*, de quo Josephus Mansi sic discurrit: Est advertendum, quòd, priusquam Deus populo Israëlitico præceptum suum circa agnum proponeret, quoad tempus illud sumendi hæc verba præmiserit: *Mensis iste nobis principium mensium*, quasi dicere vellet, tunc illos vitæ initium huius habituros esse, quando Agnum immaculatum gustaverint. Unde S. Gaudentius ait: tunc audiunt: Mensis hic vobis initium mensium, adhærentes Agni immaculati vestigiis, veluti si diceret: ab illo momento tempus veræ & beatæ vitæ computare debetis, quando ad mensem Eucharisticam, in qua pignus vitæ æternæ recipitur, accedis. Cur verò mensam illum, qui Aprili nostro correspondet, elegerit, huius Rupertus Abbas Tuitiensis mysticam hanc assignat rationem, dicens: ipsa mensis Nisan, id est, Aprilis verna temperies, cùm tellus reflorescit, totúsque per hyemem, quasi post senium rursum iuvenescit Orbis, nónne hominem docet, quatenus renovatus spiritu mentis suæ, fide viridis, spe lætus, & charitate florens, epulis Agni Paschalis intersit spiritualibus? *Exod. 12.*

Salmeron to. ptr. 40. III. Nosse debet, *quo modo desiderium ad frequentem Communionem excitandum sit*, nimirum eo quem Salmeron sequentibus verbis indicavit: Poterit eos imitari, qui, cùm appetitione ciborum destituantur, aut huc illúcque deambulant, aut

aut salsamenta cibis adhibent, ut faciunt infirmi, aut cum aliis, qui vehementi cupiditate tenentur, convivantur, ut illorum exemplo, ad edendum & ipsi excitentur. Ita nobis faciendum est; aut enim in montes Calvarii, oliveti, Thabor, & Sion deambulare debemus, ut ex illorum mysteriorum, quæ in illis montibus per acta sunt, contemplatione, fames nobis Spiritualis acuatur; aut condimenta orationum adhibenda, quò paulatim devotione incalescat homo, & suaviùs, quod percipit, degustet.

Concil. Trid. Sess. 13. c. 8. IV. Nosse debet, *quòd, licet Ecclesia annuam tantùm Communionem præcipiat, non tamen per hoc frequentiorem Communionem prohibeat*, sed potiùs vehementer commendet, uti ex Concilio Tridentino patet, sic loquente: Demum paterno affectu admonet Sancta Synodus, hortatur, rogat, & obsecrat per viscera misericordiæ Dei nostri, ut omnes & singuli, qui Christiano nomine censentur, in hoc unitatis signo, in hoc vinculo charitatis, in hoc concordiæ symbolo, iam tandem aliquando conveniant, & concordent, memorésque tantæ Maiestatis, & tam eximii amoris IESU Christi Domini nostri, qui dilectam animam suam in nostræ salutis pretio, & Carnem suam nobis dedit ad manducandum, hæc sacra mysteria Corporis & Sanguinis eius, eâ fidei constantiâ & firmitate, eâ animi devotione, eâ pietate & cultu credant, & venerentur, ut Panem illum super substantialem frequenter suscipere possint. Unde Salmeron ait, quòd, tametsi in tempore Paschali omnes fideles mensæ Eucharisticæ accumbant, de illis tamen, qui semel in anno tantùm ad eandem accedunt; intelligendum sit, quod in prædicta parabola dicitur: *Transiens ministrabit illis:* tunc enim Salvator cum ipsis est per modum transeuntis, non verò per modum permanentis; non enim in ipsis permanent fructus Communionis, sed ut plurimùm ad peccata & ad vitam pristinam dissolutam revertuntur, de quibus proinde verum est, quod inquit D. Chrysologus, scilicet: Christus

Mansi disc. 43. n. 4. illis de misericordi Patre severissimum transibit in Iudicem. Quæ omnia Mansi sequenti discursu confirmat: Vix Moyses temerarios illos, qui Mannæ inappetentiam & fastidium patiebantur, dixisse narrârat: *nauseat anima nostra super cibo isto levissimo:* cùm protinus subiungit, Dei iustitiam dignè promerita illis immisisse flagella; subiungit enim: Quamobrem misit Dominus in populum ignitos serpentes? ubi notanda est dictio illa: Quamobrem, utpote quæ causativa est, & flagella temerariis illis ideo immissa fuisse indicat: quia Manna fastidierunt, nec solùm illis serpentes, velut carnifices immisit, sed serpentes ignitos. Omnia autem hæc in figura contingebant: per hoc namque nos Christiani docemur, quòd, si quando Manna Eucharisticum fastidierimus, daturus sit nos Deus serpentibus infernalibus in prædam. Unde opportunum est illud Dionysii Carthusiani; in prædictum Numerorum locum scribentis salutare monitum: Non nobis vertatur, inquit, in nauseam panis cælestis refectio Spiritualis; alioquin, Deo iustissimè permittente, invadent, intoxicabunt, occident nos serpentes igniti, passiones mortiferæ, tela nequissimi ignea, & Spiritus infernales: Neque id mirum est, cùm enim cœlesti hoc præsidio destituti simus, dæmonis insidias evadere non poterimus. Nam ut S. Greg. ad Massilienses scribit: Inter cætera arma, quæ contra principem Mundi, Deo favente, Ecclesia contulit, potissimum est, ut Corpus Domini frequenter acciperent.

V. Nosse debet *rationem, cur hæc communio si non realiter, certè Spiritualiter quotidie sit peragenda*; nimirum quia, ut S. Bernardinus dixit, Spiritualiter in nobis quotidie aliquid deperditur, ex vi & calore concupiscentiæ naturalis per peccata venialia, quæ diminuunt charitatem, sed per hoc Sacramentum, quod est animæ Spirituale nutrimentum, restauratur id, quod perdit anima per veniale peccatum, in hoc, quod per huiusmodi sumptionem peccata venialia dimittuntur, & in suscipiente charitas augetur: citátque authoritatem S. Ambrosii, dicentis: Iste panis quotidianus sumitur in remedium quotidianæ infirmitatis: Unde Christus olim S. Gertrudi dixit: cùm *delitiæ meæ* sint *esse cum filiis hominum*, & ego hoc Sacramentum ex magno affectu in meam commemorationem retractandum & sedulò suscipiendum reliquerim, insuper per hoc mecum fidelibus remansurum, usque ad consummationem sæculi obligaverim. quicunque aliquem, qui non sit in peccato mortali, verbis vel suasionibus retraxerit, ille quodammodo meas dilicias (quas in his habere possem) impedit, vel interrumpit.

S. Bernardin. Serm. tom. 1. §. 54. a. 1. c. 1.

Vita S. Gertrud. l. 3. c. 78.

VI. Nosse debet, *quid circa realem Communionem permittendam sit observandum*, nimirum id, quod D. Chrysostomus monuit, dicens: Non est exspectanda solemnitas, ut accedas ad hoc Sacramentum, sed semper est solemnitas, cùm adest cordis munditia. Eandem quoque sententiam alibi in eodem S. Doctore reperio, ubi ait: qui mundâ conscientiâ sunt, & vita irreprehensibili, isti semper accedant ad divina Sacramenta. Idem quoque in alia quadam Homilia errorem confutat eorum, qui reverentiam erga hoc Sacramentum in raritate ad hanc mensam accedendi consistere credunt: Hoc nempe est, inquit, quod universa perturbat, quia non munditiâ animi, verùm intervallo temporis longiore, constare meritum putas, summámque arbitraris Religionem & reverentiam esse, si non sæpius cælestem illam adeas mensam: Ignoras, quoniam indignè accedere, etiamsi semel tantùm fiat, te supplicio tradit: dignè verò etiamsi sæpe accedas, salutem inde conquiris? Non est audaciæ, sæpius accedere ad Dominicam mensam, sed indignè accedere, etiamsi semel tantùm quispiam toto vitæ tempore accedat. Tandem idem S. Doctor propositionem istam concludit, quæ omnem in hac materia difficultatem sopit & dissolvit: tempestivum accedendi tempus, inquit, Munditia conscientiæ faciat. *Quotiescumque enim* (inquit) *manducabitis Panem hunc, & Calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis.* Nullâ obser-

S. Chris hom. 28 ad 1. Cor.

Hom. 5. in Epist. 1. ad Timoth.

Digitized by Google

observatione temporis, sacrificium circumscribere voluit, quin potiùs S. Thomas in quodam articulo, cui titulus est, (utrum liceat quotidie hoc Sacramentum accipere) Authoritati S. Augustini insistens, hanc statuit conclusionem: iste Panis quotidianus est: accipe quotidie, ut quotidie tibi prosit. Nihilominus etiam ipsam hanc limitat propositionem dicens: non expedit quotidie hominibus ad Sanctum Sacramentum accedere, sed quandocúnque ad illud se invenerit præparatum; si quotidie se dispositum repererit, id est, in conscientia pura, poterit absque scrupulo, imò cum merito ad ipsum appropinquare; veruntamen quia nullus in causa propria iudex esse debet, dicta executio à superioris & Patris Spiritualis consilio & arbitio dependere debet; síque ipse conveniens iudicârit, aut iusserit, in virtute talis obedientiæ ad mensam Eucharisticam accedat pœnitens; *melior est* enim *obedientia quàm victima.* Quibus omnibus accedit etiam iudicium S. Bonaventuræ dicentis: Varia sunt hominum merita, & diversa operum studia, & differentia desideria, & multiplices S. Spiritûs operationes in singulis: & ideò sicut cum ægrotantibus non potest una forma servari in dandis Medicinis corporis propter diversitatem complexionum, aut loci, aut temporis, aut diætæ, vel aliarum considerationum, ita & de Medicina Spirituali, quæ est Corpus Christi, intelligendum; Mundanis enim curis occupati, rariùs possunt se ad illud recipiendum expedire, quàm illi, qui tantùm Spiritualibus studiis sunt intenti; & alii magis, & alii minùs sunt circumspecti, in custodia vitæ suæ & morum, & conscientiæ suæ puritate; alii etiam ardentiori desiderio trahuntur, ad illius salutaris cibi perceptionem, alii quodammodo terrentur, cùm debent accedere.

S. Thom. p. 3. q. 80. a.

VII. Nosse debet *causam, cur hæc frequentior Communio reverentiam Christo debitam non imminuat, nec ut nimia familiaritas contemptum pariat*; nimirum quia hæc inter homines & Deum est differentia, quòd, quantò magis, & strictiùs cum hominibus conversamur, tantò plures eorum cognoscimus & penetramus defectus, eóque minorem, de illis existimationem tandem induimus; quò autem familiariùs cum Deo agimus, tantò magis eius honorem & existimationem in nobis promovet notitia divinorum attributorum eius; Communio nos arctiùs stringit, & familiariùs unit cum Deo; quantóque magis in nobis crescit immensitatis & infinitatis eius conceptus, tantò Maiorem de ipso concipimus existimationem & venerationem, tantóque ampliùs de eiusdem participamus Sanctitate: neque huiusmodi probationi fusiùs immorandum censeo, siquidem experientia docet, quòd quò quis frequentiùs Communicat, tantò maiorem concipit Dei timorem, tantóque ardentiùs eiusdem tutatur honorem.

Mansi disc. 45. n. 9.

VIII. Nosse debet, *cur vitium carnis fructum S. Communionis specialiter impediat*; nimirum ob rationem à B. Algero assignatam, dum dixit: Sciendum, quia Agnum Dei sine macula, qui virginis est filius, Luxuriosi, & incestuosi sumunt periculosiùs, quia cum in Sacramento Christi ei uniri debemus conformitate passionis & munditiæ, nihil sic adversatur Passioni Christi, ut voluptas, nihil sic munditiæ, ac fœditas, nihil sic eius unitioni, ut fornicariæ societatis unitas. Libido enim appetitu suo allicit & incendit, actu suo fœdat, & enervat, usu lubricat, & illaqueat, adeò ut placendo displicens, displicendo placeat, difficilem aut nullam sui pœnitudinem admittat. Quando Salvator noster in sua conceptione carnem nostram assumpsit, operâ Spiritûs S. qui summa puritas est, in utero Virgineo generari; similiter quando idem Corpus sepeliendum erat, monumentum, novum adhiberi voluit. Ubique beato corpori defertur Sanctitas, inquit S. Maximus, ubique virginitas; novus illud venter concipit, novus tumulus includit. B. Petrus Damianus in epistola quadam ita scribit: Planè sicut concipienti Deificæ Virgini non virile semen influxit, sed virtus Spir. Sancti obumbravit, ita nunc in Altari positum Sacramentum eadem S. Spiritûs virtus est, quæ vivificat, & necesse est, ut hoc pudica manus & impolluta contingat.

B. Algerus l. 1. de Sacr. altar. c. 16.

IX. Nosse debet *multiplicia damna indignæ Communionis*, quæ breviter indicavit S. Bernardinus per verba ex ps. 68. desumpta: *Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum.* Primò peccatis illaqueat; Secundò retributionem gravat; Tertiò, proximum scandalizat; Quartò, mentem excæcat; Quintò, mundanis incurvat; Sextò, Dei misericordiam irritat: Septimò, Dei iustitiam conturbat, Octavò, vitam abbreviat; Nonò, gratuitis privat; Decimò, iniquitatem multiplicat; Undecimò, mentem indurat; Duodecimò, damnatum quoque in fine demonstrat.

S. Bern. Sen. to. 2. s. 51. ar. 1. c. 3.

§. IIX.

MISCELLANEA ET CONCEPTUS PRÆDICABILES.

I. Abituri duo Apostoli, ut cænaculum præpararent, vas aquæ offensuri erant in via, quemadmodum ipsis cælestis Magister prophetizaverat, dicens: *occurret vobis homo, amphoram aquæ portans, sequimini eum.* Cuius successûs mysterium, his verbis Alb. Magnus nostro accommodat proposito: amphora aquæ expiationis est conscientiæ mundatio per lachrymas devotionis & compunctionis, ut expiatus & mundatus accedat, qui accedit; iuxta illum Ieremiæ textum: *si separaveris pretiosum à vili, quasi os meum eris:* Quæ verba idem author examini conscientiæ in ordine ad Communionem præmittendo, applicat, dicens: Hæc enim est collatio optima conscientiæ, quâ omne pretiosum à vili peccati, & vanitatis separatur, ut purum & syncerum hoc nutrimentum his membris Spiritualibus infundatur.

S. Albertus M. de Euch. dist. 5. tr. 3. c. 2.

II. Qui affectum Sacramenti huius in se experiri desiderat, consilio obtemperet sapientis, dum ait: *quando sederis, ut comedas cum principe, diligenter attende, quæ apposita sunt ante faciem*

Prov. 23. c.

ciem tuam, & statue cultrum in guttere tuo. Quamnam hanc esse putatis potentis viri mensam? Hugo Cardin. hanc astruit esse Eucharistiam; sed quis demum culter erit nostris infigendus faucibus? respondet Hugo Cardinalis: statue cultrum pœnitudinis, quo iuguletur vetus homo in gutture tuo, confitendo peccata.

S. Chrysost. hom. 2. de pass. III. Dubium nonnulli movent, cur Christus in ultimæ cœnæ convivio, solatii & iubili tempore, traditionem commemorârit in mortem, contra se ab uno discipulorum consummandam: quæ ratio suadere poterat, ut mensam illam tantâ perfunderet tristitiâ? poterat ad minùs manifestare eum, paucis post horis publicandum; cur itaque omnes potiùs timidos, suspensósque tenere voluit? sanguinem divinum pro triginta denariis vendiderat Pontificibus & Iudaïssimi Magistratibus, scelus iam publicum erat. Resolutionem à D. Chrysostomo excipite verbis sequentibus: Ascendit Christus propriæ Deitatis tribunal, & illud convivium, velut catastam ante se constituens, conscientiæ tormento confiteri compulit reum; Christus enim scelus hoc absque ulla eius, qui illud patraturus erat, specificâ nominatione prædicendo, omnibus aliis occasionem præbuit, seriæ & rigorosæ quæstioni & examini suam subiiciendi conscientiam; dicendíque: *nunquid ego sum, Domine;* ut hoc examine prævio ad Eucharistiam recipiendam tantò magis essent dispositi; quia, ut Psalmista ait: *Iustitia, & iudicium præparatio sedis tuæ.*

Mansi disc. 51. n. 7. IV. Deus olim se Ezechieli nubi cuidam involutum ostendit, ad eum ferè modum, quo postea hisce nostris temporibus sub accidentium Sacramentalium nube latet: dicit autem sacer textus de Angelis ibidem: *Et manus hominis sub pennis eorum;* ubi Theodoretus legit: manus sub alis erant absconditæ; at verò quodnam in eo reconditum est mysterium, quòd Angeli illi manus sub alis occultârint? nimirum quia indignos se æstimabant, qui Deum tangerent; unde fit, quòd Seraphini apud Isaiam, carbonem quendam ex divino Altari tollere volentes, eosdem non suis manibus immediatè attrectârint, sed ad illum tollendum forcipe usi fuerint, non obstante, quòd Seraphini essent, & mero igne Seraphico conflagrarent; illum tamen ignitum carbonem præ reverentia attingere non præsumpserunt, quia Deus *ignis consumens* est, quem carbo ille significabat. Idem verò ignitus carbo, ex mente Petri Cellensis, Eucharistiæ figura erat: unde idem Venerabilis Pater inquit; manum subtrahat Seraphin, quia munus huiusmodi manum aliam non admittit, quam solius dexteræ Dei. Sacerdos quidem hunc carbonem tractat, consecrat, & consumit, sed non aliter quàm prout Christum repræsentat.

S. Thom. Vill. c. 3. de Sacr. V. S. Thomas Villanovanus sequentem à panibus propositionis deductam ad propositum nostrum format consequentiam, dum ait: Panes illos Sacros, quos propositionis vocabant, teste Nicolao de Lyra, non nisi in auro pinsebant, & in auro coquebant, & in mensa aurea coram Deo proponebant, quos edere aut contingere nefas erat, nisi ei, qui esset Sacerdos, aut de familia Sacerdotis. Aurum autem charitatis & amoris divini est symbolum; quòd si igitur Deus panibus istis propositionis, quæ remotè tantummodò Eucharistiam figurabant, aurum illud adhiberi voluit, quantò magis idipsum in figurato requiretur? Principaliter autem, cùm iuxta S. Ambrosii doctrinam, animam communicare, nihil sit aliud, quàm desponsari Christo, eúmque sibi incorporare; cui argumento stabiliendo illum favere autumans canticorum textum (*osculetur me osculo oris sui*) ita unumquémque alloquitur communicantem: venisti ad altare. Vocat te Dominus IESUS, vel animam tuam, & ait: *osculetur me osculo oris sui;* videt te mundum esse ab omni peccato, ideo te Sacramentis cælestibus dignum iudicat, & ideo invitat ad cæleste convivium. Unde & Cardinalis Toletus ad illam se reflectens, quam Christus Apostolis suis in ultima cæna exhibuit lotionem, dicendo: *qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet*, hanc indè eruit moralitatem, scilicet: Non ad exemplum humilitatis tantùm hæc lotio facta est, sed simul etiam ad significationem & purgationem quandam, quæ non aliò tendebat, nisi ut dignè convivio futuro Corporis & Sanguinis Christi vescerentur.

VI. Olim priùs, quàm Manna descendit, ros quidam stillare consuevit, dicente Scripturâ: *Mansi disc. 52. n. 3.* *Manè quoque ros iacuit;* qui locum, in quem Manna descensurum erat, purificaret. Hoc autem in figura illis contigit, siquidem Manna Eucharistiam designabat, quam cælestis ros Spiritus S. cui animas, cordáque nostra purificare & mundare proprium est, præcedere debet. Unde S. Thomas, postquam dixisset: charitas facit Deum esse in homine, & è converso, 1. Joan. 4. *qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo,* subiungit dicens: Et hoc est, quod facit Spiritus Sanctus.

VII. Mirabilem sanè cæremoniam nobis Liber exhibet Levitici, ubi Deus de Sacrificante agens, hoc ei imponit præceptum: *Ponétque manus super caput hostiæ, & acceptabilis erit;* *ibid. n. 4.* Philo tamen Hebræus, in lib. de victimis, facilem, eámque nobis accomodam huius præcepti moralem, his verbis assignat rationem: quòd manus imponantur victimæ, evidens indicium est innocentiæ, exactæque vitæ sine culpa; postulabat enim Deus à Sacrificante, Primum bonam mentem & Sanctam; Et nihilominus victimæ illæ, quas offerentes tantâ eminere debebant vitæ Sanctitate & puritate, arietum erant, taurorum, vitulorum, aliorúmq; animalium, quantò igitur maior oportet eius sit integritas, cui per Communionem ipsemet incorporandus est incarnatus Deus? Nónne parem olim munditiam à Sacrificantibus exegit David, cùm diceret. *Afferte Domino filii Dei, afferte Domino filios arietum?* Arietes offerebant illi, & nihilominus in immolantibus eos regius vates, divinæ filiationis characterem præfulgere iubens ait: *Afferte Domino filii Dei.*

S. Hieron. in c. 31. prov. IIX. S. Hieronymus explicans verba illa de muliere forti dicta: *Panem otiosa non comedit*; sic discurrit: Panem quoque otiosa non comedit, cùm sacrificium Dominici corporis percipiens, studet imitari actu, quod in mysterio celebrat, multùm solicita, ne indignè Panem Domini comedendo, & calicem bibendo, iudicium sibi manducet, & bibat, sed ut patiendo pro Christo, & lachrymas fundendo, bonis quoque actibus insistendo, passionum exempla ipsius, quantùm valet, sequatur.

Salmeron to.9.tr.40 IX. Novam circa dignam communionem, nobis instructionem Salmeron exhibet, ab Hostia desumptam, quæ adoranda proponitur. Dicit enim: compendiosum communicandi modum ipsa Hostia, quæ adoranda offertur, nobis exhibet. Illa ex frumento conflata est, multis mediantibus granis, absque fermento, & igne cocta; Partem exteriorem effigiatam habet & rotundam; Quibus ex circumstantiis sequens eruit mysterium. Primùm itaque frumentum esse oportet, quod omnium granorum est optimum, id est, profiteri nos decet fidem Christiano-Catholicam, sine qua homo huius nequit esse capax Sacramenti, quod est verè Panis filiorum: Frumentum ergo simus necessum est, illius participantes naturam, qui de se protestabatur, dicens: *Nisi granum frumenti cadens* &c. Iterum: Sicut Hostia ex pluribus unitis conflatur granis, ita quoque fideles, in Ecclesia per Sacræ Communionis virtutem uniri oportet. Præterea omni fermento carere debet Hostia, ut per hoc nobis insinuetur, liberos nos esse debere & immunes ab omni malitia, non solùm mortali, sed etiam veniali, dummodo ad sacram illam Hostiam sumendam dignè velimus accedere. Vetabatur olim Hebræis, ne tempore Paschatis, aliquod in domo fermentum reservarent, & si fortè illius aliquod in ea residuum esset, abiiceretur, per quod docemur, quòd non solùm abolendum sit in nobis peccatum, verùm etiam omne illius eliminandum sit periculum, & occasio proxima. Ad hæc Hostia, ut fiat, igne & aquâ opus habet, ut indè discamus, quòd ad Sacram hanc mensam adducendæ sunt lachrimæ compunctionis, & devotionis, nec non ignis amoris, quem Filius Dei accensurus, in terram descendit. Denique pars anterior hostiæ effigiata esse solet, & ut plurimùm imaginem Crucis refert, vel Crucifixi: ex alia verò parte nuda & plana esse consuevit; per quod docemur, duas in Christo esse naturas, quarum una, scilicet humana, subiecta est morti, altera verò, nimirum divina, omnino impassibilis existit, utrámque enim in hoc Sacramento confiteri & venerari debemus, licèt divina incomprehensibilis existat. Tandem Hostia rotundam figuram præ se fert, quia Deum nobis repræsentat, qui nec principium habet, nec finem. Ac proinde idem doctissimus Author discursum suum his verbis concludit: ille debet esse principium & finis tuæ Communionis, ut ab ipso incipiens, in ipsum regrediaris.

X. Gravem in hac materia difficultatem movet Origenes, in hunc sensum: Abraham quondam tribus Angelis, trium divinarum personarum figurativis, convivium præparavit in Mambre, quapropter in recompensam Isaaci accepit promissionem, præter benedictiones immensas, super eius progeniem, ex qua Dei Filius incarnandus erat descensurus. Mensa autem illa, ut Damascenus sustinet, mysticam hanc adumbrat. Loth pariter eosdem Angelos hospitio excepisse novimus, & nihilominus tam abundantem hospitii non tulit mercedem, quin potius in incendio illo omnes suas amisit divitias, simul & uxorem, in statuam salis conversam, & tandem cum filiabus ab exterminio ereptus, in barathrum corruit incestuositatis; quid ad hæc respondebimus, inquit Origenes? Abraham panes ex simila apposuisse describitur, Loth verò, eò quòd non habuit similam, ex farina Panes hospitibus apposuit. Panis igitur Abrahæ, qui Eucharistiam præfigurabat, ex flore farinæ factus fuit mundissimus; at verò Panis Loth ex farina fuit præparatus, in quo ut plurimùm aliquid siliquarum intermiscetur; atque ideo si ad hoc Sacramentum cum aliqua culpa gravi accesserimus, quantumvis hæc unica duntaxat foret, v. g. unicum odii desiderium, unicus lasciviæ aut avaritiæ actus, vel minima Pentapolis farina sufficit, ut Communionem nobis in ruinæ convertat instrumentum. Unde S. Chrysostomus ait: sicut magnum Sacramentum est, & admirabile, ita si purè accesseris, ad salutem accessisti; sin pravâ conscientiâ, ad pœnam & supplicium. Origen ho 13. in Lev.

XI. Hunc cibum cælestem Dominus olim per Oseam nobis promisit, sed phrasim observetis velim, quâ hâc in sponsione utitur, dum ait: *Et declinavi ad eum, ut vesceretur. Declinavi*, singulariter notandum occurrit, idem significans, quod humiliavi, seu exinanivi me. Juxta S. Hieronymi Glossam, ita in Christi persona loquentis; *declinavi*, deserens Regna cælorum, ut cum eis vescerer, assumptâ formâ hominis; sive, dedi eis escam Corporis mei; ipse & cibus, & conviva: quam veritatem ipsemet Christus stabilivit, dum B. Angelam Fulingensem, Sacramento huic devotissimam, in quadam visione ita fuit allocutus; vidisti aliquid de potentia mea, modò videas & humilitatem meam; hanc autem submissionem in Sanctissimi Corporis Communione Christus demonstravit; unde ipsa Sancta subiungit: Et videbam tantam profunditatem Dei ad homines, & tantam humilitatem, quòd comprehendens anima potentiam inenarrabilem, & videns tam profundam humilitatem, mirabatur, & reputabat se nihil omnino: dúmque se sacrâ mensâ indignam reputaret, sibi dici inaudiit: Ego, qui sum dignus, facio te dignam, & tunc remansit in me dulcedo inenarrabilis, & lætitia magna, quâ non carebam in tota vita mea. De S. Francisco Seraphico Annales illius Religionis tradunt, quòd ardentissimis Sanctissimum hoc Sacramentum prosecutus fuerit affectibus; stupore admi- Osea 11. Boland. tom.1. Ian. c.3. n.6.1.

admirans maximo illam charissimam dignationem, & dignantissimam charitatem; unde ipsemet in quadam Epistola sua exclamat, dicens: O superna dignatio! O sublimitas humilis! ut Dominus universitatis, Deus, & Dei Filius, sic se humiliet, ut pro nostra salute sub modica Panis formula se abscondat.

Effectus.

Baron. ad ann. 785. n. 50.

XII. Widichindus aliquando in die Paschatis, ipso communionis tempore degens, vidit, quemcunque communicantem à Sacerdote pulcherrimum recipere infantulum, qui cum aliquibus ludens, ultro citróque os eorum ingredi properabat, alios verò fugiens, suum avertebat vultum; quia nimirum certissimum est, quòd panis hic vitalis, sicut est vita bonis, ita quóque sit mors malis. Quo fortè respicere voluit Dominus, in Eucharistici huius Panis Figuris, in Panibus, inquam, propositionis, de quibus dicitur, panes super mensam panes propositionis: ubi Aquila & Arias legunt: Panes facierum. Qui loquendi modus extravagans videtur: nunquid enim panes illi, plures habebant facies? quæ est hæc mensa, interrogat Rupertus Abbas, nisi corporis & sanguinis Domini? Quid igitur mirum, si Panis hic plures describatur habere facies, si quidem unus & idem mors est malis, vita bonis? quapropter vide, pacis sumptionis, quàm sit dispar exitus. Quam pariter differentiam Regius Psalmista insinuat, dum ait: *Lætificabis eum cum vultu tuo* (ecce præmium dignè communicantium) *vultus autem Domini super facientes mala, ut perdat de terrâ memoriam eorum.* Ecce vobis indignè communicantium supplicium.

S. Thomas Vill. con. 3. de Sacr.

XIII. Oza, qui arcam in humeris suis portare debebat, dum manum suam extendit, ut eandem bobus, qui illam in plaustro portabant, recalcitantibus sustineret, & à lapsu præservaret, morte repentinâ punitus fuit; unde Thomas à Villanova ait: quantus terror in arca lignea? tantáne tibi, Domine, cura de ligno? non utique, sed propter nos hæc facta sunt, in illis terremur, in illis admonemur, in illis instruimur. Illos exanimas, ut nos erudias, ut in eis discamus, quanti piaculi simul & periculi sit, indignè tractare ac sumere sacrosanctam Christi carnem in hostia salutari, cuius typum sic Deus magnificavit, sic sublimavit, sic vindicavit. Si talis ultio in umbra, qualis fiet in veritate ipsa?

Gratiarum actio.

XIV. Observandum, quòd DEUS virgam Moysis, quacum tot prodigiosa portenta patravit, in Tabernaculo conservare noluerit; néque aquam, quæ de petra scaturierat, neque coturnices, bene tamen in eodem Manna custodiri voluerit, tametsi subiectum sit corruptioni, & ex uno die in alium conservatum, vermibus scateat, scitisne causam, cur id fieri voluerit? nimirum Manna Eucharistiam perfigurabat, átque ideo per hoc nobis significare voluit, quòd, tametsi omnium aliorum Divinorum beneficiorum in nobis obliteraretur memoria, huius tamen beneficii Eucharistici oblivisci nunquam debeamus, sed continua illius & indelebilis habenda sit memoria, nec unquam prætermissa gratitudo. *Mansi disc. 48. n. 6.*

XV. S. Mater Ecclesia sapienter ordinavit, ut, priusquam devenientur ad consecrationem huius Panis, Sacerdos & populus simul inter se hæc verba recitarent; & primò quidem Sacerdos dicat: *Gratias agamus Domino Deo nostro:* cui Minister, nomine omnium respondere debet: *Dignum & iustum est*; replicátque Sacerdos: *Verè dignum & iustum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere* &c. si enim pro ullo divinorum beneficiorum, agendæ sunt gratiæ, certè pro hoc divino Sacramento, vel maximè agi debent. *Ibidem. n. 9.*



TITVLVS XIII.

CONCIONATOR.

§. I.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

Beirlinck, v. eod. I. Oncionator est Clericus, qui ex officio & legitimè missus Verbum Dei annunciat; quæ proin annuntiatio concio vocatur, licet interdum per hoc nomen ipse etiam populus ad verbum Dei audiendum congregatus intelligatur.

Divisio.

Gen. c. 14. v. 21. II. Dividi potest in *verum*, & *falsum*; *verus* est, qui eo solùm fine prædicat, ut animas submersas ab abysso infernali eripiat, & in cœlum perducat, unde dicere debet cum Rege Sodomorum: *Da mihi animas, cætera tolle tibi.* *Falsus* est, qui in prædicando *quærit, quæ sua sunt; non quæ Jesu Christi*, de quibus S. Gregorius ait: Prophetæ falsi, sua, & non Dei verba loquebantur, de quibus scriptum est: *Nolite audire verba Prophetarum, qui prophetant vobis, & decipiunt vos; visionem cordis sui loquuntur, non de ore Domini*; & rursum: *Non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant*; qua ex re colligendum est, quia & quisquis expositor in explanatione sacri eloquii, ut fortasse auditoribus placeat, aliquid mentiendo componit, sua, & non Domini verba loquitur, si tamen loquendi, vel seducendi studio moveatur.

Philipp. 2. v. 20.

S. Greg. in c. 10. Ezech. ho. 1.

§. II.

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas.

Matt. c. 7. v. 28. I. ERat docens eos, sicut potestatem habens & non sicut scribæ eorum, & Pharisæi.

Isa. c. 58. v. II. Quasi tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo scelera eorum, & domui Jacob peccata eorum.

Matt. c. 10. v. 20. III. Non vos estis, qui loquimini, sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.

Jerem. c. 1. v. 10. IV. Ecce dedi verba mea in ore tuo; Ecce constitui te hodiè super gentes, & super regna, ut evellas, & destruas, & ædifices, & plantes.

Apoc. c. 14. v. 6. V. Et vidi Angelum volantem, per medium cœli, habentem Evangelium æternum.

1. Cor. 2. v. 4. VI. Sermo meus, & prædicatio mea, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritûs & virtutis.

VII. Non sumus sicut plurimi adulterantes verbum Dei, sed ex sinceritate, sed sicut ex Deo, coram Deo, in Christo loquimur. 2. Cor. 2. v. 17.

VIII. Cùm venissem ad vos, fratres, veni non in sublimitate sermonis, aut sapientiæ, annuncians vobis testimonium Christi. 1. Cor. 2. v. 1.

IX. Et ego Fratres non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus tanquam parvulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escam; nondum enim poteratis. 1. Cor. 3. v. 1. & 2.

X. Mala aurea in lectis argentis, verbum dictum in tempore suo. Prov. c. 25. v. 11.

XI. Et nunc, fratres, quoniam vos estis Presbyteri in populo Dei, & ex vobis pendet anima illorum ad eloquium vestrum, corda vestra erigite. Jud. c. 8. v. 21.

XII. Speculatorem dedi te domui Israël, & audies de ore meo verbum, & annunciabis eis ex me. Ezech. c. 3. v. 17.

Utilitas.

XIII. Multitudo sapientum (*seu Prædicatorum, ut S. Albertus Magnus exponit*) sanitas orbis terrarum. Sap. c. 6. v. 26.

XIV. Dominus dedit mihi linguam eruditam, ut sciam sustentare eum, qui lapsus est verbo. Isa. 50. c. v. 4.

§. III.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Qualitas.

I. PRædicatores nubes sunt, quia tonant minis, coruscant miraculis, pluunt doctrinis. S. Bonav. in Ps. 17.

II. Prædicator quisque plùs actibus, quàm vocibus insonet, & benè vivendi vestigia sequacibus imprimat, ut potiùs agendo, quàm loquendo, quò gradiatur, ostendat. S. Greg. p. 3. Past. c. 4.

III. Vera prædicatio necessaria est; quia quando vox vitam non remordet, dulcis est symphonia; ne sit *vox Jacob, & manus Esau.* S. Bonav. in Ps. 49.

IV. Est Evangelium doctrina, verbique Dei prædicatio, ignis ille semper in Altari exardescens, cui perpetuâ sollicitudine is ministrare debet ligna, nempe optima, præclaráque vitæ suæ exempla, officia, átque opera virtutum, quibus corda fidelium accendat ad sanctè agendi studium. Acta Mediol. fol. 478.

V. Docente te in Ecclesia, non clamor populi, sed gemitus suscitentur; lacrymæ auditorum, laudes tuæ sint. S. Hieron. ep. 2. ad Nepot.

VI. Illius Doctoris libenter audio vocem, qui non sibi plausum, sed mihi planctum moveat. S. Bernardinus S. in Cant.

VII. S. Gre-

S. Greg. hom. 6. VII. S. Gregorius verba illa: *Parabis & acetabula, & phialas, & thuribula*, in favorem nostrum explicat, dicens: Quid verò per phialas & cyathos, nisi mensura prædicationis accipitur, ut singulis scilicet iuxta capacitatem ingenii conferatur? Debet enim subtiliter, qui docet, prospicere, ne plùs studeat, quàm ab auditore capitur, prædicare; debet enim infirmitati audientium se contrahere, nedum parvis sublimia, & ideo non profutura loquitur, se magìs curet ostendere, quàm auditoribus prodesse.

S. Chrys. Ser. 43. VIII. Populis populariter est loquendum, communio compellanda est sermone communi, omnibus necessaria dicenda sunt more omnium, naturalis lingua chara simplicibus, doctis dulcis, docens loquatur omnibus profutura; Ego loquor hodie imperito, verbo veniam dent periti.

S. Greg. l. 20. mor. c. 4. IX. Quid sunt intentæ mentes auditorum, nisi quasi quædam in cythara tensiones stratæ chordarum? quas tangendi artifex, ut non sibimet ipsi dissimile canticum faciat, dissimiliter pulsat. Et idcircò chordæ consonam modulationem reddunt, quia uno quidem plectro, sed non uno impulsu feriuntur. Unde & Doctor quisque ut in una cunctos virtute charitatis ædificet ex una doctrina, non una eadémque exhortatione tangere corda audientium debet. Aliter námque viri, aliter admonendæ sunt fœminæ; aliter iuvenes, aliter senes; aliter inopes, aliter locupletes; aliter læti, aliter tristes; aliter subditi, aliter Prælati; aliter servi, aliter Domini; aliter huius mundi sapientes, aliter hebetes; aliter impudentes, aliter verecundi; aliter protervi, aliter pusillamines; aliter impatientes, aliter patientes.

Idem l. 1. ho. 11. in Ezech. Necesse est, ut semper sermo prædicantis cum auditorum debeat qualitate formari. Quid mirum, si hoc verbi Dei erogator faciat, cùm & agricola, qui semina in terram mittit, priùs terræ qualitatem prævidet, quibus seminibus apta videatur, & postquam qualitatem terræ viderit, tunc semina aspergit.

S. Bonav. in c. 5. Ion. XI. Sic debet esse sermo Dei fidelibus, tanquàm pisci hamus, tunc enim capit, quando capitur, & quia non recipiebatur sermo Dei in corde ipsorum, ideò non capiebat corda eorum.

Utilitas.

S. Greg. l. 9. mor. c. 4. XII. Quid námque cœlorum nomine, nisi cœlestium prædicantium vita designatur, de quibus per Psalmistam dicitur: *Cœli ennarrant gloriam Dei &c.* Ipsi cœli, ipsi sol esse memorantur.

Beda to. 4. lib. de tabern. l. c. 1. XIII. Panes propositionis super mensam positi semper, Doctores sunt spirituales, qui in lege Domini die ac nocte meditantes cunctis Ecclesiam intrantibus, refectionem verbi cœlestis offerunt, qui rectè propositionis panes vocantur, quia in propatulo semper esse debet universis fidelibus sermo salutis, nec unquam in Ecclesia deesse oportet piis auditoribus verbum solatii.

Dignitas.

XIV. Est magna authoritas Prædicatorum, in quorum receptione Deus recipitur, & contemptu contemnitur, ipsi enim sunt os Domini, verba eius annunciando, sicut dicitur: *Si separaveris pretiosum à vili, quasi os meum eris*, & ideò tanquam os Dei pasci debent, & honorari. S. Bonav. in c. 10. Luc.

XV. Huius muneris sive materia, sive finis spectetur, tanta utique dignitas ostenditur, ut non facilè aliud excogitari, dicive possit, quòd illo præstantius sit, aut altius, aut magnificentius: Siquidem omnia Christianæ Religionis mysteria, ac Sacramenta, omnes virtutes, omnia quæ ad eiusdem Religionis fidem, fideique fructus spectant, omnia denique, quæ à Deo ad homines proficiscuntur, & ad Deum proficiscentes adiuvant, verbi Divini nomine continentur. Acta Eccl. Med. fol. 430.

XVI. Ignoro, an possit hâc gratiâ interim maiorem aliquam Deus homini conferre, quàm est, ut eius ministerio perversi homines in melius mutentur; ut filiis diaboli Filii Dei efficiantur, an fortè cuiquam magìs videbitur esse, mortuos suscitare. Richard. de S. Vict. apud Mansi disc. 18. n. 3.

Quomodo audiendum.

XVII. Non magnoperè cures, utrùm defectibus aliquibus obnoxius sit is, qui loquitur, modò veritatem loquatur; Attendat ipsam veritatem, sicut ex origine sua, fontéque suo, nempè Deo promanat, & non curiosè discutiat, qualis sit fistula, per quam illa manat. Blos instit. spir. c. 8. n. 4.

XVIII. Frequenter etiam de homine malo bona doctrina procedit. Ecce enim & vilis terra pretiosum aurum producit. Nunquid propter terram vilem pretiosum aurum contemnitus? non, sed sicut aurum eligitur, & terra relinquitur, sic & vos doctrinam accipite, & mores relinquite. Author. Oper. imperf. ho. 43.

XIX. Eò quòd Prædicator Christum repræsentet, debet magna devotione, & reverentiâ audiri, etiamsi vilis & contemptibilis videatur persona. Unde Augustinus ait: Ego (scilicet Prædicator) quid sum nisi cophinus seminatoris, id est, Christi, Ipse dignatus est in me ponere semen, quod spargo vobis; nolite respicere ad vilitatem cophini, sed ad nobilitatem seminatoris; Et Tullius ait: Non te moveat dicentis Authoritas, sed quidquid dicit, attendito. S. Antoninus p. 3. tit. 9. c. 11.

Damnum malorum Concionatorum.

XX. Vita sine sermone magìs prodesse solet, quàm sermo sine vita, nam illa etiam tacens prodest; hæc autem etiam clamans molestiam affert. S. Isidor. Pelus l. 4. ep. 175.

XXI. Si negligis implere, quod doces, aliis messem seminas, & ipse à frumenti participatione S. Greg. l. 1. ho. 21. in Ezech.

tione ieiunas; unde scriptum est: *Cuius messem famelicus comedit*; Messem quippè Doctoris, qui bona loquitur, sed non operatur, famelicus comedit; quia is, qui panem iustitiæ esurit, operatur mandata, quæ audit; & ipse fructum non habet, qui seminando laboravit. Hinc Salomon ait: *Abscondit piger manum suam sub axilla, nec ad os suum porriget eam.* Nemo ita piger est, ut ad os manum comedendo reducere, laborem putet; sed piger nec ad os manum suam porrigit, qui nec hoc vult operari, quod dicit. Hinc de benè docentibus, & malè operantibus dicitur: *Filii Ephrem intendentes, & mittentes arcum &c.* intendunt arcum, átque sagittas mittunt, qui scripturæ sacræ sententias proponunt, & verbis rectis auditorum vitia feriunt, sed convertuntur in die belli, quia post semetipsos redeunt in tentationem vitiorum, & pectus opponere non volunt, quia in tentationum certamine non resistunt.

XXII. Qui magnis muneribus ditati, parere utilitati proximorum in prædicatione refugiunt, si districtè iudicentur, tantis procùl dubio rei sunt, quantis prodesse potuerunt.

§. IV.

EXEMPLA SACRA.

Qualitas.

Victor Antioch. in c. 1. Marc.

I. DE Christo Victor Antiochenus super illum S. Marci textum: *Stupebant super doctrina eius*, interrogat: cur stupebant? quia non respondebat ad gratiam, neque ulli prorsus adulabatur, nec auditorum laudes captabat, sed erat sermo eius in potestate; hortabatur enim non ad quævis promiscuè, sed ad cœlestia, & animæ salutaria, perfidisque & obstinatis peccatoribus imperterritè supplicia comminabatur.

Giard. l. 1. c. 10.

II. In vita S. Francisci Salesii legitur, quòd hæretici per varias impias imposturas & technas adeò auditorum S. Francisci numerum diminuerint, ut octo vel novem tantùm personæ eiusdem devotioni deditæ, ad verbum illius audiendum residuæ permanserint? Quis autem eloquentiæ & pietatis fons ad talis auditorii sterilitatem non exsiccaretur? Et tamen sanctissimus Dei servus à ministerio suo Apostolico non cessavit, nec ullum eius obeundi fastidium sensit, imò huic adeò modico auditorum suorum numero quotidianum verbi Dei panem tanta cum industria, sollicitudine, apparatu, & assiduitate distribuere satagit, ac si numerosissimæ populi affluentiæ prædicare debuisset, idque non solùm paucis quibusdam septimanis vel mensibus, sed tribus annis integris talibus cum circumstantiis loci, temporis, & modis præstitit, ut quisquis id ipsum in iusta considerationis trutina perpendit, huic illud mirabilius fuisse haud immeritò videatur, quàm ipsamet operis substantia. Siquidem quolibet die, nullum prorsus omittendo, etiàm in maioribus hyemis rigoribus, sive in maximis æstatis caloribus, ad quatuor vel quinque milliaria pedes profectus, celebrandi & prædicandi functionem absolvit, tametsi paucos, id est, duos vel tres, sæpè etiam unicam vetulam præsentem invenisset: omnibúsque perfectis, non minùs quoad spiritum contentus & hilaris redibat, quàm si numerosæ cuidam multitudini prædicâsset.

S. Chrysost. hom. 54. in Gen.

III. S. Chrysostomus ad suos auditores dixit: Ea de causa quotidiè vobis concionamur, ut aliquid sacri faciatis, & virtutes vestræ crescant, & nos lætemur, videntes vestrum profectum. Nunquid enim temerè & in vanum dicere volumus, ut à vobis laudum fructus recipiamus, & ut plaudentes manibus recedatis: Non hoc spectamus; Absit, sed vestram salutem. Mea maxima laus est, & summus plausus, si quis à vitiis ad virtutem convertatur. Aliàs verò dixit: Credite mihi, quando inter dicendum plausum excito, per illud quidem tempus humanum quiddam mihi accidit, & distrahor, & diffundor; Ubi autem domum redeo, & intelligo plaudentes sine fructu abiisse, doleo, gemo, & lacrymor, & quasi frustra omnia dixerim, sic afficior, mihíque ipsi dico: Quæ sudorum meorum utilitas, si auditores à verbis meis nullum fructũ accipere volunt?

Idem hom. 30. in Act.

S. Petr. Dam. ser. 1. de S. Marco.

IV. S. Petrus Damianus de S. Marco in eius honorem ita scribit: Cui nimirum Deus omnipotens tanti verbi virtutem contulit, tantam prædicationis efficaciam prærogavit, ut omnes, qui tunc ad fidei rudimenta confluerent, mox per continentiam, ac totius sanctæ conversationis instantiam, tanquam ad monasticæ perfectionis fastigium convolarent.

S. Isid. Pel. l. 3. ep. 40.

V. Isidorus Pelusiota quondam cuidam viro facundo quidem, & docto, sed improbo, in hæc verba scripsit: Frater quidem tuus ob mores in admiratione est, tu ob sermonem; ille ob animi integritatem, tu ob linguæ facundiam, ille ob morum moderationem, tu ob verborum fastum, ac tumorem; ille ut fructu scatens, tu ut foliis abundans. Volénsque eundem instruere, modúmque edocere, quo eloquens simul & potens quoad linguam fieri posset, subdit: Quam ob rem, si ita est, fratrem tuum imitare, ut utróque nomine laudem & gloriam consequaris, néque enim tam tuis ille, quàm tu ipsius dotibus opus habes.

Mansi disc. 3. n. 6.

VI. In Manipulo Exemplorum de S. Nonno Episcopo sequentia leguntur: Quadam vice sancto viro Nonno Episcopo in Ecclesia prædicante, nhil in eo Rhetoricum, aut humanæ ventositatis resonabat, sed in Spiritu S. corrigebat errantes, futurum iudicium commemorans, cuius monitis ita sunt populi corda compuncta, ut pavimentum Ecclesiæ lacrymis inundaret.

Mansi disc. 2. n. 5.

VII. S. Franciscus Seraphicus Religiosis suis sensum huius præcepti, à verbo incarnato Apostolis suis impositi, scilicet *prædicate Evangelium*, hunc esse declaravit, scilicet: prædicate virtutes, eradicate vitia, Paradisum & infernum auditoribus vestris annunciate.

Ibid. n. 7.

VIII. In vita venerabilis Matris Annæ Carmelitanæ discalceatæ, à P. Bartholomæo pariter discalceato conscriptâ legitur, quòd, cùm hæc

hæc Ancilla Dei in octavo circiter vel nono ætatis anno constituta, in villa sua, ubi habitabat, celebrem quendam auscultâsset Prædicatorem, omnibus eidem applaudentibus, sola ipsa lacrymata fuerit, atque à sorore sua natu maiore de causa fletûs interrogata, responderit: Quia malè prædicavit Pater ecui illa: Et quid tu scis, an benè vel malè prædicaverit? ipsa verò ex cœlesti utique instinctu mox subiecerit: Quia nihil dixit de Christo Crucifixo, de eius sequela, & eius virtutibus.

Chronic. S. Franc. p. 3. l. 6. c. 1. IX. In Chronicis S. Francisci legitur F. Cherubinum à Spoleto in præcipuis totius Christianismi pulpitis magno cum applausu prædicâsse, ostendendo doctrinam suam, ingenium, eloquentiam, & stupendum talentum, sed absque ullo auditorum fructu; cúmque prædicationem eius B. Fr. Joannes Bonvisius Lucensis eiusdem Ordinis auscultâsset, hic eundem prædicatorem exhortatus fuit, ut stylum dicendi mutaret, séque totum spirituali vitæ, & lucro animarum comparando addiceret, extirpando vitia, virtutésque auditoribus inserendo. Cui cùm Cherubinus aurem præbuisset, eiúsque consilium fuisset executus, adeò abundantem messem cælesti horreo intulit, ut in hora mortis suæ visus fuerit Angelorum manibus in cœlos deferri, septuaginta sex millibus animarum, fructuosarum prædicationum suarum subsidio salvatarum, stipatus.

Prat. florid. l. 4. c. 10. §. 2. X. In Prato Florido sequens legitur historia. In Anglia celebris quidam Ordinis F. F. Minorum Prædicator erat, qui præter scientiam talento quodam ornatus erat gratiosissimæ dictionis, erat enim in sermone suo curiosus, utpotè quem ut plurimùm ornare solebat subtilissimis Philosophiæ, aliarúmque profanarum, novarúmque & insolitarum scientiarum conceptibus. Cúmque die quadam concionem suam, quam coram populo ipsum audiendi cupidissimo habiturus erat, per conceptus gratissimos præparatam haberet, nocte præcedente ei Christus apparuit, in manu sua librum tenens, in cuius medio characteres impressi erant aurei, & elegantissimi, margines autem sordibus mirè erant conspurcati, qui simul pessimum exhalabant odorem, erátque liber ille deforis non minùs turpis. Cúmque Prædicator Dominum rogâsset, ut visionis illius sibi declarare dignaretur mysterium, ab eodem sibi dici audivit: Literæ aureæ huius libri verba sunt sacræ scripturæ, sacræ Theologiæ, nec non ex doctrinis SS. Patrum decerpta; sordes autem grave olentes, dicta repræsentant & sententias Philosophorum, quas tu in impertinentibus & vanis prædicationibus tuis semper interseris, quæ proinde in conspectu meo pessimum spirant odorem. Deformitas exterior huius libri, apparentem denotat curiositatem, per quam verba mea per vanas & infructuosas garrulitates tuas diversis modis obfuscas, atque ab auditoribus calorem spiritualem, quem sacræ doctrinæ meæ in ipsis generare solent, iniquè aufers. Et verò quidnam ad propositum nostrum Salvatorem dicturum fuisse existimatis, si hic Religiosus narrationes fabulosas, ridiculásque facetias in medium adduxisset?

Utilitas.

XI. Mater S. Dominici priusquàm eum in lucem ederet, vidit catulum quendam, facem ardentem in ore suo portantem, qua mundum accendit. Quod fuit ei signum, quòd filium haberet, qui lupos, id est, hæreticos impugnaret, gregem servaret, dormientes in vitiis allatraret, & linguam medicinalem haberet, & facem igniti eloquii portaret, quo mundum illuminaret, & inflammaret. *Bellovac. spec. mor. l. 3. p. 1. dist. 10.*

XII. Legitur, quòd prædicante Petro Spiritus sanctus in auditores divini verbi cecidit, & hoc frequenter accidit in prædicationibus, quòd, qui duro corde accedunt, propter verbum prædicationis, ad divinum amorem accenduntur. Sic enim illi ipsi, qui paucis septimanis antè tumultuosè vociferati fuerant: *Tolle, tolle, crucifige eum*, ad ignem prædicationis S. Petri adeò incaluerunt, ut unâ vice tria millia sub vexillum illius, cuius antea postulârant crucifixionem, conscripta fuerint. Unde meritò S. Thomas de Villanova in hæc verba exclamat: O linguam verè ignitam! Tria millia ad fidem conversa sunt, & compuncto corde animarum suarum remedium postulârunt. Alio etiam sermone postridie quinque millia conversa sunt, & ita Ecclesia brevi tempore in grandem fidelium numerum adaucta est. O si nunc unam talem linguam haberet Ecclesia! Heu! frigida lingua ignitum sermonem proferre non valet; & quoniam Spiritu Dei Prædicatores non incalescimus, auditorum corda minimè inflammamus. *S. Thom. opusc. 4. c. 6.*

XIII. In Annalibus Dominicanis habetur, quòd, cùm olim Bononiæ Prædicans Frater Reginaldus doctrinâ & sanctitate celeberrimus, admirabiles diversorum operaretur conversiones, primarius quidam Doctor, nomine Magister Moneta sibi proposuerit, quòd nullo prorsus modo illum ex umbone dicentem auscultare unquam vellet, ne intra retia ipsius caperetur: Veruntamen scholares ipsius tantâ apud ipsum valebant persuadendi gratiâ, quod illum ad auscultandum vel semel duntaxat F. Reginaldum concionantem die quodam induxerint (concio autem de S. Stephano habebatur) quia verò magnoperè aversabatur ab eo, quod promiserat, hoc usus est subterfugio, nimirum priùs auscultare voluit Missam, post quam audivit & secundam; nec hâc contentus, auscultavit & tertiam, futurum esse existimans, ut per hanc cunctationem concio elaberetur, vel saltem ad finem illius superveniret; sed spei ipsius non respondit eventus. Perveniens namque ad Ecclesiam, cùm illam hominibus refertam videret, adeò ut vix pateret ingressus, in limine portæ substitit, & ad primum verbum, quod audivit, se interius totaliter commoveri sensit, verba autem, quæ audire poterat, hæc erant: *Ecce video cœlos apertos*; In præsenti sunt cœli aperti ad introeundum; quilibet, qui vult, potest *Ann. S. Dominicus p. 1. l. 1. c. 7.*

test intrare ianuas apertas; videant, & timeant viri negligentes, ne eis, qui claudunt cor suum Deo, & os, & manus, regnum cœlorum claudatur, & introire non possint. Quid ergo tardatis? Ecce aperti sunt cœli: Cùmque vix finitus esset sermo, ecce Magister Moneta ad pedes Reginaldi provolutus, habitum religiosum ab eo petiit, & recepit, factúsque est Religiosus sanctitate & doctrinâ prorsus insignis, qui multos hæreticos ad fidem Orthodoxam convertit, eorúmque errores confutavit.

Mansi disc. 18. n. 7. XIV. Cùm Alphonsus à Spina Franciscani Ordinis in Conventu Palentiæ Religiosus, insignis concionator, animarum salutem supra modum sitiret, in id præcipuè incumbebat, ut aliquos Christo lucrifaceret, cùmque ex melancholica imaginatione subtristior quodam die effectus, puteo iuxta Minoritici Conventûs Vallisoletani sacrarium hæreret, & anxius cogitaret, num frequentissimis suis concionibus fructum fecisset, vocem è sublimi delatam, sibi præcipientem, ut situlam è trochlea pendentem in puteum demitteret, aquámque hauriret, audivit; cui cùm obtemperâsset, viginti quatuor subalbos lapillos Jesu nomine insignitos iuxta 24. conciones, quas paucis antè diebus ad populum Vallisoletanum habuerat, in situlæ fundo invenit. Ex quo demum eventu confirmatus, omnibus nervis prædicationis officio imposterum incubuit.

Ibid. n. 8. XV. Dominicanus quidam post obitum familiari suo apparuit in splendidissima veste, ornatâ pretiosissimis lapidibus, & uno quidem reliquis multò præstantiore supra pectus appenso, dixitque, hanc se vestem propter animarum Zelum consecutum, tot ornatam gemmis, quot peccatores ad Deum convertisset, & nobiliori illâ, propter maioris alicuius peccatoris conversionem.

Ibidem. XVI. Alius quidam eiusdem Ordinis ex obedientia Crucem Saracenis annuncians, cùm ibidem obiisset, apparuit cuidam ex Fratribus dicti Ordinis, dicens, se quidem in extremis à dæmonibus valde impugnatum, sed Christum Dominum advenientem omnes fugâsse, dixisseque: Veni mecum in gloriam meam tu, qui Crucem meam populis annunciâsti; séque hac ratione absque ullis aliis pœnis, è terra rectâ ad cœlos ascendisse.

Damnum malorum Concionatorum.

Thom. Cantipr. l. 2. Apum. c. 33. XVII. Thomas Cantipratanus supplicium quoddam refert cuidam illatum, qui Legato Apostolico contra Albigenses in Flandria electo, suppetias prædicâdo ferre, obstinatè renuit; cùm enim post iteratas preces & præcepta, in repulsa Legato datâ persisteret, Legatus iram Dei implorans, dixit: Rogo tamen Deum, qui omnium cordium est inspector, quatenus reddat vos non solùm ad istud, quod spernitis, sed prorsus ad omne opus inutiles. Mira res! mox ad hæc verba quartana febris eum cum fluxu ventris invasit, & usque ad finem vitæ suæ per viginti quatuor annos irremediabiliter fatigavit.

§. V.

SIMILITUDINES.

Qualitas.

I. Sicut seminator manu seminat; ita tu manu & opere optimè prædicabis. *Didac. Stella in Luc.*

II. Sicut apibus herbæ necessariæ non sunt, sed flores herbarum, flores enim illæ colligunt, herbas verò relinquunt; sic & vos flores doctrinæ colligite, & conversationem relinquite, ut quasi inutilis herba arescat. *Author. oper. imperf hom. 41.*

III. Sicuti qui epistolam ab amico accipit, non respicit chartam, an bona sit, vel mala, nec characterem attendit, an elegans sit vel deformis, sed me solùm, qui illam scribo, considerat; Idem quoque circa verbum Dei facere oportet; non enim respiciendus est, qui illud in medium producit, vel declarat, sed hoc unicum nobis debet sufficere, quòd verbum Dei sit: hic enim talem adhibet prædicatorem, qui illud prædicet, aliósque edoceat. *Mansi disc. 19. n. 1.*

IX. Sicut in Arca testamenti duo illi Cherubini ita collocati erant, ut semper mutuò se aspicerent: ita vita concionantis doctrinæ ex altera parte respondere debet, usque adeò, ut & vitam doctrina collustret, virésque eidem perpetuò addat. *Acta Mediol. fol. 475.*

X. Sicut in numismate metallum, & figura, & pondus perquiritur, ita in omni Doctore Ecclesiastico, quem sequatur, quid doceat, quomodo vivat, perquirendum est. *S. Isid. l. 3. de sum. bono c. 30. sent. 5.*

XI. Sicut qui semen in terram iacit, non id facit, ut stramen & paleas tantùm demetat, sed copiosam quandam & utilem messem prætendit; eodè modo, qui prædicat ad nihil aliud collimare debet, quàm ad animarum utilitatem, earúmque conversionem. *Mansi disc. 19. n. 3.*

Necessitas.

XII Sicut terra ex semetipsa non est ferax frumenti, vel cuiuscúnque alterius utilis segetis, nisi colatur, nisi aratro proscindatur; siquidem inculta terra præter lolia, spinas & tribulos nihil aliud producit; ita humanæ nostræ naturæ ager, præter lolia vitiorum, spinásque inordinatorum appetituum, nihil producit, nisi per aratrum mortificationis, & macerationis carnis nostræ ligone, ad fructuosè divini verbi semen recipiendum disponatur. Unde Jansenius ait: Ita cor hominis, nisi semine divino seminatum fuerit, noxia tantùm proferet, aut saltem inutilia, & sterilia. Subdit insuper: Ita &, ut cor hominis intra se recipiat verbum Dei, ac sit omnibus vitiis repurgatum, culturâ non parvâ opus est. *Iansenius c. 53. Concord.*

Utilitas.

XIII. Sicut lixivium per humidum cinerem fluens lavat, & non lavatur, ita bona doctrina per malum Doctorem animas credentium lavat à sordibus peccatorum, etsi ista non lavetur. *S. Bernardinus to. 1. ser. dexag. 42. c. 2.*

XIV. Sicut

S. Aug. l. 3. contr. Crescont. c. 5. XIV. Sicut malignus suasor peccati, etiamsi non persuaserit, meritò pœnam deceptoris incurrit, ita fidelis iustitiæ prædicator, etiamsi ab omnibus respuatur, absit, ut apud Deum officii mercede fraudetur.

Mansi disc. 45. n. 1. XV. Sicut si vestitus aliquis iuxta mensuram proprii corporis sciditur, aptissimè eidem accommodatur; Ita quoque discursus, qui ex propriis instituitur, magnam penes animum hominis energiam habet.

Damnum Malorum Concionatorum.

S. Thom. Villan. in Sexag. XVI. Sicut, si quis Rex in negotio arduo mitteret litteras procuratori suo, ut sollicitè negotiaretur, & ille immemor negotii, laudaret characteres, admiraretur ornatum litterarum, quomodo ei succenseret Rex? sic omnium Dominus dedit nobis Evangelium, & sacras litteras ad negotiandum regnum cœlorum, si tu solus Rhetoricam attendis, stultissimus es virorum.

Orig. hom. 16. in Levit. XVII. Sicut imber iste terrenus, si importunè veniat, id est, cùm messis colligitur, cùm frumenta teruntur in areis, obesse magis, quàm prodesse videbitur; ita & ii, quibus pluvia administranda committitur Verbi Dei, observare debent hoc, quod dicit Scriptura, ut in tempore præbeant, id est, ne crapulato & ebrio verbum Dei ingerant, ne occupato in aliis animo, cùm attentus esse non potest. Prudenter coniiciat, ubi potest vacare mens, ubi sobrius, ubi vigilans, ubi intentus auditor est.

Author. o. per. imperf. hom. 11. XVIII. Sicut si leoni ostendis viridem herbam, aut campum bene florentem, non excitas eum in concupiscentiam, quia non habet hoc in natura, ut herbas manducet; sic & homini mundiali, si de bono cœlesti loquaris, non excitatur in concupiscentia boni, sed quemadmodum si pluvia super lapidem cadat, desuper quidem sudat, ab intus autem siccus est, quia non descendit humor in eum; sic & tali homini, quando loqueris Verbum Dei, tantummodò sonus verbi desuper percutit aures eius carnales, in cor autem eius nihil descendit

Ibidem. XIX. Sicut in magno vase acerario, qui modicam guttam mellis immiscet, etiam mel perdit, & acerbitas aceti non mutatur; sic homini in hac malorum multitudine constituto si collocutus fueris iustitiæ verbum, & verbum perdis, & ille non temperatur in concupiscentia mundialium rerum.

S. Bonav. in c. 9. Luc. XX. Sicut est magnum peccatum, cùm indigenti dives non dat eleemosynam; ita maius est peccatum, cùm sciens non communicat doctrinam; unde: *qui abscondit frumenta, maledicetur in populis.*

§. VI.

MOTIVA.

Ad concionatoris Officium libenter suscipiendum.

I. *Quia officium Prædicationis Patri misericordiarum omni Sacrificio est acceptius,* maximè si studio fuerit charitatis impensum, ut ad id laboret prædicator, ut magìs exemplo, quàm verbo, magisque lacrymosâ prece, quàm loquaci sermone Doctor sit. *S. Franc. Seraph. opusc. collat. 17.*

II. *Quia officium Prædicationis est præcipuum in Ecclesia Dei.* Christus principaliter hoc officium exercuit. Unde Augustinus de civitate Dei ait: ut homo confidentiùs ambularet ad veritatem fidei, ipsa Veritas Dei Filius homine assumpto, non Deo consumpto, veniens fundavit, atque stabilivit fidem, scilicet prædicando. *S. Antoninus p. 3. t. 18 c. 30. §. 1.*

III. *Quia idem officium est summè honorificum;* Nam ut S. Bonaventura rectè pronuntiavit: Est magna Authoritas Prædicatorum, in quorum receptione Deus recipitur, & contemptu contemnitur; ipsi enim sunt os Domini, verba eius annuntiando, sicut dicitur: *si separaveris pretiosum à vili, quasi os meum eris,* & ideo tanquam os Dei pasci debent, & honorari. *S. Bonav. apud Mansi discurs. n. 2.*

IV. *Quia utilissimum quoque est idem officium;* uti S. Laurentius Iustinianus indicavit, dicens: Quantam authoritatem præstet doctrinæ vita laudabilis, & experientia diuturna virtutum, insinuat mundi conversio, & numerositas aggregata fidelium. Non enim per eloquentiam, profunditatémque humanæ scientiæ, sed per virtutum exempla, contemptum videlicet terrenorum, voluntariam paupertatem, parcitatem victûs, vestium nuditatem, tolerantiam tormentorum, & pro salute animarum laborum perpessionem assiduam, Apostoli Domini, eorúmque successores fundavêre Ecclesiam. *S. Laur. Iust. c. 7 de regim. Prælat.*

V. *Quia summè quoque necessarium est idem officium;* ubi enim deest doctrina, hortamenta ut plurimùm desunt cœlestia, consilia sana, & divinarum monita Scripturarum. Cui consentiens S. Bernardinus ait: sicut omnes morerentur, si unâ die sol cessaret facere cursum suum, qui habet splendorem, calorem, vigorem, ita si verbum Dei deficeret, quod est sol animæ, scilicet quòd verbum Dei non prædicaretur, & non communicaretur animabus, ut possent illuminari splendore charitatis. Paulò pòst huius spiritualis mortis, animarum hac luce destitutarum, rationem assignat, inquiens: Spiritualiter morerentur, quia non cognoscerent Deum, & non cognoscendo non amarent, & non amando non timerent, & non timendo nostra natura fragilis, & declivis ad malum citò moreretur, ideò oportet, quòd ipsa vivat de verbo Dei. Et mox subiungit: Ubi non prædicatur, & cessat verbum Dei, ibi non est cognitio de Deo; & ubi plùs prædicatur verbum Dei, ibi est maior cognitio de Deo, & plùs timetur, & colitur. *Ibidem.* *S. Bernardinus to. 4. ser. 5 in Dom. Quadrag.*

§. VII.

MEDIA

Ad hoc munus fructuosè obeundum.

Hugo Card. in ps. 44. I. INvocatio *Spiritûs Sancti*, uti Propheta Regius indicavit, dicens: *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis*; id est, ut Hugo Cardinalis exponit, Spiritûs Sancti, quasi dicat: quod loquor, à me ipso non loquor, sed à Spiritu; Idque illis Christi verbis confirmat; *Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus* &c. Sicut enim calamus non scribit, quod vult, sic homo non prædicat à se, sed à Spiritu Sancto dictante, & scribente in corde Prædicatoris, & in cordibus audientium. *S. Aug. to. 9. in epist. Ioan. vers. fin.* Ante omnes autem S. Augustinus advertit, dicens: sonus verborum nostrorum aures percutit, Magister intus est; admonere possumus per strepitum vocis nostræ, sed si non sit intus, qui doceat, inanis fit strepitus noster; *neque qui plantat, neque qui rigat, est aliquid, sed qui incrementum dat Deus.* Sed *S. Basil. hom. de Spirit. S.* & S. Basilius aptâ similitudine id confirmat, dicens: Da mihi navim vacuam, gubernatorem, nautas, funes, anchoras, omnia disposita, & nunquam esse Spiritum venti, nónne cessat omnis qualiscunque apparatus, si desit operatio Spiritûs? Ita licèt sit sermonis ampla supellex, mens profunda, & eloquentia, & intelligentia, si non adsit Spiritus Sanctus, qui vim suppeditet, otiosa sunt omnia.

Albert. Mag. in c. 5. Luc. II. *Oratio*; quia frustra laborat extrà lingua Doctoris, nisi intus adsit gratia Salvatoris; & ideo pisces, qui ante sermonem Domini reti Simonis se subduxerant, modò post verbum Domini, quasi undique certatim venientes, recti sese certatim iniecerunt. Et hoc notat, cùm dicit: *In verbo tuo laxabo rete.* Quod confirmans S. Carolus Borromæus, cùm benè, inquit, *Acta Mediol. fol. 476.* appositéque dicere, sit omnium iudicio vel maximè difficilè, huius sanè rei difficultatem aliquando, ac potiùs frequenter meditabitur, ut ardentiori studio confugiat ad Deum, qui divini sui Spiritûs afflatu, omnia dicendi argumenta subministrare potest. Hinc meritò S. *S. Chrysost. to. 1. de incomprehens. Dei nat. hom. 3.* Chrysostomus dixit: Nil fructûs capi ex Homilia potest, nisi oratio adiungatur; Porrò sermoni oratio debet anteire. Sic Apostoli dicunt: *Nos in oratione ac sermonis doctrinâ perseverabimus.* Sic Paulus facit, cùm in exordiis suarum epistolarum orat, ut perinde quasi lumen lucernæ lux ipsa orationis regat sermonem, ac dirigat. Ac ideo aliquibus in locis præmittitur salutatio Angelica, ut, quemadmodùm Angelico nuntio mediante Christus in utero Virginis conceptus est, ita & mediante nuncio concionatoris (qui tunc Angeli officium gerit) Christus generetur in cordibus auditorum, atque Deiparæ intervenientibus precibus, & ipsi auditores concipiant Christum in animo, quem ipsa concepit in utero.

S. Greg. p. 3. cur. past. admonit. 25. III. *Intentio sincera & legitima*, uti S. Gregorius commendavit, dicens: Admoneri debent (concionatores) ut considerent, ne à virtute dicendi, vivendique qualitate discordent, ne loquendo aliud, & ostendendo aliud prædicent. Audiant itaque quod scriptum est: *Sicut ex Deo, coram Deo, in Christo loquimur.* Ex Deo enim coram Deo loquitur, qui prædicationis verbum, & quia à Deo accepit, intelligit, & placere per illud Deo, non hominibus, quærit; audiant, quod Prædicatori per Salomonem dicitur: *Bibe aquam de cisterna tua, & fluenta* &c. Aquam quippe prædicator de cisterna sua bibit, cùm ad cor suum rediens, potiùs audit ipse, quòd dicit: Bibit quippè sui fluenta putei, si sui irrigatione verbi infunditur. Ubi benè subiungitur; *Deriventur fontes tui foras, & in plateis aquas divide.* Rectum quippe est, ut ipse priùs bibat, & tunc prædicando aliis influat; Fontes quippè foras derivare, est exteriùs aliis vim prædicationis infundere; In plateis autem aquas dividere, est in magna auditorum amplitudine iuxta uniuscuiúsque qualitatem divina eloquia dispensare. Et quia plerúmque inanis gloriæ appetitus subrepit, dum sermo Dei ad multorum notitiam currit, postquam dictum est: *In plateis aquas divide*, rectè subiungitur: *Habeto eas solus, ne sint alieni participes tui*; Alienos quippe malignos Spiritus vocat, de quibus per Prophetam tentati hominis voce dicitur: *Alieni insurrexerunt in me, & fortes &c.* Ait ergò: *aquas in plateis divide, & tamen solus habe*, ac si apertiùs dicat; si necesse est, ut prædicationi exteriùs servias, quatenus per elationem te immundis Spiritibus non coniungas, ne in divini verbi ministerio hostes tuos ad te participes admittas. Aquas ergo & in plateis dividimus, & tamen soli possidemus, quando & exteriùs latè prædicationem fundimus, & tamen per eam humanas laudes assequi non amabimus.

IV. *Ingens fiducia in gratia vocationis*; uti *Rupert. Abbas in Matt.* Rupertus Abbas suasit, dicens: cùm autem acceditis ad tractandum verbum Dei, tunc nolite præcogitare, qualiter verborum phaleris Sanctæ Scripturæ sensum exornetis; dabuntur enim spontè vobis venientia de Spiritu Patris vestri, quæ utique, quantò magìs spontè venient, tantò & vobis minùs fatigationis, & audientibus sive loquentibus plùs afferet delectationis. O quàm dulce, quàm præclarum est, ea quæ loquimur, aut scribimus, talia esse, ut prudens auditor, sive benevolus lector nequaquam dignetur adscribere nobis, dicàtque: *Non enim vos estis, qui loquimini.* Hinc S. Bernardus rectè dixit: Potest Prædicator monita salutis auribus circumstantium insonare, sed nemo nisi solus Deus valet saporem charitatis palato cordis infundere. *S. Bernardus ser. 66. in parvis.* Unde Gregorius ait: Nisi sit intus Spiritus, qui doceat, Doctoris lingua exteriùs in vacuum laborat.

V. *Vita exemplaris*; meliùs enim docet vita, quàm littera; meliùs bona fama, quàm lingua; *Abbas Absolon ser. 3. in Quadr.* debilis enim est lingua, quam manus non adiuvat. Prædicator, inquit Abbas Absolon, debet primò filios parturire in visceribus charitatis, postmodùm parere verbo prædicationis; unde Paulus ait: *Filioli, quos iterum parturio.* Hinc rectè S. Bonaventura: Est funiculus triplex, ait,

S. Bernardus apud Mansi disc. 34. n. 8. ait, qui difficilè rumpitur ad extrahendas animas de carcere diaboli, & trahendas post te ad cœlestia regna; si rectè sentias, si dignè proloquaris, & si vivendo confirmes. Nam, teste S. Bernardo: Lingua magniloqua, manus otiosa, & vita tenebrosa, est res monstruosa.

S. Anton. Pad. ser. 4. de Apost. VI. *Humilitas profunda*; de qua sic discurrit S. Antonius de Padua: Vanæ gloriæ inquisitores, & propriæ laudis venatores non attendunt, quid ex hoc accidit Ezechiæ, thesauros suos Babyloniis incautè ostendenti, imò & ostentanti. Dicebat Ioseph Gen. 39. *adducite fratrem vestrum minimum, ut possim vestros probare sermones, & sciam, quòd non sitis exploratores.* Per Fratrem minimum intelligitur humilitas, sine qua infructuosè egreditur prædicator, nec eius à Deo probantur sermones; Et ècontra, qui Beniamin secum habet, multum fructum affert; Unde adducto eo dixit Ioseph dispensatori: *Imple saccos eorum frumento, quantùm potest capere, & in ore sacci fratris minimi ponatur scyphus argenteus.* Quia quantò quis humilior est, tantò ei Deus gratiam confert ampliorem; Prov. 3. *cum simplicibus sermo eius.* Paulus, qui se *minimum Apostolorum* dixit, fructum retulit cæteris ampliorem, quia ab Ierusalem usque ad Illyricum mare replevit Evangelio Christi. Rom. 15. Benè autem deferentibus reponi iubetur pecunia in saccis, quia scientiam in prædicatione erogatam Dominus magis multiplicat; eadem enim pecunia ad eundem fructum redditur: Quia eum sermonem iterum facere, per quem alius fructus factus est, licitè permittitur, quod est contra eos, qui ad populum loquentes, semper volunt uti novis sermonibus.

Carol. Bor. act. Mediol. fol. 479. VII. *Fuga peccati*; nam cùm prædicandi munus non humanæ sapientiæ, aut eloquentiæ, sed divinæ virtuti, ac Spiritûs S. Gratiæ inniti Concionator intelligat; diligentissimè sibi cavendum existimabit, ne mortali culpâ affectus, Spiritum Sanctum contristet, & Apostolicum opus atque adeò Domini nostri IESU Christi munus attingat &c. Gravissimam illam Prophetæ obiurgationem vehementer pertimescendam ducat: Peccatori dixit Deus: *Quare tu enarras &c.*

S. Bonav. in Luc. VIII. *Cupiditatis extirpatio*; uti S. Bonaventura monuit, dicens: Prædicator veritatis super omnia vitare debet vitium cupiditatis, alioquin non erit prædicator veritatis, sed adulator, propter quod dicit Apostolus 1. Thessal. 2. *Neque aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis, neque in occasione avaritiæ, Deus testis est*; Sciebat enim, quòd ex hoc iram Dei provocaret, sicut dicitur Micheæ 3. *Sacerdotes eius in mercede &c. & Prophetæ eius in pecunia divinabant &c.* & ob hanc causam subditur: *Sion quasi ager arabitur.* Hinc & S. Gregorius Episcopum quendam (cuius præcipuum munus est, verbum Dei annuntiare) hisce verbis monet: Non plùs pecuniæ, quàm animabus studeas, illud à latere respiciendum est, ad hoc autem totâ mentis intentione labo- (S. Greg. epist. ad Martianũ)

randum, quia Redemptor noster à Sacerdotis officio non quærit aurum, sed animas. Apud Isaiam Prophetam vox Prædicatoris tubæ assimilata fuit: *Quasi tuba exalta vocem tuam, annuntia populo meo scelera eorum*; Tuba autem, per quam designatur Prædicator (ut Hugo Cardinalis ait) non resonat nisi vacua, & prædicator debet esse vacuus per rerum terrenarum neglectum.

IX. *Curare, ut magis occupet Concionatorem Medulla sensuum, quàm spuma verborum*; &, ut alius ait, ne puerilium verborum spumâ aures conspuat; tales enim aures magis amant, quàm pectora. Unde meritò monet S. Chrysostomus, non sectemur lenocinia Rhetorum, sed veritates Piscatorum. Quæ autem damna sequantur ex hac doctrina neglecta, indicavit Idem dicens: Hoc subvertit Ecclesias, quòd & vos non quæritis sermonem, qui compungere possit, sed qui oblectet, & tinnulo strepitu, & verborum compositione, quasi Citharædos, & cantores audientes, & nos frigidè & miserè facimus, nostras affectiones sequentes, quas eiicere oportebat. Et idem fit, ac si pater videns puerum, quem supra modum tenerè amat, ægrotum, illi frigida & quæcunque oblectant, porrigat; quæ autem utilia, minimè curet; deindè quandò obiurgatur à Medico, rationem reddat dicens, quid faciam? videns flentem puerum ferre nequeo. Miser, & ærumnose, ac proditor! neque enim talem patrem dixerim. Et quantò satiùs fuerit, parvo tempore tristitiâ affectum, perfectæ sanitati restitui, quàm temporariam illam gratiam perpetuæ tristitiæ causam fieri? Hoc etiam nobis accidit. Flosculos verborum, & compositionem, & harmoniam curiosiùs sectamur, ut canamus, non ut prosimus; ut simus in admiratione, non ut doceamus; ut oblectemus, non ut compungamus; & plausu, & laudibus obtentis abeamus, non ut mores componamus. (S. Chrysostomus hom. 30. in act.)

§. VIII.

ASCETICA.

I. INprimis nôsse debet Asceta, *quæ sint signa legitimæ vocationis ad officium concionatoris*: Ea breviter indicavit S. Bonaventura his verbis: Tria sunt signa evidentia, quibus probatur, utrùm Prædicator à Domino sit missus ad prædicandum Evangelium. Primum est, *authoritas mittentis.* Secundùm, *animarum Zelus in persona*, quæ mittitur, quando scilicet principaliter quærit Dei honorem, & animarum salutem; Tertium est *fructificatio, & conversio auditorum.* (S. Bonav. in c. 9. Luc.)

II. Nôsse debet, *quis sit finis Concionatoris*; eum rectè S. Franciscus Salesius expressit, dicens: Finis & intentio eius debet esse, ut scilicet id faciat ob id, propter quod Christus in Mundum hunc venit. Quisnam verò Christi in Mundum venientis finis fuerit, ipsemet claris hisce verbis edicit: *Ego veni, ut vitam habeant, & abundantiùs habeant.* Finis itaque Prædica- (S. Franc. Sales. p. 1. l. 1. epist.)

toris hic esse debet, ut scilicet peccatores, per iniquitates suas mortuos, vivificet ad justitiam; & ut iusti, qui vitâ spirituali gaudent, illam abundantiùs possideant, magisque perficiantur; Et ideò Ieremiæ dictum fuit: *Vt evellas, & destruas*, vitia scilicet & peccata; *& ædifices & plantes*, virtutes nimirum & perfectiones. Hugo Cardinalis explicans illa verba S. Pauli: *volo quinque verba sensu meo loqui*; clariùs hunc finem indicat, dum ait: Quinque verba secundùm F. Iordanem Magistrum Ordinis sunt. *Quid credendum*, scilicet duodecim articuli; *Quid faciendum*, scilicèt præcepta Decalogi; *Quid fugiendum*, scilicet peccata mortalia; *Quid appetendum*, scilicet gaudia paradisi; *Quid timendum*, scilicet supplicia inferni; unde versus quidam sic habet: *Quid credam, faciam, fugiam, sperabo, timebo?* Doctor Angelicus quinque hæc verba simili ferè modo exponit, dum ea quinque sequentia esse dicit: *Agenda, timenda, vitanda, speranda, credenda.*

Hugo Card. apud Mansi disc. 3. n. 2.

III. Nôsse debet, *quod sit officium Concionatoris*, nempe illud ipsum, quod idem Cardinalis per exemplum canis explicat, dum ait: Habet canis in ore latratum, in dentibus morsum, in lingua medicamentum, sic bonus Prædicator, & bonus Confessor, & quilibet bonorum spiritualium administrator, debet habere hæc tria; *Latratus*, est verbum exhortationis: *morsus*, verbum obiurgationis: *lingua medicamentum*, verbum consolationis.

Idem apud eundem disc. 3. n. 5.

IV. Nôsse debet, *quem modum observare debeat in prædicando*: Eum videlicet, quem S. Antoninus indicavit, dicens: Prædicator, quia ex sua prædicatione debet quærere homines inducere ad faciendum, quod prædicat, ideo ut efficaciter prædicet, debet *clarè loqui, ut instruat intellectum auditoris, & doceat.* Secundò sic debet loqui, *ut delectet auditorem*; sed quô fine delectatio illa curanda est? ut sic moveat affectum, ut libenter audiat verbum. Tertiò debet sic loqui, *ut flectat*, scilicèt curando, ut quæ dicta sunt, velit ea implere. Et clariùs S. Gregorius, pro qualitate audientium formari debet sermo Doctorum, ut & sua singulis congruant, & tamen à communis ædificationis arte nunquam recedant.

S. Antoninus p. 3. tit. 18. c. 3. §. 2.

S. Greg. p. 3. past. in prolog.

V. Nôsse debet, *quomodo optatum fructum Concionis obtinere possit*; scilicet si opera verbis coniungat; uti S. Gregorius illa S. Pauli verba: *Præcipe hæc, & doce cum omni imperio*, explicans insinuavit his verbis: Non dominationem potentiæ, sed authoritatem suadet vitæ; cum imperio quippe docetur, quod priùs agitur, quàm dicatur, nam doctrinæ subtrahit fiduciam, quando conscientia præpedit linguam; Non ergo ei potestatem elatæ locutionis, sed bonæ fiduciam insinuavit actionis; Môxque subdit: Unde etiam de Domino scriptum est: Erat enim docens, sicut potestatem habens, non sicut scribæ & Pharisæi; singulariter námque ac principaliter solus ex potestate bona locutus est, quia ex infirmitate mala nulla commisit. Quod etiam confirmans S. Bonaventura, eum, inquit, elige Doctorem, quem magis admireris, cùm videris, quàm cùm audieris. Id quod etiam Seneca agnovit, dicens: Hæc sit propositi nostri summa: quod sentimus, loquamur; quod loquimur, sentiamus; concordet sermo cum vita; ille promissum suum implevit, qui & cùm videas illum, & cùm audias, idem est. Videbimus qualis sit, quantus unus sit.

S. Greg. l. 23. mor. c. 7.

Seneca epist. 75.

VI. Nôsse debet, *quid agere debeat, si fructus optatus non sequatur*; nimirum meminisse, quod S. Antoninus notavit; Apostolus ait, *unusquisque mercedem accipiet secundùm laborem suum*; non dixit, secundum fructum suum; nec enim credimus, inquit præfatus Author, minorem gloriam obtinuisse Iacobum maiorem, qui paucissimos convertit, quàm multos Sanctos, qui millia populorum traxerunt ad fidem.

S. Antoninus p. 3. tit. 18. c. 3. § 2.

VII. Nôsse debet, *quomodo delectatio in concione quæri possit*; id quod Mansi his verbis declarat: Porrò delectatio à prædicatione non omninò excluditur, sed ordinari debet ad faciendum fructum, ad eum ferè modum, quo arbor florem producens in eo non subsistit, sed eundem in fructum transmutat. Prædicetur eo modo, ut aures auditoris in eo, quod audiunt, sibi complaceant; at verò non sit balista sine globo explosa; hoc enim modo nil aliud obtinetur, quàm quòd pulvis nitratus inutiliter consumatur, sit igitur benè onusta sententiis validis & efficacibus, tanquam globis, ut strages inter inimicos faciat, & turres subvertere, id est, obstinatos peccatores ad pœnitentiam inducere queat.

Mansi disc. 4. num. 6.

VIII. Nôsse debet, *cur non dolere debeat, si ab uno loco ad alium mittatur*; quem in finem proderit notare, quod Bollandus refert in vita B. Iordani Generalis Dominicanorum, quòd, cùm Legati Bononienses apud ipsum intercederent, ne ab ipsis celebris quidam dimoveretur prædicator, qui seminaverat in civitate verbum Dei gratiosè, eò quod timeretur, quòd fructus, qui sperabatur secuturus de eius prædicatione, totus posset in eius absentia perdi; Sanctus hic vir iisdem responderit: Illa ratio, quam vos allegatis, quòd Frater Ioannes hic deberet morari, quia seminavit vobis verbum Dei, & posset perire fructus, si recederet, non multùm conturbet vos; non enim est consuetudo seminatoris camporum, quòd, cùm seminaverit agrum unum, apportet illuc lectum suum, & iaceat ibi, quoúsque videat, quomodo semina fructificent; imò potiùs commendat semen & campum Deo, & vadit ad seminandum in alium campum. Ita fortassis expediret, quòd Fr. Ioannes iret ad seminannandum verbum Dei alibi, sicut de Salvatore scriptum est, quia & aliis civitatibus oportet me evangelizare verbum Dei.

Bollandus 13. febr. fol. 718.

IX. Nôsse debet, *quos potissimùm Authores legere & citare debeat concionator*; de quo sic loquitur S. Carolus Borromæus: Maximè sibi veteres Patres proponat, quorum in dicendo virtutes sequatur, Gregorii Magni, & Chrysostomi disci-

Acta Mediol. fol. 476.

Digitized by Google

disciplinæ moralis copiam; Leonis magni, & Basilii gravitatem; Nazianzeni vim, Nysseni subtilitatem; Augustini acumen, Ambrosii temperatum dicendi genus, Bernardi dulcem, devotámque orationem, atque omninò admirabilem & divinam eloquentiam sanctissimi Pauli Apostoli. S. Antoninus quoq; ait: Prædicator præcipuè debet esse doctus in Sacra Scriptura, & ipsi vacare; Unde in huiusmodi figura vectes, quibus Arca portabatur, iugiter annulis erant insertæ, ut, cùm Arca esset portanda, nulla fieret mora de intromittendis vectibus; quia Prædicatores, per quos Ecclesia circumfertur, sacris literis debent semper insistere, ne tunc cogantur discere, cùm ex officio alios habent docere, ut exponit Gratianus dist. 36. cap. Qui Ecclesiasticis. §. Ecce quod Sacrum. Salvator noster priùs in medio Doctorum sedit, audiens illos, & interrogans, & postea prædicare cœpit.

S. Antoninus l. c.

X. Nôsse debet, *quomodo profanos Authores legere & citare possit Concionator*; id quod S. Franciscus Salesius sic docet. De historiis profanis quid dicis? Bonæ sunt, sed illis uti oportet, quemadmodum fungis, id est raro, & solummodò ad excitandum appetitum, & tunc quidem etiam necessum est, ut cautè & benè proponantur, atque, ut S. Hieronymus ait, ungues & capilli illis amputandi sunt; Quemadmodum Israëlitæ mulieribus in servitute natis faciebant, quando illas sibi desponsare parabant, id est, totaliter accommodandæ sunt Evangelio, & veræ virtuti Christianæ, tollendo ab ipsis, quidquid est reprehensibile actionum profanarum à Gentibus editarum; denique ut sacer Textus ait: *separare pretiosum à vili oportet*. Dum de magnanimitate cæsaris mentio incidit, nulla habenda est ambitionis illius commemoratio; & dum de Alexandro Magno sermo est, absit omnis memoria vanitatis, truculentiæ, & superbiæ ipsius. De castitate Lucretiæ disserens, mortem eius desperatam omninò sileat. Sed fabulis Poëtarum quid agendum? Hæ prorsus, negligendæ sunt, nisi fortè ornatûs causâ adhibeantur, id quod adeò breviter, & cum talibus circumstantiis fieri debet, ut potiùs antidoti loco subserviant, & unusquisque illas à Prædicatore parvi fieri, facilè cognoscat. Cæterùm antiqui, quantumcúnque fuerint devoti, illas tamen nonnunquam usurpârunt, imò ipsemet S. Bernardus earum nonnunquam meminit, licet ubi illas didicerit, ignorem. S. Paulus primus fuit, qui Aratum Menandrum citavit. Quod autem fabulas attinet, vix unquam earum vel minimam inveni in sermonibus antiquorum memoriam, solâ exceptâ fabulâ Ulyssis & Sirenarum, cuius in operibus S. Ambrosii in sermone quodam fit mentio; ac proinde repeto, vel illis prorsus utendum non esse, vel ita parùm, ut negligi videantur; non enim benè convenit cum idolo Dagon Arcæ Testamenti.

S. Franc. Salesf. p. 1. l. 1. epist.

XI. Nôsse debet, *quomodo Concionatores malæ vitæ audiendi sint*, nimirum iuxta consilium S. Augustini dicentis: Botrum carpe, spinam cave; Benè quidem intellexistis, sed propter tardiores dicam hoc planius. Quomodo dixi, botrum carpe, spinam cave? Quia botrus aliquando de radice vitis exortus pendet in sepe, crescit palmes, inseritur spinis, & portat fructum spina non suum, non enim spinam vitis attulit, sed spinis palmes incubuit. Noli interrogare, nisi radices. Quære radicem spinæ, extrà invenis à vite. Quære originem uvæ, vitis hanc protulit ex radice. Cathedra ergo Moysis vitis erat, pharisæorum mores spinæ erant. Doctrina vera per malos, palmes in sepe, Botrum inter spinas cautè lege, ne, dum quæris fructum, laceres manum, & cùm audis bona dicentem, ne imiteris mala facientem. Quæ dicunt, facite, legite uvas, quæ autem faciunt, facere nolite, cavete spinas. Et iterum alibi: quomodo vis, inquit, de spinis me uvam colligere? Respondeo, non est uva illa spinarum, sed aliquando increscens sarmentum, implicat se in sepem, & pendet uva inter densa spinarum, sed non surgit de radice spinarum, tu cautè manum mitte, ne lacereris à spinis, id est, ne facta imiteris malorum, & lege uvam inter spinas pendentem, & de vite ad te perveniat botri alimentum, spinis autem servatur ignis tormentum.

S. Aug. tract. 40. in Ioan.

Idem to 9. de pastor. lib.

XII. Nôsse debet *impedimenta fructus ex Concionibus referendi*, quorum præcipuum indicavit Ecclesiastes salubriter admonens: *Qui observat ventum, non seminat, & qui considerat nubes, nunquam metet*; Quæ verba S. Bonaventura ad propositum nostrum hoc modo exponit; seminare, est verbum Dei prædicare *Exiit qui seminat seminare semen suum*, & pòst; *Semen est verbum Dei*) ventus iste est ventus detractionis; qui observat hunc ventum, nunquam seminat, quia timet verba hominum detrahentium; non prædicat ad fructum, imò agitatur ut arundo. Quid existis videre? Arundinem vento agitatam? Et qui considerat nubes, nunquam metet. Nubes, ut dicit Glossa, est blandimentum adulationis, quod qui cupit habere, nunquam metet vitam æternam, quia receperunt mercedem suam.

Eccl. c. 11. v. 4.

S. Bonav. in cit. l.

XIII. Nôsse debet, *cur curare non debeat Concionator, si paucos Auditores habeat*; sed potiùs consilium sequi S. Caroli Borromæi dicentis: Nec propterea despondebit animum, si perpaucos auditores ad se convenire viderit, quoniam summus ille Magister vitæ Christus Jesus, cùm Dei sapientiam, vitámque æternam monstraret Mundo, paucitate discipulorum contentus fuit; imò aliquando solam mulierem Samaritanam habuit, quæ illum & de divino cultu, & cœlesti gratia loquentem audiret. Quod etiam S. Chrysostomus confirmans, licèt, ait, unus audiat; non enim exiguum est, unam ovem servari, quandoquidem & pastor ille, qui nonaginta novem reliquerat oves, ad unam cucurrit, quæ aberraverat. Hominem non contemno, licèt unus sit homo, est animal Deo charissimum: licèt servus sit, contemnendus mihi non videtur; non enim dignitatem quæro, sed virtutem; non dominationem, aut servi-

Acta Mediol. fol. 479.

S. Chrys. to. 5. ho. 6.

tutem; sed animam. Licèt unus sit, homo est, propter quem cœlum extensum est, & propter quem unigenitus Dei Filius factus est homo.

S. Greg. p. 1. past. c. 6. XIV. Nôsse debet, *quando & quomodo recusare possit officium Concionatoris*, in quo observare debet S. Gregorii doctrinam: sunt nonnulli, inquit, qui ex sola humilitate refugiunt, ne eis, quibus impares se æstimant, præferantur. Quorum profectò humilitas, si cæteris quoque virtutibus cingitur, tunc ante Dei oculos vera est, cùm ad respuendum hoc, quod utiliter subire præcipitur, pertinaces non sunt. Neque enim verè humilis est, qui superni nutûs arbitrio, ut debeat præesse, intelligit, & tamen præesse contemnit, sed divinis dispositionibus subditus, atque à vitio obstinationis alienus, cùm sibi regiminis culmen imperatur, si iam donis præventus est, quibus & aliis prosit, & ex corde debet fugere, & invitus obedire.

Mansi disc. 47. n. 4. XV. Nôsse debet, *cur Apostoli & Concionatores Piscatores hominum fuerint appellati*; cuius rationem hanc assignat Hieronymus Narni Capuccinus: Duo piscatoribus sunt necessaria, ne labor ipsorum frustra adhibeatur; scilicet ars, & laborandi ardor: etenim pisces animalia sunt lubrica, natatilia, & ad fugam capiendam velocissima, lacunásque suas in abysso maris adeò profundas, & absconditas habent, ut, nisi piscator iuvetur ab arte, & ab ardenti desiderio, quod illum in laboribus indefessum reddat, exstimuletur, de illis capiendis spem omnem deponere debeat. Hæc autem ars, & ardentissimum illud animas piscandi desiderium à Christo Apostolis promittitur. Hactenus verba sunt P. Narni. Porrò certum est, prout quotidiana demonstrat experientia, quòd inter omnes professiones, quas homo exercet, professio piscatorum supra modum sit laboriosa, quia, qui huic professioni est deditus, quovis anni tempore, id est, tam in hyeme, quàm in æstate, temporum iniuriis debet esse expositus, vigilias agere in obscuritate noctis, quasi nudus, sudare debet in eiiciendis, & adducendis ad se retibus, ludibrium sæpè fit ventorum, undarum, tempestatum, & continuò morti adeò est vicinus, quàm subtile est navigii lignum, quo ab aquis dividitur; famem patitur & sitim, adversùs somnum continuò dimicat, frigore & æstu exercetur, & labore absoluto ob nimiam fatigationem vix pedibus insistit. Per hanc igitur similitudinem cœlestis Magister noster nobis insinuare intendit, quòd, ut Prædicator animas piscetur, easque ad salutis æternæ portum perducat, necessariò multis magnísque laboribus expositus esse debeat. Talis Piscator fuit S. Paulus Apostolus, qui de semetipso dicere non dubitavit: Abundantiùs omnibus laboravi, ac proinde mirum non est, quòd mundum universum Christo lucratus fuerit. Unde D. Chrysostomus in eius laudem ita scripsit: Nullus dignè instituitur Prædicator, nisi qui paratus animam millies ponere pro auditoribus suis. Neque saltem attingere quisquam debet præclaram huius muneris functionem, nisi paratus sit millies animam suam tradere in mortem, atque discrimina.

XVI. Nosse debet, *quinam sint illi, qui verbum Dei adulterare dicuntur*; id quod Interpres quidam sic explicat: Adulterare verbum Dei, est, fictis coloribus orationem pingere, audientium sensibus blandiri, non ex sinceritate loqui, & veritatis manifestatione, sed gloriæ exstruendæ studentes, non ædificandæ conscientiæ. Idem Apostolus in c. 4. eiusdem epistolæ inquit: Neque adulterantes verbum Dei, sed in manifestatione veritatis commendantes nosmét ipsos ad omnem conscientiam hominum coram Deo. Et clariùs S. Anselmus: adulter, inquit, in carnali coitu non prolem, sed voluptatem quærit; & perversus quisque, ac vanæ gloriæ serviens, rectè adulterare verbum Dei dicitur, quia per sacrum eloquium, non Deo Filios gignere, sed suam scientiam desiderat ostentare; Quem enim libido gloriæ ad loquendum trahit, voluptati magìs, quàm generationi operum intendit, adulterare, námque verbum Dei est, ait, aliter de illo sentire, quàm est, aut ex eo non spirituales fructus, sed adulterinos fœtus quærere laudis humanæ. Ex sinceritate verò loqui, est, nihil in eloquio, extra quod oportet, quærere. Sicut ex Deo autem loquitur, qui scit, non se à se habere, sed ex Deo accepisse, quod dicit. Coram Deo verò loquitur, qui in omni quod dicit, non humanos favores appetit, sed omnipotentis Dei præsentiæ intendit, nec suam, sed authoris gloriam requirit. Et in Christo loquitur, cuius sermo totus in Christi veritate persistit, ut nec mendax sit, nec aliud, quàm Christum prædicet. Qui autem scit quidem, ex Deo se accepisse, quod dicit, & tamen dicendo propriam gloriam quærit, sicut ex Deo loquitur, sed non coram Deo, quia eum, quæ cordi suo non proponit, cùm prædicat, quasi absentem putat. Sed sancti viri & ex Deo loquuntur, & coram Deo, quia ab eo sciunt, se habere, quod dicunt, & ipsum suis sermonibus adesse iudicem, auditorémque considerant.

ibidem disc. 43. n. 1.

S. Anselm. in 2. Cor. 2. v. 17.

§. IX.

MISCELLANEA ET CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Qualitas.

I. SAmson olim dilaniatis leonis faucibus, relicto cadavere processit; reversus autem per eandem viam, curiositate ductus, declinavit, ut videret cadaver leonis, & ecce examen apum in ore leonis erat, ac favus mellis, quem cùm sumpsisset in manibus, comedebat in via. Omnia autem in figura contingebant illis. Audiamus igitur historiæ huius moralitatem. Procopius ait: Fertur, quemvis leonem vivum os habere fœtidissimum, adeò ut dictu sit mirificum; in ore fœtido mel repertum esse dulcissimum. Enimverò quis est, qui nesciat, eloquentiam Mansi disc. 19. n. 2.

quentiam sacram à Spiritu Sancto sæpiùs s vo mellis comparatam fuisse:Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo! Et tamen quis non videt,hanc mellis suavitatem sæpius in puteolentibus faucibus, id est, in Prædicatoribus ob malos mores,fumánque sinistram fœtentibus reperiri ? Admirantur Auditores eorum talentum, facundiam, sæpè etiam eximium parient fructum, quantumvis ipsi dissolutè vivant. Horum igitur favo uti licet; Favus mellis composita verba, inquit sapiens; *Quæcunque enim dixerint vobis, servate & facite*; Cavendus autem est in putrefactis ipsorum faucibus fœtor: Secundùm opera eorum nolite facere.

Idem disc. 19. n. 4. II. Duo Fratres,Jacobus & Joannes, electi ad Evangelium prædicandum Apostoli, à Christo appellati fuêre Boanerges, id est, Filii tonitrui: siquidem per tonitru vocis deterrere debeant idololatras, eósque ad veri Dei notitiam perducere; Advertendum verò est, quòd oculus diu antè fulgur conspiciat, priusquàm auricula tonitrui strepitum persentiscat; Ita quoque in ministris Evangelicis priùs videri debet lux boni exempli, virtuosorúmque operum, & postea sermones eorum auscultari; si enim prædicationem bonum præcesserit exemplum, infallibiliter efficax, & fructuosa reddetur. In Apoc. dicitur: *De throno procedebant fulgura, & voces, & tonitrua*; ubi priùs mentionem facit fulguris, & postea tonitrui. Apud Ezechielem pariter dicitur: *Animalia ibant, & revertebantur in similitudinem fulguris coruscantis*; Et paulò pòst subditur: *Audiebam sonum alarum, quasi sonum aquarum multarum.* Porrò quatuor illa mystica animalia Evangelistas, seu ministros Evangelicos præfigurârunt, in quibus priùs resplendere debet lux perfectionis, & postea vox prædicationis audiri.

S. Greg. p. 2. past. c. 7. III. Cœlestis Agricola divinum verbū suum semini assimilat;sicut enim non sufficit,quòd semen in terrā spargatur, nisi ipsemet rusticus terram arando, & excolendo laboribus se conficiat,ita quoq; Orator Evangelicus nullum fructum producet, nisi priùs operatus fuerit id, quod prædicat: *Verbi semen facilè germinat*, inquit S. Gregorius: *quando hoc in audientis pectore pietas prædicantis rigat.*

Didac. stella in c. 1. Luc. IV. Didacus Stella super Lucam ingeniosam quandam habet observationem,circa illa verba S. Joannis Bapt. *vox clamantis in deserto*, Dicit enim: Joannes erat vox, quia, quidquid erat in Joanne, erat vox. Vestis, manus, pedes, caput, & lingua, totus Joannes vox erat clamans & dicens: *Pœnitentiam agite.* Eius cibus, potus, lectus, cilicium, inedia, os denique & facies prædicabant. Etiamsi os non loqueretur, quidquid in ipso erat, prædicabat contemptum Mundi, pœnitentiam, & amorem divinum.

Mansi disc. 30. n. 5. V. In secundo Libro Esdræ c. 4. legitur, quòd, dum Filii Israel à captivitate Babylonis reversi in procinctu erant, ut collapsos Hierosolymæ muros restaurarent, & resarcirent, ex timore gentium circumvicinarum, qui ædificantes impedire satagebant, unâ manu suâ faciebant opus, & alterâ tenebant gladium; ædificantium enim unusquisque gladio erat accinctus, renes, & ædificabant, & clangebant buccinâ iuxta me: Omnia autem hæc in figura contingebant illis. Per Jerusalem enim anima nostra præfiguratur, cuius muri per peccati mortalis excidium ruinantur, ut proinde opus habeant, ut per pœnitentiam resarciantur, & reædificentur; Ministri autem verbi Dei (ad quos Apostolus hæc verba dirigit: *Dei ædificatio estis*) ad hásce ruinas resarciendas sunt destinati. Observandum tamen est, quod Esdras primò de hísce artificibus dixerit: unâ manu suâ faciebant opus, & postea secundo loco subiunxerit: alterâ tenebant gladium, ut per hoc insinuet, quàm sit verum, quòd operatio prædicationem præcedere debeat. Cœpit Iesus facere, & postea gladium prædicationis stringere, & docere; Quod si fiat, hic fructus subsequetur, quòd scilicet verè ædificabunt. Et ædificabant; uniendo enim facta cum verbis, cum magna populorum ædificatione prædicatur, ruinæque spirituales restaurantur.

VI. Deus olim Prædicatore quodam indigens, qui surdas populi Israël à divino suo cultu deviantis aures aperiret, clamabat: Quem mittam, & quis ibit? Tunc Isaias sese prodens, ad obeundam hanc legationem promptum se obtulit, dicens: *Et dixi, ecce ego, mitte me*, nimirum patentes sibi literas expediri cupiebat, quibus eiusdem Verbi increati, & sapientiæ Patris immediatus constitueretur Prædicator, evasitque in prædicatorem adeò famosum, ut Sancta Mater Ecclesia, cui continuò assistit Spiritus Sanctus, sapientissimè ordinârit, ut annuntiaturus Evangelium Diaconus, specialiter eum invocet, eiúsque imploret auxilium, ut verbum Dei dignè annunciare, & exponere possit; hoc enim fine orationem illam dicit: Munda cor meum &c. Verùm etiam observandum est, quòd priusquàm Isaias se promptum ad annuntiandum Dei verbum offerret, iam antè labia sua carbonibus ignitis ex officina paradisi per manum non cuiuscunque Angeli, sed ardentissimi cuiusdam Seraphini desumptis purificari voluerit, per quod Deus nobis insinuare voluit, quòd, priusquam ad prædicationem Evangelicam nos exponamus, necessum sit, ut priùs Seraphico quodam incendio accendamur, & ardeamus. *Idem disc. 31. n. 2.*

VII. S. Gregorius verba illa Psalmi explicans: *Ne auferas de ore meo verbum veritatis usquequaque*; dicit: Perpendit nàmque, quòd omnipotens DEUS, veritatis verbum facientibus tribuit, & non facientibus tollit. Qui ergo hoc de ore suo non auferri petiit, quid aliud quàm gratiam bonæ operationis quæsivit? acsi apertè diceret: A bono opere errare me non sinas, ne dum amitto ordinem benè vivendi, rectitudinem perdam loquendi. *S. Greg. l. 10. mor. c. 9.*

VIII. In Exodo ornatus & gemmæ vestium Sacerdotalium, quibus summus Pontifex induendus erat, in hæc verba describuntur: *Et tintinnabula inter malogranata ex auro purissimo, quæ posuerunt inter malogranata in extrema parte tunicæ.* At verò quis vestrûm mihi enodare poterit horum tintinnabulorum in extrema parte dependentium mysterium? S. Isidorus, ab Authore Catenæ citatus, dubium hoc in hæc *S. Isidorus in catena. Lippeman*

verba

verba resolvit: Tintinnabula inter malogranata consonantia, Prophetæ intelliguntur, & Doctores Sancti, in medio Ecclesiæ collocati, quorum lingua doctrinæ scientiam resonans, tangit utrasque partes legis, & Evangelii. Hæc tintinnabula in extremo vestimento idcircò sunt posita, ut de fine Mundi, & de vita futura disputantes, nunquam sileant.

Albertus M. apud Mansi disc. 40. n. 7. IX. S. Albertus M. super illa verba: *Illi autem profecti prædicaverunt ubique*; ita scribit: Non tam passibus pedum, quàm passibus virtutum profecti, prædicaverunt intelligenda, credenda, agenda, & appetenda. Intelligenda, quæ subnixa sunt necessariæ veritati; Credenda, quæ innituntur divinæ authoritati; Agenda, quæ vel timore fugienda sunt, vel ut honesta, cum virtute complenda sunt; Appetenda, quæ beatos faciunt.

S. Thom. Vill. in Sexag. X. Si domus Filii tui igne conflagraret, cum periculo incinerandi omnia, quæ in illa sunt, tu verò ad ignem illum extinguendum folia adferres, vel ad vicinum pharmacopolium accurrens, aquam tibi compararès rosaceam, nunquid manifestam committeres stultitiam? Miserabiles peccatorum animæ in perniciosis carnalis concupiscentiæ flammis ardent, imò secundùm præsentem iustitiam ignem de facto conceperunt infernalem, utpote à quo per unicam respirationem tantummodò absunt; ad Prædicatorum autem munus pertinet, incendium hoc per prædicationem Evangelicam extinguere; stultè igitur facimus, si ignem hunc per variorum verborum folia, per metaphoras, aliorumque troporum flores, phrasium elegantias, aliósque ornatus Academicos extinguere velimus. *O stulte* (verba sunt S. Thomæ de Villanova) *ardet domus tua, & ignis omnia devastat, & tu exspectas compositam orationem!*

Mansi disc. 42. n. 7. XI. In Libro Judicum c. 3. legitur de Aod, quòd fecit sibi gladium ancipitem, habentem in medio capulum longitudinis palmæ manûs; Hócque gladio uni duntaxat necem intulit, scilicet Eglon Regi Moab. Nec eduxit gladium, sed ita ut percusserat, reliquit in corpore; subdit autem sacer Textus; priusquam hoc caput tertium finiat: Post hunc fuit Samgar, qui percussit de Philisthiim sexcentos viros vomere, & ipse quoque defendit Israel. Omnia autem hæc contingebant illis in figura. Per ensem námque verbum Dei intelligitur de quo S. Paulus ait: *Gladium Spiritus*, quod est verbum Dei. Per Gladium Aod tanto cum studio fabricato, elegans, & coloribus Rhetoricis exornatus sermo intelligi potest, qui uni duntaxat mortem infert, eidémque infixus manet; Vomer autem Samgar, licèt rudis & impolitus sexcentorum Philisthæorum stragem faciens, prædicationem simplicem, materias utiles, animabúsque proficuas tractantem denotat, dicente Stephano Canturiensi: Ecce iste plures occidit vomere, quàm Aod gladio suo limato & acuto; quia sæpè plùs proficit simplex, & rudis prædicatio, quàm exquisita & polita.

Idem disc. 43. n. 2. XII. Cœlestis agricola, qui dixit: *Pater meus agricola est*, divinum verbum suum semini, non autem floribus comparavit; Enim verò, qui loco seminis flores quantumcunque pulchros, elegantes & odoriferos subtus terram seminaret, flores illi utique sub terra confestim emarcescerent, nec ullum fructum producerent. Idem quoque accidit iis, qui venustorum verborum, vanarúmque elegantiarum flores diligunt; hi enim nullum animabus fructum afferunt, sed potiùs irreparabile damnum, siquidem qui in sordibus est, sordescet adhuc. Opus itaque est semine, quod fructificandi virtutem habeat; tale autem est verbum non Demosthenis, non Ciceronis, nec aliorum similium Oratorum profanorum, sed Dei illius, qui verbum & sapientia æterni Patris est.

XIII. S. Matthæus priusquam Christum nobis tanquam Prædicatorem exhibuit, hæc verba præmisit: *Et relictâ civitate Nazareth, venit, & habitavit in Capharnaum.* Circa quæ verba considerationem meretur, quod Author quidam notat; Nazareth enim, inquit, idem est, quod floridus; Priusquam igitur Christus divinum verbum suum annuntiaret, non sine mysterio è Nazareth patria sua recessit; sed per hoc omnibus illis, quibus hoc mysterium exercendi munus incumbit, insinuare voluit, quòd à stylo dicendi florido, id est vano, semper sint alieni; Nam ut Isaias ait: *Exsiccatum est fœnum, & cecidit flos, verbum autem divinum manet in æternum.* Flores quippe citò evanescunt, sic quoque elegantium verborum flores citò languent, exarescunt, & deficiunt; veritates autem æternæ auscultantium animis tenaciter impressæ remanent. *Ibidem n. 3*

XIV. In Libro Secundo Paralipomenon de Sesac Rege Ægypti legitur, quòd inter alias prædas, quas è templo sustulit, etiam scuta aurea, quæ Salomon fabricari curaverat, rapuerit: *Tulit & clypeos aureos, quos fecerat Salomon, pro quibus fecit Rex æneos.* Circa quæ verba Glossa in sensu morali ita in favorem nostrum scribit. Hæc antiquus hostis per iniuriam Rectorum abstulit in prædicatoribus; tales verò cùm se Spiritu privatos vident, per eloquentiam verborum copiam quærunt, quorum sonoritatem, velut scutorum æneorum firmitatem contra hostes opponunt, sed quantò æs est auro vilius, tantò est eloquentia inferior veræ sapientiæ fructu: unde ubi plurima verba, ibi frequenter egestas. *Glossa in cit. Loc. 12. 9. 9.*

XV. S. Mater Ecclesia in Sacrosancto Festo natalitio Verbi incarnati ita canit: *Omnipotens sermo tuus Domine à regalibus sedibus venit.* Et tamen sanctissima eius Mater, quæ ab eâdem Ecclesia sedes sapientiæ appellatur, se partui vicinam esse sciens, quânam linteâ suppellectile provisa fuit, ut filiolum suum recens natum involveret? Sacer Evangelista ait: *Et pannis eum involvit.* Unde Albertus Magnus pro instructione Prædicatorum, sequentem deducit moralitatem, dum ex Richardo de S. Victore ita scribit: Mater Virgo Verbum Patris pannis involvit, significans verbum Dei magis simplicibus sonis indui in prædicatione, quàm phaleris Rhetoricis. *Albert. M. in Luc.*

XVI. Inter

XVI. Inter alias Sponsæ laudes, quibus à cœlesti Sponso extollitur, una quoque hæc fuit: *Favus distillans Labia tua, Sponsa, mel & lac sub Lingua tua.* Quidnam verò Sponsus per hunc favum mellis è labiis dilectæ suæ distillantem indicare voluerit, Gillibertus Abbas egregiè exponit; Cùm enim indubitatum sit, per Sponsam hanc Sanctam denotari Christi Ecclesiam, *Gillibert. Abbas ser. 34. in Cant.* quæ eius coniux est; hoc supposito præfatus Abbas inquit: Tria laus ista complectitur; dulcedinem, plenitudinem, parcitatem: Dulcedo consideratur in genere; plenitudo in copia, parcitas in effusione. Quid effusionem dico? Distillatio magis est, quàm effusio. Quid necesse est in assignandis singulis immorari, ipsi enim scitis, quia favus non nisi dulcedinem effundit, nec nisi de pleno effundit, & de plenitudine quidem ipsa, non totam ipsam. Est ergo in labiis Sponsæ dulcedo sola, dulcedo plena, & dulcedo sobria; plenè quidem possidetur, sed non plenè effunditur; sed prout auditorum capacitas exigit.

Mansi disc. 47. n. 4. XVII. Deus olim apud Ieremiam c. 16. prædixit: *Ecce ego mittam piscatores multos, & piscabuntur eos; & post hæc mittam eis multos venatores, & venabuntur eos.* At verò quónam spectat hæc inter piscatores & venatores similitudinum varietas? Inter utrosque prædictos hæc est differentia, quòd piscatores nonnunquam in unico retium tractu ingentem capiant omnis generis piscium multitudinem: Venatores autem unicâ sclopeti explosione unam tantùm vel duas ad summum capient feras: vel laqueo aut visco unam tantùm apprehendent aviculam. Vult igitur Deus prædictis verbis dicere, quòd priùs missurus sit Apostolos suos in primitiva Ecclesiâ velut piscatores, qui in Ecclesiæ sinum, & ad fidem integros protrahent populos & Regna. Postea verò missurus sit venatores, id est, alios ministros Evangelicos, qui prædam tam copiosam non capient, sed ad summum unam vel duas animas convertent.

Ibidem n. 1. XVIII. Christus ad discipulos suos dixit: *Faciam vos fieri piscatores hominum*; at verò quodnam in eo latet mysterium, quod Incarnata sapientia illos potiùs piscatores, quàm cuiuscunque alterius opificii artifices appellet? Responderi potest, prædicationem piscationi assimilari, quia hæc partim fit retibus, partim hamo instituitur, ex quibus hic ferit & vulnerat, non illa; ad denotandum, quòd prædicator iuxta diversitatem auditorum, nunc ferro uti debeat, id est, comminatione mortis, inferni, extremi iudicii, quæ omnia expavescenda sunt; Nunc verò retibus, id est, exstimulationibus præmiorum cœlestium, vel amicitiæ Dei, vel etiam bonorum temporalium promissione; Argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina.

Ibidem n. 3. XIX. Interpres quidam super illa verba Isaiæ: *Quasi tuba exalta vocem tuam*, ita scribit: Instrumentum hoc non à loquente, sed ab inspirante imbuitur, halitu inflatur, & per tornu cavum spiramen ebibit, ut sonitum edat. Unde ad eruditionem veri Prædicatoris hoc deducit documentum, quòd scilicet prædicator in auditorem animam halat. Sicut enim per anhelitum vivimus, ita prædicator tanto cum Spiritu pro alterius salute detonare debet, ac si ad illum spiritualiter vivificandum, qui eum auscultat, extremum spiritum exhalaret; inspiravit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viventem. Canet tuba, & mortui resurgent &c.

Idem disc. 1. n. 9. XX. Venerabilis Beda Libro de Templo Salomonis aliud quoddam huius necessitatis adducit motivum; asserit enim, templum illud figuram fuisse veri Salomonis, qui Templum gloriæ ædificare statuit, de quo dicitur in Psalmo: *In templo eius omnes dicent gloriam*, de cuius artifice Apostolus pariter ait: *Cuius artifex, & conditor Deus.* Hic igitur architectus ex Petræ fodina Protoparentis lapides in hanc fabricam adhibendos eruit; at verò quia rudes & informes erant, pro iis inter se uniendis & quadrandis, martello opus erat (tunsionibus, pressuris, expoliti lapides suis coaptantur locis per manus artificis) Ac proinde martelli loco Verbum suum divinum adhibuit, ipsómet apud Ieremiam teste: *Nonne verba mea, sicut malleus conterens petras?* Prædicatores verò tanquam lapicidas adhibet, qui comminando supplicia, & proponendo præmia, reprehendendo scelera, & commendando virtutes, rudes & deformes hosce lapides elegantissimè expoliunt. Unde Apostolus ait: *Corripientes omnem hominem, & docentes, ut exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo IESU.*

XXI. In primo Libro Regum legitur, quòd, cùm Philisthæi adversus populum Israël dimicaturi essent, omni conatu ad hoc contenderint, ne in universa Iudæa reperiretur vel unicus, qui gladios, aliaque similia arma bellica fabricare posset. Quam historiam Dionysius Carthusianus ad nostrum propositum hisce verbis *Dionys. Carthus. in 1. Reg. c. 13* adaptat: Faber ferrarius non inveniebatur in omni terra Israël; caverant enim Philisthiim, ne fortè facerent Hebræi gladium. Per fabros istos intelliguntur prædicatores, qui spiritualia arma fidelibus præparant, & gladium spiritus, quod est verbum Dei, & lanceam militarem, videlicet charitatis favorem, seu discretionis acumen, omnia penetrantem, & adversariorum interiora pungentem; cavent autem Philisthiim, id est, dæmones, & omnes fidei inimici machinantur, & student tales fabros auferre Ecclesiæ, sicut iam (prô dolor!) pro maxima parte ei ablati sunt, in tantùm, quòd fideles quàm plures ad Philisthiim pergunt, ut sua acuant ferramenta, quia verâ & spirituali sapientiâ derelictâ, ad Philosophica argumenta, ad prudentiam sæculi, imò ad mundanas versutias se convertunt, atque in talibus suam acuunt mentem.

TITVLVS XIV.

CONFESSIO.

§. I.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Qualitas.

S. Chrysost. apud Mansi tr. 15. disc. 4. n. 4.

I. Iudices, quando ceperint latrones & sacrilegos, non quomodo ipsos reddant meliores, considerant, sed quomodo ab ipsis peccatorum pœnas exigant; Deus autem contra, cùm aliquem ceperit peccatorem, non considerat, quomodo sumat supplicium, sed quomodo ipsum corrigat, & meliorem faciat, & in futurum inexpugnabilem, itaque & Iudex pariter, & medicus, & Magister est. In hoc iudicio sese accusat pœnitens, ut ad meliorem frugem reducatur, ut Deo reconcilietur, ut gratiam consequatur, & ius reaquirat, quod perdiderat, ad regnum cœleste.

S. Aug. in psal. 74.

II. Quid times confiteri? Time confiteri homini Iudici, qui confessum punit; Deo noli; fac confitendo propitium, quem negando non facis nescium; vis non timere peccatorem? ama donatorem.

S. Bonav. de sacr. virt. to. 6. c. 23.

III. Pœnitentia est quoddam spontaneum iudicium, in quo contritio est quædam citatio, ubi sequitur rei spontanea ante mortem confessio, deinde sequitur per Iudicem impositæ emendæ solutio.

Idem ser. 2. de rogat.

IV. Sit integra, ut effundas in confessione, quidquid culparum habes in corde; iuxta illum Isaiæ textum: *Effunde sicut aquam cor tuum;* non dicit: effunde sicut oleum, vel sicut sanguinem, vel sicut lac, vel sicut vinum; in his enim aliquid remanet, vel de substantia, vel de colore, vel de sapore, vel de odore, dum effunduntur. Effunde integraliter sicut aquam.

S. Thom. Villan. serm. in Dom. 4. Quadr.

V. Oportet ante confessionem firmum & verum continendi à peccatis propositum perquirere, &c. an verè illud habeas discutere, quo naufragio multæ animæ submerguntur.

Absalon Abb. ser. 17. quadl. de quadr.

VI. Frustratoria est illorum pœnitentia, qui quadam consuetudine temporis tracti, ad horam dicunt, sed non deflent peccata sua, quippe statim deponunt onus satisfactionis, revertuntur ad vitia, bibunt calicem confusionis usque ad fæcem; & fiunt novissima talium peiora prioribus.

S. Hilarius in psal. 118.

VII. Vera peccati confessio est, sine intermissione temporis pœnitere; peccati verò pœnitentia est, ab eo, quod pœnitendum intellexeris, destitisse.

S. Greg. l. 22. mor. c. 9.

VIII. Usitatum humani generis vitium est, & latendo peccatum committere, & commissum negando abscondere, & convictum defendendo multiplicare. Ex illo quippe lapsu primi hominis hæc augmenta ducimus nequitiæ, ex quo ipsam radicem traximus culpæ.

S. Greg. Nazian. apud Mansi disc. 15. n. 8.

IX. Quantum studium à nobis adhiberi conveniat, ut morbum Medicis detegeremus; tantum ad medicinam fugiendam adhibemus, atque in nostram perniciem fortes sumus, & adversùm sanitatem nostram periti.

S. Isid. Hisp. de mod. viv.

X. Si patet vitium, ex magno fit pusillum; si latet peccatum, ex minimo fit maximum.

S. Chrysost. Hom. 5. de pænit.

XI. *Pudorem & verecundiam Deus peccato dedit* (verba sunt S. Doctoris) *confessioni verò fiduciam;* invertit rem diabolus, & peccato fiduciam præbet, confessioni verò verecundiam.

S. Ant. de Pad. ser. 2. in Dom. 1. Quadr.

XII. Audacter dico, quicunque discooperuit confessionem, graviùs peccat proditore Iudâ, qui DEI Filium Iudæis vendidit.

Necessitas.

S. Petr. Dam. in vigil. Nativ. Dom.

XIII. In veritate dico vobis, quia nihil sic exasperat iram Divinam, quàm iniquitatis defensio; æquo enim certamine nos decertamus cum Domino, cùm defendimus, quod odit; cùm nobis placet, quod displicet illi.

Alcuinus epist. 71.

XIV. Quid solvit Sacerdotalis potestas, si vincula non considerat ligati? cessabunt opera medici, si vulnera non ostendunt ægroti. Si vulnera corporis, carnalis medici manus exspectant, quantò magis vulnera animæ spiritualis Medici solatia deposcunt? Deo vis homo confiteri, quem volens nolens latere non poteris.

S. Thom. Vill. fer. 4. post. Dom. 4. Quadr.

XV. Si tu non revelaveris peccatum tuum, revelabitur à Deo; si absconderis, quasi homo, manifestabit ipse ut Deus; unde per Prophetam: *revelabo pudenda tua in facie tua, & ostendam in gentibus nuditatem tuam, & in regnis ignominiam tuam.*

S. Aug. ser. 66. de temp.

XVI. Hortatur nos sæpiùs S. Scriptura ad medicamenta fugere Confessionis, non quòd Deus indigeat confessione nostra, cui omnia præstò sunt, quæ cogitamus, loquimur, aut agimus; sed nos aliter salvi fieri non possumus, nisi confiteamur.

Utilitas.

Rupert. Abb. in psal.

XVII. Carnalibus hostiis reprobatis, placabilis hostia est Deo pura confessio, sacrificium Deo Spiritus contribulatus.

XVIII.

Digitized by Google

Petr. Blef. Senf. in c. 1 Iob. XVIII. Si peccatum tuum aperias, dicit Dominus: ego illud operio; si agnoscis, ignosco; si te accusas, excuso; si te iudicas, & condemnas, te nec iudico, nec condemno.

S. Aug. ser. 88. de temp. XIX. Peccata nostra Iudices nos sentiant, non Patronos: tu agnosce, & Deus ignoscit.

S. Laur. Iust. de ob. c. 15. XX. Confessio placat Deum, lætificat Angelos, serenat conscientiam, criminum exsolvit debitum, veniæ spem nutrit, servilis metûs coërcet stimulos, præstat gratiam, præbet auxilium, immundorum Spirituum propulsat fraudes, cœlum reserat, revelat mysteria, elevat de terrenis, & provehit in excelsa.

Ibidem. XXI. Oris autem confessio est perficienda, quam procul dubio quis exercuerit frequentiùs, tantò erit Deo propinquior, sui interioris hominis perscrutator clarior, ad virtutum exercitia alacrior, ad resistendum peccatis robustior, ad misericordiam promerendam aptior, atque ad percipienda charismata meliora habilior.

Ibidem. XXII. Peccatorum assidua confessio, charitatis est index, humilitatis germen, gratiæ radius, electionis præsagium, conscientiæ decus, compunctionis filia, spei Mater, orationis præcursor, & resolutionis corporis exspectator intrepidus.

S. Aug. hom. 41. XXIII. Tres sunt syllabæ peccavi: sed in tribus syllabis, flamma sacrificii coram Domino ascendit in cœlum.

S. Bonav. de Sac. Virt. l. 6. c. 21. XXIV. O bona spes confitentium, quàm potens es apud Omnipotentem, quàm facilè vincis invincibilem, quàm citò tremendum Iudicem convertis in piissimum Patrem.

Idem ser. 5. de rogat. XXV. Per confessionem inveniemus faciem Christi placatam, portam cœli reseratam, coronam Regni magnificatam.

Ibidem. XXVI. Portam cœli apertam invenies ad introducendum in evolatione, si porta cordis tui os tuum nunc plenè apertum fuerit in confessione; nihil remanebit in iudicio, quod fuerit per confessionem purgatum.

S. Laur. Iust. de cast. conn. c. 13. XXVII. Nihil sic cordis amissam reparat gratiam sicut iugis oris confessio; si delictorum maculis fœdatur, si hebetudine gravatur, si desperatione tangitur, si agitatur tentatione; currat ad confessionem, & liberabitur.

S. Aug. ser. 30. ad fr. XXVIII. Ad Sacram Messem confessionis accedere festinate; hæc est enim salus animarum, dissipatrix vitiorum, restauratrix virtutum, oppugnatrix dæmonum, pavor inferni, obstaculum diaboli, Angelorum tunica, Ecclesiarum fiducia, salus, dux, baculus, lumen & spes omnium fidelium.

Mich. Bonon apud Mansi disc. 53. n. 10. XXIX. Peccatum, quod homo tegit, Deus revelat; sed peccatum, quod homo per confessionem revelat, Deus tegit.

S. Chrysost. in psal. 140. XXX. Tu, O dilecte, quando peccaveris, dic, peccavi; Nihil est hac defensione iustius; Ita Deum reddis propitium; ita etiam facis, ut tardiùs in ea rursum incidas.

Æquitas.

XXXI. Si solus Papa hanc haberet potestatem in mundo, omnes ad ipsum quantumcunque separatum & distantem, cum maximo fervore ac desiderio, pro tanto beneficio consequendo, sæpiùs in vita ire debuissemus, & pro maximo beneficio reputaremus: quanta ergo gratitudine prosequendum, quòd ubique terrarum Sacerdotes abundant, qui non solùm confessiones peccatorum libenter acceptant, sed etiam peccatores ad hanc veniam suscipiendam provocant, & invitant. *S. Thom. Villan. in Dom. 3. Quadr.*

XXXII. Hoc est miserandissimum genus pravorum, qui propria delicta excusant; hi enim obicem ponunt remedio, vulnus suum abscondunt, in manus divini Iudicii incidunt, insanabilésque consistunt. *Dion. Carth. in psal.*

XXXIII. Quid est aliud, peccatum celare, quàm ignem in sinu portare? retinere in conscientia mortale peccatum aliquod, nihil aliud est, quàm proditorem proprium in domo sua retinere, ut insperatò eum tradat in manibus inimicorum suorum? *S. Bernardinus, to. 1 ser. 15. a. 3. c. 1.*

Facilitas.

XXXIV. Quid faciet ille Sacerdos peccator cum alio peccatore, nisi quod vellet secum fieri de peccatis suis? O mirabilem commiserationem! O ineffabilem dignationem, quòd veniat peccator peccatis onustus ad alium peccatorem sibi similem, & ille iudicet eum, & absolvat, & deducat de inferno, & restituat Paradiso; & quod iste facit in terra, firmum & ratum habeatur in cœlo. Benedictus Dominus, qui talem potestatem hominibus dedit. *S. Thom. Villa. l. c.*

XXXV. In humanis quidem iudiciis si quis hoc faceret, & ante accusationem facinora confiteretur, quamvis apud humanum fortè iudicium tormenta, & sibi succedentes pœnas effugeret, tamen sententiam capitalem omninò in suum caput accerseret: At misericordis Dei & animarum nostrarum Medici tanta est, támque ineffabilis bonitas & clementia, ut omnem etiam sermonem excedat. *S. Chrysost in c. 43. Is*

Dignitas.

XXXVI. Videatur vir iste (Iob) cuilibet magnus in virtutibus suis, mihi certè sublimis apparet etiam in peccatis suis. Mirentur in eo, qui volunt, castitatis continentiam, mirentur integritatem, mirentur viscera pietatis; ego in eo non minùs admiror confessionem humillimam peccatorum, quàm tot sublimia gesta virtutum; scio enim, quòd per infirmitatis verecundiam, plerumque gravioris est certaminis, commissa peccata prodere, quàm non admissa vitare. *S. Greg. l. 22. mor. c. 10.*

Digitized by Google

§. II.

EXEMPLA SACRA.

Qualitas.

Rayn. anno 1254. n. 18.

I. ZElantiſſimus Rex Ludovicus, non neſcius, vel ab unius peccatoris malitia navis dependere interitum, nihil urgebat inſtantiùs, quàm ſinceram nautarum cum Deo reconciliationem, crebrámque confeſſionem: Inter cætera dixit eis verbum notabile & memoriâ dignum, videlicet, quòd ſi interim, dum unus nautarum confiteretur peccata ſua, navis officio ſuo forſitan indigeret; ego inquit, Rex, libenter manum meam apponam ſive ad chordam trahendam, ſive ad aliquid aliud faciendum.

Manſi diſc. 3. n. 15.

II. Cùm B. Ludovicus Beltrandus Valentiæ in Conventu S. Dominici ageret, acceſſit eum flagitioſus quidam enormiſſima confeſſurus peccata; dum igitur confiteretur, ad uniuscujusque criminis pronunciationem, vultum intuebatur hominis Sancti, motus eius obſervaturus, & geſtus; videns autem, diuturnâ adeò maximorum ſcelerum recenſitione necquicquam immutari Sanctum, imò eandem vultûs ſui conſervare iugiter lætitiam, frontiſque ſerenitatem, ſubiunxit tandem, ad huc unum ſibi ſupereſſe, quod panderet peccatum, iam iam commiſſum, ſiniſtri nempè iudicii, quod formaverat circa Sanctum, exiſtimans, ipſum eadem aliquando aut ſimilia perpetrâſſe crimina, quandoquidem nullum ediderat indignationis ſignum aut motum, tam abominabilia audiens flagitia. Cui ſervus Dei reſpondit, confiteor equidem, malitiam meam tuâ longè ſuperiorem eſſe, agnoſco me maximum mundi peccatorem; nihilominùs per Dei gratiam nullum ex omnibus à te recenſitis ſceleribus admiſi unquam, attamen illa ſine alteratione omnia auſcultavi, qui mox te ad meos pedes proſtraviſti, tua audivi peccata, non quaſi eadem tibi placere crederem, ſed quia te eadem ſummè deteſtari præſumpſi; non quaſi in iis perſeverare, ſed maximè ab illis te abhorrere exiſtimavi; dolui equidem, te ea commiſiſſe; aſt magis exultavi, dum audivi te eadem confitentem.

Neceſſitas.

Rayn. ann. 1415. n. 54.

III. Quidam obierat in exercitu miles, dùmque poſt trium annorum ſpatium, aliqui locum, ubi ingens contigerat ſtrages, pertranſirent, tantiſper ſubſiſtentes, cùm editiſſimum cadaverum acervum ſpectarent, emiſſam inter oſſa ſubinde vocem exaudivêre, fauſtiſſima IESU Chriſti Salvatoris, & B. Mariæ Virginis nomina reſonantem; admiratio ſimul & pavor hos inceſſit; cùm ad verba ſubticuiſſent, eadem paulò pòſt quaſi difficulter expreſſa accepêre. Dum vocis locum inter oſſa diſquirerent, potenti deſiderio ſuccenſi, loquax inter cadavera caput inveniunt, quod ubi homines ſibi adeſſe novit; quid tam, inquit, ſtupidi, quid hîc ſtatis viri? Chriſtianus ego ſum, & magnæ Deiparæ Mariæ ſemper addictus, inexpiatus, inconfeſſusque in hoc bello occubui; magna Diva, in cuius tutela vitam degi, me æterni ſupplicii reum eſſe non patitur; hæc me adhuc linguæ compotem ſervavit; ut & delicta fateri, & animum ſacris ritè Apoſtolicis luſtrare queam: proinde Sacerdotem, qui confeſſionem exaudiat, & me expiatum reddat, accerſite quæſo. Accerſito è pago proximo Sacerdote, Confeſſionem ritè peregit, & impetrata omnium errorum remiſſione, acceptâque noviſſima luſtratione, id defuncti caput repentè obticuit, perpetuóque quievit.

Raulinus Dom. 16. poſt Pentec. S. 2.

IV. Joannes Raulinus Ordinis Cluniacenſis ſcribit, viduam miræ pietatis, & in pauperes profuſam, apud Epiſcopum, cui confitebatur, Sanctitatis nomen habuiſſe: quæ ſemel oculos in herilem famulum coniiciens, turpem inde cogitationem concepit, quâ ſe oblectabat, facinus ipſum exoſa, ac dein de cogitationis peccato doluit: quia tamen opus ipſum non admiſit, confiteri neglexit, nec multò poſt læthali morbo correpta, rurſus eâ turpi cogitatione pulſatur: quâ dum delectatur, moritur, relictâ apud Epiſcopum Sanctitatis opinione, uti & apud omnes. Epiſcopus eam celebri pompâ in Sacello ſuo, inſtar theſauri tumulo condi curavit; ſed nocte ſequenti, cùm eò ſe reciperet, ut matutinas horas recitaret, ædicula tota incendio abſumi viſa eſt: Deo tamen confiſus intrat, & cadaver mulieris craticulæ candenti impoſitum cernit, affuſa undique dæmonum turbâ, coquentium in morem, pars tædis ardentibus rogum ſuccendens, pars ferratis contis ſuſque déque miſeram vexabat. Eam ut agnovit, adiuravit, ut ediceret, quid commeruiſſet. Reſpondit ſe damnatam, ob ſolam delectationem animo conceptam ex unica cogitatione.

Utilitas.

Thom. Cant. l. 2. c. 50.

V. Nobilis quidam Burgundus primos ætatis ſuæ annos in maxima traduxerat pietate & modeſtia Chriſtiana, at laxatis tandem habenis viam aggreſſus eſt licentioſam, quam dum calcat infrænis, improviſo percellitur horrore, contabeſcit pallore, Melancholiæ obruitur mærore: Squalenti mente tabeſcens incidit in languorem, nec tamen Dei manum caſtigantis agnovit, ſed mala malis accumulans, pallore vultûs & macie quaſi homo ignis æterni miſerabiliter habilitabatur ad pœnam; cùmque nulla medicorum cura proficeret, nec ſaltem ei languentis vitæ cauſam aliquis aperiret; tandem in ſe reverſus ſolam miſeriæ corporalis cauſam, languorem animæ, divinâ miſeratione præventus, pœnitens intellexit; ut primùm per benigniſſimi Salvatoris gratiam, triſtitiæ ſuæ originem à mala conſcientia procedere intellexit, lacrymoſam indilatè inſtituit Confeſſionem: Statim ubi beneficium abſolutionis accepit, ſimilitudinem ferè bubonum habentium in facie, ſed diverſificata poſteriùs ſeptem animalia, cute teterrima & parva, quaſi vitiorum ſeptem dæmonia, de ſe ſimul eiecit. Mira res! (exclamat

mox

mox idem Auctor) vix modico temporis spatio interiecto, in tabem animalibus resolutis, reflorere cæpit caro & facies pœnitentis, mentéque & corpore integerrimè sospitatus, multis postea profuit ad exemplum.

In Vit. S. Philip. Ner. l. 2. c. 10. n. 1.

VI. Alius quidam Nobilis Romanus ad S. Gregorii Monasterium se receperat, ubi dum mortui cadaver Ecclesiasticæ sepulturæ inferendum deportaretur, tumulúmque sequeretur energumenus, Nobilis ille alloquendi occasionem nactus, eundem de variis curiosè interrogare cæpit, quâ tandem molestiâ victus arreptitius, tu quoque, ait, obsessus es; quæ verba imbellem animum tanto impleverunt pavore, ut, veritus se veraciter à dæmone obsideri, à Sacerdote quantociùs sacros sibi mandârit adhiberi exorcismos; atque ab exorcista subinde de nomine adiuratus, varia recensebat nomina dæmonum, ita ut multi eum obsessum arbitrarentur. Ast cùm continuâ exorcismorum repetitione vis morbi invalesceret crudeliùs, quatuor primariis urbis medicis se curandum commisit, cui quo plura propinabant medicamina, eò magìs augebatur infirmitas; inque eam demum corruit macilentiam, ut vix ossibus hæreret pellis. Tandem igitur admonitus fuit, ut S. Philippum conveniret, tunc adhuc viventem; ast sanum cosmophilo detrectante consilium, de rei veritate certificatus Sanctus, infirmum invisit, edixitque, eum ab immundo Spiritu non obsideri, quem variis deinde modis demulcens tandem de generali confessione instituenda admonuit; audiit ille, & obediit, móxque pristinam perfectè recuperavit lætitiam, ac sanitatem.

Bollandus 25. Ian. c. 23.

VII. B. Henricum Susonem per decem solidos annos continuæ exagitârunt ad desperationem impellentes tentationes, suggerente Diabolo, eum de numero esse præscitorum, nec salvandum unquam: Postquam ergo annis decem teterrimam hanc afflictionem tolerârat, atque toto illo tempore nonnisi damnatum se respexerat; venit tandem ad virum Sanctissimum D. Eckardum Theologiæ Doctorem, cui cùm suam explicâsset miseriam, illius consiliis per Confessionem liberatus est.

Cæsarius l. 3. c. 6.

VIII. Fuit quidam, qui dæmonem peccata aliorum detegentem audire desiderans, propter turpia quædam, quæ commiserat peccata, appropinquare non audebat, timens sibi illa coram omnibus improperari: & veniens ad Sacerdotem confessus est universa, voluntate tamen peccandi retentâ, factúsque ex eâdem confessione securior, ad domum venit. Mira res, mox ut limen attigit, & introspexit, dæmon in aëre clamavit: Amice veni huc, veni, certè te benè dealbâsti. Et statim coram omnibus omnia eius peccata turpia, licèt confessa, prodidit, vehementer illum confundens. Tristis effectus, & conscientiâ accusante in se reversus, ad Sacerdotem redit, quæ gesta sunt retulit Confessionem iteravit, & quia de reliquo emendatiùs vivere vellet, de corde pollicitus est Deo, & Sacerdoti. Tunc Sacerdos: modò, inquit, revertere securus, non te confundet ampliùs. Et fecit sic: Intrante eo domum, quidam ex circumsidentibus dæmoni dixerunt: Ecce amicus tuus iterum venit. Quibus ille respondit: Quis est? Ille, inquiunt, cui paulò antè tam turpia peccata improperâsti. Respondit dæmon: Ego ipsi nihil improperavi, neque aliud de eo novi mali. Et æstimaverunt, dæmonem mentitum fuisse hi, qui hominis ignoraverunt Confessionem. Sicque per virtutem Confessionis ipse evasit notam maximæ confusionis.

Idem l. 11. c. 38.

IX. Magister Thomas Theologus cùm in præsenti expeditione in castro peregrinorum in camera quadam lecto decumbens esset moriturus, vidit diabolum in angulo stantem: quem cùm cognovisset, voce S. Martini allocutus est eum, dicens: quid hîc astas cruenta bestia? Dic mihi, quid est, quod maximè vobis noceat? cúmque ille nihil responderet, subiunxit: Adiuro te per Deum, qui iudicaturus est mortuos & vivos, & sæculum per ignem, ut dicas mihi huius interrogationis veritatem. Ad quod dæmon respondit: Nihil est in Ecclesia, quod tantùm nobis noceat, quod sic virtutes nostras enervet, quàm frequens Confessio: quando enim homo in peccatis est, peccatis dico mortalibus, omnia eius membra ligata sunt, neque tunc potest se movere. Cùm verò peccata eadem confitetur, statim liber est, & mobilis ad omne bonum. Quô auditô, Doctor ille bonus, & crucis Christi fidelis prædicator, lætus expiravit.

Specul. Exempl. v. Confessio exempl. 26.

X. Legitur in Scala cœli Joannis iunioris Dominicani, quòd duo boni fratres oberrabant in montibus Hiberniæ, qui viam invenire non valentes, dum aspicerent ante se, viderunt quendam hominem parvæ staturæ. Quem cùm vocâssent, cœpit eos fugere. Qui cùm secuti fuissent eum, requisitâ viâ noluit respondere. Sed cùm instarent, & inquirerent, quis esset, dixit: Triginta annis dæmonibus servivi, homagium eis feci, & sigillum eorum in manibus meis porto, visitant me in diversis figuris, & quidquid præcipiunt, facio semper. Cùmque unus illorum sermonem ei faceret, allegando acerbitatem pœnarum inferni, vilitatem peccati, & infinitatem divinæ misericordiæ, ille compunctus quærit consilium, quomodo posset salvari. Tunc Fratres: Confitere omnia peccata tua; quia virtus Confessionis tanta est, ut frangat omnem potestatem Diaboli, mitiget omnem iram Dei, & induat te omni virtute. Cùm ergo ille cum perfecta contritione confessus fuisset, statim sigillum dæmonis est abrasum. Tunc fratres: ut cognoscas magis virtutem Confessionis, sta hîc in nemore confidenter, & si diabolus, cui tu fecisti homagium, dum venerit, te non cognoverit, Deus tibi indulsit peccata tua. Qui confisus de misericordia divina dæmonem exspectavit. Et postquàm cum magis equitaturis post recessum fratrum venisset dæmoni, interrogavit hominem, si servum eorum vidisset? respondit: ego sum ille, qui triginta annis servivi tibi. Tunc dæmon: mentiris nequam, non vidi te, sed quæro illum,

Digitized by Google

qui sigillum meum habet in manibus suis. Ille ergo audiens accedit ad fratres, & perseveranter Deo servivit.

§. III.

SIMILITUDINES.

Qualitas.

S. Aug. tr. 46. in Ioa. I. SIcut lupus os seu guttur ovis occludit, ne clamet, & clamore suo canes excitet; ita Dæmon hoc molitur, & in hoc insidias struit, ut peccator nec per orationem ad Deum fusam, nec per detectionem delicti apud Sacerdotem, neque per petitionem consilii crimina sua ad salutem consequendam declaret.

S. Bern. sen. to. 4. ser. 20. II. Sicut in civitate, licèt omnes portæ sint clausæ, si tamen murus esset ruptus in aliqua sui parte, inimici intrarent per illam rupturam, & caperent civitatem, ita inimicus diabolus animarum retento unico peccato, intrandi aditum per illud peccatum habet in animam.

S. Bonav. in diat. sal. t. 3. c. 44. III. Sicut prima lex, quam Medicus infirmo ponit, est abstinentia à cibo, ita primum, quod est necessarium pœnitenti, est diæta, scilicet abstinentia à peccatis. Hanc legem imponebat Hippocratres noster Christus ægrotis suis, quos habebat in cura, sicut patebat in adultera, cui Christus dixit: *Vade, & ampliùs noli peccare.*

Æquitas.

S. Thom. Villan. ser. 6 post Dom. 4. Quadr. IV. Sicut ad iustitiam Dei pertinet, ut nullum malum maneat impunitum, ita ad Dei veritatem, ut nullum peccatum maneat occultum iuxta illum Evangelii textum: *Nihil occultum, quod non reveletur; neque absconditum, quod non sciatur.*

S. Bern. sen. l. c. V. Sicut si in domo accenditur ignis, subitò exclamas; ita cùm peccasti, subitò vadas ad clamorem Confessionis, ad extinguendum peccatum.

Necessitas.

S. Greg. apud Mansi disc. 16. n. 5. VI. Sicut vulnus non ostensum etiam sanam carnem inficit putredine; ita peccatum, nisi confitendo reveletur, etiam quæ tibi sunt bona, corrumpit.

Utilitas.

S. Franc. Sal. p. 1. Introd. c. 1. VII. Sicut Scorpio, dum ferit, venenatus est, & in oleum liquatus præstans est contra proprium morsum remedium; sic & peccatum probrosum est, dum admittitur; at in pœnitentiam & confessionem conversum, salutare est, & honorificum.

§. IV.

MOTIVA.

Concilium Trid. Sess. 14. c. 1. I. NEcessitas, nam quantam vita humana necessitatem habet respirationis, tantâ pariter vita & salus animæ exigentia laborat Confessionis & Sacramenti pœnitentiæ; Unde Concilium Tridentinum, dum ad necessitatis Sacramenti huius punctum se convertit, ita resolvit: Fuit quidem pœnitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinâssent, quovis tempore ad gratiam & iustitiam assequendam necessaria.

II. *Utilitas multiplex.* Primò *ad sanitatem corporis impetrandam*, ut S. Bonaventura indicavit, qui ex illo Levitici textu (*propter peccata Patrum suorum, & sua affligentur, donec confiteantur iniquitates suas*) sequentem elicit doctrinam: Unde afflictis per infirmitates, & quascunque alias adversitates, semper consulendum est in principio, ut sincerè confiteantur peccata sua, sæpè enim propter peccata affliguntur. Confessio autem non solùm contra infirmitates corporis, sed etiam animæ valet. Neque enim exempla deficiunt, sed exstant propemodum innumera, è quibus brevitatis amore, unum alterúmve proferre suffecerit. In vita S. Philippi Nerii traditur, Torquatum de Comitibus gravi pressum morbo, Cardinalis Taurusii rogatu, peccata sua S. Philippo Nerio confiteri voluisse, spe sanctitatis recuperandæ. Accersito itaque viro Dei, vix Torquatus mediam attigerat peccatorum confessionem, móxque se pristinæ reperit sanitati restitutum. Ex oppido Palumbariæ, non procùl ab urbe dissito, rusticus Romam se contulit, gravissimo afflictatus morbo, S. Philippum rogaturus, ut sibi sanitatem impetret; cui vir sanctus unicũ præscripsit confessionis remedium, cui ut paruit infirmus, mox surrexit sanus. Secundò *Ad dæmonum conatus & insidias eludendas*; nam ut S. Antonius de Padua dixit: Confessio est terribilis immundis spiritibus, unde idem sanctus illam Jobi sententiam: sicut inundantes aquæ, sic rugitus mei, sequenti ad intentum nostrum peraccommodo illustrat commentario, inquiens: ad rugitum leonis omnes bestiæ sistunt gradum; inundantes aquæ subvertunt obstaculum. Rugitus leonis est confessio pœnitentis, de quo Psalm. 71. *Rugiebam à gemitu cordis mei*; quia à gemitu cordis debet exire rugitus confessionis, quo audito maligni spiritus territi, ad tentationes procedere non præsumunt; inundantes aquæ sunt lachrymæ contritorum, quæ totum dissolvunt, & subvertunt, quidquid maligni spiritus contra lachrymas pœnitentis machinantur. Quod etiam S. Bonaventura confirmans, nec facilius, inquit, ab inimico devincimur, quàm cùm superbiendo ipsum imitamur; neque vehementiùs eum prosternimus, quàm cum humilitate Deum consequimur, neq; ei dolores acriores infligimus, quàm cùm plagas peccatorum nostrorum confitendo, & pœnitendo sanamus. Hinc S. Augustinus hortatur: Deprecor te, ô homo, ut confiteri non paveas; frequenter enim diabolus cor tuum astringit, ne confitearis; quandocunque hoc persenseris, diaboli tentationem esse non dubites, qui cupit te astringere nequiter, ut in peccato positus sine magna tentatione semper agas, quæ placita sunt ei. Tertio: *Ad divitias & gratias cœlestes obtinendas*; nam ut Molina sapienter advertit, pœnitentia est quædam arca depositi, in qua repositi

S. Bonav. in Levit. c. 26.

S. Ant. de Pad. ser. 1. in Dom. 1. Quadr.

S. Bonav. Ser. 75. in Rogat.

S. Aug. ser. 30. ad Frat. in Erem.

Molin. de sacr. tr. 5. c. 2 & 3.

poſiti ſunt Chriſti Salvatoris noſtri theſauri, omnes meritorum eius divitiæ, inæſtimabile redemptionis noſtræ pretium. Hæc aperitur omnibus eiusdem fruitionis cupidis, tantum ex ipſa extrahere valentibus, quantum ad totius ſui debiti abundat ſolutionem: quàm inſanabili ille inſaniæ malo laboraret, qui multis obſtrictus debitis ditiſſimum offenderet theſaurum, ex quo iuxta debiti qualitatem, tot ſibi licitè tollere poſſet pecunias, quot ſufficerent ad omnimodam ſatisfactionem, ille verò manibus ſperneret favorem? ita & in præſenti &c.

S. Thomas Villanov. Conc. in Dom. 3. Quadr.

III. *Æquitas*, uti S. Thomas Villan. ex magnitudine huius beneficii hoc diſcurſu oſtendit: Quis enim tam mirandus favor, quæ maior clementia, quàm ut cauſa noſtra committatur fratri noſtro, qui eſt os de oſſibus noſtris, & caro de carne noſtra? quis in cœlo vel in terra invenire potuit iudicem favorabiliorem, quàm hominem Chriſtum, qui propter hoc deſcendit de cœlis, propter hoc iudicatus & crucifixus eſt, ne homines damnarentur. Et paulò poſt: Hoc eſt onus, ita eſt, onus eſt mirabile, & onus eſt maximum, ſed immenſi beneficii, inenarrabilis clementiæ, ineffabilis obligationis.

Manſi diſc. 6. n. 9.

IV. *Jucunditas*, quam Joſephus Manſi ſequenti diſcurſu indicavit: Si quis impacatis alti maris inerrans fluctibus, centies milliéſque abyſſi faucibus abſorbendus, fortè fortuitò in quieti portûs ſinum devehitur, quanto repletur gaudio, quanto exultat iubilo? ſe ipſum capere neſcit præ lætitia, dum ſe à morte conſpicit rediiſſe ad vitam. Eandem penitùs anima confitentis ſibi comparat tranquillitatem, teſte B. Laurentio Juſtiniano, dum inquit: Confeſſionis Sacramentum veluti ſinus pacatiſſimus eſt, in quo hominum conſcientiæ religantur, ne à procellis abſorbeantur delictorum; Deiecta eriguntur, amiſſa reparantur, & quidquid immunditiæ inundantibus tentationum tempeſtatibus, aut operante malitiâ in navim conſcientiæ perfuſum eſt, reiicitur, & purgatur.

S. Laur. Juſt. de diſc. Mor. c. 19.

Manſi diſc. 2. n. 7.

V. *Facilitas*; uti idem Manſi ſic oſtendit: Quanta foret agonizantis felicitas, qui ſpe vitæ propemodum deſtitutus, non niſi violentis curandus remediis, perfectam nihilominus ſubitò aſſequeretur ſanitatem, ſi medico ſuum morbum confiteretur, dolens ſuâ ſe culpâ contraxiſſe, firmúmque eliciens propoſitum devitandi eum impoſterum? Hæc ipſa Sacramenti Confeſſionis eſt prærogativa: ſi Chriſtianus peccati mortalis reatum contraxit, irreparabiliter ad mortem condemnatus æternam; malum abolevit pœnitens Confeſſio: Tollite vobiscum verba, & dicite ei: omnem aufer iniquitatem. Abſque ſumptu & cruciatu eſt præſens pharmacum. Quod ipſum etiam confirmans S. Chryſoſtomus, ſic loquitur: Num grave aliquid & moleſtum à nobis requirit? contritionem vult cordis, compunctionem mentis, confeſſionem ruinæ; non ſolùm largitur vulnerum curam, & à peccatis mundos oſtendit; ſed & eum, qui antea innumeris peccatorum ſarcinis gravabatur, iuſtum efficit; quàm celerrimè curat. Eandem facilitatem alibi ſequenti diſcurſu oſtendit: Si quis fur à patibulo abſolvendus eſſet, duntaxat ob publicam criminis admiſſi confeſſionem, an non indilatè expleret conditionem? Salutis cupiditate pudorem contemneret. Peccator ad furcam condemnatus eſt infernalem, reus eſt criminis læſæ Maieſtatis, ut autem ſeſe à ſuppliciis eximat, ínque divinæ redeat gratiam Maieſtatis, ſola ab eo exigitur peccati confeſſio, hæcque ſecreta, non publica. Progrediamur ulteriùs, ſi Judex reo enormi levem imponeret pœnam, ipsúmque deinde diverſis afficeret beneficiis, ditaret theſauris, gratiâ honoraret Principis, regni ſublimaret favoribus, an non ſpiritus vobis deficeret præ ſtupore? Ecce vobis planum hunc in Confeſſione expreſſum caſum, hæc enim virtute Sacramenti pœnam æternam mutat in temporalem, delicta tollit, amicitiam redintegrat Dei, novúmque Jus, peccato deperditum ad cœleſtis regni hæreditatem impertit; ſiquidem maiora per pœnitentiam bona, gratiáſque acquirimus, quàm poſſederamus ab initio.

S. Chryſ. ho. 80. in gen.

Idem ho. 3. ad pop.

§. V.

MEDIA.

S. Bonav. p. 1. ſpec. ad Nov. c. 9.

I. PRæter ea, quæ in ipſa Bibliotheca Manuali ſunt aſſignata, duo præcipua hîc ſufficient, quorum primum eſt, *gratia divina ſedula invocatio:* Nam, ut S. Bonaventura rectè advertit, in domo, quam ſubintrans radius ſolis illuminat, quantumcúnque fuerit præmundata, atomi nihilominus diligentiùs intuenti apparent: ſic & cor radiis gratiæ illuſtratum, etiam minima videt, ac vitiorum laqueos ſubtili examinatione diſcernit, quantò quis fuerit mente purgatior, tantò ſe ſordidiorem videbit.

Manſi diſc. 21. n. 9.

II. Alterum eſt *pudoris à confeſſione abſtrahentis generoſa expugnatio*, pro qua ſerviet diſcurſus ſequens à Joſepho Manſi factus: Nunquid ſi debitum contraxiſſem decem millium ſcutorum, & creditor meus totum mihi remittere polliceretur, ſi eandem ſummam humiliter agnoſcere vellem cum ſignis diſplicentiæ &c. Nónne indulgentia huiusmodi inæſtimabilis beneficii loco habenda foret? Hic ipſe eſt caſus præſens. In pœnitentia per exiguum ruborem, humili coniunctum confeſſioni, totum caſſamus peccatorum noſtrorum debitum, ſummam longè maximam. Tanta erat Publicani impietas, ut oculos in cœlum, ne forſan divinæ contra ſe iræ fulmina provocaret, attollere minimè præſumeret: nihilominùs, dum ſuam publicè in templo, verecundus manifeſtavit iniquitatem, domum repetiit ſanctificatus: *Deſcendit iuſtificatus in domum ſuam.* Audite S. Ambroſium: Multùm verecundia placet, inquit ille, multùm conciliat gratiæ apud Deum, nónne hæc protulit Publicanum, & commendavit eum, qui nec oculos audebat ad cœlum levare? Juvabit quoque ponderare, quod S. Auguſtinus dixit: Melius eſt coram uno aliquantulum ruboris tolerare, quàm in die Judicii coram tot millibus

S. Ambroſ. l. 3. de Offic. c. 8.

S. Aug. l. 2. de viſ. infir. c. 5.

millibus hominum, repulsâ denotatum tabescere. Et alibi: Melior est modica amaritudo in faucibus, quàm æternus cruciatus in visceribus.

§. VI.

ASCETICA.

Luc. Burgens. in c. 20. Ioan.

I. INprimis *nôsse debet originem Confessionis*, quam quidem Lucas Burgensis clarè ostendit, dum ait: Christum, priusquam Apostolos suos dictâ felicitaret eminentiâ, præmisisse: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*, quasi dicere voluisset: Sicut Pater æternus me in Mundum misit ad humani generis salutem, ita & modò vos ego per terrarum orbem dispersurus, vobis authoritatem confero & potestatem dimittendi peccata, Perspectum est mihi, fore in Ecclesia mea multos infirmos, qui iustitiam per baptismum acceptam non sint conservaturi, misertus illorum, ut possitis eis succurrere, *eam vobis inspiro, ac do gratiam & facultatem, ut requirentibus queatis peccata, vice meâ, validè remittere.* Quod ipsum etiam Concilium Tridentinum insinuavit dicens: Si ea in regeneratis omnibus gratitudo erga Deum esset, ut iustitiam in baptismo, ipsius beneficio & gratiâ, susceptam constanter tuerentur, non fuisset opus aliud ab ipso baptismo Sacramentum ad peccatorum remissionem institutum esse. Quoniam autem Deus dives in misericordia, cognovit figmentum nostrum, illis etiam vitæ remedium contulit, qui sese postea in peccati servitutem, & dæmonis potestatem tradidissent: Sacramentum videlicet pœnitentiæ, quo lapsis post baptismum beneficium mortis Christi applicatur.

Concilium Trid. Sess. 14. c. 1.

Concilium Trident. ibidem.

II. *Nôsse debet, cur omnia peccata mortalia in specie declarari in Confessione voluerit Christus:* quod iterum citatum Concilium sequentibus verbis declarat: Porrò ex eo, quòd Jesus hîc Sacerdotes Vicarios suos constituit; qui tanquam Præsides & Judices, sententiam de fidelibus in peccata relapsis ferant, semper intellexit Ecclesia Catholica, quòd fidelibus quoque suis præcipiat Jesus, ut, si peccatorum veniam consequi velint, declarent ea Sacerdotibus; cùm enim iudicium hoc, incognitâ causâ, non valeant exercere, sequitur, in specie peccata omnia mortalia humili confessione declaranda. Aliam quoque rationem idem Concilium assignat, dum ait: Ipsa verò huiusmodi Confessionis difficultas, ac peccata detegendi verecundia, gravis quidem videri posset, nisi tot tantísque commodis & consolationibus levaretur, quæ omnibus dignè ad hoc Sacramentum accedentibus, per absolutionem certissimè conferuntur. Tertiam quoque rationem S. Bernardinus affert, dicens: Justum utique est, ut, qui inverecundâ facie mentis & corporis, Deum peccando despexit, sic per confusivam sui verecundiam placet; est enim verecundia magna pars pœnitentiæ secundùm S. Augustinum & hæc est una causa; quare Confessio instituta est; ut scilicet, dum de culpa peccator erubesceret, à Deo misericordiam impetraret.

Idem c. 5. & 8.

S. Bernar. Sen. to. 4. ser. 20. a. 1.

S. Aug. de pæn. dist. 1. c. quem pænitet.

III. *Nôsse debet, cur homini potiùs, quàm ipsi Deo Confessionem fieri Christus voluerit*, cuius rationem S. Thomas Villan. ostendit, dum causam inquirit, cur Sapientia divina modum immutavit Confessionis, quandoquidem David soli confitens Deo, obtinuit absolutionem: *Tibi soli peccavi?* Ad quid opus fuit, peccatum contra Deum commissum, homini revelari; maximè cùm hoc sit nimis onerosum & verecundum? Cui obiectioni sanctus breviter respondet in hæc verba: Quamdiu Deus non fuit homo, non opus fuit peccatum homini verbo confiteri; sed postquam Filius Dei factus est homo, iam Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio, & potestatem dedit ei, iudicium facere, quia Filius hominis est; ex tunc ergo peccator, hominis Christi, à Deo Patre, foro commissus est, & in illo reddere rationem peccatorum suorum tenetur. Cui etiam consentiens Hugo Victorinus, qui illud S. Jacobi Apostoli præceptum (*confitemini alterutrum peccata vestra*) penitùs considerans, sequenti illud glossâ illustrat: Quid est alterutrum? alter alteri, homo homini; non solùm homo Deo, sicut verus ille Confessor ait: *Dixi confitebor adversum me iniustitiam meam Domino*; sed homini propter Deum. Videtur Dominus hoc ipsum homini assignâsse tribunal, ut ad maioris humilitatis exercitium, homo adversus hominem ferret sententiam, homo hominis subiaceret iudicio; plus enim facit, qui servo humiliatur. Idem subiungit Auctor, iuxta cuius opinionem, Christus hoc Confessionis instituendæ modo, eam longè magis meritoriam efficere voluit, pœnitenti occasionem offerens, actus frequentandi humilitatis & subiectionis; siquidem coram Deo graviter à nobis offenso, multísque iniuriis affecto, cui ipsi Throni & Principatus reverenter genua flectunt, coram, inquam, supremo hoc Numine humiliari, perquàm facillimum est, repugnantia levis.

S. Thomas Villan. in Dom. 2. Quadr. ser. 10. v. 6.

Hugo Vict. apud Mansi disc. 3. n. 5.

IV. *Nôsse debet, cur Christus in sufflando potestatem dederit Apostolis*; quod iterum Lucas Burgensis ostendit, sic discurrens: flatum seu anhelitum ex imo pectore attractum in eos gestu oris iecit; volens per hoc demonstrare Salvator, Spiritum Sanctum ad instar flatûs esse; cuius adventum in Cœnaculo Sion obtigisse didicimus, *tanquam advenientis Spiritûs*; circa quod factum ita Auctor prædictus discurrit: Est veluti flatus quidam Patris & Filii, nam & hinc Spiritus vocatur; cui asserto non absimile correspondet illud Alberti Magni dogma, inquientis: Spiritum à se procedere, significavit per flatum, quem in discipulos direxit. Doctissimus verò Salmeron altius repetens principium, ad eam se convertit, quæ in Mundi exordio contigit hominis formatio, quem flatu animavit Deus, cui vitam corporis mediante halitu, seu respiratione infudit omnipotens, ita quoque in præsenti Salvator vitam animæ, id est, gratiam, quam interemerat culpâ, suis impertiri voluit, eundem Sanctissimum iis communicando Spiritum, per modum flatûs, ut olim Deus in sufflavit spiraculum vitæ, ut fieret

Luc. Burgensis apud Mansi disc. 1. n. 2.

ret homo, in animam viventem, ita idem insufflat animam, peccato mortuam, ut vivat per Spiritum sanctum. Quibus etiam S. Cyrillus assentiens ait: ut ipsum sciamus esse, qui ab initio naturam nostram creavit, & Spiritu sancto signavit, rursus in ipso initio renovandæ naturæ, sufflatione spiritum discipulis largitur, ut, quemadmodum creati ab initio sumus, sic etiam renovemur.

S. Cyrillus l. 12. in Ioan. c. 16.

V. *Nosse debes, cur Deus hanc potestatem hominibus, & non Angelis concesserit*, cuius hanc rationem assignat S. Chrysostomus: Propterea enim non Angelo Sacerdotium commissum est (liberi enim sunt à peccandi libidine) ne videlicet ob severitatem, eos, qui ex populo peccarent, confestim fulguribus transfigerent; sed homini ea cathedra commissa est, qui & ipse libidine & peccatis colligatus est; ut, si quem peccantem invenerit, suorum peccatorum conscius, in eum, qui peccat, benignus efficiatur. Et iterum: Nam & hoc divinâ quadam dispensatione factum est, ut Sacerdotes etiam ipsi peccatis subiecti sint. Audi, quæso, quomodo res se habeat; si Doctores & Sacerdotes ipsi non peccarent, neque vitæ huius affectibus subiecti essent, certè inhumani, & à venia aliis dandâ essent abhorrentes; sed propterea Deus subiectos esse voluit, ut eorum, quæ ipsi patiuntur, sensum habentes, aliis etiam veniam darent. Et ideo Christus etiam lapsum Petri permiserat; erat enim, ut idem S. Doctor ait, Petrus non mitis, sed admodum severus, & aliquando durior; quod si ad eius naturam illud etiam accidisset, ut nullis peccatis subiiceretur, quæso, quam veniam habituri fuissent, qui ab illo docendi erant? Propterea hoc egit Dei gratia, ut paululùm ab ipso descisceret Petrus, & peccato alicui subiiceretur, quo ex his, quæ ipse passus fuerat, disceret humanior esse in alios.

S. Chrysosto. hom. de Elea.

VI. *Nosse debes conditiones ad veram Confessionem requisitas*, quas imprimis B. Petrus Damianus sequentibus verbis indicavit: Ostendam tibi unum iustorum iustissimè confitentem; quæris quisnam sit? Psaltes Domini est. *Dixi*, inquit, *adversum me iniustitiam meam Domino*; *Dixi*, hoc est, in corde meo proposui, non coactus, neque compulsus, sed spontaneus. *Iustitiam meam*, ait, non alienam; *adversum me*, me arguens & accusans. Vides, quia non timore alicuius, vel ad alium accusandum, vel excusandum, se ipsum Sanctus Domini confitetur? pro huiusmodi confessione remittes tu, Domine, impietatem cordis mei, peccati scilicet. Clariùs verò S. Bonaventura has conditiones insinuavit, dum illum Psalmistæ versum: *Dixi, confitebor adversum me iniustitiam meam Domino*: explicans sic loquitur: In hoc verbo tanguntur sex, quæ debet vera confessio habere; Primum est, præmeditatio, quæ notatur, cùm dicitur; *dixi*. Secundum est compunctio cordis & oris, ut ore simul & corde fiat, quæ notatur, per *confitebor*: Tertium est, quòd sit accusans, non excusans; quod notatur per: *adversum me*. Quartum, quòd de malis, non de bonis, quod notatur per: *iniustitiam*. Quintum, quòd sit propria, id est, de peccatis propriis, non alienis, quod notatur per *meam*. Sextum, quòd sit ad honorem Dei, & honestatem sui, quod notatur per: *Domino*; & talis confessio est utilis; Unde sequitur: *Et tu remisisti impietatem peccati mei.*

S. Petr. Damian. ser. 2. de S. Andrea.

S. Bonav. in Diat. tit. 2. c. 3.

R. P. Lohn. Auctar. Bibl.

VII. *Nosse debet, quod sit potissimum impedimentum Confessionis*; id quod S. Petrus Damianus indicavit, dicens: Nihil fortius ad expungendum Dei gratiam, quàm timor humanus; quia dum erubescimus confiteri, quæ commisimus; Deum minùs, quàm homines reveremur. Hæc est confusio adducens peccatum. Unde S. Bernardus: Dicatur, ait, illi, quem afficit pudor, cur te puduit peccatum tuum dicere, quod facere non puduit? aut cur erubescis Deo confiteri, cuius oculis non potes abscondi? Quod etiam S. Chrysostomus confirmans, cur confunderis, inquit, dicere, quod non confusus es perpetrare? cur vereris Domino indicare, quod non veritus es ipso præsente committere.

S. Petrus Damian. c.

S. Bernardus in sent.

S. Chrysost. de Confess.

§. VII.

MISCELLANEA ET CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Qualitas.

I. Urbes quondam refugii, in gratiam delinquentium assignaturus Dominus, *tres erunt*, inquit, *trans Jordanem, & tres in terra Chanaan.* Ubi Lyranus: Licèt trans Jordanem habitarent duæ tribus cum dimidia, tamen tot erant ibi civitates refugii, quot erant citra Jordanem, ubi habitabant novem tribus cum dimidia. Quis tantam non obstupescat hac in divisione inæqualitatem? Mysterium utique continet, novem námque tribubus plures urbes assignari debuisse videtur, quàm solis tribus. Rationem porrò huius partialitatis indaganti Rabbi occurrit Salomon, *dicens terram Galaad, quæ trans Jordanem situata erat, & habitatores, præ omnibus ad rixas propensos, humanique sanguinis profundendi avidos fuisse*, unde & Oseas inquit: *Galaad civitas operantium supplantata sanguine*, vel ut hebraica versio habet: *Torcular sanguinis*, voluit igitur Deus, ut iuxta criminum abundantiam abundarent & remedia, facilisque præstò foret modus declinandi supplicia. Quid nobis cum figura, dum fruimur figurato, maximâ in locis populosioribus, ubi innumera frequentantur offensæ & flagitia, confessariorum abundante copiâ, ut nemo non ad indilatam exstimuletur confessionem, profectò ubi abundavit delictum, superabundavit & gratia; nec est, qui se abscondat à calore eius.

Num. 35. v. 14. Mansi disc. 4. n. 15.

Ose. 6. v. 8.

II. Semel lupus confitebatur iniquitates suas, & interim erat multùm sollicitus, quia videbat oves recedentes, unde dixit confessori suo, quod citò eum absolveret, ut scilicet posset sequi oves. Sic confitentur aliqui in quadragesima, proponentes ad peccatum redire post Pascha. Certò contigisse scio, quod iam iam narra-

S. Bonav. in Diat. salut. tit. 2 c. 8.

narraturus sum. Rusticus quidam ovem furatus proximo, in Confessione obstrictus ad restitutionem, promittit se obtemperaturum; requisitus postea à Confessario: qualiter autem, & quomodo satisfacies? incunctanter aiebat: aliam furabor, hancque in primæ satisfactionem dabo.

S. Greg. l. 22. mor. c. 9. III. S. Gregorius explicans textum Jobi: *si abscondi, quasi homo, peccatum meum:* sic loquitur: Christus resuscitando Lazarum non dixit: *Tibi dico, surge*; prout alteri imperabat filio viduæ; sed: *veni foras.* Mortuo Lazaro, inquit, qui mole magnâ premebatur, nequaquam dicitur; *revivisce, sed veni foras.* Ex qua scilicet resurrectione, quæ gesta in illius est corpore, signatur, qualiter nos resuscitemur in corde; cùm videlicet mortuo dicitur, veni foras, ut ab excusatione atque occultatione peccati, ad accusationem suam ore proprio exire provocetur; quia igitur hæc occultationis culpa in humano genere vehementer excrevit, benè B. Job cùm diceret (*si abscondi peccatum meum*) interposuit, *quasi homo*; hominis quippe proprium esse conspicit, quòd ex Parentis veteris imitatione descendit.

Mansi disc. 3 s. n. 13. IV. Quisquis Divini Judicii gestit declinare tribunal, cum sinceritate & candore hócce adeat pœnitentiæ tribunal, cuius S. Joannes in hæc verba meminit: *In conspectu sedis, tanquam mare vitreum, simile crystallo.* Mare hoc Confessio est, conformiter illi, quod gemebundæ quondam atque afflictissimæ dictum est animæ: velut mare contritio tua; Unde Dionysius Carthusianus dicit: Quidam per hoc mare intelligunt pœnitentiæ Sacramentum; ast quod in vitrea & crystallina figura latet mysterium? Crystallus omninò transparens est, totúmque videtur, quidquid ei opponitur, nihil occultat; ita quoque in hoc confessionis tribunali conscientia nostra tota debet esse transparens, ut eiusdem statum perfectè attingat Confessarius: Potest explicari, inquit Sacer quidam Interpres, ut pœnitentiæ mare sit vitreum, propter Confessionis perspicuitatem. Confessio clara & ingenua nos ad Dei sedem & tribunal conducit.

V. Regius Vates divinæ supplicaturus Maiestati, ne pessimo excusationis suique delicti defensionis vitio contaminetur, ante omnia, ori suo petit, ut obtingat custodia: *Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis.* Portam, ostium seu ianuam postulat, non firmum solidúmque claustrum: cuius mysterii si causam ignoratis, rationem accipite à S. Augustino, inquiente: Non dixit claustrum continentiæ, sed ostium: ostium & aperitur, & clauditur, In confessione námque verbali portam hanc quandoque aperire, quandoque claudere debemus. Ergo si ostium est, & aperiatur, & claudatur: aperiatur ad confessionem peccati, claudatur ad excusationem peccati, ita enim erit ostium continentiæ, non ruinæ. Ad hoc pone ostium, inquit Glossa, ut non excusetur, quod, prô dolor, summum vitium dominatur hominibus.

S. Aug. in Psal. 140.

Necessitas.

VI. Cassianus illa Ecclesiastis verba: *Si mordeat serpens in silentio*; sic interpretatur: Taciti serpentis morsum perniciosum esse designans, id est, si per confessionem suggestio seu cogitatio diabolica incantatori cuiquam, spirituali scilicet viro, qui carminibus scripturarum mederi protinus vulneri, & extrahere de corde consuevit noxia venena serpentis, patefacta non fuerint, succurrere periclitanti, periturove non poterit. Cassian. coll. 2. de disc. c. 11.

VII. Teste S. Matthæo, tributorum exactores, vice quadam à S. Petro causam poposcere, cur Magister eius obligationi non satisfaceret universali: querimoniam hanc cùm ad aures Christi deferre pararet Apostolus, discipulum prævenit Magister, inquiens: Simon, *Reges terræ à quibus accipiunt tributum vel censum, à filiis suis, vel alienis?* Cui Petrus; *Domine ab extraneis*, ita quidem se res habet, subiunxit Salvator, nihilominùs ut omnem scandali petram amoveamus, *vade protinus ad mare, mitte hamum tuum in aquas, & quemcunque piscem primò ceperis, attrahe eum, comprehende ipsum, tene fortiter, os aperi, móxque monetam reperies in eo, qua ad utriusque nostrum tributi sufficiat solutionem*; obediit, abiit, atque omnia feliciter expediit Petrus. Hæc rei gestæ series est literalis, ast à sensu literali ad moralem sanctus digrediens Ambrosius, historiam hanc nostro perquam subtilissimè accommodat proposito, inquiens: Piscis elinguis, fundúmque incolens marinum, peccatoris gerit figuram: suum reticentis peccatum, non obstante, quòd secundùm præsentem iustitiam, damnatus sit ad infernum: Moneta iuxta divinum assertum, non è visceribus, sed ex ore piscis extrahenda erat, quantumvis naturali piscis feratur instinctu, ut devoret immediatè, quidquid apprehenderit faucibus. Ecce vobis mysterium; S. Petrus paulò ante Christi in terris erat declaratus Vicarius, cum promissione clavium, id est, potestatis absolvendi peccata, atque ideo necessum erat, ut modum addisceret Apostolus, in huiusmodi debitorum satisfactione observandum, nósque omnes edoceremur, monetam in ore fidelium inveniendam esse, iuxta quod scriptum est: *Ut iustificeris in sermonibus tuis.* Non otiosè, inquit S. Doctor, didrachma in ore piscis inventum est, ex ore enim tuo iustificaberis; etenim pretium nostræ immortalitatis est nostra confessio. S. Ambros. in Psal. 18.

Utilitas.

VIII. Tradunt historiæ de Xerxe, Persarum Rege, quòd duas orbis partes, quas natura diviserat, artis beneficio statuerit unire, Europam scilicet atque Asiam; quem ut conceptum executioni mandaret, opus aggressus difficillimum, in maris fundo longum vastúmque erexit pontem, Hellespontum denominatum, qui facilem utrique parti ac liberum indulgeret transitum, mutua augeret commercia, communes S. Thomas Villan. in Dom. 4. Quadrag.

munes omnium mores efficeret ac leges. A litera ad spiritum pertranseamus; negari utique nequit, infinitam inter cœlum & terram esse distantiam, Deum inter & hominem, peccatum inter & gratiam: *Sicut exaltantur cœli à terra, sic exaltata sunt viæ meæ à vijs vestris*; quæ societas lucis ad tenebras? quæ conventio Christi ad Belial? quæ participatio iustitiæ cum iniquitate? Peccatum nos à Deo separabat, è Paradiso eiectos in exilium deturbabat; noster autem Redemptor, qui meritò dicere poterat: *Veni in altitudinem maris*, siquidem paulò ante cruentum intrârat passionis suæ oceanum, misericorditer pœnitentiæ & confessionis Sacramentalis erexit pontem: *Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui iustitiæ vivamus*, Unde & hoc Sacramentum passim secunda post naufragium tabula nuncupatur. Pontem construxit Dominus confessionis, qui liberum atque securum omnibus ad cœlos præberet transitum. Unde S. Thomas de Villanova hoc confessionem exornat præconio, dicens: Æternæ vitæ aliqualis saltem certitudo coniecturalis, nam maior citra miraculum in hac vita haberi non potest.

S. Aug. in c. 5. Ioan. IX. Quod immensam tanti Sacramenti gratiam, atque favorem amplificat punctum, consistit in eo, quòd Christus beneficium hoc omni fecerit loco, ac tempori commune, absque ulla limitatione. Erat autem Jerosolomis, inquit S. Joannes, probatica piscina quinque porticus habens, in his iacebat multitudo magna languentium. *Ioan. 5. v. 2. & 3.* Sed quo effectu? miseris subitanea forsan obtingebat sanitas? nequaquam. Exspectantium aquæ motum. *Angelus Domini descendebat secundùm tempus in piscinam, & movebatur aqua, & qui prior descendisset in piscinam post motionem aquæ, sanus fiebat, à quacunque detinebatur infirmitate.* Semel quolibet anno cœlestis descendebat Genius, unum ex universa multitudine, reliquis diligentiorem, sanaturus toties, quoties. Ecce vobis incredibilem sacro sancti confessionis lavacri prærogativam, in quo omnes languidæ sanantur, mundantúrque animæ. Probaticam hanc piscinam non sola Jerosolyma, sed omnes continent Christiani Orbis Regiones, Provinciæ, civitates; non unus Angelus, non Sacerdos duntaxat unicus, sed innumerabiles potestatem habent nostrorum solvendi vincula peccatorum; non unus, sed quotquot volunt, pristinæ restituuntur sanitati; non aquarum exspectandus est motus, sed ad libitum nostrum semper præstò est confessis, nec unquam internis Deus nostra cessat movere corda inspirationibus: Sto ad ostium, & pulso. Neque ullus excusationi superest locus, ut dicamus: *Hominem non habeo, qui mittat me in piscinam*. homini námque authoritatem Deus contulit remittendi peccata, in maius generis humani bonum. Salutaris hæc piscina sanguine abundat Agni illius, qui in debitorum nostrorum solutionem evisceratus est super Calvarium; Unde S. Augustinus in horum verborum commentario (*unus militum lanceâ latus eius aperuit & continuò exivit sanguis & aqua*) ita discurrit: ut illic quodammodo vitæ ostium panderetur; Unde Sacramenta Ecclesiæ manaverunt, sine quibus ad vitam, quæ vera est vita, non intratur.

X. S. Bernardus explicans versiculum Psal. 95. *Confessio & pulchritudo in conspectu eius*, sic loquitur: Ama, unde placeas: ama confessionem, ob quam amaris, ama confessionem, si affectas decorem: Revera ubi confessio, ibi pulchritudo, ibi decor. *S. Bernardus ep. 113.* Ecce facilem vobis, & peraccommodam similitudinem: Annulus v. g. aureus rumpitur, ruptúsque reparatur, ast locus rupturæ, ne appareat defectus, adamante insternitur valoris inæstimabilis; nónne annulus iste maximum consecutus est decorem, pretium, venustatem? ita pariter in præsenti, animam equidem maculavit culpa, ast pœnitentem postea confessio & Sacramenti virtus inappretiabili ditat thesauro: *Confessio & pulchritudo in conspectu eius, sanctimonia &c.* Fit persæpe, inquit S. Laurentius Justinianus, Redemptoris nostri se infundente, atque cooperante misericordiâ, ut post lapsum vero pœnitenti augeatur gratia maior, quàm habuerat, addatur spes gloriæ, atque præclarior largiatur eidem de Dei bonitate cognitio; ita ut impleatur, quod Apostolus ait: *Ubi abundavit delictum, superabundavit & gratia.* *S. Laur. Iust. l. 7 de Ob. c. 13.*

XI. Quærunt aliqui, cur Patriarcha Jacob in Ægyptum ad filium suum Joseph regio solio sublimem, sese transferens, unicum ex omnibus, qui paternum insinuaret adventum, præmiserit Judam? *Misit autem Judam ante se ad Ioseph, ut nunciaret ei.* Diversas diversi rationes assignant, & motiva; aliis autumantibus, id factum esse, quia Judas omnium fratrum erat eloquentissimus; alii merito adscribunt Judæ, quod sibi comparavit apud Joseph, dum eum crudelibus iniquè ad mortem Joseph paratis fratrum eripuit manibus. *Quid nobis proderit, si occiderimus fratrem nostrum?* Ast dum ad sensum me spiritualem converto; invenio, quòd Judas Confessio interpretetur; ecce igitur vobis mysterium: ad præparandum, adornandúmque Israëli hospitium, ad mundandam Deóque disponendam animam nullus cursor, nuncius nullus servit accommodatiùs, quàm bona Confessio: ad quod alludere voluisse videtur S. Ambrosius, dum ait: Post tanta peccata haberentur indigni, nisi donaretur his remissio Peccatorum; occurrit illi Judas, hoc est, confessor erroris: Ideò Joseph verus, id est, arbiter & interpres Divinitatis occurrit, quia præcedit iam confessio. *S. Ambros. l. de Ios. c. 14.*

XII. Seneca inter alias veritates etiam hanc non postremam pronuntiavit: Proximum, inquit, ad innocentiam tenet locum verecunda peccati confessio. Somnium narrare vigilantis est; & sua vitia confiteri, sanitatis indicium est. *Seneca epist. 53.*

XIII. Quæstio est apud nonnullos, cur S. Joannes Baptista potiùs ad Jordanis flumen, quàm in Jerosolymitanæ, aut alterius cuiuscunque civitatis medio, prædicârit, populúmque ad pœnitentiam, & peccatorum suorum dete-

stationem invitârit? rationem huius mihi attigisse videtur S. Antonius de Padua, dum per Iordanem Confessionem intelligens, ait: congruè per Iordanem accipitur Confessio; est enim Iordanis fluvius, qui dividit terram promissionis, & populum Dei ab Arabia, quæ occidentalis & insidiatrix interpretatur, & sunt dæmones. Ad discooperiendas inimici fraudes & insidias, ad debilitandas eius vires & assultus, ad ripam Iordanis dimorari, id est, frequenti vacare oportet confessioni. Non assimilem idem Sanctus discursum format, dum filios Israël per mare rubrum, hinc indè suspensis tenaciter aquis, gradientes contemplans, ait: Item præbuit iter filiis Israël: unde aquæ superiores steterunt, & inferiores defluxerunt; quia peccata præterita, rapientia hominem, confessio fugat, & futura sistit.

S. Ant. de Pad. ser. 1. in Dom. 1. Quadr.

Mansi disc. 10. n. 7.

XIV. Baiazeth Turcarum Imperator, obtentis insolens victoriis, Tartarorum Regem Tamerlanem oppugnaturus, dum inimicum iam tum spe devorâsset, ferream secum duxit in prælium caveam, cui victum in triumphorum suorum ostentationem includeret, inclusúmque, quoquò gradi contingeret, secum conduceret; ast qui triumphum cecinerat antè victoriam, ipse victus captúsque, opprobrium fit caveæ. Ecce vobis casum in terminis. Dum nos peccato implicamur mortali, mancipatui subiacemus dæmonis, qui colla nostra severissimis tyrannidis suæ humiliavit in vinculis (quos delictorum catena constringit) ut primùm autem nostras culpas confitemur, eásque clavibus subiicimus, omnia dissipamus vincula, dæmonem nostræ substernimus potentiæ, eum omni vigore destituentes. Cùm fortis armatus custodit atrium suum in pace sunt ea, quæ possidet; si autem fortior superveniens vicerit eum; universa arma eius auferet, in quibus confidebat, & spolia eius distribuet. Quis est ille, qui armati instar militis, suas tutatur stationes, nisi dæmon, cor possidens peccatoris, qui omni absque contradictione, quietus, infamis mancipatûs constringitur compedibus? quis porrò ille, qui fortior eo, ipsum vincit, ex possessione exturbat, omnésque diripit prædas, nisi confessionis Sacramentum? Spolia sunt animæ ab eo deceptæ, inquit Glossa. His exuviis, his prædis Sacerdos privat dæmonem. Has Christus per gratiam suam redemit, & dæmonibus abstulit, ait Carthusianus.

TITVLVS XV.

CONSCIENTIA.

§. I.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

CONSCIENTIA BONA.

Utilitas.

S. Chrys. ho. 20. in Gen.

I. Enignus Deus eiusmodi nobis accusatorem assistere voluit, ut nunquam soli relinquamur; sed indesinenter ille congrediens clamet, & pœnam exigat delictorum.

S. Bernard. sen. 10. 1. ser. 52. n. 1. c. 1.

II. Est Conscientia quasi candela accensa, quam posuit Dominus in medio cordis nostri, ut pateant ea, quæ in eo sunt contenta, unde Psalmus ait: *Signatum est super nos lumen vultûs tui, Domine.*

Iucunditas.

S. Chrysost. in hom. de Fest.

III. Festa non multitudo convenientium facere solet, sed virtus; non sumptuosus vestitus, sed pietatis ornatus, non mensæ dapsilitas, sed animæ cura. Maximum enim festum est Conscientia bona: Qui enim vivit in iustitia, & operibus bonis, vel absque festo festum agit, sinceram voluptatem ex bona conscientia percipiens; qui verò in peccato, & malitia degit, multorum malorum sibimet conscius, etiam cùm maximè festum est, festo caret, quàm maximè.

IV. Lectulus respersus floribus bona conscientia est, bonis referta operibus. *S. Bern. l. 67. in Cant.*

V. Quis puritate & simplicitate pectoris dulcior fructus? quis cibus suavior, quàm is, quem animus bene sibi conscius & mens innocentis epulatur? *S. Ambr. in Ps. 44.*

VI. Animi tranquillitatem & lætitiam non principatûs magnitudo, non pecuniarum copia, non potentiæ tumor, non corporis fortitudo, non mensæ sumptus, non vestium ornatus, non aliud quippiam rerum humanarum afferre consuevit, præterquam Conscientia bona: quam certè qui puram habet, ut pannosus sit, ut cum fame luctetur; tamen tranquillior, beatiórque est iis, qui inter delicias degunt. *S. Chrysost. ho. 1. sup. ad Rom.*

VII. O Conscientia Sancta, in terra adhuc es, & in cœlo habitas. Gaude, O anima Sancta, Sanctâ conscientiâ decorata. *S. August. s. 10. ad FF.*

VIII. Non secundùm forensem abundantiam æstimanda est beatitudo singulorum, sed secundùm interiorem Conscientiam, quæ innocentium & flagitiosorum merita discernit, vera atque incorrupta pœnarum, præmiorúmque arbitra. *S. Ambros. l. 2. off. c. 12.*

IX. Nihil bonâ conscientiâ suavius; & si vultis hoc discere, hinc migraturum interrogemus, & commonefacientes lautæ mensæ, quâ quon- *S. Chrysost. ho. 52.*

quondam oblectabatur, & honoris, & gloriæ, & bonorum operum, quæ unquam fecit rogemus, in quibus magis exultet? & in illis quidem videbimus erubescentem; in his verò gestientem. Tunc maximè capies, & sapies, verissimum illud sapientis: *Secura mens, quasi iuge convivium*, cùm omnes cibi desipient, omnia humana fastidies.

S. Bern. c. 3. de inter. dom. X. Bona Conscientia secura erit, cùm corpus morietur: Secura, cum anima coram Deo præsentabitur: secura, cùm utrúmque in die Iudicii ante tribunal terrificum iusti Iudicis statuetur: futuræ benedictionis non est utilius remedium, nec certius testimonium, bonâ conscientiâ.

Conscientia mala.

S. Aug. apud Nyss. l. 5 de prov. Iud. iuda. XI. Quô confugiet (homo malæ conscientiæ) cùm cœperit pati tribulationes? Fugiet ab agro ad civitatem, à publico ad domum, à domo ad cubiculum & sequitur tribulatio. A cubiculo iam quò fugiat non habet, nisi interius ad cubile suum. Porrò si ibi tumultus est, si fumus iniquitatis, si flamma sceleris, non illuc potest confugere, pellitur enim indè, & cùm indè pellitur, à se ipso pellitur; Et ecce hostem suum invenit, quò confugerat; se ipsum quò fugiturus est? quocúnque fugerit, se talem trahit post se, & quocúnque talem traxerit se, cruciat se, sed à seipso sunt tribulationes, quæ inveniunt hominem nimis; acerbiores enim non sunt, tantò sunt acerbiores, quantò sunt interiores.

Latinus Pacatus in Paneg. XII. Habere occultos conscientiæ carnifices, quia magis lancinant, & torquent vitia, quàm cruces, quàm verbera, quàm tormenta.

S. Ambros. in ps. 45. XIII. Ipsa, quæ videtur, etiam dum vivunt, impiorum requies in inferno est.

S. Bern. in Psal. 9. v. 8. XIV. Infernus quidam & carcer animæ rea conscientia est.

S. Ambros. in ps. 104. XV. Unusquisque peccatis flagellatur: gravia enim delictorum pondera, gravia criminum verbera, sicut onus gravant grave, & infligunt animæ cruciatus.

S. Chrysost. conc. 4 de Laz. XVI. Scortator, adulter, aut fur, non modò cùm accusatur ipse; verùm etiam cùm audit alios eadem ausos accusari, ipse sibi videtur flagris cædi: alius quidem vocatur in ius, hic verè flagellatur.

S. Chrysost. ho. 18. ad pop. XVII. Talis est peccantium consuetudo, omnia suspecta habent, umbras tremunt, omnem strepitum timent, & quemque existimant contra se venire, & aliis alia disserentibus, sibi ipsis conscii, cogitant illos de se sermocinari, talis res peccatum est, nullo arguente prodit, nullo accusante condemnat, pavidum facit & timidum peccatorem.

S. Thom. in 4. dist. 50. q. 11. XVIII. Vermis est Conscientiæ remorsus, qui dicitur vermis, in quantum oritur ex putredine peccati, & animum affligit; vermis est, ait Ambrosius, eò quòd irrationabilia animæ peccata mentem rei, sensúmque compungunt, & quædam exedunt viscera conscientiæ: quæ tamquam vermes ex unoquoque nascuntur, tamquam ex corpore peccatoris.

XIX. Qui committit adulterium etiamsi millies fuerit dives, etiamsi nullum habeat accusatorem; non desinit tamen se intus accusare. Et voluptas quidem temporaria est, dolor verò perpetuus; timor undique ac tremor; suspicio & anxietas; angulos metuit; umbras ipsas formidat: suos ipsius famulos conscios, inscios; illam ipsam, quam corrupit, & virum, quem affecit contumeliâ. *S. Chrysost. Conc. 1. de Laz.*

§. II.

EXEMPLA SACRA.

Conscientia bona.

I. Vidi ego, inquit Thomas Cantipratanus, Lovanii Ordinis nostri fratrem, Servatium nomine, dilectum valde mihi & amicitiâ familiarem, de illo beatissimo viro fratres, qui triginta quinque annos illi convixerant, testati sunt, eum omni hoc tempore, ita pacifice vixisse, ut neminem unquam vel leviter commoverit, aut perturbârit, humilitatis, & mansuetudinis tantæ fuit, quantæ unquam hominem meminerim me vidisse. Hic ad extrema deductus, cùm à fratre quodam rogaretur, ut sibi super statum Pacis suæ conscientiæ respondere, Dixit humiliter, & devotè: Pax certa & firma est inter me, & nostræ salutis Auctorem, nec ullo modo diutiùs ab eius contemplatione frustrabor: atque ita in pace æterna requievit. *Thom. Cantiprat. apud Engel. Serm. F. 3. Pasch.*

Conscientia mala.

II. Memorabile est, quod Abbas Sabbatius naravit: sicarius à patratâ per summam immanitatem innocentis pueri cæde, meliori radio à Deo illustratus, quò scelus occultum meliùs expiaret, religiosæ vitæ rigorem ac habitum ab Abbate Zasino petiit, & impetravit: iámque per omnes severioris disciplinæ gradus, magnis passibus ad virtutem gradiebatur; cùm ecce scelus semper animo obversans, exturbat hominem è Monasterio: pueri enim voces semper in auribus eius insonare illud videbantur: cur me occidisti? nec sinebat, ut auctor ait, unâ horâ conquiescere: quarè semper tremens ac pavens, tanti cruciatûs impatiens, è monasterio excessit, urbem ingressus Diospolim, in carcerem conicitur, & capite plexus est, adeò nusquam securum latet scelus. *Pratum Spirit. c. 166.*

III. Annis ab hinc non multis vir locuples ac potens, facinus quoddam admiserat, quod prodere & Confessarii auribus committere, morte & damnatione peius ducebat; agitabat tamen mens hominem, & conscientia ad virus evomendum exstimulabat. Inaudierat fortè Antuerpiæ pro concione, neminem teneri ea peccata confiteri, quæ memoriâ exciderant: hinc nihil non molitus, ut peccatum illud è memoriâ proscriberet. Ivit per varia voluptatum genera, scelera sceleribus accumulans, vel ut antiquum illud obrueret, vel ut novis conscientiæ tumultibus, vetus ille tumultus, quasi clavus clavo pelleretur. Sed frustra *Cromlacius l. 2. de stud. perf. c. 2.*

 omnia

omnia. Abit in exteras Regiones, quasi ſeipſum relicturus eſſet in Belgio; ſed cælum, non animum mutat, qui trans mare currit. Igitur animum fluctuantem ad ſtudia appellit, quæ totum hominem petunt, ut ſunt Mathematicæ, Aſtrologicæ, & his affines diſciplinæ; ſed & hæc fruſtra. Audit tandem peccata contritione deleri, & ad opera bona, tamquam ad ſacram anchoram confugit, dormit in cinere & cilicio, multa in pauperes erogat: nec ſic animus conquieſcit. Quid agat? quo portu fluctuantis animi iactatio deſæviet? non alio, quàm fædæ mortis interitu. Itaque rhedam conſcendit; domum, quam funeſtæ tragædiæ locum deſignârat, repetit; occurit de via è noſtris Patribus unus aliquis, quem ex rhedâ conſpicatus, rogat, ut currum conſcenderet, vincitque recuſantem importunitate. Pater de Deo, diviniſque rebus ſermonem iniecit, & inter cætera ad Confeſſionem dilapſus eſt; tetigit ea hominis ulcus, qui ſtomachabundus, quid ais? inquit, unde me noſti? cui Pater: nuſquam, inquit, te vidi, ſed nos de more eiuſmodi ſermones miſcere ſolemus, & ſi quâ in re ope meâ eges, præſtò ſum. Iuveris, inquit ille, ſed quid ſi confiteri renuam? Ratus Pater cedendum tempori, pio dolo hominem capit, ſpondétque, ſe miſsâ confeſſione remedium allaturum. Arripit ille conditionem, ad acerba quæque ſe abiicit. Pater, cùm domum appuliſſet, iubet epulum inſtrui, & ſe hilaritati dare, quâ maximè egebat, nocte illâ decretoriâ. Poſtridie quædam puncta ruminanda dedit, ad excitandam in Deum fiduciam; tum Examen Conſcientiæ, non ut confiteatur, ſed ut in memoriam reducat, & de ſingulis doleat, denique in vicinam ſiluam educit, rogátque, num benè conſcientiam diſcuſſerit, & ne quid fortè prætериiſſet, quærit ex illo quædam, per atrocia quæque dilabitur; tandem illud ipſum, quod angebat, attingit, ubi perturbatur miſer, & illud, illud (inquit) eſt truculentum, infandum, quod eloqui non audeo. Tum Pater, iam, inquit, confeſſus es, neque pluribus opus, niſi ut cætera prodas; fecit, & onere illo levatus, animi quietem invenit.

Drexel. in rogo damn. c. 1.

IV. Ludovicus ſeverus ex Boiorum ſanguine princeps, Mariæ coniugis ſuæ literas Ruchoni aulico ſcriptas, per tabellarii errorem, domo abſens, intercepit, ſed cùm epiſtolæ ſententiam non aſſequeretur (ut eſt malitioſa ſuſpicio) cœpit de fide uxoris dubitare, & credere, auſam facinus, quod non cogitârat. Itaque internuncius, & lator literarum, velut leno, primò obtruncatus: deinde ubi Donawerdam urbem ſuam rediit, etiam præfectum arcis, flagitii ſuſpectum per ſatellitem mandat iugulari; tum matronam aulæ præſidem, quaſi ſceleris conſciam, ex turris arce præcipitari imperavit. Sed ô barbarum facinus! his quatuor funeribus, ipſa Maria integerrima Princeps, quintum acceſſit: Imperio coniugis verè ſeveri, caput manu carnificis illi amputatum. Sed primâ ſtatim à cæde nocte Ludovicus à Mariæ manibus adeò exagitatus fuit, ut cùm barbâ florente, & iuvenili, decoráque comâ cubitum ſe contuliſſet; unâ nocte ita incanuerit, ut manè ſenem ſeptuagenarium referret: in quem meritò quadret illud Poëtæ Martialis.

> O nox quàm longa eſt, quæ facit, una ſenem; *Lib. 4. epig. 7.*

§. III.

SIMILITUDINES.

CONSCIENTIA BONA.

Jucunditas.

I. SIcut in laboribus preſſi, in lecto quieſcentes reficiuntur, ita dum mundi huius adverſitatibus premimur, in bona conſcientia interiùs delectamur. *S. Greg. in Pſ. 6.*

II. Sicut qui in cubili cubat, requieſcit, & ſuaviter dormit: ſic qui perfectus in Deo eſt, & qui crevit in virum perfectum, requieſcit in Deo, tanquam cubile reputans divinam perfectionem, cubilis autem fulcra dicuntur virtutes.

CONSCIENTIÆ MALÆ.

Tribulatio.

III. Sicut mare tempeſtuoſum & fervens, inquietum, turbulentum, & ſubverſivum eſt navigantium; ſic homines pravi & impii ſemper turbulenti ſunt corde, & animo inquieti. *Dionyſ. Carth. in Iſaiæ c. 57. v. 18.*

IV. Sicut ii, qui febriunt, iactant ſe inquietè, lectum mutant; ita nos, qui fomitem mali circumferimus, & telo affectuum percuſſi, fruſtra illud motu & diſcurſu ſanare volumus. *Lipſius l. 1. c. 2. de Conſtant.*

§. IV.

ASCETICA.

I. INprimis noſſe debet, *cur conſcientia bona tantam Iucunditatem afferat*; quod quidem S. Athanaſius declarat, dum illa pſalmi 149. verba: *Exultabunt Sancti in gloria: lætabuntur in cubilibus ſuis* explicans; quærit, de qua gloria hîc loquatur Sanctus Propheta, & quæ ſint illa cubilia, in quibus tam feſta gaudia, ac tam gaudioſa feſta ducere Sancti feruntur: Reſpondet autem, gloriam, & cubilia, & penetralia in quibus homines probi magnam capiunt voluptatem, eſſe virtutes, hánceque eſſe veram quietem & gloriam: nec enim in hac vitâ eſt maior, vel requies, vel gloria, quàm illa bonæ conſcientiæ; in ſomno námque virtutum ſuaviſſimè, & dormit, & reſpirat, cui integra conſcientia conſtat. Aliam rationem aſſignat S. Chryſoſtomus dicens: Etſi vitium habeat ſecum univerſum orbem, tamen omnium maximè imbecillum eſt; virtus autem, etſi ſola ſit, eſt omnium potentiſſima; habet enim Deum ſecum ſtantem. Peccatum, quamvis totius mundi præſidio munitum, perdebile eſt; virtus, licèt inermis, & nuda, validiſſima eſt, Deum adiutorem habens. Timens Deum, neminem præterea timet. *S. Athan. in Pſ. 149.* *S. Chryſ. in Pſ. 7.*

S. August. in ps. 45. II. Nôsse debet, *unde inquietudo malæ conscientiæ oriatur*; cuius rationem assignans S. Augustinus, in cæteris, inquit, miseriis possumus ex Deo habere solatium & robur: At quando inter cruciatus conscientiæ abest Deus, qui est unica consolatio, non habet infelix peccator, quò recurrat, & propterea quocunque vadat, in quemcúnque locum se recipiat, perterrefacit illum crudelis inimicus, conscientia propria, sicut ubique ardeat in ultricibus flammis tam molestæ & inquietæ tribulationis.

§. V.

MISCELLANEA.

CONSCIENTIA BONA.

Mansi disc. 6. n. 11. I. EXodi c. 8. dixit Deus: *Faciámque mirabilem in die illa terram Gessen, in qua populus meus est; ut non sint ibi muscæ, & sciat, quoniam ego Dominus in medio terræ.* Ut discamus, consolationem hanc internæ pacis & tranquillitatis, quam bona, rectáque parit conscientia, solis divinitus reservatam servis Dei: *Pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum*; neque ulla eos inquietat synderesis.

S. August. q. 26. in Exod. 8. II. Iussi à Deo Moyses & Aaron pulverem terræ per aerem dispergere, ad generandos sciniphes hominibus infestos & iumentis, obedierunt promptè: Et facti sunt sciniphes in hominibus & iumentis; quod & magi Pharaonis subitò imitari attentârunt, sed conatu irrito. Fecerúntque similiter malefici incantationibus suis, ut educerent sciniphes, & non potuerunt. Cur, obsecro, in aliis omnibus efficax præstigiis, in hócce unico exarmatur incantatio? protestantibus omnibus: digitus Dei est hic. Responderi potest, aliis in prodigiis, oculos intuentium delusos fuisse, aquâ sanguineum perhibente colorem, licet in substantia verè talis non esset; virgis item formas exprimentibus serpentinas, sed apparentes duntaxat; sciniphes autem fingere nequibant; quia, quos formaverat Moyses, aculeum circumferebant pungentem crudeliter. S. Augustinus ab hac historia ad sensum digreditur moralem, & ait, supplicia, quibus Deus per servorum suorum manus castigavit Ægyptum, pœnas figurabant impiorum, quas inter perquam crudelis est malæ conscientiæ vermis & remorsus; homines improbi & flagitiosi omnibus aliis tormentis servos Dei affligere, ac discruciare possunt, solam si exceperis malæ conscientiæ torturam; quia non contristabit iustum, quidquid ei acciderit, impii autem replebuntur malo. Huius synderesis & remorsus auctor immediatus est ipse Deus: digitus Dei est hic.

Io. Sambucus Emblem. 1. III. Joannes Sambucus ingeniosè oculis subiecit hominis probi tranquillitatem, & securitatem animi; dum hominem penicillo expressit, qui laurum complecteretur, cum hac adscriptione: Conscientia integra laurus. De lauro (quod nemo nescit) aiunt Ioannes de Sancto Geminiano, Plinius, Berchorius, Antonius, Ricciardus, & non pauci alii, habere literas immunitatis adversus furorem fulminis. Nam cùm reliquæ plantæ, & arbores omnes inevitabili eius furori sint expositæ, sola illius rabiem non pertimescit, neque experitur laurus. Talis est homo iustus, & perfectus, laurus est semper vivens, semper extra iactum & formidinem fulminis. Cùm enim penes se habeat privilegium bonæ conscientiæ, nec fulmen est, quod ipsum terreat, nec res ulla, quæ affligat.

IV. Petrus Crinitus author est, Romanorum, & Græcorum Feciales, aut legatos, secum ferre solitos herbas, quas sagmina vocabant, quæ velut pro salvo conductu fuerint, ne quis illis incommodaret, & sic in omni patria, non amicorum modò, verùm etiam hostium tutò circumiisse. Hinc illud Martiani Juris Consulti: Sanctum est, quod ab iniuriâ hominum defensum, atque munitum est. Sanctum autem dicitur à sagminibus; sunt enim sagmina herbæ quædam, quas legati populi Romani ferre solent, ne quis eos violaret, sicut & Græcorum legatis accidit. Omnes iusti sunt Legati Dei, qui magnitudinem eius nobis nuntiant, cœlorúmque negotia, quantùm possunt, in hac vita curant, ut ait S. Paulus 2. corinth. 5. 20. Pro Christo ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos: Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo. Quam ergo herbam hi cœlorum legati secum ferunt, ut sint per viam securi, quocunque pergant, dicat idem Apostolus, cuius hæc sunt verba 2. Cor. 1. v. 12. *Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ.* Herba, quæ nos ubique tutos habet, non est alia, quàm secura conscientia. Ista gloria est, quæ nos ab omni pœna liberos reddit, & cuius gratiâ inoffenso pede pergimus, quocunque contendamus. Nyss. § 5. de prod. Iuda.

V. Macrobius narrat, Augustum Cæsarem propter prægraves Imperii curas, sæpius insomnes duxisse noctes, inaudiisse verò de quodam Romano Equite obæratissimo, nullius tamen sollicito, sed in utramque aurem, & multam lucem quotidie stertente. Contigit autem, Equitem illum subitò fatis concedere, & supellectilem illius omnem à creditoribus vænum exponi. Quod ubi rescivit Augustus, pulvinar defuncti Equitis mille aureis lubens redemit, inquiens; necessarius est mihi hic pulvillus, omníque aurô charior, in quo tam quietè potuit dormire: Non est pulvinar pretiosius, & captando dulcissimo somno accommodatius, quàm quo Christus in hodierna tempestate usus est, & in usum nobis omnibus transcripsit, si bonam scilicet habere curemus conscientiam. Hæc enim nobis in omni tempestate somnum præstabit securissimum. Macrob. l. 2. Saturnal. c. 14.

VI. Quærunt nonnulli, cur Christus olim in puppi dormierit, quæ est pars ultima navis? cur non in prora parte navis anteriore? cur non sub malo, in navis medio? Docere nimirum dormiens voluit, bonam conscientiam in fine vitæ S. August. in ps. 30.

vitæ potissimùm lætari, quiescere, obdormire. *Exultabunt sancti in Gloria*, inquit Psaltes, *lætabuntur in cubilibus suis.* Quæ est illa gloria, in qua sancti exultaturi prædicantur? *hæc est gloria nostra, testimonium conscientiæ nostræ*, inquit Paulus 2. Cor. 1. v. 12. Conscientia exultationem in vitæ puppi, agone inquam, procurat; *Lætabuntur in cubilibus suis*, scilicet in conscientiis; inquit Hugo purpuratus, quia habent tam bonum Dominum. Patheticè Orator aureus hom. 37. ad popul. Antioch. nihil bonâ conscientiâ suavius; non nôstis in novissimo die quomodo peccata animum convolvunt (peius, quàm nautæ Jonam) qualiter ab imo cor movent? hæc igitur, cùm ista fiunt, bonorum operum memoria, tanquam in tempestate serenitas, animum consolatur tumultuantem. Vivaciùs adhuc S. Augustinus in Psal. 30. fugitivum à facie Absalonis Davidem ita loquentem inducit: quò fugio, ad quem locum tutus fugio? ad quem montem, ad quam speluncam? ad quæ tecta munita? quam arcem teneam? quibus muris ambiar? quocunque iero, sequor me, quidquid enim vis, potes fugere, ô homo, præter conscientiam tuam. Intra in domum tuam, requiesce in lecto tuo, intra in interiora, interius nihil habere potes, quò fugias à conscientia tua.

Conscientia mala.

Plutarch. de vindict. Num. VII. Bessus apud Plutarchum, cùm patrem obtruncâsset, diuque scelus clàm fuisset, ad cœnam vocatus, nidum hirundinum hastâ deiecit; rogatus à præsentibus de insolentiâ facti, non auditis, inquit, hirundines falsâ de me vociferari, & testari, me esse patris interfectorem? mirati, qui aderant, hunc sermonem ad regem detulerunt: Bessus captus & sceleris convictus, pœnas luit. En quàm non falsum illud: sonitus terroris semper in auribus impii, omnia tuta timent, nunquam conquiescunt.

S. Hieron. apud Nyss. l. c. IIX. Turpissimo illo piaculo se Cain obstrinxerat, vix contra omnes Dei, & hominum leges sanguinem innoxii fratris sui fuderat, quando subiratus Deus adfuit, ut in tantùm nefas inquireret, cùm se ferus, & sanguinarius homicida convictum cerneret, aiebat Deo: si me à facie tua projicis, Mundum vagabundus, ac profugus obibo, quisquis autem occurrerit mihi, is me, pro iustissimo sceleris mei supplicio obtruncabit. Cui Deus: Nequaquàm ita fiet, sed omnis, qui occiderit Cain, septuplum punietur. Genes. 4. v. 15. *Ego vitam tuam diligentiùs tutabor, quàm tu fratris vitam custodîsti, nec enim permittam, ut quisquam tibi manus afferat, quin septuplo supplicio, si contrà faxit, luat.* S. Hieronymus inquit, crudelitâsne, an pietas fuerit, quòd Deus tanto studio vitam Caini curavit? Respondet verò, incredibilem austeritatem fuisse, quòd illum ita sospitavit, neque id ob aliud fecisse, quàm ut atrociora illi tormenta conflaret. Verba illius ex quæstione. 2. ad Damasc. sunt ista: Nolens Deus eum compendio mortis finire cruciatus, nec tradere pœnæ, quâ seipse damnarât, ait: Non sic id est, non, ut existimas, morieris, & mortem pro remedio accipies, verùm vives usque ad septimam generationem, & conscientiæ tuæ igne torqueberis. Premite illa, compendio mortis finire cruciatus. Felicitatem interpretatus fuisset Cain, si Deus illi vitam ademisset, putâssetque, eo modo finem accepisse suas miserias, & cum vita exspirasse ærumnas. Noluit autem Deus ex voto illius agere, quin ob hoc ipsum voluit diuturnam esse illius miserabilem vitam, qui felicem sperabat ex cita internecione mortem. Conscientiæ tuæ igne torqueberis, dixerit Dominus; ut depravatæ conscientiæ suæ ignibus inclusus moreretur semper vivens, & viveret semper moriens, & vita in septimam generationem usque productâ vice æternæ pœnæ interim esset, quæ illi apud inferos constituta erat; conscientiæ enim malæ pœna cruciatum infernalium absentiam supplet.

IX. Seneca non malè dixit: Ante peccatum conscientia est frænum, post peccatum est flagrum. Hinc iuxta Psalmistam: *multa flagella Peccatoris.* *Senec. ep. 97.*

X. Sapienter dixit Salvianus: Nemo aliorum sensu miser est, sed suo: & ideo non possunt esse falso iudicio miseri, qui sunt verè conscientiâ suâ beati. *Salvian. l. 1. de provi.*

Conscientia discutienda.

XI. Redi ad cor tuum, & subtiliter discute te ipsum: considera, unde venis, quò tendis, quomodo vivis, quid agis, quid amittis, quantum quotidie proficis, quibus cogitationibus magis incursaris, quibus affectibus tangeris, quibus tentationum machinis à maligno Spiritu acriùs impugnaris; & cùm totum interioris, & exterioris hominis statum plenè cognoveris, non solùm, qualis sis, sed etiam qualis esse debeas, de cognitione tui poteris sublevari ad contemplationem Dei. *Hugo vict. l. 3. de an.*

XII. Perpendite, quæ dico, fratres. Negotiator sæcularis damna & lucra quotidie computat, & siquidem damna perpessus fuerat, ea resarcire sollicitè studet, sic etiam tu, carissime, seriò facias ac cures; diebus singulis vespere & manè diligenter considera, quo pacto sese habet negotiatio tua: & vespere quidem ingressus cubiculum cordis tui, examina temetipsum, ac dicito: Putâsne, hodie in aliquo Deum exacerbavi? nunquid verba otiosa protuli? num per contemptum, negligentiâmque peccavi? num in re aliqua fratrem irritavi? num alicuius famam detractionibus laceravi? mòxque subdit: Quòd si in istis compereris, te detrimenta perpessum, futuris lucris præterita damna sedulò resarcire stude. *S. Ephrem. ... de ...*

XIII. An non codicem domi habes, inquit sanctus, in quo quotidianas rationes scribas? habe nunc codicē in conscientia, & quotidiana peccata scribe. Cùm in lecto tuo iaces, nec quisquam est, qui tibi negotium facessat, antequàm somnus irrepat, libellum in medium produc, & peccata tua tecum reputa, dicens apud temetipsum: nunquid hodierno die, vel sermone, vel opere peccavi? & alibi: quando estis decubituri, & nullo præsente, multa quies *S. Chrysost. in Ps. 50.*

&si-

& silentium, excita iudicium tuæ conscientiæ, ab ipsa rationem exige; cumque in notitiam veneris omnium inordinatorum affectuum & appetituum tuorum, omnium malorum verborum, cogitationum, &c. de eis pœnam sume, torque cogitationem, quæ peccavit; id sibi vult illud: *Quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini*, Compungite, pro eo, quod est, pungite, stimulate, quæ in cordibus vestris dixistis interdiu.

S. Bern. l. de conf. XIV. Unicuique liber est sua conscientia, & ad hunc librum discutiendum & emendandum, omnes alii libri inventi sunt. Anima verò, cùm de corpore egreditur, nullum alium librum, præter librum conscientiæ se cum poterit portare; atque in illo cognoscet, quò debeat ire, vel quid debeat recipere.

XV. Isboseth in lecto suo à Recab & Baana occisus fuit, dum altùm ipse sterteret in meridie; causâmne nostis funesti adeò accidentis? Mulier triticum purgans, Custodiæ domesticæ deputata ipsamet obdormierat; Unde S. Gregorius inquit: Ostiaria triticum purgat, cùm mentis custodia, discernendo virtutes à vitiis separat; quæ si obdormierit, cessante conscientiæ examine, insidiæ contra nos invalescunt Diaboli, animæque nostræ ager Zizaniis repletur. Cùm autem dormirent homines, venit inimicus homo, & superseminavit Zizania. S. Gregorius fusiùs ad prius factum alludens, ingressi, inquit, spicas tollunt, quia mox bonarum cogitationum semina auferunt. *S. Greg. l. 1. mor. c. 11.*

TITVLVS XVI.

CONTRITIO.

§. I.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

Concilium Trid. sess. 14. c. 4. I. EST animi dolor ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero. Pro cuius intelligentia S. Thomas Villan. notat, quòd duplex est dolor; *S. Thomas Villanov. Conc. in Dom. Pass.* quidam, qui est actus voluntatis, & ille est odium & displicentia, & detestatio, & abominatio peccati, nolle peccâsse; & iste actus est liber & in nostra potestate: Alius est dolor sensitivus, qui est passio & tristitia quædam in sensualitate, quæ aliquando prorumpit in lacrymas: Primus dolor est contritio, non secundus, sed est effectus contritionis; Nam ex displicentia & odio peccati commissi nascitur in sensualitate illa tristitia, & hæc non est sic in nostra potestate; Nam quidam sunt duriores ad lacrymas, alii teneriores, ut mulieres. Rationem autem, cur DEUS dolori huic non in sensu, sed in voluntate locum assignavit, dat sequentem, quia nimirum tantum bonum & tam magnum commodum peccatorum debuit esse liberum, & in nostra potestate cum DEI gratia.

Divisio.

Richard. in 4. dist. 10. q. 1. II. Dividitur in imperfectam, & perfectam. Illa est, quæ ex motivo supernaturali spei vel timoris elicitur, & hæc Attritio vocatur, de qua Richardus de Media villa sic loquitur: conteritur cor duplici molâ; Prima Divinæ spei, secunda timoris Dei. Hæ duæ molæ, duo sunt pedes, quos posuit Angelus super mare & super terram. Quid per Angelum, nisi Angelica contritionis gratia, à Deo per Angelum missa, qui pedem providentiæ seu voluntatis Dei, ponit super mare mentis amaricatæ, ne de iustitia Dei desperet; & sinistrum super terram mundialis & criminosæ mentis, ne de misericordia Dei præsumat: quasi calcando mare mentis contritæ dextro pede, illud Psalmi dicat: *Spera in Deo.* Et sinistro calcando terram, ne præsumat, addat: *Et fac bonitatem*: Horum enim duorum alterum sine altero ad ruinam, non ad salutem est. Perfecta contritio est actus voluntarius coniunctus cum summo dolore de peccatis, elicitus ob amorem Dei super omnia dilecti, cum spe veniæ, & firmo proposito confitendi peccata commissa, nova non perpetrandi, ac pœnitentiam adimplendi, & hæc speciali nomine Contritio appellatur, de qua potissimùm hoc loco sermo erit.

III. Huius porrò Contritionis eliciendæ triplex modus est, iuxta Philippum Hartunck, & alios. Primus est, si doleas de peccatis ex motivo divinarum perfectionum, vel omnium simul, vel unius in particulari, ut si dicas: Amo te, Deus meus, super omnia, propter id ipsum, quod es, quia infinitè bonus es (infinitè pulcher, sapiens, iustus, perfectus, benignus, immensus, æternus, Omnipotens) & quia sic amo te, detestor ex animo, abominor, annullóque, quantùm in me est, omnia peccata, quæ ego vilissimus contra te, supremum Dominum, & Deum meum commisi; ideò præcisè, quia te offendunt, tibíque displicent: & propono firmiter non ampliùs in posterum peccare. Secundus modus est, si doleas ex motivo beneficiorum, quæ amabilis Deus ex infinito & gratuito amore tibi confert innumera, & conferre plura in æternum desiderat; ut si dicas: Domine Deus meus, amâsti me ab æterno, in tempore creâsti me, & cùm reus mortis æternæ essem, redemisti me, innumeris beneficiis ex puro amore affecisti me, & plura ac maiora conferre cupis. Ah! doleo, quod te, tantum meum benefactorem offenderim, idque ideò *Philipp. Hartunck, in Dom. Palm. conc. civ. n. 84.*

præcisè, quia peccatum tibi displicet, & tu, qui infinitè bonus es, omni amore & honore es dignissimus. Doleo & offero tibi propositum, nunquam te ampliùs offendendi. Tertius est, si ex motivo omnium & singulorum, quæ incarnatus Deus pro te egit, dixit, tulitque, doleas; ut si dicas: Fili Dei, ita me amâsti, ut pro me homo factus sis: ex amore tui doleo, quòd te offenderim, propono emendationem vitæ. Ita me amâsti, ut pro me in stabulo natus, circummisus. &, Domine JESU, ita me amâsti, ut primo momento, quo conceptus es in utero Matris tuæ, posueris totam Patris tui æterni legem in medio cordis tui, & ad eam adimplendam te obtuleris, ut ego salvus essem, ego te toto corde redamo, ob hanc tuam dilectionem, toto corde doleo, quòd te Deum meum Salvatorem unquam peccato offenderim. Offer hanc tuam obedientiam æterno Patri pro me, ut condonet mihi peccata mea. O Pater æterne, respice in faciem Filii tui dilecti JESU Christi, & miserere, ah! miserere mei!

§. II.

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas.

Isaia c. 38. I. Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.

Ioël. c. 2. II. Convertimini ad me in fletu, & planctu, & scindite corda vestra.

Ierem. c. 31. III. Postquam convertisti me, egi pœnitentiam, confusus sum, & erubui.

Ps. 50. IV. Sacrificium Deo Spiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum Deus non despicies.

Thren. c. 2. V. Cui comparabo te, vel cui assimilabo te, Filia Jerusalem; cui exæquabo te, & consolabor te? Virgo Filia Sion? magna enim velut mare contritio tua, quis medebitur tui?

Utilitas.

Osea c. 14. VI. Sanabo contritiones eorum, diligam eos, quia aversus est furor meus ab eis.

Luc. 18. VII. Descendit hic iustificatus in domum suam ab illo.

§. III.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Qualitas.

Hugo Vict. apud Mansi disc. 13. n. 6. I. Tanta est pœnitentia tua, quanta est contritio tua, quanta est devotio tua; contritio pro malo quod fecisti, devotio pro bono recuperando, quod amisisti.

Ibidem n. 8. II. Dolor cordis triplex, acer, acrior, acerrimus. Acer quia Creatorem offendisti, cuius legem cùm cœlestia & terrestria conservent, in tanta Republica Dei, tu solus peregrinus es, Imperatoriæ Maiestatis dexteram contemnens. Acrior, quia cum Creatore Patrem etiam ad iram provocâsti, qui tibi ministrat siderum cursus, & fructuum ubertatem. Acerrimus, qui pertranseat animam, quòd beneficium contempseris eius, qui dolorem crucis sustinuit, ne dolorem ampliùs sustineres inferni.

Necessitas.

S. Greg. l. 8. mor. c. 11. III. Tribulatio spiritûs linguam commovet, ut reatum pravi operis vox confessionis impugnet; nam qui mala quidem, quæ perpetravit, insinuat; sed flere, quæ insinuaverit, recusat, quasi subductâ veste vulnus detegit, sed torpenti mente medicamentum vulneri non apponit.

Utilitas.

S. Bernard. Serm. 10. 1. F. 13. c. 1. IV. Contritio apostema pungit, confessio aperit, & saniem emittit, satisfactio cataplasmata apponit; per hanc igitur punctionem conteritur cor humanum, & tunc peccati delectatio totaliter effunditur.

S. Greg. hi. 13. V. Tanto ampliùs peccati rubigo consumitur, quantò peccatoris cor magno charitatis igne concrematur.

S. Bonav. S. e. 10. Dom. infr. oct. Epiph. VI. Contritio expellit peccatum de anima. In peccato autem tria sunt mala, macula, offensa, reatus. Per peccatum enim anima sordidatur, Deus irritatur, debitum æternæ mortis meretur; In contritione autem contra maculam est expiatio, contra offensam est propitiatio, contra reatum afflictio.

S. Chrysologus 1. 94. VII. Absolvi vis? ama, charitas (quæ est virtualis contritio) cooperit multitudinem peccatorum; negationis crimine quid peius? & tamen Petrus amore solo valuit hoc delere; probante Domino, cùm dicit: *Petre amas me?*

Facilitas.

S. Bern. sen. 10. 1. B. 12. c. 1. VIII. Facile est ex parte nostra contritionem habere, quia ex libera voluntate procedit, qua voluntate quilibet liberè uti potest.

S. Thom. vill. in Dom. Pal. IX. O magnam & potentissimam medicinam, & quæ ad manum sit, neque opus sit, eam exteriùs perquirere, sed in pectoris officina redundet, si eam quæramus ibi; & ratio huius est, quia peccatum in ratione superiore est, & in consensu voluntatis consistit, nam non consentiente voluntate non potest esse peccatum; oportet ergo, ut ibi quæratur peccati satisfactio, ubi fuit culpa; Voluntas, quæ peccavit, ipsa satisfaciat. In quo autem alio potest ita voluntas satisfacere Deo, nisi ut doleat de illo, in quo malè delectata est, & bene detestetur, quod malè complacuit?

S. Aug. in Ps. 41. X. Intus habeo victimam, quam immolem: intus habeo thus, quod imponam: intus habeo sacrificium, quo flectam Deum meum. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus.*

Taulerus apud Blos. in consol. pusil. XI. Tanta Domini misericordia est, ut stupa aliqua sive linum in immenso igne positum, non tam citò incendi possit, quàm ipse peccatori verè dolenti, peccata omnia condonare paratus est.

S. Henricus Suso. ibid. XII. Nunquam ulla quamlibet fidelissima mater proprio filio suo, quem sub corde suo gestave-

gestaverit, tam desideranter ac libenter in mediis flammis iacenti, manum porrigeret adiutricem, sicut Deus homini contrito, etiamsi possibile foret, eum omnia totius mundi peccata, vel millenis vicibus quotidie perpetrâsse.

EXEMPLA SACRA.

Qualitas.

Sophron in prat. spir. c.32. I. Mimus quidam erat in Tharso Ciciliæ, nomine Babylas: Erant autem illi duæ concubinæ: nomen uni Cometa, nomen alteri, Nicosa. Vivebat autem luxuriosè, agens omnia, quæ illi dæmon suggessisset. Die verò quadam ingressus Ecclesiam audivit per dispensationem Dei sanctum Evangelium legi: Erat autem ista lectio: Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum, compunctúsque cœpit cum lacrymis horrere, ac se miserum dicere pro his, quæ peccaverat. Confestim igitur egressus extra Ecclesiam vocavit duas amicas suas, dixitque illis: scitis, quomodo vobiscum luxuriosè vixerim, útque nunquam alteram plus, quàm alteram dilexerim. Itaque vestra sunt omnia, quæcunque ego acquisivi. Accipite ea, & dividite inter vos. Ego enim ex nunc abrenuncio sæculo, & efficior Monachus. Illæ autem ex uno ore responderunt ei cum lacrymis. Ad luxuriam, & animarum nostrarum interitum communicavimus tibi: nunc verò quando hoc Deo placitum opus facere vis, dimittis nos, & id solus facis; profectò non ita erit, sed etiam in bono communicabimus tibi. Atque ita Mimus quidem inclusit se in una turrium civitatis, illæ verò venditis omnibus suis, erogatisque pauperibus accipientes & ipsæ religiosum habitum fecerunt sibi prope turrim cellulam, & seipsas pariter incluserunt. Hunc & ego vidi, & ab eo valde ædificatus sum: est enim vir valde humilis, & clemens, atque misericors.

Cæsar. l.2. mir. c.18. II. Philippus Comes Namurcensis, filius Balduini Comitis Flandriæ, antequam moreretur, tantam ei Dominus contulit in infirmitate contritionem, quanta non fuerit visa nostro tempore in aliquo. Quatuor Abbatibus nostri Ordinis solebat sæpè confiteri, & cum tanto lacrymarum imbre, ut omnes ad lacrymas provocaret. Nec ista ei sufficiebant, quin laqueum collo suo iniiceret, rogarétque Confessarios suos, ut se traherent in plateam dicens: Sicut canis vixi, dignum est, ut moriar, sicut canis. Filias fratris sui Balduini Comitis, qui factus fuerat Rex Græciæ, tradiderat Regi Franciæ, cuius filiam duxerat uxorem. Quidam dicebant, quòd eas vendidisset; de quo facto plurimùm dolebat. Deportari se iussit in pauperrimam domum suæ civitatis, in qua pauper spiritu migravit ad Dominum. Volens autem pius Dominus tantam eius remunerari contritionem, miraculis eum glorificare dignatus est, tanquam dilectum Confessorem. Sepultus est in Ecclesia S. Albani Martyris, in qua ipse instituerat Collegium Canonicorum, sed suis reditibus iusta stipendia adhuc sanus ordinans. Tantis usque hodie signis coruscat, ut de remotis regionibus infirmi ad eius tumbam confluerent, sanitatem recepturi, ipsámque terram circa sepulchrum effodientes secum pro benedictione deportarent. Naturâ sat mansuetus erat, & humilis, tamen gratia miraculorum extremæ eius contritioni, quæ maxima fuit, potiùs adscribenda est, quàm pristinæ conversationi.

Necessitas.

III. Parisiis in Ecclesia S. Dei Genitricis Canonicus obiit, qui multa habens stipendia delicatissimè vixerat, & quia ex deliciis maximè, & de his, quæ ad gulam pertinent, libido nascitur, nata nutritur, & quotidianis eius incitamentis augmentatur, idem iuvenis valdè tunicam carnis suæ maculavit, & tam illo, quàm aliis suis peccatis, iram Dei in se provocavit. Tandem per infirmitatem tactus, timore mortis Confessionem fecit, peccata deflevit, & emendationem promisit, viaticum accepit, inunctus est, & hominem deposuit; cuius corpus, utpote viri nobilis divitisque cum magna pompa sæcularis gloriæ tumulatum est: & erat in illa die tanta serenitas, ut ipse aër eius obsequiis famulari videretur. Dixerunt homines ad invicem: Multa bona præstitit Deus homini isti, nihil enim ei defuit horum, quæ homo Christianus habere debuit. Dominicis Sacramentis munitus est, cum magna gloria sepultus est. Sed homo videt in facie, Deus autem intuetur cor. Post paucos dies cuidam sibi valde familiari apparens, dicebat se esse damnatum. Cúmque miraretur ille, & expavesceret, pœnitentiam eius & Confessionem, sacram etiam Communionem, & inunctionem commemorans, respondit defunctus: unum bonum mihi defuit, sine quo nullum horum, quæ enumerata sunt, mihi prodesse potuit. Quid est illud? inquit; respondit mortuus: Vera contritio. Licèt enim Deo promiserim consilio Confessoris continentiam, sive alia, quæ salutis sunt, tamen dicebat mihi conscientia, quia si convalueris, observare non poteris. Et quia cor magis declinabat ad transgressionem, quam ad voti observationem, nullius peccati merui remissionem. Deus requirit fixum propositum pœnitendi. *Cæsar. l.2. c.11.*

Utilitas.

IV. Fuit quidam homo in quadam famosa civitate, qui prædicationi verbi Dei nullo tempore voluit interesse: Quadam autem die contigit, quòd quidam famosus Prædicator in illa civitate prædicaret, & cùm magna populi multitudo confluerent, ille ab aliis tractus quasi invitus ad sermonem venit; quem venientem intuens Prædicator, vidit diabolum trahentem eum cum catena, cuius circuli ex peccatis singulis texebantur, & intuens circulos, cùm in singulis peccata singulâ cognovisset, de peccatis egregiè prædicavit, & quomodo propter peccatum habet diabolus in homine dominium in tantum, quòd non permittit eum facere bonum *Spe. Exem. t. red. ex. 1.*

millibus hominum, repulsâ denotatum tabescere. Et alibi: Melior est modica amaritudo in faucibus, quàm æternus cruciatus in visceribus.

§. VI.

ASCETICA.

Luc. Burgens. in c. 20. Ioan.

I. INprimis *nôsse debet originem Confessionis*, quam quidem Lucas Burgensis clarè ostendit, dum ait: Christum, priusquam Apostolos suos dictâ felicitaret eminentiâ, præmisisse: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*, quasi dicere voluisset: Sicut Pater æternus me in Mundum misit ad humani generis salutem, ita & modò vos ego per terrarum orbem dispersurus, vobis authoritatem confero & potestatem dimittendi peccata, Perspectum est mihi, fore in Ecclesia mea multos infirmos, qui iustitiam per baptismum acceptam non sint conservaturi, misertus illorum, ut possitis eis succurrere, *eam vobis inspiro, ac do gratiam & facultatem, ut requirentibus queatis peccata, vice meâ, validè remittere.* Quod ipsum etiam Concilium Tridentinum insinuavit dicens: Si ea in regeneratis omnibus gratitudo erga Deum esset, ut iustitiam in baptismo, ipsius beneficio & gratiâ, susceptam constanter tuerentur, non fuisset opus aliud ab ipso baptismo Sacramentum ad peccatorum remissionem institutum esse. Quoniam autem Deus dives in misericordia, cognovit figmentum nostrum, illis etiam vitæ remedium contulit, qui sese postea in peccati servitutem, & dæmonis potestatem tradidissent: Sacramentum videlicet pœnitentiæ, quo lapsis post baptismum beneficium mortis Christi applicatur.

Concilium Trid. sess. 14. c. 1.

Concilium Trident. ibidem.

II. *Nôsse debet, cur omnia peccata mortalia in specie declarari in Confessione voluerit Christus*: quod iterum citatum Concilium sequentibus verbis declarat: Porrò ex eo, quòd Jesus hîc Sacerdotes Vicarios suos constituit; qui tanquam Præsides & Judices, sententiam de fidelibus in peccata relapsis ferant, semper intellexit Ecclesia Catholica, quòd fidelibus quoque suis præcipiat Jesus, ut, si peccatorum veniam consequi velint, declarent ea Sacerdotibus; cùm enim iudicium hoc, incognitâ causâ, non valeant exercere, sequitur, in specie peccata omnia mortalia humili confessione declaranda. Aliam quoque rationem idem Concilium assignat, dum ait: Ipsa verò huiusmodi Confessionis difficultas, ac peccata detegendi verecundia, gravis quidem videri posset, nisi tot tantisque commodis & consolationibus levaretur, quæ omnibus dignè ad hoc Sacramentum accedentibus, per absolutionem certissimè conferuntur. Tertiam quoque rationem S. Bernardinus affert, dicens: Justum utique est, ut, qui inverecundâ facie mentis & corporis, Deum peccando despexit, sic per confusivam sui verecundiam placet; est enim verecundia magna pars pœnitentiæ secundùm S. Augustinum & hæc est una causa; quare Confessio instituta est; ut scilicet, dum de culpa peccator erubesceret, à Deo misericordiam impetraret.

Idem c. 5. & 8.

S. Bernar. Sen. to. 4. ser. 20. a. 1.

S. Aug. de pœn. dist. 1. c. quem pœnitet.

S. Thomas Villan. in Dom. 1. Quadr. §. 10. v. 8.

III. *Nôsse debet, cur homini potiùs, quàm ipsi Deo Confessionem fieri Christus voluerit*, cuius rationem S. Thomas Villan. ostendit, dum causam inquirit, cur Sapientia divina modum immutavit Confessionis, quandoquidem David soli confitens Deo, obtinuit absolutionem: *Tibi soli peccavi?* Ad quid opus fuit, peccatum contra Deum commissum, homini revelari; maximè cùm hoc sit nimis onerosum & verecundum? Cui obiectioni sanctus breviter respondet in hæc verba: Quamdiu Deus non fuit homo, non opus fuit peccatum homini verbo confiteri; sed postquam Filius Dei factus est homo, iam Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio, & potestatem dedit ei, iudicium facere, quia Filius hominis est; ex tunc ergo peccator, hominis Christi, à Deo Patre, foro commissus est, & in illo reddere rationem peccatorum suorum tenetur. Cui etiam consentiens Hugo Victorinus, qui illud S. Jacobi Apostoli præceptum (*confitemini alterutrum peccata vestra*) penitiùs considerans, sequenti illud glosâ illustrat: Quid est alterutrum? alter alteri, homo homini; non solùm homo Deo, sicut verus ille Confessor ait: *Dixi confitebor adversum me iniustitiam meam Domino*; sed homini propter Deum. Videtur Dominus hoc ipsum homini assignâsse tribunal, ut ad maioris humilitatis exercitium, homo adversus hominem ferret sententiam, homo hominis subiaceret iudicio; plus enim facit, qui servo humiliatur. Idem subiungit Auctor, iuxta cuius opinionem, Christus hoc Confessionis instituendæ modo, eam longè magis meritoriam efficere voluit, pœnitenti occasionem offerens, actus frequentandi humilitatis & subiectionis; siquidem coram Deo graviter à nobis offenso, multisque iniuriis affecto, cui ipsi Throni & Principatus reverenter genua flectunt, coram, inquam, supremo hoc Numine humiliari, perquàm facillimum est, repugnantia levis.

Hugo Vict. apud Mansi disc. 3. n. 5.

Luc. Burgensis apud Mansi disc. 1. n. 4.

IV. *Nôsse debet, cur Christus in sufflando potestatem dederit Apostolis*; quod iterum Lucas Burgensis ostendit, sic discurrens: flatum seu anhelitum ex imo pectore attractum in eos gestu oris iecit; volens per hoc demonstrare Salvator, Spiritum Sanctum ad instar flatûs esse; cuius adventum in Cœnaculo Sion obtigisse didicimus, *tanquam advenientis Spiritûs*; circa quod factum ita Auctor prædictus discurrit: Est veluti flatus quidam Patris & Filii, nam & hinc Spiritus vocatur; cui asserto non absimile correspondet illud Alberti Magni dogma, inquientis: Spiritum à se procedere, significavit per flatum, quem in discipulos direxit. Doctissimus verò Salmeron altius repetens principium, ad eam se convertit, quæ in Mundi exordio contigit hominis formatio, quem flatu animavit Deus, cui vitam corporis mediante halitu, seu respiratione infudit omnipotens, ita quoque in præsenti Salvator vitam animæ, id est, gratiam, quam intemerat culpâ, suis impertiri voluit, eundem Sanctissimum iis communicando Spiritum, per modum flatûs, ut olim Deus insufflavit spiraculum vitæ, ut fieret

ret homo, in animam viventem, ita idem insufflat animam, peccato mortuam, ut vivat per Spiritum sanctum. Quibus etiam S. Cyrillus assentiens ait: ut ipsum sciamus esse, qui ab initio naturam nostram creavit, & Spiritu sancto signavit, rursus in ipso initio renovandæ naturæ, sufflatione spiritum discipulis largitur, ut, quemadmodum creati ab initio sumus, sic etiam renovemur.

S. Cyrillus l. 12. in Joan. c. 16.

V. *Nôsse debes, cur Deus hanc potestatem hominibus, & non Angelis concesserit*, cuius hanc rationem assignat S. Chrysostomus: Propterea enim non Angelo Sacerdotium commissum est (liberi enim sunt à peccandi libidine) ne videlicet ob severitatem, eos, qui ex populo peccarent, confestim fulguribus transfigerent; sed homini ea cathedra commissa est, qui & ipse libidine & peccatis colligatus est; ut, si quem peccantem invenerit, suorum peccatorum conscius, in eum, qui peccat, benignus efficiatur. Et iterum: Nam & hoc divinâ quadam dispensatione factum est, ut Sacerdotes etiam ipsi peccatis subiecti sint. Audi, quæso, quomodo res se habeat, si Doctores & Sacerdotes ipsi non peccarent, neque vitæ huius affectibus subiecti essent, certè inhumani, & à venia aliis danda essent abhorrentes; sed propterea Deus subiectos esse voluit, ut eorum, quæ ipsi patiuntur sensum habentes, aliis etiam veniam darent. Et ideo Christus etiam lapsum Petri permiserat, erat enim, ut idem S. Doctor ait, Petrus non mitis, sed admodum severus, & aliquando durior; quod si ad eius naturam illud etiam accidisset, ut nullis peccatis subiiceretur, quæso, quam veniam habituri fuissent, qui ab illo docendi erant? Propterea hoc ipse Dei gratia, ut paulisper ab ipsa desciscerer Petrus, & peccato alicui subiiceretur, quo ex his, quæ ipse passus fuerat, disceret humanior esse in alios.

S. Chrysost. hom. de Eleem.

VI. *Nôsse debes conditiones ad veram Confessionem requisitas*, quas imprimis B. Petrus Damianus sequentibus verbis indicavit: Ostendam tibi unum iustorum iustissimè confitentem, quæris quisnam sit? Psaltes Domini est. *Dixi*, inquit, *adversum me iniustitiam meam Domino*; *Dixi*, hoc est, in corde meo proposui, non coactus, neque compulsus, sed spontaneus. *Iustitiam meam*, ait, non alienam; *adversùm me*, me arguens & accusans. Vides, quia non timore alicuius, vel ad alium accusandum, vel excusandum, se ipsum Sanctus Domini confitetur? pro huiusmodi confessione remittes tu, Domine, impietatem cordis mei, peccati scilicet. Clariùs verò S. Bonaventura has conditiones insinuavit, dum illum Psalmistæ versum: *Dixi, confitebor adversum me iniustitiam meam Domino*: explicans sic loquitur: In hoc verbo tanguntur sex, quæ debet vera confessio habere; Primum est, præmeditatio, quæ notatur, cùm dicitur; *dixi*. Secundum est compunctio cordis & oris, ut ore simul & corde fiat, quæ notatur, per *confitebor*: Tertium est, quòd sit accusans, non excusans; quod notatur per: *adversum me*. Quartum, quòd de malis, non de bonis, quod notatur per: *iniustitiam*. Quintum, quòd sit propria, id est, de peccatis propriis, non alienis, quod notatur per *meam*. Sextum, quòd sit ad honorem Dei, & honestatem sui, quod notatur per: *Domino*; & talis confessio est utilis; Unde sequitur: *Et tu remisisti impietatem peccati mei.*

S. Petr. Damian. serm. de S. Andrea.

S. Bonav. in Diat. m. 2. c. 3.

VII: *Nôsse debet, quod sit potissimum impedimentum Confessionis*, id quod S. Petrus Damianus indicavit, dicens: Nihil fortius ad expugnandam Dei gratiam, quàm timor humanus; quia dum erubescimus confiteri, quæ commisimus; Deum minùs, quàm homines reveremur. Hæc est confusio adducens peccatum. Unde S. Bernardus: Dicatur, ait, illi, quem afficit pudor, cur te puduit peccatum tuum dicere, quod facere non puduit? aut cur erubescis Deo confiteri, cuius oculis non potes abscondi? Quod etiam S. Chrysostomus confirmans, cur confunderis, inquit, dicere, quod non confusus es perpetrare? cur vereris Domino indicare, quod non veritus es ipso præsente committere.

S. Petrus Damian. s.

S. Bernar. das in sent.

S. Chrysost. de Confess.

§. VII.

MISCELLANEA ET CONCEPTVS PRÆDICABILES.

Qualitas.

I. VRbes quondam refugii, in gratiam delinquentium assignaturus Dominus, *tres erunt*, inquit, *trans Jordanem, & tres in terra Chanaan.* Ubi Lyranus: Licèt trans Jordanem habitarent duæ tribus cum dimidia, tamen tot erant ibi civitates refugii, quot erant citra Jordanem, ubi habitabant novem tribus cum dimidia. Quis tantam non obstupescat hic in divisione inæqualitatem? Mysterium utique continet, novem namque tribubus plures urbes assignari debuisse videtur, quàm solis tribus. Rationem porrò huius partialitatis indagans Rabbi occurrit Salomon, *dicens terram Galaad, quæ trans Jordanem situata erat, & habitatores eius præ omnibus ad rixas propensos, humanique sanguinis profundendi avidos fuisse*, unde & Oseas inquit: *Galaad civitas operantium supplantata sanguine*, vel ut hebraica versio habet: *Torcular sanguinis*, voluit igitur Deus, ut iuxta criminum abundantiam abundarent & remedia, facilisque præstò foret modus declinandi supplicia. Quid nobis cum figura, dum fruimur figurato, maximâ in locis populosioribus, ubi innumera frequentantur offensæ & flagitia, confessariorum abundante copiâ, ut nemo non ad meditatam exstimuletur confessionem, profectò ubi abundavit delictum, superabundavit & gratia, nec est, qui se abscondat à calore eius.

Num. 35. v. 14.
Mansi disc. 4. n. 15.
Ose. 6. v. 8.

II. Semel lupus confitebatur iniquitates suas, & interim erat multùm sollicitus, quia videbat oves recedentes, unde dixit confessori suo, quod citò eum absolveret, ut scilicet posset sequi oves. Sic confitentur aliqui in quadragesima, proponentes ad peccatum redire post Pascha. Certò contigisse scio, quod iam iam narra-

S. Bonav. in Diat. salut. tit. 2 c. 8.

R. P. Lohn. Auctar. Bibl.

Digitized by Google

narraturus sum. Rusticus quidam ovem furatus proximo, in Confessione obstrictus ad restitutionem, promittit se obtemperaturum; requisitus postea à Confessario: qualiter autem, & quomodo satisfacies? incunctanter aiebat: aliam furabor, hancque in primæ satisfactionem dabo.

S. Greg. l. 22. mor. c. 9. III. S. Gregorius explicans textum Jobi: *si abscondi, quasi homo, peccatum meum:* sic loquitur: Christus resuscitando Lazarum non dixit: *Tibi dico, surge*; prout alteri imperabat filio viduæ; sed: *veni foras.* Mortuo Lazaro, inquit, qui mole magnâ premebatur, nequaquam dicitur; *reviviſce, sed veni foras.* Ex qua scilicet resurrectione, quæ gesta in illius est corpore, signatur, qualiter nos resuscitemur in corde; cùm videlicet mortuo dicitur, veni foras, ut ab excusatione atque occultatione peccati, ad accusationem suam ore proprio exire provocetur; quia igitur hæc occultationis culpa in humano genere vehementer excrevit, benè B. Job cùm diceret (*si abscondi peccatum meum*) interposuit, *quasi homo*; hominis quippe proprium esse conspicit, quòd ex Parentis veteris imitatione descendit.

Mansi disc. 15. n. 13. IV. Quisquis Divini Judicii gestit declinare tribunal, cum sinceritate & candore hócce adeat pœnitentiæ tribunal, cuius S. Joannes in hæc verba meminit: *In conspectu sedis, tanquam mare vitreum, simile crystallo.* Mare hoc Confessio est, conformiter illi, quod gemebundæ quondam atque afflictissimæ dictum est animæ: velut mare contritio tua; Unde Dionysius Carthusianus dicit: Quidam per hoc mare intelligunt pœnitentiæ Sacramentum; ast quod in vitrea & crystallina figura latet mysterium? Crystallus omninò transparens est, totúmque videtur, quidquid ei opponitur, nihil occultat; ita quoque in hoc confessionis tribunali conscientia nostra tota debet esse transparens, ut eiusdem statum perfectè attingat Confessarius: Potest explicari, inquit Sacer quidam Interpres, ut pœnitentiæ mare sit vitreum, propter Confessionis perspicuitatem. Confessio clara & ingenua nos ad Dei sedem & tribunal conducit.

V. Regius Vates divinæ supplicaturus Maiestati, ne pessimo excusationis suique delicti defensionis vitio contaminetur, ante omnia, ori suo petit, ut obtingat custodia: *Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis.* Portam, ostium seu ianuam postulat, non firmum solidúmque claustrum: cuius mysterii si causam ignoratis, rationem accipite à S. Augustino, inquiente: Non dixit claustrum continentiæ, sed ostium: ostium & aperitur, & clauditur, In confessione námque verbali portam hanc quandoque aperire, quandoque claudere debemus. Ergo si ostium est, & aperiatur, & claudatur: aperiatur ad confessionem peccati, claudatur ad excusationem peccati, ita enim erit ostium continentiæ, non ruinæ. Ad hoc pone ostium, inquit Glossa, ut non excusetur, quod, prô dolor, summum vitium dominatur hominibus.

S. Aug. in Psal. 140.

Necessitas.

VI. Cassianus illa Ecclesiastis verba: *Si mordeat serpens in silentio*; sic interpretatur: Taciti serpentis morsum perniciosum esse designans, id est, si per confessionem suggestio seu cogitatio diabolica incantatori cuiquam, spirituali scilicet viro, qui carminibus scripturarum mederi protinus vulneri, & extrahere de corde consuevit noxia venena serpentis, patefacta non fuerint, succurrere periclitanti, perituróve non poterit. Cassian. coll. 2. de disc. c. 11.

VII. Teste S. Matthæo, tributorum exactores, vice quadam à S. Petro causam poposcêre, cur Magister eius obligationi non satisfaceret universali? querimoniam hanc cùm ad aures Christi deferre pararet Apostolus, discipulum prævenit Magister, inquiens: Simon, *Reges terræ à quibus accipiunt tributum vel censum, à filiis suis, vel alienis?* Cui Petrus; *Domine ab extraneis*, ita quidem se res habet, subiunxit Salvator, nihilominùs ut omnem scandali petram amoveamus, *vade protinus ad mare, mitte hamum tuum in aquas, & quemcunque piscem primò ceperis, attrahe eum, comprehende ipsum, tene fortiter, os aperi, móxque monetam reperies in eo, qua ad utriusque nostrum tributi sufficiat solutionem*; obediit, abiit, atque omnia feliciter expediit Petrus. Hæc rei gestæ series est literalis, ast à sensu literali ad moralem sanctus digrediens Ambrosius, historiam hanc nostro perquam subtilissimè accommodat proposito, inquiens: Piscis elinguis, fundúmque incolens marinum, peccatoris gerit figuram: suum reticentis peccatum, non obstante, quòd secundùm præsentem iustitiam, damnatus sit ad infernum: Moneta iuxta divinum assertum, non è visceribus, sed ex ore piscis extrahenda erat, quantumvis naturali piscis feratur instinctu, ut devoret immediatè, quidquid apprehenderit faucibus. Ecce vobis mysterium; S. Petrus paulò ante Christi in terris erat declaratus Vicarius, cum promissione clavium, id est, potestatis absolvendi peccata, atque ideo necessum erat, ut modum addisceret Apostolus, in huiusmodi debitorum satisfactione observandum, nósque omnes edoceremur, monetam in ore fidelium inveniendam esse, iuxta quod scriptum est: *Ut iustificeris in sermonibus tuis.* Non otiosè, inquit S. Doctor, didrachma in ore piscis inventum est, ex ore enim tuo iustificaberis; etenim pretium nostræ immortalitatis est nostra confessio. S. Ambros. in Psal. 38.

Utilitas.

VIII. Tradunt historiæ de Xerxe, Persarum Rege, quòd duas orbis partes, quas natura diviserat, artis beneficio statuerit unire, Europam scilicet atque Asiam; quem ut conceptum executioni mandaret, opus aggressus difficillimum, in maris fundo longum vastúmque erexit pontem, Hellespontum denominatum, qui facilem utrique parti ac liberum indulgeret transitum, mutua augeret commercia, communes S. Thomas Villan. in Dom. 4. Quadrag.

munes omnium mores efficeret ac leges. A litera ad ſpiritum pertranſeamus; negari utique nequit, infinitam inter cœlum & terram eſſe diſtantiam, Deum inter & hominem, peccatum inter & gratiam: *Sicut exaltantur cœli à terra, ſic exaltatæ ſunt viæ meæ à vijs veſtris*; quæ ſocietas lucis ad tenebras? quæ conventio Chriſti ad Belial? quæ participatio iuſtitiæ cum iniquitate? Peccatum nos à Deo ſeparabat, è Paradiſo eiectos in exilium deturbabat; noſter autem Redemptor, qui meritò dicere poterat: *Veni in altitudinem maris*, ſiquidem paulò ante cruentum intrârat paſſionis ſuæ oceanum, miſericorditer pœnitentiæ & confeſſionis Sacramentalis erexit pontem: *Peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum, ut peccatis mortui iuſtitiæ vivamus*; Unde & hoc Sacramentum paſſim ſecunda poſt naufragium tabula nuncupatur. Pontem conſtruxit Dominus confeſſionis, qui liberum atque ſecurum omnibus ad cœlos præberet tranſitum. Unde S. Thomas de Villanova hoc confeſſionem exornat præconio, dicens: Æternæ vitæ aliqualis ſaltem certitudo coniecturalis, nam maior citra miraculum in hac vita haberi non poteſt.

S. Aug. in 1. 2. Ioan.

IX. Quod immenſam tanti Sacramenti gratiam, atque favorem amplificat punctum, conſiſtit in eo, quòd Chriſtus beneficium hoc omni fecerit loco, ac tempori commune, absque ulla limitatione. Erat autem Jeroſolomis, inquit S. Joannes, probatica piſcina quinque porticus habens. in his iacebat multitudo magna languentium. Sed quo effectu? miſeris ſubitanea forſan obtingebat ſanitas? nequaquam. Exſpectantium aquæ motum. *Angelus Domini deſcendebat ſecundùm tempus in piſcinam, & movebatur aqua, & qui prior deſcendiſſet in piſcinam poſt motionem aquæ, ſanus fiebat, à quacunque detinebatur infirmitate.* Semel quolibet anno cœleſtis deſcendebat Genius, unum ex univerſa multitudine, reliquis diligentiorem, ſanaturus toties, quoties. Ecce vobis incredibilem ſacroſancti confeſſionis lavacri prærogativam, in quo omnes languidæ ſanantur, mundantúrque animæ. Probaticam hanc piſcinam non ſola Jeroſolyma, ſed omnes continent Chriſtiani Orbis Regiones, Provinciæ, civitates; non unus Angelus, non Sacerdos duntaxat unicus, ſed innumerabiles poteſtatem habent noſtrorum ſolvendi vincula peccatorum; non unus, ſed quotquot volunt, priſtinæ reſtituuntur ſanitati; non aquarum exſpectandus eſt motus, ſed ad libitum noſtrum ſemper præſtò eſt confeſſis, nec unquam internis Deus noſtra ceſſat movere corda inſpirationibus: Sto ad oſtium, & pulſo. Neque ullus excuſationi ſupereſt locus, ut dicamus: *Hominem non habeo, qui mittat me in piſcinam*. homini námque authoritatem Deus contulit remittendi peccata, in maius generis humani bonum. Salutaris hæc piſcina ſanguine abundat Agni illius, qui in debitorum noſtrorum ſolutionem eviſceratus eſt ſuper Calvarium; Unde S. Auguſtinus in horum verborum commentario (*unus militum lanceâ latus eius aperuit, & continuò exivit ſanguis & aqua*) ita

Ioan. 5. v. 2. & 3.

R. P. Lohn. Auctar. Bibl.

diſcurrit: ut illic quodammodo vitæ oſtium panderetur; Unde Sacramenta Eccleſiæ manaverunt, ſine quibus ad vitam, quæ vera eſt vita, non intratur.

X. S. Bernardus explicans verſiculum Pſal. 95. *Confeſſio & pulchritudo in conſpectu eius*; ſic loquitur: Ama, unde placeas: ama confeſſionem, ob quam amaris, ama confeſſionem, ſi affectas decorem: Revera ubi confeſſio, ibi pulchritudo, ibi decor. Ecce facilem vobis, & perac commodam ſimilitudinem: Annulus v. g. aureus rumpitur, ruptúsque reparatur, aſt locus rupturæ, ne appareat defectus, adamante inſternitur valoris inæſtimabilis; nónne annulus iſte maximum conſecutus eſt decorem, pretium, venuſtatem? ita pariter in præſenti, animam equidem maculavit culpa, aſt pœnitentem poſtea confeſſio & Sacramenti virtus inappretiabili ditat theſauro: *Confeſſio & pulchritudo in conſpectu eius, ſanctimonia &c.* Fit perſæpe, inquit S. Laurentius Juſtinianus, Redemptoris noſtri ſe infundente, atque cooperante miſericordiâ, ut poſt lapſum vero pœnitenti augeatur gratia maior, quàm habuerat, addatur ſpes gloriæ, atque præclarior largiatur eidem de Dei bonitate cognitio; ita ut impleatur, quod Apoſtolus ait: *Ubi abundavit delictum, ſuperabundavit & gratia.*

S. Bernardus ep. 113.

S. Laur. Iuſt. l. 7 de Ob. c. 11.

XI. Quærunt aliqui, cur Patriarcha Jacob in Ægyptum ad filium ſuum Joſeph regio ſolio ſublimem, ſeſe transferens, unicum ex omnibus, qui paternum inſinuaret adventum, præmiſerit Judam? *Miſit autem Judam ante ſe ad Ioſeph, ut nunciaret ei.* Diverſas diverſi rationes aſſignant, & motiva; aliis autumantibus, id factum eſſe, quia Judas omnium fratrum erat eloquentiſſimus; alii merito adſcribunt Judæ, quod ſibi comparavit apud Joſeph, dum eum crudelibus iniquè ad mortem Joſeph paratis fratrum eripuit manibus. *Quid nobis proderit, ſi occiderimus fratrem noſtrum?* Aſt dum ad ſenſum me ſpiritualem converto; invenio, quòd Judas Confeſſio interpretetur; ecce igitur vobis myſterium: ad præparandum, adornandúmque Iſraëli hoſpitium, ad mundandam Deóque diſponendam animam nullus curſor, nuncius nullus ſervit accommodatiùs, quàm bona Confeſſio: ad quod alludere voluiſſe videtur S. Ambroſius, dum ait: Poſt tanta peccata haberentur indigni, niſi donaretur his remiſſio Peccatorum; occurrit illi Judas, hoc, eſt, confeſſor erroris: Ideò Joſeph verus, id eſt, arbiter & interpres Divinitatis occurrit, quia præcedit iam confeſſio.

S. Ambroſ. l. de Ioſ. c. 10.

XII. Seneca inter alias veritates etiam hanc non poſtremam pronuntiavit: Proximum, inquit, ad innocentiam tenet locum verecunda peccati confeſſio. Somnium narrare vigilantis eſt; & ſua vitia confiteri, ſanitatis indicium eſt.

Seneca epiſt. 53.

XIII. Quæſtio eſt apud nonnullos, cur S. Joannes Baptiſta potiùs ad Jordanis flumen, quàm in Jeroſolymitanæ, aut alterius cuiuscunque civitatis medio, prædicârit, populúmque ad pœnitentiam, & peccatorum ſuorum dete-

Google

stationem invitârit? rationem huius mihi attigisse videtur S. Antonius de Padua, dum per Iordanem Confessionem intelligens, ait: congruè per Iordanem accipitur Confessio; est enim Iordanis fluvius, qui dividit terram promissionis, & populum Dei ab Arabia, quæ occidentalis & insidiatrix interpretatur, & sunt dæmones. Ad discooperiendas inimici fraudes & insidias, ad debilitandas eius vires & assultus, ad ripam Iordanis dimorari, id est, frequenti vacare oportet confessioni. Non assimilem idem Sanctus discursum format, dum filios Israël per mare rubrum, hinc indè suspensis tenaciter aquis, gradientes contemplans, ait: Item præbuit iter filiis Israël: unde aquæ superiores steterunt, & inferiores defluxerunt; quia peccata præterita, rapientia hominem, confessio fugat, & futura sistit.

S. Ant. de Pad. ser. 1. in Dom. 1. Quadr.

XIV. Baiazeth Turcarum Imperator, obtentis insolens victoriis, Tartarorum Regem Tamerlanem oppugnaturus, dum inimicum iam tum spe devorâsset, ferream secum duxit in prælium caveam, cui victum in triumphorum suorum ostentationem includeret, inclusúmque, quoquò gradi contingeret, secum conduceret; ast qui triumphum cecinerat antè victoriam, ipse victus captúsque, opprobrium fit caveæ. Ecce vobis casum in terminis. Dum nos peccato implicamur mortali, mancipatui subiacemus dæmonis, qui colla nostra severissimis tyrannidis suæ humiliavit in vinculis (quos delictorum catena constringit) ut primùm autem nostras culpas confitemur, eásque clavibus subiicimus, omnia dissipamus vincula, dæmonem nostræ substernimus potentiæ, eum omni vigore destituentes. Cùm fortis armatus custodit atrium suum in pace sunt ea, quæ possidet; si autem fortior superveniens vicerit eum; universa arma eius auferet, in quibus confidebat, & spolia eius distribuet. Quis est ille, qui armati instar militis, suas tutatur stationes, nisi dæmon, cor possidens peccatoris, qui omni absque contradictione, quietus, infamis mancipatûs constringitur compedibus? quis porrò ille, qui fortior eo, ipsum vincit, ex possessione exturbat, omnésque diripit prædas, nisi confessionis Sacramentum? Spolia sunt animæ ab eo deceptæ, inquit Glossa. His exuviis, his prædis Sacerdos privat dæmonem. Has Christus per gratiam suam redemit, & dæmonibus abstulit, ait Carthusianus.

Mansi disc. 10. n. 7.

TITVLVS XV.

CONSCIENTIA.

§. I.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

CONSCIENTIA BONA.

Utilitas.

I. BEnignus Deus eiusmodi nobis accusatorem assistere voluit, ut nunquam soli relinquamur; sed indesinenter ille congrediens clamet, & pœnam exigat delictorum.

S. Chrys. ho. 20. in Gen.

II. Est Conscientia quasi candela accensa, quam posuit Dominus in medio cordis nostri, ut pateant ea, quæ in eo sunt contenta, unde Psalmus ait: *Signatum est super nos lumen vultûs tui, Domine.*

S. Bernard. sen. 10. 2. ser. 52. n. 1. r. 2.

Jucunditas.

III. Festa non multitudo convenientium facere solet, sed virtus; non sumptuosus vestitus, sed pietatis ornatus, non mensæ dapsilitas, sed animæ cura. Maximum enim festum est Conscientia bona: Qui enim vivit in iustitia, & operibus bonis, vel absque festo festum agit, sinceram voluptatem ex bona conscientia percipiens; qui verò in peccato, & malitia degit, multorum malorum sibimet conscius, etiam cùm maximè festum est, festo caret, quàm maximè.

S. Chrysost. in hom. de Fest.

IV. Lectulus respersus floribus bona conscientia est, bonis referta operibus.

S. Bern. S. 47. in Cant.

V. Quis puritate & simplicitate pectoris dulcior fructus? quis cibus suavior, quàm is, quem animus bene sibi conscius & mens innocentis epulatur?

S. Ambr. in Ps. 48.

VI. Animi tranquillitatem & lætitiam non principatûs magnitudo, non pecuniarum copia, non potentiæ tumor, non corporis fortitudo, non mensæ sumptus, non vestium ornatus, non aliud quippiam rerum humanarum afferre consuevit, præterquam Conscientia bona: quam certè qui puram habet, ut pannosus sit, ut cum fame luctetur; tamen tranquillior, beatiórque est iis, qui inter delicias degunt.

S. Chrysost. ho. 1. sup. ad Rom.

VII. O Conscientia Sancta, in terra adhuc es, & in cœlo habitas. Gaude, O anima Sancta, Sanctâ conscientiâ decorata.

S. August. S. 10. ad FF.

VIII. Non secundùm forensem abundantiam æstimanda est beatitudo singulorum, sed secundùm interiorem Conscientiam, quæ innocentium & flagitiosorum merita discernit, vera atque incorrupta pœnarum, præmiorúmque arbitra.

S. Ambros. l. 1. off. c. 12.

IX. Nihil bonâ conscientiâ suavius; & si vultis hoc discere, hinc migraturum interrogemus, & commonefacientes lautæ mensæ, quâ quon-

S. Chrysost. ho. 32.

quondam oblectabatur, & honoris, & gloriæ, & bonorum operum, quæ unquam fecit rogemus, in quibus magis exultet? & in illis quidem videbimus erubescentem; in his verò gestientem. Tunc maximè capies, & sapies, verissimum illud sapientis: *Secura mens, quasi iuge convivium*, cùm omnes cibi desipient, omnia humana fastidies.

S. Bern. c. 13. de inter. dom. X. Bona Conscientia secura erit, cùm corpus morietur: Secura, cum anima coram Deo præsentabitur: secura, cùm utrùmque in die Iudicii ante tribunal terrificum iusti Iudicis statuetur: futuræ benedictionis non est utilius remedium, nec certius testimonium, bonâ conscientiâ.

Conscientia mala.

S. Aug. apud Nyss. l. 5 de prodit. Iuda. XI. Quò confugiet (homo malæ conscientiæ) cùm cœperit pati tribulationes? Fugiet ab agro ad civitatem, à publico ad domum, à domo ad cubiculum & sequitur tribulatio. A cubiculo iam quò fugiat non habet, nisi interius ad cubile suum. Porrò si ibi tumultus est, si fumus iniquitatis, si flamma sceleris, non illuc potest confugere, pellitur enim indè, & cùm indè pellitur, à se ipso pellitur; Et ecce hostem suum invenit, quò confugerat; se ipsum quò fugiturus est? quocúnque fugerit, se talem trahit post se, & quocúnque talem traxerit se, cruciat se, sed à seipso sunt tribulationes, quæ inveniunt hominem nimis; acerbiores enim non sunt, tantò sunt acerbiores, quantò sunt interiores.

Latinus Pacatus in Paneg. XII. Habet occultos conscientia carnifices, quia magis lancinant, & torquent vitia, quàm cruces, quàm verbera, quàm tormenta.

S. Ambros. epist. 49. XIII. Ipsa, quæ videtur, etiam dum vivunt, impiorum requies in inferno est.

S. Bern. in Psal. 9. v. 11. XIV. Infernus quidam & carcer animæ rea conscientia est.

S. Ambros. epist. 104. XV. Unusquisque peccatis flagellatur: gravia enim delictorum pondera, gravia criminum verbera, sicut onus gravant grave, & infligunt animæ cruciatus.

S. Chrysost. conc. 4. de Laz. XVI. Scortator, adulter, aut fur, non modò cùm accusatur ipse; verùm etiam cùm audit alios eadem ausos accusari, ipse sibi videtur flagris cædi: alius quidem vocatur in ius, hic verè flagellatur.

S. Chrysost. ho. 13. ad pop. XVII. Talis est peccantium consuetudo, omnia suspecta habent, umbras tremunt, omnem strepitum timent, & quemque existimant contra se venire, & aliis alia disserentibus, sibi ipsis conscii, cogitant illos de se sermocinari, talis res peccatum est, nullo arguente prodit, nullo accusante condemnat, pavidum facit & timidum peccatorem.

S. Thom. in 4. dist. 50. q. 11. XVIII. Vermis est Conscientiæ remorsus, qui dicitur vermis, in quantum oritur ex putredine peccati, & animum affligit; vermis est, ait Ambrosius, eò quòd irrationabilia animæ peccata mentem rei, sensúmque compungunt, & quædam exedunt viscera conscientiæ: quæ tamquam vermes ex unoquoque nascuntur, tamquam ex corpore peccatoris.

XIX. Qui committit adulterium etiamsi millies fuerit dives, etiamsi nullum habeat accusatorem; non desinit tamen se intus accusare. Et voluptas quidem temporaria est, dolor verò perpetuus; timor undique ac tremor; suspicio & anxietas; angulos metuit; umbras ipsas formidat: suos ipsius famulos conscios, inscios; illam ipsam, quam corrupit, & virum, quem affecit contumeliâ. S. Chrysost. Conc. 1. de Laz.

§. II.

EXEMPLA SACRA.

Conscientia bona.

I. Vidi ego, inquit Thomas Cantipratanus, Lovanii Ordinis nostri fratrem, Servatium nomine, dilectum valde mihi & amicitiâ familiarem, de illo beatissimo viro fratres, qui triginta quinque annos illi convixerant, restati sunt, eum omni hoc tempore, ita pacifice vixisse, ut neminem unquam vel leviter commoverit, aut perturbârit, humilitatis, & mansuetudinis tantæ fuit, quantæ unquam hominem meminerim me vidisse. Hic ad extrema deductus, cùm à fratre quodam rogaretur, ut sibi super statum Pacis suæ conscientiæ responderet, Dixit humiliter, & devotè: Pax certa & firma est inter me, & nostræ salutis Auctorem, nec ullo modo diutiùs ab eius contemplatione frustrabor: atque ita in pace æterna requievit. Thom. Cantiprat. apud Engelgrav. F. 3. Pasch.

Conscientia mala.

II. Memorabile est, quod Abbas Sabbatius naravit: sicarius à patratâ per summam immanitatem innocentis pueri cæde, meliori radio à Deo illustratus, quò scelus occultum meliùs expiaret, religiosæ vitæ rigorem ac habitum ab Abbate Zasino petiit, & impetravit: iámque per omnes severioris disciplinæ gradus, magnis passibus ad virtutem gradiebatur; cùm ecce scelus semper animo obversans, exturbat hominem è Monasterio: pueri enim voces semper in auribus eius insonare illud videbantur: cur me occidisti? nec sinebat, ut auctor ait, unâ horâ conquiescere: quarè semper tremens ac pavens, tanti cruciatûs impatiens, è monasterio excessit, urbem ingressus Diospolim, in carcerem coniicitur, & capite plexus est, adeò nusquam securum latet scelus. Pratum Spirit. c. 166.

III. Annis ab hinc non multis vir locuples ac potens, facinus quoddam admiserat, quod prodere & Confessarii auribus committere, morte & damnatione peius ducebat; agitabat tamen mens hominem, & conscientia ad virus evomendum exstimulabat. Inaudierat fortè Antuerpiæ pro concione, neminem teneri ea peccata confiteri, quæ memoriâ exciderant: hinc nihil non molitus, ut peccatum illud è memoriâ proscriberet. Ivit per varia voluptatum genera, scelera sceleribus accumulans, vel ut antiquum illud obrueret, vel ut novis conscientiæ tumultibus, vetus ille tumultus, quasi clavus clavo pelleretur. Sed frustra Cromlecius l. 1. de stud. perf. c. 2.

omnia

omnia. Abit in exteras Regiones, quasi seipsum relicturus esset in Belgio; sed cælum, non animum mutat, qui trans mare currit. Igitur animum fluctuantem ad studia appellit, quæ totum hominem petunt, ut sunt Mathematicæ, Astrologicæ, & his affines disciplinæ; sed & hæc frustra. Audit tandem peccata contritione deleri, & ad opera bona, tamquam ad sacram anchoram confugit, dormit in cinere & cilicio, multa in pauperes erogat: nec sic animus conquiescit. Quid agat? quo portu fluctuantis animi iactatio desæviet? non alio, quàm fœdæ mortis interitu. Itaque rhedam conscendit; domum, quam funestæ tragædiæ locum designârat, repetit; occurit de via è nostris Patribus unus aliquis, quem ex rhedâ conspicatus, rogat, ut currum conscenderet, vincitque recusantem importunitate. Pater de Deo, divinisque rebus sermonem iniecit, & inter cætera ad Confessionem dilapsus est; tetigit ea hominis ulcus, qui stomachabundus, quid ais? inquit, unde me nosti? cui Pater: nusquam, inquit, te vidi, sed nos de more eiusmodi sermones miscere solemus, & si quâ in re ope meâ eges, præstò sum. Iuveris, inquit ille, sed quid si confiteri renuam? Ratus Pater cedendum tempori, pio dolo hominem capit, spondétque, se missâ confessione remedium allaturum. Arripit ille conditionem, ad acerba quæque se abiicit. Pater, cùm domum appulisset, iubet epulum instrui, & se hilaritati dare, quâ maximè egebat, nocte illâ decretoriâ. Postridie quædam puncta ruminanda dedit, ad excitandam in Deum fiduciam; tum Examen Conscientiæ, non ut confiteatur, sed ut in memoriam reducat, & de singulis doleat, denique in vicinam siluam educit, rogátque, num benè conscientiam discusserit, & ne quid fortè præteriisset, quærit ex illo quædam, per atrocia, quæque dilabitur; tandem illud ipsum, quod angebat, attingit, ubi perturbatur miser; & illud, illud (inquit) est truculentum, infandum, quod eloqui non audeo. Tum Pater, iam, inquit, confessus es, neque pluribus opus, nisi ut cætera prodas; fecit, & onere illo levatus, animi quietem invenit.

Drexel. in rege damn. c. 1. IV. Ludovicus severus ex Boiorum sanguine princeps, Mariæ coniugis suæ literas Ruchoni aulico scriptas, per tabellarii errorem, domo absens, intercepit, sed cùm epistolæ sententiam non assequeretur (ut est malitiosa suspicio) cœpit de fide uxoris dubitare, & credere, ausam facinus, quod non cogitârat. Itaque internuncius, & lator literarum, velut leno, primò obtruncatus: deinde ubi Donawerdam urbem suam rediit, etiam præfectum arcis, flagitii suspectum per satellitem mandat iugulari; tum matronam aulæ præsidem, quasi sceleris consciam, ex turris arce præcipitari imperavit. Sed ò barbarum facinus! his quatuor funeribus, ipsa Maria integerrima Princeps, quintum accessit: Imperio coniugis verè severi, caput manu carnificis illi amputatum. Sed primâ statim à cæde nocte Ludovicus à Mariæ manibus adeò exagitatus fuit, ut cùm barbâ florente, & iuvenili, decoráque comâ cubitum se contulisset; unâ nocte ita incanuerit, ut manè senem septuagenarium referret: in quem meritò quadret illud Poëtæ Martialis.

O nox quàm longa est, quæ facit, una senem; *Lib. 4. epig. 7.*

§. III.

SIMILITUDINES.

CONSCIENTIA BONA.

Iucunditas.

I. Sicut in laboribus pressi, in lecto quiescentes reficiuntur, ita dum mundi huius adversitatibus premimur, in bona conscientia interiùs delectamur. *S. Greg. in Ps. 6.*

II. Sicut qui in cubili cubat, requiescit, & suaviter dormit: sic qui perfectus in Deo est, & qui crevit in virum perfectum, requiescit in Deo, tanquam cubile reputans divinam perfectionem, cubilis autem fulcra dicuntur virtutes.

CONSCIENTIÆ MALÆ.

Tribulatio.

III. Sicut mare tempestuosum & fervens, inquietum, turbulentum, & subversivum est navigantium; sic homines pravi & impii semper turbulenti sunt corde, & animo inquieti. *Dionys. Carth. in Isaia c. 57. a. 56.*

IV. Sicut ii, qui febriunt, iactant se inquietè, lectum mutant; ita nos, qui fomitem mali circumferimus, & telo affectuum percussi, frustra illud motu & discursu sanare volumus. *Lipsius l. 1. c. 3 de Constant.*

§. IV.

ASCETICA.

I. INprimis nosse debet, *cur conscientia bona tantam Iucunditatem afferat*; quod quidem S. Athanasius declarat, dum illa psalmi 149. verba: *Exultabunt Sancti in gloria: latabuntur in cubilibus suis* explicans, quærit, de qua gloria hìc loquatur Sanctus Propheta, & quæ sint illa cubilia, in quibus tam festa gaudia, ac tam gaudiosa festa ducere Sancti feruntur: Respondet autem, gloriam, & cubilia, & penetralia in quibus homines probi magnam capiunt voluptatem, esse virtutes, hancque esse veram quietem & gloriam: nec enim in hac vitâ est maior, vel requies, vel gloria, quàm illa bonæ conscientiæ; in somno namque virtutum suavissimè, & dormit, & respirat, cui integra conscientia constat. Aliam rationem assignat, S. Chrysostomus dicens: Etsi vitium habeat secum universum orbem, tamen omnium maximè imbecillum est; virtus autem, etsi sola sit, est omnium potentissima; habet enim Deum secum stantem. Peccatum, quamvis totius mundi præsidio munitum, perdebile est; virtus, licèt inermis, & nuda, validissima est, Deum adiutorem habens. Timens Deum, neminem præterea timet. *S. Athan. in Ps. 149.* *S. Chrys. in Ps. 7.*

II. Nosse

S. August. in ps. 45. II. Nosse debet, *unde inquietudo mala conscientiæ oriatur*; cuius rationem assignans S. Augustinus, in cæteris, inquit, miseriis possumus ex Deo habere solatium & robur: At quando inter cruciatus conscientiæ abest Deus, qui est unica consolatio, non habet infelix peccator, quò recurrat, & propterea quocunque vadat, in quemcunque locum se recipiat, perterrefacit illum crudelis inimicus, conscientia propria, sicut ubique ardeat in ultricibus flammis tam molestæ & inquietæ tribulationis.

§. V.

MISCELLANEA.

CONSCIENTIA BONA.

Mansi disc. 6. n. 11. I. EXodi c. 8. dixit Deus: *Faciámque mirabilem in die illa terram Gessen, in qua populus meus est; ut non sint ibi musca, & sciat, quoniam ego Dominus in medio terræ.* Ut discamus, consolationem hanc internæ pacis & tranquillitatis, quam bona, rectáque parit conscientia, solis divinitus reservatam servis Dei: *Pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum*; neque ulla eos inquietat synderesis.

S. August. q. 26. in Exod. 8. II. Iussi à Deo Moyses & Aaron pulverem terræ per aerem dispergere, ad generandos sciniphes hominibus infestos & iumentis, obedierunt promptè: Et facti sunt sciniphes in hominibus & iumentis; quod & magi Pharaonis subitò imitari attentârunt, sed conatu irrito. Fecerúntque similiter malefici incantationibus suis, ut educerent sciniphes, & non potuerunt. Cur, obsecro, in aliis omnibus efficax præstigiis, in hócce unico exanimatur incantatio? protestantibus omnibus: digitus Dei est hic. Responderi potest, aliis in prodigiis, oculos intuentium delusos fuisse; aquâ sanguineum perhibente colorem, licet in substantia verè talis non esset; virgis item formas exprimentibus serpentinas, sed apparentes duntaxat; sciniphes autem fingere nequibant; quia, quos formaverat Moyses, aculeum circumferebant pungentem crudeliter. S. Augustinus ab hac historia ad sensum digreditur moralem, & ait, supplicia, quibus Deus per servorum suorum manus castigavit Ægyptum, pœnas figurabant impiorum, quas inter perquam crudelis est malæ conscientiæ vermis & remorsus; homines improbi & flagitiosi omnibus aliis tormentis servos Dei affligere, ac discruciare possunt, solam si exceperis malæ conscientiæ torturam; quia non contristabit iustum, quidquid ei acciderit, impii autem replebuntur malo. Huius synderesis & remorsus auctor immediatus est ipse Deus: digitus Dei est hic.

In Sambucus Emblem. III. Ionnes Sambucus ingeniosè oculis subiecit hominis probi tranquillitatem, & securitatem animi; dum hominem penicillo expressit, qui laurum complecteretur, cum hac adscriptione: Conscientia integra laurus. De lauro (quod nemo nescit) aiunt Ioannes de Sancto Geminiano, Plinius, Berchorius, Antonius, Ricciardus, & non pauci alii, habere literas immunitatis adversus furorem fulminis. Nam cùm reliquæ plantæ, & arbores omnes inevitabili eius furori sint expositæ, sola illius rabiem non pertimescit, neque experitur laurus. Talis est homo iustus, & perfectus, laurus est semper vivens, semper extra iactum & formidinem fulminis. Cùm enim penes se habeat privilegium bonæ conscientiæ, nec fulmen est, quod ipsum terreat, nec res ulla, quæ affligat.

IV. Petrus Crinitus author est, Romanorum, & Græcorum Feciales, aut legatos, secum ferre solitos herbas, quas sagmina vocabant, quæ velut pro salvo conductu fuerint, ne quis illis incommodaret, & sic in omni patria, non amicorum modò, verùm etiam hostium tutò circumiisse. Hinc illud Martiani Juris Consulti: Sanctum est, quod ab iniuriâ hominum defensum, atque munitum est. Sanctum autem dicitur à sagminibus; sunt enim sagmina herbæ quædam, quas legati populi Romani ferre solent, ne quis eos violaret, sicut & Græcorum legatis accidit. Omnes iusti sunt Legati Dei, qui magnitudinem eius nobis nuntiant, cœlorúmque negotia, quantùm possunt, in hac vita curant, ut ait S. Paulus 2. corinth. 5. 20. Pro Christo ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos: Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo. Quam ergo herbam hi cœlorum legati secum ferunt, ut sint per viam securi, quocunque pergant, dicat idem Apostolus, cuius hæc sunt verba 2. Cor. 1. v. 12. *Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ.* Herba, quæ nos ubique tutos habet, non est alia, quàm secura conscientia. Ista gloria est, quæ nos ab omni pœna liberos reddit, & cuius gratiâ inoffenso pede pergimus, quocunque contendamus. ff. § 1. de prod. iudo.

V. Macrobius narrat, Augustum Cæsarem propter prægraves Imperii curas, sæpius insomnes duxisse noctes, inaudiisse verò de quodam Romano Equite obæratissimo, nullius tamen sollicito, sed in utramque aurem, & multam lucem quotidie stertente. Contigit autem, Equitem illum subitò fatis concedere, & supellectilem illius omnem à creditoribus vænum exponi. Quod ubi rescivit Augustus, pulvinar defuncti Equitis mille aureis lubens redemit, inquiens; necessarius est mihi hic pulvillus, omnique aurô charior, in quo tam quietè potuit dormire: Non est pulvinar pretiosius, & captando dulcissimo somno accommodatius, quàm quo Christus in hodierna tempestate usus est, & in usum nobis omnibus transcripsit, si bonam scilicet habere curemus conscientiam. Hæc enim nobis in omni tempestate somnum præstabit securissimum. Macrob. l. 2. Saturnal. c. 14.

VI. Quærunt nonnulli, cur Christus olim in puppi dormierit, quæ est pars ultima navis? cur non in prora parte navis anteriore? cur non sub malo, in navis medio? Docere nimirum dormiens voluit, bonam conscientiam in fine vitæ S. August. in ps. 30.

vitæ potissimùm lætari, quiescere, obdormire. *Exultabunt sancti in Gloria*, inquit Psaltes, *lætabuntur in cubilibus suis.* Quæ est illa gloria, in qua sancti exultaturi prædicantur? *hæc est gloria nostra, testimonium conscientiæ nostræ*, inquit Paulus 2. Cor. 1. v. 12. Conscientia exultationem in vitæ puppi, agone inquam, procurat; *Lætabuntur in cubilibus suis*, scilicet in conscientiis, inquit Hugo purpuratus, quia habent tam bonum Dominum. Patheticè Orator aureus hom. 37. ad popul. Antioch. nihil bonâ conscientiâ suavius; non nôstis in novissimo die quomodo peccata animum convolvant (peius, quàm nautæ Jonam) qualiter ab imo cor moveant? hæc igitur, cùm ista fiunt, bonorum operum memoria, tanquam in tempestate serenitas, animam consolatur tumultuantem. Vivaciùs adhuc S. Augustinus in Psal. 30. fugitivum à facie Absalonis Davidem ita loquentem inducit: quò fugio, ad quem locum tutus fugio? ad quem montem, ad quam speluncam? ad quæ tecta munita? quam arcem teneam? quibus muris ambiar? quocunque iero, sequor me; quidquid enim vis, potes fugere, ô homo, præter conscientiam tuam. Intra in domum tuam, requiesce in lecto tuo, intra in interiora, interius nihil habere potes, quò fugias à conscientia tua.

Conscientia mala.

Plutarch. de vindict. Num. VII. Bessus apud Plutarchum, cùm patrem obtruncâsset, diuque scelus clàm fuisset, ad cœnam vocatus, nidum hirundinum hastâ deiecit; rogatus à præsentibus de insolentiâ facti, non auditis, inquit, hirundines falsò de me vociferari, & testari, me esse patris interfectorem? mirati, qui aderant, hunc sermonem ad regem detulerunt: Bessus captus & sceleris convictus, pœnas luit. En quàm non falsum illud: sonitus terroris semper in auribus impii, omnia tuta timent, nunquam conquiescunt.

S. Hieron. apud Nyss. l. c. IIX. Turpissimo illo piaculo se Cain obstrinxerat, vix contra omnes Dei, & hominum leges sanguinem innoxii fratris sui fuderat, quando subiratus Deus adfuit, ut in tantùm nefas inquireret, cùm se ferus, & sanguinarius homicida convictum cerneret, aiebat Deo: si me à facie tua proiicis, Mundum vagabundus, ac profugus obibo, quisquis autem occurrerit mihi, is me, pro iustissimo sceleris mei supplicio obtruncabit. Cui Deus: Nequaquàm ita fiet, sed omnis, qui occiderit Cain, septuplum punietur. Genes. 4. v. 15. *Ego vitam tuam diligentiùs tutabor, quàm tu fratris vitam custodîsti, nec enim permittam, ut quisquam tibi manus afferat, quin septuplo supplicio, si contrà faxit, luat.* S. Hieronymus inquit, crudelitásne, an pietas fuerit, quòd Deus tanto studio vitam Caini curavit? Respondet verò, incredibilem austeritatem fuisse, quòd illum ita sospitavit, neque id ob aliud fecisse, quàm ut atrociora illi tormenta conflaret. Verba illius ex quæstione. 2. ad Damasc. sunt ista: Nolens Deus eum compendio mortis finire cruciatus, nec tradere pœnæ, quâ se ipse damnarât, ait: Non sic id est, non, ut existimas, morieris, & mortem pro remedio accipies, verùm vives usque ad septimam generationem, & conscientiæ tuæ igne torqueberis. Premite illa, compendio mortis finire cruciatus. Felicitatem interpretatus fuisset Cain, si Deus illi vitam ademisset, putâssetque, eo modo finem accepisse suas miserias, & cum vita exspirasse ærumnas. Noluit autem Deus ex voto illius agere, quin ob hoc ipsum voluit diuturnam esse illius miserabilem vitam, qui felicem sperabat ex cita internecione mortem. Conscientiæ tuæ igne torqueberis, dixerit Dominus, ut depravatæ conscientiæ suæ ignibus inclusus moreretur semper vivens, & viveret semper moriens, & vita in septimam generationem usque productâ vice æternæ pœnæ interim esset, quæ illi apud inferos constituta erat; conscientiæ enim malæ pœna cruciatum infernalium absentiam supplet.

Senec. ep. 97. IX. Seneca non malè dixit: Ante peccatum conscientia est frænum, post peccatum est flagrum. Hinc iuxta Psalmistam: *multa flagella Peccatoris.*

Salvian. l. 1. de prov. X. Sapienter dixit Salvianus: Nemo aliorum sensu miser est, sed suo: & ideo non possunt esse falso iudicio miseri, qui sunt verè conscientiâ suâ beati.

Conscientia discutienda.

Hugo vict. l. 3. de an. XI. Redi ad cor tuum, & subtiliter discute te ipsum: considera, unde venis, quò tendis, quo modo vivis, quid agis, quid amittis, quantùm quotidie proficis, quibus cogitationibus magis incursaris, quibus affectibus tangeris quibus tentationum machinis à maligno Spiritu acriùs impugnaris; & cùm totum interioris, & exterioris hominis statum plenè cognoveris, non solùm, qualis sis, sed etiam qualis esse debeas, de cognitione tui poteris sublevari ad contemplationem Dei.

S. Ephrem. [illegible] de vit. rel. XII. Perpendite, quæ dico, fratres. Negotiator sæcularis damna & lucra quotidie computat, & siquidem damna perpessus fuerat, ea resarcire sollicitè studet, sic etiam tu, carissime, seriò facias ac cures; diebus singulis vespere & manè diligenter considera, quo pacto sese habet negotiatio tua: & vespere quidem ingressus cubiculum cordis tui, examina temetipsum, ac dicito: Putásne, hodie in aliquo Deum exacerbavi? nunquid verba otiosa protuli? num per contemptum, negligentiámque peccavi? num in re aliqua fratrem irritavi? num alicuius famam detractionibus laceravi? móxque subdit: Quòd si in istis comperteris, te detrimenta perpessum, futuris lucris præterita damna sedulò resarcire stude.

S. Chrysost. in Ps. [illegible] XIII. An non codicem domi habes, inquit sanctus, in quo quotidianas rationes scribas? habe nunc codicē in conscientia, & quotidiana peccata scribe. Cùm in lecto tuo iaces, nec quisquam est, qui tibi negotium facessat, antequam somnus irrepat, libellum in medium produc, & peccata tua tecum reputa, dicens apud temetipsum: nunquid hodierno die, vel sermone, vel opere peccavi? & alibi: quando estis decubituri, & nullo præsente, multa quies & si-

Digitized by Google

& silentium, excita iudicium tuæ conscientiæ, ab ipsa rationem exige; cumque in notitiam veneris omnium inordinatorum affectuum & appetituum tuorum, omnium malorum verborum, cogitationum, &c. de eis pœnam sume, torque cogitationem, quæ peccavit; id sibi vult illud: *Quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini*, Compungite, pro eo, quod est, pungite, stimulate, quæ in cordibus vestris dixistis interdiu.

S. Bern. l. de conf. XIV. Unicuique liber est sua conscientia, & ad hunc librum discutiendum & emendandum, omnes alii libri inventi sunt. Anima verò, cùm de corpore egreditur, nullum alium librum, præter librum conscientiæ se cum poterit portare; atque in illo cognoscet, quò debeat ire, vel quid debeat recipere.

XV. Isboseth in lecto suo à Recab & Baana occisus fuit, dum altùm ipse stetteret in meridie; causámne nostis funesti adeò accidentis? Mulier triticum purgans, Custodiæ domesticæ deputata ipsamet obdormierat; Unde S. Gregorius inquit: Ostiaria triticum purgat, cùm mentis custodia, discernendo virtutes à vitiis separat; quæ si obdormierit, cessante conscientiæ examine, insidiæ contra nos invalescunt Diaboli, animæque nostræ ager Zizaniis repletur. Cùm autem dormirent homines, venit inimicus homo, & superseminavit Zizania. S. Gregorius fusiùs ad prius factum alludens, ingressi, inquit, spicas tollunt, quia mox bonarum cogitationum semina auferunt. *S. Greg. l. 1. mor. c. 11.*

TITVLVS XVI.

CONTRITIO.

§. I.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

Concilium Trid. sess. 14. c. 4. S. Thomas Villanov. Conc. in Dom. Pass. I. ST animi dolor ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero. Pro cuius intelligentia S. Thomas Villan. notat, quòd duplex est dolor, quidam, qui est actus voluntatis, & ille est odium & displicentia, & detestatio, & abominatio peccati, nolle peccâsse; & iste actus est liber & in nostra potestate: Alius est dolor sensitivus, qui est passio & tristitia quædam in sensualitate, quæ aliquando prorumpit in lacrymas: Primus dolor est contritio, non secundus, sed est effectus contritionis; Nam ex diplicentia & odio peccati commissi nascitur in sensualitate illa tristitia, & hæc non est sic in nostra potestate; Nam quidam sunt duriores ad lacrymas, alii teneriores, ut mulieres. Rationem autem, cur DEUS dolori huic non in sensu, sed in voluntate locum assignavit, dat sequentem, quia nimirum tantum bonum & tam magnum commodum peccatorum debuit esse liberum, & in nostra potestate cum DEI gratia.

Divisio.

Richard. in 4. dist. 20. q. 1. II. Dividitur in imperfectam, & perfectam. Illa est, quæ ex motivo supernaturali spei vel timoris elicitur, & hæc Attritio vocatur, de qua Richardus de Media villa sic loquitur: conteritur cor duplici molâ; Prima Divinæ spei, secunda timoris Dei. Hæ duæ molæ, duo sunt pedes, quos posuit Angelus super mare & super terram. Quid per Angelum, nisi Angelica contritionis gratia, à Deo per Angelum missa, qui pedem providentiæ seu voluntatis Dei, ponit super mare mentis amaricatæ, ne de iustitia Dei desperet; & sinistrum super terram mundialis & criminosæ mentis, ne de misericordia Dei præsumat: quasi calcando mare mentis contritæ dextro pede, illud Psalmi dicat: *Spera in Deo.* Et sinistro calcando terram, ne præsumat, addat: *Et fac bonitatem*: Horum enim duorum alterum sine altero ad ruinam, non ad salutem est. Perfecta contritio est actus voluntarius coniunctus cum summo dolore de peccatis, elicitus ob amorem Dei super omnia dilecti, cum spe veniæ, & firmo proposito confitendi peccata commissa, nova non perpetrandi, ac pœnitentiam adimplendi, & hæc speciali nomine Contritio appellatur, de qua potissimùm hoc loco sermo erit.

III. Huius porrò Contritionis eliciendæ triplex modus est, iuxta Philippum Hartunck, & alios. Primus est, si doleas de peccatis ex motivo divinarum perfectionum, vel omnium simul, vel unius in particulari, ut si dicas: Amo te, Deus meus, super omnia, propter id ipsum, quod es, quia infinitè bonus es (infinitè pulcher, sapiens, iustus, perfectus, benignus, immensus, æternus, Omnipotens) & quia sic amo te, detestor ex animo, abominor, annullóque, quantùm in me est, omnia peccata, quæ ego vilissimus contra te, supremum Dominum, & Deum meum commisi; ideò præcisè, quia te offendunt, tibique displicent: & propono firmiter non ampliùs in posterum peccare. Secundus modus est, si doleas ex motivo Beneficiorum, quæ amabilis Deus ex infinito & gratuito amore tibi confert innumera, & conferre plura in æternum desiderat; ut si dicas: Domine Deus meus, amâsti me ab æterno, in tempore creâsti me, & cùm reus mortis æternæ essem, redemisti me, innumeris beneficiis ex puro amore affecisti me, & plura ac maiora conferre cupis. Ah! doleo, quod te, tantum meum benefactorem offenderim, idque ideò præcisè *Philipp. Hartunck in Dom. Palm. Conc. civ. n. 8.*

præcisè, quia peccatum tibi displicet, & tu, qui infinitè bonus es, omni amore & honore es dignissimus. Doleo & offero tibi propositum, nunquam te ampliùs offendendi. Tertius est, si ex motivo omnium & singulorum, quæ incarnatus Deus pro te egit, dixit, tulitque, doleas; ut si dicas: Fili Dei, ita me amâsti, ut pro me homo factus sis: ex amore tui doleo, quòd te offenderim, propono emendationem vitæ. Ita me amâsti, ut pro me in stabulo natus, circummisus. &c. Domine JESU, ita me amâsti, ut primo momento, quo conceptus es in utero Matris tuæ, posueris totam Patris tui æterni legem in medio cordis tui, & ad eam adimplendam te obtuleris, ut ego salvus essem, ego te toto corde redamo, ob hanc tuam dilectionem, toto corde doleo, quòd te Deum meum Salvatorem unquam peccato offenderim. Offer hanc tuam obedientiam æterno Patri pro me, ut condonet mihi peccata mea. O Pater æterne, respice in faciem Filii tui dilecti JESU Christi, & miserere, ah! miserere mei!

§. II.

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas.

Isaia c. 38. I. Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.

Ioël, c. 2. II. Convertimini ad me in fletu, & planctu, & scindite corda vestra.

Ierem. c. 31. III. Postquam convertisti me, egi pœnitentiam, confusus sum, & erubui.

Ps. 50. IV. Sacrificium Deo Spiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum Deus non despicies.

Thren. c. 2. V. Cui comparabo te, vel cui assimilabo te, Filia Jerusalem? cui exæquabo te, & consolabor te? Virgo Filia Sion? magna enim velut mare contritio tua, quis medebitur tui?

Utilitas.

Osea c. 14. VI. Sanabo contritiones eorum, diligam eos, quia aversus est furor meus ab eis.

Luc. 18. VII. Descendit hic iustificatus in domum suam ab illo.

§. III.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Qualitas.

Hugo Vict. apud Mansi disc. 13. n. 4. I. Tanta est pœnitentia tua, quanta est contritio tua, quanta est devotio tua; contritio pro malo quod fecisti, devotio pro bono recuperando, quod amisisti.

Ibidem n. 2. II. Dolor cordis triplex, acer, acrior, acerrimus. Acer quia Creatorem offendisti, cuius legem cùm cœlestia & terrestria conservent, in tanta Republica Dei, tu solus peregrinus es, Imperatoriæ Maiestatis dexteram contemnens. Acrior, quia cum Creatore Patrem etiam ad iram provocâsti, qui tibi ministrat siderum cursus, & fructuum ubertatem. Acerrimus, qui pertranseat animam, quòd beneficium contempseris eius, qui dolorem crucis sustinuit, ne dolorem ampliùs sustineres inferni.

Necessitas.

III. Tribulatio spiritûs linguam commovet, ut reatum pravi operis vox confessionis impugnet; nam qui mala quidem, quæ perperravit, insinuat; sed flere, quæ insinuaverit, recusat, quasi subductâ veste vulnus detegit, sed torpenti mente medicamentum vulneri non apponit. *S. Greg. l. 8. mor. c. 11.*

Utilitas.

IV. Contritio apostema pungit, confessio aperit, & saniem emittit, satisfactio cataplasmata apponit; per hanc igitur punctionem conteritur cor humanum, & tunc peccati delectatio totaliter effunditur. *S. Bernard. Sen. to. 2. S. 12. c. 4. 2.*

V. Tanto ampliùs peccati rubigo consumitur, quantò peccatoris cor magno charitatis igne concrematur. *S. Greg. ho. 33.*

VI. Contritio expellit peccatum de anima. In peccato autem tria sunt mala, macula, offensa, reatus. Per peccatum enim anima sordidatur, Deus irritatur, debitum æternæ mortis meretur; In contritione autem contra maculam est expiatio, contra offensam est propitiatio, contra reatum afflictio. *S. Bonav. 3. e. 10. Dom. infra oct. Epiph.*

VII. Absolvi vis? ama, charitas (quæ est virtualis contritio) cooperit multitudinem peccatorum; negationis crimine quid peius? & tamen Petrus amore solo valuit hoc delere; probante Domino, cùm dicit: *Petre amas me?* *S. Chrysologus S. 94.*

Facilitas.

VIII. Facile est ex parte nostra contritionem habere, quia ex libera voluntate procedit, qua voluntate quilibet liberè uti potest. *S. Bern. sen. to. 2. S. 13. c. 4.*

IX. O magnam & potentissimam medicinam, & quæ ad manum sit, neque opus sit, eam exteriùs perquirere, sed in pectoris officina redundet, si eam quæramus ibi; & ratio huius est, quia peccatum in ratione superiore est, & in consensu voluntatis consistit, nam non consentiente voluntate non potest esse peccatum; oportet ergo, ut ibi quæratur peccati satisfactio, ubi fuit culpa; Voluntas, quæ peccavit, ipsa satisfaciat. In quo autem alio potest ita voluntas satisfacere Deo, nisi ut doleat de illo, in quo malè delectata est, & bene detestetur, quod malè complacuit? *S. Thom. vill. in Dom. Pal.*

X. Intus habeo victimam, quam immolem: intus habeo thus, quod imponam: intus habeo sacrificium, quo flectam Deum meum. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus.* *S. Aug. in Ps. 41.*

XI. Tanta Domini misericordia est, ut stupa aliqua sive linum in immenso igne positum, non tam citò incendi possit, quàm ipse peccatori verè dolenti, peccata omnia condonare paratus est. *Taulerus apud Blos. in consol. pusil.*

XII. Nunquam ulla quamlibet fidelissima mater proprio filio suo, quem sub corde suo gestave- *S. Henricus Suso. ibid.*

gestaverit, tam desideranter ac libenter in mediis flammis iacenti, manum porrigeret adiutricem, sicut Deus homini contrito, etiamsi possibile foret, eum omnia totius mundi peccata, vel millenis vicibus quotidie perpetrâsse.

EXEMPLA SACRA.

Qualitas.

Sophron in prat. spir. c. 32. I. MImus quidam erat in Tharso Ciciliæ, nomine Babylas: Erant autem illi duæ concubinæ: nomen uni Cometa, nomen alteri, Nicosa. Vivebat autem luxuriosè, agens omnia, quæ illi dæmon suggessisset. Die verò quadam ingressus Ecclesiam audivit per dispensationem Dei sanctum Evangelium legi: Erat autem ista lectio: Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum, compunctúsque cœpit cum lacrymis horrere, ac se miserum dicere pro his, quæ peccaverat. Confestim igitur egressus extra Ecclesiam vocavit duas amicas suas, dixitque illis: scitis, quomodo vobiscum luxuriosè vixerim, útque nunquam alteram plus, quàm alteram dilexerim. Itaque vestra sunt omnia, quæcunque ego acquisivi. Accipite ea, & dividite inter vos. Ego enim ex nunc abrenuncio sæculo, & efficior Monachus. Illæ autem ex uno ore responderunt ei cum lacrymis. Ad luxuriam, & animarum nostrarum interitum communicavimus tibi: nunc verò quando hoc Deo placitum opus facere vis, dimittis nos, & id solus facis; profectò non ita erit, sed etiam in bono communicabimus tibi. Atque ita Mimus quidem inclusit se in una turrium civitatis, illæ verò venditis omnibus suis, erogatisque pauperibus accipientes & ipsæ religiosum habitum fecerunt sibi prope turrim cellulam, & seipsas pariter incluserunt. Hunc & ego vidi, & ab eo valde ædificatus sum: est enim vir valde humilis, & clemens, atque misericors.

Cæsar. l. 2. mir. c. 18. II. Philippus Comes Namurcensis, filius Balduini Comitis Flandriæ, antequam moreretur, tantam ei Dominus contulit in infirmitate contritionem, quanta non fuerit visa nostro tempore in aliquo. Quatuor Abbatibus nostri Ordinis solebat sæpè confiteri, & cum tanto lacrymarum imbre, ut omnes ad lacrymas provocaret. Nec ista ei sufficiebant, quin laqueum collo suo iniiceret, rogarétque Confessarios suos, ut se traherent in plateam dicens: Sicut canis vixi, dignum est, ut moriar, sicut canis. Filias fratris sui Balduini Comitis, qui factus fuerat Rex Græciæ, tradiderat Regi Franciæ, cuius filiam duxerat uxorem. Quidam dicebant, quòd eas vendidisset; de quo facto plurimùm dolebat. Deportari se iussit in pauperrimam domum suæ civitatis, in qua pauper spiritu migravit ad Dominum. Volens autem pius Dominus tantam eius remunerari contritionem, miraculis eum glorificare dignatus est, tanquam dilectum Confessorem. Sepultus est in Ecclesia S. Albani Martyris, in qua ipse instituerat Collegium Canonicorum, sed suis redditibus iusta stipendia adhuc sanus ordinans. Tantis usque hodie signis coruscat, ut de remotis regionibus infirmi ad eius tumbam confluerent, sanitatem recepturi, ipsámque terram circa sepulchrum effodientes secum pro benedictione deportarent. Naturâ fat mansuetus erat, & humilis, tamen gratia miraculorum extremæ eius contritioni, quæ maxima fuit, potiùs adscribenda est, quàm pristinæ conversationi.

R. P. Lohn. Auctar. Bibl.

Necessitas.

III. Parisiis in Ecclesia S. Dei Genitricis Canonicus obiit, qui multa habens stipendia delicatissimè vixerat, & quia ex deliciis maximè, & de his, quæ ad gulam pertinent, libido nascitur, nata nutritur, & quotidianis eius incitamentis augmentatur, idem iuvenis valdè tunicam carnis suæ maculavit, & tam illo, quàm aliis suis peccatis, iram Dei in se provocavit. Tandem per infirmitatem tactus, timore mortis Confessionem fecit, peccata deflevit, & emendationem promisit, viaticum accepit, inunctus est, & hominem deposuit; cuius corpus, utpote viri nobilis divitiisque cum magna pompa sæcularis gloriæ tumulatum est: & erat in illa die tanta serenitas, ut ipse aër eius obsequiis famulari videretur. Dixerunt homines ad invicem: Multa bona præstitit Deus homini isti, nihil enim ei defuit horum, quæ homo Christianus habere debuit. Dominicis Sacramentis munitus est, cum magna gloria sepultus est. Sed homo videt in facie, Deus autem intuetur cor. Post paucos dies cuidam sibi valde familiari apparens, dicebat se esse damnatum. Cùmque miraretur ille, & expavesceret, pœnitentiam eius & Confessionem, sacram etiam Communionem, & inunctionem commemorans, respondit defunctus: unum bonum mihi defuit, sine quo nullum horum, quæ enumerata sunt, mihi prodesse potuit. Quid est illud? inquit; respondit mortuus: Vera contritio. Licèt enim Deo promiserim consilio Confessoris continentiam, sive alia, quæ salutis sunt, tamen dicebat mihi conscientia, quia si convalueris, observare non poteris. Et quia cor magis declinabat ad transgressionem, quam ad voti observationem, nullius peccati merui remissionem. Deus requirit fixum propositum pœnitendi. Cæsar. l. 2. mir.

Utilitas.

IV. Fuit quidam homo in quadam famosa civitate, qui prædicationi verbi Dei nullo tempore voluit interesse: Quadam autem die contigit, quòd quidam famosus Prædicator in illa civitate prædicaret, & cùm magna populi multitudo conflueret, ille ab aliis tractus quasi invitus ad sermonem venit: quem venientem intuens Prædicator, vidit diabolum retrahentem eum cum catena, cuius circuli ex peccatis singulis texebantur, & intuens circulos, cùm in singulis peccata singula cognovisset, de peccatis egregiè prædicavit, & quomodo propter peccatum habet diabolus in homine dominium in tantum, quòd non permittit eum facere bo- Spec. Exempl. dist. ex. 1.

 num

num, nec audire Dei Verbum. Salomon inquit: *Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur peccator.* Tunc ille universa peccata, de quibus ille prædicaverat, veraciter in se recognoscens, cùm postea audisset ab eo, omni verè pœnitenti, quantumcumque peccatori, veniam à Domino repromitti, contritus valde cæpit flere amarissimè. Tunc prædicator vidit unam lachrymam ab oculis eius cadere super catenam, quæ lachryma catenam dirupit.

Ibid. ex 13. V. Incivitate quadam Brabantiæ, prout in Teutonicali quodam libro scriptum inveni, adolescens quidam erat honestis natus parentibus: sed iis, ut plerùmque contingit, parentelam suam luxuriâ, furtis, ebrietatibus, litibus, aliisque vitiis defædabat, talitérque se in omnibus agebat, ut etiam homines sanguinis sui, imò & ipsi parentes sui, vel rotandum eum, vel confusibilis patibuli trabe in totius generis sui dedecus suspendendum timerent. Quapropter satius arbitrantes, ut nullo sciente, vel admodum paucis, improbitatis suæ pœnas exolveret, quàm totam progeniem macularet. Captum igitur occultè Iudici tradiderunt: sume, inquiunt, ò Iudex, hunc filium perditionis, improbitatis auctorem, fornicarium, ignavum, furem, taxillis assuetum, & temulentiæ deditum, & clàm aquis iniectum merge. Meliùs est enim, ut clandestinè amicis tantùm scientibus pereat, quàm ut mundo præsente, sciente, atque intuente, aut rotetur, aut pendeat. Iudex impietatis eius famæ non ignarus, cùm ligatum manibus & pedibus in saccum submergendum mitteret, prostratus in terram, ait: dimitte mihi pro Domino, quòd te, iustitiâ agente (nam sceleribus mortem meruisti) submergam. Compatior enim, & Domino teste, ad acerbos tuos eventus contristor. Adolescens verò etsi cerneret se mortis imperia evadere non posse, parentibus suis, cognatis, & proprio sanguine contra se vehementer appellantibus, obstinato animo ingemuit, & lacrymis infusus Iudici dixit: Etiamsi ob id perenniter damnari debeam, nec tibi tamen, nec me accusantibus, atque tradentibus veniam dono. Quibus dictis sacco immittitur obstinatus ad veniam, aquis moriturus iniicitur, mortuus rursùm, aquis extractus, secretiùs sepelitur. Eâdem nocte cùm Iudex obstinatum animum iuvenis miraretur, & eum damnatum esse pro tot sceleribus pro rato haberet, subitò respiciens ad lectuli sui latus, eum, quem occiderat, ante se positum vehementer expavit, & quamprimum animo resumpto loqui potuit: Damnatus, inquit, ne es, ò adolescens, iustitiâ Dei, aut misericordiâ Domini reservatus ad gratiam? Respondit ille: Quamvis actu acerbissimis pænarum agar procellis, & suprà quàm lingua effari potest, iustis sceleribus meis tormentis fatiger, in gratia tamen mortuus sum, & æternæ quietis sedes expecto. Et Iudex: Miror, si vera fateris, præsertim cùm totus Mundus te dignum gehennâ decernat, & maximè ego, amicique tui, qui te in tanta obstinatione, irâ & odio Spiritum efflare conspeximus. Cùm, inquit adolescens, submersus in aquam palpitarem, & mortis me inciperent angustiæ commovere, divinæ gratiæ lumine irradiatus, plùs cæpi dolere me, quòd obstinatione, irâ, luxuriâ, cæterisque vitiis divinam clementiam offendissem, quàm quòd submersus vitæ dispendia sustinerem: Unde alto clamore cordis mei inter acerbas mortis angustias, hanc orationem Domino fudi. O pietatis fons indeficiens, & sceleribus mortalium bonitas invincibilis, pone crucem & mortem tuam inter peccata mea, & iustitiam tuam. Indulge mihi, quæso, offensam, quia nunc pro amore tuo, omnibus, qui me offenderunt, libens offensas dimitto. Expande nunc brachia tua, amor æterne, & peccatricem animam meam in sinum tuæ vastissimæ pietatis recollige, quæ si in posterum vita daretur, non te amodò tantis, ut hactenus feci, sceleribus lacerarem. Et inter hæc verba Spiritum emittens, pietatis divinæ ianuas aliquando mihi aperiendas agnovi. Audiens hæc Iudex attonitus stabat, & ad tam ineffabilem pietatem stupefactus aiebat: Tibíne Deus veniam dedit? Tibíne æternum regnum spopondit? tibi, inquam, lubrico, tibi improbo, tibi non gratiâ, sed supplicio digno? At Iuvenis: Ita fecit, inquit: tunc Iudex totus infusus lacrymis: nunc, ait, infelix desperatio vale! Siquidem si Deus tam pius est, ad eius misericordiam penitus pergo, & peccatorum licèt me gravissimi fasces premant, qui huic quondam scelestissimo iuveni veniam dedit mihi quoque pœnitenti veniam non negabit. Disparuit interim adolescens submersus, & Iudex post hæc tribunalibus valedicens, mundanos omnes fastus deposuit, sæculum cum suis delictis dereliquit, & Carthusiensium ordinem pœnitentiam acturus intravit. Ubi cùm quadam vice cum alio monacho sermonem misceret, & cum multis lachrymis causaretur, quòd sæcularis Iudex existens nonnullos insontes homines, favore, prece, vel pretio vitæ victus, vitâ privaverit, in fletus vehementissimos commotus aiebat: O me miserum hominem, quò me vertam in illa die tremenda, cùm ante Iudicem iustum Iudex ipse iniustus astabo? qui insontium cruorem scelestior ipse damnavi. At monachus, ut eum altiùs suspirantem, atque amarius lachrimantem audivit: Quid tu, inquit, Frater turbaris? Cessent nunc tuæ querelæ, me fundere lachrymas sine. Porro tu, ut sæcularis Iudex, corpora aliquando moritura peremisti; sed heu! ego indignus pastor animarum, in sæculo existens, malo meo exemplo atque improbâ vitâ animas per æva victuras sævus parricida iugulavi. Quo sermone animæquior factus, se divinæ misericordiæ commendavit & Domino in magna compunctione usque ad mortem servivit.

VI. Ad S. Vincentii Ferrerii in Francia prædicantis pedes quidam se advolvit impiissimus multorum temporum homicida, qui divino aspirante lumine pœnitens, dum post Confessionem *Mansi dist. 22. n. 4.*

sionem à Sancto pœnitentiam accepisset septennii, petiit, utrum in exilis adeò pœnitentiæ virtute salvari posset. Sanctus intentionem advertens compunctionis, totam pœnitentiam ad tres, in pane & aqua, ieiunii dies restrinxit. Tunc equidem pœnitens, præ cordis angustia in amarissimos sese diffundere singultus cæpit, quod ut Sanctus observavit, unicum duntaxat Pater noster & Ave Maria, ei in pœnitentiam iniunxit. Vix debito satisfecerat pœnitens, cùm ecce subitò ad Sancti pedes, quasi intensissimæ contritionis ferro confossus, corruit victima (*Sacrificium Deo Spiritus contribulatus*, verè utique cor contritum Deus non despexit:) atque indilatè rectissimâ ad Paradisi transiit gloriam, prout ipsemet nocte sequenti Sancto Vincentio apparens revelavit, cum dicto: Tantus potest esse dolor, ut etiam omnem pœnam Purgatorii tollat.

VII. Annales Ecclesiastici ex Cæsario de Iuvene tradunt Parisiensi, qui gravissima admiserat scelera, quæ obstante erubescentiâ nemini hominum confiteri potuit; Intus torquebatur morsu conscientiæ, & foris tabescebat in corpore; quid plura? Tandem, miserante Deo, timor ille servilis verecundiam vicit, qui sicut seta filum, charitatem inducere consuevit. Vocato itaque ad Sanctum Victorem Monasterii Priore, sua ei peccata confiteri cæpit, tantâmque Deus cordi eius contulit contritionem, ut, quoties Confessionem exigeret, toties singultibus intercepta vox deficeret; in oculis lachrymæ, suspiria in pectore, singultus erant in gutture. Quo viso discretus Sacerdos pœnitenti iubet, ut peccata sibi deferat scripta; Paret hic, diéque sequenti redux, iterum iterúmque tentavit, utrùm quid linguâ exprimere posset, sed mutus substitit, ut pridie, præ nimiis singultibus; Confessario itaque chartam consignavit, qui viso criminum horrore atque enormitate, dum propriis diffidit viribus, cum pœnitentis licentiâ Abbatem adiit consulturus. Quid deinde (prosequitur Historicus) gestum sit, audiant peccatores, & consolentur desperati, & recreentur. Mox enim, ut Abbas chartulam ad legendum aperuit, totam eius continentiam deletam invenit; impletúmque est in eo, quod Dominus per Isaiam: dixit: *Delevi ut nubem iniquitates tuas, & quasi nebulam peccata tua.* Vix hoc inaudiit pœnitens, tantúmque mentem eius erexit gaudium, quantus ante depresserat mæror; dimissúsque fuit sine ulteriori satisfactione, & pœnitentiâ, quoniam sacrificium Deo Spiritus contribulatus &c.

Rayn. ann. 1199. n. 45.

VIII. Vidit aliquando S. Birgitta dæmones triumphare, quod animam peccatis obsitam iamiam sui iuris futuram crederent; sed cùm B. Virgo minimam contritionem illi impetrâsset, magno cum eiulatu aufugientes adversarios conspicata, admirabilem mutationem Deo, animæque illi congratulata est.

Vit. l. 4. c. 7.

§. V.

MOTIVA.

I. Quia tanto apud supremam Sacro-Sanctæ Triados Maiestatem in pretio atque valore habetur cor veraciter pœnitens, ut vel ad unius actus contritionis comparationem omnes flocci æstimet terræ thesauros; si dederit homo omnem substantiam domûs suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam! Contritio est ferventissimus charitatis & amoris actus. Faciat anima, quidquid poterit, & noverit in debitorum suorum satisfactionem, instituat & multiplicet ieiunia, eleemosynas, peregrinationes, ecstases, animarum conversiones, opera omnia misericordiæ &c. Quasi nihil despiciet in comparatione vel unius contritionis actûs, sicuti minimus gratiæ sanctificantis gradus abundè sufficit ad integram etiam abolendam peccatorum infinitatem, ita & solus veræ contritionis gradus vel unicus sufficiens est ad eundem præstandum effectum.

Mansi disc. 22. n. 1.

II. *Quia Deus tam patienter exspectat contritionem nostram*; hinc S. Thomas Vill. considera, inquit, quomodo te sustinuit, & exspectavit cum multa patientia, quomodo pro ostensis multa bona dedit, offensus rogat, ut redeas ad illum; & considera tuam duritiam, pertinaciam, ingratitudinem & pravitatem; quàm malè respondisti tam bono Patri, quomodo contemnis monentem, despicis vocantem; & sine timore ac verecundia pro nihilo habes illum offendere, & mille iniurias facere.

S. Thom. Vill. in Dom. pass.

III. *Quia in morbo Corporali & periculoso tutius & securius remedium quærimus*; cur efficaciorem medelam morbo animæ nostræ non providemus?

S. Thomas Vill. in Dom. 3. quad.

§. VI.

MEDIA

I. *Gratia divina sedulò implorata*; nam contritio est specialissimum Dei donum, nostras excedens vires; cœlesti itaque nos Samaritano iugiter supplicemus, oportet, certi, quòd bona, imò optima alligatura, quæ fracta animæ nostræ ossa connectat, & solidatè reparata, in pristinas vires reformet.

S. Ambros. art. 21. in ps. 118.

II. *Peccati magnitudo demonstrata*; nam ut S. Gregorius ait, compunctionis gratia menti non infunditur, nisi priùs ipsa ei peccati magnitudo demonstratur; Hanc autem magnitudinem perquam aptè Petrus Pennequin duobus Emblematis ostendit. Demus, inquit, Regem aliquem optimum munificentissimum, & amantissimum alicui ex aulicis in dilectionis suæ argumentum gemmam donâsse ingentis pretii, eâ conditione, ut illam diligenter servaret, nec negligentiâ, aut incuriâ perderet, multò minùs vili pretio distraheret: hic nihilominus vino captus, & Regiæ voluntatis aut oblitus, aut contemptor, gemmam illam cum re vilissima commutat, & alieni iuris facit: quomodo

S. Gregor. l. 5. in 1. l. Reg. c. 11.

regem id ferre existimas, & quo animo aulicum esse, dum eius impudentiæ plenum facinus ad aures Regis pervenisse intelligit, eiusque se offensionem incurrisse, & iam se ab illo proscriptum, & ab aula eiectum, & suppliciis obnoxium agnoscit? quantus inde dolor, quanta pœnitudo hominem incessit? quid non agit & molitur, ut gemmam recuperet, & cum rege amicitiam resarciat! Et iterum: Filius aliquis temulentus, dum noctu fuste armatus plateas obambulat, & obvios quosque malè mulctat, fortè Patrem suum foris cænatum, & cum amico domum redeuntem incognitum pessimè excipit, & verberibus onerat, vulneribúsque deformem ac semiluxatum ibi relinquit; postridie manè ubi vina decoxit, intelligit, quanto furore in Patrem, à quo amabatur, sit debacchatus, quis tum illi animi sensus? quæ perturbatio? ubi iniuriæ magnitudinem, parentis dolorem, suam effrænem impudentiam propiùs aspicit? tum vix sui compos, & seipsum non ferens, Patrem in lectulo ex membrorum contusione iacentem adit, & pudore simul ac dolore oppressus, ad eius pedes prostratus, verbis, quibus potest, seipsum accusat, culpam exaggerat, & fustem, quâ facinus admisit, Patri repræsentans, rogat cum lachrymis, ut cum illo pœnas criminis à se repetat, & tantam iniuriam, quibus volet modis, ulciscatur; modò veniam donet, & in gratiam recipiat, cætera omnia se flocci facere.

§. VII.

Ascetica.

I. INprimis nôsse debet, *in quo propriè contritio consistat*, id quod S. Thomas Vill. aptè ostendit dicens: vera contritio ex amore debet procedere, non ex timore aut amore sui: Quo & fine sanctus hunc Divi Augustini citat textum: Oportet pœnitentem non solùm Deum timere Judicem, sed & iustum diligere, & hoc valde advertere debet peccator: nam DEUS magìs respicit, de quo doles, quàm quantùm doles; & plùs curandum est, ut dolor sit perfectus, quam ut sit intensus. Ad cuius probationem, exemplum adducit damnatorum, qui de suis quidem dolent peccatis, iuxta illud sapientiæ: *Pœnitentiam agentes, & præ angustia Spiritûs gementes, sed pro tormento, non pro peccato.* Solus dolor ille Contritio est, qui est propter Deum: unde Attritio & Contritio non tam differunt, quòd Contritio est intensus dolor & attritio est dolor remissus; sed magìs, quia contritio est dolor perfectus propter Deum, & Attritio est dolor imperfectus, mixtus cum aliis respectibus. Qui idipsum clariùs explicat sequentibus verbis: sit maximus (contritionis actus) appretiativè scilicet, non intensivè; ut plùs dolens de peccato, quàm de quolibet infortunio; non intensivè, quia sensibilia mala magìs movent nos, sed appretiativè, & in æstimatione, quia si daretur optio plùs eligeres pati, quodcunque infortunium, & mortem filiorum, & tuam, imò & infernum, quàm eligere peccatum. *S. Thom. Villan. in Dom. Pass.*

II. Nôsse debet, *Unde oriatur Contritio*, id quod Pennequin sic ostendit: Contritio est Amoris Sancti Soboles; ut enim Amor omne bonum amato vult, ita ab illo omne malum propulsare nititur, & cùm illud accidit, dolet, si id suâ culpâ evenerit, mœrore doloréque conteritur, atque conficitur, & remedium adferre, ac restaurare damnum, & cum amico redire in gratiam, omni contentione enititur. Ita fit, ut anima per peccatum Dei Maiestatem violatam, bonitatem contemptui habitam, sanctitatem turpiter fœdatam bene apprehendat, & hæc omnia Deo ipso spectante, prohibente, & facti punitionem, inimicitiámque minitante. *Petrus Pennequin p. 3. l. 2. q. c. 16. n. 1.*

III. Nôsse debet, *unde oriatur difficultas veræ Contritionis eliciendæ*; id quod S. Bernardinus clarè ostendit, dum ait: magna atque difficilis res est, habere contritionem licèt enim in voluntatis libertate, & rationis electio contritionis consistat, tamen ex altera parte difficillimum est habere veracem contritionem: Nam secundùm Bonaventuram in 4. dist. 16. a. 2. Dolor, in quantum est displicentia rationis, in vera contritione mensuratur secundùm qualitatem charitatis. Ad hoc, quòd habeat charitatem, necesse est, quòd super omnia diligat Deum, etiam supra seipsum; Hoc autem fit, cùm pro nullo commodo, vel incommodo Deum offendere velit; & hoc intelligendum est de displicentia rationis; unde tantùm debet peccatum displicere rationi, quòd nullo pacto, nullo commodo vel incommodo velit consensisse in ipsum. *S. Bernardin. to. 1. s. 12. a. 1. c. 1.*

§. VIII.

MISCELLANEA.

Qualitas.

I. M*Anus meæ stillaverunt Myrrham*, inquit sacra in canticis sponsa, *& digiti mei pleni myrrhâ probatissimâ.* Quæ Conventio amaræ myrrhæ ad sponsaliorum delicias? Respondet Lyranus, Dilectam sponsam significare velle, se rigoribus pœnitentiæ totaliter applicuisse: Id est, applicavi me ad opera pœnitentiæ, quæ designantur per amaritudinem myrrhæ. Mysterium, quod ego in præsenti indago, in eo latet, cur myrrha appelletur perfectissima? pro cuius notitia sciendum, illam esse myrrham perfectiorem, quæ ultroneè egreditur ex arbore, absque incisione; sicuti è contra illa est imperfectior, quam cum ferro & violentia ex arbore educere oportet. Ecce nobis differentiam inter Attritionem & contritionem; illa non ex amore, sed ex timore oritur; hæc autem è contra, utpotè immediatus charitatis, diviníque amoris affectus; ideòque Poëta cecinit: *Mansf. disc. 11. n. 1.*

Oderunt peccare boni, virtutis amore;
Oderunt peccare mali, formidine pœnæ.

Æquitas.

II. Sicut in naturalibus aliquid conteri dicitur, quando totaliter in minimas partes reducitur; ita cor hominis conteri dicitur, quando affectus peccati secundùm omnem sui partem *S. Bernardin. to. 1. s. 12. a. 1. c. 1.*

in

Digitized by Google

in eo totaliter confringitur, & perfectè à peccato resilit. Moxque in Capitulo sequenti subiungit: Duo conteri debent cor & culpæ; conteri debet cor, quod ad litteram, in vera contritione totum teritur præ nimia angustia, & dolore, & indignatione, quam contra peccata sua concepit. Juxta illud Joëlis consilium: *scindite corda vestra*. Conteri debent culpæ: hoc perfectè fit, cùm peccata totaliter abiiciuntur à corde: Unde psalmus: *Effundite coram illo corda vestra.*

Pranaq. 7. 3 c.16. n.5.

III. Erat Principi Tirolensi cum finitimis bellum, dùmque iam collecto exercitu in illos movet, Parens adhuc vegetus comitem se dare vult, & renitente licèt filio, impetrat: dum fervet prælium, & miscentur arma, filius separatur à Patre, & pulvere ac fumo confundentibus omnia, & amicorum, inimicorúmque notitiam eripientibus, parentem ignotum hastâ transverberat, eiúsque frustum relinquit in pectore. Finito prælio victor filius Patrem requiri iubet; is inter mortuos iacens reperitur: Quod cùm audisset filius, ad cadaver deduci voluit, cúmque illud fixus, & immobilis intuetur, & hastæ frustum examinat, Patrem à se peremptum agnoscit, & doloris magnitudine obrigescens, hastæ semifractæ innixus, moritur, quod Oeniponti statuis ex ære fusis expressum etiamnum visitur: amabat scilicet & reverebatur impensissimè parentem suum, unde amori par dolor succedens attonitum, dèque iniuriæ magnitudine pœnitentem oppressit.

Utilitas.

Mansi disc. 11. n. 5.

IV. Inter alias Ægypto inflictas pœnas, & flagella, fuit & locustarum, dicente textu sacro: *Flare fecit ventum ab Occidente vehementissimum: & arreptam locustam proiecit in mare rubrum, non remansit ne una quidem in omnibus finibus Ægypti.* Diversa hoc in textu ad intentum nostrum recluduntur mysteria. Ventus, qui locustas abstulit, ab Occidente spiravit, suam in mari bestiolæ offenderunt sepulturam, nulla superstite, ecce vobis delineatos Contritionis effectus. Culpa illi assimilatur animali: sicut enim hoc nascitur ex terra, ita & illa ex carnis nostræ humo derivatur: Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt immunditia, fornicatio, &c. Ex superabundanti calore nascitur locusta (concupiscentia parit peccatum) bestiola hæc totum camporum destruit virorem, culpa quoque omnia tollit bonorum operum merita. Sed quod remedium huiusmodi poterit exstirpare locustas? Flatus venti ab Occidente; Non modò vitæ nostræ consideremus terminum, nullo non momento nobis imminentem, sed & finem creationis nostræ, inque veritatis huius agnitione, internæ compunctionis, & Divini amoris actus excitemus; Ita námque omnia peccata nostra in rubrum demergentur sanguinis Christi mare, vel in doloroso Contritionis pelagus: Velut mare contritio tua; omnia penitus suffocabuntur delicta: Proiiciet in profundum maris omnia peccata nostra. Ecce vobis eximiæ huius virtutis effectum.

S. Chrys. ho. 5. ad pop.

V. Accommoda proposito deservit illa Apostoli sententia: Quæ secundùm Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur, sæculi autem tristitia mortem operatur. Mortuum plangis patrem tuum, neque eum ad vitam revocas; bonorum te affligit iactura, nec recuperas; iniuria tibi illata te conturbat, non tamen eam excutis; ast qui gravis contra Deum offensæ, qui peccati mortalis reus, in corde suo veræ excitat Contritionis actus, omnem abolet non modò reatum, sed & memoriam culpæ: omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor. Audite Chrysostomum sanctum: Peccavit quis? tristatus est? peccatum doluit? dissolvit debitum; similitudinem capite in verme, qui lignum, ex quo nascitur, consumit: Ita nimirum & dolor, ex peccato ortus ipsum in cineres redigit & annihilat.

Mansi disc. 22. n. 5. Dan. 2. v. 32.

VI. Statua Nabuchodonosori ostensa habebat caput ex auro optimo, pectus autem & brachia de argento, ventrem & femora ex ære, tibias autem ferreas, pedum quædam pars erat ferrea, quædam autem fictilis; motu autem proprio descendens è monte parvum aliquod saxum, quod in debiliores immensi huius Colossi partes impingens, ipsum minutissima in frusta dissipavit: Abscissus est lapis de monte sine manibus, & percussit statuam in pedibus eius ferreis & fictilibus, & comminuit eos; tunc contrita sunt pariter, ferrum, testa, æs, argentum & aurum, & redacta quasi in favillam æstivæ areæ, quæ rapta sunt vento, nullúsque locus inventus est eis. Ecce vobis spiritualem Historiæ illius sensum nostro accommodum proposito. Peccator in corde suo erexit idolum Babyloniæ, illud adorans, illi obsequia præstans; In auro divitiis, in argento honoribus, in ære voluptatibus, in ferro cultum & venerationem præstat odiis, rancoribus, vindictis: exile saxum, unica inspiratio cœlestis, unicum Prædicatoris verbum ad pœnitentiam cor inducit, infirmiores percutit Babylonicæ statuæ partes, ipsum considerationem fragilitatis mortalis naturæ, identidem subiectæ morti conterendo: Motiva timoris in corde actus diversos excitant amoris, & doloris, conteritur idolum, omnia perimuntur peccata. Lapis itaque sine manibus abscissus, inquit Richardus à sancto Victore, timor Domini divinitus inspiratus; in ictu huius lapidis statua deiicitur. Et quid est huiusmodi percussio, nisi interna compunctio? Quid autem percussæ statuæ comminutio, nisi compunctio cordis, contritio & humiliatio unicus divini amoris actus profanum conterit altaris cordis nostri idolum: Et quemadmodum parvus iste lapis in ingentem excrevit montem, ita vel unicus contritionis actus ritionem inferni, in momento in Paradisi Seraphinum transmutare potest.

S. Thomas Vill. in Dom. 4. quadrag.

VII. Hæc est illa aquæ vivæ piscina, quam movet Angelus in corde per dolorem, in quam, qui intrat, per huiusmodi aquæ motum sanatur, & mundatur ab omnibus infirmitatibus suis. Hæc est illa virga Moysis, quâ percussum

sum mare concupiscentiarum exæstuans, dividitur in divisiones, ut electi Dei sicco pede promissionis in terram pertranseant.

Bavanorola c. 6. in Michaam. VIII. Juvenis erat Ferrariæ, robustæ, ut apparebat, valetudinis, qui tamen inopinatâ morte corruit. Medici corpus aperiunt, rimantur iecur, pulmones, splenem, nihil uspiam vitii deprehendunt. Tandem ubi cor scrutari cœperunt, vermem in eo conspiciunt, fœdâ lanienâ grassari. Mergitur is variis liquoribus, nec submergitur, donec in succum amarum è cepis, alliisque expressum coniectus est, ubi expiravit. Peccata nostra & obsoleta flagitia cepæ sunt, & allia, quæ vel conspectu suo succum illum lacrymarum ex pœnitentium oculis exprimunt. His vermis conscientiæ immergendus est, & invenietis requiem animabus vestris, & quisque de se dicere poterit: Ecce in tranquillitate, & in pace erit amaritudo mea amarissima.

TITVLVS XVII.

DÆMON.

§. I.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

S. Bonav. in comp. Theo. l. 2. c. 26. I.  DÆmones sunt spiritus impuri, humani generis inimici, mente rationales, in nequitia subtiles, cupidi nocendi, per superbiam tumidi, semper in fraude novi, immutant sensus, inquinant affectus, vigilantes turbant, dormientes per somnia inquietant, morbos inferunt, tempestates concitant, in lucis Angelum se transformant, semper infernum secum portant, in idolis sibi cultum divinum usurpant, super malos dominari appetunt, bonis ad exercitium dantur, semper fini hominis insidiantur. Veruntamen iuxta Ethymon nominis Græci dæmon idem est, quod sapiens, expertus, quia licet rebellis hic spiritus gratiam amiserit, nullam tamen passus est iacturam in donis naturalibus, scientiæ videlicet, quia ingenium eius est acutissimum: serpens erat callidior cunctis animantibus terræ. Sathanas, id est adversarius idcirco dicitur, quia sic quoque de cœlo lapsus, Deo Creatori adversari non desinit; adhuc enim, tanquam parum sit, aut fuerit, quòd dixit, *similis ero altissimo*, altiùs per tumorem extollitur, testante Apostolo, cùm de illo perditionis filio, in quo iste diabolus erit, ita loquitur: *Homo peccati, filius perditionis, qui adversatur & extollitur super omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur.*

Rupertus Abb. c. 25. Med.

Divisio.

II. Dividunt aliqui, teste Beyrlinck, in novem choros, eò quòd ex singulis choris aliqui cecidisse credantur, alii dividunt in igneos, aëreos, terreos, aquatiles, subterraneos, tenebrosos, eò quòd in his locis commorari, & nocere putentur. Cassianus iuxta peccata, ad quæ alliciunt, dividit, sic enim ait: Hoc nôsse debemus, non omnes dæmones universas hominibus inurere passiones, sed unicuique vitio certos spiritus incubare & alios quidem immunditiis, ac libidinum sordibus oblectari, alios blasphemiis, alios iræ, furorique peculiariùs imminere, alios pasci tristitiâ, alios cenodoxiâ superbiâque mulceri: & unumquemque illud vitium humanis cordibus, quo ipse gaudet, inserere. *Cass. Collat. 7. c. 17.*

Gradus.

III. S. Bernardinus hos assignat, dum ait: septem gradibus animæ à diabolo expugnantur. Primò insultat in suggestione: secundò luctatur in delectatione; Tertiò percutit in consensu; Quartò spoliat in actu; Quintò præcipitat in consuetudine; Sextò hilarescit sibi in gloriatione; Septimò prævalet in morte. Paulò alios actus assignat. B. Albertus Magnus, dum ait: Dentes Diaboli sunt gradus tentationum, scilicet primus motus, cogitatio, delectatio morosa, consensus, voluntas plena, impetus, operatio, iterata consuetudo, defensio peccati, gloriatio in peccato, inverecundia, impœnitentia, desperatio. *S. Bernar. Serm. 30. 4. in Dom. 4. post Pent.* *B. Alb. M. in cap. 14. Marci.*

§. II.

EX S. SCRIPTVRA.

I. Et apprehendit draconem, serpentem antiquum, qui est diabolus, & Sathanas. *Apoc. 20. v. 2.*

II. Et consummatâ omni tentatione, diabolus recessit ab eo usque ad tempus. *Luc. 4. v. 13.*

III. Ipse Satanas transfigurat se in Angelum lucis. *2. Cor. c. 11. v. 14.*

IV. Nolite locum dare diabolo. *Eph. c. 4. v. 27.*

V. Venit Princeps Mundi huius, & in me non habet quidquam. *Io. c. 14. v. 30.*

VI. Adversarius vester diabolus, tanquam leo rugiens circuit, quærens, quem devoret, cui resistite fortes in fide. *1. Petr. c. 5. v. 8.*

VII. Tu credis, quoniam unus est Deus; benefacis: & dæmones credunt, & contremiscunt. *Iac. c. 2. v. 19.*

VIII. Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversùs insidias diaboli: quoniam non est nobis colluctatio adversùs carnem & sanguinem, sed adversùs Principes & potestates, adversus Mundi Rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus. *Eph. c. 6. v. 11.*

IX. Væ terræ & mari! quia descendit diabolus *Apoc. c. 12. v. 12.*

bolus

bolus ad vos habens iram magnam, sciens, quia modicum tempus habet.

§. III.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Qualitas.

[S. Bernard. l. 13. Med.] I. TOrtuosus ille serpens, cui nullum aliud est desiderium, nullum negotium, nullum studium, nisi perdere animas nostras. Hic est, qui iugiter malum machinatur, argutè loquitur, artificiosè suggerit, callidè decipit, illicitos motus insufflat, & venenatas cogitationes inflammat, movet bella, nutrit odia, incitat gulam, movet libidinem, desideria carnis instigat, & peccati occasiones parat, & mille nocendi artibus corda hominum pulsare non cessat.

[S. Chrysost. ho. 22.] II. Diabolus non quærit hominem, sed hominis interitum quærit, ille malis nostris gaudet, surgit è ruinis nostris, nostris vulneribus convalescit, nostrum sanguinem sitit, nostra saturatur ex carne. Diabolus hominem vult habere, sed perdere, quare? quia ad cœlum, unde ille cecidit, non vult, non fert, non patitur, quantùm in se est, hominem pervenire.

[S. August. in ps. 34.] III. Est insita malevolentia quædam, & perniciei nocendi istis malis spiritibus, gaudent de malo hominum, & de fallacia nostra, si nos fefellerint, pascuntur.

[S. Petrus Damian. ep. 6.] IV. Adsunt invisibiles inimici, qui adversùm te nunquam desinunt ferociter dimicare; illi sanè poterant tecum sopitis querelis facili reconciliatione componi; isti nesciunt quandoque homini pace compositâ confœderari.

[S. Gregor. in ps. 144.] V. Incautos decipit, & in via huius vitæ gradientibus laqueos tendit: ideo Propheta ait: *In via hac, quâ ambulabam, absconderunt superbi laqueum mihi.* Rursus de eo scriptum est: *Absconsita est in terra pedica eius, & decipula eius super semitas:* dum enim humanæ saluti invidens, perdere innocentem appetit, priùs ei aliquid, quod libeat, ostendit, quòd dum appetere incautus nititur, occulto peccati mucrone transverberatur.

[S. Laurent. Iust. de cast. mund. c. 14.] VI. Ubique ad incipiendas animas retiacula tendunt, in divitiis & paupertate, in sublimitate honoris, & in Mundi contemptu, in voluptatibus Carnis, & austeritate pœnitentiæ, in crapula & sobrietate; in rerum affluentia & parcitate victûs, in loquacitate & silentio, in nitore & sordibus, in lætitia & fletu, in administratione temporalium, & remotione quietâ; in libertate & subiectione, in labore & otio, in occulto & publico, in solitudinibus & civitate, in debilitate & corporis sospitate; in vigiliis & torpore, in gloria & ignobilitate, in infamia & favoribus humanis, &c, ut paucis universa comprehendam, nullus est locus, nulla actio, nullàque persona, quæ ab ipsorum deceptionibus libera existat, quoniam nequeunt excludi parietibus, nec placari precibus, neque terroribus coerceri.

[S. Isidorus apud Mansi disc. 3. n. 7.] VII. Ampliùs tentat Diabolus hominem ex parte illa, quâ eum videt per excrescentem humorem facilè inclinare ad vitia, ut secundùm humoris conspersionem adhibeat & tentationem, sicut ille, qui aquam deducit, non eam per aliam partem mittit, nisi ubi eam meliùs currere cognoscit.

[S. Gregor. ho. 24. mor.] IIX. Intuetur inimicus generis humani, uniuscuiusque mores, cui vitio sint propinqui, & illa opponit ante faciem, ad quæ cognoscit faciliùs inclinari mentem, ut blandis, ac lætis humoribus sæpe luxuriam, nonnunquam vanam gloriam, asperis verò mentibus iram, superbiam, vel crudelitatem proponat, ibi ergo decipulam ponit, ubi esse semitam mentis conspicit, quia illic periculum deceptionis inserit, ubi viam esse invenit propinquæ cogitationis.

[S. Bernard. ser. 1. in fe. sal.] IX. Mira calliditate omnium discutit consuetudines, ventilat curas, scrutatur affectus, & ibi semper quærit causas nocendi, ubi quemque viderit studiosiùs occupari.

[S. Laurent. Iust. c. 3. de int. conflict.] X. Nonnunquam ipsi callidi insidiatores fugam se arripuisse simulant, & de cætero nullam bellatori Christi molestiam se illaturos fatentur. Discedunt quippe ad tempus, quatenus animus à sui custodia remissior factus, graviùs sua securitate sternatur. Prudens verò Christi servus, intelligens se in medio positum laqueorum, eò suspectior erit, quò quietiores contra se senserit inimicos, ubi namque latenter pugnatur, ibi omnis vigilantia adhibenda est; nam manifestus adversarius facilè vincitur, occultus autem insidiator vix à quoquam superari potest.

[S. Greg. l. 4. mor. c. 1.] XI. Non solummodo intuetur hostis, quid faciat, sed etiam quando faciat, nam quamvis potestatem acceperit, aptum tamen ad subversionem tempus exquisivit.

[Hugo Card. in Ps. 141. v. 4.] XII. Sub specie boni diabolus abscondit nobis laqueos; *Absconsita est in via pedica eius, & decipula illius super semitam* Job. 18. 10. hypocrysis in via continentiæ, inanis gloriæ in via macerationis carnis, severitatis in via iustitiæ, falsæ pietatis in via misericordiæ, prodigalitatis in via largitatis, carnalis affectionis in via charitatis, præsumptionis in via spei, & desperationis in via timoris, furoris in via zeli, præcipitationis in via audaciæ, astutiæ in via prudentiæ, pigritiæ in via consilii, obstinationis in via constantiæ, curiosæ perscrutationis in via sapientiæ.

[S. Aug. ser. 5. de temp.] XIII. Hoc tamen scitote, fratres, quia diabolus non persequitur nisi bonos; malos enim, luxuriosos, superbos, & avaros diabolus persequi non consuevit; amici enim sunt sui, & voluntatem eius semper faciunt.

[Idem s. 197. de temp.] XIV. Alligatus est, tanquam innexus canis catenis, & neminem potest mordere, nisi eum, qui se illi mortifera securitate coniunxerit: latrare potest, solicitare potest, mordere omnino non potest, nisi volentem; non enim cogendo, sed suadendo nocet; nec extorquet à nobis consensum, sed petit.

Digitized by Google

S. Laurent Iust. c.3. de cont. mun di. XV. Justè disposuit Deus, ut non nisi consentientibus nobis laqueos pedibus nostris inijcere queant: nam spirituales pedes nostræ animæ affectus sunt; hos compedibus suis irretire contendunt; quam ob rem rerum visibilium amorem nostris affectibus conantur innectere, quatenus abdicato à nobis nostro affectu, nullum gratum habitaculum, receptaculúmque habitandi in nobis Deus noster inveniat, qui per dilectionem & fidem in cordibus nostris commorari dignatur.

Hugo de S. Vict. ap. Mansi disc. 15. n. 7. XVI. Quoties tentationibus inimici resistimus, eúmque confutamus, tam è scripturis edocti, quàm à Deo adiuti, toties eum percutimus & vulneramus, & retorquetur in eum pœna, quæ nobis infligeretur, si ab eo vinceremur.

Fuga.

S. August. c. 16. solil. XVII. Pessima insania nostra, qui, cùm continuè videamus contra nos draconem ore aperto paratum ad devorandum, nihilominus dormimus, & lascivimus in pigritiis nostris, tanquam securi ante eum, qui nihil aliud desiderat, quàm ut nos perdat. Inimicus ut occidat, semper vigilat sine somno, & nos, ut custodiamus nos, nolumus evigilare à somno.

S. Petrus Dam. l. 6. ep. 8. XVIII. In ipsis mentis tuæ mœnibus impiè sæviunt, in ipsa tui pectoris urbe confligunt, & ut ista congressio periculosior videatur, in ipsa carne tua quædam quasi perfidos sibi commilitones inveniunt, quos in augmentum partis adsciscunt.

§. IV.

EXEMPLA SACRA.

Qualitas.

Origen. ho. 24. in Luc. I. QUadraginta diebus tentatur IESUS, & quæ fuerint tentamenta, nescimus, quæ ideo forsan prætermissa sunt, quia maiora erant, quàm ut literis crederentur; & si sic oportet dicere, sicut Mundus capere non poterat omnes libros, si scripta fuissent, quæ fecit & docuit JESUS; sic quadraginta dierum tentationes, quibus tentatus fuerat Dominus JESUS à diabolo, Mundus ferre non poterat, si Scriptura docuisset; sufficit nobis hoc tantùm scire, quòd quadraginta diebus in deserto fuerit, & tentabatur à diabolo.

Vit. P. P. l. 3. n. 61. II. Celebris est S. Macarii visio, qui, cùm dæmonem multis vasis vitreis onustum ante cellam suam obvium, quidnam cum illa vasorum multitudine facturus esset, interrogâsset, is, in procinctu se esse respondit, ut vasa illa Monachorum suorum congregationi adferret, ut pro cuiusque gustu singulis offerret singulas peccati illecebras.

S. Thomas inc. 14. prov. n. 12. III. S. Thomas refert Monachi cuiusdam exemplum, qui firmum sibi è cella non egrediendi propositum fecerat, cui paulatim astutus ille serpens suggessit, ut saltem ad Communionem sacram recipiendam illinc egrederetur, cui suggestioni Monachus acquiescens, propositum antea factum rumpere cæpit: cúmque tandem dæmonis illud consilium fuisse agnovisset, vanæ gloriæ motu in semetipso agitari cæpit, eò quòd per illum ad nihil mali patrandum inductus fuisset, quin potiùs ad bonum invitâsset, ac proinde mirè sibi in eo complacuit: Quia verò fraudulentus inimicus videbat, quòd per hoc Monachi lucratus fuisset consensum, progressus est ulteriùs suggerendo illi, quòd propter mortem patris & relictas ab eo multas facultates, inter pauperes dispertiendas, necessum esset, ut huius boni operis exequendi causâ ad domum se paternam reciperet, cellæque suæ tantisper valediceret; cui etiam consilio protinus acquievit: subdit verò Angelicus Doctor: ad quam cùm iret, nunquam rediit ad cellam, & mortuus est in peccato.

IV. In vitis Patrum de magno quodam Dei servo scribitur, quòd, licèt per integrum triennium manu Angelica cibatus fuisset, attamen antiquus adversarius nec cum illo certamen inire formidaverit, suas enim dæmonum phalangas, veluti totidem Angelicos exercitus congregavit, intérque illas in varias cohortes distributas, in curru igneo, velut alter quidam Elias ei apparens, se illum ad cœlum transferre velle simulavit: at verò quia superbus hic Spiritus ei dicebat: adores me, Sanctus vir Dei detectam fraudem à se generosè depulit, & in fugam se recipere coëgit, dicendo: quotidie Salvatorem, qui est Rex meus, adoro; sic, si esset ille, quomodo hoc à me hodie exposceret? *Mansi disc. 7. n. 8.*

V. In vita S. Vincentii Ferrerii scribitur, quòd, dum librum de Virginitate Matris Dei legendo, magno accensus doni illius desiderio, illud à Deo instantissimè sibi concedi peteret, vocem quandam audierit dicentem sibi: Non omnes possumus esse Virgines, nec deinceps patiar, ut tam honorato nomine gaudeas. Ad quorum verborum auditum, sanctus vir Dei ob inexspectatam petitionis suæ repulsam graviter conturbatus & afflictus fuit; mox verò velocissimè à B. Virgine summâ fuit consolatione perfusus, quæ hisce eum affata est verbis: verba illa paulò antè ad te facta, diaboli fuerunt, qui tibi proponit bonorum operum difficultatem, ut territus ab incepta virtute desistas. *In vita l. 1. c. 11.*

VI. B. Petrus Damianus de quodam Monacho refert, qui in cella sua assiduus existens, quantum exteriùs apparebat, vir magnæ simplicitatis erat, nomine Martinus: Hunc vix dies aliquis prætẹribat, quin dæmon illi vel appareret visibiliter, vel illum nocturno tempore in somno audiret loquentem, qui unà cum ipso Psalterium aliásque preces recitabat: aliquando verò, inquit S. Pater, tenebrarum author se transfiguravit in Angelum lucis, eíque quasi legem dictando mandavit: Cave, quia Angelum Dei & aspicere, & alloqui meruisti: indignum est, ut de cætero cum hominibus loquaris. Protinus ille, tanquam mandatum *S. Petrus Dam. l. 6. ep. 18.*

datum divinitus accepisset, à fratrum se funditus collocutione removit, seque sub rigida silentii censura constrinxit. Cùmque tam Abbas Monasterii, quàm alius quidam Monachus nomine Romanus, vehementer illum, ut loqueretur, urgeret, ipse verò Abbati respondere pertinaciter abnueret; hic portas cellæ eius à cardinibus deiici imperans, obstinatum hunc silentiarium virgis cædi iussit, donec obstinati & indiscreti silentii sui redderet rationem. Tandem verò, cùm nec hac viâ quidquam ab illo obtinere potuisset, his eum verbis Abbas est allocutus: Idcirco antiquus adversarius bonorum semper operum inimicus, silentium tibi tentavit imponere, ut & fructum fraternæ ædificationis amitteres, & illi, qui à te sublevandi erant, tuæ consolationis auxilium non haberent. Sic itaque frater, concludit S. Petrus Damianus: quia non ex malitiâ, sed ex simplicitate peccaverat, ad mentem quantocius rediit, & contemptâ suggestione diaboli, admonitionibus pii Patris acquievit.

Mansi disc. 10. n. 3. VII. In vitis Patrum de Monacho quodam, qui quondam idolorum sacrificuli filius fuerat, scribitur, quòd, dum etiamnum iuvenis esset, in quodam idolorum fano dormiens sequentem habuerit visionem: vidit enim Luciferum velut in throno sedentem, & ante eum dæmonem quendam stantem, qui, unde veniret, interrogatus, se ex tali certa Provincia venire respondit, in qua varias seditiones, bella, revolutiones, & horrendos rebellionum motus excitâsset; qui, cùm, quanto ad hæc mala procuranda tempore usus fuisset, interrogaretur, se id intra triginta dierum spatium perfecisse, respondit; quem proinde, quòd nimiùm hac in re tardâsset, graviter vapulare præcepit. Mox verò alius dæmon coram eodem Lucifero comparuit, qui se intra viginti dies gravem in mari tempestatem, in qua multæ naves submersæ perierant, excitâsse gloriabatur; qui pariter multis ab eo plagis mulctatus fuit. Huic successit tertius, qui se intra decem dierum decursum in diversis nuptiis varias rixas, discordias, & inimicitias excitâsse, multorúmque homicidiorum authorem fuisse, glorianter affirmavit; quem pariter sicut priores, diris verberibus castigari iussit. Tandem verò alius quidam comparuit, qui se quadraginta annis continuis Monachum quendam, ad impudicitiam sollicitatum, tandem post tot annos evolutos vicisse, &, ut in fornicationis peccatum turpiter & ignominiosè laberetur, procurâsse iactavit. Cui è throno suo consurgens Satan, post multos amplexus, acceptum è capite suo diadema capiti eius imposuit, atque ad dexteram suam considere iussit, generositatémque eius variis encomiis deprædicavit.

Opusc. S. Franc. coll. 30. VIII. In opusculis S. Francisci de Religioso quodam sui Ordinis, cui nomen Angelus erat, legitur, eum magnoperè dæmonem formidâsse, eò quòd asperrimè illum à longo tempore molestâsset: Qui proinde à S. Patriarchâ socium sibi dari expetiit, qui ad eius defensionem in eius cella dormiret. At verò Sanctus vir Dei acriter eum obiurgans, sine ulla iusta causa eum timere dixit, eò quòd vires dæmonis in manibus Dei ligatæ essent; Simúlque, ut huius rei sequenti nocte experientiam caperet, in montis ibi vicini verticem conscendendo, sonoráque voce clamando: Superbi dæmones, omnes venite ad me modò, & quicquid poteritis, mihi facite, & in me vestrum exercete furorem. Cùmque bonus ille Religiosus promptè obedisset, nullus malignorum Spirituum se quicquam movere ausus fuit; hácque ratione deinceps absque ullo dæmonis timore vixit, & liber permansit; & meritò, quia ut S. Augustinus ait: Non possunt, quod non sinuntur, efficere; sinuntur autem alto Dei summi iustique iudicio, pro merito eorum, quos ab eis vel affligi tantùm, vel etiam subiici, ac decipi, iustum est.

IX. S. Hieronymus in vita S. Hilarionis refert, quòd, cùm dæmon ad metum & horrorem illi incutiendum in specie horrendi Cameli ei apparuisset, Sanctus vir Dei imperturbatô animô eidem dixerit: Non me terres, Diabole, tanta mole corporis; & in vulpecula, & in Camelo, unus atque idem es. S. Hier. in vit. S. Hilar.

X. In vita S. Norberti legitur, quòd dæmon quendam Religiosorum suorum ob fidei suæ debilitatem adeò contempserit, & flocci fecerit, ut ad quemlibet ferè gressum in peregrinis admodum horrendísque speciebus ei apparere præsumpserit. Cuius proinde Religiosi pusillanimitatem S. Patriarcha reprehendit, eúmque generoso deinceps animo esse, & nihil timere iussit. Religiosus hic igitur optimis Fundatoris sui monitis obediens, cùm aliquando pro nonnullis negotiis domesticis expediendis è Monasterio egrederetur, dæmonémque in figura Gigantea sibi obvium, & expansis brachiis quasi conterere volentem conspiceret, moniti S. Patris sui memor, imperterritóque animo perseverans, dæmonem salutari Crucis signo coram ipso formato in fugam abegit, qui & deinceps nunquam ei ampliùs apparuit. Vit. S. Norbert.

XI. In vitis Patrum legimus, quòd, cùm S. Pachomius dæmonem in specie valde lascivâ ei apparentem reprehendisset, quæsivissétque, cur tot fraudibus & artibus ad procurandum infelicem animarum lapsum uteretur; dæmon in sui excusationem responderit: Quamprimùm vos aliquem suggestioni nostræ aditum dare incipitis, subitò nos maioribus vos incentivis provocamus: at verò dum vos in principio suggestioni nostræ resistere, & primos motus nequaquam admittere, sed primas imaginationes animosè repellere videmus, erubescentes & confusi à vobis recedimus. Mansi disc. 16. n. 8.

§. V.

SIMILITUDINES.

Qualitas.

Mansi disc. 2. n. 3. I. Sicut taurus in sui agitatione graviter se vulneratum esse animadvertens, vidénsque, quòd furorem suum adversùs eum, à quo percussus est, exercere non possit, confictum ex vetustis pannis lineis, vel stramine hominem, ad aves abigendas in agro positum, aggreditur, illúmque cornibus, dentibus, pedibúsque in millenas partes ferociter discerpit, suas se vindictas hoc modo aliqualiter exercere posse, sibi imaginans: Ita quoque Princeps tenebrarum videns, quòd de Deo, qui ipsum è cælo in profundum abyssi præcipitavit, vindicare se nequeat, hominem ad imaginem & similitudinem Dei creatum, Deóque unicè charum, plurimisque favoribus adauctum aggreditur, suámque rabiem in eum, in Dei ignominiam, quantùm potest, eique permittitur, furibundus exserit.

S. Laurent. Just. c. 12. de disc. Monast. II. Sicut, si quis stellas cœli, aut pluviæ guttas, seu arenam maris dinumerare voluerit, casso consumitur labore; ita & quicunque varias dæmonum fraudes ad plenum reserare conatus fuerit, supervacuè desudabit.

S. Bern. Ser. 10. 3. c. 8. n. 1. III. Sicut in cribro multa foramina sunt, ita Diabolus cùm multiformis sit, se homini applicando, mille modos tentandi habet; quia, quot sunt vitia, tot utitur variis modis ad tentandum. Unde secundùm S. Aug. Diabolus plenus est incentivis vitiorum, ideo toto conamine se applicando, nititur animas suis incendiis inflammare.

Niceta. in orat 40. Nazianz. IV. Sicut Novacula apprimè exacuta ita comam abscindit, ut, qui raditur, nihil sentiat: sic etiam Diabolus, quâ est calliditate, atque versutiâ, dolos ita machinatur, ut animæ gratiam, hoc est, virtutem, & scientiam detondeat, ut ea sibi hæc ornamenta detrahi non sentiat.

Mansi disc. 4. n. 2. V. Sicut homo sylvam exscindere volens, si solum securis ferrum sine manubrio habeat, nihil efficere prævalet, quantumvis sit sagacissimus; at verò si vel modicum sylvæ illius lignum ad faciendum securi suæ manubrium obtineat, hoc unicum ei sufficit, & desiderabatur, ut totam Sylvam paulatim exscindere possit; eodem prorsus modo dæmon, quantumvis sit Spiritus sagacissimus, solâ tamen perversæ, nobísque continuò insidiantis voluntatis suæ malitiâ, quæ est veluti quoddam securis ferrum sine manubrio, virtutum nostrarum sylvam exscindendo nobis necquicquam nocere poterit: at verò si astutus hic serpens ab anima vel corde nostro vel minimum affectum inordinatum obtinuerit, ex hoc securis suæ ferro manubrium fabricabit, quo deinceps utendo affectum hunc paulatim sic adaugebit, ut animam nostram sui iuris faciens, quicquid in illa, virtutum gratiarum, donorúmque cælestium repererit, facili negotio extirpare, & totaliter succidere possit.

VI. Sicut in corpore nostro semper humor aliquis præstò est, qui in illo quatuor elementorum mixto prædominans, aliquam in eo causat indispositionem; sic quoque in inferiori animæ portione semper est aliqua inclinatio vel appetitus incompositus, quo Angelus ille insidiosus familiariter uti novit. Unde S. Joannes Climacus de gradibus Paradisi tractans ita loquitur: Quales nos dæmones deprehendunt, tales & ipsi erga nos se gerunt; & quales in nobis cogitationes reperiunt, tales ipsi nobis imagines & formas subiiciunt. *S. Climac. gr. 15.*

VII. Sicut Dux belli ad eum præcipuè locum castra sua figit, quem debiliorem, & minùs munitis mænibus, aut fortificationibus cinctum esse cernit: ita quoque stygius noster inimicus in illa parte vel maximè in civitatem irrumpere solet, ubi minorem resistentiam invenit, quámque minus munitam, & consequenter debiliorem esse deprehendit. *S. Gregor. ho. 12. in Ezech.*

VIII. Sicut cancer Marinus, ubi concham apertam conspicit, lapillum quendam in eam coniicit, vel modicum lignum, ut indè impedita claudi non possit; hæc enim modica apertura sufficit ei, ut eam ingredi paulatim, & devorare possit; pari quoque sagacitate dæmon utitur, quia serpens erat callidior cunctis; mox enim ut cor hominis bonis hisce temporalibus capiendis patere conspicit, lapillum quendam, id est, inordinatum erga certam quandam personam ingerit amorem, idque sub specie boni, ut scilicet eius procuret salutem; ubi verò per hunc affectum minimum aliquem in cor illud aditum sibi patefecerit, sensim & paulatim Spiritus immundus cum omni malitia sua in illud se insinuat. *Mansi disc. 8. n. 2.*

IX. Sicut Fures, ubi violenter domum ingredi nequeunt, ne fores domûs deiiciendo, vel muros & parietes perfringendo strepitum aliquem excitent, ex quo domestici à somno excitentur, si parvam quandam fenestram apertam inveniant, puerum aliquem sagacem, ab eis in furtis committendis eruditum, per illam immittunt, qui cautè fores domûs, vel fenestras maiores aperiat, per quas ipsi ingredientes pro libito suo quævis obvia rapiunt, & furantur: ita hæc eadem est latronis infernalis in deprædandis animabus vulgaris sagacitas; ne enim in animas cum strepitu, id est per instigationem ad peccata enormia committenda irrepat, priùs suggestionem vel imaginationem immundam eius animo immittit, vel ad aspectus oculorum incautos, ad complacentiam sensualem, vel periculosam aliquam familiaritatem exstimulat, &c. Cùm diabolus iam misisset in cor, &c. veniam ad te tanquam fur in nocte. *Idem n. 4. li. 5.*

X. Sicut avis in laqueum incidens, minimâ capitur unguiculâ, & alarum vires franguntur, & debilitantur ob unguem vilem, &c., cùm totum corpus sit extra laqueum, totum tamen retinetur: ita multi sunt viri exemplares, qui in novem præceptis sunt irreprehensibiles, *S. Ephrem tr. 3. de verbo lingua.*

les, & in unius præcepti unguicula capiuntur.

S. Chrysost. ho. 1. ad Pop. XI. Sicut latrones non ubi fœnum & paleæ, & calamus, sed ubi aurum & argentum est, fodiunt, & continuò vigilant; sic & Diabolus his maximè instat, qui Spiritualia attingunt.

S. Chrysost. h. 96. XII. Sicut Hostis plùs Ducem, quàm militem petit, nec obsidet mortuos, sed impugnat viventes; sic Diabolus non peccatores quærit capere, quos possidet subiugatos, sed ut iustos capiat, sic laborat.

Mansi disc. 3. n. 2. XIII. Sicut Filii Iacob Iosephum Fratrem suum fatali semper odio prosequebantur; quia illum à Patre suo tenerrimè amari videbant, utpote qui illum in peculiaris dilectionis signum, pulcherrimâ illa veste, quæ Polymita vocabatur, induerat; eodem prorsus modo invidus ille serpens tolerare nequit, quòd communis Creator maiori nos dilectione, quàm ipsum prosequatur; siquidem, ut nos Sanguine suo pretiosissimo redimeret, Corpus sibi mortale pro nobis assumpsit, quod in Angelorum obsequium nunquam fecit. Præ nimia invidia in rabiem agi videntur, dum nos cælestibus virtutum, gratiarum, & donorum infusorum thesauris locupletari vident, ac proinde omni conatu nos hisce thesauris spoliare contendunt; nam ut Cassiodorus ait: Graviores insidias adversarii tunc subimus, quando Dei dona suscipimus.

Idem, n. 10 XIV. Sicut Leonem Naturalistæ animalia mortua nequaquam manducare, sed vivis tantùm insidiari asserunt; sic quoque Diabolus, qui tanquam leo rugiens circuit, quærens, quem devoret, non animas in peccato iam mortuas, utpote quæ iam de facto eius sunt, sed in gratia Dei viventes, devorare conatur, quia, ut vetustissimus Tertullianus ait: Diabolus ad hoc se regnare putat, ut Sanctos de religione Dei perturbet.

S. Thomas Vill. 5. de S. Cosma & S. Dam. XV. Sicut Piscator avidus & peritus, grandiores pisces, minoribus contemptis, attentiùs inescat; ita Diabolus perfectis quibusque avidiùs insidiatur, ut pereant.

Mansi disc. 10. n. 11. XVI. Sicut inter alias fulminis conditiones, una hæc est, quòd maiorem semper in iis corporibus vim exserat, in quibus maiorem invenit resistentiam: Idem quoque est dæmonis genius, nam adversùs eximios Dei servos, qui sanctitate præfulgentes eidem omni virium suarum conatu resistunt, magìs & crudeliùs sævire, maiorésque ac periculosiores insidiarum machinas iisdem struere consuevit. Præterea fulmina loca eminentiora ut plurimùm feriunt: Feriunt altos, inquit Poëta, fulmina montes. Eundem quoque stylum dæmon observat, dum illos quam maximè impugnat, qui dignitate, exemplaritate, & virtute sublimiores existunt.

S. Cyrill. Alex. de Fest. Pasch. o. Fest. 1. XVII. Sicut qui Barbarorum incursionibus se opponunt, iisque obsistere, quantùm licet, egregiè volunt, incitant quidem sese vicissim ad audendum, séque sedulò hortantur, promant iam vires, & artem, tempus belli advenisse affirmantes, itáque vehementes & invicti in adversarios incurrunt, ac superata quodammodo segnitie ac pavore, strenuos se in gravioribus periculis, cùm casus tulerit, præbent: eodem modo oportere assero, quicunque sunt sanctitatis amatores, diaboli fraudibus perquàm impigrè obviam ire, tantáque se illi contentione virium opponere, ut illud ipsum haud immeritò usurpare possint: Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia?

XVIII. Sicut, si furem aliquem in domo tua videns, eundem clamoribus & vociferationibus in fugam agere posses, & tamen id ipsum facere negligeres, nónne tunc facultatum tuarum iactura tibi ipsi imputanda foret? Eodem modo, cùm ad tentationem superandam per orationem ardentem Deo te recommendare possis, si id non facias, culpa tua est. Mansi disc. 18. n. 1.

Damnum.

XIX. Sicut, dum leo famelicus animal quoddam obvium habet, illud protinus invadit, illúdque tanta cum aviditate discerpit, dilaniat, & devorat, ut etiam ossa, pellem, & omnia animalis istius interiora per fauces in stomachum suum traiiciat; eodem quoque modo rabida illa fames, quæ dæmonem adversùm nos exstimulat, adeò est ingens, ut non solùm in animam nostram ferociat, verùm etiam in corpus & bona fortunæ debacchetur: dummodo id illi Deus permittat: Corpus & animam perdit. Idem disc. 2. n. 13.

XX. Sicut in antiquis historiis de Carthaginensi quodam belli duce legitur, quòd de quibusdam militibus Africanis, qui ei rebelles facti, obedientiæ iugum, quo ei obstringebantur, excusserant, sequenti stratagemate gloriosam reportârit victoriam; Etenim, quia illos vini avidos esse probè noverat, multa vasa vino adimpleri, eique herbæ cuiusdam, quæ somni est conciliativa, succum admisceri, ac demum castris suis in magna quantitate inferri iussit; cunctísque ritè dispositis, in apertum campum egressus, se cum illis pugnam adoriri velle, callidè simulavit; cúmque in primo congressu studiosè fugientem per longum terræ spatium insectati fuissent, tandem retrogressi hostilia castra occupârunt, & inventâ ingenti vini annonâ, tanquam de obtenta victoria lætantes, vino liberalissimè indulserunt, ac demum profundissimò somnô sepulti, posito omni metu fessa membra refocillârunt; cùm ecce dictus belli Dux, qui unà cum exercitu suo fugam simulârat, cum eodem reversus, omnésque profundè dormientes reperiens, membratim ac minutim illos conscidit; simili quoque stratagemate iuratus inimicus noster utitur, sciens námque, quòd vinum lætificat cor hominis, quòdque bonorum temporalium, honorum, voluptatum, divitiarum, aliarúmque rerum similium avidissimi simus, in præsenti delectationis occasione huic vino herbam vene- Idem disc. 3. n. 9.

§. V.

SIMILITUDINES.

Qualitas.

Mansi disc. 2. n. 3. I. Sicut taurus in sui agitatione graviter se vulneratum esse animadvertens, vidénsque, quòd furorem suum adversùs eum, à quo percussus est, exercere non possit, confictum ex vetustis pannis lineis, vel stramine hominem, ad aves abigendas in agro positum, aggreditur, illúmque cornibus, dentibus, pedibúsque in millenas partes ferociter discerpit, suas se vindictas hoc modo aliqualiter exercere posse, sibi imaginans: Ita quoque Princeps tenebrarum videns, quòd de Deo, qui ipsum è cælo in profundum abyssi præcipitavit, vindicare se nequeat, hominem ad imaginem & similitudinem Dei creatum, Deóque unicè charum, plurimisque favoribus adauctum aggreditur, suámque rabiem in eum, in Dei ignominiam, quantùm potest, eíque permittitur, furibundus exserit.

S. Laurent. Just. c. 12. de disc. Monast. II. Sicut, si quis stellas cœli, aut pluviæ guttas, seu arenam maris dinumerare voluerit, casso consumitur labore; ita & quicunque varias dæmonum fraudes ad plenum reserare conatus fuerit, supervacuè desudabit.

S. Bern. Ser. in 3. c. 2. n. 1. III. Sicut in cribro multa foramina sunt, ita Diabolus cùm multiformis sit, se homini applicando, mille modos tentandi habet; quia, quot sunt vitia, tot utitur variis modis ad tentandum. Unde secundùm S. Aug. Diabolus plenus est incentivis vitiorum, ideo toto conamine se applicando, nititur animas suis incendiis inflammare.

Niceta. in orat 40. Nazianz. IV. Sicut Novacula apprimè exacuta ita comam abscindit, ut, qui raditur, nihil sentiat; sic etiam Diabolus, quâ est calliditate, atque versutiâ, dolos ita machinatur, ut animæ gratiam, hoc est, virtutem, & scientiam detondeat, ut ea sibi hæc ornamenta detrahi non sentiat.

Mansi disc. 4. n. 2. V. Sicut homo sylvam exscindere volens, si solum securis ferrum sine manubrio habeat, nihil efficere prævalet, quantumvis sit sagacissimus; at verò si vel modicum sylvæ illius lignum ad faciendum securi suæ manubrium obtineat, hoc unicum ei sufficit, & desiderabatur, ut totam Sylvam paulatim exscindere possit; eodem prorsus modo dæmon, quantumvis sit Spiritus sagacissimus, solâ tamen perversæ, nobísque continuò insidiantis voluntatis suæ malitiâ, quæ est veluti quoddam securis ferrum sine manubrio, virtutum nostrarum sylvam exscindendo nobis necquicquam nocere poterit: at verò si astutus hic serpens ab anima vel corde nostro vel minimum affectum inordinatum obtinuerit, ex hoc securis suæ ferro manubrium fabricabit, quò deinceps utendo affectum hunc paulatim sic adaugebit, ut animam nostram sui iuris faciens, quicquid in illa, virtutum gratiarum, donorúmque cælestium repererit, facili negotio extirpare, & totaliter succidere possit.

VI. Sicut in corpore nostro semper humor aliquis præstò est, qui in illo quatuor elementorum mixto prædominans, aliquam in eo causat indispositionem; sic quoque in inferiori animæ portione semper est aliqua inclinatio vel appetitus incompositus, quo Angelus ille insidiosus familiariter uti novit. Unde S. Joannes Climacus de gradibus Paradisi tractans ita loquitur: Quales nos dæmones deprehendunt, tales & ipsi erga nos se gerunt; & quales in nobis cogitationes reperiunt, tales ipsi nobis imagines & formas subiiciunt. *S. Climac. gr. 15.*

VII. Sicut Dux belli ad eum præcipuè locum castra sua figit, quem debiliorem, & minùs munitis mænibus, aut fortificationibus cinctum esse cernit: ita quoque stygius noster inimicus in illa parte vel maximè in civitatem irrumpere solet, ubi minorem resistentiam invenit, quámque minus munitam, & consequenter debiliorem esse deprehendit. *S. Gregor. ho. 12. in Ezech.*

VIII. Sicut cancer Marinus, ubi concham apertam conspicit, lapillum quendam in eam coniicit, vel modicum lignum, ut indè impedita claudi non possit; hæc enim modica apertura sufficit ei, ut eam ingredi paulatim, & devorare possit; pari quoque sagacitate dæmon utitur, quia serpens erat callidior cunctis; mox enim ut cor hominis bonis hísce temporalibus capiendis patere conspicit, lapillum quendam, id est, inordinatum erga certam quandam personam ingerit amorem, ídque sub specie boni, ut scilicet eius procuret salutem; ubi verò per hunc affectum minimum aliquem in cor illud aditum sibi patefecerit, sensim & paulatim Spiritus immundus cum omni malitia sua in illud se insinuat. *Mansi disc. 4. n. 2.*

IX. Sicut Fures, ubi violenter domum ingredi nequeunt, ne fores domûs deiiciendo, vel muros & parietes perfringendo strepitum aliquem excitent, ex quo domestici à somno excitentur, si parvam quandam fenestram apertam inveniant, puerum aliquem sagacem, ab eis in furtis committendis eruditum, per illam immittunt, qui cautè fores domûs, vel fenestras maiores aperiat, per quas ipsi ingredientes pro libito suo quævis obvia rapiunt, & furantur: ita hæc eadem est latronis infernalis in deprædandis animabus vulgaris sagacitas; ne enim in animas cum strepitu, id est per instigationem ad peccata enormia committenda irrepat, priùs suggestionem vel imaginationem immundam eius animo immittit, vel ad aspectus oculorum incautos, ad complacentiam sensualem, vel periculosam aliquam familiaritatem exstimulat, &c. Cùm diabolus iam misisset in cor, &c. veniam ad te tanquam fur in nocte. *Idem n. 4. li. 5.*

X. Sicut avis in laqueum incidens, minimâ capitur unguiculâ, & alarum vires franguntur, & debilitantur ob unguem vilem, &c. cùm totum corpus sit extra laqueum, totum tamen retinetur: ita multi sunt viri exemplares, qui in novem præceptis sunt irreprehensibiles, *S. Ephrem tr. 1. de verbo linguæ.*

les, & in unius præcepti unguicula capiuntur.

S. Chrysost. ho. 1. ad pop. XI. Sicut latrones non ubi fœnum & paleæ, & calamus, sed ubi aurum & argentum est, fodiunt, & continuò vigilant; sic & Diabolus his maximè instat, qui Spiritualia attingunt.

S. Chrysost. h. 91. XII. Sicut Hostis plùs Ducem, quàm militem petit, nec obsidet mortuos, sed impugnat viventes; sic Diabolus non peccatores quærit capere, quos possidet subiugatos, sed ut iustos capiat, sic laborat.

Mansi disc. 9. n. 2. XIII. Sicut Filii Iacob Iosephum Fratrem suum fatali semper odio prosequebantur, quia illum à Patre suo tenerrimè amari videbant, utpote qui illum in peculiaris dilectionis signum, pulchèrrimâ illa veste, quæ Polymita vocabatur, induerat; eodem prorsus modo invidus ille serpens tolerare nequit, quòd communis Creator maiori nos dilectione, quàm ipsum prosequatur; siquidem, ut nos Sanguine suo pretiosissimo redimeret, Corpus sibi mortale pro nobis assumpsit, quod in Angelorum obsequium nunquam fecit. Præ nimia invidia in rabiem agi videntur, dum nos cælestibus virtutum, gratiarum, & donorum infusorum thesauris locupletari vident, ac proinde omni conatu nos hisce thesauris spoliare contendunt; nam ut Cassiodorus ait: Graviores insidias adversarii tunc subimus, quando Dei dona suscipimus.

Idem, n. 10 XIV. Sicut Leonem Naturalistæ animalia mortua nequaquam manducare, sed vivis tantùm insidiari asserunt; sic quoque Diabolus, qui tanquam leo rugiens circuit, quærens, quem devoret, non animas in peccato iam mortuas, utpote quæ iam de facto eius sunt, sed in gratia Dei viventes, devorare conatur, quia, ut vetustissimus Tertullianus ait: Diabolus ad hoc se regnare putat, ut Sanctos de religione Dei perturbet.

S. Thomas Vil. 1. de S. Cosma & Dam. XV. Sicut Piscator avidus & peritus, grandiores pisces, minoribus contemptis, attentiùs inescat; ita Diabolus perfectis quibusque avidiùs insidiatur, ut pereant.

Mansi disc. 10. n. 12. XVI. Sicut inter alias fulminis conditiones, una hæc est, quòd maiorem semper in iis corporibus vim exserat, in quibus maiorem invenit resistentiam: Idem quoque est dæmonis genius, nam adversùs eximios Dei servos, qui sanctitate præfulgentes eidem omni virium suarum conatu resistunt, magìs & crudeliùs sævire, maioresque ac periculosiores insidiarum machinas iisdem struere consuevit. Præterea fulmina loca eminentiora ut plurimùm feriunt: Feriunt altos, inquit Poëta, fulmina montes. Eundem quoque stylum dæmon observat, dum illos quam maximè impugnat, qui dignitate, exemplaritate, & virtute sublimiores existunt.

S. Cyrill. Alex. de Fest. Pasch. h. 8. XVII. Sicut qui Barbarorum incursionibus se opponunt, iisque obsistere, quantùm licet, egregiè volunt, incitant quidem sese vicissim ad audendum, seque sedulò hortantur, promant iam vires, & artem, tempus belli advenisse affirmantes, itaque vehementes & invicti in adversarios incurrunt, ac superata quodammodo segnitie ac pavore, strenuos se in gravioribus periculis, cùm casus tulerit, præbent: eodem modo oportere assero, quicunque sunt sanctitatis amatores, diaboli fraudibus perquàm impigrè obviam ire, tantáque se illi contentione virium opponere, ut illud ipsum haud immeritò usurpare possint: Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia?

XVIII. Sicut, si furem aliquem in domo tua videns, eundem clamoribus & vociferationibus in fugam agere posses, & tamen id ipsum facere negligeres, nónne tunc facultatum tuarum iactura tibi ipsi imputanda foret? Eodem modo, cùm ad tentationem superandam per orationem ardentem Deo te recommendare possis, si id non facias, culpa tua est. *Mansi disc. 10. n. 2.*

Damnum.

XIX. Sicut, dum leo famelicus animal quoddam obvium habet, illud protinus invadit, illúdque tanta cum aviditate discerpit, dilaniat, & devorat, ut etiam ossa, pellem, & omnia animalis istius interiora per fauces in stomachum suum traiiciat; eodem quoque modo rabida illa fames, quæ dæmonem adversùm nos exstimulat, adeò est ingens, ut non solùm in animam nostram ferociat, verùm etiam in corpus & bona fortunæ debacchetur: dummodo id illi Deus permittat: Corpus & animam perdit. *Idem disc. 2. n. 13.*

XX. Sicut in antiquis historiis de Carthaginensi quodam belli duce legitur, quòd de quibusdam militibus Africanis, qui ei rebelles facti, obedientiæ iugum, quo ei obstringebantur, excusserant, sequenti stratagemate gloriosam reportârit victoriam; Etenim, quia illos vini avidos esse probè noverat, multa vasa vino adimpleri, eique herbæ cuiusdam, quæ somni est conciliativa, succum admisceri, ac demum castris suis in magna quantitate inferri iussit; cunctisque ritè dispositis, in apertum campum egressus, se cum illis pugnam adoriri velle, callidè simulavit; cúmque in primo congressu studiosè fugientem per longum terræ spatium insectati fuissent, tandem retrogressi hostilia castra occupârunt, & inventâ ingenti vini annonâ, tanquam de obtenta victoria lætantes, vino liberalissimè indulserunt, ac demum profundissimò somnô sepulti, posito omni metu fessa membra refocillârunt; cùm ecce dictus belli Dux, qui unà cum exercitu suo fugam simulârat, cum eodem reversus, omnésque profundè dormientes reperiens, membratim ac minutim illos conscidit; simili quoque stratagemate iuratus inimicus noster utitur; sciens námque, quòd vinum lætificat cor hominis, quódque bonorum temporalium, honorum, voluptatum, divitiarum, aliarúmque rerum similium avidissimi simus, in præsenti delectationis occasione huic vino herbam veneno- *Idem disc. 3. n. 3.*

nenosam, id'est, suggestionem ad peccatum vehementer sollicitantem immiscet, hácque ratione victoriam adversùm nos facillimè obtinet.

§. VI.
MOTIVA.
Ad dæmonem odio habendum.

S. Bernard de quadr. debito. I. QUia astutissimus est, uti S. Bernardus testatur, dicens: à versutiis & astutiis vobis timeo, in quibus partim subtilitate naturæ, partim experientiâ temporum, sub tot annorum millibus eruditus, fragilitates humanæ naturæ, quaqua versum se verterit, non ignorat.

S. Greg. in Ps. 142. II. *Quia occultissimus est*, teste S. Gregorio, dicente: Quis huius hostis versutias non metuat, qui tantò est perniciosior, quantò occultior? Non enim quæ extra nos, sunt auferre nititur, sed diripere thesauros interiores conatur. Nulla sibi temporalium bonorum cupiditas, nulla divitiarum ambitio, nullum dignitatis desiderium, sola interiora appetit, solas virtutes diripit, solam animam occidit; quòd si aliquando exteriora tetigit, non ea aufert, ut habeat, sed ut ea auferendo animam evertat.

Rupertus Abb. l. 1. c. 14. III. *Quia terribilissimus est*, saltem respectu malorum hominum, uti Rupertus Abbas illa verba, 1. Reg. c. 5. *Et ebullierunt villæ, & agri, in medio regionis illius, & nati sunt mures*; explicans indicavit, dum per mures hos intelligit infernales spiritus, atque: Qui sunt illi, qui ebullierunt, & terram demoliti sunt mures, nisi maligni spiritus, iustis quidem contemptibiles, ut mures, peccatoribus autem terribiles, ut leones. Id ipsum confirmat S. Isidorus, dum ait: In oculis carnalium diabolus terribilis est, in electorum oculis terror eius vilis est; ab incredulis ut leo timetur; à fortibus in fide ut vermis contemnitur.

S. Basilius Magn. orat. 2. erga Deum. IV. *Quia superbissimus est*, uti S. Basilius insinuavit dicens: Dæmon, capitalis noster hostis, solet nostram Domino exprobrare negligentiam, & super inobedientia nostra superbè gloriari; qui, cùm neque finxerit nos, nec mortem pro nobis oppetierit, habet nos tamen (prô dolor!) & inobedientiæ suæ, & negligentiæ, quâ in præceptis Dei tenendis sumus, imitatores sedulos, hoc equidem opprobrium est contra Maiestatem Domini, & hæc iactantia pænis gehennæ longè mihi gravior esse videtur, quòd nimirum inimicis Christi materiam, & ansam præbemus iactantiæ contra eum ipsum, qui pro nobis morti se obiecit, atque ab inferis sese revocavit.

D. Chrysol. s. 16. V. *Quia furiosissimus est*, uti S. Chrysologus notavit, dicens: Putredine satiantur, deliciantur fætore, quibus tota voluptas est, homines interire. Attendite, quæ sævitia, quis furor, quæ rabies dæmonum erga humanum genus; contenti non sunt, mori homines, sed vivos homines gestiunt sepelire; se sepulchris mandant, ut homines recidant in sepulchrum.

Dionys. Carth. apud Mans. disc. 2. n. 4. VI. *Quia invidiosissimus est*, tanta enim illius est invidia, impietásque, ut Dionysius Carthusianus inquit, ut perdi se reputet, si ab hominibus expellatur. Hinc & S. Hieronymus verba illa Jobi: *Sternutatio eius splendor ignis*; explicans: Alii, inquit, transtulerunt: In sternutamento eius illucescit sol. Sternutatio sordes cerebri egerit, diabolus ergo, qui totus sordidus & fætidus est, malitiæ suæ sordes in perniciem hominum cum delectatione operatur, & effundit, transfigurans se in Angelum lucis, & de invidia, id est, de malorum omnium capite, venena sua commovet, & producit.

§. VII.
MEDIA.
Ad dæmonis insidias cavendas.

S. Greg. l. 6. Reg. in dict. 15. epist. 33. I. ORatio, uti S. Gregorius monuit dicens: sit mens vigilans, sit undique circumspecta, sit ubique sollicita, ut insidiantis possit semper laqueos præcavere: sed quia, quantò hostis noster cautum contra se unumquemque cognoscit, tantò corda sibi resistentium subtiliori molitur arte subvertere, Omnipotentem Dominum assiduis lachrymis & deprecatione poscamus, ut nos veneni eius non sinat infectione corrumpi. Hinc meritò dicere possumus cum Rege Josaphat: In nobis quidem non est tanta fortitudo, ut possimus huic multitudini resistere; sed cùm ignoremus, quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te. *2. Par. c. 20. v. 12.*

S. Aug. s. 115. de Temp. II. *Christi præsentia cogitata*; nam adiuvat certamen, teste S. Augustino, qui certamen indixit. Non te sic spectat Deus in agone certantem, ut populus aurigam; clamare enim novit, adiuvare non novit, Coronæ veniam parare potest, vires subministrare non potest, homo enim & non Deus, & fortè dum spectat; plùs laborat sedendo, quàm ille luctando: Deus quando spectat certatores suos, adiuvat eos invocantes, nam vos athletæ illius estis. Psal. 93. 18. seq. *Dicebam, motus est pes meus, misericordia tua, Domine, adjuvabat me.* Et alibi: *Ad agonem perduceris, contra diabolum, vitiorum principem dimicabis in arena hujus Mundi.* Utræque partes, Christi scilicet, & diaboli, infinita populi multitudo te spectat luctantem, & quisnam vincat, vide omnem turbam nimia intentione pendentem. Non de te triumphat pars diaboli; si vis vincere, noli de te præsumere, sed illi assigna victoriæ gloriam, qui tibi donat, ut victoriæ feras palmam. Vis vincere? caput priùs contere inimici, excludendo de corde tuo suggestiones diaboli. Vis vincere? manus tuæ fortes inveniantur in bono opere. Vis vincere? fige pedes, non nutent vestigia tua. *Item de Catech. 4.*

S. Bern. s. 41. de modo bene viv. III. *Charitas fraterna*; uti S. Bernardus indicavit dicens: Dic mihi, si aliquid timet diabolus? Frater amabilis, nihil est, quod tantùm timeat, quantùm concordiam & charitatem; nam si totum, quod habemus, damus, propter Deum, hoc diabolus non timet, quia ipse nihil habet; si ieiunamus, hoc diabolus non

non timet; quia ipse nunquam comedit; si vigilamus, hoc diabolus non timet, quia ipse nunquam dormit; sed si charitatem & concordiam tenemus, hoc diabolus vehementer timet. Quare? quia hoc tenemus in terra, quod ipse in cœlo tenere noluit.

Cassian. coll. 2. c. 17.

IV. *Subjectio*; nam, teste Cassiano, nullatenus decipi poterit, quisquis non suo iudicio, sed maiorum vivat exemplo; nec valebit ignorationem eius callidus hostis illudere, qui universas cogitationes in corde nascentes perniciosa verecundiâ nescit obtegere, sed eas maturo examine seniorum reprobat, vel admittit. Hinc & Siracides: sapiens non odit mandata & iustitias: sed quemnam indè reportabit fructum? Et non illidetur quasi in procella navis. Ubi Hugo Cardinalis ait: id est, illusionibus dæmonum non obstruetur, quasi dicat: Navis, quæ habet bonum rectorem, non obruitur in procella? ita iustus non obruitur tentationum turbine.

Hugo Card. in c. 33. Eccl. v. 2.

1. Petr. 5. v. 8. — S. Chrysost. hom. 10 ad Rom.

V. *Vigilantia*; ut S. Petrus monuit dicens: Fratres, sobrii estote, & vigilate. Hinc S. Chrysostomus, si serpentem, inquit, ad lectum nostrum latitare sciremus, hic magno admodùm studio ad illum perimendum ferremur: Diabolo autem in nostris ipsorum animis latitante, nihil adversi nos pati arbitramur, sed supini ac desides, animisque concidentes malis nostris indormimus. Cuius rei causam hanc esse arbitror, quòd illum corporeis oculis non contuemur, quamquam hoc potissimùm nomine vigilantes nos ac sobrios esse oportebat; nam sensibilem quidem hostem facilè declines; at invisibilem, nisi undique armati fuerimus, difficilè evitare possumus. Et confirmans idipsum S. Cyprianus, si imparatum, inquit, invenerit militem Christi, si rudem, si non sollicitum, ac toto corde vigilantem, circumvenit nescium, fallit incautum, decipit imperitum.

Idem hom. 21 ad pop. — S. Cyprian. ad Fortun.

S. Ant. Pad. Dom. 5. p. Nat. Oct.

VI. *Compunctio*; nam ut S. Antonius Pad. ait: sicut fumus expellit apes, sic amara & lachrymosa compunctio expellit dæmones, qui circumdant animam, sicut apes favum.

S. Laur. Iust. c. 12. de disc. spirit.

VII. *Confidentiæ propriæ abiectio*, uti S. Laurentius Iusti. monuit dicens: In omnibus insultibus spirituum immundorum, in cunctis tentationibus, quibus Christi servi impugnantur, abiicere conentur propriam confidentiam, & divinum non cessent efflagitare auxilium.

Cassian. Coll. 20. c. 8.

VIII. *Verbum Dei*; hinc in Collationibus Cassiani ad nostram eruditionem scribitur, quòd, sicut Christus per adducta Scripturæ loca Luciferum fugavit; ita quoque nobis exemplum dederit, quo doceamur, ut in conflictu cum dæmone scutum quoque Verbi Dei amplectamur: His testimoniis edocemur ut fraudulentis suggestionibus inimici, nos quoque similiter debeamus obsistere; & ideò iuxta monitum Apostoli ad Ephesios. 6. *Galeam salutis assumite, & gladium Spiritûs*, quod est Verbum Dei; nam ut S. Gregorius ait: Resistere tentationibus omnino non sufficit, qui hunc Verbi Dei tenere gladium malè vivendo postponit.

S. Greg. l. 19. mor. c. ult.

S. Ambros. l. de fuga sæc.

IX. *Terrenarum rerum contemptus*, uti S. Ambrosius hortatus est dicens: Denique servatum est serpenti, ut calcaneum mulieris & seminis eius observet, quo noceat, & venenum suum diffundat. Non ergo ambulemus in terrenis, & serpens nobis nocere non poterit. Sed & Venantius Fortunatus considerat, quòd Christus Redemptor noster nos in oratione Dominica Regnum Cœlorum à Deo petere docuerit: *Adveniat Regnum tuum*: postea autem à nobis subiungi voluerit: *Et ne nos inducas in tentationem*: quasi dicturi essemus: veniat in corde nostro Regni tui innocens desiderium, ut possimus diaboli vincere blandimentum; tunc enim in nobis hostis non prævalet, quando respexit nos constanter divini regni desideria concepisse.

Venantius apud Mansi disc. 17. n. 2.

S. Isid. l. 3. sent. c. 5.

X. *In principio fortiter resistere*, uti S. Isidorus suasit dicens: Qui suggestiones diaboli non recipit, in eius insidias minimè transit. Moxque modum nobis tradit, quo efficere possimus, ne astutus hic serpens nos supplantare usquequaque possit: Facilè, inquit, in consequenti opere repellitur, si prima oblectamenta respuantur; Diabolus enim est serpens lubricus, cuius si capiti, id est, primæ suggestioni non resistitur, totus in interna cordis, dum non sentitur, illabitur. Hinc & S. Gregorius, si tentationi, inquit, in corde nostro nascenti festinè non resistitur, hâc eâdem, quâ nutritur, morâ roboratur. Neque enim culpa ad opus prodire permittitur, si intus, ubi nascitur, extinguatur. Id ipsum David indicavit, dum dixit: *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ*, super quæ verba S. Athanasius sic loquitur: Sicut matutinum tempus diei est initium, sic omnis peccati initium est inimici fraudulenta suggestio; ideo inquit manè interficiebam, hoc est, respiciebam ad principia cogitationum, & investigabam eorum intentiones, atque adeò peccatores omnes, utpote dæmones, qui faciunt me peccatum ad perdendum omnes ex civitate Domini, hoc est, ex anima (anima namque Domini civitas est:) persequebar enim, inquit, & abscindebam illorum capita, tanquam principia; ne operarentur omnem iniquitatem, & peccatum.

S. Gregor. l. 22. mor. c. 17. — Ps. 100. 8. — S. Athanas. q. 18. in parab.

§. IIX.

ASCETICA.

Did. Stella in c. 10. Luc.

I. Inprimis nôsse debet Asceta, *cur dæmon tantoperè homines oderit, & persequatur*, id quod ex Didaco Stella cognoscere poterit, hoc motivum afferente, ob quod hic adversarius in nostram perniciem implacabilis esse perseveret; scilicet propter odium Dei; nam peccans induratus mansit in odio Dei, scit, quòd voluntas Dei est, nos beatos efficere, & quòd nos summo amore & charitate prosequatur; ne autem voluntas Dei in nobis adimpleatur, curat nostram iustificationem impedire, propter odium, quod in Deum habet, ratione iustitiæ punitivæ secundaria.

S. Gregor. l. 32. mor. c. 8.

II. Nôsse debet *varios modos, quibus homines impugnare solet*, quos breviter indicavit S. Gre-

gorius

gorius, dum dixit: aut enim opprimendo rapit, aut insidiando circumvolat, aut suadendo blanditur, aut minando terret, aut desperando frangit, aut promittendo decipit. Richardus de S. Victore breviùs duos assignat, dicens, eum contra militem Christi nune pugnare ex pharetra per insidias, nunc ante faciem eius arma vibrare: quia alia vitia sub specie virtutum contegit, & alia, ut sunt aperta, eius oculis obiicit. S. Antonius de Padua ad id se reflectens, quod Salvator noster de dæmone dicit, videlicet; Ambulat per loca inaquosa, ait: Diaboli ambulatio nihil aliud est, quàm ipsius tentatio, iuxta illud, quod ipsemet Diabolus apud Iobum ait: *Circuivi terram, & perambulavi eam.* Quâ verò ratione id ipsum in sensu Spirituali intelligendum sit, sequentibus verbis declarat, dum ait: Diabolus primò terram, id est, mentem hominis circumit, id est, subtiliter disquirit, cui vitio magìs sit applicabilis, & postea eam perambulat, quia secundùm quod viderit vincibilem, quemlibet tentat. S. Bonaventura fusius de hac materia sic discurrit: Inprimis potest ex divina permissione corporibus nostris gravia mala infligere, prout eum Iobo intulisse constat; Organa quoque corporea turbare potest & impedire, prout facit in obsessis: Imagines denique & phantasmata nobis imprimere potest, vel etiam per sanguinis commotionem ad peccatum stimulare. Quod verò deceptiones & stratagemata attinet, decipit præcipuè quatuor modis; primò suadendo bonum, & hoc propter malum; sic v. g. hominem, quem instabilem esse cognoscit, ad religionem ingrediendam exstimulat, sperans, quòd progressu temporis miser futurus sit apostata. Secundò suadendo malum, sed hoc sub specie boni, v. g. dum urget ad committendum periurium, ad retinendum bona aliorum. Tertiò dissuadendo bonum tanquam nocivum; ut cùm dissuadet bono viro ingressum Religionis, ne de hoc pœniteat, & egrediens confundatur; vel quando dissuadet alicui eleemosynam & orationem, ne per hoc incurrat vanam gloriam. Quartò dissuadendo malum, ut ducat ad peius; ut quando dissuadet temperantiam in victu & somno, ut per hoc inducat ad indiscretam abstinentiam, quod peius est. Denique notanda quoque est doctrina, quam S. Gregorius alio loco proponit dicens: Leviathan iste aliter religiosas hominum mentes, aliter verò huic Mundo deditas tentat; nam pravis mala, quæ desiderant, apertè obiicit, bonis autem latenter insidians, sub specie sanctitatis illudit; illis velut familiaribus suis, iniquum se manifestiùs insinuat; istis verò velut extraneis, cuiusdam quasi honestatis prætextu se palliat, ut mala, quæ eis publicè non valet, tecta bonæ actionis velamine subintromittat.

Rich Vict. p. 2. in Cant.

S. Anton. Pad. S. 2. in Dom. 3. quadr.

S. Bonav. l. 2. compend. c. 27.

S. Gregor. l. 33. mor. c. 26.

III. Nôsse debet *modum vincendi Diabolum*, de quo S. Augustinus sic discurrit: Multi dicunt, quomodo possumus vincere Diabolum, quem non videmus? sed habemus Magistrum, qui nobis demonstrare dignatus est, quomodo à nobis invisibiles hostes vincantur, qui à Sancto Paulo ad Colossenses cap. 2. v. 15. dicitur *exspolians principatus & potestates.* Demum verò modum nos docet idem Sanctus, quo insultus dæmonis vincere, eiusque insidias & technas deridere valeamus: consistitque hic modus in eo præcipuè, ut vincamus nos metipsos: Ibi ergo vincuntur inimicæ nobis invisibiles potestates, ubi vincuntur invisibiles cupiditates; & ideo, qui in nobis ipsis vincimus temporalium rerum cupiditates, necesse est, ut in nobis ipsis vincamus & illum, qui per ipsas cupiditates regnat in homine. Idem alibi de tentatione dæmonis disserens, in tantum illam contra nos prævalere posse dicit, in quantum effrænes concupiscentiæ prævalent, & prædominantur in nobis: quibus tamen, inquit, nisi ille, qui tentatur, dederit locum, inanis tentatio & irridenda repellitur; Unde Apostolus monet dicens: *Nolite locum dare Diabolo*: Quonam verò modo ei locus detur, aut recipiatur, mox explicat, dum ait: Dant autem homines locum Diabolo ex concupiscentiis suis. Non enim vident homines Diabolum, cum quo pugnant, sed facilè habent remedium: seipsos interiùs vincant, & de illo foris triumphant.

S. August. c. 1 de agone Christ.

Idem S. 71. de temp.

IV. Nôsse debet, quòd S. Bruno sapienter advertit, dicens: *Diabolus nullum ius habet in humana natura; Deus, & non diabolus, hominem fecit*: Dei itaque iuris est homo, ipse debet regnare in nobis, ipse debet possidere membra nostra: veruntamen quænam est causa, quòd Monstrum illud infernale, hoc non obstante, toties adversùm nos prævaleat? Audite ad hoc respondentem eundem Sanctum: Dicit enim: Apostolus ait: *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis eius.* Dum enim nos propriæ concupiscentiæ nostræ subiicimur, nostrisque sensibus promptè obedimus, quid aliud facimus, quàm quod dæmoni, ut adversùm nos prævalere possit, arma offensiva validissima subministremus? Et quidem notandum est, quòd S. Paulus post quam dixisset: *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis eius*: statim immediatè subiungat: *Sed neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato.* Circa quem textum S. Ambrosius ait: ostendit, Diabolum nostris nos iaculis impugnare; occasio datur illi per peccata nostra, ut, deserente nos Deo, acceptâ potestate illudat, & mortificet nos. Ideo membra nostra ab omni opere iniquitatis continere debemus, ut inimicus noster inermis inventus subiiciatur.

S. Bruno c. 4. de ora. Eccl.

S. Ambro. c. 5. ad Gal.

V. Nôsse debet, quod S. Augustinus docuit: nempe, *internas animi cogitationes Diabolum non videre*, certi sumus, sed ex motibus eas corporis, ab illo, & affectionum indiciis colligi, experimento didicimus: secreta autem cordis solus ille novit, ad quem dicitur: Tu solus nôsti corda filiorum hominum. Non omnes malæ cogitationes nostræ semper Diaboli instinctu excitantur, sed aliquoties ex nostri arbitrii motibus emergunt. Quod etiam confirmat Didacus stella dicens: observa, Dia-

S. August. l. de Eccl. dogm.

Did. Stel. la in c. 8. Luc. Diabolum nihil penitus ab intellectu, aut voluntate nostra eripere posse; quia operatio dæmonis non potest pertingere directè usque ad substantiam animæ nostræ; solus Deus, qui animæ nostræ illabitur, & in illa verè est, potest in ea operari. Et ideo etiamsi Deus permitteret Diabolo facere, quòd posset; tollere aliquid de intellectu nostro, aut voluntate nostra non potest, potest tamen operari circa phantasmata, indirectè & mediatè immittens impias cogitationes.

V. Beda in c. 11. Luc. VI. Nôsse debet doctrinam pernecessariam, à S. Beda traditam, dum ait: *sæpe antiquus hostis, postquam menti nostræ tentationum certamen inflixerit, ab ipso certamine ad tempus recedit, non ut illatæ malitiæ finem præbeat, sed ut corda, quæ per quietem secura reddidit, repentè rediens inopinatè irrumpat.* Nunquam enim teste S. S. Climac. grad. 11. Climaco, Dæmones nobiscum belli faciunt inducias; quando enim relaxatio fuerit, remittunt, seu dimittunt (in speciem) pugnam, ut contempto periculo, tanquam in securo iam tranquillitatis portu constituti, idem quovis Did. Stella in c. 6. Luc. tempore audeamus. Id quod Didacus Stella similitudine navis confirmat, dicens: Maius periculum patitur navis eo tempore, quo mare est tranquillum, quàm tempore tempestatis: assignátque rationem, quæ idipsum evidenter convincit: Nam tempestatis tempore, inquit, multa sunt remedia, nullum autem tempore tranquillitatis. Maxima omnium tentationum est, nullam pati tentationem. Concludit proinde salutari documento: Quando viceris, tunc timidior debes esse, & expergefactus; nam iterum redit dæmon præliaturus tecum: multoties contingit (utpote sagacissimus est) ut se sinat vinci, ut postea meliùs vincat: ut facere solent, qui alearum & taxillorum ludum exercent, qui fingunt se perdere, & parvam pecuniæ quantitatem amittunt, ut postea maiori Ecclesia in Lection. de S. Anton. lucro adversarium capiant. Hinc rectè S. Ecclesia de S. Antonio ait: Nec verò frequens de Satana triumphus securum reddebat Antonium, qui Diaboli innumerabiles artes nocendi noverat. S. Athan. in Vit. Et S. Athanasius ait: sed neque Antonio securitatem dedit hic triumphus, nec Diabolo semel fracto defecêre vires; quia, ut S. Grego- S. Greg. l. 5. mor. c. 8. rius ait: Antiquus hostis quo valentiùs vincitur, eò ad insidias ardentiùs instigatur. Et quidem notandum est, quòd tam Ecclesia in Lectionibus de S. Antonio, quàm S. Athanasius in vita eius, de triumpho eius loquantur, non de victoria; quia hæc est inter hanc & illum differentia, quòd triumphus inimicum adeò prostratum & deiectum esse supponat, ut iam deinceps resurgere ampliùs nequeat: ac proinde, tametsi S. Antonius moraliter quasi certus esset, quòd per efficacissimum, quod ei semper præstò erat, divinum auxilium Diabolo superior futurus esset, nunquam tamen exinde sibi securitatem omnimodam promisit, sed in continuo timore vixit.

Richard. à S. Vict. in Ps. 90. VII. Nôsse debet *illusiones dæmonis*, de quibus Richardus à S. Victore sic loquitur: Illud omnes in communi cognovimus, quòd unum sit omnium dæmonum, assiduúmque negotium, famulos Dei infestare, eorúmque impugnationi insistere, subversionique continuò invigilare. Quis illud nesciat, quòd in hora meridiana esse solet & claritas maior, & calor ferventior? quasi ergo cum summa luce & fervore dæmones ad nos veniunt, quando fraudis suæ nequitiam dissimulantes, sub Sanctitatis specie ad perversitatem nos pertrahere student, & satagunt. Lux ad discretionem, & calor pertinet ad devotionem. Cum luce ergo & claritate ad nos veniunt dæmones, quando in eo, quòd fraudulenter suggerunt, non modò discretè, verùm etiam devotè acturos nos esse promittunt, & persuadere contendunt.

VIII. Nôsse debet, *quomodo malus Spiritus à bono discerni queat*; quod S. Thomas sequentibus verbis docet: In hoc cognosci potest, S. Thom. in 2. Cor. c. 12. quòd Diabolus sit, quia bonus Angelus in principio hortatur ad bona, & perseverat in eis, sed malus in principio quidem prætendit bona, sed postmodum volens explere desiderium suum, & quod intendit, scilicet decipere, inducit, & instigat ad mala. Aliud etiam signum est, quòd bonus Angelus etsi terreat in principio, tamen statim consolatur, & confortat.

IX. Nôsse debet *non plus posse dæmonem quàm Deus permittat*; uti rectè S. Augustinus S. August. in Ps. 103. notavit dicens: Multi dicunt: Quare tantam potestatem Diabolus accepit, ut dominaretur in hoc sæculo, & tantùm valeat, & tantùm possit? sed Respondet S. Augustinus: Quantùm valeat? quantùm potest? nisi permissus, nihil potest. Tu sic age, ne permittatur in te, aut si permissus fuerit ad tentandum, victus abscedat, & non possideat. Idem quoque alibi de eius potentia disserens ait: Habet cupiditatem nocendi, facultatem autem non, nisi quæ datur, vel ad subvertenda ac perdenda vasa iræ, vel ad humilianda sive probanda vasa misericordiæ. Et confirmans idipsum S. Bo- S. Bonav. in c. 4. Luc. naventura, Diabolus ait, habet semper voluntatem nocendi, quia hanc habet à semetipso, sed potestatem nocendi non semper, nisi quantùm, & quando permittitur à Deo iusto modo; unde non est potestas, nisi à Deo; Et ideo S. Petrus ait: *Et quis est, qui vobis noceat, si boni* 1. Pet. 3. 13. *æmulatores fueritis?* Sed & S. Isidorus calculo S. Isid. l. 3. sent. c. 5. suo hanc doctrinam firmans, non ampliùs, ait, tentat electos Diabolus, quàm Dei voluntas permittit; tentando autem, Sanctorum profectibus servit: Etsi nolens, utilitati tamen Sanctorum servit diabolus, quando eos tentationibus suis non decipit, sed potiùs erudit; nam tentationes, quas ille ad humanum interitum movet, interdum Spiritus Sanctus ad exercitium virtutum salubri utilitate convertit.

X. Nôsse debet, *cur bonis potiùs, quàm* S. Chrysost. ho. 1. de verb. Isaia. *malis hominibus insidietur dæmon*; cuius rationem apta similitudine ostendit S. Chrysostomus dicens: Quemadmodum piratæ, qui mare navigiis infestant, non tum, ubi conspexerint naves è portu exeuntes, invadunt; quid enim hine

hinc fructus caperent, si scapham inanem demergerent? sed ubi redierit onusta, tunc omnes expediunt artes; ita sceleratus ille dæmon, simul atque videt aliquos multa collegisse, videlicet ieiunia, preces, Eleemosynas, castitatem, reliquásque virtutes omnes, ubi videt navigium nostrum esse plenum pretiosis pietatis lapidibus, tum irrumpit, undique thesaurum perfodiens, ut in ipsis portûs ostiis scapham demergat. Mansi aliam similitudinem ex stellis adducit; sicut enim stella eclipseos deliquium patiens, exiguum quidem damnum adfert: attamen dum sol obscuratur, omnes quoque alii Planetæ obtenebrantur, & universa terra velut obscurâ quadam nocte obducitur: ita quoque dum homo aliquis mediocris conditionis in peccata labitur, casus illius tanti non æstimatur: at verò si homo aliquis exemplaris, v. g. Religiosus in peccata corruat, (*vos estis lux mundi:*) scandalum indè publicum protinus consurgit. Hinc S. Gregorius ait: Quisquis accingi in divino servitio properat, quid aliud quàm se contra antiqui adversarii certamen parat, ut liber in certamine ictus suscipiat, qui quietus sub Tyranno in captivitate serviebat? Similiter Rupertus Abbas Tuitiensis nos monet, ut, dum in servitio Dei maiori quiete fruimus, maius ab inimico prælium, & certamen crudelius præstolemur: Ubi serviendi Deo maior quies, ibi maior exhibeatur necesse est virium colluctatio; quia & ibi nusquam deerit fraudulenta oblectamentorum persuasio. Id ipsum ex exemplo Israëlitarum colligere licet, quos Ægyptii tunc durè tractare cœperunt, quando suum ex Ægypto meditabantur discessum; ut hinc disceremus (si quidem omnia in figura contingebant) quòd, quando de Mundo deserendo deliberamus, tunc dæmones in perniciem nostram vel maximè coniurent, ne ex Ægypto sæculi huius recedamus, ne per amicam Deo quietem terram Ægyptiacam deserentes, ad eremum virtutum salubriter transeamus.

S. Gregor. l. 4. mor. c. 25.

Rupert. l. 3. in Matth. c. 4.

XI. Nôsse debet, *diabolum per solum peccatum nocere hominibus posse*, uti rectè S. Augustinus notavit dicens: quadam iustitiâ Dei in potestatem diaboli traditum est genus humanum peccato primi hominis, in omnes utriusque sexûs commixtione nascentes originaliter transeunte, & parentum primorum debito universos posteros obligante. Hinc tam charum habet diabolus thesaurum conscientiæ malæ, ut omnia quæcunque in mundo sunt, præter illud pro nihilo spernat.

S. Aug. l. 13. de Trin. c. 12.

S. Bern. Sen. S. 12. a. 3. n. 2.

XII. Nôsse debet, quod Josephus Mansi prudenter monuit dicens: Porro, *ut nos in tentationibus Patrocinio & defensione Dei dignos & capaces reddamus, necessum est, ut ex parte nostra vitiis & malis inclinationibus nostris resistamus, refrenemus sensus nostros, & peccata execremur.* In vitis Patrum de quodam legimus, qui, cùm à carnali concupiscentia vehementer tentaretur, cuidam sancto Eremitæ se recommendavit, rogando eum, ut suas ad Deum efficaces pro salute animæ eius preces effunderet; id quod præfatus Eremita cum omni animi ardore sæpius præstitit, sed absque ullo viri tentati profectu; cúmque hic Dei servus cassum precum suarum eventum vehementer admiraretur, revelatum ei fuit, illum, pro quo Deum rogaverat, divinam assistentiam minimè mereri, eò quòd tentationis occasiones non submoveret, sed potiùs per continuas cogitationes malas foveret, magísque solidaret. Quam revelationem tentato aperuit, qui sublatis omnibus peccandi periculis, macerationi corporis & sensuum assiduæ custodiæ totus deditus esse cœpit, & tentatio cessavit. *Non ergo regnet peccatum*, inquit Apostolus, *in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis eius, sed neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato.* Circa quæ verba D. Chrysologus ait: Non dixit: non provocet, non titillet; sed, non regnet, non dominetur, confligat ad vincentis gloriam; dimicet & decidat ad Triumphum victoris, & tandem se doleat impio peccati dominatu à servis quondam suis tota securitate calcari.

Mansi disc. 18. n. 11.

Rom. 6. 12.

S. Chrysol. S. 115.

§. IX.

MISCELLANEA ET CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Qualitas.

I. IN S. Matthæo duo leguntur à dæmone fuisse obsessi, sævi nimis, ita ut nemo posset transire per viam illam; sed quænam aut qualis hæc via erat? quantùm ad mysterium via hæc alia esse non poterat, quàm illa, de qua Filius Dei Salvator noster ait: *Ego sum via, veritas, & vita:* Dæmones enim viam hanc multifariam impediunt, & difficilem ac arduam esse, vel apparere faciunt. Unde D. Chrysol. ait: videtis, quia dæmones venientibus ad Christum præcluserant viam: Est dæmonum ista cura, ne ad Deum possint homines reditum invenire, non enim aliter possunt homines possidere, nisi eos ab Auctoris sui societate subducant. Hinc est, quòd Christus factus est via, ut ad viam per viam, ad Deum per Deum venientibus obsistere vis dæmonum non valeret.

S. Chrysol. S. 6.

II. Deus quidem ad Paradisi terrestris custodiam Cherubinum statuit, qui gladio igneo versatili protoparentes nostros ab illius ingressu arceret, sed non ille solus est, qui nos à paradisi aditu impedit, quis enim non videt, & in se experitur, quòd & alius quidam Angelus, pariter Cherubinus, sed rebellis Deo, & refractarius, odio & invidiâ armatus, ad fores Paradisi cælestis consistat, ut nobis omnibus, quoad potest, aditum regni cœlestis impediat? Id quod Amos forsitan indicare voluit, dum ait: *Conteret vos, ab introitu Emath*; ubi Sanctus Hieronymus ait: Septuaginta transtulerunt: *Conteret vos, ut non introeatis in Emath*, hoc est, muratam, quæ cœlestis est Jerusalem, in modum flammeæ illius rhomphææ, quæ ad custodiam Paradisi vertetur: A primis namque natalium nostrorum diebus, usque ad finem, nulli rei adeò studuit, nec aliud deinceps molietur,

S. Hier. in c. 6. Amos.

Digitized by Google

lietur, quàm ut cæli aditum nobis intercludat.

Mansi disc. 2. n. 3. III. Apud S. Matthæum c. 8. duo dæmoniaci è sepulchris egressi Salvatori nostro occurrunt, vociferantes: *Venisti huc ante tempus torquere nos?* Spiritus autem maligni suam è corporibus illis eiectionem prævidentes, petierunt à Christo, ut sibi porcorum corpora ingredi permitteret, quod & confestim obtinuerunt, qui proinde porcos in mare præcipiti cursu agentes submerserunt. Quòd si ex me quæsieritis, cur dæmones, cùm sint spiritus superbissimi, utpote qui è cœlis suam deducunt originem, in hæc spurcissima fœtida, & immunda animalia ingredi petierunt? Respondeo, quòd, ut Anatomistæ referunt, inter omnia animalia nullum est homini, maximè quoad interiora, similius porco; ac proinde dæmones, ex quo ipsis à duobus hisce hominibus egrediendum esse noverant, hanc seiunctionem æquanimiùs ferre posse videbantur, si illis permitteretur intrare in porcos, ut illos submergerent; sic enim se aliquale solatium habituros esse arbitrabantur, submergendo & suffocando illa animalia; quæ aliquâ saltem ex parte similia homini esse noscuntur.

Ibid. n. 7. IV. Apud Iobum Spiritus Sanctus dæmonem terram pedestri itinere circuire, non verò in equo eam obequitare asserit, ita enim Satanam loquentem introducit: *Circuivi terram, & perambulavi eam*; at verò scitisne causam, cur diabolus iter suum pedes, non verò eques perficere dicatur? nimirum quia sicut Christus ideo semper pedes itinera sua confecit, ut ad quemlibet gressum beneficentiæ suæ vestigia terris, quas circuibat, imprimeret: pertransiit benefaciendo & sanando omnes; Ita quoque implacabilis hic inimicus noster, quacunque gradiebatur, in nostram perniciem, odii, malignitatis, fraudis, veneni, omniúmque malorum vestigia post se impressa reliquit: ubique relinquamus signa lætitiæ, dicebant mundani & dissoluti iuvenes illi; quod idem de dæmone quoque dicere possumus, ubique relinquit signa malignitatis suæ.

Ibid. n. 11. V. Ex Evangelio S. Matthæi constat, quòd, postquam seminato in agrum tritico, zizania demum super seminata fuêre, dominus agri non sine causa dixerit: *inimicus homo hoc fecit:* Quia verò per hunc perversum agricolam, qui zizania sic superseminavit tritico, dæmon intelligitur, meritò quærendum venit, cur dæmon hominis nomine hoc loco exprimatur? Albertus M. ait: Dicitur inimicus homo hoc facere, quia diabolus non facit, nisi in homine, & cum homine. Hugo Card. dicit: quòd, sicut Scipio ob devictam & subiugatam sibi & Romano Imperio Africam, Africanus appellatus fuit; ita quoque dæmon hominis nomen usurpare sibi possit, eò quòd hominem devicerit, sibíque subegerit: dicitur homo ab homine devicto, sicut Scipio Africanus ab Africa devicta.

Idem disc. 4. n. 4. VI. Quódnam, obsecro, in eo latet mysterium, quòd dæmon, versipellis ille omnigenarum fraudum artifex, Adamum, qui prima totius humani generis radix erat, præcipitare volens non ipsum directè & immediatè aggressus fuerit, sed priùs tentaverit Evam? Pro resolutione sciendum est, quòd, dum Adamus Evam iuxta se positam primitus cerneret, hoc eam nomine appellaverit: *Caro de carne mea; erunt duo in carne una:* Ecce igitur tibi nunc patefactum mysterium; Nimirum ut exinde disceremus, quòd dæmon, ut per pravas suggestiones suas aliquem in animam nostram aditum habere possit, carnis nostræ subsidio semper uti soleat: Nónne ex concupiscentiis vestris? Quamobrem Evam tentaturus, illam non est aggressus per suggestionem internam, sed per tentationem exteriorem, serpentis sibi figuram assumendo, & familiares cum illa miscendo sermones, cùm tamen, ut unusquisque in seipso quotidie experitur, nobis nunquam exteriùs per species visibiles appareat, sed interiori semper tentatione utatur.

VII. Salvator noster pulchrè Satanæ fulguris nomen attribuit, dicens: *videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem.* Etenim ipsámet experientiâ teste, videmus, quanto terrore fulgura fulminea, etiam viros fortissimos percellere soleant, quantáque damna terræ inferant, dum etiam turres munitissimas sæpe evertunt; Et quidem, tametsi etiam terra de maximis ruinis, quas à fulgure recipit, lamentari vellet, fulgur utique in sui defensionem ipsámmet terram, unicam sui causam esse, iure merito respondere posset; quia revera terra est, quæ vapores & exhalationes suas in mediam aëris regionem transmisit, quæ ibidem à frigore condensatæ, & intra nubes constrictæ, ac demum ex continuo motu accensæ, nubes dirumpunt, iisque ruptis natum inde fulgur cum ingenti fragore & strepitu, in eandem terram, unde natum est, violentissimè recidit: Et profectò idem quoque dæmon iure merito dicere posset animæ, si contra ipsum lamentari vellet, quòd ab ipso concussa, & ad ipsum usque perditionis barathrum protracta fuisset. Unde bella? nónne ex concupiscentiis vestris? Hæ enim ei in cor eius liberum patefecerunt aditum, hæ arma aliáque opportuna subsidia illi subministrârunt, adhærendo voluptatibus, lucris, & gloriæ mundanæ, quam is ei liberali manu offerebat, utpote quam omnium illorum avidam esse præcognoscebat. Dæmon quidem antè nos ligat, sibíque adstringit, sed ligaminibus & vinculis talibus, quæ mirè nobis placent, quæque in nobismetipsis invenit, aut verò à nobis accipit: Nam funibus peccatorum suorum unusquisque constringitur; Et, ut S. Ephrem ait, ut, cùm vinculis propriis oblectetur, perpetuò maneat in servitute, quamobrem iucunda cuique iniicit vincula, ut in iis libentiùs conquiescat. Et ideò S. Augustinus ait: Quis effugiet? laqueos posuit in divitiis, laqueos tetendit in cibo, in potu, in voluptate, in somno; Quæ omnia mirè nobis placent, magnóque studio à nobis procurantur.

Idem l. c. n. 5.

Ibid disc. 6. n. 4.

VIII. Inclytus ille Hebræi exercitûs dux Josue, civitatem Hai armis suis subiicere meditans, fugam simulavit, séque hostilis exercitus metu perculsum esse finxit, sed merum stratagema erat: Fugiemus, & terga vertemus, donec persequentes ab urbe longiùs protrahantur; putabunt nos fugere, sicut priùs; Nobis ergo fugientibus & illis persequentibus, consurgetis ex insidiis, & vastabitis civitatem. Quam historiam Didacus stella ad propositum nostrum his verbis adaptat: Diabolus non recedit usque in finem non reversurus, sed usque ad certum tempus, fingit enim se fugere, sicut Josue, cùm cæpit civitatem Hai, sed revertitur ad tempus, ut fortiùs & aptiùs vincat. S. Fulgentius de huius antiqui hostis nostri militaribus machinis disserens ait: Tanquam diversis machinis, sic innumeris utitur argumentis, & cum certamine manifesto cedit, ad hoc se victum demonstrat, ut vincat, ad hoc fugam simulat, ut persequentem missis post tergum sagittis occidat.

Did. stella in c. 4. Luc.

IX. Regius Propheta David, qui in detegendis versipellis dæmonis fraudibus, magnâ experientiâ præditus fuit, specialiter à Deo se à dæmonis meridiani fraudibus liberari postulavit: *Ab incursu & dæmonio meridiano*; veruntamen potiùs eum à dæmonio nocturno timere debuisse videbatur, quia qui malè agit, odit lucem, & peccata, quæ dæmonis partus sunt, opera tenebrarum appellantur: nec tamen verosimile est, Davidem hanc postulationem sine mysterio Deo proposuisse: Quapropter S. Bernardus in sermone quodam super Cantica ad verba hæc Psalmistæ congruè intelligenda sufficiens nobis lumen ministrat, dum ait: Tunc meridies, id est, maior claritas apparet; cùm quasi boni maioris imaginem præfert. Quoties v. g. suggessit anticipare vigilias, quo ad solennia fratrum illuderet dormitanti? Quoties produci ieiunia, ut divinis officiis eo inutilem redderet, quo imbecillem?

Ps. 90. 6.

S. Bern. S. in Cant.

Mansi disc. 8. n. 7.

X. In c. 11. libri primi Regum legitur, quòd, cùm Naas Ammonites adversum Jabes Galaad bellum instituisset, hic verò populus ab eo in fœdus admitti suppliciter postularet, Naas superbo elatóque animo ei responderit: In hoc feriam vobiscum fœdus, ut eruam omnium vestrûm oculos dextros. Ex qua historia S. Petrus Damianus aptissimum proposito nostro eruit mysterium: Etenim Naas, utpote filius dæmonis, qui Creatori suo factus est rebellis, Galaaditis nequaquam ambos oculos erui postulat, sed ut est sagacissimus, sufficere sibi dicit, si unus duntaxat, ísque dexter eruatur singulis, at verò qua de causa id eum petivisse existimatis? quia sæpe malignus hostis, consentienti sibi cuilibet reprobo homini potiorem partem sanctitatis ac lucidi operis adimit, minorem verò artificiosâ quadam suæ calliditatis industriâ derelinquit; ut in eo, quod tollitur, sit occasio damnationis, ut pereat; in eo verò, quod remanet, de spe fiduciæ præsumatur, ut peccator ad pœnitentiam non recurrat. Oculum porrò sinistrum nobis relinquit, contentus si dexter nobis oculus erutus fuerit; quia certas quasdam devotiones exteriores, orationes vocales, ieiunia, peregrinationes sacras, eleemosynas, sanctorum Advocatorum invocationes, & alias similes, quibus nos in conspectu huius Mundi homines virtuosos secundùm exteriorem apparentiam probamus, & in quibus salutem nostram in tuto positam esse confidimus, haud gravatè nobis permittit, dummodo gratiam & amicitiam Dei veluti oculum dextrum in nobis interimat & extinguat: sic enim fama in nobis salva manet, & tamen in abscondito & conspectu Dei amor lascivus, vel odium mortale, aut lucrum iniustum in suo vigore perseverant, quæ ad hominem æternaliter damnandum abundè sufficiunt.

Idem disc. 8. n. 11.

XI. Nota est illa de Ericio fabula, qui serotino tempore ad vulpis foveam accedens, minimum quendam antri sui angulum sibi in noctis illius hospitium indulgeri poposcit. Quo obtento, ingressus antrum, paulatim membra sua extendere & melioris quietis causâ dilatare cœpit, adeò ut pungentes spinæ, quibus Ericius armorum loco toto corpore obsitus est, vulpem magìs magísque stringentes, eandem antrum suum deserere, & Ericio in habitationem relinquere coëgerit. Eadem quoque est antiqui serpentis astutia, qui modicum in cor & animam nostram aditum postulat, & paulatim usque ad totius cordis possessionem sese dilatat: ac proinde cauti estote; Nolite locum dare diabolo. Secùs enim, comminatur nobis Deus per Isaiam: *Ponam eam in possessionem Ericii.* Porrò diabolus primitùs sub specie boni, vel sub pallio devotionis, cor nostrum ingreditur, idque adeò subtiliter, ut fraus & dolus eius in principio etiam à viris spiritualis vitæ peritis notari vix possit: at verò, postquam per cordis nostri ostium ingressus est, tandem per omnem malignitatem suam paulatim extenditur, adeò ut paulatim puncturæ & remorsus conscientiam cruciantes, in animæ sinu non sine dolore percipiantur.

S. Gregor. l. 33. Mor. c. 3.

XII. S. Lucas spiritum nobis malignum velut per loca arida ambulantem repræsentat, dum ait: *ambulat per loca inaquosa.* Quidnam hic subest mysterii in eo, quòd, cùm dæmon purus sit spiritus, specialiter tamen in locis aridis & inaquosis eum morari, & obambulare delectet? sed facilis est responsio, loca enim sterilia, arida, inaquosa, & inculta, solitudines & deserta significant, in quibus servi Dei latentes asperrimam agunt pœnitentiam, qui proinde in hisce locis magìs, quàm in quovis alio, à dæmone tentantur, sic enim Christum tentaturus non est aggressus eum in Nazareth, vel in Capharnaum, nec in Jerusalem, sed exspectavit, donec se recepisset in desertum: Præterquam quòd S. Gregorius dicat: Loca arentia & inaquosa sunt corda iustorum, quæ per disciplinæ fortitudinem ab omni carnalis concupiscentiæ humore siccantur.

S. Ambros. l. 4. in Luc. c. 4.

XIII. Singulariter notandum est, quale nam, vel quod tempus Lucifer ex decursu 33. annorum vitæ Salvatoris elegerit, & exspectârit, ad congrediendum cum illo: Eo præcipuè tempore hoc

hoc prælium aggressus est, quando iam à S. Ioanne Baptista baptizatus fuerat, quando super illo aperti fuerant cæli, quando vox Patris æterni audita fuerat, clamantis: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*; quando Spiritus Sanctus in specie columbæ, ad contestandam Mundo eius Divinitatem, in ipsum descenderat; quando se ad agendam asperrimam pœnitentiam in horridum subduxerat desertum; tunc accessit tentator. S. Ambrosius idipsum ex peculiari divinæ providentiæ dispositione factum fuisse censet, ut ostenderet nobis, diabolum ad meliora tendentibus invidere, & tunc magis esse cavendum, ne mysterii gratiam deserat mentis infirmitas.

S. Anton. Pad. Dom. 2. quad. S Aug. 1,93. XIV. S. Antonius Paduanus super illa verba Iobi: *Repentè ventus vehemens irruit &c.* c. 1. 19. ita scribit; ventus vehemens à regione deserti est repentina suggestio Diaboli, quæ aliquando ita fortiter ex improviso irruit, quòd quatuor angulos domûs, id est, quatuor principales virtutes animi viri iusti à fundamentis excutit, & aliquando in mortale peccatum eum corruere facit; & sic filii Iob, id est opera, vel affectus viri iusti, moriuntur. Quot enim sunt, qui anteà velut stellæ fixæ in firmamento cœli resplendentes, postea stellæ erraticæ facti, miserum passi sunt Eclipseos deliquium! nec mirum, quia, ut Ioannes de ruinis ab hoc dracone procuratis, inquit: *Caudâ trahebat tertiam partem stellarum.* Salutaris proinde est consideratio illa S. Augustini dicentis: videte, fratres, postquam de petra biberit, id est, Christi Sacramenta susceperit, necesse est illi, ad pugnam procedere. Tamdiu enim aliquis diabolum contra se pugnantem non sentiet, quamdiu opera illius exercere voluerit. Quisquis Christo coniungitur, non ad delicias non ad voluptates, sed ad prælium præparatur.

S Gregor. in cit. loc. XV. In Capite 7. l. 1. Reg. scribitur, quòd, quando Hebræi ad Deum se toto corde convertere decreverant, eóque fine orationibus, ieiuniis, multísque aliis eis à Samuele impositis pœnitentiis completis, falsa Baalim & Astaroth numina deiecerant, tunc, & non citiùs, ascenderunt Satrapæ Philisthinorum ad Israël, magnóque Israelitæ id intelligentes perculsi fuerunt timore: at verò quodnam in eo latere existimatis mysterium, quòd satrapæ Philisthinorum eo præcipuè tempore, quo Israëlitæ non expoliendis armis, sed expurgandis æruginosis conscientiis occupati erant, quóque non tympanis pulsandis, aut insonandis tubis, sed ferventibus ad Deum orationibus fundendis dediti erant, super illos ex improviso irruerint? Omnia in figura contingebant illis. Ac proinde S. Gregorius ait: Ablatis diis alienis, peractô ieiuniô, exhibitâ à Prædicatore censurâ examinis, ad Israël Philisthinorum principes ascendunt; quia cùm altiori vitâ proficimus, maligni Spiritus, qui semper bene agentibus invident, nobis infestiores sunt. Notat quoque idem Sanctissimus Pontifex, quòd non Philistheæ turbæ fœx promiscua, seu plebes, sed satrapæ & optimates Philisthinorum sese contra illos armârint; quia etiam contra Christi milites non quorumlibet malorum Spirituum, sed fortiorum dæmonum prælia excitantur.

XVI. In quotidiana Oratione Dominica post omnes sequentes petitiones: Sanctificetur nomen tuum; Adveniat regnum tuum; fiat voluntas tua, sicut in cælo & in terra; Panem nostrum quotidianum da nobis hodie; Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, tandem in fine hæc postulatio proponitur. Ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo. Videri quidem non nemini posset, divinum adversus dæmonem eiusque tentationes adiutorium in principio potiùs postulari debuisse, quàm in fine, sed valde errat, quisquis ita arguit; siquidem incarnata Sapientia hanc petitionem in fine prædictæ Orationis provida cum sapientia statuit, quia eo ipso, quo nos Deo corde & voluntate arctè astrinximus, ipsúmque per laudes & benedictiones devotè adoramus atque insuper pane eius Eucharistico pasci, peccatorúmque remissionem ab eo accipere desideramus, totus infernus quàm maximè adversùm nos armatur, atque ideò iis omnibus suppositis patrocinio cælesti quàm maximè indigemus; quia, ut Origenes ait, illud est certaminis & pugnæ Spiritualis initium: hinc tibi adversùs Zabulum nascitur pugnæ principium. *Origenes apud Mansi disc. 10. n. 10.*

XVII. S. Augustinus perquam consolatoriam doctrinam proposuit dicens: Diabolo potestas quædam est, plerumque tamen vult nocere, & non potest, quia potestas ista sub potestate est; nam si tantùm posset nocere Diabolus, quantùm vult, non aliquis iustorum remaneret, aut aliquis fidelium esset in terra. Et paulò pòst, facultatem hanc, quam Deus illi ad tentandum indulget, ad bonum & utilitatem nostram spiritualem ordinatam esse ostendit, dum ait: tantùm permittitur illi tentare, quantùm tibi prodest, ut exercearis, ut proberis, iuxta illud Apostoli effatum: *Fidelis Deus est*, &c. Ac tandem ad instructionem & consolationem nostram subiungit: Ergo potestas Dei est; non est enim potestas, nisi à Deo. Noli dicere: & quare dat tantam potestatem, & non de potestate habet æquitatem? qui dat potestatem, habet æquitatem. *S. Aug. in ps 61.*

XVIII. Quando Persæ & Medi sub Cyro Babyloniam sunt demoliti, tali in eam tyrannide sunt debacchati, ut ne infantibus quidem pepercerint, ut hâc ratione totam extirparent Babyloniorum progeniem. Porrò idipsum nobis quoque idem Psalmista consulere voluisse videtur, dum ait: *Beatus, qui tenebit, & allidet parvulos suos*; nam S. Augustinus ibidem in Glossa ait: Beati, qui nascentes cupiditates, antequam robur accipiant, allidunt; sic enim faciliùs vincuntur. Sic quoque ad perniciosum serpentis semen extinguendum, Deus ait: *inimicitias ponam inter te, & mulierem, & semen tuum, & semen illius*; semper enim primos motus, primásque ad peccatum suggestiones necare *Mansi disc. 16. n. 4.*

necare & opprimere oportet, quia hæ semen & maledicta stirps sunt huius serpentis: Nam ut Christianè ad propositum nostrum Seneca inquit: Non obtinebis, ut desinas, si incipere permiseris; Imbecillis est primò omnis affectus, deinde ipse concitat, & vires, dum procedit, parat. *Senec. ep 116.*

XIX. Reges Chanaan adversùs Gabaonitas, eò quòd sine ullo cum ipsis communicato consilio, cum Iosue fœdus icissent, exasperati, ad invicem copias suas coniunxerunt, ut de hac iniuria vindictam sumerent; Et quidem Adonisedech omnibus aliis dixit: ad me ascendite, & ferte præsidium, ut expugnemus Gabaon, quare transfugerit ad Iosue & ad filios Israël. Quapropter Gabaonitæ sine mora legatos suos ad Iosue expedientes, ab eodem necessarium popoſcerunt subsidium, qui subitò tanto cum animi ardore in favorem Gabaonitarum adversùs Reges Chanaan pugnavit, ut ad prosequendam imminentem victoriam solem cursum suum sistere iusserit: Sol contra Gabaon ne movearis. Quisquis igitur in periculis constitutus ad verum Iosue Christum Iesum confugerit, multò maiorem habendarum suppetiarum spem concipere poterit. Verùm quidem est, quòd, ut Glossa interlinearis ait; Qui JESU expetit amicitias, multorum patietur inimicitias, propter hoc tamen nequaquam despondendum est animo, quia infallibiliter videbimus super nos JESU Salvatoris & Redemptoris nostri auxilium. Unde Origenes optimè considerat, quòd Iosue tunc præcipuè à Moyse hoc nomine insignitus fuerit, quando illum contra Amalecitas animosè pugnâre conspexit. Usque ad hunc locum, inquit Origenes, Beati nominis JESU nunquam facta est mentio. Hîc primum vocabuli illius splendor effulsit. *Origenes ho. 1. in Exod.* *Ios. 10. 4.*

XX. In Isaia de dæmone dicitur: *Quomodo cecidisti de cælo, Lucifer, qui manè oriebaris? corruisti in terram, qui vulnerabas gentes; qui dicebas in corde tuo: In cælum conscendam, super astra DEI exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis.* Porro undenam pulcherrimi huius Angeli rebellio processerit? S. Bonaventura his verbis exponit: Peccatum Luciferi fuit, quòd se & privatum bonum dilexit, excæcatus, de altitudine habitâ præsumpsit, ac propriam excellentiam ambivit, quasi habiturus fuerit à se, non ab alio, & sine meritis habere voluit; Dei similitudinem concupivit, non causâ imitationis, sed potestatis: subditos habere voluit, & nulli subiectus esse concupivit; Sicut enim stella, quæ solis est prodroma, & in latino Lucifer nominatur, omnes alias stellas splendore & pulchritudine antecellit, ita spiritus hic rebellis inter reliquos Angelos erat. Unde in Iob de illo dicitur: *Ipse est principium viarum Dei.* Et in Ezechiele legitur: *In deliciis Paradisi Dei fuisti, omnis lapis pretiosus operimentum tuum.* Et alibi in eodem Propheta dicitur: *Cedri non fuerunt altiores illo in Paradiso Dei*; at verò quia propter suam superbiam prævaricatus est, hinc de ipso dici potest: sicut lumen eius, ita & tenebræ eius. *Isa. 14. 12.* *S. Bonav. in Ps. 93.* *Iob. 40. 14.* *Ezech. 28. 13.* *& 31. 8.* *Ps. 138. 12.*

XXII. Alii hostes paulatim & cum tempore inimici esse desinunt, quia voluntas eorum tandem aliquando ad pacem disponitur & inclinatur; at verò dæmon inflexibilis est, præterquam quod Iob de illo dicat: *Ossa eius velut fistulæ æris, cartilago eius quasi laminæ ferreæ*; ideo tametsi à nobis persæpe vincatur, nunquam tamen animo suo despondere videtur. Unde non sine mysterio Beelzebub, id est, Deus muscarum appellatur, quia hæ quantò frequentiùs abiguntur, tantò communiter importuniùs redeunt. *Mansi disc. 2. n. 8.* *Iob. 40. 13.*

Damnum.

XXIII. Quando in medio salutaris seminis depræhensa sunt Zizania, subitò illa non ab alio seminatore sparsa fuisse didicerunt agricolæ, quàm ab inimico & adversario: Inimicus homo hoc fecit: Circa quam parabolam idem D. Chrysologus in alio quodam sermone ait: superseminavit zizania, ut quid? ut periret Dominica messis; sed hoc ad lucrum quid pertinebat inimici? quódnam ex hisce superseminatis zizaniis referebat emolumentum? num fortè per superseminata hæc Zizania agrum ad suam utilitatem fæcundandum esse credebat, aut messem propterea suam fertiliorem futuram esse confidebat? respondet Sanctus, aliud nihil ad hoc illum permovisse, nisi quòd invidiæ Spiritus hominum damnum suum computat lucrum, & quòd perierit hominibus, hoc se existimat acquisivisse. Verumenimverò, quòd cunctis aliis deplorabilius est, inimicus homo zizania ista ex omni parte agri superseminavit. In Isaia hæc verba satis difficilia leguntur: *Super Leviathan serpentem vectem.* Quæ Vatablus ita vertit: oblongum, instar vectis, additque: vocat Leviathan serpentem oblongum, quòd dictio Diaboli ferè totum mundum occupet. *S. Chrysol. S. 97.* *Matth. 13. v. 28.* *Isa. 27. 1.*

XXIV. D. Chrysostomus ultima Dominicæ Orationis verba, scilicet: sed libera nos à malo: exponens, dixit: Hoc est à Diabolo, qui totius mali & author est, & origo; Diabolus natura cælestis fuit, nunc est nequitia Spiritualis, ætate maior sæculo, nocendi usu tritus, lædendi arte peritissimus; unde non iam malus, sed malum dicitur, à quo est omne, quod malum est. *S. Chrysost. apud Mansi disc. 2. n. 8.*



TI-

TITULUS XVIII.
DESPERATIO.

§. I.
QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

S. Thom. 2. 2. q. 20. a. 1. I. EST vitium, quo homo ex falsa existimatione de Dei Omnipotentia & misericordia credit, eum non posse, aut non velle peccata remittere, atque adeò consecutionem æternæ beatitudinis sibi impossibilem esse.

Divisio.

Beyrlinck v. desperat. II. Dividitur hæc desperatio à Beyrlinck in tres species, videlicet in desperationem beatitudinis consequendæ, remissionis peccatorum obtinendæ, & damnationis æternæ evitandæ.

§. II.
EX S. SCRIPTURA.

Qualitas.

2. Reg. c. 1. I. AN ignoras, quòd periculosa sit desperatio?

Job. c. 17. II. Quasi in profundissimum infernum descendent omnia mea; putásne saltem ibi erit requies mihi?

Jer. c. 15. III. Quare factus est dolor meus perpetuus, & plaga mea desperabilis renuit curari?

Ibid. c. 30. IV. Insanabilis est fractura tua, pessima plaga tua.

Mich. c. 1. V. Super hoc plangam & ululabo, quia desperata est plaga eius.

Job. c. 15. VI. Non credit, quòd reverti possit de tenebris ad lucem, circumspectans undique gladium.

Damnum.

Prov. c. 18. VII. Impius, cùm in profundum venerit peccatorum, contemnit: sed sequitur eum ignominia & opprobrium.

Jer. c. 18. VIII. Desperavimus: post cogitationes nostras ibimus, & unusquisque pravitatem cordis sui mali faciemus.

Eph. c. 4. IX. Desperantes, semetipsos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis, in avaritiam.

Eccl. c. 14. X. Felix, qui non habuit cordis sui tristitiam, & non excidit spe sua.

§. III.
EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Fuga.

I. LAtro agnovit, Petrus negavit. In Petro demonstratur, quemque iustum non de se præsumere, in latrone nullum impium debere diffidere conversum. Timeat ergo bonus, ne pereat per superbiam, & malus non desperet per multam malitiam. S. Aug. in lib. de symb.

II. Nemo diffidat, nemo veterum conscius peccatorum præmia divina desperet: novit Dominus mutare sententiam, si tu noveris emendare delictum. Idem ser. 8.

III. Nullus desperet veniam, etiamsi circa finem vitæ ad pœnitentiam convertatur; unumquemque enim Deus de suo fine, non de vita præterita iudicat. S. Isid. l. 2. de summo bono.

IV. Incumbit (id est, innititur) virtuti seculi, qui desperat de adiutorio Dei. S. Ambros. sup. Marc.

V. In vita hominis finis quærendus est: quoniam Deus non respicit, quales antea vixerimus: sed quales circa finem vitæ fuerimus. S. Isid. l. c.

VI. Nemo desperet: Judam traditorem non tam scelus, quod commisit, quàm indulgentiæ desperatio, fecit penitùs interire. S. Aug l. de util. pœnit.

VII. Ne desperando augeamus peccata, propositus est pœnitentiæ portus: rursus, ne sperando augeamus, datus est dies mortis incertus. Ibidem.

VIII. Nolo mihi dicas: Blasphemus sum: Nolo dicas, persecutor sum, immundus sum: Habes omnium ostensiones, vis in novo, vis in veteri? In veteri David, in novo Paulus. Nolo excusationes mihi afferas: Nolo ignaviam prætendas. Peccâsti, pœnitere. Millies peccâsti? millies pœnitere. Hæc assiduè infundo medicamenta &c. Si lapsus es, poteris surgere. In utramvis partem habes liberum arbitrium. Si vulneratus es, adhibe tibi curam, dum vivis, dum spiras, etiam in ipso lecto positus, etiam, si dici potest, animam efflans, ut iam de hoc mundo exeas. Non impeditur temporis angustiâ misericordia Dei. Quid enim est peccatum ad Dei misericordiam? tela araneæ, quæ vento flante nusquam comparet. S. Chrysost. in ps. 50. hom. 1.

IX. Si peccata & magnitudine & numero possunt definiri: Miserationes autem Dei neque magnitudine, neque numero possunt circumscribi, sine dubio non est, cur desperatio adhibenda sit, sed agnoscenda misericordia Dei, & commissa peccata detestanda. Idem in proœm. in Isa.

X. Nunquam sera est conversio. Latro de cruce transiit ad paradisum. Nabuchodonosor S. Hieron. Epist. 7.

ſor Rex Babylonis poſt efferationem corporis & cordis, mentem recepit humanam.

S. Aug. ſer. 38. de temp.

XI. Fortè cogitat aliquis, tam gravia ſe admiſiſſe peccata ut iam Dei miſericordiam promereri non poſſit, abſit hoc à ſenſibus omnium peccatorum. O homo, quicunque illam peccatorum multitudinem attendis, cur & Omnipotentiam cœleſtis Medici non attendis? cùm enim Deus velit misereri, quia bonus eſt; & poſſit, quia Omnipotens eſt; ipſe contra ſe divinæ bonitatis ianuam claudit, qui Deum ſibi misereri, aut non velle, aut non poſſe credit, eúmque aut bonum, aut Omnipotentem eſſe diffidit.

Id. ſerm. 181. de temp. c. 16.

XII. Nunquam Deus ſpernit pœnitentiam, ſi ei ſimpliciter & ſyncerè offeratur, ſuſcipit, libenter accipit, amplectitur omnia, quatenus eum ad priorem ſtatum revocet. Et infrà: Donec ſumus in hac vita, quantacunque nobis acciderint, peccata, poſſibile eſt, omnia ablui per pœnitentiam.

S. Cyprian. ſerm. de cœna Dom.

XIII. In eodem articulo temporis, cùm iam anima feſtinat ad exitum, & egrediens ad labia expirantis emerſerit, pœnitentiam clementiſſimi Dei benignitas non aſpernatur: nec ſerum eſt, quod verum; nec irremiſſibile, quod voluntarium, & quæcunque neceſſitas cogat ad pœnitudinem, nec quantitas criminis, nec brevitas temporis, nec horæ extremitas, nec vitæ enormitas, ſi vera contritio, ſi pura fuerit voluptatum mutatio, excludit à venia, ſed in amplitudine ſinûs ſui mater charitas prodigos ſuſcipit revertentes, &(velit, nolit, Novatus hæreticus) omni tempore Dei gratia recipit pœnitentes.

S. Leo apud Padag. Chriſt. lo. 2. p. 2. c. 18.

XIV. Miſericordiæ Domini Dei nec menſuras poſſumus ponere, nec tempora definire, apud quem nullas patitur veniæ moras vera converſio.

Damnum.

S. Chryſoſt. hom. 3. de pœnit.

XV. Qui de venia peccatorum deſperat, negat, Deum eſſe miſericordem. Et magnam iniuriam Deo facit, qui de miſericordia eius diffidit.

S. Iſid. lib. 2. de ſummo bono.

XVI. Illius æternæ civitatis ianuas nobis deſperatio claudit, ſpes aperit, fiducia latum præbet ingreſſum.

§. IV.

EXEMPLA SACRA.

Deſperatio punita.

Gen. c. 4.

I. Dixitque Cain ad Dominum: Maior eſt iniquitas mea, quàm ut veniam merear. Hinc à facie Dei eiectus, profugus ſuper terram, vitam in perpetuo timore tranſegit.

II. Judas poſtquam Chriſtum triginta argenteis vendidiſſet, pœnitentiâ ductus retulit pecuniam, & abiens laqueo ſe ſuſpendit, ſuſpenſúſque crepuit medius.

Spec. Exempl. v. deſperatio, ex. 9.

III. In Imperiali civitate Lubecenſi quædam venerabilis Matrona atque Conſulis uxor erat, quæ uno partu tres filios ſudit, quorum unus elephantino morbo percuſſus fuit; alter ſubmerſus eſt; tertius verò, de quo nobis eſt ſermo, propriâ manu peremptus eſt. Sed quo ordine, quove modo, quo item merito hoc factum ſit, ego, qui ipſum, ſimiliter & germanos ſuos, & omnem parentelam optimè novi, breviùs atque ſuccinctiùs, quàm potero, intimabo, ut huius exemplo iuvenes florentis iuventæ ætate conſpicui, & facilè in quamcunque partem flexibiles diſcant, & parentibus debitam venerationem impendere, & ſuæ laſciviæ indomitam concupiſcentiam refrænare. Diſcant iterum, & iterum diſcant, fœminarum devitare conſortia, cùm nec rubens in ſanguine bellicus enſis tot milites ſtraverit, quot pudibundos iuvenes puellarum conſortia proſtituêre. Hæc ſanctiſſimum David polluit, hæc ſapientiæ vaſtum ſacrarium Salomonem infatuavit, hæc robuſtiſſimos Samſonis lacertos vicit, ut evidens daretur argumentum poſteris, nullam ſanctitatem, nullam ſapientiam, nullum robur ſive potentiam inter fœminarum conſortia indemnes remanere. O utinam nunc mihi concederetur, in tam ſublimis altitudinis montem conſcendere, ubi omnem adoleſcentum virgineam multitudinem me audire contingeret, quàm altis vocibus proclamarem! O vos omnes adoleſcentes, qui tranſitis per viam, attendite, & timete, ne hæc fœminei decoris profundiſſima vorago vos ſorbeat. Quis ſcit, ſi vel unum ex illis hoc valido clamore cautum efficerem, ne in tam vaſtam, quàm iſte, de quo dicturus ſum, perditionis charybdim laberetur. Sed ne ante hiſtoriam diffluamus, nunc res eſt inchoanda. Erat iſte tertius iuvenis (de quo ſuper narrationem incepimus) elegans formâ, decorus facie, ingenio acer, veſte pretioſus, dives rebus; ſed amore fœminarum nimis effuſus. Unde poſt ſtupra virginum, poſt multos abuſus ſcortantium meretricum, tandem impegit in unam earum, quæ formâ vincere dicebatur omnem pulchritudinem Lubecenſium puellarum. Et hæc tam forti amoris vinculo ligatum miſerum in ſua duxit caſtra captivum, ut nec perditio familiarium rerum, nec refractæ libidine vires membrorum, nec timor Dei, nec gehennæ terror, nec honeſtas publica, nec amicorum correptio privata eum ab infauſto meretricis concubitu valuerint ſeparare. Qua ex re factum eſt, ut omnibus conſumptis, atque cum meretrice iſta diſtractis, rebus neceſſariis inciperet indigere. Quod ubi vidit mater, nam Pater defunctus erat, quando iſta agebantur, filium videlicet ſuum indignam natalibus incurriſſe pauperiem, commotis ſuper eo viſceribus charitatis, quia pia erat, ſemel, bis, ter, iterum atque iterum non modicam pecuniarum ſummam indigenti donavit, monuítque cum lacrymis, ut Dei memor, generis item & honoris, atque etiam ſalutis ſuæ, meretricem deſereret, atque de cætero laſciviæ ſuæ impetus virili animo cohiberet. Sed heu! fulſere cæco lumina, ſurdo cecinit philomela. Non enim potuit chalybeas illas amoris habenas dirumpere, quibus tenebatur fœmino

minæ alligatus, & durâ damnatione captivus. Tandem cùm videret Mater, quicquid filio tribueret, in usus cedere meretricis, & nihilominùs dulcis pignoris sui animum, nec ære, nec prece posse revocari, cor obduravit, clausit manus, nihil tribuit paupertate gravato. Satius enim duxit, filium unum & solum egere, quàm ipsam simul cum filio indigere. Videns igitur Adolescens, cum facie simul & animam Matris circa se esse mutatum, nec agi res sicuti heri & nudius tertiùs, egestate & meretrice malis consulibus usus, non semel aut bis, sed pluries aut multis vicibus nudato ense in matrem irruit (horreo dicere) sub pedibus stravit. Minabatur item, se colla scissurum, nisi ocyus datâ pecuniâ durissimæ suæ necessitati succurreret. Mater verò sub filii, velut sub acerbi hostis gladio intremuit, astricta tam insperato periculo, invita licèt, quicquid tamen exigebatur, donavit. Nulli tamen, parricidæ sobolis suæ audaciam, atque crudelitatem audebat indicare, verita, ne fortè, si primores civitatis, quorum in iudicandis criminosis rigida æquitas orbi nostro patet, rem, ut facta erat, perciperent, etiam in filium suum gravissimæ improbitatis reum severam vellent sententiam fulminare. Tacuit ergo, & silentio quàm arctissimo potuit, quæ circa eam per filium agebantur, celavit, sed repentè (nescio, quo proditore) tanti facinoris fama per omnium aures ferebatur, quocirca convenerunt amici, & communicato invicem consilio, iuveni sub intermination evitæ suæ, ne matrem suam de cætero ense terreret, præceperunt. At ipse coërcitus atque confusus rigoroso mandato, statim exiit domum matris, & in confusionem totius generis sui, cum ipsa meretrice in publico lupanari deinceps habitare delegit, ubi post consumptas sericas vestes, post famem, post sitim, post indigentias multas, mœstus & desolatus, gravissimas primùm febres, dehinc desperationem acerbam incurrit, quibus per dierum vices crescentibus, cùm molem miseriæ suæ diutiùs ferre non posset, morte exosis rebus terminum imponendum æstimavit. Verùm ne quis huius tragœdiæ exitialem effectum impediret, excogitatâ causâ, fœminam, se amplius vivum non visuram, quopiam destinavit, quâ egressâ, cùm solus & absque arbitris miser domi remansisset, è coquina cultro sumpto processit in hortum, & in omne latus vagum lumen circumferens, cùm nullum videret se prohibere potentem, diffusis vestibus pallidum morbo pectus nudavit, & tento ad ligneam horti maceriam fine manubrii, ne scilicet vi ruinæ cederet, tanto impetu se in cultelli exasperatam atque obviam aciem egit, ut firmissimo pectoris osse transfosso ferrum universis pertransitis, etiam dorsi spinam, quæ è regione erat, violaret. Tali igitur vulnere saucius corruit in terram, & profluentem sanguinem cernens, vehementiori cœpit furiâ agitari, quòd in tanto cruoris profluvio atque inter tam acerbas angustias exosum sibi Spiritum non valeret exturbare. Pavenda res? videres eum fixum adhuc in pectore cultrum, quantùm ex certis signis in funere patuit, violenter in gyrum agitare, lacerare viscera, & scelestum animum in manum dæmonum non tam emittere, quàm fugare. Rediit, his patratis, domum infelix fœmina, & cùm in horto videret dulcem amasium suum in mortem propriis manibus corruisse, intremuit, palluit, & in terram decidit. Tandem resumpto spiritu, cùm ad se esset reversa, importunis clamoribus totam viciniam convocavit, & omnibus per ostia intrantibus, infusa lacrymis, rem, ut erat gesta, enarravit. Et sic per totam civitatem de morte iuvenis flebilis fama ferebatur. O quàm vehemens angustia cor illud maternum comprehendit, fodit, laceravit in ea hora, quâ sibi à narrantibus dicebatur: Veni mulier, vide filium tuum, iacet enim in horto prostratus, & Spiritus eius non est in eo. Ipse se ferro fodit, ipse suum sanguinem fudit, ipse nunc, in te exhibitæ crudelitatis supplicia pendit. Cerneres procul dubio ad tantæ tragœdiæ nuncium, Matrem quasi leænam raptis catulis, irrugire, pallescere ora, totum corpus intremere, ad locum facinoris non tàm modestè ire, quàm insolenter currere, quò cùm venisset, & vidisset inter coruscos rosarum flores, & albescentia lilia cruore rubicundum, sed morte pallidum dulce pignus, tantæ miseriæ onus non ferens, repentè in terram corruit, & quasi unà cum filio moritura expalluit. Flebant omnes, qui istis intererant, sed ipsa præ nimia mentis angustia flere non potuit. Tandem tamen paululùm resumpto Spiritu lacrymari uberrimè cœpit, & madidis oculis in meretricem reflexis: O mulier, inquit, quid fecisti? Maledicta sit pulchritudo tua, quæ si generosæ prolis meæ antea animum non fodisset, hodie horribile ferrum illud eius pectus non intravisset. Væ igitur tibi, quæ huius miseriæ causam tribuisti! His igitur similibúsque verbis astantem populum in fletus concitavit. Posterâ igitur die convenerunt amici, & multâ summâ obtentâ à Iudicibus licentiâ, ut miserum funus sepeliri potuisset (nam secundùm leges flammis dari debuerat) in prophanum cœmeterium, quod à parte Aquilonari Cathedralis Ecclesiæ situm est, sub Tilia, quæ venientibus per forum equorum videtur, infelicem glebam illam terræ tribuerunt. Ubi cùm per solam & unam noctem sepultus iacuisset, tantùm in crastinum tumuli terra videbatur concidisse, ut ex hoc nonnulli coniicerent, dæmones, qui animam tulerant, etiam corpus abstulisse. Sed quia hoc probatum non habeo, temerariè hoc affirmo, licèt ipse viderim sepulchri congestam arenã, quæ tempore humationis reliquæ terræ eminentior relinquebatur, in crastinũ usq; adeò decidisse, ut vix si quis ibi sepultus esset, posset agnosci.

IV. Eo tempore quo Magister Ioannes Xantensis Scholasticus & Magister Oliverus Coloniensis Scholasticus, crucem contra Saracenos prædicabant in diœcesi Traiectensi, erat ibi quidam rusticus, si bene memini, nomine Godeschalcus, opere usurarius; iste cum cæteris non ex devotione, ut postea patuit, sed ex circum- *Cæsarius Lib. 2. c. 7.*

cum-

cumstantium importuna admonitione, crucem suscepit. Cúmque dispensatores ex mandato Innocentii Papæ pecuniam redemptionis colligerent à senibus, pauperibus, & infirmis, idem usurarius se pauperem mentiens, cuidam dispensatori circa summam quinque talentorum dedit, talique dolo Sacerdotem circumvenit. Tristati sunt postea vicini eius, quòd dedisse potuisset quadraginta marcas, nec tamen exhæredâsset liberos suos, quod ipse prætendebat. Deus autem, qui falli non potuit, eius fallaciam postea terribiliter conclusit. Sedebat miser in tabernis Deum provocans, eiúsque peregrinis exprobrans in hunc modum: Vos stolidi mare transibitis, substantiam vestram expendetis, vitámque vestram multis periculis exponetis: ego verò cum uxore, liberis meis domi residens propter quinque marcas, quibus redemi crucem meam, similem vobis habebo mercedem. Sed iustus Dominus, ut palàm ostenderet, quantùm placeret labor, & expensæ peregrinantium, & quantùm eius oculis displiceret dolus, ac blasphemia detrahentis, hominem miserrimum tradidit Satanæ, ut disceret non blasphemare. Nocte quadam dormiente eo cum uxore sua in proprio molendino, domi suæ contiguo, motum quasi rotæ molentis audivit, clamánsque ad puerum, dixit ei: Quis admisit molendinum? vade, vide, quis ibi sit. Ivit puer, & rediit. Nimio enim horrore percussus, procedere non potuit. Cui dominus: Dic, quis est ibi? Respondit: Tantus horror ad ostium molendini me invasit, ut compellerer redire. Et ille: etiamsi diabolus ibi sit, ego vadam, & videbo. Iniectáque togâ scapulis, eò quòd nudus esset, ad molendinum venit, ostium aperuit, introspexit, in quo horrendam visionem vidit. Stabant ibi equi duo nigerrimi, & vir quidam deformis eiusdem coloris iuxta equos, qui dicebat ad rusticum: Festina, ascende equum istum, quia propter te adductus est. Expalluit iste, & contremuit, quia iubentis vocem minùs libenter audivit. Cúmque ad talem obedientiam imparatus esset, iteratò clamat diabolus. Quid tardas? proiice vestem, & veni. Erat autem crux, quam susceperat, eidem vesti assuta. Quid plura? virtutem diabolicæ vocis per desperationem in corde suo sentiens, & iam resistere non valens, vestem reiecit, in molendinum intravit, equum, imò diabolum ascendit. Ascendit & diabolus equum alterum, & sub multa celeritate simul deducti sunt ad diversa loca pœnarum, in quibus homo miser patrem & matrem miserabiliter vidit, aliósque plurimos, quos defunctos ignoravit. Ostensa est ei in eisdem locis ignea sedes, in qua nulla potuit esse quies, sed sessio pœnalis, & pœna interminabilis, dictúmque est ei: Modò reverteris in domum tuam, post tres autem dies exuto corpore revertêris in locum tuum, & mercedem tuam accipies in sede ista. Mox à dæmone reductus, & in molendino depositus, penè exanimis relictus est. Inventus ibi ab uxore & familia, atque in lectum deportatus, cùm requireretur, ubi esset, unde veniret, respondit: Ad loca infernalia ductus fui, hæc atque hæc ibidem vidi: ostendit mihi in eisdem locis ductor meus sedem unam, & dixit, quia mihi foret præparata, & quia post tres dies recepturus essem mercedem meam in eâ. Vocatus est sub celeritate Sacerdos, & rogatus ab uxore, ut pusillanimem confortaret, desperatum erigeret, & ad ea, quæ sunt salutis, hortaretur. Quem cùm Sacerdos admoneret, ut contritionem haberet de peccatis suis, & ut puram faceret Confessionem, dicens, neminem debere de Dei misericordia desperare; Respondit: quid prosunt verba ista? Non possum confiteri, superfluum iudico confiteri, quod de me dispositum est, necesse est impleri. Sedes mea parata est, post tertium diem illuc veniam, & secundùm quod gessi, recipiam: Sicque sine contritione, sine confessione, sine viatico, & sacra unctione, tertio die defunctus, in inferno sepultus est.

V. Narrat Bernardinus de Busto, de adolescente valdè dissolutis moribus, qui à fido sæpè Sodali de seria pœnitentia admonitus, eam ioco aliquo, aut futurâ, sub mortis tempus, conversione semper eludebat. Non diu post, cùm in gravem morbum incidisset, essetque mortis periculum, iterum iterúmque de instituenda tandem confessione ab eodem suo contubernale, propositâ Dei misericordiâ, quam toties sanus & valens in futuram pœnitentiam prætexuisset, admonitus est, sed surdâ aure, & obstinato animo ad accepta benè monentis consilia. Hic ergo tristis ab ægroto ad nocturnam quietem recipit se se, secundùm quam visus est sibi videre Christum, qui eo habitu, quo à Pilato olim de loco superiori Iudæis, lacero flagellis corpore, & capite spineâ coronâ saucio, exhibitus est, ægrotanti Socio adstaret, & ita alloqueretur: Ecce lacerum spinis caput, & totum vulneribus saucium corpus: sed & ecce apertum latus, his tibi etsi indigno, parta, paratáque est Dei misericordia, si modò vitam tuam præteritam detestatus, ad me convertaris. Ad hæc æger: Scio, inquit, Domine, magnam esse misericordiam tuam, sed neque minorem esse iustitiam; cui cùm nullo merito meo satisfacere possim, non video, quomodo hâc salvâ à misericordia peccatorum veniam sperare valeam, ac debeam. Imò, addit Christus, à misericordia mea vales, & debes veniam sperare, quia pollicitus sum eam humiliter petenti, nunquam negare. Sed pergit miserandus adolescens iustitiam misericordiæ opponere, atque cùm nihil boni in se, quo misericordiam mereatur, inveniat, se totum iustitiæ illius rigori, desperatâ salute, tradere. Hic tandem Christus indignatione plenus, expressum dexterâ de lateris vulnere sanguinem in moribundi faciem coniiciens, hic, inquit, sanguis meus in die iudicii testis erit oblatæ tibi à me misericordiæ, quam per insanam obstinationem tuam, ac summam ingratitudinem contempsisti. Hoc tam tristi viso territus, expergefactúsque istius socius statim accurrit, ei, quæ vidisset narraturus, sed, quæ Dei iusta sunt iudicia, & meritæ in mise-

Bernard. de Bustis s. 7. p. 3.

misericordiæ suæ contemptores, pœnitentiæque procrastinatores, animadversiones, hominem mortuum invenit, &c. quò non vana crederet fuisse, quæ in somno vidisset, faciem eius recenti sanguine reperit commaculatam.

Cæsarius l. 2. c. 6.

VI. Hildebrandus habitans in villa quadam diœcesis Traiectensis, quæ dicitur Holchoyn, die quadam sylvam cum alio quodam concive suo intravit, quem, suadente diabolo, cùm soli essent, occidit. Fuerant enim aliquando inter eos inimicitiæ, sed tunc temporis penitus erant sopitæ. Reverso Hildebrando in villam, interrogabant eum amici occisi, ubi esset? Qui respondit: Nescio. Exspectantibus die illo & altero, cùm non rediret, qui iam redire non potuit, suspectum habentes iam dictum Hildebrandum propter antiquas inimicitias, coram iudice in causam traxerunt, crimenque homicidii imposuerunt, quo timidè negante, cœpit ipsa facies eum prodere; & cùm instantibus illis iam negare non posset, confessus est, quia hominem occidisset. Statim datâ super eum sententiâ, pœnæ rotali adiudicatus est. Cúmque duceretur ad mortem, Sacerdos eiusdem villæ Bertholphus cum alio Sacerdote, qui vocabatur Ioannes, traxerunt reum in partem, satis diligenter eum monentes de Confessione, atque contritione cordis. Et quia miser homo per se surgere non potuit, nec manum se sublevantem sensit, miserabiliter respondit. Quid mihi possent illa prodesse? homo enim damnatus sum. Revera respondit sicut induratus homo, & desperatus. Et ait illi Sacerdos: Adiuro te per Deum Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, ut infra dies triginta mihi appareas, & sine omni periculo vitæ meæ de statu tuo me certifices. Respondit: si mihi licuerit, libenter hoc faciam. Sicque rotali pœnâ plexus, de tormento corporis transivit ad tormentum æternæ damnationis. Nocte quadam infra statutum tempus Bertolpho dormiente in strato suo, tantus esse cœpit circa domum fragor arborum, tam vehemens flatus ventorum, ut ipsa animalia stuperent, & vix suis locis infra claustra stabuli retineri possent. Expergefactus Bertholpus respexit ad ostium domûs, & ecce ianuæ quasi ventorum impulsu aperiebantur, viditque Hildebrandum in camino ardente residentem, sibique celeriùs propinquantem. Territus autem supra modum, se signavit, &, ut staret, sub invocatione divini Nominis, præcepit. Ecce hîc sum, sicut promisi, inquit. Sciscitante illo de statu suo, respondit: Æternaliter damnatus sum, æternísque incendiis propter desperationes maximè deputatus. Si secundùm tuum consilium egissem pœnitentiam, per pœnam temporalem evasissem æternam. Hoc autem scito, quia si non fuissem vivus à te adiuratus, ne tibi mortuus nocerem, malo tuo huc advenissem. Consulo tibi, ut vitam emendes, ne post hanc vitam similes pœnas recipias. Erat autem idem Bertolphus Sacerdos nomine, non re. Nam usque ad illud tempus sine Ordine Presbyterii celebravit. Qui cùm adhuc miserum ampliùs interrogare vellet, respondit: non licet mihi hic diutiùs morari, quia multi dæmones foris ante ostium præstolantur reditum meum. Hoc dicto, statim impulsus & expulsus cum stridore & ululatu maximo, ab eo discessit, transiénsque secus stabulum, animalia, sicut priùs, in stuporem & commotionem convertit. Bertolphus verò timore tam horrendæ visionis seculum deseruit, & in domo quadam Ordinis nostri Religionis habitum suscepit. Abbas loci illius, eò quòd intellexisset, eum virum esse literatum, & eloquentem, ut ei ad Ordines liceret accedere, satis apud Dominum Papam Innocentium laboravit, sed obtinere non potuit. Ante hoc biennium, sicut mihi retulit Prior de Campo. in manu, quam extenderat temerè ad Arcam Dei, gravi morbo, qui anthrax dicitur, punitus est. Quæ cùm ei, quasi pro remedio, eò quòd morbus serpens sit, abscinderetur, nihil ei profuit, imò dolori dolor additus mortem potiùs acceleravit. Voluit eum Dominus, ut spero, punire in præsenti, ne puniret in futuro.

R. P. Lohn. Auctar. Bibl.

VII. Funestum ac horrificum paradigma post Cainum dederat in Aquitania seculo priore exeunte, Calvinianæ sectæ Minister. Is è moriente pectore, desperatæ salutis execrandam illam vocem eructaverat: Non ita equidem insanio, ut Deum esse nesciam. Sed quia ille me deseruit, ego vicissim eum desero: vix vocem hanc orco dignam absolverat, cùm ecce inter ingentes totius ædis concussiones, irrupit in cubiculum monstrum horridum, ac deforme, quod morientem naso truncatum priùs, & linguâ, mox compressâ in collo blasphemâ fauce, exanimem dedit.

Leon. Man. Zin. in pass. nov. antiq. l. 1. diss. 1. c. 1. doctr. 2.

Desperatio correcta.

VIII. Erant duo fratres uterini honestis satis orti parentibus, qui causâ discendarum literarum missi ad studium Parisiense, etsi parili voto civitatem intraverant, dispari tamen & nimis contrariâ vitâ incedebant. Nam iunior, ut potè timens Deum, negotium, ob quod ad studium venit, diligentiùs prosequens, literis operam dabat, instabat lectioni, devotioni animum inclinabat, & (ne sese aliena malitia ab ingenita probitate subverteret) pravorum sodalitia, ut perniciosissimam salutis suæ pestem studuit evitare, ornabat moribus puerilés annos, ætatem virtute vincebat. Senior verò per alios tramites, non tam incedens, quàm devians, velut erratica ovis per vitiorum anfractus ferebatur, & dimisso studio oblitâque causâ, ob quam & venerat, insolentibus quibusdam sociis iunctus, tempus nobile lusibus deducebat, vacabat potibus, taxillis paternam substantiam distrahebat, & (quod his omnibus infelicius erat) usque adeò femora sua meretricibus inclinabat, ut velut ingentem quandam iacturam passus ingemisceret, si quavis occasione vel unum diem absque fornicationis crimine transegisset. Cúmque sic continuatâ malitiâ miser plurimos dies peragerét, crescerétque vehementiùs semel inchoata perversitas, cœpit improba iuvenis fama

Spec. Exemp. V. Confessio. Ex. 29.

aërem ipsum inficere puriorem, & ad omnium nares tam horrendum quendam scelerum fœtorem ingerere, ut non solùm studentes, sed etiam plebeia multitudo reprobam eius vitam inciperet ab horrere. Quod cùm iunior frater didicisset, semel, bis, ter, iterum iterúmque fratrem postulabat, ut intuitu tremendi iudicii à tantis sceleribus animum revocaret. Sed cùm ille ferreo quodam seu æneo pectore saluberrima monita in dies refutaret, nollétque finem dare tantæ miseriæ, iuvenis zelo fraternæ salutis accensus lacrymatus est dicens: Spernis, germane dulcissime, Spiritum Dei, te nunc per me admonentem, & quasi ludum parvulorum, quicquid minatur, irrides: veniet, veniet dies illa, & citò veniet, quâ te Spiritui Sancto obstinatâ mente restitisse pœnitebit. Et his dictis tristis abscessit. Interim tamen anxiè satis petens Dominum, ut ipse durissimum fratris animum ad pœnitentiam emolliret. Dominus autem, qui non spernit vota piorum, nolens piissimum iuvenis animum tam acerbis tristitiarum procellis diutiùs agitari; repentinâ & gravissimâ infirmitate fratrem percussum, ad lectum prostravit, in quo cùm iaceret, & pavidâ mente, quæ fecisset, recoleret, incepit miser multitudine scelerum pressus, ad barathrum desperationis proruere. Quadam igitur nocte vidit virum quendam veneranda tectum canitie, vultu decorum, & fulgidâ stolâ vestitum sibi assistere, seséque severiùs intueri. Unde quia semper præsumit sæva perturbata conscientia, animo & mente consternatus, cœpit toto corpore tremere, & territis luminibus in seniorem versis, quisnam esset, qui intempestæ noctis caligine ad se terrendum venisset, inquirere. Et senior: Ego sum, inquit, Pater cœlestis, qui te, cùm non esses, creavi, qui tabidis tuis membris vitam infudi, qui animam potentiis, & corpus sensibus illustravi, qui solem, & lunam, & sidera ad tuum obsequium cœlis infixi, qui te nimia charitate diligens, ut desertâ malitiâ virtutibus animum dares, ut ageres pœnitentiam, ut corrigeres vitam, frequenter admonui. Sed nunc, eò quòd obstinatâ mente monita salutis hactenus semper abieceris, veni ad te, ut dicerem tibi, quòd sis filius mortis perpetuæ. Hac igitur responsione confusum, & gravi sudore madentem reliquit. Cúmque iam miser per totum reliquum noctis, & posteram diem timens, ac tremens, illam horrendam horam exspectaret, quâ secundùm cœlestis Patris oraculum ad æterna fuerat supplicia meaturus, proximâ nocte venit ad eum iuvenis quidam, viro priori vultu haud multùm dissimilis, nudus corpore, coronatus sentibus, crucis gravissimam trabem ferens in humeris, qui per lacerum vulneribus pectus abundè satis videbatur sanguinem fundere. Hic cùm propiùs accessisset, & iuvenem, utrùmne se agnosceret, interrogâsset, respondit ille: Non agnosco, sed meo iudicio illi, qui hesterno vespere malâ denuntiatione deterruit, videris esse simillimus. Et ille: Non mireris, inquit, me simillimum illi, cum quo mihi est una Divinitas, æqualis gloria, coæterna Maiestas. Sum enim Jesus Christus Filius Dei, qui humani generis miseratus errores, de cœli sedibus in intemeratum Virginis uterum descendi, unde tanquam sponsus egressus de thalamo, te ut redimerem, misero apparui mundo, ubi post famem, sitim, algorem, tandem captus sum, iudicatus sum, morte turpissimâ condemnatus sum. Verùm quia tu infelix tantis beneficiis te præbuisti immemorem, nunc veni ad te, ut filium mortis æternæ pronunciarem: Et his dictis profluentem à latere cruorem manu comprehensum in iuvenis vultum proiecit. Sume, inquit, in confusionem pretiosum sanguinem, qui cæteris in redemptionem effusus est, & hæc agens disparuit. Tunc iuvenis omni vigore corporis amisso, perditâ spe obriguit, tremuit, expalluit, & quò se de cætero verteret, ignoravit. Misit tamen nuncium ad fratrem suum, qui, cùm venisset, vidissétque flebilem satis fratris effigiem, concussis vehementer visceribus cum eiulatu ploravit. Quomodo, inquiens, tam velociter expalluit quondam illa facies decora, & solitum robur fortissimi amisêre lacerti. Quid tibi factum est, frater mi, quòd me iam nunc illâ miserabili fronte deterres, quam paulò ante desideraverunt oculi invisere puellarum? Quò abiit purpureus ille rubor genarum tuarum, quem, me reclamante, velut acerbum laqueum fœminei pudoris ante oculos ferebas concinentium in choro fœminarum? ubi sunt nunc illi insolentissimi Sodales tui Magistri, qui te toties à meo latere rapuerunt, & nunc in barathro tam vastæ desperationis reliquerunt? Oportuerat certè, frater mi, saluberrima illa monita mea, quibus te paulò ante à nefandis operibus nitebar cohibere, non refelli, ne in hanc miseram iacturam florentis iuventutis devenires. Vide ergò nunc, an me falsum vatem acceperis, cùm te Spiritui Sancto restitisse, doliturum non tam dixi, quàm prophetavi. Dic tamen mihi, quid est, quòd consternatâ facie, & tremulis membris tanto sudore madescis? Si adversa valetudo in causa est, forti animo esto, plures è gravioribus infirmitatibus convaluerunt. Si te peccata terrent, propone emendationem, veniam pete, dole, non despera: quippe est clementissimus Dominus omnipotens Deus, qui in puncto temporis pœnitenti latroni non modò veniam tribuit, quin etiam paradisum spopondit. Ad quæ verba paululùm erigens moribundum caput, & omnem rei gestæ narrans historiam: Damnavit, inquit, me scelestum filium cœlestis Pater, Christus Jesus Filius Dei, cruore in meum vultum proiecto, sanguinem pro me effusum omninò ac penitus perditum designavit. Quocirca, dulcis germane, non valeo sub tantis testibus damnationis meæ, etiamsi sanguinem flevero, de salute præsumere; stat namque firma super me æterni Iudicis censura, remedia pœnitentiæ vacillabunt. Tunc frater cum ingenti fiducia: Etsi te, inquit, Pater, cui ascribitur veritas, impœnitentem adhuc damnare visus sit; & Filius Dei, cui assignatur iudicii æquitas, te in perversa voluntate iacentem sanguinis sui participatione indignum

dignum ratus sit, nec vel sic desperandum est illi, cui tempus datum est pœnitendi. Adquiesce igitur vel serò monitis meis, & proponens emendationem, scelerum maculas pro lacrymarum imbre deterge, lugubri ore, profundis suspiriis Presbytero vulnera detege; quis scit, si Spiritus Sanctus, qui, teste Bernardo, est benignitas Dei, & idem ipse Deus, ita pœnitentem absolvat? His verbis fratris paululum consolatus, iussit adesse Presbyterum. Qui dum venisset, totus in lacrymas resolutus cum tanto dolore animi peccata sua, quibus Deum offenderat, confessus est, ut interrumpentibus sermonem gemitibus, vix mentis conceptum valeret exprimere: vix lacerata, & semirupta verba proferre. Quâ confessione rite celebratâ, & sacrâ unctione, & participatione Dominici Corporis munitus, tempus, quo ex hac vita esset migraturus, exspectabat. Sequenti igitur nocte venit ad eum alius quidam vir, prioribus non disparem habens vultum, fulgenti albâ vestitus, habens in dextera scapula niveam quandam columbam. Is cùm propiùs accessisset, dulci quadam benevolentiâ vultum serenans, clementes oculos in infirmum contorsit. Quod cùm iuvenis advertisset, tum ob veram pœnitentiam, tum etiam benevolentissimos oculos vultûs Personæ apparentis, animæquior factus est. Quis es tu Domine, inquiens, qui ad me venire dignatus es, quippè me tam piis conspectibus consolari videris prioribus visionibus perterritum? Et ille: Ego, inquit, Spiritus Sanctus, qui à Patre, Filioque procedens unius sum cum ipsis potentiæ, & idcircò nunc veni ad te, ut nunciarem tibi dimissa esse peccata tua, & pervium iter patere ad regna cœlestia transituro. Ad quæ verba, quasi ex barathro desperationis resurgens ait: O Pater pauperum! O consolator merentium animorum! O omnium miserûm dulce refrigerium! quid est, quod audio? Num patebunt cœlestes valvæ mihi, quem Pater & Filius reum mortis esse contestati sunt? cui perennes flammas minati sunt, à quo tam crebrò, tam impudenter offensi sunt? Num hâc meâ exili pœnitentiâ hoc terribile decretum incommutabilis veritatis poterit immutari? Ad quæ Spiritus Sanctus respondit: Forti animo esto, nec de salute vacilles; validos habet pœnitentia vera lacertos. Ipsa terrificæ Maiestati violentiam infert, vincit invincibilem, mutat incommutabilem, placat irascentem. Sed ne te diutiùs protraham, perseverans in pœnitentia, quam cœpisti, dispone domui tuæ, & virtutibus, quibus potes, interim thalamum orna; post triduum veniemus ad te, ut animam tuam, super astra ferentes, gaudiis cœlestibus invehamus: & cum his Spiritus Sanctus disparuit, iuvenis post triduum obiit, & ad regna cœlestia ob veram, quam habuit, pœnitentiam felix migravit.

IX. Anno Domini 1370. Senis erat civis quidam Andreas Naddini, dives opibus, sed omnis virtutis inops, cunctis propè flagitiis coopertus, tesserarũ ludo totus deditus, in Deum & Sanctos eius perpetim blasphemus & detestabilis. Is anno ætatis suæ quadragesimo gravi correptus morbo tendebat ad extrema. Venerunt autem ad eum multi homines pii, & utriúsque sexûs cœnobitæ, atque ante omnes eius Parochus: hortabantúrque eum, ut sua peccata confiteretur. Sed ille miser, qui nec sacras ædes inviserc, nec sacris initiatos unquam honorare consuêsset, admonitiones omnes respuit, se ipsum planè desperans. Audivit hoc F. Thomas S. Virginis Catharinæ Senensis Confessarius, effecitque, ut ea Dominum pro homine pereunte deprecaretur, & quidem ferventissimè & instantissimè. Sed Dominus illi respondit: Illius blasphemi hominis flagitia ad cœlos usque pertingunt, qui præter alia scelera, etiam tabulam, in qua erat picta Imago mea, & Matris meæ, atque aliorum Sanctorum, iactavit in ignem, dignus proinde, qui æternis gehennæ flammis exuratur. Verùm Sancta Virgo salutis animarum sitientissima, dolens vicem perditi hominis, non cessavit à lacrymis & precibus, donec flexus Dominus IESUS decumbenti Andreæ appareret, hortaretúrque eum, ut sua peccata confiteretur, liberaliter ei, si id faceret, veniam pollicens. Et ecce ille saxo durior, repentè mollescit, magnâ voce postulat, acciri Confessarium; dicit, Christum IESUM se videre, qui ipsum de facienda confessione admonuerat. Lætantur omnes, curritur ad Sacerdotem: Ille venit, Andreas magno cum cordis dolore illi integrè confitetur peccata sua: Condit testamentum, & feliciter migrat è vita.

Marius 19. Aprilis.

X. Quidam delectationi carnis vacavit in tantùm, quòd nulli peccato carnali, quantumcunque turpi, unquam se negavit, filiam non dimittebat propter matrem, nec è converso, nec sorori, sive masculis parcebat. Cùm appropinquavit morti, fuit vocatus Sanctus Eremita, ut eius confessionem audiret: Tunc iste ait: Vade, quia maior est iniquitas mea, quàm Dei misericordia. Tunc S. Eremita: Fili, ait, charissime, noli sic dicere, quia tanta est virtus confessionis & pœnitentiæ, ut si doleres de omnibus peccatis, tibi remittantur à Deo: Tunc ille peccator: Magnum est, quod dicis; tunc ait Eremita: Fac hoc, quod dicam tibi. Ego, inquam, spoliabo me omnibus bonis, & meritis meis, & tu spoliabis te omnibus peccatis tuis, & sic non oportet te dubitare, nec desperare. Cui cùm peccator consensisset, & ambo cambium fecissent, dixit Eremita peccatori: Nunc narra mihi mala, quæ fecisti, ut sciam, de quibus habeo facere pœnitentiam. Qui cùm infinita peccata expressisset, & nullum peccatum secum retinuisset, ait Eremita: Tu doles de istis, & vis, quod Sacramentalis sit confessio tua? Respondit peccator, sic volo. Tunc Eremita: Et ego te absolvo in nomine Patris &c. Cùm ergo mortuus esset, post mensem Eremitæ apparuit, & dixit ei, quòd in via salvationis erat. Cùm autem Eremita requireret, quid esset de meritis suis, de quibus spoliaverat se, ait mortuus: Deus tibi reservat ea duplicata, eò quòd abstulisti desperationem meam, & signum maximæ charitatis mihi demonstrâsti.

Spec. Exempl. v. Desperatio, ex 8.

XI. Refert Cæsarius, Ludovicum Landgravium, Patrem Hermanni Landgravii, sic miserè lap-

Cæsarius, Hist. l. 4. c. 27.

rè lapsum, ut diceret, dum corriperetur à viris probis: Si prædestinatus sum, nulla peccata poterunt mihi regnum cœlorum auferre. Atque ideò cuivis flagitio sese immersit. Cùm autem in morbum gravem lapsus postea fuisset, vocatus est Medicus eius, vir bonus & discretus, & non solùm in physica, sed etiam in Theologia non mediocriter literatus, cui Princeps dixit; ut vides, infirmus sum valdè, adhibe curam, ut possim convalescere. Memor Medicus illius erroris, respondit, Domine, si venit dies mortis vestræ, non vos poterit cura mea morti subtrahere; si verò moriturus non es, de infirmitate ista, superflua erit medicina mea. Et ille; quomodo sic respondes? si mihi non fuerit adhibita curæ diligentia, & diæta proposita, potero tam à me ipso, quàm ab aliis imperitis negligi, & ante tempus mori: Audito hoc verbo Physicus multùm hilaris effectus, datâ occasione respondit? Domine, si creditis vitam vestram posse protelari virtute medicinæ, quare hoc credere renuistis de pœnitentia, & operibus iustitiæ, quæ sunt antidota animæ? sine his anima moritur, sine his ad sanitatem, quæ est in futura vita, nemo pervenit. Considerans Landgravius pondus verborum, & quòd rationabiliter peroràsset, dixit ei; de cætero Medicus esto animæ meæ, quia per tuam linguam medicinalem Deus liberavit me à maximo errore.

Ludolph. à Saxon. in Vit. Christi, p. 2. c. 30.

Huic subiungam illud ex Ludólpho, de quodam Monacho, cui crebræ fiebant divinæ revelationes. Quod cùm alter eiusdem Monasterii frater intellexisset, institit apud eundem, ut Deum oraret, rogarétque, ut sibi dignaretur ostendere, an de numero salvandorum esset: & cùm ille vix precibus victus, orationi instando, hoc à Deo postularet, sibi ostensum est, quòd ille frater de numero damnandorum esset; unde metuens fratrem turbare, per aliquod dies hoc celavit ei, sed tandem eidem requirenti (licèt invitus) aperuit: ille autem hoc audiens, & Scripturas intelligens, statim respondit: Benedictus Deus; nec tamen sic desperabo; sed pœnitentiam, quam per ingressum Religionis assumpsi, de cætero duplicabo, & triplicabo; donec gratiam & misericordiam apud Deum altissimum, qui pius est, inveniam, & post multos dies iterum fratri prædicto divinitùs revelatum est, quòd ille frater de numero salvandorum esset, quod cùm eidem fratri retulisset, ille lætus effectus, de revelatione fortior factus in opere, & viriliter agens de virtute in virtutem quotidie proficiens, perseveravit in bono sine cessatione. Utinam multi animati hoc exemplo manum suam ad fortia mitterent, & non desperarent, vel deficerent, quia sic agendo, & in hoc perseverando.

Vinc. Bello. l. 30. spec. c. 14.

XII. Monachus quidam Cisterciensis Instituti, immoderato quodam innocentiæ & puritatis Zelo impulsus, præ spiritûs fervore ad statum primi parentis Adæ pertingere nitebatur. Suscepit eâ causâ laboris plurimùm, affligebat se inediâ, vigiliis, & precibus: sed cùm hæc omnia frustra essent, nec posset ad illam innocentiam pervenire, primò incidit in tædium & acediam. Volebat ille cibum ita sumere, ut nullam inter edendum sentiret delectationem. Primos sensitivæ portionis, sive sensualitatis motus conabatur non solùm reprimere, sed etiam extinguere penitus. Contendebat absque ullo veniali peccato vitam in perfecta puritate transigere. Erat ea tentatio dæmonii meridiani, ad impossibilia eum instigantis. Unde fiebat immemor illius doctrinæ sapientis: Noli esse iustus multùm. Laborabat sanè permultùm, sed nullo labore potuit eò, quò intendebat, pertingere. Itaque præ mœrore tandem in desperationis foveam prolapsus est, cùm persuasum haberet, se in eo corruptionis statu, in quo esset, salutem nullâ posse ratione adipisci. Veniales enim culpas, quas in hac vita omnes vitare non possumus, ille mortiferorum criminum loco habebat: nec volebat propterea sumere Corpus Christi, etiam illis diebus, quibus id Monasticus Canon vult percipi. En ad quam calamitatem, quam horrendam & miserabilem ruinam sub specie boni, hostis ille teterrimus simplicem hominem perduxit, ita ut infirmus respueret medicinam, & iugum obedientiæ à se repelleret, qui propriæ voluntati semel nuncium remiserat. Et ut hic aliquid ex fabulis, non tamen fabulosè, & vana non vanè & fallaciter inferamus: Monachus hic, qui ad primi hominis innocentiam & puritatem pervenire nitebatur, cui similis putandus est, nisi ranæ illi, quæ, cùm videret bovem magno robore, & grandi corpore, volebat etiam ipsa illas vires & corporis molem adipisci. Itaque intendit se totam, & quo ad potuit, inflavit: sed frustra. Nec enim si vel rumperet se se, unquam posset ad bovis quantitatem pertingere. Sic frater ille dum voluit excedere limites virium suarum, & supra se efferre, infra se per desperationem miserè collapsus est. Eius autem animi morbum pius quidam, & bonorum omnium fautor Abbas, ubi cognovit, cum aliis multis Dominum pro illo deprecabatur: sed prævaluit inimicus, & quem laqueo forti constrinxerat, eum sine intermissione vexabat. Tandem Abbas ille, quòd non solùm ancillæ Christi esset amicus, sed etiam virtutem eius, quippe quam in se ipso expertus erat, non ignoraret, Monachum illum ad se curavit adduci. Et ecce orante illâ pro Monacho, cum lacrymis & suspiriis, cùm ille ante Missæ introitum Confiteor diceret, & illa instantiùs pro eo oraret, quasi atri quidam lapilli ad singula confessionis verba ex ore Monachi decidere videbantur. Tum ille animadvertens in hac visione obstinationem desperationis, & tristitiæ nigredinem à Monacho recessisse, Domino gratias egit, qui non vult mortem peccatorum, sed ut convertantur, & vivant. Monachus verò peracto Sacrificio, tanquam è longinqua regione ad se reversus, Christi Corpus accepit, & eâ salutari perceptâ Medicinâ perfectè curatus est.

Ioan. Bapt. de Glen Augustin.

XIII. Canonicus quidam, cùm adhuc iuvenis esset, Romam cum Musico è Gallia (ubi Ecclesiæ Binchensis Canonicus, & postea Dominæ de Argenteau eleemosynarius fuit) profectus, curiositate ductus cum socio, qui Remis oriundus

dus erat, Genevam ibat in via, ut Calvinum viderent, illud orbis fœdum portentum. Calvinus eos humaniter suscepit, rogavítque quid de se in Gallia & Belgio diceretur; illi, mirari omnes, aiunt, ac deplorare eius ab Ecclesia discessum. Tum Calvinus altùm gemuit, suspiravit, & horam illam execratus cum fremitu est, quâ se studiis addixit: fassus, scientiam suam esse lapsûs illius causam; Cæterùm scire se, errare se extra viam salutis. Potes igitur, dicunt iuvenes, renunciare erroribus, & redire ad Ecclesiam. Sed is negabat, tempus esse; scire se à Deo reprobatum, nihil spei reliquum habere. Cúmque hi urgerent, Dei brachia semper patere peccatoribus, ad pœnitentiam redeuntibus, postremò respondit: nihil sibi cum pœnitentiâ esse, ut nihil profuturâ.

§. V.

Exempla profana.

Hist. Soc. p. 2. l. 7. n. 117. I. CUm Commorinenses Virgines levissima ex causa desperabundæ, se veneno interficerent, Magistratus minitatus est, se curaturum, ut post mortem denudata cadavera earum in mille partes secarentur, cuius probri timore absterritæ à morte sibi ipsis consciscendâ abstinuerunt.

Bartoli Hist. Chin l. 3. f. 724. II. Solent Chinenses ante eorum fores se suspendere, quos odêre, & quibus aliter ægrè facere non possunt: aut si debitores debita rigidiùs exigunt, aut remittere nolunt. Illud enim suspendium, eius in damnum cedit, in cuius foribus suspensus pendet, & is habetur homicidii reus, quòd alteri se suspendendi causam dedisset. Ut hoc inveteratum malum Dominus Petrus, postea à P. Julio Aleno ad fidem conversus, & eximius in omni virtute, tunc in urbe Guancen in officio Jaoli decem civitatum Prætor, tolleret, ita suspensum unum iussit à carnifice eodem fune & nodo, quo sese suspendit, ad tribunalis publici locum rapi. Ubi nudatus à quatuor carnificibus tot ictus accepit Sinicos, quot suffecissent ad eum, si vixisset, occidendum. Indè eodem fune raptatus per frequentiores urbis plateas, demum extra urbem tractus, & velut belluæ cadaver, in lacunam abiectus est. Valuit ea pœna, ut nemini posthac veniret in mentem, morte suâ iniuriam viventium ulcisci.

Cæsar. l. 5. de bell. Afric. III. Rex Juba à Cæsare victus, oppido Zamâ exclusus in fuga perpetua fuit, quòd bello contra populum Romanum suscepto, in oppido Zama lignis congestis maximam in medio foro pyram costruxerat, ut, si fortè bello foret superatus, omnibus rebus eò coacervatis, dehinc civibus cunctis interfectis, eodémque proiectis, igne subiecto, tum demum se ipse insuper interficeret, atque unà cum liberis, coniugibus, civibus, cunctáque gaza regia cremaretur.

Fulgosus l. 3. c. 7. IV. Mnesteus Libertus, ob militare delictum iam morti ab Aureliano Imperatore intentatæ certus, finxit, se literas casu Aureliano excidentes reperisse, quibus inscripsit eorum nomina, velut ad mortem damnatorum, quos Principi ingratos sciebat, legendásque secreto adactis dedit, vetans aliquid de ea re spargere in vulgus. Certi igitur in desperationem adacti, non priùs destiterunt, quàm Aurelianum occiderent, vitæ suæ cauturi.

V. Ubi Attila victum se prælio, quo cum Ætio Patritio decertavit, vidit; se & suos inter currus in medio castrorum recepit (nox enim aderat) præcepitque ex ephippiis equorum in struem congestis focum accendere: ut si ab hoste impeteretur, in ignem se præcipitaret, & arderet potiùs, quàm in manus hostium deveniret. *Famian. Strada l. 1. c. 14.*

VI. Ad pedes Comitis Flandriæ supplices venerant subditi, antè rebelles, fune ad collum ligato, ac veniam postulârunt: sed repulsam passi, & acti in desperationem, è tota civitate exercitum fecêre, in quo valentiores in fronte collocârunt, in medio fœminæ ac pueri, agmen claudebant adulti; ita in obsidentes factâ eruptione, ita eos urserunt, ut iam leges accipere, non dare Comes cogeretur. *Æneas Silvius.*

VII. Mutinæ in Italia lusor quidam se ex desperatione ter suspendit: bis liberatus à supervenientibus, tertiâ demum vice solus, gulam sibi fregit. *S. Bern. Sen. ser. 41. a. 2.*

VIII. Alius ex eâdem causa desperans, dormitum noctu misit uxorem & liberos: ipse verò collecto acervo lignorum, infrà ignem accendit, ut se cum illis & domo exureret: sed casu quidam transiens viciniâ evocatâ effecit, ut incendium sopiretur. *Ibidem.*

IX. Alius lusor animam ex desperatione diabolo tradidit, qui post paucos dies pro patriæ more, cùm murum urbis ad custodiam eius conscenderet, à dæmone in gryphis specie secundùm scapulas graviter fuit ungulis perforatus. Tum Dei opem invocavit, & memor sceleris, ac dolens à dæmone liberatur, ac statim Sacerdoti rem patefecit, cruentas ac fœtentes scapularum vibices ostendens, confessus, post biduum obiit. *Ibidem.*

X. Sardanapalus ex desperatione se ipsum combussit in Regia domo, pyrámque 400. pedum in altum construxit, supra quàm 150. aureos thoros posuit, totidémque mensas aureas. Fecerat in ipsa pyra domicilium hecatompedum ex lignis, ubi thoros substravit. Ibíque ipse cum sua muliere decubuit, aliæque pellices in altis thoris; tres etiam filios ac duas filias, quas habebat, cùm vidisset res laborare, ad Ninum Regem misit, cùm illis tria millia auri talenta dedisset, domicilii tectum ex crassis magnísque trabibus composuit, ne pateret usquam aditus. Intus auri mille myriades (id est, 430. milliones) posuit, argenti verò decem millia myriadum talentorum (id est sexies mille milliones) tum vestes, purpuram, ac multiplices stolas: deinde pyram incendi iussit, quæ dies quindecim arsit, illi verò fumum cernentes admirabantur, eúmque sacrificia peragere credebant, quæ soli nôrant Eunuchi. Cùm igitur voluptatibus deditus esset, vivus Sardanapalus, quantùm tamen licuit, viriliter mortuus est. Cùm Alexander in Persas iret, castra metatus est, *Athen. l. 12. c. 12.*

est, non procul à Sardanapali monumento, super quo lapidea erat imago, quæ dextræ manûs digitos contulerat, ceu sonum emissuros. Inscriptum est autem in ipso Assyriis literis: Sardanapalus Anacyndaraxis filius Anchialam Jarsumque condidit uno die. Ede, lude, bibe; cætera enim neque sonitu isto quidem digna sunt.

Provinc. Anglic. hist. polit. l. 3. c. 2. XI. Fuit Comes Anglus, Catholicus, qui pro ædificando Collegio Leodiensi (quod postea Serenissimus Elector Maximilianus utriusque Bavariæ Dux fundavit 1636.) ducenta florenorum millia dedit, in eum tantùm finem, ut credere posset, Deum esse. In eum finem multa egit, séque inediâ, ciliciis, & aliis modis afflixit, ut à Deo prodigium extorqueret. Cùm sic nihil impetraret, factus est Sacerdos, ratus, faciliùs tunc se divina visurum. Cùm nec sic aliquid proficeret, tandem ex desperatione meretricem pro coniuge duxit. Morti demùm proximus Patrem quendam è nostris petiit: quo absente cùm alius mitteretur, aiebat, se non hunc, sed alium velle. Dum verò interea alter domum reversus est in via, infelix Comes moritur.

§. VI.
SIMILITUDINES.

S. Chrysost. hom. 4. in Matt. I. Sicut infirmus, donec mediocriter habet aliquam passionem, & sperat se posse curari, servat se à nocivis cibis; si autem intellexerit, insanabilem se iam esse, iam non parcit: sic & homo, donec mediocriter peccat, sperat salutem, quantumcunque potest, observat se à malo: si autem graviter peccando cœperit desperare, iam nihil dubitat facere, quasi qui iam peccatis suis vincit iudicium Dei.

Idem Ser. 6. de pœnit. II. Sicut medici, si de salute ægri diffidant, non iam curant; dicunt enim, quòd mallent infirmitati dare, sed non ulteriorem suscipit morbus curam; artis enim industriam morbi malitia vincit. Hæc dicunt, qui de ægroti salute desperant. Si verò sanitas exspectatur, omnia faciunt ægroto, salubres afferunt medicinas. Pari modo si quis peccatis desperando cesserit, quasi non supersit pœnitenti salus, sese maius in malum stimulat.

Idem hom. 53. in Matt. III. Sicut subducto oleo minuitur lumen lucernæ: sic sibi malè conscius, consideratione operum suorum malorum se confundit, & infidelitate sua addit adhuc diffidentiam.

Idem ho. 6. de diversis. IV. Sicut si imperitus agricola, ubi plantavit vitem, primo illo anno diligenter curat, & fodit, secundo verò ac tertio fructum se percepturum speret: idque nisi obvenerit, desperans, quarto iam anno, quo laborum suorum præmia percipere poterat, curam vitis omittit: Ita interdum is, cui persistendo persuadere poteramus, desperatione nostrâ prorsus eliditur.

§. VII.
MOTIVA.
Ad fugiendam desperationem.

S. Ambr. l. 8. sup. Luc. I. Quia mortem æternam animæ affert; nam desperatis certa mors est, teste S. Ambrosio; & ut S. Augustinus confirmat: Desperatio homicida est animæ. Et iuxta Isidorum: perpetrare flagitium aliquod, mors est animæ; sed desperare, est in infernum descendere. *S. Aug. in ps. 50. Isidor. l. 2. de summo bono.*

II. *Quia difficilis illius curatio*; uti rectè Philosophus advertit, qui dixit: Desperatus omnis se ipsum proiicit, etiam quam consilio & ratione tenere liceat salutem, & præter omnium exspectationem fit, si fortè incolumis servetur. Quis igitur sanâ mente præditus se ipsum, aut patriæ commoda isti commiserit? quis non pro viribus fugerit, eum procul summoverit, ne quis in talem vel invitus incidat?

III. *Quia Deus quocunque tempore paratus est ad ignoscendum*; hinc toties invitat ad poscendam veniam; Nimirum per Ezechielem: *Quare moriemini domus Israel? quia nolo mortem peccatoris*, dicit Dominus Deus, *revertimini & vivite.* Et rursus: *Impietas impii non nocebit ei, in quacunque die conversus fuerit ab impietate sua.* Et: *si confiteamur peccata nostra, fidelis est, & iustus, ut remittat nobis peccata nostra; & emundet nos ab iniquitate.* S. Augustinus de nullo, inquit, desperandum est, quamdiu patientia Dei ad pœnitentiam adducit: nec de hac vita rapit impium, qui non mortem vult impii, sed tantùm ut revertatur, & vivat. Paganus est hodie, unde scis, utrum sit futurus crastino die Christianus? Unde & alibi Deum sic alloquitur: Tu factor omnium Deus, licet in cunctis operibus tuis sis mirabilis, mirabilior tamen crederes esse in operibus pietatis. Nullum enim spernis, neminem abiicis, neminem perhorrescis, nisi fortè qui amens te exhorruerit. Si pœniteo, parcis; si revertor, suscipis. Desperare utique potuissem, propter nimia peccata mea, ad infinitas negligentias meas, nisi verbum tuum Deus, caro fieret, & habitaret in nobis. Sed desperare iam non audeo, quia cùm inimici essemus, reconciliati, salvi facti sumus per eum? Omnis namque spes, & certitudo totius fiduciæ, mihi est in pretioso sanguine eius, qui effusus est propter nos, & propter salutem nostram. *Ezech. c. 18. & 33. Idem c. 33. v. 12. Ierem. c. 3. 1. Ioann. 1. 9. S. Aug. Ser. 11. de verb. Dom. Medit. c. 3.*

IV. *Quia adhuc in stadio sumus*, ut benè advertit S. Chrysostomus dicens: Surge, repara te ipsum. Adhuc in stadio stas, adhuc theatrum solutum non est. Et mox: Concessum est nobis, ut reparemus nos ipsos. Magna pœnitentiæ remedia sunt. Nullus seipsum condemnet. Ille revera desperatione dignus, qui de se ipso desperat. Tandem post pauca: Nullum animæ vulnus insanabile. Imò ut S. Augustinus advertit: Etsi nolis curari vulnus tuum, admonet, ut cureris, & aversum revocat, & refugientem quodammodo ad se redire compellit, & attrahit. In omnibus implet, quod dictum est: Misericordia eius præveniet me. *S. Chrysost. hom. 24. in Act. Apost. S. Aug. in Psal. 58.*

V. *Quia Deum*, eodem S. Augustino teste, *nemo amittit, nisi qui sponte dimittit*; & qui dimittit, quò it, aut quò fugit, nisi ab ipso placato ad iratum?

§. VIII.

§. VIII.

MEDIA.

1. Io. c. 2. 2. I. Fiducia in Christum; quia ipse, teste S. Ioanne, *est propitiatio pro peccatis nostris*: nec pro nostris tantùm, sed etiam pro totius mundi. Hinc S. Paulus, *in fide*, inquit, *vivo filii Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* Et S. Bernardus, peccavi, inquiens, peccatum grande, turbatur conscientia, sed non perturbabitur, quoniam vulnerum Domini recordabor; nempe vulneratus est propter iniquitates nostras. Quid tam ad mortem, quod non Christi morte salvetur? Si ergo in mentem venerit tam potens, támque efficax medicamentum, nullâ iam possum morbi malignitate terreri. Imò ipse Christus S. Gertrudi, cùm alicubi pro concione audivisset, salvari posse neminem, qui non actum aliquem amoris Dei super omnia, aut alium, qui æquivaleret, (puta contritionem) edidisset; secum autem cogitaret, paucos esse, qui ita dispositi è vita migrarent; adfuit hæc cogitanti, dixitque: Ego me fidelibus in agonia constitutis, qui mei aliquando cum amoris sui aliqua testificatione, aut alio insigni quopiam opere meminerunt, ex singulari bonitatis meæ prærogativa, tam exhibeo suavem, & amabilem, ut momento temporis, indè ad se conversi, ingentem concipiant de offensa illa mea bonitate dolorem, quo peccata sua delent, & salvantur. De qua mea gratia velim electos meos moneri, ut pro ea mihi, dum vivunt etiam, ut præ cæteris beneficiis omnibus, gratias agant.

Gal. c. 2. 20.

S. Bern. serm. 61. in Cant.

Lib. 3. in fin. c. 30.

S. Bern. ho. 2. sup. Miss. sus est.

II. *Fiducia erga B. Virginem*; uti S. Bernardus suasit dicens: Si insurgant venti tentationum, si incurras scopulos tribulationum, respice stellam, voca Mariam. Si criminum immanitate turbatus, conscientiæ fœditate confusus, iudicii horrore perterritus, barathro incipias absorberi tristitiæ, desperationis abysso, cogita Mariam. In periculis, in angustiis, in rebus dubiis Mariam cogita, Mariam invoca. Non recedat ab ore, non recedat à corde: & ut impetres eius orationis suffragium, non deseras conversationis exemplum. Ipsam sequens non devias: ipsam rogans non desperas: ipsam cogitans non erras.

D O ottreman Pædag. p. 2. tit. 2. c. 4. sect. 5. n. 11.

III. *Fiducia ad S. Angelum Custodem*; cuius medii efficaciam Pœdagogus Christianus sequenti exemplo demonstrat: Circa annum reparatæ salutis 1635. Cordubæ apud Paraquarios Indiæ Occidentalis fuit provectæ ætatis homo, quem libidinibus diu ac multùm assuetum suis, dæmon propositâ exaggeratâque vitæ turpitudine, eò impulit, ut vitam pertæsus, salutémque desperans, ipse sibi laqueo mortem afferre cogitârit. Et iam collum erat resti inserturus, quando voce Angeli absterritus, ac de faciendâ peccatorum confessione monitus, ad mentem rediit, & continuò se domo proripuit, Sacerdotem, cui conscientiam expiandam offerret, quæsiturus; sed id ut fieret, passus non est stygius latro, qui viri, cui ille, ob acceptum beneficium, multùm debebat, indutus formam, factus obviam, variis moratum sermonibus, sensim sana hominis elisit illusitque consilia; adeò ut non difficile fuerit (quæ est naturæ nostræ ad malum potiùs, quàm ad bonum adnata proclivitas) ad lubricitatis inveteratam redire consuetudinem; cui postquam sex ipsos annos iterum immersus vixisset, sui ac Dei immemor, maioribus, quàm ante, cœpit conscientiæ agitari stimulis, salutísque desperatione vehementissimè urgeri; & de vita actum erat, & æterna salute, nisi Angelus etiam eâ vice hominem collum laqueo inserentem, clarâ voce absterruisset, & de peccatorum veniâ per pœnitentiæ Sacramentum impetrandâ iterum commovisset. Et tametsi tunc quidem vitæ emendatio, in confitendi voluntate steterit, dæmone amicum, ut ante sex annos, simulante, & à Confessionis tribunali, quò properabat, aliò divertente; non diu tamen pòst audito pro concione Sacerdote, vehementer in eos, qui de salute sua desperarent, invehente, tandem monitoris Angeli consilia secutus, ad Sacerdotis pedes accidit; ubi præteritæ vitæ turpitudinem multis cum lachrymis eluit, factus acerrimus sui met accusator; quàm autem id seriò fecerit, testata est vita, quam deinceps non vulgari exemplo laudabilem duxit.

R. P. Lohn. Auctar. Bibl.

IV. *Misericordia Dei considerata*; de qua S. Leo sic loquitur: Qui in tempore necessitatis, & in periculi urgentis instantia præsidium pœnitentiæ, & mox reconciliationis implorant, nec satisfactio interdicenda est, nec reconciliatio deneganda, quia misericordiæ Dei nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire, apud quem nullas patitur veniæ moras vera conversio, dicente Spiritu Dei per Prophetam. *Cùm conversus ingemueris, tunc salvus eris.* Et iterum. *Quia apud Dominum misericordia est, & copiosa apud eum redemptio.*

S. Leo, epist. 9.

V. *Oratio*; nam, ut S. Augustinus rectè dixit, de quocunque pessimo in hac vita constituto utique non est desperandum: nec pro illo imprudenter oratur, de quo non desperatur.

S. Aug. lib. 1. Retract. c. 19.

VI. *Exempla eorum, qui ex gravissimis peccatis per pœnitentiam emerserunt*, de quibus S. Bernardus sic loquitur: S. Petrus post tam gravem lapsum ad tantam rediit eminentiam sanctitatis, quis de cætero desperet, si tamen egredi voluerit à peccato? Et infra. Audistis certè, quam misericordiam consecuti sint Apostoli nostri, ut iam nemo ex vobis super peccatis præteritis, ultrà, quàm necesse est, confundatur, in cubili conscientiæ suæ compunctus. Quid enim? fortasse peccasti in seculo? numquid ampliùs Paulô? quòd si & ipsâ in Religione, nunquid plùs Petro? attamen illi in toto corde pœnitentiam agentes, non modò salutem, sed & sanctitatem consecuti sunt: etiam & salutis ministerium, & magisterium adepti sunt sanctitatis. Et S. Cyprianus Martyr: Ipse Dominus noster personam derelictorum gerens in cruce, se queritur derelictum; & ne

S. Bern. serm. 3. in Fest. SS. Petri & Pauli.

S. Cypr. Mart. ser. de cœna Dom.

& ne desperarent etiam in ultimis constituti, festinans in adiutorium illicò adest, & re in arcto posita non differt beneficium, sed repentè indulgentiæ celeris documentum eiusdem statuit & exemplum, latroni inquiens: Hodie mecum eris in paradiso. Latrocinium damnationem meruerat, & supplicium: Sed cor contritum pœnam mutavit in martyrium, & sanguinem in baptismum.

S. Aug. ser. 151. de temp. c. 16. VII. *Pœnitentia*; nam, ut S. Augustinus ait; Nunquam Deus spernit pœnitentiam, si ei syncerè & simpliciter offeratur, suscipit, libenter accipit, amplectitur omnia, quatenus eum ad priorem statum revocet. Et infra: Donec sumus in hac vita, quantacúnque nobis acciderint peccata, possibile est, omnia ablui per pœnitentiam.

S. Bern. ad FF. de monte Dei. VIII. *Ad Patrem quendam Spiritualem confugere*; nam ita S. Bernardus suasit, qui dixit, Monachum (idem dici potest de quovis Christiano) tres debere habere in cella, Deum, conscientiam, & Patrem Spiritualem. Hoc medium usurpavit is, qui ad S. Edmundum Cantuar. confugit, qui, cùm aliquando in hominem de salute sua desperantem incidisset, nec rationibus ullis ad exomologesin de peccatis faciendam permovere posset, dixit, se animam suam pro eius anima deponere, modò peccata sua confiteatur, qui & confessus est. Et ante *Sur. 16. Mart.* eum S. Abraham Eremita, qui ut Neptem suam à flagitiosa vita, in qua biennium consumpserat, revocaret, ementito habitu militis, eques ad eam profectus est, inventam remotis arbitris allocutus est, dicens. Super me sit peccatum tuum, quo hactenus amatoribus fœdè prostituisti corpus tuum: ego pro eo satisfaciam; ego in die iudicii pro te, filia mea, rationem reddam. Cúmque illa regereret: Nimis magna est iniquitas mea, non potest mihi esse spes salutis. Respondit: Super me sit iniquitas tua, filia mea; ex meis manibus Deus hoc peccatum requirat; tantùm veni mecum. Ita venit, & pœnitentiam pro peccatis suis reliquo vitæ tempore tantam egit, ut etiam miraculis clara, è vita excesserit.

§. IX.

ASCETICA.

Onselius in Offic. Bibl. Alphab. 1. fol. 18. I. ANte omnia nôsse debet Asceta *radices hujus vitij*, quas in Officina Biblica Guilielmus Onselius his verbis indicat. Ex tribus ordinariè defectibus oritur hoc vitium. Primò, quia non ponderat Peccator, quid Deus sit in se ipso; Est enim Deus summum bonum, & ita misericors, quòd paratus est peccatorem suscipere, sicut fidelis mater suum unicum filium, si vidisset eum in ignem cecidisse: multò ampliùs paratus est Deus peccatorem revertentem per pœnitentiam suscipere, idque ex essentiali sua bonitate. Unde Christus: *Nemo bonus* (essentialiter) *nisi solus DEUS.* Ex qua fit, ut, ubi abundat delictum, superabundet gratia. Secundò, quia non considerat, quid sit peccatum, quod non est, nisi cum voluntate nostra. Ideò quantumcunque occurrant peccata animo, etiam quantumcunque turpia, si voluntas non consentit, peccatum non est. Tertiò, quia non ponderat, quanta virtus sit contritionis & pœnitentiæ, nam est tantæ virtutis, si sit vera, quòd deleat omnia peccata, unde Psalm. 50. *Cor contritum & humiliatum, Deus, non despicies.*

II. Nôsse debet, *inducentia ad peccatum hoc*, *ibidem fol. 19.* quorum sex enumerat dictus Author. 1. est peccatorum magnitudo, & gravitas; patet in Cain, qui dixit: *Maior est iniquitas mea, quam ut veniam merear.* 2. Eorum multitudo, unde sapiens: *Impius cùm in profundum malorum venerit, contemnit.* 3. Peccatorum turpitudo, quæ etiam sæpe talem ingerunt horrorem, ut timeat homo confiteri ea, de quibus Apost. *Qui desperantes tradiderunt seipsos impudicitiæ, & in operationem omnis immunditiæ.* 4. Est temporis longitudo, quo homo diu iacuit in peccatis; sic Pharao desperavit: Sed rectè August. nec temporis brevitas, nec criminis qualitas, vel quantitas excludit à venia, si fuerit contritio vera. 5. Peccatorum reiteratio. Multi enim dum frequenter relabuntur in peccata, desperant emendam. Sed Christus ait Petro: *Non solùm septies ignosce, sed septuagies septies*, id est, quadringenties nonagesies. 6. Dæmonis tentatio, quæ tales vexat, & ad desperationem impellit; sed isti dicendum: Vade Sathana &c.

III. Nôsse debet *causas, propter quas eiusmodi homines difficulter emendantur*, quarum *Ibidem n. 5.* itidem sex enumerat dictus Auctor; nimirum 1. Quia non capiunt informationem à viris prudentibus, quibus pro serenitate conscientiarum firmiter credere tenentur. 2. Quia indiscretum timorem non repellunt; Deus enim non tortor est aut exactor ad pœnam, sed pius Pater invitans ad misericordiam: nec in alicuius perditione lætatur. 3. Quia volunt scire status sui certitudinem, quod soli Deo reservatur. Sufficere enim debet illis examen conscientiæ suæ, quam si invenerit mundam, parati esse debent, & quantùm permittit humana fragilitas, servire Deo in timore, & exultare cum tremore. 4. Quia sæpè murmurant contra Deum, cur eos non iuvet; cùm tamen Deus in omnibus bonum suæ creaturæ intendat. 5. Quia præsumunt sæpe de propriis viribus, putantes, tentationes propriâ virtute vincere, quod tamen sine gratia non datur. 6. Quia fatigantur, si non sentiant illam corporalem teneritudinem in lacrymis, cùm tamen voluntas & ratio dolere debent, & conteri de peccatis; & sic deserunt lamenta pœnitentiæ, & preces, unde immoderatè tristantur, sed benè dictum est à Propheta: *Desiderium pauperum exaudivit Dominus; & præparationem cordis eorum audivit auris tua.*

IV. Nôsse debet *turpitudinem huius vitij*; *Quintilian. lib. 1. c. 10.* de qua breviter, sed benè dixit Quintilianus: Turpiter desperatur, quod fieri potest. Pudendæ ignaviæ, & fœdæ animi pusillitati tribuendum, atque in maximo flagitiosæ desperationis

rationis vitio ponendum, si quis illud tentare detractet, quod superari, obtinerique potest; aut non ambire velit, quod impetrari valet. Ergo si nullum absque venia peccatum, neque ullus est peccator, qui consequi eam non possit; hinc colligitur, quàm grave piaculum sit, diffidere; quàm turpe, non benè sperare, postquàm etiam Deus corda ærea, ferreáque in blandam ceram emollire, & liquare solet.

Nyssenus p. 1. Polit. l. c. 8. V. Nôsse debet, *cur cœlestis Magister*, cùm de peccatis dissereret, quorum alia sunt veniabilia, alia misericordiæ perpetuò clausam habent portam, *dicebat Discipulis suis: Omnis qui dicit verbum in Filium hominis, remittetur illi; ei autem, qui in Spiritum Sanctum blasphemaverit, non remittetur*; Luc. 12. v. 10. Videtur enim hæc dominica sententia pugnare cum eâ doctrinâ, quam in hoc titulo tradimus, & tractamus. Dicimus namque, nullum peccatum esse, quale id cunque sit, quod non paratam habeat veniam, non facilem clementiam. Quomodo ergo Author misericordiæ, & penes quem clavis est totius pietatis, ait, non remittetur? sive esse quoddam scelus, cui non ignoscatur? Ergóne si quis peccator spem condonandarum sibi noxarum abiiciat, extra culpam erit, diffidens clementiæ? Aut quomodo hanc natam ex verbis sacri & supremi Magistri nostri difficultatem rectè diluemus? S. Athanasius ad Antiochum q. 71. ait: oportet significari, non dicere Deum, blasphemanti & resipiscenti non remittetur, sed blasphemanti; quoniam nullum peccatum est irremissibile apud Deum in eis, qui dignè & sanctè faciunt pœnitentiam. Divinus ergo Magister (quod diligenter animadvertendum) non ait, non condonandum blasphemiæ scelus illi, quem blasphemâsse pœnituerit, sed ei non ignoscendum, qui blasphemiam dixit, neque dolet dixisse: Nam qui verâ & dignâ pœnitentiâ superioris vitæ malefacta damnaverit, non habet, cur vel rustico de peccatis nato pudore impediatur, vel perturbetur sceleribus, vel plùs satis affligatur ex antè actis Sacrilegiis; nec moras sibi iniici ferat in curriculo vitæ novæ, à recordatione blasphemiarum veterum; tametsi enim vasti maris guttas numero superent, quæ olim perpetravit flagitia, omnia condonabuntur, & remittentur; nullum quippè est tam immane crimen, cui non sit parata venia, dum peccator illud commisisse ex animo doleat, seriòque & dignè, ut præfati sumus, pœnitudine damnet. O quàm præclarè hanc suffulcit doctrinam Propheta Regius, qui ex nomine omnium peccatorum loquens, hæc plena totius consolationis verba dixit: *Exaudi nos Deus salutaris noster, spes omnium finium terræ, & in mari longè.* Psalm. 64. v. 6. acsi apertiùs ita dixisset: Humilibus precibus nostris aures faciles, clementissime & dulcissime Domine, quæso præbe; tu nimirùm firma fiducia es omnium, & qui absitissimos orbis terminos incolunt, & quos naufragos per maria remotissima ventorum libido, & tempestatum ferocia miserùm iactitat. S. Dorotheus doctrin. 12. tom. 2. Biblioth. vet. PP. ait: Qui, oro, sunt in finibus terræ? qui autem in mari longè? si vultis scire, accipite verbis paucalis explicatum: ii, qui in perfecta iniquitate sunt, & in tantam improbitatem devenerunt, ut progredi ulteriùs non possint, facti scilicet perditè flagitiosi, hi sunt, qui velut in extremis terræ finibus degunt. At quinam ii, qui in altissimo mari, & abysso profundissimâ hærent? Qui in extrema ignorantia sunt, inquit S. Abbas. Iisne verò qui per ignorantiæ pelagus profundissimum naufragi rapiuntur, perque omnia cursu insano feruntur errata, & scelera, iisne, inquam, reliqua est misericordia? Talibusne spes indulgentiæ superest? Est omninò; nam horum omnium Christus spes est. Non igitur opus nobis est multo labore, laboremus modicum, & misericordiam multam consequemur. Omnibus criminum generibus parata est venia, sive in fines terræ extremos quis pervenerit, sive in abyssum maris imam peccando descenderit, spes illi certa, & portus tutissimus est Christus, qui tam immenso cum amore mortem pro omnibus oppetiit. Itaque absque magno negotio (dum se modò, ut debet, huc comparet) misericordiæ portum peccator inveniet. Unicum Eheu! (sed illud pœnitente ab animo profectum) satis est in tranquillitatem adducendis flagitiorum maris quantumvis procellosi fluctibus, permovendóque ad ignoscendum Deo. Nonnihil ergo studii hac in re ponamus, indulgentiámque facilem, & copiosam referemus. Donec enim in hac mortali carne agimus, non est, cur diffidamus de salutis remedio, aut desperemus sanitatem; sint licèt plurimis, ac gravissimis ægritudinibus obnoxiæ nostræ animæ.

§ X.

MISCELLANEA ET CONCEPTUS PRÆDICABILES.

I. CErta res est, quòd felix ille Latro, ut diximus, qui iuxta Christum crucifixus fuit, statim ut agnovit, etiam confessus est Dominum, & creatorem mundi, quem ante hac non noverat. Affudit illius animo Dominus lucis suæ radios, fugavitque tenebras, quæ occupatum habebant, ac fecit, ut tum Salvatoris sui sublimitatem, tum suam humilitatem, ac vilitatem intelligeret. Cùm ergo cerneret hinc magnitudinem illius, quem provocârat, inde flagitiorum suorum, quibus eum offenderat, turpitudinem, exclamavit dicens: Domine memento mei, qui sum peccatorum, quotquot mundus habet, sceleratissimus. Nunc ego te novi, nunc Dominum meum confiteor, quem antè confessus essem, si antè nossem. Eusebius Emiss. hom. de latrone ait: Latro nec salutis tempora sciens distulit, nec remedia status sui in momenta ultima infelici fraude posuit, nec redemptionis suæ spem in desperationis novissimum reservavit, nec religionem antè, nec Christum scivit. Non advertitis, quòd desperationem vocat Eusebius eorum infelicem frau-

Did. Nyssen. fer. 5. post. Dom. 1. Quadr. §. 1.

fraudem, qui salvationis suæ curam in extremam horam suspendunt? Tempestivè tractandum est negotium, sensimque & cunctanter, maturéque procurandum, attentéque despiciendum, ex quo animæ salus æterna pendet.

Idem de convers. boni Latronis §. 1. II. Hominis, qui exiit seminare, similem se Christus facit, atque electum semen suum quaquaversùm dispersisse. *Et dum seminat, quædam ceciderunt secus viam, alia autem ceciderunt in petrosa, alia autem ceciderunt in spinas, alia autem ceciderunt in terram bonam.* Matth. 13. 4. 5. 7. 8. Hîc mihi illud mirum accidit, quòd videam hinc tam sapientem agricolam, indè tam inconsideratè (ut videtur) semen suum profundentem; nec enim alius esset, quantumvis ille iners, & officii sui imperitus, qui non seminis sui iacturam timeret, si illud inter saxa, tribulos, spinas, & iuxta viam abiiceret, ubi & viatores homines, & prætereuntes bestiæ incautis plantis opprimere, ac proterere possunt. Quorsum ergo divinus hic Dominus in ea loca semen suum spargit, quæ sunt tam inepta ferendis fructibus, quos inde speraт? S. Joannes Chrysostomus respondet egregiè, meritò id mirum videri posse, *S. Chrysost. ho. 45. in Matt.* si ruditer & materialiter, ut aiunt, atque ut verba sonant, accipiatur. At si subtilius rem dispicias, & spiritualiter intelligas, nihil officiunt, quæ contra sunt obiecta; Possibile est enim, ut lapis in terram fertilem convertatur, & ut via non conculcetur, nec prætereuntibus cunctis proposita iaceat, sed in uberes agros traducta, nec vepres emittat, & semina foveat, inquit ille, ubi suprà. Magno ergo cum mysterio, ac de industria dixit divinus seminator, proiecisse semen in dura saxa, in medios tribulos, in aculeatas spinas, in viam regiam, ac passim tritam, ut significaret, neminem in hac vita desperare debere, quantuscunque sit peccator. Tametsi enim sit rigidum saxum, lacrymis è contrito corde natis emolliri in lentam ceram potest; Et quamquam tribulus, evadere tamen in caryophyllum valet: Et vel si quasi iter publicum sit, quibusvis cogitationibus pervium, ita obstrui illud, & concludi potest, ut soli Christo pateat, cæteris rebus omnibus sit inaccessum.

Ibidem. III. Josepho, ut furiosam crudelis Herodis rabiem declinaret, præcepit Angelus accipere Salvatorem, & fugere in Ægyptum, quòd nefarius Rex quæsiturus esset puerum, ad perdendum illum; *Accipe puerum, & fuge in Ægyptum,* *Matt. 2. 13.* aiebat ille. Quid hoc præcepti, Angele divine, quò castum Josephum adstringis? In Ægyptum, vis, concedat? in eamne terram, terram dico, quæ tam atrociter infectata fuit populum huius Pueri, qui fugit Herodem? in eamne terram (dicam enim iterum atque iterum) emigrabit? Nonne meliùs fieret, si in loca alia magis tuta se recipere iuberet? Non intelligis rem, qui talia obloqueris, inquit S. Chrysostomus. Mysterium hîc, idque permagnum latet. Exclamare proinde libet: O mutatio dexteræ excelsi, ut populus, qui antè fuerat persecutor populi, postea fieret custos unigeniti! Hæc ille ibi in opere imperf. Vide, quòd Deus viam spei nostræ aperit, pusillanimitatémque nostram consortat, dum ad illius populi tutelam confugit, qui populum suum olim crudeliter exagitârat. Quis enim deinceps desperet, quis spem abiiciat, postquàm factus est fidus custos unigeniti is populus, qui fuit tyrannicus persecutor populi primogeniti?

IV. Michæas cap. 5. v. 10. ait: *Venies usque ad Babylonem, ibi liberaberis.* *Ibidem.* Tanquam explanatiùs dixisset: Bono animo esto, mi popule, quia in Babylonem abripieris, neque ideo tamen libertate excides, ibi liberaberis. Fuit haud dubium Babylon barbara, & plurimùm inhumana erga captivos suos, & mancipia, difficillimeque revocare gradum poterant, quos sua infelicitas eò semel adduxerat. Dicit nihilominus Deus populo suo: Ne perdas fiduciam, popule meus, mea enim tam ingens potestas est, ut te facilè eximere queam, tametsi in mediam Babylonem captivus abducaris, cave interim, ne affligaris animo, laß dich nur nichts anfechten. Quid suorum verborum sensu allegorico indicare nobis Propheta voluit? S. Gregorius Papa lib. 1. in Ezechielem homil. 10. id his verbis enucleavit: Quis iste, qui usque ad Babylonem venit, & ibi liberatus est? Qui postquàm confusus mente perversa perpetravit, hæc ipse erubescens mala, quæ fecit, se contra se eriget, & benè operando ad statum rectitudinis redit. Hoc est, quod ait Propheta: Tametsi in ipsam usque Babylonem quis excurrerit, aut à prava concupiscentia abduci se passus fuerit, & in maximam tum confusionem, tum cæcitatem inciderit, & in extrema flagitia abiecerit, non propterea spem simul abiiciat, quia omnibus culpis nostris maior est misericordia Dei. Ibi liberaberis. Nullum est inveniabile peccatum, omne flagitium paratam habet indulgentiam.

V. Cùm exploratam haberet Deus populi *Idem Dom. 3. post Pent. §. 1.* sui imbecillitatem, & quàm proclivis in deastrorum cultum imposturis abductus deflecteret, dicebat, non propterea prohibere se illum à terra promissionis velle, dum ex animo solùm malè egisse doleret, inquiens: si ad cardines cœli fueris dissipatus, indè te retrahet Dominus Deus tuus, & assumet, atque introducet in terram, quam possederunt Patres tui, & obtinebis eam. *Deuteron. 14. v. 4.* Santes Pagninus transfert: Si fuerit expulsio tua in extremum cœli; velut dictum fuisset: Bono animo estote, mei Israelitæ, quamquàm enim scelera vestra tot sint, ac talia, ut eis promeriti fueritis, tam procul à terra promissionis abstineri, quàm longè à terra cœlum abest, dum noxarum vestrarum vos modò pœniteat, in toto corde vestro, & in tota anima vestra, sic ut indè offensarum dolor oriatur, unde offensæ ipsæ primùm descenderunt, revocabimini ad eam terram, quam maiores vestri primùm & acceperunt, & habitârunt. *Si fuerit expulsio tua in extremum cœli, indè te retrahet Dominus, atque introducet in terram,* aiebat Dominus. Volo in his aliquid variare, ac dicere: Si fuerit expulsio tua in extremum inferni, hoc est, tametsi tam immanibus flagitiis te contaminaveris, in tam fœda, & abominabilia scelera ingurgitaveris, ut ipsi Lucifero adferre horrorem

rorem possis, ne propterea despera, nam si fiduciæ tantùm portam cordis aperias, atque ex animo perperam egisse doleas, ab extremo inferni ad extremum cœli revocari poteris, indè retrahet te Dominus, & assumet, nec enim ullum est tam grande nefas, quod abstergere, ac delere misericordia Dei non possit.

Ibidem. VI. Discedebat ab opulenta & lauta sponsi sui domo sponsa, iámque aliquantùm abierat, quando ille dulcem coniugem suam his verbis identidem revocabat, dicens: *Revertere, revertere Sulamitis; revertere, revertere, ut intueamur te.* (*Cantic. 6, 12.*) Quæri hoc loco potest, cur tot voces dederit Sponsus, ut sponsa rediret, & videndi sui copiam faceret, cùm vox una facilè sat fuerit illi revocandæ, cuius solius res hic agebatur, & sponsus nihil utilitatis ex reditu illius exspectare potuerit; cur ergo toties ac tantoperè illam inclamavit? Respondet egregiè S. Justus Orgelitanus: Idcircò tam crebrò ei, revertere, dicitur, ut si iam conversa deliquerit, in desperationem non decidat, sed à peccandi consuetudine spei indulgentiâ resipiscat.

Ibidem. VII. Duo annotavi, quæ plurimam mihi adferunt difficultatem. Ex his illud primum, cur Spiritus S. in linguis igneis descenderit in discipulos: alterum istud, cur horâ nonâ descenderit. De primo sic habes in libro Actuum Apostolicorum. *Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis.* (*Act. 2. v. 3.*) Posterius ex eo perspicuè convincitur, quòd S. Petrus ebrietatis opinionem, quam de ipso, collegisque illius vulgus habebat, sic diluit, ut diceret, nondum esse horam diei tertiam, quæ apud nos est nona, adeò neminem posse eo tempore esse ebrium. Horâ nonâ ergo, quâ discipuli, quòd ex novo hospite Spiritu sancto omnibus linguis loquerentur, existimati sunt ebrii, descendit Spiritus Sanctus, idque in figuris linguarum ignearum. Cur ergo Spiritus Sanctus in ea specie, & tali hora descendit, qui alio tempore id facere, & lineamenta induere alia commodiora & opportuniora potuisse videtur? ut huic quæsito respondeamus, alia priùs difficultas discutienda. Est autem ista: Cùm Evangelistæ cæteri affirment, Christum horâ nonâ, quæ apud nos duodecima est, crucifixum; cur unus Marcus ait, horâ tertiâ, quæ nobis nona, id factum, dicens: *Erat autem horâ tertia, & crucifixerunt eum.* (*Marci 15. v. 25.*) S. Aug. ait, utrumque esse verum, & milites quidem horâ duodecima clavis; Judæos verò nonâ linguis crucifixisse Dominum. (*S. Aug. l. 3. de Concord. Evangelist.*) Sed iuvabit ipsum audire magnum Augustinum: Intelligitur ergò, inquit ille, fuisse horâ tertiâ, cùm clamaverunt Judæi, ut Dominus crucifigeretur, & veracissimè demonstratur, tunc eos crucifixisse, quando clamaverunt. Quodnam atrocius peccatum vel excogitari potest, illo Judæorum scelere, qui linguis suis probroso ligno Christum innocentem & immaculatum affixerunt, in cuius SacroSancto ore nec mendacium aliquando inventum est, nec dolus unquam ullus repertus? Ad erigendos igitur animos, atque ut laxas spei fores aperiret, horâ nonâ, quâ horribilissimum & detestabilissimum flagitium perpetratum est, descendit Spiritus Sanctus in ignearum linguarum specie, ut amorem, quo ardebat, tali figura indicaret, velut hoc iisdem linguis, & magnis vocibus dicere voluerit, venire paratum, & igne illo consumere Judæorum alioquin inexplicabile scelus, & illis linguis ab omni noxa, quam maledicentissimis linguis suis illâ ipsâ horâ contraxerunt, liberos eos pronuntiare, tantùm si peccasse animitùs dolerent, & pessimè factum verâ cordis pœnitudine damnarent. Ut nullus, in quantamcunque peccatorum miseriam prolapsus fuerit, desperare veniam debeat, cùm Dei misericordia etiam omnem humanam miseriam infinitis modis antecellat.

VIII. Plinius ait, Rhodi & Syracusis nunquam tanta nubila obduci, ut non aliqua hora sol cernatur. (*Ibidem.*) Atque hoc quidem admirabile duo ista loca habent. Verùm si ad spiritum dicta transferamus, inveniemus, n unquam tantis scelerum tenebris contegi omnium totius mundi hominum corda, ut non hora aliqua, parùm dixi, ut non quavis hora sol iustitiæ Christus; gratiæ suæ radiis ad ea penetrare possit.

IX. Argutissimum aliquid habeo ex S. Gregorio Nysseno, vos celare nolim. (*Ibidem.*) Propheta Regius misericordiam Dei ita supplex appellabat: *Ne avertas hominem in humilitatem*, tanquam dixisset: Age, clementissime Domine, ne prorsùm confice hominem, indulge potiùs misero, nec permitte, ut miseriarum suarum abysso sempiternùm infixus hæreat. (*Psal. 89. v. 3.*) *Et dixisti convertimini filii hominum*, hoc est: Quod tam fidenter ad te peccator accedo, id mihi & ratio persuasit, & iure facere videor, postquàm regia tua clementia; velut publicis præconis vocibus peccatori omnium delictorum perfectam indulgentiam denuntiavit, & dixisti: Convertimini filii hominum. Subdit post hæc David: *Quoniam mille anni ante oculos tuos, tanquam dies hesterna, quæ præteriit*, imò velut nihil sunt, si cùm æternitate tua componantur. Quæro hic, quid sibi velit, quòd S. David ait, annos Deo nihil aliud esse; quàm diem hesternum; qui cùm abierit; nihil est, ut peccatores eo dicto in bonam spem erigeret; quò certam ab illo scelerum veniam exspectarent, qui illam ultrò offerebat dicens: Convertimini filii hominum. S. Gregorius Nyssen. ait, Davidem hoc dicere voluisse, neminem, quem verè alioquin peccasse pœniteat, debere abiicere animum, aut desperare condonationem, tametsi totis mille annis, totidémque seculis nihil aliud egerit, quàm ut Deum innumeris sceleribus offenderet, eò quòd indulgentissimo Deo totum hoc annorum; aut seculorum tempus velut dies, quæ iam effluxit, & quasi nihil sit; aut certè ita reputetur; tanquàm omninò non fuisset. Tantùm valet pœnitentia; mille annorum offensas, & plurima flagitiorum perpetratorum secula abolere, & obliterare uno momento potest. Accipite Nyssenum: Quoniam mille anni ante oculos tuos; tanquam dies hesterna, quæ præteriit, & quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt. Licèt vita infinitis scelerum

lerum maculis notata sit, ut collectio illa peccatorum mille annorum esse videatur, pro nihilo totam illam congeriem reputatum iri, dummodo pedem referat; nam divinus oculus præsentia semper intuetur, præteritum verò non æstimat, sed instar unius diei, vel noctis, quæ iam præteriit, à Deo habetur. Hæc ille, Sensus ergo Davidis ex commentatione Nysseni est, de benignitate Dei, & scelerum suorum remissione diffidere neminem debere, si modò peccâsse seriò doleat, quamvis pauculo tempore tam multis flagitiis se contaminaverit, quanta alius per millenos, & his plures annos vix perpetrare potuerit; ídque eam ob causam, quòd plurimùm amet veræ pœnitentiæ studiosos, & præsenti tempore, quo pœnitentiæ strenuam dant operam, sic oblectetur, ut præteritos annos, quos peccando exegerunt, non æstimet, sed instar unius dieculæ, eiúsque iam dudum elapsæ habeat.

Gregorius Nyssenus l. tr. 1. in Ps. c. 7.

Ibidem.

X. Adstipulatur fratri suo germano S. Basilius Magnus, qui à quotidiana experientia mutabilitatis rerum naturalium arripit argumentum, quo peccatori conversionem persuadet, quantumvis ea illi ardua, & operosa videatur, dicens: Nemo in vitio constitutus homo de se ipso desperare velit, haud nescius, agriculturam stirpium qualitatem mutare; curam autem ac studium in consequendis virtutibus, animi omnes vincere morbos, superaréque posse. Granum tritici terræ illatum, ac mortuum, revivscit naturæ vi, & operatione, atque è luto in lucem producitur, ut in culmum, spicámque sese exerens fructum adferat: Sic peccator, quantumvis limo scelerum infixus, calore veræ pœnitentiæ redire in vitam, & felicem gratiæ statum potest. Propterea nemo in vitio constitutus homo, inquit Basilius, de se ipso desperare velit, ob id etiam, quod infinitè maior sit misericordia Dei, quàm miseria humana.

S. Basil. ho. 5. in Hexam.

Ibidem.

XI. Postquàm mortuus est Saul, David reversus à cæde Amalec, & mansit in Siceleg. Sic ferè habet lib. 2. Reg. c. 11. Quærit Abulensis, quomodo David mansisse potuerit in Siceleg, cùm illi loco ignem subiecerint Amalecitæ, ut conflagraret. Sic enim dicitur 1. Reg. 30. 1. Amalecitæ, impetum fecerunt ex parte Australi in Siceleg, & percusserunt Siceleg, & succenderunt eam igni. Quomodo ergo figere domicilium in loco exusto sanctus Rex David potuit? Respondet idem; Quanquàm Amalecitæ succenderunt eam, ut tota periret incendio, tamen non exspectaverunt ibi, quousque tota exusta foret, David autem veniens, nondum illâ planè exustâ, flammas extinxit, & vel servavit ab incendio domum habitationi commodam, vel ambustam aliquam instauravit, quòd enim non totus deflagrasset locus, fecit, ut animum ad illius reædificationem adiiceret. Tale quid dico in causam præsentem. Quamdiu aliquis non omninò periit, quamdiu spiritum ducit, non est, quod desperet, aut animo cadat, est enim remedium reliquum, est, quo recuperare virtutes, redire in gratiam cum Deo possit, & donec spirat, sperare benè de Optimo Domino debet.

Abulensis in l. 1. Reg. col. 9. 1.

XII. Cùm mortem Ismaëlis narrasset Moyses, ait: *Appositus est ad populum suum*; qua loquendi formula quidam Expositores piè colligunt, Ismaëlem consecutum beatitudinem. In hac sententia sunt Nicolaus Lyranus, Alphonsus Tostatus, Pererius, Guilielmus Ebroicensis, Hugo Cardinalis, Joannes Ferus, & nonnulli alii. Tostati paraphrasis in ea verba sic habet: Appositus est ad populum suum, id est, ductus est ad Lymbum Abrahæ, in quo erat totus populus civitatis Dei, adventum promissi Messiæ exspectans. Lyranus quoque his affinia scribit, inquiens: Decessit in gratia, & amicitia sui Conditoris Ismaël. Roboratur tali exemplo ignavia quorundam peccatorum, & pusillanimitas, ut nemo desperet, sed omnes de immensa Dei bonitate benè sperent, quantumvis enim perditè flagitiosus quispiam sit, si se, ut debet, disponat, (quod cum divinæ gratiæ ope non est difficile) semper apertas divinæ clementiæ fores inveniet, atque in eis Dominum, qui passis brachiis illum præstoletur, ut indulgentissimi pectoris pientissimo sinu excipiat. De Ismaële Angelus Agari Matri hæc dixit, & prædixit: *Hic erit ferus homo, barbarisque & agrestibus moribus.* Vixdum duodennis, quando idololatriæ Magisterium exercebat, ludus enim, quo cum fratre suo ludebat, non fuit alius, quàm quòd deastrorum simulachra fingebat, & ad eorum cultum innocentem Isaacum instituebat. Sic Abulensis, Lyranus, Paulus Burgensis, & alii. Quamquàm res ita haberet, & à puero tam immanibus deditus flagitiis Ismaël, invenit nihilominùs portam veniæ, & locum veræ pœnitentiæ, decessitque in gratia, & nunc fruitur Deo, æternúmque fruetur. Quam ergo desperationis suæ excusationem inveniet, aut quâ re culpam suam adumbrabit peccator, si tale habens propositum exemplum, spem tamen abiecerit, fiduciámq; à se abdicârit?

Idem. p. 1. polit. l. 2. c. 18.

Genes. 16. v. 12.

XIII. Homo quidem descendebat ab Hierusalem, in Jericho, & incidit in latrones, qui etiam despoliaverunt eum, & plagis impositis abierunt, semivivo relicto. Ita Dominus apud S. Lucam. Theophilactus plurimùm admiratur, quòd ii latrones, cùm & tantam haberent tum ferociendi occasionem, tum libidinem, miserum viatorem semivivum reliquerunt. Nam qui punctim, cæsímque illum invadebant, non potuerunt suam tam urbanè moderari crudelitatem, neque sic armorum gubernare ictus, ut non nisi ad vitæ medietatem adimendam pervenirent. Cur non prorsus totâ vitâ exuerunt infelicem illum, qui tam immanium sicariorum incurrit insidias? Hic homo, qui Hierosolymis (quæ visio pacis dicitur) Jerichuntem (quæ idem est, quod mutatio lunæ) petiit, figura est peccatoris illius, qui è gratiæ felici, ac sublimi gradu, in culpæ statum miserum descendens, in manus dæmoniorum incidit, à quibus animæ opibus omnibus nudatus, etiam multis efferatè vulneribus oneratur. Ita exponunt venerabilis M. Simon de Cassia, Dionysius Carthusianus, Gagneius, Guido Carmelita, Stella, & alii plures,

Ibidem. Luc. 10. 30.

Digitized by Google

res, quos & longum, & otiosum esset recensere. Ex his iam dubitatio, quomodo semivivus relictus fuit, qui in illorum tam crudelium grassatorum sævas manus incidit. Respondet Theophilactus, quòd parte sui alterâ confectus vulneribus, alterâ vivus relictus fertur hic homo, id factum, ut inditio esset, quòd non omninò desperata erat humana natura, atque ut intelligeremus, quantisvis flagitiorum vulneribus saucietur anima, non desperandam eius vitam, ut cui vitæ pars aliqua semper maneat reliqua, & manere locum veniæ, donec vitæ quidpiam superest, & quamdiu anima in carne agit, spem de illius salute instauranda non abiiciendam. Nam si homo se, ut debet, disponat, & quibus potest viribus conetur, sanabitur, vitaque illi tota redibit, & veniam inveniet, cui tam viva plurimorum perditissimorum hominum proposita sunt exempla, eorum, qui superi Medici pharmacis benè usi, è strato lethalium infirmitatum suarum exsurrexerunt, tantámque incolumitatem sunt consecuti, quantus non fuerit morbus, à quo convaluerunt. Nam ut quidam peccando miserè convulneratus, atque ob id bonus artis benè sperandi Magister aiebat: *Vbi abundavit delictum, superabundavit & gratia.* Rom. 5. v. 20. hoc est, quamquàm nonnullis hominibus peccatum plurima inflixerit vulnera, accedens tamen misericordia, & post culpas ingressa, tantis eorum animas cumulavit gratiis, ut indulgentiarum multitudo numerum plagarum magnum in modum superaret. Confortetur ergo animo Peccator, ut qui Deum habeat, in cuius pientissimis visceribus omne peccatum invenit remissionem, omnis noxa suam veniam.

TITVLVS XIX.

DETRACTIO.

§. I.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Qualitas.

S. August. in append. de div. ser. 13. I. Edens adversus fratrem tuum loquebaris. Per quæ verba Propheta ostendere voluit, quòd non transitoriè detraxerit, nec ei surreptum sit, ut malè de proximo loqueretur; sedens, id est, ex otio, quasi ex hoc vacans, ut derogaret proximo suo.

Vinc. Bellovacens. in mor. to. 3. l. 3. dist. 3. II. Calcaneus est inferior pars corporis, & quæ sæpius est in luto; & detractores non digniora, non meritorum & operum sanctorum laudes considerant, sed infirmiora, & quæ defectuosa videntur in homine, ut mordeant ad modum serpentis, cui dictum est: Tu insidiaberis calcaneo eius.

S. Chrysost. de compunct. cord. l. 1. III. Ad condemnandum cæteros omne vitæ nostræ tempus absumimus; à quo vitio neque Monachum ullum facilè invenias liberum.

S. Thom. 2. 2. q. 73. a. 2. IV. Hoc specialiter vitio periclitatur totum humanum genus.

S. Aug. ser. 101. de temp. V. Maxima pars generis humani, indiscreto iudicio ad reprehendendum prompta & parata esse probatur, cum tamen non ita se velit ab aliis iudicari, quomodo vult alios iudicare; propter hoc Scriptura divina admonet dicens: Priusquàm interroges, ne vituperes quemquam.

Bellvacens. l. c. VI. Odibilis est detractor, quia videlicet est fæculentus, plenus spurcitiâ: fraudulentus, plenus versutiâ; virulentus, plenus nequitiâ; truculentus, plenus sævitiâ. Detractor est fæculentus, id est, fæcibus plenus & immundus, quia scilicet in immunditiis conversatur, de immunditiis loquitur, immunditiis pascitur aliorum.

VII. Alia quidem peccata, licèt causas habeant à ratione alienas, habent tamen, utpotè scortator libidinem explet, fur paupertatem, homicida iracundiam sedat, maledicus nullam potest ocasionem afferre. Quam enim, quæso, pecuniarum copiam acquirit? quam libidinem explet? nihil aliud est, quàm invidiæ materia, cui nulla suppetit iusta causa, nec iniusta, propterea nullâ veniâ digna censetur. *S. Chrysost. ho. 3. de Proph. obscur.*

Damnum.

VIII. An non & ipse moritur, qui venenum bibit, quod ei malesuada detractoris lingua propinat; siquidem furtim ei dilectionis vita subtrahitur, & dum nescit, paulatim in eo fraterna charitas frigescit. Auditurus est forsitan etiam ipse, cui detrahitur, undique enim verba volant, & multorum priùs ora sermo pertransiens, difficilè fieri potest; quin singulorum creverit linguis, & quasi iam profectus referatur ad eum, ad cuius spectat offensam. *S. Bernardus ser. de triplici custod.*

IX. Hæc cùm Mariam Moysis quoque sororem attigisset veneno suo, leprosam eam confestim reddidit, ac vicissim Domini iracundiam & furorem adversus eam induxit. Hæc & universas domos subvertit, & pacatas ad bellum excitat; hæc & pulchræ pacis vincula dissolvit, & magnæ charitatis nodum diffringit; hæc & à divinis mandatis abductum hominem, legem transgredi docet, & à Dei amicitiâ avulsum procul à veritate detorquet. *S. Chrysost. in Psal. 100.*

X. Omnis, qui detrahit, primum quidem seipsum prodit vacuum charitate, deinde quid aliud detrahendo intendit, nisi ut is, cui detrahit, veniat in odium vel contemptum ipsis, apud quos detrahit. Ferit ergo charitatem in omnibus, qui se audiunt, lingua maledica; & quan- *S. Bernard. ser. 24. in Cant.*

quantùm in se est, necat funditus & extinguit; non solùm autem, sed & in absentibus universis, ad quos volans verbum fortè per eos, qui præsentes sunt, pervenire contigerit.

S. Chrysost. in psal. 49. XI. Omnes aversantur maledicum, ut eum, qui lutum redoleat; ut hirudinem, quæ sanguine, & scarabæum, qui stercore, alienis malis aluntur.

S. Bernardin. to. 2. ser. 39. a. 1. c. 1. XII. Inter omnia illa, quæ de corde exeunt, & de ore procedunt, hominem, imò totum Mundum inquinantia, sunt execrandæ detractiones.

Dion. Carthus. in epist. 3. Iac. Ap. XIII. Peccata in proximum tantò sunt graviora, quantò maius nocumentum inferunt ei; cùm ergo per detractionem unus auferat alteri bonum nomen, & lædat eum in fama, faciátque eum aliis contemptibilem atque despectum; ideò magis peccat, quàm fur, qui exteriorem tollit substantiam, quia bona fama est præstantior.

Non audienda.

S. Hieron. l. 2. ep. 1 p. XIV. Si hæc in nobis esset diligentia, ne passim obtrectatoribus crederemus, iam omnes detrahere timerent, ne non tam alios, quàm se ipsos viles detrahendo facerent. Sed hoc ideo malum celebre est, idcircò in multis fervet hoc vitium, quia penè ab omnibus libenter auditur.

S. Chrysost. in psal. 100. XV. Qui detractorem minimè admittit, tum seipsum immani huiusmodi peccato liberat; tum detractorem hac ratione ab iniqua proximi accusatione dimovet; tum eum etiam, qui accusatur, crimine liberat, ac denique pacis arbiter, & amicitiæ dux existit, dum obtrectatoris animum, & voluntatem odit, ac detestatur.

Idem to. 1. hom. 3. ad pop. XVI. Eliminemus omnem ex ore nostro detractionem, scientes, quòd, etsi cinerem comedamus, nulla nobis asperæ vitæ huius utilitas proderit, nisi à detractione abstineamus; non enim quæ intrant per os, coinquinant hominem, sed quæ exeunt ex ore; si quis te prætereunte stercus moveat, nonne (quæso) hoc facientem convitio & contumelia afficeres? Hoc fac & erga detractores, non enim sic commotum stercus illum fœtorem, suscipientem cerebri membranam percellit, sicut aliena peccata excussa, & vita impura audientium animos prodita contristare, & conturbare solent.

§. II.

EXEMPLA SACRA.

Qualitas.

Discipul. ser. 91. Dom. 4. post Pentec. I. MAgnus detractor Religiosorum & aliorum mortuus cum esset, post multos annos aperto sepulchro, totum corpus computruisse repertum est, præter linguam, quam tam pestilentem vermes rodere horruerunt.

Engelgra. Dom. 8 post Pent. II. Alcanæ in Hispania vir nobilis Alphonso de Castro Franciscano dixit, se in honorato consensu iactâsse, Matronam Aulæ Principem à se corruptam, & id falsò se commentum. Cui alter dixit: Domine casus tuus est insanabilis: Actum est de salute tua. Stetit attonitus nobilis, & diu noctúque secum hoc oraculum revolvebat, donec Salmanticæ in P. Franciscum de victoria Dominicanum incidit, qui eum ultrò allocutus, mœroris causam elicuit, cúmque ei diceret, si coram iisdem dicta retractaret, posse eum salvari, nec aliâ opus esse pœnitentiâ (obtulerat enim se ad omnem aliam pœnitentiam) negavit alter, se id facturum; tunc Sacerdos ei asseruit, vera P. Alphonsum dixisse.

Fuga.

III. Christus Salvator noster omnes operationes ad nostram ordinans eruditionem, in hac singularissimè materia nobis notabilium post se reliquit exemplorum vestigia, ut discamus maximâ cum cautela de proximis sermocinari, & non nisi urgente necessitate, eorum peccata manifestare. Peccatricem conversurus Samaritanam, omnes simul Apostolos, licèt unus eorum sufficeret, in urbem misit ad victui necessaria comparanda, ne coram iis manifestare compelleretur mulierculæ flagitia. In horto Gethsemani quid convenientius videri poterat, quàm ut eosdem Apostolos in sua conservasset Societate, non ut ab Auxiliatoribus haberet opem, sed ut imitatoribus patientiæ, benignitatis, fortitudinis, inque tyrannorum persecutionibus, quibus Magistri in cœlos ascensionem exponendi erant, constantiæ præberet exemplum; Et nihilominùs ubi vix armata ingrueret cohors, nihil adeo sibi cordi duxit, quàm ut ei præciperet: *Si me quæritis, sinite hos abire*, sciens namque eorum pusillanimitatem, qui omnes relicto eo fugerunt, anticipare ipsorum reputationi, & honori consulere intendebat. *Mansi disc. 4. n. 3.*

IV. S. Ioseph Virginem Sponsam suam, gravidam conspiciens, neque originem rei gestæ dignoscens, tam ab omni suspicione sinistra, quàm quocunque diffidentiæ verbo in coniugem suam abstinens, quantum creditis DEO præstiterit obsequium. Adeò cœlum in heroico isto actu sibi complacuit, ut Angelum Iosepho destinârit, qui ei prægnationis panderet mysterium. Unde S. Hieronymus inquit: Blandientis affectu et per somnium Angelus loquitur, ut iustitiam silentii comprobaret. Angelus amorosis verbis hoc gratissimum Deo commendavit silentium blandientis affectu; incomprehensibile namque amoris & benevolentiæ divinæ lucrum conciliat, alienæ occultatio imperfectionis. Non S. Annæ, non S. Ioachimo, Mariæ genitoribus quidquam conquestus est, ne per umbram quidem suas iis imaginationes, cogitatúsque revelavit, quia DEI amore flagrabat. *Ibidem.*

V. Deus ipse, prout considerat S. Damianus, nobis offensus, culpas quidem nostras in severissima ponderat trutina, ast ignominiam, severúmque, quale meritò infligere poterat coram universo mundo, supplicium abscondit, nosque tolerat, ut, quantùm est ex parte eius, omnia in occulto lateant, usque ad extremum diem iudicii, quando illuminabit abscondita tenebrarum. Imò dum ad indulgentiam consequendam, spontaneam nostrorum scelerum exigit *Ibidem, n. 6.*

exigit confessionem, hanc inviolabili potentiæ Sacramentalis sigillo munivit.

Rho. Var. hist. l. 4. c. 3. §. 1. VI. Joannes Rho de Joanne Avila, magno huius sæculi vitæ Spiritualis Magistro hæc refert. Cùm ab omni detractione quam plurimùm abhorrebat; tum si (quod sæpiusculè domestica in fabulatione fieri videmus) aliena fama vellicaretur, statim adducto supercilio, manu mensam, sellámve pulsans: Nos verò, aiebat, nostra curemus, hominique huic triginta dies tribuamus, ut se ad defensionem comparare possit, tum iudicio licebit experiri.

Mansi disc. 3. n. 3. VII. Primi Christiani mutuo se fratrum titulo insignire consueverant, ideóque S. Iacobus Apostolus Christianos à detractionis vitio avocaturus, *nolite*, inquit, *detrahere alterutrum, Fratres mei*; quam doctrinam prima illa sæcula vivaciter adeò, solidéque imbiberunt, ut (attestantibus Ecclesiasticis Annalibus) nullus unquam primorum fidelium, medios inter tot persecutionum & falsarum imputationum turbines, repertus fuerit murmurâsse, aut detraxisse, Principibus maximè & Imperatoribus, quorum tunc temporis tanta desæviebat impietas.

Rho. l. c. §. 4. VIII. S. Thomas Villanov. die quodam in antecamera audientiam præstolans Caroli V. dum plurimis cinctus Aulicis, aliquorum audiret murmurationes, Zelo Zelatus modestè surrexit, ita affatus circumstantes: Vos principes obsecro, ut alia confabulari velitis, aut per vos hinc mihi liceat abire. Móxque Magister equitum tam raro virtutis exemplo commotus, subiunxisse fertur: Hic enim verò Religiosus est, qui sui ubique similis, virtutem, nullo hominum timore, audeat profiteri.

Ibidem. §. 5. IX. Idem Author de quodam Ordinis Fratrum Minorum Religioso, cui nomen, Paschalis Baylonius, factum exponit verbis sequentibus, summè notandum: Ne pestilens detractionis aura, vel absentium famam vel audientium conscientiam afflaret, præsenti illicò laude, veluti Alexipharmaco, utebatur: neminem vituperari audivit, quem ipse non laudaret, dictitans, hominem omninò nullum adeò perditis moribus inveniri, in quo nihil laudabile sit.

Damnum.

Mansi disc. 11. n. 4. X. Quidam frequenter detrahere solitus, morte præventus est sine confessione; neque enim merebatur, ut ea lingua peccati venenum evomeret, quæ tam frequenter aliorum innocentiam laceraret. Apparuit non longè post mortem cuidam, vitæ suæ præmia condignè ostendens; habebat linguam quasi igneam ab ore usque terram dependentem, quam crebris morsibus mordebat, corrodebat, exspuebat; cúmque particulatim eam conscidisset, rursus ad priorem quantitatem reformabatur, denuò corrodenda. Quæsivit is, cui apparebat, quidnam hoc designaret; respondit, quia cùm vixi, per maledictum hoc membrum omnes sum persecutus, ab hoc tormento in perpetuum non liberabor.

XI. Teste S. Vincentio Ferrerio summa divina pietas detractori cuidam delicta remiserat, *Ibidem. n. 9.* cuius proinde anima in maledictionum pœnam ad Purgatorium conducta fuit, ex quo post satisfactionem omnimodam exempta, dum cœlum ingredi pararet, supernas sibi portas in faciem occludi vidit, vocémque inaudiit dicentem sibi: Non intrabis, quia primò habes restitutionem facere famæ illius. In terram itaque descendere coactus fuit, ut suo satisfaceret debito; nec cuiquam id difficile videatur creditu, inquit idem Sanctus; ego scio, id esse verum, quia ego ipse per ipsum diffamatus sum, & à me veniam petivit.

§. III.

SIMILITUDINES.

Qualitas.

I. Sicut exploratores terræ Sanctæ equidem fœcunditatem & abundantiam negare non poterant, nihilominus tamen alia ex parte eidem detrahere allaborârunt; eodem prorsus modo maledici virtutes, & publica censurandorum bona opera negare non præsumunt, huiusmodi laudant atque extollunt; ast fine perversissimo, siquidem id totum agunt, ut maiorem sibi apud audientes concilient fidem. Unde S. Bernardinus inquit: Solent venena occultè prædulcia propinari; Sic detractor, ut fides sibi adhibeatur, primò in aliquo commendat eum, cui detrahere cupit. *S. Bern. Sen. to. 2. ser. 29. a. 2. c. 1.*

II. Sicut spina mollitiem habere solet in ortu suo, tamen dum crescit, induratur, & quandoque etiam venenosè pungit; Sic etiam detractor quandoque in principio ungit, sed demum pungendo, venenum detractionis in audientium mentes infundit. *Idem to. 1. ser. 23. a. 2. c. 1.*

III. Sicut quibusdam canibus innatum est, ut non pro feritate, sed pro consuetudine latrent. Idem de maxima murmuratorum parte astruere licet, habitum induerunt detractionum, ita ut quodammodo abstinere nequeant, murmurantes quandoque potiùs ex consuetudine, quàm ex malitia. *Seneca de remed. fort.*

IV. Sicut mulier prægnans gravibus oppressa doloribus contorquetur, usque dum pariat; canis sagittam circumferens in latere, inquietus volvitur, donec eam excutiat; maledici pariter inquietudini subiacent, donec coram hominibus eiusdem genii, suæ evomant detractionis virus; occasionem & sodalitium indagant, circumeunt, inquietantur, cruciantur, usque dum in lucem ediderint pessimum diffamationis partum. *Mansi disc. 3. n. 3.*

V. Sicut Onocrotalus nescit cantare, nisi immerso in luto rostro; ita detractor similis est huic avi, qui nescit cantare, nisi cum rostrum tenet in luto, & tunc dat stridorem pro cantu; sic detractor cùm tenet os in lutum vitii alieni; teste Ecclesiastico, cùm ait: Susurro coinquinabit animam suam, & in omnibus odietur, *Bellvac. l. 3. 10. 3. dist. 3.*

odietur, & qui cum eo manserit, odiosus erit.

Mansi disc. 6. n. 9. VI. Sicut quantumcunque serpens post veneni impressionem incantetur, nihil prodest percusso, nisi alterius remedii fiat applicatio efficax; ita etiam post completam alienæ famæ diffamationem, clamate, vociferamini, corrigite detractorem, quantumcunque libueritis; actum agitis, nisi ipse famam restituat.

S. Bern. to. 1. ser. 13. a. 2. c. 2. VII. Sicut canes in macello degentes, licèt multæ ibi carnes asserventur, nihil tamen earum attingunt, sed vel ossibus, vel Sanguine, vel putrida carne pascuntur, ita sæculares plurimi cum Religiosis & Sacerdotibus, vel aliis servis Dei ampliùs, quàm discretio postulet, intrinsecè & domesticè conversantes, nihil exempli boni, licèt multa videant, ex eis asportant; sed quid fragilitatis conspexerint, aut otiosum verbum, vel risum, aut consimile factum.

Idem l. c. c. 1. VIII. Sicut sepulchrum patens, licèt nihil recipiat, tamen aërem vicinum corrumpit, sic fœtidi detractores, licet nullum malum exemplum verbo vel facto datum sit eis; tamen eorum corda & ora corrupta, semper in detractoria verba prorumpunt.

Fuga.

S. Hieron l. 2. ep. 13. ad Rust. IX. Sicut sagitta, si mittatur contra duram materiam, nonnunquam in mittentem revertitur, & vulnerat mittentem; ita detractor cùm tristem faciem viderit audientis, imò non audientis, sed obturantis aures suas, ne audiat iudicium sanguinis, illicò conticescit, pallet vultus, hærent labia, saliva siccatur, & per consequens à detractione desistit.

Petr. Berchor. in v detractio. X. Sicut vas ex electro formatum hanc habet proprietatem, quòd, dum venenum eidem immittitur, obstrepat, variósque colores induat, hácque ratione, quod in eo latet toxicum, detegat, & manifestet; Unde qui aliis toxicum præparant, illud eiuscemodi vasi immittere cavent; Sic prò certo debent esse viri Sancti, quia si venenum detractionis infunditur in auribus alicuius electi, id est, alicuius Sancti viri, statim procul dubio debet stridere per detractionis reprehensionem, & vultum suum debet in colore mutare, per displicentiæ ostensionem.

Mansi disc. 13. n. 4. XI. Sicut ignis, quando nullam straminis, vel lignorum invenit escam, augeri aut crescere nequit, sed subitò extinguitur: è contra verò mirè augetur, dum magnum illi lignorum pabulum adiicitur: ita quoque in vitio hoc contingit; nemo enim meliorare, aut maledicere alicui potest, si non habeat aliquem, qui aures ei præbeat, & ideo detractor in tantum malè de quopiam loqui præsumit, in quantum se ab aliis libenter auscultari persuadet: Si detractorem hilari vultu audis, ligna admoves, quo detractionis ignis exardescat; Si statim inchoatâ detractione tristem vultum avertis, scintillam extinguis, quasi super exspueres, ut suffoces.

Damnum.

XII. Sicut inter instrumenta vulnus insligentia, nullum habet adeò difficile remedium, ac sagittæ vulnus; nam ferrum sagittæ profundè penetrat, & veneno infectum esse solet, unde cùm vulnus facit, non potest curari, nisi scindendo partem offensam, periculosásque incisiones, &, novas aperturas requirit; sic, qui famam linguâ læsam cupit reparare, & vulnus sanare, sæpè novam incisionem & læsuram facit, renovat & auget vulnus, nec potest ferrum latens extrahere, hoc est, pernicionem nocivam, quam linguâ suâ venenatâ aliorum animis infixit, non potest educere, & vulnus sanare, manétque ipse causa efficax damni. *Idem, disc. 11. n. 6.*

XIII. Sicut Hyena odit lucem, tenebras amat, cadavera eruit, vermibus nutritur, putredine gaudet; ita & detractor in sepulchro oblivionis tumulatos eruit aliorum defectus & peccata, imò & ipsis quandoque insidiatur mortuis, in aliorum malitia & vitiis sibi complacet, detrahit in abscondito, proximorum unicè oblectatur excessibus & flagitiis. Quod mirabilius est, inquit S. Bernardinus, nec quandoque parcunt detractores longo iam tempore sepultis, quin etiam exhument, & devorent illos, dum detrahunt eis. *S. Bern. to. 1. s. 23. a. 2. c. 1.*

XIV. Sicut sepulchrum, quasi dentibus armatum foret, omnia in se reclusa consumit, devorátque corpora; quasi struthionis stomacho polleret, ea quasi in nihilum reducit: ita & detractor vorax est, teste S. Bernardino, devorat ampliùs, quàm infernus, infernus devorat solùm malos. *Idem.*

XV. Sicut proprium est vulpibus, vites devorare, dum florent; ita & malarum proprium est linguarum, detrahere iis, qui in virtutum, bonarúmque operationum flore, nec non in optima apud mundum opinione supereminent, eos flore, id est, famâ, æstimatione, & reputatione destituunt. Demoliuntur vineas, amicitiarum, consortii humani, palatiorum, religionum, congregationum sunt venenum, pessima rixarum & discordiarum seminantes zizania. Pessima vulpes, inquit S. Bernardus, occultus detractor. *S. Bernard. ser. 65. in Cant.*

XVI. Sicut serpens occultè mordens venenum inserit; sic detractor clam detrahens virus pectoris sui infundit in fratrem, & nihil habet à serpente minus. *Alcuinus apud Mansi disc. 5. n. 6.*

§. IV.

MOTIVA.

I. DEi exemplum; de quo S. Petrus Damianus dicit: Ecce tacet; videt, nec manifestat; videt, nec iudicat; videt, nec vindicat; videt, & videre dissimulat. Oleaster ad nostrum doctè propositum applicat illam Isaiæ prophetiam: *In die illa radet Dominus in novacula conducta in his, qui trans flumen sunt.* Quibus verbis Deus populo suo supplicium minatur. Sed cur fodes, novaculam se adhibiturum *Mansi disc. 4. n. 8.*

biturum spondet, quæ crines leniter succidit? cur non potiùs vindicem intentat iustitiæ suæ ensem, aut cœlestium sagittarum, seu fulminum rabiem? Respondet Oleaster. Vide quanta sit eius in puniendo miseratio, qui pilos resecat, & relinquit radices eorum, quibus renascantur; simihter quàm latenter puniat, non securi, non lanceâ, non ense, neque pugione; sed acutâ novaculâ, ut & nos puniat, & famam conservet. Quod ipsum etiam confirmavit Origenes dicens: Nunquam invenimus tantas laudes Deum dixisse de Moyse famulo suo, quantas nunc dici videmus, quando ab hominibus ei derogatum est.

Orig. hom. 7. in Num.

Mansi loc. c. n. 9.

II. *Christi exemplum*, qui in divite Epulone omnes alios tenaces divites in timorem coniecturus, omnia distinctè narrat præter divitis infamis nomen, quod usque modo latet. Nomen pauperis exprimitur, in Paradisum translatus astruitur, & laudatur mendicus; Divitis quidem vitam accuratè describit Incarnata Sapientia, ast quod ei nomen, qualisve persona fuerit, non edicit. Ast quid ei damni poterat iactura famæ, qui æternum animæ detrimentum incurrerat? ut scilicet nos disceremus, nullius quantumcunque scandalosi, & impii hominis nomen cum publicatione, si hæc occulta fuerint, exprimere, ne quidem ex motivo timoris & metûs aliis incutiendi. Si Christus famæ pepercit inimici sui, secundùm animam & corpus in inferno sepulti, quantò magis nos proximi nostri, qui se emendare, Sanctúsque evadere potest, reputationem defendere, illæsamque servare oportet. Sed & cùm Pharisæus contra Magdalenam murmurare cœpit, Christus partes eius tuendas suscepit, eámque magnificè deprædicando ab omni calumnia liberavit.

S. Bern. Senens. to. 2. ser. 29. a. 1.

III. *Damna ab hoc vitio creari solita primò Ecclesiæ*; Nam uti S. Bernardinus ait: Nihil tantum nocuit Ecclesiæ ab initio sæculi, sicut pestifera conditio detractorum. Secundò ipsi detrahenti, tum quia Deo odibilem facit, & hominibus, teste S. Ambrosio, & confirmat Vates Regius dicens: *Induantur, qui detrahunt mihi, pudore, & operiantur sicut diploide, confusione sua*; quo modo loquendi docetur, infamiam in ipsos quoque redundare detractores; diplois pallium indicat duplex; supplicabat igitur David, ut interiùs, exteriúsque confunderentur; quemadmodum in hæc verba explanat Hugo Cardinalis: Ex omni parte confundantur, non tenuiter, sed intensè; hoc est, quod sequitur: & operiantur, sicut diploide, confusione suâ, aut dupliciter confundantur, scilicet coram Deo, & hominibus. Tum quia nullum vitium, teste Ruperto, divinæ pietatis fontem magis occludit, & exsiccat, sicut detractio. Tertiò, illi, cui detrahit; nam ut S. Laurentius Iustinianus ait: Quandocunque quis detractionibus vitam absentium dilaniat, procul dubio Diaboli minister est, & fraternæ cædis reus; gladio namque detractionis suæ famam proximi, cui detrahit, occidit in corde audientium. Quartò, Ipsis audientibus, ut idem Sanctus notavit dicens: Audientes quoque vulnerat detractoris sagitta, eósque plurimùm provocat ad illius odium, de quo murmuratio fit; propriam verò perimit animam, & à Dei gloriâ se alienum facit. Unde meritò S. Bernardinus dixit: Maledica lingua tres vulnerat uno ictu. Primò seipsum, secundò audientes detractionem. Tertiò illos, quibus detrahit.

Psal. 118.

S. Laur. ... c. 13. ... disc. ... om.

S. Bern. Senens. l. c. c. 3.

IV. *Turpitudo huius vitij.* Quia detractores similes sunt diabolo, qui crudelis est bonis, crudelior suis, crudelissimus sibi ipsi. Crudelis est bonis, quia, quorum vitam non potest mordere interiùs, aut penetrare, fœdare nititur exteriùs diffamando, si potest, & falsum crimen imponendo. Imò ut idem ait: sunt aquiminaria (Weyhbrunnen-Kessel) diaboli, plena aqua benedicta diaboli, quorum os maledictione & amaritudine plenum est; linguâ eorum est diaboli aspersorium. Sed & S. Bernardinus ait: Detractor, & detractorum libens auditor, uterque diabolum habet, ille in lingua, iste in aure; ex quo quodammodo potest sequi; ait S. Bernardinus, quòd, quot detractores audis, tot in auribus dæmones recipis. Unde meritò S. Chrysostomus: Fugiamus, ait, dilecti, fugiamus detractiones docti, quod est totum Satanicum barathrum insidiarum eius; ut enim nostra negligamus, & graviores nobis reatus constituamus, in hanc nos consuetudinem diabolus duxit. Præterea eadem turpitudo patet ex abusu linguæ, cùm enim lingua hominis ad benedicendum, & ædificationem proximi sit creata, ille eam æqualem serpenti facit, dum virtutibus eius perversùm abutitur.

Bellv. to. 3. l. 3. dist. 3.

S. Bern. Senens. to. 1. Ser. 23. a. 3. c. 3.

S. Chrysost. to. 1 hom. 3. ad pop.

V. *Pericula detractionis*; Nam primò facilè contrahitur; quia teste S. Laurentio Iustiniano, consuevit hoc vitium etiam vigere in bonis, atque sub zeli specie iugiter captivare improvidos. Imò, teste Salmerone, adeò frequens est hoc vitium etiam apud religiosos, ut nomen quinti elementi, sine quo vivi non potest, apud quosdam obtinuerit. Secundò ob restitutionis difficultatem; nam iuxta commune proverbium, quicunque murmurans dicitur furtivè succidere chlamydem proximi; quemadmodum autem (experientiâ teste) nemo vestem refecturus, eam ita pristinæ restituit integritati, quin ruptura præcedens semper appareat, ita nec unquam ablata semel fama adeò perfectè restituitur, quin non aliqua ex parte semper appareat denigrata. Unde quidam Alexandri parasitus, qui omnes maledicos, ut cuicunque quantumvis etiam innocentissimo, & maximè innocenti detraherent, exstimulare solebat, dicere consueverat: ut maximè sanetur vulnus eius, qui delatus est, manet tamen cicatrix. In huius igitur vestis reparatione aut aliqua intercurret diversitas in suendo, vel in panno, vel in colore, adeoque sine ulla difficultate dignosci poterit refectura. Ita pariter ad famã restituendam obligati, quantumvis in re exili, accuratam vix unquam attingunt coniuncturã; vel enim dictitant, se hoc illudve dixisse, conscientiæ exonerandæ intuitu, aut aliud quodpiam fingent incredibile effugium. Unde Bernardinus rectè dixit: Valdè detestabile est hoc scelus,

S. Laur. Iust. de vit. sol. c. 4.

Mansi disc. 18. n. 5.

S. Bern. Sen. ibid. art. 1. c. 1.

scelus, quia non tantùm remedium sibi contrarium proficit, quantùm suâ malitiâ officit; ampliùs enim lingua detrahentis potest nocere, quàm excusatoria seu laudatoria posset proficere, maximè cùm homines proniores sint ad credendum, & ad memoriæ recommendandum mala, quàm bona. Sit quidam, qui malum dicat, profectu in promptu est, quòd illud credatur. Venenum semel habitum plùs gravaret, quàm theriaca pluries sumpta remedium daret. Sagitta quoque humano corpori infixa vulnerat in momento, sed medicamenta illi non prosunt, nisi longo experimento.

§. V.

MEDIA

S. Laur. Iust. l. c. I. *Dilectio proximi*, quia, teste S. Laurentio Justiniano, aliena prorsus à charitate detractio est; qui proximum sicut se ipsum diligit, detrahere nescit, neque detractoribus libenter præstat auditum.

Mansi disc. 8. n. 3. II. *Correctio seria*, uti S. Franciscus suasit, qui audiens quendam famam fratris denigrantem, Vicario suo dixit; surge, surge, discute diligenter, & si Fratrem accusatum innocentem repereris, accusantem durâ correctione cunctis redde notabilem; instant enim Religioni discrimina, nisi detractoribus obvietur, citò multorum suavissimus odor fœtebit, nisi fœtidorum ora claudantur. Summâ, volo, cures providentiâ, ne pestifer ille morbus latiùs se diffundat.

S. Chrysost. hom. 3. in Matt. III. *Pœnitentia celerata*; quia sicut vipera post morsum ad aquam currit, quam nisi repererit, exspirat, ita prorsus si quis venenum detractionibus aliorum auribus instillarit, si vox exciderit incauta, famam alienam violatura, mox eadem hora ad aquam pœnitentiæ accurrat, detraxisse doleat, deinceps futurus cautior, atque si ullo modo possit, restituturus, quæ lingua clanculum ademit. Difficile hoc quidem, sed necessarium, & melius est, ablata restituere, quàm cum ablatis perire.

S. Bernard. Sen. l. c. 4. 3 c. 1. IV. *Humiliatio profunda*; ita S. Bernardinus suasit, dicens: Optimum non detrahendi remedium est humiliatio, per quam homo recurrat ad arcana conscientiæ suæ, atque reminiscatur cogitando, quòd multa commisit, ex quibus ex gratia Dei infamiam non incurrit, ut ex consideratione propriorum peccatorum, quæ tangunt eum, & pungunt conscientiam suam, peccata non ponderet ac consideret aliena. Cui consentiens S. Bernardus, *(S. Bernardus de intern. domo c. 42.)* si vis detrahere, inquit, tua in te retorqueto, non aliorum delicta, sed propria carpe; nunquam enim aliis detrahes, si te benè inspexeris; De malo alieno os tuum non coinquines, non detrahas peccatis, sed condole.

S. Thom. 2. 2. q. 73. a. 4. V. *Respectus humani contemptus*; sunt enim nonnulli, ut S. Thomas advertit, quibus tametsi murmuratio summè displiceat, attamen quia respectum sive timorem aliquem humanum vincere non possunt, se se directè & generosè illi minimè opponunt, & ideò arte hîc opus est, magnâque ad resistendum dexteritate. S. Joannes Climacus ait: *(S. Io. Climac. de scal. parad. gr. 10. n. 3.)* Ne reverearis quemquam alteri apud te detrahentem, sed obtrectatori dicito: Tace frater; ego quotidie graviùs delinquo, & quo pacto illum damnabo?

VI. *Diversio sermonis*; uti innominatus quidam Author suasit dicens: *(Mansi disc. 15. n. 8.)* Respice post tergum, exspue in terram, confrica caput, conquerere de cibis nimis salsis, aut de ministris non tibi (ut oportet) servientibus, lauda vinum, aut condimenta mensæ, conquerere de canibus sub mensa transeuntibus, & fœtorem aliquem relinquentibus. Stapletonus in vita Thomæ Mori Regni Angliæ Magni Cancellarii, qui demum pro fide Christi Martyr occubuit, refert, quòd vitium coram se proferri audiens, magna cum dexteritate discursum divertere, aliósque curiosos non minùs, quàm iucundos sermones in medium producere solitus fuerit. *(ibidem n. 9.)* Cùm taurus aliquis furibundus adversus hominem ferocire incipit, is, ut eius sævitiem evadat, pallium in cornua eius protinus iniicit, dúmque bos, ut pallio, quo caput obvolutum est, se se eximat, totus intentus est, homo astutus tempore & occasione bene utens, per velocissimam fugam sibi & vitæ suæ consulere parat: Pari quoque artificio homines Deum timentes uti debent; quando enim linguam maledicam malignâ suâ murmuratione proximum invadere audiunt, tunc indilatè & dexterè eandem in alium disparatum discursum divertere & distorquere debent.

VII. *Tristitia vultûs*: Nam teste Salomone, *(Idem disc. 15. n. 1.)* *Ventus Aquilo dissipat pluvias, & facies tristis linguam detrahentem.* Porrò ventus septentrionalis, qui idem est, quod ventus Aquilonaris, dissipat & impedit pluvias, ut Dion. Carthusianus ait, quia frigidus est & gelidus; sicut enim ventus ille abundantem & copiosam crassorum vaporum in aëra elevationem impedire solet, ita quoque causa est, quòd nubes in aquam minimè resolvi possint. Quam similitudinem idem Carthusianus ei, qui maledicum vultu aspero, & ad iracundiam composito coërcet, his verbis applicat: Auditor detrahentis, mœstum vultum monstrando detractori, tacitè admonet eum, ut sileat, dum enim detractor perpendit sua verba invitè audiri, repercutitur in semetipso. Glossa ab eodem Carthusiano super prædictum Proverbiorum textum citata dicit: si hilari vultu audieris detrahentem, tu illi das fomitem detrahendi: si autem tristi eum vultu audieris, discit, non libenter dicere, quod didicerit non libenter audiri.

VIII. *Oblivio absentium hominum*, ut S. Antonius Paduanus hortatus est, inquiens: *(S. Ant. Pad. ser. 16. in Dom. Trin.)* omnem hominē absentem, quem non verè & purè diligis, obsecro te, frater mi, obliviscere, ut dicere possis illud, quod dixit Joseph, quando Manasses natus est ei: oblivisci fecit me Dominus omnium laborum meorum. Magnus est labor, vitam alterius linguâ detractionis lædere; malum alienum suum facere; pondus alterius sibi superponere: *Sub lingua eius*, inquit Psalmista, *labor & dolor.*

IX. Bona

S. Chrysost. in ps. 49. n. 19. IX. *Bona locutio de detrahente*, sic S. Chrysostomus suasit: si vis, ait, & te ipsum beneficio afficere, & illum probè ulcisci, benedicas de eo, qui tibi fecit injuriam: ita facies, ut multi sint ejus pro te accusatores, & ipse magnam mercedem accipies; sin autem maledicas, ne fides quidem tibi habebitur, ut qui inimicitiarũ suspicione labores, quare tuum studium tibi vertitur in contrarium, tu enim volebas bonam ejus famam evertere, contrà autem accidit, per laudem enim, non per accusationem hoc eveniet, sed contrà omninò, & te ipsum quidem maiori ignominiâ afficis, illum autem tua tela non tangunt.

S. Laur. Just. de vit. solit. c. 4. X. *Depositio curæ de aliis ad se non pertinentibus*; nam ut rectè S. Laurentius Justinianus dixit: quam ob rem, O detractor, quid fratris tui obloquendo scelera detegis? Ad te nunc meus est sermo. Quis te quæso, vitæ Judicem constituit alienæ? Quis te fratrum tuorum accusatorem fecit? quid tua interest, proximorum propalare facinora? verùm si delinquat frater, nunquid te offendit in aliquo? nunquid honori derogat tuo? quale, oro, jus habes in proximum, ut tuis eum velis arguere vocibus, atque obtrectationibus lacerare?

Mansi dist. 15. n. 5. XI. *Auditio negata*; nam ipsa quotidiana experientia docet, quòd, quamdiu terra aliqua solida manet, nec aratro scinditur, nec ligone aut quovis alio culturæ genere elaboratur, semen eidem superiniectum nec radices mittat, nec germinet, multòque minùs fructum producat: Eodem quoque modo maledicentiæ zizania non adhærescit, nec radices agit in illis, qui murmurationibus aures præbere firmiter & constanter renuunt; easdémque abominantur, & exhorrescunt; Quoad hos enim est veluti semen quoddam, quod seminatum cecidit supra petram, de quo dicitur: Natum aruit, quia non habebat humorem.

§ VI.

ASCETICA.

I. Imprimis nôsse benè debet, *quid sit detractio*; quod quidem Richardus de S. Victore breviter ostendit, dum ait: Detractio est bonæ opinionis attenuatio; móxque subdit: Detrahere est de apertis bonis velle aliquid diminuere, cùm non possis penitùs evacuare; detrahit enim, qui aliquid oblatrando retrahit, unde hominis famam gloriosissimam credit. In specie autem quomodo committatur, S. Bonaventura indicat, dum ait: Ex ramo invidiæ procedit detractionis folium, quo proximi prosperitas impeditur; hoc autem folium principaliter in duo dividitur, quia qui detrahit, aut hoc facit, ejus bonum diminuendo, aut eidem malum imponendo. Primum foliũ quatuor folia secum habet, scilicet bonum proximi tacere, diminuere, pervertere, & negare. Ex secundo ramo hæc folia procedunt; malum libenter audire, dissimulare, confirmare, aggravare, addere, revelare, & imponere. Alios adhuc modos S. Bernardinus ostendit, scilicet falsa crimina imponendo, & hoc quandoque verbis communibus, quandoque verbis apertis, quandoque derisionibus, quandoq; nocturnis sibilis, quandoque simulatis atque mutatis vocibus, quandoque nutibus & signis, quandoque libellis famosis, quandoque cantilenis, quandoque literis & epistolis.

Richard. de S. Vict. p. 1. l. 3. de erud. int. hom. c. 8.

S. Bonav. apud Mansi disc. 1. n. 3.

S. Bernardinus to. 1. ser. 29. a. 2. c. 7.

II. Nôsse debet, *quando defectus aliorum propalare liceat*: Nimirùm cùm dicit, aut necessitate compulsus, aut inductus utilitate, tunc, inquit S. Bonaventura, tenemur ad hoc, quando præceptum urget divinum, vel humanum, humanum quidem, quando superior imperat patefacere crimen proximi; Divinum verò, dum conscientia ad similem exstimulat propalationem faciendam, ut vel corrigatur, vel emendetur excessus; servatis nihilominùs semper fraternæ correctionis conditionibus. Propter utilitatem posset manifestari peccatum proximi, dum ipsum panditur ei, qui fructum, non damnum, sit allaturus prævaricatori: sicut quando narrat homini, qui diligit, & qui compatitur; & habet voluntatem corrigendi illum. Deinde Sanctus ad nostrum concludens intentum ait: Quando verò non consideratur necessitas, vel utilitas, etiamsi sit veritas, non excusatur detrahendi libidine; imò peccato detractionis peccat, etiamsi verum dicat; qui loquendi modus, ne quem audienti scrupulum injicere possit, Sanctus immediatè subiungit: Ne quis mihi dicat; tunc detraho, quando falsa dico, si autem vera dico, minimè; nam licèt vera loquens maledixeris, & hoc est crimen.

S. Bonav. in Eccles. c. 10.

III. Nôsse debet, *quando alterius famam defendere debeamus*; quem in finem oculos mentis nostræ convertamus ad id, quod in Calvariæ monte duos inter latrones legimus accidisse: Teste S. Luca, reprobus duntaxat latro maledixit Christo, quod ut socius ejus inaudiit, publicè reprehendit errorem, Christique propugnavit innocentiam, dicens: Nos quidem justè, nam digna factis recipimus; hic autem quid mali fecit? neque tu times Deum, qui in eadem damnatione es? Idem omninò in præsenti nobis dicere licet, nimirùm in eadem damnatione sunt, scilicet qui detractionibus famam & honorem alterius diminuit, quique diminuentem audiens, & ipse malitiosè famam resarcire negligit. Notate S. Lucæ verba, ait enim: *Respondens autem alter increpabat eum dicens* &c. Ly respondens relationem habet ad interrogationem à malo latrone ad bonum factam; & nihilominùs Evangelium non docet, latronem reprobum alteri, præterquàm Christo locutum fuisse; cur igitur S. Lucas ait: *Respondens*? voluit, ni fallor, hoc loquendi modo nos edocere Evangelista, quòd, quando fratres nostros diffamari audimus, nostram hanc infamiam reputare, quod ad similia irritati & provocati, proximorum defensionem atque excusationem in nos suscipere debeamus, proximi causam reputantes propriam; præsertim quia sumus invicem membra; si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra; pro invicem sollicita sunt membra, experientiâ teste, si quando una pars corporis offenditur; reliquæ

Mansi disc. 1. n. 3.

confestim subveniunt, defendunt, adiuvant partes.

S. Thom. 2. 2. q. 73. a. 1. IV. Nôsse debet *discrimen, quod inter contumeliam & detractionem versatur*; quod S. Thomas sequentibus verbis assignat: Verbo dupliciter aliquem lædit; uno modo in manifesto, & hoc fit per contumeliam; alio modo occultè, & hoc fit per detractionem. Ex hoc autem, quòd aliquis manifestè contra alium verba profert, videtur eum parvi pendere, unde ex hoc ipso dehonoratur, & ideo contumelia detrimentum affert honori eius, in quem profertur: Sed qui verba contra aliquem profert in occulto, videtur eum vereri magìs, quàm parvi pendere; Unde non directè infert detrimentum honori, sed famæ, in quantùm huiusmodi verba occultè proferens, quantùm in ipso est, eos, qui audiunt, facit malam opinionem habere de eo, contra quem loquitur.

S. Anselm. ad Rom. 1. 30. V. Nôsse debet, *quæ inter susurronem & detractorem sit differentia*; nimirùm ea, quam Belvacensis indicat dicens: Susurro mala de proximo seminat, ut inter audientes & diffamatum zizania dissensionum, odiorum & inimicitiarum fœcundet: Detractor non intendit dicere de proximo nisi malum, unde scilicet possit proximus diffamari, susurro verò non simpliciter intendit malum dicere, sed quidquid sit illud, quod possit animum unius contra alium perturbare. Et iterum S. Anselmus de eodem duplici hoc disceptans vitio, sequentem statuit resolutionem: Susurrones sunt, qui in auribus alicuius loquuntur malum de alio; detractores autem, qui virtutes ab aliquo suis verbis detrahunt, vel minuunt; Susurro quippè à sono locutionis dicitur, quia non in facie alicuius, sed in aure loquitur, secretè derogando; detractio autem est, aliorum benè gesta opera vel in malum vitiosè mutare, vel invidendo fallaci fraude diminuere; cùm aut mala dicuntur, quæ sunt, aut parva bona, quæ magna sunt. Detrahere enim est bona alterius deorsum trahere, id est, inclinare & premere, vel de ipsis bonis aliqua trahere, ut pauciora seu minora, quàm sunt, ostendatur esse. *Non appelleris susurro*, admonet Ecclesiasticus, *& linguâ tuâ ne capiaris & confundaris.*

S. Thom. 2. 2. q. 73. a. 3. ad 3. VI. Nôsse debet, *cur tam grave sit vitium detractio*, id quod S. Thomas explicat, dicens: Ne putentur ista peccata esse levia, quia solo ore committuntur; subdit: Deo odibiles, impugnat enim id maximè, quod Deus in hominibus amat, scilicet mutuum amorem. Joan. 15. *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem.*

S. Bernardus apud Mansi disc. 4. n. 2. Cui etiam S. Bernardus consentit dicens: Non veniat anima mea in consilio detractorum, quoniam Deus odit eos; nec mirum, quoniam vitium illud charitatem, quæ Deus est, acriùs persequi & impugnare cognoscitur.

S. Laur. Iustin. c. 22. de discipl. Monast. VII. Nôsse debet, *cur Religiosis præcipuè hoc vitium fugiendum sit*, nimirum quia nihil perniciosius est detractore in collegiis iustorum, dissipat namque charitatem, dissolvit unitatem, humilitatem fugat, pacem turbat, rixas pascit, nutrit discordias, lites movet, odia generat, & omnem dirimit sanctitatem. Quod etiam S. Hieronymus confirmat dicens: Est sanè tale hoc vitium, quod vel imprimis extingui debeat, & ab eis, qui se sanctè instituere volunt, prorsus excludi. Nihil enim tam inquietat animum, nihil est, quod ita mobilem mentem & levem faciat, quàm facilè totum credere, & obtrectatorum verba temerario mentis assensu sequi; beatusque est qui se ita contra hoc vitium armavit, ut apud eum nemo detrahere audeat. S. Hieron. ep. 14.

S. Bernardin. sen. to. 1. ser. 23. a. 3. c. 1. VIII. Nôsse debet, *quomodo audiendo detractiones peccari possit*, nimirum tripliciter, iuxta S. Bernardinum. Primò si taceat; secundò, si delectetur; tertiò si inducat. Imò superaddit Sanctus: Arbitror ego, detractiones audientem longè quandoque culpabiliorem esse ipsomet detractore. Talis plerumque ampliùs, quàm detractor peccat, vel offendit, quoniam ex maiori iniquitate vel malignitate procedit, & talis omnium malorum, quæ ex causa ab eo data procedunt, coram Deo habet reddere rationem.

§. VII.
MISCELLANEA ET CONCEPTUS PRÆDICABILES.
Qualitas.

Mansi disc. 2. n. 3. I. Gigantea Statua, quam in somnis conspexit Nabuchodonosor, caput habebat aureum, pectus argenteum, corpus æneum, crura ferrea, pedes verò fictiles, quos ut exile contigit saxum, attrivit subitò, excessámque molem istam cum universis pretiosis adeò, solidísque metallis reduxit in pulverem. Ecce vobis vivum detractoris typum, qui proximo detracturus, eum auro coronat charitatis ardentis, argento specialis decorat integritatis, invictæ munit ære constantiæ, varias agglomerans virtutes & præcellentias eius, cuius famam immolare gestit; ast finem nostis? ut tandem exili lapide maledicæ linguæ suæ ex fragili fictilium pedum basi aliquem eliciat defectum, aut fragilitatem quampiam occultam; quo stante & obtento, in totam impius desævit molem, bonum calumniis atterit nomen, omnémque sanum de proximo abolet conceptum.

S. Greg. in 1. Reg. 24. 6. II. David in spelunca Odolla inimico suo Sauli pepercit, limbum nihilominùs vestis eius succidit, de quo facto postmodum ingemiscens, *percussit cor suum, eò quòd abscidisset oram chlamydis.* Cur indoluit obsecro? omnia in figura contingebant. Designabat David detractorem, qui proximo furtivè amputat vestimenta, id est, murmuratione secat leviter, exilem narrando proximi defectum, quod sufficit, ut proximus boni nominis denudetur honestate. Quid per Saul, nisi Rectores, inquit S. Gregorius, quid per David, nisi subditi significantur? O quàm in hoc similes David! quid si verentur mittere manum in Christum Domini, nec volunt occidere; libenter tamen oram chlamydis præcidunt; hoc est, honoris vestem, si non lacerant, diminuunt.

Mansi disc. 3. n. 3. III. Psalmista ps. 13. dicit: *Qui devorant plebem*

bem meam, sicut escam panis. Quæ, obsecro, similitudo est inter eum, qui aliis maledicit, & panem comedit. Detractores & murmuratores hoc se impinguant veneno, instar ciconiarum, quæ viperis nutriuntur: namque ipsis tam commune & familiare est murmurare, quàm cuique homini manducare panem; nullus est cibus quotidiano familiarior pane, ad omnes epulas adhiberi solito; ita nec quidquam communius detractione: quicunque alii cibi etiam sapidissimi secundùm se, tandem aliquando nauseam creant, nunquam panis, quia iuxta communem medicinæ aphorismum: omnis nauseatio mala, panis autem pessima; ita quocunque alio paulisper deficiente vitio, solus murmurationis pruritus pertinax persistit usque ad tumulum, multi in ætate maturiori iocis, conviviis, sensualitatibus renunciant, sed non murmurationibus: sepulchrum patens est guttur eorum; murmuratio individua est usque ad sepulchrum comes: quam ob causam à S. Jacobo dictum esse arbitror: Lingua constituitur in membris nostris, & quæ maculat totum corpus, & inflammat rotam nativitatis nostræ. Reliqua vitia unam duntaxat inflammant humanæ vitæ partem; v. g. Caro florentiores iuventutis annos, Mundus virilitatem, quæ honores, dignitates, aliaque temporalia bona aucupatur; avaritiam, senilis plerumque sectatur ætas; ast murmuratio & detractio originem ducit ab unguiculis, sempérque accrescit per totum vitæ nostræ cursum: Inflammat rotam nativitatis nostræ, qui enim huic deditus est vitio, omni tempore, loco, & ætate labitur. Detrahendi libido terminum non habet, nunquam saturatur, inquit Salvianus.

Apocal. 12. 3. IV. S. Joannes in Apocalypsi draconem à se visum attestatur, inquiens: *Et ecce draco magnus rufus, habens capita septem; & cornua decem: & in capitibus eius diademata septem: & cauda eius trahebat tertiam partem stellarum cœli, & misit eas in terram.* Per hunc draconem iuxta S. Bernardini sensum detractio intelligitur. Draco solo perimit flatu, pariter & detractor solâ maledici oris apertione, spiritualem quandoque & corporalem causat mortem. Rufus erat draco, ita & maledicus ab irascibili & vindicativo suo abripitur appetitu. Septem capita varias denotant detractionum species; septem diademata universale in omnes populos regnum & dominium; caudâ suâ stellas firmamenti in terram deiicit, dum perfectissimis etiam insidiatur & infestat.

Fuga.

Hugo Card. in cit. ps. V. Regius Propheta David in Ps. 14. de illis, qui in tabernaculo altissimi locum habituri sunt, tractans, dicit: *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo?* Et respondet, quòd ibi habitaturi sint, qui linguam suam refrænant, ne malè loquantur de aliis, nec non eos, qui à maledicis aures suas avertunt: Qui non egit dolum in lingua sua, nec fecit proximo suo malum, & opprobrium non accepit adversùs proximos suos; at verò, quod à nobis maximè considerandum est, sunt verba, quæ sequuntur: *Ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus.* Circa quæ Hugo Cardinalis, aptissimè ad propositum nostrum ita scribit: Opprobrium non accepit adversùs proximum suum, id est, non acceptavit illatum à se, vel ab alio, vel, non accepit, neque in corde ad cogitandum, neque in ore ad loquendum, neque in aure ad audiendum; hâc enim diligentiâ & aversione suppositâ, nullum detractor locum habere potest, & ideo ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus. Vel aliter potest exponi, ut iungatur ei, quod immediatè præcedit, sic: Opprobrium non accepit, id est, detractor deductus est ad nihilum, quia non audet detrahere coram ipso, qui non recipit opprobrium dictum de proximo suo; quia, ut S. Hieronymus ait: Si deest auditor, deest & murmurator.

VI. Probissimè Deo nostro perspectum erat, quidquid in infamibus civitatibus Pentapolitanis ageretur, & tamen, licet criminum inibi commissorum accusatores plurimos habuisset, personaliter descendere voluit ad faciendum legitimum de illis processum. Ubi Rupertus Abbas notat, ideò Deum in propria persona descendere voluisse, quia peccata incolarum castiganda, & toti mundi manifestanda erant, quod facere noluit, nisi re priùs legaliter & iudicialiter cognitâ & perspectâ, ut per hoc salutare nobis relinqueret documentum, quòd scilicet temerarium hominum prohibeatur iudicium, ne facilè audita credant, vel inexperta iudicent. Quot sunt, quos in censurandis aliorum actionibus charitatis zelo motos fuisse credimus, quos tamen postea passionibus & proprii interesse promovendi studio agitatos fuisse deprehendimus? *Rupert. Abbas l. 6. de Trin. c. 4.*

VII. Communiter docent Sacræ Scripturæ Interpretes, per Cham, qui à Patre suo Noë maledictus fuit, præfigurari detractorem, utpotè cui proprium est turpiores proximorum defectus detegere; sed observandum est, quot benedictionibus à Patre cumulati fuerint, quámque se virtuosos, omníque laude dignos probaverint duo alii fratres eius, Sem & Japhet, qui pallium imposuerunt humeris suis, & incedentes retrorsum operuerunt verenda patris sui; faciésque eorum aversæ erant, & patris virilia non viderunt: qui proinde in hac actione repræsentârunt illos, qui aliorum defectus & peccata audientes; suam à linguis maledicis aversionem ostendunt, defectúsque auditos meliori, quo possunt, modo contegere & palliare conantur, eadem cum charitate & compassione fraternâ excusando, & sub rigidi silentii velamine studiosissimè abscondendo. *Mansi disc. 16. n. 2.*

VIII. Alias inter leges in Tabernaculi fabrica à Moyse observandas, iussit ei Dominus, ut faceret lucernas septem cum emunctoriis suis, & vasa, ubi ea, quæ emuncta sunt, extinguantur, de auro mundissimo; quod idem præceptum in duobus Libri Exodi capitibus latum reperio. Cur obsecro, divina illa Maiestas, quam adorant Dominationes, tremunt Potestates, regulas & decreta ferre voluit in præscribendis tantæ vilitatis rebus, quales lucernarum sunt emunctoria? quoad sensum literalem faciliter *Idem disc. 4. n. 7.*

liter respondetur; id ordinarum fuisse, ne emuncta per tabernaculum dispersa, ipsum sorditie & fœtore inficerent. Ast cur aurum præscriptum fuit purissimum? Ad mysterium convolemus oportet. Apostolicus quidam sæculi nostri Prædicator astruit, fideles Ecclesiæ, præsertim autem Sacerdotes & Prælatos Ecclesiasticos lucernas esse debere, continuò ardentes & resplendentes charitate, atque exemplaritate vitæ, iuxta illud Christi effatum: *Lucernæ ardentes in manibus vestris.* Ast quia nostra in nobis prædominante fragilitate, peccatorum multoties producimus myxos, qui lucernas nostras extinguunt, & offuscant, non vult autem Deus ut emuncta per terram dissipentur, templúmque conspurcent; id est, prohibet peccata proximorum publicari, scandalosè diffundi, opprobrosè divulgari, quid igitur? purgari huiusmodi præcepit, & purissimo charitatis auro occultari: quia charitas operit multitudinem peccatorum.

Damnum.

Abulens. q. 60. Num. 12. 10. IX. Murmurantis adversum Moysen, Mariæ insolentiam Deus leprâ punivit: Et ecce Maria apparuit candens leprâ, quasi nix. Quare vindex Deus hanc spe cialiter ei infirmitatem inflixit, præ quacunque alia? Doctissimus respondet Abulensis: Erat lepra immundissima omnium plagarum, cùm propter eam repellerentur homines de consortio aliorum. Voluit igitur Dominus hoc supplicii genere demonstrare, murmuratores conversatione hominum aliorum indignos esse.

Mansi disc. 6. n. 2. X. Ingrati Hebræi fœtentia ora sua multoties in murmurationes resolverunt contra Deum, & Moysen, servum eius in deserto; Nihilominùs iustitia Dei vindex nunquam eos, aut fulminum horrore, aut sylvestrium ferarum tyrannide, aut cœlestis alimenti quotidie depluentis penuriâ, sed ignitorum duntaxat serpentium morsibus punivit. Mysterium quæritis, inquit, Abulensis? voluit Deus, pœnam æqualiter proportionari culpæ; Hebræi contra Deum murmurationis evomuerant venenum, ideòque à serpentibus percuti debebant, qui virus portant sub lingua, quam ita describit S. Isidorus: Serpentina lingua tenuissima, & trisulca, vibrans, atri coloris, & si extrahas, prælonga. Ecce vobis vivum maledicæ linguæ prototypon.

Berchorius v. Detractio. XI. Berchorius detractori invidiam semper associatam astruit, ideòque eum viperæ assimilat, quæ antè se, quàm alios ferit; siquidem priusquàm alium mordeat, viscera rodit genitricis suæ, ita quoque detractio, inquit ille, priùs se fauciat, quàm feriat alios, quoniam præter mortalem propriæ conscientiæ plagam, insuper ab interna consumitur alienæ prosperitatis invidiâ. Ideo de detractore, inquit hic Author, potest intelligi commune hoc proverbium: Mus in pera, serpens in sinu, ignis in stupa, malè remunerant hospites suos.

S. Anselmus de si mil. c. 14. 6. X. B. Clemens inter cætera, quæ ab ore S. Petri se didicisse fatetur, hoc modo scribit. Tria sunt genera homicidii, quæ pari pœnâ plectuntur; interfectio fratrum, detractio, odium. De quo etiam Paulus dicit: *Si comeditis, & vos invicem mordetis, videte, ne ab invicem consumamini.* Comedit namque alter alterum, & quasi morsum in eo facit, quoties cunque aliquis aliquem malè loquendo vilioremefficit: Unde necesse est, ut ab invicem consumantur, pœnis videlicet gehennalibus detrusi miserrimè puniantur. Sic igitur is, qui alterum detrahendo comedit, consumitur ab eo, quem morsibus detractionis consumere gestit, nam cùm eius vitam per detractionem lacerat, semetipsum ante Judicem Deum condemnat.

XIII. Hedera Jonam obumbrans vix creverat, móxque à corrodentis vermis livore devorata emarcuit; ita quò magis proximi crescit virtus, eò studiosiùs illam obscurare conatur invidus, quasi vermis medullam devorat arboris, aut carnes meliores rodit, id est, melioribus maiorique laude dignis detrahit operibus. Per hederam, inquit Hugo Cardinalis, quæ viret in hyeme, significantur boni, qui gaudent in adversitate; per vermem significantur detractores, qui corrodunt radicem, id est, pervertunt intentionem; & sic arere faciunt hederam, quia bonos quandoque cessare faciunt à bono. *Hugo Card. in Luc. c. 4.*

XIV. In montibus Doffrinensibus avis quædam arboris cuiusdam summitati insidens, volubili motu suo tantillum è ramo excussit nivis, quæ prolapsa de ramo in ramum, & tandem per rupes deorsum, ingentem paulatim effecit molem niveam, quæ in præcipitio ligna, saxa, terrámque simul involvens, cum maximo impetu corruit deorsum, tandémque mobilis instar montis proruens castellum ad montium radicem situatum offendit, & oppressit. An non eodem omninò modo vel unicum subinde murmurationis verbum, adversus potentem, divitémque personam prolatum, privatas non modò inimicitias, sed & bella publica; imò familiarium, (flens dico) imò civitatum & Provinciarum suscitat, promovet, perennat, exterminia? Unicus pro mille suffecerit testis S. Bernardinus inquiens: Qui benè considerat omnia mundi scelera, omnes iniquitates & quasi omnis hæreses, schismata, & impietates ex tertia lingua originem habent. O igitur lingua nequam, lingua tertia detractoris, ô crudelitas infernalis! ô impia odii & invidiæ proles! ô pestifera lepra! tu es, quæ discordias seminas, tu sola conculcas bonos, diffamas iustos, paris scandala, testimonia falsa, periuria, occasiones iniquas multiplicare non cessas. Tu lingua sæva punis insontes, inter coniuges scandala ponis, infamas viduas, defloras virgines, tu sacras Religiosas confundis. Tu rancores, tu iurgia, livores & iras, contentiones & contumelias, & rixas, & scissuras suscitare non cessas. Tu sola perditiones generas, incendia foves, homicidia patras; Tu fratricida, patricida, matricida, & cæteras *Olaus M. l. 2. c. 13.* *S. Bern. ser. 4. c. 3.*

& cæteras crudelitates virulentâ impietate committis. Tu sola fœdera frangis, in coniurationibus occuparis, separas amicos, multiplicas inimicos; tu sola dissipas civitates, destruis Regna, consoves tyrannias; Tu charitatem extinguis, deprimis iustos, magnificas impios, fidem destruis, spem frangis, cæteràsque virtutes impiâ crudelitate persequeris, tu omnia scelera vivificas, & extollis. Quid plura? Tu Angelos in Dæmones convertisti atque de cœlesti regno in æterna supplicia deiecisti & profundasti; primósque parentes nostros, ac cum eis totum genus humanum de paradiso deliciarum ad temporales, ad æternas miserias destinâsti.

TITVLVS XX.

DEI MISERICORDIA.

§. I.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

Communis Theol. I.  Est actus voluntatis, quo Deus ex infinita sua bonitate miserias suarum creaturarum sublevare conatur.

Divisio.

S. Bonav. in ps. 91. II. Dividitur in *prævenientem, prosequentem, & subsequentem*. Illum misericordia Dei prævenit, cuius affectum ad bonum effectum incitat, & incendit; de secunda dicitur à Domino: *Misericordia mea non recedet à te*; ab illo divina misericordia non recedit, cum quo cooperando procedit. De Tertia psallit Propheta: *Misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ*; illum misericordia subsequitur, cui finalis perseverantiæ gratiam impertitur. Quam ipsam divisionem etiam S. Bernardinus sequentibus verbis proponit: Prima est misericordia Dei *præveniens*, & hoc est quando Deus prævenit in anima, absque eo, quòd anima mereatur illam. Secunda est misericordia Dei *consequens*, quando inspiratur à Deo in tua anima, & tu illam non petis. Tertia est misericordia Dei *subsequens*; Status autem misericordiæ Dei subsequentis est, quando anima vult illam misericordiam acceptare, & consentit, & associatur cum ipsa misericordia, humiliter implorando illam, quia primò Deus ostendit sibi misericordiam suam. Secundò succedit tua voluntas, quia (secundùm Augustinum) si quæris, & vis, iam habes ipsam, de quo dicit Propheta in persona Dei: *Misericordia mea cum ipso.* *S. Bernardinus to. 4. ser. 48.*

§. II.

EX S. SCRIPTVRA.

Qualitas.

Exod. c. 34. I. Dominator Domine Deus, misericors & clemens, patiens, & multæ miserationis, & verax, qui custodis misericordiam in millia.

R.P. Lohn. Auctar. Bibl.

II. Miserator & misericors Dominus, patiens & multùm misericors: suavis Dominus universis, & misericordia eius super omnia opera eius. *Psal. 144.*

III. Magna est super cœlos misericordia tua, & usque ad nubes veritas tua. Domine in cœlo misericordia tua, & veritas tua usque ad nubes; iustitia tua sicut montes Dei. *Psal. 107. & 35.*

IV. In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans. *Ierem. c. 31*

V. Misericordia tua ante oculos meos est, & complacui in veritate tua. *Psal. 25.*

VI. Quia patiens Dominus est, in hoc ipso pœniteamus, & indulgentiam eius fusis lacrymis postulemus, non enim quasi homo, sic Deus comminabitur, neque sicut filius hominis ad iracundiam inflammabitur. *Iudith. 8. v. 15.*

VII. Exspectat Dominus, ut misereatur vestri, & ideo exaltabitur parcens vobis. *Isa. c. 30.*

VIII. Et vidit Deus opera eorum, quia conversi sunt de via sua mala, & misertus est Deus super malitiam, quam locutus fuerat, ut faceret eis, & non fecit. *Ion. c. 3.*

IX. An divitias bonitatis eius, & patientiæ & longanimitatis contemnis? ignoras, quoniam benignitas DEI ad pœnitentiam te adducit? *Rom. c. 2.*

Utilitas.

X. Ubi abundavit delictum superabundavit & gratia. *Rom. c. 5.*

XI. Misericordiæ Domini, quia non sumus consumpti, quia non defecerunt miserationes eius. *Thren. c. 3.*

§. III.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Qualitas.

I. Benignus est Deus, nec ullus poterit homo illius benignitatem satis prædicare: imò etiamsi omnes omnium hominum linguæ simul coacervarentur, ne sic quidem partem aliquam benignitatis illius enarrare possent. *S. Cyrillus Ieros. Catech. 2.*

II. Audeo dicere, quòd Divina Clementia pronior sit ad ignoscendum, quàm ad puniendum, dicente Prophetâ: *Quoniam ira in indignatione,* *S. Laur. Iust. de humilit. c. 4.*

quantùm in se est, necat funditus & extinguit; non solùm autem, sed & in absentibus universis, ad quos volans verbum fortè per eos, qui præsentes sunt, pervenire contigerit.

S. Chrysost. in psal. 49. XI. Omnes aversantur maledicum, ut eum, qui lutum redoleat; ut hirudinem, quæ sanguine, & scarabæum, qui stercore, alienis malis aluntur.

S. Bernardin to. 2. ser. 29. a. 1. c. 1. XII. Inter omnia illa, quæ de corde exeunt, & de ore procedunt, hominem, imò totum Mundum inquinantia, sunt execrandæ detractiones.

Dion. Carthus. in epist. 5. Iac. Ap. XIII. Peccata in proximum tantò sunt graviora, quantò maius nocumentum inferunt ei; cùm ergo per detractionem unus auferat alteri bonum nomen, & lædat eum in fama, faciátque eum aliis contemptibilem atque despectum; ideò magis peccat, quàm fur, qui exteriorem tollit substantiam, quia bona fama est præstantior.

Non audienda.

S. Hieron. l. 2. ep. 19. XIV. Si hæc in nobis esset diligentia, ne passim obtrectatoribus crederemus, iam omnes detrahere timerent, ne non tam alios, quàm se ipsos viles detrahendo facerent. Sed hoc ideo malum celebre est, idcircò in multis fervet hoc vitium, quia penè ab omnibus libenter auditur.

S. Chrysost. in psal. 100. XV. Qui detractorem minimè admittit, tum seipsum immani huiusmodi peccato liberat; tum detractorem hac ratione ab iniqua proximi accusatione dimovet; tum eum etiam, qui accusatur, crimine liberat, ac denique pacis arbiter, & amicitiæ dux existit, dum obtrectatoris animum, & voluntatem odit, ac detestatur.

Idem to. 1. hom. 3. ad pop. XVI. Eliminemus omnem ex ore nostro detractionem, scientes, quòd, etsi cinerem comedamus, nulla nobis asperæ vitæ huius utilitas proderit, nisi à detractione abstineamus; non enim quæ intrant per os, coinquinant hominem, sed quæ exeunt ex ore; si quis te prætereunte stercus moveat, nonne (quæso) hoc facientem convitio & contumelia afficeres? Hoc fac & erga detractores, non enim sic commotum stercus illum fœtorem, suscipientem cerebri membranam percellit, sicut aliena peccata excussa, & vita impura audientium animos prodita contristare, & conturbare solent.

§. II.

EXEMPLA SACRA.

Qualitas.

Discipul. ser. 91. Dom. 4. post Pentec. I. MAgnus detractor Religiosorum & aliorum mortuus cum esset, post multos annos aperto sepulchro, totum corpus computruisse repertum est, præter linguam, quam tam pestilentem vermes rodere horruerunt.

Engelgra. Dom. 3 post Pent. II. Alcanæ in Hispania vir nobilis Alphonso de Castro Franciscano dixit, se in honorato consensu iactâsse, Matronam Aulæ Principem à se corruptam, & id falsò se commentum. Cui alter dixit: Domine casus tuus est insanabilis: Actum est de salute tua. Stetit attonitus nobilis, & diu noctúque secum hoc oraculum revolvebat, donec Salmanticæ in P. Franciscum de victoria Dominicanum incidit, qui eum ultrò allocutus, mœroris causam elicuit, cùmque ei diceret, si coram iisdem dicta retractaret, posse eum salvari, nec aliâ opus esse pœnitentiâ (obtulerat enim se ad omnem aliam pœnitentiam) negavit alter, se id facturum; tunc Sacerdos ei asseruit, vera P. Alphonsum dixisse.

Fuga.

III. Christus Salvator noster omnes operationes ad nostram ordinans eruditionem, in hac singularissimè materia nobis notabilium post se reliquit exemplorum vestigia, ut discamus maximâ cum cautela de proximis sermocinari, & non nisi urgente necessitate, eorum peccata manifestare. Peccatricem conversurus Samaritanam, omnes simul Apostolos, licèt unus eorum sufficisset, in urbem misit ad victui necessaria comparanda, ne coram iis manifestare compelleretur mulierculæ flagitia. In horto Gethsemani quid convenientius videri poterat, quàm ut eosdem Apostolos in sua conservasset Societate, non ut ab Auxiliatoribus haberet opem, sed ut imitatoribus patientiæ, benignitatis, fortitudinis, inque tyrannorum persecutionibus, quibus Magistri in cœlos ascensionem exponendi erant, constantiæ præberet exemplum; Et nihilòminùs ubi vix armata ingruerat cohors, nihil adeo sibi cordi duxit, quàm ut ei præciperet: *Si me quæritis, sinite hos abire*, sciens namque eorum pusillanimitatem, qui omnes relicto eo fugerunt, anticipare ipsorum reputationi, & honori consulere intendebat. *Mansi disc. 4. n. 5.*

IV. S. Joseph Virginem Sponsam suam, gravidam conspiciens, neque originem rei gestæ dignoscens, tam ab omni suspicione sinistra, quàm quocunque diffidentiæ verbo in coniugem suam abstinens, quantum creditis DEO præstiterit obsequium. Adeò cœlum in heroico isto actu sibi complacuit, ut Angelum Josepho destinârit, qui ei prægnationis panderet mysterium. Unde S. Hieronymus inquit: Blandientis affectu ei per somnium Angelus loquitur, ut iustitiam silentii comprobaret. Angelus amorosis verbis hoc gratissimum Deo commendavit silentium blandientis affectu; incomprehensibile namque amoris & benevolentiæ divinæ lucrum conciliat, alienæ occultatio imperfectionis. Non S. Annæ, non S. Joachimo, Mariæ genitoribus quidquam conquestus est, ne per umbram quidem suas iis imaginationes, cogitatúsque revelavit, quia DEI amore flagrabat. *Ibidem.*

V. Deus ipse, prout considerat S. Damianus, nobis offensus, culpas quidem nostras in severissima ponderat trutina, ast ignominiam, severámque, quale meritò infligere poterat coram universo mundo, supplicium abscondit, nosque tolerat, ut, quantùm est ex parte eius, omnia in occulto lateant, usque ad extremum diem iudicii, quando illuminabit abscondita tenebrarum. Imò dum ad indulgentiam consequendam, spontaneam nostrorum scelerum *Ibidem n. 6.*

exigit

exigit confessionem, hanc inviolabili potentiæ Sacramentalis sigillo munivit.

Rho. Gar. hist. l. 4. c. 5. §. 1. VI. Joannes Rho de Joanne Avila, magno huius sæculi vitæ Spiritualis Magistro hæc refert. Cùm ab omni detractione quam plurimùm abhorrebat; tum si (quod sæpiusculè domestica in fabulatione fieri videmus) aliena fama vellicaretur, statim adducto supercilio, manu mensam, sellàmve pulsans: Nos verò, aiebat, nostra curemus, homini que huic triginta dies tribuamus, ut se ad defensionem comparare possit, tum iudicio licebit experiri.

Mansi disc. 3. n. 1. VII. Primi Christiani mutuo se fratrum titulo insignire consueverant, ideòque S. Iacobus Apostolus Christianos à detractionis vitio avocaturus, *nolite*, inquit, *detrahere alterutrum, Fratres mei*; quam doctrinam prima illa sæcula vivaciter adeò, solidéque imbiberunt, ut (attestantibus Ecclesiasticis Annalibus) nullus unquam primorum fidelium, medios inter tot persecutionum & falsarum imputationum turbines, repertus fuerit murmurâsse, aut detraxisse, Principibus maximè & Imperatoribus, quorum tunc temporis tanta desæviebat impietas.

Rho. l. c. §. 4. VIII. S. Thomas Villanov. die quodam in antecamera audientiam præstolans Caroli V. dum plurimis cinctus Aulicis, aliquorum audiret murmurationes, Zelo Zelatus modestè surrexit, ita affatus circumstantes: Vos principes obsecro, ut alia confabulari velitis, aut per vos hinc mihi liceat abire. Mòxque Magister equitum tam raro virtutis exemplo commotus, subiunxisse fertur: Hic enim verò Religiosus est, qui sui ubique similis, virtutem, nullo hominum timore, audeat profiteri.

Ibidem §. 5. IX. Idem Author de quodam Ordinis Fratrum Minorum Religioso, cui nomen, Paschalis Baylonius, factum exponit verbis sequentibus, summè notandum: Ne pestilens detractionis aura, vel absentium famam vel audientium conscientiam afflaret, præsenti illicò laude, veluti Alexipharmaco, utebatur: neminem vituperari audivit, quem ipse non laudaret, dictitans, hominem omninò nullum adeò perditis moribus inveniri, in quo nihil laudabile sit.

Damnum.

Mansi disc. 11. n. 6. X. Quidam frequenter detrahere solitus, morte præventus est sine confessione; neque enim merebatur, ut ea lingua peccati venenum evomeret, quæ tam frequenter aliorum innocentiam laceràrat. Apparuit non longè post mortem cuidam, vitæ suæ præmia condignè ostendens; habebat linguam quasi igneam ab ore usque terram dependentem, quam crebris morsibus mordebat, corrodebat, exspuebat; cúmque particulatim eam conscidisset, rursus ad priorem quantitatem reformabatur, denuò corrodenda. Quæsivit is, cui apparebat, quidnam hoc designaret; respondit, quia cùm vixi, per maledictum hoc membrum omnes sum persecutus, ab hoc tormento in perpetuum non liberabor.

R.P. Lohn. Auctar. Bibl.

XI. Teste S. Vincentio Ferrerio summa divina pietas detractori cuidam delicta remiserat, cuius proinde anima in maledictionum pœnam ad Purgatorium conducta fuit, ex quo post satisfactionem omnimodam exempta, dum cœlum ingredi pararet, supernas sibi portas in faciem occludi vidit, vocémque inaudiit dicentem sibi: Non intrabis, quia primò habes restitutionem facere famæ illius. In terram itaque descendere coactus fuit, ut suo satisfaceret debito; nec cuiquam id difficile videatur creditu, inquit idem Sanctus; ego scio, id esse verum, quia ego ipse per ipsum diffamatus sum, & à me veniam petivit. *Ibidem, n. 9.*

§. III.

SIMILITUDINES.

Qualitas.

I. Sicut exploratores terræ Sanctæ equidem fœcunditatem & abundantiam negare non poterant, nihilominus tamen alia ex parte eidem detrahere allaborârunt; eodem prorsus modo maledici virtutes, & publica censurandorum bona opera negare non præsumunt, huiusmodi laudant atque extollunt; ast fine perversissimo, siquidem id totum agunt, ut maiorem sibi apud audientes concilient fidem. Unde S. Bernardinus inquit: Solent venena occultè prædulcia propinari; Sic detractor, ut fides sibi adhibeatur, primò in aliquo commendat eum, cui detrahere cupit. *S. Bern. Sen. to. 2. ser. 29. a. 2. c. 1.*

II. Sicut spina mollitiem habere solet in ortu suo, tamen dum crescit, induratur, & quandoque etiam venenosè pungit; Sic etiam detractor quandoque in principio ungit, sed demum pungendo, venenum detractionis in audientium mentes infundit. *Idem to. 2. ser. 23. a. 2. c. 1.*

III. Sicut quibusdam canibus innatum est, ut non pro feritate, sed pro consuetudine latrent. Idem de maxima murmuratorum parte astruere licet, habitum induerunt detractionum, ita ut quodammodo abstinere nequeant, murmurantes quandoque potiùs ex consuetudine, quàm ex malitia. *Seneca de remed. fort.*

IV. Sicut mulier prægnans gravibus oppressa doloribus contorquetur, usque dum pariat; canis sagittam circumferens in latere, inquietus voluitur, donec eam excutiat; maledici pariter inquietudini subiacent, donec coram hominibus eiusdem genii, suæ evomant detractionis virus, occasionem & sodalitium indagant, circumeunt, inquietantur, cruciantur, usque dum in lucem ediderint pessimum diffamationis partum. *Mansi disc. 3. n. 3.*

V. Sicut Onocrotalus nescit cantare, nisi immerso in luto rostro; ita detractor similis est huic avi, qui nescit cantare, nisi cum rostrum tenet in luto, & tunc dat stridorem pro cantu; sic detractor cùm tenet os in lutum vitii alieni; teste Ecclesiastico, cùm ait: Susurro coinquinabit animam suam, & in omnibus odietur, *Bellvar. l. 3. to. 3. dist 3.*

odietur, & qui cum eo manserit, odiosus erit.

Mansi disc. 6. n. 9. VI. Sicut quantumcunque serpens post veneni impressionem incantetur, nihil prodest percusso, nisi alterius remedii fiat applicatio efficax; ita etiam post completam alienæ famæ diffamationem, clamate, vociferamini, corrigite detractorem, quantumcunque libueerit; actum agitis, nisi ipse famam restituat.

S. Bern. to. 1. ser. 13. a. 2. c. 3. VII. Sicut canes in macello degentes, licèt multæ ibi carnes asserventur, nihil tamen earum attingunt, sed vel ossibus, vel Sanguine, vel putrida carne pascuntur, ita sæculares plurimi cum Religiosis & Sacerdotibus, vel aliis servis Dei ampliùs, quàm discretio postulet, intrinsecè & domesticè conversantes, nihil exempli boni, licèt multa videant, ex eis asportant; sed quid fragilitatis conspexerint, aut otiosum verbum, vel risum, aut consimile factum.

Idem l. c. a. 1. VIII. Sicut sepulchrum patens, licèt nihil recipiat, tamen aërem vicinum corrumpit, sic fœtidi detractores, licet nullum malum exemplum verbo vel facto datum sit eis; tamen eorum corda & ora corrupta, semper in detractoria verba prorumpunt.

Fuga.

S. Hieron l. 2. ep. 13. ad rust. IX. Sicut sagitta, si mittatur contra duram materiam, nonnunquam in mittentem revertitur, & vulnerat mittentem; ita detractor cùm tristem faciem viderit audientis, imò non audientis, sed obturantis aures suas, ne audiat iudicium sanguinis, illicò conticescit, pallet vultus, hærent labia, saliva siccatur, & per consequens à detractione desistit.

Petr. Berchor. in v detractio. X. Sicut vas ex electro formatum hanc habet proprietatem, quòd, dum venenum eidem immittitur, obstrepat, variósque colores induat, hácque ratione, quod in eo latet toxicum, detegat, & manifestet; Unde qui aliis toxicum præparant, illud eiuscemodi vasi immittere cavent; Sic prò certo debent esse viri Sancti, quia si venenum detractionis infunditur in auribus alicuius electi, id est, alicuius Sancti viri, statim procul dubio debet stridere per detractionis reprehensionem, & vultum suum debet in colore mutare, per displicentiæ ostensionem.

Mansi disc. 15. n. 4. XI. Sicut ignis, quando nullam straminis, vel lignorum invenit escam, augeri aut crescere nequit, sed subitò extinguitur: è contra verò mirè augetur, dum magnum illi lignorum pabulum adiicitur: ita quoque in vitio hoc contingit; nemo enim meliorare, aut maledicere alicui potest, si non habeat aliquem, qui aures ei præbeat, & ideo detractor in tantum malè de quopiam loqui præsumit, in quantum se ab aliis libenter auscultari persuadet: Si detractorem hilari vultu audis, ligna admoves, quo detractionis ignis exardescat; Si statim inchoatâ detractione tristem vultum avertis, scintillam extinguis, quasi super exspueres, ut suffoces.

Damnum.

XII. Sicut inter instrumenta vulnus infligentia, nullum habet adeò difficile remedium, ac sagittæ vulnus; nam ferrum sagittæ profundè penetrat, & veneno infectum esse solet, unde cùm vulnus facit, non potest curari, nisi scindendo partem offensam, periculosásque incisiones, & novas aperturas requirit; sic, qui famam linguâ læsam cupit reparare, & vulnus sanare, sæpè novam incisionem & læsuram facit, renovat & auget vulnus, nec potest ferrum latens extrahere, hoc est, impressionem nocivam, quam linguâ suâ venenatâ aliorum animis infixit, non potest educere, & vulnus sanare, manétque ipse causa efficax damni. *Idem. disc. 11. n. 6.*

XIII. Sicut Hyena odit lucem, tenebras amat, cadavera eruit, vermibus nutritur, putredine gaudet; ita & detractor in sepulchro oblivionis tumulatos eruit aliorum defectus & peccata, imò & ipsis quandoque insidiatur mortuis, in aliorum malitia & vitiis sibi complacet, detrahit in abscondito, proximorum unicè oblectatur excessibus & flagitiis. Quod mirabilius est, inquit S. Bernardinus, nec quandoque parcunt detractores longo iam tempore sepultis, quin etiam exhument, & devorent illos, dum detrahunt eis. *S. Bern. to. 2. s. 29. a. 2. c. 1.*

XIV. Sicut sepulchrum, quasi dentibus armatum foret, omnia in se reclusa consumit, devorátque corpora; quasi struthionis stomacho polleret, ea quasi in nihilum reducit: ita & detractor vorax est, teste S. Bernardino, devorat ampliùs, quàm infernus, infernus devorat solùm malos. *Idem.*

XV. Sicut proprium est vulpibus, vites devorare, dum florent; ita & malarum proprium est linguarum, detrahere iis, qui in virtutum, bonarúmque operationum flore, nec non in optima apud mundum opinione superveminent, eos flore, id est, famâ, æstimatione, & reputatione destituunt. Demoliuntur vineas, amicitiarum, consortii humani, palatiorum, religionum, congregationum sunt venenum, pessima rixarum & discordiarum seminantes zizania. Pessima vulpes, inquit S. Bernardus, occultus detractor. *S. Bernard. ser. 63. in Cant.*

XVI. Sicut serpens occultè mordens venenum inserit; sic detractor clam detrahens virus pectoris sui infundit in fratrem, & nihil habet à serpente minus. *Alcuinus apud Mansi disc. 5. n. 6.*

§. IV.

MOTIVA.

I. **D**Ei exemplum; de quo S. Petrus Damianus dicit: Ecce tacet; videt, nec manifestat; videt, nec iudicat; videt, nec vindicat; videt, & videre dissimulat. Oleaster ad nostrum doctè propositum applicat illam Isaiæ prophetiam: *In die illa radet Dominus in novacula conducta in his, qui trans flumen sunt.* Quibus verbis Deus populo suo supplicium minatur. Sed cur fodes, novaculam se adhibiturum *Mansi disc. 4. n. 8.*

bitùrum spondet, quæ crines leniter succidit? cur non potiùs vindicem intentat iustitiæ suæ ensem, aut cœlestium sagittarum, seu fulminum rabiem? Respondet Oleaster. Vide quanta sit eius in puniendo miseratio, qui pilos resecat, & relinquit radices eorum, quibus renascantur; similiter quàm latenter puniat, non securi, non lanceâ, non ense, neque pugione; sed acutâ novaculâ, ut & nos puniat, & famam conservet. Quod ipsum etiam confirmavit Origenes dicens: Nunquam invenimus tantas laudes Deum dixisse de Moyse famulo suo, quantas nunc dici videmus, quando ab hominibus ei derogatum est.

Orig. hom. 7. in Num.

II. *Christi exemplum*, qui in divite Epulone omnes alios tenaces divites in timorem coniecturus, omnia distinctè narrat præter divitis infamis nomen, quod usque modo latet. Nomen pauperis exprimitur, in Paradisum translatus astruitur, & laudatur mendicus; Divitis quidem vitam accuratè describit Incarnata Sapientia, ast quod ei nomen, qualisve persona fuerit, non edicit. Ast quid ei damni poterat iactura famæ, qui æternum animæ detrimentum incurrerat? ut scilicet nos disceremus, nullius quantumcunque scandalosi, & impii hominis nomen cum publicatione, si hæc occulta fuerint, exprimere, ne quidem ex motivo timoris & metûs aliis incutiendi. Si Christus famæ pepercit inimici sui, secundùm animam & corpus in inferno sepulti, quantò magis nos proximi nostri, qui se emendare, Sanctúsque evadere potest, reputationem defendere, illæsámque servare oportet. Sed & cùm Pharisæus contra Magdalenam murmurare cœpit, Christus partes eius tuendas suscepit, eámque magnificè deprædicando ab omni calumnia liberavit.

Mansi loc. c. n. 9.

III. *Damna ab hoc vitio creari solita primò Ecclesiæ*; Nam uti S. Bernardinus ait: Nihil tantum nocuit Ecclesiæ ab initio sæculi, sicut pestifera conditio detractorum. Secundò ipsi detrahenti, tum quia Deo odibilem facit, & hominibus, teste S. Ambrosio, & confirmat Vates Regius dicens: *Induantur, qui detrahunt mihi, pudore, & operiantur sicut diploide, confusione sua*; quo modo loquendi docetur, infamiam in ipsos quoque redundare detractores; diplois pallium indicat duplex; supplicabat igitur David, ut interiùs, exteriúsque confunderentur; quemadmodum in hæc verba explanat Hugo Cardinalis: Ex omni parte confundantur, non tenuiter, sed intensè; hoc est, quod sequitur: & operiantur, sicut diploide, confusione suâ, aut dupliciter confundantur, scilicet coram Deo, & hominibus. Tum quia nullum vitium, teste Ruperto, divinæ pietatis fontem magis occludit, & exsiccat, sicut detractio. Tertiò, illi, cui detrahit; nam ut S. Laurentius Iustinianus ait: Quandocunque quis detractionibus vitam absentium dilaniat, procul dubio Diaboli minister est, & fraternæ cædis reus; gladio namque detractionis suæ famam proximi, cui detrahit, occidit in corde audientium. Quartò, Ipsis audientibus, ut

S. Bern. Senens. to. 2. ser. 29. a. 1.

Psal. 118.

S. Laur. Iust. c. 13. de disc. mon.

idem Sanctus notavit dicens: Audientes quoque vulnerat detractoris sagitta, eósque plurimùm provocat ad illius odium, de quo murmuratio fit; propriam verò perimit animam, & à Dei gloriâ se alienum facit. Unde meritò S. Bernardinus dixit: Maledica lingua tres vulnerat uno ictu. Primò seipsum, secundò audientes detractionem. Tertiò illos, quibus detrahit.

S. Bern. Senens. l. c. c. 3.

IV. *Turpitudo hujus vitij*. Quia detractores similes sunt diabolo, qui crudelis est bonis, crudelior suis, crudelissimus sibi ipsi. Crudelis est bonis, quia, quorum vitam non potest mordere interiùs, aut penetrare, fœdare nititur exteriùs diffamando, si potest, & falsum crimen imponendo. Imò ut idem ait: sunt aquiminaria (Weyhbrunnen-Kessel) diaboli, plena aqua benedicta diaboli, quorum os maledictione & amaritudine plenum est; linguâ eorum est diaboli aspersorium. Sed & S. Bernardinus ait: Detractor, & detractorum libens auditor, uterque diabolum habet, ille in lingua, iste in aure; ex quo quodammodo potest sequi, ait S. Bernardinus, quòd, quot detractores audis, tot in auribus dœmones recipis. Unde meritò S. Chrysostomus: Fugiamus, ait, dilecti, fugiamus detractiones docti, quod est totum Satanicum barathrum insidiarum eius; ut enim nostra negligamus, & graviores nobis reatus constituamus, in hanc nos consuetudinem diabolus duxit. Præterea eadem turpitudo patet ex abusu linguæ, cùm enim lingua hominis ad benedicendum, & ædificationem proximi sit creata, ille eam æqualem serpenti facit, dum virtutibus eius perversùm abutitur.

Bellu. to. 3. l. 3. Asc. 3.

S. Bern. Sen. to. 1. Ser. 23. a. 3. c. 3.

S. Chrysost. to. 1 hom. 3. ad pop.

V. *Pericula detractionis*; Nam primò facilè contrahitur; quia teste S. Laurentio Justiniano, consuevit hoc vitium etiam vigere in bonis; atque sub zeli specie iugiter captivare improvidos. Imò, teste Salmerone, adeò frequens est hoc vitium etiam apud religiosos, ut nomen quinti elementi, sine quo vivi non potest, apud quosdam obtinuerit. Secundò ob restitutionis difficultatem; nam iuxta commune proverbium, quicunque murmurans dicitur furtivè succidere chlamydem proximi; quemadmodum autem (experientiâ teste) nemo vestem refecturus, eam ita pristinæ restituit integritati, quin ruptura præcedens semper appareat, ita nec unquam ablata semel fama adeò perfectè restituitur, quin non aliqua ex parte semper appareat denigrata. Unde quidam Alexandri parasitus, qui omnes maledicos, ut cuicunque quantumvis etiam innocentissimo, & maximè innocenti detraherent, exstimulare solebat, dicere consueverat: ut maximè sanetur vulnus eius, qui delatus est, manet tamen cicatrix. In huius igitur vestis reparatione aut aliqua intercurret diversitas in suendo, vel in panno, vel in colore, adeóque sine ulla difficultate dignosci poterit refectura. Ita pariter ad famã restituendam obligati, quantumvis in re exili, accuratam vix unquam attingunt coniuncturã; vel enim dictitant, se hoc illudve dixisse, conscientiæ exonerandæ intuitu, aut aliud quodpiam fingent incredibile effugium. Unde Bernardinus rectè dixit: Valdè detestabile est hoc scelus,

S. Laur. Iust. de vit. sol. c. 4.

Mansi disc. 12. n. 5.

S. Bern. Sen. ibi art. 1. c. 1.

ſcelus, quia non tantùm remedium ſibi contrarium proficit, quantùm ſuâ malitiâ officit; ampliùs enim lingua detrahentis poteſt nocere, quàm excuſatoria ſeu laudatoria poſſet proficere, maximè cùm homines proniores ſint ad credendum, & ad memoriæ recommendandum mala, quàm bona. Sit quidam, qui malum dicat, profectu in promptu eſt, quòd illud credatur. Venenum ſemel habitum plùs gravaret, quàm theriaca pluries ſumpta remedium daret. Sagitta quoque humano corpori infixa vulnerat in momento, sed medicamenta illi non proſunt, niſi longo experimento.

§. V.

MEDIA

S. Laur. Iuſt. l. c.

I. *Dilectio proximi*, quia, teſte S. Laurentio Juſtiniano, aliena prorſus à charitate detractio eſt; qui proximum ſicut ſe ipſum diligit, detrahere neſcit, neque detractoribus libenter præſtat auditum.

Manſi diſc. 8. n. 5.

II. *Correctio ſeria*, uti S. Franciſcus ſuaſit, qui audiens quendam famam fratris denigrantem, Vicario ſuo dixit; ſurge, ſurge, diſcute diligenter, & ſi Fratrem accuſatum innocentem repereris, accuſantem durâ correctione cunctis redde notabilem; inſtant enim Religioni diſcrimina, niſi detractoribus obvietur, citò multorum ſuaviſſimus odor fœtebit, niſi fœtidorum ora claudantur. Summâ, volo, cures providentiâ, ne peſtifer ille morbus latiùs ſe diffundat.

S. Chryſoſt. hom. 3. in Matt.

III. *Pœnitentia celerata*; quia ſicut vipera poſt morſum ad aquam currit, quam niſi repererit, exſpirat, ita prorſus ſi quis venenum detractionibus aliorum auribus inſtillarit, ſi vox exciderit incauta, famam alienam violatura, mox eadem hora ad aquam pœnitentiæ accurrat, detraxiſſe doleat, deinceps futurus cautior, atque ſi ullo modo poſſit, reſtituturus, quæ lingua clanculum ademit. Difficile hoc quidem, ſed neceſſarium, & melius eſt, ablata reſtituere, quàm cum ablatis perire.

S. Bernard. ſen. l. c. a. 3 c. 1.

IV. *Humiliatio profunda*; ita S. Bernardinus ſuaſit, dicens: Optimum non detrahendi remedium eſt humiliatio, per quam homo recurrat ad arcana conſcientiæ ſuæ, atque reminiſcatur cogitando, quòd multa commiſit, ex quibus ex gratia Dei infamiam non incurrit, ut ex conſideratione propriorum peccatorum, quæ tangunt eum, & pungunt conſcientiam ſuam, peccata non ponderet ac conſideret aliena. Cui conſentiens S. Bernardus, ſi vis detrahere, inquit, tua in te retorqueto, non aliorum delicta, ſed propria carpe; nunquam enim aliis detrahes, ſi te benè inſpexeris; De malo alieno os tuum non coinquines, non detrahas peccatis, ſed condole.

S. Bernardus de interi. domo c. 42.

S. Thom. 2. 2. q. 73. a. 4.

V. *Reſpectus humani contemptus*; ſunt enim nonnulli, ut S. Thomas advertit, quibus tametſi murmuratio ſummè diſpliceat, attamen quia reſpectum ſive timorem aliquem humanum vincere non poſſunt, ſe ſe directè & generosè illi minimè opponunt, & ideò arte hic opus eſt, magnâque ad reſiſtendum dexteritate. S. Joannes Climacus ait: Ne verearis quemquam alteri apud te detrahentem, ſed obtrectatori dicito: Tace frater; ego quotidie graviùs delinquo, & quo pacto illum damnabo?

S. Io. Clim. de ſcal. Parad. gr. 10. n. 3.

Manſi diſc. 15. n. 1.

VI. *Diverſio ſermonis*; uti innominatus quidam Author ſuaſit dicens: Reſpice poſt tergum, exſpue in terram, confrica caput, conquerere de cibis nimis ſalſis, aut de miniſtris non tibi (ut oportet) ſervientibus, lauda vinum, aut condimenta menſæ, conquerere de canibus ſub menſa transeuntibus, & fœtorem aliquem relinquentibus. Stapletonus in vita Thomæ Mori Regni Angliæ Magni Cancellarii, qui demum pro fide Chriſti Martyr occubuit, refert, quòd vitium coram ſe proferri audiens, magna cum dexteritate diſcurſum divertere, aliòſque curioſos non minùs, quàm iucundos ſermones in medium producere ſolitus fuerit. Cùm taurus aliquis furibundus adverſus hominem ferocire incipit, is, ut eius ſævitiem evadat, pallium in cornua eius protinus iniicit, dúmque bos, ut pallio, quo caput obvolutum eſt, ſe ſe eximat, totus intentus eſt, homo aſtutus tempore & occaſione bene utens, per velociſſimam fugam ſibi & vitæ ſuæ conſulere parat: Pari quoque artificio homines Deum timentes uti debent; quando enim linguam maledicam malignâ ſuâ murmuratione proximum invadere audiunt, tunc indilatè & dexterè eandem in alium diſparatum diſcurſum divertere & diſtorquere debent.

ibidem n. 9.

Idem diſc. 15. n. 1.

VII. *Triſtitia vultûs*: Nam teſte Salomone, *Ventus Aquilo diſſipat pluvias, & facies triſtis linguam detrahentem.* Porrò ventus ſeptentrionalis, qui idem eſt, quod ventus Aquilonaris, diſſipat & impedit pluvias, ut Dion. Carthuſianus ait, quia frigidus eſt & gelidus; ſicut enim ventus ille abundantem & copioſam craſſorum vaporum in aëra elevationem impedire ſolet, ita quoque cauſa eſt, quòd nubes in aquam minimè reſolvi poſſint. Quam ſimilitudinem idem Carthuſianus ei, qui maledicum vultu aſpero, & ad iracundiam compoſito coërcet, his verbis applicat: Auditor detrahentis, mœſtum vultum monſtrando detractori, tacitè admonet eum, ut ſileat, dum enim detractor perpendit ſua verba invitè audiri, repercutitur in ſemetipſo. Gloſſa ab eodem Carthuſiano ſuper prædictum Proverbiorum textum citata dicit: ſi hilari vultu audieris detrahentem, tu illi das fomitem detrahendi: ſi autem triſti eum vultu audieris, diſcit, non libenter dicere, quod didicerit non libenter audiri.

S. Ant. Pad. ſer. 14. in Dom. Trino

VIII. *Oblivio abſentium hominum*, ut S. Antonius Paduanus hortatus eſt, inquiens: omnem hominē abſentem, quem non verè & purè diligis, obſecro te, frater mi, obliviſcere; ut dicere poſſis illud, quod dixit Joſeph, quando Manaſſes natus eſt ei: obliviſci fecit me Dominus omnium laborum meorum. Magnus eſt labor, vitam alterius linguâ detractionis lædere; malum alienum ſuum facere; pondus alterius ſibi ſuperponere: *Sub lingua eius*, inquit Pſalmiſta, *labor & dolor.*

IX. Bona

S. Chrysost. in ps. 49. v. 19. IX. *Bona locutio de detrahente*, sic S. Chrysostomus suasit: si vis, ait, & te ipsum beneficio afficere, & illum probè ulcisci, benedicas de eo, qui tibi fecit iniuriam: ita facies, ut multi sint eius pro te accusatores, & ipse magnam mercedem accipies; sin autem maledicas, ne fides quidem tibi habebitur, ut qui inimicitiarũ suspicione labores, quare tuum studium tibi vertitur in contrarium; tu enim volebas bonam eius famam evertere, contrà autem accidit, per laudem enim, non per accusationem hoc eveniet, sed contrà omninò, & te ipsum quidem maiori ignominiâ afficis, illum autem tua tela non tangunt.

S. Laur. Iust. de Vit. solit. c. 4. X. *Depositio curæ de aliis ad se non pertinentibus*; nam ut rectè S. Laurentius Justinianus dixit: quam ob rem, O detractor, quid fratris tui obloquendo scelera detegis? Ad te nunc meus est sermo. Quis te quæso, vitæ Judicem constituit alienæ? Quis te fratrum tuorum accusatorem fecit? quid tua interest, proximorum propalare facinora? verùm si delinquat frater, nunquid te offendit in aliquo? nunquid honori derogat tuo? quale, oro, ius habes in proximum, ut tuis eum velis arguere vocibus, atque obtrectationibus lacerare?

Mansi Hist. 13. n. 5. XI. *Auditio negata*; nam ipsa quotidiana experientia docet, quòd, quamdiu terra aliqua solida manet, nec aratro sciinditur, nec ligone aut quovis alio culturæ genere elaboratur, semen eidem superiniectum nec radices mittat, nec germinet, multòque minùs fructum producat: Eodem quoque modo maledicentiæ zizania non adhærescit, nec radices agit in illis, qui murmurationibus aures præbere firmiter & constanter renuunt, easdémque abominantur, & exhorrescunt; Quoad hos enim est veluti semen quoddam, quod seminatum cecidit supra petram, de quo dicitur: Natum aruit, quia non habebat humorem.

§ VI.

ASCETICA.

Richard. de S. Vict. p. 1. l. 3. de erud. int. hom. c. 8. I. Imprimis nôsse benè debet, *quid sit detractio*; quod quidem Richardus de S. Victore breviter ostendit? dum ait: Detractio est bonæ opinionis attenuatio; moxque subdit: Detrahere est de apertis bonis velle aliquid diminuere, cùm non possis penitùs evacuare; detrahit enim, qui aliquid oblatrando retrahit, unde hominis famam gloriosissimam credit. In specie autem quomodo committatur, S. Bonaventura indicat; dum ait: Ex ramo invidiæ procedit detractionis folium, quo proximi prosperitas impeditur; hoc autem folium principaliter in duo dividitur, quia qui detrahit, aut hoc facit, eius bonum diminuendo, aut eidem malum imponendo. Primum foliũ quatuor folia secum habet, scilicet bonum proximi tacere, diminuere, pervertere, & negare. Ex secundo ramo hæc folia procedunt; malum libenter audire, dissimulare, confirmare, aggravare, addere, revelare, & imponere. Alios adhuc modos S. Bernardinus ostendit; scilicet falsa crimina imponendo, & hoc quandoque verbis communibus, quandoque verbis apertis, quandoque derisionibus, quandoq; nocturnis sibilis, quandoque simulatis atque mutatis vocibus, quandoque nutibus & signis, quandoque libellis famosis, quandoque cantilenis, quandoque literis & epistolis.

S. Bonav. apud Mansi disc. 1. n. 3.

S. Bernardinus to. 2. ser. 29. a. 2. c. 7.

II. Nôsse debet, *quando defectus aliorum propalare liceat*: Nimirum cùm dicit, aut necessitate compulsus, aut inductus utilitate; tunc, inquit S. Bonaventura, tenemur ad hoc, quando præceptum urget divinum, vel humanum, humanum quidem, quando superior imperat patefacere crimen proximi; Divinum verò, dum conscientia ad similem exstimulat propalationem faciendam, ut vel corrigatur, vel emendetur excessus; servatis nihilominùs semper fraternæ correctionis conditionibus. Propter utilitatem posset manifestari peccatum proximi, dum ipsum panditur ei, qui fructum, non damnum, sit allaturus prævaricatori: sicut quando narrat homini, qui diligit, & qui compatitur, & habet voluntatem corrigendi illum. Deinde Sanctus ad nostrum concludens intentum ait: Quando verò non consideratur necessitas, vel utilitas, etiamsi sit veritas, non excusatur detrahendi libidine; imò peccato detractionis peccat, etiamsi verum dicat; qui loquendi modus, ne quem audienti scrupulum inijcere possit, Sanctus immediatè subiungit: Ne quis mihi dicat; tunc detraho, quando falsa dico, si autem vera dico, minimè; nam licèt vera loquens maledixeris, & hoc est crimen. S. Bonav. in Eccles. c. 10.

III. Nôsse debet, *quando alterius famam defendere debeamus*; quem in finem oculos mentis nostræ convertamus ad id, quod in Calvariæ monte duos inter latrones legimus accidisse. Teste S. Luca, reprobus duntaxat latro maledixit Christo, quod ut socius eius inaudiit, publicè reprehendit errorem, Christíque propugnavit innocentiam; dicens: Nos quidem iustè, nam digna factis recipimus; hic autem quid mali fecit? neque tu times Deum, qui in eadem damnatione es? Idem omninò in præsenti nobis dicere licet; nimirum in eadem damnatione sunt, scilicet qui detractionibus famam & honorem alterius diminuit, quique diminuentem audiens, & ipse malitiosè famam resarcire negligit. Notate S. Lucæ verba, ait enim: *Respondens autem alter increpabat eum dicens* &c. Ly respondens relationem habet ad interrogationem à malo latrone ad bonum factam; & nihilominùs Evangelium non docet, latronem reprobum alteri, præterquàm Christo locutum fuisse; cur igitur S. Lucas ait: *Respondens*? voluit, ni fallor, hoc loquendi modo nos edocere Evangelista, quòd, quando fratres nostros diffamari audimus, nostram hanc infamiam reputare, quod ad similia irritati & provocati, proximorum defensionem atque excusationem in nos suscipere debeamus, proximi causam reputantes propriam; præsertim quia sumus invicem membra; si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra; pro invicem sollicita sunt membra, experientiâ teste, si quando una pars corporis offenditur; reliquæ confest:m Mansi disc. 1 n. 12

confestim subveniunt, defendunt, adiuvant partes.

S. Thom. 2. 2. q. 73. a. 1. IV. Nôsse debet *discrimen, quod inter contumeliam & detractionem versatur*; quod S. Thomas sequentibus verbis assignat: Verbo dupliciter aliquem lædit; uno modo in manifesto, & hoc fit per contumeliam; alio modo occultè, & hoc fit per detractionem. Ex hoc autem, quòd aliquis manifestè contra alium verba profert, videtur eum parvi pendere, unde ex hoc ipso dehonoratur, & ideo contumelia detrimentum affert honori eius, in quem profertur: Sed qui verba contra aliquem profert in occulto, videtur eum vereri magìs, quàm parvi pendere; Unde non directè infert detrimentum honori, sed famæ, in quantùm huiusmodi verba occultè proferens, quantùm in ipso est, eos, qui audiunt, facit malam opinionem habere de eo, contra quem loquitur.

S. Anselm. ad Rom. 1 30. V. Nôsse debet, *quæ inter susurronem & detractorem sit differentia*; nimirùm ea, quam Belvacensis indicat dicens: Susurro mala de proximo seminat, ut inter audientes & diffamatum zizania dissensionum, odiorum & inimicitiarum fœcundet: Detractor non intendit dicere de proximo nisi malum, unde scilicet possit proximus diffamari, susurro verò non simpliciter intendit malum dicere, sed quidquid sit illud, quod possit animum unius contra alium perturbare. Et iterum S. Anselmus de eodem duplici hoc disceptans vitio, sequentem statuit resolutionem: Susurrones sunt, qui in auribus alicuius loquuntur malum de alio; detractores autem, qui virtutes ab aliquo suis verbis detrahunt, vel minuunt; Susurro quippè à sono locutionis dicitur, quia non in facie alicuius, sed in aure loquitur, secretè derogando; detractio autem est, aliorum benè gesta opera vel in malum vitiosè mutare, vel invidendo fallaci fraude diminuere; cùm aut mala dicuntur, quæ sunt, aut parva bona, quæ magna sunt. Detrahere enim est bona alterius deorsum trahere, id est, inclinare & premere, vel de ipsis bonis aliqua trahere, ut pauciora seu minora, quàm sunt, ostendatur esse. *Non appelleris susurro*, admonet Ecclesiasticus, *& linguâ tuâ ne capiaris & confundaris.*

S. Thom. 2. 2. q. 73. a. 3. ad 3. VI. Nôsse debet, *cur tam grave sit vitium detractio*, id quod S. Thomas explicat, dicens: Ne putentur ista peccata esse levia, quia solo ore committuntur; subdit: Deo odibiles, impugnat enim id maximè, quod Deus in hominibus amat, scilicet mutuum amorem. Joan. 15. *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem.* Cui etiam S. Bernardus consentit dicens: Non veniat anima mea in consilio detractorum, quoniam Deus odit eos; nec mirum, quoniam vitium illud charitatem, quæ Deus est, acriùs persequi & impugnare cognoscitur. (S. Bernardus apud Mansi disc. 4. n. 2.)

S. Laur. Iust. c. 22. de discipl. Monast. VII. Nôsse debet, *cur Religiosis præcipuè hoc vitium fugiendum sit*, nimirum quia nihil perniciosius est detractore in collegiis iustorum, dissipat namque charitatem, dissolvit unitatem, humilitatem fugat, pacem turbat, rixas pascit, nutrit discordias, lites movet, odia generat, & omnem dirimit sanctitatem. Quod etiam S. Hieronymus confirmat dicens: Est sanè tale hoc vitium, quod vel imprimis extingui debeat, & ab eis, qui se sanctè instituere volunt, prorsus excludi. Nihil enim tam inquietat animum, nihil est, quod ita mobilem mentem & levem faciat, quàm facilè totum credere, & obtrectatorum verba temerario mentis assensu sequi; beatùsque est qui se ita contra hoc vitium armavit, ut apud eum nemo detrahere audeat. (S. Hieron. ep. 14.)

S. Bernardin. sen. to. 1. ser. 28. a. 3. c. 1. VIII. Nôsse debet, *quomodo audiendo detractiones peccari possit*, nimirum tripliciter, iuxta S. Bernardinum. Primò si taceat; secundò, si delectetur; tertiò si inducat. Imò superaddit Sanctus: Arbitror ego, detractiones audientem longè quandoque culpabiliorem esse ipsomet detractore. Talis plerumque ampliùs, quàm detractor peccat, vel offendit, quoniam ex maiori iniquitate vel malignitate procedit, & talis omnium malorum, quæ ex causa ab eo data procedunt, coram Deo habet reddere rationem.

§. VII.
MISCELLANEA ET CONCEPTUS PRÆDICABILES.
Qualitas.

Mansi disc. 1. n. 3. I. GIgantea Statua, quam in somnis conspexit Nabuchodonosor, caput habebat aureum, pectus argenteum, corpus æneum, crura ferrea, pedes verò fictiles, quos ut exile contigit saxum, attrivit subitò, excessámque molem istam cum universis pretiosis adeò, solidísque metallis reduxit in pulverem. Ecce vobis vivum detractoris typum, qui proximo detracturus, eum auro coronat charitatis ardentis, argento specialis decorat integritatis, invictæ munit ære constantiæ, varias agglomerans virtutes & præcellentias eius, cuius famam immolare gestit; ast finem nostis? ut tandem exili lapide maledicæ linguæ suæ ex fragili fictilium pedum basi aliquem eliciat defectum, aut fragilitatem quampiam occultam; quo stante & obtento, in totam impius desævit molem, bonum calumniis atterit nomen, omnémque sanum de proximo abolet conceptum.

S. Greg. in 1. Reg. 24. 6. II. David in spelunca Odolla inimico suo Sauli pepercit, limbum nihilominùs vestis eius succidit, de quo facto postmodum ingemiscens, *percussit cor suum, eò quòd abscidisset oram chlamydis.* Cur indoluit obsecro? omnia in figura contingebant. Designabat David detractorem, qui proximo furtivè amputat vestimenta, id est, murmuratione secat leviter, exilem narrando proximi defectum, quod sufficit, ut proximus boni nominis denudetur honestate. Quid per Saul, nisi Rectores, inquit S. Gregorius; quid per David, nisi subditi significantur? O quàm in hoc similes David! quid si verentur mittere manum in Christum Domini, nec volunt occidere; libenter tamen oram chlamydis præcidunt; hoc est, honoris vestem, si non lacerant, diminuunt.

Mansi disc. 3 n. 3. III. Psalmista ps. 13. dicit: *Qui devorant plebem*

bem meam, ficut efcam panis. Quæ, obfecro, fimilitudo eft inter eum, qui aliis maledicit, & panem comedit. Detractores & murmuratores hoc fe impinguant veneno, inftar ciconiarum, quæ viperis nutriuntur: namque ipfis tam commune & familiare eft murmurare, quàm cuique homini manducare panem; nullus eft cibus quotidiano familiarior pane, ad omnes epulas adhiberi folito; ita nec quidquam communius detractione: quicunque alii cibi etiam fapidiffimi fecundùm fe, tandem aliquando nauſeam creant, nunquam panis, quia juxta communem medicinæ aphorifmum: omnis naufeatio mala, panis autem peffima; ita quocunque alio paulifper deficiente vitio, folus murmurationis pruritus pertinax perfiftit usque ad tumulum, multi in ætate maturiori iocis, convivii, fenfualitatibus renunciant, fed non murmurationibus: fepulchrum patens eft guttur eorum; murmuratio individua eft usque ad fepulchrum comes: quam ob caufam à S. Jacobo dictum effe arbitror: Lingua conftituitur in membris noftris, & quæ maculat totum corpus, & inflammat rotam nativitatis noftræ. Reliqua vitia unam duntaxat inflammant humanæ vitæ partem, v. g. Caro florentiores iuventutis annos, Mundus virilitatem, quæ honores, dignitates, aliaque temporalia bona aucupatur, avaritiam, fenilis plerumque fectatur ætas; aft murmuratio & detractio originem ducit ab unguiculis, femperque accrefcit per totum vitæ noftræ curfum: Inflammat rotam nativitatis noftræ, qui enim huic deditus eft vitio, omni tempore, loco, & ætate labitur. Detrahendi libido terminum non habet, nunquam faturatur, inquit Salvianus.

Apocal. 12.3. IV. S. Joannes in Apocalypfi draconem à fe vifum atteftatur, inquiens: *Et ecce draco magnus rufus, habens capita feptem, & cornua decem: & in capitibus eius diademata feptem: & cauda eius trahebat tertiam partem ftellarum cæli, & mifit eas in terram.* Per hunc draconem iuxta S. Bernardini fenfum detractio intelligitur. Draco folo permutftatu, pariter & detractor folâ maledici oris apertione, fpiritualem quandoque & corporalem caufat mortem. Rufus erat draco, ita & maledictus ab irafcibili & vindicativo fuo abripitur appetitu. Septem capita varias denotant detractionum fpecies: feptem diademata univerfale in omnes populos regnum & dominium; caudâ fuâ ftellas firmamenti in terram deiicit, dum perfectiffimis etiam infidiatur & infeftat.

Hugo Card. in cit. ps.

Fuga.

V. Regius Propheta David in Pf. 14. de illis, qui in tabernaculo altiffimi locum habituri funt, tractans, dicit: *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiefcet in monte fancto tuo?* Et refpondet, quòd ibi habituri fint, qui linguam fuam refrænant, ne malè loquantur de aliis, nec non eos, qui à maledicis aures fuas avertunt: Qui non egit dolum in lingua fua, nec fecit proximo fuo malum, & opprobrium non accepit adversùs proximos fuos; at verò, quod à nobis maximè confiderandum eft, funt verba, quæ fequuntur: *Ad nihilum deductus eft in confpectu eius malignus.* Circa quæ Hugo Cardinalis, aptiffimè ad propofitum noftrum ita fcribit: Opprobrium non accepit adversùs proximum fuum, id eft, non acceptavit illatum à fe, vel ab alio, vel, non accepit, neque in corde ad cogitandum, neque in ore ad loquendum, neque in aure ad audiendum, hâc enim diligentiâ & averfione fuppofitâ, nullum detractor locum habere poteft, & ideo ad nihilum deductus eft in confpectu eius malignus. Vel aliter poteft exponi, ut iungatur ei, quod immediatè præcedit, fic: Opprobrium non accepit, id eft, detractor deductus eft ad nihilum, quia non audet detrahere coram ipfo, qui non recipit opprobrium dictum de proximo fuo; quia, ut S. Hieronymus ait: Si deeft auditor, deeft & murmurator.

VI. Probiffimè Deo noftro perfpectum erat, quidquid in infamibus civitatibus Pentapolitanis agebatur, & tamen, licet criminum inibi commifforum accufatores plurimos habuiffet, perfonaliter defcendere voluit ad faciendum legitimum de illis proceffum. Ubi Rupertus Abbas notat, ideò Deum in propria perfona defcendere voluiffe, quia peccata incolarum caftiganda, & toti mundi manifeftanda erant, quod facere noluit, nifi re priùs legaliter & iudicialiter cognitâ & perfpectâ, ut per hoc falutare nobis relinqueret documentum, quòd fcilicet temerarium hominum prohibeatur iudicium, ne facilè audita credant, vel inexperta iudicent. Quot funt, quos in cenfurandis aliorum actionibus charitatis zelo motos fuiffe credimus, quos tamen poftea paffionibus & proprii intereffe promovendi ftudio agitatos fuiffe deprehendimus? Rupert. Abbas l. 6. de Trin. c. 4.

VII. Communiter docent Sacræ Scripturæ Interpretes, per Cham, qui à Patre fuo Noë maledictus fuit, præfigurari detractorem, utpotè cui proprium eft turpiores proximorum defectus detegere; fed obfervandum eft, quot benedictionibus à Patre cumulati fuerint, quámque fe virtuofos, omnique laude dignos probaverint duo alii fratres eius, Sem & Japhet, qui pallium impofuerant humeris fuis, & incedentes retrorfum operuerunt verenda patris fui; faciéfque eorum averfæ erant, & patris virilia non viderunt: qui proinde in hac actione repræfentârunt illos, qui aliorum defectus & peccata audientes, fuam à linguis maledicis averfionem oftendunt, defectúsque auditos meliori, quo poffunt, modo contegere & palliare conantur, eadem cum charitate & compaffione fraternâ excufando, & fub rigidi filentii velamine ftudiofiffimè abfcondendo. Manfi difc. 16. n. 2.

VIII. Alias inter leges in Tabernaculi fabrica à Moyfe obfervandas, iuffit ei Dominus, ut faceret lucernas feptem cum emunctoriis fuis, & vafa, ubi ea, quæ emuncta funt, extinguantur, de auro mundiffimo; quod idem præceptum in duobus Libri Exodi capitibus latum reperio. Cur obfecro, divina illa Maieftas, quam adorant Dominationes, tremunt Poteftates, regulas & decreta ferre voluit in præfcribendis tantæ vilitatis rebus, quales lucernarum funt emunctoria? quoad fenfum literalem faciliter Idem difc. 4. n. 7.

Digitized by Google

liter respondetur; id ordinatum fuisse, ne emuncta per tabernaculum dispersa, ipsum sorditie & fœtore inficerent. Ast cur aurum præscriptum fuit purissimum? Ad mysterium convolemus oportet. Apostolicus quidam sæculi nostri Prædicator astruit, fideles Ecclesiæ, præsertim autem Sacerdotes & Prælatos Ecclesiasticos lucernas esse debere, continuò ardentes & resplendentes charitate, atque exemplaritate vitæ, iuxta illud Christi effatum: *Lucernæ ardentes in manibus vestris.* Ast quia nostra in nobis prædominante fragilitate, peccatorum multoties producimus myxos, qui lucernas nostras extinguunt, & offuscant, non vult autem Deus ut emuncta per terram dissipentur, templúmque conspurcent; id est, prohibet peccata proximorum publicari, scandalosè diffundi, opprobrosè divulgari, quid igitur? purgari huiusmodi præcepit, & purissimo charitatis auro occultari: quia charitas operit multitudinem peccatorum.

Damnum.

Abulens. q. 60. Num. 12. 10.

IX. Murmurantis adversum Moysen, Mariæ insolentiam Deus leprâ punivit: Et ecce Maria apparuit candens leprâ, quasi nix. Quare vindex Deus hanc specialiter ei infirmitatem inflixit, præ quacunque alia? Doctissimus respondet Abulensis: Erat lepra immundissima omnium plagarum, cùm propter eam repellerentur homines de consortio aliorum. Voluit igitur Dominus hoc supplicii genere demonstrare, murmuratores conversatione hominum aliorum indignos esse.

Mansi disc. 6. n. 2.

X. Ingrati Hebræi fœtentia ora sua multoties in murmurationes resolverunt contra Deum, & Moysen, servum eius in deserto; Nihilominùs iustitia Dei vindex nunquam eos, aut fulminum horrore, aut sylvestrium ferarum tyrannide, aut cœlestis alimenti quotidie depluentis penuriâ, sed ignitorum duntaxat serpentium morsibus punivit. Mysterium quæritis, inquit, Abulensis? voluit Deus, pœnam æqualiter proportionari culpæ; Hebræi contra Deum murmurationis evomuerant venenum, ideòque à serpentibus percuti debebant, qui virus portant sub lingua, quam ita describit S. Isidorus: Serpentina lingua tenuissima, & trisulca, vibrans, atri coloris, & si extrahas, prælonga. Ecce vobis vivum maledicæ linguæ prototypon.

Berchorius v. Detractio.

XI. Berchorius detractori invidiam semper associatam astruit, ideóque eum viperæ assimilat, quæ antè se, quàm alios ferit; siquidem priusquàm alium mordeat, viscera rodit genitricis suæ, ita quoque detractio, inquit ille, priùs se sauciat, quàm feriat alios, quoniam præter mortalem propriæ conscientiæ plagam, insuper ab interna consumitur alienæ prosperitatis invidiâ. Ideo de detractore, inquit hic Author, potest intelligi commune hoc proverbium: Mus in pera, serpens in sinu, ignis in stupa, malè remunerant hospites suos.

B. Anselmus de simil. c. 14. 6.

X. B. Clemens inter cætera, quæ ab ore S. Petri se didicisse fatetur, hoc modo scribit. Tria sunt genera homicidii, quæ pari pœnâ plectuntur; interfectio fratrum, detractio, odium. De quo etiam Paulus dicit: *Si comeditis, & vos invicem mordetis, videte, ne ab invicem consumamini.* Comedit namque alter alterum, & quasi morsum in eo facit, quotiescunque aliquis aliquem malè loquendo vilibrem efficit: Unde necesse est, ut ab invicem consumantur, pœnis videlicet gehennalibus detrusi miserrimè puniantur. Sic igitur is, qui alterum detrahendo comedit, consumitur ab eo, quem morsibus detractionis consumere gestit, nam cùm eius vitam per detractionem lacerat, semetipsum ante Judicem Deum condemnat.

XIII. Hedera Jonam obumbrans vix creverat, móxque à corrodentis vermis livore devorata emarcuit; ita quò magìs proximi crescit virtus, eò studiosiùs illam obscurare conatur invidus, quasi vermis medullam devorat arboris, aut carnes meliores rodit, id est, melioribus maiorique laude dignis detrahit operibus. Per hederam, inquit Hugo Cardinalis, quæ viret in hyeme, significantur boni, qui gaudent in adversitate; per vermem significantur detractores, qui corrodunt radicem, id est, pervertunt intentionem; & sic arere faciunt hederam, quia bonos quandoque cessare faciunt à bono.

Hugo Card. in Luc. c. 6. v. 6.

XIV. In montibus Doffrinensibus avis quædam arboris cuiusdam summitati insidens, volubili motu suo tantillum è ramo excussit nivis, quæ prolapsa de ramo in ramum, & tandem per rupes deorsum, ingentem paulatim effecit molem niveam, quæ in præcipitio ligna, saxa, terrámque simul involvens, cum maximo impetu corruit deorsum, tandémque mobilis instar montis proruens castellum ad montium radicem situatum offendit, & oppressit. An non eodem omninò modo vel unicum subinde murmurationis verbum, adversus potentem, divitémque personam prolatum, privatas non modò inimicitias, sed & bella publica; imò familiarium, (flens dico) imò civitatum & Provinciarum suscitat, promovet, perennat, exterminia? Unicus pro mille suffecerit testis S. Bernardinus inquiens: Qui benè considerat omnia mundi scelera, omnes iniquitates & quasi omnis hæreses, schismata, & impietates ex tertia lingua originem habent. O igitur lingua nequam, lingua tertia detractoris, ô crudelitas infernalis! ô impia odii & invidiæ proles! ô pestifera lepra! tu es, quæ discordias seminas, tu sola conculcas bonos, diffamas iustos, paris scandala, testimonia falsa, periuria, occasiones iniquas multiplicare non cessas. Tu lingua sæva punis insontes, inter coniuges scandala ponis, infamas viduas, defloras virgines, tu sacras Religiosas confundis. Tu rancores, tu iurgia, livores & iras, contentiones & contumelias, & rixas, & scissuras suscitare non cessas. Tu sola perditiones generas, incendia foves, homicidia patras; Tu fratricida, patricida, matricida,

Olaus M. l. 2. c. 13.

S. Bern. ser. l. c. 6. 5.

& cæteras

& cæteras crudelitates virulentâ impietate committis. Tu sola fœdera frangis, in coniurationibus occuparis, separas amicos, multiplicas inimicos; tu sola dissipas civitates, destruis Regna, confoves tyrannias; Tu charitatem extinguis, deprimis iustos, magnificas impios, fidem destruis, spem frangis, cæteráſque virtutes impiâ crudelitate persequeris, tu omnia scelera vivificas, & extollis. Quid plura? Tu Angelos in Dæmones convertisti atque de cœlesti regno in æterna supplicia deiecisti & profundasti; primósque parentes nostros, ac cum eis totum genus humanum de paradiso deliciarum ad temporales, ad æternas miserias destinâsti.

TITVLVS XX.

DEI MISERICORDIA.

§. I.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

Communis Theol. I. St actus voluntatis, quo Deus ex infinita sua bonitate miserias suarum creaturarum sublevare conatur.

Divisio.

S. Bonav. in ps. 93. II. Dividitur in *prævenientem, prosequentem, & subsequentem.* Illum misericordia Dei prævenit, cuius affectum ad bonum effectum incitat, & incendit; de secunda dicitur à Domino: *Misericordia mea non recedet à te*; ab illo divina misericordia non recedit, cum quo cooperando procedit. De Tertia psallit Propheta: *Misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ*; illum misericordia subsequitur, cui finalis perseverantiæ gratiam impertitur. Quam ipsam divisionem etiam S. Bernardinus sequentibus verbis proponit: Prima est misericordia Dei *præveniens*, & hoc est quando Deus prævenit in anima, absque eo, quòd anima mereatur illam. Secunda est misericordia Dei *consequens*, quando inspiratur à Deo in tua anima, & tu illam non petis. Tertia est misericordia Dei *subsequens*; Status autem misericordiæ Dei subsequentis est, quando anima vult illam misericordiam acceptare, & consentit, & associatur cum ipsa misericordia, humiliter implorando illam, quia primò Deus ostendit sibi misericordiam suam. Secundò succedit tua voluntas, quia (secundùm Augustinum) si quæris, & vis, iam habes ipsam, de quo dicit Propheta in persona Dei: *Misericordia mea cum ipso.* *S. Bernardinus to. 4. ser. 48.*

§ II.

EX S. SCRIPTVRA.

Qualitas.

Exod. c. 34. I. DOminator Domine Deus, misericors & clemens, patiens, & multæ miserationis, & verax, qui custodis misericordiam in millia.

R. P. Lohn. Auctar. Bibl.

II. Miserator & misericors Dominus, patiens & multùm misericors: suavis Dominus universis, & misericordia eius super omnia opera eius. *Psal. 144.*

III. Magna est super cœlos misericordia tua, & usque ad nubes veritas tua. Domine in cœlo misericordia tua, & veritas tua usque ad nubes; iustitia tua sicut montes Dei. *Psal. 107. & 35.*

IV. In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans. *Ierem. c. 31*

V. Misericordia tua ante oculos meos est, & complacui in veritate tua. *Psal. 25.*

VI. Quia patiens Dominus est, in hoc ipso pœniteamus, & indulgentiam eius fusis lacrymis postulemus, non enim quasi homo, sic Deus comminabitur, neque sicut filius hominis ad iracundiam inflammabitur. *Iudith. 8. v. 15.*

VII. Exspectat Dominus, ut misereatur vestri, & ideo exaltabitur parcens vobis. *Isa. c. 30.*

VIII. Et vidit Deus opera eorum, quia conversi sunt de via sua mala, & misertus est Deus super malitiam, quam locutus fuerat, ut faceret eis, & non fecit. *Ion. c. 3.*

IX. An divitias bonitatis eius, & patientiæ & longanimitatis contemnis? ignoras, quoniam benignitas DEI ad pœnitentiam te adducit? *Rom. c. 2.*

Utilitas.

X. Ubi abundavit delictum superabundavit & gratia. *Rom. c. 5.*

XI. Misericordiæ Domini, quia non sumus consumpti, quia non defecerunt miserationes eius. *Thren. c. 3.*

§. III.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Qualitas.

I. BEnignus est Deus, nec ullus poterit homo illius benignitatem satis prædicare: imò etiamsi omnes omnium hominum linguæ simul coacervarentur, ne sic quidem partem aliquam benignitatis illius enarrare possent. *S. Cyrillus Ieros. Catech. 2.*

II. Audeo dicere, quòd Divina Clementia pronior sit ad ignoscendum, quàm ad puniendum, dicente Prophetâ: *Quoniam ira in indignatione,* *S. Laur. Iust. de humilit. c. 4.*

gnatione ejus, & vita in voluntate ejus; nempe naturale & *proprium Dei*, sacro testante eloquio, *est misereri semper & parcere*; nec non misericordia eius iudicium superexaltat atque excedit.

S. Bernard. apud Mansi tr. 49. disc. 3. n. 1. III. Magna omninò misericordia Domini in exspectatione est, non enim peccantem Angelum exspectavit, sed præcipitavit è cœlo, hominem peccantem non distulit, sed protinus expulit eum de paradiso; nunc autem iam exspectat, dissimulat, sustinet decem annis aut viginti & usque ad senectutem & senium.

S. Bonav. in ps. 119. IV. Nullus misericordiam invocaret, nisi miseria provocaret; & nota, quòd misericordia legitur in Scriptura, magna, speciosa, benigna. Quare magna? quia liberat à magna miseria culpæ originalis. Quare speciosa? quia præservat à fœda miseria culpæ actualis. Quare benigna? quia separat à maligna miseria molestiæ temporalis.

S. Vincent. Ferr. ser. 2 in Dom. 4 post Trinit. V. Si aliquis in præsentia Regis occidisset Reginam, & filios Regis, & peccâsset cum filiabus Regis, deinde veniret ad petendum veniam à Rege, utrum esset Rex in Mundo, qui parceret tali, & remitteret? credo, quòd non, nisi Christus; nam si aliquis interfecisset omnes Apostolos, & peccâsset cum omnibus mulieribus, & crucifixisset Christum, & peteret veniam, statim parceret illi.

S. Laur. Just. l. de obed. c. 15. VI. Mira res, mirabilisque misericordia Dei & Redemptoris nostri. Gemit peccator intra se, dolétque perpetrâsse delictum, & confestim placatur altissimus: Non præfigitur transgressoribus certum tempus ad pœnitendum: Quoties ingemuerit, non recordabor; si semel, si bis, si decies, si centies, si millies illum peccâsse pœnituerit, iniquitatum ipsius nequaquam memor ero. Hoc insinuare voluit Salvator noster, cùm Petro interroganti si usque septies fratri adversus se delinquenti indulgere deberet, respondit: *Non dico tibi usque septies, sed usque septuagesies septies*, tacitè videlicet significans, ut, quoties veniam petit, toties ignoscat. Quod autem Petro Dominus indicavit esse faciendum, hoc ipsum agere erga misericordiam flagitantes, dubitet nemo.

S. Bern. de triplici Misericor. VII. Quatuor filiæ magnæ misericordiæ sunt, nimirum immissio amaritudinis, subtractio opportunitatis, virtus resistendi, & sanitas affectionis; quandoque enim ei, qui peccato quovis obligatus tenetur, piè immittit Dominus amaritudines quasdam, quæ mentem occupant hominis, & expellunt perniciosam delectationem peccati. Quandoque subtrahit opportunitatem, nec tentari patitur infirmitatem. Quandoque virtutem donat resistendi, quod maius est, ut scilicet tentationem sentiens, viriliter agat, & non consentiat. Quandoque affectionem sanat, quod perfectissimum est, & in quo prorsus tentatio tollitur, ut non solùm non consentiatur ei, sed nec sentiatur quidem.

S. Bonav. ser. 9 in Dom. 6. post Pentec. VIII. Quòd à Diabolo non omnes suffocantur, quòd Mundus non subvertitur, quòd peccator vivus in infernum non detruditur, quòd in corpore à terra cum Chore & Dathan non absorbetur, Dei maxima est misericordia: *Misericordia Domini, quia non sumus consumpti.* Si cognosceret homo, quàm multiplicia sunt eius pericula, tunc cognosceretur, quàm multiplex sit super eum misericordia.

IX. Quid merebaris peccator? Contemptor Dei, quid merebaris? vide, si occurrit tibi nisi pœna; si occurrit tibi nisi supplicium, vides ergo, quid tibi debebat, & quid dederit, qui gratis dedit. Data est venia peccatori; datus est Spiritus iustificationis; data est charitas & dilectio, in qua omnia bona facias, & super hæc dabit & vitam æternam, & Societatem Angelorum, & hoc totum de misericordia. *S. Aug. in ps. 144.*

X. Ecce misericordia, quando vides iustos & iniustos eundem solem intueri, eandem lucem capere, eosdem fontes bibere, eâdem pluviâ saginari, iisdem fructibus terræ repleri, similiter aërem illum ducere, habere æqualiter mundi bona, noli putare iniustum esse Deum, qui dat ista æqualiter iustis & iniustis; misericordiæ tempus est, nondum iudicii; nisi enim primò Deus per misericordiam parceret, non inveniret, quos per iudicium coronaret. Est ergo misericordiæ tempus, quando patientia DEI ad pœnitentiam adducit peccantes. *Idem in ps. 100.*

XI. Attolle oculos etiam ad videndam Domini largitatem, sive familiaritatem. Si cui maximè potenti fecimus, quod ei displiceret, nunquid ampliùs nobiscum loqui, ne dum aliquid largiri, vel familiaris esse dignatur? graves sumus ei, etiam ad videndum, & pro magno beneficio computat, si saltem à nostra læsione desistat, & licèt multiplicibus & devotis obsequiis defendamus offensam, semper tamen iniuriæ memoria prætervolat oculos illius, nec oblitterari valet vel beneficio, vel obsequio, vel ipsâ etiam vetustate. Nunquid ita Deus meus, misericordia mea? Absit, consuevit enim honorare pœnitentes magìs, quàm innocentes; Revertentes plùs, quàm remanentes. *S. Petr. Dam. ser. de S. Martino Ep.*

XII. Licèt peccaveris, licèt neglexeris, & provocaveris patientiam Dei, paratus est tamen misereri, cùm volueris, & reverti ad revertentem; oblivisci & tegere peccata tua, & proiicere in profundum maris; nec erit mora inter confitentem, & remittentem, quia benignus & misericors est; sunt homines mundi faciles ad iram, difficiles ad misericordiam; Deus autem & ad irascendum difficilis, & facilis ad miserandum. *Idem.*

XIII. Vidit opera tua, recursus & excursus flagitiorum tuorum, & continuit iram suam. Cœlum non fulminavit, aqua non submersit, non absorbuit tellus; &, cùm omnis terra sit plena gloriâ Domini, in gloriam eius tuam miseriam evomuisti, nec reveritus es præsentem Dominum. Ipse autem quid? Ego, inquit, quasi non videns. Ecce videt, & tacet; videt, nec manifestat; videt, nec iudicat; videt, nec vindicat; videt, & thesaurizas tibi iram in die iræ. *Idem opusc. 7. c. 13.*

XIV.

S. Basilius apud Mansi disc. 12. n. 1.

XIV. Misericors est Deus? At idem etiam est Iudex. *Diligit enim*, inquit, *misericordiam & iudicium Dominus*; Idcircò *misericordiam & iudicium cantabo*, inquit, *tibi Domine*. Qui autem illi sint, adversùm quos ille misericordiâ utatur, ex verbis illis didicimus; *Beati misericordes; quoniam ipsi misericordiam consequentur*. Animadvertis, quanta cum discretione misericordiâ Dominus utatur; siquidem neque citra iudicii discretionem clemens est, neque inclementer iudicat; *misericors enim, & iustus est Dominus*. Hæc igitur cùm ita sint, nolimus, quæso, nos Deum ex dimidia tantùm parte cognoscere, neque eius erga nos bonitatem, ad ignaviæ occasionem arripiamus; propterea tonitrua, propterea fulminum terrores, ut ne bonitas contemnatur. Qui solem oriri facit, is cæcitate etiam mulctat; qui imbrem dat, etiam ignem pluit. Illa clementiæ, hæc severitatis, ut vel per illa ad amandum alliciamur, vel per hæc ad metum assuescamus, ne nobis quoque dicatur: *An divitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? Ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?*

S. Aug. in Ps. 32.

XV. Non sic est Deus misericors, ut iniustus sit; nec sic iustus est, ut misericors non sit. Parvane misericordia tibi est? Non imputabit priora omnia; malè vixisti usque in hodiernum diem, adhuc vivis; benè vive hodie.

Utilitas.

S. Petr. Dam. opusc. 7. c. 13.

XVI. Si tantùm Diabolus potuit, ut te in huius vitii profunda submergeret, quantò magis te virtus Christi poterit ad eum, de quo lapsus es, verticem revocare? Nunquid qui cecidit, non adiiciet ut resurgat? Cecidit asinus carnis tuæ in luto sub pondere, est stimulus pœnitentiæ, qui pungat; & manus Spiritus, quæ viriliter extrahat.

S. Aug. ser. 6. ad Frat.

XVII. O Beata misericordia, quæ sola commercium nostræ salutis agnovit; Sola enim misericordia ad Deum dirigit hominem, sola ad Deum deducit hominem, sola Deum deducit ad hominem. Hæc est sola mediatrix, aversos consolans, hæc disiunctos copulat, hæc sola Deum humilians, nos sublimat.

Idem.

XVIII. O grandis misericordia! O infinita! tu sola potuisti trahere Deum de cœlo ad terram, & nos de exilio ad regnum erigere.

Facilitas.

S. Petr. Dam. ser. 57.

XIX. Ad limina potentium frequentiùs excubamus, non habentes liberos accessus ad colloquendum; & si quid deliquimus, supplicibus oculis, facie tribulatâ, verbis humilibus emendamus. Illi autem plerumque superbo oculo, & humero dedignanti pedibus suis provolutos vel respicere nolunt. Non sic Dominus IESUS, qui libentiùs loquitur mecum, quàm ego secum; quem invenio, quoties quæro; qui occurrit cum panibus fugienti, qui vultum lætum ostendit mihi, qui meam pœnitentiam sicut innocentiam amplexatur. Ubique lætus, ubique bonus, ubique pius, ubique dulcis, cum magna multitudine dulcedinis suæ. Non facit supercilium, oculos non obliquat, non detorquet faciem, nec verba resonat ampullosa, sed occurrit revertenti, & accurrit in amplexus, flens super collum eius, & iubet proferri stolam primam.

Abusus vitandus.

XX. Abutuntur quidam patientiâ Dei, & qui non sunt in conscientia liberi, fiunt de longa impunitate securi, cùm ideo differatur ultio, ut tempus possit habere correctio. Misericordiam igitur Dei nostri, quæ *non vult mortem peccatoris, sed tantùm ut convertatur, & vivat*, non ideo quisquam tardet amplecti, quia quod meruit, non recepit; neque enim, quidquid differtur, aufertur, aut condemnationem evasit, qui indulgentiam non quæsivit. *S. Leo ser. 12. de Quadr.*

XXI. Nemo sibi ideo blandiatur, nemo stultâ & vanâ suspicione decipiatur; nemo idcircò securus delinquat & liber, quia super peccatores confestim Dei ira, iudiciumque non venit; ut ex hoc opinetur, se impunè peccâsse, quòd non illicò puniatur, sed hoc magis differre Deum, quàm dissimulare cognoscat, & iram Dei peccatoribus quamvis seram, subitò & repentè venturam, sicut scriptum est: *Ne dixeris, peccavi, & quid mihi accidit triste? Est enim Altissimus patiens redditor.* *S. Aug. de vit. Christiana c. 5.*

XXII. Pœnam differt, non aufert, iuxta quod dici solet; *quod differtur, non aufertur*; nam ut dictum est Sapientiæ 11. *Ipse dissimulat peccata hominum propter pœnitentiam*. Sed quos diutiùs tolerat, hos induratos suo tempore acriùs punit, & terribiliùs damnat, de quo ait Psalmista: *Deus Iudex iustus, fortis & patiens, nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit.* Nihil ergo stolidius, nihil periculosius, quàm longanimitate Dei abuti. *Dion. Carth. in c. 5. Eccl. 5.*

XXIII. Hæc misericordia Domini, quâ tardat ferire, paratus ignoscere, si sola fuerit, nullatenus sufficit ad salutem. Imò verò iudicium damnationis accumulat, ut dicatur: Hæc fecisti, & tacui. Apostolum proinde audiamus terribiliter insonantem. *An divitias bonitatis eius, inquit* (haud dubium, quin Dei) *& longanimitatis contemnis? Ignoras quoniam patientia Dei ad pœnitentiam te adducit? Tu autem secundùm duritiem tuam & cor impœnitens thesaurizas iram in die iræ.* *S. Bern. ser. de triplici miser.*

XXIV. Etiamsi post peccatum non senseris pœnam eius, cavendum tamen ab eo est, quia Deus, licèt sit tardus ad iram, atqui tandem pœnam culpæ maritat. Equidem nullo magis exemplo Dei maximus ostenditur animus, quàm quòd tam innumeris orbis criminibus provocatus non excandescat statim ad iram, siquidem miserationes eius super omnia opera eius; at verò ut est misericors, ita etiam est iustus. Iustitia ergo necessariò eum adiget, ut non patiatur culpam sine socia vivere pœnâ. *Paulus de Palat. Eccl. 5.*

R. P. Lohn. Auct. Bibl.

S. Aug. in Ps. 44. XXV. Nemo sibi multùm de misericordia Dei blandiatur, quia virga directionis est. Nunquid dicimus, non esse misericordem Deum? Quid misericordius eò, qui parcit tantum peccatoribus, & qui in omnibus conversis ad se non curat præterita? Sic eum dilige misericordem, ut velis esse veracem; non enim misericordia potest illi auferre iustitiam, neque iustitia misericordiam. Interim quamdiu ille differt, tu noli differre.

Tertull. l. de Resurr. carn, c. 14. XXVI. Deum discis tam optimum, quàm & iustum? de suo optimum, de nostro iustum, nisi homo deliquisset, optimum solummodo Deum nôsset ex naturæ proprietate, & nunc etiam iustum, cùm patitur, ex naturæ necessitate.

S. Aug. ser. 102. de temp. XXVII. Quomodo non est misericors, qui nos tanto tempore exspectat, ut corrigamur? nunquid tàm prolixa misericordia potest Deo auferre iustitiam? Quantò enim diutiùs exspectat, tantò graviùs vindicat. Quando enim prolixis temporibus peccamus, & nihil mali à Domino sustinemus, patientia est, non negligentia, non ille potentiam perdidit, sed nos ad pœnitentiam reservavit.

S. Greg. l. 17. mor. c. 4. XXVIII. Quisquis delinquit, & vivit, idcircò hunc divina dispensatio in æquitate tolerat, ut ab iniquitate compescat; sed qui diutiùs toleratur, nec tamen ab iniquitate compescitur, munus quidem supernæ patientiæ percipit, sed reatûs sui vinculis ex ipso se munere arctiùs stringit; nam quia accepta pœnitentiæ tempora divertit ad culpam, districtus in ultimis iudex impensa argumenta misericordiæ convertit ad pœnam.

S. Anselm. in 2. Roman. XXIX. De benignitate Dei sibi improbus thesaurizat, quia dum ad pœnitentiam tempus accipit, & ad peccandum expendit, ipsum remedium gratiæ vertit in augmentum culpæ. Unde & Omnipotens Deus, qui collata remedia conspicit ad culpæ augmentum trahi, ipsam benignitatem, quam contulit, in districtionem vertit, ut indè post plùs feriat, unde modò amplùs exspectat; & quia homo deserere malum non vult, ut vivat; augeat, unde moriatur.

§. IV.

EXEMPLA SACRA.

Vit. PP. de Fornicatione n. 16. I. Frater quidam impugnabatur à fornicatione. Contigit autem, ut veniret in vicum quendam Ægypti, & videns filiam Sacerdotis Paganorum, adamavit eam: & dixit Patri eius: Da mihi eam uxorem. Ille autem respondens dixit: Non possum eam dare tibi, nisi interrogavero Deum meum. Et abiens ad dæmonem, quem colebat, dixit ei: Ecce Monachus quidem venit volens accipere Filiam meam, do eam illi? Respondens dæmon dixit: Si negat Deum suum, & baptismum, & propositum Monachi, da eam illi. Et veniens dixit ei: Nega Deum tuum, & baptismum, & propositum Monachi, & dabo tibi filiam meam. Ille verò consensit, & statim vidit velut columbam exire de ore suo, & volare in cœlum. Pergens autem Sacerdos ad dæmonem dixit: Ecce promisit, se tria illa facturum. Tunc respondens diabolus dixit ei: Non des illi filiam tuam in uxorem, quia Deus eius non recessit ab eo, sed adhuc adiuvabit eum. Et veniens Sacerdos dixit fratri illi: Non possum tibi eam dare, quia adhuc Deus tuus adiuvat te, & non recessit à te. Hæc audiens Frater, dixit in semetipso: Si tantam bonitatem ostendit Deus in me, cùm ego infelix negaverim & ipsum, & baptismum, & propositum Monachi, bonus autem Deus etiam, cùm tam grande scelus commisi, nunc usque adiuvat, cur ego recedam ab eo? Et in semetipsum reversus recepit sobrietatem mentis, & venit in eremum ad quendam magnum senem, & narravit ei rem, quæ fuerat facta. Et respondit ei senex: Sede mecum in spelunca, & ieiuna tres hebdomadas continuas, & ego deprecor Deum pro te. Et laboravit senex pro fratre, & deprecatus est Dominum, dicens: obsecro te Domine, da mihi animam hanc, & suscipe pœnitentiam eius. Et exaudivit orationem eius Deus: Et cùm impleta fuisset prima hebdomas, venit senex ad illum fratrem, & interrogavit eum dicens: Aliquid vidisti? Et respondens Frater dixit: Etiam vidi columbam sursum in altitudine cœli contra caput meum volantem. Et respondens senex dixit ei: Attende tibimetipsi, & deprecare Deum intentè. Secundò verò venit iterum senex ad fratrem, & interrogavit eum, dicens: Vidisti aliquid? Et respondit: vidi columbam venientem iuxta caput meum. Et præcepit ei senex, dicens: sobrius esto mente, & ora. Et completâ tertiâ hebdomadâ venit iterum senex, & interrogavit eum, dicens: aliquidne plus vidisti? & respondens ille dixit: Vidi columbam, quæ venit & stetit suprà caput meum, & extendi manum meam, ut tenerem eam, illa autem surgens intravit in os meum, & gratias agens Deo senex, dixit Fratri: Ecce suscepit Deus pœnitentiam tuam, de cætero attende tibimetipsi, & esto sollicitus. Et respondens frater dixit: Ecce à modò tecum ero, donec moriar.

II. Apud Patres Carthusianos Conversus (ut vocant) fuit capitis planè rudis & inscii, qui aliam nullam precem potuit addiscere, nisi hæc tria verba: *Miserere mei Deus*, quam centies ac sæpiùs iterabat; cúmque eius Prior eius cubile præteriret, sensit inde suavissimum odorem exhalare; unde Prior fratrem examinat de vivendi & orandi modo, qui tamen se peccatorem fassus, aiebat se nihil dignum eâ gratiâ facere, neque se aliam precem scire, nisi: *Miserere mei Deus*. Prior ait, illum malè orare, diceret deinceps, *Miserere mei Deus*, & causam erroris ei ostendit: sed cùm primùm alterum precandi errorem Deo tam gratum correxit, odor non amplius sentiebatur, igitur Prior hominem ad se vocatum iubet antiquam orationem precari, quò factò, prior suavitas rediit. *Ex Chronic. Theodori Petrai pran. 13. c. 7. p. 3.*

III. Tolosæ Iuvenis quidam hominibus impiis & Atheis familiaris, factus est illis propè per *Barry p. 4. Anni Sancti c. 1. prani 1. 25. Octob. n. 6.*

per omnia similis, ut tamen priùs experiretur, num Deus aliquis esset, æstate sub vesperum extra urbem loco solitario inambulat, & pileo, palliòque in campum abiecto, ceu pugil Deum provocat, ut, si Deus aliquis sit, secum congrediatur; sed Deus hominis misertus, aliud nil egit, quàm ut pateretur è cœlo magnum chartæ folium decidere: quod impius provocator à terra tollens, videt inibi aureis litteris exaratum: *Miserere mei Deus.* Hoc viso resipuit, & in genua provolutus confestim, veniam impietatis petiit. Summo manè ad Collegium nostrum venit, & è nostris uni rem totam exposuit, animúmque Confessione expiavit.

Discipul. in Promptu. lit. M. exempl. 21. IV. Iuvenis incestum cum sorore commisit, monentem idcircò Fratrem, occidit: tandem & patrem, qui eum exhæredatum & urbe pulsum, in vitâ servavit, clàm in urbem regressus, peremit. Sed ubi pro concione audivit illud Ezech. 18. *in quacunque hora &c.* Confessus est magno cum dolore. Sacerdos eum iussit accedere Altare, in quo fuit imago B. Virginis, habens Christum mortuum in sinu suo. Ubi B. Virginem enixè rogavit, ut sibi veniam à Christo impetraret. Inter has tam calentes preces cor ei ruptum est, & mortuus iacuit ante Altare. Sacerdos superveniens, ratus eum vivere & quiescere, dum surgere iubet, mortuum reperit. Sequenti die iussit populum pro eo orare. Tum columba candida circumvolans in conspectu populi schedulam, quam rostro tenuit, ante Sacerdotem proiecit, in qua scriptum fuit, animam huius fuisse in cœlum deductam, antequam calor naturalis à corpore eius recessisset. Eâdem Schedulâ Sacerdos iussus est infinitam Dei misericordiam peccatoribus commendare, si quidem sincerè confiteantur.

Ex Annuis nostris. 1670. V. Quidam, cæterâ probatissimæ vitæ, dum librum & imagines eo contentas parùm pudicas incautiùs versat, primò cogitationes indè ortas reiecit, abiecto libro; sed resumens curiositati satisfecit. Unde in eam libidinis insaniam est lapsus, ut pudore omni prorsus abiecto, modos omnes exquireret, quibus eam expleret. Sed quia à solicitatis repulsam tulit, à dæmone aliquoties flagitat, ut vel aliam, vel semet personatum flagitio commodet. Cùm autem dæmon nihil præstaret, ille primò mirari dæmonis inertiam, tum circumspicere, num forsan quid lateret, quod stygi moram iniiceret, deprehensosque in sacculo libellos, & Rosarium, quod ad id tempus, studiosissimè volvebat, reponit in angulum, preces & Sacra, aliàque consueta pietatis exercitia negligit, ad omne scelus præceps. Tum in sylvas egressus, vestitu omni posito, abiectâque, quam inscius secum tulerat, sacrâ cerâ è collo pendulâ, clarâ voce dæmonem evocat. Nemo respondet. Ille verò omnis ultrà moræ pertæsus, ut stygem ad se pelliceret, Deum execratur, & horrendis blasphemiis Dei hostem datâ operâ se profitetur: Spondet, se hæc omnia flagitia in Confessione celaturum, & sacrilegè Confessione, & sacrâ Communione usurum. Sed & ad hæc surdus dæmon, Deo ita miserante, nil ostendit sui, aut respondit. Tandem miser execratus moram, & dæmonem, ubi se destitui ab orco, & flagitiis obsitum vidit, ac Deo exosum, facti pœnitens, sequenti die animum magno cum dolore apud nostrum expiavit.

VI. Salmanticæ fuit mercator prædives, qui aleâ omnia perdidit, simul & Dei timorem & amorem. Hinc Deum summo odio prosecutus, omnia scelera excogitavit, & fecit, & ne quod præteriret Navarri Casuum Summam legit, in eo ubi venit ad Tractatum de Confessione & pœnitentia; gavisus novâ peccandi occasione, sacrilegè confitendi, statuit id agere, & re ipsâ agit. Sed Confessarius suspicatus est è confitendi modo, hominem angi, & pudorem subesse, multa de Dei misericordia dixit, hortatus ad ingenuam Confessionem. Hinc miser intus commotus, inter lacrymas & suspiria Sacerdotem rogat, an tantis peccatis adhuc sit veniæ locus, quod ubi abundè intellexit, omnem vitam illi exposuit, & animum ad Religionem adiecit, totus iam alius in ea triennio vixit, ac viribus deficiens, Crucifixum amplexus peroravit: O quàm pudet me vitæ præteritæ; sed talis debeat esse Dominus, qui tantum peccatorem in gratiam reciperet, ita piè obiit. Engelgr. Dom 2. post Pascha.

VII. Pater quidam filiam propriam adamavit, & corrupit; mater suspicata scelus (Agalma dicta, lectæ pietatis matrona) filiam increpitam despexit. Filia indignata, matrem veneno tollit. Pater domum reversus id in filia quidem minùs acriter castigavit: verbis tamen graviùs eam, quàm putabat, perstrinxit. Ipsa enimvero se patri iam odiosam rata, nocte patrem stertentem securi obtruncat. Fugit indè ablatâ præcipuâ supellectili, ac se dæmoni devovet, in omne scelus proiecta. Fortè in templo concionatorem audit misericordiam Dei laudantem, indè commoda, post concionem Ecclesiastem adit, dicti veritatem exquirit, confitetur, pœnitentiæ loco tunc iubetur denuò die proximo Concioni adesse, ubi tanto cœpit dolore de peccatis suis obrui, ut illicò sit mortua. Ibidem.

VIII. Cuidam glorianti in bonis operibus, & in malis mœrenti, respondit B. Ægidius: Moderatè dolendum esse de peccatis, quia maior est divina misericordia, quàm peccatorum nostrorum copia. Si enim agricultores vererentur malos influxus, vel volucres cœli, nunquam sulcis terræ mandarent semina; cùm tamen semper maior pars fructuum remaneat penes cultorem; ita non est dimittendum bonum opus propter inanem gloriam, quia semper manet maior pars penes operantem. Vit. B. Ægidii.

IX. Bellovacensis in Speculo suo morali de Rege quodam refert, quòd, cùm inter subditos virum aliquem haberet supra modum divitem, sapientem, & versipellem, nec ullam contra eum invenire posset eum accusandi occasionem, ut eius se opulentis facultatibus locupletare posset, tres ei proposuerit quæstiones, per ordinem sub pœna confiscationis magnæ partis bonorum suorum ab ipso resolvendas, & quidem Bellov. spec. mor. l. 1. p. 4. dist. 10.

quidem quæstiones hæ adeo videbantur difficiles, ut non immeritò earum resolutio primâ facie impossibilis videri potuisset. Prima fuit, ubi erat medium terræ quasi centrum. Alia, quot modii erant aquæ in mari. Tertia, quàm magna erat misericordia DEI. Cùm autem die assignata coram Regis curia à carcere deduceretur, in quo detinebatur, ut se redimeret, & dictas quæstiones solveret, de consilio cuiusdam Philosophi, qui auxilium miserorum dicebatur, assumpto baculo illum in terram infixit, dicens: Hic est centrum terræ & medium, improba, si potes. Si vis, ut mensurem modios maris, retine flumina, & aquas, & alveos alios, ne subintrent, quousque mensuraverim, & tibi dicam numerum modiorum. Tertiam solvere potero, si tradideris mihi vestes tuas, & solium, ad hoc iudicium faciendum: Quò factò, cùm esset in sublimi solio in apparatu Regio ait: Audite, & videte sublimitatem misericordiæ Dei, quia paulò ante eram servus, modò factus sum quasi Rex: ante pauper, modò dives: antè in imo, modò in alto: antè in catenis & carcere, modò in libertate. Sic centrum misericordiæ Dei, est ubique in præsenti vita: Misericordiæ eius non est numerus, sublimitas & immensitas eius est, quòd de carcere & vinculis peccatorum, per pœnitentiam modicam venitur ad regnum cœlorum.

Discipulus in Prompt. lit. M. exempl. 20.

X. Legitur, quòd quidam miles habuit filiam pulcherrimam, & peccavit cum ea; quod quidem scelus mater eius per signa evidentia scivit, & perpendit: sed parcens confusioni propria filiæ noluit propalare. Puella autem sciens peccatum suum cognitum matri suæ, de consilio cuiusdam antiquæ vetulæ veneno matrem suam interfecit. Pater autem advertens & tantum scelus horrens, filiam omninò dimisit: tunc ipse eodem modo veneno ab ea interemptus est. Parentibus eius sic occisis illa in desperationem cadens, donec à quodam audivit prædicare, quòd omnia peccata, quantumcunque enormia in conspectu divinæ misericordiæ nihil essent, quando ea homo cum contritione confiteretur, & doleret. Ipsa autem ad eum accedens causâ confessionis, præ desperatione non valebat peccata sua confiteri. Et factâ sibi ab eo consolatione cum maxima lacrymarum effusione peccata sua veraciter est confessa; iudicans se omni pœnâ, & confusione esse dignam. Facta autem confessione, & iniunctâ ei pœnitentiâ salutari, ipsa cum ancilla sua intravit Ecclesiam, & prosternens se in oratione flevit in tantum amarè cum lacrymis & dolore, quòd statim mortua est inventa. Cùm autem Confessor eius in prædicatione, ut pro ea Dominum rogarent, populum admoneret; audivit vocem dicentem sibi, quòd ipse & populus potiùs eius orationibus indigerent, itaque intellexit, eam per lacrymarum inundationem iterum esse baptizatam, & ad patriam evolâsse sine omni purgatorii pœna.

Ibidem exemp 22.

XI. In vita S. Blasii legitur, quòd quidam serviens cuidam nobili viro, eius filiam adamavit inhonestè, quam donis & blanditiis non prævalens decipere, quâdam noctè in cœmiterio Iudæorum diabolum invocavit, & ei secreta sua revelavit. Cui Diabolus: Si vis, ut voluntatem tuam compleam: tu manu tuâ mihi scribe Chirographum, quo te ipsum mihi vovendo Christum abneges, & omnem suam perfectionem. Quo facto, diabolus cor puellæ amore illius totaliter concussit, ita ut pavimento prostrata clamaret dicens: Pater miserere mei, quia nimis crucior amore tui scutiferi. Sed pater evigilans, clamavit dicens: Heu, heu! quid contigit filiæ meæ, quam Christo vero Sponso copulare conabar, & sic salvare? Sed multò plùs illa insaniebat dicens: Pater, nisi, quod peto, compleveris, citiùs moriar. Super quo habito consilio cum amicis, copulavit filiam scutifero. Et quia iste se & sua dedicaverat diabolo; ideo nec Missam, nec cætera Dei beneficia advertit, nec curavit, neque signo sanctæ Crucis muniri poterat, nec videre. Quod illa advertens, fuit perterrita: licèt ille negaret, sed utrùm ita esset, illa semel traxit illum ad Ecclesiam, ut omnia probaret. Unde ille videns se deprehensum, eò quòd latere non posset, causam totam narravit uxori suæ, Tunc illa ingemiscens respondit: Confide, nec de misericordia Dei desperes, quia ipse potest te adhuc facere de iniusto iustum. Et sic traxit illum ad B. Basilium. Cui devotè omnia confessus est, & ab eo absolutus. Unde diabolus agitatus, nitebatur etiam visibiliter illum de manu B. Basilii retrahere, dicens: Tu mihi præiudicas; nam ego non ivi ad eum, sed ipse ivit ad me, Christum negando, & se ipsum mihi devovit. Tunc Basilius ipsum domi inclusit, & signo Crucis munivit ubi per quadraginta dies horribiles insidias dæmonum passus est, pœnitentiam suam complens, invocando virtutem sanguinis Christi. Tandem die quadragesimâ subitò in manu Basilii apparuit schedula obligationis diaboli: per quod illum reconciliatum Deo intelligens, ad Ecclesiam reduxit, & eius pœnitentiam suscepit.

Ibidem exemp. 23.

XII. Dives quidam devênit ad paupertatem, & postmodum subdidit se spontè diabolo, ut ipsum è converso ditaret, quem accipiens Diabolus baptizavit eum dicens: Ego baptizo te in nomine Luciferi, & omnium dæmonum, quòd sis cum corpore & anima noster. Tandem dedit ei multas divitias, & dixit. Ex quo noster es, debes portare signum nostrum, scilicet superbiam in vestibus, & incessu, sic & in membris. Qui cùm in illo statu fuisset annos aliquot, contigit, eum intrare Ecclesiam, audire prædicationem de misericordia Dei, & contritus remansit in Ecclesia, & procidens super terram, & iacens orabat, ut sibi Dominus redderet gratiam, & vellet totum corrigere, quod fecerat. Dominus videns eius humilitatem lacrymosam, & quod vellet corrigere totum, & vitam emendare, dixit ei de Altari: *Surge, remittuntur tibi peccata tua, vade, & amplius noli peccare.* Qui surgens præ nimia contritione factus fuit totus canus, quòd eum vix familia sua cognovit, qui etiam postmodùm se afflixit pœnitentiâ,

Digitized by Google

nitentiâ, quâ vitam æternam mercatus est. Istam misericordiam Dominus ostendet usque in diem Iudicii, sed in Judicio ostendet iustitiam bonis & malis.

Ibidem exempl. 26. XIII. Mulier quædam habuit virum valdè contrarium sibi, si veniebat de Missa, de foro, de taberna, semper percutiebat eam. Illa videns, se in arcto positam, consuluit unam vetulam, ut faceret, quòd vir suus diligeret eam. Illa promisit, & duxit eam ad horreum, & vocavit diabolum, qui statim affuit. Cui vetula: Ista fœmina vult vobis servire, ita ut faciatis, quòd vir eius diligat eam. Ille dixit, se libenter facturum, sed oporteret, quòd puerum unicum, quem haberet, occideret priùs; quòd cùm fecisset, rediit ad eum. At ille: unum adhuc facietis, scilicèt quòd abnegabitis fidem, & omnium Sanctorum auxilium. Quæ dixit: & ego abnego, & committo me vobis cum anima & corpore. Cui ille: Modò secura ito domum. Quod dum illa rediens læta fecit, vir veniens de taberna cœpit eam percutere; & si aliquando fuit malus, postea pessimus. Quare videns se confusam, fugam iniit: dum autem ad unum milliare de domo sua abesset: occurrit ei diabolus in specie viri sui, & simili habitu, & equo. cui dixit: Et quò tu vadis misera? Illa respondit: Ante vos fugio. Cui diabolus: Redeas citò domum, promitto tibi, quòd te nolo ampliùs molestare, & sic ascendit ad eum super equum, & putabat eum virum suum esse. Qui cùm venisset ante domum evanuit. Statim vir veniens, cœpit percutere illam. Cui illa: Hodie cùm aufugissem à vobis, & vos me de campo reduxistis; hoc non promisistis mihi. Ille audiens, quòd fugisset ab eo, dixit: hoc non erit tibi gratis, & cœpit eam percutere, quòd ferè exhalaverat spiritum. Quæ cùm iaceret semiviva in vulneribus, dixit: adducite mihi Confessorem. Cui vir: Nunc vult me confundere, quòd dicatur, ego occidi eam, & prohibuit, quòd nullus iret ad Sacerdotem pro Confessione. Illa non cessabat clamare: adducite mihi Confessorem. Tandem unus de familia cautè ivit, & vocavit Sacerdotem cum Corpore Christi, & erat in nocte: qui cùm venisset ante domum, vir observavit omnia, & non permisit, Sacerdotem ingredi. Qui dum staret ante domum, clamavit ad eum illa dicens: Domine saltem per parietem audite me: & cœpit clamare dicens: Domine, fateor, quia puerum meum occidi, & diabolo me commisi cum anima & corpore, & fidem Christi abnegavi, & cum magna contritione emisit spiritum. Et statim iste pius Pater pepercit omnibus peccatis suis, & gratiam suam ei reddidit: & animam eius per sanctos Angelos in cœlum deportari fecit. Hoc vidit vir, & Sacerdos, & omnes, qui aderant.

Ibidem exempl. 21. XIV. Fuit quædam meretrix in civitate quadam, propter quam multi erant depauperati. Audiens autem Abbas Pafnucius mala, quæ per eam fiebant, assumpto sibi habitu seculari; ad eam est profectus, & dato ei solido pro scorti pretio, petiit locum secretum, & obscurum, ne videri ab aliquo posset, & peccatum suum sine verecundia perpetraret. Et cùm duxisset eum ad plura loca, & ipse semper diceret, quòd videri timeret: duxit eum in obscurissimum locum dicens, quòd nullus posset eum videre, nisi Deus, & diabolus. De quibus verbis ei facto sermone, qualiter deberet aspectum Dei formidare, convertit eam, & ad pœnitentiam mox induxit. Quæ convocans mox omnes socios suos amatores, fecit omnia, quæ lucrata fuerat, comburi coram eis in medio urbis, quæ valebant binas quadraginta Marchas auri; dixitque quòd magìs volebat hæc comburi, quàm quòd in futuro iudicio ipsamet combureretur ab eisdem. Quò factô, secuta est Abbatem in desertum, qui eam in parvam cellulam inclusit, in quam per fenestram parvam dabat ei singulis diebus parum panis & aquæ. In eâdem autem cellâ iuxta se omnia necessaria faciebat: quæ præ peccatorum eius pudore non audebat nomen Dei nominare, nec manus vel oculos ad cœlum levare; sed versa ad Orientem dicebat: *Qui plasmasti me, miserere mei,* sicut eam Abbas iusserat. Post annos autem tres compassus ei dictus Abbas, quæsivit à B. Antonio, si esset tempus emittendi eam, & idem peccatum dimissum; qui fecit pro ea fratres orare. Tunc Paulus maior discipulus B. Antonii positus in extasi vidit lectum pretiosissimum in cœlo à tribus speciosissimis puellis præparatum. Et cùm quæreret, si esset B. Antonii, responsum est ei, quòd non: sed Thaydis sponsæ Christi. Et cùm esset exclusa, ait, quòd in toto triennio habuit semper peccata sua ante oculos, quasi quandam sarcinam, flens continuè largiter super ea. Et tunc dixerunt sancti Patres, quòd non propter pœnitentiam, quàm sustinuerat, sed propter peccatorum memoriam, & verecundiam ei peccata fuerunt dimissa. Et transactis quindecim diebus requievit in pace.

§. V.

SIMILITUDINES.

Qualitas.

I. Sicut cœlum quandoque nigrâ conspicitur coopertum caligine, horrendis resonans, strepitánsque tonitribus, fulgurans, fulminans, grandines iaciens, impetuosis exundans pluviis, gelidísque debacchans aquilonibus; Ast subitò variis pulcherrimisque adornata coloribus apparet Iris, serenitatem nobis promittens & tranquillitatem; Ita & nos sæpe supplicia & flagella timemus, & expavescimus iræ Divinæ, quasi iam iam à terra absorbendi, ultimamque mundi experturi ruinam: Deus repulisti & destruxisti nos, & iratus es. Ecce tempestates, turbines & fulmina; ast indilatè postea serenitas succedit: Et misertus es nobis. *Mansi disc. 10. n. 1.*

II. Sicut sunt aliqui Judices adeò pii, qui, etiamsi contra aliquem crucis sententiam proferant, priùs lacrymantur; Sic Deus quando destruxit mundum tempore Noë, priùs ploravit. Tactus dolore cordis intrinsecùs: *delebo,* inquit, *Did. Stella in c. 21. Luc.*

inquit, *hominem, quem formavi*, Super Jerusalem etiam priùs flevit, antequam eam destrueret.

S. Chrysost. hom. 2. in Ps. 50.

III. Sicut in ægrotis, & periculosissimo morbo correptis, ingentisque pretii pharmacis opus habentibus, si ingrediatur medicus, atque ægrum admoneat, per multis ipsi medicamentorum generibus ad conficiendum pharmacum opus esse, isque præbere se posse neget, quòd inopiâ laboret, dicâtque medicus: Hoc & illud mihi da, & ego reliqua omnia de meo subministrabo. Eodem modo Deus quoque facit, Confessionem, inquit, & lacrymas & pœnitentiam mihi præbe, & ego alia pro mea benignitate tibi largiar.

Utilitas.

Mansi disc. 3. n. 1.

IV. Sicut pecunia omnibus rebus comparandis deservit, omniáque supplet: ita Divina pietas omnibus necessitatibus nostris subvenit, ad quævis se impendit, & ubique resplendet.

Ibid. n. 2.

V. Sicut thesaurus temporalis in beneficium innumerabilium hominum diffunditur; eodem modo divitiæ divinæ bonitatis in omnes res diffunduntur.

Ibid. n. 7.

VI. Sicut quilibet lucis radius innumeras dissipat tenebras; eodem modo quilibet minimus sanctificantis gratiæ gradus, qui est quidam Divinæ misericordiæ partus, infinitas dissipat tenebras iniquitatis.

Abusus cavendus.

Salmeron. to. 13. disp. 16.

VII. Sicut solet thesaurus recondi, aurum auro, & argentum argento cumulando, & magnâ ac solicitâ diligentiâ servando, ne quisquam illum deprædetur, ut tandem aliquando suâ die detegatur, & illum possidens dives & beatus habeatur: Ita per contrarium thesaurizamus iram, id est, divinæ vindictæ meritum, peccata peccatis coacervando, & diligenter illud per impœnitentiam asservando, ita ut Deus omnium delictorum nostrorum memoriam exactam custodiat, quò tandem aliquando die novissimâ detegatur thesaurus malefactorum, ut cum ipso gravissimo puniaris supplicio.

Cornel. à Lapide in c. 5. Eccl.

VIII. Sicut misericordia Dei citò adest, & subvenit pœnitentibus; ita & ira Dei citò ingruet peccatoribus impœnitentibus ex improviso.

S. Hier. in c. 2. Rom.

IX. Sicut qui paulatim arcum intendit, tempus dat alteri, ut fugiat; qui si fugere nolit, tantò fortiùs sagittâ emissâ configitur, quantò maiori tempore arcûs intensio fuit facta; sic Deus, qui laneos habet pedes, sed ferreas manus, tarditatem supplicii gravitate compensat.

§. VI.

MOTIVA.

De misericordia Dei sperandi.

Mansi disc. 3. n. 9.

I. QUia misericordia est gloria Dei; uti Mansi his verbis indicavit; In libro numerorum Deus inquit: *vivo ego, & implebitur gloriâ Domini universa terra.*

S. Thom. Villan. tr. de Advent.

II. *Quia mors Christi eam exigit, & commendat*; uti S. Thomas Villan: indicavit dicens: Quomodo te damnabit pœnitentem, qui propter hoc moritur, ne damneris? Quomodo te abiiciet redeuntem, qui de cœlo venit quærere te? Unde Apostolus: *Quis accusabit adversus electos Dei? Deus, qui iustificat, quis est, qui condemnet?* Dices forsan; agnosco Dei viscera, inæstimabilem dignationem intelligo; sed magna sunt peccata mea nimis, & inveterata flagitia mea, pœnitentia verò modica, aut nulla, quomodo possum salvus fieri? O stulte, non attendis, qualem pro tuis peccatis satisfactionem in cruce Patri reddiderit? exaggera crimina, accumula peccata, aggrava quantùm potes; potior est illa hostia. Et confirmans S. Bernardinus, quid magis, inquit, ad spem veniæ mentes erigere potuit, & verisimilius ostendere valuit, Deum velle misereri hominibus, quàm quòd Pater misericordiarum proprio filio suo, ut eis parceret, non pepercit? Et ipse Filius, ut immunes & illæsi ipsi abirent, latrociniorum ipsorum dignatus est perferre suspendium.

S. Bern. Senens. to. 1. Quinq. ser. 1. ar. 2.

S. Basil in hom. exh. ad bapt.

III. *Quia semper & ubique parata est*; uti S. Basilius indicavit dicens: Clama: dic, miserere mei! non labia movendo, sed mente vocem emittens; nam & silentes audit Deus. Jeremias in luto erat, & Deum attraxit: Daniel in leonum lacu Deum placavit. Verùm, inquies, hi Deo grati & accepti erant, ego autem innumeris sum sceleribus contaminatus; verùm & latro in cruce talis erat, & tamen, licèt in profunditate putei huius constitutus esset, inquit Magnus Basilius, non tamen in cruce prohibitus est, quin paradisum assecutus fuerit. Id ipsum etiam S. Laurentius Justinianus confirmans, an ignoras, ait, quamdiu corporaliter vivis, etsi omnium criminum te feceris reum, resurgendi tamen in spiritu tibi à Deo est indicta fiducia. Hinc idem S. exclamat: O Divinæ miserationis ineffabiles divitiæ! Non præfixit compunctionis tempus, non indixit mensuram, neque consequendæ gratiæ terminavit locum, sed simpliciter dixit: Quotiescunque ingemuerit peccator, insinuans, nullum ab eâdem miserendi finem esse impositum.

S. Laur. Iust. l. 1. de spirit. anim. interitu.

S. Vincent. Ferr. apud Mansi disc. 3. n. 8.

IV. *Quia patienter exspectat*, uti S. Vincentius Ferrerius his verbis declaravit: Quot annis creditis, quòd Deus exspectavit Angelos peccantes? Revera non per annum, nec per mensem, nec per hebdomadam, nec per diem, nec per horam, nec per momentum, sed statim & subitò eiecit eos de cœlo, & damnavit æternaliter in tantùm, quòd nec Incarnatio Filii Dei, nec Passio eius aliquid eis profuit, quia irrevocabiliter sunt damnati in æternum. Modò cogita hîc, quanta est misericordia Dei? quia tam nobiles creaturas, & spirituales non exspectavit ad pœnitentiam, & modò exspectat te superbum, vanum, pomposum per multos annos. Cui consentiens S. Bernardinus, Deus inquit, non ad executionem sententiæ currit, non festinat irasci, sustinet, dissimulat, exspectat. Non quidem pius Deus irascitur per singulos

S. Bern. Senens. to. 2. ser. 19 art. 1. c. 1.

gulos dies; Unde Sapient. 11. 24. *Misereris omnium Domine, quoniam omnia potes, & dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam.* Et revera illud dicere possumus Thren. 3. *Misericordia Domini, quia non sumus consumpti.*

Idem to. 2. de Orig. verit. ser. 3. c. 3. 5. 2.

V. *Quia ultrò invitat*, uti idem Sanctus indicavit: dum de Redemptore in crucem crucifixo, ita scribit: Clamat dicens: O anima mea dilecta, brachiis in cruce expansis benignissimè te exspecto, ulcisci dissimulo, à multis periculis libero; revertere, cùm gaudenter te suscipio, omnem offensam remitto, gratiam liberaliter tibi dono, & datam multiplico, multiplicatam conservabo; conservatámque in æternum remunerabo; Ideo, ut dicitur Jeremiæ 31. *in charitate perpetuâ dilexi te, ideo attraxi te miserans tui*; Ergo, ut dicitur Isaiæ 5. *Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & revertatur ad Dominum, & miserebitur eius, quia multus est ad ignoscendum.*

S. Laur. Just. de Obed. c. 5.

Hinc & S. Laurentius Just. ait: O quàm frequenter ad cordis pulsat ostium, ut ingrediatur ad te, tecum maneat, in te conquiescat, suarúmque te participem faciat esse deliciarum. Insequitur quippè te, quasi tuo ipse Dominus indigeat famulatu, & tanquam sine te nequeat esse beatus.

Ibidem.

VI. *Quia beneficiis provocat*; uti iterum S. Laurentius Just. insinuavit dicens: Quamvis delinquas graviter, quamvis in multis offendas frequenter, tametsi te voluntariè avertat ab illo, nunquid suarum stillicidia gratiarum cohibet, ne pluant super te? Nunquid solis, lunæ, stellarúmque splendorem abscondit, ut non super te luceant, atque radios diffundant? Porro terra germinat fructum suum, arbores diversarum specierum poma producunt, virgulta quæque ad tuum fœcunda sunt usum, & (prò dolor) intelligere dissimulas, à quo ista percipias. Tibi cuncta famulantur elementa, nubes de cœlo imbrem opportunum spargunt, dies diei, & nox succedit nocti, ut tibi, cunctisque viventibus præbeant exemplum; & sine sensu, & absque gustu torpescis, & iaces. Postremò illo ordinante, iubente, atque dominante, tibi serviunt Angeli, ministrant Archangeli, universǽque cœlorum obsequuntur virtutes, tuam quærentes salutem, tuum cupientes profectum, tuam beatitudinem anhelantes, & neque ex his te convertis ad illum, qui sua bonitate, antequàm esses, convertit se ad te. Nempe cùm non esses, non erat, qui resisteret, obaudiret, renueret, & tamen ipse sine te dignatus est facere te; te quoque existente, prævaricante, fugiente, exspectavit patienter, ut pœnitentiam ageres.

Petr. Cellens. de tabern. l. 1.

Et Petrus Cellensis, unum, inquit, præ aliis suæ bonitatis strictiùs religavit beneficiorum vinculum, quo spretus non sperneret, eiectus non abiiceret, offensus non læderet, sed satisfaceret sibi pro nobis de nostra iniuria, non requireret, sed reduceret. Quis hoc cacumine pietatis elevatus est, nisi Jesus? Quis hunc verticem gratiarum subiit, nisi filius olei? planè si in Jesu aliquid est melius ipso Jesu, id mihi est propitiatorium, id est reconciliatorium.

S. Bernardus in festo S. Magdalen.

VII. *Quia celeriter exaudit*; teste S. Bernardo dicente: Magnam prorsus miseriam magnâ misericordiâ diluit, & abstergit, & hoc quidem festinanter, quia sine ullo intervallo coniunguntur, & lachrymæ peccatricis, & misericordia Salvatoris.

S. Chrysologus in Ps. 135.

VIII. *Quia jugiter subvenit*; nam uti rectè D. Chrysologus indicavit, dum verba illa Ps. 135. (*Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia eius*) explicans ita scribit: Quid est sæculum? Non aliquando quidem, inquit, beneficio afficit, aliquando verò recedit. Neque aliquando quidem miseretur, aliquando verò desinit, quod evenit in hominibus, quos & prohibet animi perturbatio, & distrahit fractus & abiectus animus, impedit favor, & obsequium, at Deus non est eiusmodi, sed perpetuò miseretur.

S. Bern. Sen. to. 2. ser. de . . . c. 2. & c. 1.

IX. *Quia etiam indignos non respuit*; uti S. Bernardinus testatur, dicens: Admiranda est benignitas Salvatoris, quòd talibus vitam & largitur, & conservat, aliáque multiplicia dona perfectissimâ largitate præstare non cessat, qui non solùm vitâ ipsâ indignissimi sunt, sed etiam omni alio bono, præsertim cùm ipsis bonis, quæ à Creatore accepisse illos manifestum est, non solùm execrabiliter abutuntur, sed etiam Creatorem benignissimum nequissimè impugnant.

S. Basil. in in reg. breviar. in term. 13.

X. *Quia terminum non habet*; hinc S. Basilius, si fieri potest, inquit, ut multitudo miserationum Dei numeretur, & magnitudo misericordiæ mensurâ ullâ comprehendatur, collata cum magnitudine peccatorum, adhibeatur sanè, si libet, desperatio. Si autem hæc & magnitudine non possunt & numero definiri (misericordia autem Dei & miserationes, neque magnitudine ulla possunt, neque numero circumscribi) sine dubio non est, cur desperatio adhibenda sit, sed agnoscenda misericordia Dei, & commissa peccata detestanda, quorum condonatio posita est in Sanguine Christi.

§. VIII.
MEDIA

Ad fiduciam erga misericordiam Dei concipiendam.

S. Bern. ser. 1. de Conversione S. Pauli.

I. EXempla misericordiæ ob oculos ponere, uti S. Bernardus suasit, dicens de S. Paulo: Propterea conversionis eius memoria frequentatur, quòd & ipsa quoque memorantibus utilis inveniatur: in hac enim memoria, & peccator spem veniæ concipit, & provocatur ad pœnitentiam, & qui iam pœnitet, perfectæ conversionis accipit formam. Quis desperet ultrà pro magnitudine cuiuslibet criminis, quandoquidem Saulum audiat adhuc spirantem minarum & cædis in discipulos Domini, subitò factum vas electionis? Quis dicat iniquitatis pondere pressus: assurgere iam ad studia meliora

liora non valeo; quando in ipso itinere, quo sanguinem sitiens Christianum, dirum toto pectore virus exhalabat, persecutor crudelissimus in prædicatorem fidelissimum repentè mutatus est? Sed & S. Gregorius, inquit, perpendo Petrum, considero latronem, aspicio Zachæum; Intueor Mariam, & nihil aliud video, nisi ante oculos nostros posita spei & pœnitentiæ exempla; ubique exempla suæ misericordiæ apponit. Mala ergo displiceant vel experta. Libenter obliviscitur Deus, quòd nocentes fuimus, paratus est pœnitentiam nostram nobis ad innocentiam deputare.

S. Greg. ho. 21 in Evang.

II. *Pronitatem Dei ad miserandum considerare*, de qua sic loquitur Oleaster: Solet apud homines multiplicata iniuriæ illatæ conditio esse causa, de cætero continendi veniam; non sic autem Dominus Deus, sed veniam multiplicâsse, causa est novæ condonationis; Unde ait Moyses: *sicut propitius fuisti egredientibus de Ægypto.* Et clariùs S. Petrus Damianus: vides, inquit, quàm longa patientia sit in Deo, quàm velox misericordia? Longanimus, ait Sanctus, & multùm misericors. Libenter igitur ad te confugio, Domine Jesu, qui diutiùs pateris, & velociter misereris, quia tu es Deus & non homo, sicut Propheta dicit: Qui servet iram, abscondat malitiam, vindictam inquirat. Ad hæc & illud considerandum in misericordia miserantis, quia sæculi homines semel, aut bis, aut multùm septies vel decies dimittent; hic autem millies in die, si fieri posset, quæ committimus, dimittit; & hoc quamdiu vivimus, quàm diu peregrinamur ab ipso.

Oleaster in c. 14. Num.

S. Petr. Dam. ser. de S. Martino Ep.

§. VIII.

ASCETICA.

I. INprimis nôsse debet Asceta, *cur Deus vocari voluerit Misericordiarum Pater*; id quod S. Bernardus declaravit dicens: Rectè, non Pater Judiciorum & ultionis Deus dicitur, sed Pater Misericordiarum, non modò quòd Pater videatur misereri potiùs, quàm indignari, sed eò magis, quòd miserandi causam & originem sumat ex proprio; iudicandi, vel ulciscendi, ex nostro.

S. Bern. ser. 5 in Vigil. Nativit.

II. Nôsse debet, *in quo misericordia Dei præcipuè eluceat*; quod Hugo Cardinalis ostendit, dum super verba S. Pauli: *An divitias bonitatis eius &c.* ita scribit: Notatur copiositas, & abundantia bonitatis in largitione beneficiorum, quæ fit peccatoribus licèt indignis. Hæc bonitas attenditur in octo. Primò in hoc, quòd dat eis, licèt sint eius capitales inimici; Secundò, quòd interiùs incitat ad bonum; Tertiò, quòd à malis refrænat peccatores per flagella vel ægritudines; Quartò in hoc, quòd à casu conservat; Quintò, in quantùm peccatoribus offert gratiam; Sextò, in hoc, quòd exteriùs vocat per prædicationem; Septimò in hoc, quòd exempla benefaciendi, & se convertendi ad ipsum, ostendit in sanctis viris, quia in omni Religione sunt aliqui boni. Octavò apparet bonitas Dei in hoc, quòd delectationes temporales amaritudinibus respergit.

Hugo Card. in c. 2. Rom.

III. Nôsse debet *varios modos, quibus misericordia Divina ad pœnitentiam vocat peccatores*, quos breviter indicavit Bellovacensis dicens: Effectus Divinæ misericordiæ est, quia peccatorem multipliciter revocare conatur: videlicèt corripiendo, flagellando, blandiendo, promittendo, vocando prædicationis vel locutionis verbo, incitando, reclamando, & inspirando interno consilio, increpando aliquo terribili signo. Fusiùs verò enumeravit S. Bernardus, inquiens: Septem in me video misericordias Domini, quas & vos ipsi facillimè invenire potestis in vobismet ipsis. Prima est quia non potest explicari sermone, quàm benigna sit, quàm gratuita; Ego peccabam, & tu dissimulabas: non continebam à sceleribus, & abstinebas à verberibus; prolongabam ego multiplicando iniquitatem, & tu Domine pietatem tuam. Secunda est, quòd à multis peccatis adhuc in sæculo positum custodivit me: Quis enim non videat, quòd, sicut in multa cecidi, sic & in alia poteram cecidisse peccata, nisi me Omnipotens pietas conservâsset? Fateor, & fateor, & fateor, quia nisi Dominus adiuvisset me, paulò minùs cecidisset in omne peccatum anima mea: hanc misericordiã tangit, quando dicit, quòd iste prodigus filius *cupiebat saturari de siliquis porcorũ, & nemo illi dabat*, id est, Deus non dabat, cuius centrũ ubique, & circumferentia nusquam, quia non vult dare homini opportunitatem peccandi, quam optat; libenter tamen dæmon daret, qui te posuit ad porcos custodiendos. Tertia est, quòd visitavit cor meum, & immutavit, ut fierent mihi amara, quæ mala dulcia priùs erant. Hanc tangit Salvator, quando dicit, quòd hic adolescens est ad se reversus, & quòd cœpit intra se dicere: *Quanti mercenarii in domo Patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo! Surgam, & ibo ad patrem meum.* Quarta est, quòd pœnitentem misericorditer suscipit, ut in eorum numero inveniretur, de quibus Ps. 31. *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates*; hanc misericordiam tangit in hoc, quòd dicit Patrem occurrisse filio, cùm adhuc esset procul, & eum amplexatum ad pacis osculum suscepisse. Quinta, per quam mihi continendi deinceps emendatiùs præstitit virtutem, ut non recidivum paterer, & esset novissimus error peior priore. Hanc misericordiam tangit in hoc, quòd dicit, eum fuisse calceatum, id est, mortificatum desideriis, ne pes iam lapsus fæcibus immergatur. Sexta est, gratia promerendi, & hæc significatur in annulo fidei, qui ponitur in manibus, id est, in operibus applicatur, quod fit non propria nostra virtute, sed Dei gratiâ. Septima est manus bonæ conversationis. Quibus consentiens venerabilis Beda, quid, inquit, tam longanimum, quid tam inultum in misericordia? Peccatur, & vivitur, accedunt peccata, augetur vita; blasphematur quotidie, & *Solem suum oriri facit super bonos & malos.* Vocat undique ad correctionem; vocat impertiendo tempus vivendi;

Bellov. spec. mor. l. 1. p. 4. dist. 10.

S. Bern. ser. 48. in Cant.

Beda in c. 2. Rom.

vivendi; vocat per lectorem; vocat per tractatorem, vocat per intimam cogitationem. Vocat per flagellum correctionis, vocat per misericordiam consolationis, longanimis & multæ misericordiæ Deus.

S. Aug. in Psalm. 144.

IV. Nôsse debet *scopulos, in quos impingere solent homines misericordiâ Dei abutentes*, quos S. Augustinus indicavit, dicens: *Et spes, & desperatio timenda est in peccatis.* Videte vocem desperantis ad augenda peccata, & videte vocem sperantis ad augenda peccata, & quomodo utrique voci occurrit providentia & misericordia Dei. Audi vocem desperantis: Jam, inquit, damnandus sum, quare non facio, quidquid volo? Audi & vocem sperantis; misericordia Domini magna est. Quando me convertero, dimittet mihi omnia; Quare non facio, quidquid volo? desperat, ut peccet; sperat ut peccet. Utrumque metuendum est, utrumque periculosum. Væ à desperatione! væ à perversa spe! utrique huic periculo, & utrique malo, quomodo occurrit misericordia Dei? Quid dicis tu, qui desperando volebas peccare? Iam damnandus sum, quare non facio, quidquid volo? Audi Scripturam: *Nolo mortem impii, tantùm, ut revertatur, & vivat.* Hac voce Dei reducitur in spem. Sed timendus est alius laqueus, ne ipsâ spe amplius peccet. Quid ergo & tu dicebas, qui spe magis peccas? quando me convertero, omnia mihi Deus dimittet; faciam, quidquid volo. Audi & tu Scripturam: *Non tardes converti ad Dominum, neque differas de die in diem; subitò enim veniet ira eius, & in tempore vindictæ disperdet te*; noli ergo dicere: Cras me convertam, cras Deo placebo. Verum quidem dicis, quia Deus conversioni indulgentiam promisit; sed dilationi tuæ diem crastinum non promisit. Et iterum: Semper

Idem tr. 33 in Ioan.

expectas, & de misericordia Dei tibi plurimùm polliceris, quasi illi, qui tibi per pœnitentiam promisit indulgentiam, promiserit tibi etiam prolixiorem vitam. Unde scis, quid pariat crastinus dies? Rectè dicis in corde tuo: quando me correxero, Deus mihi omnia peccata dimittet; negare non possumus, quòd correctis atque conversis indulgentiam Deus promisit: At in quo Propheta mihi legis, quia promisit correcto indulgentiam, non mihi legis, quia promisit tibi Deus longam vitam. Ex utroque igitur homines periclitantur, & sperando & desperando, contrariis rebus, contrariis affectionibus. Sperando quis decipitur? Qui dicit bonus est Deus, misericors est Deus. Desperando quis decipitur? qui dicit: immisericors est Deus.

Hildebertus Ep. apud Mansi disc. 12. n. 4.

V. Nôsse debet, *sicut misericordia semper cum iustitia conjuncta est, ita metum quoque Divini Iudicij cum spe misericordiæ obtinendæ junctum esse debere*; uti sapienter monuit Hildebertus Episcopus, dum in epistola quadam (cui hic præfigitur titulus: Gratulatur Reginæ cuidam de bono; quod aliud fuisse non puto, quàm nuptias cum Rege.) præterea illam hortatur, ut Deum non ita speret misericordem, ut non etiam exspectet Iudicem; ita ad propositum nostrum scribit: Sed dicis mihi; Idem offensus clementiam promittit, punire prætermittit, pœnitentem admittit, minas remittit, debita dimittit, ampliora committit. Ita est, inquam, confiteor, *misericordiâ Domini plena est terra.* Cæterùm plures eam sibi infructuosè aucupantur, qui (licèt abiurato benè agendi studio) Deum tamen, quem merentur iudicem, sperant misericordem, quasi eum invenire propitium, merces sit iniquitatis, quod credimus esse Religionis. Verùm non est ita: neque enim misericordiam Dei lucrantur mali, quam sibi etiam timidè pollicentur boni. In ea sperare, saluberrimum est consilium; sed de ea totum pendere, periculosum est refugium, oportet enim Iudicem mitigent aliqua bona, si volumus misericorditer iudicari mala. Proxima est veniæ causa, non tota rea; virtus, quæ cum delicto ad iudicium venit, intervenit. Hi verò Iudicem sentiunt misericordiæ expertem, qui se peccando faciunt expertes iustitiæ. Et in eundem sensum S. Augustinus; quamvis, ait, multùm præsumere debeamus de misericordia Dei, non tamen negligenter debemus timere iustitiam eius; cum iustitia enim te iudicabit, qui cum misericordia te redemit. Nam quòd tam longo tempore peccamus, & parcit, non est negligentia; sed patientia; non ille potentiam perdidit, sed nos ad pœnitentiam reservavit. Teneamus ergo iustitiam, cuius misericordiam desideramus. Hinc teste S. Basilio: ubique Scriptura miserationibus Dei iustitiam coniungit, nos planè erudiens, quemadmodùm nec misericordia Dei sine iudicio, nec iudicium sine misericordia fit, sed commensuretur, etiam cum iudicio miserationes suas iis, qui digni sunt, admensuret; & cùm iudicat, commensuratum quoque nostræ infirmitati iudicium inferat benignitatis erga nos affectu potiùs, quàm æquè compensatione nos plectens. Cuius ulteriorem rationem alibi reddens: si per se, ait, iudicium Dei satis esset, ac severè & præcisè pro meritis eorum, quæ gessimus, nobis rependeret, quæ nobis spes reliqua esset? quis ex omnibus salvus fieret? Nunc autem diligit misericordiam & iudicium, velut assistrice constitutâ sibi misericordiâ, & regio iudicii prælata throno. Sic quemlibet in iudicium adducit: *Si iniquitates observaveris Domine, Domine quis sustinebit?* Neque enim misericordia sine iudicio; neque iudicium sine misericordia. Ante iudicium misericordiam diligit, & post eam prærogatam ad iudicium venit. Hæc enim inter se coniuncta sunt; misericordia cum iudicio. Vult enim misereri Iudex, teque miserationibus suis complecti; modò post admissa humilem te factum & contritum, & malefacta plurimùm deplorantem inveniat.

S. Aug. hom. 16 in Exh. c. 10.

S. Basil. in Ps. 144.

idem in Ps. 32.

VI. Nôsse debet, *etiam cooperationem hominis necessariam esse, ut misericordiam à Deo consequatur*; uti sapienter indicavit S. Chrysostomus dicens: Dei misericordia tanta est, ut nullâ oratione explicari, nullâ cogitatione comprehendi possit, mentemque omnem excedat; ac

S. Chrysost. hom. 1. in Ps. 50.

R. P. Lohn. Auctar. Bibl.

Digitized by Google

rationem superet. Verùm etiamsi ea talis sit, partes tamen etiam nostras desiderat. Attende, quid dicam. Deus misericordiam impendit; at non id simpliciter, verùm ait: Da tu quoque aliquid v. g. infinitis peccatorum sarcinis premeris, delicta multa habes, ea levare volo; manum tu quoque porrige, non quòd ego te opus habeam, sed quia te etiam ad tuam salutem aliquid erogare volo. Et quonam pacto dicam? Latro ille salutem est consecutus, ac tot peccata dissolvit, nimirum non per misericordiam solam, sed etiam per suam fidem. Quid enim ait? *Memento mei*, inquit, *dum veneris in regnum tuum*. Quidnam Deus ad ipsius salutem contulit? Peccatorum solutionem. Quid dabo? fidem. Qualem? magnam, sublimem, ad cœlum usque pertingentem. Quæ veritas, sequenti in Patrum Capucinorum Chronico contentâ stabilitur historiâ, quâ narratur, Fratrem Matthæum de Bascio, unum è primis Religionis illius Fundatoribus miraculis clarum, novúmque sæculi sui Apostolum, in disseminando Dei verbo Zelosum æquè ac frequentem extitisse; qui cùm proinde die quadam Iudæis prædicaret in urbe Veneta, unus eorum se compunctum esse (secundùm externam tamen apparentiam duntaxat) ostentans, concionatorem, ut suis apud Deum precibus veram sibi notitiam, luménque impetraret, obtestatus est. Annuit Fr. Matthæus, séque divinam pro eo oraturum misericordiam spopondit. Quo vix absente, perfidus ille cum Sodalibus suis Hebræis fidem nostram, virúmque Dei illudere cœpit: Neque multis exinde elapsis diebus Sancto viro obvius, inquit ad illum: Nescio, quid dicam, siquidem ex quo me tuis commendavi orationibus, tuus ille Christus nullo lucis radio usque in præsens tempus meum illustravit, ingressúsve est animum. Ad quem Fr. Matthæus: Ita quidem; ast post breve tempus eius tibi defectûs rationem insinuabo. Interim me comitare, quia tuâ indigeo operâ. Abit Iudæus, & ad Palatium, uno inde distans milliari, conductus, in limine domûs baiulum reperit, saccúmque frumento plenum, nec procul indè vacuam in mari cymbam. Quando vir Dei ad Hebræum conversus ait: Granum hoc ad navigium istud deportari vellem, adiuva itaque me, obsecro, ut ipsum baiuli huius humeris imponamus. Mox obsequiosus Hebræus hinc uni sacci parti, illinc verò alteri servus Dei suam applicavit manum, dúmque Hebræus saccum elevaret, Frater Matthæus suas ex industria subduxit manus, ut saccus caderet; quo facto indignatus Hebræus, quid, inquit, facitis? Et vos vestras sustinere partes, siquidem nimium est pondus, ut illi ego solus sufficiam, nec ego tantas habeo vires, ut ego sine ope tua pondus hoc erigere valeam. Tunc S. Capuccinus, sacco dimisso, sequentibus Hebræum aggreditur verbis: Ecce nunc ipsissimam tuæ duritiæ causam; rogasti me, ut pro salute tua, & plenâ tui ad veram fidem illuminatione intercederem apud divinam misericordiam; Ego, quod mei erat muneris, feci omni cum diligentia, ast tu defecisti in munere tuo, nec mihi, nec tibi satisfaciens. Meam itaque orationem cum cordis sinceritate adiuva & tuâ, divinámque in te experieris misericordiam. Hisque dictis, navigium, baiulus, & frumentum disparuêre. Quò miraculô miser ille compunctus, suisque ipsum enarrans, non modò ipse conversus fuit, sed etiam tota familia illius.

Ann. Cap. p. 2 añ 1532. n. 76.

VII. Nôsse debet, *nunquam desperandum esse de misericordia Dei*; ut rectè S. Antonius Paduanus indicavit dicens: Nulli diffidendum est, ne deficiant miserationes Dei; fons misericordiæ non siccatur, nisi tu priùs fueris exsiccatus; Imò, ut Author ait de Spiritu & anima, tardiùs videtur ei veniam peccatori dare, quàm ipsum recipere, quasi plùs cruciet ipsum ipsius miseri compassio, quàm ipsum miserum passio. Quod ipsum etiam S. Laurentius Iustinianus hortatur, dum ait: Noli ergo ex diffidentia tua immensæ misericordiæ Dei abbreviare manum, quæ tibi ad indulgendum, quàm tu ad poscendum veniam, paratior invenitur. Idem quoque Sanctus super illa se reflectens Psalmi verba: *Misericordiam & Iudicium cantabo tibi Domine*; quàm invitus Deus castiget, his verbis insinuat: Hoc ideo dictum est, ut scias, ipsum libentiùs ignoscere, quàm punire, nam paratissimus semper est ad parcendum; ad feriendum verò (si fas est dicere) tardus & piger, & peccata dissimulans; hinc est, quòd, antequàm iustitiæ suæ rigorem effundat, præmonet, & æquanimiter delinquentium emendationem exspectat. Hoc quippe in veteri, hoc in novo legitur Testamento; hoc in nobis quotidiano claret experimento.

S. Ant. Pad. in Dom. 4. Quadr.

S. Laur. Iust. l. 1. de inter. agone.

VIII. Nôsse debet etiam, *quando Deus corripit, duriúsque tractat homines, hunc esse effectum misericordiæ*; ut rectè S. Chrysostomus advertit, dicens: Nunc mihi sermonem meum memoriâ tenete, nec unquam elabi ex eâ finite, Deum nimirùm non modò, cùm afficit beneficiis, sed etiam, cùm punit, bonum esse ac benignum, nam & ipsius pœnæ ac supplicia beneficiorum eius sunt pars maxima, & providentiæ genus maximum. Cùm ergo famem, pestes aëris, siccitates, imbres continuos, & aëris inæqualitates, vel aliud quidpiam videris, quô genus humanum puniatur; ne ægrè feras, neque indigneris, sed adora rerum illarum Authorem, atque illum curæ ac sollicitudinis nomine commenda. Ille quippe est, qui hæc omnia peragit, & corpus castigat, ut anima emendetur; iuxta illud Psalmistæ: *Cùm occideret eos, tunc quærebant eum, & diluculo veniebant ad eum.* Medicus, non cùm ægrum in hortos & prata deducit, laudandus est tantùm, nec cùm in balnea & piscinas aquarum, nec cùm opiparam mensam apponit, sed cùm ieiunium iubet manere, dum fame torquet, & sibi cruciat, cùm lecto affigit, & domum convertit in carcerem, cùm secat & urit, cùm acerba porrigit medicamenta, ex æquo Medicus est. An non igitur absurdum est, illum tot malis illatum Medicum vocari, Deum verò si quid tale præstiterit, e. g. si famem aut mortem invexerit, blasphemare, atque

S. Chrysost. to. 3. serm. 40.

Digitized by Google

atque illi curam universi detrahere? Hinc & Tertullianus, O servum beatum, ait, cuius emendationi Dominus instat, cui dignatur irasci, quem admonendi dissimulatione non decipit. Sed & Salvianus, quid querimur, ait, quòd durè agat nobiscum Deus? multò nos durius cum Deo agimus; exacerbamus quippe Deum impuritatibus nostris, & ad puniendum nos trahimus invitum: Cùmque eius naturæ sit mens Dei, atque Maiestas, ut nullâ iracundiæ passione moveatur, tanta tamen in nobis peccatorum exacerbatio est, ut per nos cogatur irasci. Vim, ut ita dixerim, facimus pietati suæ, ac manus quodammodo afferimus misericordiæ suæ, cùmque eius benignitatis sit, ut velit nobis iugiter parcere, cogitur malis nostris scelera, quæ admittimus, vindicare.

Tertul. l. de patient. c. 10. Salvian. apud Mansi disc. 11. n. 10.

IX. Nôsse debet, *quando misericordia Dei ob oculos versari debeat*, quod benè S. Anselmus declarat, dicens: Notandum est, quòd ante perpetrationem culpæ nunquam misericordia Dei debet cogitari, sed iustitia & iudicium eius, furor & indignatio illius; hæc pensari, hæc ante oculos meritò reduci, hæc sæpenumerò cum magno horrore retractari debent. Quando quis tentatur, non debet dicere: *Misericordia Domini magna est*; Sed potiùs: *horrendum est, incidere in manus Dei viventis.* Quando appetitus luxuriæ quemcunque pulsat, non cogitet tunc, *quâcunque die peccator ingemuerit, omnia peccata eius oblivioni tradentur*; sed potius sæpè recogitando tractet, quòd *maledictus omnis, qui peccat in spe.* Cui consentiens Dionysius Carthusianus, super illa verba: *Nec dicas, miseratio Domini magna est*; ita scribit: Dando tibi ipsi audaciam perseverandi in peccatis, & peccandi in spe; hoc modo, ut Climacus plenius docet: seducit diabolus miseros homines; Quia dum sani sunt, suggerit eis infinitam esse misericordiam Dei, & posse faciliter veniam impetrari; Dum verò in extremis sunt, proponit eis divinæ rigorem iustitiæ, & multitudinem, magnitudinemque culparum suarum, ut desperent.

S. Anselm. de simil. c. 115. Dionys. Carth. in c. 5. Eccl.

§. IX.

MISCELLANEA ET CONCEPTVS PRÆDICABILES.

Qualitas.

Mansi disc. 3. n. 5.

I. OBservanda est notabilis quædam differentia, quæ misericordiam inter & iustitiam versatur, secundùm quod Spiritus Sanctus de utrâque loquitur; Etenim de misericordia dicitur: *Per viscera misericordia Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto.* Non verò eodem modo fit sermo de iustitia; Etenim de hac apud Isaiam dicitur: *Indutus est iustitiâ ut loricâ, indutus est vestimentis ultionis, & opertus est, quasi pallio Zeli.* Et apud eundem Prophetam c. 11. dicitur: *Erit iustitia cingulum lumborum eius.* Porrò inter vestes & viscera, hæc est differentia, quòd vestes ab homine nunc portentur, mox verò deponantur, quod de pallio specialiter verum est; At verò viscera à nobis, quoadusque vivimus, sunt inseparabilia: Eodem modo Deus non semper manum flagello armatam habet, ut nos castiget, sed nonnunquam apprehendit illud, mox verò idem deponit: At verò sicut viscera, quoadusque vivimus, nunquam à nobis deponi possunt, ita misericordia à Deo est indivisibilis, adeò ut, tametsi nonnunquam velut iustus Iudex rigoris sui in nos fulmina vibret, nihilominùs in ipsismet, quæ nobis immittit, suppliciis, atque in ipsâmet rigoris severitate misericors esse non desinat, quippe qui semper citra condignum punit.

Isa. 59. 17.

II. Deus electo populo, si quando apostata ad falsorum Numinum cultum transiturus esset, divinæ iustitiæ supplicia his legitur intentâsse verbis: *Ego sum Dominus Deus tuus, fortis, Zelotes, visitans iniquitatem Patrum in filios, in tertiam & quartam generationem eorum, qui oderunt me, & faciens misericordiam in millia his, qui diligunt me.* Ubi Caietanus eam, quæ inter Dei iustitiam, & misericordiam versatur, notat differentiam, inquiens: Cerne differentiam, quoniam vindicta non extenditur ultra quatuor filios, beneficia autem extenduntur in millia; ad significandum, quòd ad conferendum bona, Deus est promptissimus, ad inferendum autem mala parcus: Ratio est, quia bona sua confert sponte, mala autem infert exigentibus delictis nostris.

Ibidem n. 8.

III. Quin oleum misericordiæ sit symbolum, nemo facilè revocabit in dubium; quia sicut hoc aliis omnibus est superius liquoribus, ita quoque miserationes eius super omnia opera eius: Et ideo de Salvatore nostro meritò dicitur: *Oleum effusum nomen tuum.* Quando summus Sacerdos veteris Legis consecrabatur, qui typus erat Christi (*Sacerdos in æternum* Christus Dominus, *secundùm ordinem Melchisedech*;) bona olei quantitas effundebatur super caput eius, dicente Scriptura; *Oleum unctionis effundes super caput* eius; sanguine autem solùm digitus manus aut pedis, & extremitas auriculæ tingebatur. Quodnam verò in hac tanta olei copia, & in tanta sanguinis parcitate latet mysterium? omnia in figura contingebant. Sanguis enim divinæ iustitiæ est repræsentativus. Unde Scriptura primâ omnium vice sanguinis mentionem faciens, Divinam implorat iustitiam, dicendo: *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Deus autem à nobis castigandis abhorret; & quia nihilominùs tanquàm iustus, ea, quæ à nobis iniquè aguntur, castigare debet, idipsum facit, in quanta fieri potest minori vindicta. E contra verò cùm oleum symbolum sit pietatis, & misericordiæ, eo vult in figura summi Sacerdotis abundanter inungi, quia misericors Dominus & iustus, & Deus noster miseretur.

Ibidem n. 9.

IV. Cùm Divina iustitia mundum per diluvium universale statuisset disperdere, observandum est, quòd præter id, quod supra diximus,

Ibidem n. 10.

Digitized by Google

ximus, *rupti sunt omnes fontes abyssi magna, & cataracta cœli aperta sunt, & facta est pluvia super terram, quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.* At verò ex quo cataractæ cœli apertæ erant, meritò quærendum venit, cur non subitò in unico momento universa terra inundata fuerit? cur aqua tam tardè stillatim & guttatim per quadraginta dies lapsa fuit? Pro resolutione autem observandum est, Deum cum celeritate magna suam ostendere beneficentiam, siquidem in sex diebus totum fabricavit universum, cum summa verò lenitudine procedit ad pœnarum rigorem, quia quadraginta dierum spatium adhibet ad totius mundi exterminium, quod ne tunc quidem moliretur, nisi ab obstinata impiorum malitia ad hoc violenter quasi cogeretur.

Oleaster in c. 8. Gen.

V. Oleaster super verba illa: *Reversa sunt aquæ de terra, euntes & redeuntes, & cœperunt minui post centum quinquaginta dies*; sequentem instituit considerationem: Centum quinquaginta dies diluvium duravit, paucioribus autem diebus aquæ defecerunt; ut ostenderet Dominus, quòd pronior sit ad miserendum, quàm ad flagellandum, & quòd vix ferre possit continuare punitionem; hoc enim illi peculiare est, ut ad momentum affligat, & ad multos centenarios annorum consoletur; Id quod de eo pulchrè S. Isaias asserit c. 41. dicens: *Prædicate annum placabilem Domino, & diem ultionis Deo nostro*; ubi vides, diem ultionis die claudi; placationem verò ad annum usque durare, quod etiam c. 54. confirmavit, dicens: *In momento indignationis abscondi faciem meam à te, & in misericordiis sempiternis congregabo te.*

Mansi disc. 9 n. 2.

VI. Si quis à Principe, in cuius vitam coniuraverat, condemnatus esset ad fornacem ignis, & super eâdem ex subtili quodam funiculo hæreret suspensus, & tamen ex eiusdem Principis benignitate, condemnationis executione diu procrastinatâ, talis in illo deplorabili statu eundem Principem calumniari, & vituperare non desisteret, crederésne, quòd sufficientem habiturus esset Princeps ille patientiam, sine vindicta impertinentissimam hanc tolerandi temeritatem, neè funiculum vitæ temerarii illius hominis recidendi? utique id impossibile esse diceres. Ex hoc itaque exemplo infinitam considerare possumus Dei erga nos pietatem, & dicere: *Misericordia Domini, quia non sumus consumpti.* Enimverò innumeri sunt homines, qui ex subtili filo, id est, ex unica respiratione super infernum hærent suspensi, Divina autem misericordia se interponit, ne filum illud præcidatur, & tamen nos hac dilatione utimur ad continuandas benefactoris nostri offensas, imò ad easdem quotidiè adaugendas; & tamen Deus sustinet, Deus nos exspectat, Deus has à nobis sibi illatas iniurias dissimulat; an non igitur ingens hic tibi videtur Divinæ benignitatis excessus? miratur supra modum S. Bernardinus, neminem esse, qui ad considerandam hanc infinitam Dei patientiam animum applicet, licèt videat, quòd impii eâdem patientiâ tam enormiter abutantur, eandem novis excessibus irritando, quotidiè & exasperando.

S. Bern. Sen. ser. 19. a. 1. c. 3.

Mansi disc. 11. n. 5.

VII. Quædam Ieremiæ Prophetæ visio, quanta cum repugnantia Deus vindicem exerat, vibrétque virgam, clarè nobis in hæc demonstrat: *Et factum est verbum Domini ad me dicens: Quid tu vides, Ieremia? & dixi virgam vigilantem ego video. & dixit Dominus ad me: Benè vidisti, quia vigilabo ego super verbo meo, ut faciam illud. Et factum est verbum Domini secundò ad me dicens: Quid tu vides? Et dixi: ollam succensam ego video.* Lebes hic ardens, ut ex contextu sequenti patet, infortunia & mala denotabat nobis per homines illata; virga autem supplicia immediatè à Deo procedentia significabat. Quæ autem virgam inter, bullientémque ollam assignari potest differentia? Virga naturalem suum situm in arbore habet, frondes, flores, fructúsque proferens, ut autem ad percutiendum deserviat, violenter ex arbore detrahatur atque eradicetur, oportet, atque ita contra naturam suam ad pœnam applicatur; Sique rationis usu polleret, potiùs arbori uniri, inque virore flores, fructúsque proferre eligeret, quàm ad vindictam deservire. Ignis è contra ex natura sua ad calefaciendum succendendámque ollam destinatus est, unde si animatus & rationalis foret, sibi potiùs in eo complaceret. Ita quoque in præsenti, de Deo nostro discurramus oportet, quando enim nos castigat, involuntariè, repugnanter, & contra genium suum id facit, de illo namque dicitur: *Deus, cui proprium est misereri semper.* Secùs verò homo tunc solummodò acquiescit, quando vindictam de inimico sumpsit, suámque explevit indignationem. Virga, utpote recta, iustitiæ & rectitudinis est symbolum, dicente Psalmista: *Virga directionis, virga regni tui.* Non enim Deus nos punit, nisi inviolabilis eius ita exigat providentia & iustitia; ignis autem passionis & iracundiæ symbolum est, eodem dicente Psalmistâ: *Ascendit fumus in ira eius, & ignis à facie eius exarsit.* Iterum, virga dum percutit, vires amittit, & rumpitur; ita & Deus suam à flagello retrahit manum; ignis verò tantò magis crescit, quantò amplius eiusdem accrescit alimentum. Virga ad hoc, ut percutiat, ictúmque infligat, alienis manibus agitari debet; ignis autem ex se ipso ardet; ita & Divina iustitia, nisi nostris irritata fuerit culpis, nostrísque provocata contumaciis, & rebellionibus, nos minimè castigat; ita verò & indignatio hominis non aliud motivum habet, quàm passionem propriam, sicuti Deus in pœnis non nisi suam respicit iustitiam, nobis sæpe minitans flagella, sed & hæc ipsa suspendens, & quasi è sua abolens memoria.

Ier. 1. 11.

VIII. Nunquam hominis animus sine metu Dei esse debet, *quia iustus Dominus in omnibus viis, & sanctus in omnibus operibus suis. Custodit diligentes se, & omnes peccatores disperdit*: unde beatus homo semper pavidus est, & nunquam de misericordia desperat, quia *suavis est Dominus universis, & miserationes eius super*

Raba l. 1. in Eccl. c. 19.

omnia

Digitized by Google

omnia opera eius. Hinc in lege ita præceptum est: *Ne auferas in loco pignoris inferiorem & superiorem molam*; superior autem & inferior mola est spes, & timor; spes verò ad alta subvehit, timor autem cor inferiùs premit. Sed mola superior & inferior ita sibi necessariò iunguntur, ut una sine altera inutiliter habeatur. In peccatoris utique pectore incessanter debet spes & formido coniungi, quia frustra misericordiam sperat, si non etiam iustitiam timeat; frustra iustitiam metuit, si non etiam de misericordia confidit.

Utilitas.

S. Ambr. l. 2. de pænit. c. 7.

IX. Ad propositum aptissimè servit observatio quædam, quam S. Ambrosius circa resuscitationem Lazari instituit, circa quem à mortuis resuscitatum Salvator noster ordinavit, ut sudarium, quod faciem eius tegebat, solutum tolleretur; *Facies illius sudario erat ligata; dixit Jesus: solvite.* Cuius hoc fuit mysterium, quia Lazarus peccatorem, operâ misericordiæ Dei iustificatum significans, tametsi antea faciem, quæ videri posset, non habuerit, subitò tamen, postquam ad vitam gratiæ rediit, faciem suam exporrectâ fronte videndam exhibere potuit, neque enim quicquam habebat, quod erubesceret; Unde S. Ambrosius ait: Sed quia veniâ donatus est, revelare faciem, aperire vultum iubetur; non habet enim, quod erubescat, cui peccatum remissum est.

Damnum abusûs.

X. In lib. 1. Regum c. 11. legitur, quòd, dum Naas Ammonites cum viris Jabes Galaad præliaretur, hi se viribus inferiores videntes, cum Naas fœdus inire petierint, dicentes: *Habeto nos fœderatos, & serviemus tibi.* At verò arrogans hoc ab eo retulerunt responsum: *In hoc feriam vobiscum fœdus, ut eruam omnium vestrûm oculos dexteros, ponámque vos opprobrium universo Israel.* Nimirum securè cum populo illo dimicaturum esse sibi persuasit, si illos ad cæco quodam modo cum illo pugnandum impulisset, siquidem eruto oculo dextero sinistrum oculum scuto contegere debebant; omnia autem hæc in figura contingebant illis. Naas enim typum refert inimici infernalis, qui in hac vita, quæ est quidam continui prælii campus (*militia est vita hominis*) nos vero lumine, & agnitione bonorum, & salutis æternæ, destitutos esse cupit, ut tantò liberiùs animas nostras deprædetur. Unde B. Petrus Damianus hanc historiam ad moralitatem applicans, inquit: Quàm sæpè malignus hostis, consentienti sibi cuilibet reprobo homini, potiorem partem sanctitatis ac lucidi operis adimit, minorem verò quadam artificiosâ suæ calliditatis industriâ derelinquit, ut in eo, quod tollitur, sit occasio damnationis; in eo, quod remanet, de spe fiduciæ præsumatur, ut peccator ad pœnitentiam non resurgat. Et quidem quot sunt homines, quos dæmon per viam præsumptionis de Divina misericordia sibi acquirit? S. Gregorius super illa verba Jobi c. 24. *Dedit ei Deus locum pœnitentiæ, & ipse abutitur eo in superbiam,* insignem hanc nobis tradit doctrinam, dicens: Quisquis delinquit, & vivit, idcircò hunc divina dispensatio in æquitate tolerat, ut ab iniquitate compescat; sed qui diutius toleratur, nec tamen ab iniquitate compescitur, munus quidem supernæ patientiæ percipit, sed reatûs sui vinculis ex ipso se munere arctiùs stringit: nam quia accepta pœnitentiæ tempora divertit ad culpam, districtus in ultimis Judex impensa argumenta misericordiæ convertit ad pœnam.

B. Petr. Dam. l. 6. ep. 5.

S. Greg. l. 17. mor. c. 4.

XI. Vulgaris est ille medicinæ Aphorismus: *Corruptio optimi pessima*, & ideo sicut Manna adeò turpiter putrefiebat, ut exinde nauseabundi scaturirent vermes, eodem modo quantò benignior, suíque liberalior est Divina bonitas, ita, si illâ abutamur & contemnamus, in severiora supplicia convertetur. Consideratione digna est illa S. Ambrosii super illa verba: *An divitias bonitatis eius &c.* adhibita glossa. Hæc dicit, ut non iam se putet evasisse, si illum bonitas Dei patitur dici peccantem, nec patientiam eius putet contemnendam; necesse enim est, ut pœnis perennibus torqueatur, quem pœnitentiæ longanimitas non emendavit. Divus Chrysostomus ad idem propositum sequens format urgens argumentum: Si vitium maximè regnat, nec mali tamen pœnas dedêre, necesse est, ut aliquando dent. Si enim hæc haud negligunt homines, quomodo Deus neglecturus est, qui non solùm est patiens, sed etiam iustus, iuxta illud: *Deus Judex iustus, fortis, & patiens.* Primasius Episcopus Africanus, qui fuit eiusdem Chrysostomi discipulus, super prædicta verba commentando, ita scribit: Nunquid propterea tibi de impunitate blandiris, quia Deus in præsenti non reddit, & patientiam eius contemnis? Non tardat, inquit Dominus, promissa, sed patienter agit propter vos, nolens aliquem perire, sed omnes ad pœnitentiam converti; bonus est enim exspectando, iustus est puniendo. S. Augustinus in libro de catechizandis rudibus, illos, qui in misericordiam Dei nimiùm confidentes, in peccato continuant, his verbis perstringit: Si hoc animo venisti, quasi securus talia facias, multùm erras, nec tibi proderit nomen Christi, cùm cœperit ille severissimè iudicare, qui dignatus est misericordissimè subvenire. Idem quoque punctum S. Bernardinus Senensis in quodam sermone tangens, hanc de divina bonitate conceptam præsumptionem, quâ innumeri damnantur, his verbis detestatur: Reverà illud dicere possum Thren. 3. *Misericordia Domini, quia non sumus consumpti*; & miror certè, si quilibet in se hoc non miratur, & cùm ipso sustinente mala multiplicantur, ipso dissimulante peccata aggravantur, ipso insuper exspectante animi indurantur. Unde Ecclesiastis 8. *Quia non citò profertur sententia contra malos, absque ullo timore filii hominum perpetrant mala*, iuxta illud Rom. 2. *secundùm autem duritiam tuam &c.*

Mans. disc. 10. n. 4.

S. Aug. lib. de cate chiz. rud.

TITVLVS XXI.

DEI PRÆSENTIA.

§. I.

EX S. SCRIPTVRA.

Veritas.

Cant. c. 2. v. 9. I. En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.

Eccl. 23. v. 25. II. Quis me videt? Tenebræ circumdant me, & parietes cooperiunt me, & nemo circumspicit me; Quem vereor? Delictorum meorum non memorabitur altissimus. Et non intelligit, quoniam omnia videt oculus illius.

Ibid. v. 28. III. Oculi Domini multò plùs lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi, & hominum corda intuentes in absconditas partes; Domino enim Deo, antequam crearentur, omnia sunt agnita, sic & post perfectum respicit omnia.

Jer. c. 17. 9. IV. Pravum est cor omnium, & inscrutabile: quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor, & probans renes.

Job. c. 34. v. 21. V. Oculi eius super vias hominum, & omnes gressus eorum considerat. Non sunt tenebræ, & non est umbra mortis, ut abscondantur ibi, qui operantur iniquitatem.

Jerem. c. 23. v. 23. VI. Putásne, Deus è vicino ego sum, dicit Dominus & non Deus de longe? Nunquid non cœlum & terram ego impleo, dicit Dominus? Audivi, quæ dixerunt Prophetæ.

Job c. 13. v. 27. VII. Observâsti omnes semitas meas, & vestigia pedum meorum considerasti.

Psal. 24. v. 15 VIII. Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos.

Psal. 15. v. 8. IX. Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi, ne commovear.

Prov. c. 16. v. 2. X. Omnes viæ hominis patent oculis eius: spirituum ponderator est Dominus.

Psal. 31. v. 8. XI. Instruam te in via hac, quâ gradieris: firmabo super te oculos meos.

Utilitas considerata Dei præsentiæ.

Eccli. c. 2. v. 20. XII. Qui timent Dominum, præparabunt corda sua, & in conspectu illius sanctificabunt animas suas.

Ps. 104. v. 4. XIII. Quærite Dominum, & confirmamini: quærite faciem eius semper. Quæ autem est facies eius, nisi præsentia Dei? inquit S. Augustinus.

Eccli. 14. v. 22. XIV. Beatus vir, qui in sapientia morabitur, & qui in iustitia sua meditabitur, & in sensu cogitabit circumspectionem Dei.

Damnum non consideratæ.

Ps. 13. v. 1. XV. Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus. Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studiis suis: non est, qui faciat bonum, non est usque ad unum.

Deut. 31. v. 17. XVI. Verè, quia non est Deus mecum, (in memoria mea) invenerunt me mala hæc.

Ezech. c. 8. v. 12. XVII. Vides, Fili hominis, quæ seniores domûs Israël faciunt in tenebris, unusquisque in abscondito cubiculi sui? Dicunt enim, non videt Dominus nos.

Gen. c. 4. v. 14. XVIII. A facie tua abscondar, & ero vagus, & profugus in terra.

Job. c. 22. v. 12. XIX. An non cogitas, quòd Deus excelsior cœlo sit, & super stellarum verticem sublimetur? Et dicis: Quid enim novit Deus? & quasi per caliginem iudicat. Nubes latibulum eius, nec nostra considerat, & circa cardines cœli perambulat.

§. II.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Veritas.

S. Aug. c. 14. solilog. I. Quidquid semper operor, inquit S. Augustinus, tu pariter semper præsens ades, utpote perpetuus inspector omnium cogitationum, intentionum, delectationum, & operationum mearum.

Idem S. 46. de verb. Dom. II. Ipse timendus est in publico, ipse in secreto; procedis? videris. Lucerna ardet? videt te. In cubile intras? videt te. In corde versaris? Videt te. Si peccaveris, quære, ubi te non videat, & fac, quod vis.

S. Gregor. ep. Mansi tr. 84. disc. 1. n. 3. III. Lux æterna, quæ Deus est, quantò immutabiliter fulget, tantò penetrabiliter videt, & neque occulta nescit, qui occulta penetrat; neque penetrata obliviscitur, quia incommutabiliter durat; proinde quoties indignum aliquid mente concipimus, toties in hunc peccamus, quia ipse nobis, & non sibi præsentibus præsto est.

S. Leo S. 5. de quadr. IV. Oculos Dei simul universa cernentis, non abdita locorum, non parietum septa secludunt, nec solùm ei acta & cogitata, verùm & agenda, & cogitanda sunt cognita. Ista ergo scientia summi Judicis est, omne solidum ei liquidum & apertum omne secretum, cui obscura clarent, muta respondent, silentium confitetur, & sine voce mens loquitur.

S. Gregor. l. 2. Mor. c. 8. V. Cœlum palmo metiens, & terram pugillo concludens ostendit, quòd ipse sit circumquaque in cunctis rebus, quas creavit. Ipse manet intra omnia; ipse extra omnia, ipse supra omnia, ipse infra omnia. Et superior est per potentiam, & inferior per sustentationem, exterior per magnitudinem, interior

terior per subtilitatem; sursum regens, deorsum continens, extra circumdans, interiùs penetrans.

Æquitas.

S. Ambros. in Ps. 118. VI. Hominem vereris præsentem, Dei Patris, & Filii non vereris præsentiam? sed non vis credere, ne possis cavere; Non vis audire, cum legitur, quia Deus novit occulta hominum, ne incipias scire, quod timeas, & timere, ne pecces.

Utilitas.

S. Chrysost. ho. 26. ad Hebr. VII. Si videmus mente semper Deum, & ad eum convertimus mentem nostram, omnia nobis facilia apparebunt, omnia portabilia, omnia sustinebimus, omnibus superiores efficiemur.

S. August. S. 25. de temp. VIII. Non te sic spectat Deus in agone certantem, ut populus aurigam; clamare enim novit, adiuvare non novit, vires subministrare non potest, homo enim est, non Deus; hic enim fortè, dum spectat, plùs laborat sedendo, quàm ille luctando; Deus quando spectat certatores suos, adiuvat eos invocantes, nam vox athletæ illius est Ps. 93. *si dicebam, motus est pes meus, misericordia tua, Domine, adjuvabat me.*

S. Chrysost. ho. 68. in Gen. IX. Sive quis corporum concupiscentiâ capiatur, sive pecuniarum amore, sive alia quâdam absurda voluptate, statim hoc verbum cogitet, quòd ille est, qui nos condemnet, à quo non est possibile nos occultare, etiam quæ in mente nostra versentur; & omnino effugiemus etiam Diabolicas machinationes, magnóque adiutorio superno iuvabimur: quo nobis frui contingat gratiâ, & benignitate Domini nostri Jesu Christi.

Dignitas.

S. Cyp. Ep. ad Tyburit. X. Præliantes nos, & fidei congressione pugnantes spectat Deus, spectant Angeli; spectat & Christus. Quanta est gloriæ dignitas, quanta felicitas, præsente Deo congredi, & Christo Judice coronari!

Damnum neglectæ præsentiæ.

S. Basil. orat. 2. de prec. XI. Tunc demum homines ad scelera edenda descendunt, cùm aut Deum non inspicere, aut illi curæ non esse ea, quæ hic geruntur, autumant. S. Augustinus in soliloquiis suis his Deum verbis affatur: Ubicunque fuero, non recedis, quoniam ubique es, ut quocunque iero, inveniam te.

§. III.

EXEMPLA SACRA.

Veritas.

S. Petrus Dam. ep. 8. l. 6. 8. I. QUidam suem furtivè surripuit, & caveæ clandestinus inclusit, vir tamen ille pietatis operibus intentus esse consueverat. Interea adest dives Jesus in effigie pauperis, & tam prolixo iam crine deformis egebat arte tonsoris. Ille protinus reverenter assurgens, inter cætera humanitatis impendia, cœpit ipsum forcipibus attondere: sed dum tornat ac satagit, ecce reperit duos oculos in occipitio sub crinibus latitantes. Expavit homo, stupénsque contremuit, & quid vellet esse quod cerneret, pavidus inquisivit. Cui mox ille: Ego inquit, Jesus vocor, undique cuncta contemplor, & isti sunt oculi, quibus etiam suem vidi, quam nuper in cavea conclusisti, móxque disparuit; ille protinus ad cor rediens, divinam circa se clementiam recognovit, & quod iniquè præsumpserat, satisfactione purgavit.

R. P. Lohn. Auct. Bibl.

Memoria præsentiæ.

S. Chrys. ho. 61. in Gen. II. Joseph à Putipharis uxore ad scelus sollicitatus dixit: *Quomodo potero facere malum hoc & peccare coram Deo? quid enim putas, etiamsi fecerimus, ut res clam sit omnibus, oculum tamen illum, qui dormitare nequit, latere non poterimus.* Illum solum oportet timere, & tremere, ac pavere, ut ne in conspectu eius malè quidpiam faciamus.

Gen. c. 6. v. 9. III. De Noë dicit S. Scriptura: *Noë vir justus atque perfectus fuit in generationibus suis, cum Deo ambulavit. Te vidi justum coram me in generatione hac.* Ubi notandum, quòd Deus non sine mysterio frequenter repetat verba illa: *coram me*, quasi dicere vellet, quòd in præsentia Dei semper ambulârit: Unde Pererius verba illa: *Cum Deo ambulavit*, hoc sensu interpretatur: DEUM semper intuebatur quasi præsentem sibi, quam ob rem cautissimus, modestissimus, & devotissimus semper incedebat.

Dan. c. 13. IV. Susanna ad adulterium invitata dicebat: *Melius est mihi incidere absque opere in manus vestras, quàm peccare in conspectu Domini.*

S. Basil. orat. de Ioseph. V. De Josue S. Basilius scribit: virum, qui tot undique iaculis petebatur, unum contra omnia telum, memoria tenuit Creatoris.

Mansi disc. 8. n. 1. VI. S. Franciscus Xaverius dicere solebat: ubicunque fuero, meminero, me in orbis terræ theatro, in cœlestis Regis & superum oculis versari.

Idem disc. 5. n. 6. VII. S. Antonius cùm in fine certaminis cum dæmone habiti dixisset: ubi eras, ô bone JESU? Dominum sibi respondentem audivit: Hîc eram, sed exspectabam videre certamen tuum.

Arias de præs. c. 2. VIII. Surius describens vitam cuiusdam religiosissimi viri Rusbrochii, commemorat, eum in omnibus actionibus, exercitiisque semper mentem in Deum sublatam habuisse: & verò peculiarem hanc à Deo obtinuisse gratiam, ut, quoties vellet, nullâ difficultate posset mentem immergere in suavissimam Divinitatis contemplationem, Deóque se arctissimè coniungere, sive solus foret cubiculo inclusus, sive in media sociorum turba, quibuscum conversabatur, & loquebatur.

IX. B. Rugerius ex Ordine S. Francisci, ut est in eorum Chronicis, idem beneficium divi-

nitus erat consecutus, ut nempe præsentem sibi fingeret divinam maiestatem, & cum eadem in cordis penetralibus familiariter tractaret, sive in choro cantaret, sive in triclinio cibum sumeret, sive cum aliis colloqueretur. Unde & observabatur ab aliis, nunc oculos piè coniicere in cœlum, nunc suspiria amoris plena ad Deum emittere.

Engelgr. in Dom. Pent. §. 2.

X. Alexander Pontifex solitus erat collo in globo aureo circumgestare sacram hostiam, ut Deum operum suorum inspectorem attentiùs contemplaretur.

P. le Rhe. l. 1. c. 1. n. 25.

XI. Josephus Corleonensis Capuccinus crebrò cantu Dei amorem, quo ardebat, solatus, sæpe obvios arborum truncos in silva, hortóque amplexari solebat, ac inibi hærere, quòd Deum ubique præsentem, in illis tum sibi maximè videretur intueri.

Penaq. in Isag. p. 2. c. 11.

XII. Maria Victoria, Annuntiatarum, quas cœlestes vocant, fundatrix ita animum habebat in Dei præsentia defixum, ut vix ab illo per occupationes, & colloquia abstraheretur, & si abstrahi contingeret tantillùm, his duabus vocibus; *Amor Dei*; tanquam igne sulphuri admoto continuò recalescebat.

Ibid.

XIII. Philoromus Sacerdos, S. Basilio perfamiliaris à Juliano Apostata pro fide tormentis exagitatus, sed à Dæmone atrocius per impuras imagines & varia terriculamenta viginti & plurium annorum spatio devexatus, inter has concertationes, & cogitationum prœlia, Deum tamen sibi præsentem ita semper habuit, ut quodam die per occasionem de hac re loquens diceret, se non meminisse, mentem suam à Dei unquam præsentia distractam fuisse.

Ibid.

XIV. P. Carolum Condren, Congregationis Oratorii in Gallia secundum Propositum Generalem, qui etiam ante Sacerdotium sæculi implectebatur tribulis & spinis, ita tamen inter illa præsentem Deum semper habuisse memorant, ut plurium annorum spatio, vix octies aut novies, & quidem per exiguum spatium divinâ præsentiâ conspectúque caruerit, idque ex confessione generali eius manu descripta compertum est: tantis verò id temporis locupletatus est divini amoris deliciis, ut cor ferendo impar, palpitationem in reliquum vitæ contraxerit; ardorísque istius violentia, duas costas extra locum connaturalem elevârit, tumore aliquo ad pectus prominente, huius rei fidem faciente.

Necessitas.

Mansi disc. 9. n. 7.

XV. Carolus Borromæus dicere solebat: Qui in via Dei continuos vult facere progressus, semper debet incipere, id est, cum illo fervore DEO debet servire, ac si qualibet die primò inciperet; debet item ambulare in actuali præsentia Dei, Deúmque solum omnibus operibus suis præfigere finem.

Utilitas.

Ibid. n. 5.

XVI. Cùm Thais, Meretrix Alexandrina, plurimos laqueis suis implicâsset, S. Paphnutius Eremita sub ficto colore & prætextu, ac si cum illa peccare vellet, domum eius ingressus, ab ea in cameram secretissimam, maximéque remotam deduci petiit, cúmque ad aliam secretiorem deductus fuisset, nec hæc ei placuisset, eò quòd à nemine videri vellet, Thais ei respondit: hoc in loco certò certiùs à nullo hominum videri poteris, quòd si autem te ab oculis divinis subducere velis, nullus in tota hac domo reperietur angulus, hunc in finem satis occultus, Deus enim ubique est, & ubique videt. Hîc Paphnutius: si ubique Deum esse, atque omnia videre, credis, quâ fronte coram purissimis eius oculis peccare audebis? Pergénsque ulteriùs, demonstrando ei obscœnitatum suarum coram oculis Dei commissarum enormitatem, tandem illam ad veram, seriámque pœnitentiam, omnibus diebus vitæ suæ agendam comparavit & induxit.

Ibid. n. 2.

XVII. S. Ephrem Syrus in cella sua herbas quasdam legens, & mundans, vidit lascivam quandam fœminam per fenestram cellam suam introspicientem; quæ, ut illum ad illicita permoveret, interrogavit eum, an quippiam ei deesset: qui respondit illi, calcem sibi deesse, & lapides, quibus fenestram illam obturare & claudere posset; Petulans verò mulier non cessabat verborum blanditie illum ad illicita sollicitare, protestando, quòd indè recessura non esset, nisi eius obtinuisset consensum; Cui Ephrem respondit: Agedum igitur, contentus sum, & condescendo ad tecum peccandum, cum hac tamen conditione, ut in potestate mea sit eligere locum, ubi pessimæ tuæ concupiscentiæ satisfacere possim; locus autem hic alius non erit, præterquam urbis Edessæ publicum forum. Cúmque illa hunc locum repudiaret, eò quòd tantam nollet subire confusionem, in conspectu omnium hominum peccando; S. Ephrem confestim subiunxit: Tu hominum times præsentiam, nec tamen in conspectu Angelorum, imò ipsiusmet Dei peccare verecundaris? An ignoras DEUM ubique locorum præsentem, cunctorúmque operum tuorum spectatorem esse? Quæ verba, impellente cor eius Spiritu Sancto, eam ad compunctionem, verámque perduxerunt pœnitentiam, adeò ut deinceps castam omnino, sanctámque egerit vitam.

Tob. c. 4.

XIIX. Tobias senior Filio suo hæreditatem relinquere volens meliorem illâ, quam parentes ut plurimùm filiis suis relinquere consueverunt, eidem hoc unicè inculcavit, ut in timore Dei viveret; ad hunc verò acquirendum subiunxit: *Omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto DEUM.* Audite autem, quam ex his præmissis deduxit consequentiam: *Et cave, ne aliquando peccato consentias, & prætermittas præcepta Domini DEI tui*; hoc enim semper ex continuò recogitatâ DEI Præsentiâ necessariò consequitur.

Fr. Arias de Præsent. Dei c. 6.

XIX. S. Catharina Senensis solitudinis & secessûs amans, cùm à Parentibus continuis laboribus noctu, diúque occuparetur, à Deo docta contra animi distractiones hoc usa remedio est, ut cor suum loco cubiculi haberet, in

quo

quo præsentem Deum assiduè cerneret, & cum eo colloquia misceret; sic enim obtinuit firmam & stabilem cum illo unionem, ut nullo externo labore vel fatigatione distrahi mente posset. Idem consilium postea & verbis, & scriptis communicavit aliis religiosis fœminis, affirmans in cordis cella esse verè regnum Dei per gratiam, ibi Christum cum suis inspirationibus cœlestibus fixisse sedem.

Iucunditas.

Ibid. c. 7. XX. Simeon Metaphrastes memorat, S. Gregorium Episcopum Agrigentinum in Sicilia, dum esset adolescens, profectum Hierosolymam ut veneraretur loca Sancta, ac tempore Quadragesimæ secessisse, in quoddam Palæstinæ Monasterium, ibique vidisse Monachos rarâ in Deum religione præditos, quorum alii in divinarum rerum commentatione à terra in altum attollerentur, alii fontes lacrymarum inter precandum affunderent, atque in vitæ puritate, morúmque honestate viderentur Angeli; quibus exemplis iuvenis permotus, cœpit pudore ingenti suffundi, abiicere se, & amarè superioris vitæ suæ errata deplorare. Præfectus Monasterio Pater, animadvertens ex vultu eiusdem mœrorem, existimánsque id evenisse, quòd longiùs à Patria amicísque abesset, adiuncto sibi alio Monacho, remotis arbitris, sic affari cœpit dictum Gregorium: Fili, ne animum nimio mœrore obruas, confide in Deo, brevi patebit reditus in solum natale. Sed respondit adolescens: Non ea causa mei mœroris est, quòd longè absim à conspectu meorum. Sola enim præsentis ubique Dei contemplatio, ad illum removendum mihi satis est: dum enim cogito, me continuò in eius versari conspectu, satis solatii accipio: id verò unum me contristat, quòd hactenus non instituerim vitam homine Christiano, & verè pio dignam. Hoc responso accepto, Patres ab eo digressi sunt, arbitrati, non indigere eum suâ consolatione, quandoquidem tali exercitationi deditus tam perfectus sit, ut possit solari alios.

2. Mach. c. 15. XXI. Judas Machabæus rei bellicæ Gloriâ clarus, cum milite suo prœlium initurus, quoniam Deum præsentem contemplabatur, tanto cum gaudio & alacritate in hostem ruebat: ut quamvis pauci, quam plurimos opprimerent. Unde S. Scriptura sic loquitur: ***Iudas, & qui cum eo erant, invocato Deo, per orationes, congressi sunt, manu quidem pugnantes, sed Dominum cordibus orantes, prostraverunt non minùs triginta quinque millia, præsentiâ Dei magnificè delectati.***

§. IV.

EXEMPLA PROFANA.

Seneca ad Lucil. epist. 41. I. SEneca Lucilium suum his verbis instruebat: Prope Deus est, tecum est, intus est, Ita dico, Lucili, sacer intrà nos Spiritus sedet, bonorum, malorúmque nostrorum observator. Hic prout à nobis tractatur, tractat ipse; bonus verò vir sine Deo nemo est. An potest

aliquis supra fortunam, nisi ab eo adiutus, exurgere? Ille dat consilia magnifica, & erecta, in unoquoque bono viro.

II. Marcus Tullius Cicero ita scripsit: Quis enim non timeat omnia providentem & cogitantem, & animadvertentem, & omnia ad se pertinere putantem, curiosum & plenum negotii Deum? *Cicero l. 1. de Natur. Deor.*

III. Thales Milesius, unus ex septem Sapientibus Græciæ, dicere solebat: Homines existimare oportere, Deos omnia cernere, & Deorum esse plena omnia; & ita fore omnes meliores, si, Deo teste & spectatore, se agere omnia censerent. Omnem virtutis Philosophiam hoc uno verbo Sapientissimus vir complexus est. *Mansi disc. 6. n. 5.*

IV. Philo de Essæis ita scribit: Perpetuam habent Dei memoriam, ut ne in somnis quidem aliud eis obversetur, quàm imagines divinarum Pulchritudinum & sunt in his, qui somniando produnt præclaras sacræ Philosophiæ sententias. *Philo de vit. contempl.*

V. Rex quidam in India orientali tam insano Dei sui amore rapiebatur, ut specialem famulum constituerit, qui ad latus ei continuò assistens his eum identidem verbis compellaret: Maiestas sua non obliviscatur Aranganassæ; sic enim vocabatur ille Deus. *Sant Iure & cogn. & amore Christi l. 3. p. 1. c. 7. §. 6.*

§. V.

SIMILITUDINES.

Qualitas.

I. SIcut ad fenestras collocantur transennæ, per quas, qui prospiciunt, vident, nec tamen videntur; ita Deus à Sponsa in Canticis dicitur prospicere per cancellos, quia ipse videt omnia, nec tamen ipse videtur. *Cantic. c. 2. 9.*

II. Sicut Spiritus Angelici, tametsi hîc in terris in nostri custodiâ planè sint occupati; tametsi illis provinciarum & regnorum commissa sit tutela; licèt etiam Primum Mobile continuò voluant, & revoluant, non tamen ob id Deum facie ad faciem intueri desinunt, ubicunque locorum existant. Et hoc idem est, quod servi Dei practicant, dum in quovis loco, tempore, & occasione divinam recolere præsentiam non desinunt. *Mansi disc. 8. n. 3.*

Necessitas.

III. Sicut Astra Cœlestia à sole præsente, in quem obversa sunt, omnem splendorem mutuantur, quo in se fulgeant, & aliis fulgorem subministrent, atque adeò in terris suum effectum habeant; Sic homines iusti & pii, qui instar stellarum in Ecclesia Dei collucent, ex continuo Dei, quem præsentem oculis mentis cernunt, conspectu, lumine divino illustrantur, omniúmque virtutum verarum, solidarúmque splendorem etiam communicant aliis. *Arias de præs. Dei c. 6.*

IV. Sicut nullum ædificium altum sine solido fundamento erigi potest; ita nec perfectionis fabrica exstrui potest sine fundamento præsentiæ divinæ assiduò menti obversantis. *Sant. Iure l. c. cap. 7.*

Utilitas.

Hugo Card. apud Mansi disc. 3. n. 3. V. Sicut ad aspectum serpentis æenei in palo levati sanabantur olim percussi à serpentibus; ità ne vincamur à tentationibus, debemus Dominum providere tanquam inspectorem omnium, quæ facimus, & cogitamus, ut erubescamus.

Arias de præs. Dei c. 6. VI. Sicut quando navis in mari vi ventorum, fluctuúmque, hinc indè tam vehementer iactatur, ut periculum sit, ne vel in scopulum impingat, vel submergatur, præsentissimum remedium est, ut fortissimè alicui anchoræ alligetur, ne loco moveri ampliùs possit; sic, quando mens nostra in huius Mundi oceano variis & periculosis cogitationum, cupiditatúmque procellis cum discrimine damnationis æternæ exagitatur, saluberrimum antidotum est, eam applicare, & alligare ad anchoram divinæ præsentiæ, atque ita paulatim ad stabilitatem & constantiam cordis, tanti à Sanctis & iustis æstimatam, Deóque gratissimam aspirabit. Quamobrem in verum servum Dei optimè quadrat illud Ecclesiastici: *Homo Sanctus manet in sapientia sua sicut sol: Stultus autem ut luna mutatur.*

Ibid. VII. Sicut honoratior aliquis Principis famulus nullâ aliâ re commodiùs in officio continetur, ut honestè, compositè, & modestè se gerat, quàm si intelligat, se à Domino suo videri, ac sedulò etiam observari: sic nullo alio monito servus Dei efficacius in consuetis pietatis functionibus retineri poterit, quàm si meminerit, se in conspectu Dei versari.

Jucunditas.

Idem. c. 7. VIII. Sicut, qui magnum aliquod discrimen fortunarum, vitæve adiit, vehementer recreatur, si spectandum se offerat illi quispiam, à quo tanto discrimine eximi possit; similiter, sicut qui audit & cognoscit vocem magni amici, quem annis multis non viderit, magnâ lætitiâ perfunditur, si eum coràm videre queat: sic anima servi Dei, dum cogitat, quantis in hoc exilio circumsepta sit periculis atque ærumnis, ubi oculos mentis converterit in Deum immensâ bonitate præditum, animadverterítque eum sibi præsentem assistere, paratissimum ad porrigendum auxilium, ut ex suis ærumnis emergat, mirificè lætatur & exultat, & magnâ consolatione per sanctas divinæ inspirationis voces cor suum affici sentit.

§. VI.

MOTIVA.

Arias, c. 13. I. *Æquitas*; nam ut rectè Franciscus Arias discurrit, æquum planè est, meminisse amici multis modis de te optimè meriti: *Non obliviscaris amici tui in animo tuo*, inquit Ecclesiasticus cap. 37. v. 6. *& non immemor sis illius in opibus tuis.* Quòd si frequens recordatio amici rectè præcipitur, à quo beneficii aliquid quandoque acceperis, æquum profectò multò magìs fuerit, nunquam Dei oblivisci, cuius quovis momento beneficentiâ gaudemus, dum ipsum esse, vitam, & innumera corporis animæque bona quovis diei, noctísque articulo ab eo percipimus. Quàm iustum est, quàm decens, consentaneúmque est omni legi, naturali, divinæ, & humanæ, vel semper, vel quàm sæpissimè Dei meminisse, qui semper nos amat, semper bonis suis cumulat? Audi Ambrosium: Nec solus sufficit de Deo intellectus, inquit, nisi fiat in amore eius voluntas: imò neque hæc duo sufficiunt, nisi memoria addatur, quâ semper in mente intelligentis, & diligentis maneat Deus; ut, sicut non potest esse momentum, quo homo non utatur, vel fruatur Dei bonitate, & misericordiâ; ita nullum debeat esse momentum, quo præsentem eum non habeat in memoria. Eandem æquitatem Philo Iudæus sic ostendit: Res, ut mihi videtur (memoria præsentiæ Dei) pluris æstimanda, quàm ullæ opes, vel privatæ, vel publicæ; nam si seniorum, aut præceptorum, aut magistratuum, vel parentum aspectus movet ad reverentiam, & modestiam, & suâ præsentiâ vitam, morésque corrigit, quantùm putamus ad honestatem, virtutémque præsidium contingere animæ, si emergens super omnes creaturas, Deum increatum spectare didicerit?

Utilitas.

II. *Ad peccata vitanda*; nam teste Senecâ, magna peccatorum pars tollitur, si peccaturis testis assistat. Hinc Cassianus vocabat præsentiam Dei iugulum omnis peccati, & fontem universæ virtutis: quis enim unquam, ait S. Basilius, eorum, qui credunt Deum omni in loco esse, & rebus, quæ fiunt, interesse, ac adesse unicuique actioni, voluntates cordium perspicere, aut cogitationem pravam suscipiet, aut scelera patrabit? Quod ipsum Iosephus Mansi sic confirmat: S. Gregorius de adolescente quodam refert, quòd, cùm in domum suam fœminam quandam admisisset lascivam, hæc in cubilis ingressu oculos elevans, super ostio quodam collocatam observavit Polemonis viri serii, modesti, & gravis effigiem; unde suspicata, adolescentem illum dicti Polemonis profiteri academiam, statim ex respectu, & veneratione Philosophi illius, pedem retulit, nullámque corporis sui fruendi potestatem dissoluto illi adolescenti indulgens, in domum suam se contulit. Eheu! quot Christianos huius meretricis actio in die iudicii condemnabit? Hominem vereris præsentem, Dei Patris & Filii non vereris præsentiam? si porrò meretrix, quæ omnem amisit, & deposuit erubescentiam, solùm in mente vel memoriâ hominem recolendo mortalem, & gentilem, nec tamen actualiter præsentem, à peccato destitit, quàm à peccato hominem fidelem frænandi efficaciam habitura erit, vera divinæ & supremæ maiestatis, menti nostri obversans præsentia?

Seneca Ep. 11. Cassian. Coll. 9. c. 3. S. Basil. Or. 2. de prec. Mansi disc. 6. n. 6.

III.

Caietan. in c. 17. Gen. III. *Ad mores corrigendos*; nam, teste Caietano, nulla efficacior est ratio componendi gestus, motus, verba, actionesque hominis, quàm ambulare ante faciem Principis, (& Dei) si enim ad S. Bernardini adhuc Iuvenis adventum socii illius mox ad modestiam sese componebant, quantò magìs præsentia Dei id efficiet?

Gen. 17. IV. *Ad perfectionem acquirendam*; uti ipse Deus Abrahamo insinuavit dicens: *Ambula coram me, & esto perfectus*, id quod apertiùs Franciscus Arias in hunc sensum declarat: *Arias de Præs. Dei in Proœm.* Quemadmodum Dominus aliquis, qui omnium facultatum suarum rationes examinat, & perquirit, ut easdem bene & fructuosè pervidere queat, post distinctè recensita varia magni valoris & pretii puncta, quodlibet latus seorsim summatim complectitur, in fine autem summam quandam generalem, quam summam summarum vocant, conficit, in quam solam laterales summæ omnes compendiosè restringuntur, ita quoque nos, postquam in hoc libro multa & varia ad progressum Spiritualem ordinata media descripsimus, distinctéque & copiosè exposuimus, tandem in fine libri exercitium quoddam reponimus, quod veluti summa est omnium aliorum, in quo, velut in brevi quodam epilogo omnia alia comprehenduntur, hócque exercitium in eo consistit, quòd per illud Deum nobis semper præsentem firmiter apprehendamus, oculis animæ ipsum respiciendo, & advertendo, qualiter ipsemet nos quoque sibi præsentes habeat, nósque per hoc, quòd omnia cordis nostri desideria & affectus ad ipsum defigamus, custodiat. Hinc S. Bernardus dicere solebat: Respectus eius profectus tuus.

Iac. Alv. l. 3. p. 3. c. 39. n. 12. V. *Ad amorem Dei accendendum*; uti Iacobus Alvarez his verbis indicat: Hæc tandem sit omnibus, quæ egeris tua sollicita cura, tua iugis occupatio, Deum aut extra teipsum, aut intra teipsum præsentem intueri, & purissimis desideriis, sanctissimis colloquiis, & ignitis amoris affectibus, ad divinam, & incomprehensibilem eius bonitatem adspirare, nihil enim efficacius est ad peccata delenda, imperfectiones extirpandas, propter viam humanæ naturæ molliendam, virtutes acquirendas, & nostram mentem in Deum transformandam, quàm hoc amoris exercitium, sive cum voluntate, sive cum mentis ariditate præstitum, quo potentissimè terrena fugimus, & in carne mortali quodammodo impassibiles & cœlestes efficimur.

S. Bern. S. 2 in ps. 90. VI. *Ad fervorem augendum*; nam, ut rectè S. Bernardus dixit: quomodo negligens poterit inveniri, qui intuentem se Deum nunquam desinit intueri? qui sic eum super se videt intentum, ut omnia interiora eius, & exteriora, omni hora considerare non cesset, omnésque non solùm actus, sed etiam ipsos subtilissimos animæ motus perscrutetur, atque diiudicet? Hinc meritò Boëtius magna nobis, inquit, indicta necessitas est rectè vivendi, ut qui omnia facimus ante oculos Judicis cuncta cernentis.

VII. *Ad diabolum vincendum*; ut S. Antonius indicavit dicens: Una est ratio vincendi inimicum, animæ Dominum semper cogitantis iugis recordatio: quod & Glossa confirmans ait: Laqueos diaboli facilè evadit in terris, qui semper oculos habet in cœlis. Unde David ait: *Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos.* *S. Athan. c. 10. vit. Glossa apud Mansi disc. 3 n. 4.*

VIII. *Ad orationem rectè instituendam*, fit enim, ut Arias bene advertit, hac exercitatione, ut anima intra sese collecta acquiescat, ac, ubi orationi se dare vult, cor ad eam aptum, compositúmque offendat, nullis exteriorum rerum imaginibus circumactum; quò quietiùs & maiore suo fructu divina contempletur; potest hæc verissima assertio Sancti Basilii testimonio confirmari, qui rogatus: Quemadmodum anima semper collecta, nunquam inutilibus cogitationibus distraheretur, respondit: Si Davidem imitetur, qui ait: *providebam Dominum in conspectu meo semper.* Itémque: *Oculi mei semper ad Dominum.* Est hæc ipsa divina sententia Abbatis Isaac, ubi de hoc argumento tractat, id est, qua ratione quis quàm optimè ad orationem se comparet, dum ait: Quales orantes volumus inveniri, tales nos ante orationis tempus præparare debemus. Quo dicto hoc innuit, si quam quietem in oratione optamus, operam dandam, ut eandem omni tempore habeamus. Vult enim seponi omnes superfluas solicitudines de rebus terrenis, inutiles item fabulas, locos, risus, vanas vagásque cogitationes. Causam addit: Quidquid ante orationis horam anima nostra conceperit, necesse est, ut orantibus nobis, per ingestionem recordationis occurrat, verborum, vel sensuum ante oculos imago præludens, aut irasci nos secundùm præcedentem qualitatem faciet, aut tristari, aut concupiscentias causásve præteritas retractare, aut risu fatuo, quod etiam pudet dicere, cuiusquam scurrilis dicti, vel facti titillatione pulsari; aut ad priores faciet volitare discursus. Et idcircò quicquid orantibus nobis nolumus, ut irrepat, ante orationem de abditis nostri pectoris extrudere festinemus. Hæc omnia sanctus Abbas, dignissima sanè, quæ & memoriâ, & re ipsâ observentur. *Arias cap. 3. de præs. fol. 22.*

Arias c. 2. præs. IX. *Facilitas*, quam egregiè Arias sequentibus verbis insinuat: Magno animo & alacri quisque debet se huic sancto exercitio dedere, ac deprehendet facilè, quàm Deus promptus sit ad sistendum se nobis præsentem, quoties collibuerit, ut eum spectemus, alloquamur, & familiariter cum eo tractemus. Unde & tanta offert præsidia, auxiliáque, ut, quod naturæ viribus videtur arduum, imò impossibile, reddatur cuique facillimum & suavissimum. Ut aliquis aditum habeat ad regem terrenum, cúmque eo colloquatur, & tractet, admodum difficile est, nec potest obtineri, nisi favore & gratiâ multorum, imò multis opus est multorum annorum labore & servitute, antequam ad familiarem cum Rege consuetudinem perveniant; at Deus infinitâ licèt præditus maiestate & gloriâ, semper

para-

paratus est, quacunque horâ & momento nos in conspectum suum admittere, ut oculos mentis in ipsum conicere possimus, contemplari pulchritudinem & magnitudinem, desiderare gloriam, amare bonitatem, degustare suavitatem, familiariter cum eodem conversando, & gratiam aliquam postulando. Neque solùm paratus est Deus ad hoc, verùm etiam optat, & invitat maximis gratiæ, gloriæque præmiis præpositis, ut ita faciamus: nec solùm invitat paucos, eósque sanctitate præstantes, ut fuerunt multi veteres sancti, qui totos se noctu, diuque divino cultui dediderunt, sed omnes fideles, quotquot syncero corde Dei honorem, suámque salutem quærunt. O quàm piè & sanctè suo officio funguntur, qui tantum bonum expetunt, & studiosè quærunt, qui tam honorificum exercitium non negligunt, ut Deum semper præsentem quasi gerant, & eius consuetudine iugiter fruantur! Quod ipsum etiam Mansi confirmat dicens: Apud S. Joannem Scribæ videntes, quòd Pharisæi & S. Joannis Baptistæ discipuli longa & rigorosa instituerent ieiunia, Christum interrogarunt: *Quare discipuli Joannis & Pharisæorum ieiunant?* Et ait illis Jesus: *Nunquid possunt filii nuptiarum, quamdiu sponsus cum illis est, ieiunare? Quanto tempore habent secum sponsum, non possunt ieiunare.* Quem textum interpres quidam ad propositum nostrum sic exponit: Plus nimirum sponsi præsentiâ proficiunt, quàm ieiuniis, supplet sponsus abunde, cùm præsens est, quicquid consequi abstinentiâ aliquis posset. Contingit enim persæpe, quòd anima Deo devota per macerationes corporis, cilicia videlicet, disciplinas, & ieiunia non tantùm in spiritu, devotione, & unione cum Deo proficiat, quantùm per exercitium continuum divinæ præsentiæ vivâ fide recogitatæ; Hæc enim utilissima & facillima praxis hanc habet prærogativam & Excellentiam præ cunctis aliis piis exercitiis, quòd in omni loco, tempore, & occasione illam exercere, magnúmque indè meritum acquirere valeamus: Quod nonnunquam non æquè faciliter fieri potest per eleemosynas, ob defectum nimirum pecuniæ, vel pauperum: Nec per orationem, eò quòd per occupationes distracti mentem nostram ad eandem faciendam applicare nequeamus: Nec per ieiunium, ob complexionis debilitatem: Nec per auscultationem Verbi Dei, vel ob temporis penuriam, vel ob prædicatoris defectum; & sic de omnibus aliis similibus devotionis exercitiis discurrere licèt; At verò quòd exercitium præsentiæ attinet, non est, qui se abscondat à calore eius: siquidem unusquisque hominum illius capax existit, sanus & infirmus, dives & pauper, Dominus & servus, princeps & subditus, doctus & ignorans, vir, & mulier, nec est, qui se valeat excusare.

Mansi disc. 8. n. 5.

X. *Iucunditas*; quam iterum Arias indicat, his verbis: Hinc etiam illud oritur, ut hoc exercitio Dei servus solatio, lætitiâ, & gaudio assiduè perfruatur, dum enim Deum sibi adesse videt, simul intelligit opem, & consilium in quavis necessitate aut incommodo, sibi deesse non posse. Imò quicquid boni optare possit, id totum abundè in eodem invenit. Rectè itaque S. Dorotheus: Nihil, inquit, est, quod animam nostram adeò roboret & reficiat, atque assidua Dei memoria. Idem fatetur Psalmographus, ubi ait: Memor fui Dei, & delectatus sum. Et iterum: Rex Josias, quoniam populum Dei multis beneficiis affecerat & cultum divinum impensè promoverat, iucundissimam nominis sui apud posteros reliquit memoriam. *Memoria Iosiæ*, inquit Ecclesiasticus, *in compositionem odoris facta opus pigmentarii. In omni ore quasi mel indulcabitur eius memoria, & ut musica in convivio vini.* S. Bernardus de se confitetur, cùm primùm in Religionem esset ingressus, se vel solo conspectu magnorum virorum spiritualium, vel etiam recordatione eorundem, si fortè longiùs abfuissent, vel vitâ defuncti essent, tantoperè exultasse, ut mens quidem omni devotionis suavitate compleretur, oculi verò à lachrymis se continere non possent. Si igitur aspectus vel memoria hominis iusti tanto gaudio aliquem perfundit, eò quòd videatur sibi videre virtutes, & dona cœlestia, quibus ille fuit à Deo ornatus, quid non faciet spiritualis intuitus, & recordatio Dei, quâ anima contemplatur in eo infinitam bonitatem & pulchritudinem, aliásque perfectiones? Quod non gaudium, quam non consolationem, & intimam devotionis suavitatem servi Dei anima plenis buccis hauriet?

Aras l. c. *Idem c. 6.* *Eccli. 49.*

§. VII.

MEDIA.

I. ORatio; quia, ut Arias bene discurrit, donum divinum est descendens à Patre luminum, à quo omne bonum proficiscitur; sicut enim à Christo Deo Salvatore nostro, omnia alia subsidia ad salutem opportuna, & necessaria expetimus, sic & hoc donum humiliter nobis concedi per suam infinitam misericordiam, passionísque suæ merita flagitemus, quo semper eius recordemur, semper cor nostrum in ipsum erectum habeamus, semper denique quoad Divinitatem præsentem contemplemur, invocemus, desideremus, & diligamus. Hoc donum si obtinuerimus, cum eo facilè omnia reliqua, pro adiumento & profectu nostro spirituali, consequemur. Nec dubium, illud concessum iri, si magna cum fiducia, vivóque desiderio ad illud aspiremus. Neque ullus, cuiuscunque status vel conditionis sit, potest iure se excusare, quòd hoc beneficium à Deo postulare non possit, quia, ut propter occupationes & negotia aliquis eò non perveniat, ut semper Deum sibi præsentem sistat, tamen poterit aliquoties in die amorem suum in Deum attollere.

Arias c. 11. de præs.

II. *Signorum usus, quorum conspectu aut tactu Dei recurrat memoria*; ut si dictum aliquod muris eius loci, in quo ordinariè versamur, inscriptum sit, cuiusmodi esse possunt: Noli peccare, quia Deus videt. Vel illud sapientis: *In omni*

ibid.

omni loco, oculi Domini contemplantur bonos & malos; vel illud Davidis Regis: *Providebam Dominum in conspectu meo semper.* Vel: *In omnibus viis cogita Deum.* Vel illud Tobiæ ad filium: *Omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum.* Possumus & signi loco filum alligare brachio, vel digito. Nam & annulos in iis gerimus, ne temporalium quorundam negotiorum memoria excidat. Sonum quoque campanæ, signi vice accipere ipsi possumus, statueréque illum nobis fore loco cœlestis vocis, ut recordemur Dei. In Veteri Lege præcepit Deus Filiis Israël, ut in vestium fimbriis vittas gestarent hyacinthinas, quibus conspectis recordarentur mandatorum Domini, ac sancti essent coram Deo, placebit ergò maximè Deo, si quis simili signo memoriam excitet præsentiæ divinæ, sic enim faciliùs Deum invocabimus & amore eius inflammabimur ad perfectam præceptorum suorum observationem.

Ibid. c. 12. III. *Examen particulare*, ut scilicet, cùm circa meridiem, aut vesperi rationem exposcimus à nobis conscientiæ, id quoque excutiamus, an præsentem toto die Deum in actionibus nostris habuerimus, &, si factum sit, sedulò gratias agamus Deo, quia singulare Dei donum est, ac proponamus nos idem accuratiùs observaturos diebus insequentibus. Si verò secùs acciderit, doleamus, & emendatione propositâ, pœnâ aliquâ culpam expiemus. Hæc enim pœna & memoriam illi in posterum renovabit dicti exercitii, & valebit ad impetrandam Dei benevolentiam, ut negligentia corrigatur, & maior progressus in hac virtute fiat.

Ibid. V. *Verus Dei amor*; hic enim, ubi in servi Dei corde radices egerit, continenter illum urgebit, & excitabit, ut cogitationes suas, piáque desideria in Deum præsentem coniiciat, & cum illo assiduè converfetur. Hæc siquidem amoris natura est, si ardens sit, ut magno pondere animam transportet in rem amatam, quo uniatur cum illa, ac unum quiddam cum ea efficiatur; & quoniam anima suis est instructa facultatibus, hinc fit, ut semper quoque rei amatæ recordetur, semper de ea cogitet, semper eam expetat & complectatur. Qua de causa dixit Christus: *ubi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.*

Ibid. V. *Constantia in praxi hujus exercitii*, nam ut Arias prudenter advertit, hoc tempore admodùm conveniens est servum Dei non terreri, aut ab hoc exercitio desistere, sed magno animo suscipere in se labores, quos Deus ab ipso postulat; nec dubium est, si persistat, eum beneficium hoc possessurum cum maiore perfectione & constantia, quod in principio nullo labore consecutus fuerat. Nam dum cum sudore perseverat, & difficultate, radices agit humilitatis, & accessionem facit in amore Dei. Unde fit, ut excellentiori quodam modo divinæ præsentiæ donum mereatur, maioríque securitate, & firmitudine possideat, quoniam didicit submittere se, sibíque diffidere, idémque maiori facilitate, & voluptate exercet propter gratiæ copiam, & amoris in Deum magnitudinem, quo cor suum obfirmavit, & perfectè Deo coniunxit.

VI. *Omnes præcipuas actiones diei, saltem initio singularum, breviter, sed ardenter, offerre ad gloriam & gustum divinæ Majestatis*; nam experientia certa docuit, his viis citò posse acquiri talem præsentiam Dei, ut immediatè post somnum, post occupationem quamvis etiam distractivam prima cogitatio non alia de re se menti ingerat, quàm de DEO, & rebus purè Divinis. Item ut etiam in occupationibus distractivis, uti sunt servire ad mensam, lavare lances, verrere domum, ambulare &c. vel perpetuò, vel frequentissimè memoria Dei recurrat, & quidem non accersita actu reflexo, sed quasi connaturaliter, & ultro se ingerat, quodammodo invito & non cogitanti, divinæ gratiæ beneficio, quæ nunquam deserit quærentes se, & cooperantes ordinariis mediis, divinitus nobis datis, ad perfectionem consequendam. Item, talis se Dei memoria tibi ingeret, ut non minùs devotum cor tuum, etiam sensibili devotione & planè ardenti ac valde accensâ bulliens, indè habiturus sis in officiis distractivis, quàm in ipsa ardenti & devotâ oratione privata & solitariâ; Qui devotionis ardor non tantùm in te memoriam Dei conservabit, sed fructuosam reddet; nam excitabit te ad illas externas actiones, etiam distractivas naturâ suâ, benè & accuratè faciendas, quippe tanquam si Deo vidente fierent, inchoatas, & continuatas. Hoc est, quod S. P. Noster exigit à nostris, ut in omnibus rebus quærant Deum, & inveniant. Et de se quondam dixit P. Ludovico Gonsalvo, se Dei beneficio magnam habere facilitatem, in omnibus rebus inveniendi Deum, quotiescunque vellet. Non est exaggeratio id, quod scripsi, sed res plusquàm certa, & non pro uno die vel anno, sed pro totâ vitâ, probata ab iis, qui sunt Domino suo fideles. Hinc quoque orietur, ut tales etiam per somnium, vel dormientes, vel semivigilantes, crebrò prorumpant in verba pia, & colloquia brevia, cùm Deo, & Sanctis, id non per actum reflexum procurando, sed planè connaturaliter, & quasi acti ab alio, verè in actu exercito, non cogitando, nec excitando se ad tales orationes iaculatorias; quæ illis etiam vigilantibus & alia agentibus, & colloquentibus, ultro se ingerunt. Sæpe etiam prorumpunt exteriùs usque adeò, ut, etsi velint, non possint semper impedire, ne erumpant, nisi factâ magnâ vi animo, bullorem quendam tenerrimæ, erga Deum, & res Divinas, devotionis, cum actuali Dei memoriâ coniunctæ reprimendo. Non erit autem hoc creditu difficile, quandoquidem ferè omnes, etiam imperfectissimi, & obtuso ingenio præditi experiuntur se in Schola aliud scribere, sine erroribus, & cogitare simul continuò de rebus aliis diversis prorsus à materiâ scriptionis. Sicut ergo in imperfectis possunt simul duo actus tam disparati, viribus solius naturæ coniungi, uno non impediente alterum, ita multò magis mens divinæ gratiæ beneficio potest simul attendere actionibus externis, benè & non stolidè expediendis, & simul ferri in Deum ardentibus affectibus variis modò humi-

Lancic. p. 1. opusc. 2. c. 4. n. 340.

humiliationis, modo compunctionis, & doloris de peccatis, modò petitionis, modò gratiarum actionis, modò divinæ laudis, modò oblationis sui ad Dei obsequium, modò lætitiæ ortæ ex divinæ gloriæ incremento, modò tristitiæ, ex peccatis seculi auditis vel cogitatis excitatæ, modò renovationis internæ votorum, modò cuiusdam Spiritualis Divinæ maiestatis amplexûs per actum amoris ardentissimum, modò spei, & certæ expectationis donorum gratiæ, & suo tempore gloriæ, modò fidei, & similibus, quas Spiritus Sanctus excitat, & fovet, & auget, in mentibus eius ductui, & directioni obsecundantibus, & per plenè voluntaria peccata eum non impedientibus.

§. VIII.

ASCETICA.

Alph. Rod. p. 1. tr. 6. c. 2. I. INprimis nosse debet Asceta, *in quo consistat hoc exercitium præsentiæ*, nimirum *in* duobus *actibus*, ut Alphonsus Rodriq. advertit, uno *intellectus*; *voluntatis*, altero. Primus necessarius est, utpote ad omnem voluntatis actum, iuxta scitum Philosophorum prærequisitum. Primum igitur intellectûs munus ac functio est, considerare Deum, & ibi, & ubique esse, & totum mundum implere, & totum in toto esse, & totum in quavis minima eius parte, & in omni creatura minimâ quamvis vilissimâ, neglectissimâque. Hic articulus ad fidem Catholicam pertinet: Non enim longè est ab unoquoque nostrûm, *in ipso vivimus, & movemur, & sumus.* *Act. 17.* Extra me quærebam, dicebat Augustinus, quod erat intra me: magis tibi præsens, intimiórque, Deus est, quàm tu ipse tibi. *10. Confess. 27.* Ipse vita est, qui dat vitam rebus omnibus, & quicquid aliquid potest, & operatur, ab ipso, ut operetur, habet; & si ipse non adesset præsens omnibus, deficerent statim omnia, inque merum nihilum redigerentur; cogita igitur, te Dei plenum esse, & ab eo undequaque circundatum, ipsique te totum innatare. Sed quid? *pleni sunt cœli & terra gloriâ eius.* Alter actus voluntatis est; (non enim solus intellectus consideratione Dei occupandus est, sed & voluntas, imò hæc præcipuè) desiderando, amandóque Deum, eique se quantùm angustiæ vitæ huius permittunt, arctissimè coniungendo. Quod ipsum etiam clariùs confirmat Arias asserens non satis esse, *Arias c. 3. de præs.* Deum ut præsentem intelligentiâ complecti, & inspicere, nisi item accedant ignita voluntatis desideria, & affectiones, sic, ut eum toto cordis desiderio identidem alloquamur, quicquid nos vel torquet, vel deficit, demissè ei aperiamus, fidenter proponamus, opem ab eo, & consilium petamus, & silente licèt linguâ, corde, hac, similive ratione alloquamur: O Domine, quàm friget mihi animus in amore tui, imperti mihi tui amorem, eo me prorsus succende, eo animam meam reple, ut te solum diligam, & reliqua omnia tui gratiâ. O Domine, ò Deus meus, quantus animi mei stupor est, ubi de unico, & summo meo bono agnoscendo agitur! quàm deficiunt vires, cùm in id opere tendendum! doce me, Domine, divinam tuam voluntatem, omnibus in rebus agnoscere; robora me, ut eam sequar, beneficâ tuâ manu semper me tuere, ne labar. O mi Deus & Domine, quando te forti, & suavi vinculo perfectæ charitatis circumplectar? His aliisve id genus verbis pia anima Dominum suum alloqui potest, cùm eum ignitis desideriis plena, & ex imo corde petitis suspiriis anhelans, aspexerit; huic exercitationi, si diligenter, seriò, constanter inhæserit, tantum indè operæ pretium referet (si piissimo Dionysio Carthusiano credimus) ut corde in aliud mutato, à mundo vehementer abhorreat; ad Deum autem & divina toto feratur desiderio.

II. Nôsse debet *solidum modum imaginandi præsentiam divinam*; qui quidem varius assignatur ab ascetis; nam aliqui imaginantur sibi totum universum plenum Deo (uti est) seipsos verò in medio immensi huius pelagi à Deo circumdatos, ad eum ferè modum, quo spongiam poneremus in maris medio, ex omni parte aquis innatantem. Alii imaginantur sibi præsentem Christum Dominum quasi cum ipsis euntibus euntem, cum stantibus stantem, itáque se ipsi & Deo semper præsentes constituunt. Alii eundem tanquam è crucis stipide pendentem; columnæ alligatum alii; alii in horto sanguine madentem, aliter alii, prout sua quemque voluptas trahit aut voluntas. Alii eundem cum creaturis operantem considerant, quem modum sic practicandum docet Arias: sapit cibus, ardentem sitim aqua frigida extinguit, sol illustrat, calefacit ignis, vestis tegit: sic existimes, Deum impertiri saporem, illum satiare, sitim tollere, illustrare, calefacere, tegere. Minimè enim dubium est, etsi id genus effecta ab ipsis creaturis sunt, multò tamen magis censeri debere, esse à Deo, quando hic prima causa est, illæ secundæ, & tanquam Dei instrumenta. Si quis primarii viri hospitio uteretur, & eius causâ servi domestici certatim per se quisque operam illi darent, & heri sui res dispertirent: alius veste, cibo alius, alius equis, viatico liberali alius donaret; si deinde quæreres, cuius beneficio hæc haberet, non utique hunc, illúmve servum nominaret; quin etiam, ne mentionem quidem cuiusquam illorum faceret, sed à domino illo se vestitum, cibóque ac reliquis donatum diceret; Iam verò cùm satis constet, creaturas omnes longè alia ratione à Deo pendere, quàm à domino suo servi (neque enim Dominus servorum suorum vitam tuetur, neque manibus eos fert, quòd Deus creaturis suis præstat, sine cuius ope nec movere se tantillum possent, meritissimè à nobis exigitur, ut omnes creatarum rerum actiones bonas, & quidquid per eas beneficii percipimus, Deo attribuamus, profiteamúrque & mente, & linguâ, quicquid habemus, id totum ab illo habere. Si te proximus suaviter solatus est, si cognatus munusculum dedit, ad primam mox causam cogitatio-

ne

ne provola, quæ & voluntatem, & linguam illorum movit, & manum; & dicito: Deus me solatus est, Dei donatione hoc munus teneo. Atque eundem in modum facito, quicquid à qualibet creatura acceperis. Hac ratione excitabimur ab iis, & ad perpetuam Dei memoriam deducemur: Neque hoc præceptum gratitudinem tollit, quam iis debemus, qui nos beneficiis prosequuntur, quandoquidem eandem etiam Deus exigit. Ultimus demum modus est, quam Rodriquez indicat, & etiam à S. Paulo præscriptum esse ait: dum dixit: *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* q. d. in omnibus cor, animúmque ad Deum in Cœlum sustollite, hoc similive modo, ipsum alloquendo: Hanc rem, Domine Deus, in tuam gloriam facio. Hoc opere & actu, tibi uni placere cupio. Quia sic vis & præcipis, desidero velle & nolle meum, tuum esse & velle & nolle, in hoc omnibus gustus, omnis delectatio & vita est; tibi uni in omnibus placere, tibi uni mori, & vivere. Hæc profectò praxis omnium facillima, utilissimáque est, hoc est enim in perpetuo Dei amore stare, & conquiescere. Nec placet, hunc modum pluribus encomiis afficere. Illud solùm dico, quod verè sentio, illum esse hunc ipsum, quo practicè & reapse, plenè, perfectissiméque illud Salvatoris præceptum (*oportet semper orare & non deficere*) exequimur. Sententia est gravissimi cuiusdam Doctoris, eum, qui hunc orandi exercendíque modum, sibi reddiderit familiarem atque domesticum, sensurum ex eo, brevissimo tempore miram cordis sui transmutationem, horrorem mundi maximum, singularissimámque erga Deum, divináque propensionem. Tali, inquit, ille, tanquam cœlo iam proximo illud Apostolicum debetur & dicitur: *Iam non estis hospites & advenæ, sed cives Sanctorum & domestici Dei.* Hi sunt Nobiles isti aulæ cœlestis à S. Joanne descripti: *Et videbunt faciem eius, & nomen eius in frontibus eorum, quia scilicet horum conversatio in cœlestibus est. Et non contemplantur ea, quæ videntur, sed quæ non videntur; quæ enim videntur, temporalia sunt; quæ autem non videntur, æterna.*

§. IX.

MISCELLANEA ET CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Veritas.

Did. Nyssen. in Abrah. l. 7. c. 6. I. Exodi c. 35. præcipiebat Dominus Moysi istud: *Facies candelabrum ductile de auro mundissimo.* v. 31. tum v. 37. etiam hoc: *Facies & lucernas septem, & pones eas super candelabrum.* Philo Iudæu & Radulphus sentiunt, Tabernaculum illud vetus fuisse figuram, sive typum Mundi, qui Dei domus quoquo modo est; ut & septem lucernæ innumeras, cœli luces significant; habet enim hoc septenarius numerus in sacris literis, ut pro infinito ponatur,

R. P. Lohn. Auctar. Bibl.

ut affirmat Paulinus in libro de numero septenario. Dicit nunc Oleaster: Ad quid, Domine, in domo tuâ vis candelabrum, cum lucernis septem habere? causam subiicit, dicens: Ne putares, homo, te posse malè conversari, & occultari; sive enim in die, sive noctu impiè egeris, ab eo videris. Quidquid perperam agis, cogitas, loqueris, quocunque tempore & loco id fiat, Deo omnia perspectissima sunt, sapientiæ enim illius oculi soles sunt, qui pervident universa. *Oleaster in annot. mor. in c. 25. Gen.*

II. Hanc cogitationem animo versabat, propheta Regius David, quando hæc pro debitâ erga infinitam omnipotentis Dei sapientiam reverentiâ dicebat: *Tenebræ non obscurabuntur à te, & nox sicut dies illuminabitur: Sicut tenebræ eius, ita & lumen eius*: Marcus Antonius Flaminius ea sic transfert: Neque tenebræ habent tenebras apud te, & nox sicut dies illuminat. Similes sunt tenebræ, & lux. Quàm eleganter dictum; Neque tenebræ habent tenebras apud te! Quando vires alicuius extenuare volumus, dicere solemus: Petrus v. g. est quidem robustus, & strenuus, sed quod ad me attinet, absque manibus. Tale quid affirmat Sanctus David, cùm pro veneratione & commendatione perspicacissimorum oculorum Dei dicit: *Neque tenebræ habent tenebras apud te.* Nam si quidem tenebræ sunt velut nubes, aut vela, quæ humanorum prohibent, & ludunt, fallúntque obtutus oculorum, Dei oculis nihil obsistere, nihil officere atror rerum, & obscuritas potest, ut, qui tam clarè videant in densâ caligne, quàm in medio sole, & innubi, nitentissimóque die. Quapropter in eodem psalmo sic Domino idem Rex pœnitens aiebat. *Tu cognovisti sessionem meam, & resurrectionem meam*; ibid. v. 2. quæ tali paraphrasi illustrat Flaminius: Omnia tibi nota sunt, quæ sedens, stans, ambulans, cubans, cogito, atque ago. Nihil est, quod tuam effugere sapientiam possit, nihil, quod ad tuam notitiam non perveniat. Quidquid animo meditor, quidquid ore proloquor, quidquid operor, sive cùm sessum, cubitúmque vado, sive cùm evigilo, & è strato exurgo, sive cùm hinc aliò commigro, pervides, nec ullus est tam reconditus animæ sinus, nullus tam abstrusus cordis recessus, in quem tuorum acies oculorum non penetret. *Ibid. Psalm. 138. v. 12.*

III. Expendamus in huius rei confirmationem quoddam Sancti Ephrem dictum, qui in Parænesi 17. sic habet: Nihil latet Dominum, Abelis vindicem. Sed quænam ista omniscientiæ Dei commendatio ex cognitione mortis Abeli illatæ? Quid secreti mors illa habuit, ut ad exaggerationem perspicacitatis sapientiæ Dei facere possit, quod eam detexit, & intellexit? Certóne argumento est, quòd Deum nihil latet, quia Abelis vindex, & necis illius index fuit. Expositione illustrabo Sancti Ephrem pronunciatum. Occidit perfidiosè Abelem Cain, vix illi necem consciverat, quando adsuit Dominus, facti rationem ab infami fratricida exigens, & dicens: *Vox sanguinis* *Ibid.*

sanguinis Fratris tui clamat ad me de terrâ; Gen. 4. 10. Negavit ille recens perpetratum flagitium. At Iudex: Quid est, quòd inficiaris factum, quando ipse per te effusus Fratris tui sanguis contra te testimonium dicit, & immanis sceleris vindictam magnis vocibus clamat? Notandum, quòd in Hebræo pro illo vocabulo *Terra*, est *Adama*, ut affirmat Sanctus Hieronymus, Adama verò idem est, quod terra rubra. Itaque tota sententia superior sic reddi potest: *Vox sanguinis Fratris tui clamat ad me de terrâ rubra.* Res est, quòd Cain Fratrem suum in campum eduxit, cuius erat rubra humus, ibique eum interfecit, sperans non posse cognosci sanguinem fusum, quem concolor terra bibisset. Ita ferè aiunt Hebræi, & inter illos Rabbi Salomon. Itaque audacter etiam negavit facinus, præfisus suæ industriæ, & imposturæ, arbitratusque fieri non posse, ut internecionis convinceretur, eò quod cruor cum rubore terræ confusus discerni, ut putabat, nequiret. Verùm ut intelligeret, quàm vanè talem suscepisset cogitatum, quàm inanis esset omnis sua machinatio, quàm nihil astus, sic ferè aiebat ei Dominus: Itane verò putabas, miser, rubrâ terrâ rufum celari posse sanguinem? Falleris, hominum pessime, & turpiter erras, sanguis enim ipse clamat ad me de terra illâ rubrâ, ultionémque atrocis sceleris tui magnis vocibus exposcit, oculisque meis nihil est occultum; scio enim, quæ sit terra: scio, quis sanguis, neque ego circumveniri queo, nec aliqua ita confundi, & permisceri possunt, quin ego internoscam, & secernam alia ab aliis. Hinc ergo intelligemus illud Sancti Ephrem: Nihil latet Dominum Abelis vindicem; quia nihil illi tectum, nihil eius oculis inaccessum, qui inter sanguinis & terræ colores discernere, & quis terræ, quis sanguinis proprius esset, cernere potuit, quamvis utraque rubra essent, & communem haberent colorem. Discat hinc omnis peccator, nihil sibi profuturos ad tegenda, inumbrandáque scelera sua dolos; res namque illi est cum iudice, cuius tam sunt lyncei oculi, ut reconditissima cordis latibula penitissimè perspiciant, pérque videant.

Causinus l. 1. aula Sanct. motivo 2.

IV. Boleslao IV. Regi Poloniæ sanctum & solenne erat, Patris effigiem auro expressam, atque è collo pendentem circumferre: & impresso osculo, quoties dicendum aliquid, faciendumve occurreret, tanquam viventem in imagine, præsentémque Patrem sic affari: Absit, mi Pater, ô absit, ut à me unquam aliquid regio tuo nomine indignum statuatur! quin & tu, Christiane, tu æterni Regis adoptate hæres, in sinu semper atque oculis gestas Christi in ceræ sacræ bulla descriptum nomen & imaginem, quam in occursantibus subinde periculis intuitus, ac tanti nominis memoriâ confirmatus, illo nihil indignum decernas unquam.

Utilitas.

Mansi disc. 2. n. 9.

V. Basilius Imperator in Exhortatione ad Leonem filium suum hoc ei suggessit consilium Nullius unquam peccati reprehensionem sustinebis, si Deum in omni actione inspectorem, & cognitorem, sicuti est, esse tibi persuaseris, nunquam neque palam, neque clàm peccabis; nam etsi alios latere videberis, quæ secretò facies, conscientiam certè tuam, & Deum ipsum, qui usque in abditos animi sinus, ac recessus intuetur, revereberis.

Act. c. 3.

VI. Quando ille ad portam speciosam templi Hierosolymitani continuò cubans claudus à Sanctis Petro & Ioanne eleemosinam postulabat, sibi dici audiebat: Respice in nos: At ille intendebat in eos, sperans, se aliquid accepturum ab eis, quod & revera accidit, dum miraculosè restitutam sibi sanitatem recepit; at verò Eliseo contrarium accidit, siquidem Elias Spiritum suum duplicem discipulo suo infundi voluit, si ipsum primò præsentem & postea absentem videret, ut per hoc omnes doceret fideles (siquidem omnia in figura contingebant illis) quòd, qui abundantiam Spiritûs concipere volunt, oculum fidei in Deum quoad corpus absentem, quoad animam verò & intellectum præsentem, defixum habere debeant.

Mansi disc. 6. n. 6.

VII. Cicero in Epistola quadam ad Q. Ciceronem fratrem suum transmissâ, eidem modum tradit, quo in virtutibus egregiè proficere possit, hunc nimirum, ut se semper in oculis Tullii stare, & operari crederet: Id facillimè facies, inquit, si me cui semper unicè placere voluisti, tecum semper esse putabis, & omnibus rebus quas dices, & facies, interesse. Quòd si igitur præsentia magistri alicuius qui timetur, vel superioris cuiusdam vigilantis, aut alicuius servi Dei magna exemplaritate conspicui, sæpe stimulum in virtutibus proficiendi hominibus addit, quanto maius ad perfectionem acquirendam subsidium conferet præsentia Dei seriò recogitata?

Idem disc. 2. n. 2.

VIII. Deus populo suo Hebræorum per multos annos velut dux præivit, dum ad terram promissionis contenderent, præivit autem in figura columnæ, quæ stabilitatem denotat, ut exinde intelligerent; quòd si in cultu, fide, obsequio, suáque in Deum religione continuare vellent, Deum ab oculis nunquam deponere, sed eum semper præsentem esse, recolere deberent.

Arias de prof.

IX. Palladius in historia sua Lausiaca commemorat, se, cùm aliquando adiuncto comite Monachum quendam religiosissimum, rerúmque divinarum peritissimum, nomine Dioclem, inviseret, inter alia hoc documentum ab eo accepisse, hominem pium, quam primum à contemplatione divinæ præsentiæ cessârit, continuò fieri, vel dæmonem, vel bestiam; bestiam quidem, si succumbat tentationibus carnis, & illecebrarum carnalium, dæmonem verò, si iracundiæ, arrogantiæ, & similium; cúmque Palladius eum percunctaretur, qua ratione posset anima, nullâ quiete vel cessatione interpositâ, defixam mentem habere in Deo? Respondit, quotiescunque mens nostra occupata sit in consideratione piâ & salutari, quæ ad Deum deducat, tum defixam esse in considera-

tione

tione Dei. Cùm autem sanctus ille, tantopere in rebus piis exercitatus dixit, hominem, simul atque Dei oblitus fuerit, fieri dæmonem vel bestiam, nō intellexit id fieri solo lapsu in noxam lethalem, cùm non facilè id contingat servis Dei, sed etiam lapsu leviori immoderatæ cupiditatis, quâ aliquo modo similis vel Dæmoni, vel bestiæ reddatur. Quo circa nullo modo convenit servum Dei, ut aliquando negligat, præsentem contueri Deum, impendente tentatione, & dum se occasiones offerunt iræ, impatientiæ, superbiæ, vel tristitiæ mundanæ, aliæque indomitæ perturbationes, divinæ oblivisci præsentiæ: tunc enim celerrimè, magnáque cum vigilantia cor elevandum est ad Deum; eiúsque auxilium implorandum.

Iucunditas.

S. Ambros. in ps. 118. X. S. Ambrosius super illa Psalmistæ verba: *Qui timent te, videbunt me, & lætabuntur*, ita scribit: Plerisque enim iusti aspectus admonitio correctionis est, perfectioribus verò lætitia est.

Damnum neglectæ præsentiæ.

S. Chrysost. 16. XI. Omnia nobis videntur difficilia, quòd Dei nullam habemus memoriam, uti habere oportet; quòd non eum in cogitatione perpetuò circumferimus: Meritò enim nobis dixerit, oblitus es mei, ego quoque obliviscar tui.

§. X.

AXIOMATA.

I. Oculus Domini saginat equum.
Wachbarer Herr / macht fleissige Knecht. *Antrym.*

II. Dei respectus, hominis profectus.
Wilst / daß dir dein Sach wol geling / GOtt hab vor Augen in allem Ding. *S. Bernard.*

III. Qui Deum videt, semper ridet.
Wer an GOtt denckt / Vmb nichts sich kränckt. *Anon.*

IV. Non in peccatum corruit,
Qui Deum semper meminit. *Amon. Abb.*
Nicht leicht begeht ein böse That / Der allzeit GOtt vor Augen hat.

§. XI.

AUCTORES.

I. Franciscus Arias de præsentia Dei.
II. Alphonsus Rodriquez p. 1. tr. 6.
III. Philippus D'outreman in Pædagog. p. 1. c. 8. §. 2.
IV. Henricus Engelgrav. in Domin. Pentecost. §. 2.
V. Didacus Nyssenus in vita Abraham. l. 7. cap. 6.
VI. Petrus Pennequin in Isagog. p. 2. c. 22. & dissert. 6. §. 15.

TITVLVS XXII.

DEI PROVIDENTIA.

§. I.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

Boët. l. 4. prosa 6. Lessius de Perf. div. l. 11. c. 1. I. *Rovidentia, iuxta Boëtium, est divina ratio in summo omnium Principe constituta, quæ cuncta sapienter disponit, nimirum in suos fines*, ut S. Thomas explicat 1. p. q. 22. a. 1. quo loco eam simili modo describit, *Providentia*, inquit, *est ratio ordinis & rerum in fines, in Deo existens.* In rebus duo spectari possunt. Primùm, res ipsæ in se secundùm suam essentiam. Alterum, ordo & habitudo, quam habent singulæ ad finem tum proprium, tum communem totius universi, qui est manifestatio perfectionum divinarum. Vtriusque ratio, id est, notio seu conceptio, (ut Græci dicunt) λόγος, est in Deo. Notio rerum in se spectatarum, nempe quatenus sunt talis formæ & speciei, vocatur Idea; notio verò illarum, quatenus ordinantur in finem, vocatur Providentia. Verùm cùm providentia divina sit perfectissima, & universalissima; nec solùm extrinseco modo, sed etiam intrinsecâ ordinatione res omnes in suos fines destinet, creando & formando rerum naturas, conferendo proprietates nativas, & vires, & figuras congruentissimas, & partes mirificâ proportione conformatas, & omnia, quæ ad rerum pulchritudinem, usum, functiones, & conservationes sunt opportuna, necesse est, ut contineat etiam ideas seu notiones essentiarum, quarum creatio & formatio intrinsecè ordinem ad finem includit: præsertim cùm Deus nihil, nisi ob aliquem finem, velle aut facere possit.

Divisio.

Philippus Doutreman. Pædagog. to. 2. p. 1. c. 9. II. Dividitur Providentia in *Naturalem & moralem. Naturalis*, est directio, seu ordinatio, & gubernatio rerum merè naturalium, omnisque moralitatis, adeoque & meriti incapacium, ut sunt cœli, stellæ, elementa, brutáque animantia. *Moralis* ea est, quæ in homines & Angelos, actuum moralium, hoc est, meriti & demeriti, virtutis & vitii, præmii, pœnæque capaces, exercetur. Naturalem Deo inesse, ex eo constat, quòd, cùm res merè naturales & ratione carentes, non nisi ex naturæ suæ principio, absque rationis cognitionisve ductu agant, & tamen à præstituto sibi fine aberrent nunquam, necesse sit, dirigi eas, impellíque ad fines suos vi quadam & potentiâ altiori, quæ utique aliud nihil est, quàm Dei Provi-

Providentia. Si enim, ut docet S. Thomas, res quæcunque, quæ ad finem tendit, illius maximè voluntati, directionique subordinata esse debet, ad quem finis ille potissimùm pertinet; creata autem omnia Dei inprimis bonitatem & gloriam, tanquam finem suum ultimum spectent; quis dubitabit indè sequi, Deum, ad quem suamet gloria & bonitas omnium maximè pertinet, communi providentiâ invigilare creatis omnibus, quibus non aliter, quàm ad divinam suam gloriam utatur? Siquidem, omnia propter semetipsum operatus est Dominus, ut testatur Scriptura: & alibi eadem dicat, creasse Deum homines, in laudem & nomen, & gloriam suam. Iam verò providentiam quoque moralem Deo inesse, quis neget? nemo sanè, nisi fortè credat, haud aliter Deum cum Angelis, hominibúsque, atque cum brutis agere, itáque regere, ut nihil se ad arbitrii eorum libertatem accommodet, quod quàm absurdum sit, quis non videt?

Actus.

Less l.c. c.2. III. Duo sunt præcipuè actus, seu functiones Providentiæ divinæ, circa res creatas, *Creatio* & *Gubernatio*. Quòd Creatio sit opus divinæ Providentiæ, patet primò, quia Mundus non est casu factus sed certissimo consilio, & specialissimo decreto: atqui nihil est, quod potius sit dicendum opus providentiæ, quàm quod absoluto & peculiari decreto ad omnes rei circumstantias pertingente præfinitum est. Deinde, quia res omnes secundùm suam essentiam conditæ sunt propter finem, tum proprium cuique, qui est cuiusque operatio; tum communem omnium, qui est gloria Dei; itaque in sua essentia habent ordinem & habitudinem ad finem, qui ordo est impressio Divinæ providentiæ. Tertiò, quia per creationem acceperunt vires, qualitates, temperamentum, locum, ordinem, & figuram, prout cuique congruebat ad suum statum, functionem, finémque proprium; atqui hoc nihil est aliud, quàm convenienter ordinari & instrui ad suum finem; ergo est opus providentiæ. Denique, omnis operatio tendens ad aliquem finem; est opus providentiæ; atqui creatio est operatio primi & supremi operantis, qui omnia propter ultimum finem, qui est ipse operans, eiúsque gloria, operatur. Itaque quòd iste Mundus istis corporibus constans, eâ magnitudine, multitudine, situ, qualitate, viribus, figuris, tempopore, loco, ordine, sympathiâ, antipathiâ, præditis, non alius, nec ex aliis aut aliter factus sit, est opus divinæ providentiæ, omnia certo consilio facientis, & ad certos fines ordinantis. Quòd etiam Gubernatio sit opus Providentiæ, per se notum est: sed multi actus hoc nomine continentur: nimirùm conservatio, cooperatio, prædefinitio, permissio, impeditio multorum malorum, motio cœlorum, illuminatio naturæ rationalis, redemptio hominum, iustificatio, remuneratio, punitio, de quibus singulis aliquid dicendum est.

Idem c.3. n.6. IV. *Conservatio* primum locum obtinet in Gubernatione; nam primum munus Gubernatoris est, conservare ea, quæ gubernanda suscepit, ne pereant; sic enim planè ab ordine & directione, quâ in finem diriguntur, exciderent.

V. Secundum locum tenet *cooperatio*, nam sine divina cooperatione nulla res creata potest operari, ac proinde nec assequi finem aut in illum tendere, sed instar inanis idoli, sensu, motu, & omnibus viribus defecti, stabit. Si Deus concursum suum subduceret rebus, cessaret motus cœlorum, & illuminatio orbis; cessaret elementorum & omnium contrariorum pugna, cessarent ortus & interitus rerum, vicissitudines temporum, incrementa & decrementa viventium, omnis alternatio, & motus localis omnis. Cessarent in beatis visio beatifica, amor & gaudium omne; in damnatis omnis dolor & tristitia, in omnibus viventibus omnis intelligentia, omnis memoria, omnis volitio, omnis affectio, omnis imaginatio, omnis sensus, & motus vitalis omnis, neque ullum esset inter animata & inanimata, inter sentientia & sensûs expertia, inter rationalia & irrationalia, inter beatos & damnatos discrimen, quod ad sensum boni vel mali, commodi vel incommodi attinet; sed omnia eodem modo se haberent, tanquam ratione, sensu, motu, vitâ, & vigore omni destituta. Hinc patet, quanti momenti sit hic concursus, cùm inde pendeat tota beatitudo, & omne bonum naturale & supernaturale, & sine ipso simus perinde ac si non simus. Idem.

VI. Tertius actus pertinens ad gubernationem, *est prædefinitio*, seu *decretum*. Est autem *prædefinitio Dei*, (Græci προορισμὸν vocant) *æternum Dei decretum, quo statuit, ut aliquid fiat in tempore, sive à se, sive à creatura.* Itaque est actus internus, & liber divinæ voluntatis, respiciens obiecta, quæ extra Deum sunt. Verùm ut respicit primam rerum originem & conditionem, non pertinet ad gubernationem, neque inter actus gubernationis censeri debet, sed ad primam institutionem, quâ ea, quæ gubernanda sunt, instituuntur: eiusque opus externum est creatio, sed ad gubernationem pertinet, quatenus extendit se ad ea, quæ posteà circa creaturam, vel à creatura agenda sunt. Notandum autem est, longè aliter esse prædefinita, quæ initio mundi à Deo sunt creata & instituta; aliter, quæ successu temporis in mundo erant futura. Quæ enim initio sunt instituta, prædefinita fuere absolutâ & efficaci voluntate, antè omnem prævisionem determinationis causarum secundarum cum omnibus suis circumstantiis & conditionibus; nimirum, ut fierent ista, non alia, tali momento, in tali spatio, tali mensurâ & formâ, tali situ & ordine, talibus viribus & qualitatibus. Hæc omnia distinctissimè ab æterna mente concepta, & sic absolutè decreta, & ex vi æterni decreti initio mundi sic condita & formata sunt. Hoc tamen intellige de conditionibus rerum, quæ perfectionem insinuant, non quæ defectum; ut esse corruptibile, posse peccare, posse annihilari. Hæc Idem c.5.

enim

enim non sunt per se intenta à Deo in rebus, sed permissa tantùm, & quasi necessitate materiæ obvenientia. Ideò enim res potest dissolvi, quia ex elementis composita est, ideo annihilari, quia ex nihilo; ideò peccare, quia non est sua regula, nec suæ regulæ necessariò coniuncta: vel, si ulteriorem causam requiris, quia ex nihilo. Itaque ex vi intentionis divinæ res non sunt huiusmodi. Quæ verò posteà fiunt in rebus, ferè aliter præfinita sunt. Primò, quia ferè præfinita sunt, supposità prævisione alicuius conditionis in causa secunda à libertate eius dependentis. Hoc enim bona gubernatio postulabat, ut nihil in cursu primæ institutionis mutaretur, nihilque novi adderetur, nisi ex aliqua causa de novo exorta: quæ causa non poterat esse, nisi ex libero arbitrio; reliqua enim omnia sequerentur necessariò, ex prima institutione. Deinde, non ita absolutè, sed multa sub conditione, & cum assidua dependentia à determinatione voluntatis creatæ. Tertiò, in plurimis adiaphorum est Deo, sic an sic res fiant. Præcipuè autem difficultas est de operibus bonis, quomodo à Deo sint prædefinita: ex modo enim præfinitionis illorum, facilè intelligi poterit, quomodo indifferentia, & plerique effectus rerum naturalium præfiniti sint. Duobus autem modis possunt opera bona dici prædestinata & prædefinita. Primò, præfinitione non absolutâ, sed conditionatâ, idque ante prævisionem determinationis nostræ voluntatis. Desiderat enim vehementer, ut opera bona faciamus, & in hunc finem nos excitat variis modis internis & externis. Secundò, præfinitione absolutâ, suppositâ prævisione nostræ determinationis, vel ea comitanter se habente. Cùm enim ante prævisam nostram determinationem prædefiniat nostra bona opera ex hypothesi, si nostra voluntas se ad illa velit determinare; positâ illâ hypothesi, illa prædefinitio conditionata transit in absolutam, & fit efficax, ita ut simul cum nostra voluntate influat in opus. Mala tamen non sic vult, ne sub conditione quidem: quia non desiderat ea fieri, neque ut illa fiant, vires & concursum præbet, nec ullo modo approbare potest; sed tantùm permittit, iuxta illud Habacuc. 1. *Mundi sunt oculi tui, ne videas malum, & respicere ad iniquitatem non poteris.* Ne videas, id est, ne approbes, ne velis aliquid, quod sit iniquum, & legi divinæ contrarium. Hoc autem posteriori modo prædefiniri opera bona, communis est Theologorum sententia.

Idem c. 6. VII. Quartus actus ad gubernationem pertinens, est *Permissio.* Est autem permissio propriè non actus internus in Deo sicut decretum, sed externus, accepto nomine actûs latè, ut comprehendit etiam liberum non agere. Aliud enim est, permittere; aliud, velle non impedire. Alioquin, si permittere esset formaliter velle, cùm dicimus: Volo permittere, esset reflexio voluntatis super suum actum, & significaremus nos habere volitionem volitionis non impediendi, quod non est verum: tantùm enim significamus, nos habere volitionem non impediendi. Est igitur permittere, idem, quod non impedire, cùm tamen facultas impediendi suppetat. Pertinet propriè ad ea, quæ vel displicent (in quibus subest aliqua impediendi ratio) vel sunt adiaphora, ita ut non curemus, fiant, nec ne; sic fiant, an aliter, &c. Nemo enim dicitur propriè permittere fieri, quæ fieri cupit. Itaque ut propriè & in actu secundo aliquid dicatur permitti, requiruntur quinque. Primò ut displiceat permittenti, vel illi sit adiaphorum, ut dictum est. Secundò, ut sit eventurum, nisi causa impediatur, quod enim non est eventurum, propriè non est permissum, nisi in actu primo, quatenus causa non fuit impedita, quò minùs posset illud, sicut alia facere, vel producere; quo modo Deus dicitur sinere res agi suis motibus, dum illas non impedit, quin secundùm naturæ suæ conditionem quidlibet operentur: quo etiam modo ex consequenti, & secundariò sunt permissa multa mala, quæ homo potest facere, & non facit. Tertiò, ut sciat eventurum nisi ipse impediat; si enim nesciat eventurum, non potest dici voluntariè, & in particulari permissum. Quartò, ut adsit facultas impediendi, impropriè enim dicimur permittere solem moveri, cœlum pluere, &c. Quintò, ut nolis, vel voluntariè omittas impedire; sive ut te non opponas, sed sinas rem fluere suis motibus, qui enim se opponit, & conatur impedire, non dicitur permittere, etiamsi res eveniat. Quia verò hæc permissio in peccatis præcipuè locum habet, ideo ut meliùs percipiatur, considerandum est, dupliciter posse aliquod malum permitti. *S. August. c. 11. Enchir.* Primò, ex desiderio, ut eveniat, nimirum ut indè habeas occasionem alicuius boni eliciendi; ut si Medicus permittat morbum ingravescere, ut ex curatione plùs lucretur, vel artem suam magìs ostentet, & tum ipsum malum directè est volitum, ut sit occasio illius boni. Secundò, non ex desiderio, ut eveniat (imò displicet, si evenerit) sed ob aliam causam, verbi gratiâ, ne videaris importunus (quo modo, qui aliorum curam gerunt, nonnulla interdum permittunt;) vel ut cognoscas conditionem hominis; ut cùm pater permittit filium furari, ut eius indolem exploret, &, si furetur, corrigat. Hoc modo Deus permittit peccatum, etsi summoperè illud displiceat; habet enim iustissimam causam permittendi, ut antè dictum est; nimirum, ut res sinantur agi suis motibus; & vires, quas ab ipso acceperunt, sponte in opus exerant. Ob hanc tamen causam (quæ est eius bonitas) tantum malum non permitteret, nisi sciret ex illo aliud bonum elicere: & ita hoc bonum est causa non finalis, sed sine qua non istius permissionis, quod apertè indicat S. Augustinus.

Lessius c. 7. IIX. Quintus actus gubernationis est: *multorum malorum impeditio.* Tot enim & tanta mala, posito semel peccato, à causis creatis irruerent, ut, nisi per divinam providentiam impedirentur, brevi mundum perderent. Ac primùm infinita mala impedit, quæ quisque in se ipso

Digitized by Google

esset facturus, & quibus suam animam gravissimè damnaturus. Nam, ut inquit S. Augustinus, Nullum malum facit homo, quod non faceret alius homo, nisi eum custodiret gratia illius, qui pro nobis factus est homo. Quisque id in se ipso facilè advertit, cùm variorum peccatorum occasiones propinquas vel remotas, in quibus aliquando fuit, considerat. Itaque gratiæ divinæ imputare debet non solùm bona, quæ fecit, sed etiam mala, quæ vitavit; ut, quòd in hæreses non inciderit, quòd libidinis barathrum vitaverit; quòd homicidia, furta, sacrilegia, &c. non commiserit. Nisi enim Deus hominem à pueritia protegat, occasiones malorum avertat, salutaria inspiret, & cursum vitæ dirigat, facilè in quævis peccata incidit. Secundò Impedit infinita mala, quæ diabolus esset illaturus. Unde Dominus Luc. 22, ait: *Simon, Simon, expetivit vos Satanas, ut cribaret tanquam triticum: ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.* Tanta enim est Diaboli potentia, ut facilè omnes mortales posset pervertere, omnem religionem extinguere, omnia sacra & cultui divino dicata vastare, & omnia hæc inferiora turbare, miscere, perdere; nec deest ei ad hoc intensa voluntas: sed per divinam providentiam furor illius tanquam vinculis quibusdam cohibetur, & potentia comprimitur, ut ne hilum quidem ampliùs valeat, quàm Deo manum suam laxare placuerit, ut perspicuum est ex historia S. Job, cui absque peculiari Dei concessu ne minimum quidem nocere poterat, non solùm in corpore, sed neque in rebus externis & possessionibus; & ex historia legionis Dæmonum, quæ expulsa ab homine rogavit Dominum, ut permitteret invadere porcos: Matthæi 8. & Lucæ 8. Ita enim à Deo continentur, sicut furiosi canes, vel Leones, quos moderator sic constrictos tenet, ut nihil possint, nisi quantùm ipse permittit, vinculum laxando, vel contrahendo. Simili modo continet vim impiorum, ne Ecclesiam evertant, & omnia suâ impietate inficiant.

Ibid. c. 8. IX. Sextus actus gubernationis est, *Cœlorum motio*; per hanc enim totam naturam corporalem maxima ex parte gubernat; in qua motione quatuor potissimùm sunt consideranda: velocitas, varietas, æquabilitas, effectus. *Velocitas* est pænè incomprehensibilis: nam Sol, iuxta Astronomos, singulis horis plus quàm undecies centena millia milliarium peragit. Una verò stella Sphæræ octavæ circa Æquinoctialem, eorumdē Astronomorum iudicio, unâ horâ percurrit supra 42. milliones milliarium, quantum videlicet eques quotidie 40. milliaria percurrens, annis bis mille nongentis vix conficeret; quanta igitur supremæ Sphæræ mobilis erit pernicitas? Nam hæc incomparabiliter est altior, cùm Astronomi demonstrent, duos cœlos inter illam & octavam intercedere. *Varietas* quoque est mira: singuli enim planetarum orbes, suos habent peculiares motus, tardiores vel celeriores, suisque temporibus & momentis constitutis ambitus suos peragunt: & cùm singuli suo motu ab Occidente tendant in Orientem, nihilominus à primo Mobili rapiuntur omnes quasi in contrarium nimirum ab Oriente in Occidentem. Hic tamen raptus proprios illorum motus non impedit, nec perturbat; sed optimè cùm illis ita contemperatur, ut uno tantùm motu cieri videantur. *Æquabilitas* est prorsus admiranda; nulla enim tot sæculis anomàlia est notata, sed semper eodem tenore, & pari celeritatis mensura procedunt. Et quamvis planetæ videantur habere interdum motus inæquabiles ratione epicyclorum, & maioris vel minoris elationis supra terram; tamen hæc non est vera inæquabilitas, sed solùm respectu centri terræ. Nam & ipsi epicycli semper eâdem velocitate circa centrum suum, & orbes deferentes circa suum æquabiliter gyrantur, nullo umquam tempore vel ad momentum quiescunt, nullo velociùs aut tardiùs procedunt; sed eodem tenore, eâdem semper pernicitate circumvolant. *Effectus* cœlestium motuum sunt omnes pœnè corporales motus, & mutationes rerum, quæ in hoc mundo elementari fiunt. Excipio illos motus qui à libero arbitrio, & aliquos, qui ab imaginatione animantium pendent; quamvis & horum multi etiam in illos motus, veluti in causas, etsi non cogentes, tamen inclinantes, referri possint. Ab illis igitur proveniunt venti & turbines, tonitrua & fulmina, nives & grandines, nubes & pluviæ, æstus & frigora, siccitates & inundationes, salubres auræ & pestilentes, tot incendia & phasmata in sublimi, tot colores & picturæ in nubibus. In mari agitatio illa, quâ instar viventis assiduè se totum nunc in hanc, nunc in illam partem, in immenso alveo suo se commovet; præter infinitas tempestates, quibus usque ad imum barathri dehiscere, & mox ad nubium celsitudinem assurgere videtur. In terra tot exustiones & subterranei ignes, tot tremores, tot conclusi spiritûs, mugitus, & erumpentis horrendi fragores; tot fontes & flumina (hæc enim duo, nisi aquâ pluviâ vel nivali per altiora loca colatâ, non perpetuantur;) tot silvæ & loca deserta. Item omnia quæ in terræ visceribus gignuntur; tot nimirum abstrusæ opes, tanta vis auri & argenti, tanta stanni, æris, ferri ac plumbi, & gemmarum omne genus. Et quamvis omnino credibile sit, hæc ab initio fuisse à Deo suis locis condita, tamen non videtur dubitandum, quin vi cœlestium corporum ibidem possint succrescere, & augeri, materiâ vicinâ & intermixtâ sensim in illam naturam excoctâ; Experientiâ enim constat, latomias longi temporis progressu à natura restitui, & vicina lapidescere.

§. II.

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas.

I. EXtendens cœlum sicut pellem, qui tegis aquis superiora eius. Qui facis Angelos tuos Spiritus. Qui fundasti terram super stabilitatem suam, non inclinabitur in sæculum sæculi. Qui emittis fontes in convallibus, inter medium montium pertransibunt aquæ. Rigans montes de superioribus suis. Producens *Psalm. 103.*

cens fœnum iumentis & herbam servituti hominum, ut educas panem de terra. Quam magnificata sunt opera tua, Domine! omnia in sapientia fecisti, omnia à te exspectant, ut des illis escam.

Sapient. c. 8. II. Attingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter.

Psalm. 8. III. Constituisti eum super opera manuum tuarum, omnia subiecisti sub pedibus eius.

Luc. c. 12. IV. Considerate corvos, quia non seminant, neque metunt, quibus non est cellarium, neque horreum, & Deus pascit illos.

Matt. c. 6. V. Ne solliciti sitis animæ vestræ, quid manducetis, neque corpori vestro, quid induamini; Nonne anima plus est, quàm esca? Et corpus plùs, quàm vestimentum?

Psalm. 36. VI. Iunior fui, etenim senui, & non vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem.

1. Petri c. 5. VII. Omnem sollicitudinem vestram proiicientes in eum, quia ipsi est cura de vobis.

Ps. 54. VIII. Iacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet: non dabit in æternum fluctuationem iusto.

Isaias. c. 49. IX. Super vias pascentur, & in omnibus planis pascua eorum. Non esurient, neque sitient, quia miserator eorum reget eos, & ad fontes aquarum potabit eos.

Iudith. c. 9. X. Omnes viæ tuæ paratæ sunt, & tua iudicia in tua providentia posuisti.

2. Reg. c. 22. XI. Prævenit me in die afflictionis meæ, factus est Dominus firmamentum meum: Liberavit me quia complacuit ei.

Psalm. 90. XII. Quoniam Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.

Iob. c. 12. XIII. Interroga iumenta, & docebunt te, & volatilia cœli, & indicabunt tibi, & narrabunt pisces maris; Quis ignorat quod omnia hæc manus Domini fecerit?

Iob. c. 39. XIV. Quis præparat corvo escam, quando pulli eius clamant ad Deum, eò quod non habeant cibos?

Matt. c. 6. XV. Considerate lilia agri, quomodo crescunt, neque nent, neque laborant. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est, sicut unum ex istis.

§. III.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Existentia Providentiæ.

S. Chryso. log. S. 69. I. QUidquid Cœli micat, radiat, & splendet ornatus; quicquid terra fragrat in floribus, sapit in fructibus, in animantibus gaudet, nostri amore factum, nostræ addictum est servituti.

S. Gregor. Naz. orat. 1. apol. II. Omnia facit Deus, atque immutat, & veluti per circulum universum hunc mundum gubernat, ita ut ex aëre aqua, ex aquâ terra, ex terrâ ignis producatur.

S. August. in ps. 61. III. Pascet te, qui fecit te: qui pascit latronem, non pascet innocentem? Pascet te, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super Iustos, & iniustos: Si pascit damnandos, non pascit liberandos?

Author operis imperf. IV. Deus est, qui per singulos dies incrementa corporis tui facit, te non intelligente; si ergo in te ipso quotidie Dei Providentia operatur, quomodo in necessariis tuis cessabit? si autem vos cogitando, modicam partem corpori vestro addere non potestis, quomodo cogitando salvandi estis in toto?

Lucas Burgensis in c. 6. Matt. V. Si rem tantillam vestra sollicitudo non potest, scilicet augere nonnihil staturam corporis, quomodo poterit corpus in vita servare, quantâvis annonæ, opimque congestâ copiâ, nisi adspiret providentia Dei?

S. August. S. 6. de Verb. Dom. VI. Omnem curam vestram super Dominum mittite; prorsus vos ipsos totos proiicite in illum. De ipsis capillis nostris securitatem nobis dedit. *Amen dico vobis*, inquit, *& capilli capitis vestri omnes numerati sunt*; capilli nostri numerati sunt Deo, quantò magis mores nostri, cui sic noti sunt capilli nostri? videte, quia nec minima nostra contemnit Deus; nam si contemneret, non crearet. Nam & capillos nostros ipse utique creavit, & numeratos habet, sed modò cùm sunt, inquis, fortè peribunt; & hinc audi vocem eius: *dico vobis, capillus capitis vestri non peribit.*

Idem Soliloq. 15. VII. Constanter Deo crede, eique te totum committe, quantùm potes; ipse enim te ad te sublevare non desinet, nihilque tibi evenire permittet, nisi quod tibi prosit, etiamsi nescias.

S. Cyprian. S. quod Idola non sunt Dii. VIII. Mundi unus est Rector, inquit D. Cyprianus, qui universa, quæ sunt, verbo iubet, ratione dispensat, virtute consummat.

S. August. in sentent. IX. Voluntas Dei, est prima, & summa causa omnium corporalium motionum; nihil enim fit visibiliter, & sensibiliter, quod non de invisibili & intelligibili summi Imperatoris Aula, aut præcipiatur, aut permittatur, secundùm ineffabilem iustitiam præmiorum, atque pœnarum, gratiarum & retributionum, in istâ totius creaturæ amplissimâ quâdam, immensâque Republicâ.

Utilitas.

S. Gregor. l. 31. mor. c. 6. X. Iusti viri securitas rectè leoni comparatur, quia contra se cum quoslibet insurgere conspicit, ad mentis suæ confidentiam redit, & scit, quia cunctos adversantes superat.

§. IV.

EXEMPLA SACRA.

Mansi disc. 6. n. 8. I. CŒlestis sponsus S. Catharinæ Senensi dixisse legitur: Cogita tu de me, quia ego cogitabo, & sollicitus ero pro te.

Idem disc. 12. n. 8. II. In vita S. Felicis Nolani scribitur, quòd, dum persecutores ipsum ad pœnas & tormenta

quæ-

quærerent, hi ipsum in foro obvium habentes, nec tamen cognoscentes, interrogarunt, an Felicem Presbyterum cognosceret? qui seipsum ex facie non cognoscere, veraciter respondit, quia nullus hominum semetipsum in facie aspicere potest: Ab illis itaque recedens in locum quendam abditum vetustorum & ruinosorum murorum sese abscondit. Quia verò ministri Sathanæ tandem intellexerant, illum ipsum Felicem esse, quem in foro allocuti fuerant, eundem quaqua versùm studiosè requirentes, tandem maceriam illam, in qua S. Felix absconditus latebat, ingressi sunt, Deus autem, ut, quàm in defendendo servo suo providus esset, perspicuè ostenderet, subitò fecit ab araneis telam quandam contexi adeò densam, ut ipsum locum illum ingressum fuisse, minimè suspicari potuerint; Ac proinde ipsis retrogredientibus S. Felix salvus evasit.

Surius 23. Nov. III. In vita S. Gregorii Episcopi Agrigentini scribit Surius, quòd eius æmuli, qui in Clero ipsius primariam obtinebant dignitatem, ut prædicto Episcopo calumniam struerent, impudicam quandam fœminam subornârint, ut Episcopo nocturno tempore ad Ecclesiam pro Matutino cum aliis cantando discedente, ipsa in Episcopi lectum se reciperet; demum verò officio divino absoluto, cùm æmuli ipsius unà cum aliis Episcopum ad cubile suum redeuntem associarent, mulier hæc conformiter pacto statim è lecto exiliens, Episcopum tanquam virum carnalem, sacrilegum, & scandalosum accusavit; quâ famâ non solùm impleta est tota civitas Agrigentina, verùm etiam accusatio ipsius huc Romam ad Papam pro tempore sedentem delata fuit, à quo proinde velut reus in vincula & catenas coniiciebatur; sed ecce Dei providentia eius manifestavit innocentiam; siquidem Sancti Apostoli Petrus, & Paulus eidem S. Gregorio nocturno tempore in carcere apparentes, eius ruperunt vincula, & catenas, ibidémque frequentibus visionibus cælestibus consolatus plurima patravit miracula. Dæmon vero impudicam illam fœminam ingressus est, eámque tenaciter possedit, quæ in Concilio centum & quinquaginta Episcoporum calumniam Sancto Episcopo factam, falsam esse confessa, tandem per orationem S. Gregorii liberata fuit; Impostores autem, iuxta vaticinium Ieremiæ, dicentis: *Denigrata est super carbones facies eorum*; acerbis pœnis fuêre plexi, & S. Gregorius cum summa gloria suà à Summo Pontifice fuit absolutus, eiúsque summa virtus & sanctitas toti mundo fuit manifestata.

Mans. l. c. n. 7. IV. In vita S. Eustachii potiùs, quàm in quacunque alterius Sancti vita admiranda cernuntur divinæ Providentiæ specimina; siquidem cùm coniux ipsius per illatam à nautis violentiam ei erepta, & peregrè abducta fuisset, filii quoque eius à duarum ferarum dentibus apprehensi, separatim abducti fuerunt; cúmque ipse prorsus ignotus apud rusticum quendam latitaret, ut eius agros excoleret, Deus ipsum denuo Imperatori Romanorum manifestavit, à quo anxiè quæsitus, ac tandem inventus in pristinam Ducis generalis militiæ suæ sublimem dignitatem restitutus fuit; cúmque Eustachius Imperatorem per gloriosas victorias & triumphos condecoraret, contigit, quòd uxor eius, nec non filii ipsius eodem tempore redierint; hi quidem sani, salvi, & incolumes, illa verò ab omni pudicitiæ suæ periculo illæsa & immunis conservata; qui omnes tandem cum S. Eustachio martyrio corronati fuerunt.

V. P. Cæsar Franciotti Religionis Matris Dei Lucensis Sacerdos in libro, quem de corporibus Sanctis, quæ in civitate Lucensi requiescunt, in Annotationibus de B. Sita vidua sequens narrat factum, quod suo tempore anno 1605. Neapoli accidisse scribit. Erat enim mater quædam, quæ filiam habebat nubilem, sed ad extremam usque paupertatem redactam; cúmque nihil ad laborandum habentes, per proprios sudores vitam sustentare non possent, præ fame ferè mori cogebantur; iam enim omnia usque ad telam, quâ culcitra straminea, in qua per noctem decumbere solebant, obtegebatur, divendita erant. Unde tam mater, quàm filia ad divendendam quoque honestatem & pudicitiam suam vehementer instigabantur; sed obstitit timor Dei; ita ut mori potiùs, quàm propriam conscientiam quovis etiam impudicitiæ, vel cuiusvis alterius culpæ nævo maculari sinere decreverint. Porrò filia aliqua à matre diffidentiæ verba pronunciari audiens, graviter affligebatur, adeò ut animam ipsius penetrare viderentur; séque per orationem ferventem Deo unicè recommendans, sæpius vocem quandam cordi suo acclamantem, & hæc verba suggerentem audivit: Præscinde capillos tuos, eósque vænum expone; hi enim ad minùs per aliquot dies victum tibi subministrabunt. Erant enim capilli eius coloris aurei, & raræ pulchritudinis. (At verò, Incarnata Sapientia per capillos Providentiam suam denotavit, inquiens: *Vestri capilli capitis omnes numerati sunt*; *multis passeribus pascendis curam habet, multò magis pro illis sollicitus erit, qui in ipsum confidunt*; *Capillus de capite vestro non peribit. In patientia vestra possidebitis animas vestras*) Huic autem voci & impulsibus internis paupercula virgo promptè obtemperans, omnes sibi capillos præscidit, tametsi à matre sua ob id acerbè reprehenderetur, quæ eos præcisos ad forum tulit vendendos: Cúmque in foro capillaturam filiæ in manibus tenens staret, non casualiter, sed ex divinæ Providentiæ dispositione servus cuiusdam magni viri nobilis pertransiit, qui eiusmodi capillos quærebat, hósque in huius mulieris manu videns, pariterque admirans, eandem ad domum prædicti nobilis secum conduxit, qui ex curiositate, cuiusnam hi capilli essent, requisivit, quæ respondit: Filiæ meæ capillatura est; Cui subintulit Nobilis: ergóne facta est Monialis? Nequaquam, respondit mater, sed ex eo ego & ipsa panem habebamus, quo vesceremur. Dedit igitur Nobilis pactum pro capillis matri pretium, simúlque cum illa ser-

Ibid. n. 4.

servum suum misit, ut is videret, si revera tali mendicitate gravarentur, cúmque servus ad dominum reversus, miserum domûs illius statum retulisset, simulque dixisset; filiam illam ipsissimam esse modestiæ, honestatis, & pudicitiæ effigiem. Nobilis quoque ad eandem pauperem domum se contulit, divinæque providentiæ periodos stupefactus intuens, filiæ congruã consignavit dotem, ut honestum inire matrimonium posset: Cúmque sæpe dictus Nobilis reversus, casum hunc multis nobilibus aliis retulisset, hi simul congregati, fraternitatem quandam, quæ à pietate nomen habet, instituerunt, cuius præcipuum institutum hoc est, quòd scilicet puellis in simili necessitate de pudicitia sua periclitantibus, honestæ dotis subministratione subveniant, & spatio duorum dierum hunc in finem duo millia scutorum congregârunt.

Esdras l. 1. c. 8. v. 22. VI. In libro primo Esdræ observandum; quòd Esdras in Patrocinium & tutelam Dei confisus dixerit: *Erubui petere à Rege auxilium, & Equites, qui defenderent nos ab inimico in via, qui dixeramus Regi: manus Dei nostri est super omnes, qui quærunt eum in bonitate, & imperium eius, & fortitudo eius, & furor super omnes, qui derelinquunt eum.*

S. Petrus Dam. l. 6. ep. 25. VII. Beatus Petrus Damianus narrat, virum quendam è Lombardia oriundum, unà cum coniuge sua ex devotionis instinctu Romam ad loca Sancta veneranda proficiscentem, cùm ad lacum pervenisset, ingressum fuisse in navim, pro comparando sibi pisce, serotino tempore manducando; pisce autem comparato è navi egressus, marsupium sibi cecidisse deprehendit, unde coniux eius graviter afflicta fuit, ipse verò divinæ se voluntati conformans non dolebat. Porrò remanserant ei in sacculo sex libræ monetæ Lucensis: Unde omnem suam confidentiam in Deum reponens, largifluè ab eodem fuit remuneratus, iuxta illud Apostoli: *Nolite amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem.* Etenim cùm circa vesperam hospitium suum non procul à lacu illo accepisset, itineris sui comites affatus dixit: quia hic lacus tam notabile damnum nobis intulit, convenit omnino, ut pro nostro solatio cœnâ solito lautiori potiamur: & conversus ad accolas, Quis, ait, mihi distracturus est duodecim numismatum piscem? cui piscator assistens præstò, respondit: venalem profectò piscem optimum habeo, sed quindecim procul dubio mihi denarios numerabis si eum tibi vendicare volueris. Quam ille summam non cunctatus exsolvit, emptúmque piscem uxori, ut esculentius pararet, iniunxit, quem mulier, ut exenteravit, in intestino eius folliculum cum viginti quatuor Papiensis monetæ solidis reperit. Tunc omnes, qui aderant, in commune gratias conferunt, & in succedentibus sibi iacturis semper in Deo spem esse ponendam, indubitanter agnoscunt.

Mansi disc. 8. n. 2. VIII. In vitis Patrum eremi de Abbate Frontone legitur, quòd, cùm se unà cum septuaginta aliis Monachis in sterilissimam quandam recepisset solitudinem, ibidémque omnes contemplationi dediti, ingentes in Spiritu fecerent progressus, Deus fiduciam illorum experiri volens, disposuit, ut panis, & quævis alia sustentatio iisdem deficeret. Monachi igitur ad imitationem populi Hebræi, Abbati detrahere cœperunt, & contra illum murmurare, eò quòd illos è civitatibus eductos, in vastam illam secum conduxisset solitudinem, quia, ut Psalmista ait: *Si non fuerint saturati, murmurabunt:* Unde iam omnino ad redeundum in civitatem sese resolverant: Sanctus quidem Prælatus sæpius eos ad sperandum in divinam Providentiam animare contendit, sed quia ieiunus venter non audit verba libenter, in proposito deserendi locum persistebant. Deus igitur, ut illis, quàm sit liberalis & provida manus eius erga illos, qui fideliter ipsi serviunt, ostenderet, angelum quendam ad virum divitem expedivit, qui ei in somno constituto diceret: Tu epularis in divitiis splendidè, & servi mei in eremo indigent pane? Hic igitur divitem hunc à somno excitatum monuit, ut divitiarum suarum partem servis Dei impertiretur; qui expergefactus visionem habitam cum nonnullis amicorum suorum communicavit, ab iisque, de eò quòd factu sibi opus esset, consilium expetiit, quale tamen nullus illorum suggerere ei potuit. Nocte autem consequente Angelus reversus, propter moram exequendi illud, quod ei impositum fuerat, illum reprehendit, pariterque percussit; Unde amicis suis de novo consultis, suasum ei fuit, ut, si hæc ab Angelo ei insinuata commissio à Deo procederet, hunc in modum eandem exequeretur; Nimirum septuaginta camelos suos, quos ad manum habebat, annona sufficienti onustos, sine ullo hominum duce in desertum ageret, futurum enim fore, ut ipsemet Deus dux eorum esset. Dictum, factum, nam sexaginta quinque camelos variis rebus comestibilibus onustos, & quinque alios fœno & stramentis pro eorundem iumentorum pabulo bene provisos destinavit, & in desertum agi curavit, qui intra spatium quatridui sub horam nonam ad Monasterium Sancti illius Abbatis feliciter pervenerunt. Ubi, ut quilibet sibi facilè imaginari potest, maximus fuit Religiosorum illorum iubilus, adeò liberalem in se divinam Providentiam videntium, quæ pusillanimitatem illorum condemnavit.

IX. Sanctulus, cùm non haberet, unde multos operarios, Ecclesiam quandam Sancto Laurentio sacram restaurantes, sustentaret, ad furnos quosdam accessit, in quorum uno panem invenit, cúmque omnem adhibuisset diligentiam sciendi, cuius panis ille esset, nec illius invenisset Dominum, eundem inter laborantes divisit; sed in eius manibus adeò crevit, ut, teste magno Gregorio, per decem dierum spatium omnibus satiandis suffecerit. S. Gregor. l. 3. Dial. c. 37.

X. In vita servi Dei Camilli de Cellis, qui, eodem sæculo vivens Religionem Clericorum ministrantium infirmis fundavit, legitur, quòd, cùm die quadam fratres eius ingenti premerentur penuriâ, iámque ex laboribus fatigati, & famelici Vita l. 2. c. 11.

R. P. Labn. Auctar. Bibl.

melici, non haberent quod manducarent, ipse ad Crucifixum quendam se convertens eidem dixerit: Adiuva me, quia potens es hoc facere; succurre pauperi huic familiæ. Vix hæc dixerat, cùm subitò audierunt sonantem campanellam portæ, ubi vir quidam omnibus ignotus comparuit, qui trahens ad partem P. Camillum, ab eo petiit, an pecuniâ indigeret? Qui, cùm ei, quam paterentur, exposuisset necessitatem, vir ille rursum interrogavit, quantum pecuniæ vellet? cui cùm Camillus dixisset, trecenta scuta, abiit vir ille, móxque rediens petitam ei pecuniam numeravit, neque deinceps unquam sciri potuit, quisnam vir ille fuisset, vel unde venisset, aut à quo missus fuisset.

Mansi disc. 6. n. 5. XI. P. Marcellinus, qui sonora Evangeliorum tuba existens, Romæ in Ecclesia Aracœlitana cum Spiritu Apostolico prædicabat, tempore extremæ annonæ caritatis, quæ anno 1590. Italiam affligebat, publicè in pulpito confessus fuerat, quòd Conventus ille, in quo aliquot centeni Religiosi Deo serviebant, illo tempore plùs, quàm aliis fertilioribus annis pane candidissimo abundarit cuius tunc penuriam patiebantur familiæ illius civitatis præcipuæ. Nimirum verificabatur tunc Propheticum illud oraculum: *Non vidi iustum derelictum, nec semen ejus quærens panem.*

Ibid. n. 3. XII. Petrus Consalvus Dominicanus, cùm loca inculta, & sterilia inhabitaret, quotiescunque ei libebat, ad ripas fluminis Mignuli in Gallicia accedens advocabat pisces, qui promptè comparentes in prædam se ei obtulerunt, ex quibus quantum satis erat, capiebat, cæteris in eodem loco remanentibus, nec recedere volentibus, donec ab ipso benedictionem & abeundi licentiam obtinuissent: Idem servus Dei cùm die quadam per præruptos & arduos montes ad visitandum infirmum quendam presbyterum abiisset, duobus aliis sociis stipatus, hósce defatigatos, & famelicos esse animadvertens, imò & de se conquerentes audiens, quòd de victu illis providendo non cogitaret, sanctus vir Dei eisdem dixit: Respicite post lapidem illum: qui secus viam iacet. Quod cùm fecissent, duos invenerunt candidissimos panes mundæ cuidam mappulæ ex subtili lino contextæ, involutos, nec non vasculum vino delicatissimo refertum.

Drexel. l. 5. Heliotr. c. 6. XIII. Maximilianus II. quando res adversæ animum solicitabant; conceptum à se symbolum proferebat: *Dominus providebit.*

S. Gregor. Turon. de glor. conf. c. 24. XIV. S. Monegundis ad illam vitæ sanctimoniam nunquam pervenisset, nisi eam divina providentia per varias ambages illuc duxisset. Duas habuit filias Monegundis excellentis formæ virgines, quibus omnem curam & amorem impendit Mater, tunc temporis parùm pia. Hanc peccandi illecebram amoliri placuit divinæ Providentiæ. Ita ambæ filiæ præmaturâ morte sublatæ sunt. Mater suo ipsa funeri velut superstes, omnem odisse vitam, capillos vellere, lacerare genas, omne doloris solatium spernere, nec aliud velle, quàm filias celerrimè sequi moriendo. Postquam lacrymis nonnihil egestus dolor est, luctu iam remittente, compos sui facta Monegundis: An non, inquit, insigniter fatua sum, quæ divinæ providentiæ tam contumaciter reclamo? quid ago? an nesciebam me genuisse filias mortales? an ad hoc natæ sunt, ut mori non possent? Dei Mater, Dei Filius, homines Deo charissimi moriuntur, & ego indignor filias meas desiisse vivere? quæ forsan ideò morte occubuerunt, ne succumberent vitiis. Quid igitur meis querelis Deum incesso, qui nihil potest mali velle? quin stultam hanc lamentationem finio, & in divinæ voluntatis ac Providentiæ sinu me totam compono? Ita dixit, ita & fecit; Mundum res suas habere iussit, Deo deinceps omni conatu servitura. Hanc vitæ mutationem superis placuisse, Miracula manifestum fecerunt: Monegundis namque plurimos ægrotorum, sine pharmacis consanavit, Gregorio Turonensi teste.

XV. Robertus, primus Molismensis Abbas, divinæ Providentiæ studiosissimus cultor, quicquid potuit, in pauperes erogavit. Fuit, ut duobus mendicis ante fores expectantibus duos panes iuberet dari: at œconomus se opponere, & nec in prandium quidem suffecturam annonam, dicere. Quid ergo, inquit Robertus, prandebimus? nescio, ait œconomus. Suboluit hîc viro sancto, aliquid tenacitate malè provida recondi. Igitur re divinâ peractâ, cùm signum daretur ad mensam, sciscitatus est Abbas, unde panes allati essent? paucos, inquit obsonator, pro nobis reservavi. Robertus religiosè excandescens, panes omnes in canistrum iussit colligi, & mox ad mendicos foras efferri, & ad suos versus: Ne, inquit, parendi contumacia, & diffidentia domi nostræ latius grassentur, ieiunium & fames docebunt nos Deo fidere. Volebat Robertus, ut sui omnes à liberalissimâ Dei Providentia toti penderent, velut infans à matris uberibus. Drexel. l. 4. c. 5. §. 4.

XVI. Illustrissimum & hoc divinæ Providentiæ argumentum fuit, quod plures commemorant. Cyrus Panoplites, Poëta nobilissimus, Princeps architectorum, pace & bello insignis; quàm enim sapiens, tam etiam fuit industrius, sed, quod unum illi deerat, nondum Christianus. Hic in Eudociæ Imperatricis Augustæ familiaritatem sese insinuans, tantam sibi gratiam sua poësi conciliavit, ut ab Imperatore Theodosio iuniore proximus, urbi & prætorio præfectus, Patricius, Consularis, summis denique dignitatibus fulgeret. Simul tamen variis & acerbis casibus vir iste iactatus est, & demum periisset, nisi naufragium fecisset, quo alii solent perire. Nam magna Dei providentia à summis, alea vertente, ad ima deiectus est. Siquidem ea re, qua apud cives magnam gratiam collegit, apud Imperatorem non mediocriter offendit. Verùm saluti fuit, quod esse credebatur exitio. Cùm enim Cyrus Constantinopolis veteres muros demolitus, duobus intervallis additis, alios intra sexagesimum diem extruxisset, populus inauditi operis festinatam pulchritudinem obstupescens, in Circo, præsente Imperatore exclamavit: Constantinus condidit, Cyrus instauravit. Vulneratus his vocibus Imperator Ibid. c. 5. §. 1.

ratior, Cyrum sub eo prætextu, quòd Græcæ superstitionis cultor esset, Præfecti dignitate privari, & bona illius publicari iussit. Accesserunt & aliæ quoque calamitates. Uxorem Cyri filiámque cacodæmon, invisus hospes, insedit. Hæc quidem Cyro, invidiâ principis (ut videbatur) benignissimâ tamen Providentiâ Dei sic evenerunt, ut vim medicamenti obtinuerit tam multiplex calamitas. Qui enim inter tot signa atque prodigia, etiamnum Deorum Cultor perseverabat, violento remedio curandus erat, & reddendus sanæ menti. Itaque Cyrus tot ærumnis pressus, ad Christianorum Deum confugere instituit, Sacris Christianis imbutus, & in Clericum attonsus, quoad vixit, Smyrnæ Pontificem egit. Gratias agat Cyrus divinæ Providentiæ maximas: sanè perierat, nisi sic periisset.

§. V.

EXEMPLA DOMESTICA.

Barthol. vit. l. 2 f. 170. & seq. maximè 175. I. IN vita S. Ignatii de Loiola admirabile quoddam nostróque proposito conveniens factum legitur. Hic enim vir Sanctus Romæ apud Gubernatorem delatus fuit, tanquam si Compluti, Parisiis & Venetiis manifestæ hæreseos, aliorúmque atrocium scelerum causâ ad mortem condemnatus, per fugam se à debito sibi supplicio exemisset, tametsi etiamnum in prædictorum criminum contumacia continuaret. Ut autem Deus per altissimam suam providentiam Sancti Ignatii innocentiam omnibus faceret sequentibus sæculis manifestam, audite, quid fecerit. Attigit à fine usque ad finem, & disposuit omnia: Quia enim hæ calumniæ Venetiis, Compluto, & Parisiis Romam ad sanctum hunc virum accusandum venerant, voluit Deus, ut ab iisdem locis veniret facti veritas, ad absolvendum innocentem: quâ autem ratione id factum fuerit, nemo non censebit esse miraculum; siquidem eodem tempore, quo vir Dei accusabatur, simul concurrunt in urbe Romana tres Iudices, qui in illis tribus civitatibus, in quibus accusator sub iuramento Ignatium tanquam reum convictum, & condemnatum fuisse asseruerat, absolverant tanquam verè innocentem. Unde Deus privatis motivis, ob quæ tres illi viri Romam venerant, ad maiorem Sancti Ignatii gloriam, uti voluit, siquidem illos simul congregavit, & qui antea fuerant Iudices, tunc fecit esse testes, ut in primo Mundi tribunali innocentiæ Sancti Ignatii concors, indubitata, & publica perhiberetur fides.

Drexel. l. 2. c. 11. § 1. II. S. Franciscus Xaverius, qui primus è Societate Iesu in Indiam & Japoniam Christi Evangelium invexit, ita altè imbiberat animo divinam Providentiam, ut plurima incredibilis in eam fiduciæ specimina ediderit; ex hac porrò fiducia tantum divinæ se Voluntati conformandi studium nascebatur, ut Xaverius ad Ignatium ex India literas scripserit in hæc omnino verba: *Gratia & Charitas Christi Domini nostri.* Mi Pater, in Christi visceribus unice. Te ego Pater animæ meæ, summéque mihi venerande, positis humi genibus suppliciter oro, ut mihi à Deo impetres, ut, dum vivam, sanctissimæ Voluntatis suæ mihi det, & planè cognoscendæ, & omnino exequendæ facultatem. Vale. Hanc illi tantam cum divinâ voluntate consensionem persuasit summa in divinam Providentiam fiducia. Hac armatus alta spectabat, ingentiáque conabatur: ubicunque enim divinus honor ageretur, nulli cedebat difficultati, periculóve, ita nihil moliebatur, quod non efficeret; nihil inchoabat, quod non absolveret, Deo nixus. In ultimam Orientis Regionem Japoniam, lembo vectus piratico ire sustinuit, securus periculorum, quæ ab amicissimis, peritissimísque hominibus & plurima denuntiabantur, & maxima. Hos ille miratus, quòd tam exiguam haberent fiduciam Dei, in cuius illa omnia essent potestate. Equidem, aiebat, cùm Dei nutu atque imperio omnia gubernari certò sciam, nihil omnino metuo præter ipsum Deum, cùm res cæteræ quamvis noxiæ, non nisi quatenus ille sinit, nocere hominibus queant. Itaque Dei unius præsidio per tot maris terræque discrimina, per tot gentes sermone, moribúsque dissonas, Indiæ vastitate non contentus, Malacam, Molucas Insulas, Mauricam, Japoniam, Sinas, omnem denique Orientem animo atque industriâ complexus, ad ultima Orientis penetravit, oceanóque toties remenso Christianis mysteriis feras, barbarásque gentes instituit, ac mitigavit. Nec verò unquam illum Dei fiducia fefellit. Illæsus venena bibit, sagittas transiit, ter naufragium fecit: ac semel tabulæ incubans, biduum triduúmve fluctibus impunè iactatus evasit, aliáque innumera pericula effugit: Illud autem assiduè animo versavit: *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* turpissimum ratus, & omnium periculorum maximum, divinæ providentiæ atque potestatis spem fiduciámque abiicere. Ita unicum in Orbe hostem timuit diffidentiam. Præsertim (sic ipse loquebatur) cùm neque dæmones ipsi, neque eorum satellites ac ministri, quicquam nos lædere queant, nisi Dei permissu ac voluntate.

III. Laborabatur Neapoli arctissimâ annonâ, crescebátque petentium ad ianuam, atque emendicantium numerus, quibus P. Joannes Baptista Piscator, Collegio nostro tunc impositus, dari omnibus panem iusserat solito etiam liberaliùs. Defecit aliquando ianitorem panis, sed Joannem Baptistam nunquam spes, qua providente, quum maximè nihil superesse videbatur in arca, illo certissimè affirmante multum adhuc abundare, potior huius spei, quàm oculorum alterius fides fuit? Falli quidem oculos difficile est, præsertim incitatos, & curiosius advertentes; verum spem non confundere, oraculum est. *Ia. Rho. l. 1. c. 5. n. 13. ex Nostris.*

IV. Carolum Scribanium excelsissimi animi virum, cùm sæpe aliàs, tum in magna rei pecuniariæ angustia spes sua egregiè nobilitavit. Heribertus quidam amicus nostrorum, rem domûs frumentariam fideli operâ procuraverat; quúmque venditor pretium aliquantò violentiùs repræsentari sibi vellet, interprete Heriberto, Scribanius ne obolum quidem domi *Ibid. n. 14.*

esse verissimè opponebat. Tum Heribertus, quid igitur faciendum, si solutio differatur? actum de nostra fide in posterum est. Substitit paululùm Scribanius, tum ad amicum: Tu verò abi, & Deum ora; ego itidem hinc ad preces abeo; Deum exorabimus. Falsus spe suâ non est. Paulò pòst oblatum ab amico argentum, quantum creditori compescendo satis erat, solutâ pensione dimidiâ. Quod uno exemplo firmavimus, innumerabilibus etiam potuimus, sed non est pluribus opus, ubi uno res tota transigitur.

Ibid. n. 15. V. Antonium Possevinum diu iam de ineunda Societate cogitantem, filiorum, quos frater reliquerat, cura, & educatio retardabat: itaque cùm incalescente religionis æstu Sacrum faciente Benedicto Palinio, Patavii voto se Religionis obligaret, eam temporis addidit exceptionem ut diceret, simul ac fratris filiis consuluisset, se facturum. Vix ille ista conceperat, quum increpantis Dei vocem audire sibi visus: quasi verò adolescentibus istis ego satis consulere non possim? pudore suffusus, & melioris spei securus, quam in Deum reiiceret, absoluto voto se mancipavit, præsenti superfundentis se gaudii mercede.

Ibid. n. 16. VI. Bernardinus Realinus ita de Dei bonitate securus acquiescebat, ut, quum Lupiense Collegium regeret, monente non semel ministro, nihil esse domi, quod sociis cænaturis apponeretur, subridens ille, hominisque trepidationem blandè castigans, consuetâ nihilominus horâ dato signo omnes evocari iuberet in cœnationem, numquam falsus, nam in ipso rei articulo, quòd satis esset ad Religiosam refectionem, ex insperato submittebatur. Sed beatitatis tam certa illi fiducia, ut se amicis indè adfuturum, liberaliter polliceretur. Verùm dilata in annum quartum supra octogesimum abitione sua, ipsam senectutem sibi solatio esse dicebat, Apostolicum illud ad levandam dilatæ missionis afflictionem crebrius usurpans, quod senescit, prope interitum est. Ita demum excessit, ut ibi iam esse sibi aliisque videretur. Ut enim flumina quum vicinum in mare advectas per longinqua terrarum exonerant aquas, confusis limitibus vix ab ipso, quod intrant, mari secernas; ita spes beatitati propiùs admota magnas etiam animas ita implet, ut vix capiant; nam illa tum demum perficitur, quum desinit.

§. VI.

EXEMPLA PROFANA.

Epictet. in Enchirid. c. 13. & 38. I. Epictetus dicere solebat: Religionis erga Deos immortales præcipuum illud esse scito, rectas de eis habere opiniones: ut sentias, & esse eos, & benè iustèque administrare universa; parendum esse eis, & omnibus iis, quæ fiant, acquiescendum, & sequenda ultro, ut quæ à mente præstantissima regantur: sic enim nec incusabit eos unquam, nec ab eis negligi te conquerêris. Et iterum: Ne postules, ea quæ fiunt, arbitratu tuo fieri. Sed, si sapis, ita fieri quæcunque velis, ut fiunt. Morbus est corporis impedimentum; instituti non item, nisi ipse velis. Claudicatio, pedis est impedimentum; instituti non item. Quod si singulis in rebus, quæ incidunt, consideraris; invenies eas alterius cuiuspiam rei, non tui, esse impedimentum.

II. Seneca Lucilium suum divinæ providentiæ consideratione, contra casus rerum humanarum inopinatos sic præmunit: Senties & confiteberis, nihil ex his optabilibus & magis utile esse, nisi te contra levitatem casûs, rerúmque casum sequentium instruxeris: nisi illud frequenter, & sine querela inter singula damna dixeris: *Diis aliter visum est: Dii melius.* Sic composito nihil accidet. *Senec. ep. 98.*

III. Cùm Aquila olim in excelsa quercu septem pullos educasset, hunc nidum C. Marius etiamnum puer conspicatus, secum pullos in urbem asportavit; qui non sine numine Divum, sed infallabili DEI providentia, septimum illum aliquando Consulem fore, præsagirent. *Plutarch. de viris illustr.*

IV. Sanctii Garsiæ, Aragoniæ Ducis mater, Uraca nomine, illo gravida, cùm in bello contra Mauros fortis & animi plena mulier, socia marito esset, lanceâ in latere, grandi vulnere percussa concidit, prole intactâ, quæ per vulnus manum exerens, viva extracta est. *Roderic. Toletan. l. 5. de reb. Hisp.*

V. Naufragium passus Pater cum Filio, uterque undis involuitur, submergitur Pater, Filius pro tabula parentis cadavere usus ad littus enavigavit. *Engelgrave. Dom. 6 post Epiph. S. 2.*

VI. Anno 1627. in urbe S. Severini, decem millia hominum terræ motu perierunt: cùm ipsis ædibus & turribus vasta campana deciderat, quæ cæteris omnibus ruinâ oppressis, puerum inter rudera incolumen texit, ac protexit. *Ibid.*

VII. Nec minùs stupendum, quod Recupitus ex Dione refert: ingenti terræ motu, Antiochiæ sub Traiano exorto, neminem inter ruinas vivum repertum, præter puerum matris mortuæ ubera sugentem. *Ibid.*

VIII. Anno 1570. nocte ante lucem omnium Sanctorum, oceani exundatio hausit aliquot Zelandiæ Insulas, magnam Hollandiæ partem, totam ferè Frisiam, strage non modò fortunarum, planè incomparabili, sed hominum quoque, vel in sola Frisia viginti millium. Submissi cum cymbis per dies insequentes, ut naufragii reliquias colligerent, nonnullos superstites in collibus & arboribus, extremum Spiritum trahentes excepere: intérque eos Senecensi in colle repertum infantem, illuc cum fele cunis advectum, placidissimè dormientem, diluvii & naufragii unicè securum. *Ibid.*

IX. Appius in exilium ablegatus, omnes fortunas suas, quæ opulentissimæ erant, convasavit, ac unà cum illis ac famulorum comitatu, Myoparone traiicere tentavit, sed famuli prædæ inhiantes, dominum omnibus exutum, Lembo imponunt, ipsi interim direptas *Ibid.*

ptas opes inter se partiti, misero naufragio perierunt, domino salvo.

Ibid. X. Aristomenes in manus hostium delapsus, in specum subterraneam detruditur, ut fame ac siti extinguatur. Iam omnem vitæ spem amiserat, cùm ecce arcanâ viâ exitum invenit: vulpes enim insperatò sub terram in antrum penetravit; quam Aristomenes caudâ prehensam insequitur, & manu alterâ terram egerendo, aditum sedulò laxabat, quâ intrarat: donec in apertum prorupit, qui vivus sepultus credebatur.

§. VII.

MOTIVA.

Providentiæ Dei se committendi.

S. Gregor. Naz. orat. 26. I. EXperientia, *tot exemplis & argumentis probata.* 1. *ex Mundi creatione*, de qua sic loquitur S. Nazianzenus: Unde tibi hæc omnia, & à quo? aut parva hæc oculisque subiecta dicam, cuius munere ac beneficio cœli pulchritudinem cernis, Solis cursum, Lunæ orbem, siderum multitudinem, eámque, quæ in his omnibus velut in lyra elucet, concinnitatem, atque ordinem semper eodem modo se habentem; partium anni vicissitudines, temporum mutationes, annorum conversiones, diei, noctisque æquas portiones, terræ productiones, aëris diffusionem, maris fluxi simul ac stabilis immensam latitudinem, fluminum profunditatem, ventorum profluvia. 2. *In Commerciis*, nam quia non omnia Mundi climata, nec omnis terra ad illa producenda apta est, & idonea, quibus indigemus, ideo hominis ingenium erudivit, ad commercium ex uno polo ad alterum transigendum, idque per hoc, quòd mare navigabile reddiderit, unde pretiosissimæ merces ab Indis ad nos, & vice versa à nobis ad Indos, nec non varia pro variis infirmitatibus nostris transportantur ab ipsis Antipodis potentissima remedia: Navigationi quoque de magnete prospexit, quo mediante Naucleri ex uno regno ad aliud, imò ex uno Mundo ad alium securè discurrunt, adeò ut permutando merces nostras cum alterius Mundi mercibus nobis incognitis, optimè verificari possit illud Psalmistæ: *omnia subiecisti sub pedibus eius.* 3. *In ventis*, quos producit de thesauris suis; per hos enim aër purificatur, per quem vivimus, & ex quo respiramus; solis temperantur ardores, agitationes navium in mari promoventur; aquæ similiter agitantur, quæ si stagnarent, marcescerent utique, locáque vicina pestiferâ contagione inficerent. Eiusdem quoque Providentiæ effectus sunt salinæ, quæ modo quodam admirabili naturaliter, simúlque per artem productæ, tantæ sunt necessitatis ad vitam humanam transigendam, ut sine ipso sale homo subsistere non possit; Ab hac quoque providentia tot aquæ minerales, variis infirmitatibus pellendis proficuæ, tot plantæ medicinales, lapides & gemmæ, non solùm

Mansi disc. 1. n. 7.

pretiosæ, sed & salutares proficiscuntur. 4. *In rore, pluviis, & nivibus*, quibus terra indiget, ut suos possit nutrire, & ad augmentum perducere fructus; ideo hunc rorem ex vaporibus generari facit, quos sol ex eâdem terra, & aquis elicit, & attrahit: Quia verò hi vapores ventis indigent, quibus ex mari in aëra deportentur, ibidémque simul condensentur, ideo ab exhalationibus terrestribus generari facit ventos: Et ut hæ exhalationes generentur, disponit, ut stellarum, planetarum, & præcipuè solis influxus cœlestes ad hunc finem opportunum terræ conferant subsidium ad effectus illos producendos: Quia verò cœli nequaquam sunt animati, & consequenter ex seipsis per rationem & discursum tempore opportuno operari nequeunt, ideo supremus rerum omnium artifex cœlis de intelligentiâ quadam Angelicâ prospexit, quæ primum mobile indefessè agitat, & volvit, quod suo motu omnes alias sphæras, dependenter à primo mobili influentes, intra viginti quatuor horarum spatium quotidie secum rapit: Educens nubes ab extremo terræ, fulgura in pluviam fecit. 5. *In animalibus ad nostrum servitium deputatis:* quibusdam enim illorum in proprium situm terram assignavit, aliis aquam, aërem aliis, nonnullis etiam pro alimento assignavit carnes, aliis vermes, multis herbas: Homini verò tanquam omnibus creaturis superiori fructum nobilissimum, id est, frumentum indulsit, prætertot alios cibos sapidos, & delicatos. Omnibus quoque viventibus de instinctibus prospexit, ad victum necessarium conquirendum proportionatis. Quibusdam arma defensiva, & offensiva impertitus est, hisce videlicet cornua, illis ungues, aliis dentes; Animalia verò inermia & timida sagacitate & astutiâ communivit, ut ferocium animalium sylvestrium violentiam evadere possint, ut patet in vulpe, & lepore; Imbellibus damis magnam indidit ad currendum agilitatem, & velocitatem, ut fugâ sibi consulere possint. Insuper sciendum est, quòd unumquodque animalium naturaliter agnoscat cibum sibi salutiferum, nec non & illum, qui illis nocivus est; hancque notitiam habent ab herbarum odoratu, qui in ipsis vivacior esse solet, quàm in nobis. Observandum quoque, quòd, quia animalibus ad nostrum servitium deputatis ratio deest, seu discursus rationalis, ad prospiciendum sibi de vestimentis, prout nos per ingenium nostrum nobis consulere consuevimus, ideo Deus aliqua animalia pellibus, alia setis, alia lanis, alia plumis, alia spinis, alia squammis induta, alia conchis inclusa nasci voluit, iuxta propriam uniuscuiusque naturam. Item inveniemus cornicis pedes, velut quibusdam digitis distantibus separatos, atque divisos: Corvorum quoque atque pullorum aliter etiam formatos à natura pedes. Avium, quæ carne vescuntur, quasi incurvos, atque sinuatos, velut ad prædam paratos. Ea verò, quæ natandi habent usum, & consuetudinem, latos pedes, & membranâ quâdam illos digitos pedum sibi copulatos.

4. Ibid. n. 8.

5. In ibid. n. 9.

S. Ambros. l. 5. Hexam. c. 12.

latos, atque coniunctos, in quo admirabilis patet ratio naturæ, ut & illa ad volandum, vel rapiendum cibos usu accommodo fulciantur, & ista ad natandum adiumenta habeant competentia, quo meliùs possint aquis supernatare, & quasi remis quibusdam, ita pedibus suis membranæ illius extensione latioribus aquarum fluenta propulsent. Cygnus quoque cur proceriori collo utatur, in promptu causa est, ut, quia est paululùm segnior corpore, nec facilè potest aquarum inferiora penetrare, cervicem extendat ad prædam. De Ciconiis & gruibus pariter scriptum reperio, quòd, quia longas habent tibias, ideo in creatione sua collum quoque longum acceperint, ut tantò faciliùs rostro in terram pertingere possint: Cattis, seu felibus, quæ in obscuritate noctis muribus capiendis invigilant, utpote quæ hominibus damnum ingens & molestiam conciliant, natura oculos dedit particulari quadam luce præditos, quæ multis aliis animalibus nequaquam est communis, ut hac ratione inter tenebras noctis instinctum illum, propter quem specialiter generati fuêre, adimplere valeant. 6. *In hominum sustentatione*; de qua Christus dixit: *scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis.* Circa quæ verba Euthymius ita scribit: Non dicit autem: *Scit Deus*, sed: *Scit Pater vester*; quò maximam habeant fiduciam; Ex quo enim Pater est, & talis Pater, filios despicere non poterit, & pati, ut rerum necessariarum indigentiâ deficiant, cùm neque terreni patres id sustineant; & quia omnibus his scit vos indigere, dabit utique. Cornelius Iansenius circa eadem verba ita scribit: Quæ certè sententia magnam habet energiam; nam ad hoc, ut quisque positâ sollicitudine totum se alicuius providentiæ committat, nihil aliud requiritur, quàm ut certus sit de illius providentia, & potestate, & scire illum suas necessitates. Deus autem egestatem nostram novit, quia ipse scit figmentum nostrum, cùm nos creaverit ad sustentandam vitam alimenti omnino indigos; scit, quia his omnibus indigemus; De eius itaque providentia & omnipotentia planè certi simus, sciamúsque, quòd ab eo veluti à patre tenerrimè amemur, ideo namque patris nomine à nobis appellari voluit, dum nostrum ab eo panem deposcimus: Nam ut D. Chrysostomus, parùm ab Euthymio differens inquit: Non dixit: Novit Deus, sed Pater vester, ut eos profectò ad spem certiorem vocaret; si ergo est Pater vester, & Pater talis, nequaquam profectò patietur despici à se filios. Imò urget, ut postulemus, teste S. Chrysologo dicente: Qui Patrem se nobis dedit, qui sibi nos adoptavit in filios, qui rerum nos fecit hæredes, qui nos in nomine hoc sublimavit, qui nos suo & honore donavit, & regno, ipse nos, ut panem quotidianum postulemus, urget. Idem Sanctus Doctor super illa verba: *Considerate corvos, Deus pascit illos*, tale format argumentum: Exemplo tali exaggerat dubitantis insaniam, qui putat, Deum hoc piis filiis denegaturum, quod impiis avibus subministrat.

S. Chrysost. hom. 23 in Matth.

II. *Sapientia Dei*, uti rectè Drexelius ostendit, dicens: si quis cum Tabellario viarum peritissimo iter ingrediatur, & ubi salebrosæ, difficiles, ac flexuosæ se viæ obtulerint, incipiat queri, dicátque: per quæ me avia ducis, vir bone? nisi me valdè fallo, iam dudum itinere decessimus. Huic viæ auctor promptè respondebit: Ne sollicitus sis, mi Domine, & hanc mihi curam relinque: per aliquas, fateor, ambages te duxi: quòd si limite recto ivissemus, in paludes illas ineluctabiles incidissemus: fide mihi; sic ducam, ut te huius comitis non pœniteat. Semita trita & tuta, nemini nimiùm longa sit aut aspera. Ita nos divina ducit Providentia: per crebros quidem anfractus, pérque varios viæ flexus incedendum est: sed quid indignamur optimo duci? modò via sit secura, quid refert, si sit salebrosa? Quam ipsam sapientiam etiam in ossibus hominis ostendit, uti Drexelius sequentibus verbis declarat: Custodit Dominus omnia ossa eorum, unum ex his non conteretur. Tot in humano corpore ossicula sunt & ossa, ut hominem dixeris ossuariam. Ossium quædam clavorum vice sunt, ut dentes; alia sunt ut pyxides, ubi medulla, præsertim in coxis & tibiis; aliqua quasi consuta sunt, ut cranium; alia aliis infixa sunt, sicut ianuæ uncus cardini. Galenus Medicorum Princeps in humano corpore ossa ducenta numerat. Vitingus inter Medicos celebris, ducenta viginti quatuor assignat. Horum quodlibet, uti Galenus docet, quadraginta fines seu scopos in usum corporis habet, adeò artificiosè inter se omnia collocata sunt. Ergo ut ossa solùm humani corporis in ordinem reponantur, plusquam octies mille scoporum seu finium observandi. Unicum ex his non conteretur, Deo non annuente; *Custodit Dominus omnia ossa eorum.* Neque verò Deus, ut architectus est, qui, cùm struxit domum deserit; Deus operi suo momentis omnibus non adest tantùm, sed assiduè in eo habitat.

Drex. l. 5. c. 9. in Heliotrop. §. 1.

Ibid. c. 6. §. 4.

III. *Amor Dei erga homines*, qui variis ex indiciis colligitur. 1. *Quia Pater noster est*; hinc Iansenius ait: Non dicit: Et Deus Pater pascit ea, sed Pater vester, & cœlestis; cùm dicit: Et Pater vester, significat Deum, qui volatilia pascit, cùm illorum tantùm sit Dominus, non Pater: Multò magis nos, quorum etiam Pater est, pasturus est, cùm proprium Patris officium sit, filiis alimenta prospicere. 2. *Quia Mater nostra est*, uti per Isaiam ostendit, dicens: *Audite me, domus Iacob, qui portamini à meo utero, qui gestamini à mea vulva.* Et iterum: *Nunquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur Filio uteri sui? & si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui.* 3. *Quia Creator noster est*, qui animalia omnia fecit propter hominem: hominem autem propter seipsum. Si ergo animalibus ministrat propter hominem, quando hominibus non ministrabit propter seipsum. Hinc S. Cyprianus infert: Quod si Deus providet passeribus, si tot pascit aves, quæ strictam adeò cum Deo coniunctionem non habent, sicut habet homo; quan-

Iansenius in c. 6. Matt.

Isaias c. 46. 3. & 49. 15.

S. Chrysost. in c. 6. Matt.

quantò magis manus ipsius erga nos provida erit, & solicita? Tu Christiano, tu Dei servo, tu operibus bonis dedito, tu Domino tuo adeò charo aliquid existimas defuturum? Maximè, quia humana creatura est illud opus, quod eadem Beata Trinitas magnâ sibi dignatione divisit, ut Pater conderet, Filius redimeret, Spiritus S. igniret, teste Ruperto Abbate. 4. *Quia conservator est noster*, de cuius sollicitudine sic discurrit S. Augustinus: sic certè mihi videtur, dum eius miserationes circa me attendo, quòd, si fas est dicere, nihil aliud agit Deus, nisi ut meæ saluti provideat, & ita totum ad custodiam meam occupatum video, quasi omnium oblitus sit, & mihi soli vacare velit. Unde & Tertullianus ait: Erat una Pastoris ovicula, sed grex unâ carior non est, una illa requiritur, præ omnibus desideratur.

S. Cyprian. apud Mansi disc. 4. n. 7. — Rupert. Abb. l. 1. in c. 1. Gen. — S. August. c. 10. de dil. Deo. — Tertull. de poen. c. 8.

§. VIII.

ASCETICA.

I. INprimis Nôsse debet Asceta, *quòd hac in materia ante omnia Fatum & Fortuna negari debeant*; *est* autem *Fatum*, quod veteres Philosophi admittebant, *occulta quadam naturæ vis, & necessitas, quâ unâ & solâ dispensante, quævis sive bona, sive mala, eveniunt: Fortuna* autem *est causalis contingentia, quâ absque ulla electione res quæque contingit.* Utrumque damnatur à Conciliis & SS. Patribus. Et fatum quidem à Concilio Tridentino dicente: *Si quis dixerit, non esse in potestate hominis vias suas malas facere, sed mala opera ita, ut bona, Deum operari, non permissivè solùm, sed etiam propriè, & per se, adeò ut sit proprium eius opus, non minus proditio Iudæ, quàm vocatio Pauli; anathema sit.* Fortuna autem à S. Augustino asserente, dæmonem, ut miseros gentiles deluderet, eósque efficeret divini culûs contemptores, eis persuadere conatum, Numen quoddam esse Fortunam, quam si colerent, abiectâ etiam omni piè vivendi sollicitudine, illâ dante, felicia omnia assequerentur. Unde rectè de hac ridicula Dea Seneca dixit. Nihil neque boni, neque mali dare potest Fortuna. Valentior enim omni Fortunâ est animus, qui in utramque partem res suas ducit, beatæque ac miseræ vitæ sibi causa est.

Concil. Trid. sess. 6. c. 6. — S. Aug. l. 4. de civ. c. 19. — Seneca l. 9. c. 70.

II. Nôsse debet, *quo fine omnes creaturas condiderit Providentia Dei*; id quod S. Gregorius Nyssenus sequentibus verbis ostendit: Quis mihi terram substravit? quis perviam solertiâ atque industriâ naturam aquæ humidam fecit? Quis fixit mihi cœlum tanquam cameram? Quis præstat mihi facem Solis? Quis emittit fontem in convallibus? Quis mihi brutorum animalium ministerium subiecit? Quònam fine Deus homini luminaria maius & minus creavit, nisi ad utilitatem eius? Cui putas? nulli nisi tibi, inquit S. Bernardus. Cæteræ siquidem omnes creaturæ aut in nullo egent his omnibus, aut non intelligunt ea. Unde S. Basilius ait? Unde vis affluit amœnitas exuberans deliciarum, omni nos obuallante creaturâ, per luculentam ac prædivitem erga nos beneficentissimam Dei gratiam.

S. Gregor. Nyss. orat. 1. in Dom. Orat. — S. Basil. hom. in Iulitam.

III. Nôsse debet *fundamentum, cui hæc doctrina innititur, scilicet nihil usquam in hoc mundo fortuitò aut ex necessitate fieri*; Divina namque intelligentia infinita est, extenditque se sine ullo labore ad omne, quod intelligi potest. Deus puncto temporis, uno eodémque, sic dicam, ictu oculi sinus omnes & abyssos cæli, terræ, maris, inferorum penetrat ac pervidet. Rectissimè Iobus: *Nihil*, inquit, *in terra sine causâ fit. Omnia in mensura, & numero, & pondere disposuit Deus ab æterno.* Ita in rebus omnibus divinæ gubernationis admirabilissima elucet providentia, quæ non præest solùm rebus omnibus, sed interest, imò inest. Hinc Paphnutius interrogatus, quid causæ foret, quòd illi proficerent, deficerent isti, sub eodem magisterio; hi caderent, illi starent? Respondit: Quæcunque fiunt, aut ad Dei beneplacitum, aut ex permissione Dei fieri: & omnia quidem, quæ cum virtute coniuncta essent, secundùm Dei beneplacitum; cætera verò, quæ cum vitiis haberent affinitatem, damna & iniurias in orbem inveherent, Dei permissu fieri. Cur autem Deus tanta, tamque frequentia mala permittit? Hic iubet Plato quiescere: Iudicia Dei abyssus multa. Hoc optimè cepit, qui dixit: sine consilio & providentiâ tuâ, & sine causâ nihil fit in terrâ, didici etiam ex hoc inscrutabile iudicium tuum expavescere, qui affligis iustum cum impio, sed non sine æquitate & iustitia.

Drexel. l. 1. c. 6. Heliotr. §. 1. — Iob. 5. 6. — Sap. 11. 21.

IV. Nôsse debet *differentiam, quæ inter gubernationem Dei, & Principum terrenorum intercedit*; nimirum, quòd hi, dum numerosæ aulicorum suorum familiæ volunt prospicere, multos ministros sub promissis stipendiis coguntur conducere, inter quos unus sit promus-condus, alter cellarius, tertius vestimentorum custos, quartus Triclinii præfectus, & sic deinceps de aliis officiis: At verò cœlesti Patri pro bono totius generis humani regimine, & sustentatione abunde sufficit, quòd manum suam aperiat, seu, quod idem est dicere, velit; volendo enim suscitat ventum, qui coturnices in abundantia subministret; præcipit, & per spatium quadraginta annorum cœli Angelicâ replentur annonâ: ordinat nubibus, ut agros fœcundent; ventis, ut favorabiles Zephyros edant; plantis, ut fructibus sese onerent; denique terræ, ut partus suos progerminet: *Aperit manum suam, & implet omne animal benedictione*; Aperiente te manum tuam omnia implebuntur bonitate.

Mansi disc. 3. n. 4.

V. Nôsse debet, *quæ sollicitudo à Deo sit prohibita, vel permissa*; id quod S. Thomas explicat, dum quærens utrùm, licitum sit, sollicitudinem habere de rebus temporalibus? & talem statuit conclusionem: Temporalium sollicitudo illicita est, si ea ut ultimus finis quærantur; Et, si ad ea inquirenda superfluum studium adhibeatur: vel nimium timeamus, ne nobis in necessitate deficiant: Cuius conclusionis hanc

S. Thom. 2. 2. q. 55. a. 6.

hanc subnectit declarationem : sollicitudo importat studium quoddam adhibitum ad aliquid consequendum. Manifestum est autem, quòd maius studium adhibetur, ubi est timor deficiendi: & ideo, ubi est securitas consequendi, minor intervenit sollicitudo. Tres autem observat vitiosos defectus : Quorum primus est ex parte eius, de quo sollicitamur, si scilicet temporalia, tanquam finem quæramus: secundus, propter superfluum studium, quod apponitur ad temporalia procuranda, propter quod homo à spiritualibus, quibus principaliùs inservire debet, retrahitur. Tertius est ex parte timoris superflui, quando aliquis timet, ne faciendo quod debet, necessaria sibi deficiant. Quod Dominus tripliciter excludit. Primò propter maiora beneficia homini præstita divinitus, præter suam sollicitudinem, scilicet corpus & animam. Secundò propter subventionem, qua Deus animalibus & plantis subvenit, absq; opere humano, secundùm proportionem suæ naturæ. Tertiò ex divina providentia, propter cuius ignorantiâ Gentiles circa temporalia bona quærenda principalius sollicitantur. Ex qua doctrina deducitur, quòd sollicitudo, quæ interdicitur, non excludit laborem & diligentiam nostram; hoc enim esset tentare Deum. Porrò Lucas Burgensis sensum verborum Christi literalem hoc modo declarat: sollicitudinem vetat, immodicam illam, & anxiam, quâ totus in hoc est homo, ut de rebus vitæ necessariis sibi prospiciat, nihilque Deo commendat, nihil divinæ providentiæ relinquit, tanquam id solus ipse curare, & possit, & debeat. Et iterum super illa verba S. Pauli ad Philippenses: *Nihil solliciti sitis* ; scribit : sollicitudo quandoque importat diligentiam quærendi, quod deest, & hoc est commendabile, & opponitur negligentiæ: quandoque anxietatem animi cum defectu spei, & timorem de non obtinendo id, circa quod sollicitatur, & hanc prohibet. *Idem in c. 4. Philipp.*

VI. Nôsse debet, *cur in hominibus non sit sperandum* ; nimirum quia fulcimenta humana vacuæ appellantur arundines. Baculus enim arundineus extrinsecus pulcher videtur esse, & fortis, quòd si tamen illi innixus fueris, rumpetur, quando minùs putabis, & penetrabit manum tuam ; unde in libris Regum dicitur: *An speras in baculo arundineo, atque confracto, super quem si incubuerit homo, comminutus ingredietur manum ejus, & perforabit eam.* Vatablus legit: Homines, quibus fidimus, sunt similes fragili arundini, cuius, cùm frangitur, fragmenta acuta solent lædere innitentem ipsi; sic homines plùs nobis tandem incommodi afferunt, quàm commodi. Hugo Cardinalis rationem assignat, quare David dixerit: *Nolite confidere in principibus, in filiis hominum* : hi enim solent esse fallaces, & cum verborum suorum fidem non servaverint, nullus superest modus, quo ad illam servandam cogi possint. præterea quia præ cunctis aliis vitæ brevitati sunt subiecti, iuxta illud Ecclesiastici: *Omnis Potentatûs vita brevis:* deinde quia in necessitatibus urgentioribus clientes suos derelinquunt, unde in Deuteronomio dicitur; *Surgant, & opitulentur vobis, & in necessitate vos protegant.* Denique quia facilè mutant affectû & irascuntur, cùm alta semper prætendant : Deus verò non item : *Non est Deus quasi homo, ut mentiatur, nec ut filius hominis, ut mutetur.* S. Job lamentabatur dicens : *Fratres mei præterierunt me, sicut torrens.* Pro cuius dicti intelligentia notandum, quòd tempore hyberno, quando viatores aquâ minimè indigent, torrentes adeò aquis abundent, ut omnes agri in aquis stagnent, evellant arbores, domus diruant, aliáque irreparabilia damna causent. In æstate verò quando terra arida est & sicca, & præ nimiis Solis ardoribus Mundus quasi ardet, iidem torrentes sicci sunt, & exhausti. Tales se Job suos expertum fuisse amicos lamentatur; in quibus antea habuerat fiduciam; siquidem prosperitatis tempore magna se in ipsius favorem facere velle promiserant, & tamen in maiori necessitate illum deseruerant. *Mansi disc. 12. n. 5.* *Eccli. 10. 11.* *Deut. 32. 38.* *Num. 23. 19.* *Iob. 6. 15.*

VII. Nôsse debet, *cur superflua vitanda sit*; nempe ob causam ab Authore operis imperfecti indicatam, dum verborum illorum: *Sufficit diei malitia sua*: hunc sensum esse asserit, ac si dicat: sufficit tibi labor, & miseria, quam pateris in vita propter usus quotidianos, quos necessarios habes. Noli superfluè pro superfluis laborare, ne labor quidem fiat tuus, fruitio autem alterius. Hinc etiam in oratione Dominica nos voluit orare : *Panem quotidianum da nobis hodie.* quia, ut Oleaster rectè dixit: vult nos semper ab eius providentia pendere, quoniam novit nos non adituros eum, nisi indigeremus; qua in re melior est pauperum, quàm divitum conditio ; sunt enim singulis diebus pauperum oculi ad Deum, ut eorum misereatur, & necessaria saltem ad illum tribuat diem. *Author imperf. ho. 10.* *Oleaster in c. 10. Exod.*

IIX. Nôsse debet, *cur Religiosi præcipuè aliique spirituales viri in providentia Dei spiritualiter confidere debeant* ; nimirum ob causam à Clemente Alexandrino indicatam, dum dixit: Deus quidem ut Pastor, singularum ovium curam gerit, eos verò maximè providendi, ac visendi tenet studium, qui populo multùm prodesse possunt ; hi autem sunt, qui ad regendum & docendum sunt apti. Et confirmans idipsum Rupertus, si totus ferè Mundus, inquit aliquando esuriat, & pane indigeat, iustum illum, eius in corde domesticum (cuius in ore familiare est verbum Dei) non videbis derelictum : Et verum est, quod Scriptura dicit: *non interficiet Dominus animam justi.* B. Alferius in vitis Patrum Occidentalium quondam suo monasterio hanc legem præscripserat, scilicet, quòd numerus Religiosorum illius loci duodenarium nequaquam transcendere posset, hujusque legis hanc reddidit rationem: Ne, si numerum excederent ; sustentari de rebus monasterii non possent. At verò vicinus morti factus, dictam legem retractavit, inquiens : Ego, quod de numero constitui, secundùm hominem dixi : nam quòd mihi Dominus revelare dignatus est, in hoc monasterio innumerabilis multitudo ad eius servitium colligenda est, nam *Clemens Alex. Strom. 6.* *Rupertus l. 8. Matt. c. 10.*

qui

qui eos ad regnum suum congregat, temporales etiam sumptus ministrabit. Hinc meritò Hugo Cardinalis verba illa : *Respicite volatilia cœli:* interpretans ait : verisimiliter possunt hæc exponi de Religiosis, qui nec serunt, neque metunt, & nihil in terra quærunt, & ab omni mundana sollicitudine semoti, solâ contemplatione in cœlo degunt. De his igitur potius, quàm de aliis Christus dicit : *Et Pater vester cœlestis pascit illa*: Ipsi est cura de vobis.

Hugo Card. in c. 6. Matt.

IX. Nôsse debet, *quòd ita Providentiæ divinæ fidendum sit, ut tamen etiam cooperatio propria jungatur*, uti in Jacobo Patriarcha cernere est, qui, licèt peculiaris divinæ Providentiæ scopus fuerit, non tamen industriam & sudores suos ad res à Deo provisas adhibere intermisit: *Nocte, & die urebar æstu, & gelu, fugiebátque somnus ab oculis meis.* Eidem, in suo ad domum paternam reditu trementi, (eò quòd obviaturus erat fratri suo Esau, qui indignans & vindicativus illum adoriri parabat) fuerunt obviam Angeli Dei; quos cùm vidisset, ait : *Castra Dei sunt hæc.* At verò dices fortè: ex quo cœlum in ipsius favorem pugnabat, quo fine omnes, ad numerosissimam familiam suam pertinentes, in certas turmas, ordines & phalanges distribuit? David olim dicebat: *Dominus mihi adjutor; non timebo quid faciat mihi homo. Dominus mihi adjutor, & ego despiciam inimicos meos*; Et tamen Jacob divisit populum, qui secum erat, in duas turmas &c. Munera quoque Esau fratri suo misit, ut illum placaret; sicut & ad illum mitigandum, sibique reconciliandum, sagaces misit nuntios; quænam hæ industriæ hominis, qui omnem fiduciam suam in Deum collocaverat, & cuius Deus defensor erat? Nimirum prudens Jacob per hoc nobis indicare voluit, quòd providentia Dei media humana non excludat: Dum modo hæc dependenter à Deo adhibeantur: *quia, nisi Dominus custodierit civitatem frustra vigilat, qui custodit eam*: vult enim, ut, postquam ex parte nostra omnem adhibuerimus industriam & diligentiam in ipsum præcipuè, tanquam in primam causam confidamus : Unde Basilius inquit : Ad perfectum virtutis cumulum coniuncta simul esse utraque hæc oportet, & humanum studium, & auxilium cœleste fidei operâ adscitum, & comparatum.

Mansi disc. 11. n. 6.

X. Nôsse debet, *cur Deus nonnunquam aliquos fame & inopiâ affligi permittat*; nimirum ob causam à S. Augustino assignatam, dum ait: Cùm legamus, in fame, & siti Apostolos laborasse, non existimemus hîc Domini promissa titubare, quandoquidem ista sunt adiutoria; Medicus iste, cui nos totos commisimus, novit, quando apponat, & quando detrahat, sicut nobis iudicat expedire; si enim nobis aliquando defuerint (quod plerumque propter nostram exercitationem Deus sinit) non debilitat propositum nostrum, sed examinatum confirmat. Possumus id ipsum magìs declarare per sequentem aptissimam similitudinem. Stat filius quidam, & ex frusto panis manducat, quod ipsi per totum diem sufficere posset; Si hic talis maiorem à Patre suo quantitatem peteret, se utique voracem nimis esse ostenderet, eique responderi posset, sufficere illi datam quantitatem pro toto die, pro die verò sequenti dandam esse aliam æquè magnam. Est igitur Providentia Paterna quòd Pater Filio suo plùs panis non tribuat, quàm qui eius sustentationi sufficit, quia si plùs manducaret, quàm necessitas eius exigit, causa futurus esset indigestionis, cum notabili sanitatis detrimento : Nam ut habet Medicorum aphorismus; *Omnis repletio mala, Panis autem pessima*: Præterea si filius ille maiorem haberet Panis quantitatem, quàm consumere posset, illum forsitan proiiceret canibus, vel malè dispenderet; Hoc igitur dispendium prævidens Pater, parcè illi panem dispensat, non ex providentiæ defectu, sed ex motivo Paterni affectûs, & curæ, quam de bono filii sui habet, & quia substantias suas prudenter conservare satagit. Hæc eadem est supremæ providentiæ cœlestis Patris nostri intentio, quando bona huius vitæ nobis parcè dispensat, & penuriam pati facit. Videri quidem posset, quòd Deus nos desolatas relinquat, vel quòd de nobis non cogitet, at verò revera res ita se non habet, quia tunc vel maximè Deus pro nobis est solicitus, quando secundùm nostram opinionem nos derelinquit; hoc enim facit, ut bonis cœlestibus abundemus; Quia incrassatus impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum.

S. Aug. de serm. Dom.

§. IX.

MISCELLANEA ET CONCEPTUS PRÆDICABILES.

I. Deus in Deuteronomio gloriatur dicens: *En, Domini Dei tui cœlum est, & cœlum cœli, terra, & omnia, quæ in ea sunt.* Id quod eruditissimus & acutissimus Oleaster summoperè admiratur, dicens: Ad quid, bone Deus, te divitem iactas? Ad quid Dominum cœli & terræ te esse dicis? Tu unico verbo amplissimas cœlorum sphæras extendisti : *Verbo Domini cœli firmati sunt*: Tu per unicum verbum, *Dixit*, vastissimam hanc universi machinam fabricasti: *Dixit, & facta sunt*: Quo igitur fine, O increata sapientia, hanc gloriationem? En Domini Dei tui cœlum est &c. æternitatis annalibus ad perpetuam memoriam inscribi voluisti? Et confestim dubium resolvit sequentibus verbis : ut ostendas te omnia hæc servis tuis præstare posse, ut revera præstas. Enim verò cœlum & terra omnipotentiæ & sapientiæ Altissimi sunt opera; At verò in quorum beneficium hæc sunt fabricata, præterquam in commodum & utilitatem hominis? *Constituisti eum super opera manuum tuarum; Omnia subjecisti sub pedibus eius.*

Oleaster in c. 4. Deut.

II. Seneca magnitudinem divinæ Providentiæ describens, unde, ait, hæc innumerabilia, oculos, aures, animum mulcentia? unde illam luxuriam quoque instruens copia? Neque enim necessitatibus tantummodo nostris provisum est, usque in delicias amamur; Tot arbusta non uno modo frugifera, tot herbæ salutares, tot varietates ciborum per totum annum digestæ, ut inerti quoque fortuita terræ alimenta

Seneca l. 4. de benef. c. 5.

præberent. Animalia omnis generis, alia in sicco, solidóque; alia in humido innascentia; alia per sublime dimissa, ut omnis rerum naturæ pars, aliquod tributum nobis conferret.

Mansi disc. 3. n. 6. III. Scala Iacob, quæ à SS. Patribus dicitur providentiæ divinæ symbolum, una extremitate cœlum, alterâ verò terram tangebat; ad denotandum, supremam illam providentiam ad omnes creaturas intellectuales, sive cælestes, sive humanas, se extendere; Atque insuper ad omnia creata, omniáque viventia. Deus in vertice scalæ consistebat, dum ministri Angelici per illam ascendebant, ut per hoc mendaces efficiantur perversi illi, qui Deum blasphemabant dicentes: Circa cardines cœli perambulat, & nostra non considerat. Contra quos S. M. Ecclesia in Collecta quadam hunc in modum orat: *Omnipotens sempiterne Deus, qui cælestia simul & terrena moderaris.* Huic quoque scalæ accommodari possunt verba illa: Attingit à fine usque ad finem, & disponit omnia. Hoc enim ineffabili huic proprium est Providentiæ. In Authore quodam moderno super illa verba: *A fine usque ad finem &c.* citatam invenio sequentem S. Augustini doctrinam: Attingit à fine usque ad finem, id est, à cœlo usque ad inferiores partes terræ, à maximo angelo usque ad minimum vermiculum. Observandum quoque est, quòd hæc scala videbatur à cœlo descendere, ac tum demum postea terræ inniti; Nos verò per scalas omnino oppositum facimus, priùs enim scalam super terram collocamus, eandémque postea in altum erigimus, ac tunc per scalam ad illam partem acceditur, quam volumus: Cuius differentiæ mysterium hoc esse existimo: Cùm enim hæc scala Dei Providentiam significet, conveniens est, ut primò à cœlo eandem promanare agnoscamus, quæ de sursum est sapientia. Unde Clemens Alexandrinus super illa Psalmistæ verba: *Sicut ungentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron,* inquit, quia divina Providentia desuper ex iis, quæ sunt Principaliter, tanquam ex capite, pervadit ad omnia; Priùs enim Altissima illa sapientia in cœlo disponit, prævidet, & prospicit omne illud, quod in beneficium nostrum in terra futurum est. Præterea considerandum est, quòd, sicuti scala duo habet latera, quibus gradus scalæ infiguntur; ita Providentia Dei stipata est fortitudine & suavitate, propter quod dicitur: Attingit à fine, usque ad finem fortiter; Ecce fortitudinem; Et postea subditur: Et disponit omnia suaviter; Ecce suavitatem, per quam Deus operatur, dum fines à se intentos absque ulla voluntati nostræ illatâ violentiâ assequitur. Gradus verò huius scalæ, sive Providentiæ divinæ, sunt varii modi, quibus Deus in Mundi huius dispositione & regimine utitur. De eius providentia dicere possumus: *Astitit regina à dextris tuis circumdata varietate*; scilicet modorum, seu mediorum, quibus utitur.

S. Gregor. l. 24. mor. c. 5. IV. Interrogare nonnemo posset, quónam mysterio Christus nos iusserit dicere. *Panem nostrum*, & non potius *Panem tuum*? Dubium hoc movet pariter & solvit S. Gregorius Magnus, dicens? Ecce & nostrum dicimus, & tamen ut detur, oramus. Observandum est igitur, quòd, licèt res aliqua, quæ nostra est, in manu sit alterius, iure tamen à nobis tanquam nostra postuletur. Panis tamen cùm in potestate nostra non sit positus, sed eum nobis dare, ad Deum pertineat, (iuxta illud: *Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione*) quomodo igitur illum nostrum vocare poterimus, priusquàm illum habeamus? subdit S. Gregorius: Noster quippe fit, cùm accipitur, qui tamen Dei est, quia ab illo datur: Et Dei ergo est ex munere, & noster fit veraciter per acceptionem. Possumus tamen huius aliam assignare rationem, cur scilicet panem nostrum dicamus: nimirum quia ad prætendendum hunc panem ius habemus, quando ipse voluit, ut Patrem illum vocaremus; hoc enim titulo ad paternam erga nos filios suos obligatur providentiam.

Mansi disc. 6. n. 4. V. Certum est, quòd omnis Christi actio ad nostram dirigatur instructionem; Quis autem est, qui nesciat, quòd, cùm Apostoli illum sortiti fuissent Magistrum, de quo scriptum est: *Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione*; sine dubio modicam illam familiam suam sine ullis mediis humanis sustentare poterat; & tamen constat, quòd in manibus Iudæ depositam habuerit pecuniam, quâ mediante urgentibus collegii Apostolici necessitatibus subveniretur, ac proinde ex eo, quod divinus hic provisor fecit, satis colligitur, quòd diligentiam & provisionem circa sustentationem nostram, iuxta humanam prudentiam regulatam, prorsus excludere non voluerit.

VI. Quadruplex Inordinatio sollicitudinis vitanda circa temporalia. Primò, ut in eis finem non constituamus, neque Deo serviamus propter necessaria victûs & vestitûs; secundò ut non sic sollicitemur, ut de temporalibus, cum desperatione divini auxilii, anxii simus; unde Dominus dixit: *scit Pater vester &c.* Tertiò, ne sit sollicitudo præsumptuosa, ut scilicet homo confidat, se necessaria vitæ per suam sollicitudinem posse procurare, absque divino auxilio, quòd Dominus removet per hoc, quòd homo non potest adiicere aliquid ad staturam suam. Quartò per hoc, quòd sollicitudinis tempus præoccupat, quia scilicet de hoc sollicitus est nunc, quod non pertinet ad curam præsentis temporis, sed ad curam futuri; unde dicit: *Nolite solliciti esse in crastinum.* Ex hac igitur, & omnibus aliis hactenus adductis doctrinis, evidenter deducitur, quòd labor, diligentia, & industria nequaquam sit prohibita, sed solùm diffidentia timida, quâ timemus, ne Deus nos in inopia nostra deserat, tametsi officium nostrum integrè præstaremus.

apud Mansi disc. 6. tr. 15. n. 6.

Richardus de exter. mal. l. 3 p. 1. c. 16. VI. Quærunt nonnulli, cur Deus Iacobo Patriarchæ scalam in somno, & non potiùs vigilanti ostenderit, cùm hac ratione distinctiùs hanc ipsi delineare potuisset. Richardus de S. Victore in ea est opinione, quòd Iacob oculis somnolentis & dormitantibus scalam illam aspiciens,

spiciens, illos præsignificarit, qui Deo fideliter serviunt, & clausis quasi oculis in divinæ providentiæ ulnas sese conicientes, in ipsum confidunt, erga omnia terrena bona cæcos se exhibentes; Hi enim sunt, quorum Deus specialem præ reliquis curam habet.

Oleaster in c. 49. Isaiæ

VIII. Deus providentiam suam ostensurus, apud Isaiam dixit: *Super vias pascentur, & in omnibus planis pascua eorum, non esurient, neque sitient, quia miserator eorum reget eos, & ad fontes aquarum potabit eos.* At verò dicet fortasse aliquis, quâ ratione fieri poterit, ut quis in viis publicis, ubi non seminatur (& si seminaretur, granum seminatum à transeuntibus conculcaretur) suum inveniat alimentum? Dubium hoc Oleaster in sensu mystico solvit, inquiens: ubicunque sunt servi Dei, ibi, quæ sibi sunt necessaria, habent. Ne ergo timeas, in via Dei aliquid tibi deficere, quoniam viæ, & montes alimenta tibi ministrabunt.

Mansi disc. 11. n. 3.

IX. Evangelicum est oraculum, quo dicitur: *Amen dico vobis, si habueritis fidem sicut granum sinapis, &c.* In Græco habetur: si habeatis fiduciam. At verò quodnam in eo est mysterium, quòd fiducia grano sinapis assimiletur? Pro responsione, notanda est hæc sinapis proprietas, quòd scilicet, quantò magìs contunditur, & in pulverem redigitur, tantò suam acrimoniam vehementiùs exhalet. Eodem modo animæ electæ contingit, quæ suam in Deum habet confidentiam. Quantò enim magìs desolatam, omníque auxilii humani spe destitutam sese deprehendit, tantò magìs suam in Deum exercet fiduciam. Mulier Chananæa filiam habens à dæmone possessam, Salvatorem adiit, ut eius ope liberaretur; qui tametsi ei diceret: *Non sum missus nisi ad oves, quæ perierunt, domûs Israel*; ipsa tamen animum non despondit, sed maiori cum fervore supplicationem suam replicavit: Et licèt Christus ei diceret: *Non est bonum, sumere panem filiorum, & dare canibus*; ipsa tamen repulsam hanc denuo retudit dicendo: *Etiam, Domine, nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum*: Sed quisnam fuit huius tam vivæ, támque constantis fiduciæ exitus? Nimirum confestim Dominum dicentem audivit: *O mulier, magna est fides tua! fiat tibi, sicut vis: & sanata est filia eius ex illa hora.* Ubi observandum, quòd, licet hæc mulier in hac occasione posita, multarum ediderit specimina virtutum, humilitatis scilicet, patientiæ, charitatis, prudentiæ, perseverantiæ, orationis &c. Christus tamen specialissimè eius fiduciam deprædicavit, ídque eo fine, ut existimo, ut per hoc nobis insinuaret, quòd, licèt omnes virtutes in ordine ad nostras orationes exaudiendas ei sint gratissimæ, primo tamen loco vivam à nobis fidem & confidentiam deposcat.

Ibid.

X. S. Basilius observat, quòd eo tempore, quo aves Alcyones appellatæ, nidos suos in littore maris ædificant, pelagus tempestatibus conturbatum, ad tranquillitatem suam efficiant, unde ad nostrum intentum sequens elicit documentum, quòd, si Deus Author, & Dominus omnium creaturarum, in harum avium obsequium, ut scilicet ova sua quietè excludere possint, maria tranquillat, homo utique qui ad DEI imaginem & similitudinem creatus est, de auxilio divino, à tam benefico DEO sibi subministrando, diffidere nequaquam poterit.

XI. Omnia quidem in manu Dei sunt, non malè tamen quispiam dixit, tres claves Deum penes se habere, quas nemini committat: unam quidem clavem ad promendas pluvias, ventos, nives, & alios eiusmodi partus aëris; clavem alteram ad reseranda sepulchra, & revocandos in vitam mortuos; tertiam ad penu & omne genus alimoniæ. Quòd si Deus has promptuarias cellas occludat, quis aperiet? Ergo Deus rerum omnium promus condus: ab ipso impetrandum, quicquid ducendæ vitæ necessarium est. *Drexel. l. 1. c. 7. Heliotr.*

XII. Quærunt nonnulli, cur Deus Saulem in regem ungi voluerit; quem præsciebat multa impiè facturum? ad quam quæstionem sic respondet Drexelius: Idem quæram & ego: Cur Deus Angelos creavit in gratia, quos scivit æternùm torquendos in gehennâ? Cur Adamum in amœnissimo horto collocavit, è quo eum brevì sciverat exturbandum? Cur Christus Iudam Iscarioten in Apostolum elegit, quem præscivit fore proditorem? Cur Apostolos suos in civitatem Samaritanorum misit, quos prævidit non recipiendos? Quid hoc lusus est? Et tamen eius generis infinita sunt. Hieronymus ad rem respondens: Vis, inquit, scire rationem? Deus præsentia iudicat, non futura; nec condemnat ex præscientiâ, quem noverit talem fore, qui sibi posteà displiceat: sed tantæ bonitatis est, & ineffabilis clementiæ, ut eligat eum, quem interim bonum cernit, & scit malum futurum, dans ei potestatem conversionis & pœnitentiæ. *Idem. cap. 9. §. 2.*

XIII. Eiusdem divinæ providentiæ est. & facere bona, & permittere mala. Certè Deus nil unquam mali permitteret, nisi adeò potens & bonus esset, ut è quovis etiam malo bonum eliceret. Dic, obsecro, quæ unquam maiora in Orbe mala fuerunt, quàm facinus Adami, & occisio Christi? Et tamen noxa primigenia, Deum in humana membra è cœlo detraxit: Mors Christi cœlum nobis, & bona omnia restituit. Is artifex est Deus, ut è malis omnibus, velut è nummis plumbeis eliquare possit probatissimum aurum: Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Magdalenæ vitiositas multos correxit, Lapsus Petri quàm plurimos erexit, dubitatio Thomæ innumeros confirmavit. Deo istud laudi est: *Metis, ubi non seminasti.* Cùm enim peccata non seminet, ex eis tamen colligit messem complurium bonorum. Verè Deus mel de petrâ, oleúmque de saxo durissimo sugit, cùm è grandibus malis, bona non minora elicit. *Ibid. §. 4.*

XIV. Obiicias hîc forsan, inquit Drexelius, si velit Deus parentes meos mori, qua ratione possim ego parentum meorum obitum velle? Quòd si Deus me aut illos damnari velit, an hoc ipsum *Ibid. c. 11. §. 5.*

ipsum velim & ego? Mi bone homo, patrem tuum, matrémque vult Deus mori, non eò solùm, quò illis eripiatur usura vitæ, sed ut satisfiat debito Iustitiæ, vel, ut servetur ordo naturæ, quod & te velle convenientissimum est. Ita prorsus si damnari te velit Deus, non hoc ideò vult, ut tibi malum inferat, sed ut malum puniat, & Iustitiam defendat, quâ ratione par est, & te velle, puniri noxas, etiam in teipso.

TITVLVS XXIII.

DILECTIO INIMICORUM.

§. I.

EX S. SCRIPTVRA.

Eccli. 28. 21. I. Qui vindicari vult, à Domino inveniet vindictam, & peccata illius servans servabit.

§. II.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Qualitas.

Isidorus Pelus. l. 3. ep. 211. I. Inimicitiam in aqua scribere oportet, ut quam primum obliteretur; amicitiam autem in æs incidere, ut perpetuò firma & immota conservetur. Neque enim ne odio simus (hoc quippe nostri arbitrii haud est, ac fortassè ne fieri quidem potest, omni enim modo præstantissimi quique viri improbis invisi sunt, ac propterea Sancti viri huiusmodi odium subierunt) sed ne homines, sed improbitatem, qua laborant, odio habeamus, nobis imperatum est.

S. Bernardus serm. 24. in Cantic. II. Sunt plerique qui se dicunt, parcere inimicis suis, nec velle iis nocere, tamen non posse eos videre, neque insuper volunt cum eis loqui; contra quos Chrysostomus de compunctione cordis tractans illud: *Dimitte nobis debita nostra*, ait. Si tantummodo non lædas eum, qui te læsit, avertis te tamen ab eo, nec libenter videas, manet sine dubio vulnus in pectore & dolor augescit in corde, quod si est, nondum utique, quod Christus mandavit, expletur. Numquid tu ita vis propitium tibi Deum fieri, ut non quidem lædat, avertat tamen se à te, & peccatorum tuorum veniam poscis, talem exhibere te debes his, qui delinquunt in te.

[illegible] in c. Ap. Levit. III. Non vult simulatam remissionem, sed ex intimo corde, qui cordium scrutator & Iudex est Deus: Adeóque non sufficit inimico reconciliari secundùm oculos mundi, siquidem Deus, qui cor nostrum penetrat, quæ dilectionis nostræ sit ratio, an scilicèt verè aurum sit, optimè dignoscit; quapropter S. Augustinus hoc salutare nobis tradit dogma dicens: Melius est, ut clames ore, & dimittas in corde, quàm sis blandus ore, & crudelis in corde. Neque minus efficaciter & aptè eadem Christi verba explicat Dionysius Carth. dicens: Cordialiter diligendo iniuriantem, & culpam penitùs dimittendo, ita ut nihil amaritudinis, iræ vel impatientiæ inhæreat animæ vestræ.

IV. Vis acceptæ iniuriæ esse memor, & inimicus? sis inimicus, sed Diaboli, non membri tui. Propterea nos animo & irâ armavit Deus, non ut ensem in nostra corpora adiiciamus, sed ut totum gladium in Diaboli pectore immergamus. D. Chrysost. hom. 41. in acta.

V. Ille veraciter, hoc est, perfectè charitatem habet, qui, & amicum diligit in Deo, & inimicum diligit propter Deum. Ratio amoris huius ea videlicet, quæ hominem ad amandum Deum movere debet, Deus est, inquit S. Bernardus, quod copiosiùs explicat Cassianus: Non aliter, ait, ad illam veram perfectionem ascendere poterimus, nisi quemadmodùm nullius alterius rei, nisi nostræ salutis gratia prior nos ille dilexit; ità eum nos quoque nullius alterius rei, nisi sui tantùm amoris dilexerimus obtentu. Quamobrem studendum nobis est, ut de timore ad spem, de spe ad charitatem Dei, vel ipsarum virtutum amorem perfecto mentis conscendamus ardore. S. Greg. Hom. 27. in Evang.

VI. Nulli vel inimicissimo homini negari quantulumcúnque affectum, charitas, sanè in hac parte ambitiosa, permittit. Tibi noces, si non diligis inimicum. S. Bern. serm. 50. in Cant.

VII. Neque Christus hoc iussit, nos non habere inimicos, sed non odisse, hoc enim est in nostra potestate; illud verò omninò non est. Ne autem sine causa odio habeamur, non est in nostra potestate, sed in eorum, qui oderunt; Improbi enim bonos nulla omninò de causa odisse consueverunt, etenim Christum quoque sine causa odio habuerunt, quemadmodùm dicit: oderunt me gratis. D. Chrysost. in psal. 7.

VIII. Iubemur diligere inimicos quoque, ut hæc sit perfecta, & propria bonitas nostra, non communis. Amicos enim diligere omnium est, inimicos autem, solorum Christianorum. Tertul. ad Scapul. c. 1.

Necessitas.

IX. Non potest concordiam habere cum Christo, qui discors voluerit esse cum Christiano. S. August.

X. Dum vindictam adornas, primùm te ipsum tormento afficis, veluti si carnificem iram tibi apposuisses, dilanians tua ipsius viscera. Quid enim miserius homine perpetuò irato? S. Chrysost. to. 1. hom. 22.

Quem-

Quemadmodum furiosi nunquam fruuntur tranquillitate, ità qui simultatem gerit, & inimicum habet, nunquam fruitur pace, perpetuò æstuans, tempestatémque cogitationum in dies aggravat, verba factáque secum reputat, ipsius quoque nomini infestus, qui iniuriam dedit.

Idem. XI. Quomodo poteris manus in cœlum extendere, aut linguam movere, aut veniam postulare, si enim voluerit tibi Deus peccata condonare, tu id non permittis, cùm adversus conservum, offensum animum retineas.

Æquitas.

S. Aug. hom. 48. c. 7. XII. Si in domibus vestris Scorpiones essent, aut aspides, quantum laboraretis, ut domos vestras purgaretis, ut securi habitare possetis? irascimini; inveterantur iræ in cordibus vestris, fiunt tot odia, tot scorpii, serpentes, & domum Dei, cor vestrum purgare non vultis?

S. Chrysost. homil. cit. XIII. Multa deliquimus, in magnis offendimus, & Dominum nostrum irritavimus, dedit ex sua humanitate hanc viam reconciliationis; ne igitur deseramus hunc pulchrum Thesaurum; nunquid non in illius potestate fuit præcipere reconciliationem sine ulla proposita mercede? non enim habet, quia sua præcepta corrigat, attamen ex sua multa benignitate mercedem spopondit nobis, & magnam, & ineffabilem, & quam maximè desideramus, nimirùm veniam nostrorum peccatorum. Quam veniam habebimus, cùm & tantum præmium accepturi, nec sic quidem obsequimur legislatori, sed perduramus in eius contemptu?

Paulus de Palat. in c. 5. Matth. XIV. Tantoperè infelix est casus inimici tui in peccato, tam est misera conditio, ut vel hoc unum debeat tibi lacrymas misericordiæ excutere, & stimulos addere, ut quacunque potueris arte, vel ope, erigas fratrem in cœno iacentem, liberésque à morte eum, qui in Inferni faucibus est. Si asinum inimici sub onere iacentem lex antiqua sublevare iubet, quantò magis animam?

S. Bern. to. 2. serm. 50. a. 2. & 3. XV. Sæpè suggerit adversarius noster, quòd nisi vindicemus nos de nostrorum & nostris illatis iniuriis, veluti viles & vecordes reputabimur à plerisque. Audi quid prov. 13. dicitur: *Detestantur stulti eos, qui fugiunt mala.* Nonnè insanissimus esses, si domo super te ruente propter aliorum derisionem, à ruina & mortis periculo auffugere nolles? longè quidem maiori laboras insaniâ, si ex vecordia detineris parcere inimicis, cùm evadas non tantùm supplicia æterna, verùm etiam multa temporalia damna, insuper consequaris divinam gratiam, & gloriam sine fine mansuram.

Idem. XVI. Quod si nec gehenna immineret odio laborantibus, saltem ob ipsius odii cruciatum, peccata proximorum condonanda essent; cùm autem æterna supplicia nos maneant, quid stultiùs, quàm hic & illic semet ipsum mulctare, dum de altero se credit ultionem sumere.

Utilitas.

XVII. Qui te docuit orare, ipse pro te allegat preces, quia tu reus eras. Gaude, quia ille erit tunc Iudex tuus, qui modo Advocatus tuus est. Ideò ergo qui oraturus es, acturus es causam tuam, paucis verbis venturus ad illa verba: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Dicit enim tibi Deus: Quid mihi das, ut ego dimittam tibi debita tua? quale munus offers? quale sacrificium conscientiæ tuæ imponis Altaribus meis? Continuò docui te, quid petas, & quid offeras. Petis, *dimitte nobis debita nostra*; & tu offers quid? *sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Debitor es eius, qui falli non potest; habes & tu debitorem. Dicit tibi Deus: Tu debitor meus es, ille debitor tuus, hoc facio ergò tibi debitori meo, quod tu feceris debitori tuo: rogas me pro misericordia tua, noli esse piger in misericordia, attende quod Scriptura dicit: *Misericordiam volo magis, quàm Sacrificium*; Noli offerre Sacrificium sine misericordia, quia non remittuntur tibi peccata tua, nisi offeras cum misericordia. *S. August. serm. 170. de temp.*

XVIII. Tu legem scribis de venia & pœna, tu in tui causa fers sententiam: dimitte nobis, sicut dimittimus; vide quid dicis, ne contra te ensem, ut insanus & furens stringas. *S. Chrysost. Hom. 18. in Ioan.*

XIX. Carbones ignis congere super caput eius, accumulabis super mentem eius carbones ignis, id est, ferventes & urentes pœnitentiæ dolores, beneficiis enim tuis victus, dolebit se iniurias fecisse tibi, à quo bona recipit, & convertetur ad pœnitentiam, sicque lucraberis eum Christo. *S. August. serm. 163.*

XX. Fit odium maximæ utilitatis occasio: frequenter, quæ laudando, & gratificando non effecerunt amici nostri, hæc præstiterunt inimici lacessendo maledictis, etsi vera obiiciant. Illi enim gratificantes, sivè assentantes, superbiæ malum in nobis augent; hi verò odio perciti, crimina exprobrant, & nos ad vitiorum correctionem compellunt. *S. Chrysost. to. 6. hom. 14.*

XXI. Accepisti iniuriam, & eum, qui intulit, ulcisci cupis? Beneficiis eum affice, & ultus es. Si enim ulciscaris, similiter & te, & illum vituperabunt omnes: Si verò toleres, te quidem suspicient, de illo autem malè loquentur; quòd verò maius malum & acerbius contingere inimico possit, quàm videre inimicum omnibus esse admirationi, plausuque excipi, se verò in oculis inimici ab omnibus vituperari? *Idem. to. 5. hom. 20.*

XXII. Disce diligere inimicum, si vis cavere inimicum, ideò ampliùs monet: Exercete misericordiam. Non est aliud vinculum charitatis, non est aliud vehiculum, quo perducamur in hac vita ad illam patriam: extendite dilectionem usque ad inimicos, securi estote. Benefaciendo adversariis, honorem defers Christo. Vide, quantæ virtutis, & æstimationis sit hæc beneficentia, hæc victoria. *S. August. in psalm. 102.*

XXIII. De ipsa perfectione diligendorum inimicorum, Dominus admonens, ait: *Estote* *Idem tr. 1. in 1. Ioan. c. 2.*

ergo & vos perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est. Qui ergo dicit se in ipso manere, id est, in Christo, debet sicut ipse ambulavit, & ipse ambulare. Fortè hoc nos monet, ut ambulemus in mari? absit. Hoc ergo, ut ambulemus in via iustitiæ, in qua via? iam commemoravi: Fixus in cruce erat, & in ipsa via ambulabat: ipsa est via charitatis. *Pater ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt*, si ergo didiceris orare pro inimico tuo, ambulas viam Domini.

Facilitas.

S. Chrysost. hom. 4. in Matth. XXIV. Illæ (Feræ) quamquam naturaliter sæviant, si humanâ tamen naturâ palpentur, plerúmque mansuescunt, tu autem, qui illarum profectò naturalem feritatem, in eam, quæ contra naturam est, mansuetudinem, sæpè commutas, quam habebis excusationem? tuam mansuetudinem naturalem in feritatem, quæ naturæ tuæ inimica, convertens; cúmque naturaliter feram ad mansuetudinem trahis, te mansuetum naturaliter, in ferarum rabiem naturâ repugnante perducis, & leonem quidem mitigas, reddísque tractabilem, furorem verò animi tui omni prorsus efficis leone sæviorem? & certè cùm ibi sint duo impedimenta, vel maxima, quòd fera ipsa & ratione privata, & longè omnium alterius generis animalium excedit furorem; tu autem de copia donatæ tibi à Deo Sapientiæ, ipsam superas arte naturam. Qui igitur naturam vincis in bestiis, cur in temetipso unà cum natura etiam voluntatis bonum prodidisti? Itáque si te, ut alium hominem mansuefaceres, iuberem, nihil hic quidem impossibile viderer imponere; quamquàm excusare posses, non te esse Dominum voluntatis alienæ, neque cuncta in tua voluntate consistere. Nunc verò tua hæc propriè fera est, & cui certissimo iure domineris. Quam igitur habes Apologiam, quémve reperies honestum excusationis colorem, qui, cùm solerti studio hominem quodammodo facias de leone, tu tamen negligens, leo efficiaris ex homine?

S. Thomas de Villa Nova ser. in Fer. 6. ciner. XXV. Deus ita vult, & præcipit, & hoc gratum est illi; quanta quotidiè facimus pro amicis, quot à nobis alienatos, & invisos, orantibus amicis in nostram gratiam recipimus, ut illis placeamus? O Christiane! facis hoc pro amico, & non facis pro Deo: maximè cùm hoc non solùm consulat, sed præcipiat?

D. Chrysost. h. 1. h. 21. XXVI. Si dixero, ieiuna; corporis imbecillitatem mihi excusas. Si dixero: des operam sacræ Synaxi, sæculares curas. Si dixero: attende concionibus, imperitiam. Si dixero: iram dimitte, quid istorum allegare poteris? non corporis imbecillitatem, non imperitiam, non paupertatem, non occupationes, quapropter minimè omnium hoc peccatum veniabile est.

Idem. XXVII. Quid faciliùs, dic quæso, quàm homini qui te læserit, iram remittere? non enim longis ad id peregrinationibus opus est, non pecuniarum insumptu, non aliorum exhortationibus. Sufficit, ut tantùm velis: ac iam virtus illa suum opus explevit.

Dignitas.

XXVIII. Triplex offensæ genus potest homini irrogari, cordis, oris & operis; corde odiendo, mala desiderando. Ore detrahendo, infamando. Opere offendendo animam, personam, substantiam. Vis de omnibus his honestissimam sumere vindictam? Vis, quòd nihil relinquatur inultum? ignosce liberaliter corde, ore & opere. Si odit te corde, dilige eum amoroso corde. Si nocuit tibi ore in his, in quibus licitum est, lauda illum, ore, devotam orationem ad Deum pro eo funde; si verò opere te, aut tuos plurimùm læsit, aliquod servitium, vel beneficium illi impende. O vindicatio benedicta, & omni pietate & honestate præcipua, & sibi beneconscia, proximo pacifica, atque Deo summè grata. *S. Bern. ser. 51.*

XXIX. Nulla honestior vindicta de hoste sumi potest, quàm indulgentia liberalis, proinde etiam paganus Seneca de quatuor virtutibus ait: Scio magnum vindictæ esse genus, posse ignoscere. *Idem.*

XXX. Tunc temporis magis exultans (David) quàm cùm Goliath deiecisset; siquidem hæc illâ magnificentior erat victoria, hæc magnificentiora spolia, hæc præda illustrior, hoc gloriosius trophæum. Siquidem illic & fundâ, & lapidibus, & acie habebat opus, hîc verò cuncta prudentiâ, rationéque peracta sunt. *S. Chrysost. hom. 1.*

XXXI. Illud tibi animadvertendum fuerit, quòd de iis, qui deliquerunt, multi quidem eorum, qui ante nos vixerunt, supplicia sumpsernnt, quorum immortalis memoria per omnia sæcula durat. *S. Basilius epist. 164.*

XXXII. Accendamur ad benefaciendum inimicis, ubi adverterimus, quòd qui pro inimicis orat, quique inimicos diligit, & fovet, spectaculum est Mundo, & Angelis, & hominibus; spectat Deus, spectant Angeli, stupet mundus, attoniti redduntur homines, cùm vident Christianum reddentem non malum pro malo, sed pro malo bonum. *Paulus de Palat. in c. 5. Matt.*

XXXIII. Mori à persequente, Martyrium in aperto est opere; ferre verò contumelias, & odientem diligere, Martyrium in occulta cogitatione; disce diligere inimicum, si vis cavere inimicum. *S. Gregorius hom. de Martyr.*

§. III.

EXEMPLA SACRA.

I. IN Annalibus Ecclesiasticis de Nobili quodam refertur, quòd die quadam egressus, ut se de eo, qui patrem suum occiderat, ulcisceretur, tandem illum obvium habens, dum in procinctu esset, ut ferro illum transfigeret, hic ei supplex factus, amore crucifixi eum, ut sibi dimitteret, rogavit; qui crucifixi nomine audito compunctus, & placatus ferrum in vaginam recondidit, cúmque postmodùm idem Nobilis, tanquam legum status Equestris transgressor, *Raynald. ad ann. 1232. n. 38.*

gressor, à Richardo Angliæ Rege, exilio omniúmque bonorum suorum confiscatione mulctaretur, tandem post longum exilii tempus Ecclesiam aliquam ingressus, Deum orare cœpit, ut cor Regis emolliret in veniam, & pœnæ suæ remissionem; Factúmque est, ut, quoties hunc in finem coram crucifixi imagine genua flectebat, toties Christi è cruce pendentis imago, in ara exposita caput inflecteret: quo conspecto ingenti miraculo, Richardus Rex evocavit Equitem squalore obsitum, percunctatur, quod Deo gratissimum opus aliquando edidisse putaret, eóque subiiciente, parentis interfectori veniam per crucifixi vulnera exoranti ignovisse, auditâ rei serie, & causâ exilii, in patriam, pristinos honores, fortunásque restituit.

II. Neque minus memorabile est illud S. Joannis Gualberti exemplum, qui dum iuvenis esset paternis obsecundaturus placitis; inimico insidiabatur usque ad mortem, quem cùm aliquando inermem in stricta semita, ubi effugere non poterat, offendisset, miser ille ad huius se pedes provoluit, vitámque donari petiit amore Christi crucifixi. Quibus verbis emollitus Gualbertus eum è terra sublevatum amplexatus est, eúmque securum esse iussit, utpote qui bono usus fuisset advocato. Suum itaque prosequens iter Joannes Ecclesiam intravit in via, ibique orare cœpit coram quodam Crucifixo, qui illi caput inclinavit, quasi propter servitium, quod sibi, inimico propter amorem Dei parcendo, præstiterat, gratias acturus. Qua miraculosâ Domini correspondentiâ tunc confusus adolescens, interiùs se illuminatum sensit, móxque Mundo renunciare, subque Christi labaro imposterum militare statuit, quod & fecit, quando Religionem ingressus, alterius ipse Religionis fundator evasit.

Hist. select. August. Mannic. III. Philippus Altieri Baro Aquilanus aliquando vulnus ex bombarda mortale accepit in genu, & latere, unde mensibus multis de vita periclitatus fuit, ad ignoscendum igitur exhortatus, resistebat, & quantumvis se id facturum sæpius promitteret, in proposito tamen constans non perseverabat. Femur magìs magìsque intumuit, morbúsque ita auctus est, ut penè moreretur. Post varios itaque gravésque assultus, ex corde toto iniuriam remittere statuit, ideóque inimicum vocatum amplexatus est, eique reconciliatus. Statim non solùm mortem imminentem evasit, sed à morbo illo convaluit, ut sanus factus sit, plusque virium habebat in femore olim vulnerato, quàm in altero.

Baron. ad ann. 799. IV. Memorabilis quoque est historia in Annalibus Ecclesiasticis memorata de Leone. 3 Summo Pontifice. Nepotes enim Adriani Papæ invidiâ propter Leonis electionem excæcati, oculos illi eruentes, ad radices usque linguam ei absciderunt. Deus autem innocentium defensor, intercedente S. Petro, cui se recommendarat, nocte sequenti vitam, linguam, totalémque salutem illi restituit miraculosè, ita ut meritò gloriari posset: *Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo? Dominus defensor vitæ meæ, à quo trepidabo?* sed quam putatis tam prodigiosi miraculi fuisse originem? Cùm Carolus Magnus sacrilegos illos Adriani Nepotes pœnâ capitali mulctare decrevisset, Leo omni cum zelo & spiritu se ei opponens, id effecit, ut loco mortis in exilium tantùm ablegarentur.

V. Joannem Riberam Archiepiscopum Valentinum ab homine, in quem assiduè, nec vulgaria contulerat beneficia, apud Regem ac Pontificem M. impudentissimè accusatum, domestici quondam urgebant, ut dignitati tuendæ causam ageret suam, hominísque invidi, ac perfidi consilia retegeret; sed veritatis unius stantem iudicio nunquam pertulerunt, ut aliud vellet experiri. Prodidit se ipsam paulò post impudentia, & gravissimi Principes ingenti calumniatoris probro iusserunt eum à Joanne veniam deprecari. Verùm Joannes, qui eas inter offensiones patrem non exuerat, ad se adeunti obviam ad scalas factus, atque perhumaniter amplexus, secretum in conclave deduxit, neque passus illatæ iniuriæ mentionem inferri, amicissima in confabulatione diu secum habuit, nec minori charitatis significatione dimisit. Iniuriam ergo, unus quidam fecerat, sed alter non acceperat. *Io. Rho. l. 1. c. 5. exempl. 4.*

VI. Detulerant Joannis Avilæ nomen ad Quæsitores fidei, quorum in Hispaniis Tribunal præcipuâ iudiciorum severitate celeberrimũ est, homines, non minùs libidinis, quàm iræ atrocis, atque nequiter ingeniosi; ita enim calumniam adornaverant, ut, quia fraus deprehendi non poterat, Joannes, post annua vincula magìs inter damnatos, quàm inter reos, ab ipsis iudicibus haberetur, tanta sui nominis cum infamia, quanta paulò ante fuerat fama sanctitatis. Verùm, ut manifestâ tandem fraude suggestui redditus, frequentissimam ad concionem primùm dicere aggressus est, nihil de se præfandum sibi esse duxit, sed pro accusatoribus preces à circumfusa concione, serena fronte, lætis oculis, ac pia quadam vocis suavitate deposcens, omnes in tantæ virtutis egit admirationem; quamquam enim hæc virtus tessera sit nominis Christiani, nostróque in agro proveniat, nescio qua tamen efflante aurâ, adeò frequens enecatur, ut veluti aliundè advectam atque ideò rariorem admiremur. Equidem vera fatentibus ardua res est, ex odio amorem legere. *Idem ibid. exempl. 2.*

VII. Assueta solitudini Joannis à S. Gulielmo Eremitæ Augustiniani sapientia, hominum etiam consuetudinem tulit, & quidem gravissimis iniuriis lacessita. Oppidum est in Etruria, cui Battiniano nomen, quò ex vicino S. Gulielmi saltu, egenorum, animorúmque magno bono divertebat Joannes; eo in oppido agebat villicus nobilis Florentini, scortator idem impudentissimus, & iræ impotens in paucis, ergo à Ioanne pudicitiæ admonitu, excandescens homo impurus, lenissimo monitori faciem colapho publicè verberavit, prodidêre se diu meditata præcepta patientiæ. Advolvitur *Ibidem exempl. 3.*

vitur illicò impotentissimi rustici genibus, Ioannes, manúmque iniuriæ administram blandè osculatur; & ne Dominus indiciò auditò eum procuratione amoveret, Florentiam usque iter ingredi non dubitat, ratus, minorem eam esse patientiam, quam charitatis decora non augerent; præstitit plurimos annos in sylvis latuisse virtutem, ut tanto indè cum splendore prodiret.

Ibidem exempl. 6. VIII. Nec solis in sylvis crescit patientia inimicorum amans; nihil minùs illustre nobis exemplum reliquit Thomas Villanova, qui hominem de clero, quod corruptissimis moribus Ordini dedecori esset, quùm paulò acriùs obiurgâsset, ille contumaciâ elatus in Thomam invehi, eique in se, qui sacrorum Quæsitorum in familiaritatem adscitus esset, nihil Archiepiscopo iuris esse, vociferati cœpit, adeò inverecundè, ut nisi Thomas se ipsum incusans, suorum iras repressisset, nonnisi malè mulctatus indè abiturus fuisse videatur. Verum peracto Quæsitoribus indicio, iubent illi hominem corripi, atque in vincula duci. Eius rei nuncium Thomæ accumbenti quùm esset allatum, exilivit, atque impransus conscensâ mulâ ad Quæsitores accurrit, & quum multis frustrà egisset, ne misero illi linguæ impotentia, ultra quam non peccaverat, fraudi esset; ad extremum sanctè confirmans, non abiturum se, nisi voti compotem, sibi ut incolumem redderent, pervicit. Tum peramenter amplexum, impositúmque mulæ totam per urbem pari secum equitantem gradu circumduxit, ac sermones miscuit amicissimos. Dixisses, de victis iniuriis triumphum longè amplissimum agi.

Mansi tr. 35 disc. 8 n. 15. IX. In aliquibus Simonis Berti manuscriptis sermonibus, qui Florentiæ in Bibliotheca S. Martini asservantur, sequens pariter refertur factum, de quodam privatæ conditionis viro, qui cùm fratrem cuiusdam Nobilis occidisset, neque huius indignationem aliter declinare posset, Ecclesiam ingressus, ibi homicidium confessus est, illius pœnituit, séque Deo ex corde recommendans, se resolvit suspenso ad collum capistro, dicto Nobili se sistere, ab eóque veniam petere; quod & in die Veneris, intercessionem Iesu Christi in die illo implorans, aggressus est. Hoc igitur spectaculo permotus fuit Nobilis, ut venia indulta reum amplexatus fuerit, dicens: Vade in pace, frater, Deus remittat tibi in cœlis, sicut remitto tibi in terra. Nocte autem sequenti eidem Nobili Christus apparuit, dicens: Quoniam heri amore mei condonasti inimico tuo, noveris, me animam fratris tui occisi hac hora è purgatorio liberâsse: insuper animam patris tui priùs mortui, ex eadem pœna exemisse, & ambos meum duxisse in gloriam cœlestem. Deinde idem superaddit Author, quòd Christus ei dixerit, ut infrà dies octo se ad vitam æternam adeundam disponeret, unde paulò post infirmatus, omnibus Ecclesiæ Sacramentis munitus, animam suo tradidit Creatori Paradiso inferendam.

Ibidem disc. 15. n. 11. X. Vidua quædam unicum habebat filium, nobilem iuvenem, multarúmque opum hæredem, quem dum quidam eius occidisset inimicus, atque in fuga constitutus ministros Iustitiæ sibi imminere adverteret, Mater occisi eum iam iam capiendum videns, atque interiùs Dei præcepto, quo inimicos amare, iisque benefacere iubemur, exstimulata, homicidam periculo eripuit, equum, pecunias, omniáque alia necessaria subministrando, ut securius omne evaderet periculum: Quod cùm fecisset, ingressa est oratorium suum, & pro filii anima oravit: Cui oranti astitit Filius luce ornatus, matrémque sic affatus est: Cùm inimico pepercisti, & pro me orâsti, mater mea verè effecta es, plùs quàm cùm me genuisti: insigni enim tua charitate & oratione à Deo obtinuisti veniam omnium meorum peccatorum, & indulgentiam consecutus sum multorum annorum, qui mihi remanebant in purgatorio exsolvendi: sícque in matris oculis cœlum ascendit. De qua certè matre illud astrui potest, quod de S. Monica in eius lectionibus in hæc verba legitur: Dupliciter mater, quia eum mundo & cœlo peperit.

XI. Tempore S. Philippi Nerii, prout in vita eius legitur, quidam erat iuvenis, qui ad omnes rationes penitus surdaster, iniuriam capitalem fovebat in corde suo, huius itaque aliquando præsentiam nactus Sanctus vir, maximo cum spiritu crucifixum arripuit, atque ita iuvenem allocutus est: Ecce hic, cogita, quantùm pro amore tuo Dominus iste sanguinem profuderit, & suis non modò ignoverit inimicis, sed & insuper pro eorum venia Patrem æternum rogaverit; An non vides miser, qualiter quotidiè recitans, Pater noster, loco veniæ peccatorum tuorum vindictam petas? quibus dictis præcepit, ut secum genua flecteret, & aliqua verba per modum orationis coram eodem Crucifixo secum pronunciaret, quibus sanctus duritiam & obstinationem cordis exaggerans, insuper gravitatem peccati iuvenis istius demonstrare cœpit. Paruit ille, genu flectit, cúmque orationem incipere vellet, ne verbulum quidem pronunciare potuit, quin potiùs totus contremiscere cœpit, in eóque situ per longum remanens tempus, tandem se in pedes erexit, cum dicto: Ecce me, Pater, paratum ad obedientiam præstandam: Ego omnem ignosco iniuriam, & quamlibet satisfactionem præstare paratus sum; ita dixit, & fecit promptissimè. *l. 2. c. 9. n. 4. vitæ S. Phil. Ner.*

XII. Refert D. Chrysostomus, quòd, cùm Constantini Magni statua ingenti iniuriâ affecta fuisset, ísque ad eam vindicandam irritaretur, vultu, manu sua tacto, responderit: Ego nusquam vulnus in fronte factum video, sed sanum quidem caput, sana verò & facies tota. Quem heroicum actum postquam S. Doctor recensuisset, tandem exclamat dicens: Hoc verbum hactenus canunt omnes, nec tantum temporis labefecit, aut huius memoriam extinxit. Quot non sit hoc trophæis splendidius. *S. Chrysost. hom. 10. ad popul.*

XIII. De Carolomanno potentissimo & invictissimo Franciæ Rege scribitur à Baronio quòd, cùm incognitus ab Abbate Montis Cassinensis, habitu religioso indutus fuisset, ísque in vi- *Baronius ann. 747. n. 11.*

in vilissimis culinæ servitiis constitutus, ob suam in illis obsequiis inexperientiam quendam commisisset errorem, coquus calore vini succensus insignem ei impegerit alapam, cui ille sine ulla mentis turbatione facie serena respondit, condonet id tibi, O frater, Dominus, & Carolomannus. Et tametsi idem coquus hunc ictum aliis temporibus non semel, sed tricies repetivisset, ipse tamen semper constans, sibique similis nullum ostendit indignationis vestigium, tametsi eius in servitio collega, has iniurias diutiùs tolerare nequiens, easdem in coquo ultus fuerit.

Surius in vit.

XIV. In vita Ioannis Eleemosynarii Patriarchæ Alexandrini legitur, quòd dum quidam eius nepos dolens domum rediisset, sanctum adiens Episcopum, singultibus, & voce suspiriis interruptâ, irrogatam sibi à quodam tabernario significârit iniuriam. Sanctus verò Patriarcha, ut illum consolaretur, dixit ei: Quomodo possibile est, aliquem adeò fuisse temerarium, ut hac te iniuriâ afficere præsumeret? talem utique de illo statuam vindictam, ut tota Alexandria inde rapienda sit in admirationem. Quibus verbis auditis, ira nepotis non nihil conquievit, existimans, Episcopum severum de iniuriante sumpturum esse supplicium; at verò quid accidit? Nepotem suum amplexatus eidem dixit, quòd si se agnoscere cognatum, & vicissim, ut talis ab eo agnosci vellet, se ad remittendam iniuriam, eamque patienter ferendam disponeret, eò quòd vera parentela non à carne & sanguine, sed à spiritu & virtute derivaretur. Unde cum summa omnium admiratione, & cum incredibili sua gloria, hoc de illo statuit vindictæ genus, quòd scilicet illum à quodam tributo annuo, quo ei obligabatur, in perpetuum liberaret.

In vita part. 3. c. 5. sect. 2.

XV. S. Franciscus Salesius semel in via obviam factus illi, qui famam illius multis maledictis, falsisque criminationibus præsciderat, ultrò accurrens, & manum illius dextram prehendens, vultu hilari, serenóque: odisti, inquit, me, sat scio: sic tamen habeto, si oculorum alterum mihi effoderis, fore, ut altero te benignè intuear. Nec tamen sic ferreum pectus emolliit; At scelestus ille brevi post exitiali exitu vitam flagitiosissimam clausit. Sæviebat aliàs calumnia in sanctum Episcopum, & aliundè in eum evomebat virus atrocitatis suæ. Apud Ducem Nemorosium, Principem facilem alioqui & benignum, deblateraverunt quidam adversùs Episcopum iniquiores, tum in ipsum, tum in fratres eius Germanos, Bernardum Baronem Salesiensem, & Ioannem Equitem Melitensem, aliquid, unde in Ducis mente orta de eorum fide suspicio, & ex suspicione diffidentia. Ubi id persensit vir pacificus, cedendum ratus iracundiæ, cum utroque fratrum Anecio Salesium secessit: quoniam tamen è divina gloria esse existimabat, se ibidem Anecii adesse per instantem quadragesimam, scripsit ad Ducem eâ constantiâ, quæ inesse in servis benè sibi conscijs solet in hanc omnino sententiam: *Infida imprimis est nocturna testificatio, Princeps Celsissime: ac qui per tenebras iter habent, iis occurrunt pleraque periculosa, & quorum eventum præstare nemo queat. Quòd vestra Celsitudo expostulationes de me, déque fratribus meis excepit, fecit justè, si admisit tantum aurium tenus: sin ea ad cor usque vestræ Celsitudinis penetrârunt, ignoscat mihi, si ajo, servus utique fidelissimus, & indignus licèt, Pastor tamen V. Celsitudinis, factum ab ea perperam, atque adeò dolere eam debere, quòd accusationes eas, etiamsi cum vero consentirent, admisit præproperè. Etenim antequam delationes ullæ in proximum admittantur, disquirendum ritè, & ordine, vera an falsæ sint; non potest autem disquisitio illa legitimè fieri, nisi auditis partibus: quisquis secus tradit, prodit utique animam V. Celsitudinis: Nam quantumcúnque fide digni censeantur accusatores, audiendi tamen sunt, qui accusantur, & expendenda diligenter ea, quæ ad sese purgandos afferunt.* Quæ cùm scripsisset iustitiæ potiùs studio, quàm declinandæ vexationis, acquievit postmodùm, eósque, à quibus lacessitus tam indignum in modum erat, arctâ semper benevolentiâ complexus est, cum iis ita versans, ut significationem nullam unquam dederit ægritudinis, aut recordationis acceptæ iniuriæ. Quotidiè cum iis agebat, at ea lenitudine, quæ tantæ morum sanctimoniæ aptè responderet, & cæteroqui eò magìs suspiciendæ, quòd de iniuriosis illis optimè iamdiu meritus erat. Ac ut beneficia quidem, quibus eos ornaverat, alia prorsus omnia flagitare videbantur ab ingratis; sic, si hominum conditionem spectes, incendere debere videbantur indignationem exulcerati animi: sed nihil tale in Francisci mente unquam extitit: semper non modò sincerè, sed etiam comiter cum iis egit, ex affatis Evangelicis, miserâ illâ simulatione prorsus ablegatâ, qua nihil inter eos, qui iniurias aut acceperunt, aut accepisse sese putant frequentius. Eodem modo ultus est iniuriam ab Sacerdote in se profectam, illitterato æquè & audaci. Is cùm beneficium Curatum ab Episcopo impetrare minimè potuisset ob imperitiam; repulsam illam, quamvis iustam, tulit tam impotenter, ut famosum libellum & scripserit in virum Dei, & scriptum eidem obtulerit, in templo versanti. Nam cùm Canonici communi Capituli decreto factum tam indignum, támque impium ulcisci planè vellent, intercessit Pastor bonus, & tantùm non in genua sese demisit, pœnam reo deprecaturus: neque modò eos flexit ad veniam, sed etiam iniurioso illi honestissimam apud Pedemontanum Principem conditionem curavit.

Ibid p. 3. c. 3. sect. 1.

Pomey. in Isagog. p. 4. c. 6.

XVI. Hispanus quidam in Regno Mexicano ab altero lacessitus iniuriâ, tanto in illum odio exarsit, ut iuraret, se barbæ & capitis pilos non rasurum, neque ungues, neque expiaturum exomologesi animum priùs, quàm adversarium è medio tolleret. Audit ergo, illum visum in civitate à loco, in quo erat, viginti leucas distante; iterum diris se devovet, si cibum prius sumat, quàm hosti vitam eripiat, & è vestigio equum conscendit, iter ieiunus emetitur, & intelligens, adversarium in foro esse,

esse, eò se confert, sclopeto ad necem inferendam expedito instructus, & dum illum oculos circumferens, investigat, nec reperit; casu fortuito Patrem Societatis in foro ad turbam confertam Catechismum habentem vidit, & ratus, hostem fortè in illa multitudine esse, accedit, & Patrem tum de Dei misericordia in peccantes disserentem audit; compungitur, suam in odio proximi pertinaciam incusat, divinam in se clementiam demiratur, plorat, & concione absolutâ Patrem insecutus, ad pedes eius provolvitur, & lacrymis perfusus culpas confessione eluit, iterúmque vovet, se cibum non gustaturum, etsi iam triduò non sumpsisset, nisi cum inimico rediisset in gratiam, votum illud frustra dissuadente Sacerdote; tandem hostem, ob nescio quod debitum, in carcerem coniectum reperit, ac denique (quod perfectæ charitatis est) equum & arma divendit, & ducentarum librarum argenti pretio inde conflato, ære alieno, & carcere hominem liberat, hoc solùm efflagitans, ut deinceps amici, & fratris loco se habere velit.

§. IV.

EXEMPLA DOMESTICA.

Petr. Ribaden. l. 3 de vita eius cap. 2.

I. Lutetiæ contubernalis quidam Ignatii Loiolæ fuit, qui commissâ sibi pecuniâ Ignatium defraudavit, & in eas angustias hominem coniecit, ut magno studiorum suorum incommodo, quotidiè mendicare cogeretur. Huic igitur pecuniæ fraudatori gratiam hunc in modum Ignatius retulit. In Hispaniam ille Lutetiâ decedens, dum opportunam Rhotomagi navigationem exspectat, in morbum periculosum incidit. Qui usque adeò mitem Ignatium, ac singulari præditum charitate esse intelligebat, ut ad illum de sua adversa valetudine amicè scriberet: &, quasi esset beneficio à se aliquo affectus, opem ab illo sibi, auxiliúmque postularet. Oblatam occasionem Ignatii charitas avidè arripuit, ut libenter se impenderet, ac superimpenderetur ipse, pro anima illius, & carbones ignis non quidem vindictæ, sed divinæ charitatis, in caput eius congereret. Rhotomagum quærendi, iuvandíque hominis causâ confestim ire statuit, & magnâ Spiritûs alacritate, ac robore animi, tridui iter, nudis pedibus, atque ita ieiunus percurrit, ut ne aquam quidem gustaret. Rhotomagi debilitatum hominem offendit; iacentem erigit; confirmatúmque iam, ad primos suos illos socios in Hispaniam cum litteris commendatitiis mittit, infidelitatem suam detestantem: admirantem Ignatii charitatem: gratias Deo agentem, quòd in terris vir is esset, sibíque eum ostendisset, qui beneficiis maleficia ulcisceretur, officio cum offensa certaret.

Ibid.

II. Sed & Romæ anno 1546. Religiosus quidam eruditus, ex amico inimicus factus, invidiâ exstimulante, graviter in Ignatium exarsit; qui etiam iactare cœpit, omnes nostræ Societatis homines, qui in Hispania essent, à Perpinia-no Hispalim usque, igni se traditurum: Idque Ignatio, qui suis verbis renunciaret, misit. Cui Ignatius scripto per eundem ita respondit: Tu quidem, quotquot nostri in Hispania sunt, cremandos te curaturum dicis: ego verò id dico, & opto, ut & tu charitate flagres, & amici tui, ac necessarii, non solùm qui in Hispania, sed qui in universo orbe terrarum sunt, Spiritûs Sancti igne inflammentur, & ardeant: ut perfectionis culmen adepti, divinam gloriam augeant magis, & illustrent. Quòd si quid contra me, bone Pater, habes, Iudices Romæ sunt, Gubernator, & Vicarius, qui nunc, Summi Pontificis imperio, res nostras cognoscunt, ut sententiam de illis ferant: ad illos referas, quæso, antequàm sententiam pronuncient, ut ego, si quid debeo, solus exolvam, & corpore meo, potiùs satisfaciam (quod mihi quidem erit iucundissimum) quàm alii, qui in Hispania sunt, nullâ suâ culpâ pœnas indebitas pendant.

Ib. Rib. l. 1. c. 5. fol. 17. exempl. 5. ex nostris.

III. Gemella in Emmanuele Fernandio, & Petro Venusto virtus emicuit, qui florentissimis in Regionibus barbaram immanitatem experti, Christianæ disciplinæ retinentissimi obière. Emanuel Transtaganum agrum colere primus de Societate aggressus, dum Scortatorum impuras libidines altiùs refecat, quàm improborum quorundam ferret insolita consuetudo, ab iisdem (ut sæpe in rabiem migrat libido) Eboram revertens obtruncatur, & semimortuus publicâ abiicitur in via. Inventus semimortuus, & de percussoribus interrogatus, indicium constanter abnuens, Jesúmque ciens conquievit. Huius deinde Reliquiæ post plures annos effossæ, suavissimum odorem spirâsse dicuntur; quod de illo mihi minimè mirum videtur, qui rosam, in qua cubuerat, balsamo aspersit charitatis. At Venustus Bibonæ in Sicilia, perdito à Clerico, quem frustra emendare tentaverat, pii laboris, amorisque pretium mortem invenit. Delituit scelestus propter viam, quâ Venusto è villa domum iter erat futurum; nec mora, in securum, & tunc maximè è Breviario precantem, ausu nefario involat, altéque in capite convulnerat: stetit illi tantisper vita, ne charitatis eximiæ memoria interiret. Elatus enim domum à prætereuntibus, quùm de parricida sedulò quærerent, geminâ cum Christo Domino non minùs charitate, quàm voce: Sinite illum, inquit; ignoscat illi Deus, itáque ultima homini vox fuit, quæ summa est charitatis.

Ibidem. exempl. 6.

IV. Non sola Martyrum certamina suo illo sanguine, ipsâque morte formidolosa censentur; Nam etiam in pace agentibus, sævissimæ aliquando pugnæ, & acerrima prælia sunt committenda. Equidem morte ipsâ ego gravius existimem, hominem longâ virtutum famâ inclytum, populisque ac Principibus venerabilem, invidiâ inimicorum agitante per calumniam traduci, ac de violata per libidinem sacrorum maiestate accusari, è patria sede abripi, in urbem abduci, à fidei Quæsitoribus in carcerem dari, interrogari, ac tantùm non torqueri.

Fa-

Faciliùs sanguinem fundas, quàm famam, ac nomen negligas. His experimentis probata est Hieronymi Bondinarii virtus, sed emersit illustrior, subvehente charitate. Reduci ab urbe, quæ, hominis innocentiâ perspectâ, eum in suam sedem Mutinensem perhonorificè remiserat, non modò Serenissimi Cæsaris filii extra urbem occurrerunt, felicem reditum suo & parentis nomine gratulantes, verùm ad se statim adeuntem, ad Palatii ostium obviam cucurrit ipse Cæsar Dux, totâ Aulâ, & nobilitate comitatus. Ibi antequam verbum ullum hinc inde fieret, ad Ducis pedes provoluitur Hieronymus, atque, ut una in petitione gratificari sibi vellet, obnixè orat; tergiversantem (quòd facilè coniectaret, quid petere vellet) tandem, ut facturum se datâ fide obstringeret, perpulit. Tum ille: Ego verò te per hanc tuam fidem exoratum velim, ne cuiquam meâ causâ irascaris, nec calumniatoribus fraudi apud te error sit. Hoc primum, hoc idem ultimum Hieronymo de tota illa calumnia, atque iudicio exinde verbum fuit, adeóque sui, atque iræ potens egit, ut coitionis principes, quos unus omnium optimè noverat, se per simulationem invisentes, quòd apud Ducem flagrantiori, quàm unquam anteà, gratiâ uteretur, arcanæque, ut olim, confessionis arbiter esset, perhumaniter exciperet, atque diutissimè cum illis fabularetur, officiisque apud Principem iuvaret.

Ibidem. exempl. 9. V. Gratianopoli celeberrimâ Christianæ eloquentiæ famâ concionantem Petrum Cottonum, atque hæresim acerrimè profligantem, frementibus reliquis omnibus, sed nihil in virum iam tùm clarissimum, audentibus, inventus est sellularius unus, qui se interfecturum polliceretur. Adit ad illum post concionem composito in speciem doloris vultu, ac secretum, quasi animi arcana expositurus, exposcit. Ubi soli fuêre, illicò abiectâ simulatione, in fauces involat, atque, ut erat viribus prævalens, arctè comprimit, ut Spiritum exprimat. Audito colluctantium strepitu, advolantibus sociis, quamvis hominem iam haberet in potestate Cottonus, iussis omnibus, qui aderant, rem occultam habere, liberè ignovit, ac dimisit; quem violentior non flexerat oratio, charitas vicit; errores enim pauló post exuens, illi se salutem debere profitebatur, cui vitam eripuisse voluerat.

Pœna, neglectæ dilectionis inimicorum.

Padag. Christ. p. 1. c. 16. §. 2. hist. 1. VI. Graves Cordubæ in Hispania inimicitiæ inter duos præcipuâ Nobilitate viros, non exiguâ urbis offensione intercedebant, cùm illorum alter in morbum lapsus, Sacerdotem è Societate nostra evocat peccata confessurus: Noster, publicæ memor offensionis, negat posse sese nisi palàm adversario concilietur, pœnitentiæ Sacramentum impartiri: æger paratum se ait ad omnia. Convenitur adversarius; qui & ipse se ad ponendas inimicitias promptum exhibet. Ergo convocatis testibus odia po-

R. P. Lohn. Anll. Bibl.

nuntur, amicitia utrímque firmatur, æger absolvitur, SS. Christi epulo adhibetur, & pauló post vivere desinit. Quis hîc non credidisset, virum felici vitam fine clausisse, & inter beatos assumptum esse? Verùm eheu! alia sunt Dei iudicia, alia hominum! Nocte, quæ proxima fuit ab elato funere, adsunt sub ipsius noctis medium cum facibus adolescentes duo, Collegii nostri fores pulsant, Patrem, qui defuncto fuisset à Confessionibus, evocant, esse rem magni momenti, quam communicatam illi velint. Sine mora præsto fuit Pater, & à duobus illis rectà ad templum, ubi viri corpus conditum erat, ducitur, datísque ab altero templi clavibus, bono animo esse iubetur, aperire ostium, ad aram Principem accedere, & ex tabernaculo pyxidem, in qua SS. Christi corpus asseruaretur, educere, & cum pyxide sequi. Fecit omnia, ut iubebatur, Pater, pendens animi, quem tandem res esset finem habitura. Illi igitur per omnia facem prælucentes, Patrem ad defuncti Nobilis sepulchrum deducunt, itáque tandem affantur: Est hîc, mi Pater, Nobilis istius N. sepulchrum, qui dudum visus est cum adversario, positis inimicitiis, in gratiam redire, sed fecit ille fictè omnia, mortale intus odium fovens: Hoc statu, infelicem animam ex mortali vita, ad æternis suppliciis immortalem transmisit: Sacra Hostia nihil dum læsa hæret in cadaveris faucibus, eam indè ablatam in theca repones, & altari restitues. Ita fati, sepulchrum pede pulsatum momento aperiunt, erecto cadaveri os aperiunt, Sacerdos indè sacram Hostiam, ut iussus erat, integram educit, & thecæ imponit. Sub hæc deturbatum magnâ vi in fossam cadaver videri desiit, eò abreptum, ut est credibile, à dæmonibus, ubi iam anima torquebatur, quò ante SS. Christi Corporis præsentia auferri prohibuerat. Igitur composito iterum sepulchro, cùm Pater recondidisset Sacram pyxidem, ad Collegium reducitur, iisdem continuò præeuntibus ad Collegii usque fores, quæ apertæ, ut primùm Patrem receperunt, duo illi Tæduchi ex oculis Patris, curiosè qua redirent observantis, subitò evanuerunt. Quod non vanum est indicium, fuisse illos ex beatis in cœlo mentibus missos, ut SS. Hostiam ex Sacrilegis istis faucibus iuberent educi, simúlque omnibus patefacerent, satis minimè esse, si te de peccatis solùm oretenùs apud Sacerdotem accuses, sed vel maximè opus esse, ut inimicitiæ, odiáque, & quidquid intùs peccatum fovet, seriò abiiciatur.

VII. S. Bernardinus ad hoc propositum terribilem quendam refert casum, qui in Monte Calvariæ iuxta Christi sepulchrum, videlicet anno 1419. contigit. Cùm enim ibidem in triremi quadam diversi viatores ad visitandam terram Sanctam ex Hispania appulissent, accidit, quòd vetula quædam eos circumiens, ad adolescentis cuiusdam pedes offendens in terram corrueret, levi equidem casu, corporéque illæso. Exinde tantâ indignatione & odio contra illum adolescentem repleta est, quòd cùm pervenisset cum cæteris peregrinis ad lo- *S. Bernardin. to. 2. serm. 10. a. 3. c. 4.*

cum

cum nostræ Redemptionis, id est, ad Calvariæ Montem, adolescente ab ea humiliter veniam postulante, illa tam levem offensam parcere noluit, ac ut moris est, convenientibus aliis peregrinis ad humilem & devotam confessionem, atque ad sacram communionem, antequam visitent illa loca sacra, inter alios accessit ad confessionem adolescentulus ille, qui inadvertenter læserat mulierem; hic narravit Confessori scandalum, quod de illo sumpserat vetula illa innocenter. Statim mittitur ad vetulam illam postulaturus veniam, & innocentiam nihilominùs ostensurus, quod quidem eo humiliter in præsentia peregrinorum implente, & illam exhortantibus ad hoc etiam aliis, illâ verò remittere denegante ad confessorem revertitur adolescens, indicans duritiem mulieris; remittitur bis, & tertiò ad eandem genibus flexis, & brachiis cancellatis, cunctis peregrinis ad indulgendum adolescenti innocenti, exhortantibus. Illa indignata, & à Diabolo iam obsessa, oblita animæ suæ, oblita laborum atque discriminum præteriti itineris, oblita sacrati loci, Sanguinis Salvatoris, oblita illius, qui in cruce ibidem pendens, non tantùm largè pepercit, verùm etiam ardenti charitate Patrem pro suis crucifixoribus exoravit, oblita divinæ misericordiæ atque iustitiæ, tantùm memor iniuriæ, ad indulgendum adolescentulo, nullô modò potuit inclinari. Nimirùm ad litteram in ea adimpletum fuit: *Cor durum malè habebit in novissimo.* O iudicium summi Dei! exclamat S. Bernardinus. O tremenda iustitia divinæ severitatis! dum iuvenis ille cum cæteris peregrinis suscepit Dominicum Sacramentum, vetula illa à dæmone iam arrepta, in cisternam, quæ quasi per viginti passus distabat, abiens, veloci se impetu præcipitavit, & quod mirabile est, multis circa cisternam existentibus ut haurirent aquam, satìs de parvo cisternæ ore, nullus de eius præcipitio percepit. Unde dictus Sanctus concludit, dicens: Discant hîc omnes animæ duri cordis, ac nolentes parcere inimicis, quòd sicut Iacobi. 2. scriptum est: *Iudicium sine misericordia fit ei, qui non fecit misericordiam.*

§. V.

EXEMPLA PROFANA.

Mansi tr. 35. disc. 1. n. 4. I. DE Gentili quodam Philosopho recensetur, cui, dum ab impio quodam homine colaphus in faciem impactus fuisset, ipse aliud non dixit, præterquam, quòd magnoperè conveniat homini scire, quando galeâ armatus in publicum prodire debeat, hoc enim armaturæ genus genas & faciem tuetur, & defendit.

Ibidem. n. 5. II. Photio dum innocens iniustè ab æmulis ad mortem condemnatus, calicémque venenatum sibi oblatum accipiens, à ministro Iustitiæ interrogaretur, si quid filio suo, priusquàm moreretur, commendatum vellet, generosissimè respondit: Mando ei, ut obliviscatur potûs huius.

III. De Marco Catone, pariter ab impio homine nequiter percusso, tractans Seneca, sequens perhibet testimonium: Marcum Catonem in balneo quidam percussit imprudens, quis enim illi sciens faceret iniuriam? postea satisfacienti Cato, non memini, inquit, percussum me; melius putavit, non agnoscere, quàm vindicare. *Ibidem.*

IV. Lycurgum pariter, teste Plutarcho, robustus quidam percutiens iuvenis, cui nomen Alexander, oculum ei excussit; cúmque reus iuvenis in percussi Lycurgi manus, ut severum de eo supplicium sumeret, à populo consignatus fuisset, hic nequaquam indignatus, imò eum benignè receptum, per tempus aliquod in bonorum morum disciplina erudivit; ac postmodum ad theatrum revertens, reum populo reconsignavit, dicens: En iuvenem, quem à vobis iniurium, & violentum accepi, iam frugi & popularem vobis restituo. Cuius eiusdem Origines quoque in 8. contra Celsum lib. terminis tamen nonnihil variatis, in hæc meminit verba: Lycurgus cùm inditionem accepisset, qui oculum sibi excusserat, non modò illatam iniuriam nil vindicavit, sed illum tamdiu enixè commonefecit, quoad tandem, se ut ad Philosophiam conferret, suasit. *Plutarchus in Lycurg.*

V. Cùm Romanus Diogenes Imperator acerrimo quodam cum Turcis inito prælio, in Sultani fuisset potestatem redactus, hic ipsum suæ propriæ mensæ accumbere iussum, & benevolè tractatum interrogavit; quidnam obsecro facturus esses, si me in tua positum potestate haberes? cui Diogenes respondit: Multis utique te vulneribus conficerem; Ego verò subiunxit Turca, crudelitatem tuam non imitabor, vestrum namque Christum vobis imperâsse scio, ut pacem habeatis, & iniuriarum omnem prorsus deponatis memoriam; quapropter eum amplexatus est, factâque cum eo pace, ipsum unà cum omnibus militibus captivis, quos libertati, sub conditione Turcas deinceps ampliùs non molestandi, restituit, Constantinopolim remisit. Quia verò in hac civitate infelicis prælii, captique Diogenis fama pervulgata fuerat, Deus (ut est verisimile) crudelem illius animum castigare volens, Michaëlem VII. in Imperatorem eligi permisit; Unde Andronicus exercitum Diogeni obviam mittens, illum accepit captivum, & cum magno ludibrio mulæ impositum per civitatem circumduxit, ac tandem Imperator noviter electus oculos ei erui, & communibus totius plebis insultibus exponi fecit, sub quibus miserabiliter occubuit. Quisquis igitur Christianorum vindictæ deditus est, sequens auscultet à D. Chrysostomo vindicativis obiectum improperium; dicit enim: Philosophos considerate Gentilium, & discetis, quanto simus digni supplicio, qui divinæ legis præcepta contemnimus, quandoquidem inveniuntur illi propter humanam hanc honestatem innumera fecisse. *Baronius anno 1071. n. 12.*

VI. Pompeio Magno non magis laudi datum legitur, quòd tribus amplissimis triumphis tres orbis terrarum partes complexus sit, quàm quòd *Patercul. l. 2. hist.*

quòd esset, ut scribit Paterc. l. 2. hist: amicitiarum tenax, in offensis exorabilis, in accipiendâ satisfactione facillimus.

Ibidem. VII. Augustus Imperator, Cinnæ necem sibi machinanti, & vitam, & Consulatum donans: O Cinna, inquiebat, iterum tibi vitam do, priùs hosti, nunc insidiatori, ac parricidæ.

S. Bonav. ser. de S. Agnete. VIII. Marcus Bibulus vir amplissimæ dignitatis, & summis honoribus functus, dum in Syria moraretur, duos nobilissimos suos filios à militibus Ægypti occisos cognovit, quorum interfectores ad eum vinctos Cleopatra Ægypti Regina misit, ut ex eis, quam vellet, appeteret ultionem; At ille hoc accepto beneficio, quo nullum maius lugenti dari poterat, dolorem cedere virtuti coëgit, carnifices filiorum intactos ad Reginam remisit, dicens: Hanc vindictam non suam, sed Senatûs esse debere. Idem verò Seraphicus Doctor post recensitam hanc historiam hæc verba subiungit: Utinam nos sic, cùm offendimur divino iudicio vindictas relinqueremus, quia dicitur: Mihi vindicta, & ego retribuam; nullam enim iniuriam inultam relinqueret, si se homines vindicare nollent. D. Chrysostomus in eadem homilia, de simultate sive irâ, inquit: Iniurias aliquis tibi fecit? læsit? infinita mala inflixit? cave, pœnam tuam prosequare, ne Dominum tuum contumeliosè tractes; cede Deo, ipse negotium multò meliùs administrabit, quàm tu cupis; tibi solummodò iussum est, ut pro eo, qui te læsit, preces fundas; quid autem de eo statuendum sit, sibi reservari iussit. Nos in causa propria competentes Judices esse non possumus, non solùm quia causa propria est, verùm etiam quia Judicium, & mens nostra ab ira & appetitu vindicativo conturbata rectè iudicare nescit.

§. VI.

MOTIVA.

S. August. in psalm. 102. I. *Quia ipsi cœli nos incitant*, de quibus S. Augustinus in illius Psalmi 102. Commentario (quoniam secundùm altitudinem cœli à terra) sic discurrit: Peccant homines sub cœlo, tamen proteguntur cœlo. Inde lux ad oculos, inde aër, inde spiritus, inde pluvia ad terram propter fructus, inde omnis misericordia à cœlo. Tolle auxilium cœli à terra, statim deficiet.

Mansi tr. 35. disc. 3. n. 4. II. *Quia etiam alia insensata nos ad id ipsum excitant.* Terra quo magis fodiendo percutitur, quoque abundantiori gravatur fimo, tantò copiosiorem reddit fructum; vites aliæque arbores quantumvis putatæ, ferroque incisæ fuerint, abundantioribus replentur uvis & pomis; nuces, quantò magis percutiuntur, tantò fertiliùs sinum nostrum suis implent fructibus; imò arbores aliquæ, quantò magis ponderibus gravantur, obstinatiúsque terram versùs inclinantur, tantò magis fructiferæ evadunt, quid ni igitur & nos, quantò maiores ab inimicis persecutiones perpessi fuerimus, tantò gratiores esse debemus?

Ibidem n. 5. III. *Quia irrationabilia quoque animalia talem dilectionem docent*, equi, iumenta, multáque animalia alia, quamvis percutiantur, & cædantur, non tamen ferociunt adversùm nos, nec à suo desistunt servitio, imò canes percussi, cauda potiùs abblandiri solent, hinc Cardinalis Bellarminus in quadam concione sua ait: Nonne canes aliquando vehementissimè verberamus, & ipsi statim omnium iniuriarum obliti motu caudæ blandiuntur.

S. Chrysost. to. 4. in acta. IV. *Quia qui vindictam spirant, Deo & hominibus exosi sunt.* Unde certè D. Chrysostomus, quantum, inquit, putas tormentum esse hominis afflictæ animæ, quotidie cogitare, ut ulciscatur inimicum? necessarium semper apud se flagrare ignem. Ipse te ipsum mordes, semper flammam vigescentem ferens, & animam in se quiescere non sinens, sed semper in exasperatione, & in tempestate mentem habens. Quid hâc insaniâ molestius? semper contristari & ardere; tales enim sunt animæ eorum, qui ultionem meditantur, nam ubi viderint eum, quem volunt ulcisci, statim perculsi sunt, si vocem audiant, concidunt, tremunt; si in lecto fuerint, innumeras pœnas apud se scribunt, dilacerantes, torquentes inimicum. Adhæc si illum clarescere viderint, papè! O pœnas! Remitte illi, & libera te ipsum à tormento. Cur perseveras, ut te punias, ut illum semel flagelles, & in eum animadvertas? quid paras tibi ipsi morbum? Quare bestiam in viscera tua includis? Meliùs esset viperam vel serpentem in corde positum esse, quàm iram, nam ille quidem statim nos liberaret, hæc autem manet semper, dentes fortiter infigens, immissóque veneno pessimarum cogitationum exercitus producit.

S. Augustinus serm. 25. de tempor. 7. V. *Quia licèt inimicus non mereatur veniam, Deus tamen dignus est, ut propter illum condones*, uti rectè monet S. Augustinus dicens: occurrit tibi, qui te læsit: occurrit tibi, qui te spoliavit: occurrit tibi, qui te in carcerem misit. Eia attende cor tuum, respice Dominum tuum. Ecce malus inimicus tuus, ecce bonus Dominus tuus. Tuus equidem inimicus veniâ indignus est, sed Deus illâ dignissimus, & tu amore eius illi ignoscas, ipse meretur: respice Dominum tuum.

§. VII.

MEDIA

S. Chrysostomus to. 1. hom. 22. I. *Amantium graviora libenter tolerantium exemplum proponere*; quod medium S. Chrysostomus sequentibus verbis suasit: Morbus ille aut ex inflammatione fit, aut ex frigiditate, verùm utrique dilectionis virtus suo calore mederi consuevit. Non vides turpes illos amatores alapas, sputa, opprobria, innumeráque alia incommoda, quæ fornicariæ illæ mulieres infligunt, patienter ferre? quid igitur amorem huic existimet? illata convitia? nequaquam; imò magis indè accenditur. Quamquàm istæ facientes mulierculæ, præterquam quòd fornicantur, obscuro etiam ac vili genere sint; qui verò talia ab ipsis patiuntur, illu-

stres

stres sæpe numero progenitores numerare, neque tamen hoc ab amata cohibet. An non erubescimus, quòd tantam erga Deum dilectionem, quantam habet potentiam diabolicus ille, ac dæmoniacus amor, ostendere nequimus?

Idem hom. 41 in acta.

II. *Dei ignoscentis exemplum considerare*; quod idem S. Chrysostomus suggessit dicens: miser homo, & ærumnose, non vis à conservo tuo derideri, sed odio haberi à Domino tuo? non vis contemni à conservo tuo, & contemnis Dominum? non putas indignari Dominum, quòd illum contemnis, & quòd illum deridens, non vis illi obtemperare?

§. VIII.

ASCETICA.

Didaci Nyssenus ser. 6. post cin. §. 1.

I. Didacus Nyssenus de hac virtute sic discurrit: Ut semel totum eloquar, aio, eam summam esse hominis fortitudinem, quâ masculi pectoris robur, & generositatem animi unicè demonstret. Abbas Isaac dixit, hoc ita esse, & hac una re posse hominem eò pertingere, ut apud Angelos admirationem sui excitet: Qui cum humilitate sustinet accusationes obiectas, hic ad perfectionem pervenit, & à S. Angelis admiratur, nulla enim ita magna, & difficilis ad obtinendum virtus existit. Sic ille de contemptu mundi c. 13. à S. Angelis admiratur inquit. Nulla enim virtus tam difficilis acquisitu est, quàm ista.

S. Thom. 2. 2. q. 27. art. 7.

II. S. Thomas ulteriùs ostendit, multò magìs meritorium esse, diligere inimicum, quàm amicum, sic enim discurrit: Dupliciter istæ dilectiones comparari possunt, uno modo ex parte proximi, qui diligitur, aliô modô ex parte rationis, propter quam diligitur; Primo quidem modo dilectio amici præeminet dilectioni inimici, quia amicus & melior est, & magìs coniunctus; unde est materia magìs conveniens dilectioni, & propter hoc actus dilectionis super hanc materiam transiens melior est, unde & eius oppositum est deterius, peius enim est odire amicum, quàm inimicum. Secundo autem modo dilectio inimici præeminet propter duo: Primò quidem, quia dilectionis amici potest esse alia ratio, quàm Deus, sed dilectionis inimici solus Deus est ratio? Secundò, quia præsupposito, quòd uterque propter Deum diligatur, fortior ostenditur esse Dei dilectio, quæ animum hominis ad remotiora extendit, scilicet usque ad dilectionem inimicorum, sicut virtus ignis tantò ostenditur esse fortior, quantò ad remotiora diffundit suum calorem. Tantò ergo ostenditur divina dilectio fortior esse, quantò propter ipsam difficiliora implemus; sicut & virtus ignis tantò est fortior, quantò comburere potest materiam minùs combustibilem.

S. Bern. to. 1. serm. 50.

III. S. Bernardus geminam causam assignat, cur Deus tantoperè eos, qui vindictam spirant, detestetur, dicens: graviter iniuriatur Deum, & turpiter inhonorat illum, si homo aufert sibi aliquid, quod sibi soli reservat Deus. Tria autem sunt, quæ sibi soli reservat, Gloriam, Iudicium, Vindictam. Gloria, sicut Isaiæ 42. ipse Dominus ait: *gloriam meam alteri non dabo.* Secundò reservat sibi iudicium, hoc est, finaliter iudicare; Unde Ioannis 5. dicitur: *Dedit Pater omne iudicium Filio, quia Filius hominis est*, id est, quia Deus & homo est. Tertio sibi reservat vindictam ideò ad Romanos 12. ait: *mihi vindictam, & ego retribuam*; qui ergo de inimico se vindicare contendit, rapinam perpetrat contra Deum. Quod ipsum etiam confirmans S. Chrysostomus sic loquitur: Quòd si in hominibus id fit, ut vulnerato à nobis alieno servo, dominus illius indignetur, ac pro contumelia accipiat, ipsi quoque si iniuriis afficiamur, sententia Iudicum & Dominorum exspectanda est. Idem quoque Sanctus id ipsum persuadere nititur sequenti motivo: Si in rebus humanis, inquit, nemo sibi tutò ius dicit, & pro arbitrio ultionem dispensat, quantò magìs observandum in rebus illis, ubi Deus ipse vindex constitutus est?

S. Chrysost. to. 1 serm. 24.

Abulensis in c. 24. 1. Reg.

IV. Specialiter quoque notandum in hac materia, inimicis veniam petentibus parcendum quidem, non tamen perinde etiam credendum esse, uti sapienter Abulensis advertit, dum in locum illum Scripturæ: Ascenderunt ipse (David) & viri, qui cum eo erant, ad loca tutiora, sic discurrit: Egit hoc David: quia credidit, quòd nunquam Saul reverteretur ad sanam mentem erga eum firmiter, sed ad tempus, & hoc credidit, postquàm scivit malitiam eius esse consummatam. Nec in hoc agebat David contra conscientiam, quia, quamquàm tenemur, inimicis veniam petentibus parcere, tamen non tenemur illis credere. Prudentissimè ergo fecit David, quòd se cum suis ad loca tutiora recepit, etiam postquam amicitiam cum Saule resarcivit, nam, ut Poëta quidam Græcus aiebat: Inimicis non credens, nunquam utique damno afficieris. Quod ipsum etiam confirmans Ecclesiasticus; *non credas*, inquit, *inimico tuo in æternum*, rationémque mox subducens: *Sicut æramentum æruginat nequitia illius.* Notandum in his, quòd non iubemur non amare inimicos nostros, sed non illis fidere, quia & paulò ante dicebamus ex Abulensi, quamquàm teneamur inimicis veniam petentibus parcere, tamen non tenemur illis credere. Dilectionem itaque semper illis debemus, dare fidem non tenemur. Quid causæ? id subiunxit Ecclesiasticus inquiens: *Sicut æramentum æruginat nequitia illius.* Obscura similitudo, quam fusus hoc commentariolo illustrat: Æs licet tersum, perlucidúmque sit, ita ut aurum esse videatur, absque alia re ex se ipso rubiginem agit. Tale quid inimicus agit, inquit Siracides, cave illi umquàm credas, æris namque similis est, velut enim hoc ex se ipso æruginat: Sic inimicus, quamquàm tu illi nullam subministres, sibi ipsi cudit, & parat perdendi tui occasionem. Quòd inimicus est, id satis est, ut nullam prætereat viam, quæ in tuum exitium ducat, nullum intermittat studium, quo tibi incommodare possit; nullum relinquat lapidem

Ecclesiast. 12, 10.

pidem, quem non moveat, ut te deiiciat, & in ruinam impellat.

Adeò verò nihil credendum inimicis, ut Prosper Farinacius insignis Iuris Consultus in celebri quodam suo tractatu de oppositione contra personas testium q. 53. n. 11. talem statuerit conclusionem: Inimico non credatur etiam constituto in articulo mortis, ac etiam, quod plus est, quòd sumpserit sacratissimam Eucharistiam, sicuti post alios, quos allegant, affirmarunt Marsilius, Gigas &c. quod omnes præfati Doctores, & alii plerumque communiter sequuntur.

§. XI.
MISCELLANEA ET CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Did. Nyssen. ser. 6. post cen. §. 1.

I. S. Paulus Apostolus dum commemoraret gratias & favores (quod cultus Dei, & gloria postulabat) quibus illum superi dignati fuerant, sic aiebat: *Signa Apostolatûs mei facta sunt super vos in omni patientia, in signis & prodigiis*; 2. Corinth. 12. v. 12. velut dixisset: Satis probavi me Apostolum, hinc adversis, quæ fortiter toleravi, inde miraculis, quæ feci.

Theodoretus hoc benè adnotavit, primas dari patientiæ, & ante signa, prodigiáque illam meritò constitui: Rectè, inquit, signis tolerantiam proposuit, tanquam iustitiæ ratio id exegerit, ut superiorem faceret æquanimem iniuriarum tolerantiam, & noxarum condonationem operatione signorum, & prodigiorum: Mentis enim rectè facta sunt multò præstantiora; & maius miraculorum est, ignominiam æquo animo accipere, nec offendi iniuriis, quàm facere prodigia. Et notate pro eo, quod Apostolus ait: Signa Apostolatûs mei, esse apud Syrum, signa Apostolorum, quasi sit character Apostoli, si quis iniurias patienter ferat, incommoda leniter, aut leviter toleret, hæc enim virtus tam est sublimis, & excelsa, ut non minor Apostolo haberi debeat, quisquis illam habet.

S. Greg. Nyssenus de Orat. Domin.

II. Sanctus Gregorius Nyssenus rationem inquirit, ob quam præcipua Deum inter & hominem similitudo in remissione iniuriarum constituatur; & respondet, indè fieri, quia ad Deum solum, non verò ad alios spectat, remittere & condonare offensas: quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus? Præscribit Dominus, qualem velit esse eum, qui ad eum est accessurus, ad hoc ut ipsi Deo per virtutem ita assimuletur, ut Deus esse videatur, dum scilicet faciat ea, quæ solius Dei est facere, debitorum enim remissio, proprium est Dei munus.

Mansi tr. 33. disc. 11 n. 3.

III. Quintus Curtius de quibusdam extraneorum populorum Legatis refert, quòd postquàm multa ad Alexandri laudem dixissent, tandem omnia eius præconia brevi epilogo his verbis annunciarint: Tu Philippi es Filius. Poterat utique, probéque noverat Incarnata Sapientia plurima excellentissima in eorum, qui iniurias inimicis remittunt, honorem ac laudem accumulare præconia; at verò hoc unicum ei sufficere videbatur, ut sitis filii Patris vestri, qui in cœlis est; hic enim altissimus est honoris vertex, ad quem homo potest pertingere, plus enim intellectus creatus prætendere nequit, multò minùs comprehendere.

IV. Egena vidua quædam Elisæo quondam extremam suam paupertatem, séque debitis insuper gravatam in hæc legitur insinuâsse verba: *Ecce creditor venit, ut tollat duos filios meos ad serviendum sibi.* Sed quid Prophetam ei respondisse autumatis? *dic mihi, quid habes in domo tua?* At illa respondit: *Non habeo ancilla tua quidquam in domo mea, nisi parum olei, quo ungar.* Cui ait: *Vade, pete mutuò ab omnibus vicinis tuis vasa vacua, non pauca; & ingredere, & claude ostium tuum, & mitte indè in omnia vasa hæc, &, cùm plena fuerint, tolles.* Crevit itaque oleum in omnibus vasis adeò, ut deficientibus vasis exundaret, de quo certior factus Elisæus fœminæ præcepit dicens: *Vade, vende oleum, & redde creditori tuo; tu autem & filij tui vivite de reliquo.* Quis hæc in figura contigisse negaverit? siquidem immensum est, quod homo cum iustitia divina contraxit debitum, utpotè qui in multis offendimus omnes, quemadmodum in oratione Dominica profitemur quotidiè. Quem autem satisfactionis modum nobis à creditore nostro insinuatum esse putatis? dimittite, & dimittemini. S. Augustinus per oleum misericordiam intelligit, dum ait: in oleo misericordia intelligitur; ac proinde si oleum charitatis & amoris erga Deum & proximos nostros habeamus, optimè facturi erimus, si illud pro aliqua saltem parte in vasa vacua infundamus, id est, nostris persecutoribus & inimicis, qui timoris Dei, charitatis, virtutum, aliorúmque bonorum spiritualium inania vasa sunt, impendamus; hanc enim dilectionem exercendo, per redditionem boni pro malo iis, qui iniuriis nos affecerunt, charitas erga Deum, & proximos in cordibus nostris augebitur; Hæcque ea, quibus coram Deo obnoxii sumus, debita diluet, & abolebit, siquidem charitas operit multitudinem peccatorum; Præter hanc verò satisfactionem aliis quoque insuper lucris augebimur, quæ in illis verbis insinuantur: *Ut sitis filij Patris vestri, qui in cœlis est.*

Ibidem disc. 16. n. 4.

V. Sapienter Seneca: Irascetur, inquit, aliquis? Tu contrà beneficiis provoca, cadit statim simultas ab altera parte deserta: nisi par, non pugnat.

Seneca l. 2. de ira c. 34.

VI. Rectè dictum est ab Antisthene Philosopho, ad tuendam salutem opus esse, aut ingenuis amicis, aut acribus inimicis, propterea quòd illi, dum admonent peccantes; hi, dum maledicunt, revocant à vitiis? sed quia ad liberè admonendum penè vocem amisit amicitia, superest, ut ab inimicis veritatem audiamus.

Plut. l. de util. cap. ex inimicis.

VII. Iracundissimæ, ac pro corporis captu pugnacissimæ sunt apes, & aculeos in vulnere relinquunt: Rex verò sine aculeo est, noluit illum natura, nec fas sævum esse, nec ultionem magno constituram petere, telúmque detraxit, & iram eius inermem reliquit, exemplar hoc magnis Regibus ingens est: Pudeat ab exiguis

Seneca l. 1. de clement. c. 19.

exiguis animalibus non trahere mores, cùm tantò hominum moderatior esse animus debeat, quantò vehementiùs nocet.

Ludovic. Carbo in Theol. pract. l. 3. c. 19. VIII. Thomas Morus dicebat: Ethnici, & ingrati beneficia pulveri; si quid mali patiuntur, marmori inscribunt: Christiani est, beneficia marmori insculpere.

Drexel. in de Christo resurg. c. 1. §. 2. IX. Ieremias Drexelius quæstionem movet, uter ex duobus Progenitoribus magis arduum opus præstiterit, & se ipsum generosiùs vicerit? Abraham, qui non pepercit filio, an verò David, qui pepercit Sauli, capitali inimico. In eam rem Rupertus: Docet ratio, inquit, non multò minoris fuisse meriti propter Deum pepercisse inimico, quàm non pepercisse unigenito filio. Certum videtur, minus esse miraculi, Abrahamum Dei iussu voluisse sævire in filium, quàm Davidem sancto affectu sævire voluisse in Saulem hostem. Uterque hoc tali facto promeritus est Christo iungi cognatione, & Davidem quidem propinquiore.

§. X.

AXIOMATA.

Livius Dec. 4. lib. 40. I. ROmanis usitatum erat proverbium, ut Titus Livius in Historiis eorundem refert: *Amicitias immortales, inimicitias mortales debere esse.* Ast verò, inquies, ex quo inimicitiæ mortales ab omnibus legibus naturalibus, divinis, politicis & Ecclesiasticis damnatæ fuerint, quomodo subsistet proverbium asserens: *Inimicitias mortales debere esse?* Nimirum per hoc innuitur, inimicitias subitò mori debere, & deficere, absque eo, quòd repetantur, aut resuscitentur. Cæsar capitaliorem non habebat inimicum ipso Pompeio, & tamen ad imperium assumptus suum erga ipsum affectum, quàm maximè demonstravit, de quo proinde dicitur: *Cæsar Pompei statuas everti vetuit, suas stabilivit.* De Tito in Annalibus Ecclesiasticis scribitur, quòd cùm duo Patritii Imperium affectâsse convicti fuissent, ipse hoc reiiciens, aliud non fecit, quàm quòd eos monuerit dicendo, quòd principatus per destinationem dari soleant, cæterùm ipsis promittebat, quòd si aliud quidpiam desiderassent, eorum voluntati libenter obsecundaturus fuisset.

TITULUS XXIV.

DILECTIO PROXIMI.

§. I.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

S. August. de laude charitatis. I. IN charitate, pauper est dives; sine charitate omnis dives est pauper charitas. In adversitatibus tolerat, in prosperitatibus temperat, in duris passionibus fortis est, in bonis operibus hilaris est, in tentationibus tutissima, in hospitalitate latissima, inter bonos fratres lætissima, inter falsos patientissima.

S. Chrysost. Homil. 19. ad popul. Antioch. II. Charitas omnia facit communia: Tametsi vobis hodiè non interfuimus, vobiscum tamen communem lætitiam habuimus. Talis est enim vis charitatis, non fruentes pariter cum fruentibus gaudere facit, communia proximorum bona putare persuadens.

S. Laurent. Iustinian. III. Onimiam Dei clementiam? O ineffabilem Dei benignitatem! præmium nobis pollicetur, si nos mutuò diligamus, & ea nobis præstemus, quibus nos invicem indigemus, & nos superbo & ingrato animo ei renitimur, cuius imperium beneficium est.

S. Thomas. c. 5. IV. Sic diligendi sunt homines, ut eorum non diligantur errores.

S. Gregor. V. Diligamus in proximis, quod sunt, & odio habeamus, quod in itinere Dei nobis obsistunt.

S. Thomas in ps. 138. VI. Nonnè qui oderunt te Domine, oderam? Cùm in eodem subiecto sit natura & culpa, opus Dei, & opus hominis, cavendum est discretè, ne propter malum bonum odias, vel propter bonum substantiæ malum naturæ, & odium culpæ.

S. Aug. tr. 5. in c. 3. Ioan. VII. Unde scimus quia diligimus fratres? Nemo interroget hominem, redeat unusquisque ad cor suum, si ibi invenerit charitatem fraternam, securus sit, quia transiit à morte ad vitam.

S. Chrysost. homil. 61. in Matt. VIII. Alius amat, quia redamatur, alius quia honore afficitur, alius quia utilitati sibi esse aut fore hominem putat: Christi verò causâ difficillimè quenquam invenies, qui amicum, ut oportet, diligat, omnes ferè sæcularium vinculorum nexu inter se vinciuntur.

S. Aug. tr. 65. in Ioa. IX. Qui diligit Deum, non eum contemnere potest præcipientem, ut diligat proximum, & qui sanctè ac spiritualiter diligit proximum, quid in eo diligit nisi Deum? Ipsa est dilectio ab omni mundana dilectione discreta, quam distinguendo addidit Dominus: Sicut dilexi vos; quid enim nisi Deum dilexit in nobis, non quod habeamus, sed ut haberemus.

Idem tr. 7. in cap. Io. 1. X. Nemo dicat in hominem pecco, quando non diligo fratrem meum; intendite, & facilè est peccatum in hominem, in Deum solum non peccem; quomodo non peccas in Deum, quando in dilectionem peccas?

S. Anselm. ad Rom. 13. XI. Cætera cùm reddita fuerint non debentur, dilectio autem tantò magis debetur, quantò ampliùs impenditur; Ipsa est, quæ semper redditur,

redditur, & ſemper debetur, nec, cùm redditur, amittitur, ſed potiùs reddendo multiplicatur, quoniam habendo redditur, non carendo.

XII. Charitas non ſolùm apud eum creſcit, qui hanc ab eo, quem diligit, exigit, etiamſi non recipit, ſed etiam ille, à quo eam recipit, tunc incipit habere, cùm reddit, & ideo cætera ſic ſolvite, ut non debeatis, charitatem verò ita ſolvite, ut non ſemper habeatis, & debeatis.

Richardus à S. Victore p. 1. c. 41 de gratibus.

XIII. Eſt charitas vinculum perfectionis, quò membra fidelium arctiſſimo complexu ſibi invicem hærent, & ſuo capiti per omnes iuncturas connectuntur in unum corpus in mutuo principio bonorum omnium, ut fidenter quilibet poſſit dicere: Particeps ego ſum omnium timentium te, & cuſtodientium mandata tua.

Æquitas.

S. Chryſoſt. serm. 3. adv. Iudaeos.

XIV. Cùm videris aliquem egentem curatione vel corporis, vel animi, ne dicito apud te ipſum: quare ille & ille non curaverunt? ſed à morte libera: ſi inveneris aurum iacens, non dicis apud te ipſum, quare ille & ille non ſuſtulerunt? ſed feſtinas ante alios rapere; itidem & de fratribus collapſis cogita, putáque te theſaurum inveniſſe.

S. Laurent. Iuſtinianus de lege vit. c. 17.

XV. Docemur proximum ſicut nos ipſos diligere, exemplo amoris membrorum corporis humani; Primò in hoc, quod unum membrum non invidet alii membro, licet non habeat idem officium, non omnia namque eundem habent actum membra, nec tamen ſibi invicem invident; ſic nec debet aliquis invidere proximo ſuo, habenti gratiam, quam ipſe non habet.

Dignitas.

S. Doroth. t. 3. bibl. doct. 6.

XVI. Quò magìs à Dei dilectione recedimus, eò magìs à proximi amore diſtamus; quantùm verò Dei charitati adhæremus, tantùm & proximo, quantùmque proximo, tantùm & Deo coniungimur.

Iucunditas.

S. Laurent. Iuſtinian. in l. vit. c. 15.

XVII. Tale eſt bonum pacis, quod ex fraterna oritur charitate, ut in rebus creatis nihil gratioſius ſoleat audiri, nihil delectabilius concupiſci, & nihil utilius poſſideri.

S. Chryſoſt. hom. 2. de lab.

XVIII. Multæ res ſunt pulchræ, & honeſtæ, quæ carent delectatione, quemadmodum aliæ ſunt iucundæ, ſed deeſt eis honeſtum: Non facilè autem contingit, ut utraque conveniant, ſed in hoc utraque concurrunt, & voluptas, & honeſtas maxima.

S. Thom. Villan. conc. de fund.

XIX. Bonum & iucundum eſt ſola charitas; hoc privilegium ſoli charitati reſervatum eſt, ut cùm ſit non ſolùm bonum, ſed maximum omnium bonorum, ſit quoque iucundiſſimum, omnis quippè alia virtus pœnam habet annexam. Noſtra humilitas, patientia, abſtinentia, caſtitas, paupertas, fortitudo laborem habent; neque enim ſine labore homo ſubmittitur, patitur iniurias, abſtinet à cibis & voluptatibus carnis, caret bonis temporalibus, in amore autem quænam difficultas? quis labor eſt, amare?

Ibidem.

XX. Si hæc omnia non te movent, moveat te ſaltem ipſa, quàm diximus, iucunditas charitatis; quis enim non vult iucundè vivere, & cum lætitia vitam agere? Hoc ſine fraternitate habere non poteris, quid namque iucundius, quàm concordia? quid moleſtius, quàm diſcordia?

S. Chryſoſt. homil. cit.

XXI. Hoc imprimis habet charitas, quòd cum utilitate ſit facillima, atque iucundiſſima.

§. II.

EXEMPLA SACRA.

Palladius vita c. 26.

I. EUlogius quidam ſcholaſticus erat, & eruditus vir, qui amore divino compunctus abrenunciavit turbis hominum, omnémque ſubſtantiam ſuam diſtraxit & erogavit pauperibus. Itaque paucos denarios in uſus proprios reſervavit, cogitans apud ſemetipſum, quia operari propriis manibus non valeo, nec in Monaſterii Congregationem ingredi poſſum. Invenit ergo quendam in platea iacentem leproſum, qui nec manus habebat, nec pedes, cuius tantummodo lingua vigebat. Stans autem Eulogius propè eum, oravit Dominum, & poſuit quaſi pactum cum Domino dicens: Domine in nomine tuo levabo hunc leproſum in domum meam, & miniſtrabo ei, & fovebo eum usque ad mortem, & propter hunc ego inveniam miſericordiam tuam. Dona ergo mihi, Chriſte Domine, patientiam ad huius obſequium; & accedens ad leproſum, dixit ei: ſi digneris facere, gratias ago. Adduxit ergo aſinum, & levavit eum, & duxit in domum ſuam, & adhibebat ei curam diligenter. Itaque per annos quindecim gubernabatur; accipiebat curam de manibus Eulogii, & condignè nutriebatur. Poſt quidecim autem annos inſidiatus eſt ei Diabolus, & clamare cœpit leproſus, inſtigatus ab eo, contra Eulogium, multiſque iniuriis & detractionibus afficere virum; Dicebat enim ei; Multa mala commiſiſti fugitive, forſitan Domini tui alienas pecunias furatus es, & per me vis peccatis tuis liberari, & clamabat: iacta me in plateam, ubi antè iacebam, carnes deſidero manducare. Hoc cùm audiſſet Eulogius, obtulit ei carnes in cibum. Iterum ille clamabat: Non acquieſco, ſed ut dixi, iacta me in plateam, populos volo videre, iacta me, ubi me inveniſti; forſitan, ſi manus habuiſſet, exſuffocare ſe potuit, in tantùm eum Dœmon excitabat. Ideóque valdè ſollicitus Eulogius pervenit ad monaſteria virorum Dei, & dixit eis: Quid faciam, Domini mei Patres, quia in deſperationem me adducit leproſus iſte? Proiicere eum timeo, quia Deo dextram dedi, & promiſi usque ad mortem continere & fovere eum. Si ergo non proiecero

Digitized by Google

eum, ſed per violentiam tenere voluero, peſſimos dies, & amariſſimas noctes faciet mihi. Ad hæc illi dixerunt ei: Dum adhuc in corpore eſt magnus ac beatiſſimus famulus Dei Pater Antonius, aſcende in navim pariter cum illo leproſo, & vade in Monaſterium, ubi Monachi eius ſunt, & exſpecta ibi, uſque quò egrediatur de ſpelunca ſua, & veniat ad Monaſterium, & quidquid dixerit tibi, obſerva, & acquieſce eius ſententiæ. Deus enim per ipſum tibi dicet. Miſit ergo leproſum illum in navim, illéque pariter aſcendit, & navigantes venerunt ad Monaſterium diſcipulorum Beati Antonii. Evenit autem illa die, ut veniret Pater Antonius iam veſperâ peractâ. Quando autem adveniebat in Monaſterium, hanc habebat conſuetudinem: vocabat Macharium, & interrogabat eum dicens: Frater Machari, venerunt aliqui Fratres huc? Reſpondebat: etiam venerunt. Iterum interrogabat: Ægyptii ſunt, an Hieroſolymitæ? Dederat enim eis ſignum dicens: quando videritis inquietiores, dicite, quia Ægyptii ſunt: Quando autem religioſiores, dicite, quia Hieroſolymitæ ſunt. Interrogavit autem ſecundum conſuetudinem: Fratres Ægyptii ſunt, an Hieroſolymitæ? Reſpondit Macharius, & dixit: quia mixti ſunt; quando autem dicebat, quia Ægyptii ſunt, iubebat B. Antonius, ut pulmentum lenticulæ apponerent eis cibum, & quando refeciſſent, faciebat eis orationem, & dimittebat eos: quando autem dicebat, quia Hieroſolymitæ ſunt, ſedebat per totam noctem diſputans cum eis de verbis Dei, quæ ad ſalutem animæ pertinent. In illa ergo veſpera ſedebat, & vocabat omnes Fratres, qui cùm adveniſſent, ſubitò vocavit: Eulogi, Eulogi, cùm tamen nullus indicâſſet nomen eius: tertiò etiam vocatus Eulogius non reſpondit ei, arbitrabatur enim, quòd alium Eulogium ex Monaſterio vocaret. Tunc dicit ei, tibi dico Eulogi, qui ab Alexandria veniſti. Reſpondit Eulogius, & dixit, quid iubes Domine? Interrogavit eum Antonius: Quid huc veniſti? ait Eulogius, & quis revelavit tibi nomen meum, cauſamque manifeſtavit. Dixit ei Antonius: Scio propter quid veniſti, ſed coram omnibus edicito, ut & ipſi audiant. Eulogius dixit: Hunc leproſum inveni iacentem in platea, & levavi eum, & promiſi Deo, ut eum foverem, quatenus ut ſalvus efficiar, & ipſe per meum obſequium repauſationem habeat. Et quia poſt tot annos recedere vult à me, & nimis exacerbat me, dum feſtinat recedere, & cogitavi proiicere eum, ideò ad Sanctitatem tuam veni, ut mihi des conſilium, quid agere debeam, & ores pro me. Nimis enim ſollicitus ſum, & tribulor pro iſta cauſa. Tunc auſtero vultu reſpiciens eum Antonius dixit: Tu proiicis eum, ſed qui fecit eum, non proiicit eum. Iactas eum tu, ſed ſuſcitabit Deus meliorem, & conſolabitur eum. Et ſilens Eulogius pavefactus eſt. Itemque Beatus Antonius cœpit aſperioribus verbis increpare leproſum illum, & clamans dicebat ei: Leproſe inveterate dierum malorum, indigne cœli & terræ, non quieſces blaſphemare Deum, Ignoras, quia Chriſtus eſt, qui miniſtrat tibi? quomodo audes adverſus Chriſtum talia proloqui? Nunquid non propter Chriſtum ſemetipſum ſervum ſe exhibuit Eulogius ad tuum Miniſterium. Increpans ergo & hunc reliquit. Poſthæc coram omnibus dixit eis, quæ expediebant ſaluti animæ eorum, admonens Eulogium & Leproſum, ut non ſepararentur ab alterutro, ſed in cellam veſtram, inquit, pergite. In præſentiarum enim vos viſitat Deus. Tentatio enim hæc evenit, quia uterque circa finem eſtis, & coronæ vobis præparantur, ne veniens Angelus non inveniat vos in eodem loco, & propoſito, & perdatis tanti temporis mercedem boni operis. His auditis eum feſtinatione reverſi ſunt ad propriam cellam. Et poſt quadraginta dies defunctus eſt Eulogius, & poſt tres dies ſimiliter requieſcit leproſus. Poſt aliquot verò dies quidam nomine Cronius de Thebayda deſcendit in Monaſterium Alexandriæ, & invenit quoſdam Fratres diem tertium leproſi celebrare quoſdam autem quadrageſimum Eulogii. Agnovit ergo Cronius & obſtupuit, & accipiens Evangelium propoſuit fraternitati, & iuravit referens eis, quomodo omnia, quæ evenerunt, Eulogio & leproſo prædixit B. Antonius.

II. Perrexerunt aliquando tres Fratres ad Meſſem, & ſuſceperunt certum ſpatium ſexaginta modiorum, quod meterent. Unus autem ex eis prima ipſa die infirmari cœpit, & reverſus eſt ad cellam ſuam. Duo autem qui remanſerunt, unus alteri dixit: Ecce, Frater, vides, quia incurrit in ægritudinem Frater noſter: extorque ergo tu animo tuo parùm, & ego ſimiliter meo paululùm, & credamus in Deo noſtro, quia per orationes eius implebimus nos duo opera eius, & metemus partem ipſius. Cùm ergo expleviſſent meſſem totius loci illius, quem ſuſceperant, venerunt accipere mercedes ſuas, & vocaverunt fratrem dicentes: Frater veni, & accipe laborem tuum. Et illo dixit eis: Qualem laborem accipiam, qui non meſſui? Et illi dixerunt ei: Orationibus tuis conſummata eſt meſſis, veni ergo accipe mercedem tuam. Facta eſt ergo plurima contentio inter eos de hac re, illo ſcilicet dicente: non accipio, quia non laboravi: illis verò non adquieſcentibus, niſi & ipſe acciperet partem ſuam. Abierunt ergo ad iudicium magni ſenis cuiuſdam, & dicit ei Frater ille. Perreximus nos tres, ut meteremus in agro cuiusdam ad mercedes, cùm autem veniſſemus ad locum, quem meſſuri eſſemus, ipſa prima die in ægritudinem cecidi, & reverſus ſum in cellam, nec una die metere prævalui cum eis, & nunc cogunt me fratres iſti dicentes: Veni, accipe mercedem, ubi non laboravi. Dixerunt autem & illi fratres: Revera tres fuimus, & perreximus metere, & ſuſcepimus ſpatium ſexaginta modiorum, quod meteremus, & ſi fuiſſemus toti tres cum grandi labore vix potuiſſemus explicare illud. Orationibus autem Fratris huius nos duo velociùs, quàm tres potuimus, & demeſſuimus agrum. Et dicimus ei: Veni, & accipe

Specul. Exempl. tit. Charit. exempl.

accipe mercedes tuas, & non vult. Hæc audiens senex miratus est, & dixit uni de Monachis suis, percute signum in cella Fratrum, ut congregentur hic omnes. Qui cùm venissent, dixit eis: Venite Fratres, & audite hoc iustum iudicium, & indicavit eis omnia senex, & adiudicavit illum, ut acciperet mercedes suas, & faceret ex eis mercedibus, quod ipse vellet. Et discessit Frater ille contristatus & plorans, & sibi præiudicatum fuisse dicebat.

Ibidem exemp. 12 III. Erat in Monasterio Cruciferorum, diæcesis Monasteriensis, Laicus quidam Frater ad recipiendum hospites deputatus. Et is, ne temerè sibi iudicium Domini usurparet, & alienum servum contra præceptum Apostoli, qui suo Domino aut stat, aut cadit, videretur iudicare, sine omni personarum acceptione bonos & malos, probos & improbos, disciplinatos & insolentes, cum tanta humilitate tantâque charitate recepit, pavit, ministravit, quasi omnium unica mater esset, & sibi soli eorum videretur cura incumbere. Cùm igitur in extremis laboraret, & tempus esset, præmia laborum recipere, contigit, quendam Laicum Fratrem interim ad infirmatorium, in, quo infirmus decubuit, quandam dulcissimam melodiam, quasi concinentium in Choro puerorum, ceu à longè resonantem, audire. Quapropter stupens, & vix se ipsum comprehendens, infirmatorium ingreditur, & moriturum, utrúmne & ipse canoras iuvenum voces percepisset, sciscitatur. At ægrotus, paulisper, inquit, ante ingressum tuum ad me introierunt hic quidam formosi satis, sed mihi incogniti iuvenes, qui cum dulcibus cantilenis aliquamdiu invalidi atque infirmi corporis mei mitigâssent dolores, suspicatus ego, si fortè pauperes essent, & cantibus eleemosynas postularent, aio ad eos: Dulces filioli mei, quamdiu potui, cum omni charitate omnibus pauperibus, quantùm permisit paupertas nostra, libenter ministravi: nunc, quia, ut videre potestis, ad hæc facienda vires non suppetunt, ad cocum pergite, & is, quia pius est, largâ vobis manu eleemosynam ministrabit. Et in hæc verba dimisi eos, sed quonam abierunt, vel qui fuerint, omninò non scio. Quod audiens Frater cùm huiusmodi iuvenes intra claustra Monasterii penitus visi non essent, vel Angelos fuisse, vel alios Sanctos suspicatus, dignam laudem Deo de exhibita pietate refudit. Hospitalarius verò post hæc citissimè, sed & devotissimè moriens (ut piè creditur) unà cum concinentibus Angelis ad cœlestem patriam commeavit, dignam mercedem pro exhibita charitate capturus, de quo sit Deus benedictus in sæcula. Amen.

Ibidem exempl. 13. IV. Legitur exemplum, quòd quidam plebanus sicut temporalibus divitiis, ità & vitiis deditus erat, habuit tamen valde devotam coniugem, ad cuius suggestionem Religiosos habebat in honore. Contigit autem, ut ad illius domum diverterent quidam Fratres. Itaque tempore prandii dixit Domina Fratribus: Rogo vos, boni Patres, ut dicatis aliqua verba salutis, quia illa valdè sunt nobis necessaria, si Dominus non ægrè ferret. Et Dominus ait: ego similiter peto, ut dicatis, sed brevia verba, quia etiam prædicationem, tædiosum mihi est, audire propter prolixitatem. Tunc unus fratrum ait: Ego vobis dicam brevia verba tam fructuosa, quòd si ea servaveritis, in iudicio generali animam meam, quâ à iuventute Deo servivi, obligo pro anima vestra. At ille: dicite (ait) & ego iure iurando protestor servare. Cui ille: Dixit Salvator in Evangelio: *Quodcunque vultis, ut faciant vobis homines; & vos facite illis.* Et rursus per Tobiam Spiritus Sanctus ait: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Si hæc servaveris procul dubio salvus eris. Cui dives: repete (ait) Pater: quod cùm Frater fecisset, & ille didicisset, rogat ipsum Fratrem, ut ipsa breviter declararet. Et ille respondit: Hic est intellectus verborum istorum. Quod tu, ex quo es magnus Dominus, velis, ut tui tibi essent fideles, te honorarent, tibique decenter servirent: sic, cùm Deus sit Dominus tuus, sis fidelis ipsum solum adorando, nomen illius honorando, ac illi saltem diebus festivis serviendo. Item: si esses pater, desiderares, quòd filii tui honorarent te, tu quoque similiter facito erga Deum. Item nolles, quòd quis te occideret, aut adulterium in domo tua committeret, aut bona tua furaretur, vel falsum contra te ferret aliquis testimonium, aut concupisceret bona tua, vel uxorem: Sic tu debes facere, & si horum contrarium quandoque quis fecisset, velles, ut de hoc tibi satisfaceret. Ait dives: In veritate pauca ista verba profundam continent scientiam: Veruntamen Deo favente ea adimplere curabo. Interim verò cœpit hæc verba sollicitè ruminare, & invenit, se in multis illis contraria egisse, nam quibusdam domos, quibusdam molendina, quibusdam possessiones in pignus diu tenuisse, plerisque iniuriam, & verbera intulisse recogitabat. Proclamare igitur fecit, se omnibus, quibus debitor erat, satisfacturum. Denique cùm tristaretur propter magnam temporalium bonorum diminutionem, ait suis militibus: Eamus recreationis ergo ad venandum, unde ortâ tempestate & pluviarum abundantiâ, cùm vacui redirent, vidit in via molendinum cuiusdam pauperis à torrente dissipari, & everti, hominémque, cuius fuerat, insufficientem esse, ad eum reparandum, ait suis: Hoc est, quod ego promisi servaturum; si enim essem talis pauper, optarem, ut potentior me adiuvaret. Unde resilientes milites de suis equis, trabes, & rotam in locum pristinum, iussu istius divitis reposuerunt. Rursus progredientes ulteriùs, repererunt quendam peregrinum pauperem, quem dum vidisset, Dominus ait suis militibus: Hoc etiam est de illis, quod ego facere promisi; si enim essem adeo pauper, optarem, ut aliquis mihi auxiliaretur, & humanè reficeret. Dixit itaque pauperi: sequere me, & benè tibi providebo de hospitio & victu. Cui pauper; Domine (ait) à prædicatoribus audivi, quòd Christus tale quid misericordiæ sibi deputat exhibitum, & ideo ita remunerat. Venientes pariter

R. P. Lohn. Auct. Bibl. Oo 2

riter ad domum, & acceptâ manu pauperis Dominus consorti suæ ait: En ego hospitem tibi adduxi, curam ergo istius habeto. At illa: In veritate, inquit, utilis est talis hospes, pro quo Christus se obligavit debitorem; Cùmque lautè pauperem hospitio excepisset, serò propè cubiculum suum, illi pauperi lectum sumptuosum disposuit; mediâ autem nocte cœpit pauper sitire & dicere: En siti morior. Quod cùm Dominus audiisset, accepto gladio ait: Domina quid est hoc? At illa: Auscultemus, Domine, attentè, & videamus, quid sit, quo facto advertunt pauperem dicentem: En, morior siti. Tunc ait Dominus. Hoc etiam est, quod promisi servare, quòd si ipse essem pauper, & nescirem, inter tot gradus quò transirem, vehementer desiderarem, quòd aliquis mihi potum præstaret, potum igitur porrigam, qui acceptâ camisiâ ivit ad cisternam pro accipienda aqua, & in illam ruit præceps: manè autem facto, & recedente paupere, interrogare cæpit Domina famulos suos de Domino & marito suo, de quo unanimiter nihil scire responderunt. At illa: Ite (inquit) ad omnes Ecclesias & Monasteria inquirentes de illo; quia post beatum Fratrum adventum totaliter in alium virum (ut scitis) mutatus est. Quibus redeuntibus, nec eum invenientibus ait Domina: Mittite anchoram in Cisternam, ne fortè lapsus sit in illam, quia potum ferre pauperi iverat. Quô factô extraxerunt illum mortuum, & plangentibus omnibus, conspiciunt in collo illius circulum aureum, Angelicis manibus sic præparatum, quòd nec extrahi posset, nec iunctura illius ulla appareret: sed scripturam hanc continebat. Nos Angeli priùs animam istius duximus in cœlum, quàm corpus fuisset infrigidatum in cisterna, quia in misericordiæ operibus vitam finivit. Quibus auditis & visis, uxor cum familia gaudio magno vocant Episcopum civitatis, & ille manibus circulum contrectans mirabatur, & protinus hoc miraculum insinuavit summo Pontifici, & diversis Mundi potentibus. Tunc uxor flexis genibus ait: O misericors Domine Deus, gratias tibi ago, quòd me tali viro sociâsti, qui iam certitudinaliter in tua tecum lætatur gloria, adiuva & me Domine Rex æternæ gloriæ, ut consors illius gloriæ effici merear. Quæ venditis omnibus Christo servivit devotè. O igitur divina lex, quàm brevis, & quàm utilis: O Lex Dei immaculata! O lex Christiana salutifera; tu contineris in lege naturæ, tu es plena charitate, tu es Donum Dei gratuitum, tu sola rectificas animas, & eas ducis ad gloriosam vitam æternam.

Dauroit. c. 3. tit 3. exempl. 1. V. Serapion Syndonites, qui præter Syndonem nihil unquam induebat, cùm quendam accepisset exercitatorem, qui cum eo luderet, se in quadam urbe gentilibus vendidit Histrionibus viginti nummis. Tamdiu autem permansit, & servivit Mimis, qui eum emerant, donec eos fecit Christianos, & eos avulsit à Theatro, præter panem & aquam nihil sumens, neque præ meditatione scripturarum ore silens. Longo autem tempore primus compunctus est Mimus; deinde Mima: deinde universa eorum familia. Dictum est autem, quòd, quo tempore eum ignorabant, lavabat pedes amborum. Ambo ergo baptizati à theatro recesserunt: & cum ad vitam honestam & piam processissent, virum valdè reverebantur. Ei itaque dicunt: Adesdum Frater; nos te liberabimus, quandoquidem ipse nos liberasti à turpi servitute. Dicit ergo eis; Quandoquidem Deus est operatus, & salva facta est vestra anima, vobis dicam mysterium actûs: Ego animæ vestræ misertus, cùm essem liber exercitator, genere Ægyptus, ea de causa meipsum vendidi, ut vos servarem. Quoniam autem hoc fecit Deus, & per meam humilitatem salva evasit anima vestra, accipite aurum vestrum, ut etiam aliis opem feram. Illi autem cùm multùm rogassent, & affirmassent, dicendo: te tanquam patrem, & dominum habebimus, solùm mane nobiscum, non potuerunt ei persuadere. Tunc dicunt ei: da aurum pauperibus, nam id nobis fuit causa salutis. Sed saltem post annum nos invisas, & sic ab iis abiit in Græciam, & cùm venisset in loca Lacedæmonis, audivit quendam ex primis civitatis esse Manichæum simul cum tota domo, alioqui virum bonum. Ei rursus se ipsum vendidit in primo actu. Et cùm intra duos annos ipsum abduxisset ab hæresi, & eius uxorem, adduxit eos ad Ecclesiam. Tunc eum amantes non amplius habebant tanquam servum, sed tanquam germanum fratrem, & patrem, & Deum laudabant.

VI. S. Chrysostomus sic de se ipso scribit: vellem si fieri posset, vestris oculis ostendere, quam in vos habeo charitatem. Nihil est enim mihi vobis iucundius, & desiderabilius, ne hæc ipsa quidem lux: Millies enim optarem ipse esse cæcus, si per hoc liceret vestras animas convertere, adeò ipsâ luce mihi est vestra salus iucundior. Quid enim me iuvant solares radii, quando quæ propter vos accipitur animi ægritudo, oculis meis magnas offundit tenebras? Lux enim tunc bona est, quando apparet in lætitia. Et paulò post: Implete gaudium meum, liceat vobis salutem assequi, me autem propter vos reddere rationem: vobis dari salutem, me verò accusari, quòd meum munus non impleverim. Non enim euro, ut per me salvi sitis, sed ut salvi sitis quacunque ratione. *Homil. in Act.*

VII. Charitate inter se contenderunt apud Antiochiam Theodora Virgo, & quidam miles. Illa ob Christi confessionem ab infidelibus in prostibulum truditur: miles verò eam primus adiens, persuadet, ut mutatis secum vestimentis virili habitu evadens, virginitatem intactam conservet. Cùmque ipse cum muliebri veste deprehensus pro virgine ad supplicium traheretur, non sustinuit illa, ut, cuius ope pudicitia tutata fuerat, ei necis causa fieret: palàm proclamat, se esse ei pœnæ addictam, non ipsum: è contra ille, se iudicis sententiâ damnatum, non illam. Diu certarunt, uterque alterum suâ morte redimere cupientes. At verò, quoniam Christum confitentibus, mori, vivere erat, Deo disponente, ambo simul capitis obtruncatione gloriosum *S. Ambrosius lib. 2. de virgin. sub finem to. 4.*

gloriosum Martyrium peregerunt, ne eos Tyrannis separaret, quos iunxerat amor Christi.

Baronius ad ann. 318. VIII. Sanctum Pachomium adhuc & militem, & nullis dum fidei Mysteriis imbutum, nihil potiùs ad Christum adduxit, quàm Christianorum charitas. Cùm enim militibus Constantini Magni stipem, & annonam, quæ eos defecerat, quærentibus, videret quosdam inter alios Pachomius, qui singulari benevolentiæ significatione milites in domos suas ultrò invitarent, támque liberaliter offerrent necessaria, & miratus rogaret, Ecquodnam id genus hominum, tam præter consuetum beneficum? cúmque Christianos esse intelligeret, Papæ, inquit, non potest non optima esse illa Religio, quæ ita ad charitatem instruit homines: eam ergo complecti, quid vetabit?

Vita PP. l. 3. n. 96. IX. Senes duo multis annis simul conversati, nunquam inter se litem habuerunt; dixit autem unus alteri, faciamus & nos litem, sicut hospites faciunt. Cui alter: Nescio, qualiter fiat lis. Tum ille prior dixit: Ecce, pono in medio latereculum, & ego dico: meum est hoc. Tu autem dic: non, sed meum est; inde litis initium. Posuerunt ergo testam in medio sui, & dicit unus eorum: meum est hoc. Et alter dixit non, sed meum est. Et ille respondit ei, & meum tuum est, tolle ergo, & vade. Et discesserunt, nec contendere inter se potuerunt.

Pædagog. Christ. p. 2. c. 22. n. 5. §. 9. X. Addam hic etiam coniugalis amoris singulare exemplum. Conradus III. Imperator Guelphum Bavariæ Ducem in aliqua urbium illius ita obsidione presserat, ut, cùm diutius sustinere Imperatoris impetum se posse diffideret, deditionem offerret, si modò in conditiones paratus esset Cæsar; verùm irato vehementer Imperatori non alias concedi conditiones placuit, quàm, ut nobilioribus Matronis urbe liceret liberis, sed peditibus excedere, & tantùm, quantùm humeris ac toto corpore pollerent, secum asportare. Accepta est ab obsessis conditio. Mulieres ergo maritos humeris aptare, illis tanquam pretiosissimis thesauris onustæ, ad urbis portas accurrere. Imperator ad tanti amoris spectaculum obstupefactus lacrymas non tenere, omnibus veniam, & libertatem donare, ac Deum ipsum deinceps inter amicissimos habere.

§. III.

EXEMPLA DOMESTICA.

Vita l. 2. c. 7. I. P. Vincentius Caraffa in Adversariis suis hoc Syngraphum reliquit: Deum adamabo propter se, & propter ipsum vivis eius imaginibus inserviam: Cor tradam ipsi, manúmque proximo, ut divino pectori eum admoveam. Idem crebrò nostris inculcabat, duas esse charitatis sorores, mansuetudinem & patientiam, quas eius latera semper claudere oporteret. loc: cit.

Nadasi in ast. memorab. 19. Martii. II. P. Petrus Cottonus Gallus adeò plenus erat suavissimæ charitatis, ut Henricus Magnus Galliarum Rex dictitaret; Cottonus de nemine malè censet, & nemini unquam succenset. Mirificè dissimulabat, excusabat, tegebat, siquid perperam ab aliquo factum audiret.

Ibidem. 11. Iunii. III. Simon de Espalza Coadiutor Hispanus petiit per Beatam Virginem à Deo sibi impetrari, ut in morientis locum substitueretur, illò in vita retentò, se enim Collegio vix aliquid, illum autem longè plùs posse prodesse. Et verò æger ille confestim respiravit, ac sensim convaluit; Simonem verò intra triduum idem morbus, qui alterum deserebat, corripuit, & extinxit, ceu succedaneam victimam humilitatis & charitatis.

Ibidem. 1. August. IV. P. Ioannes Collignon Gallus sub mortem se increpitans, latronem se divinæ gloriæ vocitabat, querebatúrque, quòd in lectulo domi, non foris inter pestiferorum turbam defungeretur charitate, simul & vitâ; quod illi decus adeò in desiderio fuit, ut eâ tabe laborantibus undecies ipse caput addixerit, servierítque assiduitate planè heroicæ charitatis. Obiit Mussiponti 1. Augusti. an. 1635.

Plura in hoc genere exempla nostrorum videri possunt in Tomis integris, quibus Titulus: Mortes illustres, & Victimæ Charitatis, præfigitur.

§. IV.

SIMILITUDINES.

Mansi tr. 5. disc. 9. n. 7. I. Sicut nos ipsos unà cum omnibus defectibus nostris amare consuevimus, quia tametsi iracundi, ignorantes, deformes, pauperes, & infirmi simus, propter hoc tamen proprium erga nos ipsos amorem non amittimus: eodem quoque modo iustum est, ut proximos nostros cum omnibus defectibus eorum diligamus, solam in illis naturæ similitudinem & relationem, nec non divini præcepti reverentiam & observantiam considerantes.

Ibidē disc. 5. n. 10. II. Sicut in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent, ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra. Hinc sicut 1. unum membrum timet separari ab alio, sic nihil debet tàm formidare Christianus, quàm separari à Christi corpore. 2. Sicut, si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra, ità quivis homo proximo suo compati debet. 3. Sicut membra infirmiora abundantiùs honorantur; sic & nos non debemus eos despicere, qui infirmi videntur. Instruimur quoque in hoc, quòd si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra; sivè, si glorietur unum membrum, congaudent cætera; sic fideles debent gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus. 4. Sicut membra ad invicem serviunt; nam oculus non videt pro se solo, sed prò toto corpore; auris non sibi soli audit, nec pes sibi soli ambulat, sed toti corpori, eodem modo ut debito reciprocæ dilectionis, quo obstringimur, perfectè satisfaciamus,

faciamus, bona nostra tam Spiritualia, quàm temporalia in beneficium commune totius communitatis, in qua vivimus, communicare debemus. Ad quod efficaciùs persuadendum, idem B. Laurentius per eandem corporis similitudinem aliud quoddam motivum his verbis adducit; eodem modo provocamur, cùm videmus, quòd cibum, quem os recipit, aliis membris communicat, ita & fideles facere debent. 5. Sicut quando pars una corporis offenderetur ab alia, nequaquam de parte offendente vindictam sumat, id quod B. Laurentius Iustinianus optimè hisce verbis notat: Similiter cùm unum membrum ab alio læditur, non se vindicat, sic debet esse inter fideles, *Nulli malum pro malo reddentes*; Sic enim Apostolus nos monet. Et iterum: *Charitate fraternitatis invicem diligentes*, & paulò pòst: *Benedicite persequentibus vos, & nolite maledicere.* 6. Sicut unum membrum læsioni se exponit pro alio, sic nos agere debemus, imitantes Dominum IESUM Christum, qui passioni se exposuit, ictum, quem genus humanum meruerat, super se excipiens. 7. Sicut unum membrum reputat sibi fieri, quod fit alteri, sivè bonum sivè malum; sic nos quod aliis irrogatur, nobis fieri existimare debemus; Unde ipse Dominus IESUS Ecclesiæ Caput dicit: *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* 8. Sicut unum membrum non invidet alii membro, licet non habeat idem officium, non omnia namque eundem actum habent membra, nec tamen sibi invicem invident; sic nec debet aliquis invidere proximo suo habenti gratiam, quam ipse non habet.

Necessitas.

S. Vincentius Ferr. serm. de Pent.

III. Sicut Spiritus humanus ad hoc, ut vitam det corpori, requirit coniunctionem membrorum, quia si membra sunt divisa, scilicet caput seorsùm, & manus & pedes, & sic de aliis, Spiritus recedit, nec remanet cum aliquo membro diviso, ita etiam est de Spiritu Sancto. Unde legimus in Psalmo 132. *Ecce quàm bonum, & quàm iucundum habitare fratres in unum:* Quoniam illic mandavit Dominus benedictionem, & vitam úsque in sæculum.

IV. Sicut avis duabus alis potest volare in cœlum, quare? quia nec sola dilectio Dei sine dilectione proximi, nec sola dilectio proximi sine dilectione Dei valet ad æternam beatitudinem.

§. V.

MOTIVA.

S. Laur. Iust. de lign. vit. c. 15.

I. *Exemplum Angelorum*, de quo S. Laurentius Iustinianus ait: Sollicitudo quoque Angelicæ custodiæ nos provocat ad amandum proximum: Non est ab homine despiciendus homo, qui adeò Angelis charus est.

Ibidem c. 7.

II. *Exemplum Sanctorum*, de quibus idem Sanctus ait: Tanta vis in illa cœlesti pace illos satiat, ut quod in se quisque non accipit, hoc se accepisse in altero exultet.

Tertul. l. ad Mart. 1.

III. *Utilitas* Tertullianus Martyres mediante inpenetrabili hâc unionis & concordiæ loricâ adversus Infernum fortes, imò insuperabiles fuisse notat: Inveniat vos unitos & concordiâ armatos, quia pax vestra bellum illi est. Similiter S. Gregorius scribit: Electorum multitudinem eò magis maligni Spiritus pertimescunt, quò eos per charitatis concordiam munitos contra & conglobatos aspiciunt.

S. Greg. hom. 8 in Ezech.

§. VI.

MEDIA.

S. Dorotheus. disc. 6. de non iudicando.

I. Amor Dei; uti pulchrâ similitudine declaravit S. Dorotheus, Quemadmodum, inquies, lineæ duæ à circumferentia ad centrum ductæ, quò centro viciniores, eò etiam sibi invicem sunt viciniores: Ita quò magis Deum appetimus (qui nostrum est centrum) eò etiam nobis invicem amoris affectu simus propiores.

S. Cyprianus tr. de Eleemosyna.

II. *Christum in proximo intueri*, uti suasit S. Cyprianus: Quid potuit nobis maius Christus edicere? Quomodo potuit magìs iustitiæ ac misericordiæ operam provocare, quàm quòd præstari id dixit sibi, quidquid egenti præstatur &c. Ut, qui respectu fratris in Ecclesia non movetur, vel Christi contemplatione moveatur.

§. VII.

ASCETICA.

S. Thomas c. 13. ad Rom.

I. Ante omnia connitentum est Asceta, *ut cognoscat modum diligendi proximum sicut seipsum*, quorum quidem tres S. Thomas assignat. *Primus est, quantùm ad finem dilectionis, ut nos proximum diligamus propter Deum*; Primarius enim finis propter quem proximum amare debemus, est acquisitio æternæ salutis, & hanc eandem considerationem etiam B. Laurentius Iustinianus adducit, nam verba assumpti thematis, scilicet: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum*, considerans dicit: Id fieri posse 1. ut illum diligas ad gratiam, & gloriam in futuro, vel in quem te ipsum diligis, id est, in Deum illum diligas, quisquis enim diligit proximum, hoc cum illo debet agere, ut etiam toto corde & tota anima diligat Deum.

Secundus se tenet quoad modum dilectionis: ut scilicèt sicut aliquis se ipsum diligit, quasi sibi volens bonum, ita aliquis proximum diligat, quasi ei bona volens; qui autem diligit proximum ad hoc solùm, ut eius utilitate & delectatione potiatur, non vult bonum proximo, sed ex proximo vult sibi bonum, quô quidem modò homo amare dicitur res irrationales, puta vinum & aquam, ut eis utatur. Quando enim nosmetipsos amamus, bonum quod nobis desideramus, est propter nostram utilitatem & profectum, ita quoque si cum eadem proportione proximum nostrum amare velimus, bonum quoque

quoque illi desiderare vel procurare debemus, idque in beneficium ipsorum; non verò nostrum.

Tertius est quoad effectum dilectionis, ut scilicet aliquis necessitati proximi subveniat, sicut sibi, & quod nihil illicitum propter amorem proximi committat, sicut nec propter suum amorem. S. Jacobus nos in huius præcepti observatione mendacii redarguit, & convincit, dum ad subveniendum proximorum necessitatibus viscera, seu potiùs manus nostras non aperimus & extendimus, dum ait: *si frater & soror nudi sint, & indigeant victu quotidiano, dicat autem aliquis vestrûm illis: Ite in pace, & calefacimini, & saturamini, non dederitis autem ea, quæ necessaria sunt corpori, quid proderit?*

Hugo Cardin. in c. 4. 1. Jo.

II. Nôsse pariter debet, *cur proximus amandus sit*, id quod Hugo Cardinalis indicat, dum super verba illa: *Qui non diligit fratrem suum, quem videt, quomodo &c.* Ita scribit: Frater enim suus imago Dei est. Si ergo non diligis imaginem Dei, nec eum, cuius est imago, diligis; ergo mendax es, si te Deum diligere dicis, & fratrem odis; Qui non diligit fratrem, quem videt, non diligit imaginem Dei; & qui non diligit imaginem Dei, Deum non cognoscit, & qui Deum non cognoscit, ipsum non diligit. Indubitata propositio est, quòd Deum nemo vidit unquam, & ideo nos eum in proximo, velut in eius effigie, & imagine speculari & contemplari voluit, disposuitque ut in probationem & contestationem amoris nostri erga ipsum fratrem, qui ob oculos nostros versatur, diligamus. Sicut enim, licèt ligno pro ignis alimento utaris, lapidem quoque in domus fundamenta coniicias, attamen postquam per adhibitam artificis industriam ex utroque facta est imago & effigies crucifixi Salvatoris, è vestigio illud adoras; ita quoque licèt homo è luto formatus, defectibus multis obnoxius, tibique ingratus existat, à te tamen ipse diligendus est, vel quia Deus id ipsum præcepit, vel quia Deo charus est & acceptus, ideoque ab eodem ad æternam gloriam destinatus, vel quia in se defert imaginem communis Creatoris. Unde S. Ambrosius ait: Nos unum esse præcepit, & suæ naturæ unitatisque similitudinem in nos gratiæ adoptione transfudit, dicens: Pater, sicut ego & tu unum sumus, ita & isti in nobis unum sint.

Origines hom. 9. in Num.

III. Nôsse debet, *cur Christus mandatum de dilectione novum dixerit*; Qua de re Origines quærit, qua ratione Dominus noster præceptum istud novum appellare potuerit, cùm (utpotè ipsimet naturæ hominis impressum) adeò fuerit antiquum, imò cùm idem divinus Magister dixerit: *Hoc est maximum & primum mandatum; Diliges Dominum Deum ex toto corde tuo &c. Secundum simile huic; Diliges proximum tuum*; & ideo inquit Origines quomodo mandatum hoc novum dici potuit; cùm utique sciret, olim esse mandatum in lege? Mox verò respondet dicens: sed quoniam charitas nunquam cadit, nec mandatum charitatis veterascit; hoc autem quod nunquam veterascit, semper novum esse prænuntiat, semper enim conservantes & custodientes in se charitatis mandatum novos reddit spiritu. S. Thomas tres adducit rationes, ob quas præceptum istud mandatum novum glorioso titulo appellat, tametsi etiam dudum antea in veteri testamento statutum fuerit. Primò propter effectum innovationis quem effecit; Ad Colossenses 3. *Exspoliantes vos veterem hominem, & induentes novum*; Hæc novitas est per charitatem, ad quam exhortatur Christus. Secundò novum propter causam, quæ hoc effecit, quia est à novo Spiritu; Est enim duplex spiritus, vetus & novus; vetus spiritus servitutis, novus spiritus amoris; ille generat servos, hic filios adoptionis. Rom. 8. *Non accepistis spiritum servitutis &c.* hic spiritus inflammat ad charitatem, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum. Tertiò effectum, quem constituit, scilicet novum testamentum, nam brevis differentia veteris & novi testamenti est timor & amor.

IV. Nôsse debet, *quomodo Christus hoc præceptum suum, sibique proprium dixerit*, quo de dubio sic Josephus Mansi discurrit: Experientia quotidiana in curia Romana vel maximè demonstrat, quòd is, qui magna à Principe beneficia quotidiè accipit, in signum æstimationis veræque gratitudinis erga illum, eiusdem Principis effigiem in nobilioribus conclavibus publicè expositam habeat, Aulicos quoque eiusdem honoret, illum veneratione & obedientia debita prosequatur, imò genium & nutus eius observet. Eodem quoque modo manifestum in nobis indicium erit, quanti Deum nostrum æstimemus & diligamus, si ex ipsius amore permagni æstimemus & honoremus proximum, qui velut imago & similitudo eius est, sique hoc præceptum, quod ipse proprium suum præceptum appellat: *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem*, inviolabiliter observemus. Mansi tr. 5. disc. 1. n. 17.

V. Nôsse debet, *quomodo amor Dei & proximi unus dicatur*; id quod idem Author sic ostendit: Quando cœlestis Pastor noster Jesus Christus nos velut dilectum gregem suum Petro pascendum consignavit, eundem priùs de charitate & amore erga se examinavit dicens: *Simon Joannis amas me?* Et tamen videri haud immeritò posset potiùs à Petro quærendum fuisse, an gregem suum, quem pascere debebat, diligeret, ideòque dicere debuisse: Diligis agnos, oves? veruntamen optimè dixit, quia eodem amore, quo se vult diligi, vult etiam proximum amari. Unde Idiota ad Deum conversus ait, Duo sunt præcepta à te nobis data, dilectio Dei, & proximi; & licèt duo sint præcepta, tamen unus est amor, quia alius amor non est, quo quis diligit proximum, & quo diligit te, alioqui non esset propter te, nec potest te quisquam diligere, qui in proximi dilectione noscitur aberrare. Anselmus pariter ita scribit: Nec proximum verè sine Deo, nec Deum verè sine proximo possumus diligere. Idiota c. 19.

§. VIII.

§. VIII.

MISCELLANEA ET CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Qualitas.

S. Francis. Salesius in collocut. spirit. 8. de expropriatione sui.

I. CHaritas proximi ut sit verè perfecta, & meritoria, fundata esse debet in vera charitate, quæ est Deus. Quæ ex aliquo fœdere, & inclinatione tantùm naturali procedit, centies millies inferior est, quia non tendit purè ad Deum, tantóque plùs de meritò deperditur, quantò plus adest de complacentia, & satisfactione, quam habemus in exhibitione similis obsequii & beneficii. Et verò charitas, quæ ex inclinatione naturali tantùm procedit, non diu durat; quia cùm causa sit fragilis, & caduca, quàmprimùm aliquid adversum se obiicit, defervescit, & alteratur, quod non evenit illi, quæ in Deo fundata est, quia in hac causa stabilis est, & solida. Subministrat ad doctrinam hanc, pulcherrimam comparationem S. Catharina Senensis: Si accipias, inquit illa, vitrum, & impleas quopiam in fonte, bibásque ex dicto vitro non extracto ex fonte, esto bibas, quantúmque velis, vitrum non evacuabitur: verùm si eximas è fonte, postquàm ebiberis vitrum, penitùs evacuabitur. Sic se habent amicitiæ, quando non extrahuntur ex sua origine, nunquam decrescunt.

Idem l. c.

II. Blanditiæ ipsæ, & signa amicitiæ, quæ contra propriam nostram inclinationem exhibemus aliquibus hominibus, à quibus aversionem aliquam habemus, meliores & gratiores sunt Deo, quàm sint illæ, quas exhibemus attracti, & allecti ab effectu sensitivo. Et hoc nullo pacto vocari debet duplicitas, aut simulatio: Nam esto habeam sensum contrarium, is solummodò est in parte inferiori, actus autem, quos elicio vi & fortitudine rationis, quæ est pars præcipua animæ meæ elicio. Atque adeò si illi ipsi, quibus sanctè blandiri, & simul gratificari intendo, iurent, quòd id illis facerem, quin aliquam ab iis habeam aversionem, haud iure offendi possent, sed magis æstimare, & insuper chariores habere deberent meos huiusmodi actus, quàm si provenirent ex partis inferioris affectione. Quia aversiones sunt naturales, & ex se ipsis non malæ, quando eas non sequimur. Contrà modus est, & ratio exercendi quàmplurimas virtutes: quia & ipsi Domino gratius est, quando summa cum repugnantia eius osculamur pedes, quàm si multa cum suavitate id ipsum faceremus. Hinc ii, qui nihil præseferunt amabile, neque fortè habent, unde magnoperè amentur, magna gaudent felicitate: Certi enim sunt, quòd amor, qui illis defertur, sit perquam excellens; totus siquidem est in, & ex Deo.

Mansi tr. 5. disc. 1. n. 1.

III. S. Paulus Apostolus, qui in cœlo Empyreo edoctus fuit, & audivit arcana verba, Magnus, inquam, ille gentium Doctor ad Romanos libertinè & imperterritè scribit, quòd nullo prorsus debito ulli sive in cœlo, sive in terra, sive Deo, sive hominibus obstringantur, quàm solo debito dilectionis reciprocæ, quia hoc debito semel perfectè expedito omnis lex perfectè impleta & observata esse censetur: *Nemini quicquam debeatis &c.* Unde Toletus ait: Charitas est brevis summa, & mandatorum Dei epilogus. Idémque Apostolus eorum, quæ asseruit, optimam reddit rationem, nam ad magis præcipua Decalogi præcepta sese reflectendo dicit: *Nam non adulterabis; Non occides, non furaberis, non falsum testimonium dices, non concupisces, & si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur; Diliges proximum tuum.* Porrò idem citatus Toletus verbi huius, *instauratur*, sensum nobis declarat dicens: Instaurari non aliud significat, quàm summatim comprehendi. S. Augustinus legit: Recapitulatur. S. Ambrosius verò vertit: consummatur. Tertullianus dicit, meritò totam Creatoris disciplinam principali præcepto eius concludit: *Diliges proximum tuum sicut te.*

Idiota.

IV. Quid est, quod scribitur: Qui proximum diligit, legem implet, nisi quòd, qui diligit proximum, diligit & te Deum; quia eadem est virtus & dilectio, quà quis utrumque diligit, ut idem est radius, quo quis solem & terram intuetur.

Caietanus in Ioan.

V. Quamvis pluraliter dixerit præcepta mea, omnia tamen sumendo ad unum reduxit, dicens: *Hoc est præceptum meum*; quoniam in hoc uno impleto omnia implentur, & sine hoc servatio cæterorum nihil prodest. Hinc & Salmeron dicit: quod suprà in plurali dixerat præcepta, nunc præceptum in singulari declarat: quia charitas unum præceptum est, & multa, unum in radice, multum in opere. S. Thomas ad eandem difficultatem respondendo, expositionem adducit S. Gregorii dicentis: Dicendum, quòd charitas est radix, & finis omnium virtutum; radix quidem, quia ex charitate confirmata in corde hominis, movetur homo ad implenda omnia præcepta, quæ quasi ad hoc ordinantur, ut homo benefaciat proximo; finis est, quia omnia præcepta ad ipsam ordinantur, & in sola charitate solidantur. Albertus Magnus assignat magnam quandam, quæ inter hoc & alia præcepta versatur, differentiam, dicens: Discretum est ab aliis in tribus, scilicet, quia unit omnia ut radix; quia implet alia, ut forma, & motor; & quia perficit alia, ut finis.

Mansi tr. 5. disc. 3. n. 3.

VI. Enimverò dubium quoddam hic subnascitur, quonam modo videlicet Deus nos amare potuerit, vermes adeò viles, adeóque Maiestati & Divinitati suæ dissimiles, sicut exaltantur cœli à terra, cùm tamen trita omnibusque vulgata regula sit, quòd similitudo est causa amoris. Responsio verò in promptu est, & facilis, quia *creavit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam*; Item *verbum caro factum est*; *Ecce Deus quasi unus ex nobis factus est*; At verò instare quis poterit, ex quo homo, ut S. Augustinus ait, ad similitudinem Dei creatus fuit, ut factorem suum pro similitudine diligat; simúlque nobis constet, quòd Deus à nobis

bis totum affectum nostrum sibi exposcat, absque eo quòd ille in alias simul creaturas dispergatur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua*; qua igitur ratione amoris nostri partem proximo impertiri poterimus, cùm ille totum sibi vendicet? Et ideò advertendum est, quod simul & indivisim connectat: *Et proximum tuum*; id quod per sequentem similitudinem declarare haud difficile erit; Si enim alicui millium scutorum debitor esses, is autem te illa Petro solvere iuberet, utique postquam summam prædictam Petro expedivisses, Creditor tuus sibi satis factum plenè esse, negare non posset, tametsi nummos ipse debitor alteri solvisses, quia iussu & ordinatione creditoris tui id fecisses; Idem ergo in præsenti nostro casu pariter militat. Nos etenim Deo magno amoris debito obstringimur, adeò ut ipsum ex toto corde nostro diligere teneamur, idem verò Deus hoc amoris debitum nos proximo nostro, quem tenerrimè diligit, adeò ut semetipsum in pretium, litrum, & redemptionem illius tradiderit, impendi & expediri iubet, dum ergo proximum diligis, nihil Deo de debito ipsius amore diminuis, aut subtrahis, quia amore illius & iussu eius proximum diligis.

S. Aug. tr. 65. in Ioa. VII. S. Augustinus verò optimè notat, amorem nostrum erga proximum minimè affectum esse debere eâ qualitate, quâ imbutus est amor, quo amamus amicos, parentes, filios, uxorem; & multò minùs eâ qualitate, cum qua simul etiam amamus adulteros, sed ordinandum esse ad finem, ad quem illum Deus ordinavit, nimirum ad salutem æternam: Ipsa est dilectio, inquit, ab omni mundana dilectione discreta, quam distinguendo addidit Dominus, sicut dilexi vos; quid enim nisi Deum dilexit in nobis, non quod habeamus sed quòd haberemus; Adducitq; Medici alicuius exemplum, qui infirmum diligere dicitur, quia ei desiderat & procurat salutem, non verò morbum diligit, sed potiùs illum extinguere satagit: Sic ergo & nos invicem diligamus, ut quantùm possumus, invicem ad habendum Deum curâ dilectionis attrahamus.

Author op. imperf. VIII. Spiritus S. binâ vice in forma visibili de cœlo descendit, & primâ quidem vice usus est elemento ignis, de quo Ecclesia canit; *Ignis, Charitas*, quia ignis est symbolum amoris: Alterâ autem vice in similitudine columbæ apparuit; In columbæ specie Spiritus Sanctus visus est. Porrò mysterium istud Author Imperfecti hisce verbis nobis declarat: Ideo Spiritus Sanctus speciem columbæ suscepit, quoniam præ omnibus animalibus hæc cultrix est charitatis; Qui idem Author demum docet, hypocritas omnes quidem virtutes, quibus veri servi Dei prædîti esse conspiciuntur, simulare valere, sed non charitatem aut proximorum dilectionem: Habet enim Diabolus & mansuetos, & humiles, habet castos, eleemosynarios, & ieiunos; Item, inquit idem Author, per experientiam videtur, quòd, quidquid boni fit à bonis, astutissimus inferni coluber per suos imitari contendat, ut bonos seducat: Ut inter bonum verum & simulatum falsum confusio fiat, ut simplices homines boni veri, & boni simulati intelligere differentiam cautè non possint. Tandem ad propositum nostrum concludit: Solam autem charitatem Sancti Spiritûs non potest immundus Spiritus imitari.

IX. S. Albertus Magnus verba illa exponens: *In hoc cognoscent omnes, quòd Discipuli mei estis &c.* hunc in modum scribit: Omnes Christi discipuli hoc signaculo cognoscuntur; Et in hoc signatum est Josuæ 2. Ubi dicitur, quòd signavit Raab domum & familiam suam omnibus Dei inimicis, ut cognosceretur per vittam coccineam, per fenestram domûs suæ pendentem; Vitta enim est charitas, quæ ligat, coccinea autem est per ruborem charitatis; De certitudine autem est; quòd sola charitas est signum certum salutis. Apostoli autem præfigurati fuerunt in exploratoribus, inquit Rabanus; Exploratores Apostoli; At verò scitisne causam, cur duo tantùm, & non plures fuerint emissi? Idem Rabanus hanc pandit, dum ait: Duo viri exploratores in duobus præceptis charitatis ambulantes. Unde Albertus Magnus (ubi suprà) concludit: Tantus quilibet in discipulatu Christi est, quanta est charitas sua. *S. Albert. Magn. in Ioan. 13.*

X. Moyses in Genesi, hoc est, in Historia Creationis Mundi, refert, Creatorem de rebus à se creatis dixisse: *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona*, cùm tamen paulò ante in aliarum substantiarum productione dixisset: *Vidit Deus quod esset bonum*; cur obsecro in approbatione cunctarum creaturarum simul sumptarum dixit: *& erant valdè bona?* S. Hieronymus aptè ad hoc respondet: Omne secundum Philosophos tantum habet bonitatis, quantum habet unitatis, propterea in exordio Mundi *vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona*. *Mansi tr. 5. disc. 6. n. 7.*

XI. Si homines, sicut Angeli, omnes simul & semel creati fuissent, vel unus independenter ab alio, dilectio, quam generatio & cognatio eiusdem sanguinis insinuare solet, ipsis adeò firmiter minimè impressa fuisset; nunc autem homo alium hominem generando, eidem pariter amorem infundit per viam similitudinis, & propagationis naturalis. Similiter Theodoretus ait: voluit Deus ex uno viro, & ex una muliere subsistere universalitatem hominum, ut in concordiam convenirent, tanquam ex una radice florentes. B. Laurentius Justinianus quoque hanc eandem rationem notavit, dum ait: Propterea Deus voluit unicum hominem primò formare, ex quo omnes procederent, ut tanquam fratres se amarent: non sic legitur factum esse in Angelis, & brutis. *Ibidem. n. 11.*

XII. Quando altissimæ diluvii aquæ deficere cœperunt: Prohibitæ sunt pluviæ de cœlo, Noë columbam de focis extra arcam emisit; Circa quod factum duo mihi quærenda occurrunt; Primò cur Noë, qui tot alias volucres intra Arcam reclusas habebat, post emissum corvum, hâc columbâ, tantoperè à corvi deformitate & rapacitate alienâ, uti voluerit? Secundò, cur columba *Ibidem disc 7. n. 5.*

columba isthæc inter tot arborum genera, solius olivæ ramusculum in ore suo deportârit? Portans ramum olivæ virentibus foliis in ore suo. S. Bruno in hac vasta arcæ mole omnes totius Mundi nationes & populos virtualiter reclusos fuisse dicit, quia ab octo illis hominibus tota humana progenies super terram propagari debebat; Columbam autem dicit figurâsse Spiritum Sanctum, qui hoc suæ Olivæ ramo, quem ore deferebat, quasi tacitus omnes totius universi Provincias & Regna monere voluisse videbatur, ut pacem & concordiam inter se mutuam omni studio conservarent, quibus tunc in illa columba Spiritus Sanctus quodammodò loquebatur, & dicere videbatur, pacem tenete, pacem diligite, sine qua nemo Deum videbit, & Deus pacis & dilectionis erit vobiscum? pauci quidem estis, sed res parvæ concordiâ crescunt, magnæ verò discordiâ dilabuntur. Oliva symbolum est pacis, & ideò hanc Deus tantoperè amavit, ut inter omnes alias arbores solam olivam in suo virore & vigore conservârit; Corvus quidem ante columbam ex arca dimissus fuerat, & tamen hic ramum hunc minimè secum attulit, quia avis hæc rapax & sanguinolenta est, & cadaveribus pascitur, & ideo homines significat contentiosos & discordes, cùm è contra columba avis pacifica & mansueta sit, quæ proinde amorem & dilectionem fraternam mutuam repræsentant, & hæc quidem olivam non intra pedum ungues, sed in ore suo attulisse dicitur: In ore suo virentibus foliis; Idque non sine peculiari mysterio factum est, quia, ut Sanctus Ambrosius notat: In ore non frustra ramus videtur esse delatus, eò quòd Justus in sermone suo habet charitatem, maximè cùm pacifica loquitur. Quod si enim pacis amicum ab homine contentioso dignoscere cupitis, advertere debetis, quonam modo quis loquatur de proximo suo; si enim in respondendo asper, amarus, pungitivus, & elatus fuerit, non columba, sed corvus erit. Oliva quoque in ore deferenda est, quia tunc nos proximos nostros diligere probabimus, si illos pro maiori ipsorum utilitate verbis charitativis, benignis & mansuetis correxerimus, si consilia ipsis salutaria suggesserimus, si eos in afflictionibus consolati fuerimus, & ubi opus fuerit, ea, quæ ad salutem necessariò scire debent, edocuerimus, benéque semper & honorificè locuti; Denique si illis non solùm linguâ & verbo, sed etiam opere ipso benefecerimus.

Ibidem n. 7. XIII. In Syon à Salomone templum, quod Ecclesiæ figura extitit, ædificatum fuit. In cuius typo advertendum est, quòd Deus ad illius fabricam erigendam Regem illum voluerit adhiberi, qui Salomonis, id est, Pacifici nomen sortiebatur; Præterea quod in machina quadam adeò vasta valdè stupendum fuit, Spiritus Sanctus signanter notavit, quòd malleus & securis, & omne ferramentum non sunt audita in domo, cùm ædificaretur; hæc autem omnia in figura contingebant; siquidem per hoc edocemur, quòd fideles, qui sunt lapides vivi, è quibus Jerosolyma cœlestis, id est, Ecclesia ædificatur, quæ construitur vivis ex lapidibus, nunquam ferrum, seu enses & gladios tractare debeant, sed potiùs satagere, ut charitatem, pacem & unionem mutuam fideliter diligant.

XIV. *Stetit Jesus in medio discipulorum suorum, & dixit eis: Pax vobis.* In quibus verbis singulariter ly *in medio*, ponderandum nobis venit, ex illis namque Didacus Stella egregiam, suóque ingenio dignam educit moralitatem. Postquam enim per S. Apostoli authoritatem Christum mediatorem nostrum demonstravit, pergit ulteriùs dicens: Quocirca debes animadvertere, quòd, si proximo iniuriam intuleris, aut manu eum percutis, priùs maxillam Christi ictus ferit, quàm maxillam proximi, ideoque nemo proximum offendit, & lædit, quin priùs Christum offendat. Paulò post verò idem Author efficax quoddam subiungit motivum, per quod inducamur, ut vindicativos in nobis spiritus reprimamus, Christúmque defensorem nostrum esse sinamus: Iram comprime, inquit, nec proximum offendas, quandoquidem Deum prius offendis: si verò tu iniuriâ fueris affectus, tace, Deus enim, qui prius iniuriam accepit, ipse vindicabit, cùm dicat: Mihi vindictam, & ego retribuam. *Ibidem disc. 6. n. 15.*

XV. Cardinalis Toletus ulterius progrediens, considerat, quòd universæ leges, quæ hactenùs à benè ordinatis Rebus publicis emanârunt, ad hunc quoque amorem reciprocum tendunt, omnes enim, sicut lineæ ad suum centrum, ita ad hoc dilectionis præceptum reducuntur: Revera enim omnis lex etiam civilis comprehenditur, quæ maximè in iustitiâ cum proximo servandâ consistit. Et verò per hanc occasionem Principibus insinuat, quantò ipsis pro quiete, & pace publicâ conservandâ auxilio sit lex Evangelica, utpotè quæ in substantia sua professoribus suis aliud nihil æque inculcat, firmitérque persuadet, quàm reciprocam charitatem & dilectionem. Cùm Principatus versentur in conservanda iustitia, & pace inter homines, malum omne prohibendo, quo se mutuò afficere solent. Evangelium perfectionem maximam adfert Principibus, quia præcipit & inducit charitatem proximorum mutuam, quæ plenitudo est omnium legum. *Toletus ad Rom.*

XVI. S. Job maximâ curâ angebatur, ut familiæ suæ innocentiam sartam tectam conservaret: *Cùm in orbem transissent dies convivii, mittebat ad eos Iob, & sanctificabat illos, dicebâtque: Ne fortè peccaverint filii mei.* Verùm dicat aliquis, quâ ratione S. Iob de puritate conscientiæ ipsorum benè sperare poterat, quando illi continuò epulabantur, & in conviviis erant potiùs quoad apparentiam externam, mala quævis suspicari de illis potuisset; siquidem conviviorum hilaria ut plurimùm solent ad malum esse valdè proclivia, & tamen, si Chrysostomo credimus, inimicus infernalis, qui unionem & dilectionem fraternam & reciprocam ferre nequit, eisdem convivantibus iratus, muros domûs subversos super illos corruere fecit: Observavit, tali eos tempore necare (quo nullatenus peccaverunt) quo, cum omnes simul læti erant, cùm *S. Chrysost. hom. de Iob.*

ctum ad pacem coniungebantur. Instituantur licèt convivia, sint homines iucundi, hilares, & facetâ conversatione, cunctisque aliis recreationibus animum serenent, dummodò convivia illa & recreationes dilectione condita, & per charitatis legem benè regulatæ sint, nulla in iis offensa Dei subesse poterit; *quia qui diligit proximum, legem implevit; Et dilectio proximi, malum non operatur.*

S. Aug. in epist. ad Gal. l. 2. XVII. S. Augustinus illa verba S. Pauli considerans: *Qui diligit proximum, legem implevit,* eademque cum aliis conferens, quæ idem Apostolus scripsit ad Galatas, nimirum: *Omnis lex &c.* sequens movet dubium, dicens: cùm in duobus præceptis dilectionis Dei & proximi perfecta sit charitas, cur Apostolus & in hac & in illa epistola solam proximi dilectionem commemorat, nisi quia in dilectione Dei possunt mentiri homines, quia rariores tentationes eam probant; in dilectione autem proximi faciliùs convincuntur, eam non habere, dum iniqua cum hominibus agunt. Ergo is, qui non diligit proximum, omnium legum prævaricator esse convincitur, & idem evidens quoque argumentum est, quod neque diligat Deum.

Abbas Cell. l. c. de tabernac. XVIII. Cherubini templi Salomonis ad utrumque propitiatorii latus constituti, expansis alis suis, & conversis ad se invicem vultibus sese mutuò aspiciebant: Duos Cherubim aureos, & productiles facies ex utrâque parte oraculi, Cherub unus sit in latere uno, & alter in altero, utrumque latus propitiatorii tegant expandentes alas & operientes oraculum; respiciantque se mutuò versis vultibus in propitiatorium. Advertendum enim est, quòd uno eodémque tempore se se invicem vicissim respexerint, concussisque alis reciproci in se amoris ignem accenderint, ita tamen, quòd oculos habere debuerint in propitiatorium directos, ad denotandum, quòd mediante igne amoris divini, alius quoque in nobis fraternæ dilectionis ignis accendatur. Unde Abbas Cellensis ait: Non vertunt vultus in propitiatorium, qui sese mutuò non respiciunt, *quia qui proximum, quem videt, non diligit, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere?* In mutuo respectu fraterna dilectio, in verso vultu in propitiatorium, humilis reverentia ad Creatorem nostrum intelligitur. Aliam eiusdem rei rationem B. Laurentius Iustinianus adfert, nimirum connexionem necessariam, quam dilectio proximi habet cum dilectione Dei: Notandum autem est, inquit, quòd nequaquam proximum rectè potest diligere, qui priùs Deum veraciter non diligit, amore Dei firmata esse debet dilectio proximi, nec hominem rectè diligere novit, quisquis eum rectè non diligit, qui hominem fecit.

B. Laur. Iust. in fascic. amor. c. 1. XIX. D. Laurentius Justinianus dicit, quòd iuxta mensuram charitatis, quâ proximum diligimus, amoris, quo Deum prosequimur, intensio agnoscatur: Stateram quandam spiritualem divini amoris, proximi voluit esse dilectionem. Scripturam Sacram quaqua versùm, obsecro, pervolvatis, sic enim utique invenietis, quòd Deus maiorem curam habeat, ut proximos nostros diligamus, quàm ut amemus Deum ipsum; Non quòd & ipse cor nostrum possideret, sed quòd ex proximorum dilectione, ea, quâ ipsum amamus, mensurari & agnosci soleat.

XX. Deus olim cuncta Sacrificia sale conspergi præcipit: *Quidquid obtuleris, Sacrificii sale condies*, idque mandavit non pro meliori carnium illarum sapore & condimento (*Nunquid manducabo carnes taurorum*) sed propter mysterium, ad denotandum videlicèt, quòd nullum opus nostrum illi acceptum sit, nisi illud à corde & voluntate, dilectione & amore erga Deum & proximum accensa processerit; Sal etenim ex duobus elementis inter se contrariis, aquâ nimirum & igne, in nostrum tamen commodum & obsequium simul unitis & concordibus componitur. *Habete in vobis sal, & pacem habete inter vos.* *Mansi disc. 7. n. 10.*

XXI. De S. Josepho, qui Dei honorem, fratrúmque suorum salutem magno cum zelo prosecutus fuit, sacer Textus ait: *Accusavit fratres suos apud Patrem crimine pessimo.* Porrò inter sacros expositores non satis convenit, in quonam hæc accusatio præcipuè steterit? Aliqui enim per crimen pessimum, crimen nefandum; alii bestialitatem, alii prolatam adversùs proprium suum genitorem detractionem intelligunt; Pererius verò per crimen illud pessimum, sæpiùs inter ipsos obortas rixas & dissensiones intelligit; cui consonat Glossa interlinealis dicens, quod est fraternum odium. Hebræus loco illius, crimine pessimo, ita legit: *& retulit Patri rixam eorum pessimam.* Unde subiungit Pererius, id ipsum benè consonare cum illo, quod sacer Chronista suprà retulerat, scilicet filios Liæ contempsisse illos, qui ex ancilla nati fuerant, unde discordiæ & dissensiones inter ipsos procedebant: Istud in translatione nostra vocatur crimen pessimum, quia sicut fraterna charitas quid optimum dicitur, ita è contrario odium fraternum crimen pessimum nominatur. *Idem disc. 10. n. 11.*

Actus Correctionis.

XXII. Macrobius Aurelius l. 6. Saturnal. c. 3. ait: aqua dulcis magìs idonea est, quàm salsa, eluendis maculis. Rationem dicti ex Aristotele fusam ibi assignat Disarius. Tantundem ego de maculis, & culpis proximorum affirmo, ut aquam dulcem suavioris reprehensionis adhibeamus, si emendare eas volumus, non aspera verba salsæ, & mordacioris increpationis Argue mansuetè, & affabiliter, & videbis quantum fructum facies. Remissiùs imperanti, faciliùs paretur. Naturâ contumax est humanus animus, & in contrarium, atque arduum nitens, sequitur faciliùs, quàm ducitur, aiebat bonus Seneca de clement. c. 24. *Nyssenus p. 1 Fer. 2. post 1. Dom. Quadrag. §. 1.*

XXIII. S. Petrus Damianus quærit, quid mysterii habeat, quòd Eliseus, quando cum virga, aut baculo misit discipulum suum Giezi, non revocavit in vitam piæ hospitis suæ filium: *Giezi posuit baculum super faciem pueri, & non erat vox, neque sensus, 4. Reg. 4. 31.* Præcurrit Gezi, *Ibidem.*

Giezi, ut resuscitaret puerum, cúmque omnia frustra à se tentata cerneret, reversus in occursum Magistri sui, inquit: Non surrexit puer. Baculum illi, sed nullo commodo imposui, mors enim illum hactenus pertinax attinet. Ingressus itaque Eliseus cubile, in quo exanimis puer iacebat, claudénsque post se ostium, posuit os suum super os eius, & oculos eius super oculos eius, & manus suas super manus eius, & incuruavit se super eum, & calefacta est caro pueri. Percontatur nunc S. Petrus Damianus, quare non æquè Giezi, ac Elisæus redanimavit puerum? Respondet. Vide, quid quisque egit, ut resuscitaret, atque inde accipies, quare unus præ alio mortem depulerit. Giezi posuit baculum super faciem pueri, baculo velut durè illum excepit: At Eliseus posuit os suum super os eius, ac blandiusculè illum habuit, & quid inde? calefacta est caro pueri, & revixit. Quare significatum fuit, ut, si ab animæ morte revocare proximos, si correptione reddere iis vitam, si Deo lucrari, si à malo statu reducere volumus, blandâ manu eos contingamus, cum suavitate & charitate, non acerbè, non morosè obiurgemus: Quem terroris virga suscitare non potuit, per amoris Spiritum puer ad vitam rediit, inquit Sanctissimus Cardinalis opusc. 12. c. 28.

Ibidem. XXIV. Tanta autem adhiberi debet lenitas & suavitas, tantúmque piæ correptionis artificium, quò illa optatum fructum referat, ut, si capere, & constringere, Deóque venari fratrem tuum velis, industrios venatores imitari, & pro more illorum, animalis, quod captum cupis, colorem induere debeas, hoc est, cum peccatore peccatorem, imbecillem cum imbecilli, cum tristi tristem præferre, sic nimirum, quæ voles, feliciter sub manus ibunt.

Indumenta, quibus Ioannes utebatur, cùm in eremo prædicans animarum lucris inhiabat, sic Matthæus delineat c. 3. *Ioannes habebat vestimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos suos.* Atque ita vestitus clamabat in deserto, magnísque vocibus ad agendam pœnitentiam omnes cohortabatur.

Quæri potest, cur Ioannes ut pœnitentiam prædicaret, & peccatores attraheret, tam informis animalis pellem, tam distorti simul ac turpis bruti exuviis vestiri voluerit, quem magis albus è candidiore mustela amictus decuisse videtur. Sacer Ravennatum Archiepiscopus D. Petr. Chrysol. serm. 170. respondet aptè dicens: Accepit tortuosissimi pilos animantis, nihil habentis recti, nihil gratiæ, nihil decoris. Tali pœnitentiæ Magister indui debet vestimento, ut peccatores à vitiis abstractos Deo attrahat, nec enim aliud est artificium, quo capere, ac venari faciliùs illos possis, quàm si miserias illorum induas, imbecillitatésque eorum ipse præferas.

Idem Dom. 5. post. pasch. §. 1. XXV. Constituebat Christus Petrum, & Andream prædicatores Mundi, simul autem & illos, & omnes, quotquot idem sacrum munus exerciturі erant, piscatores hominum futuros dicebat, inquiens: *Venite post me, faciam vos piscatores hominum*; Matth. 4. 19.

Hinc scrupus enascitur, quare Christus illos titulo Doctorum, & Ministrorum insignire voluerit potiùs sub metaphorâ piscatorum, quàm sub aliorum quorumcunque artificum similitudine?

S. Dorotheus doct. 6. in piscatoria arte aliquid observavit, quod movere potuit, ut piscatores hominum facere velle diceret, quos Doctores illorum constituere certum habebat: Cùm piscem ullum immensum hamo iacto ceperint, inquit ille, ubi illum fluctus miscere, & magna vi concuti sentiunt, non eum subitò ad litus trahunt cum molestia, sed callidè funem illi remittunt, sinúntque molliter enatare, quò voluerit, at, ubi cognoverint remissam iram, sensim illum incipiunt trahere, sicque capto potiuntur. Hoc est, quod à piscatoribus discere prædicatores debent, ut magna utantur cautione, & industria, cùm educere ab aquis peccatorum quempiam volunt, quando is hamum correptionis hausit, ne illum perterrefaciant, ne minaciis percellant, sed blandè suavitérque adducant, temporísque omnes articulos observent, ut, quem destinato operi opportunissimum fore putârint, eo illum ex undis vitiorum ad emendationis litus attrahant. Viri Sancti, inquit iterum Dorotheus, cum patientia & charitate fratrem trahunt, néque ipsum calcibus appetunt, sed veluti mater, quæ deformem filium peperit, non eum spernit, quia deformis est, sed materno amore & mansuetudine ornatum reddit, & quicquid gratum noverit, facit; ita illi peccatorem semper suscipiunt, ornant, tuentur, protegunt, ut tandem eum revocent, & erigant.

XXVI. Commisit David duo illa tam gravia, quàm notoria flagitia, & quia Deus rebus illum magnis servabat, eiúsque exemplo spem aliorum, qui similia perpetraturi erant, erigere volebat, misit Dominus Nathan ad David. 2. Reg. 12. 1. qui illum de malefactis obiurgaret. *Ibidem.* Dubitârunt nonnulli, quantum temporis intercesserit inter horam, quâ peccavit David, & eam, quâ de sceleribus suis commonefactus à Nathan fuit, quod Sacer Scriptor dissimulâsse videtur. Eusebius Cæsariensis apud Danielem Barbarum in Catena super ps. 50. ait, totum annum effluxisse, antequàm venerit monitor. Sed cur Deus tamdiu cunctatus fuit, ut Davidi reprehensorem vatem submitteret? Nonne satiùs factum, si recenti adhuc vulneri cataplasma impositum, & quam primùm natæ infirmitati medicina adhibita fuisset? Eusebius, quem dixi, aliter sentit, ob eam causam, quòd primi à commisso peccato dies nondum essent opportuni, adhibendæ medicinæ, aut curando ægro, cuius in corde peccatum per id tempus, non secùs ac in dolio mustum efferuescebat, adeò non hæsisset vulneri emplastrum.

Huc facit illud Dionis Cassii de agricultura l. 7. c. 15. Illud in omnibus vinis peculiariter observandum est, ut iam sedatis ipsis conditurам faciamus, quæ si tum curare velis, cùm æstuant,

ctuant, sursumque ac deorsum convolvuntur, frustra condimentum adhibueris. Ea propter providentissimè Dominus exspectavit, donec animus Davidis discusso nubilo serenatus, sibique redditus fuisset, ut optatum sortiri medicina effectum, atque in vulneris intima penetrare efficacitas emplastri posset. Deus, nimirùm, ut scribebat Abulensis q. 5. in c. 9. Iudicum, pro sua benignitate non solùm miseretur nobis, sed etiam fecit nos dignos misericordiâ inquirens tempus, in quo misereatur secundùm illud Isaiæ 30. 18. *exspectat Dominus, ut misereatur vestri.* Cum Davide sanè sic egit, exspectans tempus opportunum curationi, quo providebat salutarem fore Medicinam, quam paratam habebat, tempus, inquam, quo illum correptioni aptum, & ad eam recipiendam commodè dispositum prospiciebat. Docuit eo exemplo omnes, qui aliorum emendationi dare operam volunt, quo artificio, & astu ad hanc rem uti debeant, ut prosit reprehensio, & non magis exasperet vulnus medicina.

Ibidem. XXVII. Quærit Beatissimus P. Gregorius, cur Nathan tam densis obscuræ parabolæ involucris contegere voluerit, quæ Davidi, ut sceleris sui illum admoneret, dicturus erat, neque apertis verbis in os illum obiurgârit de peccato, quod iam ante nimis quàm pervulgatum erat. Respondet autem his tam disertis verbis: Vir Sanctus, & peccatorem considerans, & Regem, miro ordine audacem reum priùs per confessionem ligare studuit, & postmodùm per invectionem secare, celavit paululum, quòd quæsivit, sed percussit repentè, quem tenuit, pigriùs enim fortasse incideret, si ab ipso sermonis exordio apertè culpâ ferire voluisset, sed præmissâ similitudine eam, quam occultabat, exacuit increpationem. Ad ægrum Medicus venerat, secandum vulnus videbat, sed de patientiâ ægri dubitabat. Abscondit ergò ferrum medicinale sub veste, quod eductum subitò fixit in vulnere, ut secantem gladium sentiret æger, antequam cerneret, ne, si ante cerneret, sentire recusaret. Hæc ille in lib. curæ pastoral. p. 3. admon. 4. Nonne videtis, quâ solertiâ hîc opus, & quantam sedulitatem res ista postulet, & quàm attentum, circumspectùmque esse oporteat, ut bonæ occasionis optimam rationem habeat, qui alios redarguturus est, ne, si fortè intempestivus adveniat, corrumpat eum, quem corripere & emendare cupiebat. O quantum artis, & industriæ, rectè corripiendorum aliorum officium exposcit! Ut enim crudum adhuc vulnus medentium manus reformidat, deinde patitur, atque ultrò requirit, sic recens animi dolor consolationes reiicit, mox desiderat, & clementer admotis adquiescit, inquiebat Plinius l. 5. epist. 16. sic verè nova animæ plaga curam omnem respuit, sed postquam inde subsecuta perturbatio subsidit, non admittit solùm, verùm expetit etiam medicinam. Quare prudentissimè facit, qui temporis opportunitatem cautè, diligentérque observat, per quam sæpè fit, ut antidotum ab exoccupato iam ægro non ægrè suscipiatur, neque admodùm vel sentiatur, vel curetur, tametsi fortè acerbiùs asperiùsque exspectatione illius, malagma fuerit.

TITULUS XXV.

EBRIETAS.

§. I.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Fuga.

S. Aug. ser. 191. de temp.  I. Lludante omnia rogo, & per tremendum diem iudicii vos adiuro, ut illam fœdam consuetudinem, per quam grandi mensurâ sine mensura tres homines, aut volentes, aut inviti solebant bibere, tanquàm venenum Diaboli de vestris conviviis respuatis.

Damnum.

S. Laur. Inst. de Spirit. animæ interitu l. 2. II. Per hanc natura corrumpitur, libidinis nutriuntur incendia, subvertitur ratio, scelera panduntur, homicidia fiunt, proferuntur stultiloquia, detractiones & verba scurrilia; hebetatur mens, maturitas relaxatur, lætitia inepta dissolvit, immunditia polluit.

III. Omne bonum Spirituale dissipant ebriosi, quia ebrietas est mors omnium virtutum & morum. Ebrietate fit iactura omnium bonorum. Si habeat homo humilitatem, mansuetudinem, prudentiam, & cætera huiusmodi, omnia proiicit in pelagus iniquitatis, & sicut ebriosi sæpè vestibus suis materialibus spoliantur, sic eorum animæ virtutibus denudantur. *Bellovac. spec. moral. l. 3 p. 8. dist. 1.*

IV. Quæ est hominis structura adeò firma, quæ tantis ebrietatis malis resistat? quis unquam madidum semper, & innatans vino corpus conservavit, ut non exile, dissolutum, & omnibus obnoxium morbis existat? *S. Basil. apud Mansi disc. 19. n. 3.*

V. Mel est, quod ascendit in labia; fel est, quod descendit in viscera. *S. Laur. Inst. c. 12. de humil.*

VI. An non videtis quotidie ex sumptuosis mensis, & immodica ingluvia, infinita morborum genera induci? Unde podagræ? unde capitis dolores? unde corruptorum humorum abundantia? unde innumeri alii morbi? nonnè ab *S. Chrysost. hom. 10. in Gen.*

ab intemperantia & largiore vini ingurgitatione, quàm oportet?

Idem contra ebrietatem. VII. Ebrietas spontaneus est furor, perditio cogitationum, ridicula calamitas, morbus sanis expositus, voluntarius dæmon, & ipsâ molestior insaniâ.

VIII. Dæmoniaco ebrius est deterior; miseremur eius, qui à dæmonio vexatur, hunc odio prosequimur; illi enim iniuria, huic negligentia est morbus. Nec aliter affectus est ebrius, quàm dæmoniacus: pariter circumagitur: pariter de statu mentis deiectus est: pariter concidit: pariter oculos contorquet: pariter iacens in terra pedes iactat: spumam ex ore proiicit, & ita fœtentem salivam ex halat. Iniucundus est talis amicis, ridiculus inimicis, contemptibilis servis, uxori ingratus, omnibus molestus, ipsis bestiis asperior. Bestiæ bibunt, dum sitiunt. Hic intemperantiâ cupiditatem transilit, & ratione carentibus à ratione alienior apparet. Verùm illud multò intolerabilius est, quòd morbus tot malis redundans, tótque secum invehens calamitates, ne quidem crimen censetur, sed in divitum mensis huius turpitudinis gratiâ pugna fit atque certamen. Et videre est stadium, certamenque diabolicum. Ebrius mortuis miserior est; ille enim sensu destitutus est, nec ad bona nec ad mala potest excitari, hic verò ad mala exequenda promptus est, & anima in corpore ceu in monumento defossa, mortuum corpus circumfert. Nemo, qui vino inebriatur, divinorum esse cupidus eloquiorum potest.

§. II.

EXEMPLA SACRA.

Damnum.

S. Greg. Turon. l. 8. hist. Franc. c. 34. I. S. Gregorius Turonensis de Presbytero quodam refert, cui nomen Binocus Brito erat; Hic cùm vir abstinentissimus esset, herbis vivebat silvestribus minimè coctis, vinum verò cum tanta temperantia sumebat, ut magis putaretur libare osculo, quàm haurire. Accidit autem, ut, dum ex magna devotorum concurrentium multitudine, ut se eius intercessionibus recommendarent, quidam eorum multa ei offerebant munera, & inter alia quoque vinum, unde paulatim à cœpto piè vivendi modo declinavit: Didicit extra modum haurire, & in tantum dissolvi, ut plerúmque ebrius cerneretur: Unde factum est, ut invalescente temulentiâ, tempore præcedente à dæmone correptus vexaretur in tantùm, ut accepto cultro (vel quodcúnque teli genus, aut lapidem, aut fustem potuisset arripere) post homines insano furore discurreret. Unde necessum fuit, Presbyterum arreptitium vinculis & catenis constrictum in eius cella coërcere.

Pratum floridum l. 2. c. 86. II. Quadam vice in Conventu Bononiensi S. Dominici Conversus quidam fuit à Spiritu maligno possessus; cui cùm Fratres indicassent, S. Dominicum in Ecclesia orationi operam dare, illuc accurrit, cúmque Sanctus vir Dei dæmonem de sua præsumptione redarguisset, is se excusando respondit, Conversum hunc statum optimè fuisse commeritum, eò quòd pridianâ die in civitate sine licentia vinum biberit, ac proinde in eodem potationis actu corpus eius Dei permissione ingressus fuerit.

III. Bellovacensis de artifice quodam refert: *Bellov. p. 8. l. 3. dist. 3. spec. mor.* Qui in certo quodam illorum Monachorum monasterio laborabat, cuius V. Beda de gestis Anglorum mentionem facit. Hic igitur diebus festivis potiùs crapulis & ebrietatibus vacabat, quàm ut operam suam divino cultui, & animæ saluti impenderet; cùm verò infirmatus morti proximus esset, pios Monasterii illius Religiosos ad se accersivit, iisque salutem suam desperatam esse dixit, addiditque, quod viderat infernum apertum, & Satanam in profundum mersum cum Caipha, & cæteris crucifixoribus Domini æterno incendio traditum, in quorum infimis viderat sibi locum deputatum. Cui cùm dicti Religiosi cum ingenti Spiritûs fervore promitterent veniam, dummodo ipse pœnitens, veræ compunctionis actus in se excitaret; infirmus hâc promissione spretâ respondit, quòd videbat instare iudicium, nec esse sibi ultrà spem salutis, & hæc dicens exspiravit, sine viatico, & aliis signis salutis. Unde ab aliis separatim sepultus fuit, nec quisquam pro animâ ipsius Sacrificium Deo offerre præsumpsit.

IV. Terribile factum quoddam à Martino Delrio, & ab aliis Scriptoribus classicis refertur, *Mart. Delrio lib. 3. de Magic. p. 1. q. 7.* videlicet quòd in Comitatu Flandriæ in quodam prioratu, ubi tres morabantur homines, de nulla alia re, quàm de cibo, potu, & fornicationibus cogitantes; quorum unus vesperi finitâ mensâ aliis dixit: Sat Baccho, libidinique datum, Deo gratias agamus, ubi alter respondit: Ego dæmoni gratias ago, & agendum censeo, cuius opus agimus; his dictis singuli lectum petierunt, singulas secum impudicas ducentes fœminas, cúmque vix se vestibus exuissent, comparuit dæmon, portam aperiens, & habitum venatoris aspectúmque præ se ferens horribilem, cum duobus aliis minoris staturæ, qui coci esse videbantur, ingressus est, torvóque vultu quaqua versum respiciens voce horribili exclamavit: Ubi est, qui mihi gratias egit? adsum, referam. Ad quæ verba temerarius exhorruit, & tantùm non mortuus est. Dæmon verò illum è lecto extractum subitò astantium cocorum consignavit manibus, ut eundem veru infixum ad ignem ibidem accensum torrerent: Assatur infelix, inquit Author, emoritur planissimè; alii autem cadaver hoc ad ipsorum exemplum tostum videntes, & fœtorem intolerabilem percipientes longè ampliùs inhorruerunt, quibus Diabolus, priusquàm discederet, inquit: Digni vos etiam estis pari supplicio, nec deest voluntas mihi; vetor vi maiori, invitus abeo, & moneo, resipiscite, aut manent terribiliora.

V. Citatus Bellovacensis de quibusdam Monachis refert, quòd cùm ad Sultanum, ut eum *Bellovac.* per prædicationem & doctrinas suas ad fidem nostram converterent, profecti essent; hic illos circa

circa abstinentiam à Lege nostra Evangelica præscriptam interrogavit, an videlicet carnem manducarent, & à mulieribus abstinerent; quibus affirmativè respondentibus iterum interrogavit, num abstemii essent? Qui se à vino bibendo non abstinere responderunt; quô auditô magna cum honorificentia eosdem excepit, & lautissimum convivium, sine tamen vini potu instaurari fecit; nocte vero sequenti cùm ad lectum, quietis captantæ causâ, concessissent, impudicas quasdam fœminas ad eosdem immisit, quæ eos tentarent, at ipsi constantes permanentes easdem generosè repulerunt: Post aliquantulum tempus cùm abstinuissent à vino, fecit eis propinari vinum fortissimum, illi autem, qui à vino diu abstinuerant, avidiùs biberunt, non temperantes ut oportuisset, & cùm essent inebriati & quasi consopiti, misit ad eos dictas mulieres, quibus sollicitantibus absorpti à vino consenserunt. Verèque tunc in iis adimpleta fuit illa Ecclesiastici sententia: *Vinum & mulieres, apostatare faciunt sapientes, & arguent sensatos.*

Merckant. in Hort. Past. sub. Sacerdot. Lass.

VI. Auctor quidam modernus, refert ex plurium aliorum historicorum testimoniis sequens factum, quod in quodam Germaniæ castello Anno 1580. 24. Iulii contigit; Neckershovii enim duo impii hospitium ingressi vinum postulàrunt, quod quidem illis datum est, non tamen adeò generosum, quale postea petierunt, & impetrarunt, quô acceptô, petulanter se mutuò ad haustus faciendos invitàrunt, quod cùm diu continuâssent unus illorum ex vino incalescens, Sodali suo dixit: Cui nunc bibam? Respondit alter; bibe Deo, videbis, quid responsurus sit; vitrum arripit miser, & his verbis Deum compellat: O Deus audi me, tibi de pleno scypho propino; & nisi rationem feceris, iniuriam mihi feceris. Hinc socium interrogans, quod Deo vinum propinare deberet, quia duplicis sortis vinum habebant, communique consensu debilius electum fuit, dicendo: Hoc Deo sufficere posse, scyphum itaque elevans ait: Tibi O Deus. Miror, an reperies bonum? si hoc anno illud melius effecisses, melius bibisses, his prolatis confestim irriguit, immobilis factus, sine sensu, respirationis quoque & loquelæ impotens. Socius eô prodigiô deterritus, fugit, alii eo in loco tunc præsentes amovere conati sunt, sed frustra. Quare funibus eum ligarunt, quibus tres admoti equi, ut eum loco dimoverent, sed ne ad unicum quidem passum protrahi potuit; hinc Magistratus, ut accensus circa eum ad comburendum ignis exstrueretur, præcepit; sed neque hic quidquam in reo operatus fuit, sicque multo tempore ibi stetit immobilis, non loquens, neque bibens, neque manducans, ut omnes agnoscerent iudicium Dei.

Bellov. l. c.

VII. In historia Caroli legitur, quòd cùm Franci essent insuperabiles à Saracenis, & semper eos vincerent, duo Reges Saracenorum promittentes, quòd baptizarentur, miserunt eis vinum fortissimum, & mulieres Saracenas; quorum multi inebriati, & victi à vino; inciderunt in fornicationem, & victi sunt, & occisi à Saracenis; victi inquam Spiritualiter, & postea corporaliter.

S. Greg. l. 4. Dial.

VIII. Quidam Curialis in Valeriana Provincia Sanctissimo Paschali Sabbato iuvenculam cuiusdam filiam in baptismate suscepit. Qui post ieiunium domum reversus, multóque vino inebriatus, eandem filiolam suam secum manere petiit, eámque nocte illa (quod dictu nefas est) perdidit. Cùmque manè facto surrexisset, reus cogitare cœpit, ut ad balneum pergeret, ac si aqua balnei lavaret maculam peccati: Perrexit igitur, lavit, cœpitque trepidè Ecclesiam ingredi. Sed si tanto die ad Ecclesiam non iret, erubescebat homines: si verò iret, pertimescebat iudicium Dei. Vicit itaque humana verecundia, perrexit ad Ecclesiam, sed tremebundus ac pavens stare cœpit, atque per singula momenta suspectus, quâ horâ immundo Spiritui traderetur, & coram omni populo vexaretur. Cùmque vehementer timeret, ei in illa Missarum celebritate quasi adversi nihil contigit. Qui lætus exivit, & die altero Ecclesiam iam securiùs intravit. Factúmque est, ut per sex continuos dies lætus ac securus procederet, æstimans, quòd eius scelus Dominus aut non vidisset, aut visum misericorditer dimisisset. Die autem septimo subitâ morte defunctus est. Cùmque sepulturæ traditus fuisset, per longum tempus videntibus cunctis, de sepulchro eius flamma exivit, & tamdiu ossa eius concremavit, quousque omne sepulchrum consumeret, & terra, quæ in tumulo collecta fuerat, defossa videretur. Quòd videlicet omnipotens Deus faciens, ostendit, quid eius anima in occulto pertulit, cuius & corpus ante humanos oculos flamma consumpsit. Quâ in re nobis quoque audientibus hoc exemplum formidinis dare dignatus est, quid anima vivens ac sentiens pro reatu suo patitur, si tanto ignis supplicio etiam insensibilia ossa concremantur.

Specul. Exempl. v. Ebrietas. exempl. 3.

IX. Sacerdos quidam impudicus ebrietati & luxuriæ deditus, miserrimè de hoc Sæculo migravit, cuius corpore in cæterórum sepulto barathro Sacerdotum, ut eius punitio cunctis innotesceret ad exemplum, subsequenti nocte tantus in Ecclesia eiusdem cœmiterii fuit strepitus, quòd rumore nimio in illa commorantes, excitati pavore ingenti, velut amentes ad Ecclesiam cucurrerunt. Stant itaque omnes circa Ecclesiam, strepitus vehementes, campanarúmque sonitus audientes, sed minimè quid videntes, divinam exorant clementiam, quatenus, cur ista fiant, debeat revelare, sed nullum exauditionis sentiunt adiuvamen. Diluculo hoc cessante, cuncta, quæ fuerant in Ecclesia, reperiuntur revoluta, & quasi undique flammis ignium violata. Ad hoc eiusdem civitatis, scilicet Candiæ, Pontifex orationes indicens populo, quid sequenti nocte eveniat, præcepit exspectari. Ne nimiis succumbam verbis, sequenti nocte duplex strepitus & pavoris tribulatio est secuta: qua de re repletus populus amaritu-

ritudine & dolore, cernens nullum sibi à Domino adiutorium evenire, sicut vulnerati (qui in monumentis proiecti dormiunt) existebat. Die autem elucescente, omnibus in Ecclesia pro orationibus congregatis, gloriosus Hieronymus subitò septies sole splendidior, in Ecclesiam veniens, ad altaréque gradiens cunctis videntibus, & mirantibus, per horam fortè sub silentio permanens, obstupenti populo, hæc propter Sacerdotis illius miserrimi cadaver, sacris indignè locis conditum ad terrorem peccantium contigisse intimavit, mandans, ut cadaver miserum tartareis post resurrectionem omnium mansionibus deputandum, dissepultum flammis traderent protinus concremandum, alioquin incepta pestilentia non abiret; & sic ab intuentium oculis est invisus. Quod ut ordinârat, lætabundus populus protinus adimplevit, Deo & beato Hieronymo laudes præcipuas persolvendo, & sic pestis posteà cessavit.

Fuga.

Idem in lib. contra propin. X. Joannes Comes à Schvvarzenberg præter varia opuscula, quæ ex Cicerone in linguam Germanicam transtulit, & alia, è quibus etiam quædam proprio Marte vulgavit, unus est, quem contra propinationes & propinatores edidit, quod vitium seu consuetudinem ipse vocavit **Das Haubt-Laster deß zutrinckens**, & non tantùm calamo ac verbis insectatus, & abolere conatus est, sed ipse etiam reipsa fugit, & alios ad idem inducere laboravit. Fuit quidem, dum iunior in aula Principis esset, temulentiæ & lusui deditus, ut pater eius Sigismundus à Schvvarzenberg, in Hohenlandsperg, eum à Rheno in Franconiam, domum revocaret, serióque ei comminatus esset, & nisi ab ea ingluvie desisteret, se velle illum exheredare, ac potiùs bona sua lupanari relicturum, quàm filio tam malè morato. Quæ commonitio ita Joannem commovit ac emendavit, ut polliceretur, se plus annuatim æris non insumpturum, quàm ipsi pater assignaret: Nec in diem unum plus quàm florenum Rhenensem lusui impensurum: Propinationes autem omnes omninò prætermissurum, id postea in omnem vitam diligenter ac perpetuò præstitit: ac præsertim propinare, nec ipse unquàm exin visus est, aut propinanti cuicunque respondere. Dicere solebat, malle se videre filios honestâ morte ab hoste occisos, quàm præ ebrietate sui ac pedum impotes ad se deferri. Hinc & ipsos & nepotes continuò sobrietatis admonebat.

§. III.

SIMILITUDINES.

Damnum.

Bellovac. spec. l. 3. p. 4. dist. 3. I. Sicut navis, cùm Gubernator dormit, & anchora amissa est, ducitur & circumfertur à quolibet flatu venti, sic mens ebrii, cuius ratio consopita est, & sine anchora timoris Dei, de facili ducitur ad omne peccatum levi flatu tentationis.

S. Bonav. Diæt. salut. tit. 1. c. 4. II. Sicut sessor ducit equum, quocunque voluerit, postquàm ipsum infrænavit; sic gula ducit gulosum ad omne peccatum, ex quo homo vitio gulæ infrænari se permittit; Ideò in psalm. 31. dicitur: *in camo & fræno maxillas eorum constringet.*

Bellov. l. c. III. Sicut rusticus capit ursos, liniens ramos arboris melle, & cùm gradatim ursus ascendit per ramos arboris, credens attingere ad examen, & favum, quem credit invenire in arbore, subitò cadens, capitur in fovea, quam rusticus subitò paravit. Sic gulosus delectationem quærit per diversa fercula, quibus repletus, incidit in foveam Diaboli, id est, in infernum.

Mansi. ... n. 6. IV. Sicut castri custode interempto, facilè illud occupatur; sic est in animæ arce, cuius custodia rationi est concredita, quæ si iacet sepulta, iam omnibus vitiis redditur pervia.

Bellovac. ... c. dist. 3. V. Sicut in pergameno pingui, & humido non formatur, vel imprimitur benè littera, quia diffunditur, nec retinet debitam impressuram, sed in sicco & tenui benè imprimitur, & retinetur; Sic homo imbutus deliciis, non benè retinet sapientiam, quæ, ut dicitur Iob. 28. non invenitur in terra suaviter viventium.

§. IV.

MOTIVA.

S. Basilius hom. 1. de laud. ieiun. I. Quia *morborum gravium causa est*; uti S. Basilius indicavit dicens: famulus profugit ab hero verberante, tu verò non recedis à vino, quod quotidiè contundit caput tuum? modus utendi vino optimus est, corporis necessitas. Cùm fines prætergredieris, postridie venies capitis gravedine affectus, oscitans, vertigine laborans, putrefactum obolens vinum.

Eccli. c. 37. S. Pet. Dam. L. ... epist. 15. II. *Quia vitam abbreviat*; nam *propter crapulam multi obierunt*, teste Siracide; cùm tamen à sæculi origine si repetamus, Mundus hic usque ad sexcentesimum tertium Noë annum, prorsus vinum ignorâsse cognoscitur, cùm per tot curricula temporum obiisse quidem, sed nullus hominum ægrotâsse legatur. Hinc meritò S. Cyrillus sic hortatur: Audistis edictum Regis æterni, & lamentabilem finem ebrietatis vel crapulæ didicistis. Si quis vobis peritus & sapiens Medicus his ipsis verbis præciperet: Attendite vobis, ne quis v. g. de illius vel illius herbæ succo avidiùs sumat, quod si fecerit, subitus ei veniet interitus, non dubito, quòd unusquisque propriæ salutis intuitu, præmonentis Medici præcepta servaret; Nunc verus animarum & corporum medicus, simúlque Dominus iubet ebrietatis herbam & crapulæ vitandam, & nescio si quis non his consumitur, ne dixerim, sauciatur. Sola est, quæ simul cum corpore & animam debilem reddat. In

S. Cyrill. ... lex l. 9. in Levit.

cæteris,

cæteris enim poteſt fieri, ut ſecundùm Apoſtolum, cùm infirmatur corpus, tunc magis potens ſit ſpiritus, & ubi is, qui deforis eſt, homo corrumpitur, ille qui intus, renovetur; in ebrietatis verò ægritudine, corpus ſimul & anima corrumpitur, ſpiritus pariter cum carne vitiatur.

S. Ambr. l. de Elia & ieiunio c. 3.

III. *Quia libertatem eripit, præcipuum hominis bonum*; nam teſte S. Ambroſio, manebat, antequam vinum inveniretur, omnibus inconcuſſa libertas, nemo ſciebat à conſorte naturæ ſuæ obſequia ſervitutis exigere; Non eſſet hodie ſervitus, ſi ebrietas non fuiſſet.

Luc. 21. 34.

IV. *Quia finalem impœnitentiam adducit*, Unde Chriſtus monuit: *Attendite vobis, ne graventur fortè corda veſtra in crapula & ebrietate, & ſuperveniat in vos repentina dies illa, tanquam laqueus enim ſuperveniet.* Hinc & Sanctus Baſilius dixit: Ebrietas fortitudinis pernicies, ſenectus immatura, mors momentanea.

S. Baſilius hom. 10. in ebrios.

Deuterom. 32. v. 33.

V. *Quia inſanabile eſt hoc vitium*, utpotè cui illud Deuteronomii applicatur: *Fel Draconum vinum eorum, & venenum aſpidum inſanabile*; ubi vinum veneni nomine appellatur, quia corpori pariter & animæ mortem adfert, nec eſt Mithridaticum vel theriaca, quæ contra illud prævalere poſſit, & ideo venenum eſt inſanabile, id eſt, vitium ſine remedio. S. Ambroſius quoque circa hunc locum obſervat dicens: Pulchrè additur, inſanabile; multi enim à reliquorum ſerpentium veneno curantur, nemo ab ebrietate, atque hæc eſt cauſa, inquit idem S. Doctor, cur vinum non cuilibet veneno, ſed draconum, quod eſt inſanabile, aſſimiletur. Hinc & S. Auguſtinus: Ebrietas, inquit, quaſi inferni puteus, quoſcunque ſuſceperit, ita fortiter ſibi vendicat, ut eoſdem ipſos de inferni tenebroſo puteo ad ſobrietatis lucem redire non permittat.

S. Ambr. de Elia & ieiun. c. 14.

S. Auguſt. ſer. 231. de temp.

§. V.

MISCELLANEA ET CONCEPTVS PRÆDICABILES.

Damnum.

S. Baſil. ho. 14. de ebriet.

I. INgenioſo admodùm epithero ebrium Divus Chryſologus afficit, dum ait: Ebrietas eſt dœmon blandus; quot autem, quantíque nihili ducunt, ab hoc poſſideri ſpiritu; imò eundem omni ſtudio & ſollicitudine indagant? Sed ut veraciter S. Baſilius docet: Lymphatus & malo dæmone captus, miſericordiâ quidem dignus, ebrius verò, eadem ferè & ipſe patiens, minimè miſericordiâ dignus, qui ſpontaneo ſervit dœmoni.

Plutarch. l. 3. ep. 9.

II. Franciſcus Petrarcha in quadam epiſtola ſua adverſus ebrietatem acerrimè invehens, ſingulos enumerat cyathos & crateres, qui in conviviis, ut plurimùm præbibuntur; *Primus, inquit, crater pertinet ad ſitim: Secundus ad lætitiam: Tertius ad voluptatem: Quartus ad ebrietatem: Quintus ad iram: Sextus ad litigium: Septimus ad furorem: Octavus ad ſomnum: Nonus ad morbum.*

Plato de Legibus lib. 2.

III. Plato vir ſapientiſſimus inter alias Leges ita ſtatuit: Multò magìs, quàm Cretenſium Lacedæmoniorùmque uſu, Carthaginenſium legem probàrant, ut nuſquam in caſtris quiſquam guſtare vinum audeat, ſed toto illo tempore aqua bibatur. Sed & Magiſtratibus eo toto anno, quo magiſtratu funguntur, mandatum, Gubernatores ſuos, atque Judices munus ſuum obituros à vino penitus prohiberent. Quia, ut apud Oſeam dicitur: *Vinum & ebrietas auferunt cor*; quando enim corpus nimio vino repletur, ratio pariter & diſcurſus amittitur; Nam ubi eſt crapula, inquit Laurentius Iuſtinianus, ratio ceſpitat, intellectus obtunditur, conſilia deviant, iudicia ſubvertuntur.

Plutarch. in Apopht.

IV. Plutarchus curioſam quandam narrat hiſtoriam præſenti propoſito noſtro valdè opportunam, cùm enim apud Pyrrhum nonnulli iuvenes accuſati eſſent, quaſi ſimul epulantes, variis detractionibus & iniuriis eius dilaceraſſent famam, ille eoſdem die ſequenti coram ſe parere præcepit. Primúmque ex his percunctatus eſt, an de ſe talia dixiſſent. Omninò reſpondit unus, talia & his plura dixiſſemus, ſi plus vini nobis fuiſſet. Cui reſponſo Pyrrhus acquievit, probè intelligens, quòd Euchius non ſit ſibi compos.

Plato in Phædro.

V. Idem Plato in Phædro aſſerit: Nequaquam eſt Philoſophi circa delectationes guſtûs verſari; Unde cùm quidam interrogâſſet Platonem: Unde tibi ſapientia tanta? Reſpondit, quia plus conſumpſi de oleo in lampade, quàm de vino in calice.

Manſi diſc. 16. n. 4.

VI. Quæ cauſa eſt, quòd Moyſes pro populo Iſraëlitico idololatrante interceſſerit, non verò pro guloſo? num fortè idololatria minus peccatum eſt, quàm ſi honor & cultus Deo debitus conculcetur, & bovi fictili, operi manuum hominum, attribuatur, cur igitur Moyſes populum idola adorare videns, regimine illius ſe exonerare voluit, non verò item, quando guloſus carnes à Deo ſibi dari poſtulavit? clara eſt ad hoc reſponſio, quia idololatria faciliùs curari poterat, dum enim videbant, quòd vituli illius comminuti pulveres ab eis potati, per fœtida excrementa eiicerentur, manifeſtè agnoſcere poterant, illum verum Deum non eſſe, qui per ſeceſſum evacuaretur: at verò gula & crapula, cùm omnia vitia annexa habeant, ſíntque vitia naturâ ſuâ inemendabilia & incorrigibilia, Moyſes ſe ad illum populum deinceps gubernandum minimè ſufficere credebat; quia, ut Caietanus ibidem dicit, peccatum gulæ eſt quaſi incorrigibile; cognovit Moyſes preces ſuas pro illis in hoc caſu effundendas, minimè exaudiendas fore, quia ſciebat Deum contra hoc peccatum omninò inexorabilem eſſe.

Ioan. Schvvarzenberg in praf. 2. lib. contra propinat.

VII. Maximilianus I. Imperator, ac cæteri Principes ac Electores, ſeorſim, & unà in Comitiis ſæpiùs propinationes vetuerunt. Præfat. 1. & 2. Et quidem Anno 1512. à dicto Maximiliano I. Imperatore, & Electoribus, ac Statibus, in Comitiis Treviris cœptis, ac Coloniæ finitis, ſingulari Articulo prohibitæ fuêre huiuſmodi propinationes. Ubi dicitur: Etſi in prioribus aliis Comitiis ſæpiùs eæ prohibitæ fuerint,

fuerint, parùm tamen id fuisse observatum. Hinc quia è propinationibus nascitur ebrietas, ex ebrietate omnis generis scelera, blasphemiæ, cædes, & alia plura mala; ita ut tales combibones de honore, salute, rationis usu, vitæ & bonorum iacturâ periclitentur, præcipi omnibus ubique Dominis, ac Magistratibus, ut in suis ditionibus eam consuetudinem perpotandi tollant in se & subditis suis, ac sub gravibus pœnis prohibeant. Quod si nobilitas vitare nollet, à Principis ac Cæsaris aulis arceantur. Inferiores verò etiam in corpore severè puniantur. Quòd si ullus Magistratuum in executione huius mandati compertus fuerit remissiùs agere, is à Cæsareo Fiscali plectatur decenti mulctâ, uti & ii, qui è subditis contra id deliquerint: Adhibeatúrque opera, ut iis locis, ubi viguit ebrietas, omni studio aboleatur.

VIII. S. Basilius ait: Ebrietas est dœmon voluntarius ex voluptate animabus nostris inditus. S. Augustinus inquit: Dœmon es, venenum dulce es, peccatum suave es. S. Gregorius ebrietatem vocat blandum dœmonem. Unde S. Clemens Alexandrinus dixit: Is, qui ad luxum mensarum propensi sunt, & suos sibi morbos enutriunt, præest dœmon helluo maximus, quem ego non verebor appellare ventris dœmonem, dœmonum omnium pessimum, & perniciosissimum, cui consentiens S. Chrysostomus, ubi multum merum est, inquit, ubi mensa referta, & ad satietatem commessatio, ibi turpitudo, ibi omnis pompa satanica.

TITULUS XXVI.

EDUCATIO.

§. I.

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas.

Eccl. c. 7. I. Ilii tibi sunt, erudi illos, & curva illos, à pueritia sua.

S. Paulus Eph. c. 6. 4. II. Educare illos in disciplina & correptione Domini.

Ps. 33. 12. III. Venite Filii, audite me, timorem Domini docebo vos.

Eccli. c. 11. 30. IV. In Filiis suis agnoscitur vir.

Eccli. c. 30. V. Qui diligit Filium suum, assiduat illi flagella, ut lætetur in novissimo suo, & non palpet proximorum ostia.

Coloss. c. 3. 21. VI. Nolite ad indignationem provocare Filios vestros, ut non pusillo animo fiant.

Necessitas.

1. Timoth. 5. 8. VII. Si quis suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior.

Eccli. 30. 13. VIII. Doce filium tuum, & operare in illo, ne in turpitudinem illius offendas.

Prov. 22. 6. IX. Adolescens iuxta viam suam, etiam cùm senuerit, non recedet ab ea.

Eccli. 22. 3. X. Confusio Patris est de filio indisciplinato.

Prov. 13. 24. XI. Qui parcit virgæ, odit Filium: qui autem diligit illum, instanter erudit.

Eccli. 30. 9. XII. Lacta filium, & paventem te faciet: lude cum eo, & contristabit te: Non corrideas illi, ne doleas, & in novissimo obstupescent dentes tui: non des illi potestatem in iuventute.

Prov. 29. 15. XIII. Puer, qui dimittitur voluntati suæ, confundit matrem suam.

Utilitas.

Prov. 23. 13. XIV. Noli subtrahere à puero disciplinam; si enim percusseris eum virgâ, non morietur, tu percuties eum, & animam eius de inferno liberabis.

XV. Qui docet filium suum, laudabitur in illo, & in medio domesticorum in illo gloriabitur. Eccli. 30. 2.

XVI. Bonum est viro, cùm portaverit iugum ab adolescentia sua. Thren. c. 3. 27.

XVII. Stultitia colligata est in corde pueri, & virga disciplinæ fugabit eam. Prov. 22. 15.

§. II.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Qualitas.

I. PEr vinum mordeantur vulnera, per oleum foveantur; miscenda est lenitas cum severitate; sit rigor, sed non exasperans: sit zelus, sed non immoderatè sæviens: sit pietas, sed non plùs quàm expediat. S. Gregor. p. 2. past. c. 11.

II. Debent Filii Parentes timere, quod ut efficere possint, pater diligentiâ solicitâ observabit, ne dissolutâ lætitiâ ex inordinato affectu conversetur cum illis, cùm iam grandiusculi sunt, sed reverendâ maturitate & timoroso amore, ac gravitate discretâ & exemplari, semper sit ante eos. Insolentes enim solent fieri filii ex nimia lætitia & levitate parentum, perdúntque erga eos reverentiam & timorem. S. Bernardin. S. in ser. 4. post Dom. 1. Quadrag. a. 2. c. 2.

Necessitas.

III. Qui Patres Filiorum moderationem & temperantiam negligunt, liberorum sunt interfectores, atque ideo illis crudeliores, quòd ad interitum & mortem animæ hæc res tendat. S. Chrysost. to. 6. ho. 27.

IV. Magnum habemus, pretiosúmque depositum, filios; ingenti illos servemus curâ, atque omnia faciamus, ne fur id nobis astutus auferat. At verò nunc contrà penitus facimus; nam Idem ho. 9. in 1. ad Tim.

nam ut fundus quidem sit optimus, cuncta molimur, eúmque fideli viro magno cum studio tradimus: Cæterùm quod nobis omnium charissimum est, omnino negligimus, neque curamus, quo pacto filium nostrum fideli cuipiam viro permittamus. Certè nulla nobis possessio, nullus fundus æquè nobis gratus atque charus esse debet, quippe hæc omnia filiis quæruntur. Igitur maior nobis possessionum cura est, quàm eorum, quorum illæ gratiâ comparantur, quod profectò absurdissimum, atque stolidissimum est.

Idem to. 5. h. 63. V. Dic, quæso, charissime, si filium fame confectum videres, an eum posses contemnere? ergóne panis fame divexatum non despiceres, divinæ autem doctrinæ fame pereuntem potes contemnere? Quo pacto dignus fueris, ut pater voceris? Siquidem multò gravior illâ hæc est fames, quantò funestiorem in mortem desinit; unde magis in hoc studium conferendum est.

Acta Mediolan. S. Caroli Borr. f. 101. VI. Sicut uberrimum ab optima educatione præmium paterfamilias capiet, quicunque liberos, familiámque suam ad Dei cultum, & ad pietatis, Christianarúmq; virtutum disciplinam erudierit; ita, quicunque debitum hoc paternæ curæ officium neglexerit, vel prætermiserit: is exspectet, ut in die Domini sibi durissimum iudicium fiat.

Utilitas.

Ibid. fol. 188. VII. Nulla est amplior hæreditas, nec præclarius patrimonium, quod parentes suis liberis relinquere, neque maius pretium, honestiorémque mercedem, Domini iis, qui sibi in servitute operam dant, pro fideli eorum famulatu tribuere ac persolvere possunt, quàm si effecerint, ut boni Christiani evadant, quæ virtus omni terreno thesauro multò pretiosior est censenda.

S. Chrysost. ho. cit. VIII. Vis filium relinquere divitem? bonum illum ac benignum esse doce, ità enim etiam rem familiarem auctiorem facere poterit.

S. Ambros. S. 2 in ps. 118. IX. Præveniamus annos Iuventutis correctione congrua: quia melius est dicere: *Deus, qui docuisti me à juventute mea*; quàm defleamus dicentes: *Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris*; hoc enim debilitatis est remedium, illud verò salutis robur; medicina quæritur vulneri, gratia verò convenit sanitati.

Salazar. in c. 22. Prov. X. Institue puerum iuxta bivium viæ suæ; perpende huius præcepti maximam utilitatem: Pueris quidem, ubi rationis lux mentem ipsorum irradiare cœpit, duplex statim illis via sese offert, alia quidem lata per plana incedens, alia verò angusta, per incompta & difficilia pergens: Illa vitii, hæc virtutis; illa allicit, ista deterret. Ne ergo puer in ea ætatis ac morum facilitate latam illam, iucundámque vitii semitam naturâ suadente, quæ suopte nutu ad malum pendet, sequantur, magistro atque præceptore tunc maximè indiget. Rursum eo tempore, cùm neutram expertus est, facilè in eam inferri se sinit, quæ melior est, nam si fortè vitiorum viam semel arripuit, cùm retrò averti, & confectum spatium remetiri opus sit, difficilè admodum adduci potest, ut reduces ad virtutem passus regat.

§. III.

EXEMPLA SACRA.

Qualitas.

I. S. Carolus Borromæus, qui gregis sui saluti summa cum solicitudine, omnibus verbum Dei annuntiantibus tam Parochis, quàm quibusvis aliis præcepit, ut parentibus rectam, & in bonis moribus benè ordinatam inculcent liberorum educationem: De filiorum autem educatione, & totius familiæ cura, quàm diligentissimè aget, & crebrò; cùm optima hæc institutio maximè intersit ad omnes totius Christianæ disciplinæ rationes. S. Carolus in act. med. f. 188.

II. Job sanctissimum virum, cùm ex virtutibus reliquis Scriptura collaudet, quòd fuerit iustus, quòd verax, quòd religiosus, quòd pius, tum ex eo maximè, quòd filiorum optimè nutriendorum, habuerit summam diligentiam; non enim eâ curâ urebatur, ut aurum illis copiosissimum acquireret, non ut humanâ gloriâ verendos & illustres cerneret, sed quid ille tandem requirebat? Audi, quid Scriptura dicat: *Cùm consummati essent dies convivij illorum, mittebat Iob, & purificabat eos, consurgénsque diluculo offerebat pro eis sacrificia ad numerum ipsorum, vitulúmque unum pro peccatis, & pro animabus eorum; dicebat enim Iob in corde suo, ne fortè filij mei in mente sua mala cogitaverint.* S. Chrysost. ho. 27. to. 5.

III. Mater Melithonis cùm vidisset, quòd carnifices ipsum fidem negaturum esse sperarent, ipsúmque propterea etiamnum viventem, unà cùm aliis fratrum cadaveribus currui non iniecissent, ipsa Melithonem humeris suis impositum ad currum veloci gressu portare conata fuit, quam proinde Deus hâc gratiâ donavit, ut inter maternos amplexus Melithon exspirârit: In cuius amplexu Melithon Spiritum Deo reddidit, eiúsque corpus in eundem illum cæterorum Martyrum rogum pia mater iniecit. Sanctus Basilius in Concione quadam, quam in laudem quadraginta Martyrum habuit, ita loquitur: Revera Martyris mater: revera bonæ radicis germen bonum. Ostendit generosa mater, quòd magis ipsum pietatis dogmatibus enutriverat, quàm lacte, hic quidem sic educatus, sic à pia matre deductus est. S. Basil. S. de 40. Mm.

IV. S. Ambrosius de matre Machabæorum ait: Ista maternum in hoc ponebat affectum, si filiis magis perpetuam vitam, quàm temporalem suaderet. S. Ambros. l. 2 de Iacob c. 12.

V. S. Gregorius Naz. in oratione quadam in laudem S. Cæsarii fratris sui habitâ ostendit, quantò ampliùs genitores sui in hoc filio vitam amaverint spiritualem & æternam, quàm temporalem & corporalem, ait enim: Atque omnes felicitatis numeros expleverunt, exceptâ hâc postremâ, ut quispiam existimare queat, sive proba- S. Greg. Naz. in Orat. 10. de S. Cæsar.

probatione, sive dispensatione, hoc est meo quidem iudicio, ut præmisso eo filio, cui propter ætatis lubricum magis timendum erat, ita iam ipsi securo animo vitam claudant, & cum universa domo ad superna transferantur.

Damnum neglectæ educationis.

Mansi tr. 23. disc. 3. n. 7.

VI. In urbe Mantuana Iuvenis quidam uxorem ducere volens, de conditione autem patris sui, qui senex decrepitus & orbus fuerat, erubescens, ne ipsius causâ in die nuptiarum aliquo perfunderetur pudore coram invitatis convivis, eundem paulò ante nuptias foras extra civitatem perduxit, ut illum in Ecclesia quadam uno milliari à loco habitationis dissitâ recluderet; Pater autem se è civitate educi videns, quò versùs tamen, & in quem finem id fieret, ignorans, omnino anxius & tristis affligebatur: Iámque defatigatus eundo, super ingenti quodam lapide se prostravit, in quo decumbens ex filio causam & terminum itineris perquisivit, de quibus cùm à filio certior factus fuisset, mox Pater exclamavit, dicens: O digna & verà Dei iustitia! memini, fili mi, quòd similiter feci patri meo, quando duxi matrem tuam, & duxi eum per istam viam, & ad istam Ecclesiam, & pausavit super hoc lapide, sicut & ego; Ideo benefacis, fili mi, satisfaciendo mihi eo pretio, quo ego satisfeci patri meo; sed unum tibi significo, quòd posteris tuis relinquam, ut similiter tibi faciant, sicut tu mihi fecisti, quod audiens filius, exterritus, magnam Dei iustitiam contemplando, reduxit Patrem ad proprios lares, & ipsum ad nuptias primatem in mensa locavit, ut decuit.

Ibid, n. 9.

VII. Terribilis est casus, qui Filiis ab ursis dilaniatis accidisse in Scriptura refertur. Cùm enim Elisæus Propheta in Bethel ascenderet, Pueri quidam Prophetæ calvitiem in vertice notantes, vocibus ludibriosis post illum clamârunt: *Ascende calve, Ascende calve!* quibus sanctus Vir Dei, quantumvis aliunde mitis & clemens, ex parte Dei maledixit: *Qui, cùm respexisset, vidit eos, & maledixit eis in nomine Domini.* Et ne inanis videretur hæc super eos pronuntiata maledictio, sacer textus subiungit: *Egressi sunt duo ursi de saltu, & laceraverunt ex eis quadraginta duos pueros.* Per quod supplicium Deus damna edocere voluit, quæ mala parentum exempla filiis creant: Pueri parvi, edocti ad hoc & incitati à suis parentibus idololatris, ut subsannarent Prophetam Domini, & ideo maledixit eis, ut parentes eorum in ipsis punirentur, & ut malitiam Parentum ampliùs non imitarentur. S. Augustinus, inquit: Rem parentibus instigantibus fecisse, pueri contumeliosi credendi sunt; neque enim illi clamarent, si parentibus displiceret. Ast iuxta Iustini Martyris sententiam: Deus puerorum clade parentes flagellavit, ac simul posteros monuit, ut in vero Dei cultu, modestiâ, & probitate filios suos educent, ne similiter castigentur.

Ibid, disc. 9. n. 10.

VIII. Dum Ismaël ab Agar supra modum dilectus, sed malè educatus, cum Isaac insolenter & inverecundè luderet, causam dedit, quòd cum ipso simul & mater in exilium pulsa, indignéque habita fuerit.

Pœna Filiorum Parentes non reverentium.

IX. S. Bernardinus refert, se à persona quadam fide digna memorabile quoddam audisse facinus, quod suo tempore contigerat: De filio quodam impio, qui parentem è domo sua exturbatum, & improperiis onustum per capitis comam & barbam apprehendit, pugnisque & calcibus crudeliter contudit, ac demum per longum plateæ spatium per terram raptavit. Cúmque ad certum quendam illius plateæ locum pervenisset, Pater ille sic miserè tractatus, his filium suum verbis affari cœpit: Non plùs, non plùs, fili mi, quia hucusque traxi ipse Patrem meum, & tu, fili mi, fecisti vindictam eius: nimirum quia recordabatur, quàm indignè ipsemet, spectante filio suo, Patrem suum, filii avum tractaverat; facilè intelligebat, Deum iusto iudicio suo permittere, ut idem quoque de manu filii sui pati cogeretur impietatis supplicium: Intelligens iudicium Dei, filio cum lachrymosis gemitibus & ululatibus ait: Non plus &c. S. Bernar. dīn. ser. 2. in Dom. 2. quad. §. 17.

X. Refert quoque aliud simile, quod in territorio Foroliviensi in Spilimberg contigit, cùm enim Dominus Castelli illius quadam vice ingens in domo quadam audisset clamantis lamentum, eò ingressus, invenit filium diris modis patrem suum percutientem: Unde compassione erga patrem commotus, & furore peractus in impium filium, eundem velut tygride sæviorem iustis afficere pœnis statuit: sed ecce, inquit S. Bernardinus, mox pater ille genu flectens coram Domino, dixit: Ne percutias filium meum, quia etiam ego verberabam genitorem meum. Quod audiens ille, & considerans iudicium Dei, statuit, quòd de cætero ad libitum ipsum impunè verberaret. Ibid, §. 12.

XI. In villa rusticus unus labium faciebat, & puerulus suus ait: Pater quid vis facere? & rusticus ait: volo in labio isto dare comedere avo tuo: & puer à Deo inspiratus, dixit: Pater mi, fac ipsum bene magnum, quia cùm eris senex, sicut est avus meus, ego similiter dabo tibi comedere intus. Ibidem.

XII. P. Cæsar Franciotti in libro de Sanctis Lucensibus, in prima de Sancto Angelfo observatione funestum hunc narrat eventum, ab Archiepiscopo Ragusensi Vincentio Dalportico, Nobili Lucensi, R. P. Joanni Leonardo Fundatori Congregationis Matris Dei narratum. In Insula Ragusensi rusticus cognomine Boscas, quendam habebat tantæ impietatis & insolentiæ filium, ut matrem graviter percuteret, & enormes iniurias adderet plagis. Exasperata mater filio in hæc verba maledixit: Utinam pereas, neque ossa tua terra, aër, aut mare conservet! Maledictio suum sortita est effectum post exile spatium, quando mortuum atque sepultum terra evomuit cadaver; in aërem sublimatus, corruit in terram; In mare projectus, Cæsar Franciotti in lib. de SS. Lucensibus.

jectus, ad litus repertus, atque prostitutus inventus est. Mater suæ memor maledictionis, filium mortuum in altum mare, dum maximè desæviret, fecit deferri, móxque ferum elementum corpus in scopulum impegit tribus acutum partibus, quarum quælibet frustum cadaveris à trunco divulsum sibi univit, subitò transmutatum in saxum.

XIII. Eodem in loco idem tradit Author, quòd in Diecimo, loco Episcopatui Lucensi subiecto, Anno 1592. Quidam Pater Dominicanus Prior S. Mariæ Della Cerqua, prædicans de bona educatione, obedientiâ, & respectu erga Parentes, tale de se, suisque fratribus publicè perhibuerit testimonium. Quinque in sæculo degebamus fratres, quibus quadam in occasione indignatus Pater maledixit, eo effectu, ut paulatim consummaremur omnes, mortuísque quatuor aliis, solus ego superstes eram, qui ut divinam vindictam subterfugerem, statum Religiosum amplexus sum.

Surius 25. May.

XIV. Joannes Archiepiscopus Aretinus in vita S. Zenobii Episcopi Florentini de divite quadam muliere, eáque vidua tradit, quòd duos delicatè admodum enutrierat filios, à quibus postmodum graviter percussa, hanc eis maledictionem imprecata est, ut ab omnibus agitarentur dæmonibus, móxque omnes ab infernalibus obsessi spiritibus, & furibundi se invicem tanquam canes rabidi dilacerare cœperunt, nec ullius iis, præterquam S. Zenobii, qui eos & matrem baptizavit, preces opitulatæ fuere.

Thomas Cant. l. 2. apum. c. 7. n. 4.

XV. Pater quidam multa cum industria & sudore paupertatem in magnas commutârat divitias, unicum, quem habebat, Filium nobili fœminæ desponsavit, quæ formæ suæ raritate ita mariti animum devicit, ut faceret quodlibet ad libitum suum; soceri itaque pertæsa, maritum induxit, ut eum malè tractans, vix vitæ necessaria subministraret; die igitur quadam à fame stimulatus, abiit, ut necessariam peteret vitæ sustentationem: mulier itaque marcidas aliquot ei offerens fabas, sicque abire iusso senecione, ad suum se convertit maritum, cum dicto: Modò possumus comedere in pace; vade ad arcam, & accipe caponem coctum: & cùm aperuit, mutatus capo in bubonem, qui subitò saliens ad faciem eius, ponebat duos pedes ad mentum, & duos ad frontem, & operuit totam faciem eius, & non fuit medicus, qui sciret eum amovere: tandem venit quidam, qui fecit tenellas quasdam, & dixit, quod eum amoveret; tunc bubo aspexit eum tam terribili vultu, quod ille cecidit in terram, & ampliùs non audebat aliquid facere; & nullus fuit, qui sciret apponere consilium, sed malâ morte mortuus est. Thomas Cantipratanus diversas aliquot addens circumstantias differentem à prædicto casum videtur insinuare in hæc verba: Et erat illud supremi stuporis miraculum, ut, si quando monstri illius pars aliqua tangebatur, ac si percuteretur in corde, ita homo sensibiliter lædebatur. Conterritus itaque mirabiliter & contritus, adiit diœcesanum Episcopum, & cum omni dolore confessus, pro pœnitentia recepit ab illo, ut per omnes fines Normanniæ, & Galliæ civitates, revelata facie circuiret, & ubique narraret populis eventum rei, ut per hoc exemplum sumerent filii, honorare parentes, & discerent, quàm periculosum sit & nocivum, vicem non rependere laboribus, quos ipsi parentes filiis impenderunt. Hunc hominem cum bubonis monstro circumeuntem F. Joannes de Magno ponte, Ordinis Prædicatorum, sicut per ipsum nobis relatum est, vidit in iuventute Parisiis palàm referentem omnibus, & monstrantem, quod pro inhonoratione Parentum passus fuerat multis annis, & adhuc secundùm Dei voluntatem pateretur. Subditque, sed fide dignis accepisse, dictum infelicem per aliquorum sanctorum Dei servorum preces, ab illo monstro liberatum fuisse.

S. Bernardin. l. c.

XVI. S. Bernardinus Senensis historiam quandam refert, quæ in civitate Bergomi accidit, de quodam Patre, lucris & usuris totaliter immerso, ut filiis suis locupletem hæreditatem relinqueret: qui filios erga se irreverentes, & inobedientes ut vidit, in semetipsum reversus, dixit: Ego animam meam propter ipsos contemno, qui in vita sua erga me sunt contumaces; experiri statui, quomodo adiuturi sint animam meam in casu, quo morerer, ac proinde coniugi suæ secretum cordis sui communicavit, quæ cùm ei consilii maritalis altum promisisset silentium, pater ille se graviter infirmum esse finxit, & post quinque dies mulier domum egressa flens, & eiulans, filiis, patrem mortuum esse, dixit: Qui subitò ubinam claves ærarii depositæ essent, anxiè quæsiverunt, quibus mater maritum suum, priusquam moreretur, seriò sibi præcepisse, dixit, ne claves illas in ullius alterius hominis manus consignaret, eò quòd pro conscientia sua exoneranda pecunias à se relictas pauperibus distribui vellet, eò quòd per usuras comparati fuissent. Quo audito, unus filiorum cum imperio, & arrogantiâ claves se habere velle respondit, mater autem se illas in pectore gestare cùm dixisset, ille violentas pectori manus intulit, cúmque illa cum filio suo luctaretur, alter filius natu maior cameram, in qua pater decumbebat, unà cum aliis ingressus, nec tamen lectum, in quo Pater iacebat, respiciens, ærarium, in quo pecunia deposita erat, ferro violenter rupit: Tunc pater levato capite dixit: Quis rumor, ô filii! cur tanto impetu matrem perturbatis vestram, ecce vivo, & surgens eiecit filios de thalamo; & conversus ad se, vidit periculum animæ suæ, & confessus mala oblata restituit, & omnia pauperibus erogavit.

Rod. Santius. p. 1. Hist. Hisp. c. 14.

XVII. In historiis Hispaniarum de Alphonso VI. legitur, quòd, cùm Theresiam matrem suam in vincula coniectam compedibus innexuisset, ipsa prophetando ei dixit: Quia vinculis crura mea strinxisti, Deum precor, ut ab hostibus capiaris, & crura tua fracta conspicias, quæ omnia magno eius infortunio de ipso verificata fuerunt.

Mansi disc. 15. n. 8.

XVIII. S. Gregorius Turonensis, utpote testis

testis oculatus de Meroveo filio Chilperici Regis Franciæ refert, quòd cùm regnandi cupidus esset, atque à patre suo ob sæpius indè natas turbulentias, detonsâ comâ in Monasterium quoddam reclusus fuisset, is ab eodem fugiens, Turonas ad templum sancti Martini confugit, ubi ab historico, qui historiam hanc scripsit, receptus fuit: Moroveus autem de Patre atque noverca multa crimina loquebatur, quæ cùm ex parte vera essent, credo acceptum non fuisse DEO, ut hæc per filium divulgarentur, sicut ex sequentibus cognovi, quâdam enim die ad convivium accitus, dum pariter sederemus, suppliciter petiit aliqua ad instructionem animæ legi, ego verò reserato Salomonis libro, versiculum, qui primus occurrit, arripui, qui hæc continebat: *Oculus qui respexerit adversùs Patrem, effodiant eum corvi de convallibus*; illo quoque non intelligente, considerans hunc versiculum à Domino præparatum. In eo namque adimpletum fuit hoc à Sapiente comminatum supplicium, quia à Patre Chilperico excæcatus, & vitâ privatus fuit; Patre quoque qui illum excæcaverat, à Fredegunde uxore sua morte violentâ fuit sublatus.

S. Bernard. to. 2. s. 17 in dom. 2. Quadra. a. 3. c. 1. XIX. S. Bernardinus Sen: refert, in Catalonia, in civitate, quæ Sui appellatur, & Valentiæ vicina existit, Iuvenem quendam octodecim annorum Patri suo inobedientem, facinorosum factum fuisse latronem, atque à iustitia apprehensum in furcam fuisse adactum; eo autem ex patibulo pendente mirum hoc successit prodigium: adhuc in patibulo pendente, cùm esset omnino imberbis, vidente ac mirante cuncto populo paulatim emittit barbam, mutat faciem, capilli capitis pendent, gradatim senescens usque ad decrepitam senectutem, & quasi nonaginta annorum ætatem ostendens, cuncto populo admirabilis factus. Cucurrit ad miraculum Episcopus cum universo Clero, & cuncto quasi civitatis populo, stupent omnes, ignorant mysterium, exspectant eis revelari secretum, surgit in loco eminenti Episcopus doctus, manúque silentium indicens turbæ ait: Viri Fratres, & filii mei dilecti, nostis iuvenem hunc, quâ culpâ, quâ vitâ, quâ etiam ætate interiit, conspicite eum nunc ætate senem decrepitum atque canum, ut intelligatis hoc patens iudicium Dei, quòd huic diu victuro, à Deo misericorditer, per sua crimina, & parentum inobedientiam abbreviata est vita.

Mansi disc. 18. n. 4. XX. Mater quædam Filiæ inobedienti 8. annorum assueverat maledicere, eique imprecari, ut à lupis devoraretur. Anno itaque 1592. in festo Corporis Domini, dum omnes domestici reliqui ad Missam audiendam se contulissent in Ecclesiam, solam in domo superstitem filiam invasit discerpsitque lupus, cuius partem suis vicinis detulit catulis, reperto postmodum puellæ capite in specu lupina.

Filiorum bene educatorum observantia erga Parentes.

Stapleton in Anglia. XXI. Thomas Morus, Magnus Angliæ Cancellarius, qui pro fidei Catholicæ defensione Martyr occubuit, adeò erga genitores suos venerabundus extitit, ut etiam in sublimi illa dignitate constitutus, non dedignaretur, etiam coniugatus, & provectâ ætate conspicuus, Patris benedictionem quotidie postulare.

XXII. Eustochium ita Matri semper adhæsit, & eius obedivit imperiis, ut nunquam absque ea cubaret, nunquam procederet, nunquam cibum caperet, ne unicum quidem nummum haberet potestatis suæ, sed & paternam & maternam substantiolam à matre distribui pauperibus lætaretur, & pietatem in parentes, hæreditatem maximam & divitias crederet. *S. Hier. in Epist. Paula.*

XXIII. Fulgosus refert de quodam aurificis Toletani filio, quòd, cùm Pater eius ob falsam suspicionem ad patibulum condemnatus fuisset, filius autem Patris innocentiam iustificare non potuisset, omnibus viribus possibilibus iudicem eò inclinare studuerit, ut patris loco ignominiosam mortem subiret, quod & obtinuit, sicque honoris & reverentiæ Paternæ victima mortuus fuit. *Fulgos. l. 5. c. 4.*

§. IV.

EXEMPLA PROFANA.

Qualitas.

I. ÆLianus lacrymosam integræ cuiusdam familiæ, quam in barathrum mortis & desperationem, malum cuiusdam unius patris exemplum præcipitârat, hanc scribit tragædiam. Macarius Jovis impii Sacerdos & ipse impiissimus proditoriam mortem cuidam intulit homini, qui in certo templi angulo dives quoddam occuluerat depositum; mortuum itaque in eodem situ sublatis pecuniis sepelivit. Duo filii, qui iniqui sacrificii illius fuerant spectatores, in absentia patris eum imitaturi, ad altare accesserunt: Ardente itaque igne iunior cervicem porrexit, maiórque gladio fortè fortuitò invento iuniori caput succidit, quo spectaculo atterritis domesticis accurrit mater, quæ filii morti ingemiscens, titione ardenti exaltari sublato, fratricidam peremit; quæ nuncia intelligens Macarius furibundus advolat, hastâque arrepta trucidat coniugem, qui rumore divulgato, captus, crimênque confessus & ipse ad mortem condemnatus fuit. *Ælian. l. 13. Var. hist. c. 8.*

II. Lycurgus Lacedæmonum legislator, Legibus Reipublicæ promulgandis animo intentus, Lacedæmonibus, quanti referat iuventutem à primis annis virtuosè educare, persuadere volens, duos enutrivit caniculæ catulos ab eadem matre eodem tempore progenitos, quorum unum in domo sua lautè cibavit, alterum verò venationi adaptare volens, campos semper oberrare fecit, tandem verò utrumque in conspectum populi & Magistratûs adducens, ex una parte cibos apposuit lautos, ex alia verò vivum collocavit leporem, móxque is, qui prædæ capiendæ assuefactus fuerat, leporem solutum videns, eundem relictis cibis delicatis strenuè est insecutus; alter verò ad cibos præparatos advolavit, túncque sapiens hic legislator populo *Mansi disc. 6. n. 8.*

populo dixit: duo hæc animalia ab unâ eademque matre, uno eodémque partu sunt progenita, & tamen magnam in illis conspicitis differentiam, cuius causa est diversa utriusque educatio, quam sunt sortita; móxque inde occasionem sumpsit firmiter eorum animis imprimendi, quanti referat bona filiorum educatio, qui tametsi sint unius eiusdémque arboris rami; attamen bonus vel malus eorum exitus & eventus, à bona vel mala educatione dependeat: siquidem totius reliquæ vitæ mores ab iis, qui in primis annis comparati fuerunt, semper derivantur.

Plutarch. apud Lacedæmon. III. Plutarchus apud Lacedæmones duos Fratres fuisse scribit, qui, cùm inter se litigarent, tandem causâ in iudicium deductâ, ambo ab omni fuerunt reatu absoluti: Econtra verò punitus pater, eò quòd authoritate, disciplinâ, bonóque exemplo, filiorum discordiam non prævenisset.

Filiorum reverentia erga Parentes.

Trigaut. in exped. sin. l. 1. c. 7. IV. Author quidam, qui Indiarum Historias conscripsit, inviolabilem populorum illius regionis consuetudinem esse dicit, quòd Patris, matrísque exequias integro triennio continuare soleant: cuius hanc assignat rationem: ut suis Parentibus, qui primæ ætatis triennio eos ulnis gestaverant, tantóque labore educaverant, vicem rependant.

Ibid. V. Idem Author scribit, quòd Filii sæpe parentum suorum cadavera diuturno tempore domi conservent, eáque certo quodam transparenti bitumine aspergere soleant, ne eadem cadavera malum de se spirent odorem, interea verò quotidie cibum & potum ipsis offerant, haud secùs ac si viverent.

S. Ambros. l. 5. hex. c. 17. VI. Admiratione dignissima est compassio filiæ illius erga matrem captivam, cùm enim illa à præfecto carceris cibum matri deferri prohiberetur, illa cibi loco, porrectis matri uberibus suis, lac ei suum propinavit: Deprehensa est uberibus alens eam, quo miraculo matris salus donata pietati est, ambæque perpetuis alimentis; & locus ille eidem consecratus Deæ templo Pietatis, extructâ in illius carceris sede, ubi nunc Marcelli Theatrum est.

Cassiod. l. 2. epist. VII. Cassiodorus, ad nostram confusionem, libro secundo Epistolarum suarum de ciconiis ita scribit: cùm parentes earum pennas senio cogente laxaverint, ne ad proprios cibos idonei possint inveniri, plumis suis genitorum membra foventes, escis corpora lassa reficiunt, & piâ vicissitudine iuvenes reddunt, quod à parentibus parvuli susceperunt.

Exempla Bestiarum.

Plutarch. de solert. animal. VIII. Plutarchus de Leonibus scribit: Quòd iuniores prædam suam dividant cum senioribus. Plinius similiter inquit: Glires genitores suos fessos senectâ, insigni alunt pietate.

Mansi disc. 33. n. 6. IX. In historia quadam antiqua pariter legimus, quòd conflagrante ferè toto Delphio Batavorum oppido, Ciconiæ proles suas adhuc implumes ab incendio protegentes alis contexerint, rostro detulerint, ac pedibus, ut eriperent, & ne officium intermitterent paternum, nunquam deseruerint, quin potius mortem cum illis sustinuisse propalam visæ sint.

§. V.

SIMILITUDINES.

Qualitas.

S. August. l. 4. c. 99. vet. test. I. Sicut arbor semper eiusdem qualitatis fructus producere continuat, cuius producendi virtutem à principio, priusquam alteri insita fuit, in se habuit; nec unquam ab illis degenerat; Eodem quoque modo homo in iisdem moribus, indole, & consuetudinibus, quibus à principio assuevit, in totius reliquæ vitæ decursu semper continuat. Hinc S. Augustinus: Est nativitas quasi arbor, quæ inseritur; quæ si bono surculo inseritur, melior fiet; si malo, deterior: Ita & nativitas, si bona accedat doctrina, bonos faciet fructus; si mala, malos.

S. Anselmus apud Surium 21. April. II. Sicut Aurifex quatenus formam aptam ex lamina aptet, nunc eam suo instrumento leniter præmit & percutit, nunc discreto levamine leniùs lævat, & format: sic & vos, si pueros vestros cupitis ornatis moribus esse, necesse est, ut cum depressionibus verborum impendatis eis paternæ pietatis & mansuetudinis levamen, atque subsidium.

Necessitas.

S. Hieron. ad Gaudent. III. Sicut aqua in areola digitum sequitur præcedentem, ita ætas mollis & tenera in utramque partem flexibilis est, &, quocunque duxeris, trahitur.

Plutarchus de Puer. educ. IV. Sicut in agrorum cultura bonam inprimis terram esse oportet, tum serendi & colendi terram peritum agricolam, deinde optima semina: Eodem modo loco terræ natura, locóque agricolæ præceptor, & loco seminum institutio bona esse oportet, ut probè pueri educentur.

S. Anselm. l. c. V. Sicut si cera nimis dura, vel mollis fuerit, sigillo impresso, eius figuram in se nequaquam ad plenum recipit: Si verò, ex utrisque, duritiâ scilicet atque mollitie discretè habens sigillo imprimitur, tunc forma sigilli omnino perspicua & integra redditur, sic est in ætatibus hominum. Videas hominem in ætate huius sæculi, ab infantia usque ad profundam senectutem conversatum, sola terrena sapientem, & in his penitus obduratum, cum hoc age de Spiritualibus, hunc cælestia secreta doce rimari, & perspicies eum, nec quid velis quidem posse videre; nec mirum, indurata cera est, in istis ætatem non trivit, aliena ab istis sequi didicit: è contrario consideres puerum ætate ac scientia tenerum, nec bonum, nec malum discernere valentem, nec te quidem intelligere de huiusmodi differentem; nimirum mollis cera est, & quasi liquens, nec imaginem sigilli quoquo modo

modo recipiens. Medius horum adolescens & iuvenis est, ex teneritudine atque duritiâ congruè temperatus: Si hunc instruxeris, ad quæ voles, informare valebis: quod ipse animadvertens, iuvenibus maiori sollicitudine invigilo, procurans in eis vitiorum germina exstirpare.

S. Clemens Alex. l. pæd. c. 9. VI. Sicut lac, quod à nutricis ubere sugimus, est illud, unde hæc nostra corpulentia componitur, dum scilicet eius substantia, in ossa infantis, medullas, venas, arterias, omniáque alia membra distribuitur; Ita idem de hominis pueritia asserere possumus; omnes enim hominis inclinationes, mores, virtutes, omniáque alia bona, quæ in totius vitæ decursu habemus, fructus sunt bonæ disciplinæ & educationis, quâ homo in adolescentia sua coërcetur.

Mansi disc. 6. n. 6. VII. Sicut ferarum quævis suam semitam sibi propriam aperit, ac per eandem semper in sua vivaria aut speluncas sine errore aliquo, it, reditque: ita perrarò priori dimissâ, aliam sibi aut ipsa referet, aut ab alia iam tritam carpat, ex quo demum fit, ut ferè assidua eiusdem semitæ repetitione, sui notas & odorem in ipsa relinquant, per quas sagacitas canum easdem persequitur, & assequitur. Ergo hac in re non dissimile hominum ingenium, singuli ab initio propriam sibi semitam aut vivendi rationem usurpant, & ab ea deinceps nullis dehortationibus arceri, & in aliam induci possunt.

Ibid. n. 5. VIII. Sicut quod in tenera ætate in ossa ingreditur, & simul cùm ossibus crescit, tandem induratur, & una eadémque res cum illis efficitur, ita pariter vitia, & mali mores in iuventute acquisiti adeò firmiter in nobis radicantur, ut ad ultimam usque ætatem inseparabiliter nos comitentur.

Idem disc. 8. n. 1. IX. Sicut arbores & plantæ cùm è terra nascuntur, per se sylvestres sunt, nec fructus bonos producunt, quibus hortulanus surculos inserit fœcundos, eas potat, & prout opus fuerit, amputando, hinc inde ramos præscindit; ita Homo, qui arbori à Psalmista assimilatur, dum ait: *Lignum, quod plantatum est secùs decursus aquarum, ut fructum faciat*, ignémque inferni inextinguibilem evadat, necessum est, ut dum parvulus & tener est, amputetur, & inutiles rami præscindantur, surculi boni inserantur salutarium dogmatum, & disciplinarum, idque quamdiu in eo durat ætas immaturior, tunc enim doctrinam sibi traditam faciliùs apprehendit, tenaciterque retinet per reliquum vitæ.

Utilitas.

Idem n. 2. X. Sicut si amicum præcipitem pede apprehenderes, eúmque vulnerares, ita tamen ut à discrimine præsentissimo ipsum eriperes; quidquid foret de plaga, ingens certè illi beneficium præstitisses, scilicet vitæ; ita & in præsenti asserere licet, quòd, licèt pater Virgam disciplinæ infligat filio, in vitiorum, & scandalorum barathrum ruenti, nihilominus insignia edat amoris & beneficii paterni indicia, dum filium hoc modo à præcipitio ereptum, in securo constituit corporalis, & Spiritualis salutis statu.

XI. Sicut qui in agro & vinea sua diligentem operam collocat, evadit pauperiem; ita si in filio tuo operam navaris strenuam, filium à turpitudine liberas. *Paulus de Palat. in c. 30. Eccli.*

Damnum malæ educationis.

XII. Sicut equus indomitus evadit durus, & in præcipitium vadit, & se & sessorem interficit: Sic filius indisciplinatus in peccatum ruit, & se & animam suam duplici morte occidit. *Hugo Card. in c. 30. Eccl.*

XIII. Sicut qui avidè rem acidam edunt, tunc quidem gaudent, postea verò sentiunt dentium stuporem, ita si filio corrideas tunc quidem ridebis, sed risum lues postea dolore. *Paulus de Palat. l. c.*

XIV. Sicut simiæ, dum catulis suis abblandiuntur, eósque etiamnum teneros inter brachia sua fortiter stringunt, suffocant eosdem; ita multi homines per blanditias, & nimiam benevolentiam, filios educant petulantes, & Dei inimicos, atque à bona disciplina, probísque moribus aversos & alienos. *Plutarch. l. c.*

§. VI.

MOTIVA.

I. Necessitas; de qua sic loquitur S. Chrysostomus: illud autem vestram charitatem rogaverimus, ut & vos virtutis curam geratis, & continentiam liberos vestros doceatis. Hinc enim, ut ita dicam, omnia mala nascuntur. Consuetudo enim malitiæ processu temporis invalescens, tantum facit malum, ut postea non possit aliquâ vinci admonitione, & cùm semel à malitia fuerunt occupati, quasi in captivitatem essent adducti, quocunque Diabolus iusserit, eunt. Hinc & Plato dixit: optima quæque sive naturæ, sive fortunæ munera, si negligenter culta fuerint, in pessima tandem evadunt. *S. Chrysost. ho. 59. in Gen.*

II. *Utilitas*; quia Pater bonus mortuus in filio vivit, quia filius Patris mores gerit, & ingenium; & si caro Patris mortua sit, Spiritus eius in filio vivere videtur. Cui simillimum in sensum, verbis licet diversis, Hugo Card. subscribit, inquiens: quasi non est mortuus, quia vivit in filio doctrina eius, & conversatio, similem enim sibi reliquit post se, qui eum factis repræsentat. Quod etiam confirmans. S. Ambrosius, in morte Theodosii Imperatoris sic locutus est: Ergo tantus Imperator recessit à nobis, sed non totus recessit; reliquit enim liberos suos, in quibus eum debemus agnoscere, & in quibus eum cernimus, tenemus. *Paulus de Palat. in c. 30. Eccl.* *Hugo Card. ibid.* *S. Ambros. in obitu Theodosii.*

III. *Æquitas*; quia quotidiana nos experientia docet, quòd granum frumenti ad fructificandum longo tempore indigeat, alia verò semina non item; unde colligitur, quòd ad suffocandum semen bonum, ne fructum reddat, tanta celeritas minimè necessaria fuerit; cur igitur diabolus tam repente Zizaniis superseminandis dat *D. Chrysost. S. 88.*

dat operam? sed in promptu est responsio; quia omnia in figurâ contingebant; Diabolus enim semper, ut inquit D. Chrysologus, hunc stylum servat, quòd primordia boni pulsat, sancta in ipso ortu festinat exstinguere, sciens, quòd ea subvertere fundata non possit. In ætate igitur tenerrima Diabolus mala instillare dogmata nititur, & impedire, ne bonum semen, id est, bona educatio in primis vitæ annis radices agat, quia in his tam virtus, quàm vitium facilius addiscitur, & retinetur. Seneca ætatem maturam, & teneram, inter se comparans ait: Grandior ætas dura & intractabilis, non potest reformari, tenera finguntur.

S. Chrysost. to. 1. ho 69. IV. *Iucunditas*; quam D. Chrysostomus indicavit, dicens: nam si iucundum est videre arborem, quæ habet novam plantam è radice sua exsurgentem, multò magis iucundum est videre hominem omni oleâ amœniorem à radice sua filium habere astantem, quasi novam plantam.

S. Bernardin. to. 4. S. 12. p. 2. in Dom. 8. quad. V. *Damnum malæ educationis*; nam, ut benè advertit S. Bernardinus, quando Filius non timet Deum, neque cognoscit, neque amat, non exspectet Pater, quòd sit gratus versùs se, quia qui non curat de Deo, qui pater est omnium, multò minùs curabit de patre terreno.

§. VII.

MEDIA

VI. Unicum hîc, idque efficacissimum proposuisse sufficiat, nimirum *exemplum Parentum, aut moderatorum*; nam sicut omnis arbor bona bonum fructum facit, ita Parentis vitium est filiorum exitium; sicut in arboribus vitium seminis, totius arboris vitium est. Hinc & Plutarchus prudenter pronuntiavit: Ante omnia

D. Chrysost. ieg. S. 121. decet genitores nunquam titubando, sed omnia ritè agendo, illustre liberis semetipsos exemplum proponere, quo ipsorum vitam sicut speculum respicientes à turpibus factis & dictis deterreantur. Unde & iuxta notam fabulam, interrogatus cancer, quare sic retrorsum iret? respondit, quòd sic à Patre didicerit.

§. VIII.

ASCETICA.

I. Imprimis nôsse debet Asceta, *in quo consistat bona educatio*; quod imprimis indicat Salvianus super illa Psalmi 77. verba: *Quanta mandavit Patribus nostris:* sic discurrens: Videtis, quas parari opes à Parentibus Filiis Deus iubeat, non pecuniarios thesauros, nec graves metallo aureo saccos, non superbas, ac præeminentes excelsis urbibus domos, non fundos interminabiles; Non hæc Deus præcipit, pauca sunt, quæ mandat, sed salutaria: Scripto brevia, sed beatitudine sempiterna, ut ponant in Deo spem suam, & mandata eius exquirant: cùm verò Deus vivorum sit, non mortuorum, rectè illa parari filiis iussit, per quæ æternùm non morerentur. Clariùs verò S. Isidorus Pelusiota: qui liberis suis, ait, adhuc in tenera ætate, primùm quidem verum de Dei Excellentia, atque Providentia sensum, deinde virtutem, morésque probos inserunt, hi cum non modò parentum, sed & optimorum magistrorum munere fungantur, à Deo mercedem accipient. Cornelius à Lapide in illa verba: *Erudi illos, & curva &c.* Sic loquitur: vox *erudi*, spectat propriè ad intellectum; vox *curva*, ad affectum; uterque enim dirigendus est, & conformandus in pueris & iuvenibus, ne vel indociles maneant, vel inflexibiles. Pueris enim ingenita est in intellectu ignorantia, hæc tollenda eruditione; in affectu superbia & concupiscentia, hæc curuanda & castiganda sunt mortificatione. Alia versio, loco, *curva illos*, legit: *Cervices eorum domes.* *Cornel. à Lap. in c. 7. 25. Eccli.*

II. Secundò nôsse debet *modum educandi*; quem egregiè S. Thomas indicavit dicens: notandum, quòd alius est principatus Patris ad filium, & Domini ad servum; quia dominus utitur servo suo ad utilitatem propriam, sed pater utitur filio ad utilitatem filii, & ideo necesse est, quòd patres instruant filios propter utilitatem ipsorum, non tamen nimis arcendo, aut subiiciendo; & ideo dicitur Coloss. 3. Patres nolite ad indignationem provocare filios vestros, ut scilicet non pusillo animo fiant, quia talis provocatio non animat ad bonum. Est autem provocare ad iracundiam, quando cum eis non agunt eâ, quâ decet, moderatione, vel cùm se eis duros, vel inexorabiles præstant; aut cùm servorum officia eis imperant, aut graviùs, quàm par sit, puniunt, & indè abalienationem & iræ vindictam, & odium concipiunt contra parentes. S. Bernardinus textum illum adducens Proverbiorum: *Qui parcit virgæ, odit filium*; ait: Et ne credant, quòd semper flagello utendum sit, apertè subiungit dicens: Qui autem diligit illum, instanter erudit: nec ait: instanter flagellat, & percutit, eò quòd plùs sunt filii erudiendi, quàm verberibus flagellandi. Quis unquam filiorum severiùs castigari promeruit, quàm filius ille prodigus, contumax, & rebellis, qui totum suum Patrimonium cum meretricibus dilapidârat? & tamen S. Chrysologus super illa verba: Cecidit super collum eius, inquit: Sic pater iudicat, sic emendat, sic peccanti filio dat oscula, non flagella, delicta non videt vis amoris, & ideo pater peccata filii redemit osculo, clausit amplexu; Non minando illum recepit, sed cum canticis & symphoniis; si enim pater ipsum desperationi proximum vultu severo à se reiecisset, si rigore adversùs illum usus fuisset, utique nunquam illum lucratus fuisset. *S. Thom. in c. 4. Ephes.* *Salmeron. to. 4 d. 14.* *S. Bernard. to. 1. S. 9. a. 3. c. 1.*

III. Tertiò nôsse debet, *quæ sit radix malæ educationis*, quam S. Chrysostomus sequentibus verbis indicat: Itaque nulla alia ex ratione, perversi ut fiant liberi, contingit, nisi quòd eorum patres circa vitæ præsentis commoda æquo ampliùs incumbunt, & ferè dixerim, insaniunt; cùm enim illa solummodo inquirunt, nihilque illis præferendum censent, & suam pariter & liberorum animam negligere coguntur. Hos ergo *S. Chrysost. tom. 6. Hom. 27.*

ergo patres (quod nemo tamen me commodiùs dicere, quàm veriùs existimet) parricidis ipsis immaniores, sceleratiorésque dixerim, illi enim corpus ab anima separant, isti & animam & corpus æternis ignibus tradunt.

S. Thom. 2. 2. q. 122. a. 5. IV. Quartò nosse debet, *cur parentes primum inter proximos locum obtineant*; id quod S. Thomas clarè ostendit dicens: Inter proximos maximè obligamur parentibus, & ideo immediatè post præcepta ordinantia nos in Deum, ponitur præceptum nos ordinari ad parentes, qui sunt particulare principium nostri Esse, sicut Deus est universale principium, & sic est quædam affinitas huius præcepti ad præcepta primæ tabulæ. Quale verò in specie sit debitum Filiorum, explicat S. Bernardinus Senensis dicens: Quamvis filius accipiat Esse corporale à Patre, efficitur tamen ex hoc in debito duplici, quia illud corporale, quod accipitur, est de corpore patris sumptum, & transfusum virtute animæ, & operatione, ideo filius efficitur debitor honoris Patris, tum ratione corporis paterni, tum ratione animæ; quia anima & corpus concurrunt in patre, ut sit principium filii, hinc ratione corporis paterni est debitum sustentationis propriæ, ratione animæ debitum reverentiæ. Quod verò præmium sperare possint ex tali reverentia, indicavit S. Bernardinus, verba illa (*ut bene sit tibi*) explicans: dum ait, In quo promittitur prosperitas ad bene esse, septem namque concupiscunt homines ad eorum esse, & bene esse, quæ maximè in additione Deuteronomii comprehenduntur, quæ sunt septem præmia seu felicitates. Prima longa vita: Secunda substantia multa: Tertia, pulchra familia: Quarta, odorifera fama: Quinta, Benedictio paterna: Sexta divina gratia: Septima æterna gloria. Sed & S. Bonaventura idem præmium explicans: Honoranti, inquit, patrem honore reverentiæ debetur vita gloriosa sive honorifica; honoranti Patrem honore obedientiæ, debetur vita iucunda; honoranti Patrem honore beneficentiæ conceditur vita opulenta.

S. Bernardin. to. 2. s. in fer. 4. post Dom. 3. quad. n. 2.

Idem to. 2. s. 17. in Dom. 3. Quad.

S. Bonav. s. de 10. præc.

Glossa in c. 33. Deut. V. Quinto nôsse debet, *quousque Parentibus sit obediendum*; id quod breviter Glossa indicat, dicens: Debemus copulam terrenæ cognationis agnoscere, sed si cursum mentis præpedit, ignorare, ut affectus mentis viscera repleat, sed à spirituali proposito non avertat. Et S. Ambrosius: Quod occidi fecit à proximis proximos Moyses, filios à Parentibus, præceptum evidens, quia præferenda est religio necessitudini, pietas propinquitati; ea est enim vera pietas, quæ preponit divina humanis. Imò S. Hieronymus ulteriùs progressus, si Pater, inquit, in limine iaceat, si mater ubera, quibus te lactavit, ostendat, per calcatum perge patrem, per calcatam perge matrem, & ad vexillum Crucis evola: solum enim genus pietatis est in hoc, esse crudelem; & meritò, quia retrahere à Religione nihil est aliud, quàm Christum in pectore alterius occidere, Christo se opponere, spargere, & dissipare, quæ Christus collegit.

S. Ambros. i Gloss.

S. Hieron. in epist. 1. ad Heliod.

§. IX.

MISCELLANEA ET CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Qualitas.

I. PEculiaris est camelorum instinctus naturalis, quòd quando ex prolixo itinere sunt fatigati, immobiliter firmentur, adeò ut neque per virgam, neque per baculos ad iter reassumendum moveri possint, unde qui illos gubernant, cantu & symphoniâ uti solent, ut eos moveant. Ita quoque sæpe reperiuntur filiorum nonnulli, indolis adeò nobilis & generosæ, ut ad virtutem non per minas, sed per benignitatem inducantur, adeò ut rigor illos potiùs perversiores efficiat. Sanctus Anselmus Archiepiscopus Cantuariensis parentes illos, qui in sola virga confidentes, filios gubernant, his verbis alloquitur: solis eos percussionibus ad mores bonos vultis efformare? Vidistis inquam aurificem ex lamina auri vel argenti solis percussionibus imaginem speciosam formasse? Non puto. *Maiolus collat. 7.* *Vita S. Anselm. 21. April. apud Sur.*

II. Quis unquam crederet, struthionem parentes edocere, quomodo se filios amando gerere debeant? Ponit is ova sua in arenam, de cætero radiis solaribus illa committendo, ut ab illis animentur; num fortè id ex impietate procedere existimatis? Minimè gentium: Quando relinquit ova sua in terra, tu forsitan in pulvere calefacies ea? inquit Job Propheta, obliviscitur quòd pes conculcet ea, aut bestia agri conterat: duratur ad filios suos, quasi non sint sui. Quòd si struthio ad instar aliarum avium incubaret, ea quidem corporis sui calore foveret, pondere autem, & immensa corporis sui mole eadem dirumperet; ad hæc cùm stomachum habeat adeò calidum, ut ferrum digerat, nimio calore sua partus suos disperderet: atque hinc est, quòd id, quod secundùm apparentiam externam defectus pietatis, & amoris censetur esse inopia, mera sit materna discretio, & affectus: eodem modo de nonnullis parentibus discurrere licet, qui primâ facie nimis erga filios rigidi esse videntur, dum mortificationis virgam quoad illos semper manu versant, non permittendo illis cuiusvis generis conversationes, vel astringendo illos, ut continuò studiis sint applicati: non est hæc censenda nimia severitas, sed sinceri amoris puritas, & zelus Paternus, qui Filii examinat instinctum & malas inclinationes, novitque nocivam illi futuram esse nimiam Patris erga illos benignitatem. *Mansi disc. 9. n. 7.* *Iob. 39. 14.*

Æquitas.

III. Si videres servum quendam vilem, filium suum tenerum & innocentem magna cum barbarie & crudelitate cædentem, & colaphizantem, quantâ erga illum incendereris irâ, indignatione, & zelo, ut illatam filiolo iniuriam vindicares? Irasceris, inquit, indignaris, & belluâ ferociùs in percutientis faciem insilis; *S. Chrysost. ho. 17.*

Diabo-

Diabolum verò quotidie cernens filio colaphos infringentem, dæmones, inquam, in scelera ipsum inducentes, dormis tamen, nec doles, neque adversaris, neque truculentissimæ bestiæ eripis filium? & qualem tu experieris humanitatem?

Necessitas.

Mansi disc. 9. n. 1. IV. Quando prima omnium viventium Mater primum partum suum in lucem edidit, non sine mysterio notabilia hæc verba protulit: Possedi hominem per Deum: Etenim scire percuperem, quænam inter filium quendam & possessionem aliquam reperiatur proportio. Nam Deut. 32. v. 6. dicitur: *Iste est Pater tuus, qui possedit te.* Responsionis loco dici potest, quòd sicut possessiones familiis subveniunt, easdémque sustentant, dum ex illis, quidquid ad victum & domûs sustentationem pertinet, desumitur: Eodem modo filii ad instar possessionum genitorum necessitatibus subvenire, adeóque possessionibus æquivalere tenentur.

Mansi disc. 9. n. 3. V. Virga Moysis, quamdiu illam manu sua portabat, miracula operabatur, flagellis Ægyptum cædebat, Regem obstinatum ad promittendam populi liberationem, obedientiam Deo præstandam, totum vastissimum Regnum in iugi circumducebat timore: Ast ubi in terram proiecta fuit, in venenosum subitò serpentem est transmutata: Hæc est virga directionis. DEUS enim patribus directionem & authoritatem impertiit exercendam in filios, hísque naturaliter genium indulsit obedientiæ, & respectûs erga patres, ita ut patres potestatem suam obtinuerint ad reprehendendos, corrigendos, & percutiendos filios, quoties necessitas fuerit, ut cordibus eorum timorem imprimant divinum, infundant scientias, alienent à vitiis, timoratos educent, & reverentes; Ast ubi virgam disciplinæ, neglectâ educatione, in terram proiecerint, subitò in venenum tam patribus, quàm filiis convertitur, filiis accrescentibus in contumacia, rebellione, & petulantiâ.

S. Rupert. l. de Trin. c. 8. VI. Mysterio quoque non caruit miraculum, quod Elias filium viduæ Sareptanæ in vitam revocando patravit; Nam ut sacer textus ait: *Dixit ad eam Elias, da mihi filium tuum, tulitque eum de sinu eius & portavit in cœnaculum, ubi ipse manebat, & posuit super lectulum suum, expandit se, atque mensus est super puerum tribus vicibus, & clamavit ad Dominum.* Etenim hæc omnia in figura contingebant illis; puer enim hic mortuus peccatorem præfigurabat, peccati morte extinctum, qui à Christo resuscitandus erat, nam ut Rupertus Abbas ait: Hic filius viduæ peccatorem significabat. At verò, inquies, si mortuus hic puer, & consequenter in statu innocentiæ positus erat, quomodo peccatorem præfigurare poterat? scitisne, quid ad hoc responderi debeat? Nimirum sufficit scire, quòd filius viduæ erat; hi enim etiam in ætate tenera ut plurimùm vitiosi existunt, quia desunt illis debitæ reprehensiones, & severitas correctionis, cuius matres communiter sunt expertes. Elias verò qui vir austerus & rigidus erat, quique etiam capita coronata, id est, Reges acriter reprehendere non dubitabat, filium hunc è sinu matris suæ eripuit, & super durum lectulum suum repositum in vitam revocavit, quia, qui filios vult divinæ gratiæ vitâ gaudere, eosdem ferulæ & disciplinæ Religiosorum debet submittere. Atque hinc est, quòd olim laudabilis illa consuetudo viguerit, quâ filii in Monasteriis Religiosorum, & maximè Ordinis S. Benedicti educandi traderentur, vel, ut hodie fit, iuventus pro debita educatione Seminariis & Collegiis sub directione Patrum Societatis JESU committatur.

VII. Dubium non est, quin in magnam admirationem rapiat atrox illa pœna, quæ filiis malè educatis, qui Elisæum Prophetam deriserunt, irrogata fuit; siquidem divina iustitia (de qua semper verum est: *Bene omnia fecit*) ita disposuit, ut omnes quadraginta duo pueri ab ursis dilacerarentur, sed cur ab ursis potiùs, quàm ab aliis feris crudelis hæc mors illis illata fuit? Pro resolutione sciendum est, hanc esse ursæ proprietatem, quòd catulos suos, velut informem quandam carnis massam, in lucem edat, quam postea velut embrionem linguâ suâ lambendo ad perfectam formam, per omnium membrorum suorum distinctionem, reducit, qua de re S. Ambrosius ita scribit: Fertur informes utero partus edere, sed natos linguâ fingere atque in speciem sui similitudinémque formare; Quam ursæ proprietatem idem S. Doctor adversùs genitores hunc in modum applicat, dicens: Non miraris in fera tam pii oris officia, cuius naturam pietas exprimit; ursa igitur partus suos ad sui effingit similitudinem, tu filios tuos instituere similes tui non potes? Quod verò hac in re nobis observandum venit, hoc est, quòd videlicet ad catuli efformationem linguâ, non pedibus, nec unguibus utatur; ad insinuandum parentibus, quod tametsi nonnunquam filios suos reprehendere debeant; id tamen faciendo nunquam mansuetudo & affectus Paternus ab illis deponendus sit: utendum est linguâ acriter illos increpando, & reprehendendo, semper tamen cum suavitate aliqua illos lambendo. S. Ambros. l. 6 hexam. c. 4.

VIII. Pellicanus inter omnes alias aves pullos suos magnopere diligit, fœmella enim ovis incubans mox, ut exclusos pullos vivere conspicit, præ nimia amoris teneritudine illos amplexatur, & stringit; at verò inter amplexus mortem illis conciliat, siquidem inadvertenter rostro illis colludens latera perforat; superveniens autem post triduum masculus, pullósque mortuos cernens, rostro sibi pectus vulnerat, suóque sanguine illos revivificat. Quot sunt eheu! parentes, qui filios suos affectu quidem tenero, non tamen constanti, nec virtuoso, nec rationabili diligendo (siquidem qui diligit filium, assiduat illi flagella) mortem illis non solùm corporis, sed & animæ afferunt? dissimulant illorum insolentias, quæ tandem sanitatem lædunt, & salutem æternam impediunt. In lib. Regum matrem quandam suffocasse filium Mansi disc. 9. n. 6. L. 3. Reg. c. 3.

lium legitur: scitisne, quâ occasione id factum sit? Nimirum illum sibi semper præsentem etiam in lecto volebat, quot sunt, qui nimiâ erga prolem teneritudine seducti, vitam illi abbrevient!

S. Thomas opusc. 7. IX. S. Thomas dicit, quòd vitam à parentibus ad eum modum recipiamus, quo nobiles feudo aliquo à Rege suo investiuntur, feudum autem nemo meretur conservare, qui feudatario suo infidelis est; ita quoque vitâ indignus est, qui vitâ, quam à genitoribus suis accepit, in ipsorum ignominiam & contemptum abutitur; præterquam quòd Deus, qui reverentiæ parentibus debitæ singularem curam habet, eos quoque vitâ privet æternâ. Consilium est Ecclesiastici: *In opere & sermone, & omni patientiâ honora Patrem tuum, ut superveniat tibi Benedictio ab eo, & Benedictio illius in novissimo maneat.* Eccli. 3. 9. Securissimum enim illi pignus habent, qui erga parentes obsequiosi sunt, & reverentes, quòd in hora mortis propitium habituri sint Judicem, quod intelligi potest, ut inquit Paulus de Palatio, vel quòd divinus favor & adjutorium usque ad finem vitæ duret, aut quòd germanius est, quod divinus favor atque benedictio maneat, & servetur in horam illam tanto periculo tremendam, scilicet ad horam mortis & strictissimi examinis, ubi æternitatis iacitur alea. O quale, ò quantum beneficium tunc erit, benedici & audire. *Venite Benedicti Patris mei.* Ergo sicut tu in omni patientia sustinuisti difficultates senis patris tui, ita Deus sustinebit in omni patientia, si quæ fuerint errata infirmæ animæ tuæ, ut, quâ mensurâ mensus es patri tuo, remetiatur tibi Pater misericors tuus.

Utilitas.

Mansi l. c. n. 6. X. Oves quidem circa diluculum matutinum ovile libenter egrederentur, ut herbas depascerent rorulentas, utpotè quæ instar mellis amabiles sunt & dulces, at verò prudens & providus pastor illas retinet & coërcet, donec per solem ros exsiccetur, ne nimiùm pinguescant, probè sciens, pinguedinem illam eis fore damnosam: Idem quoque de filiis dicere possumus, quibus Parentes multas recreationes, cæteroquin honestas, prohibent, illos frœno semper coërcent, quia cùm illorum propensionem probè sibi perspectam habeant, damnum, quod in illa tenera ætate in eos redundare posset, sollicitè prævident.

XI. Athenienses dum olim oraculum suum interrogâssent, quidnam ad reddendum Reipublicæ statum felicem & prosperum utile ac necessarium esset, sequens ab eodem retulêre responsum, scilicet, urbem fore beatam, si puerorum auribus, quod optimum & pretiosissimum est, appenderent. Idem disc. 5. n. 8. Quibus verbis monebantur, non tam ut gemmas vel inaures aureas puerorum auribus appenderent, sed potiùs ut eos salutaribus monitis parentum faciles & morigeras aures præbere iuberent. Unde David dicebat: *Deus auribus nostris audivimus, & Patres nostri annunciaverunt nobis.* Ps. 43.

XII. In illo sæculo, in quo Deus diluvium super terram emisit, eò quòd *omnis caro corruperat viam suam*, Idem disc. 17. n. 3. nullus in universo mundo à scelere purus fuit, præterquam solus Noë cum universa familia, quæ octo tantùm personis constabat, quas Deus duntaxat, veluti humani generis scintillas in vita reservare voluit, ne totaliter periret. Dicite sodes, quænam Noë merita habuit, ut præ cunctis totius mundi hominibus privilegio adeò raro à Deo honoraretur? Audite sacrum textum id clarè exponentem: *Noe*, inquit, *vir justus & perfectus in generationibus suis fuit*, id est, ut Caietanus exponit, in filiis suis, quia enim magna sollicitudine filiorum suorum bonam educationem curavit, ideo singularissima hâc prærogativa se dignum effecit; Fuit perfectus, inquit Caietanus, non solùm in se ipso, sed etiam in generationibus suis, servavit enim se, & filios suos sine defectu mortali, nam profectò iustus esse non potest, qui filios ad virtutem non instruit, qui eos iustos fieri non studet.

TITULUS XXVII.

EUCHARISTIA.

§. I.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Qualitas.

S. Laur. Inst. de Euch. I. 
Ineffabilis dignitas conditoris! O stupor indicibilis charitatis! quis non contremiscat? quis non cum exultatione miretur? sanè nunquam fuisset homo ausus talia petere, sed neque cogitare, quoniam hoc misericordiæ opus omnem mortalium supereminet dignitatem.

II. Se ipsum invenit homo propter infirmitatem, iacentem in stabulo, stabulum enim quid est? mundus est, & propter pecorinam similitudinem indigens erat fœno, ea propter cibus cœlestis mutavit se in pabulum pecoris, homine mutato in pecus. S. Bernardus apud Mansi tr. 26. disc. 35. n. 5. Panis Angelorum factus est fœnum, unicus Patris Flius hominis, verbum quippe caro factum est, & iuxta Prophetam, omnis caro fœnum.

III. In Canone Missæ leguntur sequentia verba: Quam oblationem, Tu Deus, in omnibus quæsumus benedictam, adscriptam, ratam, rationabilem, acceptabilémque facere digneris. S. Paschasius ser. de corp. & sang. Dom. Quæ verba S. Paschasius considerans

rans ait: Benedictam, per quam nos benedicamur; adscriptam, per quam nos omnes in cœlo conscribamur; ratam, per quam in visceribus Christi censeamur; rationabilem, per quam à bestiali sensu exuamur, acceptabilemque facere dignetur, quatenùs & nos per hoc, quia in nobis displicuimus, acceptabiles cum eius unico filio simus.

Hugo de S. Vict. erud. Theol. T. 1. Spec. Eccl. c. 7. IV. Pulchrè se vocat granum frumenti, quia granum frumenti candidum est interiùs, & rubrum exteriùs, & Christus candidus dicitur respectu divinitatis, & rubicundus in carne propter passionem: Unde Sponsa in Canticis dicit: quòd sit candidus & rubicundus.

Utilitas.

S. Aug. ser. 2. de verb. Apost. V. Illum calicem bibere, quid est, nisi vivere? Manduca vitam, bibe vitam, habebis vitam, & integra est vita.

Remig. Altissiod. de celebrat. Miss. VI. Nec solùm pro salute æterna datur, sed etiam pro temporali incolumitate, id est, corporali sanitate; incolumitas enim dicitur sanitas & integritas, utraque enim sanitas ab illo est, animæ & corporis.

S. Bernardin. tr. 2. ser. 55. art. 2. c. 4. VII. Est fons omnis gratiæ & virtutis. Unde Sacramentum hoc Eucharistia, id est, bona gratia nominatur; ideo Eccl. 24. ipsa Eucharistia de se ait: *In me omnis gratia viæ & veritatis, in me omnis spes vitæ & virtutis.*

S. Bernard. ser. 61 in Cant. VIII. Quotiescunque ad hoc Sacramentum accedo, decoquor, cùm immutor: digeror, cùm transformor: unior, cùm conformor.

S. Chrysost. hom. 24. in 1. ad Cor. IX. Inde effecti aquilæ ad cœlum evolamus ubi enim cadaver, illic & aquilæ; cadaver corpus suum vocitans propter mortem; Aquilas vocat ostendens, quòd oportet eum, qui ad hoc corpus accedit, esse sublimem & cum terra nihil habere commune, neque deorsum trahi & serpere, sed assiduè sursum volare.

S. Bern. to. 2. ser. 55. art. 1. c. 1. X. Tria inter alia bona multiplicantur per hoc Sacramentum. Primum est decor castitatis: Secundum charitatis: Tertium sapor svavitatis.

S. Chrysologus ser. 34. XI. Audiant Christiani, qui quotidiè corpus Christi attingunt, quamnam de ipso corpore possunt sumere medicinam, quando mulier totam rapuit de sola Christi fimbria sanitatem; sed quod nobis flendum est, mulier de vulnere Christi medicinam tollit, nobis medicina ipsa retorquetur in vulnus.

Necessitas.

S. Bonav. apud Mansi disc. 1. n. 6. XII. Tolle hoc Sacramentum de Ecclesia, & quid erit in mundo, nisi error & infidelitas? & populus Christianus erit quasi grex porcorum dispersus, & idololatriæ deditus, sicut expressè patet in cæteris infidelibus.

Dignitas.

S. Bern. ser. in Cœn. Dom. XIII. Panis iste per excellentiam Eucharistia dicitur, id est, bona gratia, in hoc enim Sacramento, non solùm qualibet gratia, sed ille, à quo est omnis gratia, sumitur.

S. Bonav. l. 6. c. 18. XIV. Maxima dignitas apparet in hoc Sacramento, quia cum Christus constet ex tribus substantiis, scilicet Deitate, anima, & corpore, ipsa quidem Deitas excellit omnia; item anima eius præcellit omnes animas, cùm sit plena gratiæ & veritatis; item corpus eius excellit omnia corpora, quod de sanctificato corpore B. Virginis fuit sumptum, & Divinitati unitum. *comp. Theol. verit.*

S. Aug. tr. 84. in Ioa. XV. Audeo dicere, quòd Deus, cùm sit Omnipotens, plus dare non potuit: cùm sit sapientissimus, plus dare nescivit; cùm sit ditissimus, plus dare non habuit.

Iucunditas.

Mich. de Bononia inps. 62. XVI. In hoc Sacramento totalis gratiæ pinguedo continetur, quid enim frumenti nomine, nisi Corpus Christi intelligitur? istud frumentum habet corticem, & adipem; ut cortex sit ipsa humanitas: adeps verò sit intus latens Divinitas, quia in hoc Sacramento satiamur, eò quòd in ipso nostra finalis beatitudo consistat.

S. Cyprianus de Cœna Dom. XVII. Eucharistia sapit ampliùs, quàm Manna, implet & sapit edentium appetitus, & omnia carnalium saporum irritamenta, omnium exsuperat dulcedinum voluptates.

S. Albert. M. de Euch. dist. 3. tr. 1. c. 2. n. 5. XVIII. Saporem gratiosum valdè habet ex Deitate, hoc sapore omnibus præfertur delectabilibus, nec aliquid est, quod comparari possit delectationi huius Sacramenti; quod illâ Psalmistæ authoritate (*delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui*) confirmans ait: si enim delectatio est, ut ait Aspasius, diffusio naturæ super maximè conveniens, inæstimabilem convenit esse delectationem super gustum Deitatis, in omni gratia, & in omni bono refertum.

S. Thom. opusc. 17. XIX. Svavitatem hujus Sacramenti nullus dignè exprimere sufficit, per quod spiritalis dulcedo in suo fonte gustatur.

S. Albert. M. l. c. n. 2. XX. Quanto putas dulcedinis est sanguis huius Sacramenti, qui de tam dulci fonte manavit, & à tam dulci fonte hauriente in tam dulce vas est transfusus? Fons enim huius sanguinis est sanguis in visceribus gloriosæ virginis contentus, hauriens hunc fontem Spiritus Sanctus est; vas in quod transfunditur, Corpus Dominicum est, ex quo etiam manat in Sacramentum, & ex Sacramento in corda fidelium.

Veritas.

S. Paschas. l. de corp. & sang. Dom. XXI. Recedat omne infidelitatis ambiguum, quandoquidem, qui Author est muneris, ipse etiam testis est veritatis.

S. Thom. Villanov. in fest. corporis Christi. XXII. Quid obsecro magnum est, si Christo Domino creditur? Christus ait, *hoc est Corpus meum*, & super hoc quispiam audeat hæsitare? Nam etsi quæ dicuntur, ardua, & difficilia sunt ad credendum, fidei tamen minuitur difficultas, ubi dicentis consideratur authoritas; noli considerare, quod dicitur, sed quis dicat, attende.

S. Laur. Iust. de Euch. XXIII. Ne errares in fide, & à veritatis temitis

mitis devians, malè de Christo in hoc Sacramento sentires, se dedit in cibum, dum adhuc esset passibilis, cùm videretur, cùm tangeretur, cùm agnosceretur, cùm præsens loqueretur.

S. Bonav. t. 7. de prap. ad Miss. c. 2. XXIV. Quid enim dubitationis in hoc Sacramento remanet, quod à Christo tam expressè traditum, ab Apostolis prædicatum, à SS. Patribus orthodoxis tot centenariis annorum præfiguratum, tantísque ceremoniis, tot miraculis & prodigiis, & observantiis, quasi testimoniis palpabilibus vides confirmatum? tolle hoc Sacramentum de Ecclesia, & quid erit in mundo, nisi error & infidelitas?

Salmeron. tr. 40 c. 9 XXV. Quomodo fiet istud, ut tantus Christus sub tam parva hostia delitescat, aut qua ratione Mundi Conditor in vile pectoris nostri turguriolum subintrare velit? prudentia tunc dictat, ad Spiritum Sanctum & virtutem Altissimi, cui nihil est impossibile, & qui nos ardentissimo amore prosequitur, spectandum esse; si enim non ederes, nisi ea, quæ intellectu tantùm cognoscuntur, & quomodo sint condita, & qua ratione nos alere possent, comprehendere valeres, pauca sanè, & prorsus nihil ederes.

S. Ioan. Damasc. l. 4. c. 14. Orthod. Fid. XXVI. Si modum requiris, quonam pacto fiat, sat tibi sit audire, quoniam per Spiritum Sanctum, quemadmodum ex S. Deipara, se ipsum, & in se ipso Dominus carnem sustentavit, & nihil aliud cognoscimus, quàm quòd verbum Dei verum est, & efficax, & omnipotens, modus autem inscrutabilis.

Hugo Vict. to. 3. spec. ecc. c. 7. XXVII. Mirum, sed verum: Nec tamen mirum est respectu facientis. Quid enim mirum, si Omnipotens mirabilis miranda operatur?

Idem l. c. XXVIII. Quando mirari cœperis, & dixerit tibi cogitatio tua, quomodo hoc esse potest? cogita facientem, & respice omnipotentem. Albertus M. authoritatem adducit S. Gregorii dicentis: sicut Divinitas verbi Dei una est, quæ totum implet multis locis mundum, ita licèt multis & innumerabilibus diebus illud consecretur Corpus, non sunt tamen multa corpora Christi, sed unum corpus cum illo, quod assumpsit de Virgine, & quod dedit Apostolis; Divinitas enim verbi, quæ ubique est, replet illud.

Eugen. apud Mansi disc. 31. n. XXIX. Sicut avis fovens ova, dicit Glossa; ergo si ponis sub ave unum, vel plura ova, vertit ea per naturam interiùs in carnem, testâ manente exteriùs. Quantò magis, si ponas in Altari unam hostiam panis, vel duas, sive centum, sive mille, sive plures, manente panis exteriùs specie, Spiritus S. repentè interiùs in Corpus Christi sua virtute convertit?

S. Albert. Mag. ser. 21. de Corp. & sang. Dom. XXX. Natura mutat unam substantiam in alteram, sicut in vite aqua mutatur in unum; & opere apum, succus florum in favum mellis; similiter in nobismet ipsis panis, quem manducamus quotidiè, per naturam mutatur in carnem, & gramina comesta à brutis convertuntur in carnem & sanguinem; ergo multò magis virtus verbi Christi, mutare potest Panem in substantiam sui corporis.

XXXI. Festinavit Abraham in tabernaculum ad Saram, dixitque ei: *Accelera, tria sata similæ commisce, & fac subcinericios Panes.* Idem. Hæc est sapientia summi Patris, quæ tria sata, Deitatis, & animæ, & corporis commiscuit, hæc sociavit. Accelerat autem, quia in momento operata est, & non per momenta temporum, ut infirma facit natura, & fecit nobis panes æternæ refectionis sub cineribus huius nostræ mortalitatis decoctos.

XXXII. Sicut ad nutum præcipientis Domini, repentè ex nihilo substiterunt excelsa cœlorum, profunda fluctuum, vasta terrarum, pari potentia in spiritualibus Sacramentis verbi præcipit virtus, & servit effectus; dicere enim verbi operari est; dixit enim, & facta sunt. Euseb. Emiss. hom. 5. de Pasch. Unde eodem momento, quo Christus in persona Sacerdotis profert hæc verba: *Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus*, creatura locum Creatori suo cedit, nam ut S. Paschasius ait: Verba Christi sicut divina sunt, ita efficacia, ut nihil aliud proveniat, quàm quod iubent, quia æterna sunt: *Cælum*, inquit, *& terra transibunt, verba autem mea non transibunt*, sed facient omnia, ad quæ missa sunt, quia Patris non nisi unum, & substantivum, & consubstantiale, & sempiternum est verbum.

XXXIII. Iustum & consentaneum est, quòd adveniente pane vero, cedat materialis; neque est eius iniuria, imò ius Creatoris est, ut ei advenienti honorem deferat creatura, relinquens ei penitus locum suum, & cætera, quæ ab eodem Creatore acceperat, utpotè albedinem, saporem & quantitatem. Guil. Paris. de Euch.

§. II.

EXEMPLA SACRA.

Cultus.

I. Franciscus primus Franciæ Rex propter continuos & implacabiles Regni sui motus bellicos, in subditos suos, hæreseon, errorúmque pestem, cum ingenti fidei præiudicio transfusam advertens, sequens adhibuit remedium & antidotum. Io. Rho. l. 1. c. 1. n. 27. Excitatâ pietate celeberrimam Parisiis supplicationem instituit, Divinámque Hostiam circumferre iubet, adest ipse facémque manu præferens, aperto triumphali capite, prosequitur. Mox coactis in templo Proceribus de augustissimi omnium mysterii veneratione, cultúque Regiâ disserit eloquentiâ, obortísque extremâ concione lacrymis, se Henricum suum, unicam Regni spem, si errores concepisset, illico Divinæ veritati immolaturum vociferatur.

II. Ferdinandus II. dum avia in sylva venaretur, quod Principi intimum erat solatii, nolam audire sibi visus, cuius sonus vix præ locorum intervallo ad aures accidebat. Idem n. 8. Interrogati, qui feris indagandis, excitandísque discurrebant, quid rei esset, docent, via militari ad ædes rustici morituri divinissimam Hostiam à Sacer-

à Sacerdote deferri. Non ultrà moratus Ferdinandus per obstantia, & dumos, sylvámque adigens equum, eluctatúsque moras, Sacerdotem libero assequitur campo, & equo desiliens comitari pergit, ut Austriacum esse scires. Venitur ad decumbentis mapale, omnia ritè peraguntur. Tum Sacerdos, ut ægro animos adderet: Mactè, inquit, meliori spe, duos hodiè Reges domi excepisti, Regum omnium Regem Christum Dominum, & hunc Ferdinandum Bohemiæ Regem (nondum enim erat Cæsar) qui, ut integra esset Austriaca Religio, hoc est, Regia, aurum rustico liberaliter largitus est.

Idem n.3. III. Eleonora Austriaca iungenda Ferdinando Soror est, ultima Archiducis Caroli proles, constantiæ tamen, ac pietatis facilè prima. Gravissimâ oculorum valetudine laborans Sacrificio de more intererat, & salutarem Hostiam à Sacerdote sublatam summa cum voluptate iam adoraverat, oculisque latentis Dei hauserat arcano: amores, quùm subitò auferri sibi diem sentit, humorúmque noxiorum suffusione lucem omnem perpetuò mergi; quo casu improviso animus quamvis fortis percelli poterat, si non Austriacus fuisset; hoc usa Eleonora: Bonum factum, inquit, diem non opto, meque abundè felicem reputo, cui ultima lucis usura supremum Divinæ dignationis argumentum repræsentavit Eucharistiam; quid enim pulchrius, atque augustius in hac mortalitate videre possim, profectò est nihil. Videntis hoc animi dictum est, cui ab externis his tenebris lux maior accedat.

Idem n.6. IV. Sebastianus Lusitaniæ Rex cùm occurreret Sacerdotibus Eucharistiam ad ægros deferentibus, semper solebat equo desilire, magnáque reverentia ad usque decumbentis ædes comitari, ac ne præsentiæ Maiestate animos domesticorum percelleret, dum omnia intùs ritè peragerentur, foris ad ianuam, & quidem de genu præstolari, ac Sacerdotem sacras ad ædes eâdem pompa reducere.

Idem n.10. V. Joannis Riberæ Patriarchæ Antiocheni Religio non unâ significatione contenta, in omni vitâ, quæ illi longissima contigit, se se pulcherrimas per actiones exercuit. Ergo quotiescunque tanti mysterii nomen audisset, caput aperire, quod deinde in mores promanavit; de illo ad concionem frequentissimè novo semper lectissimarum sententiarum delectu dicere: Angustissimam cellam, & Sacerdotum Collegium, eiusdem honori sumptibus immanibus dicare, parùm fuerit; illud profectò, vel ad elegantiam pietatis, vel ad populorum utilitatem longè eximium fuit, nobilissimæ gentis Riberæ abiectis insignibus, eâ deinde gemmâ signavit, in qua calix cum Sacra patina, & Hostia, Christiano more esset exculptus, duabus hinc inde arulis cum igne; addita Epigraphe: *Tibi post hæc quid faciam, fili mi?* Demum ut latiùs ea pertineret Religio, novam invenit salutationem pietatis plenissimam; *Laudetur Sanctissimum Sacramentum.* An non hoc sit in Eucharistiæ veluti transire patrocinium, atque palam testari, eius se Spiritu vivere?

VI. Caietanus Thianeus Theatinorum fundator, à primis tenebris ad usque Matutinum Sacrificii tempus, silens, totúsque sibi intentus perstabat, horásque plerúmque octonas Divinæ commentationi impendebat; tùm severè excussum animum arcanâ confessione purgabat, atque hoc potissimùm modo comparatus ad Sacrum altare, nescio quæ Divini amoris spirans incendia, succedebat. Hæc cùm tanto ambitu peragerentur, quæ tamen Divini epuli fames erat, quotidiè perlitabat. Idem n.15.

VII. Anglus quidam 400. aureis ob Missam auditam damnatus, mulctam, quam in lucro ponebat, ut persolveret, aureos Lusitanicæ notæ longè pulcherrimos, unde unde conquisitos, hæretico quæstori enumerabat; pecuniæ fulgorem admiratus homo impius, mirum sibi videri dixit, tantâ diligentiâ mulctæ persolvendæ id auri fuisse coactum; tum Catholicus, scito, inquit, quùm nihil usquam Divino Sacrificio pulchrius sit, eius in pretium me pulcherrimum studio aurum comparâsse, & quoniam ea te momordit cura, ut animum tibi penitus aperiam; datâ etiam operâ, Crucis notâ percussum aurum, pro Eucharistiæ adoratione redimendâ ultrò à me quæsitum scias, quòd mira quædam & arcana sit Crucis atque Eucharistiæ cognatio, eáque hominibus admodum salutaris. O dicta Lusitanico ipso auro splendidiora, & religiosissimæ mentis consignata fastigio! Ibidem n.19.

VIII. Angerus, primus in Iaponia Christianus affirmabat, cùm omnia sibi in Christiana Republica vehementer probari, tum nihil melius, aut quo magìs animus caperetur, ipso Christi corpore sibi videri, & post illud arcanâ scelerum expiatione. Itaque mirari se admodum, si qui fortè reperirentur, qui tantis paratis bonis non avidè, atque iucundè fruerentur. Plus sapuit Barbarus iste, quàm plerique hodiè apud nos, qui stolidâ quadam abstinentiâ desipiunt. Ibidem n.21.

IX. Dominicus Ansalonius nonum vix attingens annum, & summa Religione sacræ accumbere mensæ, & Eucharistiam quæsitissimè colere iam didicerat. Nam si fortè ad ægros deferenda esset, ac nolæ pulsu admoneretur vicinia, exiliebat illicò, fuítque sæpiùs, quum mediâ hyeme nondum albente cœlo, eâ significatione excitatus, vix circumiectis vestibus, quas publicus pudor abesse non patitur, lectulo, ac domo prosiliens, magna cum veneratione accensum funale manu gestans, Divino ferculo præluxit, ac domum reversus, familiam omnem somno mersam offendens, pigritiam, morásque modestissimè increpavit. Adeò non genus, non ætas à virtute nos excusat. Ibidem n.22.

X. In Civitate Potosina præclarus atque à pietate mos ille obtinuit, ut Magistratus, ac Nobilitas omnis, si quando circumlatæ divinæ Eucharistiæ obviam fiunt, illicò reiectis togis, palliisve, arreptisque facibus, veluti pueri honora- Ibidem n.26.

honorarii, Regem Regum comitentur, illustriori nobilitatis ac potestatis commendatione, quàm si per ineptam gravitatem Magistratûs insignia deponere indignarentur.

Ibidem n. 21. XI. Infregerat Leoni Peteriæ nobilissimo præfervidi, ac planè militaris animi adolescenti, colaphum gregarius miles, fugámque arripuerat. Sed non tam leves huius pedibus timor, quàm ira & furor Peteriæ alas addidit. Assequitur in templo, iniectâque altera manu, elatum alterâ pugionem, irâ furens, ac frendens iugulo adprimebat: Tum miser ille visâ, quam fortè Sacerdos vicinam ad aram sustulerat de more, hostiâ Divinâ; Per hanc te, inquit, obsecro, parce. Simul precantis vox, simul nolæ pulsus, furentis Iuvenis animum advertit, qui fracto repentè impetu, exclamavit: Hæc te iuvat, simulque mucronem vaginâ recondidit. Quod violatâ Sacri loci reverentiâ peccaverat, domito ad Eucharistiæ præsentiam furore diluit. Huius profectò iracundiæ Sol Divinus nequaquam occidit, qui eius lumen, iræ inter atque furoris tenebras præclarè vidit, ac veneratus est.

Baron. an. 513. n. 24 XII. In Annalibus Ecclesiasticis de quodam hæretico Severi sectatore legimus, quod servum quendam habuerit Catholicum, Deo pariter & ipsi valdè fidelem, qui iuxtà illius temporis consuetudinem Sacram Eucharistiam in domum suam summa cum reverentia reportatam, & in armario quodam repositam habebat, ut eâdem in necessitatibus occurrentibus uti, seque cibare posset; accidit autem, quòd cùm servus ille procul à domo profectus fuisset, hæreticus Dominus eius, qui sæpiùs ex curiositate Sacrosanctas illas species videre concupiverat, prævidens servum tardiùs domum reversurum, à Dæmone instigatus, easdem in ignem proiicere decreverit, cúmque hoc ipsum executurus, ad prædictum armarium accederet, invenit (res profectò mira atque stupenda) omnes illas species in spicas & aristas triticeas germinâsse. Unde timore correptus elatâ voce, Kyrie eleyson acclamavit, atque cum omnibus familiaribus & domesticis suis ad Ecclesiam Seleuciæ Episcopi se recepit, miraculum manifestavit, ac unà cum multis aliis de huius Divini frumenti veritate convictus, errorem suum est detestatus. S. Gregorius in quadam homilia ita scribit: quia per Prophetam dicitur: *Omnis caro fœnum*, factus homo fœnum nostrum vertit in frumentum; qui de semetipso ait: *Nisi granum frumenti mortuum fuerit, ipsum solum manet*; Unde & natus in præsepio reclinatur, ut fideles omnes, videlicet sancta animalia, carnis suæ frumento reficeret.

Io. Rho. l. 3. c. 1. n. 11. XIII. S. Philippus Nerius cùm quotidiè faceret, adeò liquidas sacri Sanguinis haustu hauriebat voluptates, ut cùm eò mysterii ventum erat, miris modis gestiret, atque exundantem magno cordis æstu lætitiam vix caperet: Itáque avidè sugebat, ut sacro calici aurum, quo argentum superinduci solet, sæpiùs lingendo detergeret, notabili tantæ pietatis vestigio. Tantis animi mótibus quùm iam imperare non posset, primò Ministrum propiùs accedere vetuit, ne conspiceretur; verùm quia curta ea erat providentia, petitâ Pontificis veniâ secreto in cubiculo faciens, plenóque auro utens, ubi Divina protulerat verba, facessere omninò iubebat, dein duas trésve solidas horas, vel stans, vel extremâ iam Senectâ sellâ sedens, in eo tripudio eximebat. Neque divinis modò epulis pietas incalescebat, verùm ipsius calicis attactu adeò exhilarabatur, ut eâ gratiâ sæpissimè contrectaret.

XIV. De Ruperto Abbate S. Thomas Villanova tradit, quòd, dum humilitatis instinctu characterem admittere Sacerdotalem detrectaret, tandem agnitæ voluntati Divinæ acquieturus, se consecrari permiserit; ipsâ autem nocte, quâ primum celebravit Missæ Sacrificium; tali eum apparitione dignatus est Dominus, Nocte illi in somniis Christus apparuit (verba sunt Sancti Archipræsulis) corpore quidem publicus, sed occultatâ facie, ut ab eo vultus eius videri non posset, qui ei membratim sic impressus est, ut neque sigillum ceræ tam intimè imprimi posse videretur, tantaque fuit ex hac impressione in eo orta delectatio, ut excitatus agnosceret, quia nisi citò voluptas illa pertransiisset, animam illius suo impetu secum à corpore rapuisset; unde ex illa tunc experientia se didicisse asserit, quàm verum est, quod scriptum legerat: *Non videbit me homo, & vivet*; impossibile enim videbatur torrentem illam voluptatis, viventem in carne Spiritum diutiùs sustinere posse. *S. Thom. Villanov. conc. 2. in fest. Corp. Christi.*

XV. Pater quidam Capuccinus Laurentius Brundusinus nomine, ut P. Rho refert, octo continuis horis post communionem inter svavissimas deliciari consveverat extases, quique licet gravi premeretur malo podagræ, facientibus tamen ad altare, ministrare summas delitias computabat, verè utique devotus hic Dei servus illas degustare visus est panis Sacramentalis illecebras, quas B. Laurentius Iustinianus de mystico hoc Manna agens paucis sequentibus expressit verbis: Exhibuit se, inquit, ut tecum habitet, ut de te lætetur, sitis tecum lætitiis perfruatur, quemadmodum in Sapientiæ volumine testatur, dicens: *Et deliciæ meæ esse cum filiis hominum*; non quidem ut suas à filiis hominum captet delitias, sed ut cum filiis hominum communicet proprias. De eodem quoque Dei servo idem tradit Author, quòd, dum in sacra Æde Lauretana Missæ Sacrificio inserviret, perpetuis fluebat lacrymis, quas illi admirabilis quædam eliquabat animi dulcedo. *Rho. l. 3. c. 1. n. 12.*

XVI. Se Seraphica Virgine Maria Magdalena de Pazzi Carmelitana idem Author tradit, quòd in iuvenili ætate à matre communicante avelli nequaquam potuerit; qua de re interrogata respondit: Intimum latentis Dei vicinitate sensum voluptatis haurire, atque incredibili, quem sentiret odore Divinitatis recreari se mirè, simpliciter respondit. *Ibidem n. 13.*

XVII. P. Bollandus de excessivis, quas B. Angela de Fulginio in Mensa Sacramentali experiebatur, consolationibus prolixè discurrit; inter *Mansi disc. 11. n. 6.*

ter alia verò ipsammet Sanctam de se dicentem introducit: Quando communico, Hostia extenditur in ore: & non habet saporem panis, nec carnis istius, quam comedimus, sed alium saporem carnis, sed saporis sapidissimi, quem nescio assimilare alicui de hoc mundo.

Utilitas.

Bollandus to. 2. c. 12. n. 37. XVIII. In vita S. Ioannis Eleemosynarii Patriarchæ Alexandrini legitur, quòd, cùm duo viri illustres, animorum discordiâ inter se divisi essent, S. Patriarcha operam & industriam suam ad illos reconciliandos sæpiùs interposuerit, sed irrito prorsùs effectu. Die quadam verò unum ex his, qui vel maximè iniuriæ remittendæ reluctabatur, ad se acersiri fecit, cúmque in Oratorium quoddam privatum ductus fuisset, in quo præter Patriarcham, Clericum, & hunc Principem nemo alius præsens aderat, S. Patriarcha Missam exorsus est, cúmque post Consecrationem ad *Pater noster* pervenissent, cunctique tres illud simul recitare incepissent, quando ad illa verba: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*, pervenerunt, Clericus Patriarchæ annuit, ut taceret, cum quo & ipse tacuit; Principe verò orationem prosequente, & dicente: *Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*, Sanctus magna cum mansuetudine eidem dixit: Vide, in quali terribili hora quid dicas Deo, quoniam sicut ego dimitto, ita & tu dimitte mihi; tanquam ab igne statim cruciatum sentiens princeps, cecidit in faciem, ad pedes Sancti, dicens: Quodcunque iusseris, faciet servus tuus, & reconciliatus est inimico suo ex tunc cum omni veritate.

Ex annuis 1626. XIX. Inda quædam, quæ Sacramenta frequentare consueverat, ab Indo ad flagitium provocata, ubi ei in mentem venit, se Communionis Schedulam penes se gestare, incredibili ei constantiâ restitit; adeò ut, cùm aliter non posset evadere, casti etiam Iosephi virtutem superârit, nam togâ ruptâ, & in impudici manibus relictâ, nuda omninò ab eo profugit.

Mansi disc. 17. n. 6. XX. Eximius quidam sæculi nostri Orator in oratione quadam de S. Theresia, postquam difficultates, quas Seraphica hæc Virgo, ut reformationem Religionis suæ ad perfectionem perduceret, sustinuit, sicut & omnia, quæ passa & operata fuit, examinasset, subiungit: Veruntamen nequaquam mirandum est, illam tam ardua negotia aggredi, & perficere potuisse, siquidem cùm die quadam pro more suo Angelorum pane cibaretur, os suum divino sanguine adeò repleri sensit, ut sanguis, quem ore continere non poterat, per faciem & vestimenta dimanaret; Unde ipsa ex pretioso hoc sanguine Spiritu & vigore adeò repleta fuit, ut ardua aggredi, & perficere, molestiásque atrocissimas tolerare prævaluerit.

S. Franc. Salesl. 1. epist. 41. XXI. S. Franciscus de Sales in epistola quadam ita scribit: Per experientiam 23. annorum, quos in servitium animarum collocavi, manibus quasi palpare potui, quàm potens sit virtùs huius Divini Sacramenti ad confirmandum animas in bono, & liberandas à malo, eásque spiritualiter consolandas, & ut uno verbo dicam, in hoc mundo Deificandas, dummodo vivâ fide, convenientique puritate & devotione frequentetur.

XXII. Cantipratensis prodigiosam quandam refert Historiam, quæ 1231. cuidam Fratri Dominicano evenit, qui, cùm ab Hæretico persuasus, ut eius sectaretur errores, fortiter restitisset, hæreticus his eum verbis affatus est. Tu alia non habes fidei tuæ argumenta, præterquam ea, quæ ex Scriptura Sacra petuntur: Ego verò si fidem mihi adhibueris, Christum eiusque Matrem & omnes Sanctos videre te faciam. Religiosus porrò tametsi dictis eius fidem nullam haberet, dolum suspicatus; attamen ut promissi experiretur veritatem, illum acceptavit. Priusquàm verò hæreticum sequeretur, acceptam pyxidem, in qua Sanctissimum erat Sacramentum, sub chlamyde religiosâ occultavit. Perductus igitur in vasti cuiusdam montis speluncam, splendidum in ea invenit palatium, in eóque thronos quosdam magnificos aureos conspexit, in iisdémque sedentem Regem quendam in uno, in altero Reginam, in eorúmque circuitu multos alios assistentes, velut Patriarchas & Apostolos & innumerabilem exercitum Angelorum. Cúmque hæreticus coram illis se prosterneret eos adoraturus, Religiosus attonitus stetit, & immobilis; Cui cùm Hæreticus, cur Filium Dei non adoraret, improperâsset; Religiosus propinquiùs nonnihil accedens, extractam foris pyxidem, Reginæ obtulit dicens: Si tu Regina es Mater Christi, ecce Filius tuus, quem si susceperis, te velut Matrem Dei agnoscam. Et cum hac protinus voce totum illud phantasma evanuit.

Cantiprat. l. 2. Apum. c. 57. n. 23.

XXIII. Fuit Parochus in Turingia, qui è collo gestavit in pyxide & ad ægrum SS. Eucharistiam tulit. Tum meretrix quædam stans non longè à via, in suo lupanari, expendit secum, quàm graviter eum offendisset, quem Sacerdos portaret, tanta pro se passum: & dolens de suis peccatis, accurrit per lutum profundum veloci cursu ad Sacerdotem, inquinata luto usque ad medium cruris, dicens: State, Domine Sacerdos; & sic stetit Sacerdos, & ipsa prostrata in luto ante Corpus Christi, ait: Domine IESU Christe, tu es ille, qui pro nostra Redemptione natus fuisti è Virgine, passus & sepultus, ascendens ad cœlos, sedens ad dextram Patris, iudicaturus vivos & mortuos: Et sic te talem iste Sacerdos portat in pyxide. Rogo te per tuam ineffabilem misericordiam, ignosce mihi peccata mea. Et respondit IESUS de pyxide linguâ latinâ: Et ego ignosco tibi peccata tua. At illa audiens vocem de pyxide in latino, ait: Domine, non intelligo latinum: Rogo te, loquere germanicè. Et statim Dominus locutus est de pyxide Theutonicè. Et ego te recipio in gratiam meam. Hoc audiens meretrix: Et tu Domine, ait, me suscepisti in gratiam tuam, quæ peccavi in carne mea tàm luxuriosè? gratias tibi ago, bone IESU, & sic conversa emendavit vitam.

Discip. Prompt. lit. E. exempl. 19.

Acosta l. 6. c. 9.

XXIV. Indi tanti æstimant Eucharistiam, ut proverbium inter eos sit, eum, qui semel SS. Eucharistiam acceperit, nullum ampliùs debere crimen committere.

Ex annuis Paraquariæ. 1626.

XXV. Paraquarienses Christiani Venerabile Sacramentum variis solent nominibus appellare: Alii criminum deletorem, alii cordis mundatorem, alii intelligentiæ datorem, alii animorum consolatorem, alii aliter appellant. Unde in Reductione B. Virginis cùm impetrâssent, ut liceret eis Venerabile in templo asservare, tanta pietate id coluère, ut non tantùm prætereundo templi valvas, in genua procumbant, sed etiam cùm procul è fenestrarum templi, aut portæ regione transeunt, Fœminæ ex agellis suis reversæ, ac onustæ consistunt ad primum templi aspectum, & humi genua ponunt, ac parvulos valentes adhuc pedibus idem facere iubent.

Ex Histor. Ordin. 1570.

XXVI. B. Catharina de Raconis tertii Ordinis S. Dominici, cùm primùm communicare cœpit, quotidiè pulchritudine corporis fiebat præstantior, ut eius familiares admiratæ formæ decus, quærerent ex illa, qua arte formam excoleret, quibus illa subridens respondit: se uti pane masticato, intelligens venerabile Sacramentum.

Io. Rho. l. 7. c. 12. n. 1.

XXVII. Augustinus Steuchus Eugubinus vili loco, & deformi corpore natus, inter ultimæ plebeculæ homines pauperie & oris fœditate deridiculo habebatur. Factus Canonicus Regularis, adeò à Collegis exagitatus est, ut, cùm literis operam dare vellet, risu exciperent hominem ac ne lumen in cubiculum ad lucubrandum inferret, impedirent. Ipse tamen nihil de discendi ardore remisit; & stragulâ obvolutus in templum descendens, septem totos annos ad lampadem ante aram pensilem pervigilans, nullam facultatem, linguam nobiliorem ac scientiam nullam reliquam fecit, quam non disceret.

§. III.

EXEMPLA DOMESTICA.

Io. Rho. l. 3. c. 1. in nostris n. 6.

I. Silvester Landinus S. I. ubicunque locorum vidisset S. Eucharistiam, ibi repentè flexo utroque poplite, humíque abiectus adorabat. Itaque quum lutosa in via obviam Divino ferculo factus esset, profundo nihilominùs in cœno genua posuit; verùm ubi perfunctus adorationis officio surrexit, ut caram Deo eam fuisse religionem sciret, vestes nulla luti contagione fœdatas circumspexit; adeò intaminata est pietas, ut vel in medio luto non polluatur.

Ibidem. n. 8.

II. Exturbabantur Antuerpiæ Socii JESU ab insaniente hæreticorum factione propriis ædibus, & ne quid secum efferrent, odiosissimè excutiebantur; iam domum, iam templum habebat armatus & plurimus hostis, Sociíque limine pedem extulerant, cùm Joannem Bocacium ea subit recordatio in illo tumultu, ac trepidatione honori Divinissimæ Eucharistiæ haud satis consultum, quæ Sacrilegorum furori in altari relinqueretur, nec multa cunctatus, per densos latronum globos ad Altare provolat, adoratámque de genu Eucharistiam, argenteo in vase, præter ipsa hæreticorum ora intrepidus aufert, atque ad suos revertitur, magnum secum exilii comitem ferens, ac solatium. Defixit, opinor, improvisa virtus crudeles & cædis avidos animos, & tacita quædam vis Divinitatis latentis, ut nihil ultra fremitum, ferocémque admirationem auderent. Huius ego hominis laudem illius, qui secum penates extulit per tela, per hostes, celebritati multis nominibus anteferendam puto. Quòd Troiano communis quædam cum hostibus esset superstitio, Antuerpiensi ex dissidio Religionis periculum omne crearetur.

Ibidem. n. 17.

III. Sumptam, fluctuante stomacho Eucharistiam, haud ita multò post eodem redundante integram adhuc, miniméque dissolutam reiecerat æger. Dum, quid facto opus sit, consulitur, atque igne parant sacras species abolere, Iulius Mancinellus occasionem ultrò invadens, quod vix cogitare audemus, facit, infectámque sordibus absorbet. Miror, non tam stomachi, quàm animi robur, & charitatis; præsentem adfuisse mercedem, minimè miror; ferunt, exinde Divina libanti Sacramenta abditæ dulcedinis sensum nunquam defuisse, ut non tam animo, quàm corpore ipso lautè sibi ac delicatè epulari, videretur.

Rho. l. 6. c. 15.

IV. Belmontii in Hispaniis ingens civium, ac peregrinorum multitudo nostrum confluxerat in templum, ut regios adolescentes Iaponicos Legatos (quos ad Gregorium XIII. ultima illa terrarum regio misit) per occasionem audiendi Sacri, posset contemplari, & gaudium, quod illorum adventus pollicebatur, coràm haurire. Monenti adolescentes, ut in templum descenderent, negârunt se in illo die adire velle, malle domestico in Sacello procul arbitris, quòd vererentur, ne admirantis, ac fausta omnia precantis multitudinis tumultu, ac salutantium procerum interpellationibus ab ea, quâ divinis interesse par sit, animi attentione pellerentur. Ubi quietè Sacris operam dedissent, tunc se Principibus viris, ac multitudinis affatim copiam sui facturos. Agnosco florentis Religionis faciem, ac tenerum os, nulla adhuc duratum irreverentiâ, gratulórque tantam virtutem Societati, cui omnes nomen dederunt, demum accessisse, ut quam magistram habuerant, matrem etiam colerent.

Ibidem. n. 21.

V. Noctes sæpè integras coram SS. Eucharistia insomnes traducere, Ludovico Pontano S. I. tam solemne fuit; quàm ad eamdem summâ quadam animi attentione adorandam interdiu, ac per tenebras itare adeò frequenter, quæcunque demum esset anni tempestas, ut sine illa esse non posse videretur, mirarentúrque domestici, hominem nullius valetudinis, atque imbecillimis usque viribus, tantæ contentioni non succumbere, languoribus illum maximis ita perpetuò frangi, ut vix ægrum Spiritum duceret; ad sacrum tamen, continuámque Eucharistiæ

tristitiæ adorationem, quantùm opus esset, valere. Sed nulla profectò admiratio fuit, à vitæ viciniâ convalescere.

§. IV.

SIMILITUDINES.

Qualitas.

S. Cyprian. Cath. myst. 4.

I. Sicut ad potandum vinum veniri non potest, nisi botrus calcetur ante, & premantur, sic nec nos sanguinem Christi possemus bibere, nisi priùs Christus calcatus fuisset & pressus, & calicem prior biberet, quem credentibus propinaret.

Mansi disc. 26. n. 6.

II. Sicut sol non diversus in se diversa operatur in rebus contrariis, utens materiis, sicut eas invenit: Sic Christi gratia, quantùm in ipso est, uno modo infundit se in omnes, sed diversos inveniens animos diversa in eis operatur; hunc in amorem suum misericorditer emolliens, illum iustè non iuvando indurans.

S. August. l. de antiq. rit. miss. c. 23.

III. Sicut uva in prælo duobus lignis expressa in vinum liquatur; ita cùm Christus duobus lignis crucis, pressus fuit, Sanguis eius in potum fidelibus funditur.

Utilitas.

S. Bernardinus ser. 53. a. 2. c. 2.

IV. Sicut alimentum corporale habet vitam corporis servare; sic hoc Sacramentum, cùm sit animæ cibus, habet ipsam in gratia solidare, quæ ipsius animæ vita est.

S. Basilius in c. 3. Isaiæ.

V. Sicut corpora nostra convalescunt, ac firmantur sub alterna sumptione congruentium alimentorum, ita quiddam est, quod consentaneè animam pascit, eique suggerit vegetas vires ad bonitatem consectandam. Quid illud tandem est? nimirum quod dixit Dominus: *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.*

S. Anselm. c. 5. de Sacram. Alt.

VI. Sicut cibus appetitur, ut vivatur, sic ad eam vitam, qua vivitur, solummodò per hunc cibum pervenitur. Cibus hic ad vitam æternam animæ conferendam collatus est, non ad ruinas sustentandas huius miseræ vitæ, quæ vapor est ad modicum parens.

S. Bernardinus l. c. a. 2. c. 3.

VII. Sicut aqua refrigerare solet calorem; sic Eucharistia mitigat, & refrigerat fomitem, & concupiscentiæ æstum. In huius mysterium Exodi. 16. scribitur, quòd *descendente Mannâ de cœlo, descendebat pariter & ros*, in signum, quòd cum Manna Sacramenti in animam descendente, pariter descendat in carnem & ros gratiæ refrigerantis.

Rupert. Abbas l. 4. in Zach.

VIII. Sicut in abundantia roris, vel imbris temporanei & serotini germen arridet horti benè culti, vernantibus rosis, & candentibus liliis, ita per orbem universum spectantur, & electus sexus virilis, & virgines sexûs fœminei. Quid aliud beatam Trinitatem magis, quàm hoc spectaculum in hoc mundo delectet? Dicat ergo; Quid enim bonum eius est, & quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?

R. P. Lohn. Auctar. Bibl.

IX. Sicut nutrimenta plurimùm faciunt ad decorem corporis; sic etiam deliciæ spiritualis cibi ad pulchritudinem castitatis, incentiva sedantur ex manducatione Sacramentali. *S. Bernardinus ser. 53. A. 2. c. 2.*

X. Sicut ex uno verbo, quod dixi: *Ego sum*, corruerunt hostes mei corporaliter in terram, sic dicto verbo meo, videlicet, Hoc est corpus meum, fugiunt dæmones à tentando animas offerentium, nec auderent redire ad eos cum tanta audacia, si affectus peccandi non sequeretur. *Christus in Reve. S. Brigitt. l. 4. c. 58.*

XI. Sicut in opulentis Principum conviviis cibus quandoque apponitur secundùm apparentiam quantitatis exilis, sed in se valoris inæstimabilis; siquidem gemmis, succinis, unionibus, aliisque pretiosis molitus est ingredientiis, ideóque & sapore, & pretio totum residuum superat apparatum, ita quoque Eucharistia exile quidem existit frumenti granum, ante consecrationem, nihilominùs in eo sunt omnes thesauri absconditi, ideóque meritò appellatur panis uberrimus & pinguis. Quantum equidem augmentum capit seminatum frumenti granum? à fructu frumenti, & vini multiplicati sunt. *Mansi disc. 4. n. 7.*

§. V.

MOTIVA.

I. Utilitas ad Ecclesiam stabiliendam; Sic enim Isaac ex instinctu divino loquens, cùm diceret; *Frumento & vino stabilivi eum,* ex mente S. Paschasii, in sensu mystico prophetizans, asserere voluit; populum Christianum Corporis & Sanguinis mei dono stabilivi, hoc est apertè dicere; firmavi eum pane Corporis Christi, & vino Sanguinis. Quem sensum longè clariùs nobis expressit Albertus Magnus, dum eundem textum in Tractatu de Eucharistiæ Sacramento explicat in hæc verba: Stabilivi eum, quia tota domus Iacob, id est, Ecclesia fundata est super hoc Sacramento frumenti & vini, quia materia in eo est frumenti & vini. Hinc Deus olim Agnum Paschalem manducari voluit baculis in manus assumptis, quia sicut baculus est id, super quod aliquis se potest firmare, ita Eucharistia est firmamentum nostrum. Unde meritò Rupertus Abbas dixit: Aufer à cœlo Ecclesiæ quotidianas Salvatoris nostri hujusmodi exequias, & vide, quàm meritò, dicat ipse Salvator, *quæ utilitas in sanguine meo?* refrigescente enim eâ, quæ hoc modo nunc ubique calet, memoriâ eius, refrigescet universa charitas, muta erit fides, claudicabit spes, conticescet magnus ille clamor sanguinis iusti Abel. *S. Paschas. de corp. & sang. c. 12* *Abulens. in c. 26. Matt. q. 33.* *Mansi disc. 1. n. 4.*

II. *Utilitas ad virtutes acquirendas*, uti Salmeron sequentibus verbis insinuat: Virtutes Theologicas, quæ ad salutem nostram faciunt, eorúmque incrementa, nulla ratione magis nobis polliceri possumus, quàm per hoc ipsum fidei, & charitatis Sacramentum; quippe eius frequentatione illæ nobis inseruntur, illæ nobis insertæ augentur, atque auctæ perficiuntur, *Salmeron. to. 9. tr. 26*

tur, non secùs ac cibo corporeo singulæ corporis partes, & membra accrescunt, aut saltem conservantur.

Michael de Bononia super psal. 80.

III. *Utilitas ad unitatem & concordiam procurandam*; Sicut enim adeps frumenti est unitivus, quia ex multis granis unus panis conficitur; sic istud Sacramentum est unitivum, quia omnes dignè sumentes unit, & pacificat, dum eos unum corpus facit in Christo.

S. Bernardinus to. 1 ser 54. a. 4 c. 1.

IV. *Utilitas ad unionem cum Deo obtinendam*; uti rectè advertit S. Bernardinus dicens: In aliis cibis conversio fit cibi in manducantem, eo quòd manducans sit nobilior, & validior, quàm ipse cibus; sed in hoc contrarium contingit, propter sublimitatem atque virtutem cibi, qui Christus est, ideò hunc cibum dignè manducans transformatur in Christum, & non Christus in ipsum. Quo fine quendam adducit S. Augustini Textum è Confessionibus eius desumptum, ubi Christus S. Præsulem ita allocutus fuit: Cibus sum grandium, crede, & manducabis me, & non mutabis me in te, sed tu mutaberis in me. Quod egregiè Petrus Pennequin his verbis confirmat: Quinta & potissima est unitas assimilationis, quâ una res alteri coniuncta, maiorisque virtutis atque potentiæ, alteram in sui similitudinem rapit; ita ignis lignum & ferrum sibi assimilat, & calor stomachi cibum in hominis substantiam convertit: Ad eundem modum Christus in hoc Sacramento tum congestis in Communicantis mentem luminibus, tum excitatis in voluntate novis ardoribus, hominem ad quandam sui in amando, agendóque similitudinem efformat; ita ut alterum tibi Christum in moribus, propensionibus & sermonibus intueri videaris. Quod ut assequamur, imitari nos oportet eos, qui silvestri arbori nobiles surculos inserunt. 1. Truncum aperiunt, & diffindunt, in fissura surculum immittunt. 2. Argillâ fissuram, surculi insitionem obvolvunt, ut firmiùs trunco inseratur, & ab iniuriis cœli defensa pedetentim arboris succo alatur, donec tandem flores & fructus efferat. Ita fides viva, verbo Dei omni ferro penetrabiliori subnixa, cor Christi, tanquam nobilem surculum communicantis cordi inserit, & amore reciproco connectit; tum argillâ, hoc est, sui cognitione, & profundâ demissione à superbiæ malignitate defendit, donec Divini Corporis succo vegetari paulatim in actiones Christo simillimas simillimi efflorescamus, feramúsque fructus sanctissimæ Trinitati, beatísque spiritibus longè gratissimos.

Pennequin Isagoge p 3 sec. 17. n 9.

Baron. an. 855. n. 1.

V. *Utilitas ad roborandam animam*; hinc Baronius recenset, quòd fideles propter fidem incarcerati, habebant desiderium Eucharistiam sumendi; Id quod in aliis eorundem Annalium locis fusiùs prosequitur probans, fortissimam atque impenetrabilem Christianorum armaturam inter persecutiones unicam extitisse communionem, quam etiam ob causam in sæculis istis admodùm periculosis Ecclesia permittebat, ut fideles panem hunc consecratum domum secum deportarent, ut occasione datâ, atque persecutoris tyrannide imminente hoc se pabulo cibare, atque munire possent; cuius & Apostolus, ab Alberto Magno citatus, meminit in hæc verba: Rogo vos, accipite cibum pro salute vestra, quia nullius vestrum capillus de capite peribit; cibus enim salutis saluberrimus omnibus, & confortat in gratia, & salvat à periculo. Hoc sanè calice inebriati erant Martyres, inquit S. Augustinus, quando ad passionem euntes, suos non agnoscebant. Quid tam ebrium, quàm non agnoscere uxorem flentem, non filios, non parentes? nolite mirari, ebrii erant; acceperunt calicem, unde inebriarentur.

S. Aug. in psal. 35.

VI. *Utilitas ad vitam æternam promerendam*; uti S. Thomas Villanova indicavit dicens: Quid si panem quendam invenires, qui vitam tuam per centum annos servaret incolumem, nunquid illum quovis thesauro gratiorem haberes, & custodires? Nunquid non sicut oculi pupillam, panem illum servares? Nonnè illum omnibus mundi deliciis anteponeres? Talis autem est panis Eucharisticus, hic panis vitam edenti præstat, non centenariam, sed æternam vitam, iucundam vitam, beatam vitam, omnium bonorum plenitudine felicissimam.

S. Thom. de Villanov. Conc. 1. in Festo Corp. Christi.

VII. *Utilitas ad temporalia bona acquirenda*; uti iterum Salmeron indicavit, dicens: Temporalia bona nobis minimè defutura, satis comprobat hæc tam larga, & incomprehensa Domini liberalitas; Nam qui nos suo Corpore & Sanguine pascit, quomodo modica hæc, & contemptibilia huius mundi bona ad utendam vitam denegabit?

Salmeron to. 9. tr. 26.

VIII. *Utilitas ad delicias animæ obtinendas*; cuius enim vel ferreum pectus, inquit S. Laurentius Justinianus, aut adamantina mens non liquescat præ devotione, cùm Deum sibi, & se Deo senserit corporaliter unitam? Non capit cor, lingua deficit, humanus sopitur sensus ad investigandum tanti arcana Mysterii. O quantæ ibi deliciæ, quantus ardor, qualia verba, quàm vehemens amor, quàm casti amplexus gustantur? Quod confirmans S. Cyprianus, panis iste Angelorum, inquit, omne delectamentum habens, virtute mirificâ omnibus, qui dignè & devotè sumunt, secundùm suum desiderium sapit.

S. Laur. Iust. de Discip. Monast. c. 19.

S. Cypr. de Cœna Dom.

IX. *Utilitas ad perseverantiam tenendam*, teste S. Bernardino dicente: Roborat mentem, & quodammodò carnem; mentem, ut persistat in bono, carnem, ne ruat in malum. Roborat mentem, ut persistat, & crescat in bono, nam per hoc, quòd mens per gratiam coniungitur in sacra communione Christo, spiritualis eius vita roboratur & confirmatur, sicut corpus roboratur per cibum. Idem quoque in Art. 3. cap. 3. eiusdem sermonis subnectit, dicens: Facit hoc Sacramentum perseverare in via Dei, usque ad finem vitæ. Omnes virtutes, sine perseverantia, contra vitia pugnare possunt, sine perseverantia autem vincere nequaquam possunt. Cùm igitur hoc Sacramentum in itinere Dei roboret, & confirmet, ex consequenti sequitur, quòd per illud anima perseveret.

S. Bernardin to. 1. ser. 56. a. 1. c. 4.

Ibidem a. 3. c. 3.

X. Uti-

S. Chryſ. ho. 6. ad pop.

X. *Utilitas ad dæmones ſuperandos*; Nam tanquam leones ignem ſpirantes, teſte S. Chryſoſtomo, recedimus ab iſta menſa, facti diabolo terribiles; quia ibi infirmitatem noſtram, ait Francus Abbas, novit, qui nos condidit, fortíque & armato, niſi fortiore nos protegente, fragiles & inermes non poſſe reſiſtere, contra implacabile hoſtis antiqui odium, panis quotidiani inexpugnabile nobis contulit præſidium. Hinc S. Auguſtinus ad inimicum infernum diſcurſum ſuum dirigens, in quodam ſermone his verbis ei improperat: Ille ſanguis, quem effudiſti, te vicit, me redemit. Illum bibo, & veneni tui perniciem ſalvatus ultrà non timeo; prævaluiſti in paradiſo, ſed victus es in patibulo: vel etiam addere poſſumus, in Cœnaculo; quia per inſtitutionem Euchariſtiæ in ultima cœna factam, omnes eius vires proſtravit: Ibi confregit potentias arcuum, ſcutum, & gladiu, & bellum; ubi de Cœnaculo Sion loquitur.

Francus Abbas to. 10 de gratia Dei.

S. Auguſt. ſer. 122. de Temp.

S. Albert. diſt. 2. tr. 2. q. 6.

XI. *Utilitas ad liberalitatem noſtram provocandam*; Hoc enim ſolum datum eſt, ait S. Anſelmus, quod omne datum eſt; quia in hoc dato nihil privatum ſibi Chriſtus retinuit; Humanitatis ſimul & Deitatis nobis omnia dona conferens. Et iterum: magna dona Chriſti in hoc convivio, Corpus dedit in cibum, Sanguinem in potum, animam in pretium, Deitatem in condimentum exhibendo.

Idem c. 1.

§. VI.
ASCETICA.

S. Bernardinus to. 1. ſer. 54. a. 1. c. 2.

I. INprimis noſſe debet Aſceta, *quis ſit primarius finis Euchariſtiæ inſtitutæ*, quem quidem breviter indicavit S. Bernardinus, dum dixit: ad hoc Sacramentum iſtud conficitur, ut ex frequentatione ipſius intuentes quotidiè Chriſti ſanguinem effuſum, ſic de Chriſto paſſo noſtra memoria repleatur, quòd noſtro ſemper fixus ſit in corde, qui ſemel pro nobis fixus fuit in cruce. Hinc quoties huius hoſtiæ commemoratio celebratur, opus noſtræ Redemptionis exercetur. Et confirmans id ipſum Francus Abb. ſi quem ſuavis guſtus, inquit, vini huius demulcet preſſuram torcularis non recuſet, ideo & aqua myſterio noſtro miſcetur, & ſic Sacrificium acceptabile DEO offertur, quia tunc gratam Deo paſſionis Chriſti hoſtiam immolamus, quando & ipſi paſſionibus eius ſimul patiendo communicamus.

Francus Abbas ſ. 10. de gratia Dei.

S. Thomas apud Manſi diſc. 4. n. 2.

II. Nôſſe debet, *cur Euchariſtia ſub ſpecie panis & vini ſit inſtituta*; cuius rationem imprimis aſſignat S. Thomas, ſic loquens: Panem, tanquam inter alios cibos materiam aptiſſimam, elegit, tam ex parte illius, qui illum adminiſtrat, quàm ex parte recipientis, eſt enim imprimis panis aptior ex parte illum adminiſtrantis, quia maiori cum facilitate in quovis loco & tempore reperitur, non verò item aliæ res comeſtibiles. Præterea panis hanc in ſe diſpoſitionem habet, quòd longo tempore conſervari poſſit, eſt enim materia eius purior & mundior, faciliúsque dividi, & ex uno loco in alterum transferri poteſt. Quantùm verò ex parte recipientis ad hoc Sacramentum, panis quoque aptior, magiſque idonea materia eſt, præ cunctis aliis cibis, quia hæc accidentia Sacramentalia, nullum adferre poſſunt ſanitati nocumentum, prout alii cibi nonnunquam faciunt. Quòd verò panem hunc triticeum eſſe voluerit, huius aſſignat rationes; primò propter grani huius præ cæteris naturalem nobilitatem; inter omnia enim grana triticum nobiliſſimum eſt, ac proinde iuſtum erat, ut panis ille inde conficeretur, pro quo habendo æternum Patrem quotidiè rogamus: Panem noſtrum ſuperſtantialem da nobis. Aliam adhuc rationem aſſignat Hugo Victorinus, dum ait: Voluit Sapientia Dei, quæ ſe per viſibilia manifeſtat, oſtendere, quòd ipſa animarum refectio eſt, & cibus; & propterea carnem aſſumptam in edulium propoſuit, ut per cibum carnis ad guſtum invitaret Divinitatis. Didacus Stella tertiam affert rationem dicens: Non ſolùm eius altitudo ſapientiæ oſtenſa eſt per hoc, quòd cum homine manſit, ſed etiam per modum, quo id facere excogitavit; nam eo modo, quo mors in mundum intravit, voluit, ut eodem intraret vita; per eſum ligni vetiti intravit mors, per eſum etiam intravit vita. Quartam addit S. Bonaventura dum ait: Quoniam nihil magis idoneum eſt ad refectionem, quàm cibus panis, & potus vini; nihil eſt etiam magis idoneum ad ſignificationem unitatis Corporis Chriſti, veri & myſtici, quàm panis factus de mundiſſimis granis, & vinum expreſſum de puriſſimis acinis in vinum collectis; ideò ſub his ſpeciebus magis quàm ſub aliis debuit hoc Sacramentum exhiberi. Quintam denique S. Baſilius aſſignat, dicens: Chriſtus in panis & vini ſpeciebus ſumi ſe voluit, ut horrorem adimeret, qui eſſet futurus, ſi præcepiſſet nobis, ut ſumeremus carnem eius, & ſanguinem in propria ſpecie; adhæc exteræ nationes nos reprehendiſſent, veluti carnivoros, quòd ferarum inſtar ſanguinem biberemus, & crudam carnem voraremus.

Hugo Vict. p. 8. l. 2. de erudit. Theol. ſacr. fidei c. 8.

Didacus Stella in c. 22. Luc.

S. Bonav. to. 6. p. 4. Breviloq. c. 9.

S. Baſil. in Encom. SS. 40. Mm.

III. Nôſſe debet *differentiam inter comeſtionem cibi naturalis & Euchariſtici*, quam S. Bonaventura his verbis aſſignavit: Hæc eſt differentia inter comeſtionem corporalem, & ſpiritualem, quia ibi cibus comeſtus tranſit in ſubſtantiam, & nutrimentum comedentis; hîc verò comedens incorporatur Chriſto, & tranſit in amorem & unitatem Corporis Chriſti.

S. Bonav. to. 7. de Præpar. ad Miſſam c. 7.

IV. Nôſſe debet, *quòd, quando S. Thomas dixit in Hymno, lauda Sion &c. ſumit unus, ſumunt mille, quantùm iſte, tantum ille: Hoc tantum intelligendum ſit de ſubſtantia Corporis Chriſti, non autem de gratia collatione*; Nam ſicut Manna quoad quantitatem omnibus quidem æquale, quantùm ad ſapores (ſiquidem probabilis eſt opinio, quòd ſapores hos illi ſpecialiter participârint, qui in gratia & amicitia Dei conſtituti erant; Unde de Manna dicitur: *Subſtantia enim tua, dulcedinem tuam, quam in filios habes, oſtendebat*) eodem modo, tametſi omnes Euchariſtiam accipientes idem Chriſti Corpus ſumant, attamen fructus, qui exinde percipitur, maior vel minor erit, iuxta minores vel maiores recipientium diſpoſitiones.

Manſi diſc. 2. n. 4.

Sap. 16. 21.

§. VII.

MISCELLANEA ET CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Qualitas.

Rupert. Abbas l. 6. in Joan. c. 6.

I. RUpertus Abbas quærens, cur Christus de cibo Eucharistico loquens, dixerit Joan. 6. *Hunc enim Pater signavit Deus:* sic respondet: Idcircò non nisi operantibus dabit hunc cibum Filius hominis, quia Pater hunc signavit, hunc à communibus signis certo & proprio signo suo distinxit, ut, cùm alios cibos omnes bonis & malis, operantibus & otiosis communes fecerit, eâdem largitate, quâ solem istum visibilem facit oriri super bonos & malos, pluit super iustos & iniustos, solum hunc panem, hunc cibum, de quo nunc loquor vobis, nunquam dare velit, nisi dignis, id est, operantibus opus Dei. Ita signavit, ita clausis omnibus cœlorum portis apud se continuit, ut non cum cibis communibus patiatur à canibus, vel à porcis inveniri.

Mansi disc. 84. n. 12.

II. Celebre est illud nulli non notissimum Assueri convivium, quod iuxta unanimem sacrorum interpretum consensum, proprium Epuli Eucharistici est symbolum; Quod verò in eo ad nostrum præcipuè propositum servit, loci est circumstantia. Etenim Susan civitas, in qua prædictum apparatum fuit convivium, omnium in Persia & Babylonia urbium nobilissima erat, versus flumen Coaspe in situ delicioso & amœno collocata, denominationem suam trahens à liliis, quibus abundabat. In lingua namque Persica & Hebæa Susan, Lilium sonat. Ac proinde ecce urbis accommodatissimam analogiam, Candidus namque & immaculatus Agnus Sacramenti pascitur inter lilia, & pascit illa, id est, unicum eius delicium consistit in alendo & nutriendo animas puras & continentes, inque iis sua reperit pascua.

III. Alios inter ritus Ecclesiasticos olim ille non exstitit infimus, qui circa Agni Paschalis primariæ huius Sacramenti figuræ, esum, his verbis à Deo præscriptus fuit: *Caput cum pedibus ejus & intestinis vorabitis.* At verò quorsum sapientia increata exiles admodùm cæremonias scribendas censuit? utique per relationem, & propter allegoriam ad Agnum immaculatum, & Eucharisticum. Unde S. Bernardinus ait: Præceptum erat, quòd caput agni cum intestinis & pedibus vorari deberet; In quo mysticè designatur, quòd in hoc Sacramento totus Christus cum Divinitate & anima & corpore ibi continetur, & sumitur. Caput Divinitas, intestina anima, pedes verò sunt Corpus Christi.

S. Bernardinus ser. 57. a. 3. c. 1.

Utilitas.

S. Prosper de prædic. verbi Div.

IV. Aperuit Joseph horrea tempore famis, & ministrabat populis; hoc & de nostro dictum est: *Oculi Domini super justos*, & sequitur; *ut eruat animas eorum à morte, & alat eos in fame*, nimirum illâ, quam Deus per Amos comminatur dicens: *Mittam famem in terram, non famem Panis, sed audiendi verbi Dei*, in hac fame positus noster Joseph, Christus Dominus, ex horreis suis nobis Divinam sui Corporis Annonam ministrat.

V. E Paradiso terrestri quatuor universam terram irrigaturi olim directi fuère fluvii; hoc autem copiosissimum non aquarum, sed gratiarum, donorum, bonorúmque inæstimabilium, non terrestris, sed cœlestis Paradisi flumen, sancta, inquam, Eucharistia, innumeris nos replet & irrigat cœlestium Charismatum torrentibus; quem conceptum his nobis verbis repræsentat S. Chrysostomus: Ex paradiso fons scaturiit, à quo sensibilis fluvii emanarent; à mensa hac prodiit fons, qui spiritales diffundit fluvios, iuxta hunc fontem non steriles salices germinant, sed arbores cœlum ipsum attingentes, quæ fructus solidos semper producunt; Sacramenta reliqua, tanquam tubi & canales, divinam ad nos transfundunt gratiam: Eucharistia autem ipsemet *fons est aquæ salientis in vitam æternam*; Paradisi vivam in se recludens scaturiginem, quæ hæc gratiarum aqua reliqua omnia Sacramenta fœcundat. Cuius super omnia alia Sacramenta eminentiam obstupescens S. Bernardus, cælestem hanc mensam sequentibus honorat epithetis: Potésne æstimare, quale vel quantum est hoc Sanctum Sanctorum, & Sacramentorum, amor amorum, dulcedo omnium dulcedinum? Hic bibuntur in loco uberi torrentes lactis, flumina mellis, liquores balsami cœlestis.

S. Chrysost. hom. 45. in Joan.

S. Bernardus in Cœn. Dom.

VI. Exodi 12. Deus præcepit Israëlitis, ut baculum in manibus tenentes Agno se Paschali reficerent: *Sic autem comedetis illum, tenentes baculos in manibus.* Potiùs illis in procinctu ad proficiscendum in terram promissionis constitutis, atque ab Ægyptiis hostiliter agitatis, præcipiendum fuisse videtur, ut manus ense, pedes verò calcaribus armarent; Nazianzenus mysterium hoc explicans, inquit: Hîc lex fulcientem baculum tibi præscribit, necubi animo titubes, cùm sanguinem Dei & passionem audis, & impiè corruas. Veruntamen clariùs dicere possumus, quòd, sicut baculus debilitatem nostram sustentat, ne corruamus: eodem modo quamdiu viatores sumus, Deus, qui cognovit figmentum nostrum, de hoc nobis viatico providit, ut eo confortati in pedibus sustentemur, quia panis cor hominis confirmat; Unde Nazianzenus hominem sacrâ communione refectum his verbis alloquitur: Innixus sta firmus & stabilis, atque ita comparatus, ut nulla in re quatiaris ab adversariis.

Nazianz. orat. 42.

VII. Anno 528. cùm Civitas Antiochena horrendis terræ motibus quateretur, multæque indè domus corruerent, Deus cuiusdam viri religiosi animo inspiravit, ut civibus suaderet, ut hæc verba portis civitatis inscriberent: *Christus nobiscum, stato.* Quibus verbis foribus Civitatis inscriptis, mox omnis terræ motus cessavit; Unde sequens indissolubile formare possumus argumentum; Si hæc verba ad sustentandum domum

Baronius Anno 528. n. 22.

murum muros, ne ex terræ motu caderent, tantæ efficaciæ fuerunt, quantò magis quilibet Christianus, sumpto hoc Sacramento ab omni ruina securus esse poterit, quippe qui eiusdem Dei in Sacramento existentis corporalem in corde suo habet præsentiam? Inter alias verò concussiones, validioresque ventos, quibus lutea nostra hæc domus conquassatur, impetuosissimi sunt inordinati nostri appetitus, tentationes sensuales, motus & stimuli carnis, aliæque iræ, odii, avaritiæ, & similes passiones, quibus Eucharistia efficaciter resistit; Unde Ecclesia providit, ut in gratiarum actione post Communionem (quando verè dicere possumus, *Christus nobiscum, stato*) inter alia hæc quoque devota verba dicantur: *Sit motuum meorum tam carnalium, quàm Spiritualium perfecta quietatio, in te uno, ac vero Deo firma adhæsio.* Et meritò quidem id ipsum ab hoc Sacramento exspectatur; Nam ut S. Bernardinus Senensis ait: Hoc Sacramentum roborat habitum gratiæ, ex quo tanquam ex armatura animæ, mens à pravis cogitationibus defensatur.

S. Bonav. 5. in Lepo Dom. VIII. S. Bonaventura illam è libro Tobiæ adducit Historiam, ubi Tobias iunior ad flumen Tigris pedes loturus, à pisce invasus, modùmque eum capiendi per Archangelum edoctus fuisse legitur: Quam rei gestæ seriem ita nostro accommodat proposito: Piscis iste est Diabolus, hic quia humanum genus devoraverat, Deus Pater hamum contra ipsum misit, Filium suum; *an extrahere poteris Leviathan hamo*? invadens ergo Diabolus escam humanitatis, captus est hamo Deitatis. *Iob. 40. 20.*

Mansi disc. 21. n. 4. IX. Numa Pompilius de inimicorum contra se adventantium furiis monitus, intrepidè respondit: *Et ego Sacrificabo.* Potiùs urbes munitionibus, & necessariis militibus, aliisque provisionibus instruere debuisse videtur; sed accuratior veritatis ponderator spem totam in Sacrificiis collocandam censuit; In Sacrificiis, inquam, ovium, aliorúmque pecorum, quæ falsis numinibus & dæmoniis offerebantur. Quantò igitur maiorem confidentiam populus Christianus in similibus angustiis & pressuris concipere debet, & dicere: *Ego Sacrificabo.* Atque id ipsum in verbis Isaiæ nobis insinuatur, quibus asseritur: *In bellis præcipuis expugnabit eos, scilicet Assyrios, ad elevationem in Sacrificiis.* Interprete Cor. à Lapide in hunc locum. *Isaia c. 30. n. 31.*

Orig. hom. 13. in Iosue. X. In Lib. 3. Regum c. 4. 25. dicitur: *Habitabat Iuda & Israël absque timore ullo, unusquisque sub vite sua, cunctis diebus Salomonis.* Ast quale eos habuisse putatis tantæ pacis, & ab hostili incursu immunitatis pignus? utique non aliud, quàm quia sub gubernio Regis pacifici degebant; Veruntamen *ecce plusquam Salomon hic*, qui sub Sacramenti huius umbra vivit, nullum pertimescit inimicum insultum; Unde Origenes inquit: Tibi dabitur, ut requiescas sub vite tua, quæ est Christus JESUS; quod ut stabiliat, plenius ad illa alludit Sacramentum hoc instituentis Christi verba: *non bibam a modò de hoc genimine vitis:* quia nimirum sub vitis illius umbra, quæ vinum producit germinans virgines impavidi requiescimus.

XI. Quando Cantic. 4. dicitur: *Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium*; Per sponsam hanc Ecclesia designatur; ast quare, obsecro, collum potiùs, quàm quæcunque alia pars corporis, turri, armamentario, & inexpugnabili comparatur propugnaculo? causamne nostis? de hoc agebatur Sacramento, quia nimirum collum vehiculum est cibi, nutrimenti & potûs, quibus totum sustentatur corroboratúrque corpus; Non itaque ulla pars corporis alia aptiùs significare potuisset effectus huius panis, & Eucharistici vini, quorum utrumque est turris inexpugnabilis. Atque hanc fortè ob causam Felix Episcopus Bituricensis vas fabricari iussit aureum, in formam turris, ad custodiendam Eucharistiam, quam & Ecclesia Sancta in vasis, Tabernaculorum (quales militares sunt casæ, & tentoria) figuram exprimentibus, custodire consuevit. *Mansi disc. 22. n. 8.*

XII. Cùm David inter tria sibi proposita flagella, pestem elegisset, eo tempore, quo populus hac strage flagellabatur, obtulit holocausta & pacifica, & propitiatus est Dominus; nimirum Altare quoddam erexit, & super illo obtulit holocaustum, incruenti Sacrificii symbolum; sed ubi, quomodo, & quo tempore illud obtulit? observandum, quòd Spiritus Sanctus non sine mysterio post ablatum holocaustum multas consequentes referat circumstantias; dicit enim: *Misertus Dominus super afflictione, ait Angelo percutienti populum: sufficit nunc, contine manum tuam.* Sed ubinam tunc Angelus erat? Sacer Textus ait: *erat autem Angelus Domini iuxta aream Areuna Iebusæi*; circa quæ verba notandum, quòd Angelus nondum areæ huic pedem intulerat, sed tantùm illi propinquiùs erat, quia iuxta aream; in area autem, ut omnibus notum est, colligitur & excutitur frumentum ad faciendum panem; ecce tibi igitur, quando Angelus iuxta huius panis & frumenti electorum figuram (quantumvis remotam) stabat, Deus illi, ut Divinæ iustitiæ ensem in vaginam reconderet, præcepit. Sed ubinam David altare erexit, & in quo loco holocaustum hoc obtulit? *emam à te aream,* inquit, *ut ædificem altare Domino, & cesset interfectio, quæ grassatur in populo*; & ait Areuna ad David: *accipiat, & offerat Dominus meus Rex, sicut placet ei.* Ubi, ut vides, in medio areæ frumenti altare ad propitiandum & placandum Deum erigitur, quæ omnia in figura huius Sacramenti contigerunt, per quod Deus nobis propitius efficitur. *Idem disc. 23. n. 9.*

XIII. Otto Imperator duos aliquando nactus, ambiguo Iure decertantes de agri cuiusdam Dominio, cùm nesciret, cui iustitia plausibilis faveret, ut utrique satisfaceret, terram illam emit, uni prætendentium pretium, alteri agrum ipsum consignans. Ita pariter imaginari nobis possumus cœlum concertâsse & terram, circa inæstimabilis Corporis Christi thesauri

sauri prætensionem, ut itaque utrique satisfaceret Imperator cœlestis, modum reperit, ut Christus & in empyreum rediret, simúlque eodem tempore per præsentiam corporalem degeret, subsisterétque in Ecclesia. Unde Drogo Ostiensis ait: Ecce sublatus es, ampliùs te tuus non videbit Elisæus, remansit tamen ei pallium tuum in memoriam tui, ut præsentia absentiæ tuæ dolorem eius semper & augendo leniat, & leniendo augeat. Pallium tuum est caro tua. Ideóque & S. Bonaventura de Eucharistia tractans, citata pariter applicat Salvatoris verba, dicens: Unde inquit Christus, *ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi.*

Drogo. l. 1. de Sacram. Dom. Pasch.

TITVLVS XXVIII.

EXEMPLUM.

§. I.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Qualitas.

S. Greg. l. ... c. ...

I.  Hoc autem, quod Discipulo Paulus ait: *Præcipe hæc, & doce cum omni imperio*, non dominationem potentiæ, sed authoritatem suadet vitæ, cum imperio quippè docetur, quod prius agitur, quàm dicatur; nam doctrinæ subtrahit fiduciam, quando conscientia præpedit linguam.

S. Petrus Chrysol. ser. 167.

II. Doctor dicto factóque, Magister verus, quod verbo adstruit, demonstrat exemplo; Magisterium stat de scientia, sed Magisterii authoritas constat ex vita, docenda faciens, obedientem perficit auditorem; docere factis sola est norma doctrinæ, doctrina in dictis scientia est, in factis virtus, scientia ergo illa vera est, quæ fuerit mixta virtuti, illa Divina est, non humana, Evangelistâ probante, cum dicit: *quia cœpit Iesus facere, & docere.*

Euseb. Gal. lic. Hom. in c. 5. Matt.

III. *Vos estis lux mundi: sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona &c.* Lux estis; & sermone igitur & opere lucere debetis; magìs autem operando, quàm loquendo proficitis, quia maior est splendor operis, quàm sermonis; unde non ait: ut audientes bonum vestrum sermonem, glorificent Patrem; sed quid ait? *ut videntes opera vestra bona, glorificent Patrem vestrum.*

S. Isid. Pelus. l. 3. ep. 202.

IV. Sermo actione destitutus, non ultra aurem grassatur; qui autem ab actione animatus est, ut qui acris & efficax sit, altè penetrat, animúmque attingit.

S. Athanas. exhort. ad mon.

V. Vita nostra iubeat, lingua persuadeat, quia plùs authoritatis gestat exemplum, & ingerit appetentiam sui.

S. Dorotheus Doctrin. 17.

VI. Cùm fueris fratrum institutor, & rector, eos potissimùm cura cordis severitate, & visceribus misericordiæ instruere, eos verbo & exemplo, quæ agenda sunt, edocens, atque exemplo magìs & opere, cùm magis operentur exempla, & fortius moveant.

S. Greg. l. 5. mor. c. 4. & 5.

VII. Optimè per hanc domesticam avem (gallum) Prædicatores significantur, simul & docentur, quomodo docere & rectè debeant, & efficaciter queant, nimirùm si priùs alas excutiant, quàm cantent; & antè se in sanctis operibus exerceant, quàm Sanctitatem verbis commendent.

Necessitas.

S. Laur. Iust. de Christi agon. c. 11.

VIII. Debet prius dominari sibi, qui causæ constitutus est Iudex alienæ. Ridiculum est, aspicere foris in Cathedra residentem, & intus in passionum fœtoribus sepultum.

S. Aug. ser. 61. de temp.

IX. Nescio, qua fronte, vel quâ conscientiâ cum omnibus Sanctis partem in æterna beatitudine habere desideramus, quorum exempla sequi in rebus minimis non acquiescimus.

Lactant. de vera sapient. l. 4.

X. Habere non possunt firmitatem, quæ doceas, nisi ea prior feceris; quia hominum natura proclivis in vitia, videri vult non modò cum venia, sed etiam cum ratione peccare.

Idem.

XI. Homines malunt exempla quàm verba; quia loqui facilè est, præstare difficile.

S. Chrysost. hom. ... ad Tit.

XII. Si manum non contineas, neque impudicam coërceas linguam, qua ratione admirabitur is, qui gentilis est, nostræ fidei dogma; neque enim ex verbis dogmata, verùm ex ipsis rebus atque vita, gentiles iudicare consueverunt.

S. Prosper, l. 1. de vita contem. plat. c. 23.

XIII. Nulla alia Sacerdotis doctrina debet esse, quàm vita; satísque auditores possint proficere, si à Doctoribus, quod vident spiritualiter fieri, hoc sibi etiam simpliciter audiant prædicari.

S. Chrysost. hom. 13. in acta.

XIV. Nil frigidius Doctore, qui verbis duntaxat philosophatur: neque enim hoc Doctoris est, sed histrionis, & hypocritæ, eóque Apostoli prius vitæ exemplis docebant, deinde verbis; quin potiùs neque verbis quidem erat opus, cùm clamarent opera.

S. Bernard. ser. 59. in Cant.

XV. Illius Doctoris libenter audio vocem, qui non sibi plausum, sed mihi planctum moveat. Verè turturem exhibes, si gemere doceas; & si persuadere vis, gemendo id magìs, quàm declamando studeas, oportebit. Exemplum sanè tum in aliis multis, tum vel maximè hoc in negotio verbo efficacius est. Dabis voci tuæ vocem virtutis, si quod suades, prius illud tibi cognosceris persuasisse. Validior

dior operis, quàm oris vox. Fac ut loqueris, & non solùm me facilius emendas, sed te quoque non levi liberas probro. Non iam pertinebit ad te, si quis dicat: *Alligant onera gravia & importibilia, & imponunt ea in humero hominum, digito autem suo nolunt ea movere*; sed neque illud verearis, oportet: *Tu qui alios doces, te ipsum non doces!*

Matth. 23. 4. — *Rom. 2. 21.*

Æquitas.

S. Leo S. 2. in fest. Assump.

XVI. Licet omnem Ecclesiam, quæ in toto est orbe terrarum, cunctis oporteat florere virtutibus, vos tamen præcipuè inter cæteros populos decet meritis pietatis excellere, quos in ipsa Apostolicæ petræ arce fundatos, Dominus noster IESUS cum omnibus redemit, & B. Apostolus Petrus præ omnibus erudivit.

Utilitas.

S. Chrysost. tr. 4. in S. Eustach.

XVII. Apud nos etiam sepulchrum S. Eustachii Antiocheni Episcopi est, & non in Thracia tantùm, ubi mortuus est, & sepultus. Monumenta enim Sanctorum non loculi solùm sunt, & thecæ, & columnæ ac literæ; sed res præclarè gestæ, ac fidei Zelus, & sana apud Deum conscientia; siquidem omni columnâ splendidior hæc Ecclesia Martyri est erecta, quæ literas habet non mutas, sed quæ rebus ipsis buccinâ clarius memoriam eius prædicant, ac celebritatem, eórumque, qui adsunt; unusquisque Sancti illius est sepulchrum, sepulchrum animatum, atque spirituale. Nam si cuiusquam vestrûm, qui adestis, conscientiam explicuero, Sanctum istum intus in mente vestra reperiam diversantem.

Tho. Kemp. ser. 2. ad Novit.

XVIII. Ibi (in Religione) alterius fervore excitatur, alterius humilitate docetur, istius obedientiâ movetur; ibi invenit, quos timet; ibi habet, quos diligit, & sic ex omnibus proficit; ibi alterius correptio eius fit admonitio; ibi alienum periculum proprium est speculum; ibi homo portat, & portatur.

S. Ambr. in psal. 118. ser. 10.

XIX. Quemadmodum iustus lætificat cor innocentium, cùm videtur, ita & improbi iustorum cognitione torquentur: quia vel tacitis Sanctorum moribus arguuntur. Torquet castitas incontinentiam, avaritiam liberalitas, impietatem fidès.

S. Chrysost. mai ho. 23. ad pop.

XX. Non enim cœli voces emittentes, inquit S. Chrysostomus, Deum glorificant, sed alios per aspectum ad hoc inducentes, & tamen ipsi dicuntur cœli gloriam enarrare: sic & vitam præferentes admirabilem, licèt taceant, Deum glorificant: cum alii propter eos, ipsum glorificent. Non enim tam ex cœlo redditur admirabilis, quàm ex vita pura....Nam & cœlo longè melior homo, & potest eius ornatu splendidiorem animam possidere.

S. Aug. in ps. 109.

XXI. Quia incredibile videbatur hominibus, quod promittebat Deus, ex hac mortalitate, corruptione, abiectione, infirmitate, pulvere & cinere, futuros homines æquales Angelis Dei, non solùm scripturam cum hominibus fecit, ut crederent, sed etiam fidei suæ posuit mediatorem unicum Filium suum, ut quâ nos viâ perducturus esset, ad illum finem, quem promisit, per eum ipsum filium suum, & ostenderet & præberet. Parùm enim erat Deo, ut filium suum faceret demonstratorem viæ, eum ipsum viam fecit, ut per illum ires, regentem te, ambulantem per se.

S. Thomas Villan. conc. 2. Dom. 1. Quadr.

XXII. Verè exemplum, quàm verbum, homines magìs movet; & propterea Spiritus Sanctus huius artis traditor, & inventor, sciens quantùm ad benè vivendum proficiat imitatio, ferè per totam Scripturam varia Sanctorum exempla passim sparsit, & fidelibus imitanda proposuit.

S. Greg. l. 8. mor. c. 1.

XXIII. Scriptura Sacra narrat gesta Sanctorum, & ad imitationem provocat corda infirmorum; & dum eorum victricia facta commemorat, contra vitiorum prælia debilia nostra confirmat, fitque ut minùs mens inter certamina trepidet, quò ante se positos tot virorum fortium triumphos vidit.

S. Bern. in ser. de S. Bened.

XXIV. Sermo vivus & efficax, exemplum est operis facilè faciens suadibile, quod dicitur; dum monstratur fictibile, quod suadetur.

S. Ambr. ser. 23 de SS.

XXV. Quamvis disertus Orator facundiâ suâ me doceat, id tamen, quod utile est, meliùs disco exemplo Sanctorum, quàm assertione verborum. Citiùs mihi persuadent oculi, quod cernunt, quàm auris potest insinuare, quòd præterit. Auditui enim citò irrepit oblivio, oculorum autem historia semper inspicitur.

§. II.

EXEMPLA SACRA.

Qualitas.

S. Cypri. de bono pat. 8. 3.

I. S. Cyprianus dicere solitus est: Nos Philosophi non verbis sed factis, sumus: non loquimur magna, sed vivimus quasi servi, & cultores Dei.

S. Franc. in opusc. coll. 2.

II. S. Franciscus suis hoc documentum dedit: Consideremus, Fratres, vocationem nostram, quâ vocavit nos misericors Deus, non tantùm pro nostra, sed etiam pro multorum salute, ut eamus per Mundum exhortando omnes, plùs exemplo, quàm verbo. Hinc Lyranus, ipsum verba illa Cantici S. Annæ ita declarare solitum fuisse scribit: *Sterilis peperit plurimos, & quæ multos habebat filios infirmata est*; Sterilem dicebat fratrem simplicem, officium prædicandi non habentem, per quem generantur filii, id est, Ecclesia Dei. 1. Cor. 4. *In Christo IESU per Evangelium ego vos genui*; talis frater simplex exemplari vitâ plùs proficit sibi & aliis, quàm prædicator verbosus; & idem dicendum de aliis simplicibus personis, quæ sunt vitæ exemplaris.

Tertull. de Pall. c. 6.

III. Tertullianus olim Gentilibus, Christianos, quòd parùm loquerentur, accusantibus, his verbis respondit; etsi eloquium quiescat, ipse habitus clamat.

S. Bern. de vit. S. Malach. IV. S. Bernardus de S. Malachia Episcopo dicit: Ipse regula erat fratrum, legebant in eius vita, quomodo conversarentur.

Utilitas.

Baron. An. 348. n. 20. V. Quando in Africa cum tanto integritatis veræ fidei dispendio Donatistarum persecutio effervescebat, iámque Donatus Episcopus innumeros pervertisset, eorúmque animos suis imbuisset erroribus; Constans Imperator duos viros sanctissimæ vitæ, summaque pietate præditos, Paulum videlicet & Macarium, velut Legatos suos illuc misit, simúlq; cum illis copiosissimas illuc eleemosynas ablegavit, sub prætextu eorum paupertatem sublevandi, reverâ tamen ut populum hoc modo liberalitate suâ beneficiis affectum ad unionem cum Ecclesia Catholica ineundam alliceret, & provocaret; accidit autem, quòd, dũ Legati Imperatoris iussa exequerentur, Donatus se illis inverecundè opposuerit, Principis illius famæ graviter detrahendo, & velut alter Judas contra eiusdem liberalitatem fremendo, & murmurando; Inter cætera verò suis præcepit, ne quisquam pecuniam ab Imperatore Catholico transmissam recipere præsumeret; at verò quid tandem evenit? omninò videlicet oppositum illius, quod Donatus machinabatur; populus namque oculos, magis autem cor suum aperiens ad videndam, & considerandam Constantis pietatem: Impossibile esse dicebat, quin fides, quam Imperator profitebatur, verissima, & indubitata esset, utpotè quæ cum tanta compassione & charitate coniuncta erat, è contra verò Donatistarum sectam falsam, atque hæreticam esse dixerunt, utpotè qui ex operibus misericordiæ, quæ à sanctis viris illis profusis manibus fiebant, scandalizabantur, & pervertebantur.

S. Bern. ser. 9. de Adv. VI. S. Bernardus, cùm Monachi sui illi dicerent, se silentium servando nullum aliis sodalibus suis voce & ore præstare posse emolumentum, respondit: non deerit certè, quod facias, tantummodo charitas fraterna non desit; nullum ego consilium melius arbitror, quàm si exemplo tuo fratrem docere studeas, quæ oporteat fieri, provocans eum ad meliora, & consulens ei, non verbo, neque linguâ, sed opere & veritate.

Surius 7. Ian. VII. Laurentius Surius de S. Luciano Martyre refert, quòd multos infideles per suam vitæ modestiam, exteriorémque morum compositionem ad fidei nostræ veritatem agnoscendam induxerit; Unde Maximianus Imperator pro tribunali sedens, ut illum ad Martyrium condemnaret, timénsque, ne id ipsum sibi eveniret, ipsum procul ab oculis & conspectu suo collocari præcepit.

Vita PP. l. 1. c. 6. VIII. In vita S. Abrahami Eremitæ legitur, ipsum quidem omnibus viribus in id connisum fuisse, ut paganos nonnullos obstinatos ad veri Dei notitiam perduceret, veruntamen multo tempore in vanum laborâsse, postquam verò multas ab iis recepisset iniurias, verbera, & contumelias innumeras, cùm aspera omnia pateretur, magis ac magis amor eius & charitas augebatur. Unde factum est, quòd die quadam simul congregati, hos inter se sermones miscuerint; Cernitis tam magnam patientiam viri, & ineffabilem circa nos charitatem, quomodo in tantis tribulationibus, quas ei intulimus, nequaquam ex hoc loco discesserit, neque aversus est à nobis, sed cum gaudio magno sustinuerit universa? Unde nisi esset (ut asserit) Deus verus, quem prædicat, & Regnum, & Paradisus, ultio quoque malorum, non hanc tribulationem pateretur inaniter. Venite itaque, credamus in Deum, quem prædicat; pariterque omnes in Ecclesiam pergunt clamantes atque dicentes: Gloria Deo cœlesti, qui misit famulum suum, ut nos ab errore salvaret.

IX. In Annalibus Capuccinorum scribitur, quòd, cùm Angelus Gioiosa (qui Dux, Par & Marscallus Franciæ fuit) Provincialis Parisiensis esset, & nonnullos Flandriæ conventus visitaret, atque circa vesperam in castellum quoddam, cuius Dominus hæreticus erat, pervenisset, ab eodem Domino charitativum propter Deum hospitium petierit; qui illum in stabulum quoddam duci iussit, quod tecti expers, & semidirutum erat, in quo nocte illa magna cum lætitia commoratus fuit; diluculo verò sequenti cùm abinde recedens, in itinere quendam dicti Baronis amicum obvium haberet, ab illo interrogatus, quomodo à dicto Barone tractatus fuisset, respondit: Optimè, & quidem valdè te obtestor, ut magnas illi nomine meo pro concesso hospitio gratias agas. Quod cùm ille apud præfatum Dominum exequeretur, ísque, quinam hi Capuccini fuerint ab illo requisivisset, mox ut unum illorum Patrem Gioiosam fuisse intellexit, conscenso equo celerrimo cursu ipsum est insecutus, cúmque ad illum venisset, ad eius pedes prostratus veniam abeo petiit; cúmque sanctus ille vir Baronem hunc ad hæresin, quam profitebatur, eiurandam hortaretur, tantùm in illo visum à se dicti servi Dei humilitatis, mortificationis & patientiæ exemplum prævaluit, ut paucis abinde diebus ad Orthodoxam fuerit fidem conversus. Quódque in hoc hæretico prædicationes & doctrinæ Catholicorum, ad errores suos detestandos facere non potuerunt, id tandem obtinuit virtus tanta cum ædificatione, & per actum adeò heroicum ab hoc perfecto Religioso exercitata. Annal. Capucc. An. 1604. n. 18.

X. S. Philippus Nerius cùm adhuc sæcularis existens, post absoluta studia sua vitæ spirituali totaliter deditus esset, coram confraternitate SS. Trinitatis (quæ ipsum suum Fundatorem habere gloriatur) ante Sanctissimum Sacramentum sermonem faciens, in unico tantùm sermone triginta iuvenes licentiosos & dissolutos convertit; Notátque historia conversiones istas non facundiæ, doctrinæ & talenti sui, sed potiùs magnæ æstimationis, in qua ipsum ob sanctam eius vitam habebant, effectus fuisse; multi, qui eò ad ipsum audiendum accesserant, ut eum deriderent, videntes hominem laicum de materiis sacris & spiritualibus, sermocinan- Vit. l. 1. c. 8. n. 3.

mocinantem, sermonis eius efficaciâ capti, conversi fuerunt.

Hector Boet. Hist. Scot. l. 9. XI. Convallo Rege piissimo in Scotia regnante, religio Christiana mirandum in modum floruit, adeò ut S. Columbanus de industria ex Hibernia eò se contulerit, ut de incolarum sanctitate gaudere posset, cùmque indè reversus interrogaretur, quænam ibi vidisset miracula, respondit: vidi unum instar omnium, Regem videlicet Convallum, qui in mediis deliciis & peccatorum incitamentis, cum Monachis & Episcopis de sanctimonia contendit, qua de causa suis ita est reverendus, ut ipsi nec aliis iniuriâ, nec de Rege hiscere sinistri quippiā audeant.

Mansi disc. 6. n. 6. XII. Celebre est illud Ebbe Abbatissæ facinus, quæ ne periclitantem per inimicorum incursiones castitatem contaminaret, labia sibi præscidit; cuius generosi facinoris exemplum cæteræ moniales consectantes, palmam sibi acquisivere Martyrii, simúlque illibatum virginitatis lilium custodiêre.

Vita l. 1. c. 11. XIII. De Alphonso Rodriquez Coadiutore è Societate Jesu scribitur, quòd solo aspectu eius, qui eum intuebantur, componebantur, & movebantur ad devotionem, & desiderium eius imitationis, eò quòd fervor interior illius, per omnia eius membra & sensus, tanquam vaporem quendam effunderent, & fumum ex igne incluso. Porrò ut alibi in eius vita additur, cum tantâ modestiâ Missæ ministrabat, ut circumstantes, eô visô, componerentur, & ipsi Sacerdotes, tantùm sciendo illum assistere, accenderentur fervore, & extraordinariâ devotione. Ideò multi sæculares utriusque sexus procurabant adesse Missæ, cui ministrabat Alphonsus, quia experiebantur in se eius aspectu solo, singulares valdè in corde fervores excitari.

§. III.

SIMILITUDINES.

Qualitas.

S. Ambr. ser. 39. I. Sicut Medicus, ut infirmo medicinam præscriptam minùs insipidam, ingratámque esse demonstret, ipse priùs eam degustat, ut ad simile exemplum æger promptè medicinam absorbeat; ita Salvator, quando medicinam ieiunii præscripsit, ipse sibi primus, ut bonus humani generis Medicus poculum, quod ægro daturus erat, gustat, ut peritiam artis suæ ante in se ipso demonstraret, & experimentum æger accipiens, securus sit de poculo, securior de salute.

Necessitas.

S. Thom. Villan. Conc. 2. Dom. 2. Quadr. II. Sicut iis, qui Mathematicam addiscunt, si nonnunquam Theoricam non satis intelligunt, illis in practica præfigurantur anguli, circuli, vel aliæ figuræ, ut tantò magis ipsis imprimantur, & intelligibiliores reddantur; eodem modo, inquit Sanctus Thomas Villan. Deus noster in Evangelio Theoriam nos docet perfectionis, quam ut melius assequi, nobísque comparare valeamus, eandem quoque nobis demonstrat, prout practicè exercita est à Sanctis; ut, qui virtutum formam non intelligit, videndo sciat; quantùm in se nobis, & in cæteris Christianis congregationibus, vita unius viri sancti inspecta, aliis proficiat, experientia demonstrat.

Plinius Iunior l. 8. ep. 68. III. Sicut in corporibus, sic in imperio gravissimus est morbus, qui à capite descendit, nec aliundè ferè tanta pernicies venire membris politicis, quanta ab ægris capitibus, & moderatoribus flagitiosis, solet. Felices ergo Respublicæ, quarum sana sunt capita. At væ illis, quæ gubernatores habent secundùm animam infirmos.

S. Chrysost. in Ps. 11. IV. Sicut viæ ingressus affert laborem, magis autem, quando fuerit solus viator, & nullum habet viæ comitem, ita etiam hîc: non parva enim res est fratrum societas & adhortatio; & ideò dicit etiam Paulus: *Considerantes vosmetipsos ad provocationem charitatis & bonorum operum.* Hebr. 10. 24.

S. Athan. q. 120. V. Sicut, si quis oleo aliquem suis manibus uncturus, oleum non habeat, quomodo impertiverit aliis, quod ipse non habet? ad eundem modum de iis, qui docent alios, sentiendum.

Utilitas.

Authi operis imperf. ho. 1. VI. Sicut Medulla, quamdiu in arbore fuerit sana, semper floret; cùm autem comesta fuerit, tota paulatim marcescendo siccatur, sic & quamdiu sunt fideles, stat iste mundus, & cùm sancti de isto mundo deficient, casurus est mundus.

S. Climac. gr. 26. VII. Sicut pauperes, cùm thesauros Regios aspiciunt, suam paupertatem magis agnoscunt, ita etiam Patrum egregias virtutes relegens, ampliùs se humiliat.

§. IV.

MOTIVA.

S. Laur. Iust. in Festo Exalt. S. Crucis. I. Christi exemplum; hæc enim potissima Incarnationis Verbi causa fuit, ait S. Laurentius Justinianus, quatenus per assumptum hominem documenta saluberrima (quod Magistri & Doctoris munus est) tribueret Deus, quibus peccator homo amissa recuperaret dona, deformatam reformaret imaginem, & cælestem, à qua elongaverat multùm, remearet ad patriam.

Gloss. in 1. Petr. c. 2. II. *Utilitas, ad convincendos infideles*; plerumque enim contingit, ut pagani, qui vituperabant Fidem Christianorum, postea considerantes bonam eorum conversationem, Christum laudare incipiant. Hinc S. Petrus ait: *Ut in eo, quod detrectant de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes glorificent Deum in die visitationis.* Imò ut S. Chrysostomus ait, convincunt magis opera virtutis, quàm miracula; (S. Chrysost. de S. Babyla.) cuius mox rationem reddit, dicens: Hæc namque fictè fieri possunt, vel si verè, etiam ab improbis per gratiam gratis datam. Et consentiens S. Prosper, plus, inquit, fideles Catholicos (S. Prosper l. 1. 17. de vit. contempl.)

tholicos bonis exemplis, quàm luculentis verbis solere proficere, eámque esse summam perfectámque doctrinam, quam conversatio spiritualis ostenderit, nunquam inanis sermo iactaverit.

§. V.

ASCETICA.

Hugo Card. in Ps. 102. I. IMprimis nôsse debet Asceta, *cur superiores præcipuè bono exemplo prælucere debeant*: nimirum quia ipsi sunt cœli respectu subditorum, quia sicut motus cœli est regula omnium motuum inferiorum, ita opera Prælatorum debent esse regula subditorum. Sed dicitur Ierem. 4. *aspexit cælos, & non erat lux in eis.* Unde fit, S. Fulg. ep. 6. teste S. Fulgentio, ut qui sunt in sæculi culmine constituti aut secum plurimos perdant, aut S. Greg. p. 2. past. c. 3. secum multos in via salutis acquirant. Quare S. Gregorius ait: Sit Rector operatione præcipuus, ut vitæ viam subditis vivendo denunciet, & grex, qui pastoris vocem moréſque sequitur, per exempla meliùs, quàm per verba gradiatur. Ex virtuosa quippe vita, ac informatione superiorum in tantùm dependet profectus, & salus inferiorum, ut per Ieremiam Dominus protestetur; *quoniam stultè egerunt pastores, propterea omnis grex eorum dissipatus est.* S. Hieron. ad Heliod. Et confirmans id ipsum S. Hieronymus, in te, inquit, omnium oculi diriguntur, domus tua & conversatio quasi in speculâ constituta, magistra est publicæ disciplinæ; quidquid feceris, id sibi omnes faciendum putant.

S. Laur. Iust. c. 11. de instit. Prælat. II. Nôsse debet, *ad quem finem exempla dirigantur*, id quod S. Laurentius Iustinianus indicavit, Virtutes Sanctorum in literis annotatæ, sunt tanquam luminaria in opaca noctis caligine viatoribus exposita, quò sine offensione pergere, & ad quem suæ peregrinationis finem, intentionem suam sistere debeant. Hinc Thomas Tho. Kemp. Conc. 18. Kemp. nõ vales tu, inquit, omnes posteros ditare, nec cuncta damna præcavere, stude potiùs post te relinquere exemplum virtutis, quàm sufficientiam terreni censûs.

Pacatus in Panegyr. Theodosii. III. Nôsse debet *virtutem exemplorum*: quam rectè indicavit, qui dixit: Exasperat homines imperata correctio, blandissimè docetur exemplo.

Salvian. l. 1 de prov. IV. Nôsse debet, *etiam prava exempla in nostram utilitatem esse convertenda*; Hinc Maria S. Cypr. de singul. cler. 14. Moysis soror supplicio afficitur, ut Aaron confusione mutetur, inquit Salvianus; hæc enim est semper incredulitas humanæ duritiæ, ut non solùm audiendo, sed etiam videndo non credat, alios interiisse, nisi & se ipsam viderit interire.

Cassiod. l. 9. var. ep. 8. V. Nôsse debet, quod prudenter Cassiodorus monuit, dicens: *Non aliena exempla perquiras: Memor esto, quæ feceris, & non indiges admoneri.*

§. VI.

MISCELLANEA ET CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Qualitas.

I. REctè Christus Apostolis dixit: *Vos estis sal terræ: vos estis lux mundi*; siquidem Mansi disc. 2. n. 4. sal, priusquam cibos condiat, sapidósque reddat, liquefit & consumitur; iterum candela ut alios in caligine noctis illuminet, priùs colliquescit, & destruitur; tales itaque omnes eos esse voluit Christus, qui per Evangelii prædicationem impios ad salutis viam reducere debent, salem scilicet & lumen, ut priùs ieiuniis, vigiliis, peregrinationibus, & eleemosynis sese emacerent; omnibúsque aliis corporalis & spiritualis misericordiæ operibus vacent, quia hoc auditores dociles reddit, & faciles, ut inclinentur, & convertantur.

II. Acutè observavit Episcopus Abulensis Abulens. in c. 10. Num. q. 27. Alphonsus Tostatus, quòd Dominus, postquàm verbis significâsset Moysi, quomodo Sanctuarium fabricari, & partes eius singulas construere deberet, non satis putavit, sermone id illi exposuisse, sed etiam quoddam velut exemplar, & prototypon ob oculos posuit, ut coràm videret simulachrum, cuius speciem formámque in Sanctuario exprimeret. Quando instruxit Moysen de fabricatione Sanctuarii, non solùm dixit ei de singulis rebus, quomodo fieri deberent, sed etiam ostendit ei unam similitudinem omnium, ut videret sibi Moyses totum Sanctuarium erectum. Sed notandum, quòd Moysi, cum Sanctuarii construendi negotium perficere iussus esset, simul dictum fuit: *Inspice & fac secundùm exemplar, quod tibi in monte monstratum est.* Exod. 25. 40. Premit hæc Abulensis, inquiens: Non dixit, quòd attenderet ad verba, quæ ab eo audierat, sed ad exemplar.

III. Mellifluus Doctor sapienter annotavit, S. Bernardus apud Nyss. in c. hom. l. 4. c. 1. quòd crebrò tribuatur Ioanni Baptistæ gloriosa appellatio Præcursoris Verbi æterni. Ipse ideò Pater illius Zacharias exultans gaudio pro tanto beneficio, cùm illum fortè brachiis constrictum gestaret, aiebat: *Præibis ante faciem Domini parare vias ejus*, Lucæ 1. v. 76. & officium Metatoris hospitiorum supremi, apud Principem æternitatis administrabis. Cùm autem hoc officium in eo positum esset, ut lucem ministraret, erudiret, doceret; videamus, inquit Bernardus, quemadmodum lucem hæc fax præbebat, ut inde intelligamus, quomodo tantundem facere debeant, qui ex vero & legitimo zelo illuminare debent. *Ille erat lucerna ardens, & lucens*, inquit de illo Ioan. 5. v. 75. Christus ipse, cui præibat Ioannes viam, ut exciperetur in mundo. Magnum testimonium, Fratres mei, magnus enim est, cui perhibetur, inquit Serm. de S. Ioanne. Ingens elogium, gloriosa prædicatio, insignitissima commendatio divini Præcursoris. Et quantus ille, qui tantum meruit encomium! Et quomodo illum voca-

vocat cœlestis Magister? *Erat lucerna ardens, & lucens*, inquit. Primùm arsisse memorat, deinde luxisse. Non ait, lucens, & ardens, inquit Bernardus, sed quòd antè ardebat, dein lucebat. Nam lucere ut ardeas, vana diligentia est, verùm ardere, ut luceas, Præcursorum Christi verum iter est. Expono sensum meum, ait Bernardus: lucere, videtur olere hypocrisin, & vanitatem; nam lucere solùm, est studere opinioni, & existimationi apud homines conciliandæ; verùm ardere, est solidæ & veræ virtutis nota & indicium. Sed quare dicitur de Joanne, quòd venit in mundum, & natus est in Spiritu Eliæ? *Præcedet in Spiritu & virtute Eliæ.* Luc. 1. v. 17. Ideo, quòd erat lucerna ardens & lucens. Ardebat primùm, mox lucebat; nam qui primùm ardet, qui flagrat, qui vivis divini amoris flammis incenditur, ille aptus est, ut luceat, ille virtute & Spiritu ardentis & Zelosi Eliæ armabitur. Nam qui solùm ardet, & studet inani probitatis existimationi, Patrísque Spiritualis titulum affectat, solâ vanâ Spiritûs umbrâ contentus, nunquàm is talis erit, ut doceat cum Spiritu & veritate, quam professio Evangelica postulat. Ardeat Prædicator, ferveat Confessarius, conflagret Dei amore Magister Spiritualis, & non studeat soli cuticulæ suæ curandæ, & carni commodè habendæ; scio enim, quod tunc ex animo, & Apostolico Zelo tractabit summum salutis animarum negotium. At quem cárnis cura occupatum, impeditúmque habet, fieri non potest, ut is seriò, atque, ut decet, animæ & Spiritûs negotia procuret.

Necessitas.

IV. Exempli necessitatem rectè Verbum Incarnatum ostendit, utpotè quod licèt à primis vitæ annis conversionem animarum, prædicationem Evangelii, novæque legis gratiæ promulgationem exordiri potuisset, nihilominùs, teste S. Matthæo: *Exinde cœpit IESUS prædicare, & dicere: Pœnitentiam agite*; quonam verò tempore illud Exinde inchoatum fuisse existimatis? Post triginta annorum spatium, in operibus, exemplisque Sanctis, nec non heroicis virtutibus consumptorum; tunc siquidem suum Christus os aperuit, ut annunciaret. Ex tunc cœpit IESUS prædicare, inquit Author imperfecti operis, ex quo tentatus est, famem vicit in deserto, avaritiam sprevit in monte, vanam gloriam repercussit super Templum, ut nobis ostendat, quòd, qui ventri suo contradicere potest, qui sæculi huius bona contemnit, qui vanam gloriam non desiderat, ille debet Christi vicarius factus, iustitiam prædicare.

Author. oper. imperf. in c. 4. Matth.

V. Regius Psaltes ait: *Dabit voci suæ vocem virtutis*; at verò quænam est hæc vox virtutis, de qua Propheta hîc loquitur? num fortè est sonoritas vocis? aut verò energia in dicendo? vel denique linguæ ad persvadendum efficacis facundia? nequaquam, sed audite id exponentem S. Bernardum, dum ait: Memento voci tuæ dare vocem virtutis. Quid illud, inquis? Ut opera tua verbis concinant, imò verba operibus, ut cures videlicet priùs facere, quàm docere. Quibus verbis Abbatem quendam instruit, cuius munus erat, alios gubernare; & mox subdit: pulcherrimus ordo est, & saluberrimus, ut onus, quod portandum imponis, tu portes prior; & ex te discas, qualiter oporteat alios moderari. Alioquin subsannabit te sapiens, utpotè pigrum illum, cui sit labor, manum porrigere ad os.

Psalm. 67. 34.

S. Bern. ep. 201. ad Balduinũ Abbatem.

Prov. 26.

VI. Propheta Evangelicus eos, qui alios in timore Dei erudire debent, his verbis adhortatur: *Super montem excelsum ascende tu, qui Evangelizas Sion, exalta in fortitudine vocem tuam.* At verò dicere quis posset, quid opus est, hoc officium benè adimplere volenti, ut vocem suam exaltet, vel excelsum quendam locum conscendat? S. Gregorius respondet; ideò id præcipi, ut, qui cœlesti prædicatione utitur, ima iam terrenorum deserens, in rerum culmine stare videatur, tantóque faciliùs subditos ad maiora pertrahat, quantò per vitæ meritum de supernis clamat.

S. Greg. p. 2. Past. c. 3.

VII. Deus olim in Levitico volatilia sacrificanda retorto ad collum capite offerri iubebat; & quidem certum est, quòd increata sapientia ad hunc præcipiendum ritum, & cæremoniam, quæ parvi momenti prima facie esse videtur, se demissura minimè fuisset, nisi peculiare in eâdem cæremonia mysterium lateret, quod idem S. Gregorius super Ezechielem scribens his verbis declarat: Capút ad pinnulas retorquere præcipitur, ut ea, quæ dicis, facias, & os ad opera coniungas. Ipse quoque Seneca, moralis Philosophus, hanc nobis veritatem detegit, dum ad Lucilium suum ita scribit: Longum iter est per præcepta, breve & efficax per exempla; quia homines plùs oculis credunt, quàm auribus; dicere enim facile est, operari autem difficile, ac proinde plùs operibus, quàm verbis creditur. S. Cyprianus maiori, quàm Seneca, cum authoritate loquitur, dum inquit: Plùs proficitur, cùm in rem præsentem venitur, nec de virtute dubitatur, quando, quod præcipitur, etiam exemplis firmatur. Et ideo Plinius ait: Erat antiquitùs institutum, ut à maioribus natu, non auribus modò, verùm etiam oculis disceremus, quæ facienda sunt.

Lev. 1.

S. Greg. hom. 7. in Ezech.

S. Cypr. de discip. & bono publ.

VIII. In Deuteronomio, ubi de victimis in honorem Dei offerendis agitur, sequens à supremo Legislatore decretum conditum fuit: *Hoc est Iudicium Sacerdotum, à populo & ab his, qui offerunt victimas: sive bovem, sive ovem immolaverint, dabunt Sacerdoti armum.* At verò quidnam in eo latet mysterii, quòd Sacerdoti potiùs hanc victimæ partem, & non aliam assignarit? Cur non potius caput vel pectus iis cedere debuit? omnia in figura contingebant illis. Unde S. Gregorius ait: Divinâ lege armum Sacerdos dextrum in Sacrificium accipit, & separatum, ut non solùm sit eius operatio utilis, sed etiam singularis, nec inter malos tantummodò, quæ recta sunt, faciat, sed benè quoque operantes subditos, sicut honore ordinis

Deut. 18. 3.

S. Greg. l. c.

nis superat, ita etiam morum virtute transcendat.

Idem hom 38. IX. In parabola Regis ad nuptias invitantis notandum, quòd in priori invitatione nil de tauris & alitibus dicitur, in secunda autem iam tauri & alatilia mactata esse memorantur; quia omnipotens Deus, cum verba eius audire nolumus, adiungit exempla, ut omne, quod impossibile credimus, tantò nobis ad sperandum fiat facilius, quantò per hoc transisse iam, & alios audimus.

X. Orator Christianus, cùm sit perfectus Christi imitator, non absque singulari mysterio appellatur verbi divini, & doctrinæ cœlestis sator; qui, ut fructuosè dicat, hoc debet agere inter homines, quod ruri satores. Et quid agunt? manu seminant, non ore, inquit Ioannes Cluniacensis. Sic Prædicator, qui sibi meritum, aliis emolumentum vult parare concionando, debet illos non verbis tantùm, verùm & manibus, operibúsque erudire. Opera enim quamvis absque lingua sint, maiorem tamen habent eloquentiam, & efficacitatem persuadendi, quàm sola verba. Hanc ob causam S. Prosper ait: eos, quibus ex officio incumbit, alios docere, & populum per viam veritatis dirigere, nec posse, nec debere exhortationis munus intermittere, tametsi fortè parcior natura facundiam illi exercitationi parem, & verborum affluentiam, quantam res ista postulat, non dederit. Verba illius ex l. 1. de vit. contempl. c. 23. hæc sunt: Nec verò se per imperitiam Pontifex excusabit, quasi propterea dicere non valeat, quòd ei sufficiens, & luculentus sermo non suppetat, quando nulla alia Sacerdotis doctrina debet esse, quàm vita, satísque auditores possint proficere, si à Doctoribus suis, quod vident, Spiritualiter fieri, hoc sibi etiam simpliciter audiant prædicari, dicente Apostolo: *Etsi imperitus sermone, sed non scientiâ.* 2. Corinth. 11. 6. Notate in his illa imprimis: Nulla alia Sacerdotis doctrina debet esse, quàm vita. Nullius enim tanta est in exhortando vis, quàm sanctæ vitæ, & operationum bonarum, ea propter & B. Paulus, quod verbis non valebat, exemplis faciebat, & cui linguæ disertitudo deerat, illi vitæ sanctæ consuetudo faterat, ut homines ad virtutis studium, & Dei amorem excitaret, atque inflammaret.

S. Prosper. l. 1 de vita cont. c. 23.

XI. Cùm Sponsæ suæ admirabiles perfectiones, & gratiarum varia ornamenta Sponsus delinearet, postquàm oculorum elegantiam, oris venustatem, genarum decentissimam formam, capillorum pulchritudinem commendâsset, demum uberum speciem tali similitudine explicat: *Duo ubera tua sicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui pascuntur in liliis,* Cant. 4. 5. Constans Interpretum sacrorum expositio habet, per ubera Sponsæ intelligi Doctores, & Prædicatores Ecclesiæ, sicut enim ab uberibus suam hauriunt alimoniam infantes, ita pabulo doctrinæ nutriuntur ad æternam vitam Christianorum animæ. Sed observandum hic aliquid cum Hugone Cardinali, quod apud illum sic habet: cum uberum sit pascere, & non pasci, quare dicitur hîc, qui pascuntur in liliis; & non potius, qui pascunt in liliis? si Doctores sunt ubera, ubera verò ad hoc data, ut nutrimenta ministrent, cur pasci feruntur, qui ex officio pascere debent? quomodo hunc dissolvemus nodum? Hugoni facilis occurrit solutio, cuius sunt ista: Dicimus, quòd veri Prædicatores priùs pascuntur doctrinâ suâ, & reficiuntur, quàm alios reficere incipiant, & ideo melius dicitur, pascuntur, quàm pascunt. In hâc sanè curandarum animarum Philosophia nullus æquè pascere alios potest, ac is, qui se ipsum primò pascit cibo virtutum, & usu bonorum operum, quorum exercitationi dum studet, eâdem operâ alios ad similia, etiam tacens excitat, & instigat.

Hugo Card. in c. 4. Cant.

XII. Mirum est, quanto verborum ambitu Propheta Regius ab omnibus mundi hominibus petierit aures attentas ad ea, quæ ad communem omnium institutionem dicturus erat, cùm hæc aiebat: *Audite hæc omnes gentes, auribus percipite omnes, qui habitatis orbem, quique terrigenæ, & filii hominum, simul in unum dives & pauper. Os meum loquetur sapientiam, & meditatio cordis mei prudentiam, inclinabo in parabolam aurem meam, aperiam in psalterio propositionem meam.* Ps. 48. 2. 3. 4. 5. In his extrema verba ex Hebræo sic etiam verti posse, *Aperiam in psalterio problema meum, ænigma meum,* aiunt Ioannes Campensis, Arias Montanus, Genebrardus, & alii plurimi. Problema verò est sententia obscurior, quæ egeat explicatione, vel studio, quasi ænigma tegens verborum involucris res spirituales, & subtiles, quoniam multa habet involuta & obscura. Hæc ferè Genebrardus. Quis hîc non animadvertit, quod divinus Propheta ab omnibus, etiam rudibus, & admodum imperitis & audiri, & percipi cupit, & mox ænigmata abstrusa, & obscura se dicturum promittit, quæ nec eruditissimi statim intelligere queant? Siccinè ad auscultanda talia totum terrarum orbem, & omnes gentes, hoc est, imperitorum ignarissimos, & indoctissimos convocat? quo fructu illi audient, qui sensum assequi non possunt? Benè habet istud. Sed non vides, quemadmodum se propositionem suam, & orationis thema propositurum dicit? *Aperiam in psalterio propositionem meam,* inquit. Quid habet psalterium, ex quo fieri possit, ut etiam qui tardissimo, & obtrusissimo sunt ingenio, involutissima, & reconditissima mysteria intelligere queant? S. Augustinus & Doctor Angelicus, Nicolaus Lyranus, & alii aiunt: Psalterium est instrumentum, quod manu pulsatur. Sunt instrumenta nonnulla, quorum totus ab ore venit sonus, sic ut manuum officium parùm huc faciat. Psalterium verò sic manus requirit, ut nisi ab illis tangatur, prorsus sit mutum. Dicit nunc Rex Sanctus: Audiant me omnes, quantumvis stupidi sint, & bardi, quia facilè me intelligent, si in psalterio propositionem meam aperiam, si ad

Ps. 48.

Nyss. l. 1. in Dom. sexag.

ad linguæ verba opera manuum adhibebo; vel, si mera ænigmata, & reconditissima mysteria loquar, ea etiam hebetissimo nihil obscura erunt, si modò ipse fecero, quæ facienda prædico, nihil enim tam involutum esse potest, quod vita Prædicatoris Sancta non apertissimum, & explicatissimum, & luculentissimum faciat.

Utilitas.

XIII. Valdè considerabilia sunt illa verba in sacris Canticis, quibus Sponsa, quæ Ecclesiam præfigurabat, cœlestem amatorem suum affatur dicens: *Trahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum.* Circa quæ verba observandum, quòd sponsa primitus in numero singulari loquatur, dicens: *Trahe me,* posteà verò in plurali, dum ait: *Curremus.* Quónam verò spectat hæc à sponsa observata sermonis differentia? Forténe, inquit S. Bernardus, sponsa indiget trahi, & adolescentulæ non indigent? edissere nobis huius distinctionis rationem: *Trahe me,* ais; quare *me,* & non *nos?* Paulò post verò examinatis prolixè quibusdam rationibus, ita concludit: voluntariè & cum omni alacritate curremus; non curram ego sola, si solam me trahi petierim, current & adolescentulæ mecum, curremus pariter, curremus simul, ego odore unguentorum tuorum, illæ meo excitatæ exemplo. (S. Bern. in c. I. Cant.)

XIV. Deus olim, Duce Gedeone, populo suo victoriam destinans contrà implacabiles Israëlitarum inimicos Madianitas, milites manibus gestare voluit pocula testacea, inclusis intra ipsa lampadibus aliquot, quarum lumen ruptis vasis inter mutuas collisiones compareret: cùmque per gyrum castrorum in tribus personarent locis, & hydrias confregissent, tenuerunt sinistris manibus lampades, & dextris sonantes tubas, & clamaverunt: *Gladius Domini & Gedeonis.* Ita quoque Dei Filius, cuius typum ille magnus Dux gessit; Filius, inquam, Dei, qui *non venit pacem mittere, sed gladium,* gentiles idololatras, nominisque Christiani inimicos domiturus, quo, putatis, usus fuerit remedio? iussit, ut multi fidelium in suppliciorum carnificina, corporum suorum rumperent argillam, id est, in confessione fidei constantes perseverarent, & prædicationis Evangelicæ tubas insonarent, maximè autem, ut accensarum lampadum, id est, bonorum exemplorum splendore, alios illustrarent; vide, inquit Origenes, quia electi milites Dei cum lampadibus pugnant, sic enim Christus eos armaverat dicens: *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris.* Et iterum: *Sic fulgeat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona;* talibus ergo lampadibus pugnare decet milites Christi, luce operum refulgentes, & splendore gestorum. (Orig. hom. 9. in Iud.)

XV. Cathedra Synagogæ Hebræorum, ex qua populus in lege Divina erudiebatur, suum à Moyse nomen sortita: *Super Cathedram Moysi sederunt scribæ & Pharisæi;* Sed cur non potiùs sedes illa Cathedra appellabatur Aaronis, qui Summus Sacerdos fuit, & ad quem specialiter pertinebat, populum erudire in rebus religionem & profectum spiritualem concernentibus? Præterquam quòd Moyses frater eius balbutiens & elinguis erat? Respondeo, hoc quidem verum esse, veruntamen, quantumvis Moyses in loquendo sterilis esset, valdè tamen in operando fœcundus erat, magisque facundus manu, quàm linguâ, utpotè qui manu prodigiosam circumferebat virgam; tales autem admirabili cum fructu suam diffundunt instructionem, & doctrinam, illi, inquam, qui plùs manu, quàm linguâ loquuntur. S. Gregorius Nyssenus homini manus à Deo datas esse arbitratur, ut maiori cum efficacia loqueretur; dicit namque: Dedit homini manus, ut meliùs loqueretur. (Mansi disc. 2. n. 1.)

XVI. Volens Deus ex silice producere aquam, Moysi iussit, ut manu virgam applicaret: *Tolle Virgam.* Quorsum, vos interrogo, requirebatur virga, quandoquidem miraculum per linguam patrandum erat? *loquimini ad petram coram eis, & illa dabit aquas.* Sensu igitur literali relicto, ad mysterium me confero, & dico, voluisse per hoc designare Dominum, quòd aquam compunctionis ex induratis impiorum cordibus educturi, primitùs prodigiosam operationum exemplarium & admirabilium virgam manu accipere debeant, & deinde ad petram loqui, id est persuadere, & habituatos convertere peccatores. (Ibidem n. 7.)

XVII. Regulus ille Capharnaita post miraculosam per Salvatorem filio restitutam sanitatem, non solùm ipse legis Evangelicæ iugo, sed & tota illius familia se subiecit, dicente S. Joanne: *credidit ipse, & domus eius tota.* Verisimile autem est, eam familiam habuisse admodùm numerosam, siquidem persona opulenta erat, inque honoribus constituta. Porrò si tantæ conversionis rationem quæritis, S. Thomam audite dicentem: Quia secundùm conditionem Dominorum, sivè bonam, sivè malam, servi disponuntur. Notandum autem Spiritum Sanctum, qui fallere nequit, notanter dicere: Domus eius tota; ita ut omnes & singuli ad exemplum Domini sui sese converterint; Ideòque S. Hieronymus inquit: vide, quanti referat maiorum fides cum bonis coniuncta moribus; inferiores enim eos facilè sequuntur. (S. Thomas in Ioannem.)

XVIII. Sacer textus ait: *Cùm ambulabant animalia, ambulabant pariter, & rotæ iuxta ea, &, cùm elevarentur animalia de terra, elevabantur simul & rotæ.* Ubi Galfridus per similitudines dictorum animalium currum sustinentium, illos dicit denotari, qui regimini præsunt, & ministerio destinati sunt Evangelico; per rotas verò subditos intelligit; observandum verò est, quòd rotæ illæ vol- (Galfrid. apud Mansi disc. 4. n. 5.)

vebantur,

vebantur, iuxta velocitatem & tarditatem motûs animalium, quia secundùm quòd bona vel mala sunt superiorum exempla, subditi vel gressum sistunt, vel cœptum à se cursum prosequuntur. Nunc autem quod miserandum est & dolendum, pluribus in locis cum retrocedentibus animalibus, revertuntur simul & rotæ, & cum cadentibus cadunt, & cum incurvatis ad terram pariter incurvantur.

S. Thom. Villan. conc. 2. in Dom. 3. Quadr.

XIX. Iacob Patriarcha ut gregis sui fœtus multiplicaret, tollens virgas populeas virides, & amygdalinas, & ex platanis, & ex parte decorticavit eas, & cætera, quæ ibi fusiùs narrat historia; quod dicti Patriarchæ factum S. Thomas de Villanova adducit ad demonstrandum, quantùm fideles animati, & numero aucti sint, Martyrum, omniúmque aliorum Sanctorum exemplo. Tunc enim in domo Laban, id est, in Gentilismo, multiplicatus est grex Christi, & numerus Christianorum & electorum DEI, quando unus ad imitationem alterius ad martyrium properabant, & ex Idololatriæ præruptis, horridisque desertis, ad cœlestis Pastoris reducebantur ovile.

Nyss. in vita Abrah. l. 6. c. 9.

XX. Cardinalis Caietanus in illa Domini verba: *Hodie salus domui huic facta est*; Sic ait: Significatur facta salus non soli Zacchæo, sed familiæ eius similiter; sed quomodo id significatur, cum solus Zacchæus sua peccata fuisse confessus, solus suas culpas deploràsse feratur? immò hinc illud legitimâ consecutione conficitur? Nónne Zachæus erat pater, & caput familiæ? Erat. Nónne dolore & lacrymis sua damnabat scelera? damnabat. Ergo certum erat, domesticos illius omnes tantundem facturos, ut meritò diceret Christus: *Hodie salus domui huic facta est.* Membra enim caput suum sequuntur, & quando paterfamilias est vir probus, domesticos illius omnes numerare in probis potes, ut è contra in impiis recensere famulos, quorum sunt scelerati Domini.

XXI. Primum Legis mandatum, & maximum omnium, hoc est: *Diliges Dominum Deum tuum &c. Hoc est maximum & primum mandatum*; aiebat Dominus Matth. 22. 37. 38. Quis fuit primus promulgator huius mandati? Ductor populi Hebræi Moyses, cui hoc præceptum cum reliquis in tabulis descriptum Deus dedit, ut plebi suæ denunciaret. Quamdiu verò Moyses cum Deo conversatus fuit, priusquàm Decalogum populo exponeret? Sacrum Oraculum id his verbis declarat: *Ascendit Moyses in montem, & fuit ibi quadraginta diebus, & quadraginta noctibus*; Exodi 24. 18. Quid causæ, quòd Moyses tamdiu hæsitare in monte, & in consortio Dei vivere, continuósque miscere sermones cum suprema Maiestate debuit? S. Petrus Chrysologus id exponit dicens: Ascendit in montem, & fuit ibi quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, ut tantùm esset Dei amore succensus, ut ipse ardenter diligeret, & alios, ut diligerent, sic moneret, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Promulgaturus erat Sacer Dux primum mandatum, quod iubet amare Deum, tum & cætera, quæ tabulis expressa erant. Et quoniam hoc mandatum, utpote amoris viva flamma, & ardens ignis erat, congruum quoque, ac necessarium erat, ut Moyses in medio, meróque amoris igne, qui Deus est, hæreret, ut totus charitate primùm inardesceret, tantúmque non deflagraret, dein alios supremi Domini amore inflammaret: Ut esset tantum DEI amore succensus, ut ipse ardenter diligeret, & alios, ut diligerent, sic moneret. Nam ut frigidus & gelidus legislator subditis multum ignem, aut flammas subiiciat, id communis virium creatarum conditio non fert, & moraliter fieri nequit. Tametsi enim aliud sit lex, aliud legislator, & possit esse lex bona, quamvis legislator sit malus, nihilominus experientiâ teste scimus, nunquàm continentiùs, religiosiùs, magisque piè, ac sobriè vivere subditos, quàm cùm Principes & quicunque alii Superiores legis vigorem, suæ exemplo vitæ fovent, acuunt, confirmant.

S. Chrysol. serm. 44.



TI-

TITULUS XXIX.

FIDES.

§. I.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Qualitas.

B. Bonav. diat. Salut. Tit. 5. c. 3. I. Ides est sicut Columna illa, quæ præcedebat populum Israël in exitu de Ægypto: nam & illa ex parte Israel erat lucida, & ex parte Ægyptiorum tenebrosa: Sic fides credentibus lucet, & infidelibus est obscura, quia ipsi sunt rebelles lumini.

S. Hieron. ad Paulã. II. Fides Dei non est otiosa, neque solitaria, individua comes ei iungitur bonæ operationis instantia, nam cùm per fidem quis cognita incipit amare, consequenter exercet operando, quod amat.

S. Isidor. l. 8. orig. c. 2. III. Propriè nomen fidei indè est dictum, si omnino fiat, id quod dictum est, aut promissum; Et inde fides vocata est ab eo, quòd fit illud, quod inter utrosque placitum est, quasi inter Deum & hominem; sed & Cicero ait: Fides, *Cicero l. 1. offic.* dictorum, conventorúmque constantia, sic dicta, quòd fiat.

Æquitas.

S. August. ser. de Trin. IV. Deus credi se voluit, non examinari; periculosa est disputatio de Trinitate: lutum & vas figuli de creatore disputat, quod nec Angeli in cœlo scire possunt, quid enim agunt? *quis est iste Rex gloriæ?* Et apud Isaiam: *Quis est iste, qui ascendit de Edom?* Vis scire naturam Dei: hoc scito, quòd nescias: sed scias hoc ipsum, quòd nescias, plùs cæteris scies: gentilis homo videt lapidem, & Deum putat: Philosophi vident cœlum, & Deum putant: In eo quòd se scire dicunt, nesciunt. In die Iudicii non damnor, quia dico: nescivi naturam Creatoris mei.

Bellar. spec. mor. l. 2. dist. 1. & 3. V. Quisque credit vicinis suis & matri: licet nesciat, quando fuit genitus ab illo patre, & natus ab illa matre: tamen requisitus statim incunctanter respondet, illum esse suum patrem, & illam suam matrem, licet nesciat nisi ex auditu suorum, nec alienis crederet de contrario. Sic per peccatum Adæ in hoc carcere nati & nutriti, debemus credere Matri Ecclesiæ & vicinis, Sanctis Filiis eius de his, quæ pertinent ad fidem, licet ea non viderimus.

Necessitas.

S. Climac. in scala parad. VI. Qui non credit, & tamen quædam fortasse bona opera facit, similis est illi, qui aquam haurit, & in dolium pertusum infundit.

R. P. Lohn. Auct. Bibl.

S. Aug. l. de symb. VII. In petra Moyses ponitur, ut Dei speciem contempletur, quia nisi quis fidei soliditatem tenuerit, divinam præsentiam non agnoscet. Avelle radium solis à corpore; divisionem lucis unitas non capit: frange ramum ab arbore, fractus germinare non potest: à fonte præcide rivum, præcisus arescet.

Utilitas.

S. Thomas Vill. in Oct. Pasch. VIII. Fides prava desideria frænat, effrænes appetitus cohibet, feroces cordis motus sedat, vitia pellit, virtutes inserit, mollia calcat, aspera tolerat, in prosperis non erigitur, in adversis non deiicitur, nihil est tam arduum & tam durum, quod non aggrediatur propter Deum, qui vivâ fide credit in Deum.

S. Bernar. de in. 10. l. S. & d. S. c. 1. IX. O Gratiosa & amabilis fidei virtus; quis igitur te non amabit, quæ fundamentum est omnis gratiæ & virtutis? purgas peccata, vivificas animas, illuminas cæcos, distinguis electos, connectis membra capiti nostro Christo, animas fideles. Deo facis sponsas, protegis, & defendis, probas iustas, miracula operaris, in omnibus triumphas, atque æternâ felicitate perseverantes in te coronas.

Euseb. Emiss. hom. 2. de symb. X. Hanc nobis fidem velut lampadem, Christus adveniens errantibus exhibuit, viam monstraturus, per quam possit Deus ignotus requiri, quæsitus credi, creditus inveniri. Quemadmodum Ecclesia navi, ita fides anchoræ assimilatur, dicente Hugone Victorino: quicunque ab initio mare præsentis sæculi salubriter transfretarunt, quicunque ad portum salutis pervenerunt, omnes in navi fidei navigaverunt, & transierunt. Anchora navim assecurat: ita quoque, teste D. Chrysostomo, fides in Deum, quasi secura quædam anchora; quam eandem doctrinam in psalm. 115. Commentario, ubi de fide tractans, idem repetit S. Doctor in hæc verba: Eiusmodi res est fides, est quædam sacra anchora, quæ undique sustentat mentem, quæ ei adhæret: Et in Tom. 5. sermone quodam eandem idem Doctor prosequitur allusionem, verbis sequentibus: quemadmodum navim ventorum impetu iactatam, & fluctuum assultus demissa anchora omnino stabilit, & vel in medio pelago radicat; ita etiam mentem nostram extraneis cogitationibus iactatam adventu suo fides ex imminenti naufragio liberat, tanquam in tranquillum portum, in conscientiæ certitudinem deducens. In quorum confirmationem prædictus Sanctus illum Apostoli ad Hebræos textum adducit, dicentis: quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam,

Estius in cap. Ephes.

XI. Nihil efficacius ad superandas diaboli, carnis, & mundi tentationes, quàm si quis fidem suam diligenter exerceat, ac frequenter ante mentis oculos ponat, bona nobis in futuro promissa.

Dignitas.

Euseb. Emyss. l. c.

XII. Fides Religionis Catholicæ, est lumen animæ, ostium vitæ, fundamentum salutis æternæ.

S. Bernar. dom. 16. c. S. 2. in princ.

XIII. Fides prima & initialis est inter omnes virtutes, & quasi capitalis honorificentia Summi Dei. Ipsa nempe caput humanæ mentis, id est intellectum, ad adorandam & venerandam altissimam Dei Maiestatem primùm incurvat, atque inclinat, quemadmodum Apostolus ait: Per fidem in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium fidei.

Firmitas.

S. August. S. 1. de verb. apost. c. 4.

XIV. Nullæ sunt maiores divitiæ, nulli Thesauri, nulli honores, nulla mundi huius maior substantia, quàm est fides Catholica.

S. Bonav. S. 9. in Hexam.

XV. Tertia firmitas Fidei ex testificantium concordia plena, quæ est in tribus, in eloquio scripturarum, in decretis Conciliorum, in documentis Sanctorum. De medio petrarum dabunt voces, hoc est, de medio duorum Cherubim, de quibus loquebatur Dominus, sive de quorum medio, scilicet duorum Testamentorum.

S. Bern. Ep. 190. ad Innocent. Pap. lit. P. sive Tom. 4. Tract. de Error. Abaelardi cap. 4. f. 114.

XVI. Nonne si fluctuat fides, inanis est spes nostra? stulti ergo Martyres nostri, sustinentes tam acerba propter incerta, nec dubitantes sub dubio remunerationis præmio, durum per exitum diuturnum inire exilium, sed absit, ut putemus in fide vel spe nostra aliquid, ut is putat, dubia æstimatione pendulum, & non magis totum, quod in ea est, certâ, ac solidâ veritate subnixum, oraculis, & miraculis, divinitus persuasum, stabilitum, & consecratum partu Virginis, sanguine Redemptoris, gloriâ Resurgentis. Testimonia ista credibilia facta sunt nimis.

S. Leo S. in natali Apost.

XVII. Nullo crudelitatis genere destrui potest, Sacramento crucis fundata religio: non minuitur persecutionibus Ecclesia, sed augetur: & semper dominicus ager segete ditiori vestitur, dum grana, quæ singula cadunt, multiplicata nascuntur.

S. Bern. ep 190 ad Innoc papa lo suprà cit. lit. e. &c.

XVIII. Fides, iuxta Apostolum, est substantia rerum sperandarum, non inanium phantasia coniecturarum. Audis substantiam? non licet tibi in fide putare, vel disputare pro libitu, non hac illacque vagari per inania opinionum, per devia errorum: substantiæ nomine, aliquid tibi certum fixúmque præfigitur, non est enim fides æstimatio, sed certitudo.

§. II.

EXEMPLA SACRA.

Brunner Annal. Boicorum p. 2. l. 6 n. 6.

I. INgo Dux Carantanorum (qui ad fontes Savi & Dravi habitant, hodie Carinthi dicti) multos ex suis Satrapis hac ratione fecit Christianos. Anno Salutis septingentesimo nonagesimo I. convivium lautè instruxit, & vilem plebeculam simul cum Satrapis suis invitavit, sed præ foribus recumbere iussit, pane tantùm cibario & carunculâ rancidâ pavit, vinúmque fictilibus propinavit austerum, contra pauperculos suæ mensæ adhibitos, vino nobili aureis argenteisque poculis propinato, lautâ insuper cœnâ refecit: Quod cùm nobiles indignè ferrent, ac in sui contumeliam fieri stomacharentur, ita respondit: Pauperculos ideo honore hoc affeci, quia sacro lavacro abluti sunt, vos verò reliqui foris, quia sordibus squalentes, hircúmque impietatis olentes, mihi nauseam facitis. Hac ergo ratione castigati nobiles intra breve tempus, sub Arnone Iuvaviensi Episcopo Christi fidem avidè susceperunt.

Utilitas.

Bellovac. spec. moral. l. 1. dist. 19.

II. Tempore sancti Sylvestri, quando Constantinus Magnus recenter ad fidem accesserat, perque eum aliorum populorum conversio sperari poterat, magnus ille Sacerdos, ut Bellovacensis refert, sequens patravit miraculum. Cùm enim Helena sacris Christianæ fidei mysteriis nondum initiata esset, ad illa tamen plurimùm propenderet, Iudæi verò è contra eandem, ne Ecclesiæ crederet, pervertere niterentur: multi ex paganis sapientissimi, ex altera verò parte cum sancto Sylvestro multi Episcopi simul congregati fuerunt, cúmque duo pagani controversiæ Iudices constituti fuissent, Sanctus Pontifex autem eosdem multis confutasset argumentis, Iudæus quidam eidem opposuit, Christianos adorare Crucifixum, se verò certum quoddam nomen Dei nôsse, cuius virtutem ne ipsa quidem saxa sustinere valeant, ac proinde ferocissimum quendam taurum coram se produci fecit, ut ostenderet, quòd nec hic virtutem huius nominis sustinere valeret: cui cùm in aures nescio quod nomen insusurrasset, taurus statim mortuus concidit: cunctis verò factum hoc admirantibus, Sylvester, nil magnum esse ait, taurum occidere, cùm hoc & araneæ possint, imò & modicum venenum animal interimere queat: neque insusurratum hoc nomen, Dei nomen esse dixit, sed dæmonis, cùm Deo proprium sit, vivificare, dæmonis verò occidere. Potiùs igitur Dei virtute exinde colligendam esse ait, si insusurrato eodem nomine occisum hunc taurum vitæ restituant. Tunc igitur deputati Iudices Iudæum urserunt, ut taurum resuscitaret: quibus ille se id minimè facere posse, ingenuè fassus est. Sylvester igitur invocato Crucifixi nomine, Christianis seorsim orantibus, tauro in Crucifixi nomine præcepit, ut surgeret, qui statim redivivus surrexit. Quo viso Iudæi præsentes una cum Helena ad fidem conversi sunt, & baptizati unâ die plusquàm tria millia hominum.

Idem Hist. Franc.

III. Cùm Wandali universam Franciam & Hispaniam cum non modico utriusque regni dispendio pervagarentur, multósque Episcopos Catholicos ingentia prodigia patrantes secum in servitutem abducerent, Episcopus quidam

dam Arrianus, Cirola nomine, (Catholicorum Episcoporum rationibus & argumentis, specialiter verò miraculorum famâ, quam sibi per cæci cuiusdam illuminationem compararant, convictus, & confusus) ut se quoque miraculorum dono pollere ostenderet, ad fraudes & technas confugit, ut hac ratione hæreseos suæ asseclas in secta confirmaret, cuidam enim suæ sectæ quinquaginta aureos eo pacto donavit, ut cæcum se, & ab eo illuminatum esse fingeret: Cùm autem transiret Cirola cum exercitu Wandalorum, & Episcopis captivis Catholicis, exclamavit dictus homo: audi me, beatissime Cirola, respice cæcitatem meam, & experiar virtutem tuam, qui reddis cæcis visum, surdis auditum, leprosos mundas, mortuos suscitas: Tunc Cirola eum trahens ad partem, ait, tangens eius oculos: secundùm fidem nostram, quâ rectè credimus in Deum, aperiantur oculi tui, & videant: quo dicto inceperunt oculi miseri hominis inflari, & tantus dolor eum arripuit, ut vix posset digitis oculos comprimere, quin creparentur, & præ dolore eiulans omnibus dolum detexit, & clamabat proiiciens aureos: Ecce aurum tuum, redde mihi visum meum. Tunc bono usus consilio, clamans & eiulans, proiecit se ad pedes Episcoporum Catholicorum, abnegans Arrianas perfidias & profitens fidem Catholicam. Tunc beato Eugenio Episcopo crucem eius oculis imprimente, sanitatem & visum recepit. Videns Hunnericus Rex Wandalorum sectam suam confundi, & fidem exaltari, sanctos diversis suppliciis laceravit, quo facto sol obscuratus est, & dictus Hunnericus à Diabolis arreptus, propriis dentibus se laceravit.

Vad Chris. p. 1. c. 22. § 1.

IV. Hæretico cuidam Eunomiano multa adversus fidem Catholicam argutè, & ex arte dialectica disputanti, respondit quondam S. Macarius; Non est, inquiens, in sermone regnum Dei, sed in virtute. Eamus ad sepulchra, & nomen domini super mortuum, qui primus occurret, invocemus, sicut scriptum est, ostendamus ex operibus fidem nostram: quo audito hæreticus assensum simulans, in crastinum rem differri petiit; sed à S. Marcario expectatus, causæ diffidens non comparuit. Pergit nihilominus vir sanctus cum plebe, quam istâ pravâ suâ doctrinâ infecerat, ad condicta sepulchra, ibique vetustissimum cadaver allocutus, O homo! ait: si venisset huc mecum hæreticus ille filius perditionis, & astante illo, nomen Christi Dei mei super te invocâssem, surrecturúsne eras, coram his, quos iste per fraudem penè subverterat? Ad hæc surgens mortuus cùm interroganti annuisset, & se sub antiquissimis Regibus, ante Christum, vixisse dixisset, iussus est à Macario in pace ad ordinem suum redire in fine temporum exuscitandus.

Gerson ut infra.

V. Philippo Francorum Regi perniciem struxerat Magus quidam cereæ imaginis incantatione, ita nimirum, ut in imagine igne absumptâ, Rex quoque secreto morbo absumptus moreretur. Hanc perniciem à se non aliter, quàm fide depulit: cùm enim allatam ad se imaginem in ignem abiecisset: Videbimus, inquit, si potentior erit dæmon ad me perdendum, quàm Deus meus ad me conservandum. Ita Gerson. tract. de erroribus circa artem magicam p. 1.

a *R.P. Lohn. Auctar. Bibl.*

Niceph. l. 11. c. 4.

VI. Zacomus tribunus carebat liberis, ætate iam senescens. Et quum Monachum quendam magnâ gloriâ virum adiisset, quùm alia pleraque ei per colloquium exposuit, tum ærumnam quoque eam & casum deploravit: supra modum enim apud Saracenos magni penditur liberorum procreatio: nec apud eos modò, sed etiam, ut arbitror, apud Barbaros omnes. Ille bono animo eúm esse, precatione factâ, & reverti domum iussit, fore pollicitus, ut brevi pater fieret, si modò in Christum sibi credendum esse statueret. Postquam autem dictum id eventus comprobâvit, & filius progenitus promissionem illam veram esse confirmavit: & ipse Zacomus Religione nostra est initiatus, & tribum eam omnem, cui præfuit, ad eandem gratiam adduxit: ab eo tempore tribum istam admodum floruisse, magnáque & numero & amplitudine incrementa cepisse, atque Saracenis & Persis formidabilem fuisse dicunt.

Eusebius Cæsar. l. 9. c. 9.

VII. Constantinus, qui primus publicè ex Imperatoribus Ecclesiam defendit, eo ferè modo Maxentium vicit, quo Moyses Pharaonem. Augustinus ait: Constantinum Imperatorem non supplicantem dæmonibus, sed ipsum verum Deum colentem, tantis terrenis implevit muneribus, quanta optare nullus auderet: universum orbem Romanum unus Augustus tenuit, & defendit, in administrandis & gerendis bellis victoriosissimus fuit, in Tyrannis opprimendis per omnia prosperatus est: grandævus ægritudine & senectute defunctus est: Filios imperantes reliquit.

Firmitas.

Bellov. tr. 3. l. 1. dist. 14.

VIII. Bellovacensis de illustri quopiam viro, qui Marchio de Monteferrato vocabatur, refert, quòd, cùm per multos annos cum ingenti sumptuum impendio, omnes sibi comparâsset sectarum fidei Catholicæ contrariarum libros, eósque diligenter legisset, & examinâsset, existimatum ab omnibus fuerit, fore, ut appropinquante mortis horâ tanquam alienus à fide & Ecclesia Catholica moriturus esset, maximè, quia dominia ipsius proximè ad Albingenses limites conterminarentur. Hic autem in agone de fide interrogatus, hoc edidit responsum: verum est, curiosus fui per quadraginta años cum multis sumptibus libros sectarum omnium colligere & legere, & studere in eis, & quia videbam, quòd, quantò plùs ibi aspicerem, tantò magis in fide Catholica roborabar, & plùs hæreses abominabar, videns fallaciam traditionis eorum, in signum huius vilipensionis, quam habebam ad alias sectas, feci fieri scrinium ligneum, quod feci poni sub pedibus meis, quando sedebam in sede cameræ privatæ, quasi non possem ipsas sectas magis vilipendere, nisi pedibus meis subessent, quando sedeo vile naturæ officium

officium expleturus. Evangelia autem Domini mei multo honore servavi. Ratio igitur, cur vir hic illustris tot sibi Hæreticorum libros procuraverat & evolverat, non fuit, quia in fide Catholica vacillabat, sed quia Albigenses dominio suo vicinos habens, scire volebat eorum, sicut & aliarum sectarum errores & deceptiones, ut in quavis obvia occasione hæreticam sacrilegorum illorum pertinaciam confutare & convincere posset: imò omnes illos libros impios & hæreticos coram se adduci, & in sua præsentia comburi iussit.

S. August. L. contra Epist. Manich. IX. S. Augustinus, qui usque ad trigesimum tertium ætatis suæ annum, Manichæorum sectam pertinaciter secutus fuerat, cognitâ per divinam gratiam veritate Catholicâ calamo suo eandem ad mortem usque defendit; háncque notabilem protestationem, quâ causas, quæ illum in Ecclesia continebant, declarat, sequentibus verbis edidit: Tenet consensio populorum atque gentium, tenet authoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitata aucta, vetustate firmata: Tenet ab ipsa sede Petri Apostoli; cui pascendas oves suas post resurrectionem dominus commendavit, usque ad præsentem Episcopatum, successio sacerdotum: tenet postremùm ipsum Catholicæ nomen, quod non sine causa inter tam multas hæreses sic ista sola Ecclesia obtinuit, ut, cùm omnes Hæretici se Catholicos dici velint; quærenti tamen peregrino alicui, ubi ad Catholicam conveniat, nullus Hæreticorum vel basilicam suam, vel domum audeat ostendere.

Lippolous 29. April. X. S. Petrus Martyr Prædicatorum decus, Italiæ speculum, & Fidei pugil ac propugnator egregius, in Gallia Cisalpina, quam Longobardiam vocant, civitate Veronensi, à Parentibus hæresi depravatis traxit originem; nihilominùs ita mundum se ab eorum erroribus servavit, ut neque blandis parentum dolis, neque multa verborum frequentiâ, ad hæreticorum sive colloquia, sive consortia, vel induci potuerit, vel compelli. Quod enim à natura videmus homini, cæterísque animantibus attributum, ut homo serpentis, agnus lupi conspectum horreat, & inditam hosti sævitiam sentiat, hoc puerum bonæ indolis unctio cœlestis edocuit, ut venenatorum serpentum consortia fugeret: & lupos rapaces, pellibus ovinis tectos, inimicos intelligeret, eorúmque commercia vitaret. Nam parvus puer annos natus plùs minùs septem, cùm die quodam à scholis rediret, quibus erat traditus literis imbuendus, & in patruum Hæreticum, & magnum diaboli laqueum, incidisset, & lectionis suæ pensum ei reddere cogeretur, Christianæ fidei symbolum illico recitavit, dicens: *Credo in Deum Patrem Omnipotentem, Creatorem cæli & terræ*, & reliqua. At patruus, qui strenuus perfidiæ Manichæorum patronus erat, cùm ab eius fidei professione puerum, tanquàm rudem quendam tyrunculum, avertere niteretur, ac depromptis, ex sacris literis, ad errorem confirmandum, argumentis, persuadere vellet, non Deum, sed diabolum potiùs esse visibilium conditorem, puer nullo modo cedere voluit, constanter ac præcisè Deum universorum esse conditorem asserens. Quod ille satanæ venator ac minister, cùm accuratè mente perpenderet, omnibus modis patri pueri persuadere conatus est, ut Petrum à scholis removeret, veritus, præsagio minimè dubio, id quod res erat, ne puer adultus, suâ, eruditione ac pietate ingentem perfidiæ Manichæorum stragem inferret. Sed pater, divino planè nutu, ab ea mente abhorrens, patrui monita reiecit, sperans filium, postquam prima rudimenta devorâsset, per hæresiarcham aliquem ad suam sectam nullo negotio pertrahendum. Is Martyrium subiit anno Domini 1252. sequenti verò anno relatus est in numerum Sanctorum ab Innocentio Papa quarto. Symbolum Apostolorum, quod puer in scholis invito patruo hæretico à Catholicis didicerat, tanti semper fecit, ut, cùm illud adversùs hæreticos in vita sæpe usurpasset, idem etiam inter trucidantium eum hæreticorum gladios recitârit, imò cùm iam loqui non posset, sanguine suo in terra scripserit hoc verbû: *Credo*.

XI. In Edessa Mesopotamiæ civitate, Martyrium est Sancti Thomæ Apostoli splendidum & illustre: in quo frequentes conveniunt propter loci sanctitatem. *Socrat. L. 4. hist. Eccl. c. 18.* Cùm hoc Valens Imperator cernere vellet, cognovissetque universam convenientium multitudinem hæresin suam detestari, fertur Præfectum manu percussisse, quod non curâsset eos inde expelli. Præfectus autem, cùm contumeliâ hâc acceptâ paratus esset vel invitus Imperatoris iræ morem gerere, occultè (non enim tot virorum cædem perpetare volebat) significat, ne quisquam in Martyrio deprehenderetur. Verùm nemo acquiescebat illius nec consilio, nec minis. Omnes enim sequenti die ad oratorium confluunt. Cùm autem Præfectus multorum militum manu stipatus, ut Imperatoris iram exequeretur, ad Martyrium illud properaret, mulier quædam paupercula filiolum suum manu trahens ad Martyrium currebat, & ordinem satellitum Præfecti interrumpebat. Indignatus autem Præfectus, mulierculam ad se duci iubet, illámque alloquitur, dicens: quò tam inconditè curris infelix mulier? cui illa: quò alii, inquit, currunt; ille vicissim: non audisti, inquit, Præfectum cunctos interempturum, quos ibi repererit? Mulier, audivi, ait, & ob eam causam festino, ut & ipsa ibi inveniar. Audito hoc, præfectus admiratur convenientium dementiam, Imperatorémque accedit, ac instruit, cunctos esse pro fide sua mori paratos: nec consonum esse rationi, ut tantus hominum numerus brevi tempore occidatur. Atque ita Imperatori, ut iram poneret, persuasit.

XII. Ante annos complures navim quandam Turcæ deprædati sunt, in qua permultos Lusitanos in captivitatem abduxerunt, cum triginta adolescentibus Indis: quorum qui minimus erat, novem annos habebat: maximus natu decimum sextum nondum excesserat: quos importunè, ut Turcicam legem susciperent, nunc blanditiis, nunc minis, flagellísque adhibitis *Daurolt. tius Flor. Exempl. 1. tit. 41. ex. 16.*

hibitis sollicitarunt. Neque tamen cùm exquisitis suppliciis, crudelitatéque summa, licet in eorum vibices laridum accensum guttatim instillâssent (quod usitatum est apud eos genus tormenti) quenquam à fide IESU Christi potuerunt dimovere. Quare indignati tyranni, vi eorum unum circumciderunt, cui cùm pueruli acclamarent, eum tandem Machometanum esse, quòd circumcisus esset: illis iste respondit: cùm vi circumcisus sit, non voluntate, Christianum se verè adhuc esse.

Ex vita eius. XIII. Philippus II. Hispaniarum Rex Religionis Catholicæ suo tempore studiosissimus, multa ætate confectus, anno Domini 1600. cùm esset è terris in cœlum abiturus, post susceptum Unctionis extremæ Sacramentum Filio suo Philippo astanti has præceptiones dedit: Deus tibi magnam gratiam fecerit, si te ad eum gloriæ apicem, in quo me vidi, evexerit:& te, sicut me prosperârit. Te ex animo obtestor, ut, cùm id assecutus fueris, huius lecti, in quo me vides, & ubi omnis huius mundi gloria sistit, memineris. Tibi commendo sedi Apostolicæ obedientiam: Fidei Catholicæ protectionem, & Religionis Christianæ Zelum, Reipublicæ pacem, & in subditos iustitiam. Si Deus hæc consilia mea firmaverit, suum Regem non amiserit hoc regnum, sed solùm cum fructu commutaverit.

Niceph. l. 15. c. 1. XIV. Theodosius Imperator, qui multis laboribus & periculis non mediocrem effecit tranquillitatis statum, tam in Ecclesia ab Hæreticorum turbulentis actionibus, quàm ab hostium insidiosis ac perfidis incursionibus, cupiens eam felicitatem ad posteritatem transmitti, filios suos Arcadium & Honorium accersitos, iam moriturus, ardentiore affectu, & oratione magis seriâ cohortatur, per salutem ipsorum & Reipublicæ obtestans, ut sua vestigia insequentes hoc sibi unicè curæ esse vellent, quò fidei & pietatis doctrina pura & incorrupta conservaretur, & ad posteros propagaretur: in eo conando nullis laboribus ac sumptibus parcerent: nam in hoc uno & solo omnis felicitatis Summam verè esse positam: Hácque ratione unicâ, nec ullâ aliâ, rectè firmari pacem, confici bella, erigi trophæa, & parari victorias.

Surius. 1. August. XV. Præclarum de fidei excellentia testimonium fuit S. Sophiæ, matris SS. Virginum & martyrum Fidei, spei, charitatis, tempore Adriani Imperatoris: quando ab urbis præfecto rogatæ, quæ & unde esset, quibus Parentibus, & qua conditione? liberè respondit se quidem iis ortam parentibus, qui prima gessissent Reip. munia, sed tanti à se istud non fieri, quanti quòd Christiana esset, atque, se huius fidei profitendæ causâ Romam fuisse profectam.

Daurolt. c. 1. tit. 21. ex. 10. XVI. Cùm iussu Hunerici Vandalorum & Alanorum Regis, Liberatus vir venerabilis & Medicus, in exilium mitti iuberetur cum uxore & liberis, cogitavit impietas Ariana à parentibus filios parvulos separare, quò posset per pietatis affectum etiam virtutem genitorum prosternere. Disiunguntur igitur tenera pignora filiorum à patre: qui, cùm vellet lacrymas emittere, authoritate uxoris increpatur, & in ipso meatu exitûs sui illico lacrymæ siccaverunt: Ait enim ei coniunx: En propter filios, Liberate, perditurus es animam tuam? computa eos non fuisse natos: nam & ipsos omnino vindicaturus est Christus: nonne vides eos clamantes, & dicentes: Christiani sumus: sed hæc mulier quid in conspectu Iudicum egerit, tacendum non est. Nam cùm ipsa & Maritus seorsim, carceris tamen custodiâ tenerentur, ita ut se penitus non viderent, mandatur mulieri, dicitúrque illi: Solve iam duritiam tuam, ecce iam vir tuus paruit imperio Regis, & noster factus est Christianus. Aitque illa: videam illum, & faciam ego, quod voluerit Christus. Educta igitur de carcere invenit virum suum stantem cum ingenti multitudine pro tribunali connexum: & verum æstimans, quod fecerant inimici, iniectâ manu apprehendens oram vestimentorum eius gutturi proximam, videntibus omnibus suffocabat eum, dicens: perdite, & reprobe, gratiæ Dei, & Misericordiæ eius indigne, quare voluisti ad modicum gloriari, & in æternum perire? quid tibi proderit aurum, quid liberabit te de camino gehennæ? dixit & alia multa. Cui maritus respondit: quid pateris mulier? Quid tibi videtur? aut quid fortè de me audire potuisti? Ego in nomine Christi Catholicus permaneo, nec amittere aliquando potero, quod teneo. Tunc hæretici mendacii sui conscii & detecti, fallaciam suam colorare minimè potuerunt.

XVII. Ibidem in civitate Culusitana quædam matrona, auctrix nominis sui Victoria, dum in conspectu vulgi continuato suspendio cremaretur, à marito iam perdito, filiis præsentibus, ita rogabatur: quid pateris coniunx? Si me despicis, vel horum, quos genuisti, miserere impia parvulorum. Quare oblivisceris uteri tui, & pro nihilo ducis, quos cum gemitu peperisti? ubi sunt fœdera coniugalis amoris? ubi Societatis vincula, quæ inter nos dudum honestatis iure tabulæ Conscriptæ fecerunt: Respice, quæso, filios ac maritum, & regiæ iussionis implere festina præceptum, ut & imminentia adhuc tormenta lucreris: simul & mihi doneris & liberis nostris. Sed illa nec filiorum fletus, nec serpentis audiens blandimenta, affectum multò altiùs elevans à terra, Mundum cum suis desideriis contemnebat. Quam cùm iam continuatione suspendii vulsis humeris, etiam qui cruciabant, conspicerent mortuam, deposuerunt omni parte exanimem. Quæ postea retulit, quandam sibi virginem astitisse, atque tetigisse membra singula, & illico fuisse sanatam. *Idem ibid.*

XVIII. Saturus, domûs Hunerici procurator, accusatore quodam Diacono Marinado vocatur, útque Arrianus fiat postulatur: cùm autem confessionem veritatis pluris faceret, quàm omnia sua commoda aut damna; uxor adductis communibus liberis ad genua mariti advolvitur, pérque omnia sacra rogat, obsecrat, & obtestatur, misereatur sui, & pendentis *Idem l. 5.*

à lacte matris filiolæ & reliquorum coniugii pignorum: nec committat, ut, quos generis nobilitas reddiderit claros, servili conditioni subiiciantur: non patiatur, ut se vivo, indigno & turpi matrimonio Camelarii servi copuletur: Deum haud dubie respecturum, quod invitus & valde gravatim faciat ipse, quòd plerique fecissent voluntarii: Sed ipse ex Iobo ei respondet: *tanquam una ex insipientibus mulieribus loqueris.* Formidarem, mulier, si tantùm huius vitæ dulcedo esset futura amara, in amissione earum rerum. Imò si tu verè diligeres maritum, nunquam tu eum tuis insidiosis blanditiis in secundæ mortis exitium præcipitare conareris. Age, distrahant liberos, auferant uxorem, diripiant facultates: ego de Domini promissione planè securus, hæc verba in mente fixa teneo: *Si quis non dimiserit uxorem, filios, agros, aut domum, meus non poterit esse discipulus.* Uxor discedit, Saturus spoliatus omnibus, & plurimis suppliciis debilitatus, mendicus demum relinquitur.

Fides simulata.

Eusebius l. 8. c. 16. XIX. Cùm Maxentius Tyrannus Gentilium nefarios ritus, & Cæremonias coleret, metueretque, ne sibi ad imperium tendenti ab innumera Christianorum multitudine aditus præcluderetur, simulandi artem secutus, principio benignum, ac faventem se illis exhibuit: deinde verò cùm vires suas auctas, confirmatásque cerneret, miram adversus eosdem crudelitatem exercuit. Postquam verò sic Romæ tyrannidem exercuisset, tandem fugiens à Constantino Imperatore bello victus, suo ipsius, quod dicitur, laqueo est captus: ponte enim divinâ virtute rupto, navibúsque, quibus flumen constratum fuerat, solutis, transitus ipse pessum iit, & scaphæ subitò cum hominibus omnibus in undis subsedêre, ipséque miser primus cum propugnatoribus suis in flumine mersus suffocatus est, sicuti olim cum universo exercitu Pharao: ut fluvius ille, ad eum, qui Milvius dicitur, pontem, equis & ascensoribus refertus visus sit. Tum verò ea, quæ olim cantata fuerant, ad oculum repræsentata videre licuit. Currus Pharaonis & exercitum eius proiecit in mare: electi ascensores satellitésque submersi in mari rubro descenderunt in profundum, quasi plumbum cum aquis vehementibus.

Socrates l. 3. hist. Eccl. c. 11. XX. Eubolius Sophista Iulianum Apostatam discipulum habuit, à quo plurimi fiebat, & quo benigno ac favente utebatur. Is, utpote vafer simulationis artifex, Christianum, Arianúmque finxit sub imperatore Constantio, ut religionis similitudine Cæsari gratiosus ac carus esset; post cuius obitum ad Gentium simulachra rediit, ut Iuliani, quem Christianæ fidei desertorem noverat, benevolentiam ac favorem hac arte captaret. Iuliano miserabili morte extincto, vixdum Iovinianus Catholicus ac religiosus princeps, imperii infulam acceptârat, cum Chamæleon noster Imperatoris recens creati Religionem ceu novum colorem expressit, seque (ut ex Socratis historia liquet) pro foribus Ecclesiæ ad Christianorum pedes abiecit, meliorum spe veniam ab illis impetrare contendens, vociferatus est: me quasi salem infatuatum pedibus conculcate.

Fidei deserta pœna.

XXI. Heraclius, ut ex Joanne Zonara, aliísque historicis cognosci potest, dum Catholicus esset, præclarissimam Victoriam de Persis reportavit, & Crucem Domini recepit, quando res Romanæ desperatæ omnino esse videbantur: at cùm in hæresim incidit Monothelitarum, omnia illi infeliciter successerunt, & ipse novo atque inaudito morbi genere extinctus est. *Io. Zonar. 3. Annal. Bizant.*

XXII. D. Cyprianus lapsorum miserabilem stragem ac tristia deplorat funera: qua etiam narratione de admirandis prodigiis, quæ in nonnullos, qui prævaricati à pietate fuerant, persecutionis illius tempore contigerunt, memorandam in hæc verba attexit historiam: Si incredulis quibusdam minor fides est futurorum, vel præsentibus terreantur. Ecce eorum, qui negaverunt, quæ supplicia conspicimus? quos eorum tristes exitus flemus? Nec hic esse sine pœna possunt, quamvis necdum dies venerit pœnæ, plectuntur interim quidam, quo cæteri corrigantur: exempla sunt omnium, tormenta paucorum. Unus ex his, qui sponte Capitolium negaturus ascendit, postquam Christum negavit, obmutuit. Pœna inde cœpit, unde cœpit & crimen: ut nec rogare iam posset, qui verba ad precandam misericordiam non haberet. *S. Cypri. lib. de laps.*

XXIII. Regnerus Rex Daniæ abrogatâ Christianorum religione, idololatriæ in regno denuo instituendæ author fuit: quam eius impietatem divina insequuta est vindicta. Nam Helles, quem regno ille eiecerat, adiunctis sibi Gallorum auxiliis, eum prælio victum & captum carceri, tetro, serpentibúsque infesto inclusit, qui sanie eum perfusum, venenatísque morsibus confectum, horrendâ morte affecerunt. *Damianus ann. 826.*

XXIV. Adiiciam rem aliam sub Zephylino gestam ad hunc modum, quæ si in Sodomis evenisset, vel illos ad pœnitentiam movisset. Erat quidam Natalius, non adeò diu antea, sed nostris temporibus confessor factus. Hic aliquando seductus fuit ab Asclepiodoto, & alio quodam Theodoto mensario, qui ambo discipuli fuerant Theodoti Coriarii, qui, quoniam sententiæ falsæ, imò potiùs dementiæ auctor erat, à Victore tunc Romano Episcopo, à Communione separatus fuit. Persuasus autem fuerat ab illis Natalius, ut accepto salario, hæresis huius vocaretur Episcopus, ita ut denarios centum quinquaginta menstruo tempore acciperet. Illis itaque coniunctus, per visiones commonefiebat à Domino. Misericors enim Deus, ac Dominus noster JESUS Christus nolebat passionum suarum Martyrem extra Ecclesiam constitutum perire. Quoniam verò negligentiùs visionibus attendebat, inescatus videlicet primatus apud eos honore, *Euseb. Cæs. l. 5. c. 28.*

&

& turpi quæstu, quo plurimi pereunt, tandem ab Angelis flagellatus est, ac totâ nocte haud modicè verberatus, ita ut, cum manè surrexisset, indutus sacco, ac cinere inspersо, multo studio ac lacrymis ante Zephyrinum Episcopum procideret, & pedibus advolveretur non Clericorum modò, sed & plebis, & ipsam Ecclesiam ad commiserandum proclivem, lacrymis defluentibus per misericordiam Christi obtestaretur, ac multis precibus usus, ostensis etiam plagarum, quas passus fuerat, vibicibus, vix tandem ad Communionem reciperetur.

Idem de vit. Const. L. 1. c. 11.

XXV. Constantius Chlorus Magni Constantini pater, singulari prudentiâ & fortitudine Princeps, cùm Christianorum quorundam in Palatio suo ætatem degentium fidem constantiámque explorare cuperet, conditionem proposuit, ut, qui vellent in palatio manere, & inter amicos haberi, deos secum colerent, simulachrísque immolarent; qui verò recusarent, abscederent: gratiásque agerent, quòd id facere sibi impunè liceret. Ex illis nonnulli Principis gratiam venantes, sacrificium diis obtulerunt: alii saniori Religione tantam superstitionem aversati, cultum pernegârunt: quos in amicorum & consiliariorum numero habere voluit, spretis & expulsis ignavis & infidis immolatoribus; quòd diceret, fidos & veros amicos fore, qui Religionem principi prætulissent: Contrà verò nunquam fidem inviolatam principi servaturos, qui tam promptè & sacrilegè Deum suum eiurando prodidissent.

§. III.

SIMILITUDINES.

Qualitas.

Iac. 2. v. ult.

I. Sicut Corpus sine Spiritu mortuum est, ita & fides sine operibus mortua est.

Petrus Blesens. c. 2. de char.

II. Sicut vitam Corporis ex motu dignoscimus, ita ex operibus bonis vitam fidei comprobamus.

C. Bona. in principiis Christ. fid. p. 1. §. 19.

III. Sicut Beati omnia vident in verbo; sic nos debemus in fide omnia intueri, ita ut vita nostra nihil aliud sit, quàm viva imago fidei, eiúsque veritatis expressio.

Necessitas.

S. Bonaven. ser. 3. in dom. 23. post. Pent.

IV. Sicut fundamentum ratione suæ fortitudinis sustentat fabricam materialem, sic in fidei substantia & soliditate collocatur & sustentatur ædificium spirituale.

S. Bern. S. 24. in Cant.

V. Sicut si radix arboris alicuius emarcuit, frondes quoque, flores, & fructus perditi erunt, patientúrque pariter medulla, truncus, & rami: Eodem quoque modo, si anima aliqua à virtute charitatis defecerit, fides pariter infructuosa & sterilis erit, nec ullos ex se bonos fructus producet. Unde S. Bernardus in serm. quodam super Cantica ait: vides quòd non faciat hominem rectum fides etiam recta, quæ non operatur ex dilectione? sed nec opera quamvis recta, rectum cor efficere sufficiunt sine fide; quis enim rectum dicat hominem non placentem Deo? *sine fide autem impossibile est placere Deo.* Qui non placet Deo, non potest illi placere Deus.

S. Chrysost.

VI. Sicut se habet esca ad corpus, ita recta vita ad fidem: & sicut carnis nostræ natura sine alimento durare non potest, ita neque fides sine bonis operibus: *Fides enim sine operibus, mortua fides est.*

Utilitas.

S. Bonav. 2. c. 3. sent. 3. diata jal.

VII. Sicut lux primò creata primum opus fuit in maiori mundo; ita fides prima virtus est in minori mundo, id est, Corde humano. Fructus autem lucis est in omni bonitate, & iustitia, & veritate.

S. Chrysost. ho. 28. in Gen.

VIII. Sicuti per tres filios Noë hominum genus multiplicavit universi conditor: ita quoque & in fide per undecim piscatores illiteratos & idiotas, qui neque os aperire audebant, omnem sibi orbem conciliavit.

S. Chrys. ho. 40. de SS. Iuven. & Max. Tertull. in apol. c. ult.

IX. Sicut plantæ rigatæ magìs crescunt, ita & fides nostra oppugnata magìs floret; neque horti aquis irrigati ita germinant, & fœcundi sunt, ut Ecclesiæ, si Martyrum sanguine irrigentur. Nulli, ut existimo, ignotum est illud Tertulliani effatum dicentis: Plures efficimur, quoties metimur à vobis, semen est sanguis Christianorum.

§. IV.

MOTIVA CREDIBILITATIS.

S. Albertus in Matth.

I. Motivum primum meritò censeri potest, *perseverantia fidei inter tot, támque graves persecutiones*; quod S. Albertus Magnus his verbis proponit: non prævalebunt, ut evertant; venerunt flumina, flaverunt venti, descendit pluvia in domum illam, & non cecidit, fundata enim erat supra firmam petram. Non minuitur persecutionibus Ecclesia, sed augetur, & semper dominicus ager segete ditiore vestitur, dum grana, quæ singula cadunt, multiplicata nascuntur; unde duo illa præclara divini seminis germina, in quantam sobolem germinârint, beatorum millia Martyrum protestantur.

S. Leo in S. de Apost.

S. Chrysost. ho. 36. in Math.

II. Secundum, *dilatatio Miraculosa Fidei*, ut S. Chrysostomus dixit: Maximum argumentum omnipotentiæ Christi est; viginti enim annis, aut ad summum triginta ad omnes oras orbis Evangelium transcurrit. Unde meritò Didacus Stella, solius, inquit: dextræ Excelsi hoc opus esse videtur, ut homines pauperes, humiles, abiecti, universum mundum suo subderent imperio, gentes debellarent, Idola reiicerent, Sacramenta sublimarent, & Christi Crucem in altum extollerent. Hoc autem non quemadmodum Hæretici nostri temporis, carni, eiúsque cupidini indulgendo, Ieiunia tollentes, séque miscentes omni vitiorum & malorum generi: Siquidem Evangeliumècontra non nisi crucem, mortificationem, & ærumnas

Did. stella in c. 16. Luc.

ærumnas sui sequacibus annuntiat, omnibúsque carni & sensualitati abblandientibus nuntium remittit; ac proinde S. Bernardinus authoritatem adducit S. Augustini contra Epistolam Fundamenti dicentis: quis tantam multitudinem ad peccata pronam, ad legem contrariam carni & sanguini servandam induceret, nisi Deus? Idem quoque S. Doctor alibi contra Faustum hæreticum ita scribit: sed tot tantósque Gentilium populos, penè iam totos à nefaria superstitione simulachrorum, ad unius Dei cultum Christiano Imperio subiugavit, edomito orbe terrarum, non violentia bellici certaminis, sed invictæ potentia veritatis.

Petr. Ribad. apud Mansi disc. 19. n. 5. & 6. III. Tertium, *Martyrum invicta patientia*; quam Petrus Ribadeneira sic describit: sæpius quidem Martyres affigebantur in crucem, non tamen semper uno eodémque modo, aliquando enim illos capite sursum erecto, ad imitationem Christi, crucifigebant, frequenter alios, exemplo S. Petri, capite deorsum verso in cruce mori sinebant: Item illos nonnunquam ad humilem quendam suspendebant truncum, ut eisdem tanto viciniores carnifices eos unguibus dilaniare, vel ustulare facibus ardentibus, vel forcipibus ignitis dilacerare commodiùs possent: illos quoque nonnunquam ex uno duntaxat pede, sæpe etiam ex ambobus suspendebant, subtus illis ex fœtente materia succenso igne, ut illius fumo & ardore suffocati lentâ quadam morte contabescerent: Multoties illos ex unico tantùm brachio suspendebant, vel ex digito grossiori, & ad laxandas membrorum compages, gravissima pedibus pondera alligabant; sæpius etiam ad instar uvarum sub torculari ad mortem usque confringebantur eorum ossa: vel manibus, pedibúsque extensis agebantur in rotam, eósque ad rotas acutissimis clavis instructas alligatos, deorsum agebant in præcipitia, vel circumagebant, ut clavi tanto profundiùs eorum penetrare carnes possent. Ad hæc ordinarium Martyrum tormentum equuleus erat, tale nimirum instrumentum, quod ex ligno instar equi formatum, in capite rotulas habebat, quibus inserti funes Martyrum corporibus alligati, eosdem per brachia retrorsum vinctos sursum trahebant, ut singula humerorum ossa è suis dimota iuncturis dolorosissimè laxarentur. Catasta, tabulatum quoddam in edito loco positum erat, unde Martyr conspicuè ab omnibus videri poterat, in quo sine ulla compassione flagellabatur vel nervis boum, vel nodosis fustibus, aut virgis spinosis, quæ scorpiones dicebantur; sæpius etiam illorum corpora virgis quatiebant ferreis vel plumbatis, quibuscum eorum corpora tanta cum truculentia dilaniabantur, ut sæpe lictores potiùs percutiendo fatigarentur, quam verbera excipiendo Martyres: Unde Lactantius Firmianus Gentiles invincibilem militum Christi in catastis & equuleis videntes constantiam, stupefactos & attonitos stetisse dicit: Inter fatigatos carnifices, invictam tenere patientiam, existimant id, quod res est, nec consensum tam multorum, nec perseverantiam morientium vanam esse, nec ipsam patientiam sine Deo cruciatus tantos posse superare. Quibus accedit, quòd ungulis & forcipibus hinc inde aculeatis ex chalybe dentibus armatis, carnes sanctorum Martyrum dilacerarint & frustatim decerpserint: pectibus quoque utebantur ferreis ad dilanianda eorum membra, corpúsque hoc modo cruentatum & saucium cultris decoriabant, laminas item ignitas lateribus adhibebant: Calci nonnunquam vivæ, aut ferventi oleo, vel plumbo liquefacto immergebant, Quique hisce tormentis nonnunquam evaserant superiores, bobus includebantur æneis, ex supposito & continuato igne candentibus; vel lebetibus pice, plumbo vel alio metallo liquefacto plenis, verubus arctè alligata corpora lento igne assabant, vel in caldariis frigebant, galeas ignitas claviculis acutissimis intus plenis, eorum imponebant vertici, calceísque ferreis, puncturis undique plenis torquebant pedes; Candentibus igne fornacibus, vel ferarum latibulis includebant; præscindebant linguas, dentes evellebant, eruebant oculos, sudes acutas sub digitorum unguiculis infigebant; excoriabant vivos, & minutissimas partes sensim conscidebant: Eorundem viventium viscera paulatim à muribus & gliribus corrodi curabant: Melle delibutos, ardentissimis exponebant solis radiis, ut à muscis & apibus lentè & crudeliter conficerentur, fœtentibus cadaveribus arctissimè viventium alligabant corpora, eáque sic etiamnum viventia sepeliebant: uno verbo: *circumdederunt eos mala, quorum non est numerus.* Nunc verò invictam eorum auscultate constantiam, quâ innumerabilium, & crudelissimorum tormentorum istorum carnificinâ se superiores esse probant: Latera effodiebant, inquit D. Chrysostomus, carnem deradebant, viscera ipsa & interiora pervadebant, attamen cùm cuncta pervestigarent, thesaurum fidei deprædari minimè valuerunt.

IV. Quartum, *miraculorum confirmantium magnitudo & multitudo*, de quibus egregiè Richardus dixit: Domine, si est error, à te decepti sumus, nam tot & tantis signis confirmata sunt, quæ non nisi per te possunt fieri. Quòd si illa miracula non credunt, inquit sanctus Augustinus, unum grande miraculum sufficit, quia iam orbis terrarum sine miraculis credidit an enim inane vel leve videtur, & nullum vel parvum miraculum divinum esse putetis, quòd in nomine Christi unius Crucifixi universum genus credit humanum? *Richardus à S. Vict. l. de Trin. c. 2.* *S. Aug. l. 22. de civ. c. 5.*

V. Quintum, *S. Scripturæ authoritas*: quid enim hîc, inquit S. Hieronymus, non invenitur, quod faciat ad utilitatem, aut ad ædificationem humani generis, conditionis, sexûs, ætatis? Habet enim hic infans, quod lactet, puer, quod laudet, adolescens, quod corrigat, iuvenis, quod sequatur, senior, quod precetur. Hîc discet fœmina pudicitiam, pupilli invenient pietatem, viduæ Iudicem, pauperes protectorem, advenæ custodem. Hîc invenient Reges, quod audiant; Iudices, quod timeant. Hæc tristem consolatur, lætum temperat, *S. Hier. proem. in psal.*

perat, iratum mitigat, pauperem recreat, divitem, ut se agnoscat, increpat, nec peccatorem despicit, sed remedium ei per pœnitentiam ingerit. Demum verò postquam in adeò inæstimabilis thesauri laudem varia congessisset encomia, tandem ad propositum nostrum subiungit: Post hæc Deus ostenditur, fides asseritur, perfidia repudiatur, iustitia ingreditur, prohibetur iniquitas, misericordia laudatur, crudelitas abdicatur, veritas requiritur, mendacium damnatur, dolus accusatur, prædicatur pœnitentia, pax sequenda promittitur, spes certa nutritur, & quod his omnibus est excellentius, CHRISTI Sacramenta laudantur. Verè S. Scriptura thesaurus quidam, imò ærarium est, in quod infallibilis illa Altissimi providentia omnes reclusit divinæ sapientiæ & scientiæ thesauros: *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei.* In cuius verò manu depositum & concreditum est hoc ærarium, præterquam in manu & sinu Catholicæ, & Apostolicæ, & Romanæ Ecclesiæ, super Cathedra D. Petri & successorũ suorum stabilitæ & fundatæ.

Bellovac. C. : spec. mor. dist. 14 p. 13. VI. Sextum testimonium & motivum perhibent, *multi prius perversi, & fidei persecutores,* qui conversi, facti sunt fidei defensores, ut dicit S. Augustinus in libro de Symbolo; & qui alios ad Martyrium trahebant, postea voluntarii Martyrium suscipiebant, sanguinem Christi fundere prius sitierunt, postea credentes illum biberunt, & suum pro Christo fuderunt: quam eandem observationem diu ante Rupertus Abbas instituit, inquiens: Ipsi terreni principes iugum Christi susceperunt, & eius, quam prius impugnabant, Evangelicæ fidei vel Christianæ Religionis defensores esse cæperunt. Ad quod stabiliendum illa subservire poterit de Samsone historia, qui in Rhamnatã se conferens, cum Dalila gentili Philistæa sponsalia contracturus, in ore à se prius dilacerati leonis favum mellis invenit: Omnia enim in figura contigisse, nemo dubitet. Erat namque ille Nazarenæ Religionis Cultor, Christi, qui sibi gentilitatem desponsavit, typus: quem verò mellis favum in leonis faucibus ab eo repertum fuisse existimatis? Defensio erat, quâ persecutores comprehendit, qui primitus leonum instar rugiebant, furebántque contra fidem Catholicam: id quod S. Augustinus contra Faustum Manichæum scribens, apertè attestatur his verbis: Quid sibi vult in ore leonis occisi favus extractus, nisi quia videmus leges ipsas regni terreni, quæ ante adversus Christum fremuerant, nunc dulcedini prædicationis Evangelicæ munimenta præbere? Unde meritò S. Chrysostomus hortatur Christianos: *Luceat lux vestra coram hominibus ut videant opera vestra bona & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est.* Cùm enim viderit infidelis, compositum, modestum, ornatum esse, miratur, & dicet: verè magnus Christianorum Deus, quales constituit homines, quales è qualibus fecit. Angelos ex hominibus ipsos reddit. Si quis contumeliam fecerit, non conviciantur: si quis percusserit, non ægrè ferunt; si quis iniuriam intulerit, pro his qui se læserint, orant: inimicum non habent, iram servare non nôrunt, mentiri non didicerunt, peierare non sustinent, quin imò nec iurare.

S. Chrysost. apud Mansi disc. 23. n. 10.

R. P. Lohn Auctar. Bibl.

VII. Septimum, *vis dæmonum per fidem fracta,* nam ut Bellovacensis rectè dixit: ipsi dæmones testimonium perhibent pro fide nostra, qui per eius articulos adiurati, de suis habitaculis expelluntur, secundùm quod dominus prædixerat, multipliciter in fine; *In nomine meo dæmonia ejicient,* quare & Tertullianus, qui idololatra priùs, quàm Christianus extitit, ex tribus potissimum motivis se ad fidem nostram amplexandam inductum fuisse profitetur, scilicet ex Christianorum innocentia, ex scripturarum excellentia, ex Deorum seu dæmonum impotentia. *Bellov. l. c.*

VIII. Octavum est, *vita perversa infidelium, & vita exemplaris Catholicorum;* Discurratis, obsecro, inquit Mansi, per omnes tam gentilium, quàm hæreticorum, & Mahometanorum sectas, & invenietis, quòd à quo tempore hactenus durârunt, vix ullum protulerint virum exemplarem, vitâque honestâ & perfectione conspicuum, quales Ecclesia in omni ætate, in omni climate, in omni statu, conditione & professione plurimos habuit, porrò teste Aristotele aliisq; sapientibus, virtus bonum illud est, in quo beatitudo consistit, hócque bonum à nobis in hac vita comparari potest: quis autem Historias plenas esse nescit, facinorum insignium & heroicorum innumerorum fidelium, qui in gradu sublimi virtutum egregiè profecerunt? idque non alio auxilio, quàm divino, quòd solùm ad adeò eminentem sanctitatem producere potuit, cùm irrefragabilis sit veritas, *quòd omne datum optimum & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum.* *Mansi disc. 23. n. 6.*

IX. Nonum sunt *pœnæ persecutoribus fidei illatæ,* quas fusè recenset Mansi in hæc verba: Herodes, qui primus Christi persecutor fuit, severè vapulavit; nam oculi eius ex capite prosilierunt, & occisis priùs tribus filiis suis, semetipsum tandem desperatus cultro transfixit. Alter verò Herodes, qui S. Jacobum Maiorem in Christianæ Fidei odium occidi, & ob eandem causam S. Petrum in carceres coniici iussit, ab Angelo percussus, & vivus à vermibus devoratus ex hac vita infelicissimè migravit. Nero, qui sanctis Petro, & Paulo necem intulit, se à perniciosis coniuratorum consiliis eximere non posse videns, sibimet ipsi manus intulit volentas. Domitianus, qui S. Ioannem in lebete ferventis olei adurere decreverat, à suis familiaribus occisus est. Valerianus implacabilis Ecclesiæ hostis à Persis in bello victus Persarum Regi equo insidere volenti, tanquam vilissimum mancipium, scabelli loco servire debuit, postquam ambo eius oculi illi eruti fuissent. Aurelianus & Decius à suis fuêre contrucidati. Diocletianus, qui se tanquam Deum adorari voluit, ad tantam redactus est miseriam, ut Regni Romani diadema deserere, & rusticanam vitam agere coactus fuerit: Ad similem quoque conditionem deiectus fuit Maximianus, siquidem Maxentius filius eius, ut *Idem disc. 18. n. 3.*

Thronum Patris sibi vendicare & conscendere posset, Româ illum turpiter ejecit, cùmque ad Constantinum generum suum confugisset, ab eóque benignè acceptus fuisset, tandem perfidiæ in Constantinum reus factus, infami & ignominiosâ morte ab illo occisus fuit. Maxentius pariter filius ejus à Constantino victus & de eodem ponte, quo æmulum deturbare decreverat, ipse miserè in Tiberim præcipitatus interiit, adimpletúmque fuit regium illud Davidis vaticinium: *Lacum aperuit, & effodit eum, & incidit in foveam, quam fecit.* Maximinus quoque in bello profligatus, ut periculum evaderet, inter aquarios se immiscuit, ubi, postquam intestina ejus carcinarunt, à vermibus consumptus interiit, cui hæc patienti in faciem improperatum fuit, miseriam hanc apertam esse divinæ Justitiæ in ipsum sævientis vindictam, eò quòd Dei persecutus fuisset Ecclesiam. Licinius, qui in Oriente regnabat, in prælio cæsus miserè occubuit. Julianus Apostata paucis diebus imperium suum finivit, & à sagitta graviter sauciatus sanguinem è vulnere haustum in aëra projecit, dicens: Vicisti, Galilæe. Valens Arrianis Gothis fugatus, in tugurium quoddam se recepit, in quo absque consumptus fuit. Unde S. Thomas de Villa-Nova in concione quadam in hæc verba prorupit: Totus orbis à principio tibi contradixit, sed tu potentissimè de omnibus triumphasti: hæc est enim victoria, quæ vincit Mundum, fides nostra.

S. Bern. S. 1. in quadrag. X. Decimum est *Dei authoritas & veracitas*, nam, ut S. Bernardus rectè dixit: Christianæ fidei solus Deus veritatis, imò Deus veritas testis est, quapropter S. Thomas de Villanova fidem testimonio divino debitam accuratè ponderans, ita unumquemque interrogat Christianorum: quid multum facis, o homo, si Deo credis, quamvis ardua & difficilia dicenti? Nonne attendis, quis est, qui dicit? erubescamus meritò, siquidem quotidie personis authoritate pollentibus in rebus etiam verisimilibus fidem præbemus, verbi gratiâ, dum secreta ab iis audimus naturalia, aut opere, arte, industriâ, studióque nobis incognito perpetrata? ô homo, Regi aut Imperatori sine testimonio credis, & non credis Deo? Deo, inquam, totius scripturæ sacræ authori: siquidem dum Pentateuchon, S. Pauli & S. Petri Epistolas, S. Matthæi Evangelium, S. Joannis Apocalypsin legimus, non scriptoribus, sed horum librorum dictatori, Sancto scilicet Spiritui credimus, fidémque præstamus: ita ut meritò omnibus librorum Canonicorum authoribus dici possit: *Non estis vos, qui loquimini, sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Ideóque & dictus S. Præsul subtiliter observat, Prophetas in vaticiniorum exordio hanc plerúmque præmittere protestationem: *Hæc dicit Dominus: audite verbum Domini &c.* quasi dicerent, non nobis fidem adhiberi postulamus, non nostra sunt verba, quæ loquimur, sed Dei. Ad quod comprobandum S. Pauli adducit exemplum, qui de Eucharistiæ institutione, cui ipse præsens non interfuerat, tractaturus præmittit: Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis.

§. V.

MEDIA

Bellarmin. l. 2. de arte mor. c. 2. I. *Curiositatis fuga*; hinc rectè non nemo cecinit, in tali casu, una salus fugere est, fideique opponere scutum. Uti ex sequenti historia patet, quam Bellarminus refert, scilicet duos fuisse Theologos, inter suos facilè principes, horum unus, qui prior è vivis excesserat, alteri superstiti apparuit, quòd imprudens nimis & temerarius cum dæmone de fidei dogmatibus disputâsset, à quo variis captiosarum quæstionum telis appetitus, victus tandem, prostratúsque esset, & ut fidei exsors, ignibus æternis addictus. Alter alieno malo cautior, diversam agendi cum dæmone viam iniit, percontanti enim, quid SS. Triadis, quid de Incarnati Verbi mysterio crederet, quo modo in tribus Personis eadem numero posset esse essentia, quonam modo in unum iungi possent ea, inter quæ nulla affinitas? respondit compendiariò, *se credere, quod credit Ecclesia.* Quærenti, *quid illud esset, quod crederet Ecclesia? quod ego*, inquit. *Quod tu porro? quod Ecclesia. Quid Ecclesia? quod ego.* Imparatus ab hoc disputandi genere tentator, victus ad orcum rediit, victor & triumphator abiit ad cœlum.

§. VI.

ASCETICA.

S. Jacob. 2. I. Certò sibi persuadeat Asceta, *parùm prodesse fidem, si opera non conjungantur*: uti rectè S. Iacobus indicavit dicens: *quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? numquid poterit fides salvare eum?* Quod confirmat S. Augustinus, S. Aug. tr. 29. in Io. ingeniosam quandam instituens observationem, dum eam, quæ inter credere Deo, &, credere in Deum, versatur, considerat differentiam: dicit enim: non continuò qui credit ei, credit in Deum: Nam & dæmones credebant ei, & non credebant in eum: de Apostolis ipsius possumus dicere: credimus Paulo, sed non in Paulum. Quid est credere in eum, credendo amare, credendo diligere, credendo in eum ire. Ista ergo est fides, quam à nobis exigit Deus, & non invenit quod exigat, nisi donaverit, quod inveniat: siquidem in ejus duntaxat gratiæ, auxiliorúmque virtute, & non alio modo, nos in divino ejus servitio operari possumus, & mereri, dicente Apostolo: *non quod simus sufficientes cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Et verò ex ipso etiam fidei nomine colligitur hæc veritas; nam, ut idem Sanctus acutè advertit, fides appellata est ab eo, quod fit, duæ syllabæ sonant, cùm dicitur fides: prima syllaba est à facto, secunda à dicto; interrogo igitur te, utrum credas: dicis, credo: fac, quod dicis, & fides est. Et ideo S. Petrus monet, ne verecundemur, nec erubescamus in occurrentibus necessitatibus nos profiteri veros Christi crucifixi sequaces.

Digitized by Google

quaces: si autem, inquit, ut Christianus, non erubescat, glorificet autem Deum in isto nomine.

II. Deinceps firmiter credat, *cùm fides*, iuxta S. Bonaventuram, *sit altissimum donum, & omnium bonorum à Deo principium; omne autem donum bonum & perfectum*, iuxta S. Iacobum, *desursum sit, illud oratione potissimum, & vitæ immaculatæ studio obtinendum esse*, uti sapienter S. Chrysostomus advertit dicens: Fides opus habet auxilio spiritûs, ac perseverantiæ, ut inconcussa permaneat, auxilium autem hoc vitæ puritate, moribus privatis retineri apud nos solet. Quare si cupimus fidem radicatam habere, vivendi ratione purâ nobis opus est, quæ spiritum retineat, à quo totam fidei vim dependere constat: impossibile enim est, impossibile profectò, si vitam impuram habeas, in fide non vacillare.

S. Chrysost. s. 21. de verb. Apost.

§. VII.
MISCELLANEA ET CONCEPTUS PRÆDICABILES.

S. Cyrill. ep. 101. synod.

I. QUI ex stultitia contempserunt rectam habere fidem, quamvis honestâ vitâ se ornent, comparantur quodammodo viris ingenuâ quidem faciei formâ, oculis verò errantibus ac distortis. Quibus proinde competit, quod per Ieremiæ vocem ad Ierusalem Iudæorum matrem dictum est: *Ecce non sunt oculi tui recti, neque cor tuum bonum.*

Mansi disc. 4. n. 8.

II. Miles quidam belli aleam tentaturus, primò Minervæ oraculum, ut de exitu futuro certificaretur, consulendum duxit, responsumque tulit: Hilari animo eas, victoriam consequêris. Hácque animatus promissione, in campum processit, armatus corpore toto à capite usque ad pedes, scutum sinistrâ, ensémque portans dextrâ: in adversam igitur partem huic occurrens inimicus, unum illi, alterumve impegit ictum, neque se vel in minimo tutari conatus est, qui læsus fuerat: quin potius vitæ suæ periculo ingemiscens, elevatis in cælum oculis, ait: Ubi est deorum fides? nónne mihi victoriam Minerva promisit? móxque vocem inaudiit, sibi replicantem: Tu quoque cum Minerva manum adhibe, Dei enim facientes adiuvant. Ita pariter indubitatum hoc Christiano quidem favet oraculum: qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit: Veruntamen quamdiu in campo præsentis vitæ militamus, nequaquam otiosas manus nostras è cingulo suspensas habere debemus, quia Deus facientes adiuvat.

Ibid. disc. 6. n. 10.

III. Matth. cap. 21. Christus arbori ficûs, in qua præter frondes aliud non repererat, maledixisse, eáque subitò arefacta fuisse legitur: videns fici arborem unam secus viam, venit ad eam, & nihil invenit in ea, nisi folia tantùm, & ait illi: *Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum, & arefacta est continuò ficulnea.* Circa quam historiam meritò quærendum venit, cur Christus hanc arborem tanto cum rigore, tantáque cum Apostolorum admiratione punierit? Apud Sanctum Marcum insuper legitur, quòd, cùm iidem Apostoli una cum Magistro suo manè transirent, viderunt ficum aridam factam à radicibus, & recordatus Petrus dixit ei: *Rabbi, ecce ficus, cui maledixisti, aruit*: at verò quidnam incarnata sapientia ad hæc verba respondit? Sacer Textus inquit: *Respondens Iesus ait illis: Habete fidem Dei.* Quasi dicere vellet: Hi qui fidem Dei, id est, vivam & veram non habent, meritò præparare se debent, ut velut ligna arida in igne infernali perpetuò ardeant. Cui celebris illa Venerab. Bedæ Glossa optimè consonat, dicentis: Arefecit Dominus arborem maledictam, ut homines hæc videntes sive audientes, multò magis intelligerent sese divino condemnandos esse Iudicio, si absque operum fructu, de plausu tantùm sibi religiosi sermonis, veluti de sono & tegumento blandirentur viriditatium foliorum.

R. P. Lohn. Auctar. Bibl.

Ibid. disc. 7. n. 3.

IV. Postquam Deus S. Petrum miracula operandi dono condecorâsset, quodnam primum fuisse existimatis opus, in quo eximiam hanc exseruit potestatem? Num fortè in eo, quòd amissam muto restituerit vocem & loquelam? aut quòd cæcum visu donârit? vel mortuum revocârit ad vitam? Minimè gentium; sed primum, quod operatus fuit, miraculum fuit sanatio claudi, idque non sine ingenti mysterio, siquidem omnia in figura contingebant. Per hoc namque insinuare nobis voluit, quòd, dum Iesu Christi nomen & consequenter fidem nostram profitemur, curandum quoque nobis, ut gressus probè & expeditè dirigantur, id est, ut fidei, quam professi sumus, operibus correspondeamus: Apprehensâ manu eius, dixit: surge, & ambula: It namque, qui antea claudicaverat, id est, qui veri Dei notitiam non habuerat (de quibus dicitur: *usque quo claudicatis in duas partes*;) postquam à Deo eiúsque ministris erectus est, id est, postquam ad Orthodoxæ pervenit fidei notitiam, eandem quoque operibus comprobare debet, ambobus videlicet pedibus rectè ambulando, id est, credendo, & bene operando. Audiamus hac de re loquentem S. Ambrosium, qui ait: Si Petrus petra est, super quam ædificatur Ecclesia, rectè priùs pedes sanat, ut, sicut in Ecclesia fidei fundamentum continet, ita & in homine membrorum fundamenta confirmet. Rectè, inquàm, primò in Christianos pedes curat, ut iam non imbecillis, possit supra petram Ecclesiæ, sed robustus & fortis incedere.

S. Ambros. s. de resurr. Eliæ.

V. S. Ambrosius, de clavibus Petri nescio quid pulchri ad propositum nostrum scribit, dicit enim: Clavem Petri, fidem esse dixerim, per quam cœlos aperuit, ista autem ipsa clavis, quam fidem dicimus, videamus quemadmodum constet, & solida sit: arbitror illam duodecim artificum operatione conflatam, duodecim enim Apostolorum symbolo fides sancta concepta est, qui velut periti artifices in unum convenientes, clavem suo consilio conflaverunt. Revera enim fidei symbolum ex semet, ipso est veluti clavis quædam, qua cœlum aperitur: quis autem est, qui clavem ad aperiendum id, quod clausum est, ineptam esse ne-

ſciat, niſi manibus tractetur, & ſeræ clauſæ applicetur. Eodem modo ad aperiendam æternæ ſalutis viam nihil prodeſt fides, niſi bonis operibus aſſocietur.

Manſi diſc. 7 n. 11. VI. Obſervandum eſt, quòd divinus amator ſponſæ ſuæ effigiem delineare volens, ita eam deſcribat: *Dentes tui ſicut greges tonſarum, quæ aſcenderunt de lavacro, omnes gemellis fœtibus, & ſterilis non eſt inter eos.* Septuaginta legunt: *quæ omnes geminantes, & infœcunda non eſt eis.* Notandum verò eſt, quod ſponſus dicat: *quæ aſcendunt de lavacro,* quibus verbis ad Baptiſmum manifeſtè alludit, ſive ad illos, qui recenter facti ſunt Chriſtiani, nam, ut Sanctus Bernardus ait: Lavacrum Baptiſmus eſt, de quo aſcendit, qui ad celſitudinem vitæ perfectioris intendit: deſcendit autem, qui ſe vitæ mancipat inhoneſtæ: omnes gemellis fœtibus, quia & verbo pariunt, & exemplo; & ſterilis non eſt in eis, quia nullus eſt infœcundus.

Idem diſc. 8 n. 10. VII. Fortis illa mulier, cuius apud Sapientem firmamentum, Eccleſiam, quæ unicè dilecta Chriſti ſponſa eſt, præfigurabat: De hac autem à Sapiente dicitur, *Omnes domeſtici eius veſtiti ſunt duplicibus.* Quem textum Rabanus in favorem noſtrum his verbis declarat: Induti ſunt veſte duplici, una operis, alia mentis, fidei habentes, factorumque Velamina, & Sacramentis videlicet ſui Redemptoris imbuti, & informati exemplis.

Idem diſc. 9 n. 7. VIII. Evangelii ſequaces aliquamdiu à Iudæis Nazaræi fuère appellati, quod nomen à Chriſto in Nazareth concepto ſuam trahebat originem, de quo ſcribitur: *Nazaræus vocabitur*, quod idem eſt ac floridus; ad denotandum, quòd, ſicut flores ſuam ſpirant boni odoris fragrantiam, ita quoque ſequaces Chriſti exemplares eſſe, bonique nominis odorem & fragrantiam edere debent, ut veri Chriſtiani eſſe agnoſcantur. Unde Apoſtolus dicebat: *odorem notitiæ ſuæ manifeſtat per nos in omni loco, quia Chriſti bonus odor ſumus in iis, qui ſalvi fiunt.* Eccleſia quoque domus Iacob appellatur: Unde Archangelus de Chriſto ait: *Regnabit in domo Iacob*, ac proinde hæreditario titulo illam poſſidet exemplaritatem, de qua Iſaac ſeniculus ait: *Ecce odor filii mei, ſicut odor agri pleni, cui benedixit Deus.*

S. Anſel. in c. 12. Rom. IX. Apoſtolus ad Romanos ita ſcribit: *dico per gratiam, quæ data eſt mihi, omnibus, qui ſunt inter vos, non plus ſapere, quàm oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem.* Quæ verba S. Anſelmus ad intentum noſtrum ſequenti illuſtrat diſcurſu, dicens: *Dico vobis*, id eſt præcipio, ne inſcrutabilia eius arcana diſcutere præſumatis: Dico enim per gratiam, quæ data eſt mihi, id eſt, per Apoſtolatum gratis mihi datum, omnibus, qui ſunt inter vos, non plus ſapere; id eſt, non plus inveſtigare de myſteriis, quàm oportet ſapere. Non tamen propterea omnis inhibita eſt huiuſmodi inquiſitio, ſed limitata duntaxat, & in finem convenientem, licitumque indulta: id quod idem S. Anſelmus his verbis docet: non plus ſapere, id eſt: non plus inquirere de occultis Dei, quàm oportet: id eſt: quàm ad fidem & Religioſos mores pertinet, ſed ſapere ad ſobrietatem, ut mens eorum non inebrietur, ut ſenſum perdat immenſitate ſapientiæ, dum in his, quæ ſupra vires humanæ rationis ſunt, ſe immerſerit, ſed moderato intelligentiæ poculo ſobria ſit.

X. Eandem Doctrinam Salomon confirmans, mellis nimium ſumpti adducit ſimilitudinem, inquiens: Sicut qui mel multum comedit, non eſt ei bonum, ſic qui ſcrutator eſt Maieſtatis &c. quæ verba à S. Gregorio ita ad noſtrum invenio explicata intentum: dulcedo mellis ſi plus quàm neceſſe eſt, ſumitur, unde delectatur os, inde vita comedentis necatur; dulcis etiam eſt inquiſitio Maieſtatis Dei, ſed qui plus illam ſcrutari appetit, quàm humana cognitio permittit, ipſa hunc eius gloria opprimit, quia velut immoderatè mel ſumptum, perſcrutantis ſenſum, dum non capitur, rumpit; Debitam itaque hoc in exercitio & contemplatione à nobis obſervandam menſuram à S. Baſilio diſcamus dicente: Quæ concernunt, diligenter diſcat, & ſapiat, nihil amplius per curioſitatem inveſtigans, quaſi diceret: In tantum ſecreta fidei noſtræ myſteria inveſtigare licitum eſſe, in quantum ex iis fructum in ordine ad bonos mores haurire poſſumus, non ut noſtrum ſatiemus intellectum. Atque hanc ob cauſam homines minus ſcientifici & ſtudioſi, ſed præ reliquis devoti & ſpirituales, ad divinorum myſteriorum intelligentiam vel maximè ſunt diſpoſiti, ſiquidem cognovit bos poſſeſſorem ſuum, ſimplices magis, quàm ingenia alta & perſpicacia, ſuum valent, & ſolent ſubmittere Iudicium. *S. Gregor. L. ...*

XI. Jehu ad Regnum Iſrael aſſumptus, impiamque Achabi ſtirpem extirpare volens, Ionadab belli ducem ingenti Comitatu ſtipatum, raraque experientiâ præditum virum, obvium habuit: quia verò, quam is factionem ſuſtineret, ignorabat, interrogavit eum, & dixit: *Nunquid eſt cor tuum rectum, ſicut cor meum cum corde tuo?* qui cum affirmaret, ſeque partium Jehu ſectatorem eſſe dixiſſet, ſubiunxit Rex, dicens: *Si ita eſt*, inquit, *da manum tuam, qui dedit ei manum ſuam, at ille levavit eum ad ſe in currum:* Noſter quoque Salvator, qui inimicum infernalem debellaturus venerat, quoniam ipſo præſente, princeps mundi huius eiicietur foràs, à nobis pariter, an ſequaces eius eſſe, legémque ipſius profiteri velimus, intelligere deſiderat: Cui ſi nos affirmativè reſponderimus, noſtram illico poſtulat manum: id eſt, dignis nos operibus fidei correſpondere iubet: *Da manum tuam:* tùncque certò ſperare poterimus, nos in currum eius, ut cœlum conſcendamus, elevandos. *Manſi diſc. 4. n. 9.*

Neceſſitas.

XII. Naas Ammonita bellum indixit iis, qui Iabes Galaad inhabitabant, qui ſe in anguſtiis con- *Ibid. n. 5.*

constitutos videntes, pacis tractatu dissensionem terminandam censuerunt, dicentes: *Habeto nos fœderatos, & serviemus tibi*: quibus superbus ille: *In hoc feriam vobiscum fœdus*, respondit, *ut eruam omnium vestrûm oculos dextros.* Circa quam historiam vos ego interrogo, an non omisso oculo solo dextro, pristinas vires, eundem virorum numerum, priores provisiones sibi reservâssent, & munitiones? Ita equidem: at oculi dextri carentia eos ad conflictum constituebat inidoneos, eo namque destituti, in obscuro, & veluti cæci in tenebris præliari debuissent, siquidem oculum sinistrum scutum cooperiebat. Quæ omnia in figura contingebant illis: ideòque S. Bonaventura fidem oculo dextro assimilans, dictam historiam moraliter, ita ad propositum nostrum adducit, dicens: Scutum operit sinistrum oculum, & sic qui non habet fidem, inutilis est ad pugnam Spiritualem. Naas interpretatur serpens, significatque serpentem antiquum, id est, Diabolum, qui nititur eruere oculum dextrum, id est, fidem, ut ad bellum Spiritualem hominem reddat inutilem.

Æquitas.

Ibid. dist. 18. ... XIII. Aristoteles lib. 1. Rhetoricæ, aliquem verum dicere, tribus potissimùm rationibus credi posse, dicit: nimirum si talis sapiens, virtuosus, & amicus fuerit: si enim sapiens fuerit, de illo confidenter supponimus, quòd non erret per ignorantiam: Si verò fuerit virtuosus, illum mendacium penitus abominari æstimamus: si denique amicus fuerit, de illo indubitanter confidimus, quòd nos solitâ confidentiâ non sit defraudaturus: Iam verò legatis obsecro omnes illos, qui de fidei nostræ dogmatibus hactenus libros conscripserunt, certique estote, quòd in illis summam vitæ sanctitatem, sapientiam admirabilem, syncerúmque veræ amicitiæ amorem deprehendetis: quos proinde nos decepisse, ne suspicari quidem possumus. Quis enim de S. Gregorio, D. Chrysostomo, S. Greg. Nazianzeno, S. Thoma de Aquino, Doctore Angelico id suspicari audebit? Et sic de aliis discurrere licebit quorum multi præter assidua literarum studia, insuper dono prophetiæ, revelationibúsque & apparitionibus cælestibus à Deo fuêre illustrati.

Utilitas.

XIV. Christus Petro divinitatem eius profitenti: *Beatus es*, inquit, *Simon Bariona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est.* Ita enim beatus quicunque Christianus, si modò fidelis, si Simon, id est, obediens, atque in captivitatem redigens intellectum in obsequium Christi: si Bariona, filius columbæ, Ecclesiæ, beatus ergo quicunque est, ejusmodi, sicut *beati* omnes, *qui non viderunt, & crediderunt.* Pædag. Christ. p. 2. c. 12.

Firmitas.

XV. Aptissimè proposito nostro inservit observatio quædam, quam in annalibus Ecclesiasticis facit Eminentissimus Cardinalis Baronius, quòd scilicet incarnata sapientia Petro dixerit: *Tu vocaberis Cephas*, ubi in lingua quidem Syriaca est Cephas, sed in latino legitur Petrus: Et licet neutra ex hisce dictionibus, qualis sit petra, sufficienter exprimat, non tamen quamlibet petram illum esse dixit, sed quæ sit omnium durissima, nempe cautem: Nimirum hic Apostolorum Princeps instar cautis, omnibus se exurgentibus procellis opponere debebat, quæ in progressu sæculorum Ecclesiæ naviculam adoriturǽ erant, ac proinde pro corpore emblematis assumptus fuit scopulus seu cautes marina, quæ procellosas maris undas robore suo frangit, cùm tamen ipsa minimè fracta stabiliter perseveret, cum hac emblemati subiuncta sententia: *Frangit, non frangitur.* Unde D. Chrysostomus ait: Supra Petram stantem est fidelis, propterea & undarum ictibus inexpugnabilis est. Idipsum diebus nostris sæpius accidisse novimus, & ad finem usque mundi infallibiliter eveniet. Ad hunc scopulum, ad hanc fidei Catholicæ Romanæ petram, omnes persecutionum à Paganis, Machometanis, Hæreticis, Schismaticis. Aliisque ejusdem farinæ fluctibus motarum, undæ allidentes Confractæ semper fuerunt, & dissipatæ: nam ut in lib. 2. Esdræ dicitur: *Super omnia vincit veritas*: Et S. Joannes ait: *Hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra.* Mansi dist. 18. n. 2.

TI-

TITULUS XXX.

GRATITUDO.

§. I.

GRADUS.

De gradibus virtutum c. 20. T. 7.

I. HOs breviter indicavit S. Bonaventura, dum dixit: Gratitudinis altus gradus est, dignè ponderare naturalia dona corporis; Altior, dignè ponderare naturalia dona animæ; altissimus, dignè ponderare gratuita dona animæ, scilicet dona Spiritûs Sancti, & virtutes.

§. II.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Qualitas.

Olraker in c. 15. Lucæ.

I. GRatitudinem ex nobis quærit Deus noster, ut quamprimùm cœperis beneficium obtinere, incipias ei gratias agere, & similiter in fine cùm beneficium fuerit consummatum. Putant homines se satis Deo gratos esse, si post acceptum beneficium gratias egerint, sed non sic docentur à Deo sensibile, imò gratitudinem ostendere, cùm primùm cœperint spicæ ad maturitatem pertingere, & cùm omnes fructus domi incluserint.

Necessitas.

Hevarin. apud Mansi tr. 30. disc. 1. n. 1. S. Laurent. Just. l. de ligno vit. c. 7.

II. Tribus rebus mundus consistit: super lege, cultu sacro, & super retributione beneficiorum.

III. Nullum officium referendâ gratiâ magis necessarium, quia majora meretur suscipere, qui collata bona de corde non probatur delere. Disce ergo, O homo, in gratias referendo non esse tardus; disce ad singula gratias agere; diligenter considera, quæ tibi præstantur à Domino, ut nulla ipsius dona debita gratiarum actione frustremur. Nam jugiter sibi subvenire facit, cui impensum beneficium ante oculos semper assistit.

Æquitas.

S. Antonin. p. 1. sum. Theol. tit. 3. c. 2. §. 6.

IV. Quælibet creatura trinâ voce quemlibet alloquitur, videlicet accipe, redde, fuge. Accipe beneficium ex me ad usum tuum; accipe, inquit cœlum, à me illuminationem, & motum; Accipe, inquit ignis, à me calorem; accipe ab aëre respirationem; Accipe, ait terra, à me animalia, victualia, metalla, sustentationem. Secunda vox est, redde, scilicet obsequium tuo benefactori, & meo creatori. Qui ideò me creavit, ut tibi servirem, ego autem grata semper tibi obsequor, dum tibi servio; tu ergo multò magis illi obsequium præstes, in honorem suum me utendo, & sibi de meo obsequio tibi impenso gratias agendo, ne ingrata inveniaris. Tertia vox est: fuge, scilicet supplicium tibi paratum propter ingratitudinem, nam si ingrata eris, non me benè utendo, & gratias agendo, omnes erimus contra te ad judicandum tuam ingratitudinem.

S. Chrysost. hom. 26. in Matth.

IV. Propterea & reverenda, ac salutaria illa mysteria, quæ in omni certè Ecclesiæ congregatione celebramus, Eucharistia (id est, gratiarum actio) nuncupantur; sunt enim beneficiorum recordatio plurimorum, caputque ipsum divinæ erga nos charitatis ostendunt, atque faciunt debitas Deo gratias semper exsolvere.

Utilitas.

S. Chrysost. hom. 22. in Gen.

V. Nihil tam gratum Deo, ut anima grata, & gratias agens; nam cùm innumeris beneficiis quotidiè omnes nos prosequatur, nihil aliud à nobis exigit, quàm habere gratiam.

S. Thom. [illegible]

VI. Ad principium, unde proveniunt beneficia, revertuntur per gratiarum actiones, ut iterum fluant per beneficiorum exhibitionem.

Lippomen. apud Mansi disc. 4. n. 5.

VII. Testari gratitudinem est opus acceptissimum Deo, & invitat Deum ad majorem liberalitatem; quare qui ex fide obtulerant primogenita, consecuti sunt parvo sumptu magna Dei beneficia.

S. Bern. ser. 4. super Cant. [illegible]

VIII. Confitenti humiliter, & devotè gratias referenti, non immeritò ampliora beneficia promittuntur. Nam qui fidelis invenitur in modico, iure constituetur super multa, sicut è contrario accipiendis indignus est, qui fuerit de acceptis ingratus.

S. Chrysost. hom. 78. ad pop.

IX. Mensa ab oratione sumens initium, & in orationem desinens, nunquam deficiet, sed inde largius omnia nobis affert bona.

Hugo Vict. apud Mansi tr. 30. disc. 7. n. 11.

X. Origo fontium & fluminum, mare virtutum, & scientiarum Dominus JESUS. Ex isto fonte manant, ut ad locum unde exeunt, flumina gratiarum revertantur, ut iterum fluant. Remittatur itaque ad suum principium, cœleste profluvium, spirituales rivi propriis fonti sine fraude & sine intermissione refundantur, ut arva mentium rigare non desinat. Qualiter inquis? Audi Apostolum; In omnibus gratias agentes, ut, quidquid sapientiæ, quidquid virtutis habes & gratiæ, totum Dei virtuti, & Dei adscribas Sapientiæ.

Dignitas

Digitized by Google

Dignitas.

S. Chrysost. ibidē. Disc. 3. n. 5.

XI. Nullum gratiarum actioni par bonum, quemadmodum blasphemiâ peius nihil.

Facilitas.

Idem hom. 10. in Gen.

XII. Gratias Deo agamus, qui tanta apud nos beneficia collocavit. Neque enim grave aliquid & onerosum à nobis requirit, sed solùm ut testemur & fateamur beneficia sua: & pro his gratias referamus: Non quòd ipse his egeat, qui sufficientissimus est, nullaque re indiget: sed ut nos discamus Authorem bonorum nobis conciliare; nam sic ipsum ad maiorem nostri sollicitudinem provocabimus.

§. III.

EXEMPLA SACRA.

Qualitas.

Io. Rho. l. 4. c. 8. n. 3.

I. VIdeamus Gratitudinis palmare monumentum à Pio V. Pontifice verè Maximo in homine Rustico relictum, à quo cùm Bergamo noctu Mediolanum profugeret, (quòd inquirendo in suspectæ fidei Episcopum, in suum exitium aliquàmplures irritâsset) in domum receptus, atque pro rustica tenuitate lautè habitus fuerat. Hunc enim in frequentissimâ inspectantium, ac fausta precantium turba, quùm à Laterano, quâ die Pontificatûs possessionem adiit, sublimis referretur, agnovit, atque ad se deinde iussit vocari, cognitóque duas illi filias esse, ut honestiùs nec pro fortuna elocaret, bina aureorum millia; ut verò ipse sibi prospiceret, quingentos dedit; nulla ineptæ magnificentiæ ostentatione opes publicas prodigens, sed tenuissimi villici commodis abundè prospiciens, quem non equidem donatum auro, sed agnitum fuisse, satis mirari non possum; nam in ea nocturna fuga vix semel viderat, verùm ut obliviosissimi mortalium sint ingrati, ità grati homines memoriâ maximè valent.

Ibidē. n. 4.

II. De S. Theresia sic scribit Joannes Rho. Erat cuidam Virginum familiæ à Confessionibus Sacerdos bonus ille quidem, verùm moribus præfractus, ingenióque austerus, adeò ut Virginibus esset peracerbus & gravis. Rem, quòd ita domesticæ quietis intererat, ad Theresiam detulit familiæ Præses; alium sibi adhibendum videri, ac morosissimi hominis consuetudinem vitandam. Sed vetuit Theresia, gravi oratione admonens, vorandas esse quaslibet acerbitates, atque dissimulandam durioris ingenii conditionem; quòd is olim Virgines de fraude admonuisset, quam in ædium venditione improbi homines adornabant; Nolle itaque se benè merentem de familia universa hominem eâ missione contristare. Eidem Theresiæ, quùm in via æstuanti obvius viator frigidam dedisset, ingentem sanè retulit mercedem; Nam per aliquot annos pro eius salute supplicaturam se Deo recepit, præstititque cum fide; hoc uno Teresiæ facto vel in hac vita Christi Domini oraculum laudatum est, quo frigidæ calici mercedem minimè defuturam pronuntiavit.

III. Subtilis admodum Eleonoræ ex Austriadum gente, Mantuanorum Ducis, in hâc gratiarum Philosophiâ ratio fuit. Ibi beneficium se accipere agnoscebat, ubi mortalium plurimi debitam agnoscunt servitutem; Quis enim pauperes artifices, oratores, piscatores, cæterósque huiusmodi, suos inter numerat beneficos? faciebat hoc tamen Eleonora, eorum sudoribus sibi lautias parari dictitans, & otium, quo Principes perfruerentur, illorum laboribus defendi. Quamobrem pro illorum manibus pias preces fundere sollicitè institerat, ne planè viveret ingrata. O animum verè magnum! est in illis obsequiis addicta libertas; quæ, ut nullo unquam benè emitur argento, ita grati animi liberâ est significatione redimenda. Ibidē. n. 6.

IV. De Stanislao Hosio, & Seraphino Oliverio Cardinalibus sic scribit idem Author: Non decet benè merentium vitâ gratum animum circumscribere: gestit enim, atque extra brevis ævi emicat angustias, quod in Hosio observatum non sine admiratione fuit. Ut enim in colendis superstitibus, à quibus beneficia se recepisse noverat, nemini fuerit secundus: ita illorum filiis, cognatis, affinibus, amicis demum iuvandis, fovendisque, cum paucis numerandus est. Reputabat vir sapientissimus, se illis plurimùm debere, in quos, quæ sibi delata fuerant, conferri potuissent beneficia. Seraphinus non minori virtute Iacobi Razalii, à quo beneficium se adolescentem accepisse, nunquam fuerat oblitus, nepotes aliquot & vivens omni coluit officio, & quasi satis sibi eo non fecisset, ut etiam post fata viveret gratus, bonorum omnium scripsit hæredes. Ibidē. n. 9

V. Ibidem de Alphonso Valentino Ord. Præd. sic scribit: Gratus animus semper habet, quas referat gratias, & si præsidia alia desint, vota in promptu habet & preces. Et sanè utiliora hæc sæpè benefactoribus esse, Alphonsi exemplo scimus, qui præter ædes honesti Sacerdotis, à quo in illis ipsis hospitio fuerat exceptus, transibat nunquam (faciebat autem sæpissimè) quin illius manibus sacro carmine, quod Responsorium vocant Rituales libri, pacem precaretur. Ab hac ille ratione non antea destitit, quàm homini benè esse divinitùs admonitus, suâ ope non ampliùs intellexit indigere. Ibid. n. 9.

VI. Porrò quantùm vel unicum, Deo gratias, casualiter prolatum apud Deum valeat ad evadendum etiam, quod uspiam incurrere possemus, maximum periculum, id est, damnationem æternam, ex sequenti historia colligere licet. In quodam Prioratu Belgii tres morabantur Monachi concubinarii & crapulones, qui certatim carnis voluptatibus vacabant. Vespertino tempore postquam se cibo & potu ingurgitâssent, unus illorum dicebat, Deo gratias, cui alter respondit, ego non Deo, sed Diabolo gratias ago, quibus dictis singuli cum suis concubinis ad lectum concesserunt: Accidit Mansi tr. 10 disc. 15. n. 7.

autem,

autem, ut, dum vix lectum ingressi essent, dæmon illis in habitu Venatoris apparens dixerit; Ubi nam est ille, qui mihi gratias egit? Ecce præsto sum, habebat verò Spiritus ille duos alios dæmones habitu coquorum indutos, quibus ut impium illum è lecto extraherent, & ad ignem torrerent, præcepit, sicuti & factum est: Alii verò terrefacti audierunt dæmones eisdem dicentes: Digni vos etiam pari supplicio, nec deest voluntas mihi: Vetor vi maiori, invitus abeo, resipiscite, aut manent terribiliora. Porrò quænam causa fuerit, cur dæmon coërcitus sit, ne de illis pariter sumeret supplicium, tametsi Author non referat, vel declaret, veruntamen ex narrativa historia satis deducitur, reliquos duos ex eo solùm capite liberatos fuisse, quia scilicet dixerant, Deo gratias.

Vincent. Belvac. l. 31. c. 10. & ex eod. Spec. Exempl. tit. Gratias agere Ex. 1.

VII. Quidam fuit filius ditissimorum parentum, cui Pater suus desponsavit filiam cuiusdam Nobilissimi, & præ omnibus locupletissimi Regis nimis pulchertimam. Movit ergo sermonem cum puero de nuptiis, & quomodo facere meditabatur, annunciavit, quod ille quasi rem malam ac nefariam respuens, relicto patre in fugam elapsus est. Ambulans autem declinavit in domum cuiusdam senis pauperis, propter æstum diei semetipsum repausaturus. Tunc filia senis virgo, quæ erat ei unigenita, sedens ante ianuam operabatur manibus, ore autem suo Deum laudabat, assiduè gratias agens ei de imo cordis. Huius autem laudes iuvenis auscultans, ait: Quod est istud, O mulier, studium tuum, cuius autem rei gratiâ, cùm ita sis pauper & tenuis, quasi pro quibusdam magnis donis gratias referendo sic laudas Dominum? Quæ respondens ait: Nescis, quia sicut exigua medicina de magnis laboribus sæpiùs liberat hominem, ità & in parvis Dei donis, gratiarum actio, magnorum auctrix bonorum efficitur. Ego quidem filia sum senis pauperis, gratias tamen refero Deo pro modicis istis donis, & benedico Dominum, certa, quoniam qui hæc contulit, & maiora valet dare. Et ista quidem de his, quæ extrinsecus sunt, & nostra non sunt, ex quibus nec multa possidentibus lucrum aliquod pervenit, ne dicam, quia & sæpius damnum sustinent, neque minora accipientibus accidit detrimentum, eandem utrisque viam pergentibus, & ad eundem pervenientibus finem. Eorum verò, quæ magis sunt necessaria, & perfectissima, multa & maxima accepi Dei dona, quæ innumerabilia & inæstimabilia sunt. Nam secundùm imaginem Dei facta sum, & ipsius notitiam habere merui, & ratione præ omnibus animalibus sum prædita, & ab ipso Deo invitata sum ad vitam per viscera misericordiæ eius, cuius & mysteriorum particeps esse merui, cui & paradisi ianua parata est, facilè si voluero introitum mihi præbitura. Pro tantis igitur & talibus donis, quæ indifferenter divites percipiunt, & pauperes, ut dignum est, gratias agere penitus est impossibile. Si autem & modicam laudationem largitori bonorum non obtulero, qualem excusationem habeo? Juvenis itaque eximium illius stupens intellectum, eius patrem accersivit, cui dixit: Da mihi uxorem filiam tuam, adamavi enim illam propter intellectum, & pietatem. Tunc senex ait: Non licet tibi accipere pauperis filiam, cùm parentum divitum sis filius. Rursus autem iuvenis ait: Etiam hanc accipiam, si tamen mihi non negaveris eam. Nobilium quippè & divitum mihi filia fuit desponsata, sed hanc respuens fugam arripui, filiam quoque tuam propter pietatem, quam habet in Deum, & præclarum illius intellectum adamans, copulari mihi præ omnibus cogitavi. Senex autem dixit ad eum: Non possum tibi filiam meam dare, ut ducas in domum patris tui, & ab ulnis meis separes eam, unica enim mihi est; sed ego, inquit iuvenis, apud vos manebo, & vestram suscipiam conversationem. Deinde & splendidum deponens vestimentum, senis habitum postulans induit. Tunc ille senex in multis tentans eum, & variè ipsius examinans cogitationes, postquam cognovit iuramenti illius stabilitatem, & quia non amore insipientiæ detentus petiit eius filiam, sed pietatis amore elegit pauperrimè vivere, hanc præponens suæ gloriæ, & nobilitati, tenens eum manu introduxit in suum cubiculum, & ostendit ei divitias multas ibi repositas, & immensum pondus pecuniarum, quantum non viderat aliquando iuvenis ille, & ait ad eum: Fili, hæc omnia tibi do, eò quòd elegisti meæ fieri hæres substantiæ, quam tenens hæreditatem ille omnes supergressus est gloriosos terræ, & divites.

VIII. Præclarum adhuc gratitudinis exemplum de Temazaca nobili Iapone his verbis narrat Joannes Rho: Vereor, ne nimia divinorum munerum abundantia, quæ gratias maximas iure suo reposcit, vitio nostro nos reddat ingratos. Quotus enim quisque nostrûm, quòd dispulsis errorum tenebris, tantâ ubertate nostris se regionibus veritatis lumen infuderit, gratias Deo habet? At Temazaca recentis fidei homo, sed indolis ac generis clarus, cùm à prætereuntibus salutare JESU nomen invocari audisset, equo desiliens, Deo quàm potuit enixissimè gratias retulit, quòd, quibus in terris paulò antè prophana Idolorum nomina aërem quadam infidelitatis contagione afflabant; iam nunc filii sui Sanctissima floreret invocatio. *Io. Rho. l. 1. c. 7.*

§. IV.

EXEMPLA PROFANA.

I. BAlduinus Hierosolymorum Rex cùm Admiratum Turcorum in Arabia prælio superasset, captam illius coniugem cum aliis multis (quam vicino partu graviter habentem vir in itinere reliquerat) in optimo lecto tentoriis circumclusit, servis quoque atque alia omni re necessariâ adiutam, insuper pro stragula veste, cuius eo in loco copia nulla erat, chlamyde sua cooperuit, atque Admirato eam illæso pudore restituit. Contigit postea Balduino, ut à Turcis acie victus in urbem Rhamam *Dauroult. c. 7. tit. 61. exempl. 1.*

Digitized by Google

nam immunitam se reciperet. Ad eum ergo idem Admiratus noctè profectus, plus accepti beneficii, quàm ob Religionis diversitatem odii, vel etiam prædæ, quam sperare posset, memor periculi imminentis magnitudinem aperuit. Postridiè enim manè Turcas impetum facere in urbem constituisse. Si se sequeretur, incolumem se servaturum eum promisit, & promissis re ipsâ satisfecit.

Io. Rho. l. 4. c. 8. n. 1. II. Rex Sinarum cùm exactis Tartaris Regnum stabili pace componeret, ut fortissimorum Ducum, quorum præclarâ operâ Tartaros vicerat, perenni prosequeretur beneficio, & post commune factum gratus viveret in omnium recordatione posterorum, aliquid excogitavit atque invenit, quod redivivæ semper gratiæ perpetuum duraret argumentum. Ferreas confieri laminas pro numero Ducum iussit, singulorúmque pugnis atque victoriis celari, unicuíque deinde suam tradidit, communi omnibus lege, ut post ipsorum excessum apud familiarum Principes servatæ laminæ certis ab unoquoque vicibus in iudicium proferri possent, toties reos capitis periculo iudicióque erepturæ, dummodo, ne fraus sæpiùs iudicibus fieret, quoties salutares fuissent, certis notis insculperentur. Itaque post aliquot iam sæcula vivunt non minùs ducum præclara gesta, quàm Sapientissimi Regis grati animi præclara monumenta; ambiguo apud omnem posteritatem, iudicio, quænam gloriosior memoria sit, Regisne, an Ducum? sed vera æstimantibus, ferrum illud cuivis auro anteferatur, in quo gratissimi Regis beneficio, illustria vivunt, ac florent gesta maiorum.

Ibidem n. 13. III. Supremum inter armorum furorem effrænisque crudelitatis sævam licentiam, ut recondito in agro viridis aliquando cespes, ita magnum virtutis exemplum emicuit. In expugnatione arcis Cronzoniæ, quam de Hispano in minori Britanniâ Gallus vi cœperat, Aumontius exercitûs Marescallus, trucidari præsidiarios, ac nemini parci mandaverat; fiebant itaque cædes, & victis non inultè morientibus, omnia latè sanguine redundabant. Dum maximè ira cædibus incalesceret, nec tam pugna, sed strages esset, Anglus gregarius Hispanum, qui se in latebras penetraverat, indeptus, iugulaturus protrahebat, quùm subitò agnitum bono animo esse iussit, non periturum. Aderant iam manipulares, Hispanúmque ad cædem deposcebant; absterrere Anglus, & si vis dedititiò fieret, ferro se repulsurum. Exortâ inde rixâ, & clamore invicem sublato, ad Aumontium res tota defertur, qui accitum Anglum suo cum Hispano interrogat: Quid ita iussa Ducis intempestivâ illâ humanitate contempserit, facessat illicò imperata, ni pareat! Enimverò Anglus moriturum se cum Hispano, si vitam illi conservare non posset, se profiteri; agnovisse se hominem, à quo in Belgio pari humanitate olim fuisset conservatus; nolle se ingratum vivere, si illi moriendum sit, commori certum sibi esse, quando simul vivere non posset. Aumontius supra gregarii fortunam virtutem admiratus, utrumque liberum abire permisit, & mutuo frui beneficio, factum laudans, ut raris grati animi exemplis olim inserendum.

R.P. Lohn. Auctar. Bibl.

§. V.

EXEMPLA BESTIARUM.

I. S. Macarius speluncam habuit cellulæ suæ vicinam, & quadam die catulos suos cæcos ad eum bellua producit, & ante pedes eius ponit. At ille cùm intellexisset, pro cæcitate catulorum bestiam supplicare, rogavit Dominum, ut eis redderet visum. Quo recepto, matrem sequentes redeunt ad speluncam. Et paulò pòst ipsa cum catulis suis regrediens, pelles ovium plurimas, velut munus pro suscepta gratia, ad senem defert, morsu oris enecatas, iisque ante fores eius depositis abscedit. Ruffinus l. 2. hist. Eccl. c. 4.

II. S. Thomas de Villanova plura eius modi exempla offert sic loquens: Mira res, & cui similis à sæculo non est audita. Agnoscunt supernaturali instinctu Creatorem irrationales bestiæ, genua flectunt bruta, & insuetis naturæ motibus reverentiam exhibent conditori; rudit alioquin asina, coram illo trepidat reverenter, & quia eloquio nescit, mugitu bos divinam personat laudem. Prosternitur brutum factori suo, quid facturus est rationalis homo? Deus pro homine homo factus est; brutum prosternitur, iumentum adorat, & non beneficia sua recognoscens stabit homo? Sed & S. Bonaventura super verba: Et canis secutus est eum: discurrens, si sic, inquit, canis dominum suum amat pro pane modico, & sic equus pro modico hordeo; si sic asinus pro pabulo & fœno; quantùm ille à nobis amandus existit, qui carnem suam dedit nobis in cibum, sanguinem in potum, vitam in meritum, & se totum in prœmium? Nam leo dum à serpente cinctus, & ab eo fortiter astrictus esset, dum fuisset à quodam milite liberatus, sic illi toto corde adhæsit, ut ab eo nisi morte separari nequierit. Cur ergo non facit homo rationalis, quod animal brutum facit? & Deo suo negabit, quod homini mortali leo impendit? Certè nullum, teste Seneca, tam immansuetum animal est, quod non cura mitiget, & in amorem sui vertat, Leonum ora à Magistris impunè tractantur, elephantorum feritatem usque in servile obsequium demeretur cibus. S. Thom. de Villanov. in Nativit. conc. 1. Sen. l. 1. de ben. c. 3.

III. Stesichorus apud Pierium Valerianum refert, quòd, dum rùstici in agro quodam simul laboribus insisterent, unus illorum, qui pro haurienda ex vicino fonte aqua abierat, aquilam quandam ab ingenti serpente quodam circumplexam conspexerit, mortem ei comminantem; ac proinde correpta falce, eandem in minutas partes conscindens, aquilam liberavit, haustámque aquam laboris consortibus attulit, qui, cùm ex ea bibissent, in eodem momento, quo & ipse os hydriæ ad extinguendam sitim applicare voluit, aquila pernici volatu ad eum Pier. f. 200. col. 4.

properans, hydriam de manibus deiecit, omnémque aquam ex universa hydria effudit; móxque rusticus hoc se refrigerio privatum conspiciens, aquilæ, tanquam ingratæ, vehementer indignatus fuit: At verò postquam è sociis aliquis post haustam ore aquam in terram mortuus corrueret, alius verò atrocibus doloribus cruciari conspexisset, aquam illam veneni toxico infectam fuisse arguens, aquilæ erga se gratitudinem agnovit. Eheu quot hisce temporibus sunt homines, qui mundi torrentem sequentes, dum bibunt quasi aquam iniquitatem, in ipsa appetituum suorum obsecundatione mortiferum animæ & corporis contrahunt venenum, quando igitur nostris se Deus opponit consiliis, ne ad honores prætensos pertingamus, ne desideratis carnis voluptatibus perfrui possimus; vel concupitas hæreditates, vel divitias assequi valeamus, summum nobis præstat beneficium, utpotè Medicus pro æterna salute nostra omninò sollicitus.

§. VI.

SIMILITUDINES.

Mansi tr. 9. Disc. 7. n. 7. I. Sicut dum pilâ luditur, iacit unus, alter verò refert illam, tam diúque ludus producitur, quamdiu inter utriusque manus iacta & reciprocata pila non excidit: atque ita qui pilam non reiicit, perdit: eodem modo omnis ingratus suum non recompensans beneficium, spe destituitur novorum recipiendorum; Secùs verò, qui gratus existit: Qui gratus futurus est, verba sunt Senecæ, statim dum accipit, de reddendo cogitat.

Ibid. disc. 12. n. 7. II. Sicut chirurgus, dum tibi contra voluntatem, & totaliter invito, cucurbitulam igneam capiti applicat, vel membrum præscindit, aut secat, tametsi inde dolorem aut displicentiam concipias, immensum tamen tibi confert beneficium, pro quo postea recuperatâ sanitate summas illi gratias agis. Ita quoque Deus animarum nostrarum Medicus, qui dixit: Non est opus valentibus Medicus, sed malè habentibus, adversitates velut afflictivas & dolentissimas medicinas in æternam nostram ordinat salutem, atque adeò meritò summæ ei gratiæ debentur.

§. VII.

MOTIVA.

Mansi tr. 30 Disc. 2. n. 6. I. Exemplum & voluntas Dei. Qui ut quovis tempore, quovis die & anno recepta beneficia gratâ mente in memoriam revocentur, in principio cuiuslibet mensis, hoc sibi mensium pendi voluit tributum. Solemnitas Paschalis quovis anno celebrari debebat in memoriam magni illius beneficii, quo compedibus servitutis Pharaonicæ liberati in terram promissionis tot miraculosis modis perducti fuerant. Festum tabernaculorum eidem populo in memoriam revocabat quadraginta annos, quibus in deserto commoratus, & cœlesti alimoniâ, quæ quotidie de cœlo defluebat, omnémque in se continebat saporum suavitatem, pastus fuerat. Festum Pentecostes habebatur in memoriam tabularum legis à Deo traditarum. In Levitico ritus leguntur quorundam Sacrificiorum, quæ Deus in gratiarum actionem præscripserat. In Deuteronomio ob eundem finem instituta fuit primitiarum oblatio, & similia sexcenta alia exempla adduci possent; ex quibus omnibus Dei colligitur sollicitudo, quâ populo sibi electo gratitudinis virtutem inculcare contendebat.

II. *Exemplum Sanctorum*; Cùm enim opus illud, scilicet gratiarum actio sit exercitium supernæ patriæ, secundùm illud Isa. 51. *gaudium & lætitia invenietur in ea, gratiarum actio, & vox laudis:* Quantò quis copiosiùs & perfectiùs se exercet in gratiarum actione, tantò magis appropinquat statui Beatorum: quod ut penetremus solidiùs, oculos nostros ad visionem sublevemus illam S. Joannis, quando in superna Jerusalem Spiritus conspexit Angelicos, circùm Maiestatem supremam Dei, actibus obsequiosis intentos, hasque inaudiit voces: *Benedictio & claritas, & sapientia & gratiarum actio, honor & virtus, & fortitudo Deo nostro in sæcula sæculorum; amen.* *Ibidem n. 7.*

III. *Exemplum Ecclesiæ militantis*, in qua Horæ Canonicæ à tot tam Regularis, quàm Secularis Cleri ministris, quotidiè recitantur, in quibus continuè Deo laudes, benedictiones, gratiarúmque actiones offeruntur & redduntur, & uniuscuiusque Psalmi terminus hoc clauditur versiculo: *Gloria Patri &c.* item verbum, *Deo gratias*, frequenter tam in divini officii, quàm Missæ progressu replicare solemus. *Ibidem.*

IV. *Exemplum Barbarorum*, quo se excitavit S. Saba multorum Monasteriorum celeberrimus Pater. Quibusdam Agarenis per cellam eius transeuntibus & famentibus apposuerat radices tantùm quasdam melagriorum, & arundinum cortices: neque enim alio cibo ipse utebatur. Redierunt illi postea afferentes ei caseos, & dactylos. Quo viso, hei mihi, inquit: Barbari isti parvi nostri beneficii memores, referre gratiam munificè studuerunt: Nos autem, qui quotidiè fruimur bonis Creatoris, nullam ei vicissim studemus referre gratiam per Mandatorum observationem. Quæ de cætero excusatio, quæ venia dabitur? *Daurolt. c. 7. tit. 31. n. 3.*

V. *Multitudo beneficiorum*, quàm fusiùs explicans S. Gregorius Nazianz. Unde tibi hæc omnia, inquit, & à quo? Aut parva hæc oculísque subiecta dicam, cuius munere, ac beneficio cœli pulchritudinem cernis, Solis cursum, Lunæ orbem, siderum multitudinem, eámque, quæ in his omnibus veluti in Lyra elucet, concinnitatem, atque ordinem, semper eodem modo se habentem, partium anni vicissitudines, temporum mutationes, annorum conversiones, diei noctísque æquas portiones, terræ productiones, aëris fusionem, maris fluxi, simul ac stabilis immensam latitudinem, fluminum profunditatem, ventorum profluvia? Quod ipsum etiam confirmans S. Bernardus, quanta, inquit, largitas est ad sustentationem, quanta *Nazianz. orat. 16.* *S. Bern. S. 14. sup. qui habit.*

Digitized by Google

ad eruditionem, quanta ad consolationem, quanta ex hoc iam ad correctionem, quanta etiam ad delectationem!

S. Aug.

VI. *Magnitudo beneficiorum*, quæ ut melius cognoscatur, proderit intelligere, quod S. Augustinus dixit: Respice universum Mundum istum, & considera, si in eo aliquid sit, quod tibi non serviat. Omnis creatura ad hunc finem cursum suum dirigit, ut obsequiis tuis famuletur, & utilitati deserviat, suisque oblectamentis pariter, & necessitatibus, secundùm affluentiam, & deficientiam occurrat. Hoc cœlum, hæc terra, hic aër, hæc maria, cum eis quæ in ipsis sunt universis, explere non cessat. Hic circuitus temporum annuis innovationibus, redivivis partubus antiqua innovans, dilapsa informans, consumpta instaurans, pastu perpetuo subministrat. Quis ergo, putas, hæc instituit? quis illud naturæ præcipit, ut uno sensu tibi serviat? beneficium accipis, & authorem eius non cognoscis; donum in manifesto est, largitor occultus, & ipsa ratio tua te dubitare non sinit, hoc tuum non debitum esse, sed beneficium alienum.

Beneficia specialia Creationis.

S. Gregor. Naz. Orat. 2.

VII. De hoc beneficio sic discurrit S. Gregorius Nazianz. Hoc igitur cùm artifex verbum ostendere voluisset, animal unum ex utroque, hoc est, ex invisibili ac visibili natura hominem fabricatur, atque à materiâ quidem antè productâ sumpto corpore, à se autem insito spiraculo (quod quidem intellectualem animam Deique imaginem scriptura vocat) velut alterum quendam Mundum, in parvo magnum, in terra collocat, Angelum alium mixtum adoratorem, visibilis naturæ spectatorem, intellectualis mystam, eorum, quæ in terra sunt, Regem; Superis autem subditum, terrenum & cœlestem, caducum & immortalem, visibilem & intelligibilem, medium inter magnitudinem & humilitatem, eundem spiritum & carnem: spiritum per gratiam, carnem ob elationem.

Rupert. l. 2. de Trin. c. 2.

Quod etiam Rupertus Abbas confirmans, magnum planè consilium, inquit, in illo sapientiæ consilio, in illo talium personarum, Patris, & Filii & Spiritus Sancti non tam Senatu, quàm soliloquio venerando de nobis habitum est; ut unaquæque persona suam operis partem susciperet, ut scilicet tunc quidem Pater conderet, postea in plenitudine temporis Filius perditum redimeret, Spiritus Sanctus remissionem peccatorum perficeret. Quanta verò in specie per hoc beneficium bona obtigerint, explicat imprimis D. Bonaventura dicens:

S. Bonav. to. 7. in fascicul. c. 6.

De dono naturæ est, quòd creavit te in tempore, & quòd ab æterno te disposuit creandum, non creavit te pecus, sed hominem. Dedit animam immortalem, cui dedit rationem, ingenium, industriam, quâ omnia materialia potest intelligere. Dedit mentem vel intellectum, quâ immateriales Spiritus, Deum & Angelum intelligeret. Propter te omnia in terra creavit; omnia elementa ad tuam vitam, omnia animantia ad tuum nutrimentum. Deinde etiam S. Antoninus dum ait: In anima posuit imaginem Trinitatis, & distinctiùs, quàm in Angelis, in quantùm sicut Deus est totus in toto orbe, & totus in qualibet parte, ita in orbe suo, id est, corpore, anima tota est in toto, & tota in qualibet parte corporis. Participationem cum omnibus creatis; scilicet commune cum elementis, vegetare cum plantis, sentire cum brutis, intelligere cum Angelis. Repræsentationem universitatis. Ibi enim sunt quatuor humores cum corpore, conformes quatuor elementis: Quinque sensus exteriores, visus, auditus, gustus, odoratus & tactus; & quatuor interiores, scilicet sensus communis, æstimativa, phantasia, & memoria: quasi novem cœli: Nam decimum empyreum in quo Deus residet per gloriæ manifestationem, est pars intellectiva, scilicet intellectus & voluntas.

S. Antonin. part. 4. sum. tit. 19. c. 11. §. 11.

S. Laurent. Iust. serm. de Christi Corpore.

Beneficia verò corpori collata his verbis exprimit S. Laurentius Iustin. Te Deus de humano & vilissimo semine matris tuæ formavit in utero, corporis organum distinxit per partes, divisit artus, sensus disposuit, singulisque propria indixit ministeria, ut non esset schisma inter eos, sed compago indissolubilis, amoris vinculum, unitatis exemplum, dilectionis forma, decus sapientiæ, & corporis Ecclesiæ, similitudo vel optima.

Idem de Obed. c. 5.

Denique aliam adhuc beneficii circumstantiam notat idem Sanctus dum ait: Quamvis delinquas graviter, quamquàm in multis offendas frequenter, tametsi te voluntariè ab illo avertas, numquid suarum stillicidia gratiarum cohibet, ne pluant super te? Numquid Solis, Lunæ, Stellarumque splendorem abscondit, ut non super te luceant? Porrò terra germinat fructum suum, arbores diversarum specierum poma producunt, & (prô dolor) intelligere dissimulas, à quo ista percipias? Tibi cuncta famulantur elementa, nubes de cœlo imbrem opportunum spargunt; dies diei, & nox nocti succedit, ut tibi & cunctis viventibus præstent gaudium, tribuant alimentum, levent fastidium, & sine sensu, & absque gustu torpescis & taces?

S. Anton. l. c. §. 1.

Ut meritò citatus Sanctus Antoninus dixerit: Invitant te omnes creaturæ ad regratiandum Deo, quia omnes, exceptis Angelis, sunt inferiores nobis, & cùm Deus potuerit nos facere vilissimas creaturas, nobilissimas fecit.

Conservationis.

S. August. solil. c. 18.

VIII. Quod beneficium sic declarat S. Augustinus: omnibus horis & momentis, fruor bonis misericordiæ tuæ; quoniam semper perirem, nisi quia semper regis me; semper morerer, nisi quia semper me vivificas, & omni momento me tibi obligas, dum omni momento mihi tua beneficia præstas.

S. Antonin. l. c. §. 1.

Idémque confirmans S. Antoninus, considera, inquit, quòd tot sunt Dei beneficia erga te, quot vitæ momenta, per continuum enim Dei influxum homo consistit, & vivit.

S. Ambros. de obitu Theodos.

Unde meritò concludit S. Ambrosius: Vide ergo, quanta quotidiè Deus moliatur, quanta distribuat, quantis terram fructibus impleat, quàm opportunis, & in omnes oras fe-

R. P. Lohn. Anth. Bibl.

Digitized by Google

rentibus ventis maria promoveat, quantis imbribus solum molliat?

Redemptionis.

S. Bernardus de dilig. Deo.

IX. De quo præclarè sic loquitur S. Bernardus: Si totum debeo pro me facto, quid addam iam pro me refecto, & refecto hoc modo? nec enim tam facilè refectus, quàm factus, nam qui me semel, & tantùm dicendo fecit, in reficiendo profectò & dixit multa, & gessit mira, & pertulit dura; nec tantùm dura, sed & indigna. In primo opere me mihi dedit. In secundo se, & ubi se dedit, me mihi reddidit. Datus ergo & redditus, me pro me debeo, & bis debeo, quid Deo retribuam pro se? Nam etiamsi millies me rependere possem, quid sum ego ad Deum. Id ipsum alibi præclarè confirmat dicens: Super omnia te mihi amabilem reddit, O bone Iesu, calix, quem bibisti, opus nostræ redemptionis; hoc enim omninò amorem nostrum sibi vendicat, hoc, inquam, devotionem nostram blandiùs allicit, iustiùs exigit, arctiùs stringit, & vehementiùs afficit. Unde meritò l. c. concludit: Etsi cætera taceam, hoc solo non immeritò sibi vendicat vitam nostram, quia pro ea posuit suam. Nemo igitur sibi vivat, sed ei, qui pro se mortuus est; cui enim justiùs vivam, quàm ei, qui, si non moreretur, ego non viverem?

Vocationis ad fidem.

S. Aug.

X. Quod beneficium sequentibus verbis proponit S. Augustinus, magnum, inquit, æstimo beneficium, quòd eo tempore, & inter tales me nasci voluit Deus, per quos ad fidem suam & Sacramenta pervenirem. Video innumerabilibus hominibus hoc negatum, quod mihi gratulor esse concessum, cum quibus tamen nobis est una conditio. Unde meritò infert S. Antoninus: Invitat ad gratiarum actionem qualitas temporis, dicitur enim tempus novi testamenti tempus gratiæ, quia superabundavit multiplex gratia humano generi collata post Christi adventum, & ideò multiplicatis beneficiis multiplicandæ sunt gratiarum actiones.

S. Anton. l. sup. cit.

Iustificationis.

S. August. in Medit. c. 18.

XI. De quo sic S. Augustinus loquitur: Bona sunt hæc tua Domine, mihi à te misericorditer indulta, quòd me in periculis sæpè constitutum clementer eripuisti, nec unquam in peccatis meis dereliquisti; oblitum tui de te admonuisti, aversum à te revocasti, venientem ad te benignè suscepisti, pœnitenti indulsisti. Non enim ea sola, quæ commisi peccata, sed etiam, quæ te protegente non commisi, totum à te dimissum deputandum est; Nam sicut in multa peccata cecidi, sic & in multò plura, nisi me conservasses, cecidissem. Sed & S. Bernardus, & miseratio fuit, inquit, quòd visitavit cor meum, immutavit, ut amara fierent, quæ mihi malè dulcia priùs erant, qui lætabar, cùm malè facerem. Huc etiam pertinet præservatio à peccatis, quæ, teste S. Bernardo, tribus modis contingit, occasionis subtractione, resistendi datâ virtute, affectionis sanitate; multùm enim in peccata cecidissem, si data esset occasio, sed Dei miseratione non me talis opportunitas apprehendit. In multa quoque paulominùs cecidissem, graviter impulsus violentiâ tentationis, sed virtutem dedit Dominus Rex virtutum, ut sub me esset appetitus meus, & ei, quam sentiebam concupiscentiæ, minimè consentirem. Sed à quibusdam tam longè me fecit miseratio tua, ut penitùs abominarer ea, & ne ulla quidem eorum me tentatio molestaret.

S. Bern. ser. 2. de fragm. 7. miser.

§. VIII.

ASCETICA.

S. Bernar. ser. 11. in Cant.

I. TRia Ascetæ specialiter quoad hanc virtutem sunt bene cognoscenda. Primum est, *ut bene sciat etiam pro minimis beneficiis summas Deo gratias esse agendas*, qua de re loquens S. Bernardus, disce, inquit, in referendo gratiam non esse tardus, aut segnis; disce, ad singula dona gratias agere; diligenter considera, quæ tibi apponuntur, ut nulla videlicet Dei dona, nullâ gratiarum actione frustrentur, non grandia, non mediocria, non pusilla; denique nitamur colligere fragmenta, ne pereant, id est, nec minima oblivisci beneficia. Ad assiduitatem quoque S. Basilius hortatus est dicens: *sive comeditis, sive bibitis, sive quid facitis, omnia in Dei gloriam facite.* Accumbens mensæ ora; esitans panem, largitori gratiam rependito; sufsulciens, firmánsque infirmas corporis vires vino, eius fac meminetis, qui hoc te dono impertivit ad inserendam cordi tuo lætitiam, & ad multiplicium infirmitatum non mediocre solamen. Et in epistola ad Thessalonicenses, inquit: *sine intermissione orate, in omnibus gratias agite*; quem textum Theophylactus ita exponit: Qui assuevit cum Deo versari, eique gratias agere in omnibus rebus. Quomodo autem semper gratias ages? si agnoveris hanc esse voluntatem Dei, ut sis gratus erga ipsum, ut qui semper tibi benefaciat. S. Ambrosius ut nos ad hanc continuam & nunquam intermissam gratiarum actionem exstimulet, sequenti nos evidenti ratione convincit; neque enim nos unquam respirare possumus, quin ad quamlibet respirationem beneficiis Dei fruamur, & hanc beneficentiam assiduam & quotidianam incessanter continuat & conservat; Unde ait: Quando non habes, quod, Deo debeas? aut quando sine Dei munere es? quid enim habes, aut es, quod non accepisti? ergo quia semper accipis, & quod habes, à Domino est, debitorem te semper esse cognosce. Quod ipsum etiam confirmans S. Gregorius Nyssenus, si, quod præsens est, inquit, consideraveris, per ipsum vivis; si futurum, ille tibi earum rerum, quæ sunt in exspectatione, spes est; si præteritum, non esses, nisi priùs ab illo factus esses; id ipsum quod natus es, beneficio afficeris, dum per illum & vivis, & moveris, ut inquit Apostolus, rerum futurarum spes ex eodem benefi-

S. Basilius hom. 5. in Martyr. Julitt.

S. Gregor. Nyss. orat. 1. in Orat. Dom.

cio pendet, tu verò solius præsentis compos es. Itaque si vel per omne vitæ tempus gratias agere Deo non intermiseris, vix præsentis gratiam explebis, cùm interim nullam rationem excogitare possis, qua futuri vel præteriti temporis debita compensentur. Fructum autem huius perpetuæ gratitudinis indicavit S. Chrysostomus, dum dixit: Perpetuò Deo gratias agere debemus. Hæc sunt gravissima, quæ in diabolum torquentur, tela, hic est ictus in dæmonem certissimus, tunc sunt coronæ splendidissimæ.

S. Chrysost. in ps. 1.

Mansi tr. 30. disc. 9. n. 10.

II. Alterum est, *ut benè cognoscat, ad hoc, ut tributum laudum, & gratiarum actio Deo grata sit, specialiter requiri, ut linguæ & voci cor purum & mundum conjungatur.* Unde D. Chrysostomus super illa verba Psalmi: Laus eius in Ecclesia sanctorum. Ita scribit: Vides quomodo ante verba requirit gratiarum actionem, quæ fit per vitam & bona opera? Non sufficit enim verbis solùm gratias agere, nisi etiam factorum virtus concurrat, nam laus eius in Ecclesia Sanctorum. Et in psalmum 49. ait: Ita vivas, ut Dominus Deus tuus glorificetur, iuxta illa Christi verba: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum.* Sit vita tua eiusmodi, ut tuus laudetur & celebretur Dominus, & perfectum obtulisti sacrificium. Idem quoque in Psalmum 112. ita scribit: oportet vitam priùs rectè instituentem hymnos Dei canere, non est enim pulchra laus in ore peccatoris; secundò non verbis solùm sed etiam factis laudare oportet, & hanc laudem Deus maximè requirit. Idem quoque S. Doctor Psalmistam psalmum illum ab his verbis ordiri observat: *Laudate Dominum de cœlis, laudate illum in excelsis, laudate eum omnes Angeli eius, laudate eum omnes virtutes eius*; cuius hanc assignat rationem: Ideò dum præcipit laudes offerre, incipit à Superioribus potestatibus, sic dicens: *Laudate Dominum de cœlis, laudate eum in excelsis*, oportet enim ita Angelum fieri, & ita laudare. Ne ergo hanc laudem, rem esse levem existimemus, sed ante os nostrum, vita nostra ipsum sonet, atque ante linguam conversatio clamet, ita enim vel tacentes Deum laudare possumus.

S. Bonav. in fascic. c. 6.

III. Tertium est, *ut utilem & solidum modum sciat, Dei beneficia meditandi*, quem quidem indicat S. Bonaventura, dum ait: Scias quòd triplici consideratione potes tuas meditationes variare, & dilatare, ut nunc tua quidem meditatio versetur circa ipsum benefactorem, nunc circa ipsa beneficia, quæ tibi multipliciter elargitur.

§. IX.

MISCELLANEA ET CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Æquitas.

Mansi tr. 30. disc. 1. n. 6.

I. VIX hominem creaverat Deus, quando eum in paradiso collocavit: sed quo putatis fine? ut operaretur, & custodiret illum. Sed quæ illi cultura necessaria erat? Labor & defatigatio naturæ corruptæ est pœnalitas, ita quidem est, nihilominus à Ruperto Abbate, verba illa ad propositum nostrum explicante, responsum accipiemus: Hoc est, inquit, intelligere debemus, ut creatori suo in laude & gratiarum actione fidelem animum gereret. Eòdemque ob finem illi amœnissimum plantavit delitiarum paradisum, scilicet, ut ad maiorem eum adstringeret gratitudinem: Imperavit in terra paradisum fieri, inquit sanctus Chrysostomus, ut productus homo in eo versaretur. Extra paradisum formavit illum, sed mox introduxit, ut re ipsa sensu beneficiorum frueretur, & ut ex aspectu, & conversatione multam perciperet voluptatem, provocareturque ad gratitudinem, intelligens, quantis sit affectus beneficiis, cùm nullum adhuc boni specimen præbuisset.

II. Ast quam ob causam, Deum in corporis nostri fabrica lutum, ex quo membra nostra coagulavit, tractare voluisse putatis? Memento, quòd sicut lutum feceris me. Nunquid alia mundior, pretiosior, pulchrióque materia illi deficiebat artifici, qui unico verbo amplissimas extenderat cœli Sphæras? Verbo Domini cœli firmati sunt. Quin potius materia nobilis corpori competere videbatur, utpotè quod animæ, ad imaginem & similitudinem ipsiusmet Creatoris formatæ, habitaculum esse debebat. Nihilominùs dicendum est: Omnia in sapientia fecisti. Ut igitur ad nostrum deveniamus intentum, terra quæ gratitudinis est symbolum, ideò à Deo adhibita fuit ad formationem hominis, ut hic ei gratus existeret; ipsâ namque experientiâ teste, quò magìs terram industriæ agricultoris manus coluerint, subegerintque, tantò uberiorem profert sementem; quódque super eam proiicitur semen, non perditur, sed colligitur centuplicatum. Quapropter S. Ambrosius ita discursum suum ad quendam dirigit ingratum dicens: Herba generi respondet suo, tu non respondes tuo generi? Tritici granum sparsum terræ, generis sui gratiam reddit, tu degeneras? Qui idem sanctus in alio quodam loco scripsit: Imitanda nobis est natura terrarum, quæ susceptum semen multiplicatiori solet numero reddere, quàm acceperit.

ibid. n. 9.

III. S. Augustinus animam humanam à supremo datore hoc fine ad imaginem & similitudinem suam creatam esse dicit: Ut factorem suum pro imagine cognoscat, & pro similitudine diligat. Unde ubi vulgata nostra legit: *Factus est homo in animam viventem*, in Hebræo legitur: *in animam loquentem*; Optaret namque creator, ut anima subitò post tam sublime Esse receptum, linguam suam in gratias referendas adhiberet; At verò, quia anima hoc multis titulis debitum solvere neglexit, Deus illam in hoc miseriarum barathrum cadere permisit, in quod simul universam humanam progeniem egit præcipitem. Unde S. Antoninus ait: Primi parentes, quia repleti omnibus bonis naturalibus, & spiritualibus omnium virtutum, & temporalibus

S. August. l. de spiri- tu & anima.

poralibus, ingrati fuerunt Deo, adhærentes adversario eius, & mandatum transgredientes, omnibus virtutibus exspoliati sunt.

Mansi ibidem n. 1.

IV. Prima, quam Spiritus Sanctus per Moysis calamum in Scriptura Sacra de suprema Altissimi Maiestate notitiam fecit, sequens fuisse perhibetur: In principio creavit Deus cœlum & terram; pro quorum verborum intelligentia differentiam, quæ inter hæc duo nomina (Dominus & Deus) versatur, à Philone Hebræo discamus oportet, inquiente, Dominus & Deus indicant potentias; Dominus eam, quâ imperat; Deus eam, quâ est beneficus: Quam ob rem & sacer Moyses in toto mundi opificio nomen Dei assumit; Ubi & idem Auctor, quantùm Dei nomen beneficentiæ sit expressivum, latiùs docet: id quod etiam ipsi gentiles agnoverunt, qui Iovi, omnis profanæ Deitatis Origini, hoc attribuerunt nomen: Iupiter à iuvando. Iam hæ voces, Deus æternus, idem valent, ac si dicat: Non, qui aliquando largitur, aliquando non, sed semper & continuò, qui sine intermissione benè facit, qui nullam occasionem benefaciendi sinit præterfluere.

Ludovicus Blosius.

V. Deus B. Mechtildi quondam dixit: Bonum est homini, ut sæpè recogitet, quàm benè de ipso cogitaverim, quàmque amanter illum respexerim, etiam cùm in peccatis iaceret, & quàm benignè mala eius in bonum converterim.

S. August. in solil. c. 16.

Quod beneficium S. Augustinus ponderans exclamat: Quoties me iam absorbuerat ille Draco? & tu Domine ab ore eius extraxisti me. Quoties enim peccavi? & ipse paratus fuit deglutire me. Sed tu Domine Deus meus defendisti me. Descendi usque ad portam inferni, & ne illuc intrarem, tu me tenuisti. Sciebas tu quidem Domine, quia si tunc mors me occupâsset, infernus animam meam suscepisset, & perpetuò damnatus fuissem; sed tua misericordia, & tua gratia prævenit me, eripiens me de morte corporis, & de morte animæ. Et iterum: Ego te irritavi, ego malum coram te feci, furorem tuum provocavi; iram promerui, peccavi, & passus es, deliqui, & adhuc sustines. Si pœniteo, parcis; si revertor, me suscipis; si differo, præstolaris; revocas errantem, vincis repugnantem, amplecteris redeuntem, doces ignorantem, mulces mœrentem, à ruina suscitas, post lapsum reparas, petenti largiris, quærenti inveniris, pulsanti aperis.

S. Antoninus p. 4. tit. 5. c. 11.

Id ipsum verò confirmans S. Antoninus inquit: Tantò misericordia est gratior, quantò pœna est proximior, ad quam paratur, si enim suspendendus iam laqueum haberet in collo, maius beneficium putaret, si tunc liberaretur: Unde debet cogitare, si quando fuit in periculo mortis, dum in statu erat damnationis: & quo ivisset, si in illo statu decessisset, & quid promeruit apud Deum, ut Deus illi pepercerit? funibus peccatorum suorum constringitur impius, quibus scilicet suspendatur in inferno. Unde Ezechias: Tu autem eruisti animam meam, ut non periret, proiecisti post tergum tuum omnia peccata mea.

S. August. in medit. c. 12.

Meritò ergo idem S. Augustinus pergit: Cui gratias referre debeo, quòd non secundùm iniquitates meas retribuisti mihi, quòd me terra non absorbuit, non me cœlum fulminavit, non me fulgur combussit, non flumina submerserunt, nec aliâ pœnâ, vel morte, prout dignus eram, me afflixisti? cùm enim peccando à te recederem, non solùm Dominum ipsum exacerbaret, sed totam eius familiam iustissimè irritaret.

S. Chrysost. hom. 10. in Gen.

VI. Oro, ne desides simus, inquit S. Chrysostomus, sed unusquisque pro virili supputet apud se singulis horis non solùm communia beneficia, sed & privata in se collata, non ea tantùm, quæ omnes fatentur, & quæ omnibus manifesta, sed & propria & plerosque latentia; sic enim ad continuam gratiarum actionem Domino referendam incitabitur. Hoc maximum sacrificium, hæc perfecta oblatio est.

S. Aug. l. 4.

VII. Magnum est etiam & hoc nomine, quòd multa mihi, antequàm petere possem, vel vellem, aut nôssem, dona contulisti. Non solùm antè, sed & postquam senui, & potui te petere, te quærere, te desiderare, tibi inhærere, gratuitâ bonitate tuâ, non petenti, non quærenti, non desideranti, imò etiam parvi pendenti, vel etiam contemnenti largitus es.

S. Bernardus, in ps. qui habitat, ser. 14.

VIII. Si quis oculorum lumen, si quis usum aurium, si quis narium, si quis manuum, si quis pedem tibi præpeditum aliquo modo reparâsse videretur; si quis sopitam quavis occasione excitâsset in te rationem, quis non alius tibi vehementissimè succenseret, si quando forè beneficii huius immemorem, aut benefactori deprendisset ingratum? Enimverò Dominus Deus tuus ipsa etiam tibi instrumenta largitus, ex nihilo fecit hæc omnia, nec modò fecit, sed & compegit etiam, & formavit, ac suo quoque illustravit officio. Quomodo non is omni iure sibi gratias exigit ampliores?

S. August. med. c. 11.

IX. Magnum fuit & hoc, inquit, quòd eorundem sensuum meorum oblectamenta, singula sensibus singulis convenientia creavit Deus; multa pulchrè lucentia; canorè mulcentia, suavè olentia, dulcè sapientia, tactu placentia; etenim providentia Creatoris tam diversas qualitates rebus induit, ut omnes sensus hominis sua oblectamenta inveniant. Aliud enim percipit visus, aliud auditus, aliud olfactus, aliud tactus. Visum pascit pulchritudo colorum, suavitas cantilenæ demulcet auditum, fragrantia odoris olfactum, dulcedo saporis gustum. Tot oblectamenta aurium in diversitate colorum monstramus, tot oblectamenta aurium in diversitate sonorum audimus; quibus homines ad invicem suas voluntates communicant, præterita narrant, præsentia indicant, futura annunciant, occulta revelant, adeò ut si careat his vita humana, bestiis comparabilis videatur.

S. Bernardus serm. 1. in Cant.

X. Quoties tentatio superatur, aut vitium subiugatur, imminens periculum declinatur, aut laqueus insidiantis deprehenditur, aut annosa & inveterata quæcunque animæ passio perfectè sanatur, aut multùm diùque cupita, & sæpiùs petita virtus tandem aliquando Dei munere obtinetur, quid, nisi toties (iuxta Prophetam)

phetam) personæ gratiarum actio, & vox laudis, & ad singula quæque beneficia, benedicitur Deus in donis suis! alioqui ingratus reputabitur, cùm discussio venerit, qui non poterit dicere DEO: Cantabiles mihi erant iustificationes tuæ in loco peregrinationis meæ.

S. Augustinus c. 10. XI. Sic certè mihi videtur, cùm eius miserationes circa me attendo, quòd, si fas est dicere, nihil aliud agit Deus, nisi ut meæ saluti provideat, & ita totum ad custodiam meam occupatum video, quasi omnium oblitus sit, & mihi soli vacare velit; semper præsentem mihi se adhibet Deus, semper paratum offert, quocunque me verto, me non deserit, ubicunque fuero, non cedit; quidquid egero, pariter assistit, & tandem cunctis actionibus meis perpetuus inspector, & quantùm ad bonitatem suam pertinet, quasi individuus cooperator adest.

S. Bonavent. to. 7. in fasc. c. 6. XII. Considera, quàm sollicita sit tanta Maiestas circa te in tribuendo beneficia. Modo, quo tibi magis expedit, ab æterno disposuit ea tibi dare, ab æterno, & semper actualissimè cogitavit, & talia tibi beneficia præordinavit. Ita sollicitus erga te, sicut circa integrum orbem, vel universitatem creaturarum; Ita enim hic magnus Rex, tibi & circa te intendit, ac si vacaret singulis.

Idem. XIII. Et hoc affectum tuum non modicum ad gratitudinem & amorem accenderet, si singula beneficia divina toti humano generi collata, ita tibi attraheres, & ita te ex eis ad gratitudinem intelligeres obnoxium, ac si tibi soli fuissent collata, v. g. ac si pro te solo crucifixus, factus homo &c. propter te solum creâsset cœlum & terram.

Qualitas.

D. Chrysost. in Is. 7. XIV. Hoc est maximè grati animi, hoc sapientiæ studiosi, in rebus etiam asperis & adversis gratias agere, non solùm pro beneficiis, sed etiam pro suppliciis; hoc enim maiorem mercedem conciliat: Nam in bonis quidem gratias agens reddidisti debitum; in malis autem, Deum constituisti debitorem.

Vict. Antioch. in Marcum. XV. Hymno dicto exierunt in montem Oliveti, de quo Sacrificio Victor Antioch. ait: Ante passionem laudes gratésque Deo depromit, per hoc ostendens, se ultrò libentérque pati; tum nos quoque exemplo admonens, ut adversa, si quæ nonnunquàm se se offerant, grato patientíque animo perferamus.

Procop. in c. 3. Is. XVI. Tam peritus & nostræ salutis Artifex Deus, ut vel plagas incutiens medeatur, utrinque ad pietatem nos provocans.

Utilitas.

Mansi tr. 30. dist. 1. n. 2. XVII. Abel per totum vitæ suæ decursum nullam aliam actionem, quâ divinam gratiam & benevolentiam sibi compararet, exercuisse legitur, præterquam solum actum gratitudinis suæ erga Deum, quia obtulit de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum, & respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius. Unde D. Chrysostomus in eius laudem dicit: Sciebat & clarè sciebat, quòd congruum esset ex suis possessionibus aliquid Deo offerre, non quòd adeò Dominus indigeat, sed ut suam gratitudinem declaret, qui tali beneficio fruitur.

XVIII. Noë priùs, quàm arcam ingrederetur, à Deo, iussus est omnia animalia bina & bina, id est, masculum & fœminam introducere, quando verò de animalibus mundis agebatur, inquit Sacer Textus, Deum dixisse: *Ex omnibus animantibus mundis tolle septena & septena, masculum & fœminam, de animantibus verò immundis duo & duo.* Quæ verba magnam in se continent obscuritatem, si enim Deus sena & sena ex animalibus mundis in arcam introduci imperâsset, facilis fuisset huius dati præcepti intelligentia, iustum enim erat, ut hæc animalia in maiori numero essent, ut tantò faciliùs multiplicarentur: Hoc enim fine maiorem esse volebat numerum animalium mundorum, quàm immundorum: At verò septimum, quod consorte carebat, cui fini servire poterat? Dubium hoc solvit D. Hieronymus, dum ait: Ingrediuntur septena, quæ munda sunt: ut haberet Noë post diluvium, quod de impari numero statim Deo posset offerre. Idem Noë vix arcam egressus fuerat, cùm ecce confestim summa cum industria hinc inde lapides conquirebat; quo autem fine id ipsum fecisse existimas? num fortè ad domos fabricandas lapides hosce congregare contendit? minimè. Sed mox ut Moyses dixit: *Egressa sunt de arca*, immediatè subiungit: *Ædificavit Noe altare Domino, & tollens de cunctis pecoribus & volucribus, obtulit holocausta super altare, odoratúsque est Dominus odorem suavitatis.* Sed quis est hic odor suavitatis inter tot innumerabilium cadaverum totius generis humani extincti, totque mortuorum animalium fœtores? Nunquid terra tot aquis stagnantibus inundata pestiferos exhalabat vapores? Nunquid aër ob luxuriam & carnalitatem non sufficienter expiatus, totaliter adhuc infectus erat? Unde igitur nascitur hic odor suavitatis? Verum quidem hoc est, attamen hæc à Noë Deo reddita gratiarum actio adeò naribus Dei accepta fuit, ut Moyses dicat: *Odoratúsque est Dominus &c.* Ubi D. Chrysostomus ait: Discamus, quàm gratæ animæ fuerit Noë, & unde sibi multò uberiorem Dei erga se benevolentiam elicuerit. Ponderánsque verba illa: *Odoratúsque est Dominus &c.* inquit: Vide quomodo animus offerentis, fumum & nidorem, & omnem, quæ inde nascitur, insuavitatem, multâ fragrantiâ implevit. Etenim gratus Noë animus per cœlestem suam fragrantiam omnem penitus fœtorem è cadaveribus obortum dissipavit.

Gula.

TITVLVS XXXI.

G U L A.

§. I.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Fuga.

S. Basil. ser. de abdicat. rerum.

I. SI gulam in hoc vitio contrivneris, Paradisum habitabis, sin minus, hoc tibi persuade, pabulum te mortis futurum.

S. Chrysost. hom. 13. ad Philipp.

II. Ventrem accepisti, ut nutrias, non ut distendas; ut illi domineris, non ut dominum habeas; ut tibi inserviat ad cæteras partes alendas, non ut tu illi inservias; non ut fines transilias. Non tot malorum causa est mare fines supergressum, quot venter corpori.

Damnum.

S. Greg. apud Mansi tr. 31 disc. 3. n. 10.

III. Primogenitorum gloriam Esau amisit, inquit S. Gregorius, quia magno æstu desiderii vilem cibum, scilicet lenticulam, concupivit; quam dum vendendis etiam primogenitis prætulit, quo in illam appetitu anhelaret indicavit; neque enim cibus, sed appetitus in vitio est.

S. Io. Climac. grad. 3. n. 79.

IV. Si hanc vitiorum reginam deviceris, ubique locorum tranquilla animi pace perfrueris; ob eâdem victus, ad mortem usque semper de salute periclitabere.

S. Greg. p. 3. cura past. admon. 20

V. Edacitas usque ad luxuriam pertrahit, quia dum satietate venter extenditur, aculei libidinis excitantur; Unde & hosti callido, qui primi hominis sensum in concupiscentiam pomi aperuit, sed in peccati laqueo strinxit, divina voce dicitur: Pectore & ventre repes, ac si apertè diceretur: cogitatione & ingluvie super humana corda dominaberis.

S. Nilus de 8. vitios. affect.

VI. Qui ventrem implens pudicitiæ cultum profitetur, huic similis est, qui se ignis impetum stuppâ compressurum, aut flammam oleo extincturum pollicetur.

S. Antonin. p. 2. tit. 6. c. 1.

VII. Septem dona Spiritus Sancti ex gula ruunt, quod figuratum fuit Iob. 1. quando septem filiis convivantibus in domo primogeniti, domus percussa à vento ruens oppressit omnes; figurant enim secundùm Gregorium septem dona Spiritus sancti septem filii Iob.

Bebevac. l. 3. spec. p. 1. dist. 1.

VIII. Gula reddit hominem Deo abominabilem & exosum, quia creaturam vilissimam deificat, præferens eam Deo. [illegible]llit Deum, quia templum suum convertit in fanum Diaboli, & in latrinam, seu vas stercorum, & sentinam omnium vitiorum, & habitaculum dæmonum; [illegible]nem Dei denigrat, & deturpat, DEI quoque Maiestatem blasphemat.

S. Ambrosius apud S. Anton. l. c.

IX. Quantùm sit detestabile vitium gulæ, ostendit Ambrosius; sexto die bestiæ creatæ sunt, & cum bestiis orta est potestas edendi, & usus escarum; ubi cibus cœpit, ibi finis factus est mundi; ibi cœpit sua incrementa nescire, ubi cœperunt divina erga eum opera feriari, quô iudiciò declaratum est, quod per cibos mundus haberet imminui, per quos desiit augeri.

Mansi disc. 19. n. 9.

X. Ad quid ars coquorum nobis prodest, imò verò ad quid non obest, cùm tam corpori quàm animo non mediocriter officiat? Matrem enim omnium ægrotationum, deliciarum usum, magnâ pompâ constipatum in medium adducit.

S. Ambr. l. de Elia c. 14.

XI. Rogas ad iucunditatem? cogis ad mortem: invitas ad prandium? efferre vis ad sepulchrum; cibos promittis? tormenta irrogas; vina prætendis? venena suffundis.

Petr. Blesen. in cap. Ioh.

XII. Legitur, quòd Nabuzardan Princeps militiæ seu iuxta septuaginta Interpretes: Princeps coquorum, destruxit muros Jerusalem, quia plerumque evenit, ut vitium gulæ merita eorum destruat, qui viam Religionis elegerunt. Illud præ cæteris mihi doloris materiam importat, quòd hodie viri religiosi, & S. Ordinis Professores de ferculorum numerositate contendunt.

§. II.

EXEMPLA SACRA.

Fuga.

S. Antonin. p. 2. sum. tit. 6. c. 3. §. 3.

I. ABbas quidam Laureacensis, Manbeanus nomine, priusquàm mensæ accumberet, familiaria sibi habebat quædam perfectionis exercitia, quibus se armabat, ne vinceretur à gula; nimirùm excitabat in se quosdam doloris, verecundiæ, timoris, & gratitudinis affectus; doloris quidem, quia revocabat in memoriam iacturam immortalitatis, quam primi parentes nostri ob gustatum pomum vetitum passi, in hanc necessitatem seu potiùs vilitatem lapsi fuerant, ut ad manducandum adstringerentur, quo eodem motivo S. Isidorus ducebatur, quando ad refectionem accedebat: Erubesco irrationabilem cibum sumens, qui rationabilis à Deo factus in Paradiso deberem cibo saturari divino. Deinde verecundiæ excitabat actus, eò quod ab exactore adeò vili & abiecto, à corpore scilicet humano stercoris sacco, importuno, insatiabili, indiscreto, incivili, qui nullis acquiescit rationibus, aut precibus, vexabatur. Timorem quoque exercebat,

bat; eò quòd astutus serpens continuos in sumendo cibo nobis laqueos ostendat, ut in culpam aliquam præcipitet. Ad gratitudinis pariter actus convertebatur, dum providam Dei manum eum pascentem consideraret, Patri, quem in cœlis invocamus, gratias agens. Cùm itaque protoparentes nostri in statu innocentiæ, justitiâ induti originali, in hoc corruerint gulæ vitium, quantò magis nobis timeamus oportet; præsertim quia, ut S. Augustinus scribit, cùm salus sit causa edendi & bibendi, adjungit se tanquam pedissequa periculosa jucunditas; & plerumque præire conatur, ut ejus causâ fiat, quod salutis causâ me facere vel dico, vel volo; nec idem modus utriusque est, nam quod saluti satis est, delectationi parùm est.

S. Petr. Damianus c. 56.

II. S. Romualdus si quando eum ex aliquo esculentiori cibo gulæ vitium titillaret, mox accuratè illum præparari præcipiens, ori, & naribus accommodans, & solum captans odorem dicebat: O gula, gula, quàm dulcis, quàm suavis, modò mihi saperet iste cibus, sed væ tibi, ex eo nunquam gustabis, & sic intactum ad cellarium remittebat.

Damnum.

Bollandus to. 1. Febr. 4 fol. 561.

III. S. Rembertus cùm esset in obsequio decessoris sui Domini Anscharii, apparuit ei Presbyter Arnulphus, jam diu defunctus, & percunctanti de ejus causa in hac sæculi vita, dolenter respondit: cùm in hac carne essem, negligenter de animæ meæ agebam salute, interdicta in esca & potu frequenter usurpans, indignus fui hactenus ad præsentiam Dei venire; qui ut patet, non aliam ob causam, quamvis in gratia decessisset, se à præsentia Dei ad tempus remotum fuisse attestatur, nisi quia gulæ frequenter vacarat; ideòque mox subjunxit supplicans: Si tua fraternitas pane, sale & aqua contenta, à cæteris victualibus abstinentiam quadraginta diebus pro me facere vellet, credo per Dei misericordiam, ab hujus repulsionis meæ sententia sine pœna liberari.

Thomas Cantipr. l. 1. apum c. 12. § 3.

IV. Thomas Cantipratanus loquens de Prælatis, qui lautiùs vivunt, quàm par sit, hoc affert exemplum, quod suo tempore in Francia contigit. Erant, inquit, duo senes Monachi, ab ipsis puerilibus annis pares in scelere, dissoluti valdè, in Monastica observantia enutriti. Hi sibi plures ex juvenibus, in immunditia assidui, quotidiè copulabant, seorsum vacabant epulis, risibus & cantibus exultabant, innocentibusque ac simplicibus detrahebant. Cùm de eorum insolentiis Conventus quotidiè non mediocriter turbaretur, nec esset, qui corrigeret delinquentes, vidit Dominus, & ad iracundiam concitatus est. Vix enim finit turbationem piorum claustralium inultam. Accidit igitur quodam vespere, ut secundùm consuetudinem suam esculento ore ad voraginem inhiarent. Vix ori cibis appositis quartum aut quintum manus obtulerat, cùm ecce unus prædictorum senum subitâ ingluvie strangulatus, eversis statim oculis expiravit. Territi igitur omnes, qui consederant, surrexerunt: nec diu pòst superstes vetulus, socii animadversione non fractus, licèt ad momentum horruisset, sicut porcus occiso à carnifice porco, resumptâ audaciâ resedit ad mensam. Et cum enormi crapula sic est repletus, ut amens penitus portaretur ad lectum, & quasi brutum animal expiraverit. Horrore ergo omnes exemplorum talium perturbati, vitam suam & mores in melius mutaverunt, communémque vitam, & cibum strictissimè servaverunt.

R. P. Labat. Aucl. Bibl.

§. III.

SIMILITUDINES.

Qualitas.

I. Sicut febris ex nimio ardore, & inflammatione procedit, ita quoque vitium gulæ non in manducando consistit, sed in appetitu immoderato cibi, quantumvis ille vilis & exiguæ sit substantiæ. Mansi disc. 16. n. 1.

Damnum.

II. Sicut Coturnices in vindemiis, quando sunt benè pingues de facili capiuntur ab accipitre; sic homines dediti gulæ, facilè vincuntur ad tentationem. S. Bonav. to. 6. in Orat. tit. 1. c. 8.

III. Sicut porci impinguantur in pascuis glandium, quas avidè sumunt, nec eum, qui excutit, & dat eis, respiciunt, & dum attendunt glandibus comedendis, lanio percutit eos securi, & subitò occidit incautos. Talis quoque saginatus porcus ille dives erat, qui dicebat: Anima mea habes multa bona reposita in annos plurimos, comede, bibe, epulare. At verò dæmones, tanquam laniones, eundem jam incrassatum & impinguatum, ex improviso mactârunt: Stulte, hâc nocte repetent à te animam tuam, id est, dæmones, inquit Lyranus. Bellov. in spec. l. 3. p. 8. dist. 1.

IV. Sicut Esau pro cibo lenticulæ vendidit primogenita sua; sic gulosi pro gula vendunt præmia æterna, nam dicitur Thren. 1. dederunt quæque pretiosa pro cibo. S. Bonav. l. c.

V. Sicut per abstinentiam omnes virtutes spirituales radicantur, atque ædificantur in anima; ita & per suavitatem ciborum omnia vitia nutriuntur, & confortantur in corpore. S. Bern. ser. 1. 4. de mod. viv.

VI. Sicut nubes solis radios obscurat; sic crassus vapor è cibis emergens, mentis obscuritatem affert. S. Nilus de 8 vit. aff.

VII. Sicut præsepe omnium jumentorum, equorum, aliorúmque similium animalium in se recludit pabulum, ita & corpus ingluviei deditum, quoscunque suscipit, & refundit cibos, ad brutales explendos appetitus. Porrò venter nihil aliud est, inquit ille, quàm præsepe brutæ concupiscentiæ, qui potationibus rigatur & ingluvie. Philo l. de honor. sacerdot.

VIII. Sicut bestiæ comedunt, cùm trahit appetitus eas ad cibum sine discretione, vel aliqua consideratione: ita & gulosus non respicit S. Antoninus l. c.

nec ad diem, nec ad modum, nec ad necessitatem, sed ad appetitum.

S. Chrysost. to 1. hom. 34. adv. Iudaeos. IX. Sicut animalia bruta uberiori pabulo distensa magis refractaria, atque indomita fiunt, & neque iugum, nec frænum, nec aurigæ manum ferunt; Ita populus Iudaicus ex ebrietate, & nimia corporis obesitate ad extremam præcipitatus malitiam lasciviæ, neque Christi iugum acceptavit, neque doctrinæ aratrum duxit.

Seneca epist. 83. X. Sicut musto dolia ipsa rumpuntur, & omne, quod in ipsis iacet, in summam partem vis caloris eiectat; sic vino exæstuante, quidquid in imo iacet, abditum effertur, & prodit in medium.

S. Bonav. in Diat. l. 3. tit. 8. XI. Sicut piscis per guttur capitur cum hamo, & avis per collum cum laqueo tenetur, sic gulosus per guttur, & collum capitur gulæ vitio.

Idem, l. c. XII. Sicut squinantia est morbus gutturis, & citò suffocat hominem, sic gula gutturis vitium faciliter strangulat hominem per peccatum.

XIII. Sicut rosæ uno die florent, & eodem die pariter languent, at spinæ, quæ manum perfodiunt, toto anno in sepibus permanent; ita quoque vini sapor, & epularum suavitas, unâ tantùm horâ, vel duabus ad summum placet; at verò damna, quæ corpori adsciscunt, integris nos annis suspirare faciunt. *Amaritudo animæ*, inquit Ecclesiasticus, *vinum multum potatum; ebrietatis animositas, imprudentis offensio, minorans virtutem, & faciens vulnera.* Eccli. 31. 39.

§. IV.

MOTIVA.

Iob. c. 40. & 41. I. *Quia Diaboli potissimum instrumentum est, ad homines impugnandos*; Hinc S. Job dæmonem nobis sub titulo Behemoth describit, simulque, in quo omnem suam positam habeat fortitudinem, his verbis insinuat; *Fortitudo eius in lumbis eius, & virtus illius in umbilico ventris eius*: Ubi per lumbos concupiscentia carnalis intelligitur, per quam dæmon multas vincit, sibique subiicit animas; per umbilicum verò, qui ventris centrum est, gula & voracitas intelligitur, in qua velut in fortissima quadam ad omnem animam perdendam machina, dæmon omnem suam repositam habet fortitudinem. Bellovacensis vitium gulæ, ait, est frænum & capistrum diaboli, & ponit ad os, & collum gulosi, ut circumducat eum, quocunque vult. Hinc meritò dixit S. Bernardus: Nemo potest à semetipso tentationes dæmonum repellere, nisi refrænaverit in se appetitum gulæ. S. Bern. ser. 30. de mod. viv.

S. Basil. hom. 1. de ieiunio. II. *Quia gula ineptum facit ad dona spiritualia capienda*; quis enim unquam, ait S. Basilius, in splendidis epulis, perpetuisque deliciis particeps factus est unius doni spiritualis? nec mirum, quia ubi curiosa diversitas ciborum pascit ventrem, cœlestis panis ieiunam deserit mentem, ut rectè S. Bernardus advertit. S. Bern. in ep. ad frat.

S. Basil. de Abdicat. rerum. III. *Quia incurabilis est hic morbus*, teste S. Basilio dicente: Multos sæpè adverti, qui, cùm alterius cuiusvis generis vitiis laborarent, ad sanitatem tamen redierint postea; qui autem hoc morbo tenerentur, neminem ex omnibus vidi unquam, qui convaluerit. Quod etiam S. Bernardus confirmans, qui gulosus, inquit, effectus est, vix aliter, quàm morte moresmutabit. S. Bern. in epist.

IV. *Quia mortem accelerat*, teste Psalmista; *Adhuc escæ erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos.* Hinc ipse Servator tam sollicitè monuit: *Attendite vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula & ebrietate, & superveniat in vos repentina dies illa, tanquam laqueus enim superveniet.* Psal. 77.

V. *Quia ad gubernandum inutilem facit*; uti Ecclesiastes indicat dicens: *Væ tibi terra, cuius Principes manè comedunt; beata terra, cuius Principes vescuntur in tempore suo.* Hinc Julius Cæsar, qui primus Romanum obtinuit, & fundavit Imperium, curâ, vigilantiâ & sobrietate negotia publica tractabat, de quo proinde Cato dicit: Unum ex omnibus Cæsarem ad evertendam Rempublicam sobrium accessisse; Ipse enim super Reipublicæ ruinas erexit Imperium. Augustus quoque successor ipsius, qui in Monarchia sua, universali gavisus est pace, & tranquilitate, totum diem à mane usque ad vesperam sine cibo transigebat, ut gratam omnibus daret audientiam. Eccles. 10. v. 16. Suet. c. 53. in Vit. Cæs.

VI. *Quia sanitatem tollit*, uti Siracides indicavit, dicens: *Noli avidus esse in omni epulatione, & non te effundas super omnem escam: in multis enim escis erit infirmitas, & aviditas appropinquabit usque ad coleram.* Eccli. 37. v. 32.

VII. *Quia insatiabilis est*, uti rectè S. Ambrosius advertit, dicens: Malè servitur gulæ, quæ semper expetit, nunquam expletur. Quid enim insatiabilius ventre? hodie suscipit, & cras exigit. Nec hoc ignorandum, malum gulæ spiritum subinde stomacho insidere, ut satiari homo non possit, etiamsi totam Ægyptum devoret, & totum Nilum exhauriat. Hinc S. Bonaventura, comparatur, ait, gulosus sacco pertuso, vel perforato in fundo, qui, quantumcunque ex una parte accipit, tantùm ex altera parte perdit, talis saccus est gulosus homo, qui ex una parte habet coquinam ad implendum ventrem, & ex altera parte latrinam ad evacuandum; ac proinde idem Sanctus, eorum deplorans miseriam, textum illum Aggæi cap. 1. adducit: *qui mercedes congregavit, misit eas in sacculum pertusum.* S. Ambros. c. 8. de Elia & ieiun. Io. Climac. cas. grad. 14. n. 17. S. Bonav. in Diat. tit. 4. c. 8.

VIII. *Quia laboriosum est vitium*, uti idem S. Bonaventura testatur, dicens, ex gula procedit inordinata delectatio, & hos fructus secum habet; sollicitudinem in quærendo, studiositatem in præparando, multiplicitatem in diversificando, voracitatem in sumendo. Idem in specul. animæ. c. 3.

IX. *Quia egestatem adducit*, teste Salomone: *Qui diligit epulas, in egestate erit: qui amat vinum & pinguia, non ditabitur.* Hinc Caietanus rectè Prov. 21. v. 17. Caiet. in prov. 23.

rectè infert: Si non moveris amore virtutis, saltem moveat te amor boni utilis, moveat te evitatio paupertatis. Incurrunt enim huiusmodi homines paupertatem, tum propter maiores sumptus, tum propter otium annexum; oportet enim edaces, & bibaces multùm dormire, & propterea dicit Salomon proverb. 23. *Et vestietur pannis dormitatio.*

Petr. Bless. sens. in e. pist. 85. X. *Quia gravem amaritudinem conciliat*; Nam ut Petrus Blessensis ait, convertetur dulcedo in amaritudinem, in asperitatem suavitas, delectatio in dolorem, eritque instar inferni, aut pœnæ infernalis initium, dolorum continuatio, & desiderium moriendi.

S. August. in psal. 141. XI. *Quia grandem quoque miseriam adducit*: S. Augustino teste: Non hoc eis opto, ut terrena necessaria desint eis, quibus indigent, dum mortaliter vivunt, sed ut hoc plangant, quòd amissâ societate cœlesti, terrenis non ad fruendum stabilibus bonis, sed ad sustentandum necessariis indigere meruerunt, agnoscant, & lugeant istam miseriam.

§. V.

MEDIA

Thren. 3. I. *Passionis Christi memoria*; uti ipse Christus per Ieremiam monuit, dicens: *Recordare paupertatis meæ, absynthii & fellis.* Quod ipsum etiam Idiota suasit, dicens: Quoties resistendo alicui tentationi, alicui ex sensibus tuis vim facis, cogita cuinam parti Crucis Christi conformis reddaris, ut quando gulæ resistens, gustum affligis, recordare illum felle potatum & aceto.

Idiota in 4. Regula Christiana vitæ.

S. Antonin. p 2. summ. tit. 6. c. 15. 10. II. *Lectio seu auditio S. Scripturæ*; Spiritualis enim cibus inducit oblivionem & contemptum cibi corporalis.

Ibidem. III. *Elongatio ab his, quæ dant occasionem excedendi in cibo & potu*, ut sunt delectabilitas, varietas, nimietas ciborum, propter quod dicitur: *Melius est ire ad domum luctûs, quàm ad domum convivii.* Ecclesiastici 7. quia in convivio sunt occasiones gulæ.

S. Bonav. de prof. relig. l. 1. c. 37. IV. *Cogitare, quàm brevis sit, & quando transacta fuerit, sic est quasi nunquam fuerit.* Pecunia accumulata in agris coëmptis, & in censibus comparatis, vel in scrinio saltem remanet; dignitate, quam consectati fuimus, fruimur per imperium, superioritatem, authoritatem, & famulitium, comitatum; iniuria vindicata nos ab huius vel illius inimici timore liberat; & sic consequenter per alias similes passiones malè licèt à nobis usurpatas, discurrere licet: At verò gula in vetita quadam cloaca terminatur, eiúsque gustus & gaudium in brevissimo tempore transit, quoad usque videlicet cibus intra trium vel plurium digitorum angustiam deglutiatur. Optimè id ipsum consideravit B. Petrus Damianus, cùm inquit: Suavem verò cibum cur debeamus expetere, qui quantislibet apparetur impendiis, & antequam in os intret, nobis non sapit, & postquàm flumine glutiente traiicitur, venter, cui illapsus est, non discernit. Totius autem nostræ voluptatis iter, cui tantâ ambitione servimus, brevissimâ palmi summâ concluditur.

S. Petr. Damian l. 6. epist. 26.

Seneca in Consol. ad Helviam n. 183. V. *Considerare, quàm pauca exigat natura*; Nam ut sapienter Seneca advertit, corporis exigua desideria sunt, frigus submovere vult indumentis, alimentis famem, ac sitim extinguere, quidquid extra concupiscitur, vitiis, non usibus laboratur.

S. Isid. Pelus. l. 2. epist. 90. VI. *Considerare incommoda ex gula provenientia*, uti Isidorus Pelusiota suasit, dicens: Considerationis ope, atque auxilio, ipsius ventris tyrannidem amputemus.

§. VI.

ASCETICA.

S. Climac. gr. 26. n. 57. I. Imprimis nôsse debet Asceta, *cur Religiosis & devotis Personis præcipuè vitanda sit gula*; nimirùm quia, teste S. Climaco, ut apud eos, qui in sæculo sunt, avaritia est radix omnium malorum, ita in Religione gula: quod confirmans S. Bernardus, non potest, inquit, quisquam perfectionem virtutum accipere, nisi priùs intra se domuerit ventris gulam, neque potest à semetipso tentationes dæmonum expellere, nisi refrænaverit in se appetitum gulæ.

S. Bernard. ser. 24. de mod. viv.

S. Antonin. II. Nôsse debet, *quando grave peccatum esse possit*, id quod S. Antonius sequentibus verbis ostendit: Ciborum sumptio secundùm se non potest esse peccatum, nisi quatenus repugnat rectitudini voluntatis, quod autem repugnet, contingit dupliciter, uno modo propter repugnantiam ad proprium finem ciborum, sicut cùm aliquis propter delectationem, quæ est in cibis, utitur cibis graviter nocentibus, & contrariantibus saluti corporis; vel secundùm speciem, ut infirmis fructus, herbæ, & huiusmodi graviter nocent; vel secundùm quantitatem, ut cum nimis comedit de aliquo, ita quòd graviter gravat stomachum, vel caput, vel huiusmodi.

S. Ambros. apud Mansi disc. 86. n. 9. III. Nôsse debet, *non tam materiam, vel qualitatem, quàm appetitum in gula considerari*; uti rectè S. Ambrosius indicavit, dicens: Cuius mortiferum virus tum utcunque vacuatur, cùm non qualitas, sed libido in escis præcavetur; Prima enim mulier non exquisitarum dapum, sed solâ pomi delectatione mortem Mundo induxit, & antiquus hostis regem nostrum non de carne, sed de pane tentavit. Et id ipsum confirmans S. Bernardus: Repleti ventrem fabâ, inquit, mentem superbiâ, cibis damnamus saginatos; quasi non melius sit, exiguo sanguine ad usum vesci, quàm ventoso legumine usque ad ructum exsaturari? præcipuè cùm Esau non de carne, sed de lente sit reprehensus; & de ligno Adam, non de carne damnatus; & Jonathas de gustu mellis, non carnis morti adiudicatus.

S. Bernard. in flor. c. 99.

S. Antoninus apud Mansi l. c. IV. Nôsse debet, *quæ mensura in cibis servanda sit, ne quis in gulæ vitium incidat*; illa nempe, quam S. Antoninus indicavit, dicens: Tantum potest, & debet quis comedere, & bibere,

bere, quantùm credit se indigere ad sustentationem & executionem eorum, quæ sibi incumbunt agenda, ita ut non usque ad nauseam sumat, sed cum aliquali adhuc appetitu finem faciat.

S. Greg. ibidem n. 11. V. Nôsse debet, *quot modis gula vitium committatur*; quinque videlicet à S. Gregorio indicatis, dum dixit: Sciendum, quia quinque nos modis gulæ vitium tentat, aliquando indigentiæ tempora prævenit; aliquando tempus non prævenit, sed cibos lautiores quærit; aliquando quælibet sumenda sint, præparari accurratiùs expetit; aliquando autem & qualitati ciborum & tempori congruit, sed & ipsa quantitate sumendi mensuram moderatæ refectionis excedit.

S. Bern. ser. 59 de inter. dom. VI. Nôsse debet *hoc vitium esse difficulter curabile*; uti S. Bernardus indicavit, dicens: Gula semper est in pugna & in culpa, sive manduces, sive bibas, adest illa tecum pugnatura; si benè non pugnas, certè vinceris ab illa, quæ cum multis pugnat, & à paucis expugnatur.

S. Io. Climacus grad. 14. Quod etiam S. Jo. Climacus confirmans de gula, inquit, dicturi, si unquam aliàs, nunc maximè contra nos ipsos philosophari statuimus; Miraculi enim loco duco, si quis ante mortem & sepulchrum ab hac domina se in libertatem vindicavit. Vidi Sacerdotes senes à dæmonibus delusos, qui iuniores sibi non subiectos in compotationibus per speciem faustæ deprecationis seu benedictionis, per pocula & alia solvunt, seu corrumpunt.

S. Greg. in Cant. VII. Nôsse debet, *cur viri spirituales convivia omni modo declinare debeant*, ob rationem videlicet à S. Gregorio indicatam, dum dixit: Solerter intuendum est, quia celebrari convivia sine culpa vix possunt, penè semper epulas comitatur voluptas, nam cùm corpus in refectionis delectatione resolvitur, cor ad inane gaudium relaxatur.

§. VII.

MISCELLANEA ET CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Mansi discr. 1. n. 4. I. Scriptura dixit: *Cùm audissent vocem Domini Dei deambulantis in Paradiso ad auram post meridiem*; Igitur serpens in meridie paulò ante Dei adventum primos parentes nostros in peccatum cadere fecit, hoc enim tempore ut plurimùm lautiora instruuntur convivia, mensæque copiosiores & superfluæ apparantur: & ideò glossa dæmonium meridianum ita exponit, id est, à spiritibus de gastrimargia tentantibus.

Plutarch. de esu carnium. II. Plutarchus tradit apud Ægyptios viguisse morem, ut si cadaver tumuletur, ventrem, priusquàm illud sepulturæ traderent, exscinderent, eúmque profanè proiicerent; cuius facti hanc assignat rationem, inquiens: Ægyptii ventrem defunctorum exemptum & excisum, quasi caput scelerum omnium ab homine admissorum euciunt, ingluviem & carnificinam execrantes.

III. Inter alia contra ebrios prolata verba Ioel 1. 5. Joël Propheta etiam hæc pronunciavit: *Expergiscimini ebrij, flete & ululate*; ubi Ly *flete* quilibet facilè intellexerit; secus verò Ly *ululate*, siquidem hoc bestiarum, & non hominum est proprium; & nihilominùs accommodatissimè dictum nemo dubitet; siquidem per voracitatem homines, animalia, feræ & lupi efficiuntur: Unde & communiter vorax lupus appellari solet.

IV. S. Gregorius illa Jobi explanans verba: S. Greg. Iob. c. 15. v. 7. *Clamorem exactoris non audit*; quis hic exactor sit, interrogat, respondétque, eum nostrum esse ventrem, qui quotidiè necessarii à nobis exigit cibi tributum. Nonnulli per exactorem intelligi ventrem volunt, ipse namque à nobis quoddam exigit debitum: Móxque ad intentum nostrum sanctus hic subiungit, dicens: Abstinentes igitur viri, dum violenta gulæ desideria reprimunt, quasi clamantis exactoris verba contemnunt. Sed cùm continenti viro contra innumera vitia multa virtutum certamina suppetant, cur sub exactoris clamore contempto de solo hic ventre dicitur, quòd eius impetum impulsúmque restringat, nisi quòd nullus palmam spiritualis certaminis apprehendit, qui non in semetipso priùs per afflictam ventris concupiscentiam carnis incentiva devicerit? Neque enim ad conflictum spiritualis agonis assurgitur, si non priùs intra nosmetipsos hostis positus, gulæ videlicet appetitus, edomatur. In cassum contra exteriores inimicos in campo bellum geritur, si intra ipsa urbis mœnia civis insidians habetur.

V. Ingeniosam D. Chrysologus circa Lucife- S. Chrysol. ser. 3. rum astutissimum serpentem instituit ponderationem; hic enim spiritus malignus exploraturus, utrum Christus Dei Filius esset, eum aggredi, atque tentare præsumpsit. Circa quod factum taliter discurrit prænominatus Doctor: Quid est, quòd ieiunante Christo Deitatis signa tota in solâ panis promissione perquirit? & quem Dei Filium continuâ significatione ieiunii præsentit, esse Dei Filium de provisione panis, de cura ventris desiderat approbare? *Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant.* Quare non dixit, si Filius Dei es, dic ut homines aut Angeli, aut aliquid aliud fiant? sed: dic, ut lapides isti panes fiant? quia scilicet mediante gulâ, etiam per solum panem Christum à se, quantumvis ipsiusmet Dei Filius esset, seducendum sperabat. Panem malus ingerit, ut virtutem mutet, inquit Author operis imperfe- Author imperf. Hom. 5. cti. Cùm enim eum propter continuum quadraginta dierum ieiunium, Filium Dei suspicaretur, animo despondit; inquit hic author: ast verò ubi se famelicum exhibuit, quando postea esuriit, tunc tandem à se pervertendum fore speravit, probè sciens, homines etiam perfectissimos, gulæ implicari laqueis; tunc omnia eius proposita facilè se annihilaturum confidit. Diabolus videns per quadraginta dies ieiunantem, inquit dictus Author, desperaverat; postquàm sensit esurientem, iterum cœpit sperare, & sic accessit ad eum esurientem.

VI. Bel-

Bellovac. spec. mor. l. 3. p. 3. dist. 14.

VI. Bellovacensis Brachmanes ad Alexandrum Magnum ita scripsisse refert: Mensas nostras deliciis non implemus, & ideo nobis nec nocent, nec infirmitatem generant; apud nos enim illicita est ventris extensio, proinde sumus sine aliqua ægritudine, & diu vivimus, & quamdiu vivimus, sani sumus, medicinas nullas facimus, quia naturam nostram nullis superfluitatibus gravamus.

S. Chrysost. ser. 30. de ieiun.

VII. S. Chrysostomus abusum in gula commissi sequentibus verbis patheticè describit: Illud multò intolerabilius est, quòd morbus tot malis redundans, tótque secum invehens calamitates, ne crimen quidem censetur, sed in divitum mensis, huius turpitudinis gratiâ, pugna oritur atque certamen, atque inter se maiori studio contendunt, qui se ipsum magìs infamet, quis maiorem subsannandi occasionem præbeat, quis nervos ampliùs infringat, quis vires ampliùs debilitet, quis communem Dominum graviùs irritet, ac videre est studium certaménque diabolicum.

Mansi disc. 8. n. 4.

VIII. Evolvatis universum S. Matthæi textum, & invenietis, quòd in variis occasionibus Christus de inferno loquens, non semel, sed octies illius tormenta ad hæc duo, scilicet ad fletum & stridorem dentium restrinxerit. Scitísne huius rei causam? Nimirum duo peccata reliqua inter in Mundo triumphant, quibus dictus accenditur focus, scilicet illa, quæ suam originem ab oculis minùs benè custoditis trahunt; ideóque fletus & inconsolabilis planctus illis correspondebit; aliud genus ad gulam spectat, quæ ad dentes relationem habet; ideóque ibi erit stridor dentium, quia per quæ quis peccat, per hæc & torquetur. Ecce conceptum hunc vobis claris Hugonis Cardinalis expressum verbis, dicentis: Flebunt oculi, quia in vanis fuerunt vagi; stridebunt dentes, quia edaces fuerunt. Per hæc duo notantur duo genera culparum, pro quibus puniuntur; scilicet concupiscentia oculorum, id est, avaritia, quæ per fletum; & gulositas, quæ per stridorem dentium designatur. Meritò itaque D. Antonius vitium hoc gulæ, sequentibus detestatur verbis: Quam spem habere possunt de Deo & beatitudine, quorum Deus venter est, ut dicit Apostolus, & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt.

TITVLVS XXXII.

HUMILITAS.

§. I.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

S. Bonav. to. 5. l. 2. de profectu 29.

I. HUmilitas est ex intuitu propriæ conditionis vel fragilitatis, voluntaria mentis inclinatio. Quapropter observandum, quòd, quando Incarnata Sapientia humilibus exaltationem promittit, his verbis loquitur: qui se humiliaverit exaltabitur; non dicit, qui humiliatur, sed qui humiliaverit se, id est, qui sponte, & ex propria voluntate sibi ipsi vilescit. Significat profectò, inquit S. Bernardus, non omnem exaltandam esse humilitatem, sed eam tantùm, quæ de voluntate venit, non ex tristitia, vel ex necessitate. Prima inter octo beatitudines hæc est: *Beati pauperes spiritu*; at verò D. Chrysostomus interrogat: quinam sunt hi pauperes spiritu? & respondet: Humiles scilicet mente, atque contriti spiritu; spiritum enim posuit hic pro anima & voluntate. Quia enim sunt humiles plurimi, non suâ sponte ducti, sed necessitate rerum coacti, relinquens huiusmodi (neque enim hoc inter laudanda numerandum est) eos, qui se humiliant, & comprimunt voluntate, eos primos beatos appellat.

D. Chrysost. hom. 15. in Matt.

Mansi tr. 31. disc. 1. n. 2.

II. Ecclesiasticus nonnullorum declarat artificium, qui se humiles esse fingunt, cùm tamen interiùs vel maximè existimari & honorari affectant: Est qui nequiter humiliat se, inquit, & interiora eius plena sunt dolo, & est, qui se nimiùm submittit à vera humilitate, & est, qui inclinat faciem suam, & fingit. Quorum proinde humiliationem cavendam esse monet Doctor Angelicus dicens: Quandoque fit solùm secundùm signa exteriora, secundùm fictionem, unde hæc est falsa humilitas, de qua S. Augustinus dicit in quadam Epistola, quòd est magna superbia, quia videtur tendere ad excellentiam gloriæ.

III. Laurentius Justinianus prædictum Ecclesiastici locum adducens inquit: Quidam honores fugiunt, ut honoribus fruantur, fingunt subesse, ut possint præesse. S. Gregorius Magnus vitæ spiritualis, eximiúsque omnium virtutum, præcipuè verò contemptûs sui ipsius cultor, alia indicat falsæ humilitatis artificia; dicit enim: sunt nonnulli, qui de semetipsis humilia sentiunt, qui in honoribus positi, nil se esse, nisi pulverem, favillámque produnt, sed tamen coram hominibus despecti apparere refugiunt, & contra hoc, quod interiùs cogitant, quasi rigidâ exteriùs venustate palliantur. Et sunt nonnulli, qui viles videri ab hominibus appetunt, atque omne quod sunt deiectos se exhibendo contemnunt, sed tamen apud se introrsus, quasi ex ipso merito ostensæ vilitatis intumescunt, & tantò magìs in corde elati sunt, quantò ampliùs in specie elationem premunt.

S. Laur. Just. de lign. vit. c. 6.

IV. S. Climacus prolixè de hac virtute disserens; dum suam quoque huius virtutis de-

S. Climac. grad. 25. n. 13.

finitionem assignare contendit, hanc pariter circumstantiam exprimit dicens: Humilitas est altissima, & subtilissima vilitatis propriæ cogitatio.

S. Thom. Villanov. conc. 1 de S. Mart. V. S. Thomas Villanovanus in quodam sermone de S. Martino humilitatis definitionem inquirens inquit: quid est humilitas? móxque per authoritatem S. Bernardi respondet: Humilitas est virtus, quâ quisque verâ sui cognitione sibi vilescit, id est, contemptus & vilipendi se ipsum noscens ex vera & clara cognitione sui. Qui ergo in sua reputatione parvus est, & minimus, & in corde suo nullius reputat se esse valoris, hic verè humilis est.

Gradus.

Richardus de S. Vict. l. 2 de erud. hom. inter. c. 32 VI. Richardus de S. Victore tres adducit, eósque valdè considerabiles humilitatis gradus, inquiens: Humilis est, qui se ipsum apud semetipsum veraciter contemnit? humilior autem, qui se contemni etiam ab aliis non refugit; humillimus verò, qui contemptum suum non solùm contemnit, sed admodùm concupiscit.

apud Mansi ass. 10 n. 5 VII. S. Anselmus in libro de similitudinibus septem ponit humilitatis gradus. Primus est, se contemptibilem & peccatorem esse cognoscere. Secundus, ita effectualiter credere. Tertius, aliis confiteri. Quartus, hoc velle credi. Quintus, velle ita dici. Sextus, exultare & lætari, vilem & peccatorem dici. Septimus, quòd amet & gaudeat, se velut contemptibilem conculcari. Ad hæc etiam addi potest, quòd, ut homo efficaciùs fiat huiusmodi, se verbis & factis & gestibus cordialiter vilipendi desideret.

S. Bonav. tr. 6 in Diat. salut. tit. 7. c. 1. VIII. S. Bonaventura tres assignat sequentes dicens: Primus est subesse maiori, nec præferre se æquali; Secundus subesse pari, nec se præferre minori, nec velle præferri; Tertius subesse minori. Quam eandem instructionem diu ante Seraphicum, Mellifluus tradidit in hæc verba: Humilitatis virtus habet hæc tria, superiori subdi, æquali non præferri, minori plùs subdi, quàm præferri. Idem S. Bonaventura alibi hos assignat gradus: Gradus humilitatis sunt quatuor, inquit ille; Primus est, spernere mundum; secundus, spernere nullum; tertius, spernere seipsum; quartus, contemnere semper, vel non curare sui contemptum.

§. II.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Qualitas.

S Thom. Villanov. conc. 1 de S. Mart. I. Ille humilis censendus est, qui pro nihilo se reputat, & ab aliis reputari vult, qui propriæ conscientiæ testimonio contentus, ignorantis populi favores non solùm non quærit, sed pro nihilo despicit, qui laude falsâ non lenitur, sed pungitur; qui ita gaudet despectu, sicut superbus in honore.

S. Bernar-dus ser. 51. in Parv. cant. 6. v. 9. II. Aurora, quæ fugat tenebras; lucem nunciat, meritò humilitatem designat, quia signat, quia sicut illa diem & noctem, ita ista dividit iustum & peccatorem; ab humilitate initiis quisque incipit, & inde proficit. Unde etiam ipsa aurora consurgens dicitur, ut videlicet virtutum structura surgens ab humilitate, tanquam proprio fundamento erigatur.

S Albert. M ser. in 3. Adv. III. Humilitas est oculus animæ, per quam homo conditionem suam, ac statum suum verissimè recognoscit; Unde dicit Bernardus: Humilitas est virtus, quâ homo verissima sui cognitione sibi ipsi vilescit.

Necessitas.

S. Chrysost. ser. 17. de Prof. Evang. IV. Nihil est in omnibus nostris bonis operibus, quod hac non egeat; nihil est quod sine hac stare possit;

S. Doroth. serm. 14. V. Debet, qui fabricat, singulos lapides, unà cum cæmento ponere atque connectere, nam si lapides proiecerit super lapides, absque cæmento, procul dubio excutiuntur, nec consistere penitus poterit ædificium, sed omne ruet; Porrò cæmentum cordis humilitas est, est enim à terra cæmentum, quæ pedibus omnium subiicitur.

S Bernardus c. 17. de pass. VI. Arcta est Janua Regni cœlorum, nec recipit nisi parvos; dicit & docet hoc ipse humilitatis Magister, qui advocans parvulum statuit in medio discipulorum, & dixit: *Nisi conversi fueritis, & efficiamini, sicut parvulus iste, non intrabitis in Regnum cœlorum.*

S. Thom. 2. 2. Q. 161. art. 5. ad 4. VII. Ideò Christus præcipuè nobis commendavit humilitatem, quia per hoc maximè removetur impedimentum humanæ salutis, quæ consistit in hoc, quòd homo ad cœlestia & spiritualia tendat, à quibus impeditur, dum in terrenis magnificari studet, & ideo Dominus, ut impedimentum salutis auferret, exteriorem celsitudinem contemnendam monstravit per humilitatis exempla, & sic humilitas est quasi quædam dispositio ad liberum accessum hominis in spiritualia & divina bona.

S. Bern. hom. 4. sup. psalm. Qui habitat. VIII. Quid est, quòd incessanter orantes & supplicantes non possumus ad eam, quam desideramus, gratiæ abundantiam pervenire? Putatis, quia avarus factus Deus, aut inops, aut impotens, aut inexorabilis? absit hoc, absit; sed ipse cognovit figmentum nostrum: ne fortè, ut ante dixit, elationis vitium incurramus, sicut enim iste corporeus sol, licet bonus sit, & valdè necessarius, tamen fervor eius si temperatus non fuerit, infirmo capiti, & splendor infirmis oculis nocet; nec est Solis culpa, sed infirmitatis; sic etiam sol iustitiæ est.

S. Bonav. l. 2 de prof. relig. c. 33. IX. Non est mirum, si inopes simus virtutum, cùm matrem & custodem virtutum, scilicet humilitatem, tam alienam à nobis sentiamus; quid enim causæ est, quòd ille, qui dives est in misericordia, Pater cœlestis; qui etiam pro dilectione, qua dilexit nos, proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum; quid, inquam, causæ est, quòd nos tam inopes gratiarum & virtutum reliquit, quasi non sit ei cura de nobis? Nimirum aut desidia

dia nostra in causa est, quòd non instanter quærimus eum, ut debemus; aut superbia, quia etsi quærimus instanter, videt tamen Deus nos pronos esse, ut inde extollamur, & fieret nobis ipsa donorum eius sublimatio altioris occasio ruinæ.

S. Cypr. de Nat. Christi.

X. Fundamentum sanctitatis, ut S. Cyprianus ait: semper fuit humilitas, nec in cœlo stare potuit superba sublimitas; hanc primam gratiam ingrediens in mundum noster Parvulus attulit.

S. Bonav. Orat. 2. de Confess.

XI. Humilitas est omnis nostræ virtutis & operationis fortificativa, & omnis spiritualis roboris augmentativa, quia ponit omnes vires nostras, ac operationes super solidum fundamentum.

S. Chrysost. hom. 13. in Matth.

XII. Humilitate subtractâ, etiamsi ad ipsum usque cœlum conversationis sublimitate pervenias, simul omnia subtrahuntur, atque in finem pessimum relabuntur; nam sive orationem, sive ieiunium, sive misericordiam, sive pudicitiam, sive aliud quid bonorum absque humilitate congreges, statim cuncta defluunt.

S. Bern. Epist. 142.

XIII. Si amittitur humilitas, virtutum aggregatio non nisi ruina est.

Æquitas.

XIV. Memor esto, ne extollaris: Memor autem eris, si te ipsum respexeris. Quomodo extolli potest, qui tot profundissimæ despicientiæ causas in se reperit? dignus es misericordiâ, non laude aut extollentiâ. Quid enim, inquit, tam dignum misericordiâ, quàm is, qui miser est; & qui se talem agnoscit, & profitetur; & quid tam indignum misericordiâ, quàm superbus miser?

Utilitas.

Hildebertus apud Mansi disc. 2. n. 8.

XV. Humilitate cursus ille consummetur, quo velut de luteis domibus ad cœlestes ascenditur mansiones. Si nescis, quis iste cursus sit, Augustinum lege his ad Macedonium scribentem verbis: Virtus in hac vita nihil aliud est, quàm diligere, quod diligendum est; id diligere, prudentia est; nullis inde averti molestiis fortitudo est; nullis illecebris temperantia est, nullâ superbiâ, iustitia est; humilitas hoc in loco nomine intelligitur iustitiæ, tanquam cæterarum consummatio & clausiuncula virtutum.

S. Thomas Villanov. conc. 1. de Martyr.

XVI. Hæc virtus plurimarum virtutum mater est, & origo, ex hoc enim fonte innumeræ aliæ virtutes scaturiunt. Inde obedientia, timor, reverentia, patientia, modestia, mansuetudo, amicitia, pax. Qui enim humilis, libenter omnibus obtemperat, omnes reveretur, omnes timet offendere, iniurias verò aut per mansuetudinem non sentit, aut per patientiam sustinet; quietus sibi; pacificus omnibus, omnibus mitis, nullum despicit, nullum lædit, omnibus subditur.

S. Bernardus epist. 91.

XVII. Meretur humilitas, ut aliæ virtutes dentur, quoniam humilibus Deus dat gratiam; servat acceptas, quia non requiescit spiritus, nisi super humilem; servatas consummat, quia virtus infirmitate, hoc est, in humilibus perficitur.

S. Cæsarius Arel. apud Mansi disc. 3. n. 4.

XVIII. Fratres optimi, nôstis, quia pluvia, si montem nimis erectum invenerit, citò in vallem decurrit; & ideò qui se ad accipiendam benedictionem humiliter inclinantes, quasi valles faciunt, ipsi pluviam divinæ benedictionis accipiunt, & impletur in iis, quod scriptum est: *Omnis vallis implebitur, & omnis mons, & collis humiliabitur*: quid est, omnis vallis implebitur, nisi omnis, qui se humiliat, exaltabitur?

Hugo de S. Vict. to. 2. Inst. Monast. ser. 58.

XIX. Vovisti Deo virginitatem tuam, & post votum perdidisti? Virginitas autem semel amissa, reparari aut recuperari nunquam potest. Quid ergo reddes Deo pro eo, quod vovisti, & irrecuperabiliter perdidisti? Audi, redde pœnitentiam tuam, redde contritionem, redde humilitatem, pro virginitate carnis, redde humilitatem cordis; humilitatem per se debueras, etiamsi virginitatem habueras, & tamen si virginitatem reddere non potes, redde pro illa humilitatem, & satisfaciet tam pro se, quàm pro illa. Vide, quanta virtus est humilitatis. Socia est humilitatis virginitas, & socia est virginitatis humilitas, non tamen potest, si abest humilitas, satisfacere virginitas; potest autem, etsi abest virginitas, satisfacere, si habeatur vera humilitas.

S. Thom. Vill. l. c.

XX. Non solùm omnem gratiam & virtutem custodit humilitas, sed etiam supplet; quidquid enim tibi obedientiæ, castitatis, patientiæ, sanctitatis deest: humilitate suppletur.

S. Bonav. in Diaeta tit. 7. c. 1.

XXI. Humilitas est brevis schola devotionis, & brevis via salvationis, brevis scala, si vis ascendere; brevis scola, si vis addiscere; brevis via, si vis incedere. Est humilitas brevis schola, est enim compendium totius iustitiæ.

S. Doroth. ser. 2. de cord. hum.

XXII. Si propter imbecillitatem laborare non possumus, humiliare saltem nos ipsos studeamus; Confido enim in Domini misericordia, quòd si modicam hanc & brevem amplexati fuerimus humilitatem, inveniemur & nos inter sanctorum illorum choros, qui innumeris laboribus se affligentes Domino servierunt.

S. Bernd. l. 2. de consid.

XXIII. Bonus fundus humilitas, quâ veritas inquiritur, claritas acquiritur, irradiationes sapientiæ percipiuntur.

Dignitas.

B. Angela apud Mansi disc. 13. n. 6.

XXIV. Verè qui est in humilitate fundatus, habet conversationem Angelicam, purissimam, benignissimam & pacificam. Et quia hæc pretiosa virtus humilitatis benignum animum facit, ideo homo humilis omnibus appretiabilis efficitur, & omnibus amorosus, & præcipuè electis Dei.

S. Bonav. l. c.

XXV. Est humilitas luminosa, instar sideris, radiosa, nam sicut sidus vel stella modica est in apparentia, cùm tamen sidus in veritate, ut tradunt Mathematici, sit maius totâ terrâ, sic humilis cùm sit parvus, in veritate est apud Deum maximus, & ex sua tamen & hominum reputatione, vult esse quasi nullus; Est instar

lunæ,

lunæ, nam ſicut luna eſt luminare, quod minuitur ex conſummatione, ut dicitur Eccl. 43. Sic humilis ſe minorare nititur, cùm à Deo per gratiam conſummatur.

S. Ambroſ. in pſ. 118.

XXVI. Si putas, quòd Chriſto profuit humilitas ſua, cui ergò non proderit? ſi illum exaltavit, quem non augebit? factus eſt miniſter omnium Dominus; & Author omnium vapulavit, pedes lavit, crucifixus eſt, mortuus eſt, ſed in his omnibus detrimentum nullum video divinitatis eius, profectum operationis agnoſco. Qui nihil habebat, quod ad poteſtatem ſuam adderet, habuit, quod ad cultum ſuæ Maieſtatis adiungeret. Nihil humilitas adfert diſpendii; ille, qui ſe exinanivit, plenus eſt; ille qui non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, formam ſervi accipiens, in gloria eſt Dei Patris.

S. Hilarius in pſ. 118. n. 107.

XXVII. Cum Domino, opum contemptus, opulentia eſt: cum Domino terreni honoris deſpectus, cœlorum regnum eſt, cum Domino, humilitas cordis, generoſæ & regiæ nativitatis ornatus eſt. Hoc à ſe diſci voluit, quod virtutum omnium maximum eſt.

S. Laur. Juſt. de agon. Chriſt. c. 3.

XXVIII. O ſancta humilitas, ſola in tuis vilis oculis, tuo te condemnas iudicio; quantùm Deo amabilis? quàm dignitate ſublimis? quàm dives meritis? quis te dignè laudare valeat? Tu omnium te noviſſimam credens, cæteris honorabiliter antecedis; dum deſcendis, aſcendis; dum gloriam fugis, acquiris; dum latere cupis, efficeris manifeſta, ſine tui detrimento proficis, ſine elatione præes.

S. Bern. S. 5. de Adventu.

XXIX. Sciendum magnoperè eſt, quòd tantùm unaquæque anima ſit pretioſior ante oculos Dei, quantùm pro amore veritatis deſpectior fuerit ante oculos ſuos; hinc 1. Regum 15. ad Saul dicitur: *Nonne cum parvulus eſſes in oculis tuis, caput te conſtitui in tribubus Iſraël?* ac ſi apertè diceret: Magnus mihi fuiſti, quia deſpectus tibi; Sed nunc quia magnus tibi es factus, es deſpectus mihi. Tantò ergo fit quisque vilior Deo, quantò pretioſior ſibi; tantò pretioſior Deo, quantò propter eum ſit vilior.

S. Thom. Villa. conc. 3. de S. Martino.

XXX. Verè in hoc ſui & mundi contemptu, omnis ferè Philoſophia Chriſtiana conſiſtit; ſiquidem quia Lucifer in cœlo ſuperbiæ cathedram locaverat, & per ſuperbiam multos Angelos indè deiecerat, Filius Dei in terra contrariam humilitati ſcholam poſuit, ut per eam homines in cœlum reduceret. Unde in plateis Jeruſalem clamore valido diſcipulis clamans aiebat: *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde*; Non vos duceo potentiæ meæ miracula, non cæcos illuminare, leproſos mundare, mortuos ſuſcitare, ſed manſuetudinem, humilitatémque, hæc omnis mea doctrina.

Guerricus abbas ſer. 3. de Aſſumpt.

XXXI. O humilitas anguſta tibi, ampla Divinitati; pauper & inſufficiens tibi, ſufficiens ei, quem non capit orbis, copioſè ac delicioſè reficiens illum, qui & Angelos paſcit. Super quem, inquit, requieſcam, niſi ſuper humilem? In omnibus requiem quæſivi, ſed apud humilem ancillam inveni. Non eſt inventa ſimilis illi in gratia humilitatis, ideo in plenitudine humilitatis, requievit etiam corporaliter omnis plenitudo divinitatis.

S. Nilus Orat. 16.

XXXII. Lapis pretioſus in annulo aureo decorus eſt; & in virtutum corona inſerta humilitas excellit.

Facilitas.

S. Climacus gr. 26.

XXXIII. Beata iteriúmque beata humilitas, quòd tam iuvenibus, quàm ſenibus ſecura, utique, & quæ in cuiuſque facultate ſita ſit.

S. Bernardus ſer. 1. in c. Nicol.

XXXIV. Si fortè ſublimitatis eſſet via propoſita, inquit S. Bernardus & illic iter, quo oſtenderetur ſalutare Dei, quanta facerent homines, ut exaltarentur? quàm crudeliter invicem ſe ſternerent, invicem conculcarent, quàm impudenter raperent, manibúsque & pedibus conarentur in altum, ut imponerent ſeſe homines ſuper capita aliena. Et certe qui contendit ſupergredi proximos, multas inveniet difficultates, multos habebit æmulos, multas patietur contradictiones, aſcendentes equidem ex adverſo. Nihil verò faciliùs eſt volenti, quàm humiliare ſe ipſum. Hoc verbum eſt, dilectiſſimi, quod omninò nos reddit inexcuſabiles, ut ne tenue quidem nobis velamen prætendere liceat.

§. III.

EXEMPLA SACRA.

Qualitas.

S. Bonav. apud Pennequin. Diſſert. 1. n. 10.

I. S. Bonaventura in ſtimulo amoris ita locutus eſt: Ut Deum placare poſſim, ſcio quid faciam: afficiam me undique pœnalitatibus & anguſtiis, & me tanquam lutum fœtidiſſimum conculcabo, abominabor me ſicut ſtercus; & ero intolerabilis mihi ipſi: in mea confuſione & deiectione, & conculcatione, ſive à me, ſive ab aliis illatâ lætabor, & exultabo, cùm apparuerit ignominia mea. Et quia non ſufficio me deteſtari, contra me univerſum cœtum creaturarum congregabo, & à quolibet confundi, & puniri deſiderabo, quia eorum contempſi creatorem: Hic erit mihi theſaurus deſiderabilis, ſuper me pœnas & opprobria aggregare, & eos intimo corde diligere, qui me adiuverint in hoc facto: omnem conſolationem, & honorem vitæ præſentis horrebo, & velut hoſtes blandientes habebo. Credo firmiter, quòd ſi ſic fecero, aperietur ſuper me miſerum & indignum divinæ pietatis theſaurus.

Pennequ. 9. c. Surius 16. n. 14.

II. S. Paulinus dum Amandi Epiſcopi precibus ſe commendat, ſimul rogat, ne interorandum nomen ſuum pronunciet, ob ſuorum peccatorum multitudinem, & magnitudinem, indignum ſe eſſe, cuius nomen auribus Dei inſonet, & pronunciantis labia tam fœdidi nominis appellatione coïnquinentur: Indigni, inquit, ſumus, quorum nomina Domini auribus ingerantur, ne fortè labia tua iterandis fiant, cùm nos nominaveris, & neceſſe ſit os tuum igneo carbone perſtringi. Nullam de ſe exiſtimationem cum laude coniunctam, audire

vel

Digitized by Google

vel legere solitus est, quin auctorem ipsum, ut deceptum, verbis castiget. Contra S. Severum, qui oris eius effigiem postulârat, seriò stomachatur, rogátque, an sanâ mente deiectus sit, qui id petere in animum induxerit. Denique ut humilitatis exercendæ materiam nancisceretur, se charitate stimulante in mancipium pro filio viduæ vendi voluit; in quo nescias, an plùs se demiserit, quàm Dei & proximi amorem ardentissimum sit testatus.

Ibidem, n. 13. III. S. Franciscus sui æstimatione non tantùm ad inferos & nihilum descendit, sed indignum se, de quo cogitet Deus, reputat, & mortalium nequissimum se dicit, ac cum fratre Leone de sui profundissima abiectione disputans, sempiternis se damnatorum suppliciis addicit, qui calculo divino ad Seraphinorum ardentissimam charitatem evehitur, & amoris divini flammis exardescens, Christum ad sui similitudinem in eius corpore per stigmata imprimendam adducit.

Ibidem n. 15. IV. S. Dominicus antè, quàm in urbem aliquam ingrederetur, genu flexo Deum rogabat, ne urbem illam castigaret ideò, quòd ipse mortalium scelestissimus in eam pedem inferret. Sancti verò Vincentii eius sequacis quanta demissio, qui se fœtidum & omnibus exosum cadaver haberi volebat, quem omnes fugerent & abominarentur, & tamen quantis ignibus corde eius & ore prorumpentibus urbes & provincias inflammavit, peccatorúmque altissimam glaciem passim dissolvit?

Ibidem n. 19. V. S. Theresia Virgo adeò se cœlestibus donis indignam existimabat, ut Deo diceret, ne tam citò peccatorum suorum oblivisceretur, ne gratiarum suarum pretiosum balsamum in vas tam fœdum, & rimarum plenum effunderet; ne gemmas tam pretiosas manibus tam infirmis & parùm tutis committeret; Hinc dari occasionem minuendæ earum æstimationis apud homines, qui earum pretium ignorant, easque intuentur tam vilibus personis, qualis ipsa erat, consignatas & concreditas; Nullam inesse sibi virtutem, nisi quam Deus in tempore largiretur, aliquando se ab omni rerum fugientium cupiditate absolutam & expeditam sibi videri, conformaríque experientiâ; aliquando verò teneri se iis reculis implicatam, quas paulò antè habebat despicatui; adeò ut se ipsam non agnosceret: nunc tanta animi fortitudine præditam, & ad omnia, quæ Dei spectabant obsequium, aggredienda magnanimam, ut nunquàm ob quoscúnque eósque potentissimos oppositus pedem referret: Altero verò die, inquit, tam me imbecillem sentiebam, ut ne formicæ quidem conculcandæ vires habere me crederem, si illa cœptis meis obstitisset. Nonnunquam nullis contumeliis vel minimùm commovebatur, imò voluptatem ex illis capiebat: Verùm, inquit, interdum contingit, ut vel verbulum me affligat, vellém que è vita decedere, quia omnium me tædet. Hæc & plura, ut in prologo vitæ suæ insinuat, publico dare voluisset enucleatiùs, si Maiorum permisisset Authoritas; sibi enim persuasum esse, neminem unquam tot à Deo cumulatum beneficiis ita in pristinos defectus relapsum esse, & divinis gratiis tantum obicem posuisse, sicut ipsa hactenus fecerat. Nimirum hos in animo illius sensus, hæc iudicia pariebat profundissima humilitas, quâ nec minimam sui laudationem ferre poterat, & ab omni vanæ gloriæ titillatione erat alienissima, quâ exultabat gaudio, cùm impeteretur opprobriis, & bonum semper pro iniuria rependebat, ut abiret in proverbium, qui à Theresia amari vellet, & beneficiis affici, illam verbis & factis tractaret, quàm posset, pessimè.

VI. S. Maria Magdalena de Pazzis, cùm apud aliquam è suis Novitiis in magna esset opinione Sanctitatis, ut eam illi adimeret, suos defectus & tentationes multis cum lacrymis & singultibus apud eam deposuit, quasi fœminarum omnium esset verè nocentissima, addens pro epilogo: Hæc tibi dixi, filia, ut nôris, qualem Magistram nacta sis, & nisi me Deus claustro Religionis inclusisset, vitam meam aut in perpetui carceris tenebris, aut carnificis manu finiissem: Ora ergo pro me, ut Dei beneficio salutem æternam aliquando consequar. *Ibidem c. 19. n. 5.*

VII. R. P. Condren Oratorii JESU secundus Generalis, qui se non tantùm sub Iudæ, aut Antichristi pedibus substernebat; sed dæmone etiam inferiorem ducebat, dum à primario Regni Galliæ Ministro reprehenditur, & in ordinem etiam suum falsas delationes, ut iustas & veras verbis exaggerantem audit, pacato silentio omnia excepit, dicens, æquè communes toti Ordini, ac uni sibi factas contemptiones & humiliationes, æquo animo suscipiendas: cùm verò ab impudica fœmina quasi de parùm casto cum illa commercio accusaretur, résque iam manâsset ad plures, & amici contra calumniatricem iudicio agere vellent; vetuit, dicens, virtutem humilitatis, quam adeò deperibat, fortè se hâc taciturnitate consecuturum. *Ibidem n. 8.*

VIII. S. Bernardus Monachis, à quibus iniustè accusatus, & verbis etiam calumniosis violatus fuerat, ita respondet: Adhærebo vobis, etsi nolitis; adhærebo, etsi nolim ipse: Invitis præstabo, ingratis adiiciam, honorabo & contemnentes me. Quibus verbis facta consensêre. Unus aliquis alterius Ordinis Monachus ad illum venit, rogans, ut in cœnobium Clarevallense admitteretur: Negat vir Sanctus, auctórque est illi, ut in suo Ordine perseveret: Ille stomachari, & cum bile rogare, cur ergo verbis & scriptis omnes ad perfectionem virtutum accenderet, si volenti consilium sequi manum præbere nollet; se eius hac de re scripta laceraturum in eius conspectu, si in promptu essent. Respondit pacatè Sanctus; se perfectionem suasisse, non loci mutationem. Hic irâ commotior alapam viro sancto luculentam impingit: Qui præsentes aderant, involare in collum impudentis vole- *Ibidem n. 10.*

R. P. Lohn. Auctar. Bibl.

bant, sed vetuit Bernardus, & pacatè iussit hominem è cœnobio deduci.

Ibidem n. 11. IX. Alardus Cobriensis Abbas, qui in Aula Imperatoris Ludovici Filii Carolomanni omnium virtutum gloriâ floruit, quem cùm invidia calumniis dehonestatum, in exilium deiecisset, continuò ad humilitatis asylum confugit, & peccatis suis, non aliorum æmulationi, neque nimiæ Imperatoris credulitati hoc totum imputari voluit; suos monens, ne alium, quàm Deum hoc exilio peccata sua punientem intuerentur. Ita scilicet loqui & sentire solent viri Sancti, ac in opprobriorum aquis, quas suis peccatis velut balneum eluendis præparavit Iustitia divina, non sine voluptate volutantur, ut alacriores & puriores, leviorésque ad divini amoris conscendendum apicem indè emergant.

S. Climacus grad. 25. n. 7. X. Quendam ex providentissimis fratribus, maligni Spiritus, oculis eius spectabili forma obversantes, beatum prædicabant; quibus ille sapientissimus: Si me, inquit, in anima mea laudare desieritis, ex discessu vestro me magnum & eximium existimabo: si verò laudare perrexeritis, ex vestra laudatione meas ipsius sordes & impuritatem facilè coniectabor.

In vita Io. Damasceni. XI. Damascenus vir dives & nobilis, ac Magistratibus etiam gestis clarus, ad Monasticam disciplinam se receperat, in qua cum seni cuidam traditus esset, visum est, huic primum ac præcipuum in eo humilitatis fundamentum ita iacere, ut eum infimis quibúsque perfungi iuberet, ollas tergere, verrere sordes, scaphia purgare, omnia denique obire ministeria, insuper etiam, quasi nullam rem rectè ageret, crebra eum reprehensione, atque obiurgatione tentare, in qua eum ratione menses aliquot exercuit, tanto eius profectu, quantum deinde totius vitæ sanctitas declaravit. Sed tamen tantum abest, ut illæ infimæ, ac sordidæ etiam, si per se spectentur, functiones aliquam Damasceno inter suos notam pepererint, ut potius id ipsum magis eum illustrârit, admirantibus omnibus, & in cœlum ferentibus, talem in tanto viro, & Mundi & sui ipsius despicientiam. Ac ipse quoque senex, qui ista impetrando severiorem personam induerat, ubi maturum esse vidit, hilariter eum, iucundéque complexus, & tantum ei profectum gratulatus, cum multis laudibus à sua disciplina tanquam rude donatum dimisit.

S. Gregorius l. 1. Dialog. c. 5. XII. Iuxta Anconitanam civitatem, Ecclesia B. Martyris Stephani sita est, in qua vir venerabilis Constantius nomine, Mansionarii functus officio deserviebat, cuius Sanctitatis opinio sese ad notitiam hominum longè latéque tetenderat, quia idem vir funditus terrena despiciens, toto annisu mentis ad sola cœlestia flagrabat. Quadam verò die dum in eâdem Ecclesia deesset oleum, & prædictus Dei famulus, unde lampades accenderet, omninò non haberet, omnes lampades Ecclesiæ implevit aqua, atque ex more in medio papyrum posuit, quas allato igne succendit, sicque aqua exarsit in lampadibus, ac si oleum fuisset. Et quia valdè sanctitatis eius opinio excreverat, multi hunc ex diversis Provinciis anxiè videre sitiebant. Quadam verò die ex longinquo loco quidam rusticus venit, ad videndum eum. Eâdem verò horâ casu contigerat, ut Sanctus vir Constantius stans in ligneis gradibus reficiendis lampadibus deserviret. Erat autem pusillus valdè, & exili forma atque despecta. Cúmque is, qui venerat ad videndum eum, quisnam esset, inquireret, atque obnixè peteret, ut sibi debuisset ostendi, hi qui illum noverant, monstraverunt, quis esset. Sed sicut stultæ mentis homines, meritum ex qualitate corporis metiuntur, eum parvulum atque despectum videns, ipsum nec omninò non esse cœpit credere. In mente enim rustica inter hoc, quod audierat & viderat, quasi facta fuerat quædam rixa, & æstimabat tam brevem per visionem esse non posse, quem tam ingentem audierat per opinionem. Cui ipsum esse, dum à pluribus fuisset astructum, despexit & derisit dicens: Ego verè grandem hominem credidi, iste autem de homine nihil habet. Quod ut vir Dei Constantius audivit, lampades, quas reficiebat, protinus lætatus relinquens, concitus descendit, atque in eiusdem rustici amplexum ruit, eúmque ex amore nimio, constringere cœpit brachiis & osculari: magnásque gratias agere, quòd de se talia iudicâsset dicens: Et tu solus es, qui habuisti oculos apertos in me. Ex qua re pensandum est, cuius apud se humilitatis fuit, qui despicientem se rusticum ampliùs amavit. Qualis enim quisque apud se lateat, contumelia illata probat. Nam sicut superbi honoribus, ita plerúmque humiles in sua despectione gloriantur. Cúmque se in alienis oculis viles aspiciunt, idcircò gaudent, quia hoc iudicium confirmari intelligunt, quod de se ipsis & apud semetipsos habuerunt.

XIII. Præteriens aliquando Abbas Macarius à palude ad cellam suam, revertens portabat palmas. Et ecce occurrit ei Diabolus in via cum falce messoria. Voluit eum autem percutere falce illâ, sed non potuit. Et dixit ei: Multas violentias patior à te, Machari, quia non possum prævalere adversum te. Ecce enim quicquid facis, & ego facio. Ieiunas tu, ego penitus non manduco: vigilas tu, ego penitus non dormio: Castus es tu, & ego nullius fœminæ unquam contubernio sum usus: divitiis tu renunciâsti, & mihi nullæ omninò divitiæ sunt, neque eas habere concupisco: Unum est autem, in quo me superas. Et dicit ei Abbas Macharius: Quid est illud? Respondens Diabolus dixit: Humilitas tua, per quam non valeo adversùm te. *In vit. PP. lib. de humil. n. 12*

XIV. Senex quidam erat solitarius vacans in eremo, & dicebat in semetipso, quia perfectus esset in virtutibus. Hic oravit Dominum, dicens: Ostende perfectioni meæ, quod deest mihi, ut faciam; volens autem Deus humiliare cogitationes eius, dixit: Vade ad illum Archimandritam, & quidquid dixerit, facito. *Vinc. Bellovacens. l. 25. spec. n. 39.*

Reve-

Revelavit Deus Archimandritæ illi, antequam ille ad illum veniret, dicens: Ecce solitarius ille venit ad te. Dic ergo ei, ut tollat flagellum, & vadat, & pascat tibi porcos. Veniens ergo senex pulsavit ostium, ingressus ad Archimandritam illum, salutaverunt se, & cùm sederent, dixit ei solitarius ille, qui venerat; Dic mihi, quid faciam, ut sim salvus. Et ille dixit: Facies, quodcunque dixero tibi? Respondit: Etiam. Et dixit ei: Ecce, tolle flagellum, & vade & pasce porcos hos. Hi autem, qui eum noverant, & audierant de eo, cùm vidissent, quia porcos pasceret, dicebant: Vidistis illum magnum solitarium, de quo audiebamus? Ecce stupuit cor eius, & à dæmonio vexatur, & pascit porcos. Videns autem Dominus JESUS humilitatem eius, quia ita patienter sustinebat opprobria hominum, præcepit ei iterum redire ad locum suum.

Vinc. Bell. vac. spec. mor. l. 2. p. 3. 39. XV. Landfrancus Papiâ civitate Italiæ oriundus, omni scientiâ sæculari perfectè imbutus, Alpes transgressus, in Northmanniam venit, & in Ambriacensi civitate aliquamdiu docuit. Deinde mortalium auram captare, vanitatem esse considerans, consilium salutis arripuit, & statuit, ut propter eum omnia relinqueret, qui omnia fecit. Cúmque ire vellet Rothomagum, vespere in silva ultra fluvium Tillam in latrones incidit, qui cuncta, quæ habebat, tollentes, ligatis à tergo manibus, & caputio cappæ ante oculos eius admoto, adduxerunt eum in devia, & inter condensa saltûs fruteta dimiserunt. Talibus angustiis comprehensus, nescius quid ageret, infortunium suum lamentabatur. Tandem nocturno silentio in se reversus, & ad Deum conversus ait: Domine Deus, tantum tempus in discendò expendi, & corpus animúmque in studiis litterarum attrivi, & adhuc quomodo debeam orare, & laudare te, non didici: libera me de hac tribulatione, & ego sic vitam corrigere & instituere curabo, ut tibi servire valeam, & sciam. Surgente aurorâ audivit viatores iter carpentes, & cœpit ab eis vociferando auxilium petere; qui accedentes & eum solventes reduxerunt ad viam. Rogavit autem, ut vilius & pauperius cœnobium, quod in Regione noscerent, sibi demonstrarent. Nolebat enim adire locum, ubi litterati essent, qui eum honori & reverentiæ haberent. Igitur de consilio eorum Bectum adiit, ubi venerabilis Abbas Herluinus eiusdem cœnobii fundator, ac nuperè grandævo milite in Clericum promotus, eum cum gaudio suscepit. Qui Monachus effectus, in discendis officiis curam maximam impendebat, ut sciret laudes Deo persolvere, sicut voverat. Sic per tres annos vixit solitarius, gaudens, quòd nesciebatur, ferè ab hominibus ignotus, omni vilitate & extremitate in cœnobio contentus. Et ut fertur, lectionem in Ecclesia nolebat legere, nisi priùs cantor eum audisset. Quadam etiam die, dum ad mensam legeret, quiddam inter legendum dixit, sicut dicere debuit, quod præsidenti non placuit, & aliter dicere iussit, velut si dixit *docere* mediâ productâ, iussit ille eam breviari, non enim Prior ille litteratus erat: Sed vir sapiens sciens magìs obedientiam Christo deberi, quàm Donato, dimisit quod benè pronunciaverat, & dixit, quòd non rectè videbatur dicere. Cùm autem rumor & fama viri longè latéque percrebuisset, Clerici accurrunt, illo de licentia Abbatis sui Scholam tenente. Laici quoque potentes & nobiles multa pro eius amore eidem Ecclesiæ contulerunt.

XVI. S. Thomas Aquinas cùm semel in Conventu Bononiæ esset, & more solito per claustrum contemplaturus incederet, Frater quidam alterius Conventus, qui eum Doctorem esse non noverat, venit ad eum petitâ licentiâ à Priore, quòd cum fratre, qui primò sibi occurreret, in civitatem ad sua negotia ire liceret. Et dixit ei: Bone Frater, Prior mandat, ut venias mecum. Qui statim inclinans caput secutus est eum. Post quem cùm non posset sic festinanter incedere, sæpè argutus à socio, se humiliter excusavit. Cives verò, qui noverant eum, mirati, quòd tantus Doctor post fratrem modicæ conditionis incederet, qui dignus erat, ut præiret. Cogitantes ergo, hoc ex errore aliquo contigisse, indicaverunt fratri, quis ille esset, quem post se duceret. Qui conversus & stupidus factus petivit veniam, ut eius ignorantiæ indulgeret. Et conversis prædictis civibus ad Magistrum cum reverentia, & interrogantibus de tantæ humilitatis exemplo, benignè respondit: In obedientia omnis religio perficitur, quâ homo homini propter Deum se subiicit, sicut se Deus hominibus propter hominem inclinat. *Surius in vita S. Thomæ Aquin.*

Utilitas.

XVII. S. Ephrem se quendam cognovisse refert, qui vitam quandam ducebat quietam, religiosam, summáque cum obedientia ordinatam; accidit verò, quòd in eodem loco, ubi demorabatur, alius quidam à dœmonio vexatus simul habitaret; ambo autem sub eâdem alterius Monachi disciplina constituti erant. Videns autem ille vir Dei afflictionem alterius dæmoniaci, eidem, ut sibi serviret, inque sui custodiam advigilaret, præcepit, cui alter promptè obediens, cùm primitus in cellam ingrederetur, impositum sibi executurus ministerium, energumenus se ex tunc à solitis vexationibus dæmoniacis notabiliter sublevatum esse confessus est, cúmque simul colloquerentur, alter à dæmone agitatus clamare cœpit: Tu iterum huc male per malam venis viam; mali sunt tui occursus, mala si dixeris, mala etiam audies. Primúmque tu me eiecisti, atque ligasti per humilitatem tuam. Rursúmque ad eum dæmon: ne extollaris, bone vir, ne quæso extollaris, visitandus enim mihi & tu eris, nisi humilitate tua protegaris, nam eâ & nunc ego crucior, impugnórque; quâ recensitâ historiâ S. Ephrem sequens format argumentum: Quòd si igitur ipsi quoque dæmones quantumvis *S. Ephrem Paræn. 3.*

vis inviti, confitentur se nihil cum humilitate posse, sed eam timere, atque horrere, quare nos tantam illius dignitatem adeò parvi facimus?

Pennequin p. 1. sag. c. 18. n. 2. XVIII. S. Gertrudis aliquando memoriâ Benefactorum tanto pudore suffudit, ut sibi exosa se conspectu divino indignissimam iudicaret, optarétque aliquod nancisci latibulum, quo turpitudinem suam absconderet, & quod divinis non poterat, humanis saltem oculis & naribus tantum fœtorem subduceret. Quid ageret hic Christus? continuò tantâ benevolentiâ ad eam se demisit, ut præ admiratione tota cœlestis curia à tanta demissione illum dehortari velle videretur: quibus Christus dixit: Sinite; continere enim me non possum, quin me totum ei impertiar, quæ tantâ sui deiectione, cor meum ad se pellexit.

Vit. PP. lib. de humil. n. 31. XIX. Narraverunt de quodam sene, qui perseveraverat ieiunans septuaginta hebdomadas, semel in hebdomada reficiens. Hic autem postulabat à Deo de quodam sermone Scripturarum Sanctarum, & non revelavit ei Deus. Dixit ergo in semetipso: Ecce tantum laborem sumpsi, & nihil profeci. Vado ergo ad fratrem meum, & requiro ab eo. Qui cùm egressus clausisset ostium suum, ut abiret, missus est ad eum Angelus Domini, dicens: Septuaginta hebdomades, quas ieiunâsti, non te fecerunt proximum Deo. Nunc ergo quia humiliatus es, ut ad fratrem tuum pergeres, missus sum indicare tibi sermonem. Et aperiens ei de re eadem, quam quærebat, indicavit ei, & mox discessit Angelus ab eo.

Vita Patrũ l. de humilit. n. 4. XX. Duo Monachi, qui erant carnales fratres, habitabant simul, & volebat Diabolus separare eos, nec poterat, semel ergo unus, qui erat iunior ætate, incendit lucernam, & posuit eam super candelabrum. Fecit autem opera sua dæmon, & evertit candelabrum. Pro qua re cæcidit eum maior frater cum ira, ille verò pœnitentiam egit, dicens ei: Habe patientiam in me frater, & iterum accendam eam. Et ecce virtus Domini venit, & torquebat dæmonem illum usque manè. Dæmon autem nunciavit principi suo, quod factum fuerat. Et audivit Sacerdos Paganorum id, quod retulerat dæmon, & egressus factus est Monachus, & ab initio conversionis suæ tenuit humilitatem, dicens: Humilitas solvit omnem virtutem inimici, sicut eos ego audivi loquentes, dicendo: quia quando perturbamus Monachos, convertitur unus ex eis, & agens pœnitentiam, destruit omnem virtutem nostram.

Dignitas.

S. Hieron. in Epitaph. de Paula XXI. De S. Paula scribit S. Hieronymus: Quantò plùs se deiiciebat, tantò magis à Christo sublevabatur; latebat, & non latebat; fugiendo gloriam, gloriam merebatur, quæ virtutem quasi umbra sequitur, & appetitores sui deserens, appetit contemptores.

Mansi dist. 11. n. 8. XXII. S. Carolus Borromæus omne usque ad finem vitæ in humilitatis virtute collocavit studium. Hæc ordinaria eius & quotidiana erat epigraphe: *Humilitas*; similiter circumcirca imaginem eius sequentia leguntur incisa verba: *Solâ gaudet humilitate Deus.* Fuit autem hæc virtus tantò in eo rarior, quantò magis per extraordinariam semitam illi institit comparandæ; siquidem non sicut maior reliquorum Sanctorum pars, aut inter quatuor cœnobiorum muros reclusus, aut sepultus in eremis, sed in mediis magnificentiis, & obsequiis Mundi universi, cui admirationi, stupori & venerationi erat: Non est magnum, humilem esse in abiectione, inquit S. Bernardus, magna & rara virtus humilitas honorata. Familiæ suæ armísque renuncians gentilitiis domûs Borromææ, titulum sibi assumpsit S. Praxedis, comámque sibi radi fecit instar mancipii, súbque habitu cardinalitio indumenta adeò ferebat lacera, ut cùm unum eorum cuidam pauperi in eleemosynam elargiri vellet, hic ipsum accipere detractârit. In visitationibus ambulabat pedes, propriósque servos multoties ab impedimentis liberabat, propriis ea imponens humeris, cum vilissimâ plebe familiaritatem inibat; & ut plurima paucis concludam, dixisse suffecerit, quòd Diabolus die quadam, dum chlamyde extensâ per terram, ut Cardinalium mos est, Ecclesiam intraret, per obsessæ cuiusdam os (quam eo temporis momento deserere cogebatur) exclamârit: O Utinam vel tantillum superbiæ super hanc caudam reponere possem. Veruntamen ad quam sublimitatem tanta eius fuerit exaltata humilitas coram universo mundo, quis est, qui nesciat? corpus suum in loco Ecclesiæ, qui calcaretur præ reliquis, tumulari voluit, ut aliorum, ut omnium Ecclesiam intrantium conculcaretur pedibus, corúmque se recommendaret precibus; Deúsque disposuit, non solùm ut non conculcaretur, sed & auro, gemmísque includeretur, omnésque fideles temporibus futuris eius certatim implorarent patrocinium, existimantes se beatos, si illi loco os infigere possent, ubi ipse omnium pedibus calcari desiderabat. Tandem intra quatuor annorum spatium post mortem eius, cùm nondum Canonizatus esset, ad sepulchrum eius delata sunt octo millia vota argentea; & supra quatuor decem millia tabularum, aliæque oblationes, æquantes triginta octo millia scutorum. Ex humilitatis instinctu cognomen sibi sustulit nobilissimæ familiæ Borromææ; Deúsque disposuit, ut in Canonizationis eius medalliis, qualium centum & quinquaginta milliones excessisse feruntur, per Mundum universum augustissimè deprædicaretur.

XXIII. De S. Gallicano sic loquitur Martyrologium: Alexandriæ Sancti Gallicani Martyris viri consularis, qui triumphalibus Insulis sublimatus, & Constantino Augusto charus, à SS. Ioanne & Paulo ad fidem Christi conversus est, quâ susceptâ cum S. Hilario ad Ostia Tiberina secedens, hospitalitati, & infirmorum *Martyrol. 25. Iun.*

rum

rum servitio totum se dedit, cuius rei fama in toto Orbe divulgata, multi undique illuc venientes, videbant virum ex Patritio & Consule lavantem pauperum pedes, ponentem mensam, aquam manibus affundentem, languentibus sollicitè ministrantem, & cætera pietatis exhibentem. Ecce vobis augustissimam, non à palmis & triumphis, sed ab humilitatis exercitiis derivatam famam.

Vit. PP. lib. de humil. §. 111.

XXIV. S. Antoninus cùm in cella propria oraret, venit ad eum vox dicens: Antoni, necdum ad mensuram coriarii istius, qui in Alexandria est, pervenisti. Quô audito, senex consurgens manè, arreptô baculô festinus venit Alexandriam, cúmque ad designatum hominem pervenisset, & ingressus fuisset, ille visô tanto viro obstupuit. Cui senex dixit: Refer mihi opera tua, quia propterea de deserto veni. Qui respondit: Nescio, me aliquando boni aliquid perpetrâsse, unde & ex cubili proprio manè consurgens, antequam in opere resideam, dico, quòd omnis hæc civitas à minore usque ad maiorem ingrediatur in regnum Dei, propter iustitias suas, ego autem solus propter peccata mea pœnam ingrediar sempiternam; quod verbum, antequam quiescam serò, ex cordis mei recenseo veritate. Hoc audiens B. Antonius, dixit ei: In veritate fili, sicut bonus artifex sedens in domo tua, cum requie Regnum Dei adeptus es: ego autem velut sine discretione omne tempus meum in solitudine conversatus, necdum verbi tui assumpsi mensuram.

Spec. Exempl. verb Humil. exempl. 15.

XXV. Augustinus de Iterano, cùm esset nobili genere ortus, & utriúsque Juris famosus Professor, & nihilominùs in curia Domini Manfridi Regis valdè potens, & omnibus charus: Deo disponente incidit in ægritudinem validam. Cúmque timeret se moriturum, petivit à Deo spatium pœnitentiæ, promittens se Religionem ingressurum, & statim est liberatus. Restitutus ergo pristinæ sanitati, divinâ vocatione, ordinem fratrum Eremitarum S. Augustini in Insula Siliciæ ingressus, voluit vir Dei in ipso suæ conversionis primordio, humilitatis iacere fundamentum. Unde Sanctæ religionis habitum assumens, occultavit suæ scientiæ claritatem, generis nobilitatem, & prioris status sublimitatem, ne quis ex aliquo prædictorum eum considerans veneraretur, & ne ex hoc in cor eius aliqua superbia irrepere posset. Factus est ergo inter fratres stultus, ut à Deo instrueretur. Factus est pauper, ut divitiis cœlestibus ditaretur. Factus est vilis in mundo, ut apud Deum exaltaretur. Conversabatur enim inter fratres cunctis vilior, & despectior, sciens se tantò maioris meriti esse apud Deum, quantò pro amore eius magis despectus esset in mundo & inter homines. Iactantiæ autem verbum prioris status nunquam ex ore eius audiebatur. Humiliora servitia domûs, & quæcunque viliora, incognitus manens devotione, humilitate, & diligentiâ nimiâ adimplevit. In ipsa verò sua humilitate gaudens, plorabat, quòd tantùm distulerat suam conversionem ad Deum. Liquefiebat anima eius amore supernæ patriæ, pro cuius amore omnia præsentia pro nihilo reputabat. Si quod verbum aliquando causâ fraternæ correptionis laberetur ex eius ore, quod aliquando ex Zelo boni, & detestatione mali, fraternâ charitate solitus erat facere, statim se ipsum condemnans, ad pedes fratris prostratus veniam postulabat. Postquam autem vir Dei in insula Siciliæ aliquanto tempore fuisset cum fratribus magna humilitate conversatus, contigit, quosdam fratres de Senis ex obedientia Ordinis ad Conventum eiusdem Insulæ venire, à quibus cùm interrogasset vir Dei de locis Senensis Provinciæ, & didicisset, quòd ibidem essent loca eremitica ab hominum habitatione semota, & ad vacandum Deo plurimum apta, obtentâ licentiâ à Superiore suo ad Senensem Provinciam venit, paucis & vilibus pannis indutus, & fratribus Provinciæ illius penitùs ignotus. Positus est ergo in quodam eremitorio S. Barbaræ, quod non longè distabat à castro Sanctæ Floræ, ubi soli Deo vacabat, tantáque dulcedine devotionis cor eius affluebat, ut plerúmque videretur Beatorum agminibus interesse, & beatæ quietis præmium prægustare. Quia verò non cognoscebatur, qualis & quantus esset, imponebantur ei humilia officia domûs, quæ ipse cum humilitate, & alacritate libens adimplebat, faciebat quæstas, purgabat domum, paropsides, & alia domûs utensilia abluebat. Fratres autem considerantes Sanctam eius conversationem, ac verborum ædificationem (quæ nonnunquam quasi cum quadam simplicitate ex ore eius prodibant) libenter eum audiebant. Erat autem ibi tunc Prior, frater quidam de Senis, vocatus frater Bonus, vir satis venerabilis & prudens, qui considerans eius bonitatem, & consilia saluberrima, eum multùm diligebat, delectabatúrque de eius humilitate, morum gravitate, & eloquiorum suorum suavitate. Cùm ergo idem Frater Bonus à Conventu S. Barbaræ ad locum S. Antonii per obedientiam Ordinis transferretur, ipsum Fratrem Augustinum secum adducit, quem & sequenti anno factus Prior Rosiæ secum retinuit. In quo loco servus Dei omnibus ignotus, divinâ dispositione factus est cognitus hac occasione. Cùm enim Fratres Conventûs Rosiæ quandam haberent in curia quæstionem, in qua iam fratres succumberent, & de hoc nimiùm tristarentur, cùm ex hoc quandam possessionem perderent, de qua Conventus multùm sustentabatur, voluit Deus lucernam (quæ diu sub modio erat) super candelabrum Religionis ponere, ut luceret omnibus, qui in ea erant. Videns ergo vir Sanctus fratrum animos turbatos, & cognoscens, fratribus magnam iniuriam fieri, procuratorem adiit, petens sibi licentiam, occultè dari necessaria ad scribendum. Procurator verò deridebat eum, ignorans, quòd sciret scribere, vel legere. Ipso tamen perseverante in petendo, porrexit ei calamum, chartam, & atramentum, qui secedens ad partem, scripsit verba pauca, licèt sententiâ multâ,

multâ, quam scripturam reddidit Procuratori, adversario exhibendam, quod & factum est. Cùm autem adversarius, scilicet Dominus Iacobus de Pagliaresis hanc scripturam legeret, verborum paucitatem, & sententiæ virtutem prægnantem considerans, ait: Diabolus, vel Angelus, vel Dominus Matthæus de Iterano, cum quo ego fui studens Bononiæ, qui mortuus est in conflictu Domini Manfridi Regis, hanc scripturam condidit. Ipse quippè ante ingressum Ordinis Matthæus vocabatur, sed in ingressu accepit nomen Augustinus, & audiens à Procuratore, quòd quidam frater rusticus, & ignarus eam scripsit, ait: non, inquit, est ita. Et statim accessit ad locum fratrum in Senis, interrogavit, quis esset huiusmodi frater, & cuius patriæ, & qualiter accesserit huc. Et responsionibus cognitis, suis conditionibus suspicatus est, esse illum, qui erat. Et statim Romam pergens, & inveniens, quem mortuum æstimabat, admirans eius humilitatem, ruit in amplexus eius, & oscula, lachrymas continere non valens. Cúmque rogaret eum vir Dei, ne eum prodendo pacem suam perturbaret, ille nullatenus adquiescens, ad fratres ait: Fratres habetis thesaurum occultum. Hic est enim melior homo mundi, teneatis ergo eum, ut decet; sed & quæstio vestra terminata est pro vobis. Cœperunt ergo eum fratres honorare, & sibi reverentiam exhibere. Sed vir Dei verâ humilitate fundatus, & homines, & omnem reverentiam respuens, priora opera servilia non dimittens, omninò sicut priùs manebat.

§. IV.

SIMILITUDINES.

Qualitas.

Penrequin p. 2. c/ag. c. 18. n. 5.

I. Sicut Rex aliquis sapiens & potens, filiam primogenitam, quam unicè diligit, dum solemni pompâ in urbem aliquam ingressum adornat, non imponit equo ferocienti, sed mansueto & tractabili; Ita Deus gratiam primogenitam in virtutibus, dum in animam ingredi, & pro dignitate coli ac haberi vult, illam humilitati, velut mansueti iumenti dorso insidere vult, ac perpetuò sibi comitem retinere.

Idem dissert. 1. n. 2.

II. Sicut si phiala Crystallina radiis solis illuminata pulchritudinem, quam ab illorum radiorum collustratione recipit, sibi, suæque industriæ tribueret, graviter insolesceret, & quod suum non est, stultè sibi arrogaret; multùm accresceret eius impudentia, si non tantùm lucem, sed etiam substantiam suam à sole accepisset: Idem nobis accideret, si de aliquo gloriaremur, qui omnia à Deo accepimus, & ex nobis sumus mera privatio omnis boni.

Summa prædic. apud Mansi disc. 19. n. 8.

III. Sicut stella quantò altiùs in cœlo situatur, tantò minoris apparet quantitatis: Ita quantò quis maior est in gratiis & apud Deum, tantò minoris debet apparere vanitatis, & maioris humilitatis.

Necessitas.

S. Chrysost. in serm. Paulus vocatus.

IV. Sicut is, qui magnas, & magnificas ædes est ædificaturus, conveniens iacit fundamentum, ut eam, quæ postea imponetur, possit ferre molem, ita nimirum etiam Christus, cùm ingens illud ædificium Philosophiæ in illorum animabus erigeret, tanquam fundamentum, & basim firmam, & immobilem, cohortationem humilitatis ponit priùs, cùm probè noverit, postquam hæc in auditorum mentibus radices egerit, reliqua omnia virtutum genera ædificari tutò posse.

S. Cæsarius Arelat. hom. 34.

V. Sicut de terreno fonte, & corporali fluvio non potest aliquis bibere, nisi se voluerit inclinare: ita & de vivo fonte Christo, & S. Spiritûs fluvio nemo aquam vivam haurire poterit, nisi se humiliter inclinare voluerit, propter illud quod scriptum est: Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.

S. Bonav. ser. de uno Confess.

VI. Sicut vinum citiùs virtutem perdit, si clausum in vase non steterit, sed evaporare poterit. Similiter aromata si teneantur aperta, perdunt virtutem & efficaciam; similiter ignis citò extinguitur, nisi cineribus cooperiatur. Ita homo citò omnia bona perdit, nisi ea sub humilitatis cinere cooperiat, sic enim per humanam laudem evanescere possent.

Utilitas.

S. Laurentius Iust. de ligno vit. c. 3.

VII. Sicut natura non patitur vacuum, quin illud repleat, sic nec gratia humilem, quin se illi infundat. Humiliare O homo Dei, evacua cor tumore elationis, quia tantò perfunderis abundantiori gratiæ suavitate, quantò mundior fueris à fœce præsumptionis.

Mansi disc. 5. n. 8.

VIII. Sicut si quis in puteo profundo circa meridiem versaretur, faciliùs inibi stellas contemplari, aut ad minus magis limpidè cœlum intueri poterit, quàm quicunque alius supra altum existens montem; cuius hæc ratio est, quia cùm nulla lux oculos circumdet, quâ mediante virtus visiva dispergatur, consequens est, ut eadem potentia magìs confortetur, ad respiciendum procùl dissita, è contra verò alius, qui virtutem visivam disgregatam habet, nihil tale videre possit, ita quoque in præsenti dicere possumus, quòd, quantò quis se profundiùs per virtutem humilitatis, demittit, tantò magìs dispositus fit, ut bona cœlestia videat, maiorémque Dei, & sui ipsius notitiam acquirat, talis enim in proprio nihilo concentratus est, neque à bonis terrenis divertitur. Unde S. Thomas de Villanova ait: Hæc sola virtus omnium donorum & gratiarum capacem animam facit; Unde Iacobo teste, humilibus nobis Deus dat gratiam.

S. Bonav. in Diæt. tit. 7. c. 1.

IX. Sicut muscus in locis fœtentibus recuperat odorem, sic humilitas fragrantior efficitur, cùm quis considerat propriam vilitatem.

S. Laurent. Iust. l. c.

X. Sicut qui thesauros effodit, terram reiicit, foveam in altum facit; sic qui thesauros sapientiæ reperire desiderat, in se foveam agat.

Digni-

Dignitas.

S. Bruno in Psal. 118. XI. Sicut habet multitudo vitiorum regem seu reginam superbiam, sic virtutibus regina est humilitas; quia hæc dicitur caput, sivè primatus virtutum cæterarum, eò quod initium est, & prima, quæ ex omnibus virtutibus habetur, & quoniam ipsa à fidelibus habita, custos est omnium virtutum; cùm sine ipsa omnes virtutes debiles sint & inutiles; sicut à capite, quod principale est in toto corpore, omnia cætera membra reguntur, quo ablato totum corpus inutile est, & quasi truncus, exanime.

§. V.

MOTIVA.

S. Petr. Dam. l. 1. epist. 14. & de serm. de S. Michaele. I. CHristi voluntas verbis & exemplis monstrata, uti S. Petrus Damianus commendavit, his verbis: O gloriosa humilitas, per quam homo verè discipulus efficitur Salvatoris. Qui idem in sermone quodam de S. Michaele significantiùs loquens dicit: Hæc sola virtus virtutum nutrix, quam solam in Virgine Matre respexit altissimus, cuius quamdiu conversatus est in terris Filius Dei, & executor extitit & Magister. Hinc Beata Angela de Fulgineo sic loquentem introducit: Discite à me, non ab Angelis, non ab Apostolis, sed à me, cuius humilitas tantò maior, quantò Maiestas mea sublimior. Discite à me, non dixit ieiunare, quamvis ad exemplum nostrum, quadraginta diebus & noctibus ieiunaverit; nec dixit, discite mundum spernere, nec in paupertate vivere, quamvis ipse in maxima paupertate vixerit; nec dixit, discite à me, quomodo cœlum feci: Nec dixit, discite à me miracula facere; sed hoc solùm, quia mitis sum, & humilis corde; quasi dicat, si non facto & opere vobis humilitatis exempla monstraverim, nolite credere mihi. Et Similiter S. Bernardus: Non ad doctrinam Patriarcharum, non ad Prophetarum libros ego vos mitto, sed me vobis exemplum, me formam humilitatis exhibeo. Inviderunt mihi altitudinem, quam habeo apud Patrem, Angelus & fœmina, ille potentiæ, illa scientiæ; Vos autem æmulamini charismata meliora, discentes à me, quia mitis sum, & humilis corde.

Bollandus 4. Ian. c. 18.

S. Bernardus epist. 42.

S. Greg. l. 17. Moral. c. 17. II. *Necessitas*; Nam teste S. Gregorio, ut origo virtutis humilitas est, illa in nobis virtus veraciter pullulat, quæ in radice propria, id est, in humilitate perdurat, à qua nimirùm, si abscinditur, arescit, quia vivificantem se in intimis humorem charitatis perdit. Hinc & S. Bernardus dixit: Nisi super stabile humilitatis fundamentum, spirituale ædificium stare minimè potest.

S. Bernard. serm. 36. in Cant.

S. Laur. Iust. de Orat. III. *Utilitas duplex, primò Ad orationis faciliorem exauditionem*; nam ut S. Laurentius Iustinianus dixit: Nulla potest esse repulsa in oratione, quando hæc deprecantis fuerit socia, & orationis prævia, eò námque mens in oratione erit alacrior, & in contemplatione sublimior, quò in se extiterit abiectior & humilior. Rationem ulteriorem assignans S. Hieronymus, quoniam, inquit, nos parvi sumus, & humiles, & non possumus nos extendere, & exaltare, propterea Dominus inclinavit aurem suam, & dignatus exaudire nos. Unde hæc virtus præcipuè necessaria est quiescentibus, teste eodem S. Laurentio, & Deo per orationis exercitium vacare volentibus, quia nunquam poterit quis Deo veraciter inhærere, si non fuerit hac virtute munitus; Humilitas enim & charitas sunt duæ alæ, quarum remigio usque ad interiora ingreditur velaminis, ubi verbum in sinu residens paterno, æterna virtute generatur. Secundò *Utilis est ad tentationes dæmonis vincendas*, ut S. Ephrem indicavit, dicens: Humilitatem diligito, & nunquam Diaboli laqueis capieris, velocissimis enim humilitatis alis semper sublevatus, sublimior eris, quàm ut inimici retibus capi possis. Quod S. Leo exemplo Salvatoris confirmat, dicens: Tota victoria Salvatoris, quâ & Diabolum superavit, & mundum; humilitate est concepta, humilitate est confecta. Hinc S. Antonius mundum laqueis undique circumdatum videns, quærénsque: quis evadet? vocem de cœlo delapsam, quæ, humilis, dicebat, audivit. Ut meritò S. Chrysostomus humilitatem murum inexpugnabilem, & turrim inconcussam appellârit.

S. Hier. in Ps. 114.

S. Laur. Iust. c. 2. ligu. vit.

S. Ephrem de serm. rect. vir.

§. VI.

MEDIA.

S. Bern. to. 3 serm. de convers. pecc. art. 3. c. 3. I. COnsiderare vilitatem & fragilitatem suam, uti S. Bernardinus suasit, dicens: Tria sunt, quæ radicatam nutriunt humilitatem, assiduitas subiectionis, consideratio propriæ fragilitatis, & comparatio melioris. Si primum Lucifer habuisset, non de cœlo ruisset; si Adam secundum habuisset, non de paradiso eiectus esset; si Antichristus tertium haberet, non se Deo præferret. Clariùs verò hanc vilitatem explicans S. Laurent. Iustin. Recogita, ait, O homo, ut humilieris, originem tuam; intellige, unde venis, & erubesce; adverte, ex quo conciperis, & humiliare; Nam in putredine conciperis, in sordibus generaris, in latebris confoveris, & in doloribus parturiris. Formatus es nempè, O homo, de pulvere, de luto, de cinere, quódque vilius est, de spurcissimo & fœtidissimo sanguine, in pruritu carnis, in fervore libidinis, in fœtore luxuriæ, & quod deteriùs est, in labe peccati, in obligatione delicti. Cur autem tam vile homini corpus Deus assignârit, rationem assignat S. Bonaventura dicens: Cùm Deus omnia possit, ut quid non fecit nos æquales Angelis in gloria, nisi ut ipsa depressio nostra humiliet nos, ne elevemur, sicut seducti, & seductores Angeli? & corruamus, & pereamus? inde est, quod cùm Deus in baptismo tollat penitus peccati reatum originalis, pœnam tamen corruptionis non tollit in hac vita, ut semper maneat nobis memoriale humiliationis, quo cauti simus, ne superbiamus, sicut primi parentes nostri, & ex quorum

S. Laur. c. 4. Lign. vit.

S Bonav. l. 1. de perf. rel. c. 11.

rum superbia, & transgressione, omnes corruimus in culpam.

Idem de Diat. tit. 7. c. 1. II. *Considerare ipsius etiam animæ vilem statum*, quem S. Bonaventura sequentibus verbis indicavit: Propter tria homo se ex parte animæ pulverem debet censere. Primò propter vilitatem; sicut enim cinis est vilis, quantumcunque fuerit de pretiosa materia, sic anima valdè vilis est ex culpa, quamvis sit valdè nobilis ex natura. Secundò propter resistendi difficultatem, quia sicut cinis statim dispergitur, & non potest resistere modico flatui, sic homo non potest resistere modicæ tentationi, imò frequenter cadit ad sibilum modici verbi. Tertiò propter resurgendi impossibilitatem, nam sicut cinis non potest redire ad statum suæ materiæ, sic homo peccator non potest redire ad statum gratiæ, nisi sola Dei virtute. Et paulò ante in cap. 4. Nonne se per humilitatem despiciet homo, si solerter conspiciat in se negligentiam proficiendi, difficultatem standi, facilitatem cadendi, laborem resurgendi, & debilitatem vitia vincendi? Unde meritò S. Bernardus dixit: Ad se humiliandum nihil vivaciùs invenire potest anima, quàm si se ipsam in veritate inveniat, tantùm non dissimulet, nec sit in spiritu eius dolus. *S Bernardus apud Mansi disc. 81. n. 4.*

S. Bonav. l. c. III. *Considerare creaturas*, uti iterùm S. Bonaventura suasit, dicens: Debet considerare diligenter creaturas corporales, & ex illis humilitatem haurire; si enim consideret terram, videt supplicium peccatorum; si consideret quadrupedia, videt ea fortiora; si volatilia, videt ea leviora & agiliora; Si terræ nascentia, videt meliora, sicut fructus sunt, & pulchriora, sicut flores; si consideret proprium subiectum, videt quod in principio est semen immundum, in medio saccus stercorum, & in fine cibus vermium, ut dicit Bernardus Meditationum cap. 3. Vide unde veneris, & erubesce; ubi es, & ingemisce; quò vadis, & contremisce. Quod ipsum etiam confirmans S. Laurentius Iustinianus: Considerare non negligas, inquit, quòd singula quæque nascentia propria quædam habent munimenta, quibus naturam suam ab incommodis defendunt. Cortex ambit arborem; penna regit volucrem, piscem squama operit; lana ovem induit; pellis iumenta & feras vestit; concha testudinem excipit; solus homo inermis nascitur & nudus, ut eò ad humilitatem fiat pronior, quò cæteris rebus in ipso suo nativitatis primordio conspicitur abiectior. *S. Laur. Iust. de lig. vit. c. 4.*

S. Bonav. l. c. IV. *Considerare Deum, à quo omnia habentur*, nam ut S. Bonaventura rectè iterum dixit: Duo sunt, quæ admonent nos, ut humiles simus, videlicet quod sumus, & quod non sumus; quod sumus, non habemus à nobis, nec ex meritis nostris, & ideò non oportet nos indè extolli, quia alienæ potestatis est, & bonitatis, quidquid boni sumus & habemus.

S. Thom. Villan. conc. de S. Martino. V. *Considerare alienas virtutes*, uti S. Thomas Villan. suasit dicens: Si te sapientia elevat, confer te cum Doctoribus; si patientia, confer te cum Martyribus; si castitas, cum Virginibus, qui tibi magnus videbaris, illis compositus exiguus apparebis. Cui consonat illud à S. Laurentio Iustiniano traditum monitum, dum inquit: Respectus meliorum, acquisitio est humilitatis. Quo medio Abbas Isidorus usus est, cogitationibus, quòd magnus esset, suggerentibus dicere solitus: Nunquid talis, qualis Abbas Antonius, vel alii Patres, qui Deo placuerunt?

VI. *Considerare defectus suos*, quemadmodùm B. Petrus Damianus Abbatem Desiderium ad Cardinalitiam dignitatem evectum monuit, dicens: Age noli frater, quod plerique faciunt, tantummodo siquid est in te virtutis attendere, & vitia quasi post tergum posita negligas iudicare. Imitare naturalis in pavone diversitatis exemplum, qui nimirum pullinos, & velut ignobiles pedes præ oculis semper habet, insignem verò caudæ pulchritudinem post se spectabilem præbet, videt in pedibus rusticum aliquid, quod despiciat, ignorat in cauda, quod eum mirabilem reddat. In promptu est, unde se debeat in humilitate deprimere; post tergum gerit, unde valeat quasi præ cæteris avibus superbire: quod exemplum humilitatem amantibus applicans subiungit: Te quoque quodammodo, quod in te virtutis est lateat; si quid verò vitiosum & correctionis est dignum ab aspectûs tui iudicio non recedat. *S Petrus Dam. lib. 2. epist. 11.*

VII. *Non comparare se cum imperfectis*; quod medium S. Bernardus suggessit dicens: Noli te homo comparare maioribus, noli minoribus, noli aliquibus, noli uni; quid scis enim, O homo, si unus ille, quem fortè omnium vilissimum atque miserrimum reputas, cuius vitam sceleratissimam ac singulariter fœdissimam horres, & propterea illum putas spernendum, non modò præ te, qui fortè iam sobriè, & iustè & piè vivere te confidis, sed etiam præ cæteris omnibus sceleratis, tanquàm omnium sceleratissimum; quid scis, inquam, si melior & te, & illis, mutatione dexteræ excelsi, in se quidem futurus sit, in Deo verò iam sit? *S. Bern. serm. 37. in Cant.*

VIII. *Quærere, qui reprehendat*; Sicut *Abbas Moyses cuipiam interroganti, quâ viâ brevi ad perfectionis culmen evaderet? sciscitanti suasit, nimirum ut senem aliquem severum, austerúmque quæreret, atque in eius se traderet disciplinam, à quo quotidiè duriter tractaretur, & sub quo reprehensiones & increpationes continuas biberet, ut mel & lac. Cuius sententiæ subscripserat ille alter, qui inter iniurias & contemptus exultabat; dicens: Hi sunt, qui nobis proficiendi materiam suppeditant; illi enim, qui nos laudant, nobis non parùm impedimenti, & damni adferunt. **Pennequin dissert. l. c.*

§. VII.

MISCELLANEA ET CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Qualitas.

I. ANub cum septem sociis iter instituens, cùm *Pennequin l. c.*

cùm noctu ad fanum Idolorum venissent, ibi quieverunt; ipse verò statuam lapideam manu & voce flagellans, & ab illa postmodum veniam iniuriæ petens, interrogatus à sociis, quid sibi vellent ista? respondit, statuæ similes esse oportere ad opprobria, contemptúsque tolerandos, si simul habitare & pacificè, & fructuosè virtutibus comparandis studere proponerent. Fuit hic communis illorum sensus, & apud omnes magni nominis, sanctimoniæque viros pro virtutum omnium fundamento est habitum, ut si abesset, cætera parùm firma existimarent. Hinc cùm aliquis ex fratribus magno illi Abbati Sisoi diceret: Cùm examino me ipsum, video Dei præsentiam memoriæ meæ adhærentem: Non est, inquit, magnum hoc, ut mens tua cum Deo sit; magnum est autem, si te ipsum infra omnem creaturam videas.

S. Bonav. de prof. Novit. c. 40.

II. S. Bonaventura praxin singularem, dum ab hominibus despectui habemur, docuit dicens: Quibus places, attribue eorum benevolentiæ, non tuæ probitati: quibus autem displices, attribue tuo merito, & cogita: Si in tantillo illis displices, sicut exteriùs tuam vilitatem possunt cognoscere; quid facerent, si radicitus perspicerent omnia vitia tua, & peccata, & inhonesta tua? mirum, si te non eiicerent, aut lapidarent. Pro me loquor: Nunquam enim à fidelibus ita despectus sum, sicut sum despicabilis in veritate: Unde non debeo indignari, cùm aliquando despicior; sed mirari, & reputare beneficium Dei, quòd non omnibus sim odiosus. Addit deinde, cùm tibi detrahi intelligis, non movearis; quia si verum est, quod dicitur; non est inconveniens, hoc loqui homines, quod tu facere ausus es: Si autem verum non est, non nocet tibi eorum locutio. Ut si albus esses, & aliquis diceret, te nigrum esse, quid obesset tibi?

Pratispiritu l. c. n. 4.

III. S. Thomas ille oculatus virtutum arbiter dicere solitus est, hominem, qui contemptum ferre non possit, etiamsi miracula faciat, non esse pro Sancto, aut magnæ virtutis viro habendum. Habebatur vir solitarius inter eremicolas non vulgariter Sanctus; Episcopus loci, ut virtutem eius exploraret, misit aliquem ad id prudentiâ, & rerum cœlestium cognitione probè instructum; hic tumultuariè, & militari quodammodo ausu solitarii cellam ingressus, iubet ocreas sibi extrahat: qui despici & probro affici se arbitratus, severo vultu interrogavit, an nosset, quis esset? O non es Sanctus, ut aliqui putant; ait tum ille explorator: quandoquidem oblatam humiliandi te occasionem nactus Constantinus presbyter, qui in contemptoris amplexus advolavit, eúmque amanter est exosculatus, dicens; neminem hactenus veriora de se elocutum.

S. Greg. hom. 5. in Ezech.

IV. S. Gregorius verba illa Ezechielis exponens: *Animalia ibant, & revertebantur, in similitudinem fulguris coruscantis*; causam assignat, cur hæc animalia illuminatissimos Dei

R. P. Lohn. Auctar. Bibl.

Dei servos repræsentantia, hoc modo Prophetæ in visione delineata fuerint, dicens: vadunt, & revertuntur in similitudinem fulguris coruscantis; quia postquam mira Sancti inter homines faciunt, postquàm corda audientium sparso lumine incendunt; ad quandam Auctori suo gloriam redeunt, ut illi laudem reddant, per quem se posse talia sciunt.

Mansi disc. 41. n. 7.

V. Observandum est, quòd incarnata Sapientia S. Petrum Regni Pontificii possessione & investiturâ decorare volens, eundem non semel, sed trinies Simonem Joannis appellârit dicendo: *Simon Ioannis diligis me?* Nam ut Toletus observat, in his omnibus interrogationibus semper Dominus nomine proprio usus fuit, & parentis etiam nomine. *Simon,* inquit, *Ioannis*; Nec Petrum appellat, quod nomen dignitatis & officii erat; volens eum in hoc admonere, ut, quamvis sit in tantam dignitatem provectus, ut super omnes sit fideles, & totius Ecclesiæ caput, præ oculis habeat, se piscatorem fuisse, & hominem communem, ne se extollat, ne suis id meritis ascriberet, quò enim in altiorem effertur & erigitur gradum, oblivisci non debet se hominem esse, & aliquando ex humili & ignota familia.

Spec. Exemp. v. Humil. ex. 39.

VI. Rex quidam Norvvegiæ, Daniæ, & Angliæ, nomine Cnoth, cùm floreret maximo vigore Imperii sui, sedile suum in litore maris ascendentis statim poni iussit, & alloquens mare, ait: Impero tibi ne ascendas terram meam, nec vestes, nec membra dominatoris tui madefacere præsumas. Nihilominùs mare ascendit, & terram ac pedes eius madefecit. Quo facto ille resiliens ait: Sciant omnes habitatores orbis, vanam & frivolam esse Regis potentiam, nec Regis quempiam nomine dignum, præter eum, cuius nutui cœlum & terra, & mare obediunt. Et nunquam postea capiti suo coronam auream imposuit, sed super imaginem Salvatoris in cruce eam posuit, in laudem Regis æterni.

S. Greg. l. 1. Dial. c. 5.

VII. Sicut superbi honoribus, ita plerúmque humiles sui despectione gaudent, quia iudicium, quod de se intus habent, ab aliis sentiunt approbari.

Utilitas.

Idem l. 27. mor. c. 27.

VIII. S. Gregorius exemplum adducit Davidis, innumeris locupletati meritis apud Deum, summéque gloriosi propter innumerabiles heroicarum virtutum actus; ideóque nobis eundem contemplandum obiicit dicens: Intueri libet, quanta virtutum munera David perceperat, atque in his omnibus quàm forti se humilitate servabat. Quem enim non extolleret ora leonum frangere, ursorum brachia dissipare, despectis prioribus fratribus eligi, reprobato Rege ad Regni gubernacula ungi, timendum cunctis uno lapide Goliam sternere, à Rege proposita extinctis Allophylis numerosa præputia reportare, promissum tandem regnum percipere; cunctúmque Israëliticum populum sine ulla contradictione possidere. Quem generosorum, celebriorúmque Davidis

Digitized by Google

conatum numerum, postquam dictus texuisset Ecclesiæ Doctor; mox ad saltus ponderandos descendit, quos coram arca in solenni processione coram universo populo instituit, propter quos & à Regina Michol uxore sua delusus fuit; Et tamen cùm arcam Dei in Jerusalem revocat, quasi oblitus prælatum se omnibus, admixtus populis ante Arcam saltat; & quia coram Arca saltare, ut creditur, vulgi mos fuerat, rex se in divino obsequio per saltum rotat. Tandémque per hunc vilipendii suique contemptûs actum, optimo fine exercitum, omnium operationum suarum stabiliisse meritum concludit dicens: Coram Deo egit vilia, vel extrema, ut illa ex humilitate solidaret, quæ coram hominibus gesserat fortia.

S. Bonav. in Diat. tit. 7. c. 1.

IX. Salvator noster apud S. Joannem occasione solemnis cuiusdam festi alta voce clamare cœpit: *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat;* quæ verba Dion. Carth. ad nostrum propositum, hunc in modum exponit, ut sensus sit: Veniat, non corporis gressu duntaxat, sed & mentis humili præparatione, quisquis hauriendæ aquæ causâ ad fontem contendit, vas quoque secum adferat, in quo illam excipiat, & quantò capacius vas illud fuerit, tantò quoque maior in illo haurietur aquæ abundantia; humiles autem præ cæteris hanc prærogativam habent, quòd cùm se ab omni virtute & merito vacuos esse existiment, vasa ipsórum maiora & capaciora ad recipiendam aquam hanc mysticam existant; Nam ut S. Bonaventura ait: Humilitas cùm recipit Dei beneficia, gratias agendo se dilatat, & sic recipiendo parat semper locum, ut Deus ampliùs infundat; Unde ipsa vas admirabile dicitur, quia, dum impletur, de impletione capacior efficitur.

S. Antoni nus p. 2. tit. 15. c. 21.

X. In officio divino frequenter hæc verba canit Ecclesia: *Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suavitatis;* Hæc autem herba Nardus dicta, humilis, & odorifera, humillimam Virginem denotabat quæ per profundam humilitatem suam Verbum increatum, ex sinu æterni Patris sui, in Virginalem uterum suum pertrahere potuit, ut ipsum humanæ naturæ nostræ adstringeret. Unde S. Antoninus ait: Dum esset Rex in accubitu suo, id est, in requie sua quasi dormire videretur, & non curare de salute humana; Nardus mea, herba parva est, & significat humilem virginem, quæ maximè dedit odorem suæ humilitatis, quando se totam Deo subiiciens, ait: Ecce Ancilla Domini; qui odor usque ad cœlum ascendit, & in cœlo accumbentem quasi evigilare fecit, & in utero suo requiescere.

Euseb. Emiss apud Mansi disc. 10. n. 3.

XI. Traditio Sæcularium litterarum est, habuisse quendam in exercitio, usúque certaminis, hoc genus virtutis ac roboris, ut, quoties in luctamine succumbens, virium suarum amicam, & nutricem terram, impulsu adversarii contigisset, toties de solo surgens, magis ac magis in adversarium prævaleret, sic deiectio prostrati, occasio fiebat triumphi; dabat enim quodammodò infirmitas fortitudinem, lapsus palmam, ruina victoriam. Puto, hæc illi cœlesti athletæ, qui contra Iacob legitur fuisse luctatus, iustiùs aptari posse.

S. Laur. Iust. l. de humilit. c. 1.

XII. Inter octo beatitudines primus locus humilibus assignatur, dúmque cæteris præmium spondetur in tempore futuro, solis humilibus prœmium affertur præsens, dicente Christo: *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram; beati, qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur; Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt; beati misericordes, quoniam misericordiam consequentur.* Humilibus verò dicitur in tempore præsenti, *ipsorum est regnum cœlorum.* Ubi proinde B. Laur. Justinianus sequentem format discursum, dicens: Non ait, quoniam intrabunt in regnum cœlorum, sed signanter dixit, *quoniam ipsorum est regnum cœlorum*, ut scias, quàm grati sint humiles Deo, & quàm facilè hæreditatem adipiscantur æternam, ad quam, priusquàm migrent de corpore, ipsam possidere dicuntur.

Mansi disc. 3. n. 9.

XIII. In Exodo legitur, quòd Deus Moysi, greges Iethro Soceri sui, Sacerdotis in Madian, pascenti apparuerit in medio rubi ardentis, & tamen incombusti manentis, quem rubum videns: *Abscondit Moyses faciem suam, non enim audebat aspicere contra Deum.* Quam verò existimatis fuisse causam, quòd Moyses suos ad Deum oculos erigere ausus non fuerit? Interpres quidam modernus ait: Cùm abscondisset Moyses faciem suam ex humilitate, tunc Dominus revelavit faciem suam, pariter & secreta opera sua, quæ facturus erat; Tunc quoque in generalem populi sui Ducem illum elegit, perpetuámque assistentiam suam ei promisit, & in divinorum secretorum suorum penetralia introduxit. S. Greg. in quadam Homilia super Ezechielem, textum illum Psalmistæ (*Ascensiones suas disposuit in valle lachrymarum*) exponens, inquit: Convallis propriè humilis locus est, & peccator quisque dum se in lacrymis humiliter affligit in corde, per ascensum virtutis proficit; qui rursus ait: *emittet fontes in convallibus*, quia omnipotens Deus dona spiritualis gratiæ humilibus præstat.

Ibidem n. 10.

XIV. In Sacris Canticis Amator cœlestis in hortum descendisse dicitur, ut videret poma convallium: *Descendi in hortum meum, ut viderem poma convallium.* Sed cur potiùs poma vallium, & non potiùs poma collium, vel montium videre voluit? nimirum per hoc significare intendit animarum electarum dilectus Sponsus, quòd gratias suas liberaliùs in humiles, per valles denotatos, quàm in alios dispenset. Unde S. Gregorius ait: quid est, quòd non poma montis, sed poma convallis, ut videas, descendit, nisi quod illis respectum suæ miserationis tribuit, quos in humilitate persistere cognoscit? de quo per Psalmistam dicitur: *Quoniam excelsus Dominus, & humilia respicit, & alta à longe cognoscit.*

S. Anton. de Padua de apost. serm. 4.

XV. S. Antonius de Padua præsenti proposito nostro egregiè accommodat historiam Josephi, præcipientis fratribus suis, ut Beniamin ad se adducerent; *Fratrem vestrum minimum*

ad

Digitized by Google

ad me adducite, ut possim vestros probare sermones. Quæ verba prædictus Sanctus in sensu spirituali in hunc modum exponit: Per fratrem minimum intelligitur humilitas, sine qua infructuosè egreditur prædicator, nec eius à Deo probantur sermones: & è contrario, qui Benjamin secum habet, multum fructum adfert; Unde adducto eo dixit Joseph dispensatori: *Imple saccos eorum frumento, quantum possunt capere, & in ore sacci fratris minimi ponatur scyphus argenteus*, quia quantò quis humilior est, tantò ei Deus confert gratiam ampliorem.

Io. Bapt. de la Naza, ba, l. 2. n. 30. XVI. Attende, quid consilii nobis det cœlestis Magister noster: Estote, inquit, prudentes, sicut serpentes. Quod exponit D. Thomas, & simul probat, humilitatem esse prudentissimam; ex quo id accipere possumus, voluisse Christum nobis præscribere mirabilem quandam methodum, cum Deo per Orationem conversandi. Qui viribus est inferior, vincere fortiorem nequaquam potest, si rei exitus à viribus dependeat, sed prudentiâ & arte sibi consulere debet. Expugnare Deum, & pro votis omnia ab eo obtinere si cupis, non viribus cum eo, neque virtute meritorum contende, sed arte potiùs & serpentis calliditate utere. Serpens astutissimus, ut in altum se erigere, & in astra prosilire valeat, cùm neque brachia, neque pedes, sicut vulpes, aut canis, cattusve, neque alas avium instar habeat, pro his omnibus pectore utitur, illúdque terræ applicans mox corpore reliquo incumbit, & quò magis se ad terram deprimit, tantò securiori in altum saltu assurgit. Vis, ut oratio tua eas vires habeat, ut usque ad supremum cœlorum penetret? deprime pectus cognitionis tuæ ad terram, agnosce miserias tuas, & confitere imbecillitatem tuam, quódque ex te nihil aliud sis, quàm vilis terræ massa, tam cœlo indigna, sicut lutum, ut inter stellas collocetur. Quantò sincerius hoc egeris, & quò humiliùs te depresseris, eò maiori fortitudine tua assurget oratio. Sic magnus ille credentium Pater Abraham, quando vehementiùs instare, & fortiùs urgere volebat id, quod per orationem impetrare desiderabat, constringebat se ampliùs, solóque arctiùs apprimebat dicens: *Loquar ad Dominum meum, cùm sim pulvis & cinis.* Et certum est, non potuisse mentiri eum, qui dixit *Oratio humiliantis se nubes penetrabit, &, donec propinquet, non consolabitur, & non discedet, donec altissimus adspiciat.* Quàm sublimem edit saltum oratio humilitati innexa! Nulla tam altùm volat aquila, nulla ita nubes ardea penetrat, sicut humilis oratio, quæ non conquiescit, donec ad ipsum cor Dei pervenerit, illúdque suaviter apprehenderit, quo, ut aiebat David, *humilia respicit in cœlo & in terra.* O fides Christiana, ait D. Ambrosius, quæ in humilitate totum impetrare consuevisti!

Ibidem §. 14. n. 35. XVII. Disputant Doctores, quis Centurionem tantis beneficiis, quibus eum dignatus est Christus, reddiderit dignum? Quis eum ad illa præparavit? Ipsimet Seniores Christo loquentes, protestantur: Dignus est, ut hoc ei præstes. Ipse exclamat: Non sum dignus: Illi è contra: Dignus est. Quid hoc rei? Ecce Religiosus Centurio ad accipiendam salutem fit dignior (ait D. Ambrosius) dum se profitetur indignum; Et dum ædes suas iniuriosas putat, magis eas honorificas facit & gratas. Quia dicebat, non sum dignus (ait Divus Chrysostomus) propterea dignus factus est, & admirationi super omnes Iudæos habitus. Dicendo se indignum (teste S. Augustino) præstitit dignum, non in cuius parietes, sed in cuius cor Christus intraret. Et ratio ex sententia horum Patrum ea est, quia nihil est, quod hominem adeo reddat aptum divinis beneficiis, dignúmque, ut ipse Deus se ædibus eius insinuet, quàm si ex profunda humilitate omnibus his se indignum reputet & agnoscat. Quocirca, ut Deus cor tuum subeat, & sua in te effundat dona, necesse est, ut priùs te ipsum exinanias à te ipso, & quidquid es, evacues. Hoc operatur humilitas, per quam te nihil boni habere, quod tuum sit, agnoscis, indignúmque esse etiam ipsâ aquâ, quam bibis, & ipso aëre, quo respiras, quantò magis indignum Deo, eiúsque beneficiis, gratiis, ac donis cœlestibus.

XVIII. Observa studiosè (ait S. Chrysostomus) hos solos à Deo dignos esse pronunciatos, qui se ipsos agnoverunt indignos. S. Paulus clamat: *Non sum dignus vocari Apostolus.* E contra Christus: *Vas electionis est mihi iste.* Paulus dicens: Non sum dignus vocari Apostolus, propter hoc omnium primus factus est. Eodem modo videbis, ait D. Chrysostomus, quomodo se Baptista retrahat dicens: *Non sum dignus solvere corrigiam calceamenti eius.* Sed ob hoc ipsum Christus eum dignum pronunciat, non solùm, qui manibus suis pedes eius tangat, sed etiam eas supra verticem eius extendat, quique (uti charus & fidus amicus) ad latus eius resideat. Unde & amicum sponsi eum appellat. Joannes dicens, non sum dignus solvere corrigiam calceamenti eius, ideò amicus fuit sponsi: & manum, quam esse calceamentis dixit indignam, hanc super caput suum, Christus attraxit. Exclamat D. Petrus, & protestatur indignum se esse, qui adsit, ubi Christus est præsens, quem idcircò rogat, ut aliò se recipiat: Exi à me Domine: quia homo peccator sum, & Christus ob hoc eum sibi tam proximum facit, ut eum constituat suum vicarium, & Ecclesiæ suæ fundamentum, ita ut inter Christum, & Petrum nemo sit medius. Ibidem.

XIX. Mirùm in hanc rem quadrat discursus, quem format D. Hieronymus super ea, quæ D. Paulus scribit Philippensibus: Dicit enim illis, se conari insistere vestigiis Christi, eiúsque passionem, pœnas, & crucem imitari; *& in his* (ait) *nondum ad finem perveni, quocircà non me reputo perfectum. Non quòd iam acceperim, aut perfectus sim, sequor autem, si quomodo comprehendam. Sic ambulo, ut cui adhuc multum superest itineris, multa mihi desunt ad perfectionem.* Et illico adiungit: *Quicunque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus.* Hoc est, nos qui iam cul- Ibidem.

men perfectionis attigimus, id ipsum existimare debemus de nobis. Occurrit hic D. Hieronymus, & ait: O Sancte Apostole, num forsitan oblitus es eius, quod paulò ante dixisti. Non quod iam perfectus sim? Si hoc ita sit, quomodo continuò te inter perfectos annumeras, & ais: *Quicunque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus.* Cœlestis planè hæc est Philosophia, ait D. Hieronymus, quinimò ex hoc ipso perfectus est, quòd se inter imperfectos annumerat: nec est quidquam, quod hominem perficiat, quàm ex submissa humilitate se imperfectum agnoscere, nulla res adeò consummatum reddit hominem, & tam citò ad virtutis promovet apicem, sicut de se opinari, & credere, quòd nec primum quidem pedem fixerit in via perfectionis.

Dignitas.

XX. S. Bonaventura quæstionem valdè considerabilem, valdéque ad resolvendum, ut ipse dicit, difficilem proponit; quærit enim, quænam sit ratio, quòd, cùm Deus sit altissimus (*tu solus altissimus*) omníque naturâ creatâ superior, nos nihilominùs ad eum approximare non possumus ascendendo, sed potiùs descendendo? hoc enim, ut S. Augustinus ait, contrarium esse videtur, ad ea enim, quæ in alto sunt, ascendendo, non verò descendendo pervenitur; Unde S. Augustinus lib. 14. de Civit. Dei cap. 13. inquit: Cùm tamen Cœlum situ sit altum, non proximior est ei, qui in altissimum montem ascendit, quàm ille qui in profundissimam vallem descendit; quis unquam arborem altam, quis in domum elevatam, quis in turrim altissimam descendit, se inclinando, & non potiùs elevando? Nam ad hoc fiunt scalæ in turribus, ut per gradus ad summum veniamus; videtur igitur, quòd magis debemus proximare Deo, nos elevando, quàm deiiciendo: In contrarium verò adducit authoritatem Psalmistæ in psalm. 63. clarè dicentis: *Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus.* Mira res, quia quantò plùs te elevas, tantò plus à Deo distas. Sed attende, quòd in rebus creatis, quæ situm habent, in loco, & inter se distant, sicut ab eis loco distamus, sic & loco earum, si volumus, proximamus, & per locales gradus ad eas accedimus: Nulla enim res creata inferior infra cœli circumferentiam adæquatè est conclusa, licèt intra eam sit in certa & finitâ proportione contenta, quæ utique mensurata est & finita, quia si cœlum infinitum esset, utique mensurari non posset, sicut Philosophus dicit. Cùm inter creata, distantia sit finita, dum partes medias pertransimus, illi cœlo approximamus, imò cùm montem ascendimus, cœlo proximiores sumus. Exemplum de iis, qui ædificaverunt turrim Babel, ut in cœlum ascenderent; Sed nota, quòd non sic Deo approximamus, Deus enim est immensus & infinitus, nullo loco conclusus, sed est ubique totus, ut sine eo omninò nullus sit locus, ergo nec loco à Deo distamus; nec ei, ut dicit Augustinus, loco, sed actionibus approximamus, quod non facimus nos exaltando, sed ei nos potiùs subiiciendo, nam cùm ipse à nobis distet in infinitum (cùm infinitum pertransiri non possit, ut dicit Philosophus) ideò sic ei non approximamus. Nos ergo per nos non possumus ad eum accedere, sed ipsius est ad nos inclinare, & nos ad se levare, cùm sit potentiæ infinitæ. Cùm ergo humilitas nos Deo perfectè subiiciat, Deum ad nos inclinat, cuius gratia nos exaltat.

S. Bonav. in Confess. sermone 8.

XXI. Olim inter eruditos hoc motum est dubium, quidnam illud esset, quod uno eodémque tempore simul & maximum & minimum appellari posset, fuerúntque, qui solem esse dicerent, qui oculis nostris parvus quidem esse videtur, cùm tamen terra centies & sexagies maior esse probetur. Alii stellam esse dixerunt, quæ nobis velut quædam ignis scintilla apparet, cùm tamen una illarum centies maior sit mundo terrestri. Alii pupillam oculi esse asserebant, quæ ad contemplandam amplissimam Cœli empyrei partem extenditur, cùm tamen instar atomi minutissimæ sit. Nec defuêre, qui illud intellectum humanum esse affirmarent, qui non solùm ad capiendum cœlum, terram, & totum universum dilatatur, verùm etiam extra illud per imaginationem plures mundos capit. Subiunxerunt alii non minùs ingeniosè, illud esse animam, quæ cùm invisibilis sit, & purus spiritus, in se tamen tres potentias restringit, & includit, & in quavis corporis animati minima parte & tota in toto, & tota in qualibet parte. At verò aptius ad propositum nostrum, affirmare liberè possumus, id quod simul maximum & minimum est, esse humilitatem, & nihilum B. Virginis, quæ dicit: *Respexit humilitatem ancillæ suæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes; fecit potentiam in brachio suo, fecit in me magna, qui potens est*; Nemo enim imaginari sibi potest humilitatem magis infimam, nec dignitatem magis sublimem.

Mans. disc. 11 n. 3.

XXII. De curru Salomonis sic aiebat Sponsa Cant. 3. 9. 10. *Ferculum fecit sibi Rex Salomon de lignis Libani, reclinatorium aureum, ascensum purpureum.* Dubitari hoc loco potest, cur Salomon ex purpura potiùs, quàm re alia quapiam fieri voluerit ascensum. Ascensus est, qui pedibus premitur, calcatur, teritur omnium. Purpura Maiestatis Regiæ Symbolum est, sacris pariter, & profanis authoribus. Quomodo ergo Salomon substratam pedibus voluit, quam Reges vestiunt, & summo capiti imponunt? Respondet egregiè Gilbertus Abbas: Quia humilitas suscepta pro Christo, Regiam præfert dignitatem. Meritò ascensum, qui pro scabello pedum est, regiâ vestiebat purpurâ, quam Principes capite ad ornamentum & insigne dignitatis gestitant, ut tali schemate significarent, eum, qui se pedibus omnium submittit, qui calcatur, proteritur ab omnibus, idque suaviter tolerat, purpuram esse, aut certè dignum, qui purpuram ipse Rex, sivè Princeps induat: Humilitas suscepta pro Christo Regiam præfert dignitatem.

Did. Nyss. Dom. 16. post Pent. § 1.

XXIII.

S. Climacus gr. 15. XXIII. S. Climacus in quodam congressu Virorum admodum illuminatorum, singulis per ordinem suam de humilitatis virtute sententiam denunciantibus, se ultimum fuisse gloriatur; ita enim de seipso scribit: Ultimus omnium & vilissimus, tanquam catellus, de micis è mensâ, & ore sapientum illorum Patrum cadentibus, collegi, & de humilitate dissertaturus, dixi: Humilitas est gratia animæ, nominis expers, solis nominata iis, qui eius experimentum cœperunt, inexplicabilis thesaurus, à Deo sortita singulare nomen Dei.

Mansi disc. 3. n. 10. XXIV. In Apocalypsi legitur Deus ad quendam Episcopum dixisse: *Scio paupertatem tuam, sed dives es.* Qui loquendi modus primâ facie contradictionem involvere videtur, si enim dives est, qualiter inops appellatur? S. Ansbertus per paupertatem, humilitatem intelligit, quæ omnibus opulenta est virtutibus; quò enim anima humilior est, minúsque se virtuosam reputat, & perfectam, tantò maioribus abundat perfectionis & sanctitatis divitiis. Quæ est ista dives paupertas, inquit ille, nisi illa contritio Spiritus, quâ superbia minuitur, humilitas verò augetur? Hac paupertate locupletibus Dominus dicit: *Beati pauperes Spiritu*; Ille Spiritu pauper est, qui etiam cùm bona agit, semper se inutilem attendit. Ille Spiritu pauper est, qui cùm plures virtute & sanctitate superet, cunctis se ipsum inferiorem meritis perpendit. Ideòque & S. Basilius in admonitione ad filium spiritualem, hanc humilitati attribuit laudem dicens: Vir humilis Deo est similis, & in templo pectoris sui gestat eum.

S. Dorotheus serm. 2. XXV. S. Dorotheus de hac materia discurrens ait: Corona quoque circumponenda est domui. Scriptum est autem in lege veteri: *Si ædificaveritis vobis domum, fabricate circa tectum coronam in tecto, ne parvuli vestri ruant de tecto*; Corona illa est humilitas mentis, hæc enim est, quæ virtutes omnes coronat, & conservat. Quemadmodum omnis virtus ex humilitate gignitur, & cum humilitate producitur, atque exercetur; ita virtutum omnium absoluta perfectio humilitate completur. Moxque idem Sanctus interrogat; sed quinam illi sint parvuli, pro quorum tutela & salute dicta fabrica per modum coronæ extrui iubeatur, ne cadant; dicit enim: Sed quinam sunt parvuli illi, de quibus lex ait; Ne parvuli vestri cadant, & ruant de tecto? Respondétque dicens: parvuli quidem sunt cogitationes, quæ in anima nostra gignuntur, quas oportet humilitate custodiri, ne ruant ex tecto, quam diximus esse omnium virtutum consummationem.

Mansi disc. 11. n. 5. XXVI. Nescio, an aliquando observaveritis, inquit Mansi, quòd S. Joannes (de quo S. Mater Ecclesia canit: *Fluenta Evangelii de Sacro Dominici pectoris fonte potavit*) describere nobis volens heroicam illam humilitatem, & submissionem, quam Salvator in lotione pedum Apostolorum suorum exhibuit, verba illa præmiserit: Sciens quòd omnia dedit ei Pater in manus, & quia à Deo exivit, & ad Deum vadit. Quam nam enim hæc verba cum lotione pedum vilium piscatorum connexionem habent? & tamen nequaquam dubitandum est, quin Evangelista cum altissimo mysterio eadem verba præmiserit. Audiamus Theophilactum hac de re loquentem: Cùm sciret, inquit, quòd omnia tradidisset ei Pater, & quòd à Deo exiisset, & quòd ad Deum iret, non timebat minui gloriam suam, lavans pedes discipulorum, non enim rapuerat gloriam, ut timeret ab illa excidere; & propterea non dignantur humile quiddam facere, qui generosi non sunt, quoniam gloriam rapiunt, nolentes ullo modo humiliari, ne prodant, quod rapuerant. At omnium Rex erat, & Dei filius, hoc enim vult cùm dixit: à Deo exivit, hoc est, ex Patris substantia, ut iterum ad Deum iret.

XXVII. In Exodo visionem quandam lego præsenti proposito valdè accommodatam: *Viderunt enim Deum Israel*, inquit Sacer Textus, *& sub pedibus eius quasi opus lapidis Sapphirini & quasi cœlum cùm serenum est.* In Hebræo legitur: *quasi opus lateris sapphyrini.* Hoc igitur lutum, quod filii Israel in Ægypto tractabant, lateres fabricando, & in cultu Religionis, & veri Dei, constanter & fideliter perseverando, in totidem gemmas & sapphyros sub Dei pedibus in cœlum empyreum transmutatum fuit; ut inde intelligamus, qualitam in oculis Dei pulchritudinem & valorem habeant actus humiliationis, in quibus ad Deo placendum nos exercemus. Lutosa, laterita, inquit Oleaster, ac immunda tibi videbantur, & his, qui terrena sapiunt, sed apud Deum pretiosi lapides sunt, quibus sedes eius decoratur. Expende, quanti Deus faciat hæc; lutum laboris eorum in sapphirum versum est, & Margaritam. Quid quæso luto immundius & latere? quid verò mundius aut pulchrius cœlo? Non sat fuit Domino lateres terrenos in cœlestem sapphirum mutâsse, nisi etiam in cœlum lutum mutet, neque in qualecúnque cœlum, sed mundissimum. O beata utilitas humiliantis se propter Deum, quæ in cœlestem munditiem tam facilè commutatur! Mansi disc. 2. n. 7.

XXVIII. Deus noster primo credentium patri numerosam prædicturus ab eo descensuram stirpem, hâc legitur usus fuisse sermonis Phrasi: *Multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, & velut arenam.* Aliàs quoque progeniei eius fœcunditatem & multiplicitatem pulveri assimilâsse scribitur, quando dixit: *faciam semen tuum sicut pulverem terræ*, quæ obsecro pulverem, seu arenam inter stellásque cœli est proportio? Respondet Hugo Card. Boni sunt pulvis per humilitatem, quâ se instar pulveris pedum, omnibus viliores reputant, ideòque ad stellas usque evehuntur, qui ita se abiecerunt, sicut pulvis. Ibid. disc. 14. n. 4.

Digitized by Google

TITVLVS XXXIII.

HYPERDULIA MARIANA.

§. I.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Mater Dolorosa.

[*S. Bernardus Hom. in Evang. Stabat.*]

I. O Ineffabilis reciprocatio Sancti amoris. Filius patitur, & intus valde compatitur Matri; Mater verò compassa est patienti Filio. Tantus nempè impetus passionis Domini IESU fuit, ut quasi torrens ipsum impleret patientem, & inebriaret, quia teste Psalmista: *De torrente*, scilicet passione eius, *in via bibit* Christus, ut sic Christo impleto, in Matrem flueret patientem, quâ similiter repletâ, ad filium redundaret inundatio amaritudinis, & mœroris.

[*S. Laur. Iustin. de triumph. Christi. agon. c. 18.*]

II. Quò se illius figebat obtutus (verba sunt Beati Laurentii Iustiniani) mœstus retundebatur animus, visionis horrore. In capite coronam spineam, in facie sputa, gelatum sanguinem, & speciem deformatam, in manibus ac pedibus clavos infixos, vulnera dilatata, defluentem cruorem, rigidósque nervos; In toto demum corpore livores, tunsiones, excoriationes, tumorésque cernebat, Undique vehementissimi doloris aspiciebat insignia.

[*S. Bernardinus tom. 3. serm. 2. art. 3. c. 1.*]

III. Vidit in eo pretium Mundi, pretio vili distractum; Fortitudinem Sanctorum in agonia factam; Speciosum formâ præ filiis hominum, plenum sudore sanguineo; Dominum Mundi, ut latronem comprehensum; virtutem cœlorum, arctioribus vinculis constrictam; columnas cœli contremiscere facientem, ad columnam vinctum; Orbis conditorem ictibus lividum; In cuius manu vita & mors, flagellis diruptum, & laniatum; Iudicem sæculi, coram impiis, ut iudicetur, adductum; In cœlis glorificatum, à scelestissimis spretum; Cœlorum Regem à sceleratis illusum; caput omnium potestatum arundine percussum.

[*Idem to. 1. serm. 61. art. 3. c. 2.*]

IV. Tantus fuit dolor Virginis, quòd si in omnes creaturas, quæ pati possent, divideretur, omnes subitò interirent.

[*Anonym. apud Mansi tr. 60. disc. 7. n. 1.*]

V. Summa fuit inter Christum & Mariam Sympathia naturarum, complexionum, morum, propensionum, & voluntatum coniunctio, consequenter eximia quædam dolorum communicatio. Quod igitur pro salute nostra Christus in corpore suo de condigno, & ex omni æquitate, & rigore iustitiæ Patri satisfaciens patiebatur, hoc Maria de congruo, impetratorio, ut vocant, merito, procurabat.

[*Laur. Iustin. l. 3. de Laud. Virg. fol. 194.*]

VI. Quòd non fuerit tàm amarum martyrium aliorum Sanctorum, manifestissimè patet. Non fuit talis Filius, non fuit talis Mater; Non fuit tanta charitas sicut inter Matrem & Filium; Non fuit tam indigna mors; non fuit dolor tantus; sciebat siquidem Mater, qualis erat Filius, unde conceptus, & quomodo, & cætera huiusmodi, & ideò quantò dilexit teneriùs, tantò vulnerata est profundiùs.

[*Idem ibi fol. 196.*]

VII. Cùm alii Martyres passi sint propter fidem, Maria passa est propter charitatem; Unde dicit in Canticis, secundùm aliam litteram, quam ponit Gregorius: *Vulnerata charitate ego sum*; & sicut charitas maior est quàm fides. 1. Corinth. 13. *Major autem horum est charitas*, sic Mariæ Martyrium quantalibet excellit Martyria Sanctorum.

[*S. Anselmus de Laud. Virg. c. 3.*]

VIII. *Tuam ipsius animam doloris gladius pertransibit.* Et verè per transivit animam tuam gladius doloris, inquit S. Anselmus, qui tibi amarior fuit omnibus doloribus, cuiusvis passionis corporeæ; Quidquid crudelitatis inflictum est corporibus Martyrum, leve fuit, aut potiùs nihil, comparatione tuæ passionis, quæ nimirùm sua immensitate transfixit omnia penetralia tua, usque benignissimi cordis intima.

[*Taulerus 44.*]

IX. Tanta eius crux, tanta afflictio erat, ut, tametsi invenire quidpiam consolatorium in filii passione potuisset, suis levandis doloribus accommodum, mox ab illo amaritudinis impetu atque profluvio fuerit absorbendum, haud secùs, quàm si gutta suavissimi vini in mare salsissimum mittatur.

[*Ibidem.*]

X. Quia Pater æternus Unigenito Filio suo, nullum excellentius, vel præclarius, quàm crucis sivè passionis donum conferre potuit (hoc namque post ipsum gratissimum, beatissimúmque munus est, quod charissimis præstat amicis suis) ideò & virgini intemeratæ hoc ipsum donum largitus est; Cui dono ipsa per invincibilem quandam tolerantiam cooperari optimè novit.

[*Ibidem.*]

XI. Non attendit doloris gladium, quo cor suum scindendum erat; Non thesaurum pretiosissimum, quo privanda erat, consideravit; nec denique unâ se horâ omni gaudiô, solatiô, ac ipso demum charissimo Filio suo destituendam intuita est, sed totam se cum omni facultate sua simul in gratissimam resignavit Dei voluntatem, parata omnem ferre pressuram, afflictionem, & gravissimos cruciatus, qui hinc ei accidere possent.

Ma-

MARIA Veneranda.

S. Anselmus l. de excell. Virg. c. 4.

XII. Hoc solum, quòd Dei Mater est, excedit omnem altitudinem, quæ post Deum dici, vel cogitari potest.

S. Bonav. in spec. c. 8.

XIII. Maiorem mundum potest facere Deus, maius cœlum; maiorem Matrem, quàm Matrem Dei, non posset facere Deus.

S. Bernardus serm. 6. de assumpt.

XIV. Angelicam transiens dignitatem, usque ad summi Regis thronum es sublimata, ubi posuit idem Rex Filius tuus, quod ex te suscepit, ibi te posuit Reginam, de qua illud assumpsit. Neque enim fas est álibi te esse, quàm ubi est id, quod à te genitum est.

S. Arnoldus serm. de B. Virg.

XV. Christus Dominus, Maria Domina; constituta quippe est super omnem creaturam, & quicunque JESU curvat genu, Matri quoque pronus supplicat.

S. Bernardinus to. 1. conc. 61. art. 1. c. 6.

XVI. Tot creaturæ serviunt gloriosæ Virgini Mariæ, quot serviunt Trinitati: Deo scilicet ita volente, & imperante.

S. Bernard. s. de aquæductu.

XVII. Si omnia dona, virtutes, & gratiæ ipsius Spiritûs S. quibus vult, quomodo vult, & quantùm vult, per manus ipsius (Mariæ) administrantur: Altiùs ergo intueamur, quanto devotionis affectu à nobis eam voluerit honorari, qui totius boni plenitudinem posuit in Maria; ut proinde si quid spei in nobis est, si quid gratiæ, si quid salutis, ab ea noverimus redundare. Adeóque totis medullis cordium, totis præcordiorum affectibus, & votis omnibus Mariam hanc veneremur, quia sic est voluntas eius, qui totum nos habere voluit per Mariam.

Invocanda.

S. Bernard. serm. Signum magnum.

XVIII. Et quidem sufficere poterat Christus, siquidem & nunc omnis sufficientia nostra ex eo est: Sed nobis bonum non erat, hominem esse solum, congruum magis, ut adesset nostræ reparationi sexus uterque quorum corruptioni neuter defuisset.

B. Eutychianus in vit. S. Theoph.

XIX. Quis unquam, O Beata! fideliter omnipotentem tuam rogavit opem, & fuit derelictus? Reverà nullus unquam.

S. Bern. serm. de assumpt. Virg.

XX. Sileat laudes tuas Virgo beata, qui te fusis in necessitatibus invocatam, sibi unquam meminerit defuisse.

S. Anselmus apud S. Antonin. 4. p. tit. 50. §. 14. c. 7.

XXI. Sicut impossibile est, ut illi, à quibus Maria oculos suæ misericordiæ avertit, salventur; ita necessarium, quòd hi, ad quos convertit oculos suos, pro eis advocans, iustificentur, & glorificentur.

S. Bonav. l. 1. pharet. c. 5.

XXII. Sicut, O Beatissima, omnis à te aversus, & à te despectus, necesse est, ut intereat; ita omnis ad te conversus, & à te respectus, impossibile est, ut pereat.

S. Bernardus serm. in Nat. Virg.

XXIII. Ad Patrem verebaris accedere; solo auditu territus, ad folia fugiebas: JESUM tibi dedit mediatorem. Quid non apud Patrem Filius talis obtineat? At verò trepidas & ad ipsum? frater tuus est, & caro tua, tentatus per omnia absque peccato, ut misericors fieret: Hunc tibi fratrem Maria dedit. Sed forsitan, & in ipso Maiestatem vereare divinam, quòd, licet factus sit homo, mansérit tamen Deus. Advocatum habere vis & ad ipsum? Ad Mariam recurre. Exaudiet utique Matrem Filius, & exaudiet Filium Pater. Filioli, hæc peccatorum scala, hæc mea magna fiducia est, hæc tota ratio spei meæ.

S. Arnoldus tr. de laud. Virg. to. 6 Biblioth. Patrū.

XXIV. Habet homo mediatorem causæ suæ, Filium ante Patrem, & ante Filium Matrem: Christus Patri ostendit latus & vulnera: Maria Christo pectus & ubera: Nec potest ullo modo esse repulsa, ubi concurrunt & orant omni linguâ disertiùs hæc clementiæ monumenta, & charitatis insignia.

S. Bernard. hom. 2. in Miss.

XXV. O quisquis te intelligis in huius seculi profluvio, magis inter procellas, & tempestates fluctuare, quàm per terram incedere, noli avertere oculos à fulgore huius sideris, si non vis obrui procellis. Si insurgant venti tentationum, si incurras scopulos tribulationum, respice stellam, voca Mariam. In periculis, in angustiis, in rebus dubiis Mariam cogita, Mariam invoca. Non recedat ab ore, non recedat à corde: & ut impetres eius orationis suffragium, non deseras conversationis exemplum.

§. II.

EXEMPLA SACRA.

MARIÆ Nomen.

In eius vita.

I. AD Sacrum Mariæ Nomen, non reclinatorium modò, ac manum, pro Præmonstratensium Religiosorum more, osculabatur B. Hermannus de Steinveld, sed toto etiam corpore prosternebatur, támque suaviter iacebat, ut inter fragrantissimos totius veris flores iacere se suaviùs non posse fassus sit, nec inde nisi admodum repugnanter exurgeret.

MARIA Invocanda.

Pædagogus Christianus p. 1. c. 25. §. 2.

II. Urbs Valencenarum peste Anno 1008. tam graviter laborabat, ut paucis diebus, haud multò minùs octo hominum millibus sublati censerentur. Intercessere apud Dei Matrem Eremitæ cuiusdam in sacello quodam eius, vulgo de fontibus dicto, preces. Cùm enim B. Virgo hominem spe levandæ civitatis recreatum, ad Comitem Hermannum; civésque misisset, eósque pridie eius diei, quo divæ celebratur nativitas, hoc est, 7. Septembris, orationibus iussisset, & ieiuniis vacare: Visa est ipsa Dei Mater, secundùm noctem à plerisque civibus, etiam ab ipsomet Comite, & urbis Primoribus, quos lux insolens, quæ noctis tenebras in diem vertebat, in mœnia exciverat, visa est, inquam, admirabili gloria illustris, comitantibus multis Angelis, aliísque Divis, Urbem filo circumcingere. Cúmque per eundem Eremitam iterum monuisset, ut cives ipso etiam festo, in iisdem pietatis officiis perseverarent, adderéntque solemnem supplicationem, quâ eos ductum circùm urbem filum deduceret;

ret: Id porrò cùm ingenti omnium ordinum studio; & pietate peractum fuisset, exemplo evanuit omnis lues. Atque exinde in gratiarum actionem, atque perpetuam rei memoriam decreta est istic anniversaria quotannis eodem die 8. Septembris, supplicatio: collectum filum, & argentea theca inclusum, cum aliis sacris lipsanis asservandum, dedit etiam instituendæ in eiusdem Matris Virginis sospitatricis suæ honorem, Congregationis ab ipso filo nuncupatæ, occasionem.

Bar. Mo-f. ant. ex prat. spirit. c. 73. III. Civis quidam Alexandrinus, vir Christianus, & pius, cum coniuge pari pietate fœminâ, & sexenni filiola, vitam misericordiæ operibus, ieiuniisque spectabilem ducebat: Huic mercimonii causâ Constantinopolim proficiscendum erat: Iamque navim conscenderat, quando, dicto vale, uxor, cui me, inquit, filiolámque tuam, mi coniux, commendatas relinquis? Magnæ Dei Matri, Dominæ nostræ ter optimæ, respondit ille: ei vos totas commendo, tradóque. Acceptâ hac mariti apprecatione domum redit, & pro more pietati & operibus domesticis vacare instituit. Manserat domi abeuntis viri voluntate famulus, cui, post aliquot dies, dæmonis suggestione, atrox in mentem venit facinus, dum heram ille cum filia, de medio tollere cogitat, quo spoliare domum liberis, & heri divitiis potiri, dein fugere tutiùs possit. Igitur armatus cultro, mifer ad cubile, in quo cum filia mater secura animi, domestico incumbebat operi, propiùs accedit: verùm tanta subitò cæcitate percutitur, ut nec cubilis ostium pertentare ullo modo, nec ad culinam retrogredi posset, sed nec quò se verteret, inveniret, tandem elatâ voce, Heram, ut foras ad se veniret, rogat; Mulier contra: Quin tu potiùs, inquit, ad nos ingrederis, qui ostium in manu habes? Cùmque ille iterum iterúmque clamâsset, ut vel ipsa hera, vel saltem filia foras egrederetur, nihilque impetraret, verso in se furore, cultrum in suamet viscera adegit, ingentique edito clamore concidit. Hic tum mulier nihil sinistrum suspicata accurrens, servum in suo sanguine natantem invenit, cúmque horroris & stuporis plena, quid eo casu faciendum, ignoraret, clamore vicinos advocat, excitóque rumore Magistratus mox adest, cui coram intermortuis verbis fassus est famulus, quid in heram machinatus fuisset, nisi immissâ divinitus cæcitate fuisset impeditus. Ita securus ille vivit, qui sub Dei Matris protectione vivit.

Pelag. l. c. n. 10. IV. Anno 1612. Gaudiæ finitimo in oppido contigit, quod animi æquitatem in ferendis contumeliis, & pietatem in colenda Dei Matre, vehementer commendet. Mulieri pudicæ, ac piæ petulans mulier obiecerat in iurgio per summam calumniam, quotquot haberet liberos, omnes ex adulterio suscepisse. Eam tam frequentem stupri labem, uxori obiectam vir cùm accepisset, seu ratus verum, seu veritus, ne pro vera publicè haberetur, animo destinat atrox de coniuge supplicium. Omnis itaque doli securam, & in complexu tenellæ prolis alto somno demersam, nocte intempestâ, deturbat de cubili, atque in proximum hortum vi abreptam, laqueo faucibus inserto, erigit sublimem ad ramos obviæ arboris, unde mox supernè astrictâ reste strangulandam deiicit. Commodè acciderat, ut pridiè acerbo illo appetita convicio proba mulier iniuriam Beatæ Virgini, quam impensè colebat, totam permitteret, nullius rei de cætero anxia. Causam innocentis cupidè suscepit Deiparens, & quidem in tempore: Nam se deiectam ex arbore allevari occultâ manu sensit infelix mulier, ut ne sua mole restem adstringeret, quâ præfocaretur: quæ deinde rupto iam fune, ut novaculâ succisum crederes, certo exitio absolvitur. Hoc periculo defunctam miseram, rabie percitus coniux in editum collem rapit, & magno nisu impulsam, in præruptas rupes præcipitem dare conatur, sed irrito eventu, cùm prævalidè impulsa, ne vestigio quidem ipso decederet, eam scilicèt firmante Mariæ manu, quam supplex invocabat. Collectis viribus, alioqui eximiâ membrorum firmitate homo, iterum tertiò & quartò etiam deturbare in subiectas cautes magno impetu insistit: Sed Caucasum diceres furentibus Austrorum flatibus suâ mole obnitentem. Nihil hîc defuit, quo aperta Numinis præsentia, fœminæque innocentia probaretur, quæ à scelere furentem hominem averterent. Ille contrà geminum parricidium tertio parricidio, desperatione actus, cumulare pergit, coniugem penè exanimem de collis iugo domum detrahit, in lectulo eam se componere iubet, plumbeâ glande mox transverberandam. Igitur in ferream maioris modi fistulam, sulphurato pulvere, ac plumbeis suffartam glandibus, ignitâ reste flammas iniicit, lethalis plumbi globos in pectus uxoris Mariam implorantis, explosurus: semel, iterum, tertiò adducta in subiectum pulverem ignita machinula flammam non elicuit ex sulphurato fomite, ut ignis in glaciem, sulphur in gelidam aquam degenerâsse putaretur. Cedit quidem innocentiæ, ac imprimis Numini, vis flammarum, ac ferri, non tamen se frangit parricidæ contumacia. Vitio catapultæ adscribit, quod ignem non conceperit sulphureus fomes: alteram expedit multùm flammæ concepturam: Excussus quidem est ingenti fragore, ac in sinum pavidæ mulieris summo impetu delatus globus, sed quasi laneus esset, ictu penitus inanis. Tertii iam parricidii reo, hîc demum subiit cogitatio irati in se Numinis, ob toties violatam uxoris innocentiam. Supplex igitur ad eius se subiicit pedes, veniam flagitat, & facilè à mitissima fœmina impetrat. Illa beneficii memor vota quædam in omnem vitam Magnæ Matri nuncupat, ac se totam illius servituti profitetur addictam fore. Vir eius postridie nostrum adit Sacerdotem, quem, narratâ prodigiosi casûs historiâ, reconciliando sibi Numini adhibuit internuncium.

V. Circa annum Christi 1222. ipse dæmon Sacris adactus exorcismis, fassus est, Mundum abirato Vindice Deo interiturum fuisse, nî Diva Virgo Mater (cuius statua sub idem tempus, *Cæsar. l. 7. c. 2.*

in

in quodam Germaniæ templo, multo sudore, spectantibus omnibus, ac strophiis sudorem excipientibus multis, defluebat) supplex intervenisset.

Pedag. l. c. §. 3. n. 3. VI. Infans olim adhuc in cunis, nondum ad loquendum idoneus, singulari prodigio, his verbis Matrem compellavit; Vidi, inquit, mea Mater, Christum Judicem regali solio sublimem & metuendum; cui supplex accidit Sanctissima eius Mater, rogavitque, ne supremum illum mundi diem, quod minabatur, esse vellet. Ita dixit puer, & obmutuit, nec deinceps antè est locutus, quàm per ætatem didicit.

Cæsar. l. 12. c. 52. VII. Meminit Cæsarius de Wilhelmo quodam de Claravallo Religioso à divinis revelationibus celebri, qui in raptu mentis viderit Christum, qui ultrà in Mundum irâ accensus, jussit Angelum, qui ad Tribunal propiùs astabat, tubâ clangere, quo sono totus orbis non secùs ac folium in arbore contremuerit: Et cùm etiam secundò id esset, urgente Dei imperio, facturus, ac Mundum eversurus, unam divam Matrem ex omnibus Sanctis ausam se interponere, atque ad Filii pedes provolutam, Judicem Filium rogâsse, ut misero & usquequaque reo liceret, etiam illa vice dilato judicio comperendinari; atque ordinem suum Cistercienſem, in spem emendationis, vadem obtulisse.

Chronic. Minorum p. 2. l. 2. c. 53. VIII. Vidit olim secundùm somnum F. Leo S. Francisco Assisinati intimus, in patenti campo binas à solo ad cœlum assurgentes scalas, unas rubeas, quibus insistebat Christus, albas alteras, quibus Christi Mater Maria. Adfuit S. Franciscus & ex infinita hominum multitudine Angelicæ tubæ sono ad Judicium istùc evocatâ, Fratres suos sollicitè hortatus est, per scalas rubras ascendere festinarent ad Christum: ergo scandunt non indiligenter. Verùm plerique ex altero, aut tertio gradu, quidam ex decimo, nonnulli ex scalarum medio delapsi Franciscum habuêre sollicitum, qui ad Christum conversus fratrum suorum causam acturus, vidit manus recenti sanguine perfusas cum latere exhibentem, querentémque id à Fratribus eius sibi factum. Quid hîc ageret Franciscus? Nimirum ad albas scalas, cui misericordiæ Mater præerat, conversus, istac suos fidenter ascendere iubet; quod faciunt omnes nullâ difficultate, atque à benignissima Matre blandè excepti, subeunt æternæ beatitatis superna palatia, nos hoc suo exemplo erudientes, ut declinato tantisper divinæ iustitiæ, quam rubeæ scalæ denotant, metuendo rigore, discamus ad Mariam, & ad candidas misericordiæ illius scalas confugere.

MARIA Salutando veneranda.

Surius, 7. April. IX. B. Albertus in Cœnobio Crespiniano Monasticem professus, centies quotidiè procumbens, verba divinæ ad Deiparam legationis iterabat.

R. P. Labin. Anlt. Bibl.

Idem 24. Mart. X. B. Catharina S. Birgittæ filia, quotidie quatuor horas flectendis genibus, & Angelicæ Salutationi recitandæ, multis perfusa lacrymis, impendebat.

Idem, 13. Jan. XI. Fidem superat, quod de B. Maria Ogniacensi proditum est: Visa est illa sæpè spatio horarum viginti quatuor in Deiparæ honorem, centies supra millies ita genua flectere, ut id sexcenties sine interruptione faceret, subdens interim toties salutationem Angelicam: Posthæc addebat psalterium Regii vatis 150. Psalmorum, subnectens singulis psalmis singulas genuflexiones, totidémque Ave Maria. Deinde trecentis dorsum ictibus, non sine sanguine flagello mulcans, Ave Maria totidem Virgini Matri recitabat. Tandem flectens genua quinquagies, ac toties recitans Ave Maria, suum Mariani cultus exercitium, & statas mille, & centum genuflexiones claudebat: ac sæpè ab hoc exercitio ad dies 40. non recedebat.

Cantipr. l. 2. apum, c. 29. XII. Miles quidam veteranus Cistercienſem ingressus Ordinem, cùm ob ingenii hebetudinem orationem Dominicam addiscere non posset; Salutationis Angelicæ quatuor prima verba, *Ave Maria gratia plenâ*, toties ac tanto studio vel inter comedendum, & animo, & ore volvit, revolvitque, ut tandem memoriâ teneret firmiter, nec haberet deinceps, quod iucundius Salutatione istâ, quódque Matris Christi recordatione gratius, frequentiúsque & animo, & ore usurparet. Quàm porrò gratum Deo, divæque Matri hoc fuerit obsequium, testata est post eius obitum peregrina arbor, quæ de eius sepulchro enata, in singulis suis foliis hæc eadem verba, *Ave Maria gratiâ plena*, aureis expressa litteris, cuivis legenda exhibuit, usque dum effossâ circùm humo, per loci Episcopum comperêre ex boni istius Religiosi ore prodigiosam arborem propagatam, eo autem cognito, tanquam munere suo functa arbor, spectantibus, & mirantibus cunctis exaruit.

Ex Chronic. S. Francisc. XIII. Hac oratione Mulier filiolum à Matre Virgine, mortis periculis subductum recuperavit: cùm enim audisset minorem ex duobus filiis, quos manè ad scholam miserat, de ponte, quà transeundum erat, in profluentem decidisse, nec retrahi omninò, aut servari potuisse, accedit ad Deiparæ imaginem, ad quam filioli, ex eius institutione, semper Coronam Virginis, antequam domo egrederentur, recitare solebant; ad hanc igitur imaginem accurrit, & filium commendat, recitato semel Ave Maria, Tum surgens ad quærendum filium pergit, & ecce videt occurrentem salvum & incolumem, qui se ab eâ aquis extractum aiebat, ante cuius imaginem manè Coronam recitâsset.

Cæsarius l. 3. c. 14. XIV. Eâdem salutatione sæpè dæmon, qui quosdam etiam visibili specie infestos habebat, fugatus, profligatúsque est. Testis istis puella, apud Cæsarium, quam hostis ille, cùm ab ingressu Religionis apertis machinationibus avertere non posset, ac die quodam arreptam, de

editiori loco præcipitatum iret, illa verò interim Mariam consuetâ salutatione invocaret, dimittere est coactus: atque hæc verba immurmurans, si in hac hora mulierem illam non invocâsses, occidissem te, ipse se per fenestram atri canis formâ dedit præcipitem. Qua arte etiam deinceps ab eâdem iam religiosâ non raro fugatus est.

Nierenbergius in vita S. Ign. c. 31. XV. P. Joannes Eusebius Nierenbergius in vita S. P. N. Ignatii, meminit cuiusdam in Hispania hominis, qui in omni flagitiorum genere, criminumque, præter hæresim, ad seram usque ætatem volutatus, eò perversitatis devenerat, ut nonnunquam in ipsum Deum odio exardescens, id etiam studiosè ageret, quod illi quàm maximè crederet displicere: ad summum tam nulla in eo inerat salutis cura, ut non modò nunquam, de bona peccatorum confessione benè instituenda cogitaret, sed fugeret etiam, quidquid eò spectaret, aut officio ullo modo monere posset, factus totus Diaboli mancipium & devotum caput. Homini ergo in eo versanti statu, nocte quadam cùm æger decumberet, & fugeret eum somnus, adfuit cœli Regina, sed mox, cùm oculos tantùm admirabili plenos modestiâ, benignitate ac misericordiâ in iacentem coniecisset, evanuit. Non fuit frustra tam benignus Dei Matris aspectus, siquidem sub eodem, homo iste, totam præteritæ vitæ rationem ita clarè distinctéque perspexit, ut ex peccatis & numero & gravitate penè infinitis, nullum non mentis oculos perstringens ingentem & animo dolorem, & oculis profluvium cieret lacrymarum. Et ut ob tantam vitæ turpitudinem confusione oppleretur incredibili, non ideo tamen despondebat animo, sed si valetudo & nox intempesta non impediret, prosiliisset, & curriculo ad Sacerdotem advolâsset, peccata omnia in aures eius, ac sinum depositurus. Nec fuit, orto die, ulla mora, Sacerdotem è Societate IESU accersendum rogat instantissimè; Et commodùm mittitur R. P. Eusebius, qui hæc scribit, cui ille totam vitam tanta evolvit exactitudine, distinctione, & claritate, quantam nemo Theologorum, post multorum annorum discussionem meliorem afferre potuisset. Tenuit hæc boni viri pia peccatorum tot & tantorum accusatio tres omninò horas, & non ampliùs, & absolutionis beneficium accepit à Sacerdote mirante pœnitentis sui, & tam insolens in cognoscendis distinguendísque peccatis lumen, & tantum in detestandis iisdem, cum veri doloris significatione, studium; His ita feliciter peractis addidit verus pœnitens votum, si Deus vitam prorogaret, eam Deo, in statu aliquo religioso consecrandi; sed tamen melius illi, securiúsque fore de incerta hac & instabili, ad certam & æternam melioris vitæ transire stationem; Quod uti sibi à Deo concederetur, Patrem illum vehementissimè rogavit; Et verò impetravit, siquidem intra dies quinque ad vitæ metam pervenit, postquam omnibus Sanctæ Ecclesiæ Sacramentis probè munitus, breve, quod supererat, spacium, continua quadam virtutum exercitatione, & veræ pietatis sensu exegit tanto, qui etiam adstantium cieret lacrymas. Periit subinde ab eo Pater, num quâ aliquando in vita, Dei Matrem pietate coluisset, non aliâ respondit, quàm quòd semel quotidie, Salutationem Angelicam in honorem illius recitâsset. Tum & ille Patrem rogavit, uti tam singularis Dei Matris in se beneficii præco apud omnes esse vellet, facta potestate, omnia, quæ ab se audiisset, ad Dei Virginísque Deiparæ gloriam evulgandi.

MARIA Veneranda Rosarium recitando.

In Chron. Minor. p. 3. l. 1. c. 16. XVI. Aloysius Albanensis ex Ordine Minorum Novitius, à Gabriele Anconitani Monasterii Guardiano, singulis diebus Coronam, antequam ederet aliquid, recitare iussus, cùm aliquando aliis occupatus, pensi sui immemor ad mensam venisset, à Superiore interrogatus, & de oblivione increpitus, ad templum, ut debitum exolveret, missus est. Ibi bonus ille, flexis ante Aram maximam genibus, coronam suam persolvere instituit, quod dum facit, visus est tum ab iis, quos Superior observatum miserat, tùm ab ipsomet superiore, qui ad rei miraculum commonitus accurrerat; visus est, inquam, Angelus orantis supernè capiti imminens, qui filo aureo rosas, liliáque, quæ de istius ore fluebant, ita inserebat, ut post singulas rosarum decades, singula lilia succederent, quæ deinde omnibus in corollæ modum innexa adolescentis capiti imposuit, & avolavit. Et ne quis vanam hic aliquam phantasiæ illusionem intervenisse crederet, mirus, & perquam suavis, ac benè diuturnus afflatus est ex eodem, ubi ille oraverat, loco, rosarum ac liliorum odor: Ipséque adeò Novitius multis deinceps à Deipara favoribus cumulatus, ad mortem usque in cœpta pietate perseveravit.

Lib. 4. In-velat. XVII. Cùm S. Gertrudis hoc pium solitùmque 150. Salutationum Angelicarum pensum semel ob capitis dolorem persolvere non posset; Atque eius loco solùm hæc duo verba, *Ave Maria*, pari numero recitâsset, vidit sub huius orationis finem ipsam Sanctissimam Virginem manu coronam pulcherrimis contextam rosis, prætendentem, factæ orationis præmium; simúlque audiit dicentem, non minus hoc ex legitima causa decurtatum rosarium gratum fuisse, quàm quæ aliàs integra obtulisset, hoc ipsum utique oblatura, ni capitis dolor vetuisset.

Eius Imagines colendo.

Surius in vit. 28. Ian. XVIII. B. Margarita Regis Hungariæ filia sub S. Dominici disciplina Sanctimonialis, Sanctissimam Dei Matrem in eius Imagine, ubicunque se illi quæpiam offerebat, Angelica salutatione de genibus solita fuit consalutare. Idem faciebat singulis eidem Beatiss. Virgini festis diebus, ac per totam octavam, quotidiè millies prostrato semper humi corpore. Nec

pudic

pridie istorum dierum, præter panis, & aquæ paululùm, obsonii quidquam admittebat. Quoties autem in loco Capituli, ut vocant, sequentis diei solennitas promulgabatur, ipsa humi strata, profusis lacrymis Deo grates referebat.

Godignius in vita. XIX. Erat & in huiusmodi Mariani cultûs studiis singularis prorsus, nostræ Societatis nobilis Athleta, & suo pro Christi fide, in Monomotapa, sanguine, insignis martyr P. Gonzalez Sylveria, qui ubicunque se Dei Matris effigies ultro, citróque commeantis oculis offerebat, eam toto capite, oculis, ac, si sine arbitris esset, genuum ad terram usque inflexione, venerabatur: Nec minùs faciebat, quoties precatoriam divæ Virginis corollam decurrens, angelicam salutationem inchoabat.

Ribera l. 4. vitæ cap. XIX. S. Theresiâ Monasterii Incarnationis Avilæ creata antistes, in ipso obeundi muneris ingressu, nihil prius habuit, quàm ut se, & cœnobium totum B. Virgini, devoveret. In quem finem imaginem eius in cathedra priorali collocavit, eique Monasterii claves, unà cum regimine tanquam Superiori, cuius ipsa esset vicaria, obtulit. Quod sibi gratum fuisse Virgo ostendit, dum pridie S. Sebastiani visibili specie, in locum imaginis suæ substituta, se domus illius gubernacula, non illibenter suscipere demonstravit. O Patres matrésque familias; Quanto domus vestræ bono, sub talis Virginis antistitis imperio regerentur.

Surius in vit. XX. S. Edmundus studia nunquam inchoabat, nisi imploratâ prius ope Virginis, cuius imaginem semper coram habebat, & se ipsa sæpius revera præsentem exhibebat: Semel cùm inter studendum, fuisset fortè lucerna à glire extincta, Edmundus ad Matrem suam, pro more suo, confugiens, vidit Angelum ab illa missum, qui lumen restituit.

Barry in paradiso 23. Ianuar. XXI. Anno salutis 1631. non procul Divione tres prædones, in equitem, qui secum retrò vehebat Monialem è Cœnobio abductam, inciderunt; cúmque armis hic se contra istos defendere pararet, ab uno illorum caput glande ignita percussus, de equo cecidit exanimis, unàque decidit, sed illæsa Monialis, quæ instituti cum equite, itineris causam interrogata, ingenuè, quod res erat, fassa, magno se dignam supplicio pronunciavit. Habebat illa in sinu B. Virginis Iconem, quam in istorum occursu in manus sumpserat, eiusdem Virginis implorata ope, quam & impetravit: nam grassatores isti, contra morem eiusmodi hominum, Monialem non tantùm non tangunt, sed, si velit, paratos se offerunt eam ad Monasterium suum equo deportare. Id officii cùm toto animo admitteret, ab uno grassatorum domum revecta est, & monita, ut hinc sapere disceret. Sub hæc Monialis ut vectori suo aliquod, ob acceptum beneficium, grati animi pignus relinqueret, Iconem, eum, quâ se servatam credebat, donavit; Nec fuit homini donum istud diu inutile: siquidem ad suos properanti exorta animo, ex pravæ vitæ recordatione, gravis inquietudo, & conscientiæ remorsus meliorem iniecit mentem, suasitque; relictis sociis vitam ad Christiani officii normam revocaret. Nec mora: converso gradu ad Divæ Virginis Sacellum quoddam, Divione duabus distans leucis, cuius effigiem Monialis dederat, se recepit, Virginique Matri, quam mutatæ iam in melius vitæ deprædicabat auctorem, gratias egit.

XXII. Narrat Joannes Moschus in suo prato Spirituali de Joanne quodam viro Sancto, qui peregrè ad visitanda sacra loca profecturus, B. Virginis Mariæ Imagini, quam in specu sua secum habebat, lumen honoris causâ accendere, & ipsam illi lucernam cellulæ commendare solitus, sæpè post aliquot septimanarum, imò mensium peregrinationem, ad speluncam suam reditum, lucernam semper accensam, nulla eius facta imminutione inveniebat, certum grati magnæ Matri impensi officii, testimonium. *In prato Spirit. c. 180.*

XXIII. Nobilis quidam Lusitanus ex morbo decumbens pro suo in Deiparam Virginem pio affectu iusserat in cubiculo suo parari Altariolum, & in eo divæ Statuam collocari, & textâ è floribus corollâ coronari, ac circum flores spargi, usus in hanc rem operâ mancipii Turcæ, qui sanè non segniter, nec morosè Domini sui iussa implere conatus est. Cæterùm herus pridem optaverat servum illum suum Christianis accenseri, & sæpè hominem tum ratione, cùm prece ac pretio ad id invitârat, sed semper frustra; Is ergo postridie eius diei, quo in exornanda Dei Matris effigie, tam cordatam, heri iussione, navaverat operam, ad herum accurrit, baptismum postulat, ita nimirum ut peteret, secundum noctem iussisse Virginem, cuius exornandæ imagini tam sedulò se impendisset. Hac tam inopinata, & diu optata servi postulatione, ita exultavit Nobilis, ut Medicinâ illi tunc quidem non fuerit opus aliâ ad morbum pellendum, & curandum, ut famulus Christianis Sacris imbueretur; Qui factus Christianus vitam eo nomine dignam instituit, & in magnæ Virginis Matris obsequium toto pectore incubuit. *Barry in parad. 18. Aug.*

XXIV. Inter cultarum Deiparæ imaginum præclara documenta, quibus vera pietas æstimatur, ab elegantiori profectum ingenio illud videri potest, quo ad posteros transmisso, Melchioris Hierbæ Ord. Min. nomen est nobilitatum. Nam quia vilium pictorum inscitiâ Divæ Virginis ora vultúsque minùs eleganter effictos videret (quod sæpiùs inter illa Mexicanæ Ecclesiæ rudimenta fieri necesse fuit) illatam pulcherrimæ mulierum iniuriam non ferens, ut, quoquo posset, modo compensaret, illicò positus humi genibus eidem laudes, ac vota offerebat. Idem illi animus, eadem religio, si in minùs cultas atque ornatas incidisset. Si tali ubique gentium penicilli error pietate corrigendus est, Virgini effingendæ nullum ego Apellem requiro. Cultior deformi sua imagine lautiórque fuit Virgo, quàm si artis miraculo spectata, veræ pietatis indigeat veneratione. *Io. Rho. l. 3. c. 3. n. 12.*

R. P. Lohn. Auct. Bibl.

Digitized by Google

Antiphonam Salve Regina *recitando.*

L. 4. Revel. c. 51. XXV. S. Gertrudis de Saxonia quondam vespertinis Completorii precibus præsens, cùm Salve Regina cantaretur, sensit se, ad illa verba, *Eia ergo Advocata nostra* duplicato fervore opem Beatissimæ Virginis tanquàm potentissimæ Advocatæ implorare, simúlque videre sibi visa est eandem B. Virginem suam quadam orationis istius violentiâ, non secùs ac fortissimis ad se trahi funibus; quo viso sanè ostendebat, quàm efficaciter sub hoc pio, Advocatæ, nomine, ad ferendam hominibus opem, moveretur; Cùm ulteriùs ad hæc verba: *Illos tuos misericordes oculos ad nos converte*, chorus pervenisset, tunc eandem se Sanctissimam Dei Matrem vidisse aiebat, quæ benedicti Filii sui caput ac faciem deorsum leniter inclinans dixerit: Ecce hi sunt misericordes oculi illi, quos ad eos, qui opem meam postulant, convertere soleo. Sub hæc tandem ipsum Christum iussisse, ut quotidie hac oratione, saltem semel, uteretur, futurâ illi olim in mortis horâ, ut certum, ita non vulgare solatium & levamen.

Cæsarius l. 7. mirac. c. 80. XXVI. De Sacerdote quodam à vitæ sanctitate benè noto scribit Cæsarius, cùm exorta gravi tempestate audiret mugire tonitrua, territúsque ad vicinum templum confugisset, & ante Dei Matris aram, seriò & ardenter se à fulmine servari deposceret, apparuisse illi Sanctissimam Virginem, & iussisse, ut, quotiescúnque fulgura & tonitrua existerent, toties Salve Regina oraret, ac nihil hac munitus prece, sibi deinceps ab illis pertimesceret.

Quinque Psalmos recitando.

Spinellus in throno Dei. n. 24. XXVII. B. Joscio ad S. Bertini Audomaropoli, olim asceta, in eam erga Dei Matrem pietatis consuetudinem venerat, ut psalmos quinque: *Magnificat: Ad Dominum, cùm tribularer: Retribue: In convertendo: Ad te levavi:* qui primis suis litteris nomen, MARIA, describunt, quotidie, dum vixit, legeret. Et ne dubitarent homines, id pietatis officium Beatissimæ Virgini gratissimum fuisse, prodigiosi flores quinque ex mortui oculis, auribúsque, atque ore enati prodiêre, quorum qui de ore fuerat propagatus, in singulis foliis Sacrum Nomen, Maria, inscriptum gerebat.

Officium recitando.

Rib. l. 3. c. n. 1. XXVIII. Assueverat Regius adolescens Lusitanus, Sebastianus Virgineas Laudes destinatis horis descriptas diligenti religione percurrere, nulláque ab eo studio occupatione dimoveri. Itáque cùm fortè venaturus equum insiluisset, in eam venit cogitationem, se destinatum laudum pensum magnæ Virgini nondum persolvisse. Ergo, nequicquam monentibus Aulicis, non defuturum sub noctem tempus opportunum precationi, illicò ab equo desilivit, séque consuetum recipiens in cubiculum, statas decurrit laudes, quibus persolutis ad venationem abiit: noluit, dum feras caperet, domesticam sibi elabi pietatem.

XXIX. Quàm Deo, Beatissimæque Virgini grata sit huius officii recitatio, testatus est quidam tempore Caroli Francorum Regis, regio in Ungariâ ortu adolescens, cui id pensi in Virginis honorem quotidie recitare solito, apparuit Virgo Mater, & à carnalibus nuptiis, quibus iam parabatur, abstractum, ad castitatem in ordine Religioso perpetuò servandam traduxit, eidémque festum Immaculatæ suæ Conceptionis celebrandum indixit. *S. Anselmus epist. ad Episc. ...*

Corollam Stellarum recitando.

XXX. E viris tribus peregrè profectis, atque in sylva quadam errantibus, duo, qui tertium aliquanto spatio præcesserant, in latrones incurerrunt, & ab iisdem rebus sunt, ac vitâ spoliati; venit interim & posterior ad insidiarum locum periculi ignarus, impetitur, cedit non admodùm repugnanter, mors intentatur; non recusat mori, sed moræ tantillum rogat, & impetrat, quo corollam Deiparæ Virgini percurrere breviter orando possit. Orat ergo, & ecce tibi, adfuit extemplo in aureo sublimis throno solis instar renidens Dei Mater, adfuêre Sanctæ Virgines Catharina & Lucia, quarum bonus ille fuerat singulariter semper amans; Atque ex duabus illa, ab cœli Regina iussa est rosas, quæ de orantis ore, ad singulas quidem orationes Dominicas, rubræ; Ad salutationes verò Angelicas albæ prodibant, exceptas, B. Luciæ dare, circulo aureo in coronæ modum filo argenteo circumligandas: Ita peractâ hominis prece, exstitit mira & pulchritudine, & odoris suâvitate corona, quam Virgo Mater clientis sui capiti imposuit, & simul videri desiit: Attonitis interim ad spectaculum sicariis, qui cùm ab isto, omnium quæ circum se facta essent, ignaro, sciscitati intellexissent, esse illam Mariani favoris, in sibi devotos demonstrationem, cuius etiamnum pignus coronam in hominis capite cernebant, pravam vitæ suæ rationem detestati, in alios viros mutati sunt. Is porrò, qui Virginis ope functus periculo est, coronam de capite suo acceptam deosculatus, ter optimæ Protectrici suæ gratias egit, & in eiusdem deinceps obsequiis futurus relicto Mundo, vitam religiosam professus est. *Pelbart. ...*

XXXI. Brugis peieraverat mulier quædam, atque nocte sequenti adstare sibi monstrum vidit informe, & horrendum, quod dirè infrendens, intra sex, inquit, septimanas morière mulier. Manè illa perterrita ad templum nostrum accurrit, Patri uni è nostris rem totam exponit, qui iussæ animo forti esse, operam suam spondet, modò singulis se hebdomadis confessione expiet. At ecce nocte proximâ rursus strepitu, & tumultu excitato apparere monstrum, & quod priùs, mortem intra sex septimanas uno iam die minùs, denunciare, & pergere ita deinceps singulis noctibus. Quid agat misera! ad Sacrum Sanguinem (qui Brugis reli- *Ex lit. ann. ...*

religiosè colitur) vota, supplicia, Missas, vovet: Verùm frustra. Nam larva illa quot noctibus eâdam horâ, vicinis strepitum percipientibus, mortem eodem semper modo interminatur, nisi quod numerum dierum diminuebat, prout propior dies sextæ hebdomadæ ultimus adveniebat. Summa; iam nox decretoria aderat: Patri Societatis tùm primùm occurrit, misellam monere, ut studiosè recitaret Rosarium duodecim stellarum, seu duodecim Ave Maria, id scilicet genus piæ in Virginem exercitationis esse institutum ad non celeriter moriendum: Addit præterea, ut si strepitum audire consuetum incipiat, B. Virgini voveat se totâ vitâ illud rosariolum, in dies singulos recitaturam. Igitur misera mulier fatalem exspectat horam, exauditur strepitus, beata Virgo invocatur; votum eidem de recitando rosariolo nuncupatur: Atque hîc stetêre omnia illa infernalis monstri terriculamenta, cùm ante semper coram spectandum se offerret; nec quicquam deinceps mulieri exstitit indè molestiæ.

Eleemosynas dando.

Rho l. 3. c. 3. n. 21. XXXII. De Alexandro-Peretto, Cardinali Montaldo, sic scribit Joannes Rho: Illa meo iudicio elegantissima est religio, quæ mixtis cum charitate opibus, versicolori veluti serico oculos animi utrinque ludit, ac delectat. Accenseatur religioni adversùs magnam Virginem, quod charitati in Virgines illocabiles poterat accenseri. Illius enim reverentiâ his benefacere Montaldus instituerat. Nullam Deiparæ sacram diem abire patiebatur, quin liberali manu dotatam aliquam Virginem honesto in matrimonio collocaret; ratus, gratissimum Mariæ accidere, si teneras illas ætates tuto in pudicitiæ portu aureis anchoris retinerentur.

Mortificatione Corporis &c.

Pelbartus lib. 12. p. 2. c. 1. XXXIII. Refert Pelbartus in Stellario Coronæ B. Virginis, Latronem quendam, cùm ad domum cuiusdam pauperis mulieris divertisset, die Sabbathi, observâssetque illam cum filiabus ieiunantem, ieiunii causam quæsivisse, cui responderit mulier, didicisse se à quodam Concionatore, quòd, quicunque in honorem B. Mariæ Sabbatis ieiunaret, is eam esset gratiam consequuturus, ut sine pœnitentia nequaquam vitâ decederet, damnationem evasurus. Hoc audito, vovit ille statim illis præsentibus, se totâ vitâ in Deiparæ Virginis honorem ieiunaturum. Ieiunaverat ex voto iam aliquot annis, quando in scelere deprehensus, latâ sententiâ, capite plexus est. At ecce abscissum caput, Confessionem, Confessionem, clamare cœpit Adfuit ex templo Sacerdos, qui caput trunco iungit, & Confessionem excipit, intelligitque istum ob susceptum in B. Virginis honorem Sabbathinum ieiunium, sine peccatorum expiatione mori non potuisse; Cæterùm abscisso capite adfuisse dæmones, qui animam abducerent, sed prohibitos à superveniente B. Virgine, quæ animam indè abire non sivisset, nisi contritione & confessione ritè expiatam. His ergo peractis, astantiúmque suffragiis postulatis, anima indè avolavit.

Rho. l. c. n. 15. XXXIV. Addictissima Virgini Capucinorum natio Hieronymum Politianum offert, tam exactæ in eius cultu pietatis, ut, quùm aliquis eorum in eam diligentiùs incumbit, domestico detritóque apud eos proverbio, is Hieronymo componatur. Illa præcipua memorantur. Quoties fas illi erat per Ecclesiæ leges, toties eius honori ex formula sacrificabat: septimam quamque diem, & quaternas ante eius quasque festas luces, totidémq; post dies illas, cibario pane, ac frigidâ contentus transigebat. Reliqua haud erant dissentanea, sive laudibus, conceptisque precibus; sive privatis collocutionibus publicisque sermonibus ea esset celebranda, semper reliquos inter eximius erat Hieronymus, celsissimo quodam animo, & liquidissimâ voluptate.

Cultum promovendo.

Rho. l. c. n. 4. XXXV. Stat in Quirinali Virgini à Paulo V. dicata cella, eius in cœli terræque Reginam obsequii, atque plusquàm Regiæ Magnificentiæ argumentum ingens. Nihil in urbe maius, aut elegantius videt civis, miratur peregrinus. Vario marmore Lunensi, Hispanico, Lucullero, Africano nitent parietes, pilæ, pavimentum, coronis. Porrò ara ipsa, supra quam Deiparæ imaginem Divi Lucæ ductam penicillo, in pretiosissimo è gemmis forulo collocatam colimus, vario iaspide, mirâ atque eleganti varietate colorum, ac plurimo inaurato ære, columnis, magnisque famulantium Angelorum simulacris ad miraculum fulget. Ad hæc constituta Sacerdotia, additi annui reditus, argentea atque aurea vasa, & vestis affatim dives, plurimo provisu in sacrorum ministerium comparata. Atque hæc omnia humillimæ servitutis titulo eidem Virgini obtulisse se publico Epigrammate testatus est in hæc verba: *D. V. Dei Genitrici Mariæ Paulus V. Sacellum obtulit humilis servus, Anno salutis Domini M. DC. XV. & Pontif. VI.* Quúmque nondum satis à se cultam Virginem crederet, quamquàm Sacrario & odæo Basilicam auxisset, maius aliquid moliendum ratus, immanem columnam striis ingentibus, ac plusquàm palmaribus nobilem, Lunensi ex marmore, quæ sola in Templi Pacis parietinis superrat, depositam, magnóque ergatarum molimine in Exquilinum ex foro nunc Boario translatam, erectámque, Virginis æreo inaurato, ac prægrandi signo superimposito, consecravit. Ut planè mirari desinant haud dubiâ Virginitatis, ac summæ pudicitiæ famâ obiisse Pontificem, qui in Virginis fuerit clientela.

Pædagogus Christ. p. 2. c. 15. § 4. pag. 187. XXXVI. Anno 1647. quo tempore Vandalicus turbo iam universam propè Germaniam secundo Marte pervagatus, Bohemiæ sese, ac hæreditariis augustissimæ Austriadum familiæ provinciis violentior infundebat; Sacratissimus

iusta à pientissimus Imperator Ferdinandus III. ut labantibus Imperii, Fideique rebus fulcrum subiiceret, laboriosi pariter ac sumptuosi operis columnam erexit, futuram posteris sæculis, non minùs Austriacæ pietatis monumentum, quàm statutum (ut sperare licet) furori Balthico Colossum Terminalem. Moles est, si materiam spectes, solido excisa lapide, & perferendis in ævum sine offensione cœli iniuriis perquam idoneo. Basin circumducti per artem quaterna in latera, æqualibus à semet spatiis discedentia, coronant cancelli, & modico ab eadem intervallo divisi angustam in circuitu viam aperiunt. Basi, qua parte coëuntibus lateribus in angulos acuitur, quaterna insistunt, vel Heroum vel Angelorum simulachra, qui caput galeà, umbone pectus, lævam clypeo, ac ense dexteram armati, ictum singuli in subiectum pedibus monstrum delibrant. Ac primus quidem, qui orientem prospicit, in Draconem vires omnes infumere videtur, cui ingeniosum Lemma ex Sacris adscriptum de pelta emicat: *Ipsa conteret.* Alter, qui frontem occidenti porrigit, pari armorum nisu in edomitum Leonem intentus, epigraphen præfert: *Conculcabis.* Tertius qui vultu ad Meridiem converso aspidem calcat, & serpenti similis conntrucidat, inscriptionem de clypeo ostentat: *Ambulabis super.* Postremus, qui in Aquilonarem plagam, & vultu, & armis minatur in Basiliscum desæviens, hoc proculcatam belluam lemmate alloquitur: *Non pro te lex.* Media in proceram altitudinem assurgit columna, & propè paris cum ædibus altitudinis, supremo vertice portat ingentis magnitudinis statuam, quæ sine macula conceptam Deiparentem Virginem, tam antiqui serpentis caput victore calcaneo proterentem, quàm velut è sublimi specula in suorum salutem excubantem repræsentat. Stabat iam in amplissimo, ac urbis capaci foro ante ædes sacras Domus Professæ Patrum Societatis JESU, solidata moles, sed dubiæ adhuc eam inspectantium nutabant cogitationes, quam tandem in partem pientissimi Cæsaris sese consumeret deliberatio, donec incisa basi epigraphe omnem sustulit dubitationem. Ea verò fuit, Augustissimo ipso Imperatore dictante, in hæc verba concepta, & artificioso chronographico conclusa.

Deô Optimo Maximo
Supremo cœli terræque Imperatori,
Per quem Reges regnant:
Virgini Deiparæ
Immaculatè Conceptæ
Per quam Principes imperant:
In peculiarem Dominam
Austriæ Patronam,
Singulari pietate susceptæ:
Se, liberos, populos, exercitus, Provincias,
Omnia denique confidit, donat, consecrat.
Et in perpetuam rei memoriam
StatVaM hanC eX Voto posVIt
FernanDVs tertIVs aVgVstVs.

Tunc scilicet patuit, Austriacæ pietatis consilia, in Immaculatam Virginis Conceptionem publico ac peculiari, vel cultu & honore prosequendam, vel studio & amore propugnandam conspirâsse. Sed ne in re, nova quidem, & hactenus à sæculis inaudita, fragile quidquam, & quod ætatem non ferret, statueretur, placuit coactis in consilium Austriæ Ordinibus, Provinciali ac Urbico Senatu, Religiosorum Superioribus, Episcopo & Clero, ea, quæ publicum contingerent, & nisi conspirantibus capitibus ægrè perennarent, in deliberationibus argumentum proponere. Ea verò fuerunt; venisse sibi in mentem diu amatam, ac privato semper honore cultam Immaculatam Virginis conceptionem, in publicam etiam venerationem promovere: Hanc in rem erectam à se statuam, quam etiam solenni Ecclesiastico ritu à Pontifice velit dedicatam: velint proinde iubeantque diem Decembris Octavam Immaculatæ Conceptioni sacram, non solùm festo ritu à Statibus, ac universo populo celebrari, quod iam pridem gloriosissimæ memoriæ Augustissimus parens Ferdinandus II. decrevisset; Sed pridiano etiam ieiunio anteveniri, ac omnium voto Austriæ Patronam dici. Neque difficile fuit, extorquere ab iis consensum, quibus exemplum Principis est imperium. Proni ierunt omnes in sententiam, in quam præivit primus Imperator.

Dicitur ergo Dedicationi dies XVIII. Maii labentis anni M. DC. XLVII. qui, ubi illuxit, universam propè civitatem ad pietatis obsequia excitavit. Convenerant enim sub horam octavam matutinam cumulatissimâ panegyri, Sacratissimi Cæsaris, non tam imperio, quàm exemplo, provocati, Serenissimi Archiducei Filii, Ferdinandus IV. tunc Bohemiæ, ac, mense post, Ungariæ Rex solennibus Comitiis inauguratus, Serenissima Maria Anna nunc potentissimo Hispaniarum Regi Regina desponsata, tres, Sedis Apostolicæ, Catholici Regis, ac Reip. Venetæ, Legati, Aula Cæsarea ac Regia, Reginæque Gynæceum, & omnis summi, mediique nominis Nobilitas, Religiosi ordines, omnis hominum conditio, ordo, Status, & sexus ad sacras ædes R. R. Patrum Discalceatorum Ordinis S. Augustini, Aulæ Cæsareæ conterminas: quas cum confluentium multitudo fecisset angustiores, effusus in plateas populus innumerus vias ipsas, & forum meantibus coarctabat, gaudebatque vel sic in pietatis partem venire. Exinde ergo per instratas æquali ponte vias, non minùs modesto, ac ad pietatem comparato, quàm augustâ Maiestate vetendo ordine processum est ad templum Reverendorum Patrum Societatis JESU Professorum in summo foro situm, ubi ad quietem composito subeuntium strepitu, Reverendus P. Joannes Gansë Soc. JESU, SS. Theologiæ Doctor, & Sacræ Cæsareæ Maiestatis confessarius, ad stipatissimam concionem, qua pollet facundia, & per Principes Cathedras iam à plurimis

rimis annis maximo cum plausu approbatâ dicendi facultate, eâ facundiæ ubertate de laudibus Immaculatè conceptæ Virginis, præsentique eius in rebus calamitosissimis patrocinio dixit, quùm vehemens animorum motus, ac certa omninò in Auditorum pectoribus, impetrandæ per eiusdem auxilium tranquillitatis, spes insequeretur. Dictionem excepit Sacra ad summas aras Liturgia, faciente ad Cæsareos Symphoniacorum Choros, Illustrissimo ac Reverendissimo Principe Philippo Friderico Episcopo Viennensi. Jámque ad eam partem deductum erat Sacrificium, quâ pacis osculum præsenti Principi per Subdiaconum in privatum Oratorium deferri consuevit, cùm augustissimus ipse Imperator, dissimulatâ Maiestate, toto oris corporisque habitu ad pietatem æquè ac demissionem composito, in publicum egressus, ad Cancellos summæ Aræ, ad quam solennis pompa agebatur, constitit, seséque humi in genua demissè provolvit, donec oblata hostia per Sacrificantem Antistitem absumeretur. Tum verò posito gladio in manus illustrissimi Comitis Joannis Rudolphi à Puchaim, intimi sui Consiliarii, ac Supremi Camerarii, intra ipsos cancellos progressus, obvium habuit conscientiæ suæ arbitrum iam præfatum R. P. Joannem Gans, unà cum ministrante Clero, qui impositam Evangeliorum libro voti formulam teneret. Immolans autem Pontifex ad prostratum Cæsarem conversus latentem in Eucharistia Deum, cui votum ediceretur, proponebat. Tum voce, quæ à circumstante populo facilè exaudiretur, votum auspicatus Cæsar: *Omnipotens*, inquit, *sempiterne Deus, per quem Reges regnant, in cuius manu sunt omnium potestates, & omnium iura Regnorum: Ego Ferdinandus coram Divina tua Maiestate humiliter protestatus, meo, meorúmque successorum, & Inclytæ huius Provinciæ Austriæ nomine, Immaculatam Filii tui Matrem semper Virginem Mariam, hodie in peculiarem Dominam, & Patronam huius Archiducatûs invoco, & assumo; Insuper voveo, ac promitto, eiusdem Immaculatæ Conceptionis Festum, quod cadit in diem 8. Decembris, solenniter, etiam quoad forum, in hac Provincia, quotannis, prævio, more Ecclesiæ, consueto jejunio in eiusdem pervigilio celebrandum. Te deprecor, supreme cœli terræque Imperator, qui, quod Matri tuæ impenditur, tibi impensum reputas; votum hoc meum, quod suggerere clementer dignatus es, benigno favore prosequere, atque ad protegendum me, Domum meam, populósque mihi subiectos dexteram tuæ Maiestatis extende, Amen.*

Die 18. Maii 1647. in Ecclesia Domûs Professæ Societatis JESU, ante Aram summam in manus Principis & Episcopi Viennensis Philippi Friderici de familia Breineriorum. Finierat, & dictus R. P. Cæsareæ Maiestati à secretis Conscientiæ, conscriptam voti formulam ad feræ posteritatis memoriam in Domo professâ conservandam receperat; tum de Pontificis manu Sacratissimam Synaxin accepit Imperator, & cancellis iterùm, iunctis ante pectus manibus, egressus, eo corporis situ, ac reverentiâ hospitem Deum adoravit, quæ etiam circumstantes peculiari religionis ac pietatis sensu afflaret. Exactum iam erat Sacrificium, sed necdum pietatis officia terminata. Placuit enim Augusto, post adoratum Deum, secunda Religionis obsequia in eius immaculatè conceptam Matrem conferre. Assumpta ergo in pietatis consortium utrâque Serenissimâ prole Ungariæ, Bohemiæque Rege Ferdinando, ac Hispaniarum Regis Sponsâ Mariâ Annâ, comitante Pontifice ac Clero universo, de angustis Ecclesiæ parietibus in fori patulum, ad erectum sine macula conceptæ Virgini trophæum sese penetrat Imperator. Effunduntur simul Religiosi Ordines omnes, ac undantis populi nimbus, surgentémque medio in foro molem stipatissimâ obsidione coronant. Accedit vicinior statuæ sacrorum Pontifex, & conceptis eandem verbis, ac solito ritu, Dei, Immaculatæque Virginis Matris honori consecrat, dedicátque. Insecutus est Symphoniacorum omnium è tota urbe collectorum, & in plures quà vocum, quà instrumentorum, ac etiam tubarum campestrium, ac tympanorum, choros divisorum plausus, qui, cùm Lauretanam elogiorum seriem Augustissimæ Matri decantarent, calidam in circumprostrato populo devotionem, certámque præsidii fiduciam excitârunt. Ascenderat iam non tam suo, quàm pietatis calore, fervidior dies in meridianam stationem, cùm dimissâ Matutinâ Imperatoris, Vespertinam cœpit Imperatrix Eleonora solennitatem meditari. Jussit enimverò post solis occasum, ita forum omne illustrari, ut nulla circum pateret fenestra, quæ non geminato luminari prætexta Augustissimæ familiæ insignia irradiaret. Cancellos deinde, qui colossum ambiunt, totidem resplendere lampadibus, quot ipsi columnellis assurgunt: ac demum pensilibus lucernis, in vastæ magnitudinis coronam, aut plenam Iridem eleganter ductis, statuam ipsam redimiri. Valuit ea quidem res ad amœnum oculorum spectaculum, ad quod plebs omnis, omnísque civitas effunderetur; sed vel maximè ad incendenda novæ pietatis officia, ad quæ meritò Augustissimus ipse Ferdinandus III. Augusta Eleonora, Rex Bohemiæ Ferdinandus, ac Hispaniarum Sponsa Regina Maria Anna, obductis iam cœlo tenebris Maiestatis suæ lucem conferrent. Tenuit ea pompa in alteram noctis horam; Neque prius spectatorem dimisit, quàm post imploratum melico concentu, per augustos Virginis titulos, cœli præsidium, impertita Pontificis manu, ac voce benedictio populum signâsset.

Sic terminatus est dies ille, perpetua aptid posteros luce radiaturus, quo Augustissimus Ferdinandus immaculatè Conceptæ Virginis imaginem populorum devotioni proposuit, ipse secuturæ posteritati pietatis exemplar proponendus. At verò, ne uno die nata, denascerctur sequentibus, veneratio; placuit Sacratissimo Cæsari de pietatis consulto imperare, ut occidentis hebdomadæ Vesper, hoc est, Sabbathi

crepu-

crepusculum, decantato Lauretanæ Virginis encomiorum syllabo, & dictis per Sacerdotem de B. Virginis Immaculata Conceptione, pro Imperatore, pro Pace, Orationibus, celebretur. Atque ut iussum promoveret liberalitate, statuit æternâ fundatione sexcentos aureos Rhenenses, ex quibus ducenti quadrageni Musices directori, ac duodenis vocibus in stipendium cederent: alii decem supra ducentos in melica instrumenta & organum impenderentur, quinquageni Curatis ac facigeris ad aram statuæ adstituris persolverentur; Centenis denique emeretur maioris campanæ pulsus, quo populus ex D. Stephani turri ad dictam solennitatem evocetur. Hoc ità in perpetuum ritè sanctéque stabilito, sub vespertinum Sabbathi crepusculum, post datum diuturniorem, è dicta turri D. Stephani, maximi campani æris pulsum, magna semper plebis, civium, mediæ, summæque Nobilitatis multitudo in forum congregatur, & dum Lauretanis salutatur immaculata Virgo elogiis, in genua procidua, suas, publicæque rei necessitates deprecatur. Accedunt & pervigilia, festique omnes Augustissimæ Virginis dies, quibus sanctiùs terminandis eâdem semper celebritate convenitur. Auspicium his datum est ipso Visitantis ad Elisabetham Virginis, qui primus tunc adveniebat, festo die, quando pientissimo Augustæ Eleonoræ voto, ac desiderio, omnes totius Urbis Sodalitates partitâ devotione, ita sibi Octavam totam unà cum privigilio piè obeundam diviserunt, ut quot diebus una vel plures magno funalium illustres splendore, & ad Antistitis comitatum numeroso Clero candidatæ, per confertissimam adgeniculantium multitudinem propinquiores sese inferrent statuæ, & Virginis assusæ simulachro pro Sacratissimi Imperatoris incolumitate, qui tunc bellicis vicinior periculis ad Egram agebat, Protectricem suam deprecarentur. Cæterùm quàm Deo, Sanctissimæque Matri eius accepta fuerint hæc pia pii Imperatoris vota, haud sinè vanâ coniecturâ potest colligere, quisquis meminerit, repressam continuò Suecicam ab hæreditariis Austriæ ditionibus, barbariem, ac brevi pòst secutam pacem, qua iam per totum Romanum Imperium omnes iucundissimè perfruuntur.

§. III.

EXEMPLA DOMESTICA.

Rhe. l. 3. c. 3. n. 5. ex Nostris. I. CONsalvus Sylveria in ea, quam ad Castrorum Regiam Goâ solvens instituit navigationem, oppidò longa, & periculorum plenissima; ùtque ab his quies esset, urente sole præter Africæ oràs æstuosissimâ, tantùm nihilominùs pietatis habuit, ut quotidiè manè ad nautas, ad classiarios, ad duces de Virginis amplitudine, ac dignitate disertissimè disputaret. Eam omnem tredecim per gradus veluti ascendendo ipse definiebat, quibus è fontibus perennem sibi ad disserendum rerum ac verborum copiam suppeditari sentiebat. Hoc ille tunc maximè facere animum induxit, ne, quoniam nautæ nullum exoriri sinerent diem, quo Mathematicis instrumentis instructissimi de Cynosuræ altitudine non quærerent diligenter, turpe sibi esset de ea stella, quæ nobis totius vitæ dux & Magistra à Deo est data, ad quam cursum dirigamus, minùs industriè disserere. Haud igitur potuit aberrare, qui animum sub hoc astrum teneret. Neque profectò aberravit, qui ea comite Monomotapis primus Evangelium intulit, ac Barbaro Regi eiusdem Virginis, quam noctu sibi videre visus, ac loquentem minùs intelligere, iconem ostendens, fidem persuasit, ac sacro abluit fonte. Neque recens hæc tibi Sylveria, nec per occasionem suscepta pietas fuit; nam cùm per annos aliquot donis, quæ Deus in Matrem plenâ congessit manu, quotidiè recolendis, horam unam sepositam habuisti; Quid igitur mirum, si addictissimo sibi servo Regina Martyrum, triumphi purpuram impetrârit? Decet hac triumphali trabeâ Virginis decora esse servitia.

Ibidem n. 9. II. Jacobus Rhem Germanicæ iuventutis magno bono natus, cùm in Sodalitiis promovendis plurimus esset, cultuque Virginis omnibus præiret, concupivit aliquando nosse, quænam ex appellationibus, quibus Virginem perhonorificis imploramus, ei esset acceptissima, voti damnatis est, obiectâ Deiparæ specie illustrissimâ, quùm ad eas voces, *Mater admirabilis*, concinente Symphoniâ quondam ventum esset, coniecerat se bonus senex in Oratorii angulum, cùm eam vidit, statimque in medium emicans, iterari, tertióque à Symphoniacis voces illas repeti iubet, admirantibus, qui aderant, nec satis intelligebant, quò subitus gravissimi senis impetus pertineret. Sed verè de Virgine omnia illo breviloquio dici videntur, cùm Matrem dicimus, & admirabilem.

Ibidem n. 21. III. Guilielmum Petereum, propagato cultu Virgineo, si quis alius, bene meritum, quùm extrema iam mors occuparet, ac circumfusi lectulo socii se ab illo destitui quiritarentur, qui colendæ Virginis dux esset, graves oculos allevans, Domine, inquit, si propagandis Matris tuæ honoribus necessarius sum, exauctorari non peto, nec laborem defugio. Uni illi se tutò victurum credidit, quæ vitam nobis reperit immortalem.

Ibidem n. 4. IV. Non vitam modò piissima Mater, sed mortem etiam suorum Clientum nobilitavit; Nam Ignatio Azebedio, cum sua illa sociorum cohorte Brasilicas superstitiones expugnaturus dum navigat, navi captâ à Jacobo Soria Archipiratâ Rupellensi, vim animosque ad mortem fortiter ferendam, ab ea additos esse, non dubitamus. Trucidatis impio Calvinianorum ferro sociorum plerisque, in Ignatium ruebant, sed ut Virginis imaginem in manu habere, atque eam veluti vexillum, ex illa mortis procella, in vitæ portum enavigantibus extulisse viderunt, ut in illam priùs de more sævirent, extorquere conati sunt. Sed frustrà laboravit impietas. Quare expeditiùs fuit crudelitati, Ignatium plurimus confossum vulneribus cum

Digitized by Google

Venerabili imagine in oceanum mergere, quàm periculum salutis petenti stellam illam maris auferre, itàque medio in naufragio stellâ comite cœlum ingressus est.

Sodalitati nomen dando.

Rho. l. c. n. 15. V. Hoc exercitium ut pluribus esset expeditum, eorum cœtus diebus festis cogere primus nostrorum hominum in urbe aggressus est Joannes Leonius, quos collato studio, conjurataque pietate Virgini magnæ doceret famulari. Advertit novi moris coitio Præsulum animos, ut paululum addubitarent, an recipi, atque in mores transmitti, è Republica pietatis foret; verùm tanta indefessatim lux emicuit virtutum, tam uberes fructus provenêre, ut celeberrimus jam ille cœtus esset, certatimque nomina dantibus viris etiam doctissimis ac Principibus, Pontificis Gregorii XIII. *Diplomate* confirmaretur, acceptique ab eodem potestate incredibili expetentium, atque imitari gestientium studio subolescens, utrumque orbem, quà latè colitur Christus, innumerabilibus veluti coloniis complecteretur. Excitata ergo ubique gentium sodalitia per ætates, aut vitæ instituta variè descriptis profitentibus, in quibus aptæ unicuique hominum generi decretæ exercitationes, incredibiles populis afferunt utilitates. Quis enim ab ulla Christianorum sæculorum memoria Dei Matrem ritè coluit, quin bonæ tandem frugis evaserit?

Novem Salutationes recitando.

Rho. l. 3. c. 1. n. 6. VI. P. Carolus Spinola Societatis JESU priusquam triumphalia lento ambustus igne consequeretur, jam inter claros Virginis asseclas numerabatur. Cujus servitutis testem voluit esse elegantem Virginis laudandæ, ac deprecandæ artem, quam ipse novenario salutationum Angelicarum numero novies repetitarum illigavit, ut novem mensium, quibus hospitio virginei uteri Deum excepit, ac totidem privilegiorum, quibus eam hospes Deus auctam voluit, memoriam ritè veneraretur. Ea autem dona sic Carolus enumeranda sibi decreverat, ut primo loco Dei Matris Nomen, secundò admirabilem virginitatis, atque fœcunditatis nexum, tertiò leve sacri uteri pondus, quartò partum nullo dolore degenerem, quintò purissimum Sanctissimæ Triados templum in Maria locatum fuisse, sextò in Eucharistia divinissima eamdem nobis carnem, eumdem apponi sanguinem, quem Christus Dominus de Virgine Matre sumpsit, septimò eam Evæ in locum suffectam meliori Ecclesiæ fœturâ, secundam nimirum Matrem, octavò Deo fœtam in deliciarum Paradisum transcriptam, nonò adeò altè divinis donis evectam fuisse, ut Angelorum, qui magno proximi sunt intervallo, suâ altitudine obtutus fatiget. His ille privilegiis recolendis sèque suósque feliciter exercebat, donec igneis subvectus alis eò se intulit, ac penetravit, unde propius ac beatius possit intueri.

MARIA Veneranda

Rho. l. 3. c. 3. n. 25. VII. De Hieronymo Cignardo sic scribit Ioannes Rho: Amicissimi adolescentis pietatem nos, qui olim, quùm eo familiarissimè uteremur, sumus admirati, posteris ad exemplum prodere maximè decet; qui enim ignota colligimus, cur familiaris, quibus ob imitandi facilitatem commovetur magis animus, nescio, qua longinquitatis admiratione, ac nostrorum contemptu, ineptissimè dissimulemus? Mediolani diligentissimâ post Carolum religionum in civitate, Virginis Deiparæ frequentissimæ in publico imagines ac signa videntur; eorum nullam insalutatum Hieronymus adhuc adolescens præteribat. Venerabatur autem aperto capite, salutatione Angelicâ semel recitatâ, mirâ modestissimi oris suavitate; sive in sole essemus, sive pluvia caderet, non omittebat; & quia frequentes imagines sunt, hæc illi quasi perennis erat occupatio. Idem quùm in ejusdem Virginis æde Breraná, quam Societas curat, ante virginis à Lovino suavissimo ac celeberrimo artifice felicissimè depictam procubuisset, tunc lacrymis, quibus dulcissimè fluentibus sinum opplebat, pro animi sensu liberè indulgens, diutissimè divina contemplabatur. Idem demum quùm primum conceptis ex formula votis religiosum dixit Sacramentum; eâdem bonâ Præsidum veniâ, paululum immutatâ, totum se virgini addixit, usurpabátque, quoties animo suo vellet obsequi; nam in virginis cultu ac nomine totus acquiescebat; ubi enim maior animorum quies, quàm ubi ipse quievit Deus?

R.P. Lohn. Auctar. Bibl.

VIII. Idem Author de Iacobo Ceruto sic loquitur: Somnum, quem mortis consanguineum elegantissimus Poëtarum appellavit, virgineis hunc quoque laudibus addecet consecrari; sed indocilem, atque obsequii insuetum, nisi de cœlo maior aliqua adsit virtus, neminem puto habiturum in potestate. Verùm quàm prompto in vota cœlo utamur, si virgini famulandum est, magno suo bono expertum fuisse Iacobum, produnt annales. Etenim cùm creberrimâ invocatione solemnibus Litaniarum formulis frequentissimè usurpatis, totâ die in ejus obsequio versaretur, sibi tamen minimè satisfaciebat, quòd somno ab ea pietate abstineretur. Sed brevi noctem quoque ipsam illi habuit obsequentem. Ter somnum abjungere, & magnam Dei Matrem venerari didicit, excitabatúrque haud dubia vi superiori, quamquàm altissimè obdormisceret. O salutares ac verè virgineas vigilias! Nam, si, qui ad eam manè vigilent, eos salutis potituros divina produnt oracula, quàm amplam illis obvenire necesse est, qui noctu insuper pervigilant? Ibid. n. 18.

IX. De pluribus aliis hæc habet citatus Author: Antonium Madridium domesticis operibus exercitatissimum senem; octogesimam usque ad ætatem, & septimâ quaque die, & pervigiliis omnibus Virginis pane & frigidâ famem fregisse accepimus. Franciscum Hortulanum laici Ordinis virum, virtutibus omnibus excultissimum, earundem felici auspicio, quùm primam lucem hausit, sublatis junctisque manibus linguam in ejus Angelicam salutationem soluisse, grandi miraculo: Godefridum Theliusium à Ibid. n. 26.

susceptis animorum causâ laboribus tantum sibi otii quotidie sumpsisse, ut quadringenties quadragies Angel; salutatione recitatâ, interjectâ per singulas decades oratione Dominicâ, Virginem veneraretur: Dominicum Assensium, hominem frugiferæ in animorum conversione operæ, nihil sibi reliquum fecisse, ut mortales libellis, imaginibus, concionibus, supplicationibus, mirâ semper ac novâ inventionum varietate, ad Virginis cultum excitaret: Petrum Antonium Spinellum eidem septennem adhuc virginitatem suam voto dedicâsse, ac in illius postmodum obsequio ita vitam omnem transegisse, ut de illius etiam laudibus præclara scripserit; item sæpius ad Lauretanam ædem peregrinantem, in eóque quondam pernoctantem, honores, qui sibi imminebant, deprecatum fuisse; nihil demum magnæ rei orsum, quin prius in aliqua Deiparæ nomine sacra æde, Sacro facto, divinum numen per eam sibi conciliaverit. Martinum Delrionem de illius laudibus perpetuò differentem, scribere orsum in societate eidem, quod hac ætate, ante illum nemo, de illa totum Canticum Canticorum diligentissimè ac loculentissimè fuisse interpretatum. Hermannum Hugonem in omnem eius honoris amplificandi occasionem intentissimum, non alio quàm bonæ Matris nomine appellâsse. Petrum Menaccium Peruviano in Regno sapientiæ oraculum, ob eámque rem consulentibus de conscientia passim mortalibus occupatissimum, Virgini repetitis ad Rosarii numerum Angelicis salutationibus venerandæ, destinatam quieti animique laxationi horam cottidie seposuisse. Mathiam Paulum Vagnerum adolescentem castissimum, conceptis certâ quadam religione votis, illi veluti in manu convenisse, totúmque se illius, ut sponsum, obsequiis mancipâsse. Dominicum Valesium nunquam eius imaginem vidisse, quin si solitudo esset, positis genibus, si arbitri adessent, aperto certè capite, non fuerit veneratus; cum duobus sociis convenisse, illas umquam videndi, quin animum ad divina excitarent: illius laudibus ita delectatum fuisse, ut magnitudine voluptatis veluti peregrinaretur à sensibus. Barradium verò, qui tam luculenter de illa fuerit commentatus, imaginem nullam minus honestè haberi haud quaquam passum, dicere insuper solitum, per illam Socios ad hanc familiam vocari, eiúsque patrocinio constantiam tenere, & sibi quidem adolescentulo disertis ab illa verbis, ut societati nomen daret, fuisse imperatum. Petrum Leonem annosum usque senem septimâ quâque die publicè se in cœnatione flagellis cæcidisse, ut Virgini, myrrhæ olim amantissimæ, illius aliquantulum exhiberet.

§. IV. SIMILITUDINES.

Taulerus. c. 30.

I. Sicut Christus Iesus ultrò se Patri obtulit hostiam vivam, pro salute mortalium, ita & virgo beatissima, dulcissima Maria, ipsa quoque Filium suum obtulit pro humani generis salute, magísque ei gratius fuit suo destitui solatio, quàm hominum impedire redemptionem.

Hugo de S. Vict. in c. 1. Thren.

III. Sicut mare super omnes aquas, & mole, & amaritudine excellens est, ita tuæ contritioni nulla calamitas æquari potest.

Richard. à S. Laurent. l. 3. f. 103.

III. Sicut non fuit dolor, sicut dolor ille, qui transivit corpus & membra Filii, sicut ipse dicit Threnorum 1. *O vos omnes, qui transitis per viam &c.* Sic non fuit dolor, sicut dolor ille, qui Matris viscera per compassionem pertransivit.

§. V. MISCELLANEA ET CONCEPTUS PRÆDICABILES.

MARIA Dolorosa.

S. Bernardinus ser. 1. tom. 3. art. 1. c. 1.

I. Et quidem in passione fuit amarum mare Beatissimæ Virgini, dulcissimi Filii separatio, cùm esset totus desiderabilis; Propter hanc subtractionem Propheta in persona Virginis ait: *Cor meum conturbatum est in me, dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum*; Vel, secundum aliam translationem apertius inquit: *Cor meum fluctuavit.* S. Augustinus legit: *Contristatum est cor meum*; amari namque maris intensissimorum dolorum Filii sui fluxus, & refluxus, in anima & corde Deiparæ Mariæ per renovatos semper dolores incessanter inundabant, & fluctuabant. Unde Arnoldus Carnotensis ait: Erat in anima illa tempestas valida, occurrentibus sibi procellis.

Mansi tr. 66. disc. n. 2.

II. Genæ Virginis in Sacris Canticis, genis turturum assimilari noscuntur: *Pulchra sunt genæ tuæ sicut turturis*; Ubi Pagninus legit: *propter margaritas.* Quod verò genæ Deiparæ in turture potius, quàm in alio quocunque volucrum genere præfigurentur, huius hæc præcipua est ratio, quia turtures, consorte suo viduatæ, continuò ingemiscunt, atque ab earum oculis margaritæ, id est, lacrymæ copiosè scaturiunt; cum igitur in hisce verbis Beatæ Virginis à Filio suo derelictæ, ingens dolor adumbretur, non sine ingenti mysterio lacrymæ ipsius margaritis potius assimilantur, quam v. g. adamantibus, Topaciis, vel aliis similibus gemmis, quia margaritæ non in dulcibus lacuum, torrentum, & fluminum aquis, sed in salsis maris undis generantur, ut per hoc insinuetur, quòd lacrymæ Mariæ compatientis, non stillaverint, quemadmodum aliorum lacrymæ manare solent, sed potius omnem excesserint amaritudinem, utpotè quæ in amplo quodam doloris mari productæ fuerunt: Velut mare contritio eius; congregationésque aquarum appellavit maria. Porrò per aquas illæ denotantur intensissimorum dolorum pœnæ, quibus ordinariè cor humanum cruciari solet: Beata Virgo autem tempore Passionis Filii sui in cordis sui centro omnes excepit acerbissimos cruciatus, quos unquam passi, vel passuri sunt omnes Martyres, immò & omnes alios in finem usque sæculorum sustinendos.

III. Tria

S. Bernardinus to. 3. ser. 2.

III. Tria faciunt ad compassionem, ex parte compatientis, ad illum, cui compatimur. Primum est Passionis vehementia; Secundum, ipsius vehementiæ in compatiente notitia; Tertium, ipsius ad compatientem amor, & amicitia. Primum, inquam, est Passionis vehementia. Quanta autem fuerit acerbitas Passionis Christi, inexplicabile est omni linguæ Angelicæ, vel humanæ, superat enim omnis puræ creaturæ capacitatem. Secundò, huius Passionis apud Matrem piam maxima fuit notitia, quia astabat Filio suo morienti, quem noverat esse Filium Dei. Tertium est, ipsius ad compatientem amor. Summè igitur compassa est, quia summè dilexit eum; Non tantum quippè afflicta fuisset, si cruciatus illius non vidisset.

Ibidem.

IV. Idem quærit, cur non est mortua beata Virgo, si tanto dolore repleta fuit? siquidem hoc audivimus de uxore Phinees 1. Reg. 4. quòd in captione Arcæ, & viri sui morte, præ dolore mortua est. Ad hoc respondet Anselmus, quòd mortua fuisset, si Spiritus S. eam non confortâsset. Unde ait: Pia Domina, non crediderim, te ullo puncto potuisse stimulos tanti cruciatûs, quin vitam amitteres, sustinere, nisi ipse Spiritus vitæ, Spiritus consolationis, Spiritus dulcedinis Filii tui, pro quo moriente tantoperè torquebaris, te confortaret, te consolaretur, te intus doceret, non esse mortem eum assumentem, sed magis triumphum, omnia ei subiicientem, quod in ipso fieri coram te moribunda videbas. Taulerus autem hac in re ita meditatur, inquiens: Nihil est ambiguum, quin nisi divinâ fuisset bonitate servata, roborataque, cor illius devotissimum præ dolore diruptum fuisset.

Landsp. v. 3. 1. ho. 47. de pass.

V. Landspergius dolentem Matrem his verbis describit: Stabat, quia decentissimis, gratissimis, itémque honestissimis semper utebatur moribus, unde quantocúnque tabesceret dolore, nihil tamen in opere, nihil in moribus, nihil in gestu corporis, aut sermone indisciplinatum, nihil immodestum, inverecundúmve, aut non sanctum, doloribus, Maternáve pietate superatâ exhibuit. Non igitur vociferata fuit, non eiulavit, non rugiit dolore, non se percussit, quomodo aliæ interdum desolatæ faciunt mulieres, sed Virginalis disciplina, modestiáque singularis, dolorem internum, ne turpiter erumperet foras, coërcuit. Nihilo tamen propterea minùs, sed multò etiam vehementius intus dolebat, quòd foris honestatis, maturitatísque causâ suum non manifestabat dolorem.

Didacus Nyss. ser. 8. post Dom. 2. Quadr. §. 1.

VI. Quantùm natura Angelica humanam excellat, id nemini obscurum. Quando autem Deus, ut hominem redimeret, naturam alienam assumere, & sibi devincire voluit, videtur magis congruè, aut decentius facturus fuisse, si prætermissâ humanâ Angelicam sibi univisset, & Angelos iustè expostulare potuisse, quòd iis posthabitis humanâ se carne vestivit. Occurrendum querelis putavit Deus, Cœlorúmque Reginam, ex melliflui Bernardi annotatione, tantis venustavit gratiæ ornamentis, ut Angeli, cùm se, atque illam conspicerent, perstringerentur eius fulgoribus, & abriperentur donorum, quibus illam cumulatam videbant, splendoribus, sic, ut non solùm magnitudini eximiæ Sanctitatis, & incomparabilium gratiarum eius lubentes concederent, verùm etiam Deo suaderent, ut ex illius castissimis, atque intemeratissimis visceribus carnem assumeret, quando carne se amicire decretum haberet. S. Bernardus hom. 2. super missus est, sic habet; His Virgo Regina gemmis ornata virtutum, specie sua, & pulchritudine sua cœli civium in se provocavit aspectus, ita ut Regis animum in sui concupiscentiam inclinaret, & cœlestem nuncium ad se de supernis educeret. Sed quam ob rem, amabo, cœlestis Pater ostentat magnitudinem gratiæ Mariæ, eámque Angelorum oculis & considerationi subiicit? eam ob rem, ut eius elegantiâ abrepti, oppidò se illa inferiores agnoscerent. Illorum nempè intererat, quia cùm aliam creaturam se longè digniorem, ac præstantiorem cernebant, non habebant, quod obiectarent, aut obloquerentur, quòd Deus humanâ, non Angelicâ naturâ, ad vindicandum in libertatem genus nostrum, utebatur.

S. Bonav. in specul. c. 3.

VII. Etsi omnes toto orbe dispersæ linguæ in unum coëant, non possent eius laudes oratione consequi, cùm ipsa omnium encomiorum laudes excedat. Immò cui prædicandæ, nec Angelorum laudes sunt satis. Eò quòd eius perfectio soli Deo cognoscenda reservata est: Ideò solius Dei est, eam pro dignitate laudare. Nec mirum, quia, ut benè docet S. Thomas, Beata Virgo, ex hoc, quod est Mater Dei, habet quandam dignitatem infinitam, ex bono infinito, quod est Deus, itâ ut ex hac parte non possit aliquid fieri melius ea, sicut non potest aliquid melius esse Deo. Ideo soli Deo cognoscenda reservatur eius perfectio, inquit S. Bernardus Senensis: Unde sequitur, Dei tantùm esse laudare eam pro dignitate, qui, quas novit rationibus, in ea fecit miracula, ut ait Andreas Cretensis.

TITVLVS XXXIV.

INFERNUS.

§. I.

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas.

Psal. 48. I. SIcut oves in Inferno positi sunt, id est, inquit Michaël de Bononia, ponentur post ipsorum mortem: sicut ovis ignoranter ducitur ad mortem, sic isti ignorantes vitam futuram, in infernum ducuntur.

1 Regum. c. 2. S. Greg. in cit. loc. II. Dominus deducit ad inferos, & reducit; quod S. Gregorius sic explicat: Omnipotenti Deo ad inferos ducere, est, peccatorum corda æternorum cruciatuum consideratione terrere. Et quoque ab inferis reducere, est, territas pœnitentium, atque commissa lugentium mentes spe vitæ indeficientis attollere. Tum quippe peccare desinimus, cùm superna gratia mollitis cordibus futura tormenta formidamus.

Psal. 4. III. Descendant in Infernum viventes; ne, ut nonnemo ait, descendant morientes; dolores eius revisant, ut horreant, & refugiant.

Iob. c. 20. S. Greg. l. 15 mor. c. 17. IV. Devorabit eum ignis, qui non succenditur; Super quæ verba S. Gregorius ait: Miro modo paucis verbis expressus est ignis gehennæ, Omnipotentis Iustitia futurorum præscia, ab ipsa mundi origine gehennæ ignem creavit, qui in pœna reproborum esse semel inciperet, sed ardorem suum etiam sine lignis nunquam finiret.

Isa. c. 30. V. Flatus Domini, sicut torrens sulphuris succendens eum.

Ibidem c. 34. VI. De cadaveribus eorum ascendet fœtor.

Iob. c. 16. VII. Collegit furorem suum in me, & comminans mihi, infremuit contra me dentibus suis, hostis meus terribilibus oculis me intuitus est.

Ibidem c. 20. VIII. Omnis dolor irruet super eum.

Psal. 20. IX. Pones eos ut clibanum ignis, in tempore vultûs tui, Dominus in ira sua conturbabit eos, & devorabit eos ignis.

Psal. 17. X. Dolores inferni circumdederunt me, præoccupaverunt me laquei mortis.

Sap. c. 5. XI. Videntes turbabuntur timore horribili.

Deutr. c. 31. XII. Abscondam faciem meam ab eo, & erit in devorationem, invenient eum omnia mala.

Iob. c. 10. XIII. Terra miseriæ, & tenebrarum, ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.

XIV. Quærent mortem, & non invenient eam, & desiderabunt mori, & fugiet mors ab eis. Apoc. c. 9.

XV. Dabit ignem, & vermes in carnem eorum, ut urantur, & sentiant usque in sempiternum. Iudith. c. 16.

XVI. Lata porta, & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt, qui intrant per eam. Matth. 7.

XVII. Juxta multitudinem adinventionum suarum, sic & sustinebit; qui enim, ait S. Gregorius, multa adinvenit ad culpam, novis adinventionibus cruciatur in pœna. Iob. c. 20. 18. S. Greg. l. 15. mor. c. 11.

Æternitas.

XVIII. Factus est dolor meus perpetuus, & plaga mea desperabilis renuit curari. Ierem. c. 15.

XIX. Non dabit Deo placationem suam: laborabit in æternum. Psalm. 48.

XX. Luet, quæ fecit, nec tamen consumetur. Iob. c. 20.

XXI. Discedite à me maledicti in ignem æternum. Matt. c. 25.

XXII. Dilatavit infernus animam suam, & aperuit os suum absque ullo termino. Isa. c. 5. 14.

§. II.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Pœna sensûs.

I. TIme gehennam, contremisce à dentibus bestiæ infernalis, à ventre inferni, à rugientibus præparatis ad escam. Time vermem rodentem, fumum & vaporem, & sulphur & spiritum procellarum; time tenebras exteriores, & dicito: quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, ut præveniam fletibus fletus, & stridores dentium. S. Bern. ser. 3. super Salve Regina.

II. Sciendum est, quòd reprobi, quia & animâ simul & carne peccaverunt, illic in carne patiuntur, & in anima cruciantur; Unde benè per Psalmistam dicitur: *Pones eos ut clibanum ignis, in tempore vultûs tui, Dominus in ira sua conturbabit eos, & devorabit eos ignis*; nam clibanus intrinsecus ardet, is verò qui devoratur ab igne, ab exteriori parte incipit concremari; ut ergo sacra eloquia reprobos ardere interiùs, & exteriùs demonstrarent, eos ab igne devorari, & ut clibanum poni, testantur, ut per ignem devorentur in corpore, & per dolorem ardeant in mente. Bellov. spec. mor. p. 3. l. 2. dist. 1.

III. Si

Ibidem.

III. Si ante oculos cordis nostri positus sit homo, exempli causâ, qui tam in ipsis oculorum suorum pupillis, quàm etiam in singulis membris ferrum ignitum & candens infixum habeat, ut nec medullæ, nec intestina, nec omninò quidquam in toto ipso cruciatu immanitate careat, vel eam leviùs, quàm in oculis aliquatenus sentiat, quid dicam? angustiatur: quis hunc sanæ mentis æstimet inter ista? si tanta erit acerbitas in uno tormento, quid ergo in tanta diversitate & pluralitate tormentorum, quæ simul concurrent in uno damnato?

S. Gregorius apud Mansfidisc. 37. n. 8.

IV. Dum recognosco Job sedentem in sterquilinio, Joannem esurientem in eremo, Petrum pendentem in patibulo, Jacobum decollatum Herodis gladio, cogito, qualiter Deus in futurum cruciabit, quos reprobat, qui ita durè affligit, quos amat. Si cum intimis amicis sic agitur tempore gratiæ, quid hostibus fiet tempore vindictæ & iustitiæ?

Pœna Damni.

S. Aug. in Psalm. 49.

V. Qui dulcedinem sapientiæ & veritatis utcunque sentire cœperunt, noverunt, quod dico, quanta pœna est, tantummodo à facie Dei separari. Qui autem illam dulcedinem non gustaverunt, si nondum desiderant, Dei faciem timeant, vel ignem, supplicia terreant, quem præmia non invitant. Vile tibi est, quod Deus pollicetur? contremisce, quod minatur.

Bellarm. l. 2. disp. 3.

VI. Summa profectò miseria est, cum illo non esse, sine quo non potest benè esse, illa simul miseriæ & tenebrarum terra est, quia quisquis ad eius mala toleranda descenderit, ad Divinæ claritatis aspectum ulteriùs nullo modo redibit.

Æternitas.

S. Euseb. Emyss. hom. 2. de epiph.

VII. Expiatura illic erit inextinguibilis concrematio, quidquid hic non studuerit sanare correptio. Ardens inferni puteus aperietur; descensus erit, reditus non erit; de hoc puteo Propheta commemorat: *neque absorbeat me profundum, neque urgeat super me puteus os suum.* Ideò autem dixit, *neque urgeat super me os suum*, quia cùm susceperit reos, claudetur sursum, & aperietur deorsum, dilatabitur in profundum, nullum spiramen, nullus liber anhelitus, claustris desuper urgentibus relinquetur. Detrudentur illic valedicentes rerum naturæ, ultrà nescientur à Deo, qui Deum scire noluerunt.

S. Aug. lib. de fide ad Petrum. c. 26.

VIII. Qui in hac vita fructuosam non fecerit pœnitentiam, habebit quidem in alio sæculo pœnitentiam de malis suis, sed indulgentiam in conspectu Dei non inveniet; quia etsi ibi erit funiculus pœnitudinis, nulla ibi erit correctio voluntatis; à talibus enim ita culpabitur iniquitas sua, ut nullatenus possit ab eis diligi, vel desiderari iustitia. Sicut illi, qui cum Christo regnabunt, nullas in se malæ voluntatis reliquias habebunt; ita illi, qui erunt in supplicio ignis cum Diabolo & angelis eius deputati, sicut nullam habent requiem, sic bonam nullatenus poterunt habere voluntatem.

S. Bern. Medit. c. 3.

IX. Ibi (nempe in Inferno) nec qui torquet, aliquando fatigatur, nec qui torquetur, aliquando moritur; sic enim ignis ibi consumit, ut semper reservet; sic tormenta aguntur, ut semper renoventur.

Raban. l. 9. c. 1. in Eccl.

X. Isaias Propheta de reprobis, & supplicio mancipatis longè antè prædixit: *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur, & erunt usque ad satietatem visionis omni carni.* Quid enim horribilius dici, quid cogitari potest, quàm damnationis vulnera suscipere, & dolores vulnerum nunquàm finire? In huius vitæ tormentis timor dolorem habet, quia nequaquam mentem metus cruciat, cùm pati iam cœperit, quod metuebat. Inferni ignibus reprobi traditi, & in suppliciis dolorem sentiunt, & in doloribus angustia pulsante, semper pavore feriuntur, ut, quod timent, tolerent, & rursum, quod tolerant, sine cessatione pertimescant. Hîc metus amittitur, cùm tolerari iam cœperit, quod timebatur; illic & dolor dilaniat, & pavor angustat.

Hugo Card. in c. 18. Luc.

XI. Non cessabit exactor in culpa, ideo non cessabit tributum in pœna. Quamdiu durabit vestis, durabit tinea; Quamdiu erit cadaver, erunt vermes; Quamdiu erit anima, erit ignis, cuius ipsa est materia.

S. Greg. l. 15. mor. c. 11.

XII. Flammis ultricibus traditus semper moritur, quia semper in morte servatur; non enim in morte consumitur, quia si consumeretur vita morientis, cum vitâ etiam pœna finiretur; sed ut sine fine crucietur, vivere sine fine in pœna compellitur, ut, cuius vita hîc mortua fuit in culpa, illic eius mors vivat in pœna. Dicat ergo: *luat, quæ fecit anima, nec tamen consumetur*, quia cruciatur, & non extinguitur; moritur & vivit; deficit & subsistit; finitur semper, & sine fine est. Hæc solo auditu valdè sunt terribilia, quantò magìs passione? Iob. 20. 18.

S. Bernardinus to. 2. ser. 11. a. 3. c. 3.

XIII. In eâdem pœnâ nec acerbitas æternitatem, nec æternitas tollit acerbitatem; unde Psalmista: *Sicut oves in inferno positi sunt, mors depascet eos*; Scilicet mors æterna: Sicut enim animalia depascunt herbas, quia penitùs non eradicant eas, sed remanent radices, unde iterum crescit herba, sic miseri in inferno corrodentur à morte, sed afflicti iterum reservabuntur ad pœnas.

Idem. l. c. a. 2. c. 4.

XIV. Plerique solam immensitatem divinæ misericordiæ considerantes, magnitudinem Divinæ iustitiæ non attendunt, cùm nec minor, nec minùs æterna sit Dei iustitia, quàm eius misericordia; nec minor, nec minùs æternus debet esse ipsius effectus misericordiæ in salvandos & beatificandos.

Ibidem c. 3.

XV. Debent damnati æternaliter cruciari ratione utilitatis; nobilissimus enim fructus, & utilitas magna est divinarum Scripturarum, æternas pœnas comminantium transgressoribus suæ legis; ex hoc enim fortiùs, cautiùs, sollicitiùs nos cohibemus à malis, & eius iudi-

amplius metuimus, & humilius, & timoratius reveremur, atque eius præceptis obedientius & reverentius & subiectius cohæremus.

Idem tit. 4. ser. 18. ex. ardin. XVI. Duo sunt in pœna, duratio, & intensio; Intensio respondet intensioni libidinis, quæ finita est; Duratio verò respondet durationi peccati, & in hac vita, quoad voluntatem, & in alia quoad obstinationem; quia in inferno in ea voluntate, qua discedit, in ea remanet; Peccatum enim licèt sit finitum, tamen durat in infinitum, ideo punitur pœnâ infinitâ duratione, acerbitate tamen finitâ.

§. III.

EXEMPLA SACRA.

Qualitas.

Mansi disc. 4. n. 7. I. GUilielmus Parisiensis Spiritualem quandam, quæ suggestionibus inimici opponere debeamus, praxin exhibet in verba sequentia: in illo igne sempiterni ardoris, ardores concupiscentiarum extinguo; In omni æstu tentationum mearum, fornacem illam infernalem refrigerium mihi facio; & quod est mirabilius, ab illa fugiens, ad illam fugio; Quantùm ab illa fugio, tantò ipsa est mihi fortius refugium, atque securius; quantò enim magis illam timeo, tantò ab illa magis securus sum.

Ibidê disc. 8. n. 3. II. Narrat Innocentius III. qualiter defunctus quidam Scholaris, disponente Deo, nocte quadam suo apparens Magistro, se in æternæ damnationis barathrum præcipitatum esse dixerit; nec interitum discipuli obstupuit præceptor, utpotè cuius pessimam vitam, simili terminandam exitu, probè noverat. Cùm autem inter argumentantes facilè primus fuisset, dum viveret, eum interrogavit, utrum etiam in inferno disputationes locum haberent; cui miser: Apud inferos solùm quæritur, quid non sit pœna; cúmque, qua ratione quæstio hæc resolveretur, interrogâsset, respondit Discipulus, pro parte negativa; per hoc insinuare volens, nihil adeo in inferno exile esse, quod dolore & excessivo careat tormento; Ideóque omnes meritò damnati ingemiscere possunt, perpetuò dicentes: circumdederunt nos mala, quorum non est numerus. Supra eos paradisus est, sed æternùm ipsis occlusus; sub iis abyssus est, sed nunquam aperienda, ne fugæ pateat locus; ante se æternitatem videbunt omnium tormentorum perpetuò tolerandorum; à tergore illos amarissima cruciabit indelebiliter præteritarum voluptatum memoria; ad dextram dæmones experientur carnifices, furibundos, indefessos, & malignos tortores; ad sinistram innumerabiles habebunt culparum comites, qui pœnas augebunt; intus nunquam moriturus ream conscientiam mordebit vermis, & desperatissima desperatio; hinc B. Laurentius Iustinianus, postquam damni pœnam in inferno fusiùs considerâsset, subiungit dicens: Illis autem addicta est Societas dæmonum, horrendus ipsorum aspectus; ardor inextinguibilis ignis, stridor dentium, palpabiles tenebræ, interiores lacrymæ, improperiorum vociferatio, intolerabilis sitis, sulphureus fœtor, conscientiæ vermis, carcer abyssi, evadendi desperatio, interminabilis divinæ visionis carentia.

III. S. Bernardinus de se ipso fatetur: Contremisco à dentibus bestiæ infernalis, à ventre inferi, à rugientibus præparatis ad escam, horreo vermem rodentem, & ignem torrentem, fumum & vaporem, & sulphur, & spiritum procellarum. Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, ut præveniam fletibus fletum, & stridorem dentium, & manuum pedúmque dura vincula, & pondus catenarum frementium, stringentium, urentium, nec consumentium. S. Bernardinus ser. 16. in Cant.

IV. S. Antoninus narrat, quòd quidam Parisiis studens, dum in mortem incideret, cum lacrymarum abundantia confessus, & Sacramentis munitus fuerit, sicque discedens, opinione omnium ad salutem pertigisse credebatur; Quidam verò Doctor, qui eius fuerat Magister, eúmque sæpius inviserat, à vivente petierat instanter, ut si Deo ita placeret, ei statum suum post mortem manifestaret. Elapsa itaque aliquo tempore, nocte quadam ei apparuit vestem indutus ex pergameno, plenam sophismatibus, ignéque contextam; quem ubi recognosceret præceptor, quis eius status esset, interrogavit; cui hic se damnatum esse asseruit; Tunc ille obstupescens, causam requisivit interitûs, cui respondit damnatus: Pœnitentia mea intellige extra Sacramentum & lacrymæ non fuerunt ex amore Dei, & principaliter propter DEUM offensum, sed propter timorem inferni, ne ad illum deportarer, & ideo mihi non valuit. Præceptori autem mysterium dictæ vestis interroganti respondit damnatus; Eam sibi in superbiæ & vanæ gloriæ, quam in argumentando & disputando habuit, obtigisse supplicium, eámque longè sibi ponderosiorem esse, quàm si vastissimam portaret turrim. Ignis autem vestimenti in pœnam ei datus erat vanitatis, quam in vestitu quæsierat vivens: foderatura ignis sibi erat pompa vestium. Cúmque Doctor tantarum pœnarum acerbitatis peteret indicium; tunc miser, aperi, inquit, tu manum tuam, & super eam imponam unam guttam sudoris ex fronte mea egredientis; quod cùm ille fecisset, & guttam parvam sudoris immisisset, persensit ille pœnam intolerabilem, ad mortem usque inducentem. Sic ardeo, exclamans, disparuit. S. Antoninus p. 4. tit. 14. c. 5.

V. Dæmon aliquando, ut narrat Severus Sulpitius, speciosam indutus formam, in capite coronam, in corpore deferens purpuram, Sancto apparuit Martino, eique dixit: Vide nunc, quo me honore prosequi debeas; Ego enim sum Christus: Móxque Sanctus fraudulenti serpentis fraudem cognoscens respondit: Dominus meus non se in hac forma apparîturum promisit, sed sanguineum, spinis coronatum, inque cruce pendentem, se videndum exhibet; Et ideo Severus Sulpit. in vita S. Martini.

Regem

Regem hunc peregrinum non agnosco. Quibus dictis dæmon disparuit, talémque post se reliquit fœtorem, ut S. Martinus se in inferno positum esse putaret, dicerétque apud se: si vel diabolorum unus sic fœtet, quis tam diabolorum quàm damnatorum fœtor erit? nec mirum, quia, ut S. Chrysologus veraciter testatur: dæmones pascuntur cadaveribus, putredine saginantur, deliciantur fœtore.

Prat. florid. p. 1. l. 3. c. 24. VI. In Prato florido refertur, quòd S. Dominicus spiritus infernales, qui certum quendam dæmoniacum possidebant, interrogârit, quinam inter Christianos potissimùm damnarentur; mòxque dæmoniacus è naribus edere inceperit sanguinem immundum & crassum; ex auribus verò lutum deforme, venenosum edens fœtorem; é faucibus denique spumam evomuerit horribilem, & supra modum fœtentem; Túncque Sanctus vir Dei malignis spiritibus, ne indè recederent, præceperit, nisi priùs ad propositam quæstionem responderent. Quapropter magnam ostendentes renitentiam, tandem ejulando responderint. Nos ingentem possidemus Prælatorum Ecclesiæ, & Principum multitudinem, rusticorum verò aliorúmque opificum paucos habemus; quia tametsi hi quoque ad perfectionem non contendant, tot tamen támque gravium malorum rei non sunt, sicuti hujus sæculi viri potentes. Verum quidem est, quòd agricolæ pessimum dasse spirent odorem propter continuos sudores, quibus laborando perfunduntur, veruntamen, quia ut plurimùm vitam innocentiâ Christianâ conspicuam agunt, in naribus divinis bono odore fragrant; putredo autem, quæ cloacam infernalem graveolentem efficit, sola est illa, quæ ex peccato oritur, quo magis abundant illi, qui inter divitias, & sæculi hujus delicias vitam agunt.

Mendoza ser. 1. Dom. Quadrag. n. 24. VII. Mendoza in sermone quodam refert, Deum cuidam servo suo die quadam pœnas monstrasse infernales, quas dum ille considerarat, miser quidam reprobus in easdem perductus fuit, ad quem omnes dæmones magno cum gaudio accurrentes, compedibus pedes ejus strinxerunt, ejus insuper collari ferreo collum, manicis verò item ferreis manus onerantes, quem postea in lectum igneum procumbere fecerunt, & quasi illum ex itinere defatigatum refocillare volentes, calicem ei propinarunt ardentibus carbonibus refertum, eúmque pariter ad cantandum invitârant, utpotè qui vivens tantoperè cantionibus lascivis delectatus fuisset; quibus cùm miser responderet: Eheu! quomodo hîc cantabo, cùm fauces meæ ex ignitis carbonibus succensæ ardeant? nequaquam, responderunt dæmones, sed cantare oportet, prout potes; quin potiùs, respondit infelix reprobus: plangam & ululabo; & hoc nobis sufficit, responderunt diabolici carnifices; qua propter in hunc modum suum exorsus est lamentum: Maledicta sit dies illa, in qua natus sum; maledicti sint Mater, quæ me peperit, & pater, qui me generavit; maledictæ sint deliciæ, in quibus hactenus vixi; maledicti amici, qui me seduxerunt. Cui unus illorum respondit; & hos tibi ex latere vicinos habes; progressus est infelix ille ulteriùs dicendo: Maledicta sint peccata, quæ patravi: sed ad quid tibi hoc lamentum servit? dixit alter. Maledictus, subjunxit reprobus, sit Creator, qui me creavit; Redemptor, qui me redemit; & Judex, qui me condemnavit. Et quantum existimatis dæmonum esse gaudium, ejusmodi blasphemias audientium? ad has damnatos incessanter instigant, ut acerbissimorum suppliciorum divinæ justitiæ contra illos adaugeatur congeries, crescátque odium adversus Deum, illos hoc modo torquentem.

S. Bernardinus to. 4. ser. 17. extraord. VIII. Usurarius quidam duos habebat filios, quorum unus cum Patre in sæculo permansit, alter verò Religionem ingressus in eadem permansit; paulò post verò mortuus est pater, cui successit filius, qui in sæculo permanserat, qui tamen nec ipse diu post Patrem in vita superstes mansit. Filius autem Religiosus cupidus sciendi statum Patris, nec non & fratris in altera vita, Deum, ut hanc ei gratiam concederet, ardenter rogavit, quam & obtinuit; nam, ut præfatus S. Bernardinus ait, raptus ad infernum neminem videbat, & cùm diligenter inspiceret, egrediebantur de uno puteo inflammati, & ligati, & sibi invicem maledicentes; Pater dicebat filio: Maledictus tu sis fili, quia fui usurarius propter te, & hanc pœnam intravi. Filius verò dicebat Patri: Maledictus tu sis pater, quia si tu usurarius non fuisses, & injustè non exegisses, ego injustè non possiderem, & hanc pœnam non sustinerem.

Cofterus in Dom. 31. post Pentec. IX. De mercatore quodam legitur, quòd, dum morti proximus sanâ adhuc mente vigeret, in præsentia testium sequens condiderit testamentum dicendo. Relinquo corpus meum terræ, animam verò Diabolo consigno, quia hæc propter injustitias meas ad ipsum pertinet. Huic insuper consigno animas uxoris & filiarum mearum, quæ, dum superbis indui voluerunt vestimentis, me coëgerunt, ut ad illa requisitas per fas & nefas congregarem pecunias. Commendo quoque eidem Diabolo animam Confessoris mei, qui mihi absolutionem impertitus est à peccatis meis, nec tamen me unquam ob illa reprehendit, aut ad restitutionem iniquè partorum adstrinxit.

Revel. l. 6. c. 52. X. Inter alias S. Birgittæ revelationes legitur, Sanctam hanc viduam vidisse quandam damnatæ animæ horribilem speciem, quæ instar umbræ cujusdam è caliginoso quodam lacu egrediebatur sine corde, detruncatis labiis, semidevoratis naribus, oculos habentem in genas usque pendulos, pectúsque à vermibus jugiter corrosum; hæc anima admodùm lamentabatur de filia, quam in sæculo reliquerat, quámque pessimis exemplis, dum in hac mortali vita degeret, imbuerat; mæstàque voce gemens dicebat: Heu, heu filia, non filia, sed lacerta, Veneno fœtidissima! miseram me, quæ te genui! miseram, quæ te exemplo meo peccare docui! Quoties enim pessimos meos imi-

tata

tata mores etiamnum peccas? quoties hæc inferni, quæ propter te patior, tormenta novis auctibus recrudescunt?

Veritas.

Prat. florid. p. 1. l. 4. c. 19. XI. In Prato florido impius quidam die quodam ad tabernam accessisse scribitur, seque circulo immiscuisse plurium aliorum, quorum unusquisque, quidquid occurreret, eructabat; quos inter unus memorare cœpit, qualiter Parochus eius in sermone quodam mirabilia prædicasset de altera vita, & qualiter animæ nostræ Deo præsentandæ sint, ut rationem reddant de omnibus perpetratis malis. Quibus auditis ille novus advena præ reliquis temerarius & impudens, ait: Ne nugis credatis Sacerdotum illorum, quia mille vendunt mendacia, ut populum suis attrahant novitatibus; quibus dictis, omnes in effusum soluti sunt risum; quorum ille applausum aucupatus docere cœpit, nec dæmonia, nec infernum, nec animarum esse immortalitatem; inter hæc supervenit Diabolus formam humanam indutus, staturæque sublimis, qui cum iis assidens, novum iussit portari vinum, & circumstantes ad bibendum invitans, quid rerum loquerentur, interrogavit: cui sacrilegus iste: Ego sodalibus meis recensebam, qualiter Sacerdotes nostri millenas de animabus, dæmoniis, inferno, aliisque similibus inventionibus ventilant novitates. Sanè, quod me concernit, hanc si quis animam meam comparare vellet, pro amphora vini eam venderem, quin & hanc ipsam cum sociis meis ebiberem. Tunc omnibus aliis in risum effusis, subiunxit dæmon: ego huiusmodi quæro venditores, inque huiusmodi mercaturæ genere delector. Mox itaque inter eos iniquus factus est contractus, & iuxta infelicis illius hominis dispositionem, omnes iterum bibere cœperunt; pôstque aliquantuli temporis inducias circumstantes interrogavit dæmon, an non iustum foret, ut, qui comparavit equum, capistrum quoque iure sibi vindicet, quo ligatur equus? quibus omnibus affirmativè respondentibus, subiunxit ille: Tempus est, ut singuli singulas repetant ædes; tunc miser ille risum in tremorem convertens, sibi dici audiit à Diabolo: Veni mecum, amice mi, & disce, utrùm anima, infernus, & alia sit vita. Móxque eum rapuit per aëra, nec ampliùs comparuit.

Utilitas considerati Inferni.

S. Damasc. in vit. S. Iosaph. XII. S. Joannes Damascenus in historia de S. Josaphat, de S. hoc Juvene refert, quòd, cùm ex incantationibus Teudæ Magi concitatus in procinctu esset, ut uni puellarum coram se congregatarum in prædam cederet, eique sub specie & colore eandem ad fidem convertendi desponsaret, subitò in ecstasin raptus, ad pœnas infernales contemplandas, ab Angelo ductus fuerit, mox ab ecstasi sibi restitutus, omnem in se ignem sensualem extinctum esse compertus fuerit: nam statim ad se rediens, toto corpore contremiscebat; lacrymæ fluminum instar, ex ipsius oculis fluebant, atque omnis impudicæ illius puellæ, reliquarúmque aliarum pulchritudo, quovis cœno & sanie fœtidior ipsi visa est.

Drexel. in Rogo damn. nat. c. 17. XIII. Drexelius de quodam Belga, cui nomen Bertrandus, narrat, feroci, turbido, vitioso & bellicoso, quin & crapulæ & ebrietati, lusibus, choreisque dedito adolescente. Hic enim dum pridie cinerum conviviis, saltationibúsque vacaret, interiùs se tangi advertit à Deo, radióque illustrari æternitatis; hinc sub prætextu respirandi sub aëre liberiori, tantisper se subduxit à reliquis; quem pauló post sequentes sodales dum tristem offenderent, unanimiter exhortati sunt, ut depulsâ melancholiâ ad choreas & convivium rediret; Ille verò de morte, de rigorosissimo iudicio, déque æternitate discurrere cœpit; quod circumstantes merum esse iocum existimantes, facilè contempserunt; sed ubi seria verba esse adverterunt, attentiores præbuere aures, quibus ille in hunc cœpit protestari modum: Definitum est mihi, socii, deinceps alium agere hominem, hisce ludicris abstinere, mutare mores pristinos, legibus Christianis vivere. Et certè si sapio, nullam imposterum occasionem negligam consequendæ salutis; nec puto serò nimis resipiscere; quamvis doleo, non citiùs huic cogitationi animum adiecisse, cùm iam satis intelligam, fugacissimis his voluptatibus unam imminere æternitatem. Sic pergo, vos singuli rem vestram agite. Hísque dictis à Sodalibus suis se sequestravit, quos ob subitaneam mutationem omnino reliquit attonitos. Eodem verò tempore ibidem præsens erat frater Eleutherius Pontanus S. I. Religiosus, qui olim Bertrando optimè notus in domum eius hospes diverterat, cuius improvisam præsentiam cernens, sine mora eius se pedibus advolvens, in Societatem JESU admitti ardenter postulavit; Unde post aliqualem vocationis suæ factam experientiam Anno 1602. in eandem Lovanii receptus fuit, ubi magna cum exemplaritate, & bonitate vitæ non vulgari vixit.

XIV. Homo quidam doctus familiari amico suo post mortem apparuit, eique retulit, qualiter in agone, dum cum morte luctaretur, inimicus generis humani secum in Materiis fidei nostræ disputans eundem seduxerit, ideóque ad infernum æternaliter damnatus fuerit. In ignem, inquit, abire iussus sum, quem, etsi maximus sit, utcunque tamen tolerabilem iudicarem, si post mille annorum millia finiendus esset; sed æternus est, idemque tantus, quantum apud nos nulla conspexit ætas. Maledicta scientia, quæ me in tam immane præcipitium deiecit. Dixit, & in auras abiit. At verò qualem existimatis amicum eius ex hac apparitione collegisse fructum? Superstes alter tum rei novitate, tum amici exilio æterno motus, amicissimos quosque, qui super eâ re in melius consulerent, interrogavit; móxque aliter vixit, sanctiùs obiit. *Mansi disc. 4. n. 9.*

XV.

Ibid. disc. 5. n. 7. XV. S. Bernardus una cum Patre in villam quandam suam profectus, ibidem sub antiquo quodam trunco in conspectu Patris sui prædicavit, vidénsque patrem in obstinatione sua persistere, præcepit circumstantibus, ut ad viridem illum truncum ignem applicarent, apposita tamen priùs circumquaque sufficiente lignorum siccorum strue, quæ subitò conceperunt incendium: Truncus verò tardè circa medium ab extremis emittens humorem fœtidum, & fumum teterrimum, diu ignem servavit. Tunc incepit Sanctus loqui de pœnis inferni, dixítque patri, quod esset similis illi trunco, qui hîc non poterat igne diurno succendi, nec flere peccata, nec suspirare ad Deum, sed ipse in inferno, nisi pœnitentiam ageret, in æternum arderet, fleret, & fœtentem fumum emitteret; ad quæ verba pater compunctus, eum secutus est, & Monachus factus.

Ibid. disc. 10. n. 3. XVI. P. Jeremias Drexelius, se à viro fide digno audivisse refert, quòd Theodoricus Episcopus Traiectensis servum quendam habuerit, Eberbach nomine, qui, licet Domino suo ob egregiam prudentiam, industriam & fidelitatem acceptissimus esset, nihilominùs æmulorum suorum perfidiâ victus, ut se de illis vindicaret, semetipsum, desperatus in dæmonis tradidit potestatem. Elapsis verò aliquot annis mortuus est, eiúsque anima in mare quoddam flammarum coniecta fuit, à quibus adeò excessivè vehementem patiebatur dolorem & pœnam, ut sæpiùs protestatus fuerit, malle se igne ex omnibus totius mundi lignis excitato, ad novissimum Iudicii diem usque ardere, quàm in hoc flammarum mari per unam horam cruciari. Dum verò in maximis tormentis esset, Angelus quidam ei apparens, dixit illi: hanc esse retributionem, quam dæmon dare solet illis, qui ultrò se eius potestati devoverunt; veruntamen confestim subiunxit: Dic sodes, quid si Deus hanc tibi gratiam concederet, ut in vitam denuò mortalem redire posses; facturúsne esses sinceram de peccatis tuis pœnitentiam? imò verò, respondit infelix, & quidem asperrimè me pœnitentiâ afficerem; cùm igitur cadaver eius etiamnum insepultum domi consisteret, defunctus è feretro resurgens, rediit ad vitam, & pœnitentiam agere cœpit adeò rigorosam, ut Ottonem Episcopum in terram Sanctam comitatus, nudis pedibus post equum illius inter silices & sentes eucurrerit, sanguísque è pedibus eius abundanter manârit, pauperibus quoque omnes facultates suas distribuit, quotidiè in pane & aqua ieiunavit; monitúsque à nonnullis, ut hunc vitæ rigorem nonnihil temperaret, se atrociores passum fuisse pœnas respondit; Unde vitam professus est religiosam, in qua inter austeritates excessivas ad finem usque perseveravit.

S. Climacus in scala Paradisi. XVII. Abbas Olympius aliquando interrogatus, qualiter speluncæ suæ inhabitare posset angustias, & excessivos supportare calores, præter apum, muscarum, & culicum, sanguinem continuò elicientium morsus & puncturas? Respondit: culices sustineo, quia vermem timeo immortalem; flocci facio calorem, quia ignem pertimesco æternum. Hæ afflictiones finem habebunt, non illæ.

XVIII. Colonellus quidam in bello Mantuano 1630. post plurimam collectam prædam mortuus est, priùs condito testamento, ut exequias quàm sumptuosissimè sibi facerent. Reliquum omne mox à funere ceteri legionis illius ministri lasciviendo & luxuriando abligurirent, nec finem priùs facerent, quàm omnia absumpsissent. Executi sunt gnaviter mandatum defuncti Ducis commilitones. Cúmque nocte quadam vino & luxu maderent, ortus subitò strepitus est, quasi innumeræ per gradus catenæ traherentur, donec ad compotantium conclave turba & horror pervenit. Cohorruêre omnes, præsertim ubi spontè ianua reserata ingentem ante fores conclavis ignem, & inter ignis flammas quemque sibi ipsi exhibuit. Ex quo pavore turbatus conventus, alii paucis post diebus mortui, alii post menses aliquot: ita tamen ut omnes intra anni unius (nisi fallor) spatium obierint, unô exceptô, qui adhuc vivit, tragœdiæ oculatus testis, narrátque ipse palàm. *Ex litteris P. Nicolai Mohr.*

XIX. Subulcus pecus nocte reducens, cùm pecus stabulum introire nollet, iussit istud ex impatientia, eâ celeritate in haram se conferre, quâ Juristæ infernum intrant; illi mox imperata faciunt. Vidit hoc è turri mœniorum Io. de Florentia Advocatus, & conversus, altero mox die Franciscanorum familiam inivit. *S. Antonin. tr. 3 hist. tit. 24. c. 9.*

XX. Novi quendam, ait P. Casparus Tausch, qui ob apprehensam iniuriam ab alio sibi factam, quæ ex se levis erat, adeò obstinavit, eum è medio tollere, ut diceret: si hiantem ante se videret infernum, priùs tamen illum occisurum, tum mox ad infernum insultuturum. *Tausch. in sap. Christ. c. 14. §. 6.*

§. IV.

EXEMPLA PROFANA.

I. Bellovacensis narrat, qualiter Titus Vespasiani Filius in obsidione Ierosolymitana, dum suos milites ad intrepidum certamen animare vellet, exemplum iis proposuerit Leonidis, qui unus fuit è Sociis Alexandri Magni, cùm enim Magnus hic Capitaneus innumerabilem Persarum contra se adventare cerneret exercitum, séque nonnisi trecentos numerare Lacedæmonios, ita eos allocutus est: Prandeamus hodie in terris, quia sumus cœnaturi apud inferos; quod dictum militibus tam generosum suggessit animum, ut nullus uno excepto, à prælio se subtraxerit, sed adeò generosè pugnarint, ut victores gloriosè evaserint. A quibus Bellovacensis ad nos transitum faciens, ita subiungit: Qui cogitat, quàm mala sit cœna inferni, viriliter dimicat, ne vincatur, & victus, & captus ad illam perducatur. *Bellovac. spec. mor. p. 1. l. 2. dist. 4.*

II. Aristoteles post mortem cuidam suorum discipulorum apparens dixit: Ex omnibus, quo- *Caraffa in Theol. myst. to. 1. Exerc. 4. 2.*

quorum habui notitiam & scientiam, huius solius recordor, quòd in æternum puniar.

Stephanus Binet. III. Machiavellus morti proximus Florentiæ, cùm de damnatione sollicitus esset, & in mentem veniret, Aristotelem, Platonem, Alexandrum damnatos, Apostolos autem misellos homines pauperes in cœlo; ait: malo cum illis illustribus damnari, quàm cum his vilibus in cœlo degere.

Mart. Zeiler Cent. 1. p. 76. IV. Tiberius hominem iocularem, qui mortuo, qui efferebatur, imperavit clarâ voce, ut Augusto nunciaret, legata ab ipso facta Romano populo, nondum esse persoluta, ad se vocavit, eíque legatam portionem dedit, ac inde duci ad capitale supplicium iussit, ut patri Augusto rei veritatem exponeret.

§. V.

SIMILITUDINES.

Qualitas.

Hugo Cardin. in c. 7. Eccl. I. Sicut boni habebunt septem bona, in quibus eorum consistit gloria; tria ex parte animæ, quatuor ex parte corporis; sic & mali in inferno septem dotes horribiles habebunt. Et imprimis quidem odium Dei, contra amorem & dilectionem, quam habebunt Beati; cæcitatem mentis & intellectûs, contra claram Divinæ essentiæ visionem; tristitiam & pavorem perpetuum, contra animarum glorificatarum gaudium. Contra verò dotes corporum Beatorum, sequentes damnatorum opponit, dicens: Contra claritatem habebunt obscuritatem; contra agilitatem, ponderositatem; contra formositatem & subtilitatem, deformitatem & densitatem.

Mansi disc. 9. n. 10. II. Sicut unus sol non omnia corpora æqualiter calefacit, ita illic unus ignis animas pro qualitate criminum dissimiliter exurit.

Mansi disc. 9. n. 3. III. Sicut Deus creaturas illas, quæ ad nobis benefaciendum formatæ sunt, per infinitam sapientiam & potentiam suam eò elevat, ut omnem propriam exsuperent naturalem virtutem, ut videre est in aquis baptismalibus, quæ ad mundandas & purificandas animas à macula culpæ originalis, imò & actualis in adultis per dispositionem divinam elevantur; ita quoque iustitia vindicativa Dei ignem infernalem adhibet, ut per eum omni cum severitate impios puniat, idque citra proprium ignis vigorem, siquidem cum ignis noster elementaris in abysso illâ nonnisi corpus cruciare posset, infernalis ipsas quoque excruciat animas: Cùm enim ex communi Philosophorum axiomate ignis noster sit calidus ut octo; quid ni Deus per omnipotentiam, & voluntatem suam, iuxta scelerum & flagitiorum proportionem efficere poterit, ut ignis infernalis ad 30. 60. imò centum & plures pertingat, excedátque caloris gradus, iuxta divinæ iræ proportionem? quia quis novit potestatem iræ suæ, & iram suam dinumerare? Nam S. Paulus ait: *Horrendum est, incidere in manus Dei viventis.*

Ibid. disc. 9. n. 4. IV. Sicut Romani olim in Theatris publicis feras irritabant, atque exacerbabant, ut tantò magis ferocientes desævirent in Martyres; ita & Deus noster absque ulla compassione voracissimam igni illi, tanquam iustissimi furoris sui instrumento conferet activitatem; Unde alibi damnatis exprobrat, dicens: Ignem succendistis in furore meo, usque in æternum ardebit. Ex quibus verbis clarè deducitur, ignis huius folles esse furorem Dei.

S. Anselm. apud Mansi disc. 15. n. 4. V. Sicut in Beatis erit perfecta sanitas, tam in singulis membris, quàm in toto corpore; sic in corporibus reproborum, & singulis eorum membris, erit infirmitas incurabilis, & dolor incomparabilis.

S. Bernardin. to. 4. ser. 6. VI. Sicut si esset unus Pater cum septem filiis moriturus, ipse Pater haberet dolorem suum, & omnium filiorum suorum, & è contrario, & dolor unius transiret ad alium participatione; ita quòd haberet & sentiret suum dolorem, & participaret de dolore aliorum filiorum suorum, & è contrario; Sic & in infernò apud damnatos; Et hoc est, quod dicit: Quod fumus transibit de sæculo in sæculum.

S. Aug. ser. 1. de verb. Dom. VII. Sicut anima est vita corporis, sic animæ est vita Deus; & sicut exspirat corpus, cùm animam amittit, sic exspirat anima, cùm Deum amittit; Deus amissus, mors animæ, sicut anima amissa mors corporis est.

Dion. Carthus. in ps. 48. VIII. Sicut oves repentè & improvisè ad mortem ducuntur, & occiduntur, ita maligni subitò & inopinatò condemnabuntur.

S. Greg. l. 4. mor. c. 19. IX. Sicut in domo Patris mansiones multæ sunt pro diversitate virtutis, sic damnatos diverso supplicio gehennæ ignibus subiicit disparilitas criminis.

Æternitas.

S. Bernardin. ser. 18. extraord. X. Sicut in infinitum peccavit; sic pœnam habeat peccator æternam, sed quia infinitam non potest habere intensione, habeat tunc saltem infinitam duratione. Unde Psalmista ait: *Laborabit in æternum, & vivet adhuc in finem.*

S. Bonav. ser. 1. de S. Laurent. XI. Sicut herba ab ovibus carpitur, sed non radicitùs evellitur, ut continuè renascatur, ut sic semper sit, quod carpatur; sic homo in inferno moritur, & ut semper mori possit, ad vitam continuè reparatur.

Necessitas.

Mansi disc. 3. n. 8. XII. Sicut Chirurgus ad vulnus sanandum primò utitur lenitivis & corrosivis medicamentis; ubi verò hæc nihil proficere viderit ad eruendam saniem, ferro utitur & igne; Eodem pariter stylo uti debet Spiritualis animarum medicus, quando enim se per vicem amoris, vel per motivum æternæ remunerationis animam à vitii putredine liberare non posse videt, ad consequendum sanitatis spiritualis intentum necessum est, ut æterni supplicii quoque ignem adhibeat.

XIII.

Utilitas.

S. Aug. de ovibus.

XIII. Sicut si quis virgam viridem distortam rectam facere cupiat, ignem adhibere solet; dum enim virga calorem sentit, in quamlibet sibi libitam partem eandem flectit: eodem modo quantumvis Christianus aliquis dissolutus sit, & scandalosus, si tamen per seriam considerationem in flammas æternas respiciat, perversos mores suos sine mora reformabit: Evigila igitur, inquit S. Augustinus, ex dolore tuo, corrigere ex cruciatu tuo. Ligno malè curvo nosti calorem solere adhiberi; corrigat te dolor iste, Mundus est flamma ignis æterni tanquam calor foci admotus curvo cordi tuo, ut hinc admoneatur, & corrigatur.

Bellov. spec. mor. p. 4. l. 2. dist. 4.

XIV. Sicut ignis, & fumi propinquitas fletum & lacrymas provocat; sic & meditatio ignis & fumi infernalis lacrymas compunctionis extorquet; Unde quidam dixit: si non potes habere lacrymas, pone oculos tuos ad fumum inferni, & ardorem eius, & ad vehementiam aquilonis, à quo panditur omne malum, & sic habebis.

S. Greg. l. 21. mor. c. 17.

XV. Sicut cùm fluctus tumentes imminent, cúmque eam, quam deferunt mortem, minantur, nulla tunc navigantibus rerum cura temporalium, nulla carnis delectatio ad mentem reducitur; ea quoque ex navi proiiciunt, pro quibus longa navigia sumpserunt, cunctæ res in despectum mentis veniunt. Eundem prorsus effectum operatur suppliciorum æternorum consideratio, hæc enim thesaurorum, sceptrorum, deliciarum, delectationum nos facit concipere nauseam; ac proinde Job à divitiis, à filiis, & imperiis adeò se exhibuit alienum, ut diceret: *nudus egressus sum de ventre matris meæ, & nudus revertar illuc.*

§. VI.

MOTIVA.

Ad memoriam Inferni refricandam.

S. Chrysost. l. 1. de Provid. Divina to. 4.

I. NEcessitas; nam ut S. Chrysostomus ait: non minùs gehennæ comminatio, quàm promissio regni ineffabilem ipsius clementiam commendat. Nisi enim ille gehennam minatus esset, non facilè quispiam cœlestibus bonis potiretur.

Rabanus T. 6. l. 3. de modo pœnit. c. 10.

II. *Utilitas multiplex; Primò ad tentationes vincendas,* uti Rabanus suasit dicens: Illum gehennæ ignem, his, quæ te nunc exagitant, flammis libidinis & cupiditatis oppone; est enim hoc mirabile quoddam medicamenti genus, ut ignes ignibus extinguantur; si enim extinctæ non fuerint libidines istæ, quæ te nunc exagitant, illos tibi æternos ignes acriores, & inextinguibiles reddent. Hinc de S. Antonio scripsit S. Athanasius: Hic ultrices gehennæ flammas, & dolorem vermium recordans, ingestæ sibi libidini opponebat. Unde & S. Bernardus suasit: Ardor gehennæ extinguat in te ardorem luxuriæ, maior ardor minorem ardorem superet, stridor flammarum horribilis, amorem depellat libidinis. *Secundò, Ad peccata vitanda;* fieri enim non potest, ut anima de gehenna sollicita citò peccet; Audi enim optimam admonitionem; *in memoriam revoca novissima tua, & in æternum non peccabis.* Hinc etiam S. Gregorius dixit: Dum culpa blandiri inchoat, ad quem interitum mens trahatur, necesse est, agnoscat. *Tertiò, Ad patientiam conservandam,* nam ut S. Augustinus rectè dixit: Dura sunt, molesta sunt, horrent, quando narrantur, quæ quisque gravia valdè patitur in hac vita; in comparatione autem æterni ignis non parva, sed nulla sunt. *Quartò, Ad Inferni dæmones vincendos;* quod Mansi sic ostendit: Teste Sapiente, Leo fortissimus bestiarum, ad nullius pavebit incursum, & tamen qui eum perterrefacere intendit, ignem obiiciat ferocienti, mox que deposito furore atque ferocia profugiens, intra specum sese recludit. Leo iste dæmon est, dicente Apostolo Petro: *Tanquam leo rugiens circuit, quærens, quem devoret;* qui igitur contra eum victoriam reportare desiderat, meditatione se armet ignis infernalis, plurimi namque per hoc unicum medium suum emendantes vitam atque mores, se è servitute eripuerunt dæmoniaca. *Quintò, ad gehennam effugiendam;* nam ut S. Chrysostomus ait: Si minis gehennæ non essemus territi, omnes fortè in gehennam præcipitaremur. Hinc idem alibi ait: Nullus ex his, qui gehennam habet ante oculos, incidet in gehennam; nullus ex his, qui gehennam despiciunt, effugit gehennam. E contrario verò, multi dum se recreare volunt, efficiúntque, ut gehennæ non meminerint, per hanc securitatem, metúsque vacuitatem, in magnum interitûs se barathrum imprudentes immittunt; & ideo rogo, ut gehennæ memineris, de gehenna loquaris.

S. Bern. ser. 23. de modo benè vivendi.

S. Greg. apud Mansi disc. 4. n. 6.

S. Aug. ser. 109. de temp.

S. Chrysost. To. 6. de ira decre.

Idem hom. 2. in ep. 2. ad Thessal.

Idem in psal. 11. n. 3.

MOTIVA.

Ad timorem Inferni concipiendum.

S. Aug. ser. 109.

III. *Gravitas;* nam teste S. Augustino, paulò ante citato: quæ quisque gravia valdè patitur in hac vita, in comparatione æterni ignis, non tantùm parva, sed nulla sunt. Et confirmans id ipsum S. Bonaventura, gravissima, inquit, pœna, quæ in hoc mundo potest tolerari, minor est pœnâ purgatorii, ut ait Augustinus, quantò magis pœna inferni?

S. Bonav in Diat. tit. 10. c. 1.

Astensis in psal. 10.

IV. *Multitudo;* quam indicavit Astensis, dum explicans illa verba: Pluet super peccatores ait: Quare dixit, pluet? quia innumerabilia tormentorum genera super peccatores effundet, à quibus semel detenti, nunquàm ampliùs expediri poterunt.

Hugo Victor lib. de Sacr. fide p. 16. c. 5.

V. *Æternitas;* nam ignis corporeus, teste Hugone Victore, ut esse ignis valeat, corporis indiget fomentis, qui cùm necesse, ut servetur, per congesta ligna procul dubio nutritur! At contra gehennæ ignis cùm sit corporeus, & universos reprobos corporaliter exurat, nec studio humano succenditur, nec lignis nutritur, sed creatus semel, durat inextinguibilis, & succes-

Euseb. Emiss. hom. 2 de symb.

sione non indiget. Quod confirmans Eusebius Emyssenus, hanc solam, inquit, debet damnato homini rationabilis ille ardor, ac vindex flamma reverentiam, ut traditos sibi reos, cùm possit punire, non possit extinguere, sed deputata in pabulum suum corpora & consumat, & nutriat. Cuius ulteriorem rationem assignans Tertullianus, longè alius, inquit, est ignis, qui usui humano; alius, qui Dei iustitiæ deservit; Hic enim non absumit, quod exurit, sed dum erodit, reparat. Quid mirum, si æternaliter ardebit? æterna erit materia, æternum pabulum, anima & peccatum. Quod ipsum clariùs insinuans Innocentius III. Impius, ait, quia semper habebit in se reatum ex culpa, semper sentiet contra se cruciatum ex pœnâ, quia quod ipse per pœnitentiam non delevit, Deus per indulgentiam non remittet.

Tertul. in Apolog.

Innoc. III c. 10 de mundi contemptu.

VI. *Societas*; de qua Hugo de Victore sic loquitur: Illa ultrix flamma vitiorum cremationem habet, lumen non habet. Ille ignis ad consolationem non lucet, & tamen ut magìs torqueat, ad aliquid lucet; nam sequaces quoque suos secum in tormento reprobi, flamma illustrante, visuri sunt, quorum vivi amore deliquerunt, quatenus quorum vitam carnaliter contra præcepta Conditoris amaverant, ipsorum quoque intuitus eos in augmento suæ damnationis affligat. Eiusdem Societatis molestiam S. Chrysostomus his verbis indicat. Si quis ex iis, qui liberaliter sunt educati, hîc in carcerem coniectus, fœtorem solum, & iacere in tenebris, & in vinculis esse cum homicidis, quavis morte ducit esse gravius, cogita, quid sit, quando urimur cum huius terræ homicidis.

Hugo de Sacra fide Te. 3 l. 2. p. 16. c. 5.

S. Chrysost. hom. 1. ad Hebræ.

VII. *Vermis triplex conscientiæ*; de quo S. Innocentius III. loquitur: Vermis conscientiæ tripliciter lacerabit; affliget memoriâ, exacerbabit pœnâ, torquebit angustiâ; venient enim in cogitatione peccatorum suorum timidi, & traducent illos ex adverso iniquitates eorum, dicentes: Quid profuit nobis superbia & iactantia divitiarum, quid contulit nobis? transierunt omnia. Cum ingenti turbatione recogitabunt, quæ cum nimia delectatione gesserunt, ut stimulus memoriæ pungat ad pœnam, quos aculeus nequitiæ stimulavit ad culpam. Cuius vermis gravitatem etiam explicat Josephus Mansi his verbis: Deus enim damnatis apertè infinitam revelabit innumerabilium offensarum gravitatem, quibus eum iniuriati & contumeliati fuerunt, sibique viva peccatorum cognitio & apprehensio semper manebit, ut ream conscientiam incessanter rodendo affligat: Vermis eorum non morietur; eritque hic vermis morsus, non spina tantùm, sed & clavus corda & animas impiorum incessanter transfigens; adeóque in infernum, in centro terræ situatum, alium quendam secum deferent infernum, qui est mala conscientia, de qua S. Bernardus inquit: Infernus quidam, & carcer animæ, rea conscientia est.

Innoc. 3. de contempt. mundi l. 3. c. 2.

Mansi disc. 18. n. 10.

VIII. *Invidia animum lancinans*; quam Salomon indicavit dicens: *Videntes turbabuntur timore horribili, dicentes intra se, & præ angustia Spiritûs gementes; hi sunt, quos habuimus aliquando in derisum, & in similitudinem improperij; nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam; ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter Sanctos sors illorum est.* Quam clariùs explicans S. Antoninus ait: Invident enim gloriæ Beatorum, quam in generali intelligunt, etiamsi fuerint amici, & consanguinei in mundo, & tanta est perversitas eorum, quòd vellent omnes secum esse damnatos. Iste Zelus invidiæ finem non habet, permanens iugiter sine fine, ut dicit Glossa super Epistolam ad Corinth. Et quantò ille, cui invidetur, successu maiori proficit, tantò maioris livoris incendio mundus inardescit. Radicem verò huius invidiæ indicat S. Bonaventura his verbis: Invidia exurgit ex defectu charitatis, & amore proprii boni, sed utrumque in damnatis est, ergo in eis est maxima invidia. Si ergo invidus nollet aliquem videre bonum, nec beatum, ergo damnati vellent, quod omnes cum eis essent damnati. Dentibus suis frement, & tabescent, quoniam vigebit in eis odium, & invidia, & vehementer tristabuntur, & tabescent in gloriam electorum, & ideò ad faciendam suam impiissimam æmulationem, vellent nullos esse bonos, imò omnes miseros, & quia nec ipsi ad Beatitudinem possunt pertingere, nec alios possunt à statu Beatitudinis removere, ideo in se ipsis vehementer tabescunt, & confunduntur.

Sap. 5.

S. Antoninus p. 4. tit. 14. c. 5. §. 8.

S. Bonav. in 4. dist. 50.

IX. *Desperatio*; quæ, ut S. Cyprianus advertit, omni tormento atrociùs condemnatos affliget, non miserebitur ultrà Deus, neque tunc audiet pœnitentes. Unde locus damnatorum à Gentilibus Lethes dicitur, & interpretatur oblivio, quia scilicet sui, id est, eius, qui est damnatus, tradunt eum oblivioni, & Deus etiam videtur eorum oblivisci. Quibus consentiens Innocentius III. Non humiliabuntur, inquit, reprobi iam desperati de venia, sed malignitas odii tantùm in illis excrescet, ut velint illum omninò non esse, per quem sciunt, se tam infeliciter esse. Quàm gravis verò sit hæc pœna, indicat Dionysius Carthusianus his verbis: Desperatio sempiterna præ cæteris pœnis deprimit, transfodit, excruciat mentem. Hoc quoque præ aliis pœnis transverberat cor damnati, quòd in tot tormentis scit, & perpendit, se sine spe evadendi mansurum.

S. Cyprian. ser. de Ascens.

S. Antoninus l. c. §. 5.

Innoc. III. l. c. c. 10.

Dion. Carth. apud Mansi disc. 24. n. 6.

X. *Separatio ab omnibus charis*; Nimirùm subtractio omnium subsidiorum à Deo, seu Personis Divinis, ab Angelis, à Sanctis, à notis, ab Ecclesiæ suffragiis, à bonis peractis, à locis sacris. In vita præsenti habent etiam maximi peccatores subsidium multiplex à Deo, præcipuè pœnitentiam, per quam placatur, in qua Pater cor lapideum frangit per potentiam contritionis, Filius illuminat per manifestationem confessionis, & Spiritus Sanctus dignificat per fructum satisfactionis; sed damnatus non dabit Deo placationem suam, ut dicitur Ps. 48. quia pœnitere non potest.

S. Antonin. l. c. §. 11.

XI. *Cæcitas animi*; Nam ut Innocentius III. ait, tantam in pœnis reprobi sustinebunt angustiam, ut nihil cogitare valeant, præter pœnas, sed

Innoc. III. l. 3. cont. mundi c. 7.

sed illuc dirigent impetum cogitationis, ubi sentient vim doloris, Salomone dicente: *Nec opus, nec ratio, nec scientia, nec sapientia est apud inferos, quò tu properas.* Deus namque animabus damnatis vivacissimam, eámque continuam imprimet, pœnarum infinitarum, quas per omnem æternitatem susserunt, & sufferent, apprehensionem, absque eo, quòd vel ad minimum temporis momentum se ad alia divertere possint.

S. Albert. Mag. l. de muliere forti, c. 16. §. 4.

XII. *Bellum continuum corporis ad animam, & è converso*, eò quòd corpus convitiatur animæ, quòd ipsa debebat regere ipsum ad bonum, & direxit ad malum; anima autem corpori è converso, quòd delectationes corporales seduxerunt eam, & quòd prona fuit ad malum caro omni tempore, ad bonum autem pigra & infirma. Quod etiam S. Bernardinus confirmans, anima, ait, odiet corpus, & corpus odiet animam, & ipsam abhorrebit; & omnes partes corporis similiter ad invicem erunt discordes, & appetent separari ab invicem, nec poterunt dissolvi; unde oportebat affligi utrumque; corpus, quia à sua anima torquebitur in æternum; anima verò, quia recolet, & intelliget corpus suum in æternum torqueri, & diliget naturaliter habere gloriam, quam desperabit attingere.

S. Antonin. p. 4. tit. 14. c. 5. §. 10.

XIII. *Pœna damni*, cuius gravitatem explicans S. Antoninus, Sancti, inquit, ex beatissima visione consequuntur maxima gaudia; delectationes in dextera tua usque in finem. Dextera Dei est vita æterna. Augustinus: Delectationes sunt ex visione Dei usque in finem, id est, usque ad perficiendum omnem appetitum. E contra damnati ex privatione huius visionis habent summam tristitiam; & sicut Beati ex omni parte suprà, intus, infrà, extrà, & circumcirca pleni sunt gaudio, propter quod dicitur cuilibet illorum: *Intra in gaudium Domini tui*; Ita damnati ex omni parte circumdati sunt dolore, ex consideratione præmiorum, quæ amiserunt. Cui assentiens S. Laurentius Iustinianus ait: Interminabilis Divinæ visionis carentia, quæ dolores supereminet universos. S. Bonaventura verò dicere ausus est: Si mille gehennas mihi proponas, non tantùm reputo, sicut ab illius gloriosæ Societatis iucunditate expelli, & exosum fieri Creatori. O anima, terribilis est gehenna, sed terribilior facies Iudicis irata.

S. Laur. Iust. de Vit. solit. c. 10.

S. Bonav. to. 7 soliloq.

§. VII.

MEDIA.

Ad evitandum Infernum.

S. Aug. tr. 81. in Ioan.

I. CHaritas *Divina*; nam ut S. Augustinus dixit: Unum de duobus palmiti congruit, aut vitis, aut ignis; si in vite non est, in igne erit, ut ergo in igne non sit, in vite sit; Quænam autem est vitis illa? Salvator noster ipse, hic namque de semetipso dicit: *Ego sum vitis vera, & vos palmites*; Si itaque tanquam veri palmites huic viti vivere volumus uniti, igne ardeamus oportet charitatis; quoniam *qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Quod confirmans S. Bernardus, qui perfectè, ait, vivit, non habet, unde in inferno damnetur, sed unde in cœlo coronetur: qui perfectam habet in se charitatem, non timet in inferno puniri, sed sperat in cœlo cum Deo gloriari.

S. Bern. ser. 4. de modo benè vivendi.

II. *Amor B. Virginis*; uti mulier coniugata in Paraquaria iudicavit, à vitæ probitate ac Sanctimonia omnibus nota, ut quæ innocentiam in baptismo acceptam nunquam graviori delicto fœdârat. Marito peste sublato, eâdem & ipsa afflata, cœpit Dei videndi desiderio æstuare, crevitque æstus usque ad supremum spiritum, iámque moritura Patri hæc paucula dixit: Ineffabili gaudio delibuta morior; oro te, ut pro animi mei solatio semel ad Aram facias: ego in cœlo beneficii memor ero. Quæ dum dixit, expiravit. Lugentibus omnibus, ad se redit, vocatur Pater, reperit eam cœlestibus gaudiis affluentem, & ligneum crucifixum osculantem. Ubi autem Patrem vidit: Scito, inquit, mi Pater, nocte hac certò me mortuam fuisse, deductáque sum ab Angelo, ut viderem damnatorum supplicia, in quibus plures mihi notos agnovi. E Sodalium B. Virginis cœtu vidi neminem. Quod confirmatur ex eo, quòd etiam clienti cuidam singulariter colenti S. Annam, B. Virgo cum Christo & S. Anna apparuit, & dixit: Ego sum soror tua, & nos inferni portas claudemus, ne illuc intres, eò quòd semper honoraveris Matrem meam.

Ex litt. Ann. 1635. c. 36.

Nadasi 26. Iul. in anno Cœlesti.

III. *Consideratio crebra inferni*; Nam si cùm in carcerem quendam ingressi sumus, inquit S. Chrysostomus, atque alios squalore confectos, alios catenis vinctos, ac fame laborantes; alios in tenebris clausos conspicimus, animis commovemur, atque perhorrescimus, nihilque non facimus, ut ne in eum locum incidamus, cùm ad ipsos gehennæ equuleos trahemur, quinam futuri sumus? non enim vincula illa ex ferro confecta sunt, sed igne perpetuò ardente. S. Bernardinus id ipsum quoque sic declarat: Satis suave est iacere in uno lecto, & mundo; & tamen si alicui posito in tali statu diceretur: Iace, & quiesce, quia oportebit te ita iacere viginti annis, ipse responderet: Potiùs vellem esse mortuus. Quid ergo de illo, qui erit in igne ardenti, & scit, se ibi mansurum non per mensem, & annum, sed per infinita sæcula sæculorum? Hinc meritò S. Ephrem hortatur. Meminerimus infirmitatis naturæ nostræ; quid culice minus, aut vilius? & huius minas sufferre nequimus. Quid ergo adversus venenatum, & non quiescentem vermem faciemus?

S. Chrysost. hom. 10. in 2 ad Cor.

S. Bernardin to. 4. ser. 18. extraord.

S. Ephrem paran. 47.

IV. *Memoria crebra Inferni*; Sic enim S. Prosper suasit, qui postquàm ingentem tormentorum infernalium texuisset congeriem, tandem concludit dicens: Hæc & multa similia cogitare, nihil est aliud, quàm vitiis omnibus repudium dare, & omnia blandimenta car-

S. Prosper l. 3 de Vita contemp. c. 12.

Mansi disc. 2. n. 7. carnalia refrænare. Quod confirmans Josephus Mansi, unus, inquit, ignis ad alium ignem compescendum, ne noceat, remedium est: Juxta illud: Ignis igni remedium est; sic enim experientia docet, quòd, dum caminus ex concepto igne luculentas flammas edit, unius duntaxat sclopeti explosione flamma illa confestim extinguatur.

S. Chrysost. hom. 2. in 2. Thess. V. *Sæpè loqui, & concionari de inferno*; quia teste D. Chrysostomo, nihil est æquè utile, atque de gehenna disserere; quovis argento puriores nobis efficit animas.

§. VIII.

ASCETICA.

I. **I**Nprimis *nôsse debet Asceta, quid sit infernus*; nimirùm quod sicut gloria Paradisi definitur, quòd sit status omnium bonorum aggregatione perfectus, ita quoque pœnarum illarum acerbitatem definire possumus dicendo, quod sit status omnium malorum excogitabilium; est etenim carcer aliquis in centro terræ positus, fumo & caligine, igne, fœtore, &, ut verbo dicam, omni miseriâ plenus, qui æternam in se includit omnium bonorum privationem, estque aggregatum quoddam malorum omnium excogitabilium. In illo sunt, *S. Bonav. ser. 2. in hexag.* ut S. Bonaventura ait, septem pœnæ, ignis, vermis, fœtor, fumus, tenebræ, vincula, frigus. In illo horribili loco in supplicium reproborum adimplebitur, quod in libro Sapientiæ dicitur: *Pugnabit pro illo orbis terrarum contra insensatos*; nam omnibus creaturis, ut Lyranus inquit, utetur ad afflictionem reproborum; Divina namque Justitia omnia elementa, velut suppliciorum suorum instrumenta adhibebit. Non solùm ignis reprobos inflammabit, inquit S. Bonaventura, sed & cætera elementa confusa, & permixta in reprobos convertentur, ita quòd erit ibi ignis ardens, aqua congelans, aër inquietus & perturbatus, & terræ fœtor.

S. Chrysost. hom. 3. in Gen. II. *Nôsse debet, ob quem finem creatus sit Infernus*; id quod S. Chrysostomus breviter indicavit dicens: Gehennam propterea condidit, ut metus pœnæ, intolerabilisque cruciatûs ad regnum nos cogat.

S Bernardus l. 5. de consid. c. 12. III. *Nôsse debet, cur Infernus secunda mors dicatur*; nimirùm ob causam à S. Bernardo indicatam, dum dixit: Horreo mortem vivacem; horreo incidere in manus mortis viventis, & vitæ morientis; Hæc est secunda mors, quæ nunquam occidit, sed semper occîdit. Quis det illis semper mori, ut non moriantur in æternum? Clariùs verò S. Augustinus, *S. Aug. l. 19. de civit. Dei c. 28.* secunda mors, inquit, dicitur, quia nec anima ibi vivere dicenda est, quæ à vita Dei alienata erit; nec corpus, quod æternis doloribus subjacebit; ac per hoc ideo durior ista secunda *Idem ser. 12. de temp.* mors erit, quia finiri morte non poterit. Et alibi: ubi mors quæritur, & non invenitur. Quare in inferno mors quæritur & non invenitur? quia quibus in hoc sæculo vita offertur, & nolunt accipere, in inferno quærunt mortem, & non poterunt invenire. Hinc ulteriùs infert: Si ergo labore tanto, tanto conatu, tantis impendiis, tantâ instantiâ, tantâ vigilantiâ, tantâ curâ agitur, ut aliquantulùm plùs vivatur, quomodo agendum est, ut semper vivatur? Et si prudentes dicuntur, qui omnibus modis agunt, ut differant mortem, & vivant paucos dies, ne perdant paucos dies, quàm stulti sunt, qui sic vivunt, ut perdant diem æternum?

IV. *Nôsse debet, cur tam graves accidant pœnæ damnatis*; id quod Sanct. Augustinus sequentibus verbis declarat: *S. Aug. de Civit. Dei l. c.* Quod bellum gravius, aut amarius excogitari potest, quàm ubi voluntas sic adversa est passioni, & passio voluntati, ut nullius earum victoriâ tales inimicitiæ finiantur, & ubi sic confligit cum ipsâ corporis naturâ vis doloris, ut neutrum alteri cedat? hic enim quando contingit conflictus, aut dolor vincit, & sensum mors adimit, aut natura perdurans vincit, & dolorem sanitas tollit. Ibi autem & dolor permanet, ut affligat, & natura perdurat, ut sentiat, quia utrumque ideo non deficit, ne pœna deficiat.

V. *Nôsse debet, cur pœna æterna damnatis sit constituta*, quod Josephus Mansi sic explicat: *Mansi disc. 21. n. 8.* Sicut debitor aliquis, qui ob æs alienum carceris vinculis constrictus tenetur, nunquàm dimittitur, quamdiu pecunia illi deest, quâ creditori suo satisfacere possit: Ita quoque hæc est indeclinabilis damnati infelicitas, quòd ex inferno nunquàm sit dimittendus, quia nec habet, nec unquam habere poterit summam infinito peccati debito exsolvendo necessariam; census enim, quo Divinæ satisfit iustitiæ pro culpa commissa, est aversio à creatura, & conversio ad Creatorem; At verò voluntas damnati in odio Dei irrevocabiliter obstinata, ad eum converti nunquam poterit, & ideò semper in æternum audiet: *Non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem.* Circa quæ verba Abulensis sic discurrit: Verum est, quòd *Abul. q. 116. in c. 18. Matt.* peccatores detruduntur in infernum, quia debitores sunt, & donec solvant, ibi manent, & tamen, quia nunquam solvent, manebunt in in æternum; Non solùm nunquam persolvent totum debitum, sed etiam nunquam incipient solvere minimam partem debiti. Solvere debitum peccatorum, est satisfacere Deo, in quem peccavimus, & ad satisfaciendum Deo, oportet quòd ille acceptet ea, quæ offeruntur, sed Deus non acceptat factum aliquod, vel toleratum à peccatore, quia extra charitatem est; ergo nunquam poterit satisfacere, neque incipere satisfacere, sed manebit semper debitum integrum. S. Bernardus rationem assignat, cur *S. Bernardus ep. 253.* peccatum in hac vita commissum, & præteritum, æterno subiici debeat supplicio; dicit enim: Ob hoc procul dubio inflexibilis & obstinatæ mentis sumitur æternaliter malum, licèt temporaliter perpetratum, quia quod breve fuit tempore, vel opere, longum esse constat in pertinaci voluntate. Illa namque contumacia, & mentis obstinatio, quacum peccator in hac

vita

vita Deum offendit, nisi illam in hac vita corrigat, in perpetuas æternitates incorrigibiliter perseverabit.

Mansi disc. 12. n. 11.

VI. *Nôsse debet, cur pœna damni tam gravis censeatur*; nimirum ob causam à Mansi indicatam, dum ait: In Parabola de decem Virginibus Incarnata Sapientia præmium animarum electarum in virginum prudentum ad nuptias ingressu, præscitorumque supplicium in inferno stultarum virginum exclusione nobis manifestatura, duobus duntaxat verbis universam innumerabilium omniúmque atrocissimorum suppliciorum circumscripsit congeriem, dicens: *Nescio vos.* Nonne longè graviora eas animas manebant tormenta? Nequaquàm, quia in hac unica pœna, scilicet damni, omnes aliæ virtualiter & eminenter recluduntur; Ideóque idem D. Chrysostomus in alia quadam homilia inquit: Si mille aliquis ponat gehennas, nihil tale dicturus est, quale est à beatæ illius gloriæ honore repelli, exosúmque esse Christo, & audire ab illo: Non novi vos. Si id non possumus sermone demonstrare, nihil est omninò mirandum; neque enim novimus illorum beatitudinem præmiorum, ut infelicitatem quoque de illorum amissione scire possimus. Nos autem hanc absque dubio discemus, cùm experimento cœperimus doceri. Itaque tunc aperientur oculi, tunc auferetur velamen, tunc enim ingenti dolore impii videbunt, quid inter bonum æternum & summum, & hæc caduca & fragilia discriminis sit.

S. Chrysost. ho. 24. in Matt.

VII. *Nôsse debet, quæ causa sit, cur tam multi in hanc pœnam damni incidant*; nimirum sola bonorum terrestrium, nosque decipientium aviditas, quia scilicet hæc perdere recusamus, ut non paucos proinde senioribus illis Susannæ insultantibus, simillimos dixerim, de quibus Daniel scribit: *Everterunt sensum suum, & declinaverunt oculos suos, ut non viderent cœlum, neque recordarentur judiciorum justorum.* Imò in nos, dum vivimus, illud quadrat Psalmistæ dictum: *Supercecidit ignis, & non viderunt solem.* Ignis namque concupiscentiæ nostræ impedit nos, quò oculos nostros in Solem defigamus æternum, qui tribus luminibus in una luce resplendet. S. Gregorius tamen hæc eadem verba ita explanat dicens: Ignis super impios cadit, sed Sol igne cadente non cernitur, quia illos, quos gehennæ flamma devorat, à visione veri luminis cæcat.

Daniel c. 13.

S. Greg. l. 9. moral. c. 38.

VIII. *Nôsse debet, cur misericordia Dei respectu damnatorum sit implacabilis*; nimirùm ob causam à S. Bernardo indicatam, dum dixit: Nec ulla omninò credenda est erga impios futura miseratio, ubi nec ulla speranda est correctio. Unde gemunt, teste S. Cyrillo, sine intermissione, sed nullus est, qui misereatur; vociferantur ex profundo, sed nullus est, qui exaudiat; lamentantur, sed nullus est, qui liberet; exclamant & plangunt, sed nullus est, qui commoveatur.

S. Bernard. ser. 8 in ps. Qui habitat.

S. Cyril. orat. de exit. anim.

IX. *Nôsse debet, cur tam multi damnentur*; nimirùm Quia ad æternorum gaudiorum patriam deveniendi arctissima, & sine ambiguitate aliqua, à paucissimis certè cognita extat via; eundi ad perditionem, iter latissimum. Quod confirmans S. Augustinus sic discurrit: Neque enim utrumque demonstraretur in omnibus, quia si omnes remanerent in pœnis iustæ damnationis, in nullo appareret misericors gratia redimentis; rursus si omnes à tenebris transferrentur in lucem, in nullo appareret severitas ultionis, in quâ propterea multò plures, quàm in illâ sunt, ut sic ostendatur, quid omnibus deberetur; quod si omnibus redderetur, iustitiam vindicantis iustè nemo reprehenderet.

S. Cyrillus ex Epist. 18. ad S. August.

S. Aug. Lib. 21 de ci. vit. Dei c. 12.

§. IX.

MISCELLANEA ET CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Qualitas.

Abulensis q. 510. in c. 25. Matt.

I. IGnis erit vehementior & fortior apud inferos etiam naturaliter, quàm alibi, nam ignis fortificatur ex conditione rei ignitæ, nam quantò res ignita est solidior, & compactior, tanto est actio fortior, & intensior caliditas. Alia etiam intensionis causa est, per antiperistasin, qualis ibi erit. Nam erit illa concavitas Inferni in corde terræ, & quia est locus valdè frigidus, cùm terra sit nimis frigida, & ibi sit elongata, ab omni calore, frigiditas totius terræ circumstantis faciet congregari virtutem ignis, & erit efficacior in actione, & intensior in calore.

Mansi disc. 14. n. 2.

II. Ad hoc propositum revocandæ sunt in memoriam ingentes illæ Babylonicæ fornacis flammæ, de quibus Danielis 3. dicitur: *Effundebatur flamma super fornacem cubitis quadraginta novem.* Quonam enim mysterio Spiritum Sanctum adeò distinctè hunc cubitorum numerum, in quo ignis ille excreverat, expressisse existimatis? Omnia in figura contingebant illis; hæc enim flamma, ignis gehennæ flammas præfigurabat; potuisset quidem Deus, utpotè naturæ Author efficere, ut flammæ illæ ad quinquaginta & ampliùs cubitos, qui perfectus est numerus, pertingeret; veruntamen ob certum mysterium illas ad hunc numerum nequaquam pertingere, sed in quadraginta novem cubitis terminari voluit, ut per hoc insinuaret, quòd, cùm numerus quinquagenarius remissionis, veniæ & indulgentiæ sit indicativus (siquidem ad annum Jubilæi alludit, qui quinquagesimo quoquo anno celebrabatur, in quo tempore omnia debita, quibus unus alteri adstringebatur, remittebantur) ignis ille infernalis per omnem æternitatem, ne quidem per figuram, vel per umbram quacunque etiam crudelissimâ inflictâ pœnâ, pro minimo etiam peccato expiari, aut remitti possit; Spes enim impiorum peribit, quia in Inferno nulla est redemptio.

Ibidem n. 8.

III. Apud Ezechielem de vindice Divinæ Justitiæ ense legitur: *Ut sciat omnis caro, quia ego Dominus, eduxi gladium meum de vagina sua irre-*

irrevocabilem. Porro quamdiu in hac vita degimus, Deus ensem suum, in vagina sua reconditum tenet, quia patiens est, & ad pœnitentiam nos exspectat, post hanc vitam verò in inferno gladium suum stringere incipit, idque irrevocabiliter; Unde S. Augustinus æternam condemnationem incommutabilitatem Divinæ sententiæ appellat.

B. Alb. M. in c. 3. Luc. IV. Albertus M. circa Evangelicam divitis Epulonis historiam hanc habet considerationem: *Magnum chaos firmatum est,* inquit Abraham, *ut hi, qui volunt hinc transire ad vos, non possint.* In quo tangitur, quòd, etsi Sancti ex inclinatione naturæ, quæ perfectissima est in eis (qui volunt transire ultrà Chaos, compassionis affectu, quia sicut dicitur Ecclesiastici 44. *sunt viri misericordiæ*) ad vos damnatos iuvandos descendere vellent, non possunt, propter congratulationem iustitiæ, cui adhærent; lætabitur iustus, cùm viderit vindictam.

Mansi l. c. n. 4. V. Apud Sophoniam sex dierum fit mentio, quibus impii in æternæ perditionis profundo barathro cruciabuntur; dicit enim: *Dies iræ, dies illa*: Ecce primum diem: *dies tribulationis & angustiæ*; Ecce secundum: *dies calamitatis & miseriæ*; Ecce tertium: *Dies tenebrarum & caliginis*; Ecce quartum: *Dies nebulæ & turbinis*; Ecce quintum: *Dies tubæ & clangoris*; Ecce sextum. At verò quodnam in eo latet mysterium, quod nulla diei septimæ mentio fiat? nimirùm ratio est hæc, quia Sabbathum dies erat Deo dedicatus, & destinatus quieti, damnati autem nullam in pœnis habituri sunt quietem, ideo in mediis tenebris illis ne minimum quidem cœlestis luminis videbunt vestigium. Confirmat id ipsum Rupertus Abbas dicens: Quia de septima die nihil ibi erit, nihil de Sabbatho Domini, sed sine requie, sine ulla requietionis spe tribulabitur.

Albert. M. in c. 20. Apoc. VI. Memoratus S. Albertus M. ingeniosè notat titulum, quem S. Joannes inferni barathro attribuit, inquiens: Missi sunt in stagnum ignis & sulphuris; quærit enim, cur non potiùs illud torrentem, lacum, vel pelagum appellaverit? Et respondet, quia tormentum inferni stabile est, & immobile, ut stagnum plenum ardore, & fœtore. Enim verò huius vitæ cruciatus citò transeunt, & ideo semper spes superest, ut unius vel plurium annorum decursu fortuna mutetur; hæc autem spes desperatos illos consolari in æternum non poterit. Non longitudo temporis mollit dolorem, inquit D. Chrysostomus, quomodo enim cùm flamma perpetuò illos premat, non spes liberationis? est enim æternum supplicium; non mortis exspectatio? est enim pœna æterna; & sunt etiam, quæ puniuntur, corpora immortalia.

S. Chrysost. in ps. 49.

Salmeron To. 7. tr. 37. n. 27. VII. Salmeron verba illa Evangelii: *Ligatis manibus &c.* Sic exponit: Postquam quilibet fuerit convictus de merito damnationis, iubetur ligari manibus & pedibus, quo vel morem expressit Magistratuum, facinorosos in vincula coniicientium, vel secundùm Theophilactum, significare voluit, quòd post hanc vitam non sit ampliùs futura potestas operandi aliquid, quo vel bonum vel malum promereamur, quia scriptum est: Venit nox, quando nemo potest operari. Vel ne valeat se à pœnis manibus defendere, vel pedibus effugere, quas necessariò cogitur considerare, & pati; affectu etiam necessariò vult operari mala, ideo etiam pedibus ligatus est.

VIII. Josephus Mansi de qualitate pœnarum Infernalium sic discurrit: Nescio sanè, si ullius Regni integri possessionē omninò pacificam ad viginti annos adire vellet, cum hoc duntaxat adiecto pacto oneroso, ut per centum annos in morbido quodam lecto extensus iaceret, ita ut ne digitum movere, nec pupillam elevare posset, sub pœna perdendi Jus ad dictum regnum. Sanè etiamsi omnes ibi adhiberentur musicæ, harmoniæ, refocillationes, honores, recreationes, similésque mentem divertentes gaudiorum circumstantiæ; nihilominùs tanto tempore ingens hoc tædium nequaquam tolerare posset, neque dictam acceptaturus esse conditionem. Quanta igitur tot, tantorúmque est stultitia, de quibus dicitur: *Lassati sumus in via iniquitatis, ambulavimus vias difficiles*; qui, inquam, in suis impietatibus desudant, non ut regnent in cœlis, sed ut per omnem æternitatem super lectum ignis infernalis distendantur, regnúmque perdant beatum? *Mansi disc. 17. n. 14.*

Æternitas.

IX. S. Gregorius interrogatus, quomodo iustum sit, ut culpa, quæ cum fine perpetrata est, sine fine puniatur? Respondet; Hoc rectè diceretur, si districtus Judex non corda hominum, sed facta pensaret. Iniqui enim ideo cum fine deliquerunt, quia cum fine vixerunt, nam voluissent utique, si potuissent sine fine vivere, ut potuissent sine fine peccare. Ostendunt enim, quia in peccato semper vivere cupiunt, qui nunquam desinunt peccare, dum vivunt; ad magnam ergo iustitiam iudicantis pertinet, ut nunquam careant supplicio, qui in hac vita nunquam voluerunt carere peccato. *S. Greg. apud Mansi disc. 30. n. 5.*

X. Vincentius Bellovacensis pariter ad malitiam voluntatis reprobæ, non verò ad actum peccaminosum recurrens, illam à iustitiæ æquissimo pondere trutinari his verbis dicit: Deus non tantùm extrinsecas considerat actiones, verùm etiam intrinsecas voluntates, nec considerat quantùm, sed ex quanto in eius Sacrificio quis impendit, vel in flagitio, quod committit. Cùm igitur impius ex improba voluntate non ponat modum in delectatione peccati, nec tantam delectationem unquam invenire potest, quin vellet semper, si posset, ampliùs delectari; Ideo Deus, qui corda pensat, non facta, pœnas infligit non secundùm delectationem habitam, sed quæsitam. *Bellov. spec. mor. l. 2. p. 4. dist. 3.*

Utilitas Memoriæ Inferni.

XI. In Arles quendam Joannem Berlé fuisse accepimus, qui, cùm admodum longo tempore à Medicis deploratus, lecto affixus ex paralysi iacuisset, quadam die in domo sua ignem conspicatus fuit, qui cùm iam iam tabulatum cubiculi *Ludov. Richeomus in valedict. anim. coll. 5.*

biculi

sui lamberet, ac popularetur, repentè ille horrore perculsus, & iam mortem sibi instantem animo imprimens, ita spiritus animales perculit, nervorúmque contractorum nodos abrupit confestim, ut lecto exilierit, & fenestrâ fortè fortuna apprehensâ, animoso per eam saltu se eiecerit, & velut metu ac terrore persequente, & ignem, & paralysin diuturnam effugerit. Ita quoque plurimi velut congelati inque malorum habituum suorum lethargo sepulti iacent, Dei, alteriúsque vitæ prorsus immemores, totidem sanè paralytici spiritualiter; ad quos excitandos (siquidem hora est iam nos de somno surgere) efficacissimum remedium est, seria ignis infernalis apprehensio, dicente D. Chrysostomo: Itaque si futuræ sensus gehennæ nos teneret, & intolerabiles illas cogitaremus pœnas, etiamsi rem & animam, & corpus, Dei legibus tradidissemus; non doleremus, scientes, quòd maiora lucrabimur, à futuris malis liberationem. *S. Chrysost. hom. 13. ad pop. Antioch.*

Mansi disc. 1. n. 7. XII. Joannes Baptista à Deo electus erat, ut vias dirigeret, id est, perversos reformaret Hebræorum mores; parate viam Domini, rectas facite semitas eius; idque per prædicationem suam operari debebat, dicente S. Luca: *Factum est verbum Domini super Ioannem Zachariæ filium*; hoc est, subiungit Albertus Magnus; *vade, prædica*; seu ut Theophilactus interpretatur; per verbum intellige Spiritum sanctum; Spiritus itaque Sanctus præceperat ei officium prædicandi; ideóque venit in omnem Regionem Jordanis prædicans; sed quale putatis eum ex Spiritûs sancti instinctu habuisse thema? prædicans Baptismum pœnitentiæ. Sed ut populum hunc ad veram induceret pœnitentiam, ut genimina viperarum in columbas transmutaret, quibus eum argumentis, quibus rationibus, quâvo Rhetoricâ usum fuisse putatis? *Exibat ad eum Ierosolyma, & omnis Iudæa, & omnis regio circa Jordanem, & baptizabantur ab eo in Iordane, confitentes peccata sua.* Publicani etiam certatim accurrebant, in dictis se abluentes aquis; Venerunt autem & Publicani, ut baptizarentur; imò milites, de quibus Poëta cecinit ab initio (*Nulla fides, pietásque viris, qui castra sequuntur.*) Venerabundi, & trementes interrogabant eum. Quid faciemus & nos? Quot equidem in sæculis præteritis Prophetæ in austeritatibus, prodigiísque magnis verbum Dei annuntiaverant, & nihilominùs toto eo tempore tantam non potuêre colligere messem, quàm Baptista diebus paucis. Quæ tantæ operationis differentia? illi temporalia iræ, iustitiæque divinæ supplicia intentabant in vita præsenti inferenda; Baptista verò atrocitatem prædicebat inferni, inquiens: *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur: paleas comburet igne inextinguibili.* Hinc S. Chrysostomus: Stupendam hanc conversionem admirans ita discurrit: Quid factum est, quòd, cùm impiorum essent filii, támque nequiter educati, susceperunt subitò pœnitentiam? Unde hæc facta est repentè tanta conversio? quis vulnera immedicabilia curavit? ignis infernalis curavit plagas; ideóque subiungit Sanctus: considera, quemadmodum illos ab ipsis principiis attonitos reddiderit, de gehenna scilicet inferendo sermonem; Húncque ignis infernalis timorem tantò incutiebat maiorem, quantò dictam pœnam viciniorem, non verò remotam esse doceret, in deserto illo exclamans: *Iam securis ad radicem arboris posita est.* *Matth. 3.* *Luc. 3. 9. & 18.* *S. Chrysost. hom. 11. in Matt.*

XIII. S. Thomas Villanova Inferno ingeniosum quidem, sed parùm plausibile attribuit epithetum, inquiens: O verè necessariam gehennæ pœnam, verè decoram inferni pyram! At verò inquies, qua ratione illam carbonum ignitorum simúlque tenebrosorum & obscurorum catastam, pulchram & decoram appellare potuit? ratio huius epitheti esse potest, quia timor ignis illius animas nostras purificat pariter & venustat, ut idem S. Archipræsul subdit: verè decoram Inferni pyram, quæ Creatoris sui iniurias vindicat, & inordinata per culpam reordinat per pœnam. Verè pulchram creaturam, mundóque utilissimam post reatum, quæ si post culpam deesset, defectuósus & imperfectus Mundus maneret. Nulla potest quidem Regno Cœlorum excogitari pulchrior, & opulentior fabrica, nec deformior & horribilior abysso infernali: & tamen D. Chrysostomus inquit: Etsi Cœlorum est Regno Gehenna contraria, ad unum tamen ambo finem respiciunt, hominum salutem, illud quidem ad se alliciens, hæc autem ad se compellens, & timore corrigens se negligentiùs habentes. Idem quoque S. Doctor l. 1. de providentia Divina, non minùs admirandam esse dicit Dei clementiam, dum cœlum nobis promittit, quàm dum nobis comminatur infernum: Non minùs, inquit, gehennæ comminatio, quam promissio Regni ineffabilem ipsius clementiam commendat. Nisi enim ille gehennam minatus esset, non facile quispiam cœlestibus bonis potiretur. *S. Thom. Villan. conc. 1. de Iudicio.* *S. Chrys. Hom. 7. ad pop.* *Idem l. 1 de Provid. to. 6.*



TITULUS XXXV.

INTENTIO.

§. I.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Qualitas.

S. Gregor. l. 24. mor. c. 6.

I. Igilanti cura per cuncta opera intentio nostra pensanda est, ut nihil temporale in his, quæ agit, appetat, totam se in soliditate æternitatis figat.

S. Bern. flor. c. 117.

II. Pura erit intentio, si in omni actione nostra, aut honorem Dei, aut ædificationem proximi, aut bonam conscientiam quæramus: Duo quidem in intentione necessaria requiruntur, res & causa, id est, quid intendas, & propter quid. Ex his sanè duobus animæ vel decus, vel deformitas indicatur.

S. Greg. l. 22. mor. c. 8.

III. Omne, quod datur Deo, ex dantis mente pensatur, unde scriptum est: *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius*; neque enim sacrum eloquium dicit: respexit ad munera Abel, ad Cain autem non respexit, sed priùs ait, *quia respexit ad Abel*, & deinde ait, *ad munera ejus*.

Idem hom. 7 in Evang.

IV. Cor & non substantiam pensat, nec perpendit, quantum eius Sacrificium, sed ex quanto proferatur.

S. Ambros. serm. l. 1. de Iacob. & vita beata c. 8.

V. Operationes bonæ commendantur affectu, neque enim minùs beatus Elias quàm Moyses, cùm alter cibi indigus, melotâ vili, sine filiis, sine sumptu, sine comite; alter populi Dux, lætus sobole, succinctus potentiâ, diverso genere meritum æquale fundârunt, quando cum Domino in transfigurationis gloria refulserunt.

Lyranus in Luc. 11. 34.

VI. Hæc est locutio metaphorica, quia corpus hîc accipitur pro congerie operationum, sicut corpus materiale est quædam aggregatio membrorum diversorum, & ideo sicut oculus dirigit membra ad operandum, ut pedem ad ambulandum, manum ad scribendum, sic intentio recta, prout includit fidem, & charitatem, dirigit varias operationes in finem debitum, ideo subditur: *Si oculus tuus simplex fuerit*, id est, intentio tua recta, sine plicâ falsæ simulationis, *totum corpus tuum*, id est, congeries operationum tuarum, *lucidum erit*, id est, meritorium vitæ æternæ.

S. Laurent. Iust. de comp. & compl. Chr. perf. cal. 10.

VII. Rarus profectò reperitur, qui solo testimonio contentus sit divino. Hoc probatissimorum virorum est proprium, qui in luce veritatis introrsus gradientes, Deo placere tantùm concupiscunt. Talis Apostolus erat, cuius iam conversatio in cœlis habebatur; ideò dicebat: *Mihi pro minimo est, ut à vobis judicer, seu ab humano die.* Et alibi: *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.*

Æquitas.

VIII. Quomodo non est hoc extremæ stultitiæ, hominum mente corruptorum gloriam quærere, cùm oporteat ad oculum Dei, qui semper est insomnis, confugere, & ad illius sententiam omnia dicere & facere? Nam isti quidem, etiamsi laudaverint, nihil nos iuvare poterunt. Ille autem, si ea quæ fiunt, fuerint ei accepta, & hîc reddet claros & illustres, & in die futuro impertietur bonis ineffabilibus. — S. Chrisost. hom. 11. in 1 Corinth.

Necessitas.

IX. Necessaria est charitas in intentione; cuius ratio est, quia charitas intentione ad omnia illa, quæ ad finem sunt, principaliter intenta dirigit, & extendit, & per hoc arctiùs unit, cùm in omnibus unum intendit, & ad unum tendit, & omnia, quantùm potest, cum illo unire quærit. — S. Bern. l. de prae. de dispens.

Utilitas.

X. Totum meritum est in voluntate, quantumvis tantùm mereris; fac ergo magnam voluntatem, si vis habere magnum meritum. — S. Bern. de inter. domo. c. 8.

XI. Uberior est nummus è parvo, quàm thesaurus è maximo, quia non quantùm detur, sed quantùm resideat expenditur; non ergo quid fastidio exspuas, sed quantùm devotione conferas, æstimandum est. — S. Ambros. l. de Viduis ante med.

XII. Maior tibi merces, si citra mercedis spem feceris — S. Chrysost. hom. 5. in ep. Rom.

XIII. Magna res amor, sed sunt in eo gradus. Sponsa in summo stat: Amant enim & filii, sed de hæreditate cogitant: quam dum verentur quoquo modo amittere, ipsum, à quo exspectatur hæreditas, plùs reverentur, minùs amant. Suspectus est mihi amor, cui aliud quid adipiscendi spes suffragari videtur. Infirmus est is, qui fortè subtractâ spe aut extinguitur, aut minuitur. Impurus est, qui & aliud cupit: scilicèt secundariò remunerationem: purus amor, mercenarius non est. Purus amor, de spe vires non sumit, nec tamen diffidentiæ damna sentit. Sponsæ hic est, quia hoc sponsa est, quæcunque est. Sponsæ res, & spes, unus est amor. Hoc sponsa abundat, hoc contentus est sponsus. Nec is aliud quærit, nec illa aliud habet. — S. Bern. ser. 83. in Cant

Dignitas.

XIV. Nihil erat in templo, quod non esset ex auro purissimo confectum, vel saltem deauratum, — Dita. stella inc. 11. Luc.

ratum, atque ita in templo vivo animæ nostræ nihil debet esse, quod non sit charitas, vel ornatum cum charitate: quapropter non tantùm oculos debes conijcere in id, quod facis, sed in id, quod intendis, nam vilia & minima opera, dum divino spiritu fiant, & intentione rectâ, maximi sunt valoris, & è contra maxima & Heroica opera, si debitâ intentione, & recto fine careant, nullius sunt valoris & ponderis.

S. Chrysost. l. de compunct. XV. Si omnino dignus fueris, agere aliquid, quod Deo placeat, & aliam adhuc, præter hoc ipsum, quod placere meruisti, mercedem requiris, verè ignoras, quantum bonum sit placere Deo. Si enim scires, nunquàm aliquid aliud extrinsecus mercedis aut muneris expeteres.

§. II.

EXEMPLA SACRA.

Qualitas.

Insin. div. piet. l. 1. c. 12. I. S. Gertrudis Virgo, quando etiam ob indigentiam suam aliquid expendit, gaudebat mirum in modum, perinde ac si in Dei honorem illud super altare obtulisset, aut erogâsset in pauperes. Dominum enim in se ipsa contemplabatur, cui se providisse gaudebat. Ideo sivè dormiret, sivè manducaret, sivè aliud quid commodi, aut requiei suo impenderet corpori, non aliter quàm si Domino id fecisset, exultabat. Nam Dominum in se, & rursus se in illo intuebatur. Ideò in se quoque illi, & sibi propter illum, servire & benefacere gestiebat, quo impleret Dominicum illud: *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis:* se etenim existimabat & minimam, & vilissimam omnium creaturarum. Ideo quicquid sibi impendit, minimo, qui ad Deum pertineret, arbitrabatur se impendisse.

Utilitas.

loc. cit. insin. II. Cùm S. Gertrudis semel labore quodam gravatum caput cuperet refocillare, & propterea species, quas aromaticas vocant, ad Dei laudem in ore teneret, tunc Dominus sua benignitate se ad illam inclinavit, quasi hausturus ex ea odoris fragrantiam, simulans odore hoc specierum se egere, & confortari. Nam paulò pòst idem se denuò erigens, suavissimum emittebat anhelitu suo odorem. Deinde lætabundo vultu, quasi gloriaretur de hoc, ad omnes Sanctos loquebatur: Ecce nunc quid novi à sponsa mea receperim. Veruntamen incomparabiliter maiori reficiebatur hæc Sancta gaudio, si quando beneficij quid eiusmodi in proximum locâsset, quàm gaudere soleat avarus, si pro uno denario centum recipiat marcas.

Ibidem c. 17. III. Eadem cùm ex multimoda consolatione præsentiæ Domini, & spiritualium intellectuum exercitatione, nimis esset debilitata, accipiens uvas nocte quadam recreavit se tali intentione, quâ ipsum Dominum in se ipsa reficeret. Quod Dominus magnificè acceptans ait: Modò fateor mihi recompensatam amaritudinem illam, quam de spongia in cruce pro amore tuo bibi; quoniam pro ipsa iam de corde tuo indicibilem dulcedinem sugo. Et quantò tu priùs ad laudem meam corpus recreaveris, eò suaviùs ego me profiteor in anima tua refectum. Hinc cùm illa pelliculas & acinos uvarum in manu congregatos, in medium domûs proiiceret, adfuit & Sathan omnis boni persecutor, qui hoc, quod ista abiecerat, recolligere conabatur, quasi ad testificandum culpam infirmæ, quia ante matutinas contra Religionem comedisset. Cùmque unam de iisdem pelliculis velut duobus digitis vix attigisset, illicò intolerabili cruciatûs ardore combustus, terribiles emittendo latratus, de domo concitus prosilit, diligentissimè observare studens, ne aliquid ultra pede contingeret, ex cuius tactu cruciatum persenserat tam intolerabilis pœnæ.

Ibidem l. 4. c. 14. IV. Aliâ vice, cùm Feriâ sextâ ante Bacchanalia, post Matutinam audivisset in coquinâ pulsari servis laboraturis ad prælibandum, illáque ingemiscens dixisset: Heu me, mi Domine, quàm manè surgunt homines ad infestandum te cibo? Ad quod Dominus blandè quasi subridens dixit: Noli ingemiscere charissima, quia hi, quibus modo pulsatur, non sunt de numero illorum, qui contra me crapulâ sæviunt, quia per hanc prælibationem ipsi vocantur, & incitantur ad laborem. Unde & ego delector in eorum cibo, quemadmodum quis delectatur in refectione sui iumenti, quod pabulo pascit ad ministrandum sibi.

S. Climacus grad. 18. V. Præclarum illud Sancti cuiusdam Coci, qui à B. Joanne Climaco interrogatus, quomodo in tanta rei culinariæ occupatione, quæ ducentis triginta Religiosis, præter externos & peregrinos, alendis sufficeret, tam esset tamen æquo semper, compositóque & collecto animo? respondit, id ex eo fieri, quòd omnia tanquam Deo faceret.

Lancic. opusc. 1. c. 5. n. 89. VI. S. Franciscus Borgias dicebat, semper sibi suas Conciones succedere, etsi non placerent quandoque sibi & aliis, ob defectum vel materiæ, vel dispositionis, quia purè propter Deum eas parabat, & faciebat, quantùm poterat. Ægrotante uxore solus aliquando conclavere motis arbitris ingressus, obnixè lacrymis fusis obtestabatur Deum, salvam coniugem superstitemque vellet: Cùm ecce tibi vocem quandam internam clarè audire visus est, ut post ipse retulit, quæ diceret: Uxorem si diutiùs superesse vis, arbitratu tuo fiat, at tibi non expedit. Qua re turbatus, minimè dubitavit, Dei vocem esse: Parendum itaque. Tacitè enim redargui, quòd, quid peteret, ignoraret. Rursus verò in lacrymas iit, hisce admistis vocibus: Domine Deus, unde hoc mihi, ut arbitratui committas meo, quod in tua solius est potestate? Mea permagni refert, tuam sequi in omnibus voluntatem. Quis enim te novit rectiùs, quid è re mea sit? tua itaque voluntas fiat; nec de uxore solùm, sed de liberis etiam statuas supplex oro: Observatum coniugis morbum statum quendam tunc tenuisse; ut dubitarent Medici, meliuscu-

léno, an deterius haberet. Post has verò preces ad desperationem medicorum laborare cœpisse.

longum durans tempus; Ita quoque plurima opera nostra, si ad supernaturalem finem per intentionem ordinentur, æternitatem acquirunt, conservántque beatam.

§. III.

SIMILITUDINES.

S. Gertrud. l. 3. Insin. c. 54. I. Sicut usurarius avarus (dixit Christus ad S. Gertrudem) invitus negligeret, si saltem unum denarium lucrari posset; sic ego, qui delicias meas statui habere in te, multò invitiùs permitterem mihi unum cogitatum, sivè motum extremi digiti tui propter me factum, sic perire, quod ipsum non in summam laudem meam converterem ad tuam salutem æternam.

Pædagog. Christ. p. 2. c. 9. II. Sicut sagittarius ut certiùs collineet, dextrum tantummodo oculum in scopum aperit, clauso sinistro; ita & nos, quò divinam ex omnibus rebus gratiam promereamur, unum sinceræ mentis oculum omnibus in rebus apertum habere debemus, & Deum spectare in omnibus: Siquidem universa propter semetipsum operatus est Dominus. Ad quod apposité S. August. ut tibi totus servirem, omnia quæcunque fecisti, in meum servitium tradidisti. Et Basil. virtus ac ratio vivendi, inquit, unum scopum sibi propositum habet, nempè gloriam Dei.

Necessitas.

S. Greg. l. 19. mor. c. 17. III. Sicut fabrica columnis, columnæ autem basibus fulciuntur; ita vita nostra virtutibus, virtutes verò in intima intentione subsistunt.

Utilitas.

S. Greg. l. 28. mor. c. 6. IV. Sicut radix truncum, ramos, frondes, flores & fructus, medullâ, virore, colore, sapore, temperie, & quocunque alio locupletat bono, quo ipsa gaudet, ita bonæ rectæque intentionis radix quemcunque voluntatis, cordisque in Deum fixi actum & desiderium, verba, cogitationes & opera nostra meritoria esse facit; ac proinde S. Gregorius intentioni epithetum radicis attribuit.

Mansi tr. 17. disc. V n. 1. V. Sicut charta aliqua parvula parùm vel nihil valet, aut æstimatur; at verò quando Regis vel Principis subscriptione aut sigillo subsignata est, omnis eidem exhibetur reverentia & obedientia: Sic quoque multæ operationes nostræ nullius futuræ essent meriti, ad consequendam vitam æternam, vel ad augendam & acquirendam gratiam; At verò quando coniunctæ sunt, & signatæ sigillo rectæ intentionis, meritoria fiunt, & à Deo magnoperè remunerantur. Vult enim Deus, inquit Didacus Stella, ut opera nostra in ipsum dirigamus, & ut sigillo rectæ intentionis ea designemus, ne ea amittamus.

idem n. 6. VI. Sicut si poma ex arbore in terram decidant, subitò deficiunt, & marcescunt, non verò si super arborem colligantur, inque loco elevato collocentur remoto à terra, sic enim per

§. IV.

ASCETICA.

S. Bernard. in 2. dist. 41. a. 1. q. 3. I. *Specialiter nôsse debet Asceta, non sufficere, ut opus virtute referatur in Deum, si quis ad initium anni, vel mensis, generali quadam intentione referat omnia sua futura opera in Deum, sed necesse esse, ut illud ipsum opus particulare referatur in Deum, quod postea faciendum est.* Tunc enim dicuntur opera virtute in Deum relata, cùm intentio præcedens est vera causa operum, quæ postea fiunt. Ut, si quis apud se certò constituat aliquam nummorum summam propter Deum pauperibus erogare; & postea summam illam oblata occasione eroget, is dicetur virtute referre opus suum in Deum, etiamsi dum pecunias illas distribuit, nihil de eo cogitet.

§. V.

MISCELLANEA ET CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Qualitas.

I. Certi quidam discipuli, teste S. Joanne, servitio Salvatoris se dedicare decreverant, quos ego primos autumo fuisse Christianos, quia primi omnium Christum secuti sunt; conversus autem IESUS, & videns eos sequentes se, dicit eis: *quid quæritis?* nonnè ipse intima noverat, & secretissima cordium omnium, quorsum igitur, quid vellent, interrogat, utpotè probè sciens, claréque discernens placitum meum? Doctor Angelicus Christum hac interrogatione intentionem rectam, qua cùm sequelam eius exorsi fuerant, declarare voluisse autumat; insuper observans hæc ipsa verba prima fuisse, quæ S. Joannes in Evangelio suo retulit de Christo, in quibus, quantâ sollicitudine rectam finium nostrorum directionem urgeret, ostendit. Notandum, inquit ille, quòd hoc est primum verbum, quod Christus in isto Evangelio loquitur, & congruè, quia primum, quod quærit Deus ab homine, est recta intentio. Hinc & Ecclesia sancta in Prima officii divini à nobis recitari iubet verba illa: *Et sit splendor Domini Dei nostri super nos, & opera manuum nostrarum dirige super nos;* illa namque de rectitudine intentionis, quæ omnia opera nostra, ut Deo grata sint; & accepta comitari debet, intelliguntur; hinc & mox prosequimur dicentes: *Oremus. Dirigere & sanctificare, regere & gubernare dignare Domine Deus Rex cœli & terræ, hodiè corda & corpora nostra, sensus, sermones & actus nostros in lege tua.* Mansi tr. 17. disc. 1. n. 2.

II. Sanguis victimarum offerendarum olim ante Altare profundi debebat, adepsque earum honori & cultui divino consecrari, prout ex his in Le- ibidem n. 5.

in Levitico contentis colligitur verbis: *Omnis adeps Domini erit jure perpetuo in generationibus & cunctis habitaculis vestris, nec adipem, nec sanguinem omninò comedetis.* Nonnè Deus noster per Psalmistam protestatur: *Nunquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo? Immola Deo Sacrificium laudis, & redde altissimo vota tua.* Cor, affectum, intentionem à nobis exigit Deus, quorsum igitur dictum de sanguine & adipe immolanda præceptum? Dubium hoc in suis super Leviticum Commentariis resolvit S. Cyrillus Alexand. in hæc verba: Sanguis sedes animi; qui sanguinem, is & animum adimit. Voluit ergo Deus in omni Sacrificio, voluntatem, cor, intentionem velut sanguinem effundi coram se, nec guttulâ in alios usus reservatâ. Quando igitur Deus totam victimæ pinguedinem ita sollicitè sibi deposcit, nil aliud præter intentionem, rectùmque in operibus & oblationibus nostris in honorem eius factis, exigit, prout his verbis clarè docet Hesychius dicens: quia adipem in æternum præcepit Domino offerri, manifestum est, quia consecrari Deo nostrum desiderium vult. In æternum autem hoc, ne ad Deum illud, & ad Mundum dividamus.

ibidem. n. 9.

III. Sponsa in Canticis, per quam omnes animam electam intelligunt, à cœlesti Amatore in vultu, & quidem quoad ambas genas speciosa dicitur: *Facies tua decora, pulchra sunt genæ tua.* Per faciem verò intentio denotatur; Unde S. Gregorius de quatuor mysticis animalibus apud Ezechielem quadrigam altissimi post se trahentibus differens, ait: facies eorum & pennæ eorum extentæ desuper describuntur, quia omnis intentio, omnisque contemplatio Sanctorum super se tendit, ut illud possit adipisci, quod in cœlestibus appetit. Sive enim bono operi, sive invigilet contemplationi, tunc veraciter hoc, quod agit, bonum est, quando ei complacere concupiscit, à quo est.

ibidem. n. 9.

IV. Præstabunt tibi fortassè præcepta, ut, quod oportet, facias; non præstabunt, ut, quemadmodùm oporteat; & si hoc non præstant, ad virtutem non perducunt. Faciet, quod oportet monitus, concedo; sed id parum est, quia non in facto laus est, sed in eo, quemadmodum fiat.

Seneca l. 1. de benef. c. 6.

V. Seneca sapienter dixit. Non quid fiat, aut quid detur refert, sed quâ mente. Quia beneficium non in eo quod sit, aut datur, consistit, sed in ipso dantis aut facientis animo.

Mansi tr 17. disc. 4. n. 1.

VI. Cùm Naas Ammonites cum incolis Jabes Galaath pugnaret, iique se prosternendos & profligandos esse metuerent, cum Naas paci sci cœperunt, & pacem postulârunt, dicentes: *Habeto nos confœderatos, & serviemus tibi*, quibus superbus Naas respondit: *In hoc feriam vobiscum fœdus, ut eruam omnium vestrûm oculos dextros.* Idque ea intentione faciebat, quia cùm oculus sinister sub scuto abscondatur, si dexter eorum oculus erutus fuisset, consequens omninò erat, ut quasi utroque oculo destituti in caligine ambularent. Idem quoque pactum Tyrannus Tartareus cum suis paciscitur, nimirum ut intentio, quæ dexter animi oculus est, obfuscetur, id est, depravetur, quia quantumvis opera, quæ exercentur, bona sint, si tamen finis, propter quem fiunt, terrenus est, illa nihil prorsus ad meritum vitæ cœlestis valitura novit. Lyranus in moralitate huius Textus ita scribit: Per Naas, qui serpens interpretatur, Diabolus intelligitur, hic autem quærit eruere oculos dexteros virorum Jabes, quæ calor interpretatur, nam viris charitate ferventibus malignus insidiatur, per oculum autem significatur intentio Math. 6. *Si oculus tuus simplex fuerit*, id est, intentio tua, secundùm Augustinum. Per oculum igitur dexterum intentio ad bona spiritualia, per sinistrum autem ad temporalia designatur; per hoc igitur, quòd Naas oculos dexteros Virorum Jabes quærebat eruere, significatur, quòd Diabolus intentiones virorum in charitate servientium quærit à bonis spiritualibus totaliter avertere.

S. Anton. p. 4. tit. 2. c. 4. in 1. Cant.

VII. S. Antoninus de hac materia differens, & sequentia Canticorum verba: *Caput eius aurum optimum*, adducens inquit: Caput designat intentionem, quia sicut caput est principium corporis, ita intentio est principium operis. Et paulò post subiungit: Aliqui habent caput terreum, qui scilicet non intendunt, nisi congregationem substantiæ in suis operibus, etiam de genere bonorum, propter hoc ieiunant, orant, & huiusmodi faciunt, ut prosperentur. Alii caput carneum, qui intendunt tantùm satisfacere naturæ, ut ea, quæ fiunt propter parentelas, vel sensualitatem; ut multi sub specie Spiritûs multa faciunt propter præsentiam corporalem Personarum. Alii habent caput aureum; isti sunt Sancti, qui omnia, quæ faciunt, faciunt propter amorem Dei, & amore eius; charitas enim aurum significat Apoc. 3. *suadeo tibi emere aurum*, id est, charitatem, quia sicut aurum excellit omnia alia metalla, ita charitas omnes alias virtutes, & quantò quis ex maiori intentione charitatis aliquid facit, tantò magìs est Deo gratus, & meretur.

Didacus Nissenus in Dom. 22 post. Pentec. S. 8.

VIII. Dignissimum est, quod noteris, & porrò demiremini, inquit, S. Petrus Damianus, quòd, cùm quatuor fuerint, qui Christum in mortem tradiderunt, eorum tribus æternas hoc nomine debeamus laudes, & gratiarum actiones, cùm quartum execremur, & maledictis gravissimis ferociter impetamus, nec satis figere posse probris existimemus. Pater æternus tradidit in mortem filium suum, de quo S. Paulus Rom. 8. 32. *Etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Et *Filius tradidit semetipsum pro me*, inquit iterum Paulus ad Galat. 2. 20. & Propheta Evangelicus: *Oblatus est, quia ipse voluit.* Isa. 53. 7. Spiritus Sanctus suo quodam modo etiam tradidit Christum, iuxta illud Sap. 1. 6. *Benignus est Spiritus sapientiæ, & non liberabit maledictum à labus suis* vulgata Sixtiana habent; *maledicum*) Spiritus Sanctus per os Prophetarum loquitur, ex illo Prophetæ mortem Christi annuntiarunt, *Christus autem nos redemit de maledicto legis, factus*

pro nobis maledictum, Galat. 3.13. Cùm ergo Spiritus Sanctus semel prædixisset, Christum futurum esse pro hominibus maledictum, non liberavit maledictum, non liberavit eum à labiis suis, sed in mortem tradidit, ut fieret maledictum, sicut prænunciaverat. Ita ferè exponit hæc, quem diximus, Sanctus Petrus Damianus. Jam & Judas tradidit Dominum, qui ob eam injuriam histam suavibus verbis amantissimè cum illo expostulabat: *Juda, osculo Filium hominis tradis! Luca. 22. 48.* Ecce hîc quatuor, clamat S. Petrus Damianus, qui Christum tradiderunt in mortem, ii sunt Pater, Spiritus Sanctus, Filius ipse, & Judas. Quid est, quòd ex communi opere tanta redundant in Sanctissimam Trinitatem elogia, & tanta congeruntur in Judam convitia, probra, maledicta? Si Pater tradidit Filium, & ipse se tradidit Filius, insuper & Spiritus S., Judas quid mali fecit? Facta est traditio à Patre, facta est à Filio, nec non à Spiritu S., facta est & à Juda, inquit beatissimus Cardinalis. Cur non in consortium laudis admittitur Judas, qui bonam partem executus est communis operis, hoc est, traditionis? Respondet insignis Cardinalis opusc. 4. c. 13. Quia quod Deus omnipotens ex charitate, hoc Judas fecit ex pecuniæ acquirendæ cupidine; quod Deus fecit ad salutis nostræ remedium, hoc ille fecit ad explendum insatiabilis avaritiæ votum. Vides ergo, quia non, quid homo faciat, debemus attendere, sed quo animo, & voluntate faciat, diligenter examinare.

Mansi tr. 37. disc. 1. n. 6. IX. Salvator noster cum Samaritana muliere circa novæ legis Evangelicæ dogmata prolixè discurrit, inter alia verò hanc ei utilissimam doctrinam proposuit: venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu, & veritate; nam & Pater tales quærit, qui adorent eum, in Spiritu & veritate oportet adorare. Ubi Caietanus ait: Hinc habes, erudite Lector, quòd exterior cultus non propter se ipsum gratus est Deo, sed pro quanto ordinatur ad interiora, qui fit in Spiritu & veritate, hoc est in corde interno.

Necessitas.

S. Thom. à Villanova, serm. de S. Nicolao. X. S. Thomas de Villanova rationem assignans, cur tanta inter fideles bonorum operum sit penuria, defectum talem sterilitati hujus radicis attribuere non dubitat, dicens: Unde fratres, putatis, tanta in nobis sterilitas, & ad omne opus bonum tanta & tam gravis difficultas, nisi ex siccitate radicis. Ad quod & S. Paschasius alludere voluisse videtur, dum ait: voluntas si bona fuerit, & recta intentio, fructus malos non facit, sicut nec mala bonos facere potest. Quia omnia opera, licèt bona videantur, vel mala, radicis suæ succum ad seminis virorem trahunt.

Mansi ibidem disc. 7. n. 7. XI. Certum est, quòd Deus omnia in sapientia fecerit, nihilque sine mysterio operatus fuerit, prima autem & præcipua creatura, quam brachium omnipotentis artificis formavit, lux fuit: fiat lux; hæc enim confusum Mundi chaos distinguere debebat, omnibusque aliis operibus, complementum & perfectionem suam tribuere. Quæ enim utilitas & venustas eminuisset in Mundo absque luce? Solem è Mundo si tollitis, quantis mox obscuræ caliginis tenebris miseri infelices involveremur? ità quoque, nisi opera nostra à recta intentione, & fine bono lumen accipiant, tenebrosa, id est, infructifera, imò & sæpiùs tenebris infernalibus digna erunt; hinc nobis consulebat Apostolus dicens: *Abjiciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis.*

Utilitas.

XII. Cùm Julius Cæsar Sacrificiis dans operam moneretur, quòd interiora victimarum infausta ominarentur auspicia; Respondit: Erunt bona cùm volo. Idem quoque dicere potest, quisquis voluntate & intentione benè uti novit; ex qualibet enim ærumna & adversitate magnum lucrum spirituale nobis comparare possumus, agnoscendo divinam super nos manum extensam, ferulámque osculando, quâ percutimur; Unde Apostolus ait: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Enimverò bonum illud, quod non fecimus, quod tamen fecisse vellemus, & propter quod non factum affligimur, veniámque à Deo postulamus, Deus nihilominùs nobis ascribit ad meritum. Unde B. Mechtildis dixisse fertur: Aio igitur, & quidem constanter, quia per voluntatem possum omnia, omnium labores sustinere, omnium bona opera exequi, & quicquid demum boni excogitari potest. Si enim hæc perfectè volo, & sola deficit exequendi facultas, omnia coram Deo fecisse arbitrabor; quando enim sic voluntas est affecta, ut, quidquid potest facere, velit id quoque non solùm nunc, sed etiam si mille adhuc annis superviveret, tunc planè coram Deo totum hoc illi imputabitur, quod tanto interim annorum spatio perfici posset. *Mansi ibidem disc. 7. n. 6.*

XIII. S. Gertrudis divinitùs edocta est, quòd, quandocunque aliquis scribit, vel alios docet ea intentione, ut laus Dei per hoc promoveatur, & profectus animarum, tunc omnis profectus, quem aliquis unquam ex illa scriptura, seu doctrina, etiam post mille annorum millia consequetur, totaliter cedit in illius salutem, quia sua intentione hoc Domino primitus prælibavit. Hoc quoque Christus Dominus apertè confirmavit S. Brigittæ dicens; etiam illud tempus, quod impenditur subveniendo corporis necessitati, si id rationabiliter fiat, inter spiritualia reputari. *l. 4. Insin. c. 13.*

Dignitas.

XIV. Deus noster sponsam suam quoad hanc rectitudinem variis in occasionibus laudibus extulit, specialiter vero in c. 4. Cant. ubi ait: *vulnerâsti cor meum, soror mea sponsa, in uno crine colli tui.* Enim verò si sponsus hoc loco se à fulmine, vel à lapide, vel exploso sclopeto vulneratum fuisse dixisset, facilè intelligi mens ejus potuisset, at verò unicus duntaxat capillus, quo- *Mansi tr. 37. disc. 1. n. 5.*

quomodo cor eius penetrare & vulnerare potuit? respondetur, per hunc capillum Sponsum exprimere voluisse intentionis unitatem; hæc enim est, quæ cor Dei sibi rapit. Unus crinis colli, inquit Richardus de S. Victore, est unica cogitatio, & præcipua intentio, qua laboras. In textu Hebræo loco, *vulnerasti*, legitur, *rapuisti cor meum*.

§. VI.

AXIOMATA.

I. TAle erit opus tuum, qualis fuerit intentio tua. *S. Bern. de domo intern. c. 45.*
Von Mainung hat ein jedes Werck
Sein Werth/ sein Schätzung/ und sein Stärck.

II. Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. *Rom. 8.*
Wer liebet GOtt mit guttem Mueth/
Dem graicht alles zum höchsten Guett.

III. Nec bonitas sine ratione boni. *Tertull. c. 7. de praescript.*
Nichts gut ist/ ich sags rund und frey/
Wann nit gut Mainung ist darbey.

IV. Intentio operi tuo nomen imponit. *S. Bonav. in c. 24. Luc.*
Was jederman hat wolgethan/
Sein Mainung warhafft zeiget an.

V. Deus coronat voluntatem, si non invenit facultatem. *S. Chrysost.*
Wann schon GOtt im Werck findt nit vil/
Belohnt er doch den guten Will.

VI. Si desint vires, tamen est laudanda voluntas. *Ovidius.*
Wann man schon laist im Werck nit vil/
Ist doch zu loben der gutte Will.

TITVLVS XXXVI.

INVIDIA.

§. I.

QUO AD ESSENTIAM.

Definitio.

I. DEfinitur sic Invidia à S. Augustino: *Invidia est odium felicitatis alienæ*; à Remigio sic: *Invidia est dolor de alieno bono*; à Damasceno; *Invidia est tristitia de alienis bonis*; à Philosopho: *Invidia est tristitia in apparenti felicitate alicujus inimicorum*. Item aliter: *Invidia est dissensio ab alieno bono existimato diminuere proprium*. Doctor autem Angelicus definitionem S. Joannis Damasceni adducens, eam his fusè explicat verbis: Dicendum, quòd obiectum tristitiæ est malum proprium. Contingit autem id, quod est alienum bonum, apprehendi ut malum proprium, & secundùm hoc de bono alieno potest esse tristitia; sed hoc contingit dupliciter. Uno modo, quando quis tristatur de bono alicuius, in quantùm imminet sibi ex hoc periculum alicuius nocumenti; sicut cum homo tristatur de exaltatione inimici sui, timens, ne eum lædat; & talis tristitia non est invidia, sed magìs timoris effectus, ut Philosophus dicit, 2. Rhetor. Alio modo alterius bonum æstimatur, ut malum proprium, in quantùm est diminutivum propriæ gloriæ & excellentiæ, & hoc modo de bono alterius tristatur invidia. Dicitur autem iuxta S. Bernardinum, Invidia à non videndo, quia non potest videre aliorum bona: Unde invidere, quasi non posse videre: nam odium boni, quod latet in corde, etiam inadvertenter monstratur in facie. Proinde Seneca ait: Quid quid mente fugimus, ingesta oculis vix videmus.

S. Bonav. centiloq. p. 1. sect. 19. *S. Thom. 2. 2. q. 36. art. 1.* *S. Bernardinus To. 3. s. de exercit. malig. spirit. a. 3. c. 2.*

Divisio.

II. Duplex est genus Invidiæ, unum laude, alterum vituperio dignum. Vitiosa & vituperabilis invidia est, quæ facit, ut de alieno vel bono doleas, vel malo gaudeas. At laudabilis invidia importat dolorem de defectu proprio, in comparatione ad aliquem habentem id, quo iste caret. Cùm quis dolet de alieno bono, non ob id, quòd eò alius gaudeat, sed quia ipse suo merito illô careat, ea commendabilis est invidia. Atque isto modo invidebat Rachel, quòd infœcunda esset, sorori suæ, inquit Tostatus, eámque invidiam non condemnat, sed plurimùm etiam prædicat Scriptura sacra, dicit nempè in sequentibus: *Recordatus Dominus Rachelis, exaudivit eam, & aperuit vulvam eius, sublatâque sterilitate fructum ei benedictionis impertivit.* Ex quo intelligamus, ut quis sua apud Deum negotia feliciter pertractet, & subita in eius domo incrementa faciat, ei hanc tenendam, ac terendam esse viam, ut non invideat gratiæ alienæ, nec de splendore aliorum doleat, quando ipse gradum inferiorem tenet, sed exigua sua merita deploret, per quæ fit, ut loco augustiore & sublimiori sit indignus. Unde & S. Paulus cùm ad profectûs studium exstimulare Corinthios vellet, hæc ad eos scribit: *Æmulamini charismata meliora*; 1. Corinth. 12. v. 31. Verbum *æmulamini*, videtur scrupulum movere posse, quòd servos Dei æmulationes dedeceant. Benè illud, si Apostolus, invidete, & non, æmulamini diceret, nam invidia ab æmulatione in hoc distat, quòd invidia, ut loquitur Aristoteles l. 2. Rhetor. c. 1. est improbum,

Abulensis apud Nyssen. §. 5. fer. 5. post Dom. 1. Quadr.

improbum, & improborum, æmulatio, probum quidem, & proborum, quam post hæc enucleatiùs sic describit: *Æmulatio est dolor quidam, quoniam bona & honorabilia, quæ quoque assequi posset, naturâ similibus adesse videantur, non quoniam aliis sunt, sed quoniam non ipsi quoque.* Hæc ille; ex cuius sententia ille propriè æmulatur, qui hoc nomine tantùm alios felices dolet, quòd non ipse iis æque felix est. Et hoc laudem meretur. Secundùm hæc, cùm iubemur æmulari Charismata meliora, id nobis dicitur, ut eadem à Deo obtineamus, id non alia ratione commodius, promptiúsve fieri, quàm si hæc penes alios doleamus, non quia iis alii sunt ornati, sed quoniam nos hactenus non admodum laboravimus, neque modis omnibus conati sumus, ut eadem nobis obvenirent. Hæc est præstans ratio status, hic optimus modus tractandi sua apud Deum negotia, ut non invideamus fortunæ aliorum secundæ, sed de nostra sinistra doleamus.

Actus.

III. Hos videtur assignâsse S. Bernardinus, dum dixit: Hic Spiritus (invidiæ) cùm exercitu suo exagitat, atque impellit animas ad quinque invidiæ filias; videlicèt ad odium, ut invicem homines velint sibi malum, & nolint bonum: ad exultationem in proximorum adversis: ad afflictionem in proximorum prosperis: ad susurrationem latentem: ad detractionem patentem: ad tantam enim contrarietatem hic spiritus nequam seducit suos sequaces, ut ita Deo adversarii sint: ut, sicut Deus tam bonus est, quòd etiam de malis elicit bonum, sic è converso isti tam mali sunt, quòd de bonis eliciunt malum: Et sicut bonis etiam mala cooperantur in bonum, ita invidis omnia bona cooperantur in malum. S. Albertus Magnus illum Amos textum: Mittam ignem in Theman, & devorabit ædes Bosræ, ita ad præsens pariter exponit propositum, dicens: Ista pars spiritualiter exponitur de invidis, quorum tria & quatuor scelera sunt: Primum quidem parvitas cordis, omnia enim parva reputat, quæ habet, quamdiu alium in prosperis videt. Job. 5. *Parvulum occidit invidia.* Unde in libro Esther c. 3. Aman, qui iniquus interpretatur, cum omnia haberet, nihil reputavit, quia vidit Mardochæum sedentem ante fores palatii. Secundum est tristitia de bono alterius: Torquetur enim invidus in bonis proximi. Tertium est machinatio continua. Prov. 6. *Corde machinatur malum, & omni tempore jurgia seminat.* Isti sunt tres spiritus, Apoc. 16. *Vidi de ore Draconis, & de ore bestiæ, & de ore Pseudo-prophetæ exire Spiritus tres immundos in modum ranarum;* sunt enim spiritus dæmoniorum. Quartum est pertinax fratrum impugnatio, quâ scilicet sine scelere fratres impugnant.

S. Bern. ser. apud Mansi tr. 38. disc. 3. n. 1.

S. Albert. M. in Amos. 1. 1. 2.

§. II.
EX S. SCRIPTURA.

Qualitas.

I. AD invidiam concupiscit spiritus, qui habitat in vobis. *Iac. 4.*

II. Eris invidus vitæ tuæ. *Eccli. 18. 13.*

III. Memento, quoniam malus est oculus nequam (de quo Siracides dicit, nequam est oculus lividi) nequius oculô quid creatum est? *Eccli. 31. & c. 14.*

IV. Rursum contemplatus sum omnes labores hominum, & industrias animadverti patere invidiæ proximi, & in hoc ergo vanitas, & cura superflua est. *ibidem 4. 11.*

Damnum.

V. Zelus & iracundia minuunt dies, & ante tempus senectam adducent. *ibidem c. 30.*

§. III.
EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Qualitas.

I. HUic (invido) vultus minax, torvus aspectus, pallor in facie, in labiis tremor, stridor in dentibus, verba rabida, effrenata convitia, manus ad cædis violentiam prompta, etiamsi à gladio interim vacua, odio tamen furiatæ mentis armata. *S. Cyprianus de Zelo.*

II. Insanabilis est prorsus ipsorum livor; non enim placantur blanditiis, non mulcentur obsequiis, non rationibus acquiescunt, quin potius quemadmodum ignis accenditur additione lignorum, ita & horum passio augetur multiplicatione virtutum. *S. Laur. Iust. de disc. Mon. c. 13.*

III. Bonis utitur invidus malè, quia omnibus bonis, quæ miser execratur, adiunctus, animi sui supplicio relinquetur affligendus. Et quis ei poterit subvenire, qui se sibi exhibet invidendo carnificem? aut unde sibi parabit salutem, qui de salute malè utendo facit perniciem? *S. Prosper. de vit. contempl. l. 3. c. 9.*

IV. Nihil his inimicitiis difficilius, quæ ex invidiæ amarissimo fonte descendunt; quandoquidem his, qui ex aliis actionibus inimici sunt, si alter fortè aggrediatur alterum vincere beneficiis, continuò ferocitas mitigatur; in invidum autem si beneficia conferantur, multò ampliùs inflammatur, & quantò plura fuerit consecutus, tantò maioribus incendiis conflagrabit, magis enim irascitur & dolet, quòd ab eo boni aliquid consequitur, quem nolit quicquam boni vel habere, vel posse præstare. *S. Basil. ser. de livore.*

Damnum.

V. Quisquis ille est, quem in Zelo suo persequitur invidus, subterfugere eum forsitan poterit, & vitare; invidus verò fugere non valebit. Ubicunque fuerit adversarius suus, secum est hostis in pectore semper inclusus. *S. August. S. 83. de temp.*

VI. Ad-

S. Greg. p. 3. past. admon. 11. VI. Admonendi sunt invidi, ut perpendant, quantæ cæcitatis sunt, qui alieno profectu deficiunt; alienâ exaltatione contabescunt; quantæ infelicitatis sunt, qui melioratione proximi deteriores fiunt, dúmque augmenta alienæ prosperitatis aspiciunt, apud semetipsos anxii, afflicti cordis sui peste moriuntur? quid istis infelicius, quos dum conspecta felicitas afficit, pœna nequiores reddidit? Aliorum verò bona, quæ habere non possunt, si diligerent, sua facerent.

Laur. Presb. apud Mansi disc. 14. n. 5. VII. Hoc solùm invidus benè agit, quòd se cruciat; cætera peccata in futurum punienda servantur, invidia ob magnitudinem sceleris, etiam in præsenti digna accipit. Invidia, quod malum hosti optat, sibi ipsa facit, quia igne, quo urit, uritur.

S. Chrysost. to. 1. hom. 11. VIII. Quid invidis hominibus est miserabilius, quibus, cùm liceat gaudere, & fructum lætitiæ suæ capere, ipsi tamen malunt propter alienas fælicitates dolere, & cum dolore ipso pœnam à Deo & supplicium intolerabile accersere?

Bellov. l. 3. spec. p. 4. dist. 1. IX. Invidia animum cruciat; invidus enim de lætitia tabescit, de sanitate languescit, de pinguedine macrescit. O insania & stultitia! invidia de alieno vulnere suum vult sanare vulnus, sanitatem quærit de aliena infirmitate, bonum in alieno malo; quod idem est, acsi quæreret ignem in aqua, & aquam in igne, in spinis uvas, in tribulis ficus.

B. Albert. M. in apoc. 16. X. Quanta hominum gaudia sunt, tanti invidorum gemitus. Tales signantur per bufones, qui moriuntur floribus vinearum.

S. Antonin. p. 2. tit. 8. c. 1. §. 2. XI. Quotidie (dæmon) invidiam suggerendo, conatur fraternam charitatem dissipare: Inde Joannes Papa ait: Conatur versutus hostis ab initio ruinæ suæ, Ecclesiæ unitatem scindere, charitatem vulnerare, & bonorum operum dulcedinem felle invidiæ inficere, & omnibus modis, quibus potest, humanum genus evertere, & perturbare. Dolet enim satis, & erubescit, charitatem, quam ipse nequivit habere, id est, conservare in cœlis, homines constantes ex lutea materia possidere in terris. Et tanta est malitia invidiæ eius, ut, cùm ex tentationibus, quibus nos infestat, augeatur ei pœna accidentalis inferni, tamen potiùs eligit sibi illam augeri, tentando nos, ut urere faciat, quàm illâ carere, desistendo à tentationibus.

S. Ambr. l. 4. in Luc. c. 4. XII. Hoc exemplo (Christi nullam in Nazareth virtutem facere potentis) pariter & oraculo declaratur, quòd frustra opem misericordiæ cœlestis exspectes, si alienæ virtutis fructibus invideas; aspernator enim Dominus invidorum est, & ab iis, qui divina beneficia in aliis persequuntur, miracula suæ potestatis avertit.

S. Greg. l. 5. mor. c. 31. XIII. Cùm devictum cor livoris putredo corruperit, ipsa quoque exteriora indicant, quàm graviter animum vesania instigat. Color quippe pallore afficitur, oculi deprimuntur, mens accenditur, & membra frigescunt, fit in cogitatione rabies, in dentibus stridor, cúmque in latebris cordis crescens absconditur odium, dolore cæco tenebrat conscientiam vulnus inclusum.

XIV. Indè (ex invidia) odium surgit, animositas inde procedit, avaritiam Zelus inflammat, dum quis suo non potest esse contentus, videns alterum ditiorem. Ambitionem Zelus excitat, dum cernit quis alium in honoribus auctiorem, Zelo excæcante sensus nostros, atque in ditionem suam mentis arcana redigente; Dei timor spernitur, magisterium Christi negligitur, Judicii dies non providetur; instat superbia, exacerbat sævitia, perfidia prævaricatur, impatientia concutit, furit discordia, ira fervescit. *S. Cypr. de livore.*

XV. Invidia mortifer stimulus, mucro reconditus, naturæ morbus, bilis venenosa, tabes sponte adhibita, telum amarum figens animam clavis, flamma cordis, intestinorum ignis. Hanc qui habet, non suis malis, sed alienis bonis infelix est, & contra non suo bono, sed malis proximi felix est; invidus enim felicitate aliorum dolet, calamitatibus gaudet. *S. Greg. Nyss. l. de vit. Mos.*

XVI. Servo Dei, cui subrepserit superbia, continuò ibi est invidia, non potest superbus esse non invidus, invidia filia est superbiæ; sed ista mater nescit esse sterilis, ubi fuerit, continuò parit. *S. Aug. ser. 5. de verb. Dom. c. 5.*

XVII. Invidia est illa pessima tinea, quæ purpuramenta virtutum demolitur; ærugo, quæ thesaurum sapientiæ deprædatur; Bruchus, qui terrarum virentia comburit; quia, quidquid boni operis virescit in homine, penè pestis invidiæ perdit. *Idem. ser. 18. ad Frat.*

XVIII. Quid hoc morbo terrius? quid humanæ vitæ perniciosius? quid tam naturæ inimicum? quid tam Deo ipsi adversum? Nec mirum: & ipsum malitiæ Principem Diabolum adversùs humanum genus nihil aliud, quàm invidiæ morbus accendit; per hanc namque stimulatus, etiam Deo ausus est repugnare. Etenim adversus Deum indignans, pro his donis, quæ homini concesserat, quoniam in ipsum Deum nihil poterat, homini, quem diligebat, perniciem, mortémque molitus est. *S. Zeno ser. de livore*

XIX. Hinc Dominicæ pacis vinculum rumpitur, hinc fraterna charitas violatur, hinc adulteratur veritas, unitas scinditur, ad hæreses atque schismata prosilitur; dum obtrectatur Sacerdotibus; dum Episcopis invidetur: Dum quis aut queritur, non se potiùs ordinatum, aut dedignatur alterum ferre præpositum. *S. Cypr. de Zelo & livore.*

XX. Omnia mala ex radice nascuntur invidiæ, & hoc uno validissimo mucrone usus ab initio Mundi usque ad consummationem eius, Diabolus omnes penè animas trucidavit. *S. Zeno l. c.*

§. IV.

EXEMPLA SACRA.

I. CUm in aula Principis cuiusdam Siculi duo essent milites, quorum unus invidus erat, alter verò avarus, ambo verò omnibus hisce criminibus noti, Princeps die quadam se cum aulicis suis recreare volens, ambos ad se accersiri facit, & in conspectu omnium eorum *S. Anton. p. 2 tit. 8. c. 1. § 2.*

sibi præstita beneficia magnificans, eadémque grato animo remunerare volens, illos à se petere iussit, quidquid vellent, paratum enim se ad eorum desideriis satisfaciendum, ita tamen, quòd, postquam primus pro voto accepisset petita, alter eadem duplicata acciperet. Tacebant ambo, & nullus volebat esse primus, nam cogitabat avarus, si sum primus, recipiam minus, quàm si essem secundus, cùm duplum sit ei promissum, quàm primò postulanti. Cogitabat invidus, si primus respondeo, iste socius meus, plùs me recipiet, nunquam hoc pateretur animus meus, potiùs volo dimittere petitionem meam, & consecutionem alicuius boni, cùmque inter se disceptarent, alter alterum præponeret in petendo; demum voluit Dominus, quod invidus esset primus in petendo. Cœpit iste cogitare intra se, quid petere possum, ut iste socius non excedat me in donis? Si petam unam vestem, vel equum, iste duos habebit; si mille florenos, iste duo millia; si unum castrum, iste unam civitatem obtinebit. Sustinere hoc non possum; potiùs volo eligere aliquod malum pati, ut & ipse duplo habeat, quàm obtinere bonum, in quo ipse me superet. Dixit ergo, Domine mi, ego peto ut unus oculus mihi eruatur, & sic socio duo extrahantur. Quid inde factum sit, non dicitur, sed bene fuisset invido factum, ut uno oculo evulso socius evasisset illæsus, ex quo tam diabolica conditio fuit in eo.

II. Tametsi Discipuli Præcursoris Joannis Baptistæ eum adeò ab honore & dignitatibus humanis alienum esse sciverint, ut etiam altissimam Messiatûs dignitatem repudiarit, attamen impulsum sequentes naturalem, sibique invidiam prædominari sinentes, Christum maiorem honorem accipere, quàm Joannem, tolerare non poterant. Unde S. Antoninus ait: Discipuli Joannis Baptistæ invidebant aliquantulum Christo, eò quòd haberet maiorem concursum & famam, quàm Magister eorum, unde Zelantes pro ipso dixerunt ei: *Is, cui testimonium perhibuisti, plures discipulos facit.* (S. Anton. p. 1. tit. 8. c. 1. §. 2.)

III. In toto mundo nullus populus veri Dei lumen notitiámque habebat, sicuti Judaicus, in quo cultus Dei, veráque fides & religio perseveravit. Et nihilominùs quis nescit, quoniam depravatus, iustissimæ Dei iræ evasit scopus, unius vitio invidiæ, dicente S. Chrysostomo: Hæc Abrahæ progeniem, populum sanctitatis, ad Authoris sui cædem, ad mortem sui Salvatoris armavit. (S. Chrysost. ser. 4.)

IV. Post mortem Josuæ filii Israël simul convenerunt, his Deum verbis interpellantes: *Quis ascendet ante nos contra Cananæum, & erit Dux belli?* At verò nunquid ipsimet immediatè & directè hanc electionem perficere poterant? Cur igitur iussum præstolabantur? Abulensis causam fuisse respondet, invidentiam de alterna præeminentia; nam de quacunque tribu nunc sumeretur Princeps, illa tribus videbatur prælata cæteris, & ex hoc erat invidia, quæ valdè vitanda erat in tali actu, ubi oportebat omnes esse unanimes; cùm enim à Deo illuminati intelligerent, minimè convenire, ut pro electione unius omnes alii mutuam adversus se invidiam provocarent, tametsi æquali resignatione, & generositate præditi essent; hanc autem invidiam sciebant se timere non posse, si Deus quoad eligendum Divinam suam voluntatem manifestaret; hæc nempe ad compescendum livorem & æmulationem, quæ etiam inter viros virtuosos sæpè se insinuat, aptissima erat. (Iudic. 1. 1. — Abulens. in c. 21. Iudic. q. 18.)

Damnum.

V. Comes quidam Bonifacius pro favore, quo apud Valentinianum Imp. valebat, proregis dignitatem in Lybia occidentali assecutus, Ætii viri in Imperatoris aula præcipui, ita invidentes oculos perstrinxerat; ut hic tantam istius fortunam ferre nequiens, calumniosè eum apud Imperatorem, occultæ, quam moliretur, in imperium rebellionis, deferret. Ideòque talis ab Imperatore habitus, & publicè nominatus est. Quod non ferens Bonifacius, ad Wandalos transfûgit, ac per eos magnam toti Africanæ Ecclesiæ cladem intulit. Hæc sub Annum 427. acciderunt. Anno porrò 432. cùm in gratiam Imperatoris restitutus, Romam militiæ Magister rediisset, iterum ab Aëtio impetitus, & sive duello, ut vult Paulus Diaconus, sive alio modo gravi ab Aëtio accepto vulnere, ut scribit Marcellinus, occisus est. Sublato itaque æmulo, multis annis res suas feliciter promovet Aëtius, qui devicto etiam Attila Hunnorum Rege, à Valentiniano Consul creatus est, Anno 454. Huic anno, atque huic summi honoris gradui servabatur Divinæ vindictæ, crudelis viri invidia, nimirum Maximus quidam Senatorii Ordinis, è Maximi Tyranni illius stirpe, quem Theodosius senior Imp. è medio sustulit, novi Consulis fastum impatienter ferens, confictis calumniis, perinde acsi in Cæsaream Maiestatem quidpiam machinaretur, ita eius apud Imperatorem per Eunuchos, gratiam succidit, ut vel ab ipsomet Imperatore, vel ab aliis eius iussu, sit interfectus; Periturus citiùs (ut certâ revelatione vir quidam Sanctus cognovit) nisi piæ uxoris ad limina Apostolorum, pro mariti salute quotidie supplicantis precibus servatus fuisset. (Paul. Diac. hist. miscell. l. 14.)

VI. Lugduni paucos ante annos accidit, ut honestæ & nobilis matronæ Coniux, ab alia item nobili, turpiter adamaretur; cúmque ille summa pace & amore cum optima uxore à pluribus annis viveret, ista legitimis, castisque invidens amoribus, ut concordes horum coniugum animos divideret, uxoris castissimæ fidem apud maritum in suspicionem, tam verisimilibus vocavit indiciis, ut innocens domo exturbata, & inhumanis modis ab coniuge habita, non priùs in gratiam redierit, quàm multis post annis, tanti mali incentrix iusto Dei iudicio, gravissimo medicisque incognito afflicta morbo, cui nulla uspiam inveniretur medicina, ne morte quidem (mori enim non poterat) memor, quantam perniciem quietissimo coniugio attulisset, convocatos coniuges veniam rogavit, fassa palàm, ab se per summam calumniam, invidiámq; conficta esse omnia ea, quibus sanctum inter illos casti thori (Padag. Christ. p. 1. c. 7. §. 5. n. 4.)

thori amorem impiè distraxisset. Quibus dictis animam efflavit.

Engelgr. Dom. quinquag. §. 3. f. 2.

VII. Anno 1643. ante Cineralia Parisiis, Regali luxu nuptias celebrari in æde viri prænobilis accidit, qui puellam duxerat, quam plures proci deperierant. Hi indignati, sibi prædam ereptam, funestam planè tragœdiam adornant. Mensis remotis, omnes larvati, histrionum in morem subintrant; sponsum astu in vicinum cubiculum sevocatum strangulant, ac vestibus continuò exutum, aliisque mortuariis indutum, ac larvâ personatum, in convivantium cœtum humeris suis inferunt; saltúmque funebrem exorsi mirè omnes oblectant,, dum tandem signô datô, avolant, & se Euro ocyus ex ædibus proripiunt, relicto super pavimento, ut putabatur, socio larvato, qui mortui partes egerat. Hunc iam cæteris dilapsis, convivæ trudunt, vellunt, ut assurgeret; ad hæc omnia immoto, sponsa fortè larvam detrahit, &, ô ludum insolentem! O ferales nuptias! ecce sponsus, verum funus exhibetur, compertúmque â larvenionibus, ob sponsam sibi præreptam morte crudelissimâ præfocatum, ac omnibus ostentui & ludibrio expositum fuisse.

Marchant. in hort. past. tab. Sacerd. tr. 6. lect. 3. f. 1232.

VIII. Lutherus erat Monachus Augustinianus, cùmque ab Archiepiscopo Moguntino ad colligendas pro bello contra infideles eleemosynas Indulgentiæ Cruciatæ promulgarentur, ipse concursum ad Ecclesias Dominicanorum multò maiorem, quàm ad suas esse videns, indè exasperatus, talem concepit displicentiam & furorem, ut calamum suum ad instar gladii acuens, contra authoritatem Romani Pontificis, nec non contra Indulgentias scribere cœperit, & hinc originem suam duxit eius rebellio, quâ tot alios unà secum in tot errorum barathrum perduxit.

§. V.

EXEMPLA PROFANA.

Maxß. disc. 12. n. 6.

I. Diogenes quondam interrogatus, quo nam modo quis de inimico suo se vindicare posset, respondit: veritate, & argutiâ, id est, benè & virtuosè se habendo in cunctis operibus suis; hoc enim modo efficiet, ut cor & viscera adversarii sui per invidiam dirumpantur.

Anton. in Meliss. p. 1. ser. 62.

II. Periander nemini invidebat, dicere solitus, quò magis quisque alteri invidet, eò maiorem fieri causam bonorum ei, cui invidet.

Stobæus ser. de invid.

III. Theophrastus invidos reliquis hominibus infeliciores censebat, eò quòd alii suis tantùm in calamitatibus dolerent; invidi verò præter sua mala bonis etiam alienis contristari solerent.

Emil. Probus.

IV. Themistocles ob honores Miltiadi collatos, quòd Barbaros in Marothone superâsset, tantâ invidiâ correptus est, ut noctes insomnes consumeret, rogatúsque quàm ob rem tam sæpè excitaretur, Miltiades, respondit, trophæis suis me excitabat.

Stobæus ser. 56.

V. M. Cato dicebat, eos, qui fortunâ moderatè, sobriéque utuntur, minimè peti invidiâ; non enim, inquiebat, nobis, sed bonis, quæ nos circumstant, invident homines.

Baron. an. 441.

VI. Solymannus Turcarum Imperator quatuor habuit filios. Natu maximus Mustaffa de Persis victor rediens, dum â Bizantinis ingenti plausu ac triumpho excipitur, invidus Pater filium ad se alacrem reversum in conclavi strangulari iussit, eiúsque cadaver militibus obiici, addito Præconis edicto: Unus in cœlis Deus, unus in terris Solymannus. Frater minor, quòd ideò ploraret, biduò post veneno sublatus est. Tertius ad Persas confugerat, sed per Legatum dedi iussus, securi palàm percussus est.

§. VI.

SIMILITUDINES.

Qualitas.

Cass. coll. 18 c. 17.

I. Sicut ille, qui primus eiusdem mali peste corruptus est, nec medelam pœnitentiæ, nec fomentum unius curationis admisit; ita & hi, qui iisdem se percutiendos morsibus tradiderunt, omnem opem sancti incantatoris excludunt.

S. Zeno ser. de livore.

II. Sicut proprium Dei, liberalitas & largitas, ita proprium est Diaboli livor & invidia, & ideo observemus fratres, vitii huius incursum, ne fortè participes operum Diaboli efficiamur, & pari cum eo sententia condemnemur.

S. Ant. Pad. ser. in fer. 4. post.

III. Sicut omnes virtutes (si tamen virtutes sunt veræ) constituunt hominem membrum Christi, sic, iuxta sententiam Doctorum, peccata constituunt hominem membrum Diaboli, & sicut Charitas est membrorum Corporis Christi connectio, ac etiam ligamentum; sic Invidia est malorum ligamentum, Dæmonis scilicet, capitis. Sicut igitur membra, quæ per Charitatem sunt connexa Christo, non possunt esse sine debita operatione; sic membra, quæ per invidiam Dæmoni connectuntur, quiescere non possunt, quin suo capiti conformiter operentur.

Plutarch. de invid.

IV. Sicut acanthides maximè adultis iam frugibus, & rosis florentibus incumbunt; ita invidia maximè adoritur bonos, & ad virtutem proficientes, atque gloriam.

S. Bono l. c.

V. Sicut muscæ omisso sano corpore, ubi vulnus est, concitæ, præcipitésque conveniunt; ita & invidi, si quid ab aliquo in hac vita benè gestum est, si quid præclarum in actibus, in verbis probabile, in moribus admirandum est, nihil prorsus vident, nihil retractant; si autem quid aut culpabiliter gestum, aut incauto sermone prolatum, ut accidere hominibus solet, hoc loquuntur, hoc proferunt, hoc in publicum ventilant.

Nelov ser. l. 3. p. 4. dist. 1.

VI. Sicut aranea, quidquid fugit, in venenum convertit; sic invidus omnia bona proximorum in deteriorem partem interpretando corrumpit.

S. Chrysost. in ps. 50.

VII. Sicut flammam augmentat, magisque voracem efficit iniectorum lignorum copia; ita & æstum invidiæ, profectus & augmentum virtutis, gloriæ, meritíque amplificat; ut proinde D. Chrysostomus sequentibus in livorem non dubitârit invehi verbis: O invidia! per-

Ggg 2 tur-

R.P. Lohn. Auct. Bibl.

Digitized by Google

turbationis plena, ignis, qui nulla ratione extinguatur.

Damnum.

S. Zeno l. c. VIII. Sicut omne iaculum, quod vehementius fuerit intortum, si fortè in aliquod solidum & durum corpus illiserit, in eum continuò, qui iecerat, repercussum retorquetur, & resilit; ita etiam invidentis motus, & animorum telum, cùm nihil nocuerit ei, cui intenditur, vulnus tamen intendentis efficitur.

S. Bonav. comp. Theol l. 3. c. 16. IX. Sicut bonis mala cooperantur in bonum; ita invidis bona cooperantur in malum; unde tales aurum convertunt in cuprum, gemmas in lutum, granum in paleam, vinum in aquam, mel in fel, diem in noctem, balsamum in sterquilinium, electuarium in venenum.

Bellov. l. c. X. Sicut homo ex charitate meretur in omnibus suis, & aliorum operibus; in suis operando, in aliorum complacendo, vel congaudendo: ita invidus in omnibus demeretur.

Mansi disc. 8. n. 3. XI. Sicut Basiliscus omnium serpentium est pestilentissimus; ita & invidia inter omnia vitia scelus est maximè pernitiosum, atque execrabile, ita ut S. Bernardus dicere non dubitârit: Nosse cupis oculum venenatum, oculum nequam, oculum fascinantem? invidiam cogitato. Quid verò invidere, nisi malum videre est? Nemo alterius bonum invido aspiciat oculo. Basiliscus venenum in oculo portat, sub-que inficit, mortémque infert irreparabilem solo obtutu. Basiliscus venenum in oculo gerit, inquit dictus mellifluus, pessimum animal, & præ omnibus execrabile.

§. VII.

MOTIVA.

S. Cyrill. Alex. apud Mansi disc. 6. n. 2. I. Quia Deo directè contrarium est hoc vitium; uti S. Cyrillus ostendit, dicens: Cùm odis invidentiâ quempiam propter bonum, iam principaliter ipsius hostis es boni, quoniam cuius gratiâ est unumquodque; & illud magis; sed cùm ipsum bonum sit Deus, à quo tanquàm à suo fonte, vena bonitatis manans in omnia derivatur, hinc sanè convincitur, quòd tu hostis Dei, & boni sis, & tui ipsius, & omnium inimicus. Cæterùm cùm malitia bonitati sit contraria, vide, quanta te depravavit malignitas, cui tota bonitas est adversa.

S. Chrysost. in Ioan. hom. 45. II. Quia Dæmone peiorem facit; uti S. Chrysostomus asserit, dicens: Invidus ipso diabolo magis diabolus est; invidet Satan, sed hominibus, non sociis; tu verò homo cùm sis, invides hominibus, odium adversus genus, naturámque communem exerces, quod nec Satan quidem fecit. *Et tit. 6. ecloga de invid.* Et Dæmones in nos quidem implacabile odium habent, iis autem, qui eiusdem generis cum ipsis, non insidiantur; Hi verò neque naturæ communitatem reverentur, neque propriæ saluti parcunt, sed ante illos, quibus invident, suas ipsi animas pœnis afficiunt.

S. Chrysost. hom. 44. ad pop. III. Quia brutis facit viliorem; nam uti iterum S. Chrysostomus dixit: Feræ escâ indigentes, vel à nobis irritatæ, adversùm nos armantur, invidi verò beneficiis affecti, benemeritos maleficiis prosecuti sunt.

IV. Quia per se vilem facit; nam teste Guerrico Abbate, hæc est illa, quæ non magnos, sed parvos semper torquet, dicente S. Job: Parvulum occidit invidia. In eo enim, quòd aliquis alicui invidet, minorem se ostendit ei, cui invidet. *Guerricus in die Paresc.* Hinc & Petrus Blessensis ait: Nunquam invidisses, si qua tibi inesset generis, mentisve nobilitas, quia testimonio Poëtæ Livor, iners vitium, mores non exit in altos, útque latens imâ vipera serpit humo. *Petr. Blessens ep. 71.* Rationem verò ulteriorem S. Gregorius reddit, dicens: Invidere non possumus, nisi eis, quos nobis in aliquo meliores esse putamus. *S. Greg. l. 5. mor. c. 31.* Parvulus ergo est, qui livore occiditur, quia ipse sibi testimonium perhibet, quòd & minor sit eo cuius invidiâ torquetur. Hinc est, quòd hostis callidus primo homini invidendo surripuit, quia amissâ beatitudine minorem se immortalitate illius agnovit; hinc est, quod Cain ad perpetrandum fratricidium corruit, quia despecto suo Sacrificio, prælatum sibi infremuit, cuius DEus hostiam accepit, & quem meliorem se esse exhorruit, & ne utrumque esset, amputavit.

S. Ambros. lib. de Paradis. c. 12. Sap. 2. 24. V. Quia radix inimicitiarum est, teste S. Ambrosio dicente: Quæ causa inimicitiarum, nisi invidia? Sicut Salomon ait: *quia invidiâ diaboli mors introivit in orbem terrarum.* Invidiæ autem causa, beatitudo hominis in paradiso positi. Et ideo quoniam ipse diabolus acceptam gratiam tenere non potuit, invidit homini, eò quòd figuratus est limo; ut incola paradisi esset, electus est. Considerabat enim diabolus, quòd ipse, qui superioris fuisset naturæ, in hæc secularia & mundana ceciderat, homo autem inferioris creaturæ sperabat æterna. Hoc est ergo quod invidet, dicens: Iste inferior adipiscetur, quod ego servare non potui? Iste de terris migrabit ad Cœlum, cùm ego de cœlo lapsus in terram sim?

S. Laur. Iust. apud Mansi disc. 11. n. 1. VI. Quia radix detractionis est, uti S. Laurentius Justinianus indicat dicens: Frequenter face illuminationis, & invidiæ livore quorundam accendit animos. Repleti autem huiusmodi diabolica malignitate, & invidiæ sagittâ transfixi, profectum fratrum suorum proprium iudicant detrimentum. Propterea instigante livore detractionibus linguæ habenas laxant, & vitam proximorum murmurationibus dilaniare non cessant, observant gressus, verba discutiunt, & mores illorum, quibus invident, semper diiudicant, eorum derogant devotionibus, eorum virtutibus lacessuntur, eorúmque bonis operibus affliguntur.

S. Zeno de livore. VII. Quia reprobationis signum est; Hinc S. Zeno monet: Fugiamus invidiam, obicem pietatis, obstaculum Regni Cœlorum, viam gehennæ, pignus & primitias quasdam pœnæ perpetuæ. *S. Greg. Nyssen. l. de beatit. c. 7.* Et id ipsum confirmans S. Gregorius Nyssenus, quæ, inquit, desperatorum lethalia signa sunt, ea sæpenumerò in iis, qui invidiâ contabescunt, existunt.

VIII.

S. Chrysost. to. 6. eclog. de invid. VIII. Quia maiora mala sibi conciliat, quàm illi, cui invidet; quid enim Abeli nocuit Cain, inquit S. Chrysostomus? nónne illum citiùs quidem ad regnum invitus transmisit, se ipsum verò innumeris malis confodit? Quid Jacobo damni attulit Esau? nónne ille quidem dives erat, atque innumerabilibus perfruebatur bonis, hic verò paternâ etiam domo eiiciebatur? Fratres Josephi quod gravius malum ipsi intulerunt, maximè cùm ad sanguinem usque pervenerint? Nónne illi quidem famem passi sunt, & extrema pericula adierunt, hic verò Rex universæ terræ Ægypti factus est. Quantò enim magis invides, tantò maiora bona ei, cui invides, procuras. Hoc enim omnis invidus, ut S. Isidorus ait, alienis virtutibus præstat, quod B. Jobo Sathan præstitit; nam dum æmulatur prosperitatibus, commovit adversa; sed dum credidit eum diabolus posse prosterni, inde eius aucta sunt merita, inde claruerunt probabiliora patientiæ documenta.

Petr. Bless. ep. 80. IX. Quia ordinariè invidus cadit in foveam, quam alteri struxit; hinc Blessensis ait: Sustine, quòd invidi & æmuli tui se ipsos occidant, ut gladius eorum intret in corda ipsorum. Sanè Goliath interfectus est gladio, quô David exitium intentabat. Aman suspensus est in patibulo, in quo supplicium destinaverat Mardochæo. Verbum Salomonis est: *Qui mittit lapidem in altum, super caput eius cadet*;

- - - - Nec enim lex æquior ulla est:
Quàm necis artifices arte perire suâ.

S. Cypr. de Zelo. X. Quia semel concepta animo difficulter deponitur, ut S. Cyprianus testatur, dicens: Ab invidis nunquam livor deponitur, diebus ac noctibus pectus obsessum sine intermissione laniatur. Mala cætera habent terminum, & quodcunque delinquitur, delicti consummatione finitur. In adultero cessat facinus perpetrato stupro; in latrone conquiescit scelus homicidio admisso; & prædoni rapacitatem statuit præda possessi, & falsario modum imponit fallacia impleta; Zelus terminum non habet, permanens iugiter malum, & sine fine peccatum. Et confirmans id ipsum S. Laurentius Justinianus, insanabilis, inquit, est prorsus ipsorum livor, non enim placantur blanditiis, non mulcentur obsequiis, non rationibus acquiescunt, quin potiùs, quemadmodùm ignis accenditur, additione lignorum, ita & horum passio augetur multiplicatione virtutum.

S. Laur. Inst. c. 13. de discipl. Monast.

S. Thom. Villan. ser. in fer. 6. pass. XI. Quia irrationabile vitium est; uti S. Thomas Villan. insinuat, dicens: Hoc peccatum diabolicum est, & purum malum, nam alia vitia & peccata aliquod bonum prætendunt, licèt inordinatè. Nam Ambitiosus quærit honores, avarus divitias, lubricus voluptates, gulosus sapores, acediosus quietem, & hæc omnia bona sunt, si non nimis & præter divinæ legis, & rationis ordinem quærerentur: Sed invidia pura malitia est. Nihil habens commodi, sed tormenti plena, nihil voluptatis. Hinc & D. Chrysostomus, an ignoras, inquit, omni veniâ hoc peccatum carere? Ac meritò illud quidem, etenim fornicator cupiditatem prætendere potest; fur inopiam, & homicida iram; frigidas quidem causas, & minimè iustas, habent tamen, quas dicant; tu verò quas causas commendabis? dic mihi? Nullas, nisi vehementem tuam improbitatem? Si enim inimicos diligere iubemur, quam persolvemus pœnam, si amicos quoque odio prosequamur. Nam si is, qui amantes se diligit, nihil meliùs se habet, quàm Ethnici, quam habebit veniam, qui nullam iniuriam inferentes vexat?

S. Chrysost. to. 6. eclog. de invidia.

§. VIII.

MEDIA.

Cassian. coll. 18. c. 17. I. *Oratio crebra*; uti Cassianus suasit, dicens: Quapropter ne totum, quidquid in nobis vividum est, & quasi vitali vegetatione S. Spiritûs animatur, uno tantùm huius mali morsu basiliscus interimat, Divinum (cui nihil impossibile est) iugiter imploremus auxilium. Quod ipsum etiam S. Chrysostomus suasit his verbis: Quænam morbi huius medela inveniri queat? coniunctim omnes preces fundamus, unam eandémque pro ipsis vocem, tanquam pro energumenis edentes. Hi enim hoc infeliciori sanè conditione sunt, quòd furor hic nonnisi à certo animi proposito ortum habet.

S. Chrysost. hom. 7. ad Rom.

S. Laur. Inst. c. 13. cit. II. *Dilectio fraterna*; uti S. Laurentius Justinianus suasit, dicens: Qui ab hac pestifera tentatione liberari desiderat, proximum, tanquàm fratrem, tanquàm cœlestis Regni cohæredem diligat, & complectatur intimis visceribus charitatis. Hæc enim dilectio erga proximos non solum expellet à nobis omnem timorem, verum etiam meritorum proximi participes efficiet, eiusdem nobis gratiam & benevolentiam conciliabit. S. Gregorius malignos detestatur invidos, qui ex aliorum bonis sibimetipsis malum acquirunt, cum tamen gaudendo de iis, ex motivo charitatis, illius boni, cui invident, bonam sibi partem acquirere possent, dicit enim: Quid infelicius istis, quos dum conspecta felicitas afficit, pœna nequiores reddit? Aliorum verò bona, quæ habere non possunt, si diligerent, sua facerent. Hinc pensent invidi, charitas quantæ virtutis est, qui alieni quoque laboris opera nostra facit sine labore. Qui ergo hoc monstrum ab animo suo eliminare contendit, non opus ei est ferro, nec ut loricâ accingatur, neque ut galeâ caput suum contegat; sed solum si cor eius charitate ardeat, sufficit; hanc enim suadet S. Isidorus dicens: Adversus invidiam charitas præparetur. Hinc & S. Chrysostomus ait: Non es dicendo laudem assecutus, sed tu, dum ei gratularis, maiorem es laudem adeptus, quàm ille; si enim charitas est res magna, & caput omnium, tu eam, quæ ex ipsa paratur, accepisti coronam; ille eam, quæ acquiritur ex arte dicendi, tu eam, quæ acquiritur ex vehementi amore. Ille ostendit vim verborum, tu per facta deiecisti invidiam, & conculcasti livorem, quamobrem multò magis, quàm ille, fueris coronatus; Certamen tuum est præclarius, non solum

S. Greg. 3. past. adm. 11.

S. Isid. l. 2. synonim. c. 8.

S. Chrysost. ho. 11. ad Coloss.

conculcasti invidiam, sed etiam aliquid fecisti; ille unam solum habet coronam, tu verò duas, & duas illas unà splendidiores. Quænam sunt hæ? unam suscepisti adversus invidiam; altera est, quâ fuisti redimitus ex charitate; non enim collætari solum est indicium, quòd sis mundus ab invidia, sed etiam quòd habeas charitatem, quæ radices egerit.

S. Aug. l. 22. de civit. c. 30.

III. *Exemplum Sanctorum*; Nam teste S. Augustino, id etiam beata civitas illa magnum in se bonum videbit, quòd nulli superiori ullus inferior invidebit, sicut nunc non invident Archangelis Angeli cæteri, tanquam nollet esse unusquisque quod non accepit, quamvis sit pacatissimo concordiæ vinculo ei, qui accepit, obstrictus. Et S. Bonaventura S. Anselmi similitudinibus authoritatique innixus ait: Ibi erit tam perfecta & beata charitas Justorum, quòd unusquisque in tantùm diliget proximum suum, quantùm se ipsum, ex quo illud inæstimabile sequitur bonum, quòd ita unusquisque de alterius bono vel gaudio gaudebit, sicut de proprio; proinde cùm inennarrabilis sit numerus Electorum, quis, putas, narrare sufficiat gaudia beatorum?

Rich. à S. Victore p. 2. in cant. c. 9.

IV. *Æternorum bonorum æstimationem procurare*; Nam ut Richardus de S. Victore ait: Quantùm æterna cognoscimus, tantùm transitoria despicimus, & damnamus; hæc est enim illa pretiosa margarita, quam qui invenerit, quæ priùs amaverat, libenter cuncta derelinquit.

S. Ephrem. de vit. & virt.

V. *Se infimum omnium æstimare*, qui enim ab hoc morbo alienus est, inquit S. Ephrem, nunquam aliorum profectu cruciatur; de honore alterius non turbatur, neque de dignitate dolet, cunctos enim se meliores præstantioresque ducit, indigniorem se aliis, omniúmque infimum reputans: gloriam propriam non quærit, non sectatur honores, gaudet cum gaudentibus, adiuvat proficientes, & cum præclarè incedentibus exultat, & benè beatéque viventes laudibus celebrat.

S. Chrysost. hom. 7. ad Rom.

VI. *Damna, quæ secum affert invidia, seriò ponderare*; Nam ut S. Chrysostomus ait: Si quem videremus ignem manibus ac ligonem gestantem, hanc ædem una cum altari demoliri, evertere, incendere, nonnè fieret, ut ab omnibus iis, qui rem fortè spectarent, lapidibus obrueretur, tanquàm impius, & exlex? quid igitur? si quis flammam gestet, hoc, quo utimur, igne edaciorem, invidentiam dico, non lapidum ædificia demolientem, neque aureum altare evertentem, sed quod longè, & altari, & lapidibus pretiosius est, præceptorum ædificium subvertentem, ac devastantem, hic quâ demum veniâ dignus esse queat? Et iterum alibi: Illud etiam tecum semper verte, quia non maiorem illi, cui invides, quàm tibi ipsi facis iniuriam, cùm te ipsum versus mucronem impellas.

Idem hom. 41. in Matt.

Cassian. apud Mansi disc. 17. n. 8.

VII. *Seriò ponderare, quàm difficulter curabile sit hoc vitium*; id quod Cassianus sequentibus verbis ostendit: Cunctis perniciosiorem, atque ad purgandum difficiliorem esse constat invidiam, quæ ipsis remediis, quibus reliqua extinguuntur, accenditur. Nam v. g. qui damnum sibi illatum dolet, largitatis compensatione curatur; qui de illata indignatur iniuriâ, humilitatis satisfactione placatur. Quid illi facias, qui hoc ipso magis, quòd te humiliorem ac benigniorem sentit, offenditur? quem non ad iracundiam cupiditas, quæ præmio delinitur, non iniuriæ læsio, aut amor ultionis accendit, quæ officiorum vincitur blandimentis; sed successus tantùm alienæ prosperitatis irritat? Cui consentiens S. Chrysostomus, sanè præstat, inquit, serpentem in visceribus provolutum habere, quàm invidiam internè latentem; etenim ille medicamentorum auxilio sæpè evomi, & alimenti ope mitigari potest; at invidia non in visceribus se volutat, sed in animæ situ versatur, eáque est huius morbi natura, ut ægrè deleri, atque extingui possit.

S. Chrysost. hom. 17. in 2. ad Corinth.

S. Antoninus p. 2. tit. 8. c. 1. §. 1.

VIII. *Consideratio creaturæ universalis*; nam teste S. Antonino, omnis creatura communicat se ipsam suo modo, Sol omnibus præbet lumen suum, & Luna, & stellæ; terra communicat fructus suos omnibus animalibus, & nihil sibi retinet; membra in corpore humano se invicem iuvant, nec invidet pes oculo, quia nobilior est eo, & eminentiorem locum tenet, scilicet in capite.

§. IX.

ASCETICA.

S. Thom. 2. 2. q 30. art. 3.

I. *Inprimis nôsse debet Asceta, quando mortale peccatum sit hæc invidia*, id quod S. Thomas sic explicat: Dicendum, inquit, quòd invidia ex suo genere est peccatum mortale; genus autem peccati ex obiecto consideratur. Invidia autem secundùm rationem sui obiecti contrariatur charitati, per quam est animæ spiritualis vita, secundùm illud primæ Joannis 3. *Nos scimus, quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.* Utriusque autem obiectum, charitatis, & invidiæ, est bonum proximi, sed secundum contrarium motum, nam charitas gaudet de bono proximi, invidia autem de eodem tristatur.

Ibid. a. 4.

II. *Nôsse debet naturam invidiæ*, quam ex sequentibus S. Thomæ verbis colliget: In conatu invidiæ est aliquid tanquam principium, & aliquid tanquam terminus. Principium quidem est, ut aliquis diminuat gloriam alterius, vel in occulto, & sic est susurratio; vel manifestè, & sic est detractio. Medium autem est, quia aliquis intendens diminuere gloriam alterius, aut potest, & sic est exultatio in adversis; aut non potest, & sic est afflictio in prosperis. Terminus autem est in ipso odio, quia sicut bonum delectat & causat amorem, ita tristitia causat odium.

S. Bonav. in Diat. tit. 1. c. 4.

III. *Nôsse debet causam, cur adeò noxium hoc vitium censeatur*, quia nimirùm spoliat hominem omni bono, & causa est, quia odit & impugnat omne bonum. Alia vitia opponuntur

uni

uni virtuti, ut superbia humilitati, luxuria castitati, avaritia largitati, & sic de aliis: Invidia verò opponitur omni bono.

S. Cypr. de Zelo & invid. IV. *Nôsse debet, cur tam difficulter curetur invidia*; id quod S. Cyprianus commodè ostendit, dicens: Facilis est cura, ubi plaga perspicua est, & citò ad sanitatem, medelâ subveniente, producitur vulnus, quod videtur. Zeli vulnera abstrusa sunt, & occulta, nec remedium curæ medentis admittunt, quæ se intra conscientiæ latebras cæco dolore clauserunt. Imò ut S. Zeno ait: Nec interrogatus potest indicare languorem; erubescit enim enunciare in publicum, qui tabescit invidiâ, quia amici bonis & successibus proximi ipse consumitur, quia fratris bona, sua mala sunt; hæc enim dicturus est sine dubio, si velit, quæ vera sunt, dicere; verùm quoniam erubescit, horum aliquid confiteri, recondit, & celat intrinsecùs morbum, ipsa eius interna viscera consumentem. Neque ergo medicum languoris sui assumere, neque remedii aliquid invenire potest, cùm præcipuè omnes Scripturæ repletæ sint verbi Dei medicamentorum, quibus possint ista curari, sed indè quidem remedium non requirit.

S. Zeno de livore

V. *Nôsse debet, cur Christianum præcipuè hoc vitium dedeceat*; nimirum quia tota lex Evangelica, quam adimplere debemus, in charitate & dilectione proximi fundatur, cui invidia directè opponitur, & ideò per charitatem Deus nobiscum commoratur: *Deus enim charitas est, qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Si quis penitus inspiciat, inquit Cyprianus, inveniet nihil magis Christiano cavendum, nihil cautiùs providendum, quàm ne quis invidiâ & livore capiatur.

S. Cypr. l. c.

VI. *Nôsse debet, quàm difficile sit, evitare alienam invidiam*; id quod S. Hieronymus his verbis ostendit: Sed dicet aliquis, quisquis vitare invidiam cupit, timeat pluribus innotescere, vel placere. Ecce iustus Abel nullos habuit, quibus innotesceret, vel placeret, & tamen invidiæ odium vitare non potuit. Errat enim, quicunque absque hominum amicitiis contrahi non posse opinatur invidiam, cùm illa non tam humanas amicitias, quàm solam Dei amicitiam prosequatur. Unde ne ille quidem absque invidiæ infestatione esse potuit, qui vel soli Deo placere gestierit; sufficit enim ad invidiæ stimulos incitandos, si se illi placere cognoverit, ultra quem alius esse non potest.

S. Hieron. to. 9. ep. 4. ad Marcellam.

§. X.

MISCELLANEA ET CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Qualitas.

Mansi disc. 3. n. 7. I. QUærunt nonnulli, cur Redemptori pro crimine læsæ Maiestatis non imputârint, quòd Ministris publicæ iustitiæ sese opposuerit; siquidem haud improbabiliter præsumi poterat, quòd Petrus intimus eius Discipulus vel ipso sciente, vel saltem ad minùs ratificante, auriculam Malcho, qui lictorum caput erat, amputârit; at verò in promptu est responsio, si consideretur, quòd probandum corpus delicti necessum fuerit, simul etiam publicare miraculum à benignissimo Redemptore patratum in eiusdem auriculæ restitutione; quia igitur miraculum istud iustificare potuisset eius innocentiam, sanctitatem, omnipotentiam, Divinitatem satiùs esse duxerunt, si prætensum delictum istud sub silentio præterirent, ut suam tantò commodiùs invidiam explere posset; nam invidorum lingua, bona nullatenus profari potest.

II. Aptissima est illa ab Aquila desumpta similitudo, quæ Deo attribuitur; Aquila enim pullos suos ad radios Solis, an sui sint, explorat; quòd si enim irretortis oculis lucis illius reflexum constanter sustinere possint, eos tanquam filios suos agnoscit, & nutrit; secùs verò, tanquàm adulterinos à se reiicit, & derelinquit. Deus noster in Deuteronomio c. 32. aquilæ his verbis comparatur: *Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans.* Hic igitur eos, quos fœlicitatis alienæ lucem constanter & irretortis oculis adspicere posse videt, blandè recipit, & tanquam filios adoptivos delicatè demulcet; aliis verò, qui splendorem boni alieni videre nequeunt, tanquàm filiis adulterinis gratias suas subtrahit, & desolatos relinquit. Ibidē disc. 6. n. 5.

III. Author operis imperfecti rationem assignat, cur Spiritus S. super Jordanem formam sibi columbæ assumpserit; indéque motivum sibi eruit probandi, quòd, ubi charitas est, ibi diabolica nidificare nequaquam possit invidia: Ideo Spiritus Sanctus speciem columbæ suscipit, inquit, quoniam præ omnibus animalibus hæc cultrix est charitatis, omnes enim species iustitiæ, quas habent servi Dei in veritate, possunt habere & servi diaboli in simulatione. Habet enim diabolus & mansuetos, & humiles, habet castos, & eleemosynarios, & ieiunos; & omnem speciem boni, quam creavit Deus ad salutem hominum, ipsam speciem & diabolus introduxit ad seductionem, ut inter bonum verum, & bonum simulatum confusio fiat, ut simplices homines, qui boni veri, & boni simulati differentiam intelligere cautè non possunt, dum quærunt bonos Dei viros, incurrant in seductores Diaboli. Solam autem charitatem Spiritûs S. non potest immundus spiritus imitari. Omnis ergo species iustitiæ in impostoribus invenitur, sola autem gratia veræ charitatis non invenitur, nisi in solis servis Dei. Ex quo discursu certam hanc deducere possumus conclusionem, quòd, ubi invidia est, charitas & amor Dei ac proximorum esse non possit; ac proinde securè, non verò temerè iudicabimus, si credamus, quòd in anima hominis invidi dæmon, non verò Deus habitet. Id quod sequens Richardi de S. Victore, proposito nostro congruentissima confirmat sententia dicentis: Invidia non penetrat pectus, quod charitatis perfectione munitum invenerit. Author. imperf. op. tom. 4.

VI. Cer-

IV. Certum est, nonnullos ex spiritibus rebellibus à Deo in aëra collocatos esse, ibique manere, hoc enim verba illa Apostoli insinuant: *Contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus.* At verò, inquies, quid pœnæ in se habet, in aëre demorari illos, qui inexpiabilia, & atrocissima tormenta merentur? Advertendum igitur, spiritus illos relegatos esse in talem locum, ubi in medio inter Ecclesiam triumphantem paradisi, & militantem, quæ in terris est, positi degunt; ubi proinde sursum aspicientes gloriam coangelorum suorum, quos in cœlis reliquerunt, & animarum beatarum, ex horum corporum luto egressarum ad occupandum sedes, à quibus ipsi infeliciter prolapsi sunt; deorsum verò respicientes, quotidie vident ascendentes ex nobis mortalibus ad gloriam, intensissimam experiuntur pœnam, propter invidiam, quâ bonum nostrum æmulantur. Unde S. Bernardus ait: Diabolus in pœnam suam locum in aëre medium inter cœlum & terram sortitus est, ut videat, & invideat, ipsâque invidiâ torqueatur. Hinc S. Antonius dixit: Magnam pœnam faceret Deus invido, si ipsum poneret in gloria paradisi, quia ibi totaliter excæcaretur à gloria proximorum, & à luce beatitudinis ipsorum; experiretur enim in paradiso quendam perpetuarum ærumnarum infernum, quia totidem habiturus esset carnifices, quot sunt innumerabiles Angeli, & animæ beatæ, quæ visione beatificâ fruuntur.

S. Bern. ser 14 in Cant.

S. Anton. de pass. in fer. 4.

V. Luc. 16. legitur, quòd Epulo infernalis elevans oculos vidit in sinu Abrahæ Lazarum, æternæ felicitatis primitiis perfruentem. *Pater Abraham*, inquit: *Miserere mei, & mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, & refrigeret linguam meam.* Ubi quærendum venit, quidnam infelix hic epulo sublevaminis ex unica aquæ stilla linguæ eius immissa sperare potuerit, siquidem per experientiam videmus, quòd stillæ aquæ in ignem ardentem coniici soleant, ad augendum potiùs, quam ad diminuendum flammæ ardorem? Dubium hoc solvit D. Chrysologus inquiens: Ut video, quod agit dives, non est novelli doloris, sed livoris antiqui; & zelo magis inceditur, quàm gehennâ. Est grave illis malum, est illis incendium non ferendum, quos aliquando habuêre contemptui videre felices. Ubi speciali consideratione digna sunt verba illa: Zelo magis inceditur, quàm gehenna. Mittatur ex una parte bilancis pœnarum infernalium atrocitas & æternitas, & ex altera parte livor & pœna, quam annexam habet invidia; hoc enim factô, inquit D. Chrisologus, hanc in reprobo præponderare videbis. Dic sodes, cur non petiit, ut sibi liceat adire Lazarum, eique suam necessitatem proponere, sed potiùs petiit, ut Lazarus mitteretur ad ipsum? Lazarum mitte, quo? ad infernum de gremio, de solio sublimi ad profundissimum chaos, ad tormentorum stridorem de sancta quiete. Notandum quoque est, quod sacer Textus dicat: *Videns Lazarum in sinu eius.* Ubi D. Chrysostomus ait: Diviti mortuo augebat exitium accubitus in gehenna, & prospectus delectationis Lazari, ne solùm tormentorum natura, sed & collatione honoris illius intollerabilius sentiret supplicium. DEUS igitur ex industria ita disposuit, ut dives Epulo ex inferno videret felicitates & gaudia Lazari, ut illis invidens, plus ab illis, quàm à flammis cruciaretur; Zelo magis inceditur, quàm gehenna.

S. Chrysol. ser. 123.

S. Chrysost. conc. 2. de Lazar.

VI. S. Vincentius Ferrerius circa latus Redemptoris lanceâ apertum sic discurrit: Septimum opus Christi in cruce fuit lanceatio. Dic, quomodo post mortem unus militum aperuit lanceâ latus eius, Joan. 19. Quare voluit hoc fieri? Respondeo, quod ad dandum nobis exemplum, & instructionem vitandi peccatum invidiæ; alia vulnera voluit Christus recipere, dum viveret, sed vulnus lateris post mortem. Ratio, quoniam alia peccata mortalia omnia habent quid boni, vel apparens bonum. Dic v. g. de omnibus. Primò de superbia, quia delectabile videtur superbo, quòd honoratur &c. & sic de aliis. Sed peccatum invidiæ nullam habet rationem boni, totum est mors, quia invidia non est nisi dolor de bono alterius, qui in corde consistit, licèt etiam ostendatur lingua; item de aliis plagis Christi exivit solùm sanguis, de ista sanguis & aqua; Ratio est, quia calefit invidus, gaudendo de malo proximi, ideò exivit aqua ad refrigerandum. Secundò frigescit in amore & bono proximi, ideò sanguis exivit ad calefaciendum.

S. Vinc. Ferr. in Dom. 1. post Pascha.

VII. Veterum commentum est, evocatas in pugnam à Sirenibus Musas, ut de canendi suavitate certarent. Cantârunt utrimque triumpharunt canoræ Musæ, eæque Sirenibus plumas avulserunt, è quibus sibi coronas confecerunt in victoriæ signum; inquit Claudius Minoë in emblem. Alciati. Omnia hæc finxerunt veteres, ut significarent, quidquid falsæ, & fallaces Sirenæ contra doctas Musas, vel invida pennâ scripserunt, vel æmulâ linguâ effutierunt, quô inclytorum hominum amplissimas virtutes, & præclara facinora obscurarent, id in illorum gloriam maiorem cedere, coronarique eos ad pompam pennis, quibus obfuscandos æmuli sperabant, quæ detegunt plurimùm, & illustrem faciunt, quem detrahere, & obscurare volunt homines.

Did. Nyss. §. 1. in Sabb. post Dom. 5. Quadr.

VIII. S. Paulus ut prævaricatos Galatas intellexit, atque ob obedientia, quam debebant Evangelio, descivisse, neque DEO quæ illi debita, exsolvisse, hæc illis scripsit: *O insensati Galatæ, quis vos fascinavit, non obedire veritati!* Gal. 3. Fascinare propriè significat malum ab infestis oculis profectum, quod Hispani mal de oio, malum oculorum, & ao iar a uno, hoc est, oculis intentis aliquem inficere dicunt, iuxta illud Virgilii in Georg.

Ibidem.

Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos.

Cùm ergo Apostolus ait: *Quis vos fascinavit*, tale est, ac si dixisset, quis vos infestorum oculorum contagio corrupit, sive infecit?

Græ-

Digitized by Google

Græcus Textus apud Theophilactum habet ; *Quis vobis invidit?* Itaque invidere, & intentis oculis fascinare, idem sunt. Quæro nunc. Quonam tendit fascinum, quóve noxii spiritus ab invidentis oculis profecti vadunt? In fœdásne res, an in pulchras? Experientia docet, nunquam res sordidas fascino obnoxias fuisse, & risum excitaret, si deformem mulierem fascinum passam intelligeremus, cùm eos solos, quos liberaliori formâ benevolentior natura ornavit, fascinum insectetur. Itaque species quædam assentationis est hæc infirmitas, & quoddam boni genus hoc malum, gratiámque inire apud fæminam possis, si fascinatam dicas, postquàm hoc fascini malum solo elegantioris formæ bono est infestum. Ergo cùm Apostolus invidiam fascinum vocavit, velut adulatus invidiosis fuit, & à quadam formæ præstantiâ ac dignitate eos tacitè commendavit, nisi enim eximiâ essent specie, nunqam eos malum illud appeteret, aut invaderet. Itaque S. Paulus, ut vult Theophilactus, cùm Galatas fascinum & invidiam passos dicit, eodem verbo multa præclara ab illis fieri, aut gesta fuisse, indicavit, invidia enim dentes nonnisi talibus rebus infigit; Cùm dicit, quis vobis invidit, indicat illos res dignas invidiâ committere.

Did. Nyss. p. 1 Polit. l. 8. c. 1. IX. Est cuidam ægrè ex invidia, quam sustinet, alienâ, dolet suam ægritudinem, eiusque curandæ desiderio rationem consulit, quæ nobilis medicus est sanandarum animæ passionum, paratas, semper, eásque efficaces, & salutares habens medicinas. Eheu, miserum me! clamet æger, cui omnes invident: quapropter etiam omnes me persequuntur, súmque & linguarum scopus, & calamorum negotium, & unicum omnium confabulationum argumentum. Occurrit huic anxietati ratio, compescit suspiria, respondet querimoniæ dicens. De qua re miser & ignave expostulas, cuius tanta est felicitas? Gloriosissimus dolor est, quem pateris, nobilissima ægritudo, quâ gravaris, honorificentissimus morbus, quô laboras, & saluberrima infirmitas, quam sustines. O quàm feliciter infirmaris! O quam sublimis iaces, qui ex huiusmodi malo decumbis! Cum enim tuus ille de aliorum invidentia natus sit dolor, non est alius, cui magìs invideri queat. Vix insignem virum hac immunem peste reperies, inquiebat Petrarcha lib. 2. de remediis utriusque fortunæ, dialogo 32. cunctas historias evolve, non possunt ignoti tibi esse quam plurimi, quorum comitatu non solùm consoleris, sed & glorieris; velut dixisset: Quid sortem tuam tàm miserè deploras? Quid de malo, quod pateris, tam acerbè quereris, cùm invidiosus factus ex eo ægrè habeas, quô laborârunt viri ex toto terrarum orbe inclytissimi, & celebratissimi, quique in sacro famæ templo locum editissimum magno suo merito gloriosissimè occuparunt?

Ibidem. X. Symmachus singulari cuidam suo amico, hæc præter alia scribebat: Gratulare mihi de magna felicitate, quæ mihi Romæ obtigit, fortunatiorem me nulla seculorum superiorum ætas vidit. Quænam illa prosperitas tanta Symachi fuerit? varias multis hominibus statuas Romæ erexerant, factum autem, ut ipsius simulachrum nocte quadam deiectum fuerit, cœterorum statuis salvis, & inconvulsis. Dicebat ergo suo familiari Symmachus: Gratulare mihi de tam felici eventu, de tam benevolente fortune. Ergóne volebat, ut de hac re sibi gratulatum veniret amicus, quòd statuæ gloriâ nudatus esset, quæ omnibus aliis manserat integra, unúmque ac solum ipsius simulachrum ex omnibus humi deiectum? Immò verò hoc magìs postulare videbatur, ut quis illum misereretur, & deploraret sinistrum eius casum, & tam insolens facinus vehementer vindicaret. Quid ergo Symmachus tunc gratulationem expetiit, quando iniuriarum depulsionem, & vindictam postulare debuerat? Causam, cur sibi gratulationem fieri voluerit, magnus Senator reddit, dicens: Quòd ego solus torqueo corda liventium, solus meæ gloriæ clavis configo invidorum animos, cuius solius demoliti sunt statuam, cùm cœterorum signa reliquerint suis basibus subnixa, vel in concussa. Cur immane quorundam odium sanguinatiis dentibus erectam mihi statuam invasit? Quia studia rerum magnarum me occupatum habent, quia virtutibus antecello, & de præclaris aliorum facinoribus triumpho. Ergo cùm simulachrum meum deiecerunt, me ad altiorem gloriæ gradum extulerunt; cùm imaginem meam solo afflixerunt, me in editioris fastigii celsitudinem evexerunt; cùm effigiem meam luto platearum oblitum conspurcârunt, virtutum mearum picturam penicillo livoris & invidiæ illustrârunt. Itaque gratulare mihi de probro, quod me honestat; de infamia & ignominia, quæ me nobilitat; de una verò vel maximè deiectione statuæ, quæ me exaltat: Nam cùm sim invidiæ signum & scopus, procul dubio etiam Phœnix sum gloriæ. Quamobrem gratulare mihi, quòd ego solus torqueo corda liventium; lætare de invidia, quam patior, si me fortunatum videri cupis. Quæ namque maior felicitas, quàm ipsiusmet invidiæ manibus vapulare, & afflictari?

XI. Didacus Nyssenus in Politico ait, suâ sententiâ, invidere & magnificare aliquid, sic unum idémque esse, ut videatur, non posse magnitudinem rei cuiuspiam meliùs declarari, quàm si invisam sivè invidiâ exagitatam fuisse affirmes. Sic accipio dictum quoddam S. Zenonis, inclyti Martyris Veronensis, qui, dum animorum robur apud se reputaret valentissimorum illorum trium Juvenum à Barbaro Rege Nabuchodonosore in ardentem fornacem coniectorum, quæ his adornata erat, qui statuam illius adorare recusarent, aiebat: *Rex non inviderat pueris, si non eos præcepisset ardere.* Hæc ille serm. 8. de Daniel. Quid sibi vult, quod ait, extra invidiam Regis fuisse heroicos illos pueros, nisi iussu eiusdem flammis ustulandi traditi essent? quid illi egerunt inter medios flagrantium flammarum globos? Pectoris fortitudinem & magnitudinem animi ostende- Idem.

runt tantam, quanta ad id tempus visa nulla fuerat. Qui horrorem fornacis illius contemnebant, & flammantem istius ignis Draconem aspernabantur, & ardentis monstrum incendii ridebant, ii fortitudinis humanæ limites communes longè excesserant. Res autem ista æque & miserum Regem pudefaciebat, & valentissimos iuvenes honestabat, sic, ut in eâdem fornace proderet se, & horum invicta fortitudo animi, & illius imbecillitas pectoris, virium infirmitas, cuius arrogantiam incomparabili suâ audaciâ subegerunt, & compresserunt. Itaque Rex cum eos igni tradidit, excelsitatem animi eorum, & præstantiam illustriorem reddidit; quò enim gravius periculum, eò amplior gloria eius, qui illud subit; quò efferatius aliquod, & terribilius monstrum, eò maiorem splendorem confert suo domitori; quò potentior hostis, eò magnificentior virtus illius, à quo subigitur. Propterea S. Zenon eiusmodi gloriæ occasionem, & triumphi talis causam, vocat invidiam dicens: Rex non inviderat pueris, si non eos præcepisset ardere, hoc est, non magnificârat, non illustrârat, non eminentissimo gloriæ gradu eos collocârat, nisi incendio fornacis subiecisset. Nam invidere cuipiam, & in cœlum illum laudibus efferre, prorsus idem est. Quòd enim quis invisus est, id à magnitudine meritorum illius nascitur, & ab ornamentis virtutum, quibus affluit. Invidia ergo gloriam adfert invidioso, proprium suo Authori.

Damnum.

S. Ambros. in c. 3. Gen. XII. Serpens, qui Evam convenit, nomine generico à Moyse serpens appellatur: *Serpens erat callidior cunctis animantibus terræ*; hunc autem basiliscum fuisse, verisimile est, quia *invidiâ diaboli mors introivit in orbem terrarum.* Unde S. Ambrosius ait: Si non esset basiliscus, nunquam per eius invidiam mors intrâsset in orbem terrarum. Invidia namque dæmonem ad præcipitandos Protoparentes nostros exstimulavit; quæ eadem passio & hos, dum in scientia & essentia inferiores proprio Creatore haberi nollent, ut manum ad pomum extenderent, induxit, credentes, ita se Divinitatem & sapientiam DEI participaturos, cuius vitii progressum S. Antonius discutiens inquit: Omnes errores hominum processerunt ex primo errore primorum parentum, quem seminavit Diabolus ex invidia; Unde dicitur Sap. 2. *Deus creavit hominem inexterminabilem*, qui scilicet non potuisset errore decipi, vel corpore deficere, si obedisset; *Invidia autem Diaboli mors*, Scilicet animæ & corporis, *introivit in orbem terrarum*; nam ex invidia sua, ut hominem deiiceret, errorem & falsitatem proposuit dicens: *Nequaquam moriemini*; Ecce falsitas; *Scit enim Deus &c.* quasi dicat: Ex invidia DEUS hoc prohibuit, ne efficiamini ei similes in scientia. Ecce error; sicque exinde errores in mundo multiplicati sunt.

XIII. S. Patriarcha Abraham, cùm in terra Palestinorum moraretur, ita auctus est divitiis, ut certaret cum opulentissimis terræ illius de facultatum affluentiâ. Viderunt hoc Palæstini, & inviderunt fortunæ illius, æmulíque tantæ felicitatis dixerunt cum suo Rege; *Recede à nobis, quoniam potentior nobis factus es valdè*, Genes. 26. S. Joannes Chrysostomus non satis potest admirari dictum hoc Abimelech Regis, quare attonitus exclamat: Magna malevolentia! Quis parem vidit stultitiam? cuius gratiâ abigis iustum? Numquid aliqua in re tibi nocuit? num iniuriam tibi intulit? Oportebat eum, quem omnium DEUS tantâ gratiâ prosequebatur, DEI exemplo magis fovere, ei serviendo, ut honore in illum collocato, etiam ipsi divinum sibi favorem conciliarent. Quare verò Abrahamum, pro exemplo DEI, non modò, non fovent, neque tantùm non favent illi, aut serviunt, verùm etiam inhumanos se exhibent, & cedere loco iubent? Quid cæcavit illos? quid rem tam inhonorificam suasit? Quis verò tam malus consultor esse poterat, quàm invidia? Sic se habet invidia, inquit ibidem Chrysostomus: quæ nihil cum ratione operatur. At si ex arbitrio invidiæ agebant, quid mirum, quòd nihil rectè facerent, sed in omnibus errarent: S. Chrysost. in c. 26. Gen.

XIV. Narrabat somnium suum Joseph fratribus de manipulis, scilicet vidisse per soporem, quasi pariter ligâssent manipulos, suus autem manipulus altiùs omnibus consurrexisset. Indignabantur fratres illius, & quòd talia audirent, & quòd illum Patri se chariorem viderent, hinc oderant illum, neque iam vel æquis oculis aspiciebant, vel pacificè, humanèque alloqui poterant. Factum ergo, ut, cùm illis ruri agentibus cibos ferret, & procul indè visus fuisset, mutuò dicerent: *Ecce somniator venit, venite occidamus eum, & tunc apparebit, quid illi prosint somnia sua*, Gen. 37. 20. S. Basilius Magnus fratres Josephi tali dilemmate convenit, & convincit de magna inopia iudicii, quorum tale fuerit de fratre iudicium: Si vera essent Josephi somnia, quâ ratione potuit effici, ut non omninò ea evenirent, quæ prædixit? Sin falsa, cur invidebant erranti, & decepto? hæc ille hom. de invidia. Si ex verò DEO erant somnia, eiúsque decreto præfinita, adeò futura, quæ per somnum prævisa, frustrà iis per occisionem fratris occurrebant, quem DEUS resuscitare poterat: sin falsa erant, hoc est, mera somnia tantùm, stultissimè ei invidebant Regiæ Maiestatis dignitatem, quam tantisper, dum somniâbat, habere putabat. Quare ergo innocentem puerum vendiderunt, & potestati Ismaëlitarum negotiatorum ceu vile mancipium pro tam vili pretio tradiderunt? S. Basilius dicit: Sic in Josephum erant animati, ut quid facerent, nescirent. Nemini cæcitas horum videatur mira, nam quos occupârat, regebàtque invidia, quid illi rectè, atque ordine poterant? Quomodo deliberare in re licèt aperta & manifesta? Ubi invidia, ibidem confusio imperat, & omnia occupat. Aut si non Ibidem.

non est ita, videte quid egerint; Postquam vendiderunt illum, ut diximus, tulerunt tunicam eius polymitam, quam Pater illi fecerat, & in sanguine hædi, quem occiderant, tinxerunt, ut doli nescius Senecio laniatum à bestia filium crederet. Integram, atque ex omni parte illæsam transmiserunt Patri tunicam, ut ex sacro Textu constat. Quàm fatuè ergò factum, quòd talis tunicæ indicio discerptum à fera puerum demonstrare volebant! Quomodo enim occidere illum, & fero morsu dilaniare bestia potuit, sine offensa vestis, quæ contexerat? Quomodo verò rem tam perspicuam non considerabant; sic erant animati, ut, quid facerent, nescirent. Miraculum fuisset, si directore usi invidiâ, rectè quicquam agere, & peccatum suum quoquo modo palliare scissent.

TITVLVS XXXVII.

IRACVNDIA ET IRA.

§. I.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

S. Bonav. in declar. term Th. I. Racundia *est habitus ad inordinatum appetitum vindictæ inclinans.* *Ira* autem, ut S. Bonaventura ait, *est motus & fervor sanguinis circa cor ex evaporatione fellis, propter appetitum vindictæ.*

Divisio.

S. Thom in c. 4. Ephes. II. Duplex est species iræ, quædam bona, & quædam mala; mala quidem, quando inordinatè tendit in vindictam, scilicet contra iustitiam; bona verò, quando in vindictam debitam, quando scilicet quis irascitur, quando oportet, cum quibus, & quantum oportet. De utrâque potest exponi illud Davidis: *Irascimini, & nolite peccare*; si de mala, hic est sensus: non præcipit, sed permittit, quasi dicat: Si sic est, quòd motus iræ insurgat (quod humanum est) *nolite peccare*, id est, nolite perducere ad effectum per consensum; si autem exponatur de bona, sic tenetur non solum permissivè, ut primò, sed imperativè; irascimini, scilicet contra peccata vestra, sumptâ ultione de seipso peccante: & sic pœnitentia est quædam vindicta, quam homo facit, & capit de seipso; & hæc est bona ira, & de hac dicitur imperativè: Irascimini, scilicet contra peccata vestra, & nolite peccare de cœtero, nec talia committere, contra quæ iterum oporteat irasci. Hinc S. Chrysostomus rectè dicit: Ne nos temerè irascamur; (S. Chrysost. in ps. 4.) ira enim in nobis ideò insita est, ut non peccemus, sed ut alios peccantes prohibeamus: non ut fiat animi perturbatio, & ægritudo, sed ut sit ægritudinum & perturbationum remedium. Cogita apud te, quàm sit insigne vitium, quando medicamentum venenum efficitur; quando per quod aliorum vulneribus medendum est, per id vulnera nobis infligimus: quemadmodum si quis accepto ferro, ut, quæ in aliis putrefacta sunt, exscindat, se ipsum ubique concidat, se per totum corpus sauciens, vel gubernator per clavum cymbam submergat, per quem ventorum impotentium impetum oportebat cohibere. Huiusmodi est etiam ira utile instrumentum, ut nostram excitet somnolentiam; ut animum nostrum intendat, virésque & robur addat; ut nos acriores efficiat, ut pro his indignemur, qui sunt affecti iniuriâ; vel ad pœnas de insidiatoribus sumendas nos moveat; ea de causa dicit: *Irascimini, & nolite peccare.*

III. S. Gregorius Nyssenus, tres, ait, sunt irascibilitatis (malæ videlicet) species, scilicet ira, quæ vocatur fellea; & Mania, quæ vocatur insania; & furor. Iram felleam dicit esse, quæ principium & motum habet, quod Philosophus attribuit acutis. Maniam verò dicit esse iram, quæ permanet, & in vetustatem devenit, quod Philosophus tribuit amaris: furorem autem dicit esse iram, quæ observat tempus in supplicium, quod Philosophus attribuit difficilibus. (S. Greg. Nissen. apud Mansi. tr. 19 disc. 1. n. 4.)

§. II.

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas.

I. IMpii, quasi mare fervens, quod quiescere non potest, & redundant fluctus eius in conculcationem & lutum. Isaiæ c. 57.

II. Ira viri Justitiam DEI non operatur. Iacob. c. 1.

III. Homo homini reservat iram, & à DEO quærit medelam. Eccl. c. 28.

IV. Melior est patiens viro forti, & qui dominator animo suo, expugnatore urbium. Prov. c. 16.

V. Fatuus statim indicat iram suam; qui autem dissimulat iniuriam, callidus est. Ibid. c. 12.

VI. Qui ad indignandum facilis est, erit ad peccandum proclivis. Ibid. c. 29.

Damnum.

VII. Cum iracundo non facias rixas, & cum audace non eas in desertum, quoniam quasi nihil est ante eum sanguis, &, ubi non est adiutorium, elidet te. Ibid.

VIII. Certamen festinatum incendit ignem, & lis festinans effundit sanguinem, & lingua testi- Eccl. c. 28.

testificans adducit mortem si sufflaveris in scintillam, quasi ignis exardebit.

IX. Angelus crudelis mittitur contra eum, scilicet iracundum.

Eccl. c. 25. X. Non est caput nequius super caput mulieris, & non est ira super iram mulieris.

Prov. c. 22. XI. Noli esse amicus homini iracundo, neque ambules cum viro furioso, ne fortè discas semitas eius, & sumas scandalum animæ tuæ.

Ibid. c. 30. 33. XII. Qui fortiter premit ubera ad eliciendum lac, exprimit butyrum: & qui vehementer emungit, elicit sanguinem: & qui provocat iras, producit discordias.

Ira bona.

Eccl. c. 7. XIII. Melior est ira risu, quia per tristitiam vultûs corrigitur animus delinquentis.

Ps. 4. XIV. Irascimini, & nolite peccare.

Ira Dei.

Deut. c. 32. XV. Ad iracundiam concitatus est, quia provocaverunt eum Filii & Filiæ.

Ps. 2. XVI. Cùm exarserit in brevi ira eius, beati omnes, qui confidunt in eo.

Ps. 29. XVII. Ira in indignatione eius, & vita in voluntate eius.

Mich. c. 7. XIIX. Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei.

Ps. 89. XIX. Quis novit potestatem iræ tuæ; & præ timore tuo iram tuam dinumerare?

Tob. c. 3. XX. Qui, cùm iratus fueris, misericordiam facies.

§. III.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

S. Basilius ho. de ira. I. QUando semel iræ perturbatio mentem præcipitans, imperium animæ sumpserit, hominem penitus in feram convertit, nec hominem, qui rationis sit compos, esse finit.

Idem orat. 9. II. Cùm iracundia rationem depulerit, & dominatum animæ occupaverit, hominem penitus efferat, nec ampliùs hominem esse finit. Quod enim bestiis, quæ venenum emittant, est venenum, hoc hominibus exacerbatis est ira, insaniunt tanquam canes, impetum faciunt ut scorpiones, mordent veluti serpentes.

S. Gregor. l. 5. mor. c. 30. III. Aliquando ira perturbato animo quasi ex iudicio silentium indicit: & quò se foras per linguam non exprimit, intus deteriùs ignescit, ut iratus quisque collocutionem suam proximo subtrahat, & nihil dicendo, quàm sit accensus, dicat.

S. Ambros. in Ps. 4. IV. Commonet (S. David) ne per iram peccetur; solemus enim modum egredi, dum irascimur, & invenimur ipsi peccare, qui peccantes arguimus, dum plùs irascimur, & ampliùs oneramus peccantem, quàm meretur.

Fuga.

V. Quoties ira animum invadit, mentem edoma, vince te ipsum, differ tempus furoris, & cùm tranquilla mens fuerit, quod placet vindica: ira enim in vindictam malorum sequi debet rationem animi, non præire, ut quasi ancilla iustitiæ post tergum veniat, & non lasciva ante faciem prorumpat. Aliquando verò ostendenda est, & non exhibenda; aliquando exhibenda, sed nunquam sequenda; quando enim in executione iustitiæ placatâ mente irascimur, iracundiam, & non sequimur, & exhibemus. Ira enim, quæ animum perturbat, quanta consideratione cavenda est, monstratur, de qua scriptum est; *Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, & tardus ad iram.* *S. Aug. ep. 51.*

V. Iræ mortiferum virus, de recessibus animæ nostræ funditus eruendum. Hâc enim in cordibus nostris residente, & oculum mentis noxiis tenebris obcæcante, nec iudicium rectæ discretionis acquirere, nec honestæ contemplationis intuitum, nec maturitatem consilii possidere, nec vitæ participes, nec iustitiæ tenaces, sed nec spiritualis quidem ac veri luminis capaces poterimus existere, quia perturbatus est, inquit, præ ira oculus meus. *Cassianus l. 8. de spir. ira c. 1.*

VI. Si ab animo sapienti amaram perturbationis radicem extirpare poteris, multa cum hoc principio perturbationis semina facilè extingues; nam & dolus, & suspicio; & infidelitas, & malignitas, & insidiæ, & audacia, & omnia his similia, huius vitii germina sunt, atque appendices. Itaque fratres amantissimi, ne obsecro tantum nobis malum inducamus, animæ morbum, rationis tenebras, à Deo alienationem, oblivionem familiaritatis, Principium bellorum, plenitudinem calamitatum, dæmonem pessimum nostris animis innatum, incolam quendam impudentem, nostra interiora possidentem. *S. Basilius ho. de ira.*

VII. Amarulentiam vocat præparationem ad iram, tumor autem iræ generativus est; ex ira verò procedit vociferatio, & ex hac maledicentia sive convitium. Hæc igitur omnia tollantur à vobis, non dicit cohibeantur, aut puniantur, sed omnem eorum significans ablationem, tollantur, inquit, cum omni malitia; quandoquidem enim nonnulli sunt homines more canum clàm mordentes, qui neque vociferantur, neque manifestam faciunt iram, sed in animo eam servantes, datâ occasione ulciscuntur se de eo, qui contristavit. *Oecumenius in c. 4. Eph.*

VIII. Fugiamus iram, quæ rationem suffocat, mensuram Justitiæ ignorat, solem iustitiæ nescit, amicitias rumpit, de facili aufert pacem mentis, sapientiam calcat, sapientes infatuat, gravitatem in Pastoribus dilacerat. *S. August. s. 9. ad FF.*

IX. Sciendum nobis magnoperè est, quia quoties turbulentos motus animi sub mansuetudinis virtute restringimus, ad similitudinem redire Conditoris conamur; nam cum tranquillitatem mentis ira diverberat, dilaniatam quodam- *S. Gregor. l. 5. mor. c. 30.*

dammodo, scissamque perturbat, ut sibimet ipsi non congruat, ac vim intimæ similitudinis amittat. Quanta ergo sit iracundiæ culpa, pensemus, per quam dum mansuetudo amittitur, supernæ imaginis similitudo vitiatur.

Alcuinus l. de virt. & vit. c. 24.

X. Displiceat tibi alterius ira; quod tibi in altero displicet, in te ipso quoque displiceat. Noli te æqualem stulto facere, quia ira in sinu stulti requiescit. Si tu irasceris contra eum, eritis duo mali, tu, & ille. Melius est te esse bonum, quanquam ille sit malus; cur tu ex alterius malitia malus efficiêris?

Damnum.

S. Petrus Dam. l. 4. ep. 17.

XI. Per omne vitium, quod ab hominibus perpetratur diversis utique modis misero cordi veternosi hostis virus infunditur; in Iracundiæ verò peste, tota sua viscera serpens concutit, omnem fellis amaritudinem evomens fundit.

S. Aug. S. 9. ad FF.

XII. Ab ira procedit rancor, à rancore odium, quod est ira inveterata in animo; indè nascitur homicidium, & si non opere, saltem voluntate; indè contumelia, indè detractio, indè susurratio, suspicio & iniuria, quæ sunt opera carnis & diaboli.

S. Bona. de pug. spir. c. 4.

XIII. Est nociva bestia, sibi nocens, & alios scandalizans, virus mortiferum, animam interficiens, & spiritum S. expellens. Cùm autem vim irascibilem obtinuit, statim introducit ibi suam familiam, quæ sunt rixa, furor mentis, contumelia, clamor, indignatio, & blasphemia.

S. Basilius ho. de ira.

XIV. Ob iram ensis acuitur, inquit S. Basilius, mors homini ex homine venit, fratres inter se ignorantur, Parentes ac liberi naturæ obliviscuntur, sed ante omnia se ipsos haud agnoscunt irati.

S. Bonav. in diat. c. 5.

XV. De ira nota specialiter tria: scilicet odiosam eius effigiem, eius ruinosam perniciem, & eius vitiosam propaginem.

S. Basilius l. c.

XVI. Supernè accensâ facie alio aspectu visendum exhibet iratum, eam formam, quæ omnibus consueta est, & nota, quasi larva quadam, ut in scena fieri solet, prorsus immutans? oculi consueti non apparent, sed ignei micantésque: dentes acuunt, veluti sues grassantes; vultu sunt liventi, sanguine suffuso, oris tumore increbescente, venæ obturbati intra viscera Spiritûs angustiam disruptæ: Vox aspera & intensa, sermo inconstans, & confusus, ac temerè cadens, nec concinnè, nec significanter, nec ex parte quidem prolatus.

S. Gregor. l. 5. mor. c. 30.

XVII. Per iram sapientia perditur, ut, quid, quove ordine agendum sit, omnino nesciat, sicut scriptum est: Ira in sinu stulti requiescit; quia nimirum intelligentiæ lumen subtrahit, cùm mentem permovendo confundit: Per iram iustitia relinquitur, sicut scriptum est: *Ira viri Iustitiam Dei non operatur*; quia, dum perturbata mens iudicium suæ rationis exasperat, omne, quod furor suggerit, rectum putat.

S. Petrus Dam. l. 4. ep. 17.

XVIII. Per iram certè S. Spiritûs splendor excluditur: huius scilicet habitaculum fieri mens improba non meretur; unde per Prophetam dicitur: *super quem requiescet Spiritus meus, nisi super humilem, & quietum, & trementem sermones meos:* Nam cùm humilem dixit, quietum consequenter addidit; quia, dum ira menti quietem simul & humilitatem subtrahit, suam Sancto Spiritui protinus habitationem claudit.

Bellov. spec. p. 1. l. 3. dist. 1.

XIX. Ira vel odium aufert imaginem Dei, & Characterem filiorum Dei, quem imprimit Charitas, imprimens characterem bestiæ, id est, Diaboli. Hic character imprimitur in corde, quando mens intrinsecus perturbatur: in fronte verò, dum per signum extrinsecus demonstratur: in manu autem, quando ad proximi læsionem manus extenditur.

S. Chrysost. ho. 14. de ira.

XX. Si vituperatus vicissim vituperas, superatus es, non quidem ab homine, sed, quod turpius est, ab affectu illiberali, irâ scilicet commotus; si verò tacueris, vicisti, & citra laborem trophæum erexisti, & infinitos habebis, qui te coronent. Ergo irâ abstinendum est (consulit prudentissimè Seneca) sive par est, qui lacessendus est, sive superior, sive inferior; nam cum pare contendere, anceps est: cum superiore, furiosum; cum inferiore, sordidum; pusilli hominis & miseri est, repetere mordentem, mures & formicæ, si manum admoveris, ora convertunt; imbecillia se lædi putant, si tangantur.

Senec. l. 2. de ira. c. 34.

§. IV.

EXEMPLA SACRA.

Qualitas.

Marchantius in Tuba sacr. d. tr. 6. lect. 1.

I. DUm imperante Henrico Tertio, eodémque in urbe Moguntina festum Pentecostes devotè peragente, familiares Archiepiscopi, & Abbatis Fuldensis propter præcedentiam (de qua inter se Archiepiscopus & Abbas contendebant) manus consererent, Templi pavimentum effuso utrinque sanguine conspersum fuit: at verò mox Episcopis & aliis advolantibus; pax inter dissidentes composita est; cúmque post templi profanati repetitam benedictionem, Missa solemnis in eodem celebraretur, hæcque verba recitarentur: *Hunc diem gloriosum fecisti*: audita est ex aëre resonans vox dicens: *Hunc diem bellicosum ego feci*: quam vocem Imperator audiens, facilè sibi dæmonis vocem esse persuasit, prout revera erat, ac proinde respondit: Tu omnis malitiæ incentor & inventor diem bellicosum, & arrogantibus luctuosum fecisti, sed per gratiam Dei, qui illum gloriosum fecit, pauperibus gratiosum faciemus: Jussit igitur lautissimos mensæ suæ cibos inter pauperes distribui, quibus ipsemet Cæsareis manibus suis ministravit.

Mansi disc. 8. n. 2.

II. Inter alia Exempla, quæ de antiquis Patribus leguntur, celebre est illud, quod de quodam illorum refertur, qui, cùm ad iram pro-

proclivis esset, solitarius vivere statuit, ne haberet occasionem quo ad furorem iracundiæ concitaretur. Cùm verò die quadam hydriam suam aquâ implere vellet, hæc mox, ut aquâ impleta fuit, eversa est; secundâ igitur vice eandem reimplevit, & hydria impleta denuo corruit: cúmque tertiâ vice eandem implesset, hydria eversa denuò omnem aquam effudit, unde irâ percitus hydriam in minutas partes confregit. Tandem verò in se reversus agnovit, quia ab eodem dæmone iracundiæ sit illusus, & dixit: Ecce ego solus sum, & vincit me: revertar in congregationem, quia ubique labore & patientiâ opus est, & maximè adiutorio Dei.

Damnum.

Ibid. disc. 9. n. 6. III. De Mathia Rege Hungariæ legitur, quòd, cùm ipsi ad mensam accumbenti diceretur, legatum Franciæ adesse, ut ipsum Regis sui nomine veneraretur, servis suis recentes apponere ficus iusserit; cui cùm servi nullas ficus superesse responderent, adeò vehementer iratus fuerit, ut subitò ex apoplexia mortuus conciderit.

Ibid. IV. In Historiis de VVenceslao Rege Bohemiæ sequentia leguntur. Cuidam subitò offensus morti eum adiudicare parabat, itáque ab iracundia est superatus, ut brevi paralysi convulsus, membrorum officio destitutus, in terram caderet, paulóque post moreretur.

Ibid. V. Valentinianus Imperator expeditionem in Sarmatas & Quados facturus, legatis eorum pacem rogantibus, simul intellexit, quòd rogârat, eos videlicet suæ gentis honoratissimos esse, tantoperè ob indignationem eorum, imperium suum exagitantium, stomachatus est, ut ruptis venis atque arteriis sanguine exhaustus, mortuus subitò corruerit.

Ibid. disc. 9. n. 9. VI. In quadam historia Patavina funestus hic legitur eventus, de duobus antiquæ & nobilis familiæ fratribus, ex familia nimirum Liminæa Patavina antiquissima. Dum enim sub intempesta nocte vice quâdam foris extra domum consistentes, cœlum suspicerent stellatum, unus eorum dixit: utinam tot boves haberem, quot in cœlo sunt stellæ; alter verò ex ioco subiunxit: Utinam cælum pratum quoddam esset, & in mea proprietate & dominio positum, in quo tu votivos hosce boves tuos pascere cogereris. Subiunxit alter, in tuóne prato ego boves meos pascam. Respondit ille: quid si ego nollem? subdebat alter, etiam te invito illos in pascua tua ducerem. Itáne, inquit alter, in meum despectum hoc faceres? tandem ioco in furorem mutato, à verbis ad verbera, à verberibus ad enses deventum fuit, quibus unus alterius viscera transfegit.

Marcb. loc. cit. VII. Longè deplorabilior est alter quidam casus, qui nostro hoc contigit seculo, si authori illum referenti fidem habere volumus. Audi igitur, quod novimus de facto contigisse ævo nostro, inquit ille, quidam irâ quasi furiâ infernali agitatus, cùm in hostem incidisset, pedibus suis terebat diu postratum, quasi deliberando, quanam viâ, furori & odio concepto satisfacere posset. Tandem urget, ut Deum abneget, alioquin mucrone iam iugulo incumbente se illum confossurum esse asserit; spem autem evadendi ei dabat, si modò abnegaret. Hærebat ille sub pugione trepidus, & mortem horrebat imminentem, quam sperans evadere, & peccatum postmodum pœnitentiâ diluere, in Dei abnegationem ore sacrilego prorumpit verùm id malo suo æterno & irrevocabili; Mox enim eum alter perfodit, ubi abnegationem extorsit; háncque adiecit consolationem sathanicam: Jam tandem satiabor, Jam in eo me solabor, quòd tibi non solùm corporis, sed & animæ perennem salutem ademerim.

VIII. In vita Divi Chrysostomi de Eudoxia Imperatrice refertur, quòd, cùm sancto huic Episcopo irata esset, eundem hæreseos coarguere conata fuerit, ut in exilium ipsum proscribere posset; hoc igitur fine Epiphanium Episcopum Cypri partibus suis adsciscere sategit, qui, dum illam hortaretur, ut se cum S. Doctore reconciliaret, illa rabie & furore plena respondit: Nisi tu, Epiphani, adiuveris, ut Joannes exilio mulctetur, ego clausa idolorum templa aperiam, omnibúsque ea adoranda proponam. Mansi disc. 9. n. 9.

Fuga.

IX. S. Ephrem dicitur primùm iracundiæ intemperanter subiectus fuisse, & ob eam causam monasticam vitam exercuisse, ne à quopiam irasci videretur. Cùm igitur illi, ubi plures dies more suo ieiunâsset cibum minister afferens ollam fregisset, & hunc pudore ac metu teneri cerneret, bono sis animo, inquit, ad cibum nos eamus, quandoquidem ille usque ad nos non venit, & fragmentis ollæ assidens pransus est. Sozom. l. 3. hist. Eccl. c. 16.

X. Post mortem illustris Imperatricis Placillæ, Theodosius pro suo in illam amore, nec non propter eius excellentem virtutem, statuam æneam erigi iusserat Antiochiæ; quam populus (ob novum tributum indictum) tumultuans deiecerat. Unde Imperator ad eam iniuriam vindicandam milites convocavit. Sed Macedonius vir divinâ gratiâ plenus, ad aulæ Principes his verbis est usus: Ut mandata hæc ad Imperatorem referatis, dilecti filii, oro. Meminisse te, O Imperator, oportet, non solum Principem, sed hominem etiam te esse. Proinde non ad Imperii tantùm amplitudinem respice, sed naturam ipsam considera. Quum enim homo sis, hominum tibi Imperium commissum est, qui cùm eiusdem tecum sint sortis, & conservi adeò tui: iam ab ipsa creatione, imagine Dei cohonestati sunt. Itaque ne tam vesanâ audaciâ adversus divinam imaginem grasseris, vide; imaginis enim Dominum ad iram concitabis, si in eos, qui imaginem illius gerunt, sævias. Tum autem illud etiam te dispicere decet, te propter æream imaginem multitu- Niceph. l. 12. c. 44.

titudini infensum, crudeliter in eam animadvertere velle. Quantò autem imago animata inanimatæ præstet, quid dicere opus est? Nam id eis etiam, qui vel mediocrem obtinuerint mentem, constat: illud præterea fac, cogites, nobis quidem perfacile esse, plures ex ære facere imagines pro una illa, quam vecordi temeritate insana plebs comminuit: te autem nequaquam efficere posse, quantumvis contendas, ut vel capillum unum eorum, qui cæsi sunt, creare valeas. Hæc illi à sene sapiente audita, sicuti simpliciter dicta erant, ita Imperatori renunciârunt. Non parùm etiam Flaviani Episcopi legatio illis profuit, ut iræ flamma in Imperatore extingueretur. Postea namque irâ & minis omissis, communem populo scripsit defensionem, crimen illis condonavit.

S. Pet. Dam. l. 4. epist. 17. XI. S. Petrus Damianus Prælatus & Cardinalis dignissimus, ex naturali indole sua iræ deditus erat; sciens autem, quàm in illa dignitate necessaria sit mansuetudo, audite quidnam in Epistola quadam à principio allegata de semetipso scripserit; Postquam enim ibidem damna ab ira proficiscentia prolixè exposuisset: subiungit: Porrò autem, & me, qui hæc utcunque scribo, naturalis iracundiæ conspersio stimulat, ac sæpe levissima quælibet offensiæ concussa meæ quietis arcana perturbat, ut in me plerúmque, quod vix est ac, vel spinâ leviter punctum, phalarico telo mihi videatur esse perfossum. Sed hæc intrinsecus: quantùm verò ad opus, dicat ira quod vult, frendeat, fremat, dentibus strideat, in omnibus his, quæ mihi interius suggerit, in quantùm negare potuero, meum extrinsecus adiutorium non habebit, licet inflata turgeat, sufflet, furat, sæviat, intumescat; ego illi membra mea non dabo, ut per ea quasi per arma, quod conatur, efficiat. Nolite, inquit Apostolus, exhibere membra vestra, arma iniquitatis peccato. Non enim illi do manum meam, ut per eam inflata percutiat, vel aliquid capiat. Non linguam, non labia moveo, ut per eam sui fellis amaritudinem fundat. Dum ego itaque sævienti iræ penitus hæc auxilia denego, necesse est, ut mox velut sine pabulo flammam flaccescat, aut prorsus intereat, aut tanquam ventus inoffenso aëre inaniter transeat, dum obstaculum deest, in quo præcipitanter impingat.

Mansi disc. 14. n. 9. XII. S. Joannes Elemosynarius Patriarcha Alexandrinus aliquando propter pauperes cum Niceta contenderat, Imperatoris cliente, non parùm indignatus, quòd inopes videret pessundari, nihilominus se ipsum de hac alteratione repræhendere cœpit, séque ita alloqui: Non vides, quoniam sol ad occasum vergit? non recordaris præcepti Apostolici? móxque vocatis sacerdotibus, eos ad Nicetam ablegavit, ut dicerent: Sol ad occasum est. Quo hic audito, intenerascere cœpit, ita ut mutuam, longè strictiorem, quàm unquam, renovarit, amicitiam.

XIII. In Patrum antiquorum vitis de Sancto quodam seniore, cui nomen Isidorus, legitur, quòd aliquando, cur demonibus adeò formidabilis esset, interrogatus, responderit: Ex quo factus sum monachus: studeo, ne permittam iracundiam usque ad facies meas ascendere. Vit. PP. l. 4. p. 1.

XIV. Fuit quidam Monachus in eremo Scithi; venit autem ad visitandos S. Patres in loco, qui dicitur Cellia, ubi multitudo Monachorum divisis habitabat cellis: Cùmque non inveniret ad præsens cellulam, ubi posset manere: quidam de senioribus habens aliam vacantem cellulam, dedit ei dicens: Interim repausa in hac cellula, donec invenias, ubi possis manere. Cùmque ad visitandum eum convenirent quàm plurimi Fratres, desiderantes ab eo audire verbum salutis æternæ: Habebat enim spiritualem gratiam docendi verbum Dei. Videns ille Senior, qui ei ad habitandum præstiterat cellam, invidiæ livore cor eius vulneratum est, & indignari cœpit, ac dicere: Quoniam ego tantis temporibus in loco habito, & ad me non veniunt fratres, nisi rarissimè, & hoc in diebus festis, & ecce ad istum impostorem pœnè quotidiè fratres quamplurimi vadunt; dixítque discipulo suo: Vade, & dic ei, ut egrediatur de cellula illa, quoniam necessaria mihi est. Cùm autem perrexisset discipulus eius ad illum fratrem, dixit ei: Mandavit Abbas meus sanctitati tuæ; iube ei per me mandare, qualiter habeas, audivit enim te infirmari. Ipse verò remandavit ei, dicens: Ora pro me, Domine, quia valdè stomachum doleo. Reversus autem discipulus dixit Abbati suo: Nimis rogat Sanctitatem tuam, ut vel duos dies iubeas ei inducias dare, ut possit sibi aliam cellam providere. Transactis autem tribus diebus, iterum misit discipulum suum dicens: Vade, dic ei, ut egrediatur de cellula mea: Nam si rursus distulerit, dices ad eum, quia continuò venio, & cum baculo cædendo expello eum de cella mea. Pergens autem discipulus ad supra dictum fratrem dixit ei: Quoniam valdè sollicitus est Abbas meus de infirmitate tua, ideo misit me requirens, si meliùs habeas. At ille respondens dixit: Gratias ago, Domine Sancte, charitati tuæ, quia sollicitus es de me, veruntamen precibus tuis meliùs habebo. Reversus autem Discipulus dixit Abbati suo: Etiam & nunc deprecatur Sanctitatem tuam, dicens, ut usque ad diem Dominicum exspectes, & statim egredietur. Cùm autem advenisset Dominicus dies, & non eggrederetur; accipiens vectem senior, inflammatus invidiæ, & iracundiæ spiritu, pergebat, ut cædendo expelleret eum de cellula sua. Accedens autem discipulus eius dixit ei: Si iubes Pater, præcedo te, & video, ne forsan aliqui Fratres ad salutandum eum venerint, & si viderint te, scandalizentur. Præcessit ergo discipulus, & ingressus ad eum dixit: Ecce Abbas meus venit ad salutandum te, egredere ergo celeriùs, & cum gratiarum actio-

ne

ne occurre ei, quia pro nimia charitate & dilectione venit ad te. Qui statim surgens cum nimia alacritate occurrit ei. Cúmque vidisset eum, antequam approximaret ad eum, prostravit se pronus in terram, adorabatque senem, cum gratiarum actione dicens: Retribuat tibi Dominus, charissime Pater, bona æterna pro cellulâ tuâ, quam mihi propter nomen eius præstitisti, & in cœlesti Jerusalem inter Sanctos suos Christus Dominus tibi gloriosam & splendidam præparet mansionem. Hæc autem audiens Senior, compunctus est corde, & proiiciens baculum recurrit in amplexus eius, & osculatus est eum, & invitavit illum in cellulam suam, ut pariter cum gratiarum actione sumerent cibum. Vocavit autem Senior supra memoratum discipulum suum, & interrogavit eum dicens: Dic mihi, fili, si dixisti verba isti fratri, quæ propter cellulam mandavi, ut diceres ei. Tunc discipulus eius confessus est ei, dicens: Verè Domine dico, quia propter humilitatem, quam tibi exhibere debeo, tanquam Patri & Domino, ideo non audebam respondere tibi aliquid, quando me mittebas ad eum: Veruntamen nihil eorum dixi ei, quæ mandabas ad eum. Hoc audiens Senior, statim prostravit se ad pedes eius, dicens: Ex hodierna die tu meus Pater esto, & ego discipulus tuus: quoniam te festinante & moderante, ac cum timore & charitate DEI agente, & meam & illius fratris animam de peccati laqueo Christus Dominus liberavit.

§. V.

EXEMPLA PROFANA.

Qualitas.

Mansf. disc. 3. n. 2. I. DE Caio Caligula imperatore refertur, quòd, cùm pretiosissima ingenti pompâ, sumptuúmque dispendio præparasset spectacula, eodem verò die, quo exhibenda erant, continuè de cœlo decidentes pluviæ, tonitrua, & fulgura, omnia eius destruxissent Consilia, indignatus acerbissimè, ipsummet Jovem in duellum provocavit, dicendo cum Homero: aut tolle me, aut ego te. Magnis quoque iniuriis Jovem affecit, suis namque militibus, ut suas in cœlum sagittas evibrarent, præcepit, licèt hæ in terram recidentes, magnam in populo stragem effecerint.

Seneca l. 3. de ira, c. 21. II. Cùm Babylonem oppugnaturus Rex Cyrus festinaret ad bellum, cuius maxima momenta in occasionibus sunt, Gynden latè fusum amnem vado transire tentavit; quod vix tutum est etiam cùm sensit æstatem, & ad minimùm deductus est. Ibi unus ex his equis, qui trahere regium currum alibi solebant, abreptus, vehementer commôvit Regem; iuravit itaque, amnem illum regiis equis meatum auferentem, eò se redacturum, ut transiri, calcarique etiam à fæminis posset. Huc deinde omnem transtulit belli apparatum, & tamdiu assedit operi, donec centum & octoginta cuniculis divisum alveum in CCC. & LX. rivos dispergeret, & siccum relinqueret in diversum fluentibus aquis. Periit itaque & tempus, magnâ in vanis rebus iacturâ, & militum ardor, quem inutilis labor fregit, & occasio aggrediendi imparatos, dum ille bellum indictum hosti cum flumine gerit.

III. C. Cæsar iratus cælo quod obstreperet Pantomimis, quos imitabatur studiosiùs, quàm spectabat, quodque commessatio sua fulminibus terreretur, ad pugnam vocavit Jovem: Quanta dementia fuit! Putavit, aut sibi noceri ne à Jove quidem posse, aut se nocere etiam Jovi posse. Non puto parùm momenti hanc eius vocem ad incitandum coniuratorum animos addidisse: Ultimæ enim patientiæ visum est, eum ferre, qui Jovem non ferret. *Idem l. 1. c. 16.*

Fuga.

IV. Diogeni de ira differenti adolescens protervus inspuit, tulit hoc ille leniter, ac sapienter: non quidem, inquit, irascor; sed dubito tamen, an irasci oporteat. *Seneca l. 3. de ira c. 38.*

V. Catoni causam agenti, cùm in frontem mediam, quantùm poterat, attractâ pingui salivâ, inspuisset Lentulus ille, Patrum nostrorum memoria factiosus, & impotens, abstersit faciem, &, affirmabo, inquit, omnibus Lentule, falli eos, qui te negant os habere. *Ibid.*

Damnum.

VI. De Isaac Caloivannis filio legitur, quòd imperio exciderit prælato ei fratre minore, eò quòd ad iracundiam esset proclivior: sic enim pater iam moriturus ad proceres imperii inter cætera ait: Filii mei, quamvis eodem patre nati, tamen diversis præditi sunt ingeniis; qui, etsi ambo & viribus corporum, & dignitate vultuum, & animorum gravitate præcellunt, tamen natu minor Manuel ad Imperii administrationem mihi aptior videtur. Nam Isaacus sæpius irâ percitus mihi adstitit, & quavis de causa bile effervescente, moderari animo non potest, quæ res inimicissima consilio sapientes perdit. *Plut. Exemp. l. 21. 19. n. 6.*

§. VI.

SIMILITUDINES.

Qualitas.

I. SIcut in humanis corporibus febris quidem una est, sed multas habet ardoris causas; sic iræ motus & incendium, uti reliquorum vitiorum morbi, multas & varias origines habent & fontes. Quot namque iræ vitiosæ sunt causæ, totidem disordinationes & mala sunt, quæ eidem sociantur; *S. Climac. grad. 8.*

II. Sicut quando ignis non potest evaporare, & ipsi non subministratur materia, quam absumat, crudescit in seipsum; sic iracundus creparet, nisi evaporaret, & respiraret per verba contumeliæ. *S. Anton. Pad. S. in fer. 5. post dom. 3. quad.*

III. Sicut aper ex furore impingit, & currit *S. Bonav.*

in Diat. c. 1. rit contra gladium; sic iracundus currit ad peccatum, scilicet contentionem, iniuriam, & homicidium.

Orig. in divers. h. 3. IV. Sicut canis insanus saxo percussus, dum percutientem sequi non prævalet, ad ipsum furore convertitur lapidem, quem pedibus, dentibúsque dissipare perquirit: non aliter Herodes sua præcipitatus iracundiâ; solitóque suæ mentis furore, in infantium cæde versatus, & concitatus est.

S. Chrysost. ho. 11. ad Eph. V. Sicut sævissima etiam bellua, quamdiu quidem continetur infractis carceribus, etiamsi efferetur & vociferetur, neminem poterit lædere; quando verò iræ dominatus invaluerit, perfractisque, quæ interiecta erant, repagulis, poterit exilire, omni tumultu, & conturbatione replet civitatem, & omnes abigit; Ita etiam in bile, quamdiu quidem continetur suis finibus; nobis non magnum facit malum, postquam autem rupta est, quæ eam continebant, membrana, nihil vetat, quò minus de cætero in universam diffundatur naturã.

S. Cyrill. Alex. l. 6. contr. Iul. VI. Sicut si lapis in præceps eat, contra omne, quod invenit, impetu fertur; ita etiam asper, audax, si ferocitatis & furoris vim ferat, à nullo vel verbo, vel opere abstinebit, DEum etiam, sicut hominem linguæ suæ immoderantiâ & iræ impotentiâ invadet.

Seneca l. 1. de ira c. 1. VII. Sicut furentium certa indicia sunt, audax & minax vultus, tristis frons, torva facies, citatus gradus, inquietæ manus, color versus, crebra & vehementiùs acta suspiria; ita irascentium eadem signa sunt. Flagrant, & micant oculi, multus ore toto rubor, exæstuante abimis præcordiis sanguine, labia quatiuntur, dentes comprimuntur, horrent, ac subriguntur capilli, spiritus coactus ac stridens, articulorum seipsos torquentium sonus, gemitus, mugitúsque & parùm explanatis vocibus sermo præruptus, & complosæ sæpius manus, & pulsata humus pedibus, & totum concitum corpus, magnásque minas agens, fœda visu & horrenda facies depravantium se, atque intumescentium. Nescias, utrum magis detestabile vitium sit, an deforme.

S. Nilus orat. de ira. VIII. Sicut canes catulos suos cœcus parturiunt; ita quoque cogitationes, desideria, affectus, consilia iracundorum cœca sunt, omnísque luminis, vel rationis, vel discursûs expertia. Unde S. Nilus ait: Iracundia canum in morem cœcas cogitationes parit.

Plutarch. de cohib. irac. IX. Sicut Hippocrates ait, eum morbum esse gravissimum, qui faciem ægrotantis quam maximè mutet in diversum; ita conspicies alios ob iram maximè sibi excedere, & vultum immutantes, colorem, incessum & vocem in diversum vertere.

Seneca l. 3. de ira c. 5. X. Sicut adversùs pestilentiam nihil prodest firmitas corporis, & diligens valetudinis cura: promiscuè enim imbecilla, robustáque invadit; ita ab ira tam inquietis moribus periculum est, quàm compositis & remissis.

S. Albertus M. l. 3. XI. Sicut ex collisione duorum corporum elicitur ignis, quia sicut ex collisione; ita ex amaris verbis, aliquorum ira concitatur, Prov.

15. *Responsio mollis frangit iram, sermo durus suscitat furorem.* *Cath. ver. c. 17.*

Damnum.

XII. Sicut si insles in scintillam ignis, excitas incendium; contra verò si inspuas, extinguis, & utrumque tibi in manu tua est; sic si inflatos & vecordes inferas sermones, excitas ignem iracundi hominis: sin mites ac moderatos admoveas, priusquam excandescat, iram omnem extinxeris. *S. Chrysost. ho. de non adeund. spectac.*

XIII. Sicut apes eodem tempore, quo iracundæ aculeum iis, quos invadunt, affigunt, simul quoque semetipsas interficiunt; Sic, cùm iracundi multoties taliter irascuntur, quòd absque iudicio rationis ad lædendum alios animantur, sæpe fit, quòd quantùm ad DEUM, & quantùm ad mundum, corpus & animam perdere dignoscuntur. *Bernhardinus apud Man. dist. 9. n. 6.*

XIV. Sicut vir honestus & gravis obscœnum diversorium aversatur; sic DEUS iracundi pectus; & ut fumus oculos turbat, sic ira animum. *S. Nilus de oct. vit. angst.*

XV. Sicut equo aperiuntur oculi, ut circumeat in molendino; & sicut Philistym Samsonis oculos eruerunt, & clausum in carcere molere fecerunt; ita per iram gratiæ lumen amittitur, quia mentis oculos excœcat. *Bellov. l. 1. spec. l. p. 1. dist. 2.*

XVI. Sicut venenum aspidum, ita se habet iracundia, quoniam & formam atque aspectum immutat, & mentem conturbat, & nervos dissolvit, & ad operandum imbecillitatem affert. *S. Ephrem. de tim. Dei.*

XVII. Sicut vinum, cùm ultra satietatem infunditur, omnes sensuum meatus, ac cerebri membranas implet, mentémque in dementiam convertit; ad eundem modum iracundia extra metas suas prosiliens, mentem temulentam reddit, eam videlicet furore afficiens. *S. Isidorus Pelus. l. 2. epist. 479.*

§. VII.
MOTIVA.

I. *Quia hoc vitium est contra naturam*, uti Bellovacensis rectè advertit dicens: Hoc vitium maximè videtur contra naturam, cùm homo sit animal mansuetum naturâ, quód manifestè patet ex hoc, quòd natura non armavit hominem cornibus, nec unguibus, nec dentibus, sed dedit ei minores ungues & dentes, quàm alicui animali suæ quantitatis, nec dedit ei rictum, sed risum. *Bellovac. spec. l. 3. p. 1. dist. 1.*

II. *Quia ira, mentis est temulentia*, ut S. Basilius ait, eámque à sobrietate excutit, haud aliter quàm vinum; considera mihi hominem irâ percitum, quàm temulentus sit eo morbo. Non est sui compos, non novit semetipsum, non novit qui adsunt, sed velut in pugna nocturna tentat omnia, inpingit in omnia, inconsiderata loquitur, non potest cohibere, convitiatur, cædit, minatur, deierat, vociferatur, clamore disrumpitur. *S. Basil. hom. 1. de laud. ieiun.*

III. *Quia iracundi multis stultitiis laborant*; nam Primò quidem stultus est, qui illatam iniuriam appetit vindicare; quia, sicut dicit Augusti- *Bellovac. loc. cit.*

gustinus de aliena pœna quærit sibi medicamentum, qui acquirit sibi grande tormentum, simile est quasi in aqua quæreret ignem. Stultus est insuper, quia potiùs vult morti corporis quandoque, animæ semper & æternæ se exponere, ut occidat, & puniat asinum inimici sui, id est, corpus, quàm expectare Dominum justissimum, qui ita iudicabit eum de hoste, & asino simul, quòd totus mundus videns admirabitur, & satiabitur. Et confirmans idipsum Dionysius Carth. eò ipso, ait, quòd, quis iram non solùm admittit, sed etiam intra se retinet, stulto assimilatur, & hac sapientiæ caret; & stultus est, non solùm eo modo, quo omnis, qui immortali est culpa, stultus asseritur; sed & tantò specialiùs, quò ira mentem intus magis excedit, & hominem in apparatu vultûs exteriorique gestu, stulto, imò furioso facit similiorem.

Dionys. Carth. in c. 7. Eccl.

IV. *Quia Deo difformem facit*, uti idem Author insinuavit dicens: cùm scriptum sit: *Tu dominator Domine, cum tranquillitate iudicas*, ira facit hominem in iudicando specialiter Deo difformem, dum homo cum turbulentia iudicat, quod maximè indecens est.

Idem in c. 5. Iob.

V. *Quia Spiritum S. fugat*: Si enim, ut S. Climacus discurrit, spiritus sanctus pax animæ & dicitur, & est; ira verò cordis perturbatio, & est, & appellatur, necessariò sequitur, nihil adeò spiritus sancti præsentiæ repugnare, quàm iram; non quòd ipsa spiritûs sancti substantia contristari possit, cùm habeat æternam atque immutabilem beatitudinem: Sed quia ita in sanctis habitat, ut eos impleat charitate; charitas autem iræ contraria existit, atque ideò incompatibiles sunt ira & charitas, quæ primus est fructus spiritûs sancti, ut rectè Sedulius advertit.

S. Climac. grad. 8.

VI. *Quia diaboli opus est*, uti S. Laurentius Iustin. advertit dicens: Qui contentiosus existit, antiqui hostis in se immissiones admittit, diaboli ministerium operatur, disrumpit pacem, rixas concitat, parit odium, furorem nutrit, denigrat honestatem, sapientiam perdit, rationem confundit, oculum mentis obnubilat, gratiæ lumen repellit, fraternam dilectionem frangit, & ipsam cælestem in se occidit charitatem. Vnde & alius quidam antiquus Author ait: Ira placet diabolo, quia per iram multùm dominatur diabolus homini; non enim timet homo iratus facere, quod diabolus præcipit sibi, quantumcunque magnum sit peccatum, non parcit patri, nec matri, nec uxori, nec filiis, quin quandoque proiiciat eos in ignem iracundiæ. Placet ira diabolo, quia cum hoc vitio non lucratur diabolus unum & unum, sed aliquando totam domum, aliquando totam civitatem, & aliquando regnum.

Laur. Iust. c. 13. de disc. mon.

VII. *Quia sanitatem corporis lædit*, teste S. Ephrem dicente: Iracundus semper in perturbationibus vivit, animi tranquillitate ac pace, commodisque corporis valetudine carens, semper illi corpus illius contabescit, & animus angitur, caro marcescit, oboritur pallor, & mens perturbatur, sensus debilitatur, cogitationes fluminis instar scaturiunt.

S. Ephrem. l. de vit. & virt.

VIII. *Quia sanitatem animæ perdit*: nam, ut S. Chrysostomus rectè dixit, nullus leo, nulla sic vipera viscera queunt laniare, ut hominis iracundia ferreis quibusdam ungulis universa confodiens: neque enim solummodo corpori nocet, sed ipsius etiam corrumpit animæ sanitatem.

S. Chrysost. ho. 4. in Matth.

IX. *Quia societatem humanam dissolvit*, uti S. Petrus Damian. rectè advertit dicens: Quanta sinè sit iracundiæ pestis, in hoc patenter exprimitur, cùm nobis iracundi hominis societas prohibetur, & quasi per antiquæ scripturæ sententiam, quadam iam, ut ita fatear, Excommunicatione percellitur, dum à proximorum suorum contubernio separatur: ait enim Salomon. Noli esse assiduus cum homine iracundo, ne discas semitas eius, & sumas scandalum animæ tuæ. Et idipsum confirmans Dionysius Carthus. per iram, inquit, socialis vita confunditur, concordia dissipatur, societas aggravatur, iuxta illud Prov. *Spiritum ad irascendum facilem quis poterit sustinere?* nam qui irascuntur, non agnoscunt præsentes, non memores sunt cogitationis, non amicitiam, non consuetudinem, non dignitatem, neque quiddam aliud in mentem accipiunt, sed iræ vi pressi in præceps miserabiliter feruntur.

S. Petrus Dam. l. 4. Ep. 17.

Dion. Carth. in c. 3. Io.

X. *Quia unitatem dilectionis tollit*; nam tales, teste Bellovacensi, tunicam Christi inconsutilem nituntur dividere, quam Dominus indivisam voluit remanere; per hanc tunicam significatur charitas, in qua, & per quam unitas Ecclesiæ conservatur, ad quam hortatur Apostolus Eph. 4. *Solliciti servare unitatem spiritûs in vinculo Pacis.* Tales sunt directè contrarii Christo, quia Christus venit ut dispersos congregaret in unum: de Diabolo autem, vel de impio membro eius dicitur Ioannis 10. *Lupus rapit & dispergit.*

S. Chrysost. ho. 23. in Gen. Bellovac. spec. p. 3. l. 3. dist. 11.

XI. *Quia ad sacrificium Deo offerendum indispositum facit*; hinc S. Bernardus sequens proponit dubium: Sitne videlicet turato irâ commoto accedere ad altare, an se subtrahere interdùm debeat, donec compescatur commotio? & respondet: Nunquam mihi contingat turbatum ad pacis accedere sacrificium, cum ira & disceptatione contingere sacramentum, in quo DEUS indubitanter est mundum reconcilians sibi: certè non recipietur munus quodcunque meum, quod defero ad altare, nisi antè placato fratre, quem me fortè læsisse meminero, quantò minùs si me ipsum non placavero priùs?

S. Bern. de præc. & dispens. c. 14.

XII. *Quia vilissimum facit hominem*, uti iterum Bellovacensis testatur dicens: Per iram homo vilis efficitur. Magna vilitas est irasci, vel contendere cum fatuo, vel ægro, aut de talibus vindicare se velle? talis autem est, qui tibi fecit iniuriam iniustè. Magna vilitas est, pugnare cum vilibus personis, quorum pugnam abhorret nobilis animus. In quorum confirmationem, illum ex proverbiis textum adducens subdit: Honor est homini, qui se-

Bellovac. loc. cit.

pa-

parat se à contentionibus. Econtra vilitas est, inquinare os suum contumeliis & conviciis; & quantò maior est persona quæ irascitur, tantò vilius & indecentius est irasci.

S. Chrys. ho. 34. in Gen.

XIII. *Quia iræ moderatio, est signum perfecti viri*, uti S. Chrysostomus pronuntiavit dicens: Hoc certissimum est signum, quo internoscitur vir ratione præditus, si mansuetus fuerit, si lenis, si mitis, si modestus, & quietus, si non quasi servus ducatur, & trahatur, aut ab ira, aut ab aliis affectionibus, sed ratione vincat internos illos incompositos motus, nobilémque suam generositatem servet, ne in brutorum ferociam negligentiâ degeneret. Et ut discas, quantum mansuetudinis & lenitatis sit robur, & quòd sola hæc virtus possit se colentem diligenter ineffabilibus laudibus dignum reddere, audi B. Moysen hinc potissimum prædicari, & ex hac ei coronam plecti: Moyses, inquit, erat mitissimus omnium hominum, qui erant super terram. Vidisti encomii magnitudinem quòd omni eum humano generi parem pronunciat, imò omni hominum generi præfert. Similem in modum etiam Seneca discurrens, nullum, inquit, est argumentum magnitudinis certius, quàm nihil posse, quo instigêris, accidere. Pars superior mundi, & ordinatior, ac propinqua sideribus, nec in nubem cogitur, nec in tempestatem impellitur, nec versatur in turbinem, omni tumultu caret; inferiora fulminant. Eodem modo sublimis animus, quietus semper, & in statione tranquilla collocatus, intra se præmens, quibus ira contrahitur, modestus & venerabilis est, & compositus: quorum nihil invenies in irato.

Seneca l. 3 de ira. c. 6.

§. VIII.

MEDIA.

Surius in vit. c. 13.

I. *Memoria Christi patientis*; quo medio S. Elzearius usus est, de quo scribitur, quòd tametsi familiam & aulam haberet frequentissimam; quam tum ad suum servitium, tum ad iustitiæ administrationem stipendio conduxerat, nunquam tamen subditis suis iratus visus fuerit; Unde coniugi suæ mansuetudinem eius admiranti respondit Quid mihi prodest irasci? dicam tamen veritatem. Quandoq; insurgit in me indignatio in molestiis; at mox mihi ob oculos pono iniurias, quas à me & pro me Redemptor tulit, & tunc in meipso sic loquor: etiamsi famuli tui tibi barbam evellerent, & colaphis cæderent, oporteret te tolerare; nihil enim istud est, in comparatione eius, quod Dominus pro te tulit. Hæc verò consideratio animum meum mox reddit pacatum.

S. Chrysost. hom. 4. in Matth.

II. *Exemplum bestiarum ante oculos habere*; Nam, ut S. Chrysostomus ait: illæ quamquam naturaliter sæviant, si humanâ tamen arte palpentur, plerumque mansuescunt; Tu autem, qui illarum profectò naturalem feritatem, in eam, quæ contra naturam est, mansuetudinem sæpe commutas: tuam mansuetudinem naturalem in feritatem, quæ naturæ tuæ est inimica, convertis: Leonem quidem mitigas, reddisque tractabilem; furorem verò animi tui omni prorsus efficis leone sæviorem. Et certè cùm ibi sint duo impedimenta vel maxima, quòd fera ipsa & ratione privatur, & longè omnium alterius generis animalium excedit furorem; tu tamen de copia donatæ tibi à DEO sapientiæ, ipsam superas arte naturam, qui igitur naturam vincis in bestiis, cur in temetipso naturæ obfuscas bonum, dum malum adamas voluptatis? Itaque si, ut alium hominem mansuefaceres, iuberem, nihil hîc quidem impossibile viderer imponere, quanquam excusare posses, non te esse Dominum voluntatis alienæ. Nunc verò tua hæc propria fera est, & cui certissimo iure domineris. Quam igitur habes apologiam? quemnam reperies honestum excusationis colorem, qui, cùm solerti studio hominem quodammodò facias de leone, tu tamen negligens leo efficiaris ex homine?

Idem hom. 47. in Ioa.

III. *Supplicium iracundi considerare*, uti idem sanctus suasit, dicens: Iniuriâ affecto in mentem veniat, quod illi supplicium maneat, & non modò nullâ in proximum irâ fereris, sed deplorabis vicem eius.

S. Hilarius in Ps. 1..

IV. *Hostem instigantem attendere*; Uti S. Hilarius monuit: Non his irascendum est, inquit, à quibus aliqua perpetimur, sed quoties ad contumeliam ab iracundia provocamur, quotiescunque per convitia ad lites exhortamur, agnoscendus est hostis ille, per quem hæc operum & dictorum incendiva præbentur. Neque irascendum est hominibus alienæ instigationis operariis, sed potiùs in his detestandi officii intercessio fœda miseranda est, quòd sint vasa diaboli, Satanæ ministerium, latrocinantium telum, & alienæ malitiæ ac nequitiæ apparitores.

Seneca l. 3. de ira. c. 36.

V. *Examen conscientiæ quotidianum*; quod Seneca commendavit dicens: Omnes sensus perducendi sunt ad firmitatem: Naturâ patientes sunt, si animus illos desinat corrumpepere; qui quotidiè ad rationem reddendam vocandus est. Faciebat hoc Sextius, ut consummato die, cùm se ad nocturnam quietem recepisset, interrogaret animum suum: Quod hodie malum tuum sanâsti? Cui vitio obstitisti? Qua parte melior es? Desinet ira, & erit moderatior, quæ sciet, sibi quotidie ad iudicem esse veniendum. Quid ergo pulchrius hac consuetudine excutiendi totum diem?

Idem l. 3. c. 11.

VII. *Suspicionem, velut radicem tollere*: uti idem Seneca suasit dicens: Quod accidere vides in animalibus mutis, idem in homine deprehendes; frivolis turbamur & inanibus. Taurum color rubicundus excitat, ad umbram aspis exsurgit, ursos, leonésque mappa proritat: Omnia, quæ naturâ fera ac rabida sunt, consternantur ad vana. Idem inquietis & stolidis ingeniis evenit, rerum suspicione feriuntur.

Basilius de ira. VII. *Quietum esse ac tacere*; nam, ut S. Basilius dixit: si contra maledicta irasceris, iam ea corroborasti. Quidnam est irâ stultius? si verò quietus & immobilis persistas, pudorem maledicenti magnum intulisti, cùm re ipsâ prudentiam, modestiámque ostenderis. Nam, ut etiam S. Chrysostomus dixit: neutiquam febribus laboranti, aut gravi inflammatione quispiam irascitur, sed his modis affecti, sui misericordiam, & lachrymas movent; huiusmodi est iratus animus, qui si in te prosiliat, tace, & opportunam ei plagam infliges.

S. Climac. grad. 8. VIII. *Humilitatis Exercitium*; nam, ut S. Climacus ait: sicut ad solis ortum fugiunt tenebræ, ita ad odorem humilitatis omnis ex animo evanescit amaritudo, & extinguitur iracundia. Superbia, existimatio, & præsumptio nostri ipsius sæpissimè efficiunt, quòd nos offensos esse existimemus, licèt in veritate offensi non simus. Doctor Angelicus ait: *S. Thom. in c. 5. Iob.* Quidam sunt magni & elati animi, qui facilè provocantur ad iram; quod ideo est, quia ira est appetitus vindictæ ex præcedenti offensa proveniens; quantò autem aliquis est magis elati animi, tantò ex leviori causâ se putat offensum, & ideo faciliùs provocatur ad iram. Hinc & S. *S. Antonin. p. 2. summ. tit. 7. c. 1. §. 3.* Antoninus ait: remedium contra iram est, tollere occasiones, videlicet dura verba, & ea quæ magis accendunt iram; est enim ira accensio sanguinis; incendium autem ignis diminuitur per subtractionem lignorum, vel infusionem aquæ. Ligna, quæ magìs accendunt, sunt duræ responsiones, dura verba, quæ dici non debent, sed taceri.

Seneca. l. 2. de ira c. 22. IX. *Opinionem contemptus tollere*; nam causa iracundiæ, teste Senecâ, opinio iniuriæ est, cui non facilè credendum est, nec apertis quidem manifestisque statim accedendum. Quædam enim falsa veri speciem ferunt. Dandum semper est tempus; veritatem dies aperit; quæ inviti audimus, libenter credimus; & antequam iudicemus, irascimur.

Seneca l. 3. de ira, c. 11. X. *Curiositatem vitare*; uti iterum Seneca suasit, dicens: Non vis esse iracundus? ne sis Curiosus. Qui inquirit quid in se dictum sit, qui malignos sermones, etiamsi secretò habiti sint, eruit, se ipse inquietat.

§. IX.

ASCETICA.

S. Basilius ho. de ira. I. *INprimis nôsse debet Asceta, quod sit discrimen inter iram & indignationem*: nam, teste S. Basilio, sicut differentia nomina sunt indignationis, & iræ, sic & ab ipsis significantia plurimùm invicem differunt. Est enim indignatio stimulus quidam brevis & subitus, acutùsque passionis pavor. Ira verò permanens ac diuturna tristitia, aptáque sese otiosè ulcisci, veluti libido quædam se vindicandi.

S. Thomas 2. 2. q. 158. a. 2. II. *Nôsse debet, quando ira peccaminosa sit*, id quod S. Thomas sic explicat: Si ordinem rationis excludas, mala est; ordo autem rationis ita potest attendi, quantùm ad duo. Primò quidem quantùm ad appetibile, in quod tendit, quod est vindicta; unde si aliquis appetat, quòd secundum ordinem rationis fiat vindicta, est laudabilis iræ appetitus, & vocatur ira per Zelum: si aliquis appetat, quod fiat vindicta qualitercùnque contra ordinem rationis, puta si appetat puniri eum, qui non meruit, vel ultra quam meruit, vel etiam non secundùm legitimum ordinem, vel non propter debitum finem, qui est conservatio iustitiæ & correctio culpæ, erit appetitus iræ vitiosus, & nominatur ira per vitium. Alio modo attenditur ordo rationis circa iram, quantum ad modum irascendi, ut scilicet motus iræ non immoderatè fervescat, nec interiùs, nec exterius; quod si prætermittatur, non erit ira absque peccato. In articulo verò sequenti examinans: An omnis ira sit peccatum mortale, hanc statuit conclusionem: Ira, quâ quis iniustam appetit vindictam, peccatum mortale est; ira verò ex passione, & quâ in modico vindictam expetimus, veniale est. Quam propositionem his verbis declarat: Ex genere suo ira est peccatum mortale, quia contrariatur charitati & iustitiæ, potest tamen contingere, quod talis appetitus sit peccatum veniale propter imperfectionem actûs; quæ quidem imperfectio attenditur, vel ex parte appetentis, puta cùm motus iræ prævenit Iudicium rationis; vel etiam ex parte appetibilis, puta cùm aliquis appetit in aliquo modico se vindicare, quod quasi nihil est reputandum; ita etiam quod si actu inferatur, non esset peccatum mortale, puta si aliquis parùm trahit aliquem puerum per capillos, vel aliquid huiusmodi. Alio modo potest esse motus iræ inordinatus, quantùm ad modum irascendi, utpote si nimis ardenter irascatur interiùs, vel si nimis exterius manifestet signa iræ; & sic ira secundum se non habet de suo genere rationem peccati mortalis; potest tamen contingere, quòd sit peccatum mortale, puta si ex vehementia iræ aliquis excidat à dilectione Dei & proximi. Cui consentiens S. Antoninus, tunc ait, ira est peccatum mortale, quando scilicet quis appetit iniustam vindictam, seu punitionem proximi notabiliter damnosam, & hoc secundùm deliberatam rationem. Ex parte autem modi, quo quis irascitur interius, si ita ardenter irascitur, quòd ex vehementia iræ decidat à dilectione Dei vel proximi, quod solet contingere, quando ira transit in odium, tunc esset mortale. *S. Anton. p. 2. sum. tit 7. c. 1. §. 2.*

III. *Nôsse debet duplicem esse iram, unam, quæ fit per vitium; secundam quæ fit per Zelum.* Prima est, quæ fit per vitium, & de hac inquit: *Irascimini & nolite peccare*, id est, si primus motus iræ insurgat, nolite peccare, scilicet consentiendo in corde, vel ad effectum perducendo in opere, vel diu retinendo in mente. Quod necessitatis est, permittit, quod verò culpæ est, interdicit: Secunda autem ira est, quæ fit per Zelum, secundùm enim Gregorium lib. 5. Moral. in fine super illud Job. c. 5. 2. virum stultum interficit iracundia: Ira per vitium oculum *S. Bernardin. to. 1. s. de triplic. a. tit. c. 2.*

lum

lum mentis excæcat, ira verò per Zelum oculum mentis ad tempus conturbat.

S. Albert. M. l. 3. Theol. ver. c. 17.

IV. *Nôsse debet effectus & Filias iræ.* *Prima est rixa:* hæc est audax voluntas vindicandi injuriam factam per se: 2. *Est tumor mentis*; hæc est voluntas, vindicandi causâ fugiens adversantem, ne cum eo colloquium habeatur, propter æstimatas inimicitias. 3. *Est contumelia*, quæ est voluntas se vindicans per exprobrationem malorum. 4. *Est clamor*, quæ est voluntas se vindicans in exaltando vocem per vituperium exprobratum, & ad aliorum aures perveniens. 5. *Est indignatio*, quæ est voluntas se vindicans per signum molestiæ exterius declaratum. 6. *Est blasphemia*, quæ est voluntas se vindicans per opprobrium Deo, vel Sanctis illatum. Alio modo eosdem effectus explicat S. Basilius dicens: Primò iaciuntur contumeliæ inter iratos, & sic durant, donec contumeliæ, sicuti sagittæ deficiunt; deinde omni contumeliâ per linguam consumptâ, ad manus venitur, & pugnam; ira namque certamen excitat, certamen verò convitium, convitium verbera, hæc vulnera, ex quibus & mortes sæpe sequuntur.

S. Basilius ho. de ira.

S. Augustinus de serm. in monte c. 9.

V. *Nôsse debet gradus iræ*, quos S. Augustinus sequentibus verbis indicat: Gradus itaque sunt in istis peccatis, ut primò quisque irascatur, & eum motum retineat corde conceptum. Jam si extorserit vocem indignantis ipsa commotio, non significantem aliquid, sed illum animi motum ipsa eruptione testantem, quâ feriatur ille, cui irascitur, plùs est utique, quàm si surgens ita silentio premeretur. Si verò non solum vox indignantis audiatur, sed etiam verbum, quo iam certam eius vituperationem, in quem profertur, designet, & notet, quis dubitet amplius hoc esse, quàm si solus indignatione sonus ederetur? itaque in primo unum est, id est, ira sola; in secundo duo, & ira, & vox, quæ iram significat: in tertio tria; & ira, & vox, quæ iram significat; & in voce ipsa certæ vituperationis expressio vide nunc etiam tres reatus, Judicii concilii, & gehennæ.

S. Ambros. l. 1. de los. offic. c. 5.

VI. *Nôsse debet, quomodo ira sit usurpanda:* Id quod S. Ambrosius sic explicat: Animus, qui est rationis compos, non est suarum passionum dominus, sed repressor; neque enim fieri potest, ut facilis ad iracundiam non irascatur, sed ut ratione se temperet, indignationem cohibeat, & puniendo se revocet, sicut & Propheta nos docet dicens: *Irascimini: & nolite peccare*; concessit, quod naturæ est; negavit, quod culpæ est. Quod etiam confirmans V. Beda, duobus, ait, modis intelligi potest, aut, etiamsi irascimini, nolite peccare, id est, etiamsi surgit iam motus animi (qui iam propter pœnam peccati non est in potestate) saltem non ei consentiat ratio & mens, quæ intus regenerata est secundùm Deum, ut mente serviamus Legi Dei, si adhuc servimus carne legi peccati. Aut, agite pœnitentiam, id est, irascimini vobis metipsis, de præteritis peccatis, & ulteriùs peccare desinite. Et clariùs S. Gregorius inquiens: Cùm per Zelum animus movetur, curandum summopere est, ne hæc eadem, quæ pro instrumento virtutis assumitur, menti ira dominetur, nec quasi domina præeat, sed velut ancilla ad obsequium parata, à rationis tergo nunquam recedat.

V. Beda in c. 4. Eph.

S. Gregor. l. 5. mor. c. 30.

Oleaster in c. 33 Exod.

VII. *Nôsse debet, quòd superiores maximè iram cavere debeant*, uti Oleaster insinuat dicens: admonentur hoc in loco biliosi viri, non se immiscere quæstionibus; similiter non debere velle Prælaturam accipere, qui non potest, aut vix potest ferre peccata suorum subditorum. Non vult Dominus populum ducere, quia tanta Maiestas & Sanctitas non facilè ferret eorum errores; & tu, qui vix iram continere potes, audes Prælaturam subire? Hinc Seneca de Philippo scribit: si quæ alia in Philippo virtus, fuit & contumeliarum patientia, ingens instrumentum ad tutelam regni.

Seneca l. 3. de ira c. 23.

§. X.

MISCELLANEA ET CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Qualitas.

S. Ephrem. s. de Iona.

I. POstquam Jonas datum sibi à Deo ordinem de annunciando Ninive exterminio implesset è civitate egressus, exitum præstolatus est suæ prædicationis, dicente scripturâ: *Fecit sibimet umbraculum, & sedebat subter illud in umbra, donec videret, quid accideret civitati, & præparavit Dominus Deus hederam. Et ascendit super caput Ionæ, ut esset umbra, & protegeret eum.* Sed quo successu? vermis intra noctem unicam, arborem istam arefecit, & exsiccavit, ideóque sol & ventus urens caput Prophetæ infestare cæperunt, ita ut peteret animæ suæ, ut moreretur, & dixerit: melius *est mihi mori, quàm vivere.* Ecce vobis vesaniam hominis, non lachrymabatur, non vastæ adeò deplorabat urbis desolationem, non innumerabilis ruinam populi, sed mori petit, quia herba, quæ ipsi umbram præstabat, fuerat exsiccata. Caussamne nostis? eam ipse sacer textus in principio huius capitis præmisit, dicens: *Afflictus est Ionas afflictione magna, & iratus est*, ac furore tanto, ut etiam à Deo interrogatus: *Putásne bene irasceris tu super hedera?* Responderit: *bene irascor ego usque ad mortem.* Ubi Sanctus Ephrem ad Jonam conversus ait: Cucurbita tibi nunc loco magistri efficitur, ex qua sapientiam & prudentiam addisce: tugurium abiectum quereris, & urbem funditus evertis; ubi rectum iudicium tuum, O Jona? cucurbitam civitate potiorem ducis? super vili cucurbita commiserationis affectum ostendis, & in civitatem durissimum & severissimum te exhibes.

Fuga.

Seneca l. 3. de ira c. 30.

II. Seneca præclarè ad fugam iræ sic monet: Num is, cui irasceris puer est? ætati donetur; nescit, an peccet. Pater est? aut tantùm profuit, ut illi etiam iniuriæ ius sit: aut fortassis

fortassis ipsum hoc meritum eius est, quo offendimur. Mulier est? errat. Jussus est? Necessitati quis, nisi iniquus, succenset? Læsus est? Non est iniuria, pati quod prior feceris. Judex est? Plus illius credas sententiæ, quàm tuæ. Rex est? Si nocentem punit, cede iustitiæ: si innocentem, cede fortunæ. Mutum animal est, aut simile muto? imitaris illud, si irascaris. Morbus est, aut calamitas? levius transiliet sustinentem. Deus est? tam perdis operam, cum illi irasceris, quàm cum illum alteri precaris iratum. Bonus vir est, qui iniuriam fecit? noli credere. Malus? noli mirari. Dabit pœnas alteri, quas debet tibi: & iam sibi dedit, qui peccavit.

S. Ansel. in c. 4. in Eph. III. S. Anselmus super ea verba: *Sol non occidat super iracundiam vestram:* discurrens sic loquitur: Noster sol Christus est, qui veritas, & sapientia, & iustitia est, cuius luce anima humana illustratur; sed hanc lucem desinit mens videre, cum perturbatione iracundiæ fuerit tanquam nubilo superata, & tunc quasi occidet super iracundiam hominis sol, quia cum menti iracundia confusionis tenebras incutit, huic Deum radium suæ cognitionis abscondit: propter quod multum cavenda est iracundia, per quam lux veritatis amittitur, quâ amissâ, princeps tenebrarum diabolus locum in homine sibi invenit. Unde sequitur: *nolite locum dare diabolo*: Iratus enim mala cogitat, & sic se diabolo ingerit, atque pandit, ut cogitata perficiat; pandit ostium cordis, & hostem sinit introire.

IV. S. Isidorus Pelusiota in Epistola quadam hominem ad iram proclivem, ad man-
S. Isidor. Pelus. l. 2. Epist. 129. suetudinem S. Pauli asserto hortari conatur, dum inquit: quoniam, cùm iracundia rationis, quæ aurigæ munere fungitur, habenas infringit, hominis mentem extra naturæ terminos plerumque transversum agit, idcirco Paulus huiusmodi lapsûs excogitatâ, non modò optimâ, sed etiam celerrimâ medicinâ his verbis usus est: *sol non occidat super iracundiam vestram:* hoc est, antequam sol in occasum vergat, naturam agnoscite, furorem extinguite, arrogantiam comprimite, cognationem, ac propinquitatem, quæ etiam feris dominantur, complectimini, ne nox interiecta morbum immedicabilem efficiat. Nam tum diabolus idoneum tempus nactus, ea, quæ contigerunt, magìs inflammat, ad ultionem irritat, ad inimicitiam exstimulat, ad accusationes excitat, iniuriarum memoriam parit, innumeráque hinc mala procreat.

S. Chrysost. in Psalm. 7. v. 7. V. Propheta Regius querebatur se arctè circumdatum ab hostibus, rogabátque ab eis liberari, inquiens. *Exurge, Domine, in ira tua, & exaltare in finibus inimicorum meorum.* Ps. 7. v. 7. In his illud notandum, quòd Propheta Dominum ad iram inflammare, indignationémque eius acuere velle videtur, dicens: *Exurge in ira tua.* At videamus, quo consilio velit tam stomachosum exurgere in ira Dominum: Consumetur nequitia peccatorum, inquit ibid. v. 10. propterea ergo rogabat, ut iracundus ad vindictam erumperet, ut, dum pœnas inferret, auferret malitiam, & scelera. Sanctus Joannes Chrysostomus hoc in illis Prophetæ verbis annotavit, dicens: Vide autem charitate plenam iusti animam, quomodo quærit, ut peccatum de medio tollatur, non ut sumat pœnam de inimicis, sed ut inimici cessent ab improbitate. Hic verò, hic pulcher est expetendæ vindictæ modus, hæc sancta ira, & prudens indignatio, optare, & curare, ut consumatur nequitia peccatorum. persequi peccata, ut liber evadat peccator. At qui peccatorem impetit, non peccatum, illius non est Dei ira, sed mali Dæmonis furor, ac rabies: Quærit, ut peccatum de medio tollatur, non ut sumat pœnas de inimicis. Hoc David, hoc quisquis iustùs quærit: Verùm Diabolus facit, quod fulmen, ferítque gladium, salvam relinquens vaginam. Non vult ille peccatoris emendationem, sed peccati perseverantiam. Ira Dei ècontrà in peccatum sua spicula, intorquet, non in peccatorem.

VI. Quando S. David dixit: *Irascimini, & nolite peccare:* arripiunt hinc occasionem o- *Kyss in vit. Abrah. l. 5. c. 8.*
mnes Interpretes affirmandi, posse esse iram absque peccato, neque hoc tantùm, sed etiam nonnunquàm necessarium esse irasci. Propterea Rex pœnitens consulit, ut, quando aliter fieri nequit, quin irascamur, saltem citra Dei offensam id agamus. Quare alii vertunt. *Irascimini, & nolite errare.* Sed quid sibi hæc volunt? Id, quod collineanti in scopum dicere solemus, vide, ne aberres à signo. Sic nunc ait Propheta: Irascimini, sed attendite, quó nam ira vestra vadat; in quem indignatione moveamini; cùm enim debeatis soli succensere peccato, errabitis plurimùm, si in peccatorem feratur iaculum; in vos enim sagitta resiliet. In hunc sensum ea Psalmistæ verba interpretatur Euthymius in c. 7. Matth. dicens: *Irascimini, & nolite peccare*; hoc est, ne irascendo erretis, irâ malè utentes: abuti autem irâ, est succensere peccatori, cùm soli peccato indignari debeamus. Ut felicem iactum faciamus, Alconem Cretensem dexterrimum sagittarium imitari debemus, cuius filium, cùm draco invasisset, tantâ arte duxit sagittam, ut ea in vulnere serpentis deficeret, & ad filium non perveniret, simúlque & illum perimeret, & hunc servaret incolumem. Refert hoc post multos alios Ambrosius Calepinus. Tantundem agere debemus, inquit Mauritius Hilaretus, quoties proximum nostrum culpæ draco spiris suis involutum tenet, ut, quantâ possumus, dexteritate in draconem intorqueamus iaculum, proximo autem nihil offensionis adferamus. In inimicis occide errorem, sed fove charitatem, inquit ille in serm; feriæ 6. post cineres; Qui hoc fecerit, illi feliciter cadet suus iactus, próque illius merito in cœlum invehetur, quod Alconi illi cretensi propter interemptum, illæso filio, draconem, accidisse, apud Manilium fabulatur antiquitas. Voluerunt nihilominùs veteres commento illo significare, qui ad eum modum irâ uti sciat, ut peccatum

peccatum configat, & conficiat, peccatori autem malè non velit, illum tali artificio promereri, ut in cœlo æternùm beatus vivat; postquam hîc vivere desiit.

Idem in Phren. l. 4. v. 5. VII. Peracute dixit Seneca: Utendum est ira, irâ non ut duce, sed ut milite, id est, quamdiu manet consilium, & deliberatio; quæ pertinet ad ducem, nunquam debet inesse ira; postquàm autem deliberatum est, ira conveniens est, sicut miles ad executionem belli. Ducis est, de futurâ pugnâ deliberare, militis verò pugnam inire, & exercere. Quod ergo ille ait: Irâ ut milite utendum, non ut duce, tantundem est, ac si dixisset, Consultationes debere esse tranquillas, pacatas, sedatas, & cunctabundas, ut sunt tardi, & cunctatores, cùm deliberant, duces, executiones verò debere esse militum similes, quibus ira dominatur, impetusque, & præceps furor familiaris est: Re enim vera prospere, & feliciter omnia eveniunt iis, qui consultationibus utuntur ut ducibus, & irâ ut militibus, qui longulum tempus dant deliberationibus, properanterque perficiunt, quòd morosè decretum fuit. Utendum est irâ, non ut duce, sed ut milite.

Num. c. 11. 1. 3. v. 46. VIII. Stylo pereleganti descripsit Moyses Christum in persona pulcherrimi Joseph. Habebat Josephum præ oculis, sed corporis; at Christum præ oculis mentis, & fidei, dum ait: *O ter maxime Ioseph: Quasi primogeniti tauri pulchritudo ejus, cornua Rhinocerotis, cornua tibi.* Deut. 33. 17. *Pulcher es, ô Ioseph, pulcher, velut taurus primogenitus, levis, lascivians: Cornua tua! cornua Rhinocerotis.* Hoc omnes demirantur. Cur enim comparando Joseph, quoad corpus tauro, non etiam comparet tauri cornibus, sed unicornis, In S. Scriptura cornu significat fortitudinem ac potentiam: Quia animalibus cornutis, totum robur consistit in cornibus: Sic voluit explicare quandam Josephi prærogativam virtutis. Pulcher fuit adspectu, & quia talis, injecit Domina sua oculos in illum, quinimò obambulante eo per plateas & vicos civitatis, prospiciebant mulieres per fenestras, eius faciei allectæ venustate; hoc enim significatur per illud: Filiæ discurrerunt super murum, verumtamen laudat, quod eius cornua non fuerunt, ut cornua tauri, sed ut unicornis. Hoc interest inter utrumque discriminis, quòd taurus robur suum ostentet & diffundat in aëre, arripiens hominem, & in aëre sustollit, cadentem inter cornua recipit, rursumque in aëre ventilat, altiùs, nec desistit, donec hominem in aëre membratim discerpat: Nullus alius est fructus, nec aliam speres de tauro utilitatem, quando eorum cursum intueris, præterquam luctatores, seu venatores in aëre discerpi, diffringi vestes, chlamydes &c. in aëre, e contrà robur, quod Rhinoceros ostendit suo unico cornu, vergit in multorum utilitatem: illo quippe cornu venenum aufert aquarum, & illas purificat, quo animalium sitientium succurrit necessitati, ovium, vaccarum, passerum.

TITVLVS XXXVIII.

IVDICIVM EXTREMVM.

§. I.

EX S. SCRIPTVRA.

Veritas.

2. Cor. 5. v. 10. I. Mnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.

Eccles. c. 3. v. 16. II. Dixi in corde meo: Justum & impium iudicabit DEUS, & tempus omnis rei tunc erit.

Apoc. c. 20. v. 12. III. Et vidi mortuos magnos & pusillos, stantes in conspectu throni, & libri aperti sunt: & alius liber apertus est, qui est vitæ; & iudicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libris secundùm opera ipsorum.

Eccles. c. 11. v. 9. IV. Scito, quòd pro omnibus adducet te DEUS in iudicium.

Sophon. c. 1. v. 12. V. Et erit in tempore illo scrutabor Jerusalem in lucernis.

VI. Nolite iudicare ante tempus, quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. 1. Cor. 4. v. 5.

VII. Judicabit orbem terræ in æquitate, & populos in veritate sua. Ps. 95. v. 13.

VIII. Et tunc apparebit signum Filii hominis in cœlo, & tum plangent omnes tribus terræ, & videbunt filium hominis in nubibus cœli cum virtute multa & Maiestate. Matt. 24. v. 30. Amodo videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis DEI, & venientem in nubibus cœli. Matth. 26. v. 64.

IX. Neque enim Pater iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio, ut omnes honorificent filium, sicut honorificant Patrem. Ioan. c. 5. v. 22. Et potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est.

X. Et præcepit nobis prædicare populo, & testificari, quia ipse est, qui constitutus est à DEO iudex vivorum & mortuorum. Act. c. 10. v. 42.

XI. Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis, facere iudicium contra omnes, & arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impiè egerunt. Iuda v. 15.

XII.

Matt. c. 24. v. 31. XII. Mittet Angelos suos cum tuba, & voce magna, & congregabunt electos eius à quatuor ventis, à summis cœlorum usque ad terminos eorum.

Qualitas.

Isaia c. 29. v. 6. XIII. A Domino Exercituum visitabitur (nempe multitudo sibi inimica) in tonitruo, & commotione terræ, & voce magna turbinis, & tempestatis, & flammæ ignis devorantis.

Ibid. c. 66. v. 15. XIV. Ecce Dominus in igne veniet, & quasi turbo quadrigæ eius, reddere in indignatione furorem suum, & increpationem suam in flamma ignis, quia in igne diiudicabit.

Luc. c. 21. v. 25. XV. Eritque in terris pressura gentium præ confusione sonitûs maris, & fluctuum, arescentibus hominibus præ timore, & expectatione, quæ supervenient universo orbi.

Matt. c. 25. v. 31. XVI. Cùm autem venerit filius hominis in maiestate sua, & omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem Maiestatis suæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hædis. Et statuet oves quidem à dextris suis, hædos autem à sinistris.

1. Reg. c. 2. v. 10. XVII. Dominum formidabunt adversarii eius, & super ipsos in cœlis tonabit; Dominus iudicabit fines terræ, & dabit imperium regi suo, & sublimabit cornu Christi sui.

Isaia c. 13. v. 9. XVIII. Ecce dies Domini veniet, crudelis, & indignationis plenus, & iræ, furorisque, ad ponendam terram in solitudinem, & peccatores eius conterendos de ea.

Necessitas.

Ps. 9. v. 26. XIX. Inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore, aufferuntur iudicia tua à facie eius.

Utilitas.

Ps. 118. v. 120. XX. Confige timore tuo carnes meas à iudiciis enim tuis timui.

Ibid. v. 237. XXI. Vivet anima mea, & laudabit te, & iudicia tua adiuvabunt me.

§. I.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Veritas.

Bellovac. spec. mor. dist. 4. l. 1. I. SI credis DEUM creatorem, aut gubernatorem mundi, non debes eum credere aut cœcum, ut ea quæ fiunt, non videat; aut insipientem, ut, si videat, non cognoscat; aut malignum, ut malum, quod videt, ei placeat, punire non curet, aut negligat: aut impotentem, ut, si velit, non valeat: aut iniustum, ut nec bonis bona, nec malis mala tribuat.

S. Thomas p. 3. q. 58. a. 3. II. Sedebit iudex, qui stetit sub iudice; damnabit verò reos, qui falsò factus est reus. Nihil prohibet unum & idem deberi alicui ex diversis causis, sicut gloria corporis resurgentis debita fuit Christo non solùm propter congruentiam Divinitatis, & propter gloriam animæ, sed etiam ex merito humilitatis passionis? & similiter dicendum, quòd iudicaria potestas homini Christo competit & propter divinam personam, & propter plenitudinem gratiæ habitualis, & tamen etiam ex merito eam obtinuit, ut scilicet secundùm DEI iustitiam iudex esset, qui pro DEI iustitia pugnavit, & vicit, & iniustè iudicatus est.

Qualitas.

III. Maius tormentum malis erit, furorem vultûs divini tollerare, quàm cruciatus infernales perpeti. S. August. f. 120. de temp.

IV. Quot tribulationes, quot infirmitates patimur, tot stillas de DEI iudicio sentimus: Si ergo tanta est stilla, quanta erit abyssus multa? Hugo Card. in c. 16. Io.

V. Accusator quoque erit mundus; meritò namque accusator erit, quia offenso Creatore offenditur totus mundus. S. Laur. Iust. l. 4. de ligu. vit.

VI. Hi sunt libri infallibiles & veri, quos nemo potest reiicere; Ipsa enim cuiusque conscientia reatus sui testimonium palàm omnibus exhibebit. Ita ad amussim ibi discernentur non solùm exteriores actus & opera, sed radices quoque operum, intentiones & voluntates, meritorum quoque & demeritorum causæ, intentionùmque & desideriorum & fines, & circumstantiæ, ut vix ulla reperiatur pura iustitia, quæ non auxilio gratiæ & misericordiæ egeat roborari. S. Thomas villanov. conc. 1. in dom. 1. adv.

VII. Tantò ampliùs se animus in cogitatione dilatat, quantò illud esse terribile, quod imminet, pensat; & in diversa mens rapitur, quando modò mala, quæ egit; modò bona, quæ agere neglexit; modò reprehensibilia, in quibus est; modò recta, quæ sibi adhuc deesse conspicit, sollicito pavore perpendit. S. Gregor. l. 15. mor. c. 1.

VIII. Sæpe electis etiam volentibus in cogitatione surripitur, quod in se quidem solerter inspiciunt, & ante DEI oculos, quanti sit reatûs, attendunt; & cùm de his omnibus districta iudicia semper pertimescant, tunc tamen hæc vehementer metuunt, cùm ad solvendum humanæ conditionis debitum venientes, districto iudici appropinquare se cernunt; & sit tantò timor auctior, quantò & retributio æterna vicinior; ante oculos autem cordis nihil inane tunc transvolat de phantasmate cogitationis. Idem l. 24. mor. c. 7.

IX. In iudicio reprobi humanitatem Christi, in qua iudicatus est, videbunt, ut doleant; Divinitatem verò eius non videbunt, ne gaudeant; quibus enim divinitas ostenditur, utique ad gaudium demonstratur. S. Isid. l. 1. sent. c. 27.

X. Totus ignis ille, qui præcedet faciem iudicantis, & omnis caliditas eius conglomeratos involvet, & attrahet ad inferos peccatores & sic præcipitanter ruent in supplicium sempiternum. S. Bern. to. 1. S. 11. de 3.

S. Chrysost. to. 6. ho. de obsc.

XI. Cogita, quanta gloria, quantus honor, quanta corona illa futura sit, cum Iudex dicit: iste verbum meum servavit, iste fidem meam prædicavit, ipse pauperem meum non despexit, iste avaritiam conculcavit, & iustitiam illi prætulit: iste mundum, quasi non esset, derisit, iste verbum meum honore affecit.

S. Ibid. l. 6. c. 27.

XII. Pro diversitate conscientiarum, & mitis apparebit in iudicio Christus electis, & terribilis reprobis; nam qualem quisque conscientiam tulerit, tale iudicium habebit, ut manente in sua tranquillitate Christo, illis solis terribilis appareat, quos conscientia in malis accusat.

Necessitas.

S. August. c. 14 soliloq.

XIII. Magna nobis est indita necessitas, iustè rectèque vivendi, qui cuncta facimus ante oculos Judicis cuncta cernentis.

Cæsarius Arel. ho. 39.

XIV. Habet hoc infelix consuetudo peccandi, ut, quantùm ampliùs unusquisque peccaverit, tantò minùs peccata ipse intelligat; Veniat illud, quod Propheta peccatoribus clamat: *Non est DEUS in conspectu ejus: Auferuntur judicia tua à facie ejus*; etenim quando subrepit peccandi delectatio, statim futuri iudicii diem abscondit oblivio.

S. Aug. ser. 30. in append.

XV. Irremediabile periculum est sic aliquem vitiis & cupiditatibus fræna laxare, ut se rationem DEO non meminerit redditurum. Puto, quòd magna sit peccati Pœna, metum ac memoriam futuri perdidisse iudicii.

Utilitas.

S. Cryso. ho. 18. in Io.

XVI. Judicium semper præ oculis habeamus: & ita semper virtuti vacare poterimus; nam sicut, qui diei illius obliviscitur, tanquam fræno abiecto in præcipitium defertur (inquinatæ enim sunt, inquit, viæ illius in omni tempore; & causam affert: *Auferuntur judicia tua à facie ejus*) ita, quem continuus hic percellit timor, modestè vivendi viam ingreditur.

Idem, ho. 40. in Io.

XVII. Si ditescere, si rapere, si absurdum aliquid facere voluerimus; è vestigio dies illa judicii animo inscribatur (etenim fræno vehementiùs absurdos affectus cogitatio hæc cohibebit) atque invicem & nobiscum semper dicamus: Horrendum illud nos iudicium manet.

Memoria Iudicii.

S. Ephrem. to. 2. par. an. 97.

XVIII. Semper cor & lingua tua de extremo judicio meditentur. Sive igitur operi, sive orationi intentus sis, sive ambules, sive sedeas, sive comedas, sive ieiunes, sive in cubili tuo vigil iaceas, sive quid aliud agas, non desistat mens tua cogitare, & os tuum loqui de iudicio.

S. Cæsarius Arel. ho. 18.

XIX. Rogo vos, Fratres Carissimi, ut lectionem istam attento corde audiatis, & memoriter retineatis; qui enim istam lectionem diligenti mente attendit, etiamsi reliquas scripturas minimè intelligat, ista sola lectio sufficere potest ad omne opus bonum faciendum, & ad omne opus malum fugiendum.

S. Hilarius in psalm. 118.

XX. In omni vitæ nostræ genere memoria nobis divini Judicii inserenda & continenda est, ut cùm aliquid agimus, residente in nobis iudicii memoriâ, vel nunquam potiùs abeunte, præceptis Dei opera nostra famulentur. Beatus erit, quisquis non sine memoria divini iudicii omnia gesserit; quod de se profitetur Propheta dicens: *Memoratus sum Iudiciorum tuorum à sæculo, Domine, & consolatus sum.* Ps. 118. 52.

S. Bonav. to. 7. c. 3. soliloq.

XXI. O Anima, nunquam excidat à tua memoria: *Ite maledicti in ignem æternum: venite benedicti, percipite regnum.* O! quid potest lamentabilius, & terribilius cogitari, quàm, *ite?* quid delectabilius exprimi, quàm, *venite?* Duæ sunt voces, quarum nihil horribilius unâ, & nihil iucundius alterâ poterit audiri.

§. III.

EXEMPLA SACRA.

Qualitas.

S. Ephrem. to. 1. de appar. Cruc.

I. DE Sanctitate Sancti Ephrem, S. Basilius egregium perhibet testimonium, præterquam quòd, cuius ille Spiritus fuerit, eius opera sufficienter demonstrent, & tamen audite, qualiter idem ille in pluribus librorum suorum locis de hoc timore locutus fuerit. Nam in capite 78. de apparitione Crucis in Judicio, inquit: Heu mihi, fratres mei in Christo dilecti; recordatus sum horæ illius, & contremui. Et paulò post: Hæc dum mecum cogito, timore corripiuntur membra mea, & dissolvor undique, oculi præ timore lachrymas fundunt, vox mihi deficit, labia mea quasi conglutinata hærent, lingua mea contremiscit.

Idem.

Idem quoque capite 80. de iudicio extremo, & de compunctione disserens, ita scribit: Mihi sanè cor tremit, & renes immutantur, dum cogito de actuum omnium manifestatione, cogitationúmque ac sermonum exacta discussione, quæ ibi fiet.

Utilitas.

II. S. Lucas S. Paulum, tanquam furibundum Leonem, & Christi persecutorem nobis describit, qui adversùs Evangelii sequaces, fulmina iræ suæ evibrare satagebat: Saulus adhuc spirans minarum, & cædis in discipulos Domini: quem tamen eundem paulò pòst in eodem capite nobis exhibet, velut agnum quendam longè mansuetissimum: *Domine, quid me vis facere?* Valde illum ex nunc veneramur, tanquam Vas electionis, Doctorem gentium, & Apostolum gloriosissimum, ad totius mundi conversionem specialiter destinatum: Sed undenam orta est hæc tanta viri huius mutatio? Ex consideratione finalis iudicii.

S. Vinc. Ferrer. S. 1. in Sexag.

Audiamus hac de re loquentem S. Vincentium: quando inquit, Christus sibi dixit: *Saule, Saule, durum est*

est tibi contra stimulum calcitare; cui Christus ostendit se, (ut dicunt Glossæ) sicut stabit in iudicio, Paulus statim tremens, ac stupens, dixit: *Domine, quid me vis facere!*

Mansi disc. 41. n. 2.

III. De S. Elisabetha Ungariæ Regina refertur, quòd, cum ei hospitalia sæpe frequentanti, infimisque ibidem decumbentibus magna cum charitate, & compassione inservienti, pium hoc ministerium à pedissequis suis dissuaderetur, ipsa eas responso adæquato compescuerit, imò ad se sequendam & imitandam stimulos addiderit, dicendo: Ego me dispono, & præparo ad diem iudicii, ut examinanti me Judici aptè respondere possim: Dictura enim sum Christo: Recordare, quod tibi in hospitalibus infirmanti tanta cum charitate inservīverim, ut pedissequæ meæ ab hoc pietatis officio me revocare conatæ fuerint.

Daniel 5. 5.

IV. Referunt sacræ paginæ Regem Babyloniæ Balthasarem, cùm adhibitis in convivium regni magnatibus, præcepisset afferri vasa aurea, & argentea, quæ asportârat Nabuchodonosor pater eius de templo, quod fuit in Ierusalem, ut ex eis biberent, in eadem hora apparuisse digitos, quasi manûs hominis scribentis, contra candelabrum in superficie aulæ regiæ: porrò istud portentum intuentem Regem ita turbavisse, ut commutata sit eius facies, & compages renum solutæ, genuáque eius collisa ad se invicem. Ex quo ita mecum ratiocinor; si trium verborum in pariete scriptorum indicium, etiam cum nondum eorum sensus intelligeretur, Regem potentissimum tantum non exanimavit, quantus tum futurus est reprobis terror, quando severissimi Judicis terribilem istam sententiam audient; *Discedite à me maledicti in ignem æternum*?

Beda g. Christ. p. 1. c. 1. 5. 6. m. 11.

V. Legimus in vita SS. Barlaami & Iosaphat apud S. Joannem Damascenum, fuisse Regem quendam inprimis timentem Deum, qui vectus rhedâ, cùm fortè obvios habuisset duos, vili habitu, Monachos, & subitò de curru exiliens, primum in complexus eorum ruisset, deinde etiam flexo genu benedici sibi ab eisdem petiisset, factum istud, tanquam à regia dignitate alienum, ab regis fratre ludibrio exceptum: id cùm Rex rescivisset, iussisse ferunt, ut sequenti die benè manè ante fratris ædes tuba eo sono inflaretur, quo mortis sententia in reum lata, eo loci designari solebat. Exhorruit ad buccinæ sonitum Regis frater, & lecto se effundens cum coniuge, ac liberis, nondum veste benè tectus, ad regem accurrit, ad pedes eius provolvitur, veniam rogat, siquid, quod ignoret, abs se peccatum; hîc Rex subridens, feminecem humo surgere iubet, itáque affatur: Itáne, mi frater, itane te unius tubæ sonus, etiam crimine vacuum perculit, perturbavítque, & ad fratris tui pedes abiecit? Et rides, quando me horrisonæ illius, quâ omnes nos olim multorum criminum rei, ad Dei tribunal evocabimur, buccinæ memorem, de curru desiliisse me, & Monachis istis divini iudicii præconibus ad pedes accidisse vidisti?

S. Vinc. Ferr. S. de cinere.

VI. S. Ferrerius de quodam iuvene, qui quantùm pulcher aspectu, tantùm moribus & conversatione turpis & deformis erat, refert, quòd nocte quâdam se coram tribunali Dei, ad reddendas vitæ suæ rationes præsentandum mox esse, somniando, adeò exhorruerit, ut sequenti diluculo omnes capilli capitis eius perfectissimè incanuerint.

§. IV.

SIMILITUDINES.

Qualitas.

Bellovac. l. 1. spec. dist. 4.

I. Sicut ad terreni iudicis tribunal citatur reus, ministri emittuntur iustitiæ, ut eum captivum illuc ducant, qui si non sufficiant, militibus stipantur bene armatis. Sic etiam (ut Bellovacensis inquit) circa modum vocationis sciendum, quòd illâ voce terribili & tubâ mirabili perstrepente, cœlum & terra concutietur, & omnis creatura commovebitur, omnes ad iudicium vocabuntur, & ad tribunal æterni Iudicis citabuntur.

Mansi disc. 4. n. 5.

II. Sicut cùm Rex aliquis quandam civitatum suarum pacificè ingreditur, omnes præsidiarii milites tam eum, quàm comitatum suum, explosis in lætitiæ testimonium sclopetis, reverenter salutant: at verò si in civitatem paulò antè sibi rebellem ei ingrediendum sit, eandem armato exercitu stipatus ingreditur, ut eam castiget: Pari quoque modo quia primus Christi adventus eò spectabat, ut se naturæ nostræ desponsaret, pacémque universo mundo indiceret, ideo omnes mundi creaturæ ediderunt signa iubili & lætitiæ: Hodie per totum mundum melliflui facti sunt cœli; Tunc exultabunt omnia ligna sylvarum à facie Domini, quia venit: in stellis novæ stellæ conspicuæ comparuerunt; tres visi sunt promicare soles; olei, & balsami torrentes terra scaturivit: Angeli è cœlis descenderunt, ut canerent *Gloria in altissimis Deo, & in terra pax.* At verò quia in adventu eius secundo descensurus est ad castigandam humanam rebellionem, ideò solem, lunam, stellas, & elementa adversum nos armabit, atque ideo erunt signa in sole, luna, & stellis, & in terris pressura gentium.

Haymo Alberstad. Ep. in Dom. 2. adv.

III. Sicut dum Rex severum & districtum iudicium in subditos exercet, non solùm illi timent, qui pro suis meritis iudicantur, sed etiam illi, qui eius lateri adhærere solent, sic cùm Deus omnipotens reprobos puniet in iudicio, ut terror & districtio iudicii ostendatur, etiam illi timere dicuntur, qui æternâ stabilitate firmati sunt; unde benè per Job dicitur: *Columnæ cœli contremiscunt, & pavent.* Et meritò exclamavit S. Gregorius: Quid ergo facient tabulæ, quando tremunt columnæ? quid virgula deserti patitur, cùm cedrus Paradisi concutitur?

S. Gregor. apud Mansi disc. 6. n. 5.

S. Bernardin. 10. 2. & 11. a. 1. c. 1.

IV. Sicut homo manens in supercilio montis, quando videt aliquam absorberi civitatem hiatu terræ, aut incendio concremari, quodam naturali instinctu horret, licèt videat periculum

lum sibi non imminere; sic Angeli atque beati, videntes contra reprobos pugnare universum orbem, quodam naturali horrore commovebuntur.

Author. oper imperf. ho. 49. V. Sicut Patrefamilias moriente, tota domus eius turbatur, omnis familia plangit, & conscissis tunicis suis, nigris se cooperiunt vestimentis; sic & humano genere, propter quod fuerant omnia creata, circa exitum constituto, totus contristatur mundus, universa cœli ministeria lugent, & candore deposito, pro vestibus, luctuosis tenebris vestiuntur.

S. Bernardo de tripl. Misericor. VI. Sicut qui thesaurum sibi accumulare contendit, vastam quandam, firmitérque clausam & obseratam arcam sibi fabricari facit, in eámque per multorum annorum decursum varias auri monetas quotidie coniicit, donec tota repleta fuerit; quantóque diutius illam aperire distulit, tantò thesauri Cumulus maiora incrementa sumit, adeò ut tandem eandem omnem mensuram, omnémque numerum supergredi deprehendat, dum illam aperit: Pari quoque modo ad propositum nostrum dicere possumus; Pectus namque Christi est veluti clausa quædam arca, in qua nobis occulta eius occultantur iudicia: In huius pectoris arca reconduntur bonorum merita, & demerita impiorum: in hanc arcam impii quotidie per 30. 40. vel 60 annorum spatium innumera proiiciunt scelera, nihil curantes, dum bibunt quasi aquam iniquitatem; neque enim de reddendâ Judici supremo scelerum suorum ratione unquam cogitant: at verò quando tandem tempus adveniet, in quo arca hæc aperietur, id est, quando exactissimæ à nobis sunt reddendæ rationes, non solùm omnium culparum mortalium, verùm etiam venialium, imò cuiuslibet verbi otiosi, eheu! in quantùm illorum summam excrevisse deprehendemus? quantùm in numero, in specie, & malignitate, peccata innumera, & commissas à nobis iniquitates excrevisse deprehendemus? verè tunc supremus ille Judex dicere nobis poterit: Nonnè hæc condita sunt apud me, & signata in thesauris meis? inque maiorem terrorem & consternationem nostram subiunget: *Mea est ultio, & ego retribuam in tempore*; Neque enim sibi persuadere debent impii, se peccata sua in sacculum recondidisse pertusum & lacernum, nam

Iob. 14. 17. ut S. Job ait: *signasti quasi in sacculo delicta mea, sed curasti iniquitatem meam.* S. Bernardus in quodam sermone hunc textum his verbis declarat: Thesaurizas tibi thesauros iræ, pro prorogatis thesauris misericordiæ, quos contemnis, & evacuas in te misericordiam Dei. Quanto enim quis in hac vita pietate divinâ magis abutitur, non faciendo peccatorum suorum pœnitentiam, tantò iratam sibi Dei Justitiam magis experietur severam & implacabilem.

Mansi dis. 11. n. 4. VII. Sicut si cubiculum aliquod ingrediamur, apertis clarum fenestris, aërem intuemur purum: ast ubi solis subintraverit radius, subitò atomi & pulveres, quos primò non videramus, comparent. Ita quoque multis accidet animabus, quæ variis operibus bonis & meritoriis se vacasse sibi videbuntur, ubi autem sol ille affulserit Justitiæ, & examen strictissimum, multi cognoscentur defectus; discutietur enim, an missa debitâ cum attentione & devotione celebrata vel audita fuerit; si officium divinum cum recollectione recitatum; si Confessio stabilia non recidivæ habuerit proposita, actúsque pœnitentiæ ferventes: si Communio cum præparatione gratiarúmque actione convenienti associata fuerit, quia scilicet, ut Ecclesiastes inquit, *qui timet Deum, nihil negligit.*

VIII. Sicut infirmus vocem Chirurgi auscultans metuit, quia incisiones sibi adhiberi formidat, indéque se aliquam corporis partem læsam habere indicat; econtra verò si sanus est, omnis est expers timoris. Ita quoque quoad timorem iudicii extremi ratiocinari possumus; qui enim bonam habet conscientiam, éstque capax amabilissimæ huius invitationis: *Venite benedicti Patris mei*, horam comparendi ad iudicium nec videt, nec metuit: non verò item, qui conscientiam habet peccatis onustam; nam ut S. Gregorius ait: Visionem iusti Judicis, quam iustus vehementer exspectat, iniustus venire formidat: iste namque labores suos considerans, mercedem retributionis quærit, & causæ suæ meritum sciens, præsentiam Judicis expectat: ille verò qui iniustitiæ suæ meminit, venire ad iudicium perhorrescit, quia damnari, si examinetur, se novit. *S. Gregor. l. 11. mor. c. 20.*

IX. Sicut ericius, quando venit hortulanus, & credit fugere, non potest onus excutere, sed capitur cum furto; sic mali capientur in peccatis suis. *Bellov. spec. l. 2. dist. 8.*

§. V.

Motiva ad Iudicium universale timendum.

I. **P**Ropter *Christi adventum terribilem*; Unde S. Augustinus dixit: Quantùm possumus, totis visceribus laboremus, ut beneficia non nobis iudicium pariant, sed profectum, ut cum tremendus Judicii dies, & tempus reddendæ rationis advenerit, quidquid nobis Deus & Salvator noster contulit Judicatus, integrum inveniat iudicaturus. Equidem ille, cùm venerit, redditurus est, quod promisit: sed requisiturus est, quod redemit, & quod in primo adventu contulit, exacturus est in secundo. Nam, ut Bellovacensis notat: ad eorum (impiorum) confusionem ampliùs cumulandam, & ut prorsus inexcusabiles videantur, ostendet eis Christus suæ passionis insignia; quantò benignior fuit, peccata nostra dissimulando, longanimior ad pœnitentiam exspectando, promptior ad indulgendum, pronior ad gratiam conferendam, tantò tunc erit severior ad increpandum, gravior ad audiendum, implacabilior ad puniendum. *S. August. to. 10. ho. 16.* *Bellov. l. c. dist. 9.*

II. *Propter examinis rigorem*; nam Judex improperabit eis non solùm mala, quæ fecerint, & *Idem ibid.*

& locuti fuerint, aut etiam cogitaverint; verum etiam bona, quæ omiserint, aut neglexerint, & beneficiorum suorum omnium immensam multitudinem, quæ ingratè susceperint, quibus abusi fuerint, quæ neglexerint, contempserint, aut abiecerint, castigationes, medelas, atque innumera remedia, quibus curari debuerint, & non sunt curati. Tunc condemnabitur, inquit, quidquid fuerit inventum operis & otii, sermonis & silentii, usque ad minimam cogitationem etiam; quod dixi, si non fuerit ad Dei voluntatem directum: sed & de bonis operibus inquiretur, quâ intentione, discretione facta sunt.

S. Chrysost. to. 6. ho. de caco.

III. *Propter libri aperiendi qualitatem*; hinc S. Chrysostomus monet: ut animam tuam velut Dei habitaculum præpares, memento horrendi multùm & tremendi illius diei, in quo omnes Christi throno assistentes, rerum hîc gestarum rationes reddemus, ubi ante omnium oculos peccata nostra ponentur, & rursum revelabuntur, & ignorantibus ostendentur actiones, ubi omnia nuda & aperta, ubi cordium nostrorum libri aperientur, & in medio theatri manifesta legentur & occulta, nocturna & diurna, & ex inconsiderantia & oblivione facta. Idem quoque S. Doctor in alia quadam homilia super illa verba: *Libri aperti sunt*; inquit, libri in quibus scripta sunt mala, in quibus scripta sunt bona, in quibus scripta est cuiusque vita. Libri autem vocantur, non quòd pellis aut membrana sit apud Deum, & litteræ, sed quoniam apud te liber memoriæ est instrumentum, Dei memoriam tanquam in libro positam narrat, libro siquidem Deus non indiget; liber enim Deo est memoria.

Bellovac. Spec. Mor. l. 2. dist. 7.

IV. *Propter confusionis & pudoris magnitudinem* de qua sic loquitur Bellovacensis: Attende, quantâ verecundiâ suffunderetur honesta mulier & pudica, si coram hominibus totius regni in suam ignominiam nudaretur, revera præ nimia confusione deficeret; adhuc longè magis horreret, si multa fœda & enormia in secreto cordis eius iacentia coram omnibus divulgarentur; quantò igitur incomparabiliùs, imò ineffabiliùs quælibet anima confundetur, quando corpus omni deformitate turpius, & omni fœtore fœtentius omnibus ostendetur? Adhuc longè vehementius, quia cuncta eius horrenda flagitia omnibus tam electis, quam reprobis hominibus nudabuntur, sed inæstimabiliter tolerabilius, quàm se videri à summo Judice, confundentur.

Bollandus to. 2. Jan. 3. c. 12. n. 77.

V. *Propter Diaboli accusationem*; nam Bollandus in vita S. Joannis Eleemosynarii refert, hunc S. Patriarcham in memoria recenti tenere solitum fuisse, quidquid circa iudicium particulare cuique animæ, quondam à S. Simeone Stylita audierat; videlicet: Obviat ei chorus dæmoniorum superbiæ, investigat eam, si habeat opera superbiæ. Obviat chorus spirituum detractionis, ut aspiciat, si quando oblocuta sit, & pœnitentiam non egerit. Obviant dæmones fornicationis, & scrutantur, si recognoscant in ea voluptates suas. Et quando à terra usque ad cœlum misera anima positura rationem pervenerit, seorsum ab ea sancti Angeli stabunt: & non adiuvabunt eam nisi bonitates suæ. Et quidem credibile est, malignos hosce spiritus easdem oppositiones in iudicio universali facturos esse contra præscitos, in conspectu omnium, ut os eis occludant, ne excusare se possint. Sanctus Augustinus testatur, dæmonem audacter coram Judice proditurum, eique dicturum esse: Æquissime Judex, iudica, hunc esse meum per culpam, qui tuus noluit esse per gratiam: tuus per naturam, meus per malitiam: tuus ob passionem, meus ob suasiones: tibi inobediens, mihi obediens: qui tecum noluit habere vitam, iudica, ut mecum habeat gehennam. Quod etiam S. Cyprianus confirmat, dicens: Ponat unusquisque ante oculos suos, Diabolum cum servis suis, id est, cum populo perditionis ac mortis, in medium prosilire, plebem Christi, præsente & iudicante ipso, comparationis examine provocare, dicentem: Ego pro istis, quos mecum vides, non alapas accepi, nec flagella sustinui, nec crucem pertuli, nec sanguinem fudi, nec familiam meam pretio passionis & cruoris redemi, sed nec regnum illis cæleste promitto, nec ad Paradisum restitutâ immortalitate denuo revoco.

S. August. contra Iudæos.

S. Cyprian. de oper. & eleem. n. 46.

S. Bernard. c. 58. de inter. domo.

VI. *Propter aliorum quoque accusationem*; nam ut S. Bernardus dixit, tot iudicibus & populis astabis, quot præcesserunt te in opere bono: tot convincêris testibus, quot te monuerunt bonis sermonibus, & iustis actionibus.

S. Bernard. l. c. c. 31.

VII. *Propter accusationem propriæ conscientiæ*, nam, teste S. Bernardo, in illa die, cùm Dominus ad iudicandum venerit, uniuscuiusque conscientia ad testimonium adducetur, & aperto libro conscientiæ omnis culpa ante oculos reducetur, atque ita cogente conscientiâ, unusquisque erit accusator & Judex suus. Unusquisque, inquit, librum condemnationis suæ portabit, & apertum coram omnibus demonstrabit, qui omnibus aliis evidentior, & irrefragabilior testis erit, cunctísque & ipso Judice tacentibus, id est, si tacerent, quin imò si pro ipso testimonium perhibere possent, & vellent, ipsum impium nihilominus condemnabit.

Bellovac. l. c.

S. Gregor. l. 8 mor. c. 12.

VIII. *Propter sententiæ severitatem*; nam omnes perituros se absque ambiguitate sciunt, si remotâ pietate iudicentur; hoc ipsum, quòd iustè videmur vivere, culpa est, si vitam nostram, cùm iudicat, hanc apud se divina misericordia non excusat. S. Bonaventura hac in sententia sex notabiles considerat circumstantias: Primò, *à Deo separationem*, cùm dicit; *Discedite*. Secundò, *maledictionem: Maledicti*. Tertiò, *incarnationem*, per hanc præpositionem. *IN* designatam. Quartò, *pœnæ acerbitatem, Ignem*. Quintò, *Liberationis desperationem, Æternum*. Sextò, *Dæmonum associationem, qui paratus est Diabolo & Angelis eius*. Hinc S. Bernardinus exclamat: O infelix discessio, & separatio ab omnibus bonis! O Verbum pertingens usque ad divisionem animæ

S. Bern. t. 1. s. 12. a. 3. c. 1.

nimæ

nimæ à summo Deo, compaginumque & medullarum & interiorum cordis & corporis concussivum! O radicatio universorum malorum, cùm nemo possit à Deo divelli, quin malis omnibus repleatur.

Salvianus l. 3 ad Eccl. Cath. IX. *Propter sententiæ irrevocabilitatem*; nam tempus flendi durat, quamdiu cœli moventur: at verò quando ad æternitatem pervenerimus; tempus non erit amplius, tunc enim Deus lachrymas & preces nostras deridebit, quantumcunque illæ humiles & ferventes fuerint. *Vocavi*, inquiet Deus, *& renuistis, extendi manum meam, & non fuit, qui aspiceret; despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis, ego quoque in interitu vestro ridebo; & subsanabo. Tunc invocabunt me, & non exaudiam, eò quòd timorem Domini non susceperint.* Salvianus super verba illa Ecclesiast. c.30. *Miserere animæ tuæ*, scribens, his animam verbis affatur: Vide pietatem erga te Domini nostri; vide, quàm misericors sit Dominus DEus noster, qui nos ipsos pro nobis misericordiam rogat: *miserere*, inquit, *animæ tuæ*; hoc est, dicere; miserere etiam illius, cuius vides miseratione me tangi. Rogat te, ut tu miserearis, & non vis; causam tuam apud te agit, & ad te non admittitur; dignatur te pro te petere, & à te non potest impetrare. Et quomodo, quisquis es, ô miserrime homo, quomodo te postea supplicantem ille in iudicio suo audiet, cùm tu hic eum pro te rogantem audire ipse nolueris? Hinc & S. Bernardus, *S. Bernard. s. 14. in Cant.* arctæ, inquit, & strictæ erunt tunc viæ omnium peccatorum, quando non poterunt negare, non excusare, non appellare, non fugere, non impetrare veniam, non habere refugium. Omnes enim viæ præoccupatæ erunt, contrahentur in angustiis suis.

§. VI.

MEDIA

Ad Iudicii Sententiam malam evitandam.

Vita c. 3. & 6. I. PAssio Christi; cuius efficaciam B. Philippus Benitius, Religionis servorum B. Virginis fundator, ac Sanctitate & miraculis illustris expertus est, de quo in vita illius legitur, ipsum in agone mortis suæ terribilem quandam habuisse visionem, in qua sibi se coram Tribunali DEI præsentari videbatur, ubi dæmon leves nonnullos defectus ei improberabat, ut eum ad desperationem induceret. Unde altùm inclamare cœpit terrificis verbis, à circumstantibus suum postulando librum: date mihi librum meum, exclamabat, quærite illum; quis illum mihi sustulit? Cur me eundem auferendo, cruciatis? Accurrentes igitur omnes & singuli certatim, dederunt ei alius hunc, alius illum librum, nec tamen ei satisfacere valentes, unus suorum illum oculos suos ad parvulum crucifixum frequenter dirigere observavit, quasi indicare volendo, hunc esse suum librum, quia eundem frequentissimè in manibus suis portare solitus erat. Ideóque hunc ei crucifixum in manibus dedêre, móxque pristinæ serenitati mentis integrè restitutus fuit; unde credere licet, sanctum hinc virum Christo crucifixo addictissimum, ad Apostoli imitationem dicere solitum fuisse: *Non iudicavi me scire aliquid, nisi IEsum Christum, & hunc crucifixum.* Hinc rectè S. August. si haberes, inquit, causam apud aliquem iudicem *S. August. s. 129. de temp. c. 6.* agendam, & instrueres Advocatum, esses susceptus ab Advocato, ageret causam tuam, sicut posset; & si non illam finisset, & audires, illum in iudicio venturum iudicem, quantùm gauderes, quia ipse potuit esse Judex tuus? qui fuit paulò ante advocatus tuus? Et modò ipse pro nobis orat, ipse pro nobis interpellat, qui in illa die nos iudicabit.

II. *Vita & conscientia bona*: uti S. Ambrosius suasit dicens: *S. Ambros. lect. 8. in c. 17. Luc.* Ubi me ab ira eius abscondam, qui conturbat profundum maris? *Si ascendero in cœlum, ibi est, si descendero in infernum, adest*; non ergo falli potest, qui ubique est. Adest itaque iudicii dies: Si vis non comprehendi, quotidiè time, quotidie fuge; quæris, quomodo fugias? Ascende in montem, qui evangelizas Sion, ut excelsorum vertice possis eminere meritorum, DEUS enim montium, & non vallium est. Sed & S. Augustinus, *S. Aug. in Ps. 57.* custodi, inquit, intùs innocentiam tuam, ubi nemo opprimit causam tuam. Prævaluit in te falsum testimonium, sed apud homines, numquid apud DEum valebit, ubi causa tua dicenda est? Quando DEUS Judex erit, alius testis quàm conscientia tua, non erit; Si causam malam non habueris, nullum Accusatorem pertimesces, nullum falsum testem refelles, nullum verum requires, tu tantùm bonam conscientiam affer, ut possis dicere: Quoniam in te, Domine, speravi, tu exaudias, Domine DEUS.

III. *Spes & fiducia in misericordia DEI*; de qua S. Thomas Villan. sic loquitur: *S. Thomas Vill. co. 1. in dom. 1. adv.* In hoc Judicio omnia terrent me, omnia me conturbant, neque sine timore nimio huius tanti Judicii valeo recordari; sola hæc mihi relicta est consolatio: Domine mi, quia criminum meorum tu solus futurus es Judex, tu inquam, Redemptor meus, Advocatus meus, Pater meus, tota spes mea, & totum bonum meum & solatium. Quem in finem etiam S. Paulus dixit: *Non habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia pro similitudine, absque peccato.* Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus, in auxilio opportuno. Unde meritò citatus S. Thomas Villan. exclamat: Quanta hominibus fiducia? Quanta mortalibus spes in iudice isto? Quis non sperabit salutem, etiam si peccator sit, & indignus, quando à Patre piissimo eius sententia ferenda est! Unde Apostolus: *Quis accusabit adversus electos DEI? DEUS, qui iustificat, quis est, qui contemnet? Christus IESUS, qui mortuus est, imò qui resurrexit, qui est ad dextram DEI, qui*

etiam interpellat pro nobis; quomodo condemnabit interpellator, qui, ne damnaret, ipse mortis subiit damnationem? quando salvator damnabit, qui morte redemit?

S. Bern. 55. in cant. IV. *Frequens contritio & confessio*; ita S. Bernardus suasit dicens: Unum est tamen, si nosmetipsos iudicaverimus, non utique iudicabimur. Bonum iudicium, quod me illi districto, divinóque iudicio subducit, & abscondit. Prorsus *horreo incidere in manus DEI viventis*. Et iterum: Judicemus interim, Fratres, & terribilem illam exspectationem præsenti studeamus declinare iudicio? Non iudicabit DEUS bis in idipsum. Sed & S. Gregorius, Judicemur inquit, in nostra cogitatione cum DEO, ne directè postmodum iudicemur à DEO. Nam ut S. Thomas Villan. rectè advertit? secundùm Judicandorum conscientiam, Judex in se unus, varius apparebit, probis Agnus, improbis leo. Quò quisque districtior fuerit in se ipsum peccatorum vindex, eò illi mitior tunc apparebit Judex. Felix, qui dicere poterit in illo die: Feci iudicium & iustitiam, Domine, non tradas me calumniantibus me. Judicium facit contra se, qui se reum agnoscit, & confitetur, & indicat: Justitiam facit, qui peccata, quæ sententia damnat, pœnitentia punit. Hinc & Rupertus Abbas explicans illa Micheæ verba: *Indicabo tibi, ô Homo, quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te; utique facere iudicium*: explicans, ait, Quid est iudicium facere, nisi iudicium DEI prævenire? Prævenis autem iudicium DEI, si temetipsum prior iudicas in conspectu DEI, ne à DEO iudiceris: Meritò ergo S. Augustinus hortatur: Modò tu fac, quisquis talis es, quod tibi minatur facere DEUS. Tolle te à tergo tuo, ubi te videre non vis, dissimulans à factis tuis, & constitue te ante te; Ascende tribunal mentis tuæ; Esto tibi Judex; torqueat te timor, erumpat à te confessio: Et dic de tuo: *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & delictum meum ante me est semper*; quod erat post te, fiat ante te, ne tu ipse postea à Judice fias ante te, & non sit, quo fugias à te. Qui enim se conterit, ait idem alibi irascitur sibi; se habeat iratum, ut illum habeat propitium: se habeat Judicem, ut illum habeat defensorem.

[Marg.: Idem S. 8. in Ps. qui habitat. — S. Greg. l. 9. in dial. 4. ep. 25. — S. Thom. Vill. conc. 1. in Dom. 2. advent. — Rupert. Abb. l. 2. de ope. S. Spir. c. 31. — S. August. in Ps. 49. — Idem in Ps. 74.]

Idem epist. 10. V. *Vigilantia sollicita*; uti idem S. Augustinus suasit dicens: Vigilare debet omnis Christianus, ne imparatum eum inveniat Domini adventus. Imparatum autem inveniet dies ille, quem imparatum invenerit suæ vitæ huius ultimus dies. de quo ultimo die citatus S. Doctor sic discurrit: Longè est quidem dies iudicii, sed uniuscuiusque hominis dies ultimus longè esse non potest, quia brevis est vita, & quia ipsa brevitas semper incerta est; quando sit dies tuus ultimus, nescis.

[Marg.: Idem S. 16 de verb. dom. c. 9.]

Mansi disc. 29. n. 11. VI. *Conciliatio Patronorum*; nam, ut Mansi ait, dum litem habes, in qua omnes facultates tuæ fama, & existimatio, vel vita periclitatur, die noctéque studes & laboras, ut defendere te possis, omnes exploras in favorem tuum servientes scripturas, ut Procuratores, Advocatos, iudices benè informes, eiúsque, qui sententiam est pronunciaturus; gratiam & benevolentiam captare pro viribus niteris? Quid igitur tibi in hoc tribunali Christi faciendum erit, ubi causa tua tam ardua agitatur, unde æternitas vel beata, vel damnata unicè dependet?

VII. *Frequens memoria judicii*; qui enim venturum Judicem cogitat indesinenter, quotidiè rationum suarum in melius causas parat. Hinc S. Bernardus monet: Judicium districti Judicis vestigemus, fratres, & eò ampliùs frequentemus in timore ac tremore ipsius considerationem, quò minùs comprehendere possumus investigabilem abyssum iudiciorum DEI, & irrefragabilem dispositionem. [Marg.: S. Gregor. l. 10. mor. c. 10. — S. Bernard. sup. Ps. 90. S. 15.]

VIII. *Assiduum misericordiæ exercitium*; Nullus enim est in futuro iudicio, quantumcúnque sit sanctus & irreprehensibilis, qui non timeat & contremiscat, solus tamen misericors & elemosinarius in eo iucundabitur; unde Psalmista ait: *Iucundus homo, qui miseretur & commodat; disponet sermones suos in judicio, quia in æternum non commovebitur*; idque propter opera misericordiæ pauperibus exhibita, quæ in bilance S. Michaëlis posita spem salutis certam & securam ei tribuent. Hinc & S. Ephrem sic discurrit: Cernens Christus, in throno sedens, ad ipsum ingredientem, lætus excipiet, obviámque illi procedet hilari facie, & aspectu arridente, atque appellatione lætâ, & benignâ allocutione hunc apprehensum amplectetur, & tanquam ex longinqua peregrinatione venientem amicum, seu filium deosculabitur, talibúsque eum verbis compellabit; Bene venisti, ô Amice bone, & fidelis. Bene venisti educator, & altor meus, hospes meus; Non sum oblitus charitatis tuæ. Memini, quanta mihi dona præstiteris; memini, quoties me refeceris: quæ dum ad eum ait Christus, tenet ipsum manu coram omni illa magna celebritate, coram Angelis & Archangelis & omni Principatu & Potestate, coram omnibus iustis, & Prophetis, & Apostolis, & sanctis, statuénsque hunc in medio simul prædicat, & ostendit eum omnibus, ac dicit: hic homo esurientem me aliquando conspexit, & pavit; sitientem, & potavit; frigescentem, & cooperuit me; hospitem, & suscepit me; Infirmum me vidit, & ministravit, gestavit, & in domum suam introduxit; Meritò ergò S. Chrysostomus ait: Eleemosina adstat tribunali non tantùm patrocinans, sed & ipsi Judici persuadens, ut reo patrocinium præstet, & pro eo sententiam ferat.

[Marg.: Isaia c. 26. v. 17. — Psalm. 111. v. 5. — S. Ephrem. c. 3. — S. Chrysost. ho. 32. ad Pop.]

§. VII.

ASCETICA.

I. INprimis nosse debet Asceta, quàm justè institutum sit hoc universale Judicium? nam ratio dubitandi est triplex, iuxta S. Thomam & alios. Prima est, quia, ut apud Nahum [Marg.: S. Thomas in suppl. 3. p. q. 88. a. 1.]

hum Prophetam dicitur: *Non judicabit DEUS bis in idipsum*; sed nunc DEUS judicat de singulis hominum operibus, cùm post mortem unicuique pœnas vel præmia pro meritis tribuit, & dum etiam quosdam in hac vita pro bonis vel malis operibus præmiat, vel punit: ergo videtur, quod non sit aliud Judicium futurum. Secunda dubitandi ratio est, quia in nullo tribunali executio condemnationis ipso est anterior iudicio: Sententia autem finalis Judicii vertitur vel circa consecutionem regni, vel condemnationem ad abyssum inferni, quorum alterutrum tam electi, quàm reprobi per Judicium Particulare sunt assecuti: Ergo aliâ sententiâ aliôve Judicio opus non erit. Tertia difficultas est, quia causæ ideo in tribunalibus ventilantur, ut, si quæ sunt dubia elucidentur, & veritas manifestur; sed hoc totum unaquæque anima assecuta est in Judicio Particulari, priusquam adveniat dies novissimus. Ergo hic non erit necessarius. His verò rationibus dubitandi Angelicus Doctor per ordinem adæquatè respondet. Ad primam namque observandum esse dicit, hominem dupliciter posse considerari, vel ut est persona particularis, vel ut est pars totius humani generis, prout igitur est persona particularis, sic ei convenit Judicium Particulare; prout verò est pars generis humani, sic ei Judicium universale debetur. Ad locum ex Nahum adductum respondet his verbis: Nec tamen DEUS iudicabit bis in idipsum, quia non duas pœnas pro uno peccato, inferet, sed pœna, quæ ante Judicium completè inflicta non fuerat, in ultimo Judicio complebitur, postquam impii cruciabuntur quoad corpus & animam simul. Ad secundum argumentum respondet, propriam finalis Judicii sententiam in eo præcipuè consistere, ut per illam fiat universalis separatio bonorum ab impiis, quæ utique idem iudicium non præcedit; præterquam quòd electorum remuneratio in iudicio particulari perfectè non adimpleatur, quia etiam boni ampliùs post iudicium præmiabuntur, tum ex gloria corporis adiuncta, tum ex numero sanctorum completo; & mali etiam plùs torquebuntur, ex adiuncta pœna corporis, & impleto in pœnis numero damnatorum: quia quantò cum pluribus ardebunt, magis ardebunt. Ad tertiam obiectionem respondet: quòd Judicium Universale directè magis respiciat universalitatem generis humani, quam singulos homines in particulari: quamvis ergo cuilibet homini ante Judicium erit certa notitia de sua damnatione, vel præmio, non tamen omnibus hominum damnatio vel præmium innotescit; unde Judicium Universale necessarium erit. Judicium enim & processus, qui fabricatur, nec non sententia uniuscuiusque animæ in particulari, quæ in puncto mortis in particulari iudicio pronunciatur, aliis est ignota, quia solùm absolvitur inter DEUM, & animam, eiúsque Angelum custodem, ac proinde divina iustitia meritò disposuit, ut tandem veniat tempus, in quo in conspectu omnium manifestentur singulorum processus, appareátque æquitas eius, sive in absolutione, sive in condemnatione; siquidem Judicia Domini vera, iustificata in semetipsa.

II. *Nôsse debet, cur dies Iudicii dies magnus vocetur*, id quod Paulus de Palatio declarat dicens. Vocatur ille dies magnus, quia fient in eo maxima mirabilia, conflagratio mundi, tubarum sonitus, mortuorum resurrectio, Angelorum cum Christo descensus, Christi cum omnibus Sanctis adventus, Judicium omnium, supplicium damnatorum, gloria beatorum. *Paulus de Palat. in loc.*

III. *Nôsse debet, quomodo notitia omnium operum cuiusque omnibus sit communicanda*, quâ in re notanda est doctrina S. Thomæ, qui habet pro inconvenienti, quòd legatur aliquis liber materialis in Judicio, in quo facta singulorum sint scripta; eò quod nullus valeat æstimare illius libri magnitudinem, vel quanto tempore legi posset; sed similiter etiam non posset æstimari tempus, quantum oportet ponere ad considerandum omnia merita & demerita sua, & aliena ab aliquo homine, si successivè diversa videat. Ac proinde Doctor Angelicus expedire dicit, ut unaquæque anima in brevissimo tempore omnia videat: Unde hanc statuit conclusionem: etsi in instanti aliquis visurus non sit singula, tamen brevissimo tempore, auxilio divinæ virtutis, omnia particularia considerabit. Albertus Magnus eidem quoque opinioni subscribit, inquiens: Liber apertus est, id est, quædam vis divina, ostendens unicuique facta sua. *S. Thomas 3. p. q. 82. a. 1.*

IV. *Nôsse debet, quod S. Birgittam Christus die quâdam interrogavit*: Potes quærere, si in omni iustitia habeo misericordiam, quomodo misericors sum in damnatos? Et respondet ei adductâ similitudine iudicis alicuius, pro tribunali sedentis, coram quo dilecti fratris sui causa agitur; hic enim, si iudex rectus sit, fratri suo utique dicet: Tu frater meus es, & ego iudex tuus, & licèt te intimè diligo, tamen non potero, nec decet facere contra iustitiam. Tu vides omnem iustitiam in conscientia tua secundùm merita tua, secundùm hanc oportet te iudicari. Pérque hanc similitudinem Christus Sanctæ sponsæ demonstrabat, quòd licèt ipse per assumptam humanitatem Frater noster sit, attamen ut Judex constitutus, necessariò iuxta merita & demerita nostra iudicare debeat. *Rev. S. Birg. l. 2. c. 11.*

V. *Nôsse debet, cur Christus in humana natura judicaturus sit*; cuius variæ assignantur rationes. Primam affer S. Thomas, dicens: Cùm ultimum Judicium hanc ob causam ordinetur, ut boni recipiantur in regnum cæleste, mali verò ab eo arceantur: congruum est, ut Christus secundùm humanam naturam sit Mundum iudicaturus, cuius redemptionis beneficio ad regnum cælorum admittitur. Secundam affert S. Antonius de Padua dicens: Ad ostendendam eelsam potentiam, qui enim in forma hominis iudicatus est, ne videretur hoc passus ex impotentia, idcirco in tali forma iudicabit, iuxta *S. Thomas q. 90. suppl. a. 1. ad. 1.* *S. Ant. Pad. ser. post. Dom. 2. 4. Quad.*

iuxta illud. *Ut vincas, cùm judicaris.* Tertiam S. Augustinus sequentibus verbis indicat; Cùm enim boni & mali visuri sunt Judicem vivorum & mortuorum, procul dubio eum videre non poterunt mali, nisi secundùm formam, quâ filius hominis est, sed tamen in claritate, in qua iudicabit, non in humilitate, in qua iudicatus est. Cæterùm illam Dei formam, in qua æqualis est Patri, impii eum non videbunt; non enim sunt mundi corde. Quartam assignat idem dum ait: Forma illa erit Judex, quæ stetit sub Judice, illa iudicabit, quæ iudicata est: Judicata est enim iniquè, iudicabit iustè: veniet ergo forma servi, & ipsa apparebit. Idipsum quoque in alio quodam sermone replicans, adiungit: Audite, & intelligite: Jam hoc propheta dixerat: *Videbunt, in quem pupugerunt: ipsam formam videbunt, quam lanceâ percusserunt. Sedebit Iudex, qui stetit sub iudice.* Quintam S. Antonius Pad. exhibet, dum ait, Christum in forma humana iudicaturum, ad exhibendum & exercendum gratam clementiam, ut sit manifestum, quod in misericordia iudicabit, puniendo citra condignum: Idcirco veniet in forma humana, ut ex his, quæ passus est, discat misereri. Sextam denique affert S. Bernardus, dicens: Denique ipse Pater Deus dedit Filio Judicii potestatem, & non quia suus, sed quia filius hominis est. O verè Patrem misericordiarum! vult per hominem homines iudicari, quò in tanta trepidatione & perturbatione malorum, electis fiduciam præstet naturæ similitudo.

S. August. l. 1. de Trin. c. 13. — *Idem tr. in Ioh. & s. 64. de verb. Dom. c. 1.* — *S. Antonius Pad. loc. cit.* — *S. Bern.*

VI. *Nôsse debet Causas, cur diem ultimum hominibus absconditum esse voluerit Deus*; nimirum ob plures rationes, quas S. Bernardinus affert, dum ait: Talis dies debet abscondi, sicut & mortis, ex multiplici ratione. Primò, ut semper timeant. Secundò, ut semper se præparent ad diem illum, tanquam de proximo imminentem. Tertiò, ut tam in hoc, quàm in plerisque aliis ignorantes se noscant, quod quidem est perutile ad superbiam comprimendam. Quartò, ut arcana divinorum Judiciorum magis revereantur. Quintò, quia non decet, Dei secreta indignis & indispositis revelari. Sextò ad non impediendum opera & tempora præscita, vel præordinata à Deo. Septimò ad excæcandum reprobos talium temporum; & ad hoc tale iudicium Dei veniet super eos subitò, & improvisè. Eandem quoque difficultatem S. Hilarius in hæc verba discutit: cur autem diei scientia abscondita sit, non in obscuro est; namque cùm monet nos irremissâ fide intentos semper manere, securitatem cognitionis ademit, ut pendulæ exspectationis incerto mens sollicita, festinans, & adventus diem semper exspectans, semper exspectando speraret, curámque pervigilem incertum ipsum non ambigendi tamen temporis detineret.

S. Bernardin. to. 1. s. 11. a. 1. c. 3. — *S. Hilar. de Trin. l. 9. f. 20.*

VII. *Nôsse debet, quâ ratione verum sit illud dictum* Christi Marc. 13. *De die autem illa, vel hora nemo scit, neque angeli in cœlo, neque Filius, nisi Pater.* Quibus verbis Christus fateri videtur, quòd nequidem ipse sciat, quando ad Judicium Universale sit adventurus. Veruntamen idem sanctus Pater sanctum Hieronymum allegat, prædictum textum in hæc verba exponentem: Cùm omnia tempora fecerit Iesus, hoc est Verbum Dei (omnia enim per ipsum facta sunt) in omnibus autem temporibus cùm dies iudicii sit, quæ consequentia esse potest, eius ignorare partem cuius totum novit? Nunquid Deus Pater cognitionem illius diei Filio denegavit, cum dicit? *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo?* Ergo non omnia, si est aliquid, quod negatur. Tandem idem sanctus Bernardinus per authoritatem S. Augustini concludit: Dicitur Christus secundùm Augustinum, illum nescire diem, quia non facit homines scire.

S. Bernard. l. c. cap. 1. allegans S. Hier. & Aug.

VIII. *Nôsse debet, cur Christus toties per Prophetas diem iudicii prædici, & ipse etiam de eius adventu monere voluerit*, nimirum teste S. Augustino; Propterea se Judex venturum minatur, ut non inveniat, quos puniat, cum venerit. Propterea illud cantant Prophetæ, ut corrigamur; si damnare vellet, taceret. Unde & apud S. Lucam c. 21. interrogantibus discipulis: Quando hæc erunt, & quod signum, cùm fieri incipient? Magister cœlestis, qui Judex ipse futurus erat, ad perpetuam memoriam in Evangelio signa apertè revelavit, quæ iudicium præcedent, diémque illum novissimum, infallibiliterque eventurum, maximis, indubitatis, adeóque manifestis declaravit, ut Glossâ seu interpretatione non indigeant ullâ. Quapropter & S. Gregorius in quadam homilia, quam frequenter in Officio divino de communi plurimorum Martyrum legimus, ita sermocinatur: Dominus ac Redemptor noster perituri mundi præcurrentia mala prænunciat, ut eò minùs perturbent venientia, quò fuerint præscita; minùs enim iacula feriunt, quæ prævidentur, & nos tolerabiliùs Mundi mala suscipimus, si contra hæc per præscientiæ clypeum munimur. S. Thomas Villan. eâdem in materia subtilem hanc instituit contemplationem, quòd scilicet alia fidei mysteria in Scriptura Sacra nonnisi à paucis fuerunt prædicta Prophetis: non item iudicium finale, de quo tam vetus, quàm novum Testamentum clarum, paténsque perhibent testimonium, prout ex textibus colligere licet suprà adductis. Quin imò infallibilis cœli providentia secundum hunc Filii Dei iudicaturi adventum ipsis etiam Sybillis revelare voluit. Id quod obstupescens dictus S. Præsul, ad Deum conversus, quærit: Quare hoc Domine? respondétque: Nempe ut nullus in iudicio reus ullam tanti examinis futuri ignorantiam obtendat.

S. August. serm. 101. de temp. — *S. Gregor. ho. 35. in Evang.* — *S. Thomas Vill. conc. in Dom. 1. Adv.*

IX. *Nôsse debet, cur Christus dixerit, se in judicio solius misericordiæ exercitæ rationem exacturum*; ad quod dubium Euthymius sic respondet: Ab hac sola iustos homines dignos præmio indicat, peccatores supplicio. Non quod cætera vel iustorũ bona opera, vel peccatorum delicta sine examinatione, vel discussione relinquenda sint: omnium siquidem cuncta inquiret, & opera, & verba, & cogitationes ut

Euthymius c. 61. in Matt.

ut ipsemet frequenter suâ doctrina manifestavit, sed tunc de sola hac virtute differis, confirmare volens, quòd hanc maximè requirit, & hanc præ omnibus expetit, utporè Christianis maximè necessariam, cuiuscunque enim Christiani insigne, quo cognosci potest, est dilectio: huius autem optima pars est pauperum amor, & erga proximum misericordia, & compassio.

Abulensis q. 31. in c. 25. Matt. X. *Nisi debet, cur in citato Iudicii processu referendo Christus nullam mentionem operum misericordiæ spiritualium, quæ perfectiora sunt, fecerit.* Dubium hoc Abulensis ventilat, inter cuius varia responsa, sequentia ad nostrum inprimis deserviunt propositum, quando ait: Opera misericordiæ spiritualia sunt maioris difficultatis, ad talia non statim aspirant imperfecti, corporalia possunt pertinere ad omnes, spiritualia non, Christus voluit ponere causam salutis nostræ esse cuilibet facilem.

§. IIX.

MISCELLANEA ET CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Mansi Tr. 41. disc. 1. n. 3. I. Consideratione dignissima est miraculosa illa mutatio, quæ in unico momento circa bonum latronem facta fuisse noscitur, qui pedem suum Paradiso ante S. Joannem Baptistam intulit, qui prædicando dixerat: *Appropinquavit regnum cœlorum*: imò & ante S. Petrum, cui claves cœli consignatæ fuerant à Christo, qui porta cœli erat. *Ego sum ostium*; primus omnium mortalium sibi dici audivit: *Hodie mecum eris in Paradiso.* Et tamen quis est, qui ipsum vitam suam inter continuata latrocinia traduxisse ignoret? Imò paulò antè simul cum suo criminis & supplicii collega Redemptorem nostrum blasphemaverat. Quam difficultatem S. Ambrosius movet,

S. Ambr. T. 5. ser. 44. de S. Latr. dicens: videamus, cur tantorum criminum reus, tam citò à Salvatore Paradisum promeretur, cùm alii multorum temporum lachrymis, frequentibúsq; ieiuniis vix delictorum suorum veniam consequantur. Inter alias verò subitaneæ huius conversionis causas, quas adducit, una est, quia iudicium finale vivaciter apprehendendo compunctus, postulavit veniam, nec tamen ideo subitò paradisum sibi donari aut dolores & cruciatus, quibus angebatur, mitigari sibi petiit, sed solùm in die finalis iudicii, bonam sui memoriam haberi rogavit. Devotione fidei, inquit præfatus sanctus Doctor, tam repentè mutatus est, ut præsentem pœnam despiceret, ac de futura veniam precaretur, & magis crederet utile sibi esse de æterno iudicio petere, quàm de temporali supplicio supplicare. Reminiscens enim scelerum suorum, & pœnitudinem gerens, plùs incipit dolere, quod sperat, quàm sentire, quod patitur; poterat enim, nisi de futuris ampliùs cogitasset, qui in Christum semel crediderat, de præsenti magis supplicio deprecari.

Mansi dis. 3. n. 2. II. Primò omnium vice, qua calamus spiritus S. ad exarandam nobis scripturam se movit

R. P. Lohn. Aucl. Bibl.

Deum nobis simul non solùm ut Creatorem totius universi, verùm etiam ut Judicem ob oculos statuit, dum ait: *In Principio creavit Deus cœlum & terram.* Ubi, ut Caietanus & alii observant, in Hebræo, loco Deus, hæc dictio Elohim ponitur; subdit verò idem Caietanus: Appropriatè utitur hoc nomine, significat enim Deum, quatenus iudicem. Quamobrem verò Spiritus S. ab initio, dum vix universum creatum fuisset, Deum nobis immediatè ob oculos tanquam iudicem statuit? in promptu causa est, inquit idem Caietanus, ut unus atque idem Deus credatur Creator Mundi, & Judex universorum. Voluit nimirum increata Dei sapientia à prima nostrum productione, unò ab ipsis Mundi primis natalibus, firmam iudicii extremi insinuare memoriam, ut illud continuò in mente & corde nostro haberemus insculptum.

III. De S. Elia Propheta legimus, quòd, dum in spelunca delitesceret, indè à Deo egredi iussus fuerit: *Egredere, & sta in monte coram Domino, & ecce Dominus transit, & spiritus grandis & fortis subvertens montes, & conterens petras.* Simul tamen aliam vocem audivit, Dominum in impetuoso vento minimè esse præsentem: *Non in spiritu Dominus.* Post hunc verò ventum, ingentem quandam audivit commotionem: *Et post spiritum commotio:* Nec tamen in hac commotione Dominus aderat: *Non in commotione Dominus.* Post hanc verò commotionem, comparuit ignis: *Et post commotionem ignis*: sed neque in igne Deus erat: *Non in igne Dominus*: Et post ignem Sibilus auræ tenuis, mòxque vocem audivit Dei: *Et ecce vox ad eum.* Hugo de S. Victore historiam hanc nostro adaptans proposito, inquit, ecce præambulos Dei spiritus, commotionem, & ignem: non venit Dominus ad te, nisi priùs isti veniant. Spiritus est terror iudicii æterni, qui si in cor peccatoris impegerit, & montes superbiæ deiicit, & petras duritiæ dissolvit, sed hic nequaquam Deus esse dicitur, quia ànima, quam adhuc timor perditionis afficit, nondum perfectæ charitatis dulcedinem sentit. Post Spiritum commotio sequitur, quia terrore iudicii concussa mens, mox à sua stabilitate movetur. Post commotionem vero ignis sequitur, quia post anxietatem futuri sæculi, adversus se sæviens animus, ardore compunctionis inflammatur. Postremo igni Sibilus auræ lenis succedit, quia post longa compunctionis incendia purgata mens, afflata spiritu, consolationis refrigerium sentit. Hugo Vict. l. 3. Miscel. 24.

IV. In Exodo dum vestes sacerdotales à Deo ordinabantur, simul etiam præceptum fuit, ut in earundem extremitatibus certa quædam tintinnabula suspenderentur: Deorsum verò ad pedes eiusdem tunicæ per circuitum, quasi mala punica facies ex hyacintho & purpura, & cocco bis tincto, mixtis in medio tintinnabulis. Per hæc autem tintinnabula Origenes prædicationem intelligit, ministerio Sacerdotali annexam, simúlque eorundem situm vel Origines h. 9. in Exod.

posituram observat, quia illa circa extremitatem Corporis, id est, circa pedes, pariterque in extremitate vestis appendi volebat ad pedes eius, ad denotandum, quòd præcipuum Prædicationis sacerdotalis argumentum tangere debeat ultimum & extremum Judicii Diem; sic enim ingentem in animabus effectum producere poterunt. Et hæc tintinnabula, quæ semper sonare debent, in extremo vestimento sint posita, idcirco credo, ut de extremis temporibus & fine mundi nunquam sileas, sed indè semper sones, inde disputes, & loquaris, secundùm eum qui dicit: *Memor esto novissimorum, & non peccabis.*

S. Antonin. tit. 14. sum. Theol. c. 11. §. 2.

V. S. Antoninus considerans, quòd, sicut Deus in mundo Omnipotentiam suam manifestavit in productione creaturarum, in incarnatione verò & iustificatione peccatorum Misericordiam suam; ita quoque conveniens sit, ut manifestet pariter in toto mundo Justitiam suam; siquidem hæc propriè est dos illa, quæ gloriosum illum principem facit, & dignum iudicem, quia in lib. Sapientiæ cap. 1. dicitur: *Diligite Justitiam, qui judicatis terram*: Justitia autem Dei in hac vita in multis rebus abscondita latet, ac proinde, cùm ad illam pertineat, ut boni præmientur, malique castigentur, sæpe tamen in hac vita omnino experimur huius contrarium; Unde deploramus iustorum persecutiones, & oppressiones pauperum, & de impiorum prosperitate plurimùm scandalizamur.

S. Bonav. tet. 9. diat. c. unic.

VI. S. Bonaventura multa refert horribilia signa, quæ Judicium sunt præcessura. Etenim primo die mare 15. cubitis elevabitur super altitudinem montium, persistendo hoc modo solidum & constans instar muri validi. Secundo die iterum adeo profundè subsidebit, ut videri vix possit. Tertio die monstra marina super maris superficiem se erigentia horrendos edent mugitus. Quarto die succendetur mare & bulliet, eodémque die quævis alia aqua ardebit. Quinto die herbæ & arbores humorem quendam scaturient sanguineum. Sexto die omnia ædificia solo æquabuntur, & perfectam facient planitiem. Septimo die omnes petræ allidentur ad invicem, & confringentur in octo partes, & quælibet partium allidetur ad alteram. Octavo die erit quidam terræ motus adeò horrendus, ut omnia animalia simul cum hominibus prosternantur in terram. Nono die montes & colles complanabuntur, omnésque redigentur in pulverem, fiet universa terra plana & æqualis. Decimo die egredientur omnes, qui in cavernis terræ latebant, & tanquam insani discurrent, nec loquetur unus ad alterum. Undecimo die omnia mortuorum ossa resurgent, séque è monumentis levabunt, quæ omnia aperientur, ut cadavera restituant. Duodecimo die stellæ è cœlo decident. Decimo tertio die omnes in vita superstites morientur, ut in societate aliorum resurgere possint. Decimo quarto die cælum & terra conflagrabunt. Decimo quinto die: Fiet cælum novum, & terra nova, & resurgent mortui secundùm virtutes, merita & demerita. Tandem verò idem Seraphicus Doctor, concludendo discursum suum, dicit, omnia hæc signa, velut citationes quasdam, futura esse, quibus omnes iudicandi invitabuntur ad iudicium. Ista signa erunt quædam peremptoria citatio, & terribilis, cum executione sententiæ, sine omni excusatione ad iudicium vocatio.

VII. S. Antoninus ex S. Gregorio ita scribit: si quæris, quis te accusabit, dico: totus mundus; offenso enim Creatore offenditur totus mundus. Idem quoque authoritatem citat D. Chrysostomi, dicentis: In illa die nihil erit, quod respondeamus; ubi cœlum & terra, aqua, luna, & sol, & dies, & noctes, & totus mundus stabunt contra nos ad accusandum. Quòd si terra, inquit idem S. Doctor, ratione esset prædita, utique in illa die reprobis dictura esset; Ego super me hosce reprobos sustinui, virentes illis subministravi herbas, elegantes flores, fructúsque suavissimos, multa in illorum commodum nutrivi animalia, variásque & pretiosa visceribus meis produxi metalla, ut communi Creatori servientes, gratos se exhiberent; illi verò omnibus hisce in eius sunt abusi offensam, ac proinde meritò à me absorberi merentur. Aqua pariter dicere posset: Ego peccatoribus servivi ad temperandum ardorem, & restinguendam illorum sitim, ad abluendas corporis & suppellectilis ipsorum sordes: Sacramentis materiam exhibui, ut exinde à peccatis purificarentur; dedi eis marium commoditatem, ut ex una provincia ad aliam navigare, mercésque suas devehere possent; pisces quoque in cibum illorum generavi & nutrivi; at ipsi in malum usi sunt, & ideò à me submerguntur. Aër pariter opponere poterit: Ego hisce impiis per continuam respirationem, vitam subministravi, dedi illis pluvias opportunas, variarúmque avium ingentem multitudinem; & quia conditorem suum & nostrum non cognoverunt, in me suspendantur, suffocentur. Ignis similiter obiiciet: quia sine meo calore victuri non fuissent, & tamen usui meo fuerunt ingrati, ex me accendantur, & perpetuò ardentes, consumantur nunquam; sol, luna, & stellæ, & cœli cœlorum, quia lumine nostro non sunt usi ad quærendum lumen æternum, eo priva-ti, perpetuis tenebris occupentur.

S. Antonin. p. 4. summ. tit. 14. c. 11. §. 1.

VIII. Mater mea femina Sancta erat, inquit S. Augustinus, orationibus, ieiuniis, aliisque devotionibus plurimùm dedita; sed væ etiam laudabili vitæ hominum, si remotâ misericordiâ, clementiâ & pietate Deus discutiat eam. In illa namque die non solùm nobis rationes reddendæ sunt, quomodo virtuosè operati fuerimus, an scilicet convenientibus & debitis cum circumstantiis, verùm etiam bonum illud examinabitur, quod facere negleximus, ita enim meditatur S. Bernardus: Quis considerare valeat, quanta mala per momenta perpetramus, & quanta bona facere negligimus? Sicut enim

S. August. l. 9. conf. c. 13.

enim peccatum est perpetratio mali, sic delictum est desertio boni.

S. Bernardinus to. 2. s. 12. a. 2. c. 3. IX. S. Bernardinus hæc verba: *Venite Benedicti*: considerans, in hos affectus prorupit: O vox omni iucunditate ac suavitate repleta, quâ invitantur ad visionem, ad possessionem & ad fruitionem totius Sanctissimæ Trinitatis! Primò invitat eos ad glorificationem, dicens: *Venite*. Venite inquam, ad me fontem vitæ indeficientem, ad me lucem gloriæ vivificantem, ad me torrentem voluptatis inebriantem, ad me plenitudinem ubertatis inundantem.

S. Gregor. l. 31. mor. c. 6. X. S. Gregorius verborum illorum: Cogitationes iustorum iudicia: sensum sic declarat: Accedunt ad Secretarium Judicis intra sinum cordis, considerant, quàm districtè quandoque feriat, qui diu patienter exspectat: metuunt in his, quæ se egisse meminerunt, & puniunt flendo, quod perpetrâsse se intelligunt. Ibi adversùm se, quicquid se impugnat, enumerant; Ibi ante oculos suos omne, quod defleant, coacervant: Ibi, quidquid per iram districti Judicis decerni possit, intuentur. Ibi tot patiuntur supplicia, quot pati timent; nec deest in hoc iudicio mente concepto omne ministerium, quod punire reos suos plenius debeat. Nam conscientia accusat, ratio iudicat, timor ligat, dolor excruciat. Quod Judicium eò certiùs punit, quò interius sævit.

S. Bernard. ho. de verb. Abac. XI. Mysteriis plena sunt verba illa Jobi: *Vitam & misericordiam tribuisti mihi*: ubi advertendum, quòd non dicat, animam & misericordiam, sed vitam & misericordiam, quia licet divina pietas animæ se associet, quamdiu hæc corpori huic unita est, non tamen, postquam à corpore resoluta erit, pietas enim & misericordia solùm durat, quoad usque vita durat; non verò, quamdiu durat anima, quia post hanc vitam sine ulla misericordia examinabitur, quando iustus vix salvabitur, tunc enim opera illorum sequuntur illos. Valde igitur opportunum est illud Sancti Bernardi Consilium, dicentis, Utilius & multò salubrius est, hodie audire eum consulentem, consolantem, docentem, admonentem, corripientem, increpantem, quàm in die illa tam amara, tam lugubri, audire iudicantem, indignantem, ulciscentem, sævientem, condemnantem. Inprimis igitur ipsum auscultemus consulentem, per inspirationes internas, quibus nos instigat ad mores emendandos, ad terendam non solum latam præceptorum viam, verùm etiam consiliorum semitam. Audiamus consolantem: Id est, si modò iniustas patimur persecutiones, si infirmitates toleramus, si paupertate divexemur, & calumniis, aures præbeamus Christo promittenti nobis, quod tandem aliquando venturus sit dies ille, in quo nos, & opera nostra liberaliter remunerabit, dicendo suave illud verbum: *Venite Benedicti &c.* Auscultemus docentem, dum per verbum suum prædicatum & scriptum nos erudit, qualiter ipsum, misericordiæ operibus mediantibus, propitium nobis reddere valeamus. Audiamus admonentem per superiores, confessores, Prædicatores, librorum spiritualium lectiones.

XII. Animam aliquam amore Dei ferventer ardere, ex nullo evidentiori indicio colligere possumus, quàm si ignem, qui iudicem præcessurus est (Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius) nequaquam timeat, eò quòd alius quidam ignis longè ferventior, id est, amoris divini, in eius corde vehementer ardeat, de quo scriptum est: *Deus ignis consumens est.* Unde S. Augustinus ait: Quisquis fiduciam habet in die iudicii, non timere debet, ne veniat dies iudicii: date operam, intus agite vobiscum, ut desideretis diem iudicii, aliter non probatur perfecta charitas, nisi cùm cæperit ille dies desiderari; ille autem eum desiderat, qui fiduciam habet in illo; ille autem fiduciam habet in illo, cuius conscientia non trepidat in charitate perfecta atque sincera. Porrò ad acquirendam hanc puram conscientiam, ad accendendum in corde charitatis ignem, ad excludendum omnem iudicii timorem, nullum est efficacius medium, quàm si quis continuò de futuro iudicio cogitet. S. August. tr. 9. in. 1. ep. Io. (?) 96.

XIII. Nota passim omnibus est illa nuptiarum parabola, ad quas illos Rex invitari præcepit, qui in exitu viarum deprehendebantur: *Ite ergo ad exitus viarum, & quoscunque inveneritis, vocate ad nuptias.* Miserat quidem & alios servos, ad invitandum alios, sed sine ullo subsecuto fructu: in his autem nullam reperit resistentiam, quia hi, qui de novissimo iudicio, de ultimo hoc fine, déque reddendis ibi rationibus continuò cogitant, semper reperiuntur dispositi, qui veste nuptiali charitatis ornati, nuptiis assideant Sponsi cælestis: dicente Alberto magno: Illi sunt in exitibus viarum, qui mortem suam iugiter prospiciunt; Tales dignos se efficiunt, ut ad Christi nuptias introire mereantur. Quicunque enim mortis suæ efficaciter recordantur (idem de Judicio universali dicendum, quod à particulari dependet) student esse continentes, patientes, obedientes. S. Albertus s. 74. in Dom. 10. post Pent.

XIV. S. Isidorus Pelusiota in quadam epistola, in eos, qui mysterium hoc tractant, credunt, nec controvertunt, ex alia tamen parte quasi ludus foret, in peccatorum tenebris caligant, acriter invehitur, dum ait: Absurdissimum meo quidem iudicio illud est, eorum quidem, in quibus externi sapientes & scripturæ sacræ inter se dissident, magnam rationem habere; eorum in quibus consentiunt, exiguam. Etenim Judicii extremi dogma, tametsi & rationi consentaneum, & iustum, & ratione præditis congruens, atque à nobis, & ab ipsis confessum ac receptum sit, tamen paucos inducit, ut ea, quæ officii ratio postulat, faciant, Plerique enim (nec verò me quisquam iracundiâ commotum hæc dicere arbitretur) non secùs ac si nec Judicium futurum sit, nec providentia ulla rebus præsit, atque humanas actiones S. Isid. Pelus. l. 3. epist. 17.

nes conspiciat, velut in densissimis noctis tebris ea faciunt, quæ faciunt.

S. Anton. p. 4 tit. 14. c. 1. §. 8.

XV. S. Antoninus inter cætera ait: Sciendum, Judicium illud fore iustissimum: cuius has reddit rationes: Humanum pervertitur Judicium timore, cupiditate, avaritiâ, odio, & amore amicitiæ, vel consanguinitatis; Addit glossa tres alios defectus, scilicet imperitiam seu ignorantiam, nimiam compassionem miseriæ alterius, rigorem, severitatem: sed nihil horum poterit esse in Christo. Citátque authoritatem S. Hieronymi, modum, quo iram & furorem huic Judici messe intelligi debeat, in hæc verba explicantis. Ira DEI non est concitati animi furor, ut nostra, sed iusti supplicii constitutio.

Did. Nys. §. 3. fer. 2. post Dom. 1. Quadr.

XVI. Ecclesiasticus ait: *In fine hominis denudatio operum illius.* In fine, hoc est, ut multi exponunt, postquam vivendi finem omnes homines fecerint, & universale iudicium inceperit, & libri vitæ singulorum explicati fuerint, ubi tunc nudabuntur cuiusque opera. Notate: Tabernam nundinatoriam nobilis, unáque pauper obeunt. Ille divite vestitu, hic vulgari, lacero, sordido amictu. Instituunt Publicani scrutinium, quantùm quisque ferat. De nobili haud dubium, quin æstiment, tam venire auro argentóque onustum, quàm amictu, & corporis habitu est splendidus; inopem verò præter centones suos, & obsoletos pannutios nihil conferre. Cùm ad rem veniunt, & quemque seorsim explorant, plurimùm se lapsos iudicio inveniunt; quem enim opulentum existimabant, illum pauperem & absque nummis reperiunt, soláque exteriori specie, quam ostentabat, fulgentem; quem verò inter mendicabula recensebant, apud hunc nullum deprehendunt in paupere vestitu assumentum, quod non sit scutato, aut purissimi auri ducato infertum. Quis hoc sibi persuasisset? Tale quid est, quod dicit Sirach: *In fine hominis denudatio operum illius.* Multam in hac vitâ fraudem oculi patiuntur humani, & plurimùm errant hominum iudicia. Sed cùm ad emporium Judicii universalis appulerint, detegentúrque, & expendentur mores singulorum, tunc intelligetur, quantùm aberrarint; quos enim hîc admodùm sanctos putârunt, eos fuisse insignes peccatores videbunt, & fuisse sanctos, quos suspicabantur improbos.

Ibid.

XVII. Ob id dicebat S. Ambrosius: Sunt multa fucis illita, quæ luce purgentur tuâ O DEUS, quàm multa habet hæc vita, quot vitas hic mundus fucis imbutas, accersito & peregrino ornatu tectas, & quàm necesse habemus, ut lux universalis Judicii tui adveniat, ut quæ sit ficta, aut picta, quæ sincera, & integra sanctitas palàm fiat! Duas per compita videas mulieres, ambas formæ, & vestitûs elegantiâ præstantes, una propriis, altera commodatò acceptis monilibus oneratur; una suum sibi mundum ex urbe Granatensi, vel à Turcis coëmit, alteri DEUS liberaliter impertivit, & suam absque vicinorum, aut vicinarum subsidio accepit venustatem. Qui neutram novit, utramque divitem, & formosam censet, nec emendicatam aliunde formæ gratiam ab alterutrâ cogitat, nec inter veram, mentitámque elegantiam discernit. Hoc est, quòd ait D. Ambrosius: Sunt multa fucis illita. Est plurima animarum elegantia vera, & syncera, est etiam plurima fucata; est nitor genuinus, est & simulatus, & fictus. Discrimen iustum hic statuere inter cerussatum, & solidum, inter apparens, seu larvatum, & genuinum, verúmque non valemus; in obscurâ huius vitæ nocte positi sumus: Verùm, ubi DEUS supremi Judicii lucem accenderit, ibi singulorum ora, vultúsque patentia cernemus, & qualis quisque fuerit, intelligemus: Quæ luce purgentur tuâ.

XVIII. Apud Davidem, ubi de ratione agit, quâ DEUS omnes homines iudicabit, hæc æquus hic Judex ait: *Cùm accepero tempus, ego iustitias iudicabo.* Psal. 74. v. 3. Cui dicto S. Textus hæc mox subiicit: *Liquefacta est terra, & omnes, qui habitant in ea.* Quidam non vulgaris eruditionis Author inquit: Quo sensu dicitur, quòd colliquescent cum terrâ omnes incolæ, quando ad iudicandum Dominus veniet? Respondet appositissimè in rem nostram, methaphoram subesse dicto, sumptam à monte, quem nix, quantus quantus est, operit; Dum ita est, ut sæpe in partibus, & in totis frigidioribus regionibus accidit, non lapides ab arboribus, non itinera à cavernis secernuntur, contegente omnia nive, donec sol æstuans, tepidiórque aura illam solvat, & cuiusque rei speciem nudet, atque ostendat. In supremo mundi die tale quid eveniet: Liquefacta est terra, & omnes, qui habitant in eâ. Tunc enim sol Justitiæ divinus liquefaciet nivem, hoc est, auferet larvas, vela detrahet, quæ veram agnitionem vitæ cuiusque occulebant, itáque luculentè, & distinctè, qualis quisque fuerit, intelligemus. Ibid.

XIX. Quærunt nonnulli, cur de Christo venturo Judice Malachias dicat: *Orietur vobis timentibus nomen meum, sol iustitiæ*, & respondent, id fieri ad differentiam huius materialis solis, à quo illuminamur: Quoniam si hic sol tantùm tribuit malo, quantùm bono, Christus è contra faciet, quia tunc quemque pro meritis suis patefaciet, distinctionémque personarum faciet, & improborum quidem flagitia deteget, proborum verò virtutes manifestabit, & suo quisque pretio æstimabitur, & veritas conspicua fiet. Itaque ut à corporeo sole secernatur, qui eodem modo omnes habet, Christus Judex sol iustitiæ dicitur. In hac cogitatione fuit doctissimus P. Franciscus de Ribera; in ea verba Prophetæ sic commentatus: Dicitur in die Judicii Christus sol iustitiæ, quia claritatem suam & lætitiam reddet iustitiæ, id est, sanctitati, quæ antè obscurata erat laboribus, & calamitatibus, quibus Iusti affligebantur, ac si mali essent. Ibi plurimas videbimus detectas fraudes; ibi fient explo- Ibid.

plorata, quæ olim dubia; ibi intelligemus, quibus artibus conquisitæ facultates; quâ integritate definitæ lites, pronunciatæ sententiæ, quâ ratione officio suo Palatinus satisfecerit; quomodo Rex subditorum suorum profectus, & emolumenta curârit; quomodo Episcopi necessitatibus pauperum succurrerint; denique ibi videbimus, quomodo aliorum quisque muneris sui partes expleverit, & quis rerum suarum sategerit.

Idem §. 1. Dom. 1. Adv. XX. Dilectus Discipulus vidit quondam suum Magistratum specie tam formidabili, ac terribili, ut exanimi similis ad pedes eius prolapsus fuerit: Cùm vidissem eum, inquit ipse Apoc. 1. 17. *Cecidi ad pedes ejus, tanquàm mortuus.* Quid fuit in divino Magistro, quod tantum horrorem iniecit tam chari discipuli generoso pectori? Quid illi sic omnem fregit, & ademit animum, ut tanquam vita ac sensibus destitutus coram eo, quem loquentem audiebat, corruerit? Magna, haud dubium, tam magni terroris causa fuerit. An fortè præferentem manu flagra vidit, ut propterea violentum illius rigorem formidarit? Nihil tale vidit. Quid ergo habebat in manibus Dominus, quod metu tam vehementer Joannem perculit, tantúmque non exanimavit? Ipse hoc exponit, inquiens: *Et habebat in dexterâ suâ stellas septem*; ib. v. 16. Itáne verò, quòd stellas in manibus eius vidit, contremuit; Si vidisset vibrantem radios, stringentem gladios, intentantem lanceas, nihil miraretur: At quid in stellis, illustrissimis, & iucundissimis illis sideribus vidit, quod eam in tantas angustias compingere potuit? Lauretus, Antonius Ricciardus, Petrus Berchorius, Joannes à S. Geminiano, & alii plures aiunt, stellas esse symbolum gratiarum, quibus DEUS animam exornat, & lucis, quâ eam perfundit. Quòd si ita est, quid mirum, quòd Joannem in confinia mortis adduxit stellarum intuitus? Servis enim DEI nihil parem tremorem adfert, ac beneficia DEI, dum secum attenti reputant, strictissimas eorum rationes olim coram summo, & æquissimo, formidabilissimóque tribunali reddendas.

Ibid. XXI. Huic proposito opportunum est ænigma quoddam gladii, qui ad cotem oleo tinctam olearum acuitur, cum hac adscriptione: Lenimine acutior subaudi, redditur. Quis leni oleo obtusum exacui posse ferrum cogitasset? Id verò in illo supremo die primùm insigniter fiet, oleum namque misericordiarum, & gratiarum, & donorum, quibus hîc à DEO perfusi, ac delibuti fuerunt ingrati peccatores, acuet tunc eiusdem indignationem, inflammabítque iram, ut gravioribus suppliciis eos mactet, qui oleo beneficiorum deliniri noluerunt, ut ad vitæ melioris studia converterentur.

S. Epiph. de laud. virg. XXII. S. Epiphanius de Augustissima cœlorum Regina ait: Ipsa est nubes tonitruiformis, quæ fulgur interiùs in utero gestat. Neque hoc affirmasse satis arbitratus, etiam ex Canticis sententiæ suæ suffragium accersit, inquiens: Sermoni meo attestatur divina scriptura, dum ait: *Venter tuus acervus frumenti, vallatus liliis.* Cant. 7. 2. velut dixisset: Quòd MARIA nubes sit, quæ alvo sua fulgur complectitur, quis dubitet, quando sacrum oraculum perspicuè affirmat, uterum illius persimilem esse cumuli triticei liliis obsepti? Hincne autem fit, quòd illa fulgur apud se habeat? Imò verò aliud quidvis potiùs indè consequi videtur. Quid enim amabili tritico & formidabili fulguri? Quid ignibus illis cœlestibus cum albicantibus liliis? Admirabilis fuit hac de re, & percommoda præsenti causæ divi Epiphanii sententia. Quid enim? Nónne MARIA in utero suo acervum tritici coronatum liliis habuit, quo tempore in castissimis suis visceribus Filium DEI gestavit, illum omnibus gratiis refertissimum, quibus mundum cumulaturus erat? Nónne in alvo suâ benedictâ portabat triticum, ex quo tota animarum alimonia conficienda, & panis ille pinsendus, qui de seipso aiebat: *Ego sum panis vivus, qui de cælo descendit.* Joan. 6. 41. Non est, qui hoc nesciat. Dicit ergo nunc Epiphanius: Ex hoc posteriore illud prius necessariò conficitur, éstque hæc infallibilis consecutio, MARIA panem de cælo in alvo gestabat, ergo fulgur; portabat lilia, itaque ignes, fulgur interius in utero gestat. Quia in illo extremo ultimi Judicii die quid misero, atque ingrato peccatori erunt dona, quæ hîc illi DEUS plenis manibus affudit, nisi iræ illius fulgetra? quid dulcis panis temporalium beneficiorum, nisi ignis æternorum suppliciorum? quid lilia gratiarum malè expensarum, nisi materia flammarum sempiternarum?

XXIII. Dionysius Uticensis ait: Ilices & quercus multum fructum ferentes, diuturniorem hyemem fore significant. Mirum prognosticon: Itáne verò abundantiores earum arborum fructus certo indicio sunt hyemis & prolixioris, & molestioris? Quid ea res nobis portendit, nisi ut omnes, quotquot Deus suarum gratiarum fructibus cumulat, & onerat, admoneantur, magno studio, diligenter, ac solicitè animadvertere, quomodo in animarum suarum usum, & tam munifici Domini officia rectè illius beneficia vertant, nam pro gravitate munerum non benè curatorum, erit magnitudo pœnarum, & multum fructum ferentes diuturniorem hyemem significant; quod luculentioribus verbis S. Gregorius hom. 9. sic expressit: Dum crescunt dona, rationes etiam crescunt donorum, & ponderibus gratiarum acceptarum, & neglectarum, paria erunt pondera cruciatuum. *Dionys. Utic. l. 1. de agric. c. 4.*

XXIV. Probrosissimâ morte defunctus fuerat Dominus noster, iámque in vitam gloriosus redierat, & totos quadraginta dies adhuc exegit in Mundo, antequam in cœlum abiret, crebrò invisens Apostolos, & quæ de regno cœlorum illos scire oportebat, docens: Quibus & præbuit seipsum vivum post passionem suam in multis argumentis, *per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei.* Ita S. Lucas Act. 1. 2. 3. Hîc cuivis vel me- *S. Petrus Chrysol. S. 85.*

mediocriter docto dubitare in mentem veniet, cur Dei Filius non statim à morte ad Patris sui dexteram ascenderit, cùm mox, ut in vitam rediit, possessionem solii gloriæ adire meritò debuisse videatur? Cur ergo suum ascensum in diem quadragesimum suspendit? Cur tam diu procrastinavit? Respondet sacer Ravennatum Archipræsul, S. Petrus Chrysologus verbis quàm præclaris, ac gravibus, tam commodis & rei præsenti, & nostræ institutioni, dicens: Christus quadraginta diebus residet, & remoratur in terris, &, si dici fas est, Patris occursum differt, Patris suspendit amplexum, donec totum se relevet, & reformet suæ ascensionis in gloriam. Hæc ille serm. 85. Admirabilis loquendi modus! Pendite in his illud diligenter, quod dicitur, donec se relevet, & reformet suæ ascensionis in gloriam. Erâtne in Christo quidpiam, quod reformari vel deberet, vel posset? Et quâ ille præparatione opus habebat, ut Patris dexteram peteret? quid totos in hanc rem quadraginta dies expendere necessum erat, ut Patris occursum differret, & suspenderet amplexum, quoad usque tot dies suæ reformationi & præparationi dedisset: Nihil habebat Christus, quod reformari deberet, quod emendatione egeret, nec ulla illum à cœlo retardabat necessitas; differebat tamen ascensionem, ut pulcherrimum nobis relinqueret documentum. Nam si ille, qui nulla opus habebat reformatione, & quoad omnia perfectissimus, consummatissimùsque erat, se formare videtur, & perpolire, priusquam Patrem adiret; Qui tam multa habet, quæ plurimam requirant reformationem, & emendationem, & emundationem; multa, quæ plurimam desiderent cricumspectionem, quomodo is audebit coram illo apparere? quomodo tot peccatis onustus, tot flagitiis prægravatus, & contaminatus; adire tribunal Judicis, qui, tametsi nunc patienter ferat, & conniveat, & dissimulet, demum tamen non parcet, sed pro severioris iustitiæ ratione in illum acerrimè vindicabit, & gravissima supplicia decernet?

XXV. Felici reliquorum suorum operum prognostico primam ex creaturis produxit Dominus lucem: dixit Deus. *Fiat lux, & facta est lux, & vidit Deus lucem, quòd esset bona*, Gen. 1. 3. 4. Animadverte, & considera diligenter locum hunc, inquit Oleaster, qualiter non sat fuerit Deo lucem pulcherrimam creare, nisi & eam, postquam condita erat, examinet. Quæ de manibus Dei prodeunt opera, ea integritatis suæ, & perfectionis suam secum adferunt contestationem. Cur ergo lucem Dominus tam studiosè circumspexit, tam curiosè arbitratus fuit, tam diligenter consideravit? Quid nævi, quid obscuritatis in luce esse poterat? Quid nobis illâ disquisitione significare voluit? Respondet Oleaster: Existimo, hoc mihi dicere velle, ut examinem, & discernam ego tenebras meas, siquidem ille tam studiosè examinat lucem suam. Judicio ergo laborare probat, qui non totâ diligentiâ, omnique solicitudine ad futurum Dei iudicium se comparat, quando & Judex ipse suo exemplo præmonstravit, quid hac in re agere debeamus, si iustitiam illius evadere, & effugere vindictam volumus.

Oleaster apud Nyss. l. c.

XXVI. Neronem, Romanæ narrant historiæ, Consulibus & Senatorum Principibus persuasisse ut, positô tantisper superciliô, missisque seriis, larvas subirent, & in Cæsaris gratiam, Romano in foro saltum histrionicum ducerent: Armatæ fuerunt Cæsaris preces, quibus adacti Senatores larvas deridiculas induunt, in forum prosiliunt, choreas agunt, verùm medio in saltu submissi à Nerone satellites, personas saltatoribus detrahunt, & senatoriam produnt levitatem. Quod dedecus tam gravè confusis accidit, ut nonnulli pudore exanimati corruerint, in mortuos, alii perpetua rotati amentia, non priùs resipere cœperint, quàm vivere desierint. Quantus ergo pudor, furor, timor, in die Judicii peccatores occupabit, cùm præsertim membra illa, quibus abusi contra Deum & naturam sunt, turpissima & stigmatica videbunt, ut velut in viva tabula, omnia legantur scelera?

Hartung. Conc. rus. in Dom. 3. Advent.



TITV-

TITVLVS XXXIX.

IVDICIVM TEMERARIVM.

§. I.

SENTENTIÆ SS. PATRUM ET DOCTORUM

Qualitas.

S. Bernar. Senens. to. 2. ser. 10. ar. 3. c. 3. Identur tales amare malum fraternum: constat enim, quòd iudicium, quo indefinitè asserunt esse malos eos, ex affectu inclinante eos, trahit ad sentiendum malè de eis. Includit igitur, & nutrit absconditum venenum & odium.

S. Doroth. ser. 6. II. Quid magis aversatur & abominatur Deus, inquit S. Dorotheus, quàm crimen hoc, ut præclarè omnes asserunt Patres nostri? quandoquidem nihil peius, nihil deterius, quàm proximum iudicare censuerunt.

Ibidem. III. Adeò grave, & molestum est, de quovis peccato iudicare; ut Christus in Evangelio aptè dixerit: *Hypocrita eiice primum trabem de oculo tuo, & tunc poteris eiicere festucam de oculo fratris tui.* Comparavit proximi peccatum festucæ, iudicium verò trabi, usque adeò grave & insuave est, proximum iudicare, ut ferè omne peccatum excedat.

Fuga.

Petr. Bless. ep. 45. IV. Nolite hominem criminosè arguere, nolite iudicare servum Domini, suo enim Domino stat, aut cadit. Eius est iudicium, qui scrutatur renes & corda, qui scrutatur Ierusalem in lucernis, cui cogitatio hominis confitetur. Et soli relinquatur iudicium, cui omne iudicium dedit Pater.

Oleaster in cap. 1. Sap. V. Sunt homines, qui eâ facilitate alios de malo iudicant, ac si quæ in corde eorum sunt, eo acumine viderent, quo Deus scrutatur renes & corda; quos locus iste arguere videtur, qui Levit. c. 13. non permittit, Sacerdotem facilè hominem leprosum iudicare, sed priùs multis diebus includere, & iudicium suspendere. Quòd si Dominus non sinit Sacerdotem suum statim de lepra, quam oculis cernit, discernere, quomodo te permittet de cordis malitiâ proximum temerè iudicare?

S. Doroth. l. c. VI. Quid nobis de proximo? Quid nobis de alieno & malo peccato? Habemus in nobis, quod curemus; habemus, quid cogitare, & satagere debeamus, unusquisque nostrum attendat sibi ipsi, & sua ipsius mala caveat.

Damnum.

D. Chrysost. to. 5. ser. 17. VII. Peccavit aliquis, & alium idem committentem peccatum condemnavit. Is in die illo valdè amaro non eam pœnam luet, quam peccati natura exposcit, sed maiorem, quàm duplicem & triplicem, non propter id, quod ipse peccavit, sed quòd alium iudicavit; & ideo in eum sententiam feret DEUS.

VIII. Qui se ad iudicandum exercet, inquit S. Cyrillus, non tantùm divinum & altissimum thronum invadit, sed in ipsam ineffabilem gloriam se peccare sciat, quæ nonnisi rectè & iustè iudicare novit. S. Cyrill. Alex. in c. 1. Deut.

IX. Nil adeò provocat DEUM ad iram, nihil ita hominem spoliat; & omni præsidio ac virtute denudat, nec ad summum discrimen adducit, ut proximum iudicare, & condemnare, & nihili eum ducere. S. Doroth. l. c.

X. Fieri non potest, quin in manum divinæ iræ incidas, quandoquidem tam audax es, ut iudicium DEI fureris. Homo quippè videt, quæ foris sunt, DEUS autem intuetur cor. Dida. Stel. apud Mansi tr. 42. disc. 3. n. 5.

XI. Quod si is (Pharisæus Evangelicus) qui nihil peccavit, & peccantem alium (qui manifestus erat omnibus) verbo brevi condemnavit, tantùm iacturæ fecit, & in tantùm est punitus: qui multum quotidiè peccant; aliorúmque vitam condemnant, cogita quantam sustinebunt pænam? quomodo omni venia excident? in quo enim iudicio iudicatis, inquit, condemnabimini. S. Chrysost. to. 5. §. 17.

XII. Nos miseri citra delectum iudicamus, fastidimus, odimúsque, ac nihili facimus, quidquid videmus, quidquid audimus, quidquid tandem suspectum habemus; & quod longè gravius est, non malo ac damno nostro contenti, cæteros in communem ruinam pertrahimus. Quemcunque enim ex fratribus nostris obvium habuerimus, confestim illum alloquimur, ac dicimus: Illud & illud effectum est, eique pariter nocemus, dum cordi eius pravas cogitationes, lutulentásque cloacas ingerimus; nec eum timemus, qui dicit: Væ, væ illi, qui proximo suo turbidam subversionis portionem propinat. Cæterùm dum hoc agimus, dæmonis peragimus munus ac opus, Neque id curæ prorsus nobis. Quod enim opus aliud agit dæmon, quàm ludere, & obturbare quemquam? Itaque dæmonum sumus coadiutores, & cooperatores; in nostram ipsorum, ac proximorum, perniciem & ruinam. S. Doroth. serm. 6.

§. II.

EXEMPLA SACRA.

I. CUm DEUS olim Samuelem Prophetam in Bethlehem ad domum Isai ablegâsset, ad consecrandum Regem, qui Sauli successurus erat, nec tamen in specie declarâsset ei, quem 1. Reg. c. 16.

quemnam ex filiis Isai speciatim ungere deberet, videns coram se Eliab, (qui staturâ altus erat, hunc à Deo electum fuisse sibi persuasit, unde DEum interrogavit Propheta: *Num coram Domino est Christus eius?* Qui respondit servo DEI: *Ne respicias vultum eius, neque altitudinem staturæ eius, quoniam abjeci eum, nec juxta intuitum hominis ego judico; homo enim videt ea, quæ parent, DEUS autem intuetur cor.* Quò loquendi modò DEUS insinuare nobis voluit, quàm facilè decipiamur, si secundùm externam apparentiam iudicare velimus. Cùm enim operationis humanæ malitia secundùm actus internos metiri debeat, certum est, quòd hos solos Deus videre & ponderare possit, utpotè qui manifestat consilia cordium, homo autem nonnisi externa iudicare potest. Sed & S. Chrysostomus, explanans verba illa Genesis: *Descendam, & videbo, utrùm clamorem, qui venit ad me, opere compleverint*; sic discurrit: Docere nos vult, quod opus sit magnâ diligentiâ, & non auditu solo peccatores condemnandi sunt, néque sententiæ ferendæ, nisi cùm probatio præcedat; Audiamus hæc omnes; non enim solùm hi, qui pro tribunali sedent observare hanc legem debent; sed & nullus unquam ad nudam accusationem, proximum condemnet. Idcircò enim & post hæc B. Moyses Spiritu S. afflatus admonet dicens: *Auditum vanum ne accipias*; & B. Paulus scribens clamabat: *Tu autem cur judicas fratrem tuum?*

S. Chrysost. hom. 42. in Gen.

II. S. Matthæus priusquam referret, qualiter S. Josepho Beatissimam virginem gravidam esse, ignotum fuerit, hæc verba præmittit: *Joseph autem cùm esset justus.* Hæc enim vitæ iustitia & innocentia efficiebat, quòd, licèt Joseph in gravido Virginis utero partem se non habere sciret, nosséque insuper, ex lege adulteras lapidandas esse, nihilominùs ne mininam, in præiudicium Virginitatis Sponsæ suæ, suspicionem concipere præsumpserit. Quod velim, audiant temerarii, inquit S. Paschasius, & discant inter causarum incerta diu secum, ex reverentia timoris DEI, deliberare negotia, ne discrimine levitatis pressi, in deterius cadant. Porrò factum hoc Josephi, Authorem operis imperfecti induxit, ut in hæc verba exclamaret: O inæstimabilis laus Mariæ; magis credebat castitati eius, quàm utero eius, & plus gratiæ, quàm naturæ; conceptionem manifestè videbat, & fornicationem suspicari non poterat. Possibilius esse credebat, mulierem sine viro posse concipere, quàm Mariam posse peccare.

S. Paschas. l. 2. in c. 1. Matt.

Auth. op. imper. hom 1.

III. David quantoperè hoc vitium detestatus fuerit, ipsemet indicavit dicens: *Detrahentem secretò proximo suo hunc persequebar.* Judicium igitur temerarium, quod in mentis cordísque nostri secreto formamus, occultæ detractionis est species, quia scilicet, dum ipsum intra nos absque ulla manifestatione externa nihili facimus, iniustè apud nosmetipsos & temerariè absque sufficienti fundamento, bonum conceptum, bonámque proximi nostri (qui non minorem reputabit offensam & iniuriam, dum suam apud te, quàm apud quemcunque alium bonam perdidit æstimationem) eluimus, & annihilamus famam.

Psal. 100. Mansi tr. 41. disc. 1. n. 6.

Qualitas.

IV. In vitis Patrum de Sene quodam sexagenario, & consummatæ perfectionis viro narratur, quòd in Alexandriam concedens, omnium celebriorum meretricum in ea urbe existentium, conscripserit catalogum, & per quotidiani laboris mercedem ad singulas illarum sibi fecerit aditum, datísque illis stipendiis, easdem induxerit, ut per noctes ad suum illas haberet arbitrium. Ipse verò stabat à vespere in uno angulo cellulæ, ubi dormiebat mulier, psallens & orans pro ea, & mittens genuflexiones usque ad auroram. Unde meretrices frequentans, omni cum studio finem abscondebat rectum, quem in stipendiandis hisce mulieribus habebat, nimirum ne corpora sua prostituerent, iisdemque, ne id ipsum manifestarent, seriò prohibebat; interea verò in urbe Alexandrina malè audiens, finister de vita eius conceptus quotidiè magis invalescebat, adèo ut illum calumniarentur, in præiudicium quoque aliorum Monachorum, dicentes: verè & ipsi homines sunt, ut omnes. His verò, qui ipsi persuadere conabantur, ut à mulierum istarum familiaritate, quam malam esse suspicabantur, imò iudicabant, se subduceret, respondebat: Quid vultis ex me? Numquid Judices constituti estis super me à DEO? Ite, de vobis curam habetote, vos pro me DEO non redditis rationem. Unus est Judex, & sancta dies Judicii, quâ singulis reddet secundùm opera eorum. Tandem apud S. Joannem Eleemosynarium Patriarcham accusatus fuit, qui tamen eius cum meretricibus initam familiaritatem malam esse, nunquam sibi persuadere potuit, sicut re ipsa mala non erat, sed sanctissima & planè irreprehensibilis. Convertit enim Vitalius (hoc senis huius nomen erat) per continuatam hanc familiaritatem multas meretrices; Accidit verò, quòd, dum matutino tempore domum cuiusdam meretricis egrederetur, vir quidam fornicarius eandem ingrediens, validam illi impegerit alapam cum dicto; usquequò, pessime illusor Christi, non emendas te ab his nequitiis tuis? qui dixit ad eum; Crede mihi, accipies alapam à me humili, ut tota Alexandria colligatur ad clamores tuos. Paulò post verò Vir sanctus in cella sua mortuus est, absque eo, quòd ullus de morte ipsius certior fieret. Interea verò ater quidam dæmon ad instar Æthiopis ei, qui illum percusserat, apparens insignem quoque ei colaphum retulit dicendo: Suscipe alapam, quam misit tibi Vitalius Abbas: & cadens statim cœpit spumare. Hæc autem alapa tanto cum rumore à circumstantibus audita fuit, ac si sclopetum explosum fuisset, unde illuc cucurrit civitas; ipse verò serios pœnitentiæ actus exercens, & quia à spiritu maligno atrociter vexabatur, resipiscens, ad cellam S. Vitalii accurrit, ut liberaretur,

In vit. Patrum c. 13 apud Rosweyd lib. 1. in Vita S. 10. Eleemos fol. 197 c. 31.

caretur, ubi & protinus ad solum cellæ illius aspectum desideratam obtinuit gratiam. Dum verò porta cellulæ aperiretur, sanctum virum Dei genibus innixum, veluti animam exspirantem invenerunt, in pavimento autem legebantur digito inscripta hæc verba: Viri Alexandrini, nolite ante tempus aliquid iudicare, quoadusque veniat Dominus.

Mansi Lib. 6. n. 4. V. Idem S. Patriarcha, aliâ quadam vice deceptus fuit, ut fidem adhiberet accusationibus, quæ coram eo de Monacho quodam deponebantur, qui sæpius cum muliere quadam iuvencula per civitatem incedere visus, famâ publicâ laborare cœpit, ac si eâ tanquam concubinâ sua abuteretur. Sanctus itaque Patriarcha eum pariter & iuvenculam acerbè fustigatos in carcerem retrudi præceperat, verùm eadem nocte pius ille monachus ei in somnis apparuit, eique humeros & dorsum lividum ostendens, his verbis eum est affatus; Hâc unâ vice errâsti, ut homo: crede mihi, quia de proximo est vita & mors; hisque dictis confestim disparuit. Illucescente diluculo experiri volens, an Monachus, quem in carcerem conjici fecerat, similis esset illi, quem viderat in somno, eum ad se accersiri iussit, eumque Monacho, qui sibi apparuerat, simillimum videns, Eunuchum; mulierem verò Hebræam esse intellexit, quæ in Gaza Monachum convenerat, ab ipso in Fidei mysteriis instrui, & baptismi lavacro tingi petierat. Insuper dictus Monachus S. Joanni seriatim verba recensuit, quibus hanc sibi ab eo gratiam fieri postulaverat: Cœpit narrare (inquiebat) verbis horribilibus, ut non permitterem perire eam; timens itaque ego iudicium DEI, sumpsi eam, æstimans, quòd non immittet tentationem Satanas spadonibus. Illa igitur baptizata, tantam hinc indè conquisivit pecuniam, quæ ad eam in monasterium quoddam collocandam sufficere poterat. Cùm hæc audisset Patriarcha, dixit: Papæ! Quot absconsos servos habet DEUS, & nescimus nos humiles!

In vit. S. Philip. Nerii l. 3. c. 2. n. 7. VI. Theus Guerrius Seniensis, vir valdè illuminatus, pietate notissimus, S. Philippo Nerio valdè familiaris, maximéque ab eodem æstimatus, cùm ad negotia Romam venisset, à S. Philippo hospitio exceptus, vidit vespere S. virum Dei unà cum quibusdam Prælatis hilariter admodùm se gerere, simúlque risus miscere: Quam ob rem ratus isthæc puerilem redolere levitatem, tentatione actus est, num revera tanta Sanctitate floreret, quantâ vulgus arbitrabatur. At cum manè insequenti ad S. Virum culpas expiaturus accederet, quam de eo conceperat opinionem, omninò reticuit. Ad quem is: Caveas, inquit, O Thee, ne fictè ad confessionem accedas, culpámque vel levissimam humanis de causis silentio involvas: Et cur, subiecit, confessus non es, quòd heri vesperi de mè perperam cogitâsti? Admiratus est Theus, rémque omnem aperuit; atque hominis Sanctitatem veneratus, altiorem de eo opinionem animo defixit.

Surius in vita. R. P. Lohn. Auctar. Bibl. VII. Surius in vita S. Severini Archi-Episcopi Coloniensis refert, quòd Dominus quidam, magnis natalibus oriundus, in die nuptiarum suarum ab Angelo quodam, ad se sequendum eum invitante, in eremum quandam ductus fuerit, in qua vitam per multos annos transegit austerissimam. Huic die quadam scire desideranti, qualę sibi pro vita hac tam austera in cœlo præmium præparatum esset, Deus revelavit, eum pari præmio donandum, quo Archiepiscopus Coloniensis. Quare ut illum, eiusque conversationem videret, Coloniam profectus, Sanctum Severinum, in throno quodam magnifico sedentem invenit, atque post finitam Missam, unà cum aliis personis illustribus lautissimo convivio accumbere vidit; Tunc Eremita perterritus timere cœpit, ne hactenus ab eo in summâ austeritate transacta vita, Deo parùm grata fuisset, utpote pro qua altiori non esset præmio donandus, quàm is, quem in summa Maiestate & deliciis sedere conspexerat; Deus igitur, ut illum ab hoc errore liberaret, Angelum quendam ei submisit, qui eum moneret, maiori ipsum affectu, suspensæ ad cingulum lagunculæ adhærescere, quàm Archiepiscopum omnibus dignitatibus & felicitatibus humanis, quibus ipsum propitius mundus locupletare potuisset.

VIII. Celebris est illa S. Ambrosii de S. Theodora à Tyranno in prostibulo exposita, descripta historia; si quis vidisset ad Sanctam hanc Virginem ingredientem iuvenem dissolutum, & militari vitæ addictum, quem sibi conceptum formaturus fuisset? Et tamen audiamus, qualiter novellus hic Martyr Dydimus Sanctam hanc Virginem allocutus fuerit. Frater huc veni, inquit, salvare animam, non perdere; serva me, ut ipsa serveris. Quasi adulter ingressus, si vis Martyr egrediar. Vestimenta mutemus, sume habitum, qui abscondat fœminam, trade, qui consecret martyrem. *S. Ambros. l. 2. de virg.*

IX. Cardinalis Baronius ex Anastasio Sinaita Episcopo Antiocheno sequentem de Monacho quodam refert historiam. Hic enim cùm in otio, magnâque negligentia suam transegisset vitam, tandem infirmitate correptus, cùm morti vicinus esset, non solum non timebat, verùm etiam perlibenter, gaudens, Deóque gratias agens ultimum suum exspectabat vitæ finem, quem nonnulli eiusdem monasterii Religiosi, qui cum ipso familiariter egerant, convenientes, dixerunt ei: Frater, unde tanta hæc tua procedat securitas, scire haud quaquàm possumus, utpotè qui hactenus te usque in præsentem horam cum summa negligentia vixisse vidimus. Quibus moribundus respondit: verè ita est, negligentissimè inter vos vixi, veruntamen scire vos velim, Angelos Domini in hac eadem hora quandam ad me attulisse chartam, omnia à me admissa peccata continentem, quæ ea, quæ post dimissam sæcularem vitam commisi, mihi prælegentes me interrogarunt, an ea à me commissa esse agnoscerem, quibus ego subiunxi: Imò verò hæc omnia negare non possum, veruntamen certiores esse, quòd ab *Baron. Anno 539. n. 8.*

ex hora, quâ factus Monachus mundum reliqui, neminem unquam temerè iudicaverim, neque illatas mihi iniurias recordari unquam voluerim. Ac proinde spero, ac Deum rogo, ut in me quoque verificentur verba illa Domini, dicentis; *Nolite judicare, & non judicabimini*; nec non & illa: *Dimittite, & dimittetur vobis.* Quibus à me dictis, Angeli protinus dictum scripturam dilacerârunt. & ideo lætus & securus hinc recedo ad DOMINUM; & post hæc verba placidè suum spiritum emisit.

S. Doroth. serm. 1. X. S. Dorotheus de sene quodam Monacho, nomine Amon, refert, quòd, cùm quidam Zelo ardentes cum furore abiissent ad accusandum quendam Monachum, qui mulierem quandam in cellam suam introducere præsumpserat, ut verò idem Dorotheus ostenderet viscera charitatis Amonis, in hæc verba prorupperit: Bone Deus, quæ miserationis viscera ostendis, quantam prætulit anima illa sanctissima charitatem! Cùm enim non ignoraret sub pithacio absconditam haberi, latetéque ibi; ingressus cellam super pithacium sedit, iussitque ut cellam universam fratres perscrutarentur, sed cùm nihil penitus invenissent, dixit ad eos: Parcat vobis, Fratres, Deus; Quo pacto illos penè confusos dimisit, præmonuitque, ne facilè quidquam adversus proximum crederent. Illum verò fratrem correctiona suâ modestum ac sobrium reddidit.

Damnum.

Num. 16. XI. Disposuit olim divina iustitia severè castigare Core, Dathan & Abiron; quodnam verò fuit illud supplicium, quod illis cælitùs immisit! Dirupta est terra sub pedibus eorum, & aperiens os suum, devoravit illos, descenderúntque vivi in infernum. At verò quonam hæc inaudita, & à principio mundi ad illud usque tempus nunquam practicata pœna collimavit, ut scilicèt præsciti illi, vivi in infernum commigrarent? Nimirum pœna ipsorum culpæ condignè respondit. Ipsi namque, ut Lyranus & Abulensis asserunt, adversùs duos fratres, Moysen & Aaron malignati fuerant, dum illos temerè iudicârunt, ac si ex propriæ ambitionis motivo, populo Dei dominari, in eúmque tyrannidem exercere voluissent: Ideóque priusquàm in abyssum deturbarentur, Moyses causam suam iustificare volens, inquit: In hoc scietis, quòd Dominus miserit me, ut facerem universa, quæ cernitis, & non ex proprio ea corde protulerim: Si consuetâ hominum morte interierint, non misit me Dominus. Si autem novam rem fecerit Dominus, ut aperiens terra os suum deglutiat eos, descenderíntque viventes in infernum, scietis, quòd blasphemaverint Dominum.

S. Antonin. p. 2. tit. 3. c. 6. XII. S. Antoninus de duobus Fratribus, qui servitio Dei cum fervore intenti eremum incolebant, refert, eos ad tantam pervenisse puritatem & perfectionem, ut sæpè unus super capite alterius splendidissimos viderit lucis radios, clara supernæ gratiæ indicia. Accidit autem, quòd, dum Sancti Patres illius solitudinis, in qua demorabantur, illos inviserent, unus ex duobus hisce Fratribus Monachum quendam in die Veneris ad horam Tertiarum, manducantem conspiciens, illum ieiunium, quod tunc haud secùs ac si præceptum fuisset, inviolabile esse censebat, transgressum fuisse, temerè iudicârit. Qui, cùm ad cellam suam reverteretur, Frater eius natu maior solitos super eius caput splendores minimè videns, illum, an conscientia alicuius culpæ illum redargueret, interrogavit, eò quòd nullus super eum lucis radius splendescere conspiceretur? Qui rigidum circa se ipsum examen instituens, nihil aliud invenit, præterquàm temerarium illud iudicium, quod de illo Eremita sibi formaverat; Intellexit ergo maior natu, illud temerarium iudicium fuisse causam illius subtractionis gratiæ, iustam enim causam potuit habere ille solvendi ieiunii.

XIII. In vita S. Auxentii Presbyteri Archimandritæ, Bollandus de impio quodam homine refert, quòd, cùm ab amico suo rogaretur, ut secum ad Sanctum illum Archimandritam ad recipiendum salutis monitum concederet; ille diabolico quodam instinctu ab eo alienus, non solùm non fuit persuasus, ut iret, sed etiam eum cœpit maledictis incessere & irridere, eum vocans impostorem. Cùmque nihilominus ambo ad Sanctum virum Dei accessissent, ab eodem summa cum charitate accepti fuêre; verumtamen illum, qui incredulus erat, ne verbo quidem affatus est, propter quod is abindè recedens, pluribus rursum maledictis B. Auxentium insectatus est, ut qui gloriæ causâ, & non virtutis, quidquam faceret. At verò quamnam suæ huius temeritatis pœnam retulit? Nimirum in itinere obvium quendam filiorum suorum habuit, qui vestem sibi lacerans inconsolabiliter plorabat, à quo cùm fletûs sui causam interrogaret, neque is eam pandere auderet, tandem Patris importunitate victus dixit, filiam eius fortiter à Dæmone vexari. Tunc ille stimulo motus conscientiæ cœpit faciem suam percutere, & vellere capillos suos, & magnâ voce clamare: væ meæ incredulitati! Cùmque ad pœnitentiam redactus, ad Sanctum Dei virum recurrere, & erroris sui veniam postulare moneretur, hic bona aliorum consilia sequens, subitò filiam suam à spiritu maligno, se verò ab eius malignitate liberum esse factum, expertus est. *Bolland. T. 1. Febr. 14. fol. 772. l. 3. c. 26.*

XIV. In vita S. Philippi Nerii scribitur, quòd Anno 1559. adversùs visitationem septem Ecclesiarum, quas ille instituerat, quásque cum ingenti hominum concursu ad hæc usque tempora feria 5. post Dominicam Sexagesimæ, ad declinanda Bacchanaliorum pericula, Patres Congregationis ab eo institutæ, concinnare solent, sæva suscitata fuerit persecutio, siquidem arguebant eum, quòd ex superbia, tantâ populi multitudine congregatâ, totius urbis oculos ad se niteretur convertere, crevítque hic persecutionis strepitus eò usque, ut ad Vicarium summi Pontificis in alma urbe rumor *In vit. S. Philip. Ner. l. 2. c. 16.*

ille tandem pervenerit, qui malevolorum sermonibus permotus, Philippum accersiri iubet; & accedentem acerius his verbis obiurgat: Non te pudet, inquit, hominem, qui mundi contemptum profiteris, ut auram popularem colligas, tantâ stipatum turbâ per urbem incedere, tibique his retibus Ecclesiæ dignitates aucupari. At verò quemnam res hæc tandem finem habuit? Nimirum Prælatus iste, prout ei prædictum fuerat, intra quindecim dies miserabiliter mortuus occubuit, sicque persecutio cessavit, Sanctique viri Dei bona & recta intentio omnibus per signa miraculosa manifesta evasit.

Lib. 2. Reg. c. 6. v. 16. XV. Michol Regem coniugem suum in processione solemni coram Arca saltantem videns, despexit eum in corde suo, hísque probrosis verbis & convitiis est aggressa; *Quàm gloriosus hodiè fuit Rex Israel, discooperiens se ante ancillas servorum suorum, & nudatus est, quasi si nudetur unus de scurris?* Et tamen constat, quòd omnes SS. Doctores hanc solam Davidis actionem omnibus victoriis & triumphis ab inimicis suis reportatis generosiorem esse asserant. Unde celebris est illa Gregorii Magni sententia: Ego David plùs saltantem stupeo, quàm pugnantem. Advertendum est autem, quòd subitò condignum Michol uxorem suam, eum irridentem, exceperit supplicium, siquidem sterilitate punita fuit, quæ illo tempore in populo Dei manifestum erat Divinæ maledictionis indicium; Unde sacer textus, postquam sinistrum hoc Michol iudicium retulisset, confestim subiungit: *Igitur Michol filia Saul non est natus filius usque in diem mortis suæ.* Porrò incomparabiliter maior pœna fuit, quæ Ammonitis immissa legitur, ob iudicium quoddam sinistrum, quod de legatis Davidis formaverant, dum eosdem regionis Ammonitarum exploratores esse censuerant. Quid verò Regiis Legatis intulerint, notum est omnibus, quia contra ius gentium ministros publicos pessimè tractârunt; David, licèt de mansuetudine sua gloriari non dubitârit, dicendo: *Memento Domine David, & omnis mansuetudinis eius*: nihilominùs adeò atroci pœnâ illos mulctavit, ut atrocior in historiis tam sacris quàm profanis hactenus nunquam lecta fuerit, nec legetur deinceps.

Lib. 2. Reg. c. 10. & c. 12. à v. 29.

Pratum florid. p. 2. à f. 37. XVI. In prato florido legitur, quòd in Regno Lusitaniæ, Juvenis quidam fuerit in religione conspicuus, multísque virtutibus dotatus, & orationis exercitio plurimum deditus, qui tamen ad contemnendum alios, eorúmque actiones sinistrè diiudicandas, pronus & facilis fuit. Hic igitur post mortem amicis suis apparens dixit, quòd, tametsi ob conservatam virginitatem, multásque effusas lacrymas in salvo esset, nihilominùs in purgatorio graviter arderet, ob nimis pronam alios iudicandi & contemnendi, consuetudinem.

Ibidem l. 2. c. 10. XVII. Idem Author aliud quoddam valdè peregrinum narrat vindictæ divinæ in sinistrè iudicantes exemplum; Sibi namque à multis Scriptoribus, quos nominatim specificat, relatum fuisse dicit, quod, an verè, ut scribitur, acciderit, prudentis lectoris fidei arbitrandum relinquo. Margarita enim olim Hollandiæ Comitissa pauperculam quandam fœminam duobus infantibus, quos uno partu enixa fuerat, onustam videns, eam illos ex adulterio genuisse temerè iudicavit; & tanquam adulteram publicè calumniata fuit. Quæ calumniam hanc sibi iniustam cum dolore audiens, Comitissæ respondit: Ego tametsi pauper & egena sim, mulier tamen sum boni nominis & honesta, neque huius mihi iniusti criminis vel minimùm conscia, ac proinde DEUM obsecro, ut ad innocentiæ meæ tutandæ testimonium circa te disponat, ut tot filios unico partu enitaris, quot sunt dies in anno. Nec diu suspensum est iustum DEI iudicium, quia in huius temerarii iudicii pœnam post multos menses, trecentos sexaginta quinque filios unico genuit partu, qui omnes vivi simul ab Ottone Episcopo sacri Baptismatis undis abluti fuêre.

XVIII. Celebre quoque est, quod S. Gregorius in dialogis suis de Totila recenset, qui S. Cassium sanctitate insignem, in vultu rubicundum nimis esse cernens, ruborem hunc à nimio vino potato processisse iudicavit; DEUS autem servi sui causam tueri volens, disposuit, ut Dæmon scutiferum eius ingrederetur, qui cùm à S. Episcopo miraculosè à tartareo hoc hospite liberaretur, Totila iudicium suum, quod de viro DEI temerè formaverat, agnovit, & damnavit. *S. Greg. l. 3. Dialog. c. 6.*

XIX. B. Dorotheus historiam adducit in vitis Patrum contentam; Ast priùsquam eam commemorare incipiat hæc præmittit verba: Cur DEI iudicium nobis usurpamus? Quid ad nos de Creatura eius? nónne contremiscere debemus, cùm id, quod magno seni illi acciderit, audimus? Qui cùm audisset quendam ex fratribus in fornicationem incidisse, dixit, ô quàm malè egit. An nescitis, quàm horrenda res de ipso narratur in libro Seniorum? Nam Angelus sanctus animam illius, qui peccârat, cùm iam ex hac vita migrasset, ad senem hunc detulit, & ait illi: Ecce quem iudicâsti, vitâ functus est, quò igitur animam eius iubes deferri? ad cœlorum Regnum, an ad pœnas æternas? Móxque idem Sanctus finem, quem DEUS in seniore hoc, quantumvis Sancto, sed ad sinistrè iudicandum proclivi habuit, interpretari satagit, dicens: Quid quæso aliud innuere seni volebat Angelicus sermo, quàm hoc? Quoniam tu iam Judex ac censor es iustorum, simul & peccatorum, quid fieri iubes de hac misera anima? censésne misericordiâ dignam, an pœna & cruciatu? Quâ quidem horrendâ visione adeò perculsus est senex ille sanctissimus, ut reliquum vitæ suæ tempus, in gemitibus & lacrymis, in innumeris ærumnis, & laboribus egerit, DEUM assiduis precibus fatigans & pulsans, ut veniam tanti sceleris & erroris concederet. Ad pedes itaque Angeli se prosternens, veniam petiit de culpa, mox- *B. Dorotheus serm. 6.*

móxque ab eodem audiit: Ecce ostendit tibi DEUS, quàm gravè sit, proximum iudicare, ne post hac ampliùs rem hanc commiseris.

Vit l. 1. c. 7. n. 10. XX. Hoc ipso temerarii Judicii opprobrio, & vituperio Dæmon nos onerare satagit. Quemadmodum ex vita colligitur S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis Carmelitanæ, cuius sanctæ virginis sinistrum ut in sororibus fundaret conceptum, eius assumpsit figuram; Et quia in pane & aqua ieiunare solita erat, impostor culinam ingreditur, & in coquæ absentia partem carnis è lebete aufert, mòxque obvius cuidam moniali grave præbuit scandalum; Nec mora, mox enim rumor facti per totum vagari cœpit monasterium; ast serpentis maligni discoopertum fuit stratagema; siquidem eo ipso tempore sanctam in domo Capitulari pro Communione faciendâ fuisse, compertum fuit. Aliâ pariter vice eandem diabolus assumens formam, tempore nocturno res abstulit aliquas comestibiles; Sed & ex Novitiæ cuiusdam relatione, omnes certificatæ fuerunt Sorores, Sanctam toto illo tempore, quo dictum furtum memorabatur admissum, nunquam ex novitiatus Oratorio egressam fuisse.

Mansi disc. 2. n. 6. XXI. S. Henricus Imperator communi consensu virgnitatem perpetuam coluit cum Imperatrice Cunegunde Uxore sua, & nihilominùs non una, sed vicibus trinis, ex Coniugis thoro quendam exire vidit in forma militari, unde & sinistrum formare cœpit conceptum; sed Dæmonis, qui ut malum de sancta iudicium suscitaret, dictum habitum induerat, illusionem fuisse, tandem didicit; quando S. Coniugis innocentia miraculo probata est.

§. III.

SIMILITUDINES.

Qualitas.

Mansi disc. 1. n. 4. I. Sicut qui infirmum habet palatum, omnisque cibi patitur inappetentiam, omnis cibus, quantumvis sit delicatus & sapidus, illi insulsus & insipidus esse videtur; ita quoque, ut S. Chrysostomus ait: Donec inter nos malevolum gerimus animum, & vox audita nobis aliter sonat, & ipsam faciem corruptâ mente aspicimus.

Author imperf. hom. 5. II. Sicut difficilè aliquem suspicatur malum, qui ipse est bonus; sic difficilè aliquem suspicatur bonum, qui ipse est malus.

S. Bonav. to. 7. de Prof. Relig. l. 1. c. 7. III. Sicut non videmus aliorum cogitationes, ita nec intentiones eorum, quare hoc, vel hoc, fiat. Unde quidquid aliquo modo potest excusari, semper ad meliorem partem interpretemur, si volumus tranquillum cor nobiscum habere, & cum aliis, & alios non turbare, & Deum non offendere, quia sæpè iudicamus malum esse, quod in se non est malum.

Mansi disc. 6. n. 7. IV. Sicut ex eodem pulchro, venusto, atque odorifero flore mel colligitur, suave & salutiferum, nec non venenum amarum & mortiferum. (Quæ tanta rei huius differentia? forsitan in flore consistit? Nequaquam; sed totum penes animalia, quæ iis insident, est discrimen; Apis mel sugit, aranea verò virus, quia aranea est) Ita quoque homo virtute & charitate præditus, omnia, quantumvis apparenter mala, in meliorem interpretatur partem, aut indifferentia reputat, aut iudicium suspendit; quia scilicet, ut Apostolus inquit, *charitas non cogitat malum, diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*, etiam peccata, ut glossa subnectit. Contra verò cor malignitate plenum, semper ad malum inclinatur, licèt actio proximi indifferens sit, dicente Scriptura: *Impii autem replebuntur malo.*

V. Sicut contrarius est ignis aquæ, ita quemque velle iudicare, repugnat illi, qui de suis peccatis vult ex animo pœnitere. S. Io. Clim. gr. grad. 10.

VI. Sicut qui imaginem Christi in luto iacentem invenit, reverenter eam levat, lavátque, & in luto nequaquam manere permittit: Mansi disc. 10. n. 1. Eodem modo, qui veram charitatem habet, & proximum nostrum, qui est imago Dei, nonnunquam defectui vel vitio alicui manifesto immersum esse deprehendit, illum corrigere studet, eíque compatitur, & si defectus non sint publici, eos pro viribus celat. Si verò sint incerti, malè de illis non iudicat, quia charitas operit multitudinem peccatorum.

Damnum.

VII. Sicut magna utique & omni severissimo supplicio dignissima arrogantia foret, si subditus aliquis Regi, in throno sedenti, & diademate regio redimito, sceptrúmque in manibus ferenti, coronam & sceptrum violenter eriperet, hoc autem facit omnis ille, qui proximum de occultis cordis sui temerè iudicat, Audiamus eundem S. Bernardinum id clarè his verbis dicentem: Quando tu iudicas, accipis sceptrum de manu Dei, & iste est modus præsumptuosus, & huic dicit Paulus: *Tu quis es, qui iudicas alienum servum, quia Domino suo stat*, scilicet iudicare, si benè vel malè facit, quia tibi non est datum iudicare, sed potestatibus in hoc mundo per iustitiam, & Deo super omnia. S. Bernardin. tom. 1. ser. 17.

VIII. Sicut deficiente stomaho calore naturali ad cibum digerendum requisito, quantumvis cibus delicatus & substantiosus sit, illum tamen in bilem, & malos humores convertit; Econtra stomachus vigorosus alimentum cœteroquin crudum & noxium in bonam transmutat substantiam: Ita quoque in casu præsenti asserere possumus: Nam anima charitate ardens licet actionem quandam proximi sui secundùm exteriorem apparentiam malam videat, attamen non cogitat malum, quia charitas operit multitudinem peccatorum, convertitque in virtutem, quod oculo vitium esse videtur, excusat actionem illam, eandémque rectâ cum intentione factam fuisse, interpretatur; At verò qui animam depravatam, & cor malignum, ac charitatis expers habet, actus quoque reverâ virtuosos sinistrè interpretatur. Unde S. Augustinus S. Aug. To. 4. de serm. Dom. in Monte l. 2. c. 1.

gustinus inquit: Maximè hi temerè iudicant de incertis, & facilè reprehendunt, qui magis amant vituperare, & damnare, quam emendare, atque corrigere.

Mansi disc. 1. n. 3.

IX. Sicut quando radix arboris alicuius vitiosa est, videmus per experientiam, quòd humorem suum vitiatum in ramos & germina transmittens, malam qualitatem illis pariter communicet. Eadem quoque ratio est cordis, & mentis humanæ, quando enim hæc veneno odii & aversionis erga proximum suum est obnoxia, quidquid hic boni operatur, defectui adscribitur.

§. IV.

MOTIVA.

S. Doroth. serm. 6.

I. QUia *Deum fugat judicium temerarium*, nam, teste S. Dorotheo, tantò quisque ad Deum proximè accedit, quantò magis in amore, & benevolentia Christiana proximo suo adhæserit. Docet verò experientia, quod, dum quis malè de proximo suo iudicat, manifestè per hoc indicet, se ab eo esse aversum, aliàs enim non tam facilè sinistrum de eo formaret conceptum.

S. Bonav. in stim. amoris c. 10.

II. *Quia pestis occulta est*, ut S. Bonaventura ait, sed gravissima, quæ Deum fugat, & fraternam lacerat charitatem; Pestis enim est venenum quoddam occultum, quod ad cordis regionem serpendo, vitam homini eripit; vita autem animæ in charitate consistit, quia qui non diligit, manet in morte; ac proinde iudicium temerarium venenum quoddam & pestis est, quæ charitatem extinguit, quam proximo debemus, quia fraternam lacerat charitatem.

S. Thom. apud Mansi disc. 2. n. 8.

III. *Quia mater contemptûs & detractionis est*, & de contemptu quidem testatur S. Thomas dicens: Ex hoc, quòd habet aliquis malam opinionem de aliquo, & absque sufficienti causa iniuriatur ei, & contemnit ipsum in mente sua. Nullus autem debet contemnere proximum, vel quodcunque nocumentum inferre, absque causa urgente, quia hoc est contra charitatem proximi. De detractatione verò S. Bernardinus dicens: Decimus fructus (scilicet judicii temerarii) est detractio, nam tale iudicium temerarium radix est, & fomentum omnis detractionis.

S. Bern. sen. to. 4. serm. 14. c. 3.

IV. *Quia diaboli fœtus est*, ut qui hoc venenum quovis sæculo in universam humanam progeniem transfundere molitus fuit; Propter quod S. Augustinus in epistola quadam ita scribit: Qui timetis Deum, mementote, quòd ait Apostolus Petrus, *quoniam adversarius vester Diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret*, quem non potest devorare, seductum ad nequitiam, famam ipsius inquinare conatur, ut, si fieri potest, opprobriis hominum, & malignarum linguarum detractione deficiat, & sic in eius fauces ruat. Si autem nec famam innocentis maculare potuerit, hoc persuadere tentat, ut per malevolas suspiciones de fratre suo iudicet, & sic ab illo implicatus absorbeatur.

S. Aug. to. 2. ep. 137.

Ierem. 6. 17. 9.

V. *Quia turpiter fallit*; uti Deus ipse per Ieremiam indicavit dicens: *Pravum est cor omnium, & inscrutabile: quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor, & renes probans.* Quis igitur corda humana, illorúmque sinum penetrare, Deique iurisdictionem sibi usurpare præsumit præterquam Lucifer, qui temerè de se gloriatus est, dicens: Ascendam super altitudinem nubium, ero similis Altissimo?

S. Bernardin. to. 4. ser. 20. a. parte principali.

VI. *Quia Deo gravem injuriam infert, dum ei gloriam suam aufert*; nam, ut S. Bernardinus dixit, duo sunt, quæ sibi Deus retinuit, & spectant ad ipsum solum; scilicet gloria & iudicium; Gloriam meam nemini dabo; iudicium dedit ei Pater facere. Atqui Dei gloriam deprædari videtur, quicunque humanarum mentium asuescit arcana perquirerere. Ipsi soli hominum cogitationes, sicut notæ sunt, ita iudicandæ ab illo. Hinc idem S. Bernardinus ait: Judicis iniuria est, si ante eius iudicium à servo procedat sententia. Sed notandum est, quòd talis iudicii usurpatio tantò gravior est, quantò summo iudicio iudicandi authoritas usurpatur. Quibus accedit S. Laurentius Justinianus dicens: Hinc quorundam præsumptuosorum est redarguenda temeritas, qui nedum proximorum opera discutiunt, verùm etiam alieni cordis se faciunt iudices. Volunt quippe iudicare, quales sint hominum cogitationes, quibus ducantur affectionibus, quâ intentione operentur, quóve spiritu moveantur, quod omninò non licet, cùm nemo scire valeat, quid agatur in homine, nisi spiritus hominis, qui in illo est, quánque persæpè contingat, quòd sibi ipsi ignotus sit. Divinam in se tales reflectunt authoritatem, quæ interiorum sola est capax, dum intentionum cogitationúmque abdita penetrare posse se putant. De his legitur sic: Ambulabant in tenebris, sicut in meridie. Porrò, quemadmodùm in meridie, ita illi in tenebris ambulare dicendi sunt, qui mentium proximorum profunda consilia curiosâ investigatione perlustrant. Et ex hoc indicia temeraria contingentes, in nocte ignorantiæ ambulantes, meridiem se aspexisse exultant. Opus enim malitiæ implet extremæ, dum falsa proximo opprobria affigit & crimina, & invadit Magistri locum, cùm non sit dignus tenere discipuli.

S. Laur. Inst. de vit. solitar. c. 3.

S. Bern. sen. to 2. ser. 14. a. 3. c. 2.

S. Laur. inst. lib. de anim. interitu.

S. Chrysost. ho. 42. in Gen.

Tertul. Apol. c. 7. n. 101.

VII. *Quia etiam fama, cui iudicium plerumque innititur, fallacissima est*, uti Terrullianus indicavit dicens: Natura famæ omnibus nota est; nam iuxta Virgilium *fama malum quo non aliud velocius ullum*; cur fama malum? quia velox? an quia plurimùm mendax? quæ ne tunc quidem, cum aliquid veri affert, sine mendacii vitio est, detrahens, adiiciens, demutans de veritate. Quid? quòd ea illi conditio est, ut nonnisi, cùm mentitur, perseveret. Fama, nomen incerti, locum non habet, ubi certum est. An verò famæ credat,

nisi

nisi inconsideratus? quia sapiens non credit incerto.

S. Climac. gr. 10. VIII. *Quia incertum est, quem exitum habitura sit vita hominis.* Hinc S. Climacus reflectens se ad illam mutationem, quæ in Juda & Latrone in brevissimo tempore visa fuit, ita scribit: Quin & hoc attende, & penitus abstinebis à iudicando, si quem videris peccantem; Judas in Collegio discipulorum erat, Latro verò in numero homicidarum, & mirandum est, quanta rerum uno momento facta sit conversio. In vita S. Philippi Nerii (qui corda penetrandi dono pollebat, aliorúmque obscœnam impuritatem ex solo sentiebat odore) legitur, quòd cuidam malam eius detexerit conscientiam, dicendo ei, quòd pessimum faciei præ se ferret colorem, ad peccatum alludens, quo coinquinatus erat; hic autem seorsim se subducens, cùm in corde suo compunctionis actus excitâsset, ad præsentiam S. Philippi denuò rediit, cui tunc sanctus vir dixit: Fili, vultûs tui mutâsti colorem, iucundiorem enim refers faciem, quàm anteà. Idem S. Climacus ibidem ait: Vidi, qui palam peccaret, & clàm pœniteret, & quem ego ut impurum nequam damnaveram, iam apud DEum temperans & pudicus habebatur, cùm per sinceram emendationem DEUM sibi propitiâsset. S. Ephrem quoque ita scribit: Si fratrem peccantem aspexeris, & postero die eundem videris, ne ipsum ut peccatorem tecum reputes, ignoras enim, an te absente post lapsum benè operatus sit, & suspiriis atque gemitibus Dominum placaverit.

Vita S. Philip Nerii l. 3. c. 8. n. 28.

S. Ephrem to. 3. de timore Dei.

S. Dorotheus serm. 6. IX. *Quia prior vita non noscitur*; hinc S. Dorotheus in quodam sermone suo de hac eâdem iudiciorum temerariorum materia fusè tractans, alia inter monita hoc pariter statuit; si contigerit, ut deflectat, & labatur, unde quæso tu nosti, quanta ille pertulerit priùs, quo certamine sudaverit, aut quanto sanguine maduerit? Fortâsse fieri potest, ut error illius coram DEO tanquam iustitia reputetur; intuetur enim DEUS agonem, & laborem illius, & afflictionem, quam pertulit, antequàm errorem illum & casum incurrerit, proindéque miseretur & ignoscit. Itaque DEUS miseretur, & veniam illi præstat; tu verò condemnas, & animam tuam perdis. Unde, quæso, tu nosti, quàm largas & uberes effuderit ille pro suo delicto lachrymas ante conspectum Domini? Benè igitur D. Bernardinus ait; De quo desperamus, subitò convertitur, & fit optimus; de quo multum præsumpseramus, deficit & fit malus, nec timor noster certus est, nec amor. Quid sit hodie quisque homo, vix novit ipse homo. Sic agebat hæc considerans Frater Bernardus de Quintavalle, S. Francisci Socius, scintillantes instar duarum stellarum habebat oculos. Pérque divinam revelationem intellexit Frater Leo, ideò esse oculos eius radiantes, quòd, quidquid videret, semper in meliorem partem interpretaretur, & neminem aspiceret, quem se meliorem non iudicaret. Unde si quem pauperculâ opertum videbat veste, dicebat intra se: Hic patientiùs paupertatem tolerat, quàm tu Bernarde; si pretiosam videbat chlamydem; Hic fortè sub veste delicatâ melior est, quàm tu sub tunicâ rudi, Bernarde.

S. Bernardinus apud Mansi disc. 8. n. 3.

Ibid. disc. 10. n. 4.

X. *Quia fuga illius ad Judicem Christum conciliandum* conducit iuxta illud Christi promissum: *Nolite judicare, ut non judicemini. In quo enim judicio judicaveritis, judicabimini.* Matth. 7. v. 1.

§. V.

MEDIA

I. *Sui ipsius consideratio*; ita S. Bonaventura monuit dicens: Quandocunque aliquid videris fieri, quod tibi displiceat, antequam iudices facientem, primò respicias temetipsum, utrum in te invenias aliquid reprehensibile, quod si inveneris, tunc in illo, in quo alium iudicas, temetipsum condemna, dicendo cum Propheta: *Ego sum, qui peccavi; ego qui iniquè egi*, & non sis sicut hypocrita, qui nunquam respicit defectus suos, sed præsumit de se, & condemnat alios, detrahit & iudicat, & vult videre festucam, in oculis eorum; trabem autem, quæ est in oculo suo, non considerat; quem veritas reprehendit, dicens: *Hypocrita, eijce primùm trabem de oculo tuo, & tunc perspicies, ut educas festucam de oculo fratris tui.* Hinc & S. Climacus ait: Quicunque sua ipsius vitia sine amoris proprii velo accuratè perspexit, nullius rei alterius humanæ curam suscipiet, ut qui intelligat, nullum tempus ad sua peccata deflenda sufficere, etiamsi centum annos viveret, viderétque totum Jordanem in lacrymas versum ex oculis suis defluere.

S. Bonav. apud Mansi disc. 11. n. 4.

S. Climac. gr. 10.

II. *Dilectio proximi*; ita suadet S. Gregorius dicens: Sed quare hoc grave videtur nobis esse in proximo, nisi quia nec nos sicut proximum, nec proximum conspicimus, sicut nos? Si enim nos sicut proximum aspiceremus, nostra reprehensibilia districtè videremus; & rursum, si proximum aspiceremus ut nos, nunquàm eius actio appareret intolerabilis, qui sæpè fortasse talia egimus.

S. Greg. l. 1. Hom. 4. in Ezech.

III. *Intentionem occultam attendere*; nam teste S. Augustino, in disciplina nostra non tam quæritur, utrùm pius animus irascatur, sed quare irascatur; Nec utrùm sit tristis, sed unde sit tristis? nec utrùm timeat, sed quid timeat? Irasci enim peccanti, ut corrigatur; contristari pro afflicto, ut liberetur; timere periclitanti, ne pereat, nescio utrùm quisquè sanâ consideratione reprehendat. Hinc Cassianus quoque ait: Etiam ob hoc iudicare de aliis, periculosum est, quòd ignorantes vel necessitatem, vel rationem, quâ illi hæc, in quibus offendimur, aut rectè coram DEO, aut venialiter agunt, invenimur eos temerè iudicâsse, & per hoc admittimus non leve peccatum. Cui etiam consentiens S. Bernardinus, est nobis, inquit, aliquod dubium ex ignorantia principii; Nam principium boni vel mali operis, est intentio vel voluntas, unde cùm incertum sit,

S. Aug. to. de Civit. Dei c. 5.

Cassian. l. 5. c. 30. instit.

S. Bernardin. to. 2. ser. 14. a. 1. c. 5.

sit, quô animô, vel quâ intentione opus sit factum, temerarium iudicium debemus præcavere.

§. VI.

ASCETICA.

I. *Inprimis nôsse debet radicem hujus vitii*, quam S. Dorotheus indicavit dicens: Unde autem isthæc patimur, nisi ex eo, quod charitate vacamus? nulla enim, vel admodùm tenuis, & exigua nobis inest charitas. Nam charitas non cogitat malum, omnia suffert, ac tolerat, omnia credit. S. Antoninus quoque id confirmans, provenit, inquit, hoc ex eo, quòd quis malè afficitur ad alterum. Cùm enim quis contemnit alium, vel odit, vel irascitur, vel invidet; ex levibus signis opinatur malè de ipso, quia unusquisque faciliter credit, quod appetit; quia igitur malè affectus ad alium appetit illi malum, promptus est ad cogitandum malum de eo.

S. Doroth. ser. 6.

S. Ant. p. 2. tit. 3. c. 8. §. 10.

II. *Nôsse debet fundamentum hujus malitiæ*; Nam proximus noster Jus habet, bonum nomen bonamque famam, tam apud nos, quàm quemcùnque alium exigendi, modò malis suis, iisque manifestis, & patentibus actionibus conceptum bonum non destruxerit; illi itaque iniuriamur, dum absque coniecturis & argumentis sufficientibus in contrarium, sinistrum formamus affectum; Atque ita charitatem, imò & iustitiam, cuius debitores sumus, non ostendimus; hinc Dionysius Carthusianus sequens statuit monitum: Sicut tu grave damnum infers proximo, apud alterum eius famam, & bonam opinionem lædendo, ita & apud te ipsum; quia non minùs optat proximus apud te æstimari probus, quàm apud alterum.

Mansi disc. 6. n. 7.

III. *Nôsse debet, quando graviter peccetur per hoc vitium.* Id quod Abulensis indicat dicens: ad radicem, unde derivatur, attendendum esse. Hæ autem ut plurimùm tres sunt. Prima est, quando quis in se ipso malus est, talis namque alios sibi reputat similes, difficile æstimans facto, ut quis ab iis vitiis remotus sit, quibus ipse immersus hæret. Secunda iudicii temerarii radix est malignitas atque odium, quod quis concipit contra proximum à passione invidiæ, contemptùs, aut indignationis traductus; Talis enim vel ex levissimis movebitur indiciis, ut quodcunque de proximo formet iudicium; quilibet enim faciliter credit, quod appetit. Tertia radix in longa fundatur experientia, quam quis de malis alterius habet actionibus, & inclinationibus. Tunc enim faciliter movetur ad credendum malum. Unde Aristoteles libr. 2. Rhetorices, senes ut plurimùm præ reliquis suspiciosos esse astruit, quia maiorem de iuvenibus experientiam habent. Hisque præmissis, tandem concludit Abulensis in hæc verba: Primæ duæ radices iudicandi malæ sunt, quia manifestè pertinent ad perversitatem iudicantis, scilicet ad pravum iudicium, & malum affectum; Nam quòd quis iudicet, alios malos esse, quia ipse malus est, pravitas iudicii est; Quod verò mala iudicat, quia mala cupit, iniquitas voluntatis est; Ideo istis duobus modis iudicare, semper peccatum est. Judicare autem tertio modo, habet aliqualem rationem, quia experientia præteritorum certificat hominem aliqualiter circa ea, quæ contingunt, & in quantum causat aliquam certitudinem, tollit vel diminuit conditionem suspicionis. Quæ doctrina magna ex parte ex S. Thoma desumpta est, qui tres suspicionis gradus in hæc distinguit verba: Primus gradus est, ut homo ex levibus indiciis de bonitate alicuius dubitare incipiat; & hoc est veniale, & leve peccatum; pertinet enim ad tentationem humanam, sine qua vita ista non ducitur. Secundus gradus est, cùm aliquis pro certo malitiam alterius æstimat ex levibus indiciis; & hoc si sit de aliquo gravi, est peccatum mortale, in quantùm non est sine contemptu proximi. Citátque glossam, sequens suggerentem consilium. Si suspiciones vitare non possumus, quia homines sumus, iudicia tamen, id est, definitivas & firmas sententias continere debemus. Tertius gradus est, cùm aliquis Judex ex suspicione procedit ad aliquem condemnandum, & hoc directè ad iniustitiam pertinet, unde est peccatum mortale.

Abulensis in c. 7. Matth.

S. Thom. 2. 2. q. 60. art. 3.

§. VII.

MISCELLANEA.

I. IN libro Job c. 35. eundem Job ab Eliu reprehensum fuisse legitur; dicit enim sacer Textus: *Igitur Eliu hæc rursum locutus est. Numquid æqua videtur tibi hæc tua cogitatio, ut diceres; iustior sum Deo?* At vero qua ratione de tam humili & modesto viro, qualis Job erat! (qui aliàs dixerat: *Verebar omnia opera mea:*) tam sinistrum iudicium formare potuit? Septuaginta Interpretes, ut Pineda notat ex Hebræo, ita vertunt: Quare hoc existimâsti in iudicio? At vero inquit idem Author: Ubinam Job dixit se iustiorem DEO? Nusquam, ut apparet; Idque plurium interpretum Latinorum authoritate probat; Ac proinde Eliu mentitum fuisse concludit, dum hanc imposturam Jobo innocenti affinxit; Quia id semper moris est accusatoribus, ut dubia pro certis, coniecturas pro re ipsa, verisimile signum pro necessario asserant contra reum. Potuit itaque Eliu ex eo, quod Job asseruit se iustum coram Deo, imponere, quod dixerit se iustiorem. Nec mirum, quia malum adversus Jobum animum gerebat, ideóque hoc iudicium temerarium de ipso formabat. Nazianzenus in oratione de laudibus S. Basilii ita scribit: Neque enim hoc quidam malè tradiderunt, virtutibus finitima, & quodamodo vicina esse vitia, nihilque facilius esse, quàm ut ab illis, qui huiusmodi rerum scientiam non tenent, res quædam aliud esse iudicetur, quàm revera sit.

Mansi disc. 1. n. 1.

S. Greg. Naz. in cit. op.

II. Au-

II. Author quidam modernus super verba illa Luciferi *Ascendam super altitudinem nubium:* ingeniosè ita scribit: Nubes quasi velata sunt corda hominum, eorúmque cogitationes & intentiones, quas naturaliter Angeli non possunt cognoscere, nisi voce aut signo prodantur; cùm vero actiones hominum, quæ ex natura sua malæ non sunt, pendeant ex intentione agentium, consequens est, ut, qui de illis pravum fert iudicium, nubes transcendere, & Dei similitudinem attribuere sibi velit. Qui hoc conatur facère, Luciferinæ temeritati suam similem, séque asseclam illius esse demonstrat.

L. 1. Reg. c. 11. III. Naas Ammonites contra incolas Jabes Galaat præliari constituerat; Qui expauescentes subitò ad pacta bonæ confœderationis convolarunt, dicentes: *Habeto nos fœderatos, & serviemus tibi.* Ast ille superbus, quid opinamini, responderit? In hoc feriam vobiscum fœdus, ut eruam omnium vestrûm oculos dexteros, ponámque vos opprobrium in universo Israël. Per hunc igitur tyrannum Dionysius Carthusianus ad intentum nostrum, dæmonem intelligit dicens: Diabolus respondet fidelibus. Ast quinam illi dextri sunt oculi, quos eruere intendit Satan? oculi interiores, scilicet iudicii rectitudo, cuius apud S. Lucam fit mentio, cùm dicitur: *Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit.* Quamvis utroque oculo (subnectit dictus interpres) excæcari maius fuisset damnum, tamen dextro privari fuisset maius opprobrium. Dictos igitur habitatores coram universo Israël infames prostituere volebat. Quod probrum in quo consistat, David ostendit, quando ad Deum conversus, in hæc supplicat verba: *Amputa opprobrium meum, quod suspicatus sum, quia judicia tua jucunda.*

IV. An aliquando ad responsum, quod Satan Deo dedit, reflexionem fecistis? *Numquid considerasti* (dicebat Dominus ad Satanam) *servum meum Iob, quòd ei non sit similis in terra, homo simplex & rectus, & timens Deum, & recedens à malo?* quid enim temerarium hunc respondisse existimatis? Hoc nimirum quòd ad malum de aliis iudicandum proclives dicere solent: *Numquid Iob frustra timet Deum? Nónne tu vallasti eum, ac domum eius, universámque substantiam per circuitum?* Nimirum ut Olympiodorus ait, simulatam Jobi ostentat religionem; quasi dicere voluisset. Nil mirum est, quòd Job fidelem se tibi exhibuerit, quia, quidquid faciebat, id totum fecit, ut in bonis temporalibus prosperaretur; Non autem id fine recto faciebat, scilicèt ob bonitatis & Divinitatis tuæ meritum; ac proinde: Extende paululùm manum tuam, & tange cuncta, quæ possidet, nisi in faciem benedixerit tibi. S. Augustinus super illa verba: Amputa opprobrium meum, quòd suspicatus sum, quia iudicia tua iucunda, dicit; Hominum iudicia de occultis hominum non suavia esse, quia temeraria, & ideo suum dixit opprobrium, quod de aliis suspicatus est, hoc opprobrium volebat auferri, ut non esset diabolo similis, qui de occultis Sancti Job suspicatus est, quòd non gratis Deum coleret; prosequens verò id, quod Jobo evenit, subiungit: *Inventum est autem falsum judicium Diaboli, & opprobrio plenum, dum temerè judicavit.*

S. Aug. in psal. 118.

1. Reg. c. 6. V. Viri Bethsamitæ olim tanta cum severitate, subitaneâ morte fuère puniti, eò quòd per curiositatem non profanam, sed devotam potiùs, Arcam Domini fuissent intuiti; Percussit autem de viris Bethsamitibus, eò quòd vidissent arcam Domini, & percussit de populo 70. viros, & quinquaginta millia plebis. Sed hæc omnia in figura contingebant illis. Unde Didacus Stella ex prædicta historia sequentem deducit moralitatem: Quantò obsecro secretius est ipsum hominis cor, quàm ipsa arca? Quantò maior temeritas penetralia cordis hominis iudicare, quàm secreta loca Arcæ illius? Maximè igitur tu, qui hunc pessimum morem habes, ut semper alienam vitam inquiras, timere debes, ne in te Dominus mittat similem punitionem, & maiorem.

Didac. Stel. in Luc. c. 6.

S. Bern. son. to. 1. ser. 14. a. p. c. 2. VI. S. Bernardinus ex verbis S. Apostoli: *Tu quis es, qui judicas alienum servum?* Apostolum tria præcipuè tangere observat. Primò, iudicantis nihilitatem, dicens: Tu quis es? id est, cuius authoritatis es, cùm nihil à te sis, & vis rapere iudicium à filio Dei, cui dedit Pater iudicium facere, quia Filius hominis est? Secundò, iudicantis rapacitatem, vel temeritatem; ibi: Qui iudicas alienum servum. Exodi secundò: *Quis te constituit Principem super nos?* Tertiò, iudicantis authoritatem, dicens: Domino suo stat, aut cadit. Citátque texturam illum Apostoli primâ Corinth. 4. *Qui autem judicat me, Dominus est*; & superiùs dixit: *Sed neque me ipsum iudico*, quasi dicat: Quantò minus tu, qui interiora mea non nosti?

Mans. dist. 4. n. 4. VII. Cùm Apelles insignem quandam publicæ censuræ exposuisset à se artificiosè depictam tabulam, transiénsque sutor de calceo quodam inibi expresso suum ederet iudicium, illum non benè factum esse dicendo, Apelles post tabulam delitescens, sutorísque iudicium audiens, libenter accepit censuram; Ast quando etiam ad alias picturæ partes considerandas progressus est, præsumptionem retudit, dicendo: Ne Sutor ultra crepidam. Idem omninò multis accini potest; quamdiu namque de rebus iudicant, sibi & apud alios manifestatis, & dependentibus à sensibus, excusationi locus esse potest; ast ubi finem & intentionem pariter internam discutere præsumpserint, singulis exprobrari potest dictum Apostoli verbum: *Tu quis es, qui iudicas &c.*

S. Petr. Dam. ser. 2. de S. Andr. VIII. S. Matthæus scribit, quòd in secunda pretiosi unguenti super caput Salvatoris effusione à Magdalena factâ, videntes Discipuli indignati sunt; dicentes: *Ut quid perditio hæc?* Econtra verò S. Joannes solùm traditorem de huius unguenti effusione conquestum fuisse scribit, de aliis verò Discipulis nihil meminit. Sed cur ita differenter utrumque Evangelistam hac de re scripsisse existimatis? Cur Joannes solius

solius traditoris mentionem facit? Respondetur, quod, tametsi forsan alii quoque de Magdalenæ liberalitate obmurmurárint, existimantes ex fine recto & sincera intentione, pretium hoc melius in subsidium pauperum adhiberi potuisse; veruntamen quia Judas ex solo avaritiæ motivo de Magdalenæ liberalitate Scandalizabatur, denarium illum bursæ suæ eripi dolens, ideo Evangelista, cuius calamus à Spiritu sancto dirigebatur, id ipsum detegere nobis voluit ad nostram instructionem, ut intelligeremus, quòd in ferendo de aliis iudicio, primo loco examinanda sit intentio & motivum, ob quod proximi operantur; Certum autem est; quòd hoc solus Deus assequatur & penetret, non verò homines.

Mansi disc. 5. n. 5. IX. Apud eundem Sanctum Pater familias Evangelicus rogabatur à servis, ut liceret ipsis Zizania ab inimico bono semini superseminata, ex agro evellere. Qui porrò huic eorum petitioni consentire renuit; Servi autem dixerunt ei: *Vis, imus, & colligimus ea? Et ait, non, ne fortè colligentes Zizania, eradicetur simul cum eis triticum.* Circa quam parabolam benè observandum est, eos, qui hanc malam herbam eradicandi, licentiam postulabant, non fuisse agricolas, qui agrum illum excoluerant, quique proinde germinis tam boni, quàm mali aliquam habere potuissent notitiam & discretionem, sed servos agriculturæ parùm peritos, qui facilè errare potuissent; siquidem Zizania hanc habet proprietatem, quòd, quoadusque virescit, & germinat in agro, frumento simillima sit, ideòque facilè errare poterant, loco lolii evellendo frumentum; Quæ omnia in figura contingebant, nam ille Paterfamilias, qui Incarnatam præfigurabat sapientiam, per hoc nobis indicare voluit, quòd ad discernendum frumentum & Zizania, necessarium sit exspectare messem, id est, novissimum Judicii diem; in illo enim apparebit, quid sit Zizania, quid verò frumentum; Nolite ante tempus iudicare, quoad usque veniat Dominus &c. Quamdiu enim Zizania & frumentum in viridi herba consistunt, id est, quamdiu in hac vita moramur, fines & intentiones occultas operantium penetrare non possumus, nisi fortè dono Prophetiæ, & discretionis spirituum à Deo dotati simus, sicut multis Sanctis id contigisse constat; optimè igitur monet S. Laurentius Justinianus inquiens: ubi opus ambiguum est, & quo fiat animo, ignoratur, definitum iudicium evitandum est, ne efficiatur homo temerariæ sententiæ reus, dum quod rectum est; arbitratur esse obliquum.

X. Neminem risus latet Abrahæ, & Saræ coniugis eius; Et nihilominùs hanc duntaxat, non verò illum reprehendit Angelus; undénam hæc differentia, siquidem ex una eadémque causa, tantus iubilus, atque lætitia utriusque derivabatur? Ecce vobis rationem; diffidentiam prætendebat Sara, reputans se in senili ista ætate concipere & parere non posse; ideóque ridebat, dicente S. Augustino: Illius risus admirationis & lætitiæ fuit, Saræ dubitationis; & ab illo diiudicari potuit, qui corda hominum noverat. Hic itaque actus internus erat, quem ex instinctu divino manifestavit, reprehenditque Angelus. *S. Aug. q. 30. in Gen.*

XI. S. Augustinus exponens verba illa S. Pauli: *Alius judicat diem inter diem, alius judicat omnem diem,* inquit: Non de duobus hominibus mihi videtur dictum, sed de homine & Deo. Qui enim alternos dies iudicat, homo est, potest enim hodie aliud, cras aliud iudicare, id est, ut quemcunque hodie malum, convictum, confessumque damnaverit, cras bonum inveniat & correctum; vel contra, cùm hodie aliquem iustum laudaverit, cras inveniat depravatum. Qui autem iudicat omnem diem, Deus est, quia non solùm qualis quisque sit, sed etiam qualis omni die futurus sit, novit. Unusquisque ergo in suo intellectu abundet, inquit, id est, quantùm humano intellectui, vel unicuique homini concessum est, tantùm audeat iudicare. Qui sapit, inquit, diem, Domino sapit, id est, hoc ipso quia ad præsentem diem benè iudicat, Domino sapit. Hoc est autem benè iudicare ad diem, ut noveris, non esse de correctione eius desperandum in futurum, de cuius culpa manifesta in præsentia iudicaberis. *S. Aug. tom. 4. in expos. ad Rom.*

XII. Considerabilis admodùm est illa Geneseos Historia, ubi Abraham, postquàm in Mambre tres illos Angelos hospitio excepisset, se iis ad demonstrandam viam associâsse legitur; quo tempore Deus supplicium, quo quinque infames civitates statuerat, manifestavit; Moxque Abraham pessimam illius populi vitam se ignorare adeò constanter asseruit, ut multos etiam perfectione & virtute insignes inibi dimorari crederet, inquiens: *Numquid perdes justum cum impio? si fuerint quinquaginta iusti in civitate, peribunt simul?* Et nihilominus ne quidem decem iustos reperire erat; quin potiùs fœtor peccatorum nefandorum gentis illius usque ad Empyreum ascenderat; clamor Sodomorum venit ad me. Quantò igitur magis ad Mambre, vicinum ad pauca milliaria locum, pertigisse debuerat, præsertim cùm verisimile sit, mutuum inter habitatores utrique loci viguisse commercium. Immò bonum adeò de Sodoma conceptum formârat Abraham, ut non in plurali (cum impiis) sed in numero singulari malos designaret, dicens: *Nunquid perdes iustum cum impio?* Maximam Patriarcha ille servorum habebat familiam 318. adeóque de pessimis populorum illorum poterat informatus esse moribus; Dubium nobis accommodè resolvit Procopius, dum ait: Justus cùm foret, & cæteros iustos esse credebat, quisque enim ex suo ingeni oetiam alios iudicat. *Mansi disc. 10. n. 2.*

XIII. Postquam Salvator vice quadam loquelam, auditúmque muto, & surdo cuidam restituisset, circumstantes acclamârunt dicentes: *Benè omnia fecit; & surdos fecit audire, & mutos loqui.* Ast si Christus in præsentia illorum unicum duntaxat fuerat operatus miraculum, qualiter indè intulerunt populi, quòd omnia *ibidem n. 12.*

omnia bene fecerit? gratitudinem obstupescatis populi, infusamque iis divinitùs notitiam: Quantò eis præcipiebat, tantò magis plùs prædicabant, & eò ampliùs admirabantur. Populi namque illi iustas denotabant animas, quarum proprium est, vel ex unica laudabili & virtuosa in aliis conspecta actione consequentiam deducere ad omnes, cæterásque similes iudicare: Econtra maligni, si vel unicum in proximo malum observant factum, cætera pariter omnia defectuosa esse concludunt.

S. Basil. hom. 5. in Hexam. XIV. S. Basilius in Homilia quadam hanc esse sturnorum proprietatem dicit, quòd, licèt cicutam, quæ venenosa est, manducent, talem tamen habeant viscerum constitutionem, ut exinde nocumentum non recipiant. Cicutâ quidem, inquit, sturni vescuntur, & tamen propter cordis constitutionem à veneno non occupantur. Cùm enim per tenues ad corda penetrantes meatus transeat, fit, ut antea devoratam cicutam concoquant, quàm indè lethale gelu ad præcordia pervenerit. Quam eandem sturnorum proprietatem iustis applicare, indéque hunc in modum discurrere possumus: Cicuta, id est, venenum operationis vitiosæ proximi nostri, animæ nostræ tunc minimè perniciosum erit, si de proximis nostris sinistrè nihil opinemur, si in nobis ardeat calor charitatis; si aliorum defectus excusemus, dissimulemus, iisque ex corde compatiamur: Charitas enim non cogitat malum, & qui non diligit, manet in morte; Econtra verò si hanc virtutem non exercuerimus, venenum ad cor usque serpendo procedet. B. Dorotheus ait: Quis ita abominatur, & odio prosequitur peccata, ut Sancti viri? Et tamen peccatorem non abominantur, neque item diiudicant, aut illius facta disquirunt, sed condolescunt potiùs, admonent, hortantur, medentur. S. Doroth. serm. 6.

TITULUS XXXX.

LECTIO SPIRITUALIS.

§. I.

QUO AD ESSENTIAM.

Definitio.

Iac. Alvarez. to. 1. l. 2. p. 4. c. 3. I. Escribitur lectio Spiritualis ab Alvarez hoc modo: *Lectio Spiritualis est cùm S. Scripturarum paginas, aut Sanctorum Doctorum libros evolvimus, non solùm ut sciamus, sed ut Spiritu proficiamus, & DEI Voluntatem intelligentes, eam opere exequamur.* Et iterùm alibi, *Spiritualem*, inquit, *Lectionem Vocamus, quâ mysticos libros, & Spirituales tractatus evolvimus, in quibus non solam rerum Spiritualium notitiam, sed multò magis earum gustum & affectum quærimus.* Porrò quid sit sapor & gustus spiritualis, Julius Nigronus in tractatu de lectione spirituali sic explicat: Sapor iste non est aliud, quàm qualitas seu perfectio supernaturalis, quæ in rebus spiritualibus delitescit, & à spirituali palato percipitur. Quam Gulielmus Parisiensis duplicem assignat, alteram in intellectu sublimato, quam divinæ bonitatis Sapor ac suavitas perfundit; quemadmodùm pulchritudo spectata delectat oculum, quoniam omnem operationem cuiusvis potentiæ in obiecto congruente occupatæ delectatio comitatur tanquàm perfectio. Alteram declarationem ponit in voluntate & appellat delectationem affectionis & amoris. Etenim ex eo, quòd oculus pulchritudinem aspexit, oritur in affectu amor eiusdem, & sapor seu gustus delectationis in illa. Pari modo in lectione Sacra ex eo, quòd intellectus percipit res, sensa, sententias, promissiones divinas, & alias suavitates, quas sapores dicimus, Voluntas ad amorem excitatur, ipséque amor delectat, quoniam iucundum est amare, ut S. Augustinus & Aristoteles testantur, cum quotidiana experientia. Atque hæc delectatio gustus spiritualis dicitur, sapor, & amoris affectus, ad quem S. David invitavit, dùm dixit: *Gustate & Videte, quoniam suavis est Dominus.*

Idem to. 2. l. 3. p. 5. sec. 2. c. 2.

Nigronus trac. 5. A sect. c. 3. n. 8.

Divisio.

II. *Dividitur hæc lectio* à Nigrono & aliis *in præceptivam, exemplarem, & affectivam; præceptivam vocant*, quâ doctrinæ & dicta sanctorum ad disciplinam nostram pertinentia evolvuntur. *Exemplaris est*, quâ gesta & exempla Sanctorum perleguntur. *Affectiva* est, quâ Voluntas persuadetur, tùm ad præcepta, tùm ad exempla, quæ lecta sunt, observanda, & imitanda. Nigron. cit. c. 3. n. 7.

III. Idem Nigronus alio adhuc modo *Lectionem in ordinariam & extraordinariam* dividit: Et *ordinariam* quidem vocat, cui quotidiè certum tempus impenditur; *extraordinariam* verò appellat, quæ præter ordinariam in certis occasionibus & temporibus instituitur, & diutius continuatur, utì fit, cùm secessus octiduanus, aut semestris collectio suscipitur, cùm gravis aliqua tentatio simile remedium exigit, & cùm Festis diebus ob vacationem à laboribus plus otii ad lectionem conceditur, quæ Lectio, ait Nigronus, fructuosior videtur, tum quia attentius & accuratius libri leguntu sine solli-

sollicitudine aliarum occupationum: tum quia Deus pro more suo, per Climacum observato, plus gratiâ suâ illis diebus, quos sibi cultuíque suo dedicavit, affecturus & laborem hunc spiritualem benedicturus videatur.

§. II.

EX S. SCRIPTURA.

Lectionis usus.

1. Timoth. c. 4. v. 13. I. Attende lectioni, exhortationi & doctrinæ. Noli negligere gratiam, quæ in te est per occasionem legendi à Deo oblatam.

Coloss. 3. c. v. 16. II. Verbum Christi habitet in vobis abundanter.

Iob. c. 8. v. 10. III. Ipsi (scilicet Authores & libri) docebunt te, loquentur tibi, & de corde suo proferent eloquia.

Luc. c. 4. v. 16. IV. Intravit in Synagogam, & surrexit legere, & traditus est illi liber, & revolvit librum.

Necessitas.

Ierem. c. 6. v. 8. V. Erudire Jerusalem, ne fortè recedat anima mea à te, ne fortè ponam te terram desertam, quæ Verba Turrecremata ad animam devotam & Lectionem spiritualem applicat.

Utilitas.

Luc. c. 24. v. 28. VI. Interpretabatur (Christus) illis in omnibus scripturis, & aperti sunt oculi eorum, & cognoverunt eum.

Psalm. 118. 2. v. 105. VII. Lucerna pedibus meis Verbum tuum, & lumen semitis meis.

Ib. v. 130. VIII. Declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat parvulis.

2. Petri. c. 1. v. 19. IX. Habemus firmiorem Propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies illucescat, & Lucifer oriatur in cordibus vestris.

2. Timoth. 3. v. 16. X. Omnis scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum.

Ib. v. 15. XI. Sacras Literas nôsti, quæ possunt te instruere ad salutem.

Ioann. c. 5. v. 39. XII. Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere.

Jucunditas.

Psalm. 118. v. 103. VIII. Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo.

Apoc. c. 10. v. 9. XIV. Accipe librum, & devora illum, & faciet amaricari ventrem tuum, sed in ore tuo erit dulce tanquam mel; & accepi librum de manu Angeli, & devoravi illum, & erat in ore meo tanquam mel dulce.

R. P. Lohn. Auct. Bibl.

§. III.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

S. Scripturæ commendatio.

I. Sacrarum Literarum lectio donat in Deum cognitionem: Scriptum est enim: *Vacate, & Videte, quoniam ego sum DEUS.* Audis frater, quòd DEI scientiam accipiat, qui simplici, Veróque corde divinis vacat scripturis, idcirco; mi Frater, vide, ne negligas animam tuam, sed Lectioni sedulò incumbe, ut mens tua illuminetur, fiásque perfectus & integer, in nullo deficiens. S. Ephrem de patient.

II. Nihil animarum saluti conducibilius, quàm divinas scripturas scrutari; Quemadmodum enim lignum plantatum secus decursus aquarum, ita etiam anima divinæ scripturæ fluentis irrigata saginatur, fructúmque tempestivum, hoc est, rectam fidem profert, ac perpetuò virentibus foliis, id est, Deo gratis actionibus exornatur. S. Ioannes Damascenus L. 4. orth. fid. c. 18.

III. Ubique in eis veritas regnat, ubique divina virtus irradiat, ubique panduntur humano generi profutura. Cassiod. de div. lect. c. 16.

IV. Nunquam de manu tua, & oculis tuis recedat liber. Ama scientiam scripturarum, & carnis vitia non amabis. S. Hieron. ad Rustic.

V. Non solùm thesauro similia sunt divina eloquia, sed fonti quoque largis, perennibúsque scaturienti fluentis &c. hæc spiritualium fluminum natura est, ut hoc magìs scaturiant, & accrescat spiritualis gratia, quò quis magìs indè haurire studet. S. Chrysost. ho. 3. in Gen.

VI. Est sacra pagina sapientiæ Verbi speculum, & divinitatis armarium. Quis non Dei miretur sapientiam, cùm tot mysteriorum Sacramenta, tot veritates sub litteræ cortice esse videt contenta? S. Lauren. Iust. c. 19. de cast. connub.

VII. Est autem scriptura cor Dei; os Dei, Lingua Dei; Calamus Dei; liber scriptus intus & foris, unde in Psalmo dicitur: *Eructavit cor meum Verbum bonum, dico ego opera mea Regi, Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis.* Cor Deus, os Pater, lingua Filius, calamus spiritus? S. Gregor. l. 2. mor. c. 1.

VIII. Qui ignarus est, inveniet ibi, quod discat, qui contumax est & peccator, inveniet ibi futuri judicii flagella, quæ timeat. Qui laborat, inveniet ibi glorias & promissiones vitæ perpetuæ, quas manducando ampliùs excitetur ad opus. Qui pusillanimis est & infirmus, inveniet ibi mediocres Justitiæ cibos, qui etsi pinguem animum non faciunt, tamen mori non permittunt. Qui magnanimus est & fidelis, inveniet ibi spirituales escas continentioris vitæ, quæ perducunt eum propè ad angelorum naturam. Author op. imp. ho. 14.

IX. Ingens bonum est, divinarum scripturarum lectio. Hæc facit animam optimis moribus præditam; Hæc in cœlum mentem transfert; Hæc memorem reddit beneficii hominem; hæc facit, ne quidquam ex rebus præsentibus admire- S. Chrysost. ho. 35. in Gen.

admiremur, sed ut perpetuò in alia vita, mente nostra versemur, & ad Domini mercedem respicientes, omnia operemur, alacritatéque magnâ virtutum labores aggrediamur.

S. Hieron. in psalmos. X. Habet infans, quid lactet; puer, quid laudet; Adolescens, quid corrigat: Juvenis quid sequatur; Senior quid precetur; Hinc discant fœminæ pudicitiam; Populi pietatem; Viduæ iudicem; Pauperes protectionem. Hæ tristem consolantur, lætum temperant, iratum mitigant, omnibus se suspicientibus apta medicamenta tribuunt.

S. Anton. Pad. Dom. 5. post pascha. XI. Sicut Vitrum & Speculum est S. Scriptura, in cuius Splendore Nativitatis nostræ vultum debemus considerare. Vultus nativitatis nostræ est, unde nati sumus, quales, & ad quid; Unde nati, quantùm ad vilitatem materiæ; quales, quantùm ad fragilitatem substantiæ; Ad quid, quantùm ad dignitatem gloriæ, in qua si factores verbi fuerimus, ex vicinitate veri solis lucebimus. In speculo sacræ doctrinæ ista tria reperiuntur. De vilitate materiæ, Geneseos tertio: *Cinis es, & in cinerem reverteris*; De fragilitate substantiæ, Psalmista ait: *Anni mei, sicut aranea meditabuntur*, Quid araneæ telâ fragilius, quid Vitâ hominis corruptibilius? In hoc speculo miser homo, cùm nativitatis suæ vultum considerat, scilicet qualiter natus, quàm fragilis, quàm vilis, vel quid futurus aliquandò, compunctionem & pænitendi voluntatem contrahit.

S. Thomas in 2. Tim. c. 3. v. 16. XII. Commendat scripturas ratione principii, si enim consideras principium, habet privilegium super omnes, quia aliæ sunt traditæ per rationem humanam, sacra autem scriptura est Divina. 2. Petri 1. *Non enim Voluntate humanâ allata est aliquando prophetia, sed Spiritu S. inspirati, locuti sunt sancti Dei homines.* Job. 32. *Inspiratio DEI dat intelligentiam.*

S. Aug. l. 1. de consens. evang. c. 35. XIII. Nequaquam dicendum est, quòd ipse non scripserit, quandoquidem membra eius id operata sunt, quod dictante capite cognoverunt. Quidquid enim ille de suis factis ac dictis nos legere voluit, hoc scribendum illis, tanquam suis manibus imperavit.

Idem in præfat glos. ord. XIV. Jure itaque Sacra Biblia definiens summus Ecclesiæ Pastor Gregorius, eas vocat Epistolam, Dei viventis ad creaturas missam. Et Augustinus, litteræ, inquit, quæ de civitate cœlesti nobis venerunt, ipsæ sunt Scripturæ. Easdem divinæ sapientiæ fontes, puteúmque aquæ salientis in vitam æternam, censet Philo Carpathius. Alioqui enim, unde tantum authoritatis & dignitatis culmen toto orbe obtinuissent, tot linguæ, tot gentes, tot ætates pro divinis oraculis illas suscepissent, in his totius salutis proram, pugímque collocâssent, easque hæreticis ut muros aheneos opposuissent, ac pro illarum veritate tot subiissent martyria? Quis unquam pro Socratis, Platonis, vel Aristotelis, summorum Philosophorum placitis, ad ignes, ad bestias, ad cruces usque decertavit.

Utilitas Lectionis.

XV. Lectionis sacræ cognitio, cultoribus suis sensûs acumen ministrat, intellectum multiplicat, torporem excutit, otium amovet, vitam componit, mores corrigit, salubrem gemitum facit, & lachrymas compuncto corde producit, loquendi tribuit facundiam, æterna laborantibus promittit præmia, spirituales divitias auget, vaniloquium, vanitatésque compescit, & desiderium Christi, patriæque cœlestis accendit. *Smarag. Abb. c. 4. in Reg. S. Ben*

XVI. Ibi sentimus quantùm proficimus, Narrat autem gesta sanctorum, & ad imitationem corda provocat infirmorum; dumque illorum victricia facta commemorat, contra vitiorum prælia, debilia nostra confirmat, fitq; verbis illius, ut eò mens minùs inter certamina trepidet, quò ante se positos tot virorum fortium triumphos videt. Nonnunquam verò non solùm nobis eorum virtutes asserit, sed etiam casus innotescit, ut & in victoria fortium, quid imitando arripere, & rursus videamus in lapsibus, quid debeamus timere. *S. Gregor. l. 2. mor. c. 1.*

XVII. Discurre scripturarum amœnissimos campos, lege tanquam apis, & reconde in alveolo memoriæ suavissimi odoris flores, castitatis lilium, olivam Charitatis, patientiæ rosam, uvas spiritualium Charismatum. *Petrus Cellensis l. 3. e. pist. 12.*

XVIII. Perspicuum est, spirituali Lectione animam sanctificari, & gratiam spiritûs sancti affatim infundi. *S. Chrysost. ho. 31. in Io.*

XIX. Qui sacrorum Studiosus librorum, iure etiam dici potest amator Christi, secundùm quod dictum est à Domino; *qui diligit me, sermones meos servat, & qui diligit me, diligetur à Patre meo.* *Idem hom. de Pse ido. proph.*

XX. Ubicunque Verbum Dei legitur, ibi Spiritus sanctus occultè operatur, qui malos de peccato redarguit, & bonos per spem & consolationem scripturarum confortat, ut ampliùs proficiant. *Thom. Kemp. ep. de discip. c. 1.*

XXI. Non mediocriter solet illustrare, & colligere mentem lectio, verba enim Spiritûs sancti sunt, & lectores omninò dirigunt & moderantur. *S. Climac. grad. 37. n. 39.*

XXII. Sacramenta scripturæ, quæ exteriùs videntur arida, intus sunt viva, & hoc dixit Salvator Judæis; *scrutamini scripturas, in quibus vos putatis vitam æternam habere*; nulla alia Scriptura Vitam dat nisi hæc, undè Psalmista ait: *Vivifica me secundùm eloquium tuum.* *S. Bonav. s. 14. Hexam.*

XXIII. Hæc est illa *Turris David, quæ ædificata est cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium*, nulla est enim tentatio, nulla adversitas, nullum infortunium, nulla calamitas, cui non sacra scriptura medeatur, & succurrat consolatione, consilio, vel alio quopiam remedio. *S. Thomas Vill. c. 1. in Dom. 1. Quadrag.*

XXIV. Mens tua divinis se voluminibus occupet, his intenta pervigili semper instantiâ perseveret. His antiquus insidiator, cùm te videt intentum, velut hostem fugit armatum, & timet continuus aggredi, donec te con- *S. Petrus Dam. l. 6. ep. 29.*

conspiciat his telis, & impenetrabili, ut ita fatear, loricâ muniri.

Damnum
Lectionis obscenæ.

Petrus Bless. de confess. Sacr. XXV. Tu, qui pro tuo proprio & speciali peccato tam gravia passurus es, quàm graviora pro multorum peccatis exspectas, quorum innocentiam argumentosæ libidinis astutiâ subvertisti, illud ad cumulum tuæ perditionis accedit, quòd cùm princeps factus sis Sodomorum & Gomorrhæ, immunditiæ tuæ discipuli post te sedebunt in cathedra pestilentiæ, serpétque pestis cancerosa in multos, ut veniat super te, omnis sanguis eorum, quos corrupisti.

Ibidem. XXVI. Quis æstimare sufficit, quàm execrabiliter damnabilis sit apud DEum & homines Herodiana crudelitas, quæ pueros occidit, atque malitia Pharaonis, qui submersit parvulos Hebræorum? Et illi quidem non animarum, sed corporum homicidæ fuerunt. Quantò ergo detestabilius est eorum non dicam homicidium, sed parricidium, qui tot innocentum animas occiderunt! Procul dubio, quantò excellentior est anima corpore, tantò infeliciores Pharaone sunt proditores, & damnabiliores Herode. Putas, quòd dissimulando transeat, & non requirat DEUS de manu tua, quòd in concupiscentiis, & immunditiis tuis nobilissima eius periit creatura?

§. IV.
EXEMPLA SACRA.
Usus.

Mansi tr. 44. disc. 1. n. 1. I. CUm omnis Christi actio, nostra sit instructio, haud immeritò affirmari posse videtur, quòd Christus ad legendum, scripturásque sacras explicandum, Synagogam ingrediens, insinuare nobis voluerit, se pro stabilimento & incremento fidei, bonorúmque morum Ecclesiæ suæ, cuius Synagoga figura erat, de sacris prospexisse voluminibus, suóque exemplo ad eorundem lectionem nos invitâsse.

S. August. s. 21. de nativ. B.V. II. B. Virgo quando legatum illum cœlestem excepit, qui verbi incarnationem eidem annunciavit, lectioni Prophetiæ prophetæ Evangelici actualiter intenta erat, unde ad eam se convertens S. Augustinus inquit: Revolve, ô Maria, Propheticam lectionem, quæ ipsam plenitudinem paritura est Prophetarum; Recole in libro Isaiæ Virginem, quam legisti, & gaude, quia tu esse meruisti.

Utilitas.

S. August. l. 8. confess. c. 12. III. S. Augustinus hæresi Manichæorum imbutus, & fidei Catholicæ inimicus, ad perfectam DEI notitiam illis Verbis, *Tolle, lege*, inductus, tandem, ut ipsemet dicit: Arripui, aperui, & legi, quasi luce serenitatis infusâ cordi meo, omnes dubitationis tenebræ ciciderunt; Mox enim, ut Epistolas Sancti Pauli legere cœpit, aliquod animæ suæ lumen communicari sensit, cui cooperando, illos postea sapientiæ fulgores sibi acquisivit, quibuscum universam illuminavit Ecclesiam.

S. Chrysost. apud Mansi disc. 1. n. 3. IV. Evnuchus Reginæ Candacis, cùm non haberet sive Christi, sive novæ Legis Evangelicæ notitiam, ac proinde Spiritus sanctus eum per sanctum Philippum Diaconum in hac erudiri volens, disposuit, ut actualiter lectioni Isaiæ Prophetæ se applicaret. Quam historiam idem Divus Chrysostomus ponderans, ait: cùm nondum haberet, qui viam commonstraret, tamen legebat, eóque citiùs consecutus est ductorem. Novit propensam illius animam DEus, studiúmque amplexus est, misit illi Doctorem illicò, verùm non adest Philippus, sed Spiritus, qui monuerat Philippum, adest.

Bar. anno 130. n. 5. V. S. Justinus Martyr de semetipso in dialogo contra Triphonem refert, quòd, cùm adhuc Philosophus gentilis existens, antiquorum doctrinis deceptus, in sacra Biblia incidisset, eáque assiduè pervolveret, ab eius mente & intellectu omnes infidelitatis tenebræ fugatæ fuerint, luménque & notitiam Veri DEI sibi acquisierit.

S. August. l. 8. conf. c. 2. VI. Victorinus celebris illius sæculi orator, in cuius etiamnum viventis honorem, Romæ publicè erectæ fuerunt statuæ, ut sanctus Augustinus in suis Confessionibus testatur, postquam prius in infidelitatis præcipitiis oberrasset, tandem sacro-sanctis libris pervolutatis, eiúsque intellectu ab æternæ veritatis luce illustrato, victas dans manus, per sacro-sanctum Baptismi lavacrum, sub Christi vexillo conscribi se fecit.

Mansi l. c. VII. De S. Eugenia similiter legitur, quòd, cùm anteà Philosophiæ operam dedisset, tandem in Epistolas S. Pauli incidens, eiúsque dogmata in illis legens, intellectu suo ita iis adhæserit, ut cognitâ Idolorum falsitate, aquis se abluerit Baptismalibus, tandémque pro fidei confessione suum in tormentis sanguinem prostituerit & vitam.

Bar. ann. 303. n. 1. VIII. S. Domna Virgo infidelis, primaria superstitionum idololatricarum presbytera, ut annales perhibent Ecclesiastici, pariter ad Christum conversa fuit, per Actuum Apostolicorum lectionem. Unde postmodum in dogmatibus Evangelicis à sancto Cyrillo Episcopo Nicomediensi instructa, & simul cum Eunucho quodam in sacrosancto lavacro regenerata fuit. Imò sanctorum librorum lectio ita eam illuminavit, calefecit, atque inflammavit, ut ea, quæ in Actibus Apostolicis legerat, imitari certa, totam substantiam suam, inter pauperes distrahendam, ad dicti Episcopi pedes detulerit. Mortuo autem Sancto Episcopo illo, in locum eius substitutus fuit Antimus, tempore cuius inde Eunuchus (hoc namque illi nomen erat,) & dicta Domna, eò quod Christiani essent, delati sunt; quare præfectus cubiculum illius ingressus, opes inquirere cœpit, sed delusus, nil nisi figuram reperit crucis à fidelibus asservari solitam, librum Actuum Apo-

Apostolicorum, duas super pavimentum explicatas storeas, thuribulum fictile, lucernam & pyxidem ligneam, in qua sanctissimam asservabat Eucharistiam, ut iuxta sæculorum illorum consuetudinem, ferociente persecutione se ipsam communicaret. Ecce vobis admirabilem ex codicum Sacrosanctorum lectione haustum fructum; Verè equidem in præsenti verificatum fuit, illud Psalmistæ dictum: *Declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat parvulis.* Imò non modò veri DEI notitiam & lumen libri illius lectio sanctæ isti attulit Virgini, sed & insuper martyrii desiderio succendit.

Marchant. in Horti past. IX. Cùm S. Bonifacius codicem Evangeliorum secum portare solitus, eundem quoque ad martyrium contulisset, isque dum Carnifex ensem in caput martyris impingere molitetur, libri obiectu ab ictu gladii se tueri pararet, illustri miraculo factum est (ut Author quidam nostri temporis scribit) quòd, licet ense peracuto per medium sectus sit liber, nulla tamen littera ea sectione sit abolita, quem ego librum in prænobili Fuldensi monasterio in Germania, propriis occulis conspicere merui.

Bellov. l. 19. spec. c. 14. X. S. Dominici Sanctitatem & perfectionem, illiùsque principia & progressus, Bellovacensis collationum Joannis Cassiani lectioni præcipuè attribuit, dicens: Beatus Pater noster Dominicus, ut in eius vita legitur, librum illum, qui collationes Patrum inscribitur, studiosè legens, ac vigilanter intelligens, salutis in eo rimatus semitas, magnum perfectionis apicem apprehendit.

Mansi disc. 1. n. 7. XI. Celebris quoque fuit modus ille, quo divina providentia usa fuit, ut Sanctum Ignatium de Loiola ecclesiæ suæ compararet, quod factum est per libri cuiusdam spiritualis lectionem. Quod verò ad præsentis materiæ, de qua agimus, propositum vel maximè servit, est, quòd lectio hæc animos in illo generosos excitaverit. Nam inter ipsam lectionem, ubi quippiam insigne cognoverat, sistere secum ipse cæpit, deliberans: Quid si præclarum hoc Sancti Dominici facinus? Quid si hoc S. Francisci Deo fretus aggredior? Neque verò, cùm hæc & alia sibi multa proponeret, res occurrebat ulla tam ardua, támque difficilis, quam non perficere sese posse generosa quadam alacritate confideret.

Petrus Abbas Climac. l. 1. mir. c. 15. XII. B. Petrus Abbas in nocte Dominicæ Nativitatis, sequentem circa S. Hugonem Abbatem pariter Cluniacensem obtigisse refert visionem. Diabolus ab omnibus monasterii officinis propulsatus esse videbatur, ad quas fuerat molitus aditum: à capitulo excludebatur, quia ibi Monachi suas circa disciplinæ monasticæ observantiam confitebantur culpas; exulabat è Dormitorio, propter honestatis & vigilantiæ continuæ merita; In Refectorium quidem tentavit ingressum, ubi gulæ prædominari solet, sed etiam & inde maxima cum confusione proscriptus fuit, Ast in virtute cuius id factum fuisse putatis? Audite ipsummet Authorem; sed ibi etiam tot obices ex divinorum lectione librorum, tot trabes ex devotionibus auditorum, tot repagula offendit ex Charitate sibi servientium, ut nullo modo ultrà procedere prævalens, retrò cogeretur redire.

XIII. In vita S. Franciscæ Romanæ legitur, cum Sancta hæc spirituales aliquos haberet libros, dæmones in hoc solicitè incubuerunt, ut, si possibile foret, aliqua eorum folia resolveret, & abiiceret; quin & aliâ quâdam vice librum, quem manu continebat spiritualem matrona sanctissima, quemque actu legebat, spiritus nequam eidem auferre conati fuere. *Vita S. Francisc. Roman. l. 2. c. 15. & 17.*

XIV. In actis S. Saturnini sequens legitur conspicuum miraculum: In medio foro civitatis Abitinensis cœlum ipsum pro divinis scripturis dimicavit, cùm enim Fundanus, eius urbis quondam Episcopus, eas scripturas Magistratui exurendas tradidisset, & Magistratus sacrilegus iam igni apponeret, subitò imber sereno cœlo diffunditur, ignis scripturis sacris admotus extinguitur, grandines adhibentur, omnísque regio ipsa, pro scripturis Dominicis, elementis furentibus devastabatur. *Surius 11 Febr.*

Damnum profanæ Lectionis.

XV. S. Hieronymus de se ipso sic scribit, cùm ante annos plurimos domo, parentibus, sororibus, & quod his difficilius est, consuetudine lautioris cibi, propter cœlorum me regna castrâssem, & Jerosolymam militaturus pergerem, bibliothecâ, quam mihi Romæ summo studio confeceram, carere non poteram. Itaque miser ego lecturus Tullium ieiunabam. Post noctium crebras Vigilias, post lachrymas, quæ præteritorum recordatione peccatorum ex intimis visceribus fluebant, Plautus sumebatur in manus. Si quandò in memetipsum reversus Prophetam legere cœpissem, sermo horrebat incultus: & quia lumen cæcis oculis non videbam, non oculorum putabam culpam esse, sed Solis. Dum ita me antiquus serpens illuderet, in media fermè quadragesima medullis infusa febris corpus invasit exhaustum, sine ulla requie (quod dictu quoque incredibile sit) infelicia membra depasta est, ut ossibus vix hærerem. Interim parantur exequiæ, & vitalis animæ calor toto iam corpore frigescente, in solo tantùm tepente corpusculo palpitabat, cùm subitò raptus in Spiritu, ad tribunal Christi pertrahor, ubi tantùm luminis erat, & tantùm ex circumstantium claritate fulgoris, ut proiectus in terram, sursum aspicere non auderem. Interrogatus de conditione, Christianum me esse respondi, at ille, qui præsidebat, mentiris ait; Ciceronianus es, non Christianus, ubi enim thesaurus tuus, ibi & cor tuum. Illicò obmutui, & inter Verbera (nam cædi me iusserat) conscientiæ magis igne torquebar, illum mecum Versiculum repetens in inferno autem quis confitebitur tibi? clamare tamen cœpi, & eiulans dicere: Miserere mei, Domine, miserere mei, hæc vox inter flagella resonabat. Tandem ad præsidentis genua provoluti, qui astiterant, precabantur, ut veniam tribueret *S. Hieron. in reg. mon.*

bueret adolescentiæ, & errori locum pœnitentiæ daret, exacturus deinde cruciatum, si gentilium aliquando litterarum libros legissem. Ego qui in tanto constrictus articulo vellem etiam maiora promittere, deierare cœpi, & nomen eius obtestans, dicere: Domine, si unquam habuero codices sæculares, aut si legero, te negavi. In hæc Sacramenti Verba dimissus revertor ad superos, & mirantibus cunctis, oculos aperui, tanto lachrymarum imbre perfusus, ut etiam incredulis fidem facerem ex dolore. Nec verò sopor ille fuerat, aut vana somnia, quibus sæpè deludimur. Testis est tribunal illud, ante quod iacui; Judicium testis, quod timui; Ita mihi nunquam talem contingat incidere quæstionem: nam fateor vulneribus habuisse plenas scapulas, plagas sensisse post somnum, & tanto de hinc studio divina legisse, quantò mortalia antè non legeram.

Baron. ann. 430. XVI. Sophronius sequentem narrat historiam: Abbatem Cyriacum die quadam iuxta Jordanem convenientes, hanc ab ipso accepimus relatam visionem; viderat enim Abbas ille in somno mulierem quandam in vultu honestissimam, purpurâ amictam, atque ex utroque latere à duobus præclaris viris stipatam, quorum unus S. Joannes Baptista, alter verò S. Joannes Evangelista erat. Egressus igiturè cella, instanter ab ea petii, ut ingrederetur, sed invitantem me repulit; dum verò preces meas sollicitè repetens, dicerem, ne quæso avertatur humilis factus confusus, ipsa serventem supplicantis affectum videns, vultu ad severitatem composito respondit: Habes intra cellam inimicum meum, & vis ut ingrediar? & his dictis abscessit. Ego verò animo afflicto, intra me ipsum discurrere cœpi, quonam peccato hanc repulsam comerui, non me accusat conscientia alicuius contra ipsam commissæ transgressionis, certúsque sum in cella mea neminem præter me ipsum reperiri; demum verò diligenti circa me ipsum facto examine nihil inveni, quod ipsam potuisset offendere. Sed quo putatis ipsum consilio usum fuisse, ut se consolaretur? Nimirùm sciens in libro 1. Machabæorum scriptum esse: *Habentes solatio Sanctos libros, qui sunt in manibus nostris*; ad illos S. Abbas recurrens, pro consolatione afflicti animi librum quendam spiritualem legere cœpit. Quid autem inde consecutum fuerit, ex propriis eius verbis percipere libebit, dicit enim: Cùm ergò vidissem me nimio mœrore absorberi, surgens cœpi librum, ut legerem, ut per huiusmodi lectionem dolorem meum, cogitationésque repellerem; Librum autem illum mutuò acceperam à D. Hesichio presbytero Jerosolomytanæ Ecclesiæ, evolvénsque librum, inveni duos Nestorii libros in fine voluminis scriptos, móxque agnovi hunc esse inimicum illum S. Domini nostri Genetricis semper Virginis. Tunc surgens abii, librumque illum ei, qui mihi accomodaverat, reddidi, dicens illi: Accipe librum tuum, frater, neque enim ex eo tantùm utilitatis accepi, quantùm detrimenti; cùm verò ille detrimenti ipsius causam sciscitaretur, omnem illi rei ordinem retuli, qui Zelo succensus, protinus illos duos Nestorii libros ex volumine præcidit, eósque igni tradidit, dicens: Non manebit in cella mea Dominæ nostræ Sanctæ Dei Genitricis semper Virginis inimicus.

XVII. S. Ignatius quoque fervores suos intepescere sensit, quando Barchinonæ Grammaticæ studiis intentus erat, cúmque cui causæ tepor ille adscribendus esset, ignoraret, tandem unicam huius tepiditatis causam esse advertit, quia videlicet Erasmum de milite Christiano manibus terebat, idque ob tersam libri latinitatem, ex Confessarii sui consilio pariter & licentiâ. Quod cùm simpliciter fecisset, observavit illius libelli lectione refrigescere in se spiritum Dei, & devotionis sensim ardorem restingui; quâ re animadversâ librum de manibus omninò reiecit, & ita est aversatus, ut nec ipse amplius legerit ipsius authoris libros, & passim à Societate nostra legi vetuerit; & tamen liber ille de Milite Christiano dissserebat; sed licèt materia pia esset, author tamen illius impius erat. Mansi disc. 16. n. 2.

§. V.

EXEMPLA PROFANA.

Utilitas.

I. ALcoranus Turcarum sub pœna capitis, omnibus Turcis omne librorum genus prohibet; cuius ratio est, quia hoc modo omni superiori lumine & notitiâ, quæ à libris sacris & spiritualibus addiscitur, destituti, facilius se in tenebris ignorantiæ positos, ad quævis præcipitia perduci permittunt. Mansi disc. 2. n. 8.

II. Diogenes Laërtius narrat, quòd Zenoni oraculum consulenti, quomodo vitam suam ita dirigere posset, ut Diis & hominibus in cunctis actionibus suis placeret, ab eodem oraculo responsum fuerit, hunc se finem assecuturum esse, si sæpè cum mortuis ageret, quorum verborum sensum hunc esse facilè intelligebat, ut scilicet libros, quorum authores ut plurimùm mortui sunt, assiduè pervolveret. Laert in vita Zenonis l. 7.

Damnum.

III. Nabuchodonosor horrendo planè modo in belluinos mores transformatus fuisse legitur: Diocletianus priùs corporis tabe, linguâ vermibus corrosa, mentisque insaniâ correptus vim sibi ipsi intulit; Et Proculus Genserici wandalorum Regis minister, sibi frustulatim linguam dentibus lacerans, fœdáque morte sublatus est, eò quod sacra Volumina flammis voracibus publicè concremaverint. Mansi disc. 3. n. 9.

IV. Henricus Octavus Rex Angliæ dæmonis instinctu ab Ecclesia recedens, ut Religionem Catholicam tantò irreparabilius profligaret, Carthusianos (qui veluti validum quoddam propugnaculum, ad eandem fidem defendendam, superstites remanserant) pariter seducere volens, primo quidem non blandimentorum Idem disc. 16. n. 11.

mentorum usus est lenociniis, non stragibus, nec exiliis, vel aliis similibus persecutionibus, non bonis temporalibus eos destituit, nec in vincula coniecit, sed ut fidei integritatem ab illis quoque totaliter eradicaret, omnes libros sacros illis auferri præcepit, firmiter sibi persuadens, quòd hoc thesauro illis erepto, excellentissima quoque fidei margarita pariter eripienda foret. Hac tamen librorum rapina non contentus, plurimis postea vitam crudelissimè eripuit.

§. VI.

SIMILITUDINES.

Qualitas.

S. Ephrem to. 1. de vita spir. n. 93. I. Sicut, famem sentire, bonæ Valetudinis corporis indicium est, Ita divinos sermones studiosè, libentérque audire, sanitatis animæ maximum argumentum est: Econtrà verò quandò stomachus cibum nec appetit, nec retinet, malæ est dispositionis indicium, nam iuxta illum medicorum aphorismum, omnis nauseatio mala, panis autem pessima. Eodem quoque modo, qui libros spirituales & devotos legere nauseat, animam suam perditæ salutis esse indicat. Unde S. Ephrem ait: Quando te à lectione rerum Spiritualium abhorrere videris, admonitionésque spirituales fastidire, tunc animam tuam in gravem incidisse morbum noveris.

S. Basilius epi. 1. ad Naz. II. Sicut nervi animæ sunt orationes, ita pariter nervi, per quos oratio subsistit, sint libri spirituales, eorúmque lectio, & forsitan id ipsum affirmare voluit Basilius magnus, quando ad Nazianzenum ita scripsit: Jam verò orationes lectionibus succedentes, recentiorem animum, vegetioremque accipiunt; Cùm enim lectio orationem præcedat, hæc ab illa novos & vigorosos sortitur spiritus. Undè Cardinalis Turrecremata de lectione sacra inquit: valet ad vires replendas.

Origenes to. 9. in Num. III. Sicut una & eadem species Mannæ aliis vermes & putredines generabat, aliis verò salubrem cibum conferebat, & vitæ necessarium; ita & nostrum Manna est verbum Dei, & apud nos sermo Dei, aliis efficitur ad salutem, aliis ad pœnam.

Mansi disc. 17. n. 7. IV. Sicut aqua impetuosè decurrens, terram non fœcundat, sed potiùs semen suffocando, sterilem efficit, ita quoque multorum librorum præpropera lectio, absque reflexione ulla facta, non fœcundat animam spiritu, & devotione; imò quandoque eam opprimit & confundit.

S. Basilius ho. 22. V. Sicut florum, reliquis quidem usque ad odorem vel colorem, est usus, apes autem mel ex ipsis excerpere noverunt, sic & qui diligentes in legendo existunt, non solùm quod dulce, iucundúmque fuerit, in eorum libris prosequuntur, sed quandam ex eis utilitatem animo referre contendunt.

Ibidem. VI. Sicut apes non omnibus floribus similiter insident, neque ex eis, ad quos accedunt, omnia auferre conantur, sed quantùm ipsis ad opus necessarium fuerit, comprehendentes, reliquum dimittunt: sic nos etiam ut sobrii, sapientésque, quantùm congruum nobis, propinquúmque veritati ex ipsis fuerit, persequamur, reliquum prætereamus. Et sicut in legendis rosis sentes vitamus; sic in talibus sermonibus, quidquid est utile, carpentes, noxium vitemus.

Mansi disc. 16. n. 1. VII. Sicut David Goliathum quinque lapillis è torrente sublatis, Eodem modo, inquit Villanovanus, Christus dæmonem tribus authoritatibus superavit. Eâdem quoque comparatione Glossa his verbis utitur: David Goliath tribus lapidibus è torrente prostravit, & Christus diabolum tribus testimoniis de lege: David lapides è torrente selectos, in peram suam pastoralem reposuit; ita quoque Christianus in lectione librorum spiritualium seligere debet orationes iaculatorias, & dogmata utilia, eáque in mente & memoria sua reponere, ut in obviis occasionibus, tentationibus infestatus, præsumptuosum illum & superbum Gigantem prosternere valeat.

S. Basilius ep. de forma beneficia vita. VIII. Sicut Pictores industrii, cùm ex imaginibus imagines ad unguem, ut dicitur, exprimere nituntur, frequenter ad exemplar aspiciunt, lineamenta ex illo omnia ad suam artem summoperè transferre molientes; Ita ei, qui se cupit omnibus partibus esse virtutis ornatum atque perfectum, tanquam; ad statuas quasdam animatas ac mobiles iugiter in Sanctorum vitas & mores intendendum est, illorumque probos actus sibi consciscendum, per imitationis studium.

S. August. 21. ex viginti quinque ser. 5. 110. IX. Sicut ferrum, nisi usum habuerit, æruginem generat; ita & anima, nisi divinis exerceatur lectionibus, nascentur illi peccata; Hinc est, quod Psalmista hunc dicat beatum, qui die noctéque legem Domini meditatur.

Glossa in c. 5. Cant. X. Sicut columbæ iuxta fluenta residere solent, ut volatilium avium in aqua umbram videant, & sic ungues vitant; sic Sancti in scripturis fraudes dæmonum prospiciunt, & ex deceptione, quam attendunt, quasi ex umbra, hostem cognoscunt, & fugiunt.

S. Ambros. apud Mansi disc. 59. n. 4. XI. Sicut in dura hyeme Monachi libenter vadunt ad calefactorium, ita viri Sancti frigore huius mundi durante, stant libenter iuxta libros, ut illos legendo, & audiendo calefiant in amore cœlesti.

S. August. S. 112. de temp. XII. Sicut in carnalibus escis alitur caro, ita ex divinis lectionibus interior homo nutritur, & pascitur.

Author op. imperfec. ho. 41. XIII. Sicut qui mittit in os suum fragmentum panis, aut qualemcunque cibum, primò molit eum dentibus, & ita demittit in stomachum; sic & cùm audimus omne verbum (dicamus nos; cum legimus) necesse est ipsum meditari in ore sensus, & quasi quibusdam dentibus, id est, tractatibus molere, & videre, quid est, quod dicit, aut propter quam rem dicit. Nam quemadmodum qualemcumque cibum nisi masticaverimus dentibus, non sentimus saporem

saporem eius, ita & verbum, nisi masticaverimus, ipsum tractantes in nobis, non possumus intelligere virtutem verbi illius.

S. Ephrem. de pat. & consumm. sac. XIV. Sicut tuba sonans congregat milites, sic & divinæ Scripturæ ad nos clamantes, cogitationes nostras congregant ad timorem DEI. Quemadmodum enim tuba, belli tempore sonans, strenuorum militum alacritatem in adversarios excitat, ita & divinæ scripturæ te promptiorem ad omne opus bonum reddunt, teque adversus improbas passiones ac vitia magis animant corroborántque.

§. VII.

MOTIVA.

Cassiodorus apud Mansi disc. 1. n. 2. I. *Quia utilitas ingens oritur ex hac lectione*, quam Cassiodorus sequentibus verbis indicat: Modo Charitatem DEI & proximi monet; Modò, ut sæculi peritura contemnas, insinuat; modo ut illam patriam recorderis, in qua es perpetuò mansurus, infundit. Patientiam monet, spem tribuit, humilitatem proficuam laudat, superbiam ruinosam semper accusat, pias eleemosynas creberrimè fieri persuadet. S. Chrysostomus quoque ait: Meritò thesauro confertur, divinarum scripturarum lectio; nam sicut ex illo, quisquis vel parvum fructum capere vellet, multas sibi parat divitias; ita & in sacra scriptura, etiamsi in brevi dictone variam sententiarum vim, & immensas divitias invenire licet. Rectè ergò Cassiodorus ait: libros sacros vocavit utilitatem Christianorum, thesaurum Ecclesiæ.

S. Chrysost. ho. 3. in Gen.

Turrecremat. in reg. S. Bened. c. 73. tr. 148. II. *Quia in specie utilis est ad perfectionem obtinendam*, uti Turrecremata indicat dicens: Cæterum ad perfectionem conversationis, quò festinant, sunt doctrinæ sanctorum Patrum; Horum enim verborum hunc dicit esse sensum: Doctrinæ sanctorum Patrum sunt, in quibus legendum est, & à quibus exempla sumenda sunt ab his, qui cæterum, id est, ad maiorem perfectionem conversationis festinant, quarum scilicet doctrinarum observatio perducit hominem ad celsitudinem perfectionis; quæ enim pagina, aut quis sermo divinæ authoritatis veteris ac novi Testamenti non est certissima norma vitæ humanæ? Id quod brevius S. Thomas quoque indicavit, dicendo: Effectus huius scripturæ est duplex, scilicet quia docet cognoscere veritatem, & suadet operari Justitiam. S. Bonaventura ob quatuor fines concessam nobis sacram Scripturam docet: Primò ad gratiam commendandam, Secundò ad introducendam fidem, Tertiò ad reserandam sapientiam, quæ solum est ista, Quartò ad restaurandam salutem, quæ in illa solummodò est, & in nulla alia scientia est salus.

S. Thomas in 2. Tim. c. 3.

S. Bonav. f. 14. hex.

Ant. Panor. l. 3. c. 3. III. *Quia utilis est ad optima consilia danda*: uti Alphonsus Rex Arragoniæ indicavit, dicere solitus, optimos Consiliarios esse mortuos, libros videlicet designans, à quibus sine metu, sine gratia, quæ nosse cuperet, fideliter audiret. Undè Theophilactus: Quocircà, ait, si velis pefectus esse, & sanus, neque in

Theophilactus in 2. Tim. c. 3.

tristibus contractus, has habe consultrices, scilicet litteras sacras; Ad imitationem Machabæorum, qui licèt undique ab inimicis premerentur, nihilominus gloriantes dicebant, *sumus habentes solatio sanctos libros, qui sunt in manibus nostris.* Quam eandem lectionis sacræ proprietatem & D. Chrysostomus in quadam super Genesin homilia adducit, dum ait: Vidisti, quomodò quacunque calamitate humanam naturam premente, conveniens ex scripturis antidotum accipere liceat, ut omnis vitæ huius repellatur anxietas.

IV. *Quia utilis est ad dæmonis insidias cognoscendas, & effugiendas*; nam uti iterum Turrecremata dixit, talis lectio est sicut alveus, per quem fluit aqua, in qua solent resultare imagines avium rapacium, & ideò viri sancti libenter legunt in libris sanctis, ut intuentes in eis fallacias dæmonum, meliùs caveant. Hinc S. Bernardus quoque dicere solitus est: Lectio & oratio sunt arma, quibus diabolus expugnatur. Turrecremat. in reg. S. c. 4. tr. 51. Benedicti S. Bernar. l. 50. ad fr. tr.

V. *Quia utilis est ad animam reficiendam*: uti S. Ambrosius advertit dicens: Negligit famem corporis, qui pabula lectionis intendit; nec ventris curam habere poterit, qui alimentum verbi cœlestis acquirit; ipsa est enim refectio, quæ saginat animam, quæ impinguat viscera, cùm de divinis scripturis cibum eloquii perennis accipimus: Ipsa est esca, quæ vitam æternam tribuit. Similiter S. Isidorus Pelusiota divinarum scripturarum lectionem viaticum esse dicit, quo in hoc præsentis vitæ ad patriam cœlestem instituto itinere sustentamur: Ita enim scribit: Sacrarum scripturarum lectionem salutis viaticum esse existimat, ut, quæ eorum, qui eam studiosè & diligenter audiant, probitatis amorem, ac virile robur, præclaris ac illustribus exemplis pascat. Quod ipsum etiam Origenes confirmans ait: Si ad Ecclesiam frequenter venias, aurem litteris divinis admoveas, explanationem mandatorum cœlestium capias, sicut cibis & deliciis caro, ita spiritus verbis divinis convalescet, & robustior effectus, carnem sibi parere coget, ac suis legibus obsequi. Nutrimenta igitur spiritus sunt divina lectio, orationes assiduæ, sermo doctrinæ. His alitur cibis, his convalescit, his victor efficitur, quod quia non facitis, nolite conqueri de infirmitate carnis. Hinc rectè Hugo Vict. monet: Quoties nobis divina scriptura legitur, aut exponitur, cogitare debemus, quia esca spiritualis est, quæ à DEO nobis mittitur ad reficienda corda nostra. S. Ambros. f. 35. de ieiun. Domini. S. Isidorus l. 3. ep. 73. Origenes ho. 9. in Lev.

VI. *Quia utilis est ad Spiritualia colloquia instituenda.* Hinc S. Ambrosius monet: Et ideo divinas lectiones tali desiderio & legere, & audire debetis, ut de ipsis in domibus vestris, & ubicunque fueritis, etiam loqui, & alios docere possitis; & verbum DEI velut munda animalia cogitatione assiduâ ruminantes, utilem succum, id est, spiritualem sensum & vobis sumere, & aliis DEO auxiliante propinare possitis, ut in vobis impleatur illud, S. Ambros. ser. 25. in dec cin.

quod scriptum est: *Et calix meus inebrians, quàm praeclarus est.*

S. Gregor. l. 4. ep. 84. VII. *Quia libri sacri & spirituales, sunt Epistolæ, & locutio DEI*, uti S. Gregorius innuit dicens: Imperator cœli, Dominus Angelorum & hominum pro vita tua epistolas suas transmittit, & tu illas ardenter legere negligis? Quid est enim sacra scriptura, nisi quædam epistola omnipotentis DEI ad suam creaturam? Hinc & S. Ephrem dixit: Gloriantur alii de magnatum, Principúmque ac Regum familiaritate, & colloquio; at tu coram Angelis DEI gloriare colloquens, & cum Spiritu S. per sacras litteras conferens, nam Spiritus S. est, qui loquitur per eas. S. Ephrem de patient. & consol. fac.

S. Gregor. præf. in Iob. c. 2. VIII. *Quia varias habet prærogativas præ concionum auditione.* Nam 1. Libris sacris scripturæ per veritatem infallibilem assistit Spiritus sanctus, cuius tamen assistentia, quoad eos, qui verbum DEI vivâ voce annuntiant, adeò certa non est: Etenim non de sacrarum litterarum interpretibus & commentatoribus, sed scriptoribus vel auctoribus S. Gregorius ait: Scriptores sacri eloquii, quia repleti Spiritu S. super se trahuntur, quasi extra semetipsos fiunt; & sic DEI sententias quasi de ab iis proferunt. 2. Non facilem adeò cum prædicatoribus verbi divini, quantumcunque exemplaribus & spiritualibus, ad bona illorum exempla apprehendenda, conversandi, nancisci possumus occasionem; aut enim solitudinem amant, aut in contemplativa occupantur, vel aliis corporalibus & spiritualibus vacant misericordiæ operibus; Hæc igitur librorum bonorum est prærogativa, quòd eos tempore nobis quocunque beneplacito pervolvere possimus; quódque dum nobis maximè arridet, cum sanctis eorum authoribus conversemur, horúmque imbibamus spiritum & devotionem. v. g. S. Hieronymi, S. Bernardi, S. Augustini, S. Gregorii, aliorúmque similium. 3. Concio ut plurimùm nullum in auscultante, quando is distractus est, affert fructum; Intereà namque totum, quod dicitur, præterit & evanescit, quantumcunque cum spiritu & energia veritatem inculcare nitatur prædicator, præterquam quòd labilis sit Auditoris memoria, vel etiam minimè accedat dispositus ad divinum illud in cordis sui terra radicandum semen: cùm tamen econtrà doctrinæ affectus, Maximæ pietatis Christianæ, veritates æternæ, ad placitum nostrum in chartis, quæ non prætervolant, indelebiliter reperiantur impressæ: Unde Quintilianus ait lectio libera est, nec actionis impetu transcurrit, sed repetere sæpius licet, sive dubites, sive memoriæ penitus affigere velis. Hinc & Gilliberrus Abbas sapienter dixit: Bonum est, si scribantur verba, volat enim irrevocabile verbum, nisi scripto mandetur. Scriptura verbum & stabile facit, & visibile. Mandatum paginæ reposcetur, cùm voles. Bonus depositarius est liber, integrè, quod acceperit, resignans: cùm voles, sumes: ubi voles, leges: quamdiù voles, moraberis. Scriptura memoriæ reparatrix est, quia verbi repræsentatrix est. Tutò verbi medicamenta illic condis, servantur enim illæsa. Si verbum medendi vim habet, cum dicitur: Cur non habet, cum legitur? Si bona curatio, cùm dicis: cur non bona, cùm legis? 4. Quòd Prædicatores Magistros spirituales, exhortationes & conferentias sacras viva voce factas in nostro non habeamus arbitrio, siquidem hæc omnia tempus, & locum, congregationésque illis præscriptas habent, non verò libri, quos quovis tempore, & ubicunque nobis placet, cum attentione & profectu legere possumus, ipsi docebunt te, loquentur tibi, & de corde suo proferent eloquia. 5. Libri omni cum libertate & indifferentia, deposito omni timore & humano respectu, eos, à quibus leguntur, reprehendunt & corrigunt; cùm tamen ex alia parte per experientiam videamus, quòd viris etiam Zelosissimis nonnunquàm animus desit, ut alios, & maximè personas in dignitate positas, earúmque scandala & iniquitates, velut alter quidam Joannes Baptista, sermone perstringant. Hinc libri speculo comparantur, quod unicuique sine adulatione, omnique cum fidelitate & sinceritate proprios faciei defectus patefacit, dummodò illud inspiciat. 6. Verbum DEI prædicatum alteri quoque subiacet incommodo, cuius libri sacri & spirituales sunt expertes, videlicet defectibus eorum, qui illud annuntiant. Nam, ut Cassianus ait, nunquam erit efficax instituentis authoritas, nisi eam effectu operis sui cordi infixerit audientis. In dubium nequaquam revocari potest, quin, quod S. Hieronymus v. g. S. Bernardus, vel S. Augustinus, aut alii SS. Patres & Scriptores in libris suis tradiderunt, ipsimet operibus suis strenuè fuerint executi; Hanc autem certitudinem in iis, qui prædicant, minimè habemus, imò cum summo Ecclesiæ malo sæpe numerò experimur, quòd bene quidem Verbum DEI prædicent, & tamen pessimè vivant. Optimè proinde S. Isidorus Pelusiota ait: Vita sine sermone magis prodesse solet, quàm sermo sine vitâ; nam illa etiam tacens prodest, hic autem etiam clamans molestiam adfert. Libri verò prædicatores sunt muti pariter & loquaces, quia ad cor nobis loquuntur: Loquentur tibi, & de corde suo proferent eloquia: Imò libros spirituales legentibus non iam libri, sed ipsemet DEUS libris tanquam instrumento utens prædicat, & ad virtutem & profectum illos excitat. 7. Prædicatores nonnunquam plausibilibus magìs student conceptibus, ostentationi ingenii, facundiæ, memoriæ, & doctrinæ, magìs ut auditoribus placeant, quàm ut spirituali animarum profectui deserviant, adversùs quos Gilbertus Abbas calamum suum his verbis exacuit: Student magìs alta, quàm apta dicere, facientes apud infirmas intelligentias miraculum sui, non ipsorum salutem operantes. Ex libris autem unusquisque eligere potest illos, qui suæ sunt proportionati capacitati, magísque

Marginal notes: Mansi disc. 10. n. 3. — Quintil. inst. orat. l. 11, c. 1. — Gilibertus Abbas f. 47 in Cant. — Mansi 6. c. n. 6. — Ibid. n. 7. — Cassianus coll. 11. c. 4. — S. Isidor. l. 2. ep. 171. — Gilibertus Abbas 27. f. in Cant.

que proficui, libri quoque de vanitate vel applausu suspecti non sunt, sed veritatis & devotionis sunt instrumenta. Præterea ex prædicatoribus multi sunt, qui potiùs ob interesse proprium, quam ob salutem animarum, prædicationi vacant. Contra quos Hugo Cardinalis, ad illa se reflectens verba Numerorum 8. *sume tibi duas tubas argenteas:* ita scribit: Prima tuba est verbum prædicationis, secunda est exemplum boni operis. Tuba per quam designatur prædicatio, non resonat, nisi vacua, & prædicator debet esse vacuus per rerum terrenarum neglectum. Tales autem prædicatores sunt libri, qui aliud interesse non habent, præterquam animarum nostrarum salutem. D. Chrysostomus postquam vanos rejecisset Auditorum applausus, tandem protestabatur dicens: Mea laus est, & summus plausus, si quis à vitiis ad virtutem convertatur. Hunc autem finem libri sacri infallibiliter assequuntur, de quibus proinde S. Bernardus ait: per lectionem vitia destruuntur, & virtutes in anima nutriuntur.

S. Chrysost. ho. 54. in Gen.

S. Bernard. s. 50. de modo ben. viv.

§. VIII.

MEDIA

Ad lectionem utiliter peragendam.

Dacrianus Abbas in Spec. Monach.

I. O*Ratio* hinc Dacrianus Abbas dicebat: sicut Patres testati sunt, utile est, à lectione ad orationem seu meditationem transire, & rursum ab oratione ad lectionem recurrere, ut, dum oratio lectioni, & lectio orationi laudabili vicissitudine succedit, tollatur fastidium, animúsque velut recens ad opus propositum semper vigeat, & ex utraque fructus copiosior referatur. Et quid vetat, quò minùs in ipsa etiam lectione breviusculas quasdam orationes subinde formes, & ad Deum per Sancta desideria adspires?

S. Bernard. de vita solit.

Bellov. l. 2. spec. c. 32.

II. *Certis horis certæ lectioni vacandum est*; fortuita enim & varia lectio, & quasi casu reperta, non ædificat, sed reddit animam instabilem, & leviter admissa, leviùs recedit à memoria. Qua propter & Seneca moralis, à Bellovacensi citatus, in epistola 2. ait: Illud autem vide, ne lectio ista multorum auctorum, & omnis generis voluminum, habeat aliquid vagum & instabile; certis ingeniis immorari, & innutriri oportet, si velis aliquid trahere, quod in animo fideliter sedeat. Paulóque post adducit hanc similitudinem: Nil æquè sanitatem impedit, ut remediorum crebra mutatio, distrahit animum librorum multitudo. Itaque cùm legere non possis, quantum habueris, sat est habere, quantum legas; fastidientis stomachi est, multa degustare. Citátque aliam quandam ejusdem Senecæ epistolam, quæ est 45. in ordine, ubi ita scribit: Non refert, quàm multos libros, sed quàm bonos legas; lectio certa prodest, varia delectat. Varro ad Themidem inquit: Sic multi libros degustant, ut convivæ delicias, sed citò transcursa, citius labuntur.

Turrecrem. in reg. S. Benedict. c. 48.

III. *Continuatim, & non saltando legere*, sæpè enim intelligentia posterior dependet ex primis, & quia sicut unoquoque opere curatur inveniri substantia, ita universæ doctrinæ & disciplinæ noverca est negligentia.

S. Bernard. l. de Vita solit.

IV. *Eo affectu legere libros, quo scripti sunt*; nunquàm enim ingredieris in sensum Pauli, donec usu bonæ intentionis in lectione ejus & studio assiduæ meditationis spiritum ejus imbiberis. Nunquam intelliges David, donec ipsâ experientiâ ipsos Psalmorum affectus indueris. Sicque de reliquis.

Mansi disc. 12. n. 2.

V. *Cum humilitate legere*; nam, ut Mansi rectè advertit, Intelligentia sacrarum litterarum humilibus promissa fuit, quia licèt mysteria altissima & imperscrutabilia revelentur iis, qui divinis in litteris student, magìs tamen eis, qui in assistentia divina confidunt. Unde Salvator ait: *Abscondisti hæc à sapientibus, & revelasti ea parvulis.* Et Thomas à Kempis monet, inquiens: Si vis profectum haurire, lege humiliter.

S. Athanas. l. de Incarn.

VI. *Benè vivere*; uti monuit S. Athanasius dicens: Ad scripturarum imaginem, verúmque intellectum, opus est vitâ probâ, animo puro, & virtute, quæ secundùm Christum est. Et paulò pòst subdit: sine purâ mente, & Sanctorum imitatione, nemò comprehenderit Sanctorum verba. Quemadmodum si quis intueri velit solis jubar, oculos planè detergit, atque in splendorem redigit, quantùm potest ad ejus similitudinem, cujus conspiciendi desiderio tenetur, sese purificans, ut ita oculus jam lumini redditus, lumen solis contempletur.

Vita Alon. Rodr. c. 45.

S. Ambros. in Psal. 118.

VII. *Ruminari lecta*, uti Joannes Ximenes Coadjutor è Societate JESU facere solebat; hinc ad Lectionem se conferens dicebat: Eamus nunc ad ruminandum: Ovis enim, nisi ruminaret, non pinguesceret. Id ipsum etiam suasit S. Ambrosius, considerans præceptum illud à Deo populo suo electo traditum: *omne, quod ruminat in pecoribus, comedetis,* inquit: Non ergo perfunctoriè transeamus, quæ legimus, ut tunc tantùm, cùm legimus ea, in memoriam eorum redire videamur, sed etiam cùm abest codex manibus, tanquam animantia, quæ probantur, & munda habentur in lege, etiam cùm non pascuntur, ruminare consueverunt, ex semetipsis alimenta sibi recondita proferentes; Ita & nos de nostræ memoriæ thesauro, de interioribus nostris ruminandum nobis pabulum spirituale promamus. Hinc aliqui suadent, ut lectores columbam imitentur, quæ bibitura cœlum versus caput elevare solet, posteàque iterum bibere; ita & anima virtuosa, postquàm libros devotos legit, aliquemque applicatione dignum offendit sensum, mentem ad Deum elevet; oportet lecta meditetur, posteàque ad lectionem redeat, quod ad propositum S. Bernardus accommodam hanc adducit similitudinem: In omni scriptura tantùm distat studium à lectione, quantùm amicitia ab hospitio,

S. Bernard. inc 6. cant.

spitio, socialis affectio à fortuita salutatione. Quem eundem supervacaneæ circa multorum librorum lectionem applicationis abusum, Seneca pariter detestatur eâdem similitudine, dum inquit: In peregrinatione vitam agentibus hoc evenit, ut multa hospitia habeant, nullas amicitias. Idem accidit necesse est eis, qui nullius se ingenio familiariter applicant, sed omnia cursim & properanter transmittunt.

Seneca ep. 2.

§. IX.

ASCETICA.

I. *INprimis laborare debet Asceta, ut dignam de S. Scripturæ excellentia æstimationem concipiat*, quem in finem serviet illi, quod SS. Patres pronunciârunt, & specialiter S. Bonaventura, qui dixit: Liber scripturæ est reparativus totius mundi, ad Deum cognoscendum, laudandum, amandum. Sed & S. Laurentius Justinianus, sanctæ paginæ, inquit, potissimè bonitatem conditoris commendant. Nostram voluit per has Deus erudire ignorantiam, informare fidem, spem solidare, ablactare à visibilibus & invisibilibus pascere. Prorsus totus cæcatus esset Mundus absque adminiculo scripturarum, quæ confundunt errores, iniquis supplicia minantur æterna, Justisque præmia pollicentur perpetua. Singulariter verò hoc in genere notandum est, quod S. Thomas Vill. sapienter pronunciavit, qui, cùm antè dixisset: Ars artium est, servire Deo; suprema sapientia, scire bene vivere; si hanc nosti, etiamsi cætera nescias, sapientissimus es: qui hanc nescit, quidquid sciat, ignorantissimus est; Hanc omnes Christiani profitentur: Quid enim aliud est Christianismus, nisi ars docens homines piè vivere, placere, & servire Deo? posteà hæc verba subiungit: Nam huius artis regulas & præcepta docet Evangelium, & scriptura sacra.

S. Bonav. s. 13. in Hexamer.

S. Laurentius Iust. de cast. connub. c. 14.

S. Thomas Villan. con. 2. in Dom. 1. quadr.

II. *Nôsse debet, quos libros præcipuè tum ipse legere, tum aliis suadere debeat*, quos quidem Nigronus ad tria revocandos putat, nempe ad S. Scripturam, quæ, sicut alios libros dignitate & utilitate longissimè antecellit, ita meritò etiam præ reliquis suadenda est illis, qui capaces sunt: Ad SS. Patres, de quibus loquebatur S. Philippus Nerius, quandò dicebat, legendos esse libros, qui à litera S. incipiunt, in horum enim lectione pietas & devotio non solùm non vacillat, sed magìs stabilitur, & augetur. Et tandem ad libros aliorum scriptorum, præcepta Ascetica & exempla salutaria continentes, inter quos Collationes & vitæ Patrum præcipuè commendantur; quid enim hæ aliud sunt, inquit S. Benedictus, nisi bene viventium & obedientium Monachorum exempla, & instrumenta virtutum? Hinc ex eorum lectione S. Thomas Aquinas, S. Dominicus, S. Fulgentius, S. Philippus Nerius, Spiritum sanctitatis præcipuè hausisse scribuntur. Sed & libellus de imitatione Christi à Venerabili Patre Thoma Kempensi scriptus præ reliquis commendari meretur. Est enim, teste Bellarmino, opusculum utilissimum, & iure in tota ecclesia summo omnium consensu receptum, & frequentatum, & in omnes linguas conversum. Ego certè ab adolescentia, & usque in senectam hoc opusculum sæpissimè volvi, & revolvi, & semper mihi novum apparuit, & nunc etiam mirifice cordi meo sapit. Georgius Mayr nostræ Societatis, qui cum Græcum fecit, in omnes propemodum variarum nationum extra Europam ubique sparsarum linguas translatum esse affirmat. Qui Directorium exercitiorum conscripserunt, tanti æstimant hunc librum, ut eum unum legi permittant ab eo, qui facit exercitia in hebdomada prima, quo tempore quævis alia lectio interdicitur. Ludovicus Pontanus in vita Balthasaris Alvarez tradit his verbis illius viri spiritualis de hoc libro magnam opinionem: Eius sententiis frequenter utebatur in exhortationibus, eò quod cordi adhærescant, Deúsque illas imprimat bono affectu legentibus. Et cum esset visitator provinciæ Aragoniæ, fecit, ut in ea agnoscerent eius libri usum, cuius emolumentum experientiâ illi perceperunt, invenientes singuli, quacunque ex parte eum aperirent, quod animæ suæ conveniebat. De eâdem fortuita libelli huius apertione & lectione cum aliquo spirituali proventu, extat item testimonium Hermanni Hugonis scribentis hæc verba: Multos dicere frequenter audivi solitos, se ex libello Thomæ à Kempis sic (fortuitâ lectione) quærere in mœrore consolationem, neque ferè unquam falli. Multa quoque de laudibus huius libelli Henricus Sommalius noster in epistola dedicatoria illi præposita: Inter cetera, tòtius Christianæ Philosophiæ compendium eò contineri, non nisi parùm pio displicere posse; non modò familiarem, sed etiam ducem vitæ, ac magistrum esse oportere: Quod de M. Tullio Quintilianus pronunciavit; ille se profecisse sciat, cui Cicero valdè placebit, dici posse veriùs de hoc auctore: Ille in perfectione religiosa se profecisse sciat, cui de Imitatione liber hic valdè placebit. A viris Religiosis laudari hunc libellum rationabile est, sed valdè mirum apud infideles in pretio esse. Narrat idem Henricus, quendam ex ordine nostro navigâsse redimendorum captivorum gratiâ, Argirium Mauritaniæ (quod oppidum Alger vulgo dicitur, estque piratarum Maurorum receptaculum mari Tyrrheno infestissimum) ab Rege, qui Christianus fuerat, in Bibliothecam introductum: porrectos illi varios codices visendos, atque in his libellum hunc de imitando Christo vulgari Turcarum linguâ conversum. Qui Rex illud adiecit memorabile: Pluris sese unicum illum facere, quam reliquos omnes Mahumetanorum. S. Ignatius noster, quod aliis suadebat faciendum, ipse præstabat, qui quotidiè ante prandium caput unum ex hoc libello legebat eo, quo disposita sunt, ordine, post prandium alterum, quod fortuita codicis apertio dabat, inveniens in eo semper materiam statui præsenti accommodatam. Traditum hoc est memoriæ posterorum à Ludovico Gonzalez, qui Joannis III. Lusitaniæ

S. Bened. in c. 7. reg.

Apud Nigron. tr. 5. c. 3. f. 118.

niæ Regis rogatu, S. Ignatii vitam ac mores observaverat. In archivo Romanæ domûs hæc observatio manuscripta conservatur. Addit Petrus Ribadeneira, eidem S. Ignatio placuisse adeò lectionem huius libri, ut multorum iudicio, vita ipsius facta esset Imago viva doctrinæ libello inclusæ.

Nigronus tract. ascet. 1.c.3. & 4.

III. *Nôsse debet, quid de profanorum librorum lectione sentiendum sit, videlicet si salutaria principia moralia contineant, posse eos licitè & cum fructu legi*; sic enim suadet inprimis authoritas multorum Patrum spiritualium, qui magni fecerunt Philosophorum de virtutibus doctrinam. De S. Basilio nihil attinet dicere, qui docet modum exprimendæ ex illis utilitatis; quoties S. Hieronymus axiomata Philosophorum producit, ad probationem suarum conclusionum? quoties S. Gregorius Nazianzenus, atque Ambrosius? S. Dorotheus in domesticis cohortationibus, tanquam apis argumentosa, dicta Philosophorum decerpebat, atque discipulis porrigebat. Neque verò Patres antiquiores tantùm id præstiterunt, sed etiam recentiores Magistri. S. Bernardus ad fratres de Monte Dei, præcepta scribens vitæ religiosæ, monitum de viro gravi, sibi tanquam pædagogo & custode cogitatione constituendo, videtur à L. Seneca sumpsisse verba item eiusdem Philosophi sua fecit, ubi disseruit de lectione spirituali. Umbertus pariter, Joannes Turrecremata, Ludovicus Granatensis, Senecæ sententiis suos spirituales tractatus asperserunt, suadet id ipsum deinde etiam fructus spiritualis, quem à se collectum è lectione Philosophorum moralium, Sancti viri testantur. B. Augustinus agens de lectione libri Tulliani, qui dicebatur Hortensius, & continebat exhortationem ad Philosophiam, inter alia multa, quæ de commotione animi sui ad amorem sapientiæ, & eius immortalitatis, excitata per eum librum, hæc ait: ille verò liber mutavit affectum meum, & ad te ipsum, Domine, mutavit preces meas, & vota ac desideria mea fecit alia. Viluit mihi repentè omnis vana spes, & immortalitatem sapientiæ concupiscebam, æstu cordis incredibili, & surgere iam cœperam, ut ad te redirem. De S. Carolo Cardinali tres eius vitæ scriptores, Augustinus Valerius Cardinalis, oculatus testis; Carolus à Basilica Petri Episcopus Navariæ, ac Joannes Petrus Glussianus tradunt, eum delectatum cùm aliorum bonorum Philosophorum moralium doctrinâ, tùm præcipuè stoicorum sententiâ; lectitâsse frequenter Enchiridium Epicteti, cùm Cardinalis Romæ iuvenis degeret, eiusque præcepta per id tempus observare visum. Horum librorum lectione atque studio fatebatur se mirificè incitatum ad comprimendas animi perturbationes, ac perfectam eiusdem moderationem comparandam. Pudet Religiosum quemque, nisi factus sit effrons, attentè considerantem documenta vitæ melioris, quæ de Philosophia morali petuntur, rationi non parere, quam Philosophi non pauci sine lumine Evangelii ducem ac magistram sequebantur. Erubescit vir ingenuus ac perfectionis amans, legens heroicas virtutum actiones quorundam Philosophorum, nec sinit se patientiâ incommodorum à Socrate, contemptione rerum humanarum à Diogene, studio paupertatis ab Epicteto, amore veritatis ab Aristotele superari. Quis verò modus in his Authoribus legendis sit observandus in simili lectione, prudenter indicavit Sebastianus Barradius dicens: Legendi quidem sunt Ethnicorum libri, non quidem lascivi ac turpes, sed ii, qui aliquid utilitatis, non lasciviæ, Christianis adferre possunt; quo autem modo sint legendi, Hieronymus docet, propositâ similitudine ex libro Deuteronomii, capite 21. quo loco præcepit Dominus, ut captam in bello pulchram fæminam, uxorem nemo ducere audeat, nisi priùs cæsariem raserit, ungues circumciderit, vestémque, in qua capta est, deposuerit. Idem in libris Ethnicorum faciendum; Radenda sunt & explodenda multa, quæ à Christiana fide vel castitate abhorrent, multáque circumcidenda inutilia. Audiamus Hieronymum: quando, inquit, Philosophos legimus, quandò in manus nostras libri veniunt sapientiæ sæcularis, si quid in eis utile reperimus, ad nostrum dogma convertimus; si quid verò superfluum, de idolis, de amore, de cura sæcularium rerum, hæc radimus, his calvitium inducimus, hæc in unguium morem ferro acutissimo desecamus. Sed & S. Franciscus Salesius eiusdem fuit sententiæ, hinc scripsit sequens monitum: Et de historiis profanis quid dicam? bonæne sunt, an malæ? bonæ sunt utique, sed utendum est illis, quemadmodum fungis, id est, valdè rarò, & solùm ad excitandum appetitum, & tunc quidem etiam convenit, ut bene sint digestæ, & præparatæ, &, ut S. Hieronymus ait, præcidendi sunt illis ungues & capilli, quemadmodùm Israëlitæ mulieribus captis, quandò eas in uxores accipere volebant, solebant facere; id est, totaliter accomodandæ sunt Evangelio, veræque virtuti Christianæ, auferendo ab illis, quidquid est reprehensibile actionum profanarum, hominum gentilium, &c. ut Sacer Textus ait: *separandum est pretiosum à vili.*

Barradius to.3. l. 3. c. 31. n. 41.

S. Francisius Salesius l. 1. Epistolar. apud Mansi disc. 14. n. 8.

IV. *Nôsse debet, quis præcipuè finis lectioni huic præfigendus sit*, nimirum is, qui ab Alcuino indicatus est, dicente: Ille beatus est, qui divinas scripturas legens, verba vertit in opera. Hinc & S. Hieronymus hortatur: Memineris, Dei illa verba esse, qui legem suam non solùm sciri, sed etiam impleri iubet. Quid enim prodest, inquit S. Bernardus, lectione continuâ tempus occupare, Sanctorum gesta & scripta, legendo transcurrere, nisi ea etiam masticando & ruminando, succum eliciamus, & transglutiendo usque ad cordis intima transmittamus? Certè, qui sacras litteras legit, neque quod legit, ad actionem confert, similis est ei, qui crebrò seminat, metit nunquam; Itémque mulieri, quæ parit semper, sed natos illicò sepelit; ut rectè quidam contemplativus dixit.

Alcuinus l. de virt. & vit. c. 5.

S. Hierony. apud Mansi disc. 12. n. 3.

S. Bernard. de Schola claustr.

Apud Mansi disc. n. 10.

S. Bernard. l. c. — V. *Nôsse debet, quo ordine sibi subserviant lectio, meditatio, & oratio*; quem quidem S. Bernardus indicavit, dum dixit: Lectio quasi solidum cibum ori apponit, meditatio masticat, & frangit; oratio saporem acquirit. Unde & alibi dicit: (Idem de vit. solitar.) Sed & de quotidiana lectione aliquid quotidiè in ventrem memoriæ dimittendum est, quod fideliùs digeratur, & sursùm revocatum crebriùs ruminetur, quod proposito conveniat, quod intentioni proficiat, quod detineat animum, ut aliena cogitare non libeat.

Hugo Vict. l. 5 erud. didasc. c. 7 — VI. *Nôsse debet causas, quæ fastidium creant lectionis, ut eas removere possit*, quas breviter indicavit, Hugo Victorinus, dum dixit: Lectio duobus modis animo fastidium ingerere solet, & affligere spiritum, qualitate videlicet, si obscurior fuerit; & quantitate, si prolixior exstiterit: in quo utroque, magno uti moderamine oportet, ne quod ad refectionem quæsitum est, sumatur ad suffocationem.

VII. *Nôsse debet, quid dicendum sit illis, qui ob[illegible]nt, se non intelligere satis*, quæ legunt. Quem ad finem conducet, quod in vitis Patrum legitur, quòd scilicet quidam Monachus apud S. Arsenium conquerebatur, sibi sacrarum litterarum, quas & nosset & didicisset, intellectum perdifficilem esse, & re ipsâ experiri se, quòd exilis admodùm consolatio ex iis ad se redeat, eâque de causa animam suam vehementer turbari; Ad quæ Arsenius: Fili mi, necesse est, ut magno cum ardore meditationi divinæ doctrinæ insistas: Audivi enim ex Abbate Pœmene, aliisque Patribus, quòd serpentium incantatores ipsimet verba, quibus serpentes effascinant, non intelligant, serpentes autem audientes verba ea intelligant, eorum vim percipiant, eisque obediant. Idem & nobis faciendum est, etiamsi virtutem & efficaciam sacrarum litterarum plenè non intelligimus, attamen virtutem verborum diaboli percipiunt, & fugantur.

§. X.

MISCELLANEA ET CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Qualitas.

S. Chrysost. ho. 41. in Matt. — I. D. Chrysostomus considerans, quòd Hebræi prima vice miraculosum & inusitatum Mannæ cibum videntes, attoniti dixerint: *Manhu, Manhu*? id est, quid est hoc? ad nostrum profectum, sequentem indè eruit moralitatem: Ut quotiescunque audimus verbum, vel etiam quotiescunque legimus verbum, admoneat nos ipsum nomen requirere, quid est hoc, quod audimus? vel quid est hoc, quod legimus?

S. Bernard. de scal. claust. — II. DEUS olim in Levitico, hoc populo suo divinum præceptum imposuit: omne quod habet divisam ungulam, & ruminat in pecoribus, comedetis; quia omnia in figura contingebant illis, ideo Philo hebræus illius præcepti declarans mysterium; Deum hoc præcepto insinuare voluisse dicit, non sufficere, ut cibus verbi Dei, quo nostra alitur anima, deglutiatur, sed insuper necessium esse, ut ruminetur, ad hoc, ut in nostram convertatur substantiam, & alimentum. (S. Chrysostomus ho. 51. in Ioan.) Unde & Diogenes Laërtius, Philosophus moralis, de bonis libris per nos lectis agens, id ipsum pulcherrimâ hac confirmat sententiâ: (Diog. Laërtius.) oportebat ista animo potiùs, quàm chartis inscribere. Ast præ omnibus veritatem hanc quàm clarissimè expressit D. Chrysostomus, dum ait: Hortor, ut lectioni vacetis, sensus imbibatis, eósque vestris inscribatis mentibus, quod cùm Judæi neglexerunt, libros manibus ferre iubebantur: Nos verò non in manibns, sed domi habeamus, imò cordibus, ut oportet, inscribamus; hoc enim pacto abstersis vitæ præsentis sordibus, futura bona consequemur.

Utilitas.

S. Bonav. S. 1. in Dom. 4. Quadr. — III. Panes doctrinæ sunt quinque verba, quibus tota scriptura comprehenditur; Quæ sunt hæc? crede, fuge, age, time, appete: crede in Deum; fuge vitium, Age bonum; Time supplicium; Appete præmium, volo quinque verba hæc sensu meo loqui.

S. Hieronym. in Reg. Monach. — IV. Sapiens (Lector) Teste S. Hieronymo, nunquàm solus est, habet secum omnes, qui boni sunt, & fuerunt; & animum liberum, quocunque vult, transfert; quod corpore non potest, cogitatione complectitur, & si hominum inopia fuerit, loquitur cum Deo, nec unquam est minùs solus, quàm cùm solus fuerit.

S. Isidor. l. 1. de offic. Eccl. c. 10. — V. Obtentu orationis (monet S. Isidorus) ne perdideris lectionem, quia non semper eam quilibet paratam potest habere, cùm orandi potestas in promptu sit, ne putes parvam nasci utilitatem, ex lectionis auditu, siquidem oratio fit ipsa pinquior, dum mens recenti lectione saginata, per divinarum rerum, quas nuper audivit imagines, currit; Nam & Maria soror Marthæ, quæ sedens ad pedes JESU, sorore neglectâ, verbum intentiùs audiebat, bonam partem sibi elegisse Domini voce firmatur.

Hugo Vict. l. 5. de erud. didasc. c. 7. — VI. Sapientissimus quidam aliquando dixisse fertur, summa sapientia, loqui cum sapientioribus sine voce. Quò & Hugo Victorinus, ubi de Christianæ disciplinæ & scientiæ sacræ profectu tractat, respexisse videtur, ait namque: Hæc verò scientia duobus modis comparatur, videlicet exemplo & doctrinâ, utrique autem bonorum librorum studium & lectura opitulatur; Exemplo, quando Sanctorum facta legimus; doctrinâ, quando eorum dicta ad disciplinam nostram pertinentia discimus.

Mansi disc. 16. n. 1. — VII. In Luciferi contra se insultibus, Salvator noster, ne succumberet, non unâ, sed trinâ vice sacram obiecit scripturam, Hisque armis dexterrimis vicit, fugavitque inimicum infernalem: *Vade satana &c.* tunc reliquit eum diabolus. Certum verò est, quòd omnis Chri-

sti

sti actio, nostra sit instructio; Ac proindè à dæmone se tentari permisit, cuius victor effici voluit, sacros ei libros obiiciendo, ut nos doceret, quòd per horum librorum lectionem astuti serpentis evadere possimus insidias & infestationes. Unde Caietanus ait: Discamus hìc omnes arma nostra esse sacras scripturas. Cornelius Jansenius exinde eandem pariter deducit moralitatem, inquiens, nulla contra diabolum efficaciora esse arma, quam scripturarum meditationem, & verbum Dei, quod est gladius Spiritûs, omnes facilè resecans cupiditates carnis, suggestionésque diaboli. S. Thomas de Villanova in concione in primam Dominicam quadragesimæ, eandem ponderationem his verbis proponit: Valdè nobis in hoc Christus commendavit sacram scripturam, dum omnes istos Diaboli conflictus sacræ scripturæ authoritatibus superavit.

S. Th. Villan. conc. 1. in Dom. 1. quadr.

Damnum vetitæ Lectionis.

Origenes ho. 7. in Josue.

VIII. Nota est historia, quam liber Josue tradit de Achan, qui furto suo contra Dei præceptum admisso, populi illius, qui magnis passibus ad terræ promissæ acquisitionem properabat, victoriosum stitit cursum. Circa quod factum admirabundus Origenes, talem format discursum: Videamus peccatum eius quale sit; furatus est regulam auream, & posuit eam in tabernaculo suo. Non puto, in illo furto parvi auri, tantam vim fuisse peccati, ut tam numerosam Domini Ecclesiam macularet. Sed videamus, ne fortè interioris intelligentiæ sit tanta ac tam gravis acerbitas ista peccati. Multus decor est in verbis, & multa in Philosophorum vel Rhetorum sermonibus pulchritudo, qui omnes de civitate Jericho, id est, hujus mundi homines. Si ergò invenias apud Philosophos perversa luculenti sermonis assertionibus decorata, ista est regula aurea, sed vide, ne te decipiat fulgor operis, ne te rapiat sermonis aurei pulchritudo. Memento, quia JESUS anathema iussit esse omne aurum, quod in Jericho fuerit inventum. Si poëtam legeris, modulatis versibus & præfulgido carmine Deos, Deásque texentem, ne delecteris eloquii suavitate, regula aurea est; si eam sustuleris, & posueris in tabernaculo tuo, si introduxeris in cor tuum ea, quæ ab illis asseruntur, pollues omnem Ecclesiam Domini. Hoc fecit infelix Valentinus & Basilides, hoc fecit & Marcion, Hæretici.

Petrus Blessen. ep. 56.

IX. Quærunt nonnulli, cur dæmones à corpore hominis obsessi, à Christo exire iussi, potiùs ab eodem petiêre licentiam ingrediendi in porcos, velut in centrum ipsorum, quàm in alia nobiliora animalia? Huius utique causa non est alia, quàm quia libri obscœni & turpes, sapidissimus sunt dæmonum cibus, quibus sicuti porci glandibus satiantur, quibus S. Hieronymus in epistola quadam ad S. Damasum, libros lascivos similes esse dicit; ac proindè Petrus Blessensis in epistola quadam, ad eiusdem nominis M. Petrum Blessensem, cum à lectione librorum profanorum, in sacrorum & spiritualium lecturam exhortans, his eum verbis affatur: Exi, quæso, de fœditate porcorum, ut pascaris in delitiis domus Dei; mensa enim sacræ scripturæ contra omnes spirituales nequitias tibi parata est; Ideo mensa Tabernaculi ad Aquilonem posita memoratur, propterea scriptum est; *Parasti in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant me.*

Mansi disc. 16. n. 12.

X. Persona quædam fide dignissima retulit, quòd, cùm eo tempore, quo energumenus quidam exorcizabatur, ad eundem quoque locum curiositatis causâ Juvenis quidam studens convenisset, dæmon eidem cum magnâ benevolentiæ significatione occurrit: dicens: Beneveneris, mi dilecte presbyter, qui Missale meum in sinu tuo semper tecum defers, alludendo ad poëma Ariosti, quod semper secum habebat, quocunque iret: Unde non sine causa author quidam se lectionem profanam supra modum detestari, ait: sicut enim Christus suos habet Evangelistas, ità quoque dæmon Evangelio tot poëtas & authores obscœnos & profanos, veluti totidem Evangelistas suos opponere nititur.

Ibidem.

XI. S. Joannes Apostolus in Apocalypsi hanc sibi visionem in spiritu ostensam esse scribit: *Vidi, & de ore Draconis, & de ore bestiæ egressos spiritus tres immundos, in modum ranarum.* Porrò per hunc Draconem Rupertus Abbas dæmonem intelligit, inquiens: Draconis nomine diabolus significatur; At verò quid hæ ranæ denotabant? Idem Venerabilis author scribens super caput trigesimum secundum Lib. primi Exod. & super præfatum Apocal. textum, per hasce ranas lascivorum Poëtarum libros, & tractatus intelligendos esse, dicit; De his enim idem Rupertus ait: Rogitant Spiritus immundos aspirare sibi, sacrilega præsumptione Deos appellantes, cùm dæmones sint. Hi autem ex ore Draconis infernalis egrediuntur, quia libri & poëmata illorum veri sunt dæmonis partus.

Damnum neglectæ Lectionis sacræ.

Judith. c. 7. v. 6. Mansi ibidem. n. 8.

XII. Holofernes Bethuliam invasurus, quo putatis usus fuerit stratagemate? dum circuit per gyrum, reperit, quòd fons, qui influebat, aquæ ductum illorum à parte australi extra civitatem dirigeret, & incidi præcepit aquæ ductum illorum. Philisthæi pariter populum electum devincere volentes, omnes gladiorum & lancearum fabros & artifices è terra Israël evocarunt: Porrò faber ferrarius non inveniebatur in omni terra Israël, caverant enim Philisthiim, ne fortè facerent hebræi gladium aut lanceam, Nunc igitur tam Holofernes, quàm Philisthæi, inimicos figurabant infernales, qui aquæ ductus incidere conantur, armáque auferre; scilicet librorum sacrorum lectionem, aut abolere, aut impedire: Ita namque Glossa dictum libri Judith Textum, & illum alium libri Regum interpretatur, dum ait?

ait: Hoc enim maximè diabolus studet, ut doctrinæ fluenta, & virtutum arma auferat, & sic sævitiam suam in interitum servorum Dei velociter expleat.

TITULUS XXXXI.

LINGUA.

§. I.

QUO AD ESSENTIAM.

Descriptio.

Apuleius de Platon. Dogmat.

I.  Lingua humana (de hac enim solummodò hîc est sermo) est membrum præcipuum hominis ad alimentum hominis discernendum, mentisque conceptus articulatè exprimendos à DEO illi concessum.

Divisio.

S. Thomas serm. in Dom. 4. post. Pasch.

II. Præter generalem divisionem linguæ in bonam & malam, de qua in Bibliotheca manuali actum est, aliam accidentalem assignavit S. Thomas per hæc verba: Scriptura ponit linguas, per quas significantur peccata diversa, quæ committuntur per linguam. Prima est lingua dolosa, quæ est in duplicibus & proditoribus. Ierem. 9. *Sagitta vulnerans lingua eorum dolum locuta est*; Secunda est lingua magniloqua, quæ est in superbis & arrogantibus psal. 11. *Disperdat Dominus universa labia dolosa, & linguam magniloquam.* Tertia est lingua serpentina, & venenosa, quæ est in invidis & detractoribus psal. 139. *Acuerunt linguas suas sicut serpentis.* Quarta est lingua mendax, in peierantibus, & mentientibus & falsis testibus. Prov. 6. *Sex sunt, quæ odit Dominus*; inter quæ sex enumerat quoque linguam mendacem, proferentem mendacia, testem fallacem, & eum, qui seminat inter fratres discordias. Quinta est lingua blanda, quæ est in mendicantibus, de hac dicitur in Proverbiis 6. *Custodiam te à blanda lingua.* Sexta est lingua Tertia, quæ est in lenis & lenonibus; de hac Ecclesiasticus inquit: *Lingua tertia mulieres viratas eiecit.* Septima est lingua iniqua, quæ est in adulatoribus. Octava est lingua gladiosa, quæ est in iracundis, qui convitiis occidunt multos. Nona lingua fallax, quæ est in malis mercatoribus & deceptoribus. Decima est lingua blasphema. Undecima est lingua Acharis, id est, sine gratia, quæ est in histrionibus & derisoribus.

(margin: …28. v. 19.)

S. Greg. l. 5. mor. c. 11.

III. S. Gregorius aliam affert divisionem, dicens: Tria sunt hominum genera, quæ gradatim ductis ad se qualitatibus dissident, sunt namque alii, qui & ad loquendum prava concipiunt, & à locutione sua, nullâ silentii gravitate refrænantur; & sunt alii, qui, cùm prava concipiunt, magno se silentii rigore restringunt; & sunt nonnulli, qui virtutum usu roborati, usque ad eam celsitudinem provehuntur, ut ad loquendum ne in corde quidem perversa concipiant, quæ silendo compescant. Eliphaz itaque, ex quo sit ordine, ostenditur, qui conceptum sermonem tenere se non posse testatur; quia in re & illud innotuit, quòd se loquendo offensurum novit; neque enim retinere verba, quæ non potest, vellet, nisi per hæc se vulnera inferre prænosceret. Boni enim viri fræno consilii retinent præcipitationem verbi, & cautè considerant, ne relaxantes linguæ lasciviam, auditorum conscientiam incautâ locutione transfigant. Unde benè per Salomonem dicitur: *qui dimittit aquam, caput est jurgiorum*; aqua quippe dimittitur, cùm linguæ fluxus effrænatur, sed dimissor aquæ, caput iurgiorum efficitur, quia per linguæ incontinentiam, discordiæ origo propinatur. Igitur sicut pravi in sensu leves sunt, ita in locutione præcipites, & reticere pertractando negligunt, quæ loquuntur; sed quod levis conscientia concipit, levior protinùs lingua prodit.

§. II.

EX S. SCRIPTURA.

Usus.

I. Domine labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam. Psalm. 50. v. 17

II. Dominus dedit mihi linguam eruditam, ut sciam sustentare eum, qui lassus est verbo. Isaia c. 50. v. 4.

III. Ori tuo facito ostia, & seras. Eccli. c. 28. v. 28.

IV. In lingua sapientia dignoscitur. Ibidem c. 4. v. 29.

V. Omnis enim natura bestiarum, & volucrum & serpentium, & cæterorum domantur, & domita sunt à natura humana; linguam autem nullus hominum domare potest. Iac. c. 3. v. 7.

VI. Hominis est, animam præparare; & Domini, gubernare linguam. Prov. c. 16. v. 1.

VII. Est tacens, non habens sensum loquelæ; & est tacens, sciens tempus aptum; homo sapiens tacebit usque ad tempus. Eccli. c. 20. v. 5.

VIII. Quis dabit ori meo custodiam, & super labia mea signaculum certum, ut non cadam ab ipsis, & lingua mea perdat me. Ibidem c. 22. v. 33.

IX. Ex verbis tuis iustificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis. Matt. 12. v. 37.

Usus bonus.

X. Dominus qui habitabit in tabernaculo tuo? Psalm. 14. v. 1.

tuo? Qui loquitur veritatem in corde suo, qui non egit dolum in lingua sua.

Prov. c. 24. v. 26. XI. Labia deosculabitur, qui recta verba respondet.

Iob. c. 6. v. 29. XII. Respondete, obsecro, absque contentione, & loquentes id, quod iustum est, iudicate.

Psalm. 36. v. 30. XIII. Os iusti meditabitur sapientiam, & lingua eius loquetur iudicium.

Prov. 8. v. 8. XIV. Justi sunt omnes sermones mei, non est in eis pravum quid, atque perversum, recti sunt intelligentibus, & æqui invenientibus scientiam.

Usus malus.

Eccli. 21. 28. XV. Labia imprudentium stulta narrabunt, verba autem prudentium staterâ ponderabuntur. In ore fatuorum cor illorum; & in corde sapientium os illorum.

Iob. 9. v. 20 XVI. Si iustificare me voluero, os meum condemnabit me.

Osea c. 7. v. 16. XVII. Facti sunt quasi arcus dolosus, cadent in gladio Principes eorum à furore linguæ suæ.

Prov. c. 26. v. 28. XVIII. Lingua fallax non amat veritatem, & os lubricum operatur ruinas.

Psal. 13. v. 3. XIX. Venenum aspidum sub labiis eorum, quorum os maledictione & amaritudine plenum est.

Prov. c. 13. v. 3. XX. Qui inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala.

Eccl. c. 10. v. 12. XXI. Verba oris sapientis gratia, & labia insipientis præcipitabunt eum.

Eccli. c. 5. v. 15. XXII. Lingua imprudentis subversio est ipsius.

Prov. 12. v. 13. XXIII. Propter peccata labiorum, ruina proxima ad malum.

Psalm. 51. v. 6. XXIV. Dilexisti omnia verba præcipitationis, lingua dolosa: propterea DEUS destruet te in finem.

§. III.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Qualitas.

S. Chrysost. to. 6. de fide & leg. nat. I. DEdit ei linguam, quæ loqueretur, Deum laudaret, divina caneret, pulchritudinem naturæ interpretaretur. Differit de cœlo & terra, parva linguæ caruncula, neque duorum digitorum habens latitudinem, & quid inquam digitorum? Neque extremitatis unguis, sed summum illud parvum & vile, de cœlo & terra loquitur.

S. Bernard. to. 3. ser. de multiloq. c. 3. c. 7. II. Lingua clausa, & quasi in loco carceris posita est, circumdatur enim atque munitur à duobus muris, videlicet à dentibus, qui sunt quasi murus, propugnaculis ossium munitus; & labiis ignei coloris, quæ sunt quasi antemurale linguæ, cùm cæteri sensus in aperto sint omnes.

Ibid. c. 2. III. Lingua radicatur in corde, ut consideret homo, quod loqui debet, quod sentit in corde, si utile est; aut si veritas non est utilis, tacere, & nunquam mentiri; quasi natura ipsa humana clamet, cum corde unitatem esse debere, in corde & ore; & sicut unicum cor, sic sit unica lingua.

Custodia.

IV. Lingua nostra sensum nostrum sequatur, & rationem, non voluntatem; non debemus tantùm oculos clausos servare, sed & linguam intra dentes servare illæsam; sermo enim vanus, vanæ conscientiæ index est. Qualis enim es, tales sermones loqueris, talis & mens comprobatur, & qualis fueris in factis, talis comprobaberis in verbis. S. Aug. ser. 3. ad Frat.

V. Os nostrum perpetuò custodiamus, ei rationem, tanquàm claves adhibentes, non ut perpetuò claudatur, sed ut convenienti tempore reseretur, nonnunquam enim silentium est loquelâ utilius, quemadmodum loquela quoque silentiô, & ideo dicebat ille sapientissimus: Tempus tacendi, & tempus loquendi; etenim si oporteret ora perpetuò patere, non factæ essent portæ: Si autem perpetuò clausa essent, non opus esset custodiâ: quòd enim clausum est, cur quis custodierit? Sed propterea & sunt portæ, & custodia, ut faciamus singula tempore convenienti. Unde & Plutarchus in moralibus suis ait: ut ædium ostio carentium nulla est utilitas, ita multò magis oris claustro carentis nullius est usus. S. Chrysost. in Psal. 140

VI. Noli pati linguam sordescere: quo enim pacto pro te deprecabitur, si libertatem propriam amittat? Orna eam humilitate, atque modestiâ, dignam fac DEO, qui per eam rogatur. Ibidem.

VII. Nefas est, ut labia illa, quibus Dominum confiteris, rogas, benedicis, & laudas, alicuius polluantur sorde peccati. Nescio quâ conscientiâ, & linguâ quis Dominum rogat, quâ aut mentitur, aut maledicit, aut detrahit. S. Hieron. ep. 14.

VIII. Attendat ergo unusquisque, quanta sit ingratitudo, quanta iniquitas, quantum flagitium, membrum tam nobile, tantis dotatum prærogativis, & privilegiis adornatum, inquinare sordibus peccatorum, & quod est instrumentum DEI, in tam dignis & divinis officiis, facere Diaboli instrumentum. Bellarm. l. 3. dist. 3. p. 1.

IX. Januam Sponsus ipse vult clausam esse, dum pulsat; Janua nostra os nostrum est, Christo propemodum soli debet aperiri, nec aperiatur, antequam pulsaverit Verbum. S. Ambr. l. 3. de Virg.

X. Ante omnia, ubicunque fueritis, sive in domo, sive in itinere, sive in convivio, sive in consessu, verba turpia & luxuriosa nolite ex ore vestro proferre, sed magìs vicinos & proximos vestros iugiter admonete, ut semper, quod bonum est & honestum, loqui studeant, ne fortè detrahendo, malè loquendo, cantica luxuriosa & turpia proferendo, de lingua sua, unde debuerant DEUM suum laudare, indè sibi vulnera videantur infligere. S. Aug. ser. 115 de temp.

Apostolicorum, duas super pavimentum explicatas storeas, thuribulum fictile, lucernam & pyxidem ligneam, in qua sanctissimam asservabat Eucharistiam, ut iuxta sæculorum illorum consuetudinem, ferociente persecutione se ipsam communicaret. Ecce vobis admirabilem ex codicum Sacrosanctorum lectione haustum fructum; Verè equidem in præsenti verificatum fuit, illud Psalmistæ dictum: *Declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat parvulis.* Imò non modò veri DEI notitiam & lumen libri illius lectio sanctæ isti attulit Virgini, sed & insuper martyrii desiderio succendit.

Marchant. in Hortipast.

IX. Cùm S. Bonifacius codicem Evangeliorum secum portare solitus, eundem quoque ad martyrium contulisset, isque dum Carnifex ensem in caput martyris impingere moliretur, libri obiectu ab ictu gladii se tueri pararet, illustri miraculo factum est (ut Author quidam nostri temporis scribit) quòd, licet ense peracuto per medium sectus sit liber, nulla tamen littera ea sectione sit abolita, quem ego librum in prænobili Fuldensi monasterio in Germania, propriis occulis conspicere merui.

Bellov. l. 29. spec. c. 14.

X. S. Dominici Sanctitatem & perfectionem, illiúsque principia & progressus, Bellovacensis collationum Joannis Cassiani lectioni præcipuè attribuit, dicens: Beatus Pater noster Dominicus, ut in eius vita legitur, librum illum, qui collationes Patrum inscribitur, studiosè legens, ac vigilanter intelligens, salutis in eo rimatus semitas, magnum perfectionis apicem apprehendit.

Mansi disc. 5. n. 7.

XI. Celebris quoque fuit modus ille, quo divina providentia usa fuit, ut Sanctum Ignatium de Loiola ecclesiæ suæ compararet, quod factum est per libri cuiusdam spiritualis lectionem. Quod verò ad præsentis materiæ, de qua agimus, propositum vel maximè servit, est, quòd lectio hæc animos in illo generosos excitaverit. Nam inter ipsam lectionem, ubi quippiam insigne cognoverat, sistere secum ipse cæpit, deliberans: Quid si præclarum hoc Sancti Dominici facinus? Quid si hoc S. Francisci Deo fretus aggredior? Neque verò, cùm hæc & alia sibi multa proponeret, res occurrebat ulla tam ardua, támque difficilis, quam non perficere sese posse generosa quadam alacritate confideret.

Petrus Abbas Climac. l. 1. mir. c. 15.

XII. B. Petrus Abbas in nocte Dominicæ Nativitatis, sequentem circa S. Hugonem Abbatem pariter Cluniacensem obtigisse refert visionem. Diabolus ab omnibus monasterii officinis propulsatus esse videbatur, ad quas fuerat molitus aditum: à capitulo excludebatur, quia ibi Monachi suas circa disciplinæ monasticæ observantiam confitebantur culpas; exulabat è Dormitorio, propter honestatis & vigilantiæ continuæ merita; In Refectorium quidem tentavit ingressum, ubi gulæ prædominari solet, sed etiam & inde maxima cum confusione proscriptus fuit, Ast in virtute cuius id factum fuisse putatis? Audite ipsummet Authorem; sed ibi etiam tot obices ex divinorum lectione librorum, tot trabes ex devotionibus auditorum, tot repagula offendit ex Charitate sibi servientium, ut nullo modo ultrà procedere prævalens, retrò cogeretur redire.

Vita S. Francisc. Roman. l. 2. c. 15. & 19.

XIII. In vita S. Franciscæ Romanæ legitur, cum Sancta hæc spirituales aliquos haberet libros, dæmones in hoc solicitè incubuerunt, ut, si possibile foret, aliqua eorum folia resolveret, & abiiceret; quin & aliâ quâdam vice librum, quem manu continebat spiritualem matrona sanctissima, quemque actu legebat, spiritus nequam eidem auferre conati fuere.

Surius 11 Febr.

XIV. In actis S. Saturnini sequens legitur conspicuum miraculum: In medio foro civitatis Abitinensis cœlum ipsum pro divinis scripturis dimicavit, cùm enim Fundanus, eius urbis quondam Episcopus, eas scripturas Magistratui exurendas tradidisset, & Magistratus sacrilegus iam igni apponeret, subitò imber sereno cœlo diffunditur, ignis scripturis sacris admotus extinguitur, grandines adhibentur, omnísque regio ipsa, pro scripturis Dominicis, elementis furentibus devastabatur.

Damnum profanæ Lectionis.

S. Hier. in reg. mon.

XV. S. Hieronymus de se ipso sic scribit, cùm ante annos plurimos domo, parentibus, sororibus, & quod his difficilius est, consuetudine lautioris cibi, propter cœlorum me regna castrâssem, & Jerosolymam militaturus pergerem, bibliothecâ, quam mihi Romæ summo studio confeceram, carere non poteram. Itaque miser ego lecturus Tullium ieiunabam. Post noctium crebras Vigilias, post lachrymas, quæ præteritorum recordatione peccatorum ex intimis visceribus fluebant, Plautus sumebatur in manus. Si quandò in memetipsum reversus Prophetam legere cœpissem, sermo horrebat incultus: & quia lumen cæcis oculis non videbam, non oculorum putabam culpam esse, sed Solis. Dum ita me antiquus serpens illuderet, in media fermè quadragesima medullis infusa febris corpus invasit exhaustum, sine ulla requie (quod dictu quoque incredibile sit) infelicia membra depasta est, ut ossibus vix hærerem. Interim parantur exequiæ, & vitalis animæ calor toto iam corpore frigescente, in solo tantùm tepente corpusculo palpitabat, cùm subitò raptus in Spiritu, ad tribunal Christi pertrahor, ubi tantùm luminis erat, & tantùm ex circumstantium claritate fulgoris, ut proiectus in terram, sursum aspicere non auderem. Interrogatus de conditione, Christianum me esse respondi, at ille, qui præsidebat, mentiris ait; Ciceronianus es, non Christianus, ubi enim thesaurus tuus, ibi & cor tuum. Illicò obmutui, & inter Verbera (nam cædi me iusserat) conscientiæ magìs igne torquebar, illum mecum Versiculum repetens in inferno autem quis confitebitur tibi? clamare tamen cœpi, & eiulans dicere: Miserere mei, Domine, miserere mei, hæc vox inter flagella resonabat. Tandem ad præsidentis genua provoluti, qui astiterant, precabantur, ut veniam tri-

bueret

bueret adolescentiæ, & errori locum pœnitentiæ daret, exacturus deinde cruciatum, si gentilium aliquando litterarum libros legissem. Ego qui in tanto constrictus articulo vellem etiam maiora promittere, deierare cæpi, & nomen eius obtestans, dicere: Domine, si unquam habuero codices sæculares, aut si legero, te negavi. In hæc Sacramenti Verba dimissus revertor ad superos, & mirantibus cunctis, oculos aperui, tanto lachrymarum imbre perfusus, ut etiam incredulis fidem facerem ex dolore. Nec verò sopor ille fuerat, aut vana somnia, quibus sæpè deludimur. Testis est tribunal illud, ante quod iacui; Judicium testis, quod timui; Ita mihi nunquam talem contingat incidere quæstionem: nam fateor vulneribus habuisse plenas scapulas, plagas sensisse post somnum, & tanto de hinc studio divina legisse, quantò mortalia antè non legeram.

Baron. ann. 9.. XVI. Sophronius sequentem narrat historiam: Abbatem Cyriacum die quadam iuxta Jordanem convenientes, hanc ab ipso accepimus relatam visionem; viderat enim Abbas ille in somno mulierem quandam in vultu honestissimam, purpurâ amictam, atque ex utroque latere à duobus præclaris viris stipatam, quorum unus S. Joannes Baptista, alter verò S. Joannes Evangelista erat. Egressus igitur è cella, instanter ab ea petii, ut ingrederetur, sed invitantem me repulit; dum verò preces meas sollicitè repetens, dicerem, ne quæso avertatur humilis factus confusus, ipsa ferventem supplicantis affectum videns, vultu ad severitatem composito respondit: Habes intra cellam inimicum meum, & vis ut ingrediar? & his dictis abscessit. Ego verò animo afflicto, intra me ipsum discurrere cœpi, quonam peccato hanc repulsam commerui, non me accusat conscientia alicuius contra ipsam commissæ transgressionis, certúsque sum in cella mea neminem præter me ipsum reperiri; demum verò diligenti circa me ipsum facto examine nihil inveni, quod ipsam potuisset offendere. Sed quo putatis ipsum consilio usum fuisse, ut se consolaretur? Nimirùm sciens in libro 1. Machabæorum scriptum esse: *Habentes solatio Sanctos libros, qui sunt in manibus nostris*; ad illos S. Abbas recurrens, pro consolatione afflicti animi librum quendam spiritualem legere cæpit. Quid autem inde consecutum fuerit, ex propriis eius verbis percipere libebit, dicit enim: Cùm ergò vidissem me nimio mœrore absorberi, surgens cœpi librum, ut legerem, ut per huiusmodi lectionem dolorem meum, cogitationésque repellerem; Librum autem illum mutuò acceperam à D. Hesichio presbytero Jerosolomytanæ Ecclesiæ, evolvénsque librum, inveni duos Nestorii libros in fine voluminis scriptos, móxque agnovi hunc esse inimicum illum S. Domini nostri Genetricis semper Virginis. Tunc surgens abii, librumque illum ei, qui mihi accomodaverat, reddidi, dicens illi: Accipe librum tuum, frater, neque enim ex eo tantùm utilitatis accepi, quantùm detrimenti; cùm verò ille detrimenti ipsius causam sciscitaretur, omnem illi rei ordinem retuli, qui Zelo succensus, protinus illos duos Nestorii libros ex volumine præcidit, eósque igni tradidit, dicens: Non manebit in cella mea Dominæ nostræ Sanctæ Dei Genitricis semper Virginis inimicus.

XVII. S. Ignatius quoque fervores suos intepescere sensit, quando Barchinonæ Grammaticæ studiis intentus erat, cúmque cui causæ tepor ille adscribendus esset, ignoraret, tandem unicam huius tepiditatis causam esse advertit, quia videlicet Erasmum de milite Christiano manibus terebat, idque ob tersam libri latinitatem, ex Confessarii sui consilio pariter & licentiâ. Quod cùm simpliciter fecisset, observavit illius libelli lectione refrigescere in se spiritum Dei, & devotionis sensim ardorem restingui; quâ re animadversâ librum de manibus omninò reiecit, & ita est aversatus, ut nec ipse amplius legerit ipsius authoris libros, & passim à Societate nostra legi vetuerit; & tamen liber ille de Milite Christiano disserebat; sed licèt materia pia esset, author tamen illius impius erat. *Mansi disc. 16. n. 2.*

§. V.

EXEMPLA PROFANA.

Utilitas.

I. **A**Lcoranus Turcarum sub pœna capitis, omnibus Turcis omne librorum genus prohibet; cuius ratio est, quia hoc modo omni superiori lumine & notitiâ, quæ à libris sacris & spiritualibus addiscitur, destituti, facilius se in tenebris ignorantiæ positos, ad quævis præcipitia perduci permittunt. *Mansi disc. 2. n. 8.*

II. Diogenes Laërtius narrat, quòd Zenoni oraculum consulenti, quomodo vitam suam ita dirigere posset, ut Diis & hominibus in cunctis actionibus suis placeret, ab eodem oraculo responsum fuerit, hunc se finem assecuturum esse, si sæpè cum mortuis ageret, quorum verborum sensum hunc esse facilè intelligebat, ut scilicet libros, quorum authores ut plurimùm mortui sunt, assiduè pervolveret. *Laert in vita Zenonis l. 7.*

Damnum.

III. Nabuchodonosor horrendo planè modo in belluinos mores transformatus fuisse legitur: Diocletianus priùs corporis tabe, linguâ vermibus corrosa, mentisque insaniâ correptus vim sibi ipsi intulit; Et Proculus Genserici wandalorum Regis minister, sibi frustulatim linguam dentibus lacerans, fœdáque morte sublatus est, eò quod sacra Volumina flammis voracibus publicè concremaverint. *Mansi disc. 3. n. 9.*

IV. Henricus Octavus Rex Angliæ dæmonis instinctu ab Ecclesia recedens, ut Religionem Catholicam tantò irreparabilius profligaret, Carthusianos (qui veluti validum quoddam propugnaculum, ad eandem fidem defendendam, superstites remanserant) pariter seducere volens, primo quidem non blandimentorum *Idem disc. 16. n. 11.*

mentorum

mentorum usus est lenociniis, non stragibus, nec exiliis, vel aliis similibus persecutionibus, non bonis temporalibus eos destituit, nec in vincula coniecit, sed ut fidei integritatem ab illis quoque totaliter eradicaret, omnes libros sacros illis auferri præcepit, firmiter sibi persuadens, quòd hoc thesauro illis erepto, excellentissima quoque fidei margarita pariter eripienda foret. Hac tamen librorum rapina non contentus, plurimis postea vitam crudelissimè eripuit.

§. VI.

SIMILITUDINES.

Qualitas.

S. Ephrem to. 1, de vita spir. n. 91.

I. Sicut, famem sentire, bonæ Valetudinis corporis indicium est, Ita divinos sermones studiosè, libentérque audire, sanitatis animæ maximum argumentum est: Econtrà verò quandò stomachus cibum nec appetit, nec retinet, malæ est dispositionis indicium, nam iuxta illum medicorum aphorismum, omnis nauseatio mala, panis autem pessima. Eodem quoque modo, qui libros spirituales & devotos legere nauseat, animam suam perditæ salutis esse indicat. Unde S. Ephrem ait: Quando te à lectione rerum Spiritualium abhorrere videris, admonitionésque spirituales fastidire, tunc animam tuam in gravem incidisse morbum noveris.

S. Basilius epi. 1. ad Naz.

II. Sicut nervi animæ sunt orationes, ita pariter nervi, per quos oratio subsistit, sint libri spirituales, eorúmque lectio, & forsitan id ipsum affirmare voluit Basilius magnus, quando ad Nazianzenum ita scripsit: Jam verò orationes lectionibus succedentes, recentiorem animum, vegetiorémque accipiunt; Cùm enim lectio orationem præcedit, hæc ab illa novos & vigorosos sortitur spiritus. Undè Cardinalis Turrecremata de lectione sacra inquit: valet ad vires replendas.

Origenes to. 9. in Num.

III. Sicut una & eadem species Mannæ aliis vermes & putredines generabat, aliis verò salubrem cibum conferebat, & vitæ necessarium; ita & nostrum Manna est verbum Dei, & apud nos sermo Dei, aliis efficitur ad salutem, aliis ad pœnam.

Mansi disc. 17. n. 7.

IV. Sicut aqua impetuosè decurrens, terram non fœcundat, sed potiùs semen suffocando, sterilem efficit, ita quoque multorum librorum præpropera lectio, absque reflexione ulla facta, non fœcundat animam spiritu, & devotione; imò quandoque eam opprimit & confundit.

S. Basilius ho. 22.

V. Sicut florum, reliquis quidem usque ad odorem vel colorem, est usus, apes autem mel ex ipsis excerpere noverunt, sic & qui diligentes in legendo existunt, non solùm quod dulce, iucundúmque fuerit, in eorum libris prosequuntur, sed quandam ex eis utilitatem animo referre contendunt.

Ibidem.

VI. Sicut apes non omnibus floribus similiter insident, neque ex eis, ad quos accedunt, omnia auferre conantur, sed quantùm ipsis ad opus necessarium fuerit, comprehendentes, reliquum dimittunt: sic nos etiam ut sobrii, sapientésque, quantùm congruum nobis, propinquúmque veritati ex ipsis fuerit, persequamur, reliquum prætereamus. Et sicut in legendis rosis sentes vitamus; sic in talibus sermonibus, quidquid est utile, carpentes, noxium vitemus.

Mansi disc. 16. n. 1.

VII. Sicut David Goliathum quinque lapillis è torrente sublatis, Eodem modo, inquit Villanovanus, Christus dæmonem tribus authoritatibus superavit. Eâdem quoque comparatione Glossa his verbis utitur: David Goliath tribus lapidibus è torrente prostravit, & Christus diabolum tribus testimoniis de lege: David lapides è torrente selectos, in peram suam pastoralem reposuit; ita quoque Christianus in lectione librorum spiritualium seligere debet orationes iaculatorias, & dogmata utilia, eáque in mente & memoria sua reponere, ut in obviis occasionibus, tentationibus infestatus, præsumptuosum illum & superbum Gigantem prosternere valeat.

S. Basilius ep. de forma honesta vita.

VIII. Sicut Pictores industrii, cùm ex imaginibus imagines ad unguem, ut dicitur, exprimere nituntur, frequenter ad exemplar aspiciunt, lineamenta ex illo omnia ad suam artem summoperè transferre molientes; Ita ei, qui se cupit omnibus partibus esse virtutis ornatum atque perfectum, tanquam; ad statuas quasdam animatas ac mobiles iugiter in Sanctorum vitas & mores intendendum est, illorumque probos actus sibi consciscendum, per imitationis studium.

S. August. 21. ex utrique test. q. 110.

IX. Sicut ferrum, nisi usum habuerit, æruginem generat; ita & anima, nisi divinis exerceatur lectionibus, nascentur illi peccata; Hinc est, quod Psalmista hunc dicat beatum, qui die noctéque legem Domini meditatur.

Glossa in c. 5. Cant.

X. Sicut columbæ iuxta fluenta residere solent, ut volatilium avium in aqua umbram videant, & sic ungues vitant; sic Sancti in scripturis fraudes dæmonum prospiciunt, & ex deceptione, quam attendunt, quasi ex umbra, hostem cognoscunt, & fugiunt.

S. Ambros. apud Mansi disc. 59. n. 4.

XI. Sicut in dura hyeme Monachi libenter vadunt ad calefactorium, ita viri Sancti frigore huius mundi durante, stant libenter iuxta libros, ut illos legendo, & audiendo calefiant in amore cœlesti.

S. August. S. 112. de temp.

XII. Sicut in carnalibus escis alitur caro, ita ex divinis lectionibus interior homo nutritur, & pascitur.

Author op. imperfec. ho. 41.

XIII. Sicut qui mittit in os suum fragmentum panis, aut qualemcunque cibum, primò molit eum dentibus, & ita demittit in stomachum; sic & cùm audimus omne verbum (dicamus nos; cum legimus) necesse est ipsum meditari in ore sensûs, & quasi quibusdam dentibus, id est, tractatibus molere, & videre, quid est, quod dicit, aut propter quam rem dicit. Nam quemadmodum qualemcumque cibum nisi masticaverimus dentibus, non sentimus saporem

saporem eius, ita & verbum, nisi masticaverimus, ipsum tractantes in nobis, non possumus intelligere virtutem verbi illius.

S. Ephrem. de pat. & consumm. sac. XIV. Sicut tuba sonans congregat milites, sic & divinæ Scripturæ ad nos clamantes, cogitationes nostras congregant ad timorem DEI. Quemadmodum enim tuba, belli tempore sonans, strenuorum militum alacritatem in adversarios excitat, ita & divinæ scripturæ te promptiorem ad omne opus bonum reddunt, téque adversus improbas passiones ac vitia magis animant corroborántque.

§. VII.

MOTIVA.

Cassiodorus apud Mansi disc. 1, n. 2. I. Quia utilitas ingens oritur ex hac lectione, quam Cassiodorus sequentibus verbis indicat: Modo Charitatem DEI & proximi monet; Modò, ut sæculi peritura contemnas, insinuat; modo ut illam patriam recorderis, in qua es perpetuò mansurus, infundit. Patientiam monet, spem tribuit, humilitatem proficuam laudat, superbiam ruinosam semper accusat, pias eleemosynas creberrimè fieri persuadet. *S. Chrysost. ho. 3. in Gen.* S. Chrysostomus quoque ait: Meritò thesauro confertur, divinarum scripturarum lectio; nam sicut ex illo, quisquis vel parvum fructum capere vellet, multas sibi parat divitias; ita & in sacra scriptura, etiamsi in brevi dictone variam sententiarum vim, & immensas divitias invenire licet. Rectè ergò Cassiodorus ait: libros sacros vocavit utilitatem Christianorum, thesaurum Ecclesiæ.

Turrecremat. in reg. S. Bened. c. 73. tr. 148. II. *Quia in specie utilis est ad perfectionem obtinendam*, uti Turrecremata indicat dicens: Cæterum ad perfectionem conversationis, quò festinant, sunt doctrinæ sanctorum Patrum; Horum enim verborum hunc dicit esse sensum: Doctrinæ sanctorum Patrum sunt, in quibus legendum est, & à quibus exempla sumenda sunt ab his, qui cæterum, id est, ad maiorem perfectionem conversationis festinant, quarum scilicet doctrinarum observatio perducit hominem ad celsitudinem perfectionis; quæ enim pagina, aut quis sermo divinæ authoritatis veteris ac novi Testamenti non est certissima norma vitæ humanæ? Id quod brevius S. *S. Thomas in 2. Tim. c. 3.* Thomas quoque indicavit, dicendo: Effectus huius scripturæ est duplex, scilicet quia docet cognoscere veritatem, & suadet operari Justitiam. *S. Bonav. s. 14. hex.* S. Bonaventura ob quatuor fines concessam nobis sacram Scripturam docet: Primò ad gratiam commendandam, Secundò ad introducendam fidem, Tertiò ad referandam sapientiam, quæ solum est ista, Quartò ad restaurandam salutem, quæ in illa solummodò est, & in nulla alia scientia est salus.

Ant. Panor. l. 3. c. 1. III. *Quia utilis est ad optima consilia danda*: uti Alphonsus Rex Arragoniæ indicavit, dicere solitus, optimos Consiliarios esse mortuos, libros videlicet designans, à quibus sine metu, sine gratia, quæ nosse cuperet, fideliter *Theophilactus in 2. Tim. c. 3.* audiret. Undè Theophilactus: Quocircà, ait, si velis pefectus esse, & sanus, neque in tristibus contractus, has habe consultrices, scilicet litteras sacras; Ad imitationem Machabæorum, qui licèt undique ab inimicis premerentur, nihilominus gloriantes dicebant, *sumus habentes solatio sanctos libros, qui sunt in manibus nostris.* Quam eandem lectionis sacræ proprietatem & D. Chrysostomus in quadam super Genesin homilia adducit, dum ait: Vidisti, quomodò quacunque calamitate humanam naturam premente, conveniens ex scripturis antidotum accipere liceat, ut omnis vitæ huius repellatur anxietas.

IV. *Quia utilis est ad dæmonis insidias cognoscendas, & effugiendas*; nam uti iterum Turrecremata dixit, talis lectio est sicut alveus, per quem fluit aqua, in qua solent resultare imagines avium rapacium, & ideò viri sancti libenter legunt in libris sanctis, ut intuentes in eis fallacias dæmonum, meliùs caveant. Hinc S. Bernardus quoque dicere solitus est: Lectio & oratio sunt arma, quibus diabolus expugnatur. *Turrecrem. in reg. S. c. 4. tr. 21. Benedicti* *S. Bernar. s. 10. ad fr.*

V. *Quia utilis est ad animam reficiendam*: uti S. Ambrosius advertit dicens: Negligit famem corporis, qui pabula lectionis intendit; nec ventris curam habere poterit, qui alimentum verbi cœlestis acquirit; ipsa est enim refectio, quæ saginat animam, quæ impinguat viscera, cùm de divinis scripturis cibum eloquii perennis accipimus: Ipsa est esca, quæ vitam æternam tribuit.. Similiter S. Isidorus Pelusiota divinarum scripturarum lectionem viaticum esse dicit, quo in hoc præsentis vitæ ad patriam cœlestem instituto itinere sustentamur: Ita enim scribit: Sacrarum scripturarum lectionem salutis viaticum esse existimat, ut, quæ eorum, qui eam studiosè & diligenter audiant, probitatis amorem, ac virile robur, præclaris ac illustribus exemplis pascat. Quod ipsum etiam Origenes confirmans ait: Si ad Ecclesiam frequenter venias, aurem litteris divinis admoveas, explanationem mandatorum cœlestium capias, sicut cibis & deliciis caro, ita spiritus verbis divinis convalescet, & robustior effectus, carnem sibi parere coget, ac suis legibus obsequi. Nutrimenta igitur spiritus sunt divina lectio, orationes assiduæ, sermo doctrinæ. His alitur cibis, his convalescit, his victor efficitur, quod quia non facitis, nolite conqueri de infirmitate carnis. Hinc rectè Hugo Vict. monet: Quoties nobis divina scriptura legitur, aut exponitur, cogitare debemus, quia esca spiritualis est, quæ à DEO nobis mittitur ad reficienda corda nostra. *S. Ambros. s. 35. de ieiun. Domini.* *S. Isidorus l. 3. ep 73.* *Origenes ho. 9. in Lev.*

VI. *Quia utilis est ad Spiritualia colloquia instituenda.* Hinc S. Ambrosius monet: Et ideo divinas lectiones tali desiderio & legere, & audire debetis, ut de ipsis in domibus vestris, & ubicunque fueritis, etiam loqui, & alios docere possitis; & verbum DEI velut munda animalia cogitatione assiduâ ruminantes, utilem succum, id est, spiritualem sensum & vobis sumere, & aliis DEO auxiliante propinare possitis, ut in vobis impleatur illud, quod *S. Ambros. ser. 25. in die cin.*

quod scriptum est: *Et calix meus inebrians, quàm præclarus est.*

S. Gregor. l. 4. ep. 84. VII. *Quia libri sacri & spirituales, sunt Epistola, & locutio DEI*, uti S. Gregorius innuit dicens: Imperator cœli, Dominus Angelorum & hominum pro vita tua epistolas suas transmittit, & tu illas ardenter legere negligis? Quid est enim sacra scriptura, nisi quædam epistola omnipotentis DEI ad suam creaturam? Hinc & S. Ephrem dixit: Gloriantur alii de magnatum, Principúmque ac Regum familiaritate, & colloquio; at tu coram Angelis DEI gloriare colloquens, & cum Spiritu S. per sacras litteras conferens, nam Spiritus S. est, qui loquitur per eas. S. Ephrem de patient. & consol. fac.

S. Gregor. præf. in Iob. c. 2. VIII. *Quia varias habet prærogativas præ concionum auditione.* Nam 1. Libris sacris scripturæ per veritatem infallibilem assistit Spiritus sanctus, cuius tamen assistentia, quoad eos, qui verbum DEI vivâ voce annuntiant, adeò certa non est: Etenim non de sacrarum litterarum interpretibus & commentatoribus, sed scriptoribus vel auctoribus S. Gregorius ait: Scriptores sacri eloquii, quia repleti Spiritu S. super se trahuntur, quasi extra semetipsos fiunt; & sic DEI sententias quasi de ab iis proferunt. 2. Non facilem adeò cum prædicatoribus verbi divini, quantumcunque exemplaribus & spiritualibus, ad bona illorum exempla apprehendenda, conversandi, nancisci possumus occasionem; aut enim solitudinem amant, aut in contemplativa occupantur, vel aliis corporalibus & spiritualibus vacant misericordiæ operibus; Hæc igitur librorum bonorum est prærogativa, quòd eos tempore nobis quocunque beneplacito pervolvere possimus; quódque dum nobis maximè arridet, cum sanctis eorum authoribus conversemur, horúmque imbibamus spiritum & devotionem. v. g. S. Hieronymi, S. Bernardi, S. Augustini, S. Gregorii, aliorúmque similium. 3. Concio ut plurimùm nullum in auscultante, quando is distractus est, affert fructum; Intereà namque totum, quod dicitur, præterit & evanescit, quantumcunque cum spiritu & energia veritatem inculcare nitatur prædicator, præterquam quòd labilis sit Auditoris memoria, vel etiam minimè accedat dispositus ad divinum illud in cordis sui terra radicandum semen: cùm tamen econtrà doctrinæ affectus, Maximæ pietatis Christianæ, veritates æternæ, ad placitum nostrum in chartis, quæ non prætervolant, indelebiliter reperiantur impressæ: Unde Quintilianus ait lectio libera est, nec actionis impetu transcurrit, sed repetere sæpius licet, sive dubites, sive memoriæ penitus affigere velis. Hinc & Gillibertus Abbas sapienter dixit: Bonum est, si scribantur verba, volat enim irrevocabile verbum, nisi scripto mandetur. Scriptura verbum & stabile facit, & visibile. Mandatum paginæ reposcetur, cùm voles. Bonus depositarius est liber, integrè, quod acceperit, resignans: cùm voles, sumes: ubi voles, leges: quamdiù voles, moraberis. Scriptura memoriæ reparatrix est, quia verbi repræsentatrix est. Tutò verbi medicamenta illic condis, servantur enim illæsa. Si verbum medendi vim habet, cum dicitur: Cur non habet, cum legitur? Si bona curatio, cùm dicis: cur non bona, cùm legis? 4. Quòd Prædicatores Magistros spirituales, exhortationes & conferentias sacras viva voce factas in nostro non habeamus arbitrio, siquidem hæc omnia tempus, & locum, congregationésque illis præscriptas habent, non verò libri, quos quovis tempore, & ubicunque nobis placet, cum attentione & profectu legere possumus, ipsi docebunt te, loquentur tibi, & de corde suo proferent eloquia. 5. Libri omni cum libertate & indifferentia, deposito omni timore & humano respectu, eos, à quibus leguntur, reprehendunt & corrigunt; cùm tamen ex alia parte per experientiam videamus, quòd viris etiam Zelosissimis nonnunquàm animus desit, ut alios, & maximè personas in dignitate positas, earúmque scandala & iniquitates, velut alter quidam Joannes Baptista, sermone perstringant. Hinc libri speculo comparantur, quod unicuique sine adulatione, omnique cum fidelitate & sinceritate proprios faciei defectus patefacit, dummodò illud inspiciat. 6. Verbum DEI prædicatum alteri quoque subiacet incommodo, cuius libri sacri & spirituales sunt expertes, videlicet defectibus eorum, qui illud annuntiant. Nam, ut Cassianus ait, nunquam erit efficax instituentis authoritas, nisi eam effectu operis sui cordi infixerit audientis. In dubium nequaquam revocari potest, quin, quod S. Hieronymus v. g. S. Bernardus, vel S. Augustinus, aut alii SS. Patres & Scriptores in libris suis tradiderunt, ipsimet operibus suis strenuè fuerint executi; Hanc autem certitudinem in iis, qui prædicant, minimè habemus, imò cum summo Ecclesiæ malo sæpe numerò experimur, quòd bene quidem Verbum DEI prædicent, & tamen pessimè vivant. Optimè proinde S. Isidorus Pelusiota ait: Vita sine sermone magis prodesse solet, quàm sermo sine vitâ; nam illa etiam tacens prodest, hic autem etiam clamans molestiam adfert. Libri verò prædicatores sunt muti pariter & loquaces, quia ad cor nobis loquuntur: Loquentur tibi, & de corde suo proferent eloquia: Imò libros spirituales legentibus non iam libri, sed ipsemet DEUS libris tanquam instrumento utens prædicat, & ad virtutem & profectum illos excitat. 7. Prædicatores nonnunquam plausibilibus magìs student conceptibus, ostentationi ingenii, facundiæ, memoriæ, & doctrinæ, magìs ut auditoribus placeant, quàm ut spirituali animarum profectui deserviant, adversùs quos Gillibertus Abbas calamum suum his verbis exacuit: Studeant magìs alta, quàm apta dicere, facientes apud infirmas intelligentias miraculum sui, non ipsorum salutem operantes. Ex libris autem unusquisque eligere potest illos, qui suæ sunt proportionati capacitati, magísque

Mansi disc. 10. n. 3. — Quintil. inst. orat. l. 10. c. 1. — Gillibertus Abbas s. 47 in Cant. — Mansi l. c. n. 6. — Ibid. n. 7. — Cassianus coll. 11. c. 4. — S. Isidor. l. 2. ep. 171. — Gillibertus Abbas 17. s. in Cant.

que proficui, libri quoque de vanitate vel applausu suspecti non sunt, sed veritatis & devotionis sunt instrumenta. Præterea ex prædicatoribus multi sunt, qui potiùs ob interesse proprium, quam ob salutem animarum, prædicationi vacant. Contra quos Hugo Cardinalis, ad illa se reflectens verba Numerorum 8. *sume tibi duas tubas argenteas:* ita scribit: Prima tuba est verbum prædicationis, secunda est exemplum boni operis. Tuba per quam designatur prædicatio, non resonat, nisi vacua, & prædicator debet esse vacuus per rerum terrenarum neglectum. Tales autem prædicatores sunt libri, qui aliud interesse non habent, præterquam animarum nostrarum salutem. D. Chrysostomus postquam vanos reiecisset Auditorum applausus, tandem protestabatur dicens: Mea laus est, & summus plausus, si quis à vitiis ad virtutem convertatur. Hunc autem finem libri sacri infallibiliter assequuntur, de quibus proinde S. Bernardus ait: per lectionem vitia destruuntur, & virtutes in anima nutriuntur.

S. Chrysost. ho. 54. in Gen.

S. Bernard. s. 50. de modo ben. viv.

§. VIII.

MEDIA

Ad lectionem utiliter peragendam.

Dacrianus Abbas in spec. Monach.

I. ORatio hinc Dacrianus Abbas dicebat: sicut Patres testati sunt, utile est, à lectione ad orationem seu meditationem transire, & rursum ab oratione ad lectionem recurrere, ut, dum oratio lectioni, & lectio orationi laudabili vicissitudine succedit, tollatur fastidium, animúsque velut recens ad opus propositum semper vigeat, & ex utraque fructus copiosior referatur. Et quid vetat, quò minùs in ipsa etiam lectione breviusculas quasdam orationes subinde formes, & ad Deum per Sancta desideria adspires?

S. Bernard. de vita solit.

II. *Certis horis certæ lectioni vacandum est*; fortuita enim & varia lectio, & quasi casu reperta, non ædificat, sed reddit animam instabilem, & leviter admissa, leviùs recedit à memoria. Qua propter & Seneca moralis, à Bellovacensi citatus, in epistola 2. ait: Illud autem vide, ne lectio ista multorum auctorum, & omnis generis voluminum, habeat aliquid vagum & instabile; certis ingeniis immorari, & innutriri oportet, si velis aliquid trahere, quod in animo fideliter sedeat. Paulóque post adducit hanc similitudinem: Nil æquè sanitatem impedit, ut remediorum crebra mutatio, distrahit animum librorum multitudo. Itaque cùm legere non possis, quantum habueris, sat est habere, quantum legas; fastidientis stomachi est, multa degustare. Citátque aliam quandam eiusdem Senecæ epistolam, quæ est 45. in ordine, ubi ita scribit: Non refert, quàm multos libros, sed quàm bonos legas; lectio certa prodest, varia delectat. Varro ad Themidem inquit: Sic multi libros degustant, ut con-

Bellov. l. 2. spec. c. 38.

vivæ delicias, sed citò transcursa, citiùs labuntur.

III. *Continuatim, & non saltando legere*, sæpè enim intelligentia posterior dependet ex primis, & quia sicut unoquoque opere curatur inveniri substantia, ita universæ doctrinæ & disciplinæ noverca est negligentia.

Turrecrem. in reg. S. Benedict. c. 48.

IV. *Eo affectu legere libros, quo scripti sunt*; nunquàm enim ingredieris in sensum Pauli, donec usu bonæ intentionis in lectione eius & studio assiduæ meditationis spiritum eius imbiberis. Nunquam intelliges David, donec ipsa experientiâ ipsos Psalmorum affectus indueris. Sicque de reliquis.

S. Bernard. l. de vita solit.

V. *Cum humilitate legere*; nam, ut Mansi rectè advertit, Intelligentia sacrarum litterarum humilibus promissa fuit, quia licèt mysteria altissima & imperscrutabilia revelentur iis, qui divinis in litteris student, magis tamen eis, qui in assistentia divina confidunt. Unde Salvator ait: *Abscondisti hæc à sapientibus, & revelasti ea parvulis.* Et Thomas à Kempis monet, inquiens: Si vis profectum haurire, lege humiliter.

Mansi disc. 12. n. 2.

VI. *Benè vivere*; uti monuit S. Athanasius dicens: Ad scripturarum imaginem, verúmque intellectum, opus est vitâ probâ, animo puro, & virtute, quæ secundùm Christum est. Et paulò pòst subdit: sine purâ mente, & Sanctorum imitatione, nemò comprehenderit Sanctorum verba. Quemadmodum si quis intueri velit solis iubar, oculos planè detergit, atque in splendorem redigit, quantùm potest ad eius similitudinem, cuius conspiciendi desiderio tenetur, sese purificans, ut ita oculus iam lumini redditus, lumen solis contempletur.

S. Athanas. l. de incarn.

VII. *Ruminari lecta*, uti Joannes Ximenes Coadiutor è Societate JESU facere solebat; hinc ad Lectionem se conferens dicebat: Eamus nunc ad ruminandum: Ovis enim, nisi ruminaret, non pinguesceret. Id ipsum etiam suasit S. Ambrosius, considerans præceptum illud à Deo populo suo electo traditum: *omne, quod ruminat in pecoribus, comedetis,* inquit: Non ergo perfunctoriè transeamus, quæ legimus, ut tunc tantùm, cùm legimus ea, in memoriam eorum redire videamur, sed etiam cùm abest codex manibus, tanquam animantia, quæ probantur, & munda habentur in lege, etiam cùm non pascuntur, ruminare consueverunt, ex semetipsis alimenta sibi recondita proferendes; Ita & nos de nostræ memoriæ thesauro, de interioribus nostris ruminandum nobis pabulum spirituale promamus. Hinc aliqui suadent, ut lectores columbam imitentur, quæ bibitura cœlum versus caput elevare solet, posteáque iterum bibere; ita & anima virtuosa, postquàm libros devotos legit, aliquemque applicatione dignum offendit sensum, mentem ad Deum elevet; oportet lecta meditetur, posteáque ad lectionem redeat, quod ad propositum S. Bernardus accommodam hanc adducit similitudinem: In omni scriptura tantùm distat studium à lectione, quantùm amicitia ab hospitio,

Vita Joan. Ximen. c. 25.

S. Ambros. in Psal. 118.

S. Bernard. in e 6. cant.

spitio, socialis affectio à fortuita salutatione. Quem eundem supervacaneæ circa multorum librorum lectionem applicationis abusum, Seneca pariter detestatur eâdem similitudine, dum inquit: In peregrinatione vitam agentibus hoc evenit, ut multa hospitia habeant, nullas amicitias. Idem accidit necesse est eis, qui nullius se ingenio familiariter applicant, sed omnia cursim & properanter transmittunt.

Seneca ep. 2.

§. IX.

ASCETICA.

I. *INprimis laborare debet Asceta, ut dignam de S. Scripturæ excellentia æstimationem concipiat*, quem in finem serviet illi, quod SS. Patres pronunciârunt, & specialiter S. Bonaventura, qui dixit: Liber scripturæ est reparativus totius mundi, ad Deum cognoscendum, laudandum, amandum. Sed & S. Laurentius Justinianus, sanctæ paginæ, inquit, potissimè bonitatem conditoris commendant. Nostram voluit per has Deus erudire ignorantiam, informare fidem, spem solidare, ablactare à visibilibus & invisibilibus pascere. Prorsus totus cæcatus esset Mundus absque adminiculo scripturarum, quæ confundunt errores, iniquis supplicia minantur æterna, Justisque præmia pollicentur perpetua. Singulariter verò hoc in genere notandum est, quod S. Thomas Vill. sapienter pronunciavit, qui, cùm antè dixisset: Ars artium est, servire Deo; suprema sapientia, scire bene vivere; si hanc nosti, etiamsi cætera nescias, sapientissimus es: qui hanc nescit, quidquid sciat, ignorantissimus est; Hanc omnes Christiani profitentur: Quid enim aliud est Christianismus, nisi ars docens homines piè vivere, placere, & servire Deo? posteà hæc verba subiungit: Nam huius artis regulas & præcepta docet Evangelium, & scriptura sacra.

S. Bonav. s. 13. in Hexamer.

S. Laurentius Iust. de cast. connub. c. 14.

S. Thomas Villan. con. 2. in Dom. 1. quadr.

II. *Nôsse debet, quos libros præcipuè tum ipse legere, tum aliis suadere debeat*, quos quidem Nigronus ad tria revocandos putat, nempe ad S. Scripturam, quæ, sicut alios libros dignitate & utilitate longissimè antecellit, ita meritò etiam præ reliquis suadenda est illis, qui capaces sunt: Ad SS. Patres, de quibus loquebatur S. Philippus Nerius, quandò dicebat, legendos esse libros, qui à litera S. incipiunt, in horum enim lectione pietas & devotio non solùm non vacillat, sed magìs stabilitur, & augetur. Et tandem ad libros aliorum scriptorum, præcepta Ascetica & exempla salutaria continentes, inter quos Collationes & vitæ Patrum præcipuè commendantur; quid enim hæc aliud sunt, inquit S. Benedictus, nisi bene viventium & obedientium Monachorum exempla, & instrumenta virtutum? Hinc ex eorum lectione S. Thomas Aquinas, S. Dominicus, S. Fulgentius, S. Philippus Nerius, Spiritum sanctitatis præcipuè hausisse scribuntur. Sed & libellus de imitatione Christi à Venerabili Patre Thoma Kempensi scriptus præ reliquis commendari meretur. Est enim, teste Bellarmino, opusculum utilissimum, & iure in tota ecclesia summo omnium consensu receptum, & frequentatum, & in omnes linguas conversum. Ego certè ab adolescentia, & usque in senectam hoc opusculum sæpissimè volvi, & revolvi, & semper mihi novum apparuit, & nunc etiam mirifice cordi meo sapit. Georgius Mayr nostræ Societatis, qui cum Græcum fecit, in omnes propemodum variarum nationum extra Europam ubique sparsarum linguas translatum esse affirmat. Qui Directorium exercitiorum conscripserunt, tanti æstimant hunc librum, ut eum unum legi permittant ab eo, qui facit exercitia in hebdomada prima, quo tempore quævis alia lectio interdicitur. Ludovicus Pontanus in vita Balthasaris Alvarez tradit his verbis illius viri spiritualis de hoc libro magnam opinionem: Eius sententiis frequenter utebatur in exhortationibus, eò quod cordi adhærescant, Deúsque illas imprimat bono affectu legentibus. Et cum esset visitator provinciæ Aragoniæ, fecit, ut in ea agnoscerent eius libri usum, cuius emolumentum experientiâ illi perceperunt, invenientes singuli, quacunque ex parte eum aperirent, quod animæ suæ conveniebat. De eâdem fortuita libelli huius apertione & lectione cum aliquo spirituali proventu, extat item testimonium Hermanni Hugonis scribentis hæc verba: Multos dicere frequenter audivi solitos, se ex libello Thomæ à Kempis sic (fortuitâ lectione) quærere in mærore consolationem, neque ferè unquam falli. Multa quoque de laudibus huius libelli Henricus Sommalius noster in epistola dedicatoria illi præposita: Inter cetera, tôtius Christianæ Philosophiæ compendium eò contineri, non nisi parùm pio displicere posse; non modò familiarem, sed etiam ducem vitæ, ac magistrum esse oportere: Quod de M. Tullio Quintilianus pronunciavit; ille se profecisse sciat, cui Cicero valdè placebit, dici posse veriùs de hoc auctore: Ille in perfectione religiosa se profecisse sciat, cui de Imitatione liber hic valdè placebit. A viris Religiosis laudari hunc libellum rationabile est, sed valdè mirum apud infideles in pretio esse. Narrat idem Henricus, quendam ex ordine nostro navigâsse redimendorum captivorum gratiâ, Argirium Mauritaniæ (quod oppidum Alger vulgo dicitur, estque piratarum Maurorum receptaculum mari Tyrrheno infestissimum) ab Rege, qui Christianus fuerat, in Bibliothecam introductum: porrectos illi varios codices visendos, atque in his libellum hunc de imitando Christo vulgari Turcarum linguâ conversum. Qui Rex illud adiecit memorabile: Pluris sese unicum illum facere, quam reliquos omnes Mahumetanorum. S. Ignatius noster, quod aliis suadebat faciendum, ipse præstabat, qui quotidiè ante prandium caput unum ex hoc libello legebat eo, quo disposita sunt, ordine, post prandium alterum, quod fortuita codicis apertio dabat, inveniens in eo semper materiam statui præsenti accommodatam. Traditum hoc est memoriæ posterorum à Ludovico Gonzalez, qui Joannis III. Lusitaniæ

S. Bened. in c. 7. reg.

Apud Nigron. tr. 5. c. 3. f. 185.

niæ Regis rogatu, S. Ignatii vitam ac mores observaverat. In archivo Romanæ domûs hæc observatio manuscripta conservatur. Addit Petrus Ribadeneira, eidem S. Ignatio placuisse adeò lectionem huius libri, ut multorum iudicio, vita ipsius facta esset Imago viva doctrinæ libello inclusæ.

Nigronus tract. ascet. 1.c.3. & 4.

III. *Nôsse debet, quid de profanorum librorum lectione sentiendum sit, videlicet si salutaria principia moralia contineant, posse eos licitè & cum fructu legi*; sic enim suadet inprimis authoritas multorum Patrum spiritualium, qui magni fecerunt Philosophorum de virtutibus doctrinam. De S. Basilio nihil attinet dicere, qui docet modum exprimendæ ex illis utilitatis; quoties S. Hieronymus axiomata Philosophorum producit, ad probationem suarum conclusionum? quoties S. Gregorius Nazianzenus, atque Ambrosius? S. Dorotheus in domesticis cohortationibus, tanquam apis argumentosa, dicta Philosophorum decerpebat, atque discipulis porrigebat. Neque verò Patres antiquiores tantùm id præstiterunt, sed etiam recentiores Magistri. S. Bernardus ad fratres de Monte Dei, præcepta scribens vitæ religiosæ, monitum de viro gravi, sibi tanquam pædagogo & custode cogitatione constituendo, videtur à L. Seneca sumpsisse verba item eiusdem Philosophi sua fecit, ubi disseruit de lectione spirituali. Umbertus pariter, Joannes Turrecremata, Ludovicus Granatensis, Senecæ sententiis suos spirituales tractatus asperserunt, suadet id ipsum deinde etiam fructus spiritualis, quem à se collectum è lectione Philosophorum moralium, Sancti viri testantur. B. Augustinus agens de lectione libri Tulliani, qui dicebatur Hortensius, & continebat exhortationem ad Philosophiam, inter alia multa, quæ de commotione animi sui ad amorem sapientiæ, & eius immortalitatis, excitata per eum librum, hæc ait: ille verò liber mutavit affectum meum, & ad te ipsum, Domine, mutavit preces meas, & vota ac desideria mea fecit alia. Viluit mihi repentè omnis vana spes, & immortalitatem sapientiæ concupiscebam, æstu cordis incredibili, & surgere iam cœperam, ut ad te redirem. De S. Carolo Cardinali tres eius vitæ scriptores, Augustinus Valerius Cardinalis, oculatus testis; Carolus à Basilica Petri Episcopus Navariæ, ac Joannes Petrus Glussianus tradunt, eum delectatum cùm aliorum bonorum Philosophorum moralium doctrinâ, tùm præcipuè stoicorum sententiâ; lectitâsse frequenter Enchiridium Epicteti, cùm Cardinalis Romæ iuvenis degeret, eiusque præcepta per id tempus observare visum. Horum librorum lectione atque studio fatebatur se mirificè incitatum ad comprimendas animi perturbationes, ac perfectam eiusdem moderationem comparandam. Pudet Religiosum quemque, nisi factus sit effrons, attentè considerantem documenta vitæ melioris, quæ de Philosophia morali petuntur, rationi non parere, quam Philosophi non pauci sine lumine Evangelii ducem ac magistram sequebantur. Erubescit vir ingenuus ac perfectionis amans, legens heroicas virtutum actiones quorundam Philosophorum, nec sinit se patientiâ incommodorum à Socrate, contemptione rerum humanarum à Diogene, studio paupertatis ab Epicteto, amore veritatis ab Aristotele superari. Quis verò modus in his Authoribus legendis sit observandus in simili lectione, prudenter indicavit Sebastianus Barradius dicens: Legendi quidem sunt Ethnicorum libri, non quidem lascivi ac turpes, sed ii, qui aliquid utilitatis, non lasciviæ, Christianis adferre possunt; quo autem modo sint legendi, Hieronymus docet, propositâ similitudine ex libro Deuteronomii, capite 21. quo loco præcepit Dominus, ut captam in bello pulchram fæminam, uxorem nemo ducere audeat, nisi priùs cæsariem raserit, ungues circumciderit, vestémque, in qua capta est, deposuerit. Idem in libris Ethnicorum faciendum; Radenda sunt & explodenda multa, quæ à Christiana fide vel castitate abhorrent, multáque circumcidenda inutilia. Audiamus Hieronymum: quando, inquit, Philosophos legimus, quandò in manus nostras libri veniunt sapientiæ sæcularis, si quid in eis utile reperimus, ad nostrum dogma convertimus; si quid verò superfluum, de idolis, de amore, de cura sæcularium rerum, hæc radimus, his calvitium inducimus, hæc in unguium morem ferro acutissimo desecamus. Sed & S. Franciscus Salesius eiusdem fuit sententiæ, hinc scripsit sequens monitum: Et de historiis profanis quid dicam? bonæ ne sunt, an malæ? bonæ sunt utique, sed utendum est illis, quemadmodum fungis, id est, valdè rarò, & solùm ad excitandum appetitum, & tunc quidem etiam convenit, ut bene sint digestæ, & præparatæ, &, ut S. Hieronymus ait, præcidendi sunt illis ungues & capilli, quemadmodùm Israëlitæ mulieribus captis, quandò eas in uxores accipere volebant, solebant facere, id est, totaliter accomodandæ sunt Evangelio, veræque virtuti Christianæ, auferendo ab illis, quidquid est reprehensibile actionum profanarum, hominum gentilium, &, ut Sacer Textus ait: *separandum est pretiosum à vili.*

Barradius to.3. l.3. c.31. n.41.

S. Franciscus Salesius l.1. Epistolar. apud Mansi disc.14. n.2.

Alcuinus l. de virt. & vit. c.5.

IV. *Nôsse debet, quis præcipuè finis lectioni huic præfigendus sit*, nimirum is, qui ab Alcuino indicatus est, dicente: Ille beatus est, qui divinas scripturas legens, verba vertit in opera. Hinc & S. Hieronymus hortatur: Memineris, Dei illa verba esse, qui legem suam non solùm sciri, sed etiam impleri iubet. Quid enim prodest, inquit S. Bernardus, lectione continuâ tempus occupare, Sanctorum gesta & scripta, legendo transcurrere, nisi ea etiam masticando & ruminando, succum eliciamus, & transglutiendo usque ad cordis intima transmittamus? Certè, qui sacras litteras legit, neque quod legit, ad actionem confert, similis est ei, qui crebrò seminat, metit nunquam; Itémque mulieri, quæ parit semper, sed natos illicò sepelit; ut rectè quidam contemplativus dixit.

S. Hierony. apud Mansi disc. 12. n.3.

S. Bernard. de Schola claustr.

Apud Mansi disc. n.10.

S. Bernard l. c. V. *Nôsse debet, quo ordine sibi subserviant lectio, meditatio, & oratio*; quem quidem S. Bernardus indicavit, dum dixit: Lectio quasi solidum cibum ori apponit, meditatio masticat, & frangit; oratio saporem acquirit. Unde & alibi dicit: (Idem de vit. solitar.) Sed & de quotidiana lectione aliquid quotidiè in ventrem memoriæ dimittendum est, quod fideliùs digeratur, & sursùm revocatum crebriùs ruminetur, quod proposito conveniat, quod intentioni proficiat, quod detineat animum, ut aliena cogitare non libeat.

Hugo Vict. l. 5 erud. didasc. c. 7. VI. *Nôsse debet causas, quæ fastidium creant lectionis, ut eas removere possit*, quas breviter indicavit, Hugo Victorinus, dum dixit: Lectio duobus modis animo fastidium ingerere solet, & affligere spiritum, qualitate videlicet, si obscurior fuerit; & quantitate, si prolixior exstiterit: in quo utroque, magno uti moderamine oportet, ne quod ad refectionem quæsitum est, sumatur ad suffocationem.

VII. *Nôsse debet, quid dicendum sit illis, qui obiiciunt, se non intelligere satis*, quæ legunt. Quem ad finem conducet, quod in vitis Patrum legitur, quòd scilicet quidam Monachus apud S. Arsenium conquerebatur, sibi sacrarum litterarum, quas & nosset & didicisset, intellectum perdifficilem esse, & re ipsâ experiri se, quòd exilis admodùm consolatio ex iis ad se redeat, eâque de causa animam suam vehementer turbari; Ad quæ Arsenius: Fili mi, necesse est, ut magno cum ardore meditationi divinæ doctrinæ insistas: Audivi enim ex Abbate Pœmene, aliisque Patribus, quòd serpentium incantatores ipsimet verba, quibus serpentes effascinant, non intelligant, serpentes autem audientes verba ea intelligant, eorum vim percipiant, eisque obediant. Idem & nobis faciendum est, etiamsi virtutem & efficaciam sacrarum litterarum plenè non intelligimus, attamen virtutem verborum diaboli percipiunt, & fugantur.

§. X.

MISCELLANEA ET CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Qualitas.

S. Chrysost. ho. 41. in Matt. I. D. Chrysostomus considerans, quòd Hebræi prima vice miraculosum & inusitatum Mannæ cibum videntes, attoniti dixerint: *Manhu, Manhu?* id est, quid est hoc? ad nostrum profectum, sequentem indè eruit moralitatem: Ut quotiescunque audimus verbum, vel etiam quotiescunque legimus verbum, admoneat nos ipsum nomen requirere, quid est hoc, quod audimus? vel quid est hoc, quod legimus?

S. Bernard. de fral. claust. II. DEUS olim in Levitico, hoc populo suo divinum præceptum imposuit: omne quod habet divisam ungulam, & ruminat in pecoribus, comedetis; quia omnia in figura contingebant illis, ideo Philo hebræus illius præcepti declarans mysterium, Deum hoc præcepto insinuare voluisse dicit, non sufficere, ut cibus verbi Dei, quo nostra alitur animâ, degluctiatur, sed insuper necessium esse, ut ruminetur, (S. Chrysostomus ho. 51. in Ioan.) ad hoc, ut in nostram convertatur substantiam, & alimentum: Unde & Diogenes Laërtius, (Diog. Laërtius.) Philosophus moralis, de bonis libris per nos lectis agens, id ipsum pulcherrimâ hac confirmat sententiâ: oportebat ista animo potiùs, quàm chartis inscribere. Ast præ omnibus veritatem hanc quàm clarissimè expressit D. Chrysostomus, dum ait: Hortor, ut lectioni vacetis, sensus imbibatis, eósque vestris inscribatis mentibus, quod cùm Judæi neglexerunt, libros manibus ferre iubebantur: Nos verò non in manibus, sed domi habeamus, imò cordibus, ut oportet, inscribamus; hoc enim pacto abstersis vitæ præsentis sordibus, futura bona consequemur.

Utilitas.

S. Bonav. s. 1. in Dom. 4. Quadr. III. Panes doctrinæ sunt quinque verba, quibus tota scriptura comprehenditur; Quæ sunt hæc? crede, fuge, age, time, appete: crede in Deum; fuge vitium, Age bonum; Time supplicium; Appete præmium, volo quinque verba hæc sensu meo loqui.

S. Hieronym. in Reg. Monach. IV. Sapiens (Lector) Teste S. Hieronymo, nunquàm solus est, habet secum omnes, qui boni sunt, & fuerunt; & animum liberum, quocunque vult, transfert; quod corpore non potest, cogitatione complectitur, & si hominum inopia fuerit, loquitur cum Deo, nec unquam est minùs solus, quàm cùm solus fuerit.

S. Isidor. l. 1. de offic. Eccl. c. 10. V. Obtentu orationis (monet S. Isidorus) ne perdideris lectionem, quia non semper eam quilibet paratam potest habere, cùm orandi potestas in promptu sit, ne putes parvam nasci utilitatem, ex lectionis auditu, siquidem oratio fit ipsa pinquior, dum mens recenti lectione saginata, per divinarum rerum, quas nuper audivit imagines, currit; Nam & Maria soror Marthæ, quæ sedens ad pedes JESU, sorore neglectâ, verbum intentiùs audiebat, bonam partem sibi elegisse Domini voce firmatur.

Hugo Vict. l. 5. de erud. didasc. c. 7. VI. Sapientissimus quidam aliquando dixisse fertur, summa sapientia, loqui cum sapientioribus sine voce. Quò & Hugo Victorinus, ubi de Christianæ disciplinæ & scientiæ sacræ profectu tractat, respexisse videtur, ait namque: Hæc verò scientia duobus modis comparatur, videlicet exemplo & doctrinâ, utrique autem bonorum librorum studium & lectura opitulatur; Exemplo, quando Sanctorum facta legimus; doctrinâ, quando eorum dicta ad disciplinam nostram pertinentia discimus.

Mansi disc. 16. n. 1. VII. In Luciferi contra se insultibus, Salvator noster, ne succumberet, non unâ, sed trinâ vice sacram obiecit scripturam, Hisque armis dexterrimis vicit, fugavitque inimicum infernalem: *Vade satana &c.* tunc reliquit eum diabolus. Certum verò est, quòd omnis Chri-

sti

sti actio, nostra sit instructio; Ac proindè à dæmone se tentari permisit, cuius victor effici voluit, sacros ei libros obiiciendo, ut nos doceret, quòd per horum librorum lectionem astuti serpentis evadere possimus insidias & infestationes. Unde Caietanus ait: Discamus hìc omnes arma nostra esse sacras scripturas. Cornelius Jansenius exinde eandem pariter deducit moralitatem, inquiens, nulla contra diabolum efficaciora esse arma, quam scripturarum meditationem, & verbum Dei, quod est gladius Spiritûs, omnes facilè resecans cupiditates carnis, suggestionésque diaboli. S. Thomas de Villanova in concione in primam Dominicam quadragesimæ, eandem ponderationem his verbis proponit: Valdè nobis in hoc Christus commendavit sacram scripturam, dum omnes istos Diaboli conflictus sacræ scripturæ authoritatibus superavit.

S. Th. Vil. lan. conc. 1. in Dom. 1. quadr.

Damnum vetitæ Lectionis.

Origenes ho. 7. in Josue.

VIII. Nota est historia, quam liber Josue tradit de Achan, qui furto suo contra Dei præceptum admisso, populi illius, qui magnis passibus ad terræ promissæ acquisitionem properabat, victoriosum stitit cursum. Circa quod factum admirabundus Origenes, talem format discursum: Videamus peccatum eius quale sit; furatus est regulam auream, & posuit eam in tabernaculo suo. Non puto, in illo furto parvi auri, tantam vim fuisse peccati, ut tam numerosam Domini Ecclesiam macularet. Sed videamus, ne fortè interioris intelligentiæ sit tanta ac tam gravis acerbitas ista peccati. Multus decor est in verbis, & multa in Philosophorum vel Rhetorum sermonibus pulchritudo, qui omnes de civitate Jericho, id est, huius mundi homines. Si ergò invenias apud Philosophos perversa luculenti sermonis assertionibus decorata, ista est regula aurea, sed vide, ne te decipiat fulgor operis, ne te rapiat sermonis aurei pulchritudo. Memento, quia JESUS anathema iussit esse omne aurum, quod in Jericho fuerit inventum. Si poëtam legeris, modulatis versibus & præfulgido carmine Deos, Deásque texentem, ne delecteris eloquii suavitate, regula aurea est; si eam sustuleris, & posueris in tabernaculo tuo, si introduxeris in cor tuum ea, quæ ab illis asseruntur, pollues omnem Ecclesiam Domini. Hoc fecit infelix Valentinus & Basilides, hoc fecit & Marcion, Hæretici.

Petrus Blessen. ep. 56.

IX. Quærunt nonnulli, cur dæmones à corpore hominis obsessi, à Christo exire iussi, potiùs ab eodem petière licentiam ingrediendi in porcos, velut in centrum ipsorum, quàm in alia nobiliora animalia? Huius utique causa non est alia, quàm quia libri obscœni & turpes, sapidissimus sunt dæmonum cibus, quibus sicuti porci glandibus satiantur, quibus S. Hieronymus in epistola quadam ad S. Damasum, libros lascivos similes esse dicit; ac proindè Petrus Blessensis in epistola quadam, ad eiusdem nominis M. Petrum Blessensem, cum à lectione librorum profanorum, in sacrorum & spiritualium lecturam exhortans, his eum verbis affatur: Exi, quæso, de fœditate porcorum, ut pascaris in delitiis domus Dei; mensa enim sacræ scripturæ contra omnes spirituales nequitias tibi parata est; Ideo mensa Tabernaculi ad Aquilonem posita memoratur, propterea scriptum est; *Parasti in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant me.*

X. Persona quædam fide dignissima retulit, quòd, cùm eo tempore, quo energumenus quidam exorcizabatur, ad eundem quoque locum curiositatis causâ Juvenis quidam studens convenisset, dæmon eidem cum magnâ benevolentiæ significatione occurrit: dicens: Beneveneris, mi dilecte presbyter, qui Missale meum in sinu tuo semper tecum defers, alludendo ad poëma Ariosti, quod semper secum habebat, quocunque iret: Unde non sine causa author quidam se lectionem profanam supra modum detestari, ait: sicut enim Christus suos habet Evangelistas, ità quoque dæmon Evangelio tot poëtas & authores obscœnos & profanos, veluti totidem Evangelistas suos opponere nititur.

Mansi disc. 16. n. 12.

XI. S. Joannes Apostolus in Apocalypsi hanc sibi visionem in spiritu ostensam esse scribit: *Vidi, & de ore Draconis, & de ore bestiæ egressos spiritus tres immundos, in modum ranarum.* Porrò per hunc Draconem Rupertus Abbas dæmonem intelligit, inquiens: Draconis nomine diabolus significatur; At verò quid hæ ranæ denotabant? Idem Venerabilis author scribens super caput trigesimum secundum Lib. primi Exod. & super præfatum Apocal. textum, per hasce ranas lascivorum Poëtarum libros, & tractatus intelligendos esse, dicit; De his enim idem Rupertus ait: Rogitant Spiritus immundos aspirare sibi, sacrilega præsumptionè Deos appellantes, cùm dæmones sint. Hi autem ex ore Draconis infernalis egrediuntur, quia libri & poëmata illorum veri sunt dæmonis partus.

Ibidem.

Damnum neglectæ Lectionis sacræ.

Judith. c. 7. v. 6. Mansi ibidem, n. 8.

XII. Holofernes Bethuliam invasurus, quo putatis usus fuerit stratagemate? dum circuit per gyrum, reperit, quòd fons, qui influebat, aquæ ductum illorum à parte australi extra civitatem dirigeret, & incidi præcepit aquæ ductum illorum. Philisthæi pariter populum electum devincere volentes, omnes gladiorum & lancearum fabros & artifices è terra Israël evocarunt: Porrò faber ferrarius non inveniebatur in omni terra Israël, caverant enim Philisthiim, ne fortè facerent hebræi gladium aut lanceam, Nunc igitur tam Holofernes, quàm Philisthæi, inimicos figurabant infernales, qui aquæ ductus incidere conantur, armáque auferre; scilicet librorum sacrorum lectionem, aut abolere, aut impedire: Ita namque Glossa dictum libri Judith Textum, & illum alium libri Regum interpretatur, dum ait?

tuo? Qui loquitur veritatem in corde suo, qui non egit dolum in lingua sua.

Prov. c. 24. v. 26. XI. Labia deosculabitur, qui recta verba respondet.

Iob. c. 6. v. 29. XII. Respondete, obsecro, absque contentione, & loquentes id, quod iustum est, iudicate.

Psalm. 36. v. 30. XIII. Os iusti meditabitur sapientiam, & lingua eius loquetur iudicium.

Prov. 8. v. 8. XIV. Iusti sunt omnes sermones mei, non est in eis pravum quid, atque perversum, recti sunt intelligentibus, & æqui invenientibus scientiam.

Usus malus.

Eccli. 21. 28. XV. Labia imprudentium stulta narrabunt, verba autem prudentium staterâ ponderabuntur. In ore fatuorum cor illorum; & in corde sapientium os illorum.

Iob. 9. v. 20. XVI. Si iustificare me voluero, os meum condemnabit me.

Osea c. 7. v. 16. XVII. Facti sunt quasi arcus dolosus, cadent in gladio Principes eorum à furore linguæ suæ.

Prov. c. 26. v. 28. XVIII. Lingua fallax non amat veritatem, & os lubricum operatur ruinas.

Psal. 13. v. 3. XIX. Venenum aspidum sub labiis eorum, quorum os maledictione & amaritudine plenum est.

Prov. c. 13. v. 3. XX. Qui inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala.

Eccl. c. 10. v. 12. XXI. Verba oris sapientis gratia, & labia insipientis præcipitabunt eum.

Eccli. c. 5. v. 15. XXII. Lingua imprudentis subversio est ipsius.

Prov. 12. v. 13. XXIII. Propter peccata labiorum, ruina proxima ad malum.

Psalm. 51. v. 6. XXIV. Dilexisti omnia verba præcipitationis, lingua dolosa: propterea DEUS destruet te in finem.

§. III.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Qualitas.

S. Chrysost. to. 6. de fide & leg. nat. I. Dedit ei linguam, quæ loqueretur, Deum laudaret, divina caneret, pulchritudinem naturæ interpretaretur. Disserit de cœlo & terra, parva linguæ caruncula, neque duorum digitorum habens latitudinem, & quid inquam digitorum? Neque extremitatis unguis, sed summum illud parvum & vile, de cœlo & terra loquitur.

S. Bernard. to. 3. ser. de multiloq. c. 3. c. 7. II. Lingua clausa, & quasi in loco carceris posita est, circumdatur enim atque munitur à duobus muris, videlicet à dentibus, qui sunt quasi murus, propugnaculis ossium munitus; & labiis ignei coloris, quæ sunt quasi antemurale linguæ, cùm cæteri sensus in aperto sint omnes.

Ibid. c. 2. III. Lingua radicatur in corde, ut consideret homo, quod loqui debet, quod sentit in corde, si utile est; aut si veritas non est utilis, tacere, & nunquam mentiri; quasi natura ipsa humana clamet, cum corde unitatem esse debere, in corde & ore; & sicut unicum cor, sic sit unica lingua.

Custodia.

S. Aug. ser. 3. ad Frat. IV. Lingua nostra sensum nostrum sequatur, & rationem, non voluntatem; non debemus tantùm oculos clausos servare, sed & linguam intra dentes servare illæsam: sermo enim vanus, vanæ conscientiæ index est. Qualis enim es, tales sermones loqueris, talis & mens comprobatur, & qualis fueris in factis, talis comprobaberis in verbis.

S. Chrysost. in Psal. 140 V. Os nostrum perpetuò custodiamus, ei rationem, tanquàm claves adhibentes, non ut perpetuò claudatur, sed ut convenienti tempore reseretur, nonnunquam enim silentium est loquelâ utilius, quemadmodum loquela quoque silentiô, & ideo dicebat ille sapientissimus: Tempus tacendi, & tempus loquendi; etenim si oporteret ora perpetuò patere, non factæ essent portæ: Si autem perpetuò clausa essent, non opus esset custodiâ: quòd enim clausum est, cur quis custodierit? Sed propterea & sunt portæ, & custodia, ut faciamus singula tempore convenienti. Unde & Plutarchus in moralibus suis ait: ut ædium ostio carentium nulla est utilitas, ita multò magis oris claustro carentis nullius est usus.

Ibidem. VI. Noli pati linguam sordescere: quo enim pacto pro te deprecabitur, si libertatem propriam amittat? Orna eam humilitate, atque modestiâ, dignam fac DEO, qui per eam rogatur.

S. Hieron. ep. 14. VII. Nefas est, ut labia illa, quibus Dominum confiteris, rogas, benedicis, & laudas, alicuius polluantur sorde peccati. Nescio quâ conscientiâ, & linguâ quis Dominum rogat, quâ aut mentitur, aut maledicit, aut detrahit.

Bellarm. l. 1. de ascens. 3. c. 1. VIII. Attendat ergo unusquisque, quanta sit ingratitudo, quanta iniquitas, quantum flagitium, membrum tam nobile, tantis dotatum prærogativis, & privilegiis adornatum, inquinare sordibus peccatorum, & quod est instrumentum DEI, in tam dignis & divinis officiis, facere Diaboli instrumentum.

S. Ambr. l. 3. de Virg. IX. Januam Sponsus ipse vult clausam esse, dum pulsat; Janua nostra os nostrum est, Christo propemodum soli debet aperiri, nec aperiatur, antequam pulsaverit Verbum.

S. Aug. ser. 215 de temp. X. Ante omnia, ubicunque fueritis, sive in domo, sive in itinere, sive in convivio, sive in consessu, verba turpia & luxuriosa nolite ex ore vestro proferre, sed magis vicinos & proximos vestros iugiter admonete, ut semper, quod bonum est & honestum, loqui studeant, ne fortè detrahendo, malè loquendo, cantica luxuriosa & turpia proferendo, de lingua sua, unde debuerant DEUM suum laudare, indè sibi vulnera videantur infligere.

Utilitas.

Bellov. l. c. XI. Dedit Dominus nobis linguam ad consecrandum sua Mysteria, & Ecclesiastica Sacramenta, quibus sanctificantur creaturæ visibiles per verbum DEI; & oratione vivificantur, & consecrantur animæ spirituales, morbi curantur, divina offensa remittitur, gratia infunditur, remedia conferuntur, Dæmones effugantur, &, quod maius est, & mirabilius, & efficacius, etiam in Christi Corpus creaturæ visibiles convertuntur. In istis non solùm pares sumus Angelis, imò excellimus, quia non eis contulit Sacramentorum suorum mysteria dispensanda.

S. Laur. Iust. in fasc. div. am. c. 11. XII. Obstructo siquidem inutilium verborum meatu, inclusus amoris ignis cogitationes modificat, compungit animum, fugat vitia, lacrymarum educit fontes, custodit ostia, sectatur pacem, sursum erigit cor, Deóque coniungit. Tunc composita proferuntur eloquia sale condita, & consideratione circumspecta.

S. Laur. Iust. de inst. & regim. Prael. c. 8. XIII. Lingua prudenter exercitata fit decor animæ, conscientiæ speculum, index cogitationum, charitatis vinculum, nutrimentum pacis, honor hominis, honestatis exemplar, morum decus; reconciliatrix hominum, amica sapientiæ, spiritualis vitæ Magistra, fraternæ dilectionis custodia, nulli onerosa, omnibus semper amabilis, universísque proficua.

S. Climac. Scholion. 3. ad grad. 11. XIV. Si tuam linguam custodieris, dabitur tibi â DEO gratia, compunctio nempe cordis, in qua videbis animam tuam, & in hac egredieris in gaudium spiritûs; si autem lingua te vicerit, crede mihi, quod dico tibi, nunquam poteris â tenebris mentis emergere.

S. Laur. Iust. c. 15. de discipl. mon. XV. Hæc (lingua) si moderatur, reddit hominem moribus ornatum, mente tranquillum, conscientiâ sincerum, & cunctis amabilem.

S. Cyrill. Alex. to. 6. l. 2. adv. Nestor. XVI. Rectè oris officio uti, & diligenti cautione moderari linguam, observando, quid dicendum sit, quid reticendum, divinum planè munus est, & res haud parvi pendenda, iis certè, qui cum laude vitam ducere student. At contra illa præceps in loquendo temeritas, & effrænatus ad nugas effundendas impetus, periculo non caret.

Damnum.

S. Chrysost. hom. 79. in Matt. XVII. Quæ igitur venia nobis dabitur, imò verò quæ supplicia non pendemus, quando linguam nostram, quâ Dominicam degustavimus carnem, diaboli sponte linguam efficimus?

Idem hom. 6. in 1. ad Corinth. XVIII. Præstat saniem ex ore emittere, quàm verbum obscœnum. At nunc si fœteat, ne ad communes quidem cibos admitteris; cùm autem anima usque adeò fœteat, heus tu sumere mysteria non dubitas? Ac siquidem aliquis vas impurum acciperet, atque in mensa tua collocaret, fustibus quoque cæsum illum exigeres; Tu verò DEUM cùm in ipsis (mensa enim ipsius os nostrum est, cùm gratiarum actione plenum est) quovis impuro vase fœtidiora, & execrabiliora verba profers, quæso te, non eum ad iracundiam abs te provocari putas? Et quî aliter fieri queat?

Idem hom. 30. 1. ad Corinth. XIX. Christus ad nos ingreditur, cùm communicamus. Nôstis vos, qui mysteriorum Participes estis, quid dicam. Neque enim vulgari quodam honore os nostrum afficimus, cùm Corpus Dominicum excipit. Audiant, qui obscœna loquuntur, qui convitia proferunt, ac cohorrescant cogitantes, quale os turpent, & dedecorent.

Idem homi 21. ad pop. XX. Linguam custodi â contumeliosis mundam, & turpibus verbis, blasphemiâ, periurio, & omnibus aliis huiusmodi; Etenim perniciosum est, tam tremendis ministrantem mysteriis linguam, & sanguine tali purpuratam, & factam aureum gladium, ad convitia & contumelias, & scurrilitates transferre. Reverere honorem, quo Dominus ipsam honoravit, nec ad peccati usum ipsam deducas, sed rursum animadvertens, quòd post manum & linguam, cor suscipit tremendum illud mysterium, ne unquam in proximum consuas dolum.

Idem hom. 59. ad illum Catech. XXI. Indè nobis mors, indè lapsus, indè perditio, indè naufragium præparatur, nam & mentium lapsus ex linguæ garrulitate venientes quidam declarans, ait: Multi ceciderunt per gladium, sed non tanti, quanti per linguam; & gravem casum demonstrare festinans, ait: Lapsus de pavimento potiùs, quàm lapsus de lingua. Quod dicit tale est. Conducibilius est ruere, & corporis sentire iacturam, quàm verbum tale proferre, unde anima poterit deperire, neque lapsus tantùm attingit, sed & suadet multam adhibere cautelam, ne supplantemur, dicens: Fac ori tuo ostium & seram.

S. Aug. ser. 3. ad Frat. XXII. Inflammat linguæ mobilitas in innocentia, ad iocosa; in virili ætate, ad fraudulenta; in senili, ad detractoria.

S. Ephrem de lingua mala. XXIII. Plurimis licèt signis atque miraculis claruisset Moyses, ubi modicè linguâ lapsus est, è terra promissionis excidit. Num. 20, Exodi. 14. *Magnum & horrendum mare viam ei precludere non potuit, sed verbum unicum iniquè ab eo prolatum, velut murus aliquis ei obstitit, ne ulteriùs progredi posset.* Si Moysen, qui DEI instar factus est Pharaoni, vel solum verbum exclusit â terra promissionis, quantò magis nos maledicentia linguæ nostræ, quam in DEum & homines quotidiè exacuimus, ac stringimus, â regno DEI arcebit.

Rich. Vict. in c. 19. num. XXIV. Quot superfluis verbis maculas contraxerit, tot de gratiæ dulcedine exsiccabit. Per oris ergo custodiam servat cordis munditiam, & ex cordis munditia foris format verba; Commendat Christus in sponsa hanc custodiam, & coccino comparat, quia informatur charitate, & propter DEUM, non pro humana laude vel honestate scit eloqui.

XXV.

S. Petr. Dam. to. 2. serm. de vitio ling. XXV. Illud etiam quantæ formidini, quanto nobis debet esse terrori, quod Veritas ait: *Omne otiosum verbum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicij.* Audiat lingua vaniloqua, audiat lingua otiosa, audiat lingua scabiosa. Scabiosa, inquam, lingua, quæ velut scabiem quandam atque pruritum patitur, nisi semper acuto quodammodo supervacuæ locutionis ungue sculpatur. Audiat & pavescat, intelligat, & tam terribilem sententiam perhorrescat, audiat terrorem judicis, de ore ipsius judicaturi.

Anonym. apud Mansi disc. 11. n. 4. XXVI. Grande nefas ducimus, si vas Eucharistiæ asservandæ deputatum, in profanos usus liquetur, cæterúrque adulteriis, & tamen inter levissima piacula habemus, si linguam corporis Dominici velut patenam, Diaboli hâc sanie perfundamus, & ad impium ministerium quasi consecremus, ut vel spurcis cantiunculis, vel narratiunculis inhonestis deserviat.

S. Chrysost. hom. 69. in Matth. XXVII. Quarè non abs re quispiam facere poterit, si ora istorum, qui versantur in foro, qui sæcularium rerum rabie furiunt, cloacis sordidissimis comparet. Si quis autem molestè ferat, quòd multitudinis ora sordium cloacas appellaverim, is parcè nimiùm me dixisse non ignoret, non enim hac mensura, sed acerbiori similitudine scriptura utitur. *Sepulchrum* inquit, *patens est guttur eorum: Linguis suis dolose agebant, venenum aspidum sub labiis eorum.*
Psal. 13. v. 3.

S. Petr. Dam. l. 2. ep. 18. XXVIII. Omnia ferarum genera in lingua reperiuntur, ibi quippe est levitas volucrum, ibi ferocitas bestiarum, ibi fraus virulenta serpentium; volatiles enim sunt, qui proferunt in cœlum os suum, & quorum os locutum est vanitatem, quasi volucrum levitatem; Feroces bestiæ sunt, quæ exacuerunt ut gladium linguas suas; serpentes, de quibus dictum est, quia venenum aspidum sub labiis eorum.

S. Gregor. Naz. carm var. n. 14. de Silentio &c. XXIX. Illa (lingua) domos domibus committit, & urbibus urbes.

Protinus, id nullo cumque labore facit.
Committit populum Regi, Dominumque subactis,
Ut stipulam incendit mox levis igniculus.
Illa ratis socios, fratres, natosque Patresque
Illa viros armat, participesque thori.
Illa malum insontem reddit, iustumque nocentem
Rursus id invertit. Quis rogo tanta potest.

S. Bernardin. ibidem XXX. Consideremus, quot modis nocet. Nocet occultè & manifestè, de propè & de longè. Occultè, ideo serpenti assimulatur, sicut Propheta ait: *Acuerunt linguas suas sicut serpentis, venenum aspidum sub labiis eorum*; nocet manifestè, ut puta in comminationibus, in irrisionibus, in contentionibus, & modis similibus. Nocet de propè, propterea talis lingua gladio, qui de propè lædit, assimilatur; Unde prophetavit: *Exacuerunt ut gladium linguas suas; lingua eorum gladius acutus.* Nocet de longè; proinde sagittæ assimilatur, quæ de longè vulnerat Jerem. 9. *Sagitta vulnerans lingua eorum.*

XXXI. Sermo unus est, qui loquitur, & unum verbum tantùm profert, & tamen unum verbum uno momento multitudinis audientium aures inficit, & animas interficit. *Ibidem.*

XXXII. Hoc habet semper lingua malitiosa commercium, ut lites serat, odia moveat, mortes acquirat, ita in hoc loco, Salomone dicente: *Lingua multos conturbavit pacem habentes, civitates destruxit, & domos effodit.* Falluntur profectò, qui putant nihil esse ferro fortius, nihil veneno violentius. Quamvis enim ista in perficiendis mortibus habeant peculiare naturæ beneficium, cedunt tamen in contentione verborum. *S. Valerian hom. 5.*

XXXIII. Nihil est sævius, nihil violentius, amaris asperisque sermonibus, quorum vulnera tantò difficiliùs curantur, quantò faciliùs proferuntur. Ferri spicula per cœlum volantia faciliùs scuti objectione contemnis, verborum verò jactus nec revocari potest, nec prohiberi, multò enim velociores sunt sagittis; quæ autem ibi propugnacula subveniant, aut quæ munitio tam parata succurrat, ubi emissum telum penè antè percutit, quàm procedit. *Idem.*

XXXIV. Lingua maledica vipera est ferocissima, quæ lethaliter inficiat tres uno ictu, illum qui loquitur, & de quo loquitur, & quem verbis scandalizat. *S. Bernard. ser. de tripl custod.*

XXXV. Multò magis nocet lingua, quàm manus; quia manus parcunt absenti, sed non lingua, quæ nocet absenti, & etiam mortuis, & in secreto. *Didac. Stell. in c. 19. Luc.*

XXXVI. O lingua nequam, O impia odii & invidiæ proles; O pestifera lepra! tu es, quæ discordias seminas, tu sola conculcas bonos, diffamas iustos, paris scandala, periuria, testimonia falsa, occasiones iniquas multiplicare non cessas. Tu lingua sæva punis insontes, inter coniuges scandala ponis, infamas viduas, defloras virgines, tu pias & sacras religiosas confundis, simplices conscientias turbas. Tu rancores, tu iurgia, tu livores & iras, contentiones & rixas & contumelias, & scissuras suscitare non cessas; divisiones & partialitates nutris & lactas. Tu sola proditiones generas, incendia foves, homicidia patras. Tu fratricidia, parricidia, & cæteras crudelitates virulentâ impietate committis. Tu sola fœdera frangis, in coniurationibus occuparis, separas amicos, multiplicas inimicos. Tu sola dissipas civitates, destruis regna. Tu charitatem extinguis, deprimis iustos, magnificas impios, fidem destruis, spem quoque frangis, cæterásque virtutes impiâ crudelitate persequeris. *S. Bern. sen. to. 1. ser. 23. a 3. c. 3.*

XXXVII. Nihil sic dissolvit mentem, compunctionem dissipat, confusionem adducit, denigrat honestatem, & interioris gustus dulcedinem *S. Laur. Iust. c. 15. de discipl. mon.*

nem tepefacit, sicut inanis, & præsumptuosa loquacitas.

§. IV.

EXEMPLA SACRA.

Custodia.

Mansi disc. 6. n. 13. I. B. Virgo, quæ eximio hoc Epitheto; Sedes Sapientiæ, honoratur, postquàm intra sacra viscera sua æternum hoc Patris verbum concipere meruit, prout ex sacris litteris constat, parùm & raró locuta fuit; neque id admirandum est, siquidem in Libro sapientiæ scriptum est: *Dum silentium quietum contineret omnia, Omnipotens sermo tuus de cœlo à Regalibus sedibus venit; Unde verbum Patris in silentio conceptum fuisse constat.* Ideò Guerricus Abbas ait: Nunc quoque si silentium medium teneant omnia interiora tua, omnipotens sermo tibi secretus illabetur de sede paterna.

Iob. c. 9. v. 20. II. S. Job etsi gravissimis tribulationibus à Deo, & dæmone exercitatus, in omnibus tamen his non peccavit labiis suis. De eodem prima, æternáque veritas asseruerat, ipsum omnes in sanctitate mortales superare, & nihilominus is de se ipso profitetur dicens: *Si justificare me voluero, os meum condemnabit me.*

S. Greg. Nyss. in vita eius. III. S. Ephrem è vita decedens dixit: Nullo modo in omni mea vita contumeliosus adversus Dominum fui, nec sermo stultus egressus est ex labiis meis. In omni vita mea neminem maledictis affeci, & omninò cum nullo homine Christiano contendi.

Mansi disc. 1. n. 4. IV. Lingua S. Antonii de Padua, quæ tot annis laudando Deum, innumerísque animabus per prædicationem suam convertendis intenta fuit, singulari Dei providentiâ, ab omni corruptione mansit illæsa, sana, pulchra, vivax, & rubicunda, de qua S. Bonaventura, dum eam ex loco suo foras in publicum educeret, cum teneræ devotionis lacrymis dixit: O lingua benedicta, quæ Dominum semper benedixisti, aliósque benedicere docuisti, nunc liquet, quàm grata ei fueris, quantíque apud eum meriti.

Cantipr. l. 2. Apum c. 13. §. 3. V. Haffligenium Monasterium Ordinis S. Benedicti in Brabantia Religione probatissimum est, & in charitate præcipuum; in hoc Cœnobio Monachus erat ita silentio deditus, quòd infra sexdecim annos ab ore eius, nec una verbi syllaba per tantum tempus audiretur. Contigit autem, sicut à Monachis ibidem audivimus, ut in claustro gravissimum ignis incendium grassaretur, tunc idem Monachus videns, humanum auxilium non valere, mox se contulit ad divinum, oránsque paululùm in silentio, linguam diu mutam in hæc verba laxavit: Stes, ignis, hâc horâ, flamma penitus conquiescas. Mira res, vim virtutis suæ oblitus est ignis, stetitque in verbo viri sancti, & flamma penitus est extincta.

Bellov. spec. mor. l. 3. dist. 8 p. 2. VI. Refert Bellovacensis, quòd mulier quædam contentiosum domi habens maritum, vetulam quandam, quæ magiæ famâ apud vicinos laborabat, consuluerit, quid ei facto opus esset, ut cum marito pacificè vivere, seque à verberibus & pugnis, quibus sæpè à marito atrociter vapulabat, eximere posset; quia verò prudens anus inquietudinem hanc, quâ à marito molestabatur, nec non omne malum à petulantia & procacitate linguæ eius procedere solùm, probè sciebat, eidem suasit, ut matutino tempore summo diluculo hortum suum ingrederetur, ibidémque eundo, stando, & redeundo continuum servaret silentium, faciéque orientem versùs posita tres recitaret orationes Dominicas, totidémque salutationes Angelicas, trinis quoque vicibus ab herba quadam, quæ Sturo appellabatur, sciscitaretur, quid sibi faciendum, ne à marito vapularet, certam illam esse iubens, quòd optatum ab herba reportaret oraculum; vetula autem mulierem hanc præveniens, subque dicta herba se abscondens, cùm mulier trinies sciscitaretur, quid pro hac gratia obtinenda exequendum sibi esset, vetula primò quidem voce submissâ, postea verò non nihil altâ, & in fine elatissimâ respondit: Tace, & pacem habe. Et redeundo non loquaris. Cùm verò mulier domum reversa à vetula de eventu subsecuto interrogaretur, consiliúmque ab herba sibi suggestum exponi sibi posceret, tandem omnibus à muliere per ordinem recensitis, subiunxit vetula: Verè filia benè dictum est tibi, si tacueris, & viro redeunte domum, linguam tenueris, pacem habebis cum eo.

VII. Similem quandam facetiam P. Jeremias Drexelius de alia quadam recenset muliere, quæ, cùm insultus mariti sui contendentis & indignè illam tractantis, cùm domum ut plurimùm ebrius rediret, diutiùs sustinere non posset, à viro quodam sapiente, ut cum marito pacificè & quietè deinceps vivere posset, remedium postulavit, qui eidem suasit, ut ex fonte domui suæ vicino aquam hauriret, eámque viro domum redeunte ori immissam tamdiu in eo retineret, donec maritus obdormisset. Mulier igitur suggestum sibi salutare consilium promptè executa est, & deinceps cum marito suo pacem habuit. *Drexel. Phaeth. de ling. contentiosa c. 10 § 4 Phaeth.*

VIII. Ut Vitæ tradunt Patrum, Monachus quidam aliquando ad Abbatem Pastorem se contulerat in secunda Quadragesimæ septimana, suum ei cor aperturus, suámque ad recipienda documenta salutaria manifestaturus conscientiam; ad S. igitur Abbatem accedens, ait hospes; In modico impediri habui, ne venirem ad te hodiè; & dixit ei senex: Quare? Et ille dixit: Metuebam, ne propter Quadragesimam mihi non aperiretur. Et respondit ei Abbas Pastor: Nos non didicimus ianuam ligneam claudere, sed magis linguæ ianuam cupimus clausam habere. *Vita PP. l. 5. n. 5.*

Damnum.

IX. Turcagnotta in Historiis suis refert, qualiter Monarchia Ottomanica, quæ tot à sæculis evolutis hactenus duræ servitutis iugum maiori totius universi, imò (quod deplorabilius *Mansi disc. 10. n. 5.*

lius est) Christianismi parti imposuit, suam acceperit originem. Nimirum unicum verbum non otiosum, sed iniuriosum & pungitivum, inadvertenter fortasse prolatum, tot ruinis originem dedit. Cùm enim Heraclii Imperatoris tempore, Ministri eius ob exhaustum ærarium, debita Saracenis ex Arabia appulsis, solvere stipendia non possent, & thesaurarius Cæsarius illa totius militiæ nomine à se poscentibus, se panem canibus subministrandum non habere, respondisset, verbum hoc iniuriosum & asperum animam illorum adeò vehementer penetravit, ut in generalem militiæ Ducem, Mahometum eligentes, atque ab Imperii obedientia se subtrahentes, desperatè adversùs Christianos dimicare, taléque progressus continuò facere cœperint, ut parùm abfuerit, quin S. Petri naviculam totaliter inverterint.

Idem disc. 12. n. 4. X. S. Vincentio Ferrerio in urbe Valentina in die Nativitatis S. Joannis Baptistæ prædicanti, mulier quædam paupercula & muta ex numerosissima auditorum suorum turba præsentata fuit; Quæ à S. viro Dei interrogata, quid vellet? Respondit: Panem, & linguam, O Domine; Cui S. Vincentius dixit: Panem quotidianum, dum vixeris habebis, officium linguæ non impetrabis. Tu verò gratias age divinæ bonitati, quæ tibi negat obfutura; lingua tua nisi sic esset ligata, esset mordacissima, animæ corporísque interitum allatura.

Vit. PP. l. 5. n. 105. XI. In Vitis Patrum quidam ex Sanctis illis Senioribus sic lamentatus fuisse dicitur: Quando congregabamur initio ad invicem, & loquebamur aliquid, quod utile esset animabus nostris, efficiebamur seorsum & seorsum, & ascendebamus in cœlum; Nunc autem congregamur, & in obtrectationibus occupamur, & unus alterum trahimus in profundum.

§. V.

EXEMPLA PROFANA.

Mansi disc. 6. n. 13. I. SOcrates interrogatus, utrùm silentium eius stultitiæ, aut ignorantiæ adscribendum foret? respondisse fertur: Nemo stultus tacere potest. Quapropter S. Hieronymus dicere consueverat: Benè loqui nescio, quia tacere non novi.

Stobæus serm. 36. de garrulit. II. Adolescens quidam in Academia de stultis quibusdam negotiis loquebatur, cui Zenon dixit: Nisi linguâ in mentem intinctâ disserueris, adhuc multò ampliùs dicendo delinques.

Clem. Alex. l. 4. Strom. III. S. Clemens Alexandrinus refert: Anacharsim Scytham dormientem sinistrâ quidem continuisse pudenda, os autem dextrâ, significantem oportere quidem utrumque coërcere, sed maius esse, linguam cohibere, quàm voluptatem.

Bellov. spec. mor. l. 3. dist. 3. p. 1. IV. Narratur de quodam, quòd, cùm haberet uxorem suam in mari, dum imminente tempestate clamatum esset à nautis, quòd graviora de navi proiicerentur, ille exhibuit uxorem dicens: Quòd in tota navi non erat aliquid gravius linguâ eius. Hæc est causa, quare multi habent uxores suas exosas, & malè tractant eas, quia malas habent linguas.

V. Cùm Augustus Cæsar aliquando iudicio præsedisset, & causâ legitimè iudicatâ, hominem iniustè delatum absolvisset, ille gratias agere volens, altâ voce dixit: Gratias tibi, Imperator, habeo, quòd malè & iniustè iudicâsti; cùm verò adstantes graviter indignarentur, hominémque corripere vellent, desistite ab indignatione, inquit, neque enim linguam ipsius, sed animum expendere oportet. Lucian. Ver. hist. l. 1.

§. VI.

SIMILITUDINES.

Qualitas.

I. SIcut Medici febris, alteriúsve mali, seu morbi qualitatem discernere volentes intimiùs, infirmi sibi exhiberi iubent linguam, ex eáque in notitiam deveniunt gravitatis mali, quia inter alias linguæ venas, una ad cor, alia terminatur ad cerebrum, quæ nobiliores, maximéque vitales sunt hominis partes; Ita, quo spiritu, qua virtute, aut iudicio quisque polleat, ex eius discursu concludere licet; dicente Ecclesiastico: *In lingua sapientia dignoscitur*, & Seneca in Proverbus, Imago animi sermo est; qualis vir, talis oratio. Mansi disc. 6. n. 2. C. 4.

II. Sicut is, qui fert aromata, etiamsi nolit, ex odore proditur; ita & qui spiritum Dei habet, ex verbis suis agnoscitur. S. Climacus grad. 16.

III. Sicut dum ædes occlusæ manent, nequaquam, quod in iis continetur, videri potest; patefactis autem foribus, si quis oculos in eas coniecerit, videt, quod ante in abscondito publicum subterfugiebat conspectum. Ita pariter interiora hominis minimè patere possunt, ast si portam aperuerit, id est, linguam solverit, mox in notitiam devenitur intimorum affectuum & passionum, aut verò virtutum, bonorúmque sensuum, & cogitationum eius. Unde S. Laurentius Justinianus de disciplina & perfectione conversationis tractans, ita de lingua scribit: Est ianua, per quam sæpe diabolus ingreditur ad cor, & per quam patet omnis interioris hominis status; ubi enim incomposita est lingua, ibi nil potest esse occultum. Mansi l. c. n. 4.

IV. Sicut piscis in aquis positus semper natando discurrit, & in continuo est motu: Ita quoque lingua semper in faucibus nostris volvitur inquietudine continuâ. Idem disc. 7. n. 1.

V. Sicut difficile est, aquam sine cataractis coërcere; ita difficiliùs linguam & oris intemperantiam refrænare & domare. Et paulò post idem Author subiungit: Ut sunt pauci, imò perpauci, qui aquarum impetum coërcere possunt, nisi priùs aggeres struant, quomodo enim prohibeant? Ita pauciores sunt, qui effræne os retundere possunt. Aquam per aggerem prohibent, linguam per continentiam vincunt. S. Climacus grad. 11.

Custodia.

Vit PP. l. 5. libel. 4. n. 10.

VI. Sicut valdè monstrosum esset, si vitis aliqua uvarum loco spinas produceret; ita quoque paradoxum est, si lingua, quam Deus nobis ad ipsum laudandum & benedicendum dedit, in maledictiones & blasphemias prorumpat, vel alio quovis modo proximum contumelietur.

S. Anton. Pad. serm. 2. in Pent.

VII. Sicut creatio linguæ est ad gustandum humiditates, & ad sermocinandum, & lingua hominis est absoluta, valdè mollis & lata, ut utatur in duabus operationibus, gustu scilicet & sermone. Et lingua mollis, & lata est, conveniens ad bonitatem sermonis, quoniam extenditur & contrahitur, & gyratur circumquaque in ore modis diversis. Sicut ergo creatio linguæ est ad gustandum & sermocinandum, sic duplex est linguæ confessio, scilicet laudis & criminis. In confessione laudis, utpotè in Officiis & Psalmodiis, quæ si devotè agimus, gratiam compunctionis, & dulcedinem contemplationis degustamus. In confessione criminis debemus sermocinari, id est, absolutè, nudè, & apertè peccata confiteri, & hoc docet ipsa natura fieri, quia lingua hominis est absoluta, mollis & lata; sic criminis confessio debet esse absoluta in omni circumstantiarum manifestatione, & firmi propositi non relabendi stabilitate. Talis linguæ confessio facit animam extendi usque ad cœlum.

S. Chrysost. apud Mansi disc. 11. n. 7.

VIII. Sicut oportet thuribulum nihil habere immundum, sed solùm ignem, & suffitum; ita etiam linguam nullum oportet verbum proferre, quod sit ulla macula aut labe respersum. Sit os tuum thuribulum, vide autem, ne id fimo impleas; tales enim sunt, qui loquuntur verba turpia, & immunda.

Idem in Psal. 140.

IX. Sicut nihil iuvat domus, non urbs, non mœnia, non portæ, non ostia, nisi sint, qui ea custodiant, & sciant, quando oportet ea quidem claudere, quando verò aperire; ita etiam oris & linguæ nulla est utilitas, nisi sit ratio, cui scienter, accuratè, & circumspectè ea claudere, & aperire permissum sit, & sciat, quæ sint efferenda, quæ verò retinenda.

Eccli. 28. 29.

X. Sicut in ponderando argento & auro, maiori circumspectione utimur, quàm in ponderando quovis alio metallo, vel re quapiam minoris valoris; Ita quoque necessum est, ut magna cum circumspectione verba ponderemus, priusquàm illa exprimamus.

Salmeron to. 16. disp. 4.

XI. Sicut vel minima etiam à pulvere tormentario sollicitissimè arcetur ignis scintilla, utpotè sufficiens ad totum eum absumendum; ita & lingua custodienda est atque refrænanda, ne vel unicum petulans, derisorium, aut pungens proferat verbum, siquidem magnum odiorum & irreconciliabilium inimicitiarum excitare potest incendium.

Utilitas.

XII. Sicut ab igne ingentes capimus utilitates & commoda; siquidem in tenebris illuminat, obscuritatem & caliginem noctis fugat; in asperrimis frigoris rigoribus nos calefacit; panem, cibos, & epulas sapidas coquendo præparat; Metalla in varios usus liquefacit, saxa in calcem redigit, ut inde erigantur ædificia; & sic de aliis quamplurimis commodis & emolumentis, quæ indè recipimus, discurrere licet. Eodem prorsus modo de lingua discurrere possumus, tametsi enim verum sit, quòd mors sit in manu linguæ, attamen id ipsum astruens Sapiens, simul quoque dicit: *Vita in manu linguæ*; in nostra enim potestate positum est, ut lingua multorum bonorum operum, virtutum, meritorum, & gratiæ sit instrumentum. In nostra potestate est, inquit D. Chrysostomus, unumquodque membrorum nostrorum sivè malitiæ, sivè iustitiæ instrumentum facere. Audi igitur, quomodo linguam hi quidem peccati, illi verò iustitiæ arma fecerunt. *Lingua ipsorum gladius acutus*; alter verò quidam de sua dicit lingua: *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis*; illa mortem operata est, hæc divinam legem scribebat; propterea illa quidem gladius, calamus autem hæc erat, non secundùm propriam naturam, sed secundùm utentium electionem; Linguæ enim natura & huius & illius una erat, operatio autem non una. Et de ore rursus idem cernere licet: etenim hi quidem habebant os sanie & improbitate plenum, propterea accusans dicebat: Os ipsorum amaritudine & maledictione plenum est; ipsius verò non tale, sed os meum, inquit, loquetur sapientiam, & meditatio cordis mei prudentiam.

S. Chrysost. to. 1. hom. 4. ad pp.

XIII. Sicut lingua nervo parvo, per eam, & palati anteriorem partem sparso, omnes sapores discernit, ut malum & noxium proiiciat, bonum & dulce amplectatur; eâdem ratione habens Spiritum S. quæ Dei sunt, gustat; quæ verò carnis sunt ac sensûs, exspuit & declinat.

Salmeron apud Mansi disc. 5. n. 4.

Damnum

XIV. Sicut si vitrum, in quo liquores distillati, v. g. aqua vitæ vel alii similes continentur, non firmiter obturetur, sed relinquatur apertum, subitò eiusmodi liquorum Spiritus evanescunt, & disperduntur; ita quoque accidit spiritui & devotioni; si enim semper pateat, & malè custodiatur, omnis spiritus & devotio penitùs amittitur.

Mansi disc. 5. n. 2.

XV. Sicut si, vento spirante, duo conclavis alicuius ostia, è diametro sibi opposita pateant, venti impetus maiorem semper sibi acquirit vigorem; alterutro verò illorum clauso, ventus subsidet & evanescit; ita pariter, si duobus inter se contendentibus, alter illorum furori cedens taceat, victásque det manus; alterius quoque furor protinus mitigatur.

Idem disc. 10. n. 8.

XVI. Sicut arcus fraudulenti taliter fabricati sunt, ut, dum quis sagittam in adversarium contorquere se existimat, semetipsum feriat; ita quoque lingua malevola damno parentat proprio, dum non modò animam loquentis plagâ cru-

Osea c. 7. v. 16.

gâ cruentat mortali, sed etiam contra se vindictas provocat plurimorum.

Mansi disc. 13. n. 24 XVII. Sicut venenum, dum malignitate suâ ad cor usque penetrat, illud calore & motu, omnésque alias corporis partes vitâ destituit; ita lingua primo ictu illam vulnerando virtutem, quæ omnibus aliis vigorem subministrat, charitatem videlicet, dum (ut S. Bernardus ait) violat & vulnerat, omnia quoque opera bona prosternit, & inutilia efficit.

Anonym. 16. n. 3. XVIII. Sicut in naturali corruptione ab ore incipit mors; constat enim, ut ait Plinius lib. 11. c. 37. os primò emori in homine, cor novissimè; ita etiam in spirituali animi interitu mors ferè ab ore incipit.

S. Bernard. serm. 17. XIX. Sicut modicum fermentum corrumpit totam massam, & sicut parva scintilla ignis magnam sylvam incendit; ita lingua sine fræno Dominos & Præpositos, æquales & socios, subiectos & parvulos omnes scandalizat, & ad iracundiam provocat.

Mansi disc. 17. n. 14 XX. Sicut amygdalus in emittendis floribus & germinibus suis omnes alias arbores anticipat, ac proinde faciliùs quoque à pruina & gelu superveniente læditur, ita, cùm lingua inter alia membra nostra omnium prima in campum prosilire præsumit, prima quoque est, quæ in venatoris retia, id est, in prævaricationes corruit.

S. Petr. Dam. ser. de vitio ling. XXI. Sicut turdela ex eo, quod digerit, moritur. Ex eius quippè stercore planta nascitur, de cuius humore viscus conficitur, quo postmodum & ipsa capiatur, atque ex eo agitur, quòd id, quod priùs fuerat cibus suus, efficiat, ut & ipsa postmodùm sit cibus alienus; Ita ergo, cùm immunda quæque ac vana proferimus, quid aliud quàm laqueos nobismet ipsis loquendo compingimus, quibus ab astutis aucupibus, hoc est, à malignis spiritibus postmodùm capiamur?

S. Chrysost. hom. 52. in Matt. XXII. Sicut unicus pulveris atomus pupillam obfuscat, luménque impedit; ità vel unicum ex levitate prolatum verbum irreparabilis damni potest esse causa, charitatémque penitus extinguere.

Petz. in Iac. c. 3. §. 1. XXIII. Sicut David, dum oram chlamydis præscidit Sauli, eam diminutam & imperfectam fecit; sic multoties contingit viris non vulgaris perfectionis, qui, si non occidunt, oram ac fimbriam saltem vestis abscindunt, detrahendo scilicet de fama & honore alicujus, quem non omninò exuunt, sed minuunt.

Mansi disc. 15. n. 5. XXIV. Sicut ignis absque ullo cuiusque respectu suam exercet voracitatem in centones & purpuram, in plumbum & aurum, in arundines & ebenos; Ita & lingua nulli penitus parcens, resolvitur, atque in Principum & subditorum, in Dominorum & servorum, in divitum & pauperum, in Doctorum & ignorantium, & quorumcunque aliorum exacuitur indifferenter præjudicium.

Ibidem n. 7 XXV. Sicut quoquò pervenerit ignis, omnes in cinerem convertit sericas vestes, & apparatus ditissimos, suppellectilem quamcunque pretiosam, & quodcunque aliud, quomodolibet excellens. Eandem lingua exercet violentiam, quia, ut S. Thomas super illa S. Jacobi verba (*magnam sylvam incendit*) exponit, magnam materiam operum perire facit; quod idem Venerab. Beda diu antè in hæc expresserat verba: Sicut à modica scintilla ignis excrescens, magnam sæpè sylvam incendit; ita incontinentia linguæ, suis nutrita levitatibus, magnam bonorum operum materiam, multos vitæ spiritualis fructus, ubi attaminaverit, perdit, & innumera plerúmque, quæ optima videbantur, locutionis folia consumit.

XXVII. Sicut quò maiori ignem foverimus alimento, tantò magis redditur insatiabilis; ita & lingua, quantò magis exercetur, & quò uberius ei præbetur motivum, tantò insolentiùs voluntatem auget & pruritum loquendi. *Ibidem n. 8.*

§. VII.

MOTIVA.

Ad custodiendam linguam.

I. QUia lingua Christi est, uti S. Chrysostomus indicavit, dicens: In superioribus me dixisse memini, manum esse linguam nostram, quæ pedes DEI attingat; nunc verò maius quiddam adiicio, quia lingua nostra est lingua Christi. Christi linguam imitamur, si diligentiam adhibemus, ut illa loquamur, quæ ille præcipit. Et iterum alibi: Non sunt tua labia, sed Domini; ipse enim fecit ea, ipse construxit, ipse vitam inspiravit. At tu habes: Sed non omnia, quæ habemus, nostra sunt. Pecunias enim habemus, quas alii apud nos deposuerunt, & agros conductos habemus, quos alii nobis dederunt. Ita hæc etiam tibi locavit Christus, non ut feras spinas, sed ut convertas semina ad id, quod est utile; non ut arrogantiam, non ut dolum, sed ut humilitatem & laudem, ac benedictionem & delectionem facias per eam germinare. Quomodo autem dicis, labia nostra sunt apud nos, quando ea peccati serva feceris, quando fornicationis, quando immunditiæ? Quis est noster Dominus? O verbum diabolicum! O animam dæmoniacam! Vides, O homo, universam creaturam prædicare Domini tui potentiam, sapientiam, curam, providentiam, corpus tuum, animam, vitam, quæ sub aspectum cadunt, & quæ non cadunt, omnia propemodum vocem emittentia: Laudare potentiam artificis; & dicis, quis Dominus noster est? Hoc est furoris, hoc stuporis, hoc corrupti animi. *S. Chrysost. ho. 79. in Matt.* *In Psal. 11 v. 5.*

II. *Quia soli homini rationali concessa est*; Unde infert S. Antoninus: Si igitur soli creaturæ rationali est concessa lingua loquax, rationabiliter eâ uti debet, non bestialiter: & hoc etiam ostendit ipsa dispositio naturalis oris & linguæ; & hoc est, quod dicit Psalmista *S. Antoni. nus p. 2. tit. 2. c. 4.*

144.

144. *Laudationem Domini loquetur os meum*; id est, dispositio oris mei benè considerata, docebit me rectè loqui secundùm rationem, & sic consequenter DEUM laudare.

S. Bernard. sen. to. 3 ser de multiloq. art. 3. 7. Elias Cret. in orat. 1. S. Naz.

III. *Quia lubrica admodùm est lingua*; uti S. Bernardus indicavit, dicens: Est membrum pronissimum omni malo, quod quidem natura ipsa ostendit, cùm in lubrico, id est, in humido posita sit. Hinc Elias Cretensis ait: Quantæ difficultatis sit, linguam frænare, tum à Propheta demonstratur, cùm ab ipsomet Deo labiorum atque oris custodiam petit; tum ex ipsa procreationis nostræ ratione constat, ut, quæ duplicem murum, hoc est, dentium & labiorum, linguæ dederit.

S. Aug. ser. 3. ad FF.

IV. *Quia vilem admodùm facit lingua malè custodita*, uti S. Augustinus breviter indicavit dicens: Summa verecundia est, & depressa dejectio, non posse linguam refrænare, & vile ligare non posse verbum.

S. Bernardinus sen. l. c. a. 2.

V. *Quia graviter etiam nociva est loquenti* ut S. Bernardinus notavit, qui & addidit, nullam bestiam vel feram tantùm hominibus nocere, quàm linguam malignam; Unde & S. Hieronymus monet, sollicitam satis ori tuo custodiam pone, non enim est quidquam in nobis, quo faciliùs peccare possumus, quàm linguâ. Clariùs verò hoc explicans nocumentum, idem S. Bernardinus ait: Nocet loquenti tripliciter. Primò respectu DEI; Secundò respectu sui; Tertiò respectu proximi. Respectu DEI, quia gratiam DEI ab anima tollit. Unde Bernardus ait: Levis est sermo, sed graviter vulnerat. Secundò respectu sui, quia bonam famam amittit, unde Ecclesiastici 5. *Honor & Gloria in sermone sensati; Lingua imprudentis subversio est ipsius.* Tertiò respectu proximi, quia gratiam hominum tollit. Nocet audienti, quia mentem eius inficit & corrumpit, atque scandalizat, scilicet mendaciis, adulationibus, consiliis, & suasionibus pravis, seminatione discordiarum, diffamationibus, turpiloquiis, murmurationibus, perjuriis, detractionibus, blasphemiis, & sermonibus aliis contagiosis, de quibus omnibus 1. Cor. 15. *Corrumpunt bonos mores colloquia prava.*

S. Hieron. ad Demetr.

Lyranus in c. 3. Iac.

VI. *Quia incurabilis propemodùm est lingua incustodia*; uti Lyranus in c. 3. Jacobi insinuat dicens: Hic ostendit, quòd inficit incurabiliter, quia lingua mala non est domabilis, sicut cætera membra, quæ possunt ligari, & à suis actibus impediri; non sic autem lingua, nisi præscindatur. Et confirmans id ipsum S. Valerianus ait: Non difficile est medico, ulcera quamtumvis tumentia in oculis posita, herbarum beneficio castigata mollire. Habet & vis veneni remedium suum, quod haustum quamvis in ultima viscerum sede dominetur, salutaris tamen poculi undâ perquiritur in tantùm, ut miretur aliquoties artifex scelerum superveniente medicinâ, nihil oris sui incantationem valuisse. Linguæ verò insanabilis plaga est, quæ, quamvis leviter percutiat, alta tamen semper movet pectoris dolore suspiria.

S. Valerianus hom. 5. de oris insolent.

S. Chrysost. hom. 5. ad baptiz.

VII. *Quia præcipuum dæmonis instrumentum est*, uti S. Chrysostomus testatur dicens: Quòd, licèt Dæmon omnibus sensibus nostris abutatur, ut nos ad DEUM offendendum inducat, nihilominùs nullum à Dæmone habeatur instrumentum, quo maiori cum facilitate, & frequentiùs prævaricari nos faciat, quàm per linguam. Hinc Dionysius Carthusianus ait: Diabolus dicitur linguam inflammare, in quantùm ad verba vitiosa incitat hominem; quod idem Beda diu ante ipsum his verbis dixerat: A gehenna, dicit, id est, à Diabolo & Angelis eius, propter quos gehenna facta est.

Dionys. Carth. in c. 3. Iac.

S. Bern. Sen. l. c.

VIII. *Quia nocet in corporalibus*; quot, quæso, homines, inquit S. Bernardinus, per violentam mortem pereunt, ex accusationibus falsis, ex infamiis datis, ex mendaciis inventis, ex detractionibus pravis, ex perjuriis impiis, ex contentionibus stultis, ex divisionibus nequissimis, & ex discordiis fatuis, perditionibus Diabolicis, contumeliis contrariis, & consimilibus verbis? *Multi ceciderunt in ore gladij* (verba sunt Ecclesiastici) sed non sic quasi qui interierunt per linguam suam. Beatus, qui tutus est à lingua nequam.

Idem to. 1. ser. 23. a. 3. c. 3.

IX. *Quia Angelos & primos Parentes in ruinam traxit*, uti S. Bernardinus indicavit, dicens: Tu Angelos in dæmones convertisti, atque de cœlesti Regno in æterna supplicia dejecisti, & profundâsti, primósque Parentes nostros, ac cum eis totum genus humanum de paradiso deliciarum ad æternas & temporales miserias destinâsti.

V. Beda in c. 3. Iac.

X. *Quia linguæ custodia multùm conducit ad omnia membra regenda*, teste S. Beda dicente: Si quis lapsum linguæ, qui penè inevitabilis est; cavet, hic consuetudine fixâ eiusdem continentiæ etiam cætera corporis membra, quæ faciliùs castigari possunt, ne à recto itinere divertant, discit observare.

S. Bernard. ser. de tripl. custod.

XI. *Quia ad perfectionem assequendam est præcipuum instrumentum*; Hinc S. Bernardus, quòd si dixeris, ait, rarus est, qui sermones suos in judicio disponere videatur, vel ex hoc disces, quàm sit rara perfectio, cùm nec perfectum inveneris esse commune. Ac proinde in sermone quodam, de modo benè vivendi, sororem suam his verbis monet: Linguam tuam refræna, & eris religiosa, quia si eam non refrænaveris, religiosa non eris. Sed si forsitan mihi non credis, audi Jacobum dicentem: Si quis putat se religiosum esse, non refrænans linguam suam, sed seducens cor suum, huius vana est religio. E contrario verò S. Laurentius Justinianus dicit: Nihil ita incongruum homini, DEO famulanti, & ad perfectionem tendenti reperitur, sicut effrænata lingua, nullo considerationis moderamine religata, quæ omnem mentis unitatem dissipat, & occidit.

S. Laurentius Iust. c. 15. de disc. mon.

S. Basil. de vera virginit.

XII. *Quia ex verbis præcipuè colligitur status hominis*; Nam ut S. Basilius ait: Fluentum

rum sermonis, quod ministerio linguæ ad exteriora deducitur, fontis, ex quo manat, index & testis est. Et confirmatur id ipsum Paulus de Palacio, est enim, inquit, vicarium responsum inter verba oris & mentis; quod enim mens cogitat, vult, cupit, naturali consequentiâ se statim verbum in ore: ideo cor & os eidem consentiunt, est enim canalis apertus ex corde ad os, neque ferè aliud est, in quo cor apertius cognoscatur, quàm in ore.

Paul. de Palat. in Matth.

§. VIII.

MEDIA

I. A DEO laudem quærere; Nam frænum linguæ, est laus DEI, inquit Hugo Cardinalis; unde Isaiæ c. 48. dicitur: *Laude meâ infrenabo te.* Cùm enim lingua instar effræni equi in continuo sit motu; ne sine fræno in prærupta transgressionum corruat, cumque, qui illam creavit, offendat, eandem hoc divinarum laudum fræno coërcere, & reprimere voluit; ideo dicit: Laude meâ infrenabo te.

Hugo Card. in eundem.

II. *Ponderatio verborum*, ut S. Antoninus insinuat, dicens: Non ex omni parte clausa est (scilicet lingua) sed habet aperturam oris, est cum clausura dentium, vel labiorum; quia etiam reprehensibile esset, semper tacere, propter quod dicit Isaias: *Væ mihi, quia tacui*: sed priùs frangenda sunt verba dentibus examinationis; Et hoc est, quod dicit Calistus Papa; Ponderet unusquisque sermones suos, & quod sibi non vult loqui, alteri ne loquatur.

S. Antonin. p. 1. tit. 5. c.

III. *Bona vita*; uti S. Bernardinus suasit dicens: Præmisit meritò custodiam vitæ, custodiæ linguæ, quia nisi diligenter homo custodiat vitam suam, non potest custodire & refrænare linguam suam. Quinimò secundùm quod labitur in vita, labitur & in lingua, juxta illud Matthæi 12. *Malus homo de malo thesauro cordis sui profert mala*, scilicet opera atque verba; sic ergo: Ut non delinquam in lingua mea. Unde S. Petrus Damianus dicit: Si viri perfectio in verbi custodia ponitur, profectò patet, quia per effrænatæ loquacitatis incuriam omnis etiam perfectæ vitæ compositio dissipatur.

S. Bernard. Sen. in serm. de custod. ling. art. 1. c. 3.

S. Pet. Damian. de vit. ling.

IV. *Rationis usus*; de quo sic loquitur S. Bernardinus: Tegimen operculi vel ligatura, est censura disciplinæ, quâ qui non premitur, quasi vas immundum reprobatur. Hoc operculum postulabat Propheta, dicens: *Pone Domine, custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis*; & quid per operculum & custodiam, nisi discreta ratio designatur, quâ gubernari & regi debet in homine lingua carnis. Meritò ergo Ecclesiasticus ait: *Quis dabit ori meo custodiam, & super labia mea signaculum certum, ut non cadam ab ipsis, & lingua mea perdat me.*

S. Bernard. Sen. to. 3. ser. de multil. c. 3.

V. *Deprecatio gratiæ divinæ sedula*; uti S. Augustinus suasit dicens: Neque hoc ideo dicit, ut homines in nos nihil dominationem per

S. August. ...

R. P. Lohn. Aullar. Bibl.

negligentiam permanere patiamur, sed ut ad domandam linguam divinæ gratiæ poscamus auxilium; non enim ait: linguam nullus domare potest, sed: Nullus hominum, ut cùm domatur DEI misericordiâ, DEI adjutoriô, DEI gratiâ fieri, fateamur. Conetur ergo anima domare linguam, &, dum conatur, poscat auxilium, & oret linguâ; domante illo, qui dixit ad eos: non enim vos estis, qui loquimini; sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. Et clariùs alibi: Si linguam nullus hominum domare potest; ad DEUM fugiendum est, qui domet linguam nostram; si enim tu eam domare volueris, non potes, quia homo es, linguam nullus hominum domare potest. Attendite similitudinem ab ipsis bestiis, quas domamus. Equus non se domat; Leo non se domat, Camelus non se domat, sed ut domentur Equus, Bos, Camelus, Elephas, Leo, quæritur homo; Ergo DEUS quæratur, ut domentur homo. Sed & S. Bernardinus id confirmans ait: Ad custodiam linguæ non sufficit custodia vitæ, nisi adsit adjutorium divinæ gratiæ; Ideo Propheta auxilium à Domino ad hoc postulabat.

Idem c. 4.

S. Bern. Sen. ser. 5. a. 1. c. 1.

VI. *Vigilantia assidua*; etiam S. Augustinus suasit, dicens: Quantò illa citiùs & faciliùs movetur, tantò tu adversus illam fixus esto; domabis, si vigilabis; vigilabis si timebis; timebis si Christianum te esse cogitaveris.

S. Aug. de verb. Apost. ser. 18. c. 11.

VII. *Humilitas*; uti S. Laurentius Justinianus indicavit dicens: Eris planè tunc humilis, si ori tuo custodiam; & cordi adhibueris prudentiam, est autem lingua membrum parvum, & magna exaltat, de se pompaticè loquitur, nunc inania, nunc scurrilia profert; illam optimè compescit humilitas, quæ silentium diligit, fugit mendacia, omnéque abhorret tumorem.

S. Laur. Just. de Vit. solit. c. 14.

VIII. *Accuratum silentium*; uti idem Sanctus commendavit, sequentibus verbis: Nemo, quomodo DEO, quid proximo dicat, scire sufficienter meretur; nisi priùs didicerit ori suo ponere silentium. Oportet, ut assuescat lingua taciturnitati, deinde sermocinationi. Os, quod silere novit, facilè fari prudenter discet, qui verò incontinens est, multa proferet (præter voluntatem) & redargutione digna. Salubre quidem est, non ex noxiis tantùm, verùm etiam ab utilibus interdum linguam cohiberi sermonibus. *Obmutui à noxiis, & silui à bonis* (ait Citharædus S.) *& dolor meus &c.*

Idem de casto conn. c. 10.

Ps. 38. 3.

§. IX.

ASCETICA.

I. *Nprimis nosse debet Asceta triplicem finem, ob quem illi à DEO lingua data fuit*, quem breviter S. Bonaventura indicavit, dicens: Data est ad tria homini loquela, scilicet ad laudandum DEUM, ad ædificandum proximum, & ad accusandum seipsum. Quod etiam Cornelius à Lapide confirmans, hic, ait, est finis linguæ,

S. Bonav. in c. 11. Luc.

Cornel. à Lap. in c. 3 Luc.

linguæ, ob quem nobis à DEO est indita, scilicet ut illâ DEUM glorificemus, aliósque glorificare doceamus. Et S. Bernardinus: Lingua nostra nobis donata quasi ampliùs, quàm cætera membra divinis obsequiis mancipata.

S. Bern. Sen. de multil. log. c. 2.

S. Bern. ibidem.

II. *Nôsse debet, cur lingua inferiùs ligata sit, & superiùs libera,* ad innuendum scilicet, ut S. Bernardinus ait, quod humanus sermo debet liber esse ad loquendum de Deo, atque proximo, nec non de superioribus, & æternis, sed arctatus atq; ligatus esse ad loquendum de transitorijs & terrenis.

Mansi disc. um, 2.

III. *Nôsse debet, cur tam facilis sit homo ad linguam laxandam,* nimirum quia vicina est cerebro, sicut & os phantasiæ adeò propinquum est, ut, quod in hac volvitur, ad linguam protinus dilabatur; quia verbum oris, est partus verbi mentis, sermo est fructus cogitationis. Cùm igitur lingua cum corde & cerebro connexa sit (siquidem Anatomistæ aiunt) duæ venæ à lingua procenduntur, quarum una ad cerebrum, ad cor altera tendit) consequens est, quòd meritò nullum à nobis proferri debeat verbum, nisi per judicium, discursum, rationem & prudentiam rectè fuerit ponderatum.

S. Bernard. à de tripl. custod.

IV. *Nôsse debet, cur dentibus & labiis sit munita;* nimirum ob tres rationes à Sancto Bernardo assignatas. Primò propter fragilitatem; secundò, propter malignitatem; tertiò propter sanctitatem vel bonitatem, res pretiosa siquidem diligenter claudi & custodiri solet. Magna profectò est pretiositas humanæ linguæ, cùm in humano corpore humanæ rationis sit instrumentum; unde in bonum propter tria maximè sic munita est. Primò propter laudem Dei; secundò propter salutem sui; Tertio propter ædificationem proximi. Primò, propter laudem Dei, quod quidem officium magnam sanctitatem requirit in ipsa lingua, nam ut Ecclesiasticus c. 5. attestatur: *Non est speciosa laus in ore peccatoris.* Secundò, propter salutem sui. Nam cùm lingua sit tenuis, & lata quasi pala, aptissima est ad evacuandam malitiam cordis; Unde data est homini, ut possit per confessionem purgare peccata sua, & assumere sanctissimum Sacramentum.

S. Antoninus p. 2. tit. 4. c. 4. §. 1.

V. *Nôsse debet, cur carnea sit;* videlicet, ut apertè clarescat, quòd homo loqui cum tractabilitate & humilitate debet sicut Prov. 25. scriptum est: *Lingua mollis confringet duritiem.* Quod etiam S. Antoninus confirmat dicens: Nota, quòd lingua est carnea, non ossea, & indè multùm ductilis & volubilis hinc indè per os, ut ex hoc intelligas, te in locutione non debere esse durum, & pertinacem, sed ductilem ad retractandum, si quid malè dixisti; ad petendum veniam, si alium malè offendisti, & non protervum & durum, ad defendendam tuam opinionem.

S. Bernardinus l. c.

VI. *Nôsse debet, cur tam delicata sit;* nimirùm, ut indè instruatur homo, quod loqui debet cum benignitate, juxta illud Ecclesiastici 6. *Lingua Eucharis,* id est, bonæ gratiæ, *in bono homine abundabit.*

Ibidem.

VII. *Nôsse debet, cur flammea sit;* nempè ut mysticè demonstretur, quòd homo loqui debet cum charitate, de charitate, & propter charitatem. Loqui debet cum charitate; sin, absque fructu salutis æternæ loquitur homo; unde primo Corinth. 13. ait Apostolus: *Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens.* Secundò loqui debet de charitate, scilicet Dei & proximi. Dulcis sermo & omni acceptione dignus loqui de charitate, quòd maximè convenit dilectoribus charitatis.

S. Antoninus l. c.

VIII. *Nôsse debet, cur semper per salivam madefacta sit;* qua de re sic loquitur S. Antoninus: Est lingua quasi semper madefacta & mollis, & hoc vel à saliva procedente à stomacho, vel à phlegmate à capite descendente, vel putredine in pectore congregatâ; ad significandum, quòd locutio tua debet esse, vel de verbis divinis, tanquam ex cibis spiritualibus acceptis ex sacra scriptura, & retentis in stomacho memoriæ; vel de opprobriis & passionibus Christi, qui est caput nostrum; vel de peccatis tuis proprijs, tanquam salivis in pectore voluntatis aggregatis, juxta illud Proverb. 18. *Justus prior accusator est sui.*

S. Basil. de vera virginit.

IX. *Nôsse debet, cur una tantùm lingua homini sit data;* id quod S. Basilius indicat dicens: Natura loquendi, audiendique modum ad proportionis regulam metiens, duas aures, linguam unam nobis effinxit, quasi & duplum disciplinæ causâ audire debeamus, & ad ea, quæ rogamur, sesquialterâ proportione contractum referre sermonem. Et id ipsum confirmat S. Bernardinus; Homini, inquit, sola unica lingua datur, cùm dederit ei duas aures, duos oculos, duos nares, pedes cum digitis multis, & plura alia duplicata membra, ut discat anima rationalis plura audire, quàm loqui; plura bona operari, plura videre & similia; Nam etiam Seneca inquit: Auribus frequentiùs, quàm linguâ utere.

S. Bern. l. c. c. 8.

Dionys. Carth. in c. 3. Jac.

X. *Nôsse debet, quomodo verum sit S. Jacobi effatum: Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir;* quia in re facem præbet Dionysius Carthusianus, sic loquens: Quia non excessisse in verbo, signum est magnæ custodiæ cordis, magnæ sapientiæ mentis, magnæ perfectionis interioris; siquidem ea, quæ sunt in voce earum sunt, quæ sunt in anima, conceptionum affectionúmque notæ: idcircò linguam perfectè reprimere, signum ac opus est perfectionis, ac grandis illuminationis mentalis, ac supra vires humanas.

Glossa int. 19. Eccl. 17.

XI. *Nôsse debet pariter, quàm verum sit illud: Nullus est, qui non deliquerit in lingua sua:* Eccl. 19. ubi dicit Glossa: Ast contra opponi potest, quòd Psalmista dicat: Dixi *custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea.* Sed respondetur: Potest servari à delicto gravi, sicut doli, detractionis, insultus, sed non à

levi

levi semper, imò omnes offendunt, vel superfluè vel otiosè loquendo, nisi per specialem Dei gratiam à tali lapsu custodiantur.

S. Isidor. Pelus. l. 1. ep. 305. XII. *Nôsse debet, cur Religiosis præcipuè curæ esse debeat custodia linguæ*; id quod Isidorus Pelusiota indicat, dum ostensurus, in quàm periculoso statu sit ille, qui, postquàm ad disciplinam transijt religiosam, linguam non domat, sequens adducit exemplum, inquiens: Ad monasticum studiũ te contendisse audio: quod quidem nihil aliud est, quàm murum firmum, atque hostibus inaccessum exstruere, ipsisque portam ad ingressum relinquere. Quod si & murum ab omni periculo liberum servare cupis, atque hostibus te firmum ac robustum ostendere, linguam, quàm maximè poteris, in potestate tene, à qua & celeres & ingentes ruinæ contingunt.

S. Bonav. in Psal. 118. XIII. *Nôsse debet, cur breviloquium sit amandum*; de quo S. Bonaventura sic discurrit super illa verba: Et respondebo exprobrantibus mihi verbum. Non, ait, verba, sed verbum, ut adnotaret breviloquium, quod tribus de causis est multiloquio præferendum; videlicet ad evitandam stultitiæ suspicionem, animæ læsionem, & ipsius perditionem. Quorum primum pertinet ad infamiam, secundum ad culpam, tertium ad pœnam; de primo Ecclesiastici decimo: *Stultus verba multiplicat*; unde verborum multiplicatio videtur stultitiæ suspicatio; de secundo: *Qui multis utitur verbis, lædit animam suam*: unde verborum multiplicatio videtur animæ læsio; De tertio: *Verbum custodiens filius extra perditionem erit.* Quis est verbum custodiens nisi breviloquus?

S. Laur. Iust. de vit. discipl. c. 11. XIV. *Nôsse debet, an & quousque verba ridicula sint licita*; ad quam quæstionem S. Laurentius Justinianus sic respondet: sunt tamen multa verba, quæ si in se ridiculosa, & vana esse videntur, quæ interdum prudenter, & opportuno dicuntur tempore, vel pro propria sublevanda fragilitate, vel proximorum avertendâ tristitiâ. Hæc nempè talia ab infirmis mentibus nequaquam redarguenda sunt, quia otiosa non sunt. Plerumque huiusmodi magis fructificant, quàm spiritualia & divina; non autem in consuetudinem deducenda sunt, sub intentione subductoria, & rarò, suo loco & tempore pronuntianda. Id ipsum Plato per aptam quandam à medicina desumptam similitudinem exponit, quòd, sicut medicina ad hoc, ut sanitati conducat, in pondere & mensura, loco item & tempore convenienti sumi debet; ita quoque iocus adhibendus est, observatâ usûs ejus occasione, ut tanquam medicinæ loco adhibeatur. Hinc S. Thomas, qui in ludo, inquit, ita deficiunt, quòd nec ipsi aliquod ridiculum dicunt, nec faciunt, vel dicentibus & facientibus molesti sunt, vitiosi censentur.

Plato l. 8. de Rep. c. 4.

S. Thom. 22. q. 168. a. 4.

S. Bernardinus ser. de multiloq. a. 3. c. 3. XV. *Nôsse debet, septem discretiones in linguæ usu observandas*, quas S. Bernardinus indicavit dicens: Septem profectò discretiones observandæ sunt cuilibet, qui prudenter & discretè desiderat loqui, iuxta quod Ecclesiasticus cap. 28. admonet dicens: *Verbis tuis facito stateram.* Prima discretio est, quare homo loquatur. Secunda, quis loquatur. Tertia, quid loquatur. Quarta, quibus loquatur. Quinta, quando loquatur. Sexta, quomodo loquatur. Septima, quantùm loquatur; Nam teste Hieronymo, in pondere verborum, prolatio existit humanæ vitæ necessaria.

XVI. *Nôsse debet, quomodo semper linguâ Deum laudare queat*; id quod S. Basilius sic explicat: videtur rem impossibilem polliceri Propheta; quomodo enim semper Dei laus in ore hominis esse potest? Quando enim ea depromit, consueta & ad corporis necessitatem respicientia colloquia, utique non iam in ore habet Dei laudem; quando item dormit, penitus silet; bibens quoque aut comedens, quomodo ore concinit laudem Dei? Ad hoc dicimus, os esse quoddam spirituale, & intellectu præditum hominis istius interni, nempè mentis, quo nutritur, quisquis particeps divini fit verbi; de hoc ore etiam Propheta loquitur: *Os meum aperui, & attraxi spiritum.* Sanè cogitatio, quæ de Deo est, semel impressa, & velut sigillo obsignata, in præcipua animæ parte, nimirum in mente, potest laus Dei rectè appellari, semper in anima existens. S. Basilius in Psal. 33.

§. X.

MISCELLANEA ET CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Qualitas.

I. SPonsa Cælestis, quæ quamvis denotat animam electam, his verbis à Divino Amatore laudatur: *Sicut vitta coccinea, labia tua*; in quonam verò hæc laus consistat, Richardus de S. Victore ad propositum nostrum his verbis explicat: Solent vittæ, dum crines ligant, etiam caput ornare, ipsúmque ornamentum in mentibus demonstrare: Sic custodia & disciplina loquendi mentem decorat, quæ caput, quod principale est hominis membrum, & foris pulchram animam demonstrat. Verba enim dissoluta, & ineptè prolata exteriùs deformant, & intus rectitudinem mentis dissipant; Quot enim superfluis verbis aliquis utitur, tot modis extra se ducitur, & à custodia sua dissipatur; ubi verò composita fuerint verba, & cum disciplina prolata, testimonium dant constantiæ mentis, prudentiæque atque discretionis. Rich. Vict. p. 2. c. 19. in Cant.

II. Idem Cœlestis Sponsus in eodem Epithalamio de ornamentis eiusdem sponsæ loquens, inquit: *Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento.* Murenula autem genus quoddam est piscium, quod in circulum volvitur, in cuius forma olim inaures, aurium ornamenta effingebantur. Porrò certus quidam Interpres mysterium prædictorum verborum Sponsi hunc in modum exponit: Ornamentum aurium nullum magis aptum, quàm verba; ergo verba pisci assimilat; hoc autem significat Mansi disc. 4. n. 4.

significat parsimoniam in effundendo sermone; pisces enim, ut omnibus constat, muti sunt, ornamentum igitur animæ sanctæ, in quo Sponsus cœlestis sibi plurimùm complacet, est sobrietas & continentia in loquendo. Origines quoque mysterium indicat, cur inaures Sponsæ aureæ, & argento vermiculatæ fuerint, videlicet quòd aurum ad sensum, mentémque revocetur, argentum verò ad verbum eloquiúmque referatur. Aurum quoque ad iudicium alludit, quo verbum priùs trutinandum est, priusquàm enuncietur: Argentum verò ad sonum externum refertur, qui modestus esse debet, non strepitosus, neque elatus.

Idem disc. 2, n. 8. III. Quærunt aliqui, cur lingua inter omnia corporis nostri membra ultima sit, quæ suum exequatur officium, propter quod homini data fuit; videmus enim, audimus, dormimus, manducamus, ambulamus, aliáque opera naturalia diu ante exercemus, priusquam loquamur? Quantùm præterit temporis, postquàm homo natus, lactatus, & adultior factus est, donec verbum articulatè proferat, & expeditè discurrat? Nimirùm per hanc sermonis tardationem natura insinuare voluit, quòd ad hoc, ut lingua loquatur, priùs necessaria sit ei acquisita maturitas & sapientia.

Salmeron apud eundem l. c. IV. Salmeron ingeniosè observat, quòd lingua nostra naturaliter salivâ continuò aspergatur; dicit enim: habet etiam salivam, quâ perungitur, ut prudenter & sapienter loquatur; saliva enim sapientiæ symbolum est, teste Dionysio Carthusiano, qui ait: Per salivam, sine qua verba formari non possunt, perfectè sapientia figuratur, sine qua nemo rationabiliter loquitur. Ac proinde priusquam Salvator noster muti illius linguam laxaret, ad expeditè loquendum, priùs illam sputo linivit; & expuens tetigit linguam eius, & loquebatur rectè. Porrò saliva suam à sale etymologiam ducit, quia salsa est, ad denotandum, quòd lingua cum sale, id est, cum iudicio & prudentia loqui debeat. Et hæc est ratio, cur, dum per sacrosanctum Baptismi lavacrum regeneramur, inter alios ritus sacros sal linguæ superponatur, quia, ut idem Salmeron ait: Baptizati linguæ sal infunditur, ut nonnisi sale prudentiæ imbuta foras prodeat.

S. Hieron. epist. 140. V. S. Hieronymus verba illa Psalmi 44. *lingua mea calamus scribæ velociter scribentis*, in hunc modum exponit: Pro quo interpretati sumus: lingua mea stylus scribæ velocis. Extrema pars Prologi est, & cum præcedentibus iunge, quod sequitur: Eructavit cor meum in laudes Dei, sermonem bonum, & opuscula mea, quibus eum prædicaturus sum, ipsi potissimùm consecravi. Debeo ergo linguam meam, quasi stylum & calamum præparare, ut per illam in corde & auribus audientium scribat Spiritus sanctus.

S. Bernardinus de multiloq. a. 1. c. 2. VI. S. Bernardinus acutè observat, quòd lingua sub tribus corporis sensibus collocatur, videlicet sub auribus, sub oculis, sub naribus. Primò sub auribus, ut consideret prudens homo, dum loquitur, quòd in audiente potest esse auris, dextra & sinistra, dextra auris benevoli sunt; Proinde taliter loquendum est, quòd non scandalizentur tales; nam, ut dicitur sapientiæ primò, *qui loquitur iniqua, non potest latere.* Auris autem sinistra sunt malevoli, invidi & maligni, aures erigentes, dum homo loquitur, avidè exspectantes, aliquid capere ex ore eius, sicut Sapientiæ primo scriptum est: Auris Zeli audit omnia. Ex hoc patet, quòd os nostrum auribus audientium subiectum est, propterea debemus prudenter loqui. Est lingua sub oculis, ut cautus fiat homo, non loqui de vitio vel virtute, antequam intelligat, quid loquatur; vel ne, antequam noverit veritatem, laudet, vel vituperet quemquam. Lingua sub naribus sita est, ex quibus de capite humores defluunt, & indè cerebrum expurgatur, ut ex hoc insinuetur, quòd homo sæpiùs ab humore duorum narium expurgare se debet, hoc est, frequentiùs confiteri peccata commissionis, & omissionis, exemplo Davidis, qui de se ait: *Delictum meum cognitum tibi feci, & iniustitiam meam non abscondi.* Solet etiam homo sibi abstergere nasum, antequam loquatur, cùm humores fluant ad os ex naribus eius, ut meritò indicetur, quòd, antequam proximum nostrum, & eius vitia linguâ nostrâ corrigamus, nos ipsos à nostris criminibus emendemus.

VII. Deus olim de Paschate Hebræorum disserens, prohibuit, ne ullus advena aut peregrinus de agno, quem populus Hebræus manducare debebat, degustaret, nisi priùs per circumcisionem ad Hebræorum se recepisset religionem; ita enim habet sacer Textus: *Quod si quis peregrinorum in vestram voluerit transire coloniam, & facere Phase Domini, circumcidetur priùs omne masculinum eius, & tunc ritè celebrabit.* *Exodi 12. 48.* Verissimum verò est, quòd hæc omnia in figura contingebant illis; Agnus, quem populus ille sacrificabat, haud dubiè figura erat Agni Eucharistici, quo nos Christiani cibamur; ad hoc verò, ne de illo indignè participemus, necessum est, ut priùs circumcidamur, id est, ut non solùm omnibus renunciemus delectationibus carnalibus, verùm insuper labia nostra circumcidamus. Unde ne quispiam dicere possit: Incircumcisus labiis ego sum, necessum est, ut linguam habeat ab omni verbo obscœno depuratam, quia expressum præceptum divinum est: Si quis circumcisus non fuerit, non vescetur ex eo. Quare optimè S. Bonaventura ait: Circumcidi debemus ab incauta locutione, contra quod Moyses conqueritur: *En incircumcisus labiis ego sum*; hanc circumcisionem docet Apostolus dicens: *Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat.* *S. Bonav. ser. 2. de circumcis.* Quidnam verò hæc circumcisio mysticè significet, S. Augustinus, ab eodem Seraphico Doctore citatus, his verbis declarat: Circumcisio ista quid est, nisi castitas nostra, quâ Deus delectatur? Enimverò S. Bonaventura quatuor distinquit circumcisiones spirituales. Quarum prima est cordis, secunda linguæ, tertia aurium, quarta operum. Prima, inquit, circumcisio in

in corde. Secunda in ore. Tertia in aure. Quarta in opere.

Necessitas.

VIII. Sapiens Rex Salomon (cui DEUS sublimiorem infudit sapientiam, quàm ulli homini viventi unquam communicata fuit) in fabrica Templi Ierosolymitani operarios ita direxit, ut, licèt illud ex lapidibus & marmoribus sectis & quadratis erectum & constructum fuerit, nihilominus, ut veridicus Textus ait: *Malleus & securis, & omne ferramentum non sunt audita in domo, cùm ædificaretur.* Sed quid retulisset, si inter strepitus artificum, totque innumerabilium operariorum ferramenti quoque sonus auditus fuisset? Quòd si hanc diligentiam, omnem cavendi strepitum templo jam consummato adhibuisset, optimè quidem factum fuisset, ne scilicet quies orantium interturbaretur, sed diligentia illa, durante fabricâ, supervacanea esse videbatur. Veruntamen quia omnia in figura contingebant illis; ideo B. Petrus Damianus mysterium illius in sensu mystico exponens ait: Templum quippè DEI per silentium crescit, quia cùm mens humana per exteriora se verba non fundit, in sublime fastigium spiritualis ædificii structura consurgit, tantòque succrescens in ulteriora sustollitur, quantò per silentii custodiam circumclusa sese extrinsecùs fundere prohibetur. Custos enim justitiæ silentium. Et paulò post: Templum tui pectoris nunc per silentium crescat, virtutum spiritualium, tanquam cœlestium lapidum in te structura consurgat, ubi supernus ille Sponsus, quem totis visceribus diligis, velut in thalamo suo delectabiliter requiescat.

3. Reg. 6. 7.

S. Petr. Dam. l. 7. ep. 6.

Utilitas.

Mansi disc. 3. n. 2.

IX. Advertendum est, quòd societas, quâ Agnus immaculatus circumdatur, & stipatur, cujus in Apocalypsi fit mentio, ex meris constet puris animabus, atque virginibus, de quibus S. Joannes Apostolus ait: *Hi sunt, qui non sunt coinquinati, Virgines enim sunt, & sequuntur agnum, quocunque ierit*; At verò quodnam est horum Christi sequacium præcipuum encomium, quo ab eodem Apostolo honorantur? Hoc nimirum: *In ore eorum non est inventum mendacium, sine macula enim sunt ante thronum DEI.* Quasi dicere vellet, ideò sunt sine macula & digni, qui coram throno Altissimi sistantur, quia linguam suam ita custodierunt, ut nullius culpæ nævo eandem commacularent.

Æquitas.

S. Ambr. in Ps. 38.

X. Quis quis pretiosum aliquem thesaurum possidet, eundem sub clave obseratum, imò etiam, si opus est, sub vigilum custodia observat. Thesaurus autem noster anima nostra est, habemus enim thesaurum illum in vasis fictilibus; hunc si conservare volumus, linguam nostram custodiamus; quia (ut sapiens ait) *Qui custodit os suum, custodit animam suam.* Et S. Ambrosius de Davide ita scribit: Posuit ori suo custodiam, sepsit aures suas spinis, vectem adhibuit foribus oris sui: servat thesaurum oris sui, ne quisquam priùs fur in cor ejus aut perturbator irrumpat.

Damnum.

XI. David, qui in annis juvenilibus leones dilacerârat & ursos, qui Goliath gigantem, qui universo exercitui Israëlitico timorem incusserat, quantumcunque armatus esset, in funda & lapide in terram prostraverat. Hic inquam, timebat nihilominus & trepidabat; sed quænam timoris sui causa erat? Num forte truculentissimam Saulis metuebat persecutionem, aut verò innumeras Philistæorum phalanges? Vel filii sui Absolonis rebellionem? Nihil horum; quia potiùs acutas formidabat malignantium linguas, ac proinde DEO exercituum, qui ab illis eum defenderat, & tutatus fuerat, devotas egit gratias dicens: *Protexisti me DEUS à conventu malignantium.* sed quinam erant isti? Hi nimirum, qui linguas suas in modum gladii exacuerant: Exacuerunt ut gladium linguas suas, intenderunt arcum, rem amaram, ut sagittent in occultis immaculatum. Quæ verba exponentem S. Hilarium auscultemus, ait enim: Non hic Propheta arma bellica, nec enses, aut jacula, aut tormenta arcuum pertimescit; omnis enim in lingua timor est; hujus gladios & spicula metuit.

S. Hilar. in Psal. 63. v. 4.

S. Chrysost. serm. 122.

XII. D. Chrysostomus meritò vehementer admiratur, quòd Epulo, quem Salvator noster, in inferno sepultum, & toto corpore flammis cinctum in Evangelio exhibet, solùm pro lingua vehementer ardente refrigerium postulet, dicens: *Intingat extremum digiti sui in aquam, & refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Ait enim: Si te jam possidet totus ignis inferni, si te gehennæ flamma complectitur, quare solius linguæ æstibus desideras subveniri? S. Lyranus respondet: Ibi plùs cruciabatur, quia per eam plùs peccaverat. Lingua enim gustus & sapores discernit epularum, ebrietatique & crapulis subservit, quâ proinde abutebatur dives ille, qui epulabatur quotidiè splendidè. Unde S. Bonaventura ait: Hæc primò degustat cruciatus, quæ pretiosos cibos, & odorifera pocula degustavit, secundùm illud: Per quæ quis peccat, per hæc & torquetur. Interlinearis observat, quòd in conviviis, scurrilitatibus, & ineptiis eloquendis linguæ fræna licentiosiùs laxentur. Unde ait: In hoc nota, quia, sicut mos est, etiam inter convivia, loquacitati studuit. Idem S. Bonaventura ait: Magìs expressio fit de lingua, quàm de alio membro, quod cruciatur & affligitur in inferno, quia ipsa in culpis est quasi fomes totius iniquitatis.

S. Pet. Dam. l. 2. ep. 18.

XIII. S. Petrus Damianus nonnullorum animalium adfert exemplum, quæ ideo facilè capiuntur, quia os suum aperire non omittunt.

 tunt.

tunt. Dicit enim : Nunquam hostis fauces hydrus ingreditur, nisi cùm Crocodilus oscitans invenitur; nam si clausum os teneat, insidiantis impetum non formidat. Anthalops cùm exlamat, ignarus ad suum interitum gladios venatoris invitat, quod, donec obticuit, prosequentis industriam fugacis cursûs opinione delusit. Atque ut hoc inferam, quòd cancer ostreo, facit plerumque Diabolus Monacho : Cancer enim quoniam ostreis vescitur delectabiliter, eorúmque carnibus tanquam epulis saginatur, operæ pretium est audire, quas illis struat insidias, nam cùm avidè sit appetens cibi, est argutè prospiciens & periculi; quoniam, cùm sit difficilis, est periculosa venatio. Difficilis quidem, quoniam esca carnis interior validioribus testis includitur; periculosa verò, quia si chelas cancer immiserit, relabente protinus testarum dyptico, inevasibiliter coarctatur. Quid ergo facit, ut valeat obtinere, quod flagitat? Solerter explorat, si quando ostreum in locis ab omni vento remotis se contra radios solis aperiat, cùm ergo calculum clandestinus incursator immittit, & conclusionem ostrei interjectu sufflaminis impedit, sicque hianthia claustra reperiens tutò jam chelas ingerit, & viscera ostrei interna decernit. Quid igitur ostreum congruentiùs videatur significare, quàm Monachum, qui nimirum vivit, dum sub silentii censura concluditur, perit autem, cùm ad loquendum immoderatiùs aperitur. Ad instar scilicet ostrei, qui, cùm non hiat, integer animam servat; cùm effrænatè loquitur, vitæ visceribus vacuatur, quasi quidam lapillus parvæ consuetudinis obstat, ne is, qui fabularum vacat ineptiis, à sua se vanitate recludat. Quid autem est per figuram cancer, qui post se naturaliter graditur, nisi apostata spiritus, qui postquam semel à Conditore recessit, in posteriora relabi nunquam desiit. Unde & Diabolus interpretatur deorsum fluens.

S. Laur. Iust. c. 15. de discipl. XIV. S. Laurentius Justinianus inter alia dixit : Qui eruditam possidet linguam, tanquam turris David est, quæ ædificata est cum propugnaculis. Talem se arcem esse S. Job probavit, licèt contra ipsum totus infernus omnibus esset viribus armatus; dicit enim: *Pelli meæ, consumptis carnibus, adhæsit os meum, & derelicta sunt tantummodò labia circa dentes meos.* Etenim si hoc loquendi modo Job lamentatur, quòd cum toto corpore à Dæmone exulceratus fuerit, nihilominus labia circa dentes à Dæmone illæsa permanserint, S. Propheta sine causa lamentatus fuisse videtur, quia longè deformior futurus fuisset, si etiam labia circa dentes ei sustulisset, prout apparet in craniis mortuorum, quæ tantò sunt turpiora, quantò magis dentes à labiis sunt denudati. Veruntamen quòd Jobo labia circa dentes illæsa permanserint, minimè implacabilis hujus Tyranni infernalis indulgentiæ attribuendum est, sed potiùs stratagema quoddam fuit; quia tametsi Jobi animam, velut inexpugnabile quoddam fortalitium, ex omni parte vallis & muris custoditum esse viderit, nihilominùs per portam se in illud aditum habiturum esse minimè diffidit, utpotè quem labiis suis in aliqua blasphemiæ, desperationis, maledictionis vel impatientiæ verbum prorupturum esse sperabat. Unde sacer quidam Interpres super Jobum ita scribit : Hoc agere videtur Diabolus, qui ingrediendi in eum non acceperat potestatem, cùm jam illum totum variis cruciatibus consumpsisset, dentes, linguam, & labia, quæ sunt vasa verborum, reservat; Ex his enim forinsecus cordis promptuarium demonstratur, quod nobis sensus intrinsecùs constitutos distinctionis suæ ministerio proferunt. Hæc ergo, inquam, Diabolus in eo reservat, ut blasphemiam prolatam ejus ore cognoscat. Sed audiat Scripturam dicentem : *In omnibus his non peccavit Iob labiis suis.* Quod ipsum S. Hieronymus diu ante præfatum interpretem his verbis scripserat : Ob hoc enim Diabolus consumptis carnibus S. Job, labia ejus integra dereliquit, ut haberet positus in tormentis, quibus posset facilè blasphemare; Ideo Diabolus linguam reservavit, ut intelligere posset, si Job ob cordis simplicitatem blasphemiam proferret in labiis. *S. Hieron. in c. 19. Iob.*

**
*

TITV-

TITVLVS XXXXII.

L U D U S.

§. I.

QUO AD ESSENTIAM.

Definitio.

Beyrlinck, v. eodem.

I. N genere definitur *dictum vel factum ad animi oblectationem pertinens*; in hoc loco tamen accipitur cum Theologis & Juristis pro contractu, quo duo vel plures inter se paciscuntur, ut victori cedat, quod uterque deposuit.

Divisio.

Ibidem.

II. Dividitur præcipuè in licitum & illicitum; quorum prior est, qui regulas & conditiones à Theologis requisitas observat; posterior est, qui aliquam ex dictis conditionibus scienter non observat. Secundariò tamen, & accidentaliter ratione instrumentorum, quibus perficitur ludus, dividi potest in alearum, chartarum, conorum, trudicularum, & similes ludos.

§. II.

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas.

Isaiæ 65. v. 11. *S. Antoninus, p. 2. tit. 2. c. 25. §. 8.*

I. QUi ponitis fortunæ mensam, & libatis super eam. Numerabo vos in gladio. Quæ verba explicans S. Antoninus, ponunt, inquit, mensam fortunæ, qui ludunt, exponentes se fortunæ, sive per taxillos ludendo, sive per chartas, & isti feriuntur gladio divinæ ultionis in inferno.

Exodi 32. v. 6.

II. Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere.

Fuga.

Jeremiæ 15. v. 17. *Tobiæ c. 3. v. 17.*

III. Non sedi in concilio ludentium.

IV. Nunquam cum ludentibus miscui me: neque cum his, qui in levitate ambulant, participem me præbui.

§. III.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Qualitas.

S. Bernardinus to. 1. s. 42. a. 2.

I. LUsor ludum facit Deum suum, eò quòd illum in amore præponit ipsi Altissimo DEO, nam illud ab homine colitur, quod in amore præ cæteris honoratur.

II. Plus honoris defert lusor tribus taxillis, quàm ossibus JESU Christi, quem in ludo sæpius vituperando blasphemat, propterea per Psalmistam Dominus lamentabiliter de talibus ait: *Foderunt manus meas, & pedes meos, & dinumeraverunt omnia ossa mea*, scilicet variis contumelijs afficiendo. *Ibidem c. 3.*

III. Christianus quicunque es, & aleâ ludis, hoc primo in loco credere debes, quia non Christianum, sed Ethnicum tibi nomen est. *S. Cyprian. de aleat.*

IV. Non est quasi aliquod vitium, quod reddat homines ita infames & abominabiles, sicut ludus: Nullus confidit de lusore, nec vult eum in socium alicujus artis, quia semper timet, ne furetur, ut ludat. *S. Antoninus p. 2. c. 23. S. 6.*

Damnum.

V. Vix est dare actum, in quo concurrant tot mala, quot ex ludo; quot enim in taxillis sunt puncta, tot scelera ex eo procedunt, unum gravius altero. *Ibidem.*

VI. Aleas tractare, non videtur multis peccatum esse manifestum, sed infinita vitæ mala solet inferre. *S. Chrysost. ho. 15. ad pop.*

VII. Scelesti homines sunt lusores, quid enim est ludus, nisi fomes iniquitatis, & cupiditatis. *S. Bernar. Sen. to. 1. s. 10. a. 3. c. 2.*

VIII. Quis, quæso, ingenuus, seu quis homo, & non potiùs trux bellua delectari queat ludi nomine, abundante nequitiâ, atque impietate fœdissima? Ubi præter hominum vultus nihil humani sit, vultúsque ipsi iracundiâ ac mœrore obliti, confusisque clamoribus efferati, nec iam sint humani? Ubi non decor morum, non modestia sit verborum, nec amor erga homines, non erga DEUM reverentia, sed iurgia & rancores, & doli, periuria, & rapinæ, vulnera ad extremum, & homicidia quoque. *Petrarch. dial. 27. de remed. fort.*

IX. Ludus est domestica prædatio, usurarum labes, mendaciorum, atque nugarum sedula mater, fons divinæ negationis, crudelis blasphemiæ pater, corruptio populorum, scandalum proximorum, pervicax inobedientiæ filius, amissio temporis, discordiarum, & homicidiorum multorum origo, immane desperationis barathrum, idolorum cultus, iners segnities, otii nutrimentum, diffamationis titulus. *S. Bernardinus. l. c.*

X. Idem facit hominem apostatare, postponendo omnem delectationem amoris divini, & suæ famæ, quia propter ludum efficitur infamis. *Idem to. 4. s. 33.*

XI. Aleatores in ludis suis non quærunt, nisi alienam pecuniam acquirere, socium fraudare, & decipere, iurare, blasphemare, & maledicere. *Berchorius in dict. v. ludere.*

ludicere, & quandoque ad verba iniuriosa, plagas & verbera prorumpere, & cùm totum perdunt, quandoque desperationem incurrere, & finaliter ad rapinas, furta, & homicidia se convertere: Iste enim ludus est diabolicus, & certè, ut credo, per diabolum adinventus.

S. Cyprian. de aleat. XII. Si quis aleator Christianus es, tuus & hæreditatis tuæ inimicus es.

Petrarch l. c. XIII. Taxillorum eventus nullus prosper, mali omnes & miseri; nam & qui perdidit, affligitur; & qui vincit, illicitur, inque insidias protrahitur.

S. Antonin. p. 2. tit. 1. c. 23. §. 6. XIV. Lusores propter hoc, ut habeant magis tempus ad ludendum, negligunt divina, Missas & vesperas, & orationes & prædicationes, nisi fortè orent, ut Deus faciat eos vincere, sed nescit divina iustitia patrocinium dare criminibus.

S. Bernardinus to. 4. p. 1. a. 37. XV. Prima iniquitas est, quia ludus generat cupiditatem in lusore, quia ludendo accenditur cor suum, ut reludat propter recuperare perdita; & si lucratur, magis accenditur avaritia ad ludum, ut magis lucretur. Cùm perdit homo, deberet desistere ampliùs ludere, & avaritia lucrandi trahit eum.

Novarinus apud Mansi disc. 8. n. 3. XVI. Ludere, latinis auribus perdere significat, & amittere; perdit enim, qui ludit, perdit frequenter sua, perdit non rarò se, perdit semper tempus; Et lætari in ludo aliquis potest, qui in luto semper aliquid perdit?

S. Cyprian. de aleat. XVII. O manus crudeles, & ad periculum sui armatæ, quæ bona paterna, & opes avorum sudore quæsitas, ignominioso studio dilapidant!

S. Bern. to. 3. 2. 42. c. 3. a. 2. XVIII. Odenarij infernales, O Lucrum maledictionibus plenum, O tremenda iudicia, propter tales denarios super universa illorum bona iustissimè præparata; sicut ego in quibusdam, docente experientiâ, vidisse credo, quæ sunt testimonia credibilia facta nimis.

§. IV.

EXEMPLA SACRA.

Qualitas.

Mansi disc. 9. n. 1. I. CUm S. Bernardo in itinere constituto famosus quidam lusor occurrisset, Sanctum pro equo, cui insidebat, ad lusum invitavit, suam econtra in lusum offerens animam; plenissimo igitur consensu propositum acceptavit Sanctus, pacto præmisso, ut, quisquis plura iaceret puncta, Victor remaneret. Totus hilaris itaque lusor ille taxillos iecit, & in punctorum numero prævaluit, dum maximum taxillorum assecutus est numerum, mòxque equum veluti suum poposcit, ad quem Dei servus: sustine, fili, donec & ego iecerim, siquidem plura puncta tessilli habent, iecit itaque Sanctus, duòque tali duodecim expressêre puncta, tertius verò miraculosè ruptus in duas partes apparuit: In quarum una sex erant puncta, quæ octodecim conficiebant, in alia verò parte divisâ aliud se prodebat punctum, quapropter attonitus, miraculòque compunctus lusor non perdidit, sed suam lucratus est animam; siquidem se Sancti viri disciplinæ subdens Monachum induit, & exindè virtuosam, perfectamque duxit vitam.

II. Cardinalis Baronius, in conscribendis præclarioribus annalium Ecclesiasticorum eventibus ad perpetuam memoriam & utilitatem posterorum silendum esse non censuit, quod olim Beat. Petrum Damianum inter, & Episcopum florentinum accidit, verba autem annalium in compendium redacta, fuêre hæc sequentia: Fui aliquando comes itineris V. Episcopi Florentini, cumque vesperi ad hospitium pervenissemus, ego in cellam Presbyteri me subduxi, ille verò in ampla domo inter viatorum turbam substitit. Diluculo autem facto à Mulione meo certior factus sum, Episcopum prædictum latrunculorum ludo se cum aliis oblectasse. Quod verbum sagittæ instar cor meum transfigens, ad iracundiam me commovit, ac proindè tempus admonitioni opportunum nactus, illum conveniens, acriter ipsum reprehendi, discursum meum hunc in modum exordiendo: Etenim virgas proferens manus levavi, quasi verberare volens, dummodo esset, qui tergum submitteret, illè verò subiunxit, si culpam ostenderis, pœnitentiam non recusabo. Tunc ergo: ergone tibi benefactum, tuòque officio congruum esse videtur, subiunxi, quòd heri vesperi latrunculis luseris, manúmque tuam corpori Salvatoris offerendo assuetam, & linguam, quæ Deum inter & populum mediatrix existit, sacrilegi ludi contaminatione deturpaveris? Tunc ille, ut erat mansueto animo, & perspicaci ingenio, rationibus à me allatis humiliter acquievit, similíque se similem defectum deinceps nunquam commissurum promittens, debitam à me postulavit pœnitentiam, cui subitò ut trinies integrum recitaret Psalterium, devotè illud meditando, atque insuper duodecim pauperum pedes lavaret, præcepi, totidem illis monetas erogando, liberalíque prandio eosdem recreando. Nimirùm sicut culpa manibus & verbis commissa fuerat, ita quoque ille pauperum lavando pedes, manus suas à culpæ contagione lavavit, eósque ore suo osculando, quas ore contraxerat culpas, expiavit, renovavitque pacem cum Deo, quem detestabili ludo offenderat. Verùm enim verò, ex quo in sententia Sancti illius Doctoris, qui Theologiæ Angelus & oraculum Ecclesiæ meritò appellatur, ludum pro honesta recreatione licere diximus, cur Beatus Petrus Damianus hunc Episcopum tanta cum asperitate noxiosum reprehendit, sed & gravi pœnitentiâ mulctavit? Et quidem tantò id magis mirandum venit, quòd idem Episcopus se coram Sancto Damiano quoad qualitatem ludi purgaverit, nam defensionis sibi faciens scutum, ait, aliud schacchum esse, aliud aleam; aleas authoritas prohibuit; Schachos verò tacendo concessit. Baronius 1061. n. 4.

Ad

Ad hoc igitur responderi potest, credibile esse, Episcopum hunc in ludo illo excessisse, vel ratione nimis diuturnæ continuationis, vel quia in multorum sæcularium societate, cum scandalo aliquo lusit.

Mansi disc. 9. n. 1. III. De S. Joanne Evangelistâ scribitur, quòd, cùm de eo certus quidam vir scandalizaretur, eò quòd ipsum cum discipulis suis iocantem & ludentem vidisset, ipse ut se defenderet, cuidam, ut arcum intenderet, præcepit, quod cùm sæpius fecisset, interrogavit eum, an hoc semper sine intermissione facere posset, qui respondit: Si hoc continuò facerem, arcus frangeretur, subintulit Sanctus Joannes, quòd similiter animus hominis frangeretur, si nunquam à sua intensione relaxaretur.

Thomas Cantip. l. 2. c. 49. §. 11. IV. Thomas Cantipratensis se à quodam Patre Dominicano, fide dignissimo, audivisse scribit, quòd quidam in lusu taxillorum omnibus quæ habebat, ad camisiam usque deperditis, impositâ in arcum sagittâ, eandem ad vulnerandam Christi Crucifixi imaginem evibrârit; mox verò sagitta reversa ante faciem iacentis sanguine recenti totaliter infecta, reperta est, qui mox in maximas lachrymas resolutus, fratrem, qui mihi hæc narravit, ad duo milliaria quæsitum invenit, & confessus, vitam suam cum mira pœnitentia correxit.

Damnum

Mansi disc. 1. n. 2. V. In celebri quadam Lombardiæ civitate accidit; postquam certus quidam pater familias ingentia à filio suo perpessus fuisset damna, eò quòd, ut sufficiens ad ludendum pecunia ei suppeteret, quidquid in domo patris obvium habebat, furaretur, ut venderet: tandem post sæpius adhibitam correctionum suavitatem, nec non reprehensionum austeritatem, eundem filium ab hoc vitio retrahere, & in viam virtutis perducere studuit, quamvis incassum. Tandem eum in carcerem conjici fecit, è quo tamen paulò pòst per frequentes cognatorum instantias ereptus, habitationem quandam paternæ domui vicinam conduxit, quam publicam lusuum officinam effecit. Demum verò cùm nocte quadam immane patrâsset homicidium, cadaver occisi hominis ante fores patris sui transtulit, scelúsque tanquam ab alijs commissum, justitiæ publicæ denunciavit, móxque pater unacum Filio minore in vincula conjectus, dum tormentorum violentia utrique adhiberetur, dolorem ferre non valentes, delictum licèt minimè ab illis factum, confessi sunt, indéque ad patibulum ambo condemnati fuere. Cujus tamen sententiæ executio ob carnificis absentiam aliquamdiu dilata fuit, donec tandem pater, ut se à mortis supplicio eximeret, ad obeundum circa filium carnificis officium fuit requisitus, qui ne filium neci traderet, naturali patris affectu munus hoc exequi recusavit, sicut & alius filius minor, mori ipse innocens cum innocente Patre maluit, quàm eiusdem à se patrando suspendio, vitam suam redimere. At verò discolus ille & degener filius (qui sceleris author & homicida occultus fuerat) oblatum sibi idem munus acceptavit, patremque simul & fratrem infami supplicio affecit. Qui tandem rei totius veritatem cuidam amico suo confidenter aperuit, ut illum ad patrem è patibulo post mortem depositum, ad sepulturam raptandum induceret, qui ob rei indignitatem stomachatus, facti seriem superioribus indicavit, à quibus cùm detestabilis hic homicida, fratricida, patricida examinatibus reus inventus fuisset, pariter & ipse infami patibuli supplicio delictum luere debuit.

VI. Quidam literis Parmæ operam navans, de se ipso retulit, qualiter bonam pecuniæ summam ex lusu lucratus, die quodam largam instituerit eleemosynam eo animo, ut divinam pro continuandâ bonâ in ludo fortunâ implorare, & consequeretur assistentiam: ab eo autem die semper perdidit, nulla post hac ei favente fortunâ, cujus rei quam aliam, nisi illam S. Antonini assignare poterimus rationem: Nescit divina Justitia patrocinium dare criminibus. *Idem disc. 9. n. 6.*

VII. S. Bernardinus suo tempore sibi de infelici quodam homine narratum fuisse scribit, quòd animam suam ex desperatione lusûs dæmoni ultrò consignârit, cùm verò ad Vigilias noctis peragendas missus fuisset, dæmon ipsi muros civitatis per scalæ gradus ascendenti in specie gryphi apparuit, ipsúmque ex posteriori parte Chlamydis ad se attraxit, in ejúsque signum eandem transforavit; qui quidem in angustijs positus Deo se recommendavit, & de peccatis suis compunctus, eadem per confessionem expiare cœpit, at verò tantus illum terror invaserat, ut duobus abinde diebus mortuus fuerit. *S. Bernardinus to. 1. s. 42. a. 2. c. 1.*

VIII. Pater Ottonelli sequentem casum, quem anno 1612. accidisse, à persona quadam fide dignâ relatum acceperat, hunc in modum recenset. Quidam, postquam diu infeliciter lusisset, tandem furore, & irâ percitus à collusoribus discessit, quendam Chartarum lusoriarum secum deferens manipulum, quas in via sigillatim in minutas partes dilaceravit, impudenter dicendo. Utinam te, ò Deus, eundem in modum dilacerare possem. Adjunxit insuper, hodiè quidem in ecclesia Missam auscultati, sed merito huic omninò abrenuntio, nec volo, ut quidquam me juvet; aliáque plura ejusmodi verba impietate plena eructavit. Contigit autem, quòd, dum in via ex colliculo descenderet, fallente pede, concidens collum sibi fregerit, ita tamen, ut non tam subitò indè moreretur. Nimirum Deus ipsi tempus resipiscendi & actus pœnitentiæ in se excitandi, indulgere voluit, quâ tamen Dei indulgentiâ nequaquam usus est impius, siquidem verissimum est illud: Impius cùm in profundum peccatorum venerit, contemnit: dum enim hoc modo desperatus jaceret, oculis furibundis & iracundis velut alter quidam Julianus apostata, cœlum respiciens, digitos sibi præmomordit, simúlque DEO & Sanctis etiamnum comminari non destitit, & sic infelicem animam exspiravit. *Mansi disc. 5. n. 10.*

Ibidem. IX. Idem quoque Author de alio quodam lusore refert, qui ludendo quidem Deum & Sanctos per blasphemias non offenderat, sed prosperè semper ludendo, ingentem sibi pecuniæ quantitatem comparaverat. Verumtamen dum domum se recipere vellet, nonnulli, qui eum hanc pecuniæ summam secum deportare sciebant, illius aviditate instigati, illum aggredientes vulnerarunt & occiderunt, ipsúmque omnibus, quæ secum habebat, exuentes, nudum deseruerunt, adeóque miser ille pecuniam simul & vitam, imò forsitan & animam infeliciter amisit. Ecce tibi jacturam irreparabilem, quam miser, etiam in ludo vincens, perpessus fuit. Similem quoque eventum idem author de alio quodam lusore scribit, quòd, cùm ingentem pecuniæ summam ludendo fecisset, ludum deserere voluerit, ne ulterius ludendo ludi fortunam experiretur contrariam, amitterétque, quæ hactenus feliciter ludendo congregârat; collusor autem imperiosè illi, ut ludum prosequeretur, præcepit; volebat enim, ut, qui hactenus victus remanserat, tandem in ludo victor evaderet, & recuperaret, quæ amiserat; Cúmque ludum ille liberum esse, responderet, sibique proinde jus esse, ut ab eodem, quandocunque vellet, desistere posset, collusor ex amico inimicus factus, apprehensum pugionem in pectus ejus impegit, adeò atrociter, ut subitò corruens mortuus fuerit.

Ibidem. X. Idem pariter Author alium quendam refert casum, qui Romæ in parte quadam Capitolij verissimè accidit. Cùm enim tres Sodales ludendo se exercerent, permisit Deus, ut dæmon eos per horribiles apparitiones perterrefaceret, ex cujus spectri aspectu, omnes tres tanto fuerunt horrore perculsi, ut uni illorum omnes defluxerint capilli, alter verò miserâ morte vitam suam clauserit, tertius denique ad fenestram accurrens, indè se deorsum per ruinosum & mortale præcipitium proturbârit.

Ibidem n. 3. XI. Anno 1583. Moguntiæ atrox crimen contigit, per certum quendam perditæ salutis hominem, cui nomen Scellzoff erat, qui vilissimis ortus natalibus vitam suam in tabernis inter taxillorum & Chartarum lusus transigebat; fuit enim appetentissimus ludi, ex quo pleraque vitiorum genera, tanquam vermes ex putri cadavere ubertim erumpunt; præcipuè verò impietas ergâ Deum inde nascitur. Impius hic vir cùm infeliciter ludendo omnium, quæ habebat, jacturam fecisset, cœpit graviter stomachari, & post convitia collusoribus dicta, Deum etiam & Sanctos blasphemare. Sunt, qui referunt, eum hâc irâ & impietate succensum, palàm fuisse minitatum, quamcunque Crucifixi JESU imaginem primùm obviam habuisset, ab ea se præsentis damni pœnas & vindictam repetiturum. Quamprimùm ad sacellum pervenit, imaginem Crucifixi dissecuit, ita ut nec ullatenus hæreret quidem. Mox D. Virginis, aliorúmque Sanctorum signis cruci astantibus cæsim & punctim pleraque vulnera inflixit. Sed terrificus & admirabilis cruor, subitò ex vulneribus à crudelissimo illo sicario passim illatis effluxit, ceu non lignea simulacra, sed vivi homines eam injuriam perpessi forent. Crederes, Deum ipsum tanto scelere appetitum, quodammodo indoluisse, & tam stupendo miraculo, velut manifestâ doloris confessione mortales ad vindictam faciendam animâsse. Porro impius hic sicarius portento copiosi sanguinis ex vulneribus emanantis attonitus factus, toto corpore obriguit, adeò ut loco se movere non posset, unde in flagranti crimine deprehensus, Moguntiam ad carceres perductus, vivúsque ibidem ignibus consumptus est.

Cæsarius l. 10 c. 14. XII. Cæsarius Heisterbacensis terribilem quandam narrat historiam, quæ in civitate quadam diœcesis Coloniensis circa militem quendam Tiemum contigit, qui ludo taxillorum adeò deditus erat, ut ludendo diem simul cum nocte conjungeret; Hic saccum quendam pecuniis plenum secum portare solitus erat, ut unumquemque obvium ad ludendum incitaret, adeóque fortunatus erat, ut vinceret semper, nunquam perderet; ut autem posteris ostenderetur, quantùm Deo tales ludi (in quibus iræ, invidiæ, rixæ, & damna suscitantur, peccatáq; verba rotantur) contrarij forent, permissum est diabolo, ut cum eo luderet, qui multis illuserat, atque eviseraverat. Nocte igitur quadam spiritus malignus sub personatu habitu, in domum ejus ingressus est, qui sacculum pecunijs plenum sub brachio deferens, lusorem hunc ad colludendum invitavit, mensæque accumbens, extractâ pecuniâ alearum jactum per totam noctem cum ingenti suo lucro in societate solemnis hujus lusoris continuavit. Miles autem malam suam expertus fortunam, amissámque ludo pecuniam dolens indignabundus ait: Nunquid non diabolus es tu? Et ille: Nunc satis est, appropinquat enim tempus matutinale, oportet nos ire; tollénsque illum per tectum traxit, cujus viscera tegulis retrahentibus miserabiliter excussit; & quid de ejus corpore factum sit, vel in quem locum illud projecerit, usque hodiè tam à filio ejus, quàm à cæteris, qui illum noverant, ignoratur. Tandem verò Cæsareus his verbis concludit: Bene diabolus in hoc mundo suos ministros sinit prosperari, quos semper in fine decipit.

Sylva hist. l. 7. tit. 6. ex. 6. XIII. S. Cyrillus Episcopus Jerosolymitanus aliud quoddam factum priori parum dissimile refert, quod idem pariter à S. Augustino describitur. Nam miles quidam civitatis illius, dives admodum & nobilis filium, quem habebat malè agentem non solum non reprehendebat, verùm potiùs malo illi prælucens exemplo, varijs in vitijs, præcipuè verò in lusibus edocebat; Hic cùm ad duodecimum ætatis annum pervenisset, die quadam cum Patre suo chartis ludens, omniáque perdens, in hanc contra S. Hieronymum prorupit blasphemiam: faciat S. Hieronymus, quod libet, ego hinc non recedam, donec ludendo victor evaserim, quibus verbis vix etiamnum pronunciatis, nonnulli

nulli comparuere dæmones, qui raptum filium in præsentia patris sustulerunt per aëra; Ubi verò deinceps manserit, in hodiernum usque diem ignoratur.

Cæsar. L. 5. c. 8. XIV. Supra nominatus Cæsarius deplorabilem refert casum, qui Sacerdoti cuidam accidit, cui nomen Adolphus, qui Plebanus existens curæ animarum obnoxius erat; Ad hunc enim die quadam cum cognato suo chartis ludentem, alius quidam accessit, qui matrem ejus infirmam instanter Confessionem & Communionem postulare, lachrymosis verbis exposuit: Respondente Sacerdote: Non veniam, nisi expleto ludo, cùm ille instaret, asserens infirmam exspectare non posse, commotus Sacerdos secum ludenti dixit: Cognate, ego conqueror vobis de homine isto, qui me quiescere non sinit. Videns ille se nihil proficere, tristis ac gemens discessit, & infirma sine confessione atque Viatico ab hac luce migravit. Die autem tertio is, qui cum Sacerdote luserat, defunctæ filio occurrit, & Sacerdotis querimoniæ recordatus illum sine causa occidit. Posthæc Sacerdos in peremptoriam incidit infirmitatem, qui cùm esset in desperatione, quædam cognata sua sedens coram illo, cùm signum contritionis in eo nullum videret, tristis sic ait: Domine, debilis estis valdè. Præparate vos, propter DEUM, invocate illum, ut peccata vestra vobis dimittat. At verò in miserabili hoc Sacerdote impletum est, quod S. Antoninus in hæc verba scribit: Sicut lusores reperiunt se in via diaboli esse, quæ est circuitus, ita & in termino cum eodem sunt, scilicet in inferno. Audiamus enim ex eodem Cæsareo horrendum lusoris illius exitum. Desperatus respondit: Vides horreum illud magnum ex opposito nostri? Non sunt in ejus tecto tot calami, quot sunt circa me dæmones congregati, & hoc dicto mox agonizans exspiravit, eos videns adesse moriturus, quorum consilio vixerat sanus.

Mansi disc. 2. n. 6. XV. S. Franciscæ Romanæ in visione quadam demonstratum fuit, Dæmones specialiter eò tendere, ut perversas Lusorum animas in inferno cruciare possint; Siquidem sancta hæc matrona vidit nonnullas ossium ad lusores pertinentium partes, illásque super carbones ardentes volvi & revolvi, easdémque super ignitas ferreas tabulas elevari; insuper taxillos ferreos ardentes, nec non aurum & argentum liquefactum, pro quo luserant, faucibus eorum ad potandum infundi, denique eosdem virgis castigari acerbissimis, in quarum extremitatibus globi ferrei igniti suspensi erant; qui ex illis alios fraudulenter deceperant, suspendebantur; qui verò traditores fuerant, in quatuor partes dilaniari videbantur.

Sylvan. Razius de mirabil. B. V. XVI. Sylvannus Razius Monachus Camaldulensis in libro, quem de miraculis Matris DEI composuit, sequentem de quodam in Saxonia commorante, Sacrilego, refert historiam, qui postquam ingentem pecuniæ summam infeliciter ludendo amisisset, membra Christi adeò horrendè blasphemare cœpit, ut circumstantes obturatis auribus præ nimio pavore pectus in signum doloris percutientes, in fugam se receperint. Impius verò ab invisibili quodam ictu percussus, in terram cecidit, & clamando, eheu! quis me percussit? miserè exstinctus fuit. Cùm verò vestibus exueretur, inventum est vulnus quoddam, quasi à bicipiti gladio adeò horrendè inflictum, ut omnia ejus interiora indè videri potuerint.

Beyrlinck in theatro V. alea. XVII. Author Theatri Vitæ humanæ de quodam lusore Budano refert, quòd, cùm in nomine DEI ludens, omnia, quæ habuerat, perdidisset; illius verò collusor in nomine diaboli ludum agens, constanter lucratus fuisset; ipse irâ & furore percitus, per cæmiterium se proripiens, Crucifixi frontem saxo petiit, quod in vulnere hæsit. Accidit verò, quòd lanio quidam eidem loco vicinus, tametsi podagrâ laborans, dum dormiret, tribus vicibus repetitum à cœlo præceptum audierit, quo è lecto jubebatur surgere, & primum sibi obvium confestim necare, quarè expeditè surrexit, & in ferventem aleatorem incidens, cultro lanario eum interfecit.

§. V.

EXEMPLA PROFANA.

Qualitas.

Idem L. C. I. DE Cajo Caligula Imperatore scribitur: quòd, cùm per omnem Galliam divites expilasset omni pecuniâ, eandémque turpiter profudisset, aleâ ludere cœperit. Verùm cùm pecuniam sibi deesse intelligeret, ob eámque causam Gallos censeri, ac eorum locupletissimos interfici jussisset, ad collusores suos reversus ait: Vos quidem de parvo drachmarum numero contenditis, ego collegi aureorum sexagies centena millia.

S. Bernardinus to. 4. ser. 31 p. 1. II. Cùm Lucifer per varias mundi partes, multas spirituum suorum legiones transmisisset, ut ubique maledictionum tentationúmque seminarent zizania, accidit, quòd circa tempus natalitiorum Salvatoris nostri, se magnopere cruciari lamentarentur, utpote quò atrociores paterentur pœnas, quàm totius anni reliquo tempore, quapropter in unum convenientes, expediverunt solemnem ad Luciferum principem suum legationem, in qua legati fuerunt Azardus, & Sbarainus; qui ad Luciferum venientes, se in nocte Natalis Domini & festis subsequentibus plùs quàm aliis diebus cruciari, querulâ voce exposuerunt. Lucifer autem causas hujus tormenti ab iis discere volens, sequens ab iis retulit responsum: illa nocte, dicebant, fideles omnes magna cum devotione frequentant Ecclesiam, omnes Sacerdotes tres celebrant Missas, Confessiones & Communiones insolito majori numero frequentantur, & successivè diebus sequentibus

veræ pœnitentiæ actibus sunt dediti; Unde graviter ab iis vapulantes, prævalere nec quidquam possumus. Mox Lucifer, quinam Sacerdotes Christiani, & quosnam ritus observarent, interrogavit: cui illi responderunt: Distinctas in Episcopatus habent provincias, cui unus præsidens, Episcopus appellatur, subditos habens Archipresbyteros, Presbyteros, Diaconos & Clericos: Sæculares autem divisi per Parochias, à Parochis gubernantur; qui Ecclesiis præfecti, in Sacro apparatu Missas celebrant, & panem in Corpus Christi transubstantiant &c. Recensitis verò malis, ex Christianorum pietate & devotione, specialiter in diebus illis Natalitiis, in eis resultantibus, respondit Lucifer: Facilis mihi videtur modus, quem si fideliter observaveritis, omnia, quæ in iis diebus fiunt, bona vos torquentia, inutilia efficientur. Volo igitur, quòd illud, quod fit pro Christo, fiat pro meo nomine; faciatis, quòd in omni civitate ædificetur unus Episcopatus in meo nomine, & vocetur Barataria, Episcopum volo esse dominationem illius civitatis, quæ doceat ipsam Baratariam. Varia igitur, pro ludis trudiculariis instituendis, distribuit ministeria & officia, legatósque remittens, præcepit eis, ut spiritibus infernalibus, à quibus missi fuerant, nomine suo dicerent: Quilibet reperiat diversos ludos, ut diversimodè possit nobis sacrificari, & deberi sacrificium Christi. Unde, inquit S. Bernardinus, mota est à Lucifero hæc machina, ut specialiter in nocte Natalis Domini varii inventi fuerint lusus, ut sacrificaretur diabolo; asserit insuper idem Bernardinus, quòd ludus Sbaraini repertus fuerit per diabolum, qui dicitur Sbarainus, lusus alearum fuerit repertus per Azardum dæmonem; Minoretus repertus fuerit per Minoretum dæmonem, & sic de aliis. Unde quicunque ludit istis ludis prohibitis, celebrat diabolo.

S. Ambros. l. 1. in Tob. c. 18. III. Ferunt Hunnorum populos omnibus bellum inferre nationibus, fœneratoribus tamen esse subjectos; &, cùm sine legibus vivant, aleæ solius legibus obedire, in procinctu ludere, tesseras simul & arma portare, & plures suis, quàm hostilibus ictibus interire. In Victoriâ suâ captivos fieri, & spolia suorum perpeti, quæ pati ab hoste non noverint. Ideò nunquàm belli studia deponere, quòd victi aleæ ludo, cùm totius prædæ munus amiserint, ludendi subsidia requirunt bellandi periculo; frequenter autem tanto ardore rapi, ut cum ea (quæ sola magis æstimant) victus arma tradiderit, ad unum aleæ jactum vitam suam potestati vel Victoris, vel fœneratoris addicant.

Beirl. l. cit. IV. Plato juvenem aliquando propter lusum acriter reprehendisse legitur; Sed moniti impatiens puer replicavit: Sic objurgas ob rem parvam? Cui mox Philosophus: Parvum non est assuescere.

Ibidem V. Inventus est, qui, quasi parùm fuerit in Vita lusisse, testamento religiosè caverit, ut ex ossibus suis tesseræ fierent, cute verò & membranis mensa, alveolus, fritillíque, quantâ fieri posset diligentiâ contegerentur; Nimirum ut quod vivus libentissimè factitabat, mortuus etiam, quantùm posset, obiret.

Arist. lib. Eth. c. 1. VI. Aristoteles in sua Ethica ludum taxillorum atque Chartarum, tanquam deformem contemnit, & inhonestum, lusores fures appellat, lucrúmque indè comparatum homine indignum esse affirmat.

Mansi disc. 1. n. 6. VII. Agarenos seu Turcas, quocunque genere ludi, depositâ pecuniâ instituti ludant, ignominiâ primùm, deinde supplicio graviore affici, nonnulli testantur.

§. VI.

SIMILITUDINES.

Qualitas.

S. Antonin. p. 2. tit. 1. c. 1. c. 7. §. 6. I. Sicut DEUS invenit viginti & unam literas primò, nam aliæ postea sunt superadditæ ad componendam Bibliam, ubi est omnis Sapientia revelata; Ita invenit diabolus taxillos, Bibliam suam, ubi posuit viginti & unum puncta, tanquam literas suas nigras, ubi in usu ejus reperitur omnis malitia peccati; Quid est enim malum, quod indè non sequatur?

S. Thomas 22. q. 68. a. 2. II. Sicut corpus, cùm limitatum habeat vigorem, continuò laborare non potest, sed nonnunquam aliquâ indiget quiete; ita quoque anima & mens nostra in continua operatione diu durare nequit, nisi recreatione sublevetur. Quies enim animæ est delectatio, & ideò remedium contra fatigationem animalem adhibetur per aliquam delectationem, intermissâ intentione ad insistendum studio rationis.

Mansi disc. 9. n. 2. III. Sicut enim medicina, ut salutem corpori afferat, in certa mensura & cum discretione exhibenda est, quia secùs usurpata mortem adferret: Ita quoque ludus regulari

Ibidem. debet secundùm exigentiam & necessitatem personæ sublevandæ, quia si aliter fieret, in excessum prorumperet & vitium.

S. Ambros. l. 1. de offic. IV. Sicut Vinum forte & generosum modicè potatum confortat & corroborat stomachum, virésque lætificat, & vivaces efficit; sine mensura autem sumptum, caput turbat, inebriat, sanitati officit, usum quoque rationis obscurat, & impedit; Ita etiam ludus pro recreatione, laboribus præcedentibus debitâ, brevi quoque tempore & cum modestia exercitus, conveniens est, laudabilis, & omnis culpæ expers; Si verò excedatur in illo, in vitium degenerat. Unde sanctus Ambrosius rectè monet: Caveamus, ne, dum relaxare animum volumus, solvamus omnem harmoniam, quasi concentum quendam bonorum operum.

Damnum.

S. Anton. l. c. §. 7. V. Sicut aranea se eviscerat ad faciendas telas, quibus capiat muscas; sic lusor consumit

mit se ad excogitandas malitias, & operandum, quomodo possit alios decipere, & sibi acquirere.

§. VII.

MOTIVA.

Ad Ludum moderandum.

S. Cyprian. de Aleat. I. *QUia Christianum valdè dedecet*, uti S. Cyprianus indicavit dicens: Aleator quicunque es, Christianum te dicis, quod non es, eò quod sæculi particeps es, nec amicus Christi potes esse, qui cum inimico Christi tenes amicitiam.

Ibem. II. *Quia diaboli inventum est*; uti idem Sanctus indicavit dicens: Hostis ille antiquus circuit pulsans Dei servos, & non uno genere tentans: multæ enim sunt tentationes ejus. Ex quibus est aleæ tabula, quæ est diaboli laqueus manifestus, venenum portans lethale serpentis.

S. Antonin. l. c. 6. III. *Quia perquàm noxius est.* 1ò. Reipublicæ, utpotè latrociniorum & rapinarum origo. Unde non immeritò Sanctus Antoninus ita scribit: Qui sunt dediti ludo, cùm non habeant ad ludendum, furantur, vel à parentibus occultè rapiendo, & furtum est; vel à vicinis, vel à magistris, si in exercitiis sunt artium mechanicarum; si vincunt, augent furtum; Undè & furata tenentur restituere. 2. Famæ; uti rectè advertit Abulensis dicens: Vita turpis indè nascitur, quia qui assuescunt ad ludum, omnem honestatem perdunt, unde efficiuntur viles. Et sic extr. de excess. præl. c. inter dilectos, vocatur vilis persona, ille qui est aleator publicus. Undè Petrarcha, abjicienda est, inquit, delectatio inhonesta (Ludi) etsi non virtutis, at saltem famæ studio, & pudoris causâ; nam vix aliud in actibus hominum invenias, ubi tam clarè mores ac vitia detegantur. 3. Vitæ; uti idem Abulensis indicat his verbis. Decimum (damnum) est mortis causa: quia ludentes irascuntur, dum perdunt, & prorumpunt in verba injuriosa, & de verbis ad vulnera & homicidia. 4. Tempori; nam, eodem testante, ex ludo nascitur perditio temporis, quia non vacatur bonis operibus, & sic perduntur omnia illa, quæ posset interim facere, & tamen nullum est majus damnum quàm temporis; quia damna rerum sunt recuperabilia, damnum autem temporis nequaquam maximè, quia Deus exactissimam rationem petet à nobis de tempore concesso ad vitam, & bene operandum, in quo fuerit expensum. Unde S. Antoninus meritò exclamat O quàm malè poterunt reddere rationem de tempore, qui totos dies, & aliquando etiam noctem adjungant circa ludum, & non solùm amittunt ipsi ludentes tempus, sed alios amittere faciunt, qui scilicet aspiciunt.

Abulens. q. 55. in c. 6. Matt.
Petrarch. dial. 27.
Abulens. q. 66.
Idem q. 55.
S. Antonin. p. 2. tit. 1. c. 23. §. 6.

Ibidem Abul. q. 55. cit. IV. *Quia aliorum infectivus est*; uti idem Sanctus indicavit dicens: Hoc vitium videtur infectivum; cùm enim quis videt alium ludere, ubi nihil cogitabat de ludo, inclinatur ad simile. Quod etiam Abulensis confirmans, corrumpuntur, inquit, proximi multipliciter videntes istos ludos, cùm erudiantur ex hoc ad malum.

Aristot. in Ethic. V. *Quia consuetudo ludendi difficulter relinquitur*: Nam, teste Aristotele, generatus habitus, adhuc ex iteratis actibus dilatatur, & firmatur magis, & dilatatus habitus in ejus actibus magis ac magis delectat, & delectatio perficit opus. Sic lusor frequentans ludos ita delectatur in eo, ut totam quasi suam felicitatem videatur ibi ponere. Et quia consuetudo est altera natura, sicut naturalia tolli non possunt, ita, quæ in consuetudinem ducta, ut à ludis vix possint homines avelli, quantumcunque perpendant ex hujusmodi vituperari & consummari. Sed & Cantipratensis ait: Assueti talibus, de facili non desistunt: Ardor tantus inest lusoribus, ut omnem verecundiam perdant.

Cantipr l. 2. c. 49. §. 6.

S. Bernardinus to. 4. s. 33. p. 1. VI. *Quia usurarium facit hominem*; nam terribilior usura, quæ fit in mundo, & turpior quæstus est ludus. Nam ex eo, quòd usurarius accipiat centum pro centenario in uno anno, tu facies illud damnum proximo tuo in hora una. Idem quoque S. tomo 1. in sermone quodam dixerat: Satis hinc indè repenso, nec hucusque reperire novi in sæculo isto lucrum, tot impietatibus ac maledictionibus plenum, sicut est illud, quod per ludum acquiritur.

Mansi disc. 7. n. 9. VII. *Quia per ludum immoderatum tres leges violantur*; Divina, quia virtuti Charitatis immediatè adversatur, si quis temporalia proximi bona cum ipsius damno desideret, & ideò hoc ipsum in ultimo Decalogi præcepto expressè prohibetur. Est quoque contra legem Naturæ, quia lusor facit alteri, quod sibi fieri nollet, spoliando collusorem bonis suis, & sæpè etiam illis, quæ ei ad propriam & familiæ suæ sustentationem sunt necessaria. Est denique contra legem positivam, quia multæ leges Civiles & Canonicæ in Reipublicæ commodum, lusus alearum & Chartarum severe interdicunt.

§. VIII.

ASCETICA.

S. Thomas 22. q. 168. a. 2. I. *IN primis nosse debet Asceta, quandò licitus sit moderatus lusus*; id quòd ex S. Thoma discere poterit, sic loquente: Attendendum est, sicut in omnibus humanis actibus, ut congruat personæ, tempori, & loco, & secundum alias circumstantias ordinetur debitas, ut scilicet sit tempore & homine dignus.

S. Antoninus l. cit. II. *Nosse debet, quando ludus sit peccatum grave*; qua in re sic loquitur S. Antoninus: Nota secundò, quòd ludus aleæ est peccatum mortale secundùm Raymundum: quod probari potest ex pœna; nullus enim debet deponi vel

vel excommunicari, nisi pro mortali voto, vel præsumpto; sed ludens ad aleas debet deponi vel excommunicari secundùm illum Can. Episc. Ergo &c. Quod credo verum, quando ex cupiditate quis ludit, scilicet principaliter motus, non ob recreationem, sed ad acquirendum quid notabile per ludum.

S. Thomas Loc. cit. Ier. 30. 19. III. *Nôsse debet, ludum quoque in scripturis nonnunquam cum laude conjunctum esse.* Undè dicitur: *Egredietur de eis laus, vóxque ludentium*; quia ludus debitis vestitus circumstantijs virtus est laudabilis, quæ à sacris Doctoribus Eutrapelia appellatur, de quo Sanctus Thomas sequentem statuit conclusionem inquiens: circa ludos & jocos, qui nonnunquam ad animi solamen necessarij sunt, si secundùm rationem fiant, aliquam virtutem esse oportet, quam Eutrapeliam vocant.

Apud Mansi disc. 1. & 3. IV. *Nôsse debet, quid Doctores de vitioso ludo sentiant.* S. Cyprianus, aleam vocat mali alveum. S. Bernardinus, multarum stultitiarum ludibrium singulare, fomitem iniquitatis, & cupiditatis, Presbyterum diaboli Comitatus, cunctorum vitiorum seminarium. Petrarcha, vitiorum omnium regnum, famæ nubem, & scelerum stimulum.

§. IX.

MISCELLANEA ET CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Qualitas.

Galat. c. 4. v. 29. I. Observandum est, quòd S. Paulus de ludo, qui Ismaëlem inter & Isaac agebatur cujus in Genesi c. 21. fit mentio, loquens, eundem persecutionis nomine appellarit, inquiens: *Sed quomodò tunc is, qui secundùm carnem natus fuerat, persequebatur eum, qui secundùm spiritum*, ita & nunc; sed quid dicit scriptura? Ejice ancillam, & filium ejus. Ubi primò adverten dum est, ludi hujus authorem servæ cujusdam ægyptiæ fuisse filium, ut indè servitutem colligeremus, quam vitium hoc suis insinuat sequacibus, servos suos illos efficiendo, suæque Tyrannidi subjectos propriâ libertate privando. Lusum intellexit Sara persecutionem, inquit Glossa, ex mente S. Augustini. Origenes quoque interrogat, inquiens: quid luserat aut quid nocuerat, si ludebat? Apostolum miror, qui ludum hunc persecutionem pronunciavit, dicens: *Sed sicut tunc is, qui secundùm &c.* Cum nulla utique persecutio Ismaëlis adversus Isaac mota referatur, nisi hic solus ludus. Verùmtamen ludo proprium magis epithetum dari non poterat, quàm quod persecutio appellaretur; quia major persecutio dari nequit, quàm quæ per hoc vitium homini intentatur, utpote, quod tempus nobis eripit adeò pretiosum; facultates aufert, quas tantopere custodimus, famam & existimationem, quæ adeò quæritur, deprædatur; virtute quoque spoliat, imò nonnunquàm & animâ, tametsi pretiosissimus sit thesaurus, quem possidemus: & tamen adeò insani sumus, ut hanc persecutionem datâ operâ quæramus, investigemus, promptáque pecuniâ, nec non innumeris periculis, & anxietatibus comparemus. Is qui semetipsum lacerat, & indignè habet, tanquam stultus & cerebro vacuus, ligatur, & ab omni conversatione humana sequestratur; at verò talis est omnis lusor, utpote qui inimicus & persecutor est sui ipsius, prout SS. Patres diversi optimè probant. (Orig. in eâ:
 ten.)

Petrarcha dial. 27. II. Petrarcha quendam, qui se in ludo vicisse gloriabatur, his verbis introducit: Lusi, & vici, cui tum ipse respondet, inquiens: Bene, nisi in campum redis, alioquin nullus campus planior, nullo in campo volubilior est fortuna. Ludes iterum, & perdes; quod vicisti autem, hinc atque illinc mille diripient, quod perdideris, nemo restituet. Hi, qui vincunt, inquit vir quidam sapiens, adeò sunt rari, ut corvus albus; hi verò, qui ex ludo depauperantur, adeò sunt innumeri, ut muscæ Apuliæ.



TITV-

TITVLVS XXXXIII.

L V X V R I A.

§. I.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Qualitas.

Dion. Carthus. in c. 20. Iob. I.  Mnis delectatio carnalium velut imperceptibile punctum, celerrimúmque momentum est, respectu infernalium æternalium acerbissimorum suppliciorum, momentaneúmque quod delectat in mundo, æternum, quod cruciat in inferno.

S. Thom. Villanov. conc. 2. de S. Ildephonso. II. Avaros, superbos, invidos, iracundos plures devotos invenies, & licèt peccatores, tamen pij, & qui in Deum & Sanctos eius piam & devotam habeant affectionem: Libidinosus utique absorptus est in libidinem, neque Deum, neque Sanctos reveretur, & diligit, nulla in eo devotionis scintilla, nullum spiritualis amoris vestigium.

B. Bernardinus to. 4. ser. 21. III. Luxuriosus comparatur porco, si enim ex una parte videret luti volutabrum, & ex alia parte lectum rosarum positum, eligeret in volutabro luti resolvi, quàm in rosarum lecto; sic tales immunditiam luxuriæ delicijs Paradisi præponunt.

Damnum.

S. Basilius in c. 1. Isa. IV. Reverà voluptates corporeæ similes sunt cœpis & allijs, multùm enim pungitivæ acrimoniæ & irritamenti suggerunt, inamœnam verò graveolentiam, & vix elucibilem immittunt ijs, quorum voragini se semel ingesserint, plurimùm lacrymarum conciliant suis affectatoribus.

S. Laurentius Iustinianus de int. confl. c. 2. V. Laboriosa prorsus & ad superandum difficilis est carnalis illecebra, quæ die noctúque spiritui infesta sentitur, foris habet, cui adhæreat, & contra quem sæviat intus, propagatur in carne, coalescit in tempore, enutritur in vitijs, neglecta roboratur, &, dum dominatur, interimit, nunquam rationis legibus cedit, nunquam superata quiescit, semper floret, semper viget, serpit continuò ut cancer, sævit ut ignis, rapit ut leo, tumet ut coluber, insidiatur ut latro, cœno volutatur ut aper, sat nunquam dicit, ut infernus; inflammat totum corpus nativitatis inflammata à gehenna, libidinum pruritus excitat, concupiscentias movet, fugat prudentiam, castitatem impugnat.

S. Hieron. ep. ad Ruf. VI. Sol hominum, Salomon thesaurus deliciarum Dei, sapientiæ singulare domicilium, crassa tenebrarum fuscatus atramento, lucem animæ suæ, gloriam domûs suæ odorem famæ suæ amisit amore mulierum, & postremò curvatus coram Baalim, ex Ecclesiaste Domini, mutatus est in membrum Zabuli.

VII. Samson validus & fortis, Leonem suffocavit, sed amorem suum suffocare non potuit; vincula solvit hostium, sed suarum non solvit nexus cupiditatum; messes incendit alienas, & unius ipse mulieris accensus igniculo, messes suæ virtutis amisit. *S. Ambros. apol. de David.*

VIII. De nullo peccato legitur dixisse Deum, quòd pœnituit, se fecisse hominem, nisi de peccato carnis, pro quo totum mundum diluvio delevit. *S. Hieron. apud Marc. disc. 11. n. 12.*

IX. Luxuria comparatur gehennæ; Nam in gehenna sunt specialiter tria; Ignis ardens, vermis rodens, & sulphur fœtens; sic in peccato luxuriæ est ignis concupiscentiæ; vermis, scilicèt remorsus conscientiæ; & sulphur, scilicet fumus, & ideo, qui est in peccato luxuriæ, jam quodamodo est in supplicio gehennæ. *S. Bonav. l. c.*

X. Ut dæmon Christi impedire posset agonem, ad consueta cucurrit muliebria arma, cum quibus olim strenuissimos debellaverat Duces. Adam quippe de Paradisi amœnitate dejecit; Loth in filiarum compulit stuprum; Samson in manum Philisthijm dedit; David in adulterij atque homicidij crimen induxit; Salomonem etiam sapientiâ perditâ alienigenarum Deos thurificare coëgit; Apostolorum novissimè Principem in Magistri negatione prostravit; hominum quoque Redemptio, mediante Pilati uxore, ne fieret laboravit. *S. Laurent. Iustin. de Christi agone c. 18*

XI. Non est aliquod vitium, per quod Mundus tantùm subijciatur Diabolo, hoc peccatum lætificat infernum, & quasi totum mundum trahit ad supplicium. Hîc cadit exemplum de consilio Luciferi, in quo dæmones per totum Mundum dispersi referebant mala, quæ commiserant, & omnes percutiebantur, solùm dæmon, qui per quadraginta annos Monachum ad luxuriam provocaverat, fuit à Lucifero coronatus. *S. Bernardin. to. 4. ser. 21. de lux.*

XII. Magis per luxuriam humanum genus subditur Diabolo, quàm per cætera vitia; cùm enim ille varijs tentamentis illectos homines conetur pervertere, magis tamen mœchandi desiderium suggerit, quia utrumque sexum in hoc vitio ampliùs ægrotare intendit. *S. Isidorus l. 2. sent. 39.*

XIII. Ipsæ quoque voluptates impudicæ animæ impediunt salutem, oblivionem Dei inducunt, à sapientia mentem retrahunt, sterilitatem bonorum operum inferunt, auferunt animi virilitatem, hominem impatientem faciunt, & spiritualibus delicijs cor privant. *S. Laur. Iust. l. de ligno vit.*

XIV. Nihil in homine, quem possidet, ignis hic relinquit inustum, etsi fuerit quispiam *S. Thom. Vill. ...*

inj-

in juventute sua omnium virtutum decore præfulgidus, & veluti paradisus Dei, vernantibus undique & fragrantibus gratiarum lilijs dealbetur, si semel intima ejus hic penetraverit rogus, totum funditus urit, totum absumit, totum redigit in favillam, ex amœno Paradiso in desertum horridum, & ex Angelo reducit in belluam.

Didac. Stella in c. 15. Luc. XV. Luxuria est quidam ignis infernalis, cuius gula est materia, turpitudo flamma, immunditia cinis, infamia fumus, tormentum finis.

Eusebius epist. ad Damasum. XVI. Eadem corpus debilitat, & quasi semper ipsum morte destruit, famam denigrat, marsupia evacuat, furta instruit, homicidia causat, memoriam hebetat, cor aufert, oculos utriusque hominis cæcat, & præ cæteris iram Dei provocat. Pro nullo reatu tam manifestam iustitiam exercuit Deus sine misericordia, quàm pro isto.

Hugo de S. Vict. de instit. Mon. l. 4. c. 10. XVII. Luxuria gratuita tollit, animam inficit, corpori morbum paralysis ingerit, & cæcitatem oculis, corpus inquinat, famam deflorat, pecuniam tollit, inimica est proximo, fœtet Deo, placet Diabolo, odibilis Angelis, ejus ignis descendit in infernum, fumus ejus vindictam petens ascendit in cœlum.

Oleaster in Numer. c. 25. v. 1. XVIII. Sunt quædam vitia sic colligata, ut quamprimum unum admittas, aliud te invadere necessum sit; trahit luxuria & libidinis ardor ad omnia, quæ vult, etiamsi maxima vitia sint & peccata.

S. Thom. Villa. l. c. XIX. Nullus ad Dei contemptum promptior, nullus ad malum perpetrandum audacior, nullus ad persistendum in peccato tenacior, quàm luxuriosus.

§. II.

EXEMPLA SACRA.

Damnum.

Thom Cantip. l. 2. apum. c. 30. n. 10. I. THomas Cantipratanus de carnali quodam & lascivo viro refert, quòd, dum per viride pratum quoddam deambularet, omne gramen seu herba, quam pedibus suis attingebat, exsiccata & arefacta mox fuerit. Invenit vestigia præeuntis in gramine quasi igne contacta manifestissimè palluisse. Idem quoque in eodem capite sibi à persona quadam, quæ huius rei oculatus, & fidelis testis est, relatum fuisse subjungit, se vidisse locum in gramine, ubi de vespere quidam Clerici hoc vitio infecti consederant, de manè omnibus circum locis abundantissimo rore infusis, sine ullo rore, quasi sceleris conscium, siccissimum remansisse.

Bollandus 5. Febr. n. 32. II. Bollandus in vita viginti sex Martyrum in Iaponia crucifixorum refert, Taicosamam Imperatorem de se protestatum fuisse, facilè se quoque collum suum fidei Christianæ submissurum, dummodò sibi deinde consuetis suis voluptatibus carnalibus uti & vacare liceret.

III. In vita S. Francisci Salesii legitur, quòd, cùm is, Clemente VIII. Pontifice maximo suadente, Genevam se non sine ingenti vitæ discrimine contulisset, ut Bæzam ab hæresi conversum Ecclesiæ Catholicæ denuò recuperaret, iámque illum habito cum eo discursu satis prolixo convictum lucratus fuisset, nunquam tamen ad hoc illum permovere potuerit, ut pedem suum è civitate Genevensi efferret, cúmque Sanctus Præsul hanc eius pertinaciam vehementer miraretur, Beza in sui excusationem iuvenculam quandam, quæ uxor eius erat, coram sancto Episcopo prodire iussit, dixitque ei: Ecce obstaculum, quo ego retineor. *Mansi disc. 6. n. 17.*

IV. In Galliis Guilielmus Edelinus inter Theologos emeritus, Prior S. Germani in Laya, magicæ impietatis crimine à Censoribus fidei damnatus est; Is ob laxatas libidini habenas, in tantum scelus lapsum se confessus est, furentémque impudicitiæ facibus ad satiandas cupiditates, quoties luberet, à maligno spiritu ad Magorum cœtum perduci solitum, & cacodæmonem arietis specie indutum adorâsse, ut illustris fœminæ amoribus dæmonis ope potiretur. *Rayn. Anno 1453. n. 20.*

V. Joannes Manlius Norimbergensis sequentem casum refert, prorsus horribilem. Cùm enim scholaris quidam ex habito cum vidua quadam carnali commercio suscepisset filium, isque Baptismi suscipiendi causâ delatus fuisset ad Ecclesiam, Parocho parentum nomina exquirente, nutrice verò ea edere detrectante, sine Baptismo suscepto, non sine utriusque parentis ignominiâ relatus est matri; quæ contremiscens, suúmque delictum in famam publicam abiturum esse formidans, sine Baptismi lavacro accepto strangulavit infantulum, iniectóque collo suo resti semetipsam suspendio enecavit; Scholaris autem utriusque mortis se reum esse agnoscens, infixo in pectus suum ferro vitam sibi propria manu ademit. Quæ funesta fama cùm ad aures Parochi pervenisset, hic se infantem sine baptismo domum remittendo, funestis his eventibus causam dedisse considerans, laqueum collo suo inserens, desperabundus vitam finivit. Tandem Author huius historiæ ita concludit: Ergo oremus, & vigilemus, Sathan non dormit; mille talia committuntur, sed tecta, tempore suo tamen in lucem eruenda. *Mansi disc. 12. n. 18.*

VI. Bollandus in vita S. Antonini Abbatis Surrentini de Archipresbytero quodam refert, quòd in pœnam lascivæ vitæ suæ à Deo contagiosa quadam, & pestilentiali peste percussus, horridissimam Elephantiæ lepram contraxit, adeò ut in totius corporis superficie ne unum quidem naturalis coloris signum notare potuisset, omnes eum fugiebant, cuncti præ contagii timore vitabant. Cúmque omnia humanorum remediorum genera frustra tentâsset, tandem ad hunc Sanctum Abbatem confugit, qui eum nocte quadam in somnis curavit; at verò notate diligenter, quid ei dixerit: Sanus factus es, iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid *Bollandus 14. febr. c. 6. n. 49.*

aliquid contingat; cohibe vagam mentem, adstringe lubricam juventutem, abijce voluptatem prævaricatricem, & averte oculos tuos, ne videant vanitatem.

Drexelius in Salom. VII. P. Hieremias Drexelius refert, quòd Sacerdos quidam omnem possibilem adhibuerit conatum, ut libidinosum quendam ad seriam induceret pœnitudinem, ac resipiscentiam; & primò quidem blandis illum ac charitatem spirantibus aggressus sit admonitionibus, cúmque se per hasce nihil ab hoc lascivo homine obtinere posse cerneret, divinam illi proposuerit iustitiam, peccati illius rigidissimam ultricem, demum verò illi protestatus sit, se illi è cœlo peccatorum veniam nequaquam promittere, aut Sacramentalem ei absolutionem dare posse; Unde infelix homo obmutescens, plangere, & post singultus respondere cœpit, dicens: Pater mi, licèt inferni portas mihi aperias, & dæmones ad me rapiendum in procinctu stantes viderem, attamen in prompta & proxima peccati illius committendi occasione constitutus, ab hocce peccato me continere nequaquam possem, licèt certò & evidenter me subitò post commissum peccatum in ignem æternum præcipitandum esse scirem.

Specul. Exempl. v. Luxuria. exempl. 3. VIII. Princeps cuiusdam civitatis Presbyterum habebat Sanctæ conversationis virum, & in Divinis officiis, præcipuè in solemnitate Missarum indesinenter assiduum. Qui cùm quotidie sacris mysteriis reverenter insisteret, Angelus Domini ex consuetudine veniebat, & vidente Principe Sacramentum Dominici corporis ex offerentis manibus assumebat. Sed quæ criminalis huius vitæ lubrica & incerta conditio! Nam qui Angelicis fruebatur mundis obsequiis, in fœdæ luxuriæ voraginem repentè prolapsus est. Quid plura? Peragendi sacri Mysterii tempus advenit, Presbyter consuetudine foris exigente compellitur, sed graviter intus conscientiâ remordente torquetur; attamen ornatur, ad altare accedit, trepidat, palpitat, & offerre præsumit. Ecce Angelus, ut assuetus fuerat, venit, inspectante Principe spongiam infectam aquâ super caput illius expressit, totúmque corpus illius tergendo purgavit. Expletis autem Mysteriis, eandem spongiam rursus expressit, omnésque sordes atque squalores, quos ex corpore illius antè contraxerat, membris eius omnibus iterum superfudit. Viso Princeps admiratus obstupuit, Presbyterúmque semotis omnibus secretè convenit. Inquisitus itaque Presbyter, si novi aliquid criminis admisisset, primò quidem quasi perhorrescens, facinus abnegat: Deinde sibi malè conscius, ac Principis auctoritate compulsus, tandem, se corruisse nocte præteritâ in quandam cubiculariam eiusdem Principis confitetur.

Ibidem Exempl. 4. IX. Erat quidam Monachus, cui habitaculum spelunca fuit, vir summæ abstinentiæ, quotidianum victum labore manuum suarum quærens, in orationibus diu noctúque persistens, cunctis animi virtutibus florens: Sed hic lætis successibus elatus, confidere quasi in suis profectibus cœpit, & non Deo totum, sed sibimetipsi, quod profecerat, deputare. Hanc autem eius intuens animæ præsumptionem, continuò tentator accedit, & laqueos parat; Quadam namque die ad vesperam fingit speciem decoræ mulieris oberrantis per eremum, quæ velut fessa post nimium laborem, accedens ad ostium speluncæ Monachi, lassabundam se simulans ac fatigatam intrinsecus semetipsam proiecit, & advoluta genibus viri, ut sui misereatur, exorat dicens: Nox me infelicem in eremo latitantem comprehendit, iube me ergo requiescere in angulo cellulæ tuæ, ne fortè efficiar nocturnis bestiis præda. At ille primò miserationis obtentu recepit eam intra speluncam, requirens, quæ ei causa errandi per eremum fuerit. Illa causam fingit satis accuratè, & interim venena blandimentorum, atque illecebræ virus circa omnem textum narrationis interserit, & nunc se miserandam, nunc etiam defensione indignam ostendens, elegantiâ & suavitate sermonis inclinat animam hominis, & in affectum sui illecebroso amore deflectit. Hinc iam blandiora colloquia, iocus, risusque commiscentur, manus etiam procax ad mentum, barbámque quasi venerandi specie prætendit. Tum verò palpare cœpit cervicem molliùs, collúmque leniter tangere. Quid multa? Ad ultimum mulier captivum ducit militem Christi. Continuò enim perturbari intra semetipsum, & libidinum fluctibus æstuare cœpit. Nequaquam laborum præteritorum, nequaquam professionis, ac propositi sui memor, paciscitur cum cordis sui concupiscentia, & intra arcana cogitationum suarum fœdus cum falsa voluptate componit. Inclinat stultus latera sua, & efficitur sicut equus & mulus, quibus non est intellectus, atque ubi obscœnos iam conabatur inire amplexus, illa ululatum deterrimum diræ vocis emittens, umbra ut erat tenuis, per manus amplectentis elabitur, ipsúmque dedecorosis motibus inanes auras sectantem cum fœtidissima irrisione deseruit. Tunc præterea multitudo dæmonum in aëre ad hoc ipsum spectaculum congregata, clamore ingenti cum cachinno exprobrationis elata, dicebat: O Monache, qui te usque ad cœlum extollebas, quomodo demersus es usque ad infernum! disce, quia qui se extollit, humiliabitur. Tunc ille velut amens effectus deceptionis suæ pudorem non ferens, graviùs à semetipso decipitur, quàm fuerat antea à dæmonibus deceptus. Cùm enim debuerit reparare semetipsum, & revocare certamen, ac satisfactionis suæ lachrymis, & humilitatis fructibus prioris elationis culpam deflere, hoc miser non fecit: sed semetipsum desperans, sicut dicit Apostolus, *tradidit se omni immunditiæ, & iniquitati*: Regressus est enim ad vitam sæcularem, præda dæmonum factus. Refugit namque conspectum omnium Sanctorum, ne quis possit eum salutaribus monitis de præcipitio revocare. Si enim reddere semetipsum priori vitæ & abstinentiæ voluisset, & de immensa Dei miseri-

cordia (quæ neminem despicit, nemini sinum claudit, sed omnes pœnitentes benignè recipit) confisus fuisset, à Deo susceptus benignè & piè fuisset, & recuperâsset sine dubio locum & gratiam suam.

Thom. Cantiprat. l. 2. c. 39. part. 20. X. Presbyter quidam nomine tantùm Sanctus & castus, Monialem altioris ordinis iuvenculam sub Religionis specie procurabat. Nacta ergo occasionem, cum socia seniore iuvencula monialis Presbyterum visitavit. Post lautos autem cibos, & potum immoderatum, Moniales in uno loco, & Presbyter in altero quieverunt. Mane facto, vetula Monialis sociam iuvenculam ad matutini executionem officii nisa est excitare. Quam cum strepitu primò, quia silentium tenebat, deinde pulsationibus attentâsset excitare, nec profecisset, surgens quæsivit sociam, nec invenit. Turbata ergo cum tota familia Monialis, cùm factum præ confusione celare vellent, nec possent, cùm horrore & scandalo multorum, sicut inventa fuerant, amborum simul cadavera sunt sepulta.

Cæsarius l. 10. §. 9. XI. Cùm quadam die Palæmon & Pachomius ignem accendissent, Frater quidam dixit ad eos: Si quis est fidelis ex vobis, stet super hos carbones, & orationem Dominicam sensim pronunciet, quem B. Palæmon intelligens superbiæ tumore deceptum, commonuit dicens: Desine, frater, ab hac insania, nec tale quid ulteriùs loquaris. Qui correptione senis non solùm non profecit meliùs, sed plùs elatione mentis inflatus stare cœpit super ignem audacter, nullo sibi imperante, & cooperante Diabolo, & Domino permittente, nullatenus ignis attactu adustus est. Hoc itaque cùm factum esset, postero die idem frater maturè proficiscens, ac velut exprobrans illis ait: Ubi est fides vestra? post non multum autem temporis cernens Diabolus hunc sibi per omnia mancipatum, transfigurat se in speciem mulieris pulchræ, & cœpit ostium cellulæ vehementer extundere, qui cùm aperuisset ei, ait ad eum Diabolus in forma mulieris: Obsecro te, quia nimis à creditoribus urgeor, & metuo, ne mala me comprehendant, recipias me in cellam tuam, quoniam debitum solvere nequeo, Deus enim me direxit ad te. Qui cæcitate mentis penitus obscuratus, nec intelligens, quis esset, qui talia sibi loqueretur, diabolum miser recepit in suum exitium, Tunc hostis videns eum ad omne scelus proclivem, immisit in eum turpem concupiscentiam, qui mox cedens suggestioni eius, quasi mulieris amplexus petivit. Quem spiritus immundus invadens elisit attrociter, & resolutus super pavimentum, velut mortuus diu permansit. Post aliquot autem dies tandem in se reversus, & dementiæ suæ serò pœnitens, ad S. Palæmonem venit, & cum magno fletu, quid sibi accidisset, exposuit, dicens: Agnosco, Pater, agnosco, quòd ego causa perditionis meæ existam. Et subitò correptus ab immundo spiritu, de conspectu illorum prosilivit, & per deserta discurrens agebatur infrænis. Pervenit autem ad civitatem Panos, & ibi in fornacem sese præcipitans, pronus incendio interiit.

S. Ambros. us super Lucam. XII. Refert S. Ambrosius super Lucam c. 4. circa finem, quia sæpè faciente malâ consuetudine etiam ea concupiscimus, quæ sunt corpori atque sanitati, etiam ipsi vitæ omninò nocitura. Quoniam, inquiens, Theotimus, cùm gravi oculorum incommodo laboraret, & amaret uxorem, interdictâ sibi à medico facultate coëundi, cupiditatis impatiens, atque impetu libidinis raptus moderari nequiverat. Sciens enim & prævidens, quòd oculos esset amissurus, postquam conveniret cum uxore, in ipso æstu ferventis cupiditatis & consuetudinis apparatu: Vade, inquit, amicum lumen; statimque expletâ libidine interdictâ sibi, luminibus suis orbatus est.

Specul. Exemp. v. Luxuria ex. 16. XIII. Carolus Magnus, religiosus Augustus, cùm quadam solemni die Missam solitâ devotione audiret, Diaconus eiusdem Missæ lecturus Evangelium præcedenti nocte mulierculæ impudicis amplexibus se fœdare non timuit. Hoc itaque gravissimo piaculo cauteriatam habens conscientiam, Sanctum Evangelium legere præsumpsit, postmodum etiam sacris mysteriis secundùm officii sui exigentiam eâdem impudentiâ ministerium manibus impuris exhibiturus, si non ultio divina obstitisset. Ecce namque dum verba labiis pollutis depromeret, aranea desuper à laquearibus Oratorii se per filum suum semel, secundò, & tertio super caput contaminati lectoris demittens, tertia vice ipso Imperatore aspiciente caput obscœnum pupugit, ac sine mora miserum extinxit.

Ibid. XIV. De Benedicto Nono Papâ narratur, quòd, cùm VVaelus quidam iter ageret, & iuxta molendinum transiret, repentè monstrum immane conspexit, quo viso subitò eum terror invasit, & stupefactus intremuit. Videbatur autem monstrum illud duntaxat in aures aselli, caudámque desinere, cæterà ursus erat. Cúmque viator ad hoc portentum territus obrigesceret, fugámque præcipitem formidolosus iniret; informe prodigium humanæ vocis verba formavit: Noli, inquit, O vir expavescere, hominem me olim fuisse, sicut & nunc es, procul dubio crede: sed quia bestialiter vixi, post finem vitæ bestiæ præferre speciem merui. Porrò cùm ille perquireret, quis fuisset? Ego ait, solo nomine Benedictus fui, qui nuper Apostolicæ sedis apicem indignus obtinui. Inquisitus autem, quid iam retributionis haberet? Nunc quidem usque ad Iudicii diem per dumosa atque squalentia, per sulphurea loca, & fœtores exhalantia, atque incendiis conflagrata rapior, & protrahor: Post extremum verò iudicium corpus meum, simul & animam irremediabilis cruciatus, & gehennalis barathri me irrevocabilis olla deglutiet, ita ut nulli mihi spes recuperationis in posterum restet, Post hæc verò verba disparuit. Sed cùm ego, cur ille in hac specie conspectus sit, indaginem quæro, non deesse mysterium ab eo, quod visum est, deprehendo. Nam quia miserabilis ille ab illo

funesti

funesti Pontificatûs sui primordio usque ad finem vitæ in luxuriæ cœno versatus est, non incongruè visus est ab auribus incipere, & in caudam asini desinere.

Turpitudo.

Robert. Holcot. in cap. lect. 102. XV. Refert quidam Scriptor de quodam Necromantico, quòd, cùm more suo solito dæmonem invocâsset, viderétque, quòd post toties iteratas incantationes minimè compareret, de dæmonis perfidia graviter fuerit conquestus: cúmque dæmon tandem quidem apparuisset, ita tamen, ut procul ab eo remotus subsisteret, Necromanticus causam moræ, nec non, cur non propinquiùs ad illum accederet, sciscitatus fuit, cui dæmon respondit; Fœtor luxuriæ tuæ non permittit accedere, magus namque ille paulò ante cum meretrice quadam turpe habuerat carnis commercium.

Vincentius l. 12. c. 59. 60. 61. & 62. XVI. Legitur in vita SS. Virginum Agapis, Chionæ, & Hirenæ: Quoniam cùm Imperator Diocletianus esset, rumores Sanctitatis Agapis & Chionæ Virginum, præsentatis eis sibi, promisit eis maritos de palatio suo, per quos illustres esse possent, si Christum negantes idola colerent. Cúmque nullatenus à Christianitate flecti possent, iussit Præsidi Dulcitio diversis tormentis eas affligere. Cùm autem præsentatæ essent, videns eas, captu oculorum astrictus, turpissimo spiritu agebatur, & fecit eas apud talem officialem tradi custodiendas, qui eis libertatem promitteret, si captivæ eius animo consensum præbuissent. Sed cùm nec promissionibus, nec terroribus animum commutarent, ausus est ipse Præses cellulam ingredi, ubi illæ orantes noctem Christo pervigilem exhibebant, in quo loco omnia coquinæ utensilia reposita erant. Ingressus autem cùm vellet perficere, ad quod eum ardor libidinis impellebat, alienatus mente cœpit ollas amplecti, & sartagines osculari. In quibus diu ludificatus, totus niger, & cacabatus talis cœpit esse vestibus, & in facie, qualis à Diabolo possidebatur in mente. Tandem cum suis egressus est, qui eum cum luminaribus exspectabant, visóque eo omnes fugerunt, videntes eum talem, nullam habentem corporis partem, quæ non esset inquinata, & in partibus scissa. Stantibus enim ancillis Dei, & psallentibus, nullum penitus per eum potuit Diabolus impedimentum afferre. Videns ergo Præses se ab officio suo esse contemptum, nesciens, quid de se factum esset, non est reversus in domum suam, sed cœpit concito cursu ire ad Palatium Diocletiani inquiens: Prosternam me invictissimis Imperatoribus, & dicam, me ita ab officio ludibrio habitum, at cum irrisione & clamoribus derelictum. Cúmque manè apertum esset Palatium, & ille totus cacabatus intrare vellet ad Regem, alii virgis, alii pugnis, alii in faciem eius exsufflantes eum impingebant, alii quoque ridentes, alii irascentes eum expellebant, & vix potuerunt eum servi ad domum suam ducere, dicentes: Respice te, & respice. Clauserat autem Diabolus oculos eius, nec poterat se ipsum attendere; sed videbatur ei, quòd totus mundus esset niveis vestimentis indutus. Mens autem sana in eo orat, & soli oculi tenebantur à Sathana, quibus Dei Martyres obscœno mentis conamine respexerat. Interea putans ancillarum Dei maleficiis evenisse, coram publico tribunali iussit eas exspoliari, ut corpora earum nuda aspiceret, sed ita fixæ inventæ sunt vestes earum, ut quasi coria corporibus iuncta putarentur. Hæc attendens Dulcitius, & consternatus, ita obdormire cœpit in tribunali, ut nec à pulsantibus posset excitari, sed sic dormiens sublatus est in domum suam, & ibi evigilavit. Hæc audiens Diocletianus, tradidit eas Sisinnio, qui sacrificare nolentes iussit vivas incendi. Cùm ergo in ignem missæ, nec vestimenta earum arderent, dixerunt: Domine JESU, ne ab hac hora patiaris nos loqui cum his, qui te verum Deum negaverunt. His dictis prostraverunt se in oratione, & immaculatis corporibus, intactis crinibus, integrísque vestibus, digesto igne repertæ sunt, in crastino etiam iussit Hirenam locari in prostibulo, sed apparuerunt ducentibus eam duo milites dicentes: Misit nos Comes, ut ducatis eam ubi ego dico. Et duxerunt eam in supercilio montis. Tunc videns se delusum Sisinnius, eques perrexit ad montem, & videns eam orantem, tota die giravit eam, nec tamen potuit ad eam pervenire. Tetendit autem unus servorum eius arcum, & iaculo perforavit eam. Et sic cum gloria pervenit ad Dominum. Quarum corpora Anastasia cum gaudio sepelivit, orans Dominum, ut earum particeps fieri mereretur.

Fuga.

XVII. Venit aliquando quidam in Sene, ut fieret Monachus, qui etiam accepit filium suum nuper ablactatum. Qui cùm factus fuisset iuvenis, cœperunt impugnatores dæmones sollicitare eum. Et dixit patri suo: Vado ad seculum, quoniam non valeo carnales concupiscentias sustinere. Pater autem eius consolabatur eum. Dixit ergo illi iuvenis: Iam sustinere non valeo, Pater, dimitte me redire ad sæculum. Dixit ei Pater suus: Audi me, fili, adhuc semel, & tolle tibi quadraginta panes, & folia palmarum dierum quadraginta, & vade in eremum quadraginta diebus, & voluntas Domini fiet. Qui obediens patri suo surrexit, & abiit in eremum, & mansit ibi laborans, & faciens plectas seu funiculos de palmis, & panem siccum comedens. Et cùm ibi dies viginti quievisset, ecce vidit opus quoddam Diabolicum venire super se, & stetit coram eo velut mulier æthiopissa fœtida, & turpis aspectu, ita ut fœtorem eius sufferre non posset, & abiiciebat eam à se. Et illa dicebat ei: Ego sum, quæ in cordibus hominum dulcis appareo, sed propter obedientiam tuam, & laborem, quem sustines, non permisit me Deus seducere te, sed innotui tibi fœtorem meum. Ille autem surrexit, & gratias agens Deo, venit ad Patrem suum, & dixit ei: Iam nolo ire ad sæculum, Pater, vidi enim operationem Diaboli, & fœto- In vitis PP. de fornicat. exempl.

rem eius. Cognoverat autem Pater de hoc ipso, & dicit ei: Si mansisses quadraginta dies, & custodisses usque ad finem mandatum meum, majora haberes videre.

Vincent. Bellov. in Specul Hist. l.9 c.67. XVIII. Quidam Juvenis secretè S. Andreæ dixit: Mater mea pulchrum me videns, de opere illicito me attentavit, cui cùm nullatenus assentirem, judicem adiit, volens in me crimen tantæ nequitiæ retorquere; sed ora pro me, ne moriar tam injustè. Nam accusatus penitus reticebo, malens vitam perdere, quàm matrem tam turpiter infamare. Juvenis igitur vocatur ad iudicium, & illicò eum Andreas prosequitur. Accusat mater instanter filium, quòd se voluerit violare. Interrogatus pluries iuvenis, an res taliter se haberet, nihil penitus respondebat. Tunc Andreas Matri dixit: crudelissima fœminarum, quæ per tuam libidinem filium unicum tuum vis perire! Tunc mulier Præposito dixit: Domine, huic homini filius meus adhæsit, postquàm hæc agere voluit. Iratus itaque Judex iussit puerum in saccum linitum pice & bitumine mitti, & in flumine proiici, Andream autem in carcere reservari, donec excogitaret supplicium, quo periret. Sed orante Andrea tonitru horribile omnes terruit, & terræ motus ingens cunctos prostravit, & mulier à fulmine percussa & arefacta corruit. Orantibus autem cæteris Apostolum, ne perirent, oravit pro eis, & omnia cessaverunt. Tunc Præpositus credidit, & domus eius tota.

S. Bernardinus. to. 4. ser. 10. de Luxur. XIX. Refert S. Bernardinus, quòd, cùm die quodam simul congregati essent Frater Ægidius Assisinas, Frater Simon, Frater Ruffinus, & Frater Juniperus, intérque se collationem facerent spiritualem, Frater Ægidius illos interrogavit: Quid fecistis vos cum tentationibus carnis? Cui Frater Simon, se huius peccati turpitudinem & deformitatem consideràsse, ex eáque meditatione se ad illud efficaciter detestandum motum fuisse, respondet. Frater Ruffinus dixit: Ego me in terram prosterno, Deique & Sanctissimæ Matris eius auxilium & clementiam per ferventem quandam orationem eo usque imploro, donec ab iis liberatum me esse sentiam. Frater Juniperus respondit: Quando suggestiones Diabolicas appropinquare experior, portas cordis mei per sanctas meditationes claudere, animæque fortalitio bonam adhibere custodiam satago, ne inimicus illud uspiam subingredi, vel contra illud prævalere possit: Cùm illæ suggestiones ostium cordis quasi pulsando percutiunt, ego respondeo ad intus: pro te nullatenus reserata erit: extra, extra, quia hospitium captum est, & ideo hic recipi non potestis, & sic nunquam intrare permitto. Tandem Frater Ægidius suum quoque consilium subjunxit; dicens: Tecum Frater Junipere consilium teneo, quia cum illo peccato tutiùs & distinctiùs pugnatur fugiendo, ubi ab intus est provocatio carnis, appetitus ab extra, per sensus sentitur tantus & tam fortis hostium exercitus; nam aliter est tibi fortis pugna, & rara victoria.

§. III.

SIMILITUDINES.

Damnum.

I. Sicut spinæ meliorem, magísque substantiosum terræ humorem imbibunt, sterilémque & infœcundum bono semini relinquunt; ita pariter voluptates carnis intellectum, affectum, aliásque animæ potentias adeò absorbent, sibique attrahunt, ut pro applicatione sui ad res divinas omninò steriles remaneant, naturam nostram corruptam ad voluptates totaliter inclinant, ideóque à corporis maceratione, à ieiuniis, disciplinis, oratione, solitudine, aliísque pietatis exercitiis horrorem & aversationem concipiunt, omniáque bona proposita deserunt; unde sequitur, quòd, ut S. Philippus Nerius dicebat, quantum amoris creaturæ, quam amamus, tribuitur, tantundem postea creatori subtrahatur. *Massil. dist. 4. n. 4.*

II. Sicut caro porcina cùm comeditur, nostræ adhæret carni, ut iam sit una caro: sic transgressor præcepti Dominici spurcos sibi sociat spiritus, & adhærendo eis, unus cum eis efficitur Dœmon. *S. Bernard. ser. de S. Benedicto.*

III. Sicut perversi quidam & subdoli homines, quorum studium est & propositum, ex aliorum bonis ditescere, eam tamen potentiam non habent, ut apertâ violentiâ utantur, vias insidiosè obsidere solent, & si locum aliquem circa illas, aut convallibus profundis interruptum, aut dumorum densitate obscurum viderint, in illum sese abdunt, & huiusmodi velamento viarum circumquaque conspectum, ne prævideantur, amoliti; ex opinato illos adoriuntur, ne quisquam eorum laqueos periculosos videre prius queat, quàm in illos incidat. Ita & Sathan infensus nobis & antiquus hostis, mundanarum oblectationum umbris sese insinuans, quæ periculosè circa vitæ huius viam latronem occulere solent, & latibula præbere insidiarum, indè improvisos nobis perditionis laqueos obsternit. *S. Basil. hom. 17.*

IV. Sicut labra phialæ melle imbui solent, in qua potio aliqua medicinalis, & amara, valdéque fastidiosa propinatur, ut prælibatâ hâc dulcedine, potio illa tanto avidiùs epotetur: ita & Diabolus per rerum carnalium concupiscentias, & illicitas voluptates extrinsecùs blanditur, intrinsecùs insidiatur, interficit spiritum, dum oblectat affectum: modò delectat peccare, sed postmodum non delectabit ardere. *S. Eusib. Emiss. Hom. 3. de Epiphan.*

V. Sicut homo nobilis, cùm in ebrietate obliviscitur suæ nobilitatis, status eius exhonoratur, & irridetur pretiositas eius propter alienas cogitationes, quæ supervenerunt eidem ex vini virtute; ita castitas sacri Viri turbatur ab incauta muliercalæ locutione, & eradicatur ab illa omne sustentaculum laudabilis status sui. *Isaac. Presb. de cont. Mundi.*

VI. Sicut corvus in cadaveribus primùm oculos petit; ita Diabolus in hominibus carnalibus intellectum discretionis extinguit, & sic per oculum cerebrum extrahit, quia extincto discretionis intellectu sensum mentis evertit. *Hugo de S. Vict. l. de Mon. instit. c. 31.*

VII. Sicu

S. Eusebius Episc. ad Dam. — VII. Sicut Virginitas hominem æquat Angelis, imò plus eum facit, quàm Angelum, ita luxuria hominem quasi bestificat, &, ut ita dicam, multò peiorem bestiâ ipsum facit. De nullo alio peccato legitur dixisse Deum, se pœnitere fecisse hominem.

Mansi disc. 10. n. 1. — VIII. Sicut avis, quæ in viscum incidit, captam se esse sentit, & evadere quidem hinc inde millies nititur, nec tamen videt, quod per illas alarum concussiones & agitationes plumarum se visco tantò tenaciùs innectat: Idem quoque ei accidit, postquàm rete ingressa fuit; tunc enim inde se quidem proripere nititur, sed quantò id impensiùs facere conatur, tantò pluribus ipsa vinculis & funibus implicatur; Idem quoque circa hominem carnalem contingit, quia tametsi nonnunquàm bonam habeat voluntatem, quâ vellet deinceps non ampliùs per hoc peccatum offendere Deum, & se ipsum, nihilominùs quò magis conatur evadere, tantò magis implicatur.

Hugo Cardin. in Eccle. c. 7. v. 27. — IX. Sicut sagena totum fluvium occupat, & nullus piscis effugit, sic cor mulieris totum vicum vel civitatem, vel regionem, in qua habitat, occupat, & omnes capit voluntate & desiderio, licèt multi effugiant eam, nullus tamen effugit cor eius.

§. IV.

MOTIVA.

S. Bernar. to. 3. ser. 21. — I. *Quia luxuria totum hominem pervertit*; uti S. Bernardinus ostendit, dicens: Per creaturam spiritualem Deus regit corporalem, per creaturam nobilem ignobilem, per Angelos movet cœlos, per cœlos movet inferiora, per Principes & Reges regit populares: In luxurioso pervertitur hoc dominium, quia, cùm anima deberet carnem regere, totus homo pervertitur, & homo efficitur caro, juxta illud Geneseos: *Non permanebit spiritus meus in homine, quia caro est.* Et fusiùs clarissque demonstrat S. Thomas, dum ait: Per vitium luxuriæ maximè appetitus inferior, scilicèt concupiscibilis vehementer intendit suo objecto, scilicet delectabili propter vehementiam passionis & delectationis, & ideo consequens est, quòd per luxuriam maximè superiores vires deordinentur, scilicet ratio & voluntas. Sunt autem rationis quatuor actus in agendis; Primò simplex intelligentia, quæ apprehendit aliquem finem ut bonum, & hic actus impeditur per luxuriam? Et ideò Daniel duobus illis Judicibus senibus libidinosis dixit: *Species decepit te, & concupiscentia subvertit cor tuum*, utpotè quæ cæcitatem in mente & intellectu inducit. Secundus actus est consilium de his, quæ sunt agenda propter finem; & hic etiam impeditur per concupiscentiam luxuriæ. Nam ut Terentius Author gentilis de luxuria inquit: Quæ res in se neque consilium, neque modum ullum habet, eam consilio regere non potes, & hinc nascitur præcipitatio, quæ consilii subtractionem importat. Tertius actus est judicium de agendis, & hic etiam impeditur per luxuriam. Unde Daniel de prædictis lascivis senibus loquens dicit: *Everterunt sensum suum, ut non recordarentur Judiciorum justorum*; & hinc derivatur inconsideratio. Quartus autem actus est præceptum rationis de agendo, qui etiam impeditur per luxuriam, in quantùm scilicet homo impeditur ex impetu concupiscentiæ, ne exequatur id, quod decrevit esse faciendum; Citátque eundem Terentium in Eunucho, qui cuidam, qui amasiæ suæ renuntiare statuerat, respondit: Hæc verba una falsa lachrymula restinguet.

S. Thom. 2. 2. Q. 153. a. 5.

S. Bonav. in Diat. salut. tit. 1. c. 9. — II. *Quia damna gravissima creat*, quæ breviter ennumeravit S. Bonaventura dicens: Damna luxuriæ sunt sex. Primò hominem ducit ad maximam paupertatem, aufert gratiam & gloriam: & propriam substantiam. Secundò dejicit in pessimam servitutem, facit, quòd vilior & turpior pars: quæ est in homine, dominetur ei. Tertiò projicit hominem in maximam vilitatem, quia hominem, qui similis est Deo, & Angelis, facit esse parem brutis. Quartò privat hominem omni ratione, sicut animalia bruta turpiter infatuat. Quintò acriter mortificat, occidit morte culpæ, infamiæ, gehennæ. Sextò fortiter illaqueat. Jacob Ruben filio suo dixit: *Effusus es sicut aqua, non crescas, quia ascendisti cubile patris tui*; at verò quænam est inter effusionem insipidi huius elementi, & commissum, à Ruben incestum proportio? Hæc nimirum quia sicut aqua dum è vase maximè vitreo effunditur, nihil in eo relinquit odoris, saporis, aut substantiæ, ita quoque hoc carnis vitium omnia bona ab homine tollit, judicium videlicet, rationem, prudentiam, spiritum, famam, facultates, sanitatem, conscientiam, imò etiam persæpè vitam. Dicit enim sapiens: *Qui nutrit scortum, perdet substantiam*; & ideò Terentius lascivam fœminam fundi calamitatem appellat. — Gen. 49. v. 4. — Prov. 29. v. 3.

Genes. 41. v. 18. — III. *Quia in specie opes perdit*; uti aliqui rectè deducunt ex visione, quam Pharao de septem vaccis ad Nili ripam pascentibus habuit, quæ pulchræ nimis & obesis carnibus erant; *& ecce has sequebantur aliæ septem, in tantum deformes & macilentæ, ut nunquàm tales in terra Ægypti viderim, quæ devoratis & consumptis prioribus, nullum saturitatis dedêre vestigium, sed simili macie, & squalore torpebant*; Omnia in figura contingebant illis. In Ægypto namque huius mundi, vaccæ tenues & macilentæ, devorant crassas, & obesas, dum lascivæ mulieres proficiunt, & ditantur in pecunia, munusculis, aliisque bonis terrenis, quæ de illorum manibus accipiunt, qui in illarum inhonesta societate turpes appetitus suos exsatiant, & explent; quia qui nutrit scortum, perdit substantiam.

Pineda in c. 7. Eccle. — IV. *Quia morbos gravissimos creat*, uti Pineda ostendit dicens: Exsolutio virium, cruditates stomachi, sensuum hebetudo; tremor & dolor articulorum, dolor renum, cerebri, capitis; dolor laterum, ilium, cordis, hepatis, pulmonis, dentium; Oris graveolentia: alopecia, id est, capillorum defluxio, palpebrarum demissio, cæcitas, sputum sanguinis, ulcera, febris hectica, physis, apoplexia, paralysis, epilepsia, fœda scabies, atque omnia mala.

S. August. l. 1. de 10. Chord. V. *Quia specialem DEO injuriam irrogat*, ut S. Augustinus patheticè sequentibus verbis ostendit: Imò quod gravius est, ipsi DEO injuriam & contumeliam infert; intelligat Sanctitas vestra; etenim quod fieri tibi non vis, alii ne feceris, ad duo præcepta pertinet: quomodo pertinet ad duo præcepta? si homini non feceris, quod pati non vis ab homine, ad proximi præceptum pertinet, ad dilectionem proximi; si autem quod non vis pati ab homine, ipsi DEO vis facere, quid est hoc? non facis alteri, quod pati non vis? Charior tibi factus est homo, quàm DEUS? Ergo quomodo injuriam facio, inquis, ipsi DEO? corrumpis te ipsum; & unde injuriam facio DEO, quia corrumpo meipsum? Unde facit tibi injuriam, qui voluerit fortè lapidare tuam tabulam pictam, in qua tabula, tua imago est, in domo tua inaniter posita ad vanum honorem tuum, nec sentiens, nec loquens, nec videns? si quis illam lapidet, nónne in te esse contumeliam factam attendis? cùm verò imaginem DEI, quod es tu, corrumpis in te per fornicationes, & per diffluentias libidinis; attendis, quia ad nullius uxorem accessisti, & non attendis per libidines & illicitas fornicationes, cujus imaginem violasti.

Gloss. in c. 6. 1. ad Corinth. VII. *Quia est luxuria ipsis Dæmonibus exosa*, uti Glossa sequentibus verbis indicavit: fornicationis in opere totus homo absorbetur à carne, ut jam dici non possit animus suus esse, sed simul totus homo possit dici caro; & ideò dicunt alii Doctores, quòd sunt aliqui Dæmones, qui memores antiquæ suæ Nobilitatis, tentare de luxuria dedignantur; & est signum ad hoc, quòd Lucifer tentans Dominum, non dicitur eum tentâsse de vitio carnis.

Idiot. c. 34. de amor. div. VII. *Quia insatiabilis est luxuria*; uti Idiota insinuavit dicens: Amor carnalis insatiabilis est, extinctus reaccenditur, & post copiam rursus inops fit, animúmque virilem effæminat, & præter passionem, quàm sustinet, nihil sinit aliud cogitare, quia rationis oblivio est.

S. Ambros. in 1. Cor. 6. VIII. *Quia insanabile propemodum est hoc vitium*; nam ut S. Ambrosius sapienter advertit, in tantùm anima agglutinatur corpori, ut in ipsomet momento nihil aliud cogitare homini liceat; aut intendere, quia ipsam mentem captivam subdit ipsa submersio & absorbitio libidinis, & concupiscentiæ carnalis. Et confirmans idipsum S. Hieronymus, cætera peccata, inquit, post factum pœnitudinem habent, & licèt invitent, tamen mordet conscientia: voluptas sola & libido etiam in ipso tempore pœnitendi, præteritos stimulos patitur, titillationem carnis & incentiva peccandi, ut per hæc, quæ corrigi cupimus cogitando, rursus fit materia delinquendi. Quod ipsum etiam Rupertus Abbas sensit dicens: Luxuria cùm hominem imbuerit, nunquam dicit, sufficit: & licèt ad horam extinguatur sitis ejus, statim exardescit; ait ergo: Fornicati sunt, & non cessaverunt, nam & usque ad decrepitam ætatem in cæno libidinis computruerunt.

S. Hieron. l. 3. ep. 47 ad Amand.

Rupert. Abb. l. 1. in Oseam.

§. V.

MEDIA

I. PRimum & præcipuum semper ab Ascetis æstimatum est *Fuga*, quæ quidem triplex esse debet. Prima *cogitationum est fuga*, ut scilicet quamprimùm tentatio hac in materia occurrit, statim ad alias cogitationes se tentatus convertat, & ut suprà Exemplo XIX. ab Aegidio Franciscano factum vidimus, dicat: Extra, extra, quia hospitium captum est, & ideò hìc recipi non potestis. Cujus rationem pulchram reddens S. Joannes Damascenus, quemadmodum, ait, corpori usus libidinis carnísque vicinitas, ita etiam menti memoria ejus penitus subtrahenda; satis enim pernitiosum est adhuc infirmis, ægrísque pectoribus, vel tenuissimam recordationem hujus passionis admittere, ita ut nonnunquam eis etiam sub recordatione sanctarum fœminarum, velut sub sacræ lectionis historia noxiæ titillationis stimulus excitetur. Hinc rectè S. Anselmus pronuntiavit: cum aliis vitiis potest exspectari conflictus, hæc fugienda est, quia aliter meliùs vinci non potest. Secunda *fuga occasionum* est; nam ut sapienter S. Basilius advertit, non in eo tantùm laborandum est nobis, ut motus animi in cogitando moderemur, sed quoad fieri possit, ab earum etiam rerum congressu longissimè fugiendum est cumprimis, quocunque in conspectu nobis adductæ, refricatâ libidinum memoriâ, consilium, rationísque vim nobis perturbant, belláque & sollicitos in animo angores cient; etenim bellum, quæ præter voluntatem nostram incidat, nobis excipere fortassè necessarium sit, ipsum verè aliquem sibi voluntariè creare, summæ stultitiæ est. Hinc sicut Romani, inquit Josepus Mansi, olim cum nullo inimicorum pacem inire solebant, quamdiu hostis armatus erat; Unde qui cum Romanis de pace tractare volebat, huic necessariò omnia armorum genera deponenda erant; Eodem modo ad propositum nostrum dicere possumus, qui DEUM sibi reconciliare, & stabilem cum eo pacem inire cupit, priùs armis omnibus renuntiare & cedere, id est, priùs omnes occasiones & incentiva peccandi à se arcere debet: Deponat arma iniquitatis peccati, nuntium suspectæ illi conversationi remittat, fenestram claudat, comburat amatorias literas, abjiciat amasiorum effigies: Incerta victoria est, inquit S. Cyprianus, inter hostilia arma pugnare. Quam ob causam & Moyses olim, teste S. Ambrosio, comminuit vituli caput, illúdque in pulverem redegit, ut omnia impietatis aboleret vestigia; vel potiùs ad propositum nostrum, ut omnia lasciviæ aboleret vestigia; vel ut interpres quidam modernus ait, ut significaret, ne pulverem quidem peccati in homine remanere de-

S. Jo. Damasc. collat. 19. de fin. castit. c. 16.

S. Ansel. in c. 6. 1. ad Cor.

S. Basilius in constit. Mon. c. 6.

S. Ambros. ad Romul.

debere, sed omnia consumi oportere, quod quando homo non facit, sed aliquas occasiones relinquit, arbitrans illas parùm nocere posse, quia minima sunt, ex illis occasionem & audaciam accipit diabolus, ut redeat. Tertia *fuga mulierum est*; nam quemadmodum splendorem lucernæ alit oleum, sic & colloquium mulieris ignem reaccendit voluptatis. Utique scintilla diutiùs si immoretur adhærens paleis, erumpit in flammam; sic memoria cuiuspiam mulierculæ, si vel tantillum duret, incendium excitat concupiscentiæ. Hinc rectè monet Hugo Cardin. Noli commorari, nisi velis comburi, species enim mulierum, & eloquium, & gestus, & ornatus, & quidquid in ea, flamma est ignis. Imò ad ignem potiùs ardentem, ait S. Nilus, quàm ad mulierem appropinqua, nam si ad ignem accesseris, dolore affectus celeriter resilies, at si fœminæ verbis incensus fueris, haud ita facilè recedes.

S. Antioch. hom. 17. — *Hug. Card. apud Mansi disc. 3. n. 10* — *S. Nilus de 8. vitæ aff.*

II. *Nutrimentum tollere*; uti S. Ambrosius suasit, dicens: Transiliamus ergo eam, ne nobis dicatur: Ambulate in igne flammæ vestræ, quàm accendistis, quoniam sicut ille, qui alligat ignem in sinu, vestimenta comburet; sic qui ambulat per ignem, pedes comburat, necesse est, quoniam scriptum est: Ambulabit quis super carbones ignis, pedes autem non comburet? Libido gravis ignis est, & ideò non demus illi alimenta luxuriæ; pascitur libido conviviis, nutritur deliciis, vino accenditur, ebrietate inflammatur.

S. Ambr. l. 1. de pæn.

III. *Orationi ferventer incumbere*; ut enim ignis igne, ita fervor carnis fervore ardentis orationis pellitur; qua in re pulchrum exemplum S. Chrysanthus Martyr reliquit; hic enim Christianus factus, fidem Christi publicè annuntiabat; quod cùm in Patris sui notitiam devenisset, hic timens, ne ob id facultates suas pariter, & filium ob tyrannorum persecutionem amitteret, filium suum in obscurum carcerem conjectum pane tantùm & aquâ nutriri jussit; cùm verò per hoc nihil proficeret, quin potiùs filius eius constantior Christi confessor per hanc Patris sui sævitiem evaderet, hoc Patri à certo quodam viro propositum est consilium: si filium tuum ab hac usurpatione conaris eripere, magis eum deliciis & voluptatibus occupa, & cuiuscunque elegantissimæ atque prudentissimæ puellæ conjugio trade, & cùm didicerit esse maritus, obliviscetur esse Christianus. Audiens hoc Pater iubet sericis vestibus strata parari, ipsum quoque conferens de squalida habitatione, vestibus fecit pretiosis indui, & ponere eum in triclinio, elegit quinque pulcherrimas Virgines ex ancillis suis, & accuratis vestibus & ornamentis composuit, & cum Chrysanto posuit, & comminatus est eis, nisi vos vestris iocis & amplexibus eum revocaveritis ab intentione Christianitatis, faciam vos diversis interimi suppliciis. Quonam verò armaturæ genere sanctum hunc iuvenem in hoc periculoso certamine usum fuisse existimatis? Jacebat in oratione immobilis, & oscula earum quasi viperas spernens, clamabat ad Dominum dicens: Exurge Domine, adiuva me; adversus omnes hos sibi intentatos muliercularum insultus, scutum sibi assumpsit orationis, & omnes illarum conatus gloriosè devicit.

S. Bernard. 11. 9. ser. 21

IV. *Tribulationibus exerceri*, quod medium S. Bernardus præcipuè suasit, dicens: Sit ergo gaudium in tribulatione, & iam non habet malignus, unde alliciat; non habet, unde deiiciat. Nihil proficiet inimicus in eo, quem Crux Christi delectat, si carnalem suggesserit delectationem.

S. Bernard. ser. de S. Andr.

V. *Pœnas luxuriæ destinatas ponderare*; uti Salomon suasisse videtur, dum dixit: Si annis multis vixerit homo, & in his omnibus lætatus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis; quod clariùs exprimens S. Bernardus, Ardor gehennæ, inquit, extinguat in te ardorem luxuriæ, maior ardor minorem ardorem superet, stridor flammarum horribilis amorem depellat libidinis. Quo medio Laurentius Fucci Capucinus usus est, de quo P. Joannes Rho refert, quòd, quia is Foralivii gravibus invectivis contra peccatum carnis detonârat, hinc quædam impiorum & lascivorum hominum fex, quæ intra se contra ipsum coniurârat, nocte quadam in conclave, in quo ipse concionum studio incumbebat, conductam quandam introduxerint meretricem, quæ eum ad carnis peccatum sollicitaret; sed quibusnam armis defensivis ipsum in periculoso illo certamine usum fuisse existimatis? Ubi flammam circa se animadvertit, libris intentus, immotúsque, ac si nihil acturus esset, scorto ne quidem appellato, digitum lucernæ flammæ admovet, constantérque in illa habet, donec caro difflueret, incredibili animi, paritérque corporis patientiâ. Meritò ergo S. Isidorus hortatur: Propone tibi adversus præsentes carnis ardores, futuri supplicii ignes; superet æstum libidinis, recordatio æterni judicii; memoria ardoris gehennæ, ardorem excludat luxuriæ; fornicationis pœnam, metus gravioris supplicii vincat; fortior dolor, dolorem minorem exceperit.

Eccli. 11. — *S. Bernard. ser. 25. de mod. benè viv.* — *Io. Rho. l. 7. c. 2. §. 11.* — *S. Isid. l. 1. Synonym.*

VI. *Meminisse, se Christi membrum esse*; uti S. Anselmus suasit, dicens: Propter Christi reverentiam, cuius membrum est corpus eius, contineat se ab hac turpitudine, magnam enim injuriam, magnúmque contemptum Christo faciet, si ei meretricem prætulerit, separans se à Deo, & adhærens scorto. Quod confirmans Ven. Beda, sic discurrit: Si est alienum corpus, non est in vestra potestate, probro illud & injuriâ afficere, maximè cùm sit Dominicum, neque polluere & inquinare templum S. Spiritûs. Si quis enim privatam domum ingressus, cùm eam sit ludificatus, & probro & injuriâ affecerit, extremum luet supplicium; qui Regis templum, fecerit latronis receptaculum, cogita, quot mala sit passurus. Hinc meritò S. Augustinus hortatur: Illicitum amorem cavete. Membra Christi estis, & Corpus Christi estis, Audite Apostolum, & terreamini; non potuit enim graviùs dicere, non potuit vehementiùs, non potuit acriùs deterrere Christianos ab amore fornicationum, nisi ubi dicit: *Tollens ergo mem-*

S. Ansel. in 1. Corint. c. 16. — *Ven. Beda in cit. c. 6. Cor.* — *S. Aug. ser. 12. de temp.*

§. VII.

MISCELLANEA ET CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Qualitas.

S. Thom. Villan. Conc. 2. de S. Adeph. I. THomas Villan. lascivum hominem per Salamandram præfigurari dicit, quam scriptores in igne nutriri, & vivere asserunt. Totus à pestifero illo igne devoratus est, inquit de lascivo, nec illum quicquam præter flammas cogitare permittit, in igne solùm veluti salamandra nutritur.

Damnum.

F. Fam. Strada l. 2. Prol. Acad. 2. II. In Urbe Nicosiensi, quæ totius regni Cypri primaria, & à Mustafa expugnata civitas, sive Metropolis est, cùm puella quædam unicam tantùm ignis scintillam in munitionem pulveris tormentarii immisisset, universum quoque potentissimum illius exercitum igne combussit. Idem quoque de hoc carnalis concupiscentiæ igne dici potest, unica tantùm scintilla, unicus obtutus impurus, unicum verbum, vel gustus aliquis nonnunquam ad accendendum ignem quendam inextinguibilem sufficit, qui prodromus est ad infernum. Unica solùm scintilla ad fomitem accendendum sufficit, dum is satis fuerit dispositus & siccus; ita quoque, inquit D. Chrysostomus, voluptates si juventutem aggressæ fuerint, tum verè ignis cum igne miscebitur, stipula cum fornace jungetur, colloquium mulieris, ecce tibi favillam, quasi ignis exardescit, ecce tibi flammam succensam.

S. Clem. Roman. l. peregrinat. III. Ingeniosus est ille Clementis Romani conceptus, per quem rationem reddit, cur increata, & incarnata Dei sapientia, de qua verè dici debet: Omnia in sapientia fecisti, sacrosanctum Baptismatis lavacrum potiùs in elemento aquæ instituerit, quàm in alia quapiam materia; Dicit enim ideò id factum esse, ut in aqua regenerati, ignem vetustæ nativitatis extinguerent; Prima enim nostra nativitas per ignem concupiscentiæ descendit, & ideò dispensatione divinâ secunda hæc per aquam introducitur, ut restinguat ignis naturam: porrò de quolibet homine dici potest: Nec est, qui se abscondat à calore eius.

Seneca lib. 2. natur. c. 40. S. August. lib. 21. de civit. c. 24. IV. Seneca inter cætera ait: Nullum sine igne fulmen venit, sed hoc propriè igneum dicimus, quod manifesta ardoris vestigia imprimit, quod aut urit, aut infuscat.

V. S. Augustinus rationem reddere volens, cur mundus in fine sæculorum potiùs ab igne desolandus, & consumendus sit, quàm ab alia aliqua creatura, ideò id futurû esse dicit, quia in carnalis concupiscentiæ flammis continuò exarsit: Totus mundus in igne positus est, conveniens igitur erat, ut supplicium huic igni correspondeter per eiusdem elementi incendium: Significatum est in fine sæculi per ignem judicandos esse carnales.

R. P. Labr. Anth. Bibl.

VI. In libro Job scribitur: *Aspergatur in tabernaculo ejus sulphur*; Quænam verò, dicet aliquis, est hæc cæremonia, quâ hominis carnalibus voluptatibus dediti habitatio sulphure, quod fœtet, persumari jubetur? Mysterium huiusce passionis pulchrè nobis explicat S. Gregorius, dum ait: Sulphur quid aliud, quàm fomentum ignis est: quod tamen sic ignem nutrit, ut fœtorem gravissimum exhalet; quid itaque in sulphure, nisi peccatum carnis accipimus? quod, dum perversis cogitationibus, quasi quibusdam fœtoribus mentem replet, æterna ei incendia præparat. Job 18. v. 15.

VII. Quotiès impudica mulier Dalila ex Samsonis ore elicere tentavit, in quonam præcipuè eius fortitudo consisteret? veruntamen sæpiùs repulsam passa; nihil obtinuit; At verò quando eum dormire fecit super genua sua, & in sinu suo reclinare caput, vocavit tonsorem, & rasit septem crines capitis eius, & cœpit abigere eum, & à se repellere; & mox Philistæi accurrerunt, ut eum ligarent, dúmque se pristinâ præditum fortitudine credidit, eâ se destitutum esse animadvertit, nesciens quòd recessisset ab eo Dominus. Porrò capilli bona denotant desideria (præcipuè capilli Nazaræorum, qui speciali quodam ritu Deo consecrati erant) hos autem capillos Dalila, id est, affectio carnalis rescindit, quia omnem bonam cogitationem, orationem, meditationem, devotionem, omnémque ad exercitia spiritualia applicationem ab homine tollit: Cuncta cogitatio cordis intenta ad malum omni tempore; carnalis enim homo omnem suum amorem, omnémque mentis applicationem, objecto, quod diligit, immobiliter affigit. Unde S. Isidorus Pelus. ad Zosimum ita scribit: Cùm libido & corporis robur, & animi vires dejiciat, & adimat, cúmque, qui hoc vitio captus est, omnibus illudendum & irridendum proponat, quemadmodum excæcatus Samson docet, eò quòd tu voluntariam captivitatem accersis, nec naturale robur illæsum atque integrum servas, verùm vitiosis affectionibus conficiendum te ultrò præbes; & Deum, qui in vita tua, ubi caput reclinet, non habet, mœrore afficis; & nos, qui pro tua salute vota facimus, oppugnas, & injuriam tibi ipsi infers, dum salutaria medicamenta repudias. S. Greg. l. 14. mor. c. 10. S. Isid. Pelus. l. 1. ep. 175.

VIII. Quantum hoc carnis vitium in Ecclesiasticis detestabile sit, ex quodam Armenorum errore perspicuè colligitur; Hi namque in ea opinione firmiter persistebant, quòd Ecclesiasticus publicam & privatam fornicationem committens, consecrandi amissâ potestate, deinceps ad Sacramenta conficienda aptus non sit. Econtra verò, si idem fieret Apostata hæreticus, Judæus, vel Mahometanus, sufficere credebant, si talis ageret pœnitentiam, nec quicquam aliud requiri, ut talis ad gremium rediat Ecclesiæ. Raynald. an. 1341. n. 66.

B. Petrus Damianus vulpem expressam dæmonis figuram esse dicit, cujus proinde hanc tradit esse proprietatem: Dum se mortuam fingit, mortem volucribus veraciter ingerit, nam dum esurit, & anxiè requirenti, quod comedat, non occurrit, quærit, ubi sit rubea terra, B. Petr. Dam. l. 2. ep. 18.

ra,& dum reperit, toto corpore in ea pervolvitur,ut quasi caro nuda & cruenta videatur; mox sese in terrâ quasi mortuâ projicit, flatum intra se reprimit, ut non respiret, dumque hoc modo cruenta videtur & turgida, ab incautis volucribus non dubitatur extincta; descendunt itaque, ut eam comedant, sed illa repentè prosiliens, arripit, easque veraciter devorat, quas ad se devorandum fallaciter invitabat. Hancque vulpis astutiam tartareo serpenti invido, pariter & astuto, egregiè adaptat dicens: Huius deceptor antiquus speciminen exprimit, qui carnalia lucra quærentibus se quasi mortuum fingit, illisque opera sua tanquam membra sua, quibus vescantur, exponit; *Manifesta enim sunt opera carnis, quæ sunt*, ut dicit Apostolus, *fornicatio, immunditia, luxuria &c.* Hæc planè sunt iniqui spiritûs viscera, hæc reproborum, & carnaliter viventium quotidiana sunt alimenta, ad hæc dum perditi quique velut esurientes inhiant, eos malignus spiritus, tanquam volucres vulpes dolosa deglutit, eosque in sui corporis viscera traiicit.

Mansi disc. 7. n. 21. X. Quando columba, quæ symbolum est castitatis, à Noë post diluvium, ut in Genesi scribitur, emissa fuit, non invenit, ubi pedunculos suos figeret, ideoque ad Arcam reversa est, ut per hoc significetur, quòd illi, qui honestatis & pudicitiæ cultores & zelatores sunt, omnem fugiant immunditiæ contrahendæ occasionem & periculum; Non verò sic corvus, per quem dæmon & homo carnalis figuratur; hic enim ad nihil aliud intentus est, quàm ad quærendas & devorandas carnes, quas inveniens iis affixus hæret, & in luto quoque ipso quiescit.

XI. S. Job sub titulo Behemot de dæmone loquitur, ostenditque, quisnam lectus quietis eius existat: *Sub umbra dormit in secreto calami, in locis humentibus.* Enimverò scire hoc loco percuperem, qualis huius loci, in quo dæmon quiescit, & dulciter dormit, sit jucunditas & amœnitas? sed ecce S. Antonius de Padua omne nobis quoad hoc dubium eximit: dicit enim: In locis humentibus, id est, in conscientia, quæ priùs fuerit humida per immunditiam, suaviter obdormiscit, & dulciter quiescit. Idem quoque S. Antonius super illa Salvatoris nostri verba apud S. Lucam: *Cum immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca inaquosa, quærens requiem, & non inveniens dicit*: revertar in domum meam, unde exivi: Ita scribit: Sed nota, quòd in aridis non invenit requiem; quia ibi non potest figere pedem suum. *S. Ant. de Pad. serm. in Dom. 3. Quadr.*

Iudic. c. 5. v. 25. 26. XII. In libro Judicū Jahelem Sisaræ sitienti lac loco aquæ suppeditasse legimus; sed considera, quo fine id ipsum fecerit. Certè non alio, quàm ut ei soporem conciliaret, ac tandem dormientis tempora crudeliter clavo transfigeret? Aquam petenti lac dedit, & in phiala Principum obtulit butyrum, sinistram manum misit ad clavum, & dexteram ad fabrorum malleos, percussitque Sisaram, quærens in capite vulneri locum, & tempora validè perforans. Idem quoque majori hominum parti à lenocinante mulierum sexu accidit; Dicit enim quævis lasciva mulier lenoni eam concupiscenti: Intra ad *Iudic. 4. v. 18.* me, Domine mi, intra, ne timeas. Quot verò sunt, qui non cum timore, sed cum lætitia & jubilo ingrediuntur, séque ob inventam hanc, & spontè oblatam carnalis peccati committendi occasionem felices existimant; at verò dum se lactis suavitatem, id est, carnis delectationem gustaturos esse sperant, clavum ab adversariâ sibi infixum esse experiuntur, non solùm in corde per remorsum & vermem malæ conscientiæ, verùm etiam frequenter in corpore & anima simul, per conciliatam sibi mortem temporalem pariter & æternam.

XIII. Scribitur, quòd mulier quædam Ægyptia, eò quòd parvulum quendam crocodilum penes se educabat, à vulgo felix & beata existimata fuerit, eò quòd domi suæ educaret numen divinum (tale enim Ægyptij esse credebant crocodilum, utpote quem veluti Deum adorabant) filius quoque hujus mulieris cum hoc crocodilo quotidiè familiariter jocaretur, & luderet; accidit autem, quòd bellua hæc crescentibus annis adultior facta, ad congenitam sibi sævitiem rediens, eundem filium consultis ludis cum eodem jocantem tandem immaniter occiderit, & dilaniârit, hæc fuit gratitudo, quam benefactrici, & nutrici suæ exhibuit; Idem quoque nobis accidit, qui infestissimum animæ nostræ inimicum (quia caro concupiscit adversus spiritum) delicatè nutrimus, eique abblandimur, veruntamen cavete vobis, quia qui delicatè nutrit servum suum, postea sentiet eum contumacem. *Mansi disc. 10. n. 13.* *Gal. 5. v. 17.*

XIV. S. Bonventura parabolam de magna cœna exponens, sic loquitur: Inter alias, qui vocati sunt ad magnam cœnam, nec iverunt, ille, qui uxorem duxit, non petijt se excusatum haberi, per quod patere potest, quàm longè sint à cœna Dei luxuriosi homines, & immundi, si ducere uxorem ita hominem implicat & involvit, quòd quasi nihil aliud cogitare possunt. S. Antonius de Padua quoque, in quodam sermone super hoc Evangelium, quærit: Quare duo primi rogaverunt excusationem; tertiùs verò, non? Ad quod dicitur, quòd voluptas carnis ita detinet hominem in deliciis, quòd nec ad delicias æternas venire desiderat, nec excusari curat, & per hoc patet, quòd Deum non diligat. *S. Bonav. to. 7. in Bibl. paup. c. 9.* *S. Anton. de Pad. in Dom. 2. post Pent.*

XV. Berchorius scribit in Liciæ montibus qui Ephestii dicuntur, certum quoddam ignis genus reperiri, qui omnia devorat & consumit, etiam lapides, neque aqua extingui valet, sed tunc solùm extinquitur, quando terra aut fœnum ipsi superinijcitur, teste Plinio lib. 2. historiæ naturalis in fine. Qualenam desiderare potestis ignis libidinis aptius symbolum, utpote cui proprium est, omnes virtutes, omnem gratiam, omne meritum, cuncta denique naturæ & fortunæ bona consumere? Ignis est usque ad perditionem devorans, omnia eradicans genimina; imò ipsos quoque consumit lapides, & durissimas petras, id est, viros in perfectione constantissimos & solidissimos, quales fuerunt Samson, David, Salomon, nec quicquam hunc ignem extinguere prævalet, quia divitiæ, dominia, sanitas, & fortunæ prosperitas, illum potiùs magis, magisque accendunt, sæpè etiam sapien- *Berchorius v. Luxuria.*

tia

dia, pietas, timor Dei, spiritualis vita ad hunc effectum extinguendi illius ignis pertingere nequeunt: At verò si homo ad considerandam terram sepulchri, aut cinerem, & pulverem, in quem hæc caro, quæ tantoperè amatur, tandem reducatur, seriò se applicaverit, si firmiter recogitet, quòd omnis caro sit fœnum, jam facili negotio extinguetur. Nil quippè sic ad edomandum desideriorum carnalium appetitum valet, quàm ut unusquisque hoc quod vivum diligit, quale sit mortuum penset.

Delrio de Magia l. 3. p. 1. XVI. Huc spectat casus ille funestus, qui in Hispania celebri cuidam Prædicatori accidit, qui, cùm illustris cuiusdam valdéque conspicuè Equitis domesticus esset, conjugis eius amore accensus, illam sæpius ad illicitos sollicitare concubitus non erubuit, quem licèt ista constanter à se repelleret, ille tamen à sollicitationum suarum violentia ob id minimè destitit: illa lascivum hunc Prædicatorem decipere volens, omnia, quæ hactenus inter ipsum & illam intercesserant, marito aperuit, de cuius consensu pariter & consilio, certam huic lubrico viro horam & locum designavit, in quo nocturno tempore diu concupitis illius frui amplexibus posset, dúmque circa illud tempus & locum maritus, cum bono numero armatorum servorum suorum scortatorem hunc in cubiculo vicino præstolaretur, tandem sacrilegus ille veste sæculari indutus, enséque & pugione accinctus & armatus advenit, & designatum locum ingressum uxor equitis in eandem cameram secuta fuit, dúmq; vim illi inferre vellet, ipsa quidem pactis inter se & maritum nutibus & signo, maritum & armatos, ut accelerarent ingredi, advocavit, sed nemine illorum accurrente, ipsis unguibus, dentibus & calcibus omnem ei violentiam intulit, ut ab eius se manibus proripere posset; at verò cùm resistere non valens, ad femur eius pugionem suspensum vidisset, eundem è vagina clàm extractum lateri eius infixit, & occidit. Cúmque hoc pacto ab eius se violentia feliciter expedivisset, ad cameram, in qua juxta condictum maritus cum servis suis armatis sacrilegum exspectare debebant, accurrens, ipsos immobiliter stantes, & mortuis potiùs, quàm vivis similes invenit, cúmque eorum auribus altâ voce inclamâsset, eorúmque corpora hinc inde moveret, truderet, convelleret, magiam in hac re intercedere suspicata est, nec frustra; ad mortui igitur cadaver reversa, illud per nonnullos in forum publicum relicto in vulnere ferro, deportari fecit. Viso autem à curia & agnito corpore, Gubernator loci illius, Priorem conventûs illius, ad cuius familiam pessimus hic Religiosus spectabat, conveniens, totum ei rei gestæ eventum à capite ad calcem usque distinctè recensuit; Ingredientes igitur cellam eius, faculam quandam sub obscuro & quasi mortuo lumine juxtà caminum ardentem repererunt; eáque extinctâ, mox maritus & servi eius velut è profundo quodam lethargo evigilârunt, ambo coniuges coram iudice, qui cadaver sacrilegi in profanum quendam locum sepeliri iussit, totam rei gestæ historiam seriatim exposuerunt.

R. P. Lohn. Aul. Bibl.

Did. Nyss. in vit. Abraham. l. 3. c. 5. XVII. S. Ephrem Syrus in exhortat. spirit. ait: Quandocunque concupiscentia in animum sese insinuavit, mox ipsum cogitatione circumdat, & obsidet, & salutis ingressum præcludit: inferno ergo similis est illa turpis lasciviæ passio; nam quem semel tyrannicæ suæ potestati subjecit, ei spem omnem libertatis adimere videtur, nec modum relinquere, quo tam crudelem Dominum, tam potentem tyrannum evadere possit. Huc sine dubio allusit S. Augustinus apud Salazar. Proverb. 2. v. 29. num. 165. quando hoc fœdum vitium vocat æterni ignis æmulum. Dicitur autem *obscœna libido ignis æterni æmula*, quia, ut ille ignis, quem semel occupavit, adurit, & exurit, vehementi suo ardore affligit, nec consumit, mortali cruciatu immortaliter torquet, nec effugi unquam potest; sic lasciviæ flamma, quæ semel corripuit eius intimum pectus, & penitissimas medullas depascitur, videtur inferni quidam ignis esse, absque spe remedij namque relinquit eum, quem semel subegit, ac prostravit. Præclarè hoc dixit Salonius Viennensis in expositione mystica Proverbiorum Salomonis, ubi habet ista: Qui verba meretricis libenter audit, & oscula eius delectabiliter suscipit, quasi januam pulsat inferni. Qui mellea blandiloquentulæ lupæ verba avidis auribus cum voluptate excipit, suaviáque admittit, & labra labris hilariter permittit, væ misero illi. Quamobrem verò? quia quasi januam pulsat inferni, inferorúmque fores sibi aperiri postulat, qui cum scortis consuescit, aut turpi libidinis vitio se tradit, quod nihilo mitius est inferno: Nam ut nullam habet portam, quâ egrediatur, qui inferno semel est inclusus; ita ei qui venereæ se concupiscentiæ mancipavit, videtur omnis evadendi spes ablata.

Ibidem. XVIII. De Herode, cui S. Joannes Baptista dixerat: *Non licet tibi habere uxorem fratris tui*; S. Andreas Cretensis sic loquitur: Et ille quidem à ratione alienæ voluntariæ congressionis obrutus delitijs, neque se potuit erigere, neque aspexit ad lucem veritatis, sed mansit gravatus crapulâ libidinis; velut dixisset; Noli mirari, quod monita S. Joannis apud Herodem nihil effecerunt: Nam, ut mortuum nemo alloqui, nemo movere potest, ut surgat, quantisvis vocibus quis eum inclamet, nisi cœli miraculo aliquo singulari fiat; atque ut homini, cui vinum rationis usum ademit, nemo persuadere sanum aliquid valet: sic cùm Herodes esset confectus præfervido luxuriæ vino, jacerétque in tumulo libidinis sepultus, velut in deserto voces Joannes tunc dabat, quando illum à turpi, & incestâ consuetudine suâ dehortabatur. Nam ut est frustraneus labor, velle aliquid persuadere ebrio, & loqui defuncto, sic & vana opera est, quæ ad revocandum ab obscœnis studiis suis libidinosum vertitur. Hinc æstimate, quanta sit vis hujus crudelis, & tyrannicæ passionis.

Idem ser. 6. post Dom. 5. Quadrag. §. 7. XIX. Saul, ut habes 1. Reg. c. 14. subigebat Regem Moab, & filios Ammon, & Edom, & Reges Soba, & Philisthæos, & quocunque se vertebat, superabat, tanquam mites agni & inermes oves fuissent quicunque illius hostes: sed dili-

pauper est spiritu, se ipsum odit, & alios diligit, qui ipsum percutiunt in maxillam.

S. Chrysost. to. 1. s. 46. VI. Multæ sunt virtutes, inquit ille, quæ Christianum virum bene decent, maximè autem omnium mansuetudo; nam eos solos, qui hac conspicui sunt, Dei imitatores Christus nominat, proinde congruum est, ut quando quis contumeliâ nos afficit, sustineamus mansuetè, considerantes sustineamus, quòd Dei immitatores mititas facit.

S. Gregor. ho. 17. in Evang. VII. Dum foris invicti esse cupimus, intus graviter ferimur, & dum parva foris defendimus, intus amittimus maxima, quia dum rem diligimus temporalem, veram amittimus dilectionem.

Utilitas.

S. Valer. apud Mansi. tr. 36. disc. 5. VIII. Non habet in eo locum pruina vitiorum, qui calcatis odiis integrum charitatis custodit affectum.

S. Isid. Pelus. l. 4. ep. 206. IX. Qui & contumeliis, & injuria altior est, is & hic ab omnibus immortalibus coronabitur encomijs, quòd non modò hostem, sed animos, irámque suam superaverit, & in altera vita ideò maxima obtinebit præmia.

S. Climac. gr. 9. X. Dœmones, ubi viderint quempiam vel contumeliâ affectum, vel ignominiâ notatum, vel damno aliquo mulctatum, vel quodcunque aliud damnum perpessum non affligi, quòd aliquid mali sustinuerit, sed quòd illud ipsum generosè & fortiter pertulerit huius vim & conatum magnoperè pertimescunt.

Dignitas.

S. Gregor. l. 2. dial. c. 5. XI. Qualis quisque apud se lateat, contumelia illata probat.

S. Valerianus hom. de bono pacis. XII. Infinita virtus est, odia vicisse beneficiis: nam ille inter cæteros palmam perfectæ virtutis obtinet, qui ad vicem veneni pocula dulci melle componit.

S. Climacus grad. 4. n. 52. XIII. Felix ille, qui quotidie Dei causâ conviciis agitatus & contemptus, violenter seipsum per patientiam vincit; Næ ille cum martyribus tripudiabit, & inter Angelos liber, ut Angelus incedet.

S. Basil. orat. 9. de ira. XIV. Quale spectaculum, quàm grave & admirandum, ac sanè nonnihil etiam ipsam humanam naturam exsuperans, hominem multis conviciis jactatum, & qui etiam vulnus in facie accepit, quique alia sexcenta perpessus est, quæ & verbis & re ipsa ad extremam infamiam tendunt, non irâ incendi, nec ultionem parare, sed mansuetum pro eo, qui sibi injurias intulit, preces fundere.

B. Elredus in spe. car. c. 7. XV. Quid Divinæ tranquillitati tam proximum, quàm illatis contumelijs non nocere, nullo supplicio, nullave persecutione terreri, unam mentis & in prosperis, & in adversis habere constantiam, inimicum, & amicum eodem oculo intueri.

Iucunditas.

S. Chrysost. apud Mansi b. 36. disc. 6. n. 1. XVI. Qui pepercerit, & æquo animo tulerit, lætabitur post hæc, & delicijs perfruetur, præmia injuriarum oblivionis à Deo sperans.

XVII. Vellem posse ostendere, qualis sit, qui vituperat, & qualis, qui philosophatur, & nudum utriúsque animum in medium ducere. Videres alterum pelago fluctibus exagitato similem esse, alterum verò tranquillo portui & quiescenti. Idem. hom. 85. in Mat.

XVIII. Beatos illos judico, qui verba labiorum suorum tacito ore custodiunt, & memores cœlestium mandatorum, alienæ vocis contumeliam non requirunt; cessant enim odia, ubi non reputatur injuria, nec habet ullam virtutem iracundia, si desit unius in contentione persona, ita duplex patientiam manet Victoria, hominem vicisse proprios animorum motus, & temperasse motus alieno. S. Valer. hom. cit.

§. II.

EXEMPLA SACRA.

Qualitas.

I. IN Annalibus Ecclesiasticis in laudem Clementis VI. qui sicut nomine, ita & re clemens fuit, scribitur, quòd die quadam strenuè contra semetipsum pugnans se vicerit, efficiendo, ut non irascendo injuriantibus, virtus ejus tantò magis eluceseret; priusquam verò factum Annales recenseant, hoc de illo encomium præmittunt, non invenitur contra aliquem, quantumcunque inimicus sibi aut contrarius extiterit, aliquam ultionem exercuisse, aut expetiisse vindictam; id quod magis perspicuâ ex facti Historiâ elucescet, quod tale fuit. Dum enim in statu privato degeret, pessimis à certo quodam homine in propria persona affectus fuerat injuriis; postquam verò iam longo tempore ad sublimem Papatûs dignitatem evectus fuisset, injuriator credens Clementem nimiâ arduorum negotiorum mole obrutum, vel injuriarum factarum non posse recordari, vel illum minimè agniturum esse, quandam ei porrexit supplicam, in qua pro semet ipso eximium quendam poscebat favorem; Clemens libellum supplicem magna quidem cum benevolentia, quoad exteriorem apparentiam, in manus proprias acceptavit, veruntamen interiùs se ad præcedentium injuriarum vindictam per petitionis repulsam sumendam stimulari sensit, & tamen semetipsum gloriosè superavit; En tibi ipsissima Historiæ verba: qui licet supplicationem hujusmodi benignè in propria recepit, tamen in suo secreto existens, dum eam perlegisset, super vindicta de ipso assumenda per petitionis denegationem, aut aliàs quodammodo tentatus, ipsam projecit ad terram pedibúsque conculcavit; quam demum iam summit, & seriò primò simillimè fecit, & ea postremò reassumpta, sibi ipsi loquendo audientibus tamen aliquibus suis cubiculariis ibi astantibus, dixit: Vade Diabole, quia hodie facere non poteris, quòd me vindicem de quocunque; & hoc dicto supplicationem prædictam illico, ut petebatur, signavit. Hinc non immeritò Petrarcha de eo cecinit: Raynald. an. 1352. n. 12. Mansi tr. 36. disc. 1. n. 9.

ne possis sapientia. Mulam, quâ Cardinalis sublimis vehi solebat, à pueri negligentiâ amissam nunciaverant familiares. Julianus accitum hominem de eâ re interrogat; & ille contumaciùs, quàm Domino decuit, respondebat. Siluit diu Cardinalis, atque ad amicos conversus, vos verò inquit, nolite, quæso, admirari, me arrogantiam, & contumaciam hominis non castigâsse; Verebar enim, ne quid iræ jam acrius se incitanti liceret, itaque dandum spatium rationi fuit, ut integrum sibi administras perturbationes imperium reciperaret, ne, dum alios castigamus, ipsi laberemus.

Utilitas.

Ib. ar. 10. VIII. Bartholomæum Martinium ordinis Minimorum, liberè pro concione quondam loquutum Cabræ Marchio, qui sua vitia, idque suo in oppido ab homine semipagano denotata, indignissimè ferebat, ad eum iratum plenus cùm adiisset, omni contumeliarum genere proscidit, addiditque minis peratroces, illud sæpiùs ingeminans, numquid me nosti? cui Martinius: Ego verò te nôsse, mihi perhonorificum esse duco, virum scilicet nobilissimum. Quidni enim, quùm ego agricolæ ex pago Marmegio filius sim? ego mortalium planè ultimus, ac deterrimus: tóque addit in eam sententiam, ut mollissimâ responsione refrigeratus homo periracundus, lacrymis obortis iram omnem extingueret, ac sibi planè redditus domum reverteret.

Wading. anno 320. n. 36. IX. Annales Franciscanorum de fratre Junipero tractantes, referunt, quòd cùm hic multis aliquando impetitus contumeliis, vestimentum extenderit dicens: Amice, projicias huc liberaliter, imple gremium istud lapidibus pretiosis, imple, ne timeas.

Sur in vit. X. S. Lidvina virgo, prout in vita ejus legitur, postquam post triginta octo annos continuam, eâque gravissimam tolerasset infirmitatem, tandem Martyrii desiderio exardescens, in extasin rapta fuit, ubi coronam inæstimabilis valoris pretiosam vidit, cujus necdum terminatus erat circulus; cum igitur eam sibi in cœlis præparari audiret, facilèque causam, cur nondum finita esset, intelligeret, à cælesti sponso suo pœnas passionisque sibi inferri petiit, usque dum dictus perficeretur circulus. Sed quas putatis ejusdem fuisse gemmas? DEUS post aliquantulum temporis malitiæ et immisit, & ab illis per injurias, improperia, aliisque similes insolentias malè cam tractari permisit; quibus transactis, Angelus solem splendore suo referens ei apparuit, dicens; salve charissima soror, ecce nunc absoluta corona, quam nuper imperfectam vidisti; Ludibria & verbera corpori tuo imposita fuere gemmæ, quas in illa corona adhuc vidisti deesse.

Dionys. Carth. apud Mansi disc. 14. n. 6. XI. Abbas quidam cùm Monachum quendam juxta morem ad civitatem misisset, ut necessariam Monasterio provisionem compararet, in proscriptum quendam hominem incidens, zelo quodam, non tamen secundùm scientiam moderato abreptus, eundem interrogavit dicens: quò vadis, dæmon? & ille respondit: Tu experieris, me esse Dæmonem, & eructo gladio occidit eum. Abbas verò, à quo prædictus Monachus missus fuerat, eidem latroni obvius factus amicabiliter eundem salutavit; quem sæpècum iterum Abbas inveniens, dixit: salve frater, & ille respondit: non frater tuus, sed frater dæmonum sum, & secutus Abbatem, factus est Monachus.

XII. Rusticus quidam citra causam Abbatem Servium inurbanè tractârat, qui, cùm improperia non modò patienter toleraret, sed & insuper benignè rustico responderet, non modò ampsum placavit, sed & in tantùm convertit, ut ad pedes Abbatis prostratus veniam petierit, monasticùmque statum amplexus fuerit. Ibid.

XIII. Quidam è fratribus Monasterii hujus magno furore commotus, procaciter ingressus in aulam, ubi vir mansuetus Joannes nomine cum quibusdam familiariter conferebat, multa in eum convicia contumeliosè jactitabat, minis & clamoribus id se effecturum sperans, ut irâ promoveretur. At ille fellis expers, ne verbum quidem ei respondit. Id cernens quidam, præ cæteris viro DEI familiarior: cur tam (inquit) atrocia hujus hominis dicta perfers, cùm verbo uno edicere possis, ut redeat ad cubiculum suum? vide, quâ suis verbis rationes prætexit, utque ex latentis nequitiæ foveâ tumens superbia, innocentiæ proculcatrix caput exerat suum? quid ita negligis existimationem tuam, honorisque tui injuriam? cur tantæ nequitiæ administrum non reprimis? Ei beatus vir sic respondit: si flamma vorax ædificii tecta lambens, in sublimè feratur, num tu consultè facturum putabis eum qui plùs etiam materiæ in flammam injicere velit; frater iste ad præsens magno ardet furoris æstu, cui si ego commotionum faculas admovere velim, furor ejus magis, magisque inflammabitur, atque ita fiet, ut in rectam viam facilè & amanter revocari non possit, sed ubi hæc flamma deferbuerit, tunc demum ad opportuna remedia animo deliberato accedamus. Ibid. n. 6.

§. II.

EXEMPLA DOMESTICA.

I. ROmæ Anno 1546. Religiosus quidam eruditus, ex amico inimicus factus invidiâ stimulante, graviter in Ignatium Loiolam exarsit: Qui etiam iactare cœpit, omnes nostræ Societatis homines, qui in Hispania essent, à Perpenniano Hispalim usque igni se traditurum, idque Ignatio, qui verbis suis renuntiaret, misit. Cui Ignatius per eundem scripto ita respondit: Tu quidem quotquot nostri in Hispania sunt cremandos te curaturum dicis; ego verò id dico, & opto, ut & tu charitate flagres, & amici tui, ac necessarii, non solum qui in Hispania sunt, sed in universo terrarum orbe Spiritûs sancti igne inflammentur, & ardeant: ut perfectionis culmen Ribad. in Vita l. 5. c. 14.

men adepti divinam gloriam augeant magis & illustrent. Quod si quid contra me, bone Pater, habes, iudices Romæ sunt, Gubernator & Vicarius, qui nunc summi Pontificis Imperio res nostras cognoscunt, ut sententiam de illis ferant: Ad illos referas quæso, antequam sententiam pronuncient, ut ego, si quid debeo, solus exsolvam, & corpore meo potius satisfaciam (quod mihi quidem erit iucundissimum) quam alii, qui in Hispania sunt, sine culpa, pœnas indebitas pendant. Lutetiæ contubernalem Ignatii quendam fuisse diximus, qui commissâ sibi pecuniâ Ignatium defraudavit, & in eas angustias hominem coniecit, ut magno studiorum suorum incommodo quotidie mendicare cogeretur. Huic igitur pecuniæ fraudatori, gratiam hunc in modum Ignatius retulit. In Hispaniam ille Lutetiâ decedens, dum opportunam Rhotomagi navigationem exspectat, in morbum periculosum incidit, sciens autem Ignatium admodum mitem, ac singulari charitate præditum, ad eum de sua adversa valetudine amicè scribit, & quasi beneficio aliquo à se affectus esset Ignatius, ejus opem auxiliúmque postulat. Oblatam occasionem Ignatii charitas avidè arripuit, ut libenter, se impenderet, & superimpenderetur ipse pro anima illius, & carbones ignis non vindictæ, sed divinæ charitatis in caput ejus congereret. Rotomagum ergo quærendi juvandíque hominis causâ confestim ire statuit, & magna spiritus alacritate ac robore animi tridui iter nudis pedibus, atque ita ieiunus percurrit, ut ne aquam quidem gustaret. Sed & Lancizius testatur his verbis: sæpenumerò sine iusta causa à se data variis criminibus Barcinone: Compluti, Salmanticæ, Parisiis, & Romæ laceratus, & in carcerem sine culpa sua coniectus, tranquillo ac humili animo propter DEUM toleravit patienter & libenter omnia. Eos, qui impedire volebant, rogabat strenuè, ne impedirent, convitiatoribus gratias agebat, & quibus poterat beneficiis eos cumulabat.

Ibid.

Lanciz. T. 2. opusc. f. 608.

II. Robertus Bellarminus Cardinalis, non suos tantum inter religione Fratres agens mitissimo semper ingenio usus est, quod ego licet in tanta ingeniorum varietate magnum sit, non tamen adeò admirabile esse arbitror, verum etiam iam Dominus familiam omnem mansuetissimè continuit, & si quid à domesticis peccaretur in obsequio, aut penitus dissimulavit, aut verbis lenissimis emendavit. Capuæ hominem musici organi scientem, sed contumacius agitantem, mirâ clementia, ipsisque dissimulatione castigatum, quàm ab ea cura deiiciendus videretur, conservavit, aliósque mores exemplo docuit; ne qui tibias illas tam numerosè inflabat, ipse absonis motibus sacræ reipublicæ ordinem turbare vellet.

Rhol. l. 7. c. 2. n. 3.

III. Franciscus Suarius quamvis in disputando vehementissimus esset, vim tamen sapientiæ per clamores indecoros, aut (quæ illis adhuc peius odit) iurgia, & liberiùs dicta ostentare, hominis esse putabat illiberalis. Itaque si concertator aberraret, mansuetissimè plerumque dicebat, se minimè libenter regredi, progredi posse, si videretur. Altius est sapientiæ ingenium, atque maiestas, quàm ut iræ famulitio stipari velit.

Idem ibid. n. 6.

§. IV.

EXEMPLA PROFANA.

I. SOcratem aiunt colapho percussum nihil ampliùs dixisse, quàm, molestum esse, quòd nescirent homines, quando cum galea prodire deberent. *Seneca l. 3. de ira.*

II. Nota est Discipuli illius historia, qui per integrum triennium nonnullos iussu Magistri sui stipendiis præmiabat, ut eum iniuriis assiduè onerarent, ut per easdem in patientia se exercere, virtutémque mansuetudinis sibi comparare posset: Post hoc verò tempus quando Athenas veniens, à quodam Philosopho convitiatus, non solùm indè non conturbatus fuit, sed gaudens & subridens easdem accepit; causam huius sui gaudii & risûs interrogatus, respondit: Tribus ab hinc annis iniuriatorem stipendio conduxi, nunc verò me illum sine meo dispendio reperisse, magnopere gaudeo; cui Philosophus: ingredere in civitatem, quia dignus es. *Mansi disc. 10. n. 2.*

§. V.

SIMILITUDINES.

Qualitas.

I. SIcut debilis stomachi est, cibum duriorem non posse concoquere, ita pusillanimis est, verbum duriusculum non posse sustinere. *Arist. l. 4 Ethic.*

Æquitas.

II. Sicut crucem adoramus è ligno formatam, & è vermibus exesam quæ cæteroquin conniceretur in ignem, ex eo solùm motivo, quia patibulum Redemptoris nostri repræsentat; eodem modo, tametsi contumelia nobis ab impio quodam homine ingeratur, cuius cor plenum est veneno odii, rancoris, & invidiæ adversùm nos conceptæ, attamen quia DEUS idipsum ordinat & dirigit, ut bonum pro malo reddamus (siquidem nec folium moveri potest sine divina ipsius voluntate) ideo contumeliam gratiam habere debemus, quia scit DEUS contumeliam hanc, si velimus, ad animarum nostrarum cooperaturam esse profectum, ac proinde virtuosè & æquanimiter à nobis est toleranda, & dissimulanda. *Mansi disc. 118. 3.*

III. Sicut bonus Medicus maniacum primò monet, deinde etiamsi gravia ab eo patiatur, tamen ille tanquam ægrum, etsi cædatur, sustinet, etsi maledicatur, non relinquit, & quidquid potest Medicinæ adhibere, non denegat, nec tanquam contumacem deserit, sed tanquam bene de se meritum, omni studio sanare contendit, exercens non solùm artis peritiam, sed etiam mentis benignitatem. *S. Ambros. in ps. 118.*

Ita

Ita ergo etiam justus, & dum contemnitur à peccatore, non avertitur, & cùm læditur, furoris illud putat esse, non improbitatis, magisque vulneri ejus medicinam afferre desiderat, & compatitur, & dolet.

S. Chrysost. hom. 88. in Matth. IV. Sicut Dæmoniaci plerumque nos verberant, nec solùm non movemur, verùm etiam eos deflemus. Ita igitur & tu facito, misereat te contumeliantis; magnâ enim belluâ, irâ scilicet: & furore pernicioso, scilicet dæmone detinetur: solve ipsum, qui ab huiusmodi dæmone vexatur.

Id. ib. V. Sicut cùm iustè quispiam torquetur, si magno animo patitur, iniustè cruciari multis videtur: sic, qui cum iniuriâ vexatur, si non perfert, iure puniri putabitur, ac deridebitur, quasi mancipium ab ira distractus, & animi nobilitatem furori subiiciens.

Utilitas.

Mansf. disc. 14. n. 9. VI. Sicut in obstinatioribus urbium inexpugnabilium obsidionibus, obsessi integras bombardarum, aliarúmque machinarum militarium tempestates eiaculari solent; sed qualiter hæ omnes ab arte & industria militari reprimuntur ac redduntur inutiles? materia iis obiicitur mollis v. g. lana, terra, fasces aut similis alia, quæ omnem impetûs illius destruit vigorem; sicut enim glandium ictus materiam lædunt duram, & lapides fortissimos rumpunt; ita econtra per materiam teneram ac mollem penitus enervantur; ita quoque in præsenti; nam responsio mollis frangit iram, sermo durus suscitat furorem.

Id. disc. 6. n. 1. VII. Sicut homo cibi avidus & vorax, ex illis saturatur epulis, quæ maioris sunt substantiæ, magisque palato sapiunt; ita spiritus S. qui Prophetæ huius calamum direxit, gaudium exprimere volens, quo homo sanctus perfunditur, dum contumeliis afficitur, eandem adducit hominis gulosi similitudinem, inquiens: *Saturabitur opprobriis*, id est, ut Carthusianus exponit, plurima sustinebit, & in ipsis, quasi in epulis, lætus erit. Unde Hugo Card. dicit: Saturabitur, id est, gaudebit opprobriis.

§. VI.

MOTIVA.

Petrus Pe. trg. conf. 33. n. 8. I. *Christi exemplum*; cuius mansuetudo per quatuor animalia exprimitur. Agnum, cuius mansuetudo tum maximè patet, cùm deberet illam excutere, cúm scilicet ad mortem petitur: Unde Jeremiæ ore sic loquitur: *Ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam.* Columbam; quæ felle caret, nec resistit, sed lapillo aut à milvo impedita, fugâ sibi consulit. Ut hunc spiritum mansuetudinis in Christo monstraret, apparuit illa super caput eius. Messiam illum esse, probare vult Matthæus ex illo vaticiniis antè prænuntiato; *Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam*: Super asinam inquit S. Chrysostomus, non super equam, signum belli, & iactantiæ, sed super animal mansuetum tranquillitatis & pacis amicum, & ad aliena onera portanda paratum. Hinc & nonnulli ad Christum pertinere illud vatis Regii arbitrantur: *Ut iumentum factus sum apud te, & ego semper tecum.* Sic aliquis Vir sanctus asinum se inter fratres reputavit, ut hac cogitatione ad mansuetè cæterorum levanda onera animaret. Vermem denique sese dixit Christus: *Ego vermis, & non homo*: qui proterenti non resistit, sed se recolligit, & contrahit. O quanta in his omnibus ad imitandum leges.

R. P. Lohn. Auctar. Bibl.

II. *Quia mansuetudo est honestior vincendi modus*, ut S. Augustinus his verbis indicavit: S. August. in Ps. 93. Quando vindicari vis, sine dubio vincere vis: vide, ne dum vis hominem vincere, ab ira vincaris. Quia læsit, vis & tu lædere? quia nocuit: vis & tu nocere? quomodo vincis malum in malo non hoc dixit Apostolus, non hoc audistis: Ego nolo vinci à malo. Audistis? & forsitan respondebis, hoc & ego volo, sed nemo me vincit, dixit enim Apostolus: *vince in bono malum*, hoc est, qui te læsit suâ iracundia, tu illum vince tua patientiâ. Idem quoque Apostoli consilium: *Noli vinci à malo, sed vince in bono malum*, S. Anselmus his verbis considerat: Contende non malo, sed bonitate. Ipsa est enim vera contentio, vel certamen salubre, ut sit bonus contra malum, non ut sint duo mali. Si tu iam non es malus, obsta malo. ut sis bonus. Si displicet tibi malus, noli fieri malus, nam si repercutis, malo vis vincere malum. In sensibus vel motibus animorum ille dicitur vicisse, qui alteram ad suam traxerit partem: si ergo mali vicissitudinem à te receperit ille, te vicit, & passionis similitudine vitio suo subdidit: Si autem per patientiam tuam cessare eum ab irâ, vel iniuriâ feceris, tu vicisti, & de peccato ad salutem lucrando proximum triumphâsti. Porrò in oculis hominum mundanorum (qui actionum virtuosarum & Christianarum nequaquam sunt competentes iudices) ita quidem videtur, quòd is, qui inter opprobria patiens est, nec illis refert vicissitudinem, ignavus sit, & honorati nominis sui oblitus; veruntamen alia debet esse Christi fidelium opinio, qui actiones suas per duelli legem minimè regulare debent. Etenim qui lædit, superare læsum videtur, inquit D. Chrysostomus, sed perniciosas sibi victorias superat. Læsus autem si magno animo perfert iniuriam, quanquam victus videatur, coronam tamen splendidam adeptus est. Sæpenumero ergo vinci, quàm vincere, præstantius est; optimus profectò istæ victoriæ modus est.

III. *Dignitas mansuetudinis*: quam ingeniosè indicavit Didacus Nissenus sic discurrens: Did. Nyss. l. 1. pol. 1. Plurimi interpretes volunt, quòd Jacob ad Esau alebat, *vidisse faciem ejus quasi vultum DEI*, id dixisse, ut, quanta fuerit animi magnitudo fratris sui, quanta & generositas pectoris illius, eâ occasione declaratum

testa-

testatúmque daret: illud ergo Jacobi: *Vidi faciem tuam, quasi viderim vultum DEI*: tale fuit, ac si dixisset: quod in amplexus meos, mi frater cucurristi, quòd collum meum tam amanter invasisti, quòd me ambabus, ut aiunt, ulnis tam suaviter strinxisti, quod præreptæ benedictionis iniuriam oblitus, tam liberaliter omnem noxam mihi condonâsti, id tam heroicum opus, tam illustre facinus est, ut mihi de facie DEUM magìs ignoscentem sceleribus, quàm hominem remittentem iniurias, referre visus fueris. Nec miror, quòd Jacob talia dixerit, dum cogito, quantam vim sibi inferre homo debeat, ut validissimam illam, & vehementissimam vindictæ cupiditatem, quæ suas in penitissimo corde nostro radices, eásque profundas habet, coërceamus, & constringamus. Ità sentit sanctus Joannes Chrysostomus, qui to. 3. homil. de decem millib. talent. sic habet: in ira nervosiore industriâ opus est, violentus enim affectus est, & tyrannicus, & subinde abripit non satis vigilantes, & ad barathrum ipsum perditionis affert: videte ergo, an sit vile opus, annon potiùs præclarissimum facinus, vincere seipsum, condonando iniurias, & de se ipso tam gloriosum triumphum reportare, remittendo illata incommoda.

Mansi disc. 5. n. 3. IV. *Necessitas*, quam Josephus Mansi hoc discursu ostendit: Salvator noster quondam ficui illi maledixit, eò quòd fructus in illa quærens, non invenerit, & tamen S. Marcus inquit: *Non enim erat tempus ficorum*; cur igitur hanc arborem igni destinavit? Origenes in sensu mystico respondet: per hanc arborem denotari animam, quæ fructificare debet etiam eo tempore, quod sibi videtur esse intempestivum seu inopportunum; per fructus autem illos agnoscit, de quibus S. Paulus ait: *Fructus autem spiritus charitas, gaudium, pax, patientia, mansuetudo &c.* horum fructuum proferendorum fertilis esse debet anima quælibet fidelis, quando minus opportunum est tempus, id est, tunc vel maximè mites & benigni esse debemus, quando vel maximè iniuriis oneramur, & indigni habemur, tunc fructus profert ficus in tempore non suo. Sanctus & Seraphicus D. Franciscus dicere solebat, invidere se terræ, quæ, quantò magìs ligonibus, & aratris proscinditur, tantò magìs ad proscindentium commodum fructibus rependit iniuriam, & quantò pluribus conspurcatur sordibus, & immunditiebus, tantò abundantiores & lapidiores parturit herbas & fructus; Quantò etiam profundiùs eius viscera excavantur, tantò pretiosiores ad nos locupletandos aperit argenti & auri mineras.

§. VIII.

MEDIA

Item disc. 5. n. 6. **A**stra cœli imitari: Nam, ut Mansi rectè advertit, homo virtuosus à luminaribus cœlestibus exemplum capere debet, & ad hoc formari, ut bonum pro malo reddat, neque à benefaciendo se criminantibus desistat. Quædam de luna mentiuntur homines, subdit S. Augustinus; quando vident obscurari, non curat tamen ista verba hominum, quæ in cœlo est; sed quid est in cœlo in firmamento cœli est. Cuius ergo cor in firmamento DEI est, ista non curat.

II. *Injuriantem ut amicum intueri*; uti idem Author suasit, dicens observandum est nomen, quo spiritus sanctus illos appellavit, qui patientissimum Jobum falsis imposturis & calumniis onerârunt: dicit enim sacer Textus: *Igitur audientes tres amici Job omne malum, quod accidisset ei, venerunt singuli de loco suo, Eliphaz, Themanites, & Baldad Suhites, & Sophar Naamathites.* At verò cur calumniatores illi, amici appellantur, cùm potiùs partes inimici sustinuerint? nimirum cùm de viro virtuoso & patiente agitur, is talis neminem reputat inimicum, sed omnes indifferenter amicorum loco habet, & amat. Unde S. Gregorius ait: Nec mirum, quòd qui adversantium formam exprimunt, nominentur amici, cùm ipsi quoque traditori dicatur: Amice, ad quid venisti? sic exemplo suo docuit, de quo in Vitis Patrum legitur, quem, quantò plus aliquis iniuriabatur, aut deridebat, tanto plùs ille gaudebat, dicens. Isti sunt, qui nobis occasionem præbent ad profectum nostrum, qui autem beatificant nos, conturbant animas nostras. Ib. n. 5. Vit. P P. l. 3. n. 1.

III. *Christi exemplum ob oculos ponere*; nam si quis Redemptorem nostrum iniuriis, & improperiis impinguatum fuisse diceret, ut tanto acceptior ejus victima in passionis suæ holocausto fieret, ad æternum Patrem suum placandum, nihil utique à veritate alienum dicturus esset. Quia S. Ambrosius Textum illum S. Lucæ: *Occidisti illi vitulum saginatum*, de Christo interpretatur, inquiens: Memorare, quia pro te Christus occisus est, qui antè fuit vitulus saginatus, iniuriis videlicet, & opprobriis. Ib. disc. 6. n. 4.

Quod confirmans S. Bernardus, cum sic, inquit, amor Christi totum absorbuerit affectum hominis, ut negligens & immemor sui, nonnisi JESUM Christum, & ea, quæ sunt JESU Christi, sentiat, tunc demum, ut arbitror, perfecta in eo est charitas. Iste non sentit iniurias, ridet opprobria, contemnit damna. S. Bern. c. 17 de int. dom.

Sed & S. Ambrosius adstipulans, iniurias passus est (Christus) ne tu injuriam tuam doleres grande remedium, solatium habere de Christo, ille enim pro nobis hæc patientiùs tulit, & sumus, qui patienter hæc pro illius nomine ferre nequeamus? S. Ambros. l. 2. de fid. c. ult.

Unde præclarè Petrus de Domino JESU in Epistola sua posuit, qui cúm malediceretur, non maledicebat; cùm pateretur, non comminabatur. Ad eius ergo similitudinem atque imaginem, iustus cupiens suæ vitæ institutα formare, accusatus tacet, læsus remittit, dissimulat lacessitus, & non aperit os suum, ut illum imitetur, qui sicut agnus ad victimam ductus, 1. Pet. 2. 23.

Isa. 53.7. ductus sic non aperuit os suum, & cùm possit habere quod deferat, magis vult silere, quàm dicere.

S. August. ep. Manif. desc. 7. n. 4. IV. *Exempla Sanctorum*; de quibus sic loquitur S. Augustinus: Tot viri, tot mulieres, clerici, pueri, tantæ & tam delicatæ puellæ flammas & ignes, & bestias æquanimiter pertulerunt, & nos stultorum hominum convicia dicimus tolerare non posse, quæ nobis malorum hominum nequitia inferuntur? si possumus, etiam usque ad mortem illorum, nostras iniurias vindicamus; unde nescio quâ fronte, vel quâ conscientiâ cum omnibus sanctis in æterna beatitudine partem habere desideramus, quorum exempla sequi in rebus minimis non acquiescimus.

Seneca l. 2. de ira c. 26. V. *Laedentem, ut Phreneticum considerare*, nam quare fers ægri rabiem, inquit Seneca, & Phrenetici verba? Puerorum protervas manus? nempe quia videntur nescire, quid faciant.

S. Chrys. ho. 110. in Matt. Cui assentiens S. Chrysostomus, cogita, inquit, quia non est in se, qui vituperat, sed insanit, & non molestè feres insanias illius.

S. Thomas Vill. 5. in fer. 6. Cin. VI. *Peccata sua considerare*, uti S. Thomas Villan. suasit dicens: Consideratio valde utilis est ad hoc, inquit: ut consideres, quia licet æmulus tuus iniustè te persequatur, tamen tu iustè pateris propter peccata tua. Quid hominem aspicis? attende divinam Justitiam, cuius est minister ille: non hunc læsisti; sed Deum maximè offendisti. Quis est, qui ad patibulum ob scelera sua iustè condemnatus, odio prosequatur lictores & carnificem, qui eum conducunt ad mortem; quot nos per tot peccata mortalia Deo intulimus iniurias? igitur Deus per suam iustitiam iustè disponit, ut illatas, ei iniurias per iniurias à proximis nostris nobis factas libenterq; toleratas diluamus: his enim DEUS utitur, veluti iustissimi furoris sui ministris; cur igitur iram tuam in illos convertis? Attende divinam iustitiam; respice demerita tua, quoties enim tu aliis fecisti iniurias? quoties contumeliatus es alios? considerandum est insuper, DEUM ita disposuisse, ut iniurias patienter & pro eius amore tolerando, immenso satisfaceres debito, quod per tot iniurias DEO irrogatas apud eundem contraxisti. S. Bernard. proinde ait: Dum pensamus, quales contra alios fuimus, esse contra nos tales alios, minùs dolemus, quia aliena iustitia in nobis vendicat, quod in se nostra conscientia accusat; & sic indulgere, efficitur delectabile. Quin & cogitatio, quòd DEUS vilipendia & probra in nostram ordinavit utilitatem, in divinæ iustitiæ suæ satisfactionem, in voluntatis suæ adimpletionem, motiva nobis potentissima suggerit, ut opprobria non modò non sentiamus, sed & insuper avidè illa optemus, iisque obviemus. Hinc D. Chrysostomus ad ictus huiusmodi perferendos ita nos animat. Quòd si arduum sit negotium & operosum, cogita, quòd ob DEUM talia pateris, & plenam percipies consolationem: animámque subterfugientem, reformidantem, erubescentem, pudefientem exacue, eíque continuò ista accine: quid cessas? quid subterfugis? quid detrectas? non de pecunia, non de aliis rebus momentaneis, sed de nostra ipsorum salute agitur. DEUS ista facienda præcipit. DEUS namque, qui hostium nostrorum perversitate, iniuriisque ad nostram utitur salutem, idem quoque ille nobis præcipit, ut iniurias remittamus, earúmque immemores, bonum pro malo reddamus, adimplentes illud: maledicimur, & benedicimus.

Quæ omnia confirmans, S. Gregorius, leve, inquit, est, quòd iniuriâ percutimur, dum in actione nostra conspicimus, quia peius est, quod meremur, sicque fiet, ut contumeliis gratia magis, quàm ira debeatur, quarum interventu, DEO iudice, pœna gravior declinari posse confiditur. S. Greg. l. 30. mor. c. 9.

VIII. *Utilitatem mansuetudinis perpendere*; quam S. Bernardus ob oculos posuit dicens: Ego plagis conscientiæ meæ, nullum iudico accomodatius medicamentum, probris, & contumeliis: non est proinde, quòd commovear, homuncio sum omni opprobrio dignus & despectione. S. Bern. ep. 110. ad Eug.

IX. *Contemnere injurias*; nam ut bene advertit Seneca, contumelia à contemptu dicta est, quia nemo, nisi quem contempsit, tali injuriâ notat; nemo autem majorem melioremque contemnit, etiamsi facit aliquid, quod contemnentes solent. Nam & pueri os parentum feriunt, & crines matris turbavit, laceravitque infans, & sputo aspersit, aut nudavit in conspectu suorum tegenda, & verbis obscœnioribus non pepercit, & nihil horum contumeliam dicimus; quare? quia qui fecit, contemnere non potest. Sen. l. 3. de ira c. 24.

X. *Vindictam in alios hostes licitè convertere*, uti S. Thomas Villanova suasit dicens: Ego tibi veros inimicos ostendam, quos oderis, quos destruas, dæmones, peccata tua, & vitia; hæc sunt, quæ te perdunt, quæ te destruunt, quæ tibi gehennam parant; contra hos inimicos ora, ut destruat Deus, & tu, quantùm vales, destrue illos. Sed & caro ista, quam tu tantùm diligis, & foves, in qua nutrienda vitam perdis, maximus inimicus tuus est; hanc castiga, subiice, doma; quid fratrem & proximum tuum odis, & persequeris? O stulte, non est ille inimicus, sed proximus; non te persequitur homo, quem fecit Deus, sed malitia, quam fecit homo. Illa est inimicus tuus, illam oderis, illam persequatis, illam destruito. Tolle malitiam à fratre, non te persequetur, non tibi malefaciet; fac ergo, ut destruas illam. S. Thom. Vill. in fer. 6. Cin.

XI. *Silere*, uti S. Chrysostomus hortatur dicens non vides in ædibus, quando ex adverso, & directè steterint duæ januæ, sitque ventus vehemens, si alteram clauseris, nihil obest ventus, sed magna pars eius iterum præscinditur; nunc quoque duæ sunt januæ, os tuum, & os eius, qui te contumeliis afficit, & convitiis; si tuam clauseris, extinguis totum spiritum; sin autem aperueris, non potest cohiberi. De hac quoque similitudine priùs his verbis dixerat. Os est ostium, claude & obsera, ut & lucem præbeat, Chrysost. hom. 11. in 1. Thes.

at, & externam repellat irruptionem; ut exempli causâ, si te contumeliâ affecit, os claude; nam si aperueris, ventum excitas, & ventilas.

Mans. dist. 15. n. 6. Idem medium alius quidam vir sapiens suasit. Cùm enim mulier quædam apud virum quendam sapientem & discretum de marito suo conquereretur, quod quasi semper ebrius quotidie cum ipsa contenderet, injuriis illam onerando, quas illa reciprocis injuriis rependens, pacem domûs turbabat; vir autem ille huic mulieri de remedio providere volens, ne deinceps major in domo eius accenderetur ignis, nec ipsa ad reciproca improperia prorumperet, aquam è vicino fonte haustam illam sumere jussit, eandémque marito domum redeunte, in toto tempore, quo vir eius iniurias evomebat, clauso ore retinere; quod consilium ipsa promptè executa, virtutémque aquæ admirata fuit, utpote cui hanc attribuebat virtutem, quòd iram eius compescuisset, ne referret iniurias, non se reflectens, quòd easdem per taciturnitatem & silentium superâsset: cui historiæ optimè & oppositè quadrat dictum illud sapientis: *Qui dimittit aquam, caput est iurgiorum*; si enim mulier illa aquam exspuisset ad reddendum improperia pro improperiis, irreconciliabiles excitasset contentiones, maiorísque, iræ & furoris ignem in ambobus accendisset. Vnde D. Gregorius M. ait: Aqua dimittitur, cùm linguæ fluxus effunditur.

§. VIII.

MISCELLANEA ET CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Qualitas.

In vit. PP. l. 5. c. 15. n. 11. I. INter alia vestræ perfectionis documenta, quæ Arnolphus Abbas Mōachis suis tradidit, hoc fuit. Nos qui septem fratres sumus, si vultis ut maneamus simul, efficiamur sicut statua hæc, quæ contumeliis affecta non turbabitur.

S. Aug. l. 21. de Civ. c. 4. II. Silex quantumcumque durus, si fornaci imponatur, in calcem albam & candidam transmutatur, quæ, quantò magìs madefit, tantò magìs bullit, & ignescit, quantóque magìs extinguitur, tantò ampliùs accenditur. Unde S. Augustinus inquit: Jam verò quàm mirum est, quòd cùm extinguitur, tunc accenditur? ecce vobis expressum hominis verâ charitate præditi symbolum, qui, quantò magìs improperiis & iniuriis percutitur, tantò magis in amore erga Deum, & dilectione accenditur versùs proximos.

Mans. disc. 6. n. 5. III. Pro emblemate aliquando massa bituminis accensa depicta fuit, super quam dum arderet, depluebat aqua; eique Epigraphe adiuncta fuit huiusmodi: Etiam in flammis; hanc enim proprietatem terra conservat bituminosa, ut per aquam magis magísque accendatur. Ita quoque in præsenti de anima sancta, iniuriarum patiente veraciter dici potest: Aquæ multæ non potuerunt extingere charitatem, nec flumina obruent illam. Non enim talis vel minimam amoris Divini aut charitatis amittit scintillam, quantumcunque ingens injuriarum, & contumeliarum inundet torrens; quin imò eò magìs magísque in intensis amoris actibus exardescere incipit; dicente Psalmistâ: *dum superbit impius, incenditur pauper*: Ubi Hugo Card. inquit: Incenditur amore Dei. Qui autem est pauper iste? idem respondet inquiens: *pauper spiritu, qui est humilis*, is, si quando impiorum, superborum, malorúmque iniuriis se gravari advertit, non modo non reiicit, retunditque opprobria, sed potiùs iis utitur, ut mediantibus illis magìs accendatur in amore divino. *Ps. 9. 22.*

S. Aug. s. 168. de temp. IV. Dicitur quidem apud Matthæum c. 5. v. 43. *Diliges proximum tuum; & odio habebis inimicum tuum*, sed qui sano intellectu scripturæ Divinæ sensum agnoscere cupit, sententiam istam hoc modo intelligat, ut diligat omnem hominem proximum suum, odio habeat Diabolum inimicum suum. Quod etiam in uno homine malo implere potest; In ipso enim uno, qui malus est, & proximum habes, & inimicum; nam quòd homo est, proximus tuus est; quod malus est, non solum tuus; sed etiam suus inimicus est; Dilige ergo in eo carnem & animam, hoc est proximum tuum, quem fecit Deus, & odio habe malitiam, quam, ipso consentiente, Diabolus intromisit; Quod cum sancto & pio animo feceris, vices cælestis Medici agis, odio habens morbum, & diligens ægrotū.

Mans. disc. 12. n. 7. V. Pater quidam filium suum à serpente quodam cinctum videns, arcu apprehenso sagittam adeò sagaciter in serpentem vibravit, ut illæso filio serpentem transfixerit; idem quoque facere debet quælibet anima iusta, quando injustè oneratur iniuriis, nimirum, concipere debet odium adversùs culpam offendentis, utpote qui eodem tempore Deum offendit, displicere illi debet invidia, malignitas, iracundia, quæ in iniuriatore prædominatur: Ex alia verò parte illum tanquam proximum diligere, eique tanquam fratri benefacere debet, quod si etiam fortasse arcus te læserit, noli irasci contra illum, nec illum minutum confringas, culpa enim fuit brachii, quod illum tetendit, & evibravit: Eodem modo non est sumenda vindicta de proximo, qui te iniuriâ affecit, quemque ex Dei præcepto amare debes, tanquam fratrem, sed odium tuum dirigendum est adversùs malas illius qualitates, adversùs perversam inimici tui inclinationem, rogando Deum, ut hanc ab illo extirpet, & eradicet. Sic David cùm in sui defensionem Sauli necem inferre posset, utpote qui vitæ ipsius tot modis insidiatus fuerat, tótque improperiis aggravaverat, solam tamen illi hastam sustulit.

S. Chrysost. apud Mans. disc. 13. n. 5. VI. Etenim in ira, qui valde contumeliatus alium est, superâsse videtur, cùm revera ipse maximè à turpi hac perturbatione victus, non parum sibi ipsi nocuerit, qui autem magno animo tulit iniuriam, hic profectò, & quidem cum laude superavit; ille namque ne suam quidem ægritudinem compressit, hic etiam alienam extinxit, & ille suo morbo superatus est, hic etiam alienum curavit, nec solùm ipse inflammatus non est, verùm etiam ingentem alterius flammam extinxit.

VII. Aga-

Tom. 5. Bibl. PP. ib.

VII. Agapetus Diaconus in monitis aureis, quæ scripsit Imperatori, dixit: Venerandum jure est vestrum imperium, quia hostibus quidem suæ demonstrat pietatis aculeos: quàm benè dixit Diaconus: Hostibus suæ demonstrat aculeos pietatis! non dixit, demonstrâsse aculeos iræ, odii, vindictæ, simultatis, sed liberalitatis, mansuetudinis, humanitatis. Nam ut inimicum configas, & lancines, id solertiâ commodiore & astu nobiliore fieri non potest, quàm si beneficiis eum ornes, & cumules. Hæc est Christiana, & honorificentissima vindicta, quâ ulcisci possumus eum, qui nos persequitur, & horret.

Utilitas.

Vit. PP. l. 7. c. 42. n. 2.

VIII. Agathon Abbas dicere solebat, si habitas cum proximo, esto sicut columna lapidea, quæ si injuriatur, non irascitur.

S. Bern. S. 42. de mod. ben. viv.

IX. S. Bernardus in quodam sermone suorum de modo bene vivendi, modum nos docet vitam agendi tranquillam & imperturbabilem, tam etsi foris maledicentiis & contumeliis impetamur; Dicit enim: quamvis te quisquam irritet, quamvis convicium dicat, quamvis injuriam faciat, quamvis afficiat contumeliis, tu sile, tu tace, tu dissimula, tu contemne, ut non loquaris, tu tene silentium, ad iniuriam non respondeas, convicium non retorqueas. Sed dicetis forsitan hoc ipsum signum esse hominis ignavi; ast contrà est, quia ut idem mox subdit: tacendo citiùs vinces.

Did. Nyss. p. 1. l. c. 8.

X. S. Paulus ad Romanos scribens, sic loquitur: *Non vosmetipsos defendentes charissimi, sed date locum iræ, scriptum est enim: mihi vindicta; ego retribuam, dicit Dominus.* Rom. 12. 19. si de hac lege carnem, & sanguinem consulas, terribile, durum, intollerabile jugum videtur. Nam injuriam passum privare jucunditate vindictæ, est adimere illi voluptatem omnium maximam, quam habere potest: Et hominem in eas angustias cogere, ut legem, quæ ulcisci hostes prohibet, non prætereat, videtur perinde esse, ac permolestam, ne dicam intolerabilem ei sarcinam imponere. Respondet Paulus huic obiectioni: Placet, quod dicis. Et quoniam ais, non posse te facere, quin vindictam sumas, annuo, ut sumas. Itaque si esurierit inimicus tuus, ciba illum, si sitit, potum da illi; hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput eius.

Vit. PP. l. 7. c. 4. n. 121.

XI. Abbas Joannes portam cœli, iniuriarum tolerantiam esse, astruebat inquiens: Porta cœli est iniuriarum perpessio, & patres nostri per multas iniurias in eam gratulantes ingressi sunt. Cuius veritatis tanta est infallibilitas, ut unus illorum Patrum, dum magna cum solicitudine à superiore suo exercitium, per quod de æterna salute sua assecuraretur, postularet, dicens: da mihi Pater unam rem, quam custodiam, & per eam salver; Hoc à superiore suo, viro maxime illuminato, itique materiis spiritualibus exercitato acceperit responsum: si potueris iniuriari & affici convitiis, & portare, & tacere: magna est hæc res, & super alia mandata; hancque Evangelicam à nobis in principio adductam, sæpe reiterabat veritatem: *Beati eritis cùm maledixerint vobis homines, & dixerint omne malum, gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis.*

XII. Agriculturæ experientiam habentes iuxta rosas allium plantare solent, ut acutior & pungens huius odor eas exstimulat ad maiorem transmittendam odoriferam fragrantiam: quo in facto obligatio exprimitur uniuscuiusque animæ virtuosæ, & ad perfectionem tendentis, scilicet ut ab homine aspero & iniuriante occasionem accipiant exercendæ virtutis, se mortificando, non resistendo; Quin potiùs bonum pro malo reddendo: quia, ut bene Lact. Firm. docet: nisi contumeliis fuerit affectus (homo iustus) quantùm habeat fortitudinis in se ipso cohibendo, ignorabitur. Neque minùs efficaciter S. Bern. ad eiusdem virtutis exercitium nos inducere conatur, quando de iniuriarum oblivione, & harum superioritate tractans, sequentia notatu dignissima pronunciat verba: est actus magni & generosi cordis, iniuriæ oblivisci.

Mansi dist. 5. n. 2.

XIII. Jacob ab Esau fratre suo tanquam impostor iniuriâ affectus, & ad mortem usque odio habitus, & persecutionem passus, furori illius cedens, & in regionem longinquam & peregrinam fugiens, cælum supra se apertum aspexit: unde ait: *Verè non est hic aliud nisi domus Dei, & porta cœli.* Considerat idipsum D. Chrysostomus, quando in quadam homilia hæc in verba scribit: Hic discimus, quòd quando iniuria nobis fit, nosque mansueti & mites, & tolerantes fuerimus, maiori & largiori divino auxilio fruemur. Deus olim Laban iratus apparuit, eique præcepit: *Cave ne quidquam asperè loquaris contra Jacob*; Eidem quoque Jacob è paradiso exercitum obviam misit Angelorum, dicente scripturâ: *Fuerunt ei obviam Angeli Dei, & ait: castra Dei sunt hæc*; hunc autem favorem Jacob nullo alio merito à Deo comparavit, quàm quia solicitus erat, ne factas sibi iniurias vindicaret, dissimilaret contumelias, suosque sibi reconciliaret amicos.

Ibid.

Dignitas.

Did. Nyss. §. 5. in dom. palm.

XIV. Isaias propheta cùm ardenter Mundi Salvatorem suspiraret, his æternum Patrem inclamabat: *Emitte Agnum, Domine, dominatorem terræ.* Isa. 16. 1. Uregas autor modernus, & gravis, in his verbis consideravit, quòd non satis aptè locutus videatur propheta, cùm Patrem rogavit, ut filium suum, tanquam agnum huc submitteret, ad occupandum orbis imperium, sive, ut ille ait, dominatorem terræ, commodior enim fuisset habitus, gestúsque ferocis leonis ad invadendum imperium orbis, quod vates cupiebat. Respondet tamen, cùm magno mysterio rogasse prophetam, ut agnus mansuetus mitteretur, non sævus leo, qui futurus dominator terræ, nam ut animos hominum occupes, ut voluntates eorum invadas, tibique obstringas, nullus talis magnes, qualis facilitas morum, suavitas verborum, consuetudinis lenitas.

Ibid.

XV. Transit arca Testamenti Iordanem; qui vix arcam sensit, quando cursum aquarum suarum

rum stitit, & suspendit : *Mare vidit, & fugit*, *Jordanis conversus est retrorsum*. Psalm. 113. 3.

Quærit S. Cyrillus Hierosolymitanus, quare Arcam fugerit Jordanus, qui non solùm non fugit, sed & gaudenter admisit christum, quando is illius aquis à S. Joanne fuit Baptizatus. Respondet Catech. 12. Ante carnis assumptionem mare vidit, & fugit. Jordanus conversus est retrorsum : Assumpsit corpus dominus ; ut mare videns sisteret, & Jordanis sine timore illum susciperet. Ante incarnationem plurimam Deus passim præferebat majestatem, graviáque in homines decernebat supplicia : sed postquàm hominem induit, suavíque humanitate erga omnes uti cœpit, calcari se mare patienter ferebat, nec fugiebat Jordanis, cùm ad illum homo Deus venit, mansuetudo enim fecit, ut mare illum non pertimesceret, & Jordanis nihil metuens exciperet ; Mitis enim ubique sibi locum parat : & qui facilis est moribus, facilè admittitur ab omnibus.

S. Bern. S. 38. in Cant. XVI. S. Bernardus super illa Christi verba : *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram* : quærit, de qua terra hic locutus fuerit Christus: Respondet, de illa hoc dixisse terra, quam habitamus, nemo enim sibi parare dominium, nemo subigere corda, nemo expugnare voluntates sic potest, uti mansuetus.

Nyss. l. c. XVII. Hanc ob rem etiam spiritus S. cùm conciliandorum amicorum præcepta traderet; verborum suavitate ad hanc rem uti ante omnia suadet, dicens Eccl. 6. 5. *Verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos ; & lingua eucharis in bono homine abundat*.

Id verò tantam habet veritatem, ut propè affirmare possimus, majora miracula operari linguam suavem ac lenem, quàm virga Moysis fecit. Plurimùm celebratur illud prodigium, quo Moyses Virgâ suâ è duro saxo eliciuit aquam, ad depellendam sitim populi. Relinquamus id hoc in loco, & eamus visum, quid regi Davidi cum Saule evenerit. Persequebatur Saul Davidem crudeliter, & magno cum furore, tanquam si multa & ingentia mala ab eo accepisset, necémque illi machinabatur. Convenerunt ambo in quodam antro, ubi cum David illum trucidare potuisset, noluit, oram chlamydis præsecuisse, satis arbitratus. Prodit antro Saul, secutúsque illum David magnis vocibus appellavit, ad quas cùm ille caput obvertisset, submisso ad reverentiam vertice humiliter illi David aperuit, quàm injustè tantam ab eo persecutionem sustineret, quem etiam interimere, cùm facilè potuisset, noluerit, Denique conclusit, dicens : *Quem persequeris, rex Israel ? quem persequeris ? Canem mortuum persequeris, & pulicem unum*. 1. Reg. 24. 15. *Audiens hæc Saul, levavit vocem suam, & flevit*.

Ibid. XVIII. Alius quidam Rex prudens, qui subditorum animos sibi demereri volebat. Psalterium præferebat, cum hac inscriptione : non sceptro, sed plectro. Dicere voluit, eum, qui occupare corda vellet, non debere uti virgâ, non asperitate, non supercilio, aut arrogante imperio, sed lenitate, & suavium verborum dulci harmoniâ, hæc enim sunt, quibus se facilè submittunt voluntates.

XIX. Propheta Regius dicebat, verba sua faciles aures inventura, quòd dulcia essent, & suavitate condita, dicens : *Audient verba mea, quoniam potuerunt* : Psal. 140. 7. Obscurus locus ex eo, quòd dubium, quonam respiciat illud, quod ait, *potuerunt*; ad verbáne spectet, an ad audient. Multi ad verba referunt, ut sit sensus ; Audient verba mea, quoniam speciosa fuerunt. Alii : Quoniam dulcuerunt. S. Joannes Chrysost. transtulit : quoniam munita sunt satellitibus. Ubi magno cum mysterio mella dulcium verborum vocantur satellites, nec enim aliud est, quod tam facilè capiat; nulli satellites, qui tam fortiter invadant, & constringant, quàm blanda verborum lenium comitas. Ibid.

XX. Quoniam Christo inerat à mira suavitate efficacitas, idcircò Judæi arbitrabantur convenire, ut ille de medio tolleretur, dicentes : *Ecce mundus totus post eum abiit*. Joan. 12. 19 Mansuetudo illius omnia post se rapit, sive in desertis agat, sive ruri, sive in montibus, sive in civitatibus, aut ubi demùm versetur, homines attrahit, quos mel ab ipsius labiis destilans ita sibi ipsis adimit, ut immemores cibi ac potus, nullam etiam difficilimarum viarum rationem habeant. Tanta est potestas mansuetudinis, tanta efficacitas lenitatis. Ibid.

XXI. Vocabat sponsam sponsus, utque eam facilè obsequentem haberet, his tam suavibus verbis demulcebat : *Surge, propera, amica mea, jam enim hyems transiit, imber abiit, & recessit*. Cant. 2. 10. 11. quæri hîc potest, quamobrem plantæ ita se contrahunt, & abdunt per hyemem, ut vix videri se sinant, verno autem tempore ità effunduntur, & dilatantur, ut revixisse putentur. Respondet Ericius Dominic. 14. post Pentecosten : Hyeme interiùs radicis virtute alitur planta, & mox verni temporis provocata blanditiis, floris sui honore vestitur. Hyems aspera est, & tristis, & horrida, cuius atrocitatem dum plantæ fugiunt, ad suas se radices recipiunt, ac velut demortuæ languent, ac marcent, placido autem vere appetente foras erumpunt, verni temporis provocatæ blanditiis, quod eos suâ benignitate in lucem, & vitam reducit, alit, exhilarat, sic, ut quæ inter hyberna frigora velut mortuæ lugebant, nunc per veris lenitatem se ipsas redivivas cum voluptate & spectent, & admirentur. Sic ergo sponsus, ut sponsam ad facilè revertendum incitaret inquiebat : Jam hyems transiit asperioris consuetudinis meæ, exui nuperam illam morositatem, posui supercilium, serenavi frontem, maxima est nunc, eritque deinceps conditionis meæ facilitas, appetiitque ver percomis familiaritatis meæ, quod cùm dixi, illud nullo jam negotio faciam, ut ad me non venias, sed volites. Nyss. P. 2. S. 2.

XXII. Rex & propheta David dum caneret, quâ ratione filius Dei factus homo totum orbem suavi Domino sibi subiugaturus esset inquiebat : *Dominabitur à mari usque ad mare terminos, & à flumine usque ad orbis* Ibid.

orbis terrarum, coram illo procident Æthiopes, & inimici eius terram lingent. Pf. 71. 8. 9. Mira animorum conversio! Prodigiosa voluntatum immutatio! dulcis tyrannis cordium libertate nativâ præditorum! quæ faciet, ut inimici eius terram lingant, ut, quos infensissimos habuit; ii ad pedes eius accidant, absolutum eius dominium agnoscant, terrámque millies, idque devotissimè, exosculentur, quam tanta Majestate Princeps plantarum suarum vestigiis insignitam reddet, sed quo illo armorum apparatu, aut quibus militum copiis, tam indomabiles cervices sub jugum coget? *Descendet sicut pluvia in vellus*, inquit Propheta ibid. v. 6. totus mansuetus, & blandus advenit, támque lenis, quám aqua, quæ tacito lapsu in vellus defluit. Quid mirum ergo, si ad eum modum corda quamtumvis dura, ac repugnantia suis fascibus subigit? quem enim non abripiat suavitas! cujus animum non obtineat, expugnétque lenitas, & comitas?

S. Chrysost. hom. 1. de David & Saul. XXIII. S. Chrysostomus non satiatur admirando heroicam Davidis in spelunca odolla exhibitam virtutem simúlque rationem assignat, cur victoria quam de semetipso reportavit, condonando Sauli (quando eidem, pro defensione vitæ propriæ, licitè poterat eripere vitam) gloriosior fuerit, quàm illa, quam de Goliath reportavit victoria, dicit enim: *Hoc gloriosius trophæum*, siquidem illic & fundâ, & lapidibus, & acie opus habebat, hîc verò cuncta prudentiâ, rationéque peracta sunt, ac sine armis contigit victoria, atque incruentum trophæum evectum est, itaque rediit non Barbari illius caput gestans, sed animi commotionem mortificatam, sed iram enervatam, neque hæc spolia reposuit Jerosolymæ, sed in cœlo: nunc haud quaquam in choris obviam veniebant fæminæ, excipientes illum cum laudibus, sed Angelicus populus è sublimi applaudebat; egressus est è spelunca tanta cum gloria, cum quanta tres pueri egressi sunt è Camino ardenti: nam quemadmodum illos non exussit ignis, ita hic non conflagravit iræ incendio.

Cicero pro Marcello. XXIV. Tullius Cicero pro Marcello ita scribit: Domuisti Gentes immanitate barbaras, multitudine innummerabiles, locis infinitas, omni copiarum genere abundantes, sed tamen ea vicisti, quæ & naturam, & conditionem, ut vinci possent, habebant. Nulla est enim tanta vis, tanta copia, quæ non ferro aut viribus debilitari, frangíque possit; verum animum vincere, iracundiam cohibere, &c. hæc qui faciat, non ego eum cum summis viris comparo, sed simillimum Deo judico.

Mans. disc. 3. n. 3. XXV. Aquila generosa est, atque magnanima, unde & à veteribus in symbolum assumpta fuit hominis constantis, & ad contumelias patientis. Eam itaque depinxêre, non oculis minitabundam, non terribilem rostro, non alis horridam, non unguibus fulminantem, sed sedentem efformârunt in quiete, juxtáque illa cornicem collocarunt, quæ identidem pro viribus suis eam mordere, pungere, & irritare non cessat.

XXVI. De Propheta Regio sacer textus memorat: *Cepit ille Syriam in valle Salinarum, cæsis decem & octo millibus, eóque triumpho fecit sibi nomen*, ut dicitur. 2. Reg. 8. 13. Hoc enim validæ dextræ eius præstantissimum opus, hæc victoriarum illustrissima fuit. *Nyss. l. 2. pol. c. 5.*

Habent hæc non nihil difficultatis. Nam si anima ad quædam alia illius egregia facinora recurramus, inveniemus in eodem capite & ampliores cædes fecisse, & strages hostibus graviores intulisse. Adarezer enim regem Soba percussit, cepítque ex parte eius mille septingentos equites, & viginti millia peditum, & subnervavit omnes iugales curruum. Alibi quoque percussit de Syria viginti duo millia virorum, sic ut ex his omnibus vivus nemo evaderet. Quod cùm ità sit, quid est, quòd hic non vel æquè dicitur sibi fecisse nomen grande, ac in valle Salinarum, ubi non tam multos, quàm ibi obtruncavit? nam si ex numero devictorum æstimatur magnitudo victoriæ, ampliorem gloriam sibi videtur David parasse ex superioribus victoriis, ubi hostium copias maiores fudit, quàm posteriore pugnâ, ubi oppido pauciores cæcidit. Cur ergo hoc ultimo conflictu famam sibi conflasse celebriorem, & nomen grande fecisse narratur?

Prætermitto hîc aliorum sententias, Rabbi Salomonis opinio vero affinior videtur, proposito nostro certè commodior est, de qua apud Tostatum in c. 8. lib. 2. Reg. sic habes: Dicit Rabbi Salomon, quòd David occidit octodecim millia de Idumæis, & fecit illos sepeliri, & ex hoc aquisivit famam magnam, & hoc propter opus misericordiæ, quod excitabat, scilicet quià sepeliebat hostem. Non scitur propheta regius fecisse aliis, quod his octodecim millibus hostibus fecit, quos trucidavit, ac deinde sepulturæ illatos magnificis exequiis, & supremis officiis honorificentissimè ornavit. Ex hoc aquisivit famam magnam, & nomen sibi immortale paravit. Gloriosiorem enim hîc victoriam retulit, eo quod tantam devictis hostibus Charitatem exhibuit, quantam intimis amicis deferre potuit, dum pari honore tradi sepulturæ eorum corpora curavit. Tantâ namque pietate prosequi hostes, id victoriis ejus splendorem, id triumphis magnificentiam adjecit singularem, propterea quod perdifficile est, condonare injurias, remittere offensas, ob naturæ nostræ appetitum, ab hac re valde alienum.

XXVII. Abulensis in l. 2. Reg. c. 13. ait: dixit hoc admirans, viderat enim oram chlamydis suæ in manu David, ex quo cognoscebatur, quòd ipse fuit in manu David, in quo stupebat de tam gravi periculo, & de clementia David, quomodo non occidit eum, ideo admirans dixit, nunquid hæc est vox tua? quasi dicat, miror, cùm hæc sit vox tua, quòd mihi vitam reliqueris. Considerabat Saul, quàm facilè sanctus gener illi vitam eripere potuisset, à veste namque ad cutem, & mortem, proximus erat transitus. Ex alia parte reputabat secum benignitatem Davidis, stupénsque tam *Abulens. q. 24. in eit. text.*

tam

tam inauditam generositatem ait: Miror vehementer, quòd cùm tu sis, qui loqueris, me vivum reliqueris. Non possum mihi persuadere Davidem esse, qui mihi loquitur: Nam cùm tu homo sis, & proximè ad manum habeas occasionem sumendæ vindictæ de illo, qui te persequitur, incredibile videtur non sumpsisse ultionem; & quanquàm vox sit Davidis, magìs tamen Dei, quàm hominis videntur manus, quæ abstinuerant à cæde illius, quem obtruncare, aut confodere tam leviter potuerunt. Et quanquàm & videam, quod video, & audiam, quod audio, dubito tamen, utrum sit David, qui mihi loquitur; ab hominis enim manu quævis actio, & victoria expectari potest, at parcere inimico, quando incomodare, & referre vices, & inferre vindictam possis, videtur tale esse, quod fieri nequeat.

Apud Nyss. l. c. XXVIII. S. Dorotheus insigne hoc in genere factum sic narrat: Asceta quidam erat illius ætate in eodem monasterio, in quo ille tunc degebat, plurimùm addictus studio orationis, & aliorum spiritualium exercitiorum. Hunc audivit quodam die gravibus verborum iniuriis onerari, & turpibus probris indignè dehonestari. Videns autem admirandam patientiam, quâ hæc omnia longanimiter tolerabat, interrogabat eum, quidnam ea opprobria, & vituperia in animo ipsius efficerent? Cui ille simpliciter & candidè respondit: Ego me sic habeo ad has iniurias, & sic eas perfero, ut ab hominibus blandi canes, subaudi, perferri solent, si quando vel ignotum allatrant, vel domesticum mollicellâ linguâ ad assentationem lambunt; iniuriæ sunt mihi blanditiæ, dedecora solatia, opprobria adulationes, convitia festivi lepores, aut honorifici plausus. His auditis, inquit beatus Dorotheus, demisi aures, méque obsignans, & firmans abii, dicens, hic nihil videre admirabilius, nihil audire maius, aut rarius possum. Quando quis rem insolentem, & inauditam videt, sive audit, nescitque, quomodo illam satìs admirari debeat, solet deiicere caput, crucéque cæremoniis suam admirationem, eiúsque magnitudinem indicare, quando verbis pro dignitate explicare nequit. Cùm ergò Sanctus Dorotheus vidit hominem, qui tam invincibili animo, tantâ vultûs æquitate ferebat iniurias, ut eas blanditiarum loco haberet, & ignominias ut assentationes exciperet, demisit aures, séque obsignans, & firmans abiit, attonitus tam stupendæ rei spectaculo. Ut enim naturæ nostræ peccato vitiatæ inclinatio, procliviter fertur ad ultionem iniuriarum, perque arduum est eas remittere, sic admirabilium mirissimum, & præclarè factorum illustrissimum, & memorabilissimum est, serenis oculis, & animo pacato, eas excipere.

XXIX. Abbas Pimenius, ut refert Ruffinus, interrogatus, aliquando, qualiter hoc Christi dictum (*majorem hac dilectionem nemo habet, quàm ut animam suam ponat quis pro amicis suis*) executioni mandari posset? ita respondit: si quis audit verbum malum à proximo suo, & cùm possit similia respondere, pugnat tamen in corde suo portare laborem, & vim facit, ne respondeat malum, ut contristet illum, talis animam suam ponit pro amico suo.

DUBIUM ASCETICUM.

An contra Mansuetudinem agatur, si quandoque iniuriantibus respondeatur.

I. AD hoc dubium Josephus Mansi sic respondet: notandum nihilominus, non semper laudabile esse iniurias dissimulare, *Mansi disc. 6. n. 10.* siquidem casus dantur, in quibus debita cum correctione seu reprehensione iniuriantium petulantia retundenda est. Ita namque Salvator, quando verbis illis iniuriosè lacessebatur: *Samaritanus es tu, & Dæmonium habes,* subitò respondit: *ego dæmonium non habeo, sed honorifico Patrem meum, & vos inhonorástis me.* Causam ne nostis, subiungit Caietanus? Respondétque non ad contumeliam propriam, quâ appellatus est, Samaritanus, sed ad iniuriam DEI, quâ dictum est: dæmonium habes, respondit. Hæc enim directè tollebat fidem credentium, tollebat veritatem doctrinæ, nocebat populo. Iniurias itaque proprias toleremus, sed DEO illatas, aut Reipublicæ perniciosas nequaquam conniveamus. Ad imitationem Jobi, qui, cùm ad multa amicorum & coniugis improperia semper patiens fuisset, unâ tamen vice, quando sibi dici audiit: *Adhuc permanes in simplicitate tua? Benedic DEO, & morere,* mox cum indignatione respondit: *quasi una de stultis mulieribus locuta es.* Et nihilominus, incarnata sapientia protestatur, inquiens: *qui dixerit fratri suo, fatue, reus erit gehennæ ignis.* Job autem uxorem suam stultam nominavit, & tamen DEUS illum non reprehendit, quin potiùs sacer Textus immediatè subiungit: *In his omnibus non peccavit Iob labiis suis.* Quia scilicet iniuriarum DEI honorem defendere statuit, quando ab uxore exstimulabatur: siquidem in præsenti, benedic, idem est, quod maledici.

Ut igitur quilibet, qualiter se circa punctum hoc gerere debeat, probè intelligat, sequentem S. Basilii accipiat doctrinam dicentis: Si quis injuriâ affectus ab aliquo, tenendæ animi sui lenitatis causâ, patientiæque, eâ de re cum nemine loquatur, atque hoc modo existimet se reddere Judicium DEO, nunquid hic faciat secundum DEUM? respondeo, cùm dominus dixerit modò dimittite, si quid habetis; modò: si peccaverit frater tuus, vade & corripe; hic lenitatis quidem animi sui fructum in eo ostendere debet, ut preces DEO ex sincero animi affectu, pro eo, à quo læsus sit, adhibeat, verbáque illa usurpet: Domine, ne statuas illis hoc peccatum; ne, ut iratus fratri suo, reus efficiatur judicio; admonitione verò leni & castigatione adversus ipsum iniu-

riæ authorem uti, quâ videlicet illum quoque ab ira liberet, quæ venit in filios contumaciæ. Si verò in hoc negligens fuerit, & tenendæ videlicet patientiæ suæ causâ, id dissimulanter tulerit, dupliciter peccatum incurrit, & quòd præcepto illi non paret, castigatione castigabis fratrem tuum, & non sumes propter eum peccatum; & taciturnitate illâ peccantis particeps efficitur; & quòd, quem castigationibus curare potuerat, sicut Dominus præcepit, in malo eum patitur perire. Cui simillimam Doctor Angelicus, quando de hac injuriarum materia diffusè tractat, his verbis tradit doctrinam: quandoque oportet, ut contumeliam illatam repellamus, maximè propter duo. Primò quidem propter bonum ejus, qui contumeliam infert, ut videlicet ejus audacia reprimatur, & de cœtero talia non attentet, secundùm illud Prov. 27. *Responde stulto juxta stultitiam suam, ne sibi sapiens videatur.* Alio modo propter bonum multorum, quorum profectus impeditur propter contumelias nobis illatas. Unde Gregor. dicit: super Ezech. Hom. 9. Hi quorum vita in exemplo imitationis est posita, debent, si possunt, detrahentium sibi verba compescere, ne eorum prædicationem non audiant, qui audire poterant, & ita in pravis moribus remanentes, benè vivere contemnant.

S. Anton. p. 2. tit. 7. c. 6. II. S. Antoninus de hac materia sic discurrit: Aliquando contumelia est sufferenda, & hoc ratione evitandæ temeritatis, juxta illud Prov. 26. 4. *Ne respondeas stulto juxta stultitiam suam, ne ei similis efficiaris.* Tacere quippe, & non respondere contumelianti, quando quis hoc faceret, ut sic tacens magis provocaret illum ad iracundiam, peccatum esset. Sed tacere, ne & ipse respondens incurrat contumelias, vel magis illum ad iracundiam accendat, debitum est, & virtuosum, quod idem punctum diu antè S. August. attigerat, quando ita discurrit: ille iniuriam fecit, & iniuriam faciendo gravi seipsum vulnere percussit. Tu vulnus fratris tui contemnis: tu eum vides perire, vel perisse, & negligis peior es tacendo, quàm ille convitiando. Quando ergo in nobis aliquis peccat, habemus magnam curam non pro nobis (nam gloriosum est, iniuriam oblivisci) sed obliviscere iniuriam tuam, non vulnus fratris tui. Si itaque benigno responso venenum iræ & rancoris è corde fraterno extergere possimus, nonne id facere omnino ratio suadebit, & charitas christiana? siquidem responsio mollis frangit iram.

III. Aliam denique occasionem loquendi S. Joannes Climacus assignat dicens: Cùm nos ipsi duntaxat contumeliosiùs tractamur, omnino tacendum est, tunc enim lucri comparandi est tempus: ubi verò contumelias in alterius quoque damnum redundat: tum mutuæ charitatis & pacis indissolubilis vinculum exigit, ut pro altero respondeamus. S. Climac. gr. 8. co.

TITULUS XXXXV.

MENDACIUM.

§. I.

QUO AD ESSENTIAM.

Definitio.

S. Thomas. 2. 2. q. 110. a. 1. I. Anctus Thomas Etymologiam mendacii in hæc tradit verba: *Mendacium nominatur ex eo, quod contra mentem dicitur:* Cui non absimilis est descriptio illa, quam Albertus Magnus, Doctoris Angelici præceptor, his diu antè insinuaverat verbis: *Mentitur*, hoc est, *vadit contra mentem*; quæ ideo mens dicitur à metiendo, quia rei commensurari debet, & hoc non fit, & ideò mentitur, & fallit. Sanctus verò Anselmus D. Augustini innixus authoritati: Mendacium ita definit: Augustinus dicit *esse mendacium, quando aliquid dicitur aliter quam animo sentitur*; unde homo mendax dicitur habere duplex cor. Duplex autem cor dicitur Mentientis esse, id est, duplex cogitatio: una rei eius, quam veram esse vel scit, vel putat, & non profert; altera eius rei, quam pro ista profert, sciens falsam esse, vel putans; ex quo fit, ut possit dicere falsum, non mentiens, si putat ita esse, ut dicit, quamvis non ita sit; & ut possit verum dicere mentiens, si putat falsum esse, & pro vero enunciat; ex animi enim sui sententia, non ex rerum ipsarum veritate, vel falsitate, mentiens, aut non mentiens, iudicandus est. S. Albertus Magnus in c. 8. Ioan. S. Anselm. in c. 9. Matth. S. August. l. de Mend. c. 3.

R. P. Lohn. Auctar. Bibl.

II. S. Thomas tres conditiones requirit, quæ mendacii malitiam constituunt: Quòd falsum sit id, quòd enunciatur: & quòd adsit voluntas falsum enunciandi: & iterum intentio fallendi; tunc est falsitas materialiter, quando falsum dicitur: & formaliter, propter voluntatem, falsum dicendi, & effective, propter voluntatem falsitatem imprimendi. Quin & modernus quidam scriptor mendacii circumstantias paucis hisce insinuat verbis: Ad mendacium requiruntur voluntas dicendi falsum, locutio ipsa, & significatio mentis judicio contraria; ex quibus consequitur alterius deceptio. S. Thomas l. c.

Divisio.

III. S. Bonaventura tres assignat mendacii modos. Primò quidem dicendo falsum ex certa S. Bonav. p. 1. centiloq. s. 12.

certa scientia: Secundò veritatem quidem astruendo, ast, interiùs in conscientia sua contrarium existimando: Tertio loco (verba sunt ejusdem Seraphici) potest homo dicere falsum, non mentiendo, nec peccando, ut quando fallitur, adhibitâ tamen debitâ diligentiâ. *Idem in c. 8. Ioan.* Alibi verò reflectens se ad varios modos, quibus mendacia committi possunt, sic loquitur. Est mendacium falsæ meditationis, juxta illa Psalmistæ verba: *Nec lingua mea meditabitur mendacium.* Id quod Sancti Gregorii confirmat authoritate, dicentis: Nonnunquam peius est mendacium meditari, quàm loqui, quia istud aliquando est præcipitationis, illud studiosæ gravitatis. Idem est mendacium (prosequitur Seraphicus) perversæ locutionis, iuxta illum Jeremiæ textum: *Extenderunt linguam suam quasi arcum mendacii.* Idem est mendacium prævaricatæ actionis, quando scilicet actio non est talis, qualis ostenditur; dicente Jeremiâ: *Mendacium operatus est stylus mendax.* Subiungitque Seraphicus Doctor: Maius est mendacium operis, quàm locutionis. Ait Anselmus: Item est mendacium vitæ, vel conversationis, quando vita se fingit esse talem, qualis non est: De qua mendacii specie quoddam Sanct. Ambrosius assertum in hæc citat verba. Mendacium est hypocrisis plùs enim gestus hominum alloquuntur animum, quàm verba. *S. Thom. l. 2. a. 2.* Sanctus Thomas paulò aliter: Tria, inquit, sunt genera mendaciorum: quædam sunt pro salute & commodo alicuius; & hæc vocantur mendacia officiosa: est etiam aliud genus mendacii, quod fit ioco, & hoc iocosum mendacium dicitur: Tertium mendacii genus est, quod fit ex malignitate, & hoc perniciosum mendacium appellatur, hócque ultimum magìs & minùs grave est iuxta proportionem damni, quod operatur. Aggravat culpam mendacii, inquit S. Thomas, si aliquis per mendacium intendat alterius nocumentum, quod vocatur mendacium perniciosum: diminuitur autem culpa mendacii, si ordinetur ad aliquod bonum, vel delectabile, & sic est mendacium iocosum; vel utile, & sic est mendacium officiosum, quo intenditur iuvamentum alterius, & remotio nocumenti.

§. II.

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas.

Psalm. 61. I. MEndaces Filii hominum in stateris, ut decipiant.

Ierem. c. 9. II. Veritatem non loquentur, docuerunt enim linguam suam loqui mendacium, ut iniquè agerent.

Psalm. 115. III. Ego dixi in excessu: o: omnis homo mendax.

Ioan. c. 8. 44. IV. Cùm loquitur (Dæmon) mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est, & pater eius.

Ierem. c. 8. V. A Propheta usque ad Sacerdotes cuncti faciunt mendacium.

Damnum.

VI. Væ duplici corde & labiis scelestis, & manibus male facientibus, & peccatori terram ingredienti duabus viis. *Eccl. c. 2.*

VII. Non est in ore eorum veritas, sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolosè agebant. *Ps. 5.*

VIII. Incredulis, & execratis, & homicidis, & fornicatoribus, & veneficiis, & idololatris, & omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno, ardente igne, & sulphure. *Apoc. 21.*

IX. Diminutæ sunt veritates à Filiis hominum: vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum; labia dolosa in corde, & corde locuti sunt: disperdat Dominus universa labia dolosa. *Ps. 11.*

Fuga.

X. Propter quod deponentes mendacium, loquimini unusquisque veritatem cum proximo suo. *Ephes. c. 4.*

XI. Tres species odivit anima mea, & aggravor valde animæ illorum: Pauperem superbum, divitem mendacem, senem fatuum & insensatum. *Eccl. 25.*

XII. Non decent stultum verba composita: nec Principem labium mentiens. *Prov. c. 7.*

XIII. Non loquuntur labia mea iniquitatem: nec lingua mea meditabitur mendacium. *Iob c. 27.*

XIV. Foris canes, & venefici, & impudici, & homicidæ, & idolis servientes, & omnis, qui amat & facit mendacium. *Apoc. 22.*

§. III.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Qualitas.

I. INter est, quemadmodum verbum procedat ex animo, quia ream linguam non facit, nisi rea mens. *S. Thom. l. c. a. 2.*

II. Quisquis aliquod genus mendacii putaverit non esse peccatum, decipit turpiter semetipsum, cùm honestum esse deceptorem aliorum arbitretur. *S. Bern. Sen. fol. 2. de Mend. art. 3.*

III. Nullum est mendacium, quod non sit contrarium veritati; nam sicut lux & tenebræ, pietas & impietas, iustitia & iniustitia, peccatum & rectè factum, sanitas & imbecillitas, vita & mors; ita inter se sunt veritas, mendaciúmque contraria; unde quantò amamus istam, tantò illud odisse debemus. *S. August. l. contra. 1.*

IV. Omnis qui mentitur, iniquitatem facit, & si cuiquam videtur, utile aliquando esse mendacium, potest videri utilem aliquando esse iniquitatem: Nemo enim mentiens in eo, quod mentitur, servat fidem: nam hoc utique vult, ut, cui mentitur, fidem sibi habeat, quam tamen ei mentiendo non servat: omnis autem fidei violator iniquus est. Aut igitur iniquitas utilis est aliquando, quod fieri non potest, aut mendacium semper inutile est. *Idem de doctr. Christ.*

V.

Idem de mend. c. 7.

V. Nemo potest convenire, aliquando esse mentiendum, nisi qui potuerit ostendere, æternum aliquod bonum obtineri posse mendacio; sed cùm tantò quisque ab æternitate discedat, quantùm à veritate discrepat, itque qui mentitur, à veritate discordat, absurdissimum est dicere, discedendo indè posse ad boni aliquid aliquem pervenire; aut si est aliquod bonum æternum, quod non complectatur veritas, non erit verum, & ideò nec bonum erit, quia falsum erit.

S. Gregor. l. 10. mor. n. 16.

VI. Hujus mundi sapientia est, cor machinationibus tegere, sensum verbis velare, quæ falsa sunt, vera ostendere; quæ vera sunt, falsa demonstrare. Hæc nimirum prudentia usu à juvenibus scitur; hæc à pueris pretio discitur; hanc qui sciunt, cœteros despiciendo superbiunt; hanc qui nesciunt, subjecti & timidi in aliis mirantur: quia ab eis hæc eadem duplicitas, iniquitatis nomine palliata diligitur, dum mentis perversitas, urbanitas vocatur.

S. Basil. l. de spir. S. in proœm.

VII. Rerum omnium potentissimum est veritas, & extrema malitiæ linea mendacium.

S. Climac. grad. 12.

IIX. Nemo mihi cordatorum virorum existimet, mendacium esse leve peccatum; nam contra nullum vitium tam atrocem & tremendam sententiam sanctissimus spiritus pronunciavit; *Siperdes omnes, qui loquuntur mendacium*, ut David Deum allocutus attestatur, quid fiet iis, qui perjuriis mendacium confirmant? Notavi, nonnullos de mendacio etiam sibi placere, & applaudere, qui dum per scurrilitatem, & vaniloquentiam risum captarunt, sensum piè lugentium, dum illos audirent, miserabiliter extinxerunt.

S. Thom. Villan. conc. 3. de adv.

IX. Non est veritas in mundo, non est qui loquatur verum cum proximo suo. Quidquid hodie vulgus loquitur, fraus & adulatio est: Docuerunt enim linguas suas loqui mendacium; in hac schola exercitati sunt, in hac edocti, ut discerent fallere, adulari, mentiri, exaltare parva, exigua attollere, ex tumulis montes facere, ex culicibus elephantes; hæc civilitas, hæc affabilitas est; & inurbanus est, quisquis fallere & mentiri non novit.

Fuga.

S. Remigius apud mansi tr. 47. disc. 8. n. 3.

X. In eo, quòd non sumus mendaces, non homines sumus, sed Dii.

S. Climac. gr. 12.

XI. Quisquis aliud lingua promptum, aliud corde clausum habet per malitiam, hujus tota pietas & servitium divinum est inane, nec te huic tali unquam sociaveris, ne impuro illius veneno inficiaris.

Damnum.

S. Bernard. Senens. ser. 3 l. de mend. c. 7.

XII. Constat, quòd tota communicatio hominum instrumentaliter consistit in actu significationis; nullus enim potest alteri communicare aliquid sui cordis, nisi per aliquod inter medium signum. In quibus signis vox obtinet principatum; ergo corruptio significationis, quæ ex mendaci lingua procedit, est corruptio totius communicationis humanæ. Unde videmus ex hoc sequi, quòd ex multitudine mendaciorum, & hominum, qui sunt mendaces, nullus quasi alteri credit; sine mutua autem credulitate nulla est fidei societas; nulla in aliquo fides; nulla spes & confidentia firma: nulla amicitia vera; nulla pietas; nullum fœdus vel pactum, nulla concordia, nulla pax, nulla denique in aliquo bono firmitas esse potest. Ergo mendacium causa est innumerabilium scelerum & malorum.

R. P. Lohn. Auct. Bibl.

Simon de Cassia l. 1. c. 39.

XIII. Timor ergo & tremor veniant super omnes, inquit Simon de Cassia, magìs verò cautela, cùm peccatum patratum ejus jugo servitutis colla subjiciat, & sæva perfidia patrem habeat diabolum, mendacem mendacii patrem, qui suos filios sic erudivit, ut similes habeat in culpa, ut tandem consortes habere possit in pœna.

S. Bern. Sen. de mend. c. 3.

XIV. O mendacium perniciosum, & nequam, tu mutuam inter homines credulitatem extinguis, tu quoque innumerabilium scelerum, tu radix omnium *illegalitatum*, (*id est*, legis transgressionum) tu mater omnium fraudum, tu nutrix omnium duplicitatum, tu fomentum omnium detractationum, tu causa omnium proditionum, omnium falsorum Testimoniorum, omnium periuriorum: tu fœdera frangis, hypocrisin nutris, in falsas accusationes prorumpis. O maledictum mendacium; per te nulla est fida societas, nulla in aliquo fides, nulla spes vel confidentia firma. O mendacii pestiferum virus! ô pessima lepra! Tu discordias seminas, scandala ponis, simplices conscientias turbas; tu rancores, tu jurgia, tu livores & iras, contumelias, scissuras, divisiones, partialitates, & sectas suscitare non cessas. Quid plura? Tu illius progenies, qui mendax est, & pater eius: per te primos parentes nostros, & cum eis totum humanum genus ad temporales & æternas miserias Lucifer ille mendax prostravit.

S. August. in 2. Cor. c. 11.

XV. Timeo, ne, sicut antiquus serpens Evam seduxit astutiâ suâ, ita corrumpantur ab eodem serpente sensus vestri, id est, vestræ mentes: non enim carnis, sed cordis virginitatem serpens ille, id est, diabolus, corrumpere quærit: & sicut adulter homo lætatur nequitiâ suâ, cùm carnem corrumpit; Revera enim corrumpitur mens & fides eorum, qui præponunt mendacium veritati. Qui ergo mendacium ædificant in hominibus, quid ab eis expellunt, nisi veritatem? Immittunt Diabolum, excludunt Christum, immittunt adulterum, excludunt sponsum; quando enim mentem falsitas possidet, tunc serpens eam possidet.

S. August. in ps. 30.

XVI. Quis observat vanitatem? qui timendo mori, moritur; Timendo enim mori, mentitur; & moritur, antequam moriatur, qui ideo mentiebatur, ut viveret: Mentiri vis, ne moriaris? & mentiris, & morieris; & cùm vitas unam mortem, quam differre poteris, auferre non poteris, incidis in duas, ut priùs in anima, postea in corpore moriaris.

S. Ephrem. to. 1. de virt. & vit.

XVII. Qui delectatur mendaciis hic in verbis suis omnem perdet authoritatem; odibilis enim Deo pariter & hominibus redditur: ver-

fucus, ac versipellis est homo mendax, nullum est hoc maius animi vulnus, nullúmque eo dedecus gravius; homo enim mendax ab omnibus rejicitur, & ab omnibus irridetur.

Hugo Card. ap. Mans. disc. 6. n. 7. XIIX. Potior est fur, id est, minùs malus; fur enim potest restituere, quod abstulit, scilicet pecuniam; mendax autem non potest restituere quod retulit, pacem cordis sui, & famam proximi.

S. August. in ps. 139. XIX. Omnis fictus, mendax; laborant homines loqui mendacium, nam veritatem totâ facilitate loquerentur: ille enim laborat, qui fingit, quod dicit; nam qui verum vult dicere, non laborat; ipsa enim veritas sine labore loquitur; mendacium ipsorum, labor est labiorum ipsorum: Ecce parturivit injustitiam, concepit dolorem & peperit iniquitatem: In omni enim opere malo labor est, & omne opus malum cogitatum, mendacium ducem habet, non enim est veritas, nisi in opere bono.

S. Bern. Sen. to. 1. s. 31. a. 2. c. 7. XX. Tolle mendacium, & regnabit in Mundo veritas pura, fides clara, firma spes, charitas mutua, simplicitas sancta, societas bona amicitia vera, concordia certa, & pax atque tranquilitas inconcussa, & inter homines vita immaculata; ex quibus apertè patet, quòd mendacium facit de Mundo Dei, Mundum Diaboli.

Bercher. ap. Man. disc. 9. n. 8. XXI. Communiter viri mendaces solent esse desolati, & vilipenduntur, à mundo contemnuntur, pauperes efficiuntur; â Deo dico contemnuntur, quia sicut dicitur prov. 12. *abominationes sunt Deo labia mendacia.* A Mundo etiam abominantur prov. 14. *verbum mendax justus detestabitur*: Pauperes etiam efficiuntur, unde potest dici de mendace illud oseæ. 12. *Totâ die mendacium & vastitatem multiplicat.*

S. Thom. opusc. de Erudit. Princ. XXII. Qui loquitur mendacium, Diaboli figuram gerit, & imaginem; hic enim mendax est ab initio, Aliquando ergo auditurus est princeps mendax, qui denarius falsus est, verba illa, cuius est imago hæc, & superscriptio? & cùm responsum fuerit: diaboli; dicetur statim: reddite ergo, quæ sunt Diaboli, diabolo.

§. IV.

EXEMPLA SACRA.

Qualitas.

Mans. disc. 7. n. 2. I. FRatres Josephi Patrem decipere volentes, plura mendacia excogitârunt. Mendacium namque erat, quòd vestem invenissent Josephi, siquidem ipsi eâ fratrem privarunt, dicente scriptura: *Tulerunt tunicam eius.* Gen. 37. Asserebant se chlamydem reperisse sanguine madidam; ast ipsimet eam in sanguine hædi, quem occiderant, tinxerunt, patri imponentes, hunc filii sui sanguinem esse. Insuper vestem obtulêre patri veluti dubiam & incertam: vide, utrùm tunica filii tui sit, an non? & nihilominus eam ipsissimam Josephi esse, non ignorabant. Subjecerunt, dicentes: *Fera pessima comedit eum*, bestia devoravit eum: Et nihilominus nulla eum offenderat aut dilacerârat fera alia, quàm odium & invidia fraterna.

II. Eva, juxta Rupertum, depravavit verba præceptoris Domini tribus mendaciis: appositione, diminutione, mutatione. Apposuit dicendo. *Ne tangeremus illud*: Cùm tamen Deus illis præcepisset, ne manducarent, nullâ tactûs facta mentione: diminuit verò, quia cùm certa & affirmativa enunciatione dixerit Deus; *in quocunque die comederis ex eo, morte morieris*; hæc dubium vel frivolum volens esse illud, ne forte, inquit, moriamur: mutatione autem, quia cùm dixerit Dominus: Ex omni ligno Paradisi comede, & unum solummodo interdixit lignum scientiæ boni & mali: de ligno autem, inquit ipsa, quod est in medio Paradisi, præcepit nobis; & mentita est, nam & lignum vitæ erat in medio Paradisi, quod Dominus Deus non interdixit. Rupertus Abb. l. de Trinit. 3.

III. S. Augustinus in Confessionibus de seipso scribit: Horum ego puer morum in limine jacebam miser, fallebam innumerabilibus mendaciis, & Pædagogum, & Parentes, & Magistros. S. August. Confess. c. 9.

Fuga.

IV. Episcopus Tagastensis, Firmus nomine, firmior voluntate, cùm ab eo quæreretur homo, jussu Imperatoris per apparitores ab eo missos, quem ad se confugientem diligentiâ, quantâ poterat, occultabat, respondit quærentibus: Nec mentiri se posse, nec hominem prodere, passúsque multa tormenta corporis (nondum enim erant Imperatores Christiani) permansit in sententia; deinde ad Imperatorem ductus, usque adeò mirabilis apparuit, ut ipse homini, quem servabat, indulgentiam sine ulla difficultate impetraret. Idem l. de mend. c. 13.

V. Isidorus Pelusiota de seipso scribit: Lubens, volénsque veritatem honorans, malim vinci, quàm mendax vincere; vera enim narrans, etsi vinci videar, vinco; solo verò malo superans, tametsi vicisse videar, victus abeo. Isidor. l. 5. epist. 401.

VI. S. Job quoque dicebat: Donec superest halitus in me, & spiritus Dei in naribus meis, non loquentur labia mea iniquitatem, nec lingua mea meditabitur mendacium. Job c. 27.

VII. De B. Joanne in vitis Patrum refertur, quòd cuidam discipulo suo sequens tradiderit monitum: Noli, fili, negare gratiam Dei, ne incurras pro bono malum, pro humilitate mendacium; cavendum est namque omnimodo mendacium, sive pro malo, sive etiam pro bono proferri videatur, quia omne mendacium non est à Deo, sed sicut Salvator dicit; *à malo est.* At verò si quis pro tuendo inæstimabili pudicitiæ suæ thesauro mentiretur, futurúmne foret Deo gratum eiusmodi mendacium? S. Augustinus ait: Facilè responderi potest, nullam esse pudicitiam corporis, nisi ab integritate animi pendeat, quâ diruptâ, cadat, necesse est, etiamsi intacta videatur. In opusculis S. Francisci legitur, quòd, cùm duo Religiosorum suorum ex Provincia, quæ Terra Laboris appellatur, ad sanctum Patriarcham visitandum venissent, senior ex illis juniorem in rebus aliquibus scandalizârit; quod, cùm vir Seraphicus in spiritu præ- Vit. Patr. l. 1. S. Aug. l. contra mend. c. 7. S. Franc. opusc. 1. collo. 30.

prævidisset, interrogavit hunc, quâ ratione comes itineris sui se erga ipsum habuisset in itinere? Quo respondente, utique satis bene, subjunxit? Cave, frater, ne sub humilitatis specie mentiaris, scio enim, scio, quid actum sit.

Ib. Rho lib. 4. n. 7. Ex. 3. VIII. Camillus Lellius domesticis in angustiis, familiæ procuratorem ad Præsulem amicum ire iussit, argentúmque eleëmosynæ nomine petere: ille satis magnum, & , quantum non sperâsset Camillus, ab homine acceptum, ad Camillum retulit, qui admirans quæsivit de eo, qui factum id esset? Tum Procurator: Humanissimus vir, ut magnas rei domesticæ angustias esse à me intellexit, hócce argentum dedit; atqui, ait Camillus, necessitas quidem aliqua est, sed non magna, ideóque ne furti rei simus, tu acceptum argentum refer, nequid vel levissimo mendacio contaminatum habeamus. O hominem verissimâ dignum laude, qui vel levissimæ falsitati magnum argenti pondus posthabuit? Gemma scilicet veritas est, cui nullum argentum, nullum conferri possit aurum.

Ibid. n. 6. IX. Alexander Oliva, ordinis Eremitarum, Cardinalis jurabat, se ab ea die, qua puer admodum S. Augustini habitum induerat, verbum nullum dixisse, quo vel leviter læsam se veritas doleret. Duo sibi hominum genera odio esse, (quòd Rempublicam ac prudentiam proderent) mendaces, ac secretorum prodigos, quorum primi suam, secundi fidem prodant alienam; quibus sublatis, quæ potest esse hominum in Republicâ societas?

Ibid. n. 8. X. S. Carolo Borromæo ad amplissimos honores apud Avunculum Pium viam Veritas aperuit; obiicientibus enim amicis tardiorem, hebetiorémque Caroli indolem videri, quàm ut in partem Pontificiarum curarum accerseretur, (sic enim adolescentis prodentem iam tum se sanctimoniam, & loquendi parsimoniam, homines parùm ad virtutes attenti appellabant) Respondit Pius: Enim verò plùs inesse adolescenti prudentiæ, quàm pompæ, atque adeò se illum reliquis sororum filiis anteferre, quòd alii sæpiùs, ille verò in mendacio numquam esset deprehensus.

Ibid. n. 14. XI. Joannes Vincentius Pinellus nec commercii quidquam sibi volebat esse cum mendacibus. Hic enim cùm domum familiámque omnem ad virtutis atque honestatis normam exigeret, famulos, quos vel semel mentitos deprehenderat, illicò domo suâ exigebat, suásque agere jubebat res. Neque solùm à rotundis mendaciis alienos volebat esse, sed officiis, fallacíisque abstinere, sibíque præcipuè inter loquendum aut affirmare, aut negare, omnem verborum ambitum, ut mendacii haud dubiè suspectum, missum facere. Rectissimè ille quidem; quid enim horologia, si minùs veridico stellæ indicio temporis notas edant, ut corrupta damnamus; homines sponte contra animi sui sententiam loquentes probabimus?

§. V.

EXEMPLA PROFANA.

I. Hispanus cùm solvere hospiti symbolam deberet, eidem, si sine pretio dimitteret promisit artem traditurum, quâ posset ex eodem dolio tria vini genera educere. Itaque postulans terebrum, accessit ad dolium, ac primo foramine facto, jussit hospitem apposito digito dextræ manûs id tantisper obstruere, donec & in alterâ parte id faciat. Quo facto, jussit & sinistræ manus digitum apponere: Demum in medio quoque cùm fecisset foamen, os jussit admovere, quo facto aufugit, & hospitem nimia sua credulitate deceptum reliquit. *Laurent. Forer in mr.*

II. Epænatus dicere solitus est, mendaces omnium scelerum, & injuriarum authores esse. *Plutarch. in Lacon.*

III. Spartiatus refert, Claudium Imperatorem præcepisse, ut corpus Pamphili mortui relinqueretur insepultum, & à canibus devoraretur, nec non omnibus facultatibus eius confiscatis, domóque illius in terram demolitâ, filii & uxor eius ab urbe Romana exularent, eò quòd mendaciis assuetus, verum nunquam dixisset. *Mansi disc. 8. n. 7.*

§. VI.

SIMILITUDINES.

I. Sicut, qui diminuta haberet pondera, infamis & latro censeretur, ita qui in conversatione & commercio humano mendaciis utitur, non minùs indignus, dolosus, & infamis erit, quàm latro. *Mansi disc. 6. n. 3.*

II. Sicut ex ferro & lapide excutitur ignis; ita ex loquacitate & scurrilitate mendacia nascuntur. *S. Climac. in scala. gr. 11.*

§. VII.

MOTIVA.

I. Quia Christo mendacium singulariter exosum est, ut qui de se ipso dixit: *Ego sum via, veritas, & vita*; atque adeò, quidquid veritati contrarium est, summè detestatur. *Mansi disc. 1. n. 6.*

II. *Quia fini hominis contrarium est*; nam, teste S. Bernardino, certum est, creaturam intellectualem ad imaginem Creatoris sui esse conditam, ut semper tendat ad primam veritatem cuius est imago, & ut hanc semper transcribat, interiúsque & exteriùs in se exprimat: sed mendacium non est aliud, quàm macula, infectio, & depravatio. Hinc S. Antiochus ait: Eludunt Dominum, fiúntque prædones Domini; spiritum enim acceperunt nulla contagione mendacii, nulla depravatione obliquum, hunc si reddiderint interstinctum variis mendaciorum coloribus, utique videri possent contaminâsse depositum. Et iterum: Necesse est, ex hominis ore nullum effundi sermonem, qui non veritati omninò innitatur, ut spiritus ille veritatis, qui idem Deus est, intelligatur in hac carne sibi elegisse domicilium: atque ita demum glorificatur Dominus inhabitans hominem, dum *S. Bernard. Sen. ser. 31. a. 1. c. 1.* *S. Antioch. ho. 66. de Verit.*

dum in omni verbo verax est Dominus, nec ullum possit de ipso deprehendi mendacium.

Origenes apud Mansi disc. 6. n. 2.

III. *Quia Diabolicum est inventum*, uti Origenes insinuavit dicens: Diabolus mendacium genuit, seductus est à se ipso, in hoc deterior, quòd alii ab eo falluntur, ipse sibi deceptionis est author; quod utique Christus insinuare voluit, quando ait: *Cùm loquitur mendacium, ex propriis loquitur*; est enim mendacium venenum quodam ab ipso genitum, postquam ex pulcherrimo Angelo in horrendum Dæmonem, Dei & humani generis inimicum, degeneravit. Rupertus Abbas accuratè notat, quisnam ille fuerit, qui mendacii authorem & patrem nobis manifestavit; dicit enim: Ecce hoc est mendacium, quod iste Diabolus genuit, cuius patrem hunc esse pronunciavit Dominus Jesus Christus, Veritas & Verbum Dei. Simon de Cassia pariter hæc Salvatoris verba ponderat: Cùm loquitur mendacium, ex propriis loquitur: Subdit enim: Non enim à Deo habuit, ut mentiretur, nec ab alio authore accepit, ut mendacium loqueretur; mendax sibi; mendax omnibus, cùm omnes decipere velit, & pater est mendacii, quia ipse primus fabricator est eius, pater eius: quia sicut homo prole carnis satigit, ut pater sit, sic Diabolus agit, ut ex mendacio possit filios, filiásve generare. Licet ipse illud adeò turpe existimet, ut quemadmodum Robertus Holkot notavit, quando primò mentiri cogitavit, noluerit in effigie hominis, aut ei propinquâ apparere, sed serpentis; quasi nobilitati suæ naturæ mendacium displiceret: sed bestiæ talis formam accepit, quæ naturæ hominis adversatur, in signum, quod mendacium est venenum humanæ naturæ, juxta illud sap. 1. *Os, quod mentitur, occidit animam.*

Rupertus Abb. l. de Vict. Ver.

Robertus Holkot in proœm. in L. sap.

IV. *Quia turpissimum*, ideóque & infame est vitium, uti vel ipsi etiam Ethnici agnoverunt; hinc Thomistoces dicere solebat: Mendacium turpissimum est, & liberali homine indignum. Plutarchus etiam in detestationem mendacii ait; mentiri servile est, dignúmque apud omnes homines odio, ac ne mediocribus quidem servis ignoscendum. Hinc Aristoteles interrogatus, quonam emolumento vir mendax ex mendacio gaudeat, respondit quòd etiam veritatem dicenti nemo credat. Quod ipsum etiam his verbis S. Hieronymus confirmavit: Antiquus sermo est: mendaces faciunt, ut nec vera dicentibus credatur.

Plutarch. de puer. educ.

S. Hieron. l. 1. ep. 2.

V. *Quia laboriosum est vitium*, uti S. Gregorius advertit, dicens: Qui relictâ veritate, mentiri deliberat, ut audientium animum fallat. Sed quantus labor est sollicitè custodire, ne ipsa eius fallacia deprehendi queat? & cum magno cogitatu pertractat, quomodo per argumenta falsitatis documenta veritatis exsuperet; hinc indè se circumtegit, & contra hoc, ubi deprehendi potuerit, veritati similem responsionem quærit; qui si vellit verum dicere, utique sine labore potuisset; Plana quippe est veritatis via, & grave est iter mendacii. In quorum confirmationem citat textum Jeremiæ. c. 9. 5. dicentis: *Veritatem non loquentur; docuerunt enim linguam suam, loqui mendacium: ut iniquè agerent, laboraverunt.* Optimè quidam Author de mendacio agens, inquit: mendacium non veterascit: non inveteratur mendacium, sed semper quasi iuvenescit: Item de mendace Titus Livius inquit: Mendacem memorem esse oportet. Et ecce vobis novum hominis mendacis laborem; extremè namque solicitus est, ut, quod falsum dixit, viva semper in memoria circumferat, ne aliquando ei contradicat: veritas autem semper eadem, semper eundem habet vultum. Cogitandum est iterum, iterúmque, qualiter, & per quam viam, ut mendacium sustineatur & defendatur, gradiendum sit, ut falsitas in mentibus radicetur alienis: quodque omnium pessimum est, tandem ad perjuria descenditur. Hinc S. Augustinus ait: Propterea quia omnes laborant in mendacio, veritas quid clamabit? *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos*; Eadem quoque veritas, subiungit S. Augustinus, est illa, quæ in alio quodam Psalmo nos repræhendit, inquiens: *Filij hominum usquequo gravi corde, ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Veritas homini naturalis est, sicut econtra mendacium ab eodem est alienum, unde mendaces, Filii alieni vocantur: Filii alieni mentiti sunt mihi. Diabolus enim mendacii author est, & instigator; ac proinde maiorem utique facilitatem vera loquendo habebimus, quàm in proferendis mendaciis.

S. Greg. l. 12. mor. c. 20.

S. August.

§. VIII.

MEDIA.

Ephe. c. 4. 1. Chrys. in l. c.

I. PRæter ea, quæ in Bibliotheca Manuali sunt indicata, unum hîc adjungam, quod S. Paulus indicavit dicens: *Propter quod deponentes mendacium, loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo, quoniam sumus invicem membra.* Efficacissimum sanè execrandi mendacii motivum; omnes namque eiusdem corporis sumus membra, eodem vivificata spiritu, subque eodem capite, quod æterna veritas est: veritatem autem facientes, in charitate crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus, ex quo totum corpus compactum est. Ubi D. Chrysostomus talem format discursum: Quod pudorem magis incutit, quia sumus invicem membra. Nemo decipiat proximum, nihil est, quod æquè pariat inimicitias, atque decipi & falli; vides, quomodo ubique eis pudorem incutiat per corpus: Ne fallat, inquit, oculus pedem, neque pes oculum, ut si sit fossa profunda. Quid si serpentem viderit oculus, aut feram, num fallit pedem, num statim renunciat? ita nos quoque ne mentiamur, nec fallamus, si sumus alter alterius membra. Sanè si oculus deciperet pedem, nec de præcipitio sollicitus esset; inevitabile claudicationis aut mortis damnum, & consequenter ipsius oculi jactura toti infereretur corpori ita, & mendacium non modò mendaci, sed etiam proximo & reipublicæ toti, utpote commercio perniciosum humano, damnum infert; ideóque S. Hieronymus nos admonet, dicens:

S. Hier. in l. c.

tens: Nemo circumveniat fratrem, quia unum corpus sumus, & non possunt alterutrum membra se fallere; nec enim manus aut oculos, aut dentes lacerarent membra, nisi fortè, ubi spiritus immundus inhabitat.

§. IX.

ASCETICA.

S. August. in supplem. to. de diversis. 6.3. I. *IN primis Nosse debet Asceta discrimen inter deceptionem, & mendacium*; quod quidem S. Augustinus his verbis assignavit: Fallitur, qui putat verum esse quod dicit, & quia verum putat, ideo dicit; hoc autem quod dicit, qui fallitur, si verum esset, non falleretur; si non solùm verum esset, sed etiam verùm esse sciret, non mentiretur. Fallitur ergo, quia falsum est, & verum putat; dicit autem, nonnisi, quia verum putat: Error est in humana infirmitate, sed non est in conscientiæ sanitate; quisquis autem falsum putat esse, & pro vero asserit, ipse mentitur.

Concil. Tolet. II. *Nosse debet, quænam sit diversitas gravitatis in mendaciis*, de qua Concilium Toletanum octavum sic loquitur: Vir sanctissimus Augustinus vestigationis acumine cautus, inveniendi arte præcipuus, asserendi copiâ profluus, eloquentiæ flore venustus, sapientiæ fructu fœcundus, hæc in suis narrat affatibus: Duo sunt omninò genera mendaciorũ, in quibus non magna culpa est, sed tamen non sunt sine culpa, cùm aut jocamur, aut proximis utilitatis causâ mentimur; illud primum in jocando, ideo non est perniciosissimum, quia non fallit: novit enim ille, cui dicitur, joci causâ esse dictum. Secundum autem ideo mitius est, quia retinet nonnullam benevolentiam; ideo ipse; non auferat, inquit, veritas misericordiam, non misericordia impediat veritatem; unde patet perniciosum mendacium cœteris gravius esse, atq; adeò & studiosiùs fugiendum.

S. Thom. 22. 110. a. 3. III. *Nosse debet, cur illicitum sit mendacium*; quod S. Thomas sequentibus verbis indicat: quod est secundùm se malum ex genere, nullo modò potest esse bonum & licitum, quia ad hoc, quod aliquid sit bonum, requiritr, quòd omnia rectè concurrant. Bonum enim est ex integra causa, malum verò ex singularibus defectibus, ut Dionysius c. 4. de divin. nominibus ait. Mendacium autem est malum ex genere; est enim actus cadens super indebitam materiam; cui assentiens Gerson, omne mendacium, inquit, est malum & peccatum, quia fit abusus loquelæ, quæ ordinata est ad hoc manifestandum, quod est in corde, & principaliter propter hoc, quia si daretur licentia mentiendi sine peccato, destrueretur tota fiducia societatis, quæ est inter homines, quia nesciretur, quando veritas diceretur, & quando non, ex quo mentiri posset licitè in aliquo casu. Hinc Innocentius III. dixit: Divini præcepti verbo constanter vetari, ne quis etiam pro alterius vita salvanda mentiatur. Ubi Hugo Victorinus quærens utrùm pro alterius vita tutanda mentiri sit licitum, in hæc conclu dit verba: Nullo modo approbandum est;

Gerson. M. 2. de cognit. pecc. confid. 13.

Innocent. III. c. sup. eo de usur.

cujus hanc assignat rationem dicens: Malè enim mentiendo vitam servat in alterius corpore, qui per mendacium veritatem extinguit in suo corde. Quâ eâdem in difficultate sese occupans Sanctus Basilius in brevioribus regulis suis, hanc movet quæstionem: Nunquid utilitatis alicujus causâ consultò mentiendum sit? Et absolutè nequaquam id licitum esse respondet, inquiens: Hoc sententia Domini non permittit, à quo sic præcisè dictum est: Mendacium ex Diabolo esse, neque mendacii ulla omnino distinctio est adhibita: At verò si quis propter lucrum spirituale mentiretur, offenderétne DEUM, suámque coinquinaret conscientiam? Respondeo: à spiritu veritatis, S. Paulo Apostolo dictata lex est, non esse facienda mala, ut eveniant bona: majus autem malum esse offensam DEI, plurisque æstimandam, quàm quodvis ingens bonum, quod ex mendacio resultare posset. *S. Basil. in reg. brev. inter. 26.*

IV. *Nosse debet, quomodo cum veritate dixerit S. David: Ego dixi in excessu meo: omnis homo mendax*: Si namque propter hoc asserit, ut homo fidem non mereatur, utpote mendacium dicens, quandoquidem juxta eius testimonium: omnis homo mendax; atqui ipse est homo, ergo mendax; cui nimirum responderi potest, (verba sunt Petri Damiani) si omnis, & tu: falsáque iam erit sententia, quam mendax ipse protulisti; si verò ipse non mendax, vera iam sententia non erit, quia dum tu es verax, non omnis homo cognoscitur esse mendax. Difficultatem itaque ex iis, quæ Psaltes præmiserat (scilicet: Ego dixi in excessu meo) in hæc resolvit verba: Per excessum igitur mentis & semetipsum transiit, dum de qualitate hominis definivit, ac si perspicuè dicat: De falsitate omnium hominum indè veram sententiam protuli, unde ego ipse supra hominem fui; intantum verò & ipse mendax, in quantùm homo; in tantum autem omnino non mendax, in quantum per excessum mentis supra hominem ad summa contemplanda conscendi. Idem quoque dubium S. Hieronymus movet, eandémque illi adhibet ponderationem: Ita enim discurrit: vel David verum dicit, aut verò mentitur? si verum est, quòd omnis homo sit mendax, verúmque pariter est, quod dicit, ergo & ipse mendacium dicit, quia homo est; si verò mentitur & ipse, ergo subsistere nequit, quod asserit: Veruntamen ad hanc obiectionem idem Sanctus Hieronymus aliter respondet, inquiens: Nos autem dicamus, & David vera dixisse, quòd omnis homo mendax: quamdiu enim homines sumus, mentimur; quando autem fuerimus Dii, desinimus mentiri; si quis sanctus est, DEUS efficitur, & quando factus fuerit DEUS, desinit esse homo, & iam non mentitur. *S. Petrus Dam. l. 10. epist. 14.*

V. *Nosse pariter debet, quomodo aliqua sanctorum hominum dicta à mendacio excusari queant, ut cùm S. Abraham* ad radices montis subsistens dixit servis suis: *Postquam adoraverimus, revertemur ad vos*: circa quæ verba idem Origenes quærit, quomodo Abraham dicere *Origenes 41. Mansi. disc. 4. n. 6.*

dicere potuerit, quòd ipse & filius eius ad servos essent reverturi, quandoquidem filium suum in monte iugulandum esse sciebat? unde subiungit: Dic mihi Abraham, verum dicis, aut fallis? si verum dicis, non facies filium holocaustum; si fallis, tantum Patriarcham non decet fallere: Móxque ex ore Abrahæ in hunc modum respondet: Verum dico, & holocaustum offero puerum, & cum ipso redeo ad vos, credo enim, & fides mea hæc est, quòd à mortuis resuscitare eum potens est DEUS. Similiter quando idem Patriarcha Saræ coniugi suæ persuasit, ut diceret, se sororem suam esse, non propter hoc mendacium ei persuasit: Nam ut Oleaster ait: verè etiam dixit, quòd soror ipsius esset, filia scilicet patris sui, tenentur enim viri sancti de se rationem reddere, maximè quòd non sunt mendaces. Unde tametsi verissima sit illa propositio: In multis offendimus omnes; attamen servi DEI mendacii labem specialiter semper abhorruerunt, ac proinde Abraham apud Regem illum idololatram, & in domo eius, in qua timor DEI non erat, ostendere voluit, se non esse mentitum, neque coniugi suæ persuasisse, ut diceret mendacium, ideòque ait: *Verè soror mea est, filia Patris mei, & non filia matris meæ.* Davidem quoque in tali occasione positum in scriptura invenimus, in qua sibi necessarium esse duxit, ut mendacem se faceret, seu ut meliùs dicamus, ut talem se esse fingeret, qui non erat, & verum occultaret; quia de vita ejus pariter & salute publica tuenda agebatur, eò quod hæc ex ejus utpote à Samuele in Regem Israël consecrati morte plurimùm periclitaretur. Inprimis igitur, quia David ab aula regia fugitivus erat, eò quòd Saul Rex ipsum ad necem inferendam, persequeretur, in itinere famelicus factus sacerdoti dixit: *Rex præcepit mihi sermonem, & dixit, nemo sciat rem, propter quam missus es à me*; quòd tamen à Rege præceptum ei non fuerat, sed notetis velim, quibus verbis David factum hoc circumscripserit, dum Psalmum 33. ab his verbis exorsus fuit; Psalmus David, quando mutavit faciem coram Achimelech: ubi Theodoretus ita scribit: Quoniam fugitans sacerdoti fugam minimè indicavit, sed regium quoddam negotium se perficere dixit: mutasse faciem dicitur, tanquam solitâ veritate minimè usus; quia enim in tam arduo casu veritatem celare & fingere licitum putabat, idipsum faciens, tali rubore vultum suum tinxit, ut faciem alteram habere videretur, unde ad perpetuam hujus facti memoriam, in Ecclesiæ annalibus hæc verba scripta reliquit; Psalmus David, quando mutavit faciem coram Achimelech: larvam enim induit, & se Davidem esse coram aliis videri erubuit, quando in verbis suis veridicus, sincerus, & ingenuus non erat.

Mansi ib. n. 7.

VI. *Nosse debet, quomodo spiritus bonus & malus quoad hanc materiam discernantur*; id quod Author operis imperfecti sequentibus verbis indicat: sic discernuntur; quoniam Diabolus interdum verum dicit: S. autem Spiritus nunquam interdum mentitur; concessum est autem diabolo & interdum veritatem dicere, ut mendacium suum ratâ veritate commendet; si autem nunquam diceret verum, nec ad tentationem poterat proficere seductio ejus, cur autem veritatem præmittat, causam S. Isidorus indicat dicens; sæpe vera præmittit, qui falsa dicturus est, ut cùm primum acquisierit fidem, ad reliqua mendacia audientes credulos faciat; plerumque à veritate incipit, qui falsa confingit; latent sæpe venena circumlita melle verborum, & tam diu deceptor veritatem simulat, quousque fallendo decipiat.

Author. op. imperf. ho. 19.

S. Isidor. l. 2. sent. c. 30.

VII. *Nosse debet, quando liceat occultare veritatem*; nam, ut S. Bonaventura ait: Nunquam mendacium licet dicere, sed veritatem licet & expedit quandoque tacere; adducitque Samuelis exemplum, qui, cùm missus esset, ut Davidem in Regem consecraret, interrogatus, ad quid venisset, respondit, venisse se, ut Domino sacrificium offerret: *Ad immolandum Domino veni*, inquit; ad aliud enim principaliter venerat, & nihilominus hoc facere proponebat. Hugo de Sanct. victore similiter hac de re ita scribit: Potest tamen in huiusmodi aliquando veritas sine culpa celari, quando causa salutis nostræ, sive utilitatis alienæ ratio id exposcit; longè enim aliud est, quod verum est, tacere; atque aliud, quod falsum est, asserere. Anastasius Nicænus, quomodo ad veritatem celandam fingere liceat, ostensurus, jam citatum adducit Samuelis exemplum, nec non & Moysis, quando Phamoni dixit, quòd populus itinere trium dierum egressurus esset ad offerendum Deo suo sacrificia in solitudine, tametsi populum ab Ægypto in sempiternum migraturum esse sciret. Item exemplum Aod, & Jahel cum Sisara, Judith item cum Holoferne: hisque exemplis adductis tandem concludit, dicens: Per hos ergo dolos non sunt sancti appellandi mendaces, sed sapientes quidem ad bonum, sinceri autem ad malum.

S. Bonav. in Bibl. paup. Hugo vict. l. 1. de sacr. fid. p. 12. c. 7.

IIX. *Nosse debet, cur Religiosis præcipuè hoc vitium fugiendum sit*; nimirum ob causam, quam S. Albertus M. super illa verba. 3. Reg. c. 17. vir Dei es, & verbum Dei in ore tuo verum est; se reflectens, assignat dicens: Mendacium in ore omnis hominis peccatum est; in ore autem Doctoris veritatis, sacrilegium est.

S. Albertus M. in cit. text.

IX. *Nosse debet specialia damna mendacii*; quæ dilucidè Josephus Mansi indicavit his verbis: Præterea mendacium in se ipso triplicem ex natura sua continet malitiam, & deformitatem, videlicet abusum loquendi, deceptionem proximi, & amicitiæ violationem, qui enim mendacium loquitur, sermone abutitur, quia usus linguæ ad hoc specialiter homini concessus est, ut ad explicandum exteriùs, quæ interiùs concepta sunt, distinctam vocem, & sermonem articulare possit: mendacium autem huic effectui opponitur, siquidem interiorem conceptum falsificat.

Mansi disc. 1. n. 6.

§. X.

§. X.

MISCELLANEA ET CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Qualitas.

Id. n. 7. I. Lingua, ut Anatomistæ aiunt, per certam quandam venam cerebro connectitur, & per aliam venam cordi conjungitur; Per hanc verò venarum distributionem natura nos docet, quòd instrumentum illud humidum ab intellectu & ratione ita regulandum sit, ut lingua simul cum corde perfectè consentiat. Mendacium verò est manifesta proximorum deceptio.

Mansi discur. 10. n. 9. II. Mendacium Salvatori nostrò adeò exosum est, ut ipsum ne quidem in ipsiusmet infernalis inimici ore sufferre possit. Prout ex illis sancti Lucæ patet verbis: Exibant dæmonia â multis, clamantia & dicentia: *quia tu es filius Dei*, & increpans non sinebat ea loqui, quia sciebant ipsum esse Christum; ubi meritò interrogaverim, cur Dominus â Dæmonibus Filius Dei appellari noluerit, nunquid enim falsum asserebant? Mysterium ex illo S. Marci eruitur textu: *scio, quis sis Sanctus Dei.* Vbi Caietanus inquit: Non sinebat ea loqui, quia dicebant mendacium: quem enim Filium Dei annunciabant, talem esse non credebant.

S. Gregor. l. 11. mor. n. 15. III. Notanda sunt verba illa Jobi dicentis: *Prius vos ostendens fabricatores mendacii*; etenim dum fabrica aliqua erigenda est, priùs formantur ideæ, mensuræ præmittuntur, jaciuntur fundamenta, & hæc quidem omnia datâ operâ fiunt; ac proinde Job mendaces, fabricatores mendaciorum appellans, per hoc insinuavit, mendacia eorum ab ipsis non inconsideratè profluxisse, sed cum præmisso studio, cum præhabito consilio & fine certo præfixo fuisse elaborata; vnde S. Gregorius ait: Qua in re quoque oportet intelligi, quòd mendacii fabricatores dicuntur; sicut enim ædificium lapidibus, ita & mendacium sermonibus fabricatur. Atque hinc est, quòd maiorem mereatur pœnam is, qui studiosè mentitur, quàm qui ex lapsu linguæ mendacium effutit.

Fuga.

S. Chrysost. in c. 15. 1. ad Cor. IV. Quorundam interpretum opinio est, primos, quos Salvator noster ab infirmitate curavit, leprosos fuisse. *Ecce leprosus veniens, adorabat eum, dicens &c.* At verò cur hic morbus specialiter primo omnium loco sanatur? Divus Chrysostomus super caput. 15. 1. ad Cor. scribens: Lepram mendacium præfigurare existimavit; quia lepra carnem, quæ exteriùs putrida est, interiùs verò sana, maculat & variat, ideóque mendacii est Symbolum, quod in pronunciatione exteriori malitiam suam habet, quia in mente verum apprehendit, licèt per linguam exteriùs falsum dicat; meritò igitur primo omnium loco sanandus fuit leprosus, quia ei, qui progressum vult facere in virtutibus, necessum est, ut priùs hanc curet infirmitatem spiritualem: Vnde idem Chrysostomus observat, quòd, quando Moyses ex monte tabulas legis detulit, una ex præcipuis industriis hæc fuerit, ut scilicet leprosos separari faceret ab aliis, quia qui divina vult servare præcepta, necessariò veritatem sequi, & mendacium fugere debet.

V. Jonas Propheta â Deo in civitatem Ninive missus fuerat, cum expresso præcepto, hanc populo illi ex parte Dei pronunciandi sententiam: *Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur.* Propheta autem cæteroqui Sanctus, in hoc facto se divino præcepto rebellem monstravit, quia abscondit se, & fugit: Glossa interlinearis super illa verba: Filium Amathi; id est, veritatis, hunc Prophetam nomen Patris sui, id est, veritatem in nomine suo prætulisse dicit, atque ideo mirum non est, quod tanto cum Zelo caverit, ne â maiorum suorum indole degeneraret, considerabat namque, quòd Deus per populi illius pœnitentiam facilè placandus esset, prout re ipsa evenit; adeóque se in evidenti positum esse periculo, ne mendax censeretur, si non subsequeretur comminata per ipsum Ninive subversio; ac proinde ignominiam istam, quæ haud dubiè in viro virtuoso multò majoris æstimatur, sustinere non valens, in fugam se recepit; vnde Theodoretus ait: itaque prædictionem eius falsam videri, sibi turpe existimavit, séque Prophetam vocari mendacem: Potius igitur in medias tempestates se ingerere, & ab ingenti marino monstro devorari, Deíque iræ tantisper subjectus esse maluit, quàm famam præ se ferre viri mendacis. Mansi disc. 6. n. 4.

VI. S. Petrus, cui Christus totius Gregis regimen commisit, ut illum in viam dirigeret salutis æternæ, quam ad hunc finem, ob quem creati & redempti sumus, consequendum semitam ingredi debeamus, his verbis nos docet: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius:* At verò quænam sunt hæc â Salvatore nobis relicta vestigia, quæ sequi & imitari debemus? Num fortè eximia mansuetudinis suæ exempla, siquidem prima petitio, quam in cruce æterno Patri suo proposuit, pro venia crucifixoribus suis impetrandâ instituta fuit: *Pater, dimitte illis?* aut verò profundissimam eius nos voluit imitari humilitatem? *Humiliavit semetipsum Dominus Jesus Christus usquè ad mortem, mortem autem crucis?* vel denique docere nos voluit, ut sectaremur exemplum ardentissimæ suæ charitatis: *In finem dilexit eos?* Nequaquam, inquit S. Petrus, sed vestigia Christi, quæ Christiani sequi & imitari debent, consistunt in sinceritate, & simplicitate veritatis, sequamini vestigia eius, qui peccatum non fecit; Vt verò culpam expressius specificaret; â qua specialiter alienus fuit, subjungit; Nec inventus est dolus in ore eius; id est, in ore eius nullum inventum est mendacium. Vnde observandum est, quòd, quotiescunque sibi necessarium fuit, ab hac labe immunem se esse ostendere, summum semper Zelum exhibuerit; etenim tametsi omnes iniurias sibi illatas æquanimiter tulerit, attamen quando de veritate læsâ calumniatus fuit, stre- Idem disc. 6. n. 6.

nuè se defendit; quia cùm mendacium, maximè in persona religiosa, summum secum ferat præjudicium, illius calumniam dissimulare nunquam voluit, ac proinde dixit : Etsi judico ego, judicium meum verum est, quia solus non sum, sed ego, & qui misit me, Pater; & in lege vestra scriptum est, quia duorum hominum testimonium verum est: ego sum, qui testimonium perhibeo de me ipso, & testimonium perhibet de me, qui misit me, Pater.

Ibid. n. 7. VII. S. Joannes numerosam quandam in cœlo innumerabilium animarum beatarum, Agnum sequentium, vidit processionem; at verò quosnam illos fuisse existimatis, qui præstantioribus meritis hanc fuêre consecuti gloriam? Num fortè illos, qui in præsenti vita in eremis ab hominum consortio remoti vixerunt? aut verò qui corpus suum flagellis & ciliciis macerârunt? vel denique, qui pro fidei defensione sanguinem suum fundere non dubitarunt? Nulli horum, quia de nullo alio specialior fit mentio, præterquam de iis, in quorum ore non est inventum mendacium; Indè namque consequitur, quòd sine macula sunt ante Thronum Dei.

Damnum.

Idem disc. 8. n. 7. IIX. Serpenti, mendacii primo Authori, hæc pœna imposita fuit: Terram comedes, super pectus tuum gradieris; nimirum Deus noluit, ut cœlum versùs se elevare posset, ut denotaret, quàm sint cœlo indigni mendaces; perdes omnes, qui loquuntur mendacium; adhæc, quisnam cibus gravior, insipidior, & perniciosior esse potest, quàm terra? suavis est homini panis mendacii, sed postea os eius implebitur calculo, qui tandem detecto mendacio in mendacem redundat, contemptus, ignominia, damnum, imò & mors ipsa. Econtra de veritate Lactantius Firmianus ait: Nullus suavior est animæ cibus, quàm cognitio veritatis.

Ib. n. 6. IX. Quàm asperâ vindictâ DEUS in mendaces homines animadvertat, perspicuè videri licebit, si ex una parte consideremus, Danielem non semel, sed bis inter leones famelicos illæsum, ex altera verò parte Prophetam illum à DEO ad Jerobeam missum, & in via à leone invasum, & horrendâ morte enecatum contemplemur, non obstante, quòd paulò antè tam prodigiosa operatus fuerit miracula, efficiendo, ut brachium regis exaresceret, illudque ipsum suis orationibus pristinæ denuò restitueretur integritati; quódque tam ardentem in vero DEI cultu & religione defendendâ exhibuisset zelum: Dic enim sodes, quænam est hæc inter duos hasce Prophetas, quorum unus semper illæsus permansit, alter verò miserâ morte periit, differentiæ ratio? Divus Chrysostomus respondet: Justus Daniel, & leones agnoverunt Dominum; peccavit Propheta mentitus, & leo in via inventum morte affecit. At verò siste parùm, ô Chrysostome, non enim ille mendacium dixit, sed alter Propheta, qui illum seducere conatus fuit: ita quidem est, inquit Divus Chrysostomus, ac proindè os ejus aureum subiungit: Erat mendacii fuligine atratus, & leo eum non cognovit; sed quomodo mendacii fuligine atratus dici potest, si mentitus non fuit? Audite, si placet; Propheta illi falsi illius prophetæ mendacio aurem præbuit, séque ab illius mendacio circumveniri permisit, ac proindè leo illum tanquam DEI Prophetam non agnovit; si Prophetam vidisset, ut Danielem eum honorasset; invenit Pseudoprophetam & tanquam alienum invasit; Ecce quantopere divina iustitia etiam illos, qui mendacio aures & fidem adhibent, in hac vita puniat.

X. Martinus Delrius refert, in Misnia rusticum quendam omnem suam pecuniam cuidam bursæ ex vesica confectæ habuisse inclusam, domíque suæ in scabello quodam expositam, quam dum scropha quædam deglutivisset, ipse nescius modi, quo pecunia sibi erepta fuisset, eandem à conjuge sua sublatam fuisse suspicatus est, illâ autem idipsum negante, maritus mulierem quandam veneficam, consilii causâ convenit, quæ circulum quendam faciens, eidem præcepit, ut illum ingrederetur, indéque non recederet, donec ad ipsum rediret, interea verò venefica interiora domûs suæ ingrediens, dæmonem, quisnam fur ille fuisset, sciscitata est, qui respondit: Sus comedit domestica, tu tamen dicito, conjugem eius, ut cum sacerdote amasio eam abliguriret, clàm eandem sustulisse: quod responsum eo, quo à Dæmone instructa fuerat, modo, venefica Marito retulit, nesciens, ipsum ad illam consectandam è circulo egressum, omnia, quæ à dæmone dicta fuerant, plenè percepisse: domum suam itaque reversus, rei seriem coniugi aperuit: interea verò scropham occidens, pecuniam suam omnem reinvenit, mulierémque fatidicam tanquam maleficam & calumniatricem, apud Magistratum accusavit, quæ Vulcano consecrata, infami morte vitam inter flammas turpiter clausit: Ecce tibi quàm verum sit, quòd omnis, qui mentitur, ex diaboli persuasione mentitur. Delr. disq. mag. l. 4. c. 1. q. 7.

XI. Cùm Theodosio Juniori Imperatori pomum quoddam miræ magnitudinis, nec minoris venustatis oblatum fuisset, hic eius speciem admiratus, illud Eudoxiæ coniugi suæ dono dedit, quæ illud Paulino donavit, qui ob sapientiam & literaturam suam domesticus & familiaris eius erat, licet non sine oborta penes Imperatorem mali suspicione: hic autem Paulinus, id quod Imperatorem inter & coniugem eius acciderat, ignorans, ut se tanto magis in Theodosii gratiam insinuaret, pomum hoc ab Imperatrice sibi datum Theodosio dono transmisit: Quo recepto is Eudoxiam, quid de pomo sibi dato factum fuisset, interrogavit, quæ se manducâsse illud respondit; at verò Imperator fraude illius deprehensâ, eandem tanquam mendacem acriter reprehendit, atque exinde suspicio incrementa sumpsit talia, ut tandem Paulinus donum Baron. ad ann. 446. n. 15.

num à se Imperatori transmissum, morte luere debuerit.

Mansi disc. 6. n. 6. XII. De Isaac Eremitâ legitur, quòd, dum aliquando viatores nonnulli ipsum convenissent laceri, & quasi nudi, eleemosynæ loco vestimenta ab ipso postulantes, sine mora vir DEI sanctus, qui fictionem & mendacium illorum in spiritu agnoverat, quendam discipulorum suorum ad se accersivit, eique ut ad certam sylvam aliquam abiret, præcepit, assecurando eundem, quòd in concavitate cuiusdam arboris multas reperturus esset vestes bonas, quas proinde ad se adferret: abivit discipulus, & inuentas vestes ad virum DEI attulit, qui easdem inter impostores illos divisit, dicens: Venite, quia nudi estis, & ecce tollite, & vestite vos; hæc illi intuentes recognoverunt, quæ posuerant vestimenta, magnóque pudore consternati sunt, & qui fraudulenter vestimenta quærebant aliena, confusi receperunt sua.

Lib. 4. Reg. c. 5. XIII. Cum Elisæus per aquas Jordanis Naamanum à lepra sanâsset, Giezi ab avaritiâ sua instigatus, ut ab opulenti Principis illius manibus copiosam & abundantem extorqueret remunerationem, mendacia finxit; at verò quamnam indè pœnam retulit? priusquam illam exponam, audiatis primùm eius temeritatem. Prophetâ enim interrogante: unde venis? ille respondit: Non ivit servus tuus quoquam; At verò nunquid Elisæum prophetiæ spiritu præditum esse sciebat, cui proinde à DEO revelatum fuerit, non solùm id quod fecit, verùm etiam, quod per imaginationem cogitavit? Nihil tale impostores à mendaciis cohibet. Idem Giezi ipsum Naaman circumvenit, dicendo; Dominus meus misit me ad te, dicens: Modò venerunt ad me duo adolescentes de monte Ephraim, de filiis Prophetarum, da eis talentum argenti, & vestes mutatorias duplices: Propter hæc igitur mendacia iustè promeruit, ut lepra, à qua Naaman sanatus fuerat, super ipsum recideret: Lepra Naaman adhærebit tibi, & semini tuo usque in sempiternum; & egressus est ab eo leprosus, quasi nix.

Polidorus l. 5. XIV. Polidorus de Goderino scribit, quod, cùm mendacium quoddam dicere statuisset, priùs dixerit, si quod dicturus sum, verum non est, DEI super me vindicta cadat, & bolus panis, quem ore verso, me suffocet; quod protinus ei evenit, nam ab eodem bolo fuit suffocatus.

Niceph. l. 10. hist. c. 35. XV. Narrat Nicephorus, quòd, cùm duo pauperes Epiphanium, Episcopum Cypri, à longè prospexissent, unus illorum in terram procumbens, mortuum se finxerit, alter verò se præ fame mori, nec habere, unde mortuum sepulturæ tradere posset, lamentatus fuerit; cúmque Episcopo transeunti negligentiam, & exiguam hujus miseriæ compassionem exprobrâsset, hic mortuo bene precatus fuit, dicendo *Requiem æternam* &c. alteri verò exiguâ pro funeralibus erogatâ eleemosinâ dixit: curam huius funeris habe, & tandem flere desine; nam hic nunc non resurget, mortem autem, quæ communis omnium, & inevitabili quadam necessitate obeunda est, animo te forti ferre oportet. Hæc Epiphanius dixit & abiit: impostor verò dato socio pedis signo, ut eum in pedes erigeret, alter id executurus accessit, cúmque quòd adeò naturaliter se mortuum fingere potuisset, laudavit; at verò, dum illum per quamcunque agitationem se ne quidquam movere videret, nec halitus signa in ipso deprehenderet, illum verè mortuum esse cognovit, quapropter post Episcopum velociter currens, socii confessus est mendacium & figmentum, rogando ipsum, ut mortuum in vitam revocare, & ambobus mendacii reatum condonare vellet: cui vir sanctus respondit, quod DEUS eam rem retractatam nollet, fidem facere omnibus volens, ut equidem puto, qui tentare & facere talia in ministris eius audeant, illum ipsum DEUM, qui videat, & audiat omnia, eos falsum ire, séque adeò ipsos inscios fallere.

XVI. Similem ferè casum Petrus de Natalibus refert, videlicet, SS. Julium & Julianum Fratres à Theodosio Imperatore petiisse, ut illis facultatem impertiretur idolorum templa in omnibus, quæ transituri essent, locis demoliendi, in eorúmque locum Ecclesias in honorem veri DEI erigendi, simulque potestatem illis daret, omnes locorum illorum incolas ad ferendam illis ad hoc opus auxiliatricem manum adstringendi. Quâ facultate obtentâ, cùm in certo quodam loco templum erigentibus omnes opem ferrent, nonnulli cum curru transeuntes, inter se dixerunt: Vix ab ope hisce DEI servis ferendâ excusare nos poterimus, nisi pactâ quadam inter nos conventione illos deludamus; quapropter unum ex suis in plaustrum supinum posuerunt, & eum pannis ut mortuum cooperiunt, qui se mortuum fingebat, & oculis clausis supinus iacebat. At verò Julius & Julianus mendacium & fictionem illorum intelligentes dixerunt: quid ita mentimini filii mei? & illi: Non mentimur Domine, sed sic est, ut loquimur; Tunc Sanctus Julianus dixit: Secundùm veritatem dicti vestri ita vobis contingat: & illi boves pungentes pertransierunt; cúmque à viris DEI procul semoti essent, inclamare cœperunt illum, qui se finxerat mortuum, quo non respondente, illum verè mortuum esse deprehenderunt, tantúsque indè timor ipsos & cæteros invasit, ut nullus de cætero famulis DEI mentiri auderet. Petrus de Natal. l. 3.

XVII. Ferdinandus II. aulicum alioqui gratiosum, quòd æmulum beneficio à Ferdinando augeri non ferens, ausus fuerat Cancellario mentiri, litteras, quibus alter ditabatur, à Cæsare scenæ datas esse, cœterùm nolle vim habere, suo candori (quo longissimè à simulatione abesset) iniuriam factam dolens Ferdinandus, atque nobilium plenus irarum, iussit aulâ discedere, neque sibi unquam amplius adesse. Io. Kevl. a c. ... 14

XVIII. Pius V. Pontifex Paulum Gislerium affinem suum, quem Reipublicæ admovere constituerat, levioris errati suspectum palàm fateri iussit, confesso maiorem apud se gratiam fore. Verùm abnuentem, mendaciisque iam manifestum, ob hoc ipsum aulâ submovit, ac beneficiis, quæ iam contulerat, exutum urbe cedere, atque in exilium abire iussit, haud quaquam Pontificiæ Aulæ luce dignum iudicans, qui ignobiles mendacii tenebras amaret.

TITULUS XXXXVI.

MISERICORDIA ERGA VIVOS.

§. I.

EX S. SCRIPTURA.

MISERICORDIA IN SPECIE.

Esurientes pascens.

Isaia 58. I. Range esurienti panem tuum.

Matt. 25. II. Esurivi, & dedistis mihi manducare.

Ps. 110. III. Miserator & misericors Dominus, escam dedit timentibus se.

Sitientes potans.

Matt. 25. IV. Sitivi, & dedistis mihi bibere.

Matt. c. 10. V. Quicunque potum dederit uni ex minimis istis, calicem aquæ frigidæ, amen dico vobis, non perdet mercedem suam.

Nudos operiens.

Matt. 25. VI. Nudus eram, & cooperuistis me.

Isaia 58. VII. Cùm videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne despexeris.

Iob c. 31. VIII. Si despexi pereuntem, eò quòd non haberet indumentum, & absque operimento pauperem. Si non benedixerunt mihi latera eius, & de velleribus ovium mearum calefactus est.

Luc. 3. c. IX. Qui habet duas tunicas, det non habenti.

Iac. c. 2. X. Si frater, & soror nudi sint, & indigeant victu quotidiano, dicat autem aliquis ex vobis: Ite in pace, calefacimini, & saturamini, & non dederitis ea, quæ necessaria sunt corpori, quid proderit?

Captivos liberans.

Matt. 25. XI. In carcere eram, & venistis ad me.

Isaia 61. XII. Spiritus Domini super me, & misit me, ut prædicarem captivis indulgentiam, & clausis apertionem.

Ibid. c. 58. XIII. Dimitte eos, qui confracti sunt, liberos.

Ibid. XIV. Si abstuleris de medio tui catenam, (*incarceratos liberando*) tunc erumpet quasi manè lumen tuum, & gloria Domini colliget te.

Infirmos visitans.

Matt. 25. XV. Infirmus eram, & visitastis me.

XVI. Non te pigeat visitare infirmum, ex his enim in dilectione firmaberis. Eccli. c. 7.

XVII. Consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes. 1. Thessal. c. 5.

Hospites suscipiens.

XVIII. Hospes eram, & collegistis me. Matt. 25.

XIX. Hospitalitatem nolite oblivisci, per hanc enim placuerunt quidam Angelis hospitio receptis. Heb. c. 13.

XX. Egenos vagósque induc in domum tuam. Isaia 58.

Sepeliens mortuos.

XXI. Quando mortuos per diem abscondebas in domo tua, & nocte sepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino. Tobiae c. 12.

XXII. Benedicti vos Domino, qui fecistis misericordiam hanc cum domino vestro, Saul, & sepelistis eum. 2. Reg. 2.

XXIII. Mortuo non prohibeas gratiam (*sepulturæ*) non desis plorantibus in consolatione. Eccli. 7.

XXIV. Cùm acceperit Deus animam meam, corpus meum sepeli, & honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ eius. Cùm autem & ipsa compleverit tempus vitæ suæ, sepelies eam circa me. Tobiae c. 4.

XXV. Panem tuum, & vinum tuum super sepulturam iusti constitue. Ibid.

§. II.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

I. DUo sunt, quæ continet misericordia; alterum est internus commiserationis in corde sensus, alterum externa mali propulsatio, si fieri queat. Ubi adjutrices manus porrigere non datur, non minùs habendi sunt, misericordes, quod omnibus competere potest; est enim misericors, qui tantùm indolescit fraternâ charitate alienis calamitatibus, si non possit re ipsa subvenire. Ideo Clemens Alexandrinus lib. 4. stromatum Misericordes esse vult, non solùm qui faciunt misericordiam, sed etiam qui misereri volunt, etsi non possint. Quibus adest, ut sponte, & liberâ voluntate operentur. Bellarmin. Conc. 3.

II. Misericordem esse, est habere miserum cor de miseria aliorum, quando illam reputa- S. Thomas in Matt. c. 5.

mus quasi nostram, de nostra autem dolemus, & studemus repellere.

S. Leo s. 3. de collect. III. In quo opere etsi non est omnium æqualis facultas, debet esse par pietas; quoniam fidelium largitas non de muneris pensatur pondere, sed de benevolentiæ quantitate.

Necessitas.

Idem s. 5. IV. Quasi nec alias virtutes dexteri, nec alias offensiones habeant sinistri: sed illo magno, summóque judicio tanti æstimabitur, vel largitatis benignitas, vel tenacitatis impietas, ut pro plenitudine omnium virtutum, & pro summa omnium commissorum, & per unum bonum isti introducantur in regnum, & per unum malum illi mittantur in ignem æternum.

Utilitas.

S. Gregor. Naz. Orat. de Pauper. amore. V. Nullâ omnino re, perinde, ut Misericordiâ, Deus conciliatur. Quandoquidem nec aliud quicquam Deo magis proprium est, quippe quem misericordia, & veritas præcedant.

S. August. hom. 13. in 50. VI. Demus usuram, sed Deo, non homini. Ei damus, qui abundat; ei damus, qui dedit, quod demus: Et pro modicis rebus, pro frivolis, pro mortalibus, pro putribilibus, pro terrenis æterna, sine fine manentia. Quid multa dicturus sum? se promittit, qui promittit; si amas illum, eme illum ab illo, & ut noveris te ipsi dare, audi illum, dicentem; *Esurivi, & dedistis mihi manducare.*

S. Bernard. in 1. 8. 6. VII. Quatuor temporales gratiæ promittuntur viro misericordi. Prima est gratia conservans: secunda gratia vivificans: tertia gratia consummans: quarta gratia liberans. Prima gratia conservans nominatur, & de hac Propheta subdit, *Dominus conservet eum*, id est, cum aliis, cum tota familia sua, atque cum omnibus bonis suis servet, unde Propheta inquit Ps. 144. *Custodit Dominus omnes diligentes se*, scilicet in membris suis. Secunda est gratia vivificans, & de hac Propheta subdit, *& vivificet eum*, scilicet misericordem: quia *misericordia*; sicut Apostolus ait: 1. Tim. 4. *Promissionem habens vitæ, quæ nunc est.* Tertia est gratia consummans: & de hac subditur: *Beatum faciat eum in terra*; id est, in præsenti vita. Quarta est gratia liberans, scilicet à peccatis, vel pænis, quæ insurgunt ex suggestione diaboli: Unde sequitur: *Et non tradat eum in manibus inimicorum eius.*

S. Leo s. 10. de quadr. VII. Non timeatur in eis expensis defectio facultatum, quoniam ipsa benignitas magna substantia est, nec potest largitatis deesse materies, ubi Christus pascit, & pascitur, in omni hoc opere illa intervenit manus, quæ panem frangendo auget, & erogando multiplicat.

S. Ambros. 8. de Elia. VIII. Peccatis tuis vænundatus es? redime te pecuniâ tuâ; vilis pecunia, sed pretiosa est misericordia.

S. August. s. 15. de Verb. Dom. IX. Duo sunt opera misericordiæ, quæ nos liberant; quæ breviter ipse dominus posuit in Evangelio dicens: *Dimittite, & dimittetur vobis; date, & dabitur vobis.* Dimittite, & dimittetur vobis, ad ignoscendum pertinet: Date, & dabitur vobis, ad præstandum beneficium pertinet.

X. Aspice, quemadmodum Deus in tuas manus misericordiam posuit, ut, si velis misericordia tua tecum uti, memineris etiam tecum proximo tuo idem debere facere, & tunc mihi crede, Deus suam misericordiam, benignitatem, mansuetudinem non denegabit tibi. *Did. Stella apud Mansi tr. 57 dys. 8.*

XI. Christus beatitudinibus amplissima proponit præmia, & ut amor ob excellentiam non plenè remuneratur, neque rependitur, nisi amore, ita misericordia nostra ob sui præstantiam non pensatur, nisi Dei misericordiâ. *Salmeron. to. 5. tr. 7.*

XII. Mercatura, negotiatióque tua cælum est: da panem; & accipe Paradisum, parva da, & magna suscipe, da mortalia, & accipe immortalia. *S. Chrys. hom. 9. de pænit.*

XIII. Gravis est nobis inimici tentatio, sed longè gravior illi oratio nostra. Lædit nos iniquitas eius, atque versutia, sed multò ampliùs eum nostra misericordia torquet. *S. Bernard. in dedic. Eccl. serm. 3.*

XIV. Magis valet Eleëmosyna contra jacula inimici, quàm arma terrena, quia hæc dubiam, illa certissimam parit victoriam. *Glossa sup. Eccl.*

Æquitas.

XV. Quemadmodum artificum unusquisque propriam artificii sui scientiam novit, sic divites non fabricare, nec ædificare, nec texere, nec navem extruere, nec aliud huiusmodi artificium nôrunt. Illam igitur artem discant, ut divitiis rectè, & ut decet, utantur. Non est enim certè ars illa contemnenda, quâ discunt opulenti conferendum indigentibus esse, præcipua enim est, & aliis artibus multò præstantior: Huius artis officina in cælo est, huius non à ferro, neque ab ære instrumenta sunt, sed voluntate solâ, & benignitate mentis extracta. Huius Magister Christus est, & Pater eius: *fitis misericordes*, inquit, *sicut & Pater vester, qui in cælis est.* *S. Chrysost. hom. 50. in Matt.*

Dignitas.

XVI. Tantò aliqua virtus est melior, quantò facit hominem Deo similiorem, quia per hoc melior est homo, quod Deo est similior; at hoc maximè facit misericordia, quia de Deo dicitur in Psalmo: *quia miserationes eius sunt super omnia opera eius*: Unde & Lucæ. 6. Dominus dicit: *Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est.* *S. Thomas in 2. 2. q. 30. a. 4.*

XVII. Contemplari debes excellentiam misericordiæ, quæ homines similes Deo facit, & in illa re similes, quæ gratiosior, & Divinior in ipso est: nam certum est, quod major perfectio, quæ reperiri potest in creatura, est, similem esse Deo, & quantò magis huius similitudinis obtinuerit, tantò perfectior erit: si omne animal diligit sibi simile, si misericors similis est Deo, certum est, quòd à Domino magis diligetur: nam cùm Dominus infinitè misericors sit, omnes eos diligere debet, quos invenerit misericordiâ indutos, tanquam legitimos filios, qui ei assimilentur. Quid obsecro in Mundo esse potest tantâ æstimatione dignum? Si tanti æstiman- *Did. Stella in c. 6. Luc.*

tur homines, cùm Regum, & Principum familiares & amici sunt, quo pretio æstimari debet ea virtus, quæ nos Deo conjungit, & illi similes facit?

MISERICORDIA IN SPECIE.

Esurientes pascens.

S. Chrysol. s. 14. XIIX. O quid agit amor pauperis! inquit Chrysologus, gloriatur in cœlo Deus, unde pauper erubescit in terra. Et paulò pòst subdit: In cœlo prima est esurientis annona, prima stipendia pauperis tractantur in cœlo. Quod Abel passus sit, quòd servavit Mundum Noë, quod Abraham fidem suscepit, quòd Moyses Legem tulit, quòd Petrus crucem resupinus ascendit, Deus tacet, & hoc clamat solùm, quòd comedit pauper.

Idem. XIX. Quis unquam capere poterit, inquit idem Sanctus, quod frustum panis dator omnium quærat? *Esurivi*, inquit, *& dedistis mihi manducare:* Non dixit, esurivit pauper, & dedistis illi manducare; sed, Esurivi ego, & dedistis mihi manducare. Nimis est, quòd sapit Deo pauperis cibus, qui totius Creaturæ bona non esurit, saginatum se in esca pauperis prophetizat in Regno cœli coram omnibus Angelis, in Conventis Resurgentium.

Salmeron to. 7. tr. 41. n. 12. XX. Considera, Christum se vocare pauperem, nudum, infirmum &c. Tanta est enim unio Christi cum Corpore suo, ut illo ægrotante ægrotet, illo esuriente esuriat. Vnde pulchrè Origenes in hæc verba scribit: sicut anima habitans in corpore, cùm non esuriat, quantùm ad suam substantiam spiritualem, esurit tamen unumquemque corporis cibum, quia copulata est corpori suo, sic & Salvator patitur, quæ patitur Corpus eius Ecclesia, cùm sit ipse impassibilis quantùm ad suam divinitatem.

Sitientes potans.

Abulens. in c. 25. Matt. XXI. Dicitur opus misericordiæ propter conditionem potûs; Licet enim aqua nullius valoris sit, & à quolibet inveniatur, est tamen opus misericordiæ circa potum dandum, id est, quòd detur vinum, quia aqua non est potus conveniens cuilibet, sed aliquibus noxius, juxta illud. 1. Tim. 5. *Noli adhuc aquam bibere &c.* dare autem vinum, est facere sumptus. Potest accipi etiam quoad omnem potum, etiam de aqua, nam quicquid aliquis det alteri, quantumcunque modicum, beneficium ei præstat, & apud Deum non manet sine retributione, si propter eum fiat: sic dicitur Matth. 10. Marc. 9. *quicunque potum dederit, &c.*

Dionys. Carthus. apud Mans. tr. 57. disc. 22. n. 5. XXII. Nullus adeò pauper est, qui possit se de misericordiæ operibus excusare, cùm regnum cælorum porrectione calicis aquæ frigidæ possit mercari, imò solo affectu, si desit aqua.

S. Chrysost. ho. 46 in Matth. XXIII. Primus tibi calicem suum obtulit, tu vel aquam frigidam ei negas; Potavit te Spiritu Sancto, quamvis indignus esses, tu nec corporalem hanc sitim suam mitigare studes; Nonne magnum ducis, quòd calicem illum tenere potes, unde Christus bibiturus est? Nonne vides, quia soli Sacerdoti fas est calicem sanguinis tibi tradere? Nec tantùm postulo, quantum dedit, non enim sanguinem, sed aquam frigidam flagito. Cogita, cui potum præbes.

Nudos tegens.

S. Ambros. l. de Naboth. c. 13. XXIV. Quid miser iudici respondebis? parietes vestis, hominem non vestis? Equos phaleris ornas, fratrem tuum laceris amictum pannis aspernaris?

S. Basil. hom. 7. XXV. Parietes vestitis auro, homines denudatis? clamat homo nudus, & tu solicitus es, quibus marmoribus pavimenta vestias: pecuniam pauper quærit; & non habet, & equus tuus aurum sub dentibus mandit.

Captivos redimens.

Bellarm. spec. mor. l. 3. disc. 8. c. XXVI. Mementote vinctorum, tanquam simul vincti. Ita qui eos, vel verbis vivis, vel epistolis consolatoriis adhortantur (sicuti de B. Cypriano, & Sebastiano diximus) vel qui illis, dum vincti sunt, & carcere premuntur, necessaria subministrant. Qua in re maximè commendantur in novo Testam. S. Anastasia, & S. Praxedes, quæ ampla sua patrimonia in pauperum vinctorum usus distraxerunt &c.

Salmeron to. 5. tr. 16. XXVII. Misericordiæ opus in redimendis captivis positum est, quod præstantissimum est opus, quoniam & animam à periculo abjurandæ fidei, & corpus à vilissima servitute liberamus, quâ unâ re insignem pietatem declarant suam, qui vel illis commiserentur. Unde Paulus Hebr. 10. *Nam & vinctis compassi estis*, & cap. 13. *Mementote vinctorum tanquam simul vincti.*

Infirmos visitans.

Abulens. in c. 25. Matt. XXVIII. Visitare, de primaria sua significatione importat frequenter visitare, nam cùm ægri multas tolerent molestias, opus est, ut alii colloquantur eis, quia per allocutionem consolantur: Transumitur enim quodammodo malum per visionem & allocutionem, quod multipliciter fit. Primò, quia quamdiu ægri colloquuntur aliis, non ita sentiunt molestias suas, sicut quando soli sunt: Et ideò, ut dicit Aristoteles. 9 Ethic. valdè mali non possunt apud se ipsos manere, quia cogitatio malorum præteritorum affligit eos, & cùm sunt cum aliis, consolantur. Secundò, quia visus assistentium, & maximè amicorum consolabilis est, & diminuit aliquid de malo. Tertiò, quia illi ex colloquio dant bonam spem ægro, & faciunt illum oblivisci aliqualiter malorum, quæ patitur, & minùs judicat esse, quod patitur, & opinio tollit multùm de afflictione ægri. Quartò fit, quia malum quodammodo transumitur, & non fit hoc realiter, quia malum unius non potest in alterum transire; etiam si sit morbus contagiosus; sed quia æger videt alios sibi condolere, judicat minus esse malum suum, quia aliquis est, qui pro eo doleat.

S. Greg. Naz. orat. 27 de paup. amor. XXIX. Cibum porrige, medicamentum adhibe, vulnus alliga, de calamitate aliquid percontare, de patientia orationem habe.

Necef-

Salmeron. to. 7. tr. 27. XXX. Necesse est, quòd omnia, quæ pertinent ad relevationem ægri, accipiantur nomine visitationis. Est ergo ei necessaria visio, & allocutio propter consolationem, necessaria est etiam administratio, quia infirmus non potest sibi ipsi ministrare.

Idem to. 5. tr. 16. XXXI. Duo potissimùm beneficia nostrâ visitatione præstamus, alterum sublevando, si possimus, ab ægritudine, eorum inopiæ quacunque ratione succurrendo: Alterum, quod præstantius est, commonefaciendo de his, quæ ad animæ salutem pertinent, atque suggerendo, ut patienti invictóque animo, & cum fructu, flagellum Domini tolerent: invitando, si res ferat, ad crebram Sacramentorum, pœnitentiæ videlicet, atque Eucharistiæ susceptionem, & ad muniendum & præparandum pectus, contra mortis ingruentis impulsus, contráque extremos mortis agones, & luctas.

Hospites colligens.

Abulens. in c. 25. Matt. q. 174. XXXII. Valet hospitalitas ad duo: Ad defensionem à nocivis, sive ex parte temporis, id est; frigoris, caloris, pluviarum, & ventorum, vel hominum, vel brutorum. Secundò, ad operiendum turpitudinem &c. Magnæ misericordiæ est, quia multa incommoda, & mors sequi potest, si maneat quis extra hospitium continuò per diem & noctem. A Christo, ut magnæ misericordiæ opus positum est, maximè quia in recipiendo hospites in domum, possunt sequi incommoda suscipienti, iuxta illud Ecclesiastici. 11. *Omnem hominem ne inducas in domum tuam, multa enim sunt insidiæ dolosi.* Sustinere autem hæc, vel exponere se eis, difficultas est.

Ibid. XXXIII. Non leguntur alia Loth benefacta, nisi quòd hospitalitatis prærogativam dilexerit, quòd maluit turpitudini filias exponere, quàm ut in hospites aliquid turpius ageretur. Hæc illi hostia fuit: hoc sacrificium: Sulphur & ignem evasit Sodomorum.

S. August. s. 171. de temp. XXXIV. Quid nos ad hæc dicturi sumus, fratres? inquit S. Augustinus, vel quam excusationem habere poterimus, qui amplas & spatiosas domos habentes, vix aliquando dignamur, excipere peregrinum, ignorantes, imò non credentes, quòd in omnibus peregrinis Christus excipitur, sicut ipse dicit: *Hospes fui, & suscepistis me*? laboriosum, & fastidiosum nobis est in pauperibus recipere Christum in Patriam nostram; timeo, ne nobis ille vicem reddat in cœlo, & nos non recipiat in beatitudinem suam.

Sepeliens mortuos.

S. Ambros. apud Mansi tr. 57. disc. 27. n. 1. XXXV. Si viantes ad longiora in domum reducere solemus, quantò magìs debemus operire defunctos, in illam terram profectos, unde iam non revertuntur? *Ego*, inquit Job *super omnem defunctum flevi.*

Idem ibid. n. 7. XXXVI. Nihil hoc officio præstantius, ei conferre, qui tibi iam non possit reddere, vindicare à volatilibus, vindicare à bestiis consortem naturæ. Verè hanc humanitatem defunctis corporibus detulisse homines denegabunt?

XXXVII. Nec ideo tamen contemnenda, & abjicienda sunt corpora defunctorum, maximéque Justorum, atque fidelium, quibus tanquam organis & vasis ad omnia bona opera Sanctus usus est Spiritus. Ibid. n. 8.

§. III.

EXEMPLA SACRA.

Qualitas.

I. Margarita Philippi III. regiarum virtutum exemplis affatim dives Regina, dum Hispanicæ navigationi sævum hyeme se aperit mare, Mediolani substiterat, & domesticæ non immemor disciplinæ, præclara edebat exempla. Itaque quùm pauperem pannosum, seminudum, ab hyberno gelu torridum atque obrigescentem vidisset, accersito è stipatoribus principibus uno: videri ait, misellum illum algentem? tu ex optimo panno vestem ei à sartore ad modulum scindi actutùm cura, móxq; ad me afferto: factum, quod imperaverat, domum reversa vesti suendæ manum admovet Regina, totámque diligentissimè consuit, paupéremque lautum, ac regiâ stipe donatum induit, Christianæ misericordiæ gloriosissimè operata. I nunc, magne Macedo, & laneas illas sororum tibi manu textas Persis objice Reginis: habet Christi pauper vestimentum, quo purpurea tanti Regis contemnet amicula: nam & quovis Regis fastigio Christi nomen decet esse gloriosius. Io. Rho. l. 1. virt. Sel. c. 7. n. 1.

II. Adiungam magnæ Reginæ matronam, non fortunâ, sed virtute comparandam, Corneliam Lampugnanam Mediolanensem. Hæc enim mendicabulorum centunculos sarcire, illis assidere, atque per otium Christianæ disciplinæ rudimenta docere, cibum non priùs capere, quàm illos eleemosinâ donare, fæminis in Nosocomio capillum pectere, ac purgare, in more habuit. Verùm, quia non satis hoc illi videbatur, præclarissimo insuper facinore voluit se esse misericordem. Puellam enim elephantiasi corruptam, atque miserabili spectaculo in publico iacentem, sublatam in domum suo in lectulo collocavit, cum ea maternum in morem cubuit, medicas admovit manus, osculísque demulcens, tandem reddidit sanitati. Nescias, an Corneliam miseriarum illius participem, an illam huius dicas fuisse felicitatis. Ibid. n. 5.

III. Bertinorum oppidum in Æmilia est, in eo clara olim, & multis familiis dives Ducum gens, tam prona erat hospitibus recipiendis, ut sæpiùs patresfamilias, dum eos quisque domum suam trahit, non sine reprehensione altercarentur. Id porrò ne fieret, placuit, in foro, in quod hospites primùm convenire solebant, columnellam erigere, ansulis, annulísve circùm infixis ab unoquoque patrefamilias, eâ lege, ut ad cuius annulum hospes equum alligasset, eúmve ratione aliâ tenuisset, illi fas esset, hospitem suo iure domum de- Ibid. n. 6.

deducere, lautias præbere, omníque officio colere, aliis præiudicio acquiescentibus, hominísque sortem amico livore invidentibus; sed nullus fortunæ splendor hoc caritatis livore non vincitur.

Utilitas.

Io.Rho.l.1. c.7.n.4. IV. Fecerat naufragium Indico in Oceano Alphonsus Albuquerquius, eóque in tumultu, dum unusquisque sibi consulens, amicissimorum facilè obliviscitur, ipse dux, ac classis prætor puerum nauticum, qui mari hauriebatur, in humeros sustulit: clamantibúsque cunctis, ut abiectâ sarcinâ, vicinam ad navim enataret, sperare se dixit eius infantis innocentiâ tutum se mediis in undis fore, donec scapha ad excipiendum expediretur, itáque factum fuit: diceres, innocentiam infantis periclitanti Duci pro subere fuisse.

Ibid.n.11. V. Ultra omnem expectationem in amplissimo hoc sublevandarum miseriarum theatro Francisci à puero JESU virtus spectata est. Nulla est tanta calamitas, nulla adversæ fortunæ iniuria tanta, adversùs quam prompta Francisco caritas non esset, atque ne integræ eius laudis, aut antiquæ maiorum opes, aut studio congestæ opes, partem sibi aliquam audeant vindicare; homo fuit sine lare, sine tecto, sine arca, ipso Iro, aut Furio pauperior. Rursum, ne quid, præterquàm sibi, eloquentiæ, aut moribus elegantioribus, misericordia deberet, rustico, ac sub initia propemodum stolido ingenio, sed patientiæ, sed caritatis indomitæ. His ille opibus fretus (mitto enim, quòd in nosocomio per triginta annos decumbentibus laboriosissimè, & nullâ nisi operis ipsius mercede servivit) infantes orbos, aut pudendos parentibus, educare: adolescentibus Compluti, ut Doctores audire possent, stipem emendicare, nobiles puellas collocare, fæminis è naufragio libidinis enatantibus tutum portum aperire, pauperibus epulum singulis annis dare, vestibus nudos fovere, afflictis operâ, atque gratiâ, quâ plurimum valebat, apud Principes adesse: demum ipse seminudus, ac vili sacco tectus, algens ac nunquam sibi non iratus, omnibus opem ferre, et quamquam iniuriis, atque etiam non semel verberibus malè mulctatus, non ideo potuit abstineri. His ille artibus tantum & vulgi, & Principum favorem collegit, ut, quum omnibus esset venerationi, ab his auferret, quod in pauperes diriberet, hominésque ad pietatem pro libito duceret: neminem faciliùs homines sequuntur, quàm apud quem vitæ præsidia se credunt invenire.

Vit.l.1.c. 20.n.5. VI. In vita S. Philippi Nery legitur, quòd cùm Cardinalis Baronius, ex nostra congregatione assumptus, per novem annos continuos hospitalia frequentâsset, sæpè contigerit, quòd, dum febri obnoxius eò se contulit, domum postea reversus fuerit incolumis & sanus. Nec mirum, quia, ut Hugo Cardinalis ait; pro eo quòd viri misericordes miserias aliorum tollunt, vel mitigant, vel saltem per compassionem portant, jure vicissitudinis immunes erunt à propriis, hoc est, quod Propheta regius forsitan insinuare voluit, quando, postquam dixisset, DEUM nostras misericordias liberaliter esse remuneraturum (*qui coronat te in misericordia & miserationibus, qui replet in bonis desiderium tuum*) mox quoque subjunxit: *renovabitur, ut aquila, juventus tua*: quia, qui operibus caritatis, & compassionis jugiter se impendunt, in possessione & jure longævæ vitæ existunt. Unde Cæsarius historiam quandam de Ecclesiastico, pauperum subsidio vehementer dedito (quia Decanus S. Andreæ Coloniæ, Henricus nomine, extitit) recensens, non sine emphasi, illum ad decrepitam usque ætatem vixisse dicit.

VII. Cùm decedente Constantino Magno Julianus successisset, legem is tulit, ne Christiani quicquam in hoc mundo possiderent. Porro Gallicanus in pago Ostiensi quatuor casas habebat, quarum pensiones in eos, quos diximus, conferebat usus, adeóque dominum meruit habere defensorem, ut quicunque in eas ingrederetur, ad fisci titulos constituendos, ac pensiones exigendas, statim à diabolo obsideretur, & quisquis actorum ejus esset exactor, leprosus fieret. Surius 16. Ian.

VIII. Neque hoc silendum est, quod de Theophanio Ceneretensis urbis Comite, in eâdem urbe positus multis astantibus agnovi. Fuit namque vir misericordiæ actibus deditus, bonis operibus intentus, hospitalitati præcipuè studens, exercendis quidem Comitatûs curis occupatus, agebat terrena & temporalia, sed ut post in fine claruit, magis ex debito, quàm ex intentione, nam dum appropinquantis mortis eius tempore gravissima aëris tempestas obsisteret, ne ad sepeliendum duci potuisset; cúmque uxor sua cum fletu vehementissimo inquireret, dicens: quid faciam? quomodo te ad sepeliendum eiicio, quæ ostium domûs huius egredi præ nimia tempestate non possum? Tunc ille respondit: Mulier, noli flere, quia mox, ut ego defunctus fuero, aëris serenitas redibit: cuius protinus vocem mors, & mortem serenitas secuta est, quod signum etiam alia signa sunt comitata, nam manus eius & pedes podagræ humore tumescentes vulneribus pleni erant, & profluente sanie putebant, sed cùm corpus eius de more ad lavandum fuisset nudatum, ità manus, pedésque eius sani inventi sunt, ac si unquam vulneris nihil habuissent. Ductus itaque ac sepultus est, eiúsque coniugi visum est, ut quarto die in sepulchro illius marmor, quod superpositum fuerat, mutari debuisset, quod videlicet marmor corpori eius superpositum cùm fuisset ablatum, tanta ex corpore ipsius fragrantia odoris manavit, ac si ex putrescente carne illius pro vermibus aromata ferbuissent. Et tamen de bono hoc viro seculari, & coniugato, ac terrenis negotiis iugiter occupato, nullum aliud bonum opus legitur, quàm quòd S.Gregor.l. 4. Dial. c. 47.

quòd misericordiæ operibus assiduè deditus fuerit.

Esurientes pascens.

Surius to. 6. in vit. c. 4. IX. Quadam die cùm Jodocus Britonum Regis filius ad victum quotidianum non haberet, nisi panem modicum pro se & discipulo suo Vulmaro, & Dominus in specie pauperis adveniret, eleemosynam petens, vir Domini panem dividi iussit in quadrantes, & petenti de quadrantibus unum erogari. Jam vir egressus erat, & ecce revertitur Dominus in forma egeni deficientis inediâ, & de secundo panis quadrante satisfactum est eius petitioni: Nec mora, regressus tertiò, quasi esuriens ac deficiens fame, donatus est tertiâ panis parte, consequenter visus est advenire Dominus in altera inopis effigie, rogaturus eleemosynam, sicut iam tertiò fecerat antè, nec erat, undè reficeretur, nisi de residuo panis quadrante. Eum quoque vir Domini Jodocus pauperi erogari iussit, cui ait Vulmarus: Nihil nobis vis reservare, Pater? volo inquit vir sanctus, totum tribui esurienti, quia potens est Dominus nostræ providere necessitati. Quæ misericordia profectò exemplo caret. Etenim verum quidem est, quòd, sicut à principio in assumpto Themate dicitur? DEUS præceperit: *frange esurienti panem tuum*, id est, panem tuum cum paupere divide, non tamen præcipit, ut totus illi panis detur, quia charitas incipit à semetipso; tamen sanctus hic vir postulatus omnes quatuor panis quadrantes pauperrimo ipsimet Christo dedit, indéque copiosam remunerationem retulit, vix enim recesserat Dominus, & interim dum consolaretur verus DEI amicus discipulum, de panis erogatione commotum, ecce per fenestram visæ sunt, & inventæ in alveo fluminis quatuor naviculæ victualibus onustæ, de quibus quis eas adduxerit, vel quò iam victualibus exoneratas reverterit, nescitur usque in hodiernum diem.

S. Petrus Dam. opusc. 9. X. Gerardus certè de Farvaldo ex Ravennæ urbis primoribus fuit, quem grandævæ iam, & persenilis ætatis olim puerulus vidi: de quo nimirum referri frequenter audivi; quia cùm aliquando populus inopiâ laboraret, adeò ut nonnullos etiam valida fames extingueret, ille, cùm successura sibi nepotum quoque iam soboles non deesset, accisis frugibus etiam prædia nonnulla distraxit; alimenta, quæ potuit, indigentibus erogavit; ipse quoque patentibus foribus pauperum vallatus agmine comedebat, cibísque consumptis adhuc esuriens, cùm vel sibi, vel illis quid adderet, non haberet, eorum compassione lachrymans flebat; cuius hodiéque progenies divitiis floret, & plura quàm avita fuerint, patrimonia possidet.

S. Hieron. in ep. ad Rustic. XI. S. Exuperius Tholosæ Episcopus viduæ Sareptensis imitator, esuriens pascit alios, ore pallente Ieiuniis, fame torquetur alienâ, omnémque substantiam visceribus Christi erogavit. Nihil illo ditius, qui Christi corpus canistro vimineo, sanguinem portat in vitro.

Vita l. 2. c. 11. n. 3. XII. In vita S. Philippi Nerii legitur, quòd, cùm anno 1551. in quo extrema fames fuit, ad eum panes aliquot missi fuissent, ipse sciens pauperem quendam sacerdotem alienigenam, qui in S. Hieronymo commorabatur, in famis angustiis constitutum esse, omnem hunc panem ei dederit, ipse verò pauculis olivis contentus vixerit. Resciens verò idipsum quidam suorum pœnitentium, eum interrogavit, cur saltem ad minus panis illius medietatem sibi non reservâsset, respondit, se utpote Romæ omnibus notum, faciles repertum esse eleemosinarum suppetias, quales peregrinus ille sacerdos nequaquam habiturus esset.

Sitientes potans.

Surius in vita. XIII. In vita S. Lydvvinæ refert Laurentius Surius, quòd, dum mulier quædam morbo caduco obnoxia, in publicis plateis frequenter tanquam mortua laberetur, die quadam accideritt, quòd hæc deliquia patiens in domum S. huius Virginis deportata potum sibi dari petierit. Lydvvina autem immemor vini, quod domi licèt in modica quantitate habebat, aquam illi dari iussit, quam in vase quodam conservabat, hanc autem tametsi totaliter epotâsset, sitim tamen suam restinguere nequivit, quin potiùs eandem in faucibus persensit, unde denuo potum sibi dari poposcit: sancta autem Virgo vini, quod habebat, memor facta, illud ei propinari fecit, quo exhausto, nec tamen siti extinctâ, potum sibi identidem dari petiit, cúmque nihil potabile præstò esset, pro comparando vino eleemosinam ej elargita est, sícque eandem à se dimisit. Sed audite, quid Surius in eâdem historia subiungat: deinde febribus Lydvvinam corripientibus, orat patrem, ut pauxillum vini porrigat, quo labia arentia tingantur, non enim meminit tunc, fœminam morbidam vinum omne epotâsse: porrigit pater poculum filiæ, unde illa mulier biberat, & ecce plenum est optimo vino, divinitus in illud infuso. Stupet virgo, nullum se vinum bibisse melius sentiens, nec tamen patri indicat, unde sit, licèt & ille stupens admiraretur, néque colorem, néque saporem eius unquam perire.

Mansi disc. 22. n. 4. XIV. Author Catechismi exemplorum ex B. Petro Damiano aliud quoddam refert, priori non inferius miraculum. Cùm enim Episcopus quidam sitim patiens pincernæ suo, ut potum sibi daret, præcepisset; hic vas quoddam, in quo vinum sufficiens fuerat, totaliter evacuavit: adeò ut præter unicum vini scyphum in illo nil superesset: in ipso verò actu, quo vinum hoc ori admovit, supervenîens pauper quidam, qui se præ siti mori dicens, potum sibi dari poscebat: unde pientissimus Prælatus hoc se vino privans, pauperi illud dari iussit, tametsi à pincerna suo in vase vini nihil amplius superesse intellexisset. In his ergo fortis Episcopus angustiis deprehensus, cùm & hinc vini sitis sustineri non posset, illinc autem alio periclitante, se bibere impium iudicans

avertit se à se, fratrique laboranti in necessitate succurrit. Præcepit ergo, pauperi vinum dari: Sed iam quò spes bibendi defeceras omnino, eò sitis Episcopi atrociùs sævierat, mandavit ministro, ut vinarium vas requireret, si fortè aliquam consolationis stillam vel perexiguam reperiret, qui diutiùs abnegans, nihilque se reservasse constanter affirmans, tandem non spe erectus, sed imperio magis oppressus paruit, & vas, quod vacuum reliquerat, plenum vino nimiùm admiratus invenit.

Baronius an. 457. n. 6. XV. Refert Baronius, aliique authores indubitato testimonio historiam confirmant, quòd Leoni Majorano primo hujus nominis prognosticata fuerit eius ad imperium assumptio, idque ob merita subsidii, quod cœco cuidam sitibundo in vasta sylva oberranti contulit, tum eidem in extrema siti potum ministrando, tum pariter ex magna compassione eundem instar viæ ducis in rectam viam deducendo: idem quoque Leo vocem quandam è cœlo delapsam audivit, quæ imperialem dignitatem primo quoque ei tempore adventuram certò denuntiavit, ita inquiens: Leo Imperator, densum hunc & umbrosum locum ingressus turbidam aquam hauri, eâque sitim hominis ægri refice, & limum cænosum manibus cape, quo cœco oculos inungas.

Nudos operiens.

Cornelius à Lapide in c. 21. Prov. XVI. Memorabile est, quod de S. Liberali nobili Altinate, & Tarvisii Protectore legimus, eum in ægros, & pauperes mirè fuisse liberalem, ideòque multos à variis morbis curâsse, adeòque unâ die centum viginti personis sanitatem divinâ virtute impertivisse. Cùm verò hyemis tempore ad Ecclesiam cathedralem pergeret, pauperi nudo, & frigore trementi obvio, sibi vestem detractam tradidit, qui illi sequenti nocte apparens, Christum se esse dixit, & vestem restituit, quam ille induens, à periculis non semel servatus est.

Bellovac. hist. d. 21. XVII. S. Franciscus cùm vestem novam, quam pro se paraverat, pauperi militi induisset; nocte sequenti vidit Dominum vestibus illis indutum, & Palatium speciosum, & magnum cum armis militaribus insignitum, cúmque inquireret, cujus esset palatium, & quid significarent arma, & cujus essent, responsum fuit, quòd S. Francisci.

Thom. Cantip. l. 2. c. 25. §. 14. XVIII. Domina Aleidis Carnotensium ac Blesensium Comitissa mihi de avo suo retulit, dicens Nobilissimus ac potentissimus in Baronibus Galliæ, Comes Carnotensium ac Blesensium pariter, Theobaldus, liberalissimus omnium suo tempore extitit in donando. Iste hyeme mediâ, quæ tunc solito magis inhorruit, per viam cum multitudine transiens, obvium habuit pauperem nudum, quo clamante, respondit Comes, quid petis? cui pauper, da, inquit, cappam, quam habes indutam, nec mora: Comes extractam pauperi dedit, dicens: si quid vis ampliùs, petas; & pauper: da mihi supertunicale, quod habes; quo statim habito, petivit tunicam, quam ut Comes dedit, remansit in lineis: Cui pauper: vides, inquit, ô Comes, quod caput rasum habeam & nudum, da igitur & pileum: tunc Comes paululùm erubescens, calvus enim erat: Nunc inquit: Charissime nimiùm insistis, quia hoc ipse carere non possum; quo dicto, relictis vestibus, pauper evanuit, Comes verò de equo cadens, planctum lamentabilem fecit, & omni tempore postea tale quid cavens, Omnipotenti se tribuit.

XIX. Nudum, quem fortè offenderat, pauperem indumento juvare ex Evangelica doctrina volebat Joannes à S. Facundo, Ordinis Eremitarum, cùm illa incessit dubitatio, quâ nam ex duabus, quas domi habebat, tunicas, indueret; altera cinerei coloris erat obsoletior, cærulei altera elegantior, festis diebus destinata; expedita fuit consultatio misericordiæ; meliorem dedit, ut optimè daret. Non tulit proximam noctem infrugiferam illi abire magnus ille misericordiæ Parens Deus, sed tantâ divinæ voluntatis ubertate homini affuit, ut verè festam memorabili per omnem deinceps ætatem eventu illam egerit. Rho. l. 1. c. 7. n. 3.

Captivos Redimens.

XX. In vita B. Petri Nolasci, quanti meriti, quámque Deo accepta sit hæc misericordia, & Charitas; liberare mancipia; manifestè deducitur: Deiparæ enim auspiciis, adeòque monitu, institutus est cœtus, qui in id incumberet, ut corrogatâ undique stipe Christianos, qui apud Mauros in Hispania & Africa acerbissimam serviebant servitutem, redimerent. Ipsa virgo huius divini consilii administros legit, mystico seorsim quemque somnio eodem tempore admonitum: Jacobum Regem Arragoniæ, Ballarium, Valentiæque expugnatorem, Raymundum à Pennafort ex Ordine Prædicatorum, & Petrum Nolascum. Bolland. in vita.

XXI. Victor Uticensis de quodam Episcopo ita scribit: Deo gratias, Archiepiscopus Carthaginensis vasa sacra vendidit, ut Christianos à Wandalis captos redimeret. Victor. Uti. l. 1. hist. VVand.

Infirmos visitans.

XXII. In Salisburgensi Ecclesia jam à multo tempore Religiosi extiterunt Episcopi, ex quibus unus infirmorum, seu leprosorum lares studiosè etiam quandoque per semetipsum visitavit. Die quodam tuguriolum quoddam intrans, & leprosum, ut ei visum est, hominem lecto decubantem, ac gementem reperiens, si aliquid vellet, exquisivit. Cui cùm ille responderet: Corpus Christi desidero, Episcopus festinus abiit, & attulit, oríque leprosi, qui valdè horridus videbatur, cum cautela, quâ potuit, immisit; ille verò ad comprobandam Antistitis fidem, antequam masticâsset Eucharistiam, nauseam simulavit, & cum fœdissimo vomitu, quod sumpserat, rejecit; Episcopus verò territus, manibus mento eius suppositis, ejectas recepit immunditias, quas statim in os mittens sumpsit, ob honorem Sacramenti. Postea cum eundem leprosum visitare vellet, & non inveniret, Cæsar. l. 8. c. 10.

ret, dictum est ei à circumstantibus, quòd multo tempore in eadem domuncula nullus habitâsset leprosus, & cognovit vir Deo plenus, tum ex testimonio referentium, tum ex gratia, ex prædicta sumptione recepta, quia Christus esset, qui multis modis electorum suorum constantiam probare consuevit.

Ibid. c. 32. XXIII. Eo tempore, quo Albigensium hæresis pullulare cœpit, contigisse dicitur, quod narro. Erat in regno Francorum Episcopus quidam, ætate juvenis, sed magnæ Religionis: nominis sive Diœcesis eius non memini. Hic tantæ fuit pietatis, ac misericordiæ, ac humilitatis, ut equitans in via neminem leprosorum sibi occurrentium sine eleëmosyna præteriret; sæpe de equo descendit, & petentes præveniens, nummis manibus illorum tanquam Christi gazophylacio immissis, atque deosculatis, iterum ascendit, & processit. Die quadam dum per viam publicam procederet, leprosus quidam secùs viam stans in agro, voce raucissimâ, ut sui misereretur, clamavit, erátque aspectus eius tam horridus, & quasi à lepra tam corrosus, ut oculus humanus non sine cruciatu illum suspicere posset, quem ut S. Episcopus vidit, misericordiâ motus, mox de equo ruens, & ad illum currens, obtulit eleëmosynam, ad quem leprosus: non sunt mihi necessarii nummi tui; cui cùm Episcopus responderet, quid ergo vis, ut faciam tibi? ille subjunxit, ut putredinem hujus infirmitatis meæ abstergas, digito ostendens caranculam de naribus pendentem magni fœtoris, & horroris, quam cum vir beatus Christi amore succensus manu tergeret, clamavit ille dicens, cessa, cessa, asperitatem digitorum tuorum tolerare non valeo; cúmque adhiberet partem Camisiæ suæ, quæ de panno erat satis subtili, simili clamore prohibitus est; tunc Episcopus, si pati non potes manum, si non pannum delicatum, unde vis ut abstergatur? Nihil aliud patiar, reponit alter, præter linctionem linguæ tuæ. Mox ad illud verbum lucta non modica oriri cœpit in corde Pontificis inter gratiam & naturam, illa ut fieret, volente, istâ contradicente. Sed gratia Dei cooperante, & naturæ vim faciente, linguam apposuit, & promuscidem elephantinam linxit. Mira res: Mox de naribus eius, qui leprosus videbatur, gemma pretiosissima lapsa est in os Pontificis, & ut ostenderet se esse Christum, qui ad probandam Episcopi virtutem se finxerat leprosum, in oculis eius gloriosè cœlum ascendit; & quia eiusdem gloriæ particeps futurus esset Episcopus, ascendens repromisit. D. Gerhardus Abbas noster, rediens de Capitulo Generali hæc nobis retulit, asserens, tunc recenter fuisse gesta.

Mansi disc. 4. n. 2. XXIV. De beata Elisabetha dicitur, Bellovacensi referente, quòd cùm ipsa esset de genere regio, imò Regis Hungaricæ filia, viro suo mortuo, relictâ pompâ sæculi hospitale construxerit, ubi pauperes recipiebat, & infirmos omni genere infirmitatis, leprosis, & contractis, quos ancillæ & alii abominabantur tangere, & aspicere, pedes & capita abluebat, & vulnerum cicatrices & ulcera, & scabiem, quasi ipsi Christo faceret hæc officia pietatis.

XXV. De S. Agnello Abbate & protectore urbis Neapolitanæ, in eius vita, per Cæsarem Franciotti descripta, legitur, quòd, cùm ex accepta post mortem Patris sui hæreditate, hospitale quoddam juxta Ecclesiam B. Virginis fabricasset, in eóque cæcos, claudos, omnésque alios desolatos benignè excepisset, eosdem in propria persona curaverit, studioséque illis inservierit: Cum verò post à se miraculosè liberatam ab obsidione civitatem Neapolitanam, in solitudinem quandam se subduxisset, ut populi effugeret applausum & venerationem, in eáque septem annis & novem mensibus perstitisset, B. Virgo tandem eidem apparuit, eique dixit, quòd malè fecisset, hospitale à se fabricatum deserendo, siquidem ibidem infirmis serviendo, longè excellentiora sibi comparaturus fuisset merita. Ibid. disc. 25. n. 1.

XXVI. Similiter insignis ille Dei servus Camillus de Lellis, fundator Congregationis ministrantium infirmis, quondam Philippi Nerii spiritualis filius, hospitalia aurifodinas appellare solitus erat, siquidem in iis homo opulentus evadere, & cœlum lucrari possit. In servitio infirmorum adeò excessivam habebat complacentiam, ut, dum die quadam in civitate Ottana apud Vicarium Generalem loci illius in hospitio esset, eique mensæ accubituro manutergium odoribus fragrans porrectum fuisset, illud veluti nauseans dexterè socio suo dedit, qui ei dixit: Si hi boni odores vobis displicent, quid de fœtoribus hospitalium futurum erit? Cui Camillus promptè respondit: non credo in Mundo agrum reperiri floribus odoriferis plenum, qui magis me oblectare possit, quàm hospitalium fœtores. Ibid.

XXVII. In vitis Patrum dicitur, ut Bellovacensis ait: quòd, cùm quidam solitarius pauper per triginta dies ægrotaret solus, carens humana visitatione, habuit Angelum sibi ministrantem per octo dies; cùm autem venissent fratres ad eum, recessit, & clamavit infirmus: Recedite fratres, quia administrator meus in adventu vestro recessit. Ibid. n. 6.

Peregrinos suscipiens.

XXVIII. S. Gregorius sequentem, quæ suo sæculo contigit, refert historiam: Epiphanius Diaconus, Isauriâ Provinciâ ortus, in vicina factum terra Lycaoniæ solet narrare miraculum; Ait enim; quod in eâ quidam Martyrius nomine, vitæ valde venerabilis Monachus fuit, qui ex suo monasterio visitationis gratiâ ad aliud Monasterium tendebat, cui spiritualis pater præerat. Pergens itaque, leprosum quendam, quem densis vulneribus Elephantinis morbus per membra fœdaverat, invenit in via, volentem ad suum hospitium redire, sed præ lassitudine non valentem. In ipso verò itinere se habere perhibebat hospitium, quo idem Martyrius Monachus ire festinabat. Vir autem Dei eiusdem leprosi lassitudinis misertus, pallium, quo vestiebatur, in terram protinus projecit, & expandit, ac desuper leprosum posuit, cúmque suo pallio undique constrictum, super humerum levavit, secúmque revertens detulit; cúmque jam Mona- S. Gregor. hom. 39. in Evang.

nasterii foribus propinquaret, spiritualis Pater ejusdem monasterii magnis vocibus clamare cœpit: Currite, januas Monasterii citiùs aperite, quia Martyrius venit Dominum portans: statim verò ut Martyrius ad Monasterii aditum pervenit, is, qui leprosus esse putabatur, de collo eius exiliens, & in ea specie apparens, quâ recognosci ab hominibus solet Redemptor humani generis, Deus & homo, Christus Jesus, ad cælum, Martyrio aspiciente, redit, eóque ascendens dixit: Martyri, tu me non erubuisti super terram, ego te non erubescam super cœlos. Qui sanctus vir, mox, ut est Monasterium ingressus, ei Pater Monasterii dixit: Frater Martyri, ubi est, quem portabas? cui ille respondens dixit: Ego si scivissem, quis esset, pedes illius tenuissem. Tunc idem Martyrius narrabat, quia cùm eum portasset, pondus eius minimè sensisset. Nec mirum, quomodo enim pondus sentire poterat, qui portantem portabat? qua in re pensandum est nobis, quantùm fraterna compassio valeat, quantùm nos omnipotenti Deo misericordiæ viscere conjungat. Inde enim ei, qui est super omnia, propinquamus, unde nos per compassionem proximi etiam sub nosmetipsos deponimus. Paulò post verò idem sanctus Doctor id, quod Redemptor noster in judicii finalis examine eventurum esse prædixit, multis in occasionibus diu ante illud tempus exequendo compleri dicit: Ait enim: Ecce Redemptori generis humani ad ædificationem nostram minimè sufficit, quod in extremo judicio dicturum se esse perhibuit: Quamdiu fecistis uni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis, nisi & ante judicium hoc in se, quod dixisset, demonstraret, quia quisquis nunc bona opera indigentibus exhibet, ei hæc specialiter impendit, cuius hæc amore exhibuerit. Et tantò plùs quisque maiorem mercedem recipit, quanto nec eum despicit, qui ampliùs despiciendus videtur; quid enim in humana carne sublimius carne Christi, quæ est super Angelos exaltata? Et quid in humana carne abjectius carne leprosi, quæ tumescentibus vulneribus scinditur, & exhalantibus fœtoribus impletur?

Apud Mansi disc. 3. n. 4. XXIX. Idem narrat, quòd quidam bonus homo erat, qui libenter recipiebat, & pascebat pauperes, & quadam die venit Dominus ad domum illius in specie peregrini pauperis, quem cùm ille recepisset, & vellet dare aquam manibus illius, ut pranderet, vertit se, ut acciperet aquam, & Dominus disparuit: Quo facto cùm ille stupefactus esset, in sequenti nocte apparuit ei in visu Dominus dicens: Cæteris diebus recipiebas me in membris meis, sed hodie me in persona propria recepisti.

Ib. disc. 6. n. 8. XXX. In vitis Patrum legitur, quòd quidam senex sanctus in eremo Ægypti habitabat; in eadem eremo erat quidam sacerdos Manichæorum, qui, cum vellet visitare quendam suæ sectæ, & non invenisset eum, necessitate compulsus, pulsavit ad ostium cellæ senis illius, qui ei aperiens, eum cum hilaritate suscepit, refecit, & lectum ei paravit, licèt eius conditionem bene cognosceret. Manichæus autem totâ nocte cogitans de eius charitate dicebat: Verè servus Dei est iste. In manè autem, eius provolutus pedibus dedit se conversum, nec ultrà voluit ab eo recedere.

XXXI. Cùm quædam mulier nobilis consueta esset recipere pauperes, & eis servire propriis manibus, & abluere pedes eorum, invito viro, & inhibente, & invenisset ante domum suam pauperem miserabiliter, ut videbatur, afflictum, & ulcerosum, compassa duxit eum in domum suam, viro suo absente, & cùm peteret balnëum, paravit ei; pòst cùm diceret, quòd non posset quiescere, nisi in molli lecto, posuit eum in camera sua; cùm autem vir eius veniens cameram intrasset, in lecto uxoris invenit dictum infirmum, quem cùm crederet adulterum, & vellet eum occidere, super lectum apparuit ei Dominus nudus in ea forma, in qua pependit in cruce, dicens: quid me persequeris, qui pro te hîc passus sum? cùm autem ad terram prostratus oculos erigeret, nihil invenit, & conversus est ad Dominum. *Ibid. n. 2.*

XXXII. In vita P. Magistri Avilæ viri sanctissimæ vitæ & celeberrimi prædicatoris legitur, quòd, cùm aliquando pedes pauperis cuiusdam lavisset, & abstersisset, volens se ad eosdem osculandos inclinare, viderit in pedibus vulnus quoddam luminosum, unde dum se erigens pauperem in facie suspiceret, eundem sibi dicentem audivit: Mihi fit, ô Joannes, quod ex amore mei pauperibus præstatur. *In vita l. 2. c. 15.*

XXXIII. S. Gregorius de cive quodam Antiocheno refert, eum in virtute hospitalitatis adeò fuisse ferventem, ut diem nullam, quin secum in mensa pauperem quempiam teneret, transire pateretur; die quadam verò postquam totam circumisset civitatem, nec pauperum quenquam offenderat, exiit foras extra muros, tandémque circa vesperam virum quendam insignem candidâ indutum veste in medio duorum stantem reperit, quem peregrinum esse credens, in domum suam ut diverteret, instanter rogavit, quam petitionem vir ille dissimulans, his verbis civem prædictum est allocutus: Non poteras, ô homo Dei, cum Simeone vestro hanc urbem salvare, ne subverteretur? vix hæc dixerat, cùm super mediam urbis illius partem vir ille albâ veste indutus, sudarium, quod tenebat, excutiebat & statim tota illa pars concidit. Perhorruit civis, ille reliquum urbis eversurus jam signum extulerat, cùm duorum comitum, quos diximus, precibus indulgens, destitit, atque ita Antiochenum hominem jacentem ac semimortuum erigens est consolatus. Abi domum tuam, filii tui cum uxore salvi sunt, defendit enim te & assidua Oratio, & eleëmosinæ, quas quotidie in pauperes exerces: quibus dictis, & ipse, & socii evanuerunt. *S. Gregor. Tur. l. 10. hist. c. 24.*

Sepeliens Mortuos.

XXXIV. In vitis Patrum legitur, quòd, cùm Abbas Mutius esset gentilis, & Princeps latronum, & vellet spoliare Domum virginis sacræ, ad visionem Judicis convertitur; hic multâ curâ sepeliebat Christianos, & vestibus aptabat, quos *Mansi disc. 6. n. 7.*

primò

primò consueverat occidere & spoliare, qui ex hoc factus est Princeps Monachorum. Cum autem mortuum sepeliret, ait ei discipulus suus: num Pater, cum tanta diligentia me sepelies? cui respondit: Et hoc faciam; cùm autem eum mortuum sepeliret, diligenter clamavit, quærens à mortuo, si sufficeret ei: qui respondit: sufficit, implesti promissum. Hic summæ perfectionis ex hoc factus est; & post multa miracula quievit in pace.

Io. Rho. l. 1. c. 7. n. 10. XXXV. Ultima, quâ in hoc miseriarum salo calamitate, humana jactari potest imbecillitas, cadaverum à sepulchris proscriptio, omnium fermè gentium consensione censetur. Barbarorum est insepultos abjicere, & plusquam barbara immanitas, è sepulchris eruere; quod fieri posse, ubi longinquis bellis Romano fuit persuasum, cadavera cremare instituit, materiámque subtrahere sæviendi. Verùm tanta est aliquando tabescentium cadaverum deformitas, ut robustissimam etiam exerceat charitatem. Vicit nihilominùs, quamquam horrori periculum ingens jungeretur, Ludovici Bargæi Ord. Min. animi ardor, majórque fuit, quàm ut absterreri posset, septingenta pestilentia corpora paucis mensibus, postquam viventibus sacra ministrasset, Christiano ritu composuit, suaque manu terræ infodit, magna futuræ olim segetis semina, cum quibus & hominis charitas triumphabit.

Ib. n. 17. XXXVI. Joannis Baptistæ Vaccherii virtus, si non rerum numero, certè pondere est comparanda. Niceæ Provinciæ, qua in urbe nobili loco natus jus dicebat inter cives, paulatim misericordia provehi cœpit. Primus gradus fuit pauperum, viduarum, ac pupillorum causas ultro suscipere, operámque sedulam ac strenuam illis navare. Secundus, in collegium pauperum funera procurantium nomen dare, quod cùm non reciperetur, ut hominis, quem ipsa nobilitas ab illo opere, si collega jam esset, eximium habitura videretur; ipse sponte miselli hominis funus composuit, intulitque sepulturæ; quo facto quum se collegis probâsset, ita ad eam rem exinde incubuit, ut pueros haberet emissarios, qui de tenuiorum obitu monerent, ut relicto foro, ac judiciis, eò primus accurreret. Tertius gradus fuit, unà cum uxore Publicum in Nosocomium secedere, seque totum diurnâ nocturnâque operâ ægris juvandis addicere, ut satis virtutem suspicere non possent se despicientis, atque pro Christo ad ultima abiicientis, qui viri nobilitatem, jurisprudentiam, & honores, ac dignitates noverant. Postremò ut sui plenissimè victorem esse constaret, fugientibus omnibus, qui cadaveribus humandis pretio operam locant, unus ipse ausus est cadaver multâ jam tabe fluens, atque odore longè teterrimo pestilens, quod vix unco vespillones attrectâssent, per otium allevare, componere, atque in sepulchrum inferre, procul spectantibus atque horrentibus, quibus minor charitas adversùs hæc misericordiâ plusquam triplice minimè postus munierat.

XXXVII. Marcianus, quia in via obvium hominem quendam recenter occisum, ex motivo pietatis sepelisset, de scelere hujus homicidii à se patrati in suspicionem tractus, mortis quidem condemnatus fuit; at verò reo hujus sceleris divinâ providentiâ detecto, absolutus fuit, & in progressu temporis ad sceptrum imperiale evectus, maritus factus est Pulcheriæ sororis Theodosii, variósque felicissimos deinde habuit eventus, prout legitur in annalibus Ecclesiasticis Anno 450. *Mansi disc. 17. n. 8.*

XXXVIII. In Martyrologio Romano octavo Decembris S. Eustychiani Papæ natalis occurrit: Inter cuius alia merita pariter legitur: quod 342. corpora Martyrum sua manu sepelièrit. *Ibid.*

§. IV.

EXEMPLA DOMESTICA.

I. Easdem per artes animis curandis intendit Nonnius Barretus, quem Apostolicæ virtutis nomine ab Ignatio commendatum, Abassinorum insulis Paulus III. Pontifex adornavit. Has priusquam indueret, Tituani operosissimâ diu exercitus misericordiâ, vel ipsam Arabum, Maurorúmque immanitatem ineluctabili virtutum vi in sui venerationem compulerat. Tituanum oppidum in Tingitania est, ad Atlantis radices, captivorum Christianorum ergastulis infame. Eò captivis iuvandis missus, miserorum animis corporibúsque curandis constantissimam exercuit diligentiam. Ergastula fœdissimis obsessa sordibus cottidie invisere, sordes verrere, atque auferre inter mancipiorum, propè dixerim strues, noctes agere, consolari, fidei, & Christiani decôris admonere, ægris adesse, lapsos à fide cautissimè sublevare, Medicum, chirurgum agere, Sacramentis omnibus fovere, armare, animare, Nonnio solemne fuit. Quod verò veterum æquabit laudes, ne immites domini ægros cogerent ad labores, eorum opera dominis sepræ sentabat. Quis crederet unum hominem in hostico, inter immanium barbarorum odia tantis laboribus parem fuisse? & hoc vilissimorum ac despicatissimorum capitum causâ? & hilarem adeò, lætumq; hæc inter egisset, ut apud DEUM votis, litteris apud homines vitam ut sibi in ea procuratione degere liceret, instantissimè ageret? idque adeò sedulò, ut se in scribæ famulum ultrò offerret, tantísque contentionibus instaret, quanta nonnisi captivi libertatem flagitarent: lustrum unum integrum inter barbaros egit, magno virtutum omnium incremento, ut habito censu, Æthiopicæ expeditioni capessendæ pares iudicarentur. *Io. Rho. l. 1. c. 7. n. 5. ex nostris.*

II. Joannes Ledesma triginta totis annis, quibus Mexici Theologiam publicè interpretatus est, hoc constantissimè tenuit, ut ante prandium sportulas ad egentissimum quemque naviculâ vectus extra pomœrium deferret, & nunquam tam sedulò in opere defectus. Immo ab hominibus ut miseriarum plenissimis; ita *Ibid. n. 6.*

Ita sæpè humani moris vacuis contemptim habitus, vexatúsque, non ideo cessavit. Agebat Indorum patronum apud iudices, si res ferret, pharmaca, vestes conquirebat, ut in uno hoc homine adversæ fortunæ cuiuscunque solatia miseri haberent. Anceps hic mihi hæret animus, an per hæc ille divinitati contemplandæ se se comparaverit: an ab illa ad hæc ipsa descenderit. Utrumque factum oportuit, reciprocante se charitate.

Ibid. n. 8. III. De Petro Leone sic scribit P. Joannes Rho: Vincet unius hominis industria multorum fidem, quæ nulli unquam cessit calamitati, sed præcipua illius laus circa vinctos damnatósque ad necem, quorum cùm incolumitati, tum animorum saluti omni ope aderat, atque consilio. Et addictis quidem trecentis & novem ad supremum usque illorum spiritum inter funesta satellitum, atque carnificum ministeria intrepidus supremam attulit opem: vinctorum verò viginti millia, quod vix credibile videatur, per se, pérque suos (nam sodalitium, cœptis promovendis, piorum civium collegerat) consilio, gratiâ, pecuniis, à vinculis exemit. O virum bono publico natum! quæ unquam oblivionis tenebræ nomen illud obruent, quod tam multis lucem attulit libertatis? erigi Hispali homini statua potuit, glorioso addito titulo liberatoris.

Ibid. n. 9. IV. Incomparabilem Joannis Pauli Alexii charitatem, terris tum Italiæ, tum Indiæ ostendere tantummodo voluisse videtur DEUS: neque enim pigra hæc abiectáque rerum pars tam promptæ, atque incitatæ virtutis sedes esse debuit. In ipsa Indica navigatione nescio quo casu excussum in vastum, agitatúmque Oceanum è nautica turba unum, undis hauriri quùm vidisset Alexius, reiectâ tunicâ, & ipse iam desiliebat è navi opem laturus, & quamquam natandi non omnino imperitus, manifesto nihilominus periculo, nisi ab accurrentibus prohibitus, ac reprehensus fuisset; ac nautæ proiectis funibus, quos comprehenderet, latum esset auxilium. Idem dum Goâ in Monomotapam renavigat, facto naufragio, & per aquam pectore tenus evadentibus, quibus tantum erat virium, ut undis eluctari possent, infelicem nescio quem adolescentem, quem ægrum hauriri undis erat necesse, miseratione captus in humeros sustulit, pérque instabiles arenas summo vix pectore Oceano extans, decem & octo millia passuum constantiâ animi, corporísque labore pariter incredibili detulit. Hic verè mihi Christophorus fuisse videtur, qui Christum in uno ex suis minimis baiulans per medios fluctus, giganteæ planè charitatis mensuram implevit.

§. V.

EXEMPLA PROFANA.

Valer. Max. l. 1. c. I. Apud Valerium Maximum in libro de somniis de Simonide Poëta legitur, quòd, cùm navigando inventum ad littus cadaver aliquod sepulturæ mandasset, eidem in præmium hujus pietatis, in somno manifestatum fuit, ne sequenti die se mari committeret, quòd cùm ille exequeretur, comites verò navigationis illum deriderent, hi in ejus conspectu dum à littore solvissent, à tempestate absorpti fuerunt.

II. Aristoteles libro de natura animalium refert, quòd cùm Delphini pisces maris moriuntur, alii vivi conveniunt, & eos in fundo maris sepeliunt, Mansi dist. 17. n. 1.

III. In vitis Patrum dicit Hieronymus de Monacho captivo, quòd inter alias naturales proprietates fornicarum, quas mirabatur in solitudine, erat, quòd cùm una moreretur, aliæ conveniebant, & quasi cum celebri luctu mortua corpora deportabant, alia aliam volentem intrare non impediebat, sed si cadebat sub onere, aliæ cadentem suis humeris sublevabant. Ibid.

§. VI.

EXEMPLA BESTIARUM.

I. Cum Zosimus, Mariâ Ægypticâ mortuâ nesciret, quomodo foveam ad eam sepeliendam faceret, leo venit, & faciendo foveam ad eam sepeliendam, eum juvit. Ibid.

II. Constat de S. Vincentio Martyre, dum impius mandaverat Tyrannus, ut ipsius corpus ferarum, aviúmque prædæ expositum relinqueretur, corvo cuidam, ut idipsum rostro suo defenderet, præceptum fuisse. Quod ille mandatum optimè executus, lupos etiam indè abegit. Ibid.

III. Procopius refert, quòd, dum exercitus Romanus Marcam pervagaretur, incolæ perterriti in latibulis se recondiderint, aut fugâ salutem sibi quæsierint: Mulier verò quædam gravida præ nimia formidine partum suum effuderit, eúmque panno cuidam involutum in aperto campo dereliquerit; accidit verò, quòd dum pertransiens illic capra quædam infantis illius audiret vagitum, cursum sistens, ubera eidem porrexerit, eúmque non solùm per aliquod temporis spatium lactaverit, verùm etiam à canibus aliisque animalibus defenderit, donec ab hominibus dictus infans exceptus, in securo positus esset. Procop. l. 2. de bello Goth.

§. VII.

MEDIA.

I. *Zelus divini honoris*, qui enim honorat servum propter dominum, non illum, sed principaliter Dominum honorat, omnis enim honor, obsequium, & beneficium impensum servo, indesinenter ipsi Domino principaliter exhibetur, sicut ipse testatur Matthæi 25. *Quamdiu uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Bellovac. spec. mor. dist. 10. c. 4.

II. *Exemplum DEI ob oculos habere*, uti Bellovacensis suasit his verbis: DEUS, qui summè Bellovac. spec. mor. l. 1. dist. 10.

summè misericors est, & super omnia vult de misericordia prædicari: ad misericordiam nos invitans semetipsum proponit in exemplar evidentissimum, veracissimum, & perfectissimum, per quod habeamus doctrinaliter informari: per quod habeamus deiformiter transformari: Ait enim Lucæ 9. *Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est.*

S. Bonav. III. *Christum in pauperibus intueri*, uti S. Bonaventura suasit, sic alloquens animam: Cur anima totâ die anxiaris post Christum? indicabo tibi, quem diligit anima tua. Certè in infirmaria jacet, & ibi angustiatur, curre, & sibi ministra, sibi compatere infirmanti. At verò inquies fortasse, quomodo id Seraphicus asserere poterat, quando Christus ad dextram Patris sedens, impassibilis est, nec ulli infirmitati humanæ subjectus? Et ideo respondeo, quòd Evangelium nos fallere non possit, in quo dicitur: *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis: infirmus eram, & visitastis me*; hæc enim est DEI erga nos bonitas, ut in quolibet afflicto, & infirmo ipsemet agnosci velit. Et assentiens Sanctus
S. Aug. de ben. discipl. c. 8. Augustinus, ostendam sanè, inquit, quomodo Dominus possit inveniri, aut cognosci, si tamen est animus videndi. Si vis videre Dominum, require mendicum, respice ad pauperem, suscipe peregrinum, visita infirmum, curre ad carcerem, si vis videre DEUM, vincula captivatis absolve, nodos iniquitatis incide.
S. Chrysost. hom. 45. in acta. Denique idipsum etiam suo calculo confirmans S. Chrysostomus super illa verba Actuum Apostolicorum 21. 16. *Adducentes, apud quem hospitaremur*, inquit: Paulum hospitio suscepit ille: forsitan quis vestrum dicet: si quis & Paulum mihi daret hospitem, susciperem promptè, magnáque cum alacritate. Ecce Pauli Dominum licet tibi hospitio suscipere: & non vis? quia qui suscipit unum ex minimis, me suscipit. Quantò minor fuerit frater, qui suscipitur, hoc major Christus per illum advenit.

S. Bonav. VI. *Aliena damna vel commoda tua æstimare*; nam, ut rectè S. Bonaventura notat, misericordia est virtus, per quam animus super calamitate afflictorum movetur: Hæc virtus nihil humanum à se alienum putat, aliorum damna, vel commoda sua æstimat. Hic namque est proprius charitatis effectus, quòd aliorum miserias ut proprias reputet. Idem Seraphicus Doctor alibi misericordiam & charitatem simul conjungit, dicens: Misericordia abundanter renumeratur: unde notat, quòd duæ virtutes valdè copiosæ & plenæ veniunt ad iudicium, propter quòd recipiunt salarium valdè copiosum, scilicet Charitas & misericordia: charitas enim aliena bona facit sua, iuxta illud Psalmi: particeps ego sum omnium timentium te; misericordia facit aliena mala sua, iuxta illud: sicut socii passionum, ita
S. Bernard. & consolationum. S. Bernardinus Jobi exemplum adducit, qui cap. 30. 25. ait. *Flebam quondam super eo, qui afflictus erat*, scilicet afflictione exteriori, *& compatiebatur anima mea pauperi*, scilicet compassione interiori, quasi dicat: Non tantùm ostendebam compassionem exteriorem, sed etiam interiorem, quia ex vehementi affectu compatiebar. Amor igitur non solùm per compassionem internam demonstratur, verùm etiam per subsidium æternum, siquidem ut diximus: Probatio dilectionis, exhibitio est operis. S. Gregorius S. Greg.
glossando verba illa Jobi: Pater eram pauperum, inquit: Non patronum se vel proximum, vel adiutorem pauperum, sed patrem fuisse testatur, quia nimirum magno charitatis officio studium misericordiæ vertit in affectum naturæ, ut eos quasi filios cerneret per amorem, quibus quasi pater præerat per protectionem.

§. VIII.

ASCETICA.

I. *Ante omnia curandum, ut mundo corde misericordia præstetur*, uti rectè monuit S. Gregorius: admonendi sunt, inquit, S. Gregor. p. 3. admon. 21.
qui sua misericorditer largiuntur, ut sollicitè seipsos custodire studeant, ne, cùm commissa peccata eleemosinis redimunt, adhuc redimenda committant, ne venalem DEI iustitiam æstiment, si, cùm curant pro peccatis nummos tribuere, arbitrentur se posse inultè peccare. Melior quippe est anima, quàm esca, melius corpus quam vestimentum, pauperibus largitur, sed tamen animæ, vel corporis iniquitate polluitur; quod minus est iustitiæ, obtulit; & quod maius est culpæ, commisit, sua enim DEO dedit, & se Diabolo.

II. *Curandum ut cum bona intentione exerceatur*; hinc super illa verba Apostoli: *qui tribuit, in simplicitate*: bene notandus est S. Anselmi discursus, dum ait: qui tribuit de Apud Mansi disc. 10. n. 1.
suo aliis in simplicitate, fit membrum eorum, id est, si nihil repetat ab illis, quibus dedit, sed tantùm à DEO, qui remunerator est omnium bonorum, qui tribuit indigentibus, in simplicitate cordis hoc faciat, hoc est ne videatur manibus benefacere indigentibus, & laudem corde quærat ab hominibus: unde cælestis Magister noster Matth. 6. monet dicens: *Attendite, ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videmini ab eis, alioqui mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in cælis est: cùm ergo facis eleemosynam, noli tubâ canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in synagogis & vicis, ut honorificentur ab hominibus.* S. Thomas de hac personante tubâ, inquit: Tubâ canere, est, pompam vanæ laudis appetere. Unde Rabanus ait: Ante se tubâ canit, qui ante alios vult laudari. Salmeron inquit: nota DEI bonitatem, qui in numerato habet omnia opera nostra, & illa sigillatim explicat (scilicet in finali iudicio) modò nos ab illorum enumeratione avertamus oculos, nihilque nos fecisse putemus. S. Anselmus eum, qui misericordiæ opera exercet, monet, dicens:

cens: Faciat hoc in simplicitate supernæ intentionis, non in duplicitate præsentis & futuræ gloriæ. Dionysius Carthusianus ly *in simplicitate* ita exponit: Id est, in simplici intentione, videlicet ad Gloriam DEI, non propter laudem humanam: Nam, ut S. Augustinus ait: misericordia, quâ homini subvenitur, si propter DEUM non fit, non est sacrificium.

Imò non solùm proximis benefaciendum non est propter applausum, & gloriam mundanam, sed neque etiam ob alios fines, & interesse terrena. Salmeron hanc circumspectionem his verbis indicat: Neque exspectemus ullam retributionem, hoc enim & gentiles abominati sunt: nam Seneca quodam locô dixit: Demus beneficia, non fœneremur, dignus est recipi, qui de recipiendo non cogitavit, dum daret. Quantò ergo purior debet esse liberalitas Christianorum, ità ut neque gratitudinis quidem ullum signum exspectarent à recipiente, agnoscentes Christum, qui se fideiussorem, & debitorem pro eis constituit, non secùs ac si ipse reciperet.

III. *Curandum ut cum hilaritate fiat*; hæc enim hilaritas splendor quidam est misericordiæ, inquit Salmeron, quæ tum miserenti, tum misero necessaria est; dare enim, & abalienare à se, quod suum est, tristitiam suapte natura parit; at hæc misericordia, virtutis nomen non obtinebit, nisi illâ ægritudine expulsâ exhilaretur animus. Miser verò, cùm egestas semper pauperem affligat, tunc maximè recreatur, quando collatum fuerit beneficium cum alacritatis gratiâ, nam qui oculis adversis, aut fronte corrugatâ, & subductis superciliis aliquid dat, gratiam virtutis amisit. Idipsum confirmans S. Bernardus, super Cantica scribens, ex candore liliorum hanc ad propositum nostrum elicit moralitatem, dicens: Et est candor, quem sibi induit is, qui miseretur in hilaritate; Etenim si intuearis illum, quem Propheta depingit *iucundum hominem, qui miseretur, & commodat*; Nonne is tibi videbitur de ipsa animi iucunditate induisse candorem quendam pietatis, vultui pariter & operi suo? sicut è regione, si ex tristitia, & velut ex necessitate quis tribuat, non candidum planè, sed tetrum præfert manu & fronte colorem, & ideo *hilarem datorem diligit DEUS*. S. Anselmus hanc hilaritatem, quæ in subveniente proximo requiritur, considerans, ait: In hilaritate hoc faciat, hoc est, qui misero piè compatitur, impendens illi beneficium misericordiæ, in hilaritate mentis hoc agat, quia hilarem datorem diligit DEUS. Dionysius Carthusianus super præcitatum Psalmistæ versiculum: *Iucundus homo, qui miseretur &c.* inquit: In hilaritate cordis hoc faciat, ne suo mœrore miserum magis affligat, unde de quibusdam scriptum est: consolatores onerosi omnes vos; quos contra ait Psalmista: *Iucundus homo qui miseretur.*

S. Bernard. s. 71 in Cant. apud Mansi l. c.

IV. *Curandum ut cum celeritate fiat*; Hoc Salmeron super illa verba qui miseretur, in hilaritate: discurrens, confirmat, dum ait: est etiam ornamentum misericordiæ, celeritas, nam qui citò dat, bis dat. S. Lucas de hydropico scribens, promptam Salvatoris misericordiam & compassionem his verbis indicat *Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum, apprehensum sanavit illum, nec exspectavit, donec ad illum sanandum rogaretur.* Sapiens quoque ad hoc propositum monet inquiens: *Noli prohibere benefacere eum, qui potest; si vales, & ipse benefac: Ne dicas amico tuo: vade & revertere, cras dabo tibi, cùm statim possis dare.* Quamprimùm Tobias senior certior factus est de cadavere publicè in plateis insepulto jacente, tametsi cum aliis convivis prandio accumberet, statim exiliens de accubitu &c. S. Augustinus quoque modum indicat, quem observare debent illi, qui nonnunquam egeno benefacere nequeunt, ne misericordiæ merito destituantur; dicit enim: supplicem nullum spernas, & cui dare non potes, quod petierit, non eum spernas: si potes dare, da; si non potes, affabilem te præsta; coronat DEUS intus volentem, ubi non invenit facultatem, Nemo dicat, non habeo, charitas non de sacculo erogatur.

Mansi disc. 20. n. 7.

V. *Curandum ut cum largitate fiat*, uti D. Chrysostomus super S. Pauli 2. ad Cor 9. v. 6. verba: *Qui parce seminat &c.* discurrit; Neque enim sufficit misereri, inquit, sed oportet id & largiter, & animo non tristi facere, imò non solùm, non tristi, sed & alacri & læto. Non enim par est tristari, sed gaudere; verba autem Apostoli prosequens ait: qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet: Animum verò dirigens addit: Non ex tristitia, aut ex necessitate; nam utrumque oportet miserturo adesse, & quod abundè & quòd cum voluptate det. Quanam gratiâ cùm eleemosinam das, ploras? quid dolens, omnem boni operis fructum perdis? si namque doles, non idsereris utique, sed crudelis es, & inhumanus: Quomodo enim eum, qui in tristitia est, refocillabis, si tu doles?

S. Chrysost.

VI. *Curandum ut indifferenter, seu sine discrimine Personarum fiat*, uti præclarè observat S. Chrysostomus, Apostolum Hebræos ad Hospitalitatem his verbis adhortari: *Hospitalitatem nolite oblivisci, per hanc enim placuerunt quidam Angelis Hospitio receptis.* Sanctus verò hic Doctor ita legit: quidam inscientes hospitio exceperunt Angelos: ac rectè dixit, inscientes; nam si sciens illos excepisset tanta cum benevolentia; nihil magni, mirique fecisset. Sed hæc tota laus, quòd ignorans, quinam essent, qui præteribant, nec aliud esse credens, quàm homines viatores, cum tanta alacritate vocavit intrò. Tu quidem igitur, si quem nobilem ac splendidum exceperis, multámque præstiteris alacritatem, nihil mirum est, nam virtus ejus, qui excipitur, etiam inhospitalem frequenter adigit, ut omnem exhibeat humanitatem: Cæterùm illud maximum, & admiratione dignum, quoties & vulgares, &

S. Chrysost. conc. 1. de Laz.

Heb. 13. 2.

& abjectos, & viles multa cum benevolentia excipimus.

S. Thomas Villan. Conc. de S. Martino. VII. *Curandum est, ut causam cognoscat, cur Christus in processu judicii enarrando, solius misericordiæ mentionem fecerit*; quam quidem rectè assignavit S. Thomas Villanovanus, dum dixit: Non hæc opera præcipuè commemorantur, quia sola bona, aut quia perfectiora sunt, sed duplici ratione hoc dicitur. Primò, ut Dominus ea commendaret, & ostenderet hominibus secularibus, & populo Dei, in his præcipuè salutis rationem perquirendam esse, qui spiritualibus vacare minimè possunt. Secundò, ut per hoc, quid de perfectioribus tunc fiet, intelligat.

§. IX.

MISCELLANEA ET CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Qualitas.

S. Hier. in c. 58. Isa. I. S. Hieronymus super illa verba: *Cum effuderis esurienti animam tuam*, ita scribit: ut esurienti non demus panem nostrum, sed animam nostram, ut eum in quibuscunque possumus, adjuvemus, & non quasi ex tristitia & necessitate, sed ex animo tribuamus, accipientes magis, quàm dantes beneficium; *Hilarem enim datorem diligit Deus*; ut animam esurientem, sive afflictam non refocillemus ex parte, sed saturemus, & doleamus cum dolentibus; Tunc orietur in tenebris lux tua, ille qui dicit: *Ego lux veni in Mundum, ut omnis, qui credit in me, in tenebris non maneat, sed habeat lucem vitæ.* S. Thomas super illa verba: Erumpet quasi manè lumen tuum, ita scribit: Erumpet primò, quantùm ad efficaciam meritorum, tum quantùm ad opera virtutum: quasi manè lumen tuum, scilicet merita tua clarè patebunt.

Utilitas.

Mansi discr. 3. tr. 57. n. 5. II. Regius Psalmista inter alios effectus amoris & dilectionis Dei, etiam affectum, quo Rahab prosequebatur, enumerat: *Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob: Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei*; At verò in quonam hæc cælestis Jerosolymæ gloria, & magnificentia consistit? in eo nimirum, quòd memoria habeatur Rahab meretricis; *Memor ero Rahab.* Scimus enim ex scriptura, quantùm hæc mulier, quantúmvis fornicaria esset, privilegiata fuerit; fuit enim ipsa cum tota domo sua à communi excidio Jerichuntino præservata; atque insuper cuidam ex primaria tribu Juda pregnato principi desponsata fuit, atque ex ejus linea & progenie stirps Davidica fuit propagata, ex qua postea multorum sæculorum progressu filius Dei altissimi sacratissimam suam assumpsit humanitatem. Scirène autem cupitis, ob quæ motiva Deus hanc animam adeo à se amatam, hoc modo magnificârit? Pulchra est hospitalitas, inquit Nazianzenus, testis inter justos Loth, inter peccatores Rahab meretrix, non tamen animi inductione meretrix, cui bene de hospitibus merendi studium & laudi fuit, & saluti. Abulensis inter alia Deo gratæ & ab ipso magnoperè remuneratæ hospitalitatis exempla, illud quoque Rahab meretricis enumerat, inquiens: Quia exploratores domo suâ recepit, habuit nomen æternum in Israël, cùm esset Cananæa, & in Genealogia Christi locum habuit.

R. P. Lohn. Auctar. Bibl.

III. Mystica est visio illa S. Joanni in Apocalypsi exhibita, quam his verbis refert: *Et conversus vidi septem candelabra aurea, & in medio septem candelabrorum aureorum similem filio hominis; & habebat in dextera sua septem stellas.* *Ibid. n. 2.* Etenim septem hæc candelabra aurea, & septem stellæ septem præfigurant opera misericordiæ corporalia, & septem spiritualia, in quorũ medio est Dei filius, utpote qui, quod miseris impenditur, sibi collatum esse censet. S. Bonaventura ait: septem sunt opera Misericordiæ corporalia, & septem spiritualia; Corporalia sunt ista, nempe esurientem pascere, sitientem potare, nudum vestire, hospitem colligere, infirmum visitare, vinctum liberare, & mortuum sepelire. Septem spiritualia sunt, peccata dimittere, peccantem corrigere, pro peccante orare, ignorantem instruere, hæsitanti consulere vel confirmare, Lugentibus consolationem præbere, & ad omnes afflictos cordis compassionem habere. In figura horum dicitur in Apocalypsi, quòd similis filio hominis erat in medio septem candelabrorum aureorum, & habebat in dextera sua septem stellas. Candelabra aurea signant septem opera misericordiæ spiritualia, in cordis hemisphærio lucentia tanquam sydera radiosa: Neque sine Mysterio septem hæ stellæ in dextera sunt positæ, quia in virtute horum operum, prædestinati ad dexteram collocabuntur, & lucebunt quasi stellæ in perpetuas æternitates.

IV. Cogita apud te, quid faceres, si res in manu tua deficerent, ac perirent, in manu verò aliena conservarentur, profectò si saperes, omnia in manu illius reponeres. *Salmeron. to. 5. tr. 16* In hunc ferè modum, cùm omnia temporalia bona in manibus nostris marcescant, ac corrumpantur, solæ manus pauperum, quæ Christi sunt, illa incorrupta atque intacta fideliter servant, magnámque retributionem remunerantur in cœlis. Unde scitum est, & elegans Mercatoris cujusdam responsum, qui, cùm multa millia aureorum haberet in bonis, quæreretúrque ex Rege summa pecuniarum, respondit, se præter mille aureos non habere, cúmque Rex putaret sibi dari verba, admiraretúrque responsum, adiecit Mercator: Mille aureos in pauperum usum propter Deum erogavi, & eos tantùm meos esse existimo, qui extra omnem aleam fortunæ sunt positi; Reliqua bona & voluntati tuæ, & direptioni furum, & fortunæ casibus exposita, pro meis non agnosco.

Mansi disc. 16. n. 7. V. Inter omnes veteris Testamenti Sanctos, nullus adeò vivam de corporis sui futura resurrectione fidem, nec tam firmam de concedenda sibi visione beatifica spem habuit, quàm S. Propheta Job, qui erga pauperes munificentissimus fuit: Ait enim: *In carne mea videbo Deum Salvatorem meum, quem visurus sum ego ipse: reposita*

est hæc spes mea in sinu meo. Scitisne verò, undénam hæc ei fides & certa de visionis fruitione futura spes subnata fuerit? *Si negavi, quod volebant, pauperibus, & oculos viduæ expectare feci; si comedi buccellam meam solus, & non comedit pupillus ex ea, (quia ab infantia crevit mecum miseratio, & de utero matris meæ egressa est mecum) si despexi pereuntem, eò quòd non haberet indumentum, & absque operimento pauperem &c.* Unde Origenes de eo ait: Certum est, quòd & mensæ eius, atque sedes eius, & ministerium copiosum fuerit, sed plus erat ministerium copiosum, quod ministrabat hospitibus, & advenientibus infirmis, & miserantibus destitutis, & peregrinis. Pro horum ergo omnium susceptione copiosum nimis habuit Ministerium; puto, quòd & in cœlo & in excelsis copiosum nimis habuerit ministerium. Plurimi ministraverunt ei super terram pro miserorum susceptione, sed plures ministrabant ei in cœlis cœlestes angeli, incorruptibiles Eleëmosynas, atque bona opera eius in memoriam coram eo in cœlum deferentes. S. Leo Magnus similiter hoc viri misericordis lucrum copiosum tangit, inquiens: Juvatur conservus, & gratiam refert Dominus, largitor temporalium, hæres efficitur æternorum.

S. Bonav. in dial. lib. 7. c. 4.

VI. Nota, quòd duo ostia facit pietas in cœlo, scilicet, cùm homo misericors intus compatitur, & proximo extrà subvenit; quod optimè figuratur in 3. lib. Regum, ubi dicitur, *quòd Salemon fecit in ingressu Oraculi duo ostiola de olivis*, quæ quidem sunt duplex misericordia, scilicet corporalis & spiritualis; corporalis subveniendo, spiritualis compatiendo.

Mansi disc. 18. n. 1.

S. Anton. Pad. in Dom. 18 post Pent.

VII. Quis est, qui nesciat, quòd luctatores, ut vincere possint, corpus suum inungere soleant? Pugil cum adversario pugnaturus, inquit S. Antonius de Padua, solet inungi. Sic justus balsamo & oleo supradicto (scilicet misericordiæ, de quo antecedenter locutus fuerat) inungitur, ut manu fortis, id est, opere efficiatur, & sic deiiciat inimicum, id est, diabolum. Porro oleum, misericordiæ Symbolum est, quâ si quis inunctus fuerit, nullam habet inimicum timendi rationem. Aretas super illa verba S. Jacobi: *Superexaltat misericordia judicium*, scribit: Tale autem quiddam videtur mihi hæc misericordia efficere, quale oleum ab arboribus manans in athletis illitum, dat enim istud elabi, ne ab adversariis teneantur, & ita etiam in universali judicio misericordia nostra erga egenos dabit effugere impetus ac pericula, quæ à dæmonibus accusatoribus nostris imminebunt.

Necessitas.

Ibid. disc. 5. n. 1.

VIII. Si quis ingentem quendam omnium operum meritoriorum texere posset catalogum, in quibus se omnes animæ electæ à Principio Mundi usque ad finem illius exercuerunt, illa quidem innumera, & quasi infinita esse deprehenderet, & tamen illorum supremus Judex in novissimo Judicio nullam prorsus in conspectu cœli & terræ faciet mentionem, sed solùm magnificabuntur opera misericordiæ corporalis. At verò quonam putas id futurum esse mysterio? Respondet Dionys. Carthusian. quoniam opera misericordiæ directè & evidenter includunt charitatem, virtutum reginam. S. Leo quoque idem dubium his verbis resolvit: unde autem exigua ista impendia tanta æstimari taxatione meruerunt, nisi quia pondera operum misericordiæ charitatis lance pensantur? Cùm igitur hæc opera amoris sint expressiva, utpote derivantia à radice charitatis, quæ præ quavis alia virtute Deo placet, mirum non est, quòd eadem opera omnibus aliis operibus, quantumvis insignibus, præcellentiæ palmam diripiant.

Æquitas.

Salmeron. to. 5. tr. 17.

IX. Salmeron Pulchram hanc adducit similitudinem, inquiens: Moris est, ut ad Doctoratûs & Magisterii gradum aspirantes, diligenter priùs de idonea & sufficienti doctrina examinentur, quibus propterea de more assignantur Capita sive Theses, ad quas ad diem condictam respondeant. Quòd si illi certò prænoscerent per multos menses, antequam ad disputationem descenderent, se in illis fore examinandos, profectò id esset sibi gratiosissimum, & jucundissimum, & operam diligenter navarent, ne quicquam posset in sua disputatione desiderari. Vide singularem & incomprehensam filii Dei bonitatem & charitatem. Nam cùm velit nos ad externorum bonorum possessionem promovere, ne minùs instructi ac parati accederemus ad tribunal divinæ justitiæ, admonitos nos esse voluit operum misericordiæ, quòd eorum rationem strictam à nobis esse exigendam intelligeremus; Ait namque: *venite benedicti patris mei &c. Esurivi enim &c.*

Dignitas.

Mans. disc. 1. n. 7.

X. Observandum, quòd Baptista, dum ex hac vita paulò post egressurus, certam Discipulis suis de adventu Messiæ vellet dare notitiam, duos de discipulis suis ad Christum mittens, dixerit illi: *Tu es, qui venturus es, an alium exspectamus*? Et respondens Jesus ait illis: *Euntes renunciate Joanni, quæ audistis, & vidistis; cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, &c.* Quasi dicere vellet, ex hoc indicio me verum Dei filium, & promissum Messiam esse evidenter intelligetis, quia scilicet mundo leprosos, erigo claudos, illumino cæcos, ignorantes erudio &c. Adhæc, cùm priusquam in cœlos ascenderet, suam Apostolis, præcipuè ad miracula patranda, delegasset omnipotentiam, specialiter hæc miracula in sanandis infirmis ab illis patrari volebat: unde sacer textus ait: *Super ægros manus imponent, & bene habebunt.*

Ibid. disc. 2. n. 1.

XI. S. Joanni Eleëmosynario Patriarchæ Alexandrino repræsentata fuit Misericordia in specie pulcherrimæ virginis splendidè exornatæ coronam oleagini coloris in capite deferens, quæ eidem dixit: sum Prima ex filiabus Magni Regis, si tu me tibi amicam paraveris, potero te ei efficere familiarem.

S. Ioan. Damasc. l. 2. fid. Orthod. c. 14.

XII. Nihil tam commendat Christianum, quàm miseratio charitatis, cui accedit & Cicero, dicens: Nulla de virtutibus plurimis admirabilior,

bilior,

bilior, nec gratior misericordiâ; homines enim ad Deos nulla re propiùs accedunt, quàm salutem hominibus dando. Nihil habet fortuna majus, quàm ut possit; nec natura melius, quàm ut velit servare.

S. Bonavi. in diat. sit. 7 c. 4. XIII. Nota, quòd misericordia est virtus, quæ cuncta superat, specialiter excedit tres virtutes inter alias excellentes, scilicet pœnitentiam, quia pœnitentia immolat corpus, misericordia verò animam; superat charitatem, eò quòd charitas est fluvius divinæ pietatis, & currit cum alveis suis, & non exit extra ripas, quia solum bonum diligit, & sua communicat, pietas verò & misericordia extra ripas inundat, & sua bonis & malis communicat, & ideò non solùm bona proximorum, sed etiam mala libentissimè portat, juxta Apostolum: *quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non uror?* Misericordia superat justitiam, & in signum huius de curia justitiæ, si est à peccatore suspecta, licet ad consistorium misericordiæ appellare, nam dicit Jacobus: *misericordia superexaltat judicium.*

Mansi disc. 3. n. 7. XIV. Postquam Magdalena Soror Lazari pretiosum illud Christi vertici superinfudisset unguentum; Judas verò hac de re inverecundè submurmurâsset, Christus eius sibi vendicans defensionem, celeberrimum illud in eius laudem texuit encomium, quod ad perpetuam rei memoriam Ecclesiæ annalibus remanebit insertum, dicendo: *Amen dico vobis, ubicunque prædicatum fuerit hoc Evangelium in toto mundo, dicetur & quod hæc fecit in memoriam eius.* Non constat, quòd Christus alabastrum illud pariter unguento pretiosissimo plenum, quod in domo Simonis Pharisæi in obsequium suum effuderat, tantis laudibus magnificârit, quemadmodum unguentum illud, de quo jam locuti sumus. Quònam igitur hæc differentia spectat? Num fortè illud, quod ex alabastro effundebatur, paris pretij & fragrantiæ non erat? ad hoc respondetur verbis ipsiusmet Salvatoris: *Mittens enim hæc unguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit*; hinc enim colligitur, quòd, quia unguentum hoc sub titulo operis misericordiæ, quale est sepelire mortuos, effuderat, ideò illud præ cunctis aliis devotionis & dilectionis demonstrationibus, quas ad illud usque tempus ei exhibuerat longè gratissimum habuerit: in tot enim aliis servitiis & obsequiis sibi præstitis, nunquam ad tam eximias laudes os suum aperuit: quia futurum erat, inquit S. Remigius, ut hæc mulier corpus domini mortuum vellet perungere, & tamen non posset, quia resurrectione anticiparetur, idcirco, divinâ providentiâ actum est, ut vivum Domini corpus perungeret. Fuitque proinde hoc thymiama, hic odores, & unguentum istud Salvatori adeò acceptum, quia illud sibi, in sepulturam suam exhibitum esse reputabat: *Ad sepeliendum me fecit.*

XV. Observandum, quòd Incarnata sapientia, de qua dicitur: *Omnia in mensura, & numero, & pondere disposuisti*; Sacerdotibus, Pontificibus, & Synagogæ inspirârit, ut ex pretio sanguinis sui, scilicet triginta argenteis, pro quibus traditor vitam eius illis vendiderat, in templum à Juda relatis, stabilis quædam emeretur possessio. Scilicet ager figuli in sepulturam peregrinorum. Sed obsecro, quodnam in eo latet mysterium? Nimirum ut exinde colligeremus, quanto in pretio opera misericordiæ habeat. Adeò enim ei placet hoc opus, inquit Episcopus Bellovacensis, ut vendi non recusaret, & pretium venditionis suæ crederet in emptionem agri figuli, ubi peregrini sepelirentur, quorum sepulturæ cura multùm Deo grata est.

XVI. In capite ultimo Deuteronomii de morte Moysis, quæ in monte Nebo accidit, ita scribitur: *Mortuus est ibi Moyses servus Domini, in terra Moab, jubente Domino, & sepelivit eum in valle, &c.* Ergóne nec Deus ipse servum suum Moysem sepelire non fuit dedignatus: sed quid est, quòd Moysis corpus (quærit B. Petrus Damianus) ipse per se Dominus sepelivit? quòd si dixeris, ut Oecumenius super Epistolam S. Judæ Apostoli scribens declarat, Deum corpus Moysis operâ S. Michaëlis, tanquam synagogæ protectoris sepelisse: dicitur Michaël ministerium præbuisse in sepeliendo Moyse; sciendum tibi est, quòd & hoc ipsum magnopere exprimat immensam æstimationem, quam Deus habet de misericordiæ operibus; siquidem ad hæc exercenda ipsummet cœlestis Militiæ Principem adhibere non dubitet. Sic quoque Deus ad Tobiam defunctorum sepulturis operam dantem, non quemlibet submisit Angelum, sed Raphaëlem Archangelum, qui unus est ex septem, qui assistunt ante thronum, ac proinde idem Bellovacensis ait: Hoc opus specialiter coram Domino Angelus præsentat, quasi maximè sibi gratum, sicut Angelus Tobiæ c. 12. dixit: *Quando abscondebas mortuos, &c.* *Ibid. n. 8.*

TITVLVS XXXXVII.

MISERICORDIA ERGA DEFVNCTOS.

§. I.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Qualitas.

S. Bernard. to. 4. ser. 13. extrav. n. 5.

I. Uemadmodum natura succurrit loco debiliori, providendo illi, sicut quando incidis tibi digitum, immediatè natura impellit sanguinem, succurrendo illi, sic fit animabus purgatorij, quia eleemosyna magìs confert animæ egenti, quàm non egenti, quia propter connexionem membrorum, & charitatis, quam habent ad invicem, illud provenit, quia reputant bonum unius fore alterius, quemadmodum cùm homo dolet pedem, vel manum, aut oculum, cætera membra languent, ita debet esse, aut fieri circa animas purgatorij.

2. Mach. 12. 43.

II. In Machabæorum libris legimus oblatum pro mortuis sacrificium, sed etsi nusquam in scripturis veteribus omninò legeretur, non parva est universæ Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret, authoritas, ubi in precibus Sacerdotum, quæ Domino DEO ad ejus altare funduntur, locum suum habet etiam commendatio mortuorum.

Æquitas.

Carthusianus in epist. ad Doct. Theol. Colon. an. 1471.

III. Omninò extra viscera exulat charitatis, & omni est fraterno spoliatus amore, qui suâ negligentiâ, aut vecordiâ miseras amicorum suorum animas in purgatorii flammis ardere permittit: Cùm dicat S. P. Augustinus, nulla præsentis vitæ supplicia, etiamsi universa congerantur, Purgatoriis esse tormentis coæquanda. Hæc tecum sapienter pensites, velim, ut id agas ocyùs in anima proximi, quod tibi in similibus pænis cuperes impendi.

S. Bern. de quinque negot. & region.

IV. Transeamus per compassionem ad illos, quibus juncti fuimus per humanitatem. Vadam in istam Regionem, & videbo visionem hanc grandem, quomodo pius Pater glorificandos filios in manu tentatoris relinquat, non ad occasionem, sed purgationem; Non ad iram, sed ad misericordiam; Non ad destructionem, sed ad instructionem, ut jam non sint vasa iræ apta in interitum, sed vasa misericordiæ præparata ad regnum.

Utilitas.

Mansburgus apud Mansi to. 86. disc. 5. n. 3.

V. Qui pro defunctis orat, septem misericordiæ opera eis impendit, unde & ejus miserebitur DEUS. Cibamus esurientes pane Angelorum, dum eas precibus deducimus ad Regna cœlorum. Secundò potamus sitientes; dicunt enim: sitivit anima mea ad DEUM fontem vivum. Tertiò vestimus nudos nuptiali veste, vestitu deaurato dum enim charitatem nostram considerant, charitatem in nos actuant. Quartò peregrinos & exules hospitamur, dum in domum Domini lætantes precibus deducimus. Quintò captivos è carcere educimus, dum infirmos illos, & amore languentes visitamus; in terra tandem viventium in Domino beatos sepelimus.

S. Bernard. to. 4. ser. 15. p. 2.

VI. Quoties tu facis aliquod bonum pro anima existente in Purgatorio, tibi magìs prodes, & plùs mereris, quàm si faceres decem tantundem pro uno existente in hoc mundo, etiamsi esset incarceratus, infirmus, nudus, & famelicus, nam quantò magìs egenti hoc facis, tantò magis est bonum.

S. Ambros. apud Mansi l. c. n. 3.

VII. Omne quod defunctis causâ pietatis impenditur, in nostrum tandem meritum commutatur, & illud post mortem in centuplum inveniemus duplicatum.

S. Io. Damascenus orat. de fidel. Defunctis.

VIII. Nunc opis ferendæ tempus est, & tempus negotiandi; Ac beatus quidem ille, qui spe minimè titubârit, atque elanguerit; Beatior autem, qui & suâ & proximi causâ laborârit. Nam hoc etiam misericordem Dominum impensiùs oblectat, & exhilarat, cùm quisq; ad proximum juvandum celeri cursu contendit. Hoc, inquam, misericors ille vult, gratùmque habet, ut nos omnes tum in vita, tum post confectum vitæ circulum mutuò alii ab aliis juvemur.

Lucas Tudensis c. 6.

IX. Studeamus Defunctis exhibere studia charitatis, & sacrificiis, orationibus, eleemosinis eorum temporalem miseriam relevemus, ut, cùm defecerimus morte corporis, dum illi à malis liberi, inter filios DEI fuerint computati, recipiant nos in æterna tabernacula.

Gerson ser. 1. de defunct.

X. Talis oratio semper suum habet effectum, quia fit pro illo, qui est in gratia, & qui satisfactione eget, nec eam pro se ipso facere potest, &c. Talis oratio ex maiori procedit fide, quàm ea, quæ fit pro viventibus; est enim necesse cogitationem elevari ad purgatorium credendum, & quasi ipsum per fidem videndum. Hæc oratio obligat aliqualiter in purgatorio existentes, ad par referendum, postquàm fuerint in paradiso, & oratio eorum multùm accepta erit DEO, & multùm valens &c. Hæc oratio est maioris necessitatis.

tis, & festinationis &c, Meretur, quòd is, qui eam facit, pariformiter post hanc vitam iuvetur oratione aliorum, & Ecclesiæ. Hæc oratio maiori emanat charitate, quando fit pro illis potiùs, qui magis elongati sunt à nobis, non exspectando par, nec gratiam, quam nobis agant &c. Hæc oratio satisfacit obligationibus magnis, quibus vivi devincti sunt mortuis, ob diversa ab eis recepta bona, sivè naturæ, sivè fortunæ &c. Talis oratio consolationem dat, vel gaudium aliquo modo Angelis, qui defunctos custodiebant, & facile est creditu, revelare illis, & consolari eos, pro quibus huiusmodi fiunt orationes, & sic cognoscunt illud, quod vivi faciunt eis. Talis oratio inducit hunc, qui eam facit, cavere à peccatis, & citiùs pænitentiam agere, atque considerare, ne quicquam committat, propter quod talem incurrat afflictionem &c. Talis oratio, quando fit manifestè, melius exemplum dat aliis credendi vitam futuram. Hæc oratio persolvit multò maiorem pœnam, & prolixiorem, quàm sit ea pœna, à qua talis fit oratio, & est, ac si esse uno redimeretur Francus &c. Hæc oratio inducit potiùs illum, qui orat, ad hanc vitam contemnendam, & ad aliam tendendum, memorando statum illorum, qui paulò antè vivebant.

Facilitas.

Idem ser. 2. XI. Nullus est cuiuscunque statûs homo, qui se excusare possit, quò minus iuvet mortuos; nec est, qui verè dicere possit, plorare non possum pro defunctis, non possum pœnitentiam agere, devotè pro eis lamentando. In quocunque enim loco fueris, & quocunque premaris paupertate, potes, quod prædictum est, facere, haurire potes, & trahere ex cordis tui puteo (qui intra te est) puram aquam & mundam, ut extinguas ignem, qui in purgatorio tuos adurit amicos, quod verum est, quantùm ad eos, te scilicet posse extinguere.

§. II.

EXEMPLA SACRA.

Specul. Exempl. Dist. 3. exempl. 47. I. MOnachus quidam Cisterciensis Ordinis religiosa admodum conversatione vitam suam consummans, tentationibus & ærumnis huius miserabilis vitæ, morte interveniente subtractus est. Quo defuncto, Sacrista illius domûs nocte quadam imminente in tempore vigiliarum, dum præstolaretur signum horologii, vigilans sedebat in lecto suo. Tum ecce spiritus eiusdem defuncti Fratris, tanquam solido, & palpabili corpore, vestitus repentè astitit coram ipso, sicque lamentabili voce allocutus est eum: Domine Sacrista, ego sum ille frater nuper defunctus, sed cur ad te venerim, quæso, ut pietatis intuitu pensare digneris. Ego enim dum adhuc essem in corpore, licèt per gratiam DEI vigilanter satis in observantiis Ordinis me ipsum exercitarem, in uno tamen graviter deliqui, quòd scilicet sacrum Diaconatûs ordinem carnaliter concupivi, & ut ad hunc honoris gradum ascenderem sine respectu timoris DEI, valdè inquietus fui. Quódque adhuc gravius est, absque condigna pœnitentia hujus delicti de corpore exivi, quia nec tanti ponderis hoc fore putabam, quanti post mortem inveni. Sed pius Dominus mihi tibi comparere concessit, quatenus qui jam per me ipsum mereri nil possum, fratrum nostrorum, qui adhuc tam sibi, quàm aliis misericordiam DEI promereri possunt, orationibus debeam adjuvari. Itaque obsecro per pietatem Domini nostri JESU Christi, quatenùs calamitatem meam Priori exponas; ipsum roges, ut in Capitulo me absolvens, generalem orationem pro mea liberatione fratribus injungere dignetur. Ut autem noveris hoc, quæ vides & audis, phantasticam nequaquam esse illusionem, in augmentum veritatis, Psalterium, quod portarius ante aliquot dies in Capitulo requisivit, & nondum invenit, in illo tali loco repositum invenies. Verùm cùm Sacrista hæc audierat, & viderat, & multum miraretur tam insolitam novitatem rei, tamen cùm esset homo maturi consilii, ipso die nemini quicquam super hoc verbo locutus est, reputans, ne fortè tanquam somniator, aut à Dæmonibus illusus derisui haberetur. Nocte verò sequenti, dum sicut priùs vigilans, & sedens in lecto suo, de his, quæ sibi præteritâ nocte contigerant, attentiùs cogitaret, rursus ille defunctus sicut antea vigilanti & stupenti apparuit, dixitque ei: Non rectè agis, Domine Sacrista, non rectè agis erga me, qui iram Domini porto, quoniam peccavi ei, in cujus manus, quàm horrendum sit incidere, utinam & tu non experiaris. O si scire possis, quàm gravis est etiam minima pœna animæ à carne solutæ, profectò non tam negligenter ageres, sed totis viribus succurrere satageres. Quapropter etiam atque etiam contestor te propter DEUM, ne ultrà dissimules, sed petitionem meam effectui mandare festines, quia spero me per orationes fratrum nostrorum, apud clementissimum Judicem DEUM misericordiam adepturum. Ut autem totius dubietatis scopulus de corde tuo tollatur, & me ipsum esse, quem paulò ante viventem in carne, benè noveras, non dubites, ecce tolle de manibus meis Psalterium, quod portarius in Capitulo quæsivit, & nec dum invenit. Tulit itaque Sacrista de manibus ejus Psalterium, super tam inauditis mirabilibus DEI, vehementer obstupefactus. Porrò cùm jam idem ipse Sacrista, scire volens, utrùm nam solidum, & palpabile esset corpus, quod videbat, utrumnè sic subjaceret tactui, sicut visui, cùm haberet propè se virgam, tulit eam, & quasi tangendo experientiæ satisfacturus, levi ictu vibravit illam, sed mox nullo penitus obstaculo resultante, quasi per vacuum aërem, sic per corpus, quod apparebat, transducta est. Manè autem facto Priori & fratribus, quæ viderat & au-

audierat, innotuit, Psalterium etiam, quod acceperat, tanquam veritatis pignus, protulit. Sicque fratris illius anima per communes orationes & Missarum celebrationes pœnis (ut credimus) absoluta, beatitudinis æternæ consortium DEO miserente promeruit.

Ibidem dist. 7. ex. 51. II. Frater quidam ad prædicandum missus villam quandam intraverat, & ascenderat vespere solarium ad pausandum. Et ecce in opposita domo, perditi adolescentes ad funus defuncti convenerant, & obscœnis vacantes lusibus vigilabant. Hæc ut audivit frater flere cœpit uberrimè, prædictorum insanias miseratus. Nec mora ut se deposuit super lectum, quidam astitit, ut sibi visum est, dicens: Legatione fungor animarum, in Purgatorio purgandarum. Hæc enim mandat suis in derelictis possessionibus constitutis: *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me.* Et ait fratri: Ex his verbis cras tibi sermonis thema accipies, & repelles ludos execrabiles, quos vidisti, & induces homines, ut defunctorum amicorum piè subveniant animabus. Nec distulit frater in crastino, sepulto corpore injunctam legationem convenientibus populis indicare. Tantúmque in illo sermone profecit, ut omnes à minimo usque ad majorem ad tantam lacrymarum abundantiam commoveret, ut fervor mirus excitaretur in populo defunctis proximis subvenire. Et ludos execrabiles (quos prædiximus) removerunt.

Ibidem dist. 8. exempl. 67. III. Dum quidam miles in lecto cum uxore sua esset, & luna valdè lucens per rimas intraret, mirabatur, quomodo homo rationalis creatori non pareret, cùm eidem creaturæ irrationales parerent. Et dum cuidam militi defuncto, qui sibi fuerat familiaris, detraheret, subitò ille qui mortuus fuerat, thalamum introivit, dixitque illi: Amice, noli malè suspicari de aliquo, & condona mihi, si quid in te peccavi. Cúmque super statu suo interrogaretur, dixit: Variis pœnis affligor, præcipuè quia tale cœmiterium violavi, & ibi quendam vulnerans eum cappâ suâ expoliavi, quæ mihi superponitur, & uno monte me magis premit. Rogavitque, ut pro se orationes fieri faceret. Cùm autem ille sibi diceret, an vellet, quod à tali, & tali sacerdote ipsas orationes faceret fieri, ille ad hoc nihil respondens, caput more renuentis concussit. Deinde dixit, si vellet, quòd talis eremita pro se oraret. Cui ille: Vtinam ille pro me oraret: Quod cùm se facturum promitteret, ait ille: Et ego dico tibi, quòd ab hac die usque ad duos annos tu etiam morieris. Sic ille disparuit, & miles vitâ suâ in melius mutatâ, in Domino obdormivit.

Petrus de Natal. l. 10. c. 8. IV. Legitur, quòd quidam Piscatores S. Theobaldi in Autumno frustum magnum glaciei pro pisce prendiderunt, de pisce gavisi sunt, maximè quia Episcopus dolore pedum laborabat, ipsam glaciem ejus pedibus supposuerunt, & magnum ei refrigerium præstabat. Quadam verò vice de glacie hominis vocem audivit. Qui ab Episcopo adiuratus quis esset, dixit: Sum quædam anima, quæ in hoc gelicidio pro peccatis meis affligor, & liberari possem, si triginta Missas sine intervallo triginta diebus continuis diceres. Qui cùm medietatem dixisset, & se iam ad Missam aliam præparâsset, diabolicâ suggestione contigit, quòd ferè omnes homines illius civitatis inter se bella moverent. Unde vocatus Episcopus ad sedandam discordiam, sacras deponens vestes Missam illam illa die intermisit; Iterum reincipiens, & duas partes complens, exercitus magnus (ut videbatur) civitatem illam obsedit, & compulsus Missæ officium intermisit. Deinde reincipiens cùm omnes ultimâ exceptâ dixisset, & ultimam inchoare vellet, tota villa & domus Episcopi accensa est. Cui cùm servi dicerent, ut Missam intermitteret. Ille dixit: etsi tota villa cremari deberet, Missam non dimitterem. Quâ celebratâ glacies protinùs resoluta est, & ignis, quem se vidisse credebant, tanquam phantasma recessit, & nullum damnum intulit.

Spec. Exempl. dist. 9. ex. 141. V. Fuit quidam Monachus Cisterciensis Ordinis benè Religiosus secundùm datam sibi gratiam, in beatæ Mariæ servitio valdè devotus. Huic ut in calore religiosi propositi eò utiliùs, quo humiliùs desudaret, suscitavit Christus æmulum unum de conclaustralibus suis, qui in omnibus, quæ ageret, calumniam ei statuens, verbis & factis eum insectaretur, nec in hoc solùm manus Domini super eum extenta, sed adhuc in flagellis duobus, uno corporali, altero spirituali. Quoties enim tonabat, auditum tonitrui ferre non valens, ferè usque ad exitum animæ turbabatur. Sed & gutta, quam roseam vocant, certis temporibus ita faciem ejus exulcerabat, ut propter aspectus fœditatem infirmatorium sæpiùs & diutiùs tenere cogeretur. Cúmque hac infirmitate gravatus quadam nocte post Matutinas iisset cubitum, increpabat animam suam per dolorem compunctionis in lectulo corporeæ quietis. Paucis autem diebus antè evolutis, brevi temporis intervallo monasterii partem cum Monachis ferè quindecim è corpore Christus vocaverat. Dum ergo ille in orationibus vigilaret, in extasi factus vidit per medium infirmatorium transire exercitum Monachorum, inter quos Abbatem suum, & Monachos illos, qui paulò ante obierunt, recognovit, quorum unus ad eum divertens, & ante lectum ejus subsistens, ait: Frater charissime, nos qui hic transimus, in monasterio, dum in hoc corpore viveremus, conversati sumus; omnes quidem gloriamur in spe, sed differimur adhuc à Regni introitu propter quorundam fratrum negligentiam, quorum alii tardè, alii tepidè, vel omnes ingratè solvunt psalmos & orationes, quas debent pro animabus nostris. Nec solummodo rei sunt apud nos, sed ipse Christus multa habet adversus eos. Ipsum enim provocant & excitant ad vomitum, dum tepidè votum vitæ purioris æmulantur, & sanctæ præcepta regulæ sine scrupulo

pulo conscientiæ transgrediuntur. Ipsis siquidem convenientibus in unum tempore & loco orationis & psalmodiæ, jam non est spiritualem escam manducare, dum unusquisque præsumit corde vanitatem ad delectandum, & anima eorum nauseat super Manna cœlesti, quasi levi cibo & contemptibili. Hoc autem iram DEI maximè provocat, quòd in illa hora, in qua fratres ob reverentiam Trinitatis inclinant, aliqui cachinnant, & de otiosis occultè significant. Alii corpore & corde rigidi, vix, postquam Gloria Patri dictum est, inclinant, sed nec dum Spiritui Sancto erecti curiosi per parietes vagantur. Alii in modum statuarum ad orandum stantes, sic somno sepulti sunt, ut nesciant, quid agant circa se, & nihilominus tamen incurvant se, & erigunt sicut cœteri, miserâ quadam consuetudine. Vade, & dic Abbati ex parte nostra, ut corrigere satagat has negligentias fratrum, quibus ad hoc speculator à Domino datus est, ut annunciet eis peccata ipsorum. Sic disparente defuncto, Monachus latenter surgens perrexit ad Ecclesiam, & ante quoddam Altare privatum toto affectu cordis orare cœpit: statímque fuit in spiritu. Et respiciens per fenestram, quæ super altare erat, vidit incandescere radium solis. Et ecce miræ pulchritudinis mulier per ipsam fenestram introivit. Quæ stans juxta eum dixit ei: Nosti, quæ sum ego? quo respondente, nescio. Ego sum, inquit, MARIA Mater JESU, quæ veni, ut consoler gemitus tuos, & lenire dolores tuos. Vidi enim lachrymas tuas, & orationes tuas. Et factum est, cùm hoc diceret, fratribus in Choro ad Gloria Patri, more suo se incurvantibus, ipsa cancellatis manibus reverenter & profundè, usque dum diceretur, sicut erat in principio, incurvavit se. Et rursum erecta dixit ei: Monachus ille mortuus, qui persequebatur te multipliciter secundùm multitudinem malignitatis, quâ te persecutus est, pœnas recepit. Et ut verum me dicere credas, esto sanus ab hac duplici, quam sustines, infirmitatis peste, et tergens manicâ vestimenti sui, evanuit ab oculis ipsius. In crastino verò Abbati rem secretè referens, indicio faciei mutatæ, fidem ipsi, & cæteris fratribus fecit ad honorem Reginæ Angelorum, & Dominæ cœlorum.

VI. Legitur in libro de septem donis, quòd fuit quædam devota Matrona, quæ in Ecclesia quadam Cathedrali solebat orare, & in angulo secreto prostrata cum maxima devotione dicebat Pater noster, & Ave Maria, & Credo in DEUM, lachrymis tota liquescens, & pavimentum profundens. Episcopus autem illius loci, homo sanctæ vitæ, vidit columbam de cœlo venientem, & lacrymas illas colligentem, & deferentem in cœlum, & cum hæc vicibus multis vidisset, vocatâ fœminâ illâ quæsivit ab ea, quæ esset oratio eius? quæ cum respondisset sibi, dixit Episcopus: Quàm felix esses, si Psalterium scires. Quod cùm didicisset & oraret, Episcopus deinceps non vidit lacrymas, nec columbam. Unde abstulit ei Psalterium præcipiens, ut ad orationes *ibidem exempl. 144.* consuetas rediret. Quod cùm fecisset, vidit Episcopus, quòd devotio pristina, & lacrymæ, & columba protinùs redierunt.

VII. Quidam filius habuit patrem, qui obiit, & filius 32. annis pro anima patris quotidiè specialem orationem fecit. Cui pater post hoc tempus apparuit dicens, se in magnis pœnis esse; cui filius: Profuitne tibi oratio mea, quâ 30. annis & ultrà pro te oravi? Respondit Pater: Non. Cui filius? Ergo damnationi (ut audio) subjaces, si nihil oratio tibi profuit? Respondit: Fili, non damnatus sum, sed Purgatorio datus, ubi vehementer crucior, donec omnia peccata usque ad novissimum quadrantem exsolvantur. Et ait filius: cur ergo non prosunt tibi orationes meæ? Respondit Pater, quia semper per illud tempus in peccato mortali fuisti. Cui filius: quomodo hoc, pater, esse potuit, cùm annis singulis confessus sum, Sacramentum Eucharistiæ suscipiens? Respondit Pater: Quamvis annis singulis confessus communicasti, indignè tamen semper Sacramentum accepisti, quia contritio tua, & confessio vera non fuit, quia non ex charitate, sed ex consuetudine quadam processit, in signum cuius confessionem distulisti usque ad ultimam septimanam quadragesimæ, quando præ confusione confusionem tuam differre ultrà timuisti, & in nullo pòst ad emendationem te dedisti. In quo relucet, in tam longo tempore firmum propositum emendandi te non habuisse. Nullum ergo peccatum tuum DEUS in eo tempore indulsit. Qui compunctus, postmodum verè fuit contritus & confessus, abiiciens omnes mundi vanitates in vestibus & moribus ac gestibus, Deóque de reliquo serviendo. Qui tunc devotiùs pro patre oravit, & in brevi de purgatorio liberavit. *ibidem exempl. 148.*

VIII. Petrus Cluniacensis Abbas dixit, quod quidam Sacerdos consueverat singulis diebus anni Missam pro defunctis celebrare, scilicet *Requiem æternam.* Qui cùm de hoc accusatus esset apud suum Episcopum, suspendit eum ab officio. Cùm autem Episcopus in quadam festivitate magna iret ad matutinas, transiens per cæmiterium, visum est ei, quòd omnes mortui, qui erant in cœmiterio, surgerent contra illum sub illo schemate, cujus officii quisque fuerat in mundo dicentes: Iste Episcopus nullas Missas nobis dat, insuper Sacerdotem nostrum nobis abstulit, sed certè nisi emendaverit, morietur. Qui non solùm Sacerdotem absolvit, imò pro mortuis libenter celebravit. *ibidem exempl. 183.*

IX. In vita B. Gelasii Abbatis Cisterciensis scribitur: Aliquando nobilis quidam dives summam argenti sancto Abbati per modum eleemosinæ tradi curavit, orans, ut vellet animas parentum suorum Domino commendare. Abbas autem receptâ hac oblatione subitò genu flexus psalmum, de profundis, recitavit, quòd cùm servus, qui argentum hoc attulerat, & Abbati oranti præsens astabat, modicum nimis esse existimaret, ac proinde subridendo diceret: Non semel certè, sed millies pro tanta argenti summâ psalmum repeterem; Sanctus vir DEI respondit; Credisne, frater mi, ar- *Menolog. Cisterc. 10. Martii.*

argentum, huic Psalmo præponderare? Ne igitur à me scandalizatus recedas, curabo, ut, quia lumine interno cares, saltem ad minus oculo corporis tui veritatem illius, quod dixi, clarè conspicias. Hunc igitur psalmum, de profundis, modicæ chartæ inscriptum, uni parti bilancis imposuit, ex alia verò parte ponderosam argenti summam collocavit; Moxque charta illa instar ferri ponderosa, cum impetu ad terram descendens, argentum, quod mole, & numero multum erat, quasi levissimam paleam elevat, & sic omnibus videntibus, & admirantibus, remansit.

Utilitas.

Henriquez. in eodem Menologio.

X. Cerveræ in Catalaunia extat Cœnobium Cisterciensis Ordinis, dictum S. Crucis, ubi quidam Monachus sanctimoniâ floruit, cujus nomen Superis notum, mortales latet; At non hæc laudabilis ejus in pios manes pietas. Consueverat, quoties per sacros Canones, legésque licebat, Missam Defunctorum facere; propterea perennis animarum Purgatorii Capellanus appellabatur: Celebris, & Patrum sermone ad hanc usque diem continuata traditio est, quondam cùm cœmiterium transiret, humo elatam dexteram benedictione eum impertîsse. Cùm verò iter iterum istac haberet, iterum eandem manum solo extantem apparuisse ad benè illi precandum compositam: Accessisse verò illum, & manum traxisse, eámque cum brachio secutam, quod brachium hodiéque carne ac pelle vestitum illic visitur.

Mantinus in patrocin. defunct. l. 2. c. 1. §. 3.

XI. Diva Catharina Bononiensis fassa est, plurima se beneficia defunctorum ope, quam flagitare consueverat, cœlitùs accepisse; nec rarò accidisse, ut ea per illos obtineret, quæ per cœlites nequiverat obtinere.

Ibidem art. 3.

XII. Suaserat B. Anna à S. Bartholomæo cuidam mercatori (jam foro cedere cogitanti, quòd aliquas merces divendere non potuisset) ut aliquot Missas in solatium defunctorum Deo sponderet, hâc lege, si intra spatium aliquod, quod definiebat, merces illæ, quas nemo appetebat, essent venditæ. Mirum dictu! intra paucas hebdomadas venière omnes, nec ex iis quicquam superfuit.

XIII. F. Alphonsus de Portugallia ex eodem Ordine Seraphico, post quinque ab obitu suo dies spectandum cuipiam se præbens retulit, se quidem propter suum servandæ virginitatis studium, ac lacrymas piè fusas, de salute securum esse, attamen adhuc uri lustricâ flammâ, ob immoderatam bilem suam, contemptúmque aliorum. Cæterùm F. Stellam jaculi instar celerrimè per purgatorium transiisse ob accuratam legum Religiosarum observationem. Cùm autem primùm cœlo donatus esset, auditam in purgatorio vocem istam: Adeste animis Fratres Minores, in gratiam Religiosi illius Fratris vestri recens cœlesti gloria jam potiti, tertia pars cruciatuum alioqui subeundorum, ex misericordia divina vobis condonatur.

Thom. Cantipr. lib. 2. Apum c. 53 n. 18.

XIV. Thomas Cantipratanus refert, se à quodam Ordinis sui Religioso, qui Mundum passim peragrârat, audivisse, quòd magnum quendam Dominum cognoverit, qui in vita sua gaudiis quidem mundanis deditus, sed postea ad pœnitentiam conversus, familiares suos ad se accersivit, iisque dixit, propositum sibi esse deinceps domûs suæ moderandi sumptus, & pro faciendis restitutionibus, & erogandis in expiationem peccatorum suorum eleëmosynis, suam reformandi familiam, id quod postea re ipsa est executus; demum verò multas instituit Capellanias pro Missis defunctorum celebrandis, quod cùm Dæmon ferre non posset, subditos suos adversus ipsum suscitavit, qui se cum Rege quodam prædicti Domini inimico conjunxerunt, promittentes se illi auxiliaturos, ut Principem & Dominum suum opprimere possent, utpotè adversus quem justè essent exasperati, eò quod omnia bona sua in Presbyteros expenderet. Rex igitur quosdam suorum ad dictum Principem ablegavit, tempus advenisse, quo ab eo de injuriis sibi factis rationes reddendæ essent, omninò enim sibi decretum esse, justam de ipso vindictam sumere, quem in finem diem præfixum ei determinavit. Princeps igitur postquam nobiles, & ducatûs sui primates hac de re certiores fecisset, sequens ab illis retulit responsum; Hactenus nos ut servos & fatuos reputasti, solis Mundi seductoribus clericis adhæsisti, nunc te juvent illi, & consulant in adversis. Tibi autem succurrere nec volumus, nec valemus. Hæc ut vidit Dux, vehementer expavit, & mox se conferens ad castrum munitissimum solius Dei auxilium imploravit. Medio autem tempore condicti diei prospectans Dux per propugnacula cum quibusdam, vidit ingentem exercitum albatorum in albis equis, clypeis Cruce rubra consignatis eminùs venientem, & mox stupens dixit suis, Nunquid videtis, ait, illa, quæ video? Et illi; nihil, inquiunt; Et mox omnes cum Duce supplices preces dantes ad Dominum, viderunt innumerabilem exercitum albatorum. Tunc Dux cum quibusdam ex suis exiens, curvavit genua; Cui unus obvius ex multis millibus, elevavit eum, dicens: Ne verearis, fidelissime Princeps, venturi Regis adventum. Adsunt isti divino jussu parati juvare te, quos eleëmosynis, & Missarum suffragiis de Purgatorio liberasti; Medio autem tempore condicti diei liberabuntur alii, qui nobiscum in tuum adjutorium sunt venturi. Et hoc dicto, omnis illa albatorum turba disparuit. Dux verò reversus in castrum cum suis omnibus Dominum benedixit. Ad diem ergo statutum Rex cum infinita multitudine suorum, & aliorum nobilium, qui contra Ducem Dominum suum totum terræ populum adduxerant, quasi de victoria certus advenit, & in planitiem prope castrum cum mira multitudine se diffudit. Venit & illi obvius Dux, nimirum alacer vultu, & animo inconcussus, statimque ubi castrum cum paucis exivit, illa tanta & tam innumerabilis multitudo cœlestis exercitûs ei est conjuncta, ut ex adverso castrorum cœlestium multitudine Regis turba quasi modica videretur. Quod ut vidit Rex, & omnes, qui secum erant, validissimo pavore concussi sunt, & advertentes magnalia summi Dei, projectis armis, obviis manibus in terram

terram prostrati sunt, & ad voluntatem Ducis cum ipsa vita, & rebus, totaliter se dederunt.

§. III.

MISCELLANEA ET CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Mantiani in patrocin. Defunct. lib. 2. c. 3. n. 728.

I. B. Joanna à Cruce solebat suas Sanctimoniales hortari ad contemplationem crebram intolerabilium purgatorii tormentorum, pariterque ad singularem in S. Michaëlem pietatis sensum. Quippe quem in ecstasi vidisset de animis decretoriam ferre sententiam, ex quibus cùm aliquam condemnaret, Angeli concinentes, O Deus Majestatis, inquiebant, quanta cum misericordia conjuncta est justitia tua; nos te in illis adoramus. Tum verò animas damnatas diris devovebant: At quando aliæ ex animis purgatorio carceri adiudicabantur, tum custodes eas excipientes, & ad carcerem illum deducentes, hac spe consolabantur, quòd brevi beatas, ac cœli secum incolas denuò essent visuræ.

Joannes à S. Maria in vita.

II. Cùm venerabilis Mater Catharina de la Croix Ordinis S. Dominici Duaci quondam somnum nocturnum caperet, excitavit eam suus custos, & clarâ voce significavit, aliam Sanctimonialem, quam nominabat, in Cœnobio de la Thieuloye iuxta Atrebatum, recens obiisse. Quare illa strato exiliens, diductis in crucis formam manibus, quinies Orationem Dominicam, Angelicamque Salutationem, ad illius solationem pronunciavit. Cuius mortis nuncius cùm postero mane Duacum pervenisset; intellectum est, eodem tempore, quo Catharina Dominicana à Tutelari expergefacta fuerat, animam exhalâsse.

Alegambe in biblioth. script. Societ.

III. Josephus Arriaga Soc. JESU inter cætera pietatis insignia, nostris graviter decumbentibus semper advigilabat per noctem, demortuos autem suis manibus componebat, & piacularibus suffragiis prosequebatur, idque tam providè, ut, quò citiùs eo illius beneficio potirentur, statim à nocte media lustricas preces exhiberet, solitus ad id Officii ab Angelo, si fortè altiùs obdormisset, excitari.

Lugo disp. 26. de pœnit. sect. 20.

IV. Joannes de Lugo postquam quæsiit, an suffragium, quod pro uno defuncto offertur, prosit indirectè aliis defunctis, affirmat. Quia, inquit, animæ illæ habent invicem maximam unionem charitatis & dilectionis mutuæ: quare necesse est, quòd omnes gaudeant de sublevatione alterius, & de remissione ei concessa: ergo habent omnes lætitiam aliquam accidentalem de illo suffragio, ergo aliquod solatium, & per consequens aliquam pœnæ diminutionem. In quo sensu non video inconveniens, quòd hoc solatium accidentale concedatur in aliis, ita ut per accidens habeant aliquod solatium, accidentale levamentum, perseverante pœna essentiali, ut ita dicam, in eodem rigore; Nam sicut non omnia gaudia accidentalia, quæ beati habent in cœlo, necesse est, quòd oriantur ex mensura meritorum & beatitudinis essentialis, sed possunt provenire aliundè; imò & possumus nostris Orationibus ea illis impetrare, ut fatetur Suarez tom. de Rel. 1. de Orat. c. 14. possumus etiam eos nostra conversione lætificare, sic possumus dare occasionem alicuius solatii accidentalis animabus.

S. Bernardi. tom. ser. 11. extrav. 2. par.

V. S. Bernardinus l. cit. ait: Omnes de paradiso videntes ipsas animas purgatorii futuras eorum socias, & debere replere sedes paradisi, cum beata virgine Matre Dei orant Dominum Jesum Christum pro eis, quia desiderant ipsas animas ascendere in paradisum. Addit idem Sanctus præterea, animas in purgantibus illis flammis, tam ab Angelis, quàm à reliquis Sanctis frequentes recipere consolationes; Ait enim: Et sæpè Sancti, & Angeli vadunt in purgatorium ad confortandum animas, & maximè Angeli, qui fuerunt deputati ad custodiam illarum animarum. Abulensis postquam ostendisset spiritus Angelicos nequaquam esse pœnarum illarum ministros, mox subjungit: Ipsi Angeli boni ex Dei voluntate aliquando veniunt ad eos, qui purgatorio igne affliguntur, & consolantur eos, tolerabilia cruciamina patientes, & revelant eis aliqua de bonis, quæ fiunt in hoc sæculo pro eis, ut indè citiùs liberentur. Ludovicus Blosius de S. Gertrude refert, quòd animam quandam purgantem in manibus Dæmonis conspexerit (id quod fortè divina dispensatione factum est, cùm aliàs Dæmones ordinarii animarum illarum carnifices non sint) qui illam flagellabat, & tamen prædicta anima in illo supplicio se nullam inde sentire pœnam ostendebat, quia ad quemlibet ictum assistentem sibi Angelum quendam aspexit. En verba Blosii: Anima pro qualibet pœna elevabat oculos ad Angelum, nihil dicens, sed gestu suo indicans, se consolationem ab eo recipere, ac citiùs fore liberandam. Et quidem pro certo credi potest, quòd Angelici spiritus sint illi, qui animas purgantes à flammis illis liberatas in cœlum usque associant, & in conspectu Dei præsentant; Unde S. Mater Ecclesia in Offertorio Missæ defunctorum dicit: Signifer S. Michaël repræsentet eos in lucem sanctam. Ubi ostenditur, inquit S. Antoninus, quomodo animæ educantur de purgatorio, videlicet per Angelos sanctos eas repræsentantes Archangelo Michaëli, qui cum maximo tripudio, & gaudio totius curiæ cœlestis ante conspectum Dei statuit eas, quod patet per parabolam ovis ad ovile reportatæ, cum magno gaudio amicorum, & vicinorum, id est, sanctarum virtutum, seu Angelorum, & animarum de introductione eius; Unde canit Ecclesia: Archangele Michaël, constitui te Principem super omnes animas suscipiendas.

S. Bonav. apud Mans. tr. 80. disc. 3. n. 1.

VI. Omnes adstricti tenentur ex decreto divinæ justitiæ, donec reddiderint novissimum quadrantem. Cuius ratio est; quia in supernam Jerusalem nihil inquinatum intrare potest.

potest. Impossibile est, animam intrare regnum gloriæ, quamdiu habet aliquid purgandum. Hoc figuratum est in libris Regum, ubi dicitur: *Malleus & securis non sunt audita in ædificatione templi*, priùs enim quadrabantur, & dolabantur lapides, & ligna in Libano, & postea collocabantur in templo; sic lapides vivi necessariò in hac vita quadrantur, & poliuntur meritò, vel post hanc vitam igne purgatorio, antequàm superædificentur in cœlo.

Ibid. disc. 12. n. 9. VII. Inter alias interpretationes, quas Hugo Cardinalis illis adhibet Psalmi septuagesimi septimi verbis: *Mandavit nubibus desuper, & januas cœli aperuit*, una, & quidem nostro proposito percommoda, hæc est: Per nubes intelliguntur Ministri sacri, & Ecclesiastici, ut sensus sit: Mandavit nubibus, id est, prædicatoribus, & Doctoribus spiritualibus, qui utplurimum sunt sacerdotes, ad quos pertinet animabus cœli portas aperire; Christi corpus offerendo; Janua enim est Corpus Christi, Joan. 10. ego sum ostium. S. Joan. Damascenus observat ab Apostolorum temporibus in Ecclesiam derivatum esse hunc ritum, ut fidelibus in gratia defunctis ex omnibus sacrificiis, quæ offeruntur, pars quædam attribuatur Mysteriorum. Discipuli Salvatoris, inquit prædictus Damascenus, & Sacri Apostoli sanxerunt, in vivificis & tremendis Sacrificiis & Mysteriis memoriam fieri eorum, qui fideliter dormierunt. Advertendum quoque est, quod in Evangelio Missæ, de Requiem, specifica Corporis Christi fiat mentio: Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi; ut videlicet intelligamus, Corpus Christi oblatum, præcipuum esse animarum purgatorii suffragium: quod quidem suffragium ni fallor, apud Zachariam his verbis prædictum fuit: *In sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu.* Hujus enim sanguinis testamenti in forma consecrationis Calicis expressa fit mentio, cùm dicitur: *Hic est calix sanguinis mei, novi & æterni testamenti*: Lacûs autem mentio fit in Offertorio Missæ defunctorum, ubi purgatorium profundus lacus appellatur. Adeò ut dubitari non posse videatur, quin Propheta ad hoc Sacrificium incruentum alluserit, in virtute cuius defuncti à profundo illo lacu liberantur.

VIII. Animam quoque purgantem, in Jona in mare præcipitato delineatam invenio. *Ibid. n. 6.* Hic enim limitato trium dierum & noctium tempore, in ventre ceti, velut in obscuro carcere, sine ullo cibo delituit, quemadmodum anima purgans pariter pœnam limitatam sustinet, non verò æternam; Idem Jonas in ventre Ceti Deum oravit, ut de obscuro illo carcere liberaretur, ita & animæ inter illas flammas constitutæ, Deo & hominibus se recommendant, dicentes: *Miseremini mei*; & *Omnes fluctus tui, & gurgites tui super me transierunt*; verè enim de illis dici potest: *Magna est velut mare contritio tua.* Considerastisne aliquando modum, quo Deus Jonam è ventre Ceti liberum exire fecit? Nunquid enim Deus ad hanc Jonæ liberationem forte permotus fuit per triduanum Jonæ jejunium? Aut verò per Orationis eius efficaciam? vel propter bona proposita, deinceps divinis præceptis promptè obediendi? Nequaquam hæc omnia ad liberationem Jonæ Deum permoverunt, sed tunc Deus Ceto præcepit, ut ex apertis faucibus suis Jonam ad litora Ninivitana sanum & incolumem evomeret, quando Propheta se in templo sacrificium oblaturum esse promisit, quando enim dixit: Immolabo tibi, tunc dixit Dominus pisci, & evomuit Jonam in aridam: Jejunia quidem, orationes, vigiliæ, dolores patienter tolerati, interni compunctionis actus, &c. bona & salutaria sunt opera, nec non ad suffragium animabus illis media convenientia. At verò sacrificium incruentum, Ceti, id est, purgatorii januam aperit, & animam ad cœli litora feliciter appellere facit.



TITU-

TITVLVS XXXXVIII.

MORS.

§. I.

EX S. SCRIPTVRA.

Qualitas.

Iob.c.14. v.5. I. BReves dies hominis sunt, numerus Mensium eius apud te est; constituisti terminos eius, qui præteriri non poterunt.

Eccl. c.7. v.8. II. Noli de mortuo inimico tuo gaudere, sciens, quoniam omnes moriemur, & in gaudium nolumus venire.

Ecclesiast.c.8. v.8. III. Non est in hominis potestate prohibere spiritum, nec habet potestatem in die mortis.

Ibidem,c. 9.v.5. IV. Viventes enim sciunt, se esse morituros, mortui verò nihil novêrunt ampliùs, nec habent ultrà mercedem, quia oblivioni tradita est memoria eorum.

Eccli.c.41. v.5. V. Noli metuere judicium mortis; Memento, quæ ante te fuerunt, & quæ superventura sunt tibi: Hoc judicium à Domino omni carne.

Eccle.c.11. v.8. VI. Si annis multis vixerit homo, & in his omnibus lætatus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis.

Psalm.48. v.18. VII. Cùm interierit, non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria eius.

1.Thessal. c.5.v.3. VIII. Cùm dixerint, pax, & securitas; tunc repentinus eis superveniet interitus.

Psalm.103. v.29. IX. Auferes spiritum eorum, & deficient, & in pulverem suum revertentur.

Utilitas.

Iob.c.3.v. 21. X. Quasi effodientes thesaurum, gaudent vehementer, cùm invenerint sepulchrum.

2.Cor.c.5. v.1. XI. Scimus, quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissolvatur, quòd ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, sed æternam in cœlis.

§. II.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Mors Desideranda.

S. Climac. scal. Par. gr.6. LAudandus quidem ille est, qui mortem tanquàm hodie venturam exspectat, sed ille sanctus, qui eandem semper desiderat.

Mors memoranda.

S.Greg. Naz. in sentent. II. Mortem velut præsentem semper tibi ob oculos pone. Ita enim fiet, ut, cùm ipsi occurrendum erit, superior existas. Perpetuum tibi sit hoc studium, ut mentem tuam templum Deo exstruas. Hinc enim assequeris, ut eum pro spirituali statua in ultimo corde habeas.

S. Laur. Iust. de lig. vit.c.4. III. O bona mortis consideratio, quis, quanta per te acquirantur emolumenta, valet intelligere? Quis potest capere, quis propalare? utilis est tui memoratio, ad fugandum vitiorum exercitum, ad fugiendos peccatorum laqueos.

Qualitas.

Ludolph. Carth. apud Mansi tr.10. disc. 5.n.1. IV. Loculus diminutivè est mortui locus, in quo iacet, cui enim viventi magna palatia, & ampla domus non sufficiebant, pro loco, ei morienti parvum spatium sufficit pro loculo; Unde mortuo Alexandro dixit quidam Philosophus, quem totus mundus non capiebat, hodie parva continet arca.

S. Anton. Pad serm. in Dom. 23. post Trin. V. Adveniente lapide, id est, mortis duritie; percutietur & conteretur, & tunc aurum sapientiæ, argentum eloquentiæ, æs divitiarum, ferrum potentiæ comminuetur, & in nihilum redigetur, & à vento dispergetur: quia caro vermibus, divitiæ parentibus, & anima Dæmonibus tradetur.

S. Chrysost. To.4.ep.3. VI. Quis non perturbetur & consternetur, cùm eum, qui hesterno die, aut paucis ante diebus ambulabat, sexcenta domûs negotia gerebat, uxoris, filiorum, mancipiorum, sæpè etiam integrarum civitatum curam suscipiebat, minabatur, terrebat, supplicia partim solvebat, partim inferebat, innumera tum in urbibus, tum in regionibus efficiebat, repentè quovis lapide surdiorem iacentem videt? Cùmque innumerabiles homines plorent, & amicissimi quique plangant, & uxor dolore distorqueatur, genas lædat, comas vellat, magnóque cum ululatu ancillarum greges circum se collocet, ipsum tamen nihil eorum sentientem? cùm etiam omnia repentè de medio sublata esse, rationem, ingenium, animam, oris florem & venustatem, membrorum motum, iniucunda autem, & inamœna iis successisse, nimirum silentium, stuporem, corruptionem, saniem, vermes, cinerem, pulverem, fœtorem, interitum integrum, corpúsque totum eò properans, ut in vilia & deformia atque ignobilia ossa desinat.

S. Basil. Orat. 20. de morte. VII. Mortalem te, quæso, esse, recordare; terra equidem es, in terrámque rursum dissolveris. Circumspice eos, qui ante te similibus se se splendoribus efferebant; ubinam sunt illi, qui civilibus dignitatibus ornati erant? ubi invicti Rhetores? ubi Duces? ubi Dynastæ? ubi Tyranni? Nónne omnia pulvis? Nónne fabula? Nônne in paucis ossibus memoria vitæ ipsorum conservatur?

S. Anton. p.4. tit. 14. c.6.§.2. VIII. Quid fœtidius humano cadavere? quid horribilius homine mortuo? cuius erat in vita gratissimus amplexus, fit in morte horribilis aspectus.

aspectus. Quid ergo prosunt divitiæ? Divitiæ non liberant à verme, honores non liberant à fœtore.

S. Aug. in Psal. 121 IX. Quis resistit morti? Resistitur ignibus, undis, ferro; resistitur potestatibus; resistitur Regibus. Venit una mors, quis ei resistit? Nihil est illâ fortius.

Idiot. de cont. mort. X. Insuperabilis est potentia, quia non unum solùm, sed omnes superat, scilicet fortes & debiles, lætos & tristes, egenos & divites, incolas & advenas, juvenes & senes, viros & mulieres; & ut omnia flumina intrant in mare, id est amaritudinem mortis necessariò subintrant; mors enim est omnium pœna, omnium tributum, omnium carcer, omnium domina.

Bellov. p. 1. l. 2. dist. XI. Dicebat quidam, quòd si haberet judicem fidelem eligere, mortem præ cæteris eligeret, eò quòd non est personarum acceptio apud eam, nec miseretur pupillo, nec defert seniori, nec dimittit divitem, nec veretur nobilem, nec horret pauperem & ignobilem, nec evitat fortem, nec parcit sapienti, nec condonat insipienti, sed ut dicitur. *Mors sceptra ligonibus æquat: Est commune mori; mors nulli parcit honori; Nobilis & fortis veniunt ad funera mortis.*

S. Ephrem. orat. de morte. XII. Quoties herbam fœni, florémque venustum conspexeris, fac tibi in mentem veniat humanæ nostræ naturæ fragilitas, ac recordare ejus similitudinis, quam Isaias ille magnus proponit, dicens; Omnis caro ut fœnum, & omnis gloria hominis, tanquam flos fœni. Quâ sanè similitudine commodissimè Propheta complexus est humanæ vitæ brevitatem; & fluxam commodorum ejus lætitiam, atque voluptates: siquidem hodie aliquis est vegeto corpore, deliciis difflluit, præstantem ac gratum ei colorem flos ætatis præbet, animo magno ac forti est præditus, cras verò is ipse miserabili apparet formâ, quam vel tempus dedit, vel morbus immutavit.

Utilitas.

Rup. Abb. l. 3. de glorif. Trinit. c. 3. XIII. Laudare, vel satis considerare mens humana non sufficit altitudinem hujus divini consilii, quo B. Trinitas homini mortuo morte peccati, quæ mors animæ est, necessariam providit mortem corporis, præparatum habens apud se bonæ artis instrumentum, quo posset per mortem corporis mors animæ destrui.

S. Isid. l. 3. sent. c. 62. XIV. Iniquus moriens, qui imitatione sui multos ad culpam traxerat, delectatione peccati; multos à culpa revocat terrore tormenti; quod etiam Psalmista testatur dicens: *Lætabitur justus, cùm viderit vindictam, manus suas lavabit in sanguine peccatoris*; in peccatorum enim morientium sanguine justi lavant manus, quia dum eorum pœna conspicitur, conspicientis vita mundatur.

S. Ephrem. de vit. spir. 1. XV. Inclinemus nos ad sepulchra, & conditionis nostræ occulta prospiciamus. Ex cadaveribus permixtos ossium acervos, craniáque carnibus exuta cum reliquis ossibus cernemus, & hæc considerantes, nos ipsos in illis, velut in speculo quodam contemplabimur. Ubi juventutis flos, & pulchritudo? ubi venustus ille genarum decor? hæc nobiscum cogitantes, carnis desideria fugiamus.

XVI. Juxta lapidem, super quo lavantur corpora, te meditando compone, & diligenter excogita, quo tractentur usu sepeliendi; nunc enim in tergum, nunc in faciem versantur. Quomodo nutat caput, cadunt brachia, rigent crura, jacent tibiæ, quomodo induantur, consuantur. Summáque tibi sit Philosophia, meditatio mortis assidua. Hanc ubicunque perrexeris, tecum porta, & in æternum non peccabis. *S. Bernard. de formula honest. vit. c. 14.*

XVII. Facit Mundum contemnere cineris consideratio; nam concupiscentia oculorum contemnitur, quando quis cogitat, se in terram reversurum; concupiscentia carnis deprimitur, quando quis cogitat, quòd in deliciis corpus nutritum erit cibus vermium; superbia vitæ contemnitur, quando quis cogitat, quòd ille, qui vult esse super alios, ponetur sub terra, quæ est infimum elementorum. *S. Bonav. Diæt. salut. tit. 7. c. 1.*

XVIII. Ut contendens intrare in civitatem, quæ floret, priusquàm videat, quod secum concipit, videat primùm quid sit, ideo ante portam sunt sepulchra, per quæ docemur, in quid definimus tandem. *S. Chrysost. de fid. & lege nat.*

XIX. Mors nihil aliud, quàm carceris finis, & laboris consummatio, ad portum applicatio, peregrinationis adimpletio, oneris gravissimi depositio, de equo furioso descensio, de domo ruinosa liberatio, omnium ægritudinum terminatio, omnium periculorum evasio, omnium malorum consumptio & diruptio. *Idiota de cont. mort. c. 8.*

Mors bona.

XX. O quàm beatè moritur, qui moriendo oritur; quàm feliciter temporalem finit vitam, qui vivere perpetualiter incipit. Hinc est, quòd S. Ecclesia dies migrationis Sanctorum Natales vocare consuevit, quia protinus in cœlo nascuntur, cùm in terra visibiliter moriuntur, & tunc verè incipiunt vivere, cùm mortalem videntur vitam finire. *S. Petr. Dam. ser. 1. de S. Vitali Mart.*

XXI. Quòd interim morimur, ad immortalitatem morte transgredimur, nec potest vita æterna succedere, nisi hinc contigerit exire; Non est exitus iste, sed transitus, & temporali itinere decurso ad æterna transgressus. *S. Cypr. de mortalit.*

XXII. Meliores dies sunt, quibus ad æternam vitam renascimur, quàm illi, quibus in hæc tempora procreamur. Primâ nativitate terras ingredimur, secundâ cœlestibus præparamur. *S. Euseb. Emiss. hom. 2. de Pasch.*

XXIII. Bona mors, & nequaquam abhorrenda, quæ vitam, etsi adimit, non perimit; adimit quidem, sed ad tempus, restituendam in tempore, duraturam sine tempore. *S. Bern. Ep. 42.*

XXIV. Quis excogitare queat tuarum utilitates beatitudinum? Nam malè mori Christia- *S. Aug. to. 9. l. 1. de visit. infirm. c. 6.*

stianorum non est. Benè autem mori cum Christo vivere est.

S. Bonav. solil. c. 3. XXV. Est vita secura, ubi conscientia pura; ubi mors sine formidine exspectatur, cum dulcedine adesse optatur, & cùm devotione acceptatur. Intellige, quòd venientem mortem nullus lætus & hilaris suscipit, nisi qui se ad ipsam, dum viveret, bonis operibus præparavit.

Mors mala.

V. Beda in psalm. 38. XXVI. Verè pessima est (mors peccatorum) quia sicut vivere charitati optimum, ita mori charitati pessimum est; & ex hac morte efficitur hoc, quòd etsi alia mors, id est, dissolutio eorum videtur bona stultis, quia vident funus eorum ferri cum tanta pompa, tamen sit mala; quia cuius corpus hic collocatur & deportatur in lecto eburneo, ejus anima sepulta est in inferno.

Idiot. c. 19. de contempl. mort. XXVII. Anima peccatoris multis doloribus & anxietatibus illo tempore subjacebit; quia cum egredietur, occurrent ei opera, quæ fecit, sive bona fuerint, sive mala; Et illa (velit, nolit) aspiciet oculis interioribus suis, & iudicabit in se mala, quæ fecit, & tormenta sibi videbit è proximo miserabiliter imminere.

S. Bernard. ser. 4. inter parvos. XXVIII. Mors peccatorum mala in amissione mundi, â quo non possunt sine dolore separari: peior in dissolutione carnis, â qua evelluntur eorum animæ â spiritibus malignis; pessima in tormentis inferni, quando corpus & anima perpetuis simul addicuntur ignis.

Idiot l. c. 9. XXIX. Amara est, & terribilis (mors) Domine abundantibus iniquitate, affluentibus prosperitate, carentibus adversitate, & non languentibus infirmitate.

S. Ephrem de abderm. in Christo XXX. Quærentes qui eos redimat, & nemo est, qui liberet; requirentes socios, & nemo adest, qui eos comitetur; Requirentes Advocatos & Patronos, & nemo, qui audit.

EXEMPLA SACRA.

Qualitas.

S. August. ser. 38. ad fratres. I. Sanctus Augustinus de se ipso sic scribit: Ductus sum cum cœteris ad videndum cadaver Cæsaris in sepulchro, & vidi, quod omninò esset livido colore ornatum, putredine circumdatum, ventrem eius diruptum & vermium per illum catervas transeuntes prospexi. Duo quoque famelici in foveis oculorum pascebantur; crines eius non adhærebant capiti, dentes ejus apparebant labiis consumptis, & intuens matrem Christianissimam, dixi: Ubinam est Cæsaris corpus præclarum? ubi magnitudo divitiarum? ubi apparatus deliciarum? ubi multitudo Dominorum? ubi caterva Baronum? ubi acies militum? ubi lectus eburneus? ubi thronus Regalis? ubi thronus imperialis? te verebantur homines, te timebant Principes, te colebant urbes, te timebant omnes. Quò ivit tua magnificentia? Respondit mater pietate plena: Fili, omnia pariter defecerunt, quando defecit spiritus ejus, & reliquerunt eum captivatum in sepulchro trium brachiorum, plenum fœtore & putredine.

Bellov. spec. mor. p. 1. l. 2. dist. 4. II. Juvenis quidam Dux Lotharingiæ cum esset in extremis, respiciens domos suas & castra dicebat: O Domine DEUS, quantùm contemnendus est iste mundus, quando ego, qui tot habeo castra & Palatia, & tot potui hospitare, nescio, quò adhuc in nocte ista debeo ire, aut apud quos hospitari.

Io. Rho. l. 5. c. 3. n. 6. III. De Philippo II. Hispaniarum Rege scribitur, quòd, approximante mortis hora, Filio suo Philippo III. ad se accersito, rejectâ stragulâ veste, pectus reginarum olim curarum hospitium nobile tunc ebullientibus, ac stabulantibus fœdis pediculis horridum, ostendens, dixerit: vide Princeps, quò tandem recidant utriusque solis divitiæ, & territo concussoque bellis veteri, novus orbis sub jugum missus. Morimur.

Bellov. spec. mor. l. cit. dist. 3. IV. Rex Franciæ laborans ad mortem, & desperatus à Medicis, & positus in cinerem vocavit omnes astantes, dicens: Ecce ego, quia ditissimus eram, nobilissimus de mundo, pro omnibus divitiis meis, & potentia, & amicis, non possum extorquere à morte inducias ab hac infirmitate per unam horam. Quid ergo valent ista omnia? Et hoc dicens, omnes audientes concitavit ad fletum.

Mansi tract. 50. disc. 27. n. 6. V. Josephus Mansi narrat, se à persona quadam fide dignissima audivisse, quòd, cùm sub Pontificatu Clementis VIII. Infirmus quidam hîc Romæ in Ecclesia S. MARIÆ de Monticelli sepultus fuisset, eò quòd mortuus esse credebatur, cùm tamen solùm ex accidenti quodam deliquium passus fuisset, tandem ad se reversus, in lecto suo se positum esse credens, cùm altum clamâsset, nec esset, qui responderet, in obscuritate illa palpando circuiverit, ossaque mortuorum inveniens, se in sepulchro positum esse agnoverit; cùmque quid ageretur, ignoraret, bonâ ejus fortunâ accidit, ut sepeliendo alio mortuo, idem sepulchrum apertum fuerit, móxque, qui mortuus credebatur, vivus agnitus indè ereptus fuit & interrogatus autem, quid eo tempore, quo velut mortuus iacuerat, somniâsset, aut qualia in mente habuisset phantasmata, respondit, quòd, quia in juventute sua certum quendam hominem occiderat, visum ei fuerit, hoc homicidium sibi incessanter improperari, dicique; O traditor, jam tempus est, pœnam exsolvendi. Unde colligitur, quod in extrema mortis horâ omnes scelerum nostrorum lineæ ad centrum sint terminandæ, id est, quod ante faciem miserabilis animæ præsentabuntur, ut in ejusdem perniciem, quæ facta sunt, testificentur.

Eusebius de morte Hieron. VI. S. Hieronymus morti vicinus, ad eos qui deplorabant, se convertens ait: me non tanquam morientem lugeatis, sed mecum tanquam portum salutis attingente gaudeatis. Quid imbecillius miseriâ hujus vitæ, quâ tot do-

dolorum & passionum agminibus circumdamur?

Mansi disc. 14. n. 4. VII. B. Catharina Adorni dulcibus & suavibus verbis morti abblandiri solebat, frequenter dicendo: O mors dulcis, gratiosa, suavis, opulenta, digna, fortis & speciosa; Unicum duntaxat in te invenio defectum, scilicet quòd te fugientibus præsentiam tuam nimis benignè exhibeas, te verò sequentibus & desiderantibus nimis avara existas.

Idem disc. 37. n. 3. VIII. Cùm aliquando B. Felix Capuccinus morti vicinus interrogaretur, num aliquas à Dæmone pateretur tentationes ex humilitate respondit: Dæmon tentat homines sanctos, me autem non aggreditur, qui sum huius mundi quoddam peripsema.

Climac. grad. 7. de luctu. IX. Stephanus quidam habitans in montis Sinai loco, solitariam & tranquillam salutans vitam, & remotionis quietem amplectens, temporibúsque pluribus in monasticæ conversationis Palæstra contritus permanens, ieiuniis maximè & lacrymis ornatus existens, & aliis bonis plurimis exuberantibus circumseptus, possedit cellam in isto sancto monte ad descensum sancti & DEI inspectoris Heliæ. Iste igitur perpetuus intentione, magis efficacis, & ampliùs dolorosæ pœnitentiæ, anachoritarum locum assumpsit, vocatum Sydin, faciénsque ibidem aliquot annos in angustissima & superardua diæta, quoniam & absque consolatione locus erat, & inaccessibilis fermè cunctis hominibus, & à Monasterio dicto Castri, quasi septuaginta milliaribus distans: Rursus circa vitæ ipsius extrema senex ad propriam regreditur cellam verticis sancti. Habebat duos discipulos Palæstinos, religiosos utique multùm, qui & primò custodierunt cellam senis. Faciens igitur paucos in eâ dies, infirmatus est infirmitate, quâ & defunctus est. Igitur ante unum suæ resolutionis diem, in extasi mentis factus, apertis oculis intendebat ad dextram lectuli, & sinistram, quasi ad reddendam rationem à quibusdam exactus, astantibus dicebat, audientibus cunctis. Quandoque namque sic, utique veritas est, sed confessus sum, & ieiunavi tantis temporibus pro isto. Quandoque verò, nequaquam, sed verè mentimini, istud non feci. Et iterum: Immo verè istud sic, sed ploravi, sed ministravi. Et rursus, verè accusatis & calumniatis me, & erat quandoque. Et super quibusdam dicebat, ita verè, & ad hoc dicere non habeo, in DEO est misericordia. Et erat horrendum simul & terribile, & invisibile & irremissibile rationis exactæ executorium. Terribile verò & magis pavendum, quia in his, quæ ignorabat, & non fecerat, accusabant, & qui inquirebant eum: Eia, ô quiescens & anachorita super aliquibus eius offensionibus dicebat, quia ad hoc quicquam dicere non habeo, neque scio. Jam verò circa quadraginta ferè annos existens monachus, & lachrymarum habens donum. Væ, væ, ubi tunc orat Ezechielis vox, ut diceret ad eos: Quia in quacunqun die fuerit peccator ad pœnitentiam conversus, & quæ sequuntur. Et quia in quo te invenero, iudicabo, dicit Dominus. Verè nihil tale ad satisfactionem potuit respondere. Cuius gratiâ soli cognoscenti gloria. Quidam viri sine mendacio narraverunt mihi: quia & Leopardum pascebat in deserto ad se venientem, & hic tantus ita sub rationis exactione positus decessit à corpore, manifestum certitudinaliter omninò non faciens, quòd fuerit iudicium, aut quæ sententia ipsius, aut antepositæ, & exactæ rationis finis.

X. Refert Vincentius in speculo morali, quoniam miles quidam multo tempore Marchioni fidelissimè servivit adeò, ut propter fidelitatem suam Domino charissimus haberetur. *Spec. Exempl. dist. 9. exemp. 171.* Hic tandem in gravem incidit infirmitatem, de qua & mortuus est. Quod cùm Domino Marchioni nunciatum esset, advenit concitò, conduxit medicos, atque de eius valetudine percunctatur; multis igitur ægrum consolationibus refovens promittit, quoniam si in aliquo ipsius eguerit adiutorio, se nec laboribus etiam, nec pretio parsurum. Cúmque instaret, ut æger, si quid vellet, exponeret, fatigatus tandem miles dixit: Si (inquit) pro tantis meis laboribus, & servitio tam fideli, aliquod gratum mihi rependere decrevisti, fac ut aut mortem imminentem evadam, aut saltem unâ horâ ab his meis doloribus refrigerer, atque si hinc contingat exire, unâ nocte de felici hospitio facias mihi provideri. Cúmque Marchio diceret hæc, in solius DEI, non suâ potestate consistere, se si quid in temporalibus desideraret, libenter collaturum; Respondit æger: Perdidi ergo laborem meum, & servitium omne vanè consumpsi. Denique conversus ad astantes, lacrymis infusus locutus est: Charissimi mei videtis nunc, in quanta vanitate pretiosum tempus meum expenderim; huic Domino in tantis periculis animæ meæ, obtemperando, qui neque ad unam horam liberare me potest à præsentibus angustiis, & imminentibus pœnis, de quo ex corde pœniteo. Suadeo itaque vobis, ut fatuitatis meæ tam extremum periculum vos faciat cautiores, atque tali Domino in præsenti serviatis, qui vos in hac extrema necessitate non solùm poterit ab angustiis præsentibus, & futuris pœnis eruere, sed & vita coronare perenni. Et ego, charissimi, si orationibus vestris ad pristinæ valetudinis statum merear revocari, spondeo, quoniam non tam debilium dominorum nec rursus implicabo servitiis, sed ei servire conabor, qui potens est, & me & omnes virtute suâ protegere. In tali itaque pœnitudine defunctus est, magnum cæteris suæ compunctionis exemplum derelinquens. De alio penè simili legitur in eodem articulo deprehenso, qui tamen convaluit, atque Religionem ingressus, in magno fervore indultum sibi tempus exegit.

Surius, 27. septemb. c. 13. XI. S. Elzearius Comes illustris, sed vir sanctissimus, & qui cum uxore nobili perpetuam virginitatem coluit, in mortis articulo positus, jubebat, sibi Christi Domini passionem legi; lingua ejus à divinis non cessabat laudibus, crebro repetens illum versum: Dominus opem

opem ferat illi super lectum doloris ejus: universum stratum ejus versâsti in infirmitate ejus. Sumpto autem Dominico Sacramento, cùm sacro oleo ungeretur, & versum illum dicerent: *Per crucem & passionem tuam, libera eum Domine*; Ipse eundem tertiò repetivit, & addidit: Hæc est spes mea, in hac volo mori. Ad extremum jam in agone positus, vultum præ se tulit valdè terribilem, unde colligi liceret, eum in magno versari labore ob quædam illi objecta; atque sub ejusmodi conflictu exclamavit: Magna est Dæmonum vis, sed ea penitus enervârunt virtus & merita sacrosanctæ Incarnationis & passionis JESU Christi. Et post paululùm rursum exclamans: Plane, inquit, vici. Post aliquantulum temporis spatium cum ingenti clamore dixit: Totum me divino Judicio committo. Atque his dictis reparatus est vultus ejus, & quodam rubore atque splendore, multáque elegantia perfusus, atque ita reddidit spiritum.

Utilitas.

Mansi disc. 4. n. 5. item Bollandus in Ianuario.

XII. B. Margarita de Cordona, ut Annales tradunt Ecclesiastici, lascivam & carnalem longo tempore in concubinatu traduxerat vitam, nobili cuidam deserviens populari suo. Qualiter autem eam ad pœnitentiam divinitus perductam, & tandem ad sublimem sanctitatis gradum sublimatam fuisse arbitramini? Ipsamet auscultate Annalium verba: Carnis illecebris dedita nobili cuidam serviens adhæsit. Cùm is domo secedens catellam secum duxisset, illa sola domum post aliquot dies rediens, ac gemens, Margaritam veste apprehensam extra domum protrahere conabatur, quæ admirans catellam sequitur, donec ad quandam lignorum congeriem veniens catella subsistit, ligna respiciens & attingens, quasi Dominam, ut ea admoveret, admonens; Margarita itaque cùm aliquot ligna amovisset, Dominum suum mortuum, jamque vermibus scatentem videt, quo spectaculo adeò commota, ut anteactæ vitæ pœnitens, domum paternam repetierit &c. vitam aggressa valdè asperam, assiduis vigiliis, orationibus, jejuniis, cilicio induta, humi cubans &c. Postque viginti in austeritatibus & perfectione traductos annos, obiit sanctitate, ac miraculis clara. Postquàm decem defunctis vitam sex cœcis oculorum lumen, tribúsque mutis loquelam restituisset.

Memoria mortis.

S. Ambros. prec. 2. ad bis.

XIII. S. Ambrosius sic precatus est: Illud etiam magnoperè peto, ut diem obitus, diem extremi judicii, damnationem æterni supplicii, beatitudinémque regni futuri semper meminerim, quod nemo indesinenter potest, nisi qui ad vitam præordinatus est æternam; indesinenter, Domine, recolenda est dies illa, in qua lux cum tenebris pugnat, misericordia cum crudelitate desudat, in qua adversarius noster, mala, quæ fecimus, locuti sumus, vel cogitavimus, violentissimus accusator retexet, justitiam suam ad hæc punienda deposcet.

Vita Patr. l. 5. Libello 3. n. 5.

XIV. S. Arsenius priusquàm monachum indueret, in humanarum felicitatum deliciabatur exuberantia, apud Principes & Imperatores in honore habitus, postmodùm maximè austeram exorsus vitam sancto fine quievit, mortem meditabatur quotidiè, ideóq; ad eum agonizantem veniens Theophilus Patriarcha Alexandrinus ait: Beatus es, Abba Arseni, qui semper hanc horam ante oculos habuisti.

Ibidem lib. 10. n. 117.

XV. Duo aliquando Philosophi venerunt ad senem, & rogabant eum, ut eis verbum ædificationis diceret. Senex verò tacebat. Rursum Philosophi dicebant: Nihil nobis respondes, Pater? Tunc Senex dixit eis; Quod studiosi quidem sitis eloquentiæ, scio; quòd autem non veri sitis Philosophi, affirmo. Quamdiu enim loqui discitis, quasi loqui nesciatis? sit ergo Philosophiæ vestræ opus, semper meditari mortem.

Vita l. 3. c. 1.

XVI. Cardinalis Baronius nihil unquam habuit antiquius, quàm ut de tabernaculi sui depositione aut edisseret, aut cogitaret, & quod alii ferè exhorrescunt, hôc ille maximè delectabatur. Itáque & in sigillo, quo litteras ante Cardinalatum obsignabat, non aliam, quàm mortis effigiem incidi jussit, & ubi cum viris religiosis privatim agebat, absolutis negotiis, hæc statim subjiciebat, Nunc verò, quæso, illum de morte sermonem instituamus. Ut propterea Augustinus Cardinalis Valerius Veronensis Episcopus, vir doctrinâ & pietate spectabilis, non immeritò dixerit, nusquam alibi Baronium, nisi in contemplandis feretris, sepulchrísque oblectari; Hinc etiam quotidiè antequam lectulo se componeret, animam DEO commendare consuevit iis precibus, quibus Ecclesia moribundos ritè commendat.

Mansi disc. 1. n. 7.

XVII. Neque minus hoc in praxi Zelosum se præbuit, atque indefessum S. Ludovicus Episcopus Tholosanus, qui, cùm filius Regis esset, Monasticen amplexus, in ordine S. Francisci rigorosissimam traduxerat vitam, nunquam mortis immemorem, de eo namque Annales Ecclesiastici sequens perhibent testimonium: Anniversarium suum vivus & sanus plùs quàm ad quatuordecim annos ante mortem suam instituit, & ejusdem celebrationi cum candelarum accessione, & companarum pulsatione, quæ consuevit in funere Episcopi, vigiliis & Messis, annis singulis interfuit. Truncam etiam, in qua sepeliri debuit, cum vestibus funeralibus ibidem impositis, in memoriam continuam mortis suæ, per eosdem annos habuit locatam à latere lecti sui.

Bello. Q. l. 3. p. 1. dist. 4.

XVIII. Bellovacensis divitis cujusdam adducit exemplum, qui confessus, dum pœnitentiam acceptare juberetur, se illi imparem asseruit, imò nunquam pœnitentiam à se adimpleri, & fieri solitam. Tandémque post longam pugnam tantum effecit Confessarius, ut quotidiè summo mane dum surgeret, & omni nocte, dum ad quietem se componeret, hæc altis suorum domesticorum vocibus face-

ret

ret intonari verba: Domine, vos moriemini. Cui præcepto postquam aliquamdiu paruisset, tandem conversus, resipuit; prout ipse Author in hæc commemorat verba: Tandem divino nutu compunctus expavit: advertens, quod indubitanter decederet; sed ignorabat quando, vel quomodo ex hac vita migraret, hoc autem constabat ei, quod nisi vitam suam corrigeret, sine fine periret. Confestim igitur confessus, omnibus se mandatis confessoris exposuit, vitámque suam in melius commutavit.

Vit.l.2.c.6.n.3. XIX. In vita S. Philippi Nerii sequentia leguntur verba: Quendam dissolutum convertit iuvenem rogando, ut quotidiè septies diceret, Salve Regina, posteáque terram oscularetur, dicendo: cras mori possem. Quod adolescens iste acceptans, & perficiens, tandem ad optimam conversus est vitam.

S.Petr. Dam.l.6. ep.16. XX. Novi fratrem in Christo, qui districtam hanc mentis suæ regulam iugi ac pervigili servat intuitu; ut quotiescunque libidinis suggestio subrepit, mox cogitationi suæ, velut expeditus ad proficiscendum, dicat: eamus ad circam. Illicò omnia cœmiteria, ac sepulturas imaginando perlustrans, putrescentium virus, saniémque cadaverum, scatentes quoque vermes, & fœtentium ius carnium curioso rimatur intuitu; cúmque considerat, quia olim carnes illæ in sua viriditate florentes, his subiacuêre molestiis; corpus etiam suum paulò post futurum esse non ambigit, quod illas esse iam cernit; compendium dat luxuriæ, qui præbet oculum corruptelæ, nec est libidini diversorium, in qua versatur mente sepulchrum.

Mansi disc. 1.n.3. XXI. Vita B. Jacoponi Tudertini actionem nobis quidem primâ facie ridiculam, sed in substantia admodum mysteriosam, atque proficuam commemorat in hunc sensum. Civis quidam aliquot sibi comparaverat pullos, dicto DEI servo obvius, confidenter ob notitiam, quæ mutua inter ipsos vigebat, ut eos pullos, in ædes suas deferre dignetur, rogat; votis promptè annuit Jacoponus; moxque emptor tradit pullos rogato baiulo, sed in ipso consignationis actu, ne sibi in quopiam supplantet, obtestatur. Fidem itaque spondet, & recedit Jacoponus, rectâ Ecclesiam petens S. Fortunati, ubi dictus emptor suam habebat sepulturam, inque hanc proiicit pullos. Domum redux emptor, num quippiam nomine suo tulisset Jacoponus, interrogat, responsóque negativo accepto, conqueritur adversùm infidelem baiulum, qui indignationem hanc iniustam penitus esse respondit, siquidem ordinem sibi commissum ad amussim executus fuerit; Utque verbis fidem daret, Principalem suum ad Ecclesiam deducit S. Fortunati, ubi aperto sepulchro stridor insonuit latitantium pullorum, & strepitus; túncque Jacoponus in suam subiecit defensionem, dicens: Nonne mihi, ut eos in domum tuam deportarem, iussisti: Ecce domum tuam; Sepulchra eorum domus illorum.

XXII. De Innocentio IX. scribitur: Nondum hoc nomine Pontifex erat, cùm vitæ innocentiam mortis contemplationi commisit custodiendam, quæ, ut facilior esset, excitato pictis argumentis animo, geminas pictas tabellas habuit, invicem commissas, plicatilésque, in quarum alterâ nuda humani capitis calvaria, in altera funeris pompa videbatur. Has ille in interiori cubiculo pretiosa cum supellectile collocatas habebat, ad quas in quacunque deliberatione oculos, animúmque converteret, ac salutaria æternitatis ab ipsa morte caperet consilia. *Jo.Rho.l.3. c.3.n.8.*

XXIII. Pauló etiam accuratior Alexandri Olivæ Cardinalis Ord. Eremit. diligentia fuit, qui veritus, ne purpura, quam Pii III. beneficio induerat, animo obesset, eam sepulchro addixit; Etenim scrinii instar sepulchri modulum sibi affabrè fieri voluit, qui levi manu apertus tumuli ostenderet interiora, inibíque seipsum in purpura jacentem ad vivum exprimeret, circumposito Ecclesiastici saluberrimo illo carmine: In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, & in æternum non peccabis. Hoc ille quùm in preces incumberet, aperiebat, eâ mente, ut dejecti per ea simulacra animi oratio, obstantibus nequicquam nubibus, in cœlum evaderet, quod divinis Oraculis traditum est. Verùm ne popularis auræ favor pulverem hunc plusquam Mathematicum, in quo cœlestia describimus, importunè confunderet, eam rem clam omnibus habuit, pictore, qui sibi operam locaverat, ad silentium jurejurandi religione adacto. Et verò, nescio quo pacto, sepulchrali etiam è pulvere fœdus gloriosæ vermis enascitur, semper redivivæ, & nunquam satis mortuæ hæres superbiæ. *Ibid.n.9.* *Eccles.40.*

XXIV. Solitarius quidam Thoribiticus in Choreb nullam animæ suæ curam penitùs gerens in omni negligentia semper degebat. Extremè igitur aliquando infirmatus corpore, quasi unius horæ spatio perfectè migravit à corpore. Et in semetipsum iterum rediens deprecabatur quidem nos omnes confestim recedere, portam verò cellæ obstruens, intus annis duodecim mansit, cum nullo colloquium nec parvum, nec magnum habens, nil aliud præter panem & aquam gustans, tantummodò sedens, & ea, quæ viderat in ecstasi, stupens, sic mœrens intendebat, ut nunquam deinceps proprium morem commutaret, attentus, intendens, existens, & excedens, calidas lacrymas sine strepitu semper fundebat. Cùm autem migraturus esset ad Dominum, portam destruentes intravimus, & multum deprecantes hoc solum ab eo audivimus: Indulgete mihi: Nemo memoriam mortis noscens, poterit aliquando peccare. Nos verò stupebamus, ita priùs negligentem videntes beatâ mutatione & transformatione sic repentè mutatum & transformatum. Sepelientes verò eum sanctè in propinquo Castri monasterio post diem sanctas illius reliquias quærentes non invenimus. *S.Climac. gr.6.*

Mors

Mors bona.

Spec. Exempl. dist. 3. exempl. 22. XXV. Quidam de spiritualibus filiis Reverendissimi Patris Roberti, cùm vitam angustam & arduam, quae ducit ad vitam, indeclinabili studio cucurrisset, tandem placuit Domino laboribus eius finem imponere, ut in pace in idipsum dormiens requiesceret, unde nunquam esset recessurus; cúmque jam instaret hora, in qua de huius mundi stadio evocandus, & ad cœleste bravium esset invitandus, Dominus Abbas cùm cæteris fratribus gratiâ quietis in lectulo suo se collocaverat, & ecce sopor Domini irruit super eum, viditque in somnis, duos pulcherrimos adolescentes vultu & habitu insigniter relucentes, qui quasi lilia, rosas & violas, ac diversi generis flores in choro Claravallensi copiosè spargebant, ita ut pavimentum omne pictum, ac variis coloribus venustatum esse videretur: quo viso miratus est, & quasi simplicitatem Ordinis Zelans dixit ad eos: Quid vobis visum est (ô boni juvenes) contrà consuetudinem nostram pavimentum hoc floribus sternere, & Monasterio huiusmodi novitatem inducere? Illi verò dixerunt ad eum: Noli ista mirari, neque molestus nobis sis in executione hac officii nostri, quoniam modò jam in choro isto celebrabitur nova cuiusdam novi Sancti Festivitas, de cuius solennitate gaudebunt Angeli, & hymnus Domino decantabitur in Sion. Adhuc loquebantur illi, & animum videntis & audientis hæc in admirationem rapiebant. Tunc ecce, concitatus Tabulæ strepitus, excitat dormientem, & ut festivitatem, quam celebrandam intus in spiritu cognoverat, foris secundùm dignitatem officii sui exequeretur, signo consuetudinario invitatur. Accurrens ergo cum cæteris fratribus, properanter venit ad eum, & cum magna devotione commendavit animam eius, certissimè credens atque confidens, quia hic erat novus ille sanctus, de quo in requiem assumendo, Angeli sancti novam festivitatem, & novum gaudium essent illicò celebraturi.

S. Anton. tit. 14. c. 4. §. 1. XXVI. In gravi infirmitate constituto S. Bernardo supervenit sibi tentatio desperationis de sua salute, considerans se in multa negligentia Deo servisse, & se nihil quasi boni fecisse, unde tantum præmium gloriæ recipere deberet; sed illustratus à Deo, respondit tentatori: Fateor, me nihil fecisse dignum tanto præmio, sed Christus Dei Filius duplici ratione illud obtinet, scilicet merito Passionis, & ratione hereditariæ successionis, quia naturalis Filius Dei; ipse unâ ratione possidere contentus est, scilicet quatenus Filius; merito autem Passionis spero mihi certitudinaliter ipsum velle largiri, sicque confusus est inimicus, & non prævaluit.

Mors Mala.

V. Beda apud Mansi disc. 27. n. 2. XXVII. Fuit quidam vir temporibus Conradi, qui post Edilredum regnavit, in Laico habitu, atque officio militari positus, sed quantùm pro industria exteriori Regi placens, tantùm pro interna suimet negligentia displicens. Admonebat ergo illum sedulò, ut confiteretur, & emendaret, ac relinqueret scelera sua, priusquàm subitò mortis interventu tempus omne pœnitendi & emendandi perderet. Verùm ille licèt frequenter admonitus spernebat verba salutis; seséque tempore sequenti pœnitentiam acturum esse promittebat. Inter hæc tactus infirmitate decidit in lectum atque acri cœpit dolore torqueri. Ad quem ingressus Rex (diligebat enim eum multùm) hortabatur, ut vel tunc, antequam moreretur, pœnitentiam ageret commissorum. At ille respondebat, non se tunc velle confiteri peccata sua, sed cùm ab infirmitate resurgeret, ne fortè exprobrarent sibi consodales, quod timore mortis faceret ea, quæ sospes facere noluerat; fortiter quidem (ut sibi videbatur) locutus, sed miserabiliter, ut postea patuit, dæmoniacâ fraude seductus est: cúmque morbo ingravescente denuò ad eum visitandum ac docendum Rex intraret, clamavit statim miserabili voce: Quid vis modò? quid huc venisti? Non enim mihi aliquid utilitatis aut salutis potes ultrà conferre. At ille, noli, inquit, ita loqui; vide, ut sanum sapias: Non, inquit, insanio, sed pessimam conscientiam mihi certus præ oculis habeo. Et quid, inquit, hoc est? Paulò antè, inquit, intraverunt domum hanc duo juvenes pulcherrimi, & resederunt circa me, unus ad caput, & unus ad pedes, protulitque unus libellum perpulchrum, sed vehementer modicum, ac mihi legendum dedit, in quo omnia, quæ unquam bona fecerim, intuens scripta reperi, & hæc erant nimiùm pauca & modica. Receperunt codicem, neque mihi aliquid dicebant. Tunc subitò supervenit multitudo malignorum, & horridorum vultu spirituum, domúmque hanc mox & exteriùs obsedit, & intus maxima ex parte replevit. Tunc ille, qui & obscuritate tenebrosæ faciei, & primatu sedis maior videbatur esse eorum, proferens codicem horrendæ visionis, & magnitudinis enormis, & ponderis penè importabilis, jussit uni ex satellitibus suis mihi ad legendum deferri. Quem cùm legissem, inveni omnia scelera, non solùm, quæ opere vel verbo, sed etiam quæ tenuissimâ cogitatione peccavi, manifestissimè in eo tetris esse litteris scripta. Dicebátque ad illos, qui mihi assederant, viros albatos, & præclaros; Quid hîc sedetis, scientes certissimè, quia noster est iste? Responderunt, verùm dicis; Accipite, & in cumulum damnationis vestræ ducite; quo dicto statim disparuerunt. Surgentes verò nequissimi spiritus, habentes in manibus candens ferrum, percusserunt me, unus in capite, & alius in pede, qui videlicet in magno tormento irrepunt interiora corporis mei; móxque ut ad se invicem perveniunt, moriar, & paratis ad rapiendum Dæmonibus in inferni claustra pertrahar. Sicque loquebatur miser desperans, & non multò post defunctus, pœnitentiam, quam ad breve tempus cum fructu veniæ facere supersedit, in æternum sine fructu pœnis subditus facit.

XXVIII. Cuidam Parochiæ præerat Presbyter in sæculo, potens & gloriosus, sed non minùs vitiis, quàm divitiis plenus; hic sub cura *Bellov. l. 7. c. 96.*

sua habebat divitem nobilem, & pauperculam viduam: qui uno tempore decumbentes, responsum mortis acceperunt in semetipsis. Vocatus est Presbyter, ut morientem divitem visitaret, & acceptâ Confessione, datâ communione, exituram animam Deo commendaret; qui de rapienda solummodò lana, non de ove curanda sollicitus, ut divitis nuncium vidit, ire festinavit. Intravit palatium, penetravit cubiculum, ubi jacebat dives, purpurâ & sericô circumdatus, auro & gemmis ornatus, super plumarum mollitiem resupinatus. Ibi invenit circumstantium multitudinem, seductoriâ adulatione diviti solatia persolventem, conjunx, & filii, atque omnis familia lamentabatur Dominum, sed & quam plures ex ipsis ad rapiendam hæreditatem suspensi, licèt verbotenus mortem audaciæ, & præsumptionis damnarent, eam tamen tacito cogitationum æstu precabantur citiùs venire, & hominem de medio tollere. Itaque Presbyter secretum petiit, & qualemcunque Confessionem extorsit; Deinde sessione firmatâ, nummi captator charitatis affectum simulans, compati cœpit, & condolore, quærere, quid vellet, quæ pars corporis graviùs se haberet. Inter ancipites gladios securitatem. & pacem falsus Propheta pollicebatur, verbisque mendacibus liniebat parietem, cui Dominus ruinam minabatur. Interim supervenit quidam ex parte viduæ, qui diceret, eam in extremis agere, & Christianæ salutis remedia postulare. Sed Presbyter cùm se totum daret ad lactandum peccatorem, nihil respondit. At Diaconus propè assistens, pro muliere desolata ad cor eius loquens ait: Grande nobis piaculum, & fœminæ periculum, si nostrâ negligentiâ sine Confessionis, & sacri Mysterii participatione eam migrare contigerit. Requiretur enim à manibus nostris sanguis ovium nostrarum, quæ nobis à justo Deo Judice creditæ sunt: nec minùs pauperum, quàm divitum curam habere nos oportet, nec minorem de illis, quàm his rationem sumus reddituri. Properemus ergo, ne nostrâ culpâ sine viatico hinc paupercula illa recedere compellatur. Cui felle commoto Presbyter ait: O sani capitis consilium, pro vili vidua nobilem relinquere Patronum! Ne turberis, inquit Diaconus, ego, si jubes, infirmam visitabo. His favente Presbytero, Diaconus discessit citò, sumptâque salubri Hostia ad viduæ tugurium pervenit, quæ rebus quidem vacua, sed bonis operibus plena, super humum duram, & parvo stramine constratam collidebat membra exesa jejuniis. Ille itaque interno lumine oculos levans, famulæ Christi in cœno jacenti vidit existere excubias de cœlo. Mater enim Jesu Maria assistebat cum Choro virginali, quæ præferebat linteolum, & vultum ægrotantis à sudoribus mundans, satagebat circa frequens ministerium. His visis Diaconus stupens, stetit eminùs. Sed cœli Regina suo Filio toto corpore in terram prostrata, adoravit eum cum suis Virginibus. Quibus erectis, datâ fiduciâ, vir Dei intravit, Mariâ etiam sedem parante, ac, ne timeret, hortante. Sedit, Confessionem Viduæ accepit, Communionem dedit, & Psalmis obitum eius præmunivit. Deinde cum gaudio ad domum divitis properavit, astansque in limine vidit nigros cattos circumvallantes lectum divitis. Quos miser ille videns, & nimis infestos sentiens, rugiebat clamans Tollite cattos, tollite, misero subvenite! Unus tandem Æthiops voce minax, vultu terribilis, uncum, quem in manibus gestabat, faucibus immersit peccatoris. Infelix anima nullum in tota conversatione sua refrigerium conscientiæ reperiens, pavet & trepidat, miserum mors paulatim occupat. Denique Æthiops ille furens uncum violenter de palpitantibus faucibus extrahit, & ille horribilem dans vocem, infelicem spiritum dedit. Irruerunt cæteri complices, & peccatricem animam flagris & vulneribus afficientes, immergunt in locum tenebrarum, & lacum mortis æternæ. Cùm hoc aspiceret Diaconus, tremor tenuit eum, & cadens factus est in mentis excessu. Sed mox ei apparens Mater Regis gloriæ, ne timeas, inquit, charissime, non tibi Diabolica nocebit malignitas, cui parata est Beatitudo cœlestis. His blanditiis recreatus, postquam ad se rediit, consolatrici suæ gratias rependit, & ex his revelationibus non parùm profecit.

XXIX. Refert Robertus de Licio in suo Quadragesimali, quia in civitate Spoletana puella quædam formosa fuit, quæ vanitatibus semper intenta, nil de futura vita cogitabat. Hæc infirmitate percussa monitiones & hortamenta salutis abhorrebat, sicut mihi retulerunt, qui audierunt illam. Tandem invalescente morbo, cùm cerneret infelix juvencula, de proximo sibi imminere mortem, rogavit instanter matrem, ut eam vestiret pretiosis vestimentis, quæ ferre consueverat, ornaret, poliretque illam, tanquam si ad nuptias esset accessura. Annuit ei mater, fecitque, quod filia volebat. O terribile judicium. O stupendum & admirabile dictu! sic ornata clamare suspirando cœpit iuvencula: Heu! moriar ego sic pulchra? moriar ergo sic decora? moriar ego in ætate tam tenera? Dicebant illi circumstantes: Committe te Deo, filia, quia benignus & clemens est. At illa magis lamentabiliter respondebat: Et quid mihi cum Deo? veni, ô diabole, suscipe tu animam meam, inter quæ verba expiravit damnata & desperata. *Sper. Exempl. dist. 9. Ex. 114.*

Mors desiderata.

XXX. Pater Alphonsus Rodriquez de quodam tradit Venatore, quòd, cùm prædam suam insequeretur, humanam quandam audierit suavissimè resonantem vocem: curiosior itaque accedens, ut, quis esset, inspiceret, leprosum reperit, cuius caro putrefacta membratim diffluebat? Quo miserabili obstupefactus spectaculo, præsertim ob associatam cantùs harmoniam, miserum, quare cantâsset, interrogavit. Cui ille: Deum inter & me nihil mediat, præterquam luteus iste murus, scilicet hoc corpus meum, quod mox ut corruerit, me altera in vita semper gavisurum spero, nónne igitur lætandi causam habeo, dum murum hunc ruinam proximam mi- *Rodrig. p. 1. Tr. 8. c. 21.*

naci

nari video? Penetrârat utique leprosus iste in abditissimo solitudinis suæ recessu, illius Apostoli textum: Scimus, quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissolvatur, quòd ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cœlis.

Vita l. 1. c. 8. XXXI. Cardinalis Baronius cùm admoneretur à Medico, ut ab assidua illa meditatione mortis temperaret, ne scilicet ea ratione illam accerseret, aut accelearet; Quidni ego, inquit, de morte cogitem? Numne timere me putas illam, cum qua quotidiè familiariter ago & loquor? Apage sis, haud equidem timere illam possum, quam, ut sororem charissimam diligo.

Sanderus l. 1. schism. Anglic. XXXII. Cardinalis Reginaldus Polus, cùm ei annunciaretur, Henricum VIII. Angliæ Regem Ecclesiæ rebellem, vitæ ipsius insidiari, & mortem machinari, respondit: Jam dudum huius vitæ tædio affectus mortem optavi, tanto eam studio afficere cùm contendat, nihil aliud facit, quàm si eunti dormitum vestimentum detrahere conetur.

Mors metuenda.

Mansi disc. 43. n. 1. XXXIII. Christus ardentissimo redemptionem nostram cupiebat desiderio, quam per mortem suam operaturus erat, ac proinde Discipulo suo illius vitam pro triginta denariis vendere volenti dixit: Quod facis, fac citiùs. Ideò Apostolis suis sic dixit: *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum*; Denique eandem rationem, Petrum passionem suam sibi dissuadentem acriter reprehendit, dicens: *Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum?* Et tamen quando in horto Gethsemani mortem sibi ante faciem obversari vidit, adeò contristatus & commotus est, ut agonizans sanguinem sudârit.

S. Chrysost. Epist. 2. XXXIV. Elias Propheta ob mortis metum solas libidinosæ ac nefariæ mulieris minas veritus, in fugam se contulit; Et qui cœlum clauserat, & tot miras res effecerat, sermonis terrorem minimè tulit; verùm excelsum illum, atque ad cœlos usque sublimem animum pavor ita perculit, ut post illam fiduciam, post tantam in loquendo libertatem, post tantum virtutis specimen editum, & patriam, & tantum populum, cuius causâ tot pericula audax adierat, repentè linqueret; & quadraginta dierum iter solus obiret, & in desertum locum migraret.

Isaias 38. XXXV. Ezechias quamvis sanctitate polleret, nihilominùs in mortis discrimine, propter infirmitatem periculosam constitutus, & ab Esaia ex Dei præcepto admonitus: Dispone domui tuæ, quia morieris tu, & non vives: in amarum *4. Reg. 20. v. 3.* prorupit planctum, dicente Scriptura: Flevit Ezechias fletu magno; Sicque per ferventissimas preces, & copiosas lacrymas, ut vitæ suæ dies prolongarentur, Divinæ instanter supplicavit Maiestati.

Vita l. 2. fol. 61. XXXVI. In vita servæ Dei Joannæ Franciscæ de Cantal, quæ primogenita fuit S. Francisci Salesii filia spiritualis, & prima fundationis institutæ visitationis petra, narratur, quòd moribus vicina circumstantes, ut sibi per absentiam eorum tantisper quiescere liceret, rogavit; Omnibus itaque egressis, monialibus, & ipso Jesuitarum Rectore, qui ei assistebat in extremis, subitò hunc ipsum revocavit infirma, præsentémque ita affari cœpit: O Pater mi, formidabilia iudicia Dei. Cui Pater; idne te affligit? Ad quem illa: Nequaquam, sed te assecuro, quòd formidabilia valdè sint iudicia Dei. Huic servæ Dei sanctus Præsul & Episcopus in hora mortis se obviaturum spoponderat, quemadmodum & in re contigit, sicuti ex eius vitæ historia liquet; & nihilominùs tremendam esse dicebat mortem.

R. P. Lohn. Auctar. Bibl.

§. IV.

EXEMPLA PROFANA.

Qualitas.

Mansi disc. 1. n. 10. I. IN libro de septem donis legitur, quòd Saladinus magnus Princeps Saracenorum fecit sibi portari sudarium suum, dum videret se propinquum morti, & fecit illud clamando per præconem deportari per civitatem: Tantum deportabit secum Princeps Magnus de omnibus rebus suis.

S. Anton. p. 4. tit. 14. c. 8. §. 11. II. Mortuo Alexandro Magno, qui in tam brevi tempore dominium orbis acquisivit, convenerunt Philosophi, & dixit unus: Iste, qui terram heri totam conculcabat, hodiè ab ea conculcatur; Heri dominabatur ei, & possidebat eam, nunc possidetur ab ea. Heri non sufficiebat ei totus mundus, nunc sufficiunt ei quatuor ulnæ terræ. Heri premebat eam, nunc premitur ab ea; ducebat heri exercitum super eam, hodiè ab exercitu ducitur sub terra.

Bibl. Aur. con. in vit. Severi. III. Severus Imperator, qui suam sibi præparari fecerat mortualem urnam, intra quam cineres suos recludendos statuerat, frequenter eam attingens dicebat: Tu virum capies, quem totus Mundus capere non potuit.

S. Anton. c. 8. §. 7. IV. S. Antoninus de quodam Siciliæ Rege refert, quòd, dum cuidam amico suo, qui ipsum felicissimum esse existimabat, suam vellet repræsentare infelicitatem, eundem ad Regiam mensam suam invitârit, superque caput eius ensem acutissimum ex tenuissimo filo pendentem suspenderit; qui exinde nimio metu perculsus, vix bolum ex propositis sibi cibis deglutire potuit; cùmque Rex id se admirari simulans, abstinentiæ suæ ab eo poposcisset causam, respondit, omnem sibi manducandi sibi evanuisse appetitum, utpotè qui ob imminentem sibi gladium è tenui filo pendulum quovis momento vicinam sibi mortem exspectaret; cui Rex opportunè repostuit dicens: si tu unum gladium, qui tamen erat afflixus, licèt tenuiter, ità timuisti, ut putares te infelicem & miserum, quæ felicitas potest esse mea, & quæ lætitia, qui tot pericula mortis habeo super me, veneni, gladiorum, persecutorum, & huiusmodi?

S. Petr. Dam. l. 1. epist. V. S. Petrus Damianus quandam Imperatorum Græcorum consuetudinem in hæc recenset verba:

verba ; Apud Græcos hæc terror consuetudo perhibetur, ut, cùm Imperator quis in dignitate creatur, mox ut imperialibus fuerit infulis redimitus, coronæ simul ac sceptri gloria decoratus, cùm denique procerum vallatur obsequiis, cùm excipitur modulantibus psallentium choris, quidam sibi præstò fit obvius, qui videlicet unâ manu vasculum plenum mortuorum ossibus, ac pulveribus offerat, in alia verò stupam lini subtiliter pexam, ac pilis pensilibus molliter demolitam, cui protinus ignis adhibetur, & repente in ictu oculi flammâ subitò vorante consumitur, ut in altero debeat considerare, quod est; in altero valeat videre, quod habet; in cineribus siquidem se cinerem recognoscit, in stupa jam colligit, in die Judicii quàm subitò Mundus ardebit; quatenus, dum se simul ac sua tam vana, tam flocci pendenda considerat, de Imperialis culminis ascenso fastigio nullatenus insolescat, & dum possessor atque possessio subiacere communi omnium casui non ambigitur, jam quasi de singulari dignitatis apice, qui ad summa provectus est, non infletur.

Valer. Max. l. 3. c. 2. VI. De Epaminonda Thebanorum Generali Duce refertur, quòd cùm in prælio lethaliter sauciatus fuisset, sequentia interrogârit: Primùm an clypeus suus salvus esset; Deinde an fusi hostes penitus forent; quæ postquam ex animi sententia comperit; non finis, inquit, commilitones, vitæ meæ, sed melius & altius initium advenit, nunc enim vester Epaminondas nascitur, quia sic moritur.

Memoria mortis.

Rho. l. 5. t. 3. ex. 1. VII. De Peruvianis sequens traditur laudabilissimus usus: Itatini fera alioqui gens, & soli ac disciplinæ vitio ab humanitate abhorrent, hanc tamen partem sapientiæ, in qua impotenter gloriantur Philosophi, naturâ duce sunt consecuti. Quâ die propagandæ soboli, regendæque familiæ in manus conveniunt, eâdem sepulchralem vestem, & reliquum funeris apparatum, vel in mariti domum inferunt sponsæ, vel à sponso traditum accipiunt; in quo egregiè memores esse videntur, ideo sufficiendo generi se comparati, quòd fluxam plùs æquo mortalitatem inopinato occupat mors.

Ibid. n. 1. VIII. Regibus Æthiopum Abyssinorum hæc lex olim fuit, aut etiam nunc est, ut, cùm Regiæ opulentiæ fercula inferuntur, vas vitreum cinere plenum in mensa non desideretur; quasi verò eâ cinerum præsentiâ condiri possint dapes, aut convivæ admoneri, tantùm cibi esse sumendum, quantum brevi morituris sit satis.

Mansi disc. 4. n. 1. IX. In historiis Indicis Regni Mogor talis scribitur vigere usus; cùm dies nuptiarum instat, nupturi cœmeteria & sepulchra obeunt, ac tandem referant, ut sic recordentur mortis, antequam aliis dent vitæ principium; ad conjugalem namque fovendam continentiam, priusquam ad copulam maritalem procedant, menti suæ cœmeteria & sepulturas imprimebant.

X. Brachmani pariter, ut Cardinalis Bellarminus scribit, pro continentia tutanda sepulturas ante domos suas erigere, & conservare solent apertas, ut hòc fruentes spectaculò majori cum honestate vitam traducant; profitentes unanimiter, mortis memoriam efficacissimum contra carnalem concupiscentiam frænum esse. *Bellarm. conc. de mort.*

§. V.

SIMILITUDINES.

Qualitas.

I. Sicut in ludo Schaccorum omnia lusûs hujus instrumenta suum in tabula locum obtinent, habet enim Regina locum suum, Rex alium, & alium pedester; & ita de singulis. Ludo verò terminato omnia simul in unam bursam mittuntur confusim, sine ullo ordine, adeò, ut nullius ibidem pro altero habeatur ratio. Ita quoque in hac præsenti vita contingit, in qua DEUS ludit in orbe terrarum; unusquisque enim pro ratione dignitatis locum suum obtinet, Princeps videlicet hunc, subditus vero alium sibi proprium; at verò terminato hoc spatio, in quo unicuiq; vivendum est, secundùm Divinæ providentiæ periodos, omnes in sepulchro, vel ut meliùs dicam in momento mortis omnes ex æquo habentur nec habetur major unius, quàm alterius ratio. *Mansi disc. 11. n. 7.*

II. Sicut si intrares domum, & scires, quòd aliquis in domo accederet, & occideret, procul dubio ad te omnes accedentes timeres, & suspectos haberes: Sic tu intrans in mundum hunc, certus esse debes, quod aliqua hora te occidet, & nescis, quæ sit illa, & ita omnes suspectas debes habere. *Bellarm. spec. mort. l. 1. 2 dist. 4.*

III. Sicut aqua congelata propter fervorem solis liquefieri solet, & in terram & lutum dilabi, sic utique nostra fragilis & aquea conditio, quæ nihil aliud est, quàm carnea quædam moles aliquantulùm congelata, quando fervore mortis percutitur & urgetur, necessariò diffluit, & in terram decidit, & mutatur, ut dicere queat unusquisque: sicut aqua effusus sum, & dispersa sunt omnia ossa mea. *Idem. de cont. mort. cap. 10.*

IV. Sicut qui tenentur in carcere, semper quidem dejecti, mœrentesque sunt, maximè tamen sub diem illum, quo sunt educendi, & ad ipsas Judicis fores protrahendi, ac pro cancellis foris stantes Judicis vocem intus audiunt, examinantur metu, nihilòque meliùs efficiuntur, quàm mortui; sic anima maximè quidem in ipso peccati tempore cruciatur, & angitur, multò tamen magis cùm hinc avulsa abducenda est. *S. Chrysost. conc. 2. de Laz. tom. 1.*

V. Sicut ex captivis nonnulli longiori tempore vinculorum ærumnas sustinent, nonnulli citiùs è vinculis emittuntur; sic & animæ *S. Ephræm. orat. de morte.*

nostræ

nostræ affectæ sunt, quorum aliæ multùm satis temporis in hac vita permanent, aliæ verò citiùs ex hac vita migrant.

Rabanus apud Mansi disc. 33. n. 5. VI. Sicut vir fortis, cum vicino jam belli certamine armis accingitur, palpitat & festinat tremit ac sævit, quasi pavere per pallorem cernitur, sed per iram vehementer urgetur: Ita vir sanctus cùm passioni propinquare seconspicit, & naturæ suæ infirmitate contunditur, & spei suæ soliditate roboratur, & de vicina morte trepidat, & tamen quòd moriendo veriùs vivat, exultat, ad Regnum quippe non potest nisi interpositâ morte transire, & idcircò & confidendo quasi ambigit, & quasi ambigendo confidit, & gaudens metuit, & metuens gaudet, quia scit, quòd ad bravium quietis non perveniat, nisi hoc, quod interjacet, cum labore transcendat. Sic nos cum morbos à corpore repellere cupimus, tristes quidem amarum purgationis poculum sumimus, certè autem de subsequente salute gaudemus.

Utilitas.

Ib. disc. 2. n. 2. VIII. Sicut, quòd ex viperinis carnibus potentissima contra venenum conficiatur Theriacæ medicina, ipsa nos docet experientia; Ita quoque peccati venenum, nobis mortem inferens, sanatur, atque extinguitur, nec non mortiferi hujus serpentis morsus sopitur per seriam mortis meditationem.

Plinius l. 10. c. 33. VIII. Sicut perdix dum aucupum patitur insidias, teste Plinio, in sulco resupina, glebâ se terræ pedibus apprehensâ operit; Idem omninò anima Christiana, dum à Dæmone in via voluptatum, aliarúmque illecebrarum carnis, mundíve tentatur, insidiásque patitur, præstare deberet, se nimirum infra terram abscondendo, id est, pulverem, ultimúmque hujus corporis nostri & mortalis vitæ finem meditando.

S. Aug. in Psal. 57. IX. Sicut aspis, ne incantetur, suas obturat aures, ubi S. Augustinus inquit: Recusans audire illas voces, quibus se cogi sentit, allidit unam aurem terræ, & caudâ obturat alteram, atque ita voces illas, quantùm potest evitans, non exit ad incantandum. Ita & Christianus, dum à Dæmonio ad voluptatum, deliciarúmque carnalium & terrenarum trahitur incantationes, aures ad terram applicet, id est, discursus audiat de morte, cinere, & terrâ; Pulvis es &c.

Mansi disc. 3. n. 6. X. Sicut uno osse arido plurimos Philistinos occidit Samson, ita per nostra quoque in tumulo resoluta ossa, modò illa, dum vivimus, meditamur, omnes spirituum malignorum atteremus exercitus.

Ibidem. XI. Sicut leonis quamvis famelici constans est instinctus, ut non oppugnet eos, qui veluti mortui prostrati jacent in terra; Unde Poëta cecinit: *corpore magnanimo satis est prostrâsse leoni*; Ita Dæmon circa illos, qui se mortuos exhibent, omnem suum deponit vigorem.

Item disc. 4. n. 7. XII. Sicut damnati ad mortem quantumvis lautè habeantur, priusquàm ad furcam abstrahantur, nihilominùs propter justitiæ & condemnationis suæ apprehensionem, ne nimium cum gustu deglutire possunt bolum; Ita quoque qui mortem seriò considerat, cámque vicinam (quemadmodum veraciter est) apprehendit, nullam in carnalibus deliciis satisfactionem habere potest, certus, hanc carnem suam vermium pastum futurum esse, hácque cum consideratione omnem carnalem fastidit voluptatem: Non est libidini diversorium, in qua versatur mente sepulchrum.

XIII. Sicut pavo, etsi visis pennis suis pulchris eas extendit, & hinc inde se gyrat, de eadem pulchritudine superbiens, tamen ad pedes turpes aspiciens, eas continuò deponit, quasi se humilians; sic homo attendens ad finem vitæ, humiliabitur. *S. Antoninus p. 1. tit. 1. c. 5 § 7.*

XIV. Sicut ad abstergendas linteorum, vel cujuslibet alterius materiæ immundæ sordes: lixivium adhiberi solet, quod ex aqua & cineribus auxilio ignis componitur: Eodem modo quisquis cor & animam suam à contractis culparum maculis purificare, eámque in conspectu DEI immaculatam reddere desiderat, memoriam mortis, aquam veræ compunctionis, divinique amoris ignem adhibere debet. *Mansi disc. 1. n. 14.*

XV. Sicut effodientes thesaurum multùm laborant, ut inveniant ipsum, quem summè desiderant, & quia antiqui in sepulchris suis faciebant thesauros abscondere, ideo tales effodientes, cùm inveniunt sepulchrum, gaudent, nihil curantes de labore, sperantes quàm citiùs ad thesaurum, quem optabant, pervenire viso sepulchro. Sic desiderantes thesaurum supernæ vitæ, cùm considerant, quòd per mortem citò ipsum consequantur, fortiores redduntur ad labores, intelligentes illud Apostoli: *Non sunt condignæ passiones hujus temporis &c.* *S. Antoninus p. 1. tit. 1. c. 13. § 14.*

XVI. Sicut quando in lecto concutiuntur, tunduntur, moventur plumæ, quæ in lecto sunt, súsque déque motæ molliores & delicatiores evadunt, præbéntque somnum suaviorem, quia corpus molliùs, & delicatiùs in eò conquiescit. Idem quoque animabus electis in infirmitatibus mortalibus contingit, per has namque mors illis præparatur, quæ est lectus quidam floridus & plumeus, ut in eo suaviter conquiescant, juxta illud ejusdem Psalmistæ oraculum: *Exultabunt Sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis.* *Mansi disc. 37. n. 8.*

XVII. Sicut statua, quæ in fornace confringitur, haut deletur, sed renovatur; sic cùm corpus nostrum moritur, non perit, sed instauratur. Cùm igitur videris carnem nostram, tanquàm in fornace liquescentem, ne committe, ut in huius rei inspectione conquiescas, sed tantisper exspecta, dum ea rursus conflata fuerit. *S. Chrysost. tom. 5. ser. 80.*

XVIII. Sicut infans in utero matris constitutus, quamdiu imperfectus est, indè egredi non curat; mox verò ut ad perfectionem pervenit, ibidem ampliùs subsistere nequit, quin potiùs vim adhibet, ut egrediatur, utpote locum *Mansi disc. 33. n. 9.*

cum desiderans capaciorem, copiosiorem cibum, aërem haurire liberiorem, clarioremq; lucem. Ita quoque qui amore DEI ardent, & in ordine ad vitam futuram opera bona sibi accumulârunt, hîc in terris ingenti cum impatientia vivunt, dicentes cum Psalmista: Heu mihi quia incolatus meus prolongatus! vel cum Apostolo: Cupio dissolvi, & esse cum Christo.

§. VI.

MOTIVA.

Ad expetendam mortem.

Sap. cap. 4. v. 7. I. **Q***Uia à peccatis liberat*; uti Salomon indicavit: *Iustus, si morte praeoccupatus fuerit, in refrigerio erit: raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus; inconstantia concupiscentiæ transvertit sensum; Placita erat DEO anima illius, propter hoc properavit educere illum* S. Ambros. in Ps. 60. *de medio iniquitatum.* Hinc S Ambrosius, raptus est, inquit, iustus, ne malitia mutaret cor eius. Mors ergo ista magis peccati fuga, quàm morientis est detrimentum. Et in capite 2. de bono mortis hanc instituit interrogationem: Quid tantopere vitam istam desideramus, in qua quantò diutiùs quis fuerit, tantò maiori oneratur sarcinâ peccatorum? nullus Idiota de contempl. mort. c. 6. dies sine peccato nostro præterit. Et idipsum confirmans Idiota, lucrum, inquit, est mori homini, qui bonâ morte moritur; nam per bonam mortem commutat homo timorem in securitatem, & ideò scribitur: Melius est mihi mori, quàm ut gloriam meam quis evacuet. Gloria cujuslibet hominis, Domine, est sanctitas vitæ, quæ gloria citò in hac vita fragili perdi potest, utpotè per unum consensum peccati mortalis. Quamdiu igitur homo vivit, quantumcunque sit sanctus, in periculo est, ut evacuetur gloria sua, id est, ut perdat sanctitatem suam; sed per bonam mortem evadit omne periculum amittendi gratiam tuam.

Ibidem c. 8. II. *Quia portus est diuturnæ & molestæ navigationis*; hinc Idiota ait: Homo moriturus non magis contristari, aut conqueri debet, si ad mortem pervenit, quàm navigans, si ad portum, ad quem navigabat, celeriùs, quàm credit, pertingit. Est enim mors portus ad quem continuò navigamus, & ideo si ventus, & casus fortuitus subitò, & ex insperato ad illum portum perducit, dolere non debet hoBellovac. p. 1 serc. l. 1. dist. 4. mo. Et idipsum confirmans Bellovacensis, nonnè mors inquit, humani generis terminus, non scopulus, in quem impingas, sed portus, quem libenter attingas, ad quem si quis intra primos annos applicuerit, non querimoniam agat, quòd minùs vixerit, sed gaudeat, quia citiùs navigavit.

S. Ambros. in c. 1 Luc. III. *Quia immunitatem à tentationibus præstat*; Hinc S. senex Simeon suo vicinus termino cantabat: *Nunc dimittis servum tuum &c.* Ubi S. Ambrosius talem format discursum: Quasi necessitate quadam teneretur in hac vita, non voluntate, ita dimitti petit, quasi à vinculis quibusdam ad libertatem festinaret, sunt enim vincula quædam corporis hujus, & quod est gravius, vincula tentationum, quæ nos alligant, & ad injuriam captivitatis adstringunt quadam lege peccati. Qui idem Sanctus postquam illa Apostoli (*mihi vivere Christus est & mori lucrum*) consideràsset verba, eadem ad nostrum interpretans propositum ita discurrit: Lucrum est evasisse incrementa peccati; lucrum, fugisse deteriora, & ad meliora transisse. Deinde in capitulo sequenti hanc vitam nobis veluti laqueis plenam ob oculos ponit, dum ait: Quid est aliud hæc vita, nisi plena laqueorum? Inter laqueos ambulamus, inter plurimas versamur tentationes.

IV. *Quia à visione multorum malorum liberat*, uti Bellovacensis notavit dicens: Tertium, propter quod justi mori desiderant, est fervor æmulationis; considerantes namque omnia mala, quæ sub sole geruntur, videlicet quòd multiplicantur peccata, regnat injustitia, veritas conculcatur, dehonoratur DEUS, animæ damnantur, pauperes opprimuntur, justi despiciuntur, & impii dominantur, dolent, gemunt, & dolore tabescunt, mori quàm vivere præoptantes; unde unus eorum Mathathias dixit: 1. Machab. 2. *Væ mihi, ut quid natus sum videri contritionem populi mei: & contritionem civitatis sanctæ!* Hinc de S. Praxede scribit S. Gregorius, quòd, cùm tantam Christianorum stragem videre non posset, DEUM precata sit, ut, si mori expediret, eam à tot malis eriperet. Bellov. p. 1. l. 2. dist. 4.

V. *Qui vincula dissolvit*; hinc S. Paulus dicebat: *Infelix ego homo, quis liberabit me de mortis hujus corpore?* Et iterum: *Coarctor autem à duobus, desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo; multò magis melius; permanere in carne, necessarium propter vos.* Super quæ verba S. Gregorius ait: Adhuc corruptionis suæ sarcinam portans, vinctus clamat: *Cupio dissolvi & esse cum Christo*; dissolvi enim non quæreret, nisi se procul dubio vinctum videret. Propheta veri DEI religionem tam indignè ab Achab & Jezabel tractari videns, petivit animæ suæ, ut moreretur: Et ait: *Sufficit mihi Domine, tolle animam meam.* Alter ille Machabæus protestabatur dicens: *Meliùs est mori bello, quàm videre mala gentis nostræ, & Sanctorum.* Rom. 7. 24. 1. Philip. 1. 23. S. Greg. l. 4. mor. c. 11.

VI. *Quia est quies à laboribus*; uti S. Ambrosius notavit, dicens: Sapiens quisque intelligit, quòd hæc vita homini non ad quietem data sit, sed ad laborem, hoc est, ut hîc laboret, & imposterum quiescat, hîc autem requies nulla; tantis enim malis repleta hæc vita est, ut comparatione ejus, mors remedium putetur esse, non pæna; nam ideo brevem istam vitam DEUS fecit, ut molestiæ ejus, quia prosperitate non poterant, temporis exiguitate finirentur. Hinc Tertullianus, non timendum est, inquit, quod nos liberet ab omni timendo: longum DEUS adimit tormentum homini, cùm vitam ei concedit brevem. Quod etiam Henricus de Hassia confirmans ait: S. Ambros. ser. 42. Tertullianus. Henric. de Hassia in

Solilo. animæ.

ait: O homo, quid est tuum diu vivere hic, quàm diuturnis ærumnis & tædiis in mortem ire? Quid tibi de hac vita, quam intrâsti cum dolore, contrivisti cum labore, exibis cum tremore: Unde S. Bernardus in exequiis unicè sibi dilecti charique fratris sui Gerardi adeò constans, intrepidúsque perstitit, ut omnibus flentibus, ipse sibi solus fletum interdixerit, & coërcuerit; ita enim in quodam sermone discurrit: Plorantibus aliis ego siccis oculis secutus sum invisum funus; Qui me intuebantur, flebant, & mirabantur, quòd non flerem ipse. Videmus mortuos quotidiè plangere mortuos suos, fletum multum, & fructum nullum; Non culpamus affectum, sed causam; Plorantur damna gloriæ carnis, vitæque præsentis incommoda; juxta S. Bernardum, nam quisquis mortem plangit proximi, aliud non facit, quàm dolere quòd defunctus ab hac miseriarum, lacrymarúmque valle ereptus sit, & turbidi hujus maris delusis tempestatibus pertigerit ad portum: Plorantur vitæ præsentis incommoda. At, inquies, mortuus putrescit & corumpitur, pulvísque & cinis fit. Quid tum indè, amice? Hoc nimirum illud est, ob quod maximè est lætandum; Etenim si quis veterem domum, ac conquassatam ædificaturus est, primùm ejus incolas ex illa ejicit, deinde domum ipsam diruit, & eam magnificentiùs reædificat, quod quidem lætandum potiùs, quàm dolendum ei est, qui ex veteri habitatione ejectus est, non enim præsentem ædium demolitionem spectat, sed domum, antequam videatur, animo concipit, ac comprehendit. Ad eundem modum facturus DEUS, corpus nostrum demolitur, & animam in eo habitantem antè, ut ex domo aliqua ejicit, ut, cùm aliam magnificentiorem & præclariorem opere exædificârit, illum majori cum gloria in eam iutroducat.

S. Bern. ser. 26. in Cant. — *S. Chrysost. to. 5. ser. 29.*

Plutarch. de consolat. ad Apollon.

VII. *Quia ad meliorem vitam est transitus,* hinc Plutarchus, nemo, bonus, ait, lamentis, sed hymnis dignus est, & laudationibus, non luctu; sed honorifica recordatione, neque lacrimis à dolore extortis; siquidem is, qui inter mortales esse desiit, divinioris cujusdam vitæ factus est consors, liberatus servitute corporis; ærumnosis istis sollicitudinibus, atque casibus, quos necesse est, ut perferant, quibus mortalis hæc vita obtigit, donec conficiant fato destinatum ipsis vitæ curriculum. Quod ipsum etiam asserens S. Bernardus ait: Si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit; Moritur quidem & justus, sed securè, quippe cujus mors, ut præsentis est exitus vitæ, ita introitus melioris. Bona mors si peccato moriaris, ut iustitiæ vivas; Hæc mors necesse est, ut præcurrat, ut sequatur illa secura. In hac vita, quam diu durat, compara tibi illam, quæ semper durat. Unde quando ad mortis adventum trepidamus, non mortis hoc est vitium, ut S. Ambrosius rectè advertit, sed nostræ infirmitatis, qui voluptate corporis, & delectatione vitæ istius capimur, & cursum hunc consummare trepidamus, in quo plus amaritudinis, quàm voluptatis est.

S. Bernard. ep. 105. — *S. Ambros. de bono mortis, c. 8.*

MOTIVA.

Ad timendam mortem.

Theophilact. in Matt.

VIII. Q*Uia est contra naturam,* uti Theophilactus rectè advertit, dum de Christo agonizante dixit: *cœpit tædere &c.* ut credatur verus homo; humanæ enim naturæ est, timere mortem, eò quòd præter naturam ingressa est mors, & propterea illam fugit natura.

S. Greg. l. 24. moral. c. 7.

IX. *Quia judicii secuturi eventus incertus est;* hinc S. Gregor. ait: Redemptor noster solutioni carnis appropinquans, & membrorum suorum servans speciem, factus in agonia cœpit prolixiùs orare; Quid enim pro se ille, cùm in agonia esset, peteret, qui in terra positus cœlestia cum potestate tribuebat? sed appropinquante morte nostræ mentis in se certamen expressit, qui vim quandam terroris atque formidinis patimur, cùm per solutionem carnis æterno propinquamus iudicio; Neque enim tunc cuiuslibet anima immeritò teneretur, quando post pusillum hoc invenit, quòd in æternum mutare non possit.

S. Bernard. ser. 14. in Ps. 90. — *S. Bernard. de vallecula*

X. *Quia omnes sensus in morte destruuntur;* uti S. Bernardus præter experientiam confirmat, dicens. Hic dolor tantus est, quòd aufert, & occupat omnes sensus. In pedibus auffert potestatem gradiendi, à manibus & à corpore potestatem tangendi, ab oculis videndi, olfactum à naribus, auditum ab auribus, gustum à palato. Ideóque meritò in persona moribundi ingemiscebat regius vates: *Timor & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebræ.* Et iterum alibi: Vide quomodo mors te crucifigit. Crura distenduntur, manus & brachia decidunt, pectus anhelat, cervix languescit, labia spumant, oculi stupescunt, vultus horrescunt, facies exsudat, & morte tacta pallescit. Et hæc utique, quæ videmus deforis, & quæ sentimus, levia sunt ad ea, quæ intus animæ miserabilis iam prægustat; Nam sensus à corpore citò recedit, animam sua mors comitatur euntem.

Bellov. spec. mor. p. 1. l. 3. dist. 3.

XI. *Quia morbi perturbant;* uti Bellovacensis indicavit dicens: In morte solent concurrere varia morborum genera, & membra sic occupare singula, ut plures quandoq; sint morbi, quàm membra; Dolores irruunt tam vehementer intensi, ut vires corporis enervent, somnum auferant, quietem impediant, animum inquietent, sensus omnes perturbent, appetitum destituant, obtundant memoriam, obnubilent intellectum, & sic animam totam occupent & distrahant, ut nihil aliud ei cogitare liceat, quàm dolores.

S. Ephrem. Paræn. 21.

XII. *Quia separationem ab amicis inducit;* Hinc S. Ephrem exclamat: Quàm tremenda erit mortis hora? tunc non comitabitur filium pater, non filiam mater, non uxor maritum,

non

non frattem frater, sed solùm opera, quæ quisque egit, sive bona, sive mala; Præmittamus igitur nobis ipsi opera bona, ut, cùm hinc abierimus, admittant nos in civitatem sanctorum. Et S. Antoninus, aliud, inquit, genus bellantium inimicorum est multitudo consanguineorum; de quibus dicitur Mich. 7. Inimici hominis domestici eius. Durum est sibi, deserere filios & uxores, & alios, quos inordinatè diligit; Unde Augustinus de serò pænitente ait: Quem morbus urget; & pœna terret, ad veram vix veniet satisfactionem, maximè cùm filii, quos illicitè dilexit, sint præsentes, & uxor, & mundus ad se vocet, frequenter ex inordinato amore filiorum, potiùs volunt perdere animam, quàm aliena restituere, ne pauperes remaneant. Coangustant tales inimici domestici morientem, in quantùm unus quærit sibi legari tantum, alius tantum, & tota eorum sollicitudo est de lana, non de anima: aliquando etiam incipient evacuare capsas, quod videns infirmus non parùm angustiatur.

S. Antonin. p. 1. tit. 5. c. 2. §. 1.

XIII. *Quia bona temporalia deserenda sunt*; Hinc Siracides, *O mors*, inquit, *quàm amara est memoria tua homini habenti pacem in substantiis suis; viro quieto, & cujus viæ directæ sunt in omnibus, & adhuc valenti accipere cibum.* Quod confirmans S. Bernardinus, O quantus, inquit, mœror, cùm conspicit se privari divitiis mundi, quas tanto labore acquisivit, tanto timore servavit, & nunc tanto dolore relinquit, quas tanto amore dilexit. Videt enim, quòd nihil secum portare potest, nisi peccata sua, quibus ea indebitè congregavit, iuxta illud Job, 27. *Dives cùm dormierit, nihil secum auferet, aperiet oculos suos, & nihil inveniet*, id est, peccatum, quod verè est nihil.

Eccl. c. 41. v. 1.

S. Bernard. sen. tom. 1. ser. 14. a. 1. c. 3.

XIV. *Quia difficilis est eo tempore pœnitentia*; quia in mortis deprehensi articulo, inquit S. Laurentius Justinianus, atque languoris nimietate afflicti, penè nihil aliud, quàm de se cogitare sufficiunt, revolventes animo sedulò, quibus remediis suis valeant mederi doloribus protelare exitum, recuperare vires, atque optatæ restitui sanitati. Fit autem persepè, ut circa talia occupati, interitus salutis propriæ minimè recordentur, & absque ulla veræ compunctionis dispositione deficiant. Hinc & S. Augustinus monet: Agite pœnitentiam, antequam mors inimica naturæ vos aggrediatur; nam cùm in extrema ægritudine fueritis, fratres, ô quàm forte, ô quàm durum & lachrymabile erit vobis pænitere, & dolere de malis commissis & de bonis omissis? Quare hoc erit, nisi quia illic capitur tota intentio mentis, ubi est vis doloris? Nam corpus dolet, pœna affligit, quia mors appropinquat; intrare filios, quos patres summè dilexerunt, pro quibus etiam se damnatos existimant, tenebroso oculo aspiciunt; uxores iam lachrymantes considerant; Mundus adhuc eis fiduciam præstat; Diabolus, ne de peccatis doleant, fidem tribuit, chirographum infirmantibus præbet; caro non deficere adhuc satis sperat; Medici adhuc, ut lucrentur, ipsum confortant, parentes applaudunt, Sacerdotes alliciunt, & sic divites moriuntur in inferno. Sed & S. Ambrosius illa verba: Orate autem, ne fuga vestra fiat in hyeme, explicans, hyemem intelligit non temporis, sed infirmitatis. Est hyems non terreni solis, sed hyems mentis, quando animo frigus illabitur, quando vapor animi evanescit, quando solvitur vigor sensûs, quando nimius humor exundat, & mentem gravat, quando interior caligat aspectus, & ideo ait Dominus: videte, ne fiat fuga vestra in hyeme, vel Sabbato. Bonum enim, ut tunc dies judicii vel mortis adveniat, cùm viget animi blanda temperies, cùm cœleste mysterium serenâ luce resplendet, cùm cor nostrum ardet in nobis. Accedit, quòd ut S. Bernardinus notat, vix invenitur aliquis, qui de salute animæ suæ audeat sibi loqui. Executores sollicitantur circa divitias, medici circa corporis medicinas, uxor, filii, amici consolantur infirmum, & sic miser non permittitur de peccatis suis cogitare, nec statum & finem vitæ salubriter ordinare.

S. Laurent. Iust. de contempl. mundi c. 13.

S. Aug. ser. 48. ad fratres.

S. Ambros. in Apolog. David.

S. Bern. Sen. serm. ...

XV. *Quia Diabolus tunc maximè furit*; hinc S. Gregorius monet: Curandum nobis est, & cum magnis quotidie fletibus cogitandum, quàm rabidus, quàm terribilis sua in nobis opera requirens, in die nostri exitûs princeps mundi huius veniat, si etiam ad Deum carne morientem venit, & in illo aliquid quæsivit, in quo suum invenire nihil potuit. Quid itaque nos miseri dicturi, quid acturi sumus, qui innumera mala commisimus? Quid requirenti adversario, & multa sua in nobis invenienti dicemus, nisi solùm, quod nobis est certum refugium, & solida spes, quia unum cum illo facti sumus, in quo Princeps huius mundi & suum aliquid requisivit, & invenire minimè potuit? quoniam solus est inter mortuos liber. Rationem autem dat S. Antoninus dicens: Quia novit, se plùs temporis non habere ad tentandum, ideò plùs acuit militiam suam ad decipiendum, vel per desperationem, vel per infidelitatem, vel per taciturnitatem alicuius peccati, Et præterea teste S. Cypriano: Adversarius vetus est, & hostis antiquus, cum quo prælium gerimus; sex millia annorum jam planè complentur (ut suo jam sæculo Cyprianus computabat) ex quo hominem Diabolus impugnat, omnia genera tentandi, & artes atque insidias deiiciendi, usu ipso vetustatis edidicit. Et tandem aspectus Dæmonum est nimis terribilis, quod notatur, cùm dicit: Præoccupaverunt me laquei mortis. Dæmones vocantur laquei mortis, quia infelicem animam illaqueant, ne pœnitere possit; dicit autem: præoccupaverunt me laquei mortis, videlicet ante prolationem damnationis à Judice, & ante separationem à corpore, Dæmones nempè sunt tantæ præsumptionis, & protervie, ut non exspectent miserum peccatorem sibi tradi à Judice per sententiam definitivam, sed in eo dominium & potestatem quasi de jure acquisitam usurpant. Unde meritò S. Bernardus exclamat: Quis ille pavor erit, ô anima mea, cùm dimissis omnibus, quorum tibi est tam jucunda præsentia, tam gratus aspectus, cohabitatio ipsa

S. Greg. hom. 39. in Evang.

S. Anton. p. 4. tit. ... §. 2.

S. Cypr. ad Fortunat.

tam

tam familiaris, sola ingrediens incognitam regionem, occurrentia tibi catervatim ruere illa teterrima monstra videbis?

XVI. *Quia semel tantùm statutum est hominibus mori, post hoc autem judicium*, inquit S. Paulus Hebr. 9. 27. Postquàm uno semel momento naturæ concedere, eodémque, Deo vitæ actæ rationes dare concessum est, consultè ac prudenter factum fuerit, si crebrò nobis moriamur, si morte quotidianâ ad unam extremam nos præparemus, subductásque ad calculum rationes ita digeramus, & componamus, ut sub expirantis vitæ tempus tales dare possimus, quales optabimus. Quod enim semel tantùm faciendum, id sæpè, ac sæpiùs antè exercitandum, ut rectè fiat.

Mors consideranda.

S. Bonav. in Diet. sil. 7. c. 1.

XVII. *Quia facit perfectè vivere*, ut S. Bonaventura indicavit, dicens: Facit se ipsum despicere & propter resolutionem in terra, in sui ipsius cognitionem venire. Facit vitam præsentem perfectè regere; sicut enim gubernator navis se ponit in cauda, ut rectiùs gubernet navim; sic qui in mari huius mundi vult rectè & securè navigare, novissima sua debet recordari.

S. Laur. Iust. c. 4. de ligno vit.

XVIII. *Quia humilem facit*; ut S. Laurentius Justinianus indicavit, dicens: Considera frequenter, O homo, te jam mortuum, quem scis te de necessitate moriturum. Dispice qualiter oculi vertentur in capite, venæ rumpentur in corpore, & cor scindetur dolore. Talis exercitatio cogitationis fomitem magnum parit humilitatis.

S. Climac. gr. 6.

XIX. *Quia*, juxta S. Climacum, *mortis consideratio illos, qui sub religiosa disciplina vivunt, reddit laborum patientes, efficitque, ut ignominiis magis delectentur.*

S. Laur. Iust. ibid.

XX. *Quia peccata vitare facit*, uti innuit S. Laurentius Justinianus dicens: Perfecta vita est mortis recordatio, quam dum justi sedulâ mente pertractant, culparum laqueos valenter evadunt. Hinc S. Paschasius ait: Filiorum debet esse ista perfectio, ut sic vivant quotidiè, quasi mox morituri.

S. Paschas. l. 4. in Matt.

§. VII.
MEDIA
Ad felicem mortem obtinendam.

Cæsarius lib. 12. c. 3.

I. *Cultus sincerus & constans Passionis Christi*; quod medium singulariter efficax expertus est Conversus ille, de quo Cæsarius in hunc modum scribit; Ante hoc quadriennium, cùm Prior quidam de Ordine Regularium in quadam corte Monasterii sui hospites collegisset, & jam mensa esset præparata, ipse tanto sopore cœpit affici, ut nisi ocyùs dormiret, moreretur. Qui cùm in lecto se reclinâsset, mox quidam eius Conversus, qui alteri grangiæ præerat, dormitanti adfuit, dicens: Domine, cum licentia vestra vado. Et ille: Quò vadis? Respondit Conversus: Ad DEUM vado, quia mortuus sum in hac hora. Et Prior: cùm multi perfecti viri transeant per purgatorium, quid est, quia tu tam absolutè dicis, te statim iturum ad DEUM? Ad quod ille respondit: Habebam consuetudinem, ut quoties transirem coràm Crucifixo, hanc dicerem orationem: Domine per illam amaritudinem, quam sustinuisti propter me in cruce, maximè quando anima tua egressa est de corpore tuo, miserere animæ meæ in egressu suo. Et exaudivit Dominus Orationem meam, meique misertus est. Et dixit Prior: Quomodo fuit tibi morienti? Respondit: videbatur mihi in agonia, quòd totus mundus esset lapis unus, & premeret pectus meum.

In Magn. in spec. exempl. dist. 3. ex. 33.

II. *Cultus sanctorum vulnerum*, quod medium adhibuit Alquirinus, de quo Annales Cistercienses sic loquuntur: Fuit in Cœnobio Clarevallensi Monachus quidam, professioni suæ morum integritate concordans, Alquirinus nomine, vir Religiosus atque spiritalis, sobrius in victu, humilis in vestitu, & durus admodum castigator corporis. Ita namque circumcisus ac temperatus erat in his, quæ ad usum corporis pertinere videbantur, ut omni voluptate & vanitate depulsâ, ipsis necessariis, etiam parcissimè uteretur, licèt occasio certum limitem excedendi se ei frequenter ingereret. Erat enim peritus in arte medicinæ. Et quamvis Magnates & nobiles terræ, operam eius incessanter exspectarent, & invitum & renitentem per diversa loca distraherent, ipse tamen super egenos & pauperes intelligens, magis omnimodam eorum curationi sollicitudinem impendebat. Nec modò ipsorum ægritudines, livorésque curabat, sed & languentium putridas carnes, & sanie defluentia membra ita dignanter, ita diligenter propriis manibus contrectabat, ut Christi vulnera fovere putaretur. Et verè sic erat. Unde & ipse Dominus, famulum suum secretis consolationibus sæpiùs visitabat, & ad opus Monasterii huius mirabiliter incitabat. Quadam igitur vice vidit huiusmodi visionem in Clarevalle. Inprimis audivit quendam præcursorem cœlestem præconiâ voce clamantem, & dicentem: Ecce Jesus Christus venit, surgite, occurrite citò obviam Salvatori! Cúmque omnes certatim ad videndum Dominum properarent, tunc & ipse cucurrit, & stetit in ostio claustri, per quod venturus esse sperabatur. Itaque ingrediente Domino, accessit, & adoravit eum, flagitans, ut acciperet benedictionem, & misericordiam à DEO salutari suo. Quâ percepta, cœpit eum attentiùs intueri, & miro pietatis affectu compatiebatur ei. Siquidem apparebat ei, tanquam dolens atque infirmus, confixus clavis, & lanceâ perforatus, ac si eâdem horâ de cruce depositus esset, ita ut sanguis ubertim de plagis recentibus emanaret. Porrò ipse Dominus linteolos mundos, quasi corporalia tenens, eisdé vulneribus imprimebat, & cruore deterso, in terram proiiciebat, quos frater ille cùm summa veneratione recolligens, ac multâ devotione deosculans, quasi redemptionem animæ suæ, in sinû suo repositos conservabat. His & huiusmodi revelationibus frequenter à Domino recreatus, non cessavit usque in finem, operari bonum ad omnes, maximè autem ad peregrinos & pauperes ægrotantes. Quàm verò rigidus in pœnitentia servanda, quamque districtus castigator corporis sui fue-

rit, ex hoc satis apparebat, quòd, cùm indigentibus cunctis cum fervore charitatis operam impenderet, se solùm in huiusmodi cura excipiebat; licèt enim valetudinarius esset, & debilis corpore, nunquam tamen acquievit carnalem sibi impendere medicinam, & totum se Deo committebat, quoniam ipsi cura est de nobis. Sciebat nimirum virtutes animæ in corporis infirmitate perfici, nec posse Monachum spiritales à Domino consolationes percipere, qui circa consolatiunculas carnis suæ tenerè sollicitus, gustare & videre negligit, quàm suavis est Dominus. Cursu itaque vitæ suæ laudabiliter peracto, cùm jam tempus instaret, quo pro laboribus, & sanctæ pietatis operibus æternam mercedem acciperet, infirmitate correptus ad extrema pervenit. Cumque venerabilis Abbas ad eum gratiâ visitationis venisset, quæsivit ab eo quid ageret, vel quomodo se haberet? Ille verò respondit: Benè, charissime Pater, benè omninò mecum agitur, quia vadens vado ad Dominum meum. Quid ergò (inquit) corporalem molestiam ægrè non toleras? & mortis angustias non formidas? Ego, inquit, omnia tranquilla, omnia læta considero, quia jam præventus sum à Domino in benedictionibus dulcedinis, quæ omnem mihi mœrorem à corde, & omnem penè dolorem à corpore tulit. Respondens itaque Abbas, dixit ei: Obsecro te, dilecte mi frater, ut propter Deum dicas nobis ad ædificationem nostram, si tibi divinitus est aliquid revelatum. Tunc ait illi: modò antequam huc intrastis, apparuit mihi misero, & indigno Dominus Jesus Christus, qui propitio ac sereno vultu me intuens, ac signa beatissimæ passionis suæ ostendens, ait: Ecce peccata tua deleta sunt à facie mea, veni ergo securus, veni & vide, & deosculare vulnera mea, quæ tantùm dilexisti, & toties consovisti. Tali ergo promissione firmatus mori non timeo, quia posita est hæc spes mea in sinu meo. Et scitote, quia proximâ nocte, ante vigiliam B. Martini migraturus sum, dum opus Dei celebrabitur in Ecclesia, & tali horâ defunctus est.

S. Cyrill. in epist. ad August.

III. *Cultus cælitum*, uti de Eusebio Cyrillus scribit in hæc verba: Adveniente die, quo venerabilis Eusebius migraturum se scierat, tertio die præeunte languore febrium concussus validè, super terram nudam, Magistri sui Hieronymi non immemor, se nudum fecit deferri à fratribus, admonens fratres singulos in proposito permanere. Demum saccum, quo gloriosus induebatur Hieronymus, deferri fecit, & super se poni, ordinavitque se nudum instar gloriosi Magistri extra Ecclesiam (in qua jacebat S. Hieronymi cadaver) sepeliri. Post hæc Communione acceptâ, se Domino, & glorioso Hieronymo commendavit, & sic per triduum locutione, corporalique visione privatus, circumstantibus fratribus, Psalterium, Passiones Domini, & alia legentibus, jacuit. Die autem mortis, duabus ferè horis ante beatæ animæ exitum, cœpit venerabilis Eusebius tam horribiles actus agere, ut circumstantes Monachi velut amentes jacerent in terra. Nam quandoque transversis oculis, junctis manibus, facie terribili, diráque voce clamabat: Non faciam, non faciam, mentiris. Post hoc faciem in terram, quantùm poterat firmans, clamabat: Adjuvate me, fratres, ne peream; Monachi autem flentes, ac trementes interrogabant eum: Quid habes Pater? Quibus ille: Non videtis Dæmonum agmina, quæ me debellare cupiunt? At illi: Quid te facturum volebant, cùm diceres, non faciam, non faciam? Et ille: conantur, ait, ut blasphemus inveniar, & ideo sic clamabam: Tunc illi, quare faciem abscondebas in terra? Ne, ait, aspectum eorum viderem tam terribilem, quòd omnes pœnæ nihil sunt respectu illius. Inter hæc verba actus priores reiterans, sic ad extrema devenit. Fratres autem pavidi & stupentes stabant velut mortui, nescientes, quid facerent. Ad extremam autem horam venienti gloriosus eidem Hieronymus apparuit confortans eum; ad cujus adventum præterita Dæmonum turba illa evanuit. Et viderunt Hieronymum Monachi quidam. Alii autem has voces ab Eusebio audiebant: Unde venis Pater, quare tantùm moratus es? cui vox, audientibus fratribus dixit: Exspecta, fili, ne formides, quia te non deseram, quem tantùm diligo. Quâ voce auditâ, brevi discurso tempore, venerabilis Eusebius exspiravit. Ad cuius corpus fiebant miracula præteritæ vitæ sanctitatem insinuantia. Inter quæ quidam Monachus sui monasterii præ lacrymis, & vigiliis lumine oculorum privatus, statim ut eius corpus venerandum facie tetigit, oculorum lumen recepit. Quidam dæmoniacus etiam obvius sepeliendo corpori, liberatus est.

IV. *Obedientia perfecta*; cujus medii pulchrum experimentum reliquit Conversus ille, cuius Historiam Joannes Maior in speculo Exemplorum fusè describit, & etiam hoc in libro tit. *Obedientia* ex. 17. narratur. Hinc Frater Innocentius à sene ad sepulchrum eius accedente, & dicente: Frater Innocenti mortuus es? Respondit: Pater quomodo est possibile, operatorem obedientiæ mori?

Ibid. dist. ... ex. 17.

V. *Patientia in morbis*; cuius egregium specimen præbuit infirmus ille, de quo Joannes Maior sequentem refert historiam: Erat quidam sanctus Eremita, qui inter cæteras virtutes magnam habebat gratiam infirmis ministrare. Hic admonitus per visionem ivit ad proximam civitatem, &, dum venisset ad portam, vidit quendam horribilem infirmum & fœtidum, quem etiam leprosi inter se sustinere non valebant. Huic cùm S. Eremita servire cœpisset, eum in Domino confortans, respondit infirmus: Sit DEUS altissimus benedictus, qui mihi hanc donavit infirmitatem. Sed timeo, ne DEUS mihi minuat præmium in cœlis propter tuum humile servitium. Et ille: Non est ita, sed pro mea mercede jussus sum huc venire. Sic sancta lis quotidiè inter illos oriebatur, & quantò plus eremita serviebat, tantò plùs servire affectabat, & infirmus eum servire non sinebat, ut plùs sustinendo plùs præmiaretur. Tunc post annos quindecim expletos infirmus deosculari cœpit manus Eremitæ, gratias eidem referens de pietate

Ibid. dist. patientia ex. ...

tate sibi impertita. Eremita autem rogabat Dominum, ut ostendere dignaretur, qualiter hæc anima sancta de corpore egrederetur; & ostensum est. Cùm enim ad horam novissimam devenisset, audivit vocem dicentem: Veni dilecte mi. Tunc illa felicissima anima ad omnes sensus corporis dicebat: Vobis regratior, quia mihi obedistis. Oculi vanitatem non concupivistis, aures vanitatem non audistis, manus in deliciis delectatæ non fuistis, pedes ad vana non cucurristis, olfactus delicias contempsisti, gustus aliquid delicatè non edisti. Tu igitur, ô corpus meum, in pace quiesce, ut tempore opportuno recipias pro labore æternam remunerationem. Et hoc dicto cum concentu Angelorum sancta anima evolavit ad cœlum.

S. Laur. Iust. de ligno vit. c. 4.

VI. *Quemlibet diem ultimum reputare*; uti S. Laurentius Justinianus suasit dicens: Tantò quisque fit ferventior in operatione, quantò incertior est in vocatione. Propterea omnis dies velut ultimus ordinandus est, quia qualem invenerit unumquemque suus novissimus dies, cùm de hoc sæculo egreditur, talis in die novissimo judicatur. Et paulò post subdit: Venientem nemo hilaris mortem suscipit, nisi qui se ad illam composuerit. Hinc & Seneca, admonet dicens: Incertum est, quo loco mors te exspectat; egregia res est, mortem paratum præstolari. Qui mori constanter didicerit, supra omnem potentiam, & extra omnem virtutem est.

Seneca Epist. 26.

§. VIII.

ASCETICA.

Petr. Bles. ep. 56.

I. *Imprimis nôsse debet Asceta, legem mortis omnibus rebus communem, atque adeò indispensabilem esse*, ut pulchrè Petrus Blessensis sequentibus verbis ostendit: A præsentis mundi exordio Rerum Creator omnium, licèt rebus ipsis naturas indidit varias, in hac tamen conditione concludi voluit universas, ut & mobilitati & corruptioni subsisterent, & tandem defectui subjacerent, sicque reducerentur cuncta in nihilum, quæ de nihilo primordialiter processerunt. Hinc est, quòd amœnæ diei luci noctis succedat tenebrositas, prosperitati annexa est tribulatio, stabilitatem variat mutabilitas, illudit felicitatem adversitas, gaudium doloris aculeus vulnerat, & mors demum de præsenti reportat vitâ triumphum. Hæc quippe est regula, quæ nullam admittit exceptionem; hæc est summi Conditoris voluntas immobilis, hæc est, quæ nec summas dignitates, nec immensos potentatus excipit, sed sceptra ligonibus æquans, omnibus æqua, omnes in hoc efficit coæquales. Ferenda est igitur æquanimiter lex communis, & illius dispositioni parendum humiliter, cuius consiliarius nemo fuit.

Revel. 8. Birg. l. 5. revel. 2.

II. *Nôsse debet, cur Deus mortem incertam esse voluerit*; nimirum quia, ut ipse Christus S. Birgittæ dixit: si homo sciret tempus mortis suæ, serviret mihi ex timore, & præ dolore deficeret. Ideò ut ex charitate homo serviat mihi, & ut semper de se ipso sit sollicitus, & de me securus, ideo incerta est hora exitus omnium; Et meritò, quando enim homo deservit, quod erat certum & verum, necesse fuit & dignum, ut ab incerto affligeretur. S. Athanasius ait: Est & alia ratio, cur inutile sit, finem, aut finis diem præsciri; ne, si is maturè prænoscatur, tempora intermedia neglectim habeantur, & cùm perendinationibus utantur usque ad dies fini conterminos. Et paulò pòst subiungit: Ideo finem cuiusque, qui per mortem obvenit, silentio texit, ne occasione istius scientiæ inflati pro maiori parte temporis sese negligentes habeant. S. Antoninus quoque ait: Propterea incertam nobis voluit esse horam mortis, quia, ut dicit Cyprianus, qualem te invenit Dominus, cùm vocat, talem pariter te iudicat; de pœn. dist. 1. cap. Nunquid. Stultum autem est, vivere in illo statu, in quo quis non vellet mori, & cùm de momento in momentum hoc possit accidere, ratio debet urgere, ad purè vivendum, propter huiusmodi incertitudinem.

S. Athanas. orat. 4. contra Arian.

S. Antonin. p. 1. tit. 5. c. 1. §. 9.

Ibidem.

III. *Nôsse debet, quomodo se ritè ad mortem præparare quisque debeat*; id est S. Antonius clarè sequentibus verbis docet: Exspectatur debitè mors, si pia præparatio fiat secundùm Domini hortamen dicentis Lucæ 2. *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ &c.* Ubi tria possunt notari. Primum est, à vitiosis delectationibus abstractio, ibi: Sint lumbi vestri præcincti; in lumbis enim est motus delectationis venereæ, cinctura autem est quædam restrictio lumborum, significans mortificationem delectationis. Secundum est, in operibus fervens dilectio? *Lucernæ ardentes in manibus vestris.* Lucerna significat mentem sive conscientiam: Ignis ardens, fervens est charitas, juxta illud Lucæ 12. *Ignem veni mittere in terram*, Manus sunt opera. Tertium est viva vigilatio; *Et vos similes hominibus exspectantibus Dominum suum &c.* Vigilant enim tales, non solùm in prima vigilia, sed & in secunda & tertia, & quousque veniat Dominus; Est enim prima vigilia ætas juventutis; secunda virilitatis; tertia senectutis; In quilibet vigilare, cohærendo bonis operibus.

Mansi disc. 1. n. 7.

IV. *Nôsse debet, ob quam præcipuè causam mors formidanda existat*, quæ quidem iuxta Josephum Mansi alia esse non potest, quàm peccatum, quod nos ad æternam contemnat mortem; Ast qui semper continuèque mortem meditabatur, quasi impossibile est, ut mortalis culpæ maculetur nævo, dicente Sanct. Ephrem: Qui semper mortis recordatur, raro aut nunquam peccabit. Hinc & interrogatus aliquando Musonius, quis bono vitam suam esset terminaturus exitu? in hæc memorabilia respondit verba: Qui postremum vitæ diem sibi instare præposuerit.

S. Ephrem de comp. cordis.

S. Chrysost. apud Mansi disc. 1. n. 8.

V. *Nôsse debet praxin, & causam, quotidiè sibi ipsi moriendi*; & causam quidem assignavit S. Chrysostomus dicens: Quandoquidem

dem enim fieri minimè poterat, ut, qui homines essent, ii infinitas mortes tolerarent, ostendit, ne hac quidem ratione præmia esse imminuta; nam ut naturâ sortiti id simus, semel tantùm ut moriamur; tamen voluntate id quotidiè perpeti, si id in animum induxerimus, dedit DEUS. Unde liquet, fore, ut cum tot hinc coronis discedamus, quot dies hîc vixerimus, imò verò multò pluribus: licèt enim die uno, & semel, & bis, & sæpè mori. Hoc & Propheta significans dixit Psalm. 43. *Tota die propter te mortificamur, æstimati sumus sicut oves occisionis.* Praxin verò ostendit Mansi his verbis: Ut autem ad mortem frequentiùs considerandam, inducamur, meditari non abs re fuerit, quot, quantique stimuli nos ad hanc praxin impellant per omnes vitæ nostræ actiones; & inprimis quidem, dum mensæ ad vitam sustentandam & prolongandam accumbimus, ut notat Seneca, alienâ vivimus morte, scilicèt piscium, avium, aut aliorum animalium, quæ in nostris sepelimus ventribus. Dum ad plumas ingredimur dormituri, somnum mortis imaginem esse, maximámque hominum partem in lecto à mortis falce recisam fuisse, considerare possumus. Solis occasus, Occidentem ultimi termini nostri repræsentat. Ecclesiam adeuntes & intrantes, cœmeteria pertransimus, aut ad sepulchra offendimus, & ità de aliis totius nostræ per diem vitæ actionibus resolvendum, ut semper in iis foveatur memoria mortis. Ad quam, ut S. Carolus Borromæus inquit, respicit, institutúsque est ritus aspersionis cinerum super fidelium capita; nec non cœmeteria sepulturæ monumenta (prout ipsum hoc significat nomen) aliæque docent defunctorum memoriæ. Ideòque Nazianzenus nos admonet dicens: mortem velut præsentem semper tibi ob oculos pone. Ita enim fiet, ut cùm ipsi occurrendum erit; superior existas. Perpetuum tibi sit hoc studium, ut mentem tuam templum DEO exstruas. Hinc enim assequêris, ut eum pro spirituali statua in ultimo corde habeas.

Ibid. v. 9.

VI. *Nôsse debet, cur memoria mortis apud plerosque homines tam sit inefficax*; nimirum quia, ut Idiota rectè notavit; etsi memoriam illius quandoque habeam in mente, & me moriturum veraciter credam, quia tamen eam tanquam fatuus, imò tanquam demens, quasi procul sit, considero, vitam meam miseram emendare negligo, & conversionem meam differo, ac in voluptatibus & delectationibus corporalibus, peccatisque variis ac diversis tempus meum miserabiliter expendo ac consumo.

Idiot. l. de contempl. morte c. 1.

VII. *Nôsse debet, cur mors somnus dicatur*; nimirùm quia iuxta S. Carolum Borromæum mors & somnus in tribus assimilantur; eò quòd sicut dormientes dormiunt cum spe resurgendi; Ita & fidelis moritur cum spe resurrectionis; unde dicebat Psalmista: *Nunquid qui dormit, non adjiciet, ut resurgat?* Iterum, sicut dormientis vigilat anima, dicente illâ fideli animâ: *Ego dormio, & cor meum vigilat*; ita & morientis viva permanet anima. Post somnum homo resurgit vegetior & robustior; ita et post mortem tandem resurgent Sancti cum corporibus gloriosis & impassibilibus, aliasque gloriosas illis habentibus dotes, de quibus Apostolus in hæc verba ad Corinth. scribit: *Seminatur in corruptione; seminatur ignobiliter, surget in gloria; seminatur in infirmitate, surget in virtute; seminatur corpus animale, surget corpus spirituale.*

S. Carol. Borrom. in orat. fun. Reg. Hispan.

VIII. *Nôsse debet solidum modum consolandi eos, qui ob mortem propinquorum tristantur*; quem in finem conducent sequentes SS. Patrum sententiæ. Inprimis S. Hieronymus sic loquitur: Destitutos se à morientibus conqueruntur; & vivos filios, aut propter honores, aut propter negotia, peregrinis regionibus credunt, & gaudent totâ vitâ sine affectibus commorari, dummodò capiant, quod cupiunt de suis pignoribus adipisci; & ut ad palatia pergant, peregrinantur; ad studia dignitatis navigant acquirenda; vel ad causas patrimonii aliquas explicandas, cum labore & periculo proficiscentes, omnes impellunt, nec secum vacare, quos diligunt, patiuntur; Et ut ad palatia cœli, ad studia Christi, ad honorem vitæ perpetuæ, & patrimonium possessionis æternæ cum securitate valeant pervenire, nemo filios suos à se libenter gratuletur abscedere. Deinde S. Cyprianus, Quantùm prosit, inquit, exire de sæculo, Christus ipse salutis atque utilitatis nostræ Magister ostendit, qui, dum discipuli ejus contristarentur, quòd se iam diceret recessurum, locutus est ad eos dicens: *Si me dilexisset; gauderetis, quoniam vado ad Patrem*; docens videlicet & ostendens, cùm chari, quos diligimus, de sæculo exeunt, gaudendum potiùs, quàm dolendum. Tertullianus, Cur enim doleas, ait, si periisse non credas? cur impatienter feras subductum interim, quem credis reversurum? Profectio est, quam putas mortem. Et iterum: Cur immoderatè feras abesse, quem mox subsequêris? Cæterùm impatientia in hujusmodi, & spei nostræ malè ominatur, & fidem prævaricatur, & Christum lædimus, cùm evocatos quosque ab illo, quasi miserandos non æquanimiter accipiamus. *Cupio*, inquit Apostolus, *recipi jam, & esse cum Christo* Phil. 1. v. 23. Quantò melius ostendit votum Christianorum! Ergo votum, si alios consecutos impatienter dolemus, ipsi consequi nolumus.

S. Hieron. in epist. ad Thyras.

S. Cyprian. de mortal.

Tertul. l. de patient. c. 8.

§. IX.

MISCELLANEA.

I. CUm Alexander navigaret per quendam fluvium Paradisi, ut veniret ad hortum ejus, quidam senex de rupe apparens, ei suasit regressum, & dedit lapidem pretiosum pulcherrimum, dicens ei, quòd in ejus pondere agnosceret valorem suum. Lapis ergo ille positus in staterâ nudus, omnia ponderabat quæcunque in alia lance ponebantur; coopertus

Bellov. p. 1. l. 2. dist. 4.

tus autem pulvere, nihil ponderabat, sed ei præponderabat festuca una. Quale autem sapiens hic senecio Alexandro, ad totius universi dominium anhelanti, per hoc tradere voluerit documentum, facilè conjici potest, declarátque Bellovacensis dicens: In hoc dabatur ei, quòd vivus omnibus aliis præponderabat, mortuus autem, & opertus sepulchro, nihil. Quo ad usque mundi huius Reges & Monarchæ vivunt, Provincias & Regna, imò universum mundum per armorum suorum potentiam contremiscere & suspirare faciunt, qui tamen, mox ut mortis necessitati succumbunt, ventorum fiunt ludibrium & iocus.

Mansi disc. 6. n. 9. II. Propheta Regius ait: *Exibit spiritus ejus, & revertentur in terram suam*; ubi mox subiungitur: *In illa die peribunt omnes cogitationes eorum.* In quibus porrò verbis singulariter observanda sunt illa: *In terram suam.* Nunquid enim Regio Psalte sufficiebat dicere: Princeps haud secùs ac alios in terram ac pulverem redigendos esse, absque eo, quòd diceret, illos convertendos esse in terram suam? Modus hic loquendi Regii vatis suo non caret mysterio, quia Principes & Magnates multas quidem possident terras suas, multis imperant Provinciis, at verò in hora mortis easdem deserentes in sinum terræ suæ reconduntur. Philippus Imperator in hyppodromo ab equo delapsus, & resurgens, locum, quo in arena iacuerat, cernens dixit: Ecce quàm exigua arena nos capiat, qui totius orbis dominium stultè affectamus. Porrò terra propria Principum est proprii corporis cinis & pulvis, in quem, sicut & omnes alii, in hora mortis convertuntur, & ideo revertuntur in terram suam; At verò quid sequitur? In illa die peribunt omnes cogitationes eorum, in illa ipsa die, quâ animam exhalant, demoliuntur omnes, quas in capite formârant, machinæ, evanescunt omnia consilia, quæ tumidi & elati de subiuganda sibi terra in corde suo conceperant. Henricus IV. Rex Franciæ validissimum armaverat exercitum, per quem suspensum tenebat universum Mundum Christianum, consiliorum suorum nescium; At verò mox ut ex improviso occisus fuit, dissipatus est universus ille exercitus, prostratæ sunt omnium consiliorum suorum machinæ, quia in illo die peribunt omnes cogitationes eorum.

S. Hieron. l. 2. ep. 2. III. Refert S. Hieronymus, quòd Xerxes Rex potentissimus qui montes æquavit, & exsiccavit maria, dum die quodam ex eminenti loco innumerabilem exercitus sui in acie collocati vidisse multitudinem, amarè fleverit, considerando, quòd intra centum annorum spatium nullus eorum inter vivos superstes esset. O si possemus in talem ascendere speculam, inquit Hieronymus, de qua universam terram sub nostris pedibus cerneremus, iam tibi ostenderem totius Orbis ruinas, gentes gentibus, & regna regnis collisa, alios torqueri, alios necari, alios absorberi fluctibus, alios in servitutem trahi, illos nasci, illos mori, & non Xerxis tantùm exercitum, sed totius mundi homines, qui nunc vivunt, in brevi spatio defuturos.

IV. Quærunt nonnulli, cur in manibus mortis potiùs videamus depictam falcem, quàm ensem, vel sagittam, sivè fulmen, aut aliud simile stragis faciendæ instrumentum? Certè non est hoc hominis inventum, sed in simili forma visa est mors à S. Joanne Apocalypsi c. 14. ubi falcis frequens fit mentio. Observandum proinde est, proprium falcis esse, quòd in agro vel parto ex æquo secet herbas, & spicas, tam altas, quàm humiles, omnes pariter prosternendo; ita quoque mors in hora prædestinata adveniens, nullum habet moribundorum respectum, sivè sint Principes, sivè sint subditi, sani vel infirmi, robusti vel debiles, armati vel nudi, sed omnes ex æquo rescindit. Mansi disc. 12. n. 6.

V. Neminem latet illud receptissimum assertum: *Amyclas silentium perdidit.* Erat autem hæc civitas inter Caietam & Tarracinam iuxta mare situata: quæ falso piratarum sæpè sæpiùs excita rumore ad arma concurrerat; Unde cùm cives quietam nunquam possent transigere noctem, remedium adhibituri disordini, legem promulgârunt, ne quis sub pœna vitæ ad arma provocare, aut conclamare multitudinem auderet tempore nocturno. Ex improviso igitur quadam nocte inimicus de mari in terram conscendens, manu salva, omnibus dormientibus urbem invasit, flammis combussit, spoliis exhausit, ideóque in proverbium abiit: Amyclas silentium perdidit. Ita quoque quamplurimi mortales quandoque patiuntur infirmitates, aut in diversa incidunt pericula, in quibus per prævias Confessiones generales, conscientiæque munditiem ad mortem excipiendam præparati essent; sed ubi vix discrimen evasêre, mortis immemores, laxam aggrediuntur vitam, quos tamen ex improviso repentina mors irruens opprimit. Idem disc. 14. n. 9.

VI. Orator quidam nostri temporis celebris de navigantibus differens observat, eosdem non magis à morte distare, quàm distet subtile lignum ab undis, hoc enim si non intercederet, mori cogerentur; Eodem modo si quis me interroget, quantùm ab unoquoq; mors distet homine, verè respondere potero, quod unico tantùm flatu & respiratione à morte separetur, quia quàm primum homo respirare desinit, pariter vivere desinit. Idem disc. 15. n. 4.

VII. Seneca moralis Philosophus inquit: Tam debet esse mors ante oculos iuveni, quàm seni. Non enim citamur ex censu, sed ex deposito. Quænam verò est inter censum & depositum differentia? nimirum fructus ex censu provenientes non recipiuntur, nisi post annum evolutum; At verò depositum ad quamvis Domini postulationem restituere tenemur, & ideo illud semper in promptu esse debet. Meritò igitur Philosophus ait: citamur ex deposito, quia mors super vitam jus & potestatem habet, similem illi, quam habet depositarius super rem depositam; unde superveniente morte non valet dicere, ego sum juvenis, nondum sum maturus ad mortem: Seneca apud Mansi disc. 17. n. 10.

quia mors idem jus habet in juvenes, quod in senes, cùm tam iuvenis, quàm senis vita unicæ duntaxat respirationi & halitui adhærescat.

S. Anton. p. 1 tit. 5. c. 2. §. 1. VIII. Diabolus gravissimè hominem aggreditur in fine sciens plùs temporis non sibi remanere. In huius figuram dixit Dominus antiquo serpenti Gen. 3. *Tu insidiaberis calcaneo ejus*, scilicet creaturæ rationali, cuius calcaneus corporalis est extremitas corporis, finem vitæ designans; & sicut serpens in cauda dicitur habere venenum, ita in fine hominis tentationes omnis malitiæ suggerit. De hoc Psalm. 16. *Inimici animam meam circumdedederunt &c.*. Inimici nostri maximi sunt Dæmones, & hi animam vallo circumdant, cùm peccata antè mentem ponunt, & diversa tentamenta suggerunt hinc indè. *Adipem suum concluserunt*, quia abundantiam malitiam suam in animam includere quærunt. *Os eorum locutum est superbiam*, dum videlicet vel de infidelitate, vel de desperatione, vel de taciturnitate Confessionis morientem tentant.

Vita c. 21. IX. In vita S. Anselmi legitur, leporem quendam à canibus insectatum, per fugam sub equo, cui S. Episcopus insidebat, suum sibi quæsivisse refugium. cumque ex instinctu reverentiæ erga Episcopum, dictum leporem aggredi, vel attingere non auderent, aëra nihilominùs latratibus suis implebant, quod circumstantes, hócque spectaculum videntes sine risu dissimulare non poterant; Unde S. Episcopus occasionem sumpsit saluberrimam illis suggerendi sequentem doctrinam; Ita enim illos alloquebatur: Ridetis? At verò infelici huic lepusculo nullus risus, nulla lætitia est. Hostes eius circa ipsum sunt, & ipse de vita sollicitus confugit ad nos, præsidium flagitans. Hoc planè est & animæ; nam cùm de corpore erit, mox inimici sui scilicet maligni spiritus, qui eam in corpore degentem per anfractus vitiorum multis modis persecuti sunt crudeliter, adsunt parati eam rapere, & in mortem æternam præcipitare; At ipsa nimis anxia huc illúcque circumspicit, & qua se tueatur, defensionis & auxilii manum sibi porrigi ineffabili desiderio concupiscit; Dæmones autem è contrario rident, & magno gaudio gaudent, si illam nullo fultam adminiculo inveniant.

S. Greg. hom. 21. in Evang. X. Consideravit S. Gregorius verba illa ab Angelo devotis Mariis dicta: Nolite expavescere: ac si apertè dicat: Paveant illi, qui non amant adventum supernorum civium; pertimescant, qui carnalibus desideriis pressi, ad eorum se societatem pertingere posse desperant. Vos autem cur pertimescitis, quæ vestros concives videtis? Unde & Matthæus Angelum apparuisse describens, ait: Erat autem aspectus eius sicut vulgur, & vestimenta eius sicut nix! in fulgure enim terror timoris est, in nive autem blandimentum candoris. Quia verò omnipotens DEUS, & terribilis peccatoribus, & blandus est iustis, rectè testis resurrectionis eius Angelus, & in fulgure vultûs, & in candore habitûs demonstratur, ut de ipsa sua specie, & terreret reprobos, & mulceret pios.

XI. Postquam Samson leonem dilaniavit, post aliquantum temporis ad locum, ubi cadaver iacebat, reversus favum mellis in eius faucibus deprehendit, de quo illud proposuit Problema: *De comedente exivit cibus, & de forti egressa est dulcedo.* Porrò mors est leo ille verox & horribilis, de qua proinde in Offertorio defunctorum dicitur: *Salva me ex ore leonis*, & in Psalm. 7. *Ne quando rapiat, ut leo animam meam*, huncque leonem natura summoperè abhorret, quia in medio vitæ nostræ cursu leo iste hominem frequenter aggreditur, & prosternit. Quisnam verò ita fortis erit, qui de hoc leone victoriam reportare, in eiusque faucibus mellis suavitatem invenire, eique libenter occurrere possit? Is nimirum, qui velut alter Samson, spiritum DEI secum habebit, id est, qui vitam aget innocentiæ Christianæ conformem, totúmque spiritualis vitæ perfectioni se tradet, is enim mortem nequaquam expavescet. Mansi disc. 31. n. 5.

XII. Ingeniosa est S. Ambrosii super illa à Christo dicta verb ponderatio: Sunt aliqui de hîc stantibus, qui non gustabunt mortem. Ita enim scribit: Non satis est stare, nisi, ubi Christus est; stetur. Soli enim non potuerunt gustare mortem, qui possunt stare cum Christo. Hi enim, qui, quamdiu in terris vixerunt, cum inimico infernali fœdus pepierunt, timent, & meritò, ne in eius societate post hanc vitam æternaliter crucientur, ac proinde, quando ab hac vita separandi sunt, toto corde contremiscunt, S. Ambr. l. 7. c. 9. in Luc.

XIII. Meritò aliqui faciunt reflexionem super diversum exitum, quem sortiti sunt Magister Pistorum, & Pincerna Pharaonis; Ambo Regis sibi indignationem contraxerunt, in eundem carcerem, in quo Joseph vinctus detinebatur, coniecti erant, eiusdem erant aulæ collegæ aulici, eiusdem Regis subditi & servi, rei ambo erant, qui Regem suis contra se exasperaverunt excessibus, ac proinde videri poterat, eos parem sortituros esse exitum, sive propitium, sive funestum; Et tamen illorum in gratiam Regiam restitutus, alter verò ad patibulum suspensus fuit. Quis mihi diversitatis huius edisserat causam? omnia in figura contingebant illis; Nimirum ambo Regi Ægypti mundum præfiguranti inserviebant, cum hac tamen differentia, quòd Pincerna, qui è carcere ad gratiam pristinam readmissus fuit, denotaverit illum qui in hujus vitæ Ægypto vivit; sed absque ulla ad hunc mundum affectione vel adhærescentia; Regi potum propinabat, ita tamen ut eius manus nequaquam tangeret, ideóque symbolum erat illorum, qui mundo quidem utuntur, sed absque ullo erga mundum hunc affectu, juxta illud Apostoli: *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus.* Magister verò pistorum sive coquorum, illum repræsentabat, qui rebus mundi huius toto affectu immergitur, qui enim farinam & panes aliis præparat: manus semper farinâ & siliquis inqui- Mansi disc. 36. n. 3.

inquinatas habet; Hi igitur sunt, quos illa manet terribilis sententia, ut scilicet in patibulo inferni perpetuò suspendantur, quia manus nunquam puras habent.

Ibidem. XIV. Interrogatus aliquando quidam non minùs dives, quàm potens, quidnam sibi de vita pœnitente & austerâ quorundam Religiosorum, & de vita deliciosâ & commodâ quorundam secundùm sensualitatem, & præsentis sæculi usum viventium, videretur? Respondit: cum illis verò mori optarem. At verò magìs Christianè responsurus fuisset, ut Drexelius inquit, cum iisdem opto vivere, quibuscum mori gratum esset, siquidem timenti DEUM benè erit in extremis &c. S. Bernardus primus S. Francisci socius in hora mortis suæ dixisse fertur: Nunc sentio, quid sit in DEI timore vixisse, nunc enim pro toto mundo, nollem me aliam vitam instituisse.

S. Gregor. Naz. orat. 10. XV. S. Gregor. Nazianzenus caducam vitam nostram descripsit; cùm orat. 10. sic ait: Ejusmodi vita nostra est, fratres, qui vitam fluxam ducimus, ejusmodi in terrâ ludus, ut cùm non simus, nascamur; cùm nati sumus, rursum dissolvimur. Insomnium sumus minimè consistens, spectrum quoddam, quod teneri non potest, avis prætereuntis volatus, navis in mari vestigium non habens, pulvis, vapor, ros matutinus, flos suo tempore nascens, & suo tempore marcescens. Hæc ille. Seculorum, & temporum ludibrium est vita nostra. Propudiosam ex re obscœnissima trahimus originem, & vix ex illa fœditate emersimus, quando in eandem magno impetu redimus. Somnium sumus hominis miseri, quem sua noctu imaginatio ludificat, ut se regem sublimem in magnifico throno secundùm quietem videat, qui, cùm sub dio, atque in trivio noctem exegit, fractus ex duro solo, rigidus ex frigore, nudus ex egestate, famelicus ex longa esurie evigilat. Umbra sumus, quam si tentare manu velis, non potes. Nos aves, nos naves sumus, quarum illæ pennarum remigio ventos, hæ carbasorum alis pelagus sulcant, sed sola vestigia quædam earum, quæ in transitu relinquunt, sed talia ut nullius sint tam radiantes oculorum obtutus, ut ea legere possint. Pulvis sumus, qui graviorem sibi ruinam parat, quò sublimiùs se à ventorum spiritu ferri permittit. Ros sumus, qui vix solem conspicatur, quando vel pro reverentia cedit de loco, vel præ timore, & admiratione tam splendidæ Majestatis consumitur. Flos sumus, quem sol unus videt apricum, odoratum, mortuum. Cùm ergo tam multa simus & nos, & vita nostra, dico, quòd ea propter nihil sumus.

S. Gregor. Nyssenus apud Didac. Nyssen. §. 4. Dom. 3. post Pascha. XVI. In primulo sacrarum litterarum vestibulo, atque in ipsis primi & secundi libri titulis magnum mysterium S. Gregorius Nyssenus non absque singulari acumine notavit. Primus Scripturæ liber dicitur Genesis, & latinè Generatio, sive principium. Secundus liber Exodus, quod Latinis exitus, finis, terminus dicitur. Solenne est Hebræis nomina libris ab eorum primordiis indere, & quoniam primo libro ortum Mundi Moyses exequitur, propterea Geneseos, sive generationis nomine donatus fuit. Secundo autem libro texit historiam excessûs filiorum Israël à servitute Ægyptiacâ, & finem tam duri, atque intolerabilis mancipatûs, indè exitum appellandum putaverunt. At nunc quærit sacer Nyssæ Episcopus; quid causæ, quòd librum Geneseos sivè generationis, & principii statim ille è vestigio sequitur, qui ab exitu, & à fine nomen accepit, sic ut inter utrumque non alius intercedat medius. Factum id haud dubiè, ut vitæ nostræ brevitas indicaretur, & quàm angustis circumscribimur cancellis, ut, quorum principium inter, & finem, nihil videatur reperiri medium. Hæc tacitè Philosophatur in primis librorum suorum inscriptionibus DEI amicus Moyses, inquit ille hom. 6. in Eccles. qui statim cum Genesi, quod est generatio, simul quoque scripsit Exodum, id est, excessum, ut, qui ea legerent, quæ scripta sunt, etiam per ipsum ordinem librorum ea discerent, quæ ad se ipsos pertinent. Neque enim fieri potest, ut, qui Genesin, generationem, inquam, audierit, non Exodum, id est, excessum protinùs cogitet. Juxta hæc quis tàm vanus sit, ut vitæ tam vanæ fidat? Et quis secum reputabit, quòd vitæ exordio tam vicinus est finis, ut nulli ejus initium occurrat, quin terminum simul obvium habeat, qui non fructuosè eam locare curet, & ad horam mortis studiosè diligentèrque se præparet, quæ tam citò advenit, tamque inopinatò nos hinc abripit?

XVII. Diligentiâ & industriâ mali Dæmonis factum multi arbitrantur, quòd sepulchra extra civitates olim fuerunt constituta, ut ne homines ob oculos haberent memoriam mortis, sed procùl abesset, quicquid illam refricare posset; quòd stygius ille veterator probè sciret, quàm sit hoc validum ad continendos in Officio homines, emolliendósque peccatores remedium. *Idem Didac. §. 1. in Dom. 13. post Pent.* Confirmatur id ex eo, quòd alterius vitæ homines, qui ad nos redeunt, tanquam à vita nostra sibi timeant, fragilitatis suæ monumentum, quo tueantur, secum ferant, neque veniant, nisi benè tecti funebri linteo, quo involuti fuerunt, quando mortui. Revixit Samuel, visusque est pythonissæ, quæ, cùm à Saule interrogaretur, qualis formæ vir esset, qui visus, respondit: *vir senex ascendit, & ipse amictus est pallio.* 1. Reg. 28. 14. Quæsitum à multis, quale hoc pallium fuerit Samuelis. Rabbi Salomon respondet: Fuit pallium, cum quo sepultus est. Sed quorsum funebri illo amictu indutus advenit, qui paulò pòst ab hac vita iterum abiturus erat? Tam vilia, aut non ornatiora, præclarioráque sunt alterius vitæ vestimenta? Habet illud ævum vestes tum elegantiores, tum pretiosiores, sed venit cum ferali suo amiculo Samuel, ut ejus, quam jam oppetierat, mortis insigne aliquod secum ferret, continuóque ob oculos haberet, quasi nemo in hac vita vel momento securus degere possit, nisi in consideratione fragilitatis propriæ positus. Propterea etiam Samuel, tanquam præsidio tali opus habuisset, pallio suo capulari se texit, & velut obarmavit. Atque ille quidem istud in litore,

tore, & portu, quid ergo nos inter tempestatum procellas in medio mari, & præsentaneis periculis agamus?

Utilitas memoria mortis.

Ibidem. XVIII. Solent apes, cùm tota semel agmine ab alveari eruperunt, dissipari, & ægrè sub tecta priora reverti. Sed quo remedio fieri possit, ut iterum coëant, & in priores cellulas se recipiant? Plinius l. 36. c. ult. hac arte revocari posse docet: Pulvere è vestigio anguium collecto, sparsæ apes in alvearia revertuntur. Quàm facilè ad peccandum erumpunt homines? quàm leviter ab æquo & bono recedunt? ut verò in semitam redeant, quid agas? Sume pulverem, sume cinerem, sume pauxillum terræ, in quam primævi anguis dolo rediimus, atque eâ frontem memoriámque homini perfrica; ita facies, ut ad meliorem frugem se recipiat, & intra legum cancellos se studiosè contineat, & morum emendationi sollicitè invigilet: Pulvere è vestigio anguium collecto, sparsæ apes in Alvearia revertuntur. Diabolus certè in unam nostram perniciem maximè semper intentus, cùm sciat, quæ nobis ex mortis recordatione emolumenta proveniant, ut illius quàm minimè meminerimus, magnis modis laborat.

Ibidem. XIX. Ingrediebatur S. David quondam castra Saulis, comites habens Abisai, & nonnullos fortissimorum robustissimos alios, invenítque tum regem, tum exercitum illius omnem alto somno sopitum. Vidit Abisai promptam, securámque trucidandi hostis opportunitatem, simúlque suasit Davidi, ut ne tam præclaram occasionem elabi sineret, vitámque adimeret homini, per quem vix sibi vivere liceret. Respondit pius Rex; *Vivit Dominus, quia nisi Dominus percusserit eum, aut dies eius venerit, ut moriatur, aut in prælium descendens perierit, propitius sit mihi Dominus, ne extendam manum meam in Christum Domini.* 1. Reg. 26. 10. 11. Quid hîc refrænavit Davidem, ut nullis suasibus in cædem infensissimi hostis adduci posset? Respondet S. Joannes Chrysostomus Hom. de David & Saul. Conspiciebat Saulem dormientem, ac de morte communi omnibus philosophabatur; somnium enim nihil aliud, quàm mors temporaria, & unius diei interitus. Hoc ergo Davidem ab inferenda nece abstinuit, quòd vivam in dormiente Saule imaginem mortis videns, sibi etiam paratam, nec diu post fortè si non ab alio, à DEO saltem inferendam cogitavit. At si mors picta tantùm valuit, mors ipsa quid non poterit?

Idem Apol. 1. de David c. 7. XX. Celebris illa Davidis neminem latet actio, quando Philisthæis urbem Bethlemiticam obsidentibus, aquam cisternæ Bethlemiticæ sitire cœpit; quo intellecto desiderio, tres milites cum manifesto vitæ periculo inimicas penetrando phalanges, aquam attulêre, Regique præsentârunt, at ille noluit bibere, sed libavit eam Domino, dicens: *Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hoc, num sanguinem hominum istorum, qui profecti sunt, & animarum periculum bibam?* Ubi S. Ambrosius, cur David aquam illam bibere recusârit, hanc assignat causam: Eò quòd suavitatem bibendi habere non posset, quæ propositæ mortis horrore constaret.

XXI. Antiqui Idololatræ cadavera in cineres ac pulverem reducere solebant per ignem; forsitan ex astuti serpentis consilio, ut ita simul cum cadaverum dispersione, simul mortis progenitorum evanesceret memoria; Sciebat namque, quantum sibi bellum cieret memoria mortis. Mans. dis. 5. n. 6.

XXII. S. Antonius sequentem ex S. Joanne Damasceno affert discursum: Quidam dum à facie unicornis, ne ab eo devoraretur, velociùs fugeret, in quoddam barathrum magnum cecidit; cùm autem caderet, manibus arbusculam apprehendit, & in basi quadam lubrica & instabili pedes fixit; respiciens verò vidit duos mures unum album, & alterum nigrum incessanter radicem arbusculæ, quam apprehenderat, rodentes, & jam propè erant, ut ipsum abscinderent, in fundo autem barathri vidit Draconem terribilem spirantem ignem, & aperto ore ipsum devorare cupientem; super basim verò, ubi se sustentantem tenebat, vidit quatuor aspidum capita inde prodeuntium; Elevans autem oculos vidit exiguum mellis de ramis illius arbusculæ exire, oblitúsque periculi, in quo undique positus erat, se ipsum dulcedini illius modici mellis totum dedit. Quis igitur hominem istum non iudicaret insanum, qui ita attendit ad illud modicum delectationis habendum, quòd tam multiplicis periculi obliviscitur, tanquam cæcus esset, ac ipsum non videret; ideò orabat Psalmista: *Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte*, id est, in confideratione mortis, *ne quando dicat inimicus meus*, scilicet Diabolus, *prævalui adversus eum*, scilicet per peccatum. Unicornis mortis tenet figuram, quòd homines semper persequitur, & apprehendere cupit. Unde dicitur Job. 34. *Nunquid volet Rhinoceros servire tibi?* Rhinoceros est unicornis, & iste non vult alicui servire, quia Mors nemini vult subiici, aut parcere, ita ut elephantem etiam cornu in ventrem figens interimat, quia scilicèt mors quemcunque, virtute, vel scientiâ, aut potestate magnum interimit. Barathrum, Mundus est omnibus malis plenum; arbuscula uniuscuiusque est vita, quæ per horas diei & noctis, quasi per murem nigrum & album, incessanter consumitur, & incisioni appropinquat. Basis quatuor aspidum, corpus est ex quatuor elementis compositum, quibus inordinatis, corporis compago dissolvitur. Draco terribilis, est infernus, cunctos devorare cupiens. Dulcedo ramusculi mellea, est delectatio fallax Mundi, per quam homo seducitur, ne suum periculum intueatur, & sic dum mundi delectationibus vacat, & se moriturum non considerat, consumptâ radice arbusculæ, & base destructâ in fossatum cadit, & ibi desiderium peccatorum peribit; sed dum mortem benè recogitat propinquam, mel dimittit delectationis mundanæ, & peccatum & periculum evadit. S. Anton. p. 1. tit. 5. c. 6. §. 10.

XXIII.

Mansi disc. 7. n. 7. XXIII. Eadem stultitia nonnullorum, mortem minimè considerantium, sed ad radices in hoc mundo agendas contendentium, sequenti similitudine exprimi potest: Si quis ædificium exstructum haberet juxta impetuosum torrentem, qui contiguam identidem roderet & absumeret terram, illius autem fabrica non nisi ad tres vel quatuor ad summum distaret palmos, num quis adeò ab omni mente alienus foret, ut inibi curiosa exstrueret æstiva ambulacra, aut cubicula auro distincta, pretiosisque incrustata lapidibus, ut statuas inibi erigeret, aut picturas celebriores? si namque fabricam suam vel unico instanti pertimescit abripiendam fluminis impetu, nullos unquam singulares adhibebit sumptus, aut suam circa huiusmodi ædificium applicabit mentem. Quorsum igitur & quamdiu nos insaniemus in exstruendis vanitatum turribus, qui omnes morimur, & quasi aquæ dilabimur in terram? veritas indubitata & practica est, quoniam aquæ illæ vicinæ sunt, nostrísque inhiant faucibus, & nihilominùs quis est, qui hoc ipsum consideret ex omnibus? Omnibus mors imminet, & nihilominùs indesinenter suum quilibet ingenium, peculium, tempus, & quicquid possidet, in domûs huius fabricam expendit, atque dilapidat, nullo mortis, quæ identidem humeris imminet, habito respectu.

Idem disc. 8. n. 5. XXIV. Cùm Dominus vineæ ficulneam infructuosam amputari jussisset, vinitor se interposuit, rogavítque, ut saltem unius anni spatio candem toleraret, promittens omnem ex parte sua diligentiam & industriam, ad hoc requisitam, ut fructificaret. Sed quomodo id se obtenturum sperabat? *usque dum fodiam circa illam, & mittam stercora.* Fossa autem & stercora illa mortem præfigurant, quia memoria putredinis, vermium, & sepulturæ optimum est remedium, ut anima aliqua antea sterilis bonorum & virtuosorum operum referat fructus.

Salazar apud Nyss. Dom. 15. post. Pent. §. 2. XXV. Si tam potens & efficax est mortis recordatio, non sim nimius, si illius potentiam cum virtute Nominis IESU quodammodo contendere posse dicam. Quæ alia tam valida & invicta arx ac dulcissimum Domini nostri nomen? De illo inquit Salomon Prov. 18. 10. *Turris fortissima nomen Domini*, ad ipsum currit Justus, & exaltabitur. Salazar, insignis harum parœmiarum interpres ait, quòd ea verba multi Hebræorum de ineffabili nomine Jehovah accipiunt, ad sanctissimum autem nomen JESU alii consequenter trahere contendunt, propter affinitatem litterarum utriusque nominis. Sacrosanctum ergo hoc Domini nostri nomen munitissima turris est, qui in eam sese recipit, is exaltabitur, & gloriosos de hoste triumphos referet.

Mansi disc. 6. n. 5. XXVI. Quotiescunque summus Pontifex aliquis in Basilica S. Joannis Lateranensi solenniter possessionem capit sui Pontificatûs, levis quædam stupa virgæ summitati affixa accenditur, quæ post editam luminosam quandam flammulam, in fumum & cinerem in momento redigitur, ut per hanc ceremoniam omnium humanarum dignitatum, quæ citò in cinerem convertuntur, fugacitas electo Pontifici insinuetur. Vnde præco quidam clara voce clamat: *Beatissime Pater, sic transit gloria mundi.* Quibus verbis addi meritò posset *Neque descendet tecum, vel cum eo gloria eius.*

XXVII. De consuetudine aliquando fuit Imperatorum, quòd, cùm essent electi, primâ die coronationis eorum veniebat ad eum Lapicidarius, deferens in manu sua tres vel quatuor pecias marmorum diversorum colorum dicens: Jubeat Dominus Imperator, de quo genere marmoris velit sibi fieri sepulchrum, quia homo mortalis est; & hoc fiebat ad dandam sibi occasionem humiliationis ex memoria mortis. Illæ namque manus, quæ sceptris moderabantur, quæ unico duntaxat nutu validissimos, quocunque volebant, dirigebant, & destinabant exercitus, coram quibus totus contremiscebat mundus, tandem à validissimis devorantur vermibus; Caput illud, quod innumeris populis atque Provinciis leges decernebat, unico ictu sùsque déque versum in sepulchrum reconditur; corpus, quod Regio splendebat paludamento, tineis coopertum conspicitur, juxta illud Isaiæ: *Subter te sternetur tinea, & operimentum tuum erit vermis.* S. Anton. p. 4. tit. 14. c. 8. §. 7.

XXVIII. Joannes de S. Geminiano, Vincentius Bellvacensis, Berchorius, & plures alii de Basilisco ajunt, quòd S. Ambrosius in Psal. 118. Octon. 10. his verbis affirmat: Basiliscus si quodcunque prior viderit animal, fertur occidere, & allegatur, statim necari, qui potuerit à serpente huiusmodi prævideri, ipse quoque serpens mori dicitur, si fuerit hominis præventus aspectu. Visu perdit, ac perit, cædit, caditque Basiliscus. Quæro, cur mors malis est tam exitialis? *Mors peccatorum pessima.* Psalm. 33. 22. Cur justo tam salutaris? *Nam pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius.* Psalm. 115. 15. Qui fit, quòd justus morti vitam adimit, & peccatori mors mortem deteriorem adfert? Respondeo, mors Basiliscus quidam est. Qui mortem præmeditatur, ac diu antè quàm adveniat, prævidet, nihil huic ab illa incommodi venit. At quem illa præoccupat, & prior videt, eundem intoxicat, & necat. Et quoniam justus eam aspectu suo prævenit, propterea etiam vincit, & veneno suo exonerat: Mori dicitur, si fuerit hominis præventus aspectu; peccatorem verò, qui se viderit priorem, patitur, occidit: Allegatur statim occidi, qui potuerit à serpente huiusmodi prævideri. Hinc intelligetis id, quod de venerabili illo sene Simeone S. Lucas ajt: *Responsum acceperat Simeon à Spiritu Sancto, non visurum se mortem, nisi videret Christum Dominum*, Luc. 2. 26. Non dicit, quòd sit mors illum visura, sed ille mortem. Hoc enim justus à peccatore differt, quòd ille mortem prior videt, adeò etiam superat, hic prior à morte videtur, atque idcircò mactatur. Ergo vigilemus, ut mortem diuturna meditatione præoccupemus, & visu venenatum hunc Basiliscum præveniamus, sic enim Nyssen. l. c.

C. P. Lohn. Auctar. Bibl.

omne ab illo toxicum auferemus, atque in voluptatem, & vitam nostram convertemus.

Ibid. Dom. 2 post Pent. § 2. XXIX. De militiæ Romanæ Tyronibus ait Vegetius l. 1. c. 18. Equi lignei hyeme sub tecto, æstate ponebantur in campo. Super hos juniores primò inermes, dum consuetudine proficerent, demum armati cogebantur ascendere, hoc enim assiduâ meditatione faciebant, scilicet ut in tumultibus prælii sine mora ascenderent, qui tam studiosè exercebantur in pace. O quàm prudenter dictum: ut in tumultu prælii sine mora ascenderent, qui studiosè exercebantur in pace! Quàm ardua res, inter confusæ multitudinis concurrentium militum, & omnia miscentium strepitum, dextrè quidquam agere, si inter otia pacis non crebrâ exercitatione asueveris! Nullus tam confusus, ac tumultuarius, quàm supremus vitæ cum morte conflictus, ubi & mortis timor, & Judicis multò gravior metus, & conscientiæ anxietas, & vitæ amor, & morbi acerbitas, & plura alia sunt, quæ omnia miscent, ut anima dispicere non possit, quomodo rectè tunc agere possit, quæ non diuturnâ, frequentique meditatione antè ad hanc se pugnam studiosè comparârit.

TITVLVS XXXXIX.

MORTIFICATIO.

§. I.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Qualitas.

S. Aug. l. 255. de temp. I. IN Templo à Salomone ædificato legimus, duo altaria fuisse constituta, unum foris, alterum intus. In illo, quod foris erat, animalium cædebatur Sacrificium; in illo verò altari, quod intus erat, thymiamatis offerebatur incensum. Videamus ergo, Fratres, ne fortè in nobis duo altaria non sint constituta, corporis scilicet & cordis nostri. Denique duplex à nobis Sacrificium quærit DEUS, unum, ut simus casto corpore; aliud, ut mundo corde esse debeamus. Ergo in exteriore altari, id est, in corpore nostro offerantur opera bona; in corde odorem suavitatis redoleat cogitatio sancta.

Hugo Card. apud Mansi disc. 7. n. 4. II. Corpus offertur in sacrificium per macerationem: spiritus in holocaustum per contritionem. De sacrificio portio erat ipsius offerentis, quia corpus non debet omnino per macerationem annihilari, sed ei debent necessaria dari. De holocausto nihil retinebatur. Sed totum offerebatur, & sic totum cor & spiritus.

Cass. collat. 2. c. 22. III Omni cautione, atque solertiâ, jugis circumspecti cordis servetur intentio, ne quo modo judicio nostræ discretionis errante, aut inconsideratæ continentiæ cupiditate succensi, aut desiderio nimiæ remissionis illecti, substantiam virium nostrarum insquæ trutinæ examinatione libremus: Sed in altera quidem lance animæ puritatem, in altera vires corporis collocantes, ita vero conscientiæ judicio utraque pendamus, ut in neutram partem, unius rei affectu præponderante, perversi, vel ad immodicam districtionem, vel ad nimiam remissionem, æqualitatis libram propensiùs inclinemus; & illud dicatur nobis, nonne si rectè offeras; rectè autem non dividas, peccasti?

Necessitas.

IV. Non potest virtus cum vitiis pariter crescere, inquit S. Bernardus: ergo ut illa vigeat, ista crescere non sinantur. Tolle superflua, & salubria surgant, utilitati accedit, quicquid cupiditati demis. Demus operam putationi; putetur cupiditas, ut virtus roboretur. S. Bern. l. 3. de consid.

Utilitas.

V. Quis mihi dabit, ut venias in cor meum & inebries illud, ut obliviscar mala mea, & unum bonum meum amplectar te! Noli abscondere faciem tuam. Moriar ne moriar, ut eam videam. S. Aug. lib. Confess. 1. c. 5.

VI. Cùm aliquis oppugnatur, aut affligitur ab aliquâ vitiosâ passione & cogitatione, si ad actum illam perducit, & opere complet, sciat passionem illam validiorem fieri ac robustiorem adversus eum; ipse enim invalescere eam facit contra se, & veluti vires quasdam illi suggerit, ut magis eum oppugnet, & affligat. Rursus verò si ille contrà certaverit, & sese illi cogitationi & passioni vitiosæ opposuerit, debilitatur vitium illud, & cogitatio, atque ad oppugnandum & affligendum eum deinceps impotens fit, & invalida. Tanti scilicet valet, principiis obstitisse. Docent Sancti Patres, tractandum esse corpus nostrum, quemadmodum furiosum aliquem, præcipitémque equum peritus eques tractat, quem arte & industriâ suâ, facilè assuefacit, ut ad imperantis nutum, quocunque ille voluerit, gressum flectat. Ad eundem modum effræni, impotentique equo corporis nostri frænum perpetuò adducendum, subiiciendáque calcaria sunt; quo pacto quicquid ipsi imperaveris, facilè obtinebis: quod compendium si neglexeris, ipse tui paulatim dominari occipiet, tandémque elidet te, excussúmque in mille præcipitia dabit. S. Doroth. doct. 11.

Digni-

Dignitas.

S. August. s. 150. de temp. VII. Nemo dicat, quòd temporibus nostris Martyrum certamina esse non possint, habet enim & pax nostra martyres suos: Nam sicut frequenter suggessimus, iracundiam mitigare, libidinem fugere, justitiam custodire, avaritiam contemnere, superbiam humiliare, pars magna Martyrii est.

S. Bern. in Ps. 90. 8. VII. Quod Martyrium gravius est, quàm inter epulas esurire, inter vestes multas & pretiosas algere, paupertate premi inter divitias, quas offert mundus, quas ostentat malignus, quas desiderat noster appetitus?

Blos. in Sac. c. 8. anim. §. 1. n. 1. IX. Abnegatio ac resignatio propriæ voluntatis DEO gratissima est. Acceptius obsequium homo præstat DEO, quando à vano & non necessario visu, auditu, olfactu, gustu vel tactu discretè abstinet, voluntatem suam in hujusmodi rebus purè propter DEUM mortificans, quàm si mortuos ad vitam temporariam revocaret.

S. Bern. S. 25. in Cant. X. Excedente animâ, ait S. Bernardus, & si non vita, certè vitæ sensu, necesse est etiam, ut nec vitæ tentatio sentiatur; quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo & requiescam? Utinam hac morte ego frequenter cadam, ut evadam laqueos mortis, ut non sentiam vitæ luxuriantis mortifera blandimenta: ut non obstupescam ad sensum libidinis, ad æstum avaritiæ, ad iracundiæ & impatientiæ stimulos, ad angores solicitudinum, & molestias curarum. Moriatur anima mea morte justorum, ut nulla illam illaqueet fraus, nulla oblectet iniquitas. Bona mors, quæ vitam non aufert, sed transfert in melius.

§. II.

EXEMPLA SACRA.

Pinnat. quin in Spec. p. 2. c. 4. n. 7. I. JUvenem Monachum apud senem solitarium deprædicabant aliqui, quasi jam longiùs in virtutum stadio provectum, id experiri, & reipsâ probare voluit Senex: & assumptis comitibus juvenis cellulam adit, hortulum intrat, & bene cultum aspicit, ac olera hinc indè adulta; suspicatus ille, heriles esse delicias, baculo, quo innitebatur, quasi ludibundus ea demetit, & prosternit, unum duntaxat intactum relinquens: inde ut moris est, simul Psalmos recitant; quibus finitis, Juvenis Monachus vultu modesto, & hilari senem rogat, velitne olus, quod restabat, in collatiunculam apparari. Ad quam petitionem attonito similis insilit in ejus collum senex, dixitque: Video, fili mi, te, ut audieram, verè mortuum appetitionibus tuis: quandoquidem ad tantam à me factam in hortulo labem, atque vastitatem, tam parum commoveris.

Ibid. n. 8. II. Perlustrabat suæ Diœcesis Monasteria S. Basilius, & in eorum aliquo Abbatem rogavit, an ex suis quemquam è prædestinatorum numero præ cæteris esse censeret. Ad talem quæstionem parùm hæsitans Abbas, accersitum unum è simplicioribus Basilio sistit. Ad quem continuò vir sanctus: Adfer mihi aquam in pelvi, ut pedes lavem, currit ille, aquam defert; sedere illum jubet Basilius, & ipsemet ad pedes Monachi inclinatus, ejus pedes non se moventis, nec reluctantis abluit: mandat deinde, ut die sequenti cùm sacristiam ingrederetur, compareret, moneretque, ut sacerdotio initiaretur. Facit ille ad amussim omnia: atque hinc Basilius illum proprio judicio voluntatique mortuum dijudicans, vera habere argumenta judicavit, quibus inter prædestinatos censeri meritò posset, eúmque sibi deinceps in suis functionibus comitem adlegit.

III. Narrat Cæsarius, fuisse in suo monasterio ordinis Cisterciensis insignem quendam DEI servum Rodulphum nomine, Monachum laicum divinis revelationibus illustrem: qui quadam nocte secundùm matutinum orationis extrahendæ gratiâ in Ecclesiâ remanens, viderit Christum Dominum, gloriosum quidem illum, fixum tamen in cruce, cum quindecim aliis suæ familiæ religiosis, suâ itidem unumquemque cruce tam splendidâ fulgentem, ut fulgor ex crucibus egrediens, ipsas etiam cæcæ noctis tenebras facilè dissiparet; hos omnes Rodulphus probè cognoverat, in vivis quippe adhuc erant singuli, ex illis quini laici, sacerdotes reliqui deni. Stupore defixus frater, ex tam insolitâ visione, audit Christum è cruce hac voce se alloquentem. Nosti hos, Rodulphe, cruci mecum affixos? Novi equidem, ait, at rei novitatem, hoc est, visum tam admirandum non novi. Audi ergo, & intellige, quæ loquor, subjungit Christus: Hi soli ex totâ familiâ hujus religionis sunt isti, qui confixi mecum in cruce, vitam suam omnem conversationémque sacræ meæ passioni mortíque ignominiosissimæ, pro ipsis obitæ, conformant. Cæsarius l. 8. c. 18.

Facilitas.

IV. Cùm aliquando in templo caneretur, qui vult venire post me, vidit S. Gertrudis Christum viâ quidem floridâ & vernante incedentem: sed tamen spinis obsitâ & horrescente: crucem verò præcedere, spinas hinc inde amoventem & dissipantem, quibus significatum volebat Christus, asperam quidem esse virtutis viam, sed crucis & passionis suæ meritis mirum in modum asperitatem mitigari, & se continuò adesse, ubi suæ voluntatis auspicatu homo sacrificium, gratiâ cooperante inchoârit. Pinnat. p. 2. c. 7. n. 51

Ibid. n. 4. V. Abbatem Theodosium cùm vitam solitariam esset auspicatus, ductum in Theatrum ingentis magnitudinis, monuit Angelus, pugnandum esse cum Æthiope tam vastæ molis, ut capite nubes tangere videretur. Ad hæc verba exhorruit Theodosius, sed institit Angelus, addiditque: ingredere cum omni ala-

eritate & fiducia: mox enim ut tu illum adorsus fueris, ego adjutor adero, tibique victoriam reponam; atque ita factum: ubi enim luctari invicem cœpêre, continuò Angelus adfuit, & coronam capiti ejus imposuit: Aliud luculentius subministrat exemplum, ad Macarium scribens S. Paulinus, qui senem, obortâ tempestate, cæteris per lembum delapsis, solum in navi relictum mirabiliter à Christo adjutum memorat, ita tamen, ut primum conatum semper ab illo Christus exigeret. Jubetur à Christo malum excidere, quem eo tempore excidi pro navis remedio oportebat; id multi homines iique validissimi, sine suo & navis periculo facere non potuissent, ille tamen verbo DEI nixus, ad id se accingit, & ecce malus leviter bis senili manu tractus magis, quàm securi ictus, in mare sine periculo prosilit: ita ad alia omnia nautica munia, tantùm specie agendi, manum porrigere jubebatur ad singula: cætera Christi virtus & potentia supplebat, atque hoc modo portum, quem petebat, feliciter attigit.

Pœna neglectæ Mortificationis.

XVI. Refert S. Augustinus, virum quendam Catholicum, à certis quibusdam muscis gravissimè aliquando molestatum, invisisse hominem quendam hæresi Manichæorum infectum, eique importunitatem animalculorum horum exposuisse: ratus Hæreticus, non incommodam sibi oblatam ex hoc occasionem defendendi erroris sui (erat is, duo esse rerum principia; invisibilium unum, & hoc esse DEUM; visibilium alterum, quod Manichæi Dæmonem constituebant: cui errori opposuit Ecclesia Catholica in symbolo illas voces, visibilium omnium & invisibilium; quibus verbis confitemur, creâsse DEUM omnia, non spiritualia solùm, & invisibilia, sed corporalia etiam & visibilia) ratus inquam, ille, nactum sese erroris sui confirmandi occasionem, eúmque orthodoxo instillandi, dixit illi, quis creavit has muscas? & quoniam hæ summam illi afferrent molestiam, ob idque viderentur malæ, non ausus est asserere, ipsas creatas fuisse à DEO: unde stringendo illum magis Manichæus, intulit, si ergò à DEO non sunt, unde sunt? ad quod hic: credo, quòd Dæmon illas creavit. Insistit ille; si ergò Dæmon muscas fecit, ut tu affirmas, quis igitur apes fecerit, muscis non multò grandiores: in has ille conjectus pedicas, nec, quod satis aptè responderet, inveniens, eò tandem amentiæ deductus est, ut confiteretur, & muscarum & apum conditorem esse Diabolum. Convictus in his Catholicus, ad periculosiorem scopulum allisus est, deducente eum Manichæo ab apibus ad locustas, ab his ad lacertas, inde ad aves, ab his ad ovem, ab ove ad bovem, mox ad Elephantem, & ad extremum ad hominem: Et persuasit homini, quòd non à DEO factus est homo. Ecce tibi in quod infelicitatis pelagus, prolapsus sit miser iste, ex eò solo capite, quòd in perferendis pauculis muscarum morsibus defecerit. Subiungit igitur Augustinus. Claudite, fratres, aures cordis vestri adversus dolos inimici, ne molestati à muscis, in par miseriarum barathrum, cum stolidissimo isto Catholico, agamini præcipites: solent enim (pergit S. Doctor) aucupes ponere in muscipulam muscas, ut esurientes aves decipiant: fecit idipsum hic Dæmon, qui huic evertendo laqueum tetendit, muscásque ad illecebram opposuit. Et sanè hic veteratoris infernalis genius est, irretire hominem in minoribus, ut faciliùs postea ipsum in maioribus transversum agat.

S. Aug. tr. 1. sup. Jo.

§. III.

SIMILITUDINES.

I. Sicut herbæ noxiæ in plena sunt hortulani potestate, ut illas recidat, evellat, vel pro suo arbitrio eradicet, ita quoque nos per mortificationem plenum in passiones nostras habere debemus Dominium, ut illas eradicemus, corrigamus, & moderemur, prout necessum esse iudicaverimus. Mansi Tract. 51. disc. 1. n. 6.

Necessitas.

II. Sicut id, quod seminaverimus, non vivificatur, nisi moriatur priùs; sic qui mundo & concupiscentiis eius non moritur, in fructu bonorum operum non multiplicatur; superest ergo, ut mortificemus membra nostra, quæ sunt super terram, quatenus vivificet nos author vitæ. S. Greg. in ps. 142.

III. Sicut prudens vinitor viti nequaquam permittit, ut pro sua libidine multùm dilatetur, & germinet, hâc enim ratione aliud nihil produceret, præterquam sarmenta, & palmites, in quos omnis humor magis substantiosus inutiliter diffunderetur in præjudicium vitium fertiliorum. Eodem modo in præsenti discurrere licet; si enim permitteremus, ut totus cordis amor divideretur in appetitus, affectus & passiones inordinatas, quæ nobis prædominantur, nihil profectò pro DEO reliquum esset, qui tamen totum amorem nostrum sibi vendicat: Mortificatio igitur est ferrum, quod hæc superflua & infructuosa sarmenta rescindit; ac proinde hoc ferro utendum est, ut voluntas afficiatur virtutibus, omnésque portionis inferioris motus & appetitus superiori animæ portioni subiecti maneant. Mansi disc. 5. n. 4.

IV. Sicut in aquâ turbidâ impossibile est, hominem vel suam intueri faciem, vel aliud quidvis; ita & impossibile est, cor hominis à terrenis affectam fæcibus non secretum ac purificatum, DEI faciem vel videre, vel videri ab ipsa; soli quippe Beati mundo corde, quia ipsi DEUM videbunt. Rodriq. p. 2. tr. 1.

V. Sicut non satis est, ferrum virtute ignis mollefacere, nisi & malleorum ictibus, debita Idem l. c.

ta ei forma figuráque imprimatur : ita nec satis est, ut cor nostrum orationis beneficio resolutum veluti liquescat, nisi porrò & mortificationis malleo exerceatur, contundatúrque, ut exclusis ab animâ vitiosis carnis cupiditatibus, omnium ei virtutum forma insculpatur. Et ad hunc effectum, orationis dulcedinem, suavitatémque deservire par est, ut videlicet eâ, quodam quasi saccaro, labor, difficultas, atque mortificationis horror condiatur, atque mitigetur. Ea propter ab oratione nunquam est discedendum, donec gratiâ Servatoris nostri JESU, perfectæ mortificationis passionum nostrarum apicem feliciter contingamus, cujus equidem tanta nobis incumbit necessitas, quanto studio affectúque eam nobis, cùm à scripturis, tum à Patribus videmus ubique commendari.

Pinney, p. 2, c. 8, n. 12. VI. Sicut panis confici non potest, nisi priùs granum à paleâ excutias, & separes; ita nec animus ad cælestes aptari delicias, nisi abducatur à corpore.

S. Thom. opusc. de erud. princ. l. 5. c. 6. VII. Sicùt, cùm aqua igni sit contraria, difficulter ligna vel candelæ ignem suscipiunt, quæ habent aquam: aqua enim resistit, ita ubi malitia primò mentem hominis occupavit non est verisimile DEUM adeò libenter ponere balsamum gratiæ in vase sordido & immundo; etsi illud à sordibus emundaveris ac detersieris, ac poneret in eo vase, in quo immunditia nunquam fuit: ita sanè oportet vel præcedat, impediátque sordes mortificatio, vel succedat, si irruperint, eásque diluat, & abstergat, priusquam amoris divini balsamum in animum infundatur.

§. IV.

MEDIA.

Senec. ep. 104. I. **O**Pinionis correctio : Toties mihi occurrunt isti, qui non putant fieri posse, quidquid facere non possunt ; & ajunt, nos loqui majora, quàm quæ natura humana sustineat : at quantò ego de illis meliùs existimo ! ipsi quoque hæc possunt facere, sed nolunt. Denique quem unquam ista destituêre tentantem ? Cui non faciliora apparuère in actu ? non quia difficilia sunt, non audemus, sed quia non audemus, difficilia sunt. Verè notavit idem Philosophus, nos umbris nostris terreri, quæ luce experientiæ dissipantur : Multa, inquit, per noctem habita terrori dies vertit in risum.

S. Ansel. de mensur. crucis. II. S. Anselmus quoque ex istis verbis, si quis vult, rectè colligit, Christum, uti gratiâ excitante prævenit voluntatem, ita ubi illa consensum præbuit, ejusdem gratiæ subsidio operantem comitari, & laborantem sublevare. Arsenii celebratur pronuntiatum, teste S. Dorotheo, eum, qui se vincere conatur, expertuum Domini auxilium, quo facilè id efficiat, quod sibi difficultatibus implexum videbatur. Hinc S. Gregorius Nazianzenus DEI bonitatem admirans exclamat : O faustam contrahendi cum DEO rationem! hoc bonum solo voluntatis pretio emendum tibi proponitur.

§. V.

ASCETICA.

I. **I**Nter alia conandum est, *ut bene cognoscat Asceta, quid sit mors spiritualis*, à quo Mortificatio nomen accepit, nempe quòd tunc aliquis mortuus mundo dicatur, quando ab omnibus, quæ mundus amat, animum cohibet, nullâ blanditiarum eius & voluptatum cupiditate tangitur, eúmque ad illas degustantas solicitare, cruciare est : quia, ut ait S. Bernardus, crux illi est omne, cui mundus inhæret. Magnum est inter mortem corporis, & hanc, quam mortem spiritûs vocamus, discrimen : Illa in instanti conficitur, hæc paulatim, & totam ferè vitam occupat : illa omni sensu, & actione hominem privat, hæc sensum non tollit, sed consensum : nec operandi facultatem extinguit, sed in meliorem partem eam detorquet, impedítque, quò minùs aliquid contra DEUM, vel amorem sanctum audeat : illa hominem truncum reddit, ad omne bonum, omnémque cum hominibus consuetudinem inutilem : hæc alacriorem efficit, & ad omnia publicæ rei, hominúmque commoda procuranda expeditum, sibíque & multis proficuum : quia quod corruptionis ab Adamo contractum est, instaurat, omnésque animi, corporísque facultates in meliorem statum restituit : quod ex parte significare voluisse videtur Apostolus, dum dicit : Vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Christus. Pinney, p. 2. c. 4. n. 2.

II. *Præterea observare debet, ut post victoriam, per mortificationem obtentam, meminerit debitas DEO gratias referre* : nam, ut sapienter Origenes advertit, moris est sanctorum, ubi adversarius vincitur, tanquam qui sciant non suâ virtute, sed gratiâ DEI victoriam factam, hymnum DEO gratulationis offerre, accipiunt hymnum canentes, etiam tympanum in manibus suis, sicut de Maria sorore Moysi & Aaron refertur. Et tu ergo si mare rubrum transieris, si Ægyptios in mari submergi videris, & extingui Pharaonem, atque in abyssi profundum præcipitari, potes hymnum canere DEO, potes vocem gratulationis emittere, & dicere : Cantemus Domino &c. Meliùs autem & digniùs hæc dices, si habueris tympanum in manu tua, id est, si carnem tuam crucifixeris cum vitiis & concupiscentiis, si mortificaveris membra tua, quæ sunt super terram : Hæc enim via est, quæ ad veram promissionis terram, id est, ad cœlum nos securè perducit. Orig. Hom. 6. in Exod.

§. VI.

§. VI.

MISCELLANEA ET CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Qualitas.

Mansi disc. 40. n. 6. I. PHilippus Nerius dicere consueverat, veram sanctitatem in quatuor digitis consistere, quod dicens, frontem tangebat, insinuare volens rationalis partis mortificationem.

S. Ansel. in c. 12. Rom. II. S. Anselmus in illa verba Pauli: *Exhibentes hostiam viventem*, sic loquitur: Hostia quippe immolatur, & viva est, quando & ab hac vita homo non deficit, & tamen se à carnalibus desideriis occidit. Hostia enim occiditur, ut offeratur, sed hostia vivens est corpus pro Domino afflictum, quod & hostia dicitur, & vivens, quia vivit in virtutibus, & est à vitiis occisum. Hostia videlicet, quia iam huic mundo est à pravis actibus mortuum: vivens autem, quia cuncta, quæ prævalet, bona operatur.

Mansi disc. 9. n. 7. III. Notandum est Apostolum non de una solùm corporis nostri parte loqui, sed absolutè dicere: Corpora nostra, quia non unus duntaxat sensus mortificari debet, sed omnes, debet enim esse holocaustum, quod est perfectissimum sacrificium, quo omnia in DEI honorem consumuntur. Unde interpres quidam ait: Diminutam oblationem DEO offerunt, qui membrum aliquod mortificant, non omnia. Et S. Hieronymus ad Celantiam ita scribit: quid autem prodest, tenuari abstinentiâ corpus, si animus intumescat superbia? Quam laudem merebimur de pallorum ieiuniis, si invidia lividi simus? quid virtutis habet, vinum non bibere, & irâ atque odio inebriari.

S. Irenæus l. 3. cont. Mart. c. 3. VI. Olim à primis mundi natalibus, ut S. Irenæus observat, inventum est cilicium, ut in natura corrupta caro per hoc reprimeretur. Idem quoque Sanctus indagat, quodnam in eo lateat mysterium, quòd mox, ut primi Parentes nostri divinum prævaricati sunt præceptum, carnisque suæ experti sunt rebellionem, eandem carnem foliis ficus, non verò aliis frondibus delicatioribus contexerint; dicitque, ipsos ideò hoc fecisse, quia folia ficûs aspera sunt, & pungitiva, ut hac ratione aliqua ex parte corpus suum rebelle macerarent.

Mansi disc. 10. n. 7. V. S. Martinus aliquando circa vesperam quendam Parisiis offendens aurigam, ab eodem, ut currum conscenderet, rogatus fuit; cui Sanctus, si modestè & discretè rotas promoveris, conscendam: Sin minùs, nunquam: quibus verbis se illusum ratus auriga, equos agitare cœpit, in quo proinde violento cursu ruptæ fuerunt rotæ, dùmque iis resarciendis insudaret, tantam fecit temporis iacturam, ut ad urbem accedere prohiberetur, præventus à tenebris. Ita quoque quam plurimi in perfectionis quadriga gradientes, magnos meditantur facere progressus, eoque fine multas sine obedientia & discretione aggrediuntur austeritates, suis superiores viribus, laborant, debilitantur, & tandem perseverare non valentes retrò respiciunt, nauseâ replentur, aut certè complexionem suam penitus debilitant.

Necessitas.

VI. DEUS à Principio mundi hominem vitâ impertiens, ut sacer Chronista scribit: inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ. At verò si hujus scire vultis mysterium, S. Ambrosium auscultate dicentem: Nunc intelligo, quâ de causa DEUS insufflaverit in faciem hominis; ibi enim sunt sensus omnes: Ibi sedes atque illecebræ delectationis in oculis, auribus, naribus, atque ore, ut sensus nostros adversùs delectationes fortiores faceret, atque eos sanctificaret, ne aliquid profanum aut falsum deferrent in animum. *S. Ambros. ad sabin.*

VII. S. Bernardus hanc virtutem paris durationis esse debere dicit, cujus est vitæ nostræ respiratio: sicut enim pro conservatione vitæ necessum est, ut hæc nunquam deficiat, ne quidem pro brevissimo temporis spatio: quia alias homo ipse esse desineret, & moreretur: Ita quoque desinente in nobis mortificatione, vita quoque spiritûs, & gratia in nobis deficiet. Quæris, in quo sit respiratio ista? inquit Sanctus Bernardus, in eo, si incipiat spiritus vicissim concupiscere adversus carnem; huic si repugnas, respiras; si spiritu facta carnis mortificas, respirâsti; si hanc cum vitiis & concupiscentiis suis crucifigis, respirâsti; *Castigo*, inquit Paulus, *corpus meum, & in servitutem redigo*: Vox est respirantis: Imò qui iam respirat; vade, & tu fac similiter. *S. Bern. S. 37. in Cant.*

Æquitas.

IIX. Ingeniosa est illa S. Bernardi ponderatio, quâ illos perstringit, qui primo Parenti nostro ideo indignantur, quia obtemperando coniugis suæ beneplacito nos omnes in profundum adeò barathrum protraxit; at verò audite, quamobrem illos hac de re reprehendat: Ita enim scribit: Indignantur adversùs Adam, quòd obedierit voci uxoris suæ plùs, quàm DEI; & ipsi quotidie Evam suam, carnem videlicet, audiunt plùs, quàm DEUM. *Idem ser. de OO. & ...*

IX. Si quis cordato alicui viro diceret: scias, velim, esse quempiam ex hac ipsâ domo tuâ, & ex familiaribus tuis, qui struit insidias vitæ tuæ; quàm (DEUS bone!) expavesceret? quòd si adderet his: odium, quod adversùs te gerit domesticus ille tuus, tam atrox est, ut ipse vel suam etiam mortem contemnat, dum videat tuam: quin etiam scit, & vincula ipsum manere, & carceres, & mortem crudelissimam, & quidem mox post patratum scelus: & tamen hæc omnia lusum ducit, dummodo laniena te tradat. *Rodrig. p. 2. tr. 1. c. 6.*

Quid,

Quid, obsecro, animi huic foret? quo odio in cædis huius machinatorem exardesceret, si eum nosset? quam vindictam in eum non excogitaret? En tibi, hostis hic noster, corpus est nostrum: nobiscum bibens & comedens, ingrediens & egrediens: minimè etiam ignarum, malum animæ nostræ esse & suum; inferorum incendia ex æquo utrique suo tempore cessura. Quo tamen non impediente, ut gustet modicum quid voluptatulæ sensualis (quod citius sæpè præterit, & terminatur, quàm sentiatur) supplicia contemnit omnia, ipsum etiam væ æternitatis.

Mansi disc. 11.n.6. X. Raphaël Archangelus Tobiæ peregrinanti præcepit, ut ingentem illum à se captum piscem exenteraret, reservando sibi illius interiora, fel scilicet, & cor: Cordis eius particulam si super carbones ponas, fumus eius extricat omne genus dæmoniorum: Fel valet ad ungendos oculos, in quibus fuerit albugo, & sanabuntur. Ecce igitur tibi potentissimum quoddam remedium ad superandum universum infernum, omneque genus dæmoniorum, sive sint spiritus fornicationis, sive odii, sive invidiæ, sive cuiuscunque alterius. Ecce tibi pariter ad acquirendum verum lumen & DEI notitiam exquisitum remedium; solùm curate, ut cor vestrum conjungatur cum felle virtuosæ cujusdam mortificationis, & super ignem amoris DEI collocetur. Sic enim extricabit omne genus dæmoniorum, vosque in omni tentatione victores remanebitis.

Dignitas.

Richard. in c.5. Cant. XI. Richardus de Sancto Victore ait, sponsum per illa verba: Veni in hortum meum, soror mea sponsa, messui myrrham &c. animam electam monere voluisse, ipsam, postquam se in actibus mortificationis exercuit, ad culmen virtutum feliciter pertigisse; quasi diceret: afflictionem pænitentiæ tolerâsti, pugnam tentationum, laborem correctionis morum, & venisti ad messem perfectionis virtutum. Messui itaque in te myrrham cum aromatibus, quia simul cum amaritudine laborum confecta sunt, & perfecta in te virtutum aromata.

S. Hieron. l.ep.16. XII. S. Hieronymus curiosum quoddam movet dubium, quænam causa sit, quòd DEUS per altissimam suam sapientiam disposuerit, ut in templo Hierosolymitano tam celebri & famoso, suppellectileque valoris inæstimabilis locupletato, in eius honorem non cerei, sed lampades oleo instructæ, arderent, cùm tamen cera mundior sit, nobilius quoque nutrimentum lumini præbeat, lumenque clarius, magisque perspicuum pariat, quàm oleum. Respondet verò, ceram ab apibus elaborari, quæ mel conficiunt, quod in cellulis ex cera fabricatis reconditur: Econtra verò oleum ex olivis exprimitur, quæ amaræ sunt: Voluit igitur non cereos in templo ardere, sed lampades oleo instructas, ut per hoc innuat, quantùm sibi mortificatio præ quavis alia virtute placeat: In Domini sacrificiis mel non offerunt, inquit S. Hieronymus, cerâque contemptâ, quæ mellis hospitium est, oleum accenditur in templo DEI, quod de amaritudine exprimitur olivarum. Pascha quoque cum amaritudinibus comedi, in azymis sinceritatis & veritatis jubetur. Unde colligitur, quòd, ubi aliqua, quantumvis distans, huius virtutis umbra reperitur, ab illa se Deus honorari censeat.

XIII. Quàm grata & amabilis Christo mortificatio fuerit, suo nos ipsemet exemplo docuit, Rupertus Abb. in c. 12. Hebr. siquidem de illo S. Paulus ait: *proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contemptâ.* Biblia Regia legunt: *pro gaudio, quod habebat, sustinuit crucem.* Quibus verbis Apostolus, ex mente Ruperti Abbatis, dicere voluit: æternum Patrem in primo instanti conceptionis filii sui, eidem proposuisse hanc optionem, an in hasce terras ei venire placeret, ut Mundum redimeret per gaudia, non verò per passiones, an verò per passiones hominem vellet redimere, nõn verò per gaudia; ipsum verò crucem gaudio prætulisse; Ideo dicit Apostolus: *sustinuit*, seu (ut meliùs dicam) elegit crucem, *confusione contemptâ*, id est, non obstantibus opprobriis, & contumeliarum confusionibus, quas passurus erat, imò hasce unicè volebat, & ardenter desiderabat. Ac proinde Apostolus ad mortificationem amplectendam nos animare volens, subjungit. *Recogitate eum, qui talem sustinuit à peccatoribus adversus semetipsum contradictionem, ut ne fatigemini animis vestris deficientes, nondum enim usque ad sanguinem restitistis, adversus peccatum repugnantes.*

XIV. Dum pro sacrificio incruento offerendo Altare accedimus, ut illud DEO tantò red- Mansi disc. 1.n.7. damus acceptius, illa Psalmi. 42. recitare solemus: *Confitebor tibi in Cithara Deus, Deus meus*, per hoc autem instrumentum Musicum, citharam videlicet, mortificationem intelligere possumus; Chordæ enim, quæ in hoc instrumento plectro tanguntur, ex mortuorum animalium sunt confectæ nervis, per quos sensus & appetitus nostros, si non mortuos, saltem mortificatos intelligere possumus. Chordæ Citharæ alicuius extenduntur, ut sonum edant; si enim laxatæ fuerint, gratum Deo sonum, resonare nequibunt. Idem quoque circa sensus nostros contingit, nisi enim hi mortificati fuerint, gratum DEO sonum edere non poterunt. Cithara fit ex sicco, subtili, maturo, & artificiosè polito ligno; ita pariter quantò corpus nostrum magis extenuatum, & ab omni inordinato affectu mundatum fuerit, tantò gratiorem Deo harmoniam edet.

XV. D. Chrysologus in illud Apostoli: ob- S. Chrysol. Serm. 108. secro vos, Fratres, ut exhibeatis, &c. sic ait: Apostolus rogando sic omnes homines; ad sacerdotale fastigium provexit, ut exhibeatis corpora vestra hostiam vivam. O inauditum Christiani Pontificatûs officium, quando homo sibi ipsi

bi ipsi

bi ipsi est & hostia, & sacerdos; quando homo non extrinsecus, quod DEO est immolaturus, inquirit; quando homo secum, & in se, & quod pro se est, DEO sacrificaturus apportat; quando & eadem manet hostia, idem permanet & sacerdos; quando hostia mactatur, & vivit sacrificium; ubi corpus sine corpore, sine sanguine sanguis offertur.

Facilitas.

Panneq. in Isag. p. 2. c. 7. n. 6. XVI. Novit DEUS, suæ gratiæ subsidium nobis esse perquàm necessarium, illámque libentiùs elargitur, quàm ad eam flagitandam prompti simus; quod triplici similitudine declarat S. Macarius: si aliquis filium suum vellet ad instar avis volare, & sursum ferri, ei alas subministraret: item si in regionem longinquam emitteret, ubi sciret illi cum venenatis serpentibus negotium fore, illum pharmacis & antidotis communiret: denique si iuberet illum mare traiicere, instrueret navim, quâ vehi posset, ne, si nando id agere tentaret, fluctibus obrutus submergeretur. Vult Deus nos in perfectionis montem quasi volando evadere: vult cum Dæmone, Mundo, & Carne, virulentis bestiis, colluctari: vult per hujus vitæ tempestuosum fretum, ad æternitatis portum cursum dirigere: quis est Paternorum Viscerum, quibus DEUS plenus est, tam ignarus, ut putet, de rebus ad hæc necessariis non continuò nobis provisurum?

Ibid. XVII. Quintilianus ait: res inter initia urere, sed consuetudine mollescere: quod Medicinæ similitudine enucleatiùs ostendit S. Anselmus: hæc enim accepta, & in stomachum transmissa convulsiones, & vomitus provocat, ac ægrum ad querelas, & in medicum convicia jacienda compellit; ubi verò aliquot horarum lapsu malignos humores hinc inde collectos expulit, ubi caput, & stomachum, aliásque corporis partes sublevavit, tum demum & Medicus, & Medicina laudatur. Ad hunc modum divina gratia in animum à DEO immissa, primo cum vitiis & malis affectionibus congressu, omnia interiora tumultu & seditione complere videtur: posteà verò ad instar apis in alveolo, ita illa in corde hominis, suum mel, ab aspectu hominum abscondita & retrusa, suaviter operatur, ut notat S. Macarius; aut, ut ait S. Diadochus, ad instar Pictoris in officina sua conclusi, qui paulatim imaginem suam efformat, ac primò crassiores colores substernendo, tum alios pulchriores apponendo, denique præstantissimos cum subtilibus lineamentis ex arte deducendo, picturam effingit, spectantium oculis acceptissimam: ita cum anima nostra Divina agit gratia.

Perseverantia.

XVIII. S. Chrysostomus super illa verba: *propter te mortificamur tota die*, ita scribit: quandoquidem fieri minimè poterat, ut, qui homines essent, ij infinitos mortes tolerarent, ostendit, ne hac quidem ratione præmia esse imminuta, nam ut naturâ sortiti id simus, semel tantùm ut moriamur, tamen voluntate id quotidie perpeti, si id in animum induxerimus, dedit DEUS. Unde liquet fore, ut cum tot hinc coronis discedamus, quot dies hîc vixerimus, imò verò multò pluribus: licet enim die uno, & semel, & bis, & sæpe mori: Qui igitur ad id comparatus fuerit, is semper mercedem absolutam recipit: Hoc igitur & Propheta significans, dixit: *propter te mortificamur tota die.* *S. Chrysost. hom. 15. ad Rom.*

TITU-

TITVLVS L.

OBEDIENTIA.

§. I.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Qualitas.

S. Laurent. Iust. de grad. perf. cap. 11. I. Agni prorsus obedientia virtus apud Deum meriti est, dummodo sub ipsa sponte, ac viriliter militetur. Nemo ab illa secluditur, nullusque eorum, qui animæ suæ salutem desiderant, ab eius servitute efficitur alienus; Omnes recipit, omnes fovet, omnibus se diligentibus materno congratulatur affectu, personam non respicit, ætatem non spernit, conditionem non secernit.

S. Bonav. tr. 7. essent. 3. II. Ut obedientia Religiosi DEO sit acceptabilis, debet esse prompta sine dilatione, devota sine dedignatione: voluntaria sine contradictione; ordinata sine deviatione: jucunda sine turbatione: strenua sine pusillanimitate; & universalis sine exceptione.

S. Bern. S. 43. c. 9. III. Hilaritas in vultu, dulcedo in sermone, multum decorant obedientiam subsequentis.

S. Laurent. Iustin. de ligno vitæ cap. 3. IV. Perfectus in obedientia ille censendus est, qui in nullo prorsus resistit majoribus, aut invidet paribus. Vel contra minores per superbiam se extollit? sed Prælatis est obediens, sociis congruens, subditis utiliter condescendens; DEO devotus, Magistro subditus, Senioribus obtemperans, & minoribus placens: verbo utilis, corde humilis, & omnibus mansuetus, atque eo animo opus iniunctum recipit, quo præcipitur.

S. Bern. s. de Virt. obed. V. Verus obediens nescit moram, mandatum non procrastinat, sed statim parat oculos visui, aures auditui, linguam voci, manus operi, pedes itineri, & totum se interius colligit, ut imperantis faciat voluntatem.

Necessitas.

S. Chrysost. Hom. 34. ad Hebr. VI. Magistratum, ducemque & rectorem non habere, malum est, & est argumentum multarum calamitatum, & principium defectus ordinis, & perturbationis, ac confusionis. Nam sicut si chori coryphæum & ducem sustuleris, non erit amplius chorus modo congruus & ordinatus; Et si à phalange exercitus amoveris Imperatorem, non erit amplius ordinata acies? & si navigio ademeris gubernatorem, navem demerges; ita etiam si à grege pastorem abstuleris, omnia evertisti.

Ial. Alvar. cap. 34. VII. Manifestum est, neminem posse sine obedientia spiritualiter vivere, nam summa spiritualis vitæ non est alia, quàm divinæ executio voluntatis, & idem prorsus est spiritualiter conversari, & divinam voluntatem sequi.

Æquitas.

VIII. Prima vox DEI, quæ post creationem hominis in auribus eius insonuit, præceptum fuit, cuius impletionem ad obedientiam pertinere certum est; facto enim homine, & in Paradiso voluptatis collocato, præcepit ei Dominus, de omni ligno, &c. Idem. tract. l. 3. p. 3. c. 1.

IX. Voluit DEUS rationalem creaturam voluntarii boni munere, & liberi arbitrii potestate dotare, ut boni & mali capax utrumque naturaliter posset, licet quippe illi eligere & respuere, probare & reprobare. Nec est, quo magis rationalis creatura cæteris prælatatur, nisi quòd cùm alia omnia conditionis & necessitatis tantùm habeant bonum, hæc sola etiam voluntatis; ideo dignum est, ut munus à DEO collatum ipsius largitoris famuletur obsequio. S. Laurent. Iustin.

X. Liquefiat omnis superbia, defluat omnis contumacia, humiliet se omnis inobedientia, cùm audit, quòd *Iesus erat subditus illis*; quis non est subditus illi, qui solo verbo creavit omnia ex nihilo? qui, ut dicit Isaias, *mensus est pugillo aquas, & cælos palmâ ponderavit, qui appendit tribus digitis terram.* Iste talis ac tantus erat subditus illis; quibus illis? fabro, & pauperculæ virgini. O Primus! O novissimus! O Angelorum Prælatus, & hominibus subditus, cæli creator subditur Fabro: DEUS æternæ gloriæ subditur virgini pauperculæ. Quis audivit unquam tale? & quis vidit huic simile? non ergo dedignetur obedire & subdi philosophus piscatori, sapiens simplici, litteratus idiotæ, filius Principis ignobili. S. Autor. de Cadua in Dom. 1. Epiph.

Utilitas.

XI. Obedientia concordiam servat in angelis, unitatem tribuit Ecclesiis, pacem constituit in cœnobiis, tranquillitatem facit in Regnis, in rebus publicis & familiis; & quicunque excessus, quæcunque exorbitatio à lege in istis conspicitur, ex obedientiæ defectu progreditur. Hanc brutis vis naturæ inseruit, inanimatis præbuit. Hæc terrenis cælestia, & humanis divina religavit, sine qua nihil omnino pacatum, ordinatumque consistet. Ial. Alvar. l. c.

XII. A diluvio servatus Noë, constitutus pater multarum gentium Abraham, ditatus Iacob, Ioseph Ægypto Prælatus, electus dux populi Moyses; David unctus in Regem, erudici Pro- S. Laurent. Iust. de contempt. mundi c. 9.

Prophetæ, clarificatus Chriſtus, honorati Apoſtoli, Martyres coronati, univerſique glorificati fideles, eò excellentiùs, quò perfectiùs ipſam peragunt.

Thom. Kem. conc. 29. n. 5.

XIII. Elias deſerti vaſta penetrans, & apud ſe liberè commorans, ab Angelo admonitus ſurrexit, & comedit, & dum implet verbum Angeli, ambulavit in fortitudine cibi illius uſque ad montem DEI: ducit enim vera obedientia per brevem laborem ad perfectionis culmen, & ad montem quietis æternæ.

Iac. Alv. l. c.

XIV. Utiliſſimum eſt, viam regiam, quâ itur ad urbem, ſcire, at utilius & amabilius eſſe ſolet, viam compendiariam agnoſcere, ſi per eam breviùs & tutiùs ad civitatem acceditur; & viator à multis laboribus & periculis liberatur. Hoc igitur vitæ Spiritualis perfectioniſque compendium eſt, obedientia, quâ unâ retentâ miro modo univerſas virtutes poſſidemus, & cunctas vitæ vias brevi conficimus, & ad vitam æternam, ad finem nimirum omnis deſiderii noſtri, & omnis perfectionis feſtinamus.

S. Aug. cont. adv. Proph. c. 14.

XV. Obedientia maxima eſt virtus, &, ut ſic dixerim, omnium Origo, matérque virtutum.

S. Franc. Aſſ. Orat. 27.

XVI. Obedientia eſt fidei opus, probatio veræ ſpei, argumentum charitatis, mater humilitatis, & genitrix pacis Dei, quæ exſuperat omnem ſenſum.

Vit. PP.

XVII. Obedientia ſanctorum omnibus cibus eſt, èx hac enim ablactati ſunt, & per hanc ad perfectionem venerunt.

S. Laur. Iuſt. de lign. vit. c. 3.

XVIII. Hæc virtus hominem ditat, lætificat Eccleſiam, pacem tribuit, mentem ornat, animam caſtificat, cælum aperit, vitam felicem homini tribuit, omnes virtutes cuſtodit.

S. Greg. l. 2. in Reg. c. 14.

XIX. Obedientia unicum bonum eſt ad recuperationem vitæ, ſicut inobedientiæ culpa malum ſufficiens fuit ad perpetrandam mortem. Si ergo in malo inobedientiæ mors prævaluit, toties vitæ reddimur, quoties obedimus.

Beluvac. l. 2. ſpec. mor. diſt. 15. p. 3.

XX. Movere nos debent multa, & magna bona, quæ perdimus, & quibus per inobedientiam privamur, quæ ſunt duodecim, ſicut ſunt fructus duodecim ligni vitæ, quibus licitum fuiſſet homini veſci, ſi ſe his per inobedientiam non privâſſet. Obedientia quippe eſt lignum vitæ, cuius fructus ducit ad vitam perpetuam; inobdientia verò lignum mortis, cuius fructus ducit ad mortem, fructus autem duodecim ſunt, immortalitas corporis, vita æterna, ornamenta virtutum, merita bonorum operum, benefaciendi facultas, pronitas virium, animæ puritas & perſpicacitas, ſanctorum aſſociatio, bonorum Eccleſiæ communicatio, pax & concordia ſuperiorum, obedientia inferiorum, abundantia terrènorum & temporalium bonorum.

S. Bern. S. 71. in cant.

XXI. Vereor, ne & inter nos aliqui ſint, quorum non acceptet munera ſponſus, eò quòd non redoleant lilia; Etenim ſi in die jejunii mei inveniatur voluntas mea, non tale jejunium elegit ſponſus, nec ſapit illi jejunium meum; quod non lilium obedientiæ, ſed vitium propriæ voluntatis ſapit. Ego autem non ſolùm de ieiunio, ſed de ſilentio, de vigiliis, de oratione, de lectione, de opere manuum, poſtremò de omni obſervatione Monachi, ubi invenitur voluntas ſua in eâ, & non obedientia magiſtri ſui, idipſum ſentio.

S. Bonav. l. 2. de profect. Relig. 41.

XXII. Quantò quis altiùs in obedientiæ virtute profecerit, tantò ei DEUS erit exorabilior, & omnis creatura ad obediendum homini creata ſubiectior, & obſequioſior.

Idem to. 7. collat. 3.

XXIII. Qualiter nos audimus noſtros ſuperiores, taliter noſtras exaudit DEUS orationes.

S. Greg.

XXIV. Si obedierimus Præpoſitis noſtris, obediet DEUS orationibus noſtris.

S. Bonav. in Reg. Nov. c. 13.

XXV. Citiùs exauditur una oratio peccatoris obedientis, quàm decem mille contemptoris.

S. Laur. Iuſt. de caſto connub. c. 14.

XXVI. Ad hoc ordinatum eſt myſterium tam ſanctum (Evchariſtiæ) ut frequentaretur. Non enim ex ſola indignitatis æſtimatione à communione ſe quiſque ſubducere debet, nam peccato amoto, eò quiſque ſit dignior, quò indigniorem ſe putat; nemo enim ad hoc ſuſcipiendum per ſe dignus eſt quamvis multâ ſit præditus ſanctitate; obedientia quemque dignum facit, non vita. Obedientia enim puritatem impertitur, quæ eſt optima ad hoc ſacramentum diſpoſitio; Unde B. Humbertus ait: Obedientia à libidine vitiorum mentem purgat; Et 1. Petr. 1. dicitur: *Animas veſtras caſtificantes in obedientia charitatis.*

Dignitas.

S. Chryſoſt. in Pſal. 44.

XXVII. Pulchritudo animæ pendet ab obedientia erga DEUM, anima enim quamlibet deformis, ſiquidem obtemperaverit, deponit peccatum, ſpecioſa redditur. *Saule, quid me perſequeris?* ille verò; *Quis es, Domine? ego ſum IEſus.* Obedivit, & obedientia ipſa deformem priùs animam apprimè formoſam reddidit. Rurſùm Publicano dicit: *Veni, ſequere me*; & ſurrexit Puplicanus, & factus eſt Apoſtolus. Utrique anima deformis priùs, venuſtatem recepit formæ. Unde? Ab obedientia.

Tauler. ſerm. 1. in Dom. 3. poſt Pent.

XXVIII. Nullum in hac vita charius, digniúſque ſacrificium DEO omnipotenti offerri poteſt, quàm cor humile & obediens; unde poſſet aliquis ſub uno momento tam humiliter ac purè propter DEUM obedire, propriámque abnegare voluntatem, ut ampliùs, veriusque in DEUM ſine medio duceretur, quàm ſi toto decennio in propriis conceptibus, atque inſtitutis magna cum devotione vixiſſet.

Iac. Alvar. P. 3. c. 4.

XXIX. Obedientia eſt holocauſtum, quod nihil non DEO conſecratum relinquit. Paupertas opes immolat; Temperantia carnem mactat, at obedientia corpus hominis, & appetitiones ejus, & voluntatem, & judicium, & breviter DEO omnia hominis bona ſubmittit, quapropter veriſſimè Anſelmus bonum

ſæcu-

sæcularem homini comparat, Domino suo fructus cujusdam arboris offerenti; Religiosum verò, non tantùm fructus, sed & arborem ipsam donanti. Ille dicit: En, Domine, fructus vitæ meæ tibi trado: Hic verò ait: Et ego non tantùm opera, sed & me ipsum totum committo.

S. August. Serm. 5. ad frat. XXX. Ut non esset nobis obedientia laboriosa, exitum præsentis vitæ Salvator per obedientiam terminavit. Jure ergo obedientia omni sacrificio præponitur, quia de potestate diaboli nos eripuit, quod nullum legale sacrificium facere potuit.

S. Gregor. l. 35. mor. c. 11. XXXI. Per alias virtutes nostra ei impendimus, per obedientiam nosmetipsos exhibemus: quid enim sunt bona electorum opera, nisi victimæ, & holocausta? cùm ergo holocausta, & victimas per legem offerri Dominus præcepisset, & quid est, quod Dominus holocausta & victimas nolle dicitur, velle autem ut ei obediatur, nisi quæ præter obedientiam fiunt, holocausta & victimæ non sunt? quasi dicat: tunc bona sunt opera, quando à præpositorum conscientia non discordant.

Thom. Kemp. opusc. 7. c. 3. § 2. XXXII. Si est aliquid genus supplicii, quod martyres facit, tunc maximè illi Martyres fiunt, qui toties verbo DEI tanquam gladio submissi plectuntur, quoties sibi ipsis per obedientiam moriuntur. O quàm sublimiter de talibus filiis gloriari potest sponsa Christi Ecclesia dicens: *Manus meæ distillaverunt myrrham, & digiti mei pleni myrrhâ probatissimâ.*

S. Humbert. 1. p. 3. l. c. 11. XXXIII. Per obedientiam nobilissimus triumphus acquiritur, nobilissimum enim genus triumphi est, vincere seipsum, quod facit obediens. Multi urbes & regna subjugaverunt sibi, qui tamen ad hunc nobilissimum triumphum non pervenerunt; Hic triumphus proprius est hominis.

Jac. Alvar. p. 3. c. 2. XXXIV. Neque sumus minùs felices Apostolis, quia illis Christus per seipsum præcepit, nobis per homines, imò quodammodo feliciores. Quid enim magnum est, si homo DEO immediatè sibi præcipienti obediat? At magnæ fidei indicium est, hominem homini propter DEUM humiliter obedire, & in homine abiecto, & sibi simili, DEUM præcipientem agnoscere. Certè Thomæ Christum resuscitatum videnti, ipsumque DEUM esse credenti, dixit ipse Dominus: *Quia vidisti me, Thoma credidisti: beati, qui non viderunt, & crediderunt*; Idem omninò sibi obedientibus, quia immediatè præcipiebat, posset dicere: quia vidistis me, obedistis mihi? beati qui non me viderunt, & in suis prælatis mihi obedierunt.

Jucunditas.

Climac. gr. 4. XXXV. Vivere in obedientia nihil aliud est, quàm suum onus aliorum humeris imponere, natare super aliorum ulnas, & sustentari in aquis, ne mergamur, sed sine periculo, hoc grande pelagus huius vitæ transeamus, & quidem brevissima navigatione.

R. P. Lohn. Auctar. Bibl.

S. Aug. Ser. 61. ad fra. XXXVI. Præcepta DEI nolentibus gravia, volentibus sunt levia, sicut ipse ait: *Jugum enim meum suave est, & onus meum leve.* Audiamus Dominum, & Salvatorem nostrum præcipientem nobis, & suo exemplo nos admonentem; *Tollite*, inquit, *jugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum.* Quid est iugum DEI super se tollere, nisi sanctæ obedientiæ præcepto seipsum propter DEUM subjicere? quantus sit obedientiæ fructus, ostenditur, cùm subinfertur; *& invenietis requiem animabus vestris.* Obedientiæ quidem disciplina modò in labore est, sed in futuro fructum habet pacatissimum.

S. Bonav. 10. 7. col. 3. XXXVII. Si quis erga Patris subiectionem, suam conscientiam ad summum possedit mundam, iste de cætero per singulos dies mortem quasi somnum, magis verò vitam exspectans, non conturbatur, cognoscens in solido, quia non ipse in tempore separationis, sed qui præest, reddet rationem.

§. II.

EXEMPLA SACRA.

Qualitas.

Manst. tr. 14. disc. 11. n. 2. I. DE venerabili Patre Joanne à cruce Carmelitâ discalceato legitur, quòd, postquam in religionem ingressus absolutis Salmanticæ studiis suis (ubi, velut flos ingeniorum, omnibus admirationi fuerat,) ad vitam conventualem revertebatur, Director ipsius ad eius probandum spiritum, obedientiam, velut exploratricem adhibuerit; nam quia scientiæ suæ opinione tumidum advertit, obedientiâ ei medicinam facere decrevit; libellum igitur, in quo prima elementa Christianæ fidei continebantur, homini ab aliis abstinere iusso in manus tradit, imperátque ut puerorum more stylum per singulas literarum notas ducat, eásque ut legendi ignarus componat, hoc illi studium convenire. Paruit strenuè adolescens, diúque id fecit, tanto animi sensu, ut per eam exercitationem, non unius modo obedientiæ, quæ prima petebatur, sed reliquarum virtutum, quæ comites adesse solent, ingentibus se auctum incrementis fateretur.

Vita Patrum l. 5. libello 14. n. 17. II. Duo fratres carnales venerunt habitare in Monasterio quodam, ex quibus unus erat præclaræ continentiæ, alter obedientiæ magnæ, cui dicebat Pater: Fac hoc, & faciebat, manduca manè, & manducabat; De qua re magnam opinionem in monasterio habebat, qui ita obediens existebat. Punctus autem invidiæ mucrone frater eius, ille continens, adversus eum dixit in seipso; Ego probo eum, si habeat obedientiam; & accedens ad Patrem Monasterii, dixit ei: Mittite mecum fratrem meum, ut eamus alicubi, & dimisit eos Abbas abire; & assumens eum ille frater abstinens, voluit eum tentare, &

cùm venissent ad flumen, ubi erat multitudo crocodilorum, dicit ei, descende in flumen & transi. Quanam verò navi illum Nilum traiecisse existimatis? Utique non aliâ, quàm eâ, de qua paulo antè diximus, scilicet obedientiæ navi, nam statim subditur; Et ille mox descendit. Cùmque obediens fuisset, nullum inter procellas ab invidia fraterna sibi commotas sustinuit periculum, quin potiùs venerunt crocodili, & lingebant corpus ejus, in nullo lædentes eum. Quod cùm vidisset frater ejus, dixit ei: Ascende de flumine &c.

S. Hieron. in reg. Monach. cap. 32.

III. Sanctus Hieronymus refert, quòd Monachos in eremo visitando quendam viderit, cui superior præceperat, ut quotidiè saxum ingens per trium milliarium spatium humeris suis portaret, tametsi illius nec utilitas, nec necessitas ulla esset. Octo jam anni præterierant, quibus præceptum istud punctualiter adimpleverat. Et quia, inquit S. Doctor, jussio hæc puerilis quidam lusus videri poterat illis, qui meritum obedientiæ non agnoscebant, eundem sciscitatus sum, an libenter præcepto huic paruisset, qui respondit: Adeò id libenter, & promptè feci, quando ingens hoc pondus ad tantum spatium detuli, ut idipsum velut rem sublimem maximique ponderis interpretatus fuerim. Scribit verò S. Hieronymus, se ab hoc responso adeò fuisse permotum, ut ab eo tempore, & deinceps Monachi vitam agere cœperit.

Io. Rho. l. 4. c. 6. exempl. 2.

IV. Cùm Augustinus Mannius ordinis Clericorum Regularium S. Philippi eleganter ad concionem dixisset, eadem, quæ dixerat, summâ fide, ne verbo quidem mutato, sex consequentibus diebus, quibus ei dicendi sors obtigerat, repetere à Philippo jubetur, arduum planè imperatum, & humana spectantibus ineptum. Verùm Mannius obedientiam populari anteferens judicio, ac sibilorum securus, constanter executus est, quamquam ridente coronâ, quùmque in suggestum ascenderet ad dicendum, claro susurro obmurmurante: En hominem unius orationis, sed ea multorum olim erat sermonibus prædicanda.

Ibid. exempl. 11.

V. Parem consuetudinis, ac naturæ vim esse, detrito sapientûm proverbio, quùm scitum sit, validissimam illam oportet esse obedientiam, quæ centum annorum mores valeat immutare; faciliùs aliquantò naturæ ingenium, quàm mores exuimus, sed nihil virtuti est inaccessum; Gratia Ord. Minim. Virgo ab ultima infantia ad senectam usque centum & ampliùs annorum ætatem, durissimo vitæ genere usa, post abdicatam paternam hæreditatem, atque in pauperes distributam, sine lare ac tecto, aspera veste, cibo, ac lectulo propè nullo transegerat, eique vitæ generi veluti inoleverat. In eo ne obiret, visum est sacerdoti, quo ad arcana animi arbitro utebatur, molliendum esse, & parcendum tam exactæ senectuti. Ne verbo quidem imperium deprecata tam propè metam abjunxit, lacrymis modò obortis testata, difficilius esse, molliùs ex alieno, quàm duriùs ex animi sui sensu vivere, adeóque virtutis amplioris.

Mansi tr. 10. d. 146. n. 8.

VI. Tertio post S. Viti mortem die, cùm consuetas pro illo preces, & exequias celebraremus, repentè totum odæum, seu locus, in quo funus jacebat, gratissimo odore perfusus completur. Itaque Præses Cœnobii jubet aperiri feretrum; tum verò præsentes omnes cernimus ex venerandis ejus plantis geminos quasi fontes fragrantis unguenti scaturire; quare Præfectus Monasterii; videtis, inquit, omnes miraculum? en laborum & fatigationum de pedibus ipsius expressi sudores, tam gratum DEO odorem unguenti, per obedientiæ sacrificium obtulerunt.

Utilitas.

Smaragdus Abbas c. 5. de obedient.

VII. Plantaverat quidam senex lignum aridum in eremo, & volens obedientiam Fratris probare, dixit ei: Per singulos dies riga lignum illud, donec fructum faciat. Erat autem longè ab eis aqua, ita ut vespere pergeret, & manè veniret. Quòd cùm fecisset per tres annos Frater, illud lignum viridum factum est, & fructum attulit, sumens autem ex fructu ejus senex attulit ad cellam, & dixit Fratribus: Accipite, & manducate obedientiæ fructum, dicebat senex, quia nihil sic quærit DEUS ab initium habentibus conversationis, quàm obedientiæ laborem.

M. Marul. l. 4. c. 3.

VIII. De Guilielmo quondam Aquitaniæ Duce referunt Scriptores, quòd Monachus existens, jussus panes coquere, cùm iam cœnæ tempus instaret, confestim succendit fornacem, rutabulo ignem circumvertit, sed scopam, quâ prunas everreret, locúmque ponendis panibus aptaret, non habuit. Insiliens ergo in fornacem, melote pro scopa est usus. Tum demum coctos panes Fratribus nihilo tardiùs, quàm reposcebât, attulit, nullâ corporis aut indumentorum parte læsâ, ut propensæ obedientiæ alacritatem intelligas, & inter pericula securam, & inter infima nobilem. Factus erat quidem de Aquitaniæ Provinciæque Domino Monachorum Furnarius, sed de Monachorum furnario factus est Regni cœlestis perpetuus possessor, terræ Regibus major, Angelis par.

Vit. PP. l. 3. cap. 30.

IX. S. Antonius Sanctum Paulum simplicem in dictaminibus veri spiritûs erudiens, ad eius probandam obedientiam valdè peregrina, & paradoxa eidem præcipit, quæ, dum ipse sine contradictione exequeretur, virtutem eius magnoperè est admiratus. Multa tamen eum docere volens, de obedientia præcipere ei solitus erat, etiam quæ ratio & causa non posceret, in quibus eius animus erga obedientiam probaretur. Haurire enim aliquando eum aquam jussit ex puteo, & in terram totâ die effundere, & contextas sportellas resolvere, ac denuò contexere, & vestimentum dissuere, atque iterum resuere, & rursum resolvere. Demum verò historia, ad nostrum propositum in hæc verba concludit: Ita per hæc informatus, brevi ad perfectio-

ectionem venit; ex cuius exemplo docebat B. Antonius, quòd si quis velit ad perfectionem velociter pervenire, non sibi ipse fieret Magister, nec propriis voluntatibus obediret, etiamsi rectum videatur esse, quod vellet, sed secundùm mandatum Salvatoris observandum esse, ut ante omnia unusquisque abneget semetipsum sibi, & renanciet propriis voluntatibus, quia & Salvator ipsi dixit: *Ego veni, non ut faciam voluntatem meam, sed eius, qui misit me.* Ea utique voluntas Christi non erat contraria voluntati Patris, sed qui venerat obedientiam docere, non inveniretur obediens, si propriam faceret voluntatem.

To. 3 opusc. S. Francisc. Apopht. 45. X. De S. Francisco Assisinate legitur, quòd, cùm mortuo B. Petro Cathaneo propter eius sanctitatem, & crebra miracula catervatim in Ecclesia S. Mariæ de Angelis ad eius sepulchrum, non sine Fratrum incommodo, & quietis, silentiique Monastici detrimento, undique populi confluerent, ad eius tumulum accedens B. Pater & super illum stans ait: Frater Petre, qui mihi in vita propensissimam præstitisti obedientiam, in morte humile non denegabis obsequium. Propter te Fratrum tuorum religiosa quies perturbatur, dum à tot, tantisque populis debitus honor tuo corpori exhibetur. Per sanctam tibi injungo obedientiam, ne plura deinceps perpetres miracula, ne quod in DEI & Sanctorum ordinatur honorem, in huius religiosæ ædiculæ manifestiùs vergat detrimentum. Mirabile dictu; Nullum postea fecit miraculum, nec populi tumultus ampliùs venit ad sepulchrum.

Revel. l. 4. c. 26. XI. In revelationibus S. Birgittæ legitur, cùm ob interruptas de mandato Prælati asperitates corporis, mirum in modum tristaretur, apparuit B. Virgo, eique meritum obedientiæ aperuit; qui enim, dixit, efficacem voluntatem jeiunii, aut pii operis habens, ob Prælati mandatum omittit, meritum eiusdem operis omissi non perdit, & meritum aliud obedientiæ conquirit.

Vit. S. Philippi Nerii lib. 1. c. 20. n. 5. XII. Cardinalis Baronius dum in nostra etiamnum Congregatione moraretur, utpotè unus ex primis S. Philippi Nerii Discipulis, cui directionem suam totaliter commendaverat, stomachum adeò languentem habebat, ut modicus quisque cibus magnum ei fastidium, capitisque causaret dolorem, adeò ut vir sanctus ei Orationi, & cuivis alteri mentis applicationi insistere prohiberet; Et tamen cùm S. Philippus die quodam post meridiem illum conveniens, panem satis magnum, & limonem, sive malum Massilicum in eius camera vidisset, eidem, ut utrumque in sua præsentia manducaret; mandavit, quod tametsi secundùm discursum humanum timorem ingerere potuisset, ne talis obedientiæ executio mortem ei conciliaret, siquidem malum Massilicum eius infirmitati naturâ suâ plurimùm nocere debuisset, ipse tamen non discurrendo, sed obediendo, & intellectum suum captivando viro DEI promptissimè obedivit. Unde DEI dispositione factum est, ut propter tam Heroicæ virtutis merita à capitis dolore, & languore stomachi planè liber evaderet.

XIII. Instabat aliquando Sacratissima Solemnitas Assumptionis (si ritè memini) intemeratæ & immaculatæ virginis DEI Genitricis MARIÆ, & Fratres Grangiarum Claravallis ob reverentiam tantæ diei ad Abbatem festinabant, verùm in una ex his Grangiis, quæ viciniores erant, fuit conversus quidam Religiosus, ac timens DEUM, qui etsi pro simplicitate sua, perfectiora quæque sacræ Religionis apprehendere nequibat, bonæ tamen voluntatis, & devotionis existens, piissimam DEI Genitricem Dominam nostram sincero venerabatur affectu. *Specul. exemp. dist. 1. n. 97.* Cùm Magister Grangiæ ordinaret, quisnam ad Abbatiam ire deberet, vel qui ob tutelam domi remanerent. Inter cœteros, qui remansuri erant, eidem fratri cura custodiendarum ovium commissa est. Quam commissionem licet ægerrimè ferret, quoniam sperabat, & multùm desiderabat divinis Hymnis, & cantilenis spiritualibus interesse, quas in honorem Reginæ cœli à sancto illo Conventu, devotissimè persolvendas fore sciebat, nihil tamen ausus contradicere, obedientissimè paruit imperanti. Unde accidit, ut devotio sancta, quam mente conceperat, quamque per inquietudinem terrenæ occupationis, quam obedientia injunxerat, perdere timebat, eàdem obedientiâ promptam voluntatem ipsius remunerante, velut ignis scintillans, & æstuans in præcordiis eius, magis ac magis dilatata, ferventior efficeretur. Nocte itaque sacratissimæ celebritatis, dum solicitas excubias, super gregem suum in pascuis quiescentem servaret, factum est, ut sonitus signi Matutinalis, quo fratres ad divinas laudes persolvendas in cœnobio excitabantur, quodque ob conticinii silentium procul audire poterat, aures ipsius reverberaret. Tum verò concaluit cor eius in ipso, & in meditatione ipsius exarsit ignis, cogitantis sanctæ illius multitudinis frequentiam, qualiter sincero affectu piissimæ Matri misericordiæ cœlestis harmoniæ laude in commune persolverent, seu qualiter singuli quique apud se in secreto suo eiusdem B. Virginis patrocinium, votis & suspiriis implorarent. Protinùs ergo exurgens, tantæque devotionis pro modulo suo particeps effici cupiens, versùs illam plagam cœli, quâ monasterium situm erat, vultu & animo intentus stabat, dehinc consuetudinariis precibus, quæ Conversis vice Matutinarum statutæ sunt, quantò potuit devotiùs expletis, cùm in paupere oratoriolo cordis sui enixiùs quæreret, quid precis, seu quid laudis Dominæ nostræ offerret, unde protelatas, & in longum valdè productas fratrum vigilias aliquo modo recompensare potuisset, nihil aliud præter salutationem eiusdem piæ Dominæ, quam utcunque didicerat, se scire invenit. Hanc itaque tanquam verbum consummans & abbreviatum, in quo plenitudo totius devotionis invenire posset, assumens, & oculos ad cœlum dirigens, venias veniis, suspiria suspiriis, salutationes salutationibus superaddidit, in tam religioso negotio reliquum noctis, & diluculi partem sine tœdio tran-

transegit. Denique quòd non frustra in gemitu suo laboraverit, nec incassum misericordiam à Matre misericordiæ quæsierit, Dominus Reverendissimo Abbati Bernardo per spiritum revelare dignatus est. Qui divinis Hymnis expletis, cùm in conventu Fratrum ob tantæ Solemnitatis prærogativam commendandam, sermonem faceret, Spiritûs sancti gratiâ vehementer ignitum, inter cœtera sic ait: Et quidem, Fratres mei dulcissimi, dubitare fas non est, vos Domino JESU Christo vero Regi, nec non gloriosæ Virgini Matri ipsius sanctum, beneplacens, & acceptabile devotionis nostræ sacrificium hac nocte obtulisse, ideòque fructum laboris vestri mercedem æternam apud Dominum, & eandem benignissimam Protectricem nostram vobis repositam esse, certissima fide tenere debetis. Veruntamen scire vos volo, unum ex minoribus & simplicioribus nostris Conversis, quem obedientia hac nocte in montibus & sylvis istis sub dio tantæ festivitatis gaudia celebrare coëgerat, tam jucundum, tam devotum, tam festivum Dominæ nostræ Matutinarum exsolvisse servitium, ut nullius quantacunque suspensa contemplatio, seu intensa devotio, ipsius devotioni, (quam non alta contemplationis sublimitas, sed submissa sanctæ simplicitatis humilitas efficit) præferri potuerit. Quô auditô mirati sunt universi, præcipuè non solùm mirati, sed & gratulati sunt, & vehementer ædificati fratres Laici, quos obedientia tam festivis, quàm privatis diebus frequenter in diversa opera trahebat, certissimè scientes, quoniam sicut septa claustri, & parietes templi sanctum non faciunt, timorem Domini negligentem, sic etiam negotia, quæ causâ terrenæ necessitatis obedientia injunxerit, nihil obesse poterunt, puras manus in oratione levanti.

Ibid. dist. 7. exempl. 61.

XIV. De Beato Fratre Nicolao de Tolentino fertur, quòd, cùm semel graviter infirmatus esset, ita ut fratres de vita eius dubitarent, vocatus Medicus jussit eum carnes comedere, quod ipse recusavit, donec Prior, qui erat in loco hoc, sibi præcepit. Tunc angustiatus vir sanctus, vocato Priore loci dicit ei. Generali omninò est obediendum, hoc est, quod promisi, hoc est, quod Salvatori meo, suæ sanctissimæ Genitrici, & B. Augustino primò obtuli, & usque ad mortem servare cupivi. Cùm ergo Prior, & Infirmarius carnes sibi offerrent comedendas, ipse omninò obedire volens, acceptâ parvâ particulâ semel tantùm gustavit de carnibus, dicens: Ecce obedivi. Nolite me ampliùs de vitio gulæ molestare, quia melioris Medici adhæsi consilio. Et tunc celeriter est sanatus, quod certè non esui tantillæ carnis, sed cœlestis medici medicamini, & merito obedientiæ adscribebatur. Item fertur de eodem, quòd, cùm quadam vice in infirmitate sua una perdix assata, ad manducandum sibi fuisset apposita, & ipse de ea comedere recusâsset, præceptum fuit sibi à Priore per obedientiam, ut manum poneret ad manducandum. At ille volens obedire ingemuit, & elevatis oculis in cœlum facto crucis signo manum ad perdicem posuit, & ecce perdix reviviscens protinus avolavit.

XV. Legitur in vita S. Arnulphi de Bruxell Monachi Cisterciensis, quòd, cùm æstatis tempore Fratres Grangriæ regulam imitantes Monachorum, post prandium pausarent in lectis suis Dominicis diebus, & festivitatibus Sanctorum: vir Domini quærens sibi aliquod diversorium, ubi orationes suas secretiùs ad Dominum funderet, & inter ulnas sancti amoris interiùs in spiritu suo suaviter obdormiret, dormire exteriùs corpore recusabat. Factum est autem, ut quidam frater pro hac re reprehenderet eum coram Magistro Conversorum. Qui statim præcepit ei, ut aliis eâ horâ dormientibus ipse quoque dormiret, ne, si fortè vigilaret, cæteri fratres, qui compatiebantur corpori eius magnis fatigatò cruciatibus, id molestè ferrent. Paruit ille præcepto Magistri sui, sicut ad omnia paratus, & obediens erat. Cùm autem post prandium intrâsset dormitorium, & calceamenta sua extraheret, & in lectulo suo se collocare deberet, astitit ei subitò Dæmon, qui ridendo & irridendo eum, in hæc verba prorupit: Eia frater, eia, quid est, quod agis? ubi est nunc sancta Religio tua? & ubi sunt vigiliæ tuæ, quas horâ istâ observare consuevisti? Certè fervor tuus pro nihilo reputandus est, quoniam membra tua torpore sinens perseverare negligis in opere, quod cœpisti. Surge ergo velociter, & vigiliis atque orationibus intende, sicut jam pridem fecisti. Cùmque vir beatus dæmonem sibi astare conspiceret, verba eius seductoria contemnens, qui eum contra præceptum Magistri sui ad vigilandum provocabat, cum indignatione ait: Recede à me miser, recede à me, modò enim velis, nolis, dormiam, ut confundaris, & somno meo torquearis. Et cùm hæc dixisset, antiquus hostis in fugam conversus est.

Ibid. dist. 8. exempl. 116.

XVI. Senex quidam erat in Thebaida sedens in spelunca, & habuit quendam discipulum probatum. Consuetudo autem erat, ut Senex vespere doceret discipulum, & commoneret eum, quæ essent animæ profutura. Post admonitionem faciebant orationem, & admittebat eum dormire. Contigit autem Laicos quosdam religiosos scientes multam abstinentiam Senis venire ad eum, & cùm consolatus fuisset eos, discesserunt. Et postquam discesserunt, sedit iterum Senex vespere post Missas, secundùm consuetudinem admonens illum fratrem, & instruens eum, &, cùm loqueretur, gravatus est somno. Frater autem sustinebat, donec excitaretur senex, & faceret ei secundùm consuetudinem orationem. Cùm ergo non evigilante sene diu sederet, discipulus illius compulsus est cogitationum suarum molestiâ, ut recederet, & dormiret. Qui extorquens sibi, restitit cogitationi, & resedit. Iterum autem compellebatur somno, & non abiit. Similiter factum est usque septies, & restitit semper animo suo. Post hoc, jam mediâ nocte transactâ, evigilavit Senex, & invenit eum assistentem sibi, & dixit ei: usque modo non discessisti? Et ille respondit: non, quia non dimiseras me Pater. Et senex dixit: Et quare non me excitâsti? & respondit: Non

Ibid. dist. 1. exempl. 117.

Non præsumpsi pulsare; ne te contribularem. Surgentes autem cœperunt facere matutinas, & post matutinarum finem dimisit Senex discipulum. Qui cùm sederet solus, factus est in excessu mentis, & ecce quidam ostendebat ei locum gloriosum, & sedem in eo, & super sedem septem coronas. Interrogabat autem illum, qui ei hoc ostendebat, dicens: cuius sunt hæc? & ille dicebat: discipuli tui, & locum quidem, & sedem pro conversatione sua donavit ei Deus, has autem septem coronas nocte istâ promeruit. Hæc audiens senex miratus est, & tremefactus vocavit discipulum, & dixit ei: dic mihi, quid fecisti nocte istâ. At ille: ignosce mihi Pater, quia nihil feci. Senex autem existimans, quia humiliando se non confiteretur, dixit ei: Crede, non quiesco, nisi dixeris mihi, quid fecisti, vel quid cogitâsti hac nocte. Frater autem nihil sibi conscius, quid egisset, non inveniebat, quid diceret. Dicebat autem seni: Ignosce mihi Pater, quia nihil feci, nisi tantùm hoc, quòd compulsus motu cogitationum mearum, ut discederem & dormirem, septies, sed quia à te dimissus secundùm consuetudinem non fueram, non recessi. Audiens autem hoc Senex, statim intellexit, quia quoties quis resistit cogitationi suæ, toties coronatur à Deo: Et fratri quidem huic nihil horum dixit causâ utilitatis suæ, sed aliis narravit hoc spiritualibus fratribus, ut discamus, quia & pro parvis cogitationibus nobis DEUS coronas tribuit. Bonum est ergo, ut extorqueat sibi ipsi homo in omni re propter DEUM. Etenim scriptum est: *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti diripiunt illud.*

Iucunditas.

Bibl. dist. 3. exempl. 30. XVII. Conversus quidam de Fratribus Claræ vallis Innocentiæ vitæ, & conversationis honestæ, cùm graviter aliquamdiu ægrotâsset, tandem ad extrema devenit. Intravit ad eum gratiâ visitationis beatus Bernardus, & confortans eum, ait: Confide fili, quia migraturus es jam nunc de morte ad vitam, de labore temporali ad requiem æternam. Ille verò cum ingenti fiducia respondit: Quidni pergam ad Dominum & Creatorem meum, verè confido, & quantùm de misericordia Domini mei JESU Christi præsumere audeo, certus sum, quia citò visurus sum bona Domini in terra viventium. Porrò beatus Bernardus, ut erat Medicus sapiens, pastórque solicitus, timens homini rusticano, ne tam fida responsio de præsumptionis magìs temeritate, quàm conscientiæ puritate procederet, ait: Signa cor tuum, frater, signa cor tuum, quid est, quod locutus es? Unde tibi subrepere potuit tantæ præsumptionis audacia? Enimverò tu es ille pauperculus, & miserabilis homo, qui cùm nihil, aut propè nil haberes in sæculo, necessitate forsitan magìs, quàm timore DEI cogente, ad nos confugisti, multis precibus tandem aditum impetrando. Nos verò causâ DEI collegimus inopem, & parem te fecimus victu, atque vestitu, cæterisque communitatibus his, qui nobiscum sunt sapientibus, atque nobilibus viris, & factus es quasi unus ex illis. Quid igitur tribuisti Domino pro omnibus istis? & ecce non sufficit ingratitudini tuæ, gratis accepisse te tot beneficia de manu Domini, nisi & regnum ipsius hæreditario vendices tibi. Ad hæc ille respondens blando vultu, & tranquillo animo dixit: Benè, Pater charissime, benè utique perorâsti, & vera sunt omnia, quæ dixisti, veruntamen si jubes, loquar ad te Dominum & Patrem meum, & paucis aperiam, unde mihi pauperi, & misero suggeri potuit tantæ non præsumptionis, sed (ut ego spero) devotionis occasio, si tamen vera est illa prædicatio vestra, quam nobis sæpiùs inculcâstis, quâ scilicet Regnum DEI, non carnis nobilitate, non terrenis divitiis possidetur, sed sola Obedientiæ virtute acquiritur. Hanc, inquam, sententiam, tanquam verbum abbreviatum à Domino, sedulâ commemoratione apud me continui, ponens illud quasi signaculum supra cor meum, assiduè meditando, & super brachium meum, solicitè operando. Quærite, si placet ab omnibus Magistris, & sociis, quibus me obsequi, ac servire jussistis, si cuiquam illorum aliquando inobediens fui, si de fratribus nostris quempiam verbo, aut signo vel alio quolibet modo, quantùm in me fuit, contristavi. Quia si operam dedi omnibus in Christo obedire, omnibus servire, cunctósque per DEI gratiam diligere, quis prohibere me potest, ut de misericordia eius non confidam? Beatus itaque Pater cùm tale responsum ab homine rusticano accepisset, gavisus est gaudio magno, & ait: Verè beatus es, charissime fili, quia caro & sanguis non revelavit tibi sapientiam hanc, sed Pater cœlestis ipse te docuit, ipse posuit animam tuam ad vitam, rectissimóque tramite perduxit ad patriam. Jam ergo securus egredere, quoniam patefacta est tibi janua vitæ. Defuncto itaque fratre, & exequiis celebratis, venerabilis Pater de conversatione & consummatione eius sermonem in Capitulo luculentum sua illa devotione, & facundia peroravit, omnésque illius exemplo, ad amorem obedientiæ mirabiliter accendit, vehementer namque affectus fuit in responsione illius, & magìs congratulabatur ei super obedientiæ virtute, & super ipsius animæ puritate, quàm si vidisset eum signis & prodigiis coruscantem.

Dignitas.

XVIII. Cæsarius Heisterbacensis refert, quòd, cùm Prædicator quidam peccatoribus pœnam comminatus fuisset Inferni, lasciva quædam mulier in oratorio compuncta sermonem Prædicatoris interrupetit, interrogando, quonam modo concubinæ Prædicatorum pœnas evasuræ essent infernales? Cui Prædicator sivè delicti exaggerandi causâ, sivè quia interiùs ad hoc motus fuisset, respondit: Delictum hoc alio modo dilui non posse, quàm ut ejusmodi concubinæ clibanum ingrederentur ardentem. Hæc igitur ad literam obedire volens, quia talis concubinatûs se ream agnoscebat, ut de vitæ *Cæsarius l. 6. c. 35.*

æternæ

æternæ securitate sibi prospiceret, die quadam exspectavit, quo fornax accendebatur, cúmque omnes domestici egressi fuissent, ipsa fornacem ingressa ibidem mortua fuit. DEUS autem insinuare volens, quàm sibi accepta fuisset obedientia illa; In ipsa hora, ut præfatus Author scribit, effecit, ut qui circa domum fuerant, contemplati sint columbam candidissimam de ore fornacis exire, & cum multa claritate cœli secreta penetrare. Stupefacti de visione, effractis foribus ingressi, fœminam semiustam extrahentes, ad verbum prædicti Sacerdotis, tanquam proprii corporis interfectricem, in campo sepelierunt. Ut autem DEUS ostenderet, mortem tam simpliciter illatam non fuisse ex malitia, sed ex obedientia, noctibus candelis ardentibus multis tumulum eius illustravit.

Smaragdus Abbas c. 13. de obed. XIX. Quidam sæcularis renunciavit sæculo, ut venit in Monasterium, adducens secum filium suum parvulum, quem Abbas tenens infantulum osculabatur, & dixit Patri ejus: Amas hunc? & ille respondit: etiam. Et iterum dixit illi: Diligis me? & respondit: etiam. Post dixit illi Abbas: Tolle ergo, si amas eum, & mitte illum in furnum ardentem, & tenens eum pater suus jactavit in fornacem ardentem, & statim facta est fornax velut ros. Ex quo facto acquisivit sibi gloriam in tempore illo, quemadmodum Abraham Patriarcha.

Climacus grad. 4. n. 6. XX. S. Joannes Climacus historiam quandam memorabilem in hæc verba recenset: Joannes Sabaites vir mihi in paucis charus, res mihi auditu dignissimas retulit. Hic mihi sic narrationem exorsus est. Erat, inquit, in eo Asiæ cœnobio, in quo ego degebam (inde enim vir hic sanctus venerat) è senibus quidam Religiosus admodùm solutus, & malè sanè moratus, testor hoc veri causâ, non hominis judicandi. Nactus hic erat discipulum, nescio quando, admodum juvenem, cui nomen Acatius, ingenio simplici, sed animo cætera minimè imprudenti. Hic ab illo tetrico Silicernio tanta, ac tam indigna sæpè tulit, ut multis fortassè res supra fidem videri possit. Quippè qui non conviciis tantùm & contumeliis illum exagitârit, sed quotidiè verberibus & plagis malè mulctârit, & Acatius omnia prudenter & patienter perferebat. Hunc ego cùm in singulos dies, velut emptitium mancipium, pessimè tractari cernerem, sæpenumero occurrentem allocutus: Quid est, inquam, frater Acati, quomodo habes hodiè? tunc ille mihi mox nunc liventes oculos, nunc læsum collum, nunc caput plagis contusum ostendit. At ego, quòd germanum patientiæ alumnum scirem, benè habet, benè habet, inquam, sustine; fructum patientiæ feres. Hoc pacto cùm novennium totum apud immitem illum Senem Acacius egisset, ad cælum profectus est. Post quintum inde diem, Magister ille sævus Acacii mortui, abiit ad quendam è Senioribus magni nominis virum, quem affatus; Pater, inquit, frater Acacius mortuus est. At senior hoc audito, crede mihi, inquit, Pater, non credo mortuum; Tum Magister Acacii, veni, inquit, & vide. Ubi ad sepulchrum constitit, exclamat Pater, & velut viventem (nam verè in quiete sanctorum vivebat) compellans, frater Acaci, inquit, esnè mortuus? Hic ille præclarus obedientiæ filius, etiam à morte specimen obedientiæ præbiturus: quomodo, inquit, mi Pater, fieri potest, ut verus obedientiæ alumnus moriatur?

XXI. Devotissima Francisca à JESU Ordinis Minorum Joannis Borgiæ soror, virginitati nuptias, & Christianæ paupertati Principum aulas posthabuit, brevi tantùm profecit, ut virginibus Sodalibus moderaretur. Manebat inter Virgines Franciscæ Mater, anus grandæva, exæquato viduitatis labore, tam facili ad omnem religiosi moris legem consuetudine, ut in illa ætate, filiæ obtemperaret, ac pro miraculo haberetur. Optaverat aliquando pridie, quàm communicaret, divinæ Eucharistiæ vigilem ante aram noctem agere, idque sibi à filia indulgeri volebat, quòd Angelos adesse diceret vigilantibus; cui Francisca; abi, inquit, Domina Mater; Nam quod ad Angelos pertinet, assistunt etiam ex obedientia dormientibus. *Ab. hist. virt. l. 4. n. 6. n. 4.*

§. III.

EXEMPLA DOMESTICA.

I. PAter Gonzalez Cardosus quamquàm divinitus fuisset admonitus in eo, quod imperabatur itinere, sibi sceleratorum hominum insidiis esse occumbendum, non ideò tamen ab eundo se continuit, sed iubenti dixit: Ego verò iter ingrediar, sed scito, me neque eò, quò mittor, perventurum, neque huc porro reversurum; Cùmque ea dicta ioco elevarentur, iter illud sibi supremum intrepidè ingressus est, in eóque, monito priùs socio, ut fugâ se periculo iam iam instanti subduceret, paulò post ab impiis cæsus, obedientiæ laudem ab ipsa morte decerpsit. *In Ibid. Hist. virt. l. 4. c. 1. n. 3. ex misc.*

II. Difficiliùs adhuc pietatis ardoribus, quàm ingenio moderamur, quia honestiùs eius reprimendæ causâ obluctari videmur; sed huius etiam luxuriam veluti quamdam, obedientia depascit, ut ipsâ validior iniuriâ frugem ferat. Rodulphus Societatis ineundæ certus, fugâ se paterna è domo in nostram receperat, & repetitus parenti precibus, iubente Pontifice, tantisper apud suos esse iubebatur, simul explorandi constantiæ gratiâ, simul ut aliquid iusto Patris dolori daretur; sed nec parentis lacrymæ, nec virorum principum, qui domum reducturi aderant, preces, nec Pontificis imperia, quæ subrepta esse dicebat, apud adolescentem tanti erant, ut quidquam illis concedendum sibi putaret; aditurum se ad Pontificem, & causam suam apud æquissimum Principem Christi vicarium feliciter peroraturum; illos verò inimicorum, non affinium partes sustinere, qui se è salutis portu abreptum, iterum furentibus rerum humanarum fluctibus vellent exponere. Talia dicentem, ardenti ore, *Ibid. ex. aupl. 1n.*

ocu-

oculisque ubertim flentibus, quùm flectere se posse desperarent, qui advenerant, Proceres, Franciscus Borgia Præpositus Generalis, qui adolescentis ardore fuerat delectatus, obiecto obedientiæ nomine, monitúmque, ne, dum contra legitima imperia acriùs tendit, Societatem ipsam amitteret, cui obsequii cura esset prima; ità momento refrigeravit, ut ne verbulo quidem mutire ausus, sed lacrymarum plenus abierit, currúmque fratris conscenderit. Valuit obedientia egregiæ indolis index, & post aliquantos dies victor, ac tyronibus redditus, eius sanctimoniæ locavit fundamenta, cui Salferanæ palmæ coronam imposuerunt.

Ibid. exempl. 12. III. Violentiùs adhùc blanditur Evangelii propagandi affulgens è propinquo spes, viris præsertim, quos huiusce operis amor extra patriam, Europámque, ultra Oceanum traxit; & nihilominùs in hac tantâ generosæ mentis illecebrâ obsequium Xaverii Caspari Barzæo potiùs fuit. Bis exemplum dedit. Ormuzii agitantem evocârunt, missis Legatis Arabiæ vicini accolæ, ad quos viri fama pervaserat, & pollicebantur, se monita, ac scita Christiana sequuturos; si ad ipsos iret. Sollicitabant Persidis Regiones, quæ albam ac metenti opportunam messem ostentabant ex propinquo, ipse ardens animi, & longinqua aggredi paratus; & Xaverius ad Orientis fines, ignotamque Japoniam abierat, ut facilè consuli non posset. His quamquam blandientibus; quia insula excedere Xaverius vetuerat, maior fuit Barzæus, obsequii laudem tot Gentium conversioni præhabens, ne ducis iniuriâ pugnaret. Idem Goæ subsistere iussus, nullâ rerum gerendarum spe, ab illo, quod obtinebat, præsidio, elici potuit; sed ardorem animi in vicina vertens, tantò validiùs ad Evangelicum opus incubuit, quantò longinquis excursionibus prohibebatur; nempè arctioribus finibus inclusum ignem, acrioribus flammis, in proxima grassari videmus.

Ibid. exempl. 14. IV. P. Joannes Baptista Piscator, B. Aloysij Gonzagæ olim Tyrocinii Magister fuit, quod ad præcipiendam viri sanctimoniam prædicendum fuit, & Neapolitani Collegii Rector diem clausit extremum, ad illum usque obedientiæ summus. Ægro ac tenuiter spiritum reciprocanti cibum (id erat ex cocto olere acetarium) obtulit valetudinarii minister, quem, ut alacriùs sumeret, medentis prætendit imperium. Ad eam vocem nihil effatus Piscator, conniti, & quamvis stomacho reluctante, esse cœpit, tantâ vi, ut tumente ac rubente facie, oculi ipsi orbibus jam extantes, multo sanguine suffunderentur, ac spiritu intercepto penè suffocaretur: nec tamen desinebat, donec reversus administer properè indè inimicum naturæ cibum amolitus est, hominis virtutem sine fine admirans, qui debitam nostris ex legibus medicanti obedientiam in tanto vitæ discrimine, vel verbo violare, religioni sibi duxerit, ut qui optimè sciret, nobis quidem obedientiam votum esse, vivere opus non esse.

V. Judicent viri sapientes, parémne, an majorem laudem meritus sit in eo, quòd subjiciam, Hieronymus, Natalis; ego enim, qui utriusq; factum arduæ plenum virtutis esse video, rem in medio relinquam. Missus ab Ignatio Natalis, ut per Hispaniam constitutiones à se longâ meditatione descriptas evulgaret, atque interpretaretur, quamquam tantus esset, tamen modestiæ usurpandæ causâ Pintiæ, quùm à Borgia Collegii fundatores religiosis epulis exciperentur, easdem super mensam legere non dubitavit. Id maximè agebat, ad novum illud Ignatianæ prudentiæ atque sapientiæ lumen omnium animis suspensis. & ecce tibi à Borgia, qui aliorum quidem moderator, nullum tamen in Natalem imperij jus haberet, aliquid extemplò his, quæ recitabat, explicandis, ornandísque dicere jubetur. Res erat paulò durior, & humana sapientibus etiam iniquior, juberi ab eo, qui imperium in se non haberet, & personæ, quam sustinebat, auctoritatem extemporaneæ orationis periculo exponi. Sed potior Natali obsequendi cura fuit, & victo egregiè animo constitutionum legúmque nostrarum celsitudinem facto ipso, cui paria verba non inveniret, luculenter adprobavit. *Ibid. exempl. 13.*

VI. Invidendum veteranis apud Lugdunenses, celebri Joannis laudatissimi olim Monachi exemplo revocato, obedientiæ Tyrocinium Sebastianus Davinus deposuit. Jacentem enim temerè in horto aridum ramum, ut depangeret, atque affunderet tamdiu quotidiè aquam, donec viresceret, jussus, nullâ præabsurdi imperii interpretatione usus, parere ut subitò cœpit, ita diutissimè summâ quâdam alacritate perseveravit. Risum movere poterat vanissimus labor, nisi admodùm comprobâsset eventus, uberem esse obedientiæ fructum, illíque ipsam parere naturam. Sive ea ignoti ligni conditio fuit, ut etiam aridum longâ irrigatione iterùm viveret, sive, quod vero propius, adolescentis obedientiam commendare voluit DEUS longos post menses rediit paulatim viror, & ramus iam arbuscula in novas se frondes, ignotíque generis induit, auctáque ad iustam magnitudinem tyronibus, qui eam obedientiæ arborem appellavêre, diu exemplo fuit, atque admirationi. Nollem equidem novarum ædium substructione in hortum progrediente excisam fuisse, potuit transferri, ut nobile virtutis monumentum; ideóque ne omnino oblivione exarescat, in hos virtutum hortos libenter intulimus. *Ibid. exempl. 20.*

§. IV.

EXEMPLA PROFANA.

I. GAllus Columbani Abbatis discipulus; & Hildeboldus Diaconus pisciculos, quos de flumine retiaculo traxerant, in solitudine assaturi ignem concitabant, cùm interim ursus miræ magnitudinis propiùs accedens, Diaconum quidem terruit, sed Gallo lu- *M. Marulus l. 4. c. 3.*

iubente, ut ligna igni inferret, obedivit. Hoc ideo sanè hîc referendum duximus, ut qui præpositis suis reniti audent, tali exemplo magis confundantur, quando & sylvestres feræ iussi Sanctorum revereantur, & observent. Sic & D. Hieronymo ursis etiam bellua ferocior leo obsequium præstitisse dicitur; Asellum Monasterii ad pascua educere, pascentémque comitari assuetus, agasonis fungebatur officio. Sed asello amisso, iussus ipse ligna dorso deferre, onerari se multa cum mansuetudine patiebatur, donec postea inventum ante se ad monasterium agens reduxit. Ecce bruta animalium seniorum iussis obsequuntur, & homo rationis capax audet refragari?

Fulgosus lib. 2. c. 4. rerum memorab. II. Fulgosus de quodam Assyriorum Principe refert, quòd dum in præsentia exteri cuiusdam Legati de militum suorum gloriaretur obedientia, ipséque ex multis, qui in turris cacumine vigilias agebant, unum ex illis nomine ad se accersivisset, is confestim ex eâdem se turri deorsum egerit præcipitem.

§. V.

EXEMPLA BESTIARUM.

Specul. exempl. dist. 8. exempl. 151. I. LEgitur in vita S. Arnulphi de Bruxella Monachi Cistercienfis, quòd quodam tempore, cùm in Grangia (cui certum nomen est) moraretur, id officium impositum fuit ei, ut famulo sibi adiuncto, quotiescunque necesse esset, fruges saccis impositas, ad Monasterium carrucaret. Iterumque in iisdem saccis panes, qui fratribus Grangiæ certis per hebdomadam diebus sufficere possent, reportaret. Contigit autem die quadam eum cum curru frugibus onerato ad monasterium devenisse. Cùmque ante molendinum saccis ac frugibus evacuatis currum suum exonerâsset, cum eodem curru ad proximam Grangiam (quæ nova curia dicitur) profectus est. Ubi cùm negotium, pro quo illuc ierat, explesset, etiam duos porcos, quos à Prælato suo licentiatus dare pauperibus proposuerat, in duobus saccis includens ora saccorum ligavit, eisque in curru locatis ad monasterium remeavit. Cùmque iam portæ monasterii appropinquaret, eidémque porci tanquam animalia inquieta importunè grunnirent, timens vir DEI, ne forte quisquam huiusmodi occasione in suspicionem laberetur, brutis animalibus tanquam ratione utentibus locutus est dicens: Audite porci, audite verba mea, si displicet in oculis DEI, ne, sicut proposui in usus pauperum vos expendam, licentiam habete grunniendi, sicut & facitis. Si verò gratum est, & acceptabile DEO meo, ut per me de carnibus vestris avida pauperum reficiatur esuries, præcipio vobis in nomine Domini, ut penitus ab hoc importuno grunitu cessetis. Res mira: Continuò porci illi, qui diu, multúmque intra saccos clamitaverant, præcipientis obedientes adiurationi, atque imperio, grunnire cessaverunt. Tunc vir DEI silentibus porcis monasterium ingressus ad pistinum usque perrexit, ubi saccus suos panibus implevit. Quod dum factum fuisset, & iidem sacci super porcos iactarentur, qui in duobus saccis inclusi habebantur, miro modo, ac si mortui essent, incitari ad grunnitum minimè potuerunt: Quoniam Dominus noster omnipotens, qui precibus famuli sui eos quodammodo obmutescere fecit, non nisi permissione eiusdem naturalem eius grunnitum reddidit. Igitur panibus onerato curru, in viam suam profectus est. Cùmque iam longè remotus esset à muro monasterii, porcis suis licentiam grunniendi (sicut anteà consueverant) verbo reddidit, qui statim inquietudine solitâ clamorem emittentes, donec ad Grangiam venerunt, grunnire & clamoribus insanire non cessaverunt. Eosdem autem porcos, sicut proposuerat, pauperibus dedit.

II. Erat in Diœcæsi Monasteriensi, sed & nunc est insigne quoddam Monasterium Ordinis cruciferorum, cuius nomen ob certas causas subticeo, habens in circumiacentibus sibi locis sylvas amplissimas, ad quas non suos modò, verùm etiam aliorum porcellos sumpto condigno pretio idcircò minare soliti sunt, ut autumnali tempore rapidis flatibus deiectas glandes infrà transeuntes porci colligerent, & sic dulci pabulo incrassati esibus hominum fierent aptiores. Cùm igitur quodam tempore dives quercubus sylva, delapsis glandibus ultrà solitum copiosè respersa iaceret, & monasterium prædictum non facilem nummum de alienis saginandis porcellis in pretium caperet (quia solet invidis supplicium esse aliena felicitas) villani circùm commorantes, qui & ipsi in proximis sylvis simili spe porcos alebant, monachis de suo lucro diffaventes, communicato invicem consilio statuerunt diligentius se observare velle, ne fortè porci Monachorum exorbatis metis in suas sylvas improvidos pedes defigerent, quatenus vel sic in Monachorum damna sumptâ occasione sævirent. Percepit ista secretius Prior, & rusticam plebem fraternâ invidiâ laborantem ingemuit. Ne tamen infausti desiderii sui malè speratos consequerentur effectus, advocatum ad se Laicum fratrem in sylvam ire præcepit, atque sollicitè agere, ne porcelli illic demorati, aut proprias transcenderent metas, aut alienam glandem in sua damna manducarent. Abiit frater læta fronte, & libentissimo animo, quia obediens erat, iussa facturus in sylvam processit. Sed cùm multi transissent dies, & tempus post tempus fugaces vices peragerer, prædictus frater, quippe qui devotus esset, graviter ferre cœpit, se divinis exemptum mysteriis, nec missarum celebrationibus, nec excessuum capitulis cum reliquis fratribus posse interesse. Unde pio quodam Zelo accensus omnes porcellos in unum congestos, his similibúsque verbis affatur: Ecce, inquit, fratres porci, quoniam his diebus, quibus vobis sollicitus custos interfui, satis abunde- *Ibid. dist. 10. exempl. 12.*

que

que docui, instruxi, informavi, ubi & ubi non liceat vobis pascentia ora porrigere, peto, ne has amplissimas metas excedentes, vel Conventui lites, vel vicinis damna lascivis discursibus excitetis, præsertim quia nec spatiamenta licita concessáque vobis arcta sunt, nec glandium copiæ, quibus pascendi estis, parciori hic manu jacent dispersæ. Ego iam ad conventum pergo, ubi torpentem jam & languentem animum paululùm refocillabo, atque sic vos revisurus revertor. His igitur verbis porcellos divinæ custodiæ commendavit, & abiit. Verùm cùm iniqui vicini resciviissent, porcos custodem non habere, & liberis, quò vellent, discursibus agi, (quippe cùm nullus adesset, qui prohiberet) ceu jam nunc ad sua vota prata virerent, gavisi sunt, clàm in insidiis positi sunt, curiosissimo oculo intuiti sunt, utrùmne præscriptas sibi metas improvidum pecus transvaderet. Sed cùm diu desiderâssent, & spei suæ frustrarentur effectu, porcis impositas leges devoti custodis strictè servantibus, vi eos ad prævaricationem impellere statuerunt. Unde arreptis fustibus, flagris, tridentibus versùs prohibitas sylvas invitas bestias minaverunt. Sed, O res nimiùm admiranda? cùm porcelli vi, ut dictum est, acti usque ad punctum præfixi termini devenissent, putavisséntque actores, iam iamque se infausti voti finem visuros, memores facti præcepti, quod frater imposuit, rejectis cum impetu vultibus, terrentis se armis contemptis, pede quoque in transversum girato, trans divaricata impellentium crura rapidis cursibus agebantur. Stabant attoniti hoc videntes hostes fraternæ fælicitatis, & ad rem nimis insolitam invidi obstupuêre subulci. Demum tamen non minùs suam invidiam, quàm bruti animalis obedientiam admirantes, projectis armis, depositâque invidiâ, concito ad priorem Monasterii gressu abierunt, cui recenter orta prodigia enarrantes, reparatâ charitate veniam de invidia petierunt. De quo sit DEUS benedictus in secula. Amen.

Ibid. dist. 7. exempl. 10. III. Accidit quoddam mirabile, & celebri memoria dignum, apud civitatem Engubi. Nam cùm adhuc viveret S. Pater Franciscus, erat in territorio eiusdem quidam lupus terribilis magnitudine corporis, & ferocissimus rabie famis, qui non solùm animalia, sed homines, & feminas devorabat: ita quòd omnes cives in tanto terrore tenebat, quòd omnes ibant muniti, cùm egrediebantur terram, ac si deberent ad bella funesta procedere: nec tamen sic armati valebant dicti lupi mordaces dentes ac truculentam rabiem evadere, qui eidem per infortunium obviabant. Unde tantus terror omnes invasit, quòd vix aliquis extra portam civitatis audebat securus exire. Volens autem DEUS notificare sanctitatem beati Francisci civibus supra dictis. Cùm ipse beatus Pater tunc temporis esset ibidem compatiens illis, disposuit exire obviam dicto lupo: cui cives dicebant: cave, Pater Francisce, ne portam exeas: quia lupus, qui iam multos devoravit, penitus te occidet. Sanctus autem Franciscus sperans in Domino JESU Christo, qui universæ carnis spiritibus dominatur: non clypeo protectus, vel galeâ, sed signo S. Crucis se muniens, exivit portam cum socio, totam fiduciam suam iactans in Domino. Et sic fidelissimus Pater Franciscus intrepidus exivit ad lupum: Et ecce multis cernentibus de locis, in quibus ad spectandum ascenderant, lupus ille terribilis contra S. Franciscum, & socium aperto ore currit, contra quem S. Pater opposuit signum crucis, & tam à se, quam à socio virtute divinâ lupum compescuit: & cursum retinuit, & os truculenter apertum conclusit, & demum advocans eum, ait: veni ad me, frater lupe, & ex parte Christi tibi præcipio, quod nec mihi, nec alteri noceas. Mirabile dictu, statim factâ cruce conclusit os illud terribile: & facto mandato, statim se ad pedes sancti, iam factus quasi agnus ex lupo, capite inclinato prostravit. Sic autem prostrato ante se, dixit S. Franciscus: frater lupe, tu facis multa damna in partibus istis, & horrenda maleficia perpetrâsti, creaturas DEI sine misericordia destruendo, non solùm autem irrationalia animalia destruis, sed quod detestationis audaciæ est, occidis, & devoras homines ad imaginem DEI factos: Unde tu es dignus horrendâ morte mutilari, tanquam prædator, & pessimus homicida: propter quod omnes contra te iustè clamant, & murmurant, & tota ista civitas est inimica. Sed, frater lupe, ego volo inter te, & istos facere pacem, ità quòd à te ipsi non lædantur ampliùs; & ipsi tibi omnem offensam præteritam dimittentes, nec homines, nec canes te ampliùs persequentur. Et lupus gestibus corporis & caudæ, & aurium ac capitis inclinatione, monstrabat illa, quæ sanctus dicebat, omnimodè acceptare, & ait iterum S. Franciscus: Frater lupe, ex quo tibi placet facere pacem istam: ego promitto tibi, quod faciam tibi dari expensas quotidiè, donec vixeris, per homines istius civitatis, ita quòd nunquam famem ampliùs patieris: quia ego scio, quòd, quidquid male facis, propter rabiem famis facis. Sed, frater mi lupe, ex quo adquiram tibi talem gratiam, volo, quòd tu promittas mihi, quòd nunquam aliquod animal, vel hominem lædas: promittis mihi ista? Et lupus signum evidens inclinato capite fecit: quòd promittebat facere illa, quæ sibi imponebantur à sancto. Et S. Franciscus ait: Frater lupe, ego volo, quòd tu des mihi fidem, ut possim evidenter credere, quod promittis. Et cùm extendisset S. Franciscus manum pro recipienda fide, lupus etiam levavit pedem anteriorem dexterum: & blandè & leniter posuit super manum S. Francisci, signo, quo poterat, fidem dando. Tunc S. Franciscus ait: frater lupe, præcipio tibi in nomine Domini nostri JESU Christi, quòd venias amodò mecum nil dubitans in civitatem, ad faciendam pacem istam. Et lupus obediens statim

tim cœpit iter cum S. Francisco, tanquam mansuetissimus agnus : quod videntes illi de civitate, cœperunt vehementer mirari, & novitas hæc statim per civitatem totam insonuit : ità quòd omnes tam viri, quàm mulieres, magni & parvi, ad plateam simul convenerunt : quia S. Franciscus ibi erat cum lupo. Congregata igitur populi maximâ multitudine, surgens S. Franciscus, fecit illis mirabilem prædicationem, dicens, inter alia, quomodo propter peccata tales pestilentiæ permittuntur, & quantò sit periculosior vorax flamma gehennæ, quæ habet in æternum devorare damnatos, quàm rabies lupi, quæ non potest occidere nisi corpus, & quàm sit pavendum in barathrum infernale demergi, quando tantam multitudinem unum parvum animal in tanto pavore, & periculo detinebat. Revertamini ergo, charissimi, ad Dominum, & facite pœnitentiam dignam, à lupo liberabit vos DEUS in præsenti: & in futuro ab ignis barathro devorantis, & his dictis, ait : Audite, charissimi, frater lupus, qui hic coràm vobis astat, promisit mihi, & de promissione fidem exhibuit, facere pacem vobiscum, & nunquam vos lædere in aliquo, si tamen vos promittitis sibi quotidiè expensas dare, & ego pro fratre lupo fidejubebo, quòd pactum pacis firmiter observabit: tunc omnes ibi congregati cum clamore valido, promiserunt lupum nutrire continuè. Et S. Franciscus coram omnibus dixit lupo, & tu frater lupe, promittis servare pactum istis, scilicet, quòd nec animal aliquod, nec personam alicujus lædas ? Et lupus se ingeniculans cum inclinatione capitis, & gestibus corporis, & caudæ, & aurium blandimentis, se servaturum pacta promissa omnibus evidenter ostendit. Et S. Francisus ait : frater lupe, ego volo, quòd, sicut tu de hoc dedisti fidem, cùm essemus extra portam, ita & hîc coram toto populo isto des mihi fidem, quòd ista observabis, & in fidejussione pro te factâ minimè delinques. Tunc lupus levato pede dextero dedit fidem in manu S. Francisci fidejussoris sui, coram cunctis astantibus, & facta est tanta admiratio, & gaudium omnium, tam pro devotione Sancti, quàm pro novitate miraculi, quàm insuper pro pace lupi & populi : ut omnes clamarent ad sidera, laudantes, & benedicentes Dominum JESUM Christum, qui eos meritis illius Sancti, de ore feræ pessimæ liberavit, & de tam horrenda peste, in pace posuit, & quiete. Ex illo igitur die lupus populo, & populus lupo pacta per S. Franciscum ordinata servavit, & lupus per duos annos vivens, & per civitatem ostiatim victitans neminem lædens : nec ipse læsus ab aliquo, fuit curialiter nutritus. Et mirum est valdè, quòd nunquam latrabat canis aliquis contra eum. Tandem lupus seniens, mortuus est, de cujus morte cives plurimùm doluerunt, quia dicti lupi pacifica & benigna patientia, quandocunque per civitatem pergebat, miram S. Francisci virtutem, & sanctitatem mirificam in memoriam revocabat.

§. VI.

SIMILITUDINES.

Qualitas.

I. SIcut non stat penes chordam soni bonitas, vel suavitas, quin potiùs penes peritiam fidicinis, qui illam debito modo contemperare novit, ita quoque virtus pœnitentiæ, non consistit in hac vel illa disciplina, in tam hispido cilicio, vel in jejunio adeò rigido, sed potiùs in obedientia, per quam illi hæc omnia à Patre spirituali præscribuntur. Unde S. Philippus Nerius inter alia de hac virtute tradita documenta, hoc quoque suis post se reliquit, videlicet obedientiam compendiosam quandam esse viam, per quam subitò ad perfectionem pervenitur, multòque majoris se æstimare illum, qui sub obedientia vitam quandam agit ordinariam, quàm alium, qui ex propria voluntate rigidissimam agit pœnitentiam. *Mansf. tr. 54. disc. 15. n. 5.*

II. Sicut nullus est, quantumvis impius, qui eundem cultum & venerationem deferre recuset cruci alicui ligneæ, vel fictili, quàm argenteæ, vel aureæ, quia non honorat materiam, sed patibulum, quod in ea repræsentatur Christi crucifixi. Eodem modo tametsi Superior sit homo imperfectus, vilis, & importunus, nihilominùs illum venerari, eique obedire debet, qui imaginem DEI in se portat. *Ibid. disc. 18. n. 6.*

III. Quemadmodum faber, ædificatorvè singulis artis instrumentis pro arbitrio utitur suo, neque unquam ullum inventum est instrumentum, quod ad quemcunque ille usum voluisset, non se facilè tractandum præbuerit, ac moderatoris manui cesserit; ita quoque convenit verum pietatis cultorem, perinde ut instrumentum quoddam utile opifici, ad complendam spiritualem fabricam omnibus in rebus parere, in quibus, ut operam suam navet, rectum esse Antistes judicaverit, ne, si id facere recusaverit, impedimento sit, quò minùs spirituale opus compleatur. Et ut instrumentum non sibi ipsi deligit, quod de facto usus sit ad artem juvandam, eodem modo pietatis cultorem quoque nequaquàm convenit ipsum esse, qui sibi judicio suo opus deligat, sed gubernationem sui artificis prudentiæ debet, consilióque concedere. *S. Basil. const. mon. c. 23.*

Necessitas.

IV. Sicut cibus sine sale est insipidus, potiúsque nauseam, quàm nutrimentum causat, ita quoque nullum opus, quantumvis sit virtuosum, & perfectum, sine condimento hujus salis mystici obedientiæ. DEO placet. Unde B. Petrus Damianus inquit : Ut ergo nostra *Mansf. tr. 45. disc. 5. n. 5.*

ftra fit devotio, vel affectio fructuosa, salutiferæ sit semper obedientiæ sale condita, & quoscunque boni operis vita nostra ramos expandat, in radice semper obedientiæ necesse est, coalescat.

Utilitas.

S. Bernard. serm. de obed. c. 1.

V. Sicut arbores agrestes inseri duobus solent ramusculis alicuius arboris nobilis, & ex hoc arbor, quæ erat priùs agrestis, producit flores, fructus & folia secundùm naturam arboris nobilis, de qua ramusculi sunt assumpti: Sic obedientia alienam voluntatem, & sensum consumit, atque cordi eius, qui obedientiam promittit, inserit, & jam cor illud, si in obedientia perseverat, secundùm voluntatem & sensum sui Superioris jam operatur, unde dicitur obedire, id est, contra proprium sensum, & voluntatem ire.

Idem tom. 2. serm. 48. c. 8.

VI. Sicut ex inobedientia primæ nostræ parentis sumus condemnati, ita per obedientiam Mariæ Virginis sumus à morte peremptoria liberati; Ideo hæc obedientia ab Eva rejecta, à Maria gratanter recepta, continuè suadebat, optare salutem Mundi. Ideo divinæ voluntati subdi, & omninò sub divino imperio eius voluntatem annihilari; Unde audita Domini voluntate de conceptu filii sui, valenter atque lætanter, etiam velociter Angelo ait: *Ecce Ancilla*, quasi dicat, ecce volenti corde, lætanti facie, atque veloci opere adimpleo, quicquid divinæ fuerit beneplacitum voluntati.

S. Climac. grad. 26.

VII. Sicut navis, quæ bonum habet navarchum seu gubernatorem, DEO adjuvante sine periculo in portum defertur; ita anima, quæ bonum habet pastorem, facilè cœlum conscendit, quamvis anteà mala multa patrârit.

S. Bonav. to. 6. Dial. salut. tit. 3. c. 2.

VIII. Sicut qui in navi est, semper procedit, & tamen ipse quiescit; sic qui est in navi obedientiæ, semper proficit in mundo, dormiendo, vigilando, comedendo, abstinendo, ambulando, quiescendo, quia instar nautæ non movetur motu proprio, sed alieno.

Mansi tr. 54. disc. 14. n. 2.

IX. Sicut terra à semetipsa magna cum facilitate, teste experientiâ, herbas, flores, arbores, plantas, aliáque germina producit; Quando verò aratro, & ligonibus colitur, idipsum quidem facit, sed cum labore, requiruntur enim agricolæ sudores ad illam irrigandam, magnâ quoque industriâ opus est, ad eam stercorandam, & fodiendam: Eodem quoque modo videmus, quòd aliquis ex proprio cerebro facilis sit in abstinentijs, disciplinis, orationibus & jejuniis faciendis; At verò si hæc omnia facienda sint ex præcepto, & per obedientiam alteri debitam, magnam in ijs omnibus sentiat repugnantiam, ideóque consilijs opus est, exhortationibus, adductis motivis & præceptis; Veruntamen magna quædam observanda est differentia, inter terram à semetipsa fructum proferentem, & inter eandem terram proferentem fructum post cultivationem, & labores eidem adhibitos; Terra enim ex seipsa non producit, nisi sentes, urticas, lolia, aut arbores silvestres; At verò terra benè cultivata herbas edit, flores, & fructus domesticos, ac saluriferos, arborésque ab ea productæ dulcissimos proferunt fructus; Eodem igitur modo hi, qui ex proprio cerebro se gubernare volunt, nequaquam virtuosè operari possunt, quia deest illis meritum obedientiæ, quâ propria voluntas abnegatur; Et ideo tales, ut plurimùm deprehendentur esse superbi, indiscreti, & præsumptuosi, plúsque in illis reperietur emendatione, quàm commendatione dignum, aut verò in benè cœptis minimè perseverabunt. Hoc autem nequaquam accidit illis, qui dependenter ab alterius directione operantur, horum enim actiones talis sunt meriti, ut quævis earum etiam minima, hoc obedientiæ charactere consignata, DEO sit acceptissima, ab eóque liberaliter compensetur. Unde S. Bernardus ait: Qui se sibi Magistrum constituit, stultò se discipulum subdit.

X. Sicut si quis Alchymista esset tam excellens, ut plumbum & lapides in perfectissimum transmutaret aurum, nemo non magni eum faceret; sic manducatio, dormitio, ambulatio, actiones sunt in se ipsis omni carentes merito, obedientia autem illas exaltat, & ad æternæ vitæ sublevat meritum, DEO gratas acceptásque constituit, nec non æternæ efficit meritorias remunerationis, ideóque meritò magni facienda est. Ibid. n. 6.

Dignitas.

XI. Sicut impressum Principis Insigne valorem confert monetæ, de se quantumvis vili; ità & voluntatis divinæ executio maximum recipit valorem, quantumvis in exilis momenti materia exerceatur. Ian. Alvarez to. 4. l. 2. p. 2. c. 4.

Jucunditas.

XII. Sicut qui in rheda aut lectica iter faciunt, omnibus notum est, quantis molestijs itineris liberentur. Neque solis ardoribus æstuant, nec hyemis rigore rigent, nec nive, aut grandine feriuntur, nec pluviâ madefiunt; ita veri obedientes, in lectica sanctæ obedientiæ vecti, à mille tentationibus, & à multis animæ periculis liberantur. Sol indiscreti fervoris eos non urit, quem nubes obedientiæ temperat; nix ignaviæ & tepiditatis non impedit, quam indumentum obedientiæ arcet. Ian. Alvarez to. 2. l. 3. p. 2. c. 10.

§. VII.

MEDIA.

I. Christi exemplum ob oculos habere; quod efficax medium suasit S. Bernardinus dicens: Obedientiam ostendit in Mundum veniens, in Mundo manens, & de Mundo transiens. In Mundo manens, unde Io. 6. ipse ait: *Descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me.* Secundò in Mun- S. Bern. to. 3. serm. de obed. a. 3. c. 1.

Mundo manens : *Meus cibus est, ut faciam voluntatem eius, qui misit me.* Tertiò de Mundo transiens, unde Io. 14. *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio* ; Et de hoc Bernardus ait : Mementote fratres, ne perderet obedientiam, perdidit vitam, & in signum, quòd obediendo mandato Patris mortem sustinuit, inclinato capite emisit Spiritum.

S. Aug. Se. 7. ad frat. II. *Angelorum exemplum considerare.* Sic S. Augustinus suasit dicens : Estote non pro sua, sed pro vestra utilitate & salute in omnibus sibi obedientes. Ecce enim fratres, Angelus in omnibus obedit DEO, & tu, qui cinis es, & vermis, contradicis DEO? Insensibilia obediunt DEO, & tu rationalis resistis DEO? Quod ipsum etiam confirmans S. Bernardus sic loquitur : sed ipsos Spiritus tam sublimes audi omnes administratorios esse, & in ministerium mitti dignantissimum, ut ne indignum dicam, minimè tamen puto reperies in scripturis aliquando, quemquam illorum vel contradixisse mittenti, vel erga ipsos tam inferiores se, propter quos in ministerium mittebantur, saltem tenuiter fuisse commotum. Exempla sunt obedientiæ, si diligenter attendas, eò sanè acceptabiliora, quò in materia digniori.

S. Laur. Iust. de discipl. Monast. c. 7. III. *Militum exemplum ob oculos habere*, uti S. Laurentius Justinianus monet dicens : Qui militant terrenam militiam, non sunt sine duce, & solus Christi miles erit sine directione? Ubi validior & sagacior est hostis, ibi diligentior custodia adhibenda est. Et alibi pariter inquit: Sicut sine Duce non confiditur de victoria, & sine gubernatore non pervenitur ad portum, ita & absque obedientia impossibile est, in hujus vitæ pelago non periclitari. Quævis enim minima inobedientia in bello subvertere potest, quamvis ingentem victoriam, hostique fores aperit ad faciendam stragem. Unde Centurio exactam militum suorum deprædicat obedientiam, dum ait : *Dico huic, vade, & vadit ; & alii, veni, & venit ; & servo meo, fac hoc, & facit.*

S. Bruno de ornatu Eccles. c. 10. IV. *Irrationalium creaturarum exemplum intueri* ; uti paternè consuluit S. Bruno, quid dicent, inquiens, suas voluntates facientes, cùm viderint non solùm rationales creaturas, sicut Angeli & homines, verùm etiam, quæ sensu & ratione carent, jubentis Domini obedire voluntati? Inde est enim, quòd cœli enarrant gloriam DEI ; inde est, quòd venti & mare obediant ei ; inde est, quòd terra nostra dedit fructum suum ; inde est, quòd omne lignum dat fructum in tempore suo. Idémque post allata diversarum creaturarum insensatarum Creatori suo obedientium exempla, in hæc verba exclamat ; Sed ô miseria semper lugenda, & magis lacrimis, quàm verbis exponenda! Omnis creatura est obediens DEO præter illam, quæ facta est ad imaginem DEI. Et id ipsum confirmans S.

S. Laur. Iust. l. de lign. vitæ Laurentius Justinianus : Non mediocris, inquit, est pudor generi humano, imperio DEI insensibilia, irrationabiliáque parere, & homines non obedire, quibus sensus ab ipso tributus est Authore. Servaverunt cuncta animalia legem, & ordinem sibi impositum, & ideo perstiterunt in natura, quâ creata sunt ; Inobediens autem homo idcircò corruit, quia non obtemperavit, & qui per gratiam futurus erat Angelorum collega, ex neglecto imperio effectus est ministrator jumentorum.

§. VIII.

MISCELLANEA ET CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Qualitas.

I. Observandum, quòd Moyses de aliarum creaturarum irrationabilium productione dixerit : *Et vidit Deus, quòd esset bonum*, scilicet immediatè postquam illas creavit ; Non verò idem de homine dixit, licèt is velut parvus quidam Mundus creatus fuerit. Scitisne, quidnam in eo lateat mysterij? nimirùm bonitas hominis ex eius obedientia judicari debet ; quia homo in tantùm bonus erit, in quantùm præcepto Creatoris sui fuerit obediens & subjectus. Eandem quoque observationem Bellovacensis super prædicta verba expressit dicens : licèt dicatur homo relictus esse in manu consilij sui, sicut dicitur Ecclesiastici. 15. *Deus ab initio &c.* non est tamen intelligendum, quòd ei licitum sit facere, quod velit, sed quia id, quod faciendum est, non cogatur de necessitate naturæ facere, sicut creaturæ irrationales, sed liberâ electione ex proprio consilio procedente. *Mans. tr. 54. disc. 1. n. 3.*

II. Eliæ Prophetæ à Deo olim, prout in cap. 19. lib. 3. Reg. legitur, mandatum fuit : *Egredere, & sta in monte coram Domino, & ecce Dominus transit, & spiritus grandis, & fortis, subvertens montes, & convertens petras ante Dominum ; Non in spiritu Dominus ; & post spiritum commotio. Non in commotione Dominus ; & post commotionem ignis, non in igne Dominus ; Et post ignem sibilus auræ tenuis. Et in hoc tenuis auræ sibilo, Deus coram Propheta transiens, videndum se exhibuit* ; Omnia autem in figura contingebant illis ; Etenim ex hoc verus obediens infallibiliter agnoscitur, quando non solùm obedit, ad promulgationem legum, vel ad intimationem, seu comminationem pœnarum transgressoribus infligendarum, vel ad solam vocem præcipientis obtemperat, verùm etiam ad quemlibet nutum & sibilum obedit, & voluntati Superioris occurrit ; Quisquis enim hoc facit, DEUM in se esse manifestè ostendit. *Ibid. disc. 14. n. 3.*

III. Refert Herodotus de Amasi, qui ex vili plebecula ad Regnum Ægypti assumptus fuit, quòd, dum populus eum ob infimam illius conditionem venerari dedignaretur, hoc fuerit usus consilio. Simulachrum quoddam Dei illius, quem adorabant, ex materia vasis ænei, in quo pedes lavabantur, fundi fecit, illúdque publicæ adorationi exposuit ; Cúmque vidisset illud ab omnibus reverenter coli, dixit illis : Ob eandem igitur causam & me, tanquam Regem vestrum *Ibid. disc. 14. n. 4.*

ſtrum agnoſcere, mihique obedire debetis, non tam meos conſiderando natales, quàm perſonam illius, quem repræſento. Ita quoque iidem Ægyptii Ioſepho Ægypti Vice-Regi debitos exhibere honores,& reverentiam minimè renuebant, tametſi illum paſtorum ovium filium, & fratrem eſſe ſcirent, quorum Profeſſio Ægyptijs abominabilis erat; Imò tametſi ſcirent, eum tot annis cujuſdam Miniſtri Aulæ, id eſt, Putipharis, fuiſſe mancipium & ſervum, cui manus eius in cophino ſervierunt.

Ibidem. IV. Celebris eſt illa Ezechielis Prophetæ exhibita viſio, quam his verbis deſcribit: *Facies una, facies Cherub; & facies ſecunda, facies hominis; & in tertio facies leonis, & in quarto facies aquilæ.* In omnibus alijs eiuſdem Prophetæ locis, ubi hæc viſio recenſetur, pariter facies bovis exprimitur loco faciei Cherubinicæ; Unde colligitur hoc loco bovem in Cherubim transmutatum fuiſſe. Porro bos, qui adeò piger & ſtolidus eſt, nequit æquiparari generoſitati leonis, nec velocitati aquilæ, nec hominis ſcientiæ; Et tamen hic bos in Cherubim transmutatus, primo loco poſitus, omnes præcedit, adeò ut aquila, leo, & homo, bovi in Cherubim transmutato venerabundam videantur exhibere reverentiam, tametſi ob ignorantiam, negligentiam, & ſtoliditatem bos quidam eſſet? Hæc autem omnia in figura contingebant, voluit enim Deus per hoc innuere, quòd tametſi Prælatus intractabilis ſit, & inſtar bovis ſtolidus, nihilominùs tamen honorari debeat, veluti quidam è cœlo dilapſus Cherubim, id eſt, acſi altiſſima eſſet ſcientiâ & ſapientiâ dotatus, quia Deum repræſentat; Notandum verò, quòd Ezechiel dicat; *Ibi erat impetus Spiritus*, quia Deus ijs, qui locum ſuum tenent, ſpecialiter divinum ſuum ſpiritum imprimit.

Ibid. diſc. 12. n. 1. V. Sponſa in ſacris Canticis ſe auditâ voce cœleſtis amatoris ſui, intus in anima & corde liquefactam fuiſſe dicit: *Anima mea liquefacta eſt, ut locutus eſt.* Quo loquendi modo, ni fallor, perfectiſſimam quandam innuere voluit obedientiam. Etenim ſi aurifex in manu ſua ampullam quandam auro liquefacto plenam habens, aurum illud interrogaret, in quidnam ſibi magis charum ornamentum, aut vas, ſe adhiberi vellet, an ſcilicet ex ſe annulos, an catenam aut torquem auream, an verò coronam regiam fieri mallet; utique ſi ſenſu, uſuque rationis præditum eſſet, reſponſurum eſſet, ad omnes aurifici collibitas figuras ſubeundas, perinde ſe æque promptum & diſpoſitum eſſe: Eodem quoque ſenſu & modo ſponſa, id eſt, anima electa locuta fuiſſe videtur, ſcilicet ad vocem & præceptum DEI indifferentem, & ad omnia, quæ ſibi placeret imponere, exactiſſimè exequenda ſe eſſe promptiſſimam: Anima mea liquefacta eſt per incendium charitatis (ita prædicta ſponſæ verba Richardus de S. Victore exponit) parata videlicet inſtar metalli liquefacti decurrere in omnes modulos divinæ voluntatis. Eundem quoque ſenſum Gillibertus Abbas his verbis indicat: Magna in liquefactis ad ſequendum mobilitas, & prompta voluntas. Intelligitis jam, ut arbitror, in liquefactis ad obediendum aptitudinem grandem, humilis animæ affectum tractabilem.

VI. Apud Jobum ſcribitur: *Nunquid mittes fulgura, & ibunt, & revertentia dicent tibi, adſumus?* Ubi Cajetanus advertit, quòd in Hebræo non habeantur hæc verba: *Et revertentia*, ſed ſolùm: *Et dicent tibi, ecce nos*; Pineda tamen ait: eo ordine, quo ſcripta eſt, accipienda eſt ſententia, ut poſtquam reverſa fuerint, dicant, adſumus: Ecce nos: Obſequij nimirùm vox non ſolùm præſtandi, ſed & præſtiti; Quaſi dicant: Ecce jam abſque alia mora imperata confecimus. Enim verò, ut experientia docet, fulguri proprium eſt, priùs oculis noſtris apparere per fulgorem evibratū, quàm tonitrui ſtrepitus ad aures perſtringat; Ac proinde fulgur, apta eſt veri ac perfecti obedientis figura, utpotè cui ſimiliter proprium eſt, quòd priusquàm præcepti Superioris tonitruum audiatur, jam de facto illud ipſum reſplendeat, per exactam eiuſdem præcepti executionem & adimpletionem. Tales erant Monachi tempore S. Hieronymi, de quibus idem Doctor in hæc verba ſcribit: Subditi antè conabantur juſſa implere, quàm forent emiſſa, & quibuſdam quodammodò indicijs nitebantur prophetare, de voluntate mandantis. Idem diſc. 23. n. 8.

VII. Dionyſius Carthuſianus ſubdit: In hoc patet ſuæ obedientiæ promptitudo, & devotionis alacritas, ſiquidem Dominus dixerat ei: Eſto paratus manè, & ipſe ſurrexit nocte. Cùm Abraham dormiens à DEO iuſſus fuiſſet filium ſuum Iſaac in ſacrificium immolare, dicit ſacer Textus: *De nocte conſurgens*, non exſpectavit auroram, quamtumvis credibile ſit, quòd affectus paternus eum extimulaverit ad differendam præcepti adeò ardui, & legi naturali repugnantis executionem, quantùm poterat. Attamen ipſe de nocte conſurgens, adoriri voluit præcepti executionem; Verebatur enim, ne votum mora offenderet, inquit D. Chryſoſtomus, aut juſſionem tarditas impediret. Ibidem. n. 3.

VIII. Propheta Regius ſe per ſuam erga DEUM obedientiam, ut jumentum factum fuiſſe aſſerit; Et quidem quod idipſum huic obedientiæ virtuti attribuerit, ex verbis ſequentibus clarè deducitur, quia ait: *Tenuiſti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxiſti me*, quaſi diceret, omnes actiones meas juxta divinæ voluntatis tuæ voluntatem ordinaſti; At verò cur ſe jumento potiùs aſſimilavit, quàm alteri cuipiam animali, videbatur enim, quòd, ut perfectam quandam exprimeret obedientiam, meliùs dicturus fuiſſet; ut mancipium factus ſum apud te. Pro reſolutione obſervandum, hanc inter mancipium & jumentum intercedere differentiam, quòd, quando mancipium aliquod, vel ſervus emptitius ad pondus aliquod portandum vires ſuas inſufficientes eſſe cenſet, vel honeſtè ſe excuſet, vel certè oneris experientiam facere tentet; Non verò ſic jumentum; Hoc enim os ſuum non aperit, nec recalcitrat, ſed onus ſibi impoſitum ſine excuſatione recipit, Idem diſc. 19. n. 1.

quò

quò agitur, graditur, nec unquam conqueritur, neque discurrit; Talem se David apud Deum fuisse asserit, quando de præstanda ei obedientia agebatur. Nam sine discursu, aut examine, sine excusatione vel contradictione, quicquid ei impositum esset, vel DEI voluntati conforme judicare poterat, promptè exequebatur, hácque ratione gratiam DEI sibi comparavit, dicentis: *Inveni virum secundùm cor meum, quia fecit omnes voluntates meas.*

Ibid. n. 3. IX. Saulus mox ut in Paulum mutatus, & ex persecutore Apostolus factus fuit, sine dilatione voluntatem suam in manus DEI consignavit, dicendo; *Domine, quid me vis facere*; Ut verò DEO cœcam obedientiam quàm maximè placere intelligeret, sacer Textus de Paulo ait; *Nihil videbat*; Demum verò eundem ad Ananiam misit, quia obedientia fertur ad audita exequenda, verus enim obediens solas aures habet ad audiendum, non autem oculos apertos ad videndum.

Æquitas.

Idem disc. 1. n. 3. X. Quòd DEUS in creatione hominis nullum alium sibi scopum habuerit præfixum, quàm ut illum sibi obedientem efficeret, ex hominis formatione sufficienter colligitur; Nam ut sacer Textus ait: *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inspiravit in faciem eius spiraculum vitæ.* Voluit igitur DEUS hominem ex terra non solida, sed aquâ humectata producere, ut esset flexibilior ad omnes Plasmatori collibitas formas recipiendas. Nam ut S. Paulus ad Romanos ait: *Voluntati eius, quis resistit? Nunquid dicit figmentum ei, qui finxit; Quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?*

S. Ansel. ad Hebr. c. 12. XI. S. Anselmus non solùm ad lutum, è quo plasmati sumus, verùm etiam ad flatum & aspirationem, quâ DEUS nobis animam infudit, se reflectit inquiens: Nonne obtemperabimus Deo, qui formavit hominem de limo terræ, & inspiravit in faciem eius spiraculum vitæ? Non enim de materia fecit spiritum hominis, sicut corpus, sed de nihilo per insufflationem suam creavit, & ita se Patrem spiritûs esse quodammodò demonstravit. Ideò etiam Pater spirituum dicitur, quia nos in Baptismo secundùm spiritum generavit. Unde hanc deducit consequentiam, quòd videlicet ideò DEO magis debeamus esse obedientes, magísque subiecti, quàm simus erga Patres nostros carnales: Et huic magis, inquit Anselmus, quàm carnalibus parentibus obtemperare debemus.

S. Bonav. to 7 l. 1. de profectu relig. c. 35. XII. Omnes creaturæ ab omnipotenti Creatoris manu tali cum sapientia & dispositione esse suum acceperunt, ut omnes exemplo suo nos obedientiam doceant. Nam ut S. Bonaventura in capite, cui titulus est: Cur sit obediendum aliis? inquit: Omnis creatura ita est ordinata à DEO, quòd licèt ipse DEUS omnibus & singulis ita præsit, ut ab ipso solo accipiant, quod sunt, & habent, & possunt, tamen propinquiora sibi, non loco, sed similitudine pleniùs accipiunt ab ipso, quod inferioribus, & sibi propinquioribus influant, & illa iterum suis inferioribus usque ad infimum, & inferiora superioribus subdita sint, & superiora inferioribus præsint, & ea regant, ut summa mediis, & media præsint imis. Sic Angeli superiores inferioribus præsunt, & cælestia terrenis, & irrationabilibus rationabilia.

XIII. Quantùm Christus obedientiam amârit, priusquàm in cœlos ascenderet, ostendere voluit, siquidem, ut ex monte Oliveti ascenderet, priùs Bethaniam transire voluit, quæ, ut paulò ante diximus, idem significat, quod domus obedientiæ, nam Lucæ ultimo dicitur: *Eduxit autem eos foras in Bethaniam, & elevatis manibus suis benedixit eis.* Ubi S. Bonaventura ait: Bethania quippè domus obedientiæ dicitur; In figura huius DEUS ascendit in cœlum de Bethania. *Idem n. 6. Dom. solat. tom. 3. c. 6.*

XIV. Obscurus est sensus verborum illorum, quæ Ecclesia in festo Ascensionis Christi canere solet, videlicèt: *Ascendens Christus in altum, captivam duxit captivitatem.* Quid enim per captivam captivitatem hoc loco intelligendum venit? Num forte Ecclesia vult dicere, quòd Christus in cœlum ascendens, secum duxerit animas illas, quæ velut in deposito in sinu Abrahæ captivæ detinebantur, ut easdem cœlestis gloriæ faceret participes? At verò si hic verborum illorum sensus est, potiùs dicendum fuisse videbatur, liberam duxit captivitatem, quia easdem secum ducebat, ut verâ filiorum DEI libertate gauderent. Necessum igitur est dicere, Filium Dei tanto fuisse obedientiæ amore captum, ut etiam impassibilis, & immortalis ad dexteram Patris residens, continuò, & sine ulla intermissione in hac se virtute exercere voluerit; Ac proinde modum invenit, quo in Sacramento Eucharistæ à se instituto in species Sacramentales, quotiescunque verba consecrationis à Sacerdotibus pronunciantur, obedientissimus descenderet; Obediente Deo voci hominis; captivam ergo duxit captivitatem, id est, humanitatem, quam in terris assumpserat, veluti mancipium & servam, soli modicorum verborum expressioni ad descendendum sub species panis & vini subiectam in cœlos deduxit. Quisnam excogitari potest efficacior stimulus hôc; ut obedientes efficeremur? Quis unquàm inventus est, qui adeò expeditè & exactè maioribus suis obediat, quemadmodum quotidiè Christus, Rex gloriæ, sitis obedit Ministris & servis, Creator creaturæ? Circa hanc obedientiæ suæ imitationem Blosius sequentem refert Salvatoris nostri revelationem, inquiens. Christus sæpiùs revelare dignatus est, quòd quilibet Christianus imitari debeat humilem suam obedientiam, quia ipse obedivit Patri suo cœlesti, & hominibus non solùm bonis, verùm etiam impiis. Neque enim hæc virtus præclarissima à solis Monachis, vel Monialibus, sed prorsus ab omnibus eximiè coli, & servari potest. *Mansi tr. 14. disc. 4. n. 8.*

Necessi-

Necessitas.

S. Hieron. to. 9. in reg. monast. c. 6.

XV. S. Hieronymus nimia, quæ ex virtutis hujus transgressione, & omissione promanant damna, in tractatu de regula Monachali exprimit his verbis: Monstraretur portentum navigatoribus, & pro certo nunquam veniretur ad portum, si de directione & gubernatione navigii quicunque remigator ordinaret ad votum. Non civitas, non regnum, non minima domuncula diu maneret in rure, si, cujus voluntati pareretur, deesset; Propter quod ipse Papa Petrus, qui Religionis Apostolicæ vitam volebat instruere, sicut à Magistro didicerat, ut magis intelligatur, qualiter anima perficiatur in obedientia charitatis, ac fraternitatis amore, exponit apertiùs, Omnes, inquit, honorificate, fraternitatem diligite, DEUM timete, Regem honorificate; Et ne excusationis arripiatur scutum, sub particulari nomine præeminentis dignitatis generaliter infert omnibus: servi subditi estote in omni timore Dominis; & ne Prælati in medium producatur pravitas, quæ plerúmque subditis præstat causam magni casus, non tantùm inquit, bonis & modestis, sed etiam discolis.

Utilitas.

Mansi tr. 54. disc. 4. n. 7.

XVI. Ad nostram quoque doctrinam disposuit, ut, cùm à Lucifero in deserto tentaretur, certamen circa huiusce virtutis meritum institueretur; ait enim Evangelista: *Tunc JESUS ductus est in desertum a spiritu, ut tentaretur à Diabolo.* Circa quæ verba sacer quidam interpres ait; Dominus JESUS omnia agit, aut missus, aut ductus, aut vocatus, aut spontaneus; missus venit in mundum, ductus vadit in desertum, vocatus surrexit à mortuis. Eundem quoque DEI filium sæpiùs in Bethania hospitio exceptum reperietis, tametsi castellum hoc procul à Jerosolyma remotum esset, idque, ut reor, ex hac causa, quia Bethania idem significat, quod domus obedientiæ; ipsum quoque sæpiùs reperietis mensæ accumbentem, sive in domo Simonis Pharisæi, sive in domo S. Petri, idque quia utriusque domus Paterfamilias Simonis nomine appellabatur; Simon enim idem est, quod obediens. Utrumque hoc S. Antonius observat, dum ait: Hospitabatur sæpe in Bethania, quæ interpretatur domus obedientiæ, & Simonis, qui interpretatur obediens. Quodsi in domum Zachæi ultrò se ingesserit, mirum non est, cùm hic Zachæus in virtute obedientiæ insignis fuerit; siquidem vix Christus ei hæc verba dixerat: *Hodie in domo tua oportet me manere*, cum ecce confestim obedivit, nam ille *festinans descendit, & excepit illum gaudens in domum suam.*

S. Bernard. de perfect. obed. c. 1.

XVII. S. Bernardinus multas adducit rationes, cur DEUS domum voluntatis nostræ, dum eam obedientiæ subjicimus, adeò gratum & acceptum habeat; Inter cætera verò ait: Cùm nullius rei possessores, aut Domini simus, nisi per facultatem & usum libertatis nostræ, istam abdicare à se, quantum nobis possibile & licitum est, est abdicare prout est possibile, omnia, quorum esse possumus possessores; Cùm in nobis nihil sit charius, intimius, altius & majus, propriâ libertate, ac facultate usûs ejus; abdicare hanc à se, prout est possibile, tantò est perfectius & altius, quantò ista præponderat omnibus aliis abdicabilibus nostris.

Ioannes Bohemus l. de Afra apud Mansi tr. 45. disc. 7. 14.

XVIII. Scriptor quidam Historicus, qui ritus & mores omnium nationum describit, de Orientalibus hæc habet; Orientales victimas non jugulant, sed præcluso spiritu necant, ne quid mancum DEO offeratur, sed integrum. Simili modo acceptissimum DEO sacrificium erit, si hoc ei ex toto spiritu, corde, affectu & voluntate nostra obtulerimus, mortificando, reprimendo, & suffocando desideria nostra, affectus & appetitus nostros, ut terra mortificationis & obedientiæ jujulati, DEO consecrari possint.

Climacus grad. 4. n. 83.

XIX. S. Joannes Climacus ait: Nunquam ponas in omni vita memoriam illius ingentis Athletæ, qui totis decem & octo annis nunquam auribus suis, à Præside suo, cui inservit, illam vocem accepit: Salvus esto; sed ille tandem idem interiori animi sensu quotidiè audiit à Domino, non quidem salvus sis, quod optantis est, & incertum, sed salvus es, quod affirmantis est, certum, & definitum.

Vinc. Ferrer. ser. 4. in Dom. 2. post Epiph.

XX. Humilitas & obedientia, ut similitudine Dorothei doctrinâ primâ utar, sunt velut duo agiles equi, vitæ nostræ currum trahentes, & in cœlestes mansiones sine ullo labore portantes. S. Vincentius Ferrerius pariter obedientiam nobis ad cœlum aditum aperire dicit: Non existimet, inquit, aliquis hominum, quòd aliter possit intrare paradisum, nec per Dominium, vel potestatem, vel spiritualem, sed per humilem obedientiam.

S. Anton. de Pad. serm. in fer. 5. Pass.

XXI. S. Antonius de Padua circa locum, in quo Magdalena plenariam accepit omnium peccatorum suorum absolutionem, id est, circa domum Simonis Pharisæi, sequentem instituit ingeniosam ponderationem, inquiens: Moraliter benè hîc datur forma, quomodo anima peccatoris converti debeat, ut possit indulgentiam percipere de peccatis. Ubi primò occurrit videre, ubi ipsum veniæ largitorem valeas invenire. Respondeo, in domo Simonis, qui obediens interpretatur, intra domum obedientiæ, ibi ipsum invenies, quia obedientia ipsum ad suum hospitium trahit semper. Mulier peccatrix anima, quæ benè vocatur Maria à mari. Mare propter multitudinem amaritudinis peccatorum. Si vult à culpa sanari, oportet, quòd vadat ad domum Simonis, id est, ad obedientiam.

S. Ambros. l. 7. in Luc. c. 10.

XXII. Christus Redemptor noster Apostolis suis olim præcepit dicens: *Neminem per viam salutaveritis.* At verò cùm ita sit, ut certus

certus quidam DEI servus illuminatus, S. Philippi Nerii discipulus, dicere solitus erat: Qui urbanitate morum caret, spiritum DEI nunquam habebit; cur igitur filius DEI scholæ suæ discipulis hanc præcepit inurbanitatem, ne scilicet in via obvios salutarent? Hujus rei mysterium S. Ambrosius nobis pandit, inquiens: Ergo & hîc non salutationis officium aufertur, sed obstaculum impediendæ devotionis aboletur, ut, quando divina mandantur, paulisper sequestrentur humana: pulchra est salutatio, sed eò pulchrior, quò præceptorum maturior executio divinorum, quæ per moram sæpè trahit offensam. Ubi notanda sunt verba illa: Pulchra est salutatio, sed pulchrior &c. Etenim oratio mentalis, cilicia, jejunia & aliæ similes austeritates bona quidem & laudabilia sunt opera: At verò longè majoris est meriti & profectûs, si quis per obedientiam ab iisdem abstineat. In vita S. Philippi Nerii de Francisco Maria Tarugio, qui postea ad Cardinalitiam assumptus dignitatem fuit, unusque ex primis S. Philippi Nerii discipulis, nostræque Congregationis Pater fuit, legitur, quòd dum nocturno tempore ad orationem faciendam surgere volens, à S. Philippo id faciendi postulâsset licentiam, is complexionis eius probè noscens debilitatem, hanc ei denegârit; Tarugius autem ideò à proposito suo minimè destitit, quin potiùs proprii huius operis permissionem solito ardentiùs sollicitavit: cùm verò tandem suum executus fuisset desiderium, contigit, quòd prima nocte, quâ surrexerit, caput suum adeò debilitârit, ut deinceps per undecim menses orationis exercitio nequicquam vacare potuerit.

Mansi disc. 840. n. 10. XXIII. In libris Regum legitur, quòd, cùm Naaman Syrus ad Elisæum accessisset, ut à lepra sua ab eo curaretur, à Propheta septies in aquis Jordanis se abluere iussus fuerit. At verò num fortè aquæ Jordanis hâc erant virtute præditæ, ut lepram curarent? & posito, quòd ad malum hoc pellendum naturâ suâ servirent, quonam spectabat numerus ille septenarius? Abulensis ait: dicendum, quòd ita poterat sanari Naaman, lavando se unicâ vice in aqua, quàm si lavaret septies, & tamen iussit, quòd lavaret septies propter meritum obedientiæ; sicut interdum iubentur aliqua quibusdam, quæ non sunt necessaria, & tamen iubentur, ut obediant, & mereantur obediendo. Observandum tamen est, Naaman sanitatem non recepisse, nisi postquam discursum, & intellectum suum captivando mortificavit, quia ab initio in aquis illis se absolvere renuit, dicendo, Aquas Syriæ longè meliores esse. At verò quando à prudenti servo suo monitus, partem suam rationalem vicit, & arbitrio Prophetæ substravit, desideratum sanitatis fructum protinùs obtinuit.

Didac. Nyssenus in vit. Abrah. c. 5. XXIV. Gravi edicto Redemptor mundi apud Matthæum divites mundanos perculit, dicens, *faciliùs posse camelum transire per foramen acûs, quàm opulentos intrare in Regnum cælorum.* Audierunt hæc cum stupore Discipuli, conterritique dixerunt, *quis ergo poterit salvus esse?* Matth. 19. 25. Respondit Dominus *apud homines hoc impossibile esse, apud DEUM autem omnia possibilia.* Tunc dixit Simon Petrus ad illum: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis?* Sanctus Hieronymus in commentatione horum beati Petri verborum positus exclamat: Grandis fiducia? Quando cæteris Apostolis erigit comas, mentémque & cor, & omnes artus tremor concutit, natus de terribili sententia, quam Christus contra divites pronuntiavit, ita ut dicerent; *Quis ergo poterit salvus esse?* Solus Simon Petrus audacter, animoseque vel intrepidè ait ad Christum, non solùm de se benè fisus, sed etiam de aliis securus, sibi videri edictum illud ad se, collegásque suos non pertinere, eò quòd pauperes essent, & omnibus renuntiâssent, adeóque certam sperarent salvationem. Quî factum, quòd, cùm alii Apostoli contremiscebant, solus Petrus fidenter Christo loquebatur, dicebátque, certam sibi, sociísque suis promittere beatitudinem. Respondet S. Petrus Damianus, monétque advertere, quis ille sit, qui loquitur; Dixit Simon Petrus. Simon ex interpretatione S. Hieronymi, Venerabilis Bedæ, Nicolai Lyrani & Pagnini, idem est, quod obediens. At si obediens loquebatur, quid mirum, quòd confidenter præsumebat, & humiliter gloriabatur, quando alii angebantur animis, & trepidabant? qui enim perfectè obediens est, ille tutò cum JESU, sive Salvatore loqui potest, nemo enim certiùs, quàm verus obediens, posse sperare salutem videtur.

XXV. Pugnabat Jacob pertinaciter in Palæstra sacra, inclinabatque in illius partes victoria. *Itemp. a. l. 6. c. 7.* Cùm inter productiorem conflictum aurora proximum diem nuntiaret, dicebat ad Jacobum ille, quocum luctabatur: *dimitte me, jam enim ascendit aurora.* Gen. 32. 26. At quid impedimenti adferre intermissioni pugnæ dies poterat? cur ille finem luctæ antè fieri voluit, quàm dies appeteret? etsi concertatio illa & corporalis & spiritualis erat, sic ut Jacob spiritu etiam pugnaret, ardentibusque precibus DEUM appeteret, & plurimas illi ab oculis lachrymas affunderet, quare orandi studium propter ingruentem diem relinquere, aut seponere debuit? cùm DEUS amet audire orationes, & nulla illis impedimenta sol cum die per se adferat, quid erat, quò minùs Jacob per diem tam sancto operi operam rectè daret? Satisfaciunt huic dubitationi, saluberrimúmque simul monitum suggerunt glossa Angelica, & Pererius, quia aiunt, illud: *Dimitte me, jam enim ascendit aurora*, perinde fuisset, ac si dixisset: Tempus est, ut ab invisibilibus ad temporalia tractanda descendas. Habebat Jacob uxores non minùs quatuor, sobolem multam ex pluribus matribus, familiam copiam. Quando ergo dilucescere cœpit, iussus est intermittere studium orationis spirituale, & vacare gubernationi

tioni domûs, disponere necessaria, & rem curare familiarem. Non enim est grata DEO oratio, quæ tunc fit, cùm faciendum aliud. Multò autem magìs probat, cùm iusta habetur ratio necessitatum, & illi primùm occurritur, quæ maxima est; & quoniam magìs congruebat, studere curæ domûs, quàm orationi tunc, cùm dies appetebat, idcircò ille glorioso colluctatori suo dicebat, dimitte me, & vade procuratum res tuas familiares, & ordinatum operas domesticorum tuorum, hæc enim DEO acceptissima fuerit oratio. DEUM enim pro DEO, ut aiunt, relinquere, non est illum deserere, sed potiùs maiora apud illum lucra facere, ampliorémque apud illum gratiam inire. Sanctum enim adagium docet, illum optimè orare, qui officii sui partes rectè curat, probéque exequitur. Ille verus quærendi, & inveniendi DEUM est modus.

Ibidem. XXVI. Suavissimam fragrantiam, quam sponsæ vestimenta exhalabant, sponsus sentiens aiebat, thuri, quòd carbonibus impositum supremo Numini votivo cultu adoletur, similem sibi eorum odorem videri, inquiens: *odor vestimentorum tuorum, sicut odor thuris*; Cant. 4. 11. Notorium est, quidquid rei materialis ad sponsæ commendationem assumitur, id allegoricum esse, & mysticum, nam sub cortice materialium latet spirituale, quod sponso maximè est propositum. Videamus itaque nunc, quid vestimenta sponsæ significent. Richardus de S. Victore cum omnibus aliis expositoribus ait, vestimenta esse symbola virtutum, & operum meritoriorum, quibus fovetur & contegitur anima, & omnium exercitationum piarum, quibus illa ornatur, & venustatur. Richardi verba sunt eiusmodi: Vestimenta animæ sunt opera, quæ in charitate sunt, vel fiunt, quibus vestiti, & non nudi inveniuntur ante DEUM Electi. Cultus ergo animæ sunt opera misericordiæ, ut visitatio infirmorum, consolatio in carcere detentorum, erogatio eleemosynarum in pauperes, vestitio nudorum, & alia id genus opera sacra. Notandum verò, quod odor thuris erat, quem illa vestimenta spirabant. Cujusnam rei hieroglyphicum est thus? Non puto esse aliquem, qui nesciat, thus esse typum orationis. Nihil magìs tritum, pervulgatúmque, quam illud Psalm. 140. 2. *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.* Secundùm hæc, quòd Sponsæ vestimenta, quæ erant virtutes, & opera charitatis &c. thus, ut sponsus ajebat, sive incensum olebant, perinde fuit, ac si dixisset, olere orationem. Verùm cùm visitare captivos, consolari lugentes, vestire nudos, sepelire mortuos, ferre opem egentibus sint opera plurimùm distincta ab actu & exercitio orationis, quomodo omnia illa olebant thus, sive orationem? voluit Spiritus S. ea te tacitè insinuare doctrinam, quam hîc tradimus, & significare, illam esse optimam orationem, cùm quis officium suum rectè curat, Deúmque, qui videtur esse in oratione, relinquendum pro DEO, quando magìs convenit, & res ita postulat; quia tunc DEO magìs placent alia opera magìs necessaria, quàm oratio. Meliùs hæc dicet Richardus, quàm ego. Vestimenta sunt sicut odor thuris, quia sic bonum odorem de se mittit bona operatio, sicut devota oratio. Si enim propter occupationem utilem orationem aliquis intermittat, ipsa occupatio vice orationis reputabitur, ut juxta Apostolum sine intermissione oret, qui semper operatur. Itaque intermittere orationem, contemplationem, aut aliud quodlibet spirituale exercitium, ut rebus aliis magìs utilibus, & necessariis opera detur, etiam est orare, & contemplari, & secundùm Pauli dictum perpetuò precari: Ille namque legitimè orat, qui, quod suæ obligationis est, facit, ille scit DEUM quærere, qui novit ipsum pro ipso relinquere, quando magìs expedit, & majoris refert.

XXVII. Tàm vehementer flagrabat spiritus Prophetæ, ut non contentus, quòd ipse pientissimo Domino suo laudum cantica pangeret, & concineret, etiam Angelos ad concelebrandas alternatim ejusdem Domini laudes ardentibus votis, & magnis vocibus invitaret, inquiens: *Benedicite Domino omnes Angeli ejus, benedicite Domino omnes virtutes ejus.* Ps. 102. 21. Non dissimulavit autem Propheta modum laudum, & orationum, quibus vacaturi erant Angeli dicens: *Facientes verbum illius ad audiendam vocem sermonum ejus, ministri ejus, qui facitis voluntatem ejus*; velut dixisset: Facite quæcunque illum velle nostis, quicquid voce imperat, aut annuit oculis, explete, este famuli ejus promptissimi & expeditissimi ad exequenda omnia jussa illius. Notandum hîc, quòd Sanctus Propheta non satìs consequenter locutus, & hortatus Angelos videatur. Invitabat illos, ut communibus laudibus communem Dominum celebrarent, benedicerent, magnificarent, statimque dicebat, ut voluntatem ejus facerent, præcepta eius opere perficerent, & verbis eius citum obtemperantissimè morem gererent, facientes verbum illius. Quid hîc uni cum altero convenit? Quid connexionis inter invitationem ad orandum, & exhortationem ad faciendum, quæ iuberentur? Quomodo qui vacare laudibus suaserat, mox darè operam explendis mandatis consuluit? Occurrit dubitationi Sanctus Augustinus inquiens, non fuisse ita abreptum à fervore spiritûs sanctum Davidem, ut imprudenter verba effutiret, sed valdè consequenter potiùs locutum, quando primùm ita inclamavit Angelicos spiritus: *Benedicite Domino omnes angeli ejus*, statimque subiunxit: *facite verbum illius.* Hoccine verò fit benedicere Domino, facere verbum illius? Isne laudet, & oret DEUM, qui operatur, quæ illi grata putat, & iussa illius exequitur? Imò verò, inquit Augustinus: Si vis benedicere Dominum, fac verbum eius, voluntatem eius, si vis vacare orationi, quæ DEI pergrata sit oculis, sepone orationem, intermitte contemplationem, cessa tantisper ab ipsius *Ibidem.*

laudibus, quando aliæ status tui occupationes necessariæ aliò te vocant, quando ex officio tuo facere aliud teneris, cui dum operam navas diligentem, acceptissimam DEO laudem offers. Optimum genus orandi est, DEUM pro DEO relinquere, quod cùm facis, devotissimum illi obsequium, & cultum religiosissimum offers: Si vis benedicere Dominum, fac verbum ejus, voluntatem ejus.

Ibidem. XXVIII. Accipiamus hanc à cœlesti Magistro doctrinam. Attentissimam ille, ardentissimámque in horto Gethsemani ad Patrem suum æternum fundebat orationem, inquiens: *Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste.* Matth. 26. 39. At si non ita expedit, fiat tua per omnia voluntas, cui subjectissimè obtemperare sum paratus. Habebat tunc apud se tres charissimos Apostolos, & monet S. Matthæus, quòd intermissa ad tempus oratione, venit illos invisum, invenítque somno oppressos, & objurgavit unum maximè Petrum, qui tantam constantiæ firmitudinem tam jactanter pollicitus esset, & nec ad horulam cum Domino suo pro communi salute vigilante, & tribunal Patris sui appellante vigilare potuisset, postquàm in mortem cum illo velle ire spopondisset. Matthæus ibid. v. 40. sic ait: *Venit ad Discipulos suos, & invenit eos dormientes.* Recepit se denuò ad orationem anxiè afflictus Dominus, sive, ut illud ibid. v. 42. habet, iterum secundò abiit, & oravit. Aliquamdiu precatus, etiam hanc tantisper sepoſuit orationem, & venit iterum solicitus Magister ad somniculosos discipulos. Confugit etiam tertiò ad orationem, & tertiò inde ad gregem suum impiger, ac pervigil pastor recurrit. Sed quid est, quòd, cum Patre æterno Filius ejus coæternus loquens, toties ab illo recessit, ut abiret ad Discipulos? Siccine Creatorem reliquit, ut creaturas visitaret? Parùm urbanè factum videtur, quòd susceptum cum tali Patre colloquium, iterum, atque iterùm interrupit, ab illo ad tales creaturas secessit. Respondet Simon de Cassia, inquiens, magno consilio hoc fecisse Dominum & Magistrum, ut nobis inculcaret doctrinam, quam hic versamus, crebróque illo accessu ad orationem & recessu ad discipulos nos doceret, propter majorem quandam necessitatem nonnunquàm intermittendam orationem, & seponendas preces, quando res postulat, ut vel dormientem excitemus, vel negligentem stimulemus. Bona enim oratio fuerit, & qualis illa Christi, si orationem deseras, ut objurges somnum aliquorum Discipulorum, & socordiam Apostolorum corrigas, & castiges, qui tunc vigilare, & inservire suo Magistro, & insomnes illum sequi deberent. Simonis de Cassia verba lib. 3. in Evang. talia sunt: Nullo responso suscepto, interpolavit orare per modicum, reversus tamen ad piam, & utilem actionem, nam venit confortaturus Discipulos. Oportet siquidem orationem intermittere pro utilitatibus proximorum, maximè ubi bella spiritualia timentur, Et discretionis insignis est virtus, actum virtutis præ alio actu virtutis intermittere. Quòd orationem Dominus intermisit, hoc fecit, ut alteri operi pietatis, hoc est, Discipulorum exhortationi, emendationi, corroborationi studeret. Convenit enim aliquando seponere orationem, quando aliorum salus curam, opémque nostram efflagitat, imprimis cùm anima cujuspiam periculo proxima per nos sospitari potest, tunc enim rem magis gratam DEO feceris, si illo etiam relicto, ad avertendum à periclitabundo exitium te converteris. Magnæ enim prudentiæ est, minus lucrum deserere, & majorem quæstum consectari. Omnibus ergo danda opera, & orationi præ omnibus, nisi quando gravior necessitas, & debita officii, vel status proprii officia nos ab ea aliò vocant. Discretionis insignis est virtus, actum virtutis pro alio actu virtutis intermittere.

Dignitas.

XXIX. Videns cœlestis Præcursor propiùs ad se accedere Solem, cujus ipse aurora erat, plenus gaudio, & lætitiâ, succlamabat: *Ecce Agnus DEI, ecce qui tollit peccatum mundi.* Joan. 1. 29. Non exiguam difficultatem habet statuere, de quo peccato sanctus Joannes loquatur. Nam cùm in mundo tot sint peccata, quæ aufferri debeant, tot maculæ, quæ postulent eradi, nimis parcè de Agno DEI locutus Joannes videtur, cùm de illo ait, quòd tollit peccatum mundi, in quo affluentissima est scelerum colluvies, quæ exhauriri petat, & aboleri. Sed quoniam de uno tantùm per Agnum DEI auferendo peccato loquitur, qualenam illud esse, dicemus? Magnus Bulgarorum Archiepiscopus Theophylactus in c. 1. Joan. de hac re sic ait: fortassis autem, quia inobediens fuit homo DEO, & in varias affectiones incidit, peccatum mundi inobedientia fuit, quam è medio abstulit Dominus, factus obediens usque ad mortem, & contrarium contrario sanans. Nonne videtis unam inobedientiam à S. Joanne vocari peccatum mundi? Tale autem hoc videtur, quale si dixisset, præter inobedientiam nullum esse vitium in mundo, nec virtutem aliquam præter obedientiam. Cùm quis est inobediens, illum omnibus contaminatum esse flagitiis, præsupponere possumus. In solo inobedientiæ peccato peccata omnia videntur inclusa; unde & Joannes, cùm indicare vellet, quòd Christus auferret omnia peccata, ait, tollere inobedientiam: *Ecce qui tollit peccatum mundi.* Ergo è contrario de illo, qui est verè obediens, affirmare, ut videtur, possumus, omnibus ornatum esse gratiis, & virtutibus: De obediente namque omnia bona credere, & cogitare, quidquid de integerrimo & sanctissimo possumus. *Idem in vita Abraham. l. 1. c. 5.*

XXX. Non inepta videtur ratio jam dicta, ob quam unicum Sacrificium, quo Abraham Filium suum offerre volebat, multorum nomine est donatum, cùm ille ait: *Abraham* *Ibid. l. 1. c. 6.*

Pater

Pater noster nonne ex operibus justificatus est, offerens Isaac filium suum super altare? Sed ut sententiæ eruditi illius, quem dixi, Interpretis inhæream, dico, obedientiam Abrahæ fuisse appellatam multa opera, ad indicandum etiam, quàm sublimis, quàm excellens, quàm DEO grata sit obedientiæ virtus, ut in qua virtutes omnes videantur inclusæ. Cujus dubii (nempè cur de una obedientia, tanquàm de multis operibus locutus sit S. Jacobus) solutio in eo videtur consistere, quod obedientia perfecta multiplex est, & instar multorum actuum apud DEUM reputatur. Nescio, quid habeat illa tam accepta DEI oculis, & heroica obedientiæ virtus, ut qui unam illam possidet, multis affluere videatur virtutibus, totúmque confecisse perfectionis curriculum, qui illâ solâ perfectè est excultus.

Ibidem. XXXI. S. Joannes Chrysostomus homil. 1. de laudibus S. Pauli quærit tale quippiam. Quid in Angelis magnificum prædicamus? A quo illos commendare amplissimè, & extollere plurimùm possumus? Ut respondeat quæsito, jubet nos sacer Doctor ad Regem cantorem pergere, ut qui hanc facilè diluat dubitationem. Ille de Angelis sic ait: *Benedicite Domino omnes Angeli ejus, potentes virtute facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonem ejus.* Ps. 102. 20. Ecce promptam Prophetæ responsionem, inquit Chrysostomus, cùm plurima essent, à quibus prædicare beatos illos spiritus posset; postquàm generatim dixisset, esse illos potentes virtute, omnibus gratiis cumulatos, cunctis prærogativis ornatos, & perfectionibus insignes, mox ad obedientiam eorum speciatim efferendam convertebatur, inquiens: Facientes verbum illius. Ut enim probes, quem virtutibus omnibus circumfluere, & sanctum esse, & omnium gratiarum cimeliarchium, & omnibus spiritualis perfectionis ornamentis insigniter excultum, unus testis sufficere, idque solum satis esse videtur, quòd esse verè obedientem dicas, quod ubi persuaseris, etiam indubitatum feceris, nihil ad absolutissimam sanctitatem, consummatissimámque virtutem deesse. Quid ergo in Angelis magnificum prædicamus? Profectò, quia cum omni cura obediunt DEO. Hoc maximè in illis commendamus, quòd tam expediti prosiliunt, tam celeres advolant ad omnia, quæcunque Dominus imperat, quod David quoque admirando dicebat; *Potentes virtute, facientes verbum illius.* Huic enim bono æquale est nihil, prorsus etiamsi sint millies incorporei, hoc est enim, quod maximè præstat esse beatos, quia obediunt præceptis DEI. De quo nobis persuasum habemus, quòd sit perfectus obediens, si eundem omni sanctitate; & perfectione ornatum credamus, nihil temerè egerimus, extráque omne præcipitis judicii, aut erroneæ sententiæ periculum erimus.

Ibidem. XXXII. Ad hoc propositum spectat illa Theophilacti observatio, quod in Evangeliis, cùm Princeps Apostolorum de suo nomine Simon appellatur, illud plerumque nomen adjungitur, quo illum Christus donavit, quando Petrum vocavit Matth. 10. v. 2. in recensione Apostolorum, primus *Simon, qui dicitur Petrus.* Iterum Matth. 16. 16. *Respondens Simon Petrus dixit.* Luc. 5. 8. *cùm videret Simon Petrus.* Joan. 6. 8. *Andreas frater Simonis Petri.* & ibid. v. 69. *Respondit ei Simon Petrus,* & apud eundem Joannem alibi sæpè. Cur tantæ curæ fuit Evangelistis, ut hæc duo nomina conjungerent? Simon (quod alibi quoque diximus) idem est, quod obediens, & Petri nomen à Petra, quæ firmitatis Symbolum est, venit. Quòd ergo obedientia cum petra copulatur, perinde est, acsi dicatur, obedientiam esse lapidem fundamentalem, cui virtutes aliæ omnes innitantur; nam ut quempiam firmiter inhærere virtutibus credas, firmiter illud solùm facere potest, si verum, perfectúmque obedientem esse scias. Qui habet obedientiam, etiam ipse Petrus efficitur, per obedientiam proficiens, ut firmetur in bono, inquit Theophilactus in c. 1. Joannis.

XXXIII. Cùm extollere virtutem alicuius voluimus, dicere solemus: *io trocara mialma por la suya*, hoc est, cum ipsius anima meam commutarem. Nam ut homines oderunt jacturam in suis permutationibus, & anima valde pretiosum monile est, sic nunquam suam cum alia permutare vellent, nisi lucrum alterius multò sanctioris, & opulentioris ex mutatione sperarent. Interrogemus nunc S. Ignatium Martyrem, quam ille animam pro sua arriperet, si deligendi optio, & commutandi facultas concederetur. Respondet ille Epist. 11. To. 3. Biblithec. Vet. PP. Meam animam cum animabus eorum, qui Episcopo parent, libens commutavero, faxit DEUS, ut cum illis mihi portio contingat à DEO. Ex toto ergo sacro sancto pulcherrimarum virtutum choro nulla inclyti Martyris ad se oculos rapuit, nisi obedientia; Neque cum alio animæ suæ commutationem fecisset, nisi cum eo, quem obedientiæ perstudiosum & observantem scivisset. Meam animam lubens commutavero cum animabus eorum, qui Episcopo parent. Maximæ dignitatis, & incomparabilis pretii est obedientia, quæ sola pretium virtutum cunctarum includere videtur. Qui ergo perfectè obediens fuerit, hunc statim ut videtur, virtutibus divitem, & prorsus sanctum censere possumus, & habere. *Ibidem.*

XXXIV. S. Vincentius Ferrerius de illo, quod Beatissima Virgo ministris Nuptiarum in Cana Galileæ dedit, monito tractans, ita discurrit: Quodcúnque dixerit vobis, facite. Sciendum, quòd inter omnia opera & utiliora, quæ possumus facere pro salute nostra, principalius & majus est, obedire mandatis Dei. Quam ob causam Patres antiqui, vero ditati spiritu, virtutem obedientiæ nulli non præferebant operi bono. Prout in hæc verba scriptum reliquit Cassianus: Non solùm operi manuum, seu lectioni, vel silentio, & quieti cellæ, verùm etiam cunctis virtutibus ita præferunt, ut huic judicent *S. Vincent. Ferrer. ser. 4. in Domi 2. post Epiph.*

omnia postponenda, & universa dispendia subire contenti sint, dummodò hoc bonum in nullo violâsse videantur.

Gen. 24. v. 22. XXXV. Acceptissimus Abrahæ servus Eliezer ab eodem Domino suo, ut dignam Isaac filio suo sponsam adduceret, ablegatus fuerat; De hac autem sponsa per singularia divinæ providentiæ indicia certificatus, eamque præsentem nactus, pretiosas indilatè eidem donavit inaures, dicente scriptura: *Protulit inaures aureas & armillas.* Circa quod factum non vulgaris moveri potest difficultas: cùm enim servus ille ædes Domini sui egressus fuerit, ex omnibus bonis eius portans secum; Cur obsecro sola monilium, & inaurium istarum fit mentio? Mysterium revelat S. Ambrosius dicens: S. Ambros. l. de Isaac c. 4. veniebat iam cœlestibus dotata Mysteriis, veniebat magna secum ornamenta & aurium, & manuum ferens, eò quòd auditu & operibus emineat Ecclesiæ pulchritudo. Rebecca enim Ecclesiam præfigurabat, quæ, ut digna Christi sponsa esse possit, inter omnes alias virtutes, primo omnium loco exactam quandam profiteri debet obedientiam. Inauris aurea, & margaritum fulgens, inquit Sapiens, qui arguit sapientem, & aurem obedientem; sicut enim gemmæ animam exornantes sunt virtutes Christianæ, ita teste S. Ambrosio: omnium virtutum fundamentum, est cœlestium obedientia mandatorum.

Mansi tr. 14. disc. 4. n. 6. XXXVI. Dicere quoque possumus, Filium DEI, licet is in utero virginali operâ Spiritûs Sancti fuerit conceptus, nihilominùs verum quendam obedientiæ extitisse partum. Enim verò Jacob Patriarcha gregem suum multiplicare satagens, maximè quoad illum, qui ad se spectabat, sequentem observâsse legitur sagacem id faciendi modum: *Tollens virgas populeas virides, & amygdalinas, & ex platanis, ex parte decorticavit eas, detractisque corticibus, in his, quæ spoliata fuerant, candor apparuit, illa verò, quæ integra fuerant, viridia permanserunt, atque in hunc modum color effectus est varius. Posuit eas in canalibus, ubi effundebatur aqua; ut, cùm venissent greges ad bibendum, ante oculos haberent virgas, & in aspectu earum conciperent, factùmque est, ut in ipso calore coitûs oves intuerentur virgas, & parerent maculosa, & varia & diverso colore respersa.* Porrò de Incarnatione verbi olim in hæc verba prophetatum fuit; *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, & requiescet super eum Spiritus Domini.* Virgo igitur concipiendo Filium, oculos suos, magis verò cor, & mentem suam, in obedientiam defixam habebat, ac proinde in ipso actu Incarnationis, in hæc verba prorupit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.* Quis igitur mirari poterit eandem Beatissimam Virginem verum obedientiæ partum enixam fuisse? S. Antonius ait: Mariâ obediente voci Angeli DEI, Filius uterum eius intravit; Ac proinde S. Augustinus id ipsum considerans exclamat dicens: O felix obedientia, quæ cœli in se opificem corporavit.

S. Chrys. in Psal. 44. v. 11. XXXVII. Regius Psaltes ait: *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & concupiscet Rex decorem tuum.* Ex hoc autem loquendi modo deducitur, quòd pulchritudo animæ alicuius, quâ cor cœlestis Sponsi rapitur, potiùs in auribus consistat, quàm in aliis membris. Audi, inclina aurem tuam, & concupiscet decorem tuum. Ut scias, inquit D. Chrysostomus, eum non loqui de pulchritudine corporis, eam dicit constitui ex eius obedientia. Audi, enim significat, quod obedi. Subdit verò idem Chrysostomus: obedientia non constituit pulchritudinem corporis, sed animæ.

XXXVIII. Inter omnes Adami posteros unicus tantùm dignus fuit, qui cruci Redemptoris Mansi ibi. disc. 6. n. 7. ad montem Calvarium ascendentis humeros suos submitteret. At verò nunquid is timere poterat, divinum illum Athlantem, qui tribus duntaxat digitis totum sustinet Mundum, onus illud crucis, quantumvis grave regere nequaquàm solùm posse? Omnia in figura contingebant. At verò quem putatis hanc Christo exhibuisse benevolentiam, ut crucem portare iuvaret? Quisnam sublimi hoc dignus factus est honore? Nam fortè S. Petrus? aut verò Princeps Synagogæ Nicodemus? vel S. Michael Archangelus? Nullus horum. Sed solùm quidam de villa ad civitatem Ierosolymitanam transiens. At verò quibus meritis hunc sibi honorem comparavit? Nullo prorsus quantùm ex S. Scriptura colligere licet, hoc solùm constat, eum Simonis nomine appellatum fuisse: Simonem quendam &c. Simon autem idem est, quod obediens; Et ideò per hoc innuitur, illos vel maximè DEO placere, atque ad portandam crucem eius habiles & idoneos esse, qui obedientes existunt.

XXXIX. S. Franciscus Salesius de hac materia discurrens in libris de amore Dei, sequentem S. Franc. Sales. p. 2. l. 2. c. 3. de div. amor. adducit similitudinem. Omnes quasi herbæ, quæ flavos producunt flores, specialiter verò Cicoria Sylvestris, quæ flores cœruleos progignit, ad partem, ubi sol est, semper flectuntur, illiúsque sequuntur perpetuò gyrum: At verò Heliotropium, quod solisequum appellare solemus, non solùm flores solem versus flectit & inclinat, sed & omnia folia sua ad eundem, ubicunque est, dirigit, luminaréque hoc maius semper & ubique sectatur; Ita pariter viri spirituales florem cordis sui, id est, obedientiam, inclinant ad ea, quæ ex parte divinæ voluntatis præcepta sunt, imò animæ ipsorum sancto quodam amore succensæ, non solùm divinam voluntatem hanc respiciunt per obedientiam præceptorum, verùm etiam per omnimodam affectus sui unionem, divini huius Solis cursum sequuntur in omnibus præceptis, consiliis, inspirationibus, sine ulla prorsus exceptione aut differentia, adeò ut cum Psalmista dicere possint. *Tenuisti Domine manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me, & cum gloria suscepisti me.*

XL. Subditi Prophetæ Job aliquando ad ip- S. Greg. l. 35. mor. c. 10. sum convenientes, auream illi obtulère inaurem, & oviculam, dicente Scriptura: *dederunt ei unusquisque ovem unam, & inaurem auream unam.* Quæ munera meritò quisque obstupescat. Quæ enim inter ovem & inaurem viget unio? Mysterium nobis patefacit S. Gregorius, dum inquit:

inquit: Notandum verò est, quòd hoc loco cum inaure ovis, cum ove inauris offertur, quia nimirum innocuis mentibus ornamentum semper obedientiæ jungitur, Domino attestante, qui ait: Oves meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me. Beato igitur Job nemo inaurem sine ove, nemo ovem sine inaure obtulit, quia profectò Redemptori suo non obedit, qui innocens non est; & innocens esse non potest, qui obedire contemnit.

S. Bonav. in Diat. salut. tit. 3. c. 2.

XLI. Quamnam existimas esse rationem, cur Salvator noster Petrum præ cunctis Apostolis elegit, cui consignaret claves regni cœlorum: *Tibi dabo claves Regni cælorum?* cur non illas S. Andreæ assignavit? qui primus se eius sequelæ adiunxit? aut verò S. Joanni dilecto Discipulo suo? Respondet S. Bonaventura: Christus dedit Simoni, qui interpretatur obediens, claves Regni Cœlorum; obedientia enim est clavis aperiens cœlum.

Did. Nyssen. in vet. Abrah. l. 1. c. 5.

XLII. Duodennis Filius DEI, postquàm in templo à Parentibus inventus fuit, descendit cum eis, & venit Nazareth, & erat subditus illis. Luc. 2. 51. Abiit ergo cum vera Matre sua Maria, & putativo Patre Joseph Redemptor Mundi, omnisque illius occupatio erat vivere ex illorum voluntate, & arbitrio; & erat subditus illis. Beatissimus Papa Sanctus Gregorius in catena aureâ Doctoris Angelici in Evangelistæ verba sic disserit: Totam intermediam Christi vitam, quæ est inter ostensionem ætatis, & tempus Baptismatis, velut immunem alicuius famosi, & publici miraculi, & doctrinæ, Evangelista sub uno verbo colligit dicens: & erat subditus illis. Cùm verò Dominus interea plurima egerit digna memoratu, cur sacer Historicus eorum narrationem prætermisit? Non omninò prætermisit, sed mystico compendio usus, plurima paucis complexus est, cùm ait: Et erat subditus illis; quod perindè fuit, acsi dixisset: sub uno verbo omnia, quæcunque de nostro Redemptore dici possunt, collegi, cùm subditum fuisse affirmavi. Nam qui alium à promptâ, perfectâque obedientiâ commendavit, omnia dixit, quæcunque dici possunt, ut omnibus aliis affluere virtutibus credatur.

Ibid.

XLIII. Venit quondam fugitivus David in Nobe ad Abimelech Sacerdotem, qui simul ac illum vidit, admirabundus ait: *Quid ego te ita solum, incomitatúmque video? Rex præcepit mihi sermonem.* 1. Reg. 21. 2. *negotiúmque commisit, quod, ut est admodum grave, ita vult esse tectum, & secretum. Illud verò te scire velim, quòd valdè famelicus huc venio, quare si vel quinque panes, vel aliud quidpiam esculentorum in promptu habes, necessitati meæ fac subvenias. Respondit Sacerdos, nihil ad manum se habere, nisi panes sanctos, quos dare non possit, nisi eorum, qui sumpturi illum erant, puritatem ante examinâsset. Itaque aiebat: Si mundi sunt pueri, maximè à mulieribus?* ibid. v. 4. Abulensis sciscitatur, quamobrem Abimelech Sacerdos dederit Davidi panes propositionis sanctos, cùm facilè posset illum aliò mittere, ubi profanos, ad levandam suam esuriem, perficiendámque reliquam viam, acciperet panes? Respondet q. 8. in 1. Reg. c. 21. vidit eius magnam velocitatem ex mandato Regis, ideò non misit ad aliam domum pro pane, sed credidit observationem præcepti regalis sufficientem esse causam ad hoc, quod posset dare David de cibis sanctificatis.

Jucunditas.

Mansi tr. 54. disc. 14.

XLIV. Jacob Patriarcha desertâ domo paternâ in Mesopotamiam se contulit, ad locum, ubi omnis exularat timor DEI, imò ubi Idolis sacrificabatur; Et ut paucis absolvam, domum subiit perfidi Laban, sed dum hæc omnia ex materno duntaxat imperio, præceptóque aggressus est, Deo protegente, perque hoc ipsum obedientiæ securitatem nobis indigitante, omne corporis animæque declinavit periculum; Quin & prima nocte discessûs sui Angelos habuit custodes, sibique obsequentes, quos per scalam ascendere, & descendere vidit. Redeunti pariter occurrerunt Angeli, dicente Scripturâ: *Fuerunt ei obviam Angeli Dei.* Quam prærogativam Rupertus Abbas promptissimæ eius obedientiæ incunctanter adscribit, inquiens: Jacob postquam præceptum matris peregit, revertenti obviàm fuerunt Angeli DEI, ut sciamus, quia post obedientiæ laborem cuique viro fideli superest, supernis illum revelationibus glorificari, & cœlestium spirituum crebrâ visione etiam in hac vita remunerari. Quemadmodum in jamjam memorato vidimus Patriarcha, cuius universam felicitatem eiusdem obedientiæ etiam attribuit Porrecta, quando illis Rebeccæ verbis (In me sit ista maledictio) sequens adijcit commentarium: Hîc habes, quod nulla via pro salute nostra securior est, quàm obedientiæ.

Author imperf. oper. hom. 1.

XLV. Author operis imperfecti illud in Christi Genealogiâ expressum vocabulum, Obed, interpretans idem significare ait, quod subditus; Quo supposito commentario, ita discurrit ad præsens intentum: Iste autem Obed, qui subditus dicebatur, quid genuit? Jesse id est refrigerium; Jesse enim in latino sermone refrigerium appellatur, nam verè quicunque subditus est Deo, & parentibus suis, tales filios generat, Deo præstante, à quibus refrigeretur. Quia nimirum, ut Bellovacensis in speculo suo morali scriptum reliquit: sanè divina voluntas est multùm delectabilis in corde devoto, sicut dicit Augustinus; Mihi adhærere Deo bonum est &c. & alibi: Cùm tibi adhæsero ex omni re, nunquam mihi labor, nunquam dolor, sed vita mea tota vivet in te, tota plena te. Talis adhæsio facit hominem pacificum, imperturbabilem, & quietum, & in præsenti quasi Deum facit. Luc. 2. Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.

Thom. Kemp. in concion. de Samarit. mal.

XLVI. Venientibus de Civitate Discipulis, cùm ad manducandum hortarentur Jesum, ipse obedientiæ panem, qui animam Deo subjectam gratiosissimè pascit, ostendit, omni corporali cibo esse præferendum. Nec sapidior ullus gustatur cibus, nec pinguior mensa amantis oculis præponitur, quàm impletio mandati cœlestis, sicut ipse obedientissimus Jesus effatur: *Meus cibus est, ut faciam voluntatem eius, qui misit me.*

TITU-

TITULUS LI.

OCULORUM CUSTODIA.

§. I.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Qualitas.

S. Greg. Nyss. orat. 1.

BRuta spectant, ad quæ nata sunt; Ad pastum genita sunt pecora; itaque pronam deorsumque vergentem formam habent, ut ventrem & quæ ventri subjecta sunt, videant. Homo verò non ventrem respicit, sed superiora contuetur, caput illi sublime est, ut genus cœleste suspiciat. Oculi non tendunt in terram, quo circa non vim inferas naturæ tuæ: Terrena ne spectes, sed cœlestia, ubi Christus est. Sic formatus es, & forma tua te monet, ad quem natus sis finem. Genitus es, ut DEUM videas, & contempleris, non ut humi dejecta serpat vita tua: Idcirco sapientis oculi in capite sunt ipsius. Cur autem non ad caput, sed in capite, nempe ut quæ excelsa sunt & sublimia intueantur, & spectentur. Qui autem ea non aspicit, sed terrena, is oculos humi defixos, ac sepultos habet.

Bellovac. spec. mor. l. 3. dist. 5.

II. Natura collocavit oculos in summo capite nostro, per quod nobis significatur, quòd eos figere debemus in Christo capite nostro, Juxta illud Ps. *Oculi mei semper ad Dominum*; & quòd naturam divinam in cœlo contemplari debemus, ut ad eam semper dirigamus oculos interiores intentionum nostrarum & affectionum nostrarum, ut beatus Martinus faciebat, qui oculis ac manibus in cælum semper erat intentus. Et Beatus Stephanus, qui intendens in cœlum, vidit gloriam DEI Act. Apostol. 7. & Beatus Joannes, qui per aquilam figuratur, qui intuitus est solem in rota, id est DEUM in sua Deitate.

Cornelius a Lap. c. 4. Prov.

III. Oculos tuos, rogo, ut tantùm aspiciant recta, id est, coràm, sive ante te, ad hoc ut pedes & gressus, necubi offendat, vel erret; ad hoc enim dati sunt oculi, ut viam prælustrent per eàmque dirigant iter totius corporis, quare ulteriùs non sunt iaciendi.

Salvianus ap. Mansi tr. 56 disc. 3. n. 6.

IV. Perfectæ ac sincerissimæ sanctitatis volens cultores suos facere Salvator, iussit ab his cautissimè etiam minima vitari, ut quàm pura est pupilla oculi, tam pura sit Christiani hominis vita, & sicut salva intuitus incolumitate, pulveris labem in se oculus non reciperet, sibi vita nostra labem in se penitus impudicitiæ non haberet.

S. Aug. in Ps. 50.

V. Audientes salubriter in casu fortes, metiuntur infirmitatem suam, & quod damnat DEUS, evitare cupientes, ab aspectu securo abstinet oculos. Non eos defigunt in pulchritudine carnis alienæ, nec se ipsos faciunt de perversa simplicitate securos. Proponunt sibi casum David, & ad hoc illum magnum vident cecidisse, ut parvi nolint videre, unde possint cadere; Reprimunt enim oculos à petulantia, non se facilè adjungunt, non miscentes semulieribus alienis, non levant oculos faciles ad aliena mœnia, ad aliena solaria. De longè enim vidit David illam, in qua captus est. Mulier longè, libido propè; alibi erat, quod videret; in illo, unde caderet.

Tertull. de veland. virg. c. 16.

VI. Oro te, sive mater, sive soror, sive filia virgo, secundùm annorum nomina dixerim, vela caput, si mater, propter filios, si soror, propter fratres, si filia, propter Patres; omnes in te ætates periclitantur. Indue armaturam pudoris, circumduc vallum verecundiæ, murum sexui tuo strue, qui nec tuos emittat oculos, nec admittat alienos.

Petrus Cellensis l. 1. ep. 11.

VII. Quamvis homo in fronte duos habeat oculos, tamen ab uno eos officio disjungere non valet, ut altero cœlum, altero terram contueatur; coangustatum est pallium, utrumque operire, imò utrumque operari non valet; sic nisi clausero, ne dicam, nisi eruero oculum, qui me scandalizat, revelatâ facie gloriam Domini non contemplabor.

Necessitas.

S. Basil. de virgin.

VIII. Non igitur vagâ oculorum acies ad omnia passim respicienda visibilia, pandenda est, ne omnem quoque figuram, atque figurarum speciem sine discretionis examine hauriens, ad earum postea turbetur imagines.

S. Ephrem. de humilitate.

IX. Hæc tria instrumenta sunt excolendis virtutibus, ac cœlesti puritati perquam accommoda; Temperantia ventris, moderatio linguæ, & oculorum frænum: Si ergo duo servaveris, oculos verò non custodiveris, sed distrahantur, firmam castitatem tenere nequibis; quemadmodum enim aquæductus confractus perdit aquas, ita & oculorum distractio mentem castam distruxit.

Bolland. 12. Ian. in reg. S. Cæsareæ V.

X. Nulla in vobis concupiscentia oculorum cujuscunque viri, diabolo instigante, consurgat: Nec dicatis, vos animos habere pudicos, si oculos impudicos habeatis, quia impudicus oculus, impudici cordis est nuncius. Nec putare debet, quæ in virum non simpliciter convertit aspectum, ab aliis se non videri, cùm hæc facit. Videtur omnino, à qui-

quibus se videri non arbitratur. Sed ecce lateat, ut à nemine hominum videatur, quid facit de illo Superinspectore, quem omnino latere non potest?

S. Aug. in reg. XI. Oculi vestri, etsi jaciuntur in aliquam fœminarum, figantur in nulla, neque enim quando proceditis, fœminas videre prohibemini, sed appetere, aut ab ipsis appeti velle, criminosum est. Nec solo tactu & affectu, sed aspectu quoque appetitur, & appetit concupiscentia fœminarum. Nec dicatis vos habere animos pudicos, si habeatis oculos impudicos, quia impudicus oculus impudici cordis est nuncius; & cum se invicem sibimet, etiam tacente linguâ, conspectu mutuo corda nunciant impudica, & secundùm concupiscentiam carnis alterutro delectantur ardore, etiam intactis ab immunda violatione corporibus, fugit castitas ipsa de moribus. Nec putare debet, qui in fœminam figit oculum, & ipsius in se ipse diligit fixum, ab aliis se non videri, dum hoc fecerit; videtur omnino, & à quibus se videri non arbitratur.

Mansi Tract. 56. disc. 14. n. 2. XII. Neq; enim Eva lignum vetitum contigisset, nisi hoc incautè respiceret, scriptum quippe est: *Vidit mulier &c.* Hinc ergo pensandum est; quanto debemus moderamine erga illicita visum restringere nos, qui moraliter vivimus, si & mater viventium per oculos ad mortem venit. Hinc etiam modo sub Evæ voce, quæ exteriora videndo concupiscens, bona interiora perdiderat, Propheta dicit: *Oculus meus deprædatus est animam meam*? concupiscendo enim visibilia, invisibiles virtutes amisit. Quæ ergo interiorem fructum per exteriorem visum perdidit, per oculum corporis pertulit prædam cordis.

Hugo Card. apud Mansi disc. 26. n. 2. XIII. Averte oculos meos (quia ipsi me avolare fecerunt: vel ut ex Hebræo legitur: quia ipsi abstulerunt robur meum, quia ipsi me superaverunt) id est, corporis. Hoc petit propter multas causas, quæ tales possunt assignari. Prima est, quia ex aspectu vanitatis provocatur concupiscentia. Secunda, quia ex hoc imprimitur turpis machinatio. Tertia, quia ex hoc generatur prava cogitatio: Prov. 23. *Oculi tui videbunt extraneas, & cor tuum loquetur perversa.* Quarta, quia ex hoc dilaceratur cor, & deprædatur, Thren 3. *Oculus meus deprædatus est animam meam.* Quinta quia ex hoc sensus, & ratio amittitur. Dan. 4. *Levavi oculos meos in cœlum, sensus meus redditus est mihi*; ergo à contrariis, qui ad vanitates inferiores respicit, amittit sensum. Unde bene dicitur in Ps. 39. *Et non respexit in vanitates & insanias falsas.* Sexta est, quia ex hoc nascitur abortivum, id est, bonum propositum extinguitur. Sicut ad literam contingit, quòd, cum mulieres prægnantes aliquid vident & concupiscunt, si non possint habere, faciunt abortivum; sic qui videt vanitates, aliquando perdit bonum propositum Matth. 42. *Væ prægnantibus &c.* Septima, quia ex hoc propositum malum concipitur. Gen. 30. *Ad aspectum virgarum ex parte decorticatarum oves &c.*

S. Basil. l. de virgin. XIV. Est sanè iniquum, & indignum, præterquam quod ad vitium per oculos venitur, virginem, quam manu contrectare non audet, eam jactu oculorum indifferenter attingere. Quæ igitur non evitabit luminum jactum, quantùm in se est, ne manus quidem tactum vitabit; sicut enim cùm ignem tangimus, ignis indicia per impressas nobis adustiones excipimus, ita impossibile est, eum, quem ignis amoris attigerit, ejusmodi tactum innocuum, inviolatùmque perferre.

S. Gregor. l. 21. mor. c. 2. XV. Quisquis per has corporis fenestras incautè exterius respicit, plerumque in delectationem peccati, etiam nolens cadit, atque obligatus desideriis incipit velle, quod nolebat: Princeps quippe anima, dum ante non providet, ne incautè videat, quod concupiscat, cœca post incipit desiderare, quod videt.

S. Chrysost. ho. 17. in Matth. XVI. Non generaliter (Christus, dum dixit: qui viderit mulierem ad concupiscendum eam &c.) concupiscentiam interimit, sed illam, quæ ex formæ decore concipitur, qui enim studet elegantes facies aspicere, ipse præcipuè fornacem sibi istius passionis accendit, & captivam faciens animam, ad opus quoque celeriter adducit.

Salmer. To. 6. tr. 46. XVII. Omne peccatum ex quodam maligno visu oritur, unde superbia non est aliud, quàm se cernere per conspicilia, quæ rem spectatam majorem reddunt, quàm sit in se ipsa. Avaritia etiam creaturas adhibitis specillis, tanquam pretiosiores res, quàm sint, respicit, sicut & invidia, quæ cruciat visâ magnitudine alterius; luxuria & ira, quæ lumen rationis perturbant ob infinitum affectum. Rursum per contrarium omne bonum nostrum, imò & angelorum in bona & recta visione consistit, ut ita videndo vitam habeant, & abundantiùs habeant.

Cornel à Lap. in Eccl. XVIII. Magna est vis oculorum, ad cor, & mentem vulnerandam. Species enim visa per oculos transit ad cor, & mentem, illique suam formam, & consequenter amorem, vel odium imprimit, quæ species hæret in corde, etiam postquam res visa abierit.

S. Laur. Iust. c. 7. de vit. solit. XIX. O quantis concupiscentiarum sagittis ex inordinato oculorum aspectu imprudentis transfigitur cor? Transmittunt utique effrænati intuitus ad animam corporearum formas rerum, atque concupiscibilium qualitatum imagines, suaque importunitate internam dividunt unitatem, sanctos dissipant cogitatus, animi vigorem debilitant, tepefaciunt charitatem, compunctionem minuunt, devotionem fœdant, pacis tranquillitatem turbant, & terreni pulveris insufflatione rationalem caligant obtutum.

S. Ephræm. parænes. 37. XX. Gravis ac vehemens est proditor oculus vagus, atque distractus. Nam cæteræ aspectiones, atque perturbationes animi, recentem habent tentationis ardorem. Bellum autem oculorum, & præsens, & absens dolore

lore affligit animam, pravâ concupiscentiâ inflammans mentem. Exempli gratiâ, audivit quis suavem musicorum concentum, & præteriit, postea luctûs vocem audivit, & planctûs, dulcem musicorum concentum depulit. Similiter gustavit quis mel, postea verò aliquid etiam degustavit acerbissimarum specierum, & acerbitas dulcedinem mellis ex gutture rejecit. Idem odoratus est quis suavissimum aliquid; deinde malum aliquem olfecit odorem,& gravis odor suavitatem odoratûs extinxit. Et rursum tetigit quis aquam frigidam, & postea ebullientem attigit, & fervor calidæ frigiditatem aquæ repressit. Cæterum vagi atque distracti oculi bellum, & præsente, & absente materiâ comburit mentem per concupiscentiam. Quin etiam in somnis corda simplicium maginationibus illudit. Nam dæmones tentationem in mentem atque cogitationem inducunt, in animo describunt efformantes tentationem in oculis hominis, pro quo & Propheta obsecrans, dixit: *Averte oculos meos, ne videant vanitatem.*

Hugo de S. Vict. apud Mansi disc. 19. n. 1. XXI. Etsi corpus ab immunda violatione non tangitur, ipsa tamen immunda violatio visu, affectu, cogitatione, delectatione perpetratur, visus inordinatus parit malam cogitationem, cogitatio delectationem, delectatio consensum, consensus operationem, operatio consuetudinem, consuetudo necessitatem, & ita paulatim sic corrumpitur anima, ut jam dicat, se non posse à peccato abstinere.

S. Laur. Iust. de discip. XXII. Quis oculorum, sine prohibitione vanè & curiosè conspicientium, valet humano sermone narrare concupiscentias, quas hauriunt ab exterioribus,& lethaliter transmittunt ad cor? quis tantâ pollet providentiâ, & tantæ custodiæ sui munitus est clypeo, ut à telis concupiscentiarum oculorum liber existat? ab ipsis enim dominandi amor, indumentorum fastus, morum elatio, divitiarum cupiditas, domorum agrorúmque, & habendi inordinatus procreatur affectus, adulteria, fornicationes, furta, homicidia, vitæ hujus illecebrosus amor, & quam plurima alia vitiorum genera ab his fomentum accipiunt.

Jucunditas.

Clemens Alex. Paed. 3. XXIII. Pulchra ac bona contemplans oculus cor lætitiâ afficit, hoc est, qui rectè contemplari didicit, lætitiâ afficitur.

§. II.

EXEMPLA SACRA.

S. Vinc. in S. de Nat. Dom. I. DE Beata Virgine sic scribit S. Vincentius Ferrerius: Depingitur cum majori oculo, quàm ore; Et quidem sic propriè depingitur, ad innuendum, quòd habebat oculum cordis magnum ad cogitandum & contemplandum, sed os parvum ad pauca loquendum; patet in imagine sua: quam depinxit Beatus Lucas, quæ est Romæ. Et paulò post subjungit: semper habebat suos oculos ad terram, cum gestu sanctitatis, oculis demissis ibat, ideo de ipsa dicit Scriptura: quàm pulchra es? oculi tui columbarum, absque eo quod intrinsecus latet: Nota, oculi tui columbarum, non dicit Falconum. In vita S. Franciscæ Romanæ legitur, quòd Beata virgo se illi in ectasi existenti in ea specie spectandam præbuerit, quâ visa fuit à tribus Regibus Orientalibus, quando hi cum illa de Incarnatione unigeniti sui ejúsque Nativitate ratiocinabantur; viderunt enim illam oculos suos in divinum suum infantem habere defixos, ex qua oculorum modestia sancti illi Reges supra modum manserunt attoniti & ædificati. Unde prædicta Sancta Matrona, postquam ab ectasi ad se rediit, hanc deduxit consequentiam: Quòd si illa, quæ gratiâ plena & superplena erat, in præsentia tam illustrium & nobilium virorum, tantam exhibuit modestiam, & timorem, ut oculos suos à divino conspectu nunquam diverterit, quantò igitur magis mulieres fragiles ingenti cum timore stare debent coram viris, cavere̗que, ne illos aspiciant? alius quidam author de eadem beatissima Virgine ita scribit: Nunquam oculos elevavit, sicut cæteri homines facere solent, sed semper humi defixos tenuit, nisi DEUM oraret. Adeò inter cæteras perfectiones spiritu prophetiæ donata est, ut si fortè aliquid illicitum visura esset, illico ejus oculi clauderentur. Quando Sanctus Gabriel Archangelus in Annunciatione ad eam ingressus fuit, inquit sanctus Lucas: *Turbata est in sermone ejus*: Idque quia in specie virili apparuit; Et quidem nec tunc oculos ad eum videndum elevavit; Non enim dicit Evangelista: Turbata est in aspectu, sed in sermone ejus. Unde sanctus Eucherius ait: Turbata est non in vultu ejus, sed in sermone ejus, non enim Angelum, sed verbum Angeli attendebat.

II. S. Joannes Baptista, teste S. Hieronymo, sanctam Matrem habuit, Pontificisque filius erat, & tamen nec matris affectu, nec patris opibus vincebatur, ut in domo parentum cum periculo viveret castitatis. Vivebat in eremo, & oculis desiderantibus Christum, nihil aliud dignabatur aspicere. Sanctus igitur Joannes Baptista ne quidem oculos suos in sanctam Elisabetham matrem suam defigere voluit. Idem sanctus Doctor in eadem epistola ad Rusticum subjungit: Matrem ita vide, ne per illam alias videre cogaris, quarum vultus cordi tuo hæreat, & tacitum vivat sub pectore vulnus. Ancillas, quæ illi in obsequio sunt, scias esse tibi in insidiis, quia quantò vilior earum conditio, tantò facilior est ruina. *S. Hier. ep. 4. ad Rust.*

III. Cùm S. Franciscus in quodam domicilio prope Assisium valde stricto cum fratribus suis moram traheret, accidit ut Romæ coronandus Imperator Otto cum magna pompa illac transiret. At vir sanctus cùm secus viam maneret, nec ipse, nec aliquis fratrum saltem aspicere de tugurio voluit, præter unum ex ipsis *Manip. Ex. n. visus*

ipsis, cui gloriam hujusmodi modicùm duraturam, Imperatori constanter nuntiari præcepit.

IV. De S. Hugone Episcopo refert Mansi: Mulierum confessiones non minùs cautè, quàm benignè suscipiebat, non enim in angulis, aut obscuris, aut secretis locis eas audire solitus erat, sed potiùs ubi à pluribus conspici posset: Et aurem quidem satis familiariter applicabat, oculorum autem in alteram partem vertebat aspectum, auditum solum, propter insidias diaboli, hujusmodi negotiis asserens esse applicandum; quam videlicet oculorum custodiam incredibili semper & ubique circumspectione servabat, ita ut cùm potentes & nobiles mulieres (juxta illud Apostoli: Cui honorem, honorem) ad colloquium honorificè, hilaritérque frequenter susciperet, multa coram se, diuque tractantium facies penitus non videret.

Vita L. 2. c. 13. V. S. Cajetanus Thienæus visum suum non solùm circa objecta periculosa refrænavit, & mortificavit, verùm etiam circa objecta indifferentia, in quibus difficulter offendiculum aliquod solet occurrere. Etenim in ejus vita hæc verba leguntur: Postquam Carolus V. Imperator Rege & Tyranno Algieriensi devicto, Muleassem in ejus locum ibidem dominatorem constituisset, Neapolim adveniens, totius urbis excitavit populum, qui turmatim accurrit, ut Triumphum Cæsaris spectaret, Beatus Cajetanus eâ occasione usus est, ut de se ipso devicto triumphum ageret: Cùm enim è fenestra cameræ suæ pompam illam, ad quam spectandam à multis rogatus, & persuasus fuerat, videre posset, nullo modo ad eam videndam moveri potuit, quin potius ad pedes crucifixi cujusdam illo tempore genuflexus in cælestium rerum contemplatione perseveravit. Adhæc Author vitæ ejusdem servi DEI in capite sequenti, sequentia verba de eo subnectit: Profunda oculorum Beati Cajetani mortificatio omnem prorsus superat æstimationem; siquidem hos sibi eo tantùm fine servire volebat, ut gradienti ducatum præberent, sacrificiis, aliisque sacris orationibus peragendis cooperarentur. Imò per urbem gradiens adeò erat quoad sensus recollectus, ut corpus ejus nihil aliud vitalitatis, quàm motum localem habere videretur. Unde Neapolitanis usque in præsentem diem illud natum est proverbium, ut, dum aliquem modestissimè in plateis compositum ambulare vident, dicere consueverint: Theatini passu ambulat.

Spec. exempl. V. oculus ex. 4. VI. In vitis patrum sequens refertur exemplum: sedente aliquando Abbate Sylvano in monte Sina, volens discipulus ejus abire ad quoddam Monasterium suum: dixit seni, dimitte aquam, & riga hortum. Ille autem exiens ad dimittendam aquam, tegebat faciem suam cucullâ suâ, tantùm ad pedes suos intendens. Contigit autem ipsâ horâ, ut quidam superveniret ad eum, & videns eum à longè, consideravit, quid faceret, & cùm perveniisset ad eum, dixit ei: dic mihi Abba, ut quid tegebas cucullâ faciem tuam, & sic adaquabas hortum? & dixit ei senex: Ne viderent oculi mei arbores, & occuparetur mens mea ab opere suo in consideratione earum.

VII. P. Hieronymus Monteflorianus Capuccinorum Generalis uni tantùm cœlo, libertisve campis intuendis oculorum ministerio utebatur, cæterùm non fœminam, non virum, non puerum, non jumenta, non feras, non artis aut naturæ admiranda, unquam destinatò aut fortuitò intuitum tradunt; quin cùm illâ camporum libertate uteretur, sic vidisse, ut nescio quid sublimius ageret, totúsque animo in DEUM emicaret, ac levissimâ illâ oculorum veluti eventilatione interiores contemplationis flammas excitaret. In reliquis dubitari poterat, an ullum oculorum usum esse homini necessarium arbitraretur, quibus tam raro uteretur. Io. Rho. l. 9. hist. exe. n. 10.

VIII. M. Ioannes Avila severissimè & ipse imperavit, nullâ oculis ne quidem florum intuendorum datâ veniâ; invitanti enim Cordubæ socio, ut amœnissimi, ac floridissimi horti, per quem dejectis luminibus ibat, aspectu frui vellet, posse per eam vernantis naturæ versicolorem hilaritatem animum in divina subrigere, immotus, ac severitati proprior: hoc meâ non interest, nam animo ad divina subvehendo, satis mihi Domini IESU Christi florent mysteria. Mansi disc. 8. n. 6.

IX. Admirabilis quoque est continentia S. Petri de Alcantara, de qua sic scribit P. Ioannes Rho: In ipsa, quam assiduus incolebat, cella, oculos severissimè continuit, namque ex materiâ ne, an ex calce lapidibúsq; starent parietes, & quæ descriptio esset sacelli, in quod sæpius ad orationem conveniebat, ignoravit; arborem prægrandem in medio impluvio non vidit per quatuor annos; Tres integros annos propè continuò dejectis omninò palpebris clausos oculos habuit. Hanc ille exercitationem adeò homine Religioso dignam esse censebat, ut tyronibus solemne hoc carmen occineret, oculos dejicerent, & si quos in domesticorum circulis minùs cæcos videret, iis suis ipse digitis oculos, ut defunctis moris est, claudere consueverat. Io. Rho. l. n. 13.

X. Celebris quoque est castigatio, quam de se ipso in pœnam cujusdam non malitiosi, sed indifferentis aspectûs sumpsit Eusebius. Sedebat super quandam petram ipse, & Ammianus ille admirabilis, & divinorum Evangeliorum historiam alter quidem legebat, alter verò eorum, quæ erant obscuriora, explicabat sententiam. Cùm autem quidam Agricolæ in subjecto campo terram foderent, ad hanc contemplationem Magnus tractus est Eusebius, cùm autem divinus Ammianus legisset locum Evangelicum, sciscitaretur autem interpretationem, jussit Eusebius, ut repeteret lectionem. Cùm is autem dixisset: iis, qui arant, fortè delectatus, minimè exaudisti, ut est versimile, suis deinceps oculis legem tulit, ut neque campum illum ultra contemplarentur, neque cœlesti pulchritudine, & chori astrorum aspectu fruerentur, sed angustissimâ utens semitâ, cujus mensuram ajunt fuisse unius palmi, ferente ad oratorium, extra Vita P. P. l. 4.

eam deinceps egredi non est passus. Dicunt autem eum plus, quàm quadraginta annos vixisse post hanc legem. Ut autem cum animi sui sententia ad hæc quoque eum traheret aliqua necessitas, cùm lumbos zonâ ferreâ alligâsset, & gravissimum collare collo imposuisset, aliquo alio ferro conjungit zonam collari, quod erat collo impositum, ut hoc modo inclinatus cogeretur assiduè in terram respicere.

Vita l. 2. c. 13. n. 1. XI. S. Philippus Nerius, licet in dono virginitatis eximius esset, oculos suos tamen adeò constanter custodivit, ut una ex venustioribus, quæ suo tempore Romæ erant, mulieribus, quæque per triginta annos continuos, suas apud ipsum confessiones sacramentales deposuerat, affirmârit, eundem sanctum Philippum toto illo tempore nunquam ab ipsa visum fuisse, aut ipsum fixo oculorum obtutu eam fuisse intuitum.

Vita P. P. l. 5. libell. 4. n. 62. XII. In vitis Patrum legitur, quòd Monachus occurrit ancillis Dei in itinere quodam, quibus visis divertit extra viam, cui dixit Abbatissa: Tu, si perfectus Monachus esses, non respiceres nos sic, ut cognosceres, quia fœminæ eramus.

Bolland. 6. Ian. c. 13. XIII. Ludovici Blosij modestia tam singulariter emicuit, ut oculorum ac vultûs compositione, totóque corporis habitu passim intuentes ad castitatis amorem accenderet, non ignorabat videlicet oculis malè custoditis lædi castitatem; Hanc ob causam, cùm ante oculos religiosorum virorum mulieres apparere periculosum judicaret, studuit, quantùm fas esset, earum conspectum à suis removere: Ea propter, cùm antea in horto Conventuali, in quem Monachis certis horis pomeridianis patet accessus, mulieres fœno spargendo, cumulando, plaustris imponendo, operam ponerent, cavit in antedictis codicillis, ne deinceps fieret, his verbis: Herba horti Conventualis ex mea ordinatione demeti, verti, exsiccari, atque in plaustro poni, per viros vel juvenes, non autem per mulieres, aut puellas debet, maximè illis horis, quibus fratres spatiari possunt in horto, etiamsi pluris constet, per masculos hoc facere, quàm per fœminas. Præstat enim pati damnum aliquod in crumena, quàm in anima.

Sulpit. l. 2. c. 13. XIV. In vita S. Martini Episcopi Virgo quædam prædicatur, quæ ita se penitus ab omnium virorum oculis removisset, ut ne ipsum quidem à se Martinum, cùm eam ille officii causâ visitare vellet, admiserit. Nam cùm prope agellum illius præteriret, in quo se jam ante complures annos pudica cohibebat, auditâ fide illius atque virtute divertit, ut tam illustris meriti puellam religioso officio Episcopus honoraret. Nos consequenter gavisuram illam virginem putabamus, siquidem hoc in testimonium virtutis suæ esse habituram, ad quam tanti nominis Sacerdos, deposito propositi rigore veniret. Verùm illa fortissimi vincula propositi ne Martini quidem contemplatione laxavit. Ita vir beatus acceptâ, per aliam fœminam excusatione laudabili, ex illius foribus, quæ videndam se salutandámque non dederat, non læsus abscessit. O virginem gloriosam, quæ ne à Martino quidem passa est se videri.

Pœna, neglecta Oculorum Custodia.

Bellovac. in spec. l. 3. dis. 5. p. 2. XV. In vita B. MARIÆ de Oegnies legitur, quòd, cùm quædam mulier moreretur, revelatum fuit ei, & vidit maximam multitudinem dæmonum occurrentem, & volentem eam capere, & pugnantem contra bonos Angelos, pro qua impetravit, ut à dæmonibus liberaretur, & in purgatorio torqueretur, & ostendit ei oranti B. Petrus, quomodo in purgatorio dicta mulier torquebatur, transiens ab aquis nivium ad calorem nimium, propter hoc, quòd nimis ardens fuit in mundi vanitatibus conspiciendis.

Cæsarius l. 4. c. 62. XVI. Cæsarius in Dialogis suis de quodam antiquorum Monachorum, cui juniorum cura commissa erat, sequens enarrat factum, ad juniorum in ordine custodiendos oculos peropportunum. Ita enim scribit: cùm unum ex adolescentibus secum adduxisset, & simul equitantes, nescio quid, vel unde, conferrent, obviam habuerunt juvenculam formosam, quam, cùm ex industria equum suum retrahendo Præpositus salutâsset officiosissimè, stetit illa, & resalutavit eum; cùm paululùm processissent, volens Præpositus tentare juvenem, ait: Puella ista videbatur mihi multùm formosa fuisse, cui cùm ille diceret: credite mihi, Domine, & hoc ipsum visum est mihi: Respondit Præpositus: unum tamen deformat eam, quòd monocula est. Respondit juvenis: verè Domine utrumque oculum habet, ego enim satis diligenter consideravi eam. Tunc motus Præpositus ait: Et ego considerabo dorsum tuum, tantæ debueras esse simplicitatis, ut utrum esset mas, vel fœmina, scire non posses. Reversus verò ad Monasterium dixit Senioribus: vos, Domini, quandóque arguitis me, quòd non educam mecum juniores, & exponens eis causam, prædictum juvenem duriùs arguit atque castigavit.

§. III.

EXEMPLA DOMESTICA.

Rho. l. 7. c. 4. § 1. ex nostris. I. QUæ de oculorum dejectione disseruimus, non malè cum Xaverio conveniunt, qui sublimissimos, & quantum potuit, in cœlum fixos ferebat, eâ totius oris suavissimi hilaritate, ut illius aspectus animos intuentium serenaret: viros enim Xaverianæ virtutis, quibusque longo ac prompto servitio oculi dudum sunt edomiti, eos in cælum figere fas. Sive humum, sive sidera intueantur, innocenter agunt, periculum adeunt, & creant, cum media evolant via. Humus propriæ admonet imbecillitatis ac sordium, sidera recuperandæ patriæ spem admonent; ac supra plagas, quibus capiuntur, felicius attollunt, verùm minus experti, tutiùs terræ affigunt, ne capiantur, dum volant.

Ibid. l. c. n. 3. II. De S. Francisco Borgia in ejus vita legitur:

gitur: Medió in aucupio, quod unicum ei adhuc Duci erat curarum diverticulum, sentire videbatur, qui enim Hierosalcos, ejus venationis totius scientissimus, educaret diligenter, ac peritissimè uteretur, non modò pulcherrimis inde documentis, facili ad mores trajectione, animum informabat assiduè, verùm dum maximè ferveret ea voluptas, oculis severissimè imperabat. Illud in omni Hierosalcorum venatione longè accidere solet jucundissimum, cùm multis gyris subvectus, supremóque volatu in nubes propemodum elatus prædo, ibi jam est, ut in inferiùs volantem, & nequicquam defensioni se componentem ardeam fulminis instar invadat, dejectámque conficiat. Id, cùm fieret, atque sublimes oculi alitum volatum ac pugnam sequerentur, Franciscus eos deijciens, innocenti voluptate privare consueverat, ut per eam exercitationem seriò condiscerent avertere se illicò ad nutum, ubi vel levis esset noxæ suspicio, ne illice voluptate animi arcem desertis ultrò præsidijs proderent adversarijs.

Ibid. n. 4. III. De B. Aloysio, sic idem scribit. Itum est aliquando à socijs alios in hortos, quàm consueverant, aderátque Aloysius, verùm animo adeò incurioso, oculisque adeò in humum dejectis, ut cum sub vesperam domi audisset aliquos utriusque villæ opportunitates invicem conferre, miratus, quam dicerent villam, seriò interrogaverit, an alió præter morem itum esset; nimirum oculos cælo & sideribus integros servabat. Aliàs adolescentem Aloysium jusserat Ferdinandus parens adesse, cùm Cataphractorum turmas, quas ipse ducebat, Mediolani amplissimo ante arcem in campo lustraret, res erat spectaculi longè jucundissimi, & fama vicinis ex urbibus spectatum evocaverat promiscuæ turbæ multitudinem infinitam, quæ spectaculum, dum quærit, augeret. Equi generosissimi, arma auro illita, chlamydes versicolores, sagula auro ubique, aut etiam gemmis fulgentia, prompta nec ulli periculo obnoxiam oculis ostentabant voluptatem, illos tamen habuit in potestate Aloysius, occlusisque palpebris illius pompæ nihil per oculos passus inferri, animum nullâ rerum oneratum varietate, atque inconcussum cœlestibus felicius intulit.

Bibl. Soc. f. 510. IV. P. Joannes Fuldensis tam diligens fuit sensuum suorum, atque oculorum imprimis custos, ut totis viginti septem annis, quibus Treviris habitavit, nunquam de Odæo in templum infernè despexerit.

§. IV.

EXEMPLA PROFANA.

Mansi disc. 4. n. 7. I. PAnthea Astradati Scytharum Regis Conjux raræque pulchritudinis mulier, cùm à Cyro Rege captiva teneretur, ab eodem Cyro oculis nunquam conspecta fuit; dicebat enim: forsitan pulchritudinem ejus videndi desiderium mihi quoque labem aliquando inuret. Quam continentiam Antiochus Abbas ponderans, in hæc verba nobis improperat: quòd si talia suo asseverant testimonio à fide exotici, & à salutari unctione alieni, quid non conveniat præ illis tanta efficere, qui Christi ex professo discipuli sumus?

Livi. l. 9. c. 6. II. Xenophon de Lycurgo Republicæ Lacedæmoniorum legislatore, sequens perhibet testimonium: Cùm animis adolescentum pudorem inserere cuperet, instituit, ut in via manum utramque intra vestem continerent, incederent tacitè, nunquam circumspicerent, ea tantùm intuerentur, quæ ante pedes essent.

§. V.

SIMILITUDINES.

S. Francisc. in vita c. 5. I. SIcut impossibile est, ut quis nudis pedibus super ardentes carbones ambulans, non lædatur, ita quoque impossibile est, ut quis amore impuro non accendatur, qui oculos suos à mulierum aspectu non avertit. Unde S. Bonaventura in prædicta vita ita scribit: Harum contagionem evadere conversantem cum eis, nisi probatissimum virum, tam difficile dixit (scilicet S. Franciscus) quàm juxta scriptum c. 6. Prov. *in igne ambulare, & non comburere plantas.* Siquidem ipse adeò averterat oculos suos, ne hujusmodi vanitatem viderent, quòd, sicut aliquando socio dixit, quasi nullam recognoscebat in facie. Hugo Cardinalis jam adductum ex Proverbijs textum: Nunquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta illius non ardeant? aut ambulare super prunas, ut non comburantur plantæ ejus? sic qui ingreditur ad mulierem; hunc, inquam, textum in sensu morali ita exponit: ignem in sinu abscondit, qui mulieri libenter loquitur: super prunas ambulat, qui affectus suos in speciem mulieris figit: ad has prunas multi se calefaciunt cum Petro, Christum negantes. Quis unquam dicturus esset, quòd oculus etiam ab ipsismet nivibus ad instar sulphuris excitaturus esset impuri incendium amoris? & tamen reverà ita est, nam à candore, & à nivibus venusti vultûs flamma accenditur concupiscentiæ carnalis.

Mansi disc. 13. n. 2. II. Sicut homo in tenebris sequitur lucernam præeuntem, quocunque illa ducit; sic cor sequitur oculum & visum. Hinc oculus, quia celer, subtilis, & versatilis est, quocunque se vertit, & versat, eodem trahit & cor. Vice versâ cor per oculum suos affectus pandit, & enunciat, atque per oculum velut nuncium, alios ad se allicit, & invitat.

Ibid. disc. 19. n. 6. III. Sicut visus, inter alios sensus prior est in situ, & in ordine in capite, ita in animæ nocumento obtinet principatum.

Necessitas.

Sanctius in c. 31. Iob. IV. Sicut, qui morbum devitare cupit, morbi causam, quàm potest studiosissimè declinat; sic, qui cogitationem ab amoris turpitu-

pitudine puram conservare voluerit, incumbit diligenter, ne per oculos ad cogitationem, & animam, fœminarum imagines admittat.

Utilitas.

Mansi disc. 21. n. 2. V. Sicut quando leoni hominem aggredienti velum aliquod, vel aliud quippiam super oculos projicitur, unde visus obfuscetur, omnem protinus amittit ferociam & vigorem: Ita quoque in præsenti asserere possumus. Quòd, dum nos per oculorum custodiam communimus & defendimus, omnes vires dæmonis protinus debilitentur: Econtra verò si oculus noster lubricus & vagus fuerit, pessima contra nos molitur, & in perniciem nostram nobis prævalet.

Isc. Alv. l. 7. p. 2. c. 2. VI. Sicut granum tritici intra terram absconditur, sed extra terram, & in aëre suprastante fructum emittit: Ita incautus aspectus in oculo quidem efficitur, sed in superiori animæ vi, nempe in cogitatione phantasmata castitati adversantia fructificat.

§. VI.

MOTIVA.

Bellovac. spec. p. 1. disc. 3. l. 3. I. AD *custodiam oculorum debet nos movere sollicitudo naturæ*, quæ tot operimenta posuit; dicunt enim Philosophi, quòd natura virtutem visivam operuit septem tunicis, quarum alterâ deficiente læditur, & maximè passibilis fit ab intrinseco tangente.

S. Ambros. l. de bono mor. c. 9. II. *Quia falsa & deceptoria sunt objecta, quæ oculis jucunda apparent*, ut sapienter S. Ambrosius advertit dicens: Si volumus post mortem corporis hujus in bonis esse, caveamus, ne agglutinetur anima nostra huic corpori; ne commisceatur, ne inhæreat, ne trahatur à corpore, & tanquam ebria perturbationibus ejus vacillet & fluitet, necse ei credat atque ejus delectationibus, ut committat se ejus sensibus. Nam & oculus ejus error & fraus est: quia fallitur visus, & auris ejus deceptio est, quia & auditus illuditur, & sapor ejus deceptio est. Denique non otiosè dictum est: oculi tui recta videant, quod non esset dictum, nisi frequenter errarent. Vidisti meretricem, captus es vultu ejus, & formam decoram putâsti: Erraverunt oculi tui, perversa viderunt, alia nunciaverunt. Nam si vera vidissent, vidissent deformem meretricis affectum, inhærentem procaciam, indecentem impudicitiam, marcentes libidines, tetram colluvionem, animæ vulnera, conscientiæ cicatrices; qui viderit, inquit, mulierem ad concupiscendum eam. Vides, quòd iste falsum quæsivit, qui non veritatem, sed adulterium requisivit; videre enim quæsivit, ut concupisceret, non ut verum cognosceret: Errat igitur oculus, ubi errat affectus, affectûs ergo deceptio, est deceptio visûs.

Apud Mansi disc. 23. n. 4. III. *Quia specialiter conducit ad quietem animi*, uti vel ipse Ethnicus Seneca agnovit dicens: qui deponere vult desideria rerum omnium, quarum cupiditate flagravit, & oculos, & aures ab his, quæ reliquit, avertat; nihil enim faciliùs, quàm amor recrudescit.

§. VII.

MEDIA

S. Anton. Dom. 21. post Trinit. I. PEccata *sua præ oculis habere.* De quo medio sic discurrit S. Antonius Paduanus: Nota, quòd ex nimio fletu oculus obscuratur, caput conturbatur, facies attenuatur: sic verè pænitentis oculus, quia deprædatur animam ejus, obscuratur, ne videat mulierem ad concupiscendum eam, & clauditur, ne mors intret per fenestras ejus. Vel etiam dicere possumus, quòd oculi peccatoris lachrymis stagnent ad faciendam pænitentiam, & castigandum peccata, quorum incentiva fuerunt. Unde Regius vates inquit: *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam.* Tametsi enim divinæ legis observantia ad cor, non verò ad oculos pertineat, attamen oculos flumen quoddam lachrymarum profudisse dicit, eò, quòd divinam legem non custodierint, quia cùm oculi cordis transgressionem causaverint, meritò lacrymis manant, ad abstergendum maculas, oculorum occasione à corde legem transgrediente contractas.

S. Chrys. l. de continent. Joseph. II. *Fuga muliebris aspectûs*, de quo sic S. Chrysostomus locutus est. Job Diabolum quidem videns accedentem non fugit, sed mansit sicut leo, viribus fidens; virginem autem videns, non stetit, neque moratus est in contuenda pulchritudine, sed statim secessit; censebat nimirum in prælio contra dæmones, virili, & audaci animo opus esse; in continentiæ autem præparatione victoriam concedi, non ex virginum consuetudine, sed secessu. Quod monitum præclarè Martius Eremita in monte Massico implevit, qui muliebrem aspectum omnino refugiebat; procax autem, ac petulans quædam, ut se spectaret, nolentem compellere conata est, sed cùm eam procùl accedentem videret, in cellam confugiens, ac humi inter palmarum folia strato vultu pro sua castitate DEUM precatus, non ante oculos sustulit, quàm ista motæ impatiens discessisset. *Dauroltius c. 6. tit. 10. n. 2.* De F. Rugero, S. Francisci discipulo legitur, quòd nullam mulierem in faciem unquam directè aspexerit, adeò ut ne quidem matrem suam, tametsi hæc mulier sancta, ætateque matura esset, aspicere voluerit. Subdit verò historiæ hujus Author: Miratus valdè, tum quia pluries videram eum loquentem cum multis, & pluries prædicantem eis. Tum etiam, quia sciebant, eum adeò in illo periculo securum, quòd non credo aliquem in mundo ei similem suo tempore fuisse, tum, quia sicut ipse dixerat mihi, stando cum mulieribus castior efficiebatur; Adeò enim abominabatur eas, quòd nullo modo poterat cum eis diu stare. In duodecim annis, quibus in Ordine steterat,

terat, non potui perpendere per confessionem unum motum mentis inordinatum de facto mulierum. Dixi ergo illi : Cùm sciatis, vos esse in facto mulierum sic securum, unde est, quod tantùm timetis eas inspicere : Et ipse respondit : In potestate hominis est, vitare occasionem peccati, & ideò quamdiu facit homo quod est in se, & Dominus facit, quod in se est, tuendo hominem.

Bellovac. l. 3. dist. 5. p. 1. III. *Æternam retributionem ponderare*; de qua sic loquitur Bellovacensis : Movere nos debet æterna retributio, quæ est DEI visio, nam ut Isaias ait : *qui claudit oculos suos, ne videat malum, iste in excelsis habitabit, munimenta saxorum sublimitas ejus.* Sanctus Job quoque postquam dixisset : *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine*, mox asserti sui subnectit rationem dicens : *quam enim partem haberet in me DEUS?* A contrario igitur deduci posse videtur, quòd si quis oculos suos bene custodire noverit, magnam sit cum DEO partem habiturus. Et quia visio est tota merces, ex hac oculorum custodia visionem nobis beatificam lucrabimur. Ac proinde Sanctus Job hanc oculorum custodiam velut securi pignoris loco habebat, unde æternam suam poterat sperare salutem, quando dicebat : *Et in carne mea videbo DEUM Salvatorem meum, quem visurus sum ego ipse, & non alius, & oculi mei conspecturi sunt.*

§. VIII.

ASCETICA.

Richard. de S. Vict. l. 1. in Apoc. c. 1. I. *Ante omnia curet Asceta, ut competentem de vilitate visionis corporalis æstimationem concipiat*, quam sequentibus verbis Richardus de S. Victore declarat : Visio corporalis est, quando oculos ad exteriora & visibilia aperimus, & cœlum & terram, figuras & colores rerum visibilium videmus; sed hæc visio infima & infirma est, quæ quia angusta est, maxima non comprehendit; & quia hebes est, minima non discernit, & quia pigra est, non attingit remota; & quia perspicax est, non penetrat occulta. Quæ nihil denique mysticæ significationis continet, & tantummodo corporei sensûs motum & actionem habet.

Paulus de Palat. in ecc. Eccl. II. *Deinde curet, ut bene apprehendat, majus quandoque periculum viris sanctis ab hujus custodiæ neglectu imminere*, uti rectè Paulus de Palatio advertit dicens: Multi perierunt ex aspectu fœminarum, imò ferè quis periit, nisi ex hoc aspectu? Adeò viris piis hoc unicum est paratum periculum. Aspicit Sol speculum positum, surgit flamma in speculo : Et quidem quantò speculum lucidius est, ac purius, tantò ignis in ipso per deflexum magis inardescit; quod idem sæpenumero contingere solet in quibusdam conscientiis, & animabus cæteroquin puris, in quibus, eò quòd nimia cum fiducia objecta temerè conspiciant lubrica & lasciva, carnalis concupiscentiæ ignis subitò accenditur.

§. IX.

MISCELLANEA ET CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Qualitas.

I. Lucifer per oblationem omnium regnorum totius universi ad sui adorationem Christum inducere volens, Christum in montem altissimum extulit, ut inde omnia Mundi regna conspicere posset (ostendit ei omnia regna Mundi) at verò quænam illum urgebat necessitas, ut illum super altissimum montem collocaret? Ex quo enim perfectissimam habebat sapientiam dæmon, bene scire poterat, scriptum esse? *Domini est terra, & plenitudo eius, orbis terrarum, & universi, qui habitant in eo.* Respondeo, hæc quidem omnia vera esse, veruntamen probè quoque sciebat, quòd oculus incantet voluntatem, quódque cor facilè seducatur ex præsenti, & actuali aspectu; Hic enim est incantatio chara, propter illicientem, & delinientem voluptatem. Porrò modum, quo Lucifer Christo omnia mundi regna ostendit, Jansenius his verbis declarat : omnium imagines novo quodam modo repræsentavit humanis eius obtutibus, faciens per eas imagines omnia apparere oculis eius. Mansi disc. 41.

II. Huc spectat verbum illud S. Pauli ad Galatas dicentis : *quis vos fascinavit?* S. Anselmus legit : Incantavit; Cornelius à Lapide dicit : fascinari significat perstringere oculos, ut putes te videre, quod reverà non vides. Sic igitur dæmon nos incantat, efficiendo, ut nobis una res alia esse videatur. S. Hieronymus inquit : dicitur fascinum propriè infantibus nocere, & ætati parvulæ, & his, qui firmo nec dum vestigio figunt gradum. Eheu! quot sunt, quibus dæmon per unius obtutûs incantationem timorem DEI aufert, & devotionem, eò quòd etiamnum in via spirituali novitii sint, & nondum bene radicati? S. Augustinus violentiam, quâ oculus valet ad seducendam mentem, in Confessionibus suis ad vivum his verbis expressit : Resisto seductionibus oculorum meorum, ne implicentur pedes mei, quibus ingredior viam tuam. Certum quidem est, quòd, qui tensos sibi laqueos vult declinare, necessariò oculos apertos habere debeat; At verò ubi, & quomodo illos aperiat, cautè illi videndum est; Imitandus ei est S. Augustinus, qui eodem in loco dicit : Et erigo ad te invisibiles oculos, ut tu evellas de laqueo pedes meos.

Necessitas.

III. Ingeniosum est illud à Salviano oculis attributum epithetum, quo illi ab eo naturales animi Cuniculi appellantur. Cuniculi enim non subitò ab igne accenduntur, non evertunt in aëra muros, turres, fortalitia recens exstructa, sed tempus & occasionem opportunam exspectant, donec ignis sensim, & paulatim serpendo Salvian. l. 3. de prov.

pendo

pendo ad massam pulveris pertingat, & impetum faciat: Idipsum quoque multis contingit animabus, quæ veluti fortalitia inexpugnabilia, per virtutum & meritorum suorum soliditatem optimè munita erant, quæ tandem susque deque unius duntaxat obtutûs occasione evertuntur. Quis unquam fortior fuit Samsone? quis Davide in sanctitate & perfectione fuit stabilior? & tamen inimicus sagax opportunum exspectavit tempus, in quo se ab exercitu suo in campis existente absentans, post lautè & delicatè nutritum corpus, captúmque in meridie somnum, ad carnalem voluptatem, magis erat dispositus, túncque cuniculus conceptum ignem evomuit, *viditque mulierem lavantem se, &c.* Cujus objecti species tot annis in mente eius reservatæ, & adeò implacabile ei bellum moverunt, ut lamentari coactus fuerit dicendo: *Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus, & non est sanitas in carne mea*; Etenim hæc phantasmata nobis invitis nos infestant, turpésque fovent cogitatus, atque tentationes, atque ad motus obscœnos nos exstimulant.

S. Petrus Dam. in opusc. de bon. relig. IV. B. Petrus Damianus quorundam lapidum hanc esse proprietatem scribit, quòd instar lignorum ignem concipiant, & ardeant: ita enim scribit: Orientis lapides sunt igniferi, qui masculus & fœmina nuncupantur, & dicuntur Pyroboli, qui nimirum, cùm à se invicem procul sunt, non accenduntur; si verò fœmina appropinquaverit masculo, protinus ex eis ignis egreditur, ita ut omnia, quæ circa montem sunt, flammis voracibus exurantur. Hoc idem multis accidere quotidie videmus, qui ut plurimùm non accenduntur ad lasciviam, nisi solùm ad aspectum objecti illecebrosi, ad huius enim præsentiam & obturum continere se nequeunt, quin sibi mutuò complaceant, seque invicem desiderent; & concupiscant. Qui meritò illud Canticorum usurpare deberent: *Averte oculos tuos, quia ipsi me avolare fecerunt*; Vel, ut ex Hebræo legitur: quia ipsi abstulerunt robur meum, quia ipsi me superaverunt.

Mansi disc. 34. n. 2. V. Ut quis per fenestras domum ingrediatur, necessariò scalæ requiruntur, per quas summa cum difficultate & periculo ascenditur. Atque ideo, dum ait: *Mors ascendit per fenestras* insinuare volebat, adeò prædæ cupidos futuros esse inimicos, ut illius potitundæ desiderio, omnes superaturi sint difficultates. Eodem igitur modo mors peccati, & inimicus infernalis omne superant obstaculum, ut animas nostras deprædari possint, ideòque omni cum industria se per fenestras insinuat, id est, per oculos; At verò quibusnam utitur scalis, ut per fenestras has ingredi possit? scalæ eiusmodi sunt, rerum visibilium & delectabilium species, quæ tametsi bene consideratæ scalæ sint, quibus ad Creatorem illarum ascendere possumus, nihilominus dum per malitiam nostram illis abutimur, in iisdem nobis complacendo, nostrúmque affectum in fruitione illarum firmando, scalæ fiunt ad deprædandum animam, per quas potissimùm est ascensus ad fenestras, id est: oculos; *oculus meus deprædatus est animam meam*, unicus enim illicitus oculorum obtutus abundè sufficit, ut anima, quantumvis sancta & perfecta sit, thesauris meritorum, donorum, & gratiarum exspolietur.

Utilitas.

VI. Regius Vates, postquam divinam legem summâ, quâ fieri posset, cum punctualitate adimplere secum statuisset, hisce Deum est verbis precatus: *Legem pone mihi, Domine, viam Iustificationum tuarum, & exquiram eam semper; da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam, & custodiam illam in toto corde meo; inclina cor meum in testimonia tua, & non in avaritiam*: observandum verò est, quòd ad hunc finem assequendum, nihil aliud à DEO petierit, præterquam exactam oculorum custodiam; nam immediatè subiungit: *Averte oculos meos, ne videant vanitatem.* Unde Albertus Magnus ait: Postquam petijt gratiam ad proficiendam in bono, hic petit ad cavendum mala oculorum custodiam: & meritò, quia nisi aliquando ab oculo miserè seductus fuisset, jugiter in vita sua immaculatus mansisset. Nam in lib. 3. Regum de ipso dicitur: *Eò quòd fecisset David rectum in oculis Domini, & non declinasset ab omnibus, quæ præceperat ei, cunctis diebus vitæ suæ, excepto sermone Uriæ Hethei*; Hoc autem cum Bethsabea commissum adulterium, indéque secutum Uriæ homicidium, & ex utroque delicto causatum in populo grave scandalum, ex hoc solùm, quòd vidit mulierem lavantem se, suam traxerunt originem. Unde meritò ait: *averte oculos meos ne videant vanitates, in via tua vivifica me; statue servo tuo eloquium tuum in timore tuo.* Ubi specialiter notandum est verbum illud: *Statue*, quod cum verbis illis Sapientis optimè consonat: *Omnes viæ tuæ stabilientur*; quia quando oculi diligenter custodiuntur, Evangelicorum præceptorum observantia firmiter stabilitur, ipsaque innocentia illæsa conservatur; *In via tua vivifica me.* *Mansi disc. 5. n. 1.*

VII. Sozomenus de Sancto Ephrem refert, quòd, dum aliquando in civitatem Edessam abiret, intra se meditando dixerit: Domine, tu meum hoc iter sic dirige, ut primo urbis ingressu in eum incidam, qui mecum disserat super his, quæ sint juvando & excolendo animo. Accidit autem, quòd, dum portæ urbis vicinus esset, cogitans, quisnam illi primùm obviaturus esset, coram se viderit mulierem quandam vanam & lasciviam, quam cùm vir DEI fixis oculis intuitus fuisset, mulier pariter irretortis oculis eum aspexit: Quod videns S. Ephrem turbari cœpit, timens, ne fortè vota eius DEUS non exaudisset, cúmque torvos in mulierem oculos conjecisset, illáque pariter torvis illum oculis intueretur, post breve silentium his ei verbis improperavit: Non erubescis, procula, tam fixis oculis me petere? Cui ipsa protinus respondit: Non erubesco, licere mihi reor te aspicere, ex te, tuóque latere sumpta sum, tibi verò convenit, non fœminas, sed matrem tuam terram aspicere, de qua sumptus es, & in quam rever- *Soz. som. l. 3. hist. Eccl.*

reversurus es. Quo responso percepto, vir Dei confestim agnovit Dei circa se dispositionem, quâ tum ad animæ suæ culturam meliorem, tum ad exstimulandum eum ad perfectionem, & sanctitatem, exactam quandam circa oculos cautelam & circumspectionem menti eius imprimere voluit.

Mansi disc. 3. n. 7. VIII. Mysterijs turgent verba illa in sacris Canticis ad animã amantẽ, quæ virum spiritualẽ & perfectum repræsentat, directa, videlicet: *Oculi eius sicut columbæ super rivulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ.* At verò dicet aliquis, quo fine ad hujus columbæ oculos abluendos lac adhibetur, dum illa super limpidissimos aquarum fontes hoc fine evolare consuevit? pro huius quæsiti solutione sciendum est, indubitatum esse, quòd per hasce columbas animæ summo innocentiæ & puritatis candore conspicuæ significentur, quibus necessum est, ut oculos adeò circumspectè custodiant, ut nulla illis objecti alicuius lascivi, & lubrici, aut periculosi imago, aut species imprimi possit. Audiatis velim S. Gregorium Nyssenum lactis proprietates in hæc verba exponentem: Conveniens laus hujusmodi oculis tribuitur, cùm lacte columba talis ablui, venustaque reddi commemoratur. Nam verè hoc in lacte observatum est, solum inter humida proprietatem hanc habere, quòd in eo nullius rei simulachrum ac similitudo conspicitur; etenim res omnes, quæ humidæ naturæ sunt, ad similitudinem speculorum ob lævitatem superficiei faciunt, ut inspicientium in eas vicissim ex ipsis imagines reluceant: in solo autem lacte hujusmodi simulachrorum expressio locum non habet.

Idem disc. 10. n. 6. IX. In opusculis Sancti Francisci sequentia leguntur: Multoties Beatus Pater fratres suos hortabatur, ut sensus, omni, quâ possent, sollicitudine custodirent, & refrænarent, sed præcipuè oculos docebat habere pudicos, & honestos, hanc illis proponens sæpius parabolam: Rex quidam pius & castus, duos misit successivè nuncios ad Reginam, qui ei quædam de Regis mente significarent: Revertitur primus, & pro verbis, quæ ad Reginam detulit, tantùm verba Regi reportat, sed de Regina nihil loquitur, quia oculos sapienter tenebat in capite, nec ullatenus prosilierant in Reginam, redit & secundus, sed post pauca verba, quæ pro nuncij responsione refert, longam de Reginæ pulchritudine texuit historiam. Verè, inquit, Domine, pulcherrima & speciosissima fœmina est Regina, felix & beatus reputari potest, qui fruitur illa. Cui turbatus Rex: Tu serve nequam in sponsam meam oculos tuos impudicos conjecisti? Credo, quòd tibi emere voluisti rem, quam ita curiosè prospexisti. Iratus jubet ad se alterum revocari, & ait illi: Quid tibi de Regina videtur? optime, inquit, Domine, libenter, & modestè audivit verba Regis, & prudenter respondit: cui ulteriùs Rex: Quid de pulchritudine illius judicas? Nonne speciosa, & pulchra tibi visa est? cæteris estne præstantior mulieribus? Respondit servus: Domine, de pulchritudine illius nihil scio; venustáne an speciosa sit, tuum solummodò est discernere & judicare, meum autem, tua illi verba proferre. Bene, & cordatè, inquit Rex, respondisti. Tu, qui oculos habes castos & verecundos, meus esto cubicularius; ex oculorum pudicitiâ, corporis conijcio castitatem, & te dignum, cui cubiculi & regiæ cameræ custodiam committam. Tu verò è regione, qui infrænes & impudicos habes oculos, palatium egredere, in domo mea nullatenus remanebis; qui enim seriò & subtiliter Reginæ contemplatus es venustatem, timeo, ne illius etiam violare velis honestatem. Hæc Rex. Parabolam, fratres, audistis: sensum intellexistis: oculos in aliquam conjecistis? Mulierem vidistis? pœniteat; Ab oculis impostertim cavete, mors latet in visu.

X. Xenophontis milites cæci oculis fuerunt, quòd per multam nivem iter fecerint. Qui igitur nives puritatis intactas, & incontaminatas conservare volunt, cæcorum more se habent, nec oculos, quamdiu inter eiusmodi nives ambulant, aperiunt, ideòque tanquam generosi milites impugnant, & vincunt se ipsos, voluptate oculorum se privando, ne propriam coinquinent innocentiam, virtute enim ad hoc opus est, cui proprium est omnem superare difficultatem. *Idem disc. 11. n. 8.*

XI. Accidit viro illustri, quòd adstaret alteri non inferioris dignitatis in templo, cúmque ingressa esset adolescentula genere & forma nobilis, oculos illico in eius aspectum reflexit, quòd, cùm alteri illi displicuisse animadverteret, eius severitatem comprimere ausus, illo Psalmi versiculo se excusavit: *Delectasti me, Domine, in factura tua*: Sed ille ex tempore, suaviter sanè: Perge, ait, & vide, quæ eodem in Psalmo sequantur, & inveniés: *vir insipiens non cognoscet, & stultus non intelliget hæc.* *Guil. Baldes lat. Serm. vet.*

Digitized by Google

TITVLVS LII.

ORATIO.

§. I.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Qualitas.

S. Climacus gra. 28. I. Ratio, si ipsius naturam seu quidditatem spectes; *est familiaris conversatio & conjunctio hominis cum DEO.*

S. Laur. Iust. de cast. connub. c. 21. II. Humilitas & Charitas, spirituales orationis sunt alæ, quarum remigio usque ad interiora ingreditur velaminis, ubi verbum in sinu residens paterno æternâ virtute generatur.

S. Greg. in cap. 1. Iob. III. Ille veram DEO orationem exhibet, qui semetipsum, quia pulvis sit, humiliter videt.

S. Bernard. S. in regal. IV. Orare oportet reverenter, tam mente, quàm corpore, id est, humilem debet reverentiam servare interiùs & exteriùs; parùm quippe prodest orare, & caput inclinare, atque pectus exteriùs tundere, nisi orans inclinet, & humiliet interiùs mentem.

S. Laur. Iust. de perf. grat. c. 12. V. Magna prorsus est orationis virtus, divino conspectui oblata per Angelos, si tamen sit charitate ignita, fide plena, intentioni rectæ subnixa, humilitate sociata, à delictorum sordibus impolluta, bonisque operibus decorata. Hæc placat DEUM, lætificat Angelos, redolet Sanctos, penetrat cœlos, postulata reportat.

Agellius in Ps. 16. VI. Perfecta est oratio, cùm preces justitia commendat.

S. Laur. Iust. de or. c. 4. VII. Omnipotens DEUS, orationem illius in tribulatione non audit, qui illius præcepta in operatione adimplere contemnit: dignum quippe est, ut ab ejus beneficiis quisque sit extraneus, cujus jussionibus non vult esse subjectus.

S. Aug. in Ps. 102. VIII. Omnes malè viventes, etsi linguâ taceant, vitâ Domino maledicunt; quid prodest, quia hymnum cantat lingua tua, si sacrilegium exhalat vita tua?

Idem. IX. Si vis benedicere Domino, fac verbum ejus, dicit enim David: *Benedicite Domino omnes virtutes ejus, qui facitis voluntatem ejus.*

S. Greg. in cap. 4. Cant. X. Bene odor vestimentorum tuorum, sicut thuris, esse perhibetur, quia in omnibus operibus suis orat, dum præveniendi intentione ea, quæ potest, bona operatur.

S. Bonav. in Ps. 118. XI. Si DEUM ferventer orare volumus, illi tripliciter adhærere debemus, videlicet per fidem, spem, charitatem: Fides enim orationem dirigit, spes erigit, Charitas porrigit.

Bellovac. spec. mor. p. 10. dist. 33. XII. Non plùs delectatur DEUS in oratione vocali sine attentione mentali, quàm in garritu avium, vel in grunnitu porcorum; orans Psalmista dicit Domino: *Intende voci orationis meæ, Rex meus, & DEUS meus.* Et alibi: *Fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ*: sed si tu ipse non attendis tibi, quomodo speras DEUM intendere tibi?

Eusebius Emyss. in Luc. XIII. Quomodo probabitur Congregatus, si à semetipso cogitationum evagatione dispersus est? aut quomodo erit DEUS in medio tui, si tecum ipse non fueris? si deest ille, qui poscit, quomodo aderit ille, qui poscitur? quomodo suscitabitur Judex, si dormitaverit Advocatus.

S. Chrysost. tom. 1. tract. 9. c. 21. XIV. Cum amico colloquens cum attentione illud facis, cum DEO autem de peccatis tuis agens, & condonationem postulans, & veniam orans, subinde torpescis, genibúsque humi positis, sæpe per forum, sæpe per ædes mentem tuam divagari finis, ore tuo interim temerè, inaniterque garriente.

S. Antonin. p. 4. sum. c. 15. §. 1. XV. Unguentum est oratio, quo sanantur pestes, & ulcera animæ, quæ in se suavis est. Muscæ sunt importunæ cogitationes volatiles, quæ menti occurrunt, quæ tunc moriuntur, cùm permanent, & odorem perdunt, id est, destruunt suavitatem, & consolationem orationis.

S. Greg. lib. 16. mor. c. 19. XVI. Sæpe in ipso orationis sacrificio importunæ se cogitationes ingerunt, quæ hoc rapere vel maculare contendunt, quod in nobis DEO flentes immolamus: unde Abraham cùm ad occasum solis sacrificium offerret, insistentes aves pertulit, quas studiosè, ne oblatum sacrificium raperent, abegit; sic nos, cùm in ara cordis holocaustum DEO offerimus, ab immundis hoc volucribus custodiamus, ne maligni spiritus, & perversæ cogitationes rapiant, quod mens nostra offerre se Domino utiliter sperat.

S. Aug. lib. de cura pro mort. c. 5. XVII. Orantes de membris sui corporis faciant, quod supplicantibus congruit, cùm genua figunt, cum extendunt manus, vel etiam prosternuntur solo, & si quid aliud visibiliter faciant: quamvis eorum invisibilis voluntas, & cordis intentio DEO nota sit, nec ille indigeat his indiciis, ut ei humanus pandatur animus, sed his magis seipsum excitat homo ad orandum, gemendúmque humiliùs atque ferventiùs; & nescio quomodo, cùm hi motus corporis fieri, nisi motu animi præcedente non possint, eisdemque rursus, exteriùs visibiliter factis, ille interior invisibilis,

qui

qui eos fecit, augetur: ac per hoc cordis affectus, qui, ut fierent ista, præcessit, quia facta sunt, crescit.

Necessitas.

S. Bernard. de inter. dom. c. 48. XIIX. Nullo alio modo DEUS ad misericordiam flectitur, quàm si animus deprecantis ad eum toto devotionis affectu convertatur.

S. Carolus Borrom. XIX. Inter alia, quæ Sapientia DEI, Christus Dominus Noster, in toto sancti Evangelij decursu summa cum sollicitudine nobis commendavit, oratio præcipuum locum habet, cujus usus & exercitium homini Christiano adeò est proprium, ut DEUS propter ipsam eos ab omnibus Mundi nationibus dissimiles facere voluerit. Domus mea, inquit Redemptor, domus orationis vocabitur.

S. Climac. grad 18. XX. Quando dæmones vident Religiosum externis corporis ministeriis distractum, non posse precibus operam dare, invadunt ipsum gravissimè, & turpissimas cogitationes objiciunt, quibus illum ad ruinam compellant.

S. Vincent. Ferr. ser. 6. dom. 5. post Trin. XXI. Sciendum, quod inter omnia opera, quæ possumus in hoc Mundo facere, necessaria est devota oratio ad DEUM. Ratio, quia certum est, quòd omnia bona, tam temporalia, seu corporalia, quàm etiam spiritualia, habemus à DEO: Nam *omne datum optimum*, scilicet bonorum temporalium & corporalium, *& omne donum perfectum*, scilicet (ut glossa ait) bonorum spiritualium, *desursum est, descendens à Patre luminum*, id est, Angelorum. Si ergo vis rigare hortum tuum de alio fonte, oportet ponere canalem, per quem aqua veniat ad hortum; ita etiam si vultis, quòd aqua gratiarum DEI veniat ad vestrum campum, hortum, vineam, domum, corpus & animam, de fonte ab alto spiritûs sapientiæ, verbum DEI in excelsis, ponatis canalem, scilicet orationem devotam; mediante istâ veniunt ad vos bona temporalia, corporalia, & spiritualia.

S. Laurent. Justin. de orat. c. 6. XXII. Nihil tam validum reperitur ad hostium nostrorum conterendam rabiem, quàm orationis perseverans opus: sed quia alia negotia hoc minimè permittunt, non prætermittenda, sed intermiscenda est nostris oratio actionibus, quamvis magnâ voce ipse clamet ad Dominum, qui etsi linguâ taceat, bonis tamen operibus perseverat; connitendum tamen est, ut in primordio saltem cujusque operis dirigatur oratio, quia, sicut militem procedere ad conflictum non congruit sine armorum protectione, ita & homini Christiano absque orationis munimine aliquid agere non licet. Egredientem igitur de hospitio armet oratio, regredientem de platea comitetur, cùm ambulante ambulet, cùm operante collaboret, nec priùs corpusculum requiescat in strato, quàm anima precibus reficiatur.

Bellovac. spec. mor. par. 10. lib. 3. dist. 34. XXIII. Magnum negotium habet homo tractare in curia summi Regis; anima verò in corporis carcere detenta non potest illuc ascendere, nec coram eo sua negotia procurare, ideo opus est, quòd ad illam nuncium suum, id est, orationem dirigat, quæ vicem ejus gerat, & ejus negotia procuret: unde Psalmista ait: *intret oratio mea in conspectu tuo*: ubi Glossa Augustini dicit: Magna virtus puræ orationis, quæ quasi quidam nuncius intrat, & ibi negotia peragit, quò caro pervenire nequit.

S. Bernar. ser. 5. de Quadrag. XXIV. Qui sumus nos, aut quæ fortitudo nostra, ut tam multis tentationibus resistere valeamus? hoc erat certè, quod quærebat DEUS, hoc erat, ad quod nos perducere satagebat, ut videntes defectum nostrum, & quòd non est nobis auxilium aliud, ad ejus misericordiam tota humilitate curramus. Propterea rogo vos, fratres, ut semper ad manum habeatis tutissimum orationis refugium.

S. Chrys. l. 1. de or. Deo. XXV. Quòd si te ipsum destitueris precatione, perinde feceris, ac si piscem ex aqua extraxeris, ut enim pisci vita est aqua, ita tibi deprecatio.

Utilitas.

S. Chrys. hom. 66. XXVI. Si ij, qui sapientibus hominibus familiariter utuntur, ex assidua consuetudine illorum prudentiæ participes fiunt celeriter, quid de ijs dicendum est, qui divina consuetudine fruuntur, & cum DEO ipso colloquuntur?

S. Bonav. de prof. rel. l. 2. c. 68. XXVII. Multiplex est Orationis utilitas, quibus etiam alias bonas actiones ipsa excellit. Prima, quia faciliùs & citiùs per eam impetramus, quæ à DEO desideramus, ita ut quandoque citiùs brevi oratione aliquis obtineat, quod diutinis jejunijs vel alijs laboribus, & pijs operibus vix obtineret: licèt & alia bona opera ad hoc aliquatenus suffragentur, unde in omni casu, in omni periculo, pro omni desiderio desiderato semper invenimus, Sanctos principaliter ad orationis subsidium refugisse, quasi ibi promptiùs, quod petebant, consecuturos.

S. Laur. Just. de orat. c. 1. XXVIII. Orationis virtus hominem illuminat; nam & oratione meliùs solvuntur dubia, quàm inquisitione aliâ, citiùsque panduntur secreta precibus, quàm studio.

S. August. s. 18. de temp. XXIX. Orationis arte (Judith) arma victricia fabricavit, quibus adversa confligeret, ut pavescentes viros fœmina vindicaret, ubi enim assiduis orationibus pulsatur Cœlum, potentia semper calcatur armorum.

S. Chrysost. l. 2. de orat. XXX. Oratio Ecclesiæ murus est, qui rumpi non potest, munimentum inconcussum, dæmonibus quidem formidabile, pijs verò, nimirum nobis, tutum ac salutiferum.

S. Ambros. ser. 1. de Elisæo. XXXI. Oratio longiùs vulnerat, quàm sagitta; sagitta enim non nisi proximè conspectum vulnerat adversarium, oratio autem etiam longiùs positum vulnerat inimicum: sic namque Eliseus Propheta, cùm eum vellet Rex Syriæ captivare, ac suæ subdere potestati, multisque eum armatorum cinxisset agminibus: non est territus, sed annuncianti puero ait:

noli timere, plures enim nobiscum sunt, quàm cum illis.

S. Chrysost. ho. 67. XXXII. Cuncta reverà cælestium armorum genera divinis precibus continentur, quæ vel sola possunt eos tueri, qui se DEO tradiderunt; nam peditum quidem robur, atque peritiam, sagittariorum experientiam, in prodendo hoste calliditatem, sæpe vel hostilis obtutus, atque adversariorum ardor animi, aliáque præterea inanem reddunt: at precatio telum est insuperabile, tutúmque præsidium quod æquè militem unum, ac multa millia profligat.

S. Bonav. diat. sal. tit. 2. c. 5. XXXIII. Est oratio similis scuto, quod divinæ indignationi debemus opponere; nam sicut scutum prohibet ictum lanceæ vel sagittæ, sic oratio servat à lancea, vel à sagitta sententiæ iræ DEI: unde dicitur de Aaron, quòd proferens scutum orationis restitit iræ.

S. Laur. Iust. de perf. grad. cap. 12. XXXIV. Oratio placat DEUM, lætificat Angelos, recreat Sanctos, penetrat cælos, postulata reportat, terret dæmones, adversarios superat, immutat homines, vires reparat, roborat mentem.

S. Chrysost. 6. hom. de orat. XXXV. Diabolus, cùm nequam sit, & noverit, quòd orationis tempore res magnas conficiamus, tunc nos aggreditur (sæpe enim in lecto supini jacemus, & nihil cogitamus, venimus ad orandum, & mox infinitæ cogitationes sese ingerunt) ut nos fructu illius vacuos, & penitus in irritum laborare faciat.

S. Isidor. l. 3. sent. c. 3. XXXVI. Quando quisque orat, Sanctum ad se Spiritum advocat, at ubi venerit, confestim tentamenta dæmoniorum, quæ se mentibus humanis immergunt, præsentiam ejus ferre non sustinentes, effugiunt.

S. Isidor. l. 3. sent. c. 3. XXXVII. Non est mirum, si tentationibus succumbat frequenter, & miserabiliter, qui studium orationis non frequentat. Unde B. Isidorus dicit: Hoc est remedium ejus, qui vitiorum incitamentis æstuat, ut, quoties quolibet vitio tangitur, toties ad orationem fugiat, quia frequens oratio vitiorum impugnationem extinguit.

S. Chrysost. in psal. 5. XXXVIII. Sæpe contingit, ut, quæ studio nostro corrigere non possumus, ea per preces efficere valeamus.

Dignitas.

S. Ephrem de orando DEO. XXXIX. Non est alia, in tota vita humana, pretiosior oratione possessio.

S. Chrysost. XL. Magna quippe dignitas orationis; mox ut ab ore processit, suscipiunt eam Angeli manibus suis, & offerunt DEO.

S. Chrysost. hom. 68. XLI. Hâc segregaris à pecoribus; hæc te Angelis jungit, hâc brevi sanè illorum reipublicæ, illorum vitæ, vivendíque rationi, dignitati, nobilitati, sapientiæ, intelligentiæ adjungetur, qui omnem sibi vitam in precibus ponendam putavit.

S. Franc. opusc. to. 3. coll. 14. XLII. In oratione DEUM alloquimur, & audimus, & quasi Angelicam vitam agentes inter Angelos conversamur.

XLIII. Honorabile est officium orandi, quia, qui orat, cum DEO loquitur; magnus honor est, loqui frequenter cum magno aliquo Principe, major cum Rege, multò fortiùs cum Rege Regum. Magna est orationis dignitas, quia ipse DEUS & tota curia cælestis intenta est audire orationes nostras, & delectantur in eis. Bellovac. in prec. dost. 13.

XLIV. Ad orandum movere nos debet cultûs ejus nobilitas, quia non est officium rusticorum, ut fodere, arare, putare &c. Sed est officium Filij DEI & Matris ejus, & officium Sanctorum & Angelorum; Filius enim DEI, & Mater ejus hoc officium habuerunt, & exercuerunt, & Sancti ejus specialiter in terris idipsum exercent, & retinent in cælis, ut orent ibi incessanter pro nobis. Ibid.

Iucunditas.

XLV. Oratio, mœroris omnis refugium, hilaritatis argumentum, occasio perpetuæ voluptatis: oratio, portus tempestate jactatis, fluctuantibus anchora, scipio tribulantibus, pauperum thesaurus, divitum securitas, morborum curatio, custodia sanitatis. S. Chrysost. hom. 19.

Assiduitas.

XLVI. Ait Propheta: *Oculi Domini super justos, & aures ejus in preces eorum*; quo fit, ut Patres hominis cum DEO coniunctionem, orationem esse definiant, eámque Angelorum opus, ac futuræ lætitiæ præludium appellent, siquidem in hoc potiùs, quàm in ullis aliis rebus situm esse cælorum regnum censent, ut ad sanctam Trinitatem appropinquet, eámque contempletur; quam quidem ad rem cùm precandi assiduitas mentem velut manu ducat, non abs re beatitudinis illius præludium, ac veluti effigies quædam appellata est. S. Io. Damasc. c. 10. hist. Iosaphat.

XLVII. Ait Apostolus: *Volo viros orare in omni loco levantes puras manus*: & Dominus dicit in Evangelio: *tu autem cùm oras, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora Patrem tuum*; non tibi videtur esse contrarium, ut dicat Apostolus: in omni loco ora: & Dominus dicat: intra in cubiculum tuum, & ora? sed non est contrarium, aliud Paulus videtur dicere, aliud Dominus. Nunquid potuit Paulus contra Christi docere præcepta, non utique: quâ ratione? quia non contrarius, sed interpres est Christi; quid ergo? potes utique orare, & in cubiculo tuo semper orare: habes ubique cubiculum tuum. Et si inter gentes, inter Judæos positus sis, habes tamen ubique secretum cubiculum tuum: mens tua est, in populo licèt positus, tamen in interiori homine arcanum tuum, secretúmque conservas. Tu autem cùm oras, intra in cubiculum tuum: bene addit, intra, nec sic ores, quomodo Judæus, cui dicitur, *populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me*: non ergo de labiis tantummodo tua procedat oratio: animo totus intende, intra in recessum pectoris tui. S. Ambros. lib. 6. de Sacram. cap. 3.

XLVIII.

S. Chrysost. hom. 67. XLVIII. Quando aliquem cerno, qui, non precari assiduè, in magnis numeret detrimentis, omnium illum virtutum acerrimum cultorem, Deique templum esse conicio.

Perseverantia.

S. Bonav. ser. 17. de Confess. XLIX. Oratio debet esse continua, ut sicut nunquam deficit pugna, sic nunquam cessemus petere misericordiam, nunquam miles existens in pugna, deponit arma ante obtentam victoriam: arma nostra sunt orationes.

Facilitas.

L. Movere debet ad orationem, orandi facilitas, & inexcusabilitas, quia opus de facili potest fieri, & ita inexcusabile est, secundùm quod in Psalmo dicitur: *Apud me oratio DEO vitæ meæ.* Ubi Glossa ait: apud justum semper est, quod dare potest, scilicet oratio, quam si non potest dare voce, potest eam semper dare mente, ut semper oret, bonum desiderando, & volendo. Bellovac. disp. 32.

Ibid. LI. Non infirmitate aut paupertate se potest excusare homo, cui si diceretur, ieiuna, posset respondere: Non possum, quia infirmus sum. Si dicitur ei: fac eleëmosynam, posset respondere, non possumus, quia pauper sum: si dicitur, ora, non potest hoc dicere; quia si non potest orare voce, potest orare corde, ipsa bona voluntas, & desiderium orandi, oratio est.

S. Chrysost. in psal. 141. LII. In orandis hominibus, & sumptu opus est, & servili adulatione, multóque & molesto ambitu: non enim solùm rectà ipsos Dominos adire licet, & appellare de munere, sed frequenter necessum, ministros, dispensatores, curatores eorum, pecuniis, & verbis, & omni denique pacto demulcere, quo vel ita tandem postulata accipias. Nihil istiusmodi in orando DEO; non ibi opus est Interpretibus, neque tam ab intercessoribus, quàm nostris ipsorum precibus, pro impetrandis muneribus exoratur.

De Oratione Dominica.

S. Chrysost. de Orat. Dom. LIII. Quæ vera magis apud Deum Patrem precatio, quàm quæ à Filio, qui est veritas, de eius ore prolata est?

S. Thom. 2. 2. q. 83. art. 9. LIV. Oratio Dominica perfectissima est, quia, sicut Augustinus dicit ad Probam, si rectè & congruenter oramus, nihil aliud dicere possumus, quàm quòd in ista Oratione Dominica positum est.

S. Tertull. lib. de orat. LV. Neque enim propria tantùm orationis officia complexa est, sed omnem penè sermonem Domini, omnem orationem disciplinæ, ut reverà in oratione hac Evangelii breviarium comprehendatur.

S. August. Epist. 121. LVI. Si per omnia precationum sanctarum verba discurras, quantùm existimo, nihil invenies, quod non ista Dominica contineat, & concludat oratio.

Dionys. Carthus. in c. 6. Matth. LVII. Tanta est huius orationis profunditas in sensu, fœcunditas in mysteriis, efficacia in effectu, & artificiositas in ordine, ut nemo capere queat, vel eloqui.

De Oratione publica.

LVIII. Congregate illi Sanctos eius, ut illi simul pro nobis intercedant: quod enim Dominus uni Sancto forsitan negaret, omnibus congregatis & orantibus non negaret: sicut in claustris, quando Conventus totus petit ab Abbate, non est consuetudinis, ut patiantur repulsam. Hugo Card.

LIX. Persæpe Deus quasi pudore commovetur, cùm multitudinem ad precationem concordem, atque conspirantem cernit. S. Chrysost. hom. 2. in 2. Cor. 2.

LX. Deprecatio consonantes non habens, multò est invalidior. S. Basil.

LXI. Multi nimirum, dum congregantur unanimes, magni fiunt, & multorum preces impossibile est non audiri. S. Ambros.

LXII. Ideo congregamur in Solemnitatibus, vel Processionibus, ut ab invicem inflammemur, & oratio ascendat ad Deum. S. Vincent. Ferr. s. 6. in Dom. 5. post Pent.

LXIII. Hæc vis DEO grata est. Coimus in cœtum, & congregationem, ut ad DEUM quasi factâ manu precationibus ambiamus. Tertull. in apolog. c. 39.

MEDITATIO.

Necessitas.

LXIV. Ad orandi studium Meditatio provocat, & informat. Hugo ait: sic orationi sancta meditatio necessaria est, ut omnino perfecta esse oratio nequeat, si eam meditatio non comitetur, aut præcedat. Nam & hi, qui mala sua considerare negligunt, aut nihil petendo facilè per ignorantiam falluntur, aut certè minùs, quàm oportet, dignè petendo per desidiam tepescunt. Quantò homo magìs mala sua intelligit, tantò ampliùs suspirat & gemit. S. Bonav. spec. disc. p. 1. c. 12.

Utilitas.

LXV. Meditatio docet, quid, & qualiter sit orandum, disponit & ordinat animum, & regulat mentem, & elevat cor in Deum. Bellov. l. 3. spec. p. 10. disp. 32.

LXVI. Meditatio parit scientiam, scientia compunctionem, compunctio devotionem, devotio perficit orationem: meditatio est frequens cogitatio, curiosa, & sagax obscura investigare, & occulta ad notitiam trahere. Scientia est, quando homo ad notitiam sui assiduâ meditatione illustratur; Compunctio est, quando ex consideratione malorum suorum cor interno dolore tangitur. S. Aug. l. de spir. & Anim. c. 50.

LXVII. Ascendamus velut duobus quibusdam pedibus, Meditatione & Oratione. Meditatio siquidem docet, quid desit: oratio, ne desit, obtinet: meditatione agnoscimus imminentia nobis pericula, & oratione evadimus. S. Bern. ser. de S. Andrea.

LXVIII. Lectio quasi solidum cibum ori apponit, meditatio masticat & frangit, oratio saporem acquirit. Contemplatio est ipsa dulcedo, quæ jucundat, & reficit, lectio in cortice, meditatio in adipe, oratio in desiderii postulatione, contemplatio in acceptæ dulcedinis delectatione. Idem c. 1. scha. claust.

§. II.

EXEMPLA SACRA.

Spec. ex v. 1. dam. ex. 4.

QUodam tempore nocte in specie Monachi dæmon ad ostium Cellulæ S. Macharii pulsaverat dicens: surge, Abba Machari, & eamus ad Collectam, ubi fratres ad vigilias congregantur. Sed ille gratiâ DEI repletus falli non potuit, intellexit enim diaboli fallaciam, & ait: O mendax veritatis inimice, quid tibi societatis est cum Collecta & Congregatione sanctorum? at ille ait: latet ergo te, Machari, quòd sine nobis nulla Collecta agitur, nulla Congregatio Monachorum? Veni tu denique, & videbis opera nostra: dixit autem Macharius: imperet tibi Dominus, dæmon immunde, & conversus ad orationem petiit à Domino, ut sibi ostenderet, si hoc verum esset, quòd gloriatus est dæmon. Abiit ergo ad Collectam, ubi à fratribus Vigiliæ celebrabantur, & iterum in oratione Dominum deprecabatur, ut ei veritatem verbi huius ostenderet: & ecce vidit per totam Ecclesiam quasi parvulos quosdam pueros æthiopes nigros discurrere huc atque illuc, & velut volitando deferri: discurrentes autem illi æthiopes pueri singulis quibusque fratribus in oratione positis, atque psallentibus illudebant: & si cui de eis oculos duobus digitis compressissent, statim dormitabat: si cui verò in os misissent digitum, oscitare eum faciebant: item cùm post Psalmum ad orandum se projecissent fratres, percurrebant iterum singulos, & ante alium quidem jacentem in oratione, quasi in mulierum speciem vertebantur: ante alium quasi ædificantes aut apportantes aliquid, aut diversa quæque agentes apparebant, & quæcumque dæmones quasi ludentes formâssent, hæc orantes illi in cordis sui cogitatione versabant; ab aliquantis tamen fratribus, ubi aliquid horum cœpissent, quasi violenter repulsi præcipites deiiciebantur, ita ut nec stare ante eos, aut transire auderent, aliis etiam juxta cervices & dorsa ludebant; hæc cùm vidisset S. Macharius graviter ingemuit, & lachrymas profundens, ad Dominum dixit: *Respice, Domine, & ne sileas, neque mitigeris, Deus: sed exsurge & dispergantur inimici tui, & fugiant à facie tua, quoniam anima nostra repletur illusionibus.* Post orationem autem, examinandæ veritatis gratiâ, seorsum evocatis singulis quibúsque fratribus, ante quorum faciem viderat dæmones diverso habitu, & variis imaginibus ludentes, requirit ab eis, si in oratione vel ædificandi cogitationes habuerint, vel iter agendi, vel alia diversa, quæ unicuique per dæmones imaginata viderat: & singuli eorum ita confitebantur, in corde suo fuisse cogitationes, sicut ille arguebat. Et tunc verè intellectum est, quòd omnes malæ & superfluæ ac vanæ cogitationes, quæ vel psallentibus, vel somniorum aut orationum tempore occurrunt, quásque unusquisque in corde conceperit, illusione & instinctu dæmonum fiant. Nam ab alijs, qui omni custodiâ servant in timore & amore DEI cor suum, illi tenebrosi æthiopes, & hæ, quas immittunt, cogitationes repelluntur; Christo enim mens conjuncta, & præcipuè tempore orationis intenta, nihil malum, nihilque superfluum recipit.

II. Venerunt aliquando ad Abbatem Lucium in Hennato Monachi quidam, qui dicebantur Euchitæ, hoc est oratores, & interrogavit eos senex dicens: quod est opus manuum vestrarum, & illi dixerunt: nos non contingimus aliquando opus manuum; sed, sicut dicit Apostolus, sine intermissione oramus: dicit eis senex: & non manducatis? illi autem dixerunt: etiam manducamus. Et dicit eis: quando ergo comeditis, quis pro vobis orat? & iterum interrogavit eos dicens: non dormitis? & illi dixerunt: dormimus. Et dicit eis senex: cùm dormitis, quis pro vobis orat? & non invenerunt, quid ad hæc responderent ei. Et dixit eis: ignoscite mihi, fratres, quia ecce non facitis, sicut dixistis. Ego autem ostendo vobis, quia operans manibus meis, sine intermissione oro; sedeo enim juvante DEO infundens paucas palmulas, & facio ex eis plectam, & dico: *Miserere mei DEUS, secundum multitudinem &c.* & dicit eis: oratio est an non? & dicunt ei: etiam. Et ille dixit: quando permansero totâ die laborans, & orans corde, vel ore, facio plùs minùs sedecim nummos, & pono ex eis ad ostium duos nummos, & residuos manduco, & qui accipit illos duos denarios, orat pro me tempore, quo ego manduco, vel dormio, atque ita per gratiam DEI implebitur in me, quod scriptum est: *sine intermissione orate.* Ibid. v. orat. ex. 7.

III. Virgo quædam religiosa secundùm numerum Psalmorum, centum quinquaginta salutationes Angelicas, cum totidem veniis, Reginæ cæli singulis diebus offerebat, sed quoniam propter ipsam multiplicitatem minùs dignâ devotione, quàm oporteret, id faciebat, admonita est ab eâdem Dominâ nostrâ, quatenus rescissis duabus partibus, quinquaginta sibi quotidie salutationes competentibus veniis intentè & amorosè persolveret, patenter insinuans, Deo & sibi acceptius fore, si parùm cum devotione recitet, quàm multùm negligenter & sine devotione exhibitum. Ibid. v. Salut. Ang. ex. 7.

IV. Dæmon quidam adolescentis venusti speciem induens, ad quemdam militem venit, obsequium suum illi offerens. Cui cùm multùm placeret, tam in decore, quàm in sermone, gratanter ab eo susceptus est. Qui mox militi servire cœpit diligenter, & tam timidè, tam fideliter, & tam jucundè, ut satis ille miraretur; nunquam equum suum ascendit, nunquam descendit, quin ille esset præparatus, & genu flexo strepam teneret, disertum, providum, hilarem semper se exhibuit. Die quadam dum simul equitarent, & venissent ad fluvium quendam magnum, miles respiciens, & plures ex inimicis suis mortalibus post eos venire considerans, ait servo: Mortui sumus, ecce inimici Ibid. v. orat. ex. 11.

mei

mei post me festinant; fluvius ex opposito est, nullus superest locus refugii: aut occident me, aut capient. Tunc ille: Ne timeas, Domine, vadum fluminis huius bene novi: sequere tantùm me, bene evademus. Respondente milite: nunquam homo fluvium istum in hoc loco transvadavit; spe tamen evasionis suum ducem secutus, sine periculo venit ad litus: & ecce eis transpositis, hostes ex opposito litore consistentes mirati sunt, dicentes: quis unquam adivit vadum in flumine isto? non alius nisi diabolus illum transvexit, timentésque reversi sunt. Processu verò temporis accidit, ut militis uxor infirmaretur usque ad mortem, in qua dum omnes Medicorum artes defecissent, ait iterum dæmon Domino suo: Si domina mea inungeretur lacte leonino, statim sanaretur, dicente milite: unde haberetur lac tale? respondit ille: ego afferam, qui vadens, & post spatium unius horæ rediens, vas plenum secum attulit: à quo cùm fuisset perunctа, mox meliorata pristinum recuperavit vigorem. Cui cùm diceret miles: unde habuisti tam citò istud? respondit: de montibus attuli Arabiæ: recedens à te, in Arabiam ivi, leænæ speluncam intravi, catulos abegi, & ipsam mulsi, sicque reversus sum ad te: stupente milite ad verba ista, & dicente: quis ergo es tu? Respondit ille: Non soliciteris de hoc, servus enim tuus sum. Ergo instante milite, tandem confessus est, dicens: Dæmon ego sum, unus ex illis, qui cum Lucifero ceciderunt. Tunc magis miles stupens, subjunxit: si naturâ diabolus es, quid est, quòd tam fideliter servis homini? Respondit dæmon: Magna est mihi consolatio, esse cum filiis hominum: dicente milite, non audeo de cætero uti servitio tuo, iterum ille respondit: hoc pro certo scias; quia si me tenueris, nunquam à me vel propter me aliquid mali eveniet. Non audeo, inquit, sed quidquid pro mercede tua postulaveris, licèt dimidium bonorum meorum, libens tradam tibi. Nunquam homo homini servivit tam fideliter, & tam utiliter: per tuam providentiam juxta fluvium mortem evasi, per te uxor mea recepit sanitatem: tunc dæmon: ex quo tecum esse non potero, nil pro servitio meo, nisi quinque solidos requiro, quos cùm recepisset, militi illi reddidit dicens: peto, ut ex eis nolam compares, & super tectum pauperis illius Ecclesiæ ac desolatæ suspendas, ut per eam saltem Dominicis diebus fideles ad divinum convocentur Officium; sicque oculis ejus disparuit. Et hoc idcirco dæmon petiit, ut hi, qui hactenus debitam horam Officii prævenientes, cum summa devotione expectabant, eò quòd timerent tardiùs ad divina mysteria concurrere, de cætero non nisi post auditum nolæ sonum convenirent.

Ibid. V. Angelus, ex. 12. V. Celebrabantur aliquando solemnes vigiliæ & S. Bernardus cum cæteris fratribus aderat, cùmque hymnus: *Te DEUM laudamus*: cantaretur, vidit sanctos Angelos multâ claritate fulgentes, mira etiam vultûs alacritate devotos, qui utrumque chorum percurrentes, modò hunc, modò illum excitabant, cantantibus aderant, & quasi congratulantes astabant, & ut diutiùs ille hymnus cum devotione præcineretur, modis omnibus elaborare satagebant. Intellexit quoque Vir sanctus, hymnum illum verè esse familiarem ipsis, quos tantâ instantiâ vidit operam dare, quatenus à fratribus ad honorem Dei cum fervore devotionis cantaretur. Cuidam etiam fratri spirituali videre concessum est, dum idem hymnus inciperetur, quòd ab ore incipientis flamma magnæ splendoris erumpebat, & sursum concedebat.

VI. De Dominico Anadono Ordinis Prædicatorum, sic scribit Joannes Rho. Gemina in hoc, quod sequitur, laus, publica & privata, continetur. Altera Valentini Cænobii Patrum est, qui centum ipsas Aras, sacram intra ædem, & domestica claustra, Deo excitarunt: ut mihi unius familiæ Religio urbem tueri posse, & cœnobium illud gloriosiori elogio, quàm à centum portis olim Thebæ, à centum Altaribus cognomentum posse desumere videatur. Altera Anadono debetur: nam quùm tuendæ altarium religioni satis esse videri posset, domesticorum aliquem singulas ad aras DEO quotidie supplicare; nec leve id, quamquam frequenti in familia, vel ad pietatis augmentum, vel ad publicæ salutis tutelam, momentum allaturum esset; quid de Anadoni orandi studio dicere nos convenit? qui unus si aliorum cessâsset industria, omnium obivit partes, & centum altaria quotidie circumiens, singulisque advolutus, vir minimè alioqui otiosus, præpotenti DEO laudis hostias centum, novo atque admirabili hecatombes genere immolavit. Abundamus nimirum tempore, si attendamus, neque illius spatia summâ vitæ jacturâ, per negligentiam elabi sinamus. *Ioan. Rho. l. 3. c. 6. n. 4.*

VII. Non minor in Joanne DEI orationis contentio, quem non in lectulo afflictum jacentémque, sed genibus nixum, ardentissimas ad DEUM preces fundentem, renovatâ Pauli Anachoretarum Principis memoriâ mortalitatis extrema necessitas occupavit, ac veluti Religiosum illum corporis habitum reverita, humi affligere cadaver non est ausa, ut clarissima esset testificatio, quàm assiduè orare consuevisset ille, cujus exuviæ, ad quam longo se usu composuerant, frigida in morte pietatis retinebant imaginem: abstulit illi mors animam & orationem, orantis gestum non abstulit. *Ibid. n. 7.*

VIII. Non unius hæc Joannis laus fuit: additur illi Comes. Marcus Angelus Gambaranus C. Somnascus, clarum inter socios Hieronymi Æmiliani nomen; ea enim nocte, quæ illi suprema fuit, quùm instare sibi mortem sentiret, vires animo addente, vestes induit, & quamvis ægrè se moliens, ad Ecclesiam adiit, quam cùm clausam, ut id temporis, reperisset, domesticum ad oratorium perreptavit, ibique flexo poplite, scamnóque innixus, cùm oratione, cui assueverat, aliquantulum temporis extraxisset, scamnum ma- *Ibid. n. 8.*

nu

nu pulsans, absolvendæ simul vitæ, simul orationis veluti dato signo, ad meliores emigravit.

Ibid. n. 12 IX. De Angelo Pacio Ordinis Minorum refert idem Author. Noctè manus ad DEUM non frustrà tolli, verbis, exemplóque docuit Propheta, quem omnes plerique sequuntur. Cæterùm meridiem huic operi destinare institerat Pacius, & quâ maximè diei tempestate mortales otia sectantur, ipse, qui precum continuus esset, tum ipsas, quantùm poterat, intendebat, suíque facti non unam reddebat rationem: & primò quidem, imitari se Apostolos, qui ex veteri disciplina ad horam orationis nonam templum adire consueverant, deinde nullam sibi opportuniorem DEO exorando eâ videri, quâ perfecto magno Christi sacrificio totius hominum generis salus condita est: quod enim precibus aliud poscimus, quàm quod ea nobis obveniat?

Ibid n. 17. X. Clerici, qui Minores dici voluerunt, eam suscepère provinciam, ut semper domi aliquos in DEI oratione habeant occupatos, quódque singuli non possunt, ut vicariâ invicem opera præstent universi, cælóque assimiles sint domus illæ, in quibus à DEI laudibus nunquam cessatur.

Ibid. n. 20. XI. Seraphinum Cavallum Ordinis Prædicatorum Generalem Magistrum, constantissimæ pietatis fuisse, tradunt annales: illud ex nominis augurio memorabile, tres ipsas horas latè dispansis brachiis quondam orando perseveràsse; quem corporis habitum vix per semihoram à paucissimis tolerari posse crediderim; sed ut beata illa Seraphim perpetuò alis librata, DEUM circumstant, sic iste ne nomine videretur indignus, immoto corpore animum altissimo volatu explicabat.

Assiduitas.

Ped. Christ. t. 1. c. 25. §. 6. hist. 3. XII. Thais meretrix S. Paphnutii operâ ad frugem revocata, tanta tenebantur anteactæ vitæ verecundia, tam se ex animo abjiciebat, ut DEI nomen proferre non ausa, hoc solum frequens repeteret: *Qui plasmâsti me, miserere mei*: qua demissione ad illum virtutis gradum intra annum pervenit, ut illustrem gloriæ locum, quem S. Paulus Simplex in cœlo viderat, & Patri suo Antonio paratum credebat, vox de cœlo lapsa Thaidis esse diceret, quemque esset intra quindecim dies felici morte consecutura.

Io. Rho. l. 3. C. 4. n. 1. XIII. Pius V. quam privata in disciplina orandi consuetudinem hauserat; eam, non inter Pontificatûs ardua, negotiorúmque tempestatem unquam interrupit, ita non modò statis horis divinarum laudum pensum diligentissimè persolvebat, verùm & certas noctis horas, & quidquid otii alienis temporibus poterat suffurari, totum id agendo cum Domino, &, quæ plurima pro ejusdem gloriâ susceperat peragenda, expediendis diligentissimè impendebat: & profitebatur palam, sine orandi studio neque Pontificatus, neque interiores sibi animæ rationes consistere. Quanta autem ejus esset in exorando Numine vis, quàm secundo in precibus uteretur DEO, novit Christiana Respublica, quam celeberrimâ de Turcarum classe impetratâ victoriâ ab imminenti discrimine liberavit.

XIV. Joanni Baptistæ Vitellio quindecim ut minimum horas diebus singulis absumebat oratio, quantulâ parte, (si reliqua pietatis demus officia) curando corpori relictâ! sed si opus esset, vehementiùs multò agebat; fuit enim, quùm in gravibus Christianæ Reipublicæ temporibus totidem sæpe dies perdius ac pernox ante aram & divinissimam Eucharistiam perseveravit immotus, si duas modò horas sub auroram excipias, quas naturæ usibus concedebat. Quid non à DEO auferret, quem de petendi ac precandi constantiâ nulla temporis dimoveret vicissitudo? fortissimus Ducum Josue, qui ardore animi cœlo novas dedit leges, elatæ manûs perseverantiâ hostium urbes delevit. Ibid. n. 11.

XV. Thomas Sicletus sacerdotale precum breviarium quotidiè ex formula percurrit ad annum quintum supra centesimum, qui vitæ illi supremus fuit. Meruit æternos inter DEI laudatores enumerari, qui victis temporum legibus, spretisque vicissitudinibus, hic laudare perseveravit. Ibid. c. 10. n. 9.

Utilitas.

XVI. Cùm Joannes Alarionius Aloysio Bertrando Ordinis Prædicatorum, valut sodali suo in Albaide de hyemis ac frigoris penetrabili vi conquereretur, nec jam se esse ferendo affirmaret; quin te igitur, ait Aloysius, ad orandum recipis? neque enim fieri potest, ut ritè DEUM orantes non incalescant. Ioh. Rhot. l. c. 2.

XVII. De Bonaventura Seraphina sic scribit Joannes Rho: singulari hujus Virginis innocentiâ puerilibus etiam in annis, mirum, quàm delectatetur DEUS. Educabatur illa cum sociâ apud Moniales Gandienses, quibus persuasum erat, quidquid à DEO hæ flagitassent, absque dubio impetraturas, itaque Magistra morum quoties sive agris pluvia, sive annona sororibus opus erat accitas ad se puellas jubebat actutum se in preces dare; ni DEUM exorarent, ne ad se reverterentur, neve jentaculum sperarent; parebant illæ, atque in secretum horti domestici locum secedentes flagellis tantilla in corpora desævientes, atque precibus incumbentes, quod imperabatur, impetrabant. Mira Numinis indulgentia, quasi testari vellet, illius vocis nequaquam se pœnitere: Sinite parvulos venire ad me. Ibid. 16.

XVIII. Sapor Rex Persarum truculentissimus Ecclesiæ persecutor, quíque non tam pro regnis acquirendis quàm ut fidem Catholicam penitus extirparet, bella gerebat, cùm Nisibim civitatem per validissimum exercitum arctâ cinxisset obsidione, illiúsque mœnis & propugnacula, per laboriosè derivatum & de- Baronius ad an. 457. n. 42.

deductum in eadem vicini fluminis impetum, dejecisset, & solo æquasset, S. Jacobus ejusdem loci Episcopus hoc usus est consilio: Videns murum corruisse, vocavit populum urbis, & Clerum, & milites ad orationem: facto manè invenerunt muros urbis cum omnibus propugnaculis reparatos post orationem: quod videns Sapor timuit, quia vidit super murum quendam imperiali schemate ornatum; quem cùm crederet esse Romanorum Imperatorem, mortem minitabatur exploratoribus suis, qui ei dixerunt, quòd Romanus Imperator in illis partibus non adesset. Quem cùm cognosceret, non esse hominem, ajebat, DEUM agere bella Christianorum: ad quem cùm præcepisset multas dirigi sagittas, nec ipsum læderent, nec Sapor cessaret ab obsidione, Episcopus abductus est super turrim eminentiorem, ut Sapori & exercitui malediceret, qui oravit, ut Dominus superbiam eorum muscis & cyniphibus domaret: & statim nebula exivit de fluvio, quæ emisit muscas & cyniphes & culices, quæ intrantes per proboscides Elephantorum, & nares & aures equorum, faciebant eos discurrere, & fugere ab exercitu, infinitis sessoribus, qui in eis sedebant, interfectis, & ita Sapor non sine multa confusione discedit ab obsidione.

Bellovar. l. 10. dist. 31. XIX. Cùm olim totus quasi mundus Arriana peste esset contaminatus (ut proinde in lectionibus S. Damasi Papæ dicatur: ingemiscens orbis terrarum, se Arrianum esse miratus est) quonam putatis modo DEUM sacrilegum hinc prostravisse? Bellovacensis ait: Legitur in Ecclesiastica historia, quòd cùm Constantinus Imperator factus Arrianus defenderet Arrium, convocavit Concilium apud Constantinopolim, in quo secta Arrii confirmaretur; cùm autem Alexander Patriarcha Alexandrinus, omnibus dictæ sectæ se opponeret, comminantur ei exilium Arriani, nisi eis in manè consentiret; ipse autem totâ nocte pernoctans in oratione, provolutus sub altari, causam suam & Ecclesiæ Domino commendavit; facto manè cum Arrius cum suis constipatus duceretur cum maxima gloria ad Concilium, necessitate compulsus declinavit ad publicum locum. Ubi cùm sederet, omnia intestina sua, & viscera emisit in secessum.

Ibid. XX. In fine Historiæ Ecclesiasticæ legitur, quòd, cùm Valentinianus Arrianus vitam finiisset laqueo, substituitur ei Eugenius, similiter Arrianus. Theodosius autem vir Catholicus contra eum arma movit, præmuniens se jejuniis & orationibus, vigilans in oratione ante thecas Martyrum prostratus. Cui quidam sanctus Eremita promisit victoriam. Cùm transiret Alpes cum suis, & viderent infinitam multitudinem undique confluentem, & eos ad pedes montis ad pugnas exspectantes, sui territi terga vertebant & fugam parabant, descendit Theodosius, & projectis armis ad terram se prostravit in oratione: quâ completâ, Dominus animavit suos, ita ut reversi more leonum irruerent in hostes gentiles & Arrianos, & subitò insurgens ventus vehemens tela, quæ hostes projiciebant, intorquebat in ipsos, DEI virtute. Eugenius adducitur ante pedes Theodosii, ubi vitam finivit.

XXI. De belli Duce quodam natione Gallo multùm in bello fortunato, orationibus proinde addictissimo, Blasio Monluco nomine, scripta reperio sequentia: Hominis hic ego pugnacissimi, quem verè Martis pullum dicere possis, libenter nomen intersero, ut doceam, neque ipsa inter arma, quod nonnulli tamen habent pro explorato, cessare pietatem. Tradit ipse de seipso in libris, quos de rebus suis stylo edidit militari, nullum sibi diem abiisse non adorato Christianis precibus Numine; cùm verò arma essent expedienda, atque in hostem pugnandum, tum concepto à se carmine, tum ex sacris formulis, magno animi sensu semper orâsse: Nam qui ad præsentis mortis periculum toto corpore perhorresceret, ubi preces ac vota conceperat, addi sibi animos, novúmque per ossa vigorem currere, atque incalescere in venis sanguinem sentiebat; ut unus omnium maximè in media exinde rueret pericula, & temeritati propior, quàm fortitudini, videretur. *Io. Rho. L. 3. c. 8. n. 18.*

XXII. In vita S. Thomæ de Aquino legitur, quòd, cùm aliquando multo tempore studuisset, ut textum aliquem difficillimum Isaiæ Prophetæ, super quem tunc commentabatur, interpretari posset, solito ferventiùs ad orationem confugerit pro illius intelligentiâ. Cùmque in majori orationis fervore positus esset, apparuerunt coram eo S. Petrus & S. Paulus, qui difficultatem planè declararunt, unde verè dicere potuit, Petrus Apostolus & Paulus Doctor gentium ipsi me docuerunt, & quidem Frater Reginaldus socius ejus vocem Apostolorum distinctè audivit, licet, quinam essent, scire non potuerit; abeuntibus verò Apostolis, Reginaldo ad se accersito dixit; illas resume paginas, in quibus, me dictante super Isaiam, proximis diebus scribebas, & quæ dictabo, diligenter excipe. Cœpi ego statim scribere, illo non aliter dictante, quàm si legeret illa, quæ dictabat: Cùmque scripseram, dixit: Redi jam ad quiescendum, quia adhuc multùm noctis super est. Reginaldus autem summa cum instantia imò & cum lachrymis S. Doctorem interrogavit, quinam illi fuissent, qui in obscuro & silentio noctis cum illo miscuissent discursus, tandem post multam factam reluctantiam, & acceptam à Reginaldo promissionem, quòd ea, quæ dicturus esset, quoad usque viveret, manifestare nollet; dixit ei: vidisti me hisce diebus valdè anxium super difficultate loci Prophetiæ hujus, quem nunc exposui; cujus cùm sensum percipere non possem, & ea me res mirificè angeret, non priùs à precibus & lachrymis destiti, quàm à DEO impetravi, ut mihi liceret scire, quod ut scirem, tantopere laboraveram: quare pius Dominus servi sui misertus, Beatos ad me Apostolos Petrum & Paulum hac nocte misit, qui mihi, sicut vides, rem planam & apertam fecêre. *Hist. Sel. c. 171.*

R. P. Lohn. Auctar. Bibl.

Digitized by Google

Chron. Capucin. to. 1. p. 2. an. 1552, n. 76

XXIII. In Chronicis Capucinorum sequens recensetur Historia: Frater Mathæus de Bascio unus ex primis Religionis illius Fundatoribus & sæculi sui Apostolus, atque in dono miraculorum insignis, utpote qui sæpius siccis pedibus mare inambulavit, cùm die quâdam Venetijs Hebræis prædicaret, unus illorum fictè se compunctum esse simulavit, dictúmque DEI servum, ut pro se intercederet, rogavit, ut hac ratione ad veræ fidei perduceretur notitiam: Cui vir DEI se pro eo oraturum esse, firmiter promisit: at verò Hebræus ille vix ab eo recesserat, cùm protinus cum alijs suis sodalibus & sectæ consortibus, datam sibi promissionem, vanámque & fictam illam fiduciam, effuso cachinno derisit: post aliquot verò dies huic viro DEI obviam factus, eidem dixit: nescio quid sibi velit, quòd, postquam me tuis orationibus commendavi, Christus vester, ne vel semel mihi in mentem venerit, aut minimum mihi lucis radium communicavit: ita quidem est, respondet vir sanctus, sed post paucos dies hujus tibi edicam rationem: interea verò te obsecro, ut ad me venias, quia operâ tuâ indigeo. Paulò pòst igitur Judæus illum conveniens, ab eo ad palatium quoddam uno milliari ab urbe distans perductus fuit, ubi in limine eius bajulum quendam invenit, necnon saccum frumento refertum, & scapham in mari positam. Conversus igitur ad Hebræum vir DEI, eidem dixit: Frumentum hoc naviculæ huic imponere vellem, ut permanere ad domum nostram deportaretur. Adjuva me igitur, ut saccum hunc præsentis bajuli humeris imponere possim: Judæus igitur perlibenter manus ori sacci applicavit, F. Matthæus autem eundem saccum ex alia parte apprehendit. Cúmque Hebræus saccum levaret, vir DEI ex industria eundem cadere permisit. Quod cùm sæpius ab eo factum fuisset, Hebræus viro DEI irascens dixit: oportet, ut & tu ex ea parte onus sustineas, quia ego idipsum solus portare non possum: tunc DEI servus ait, dimitte saccum: nunc te paucis verbis affabor: Nuper me rogâsti, ut pro salute tua Dominum precarer pro tui illuminatione, ut veram fidem amplectereris: ego quidem omni cum diligentia partibus meis satisfeci, tu verò defecisti, & mihi, & tibi ipsi: conjunge cum sinceritate cordis orationem tuam cum mea, móxque super te descendere videbis divinam misericordiam: quo dicto mox palatium, frumentum, bajulus, & navicula simul ab oculis eorum disparuerunt. Ex quo miraculo stupefactus, & domi suæ Domesticis idipsum enarrans occasionem sumpsit, ut gremio Ecclesiæ se cum omnibus familiæ suæ domesticis aggregaret. Optimè igitur D. Chrysostomus ait, si nos in virtutis studio seduli fuerimus, efficaces erunt & preces aliorum pro nobis; si verò desides fuerimus, nemo nos juvare poterit.

Io. Rho. l. 3. c. 8. ex 1.

XXIV. Eximiam meretur laudem incredibilis illa Caroli V. orationi incumbentis attentio: de qua P. Rho in hæc verba scribit; quàm intento animo ibi esset, tunc maximè patuit, cùm magni Regis Legato per internuncium urgenti, ut admitteretur, rem magni momenti afferre se se, respondit: Nec ego quidem nunc leviter sum occupatus, qui cum Deo ago.

Spec. Ex. v. Mori. ex. 18.

XXV. Cuno magnus Dominus de Walpurg, vir potens & dives in sæculo, tam valens in militia, ne dicam malitia, quàm vigens in prudentia seculari, ante finem vitæ in Claustro habitum suscepit regularem, & quia temporis longinquitate non poterat, morum probitate dies suos dimidiare satagebat. Ubi adeò profecit, quòd *consummatus in brevi explevit tempora multa; placita enim erat DEO anima illius*, unde & qui vocaverat eum ad suum servitium, non solùm præstitit ei veniam delictorum, sed & in tali ordine præcognitum ei fecit finem suum. Habebat Conventus proletarium pulcherrimum, quem equaritiæ suæ propter fœtum nobilem deputaverat, quem cùm vir nobilis Henricus de Isenburg concupisceret, neque pretio habere posset, hoc actum est, ut absconsè subtractus, ei transmitteretur, quem cùm minimè redderet, missus est prædictus Cuno, qui eidem Henrico fuerat in sæculo amicissimus, & cùm nihil proficeret, videns hominem obstinatum irruente in se, ut pòst patuit, Spiritu DEI, ad divinum judicium appellavit, diem ei præfigens. Quid plura? Henricus appellationem contempsit, & Cuno domum rediens, omnibus modis quibus potuit, ad eundem diem se præparavit; dicebat igitur Abbati: Domine, sextâ feriâ crucem accepi: sextâ feriâ transfretavi: sextâ feriâ in Capella mea me vobis tradidi: sextâ feriâ habitum indui regularem: DEUS sextâ feriâ laborum meorum mihi restituet mercedem: expletis verò jam tribus annis in sancta conversatione febre correptus est, visitatus ab amicis se dixit tertiâ die moriturum: illi autem recedere volebant, eò quod levis esset ejus infirmitas, & nulla adhuc signa mortis apparerent. Sed ipse rogabat, ne solemnitati suæ deessent; & factum est ut moreretur die tertio, hoc est in Vigilia Sancti Jacobi, sicut ipse prædixerat: eo sanè tempore erat mulier obsessa in villa proxima, quæ horâ mortis ejusdem Cunonis liberata est, & venit ad Sacerdotem suum, dicens, dæmonem exisse. Post paullulum verò ridens diabolus, graviùs vexare miseram cœpit, adducta est igitur ad Sacerdotem, qui quasi concionando cum diabolo cœpit interrogare eum, & dicere: Miser tu exieras? ita est, inquit. Et ubi, ait, fuisti, infelix? ad quod diabolus: Cuno ibi super mattam jacebat, & debebat mori, ad cujus transitum festinantes, penè quindecim millia sociorum meorum, cum maximo tripudio illuc transibant, & videbar mihi nunquam gaudium aliquod habiturus, nisi ivissem cum eis; sciens autem vas istud mihi traditum amittere non posse, reliqui illud ad tempus, & ivi cum eis; dixitque Sacerdos: quid actum est ibi? Respondit diabolus: Supervenerunt maledicti tonsurati illi, & circumstantes cadaver, atque orantes, ita validè propugna-

re

re cœperunt, quòd nullus noſtrûm propius accedere auſus fuit. Dixit iterum Sacerdos: & ubi devenit anima? Reſpondit diabolus, ad pedes Altiſſimi. Et videte, boni homines, quanta nobis injuria ſit illata. Homo iſte nobis ſervierat plùs quàm quadraginta annis, ad omnem voluntatem noſtram nocte ac die paratiſſimus, & modò tribus annis tantùm alteri ſervivit Domino, & ille nobis abſtulit eum. Cùm igitur nobis anima auferreretur furore commoti in nos invicem totâ debacchatione graſſati ſumus, & ego modò non habeo, ubi me vindicem, niſi hoc vaſculo, quod mihi traditum eſt. Ex cujus occupatione doloris remedium aliquantulum recipio.

Fr. Rho, l. 4. c. 4. n. 12. XXVI. Bernardinus Pallius Capucc. Generalis longo ipſe uſu doctus magnificè de toto orationis negotio loquebatur; ſi quis enim à ſe peteret, quisnam bonus eſſet? reſponſurum illicò ſe dicebat: qui orat: urgenti quis melior? non mutaturum ſe, ſed additurum: Qui meliùs orat: prementi adhuc inſtantique: quis omnium optimus mortalium eſſet? idem repoſiturum commutatâ voculâ tantummodo, qui omnium optimè orat. Oraculum hoc ſi cum Demoſtheneo, aut Auguſtinianeo conferas, ut illo multò ſublimius, ita huic ſuppar judicabis. Nam ut actionem Oratoris cum Chriſtianis precibus non componamus, Modeſtiam animi, cui Auguſtinus primas, & ſecundas, & tertias tribuit, ita bene cum Oratione convenit, ut diſſociatæ nuſquam inveniantur.

§. III.

EXEMPLA DOMESTICA.

Ibid. c. 9. n. 1. ex noſtris. I. AUferebant tantùm diei, ac Virium Petro Cottono Henrici Magni, cui à Confeſſionibus & concionibus erat, Aula, & Chriſtianæ rei commoda, ut vix quidquam illi otii ſupereſſet ad contemplationem, ac de legitimis ſomni ſpatiis quicquam decerpere, ſine periculo valetudinis, non poſſet. Ergo quâ erat in Deum ſpe, petere auſus, ut liceret vel in ſomno divina contemplari, feliciter impetravit: quamquam ille, quantùm conniti poterat, in tanto negotiorum æſtu, deſcripta quotidianæ commentationi, Sacrificio, & divinis laudibus tempora, ita ſibi ſepoſita volebat, ut viros etiam utriuſque ordinis Principes à limine ſeveriſſimè id temporis excluderet, ſecurus offenſionum. Quod quùm de quiritantibus audiſſet Henricus, hominis inſtitutum laudavit eúmque cariorem habuit. Multùm intereſt, utrùm humanis volens libénsque, an coactus implicerís; qui ultro ſequuntur, vix ulla ſublimioris quietis ſupereſt ſpes, coactis multa indulget DEUS.

Ibid. c. 10. n. 9. ex noſtris. II. Sancta Bellarmino fuit ea horarum partitio, quâ divina carmina à ſacerdotibus decantari veteris Eccleſiæ mos fuit. Adiverat ad inviſendum hominem Petrus Aldobrandinus Cardinalis, qui ut admiſſus in cubiculum, vidit eum de genu horarias preces recitantem, neque ſibi aſſurgentem, cùm nec interpellare eſſet auſus; nec porrò quidquam interrogaret, audivit ab eo, ſua Deo tempora ſarta eſſe ſervanda; jamque vulgatum id erat in aula, ut quieto, quocumque in loco, vel Principum Conventu ſuas preces peragere liceret. Idem, cùm in cubiculo inambulantem offendiſſet ſocius, &, quod toto ex ore ſe prodebat, medicabundum, rogaviſsétque, num fortè ſacerdotale penſum perſolveret, admirans reſpondit: adeóne me DEI negligentem putas, ut obambulans eum ſolemni more precari ſuſtineam? digna Viro vox: obiter DEO ſupplicat, qui obambulando precatur.

III. Benedictus Herbeſtus extremâ valetudine veſtes nunquam exuit, nec ſe lectulo credidit celſi animi vir, qui neceſſariam illam quietem ſegnitiem interpretabatur; verùm extremæ jam proximus luctæ, miniſtro decumbentium abſcedere juſſo, nec niſi poſt horam ad ſe redire, medio in conclavi genibus nixus, ſolemnes Sacerdotibus preces auſpicatus, eò abiit, ubi dulciſſimè nullo labore æternùm perſolvet. Ibid. n. 6.

IV. Sebaſtianus Barradius quanta meritis animíque contentione DEUM ſacerdotali ex formula quotidie, ſub extremum præſertim laudaret ætatem, vel ex eo diſcere poſſumus, quòd lentiſſimè faceret: ſex ſolidas horas huic ille operi deſtinabat, & ne amicus ſenectuti ſomnus obreperet, vel diloricato ad feneſtram pectore frigidiſſimæ auræ morſu illum vellicabat, vel frigidâ manus ac faciem aſperſus prorſus abigebat. Idem Medicis per valetudines abſtinere jubentibus, alto cum ſuſpirio, quantum poterat, obluctabatur: quid, inquiebat, cum hominibus famulari permittitis, Dei laudibus interdicitis? ac, ne Præſidum accederet auctoritas, illis ad ſe adeuntibus, vires, quantùm quidem poterat, excitans, ſe vegetum animóque erecto oſtendere conabatur, ut dulciſſimo ſibi labori parem crederent, nec abſtinerent, nam gravior illi ipſâ morte videbatur vita, quæ DEI laude non viveret. Ibid. n. 13.

V. Ludovici Pontani eximia pietas, quæ toto ex ore promicabat, aliquid habuit eximium; ubi enim ad illa ſolemnia verba perveniſſet: *Procidamus ante eum*: tum verò totum corpus proſternebat humi, non minori animi ſenſu ac reverentiâ, quàm ſi præſentem Dominum intueretur. Reliquum verò ſacerdotalium laudum ità perſolvebat attentus, immotúſque, ut interpellatores non admitteret, quicunque illi demum eſſent; nec cuiquam roganti ante abſolutas preces verbum redderet: ut mirum non ſit divinis voluptatibus fuiſſe delibutum, qui cæleſtem rorem tam attentè colligeret. Ibid. n. 6.

VI. Eluxit in Claudio Aquaviva adhuc puero, quæ in ſene miraculo propemodum fuit, ſingularis divinas inter preces animi pietas. Vix decimum ſupergreſſus annum, eas perſolvere orſus eſt, uſurpabátque quæ tunc magna erat in celebritate Sanctæ Crucis Cardinalis deſcriptionem Ibid. n. 9.

R. P. Labb. Auctar. Bibl.

Digitized by Google

nem. Jam verò vir, & Reipublicæ admotus, obrutúsque negotiorum mole: ac temporibus durissimis exercitus, adeò, dum recitaret, ibi totus erat, ac si extra hominum consuetudinem ageret in solitudine: tantis incedebat lætitiis, ut crebro gemitu ac suspiriis se proderet. Rapiebatur maximè Psalmorum sublimitate, ac latenti, sed viris magnis non ignotâ in illis Divinitatis vi, ut divino lumine superfusus abditos ibi Thesauros videret: quorum indicem in aliquot eorum subsecivas commentationes homo occupatissimus ad posteros etiam transmisit. Addebat etiam quotidie plerasque privatæ hujus pietatis exercitationes, adeòque inter induendas vestes, compositis ad sacerdotalium imitationem carminibus precabatur.

§. IV.

SIMILITUDINES.

Qualitas.

S. Bonav. S. 1. de confess. I. Sicut qui mendicant ante fores Ecclesiarum, omnem dolorem & deformitatem, quam habent in corpore, ostendunt; sic & tu Domino, & Angelis eius infirmitatem animæ tuæ ostendas in oratione.

S. Chrysost. ho. 5. de Nat. Dei. II. Sicut aqua, dum per plana & ampla spatia fertur, non in altum exsurgit, sed tenuem se se latè quaqua versùs expandit: cùm autem manu artificum subtus colligente, stringentéque coacta fuerit in angustum, jam indè solicita omni telo velociùs se in excelsum jaculatur, petitque regionem supernam. Sic mens humana dum otiosa, & liberior, quàm expediat, degit, diffunditur, latéque defluit. Ut igitur mens nostra in DEUM elevetur, intentiúsque bona contempletur cælestia, oportet illam restringere, atque ab affectu & amore horum terrenorum & mundanorum sequestrare; nam ut S. Gregorius ait, quantò cor hominum terrena desideria dilatant, tantò sinus cordis ad susceptionem S. Spiritûs angustatur.

S. Basil. ad mon. ad Fil. Spirit. III. Sicut est quoddam genus serpentis, quod, cùm vadit ad bibendum aquam, antequam accedit ad fontem, evomit venenum. Imitare ergo hujus serpentis astutiam, & omne venenum amaritiмum projice ab anima tua.

S. Bernar. S. 49. de modo ben. viv. IV. Sicut nullum proficit in vulnere medicamentum, si adhuc in eo est ferrum; ita nihil proficit oratio illius, qui odium habet in corde.

Orig. hom. 3. in gen. V. Sicut lignum aridum, omníque humore liberum, aptum est, ut ab igne consumatur: sic mens ab amore temporalium mortificatione purgata, disposita est, ut cœlesti illustratione & calore formetur.

Rodriq. apud Mansi disc. 19. VI. Sicut ad elaborandum ferrum non sufficit, quòd ignis calore emolliatur, nisi insuper mallei ictibus contundatur ad imprimendam ei, quam volumus, figuram; ita quoque cor nostrum per orationis calorem mollificari non sufficit, nisi etiam adhibeatur martellus mortificationis ad animam nostram elaborandam, tollendo ab ea qualitates noxias, quas habet, & ad figurandum in ipso virtutes, quibus indiget; & hoc fine servire debet dulcedo orationis, & amoris divini suavitas, ut facilitetur labor, & tædium, quæ mortificationi conjuncta esse noscuntur.

Dion. Carth. 36. disc. 94. VII. Sicut gustus corporis singulas alimenti particulas discernit, sapit, ac dirigit; ita interior animæ gustus singula verba Spiritûs S. attendat, gustet, atque revolvat: hoc modo psallere, est verè sapienter psallere, quoniam sapientia dicitur quasi sapida scientia.

S. Laur. Iust. c. 6. de ligno vit. VIII. Sicut vox sine modulatione auribus hominum onerosa existit; sic oratio absque devotione auribus Dei inexaudibilis est.

S. Ephr. par. 10. IX. Sicut, si quis coram Rege astans, & cùm eo colloquens, à conservo autem suo vocatus, Rege relicto, cum illo sermones miscet; ita Monachus, qui in sua Psalmodia cum DEO colloquitur, intentione interim mentis suæ aliò reflexâ.

Necessitas.

S. Chrys. to. 5. ho. 37. X. Sicut venti sæpenumerò ex adverso ingruentes accensum ignem lucernæ flatu divendilato extinguunt, sic & diabolus cùm accensam in nobis orationis flammam viderit, innumeris nos sollicitudinibus hinc indè perflatos, non priùs finit quiescere, quàm lucem extinxerit.

S. Ægid. apud Sur. 23. April. XI. Sicut, si quis litem alicui intentat, coram judice, is, cui lis infertur, omni studio laborat, ne contra ipsum sententia feratur; ita & dæmon facit: nam quando pius homo DEUM orat pro sua aliorumve salute, litem intendit dæmoni, tanquam animarum prædoni.

S. Chrys. to. 2. ho. 66. XII. Sicut radix necessaria, ut vigor, viror, sapor, & quicquid est aliorum bonorum, ad arborem transmittatur; & sicut fundamentum necessarium est ad universam fabricam sustentandam; ita etiam oratio necessaria est ad vigorem spiritûs, ad florem virtutum, nec non ad corroborandam perfectionem in anima.

S. Chrys. ibid. XIII. Sicut corpus nervorum beneficio constat, currit, stat, vivit, compactúmque est, iisque incisis omnes corporis numeri dissolvuntur; sic animi per sanctas preces conglutinantur, & constant, cursúmque habent pietatis facilem, & fecundum.

Mansi disc. 14. nu. 58. XIV. Sicut homo, qui per brevissimum spatium temporis respirare desinit, moritur; ita anima quæ ab oratione desistit, quovis momento in mortis æternæ est periculo.

S. Chrys. ho. 67. XV. Sicut corpus nostrum cùm animus abest mortuum est, & fætidum, ita nisi se animus ad precationes excitet, mortuus est, miser, & fœtidus; atqui quâvis morte acerbius putandum esse, precatione spoliari, Vates ille nos Daniel docet, qui mori maluit, quàm tribus diebus à precibus retardari.

Villi-

Digitized by Google

Utilitas.

Idem hom. 68.

XVI. Sicut si qui Regem familiariter alloquuntur, & apud illum locum obtinent dignitatis, fieri non potest, ut inopiâ laborent; ita fieri omnino longè difficiliùs potest, ut, qui supplices ad DEUM accedunt, & cum eo colloquuntur, mortales animos nanciscantur.

S. Ambros. lib. 2. de Abel, c. 6.

XVII. Sicut corporis virtus exercitatione augetur frequenti, at inexercitata minuitur, & labitur; plurimi enim exercitij dissuetudo etiam naturalem consuevit dissolvere virtutem; similiter animæ fortitudo exercitationis assiduitate solidatur, ut labor ipse disciplina sit, non oneri futurus sed usui. Hunc cibum menti nostræ deferamus, qui multa attritus meditatione, ac politus, cor hominis, sicut illud cæleste manna, confirmat.

S. Bonav. p. 1. spec. dist. c. 12.

XVIII. Sicut carnalibus cibis alitur homo exterior, sic devotis orationibus homo interior pascitur, ac nutritur.

S. Laur. Iust. c. 12. de orat.

XIX. Sicut aquâ ignis extingitur, ita concupiscentiarum vitiosarum impetus oratione superatur.

S. Bonav. l. 2. de prof. Relig. c. 60.

XX. Sicut speculum facit hominem seipsum cognoscere; ita oratio clariùs facit homines agnoscere defectus suos, vel profectus; quia lucidiùs conscientia ibi se sibi repræsentat, & vel ex profectûs consideratione in fiduciam spei læta erigitur, vel ex defectûs consideratione confunditur.

S. Chrysost. hom. 67.

XXI. Sicut corpus solis lumine, sic animus precationum radijs illustratur. Si ergo cæci calamitas est, solem non posse aspicere, quanta tandem est Christiani viri jactura, non assiduè Deum precari, Christíque splendorem in animum precibus inferre?

S. Bonav. p. 2. diet. sal. tit. 2. c. 5.

XXII. Sicut ille, qui tenet castrum Regis in obsidione, si obsideretur ab inimicis, reputaretur infidelis, nisi castrum Regi denunciaret obsessum, vel peteret succursum, vel nisi exspectaret à Rege auxilium; vel si post auxilium redderet hostibus castrum; sic cùm hostes visibiles & invisibiles obsident animam tentationibus, statim debemus Regi Regum nuncium orationis mittere, & obsidionem denunciare; sicut faciebat Propheta, qui dicebat: *Concilium malignantium obsedit me.* Deus enim non differt auxilium mittere.

S. Chrysost. ho. 68.

XXIII. Sicut urbs mœnibus minimè septa, facilè in hostium potestatem venit, ideo, quòd nemo illos propulsare possit; sic precatione animum non communitum facilè diabolus in suam redigit potestatem, faciléque contaminat omnium turpitudine flagitiorum. Sed enim cùm animam precibus viderit circumseptam, veritus robur ac vim, quam preces illi suppeditant (quæ animum magis alunt, quàm cibus corpora) propiùs non audet accedere.

Facilitas.

XXIV. Sicut neque charitatis vis, ita neque precationis efficacitas, loci intervallo coërcetur, sed quemadmodum illa longè conjunctos copulat, sic & hæc eos, qui procul absunt, admodum juvare potest.

S. Chrysost. hom. 21.

Perseverantia.

XXV. Sicut certaminis bravium non assequitur, qui antequam metas attingit, deficit, sic orationis fructu privatur, quisquis in illa non extiterit importunus.

S. Laurent. Iustin. c. 4. lign. vit.

Pro Oratione Dominica.

XXVI. Sicut Breviarium compendiosè in se includit, quidquid in tota S. Scriptura tam veteris, quàm novi testamenti continetur, imò multò plura, scilicet Sermones & homilias à SS. Patribus scriptas; ita dici posse videtur, quòd increata & incarnata Sapientia, Verbum Patris abbreviatum, in hac oratione velut Breviario quodam, congesserit, quidquid boni aut pulchri est in S. Literis.

S. Tertull. lib. 1 de orat. apud Mansi disc. 90.

§. V.

MOTIVA.

I. *Quia per orationem omnia impetrari possunt*: S. Chrysostomus, oratio, inquit, Thesaurus perpetuus, divitiæ inexhaustæ, portus quietus, occasio tranquillitatis, patens, fons, & radix bonorum omnium, & innumerabilium. Quibus ultimis verbis aliud quoddam nobis insinuatur potentissimum motivum, ad imprimendam nobis firmiter orationis necessitatem: utpote per quam omnia bona recipimus, cunctáque mala declinamus: Unde Sanctus Bonaventura ait, in hoc innuitur oratio multùm nobis amanda, quia per ipsam impetratur obtentio omnis boni, & amotio omnis mali. Quapropter citatus S. Chrysostomus meritò monet: Vitam nostram in precibus Deique cultu traducamus, atque in ea re vitam, valetudinem, divitias, bonorum finem positum esse, censeamus.

S. Chrysost. hom. 5. de incompreh. Dei. *Idem tom. 1. Hom. 67.*

II. *Quia fortissimum est contra Dæmones præsidium*, ut S. Bernardus rectè pronunciavit dicens: Oratio frequens, diaboli jacula submovet: Oratio quotidiana diaboli tela exsuperat: oratio est prima virtus adversus tentationum incursus: oratio superat tentamenta inimicorum: vincit dæmones, superat immundos spiritus: per orationem vincuntur dæmonia, oratio dæmonibus omnibus malis prævalet. Et Sanctus Laurentius Justinianus inquiens: Nihil profectò sic terret Leviathan, sicut orationum crebra instantia, atque deprecantium devota suspiria: æquè orationis, quàm gehennæ, crematur incendio.

S. Bern. ser. 49. de med. ben. viv. *S. Laur. Iust c. 5. de inter. confl.*

Spec. mor. p. 10. l. 8. dist. 32. III. *Æquitas* Bellovacensis hunc in finem exemplum omnium creaturarum ob oculos ponit, dicens : Debent nos movere ad orationem exempla rerum sensibilium. Terra enim nimis sicca, quasi petens à DEO pluviam, hiat superius diversis scissuris, quasi innuens rationali creaturæ, ut os aperiat ad superna fluenta obtinenda, dicens Patri pluviarum : Anima mea, sicut terra sine aqua, tibi. Item terræ nascentia, ut herbæ, & arbores, & earum flores, quot habent folia, tot linguas suo Creatori erigunt, quasi augeri & perfici postulantes; & quasi clamant ? *Imperfectum nostrum viderunt oculi tui Domine.* Item creaturæ irrationales; ut jumenta & aves : Bos enim indigens pabulo aut potû, caput sursum, quasi ad DEUM elevans, & quasi, sibi quod necessarium est, à DEO postulans mugit, Asinus rudit, equus hinnit. Joël. 1. 18. *Ingemuit animal, mugierunt greges armenti, quia non sunt pascua eis.* Job. 12. 7. *Interroga jumenta, & docebunt te, & volatilia cœli, & indicabunt tibi : loquere terræ, &c.* Item quædam volucres, ut columba & turtur, quod desiderant, gemendo indicant; *sicut pullus hirundinis, sic clamabo.* Isaiæ 38. 14.

§. VI.

MEDIA

Euseb. ser. 1. ad execit. devot. I. **P**Ræsentiam DEI & Angelorum sibi imaginari. ut suasit Eusebius Emiss. his verbis : Intueamur, quâ disciplina cordis & corporis nos oporteat in conspectu Angelorum psallere vel orare. Ne vacui dimissi vacuos dimittant nos, qui venerant, ut vota deferrent : qui venerant amici, quin imò sponsus ipse, qui stat ad ostium, & pulsat, si nulla ei digna devotio de intus respondens aperiat, recederet comquerens, & dicens : Attendi, & auscultavi : nemo, quod bonum est, loquitur.

S. Greg. l. 30. mor. c. 12. II. *Solitudinem mentis procurare*; quid enim prodest solitudo corporis, inquit S. Gregorius, si solitudo defuerit mentis ? qui enim corpore remotus vivit, sed tumultibus conversationis humanæ, terrenorum desideriorum cogitationibus se ingerit, non est in solitudine. Si verò prematur aliquis corporaliter popularibus turbis, & tamen nullos curarum sæcularium tumultus in corde patiatur, non est in urbe. Itaque benè conversantibus primùm solitudo mentis tribuitur, ut exurgentem intrinsecus strepitum terrenorum desideriorum premant, ut ebullientes ab infimis curas cordis per superni gratiam restringant amoris, omnesque motus importunè se offerentium levium cogitationum, quasi quasdam circumvolantes muscas, ab oculis mentis abigant manu gravitatis, & quoddam sibi cum Domino intra se secretum quærant, ubi cum illo, exteriori cessante strepitu, per interna desideria silenter loquantur.

S. Chrysost. ho. 79. ad pop. III. *Exemplum servorum mundanorum attendere*; uti S. Chrysost. suadet dicens : Nam si DEUS nostrum in orationibus torporem & negligentiam exquirat, & quòd in ejus conspectu positi, & orantes, neque tantum ei præbemus honorem, quantum Dominis servi, quantum Ducibus milites, quantum amicis amici.

S. Anselm. apud Bel. lev. v. 10. IV. *Considerare naturam & præstantiam orationis*, uti S. Anselmus monet, dum ait : oratio est quasi quoddam familiare colloquium cum DEO; & subdit : orationis tempore Christianus homo cum DEO loquitur : consideret igitur fidelis anima, quàm reverenter, humiliter, & attentè debet loqui cum summo Principe; quàm timoratè, cum summo Judice : quàm familiariter cum amico : quàm dulciter cum sponso dulcissimo. Tota igitur attentione, & toto affectu, & mentis adnisu loquatur homo cum DEO, sine interruptione & sine mentis evagatione.

S. Bonav. l. 2. de profect. V. *Assiduitas orationis*; nam, ut benè advertit S. Bonaventura, quantò frequentiùs quis orat, tantò fit oratio ei delectabilior, & efficacior; & quantò rariùs, tantò insipidior, & tædiosior.

§. VII.

ASCETICA.

S. Bernard. apud Mansi disc. 11. n. 2. I. **A**Nte omnia benè nosse debet Asceta, quális in oratione attentio adhibenda sit, quam S. Bernardinus sequentibus verbis indicavit : triplex est in oratione attentio procuranda : Prima ad verbum : Secunda ad sensum : Tertia ad objectum. Prima attentio procuranda est ad verbum, id est, vocalem prolationem, & formationem verborum, scilicet ne in eis homo aliquo modò erret, maximè corruptè proferendo sanctissima verba Scripturæ Sacræ. Secunda attentio debet esse ad verborum sensum, quæ in oratione proferimus. Tertia attentio debet esse ad objectum, id est, ad DEUM, quem oramus, & etiam ad rem, ob quam oramus. Bona quidem est attentio prima : melior est secunda : tertia optima reputatur.

S. Bonav. de 7. i... de prof. rel. c. 87. II. *Nosse debet præcipuè perseverantiam requiri ad efficaciam orationis*, uti rectè notavit S. Bonaventura dicens; non propterea, à prece cessandum est, quia DEUS probat hoc orantis constantiam, expurgat humiliati conscientiam, & remunerat afflicti patientiam. Unde & Gilbertus Abbas pertinax, inquit, Gilbert. abb. s. 4. in cant. oratio pertingit ad finem : etsi ab initio sicca & velut saxea videbatur, oleum tamen elicies gratiarum de hoc lapide durissimo tantùm si perseveres, si te longior mora non dissolvat, si non dilatione tua vota lentescant, molesta planè amanti dilatio, sed solent protracta desideria ampliùs crescere. Rationem verò hujus ulteriorem reddit S. Bernardus, dum ait : ad DEI beneficentiam obtinendam, retinendam, & observandam necessaria sunt præsidia seduli & longanimis orationis. Ubi nota, quòd præmittat perseverantiam, & longanimitatem,

&

Digitized by Google

& postea ad alios transeat actus virtutum, quibuscum oratio conjungi debet, in qua tanta sit fides, ut speret anima: tanta devotio, ut DEUM cogere videatur, tantus amor, ut omnia, quæ petit in oratione, se sentiat obtinere: tam benigna humilitas, ut in omnibus, non suam, sed DEI præoptet fieri voluntatem, habeat cordis puritatem. Cum, quo consentiens Sanctus Gregorius: vult DEUS orari, vult cogi, vult quâdam importunitate vinci. Ideo tibi dicitur: *Regnum DEI vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Quid hâc rapinâ locupletius? bona violentia, quâ DEUS non offenditur, sed placatur; proximus non læditur sed juvatur; peccatum minuitur, non multiplicatur. S. Ambrosius similiter ait: O beata violentia, quæ vim patientis bonitatem elicit, & utilitatem tribuit inferendi! quisquis enim violentior Christo fuerit, religiosior habebitur à Christo.

S. Gregor. in Psalm. 6. pan.

III. *Nôsse debet, Diabolum nullo tempore magis quàm tempore orationis, nobis insidiari*; nam ut S. Chrysostomus notat, cùm sciat, quòd eo tempore obtinere possumus remissionem peccatorum, optans nos in ipso portu orationis impingere, tempus illud adoritur, mentémque ab intellectu verborum avertit, quo auctiores damno, quàm lucro, ex precib9 abeamus.

S. Chrysost. in Ps. 141.

IV. *Nôsse debet causas, ob quas preces nostræ non exaudiuntur*: nimirum Primò *quia nubem peccati opponimus*, nam ut rectè notavit Philippus Abbas: *Non est speciosa laus in ore peccatoris*, dum inspector intimus non labrum exterius, sed internam attendit conscientiam: *Ecce non est abbreviata manus Domini, ut salvare nequeat; neque aggravata est manus ejus, ut non exaudiat*, ut Isaias inquit: *sed iniquitates vestræ diviserunt inter vos, & DEUM vestrum, & peccata vestra absconderunt faciem ejus à vobis, ne exaudiret; manus enim vestræ pollutæ sunt sanguine, & digiti vestri iniquitate: non est, qui invocet justitiam.* Cujus genuinam rationem assignat S. Clemens Alexandrinus dicens: Precatio, cum DEO conversatio, & collocutio est, proindéque inter familiares & amicos fieri debet, & supponere deletam offensam. Unde rectè S. Gregorius concludit: si id, quod præcipit, facimus, id, quod petimus, obtinebimus; valde namque apud DEUM utraque hæc sibi necessariò congruunt, ut & oratione operatio, & operatione fulciatur oratio: paulo post verò in hæc verba concludit: Juxta ergo Joannis vocem, tunc cor fiduciam in oratione accipit, cùm sibi vitæ pravitas nulla contradicit: Hinc admodum bene subjungit Rupertus Abbas. Cum igitur invocamus, & Dominus non exaudit dum clamamus, & non dicit: Ecce adsum, scire debemus Sanctis Angelis invocationes atque clamores nostros DEO offerentibus resistere, & contradicere malos, habentes in manibus accusationes & jacula, quæ sunt peccata nostra. Secundò. *Quia sic expedit ad profectum nostrum*, uti præclarè S. Augustinus super verba Psal. 76. *Voce mea ad Dominum clamavi*, ita scribens advertit: sed multi clamant ad Dominum pro divitiis acquirendis, damnisque evitandis, pro suorum salute, pro stabilitate domûs suæ, pro felicitate temporali, pro dignitate seculari, postremò etiam pro ipsa salute corporis; pro his atque hujusmodi rebus multi clamant ad Dominum, vix quisquam propter ipsum Dominum; facilè quippe homini est, quodlibet desiderare à Domino, & ipsum Dominum non desiderare, quasi verò suavius esse possit, quod dat, quàm ipse, qui dat; quisquis ergo pro alia re qualibet clamat ad Dominum, nondum est transiliens, hic verò transiliens, propter quod dicit: *Voce mea ad Dominum clamavi.* Et rursus Idem alio loco memorat. Quidquid aliud petitur, quàm quod ad vitam æternam cedit, nihil petitur: non quia nulla res est, sed quia in tantæ rei comparatione, quidquid aliud concupiscitur, nihil est. 3. *Quia tardiùs dando, sua dona magis commendat, & desiderari facit*: Agit igitur Divina providentia nobiscum, ait B. Laur. Justinianus, ut differat utiliter, quæ liberaliter donare disponit; ut discamus magna magnè desiderare, quia quò diutiùs abest, quod ardenter diligitur, eò robustius, & exspectantis desideria cumulantur, tantóque dulciùs sapit, & cautiùs conservatur, quod percipitur, quantò diutiùs in prece suspensus extitit petentis affectus. 4. *Quia utilius quid dare decrevit*, uti S. Augustinus indicavit dicens: sive consequamur quod petimus, sive non consequamur, perseveremus semper in oratione, & non solùm gratias agamus, si consequamur; sed & si repulsam passi fuerimus; nam cùm DEUS nobis aliquid negat, non minùs est, quàm si concessisset, nescimus enim nos, quæ nobis conducunt, sicut ipse novit. Et confirmans idipsum S. Chrysostomus: aliquando dat, inquit, aliquando non dat, ac utrumque quidem utiliter, adeóque ut, sive accipias, sive non accipias, acceperis tamen, dum non accepisti; & sive impetres, sive non impetres, impetraveris tamen, dum non impetrasti; nonnunquam enim non accepisse, utilius est. Hinc rectè suadet Blosius: omninò dabit id, quod petis, si expedit ut accipias; si verò illud non conducit, dabit aliud, quod conducat. Novit, quando, novit, quatenus, tuæ petitioni satisfacere debeat, dum ex infirmitate humana postulas, quæ utilia non sunt. Absit, ut donet, quæ petis, quando tale aliquid desideras, quod utrum illi placeat, ignoras. Hoc aut consimili modo orare disce: Domine, si tibi placet, si expedit, ut id fiat, fiat: si verò non tibi placet, si non expedit, non fiat. 5. *Quia vult, ut instantiùs petatur, & sic plùs mereamur*: uti S. Antonius Pad. indicavit dicens: Alio consilio Omnipotens DEUS, cùm Sancti ejus adversariorum persecutionibus comprimuntur, cúmque assiduis, ut liberentur, interpellationibus clamant, differre solet voces, seu vota petentium, ut merita patientium crescant, quatenus eò magis exaudiantur ad meritum, quò citiùs non exaudiantur ad votum. Cum quo consentiens S. Chrysostomus, an non præstare potest, inquit, priùs quàm petamus? potest utique; verùm propter hoc dif-

Philipp. Abb. de silent. c. 9.
S. Clem. 7. strom.
S. Greg. l. 18. mor. c. 8.
Rup. Abbas l. 9. de vict. verbi DEI c. 8.
S. Aug. in Ps. 76.
Idem.
S. Laur. Just. c. 4. de orat.
S. Aug. ep. 120. ad Honorat.
S. Chrysost. tom. 6. hom. de orat.
Blos. in Parad. an. c. 17.
S. Anton. Pad. S. in fer. 5. post 1. Dom. Quad.
Hom. 30. in Gen.

Digitized by Google

differt, & exſpectat, ut occaſionem accipiat, quâ juſtè nos ſuâ curâ dignos efficiat. Multi enim ſunt omnis meriti expertes, & gratiarum, quas poſtulant, impetrandarum indignî, quorum preces DEUS ideò exaudire differt, ut per virtutum exercitium, vivæ ſcilicet ſpei, veræ Fidei, Humilitatis profundæ, ardentis Charitatis, & venerabundæ Confidentiæ acquirant ſibi meritum, ut exaudiri poſſint. Quam doctrinam pulchrâ ſimilitudine confirmat S. Iſidorus dicens: Tardiùs exaudiuntur quorundam orationes, ut dum differuntur, fortiùs excitatæ majoribus præmiis cumulentur, exemplo pruinarum, & repreſſione meſſium, in quibus quantò tardiùs ſata ſemina exeunt, tantò ad frugem cumulatiùs creſcunt. 6. *Quia vult nos ſecum diutius retinere*, uti S. Chryſoſtomus indicavit his verbis: ſi differt aliquando Dominus, non odio facit, nec te averſatur, ſed differendo, diutiùs apud ſe conſervare vult; ſicuti & patres filios indulgentiùs amantes, quò illos diutiùs apud ſe detineant, quos deſides vident, deditâ operâ morantur aliquid daturi. 7. *Quia vult patientiam & fiduciam probare, quam habemus in eo, & an amore puro propter ſeipſum magis, quàm propter dona, diligamus eum*, uti S. Thomas Villa nova notavit: cui conſentiens S. Baſilius, ex hoc, inquit, & Fides noſtra & charitas erga DEUM declaratur, quandocunque quod petitur, non celeriter auferimus.

S. Iſid. l. 3. ſent. c. 7.
S. Chryſoſt. homil. de prof. Evan.
S. Thom. Vill. in Dom. 2. Quadr.
S. Baſil. c. 2. Conſt. Monaſt.

Cornel. à Lap. in c. 3. Act. Apoſt

V. *Noſſe debet cauſas, ob quas communis multorum oratio citiùs exauditur*, quas quidem benè aſſignat Cornelius à Lapide ſequentibus verbis. *Prima Prærogativa eſt*, quia Oratio in Eccleſia eſt prolixa quædam DEI invocatio, & adoratio ejuſdem in præſentia omnium facta, unde major ei laus & honor, quàm à privatim orantibus. *Secunda Prærogativa eſt*, quòd, tametſi DEUS in omni loco præſens ſit, ſpecialiùs tamen in Eccleſiis, utpote locis cultui ſuo conſecratis, adſit, juxta illud Pſalmi 10. *Dominus in templo ſancto tuo* Ibi quoque in gratiis ſuis diſpenſandis liberalior exiſtit, majorique cum fructu homo divinam ejus recolere poteſt præſentiam, quippe qui in SS. Sacramento verè & realiter adeſt, unde de Eccleſia Chriſtianorum longe magis verificatur, quàm de templo Jeroſolymitano, quod 3. Reg. c. 9. dicitur. *Exaudivi orationem tuam, & deprecationem tuam, quam deprecatus es coram me: Sanctificavi domum hanc, quam ædificavi, ut ponerem nomen meum ibi in ſempiternum, & erunt oculi mei, & cor meum ibi cunctis diebus. Tertia Prærogativa eſt*, quòd propter Societatem aliorum majorem recipiant fervorem, & efficaciam, propter bonum aliorum exemplum, & ob ſanctam quandam æmulationem, & maximè propter unionem orationum, quas Sacerdotes fundunt, ad eum ferè modum, quo moneta aliqua defectuoſa, cum multis bonis conjuncta facilius expenditur. *Quarta* denique *Prærogativa eſt*, quod Oratio facta in Eccleſia adjuvetur & corroboretur à Sanctis, quorum corpora & Reliquiæ ibidem in veneratione ſunt.

S. Antoninus p. 4. c. 8 §. 6.

VI. *Noſſe debet, quomodo juxta Apoſtoli Pauli monitum, ſine intermiſſione orare poſſimus*, id quod egregiè explicat S. Antoninus ſic loquens: Non ſunt hæc intelligenda ſuperficialiter, quantum ad ipſum actum Orationis pro continuo tempore, quia illud eſſet impoſſibile, cùm oporteret dormire, comedere, & in aliis occupari. Sed ſecundum quod exponit S. Thomas. Primò quantum ad deſiderium charitatis, quod eſt cauſa & motivum ad orationem, hoc debet eſſe in nobis continuè in actu vel virtute; virtus autem hujuſmodi deſiderii manet in nobis in his quæ facimus in charitate, & ad gloriam DEI; omnia enim debemus facere in gloriam DEI, & ſic ſemper oramus. Secundò quantùm ad effectum, vel in ipſo orante; nam ex ipſa oratione facta, ſæpe etſi non continuè, remanet magis devotus, & pro tunc etiam dicitur orare, reſpectu illius orationis effectûs, vel in aliis, puta, cum ſuis beneficiis provocat aliquem ad orandum pro ſe, etiam cum ab oratione quieſcit. Hoc ipſum etiam indicavit DEUS, dum ad Virginem Catharinam dixit: Sanctum deſiderium, animæ ſcilicet bona voluntas, continua Oratio eſt, quia virtutem habet orationis. Et quidquid homo in DEI, proximique charitate facit, poteſt vocari oratio, cum charitatis affectus pro oratione reputetur. Unde rectè S. Petrus Damiani ad Cinthium illius temporis Urbis Romæ Gubernatorem, Virum timoratæ conſcientiæ, & Orationis exercitio ſummopere deditum ita ſcribit: Cave ergo, ne propter peculiare orationis ſtudium, cui inſiſtere forte contendis, diſciplinam tam innumerabilis populi, qui tibi commiſſus eſt, negligas, & propter proprium commodum, communem ſalutem Plebis, quæ juſtitiam à te præſtolatur, amittas; ſcriptum quippe eſt: *Qui conſervat legem, multiplicat orationem: & ſacrificium ſalutare, attendere mandatis*; juſtitiam ergo facere, quid eſt aliud, quàm orare?

Bloſius in conclavi. c. 3.
S. Pet. Dam. lib. 1. epiſt. 11.

Hugo Card.

VII. *Noſſe debet, quid à DEO petendum ſit*; qua in re facem præfert Hugo Cardinalis, explicans illa verba Chriſti: *ſi quid petieritis*: & ſic loquens: *ſi quid petieritis*, id eſt, aliquid, in quo oſtenditur, quid ſit petendum, ſcilicet vita æterna, quæ eſt quid; non temporalia, quæ nihil ſunt. Clariùs verò S. Bonaventura idipſum judicat dicens: digna, & congrua debet petere; quæcunque petierimus, ſecundùm voluntatem ejus, audiet nos: ſalutem animæ tuæ, & quæ ad ſalutem ſiunt, petere debes, talia enim ſecundùm voluntatem DEI ſunt. Cujus rationem aſſignans Abbas Iſaac, nihil caducum, inquit, vult à ſe, nihil vile, nihil temporale, æternitatum conditor implorari; itaque illius magnificentiæ maximam irrogabit injuriam, quiſquis ſempiternis petitionibus prætermiſſis, tranſitorium aliquid & caducum ab eo maluerit poſtulare, & offenſam potiùs, quàm propitiationem Judicis ſui, vilitate orationis incurrit. Hinc rectè concludit Bloſius dicens: nulla præſtantior oratio eſt, quàm, ut quis petat grātiſſimam DEI voluntatem in ſe & in omnibus aliis fieri.

Apud Caſſian. coll. 9. c. 13.

S. Bern. in rogat. c. 7.

VIII. *Nôſſe debet, quo ſenſu DEUS peccatores exaudire, & non exaudire dicatur*; id quod

Digitized by Google

quod bene ostendit S. Bernardus de cœco illuminato differens, & hanc distinctionem afferens: Orationem peccatoris ex bono desiderio naturæ procedentem exaudit DEUS, non quasi ex justitia, quia hoc non meretur peccator, sed ex pura misericordia: observatis tamen quatuor conditionibus, quæ communiter requiruntur ad orationem; scilicet, ut pro se petat, necessaria ad salutem, piè, & perseveranter; & hæc quatuor noscuntur in uno versu Prophetæ, cùm ait: *Apud me oratio DEO vitæ meæ, dicam DEO: susceptor meus es*; per hoc enim, quod dicit: *DEO*, involvitur, piè; per *vitæ*, ad salutem; per *meæ*, pro se; per hoc, quod dicit, *dicam*, perseverantia denotatur, propter propositum de futuro. De hoc patet exemplum de Publicano, quia ait: *DEUS, propitius esto mihi peccatori*: & ex hac oratione meruit Justificationem: & sic debet intelligi verbum cæci nati, dum Joan. 9. ait: *peccatores DEUS non audit*; nam peccatores, in quantùm peccatores sunt, DEUS non exaudit, sed solùm in quantùm sunt boni, & bono adhærent, & detestantur mala: nam peccatores de peccatis pœnitentes, magis connumerandi sunt in numero pœnitentium. Quam doctrinam etiam S. Antoninus confirmat sequentibus verbis: convenit orare viatoribus omnibus, non solùm justis, sed etiam peccatoribus: licet enim dicatur Jacobi 5. c. 16. *Multùm valet deprecatio Justi assidua*, valet tamen, & exauditur oratio peccatoris, ut patet de oratione Publicani; & hoc non merito sui, sicut justi audiuntur, sed ex pura misericordia, si tamen debitè oret; nec est contra illud, Joann. 9. *peccatores DEUS non exaudit*; quia intelligitur secundùm Thomam, cùm petit in quantùm peccator, secundùm desiderium peccati, id est, committendo aliquod iniquum. Vel potest dici secundùm Augustinum, quòd illud dixit Chelidonius nondum perfectè illuminatus; sic enim putabat, sed sic non erat.

S. Antoninus p. 4. c. 8. §. 4.

IX. *Nosse debet modum discendi orationis exercitium*; quem quidem S. Climacus sequentibus verbis indicavit: Habebis Præceptorem DEUM in oratione tua: facultatem dicendi non possumus per sermonem discere; naturam enim ipsam sequitur: ita nec orationis præstantiam, per doctrinam alterius assequimur; ipsa enim per seipsam doctorem habet DEUM, qui docet hominem scientiam, & suggerit precanti orationem. *Non est, qui se abscondat à calore ejus*; unusquisque enim Magistrum intra se habet, qui eum docet, quomodo orare debeat, adeòque nemo excusare se potest, & dicere, non posse se orare. Quam doctrinam aptè confirmat Alphonsus Rodriquez sequentibus verbis: sicut Pater, qui filium habet phreneticum eidem compatitur, & ingentem in animo suo sentit dolorem, dum filium suum mox, ut loqui incipit, delirare in sermonibus suis audit: ita quoque pientissimus Pater Cœlestis, ad pietatem & compassionem erga nos movetur, quando videt, tantam esse naturæ nostræ debilitatem, & infirmitatem, ut, dum cum ipso sensatè loqui volunt, subitò in mille delirias incidant cogitationes, ac proinde tametsi quis nullam sentiat in oratione devotionem & succum, sed econtrà ingentem ariditatem, cogitationum & imaginationum conflictum, in eòque toto tempore orationis perseveret, propter hoc orationem non deserat, utpote quæ DEO gratissima est, magnique in divino ejus conspectu valoris & meriti; imò certò credat, talem orationem sæpè DEO magis esse gratam, magisque meritoriam, quàm si illam magna cum devotione, & consolatione perfecisset, eò quòd in illa ex amore DEI majorem sustinuerit difficultatem.

S. Climac. grad. 28. n. 26.

§. VIII.

MISCELLANEA ET CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Qualitas.

I. HAbebat olim populus Hebræus erga Arcam valde magnam fiduciam, & tamen cùm aliquando eandem contra Philisthæos eduxissent, cruentam ab illis passi sunt stragem, factique sunt præda inimicorum suorum; & meritò, inquit Theodoretus, cur enim Legem transgredientes, Arcam ad auxilium traherent, quæ Legem intùs habebat sitam? quot sunt, qui ab Arca mystica, Beatissima inquam, Virgine Maria, ejúsque patrocinio tutelam & protectionem exspectant, cùm tamen ipsi impurissimam vitam ducant! Nunquid magna est temeritas, ejus implorare auxilium, ut in impudicitiæ sordibus, quarum ipsa est inimica, vivere possint? *Mansi disc. 28. n. 6.*

II. S. Leo Magnus Attilam coërcuit, qui victoriosus & insolens, per potentissimum exercitum universæ Italiæ servitutis jugum imponere minabatur: idem verò Sanctus Romæ per orationum suarum efficaciam à DEO obtinere nequivit, ne Gensericus Romam cum exercitu suo intraret; undenam oritur hæc utriusque eventûs diversitas? maximè cùm credibile sit, quòd S. Leo, sicuti in annis profecerat, ita quoque in majori merito apud DEUM pariter accreverit. Sciendum igitur est, hunc eundem Sanctum Pontificem Urbi Romæ in pœnam ingratitudinis suæ hanc calamitatem prædixisse, siquidem non solùm ob gratiam, per repulsum Attilam, receptam, nullam erga DEUM exhibuit gratitudinem, verùm etiam deinceps magis, quàm antè, theatris, spectaculis, aliisque profanis gaudijs se dare cœpit, quibus iram DEI vehementer exasperavit. *Ibid. n. 7.*

III. Cœlestis Sponsus non sine mysterio priùs ad montem Myrrhæ iturum se esse dicit, priusquàm collem thuris ascendit; quia cùm thuris nomine oratio symbolicè intelligatur, anima orans ad sanctum hoc exercitium quàm maximè disponitur, si mortificationem, quæ per Myrrham denotatur, sibi faciat familiarem; eos namque familiariter visitat, inquit S. Gre- *Idem disc. 29. n. 1.*

S. Gregorius, quos per mortificationem vitiorum ad alta proficere, & per mundas & utiles orationes suaviter redolere perspicit.

Vita. l. 4. c. 1. IV. Pater Ribadeneira postquam in vita S. Francisci Borgiæ de Spiritu orationis & contemplationis, in quo excellebat, fusiùs egisset, & tandem in capite sequenti de ejus mortificatione differere vellet, sequens præmisit effatum: Rectè in Asceticis judicant homines pij, suspectum videri orandi studium, nisi & sui victoria comes accedat; sic enim appello, quam vulgo Mortificationem dicunt: quæ domandas esse animi perturbationes affectionésque doceat. Non fugit cœlestis hæc Philosophia Franciscum, diu, multúmque in ea exercitatum, ideo orandi studio, mortificationis exercitium adjunxit.

Mansi disc. 19. n. 5. V. S. Nilus ait: quòd si Moyses monitus fuit, ne ad rubum accederet, nisi depositis calceis, multò minùs convenit, ut præsumamus per orationem cum DEO nos unire, nisi calceos affectuum carnalium & terrenorum deposuerimus.

Idem. n. 7. VI. Hieronymus Cardanus curiosè inquirit, cur rosæ spinis armentur, hancque illius assignat rationem; quia si rosa spinifera non sit, nec etiam erit odorifera. Idem quoque in præsenti dicere possumus; siquidem orationis nostræ incensum suam cœlum versùs non exhalabit fragrantiam, nisi priùs contritum & super prunas ardentes concrematum fuerit.

Ibid. n. 8. VII. Idem Author sequens movet dubium, videlicet, undenam fiat, quòd, cùm oratio adeò sit grata & suavis (siquidem per hanc cum ipsomet DEO loquimur, & conversamur, & in hoc colloquio anima magnam lætitiam experitur, *non habet amaritudinem conversatio illius, nec tedium convictus illius, sed lætitiam & gaudium:*) cúmque adeò sit utilis, & necessaria eadem oratio, nihilominus adeò illam difficilem & tædiosam esse experiamur, ut, sicut Sanctus Bonaventura de profectu Religiosorum differens notat, quasi ligati catuli ad stipitem, renitenti animo cogamur esse in Divinis? Porrò ratio, quam ad dubium solvendum adfert, hæc est: quia licèt oratio naturâ suâ non sit difficilis, molesta tamen est mortificatio, quæ est dispositio ad illam necessaria; sic enim in rebus naturalibus videmus, quòd difficultas in forma introducenda non consistat, sed in disponendo subjecto ad illam recipiendam; quot enim conatus non facit ignis, ut in ligno viridi priùs humiditatem absorbeat, priusquam ardere incipiat? quantus inde nascitur fumus? quot strepitus & rumores trunci illius viror excitat? at verò, quando lignum dispositum est, flamma sine difficultate flagrare & lignum consumere incipit; eodem modo difficultas, quam in oratione experimur, in eo consistit, quòd scilicet viror, & vigor Passionum nostrarum difficulter tollatur, quòd effrænes appetitus nostri habenis refrænentur, & coërceantur: hoc autem semel obtento, mens nostra per viam orationis facillimè ad cœlestia elevatur, divinòque inflammatur amore.

Necessitas.

VIII. In vitis Patrum legitur, quòd fratres Abbatem Agathonem interrogaverint dicentes: Pater, quæ virtus in conservatione plùs habet laboris? & dixit eis: ignoscite mihi, quia puto non esse alium laborem talem, qualis est orare DEUM: dum enim voluerit homo orare DEUM suum, semper inimici dæmones festinant interrumpere orationem ejus, scientes, quia nullâ re impediuntur, nisi per orationem fusam ad DEUM. *Lib. 5. libell. 12. n. 8.*

IX. Holofernes ut civitatem Bethuliæ armis suis subjiceret, eámque juris sui faceret, aquæductus, per quos aqua in civitatem manabat, incidi, & alio diverti præcepit, suámque sine dubio assecutus fuisset intentionem, nisi divina providentia Heroinam illam Judith ad notum illud heroicum facinus patrandum permovisset: idem quoque est Holofernî infernalis stratagema, & artificium, qui, ut animam nostram sibi subjiciat, mysticos incidere nititur aquæductus, id est, removere à nobis satagit S. Spiritûs impulsus, & inspirationes cælestes, lumina item, & virtutes, quæ oratione mediante in animas nostras transmittuntur. *Mansi. disc. 12. n. 1.*

IX. Observastíne aliquando, quàm differenter se Christus habuerit in trium illorum mortuorum resuscitatione? scilicet filij viduæ Naimiticæ, & filiæ Archisynagogi, nec non & Lazari, fratris Marthæ & Magdalenæ: porrò in duabus primis resuscitationibus Evangelistæ nullam orationis Christi mentionem faciunt ad æternum Patrem suum directæ, sicut in hac tertia, quâ Lazarus resuscitatus fuit: Nam Sanctus Joannes hanc resuscitationem describens, ait: *JESUS autem elevatis sursum oculis dixit: Pater! & infremuit Spiritu: Rursum fremens in semetipso.* Et quid verò ad hujus difficultatis solutionem respondere posse existimas? Nimirum Lazarus peccatorem repræsentabat in peccatis habituatum, & inveteratum: unde Rupertus Abbas ait: Typum gerit peccatoris, jam consuetudine nequitiæ inveterati, jámque malâ consuetudine fœtentis; ut autem talis peccator in vitam, id est, in statum gratiæ revocetur, opus est efficaciâ orationis; oratio enim est officium fructuosum, ait Bellovacensis: magnum est lucrum hujus officij, quia semper, omni horâ, & omni loco potest homo orando lucrari rem maximam, scilicet veniam peccatorum, gratiam meritorum, & ipsum DEUM, & ejus gloriam. *Idem. disc. 14. n. 5.*

X. P. Rho de P. Magistro Joanne Avila ita scribit: Adolescentibus, quos litterarum labor exercebat, identidem affirmabat, malle se illorum genua callis obdurescere ob orandi contentionem, quàm oculos laborare ob studia literarum; harum enim sæpe inanem esse laborem, illius nunquam non frugiferam occupationem. *Rho. l. 5. c. 8. n. 9.*

pationem. Idem Stephanum Centenaresium, cujus ingens erat concionandi studium, & laus, cùm ab eo partitionem diurnarum, ac nocturnarum horarum inter orationis, ac litterarum studia audisset, horas aliquot litteris ademptas, precationi jussit contribuere, quòd ista Christianè dicendi optima esset Magistra.

Mansi disc. 1. n. 8.

XI. Regius Psaltes ait: *Os justi meditabitur sapientiam, & lingua ejus loquetur judicium.* Qui loquendi modus primâ facie quidem improprius videtur, quia meditari ad mentem, non verò ad os pertinet; & tamen optimè dicit; quia per hæc verba alludere voluit ad orationem vocalem, cujus lingua est instrumentum; nec non ad mentalem orationem, quæ interiùs fit in corde; quando igitur ambo hæc uniuntur, tunc Prædicator loquitur, & prædicat cum judicio, cum prudentia, cum fructu: tunc *lingua ejus loquetur judicium.*

Acta Mediol. f. 1005.

XII. Sanctus Carolus Borromæus summa cum sollicitudine sanctum hoc exercitium populo suo Mediolanensi recommendavit, siquidem in illius Littera quadam pastorali sequentia leguntur: Inter alia, quæ sapientia DEI, Christus Dominus noster, in toto Sancti Evangelij decursu summa cum sollicitudine nobis commendavit, oratio præcipuum locum habet, cujus usus & exercitium homini Christiano adeò est proprium, ut DEUS propter ipsam eos ab omnibus mundi nationibus dissimiles facere voluerit: *Domus mea*, inquit Redemptor, *domus orationis vocabitur*; quibus verbis evidenter demonstrat, orationem populi Christiani peculiarem tesseram esse debere, qui, sicut (tanquam Domûs DEI familiares) è cœlo vivunt, id est, ex auxilio DEI, à quo omnia bona sperant, ita quoque per sanctum & continuum orationis exercitium cum DEO & Cœlitibus commercium habere debent. Et paulò pòst orationi attribuit encomium, quòd sit omnium virtutum principium, progressus, & complementum. Cardinalis Baronius ex epistola Theodolphi Abbatis Floriacensis, qui postea ad Episcopatum Aurelianensem assumptus fuit, verba quædam refert, quibus Clerum suum, ad quem prædictam Epistolam direxerat, ad legendum libros sacros, & orandum, his verbis invitat: His armis vitia comprimuntur, his alimentis virtutes nutriuntur.

Vita S. Philip. l. 7. c. 1.

XIII. Unum ex præcipuis mediis, quibus S. Philippus Nerius ad tantam perfectionem devenit, fuit Oratio, cui per affectum adeò excessivum addictus fuit, ut omnia exercitia, quæ in Congregatione nostra instituit, & ordinavit, ad hunc præcipuè finem directa fuerint: unde ob eandem causam institutum nostrum *Congregationem Oratorij* appellari voluit. Præterea ex libris, quos frequentiùs legere solitus fuit, specialis erat Joannis Cassiani lectio, in quo inter cæteras ejus Collationes sine dubio sequentia verba legit: Omnis Monachi finis (& consequenter cujuscumque alterius ad perfectionem adspirantis) cordisque perfectio, ad jugem atque indisruptam orationis perseverantiam tendit, & quantum humanæ fragilitati conceditur, ad immobilem tranquillitatem mentis, ac perpetuam nititur puritatem; qui idem Cassianus paulò pòst subdit: sicut ad orationis perfectionem omnium tendit structura virtutum, ita nisi hujus culmini fuerint colligata, atque compacta, nullo modo firma poterunt vel stabilia perdurare. Unde S. Nilus monet inquiens: omne, quod agis, oratione obsignato. Si enim cor nostrum hoc orationis sigillo obsignatum fuerit, nullum erit periculum, ut dona gratiæ, merita, virtutes, quas in se recludit, ei eripiantur. Et ideo pariter S. Ephrem ait: sigillo muniamur orationis.

R. P. Lohn. Auctar. Bibl.

Mansi disc. 11. n. 1.

XIV. Archangelus Raphaël de cœlo missus, ut Tobiæ in itinere ducis loco serviret, cùm juxta flumen Tigris immensum illum cepisset piscem, eum exenterari, & excerptum ex eo jecur assari, & conservari præcepit subdens: *Cordis ejus particulam si super carbones ponas, fumus ejus extricat omne genus dæmoniorum.* At verò, inquies, quidnam fumus sicci hujus piscis super carbones positi cooperari poterit ad spirituum rebellium fugam & dissipationem? respondet Lyranus per fumum hunc orationem symbolicè intelligi, uti ex illis verbis Apocalypsis colligitur: *ascendit fumus incensorum.* Quòd si igitur sola orationis Umbra & Figura, quamvis remota, ad dissipandum universum infernum sufficit, quid ipsa oratio non præstabit? utique extricat omne genus dæmoniorum. Adhæc quamvis dæmon omnibus alijs Saræ sponsis necem intulerit, attamen mox ut Sara & Tobias ad orationem se prostrârunt, superatus & confusus remansit: unde Lyranus ait: fumus ille ex igne procedens significavit orationis virtutem Tobiæ & Saræ, cujus merito Angelus Raphaël expulit dæmonem à Sara.

S. in Reg. ...

XV. S. Bernardinus rationem assignat, cur oratio tempore matutino facta, opportunior sit, quàm quâvis aliâ diei horâ ad DEUM effusa; ait enim: Meritò manè oratio optima est, propter mysterium suum; nam signat gratiæ infusionem, quæ maximè in illa hora à fidelibus per orationem acquiri potest; quia sicut in aurora fugiunt latrones, sic tunc per orationem infusione gratiæ fugiunt dæmones, sicut in aurora lupi, vulpes, & aliæ feræ se abscondunt, nam in tempore noctis hinc inde ad pastum vagantur, unde Psal. 103. dicitur: *Posuisti tenebras, & facta est nox, in ipsa pertransibunt omnes bestiæ sylvæ*; de manè verò idem ait: *Ortus est sol, & congregata sunt, & in cubilibus suis collocabuntur*: Sic in nocte tentationes multiplicantur, in aurora tunc per gratiam in oratione infusam discedunt.

In Concl. clav. c. 3.

XVI. Sponsus cœlestis, teste Blosio, Sanctæ Catharinæ dixit; scito, filia, quòd anima perseverans in humili fideli que oratione, adipiscitur omnem virtutem, unde nullo modo orationis studium negligendum, aut omittendum est ob aliqua adversantia, sive ea procedant ab illusione Sathanæ; sive à fragilitate propria; sive à cogitationibus immundis; sive ab inordinatis

dinatis stimulis, & carnali motu corporis; frequenter enim diabolus orationis tempore animam varijs imaginibus & phantasmatibus magis infestare conatur, quàm extra tempus orationis, tunc callidè suggerit oranti, quòd talis oratio nihil illi prosit, cùm alia cogitare non debeat, quàm illa, quæ orat; malignus hostis hoc persuadere nititur, ut is, qui orat, tædium, confusionémque mentis incurrat, atque ita omittat exercitium orationis, quæ est armatura fortissima adversùs omnes inimici insultus.

S. Bonav. in c. 18. Luc. XVII. S. Bonaventura alium quendam recenset orationis effectum, scilicet reparationem virtutis naturæ, juxta illud Jacobi. 5. *Oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum*, Unde Ecclesiasticus c. 38. meritò nos monet, ne, dum infirmi sumus, nos ipsos negligamus; *Fili, in tua infirmitate ne despicias te ipsum*; at verò quonam id modo practicandum erit, ut ab infirmitate resurgamus? sapiens subdit. *Ora Dominum, & ipse curabit te*; potestíne meliorem hôc medicum desiderare? est hic Medicus tibi semper vicinus, & promptus, qui pro restituenda sanitate aliud non requirit stipendium, quàm orationem, de qua Beatus Laurentius Justinianus ait: infirmitatem, orationis virtus sanat, omnes Medici pecunijs, DEUS autem noster purâ oratione ad conferendam sanitatem placatur.

Salvianus l. 2. de gubern. Dei. XVIII. Salvianus explicans illud Psalmi 33. *Oculi Domini super justos, & aures ejus in preces eorum*: sic loquitur: id quod dicit, divinas aures in precibus semper esse justorum, non audientia tantùm DEI, sed quædam quasi obedientia designatur; quomodo enim in precibus justorum divinæ aures sunt, quomodo, nisi ut semper audiant, nisi ut semper exaudiant, nisi ut promptè audita tribuant, nisi ut illico exaudita concedant?

Mansi disc. 19. n. 4. XIX. In aulis regijs sæpe fit, quòd, postquam quis est admissus ad proxima regio conclavi penetralia, ab hoc tamen non statim ad audientiam admittatur, sed sæpe longo tempore exspectando hærere debeat; at verò non sic res orationis cum DEO habet; sed oratio rectà ingreditur, nec diu præstolatur audientiam; quin potiùs DEUS expectat nos, magnáque cum anxietate preces nostras præstolatur, atque audientiam à nobis habere desiderat; unde David dicebat: *audiam, quid loquatur in me Dominus DEUS*. Et in Apocalypsi dicitur, *ecce ego sto ad ostium, & pulso*; vix oratio DEI throno appropinquavit, cùm ecce subitò ingreditur, nec est, qui illam impediat: *Intret in conspectu tuo oratio mea*. Priùs dixerat: *appropinquet deprecatio*, inquit Hugo Cardinalis, nunc dicit: *intret postulatio*; quod plùs est. Oratio enim non tam supplicat, quàm imperat. Ly enim *intret*, imperium sonat, sicut & sequentia verba. *Fiant aures tua intendentes in vocem deprecationis mea*.

Hom. 4. de Anna. XX. Divus Chrysostomus eorum, qui ab oratione facienda exemptos sese autumant, eò quòd sacris in locis eam, ob negotia sua impediti, fundere nequeant, nequaquam admittit excusationes; ne excusationem quæramus, inquit, dicendo, non esse propinquam precationis ædem; nos enim ipsos, si sobrij fuerimus, templa faciet Divini gratia Spiritus, ut magna utique nobis precandi facultas affluat; neque enim talis est apud nos Divinus cultus, qualis quondam apud Judæos erat, multùm habens sensibilium cæremoniarum: illic precaturum oportebat ad templum ascendere, thus emere, ligna & ignem ad manus habere, arrepto cultro, altari assistere, aliáque multa præcepta perficere; hic nihil tale, sed ubicumque fueris, præstò est tibi altare, & culter, & victima: tu ipse altare, & sacerdos, & victima es. Sacrificia illa in limitato loco, & templo offerebantur; ad nostram autem orationem, quæ grata est DEO, loco holocausti, ut Beatus Laurentius Justinianus ait, non locus, sed affectus ad orandum est eligendus. *Ibid.*

XXI. Etiamsi nec genua flectas, nec pectus pulses, nec manus ad cœlum tendas, si mentem solùm afferas fervidam, nihil tibi ad absolutam precationem deerit; licet enim mulieri colum tenenti, aut telam texenti suspicere in cælum, ac ardenti pectore DEUM invocare: licet etiam viro in foro versanti, aut iter facienti ardenter precari. Alteri itidem in officina sedenti, ac coria suenti, animam ad Deum erigere: licet servo sursum & deorsum cursitanti, vel in culina ministranti, si non adire Ecclesiam, precationem intentam ex imo pectore ciere: non pudet loci Deum.

XXII. Silentes audit DEUS: non locus, sed propositi initium quæritur. Jeremias enim in luto erat, & DEUM attraxit; Daniel in leonum lacu DEUM placavit: tres pueri in camino DEUM promeruêre. Latro non cruce prohibitus, quin Paradisum assecutus fuerit; Job in stercore DEUM ad misericordiam provocavit; igitur ubicumque fueris, ora. *S. Basil. hom. 13. in exhort. ad bapt.*

Perseverantia.

XXIII. Fortasse differt, quæ daturus est, inquit S. Basilius, ut hoc modo magis te ad assiduitatem vocet, & ut intelligas, quòd sit donum DEI, & ut datum diligenter custodias, siquidem nititur unusquisque, quod magno labore invenit, id majori etiam quadam diligentiâ custodire, ne eo amisso, labores etiam cum eo suos multos amittat, neque neglecto DEI munere, æternâ vitâ indignus efficiatur. Proinde noli unquam animum despondere, nisi celeriter invenias, quod rogas: si enim intellexisset Dominus, te, si munus celeriter impetrâsses, id nequaquam esse amissurum, sine dubio, quæ ejus est bonitas, ultro ipse tibi, nullo tuo rogatu, detulisset. *S. Basil. c. 1. Const. Monast.*

XXIV. Cornelius Jansenius ponderans verba illa: Petite, quærite, pulsate, inquit: Tribus istis sententijs unum & idem significatur, nisi quòd congeries sententiarum commendet fidentem, instantem, & ardentem precationem; nam ipsum petere fiduciam in oratione *Mansi disc. 17. n. 4.*

tione necessariam significat, quærere verò, diligentiam; pulsare, ardorem & perseverantiam.

S. Bonav. In Luc. c. 18. XXV. S. Doctor Bonaventura super consilium illud Evangelicum in principio capitis 18. S. Lucæ relatum: *Dicebat autem & parabolam ad illos, quoniam oportet semper orare, & non deficere*, ita scribit: hoc intelligitur, ut oratio semper vel sit in ore per postulationem; vel sit in corde per desiderium; vel sit in opere per præparationem; qui autem bona agit, ad hoc se disponit, ut ejus oratio debeat audiri, & secundùm hoc dicitur: *sine intermissione orate.* ubi Glossa ait: semper orat, qui bene agit semper; ipsum enim desiderium bonum, oratio est; & si continuum est desiderium, continua est oratio; & hoc est, quod dicit Beda in glossa, semper orat, qui semper agit bona, nec desinit orare, nisi cùm desinit justus esse.

In Ps. 148. XXVI. S. Hieronymus super illa verba: Laudate eum sol & luna, inquit, in eo, quòd à suo officio & servitio non recedant, servitium ipsorum laus DEI est: quod idem proposito præsenti applicare possumus.

Hom. 4 de Anna. XXVII. S. Chrysostomus objectioni cuipiam à secularibus fieri solitæ in hæc verba respondet. Dices: qui fieri potest, ut homo sæcularis forensibus negotiis affixus, tribus horis diei precetur, & ad Ecclesiam currat; Respondet Sanctus Doctor: Potest, & facile est, licèt enim ad Ecclesiam currere non sit commodum, potest inibi, foro, curiæque vestibulo inhærens precari; ad hoc enim mente magis opus est, quàm voce; animi contentione magis, quàm manuum extensione; nec tam refert, quo corporis habitu id facias, quàm quo animæ affectu.

S. Bonav. Luc. c. 11. XXVIII. Sanctus Bonaventura observat, quòd Christus nos in oratione instruens, nullam fecerit temporis mentionem: tempus, inquit, tacetur, ut ostendatur, quòd omni tempore indifferenter est orandum, secundùm quod dicit infra: oportet semper orare, & non deficere: & Ecclesiastici 15. non impediaris orare semper.

De Perf. grat. c. 12. XXIX. Beatus Laurentius Justinianus hujus sancti exercitii multos enumerat effectus, inquiens: Terret dæmones, adversarios superat, immutat homines, vires reparat, roborat mentem, inter quos ultimus hic effectus consideratione est dignus; siquidem, ut experientia docet, multi quidem sunt in operibus bonis producendis fœcundi, at verò spiritus eorum sæpe similis est igni ex stramine vel paleis excitato; sicut enim hic magnam flammam parit, sed subitò evanescit; ita quoque multi inprimis vitæ fervoribus multis quidem vacant virtutum heroicarum operibus, at verò mox fatigati, minimè in iis perseverant.

De objecto orationis, seu, quid petendum.

Mansi disc. 18 n. 4. XXX. Psalmista Ps. 54. ab his verbis exorditur: *Exaudi DEUS orationem meam, & ne despexeris deprecationem meam, intende mihi, & exaudi me:* At verò undenam Davidi tanta nata est confidentia de se exaudiendo? Audite expositionem Bedæ dicentis: Multorum exauditur oratio, cùm pro temporalibus rogant, & conceditur eis quod postulant, quorum postea despicitur deprecatio, quia terrena orant, non æterna, & ideo iste utrumque ponit, scilicet ut orationem exaudiat, & deprecationem non despiciat, id est, terrena eum orare permittat.

XXXI. Idem Regius Propheta Psalmum, 76. ita incipit: *Voce mea ad Dominum clamavi, voce mea ad DEUM, & intendit mihi.* At verò quis unquam repertus est, qui voce alterius clamarit? Cur igitur dicit, *voce mea*? Audiamus eundem Bedam dicentem: Hac voce clamat, qui corde clauso ab omni affectione terrena, tota mentis affectione non ad aliquid terrenum, sed ad DEUM aspirat, ut ipsum præmium recipiat; ille verò non hac voce clamat, qui magis terrena, quàm DEUM desiderat, & ideo non pro se, ut ipsum præmium habeat, sed pro ipsis terrenis postulat, qui infelicior est, cùm exauditur, quàm si non exaudiretur. Ibid.

XXXII. S. Ambrosius circa populum Hebræum ad DEUM clamantem, nec exauditum, & circa Moysen, qui licet os suum non aperuisset, auditus tamen, & exauditus fuit, sequentem instituit ingeniosam observationem: Dicit ad eum Dominus, *quid clamas ad me?* sonum ejus non audio, vocem ejus agnosco; silentium ejus lego, clamorem ejus in operibus deprehendo; Clamabat populus, & non audiebatur, tacebat Moyses, & exaudiebatur. Non populo dictum est, *quid clamas ad me?* Non enim ad DEUM clamabat populus, qui injusta & viris indigna clamabat, sed Moysi dictum est; *quid clamas ad me?* Hoc est, tu solus ad me clamas, qui de me speras. Scire ne cupitis, quónam desideria illius, quem inter omnes homines DEUS secundùm cor suum esse agnovit, directa fuerint? Ipsemet ait: *Unam petii à Domino, hanc requiram*, sed quænam est res hæc una, quam petiit? Num fortè, ut cessaret Saulis persecutio? vel ut ad solium regium, pro quo possidendo à Samuele consecratus fuerat, inthronizaretur? Aut vero numerosam à DEO prolem sibi dari petiit: Nequaquam, sed hoc solum: *ut inhabitem in Domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.* Nimirum priusquam Christus illam annunciaret Evangelii magnam veritatem, jam eam perfectè intellexerat, scilicet *primùm quærite Regnum DEI & Justitiam ejus.* Et ideò dixit: *unam petii*, id est, ut Hugo Cardinalis exponit, vitam æternam. S. Ambros. in Ps. 118. Mansi l. 5. n. 4.

De publica & communi oratione.

XXXIII. In Actibus Apostolorum terribilis illa legitur Herodis contra Ecclesiam tunc nascentem persecutio, occidit enim Jacobum fratrem Joannis gladio, videns autem quia pla- Mansi disc. 18. n. 5. Act. 12. v.

ceret Judæis, apposuit, ut apprehenderet & Petrum. Imò Sanctus Petrus paulò post incarceratus, & duabus catenis vinctus, multisque militum custodiis summa cum diligentia custodiebatur; & tamen in eodem carcere ceciderunt catenæ de manibus ejus, descenditque Angelus quidam de cœlo, qui carcerem illum aperiens, eum liberavit. Quare hoc? Quia, dum Petrus servabatur in carcere, oratio fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad DEUM pro eo.

Exod. c. 17. XXXIV. In Exodo legitur: *Moyses, & Aaron, & Hur ascenderunt super verticem collis.* Ubi Lippomanus ait: Ascenderant ad orationis locum, ubicunque enim duo vel tres Dominum fuerint deprecati, in fide exaudiuntur. Quod si verò tantùm valent duo vel tres, quantò plus mille, decies mille, & centum millia, imò integer quidam populus valebunt? Multorum oratio frequentior fit & exaudibilior, ideo orationes agendæ etiam in Ecclesia.

S. Chrysost. ho. 3. XXXV. D. Chrysostomus eos, qui dicunt: orare domi possumus, his verbis perstingit: Te homo decipis, & magno in errore versaris, nam etsi domi quoque detur orandi facultas, tamen fieri non potest, ut domi tam bene ores, quàm in Ecclesia, ubi tot Patres, ubi clamor felici Societate excitus ad DEUM immortalem refertur. Non pariter exoras, cùm solus Dominum obsecras, neque tuis cum fratribus, est enim in hoc plus aliquid, videlicet concordia, conspiratio, copula amoris & charitatis, sacerdotum preces. Præsunt enim ob eam rem sacerdotes, ut populi orationes, quæ infirmiores per se sunt, validiores illas complexæ simul in cœlum evehantur.

Serm. 131. XXXVI. S. Chrysologus super illa verba: *Quòd si duo ex vobis consenserint,* &c. inquit: Audistis quantùm possit, & prævaleat sanctæ petitionis assensus? Non dixit illud aut illud, sed totum se promisit, quicquid unitas postulationis concupierit præstiturum. Et paulò post subdit: ubi sunt, qui præsumunt, Ecclesiæ conventum posse contemni, & solitarias preces venerandæ congregationi autumant anteferri, si duobus vel tribus simul positis medium se futurum, & omnia se promittit, quæ postulatus fuerit, præstaturum? qui nil negat tam paucis, quid in congregatione Sanctorum poscentibus denegabit? sic credens Propheta, hoc adeptum se gloriatur? cùm dicit: *Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo, in consilio justorum & congregatione.*

De Oratione Dominica.

S. Bernard. ap. Mansi disc. 40. n. 7. XXXVII. Omnia, quæ desiderantur, inquit Sanctus Bernardinus, sive ad finem acquirendi aliquod bonum, sive removendi à nobis quodcunque malum, vel conservandi bona, quæ habemus, vel denique liberandi nos à malis, in quæ incidimus, aut quæ imminent, in hac oratione petuntur. Et quidem bona, quæ petuntur, vel sunt naturæ, vel gratiæ, vel gloriæ: Primo autem loco postulamus bona gloriæ, dicendo: *Adveniat regnum tuum*; Secundò bona gratiæ, dicendo: *Fiat voluntas tua, sicut in cælo, & in terra.* Tertiò bona naturæ, quæ in illa continentur petitione *Panem nostrum &c.* Postea petimus, ut nobis remittantur mala, sive illa sint præterita, sive præsentia, sive futura, sive culpæ, sive pœnæ, sive etiam tentationis. A malis culpæ liberari petimus, cùm dicimus: *Dimitte nobis debita nostra.* A tentationibus, cùm dicimus: *& ne nos inducas in tentationem.* A malis pœnæ; dicendo: *Libera nos à malo.*

XXXVIII. Ipsemet Filius DEI apud S. Joannem cap. 16. ait: *Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Quantò igitur major spes nobis esse poterit, si non solùm in ejus nomine, verùm etiam per supplicationem à Filio DEI compositam desideratas ab ipso gratias postulemus? quod idem Sanctus Cyprianus his verbis tangit, dicens: Quantò efficacius impetramus, quod petimus in Christi nomine, si petamus ipsius oratione? Maximè cùm, ut sanctus Cyprianus ait, hoc fine Christus illam composuerit. Ut dum prece, & oratione, quam filius docuit, apud Patrem loquimur, faciliùs audiamur, & agnoscat Pater filii sui verba, cùm precem facimus. Gratiores enim accentus in auribus æterni Patris resonare nequeunt, quàm filii illius, de quo sæpius è cœlo testimonium perhibuit, dicens: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite.* Quasi dicere vellet: Audite ejus instructiones, & estote certi, quod si mihi supplicationes vestras ab ipso formatas porrexeritis, mihi futuræ sint gratissimæ. Mansi disc. 40. n. 1.

XXXIX. S. Bernardinus hanc rationem insinuat: cur cœlestis Magister hanc orationem componere voluerit, dum ait: propterea ne vagemur incerti, omnium petendorum nobis in hac oratione formam dedit. Unde videtur mihi, quòd æterna & prima veritas, quæ errare non novit, nec se decipi permittit, nobis Christianis dicat illud Joëlis Prophetæ. 2. 23. *Filii Sion lætamini in Domino DEO vestro, quia dedit vobis Doctorem*: sic orabitis: *Pater noster &c.* S. Augustinus ad Probam nos ab hujus petitionis limitibus nequaquam egredi posse dicit: liberum est aliis, inquit, atque aliis verbis, eadem tamen in orando dicere, sed non debet esse liberum, alia dicere. Porrò de hujus orationis securitate sanctus Cyprianus testatur, inquiens: quæ vera magis apud DEUM Patrem precatio, quàm quæ à filio, qui est veritas, de ejus ore prolata est? S. Bernard. t. 4. c. 1.

XL. DEUS in Exodo præcepit, ut ad illuminandam domum suam, quam domum orationis esse dixit, magnum quoddam funderetur candelabrum, totaliter aureum, in septem lucernas, à septem ramis in formam liliorum fabricatis, sustentatas distinctum, Omnia autem hæc in figura contingebant illis. Candelabrum enim hoc orationem Dominicam præfigurabat, quæ septem continet petitiones, velut totidem lucernas, mysticum animarum fidelium templum illuminantes. Mansi disc. 40. n. 3.

LXI. Nescio an vos ad hoc aliquando reflexe- ibid. n. 8.

flexeritis, quòd quando Verbum hoc abbreviatum è sinu Patris in terram descendit, tribus præcipuè rebus manum suam apposuerit, illisque omnibus ad salutem nostram spectantibus: Abbreviavit enim, & compendiavit sacrificia, præcepta, & orationes. Porrò sacrificia & oblationes legis Mosaicæ non habebant numerum, & hæc omnia restrinxit & compendiavit in incruento Missæ sacrificio: Unde in Collecta quadam ita orat Ecclesia: *DEUS qui legalium differentiam hostiarum in unius sacrificii perfectione sanxisti &c.* Præcepta verò cæremonialia, judicialia, legalia, omnia in unum solum restrinxit, videlicet in præceptum dilectionis proximi: *Plenitudo legis est dilectio; qui diligit proximum, legem implevit.* Orationes pariter, quarum multæ & variæ erant, prout ex sacris literis deducitur, in unam solam compendiavit, scilicet in hanc Orationem Dominicam, siquidem hæc virtualiter & eminenter omnes alias preces complectitur. Adeò, ut, sicut ab increata Sapientia homo vocatur omnis creatura, ita quoque oratio, Pater noster, &c. vocari possit omnis oratio. De qua proinde multò meliùs, quàm de Apocalypsi dici potest: *Tot sacramenta, quot apices.*

S. Thomas opusc. 7. XLII. Inter alias orationes Oratio Dominica principaliter invenitur; habet enim quinque excellentias, quæ in oratione requiruntur: Debet enim oratio esse secura, recta, ordinata, devota, humilis. Omnes autem hæ prærogativæ in hac oratione recluduntur. Nam Primò est securissima; est enim ab Advocato nostro formata, qui est sapientissimus Petitor, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ; securior apparet ex hoc, quòd ipse, qui orationem exaudit cum Patre, docuit nos orare secundùm illud Psalmi 90. *Clamabit ad me, & ego exaudiam eum.* Etenim si quando vobis memoriale aliquod ad certam quandam gratiam implorandam Principi porrigere volentibus, ipsemet Princeps, cui illud porrigendum est, ipsum propriâ manu formaret aut dictaret, numquid vos omnimodam per illud memoriale quidvis impetrandi securitatem & fiduciam habere existimatis? Tale quid autem nobis contingit in præsenti; nam ut divus Chrysologus ait: orandi thema, materiam petendi, supplicandi normam, paucissimis in verbis ipse tibi, qui tibi exorandus, indulsit, ut ex hoc petendi tu sumas sensum, intellectum postulandi capias, mensuras colligas impetrandi, & brevissimo magisterio orandi latissimam capias disciplinam; simul quia ad amoris indicium Rex ipse officio functus est Advocati, ut preces, quibus responsurus erat, ipse dictaret; cunctatio ablata est impetrandi omnis: Imò fiducia collata est tota promerendi, quando ipsum se legit in precibus, qui rogatur. Secundò est certa; nam ipse Christus doctor est; nam ipsius est docere, quod nos orare oporteat; Ea quippe, quæ ipse orare docuit, rectissimè postulantur. Tertiò est ordinata; est autem hic debitus ordo, ut spiritualia carnalibus, cœlestia terrenis, desiderando, & orando præferamus, secundum illud Matth. 6. *Primùm quærite Regnum DEI.* Hoc Dominus in hac oratione servare docuit, in qua primò petuntur cælestia, postea terrena. Primo enim loco docemur mentem & vocem elevare ad cœlum, invocando DEUM, tanquam Patrem: *Pater noster, qui es in cœlis.* Postea ad sanctificandum ejus nomen, & ad regnum ejus postulandum, nec non ad implendam divinam ejus voluntatem. Quo facto, docemur petere res alias, ad nostrum commodum & utilitatem spectantes: *Panem nostrum &c.* Quartò est devota, quia pinguedo devotionis facit, sacrificium orationis esse DEO acceptum. Devotio plerumque propter prolixitatem orationis obtunditur, unde superfluam orationis prolixitatem docuit vitare Matthæi. 6. *orantes nolite multùm loqui*, & Augustinus dicit ad Probam: Absit ab oratione multa locutio, sed non desit multa precatio, si fervens perseveret intentio: Unde Dominus hanc orationem brevem instituit. Consurgit autem devotio ex charitate, quæ est amor DEI & Proximi, quorum utrumque in hac oratione ostenditur. Nam ad insinuandum divinum amorem vocamus eum Patrem. Ad insinuandum autem amorem proximi, communiter pro omnibus oramus, dicentes: *Pater noster, & dimitte nobis* &c. Ad quod proximorum dilectio nos inducit. 5. Est humilis; nam vera humilitas est, quando aliquis nihil ex suis viribus præsumit, sed totum ex divina virtute impetrandum exspectat. Hoc autem in præsenti adimpletur, quia gratias, quas postulamus, ex liberalitate DEI proficisci agnoscimus, de nullo merito proprio præsumentes.

MEDITATIO.

XLIII. Inter alias Regni cœlorum similitudines cœlestis Magister hanc quoque adduxit à sinapi desumptam, inquiens: *Simile est regnum cælorum grano sinapis.* Quis verò non admiretur, quòd cœlum adeò vastum, grano tam minuto ab illo comparetur, qui dixit: *Ego sum ostium, per me, si quis introierit, salvabitur?* Sciendum verò est, hanc esse seminis hujus proprietatem, ut Glossa interlinearis ait, & ipsamet confirmat experientia, scilicet, quòd, quantò plùs teritur, tantò plùs redolet ejus fragrantia, acrimonia, & virtus, quam in se continet: Ecce tibi igitur mysterium, ob quod huic semini Regnum beatum assimulatur, nimirum quia qui illud sibi vult acquirere, huic necessum est, ut per attentam meditationem mysteria fidei nostræ, ut ita dicam, masticet, & comminuat. Quonam putatis modo Davidem Legis DEI amore & affectione captum fuisse? Ipsemet idipsum dicat; Nam postquam dixisset: *Quomodo dilexi legem tuam, Domine?* Protinus respondit: *Totâ die meditatio mea est*; Nimirum perfectionem & profectum, quem ab observantia hujus legis anima fidelis percipit, attentè meditaba- Vauss dist. 16. n. 6.

batur : Unde dicebat : *Lex Domini immaculata, convertens animas, testimonium &c.*

Jerem. c. 12. XLIV. Jeremias causam, propter quam innumerabiles animæ perduntur, his verbis assignat : *Desolatione desolata est omnis terra, quia nullus est, qui recogitet corde* ; ubi ponderandum est verbum illud, recogitet, non enim sufficiebat Prophetæ dicere, *cogitet* ; sed dixit, *recogitet* ; unde & Ezechias in Cantico suo ita canit : *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ, Domine, si sic vivitur &c.* fructus autem, quem indè percepit, hic fuit : *Tu autem eruisti animam meam, ut non periret.*

TITULUS LIII.

PASSIO CHRISTI.

§. I.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Qualitas.

S. Aug. apud Mansi. tr. 19. disc. 17. n. 8. I. ECce pro impio pietas flagellatur ; pro stulto sapientia illuditur ; Pro mendace veritas necatur ; damnatur Justitia pro iniquo ; Misericordia afficitur pro crudeli ; Inebriatur felle dulcedo, abjicitur innocentia pro reo ; moritur vita pro mortuo.

Idem, c. 16. med. II. Cùm magnum sit, gratis sua aliquem alicui conferre, multò majus certè est, semetipsum impendere ; & cùm magnæ charitatis sit, animam pro amicis ponere, multò majoris charitatis indicium est, pro inimicis ponere, quod Filius DEI pro nobis fecit, nam cùm inimici essemus, reconciliati sumus per mortem filii ejus.

S. Chrysol. serm. 108. II: Audi rogantem Dominum : *Totâ die expandi ad te manus meas* : Nonne qui expandit manus, ipso habitu rogat ? *Expandi manus meas.* Ad quem ? ad populum. Et ad quem populum ? Non tantùm non credentem : sed & contradicentem. *Expandi manus meas* ; Distendit membra, dilatat viscera, pectus porrigit, offert sinum, gremium pandit, ut patrem se tantæ obsecrationis demonstret affectu. Audi & aliter rogantem DEUM : *Popule meus, quid feci tibi : Aut in quo contristavi te?* Nonne dicit? Si divinitas ignota est, vel caro sit nota. Videte, videte in me corpus vestrum, membra vestra, vestra viscera, ossa vestra, vestrum sanguinem, &, si quod est DEI, tenete. Quare vel quod vestrum est, non amatis ? Si Dominum fugitis, quare non recurritis ad parentem ? sed fortè vos Passionis meæ, quam fecistis, magnitudo confundit. Nolite. Crux hæc non meus, sed mortis est aculeus. Clavi isti non mihi infigunt dolorem, sed vestram mihi infigunt altiùs charitatem. Vulnera hæc non educunt gemitus meos, sed magis vos meis visceribus introducunt. Extensio corporis mei vos dilatat in præmium, non meam crescit in pœnam. Sanguis meus non mihi deperit, sed vestrum prorogatur in pretium. Venite ergo, redite, & vel sic probate Patrem, quem videtis pro malis bona, pro injuriis amorem, pro vulneribus tantis tantam charitatem reddere.

IV. Magna & multa sunt, quæ mihi, Domine DEUS, contulisti beneficia, pro quibus mihi diligendus, & semper es laudandus. Unum autem est, quod me plùs omnibus accendit, urget, movet, & promovet, ad te diligendum super omnia, amara mors, quam sustinuisti, opus nostræ Redemptionis. Hoc solum, vel hoc omninò totam vitam nostram, totum laborem nostrum, totum obsequium nostrum, amorem denique nostrum facilè sibi vendicat ; Totum hoc est, quod devotionem nostram & excitat meliùs, & quærit suaviùs, & auget ampliùs. Multùm quidem in hoc opere laboravit Author mundi, nec in omni fabrica Mundi tantam fabricationem sustinuit ; De Mundo enim, & de his, quæ in Mundo sunt, *dixit, & facta sunt*, at verò pro reparatione generis humani, magnos, & multos, & diuturnos labores & dolores sustinuit. *S. August. c. 16. med.*

V. Magnum quidem mihi est de DEO, quòd esse me sentio opus suum, sed multò plùs est, quòd transisse ipsum video in pretium meum, quandoquidem tam pretioso munere ipsa redemptio agitur, ut homo DEUM valere videatur. *Idem de dilig. Deo.*

VI. Quantò ferventiùs diliges eum, tantò magìs suæ compatieris Passioni, & quantò plùs ei compatieris, tantò plùs erga eum tuus accendetur affectus. *S. Bonavent. c. 1. Stimul. Amor.*

VII. Poterat omnipotentiæ Majestas aliter, quàm se exinaniendo, perditum reparare hominem ; sed ut sciret, quantùm deliquerat, quantùm diligeretur, quantique se æstimare deberet, id agere voluit ; sciret quoque, quid DEO deberet, qui pro peccatore, pro perdito, pro ingrato, tantis se dignatus est exponere passionibus. *S. Laur. Justin. de Triumpho Christi.*

VIII. Sufficeisset ad Redemptionem humani generis, minutissima gutta sanguinis Christi, sed data est copia, ut ex inundatione beneficii virtus innotesceret diligentis ; unde grave est, quòd tantùm diligens, tantùm oditur. *S. Bonavent. ser. 6. in Parasc.*

Utili-

Utilitas.

Blosius c. 11. sacell. anim. IX. Inæstimabilis planè thesaurus invenitur in Passione Christi, cui si te convenienter adjunxeris, mirum in modum locupletaberis.

Ludolph. Carthus. p. 1. c. 58. X. Frequens Passionis memoria, indoctum reddit doctissimum, imperitos & idiotas facit proficere in magistros, magistros, inquam, non scientiæ, quæ inflat, sed charitatis, quæ ædificat. Ipsa est velut quidam Liber vitæ, in quo omnia saluti necessaria inveniuntur; felix, qui ejus studio seriosè intendit, quia in contemptu mundi, & in amore DEI proficiet, cunctarúmque virtutum ac gratiarum incrementum sumet.

Blosius in conclavi. c. 10. §. 7. XI. Vita Christi Liber admodū præclarus est, doctis, & indoctis, perfectis, atque imperfectis (qui Deo placere cupiunt) communis. Qui bene terit hunc librum, efficitur eximiè sapiens, faciléque adipiscitur peccatorum veniam, pravorum affectuum mortificationem, mentis illuminationem, conscientiæ pacem & tranquillitatem, firmámque erga DEUM sincerâ dilectione fiduciam. Etiamsi codices omnes, qui toto orbe habentur, intercidissent, Vita & Passio Christi Christianis omnibus sufficiet ad virtutem omnem, & veritatem perdiscendam.

Idem in 8a. col. c. 21. XII. Quotiescunque aliquid piè meditaris, aut legis de Passione Domini JESU, sanctificaris indè, & ingentem fructum reportas, etiamsi parvo admodùm affectu, & sine ullo sapore sensibili mediteris, ac legas. Fieri nulla ratione potest, ut vel aspicias tantùm piis oculis imaginem Crucifixi, sine grandi utilitate, cùm ibi salutis tuæ summam invenias.

S. Laur. Iust. l. de c. 21. XIII. Line oculos tuos sanguine illius, suóque livore tuis medere vulneribus. Nulla esse valet ægritudo tam valida, nullus mœror, nulláque tentatio, quæ non hujusmodi medicamento curetur; est quippe in eo redemptionis cruor, & purgationis lavacrum.

Jucunditas.

S. Bonavent. apud Mansi. disc. 20. n. 5. XIV. Quis non exultet in immensum, cùm cernit DEUM ipsum in tantùm diligere, ut tantæ vilitati & pœnalitati subjecerit semetipsum pro eo? quis Princeps in regno vel imperio alicujus Imperatoris, vel Regis, cernens se tantùm à Rege vel Imperatore diligi, ut paratus esset mori pro ipso, non gauderet? Quantò magìs nos vilissimi homines, & peccatores nefandissimi, & servi gaudere debemus, & exultare, cùm videmus Regem Regum, & Dominum dominantium, & Creatorem nostrum JESUM, nos ita continuò diligere, ut immolaverit seipsum pro nobis, in tam turpi, & vilissima morte?

Imitatio.

S. Gregor. Naz. orat. 42. XV. Per passiones Passionem imitemur, Crucem alacres conscendamus; Dulces sunt clavi, tametsi valde acerbi; Præstat cum Christo, & pro Christo pati, quàm cum aliis in deliciis versari.

§. II.

EXEMPLA SACRA.

Cultus.

I. DE S. Francisca Romana in ejus vita legitur, quòd dolores Christi patientis adeò vivaciter animo suo impresserit, ut, quotiescunque crucifixionem pedum vel manuum Christi meditaretur, ipsa quoque in pedibus vel manibus suis acutissimos experiretur dolores; similiter coronam meditando spineam, circa tempora sua puncturas sentiebat intolerabiles, hæcque intima illius compassio ad tantam usque vivacitatem pertigit, ut sanguinem sæpius spueret, manus quoque & pedes vivo tingerentur sanguine, sicut & ob eandem causam ex pectore suo diuturno tempore humor sanguineus scaturivit, ut proinde de ipsa dici queat, quod de Seraphico Francisco sanctus Bonaventura his verbis scribit: Memoria Passionis Christi visceribus cordis ipsius impressa fuit medullitus. *Mansi disc. 2. n. 4.*

II. De B. Henrico Susone Bollandus sic scribit: Præ aliis quibuslibet exercitiis cupidè admodum trahebatur, ut aliquod suo in corpore gestaret signum sensibile condolentiæ erga acerbissimam Crucifixi Domini Passionem. Effecit ergo sibi crucem ligneam, longitudine palmi virilis, & congruâ latitudine eique infixit clavos triginta in honorem vel memoriam omnium vulnerum Christi, quibus in nos suum est testatus amorem. Hanc crucem dorso inter scapulas extendit in ipsa carne; & annis octo, dies atque noctes jugiter eam tulit, in laudem Crucifixi Domini sui. Deinde extremo anno etiam acus septem eidem impressit, quarum acies per mediam adegit crucem, cui firmiter cohærebant, reliquam partem acuum superiùs resecabat. Harum cruentationem acuum pertulit ob honorem acutissimi doloris, quo Virginis Matris cor & anima in Filii morte confixa fuêre. Quando hanc crucem primò suo corpori adstrinxit, tenera ejus natura exhorruit, quamobrem ad saxum aciem clavorum pauxillum retudit, sed illico hac neutiquam virili mollitie victum se dolens, denique eos omnes limâ exacuit, & ad corpus applicavit. *Bollandus 25. Ian. f. 662.*

III. Idem quoque Bollandus, tenerrimos Matris Beati Henrici erga passionē Domini affectus refert, dicens: Consuetudinem sibi fecerat omnes suas perpessiones in Christi Passionē demergendi, atque ita eas superabat: narravit Filio suo ante obitum suum, triginta annis nunquam se Missæ Sacrificio interfuisse, quin ex intima compassione erga Christi cruciatus, & Matrem ejus condolentissimam, acerbè fleret. Aliquando sub ineuntem Quadragesimam ad templum quoddam abiit, ubi Christi de Cruce depositio exsculptis figuris in altari quodam ex- *Ibid. f. 667.*

expressa erat; coram his imaginibus sensibili quodam modo nonnihil percepit acerbissimi doloris illius, quem pertulit Virgo Mater sub Cruce: atque ex hac angustia pia hæc mulier præ condolentia tantos sensit dolores, ut cor illius propemodum creparet, adeóque ut præ defectu in terram collabens nec videret quicquam, nec diceret. Sic igitur in domum relata, usque in sanctam Parasceven, quâ die cum Passio in Templo caneretur, circa horam nonam exspiravit. In eâdem igitur hora ex hac vita transiit, in qua Redemptor noster æterno Patri Spiritum suum consignavit, Filióque suo apparens, se in cœlum abire, jucundo vultu affirmavit.

Io, Rho. l. 3. c. 1. n. 6. IV. Alexander Cardinalis Ursinus sigillum Christi è Cruce pendentis in sinu ita gestavit, ut obversis in pectus clavis, cùm liberet apprimere (libebat autem sæpissimè) quinis illud compungeret vulnusculis, & amori, ne incomitatus aut erubesceret, aut dilaberetur, dolorem comitem adjungeret, cujus in sinu pulcherrimè, ac molliter illum didicerat conquiescere.

Mansi disc. 4. n. 11. V. Pater Mendoza in concione quadam de Nativitate Christi, in Lusitania præcellentem quandam raræque virtutis Principissam fuisse refert, quæ, cùm in Monasterio JESUS appellato viveret, hanc habebat consuetudinem, quòd vesperi, priusquam ad quietem concederet, Crucifixi imaginem manibus apprehensam fixis oculis intueretur, adeò ut eos minimè clauderet, donec à somno victa crucem dimisisset. Nimirùm Crucifixum totius diei terminum, & finem esse cupiebat; manè pariter subitò apertos oculos in eandem dirigebat Crucifixi imaginem, ut per ejus in mente sua impressionem diei daret principium & finẽ.

Surius in vit. 2. April. VI. Apud Surium de S. Francisco de Paula leguntur sequentia: Die Veneris Sancto, cùm tempus migrationis adesse cognosceret, circa horam, quâ Christus Dominus passus est, ligno Sanctæ crucis devotè consignatus, Passione Dominicâ coram eo perlectâ, junctis manibus erectisque oculis in cœlum, Crucis trophæum amplectens, & osculans, ac sæpius, *in manus tuas commendo spiritum meum*, iterans, absque doloris & mortis signo, feliciter migravit ad Dominum.

Chron. Aug. l. 2. c. 13. VII. In Chronicis Eremitarum Ordinis S. Augustini scribitur de Hermanno de Allis, quod, dum mortis suæ horam imminere sentiret, à convocatis ad assistendum morti ipsius, Patribus, Passionis Dominicæ seriem sibi prælegi petierit, & primò quidem, prout illa à S. Mathæo, ac demum prout à S. Marco conscripta fuit, sempérque lectorem monuerit, quando vel facienda pausa, aut facer textus repetendus esset; cúmque lector ad hæc pervenisset verba: *IESVS emissâ magnâ voce exspiravit*: ipse quoque animam suam Creatori reddidit.

Barri p. 1. c. 8. devot. 10. ex lib. 4. Hist. Minim. VIII. B. Joannes de S. MARIA Oblatus (ut vocant) Ordinis S. Francisci de Paula, peculiariter afficiebatur erga *Ecce Homo*. Is per totum suum Oratorium nihil habuit, nisi hanc unam imaginem Christi, à Pilato populo ostensi: singulis annis Dominicâ Passionis peculiariter hoc festum coluit: publicéque exponens suam imaginem portæ Ecclesiæ affixit, ut populus coram ea oraret: suitque causa, ut sensim illud festum fuerit solenniter cultum; cùm infinita multitudo accurreret, ex pluribus locis ad honorandum hoc eo die mysterium. Ipse verò semper hanc suam pietatem continuavit, ut nihil ei frequentiùs in ore esset, quàm hæc duo verba: *Ecce Homo*.

Rho. l. 3. c. 2. n. 6. IX. Eleonora à Spiritu Sancto Ordinis Minorum, cùm audisset, imbrem illum sanguinis, quo Christus Dominus totam hanc nostram adimplevit mortalitatem, guttarum omnino millibus quadraginta & octies centum fuisse, id illa persuasum certò habebat; itaque non ante destitit, quàm totidem egregias de animo suo, déque corpusculo, & has non incruentas victorias rependit.

Ibid. n. 14. X. Henricus Rex Lusitaniæ, cùm ignis Almerinas Lusitanorum Regum ædes vasto depasceretur incendio, & fugâ Henricus, qui tum illas incolebat, cum domesticis omnibus sibi consuleret, subiit animum, domestico in sacello Crucifixi signum vetustissimæ venerationis asservari; quod nisi periculo subtraheretur, flamma corrumperet, ac devoraret. Ergo quamquam domesticorum fidissimi non deessent, ratus, Regium sanguinem pietatem illam decere, per medias furentésque flammas irrumpens, sacrum secum extulit signum illæsus illæsum; ut intelligamus, Religionis causâ præclarè audentibus, nihil esse formidandum.

Utilitas.

Boland. 4. Ian. f. 201. XI. In vita Beatæ Angelæ Fulginiensis sequentia leguntur, prædictæ Virginis ore tradita: dum sic starem absorpta ab illo dolore, & quasi in dolores Crucifixi transformata, audivi Crucifixum super devotis ad suam Passionem, & imitantibus ipsam, & super sibi compatientibus dulcissimas benedictiones ingeminantem, & dicentem: Benedicti vos à Patre meo, qui mihi compassi, & mecum similiter contribulati, & viam meam secuti, stolas vestras in meo sanguine lavare meruistis.

Vita l. 1. c. 4. n. 1. XII. S. Philippus Nerius in sacrarum litterarum studio, dum apud Patres Augustinianos Theologiæ operam daret, magnos & insignes faciebat progressus; nec mirum, quia cùm ibidem imago quædam Crucifixi valde devota prostaret, quotiescunque eandem aspiciebat, à lachrymis & suspirijs se continere non poterat, ac proinde in capite sequenti ejusdem vitæ, omnia ex hoc libro didicisse, sibíque comparâsse dicitur, relictis omnibus alijs libris, quos vendidit, ut illorum pretio pauperibus subveniret, orationique & quibusvis alijs exercitijs spiritualibus majori cum fervore applicare se posset.

XIII.

Surius 14. April. XIII. De S. Lidwina Surius sic scribit: ejus vulnera & dolores acutissimi (de Crucifixi doloribus loquitur) animam Virginis adeò penetrârant, ut, quamvis ipsa in singulis membris suis omnis generis cruciatus vehementissimos pateretur, ita ut omnes, qui eam cernerent, non possent non multâ commiseratione affici, eos tamen cruciatus quasi pro nihilo putaret. Tota vita ejus in Christi rebus gestis, tanquam in viridario amœnissimo versabatur, ijs meditandis trahebat ardentissima ab imo pectore suspiria, & ab oculis lachrymarum fundebat imbres, iisque deficientibus guttas sanguineas; illas autem lachrymas Crucifixi amore fusas, apud familiariores appellabat rosas suas.

Idem in vit. XIV. Idem de S. Elisabetha in hæc verba scribit: Cùm Elisabeth pretiosis ornata vestibus, auream capite gestans coronam, ac familiâ frequenti stipata, rebus divinis interfutura templum intrâsset, primo intuitu Crux Dominica occurrens, & ex ea pendens imago Salvatoris eam compunxit, compunctæ lachrymas excussit, lachrymanti talia suggessit: En Creator & Redemptor meus, nudo corpore, brevi duntaxat præcinctus tegmine, meâ causâ ignominiosam in cruce mortem oppetijt: at ego misera gemmis, auro, bysso, & purpurâ contecta, vitam cœlestibus indignam beneficijs, perdo magis, quàm ago. Illius caput intra Pilati ædes spinea corona dispunxit, meum verò aurea venustat. Illum ab amicis & discipulis desertum, Judæorum vallarunt opprobria, me numerosâ circumdatam familiâ cuncti mirantur, suspiciunt, honorant. Cúmque hæc meditaretur, effervescens in Spiritu, in terram velut mortua corruit, adeò ut domestici ejus, mysterium ignorantes, eam ab aliquo accidente lethifero correptam fuisse existimârint. Hócque Sanctitatis illius fuit exordium: nam immediatè pòst Mundi vanitatibus & delicijs regalibus spretis, hirsuto se induit cilicio, ac semetipsam contemnens, corpus suum austerissimis pœnitentijs maceravit.

Idem, 28. Ian. XV. D. S. Margarita pariter Ungariæ Regis filia, idem Surius refert, quòd, cùm quadriennis esset, Crucifixum quendam conspiciens, sororem suam interogârit, quidnam imago illa significaret: ipsáque respondente, quòd Filium DEI repræsentaret, qui pro salute & Redemptione nostra in Crucem suffixus fuit, confestim ipsa expansis tenellis brachijs suis accurrit, ut illum pectori suo firmiter adstringeret, & coram Crucifixo postrata, eundem adorans, & osculans exclamavit dicendo: Domine mi, me tibi committo. Et ab inde fervor, quo Mundi delicijs valedicens, vitam aggressa est pœnitentem, & perfectam, suam traxit originem.

S. Antonin. p. 3. hist. c. 8. §. 14 tit. 24. XVI. Cùm Alexander Alensis Religionem Sancti Francisci ingressus, austeram illam vitam continuare non posset, priusquam probationis annum finiret, Religionem deserere statuit. Quia verò Patres Ordinis propositum ipsius intelligentes magnopere de illo dolerent, non solùm propter salutem spiritualem Novitij, verùm etiam ob jacturam viri adeò scientifici, incessantes ad DEUM orationes effundebant, ut huic viro, in cœpto Religionis instituto concederet constantem perseverantiam. Neque irritæ fuerunt hæ preces; siquidem nocte quadam in somno scala quædam ei repræsentata fuit, quæ pedibus terram, vertice autem cœlos tangebat; hanc autem senex quidam sanguine madens, ponderosáque cruce onustus, ac si S. Franciscus fuisset, ascendere parabat; unde & ipse repetitis quidem vicibus ascensum illum meditabatur, at verò S. Franciscus ad illum cum indignatione quadam se convertens, repulit ipsum; dicendo: Non posses hanc magnam crucem portare mecum, qui non potes hanc levem cappam pro nomine meo portare. Et his dictis confestim visio disparuit. Alensis autem desuper se reflectens, erubuit, quòd per gravem illam crucem deterritus, ad sæculum redire statuisset, ac proinde deinceps in ordine perseverare firmiter statuit, quemadmodum ad extremum usque vitæ suæ spiritum fecit.

XVII. In vita S. Philippi Nerii de sanctimoniali quadam legitur, quòd, cùm se damnatam esse reputans, magnis angeretur desperationis tentationibus, multique suam in hoc collocassent operam, ut eam in statum salutis denuò perducerent, licet casso & irrito eventu; tandem sanctus Philippus eandem quoque conveniens, ut conceptam desperationem penitus deponeret, hoc eam convicit argumento, dicendo: Dic obsecro, pro quo Filius DEI in cruce mortem oppetijt? Cui ipsa respondit: Pro peccatoribus; Et tu quænam es? subjunxit Philippus: Cui Religiosa respondit, gravis sum peccatrix; Ergo, subintulit sanctus Philippus, Paradisus tuus est. Hæcque verba: Paradisus tuus est, tuus est, adeò tenaciter cordi ejus remanserunt impressa, ut non solùm omnis deinceps cessaverit tentatio, verùm insuper ad ultimum usque spiritum, vivacissimam æternæ salutis suæ conceperit fiduciam. Magis dis. 8. n. 4.

XVIII. In speculo Exemplorum de juvene quodam & divite rustico legitur, quòd exercitium se quotidie Crucifixo recomendandi adeò sibi familiare reddiderit, ut quotiescunque ad lectum concederet, vel inde resurgeret, signo crucis in fronte & pectore se communiendo, hæc verba proferre solitus fuerit: *JESU Nazarene, miserere mei, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*; simúlque Christum crucifixum rogârit, ne sine Confessione moreretur. Accidit autem, quòd morte repentinâ diem suum clauserit extremum: cúmque dæmones advolantes animam ipsius secum ad infernum raptare niterentur, splendidus quidam juvenis eosdem abigens, prædictam animam in locum quendam tenebrosum eduxit, deductam ibidem dereliquit; cúmque anima more suo consueto Cruce se signaret, & prædicta verba sæpius repeteret, quidam lucis radij hinc indè scintillantes obscuritatem loci illius nonnihil illustrârunt; unde redeuntes Dæmones, ut Idem n. 8.

animam ejus sibi prædam facerent, à luce illa perterriti ad eandem appropinquare haud præsumpserunt: comparuit autem de novo Juvenis ille, qui Angelus cœlitus missus fuisse creditur, eique dixit, quòd, tametsi ad inferni pœnas condemnari mereretur, Judex tamen propter merita devotionis erga Passionem suam, & Crucis suæ titulum exhibitæ, hanc ei largitur gratiam, ut in vitam denuo redire, suáque peccata per Confessionem Sacramentalem expiare posset; quâ peractâ demum in pace quievit.

Pratum spir. ex. 3. l. 1. XIX. Cùm Monialis quædam à spiritu fornicationis diuturno tempore erga Juvenem quendam Clericum vehementer tentata, ardenti, quo eum deperibat, amori resistere non potuisset, tandem illicitis lascivi illius Clerici desideriis consentire parata, eundem ut certâ quadam noctis horâ in destinato loco adesset, requisivit: cùm enim utpote Sacristana claves Ecclesiæ penes se haberet, eousque donec aliæ sanctimoniales obdormiissent, præstolata, demum ad fores Ecclesiæ aperiendas se recepit, ut bestiali appetitui suo satisfaceret; cúmque ad primam portam accessisset, Christum brachiis in cruce expansis hærentem invenit, qui eam, ne ulteriùs progredi posset, impediebat; veruntamen quia nihil aliud meditabatur, quàm ut carnalem satiare posset concupiscentiam; ad aliam se portam recepit, ubi pariter Redemptorem in specie Crucifixi sibi occurrentem, & exitum quaqua versum prohibentem invenit; vehemens autem amor, quo agitabatur, adeò eam excæcaverat, ut oculos mentis aperire nequiret, ad iteratâ vice sibi recurrens tam manifestum divinæ pietatis miraculum: tandem verò cùm omnes tentando Monasterii portas, in cunctis obvium habuisset grande hoc Crucifixi apparentis spectaculum, ad pedes statuæ cujusdam Beatæ Virginis prostrata, quòd nusquam exitum invenire posset, coram eâdem lamentata fuit: A qua imagine alapam adeò fortiter sibi impactam recepit, ut veluti mortua in terram corruerit, ibidémque ad horam usque Matutini celebrandi permanserit, vocibus autem reliquarum sororum cantantium expergefacta, ac de errore suo resipiscens, suum amaris cum lachrymis confessa est peccatum, atque immensum agnovit Christi beneficium, qui per aspectum crucifixionis suæ eidem objectum, ab hac carnalitatis abysso, in quam se præcipitare decreverat, misericorditer retraxit, & eripuit.

Pinequin. Isag. p. 1. c. 16. XX. Neapoli non ante multos annos contigisse memorant Annales nostri; quòd puella nobilis & prædives ab adolescente paris nobilitatis in conjugem petebatur, & jam in id consenserant utrimque parentes, & pro connubialibus pactis communiter stabiliendis in aliquod conclave convenerant; cùm puella in suo cubiculo ante pendentem è Cruce Christum prostrata, altioribus cogitationibus agitari cœpit, & divinioribus flammis accendi: Quid, aiebat, quid ago, JESU Fili DEI, & hominum amator? siccine, dum tu carnem tuam innocentissimam tam atrociter tractas, ego voluptates, licèt in conjugio licitas consectabor? siccine, dum tu vulneribus & sanguine deformaris, ego formæ excolendæ, ego gemmis & monilibus ornando corpori operam dabo? non fiet: & continuò sibi comam rescindit, eâque ad pedes Crucifixi appensâ, illam ipsam effigiem manu gerens, è cubiculo egreditur, & ad conclave, in quod omnes convenerant, se confert, ibi ad Matrem conversa: non est, inquit, Domina, quod de conjugio meo ulteriùs agatis: Ecce sponsus iste meus est, quem elegi, & cujus pedibus crines meos, ut arrhas appendi. Mira hîc inter omnes turbatio; admirantur aliqui, fremunt & indignantur alii; sed tamen penes Christum novámque ejus sponsam stetit victoria.

XXI. Vivebat Romæ anno ducentesimo vigesimo primo supra millesimum, puella, quam ob speciei præstantiam, vulgò pulchram Catharinam appellabant. Hæc tametsi Romanæ Juventutis esset non leve offendiculum, eò tamen S. Dominici, pro concione, exhortationibus, boni moris adducta est, ut Rosario de manu S. Viri accepto uteretur, sæpe illud in templo, ad Dei Matris Imaginem, precando evolvens. Huic ergo tali mulieri, nescio quò eunti, in plateâ se offert obviam Christus juvenili habitu, formâ elegantissimâ, benéque illi precatus, quonam pergeret, ubinam habitaret, sciscitatus est? Non defuerunt Catharinæ urbanitatis officia, resalutatum, ac domum suam invitatum adolescentem excepit perhumaniter, & ad mensam haud vulgariter instructam adhibuit: Hic, cùm, quidquid ille eduliorum tangeret, ista infici cruore videret, mirata quærit, an fors læsus, vel an esset ea oculorum fascinatio? neutrum, respondit ille: Sed heus! nescis, hominis Christiani cibum, potúmque Christi sanguine tinctum esse debere? Pro! inquit ista, quàm tu mihi serius es! quàm superstitiosus! Equidem subiicit adolescens, & experiêre tu quidem brevi: age modò ad cubile pergamus: nihil moratur, provolat, lectum subit, amicum invitat blandè. Sed, ô DEI bonitatem! ecce tibi Juvenis ille in alterum mutatus, coccineâ se veste talari indutum, ac gravi onustum cruce exhibet meretriculæ, atque perforatum latus, manus, pedes, totúmque adeò vulneribus concisum corpus; tum ex singulis plagis emicantem lucem stellis rutilantiorem ostentans, sic amicè querens, affatur: Eia! nostin' me jam, Catharina? agnoscis eundem illum, qui pro te olim passus sum? quousque in sordibus volutari juvat, ac me iterum cruci affigere? & sanguinem meum reddere inutilem? ergo peccandi finem nullum facies? Ad hæc Catharina immenso pudore suffusa, in lachrymas abit, ad Christi pedes toto corpore prosternitur, veniam postulat, meliora in futurum pollicetur; Quod deinceps ita præstitit, ut cùm affligendi sui modum non servaret, fuerit ab ipsa DEI Matre, quam in singularem sibi Patronam adsciverat, corripienda, & præscribenda pœnitendi moderatio.

Pedag. Christ. p. 1. s. 1. c. 4. Sect. 1. pag. 101.

Juven-

Jucunditas.

Thomas Cantipr. l. 2. apum c. 17. §. 26.

XXII. Thomas Cantipratanus de quodam milite, qui factus Monachus Cisterciensis, à memoria voluptatum, & deliciarum, quibus in sæculo gavisus fuerat, seductus, in vita religiosa continuanda vacillabat, refert sequentia: cùm gravissimè à diabolo ad exitum tentaretur, & de nocte in noctem meditaretur apostatare per fugam, semel parato ad exitum, & quasi commodiorem horam noctis in lectulo præstolanti, & semivigilanti, Christus apparuit in forma personatissimi viri, & cùm ex illo quæreret, quid sic jacens haberet mali, respondit ille: dolorem cordis habeo, & magnum defectum debilitatis in membris; cui Dominus grossum panem hordeaceum offerens, dixit; surge, & comede panem istum, quem ille turbatus intuitus, quomodo, inquit, grossum panem istum comederem, qui panem monasterii similagineum manducare non possum? Tum Dominus detecto latere, vulneri pectoris, sanguinem profluenti, hordeaceum panem admovit, & tali profluvio madefactum jubet comedere languentem, mox ille cum horrore membris dissiliens: Heu, inquit, Domine, quomodo taliter pollutum comederem, qui prius saltem mundum, sed asperum comedere recusabam? Et Dominus, quasi minaci vultu eum intuens, refutanti inquit: oportet ut gustu saltem attentes, quid sapiat panis iste. Cùmque ille diffugium non haberet, & susceptum panem tremebundus summis vix labiis attigisset, sensit in pane super omnem suavitatem dulcorem mirabilem, quem hianti quidem ore contrectans, totum subitò cum mira aviditate comedit. Nec mora, Domino disparente, tentatus ille ad se reversus est, & quid vidisset, sensissetque, sincero corde retractans, ab omni dolore mentis, & carnis tentatione convaluit, & in magna tranquillitate spiritûs usque in finem permansit. Quid mirum? hordeaceus panis austeri Ordinis melleâ Christi lateris perfusione linitus est.

Surius, 16. Iun.

XXIII. S. Ludgardis quoties corpore aut spiritu afflictam se videbat, toties ad Crucifixi imaginem sese conferens, illum aliquando cum magna animi intentione contemplabatur, donec toto corpore viribus destituta, spiritu extra illud raperetur, in quo quidem raptu Christum præsentem cernebat, & ore proprio ad cruentum latus eius applicito, tantùm inde dulcedinis, tantùm consolationis hauriebat, ut nulla postmodum adversitate concuti posset.

§. III.

SIMILITUDINES.

Mansi. dis. 12. n. 3.

Sicut si quis Redemptionis suæ pretium in sua haberet potestate positum, illud autem in scrinio suo teneret reclusum, eique à quo captivus tenetur, non extraderet, aut numeraret, ad nihilum utique eidem redimendo profuturum esset; Christus gratis nobis sanguinem suum dedit, ut inde à servitute peccati, & inferni redimamur; at verò pretium hoc inutile nobis erit, nisi illud pro redemptione nostra adhibeamus; Ac proinde sanctus Apostolus subdit, inquiens: *Glorificate, & portate DEUM in corpore vestro.*

S. Chrysost. in exod.

II. Sicut regiæ statuæ quamvis inanimatæ sint, eos tamen, qui ad se confugiunt, servare solent, non quia statuæ sunt, sed quia regem repræsentant; similiter & Agni sanguis, homines salvos faciebat, non quia sanguis erat, sed quia Sanguinem Christi referebat.

Blosius in instruct. Vit. ascet. f. 165. c.

III. Sicut ille, qui opobalsamum vel leviter contingit, necessariò suavem odorem retinet, ita is, qui passionem Dominicam piè recolit, licet permodico affectu id faciat, non poterit non referre augmentum gratiæ divinæ, sed nec effigiem quidem crucifixi Redemptoris homo Christianus orthodoxæ fidei unquam reverenter aspexit aut aspiciet, sine grandi utilitate.

§. VI.

MOTIVA.

S. August. man. c. 15.

I. Utilitas ad peccata vitanda, nam, ut rectè S. Augustinus dixit, non possum terreri multitudine peccatorum meorum, si mors Domini in mentem venerit, quoniam peccata mea illum vincere non possunt. Clavi, & lancea clamant mihi, quòd verè reconciliatus sum Christo, si eum amavero. Longinus aperuit mihi latus Christi lanceâ, & ego intravi, & ibi requiesco securus. Quod ipsum etiam Christus S. Gertrudi revelavit dicens: Quilibet poterit respirare in spem veniæ (quamlibet etiam gravi pondere peccatorum se senserit depressum) offerendo DEO Patri meam innocentissimam passionem & mortem. Credat peccator, se per hoc obtinere saluberrimum fructum indulgentiæ, quia nullum tam efficax remedium contra peccata poterit in terris haberi, sicut devota memoria meæ passionis.

Blos. in conclav. c. 1. n. 2.

Orig. in c. 6. Ioan.

II. Utilitas ad carnem subjugandam, uti Origenes indicavit, dicens: Certum est, quia ubi mors Christi animo circumfertur, non potest regnare peccatum; est enim tanta vis Crucis Christi, ut si illa ante oculos ponatur, nulla concupiscentia, nulla libido superare possit, sed continuò ad ejus præsentiam totus ille peccati & carnis fugatur exercitus. Quod confirmans Mansi, sic ait: nulli ignotum est, quòd in Hæmorrhoissa contigit miraculum, quæ post perpessum duodecim annis continuis acerbum sanguinis fluxum, qui multis medicinarum & Medicorum dispendiis haud quaquam curari potuit; tandem ad vestem Redemptoris accessit, & tetigit fimbriam vestimenti ejus. Hujus autem infirmitatis mysterium Sanctus Thomas Aquinas exponit; dicens: Patitur fluxum sanguinis, propter fluxum carnalium delectationum. Ad hunc verò fluxum sistendum, & exsiccandum, unicum & potens est remedium,

Mansi dist. 10. n. 8.

medium, si quis per seriam meditationem mortem & passionem Christi tangat, & ruminet; siquidem ut sanctus Antonius de Padua exponit: vestimentum Christi ipsius est caro, de qua Isaias c. 63. *Quare rubrum est indumentum tuum*? JESUS torcular, id est, pressuram Crucis solus sustinuit, in quo vestimentum sanguine rubricavit; Hujus vestimenti fimbria est ipsa passio, quæ animam liberat à sanguinis profluvio, contra enim carnis vitia summè valet memoria passionis Christi.

S. Bern. ep. 322. III. *Utilitas ad Dæmonem vincendum*; id quod DEUS ipse judicasse videtur, dum olim Moysi serpentem quendam æneum in palo quodam erigere, & suspendere præcepit, ut, quisquis ab ignitorum deserti serpentum morsibus sauciatus fuisset, serpentem illum firmiter respiciens à veneno contracto liberaretur. Sed omnia in figura contingebant illis. Hic namque serpens Christum in Cruce hoc fine suspensum, ut infernalis serpentis venenum aboleret, præfigurabat. Christus enim serpens erat, quia omnia peccata nostra, quorum Dæmon auctor fuerat, in se assumpserat; At verò quid tandem evenit? Christus resurrexit, at verò serpens infernalis Diabolus, ibidem confixus remansit, atque insuper increata sapientia effecit, ut, quisquis deinceps mentis suæ oculos in mysticum hunc serpentem, Christum scilicet Crucifixum elevaret, ab omni tentationis, & suggestionis pravæ veneno liber evaderet. Unde Sanctus Bernardus in Epistola quadam, ad quendam Novitiorum suorum exaratâ, scribit: Si tentationum sentis aculeos, exaltatum serpentem æneum intuere, & fuge non tam ad ubera, quàm vulnera Crucifixi. Apud Blosium quoque legitur, quòd Diabolus aliquando volens decipere, & ad nimiam pusillanimitatem, sive ad desperationem adducere Sanctam virginem Catharinam, nitebatur ei persuadere, quòd vita ipsius falsa, inutilis, & perversa esset. Illa igitur à DEI bonitate (quæ verè pœnitenti nunquam se negat) edocta, humiliter elevavit mentem suam ad misericordiam Divinam dicens: Ego apertè confiteor Creatori meo, me quotidie in tenebris fuisse, maléque vixisse, veruntamen fiducialiter latitabo in plagis Domini mei JESU Christi, & omnium iniquitatum mearum maculas pretioso sanguine ejus abluam. Post hæc verba Diabolus in fugam versus est. Sed & Surius de S. Elizeario Ariani Comite, in hæc verba scribit: Sumptâ Eucharistiâ, & sancto perunctus oleo, cùm diceretur postea: *Per sanctam crucem, & passionem tuam, libera eum Domine*, ipse eundem versum tertiò repetivit, addens: Hæc est spes mea, in hac volo mori. Ad extremum jam in agone positus, vultum præ se tulit valde terribilem, unde colligi potuit, in magno eum tunc versari labore, ob aliqua sibi objecta; Exclamavit autem dicens: Magna est Dæmonum vis, sed eam penitus enervarunt virtus, & merita sacrosanctæ passionis Christi. Post paululùm exclamavit dicens: Planè vici. De Sancta Brigitta in tenera etiamnum ætate constituta, refert idem Surius, quòd viderit Diabolum, tanquam centimanum, aut centipedem, horrendâ specie deformem; Perterritáque cucurrerit ad lectulum suum, humiliter se Christo commendans, ubi rursus ille teter spiritus ei apparens dixit: Nihil possum, nisi permittat Crucifixus. Unde meritò dixit S. Augustinus: cùm me pulsat aliqua turpis cogitatio, recurro ad vulnera Christi; cùm me reprimit caro mea, recordatione vulnerum Domini mei resurgo; cùm diabolus mihi parat insidias, fugio ad viscera misericordiæ Domini mei, & recedit à me.

Blosius in conclav. c. 1. n. 19.

Surius in vit.

S. Aug. c. 22. Man.

S. Greg. ap. Mansi disc. 6. n. 1. IV. *Utilitas ad adversitates fortiter tolerandas*; nam, si passio Christi ad memoriam revocatur, ait S. Gregorius, nihil adeo durum est, quod non æquanimiter toleretur. Unde Beatus Laurentius Justinianus salubriter monet dicens: Erigamus omnes nos, qui Domino JESU elegimus militare, mentis oculos in Crucem Domini, cùm tentamur, & leve existimabimus, quod toleramus, in comparatione illius. Sic martyres confortabantur, inquit S. Augustinus, ad omnia, quæ persecutores libuisset facere, perferenda. Sic paulisper occultatâ tremendâ potentiâ, commendabatur priùs imitanda patientia. Sic regnum, quod de hoc mundo non erat, superbum mundum, non atrocitate pugnandi, sed patiendi humilitate, vincebat. Sic illud granum multiplicandum seminabatur horribili contumeliâ, ut mirabili pullularet in gloriâ.

S. Laur. Just. c. 11. de Monast. disc.

S. August. tr. 116. in Ioan.

Mansi disc. 5. n. 2. V. *Utilitas ad virtutes addiscendas*, uti Author à Mansi citatus indicavit dicens: Horrebant homines, quicquid asperum, quicquid humile, & abjectum erat, colebant, suspiciebant, & laudabant solùm gloriam, divitias, voluptates: & ecce dum DEI Filius Crucem ascendit, dum contemptum, paupertatem & dolores amplexus est, vanissima illa Gentium dogmata omnia corruerunt; Effecit Christus, ut Mundus coleret paupertatem, humilitatem, contemptum vitæ, paupertatem, obedientiam, patientiam, castitatem.

S. Bern. s. 61. in Cant. VI. *Utilitas ad mortem feliciter obeundam*, uti facto ipso S. Bernardinus declaravit, dum in extremo mortis articulo inimico infernali, eum graviter tentanti, ejúsque vitam nihil aliud, quàm meram hypocrisin fuisse affirmanti, respondit: Probè idipsum cognosco; Scio enim, quòd nihil unquam boni præstiterim; veruntamen in Redemptoris mei Sanguinem securus confido, in eóque omnem spem meam collocatam habeo. Unde idem mellifluus Doctor in sermone quodam hosce pariter exprimit affectus: Peccavi peccatum grande, turbatur conscientia, sed non perturbabitur, quoniam vulnerum Domini recordabor: S. Catharina Senensis, quæ Passioni Dominicæ meditandæ devotissima fuit, omnes à se exaratas Epistolas, à Sanguinis JESU Christi commemoratione exordiebatur; cúmque morti proxima esset, vocem suam, quantâ potuit cum animi contentione, extulit, dicendo: Sanguis, Sanguis JESU. De eximio quodam DEI servo legisse

Vita S. Cathar. l. 3. c. 3.

legisse me memini, quòd, dum morti vicinus esset, visum ei fuerit, se coram tremendo Judicis tribunali assistere, in cujus conspectu libra adducta fuit, in cujus una lance ejus ponebantur opera, cùmque eorum conspiceret modicitatem, siquidem demerita, & ab ipso commissa peccata ex altera parte longè magis præponderabant, hoc usus est consilio, ut scilicet in alteram libræ lancem collocaret merita, passionem, & Sanguinem, à Salvatore in cruce effusum, nec non amorem, quo tempore vitæ suæ eandem Dominicam passionem meditatus fuerat: Quo facto, lanx illa, in qua merita sua simul cum Sanguine Christi trutinabantur, longè prævalens præponderavit, ipséque æternæ perditionis evasit periculum.

Blosius in conclavi c. 2.

VII. *Utilitas ad Purgatorium evitandum*; uti Christus ipse B. Henrico Susoni revelavit, dicens: anima, quæ se multis obstrinxit peccatis, poterit ipsius passionis meæ thesaurum adeò ad se adjungere, sibique applicare, ut etiam, si vel mille annis punienda sit in purgatorij locis, brevi tempore & culpam, & pœnam omnem dissolvet, ita ut absque purgatorio libera commigret in cœlum.

Mansi disc. 6. n. 4.

VIII. *Utilitas ad beatitudinem certiùs procurandam*; de qua sic discurrit Mansi: Quisnam, obsecro, primus fuit fructus, qui in conspectu totius populi Hebræi, ad acquisitionem Palæstinæ, quæ typus erat terræ promissionis cœlestis, properantis apparuit? Botrus quidam uvæ è vecte dependens: Hæc autem omnia in figura contingebant: nam, ut Taulerus de passione Redemptoris disserens ait: Botrus in vectem appensus est, ut nos de promissionis terra certos redderet, & securos. Unde & Apostolus ad Hebræos ait: *Habentes, fratres, fiduciam in introitu Sanctorum, in Sanguine Christi.* In libro Josue legitur, quòd, licet adversus civitatem Jericho irrevocabilis ultimi exterminij sententia à divina Justitia fulminata fuisset, ab hac tamen universali ruina Raab, ejusque familiam in præmium hospitalitatis, quâ populi sui electi emissos exploratores, gravi cum periculo, hospitio exceperat, eximere voluerit. Sed quonam signo Raab notari voluit, ut eo viso à devastatoribus illi parceretur? signum fuit funiculus coccineus. Hic autem funiculus coccineus, ut glossa interlinearis exponit, Sanguis est Christi; ubi enim hic sanguis Agni immaculati, pro nobis in monte Golgotha sacrificati rutilat, ibi indubitatum est pignus æternæ Salvationis: Unde Leo Magnus ex infallibili cathedra Petri stipulatam nobis offert promissionem, dicens: Secura est exspectatio promissæ beatitudinis, ubi est participatio Dominicæ passionis. Quod ipsum etiam cœlestis Sponsus confirmavit, dum Beatæ Angelæ de Fulginio dixit: O vos verè beati, & omnino benedicti! Si enim in Cruce pro meis crucifixoribus, cum lachrymis & fletu rogavi Patrem meum, & excusavi dicens: *Pater, dimitte illis, quia nesciunt, quid faciunt*; Quid pro vobis, qui mihi compassi, devoti, & consocij fuistis, dicturus sum, cùm non in cruce, sed in gloria

Bollandus 4. Jan. f. 208.

felicissimus orbem judicabo? Quos omnes hactenus recensitos fructus idem dulcis Sponsus cuidam amico suo revelavit dicens: Quisquis bonâ voluntate præditus Passionis meæ lectioni aut meditationi humiliter & studiosè, ut oportet, insistit, novem inde utilitates consequitur. *Prima est*, quòd de peccatis omnibus emundatur, & quidquid neglexit, ex meritis meis restituitur. *Secunda*, quòd ad resistendum hostibus suis ita confortatur, ut nullum ex eo triumphum referre queant; nam tametsi ipse ex infirmitate nonnunquam labitur, dexteram tamen meam suppono, ne collidatur, & pereat. *Tertia*, quòd ad bona quæque opera, diversasque virtutes peragendas vires accipit. *Quarta*, quamlibet brevi cogitatione eandem passionem meam revoluat, semper anima ejus in gratia mea renovatur. *Quinta*, quòd devotè illam commemoranti libenter ipse commoror. *Sexta*, quòd arcana mihi à DEO Patre manifestata, illi similiter aliquando pandam. *Septima*, quòd eum ante mortem mihi placentem reddam, & defunctum eum cum charis amicis meis remunerabor. *Octava*, quòd nihil eorum, quæ seriò & rationabiliter, convenientérque petit, illi negabo. *Nona*, quòd in morte illi adversùs hostes ejus assistam, & de vita æterna illum faciam certum atque securum.

Blosius in sacell. anim. c. 2. n. 4.

§. V.

ASCETICA.

I. *Inprimis nosse debet Asceta, quæ fuerit præcipua causa Passionis*; quam breviter S. Chrysostomus indicavit, dicens: Hæc prima causa est Dominicæ Passionis, quia sciri voluit, quantùm amaret hominem DEUS. In vita Sanctæ Catharinæ Senensis legitur, ipsam dicere solitam fuisse, quòd, sicut Filius DEI nos sine mensura amavit, ita quoque dolores passionis ipsius sine ulla mensura, aut modo fuerint. Eadem sancta Virgo Divo Petro Mediolanensi Carthusiano dixisse legitur, meliorem de Passione Christi institui non posse meditationem, quàm si quis seriò se ad amorem reflexerit, cum quo Christus pro nobis est passus; Id quod ipsemet Salvator eandem Virginem docuerat. Cùm enim ipsa die quodam Sponsum suum more sibi consueto amabiliter interrogâsset, quamobrem sibi post mortem latus suum aperiri, tantámque sanguinis copiam effundere voluerit, Christus eidem respondit: multas quidem hujus fuisse rationes, hanc verò esse præcipuam, ut per lateris aperturam secretum cordis sui homini manifestaretur, indéque edisceret, amorem suum erga homines majorem esse illo, quem forinsecus demonstrabat; siquidem pœna, quam deforis sustinebat, finita sit, amor verò, quo hominem diligit, sit infinitus.

S. Chrysost. S. 6. in fer. 5. Pasch.

II. *Nosse debet optimum modum colendi passionem Christi*; quem quidem breviter indicavit S. Bonaventura, dum verba illa: *Attendite & videte*; sic exponit: *Attendite*, diligenter

S. Bonav. in c. 1. Thren.

S. Bernard. a S. Bonavent. cit. a. Parasc.

genter considerando, & *videre* compatiendo. Hinc validè, teste S. Bernardo, clamavit, ut audiretur ab hominibus, clamoribus lachrymas addidit, ut homo compateretur.

Drogo de Sacr. Dom. Pass.

III. *Nosse debet, quomodo applicare sibi quisque passionem deceat*; id quod Drogo Hostiensis sic declarat: *O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, & videte, si est dolor similis, sicut dolor meus!* Attendite dolorem meum, ut in dolore meo videatis dolorem vestrum: dolor meus imago doloris vestri est; Quod attenditis in corpore meo, attendite & vos; si similis dolor non est in corde vestro, transitis à vobis ad me; transite à me in vos, & videte, si similis dolor in vobis sit, sicut dolor meus. *Nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, filiæ Jerusalem*; nam ille dolor, quem transitis, & non attenditis, magis est flendus, quàm dolor meus; *Propter scelus enim vestrum percussus sum.* Quod confirmans S. Augustinus, agnosce, inquit, homo, quantùm valeas, & quantùm debeas; & dum tantam redemptionis tuæ perspicis dignitatem, ipse tibi indicito peccandi pudorem. Id quod in alio quodam Sermone magna cum sollicitudine repetit, dum ait: Agnoscat homo, quantùm ab illo exspectet DEUS, & quem tantâ dignatione habuit charum, quàm velit esse in conversatione pretiosum; agnoscat homo, quantùm valeat, & quantùm debeat, & dum pretium suum cogitat, vilis sibi esse desinat. Profectò si quis ad curandum infirmum quendam, pro remediis inæstimabilis valoris comparandis, integrum expenderet auri millionem, facilè utique foret, indè comprehendere morbi enormitatem, & periculum. Et ideo Sanctus Bernardus ait: ex consideratione remedii, periculi mei æstimo quantitatem: nesciebam, sanus mihi videbar, & ecce mittitur virginis Filius, filius DEI Altissimi, & jubetur occidi, ut vulneribus meis pretioso sanguinis illius balsamo medeatur. Ideo signantur, juxta S. Isidorum, signo Dominicæ passionis in fronte fideles populi, ad tutelam salutis, ut hi soli ab interitu liberentur, qui cruore Dominicæ passionis corde & fronte signati sunt, qui etiam opere loquuntur. Sanctus Gregorius similiter ait: qui sanguis super utrumque postem ponitur, quando non solùm ore corporis, sed etiam ore cordis hauritur; in utroque enim poste sanguis agni est positus. Quando Sacramentum Passionis illius ore ad Redemptionem sumitur, ad imitationem quoque intenta mente cogitatur. P. Bollandus in vita B. Angelæ de Fulginio, sponsum cœlestem ab eadem sic relatum, hunc cum prædicta sponsa refert miscuisse sermonem: Dictum est mihi à Christo crucifixo mihi apparente, ut in cruce fuit pro nobis appensus: Nullus homo, nulla persona poterit habere excusationem suæ salutis, quia ad suam salutem procurandam non oportet plùs facere, nisi sicut facit infirmus medico, qui volens salutem, ostendit ei infirmitatem, & se disponit ad faciendum, quæ medicus dixit. Ita nunc non oportet, quòd aliquis plùs faciat, nec aliquod in medicinis expendat, nisi quod ostendat se medico, per peccati recognitionem & confessionem, & disponat se ad illa, quæ sibi dicit Medicus, & caveat à contrariis. Comprehendebat autem anima mea, quòd Medicina erat Sanguis Christi, & ipse sine pretio hanc dat medicinam, & non constat plùs infirmo peccatori, nisi quòd disponat se, & medicus Christus dat sibi salutem, & sanat infirmitatem. Enim verò non sufficit, quòd quis amarum Passionis calicem desideret, laudet, ejùsque virtutem sibi perspectam habeat; sed qui infirmitates suas spirituales curari desiderat, illum ut labiis suis admoveat, & exhauriat, necessum est. Observandum quoque, quòd postquam cœlestis sponsus crucis suæ mentionem fecisset dicendo: *Sub arbore malo suscitavi te, ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua*, immediatè subjunxerit: *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum*; Ubi, ut videtis, signaculum hoc non solùm cordi, sed etiam brachio imprimi desiderat; per brachium autem opera designantur. Unde S. Ambrosius ait: signaculum Christus in fronte est, signaculum in corde; in fronte, ut semper confiteamur; in corde, ut semper diligamus; signaculum in brachio, ut semper operemur. S. Augustinus super illa verba Psalmi 62. *In nomine tuo, levabo manus meas*; ita scribit: Leva manus tuas in oratione: Levavit pro nobis Dominus DEUS noster manus in cruce, & extensæ sunt manus ejus pro nobis.

S. August. s. 41 in append.

S. Isidor. in ... Lip. pom.

S. Greg. apud Mansi disc. 11. n. 2.

Blosius in conclav. c. 10. §. 7. n. 1.

IV. *Nosse debet, quomodo quisque totam Christi Passionem sibi attribuere debeat*; uti sat clarè Blosius indicavit dicens: Singula, quæ pertulit JESUS, ita considera, & recipe, quasi pro te solo illa pertulisset; neque enim ea tibi minùs prosunt, quàm si tu solus per Christum redimendus fuisses; sed & si solus redimi debuisses, ille pro te uno promptissimè, & incarnari, & pati, & mori voluisset: & confirmavit S. Chrysostomus dicens: Declarat hoc par esse, ut quisque nostrûm non minùs agat gratias DEO, quàm si ob ipsum solum advenisset; neque enim recusaturus erat, vel ob unum tantam exhibere dispensationem, adeò singulum quemque hominem pari charitatis modo diligit, quo diligit orbem universum. Sed & Salvianus: Totum, ait, se dedit universis, & singulis totum, ac per hoc quicquid passione sua Salvator præstitit, totum ei debent universi, sicut totum singuli.

S. Chrys. in c. 2. Galat.

Salvian. l. 1. ad Eccl.

Pennequin Isag. 7. 1.

V. *Nosse debet, cur Christus tam citò mori, & non diutiùs in hoc mundo vivere voluerit*, quod honorificentius illi futurum fuisse creditur; ad quod dubium respondet Salmeron, Christum Dominum in cruce, in tam supremo atque heroico gradu virtutum se omnium exhibuisse exemplar, ut major indè in DEUM gloria, & ad nos meriti, & exempli redundârit beneficium, quàm si semper una nobiscum vixisset, & nos vitæ exemplo, verbóque docuisset: præterea Christi charitatem morte tam acer-

acerbâ detectam atque manifestatam, tanti esse splendoris & efficaciæ, ut nulla vitæ etiam longissimæ merita illam æquare possint: denique mortem Crucis tantâ patientiâ à Christo toleratam, ad vitii fugam, virtutisque amorem in nobis excitandum, plus attulisse stimuli, atque momenti, quàm vita illius innocentissima, & variis virtutum luminibus & documentis referta, & multis annorum millibus nobiscum traducta, adferre potuisset. Qui doctissimi hominis sensus, ad posteros etiam literis commendatus, quantùm ad patientiæ cum charitate conjunctæ supra cœteras virtutes præstantiam faciat, nemo est, qui non videt.

§. VI.

MISCELLANEA ET CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Qualitas.

S. Thom. lect. 9. I. QUidnam, obsecro, Passioni Salvatoris nostri (de qua Psalmista ait: *Copiosa apud eum Redemptio*:) quidnam, inquam, huic deesse, poterat, ut sanctus Paulus se hunc defectum supplere, his verbis dicere non dubitarit: *Adimpleo ea, quæ desunt Passionum Christi*? *Coloss. 1. 24.* Theophilactus ait: videtur ostentatoris atque arrogantis hic sermo esse, atqui non est: Idipsum quoque Doctor Angelicus confirmat dicens: Hæc verba secundum superficiem malum possunt habere intellectum, scil. quòd Christi Passio non esset sufficiens ad Redemptionem, sed addendæ sint ad complendum, Passiones sanctorum: sed hoc est hæreticum; quia Sanguis Christi est sufficiens ad Redemptionem etiam multorum Mundorum. Ac proinde hujus textûs interpretationes variæ adducuntur: In quibus nostro proposito quàm maximè sequens deservit, scilicet quòd Passioni Christi sola desit nostra cooperatio. Unde idem S. Thomas ait: hoc deerat, quòd, sicut Christus passus erat in corpore suo, ita pateretur in Paulo membro suo, & similiter in aliis. Porrò expositio ista ex eodem Sancto Thoma (ut existimo) desumpta fuit, ait enim: sentit igitur Apostolus, se patiendo afflictiones in carne sua, quadam parte supplere ea, quæ Christo adhuc patienda supersunt, non quidem in ipso, sed in membris.

S. Gregor. in l. 1. Reg. c. 9. II. S. Gregorius ex actione Samuelis Prophetæ, Saulem speciali DEI jussu ad regnum Israëliticum eligentis, sequentem ad propositum nostrum deducit aliam moralitatem, super illa namque verba: *Dixit Samuel coquo: da partem, quam dedi tibi, & præcepi, ut reponeres seorsim apud te: levavit autem coquus armum, & posuit ante Saul, dixitque Samuel: Ecce quod remansit, pone ante te, & comede, quia de industria servatum est tibi.* Super hæc, inquam, verba ita scribit: remansit quidem, quia non omnia Christus nostra explevit; per crucem quidem suam omnes redemit, sed remansit, ut qui redimi & regnare cum eo nititur, crucifigatur. Hoc profectò residuum viderat, qui dicebat, *si compatimur, & conregnabimus*; quasi dicat, quod explevit Christus, non valet, nisi & qui id, quod remansit, adimpleat. Hinc beatus Petrus Apostolus dicit: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* Hinc Paulus ait: *adimpleo ea, quæ desunt &c.*

III. Christus Redemptor noster passionem suam exorsurus primò in hortum Gethsemani egressus fuisse legitur. *Hugo Card. apud Mansi discr. 14. n. 7.* Unde Hugo Cardinalis sequentem deducit moralitatem, inquiens: interpretatur Gethsemani torcular, quia sicut in torculari ex compressis uvis vinum exprimitur, ita in pœnitentia compressis peccatis, intus in corde per veram contritionem, vinum compunctionis exteriùs per oculos eliquatur. Unde Redemptor noster, uti existimo, per hunc in hortum Gethsemani ingressum docere nos voluit, quòd, ut Christo crucifixo compatiamur, suæque passionis reddamur participes, necessum sit, ut exemplo ipsius, si non sanguinem è venis, saltem lachrymas ab oculis in veræ pœnitentiæ signum dimanare faciamus.

IV. Narrat Servius de Hercule illo, tot monstrorum domitore, quòd adeò adamârit Jolen, ut eâ jubente clavam, & leonis exuvium deponeret, & neret, & scuticas sibi infligi ab ea pateretur. *Ibid. discr. 19. n. 8.* Fœdus amor mirabilis. Mirabilior DEI amor, qui, cùm verberum capax non esset, talem induit naturam, ut verberari posset. Deposuit clavam, & exuvium leonis, id est, divinæ Majestatis & impassibilitatis amictum, & ideo in dorso suo pertulit innumera verbera.

V. Quòd si inter nos homo aliquis reperiretur tanta ardens charitate, ut, si quando latro aliquis in flagranti crimine, cum furto in manibus deprehensus duceretur ad furcam, hic se rei vestimentis clàm induens, factúmque latrocinium sibi vendicans, honoris & propriæ vitæ suæ prodigus, pro eo liberando properaret ad patibulum, quid obsecro de tam heroica charitate diceres? *Ib. n. 5.* Hæc autem charitas, quæ in puro homine vix est imaginabilis, in Filio DEI excellentissimè emicuit. At verò in cujus beneficium eximiam hanc charitatem impendit? nimirum ad salvandam alicujus propudiosi, ingrati, sibique inobedientis & rebellis hominis, non solùm formam servi accepit, verùm insuper furtum primi hominis, id est, peccatum originale, & simul cum illo omnia alia ab humano genere commissa, & deinceps ad finem usque sæculorum committenda peccata sibi vendicavit, suisque humeris imposuit, ut pro illis per probrosam mortem suam ex toto rigore justitiæ satisfaceret.

VI. An unquam reperibilis esset Medicus quispiam adeò charitativus, qui, ut eidem ad subeundas medicinas animum adderet, pro salute talis infirmi semetipsum omnibus ferri incisionibus, adustionibus, rigidis diætis, potionúmque amaritudinibus, imò & ipsimet morti, cum acerbissimis doloribus conjun- *Ibid. n. 6.*

ctæ subjiceret. Hoc autem præstitit proto-Medicus Cœlestis, qui de se ipso ait: *non est opus valentibus medicus, sed malè habentibus.* Sanctus Bernardus salutarem unicuique Christiano tradit doctrinam, quæ tanquam potens peccati frænum seriam meretur considerationem; ait enim: agnosce, ô homo, quàm gravia sunt vulnera, pro quibus necesse est Christum Dominum vulnerari.

Phil. Hartunk Dom. 1. Quadr. § 8. VII. Dilectam animam alloquitur Cœlestis Sponsus, Cant. 8. vers. 6. *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum*, in Chaldæo verba prædicta sic habent: obsecro te, *pone nos sicut sculpturam annuli super brachium tuum.* En! quantum divini amoris sit desiderium, ut perpetuo nobis versetur in memoria, & signaculum seu sculptura vulnerum ejus, in cogitatione, & opere nostro elucescat.

Ibid. VIII. Vidit Apocalyptica Aquila ante Thronum Regis gloriæ quatuor animalia, plena oculis antè & retrò. Apoc. 4. v. 6. quæ animalia cùm sint eadem, quæ Ezechiel vidit c. 1. v. 6. meritò quæritur, quare apud Ezechielem videantur sine oculis, apud Joannem verò oculis plena? Nimirum Ezechieli apparuit Christus in gloria & Majestate, Joanni verò exhibuit se crucifixum, Agnum stantem tanquam occisum, & ideò animalia hîc plena oculis; desiderat enim quàm maximè Christus Passionem suam omnium obversari oculis, & in vegetâ semper memoriâ conversari. Nec unus sufficit oculus, una, inquam, de passione cogitatio atque recordatio, ut copiosior ex Passione illius in nos fructus redundet; *Super lapidem unum septem oculi sunt, ego celabo sculpturam ejus, inquit* Dominus Zachariæ 3. v. 9. celatus iste lapis Christus est, quem Pater flagris, spinis, clavis, lanceâ celavit: *Ego celabo sculpturam ejus*, sive ut in Syro & Arabico legitur: *Ego aperiam portas ejus.* Portæ corporis & cordis, fuerunt plagæ & vulnera, quæ ideo aperiuntur, ut quàm oculatissimè inspiciamus, & cum dolorum multitudinem, tum amoris magnitudinem penitissimè contemplemur: Per oculos septem, oculi omnium intelliguntur, ex mente Chrysostomi, qui utiliùs occupari non possunt, quàm accuratâ Passionis Dominicæ inspectione.

Æquitas.

Pennequin p. 1. lag. c. 16. n. 13. IX. Rogavit aliquando Cyrus Rex Persarum virum Principem, quem cum conjuge captivum tenebat, quid pro conjugis libertate daturus esset; vitam inquit ille. Hanc deinde captivitate exemptam liber etiam Maritus rogavit, quid ipsi de Cyri pulchritudine videretur; ego, inquit, in Cyrum oculos non conjeci; sed in illum, qui pro me in libertatem asserendâ vitam se daturum, est protestatus. Si tantùm potuit, ad animum mulieris captivæ devinciendum, unica, & quidem verbo facta de morte pro ipsius libertate subeunda protestatio, quid non faciet mors ipsa, à DEO pro hominibus sceleratis amantissimè obita?

Utilitas.

X. Nota est omnibus illa Sirenarum fabula, quæ dulcibus & blandis cantibus suis, navigantes in cantando efficiebant, ut iidem dulci quodam somno absorpti, voracitatis earum præda efficerentur; Ulysses autem obturatis cerâ auriculis ad navis malum ligari se fecit, ut periculum istud evaderet: Ex qua fabula S. Maximus opportunam proposito nostro moralitatem deducit inquiens: Si ergo de Ulysse illo refert fabula, quòd eum arboris religatio de periculo liberavit, quantò magìs prædicandum est, quod verè factum est, hoc est, quòd hodie omne genus hominum de mortis periculo Crucis arbor eripuit? ex quo enim Christus Dominus religatus in Cruce est, ex eo non mundi illecebrosa discrimina, velut clausâ aure transimus, nec cursum melioris vitæ deflectimus in scopulos voluptatis. *Mansi disc. 5. n. 7.*

XI. In libris Machabæorum dicitur: *Elephantis ostenderunt sanguinem uvæ, & mori, ad accendendos eos in prælium.* Ratio autem, cur feris illis sanguineũ hunc colorem ob oculos posuerint, ab insigni quodam authore his verbis tangitur: Multarum gentium opinione constat, pugnaces feras intuitu rerum rubrarum irritari. Sanctus Antoninus, postquam supradictum Epistolæ S. Petri textum citâsset, subjungit: In hujus figuram mandavit Antiochus Rex Elephantibus, qui erant in bello, ostenderetur sanguis uvæ & mori, ut acriùs accenderentur ad prælium; similiter ad aspectum, & considerationem Sanguinis Christi, qui ad modum uvæ dicitur calcatus in torculari Crucis, bellantes contra adversitates, & mundi tentationes, carnis, & diaboli, accenduntur ad resistendum & bellandum. *S. Anton. p. 4. tit. 3. c. 5. § 4.*

XII. Cùm demeteretur ager Booz (qui symbolum est Carnificinæ Martyrum, qui, ut granarium cœleste adimpleretur, persecutionis ferro rescissi fuerunt) Ruth, Ecclesiam præfiguranti, sequens datum fuit salutare consilium: *Intinge buccellam tuam in aceto.* Per hoc autem acetum præfiguratur acetum felle mixtum, quod in monte Calvario Christo propinatum fuit; hoc enim innumeros fideles in cunctis sæculis suis in adversitatibus, vel persecutionibus confortavit, restauravit, erexit: quis enim non ad humilitatem, ad patientiam, ad amorem accendatur (verba sunt exhortatoria Joannis Tauleri) ubi advertit, quàm humiliter Dominus Dominorum, qui judicaturus est vivos & mortuos, coram vili astiterit homuncione, condemnandus ab eodem, tantáque cum patientia omnem illam injuriam, probra, confusionem, contemptum, & ignominiam perpessus sit? Et tamen nos miseri vix verbulum amore DEI ferre valemus. Tu doles te ab amicis, parentibus, filiis, cunctisque aliis esse de- *Taulerus de vit. & pass. c. 10.*

relictum

relictum ac desolatum? Ipsemet Salvator ab ipsis quoque Apostolis derelictus fuit (*omnes relicto eo fugerunt*) imò Christus de proprio suo Patre æterno lamentatur, dicens: *Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? consolantem me quæsivi, & non inveni.* Unde meritò sanctus Antoninus in hæc verba scribit: Qui intra se ipsum fluctuat, adversitate pressus, ut ad meliora consurgat, & boni operis gressum in veritate figat, Christum passum ante mentis oculos ponat.

Lyran. in cit. loc. XIII. In lib. 4. Reg. c. 4. sequens exprimitur figura, dicit enim sacer Textus; *Erat autem fames in terrâ, & filii Prophetarum habitabant coram Eliseo, dixitque uni de pueris suis: Pone ollam grandem, & coque pulmentum filiis Prophetarum: & egressus est unus in agrum, ut colligeret herbas agrestes, & collegit colocynthidas agri, & reversus concidit in ollam pulmenti: nesciebat enim quid esset. Infuderunt ergo sociis ut comederent, cúmque gustassent de coctione, clamaverunt, dicentes: Mors in olla, vir Dei; & non potuerunt comedere. Tunc Eliseus farinam sibi afferri jussit, quæ ollæ immixta, non solùm amaritudinem, à pulmento sustulit, sed eximio illud sapore imbuit.* Lyranus per hosce Prophetarum filios Religiosos intelligit austerè viventes; Hi enim non solùm in mensa, verùm etiam in vestitu, in habitatione, & in conversatione magnam sensualitatis amaritudinem experiuntur. Ut igitur hæc omnia libenter, imò & hilariter sufferant, hâc opus est farinâ, id est, frumento electorum ab ipsis per seriam quandam meditationem contrito: unde Dionysius Carthusianus ait: studeamus dulcorare admiscendo farinam, id est, Dominicæ Passionis acerbitatem, quæ si rectè pensetur, omnis afflictio mitigatur.

S. Bonav. c. 1. stimil. amor. XIV. In Parabolis Salomonis DEUS ita loquitur: *Beatus homo, qui vigilat ad fores meas quotidie, & observat ad postes ostij mei.* Et quidem certissimum est, per hasce fores aliud intelligi non posse, præterquam Christi sacratissima vulnera; Ac proinde advertendum, S. Joannem non sine mysterio in Evangelio suo in hæc verba scripsisse: *Unus militum lanceâ latus eius aperuit:* Non dicit, vulneravit, percussit, sed aperuit, quasi enim latus eius sauciando, quandam aperuit cælestis Paradisi portam, intra quam beatitudinem, & vitam immortalem invenit, teste sapiente, qui ait: *Qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet salutem à Domino.* Meritò igitur Doctor Seraphicus exclamabat, dicens: O cæcitas filiorum Adæ, qui per hæc vulnera in Christum nesciunt introire! supra suas vires laborant in vanum, & aperta sunt ostia ad quietem. An ignoratis, quod Christus est gaudium beatorum? Cur tardatis per sui corporis foramina in illud gaudium introire? Beatitudo Angelorum patet, paries eius confractus est, & vos introire negligitis?

Mansi disc. 2. n. 11. XV. Paulus de Palatio opportunè quærit, cur eo tempore, quo Salvator in transfiguratione suâ in monte Thabor peractâ, quoddam Mundo gloriæ suæ specimen & præludium exhibuit, & Pater cælestis eum dilectum suum filium esse declaravit, Moyses & Elias apparantes, de acerbissimis Passionis suæ tormentis, in monte Calvariæ sustinendis, inter se differere cœperint? Et respondet, id hoc præcipuè factum fuisse mysterio, ut omnibus fidelibus hoc perhiberetur documentum, scilicet quòd nemo poterit in gloria esse, nisi de Christi morte fuerit locutus; in fide enim sanguinis Christi, saltem inplicitâ, omnes salvantur, qui cælo fruentur.

XVI. Quæstio est, quamnam diem incarnata & increata sapientia inter omnes totius septimanæ dies pro consummanda amara passione sua specialiter selegerit? Nimirum inter omnes septem dies, qui sua à variis Planetis sortiuntur nomina, solum sibi elegit diem Veneris, qui à Venere sortitus est nomen, quæ, ut Poëtæ fabulantur, lascivi amoris Dea & præses existit; Hoc autem eo præcipuè mysterio fecit, ut per excessivam cruciatuum suorum pœnalitatem, veneream specialiter in humano genere aboleret concupiscentiam. Unde sanctus Bernardus alio in loco de Christo crucifixo ait; Et hæc intuens, qui dicitur Christianus, propriis nihilominus voluptatibus indulgere, nullatenus erubescit? *S. Bern. in declam.*

XVII. S. Paschasius ingeniosè inquirit: cur corona spinea è vertice capitis Christi nunquam fuerit sublata, cùm tamen vestimenta eius, & arundo, sæpius ab ipso ablata fuerint: Et respondet: Idcirco ab Evangelista corona spinea non retracta, neque deposita dicitur, quia consumpta à capite JESU peccata, ut jam non sint spinæ, rectè creduntur. Sustulit enim ea super venerabile caput suum, & abstulit à nobis, ut non sint, ac consumpsit. *S. Paschas. in Matth.*

XVIII. DEUS olim Hebræis præcepit, ut occisi Agni sanguine portarum suarum limina tingerent, ut hanc tincturam videns exterminator Angelus, domus illas, omnibus incolis illæsis manentibus, pertransiret. At verò quid opus erat, ut postes domorum hoc tingerentur sanguine? Num fortè sine hoc signo Angelus domus reas ab innocentibus discernere non potuisset? Respondeo, potuisset utique; At verò DEUS in hoc præcepto certum quoddam innuere volebat mysterium, videlicet, quòd signati Sanguine Unigeniti Filii DEI, in monte Calvariæ sacrificati, evasuri simus omnem divinæ indignationis rigorem, Deóque plenariè reconciliandi. Unde Divus Chrysostomus super illa verba Exodi: videbo sanguinem, & transibo, nec erit in vobis plaga disperdens; ita scribit; vides, quòd sine sanguine salus esse non poterat, neque iis, qui per id tempus, neque iis, qui in novissimis temporibus extiterunt. Quantò igitur magis & efficacius hunc effectum operabitur, non jam figura, sed ipsummet figuratum, quòd continuò sine ulla intermissione in quotidiano Missæ sacrificio sanguinem suum in emolumentum nostrum effundere non cessat? Unde sanctus Leo ait: Nunc carnalium sacrificiorum varietate cessante, omnes differentias hostiarum, una Corporis & Sanguinis sui implet oblatio; quoniam tu es verus *Agnus DEI, qui tollis peccata mundi.* Confitea- *S. Chrysost. in cat. Lip. S. Leo S. 8. de pass.*

teamur igitur, quòd beatus Magister gentium Paulus Apostolus gloriosâ voce confessus est, dicens: *Fidelis sermo, & omni acceptione dignus, quia Christus JESUS venit in hunc Mundum, peccatores salvos facere.* Hinc enim mirabilior est erga nos misericordia DEI, quòd non pro justis, neque pro sanctis, sed pro iniquis & impiis Christus mortuus est.

Mansi disc. 12. n. 8. XIX. Deus olim in expugnatione urbis Hai Josue præcepit dicens: *Leva clypeum, qui in manu tua est, contra urbem Hai.* At verò quid opus erat dicere: *qui in manu tua est*, Quis unquam scutum in alia corporis parte, quàm in manu portari vidit? sufficiebat igitur dixisse: *Leva clypeum*, absque eo, quòd adderetur. *Qui in manu tua est*; Lyranus in moralitate huius loci dubium hoc resolvit inquiens: Clypeus iste est memoria Dominicæ Passionis: si verò clypeus iste constanter teneatur in manu bonæ operationis, debellatur insultus carnis, vel fomitis, ideo dicit postea: *Josue verò non contraxit, &c.*

Ibid. disc. 18. n. 2. XX. Porrò ad exprimendum nobis vivaciter immensum erga nos Redemptoris amorem in Passione sua exhibitum, nihil adeò opportunè in medium adduci potest, quàm Pellicani exemplum, quamvis nec hoc, ut audietis, integram cum amore Christi habeat proportionem, licet Christus per os Psalmistæ prædixerit: *Similis factus sum Pellicano solitudinis*: Etenim quia Pellicanus in terra nidum suum construit, frequenter pullos eius à serpentibus lethaliter morderi contingit; Quo facto Pellicanus, velut expertus quidam medicus, rostri sui cuspide venas pullorum, à malignitate veneni illius infectas, aperit, & postquam mortui sunt, sua quoque eâdem cuspide aperit viscera, suúmque super illos sanguinem copiosè effundens, eosdem revivificat, cùm tamen ipse ex inflicto sibi vulnere moriatur. Et quidem tametsi hic dilectionis affectus in Pellicano magnoperè sit æstimandus, cum charitate tamen Christi adæquatè comparari nequit, quia Pellicanus moriens sanguinis sui balsamo pullos vivificat, vitámque illorum quasi reduplicat, quia semper filii eius manserunt. At verò Filius DEI post donatam nobis vitam corporalem, & æternam, nos jam non filios suos, sed filios iræ factos, & inimicos suos, proprio suo nos sanguine revivificat. Eramus naturâ filii iræ, Deus autem, qui dives est in misericordia, propter nimiam charitatem suam, quâ dilexit nos, & cùm essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo (*cujus gratiâ estis salvati*) & conresuscitavit, & consedere fecit in cælestibus in Christo JESU. Cùm enim antiquus ille coluber per evomitum super nos peccati venenum, nos irreparabiliter æternæ mortis constituisset reos, ipse suum pro nobis effundens copiosissimũ sanguinem, nos revivificavit, licèt jam non filii eius, sed inimici & persecutores ipsius essemus. Quis autem reperiri poterit, tam superexcessivo amoris affectu dementatus aut fascinatus, ut sponte mori eligat, ad hoc, ut morte suâ illis ipsis vitam donet, qui sine causa, incredibili cum impietate, & ingratitudine detestabili ipsum actualiter trucidarunt, ipsóque sint redempti sanguine, quem fuderunt.

Cooperatio.

XXI. Clemens IV. ad Jacobum Arragoniæ Regem sequens monitum transmisit, quando hic se itineri ad terram sanctam recuperandam accinxit, nihili faciens, quòd Berengarium, quocum scandalosum & impudicum habebat commercium, nequaquam desereret: Ita enim dictus Pontifex loquitur: *Tuæ serenitatis literas recepimus, inter alia continentes, quòd ad transfretandum in Terræ sanctæ subsidium pro vindicanda Crucifixi injuriâ te disponere proponebas &c. Quod licèt cum gaudio recepimus, scire tamen te volumus, quòd illius obsequium crucifixus non recipit, qui incestuoso contubernio se commaculans, in seipso eum iterum crucifigit.* Et in progressu ejusdem responsi subnectit: *Complacere non poteris Crucifixo, nec injurias ejus redimere, si alterius injurijs ipse nolueris abstinere.* *Raynald. ann. 1161. n. 31.*

XXII. Quo in pretio Heraclius Imperator sanctam Crucem habuerit, ex stipulatis cum Rege Persarum Capitulationibus facilè colligitur: Etenim harum prima hæc fuit, ut inæstimabilis ille restitueretur Crucis thesaurus, tametsi idem ab eodem barbaro Rege summo quoque in pretio & honore haberetur. Et tamen, quia sacram hanc reliquiam in montem Calvariæ portaturus, Crucifixi humilitatem & abjectionem minimè fuit imitatus, utpote chlamyde imperiali pretiosissimâ amictus, ideo hoc accidit miraculum, quòd scilicet dictus Imperator ne pedem quidem movere potuerit, donec simplicibus & pauperculis pannis indutus, pedibus discalceatis, ad dictum Calvariæ montem procederet. *Mansi disc. 12. n. 6.*

Imitatio.

XXIII. Vana est compassio, si desit Patientis imitatio. Passus pro nobis Deus Homo est, non ut corde solo recogitemus dolores ejus, & vulnera, sed ut sequamur ejus vestigia. Acriter sensit David, quòd in fuga sua, cùm nudis pedibus ascenderet clivum Olivarum, secutus non fuerit Miphiboseth Regis comensalis; quare acerbis eum verbis Rex perstrinxit: *quare non venisti mecum Miphiboseth*? Reg. 19. quasi dicat: fidelis ad mensam comes es, cur non & fugæ exiliique socius? si umbra convivii; cur non & umbra convitii? si consors felicitatis, cur non & contribulis in tribulatione? *quare non venisti mecum Miphiboseth*? Claudus erat Miphiboseth, & sequi Regem commodè non poterat, quòd tamen secutus vel claudo pede non fuerit, fortunis suis excidit: quantò ægriùs sentiet filius David ter benedictus JESUS, si imitari patientem nolimus, qui socii mensæ, & gloriæ ejus fieri participes affectamus? *Hartunck Conc. civil. in Dom. Quad.*

PA-

TITVLVS LIV.

PATIENTIA.

§. I.

EX SS. PATRIBUS

Qualitas.

S. Hieron. in c. 5. Eph. I.  Hristianorum propria virtus, etiam in his, quæ adversa putantur, gratias agere Creatori. Juxta Apostolum, hæc virtus est maxima, ut in ipsis periculis, atque miserijs gratiæ DEO referantur, & semper dicamus: Benedictus DEUS, minora me scio sustinere, quàm merear; hic animus Christiani est.

Massi. dist. 19. tr. 68. n. 6. II. Si vis probare, qui sunt in Ecclesia DEI granum, vel palea, adhibe oris indicem, id est, perfla aliqua convitia; si steterit, granum est; si palea, recedit in altum; & quantò minor & levior, tantò magìs in altum ascendit, id est, magìs movetur, & superbè respondet.

S. August. l. 1. de civit. III. Manet dissimilitudo passorum, etiam in similitudine passionum; & licet sub eodem tormento, non est tamen idem virtus & vitium. Nam sicut sub uno igne aurum rutilat, & palea fumat, & sub eadem tribula stipulæ comminuuntur, frumenta purgantur; nec ideo oleum cum amurca confunditur, quia eodem præli pondere exprimitur. Ita una, eadémque vis irruens bonos probat, purificat, obliquat: malos vastat, damnat, & exterminat; unde in eadem afflictione mali DEUM detestantur, atque blasphemant: boni autem precantur, & laudant; tantùm interest, non qualia, sed qualis quisque patiatur. Nam pari motu exagitatum, & exhalat horribiliter cœnum, & fragrat suaviter unguentum.

S. Bernar. dus epist. 31. IV. Sanctis & electis tribulatio operatur patientiam, patientia probationem, probatio verò spem, spes autem non confundit. Sic damnandis & reprobis tribulatio parit è contrario pusillanimitatem, pusillanimitas perturbationem, perturbatio desperationem, & illa interimit. Ne ergo hæc te tam horrenda, quod DEUS avertat, demergat tempestas aquæ &c.

Cassian. collat. 18. c. 13. V. Non esset laudabilis, nec admiranda patientia, si nullis inimicorum jaculis impetita, tranquillitatis propositum retineret, sed in eo est præclara, atque gloriosior, quòd irruentibus in se tentationum procellis, immobilis perseverat; Nam in quo vexari, frangíque adversitatibus creditur, in eo potiùs roboratur, & in eo magis acuitur, in quo putatur obtundi; à passionibus enim & sustentatione patientiam dici, nullus ignorat; ideóque constat, patientem neminem pronunciari posse, nisi eum, qui universa, quæ sibi fuerint irrogata, absque indignatione toleraverit.

Necessitas.

VI. Nullus perfectus est, qui inter proximorum mala patiens non est; qui enim aliena mala æquanimiter non tolerat, ipse sibi per impatientiam testis est, quia à boni plenitudine longè distat. S. Gregor. l. 10 mor. c. 19.

VII. Idcircò possessio animæ in virtute patientiæ ponitur, quia radix omnium, custósque virtutum, patientia est. Per patientiam verò possidemus animas nostras, quia cùm nobis ipsis dominari discimus, hoc ipsum incipimus possidere, quod sumus. Sic enim conditi mirabiliter sumus, ut ratio animam, & anima possideat corpus; Jus verò animæ à corporis possessione repellitur, si non priùs anima à ratione possidetur. Custodem igitur conditionis vestræ patientiam Dominus monstravit, qui in ipsa nos possidere nosmetipsos docuit. Ven. Beda to. 7. hom. 6.

VIII. Terra bona fructum per patientiam reddit, quia scilicet nulla sunt bona, quæ agimus, si non æquanimiter proximorum mala toleramus. Quantò enim quisque altiùs profecerit, tantò in Mundo invenit, quòd duriùs portet, quia cùm præsentis sæculi mentis nostræ dilectio deficit, ejusdem sæculi adversitas crescit. Hinc est enim, quòd plerósque cernimus bona agere, & tamen sub gravi tribulationum fasce desudare; terrena námque desideria fugiunt, & tamen flagellis gravioribus fatigantur; sed juxta vocem Domini fructus per patientiam reddunt, quia nimis humiliter flagella suscipiunt, sic uva calcibus tunditur, & in vini saporem liquatur; sic oliva contritionibus expressa, amaritudinem suam deserit, & in olei liquorem pinguescit; sic per trituram areæ à paleis grana separantur, & ad horreum purgata perveniunt. S. Bernardinus to. 3. ser. 6. art. 3. c. 4.

Æquitas.

IX. Patientia tolerabiliora reddit præsentis vitæ incommoda, quia adversitas, quando cum impatientia est, triplex incommodum dat. Extrinsecùs homo affligitur, & intrinsecus per impatientiam amaricatur, & insuper mala conscientia rodit mentem, pro reatu culpæ. S. Bonav. l. 2. de perf. Rel. c. 35.

X. Dominus ait: *In patientia vestra possidebitis animas vestras*; Non ait, villas vestras, laudes vestras, luxurias vestras, sed animas vestras. Si ergo tanta suffert anima, ut possideat, unde S. August. lib. de patiens. c.

unde pereat, quanta debet sufferre, ne pereat? Deinde ut illud dicam, quod culpabile non est; Si tanta suffert pro salute carnis suæ, inter manus secantium sive urentium medicorum, quanta debet sufferre inter furores quorumlibet inimicorum, cùm Medici, ne corpus moriatur, per pœnas corpori consulant, inimici autem pœnas & mortem corporis comminando, ut anima & corpus in gehenna excidatur, impellant, quanquam & ipsi corpori tunc providentiùs consulatur, si temporalis salus pro justitia contemnatur, & pœna vel mors ejus patientissimè pro justitia sufferatur.

S. Isidorus lib. de synonym. XI. Ordinata est DEI providentia, quæ prius per flagella homines hîc emendat, & pòst eos ab æterno supplicio liberat, nequaquam enim delinquentibus parcit DEUS, quoniam peccatorem aut hîc ad emendationem ferit, aut in æterno judicio æternaliter puniendum relinquit.

S. Cyprianus in lib. de bono patient. XII. Invenimus Patriarchas & Prophetas, & justos omnes, qui figuram Christi imagine præeunte portabant, nihil magis custodiisse in laude virtutum suarum, quàm quòd patientiam forti & stabili æquanimitate tenuerunt. Tot Prophetæ interfecti, tot Martyres gloriosis mortibus honorati, omnes ad cœlestes coronas patientiæ laude venerunt.

Utilitas.

Blosius in Sacel. animæ c. 12. XIII. Nihil unquam quantumvis parvum pro DEI honore patimur, quin longè nobis sit utilius, quàm si totius mundi dominio potiremur. Quamlibet enim exiguum sit, quod ad DEI perpetimur gloriam, pro illo tamen non minùs DEUS retribuet nobis, restituétque quàm seipsum.

Bellovac. spec. mor. l. 1. dist. 38. XIV. Patientia est mercatrix prudentissima, quæ mirabiliter, & copiosè magnis meritis animam locupletat, nec mirum; quia multam & magnam invenit in mundo materiam spirituales divitias acquirendi, omnes adversitates, tribulationes, desolationes, injurias & contumelias. Item fames, sitis, æstus, frigora, infirmitates, & mors, sunt nobis materia merendi, & merita cumulandi.

S. Chrysost. epist. 7. XV. Hanc naturam habet patientia, ut eam nec arma mota, nec instructi exercitus, nec adhibita tormenta, nec arcus, nec lanceæ emissæ, nec ipsum Dæmonum agmen, nec terrificæ adversariarum potestatum phalanges, nec denique Diabolus ipse cum omnibus copijs suis, machinisque in aciem prodiens, detrimento ullo afficere possit.

Dignitas.

S. Valer. lib. de bono constant. pat. XVI. Duplex patientiam manet victoria, hominem vicisse proprios animorum motus, & temperâsse motus alienos.

S. Bonav. in Diat. tit. 7. c. 7. XVII. Homo patiens Rex dicitur, quia habet regale dominium in omnibus, nam patienti serviunt omnia, quæ alijs sunt nociva, ut sterilitas agrorum, quæ implet sibi cellarium; Hostes fabricant sibi coronam; vepres parant ei medicinam; Mors aperit sibi carcerem ad evadendum miserias; Ignis, qui domos incendit alijs, sibi confert pabulum, vel constituit in cœlis palatium, & sic verificatur illud Apostoli: *Scimus, quoniam diligentibus DEUM omnia cooperantur in bonum.*

S. Greg. hom. 35. in Evang. XVIII. Joannes nequaquam Martyrio vitam finivit, sed tamen Martyr extitit, quia passionem, quam non suscepit in corpore, servavit in mente; & nos ergo, hoc exemplo, sine ferro esse possumus Martyres, si patientiam veraciter in animo custodimus.

S. Maxim. hom. de S. Michael. XIX. Hæc nostræ Christianitatis summa est, ut amantibus vicissitudinem, lædentibus patientiam rependamus; qui ergo fuerit patientior ad injuriam, potentior constituetur in regno.

Hugo Car. XX. Non respondeas, tanquam surdus; colligit enim in sinu patientiæ contumelias, quasi lapides pretiosos, quibus ornabitur corona sua, de qua sancta canit Ecclesia: *Corona aurea super caput ejus, expressa signo sanctitatis, gloriâ honoris, & opus fortitudinis.*

S. Chrys. hom. 33. in epist. 1. ad Corinth. XXI. Etsi miracula facias, & mortuos excites, & quidvis agas, nunquàm te adeò admirabuntur gentes, ut, quando te viderint moribus mitibus, placidis, & jucundis.

S. Zen. ser. de patient. XXII. Rerum omnium regina patientia; Scio, quia libentius in tuis moribus, tuis fundamentis, tuisq; consiliis, quàm in alienis, nudisq; sermonibus conquiescis, néque tantam in multiplicandis virtutibus laudem ponis, quantam in finiendis. Tu virginitati præstas, ne flos ejus ullo morbo, ullo tempore defloreſcat. Tu variarum semper in tempestatum crebris turbinibus constituta, fidissimus miserandæ viduitatis es portus. Tu sanctissimo conjugali jugo rudi cervice subeuntis innisum laboris, vel amoris æqualem retinaculis blandis, quasi quidam peritus auriga componis. Tu amicitiam, idem velle, atque idem nolle docuisti. Tu servituti unica ac fortissima consolatio sæpè libertatem paris. Tu paupertati præstas, ut habeat totum, sui contenta, cùm sustinet totum. Tu Prophetas provexisti; Christo tu Apostolos glutinâsti; Tu quotidiana martyrum mater es, & corona. Tu murus fidei, fructus spei, amica charitatis.

S. Bonav. ser. 3. de Apost. XXIII. Patientia sola est omnium virtutum probativa, quia dicit Gregorius: Qualis unusquisque apud se lateat, illata contumelia probat.

Jucunditas.

S. Cypr. de bono patient. XXIV. Nec sudantibus & laborantibus possunt alia magis, quàm patientiæ subvenire solatia.

Blosius in sacel. animæ c. 11. n. 4. XXV. Prorsus ei, qui se DEO perfectè resignavit, afflictio dulcis est, quia in DEO, per quem illa ipsi evenit, conditur, & divina fit, & DEIformis. Cùm talis nihil quærat, nihil diligat, nec quicquam illi sapiat, nisi DEUS, ita hunc in amaris atque contrarijs

trariis capit, sicut in summa dulcedine; Neque enim fieri potest, ut aliquis pro DEI gloria quicquam sustineat, quin in eo saporem quendam Divinitatis percipiat.

Bellov. spec. mor. l. 1. dist. 22. XXVI. Amara facit dulcia, aspera suavia, gravia levia, patientes enim ad modum piscium marinorum inundationes maris quasi lac sugunt: ut legitur 33. Deuter.

Did. Nyss. in Phanic. l. 7. c. 4. XXVII. Si jejunamus, perinde exultemus, ac si in luxu versaremur; si contumelias accipimus, non secùs tripudiemus; ac si laudes nostræ prædicarentur. Si corpus abstinentiâ emaciamus, si carnem cilicio ticuramus, abstinentiam & cilicium tanta voluntate ferre debemus, quanta voluptate perfunderemur, si gratissimis lautitiis vesceremur, aut vestiremur bysso, & indueremur purpurâ. Si famæ nostræ macula inuritur, si existimatio nostra probrorum vel conviciorum tenebris obnubitur, ea tam avidis auribus excipere debemus, quàm admitteremus verba Ciceronis, nos in publico theatro pro frequenti concione magnificè dilaudantis, & in cœlum efferentis. Hæc enim enim est sincerissima tolerantia, hæc integerrima patientia, si non æquanimiter tantùm, sed etiam lætanter, & summa cum voluptate feramus ærumnas omnes, & adversitates, & sic gaudeamus pœnis in inculta ignominiarum eremo, ac si essent gloriæ in amœno, & delitioso applausus horto.

Ibidem. XXIX. Si sponsam dulcis sponsus invitat ad pœnas, ad amaritudines, ac gelidam persecutionum hyemem, quomodo dicit, ut ad amœnam horti stationem, & suavem ejus temperiem, apricámque mansionem veniat? *Veni in hortum meum.* Respondet Gilbertus: Quòd sponsa invitata fuit ad hortum, & quòd vocata ad tolerandas passiones, hæc idem sunt. Quòd illi propinatus calix pænarum, perinde est, ac si ad gloriam vocata fuisset. Quòd illi persecutiones oblatæ, tantundem est, quantùm quòd invitata fuit ad hortum. Nam qui sunt maximè sinceri servi DEI, qui illius patiendi veram, integerrimámque cupiditatem imitari protsùm student, non solùm magna voluntate excipiunt labores, & ferunt persecutiones, sed etiam inter virentia horti amœna versari æstimant, cùm adversa tolerant, eodemque loco habent subjacere infirmitatibus, & morari in gratis viridarii deliciis. Itaque sponsa, dum in craticula erat, & inter aculeatas probrorum spinas, non secùs ac intra viridantes arbores degebat, amaráque myrrha illi nectare, vel sacch aro dulcior erat.

Ibidem. XXX. Hoc absque dubio docere voluit cœlestis Magister, quando nos exhortatus fuit ad excipiendam humeris nostris Crucem Evangelicam, ita inquiens: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me*, Luc. 9. v. 31. Doctus Pater Didacus Stella pressit ista: *Tollat crucem suam*; & sic dicit: Expende, quòd non dicit, ferat, sed tollat. Ponit differentiam Basilius inter ferre crucem, & tollere, quia ferre crucem, est labores à DEO delatos vel æquo, vel iniquo animo ferre; sed tollere, est animo læto, & avido non solùm accipere, sed rapere crucem libenter & gratanter. Qui ergo monuit crucem tollere, voluit, ut eam amanter & benevolenter amplecteremur, & avidis manibus cupidè raperemus, promptisque humeris, & sereno vultu exciperemus, hoc enim est inclytissimum, insignitissimúmque, & maximè heroicum patientiæ facinus, rapere crucem libenter & gratanter. Id nobis consulit acerrimus noster defensor, & illustris pugil in sua Catholica Epistola, dicens: *Omne gaudium existimate, fratres mei, cùm in varias tentationes incideritis.* Jacobi 1. v. 2. velut dixisset: Hanc supremam animi voluptatem reputate, cùm tentationibus vexari contigerit, cùm ærumnarum pro DEI honore tolerandarum occasiones sese obtulerint. Gilbertus serm 32. in Cant. monet advertere, quod Apostolus non dixit: omnem: omnem patientiam existimate, sed omne gaudium, Quamobrem istud? quia minus est, quod dolore excluditur, quàm quod lætitiâ suadetur, inquit venerabilis ille Pater. Patientia in adversis, fugat ex animo Christiani, & excludit dolorem & cruciatum, quem tormenta, persecutiones, calumniæ illi adferre possunt: Verùm ad eum modum non videtur homo pervenire in illam celsitudinem gaudii & exultationis inter ærumnarum tolerantiam. Dicit ergo nunc Apostolus, cùm in plures diversásque miserias prolapsi fueritis omne gaudium existimate, quia non solùm volo vos patientes, sed etiam hilares & lætabundos, quia opto vobis, quod præcipuum, quod præstantissimum patientia habere potest, ut non solùm volentes, verùm etiam gaudentes feratis ærumnas.

§. II.

EXEMPLA SACRA.

I. IN prato spirituali de quadam nobilissimæ prosapiæ, raræque pulchritudinis fœmina legitur, quòd, cùm adeo facta fuisset leprosa, ut omnibus eam aspicientibus horrori esset, cunctis de familia sua aliisque cognatis ipsam deplorantibus, sola ipsa hilaris & jucunda manebat; cúmque Episcopus quidam oculis lacrymas ex compassione manantibus, ipsam consolationis causâ accessisset, mulier hæc per evidentia internæ hilaritatis signa omnem à Prælato illo novit depellere tristitiam, dicendo: Cur hoc in me donum & specialem gratiam, quam dilectus meus Christus JESUS mihi præstitit, admiraris? Dic sodes, si aliquis tali cum conditione carceri esset inclusus, ut inde egredi nunquam posset, donec carceris muri & parietes è fundamentis corruerent; in hunc verò carcerem condemnatus videret, quòd prædicti muri paulatim corruerent, & totalem minarentur rui- Mansi dist. 1. n. 4.

unde pereat, quanta debet sufferre, ne pereat? Deinde ut illud dicam, quod culpabile non est; Si tanta suffert pro salute carnis suæ, inter manus secantium sivè urentium medicorum, quanta debet sufferre inter furores quorumlibet inimicorum, cùm Medici, ne corpus moriatur, per pœnas corpori consulant, inimici autem pœnas & mortem corporis comminando, ut anima & corpus in gehenna excidatur, impellant, quanquam & ipsi corpori tunc providentiùs consulatur, si temporalis salus pro justitia contemnatur, & pœna vel mors ejus patientissimè pro justitia sufferatur.

S. Isidorus lib. de synonym. XI. Ordinata est DEI providentia, quæ prius per flagella homines hîc emendat, & pòst eos ab æterno supplicio liberat, nequaquam enim delinquentibus parcit DEUS, quoniam peccatorem aut hîc ad emendationem ferit, aut in æterno judicio æternaliter puniendum relinquit.

S. Cyprian. in lib. de bono patient. XII. Invenimus Patriarchas & Prophetas, & justos omnes, qui figuram Christi imagine præeunte portabant, nihil magìs custodisse in laude virtutum suarum, quàm quòd patientiam forti & stabili æquanimitate tenuerunt. Tot Prophetæ interfecti, tot Martyres gloriosis mortibus honorati, omnes ad cœlestes coronas patientiæ laude venerunt.

Utilitas.

Blosius in Sacel. animæ c. 12. XIII. Nihil unquam quantumvis parvum pro DEI honore patimur, quin longè nobis sit utilius, quàm si totius mundi dominio potiremur. Quamlibet enim exiguum sit, quod ad DEI perpetimur gloriam, pro illo tamen non minùs DEUS retribuet nobis, restituétque quàm seipsum.

Bellovac. spec. mor. l. 1. dist. 28. XIV. Patientia est mercatrix prudentissima, quæ mirabiliter, & copiosè magnis meritis animam locupletat, nec mirum; quia multam & magnam invenit in mundo materiam spirituales divitias acquirendi, omnes adversitates, tribulationes, desolationes, injurias & contumelias. Item fames, sitis, æstus, frigora, infirmitates, & mors, sunt nobis materia merendi, & merita cumulandi.

S. Chrysost. epist. 7. XV. Hanc naturam habet patientia, ut eam nec arma mota, nec instructi exercitus, nec adhibita tormenta, nec arcus, nec lanceæ emissæ, nec ipsum Dœmonum agmen, nec terrificæ adversariarum potestatum phalanges, nec denique Diabolus ipse cum omnibus copijs suis, machinisque in aciem prodiens, detrimento ullo afficere possit.

Dignitas.

S. Valer. lib. de bono conserv. pac. XVI. Duplex patientiam manet victoria, hominem vicisse proprios animorum motus, & temperâsse motus alienos.

S. Bonav. in Diat. tit. 7. c. 7. XVII. Homo patiens Rex dicitur, quia habet regale dominium in omnibus, nam patienti serviunt omnia, quæ alijs sunt nociva, ut sterilitas agorum, quæ implet sibi cellarium; Hostes fabricant sibi coronam; vepres parant ei medicinam; Mors aperit sibi carcerem ad evadendum miserias; Ignis, qui domos incendit alijs, sibi confert pabulum, vel constituit in cœlis palatium, & sic verificatur illud Apostoli: *Scimus, quoniam diligentibus DEUM omnia cooperantur in bonum.*

S. Greg. hom. 11. in Evang. XVIII. Joannes nequaquam Martyrio vitam finivit, sed tamen Martyr extitit, quia passionem, quam non suscepit in corpore, servavit in mente; & nos ergo, hoc exemplo, sine ferro esse possumus Martyres, si patientiam veraciter in animo custodimus.

S. Maxim. hom. de S. Michael. XIX. Hæc nostræ Christianitatis summa est, ut amantibus vicissitudinem, lædentibus patientiam rependamus; qui ergo fuerit patientior ad injuriam, potentior constituetur in regno.

Hugo Car. XX. Non respondeas, tanquam surdus; colligit enim in sinu patientiæ contumelias, quasi lapides pretiosos, quibus ornabitur corona sua, de qua sancta canit Ecclesia: *Corona aurea super caput ejus, expressa signo sanctitatis, gloriâ honoris, & opus fortitudinis.*

S. Chrys. hom. 33. in epist. 1. ad Corinth. XXI. Etsi miracula facias, & mortuos excites, & quidvis agas, nunquàm te adeò admirabuntur gentes, ut, quando te viderint moribus mitibus, placidis, & jucundis.

S. Zeno ser. de patient. XXII. Rerum omnium regina patientia; Scio, quia libentius in tuis moribus, tuis fundamentis, tuisq; consiliis, quàm in alienis, nudisq; sermonibus conquiescis, néque tantam in multiplicandis virtutibus laudem ponis, quantam in finiendis. Tu virginitati præstas, ne flos ejus ullo morbo, ullo tempore defloreseat. Tu variarum semper in tempestatum crebris turbinibus constituta, fidissimus miserandæ viduitatis es portus. Tu sanctissimo conjugali jugo rudi cervice subeuntis innisum laboris, vel amoris æqualem retinaculis blandis, quasi quidam peritus auriga componis. Tu amicitiam, idem velle, atque idem nolle docuisti. Tu servituti unica ac fortissima consolatio sæpè libertatem paris. Tu paupertati præstas, ut habeat totum, sui contenta, cùm sustinet totum. Tu Prophetas provexisti; Christo tu Apostolos glutinâsti; Tu quotidiana martyrum mater es, & corona. Tu murus fidei, fructus spei, amica charitatis.

S. Bonav. ser. 3. de Apost. XXIII. Patientia sola est omnium virtutum probativa, quia dicit Gregorius: Qualis unusquisque apud se lateat, illata contumelia probat.

Iucunditas.

S. Cypr. de bono patient. XXIV. Nec sudantibus & laborantibus possunt alia magìs, quàm patientiæ subvenire solatia.

Blosius in sacel. anim. c. 11. n. 4. XXV. Prorsus ei, qui se DEO perfectè resignavit, afflictio dulcis est, quia in DEO, per quem illa ipsi evenit, conditur, & divina fit, & DEIformis. Cùm talis nihil quærat, nihil diligat, nec quicquam illi sapiat, nisi DEUS, ita hunc in amaris atque contrarijs

traris capit, ficut in fumma dulcedine; Neque enim fieri poteft, ut aliquis pro DEI gloria quicquam fuftineat, quin in eo faporem quendam Divinitatis percipiat.

Belov, ser. mor. l.1. dift. 18. XXVI. Amara facit dulcia, afpera fuavia, gravia levia, patientes enim ad modum pifcium marinorum inundationes maris quafi lac fugunt: ut legitur 33. Deuter.

Did. Nyff. in Phanic. l.7. c.4. XXVII. Si jejunamus, perinde exultemus, ac fi in luxu verfaremur; fi contumelias accipimus, non fecùs tripudiemus; ac fi laudes noftræ prædicarentur. Si corpus abftinentiâ emaciamus, fi carnem cilicio cicuramus, abftinentiam & cilicium tanta voluntate ferre debemus, quanta voluptate perfunderemur, fi gratiffimis lautitiis vefceremur, aut veftiremur byffo, & indueremur purpurâ. Si famæ noftræ macula inuritur, fi exiftimatio noftra probrorum vel convitiorum tenebris obnubitur, ea tam avidis auribus excipere debemus, quàm admitteremus verba Ciceronis, nos in publico theatro pro frequenti concione magnificè dilaudantis, & in cœlum efferentis. Hæc enim enim eft finceriffima tolerantia, hæc integerrima patientia, fi non æquanimiter tantùm, fed etiam lætanter. & fumma cum voluptate feramus ærumnas omnes, & adverfitates, & fic gaudeamus pœnis in inculta ignominiarum eremo, ac fi effent gloriæ in amœno, & delitiofo applaufus horto.

Ibidem. XXIX. Si fponfam dulcis fponfus invitat ad pœnas, ad amaritudines, ac gelidam perfecutionum hyemem, quomodo dicit, ut ad amœnam horti ftationem, & fuavem ejus temperiem, apricámque manfionem veniat? *Veni in hortum meum*. Refpondet Gilbertus: Quòd fponfa invitata fuit ad hortum, & quòd vocata ad tolerandas paffiones, hæc idem funt. Quòd illi propinatus calix pœnarum, perinde eft, ac fi ad gloriam vocata fuiffet. Quòd illi perfecutiones oblatæ, tantundem eft, quantùm quòd invitata fuit ad hortum. Nam qui funt maximè finceri ferv. DEI, qui illius patiendi veram, integerrimámque cupiditatem imitari protsùm ftudent, non folùm magna voluntate excipiunt labores, & ferunt perfecutiones, fed etiam inter virentia horti amœna verfari æftimant, cùm adverfa tolerant, eodemque loco habent fubjacere infirmitatibus, & mori in gratis viridarii deliciis. Itaque fponfa, dum in craticula erat, & inter aculeatas probrorum fpinas, non fecùs ac intra viridantes arbores degebat, amaráque myrrha illi nectare, vel facharo dulcior erat.

Ibidem. XXX. Hoc abfque dubio docere voluit cœleftis Magifter, quando nos exhortatus fuit ad excipiendam humeris noftris Crucem Evangelicam, ita inquiens: *Qui vult venire poft me, abneget femetipfum, & tollat crucem fuam, & fequatur me*, Luc. 9. v. 32. Doctus Pater Didacus Stella preffit ifta: *Tollat crucem fuam*; & fic dicit: Expende, quòd non dicit, ferat, fed tollat. Ponit differentiam Bafilius inter ferre crucem, & tollere, quia ferre crucem, eft labores à DEO delatos vel æquo, vel iniquo animo ferre; fed tollere, eft animo læto, & avido non folùm accipere, fed rapere crucem libenter & gratanter. Qui ergo monuit crucem tollere, voluit, ut eam amanter & benevolenter amplecteremur, & avidis manibus cupidè raperemus, promptisque humeris, & fereno vultu exciperemus, hoc enim eft inclytiffimum, infignitiffimúmque, & maximè heroicum patientiæ facinus, rapere crucem libenter & gratanter. Id nobis confulit acerrimus nofter defenfor, & illuftris pugil in fua Catholica Epiftola, dicens: *Omne gaudium exiftimate, fratres mei, cùm in varias tentationes incideritis*. Jacobi 1. v. 2. velut dixiffet: Hanc fupremam animi voluptatem reputate, cùm tentationibus vexari contigerit, cùm ærumnarum pro DEI honore tolerandarum occafiones fefe obtulerint. Gilbertus ferm 32. in Cant. monet advertere, quod Apoftolus non dixit: omnem: omnem patientiam exiftimate, fed omne gaudium. Quamobrem iftud? quia minus eft, quod dolore excluditur, quàm quod lætitiâ fuadetur, inquit venerabilis ille Pater. Patientia in adverfis, fugat ex animo Chriftiani, & excludit dolorem & cruciatum, quem tormenta, perfecutiones, calumniæ illi adferre poffunt: Verùm ad eum modum non videtur homo pervenire in illam celfitudinem gaudii & exultationis inter ærumnarum tolerantiam. Dicit ergo nunc Apoftolus, cùm in plures diverfásque miferias prolapfi fueritis, omne gaudium exiftimate, quia non folùm volo vos patientes, fed etiam hilares & lætabundos, quia opto vobis, quòd præcipuum, quod præftantiffimum patientia habere poteft, ut non folùm volentes, verùm etiam gaudentes feratis ærumnas.

§. II.

EXEMPLA SACRA.

I. IN prato fpirituali de quadam nobiliffimæ profapiæ, raræque pulchritudinis fœmina legitur, quòd, cùm adeò facta fuiffet leprofa, ut omnibus eam afpicientibus horrori effet, cunctis de familia fua aliifque cognatis ipfam deplorantibus, fola ipfa hilaris & jucunda manebat; cúmque Epifcopus quidam oculis lacrymas ex compaffione manantibus, ipfam confolationis causâ acceffiffet, mulier hæc per evidentia internæ hilaritatis figna omnem à Prælato illo novit depellere triftitiam, dicendo: Cur hoc in me donum & fpecialem gratiam, quam dilectus meus Chriftus JESUS mihi præftitit, admiraris? Dic fodes, fi aliquis tali cum conditione carceri effet inclufus, ut inde egredi nunquam poffet, donec carceris muri & parietes è fundamentis corruerent; in hunc verò carcerem condemnatus videret, quòd prædicti muri paulatim corruerent, & totalem minarentur Manf. difc. 12. n. 4.

rui-

ruinam pro ejus liberatione, nunquid meritò talis lætificaretur? Ita quoque anima Christiana in mortalis corporis carcere constituta videns corporis sui vitam & salutem paulatim terminari, seque ex captivitate carnis mortalis brevi liberandum esse, justam habet causam lætandi.

Io. Rho. l. 6. c. 4. n. 5.

II. P. Joannes Rho de inclyta DEI ancilla Ursula Benincasa Virgine Neapolitana sequentia scribit: Quàm acres & vehementes sint calculi dolores ut neminem experimento scire velim, ita unum aliquem esse, qui non aliquando audierit, non opinor; itémque neminem tam duræ atque horridæ virtutis, qui laborantibus, sin minùs clamores atque ejulatus, quales plerumque viris etiam fortibus expressit doloris immanitas, gemitum tamen aliquem, aut saltem levem vocis significationem, non permittat. Vix igitur credi posset, nisi post mortem secto corpore id factum fuisset palàm, prægrandem calculum eam tamdiu cruciâsse, quamdiu quotidianis dolorum incrementis, ad eam evaserit magnitudinem; quos illa dolores adeò dissimulavit, ut nemo querentem, nemo leviter ingemiscentem audierit, nemo, ut verbo dicam, sciverit. Quantùm hic licuit patientiæ, quæ sibi ex illo calculo super Erythræas gemmas illustriorem coronam efformavit?

S. Chrysost. ho. 20. ad Popul.

III. Constantinus M. licet reportârit in tot bellis & præliis diversos & gloriosos triumphos, D. Chrysostomus tamen majoris facit aliam quandam per ipsum obtentam victoriam longè celebriorem, magisque gloriosam; Nam in homilia quadam ad populum suum Antiochenum de præfato Imperatore ita scribit: Fertur B. Constantinus, effigie suâ quandoque lapidatâ, multis ipsum instigantibus, ad supplicium de Authoribus contumeliæ sumendum, & dicentibus, quòd omnes ipsius faciē saxis convulnerârint, manu faciē palpans, & leniter ridens dixisse: Ego verò nusquam vulnus in fronte factum video, sed sanum quidem caput, sana verò & facies tota. Illi verò reveriti, & confusi ab hoc iniquo destitêre consilio, & hoc verbum hactenus canunt omnes, nec tantùm temporis labefecit, aut hujus sapientiæ memoriam extinxit. Queis non sit hoc trophæis splendidius? Multas urbes ille condidit, & multos barbaros superavit, sed ne minimus illorum nihil, hoc autem verbū usque in præsentem diem canitur, & posteri nostri, & posteri illorum, omnes idipsum audient.

Rob. l. 6. c. 3. n. 17.

IV. De Joanne Sanctio, supra citatus Rho sic scribit: Hominem, quem Avilæ disciplina lucris animarum maximè intentum reddiderat, quùm, quod illi proprium erat, è lupanari ad pœnitentiæ castra mulierculam eo transfugio servandam perduceret, obviàm factus amator impurus, rabiéque, quam libidinis asse clam esse scimus, percitus, convitijs oneratum in ipso foro luce palàm colapho verberat. Sed stetit immota Sacerdoti patientia, quæ senio robustior humi posito genu, genam alteram verberanti obtulit. Nulla re magis frangitur ira, quàm patientiâ; Accidit, qui injuriam fecerat, Sanctio ad genua, & verissimis perfusus lacrymis veniam, pacémque precatus, geminæ perturbationi, libidini, atque iræ, quarum utraque est impotentissima, ab unâ venerandi senis patientia sensit sibi factam esse medicinam.

S. Greg. P. 1. dial. c. 8.

V. Quadam die Abbas Monasterij Fundensis contra venerabilem virum Libertinum exarsit gravi iracundiâ, ita ut eum manibus cæderet. Et quia virgam, quâ eum ferire posset, minimè invenit, comprehenso scabello faciem ei, ac caput tutudit, totúmque illius vultum tumentem ac lividum reddidit. Qui vehementer cæsus ad stratum proprium tacitus recessit. Die verò alterâ erat pro utilitate Monasterij causa constituta. Expletis igitur hymnis Matutinalibus, Libertinus ad lectum Abbatis venit, orationem sibi humiliter petijt. Sciens verò ille, quantùm à cunctis honoraretur, quantúmque diligeretur, pro injuria, quam ei ingesserat, recedere eum à Monasterio velle putabat, atque requisivit, dicens: Ubi vis ire? cui ille respondit: Monasterij constituta est causa, Pater, quam declinare nequeo, quia hesterno die me hodie iturum promisi, illuc ire disposui. Tunc ille à fundo cordis considerans asperitatem & duritiem suam, humilitatem atque mansuetudinem Libertini, ex lecto prosilijt, pedes Libertini tenuit, se peccâsse, séque reum esse testatus, qui tanto talíque viro tam crudelem facere contumeliam præsumsisset. At contra Libertinus sese in terram prosternens, ejúsque pedibus provolutus, suæ culpæ, non illius sævitiæ fuisse referebat, quod pertulerat. Sicque actum est, ut ad magnam mansuetudinem perduceretur Pater, & humilitas discipuli magistra fieret magistri. Cúmque pro utilitate Monasterij ad constitutionem causæ egressus fuisset, multi viri noti, ac nobiles, qui eum valde honorabant, vehementer admirati, solliciti requirebant, quidnam hoc esset, quòd tam tumentem ac luridam haberet faciem. Quibus ille dicebat: hesterno die serò, peccatis meis exigentibus, in scabello suppedaneo impegi, atque hoc pertuli. Sicque vir sanctus servans in pectore honorem veritatis, & Magistri, nec Patris prodebat vitium, nec falsitatis incurrebat peccatum.

Io. Cassianus coll. 19. c. 1.

VI. Cassianus de Juvenis cujusdam patientia sic scribit: Post dies admodùm paucos, majoris doctrinæ desiderio pertrahente, rursus ad Abbatis Pauli cœnobium summa spiritûs alacritate perreximus: Ubi licet plùsquàm ducentorum fratrum numerus moraretur, in honore tamen solennitatis, quæ id temporis agebatur, infinita quoque de alijs cœnobijs Monachorum turba confluxerat. Nam prioris Abbatis, qui eidem Cœnobio præfuerat, anniversaria depositio solenniter curabatur. Cujus conventûs idcircò facimus mentionem, ut patientiam cujusdam fratris, quæ sub præsentia totius Congregationis hujus immobili ejus claruit lenitate, breviter perstringamus. Nam licet aliò ejus operis tendat intentio, ut scilicet Abbatis Joannis, qui derelictâ eremo, illi se cœnobio summa humilitate subdiderat, proferamus eloquia: Nequaquam

quam tamen putamus absurdum, si absque ulla circuitione verborum, magna, ut credimus, studiosis virtutum quibusque ædificatio conferatur. In ingenti itaque atrio subdiali, illâ multitudine Monachorum per duodenarium numerum distinctis orbibus considente, cùm quidam fratrum susceptum ferculum paulò tardiùs intulisset, occasione istius tarditatis, prædictus Abbas Paulus, qui inter turbas ministrantium fratrum discurrebat, exertâ manu palmâ eum sub omnium percussit intuitu, ita ut sonitus etiam adversorum, vel longiùs considentium auribus resultaret: Hoc autem ab eo factum est idcircò, ut cunctis, qui aderant, patientiam juvenis patefaceret, & omnes, qui interfuissent tali spectaculo, modestiæ erudirentur exemplo. Quàm maturo autem senior fecerit consilio, res probavit. Nam memorabilis patientiæ juvenis tanta id animi benignitate suscepit, ut non modò nullus fuerit ex ejus ore sermo prolapsus, vel tenuissimum murmur tacitâ labiorum agitatione signatum; sed ne ipsa quidem oris modestia, atque tranquillitas, aut color saltem quantulumcunque mutatus.

Utilitas.

Manss. disc. 14. n. 2. VII. Quidam frater quæsivit ab Abbate Isaac, quare Dæmones eum tantùm timerent? Respondit: ex quo factus sum Monachus, statui apud me, ne impatientiæ, vel iracundiæ verbum extra guttur meum exiret.

Possevinus in Isagog. l. 1. c. 10. VIII. Evocatus est aliquando P. Balthazar Alvarez ad Monialem Carmelitanam cum suprema ægritudine colluctantem, ivit ipse, licèt febri tertianâ laboraret, & cum ægra agens, vires illi defecêre, vel potiùs, ut astantium Sanctimonialium quædam opinatæ sunt, mens illi in arcanorum cognitionem, quasi à sensibus abalienata, rapta fuit, quod facies ejus ad instar Seraphini ardore cœlesti succensa, testari videbatur; Is ergo ad se reversus dixit, Deum illi Moniali magnam in cœlo apparâsse gloriam, quâ paulò post potiretur, & octo mensibus, quos cum morbo conflictans patienter exegerat; plus accumulâsse meriti, quàm nonnullæ aliæ benè sanæ pluribus annis congregassent: ita patientia amori conjuncta, & in hac vita cæteris virtutibus quæstuosior est; & in altera apud Judicem ad coronam & præmium illustrior & fructuosior.

Ibidem. IX. Joannes Avila Sacerdoti morbo laboranti per literas respondit, ne inspiciat, quid agere posset, si sanus esset, sed quomodo in illa sua ægritudine plurimùm placere possit Deo: In quo bonorum nostrorum summa consistit: utque jumentum molam versatilem oculis clausis circumagens, & à molæ centro nunquam sejunctum, per diem integrum bonæ farinæ plurimum molit, ita patiens animus voluntati divinæ, tanquam centro suo per amorem semper inhærens, mirum, quantos faciat in virtute progressus, quantúmque mercedis pro altera vita exaggeret. Unde satis mirari non possum, querulas animas, quæ quasi per morbi occasionem ab omni spe promovendæ DEI gloriæ deciderint, non tam de ægritudine, ejúsque incommodis conqueruntur, quàm istam jacturam sentire sibi videntur, quasi DEUS earum egeret operâ, & de utilioribus operariis providere sibi non posset: vel potiùs quasi ipsæ pro operariis preces fundendo, & in eum finem molestias doloréśque DEO offerendo, plùs ad lucrum animarum, divinæque gloriæ augmentum momenti adferre non possent, quàm dum in similes querelas abeunt, & à pacifica morbi tolerantiâ, per inutilia desideria, non sine amoris divini dispendio, miserabiliter divagantur.

X. P. Rho de Duce Giojosa, qui Religionem Capucinorum professus fuit, aliud æternâ memoriâ dignum narrat exemplum, quod verissimum esse confirmat, patientiæ virtutem ejus esse energiæ, ut fidem nostram Christiano-Catholicam verissimam, & à DEO esse, firmiter omnibus persuadeat. Ait enim: Franciscus Giojosæus ex Duce tota Gallia celeberrimi nominis, jam Christi pauper Capucinorum disciplinam secutus, pedes de more cùm peregrinaretur; divertit ad pagi Dominum, clientem olim suum; Homo hæreticus, ut adesse Cappuccinos intellexit, jussit internuncio famulo, ut abirent in malam crucem, atque illicò facesserent, vix ab eodem famulo summis precibus impetratum est, ut clam Domino, quietis atque incœnatis in stabulo nocte illa esse liceret, & jucundissimè illi quidem noctem traduxêre, illius charitate & recordatione, quæ Christum DEUM in stabulo nasci voluit, móxque albente cœlo abiêre. Haud multùm confecerant viæ, cùm Franciscus idoneum nactus hominem, Dynastæ denuntiare jubet, Jojosæum Ducem pro hospitio gratias agere. Perculit hominem inopina denuntiatio, admissóque equo DEI servum assecutus, ad pedes desiliens, & genua amplectens, dum officii atque humanitatis excusat errorem, fidei exuit, nam ab Jojosæo leniter increpitus, admonitúsque, ut Christi Domini humilitatem, ac paupertatem in illius servis agnosceret, meliorem mentem induit, pro omnibus disputationibus, omnibúsque argumentis fuit incredibilis illa sui despicientia. *Rho l. 6. c. 1. n. 4.*

XI. Vir quidam probus per integrum laboraverat triennium simul cum sene quodam, qui totum laboris lucrum pro vino in potum suum expendebat, hic autem tametsi vix haberet, unde famem suam sicco pane compesceret, semper laborabat; cúmque quasi nudus factus esset, eidem discedere volenti Angelus Domini apparuit, eique dixit: Patientiam habe, quia die sequenti in cœlum mecum conscendes, de qua promissione vir ille patiens assecuratus, seniori dixit: Non discedas hinc alicubi, quoniam advenient hodiè mei tollere me; cùm hora facta fuisset, quâ solebat desidere ad vicum, dixit fratri: Non venient hodiè fili, jam enim tardè est. Et ille dixit ei modis omnibus, quia venient, & cùm lo- *Vit. SS. PP. l. 5. libell. 6. n. 14.*

loqueretur cum eo, dormivit in pace ; Senex autem flebat dicens : Heu me fili, quia multis annis sub negligentia vivo, tu autem parvo tempore salvâsti animam tuam per patientiam, & ex illo die factus est senex sobrius & probatus.

Ibidem. XII. Idem Author ulteriùs progreditur, aliud narrando exemplum de quodam, qui sancto cuidam Eremitæ inserviebat ; hic enim quicquid invenire poterat, maximè de rebus comestibilibus, hoc totum clàm & absconditè rapiebat ; dissimulabat idipsum servus DEI, at verò longo tempore magnam coactus est pati famem. Cùm autem mori cœpisset senex ille, circumsteterunt eum fratres, & respiciens in eum, qui furabatur, dixit ei : Junge te huc ad me, & tenuit, & osculatus est manus dicens : gratias ago istis manibus, quia propter istas vado in regnum cœlorum. Unde vides, quòd pro cœlesti gloria, quæ Protomartyri crudelem adeò lapidationem constitit, Laurentio ignitam craticulam, Ignatio leones, & tot aliis sanctis Martyribus horrenda supplicia, bonus hic senex aliud nihil expendit, quàm solum patientiæ continuum exercitium. Hæc ei sola fuit, per quam conscendit in paradisum, potuítque post adeò pœnosam famem verè dicere : *Satiabor, cùm apparuerit gloria tua.*

Mansi disc. 7. n. 2. XIII. Annales Ecclesiastici ex responso quodam S. Ludovici Regis Franciæ evidenter ostendunt, quantò majus sit lucrum, quod per patientiam acquiritur, omni eo, quod ex omnibus aliis actionibus heroicis comparatur. Cùm enim hic Rex ex Ægypto & Asia, ubi belli illius, quod ad Dei gloriam, & totius Christianismi commune beneficium adorsus fuerat, infaustum sortitus fuerat exitum, innumerásque ærumnas sustinuerat, reversus fuisset, in familiari sermone cum Henrico Rege Anglorum de initis à se periculis, ac de toleratis ad proferendam ad divinam gloriã in Asia & Ægypto laboribus loquebatur dicens Si omnia mihi evenerunt adversa, grates tibi refero Altissime ; reversus ad me ipsum, & ad cor meum regressus, & ingressus, plùs gaudeo de patientia, quam mihi Dominus per sui gratiam concessit, quàm si totus mundus subderetur.

Surius in in vit. tom. 1. XIV. Caupo quidã civitatis Alexandriæ multis injuriis & contumeliis affecerat juvenẽ quendam, Joanni Eleemosynario Patriarchæ Alexandrino sanguine conjunctum. Juvenis apud Episcopum graviter conqueritur. Episcopus fingens, etiam se commoveri, ut juvenis animum mitigaret ; Itanè, inquit, ausus fuit te vel verbo violare ? Faciam in eo rem, quam tota Alexandria mirabitur. Moxque vocato ad se vestigalium Magistro, jubet, ut nihil ampliùs vestigalis, aut aliquod aliud Ecclesiæ debitum ab illo caupone exigat : sed immunem illum ab omni solutione, quæ quidem ipsi, vel Ecclesiæ ejus deberetur, relinquat. Hoc videlicet ejus factum tota Alexandria mirata est : caupóque non solùm à maledictis cessavit ; sed omni Episcopum & juvenem cognatum officio coluit.

XV. Cùm S. Martinus Turonensis Episcopus Diœceses visitaret, in rhedam fiscalem per aggerem publicum venientem, militantibúsque refertam viris incidit. Sed ubi Martinum in veste hispida, nigro & pendulo palliolo circumtectum, contigua de latere jumenta viderunt, paululùm in partem alteram pavefacta cesserunt. Deinde funibus implicatis, protensos illos, quibus misera illa animalia conglobantur, ordines miscuerunt : dúmque ægrè expediuntur, moram fecêre properantibus. Quâ permoti injuriâ militantes, præcipitatis in terram saltibus se dederunt : Deinde Martinum flagris ac fustibus urgere cœperunt : cùm quidem ille mutus, & incredibili patientiâ terga præbens cædentibus, majorem insaniam infelicibus commoveret, ex hoc magis furentes, quòd ille quasi non sentiens verbera illata contemneret. Comites illicò eum consecuti (aliqua enim necessitate remorati fuerunt) fœdè cruentum, atque universa corporis parte laniatum, cùm exanimis in terram procubuisset, invenerunt : statimque eum asello suo imposuerunt, ac locum cædis illius execrantes, raptim abire properaverunt. Interea illi regressi ad rhedam suam, furore satiato, agi, quò ire cœperant, jumenta præcipiunt. Quæ cùm omnia solo fixa, ac si ænea riguissent, tollentibus altiùs vocem Magistris, flagris hinc atque indè resonantibus, nihil penitus movebantur. Consurgunt deinde omnes pariter in verbera, consumit Gallicas multorum pœna mastigias : tota rapitur sylva de proximo, trabibus jumenta truduntur : sed nihil penitùs sævæ manus agebant, uno eodemque loco stabant fixa simulacra. Quid agerent infelices homines, nesciebant ; nec jam ultrà dissimulare poterant, quin quamlibet brutis pecoribus, agnoscerent, divino numine se teneri. Tandem ergo in sese reversi, cœperunt quærere, quis ille esset, quem in eodem loco paululùm ante cæcidissent. Cùm percunctantes cognoscunt ex viantibus, Martinum à se tam crudeliter verberatum. Tum verò apparere omnibus causa manifesta, nec ignorare jam poterant, quin ob viri illius injuriam tenerentur. Igitur omnes eum rapidis consequuntur passibus, conscii audacis facti, ac merito pudore confusi, flentes, & pulvere, quo se ipsi fœdaverant, capita, atque ora conspersi, ante Martini se genua provolvunt, veniam precantes, &, ut eos abire sineret, postulantes : satis se vel solâ conscientiâ dedisse pœnarum, satisque intellexisse quòd eosdem ipsos vivos absorbere terra potuisset, vel ipsi potiùs, amissis sensibus, in immobilem saxorum naturam rigescere debuissent, sicut affixa locis, quibus steterant, jumenta vidissent. Orare se, atque obsecrare, ut indulgeret sceleri veniam, & copiam præstaret abeundi. Senserat enim, priusquam accurrerent, vir beatus, illos teneri, suisque comitibus id ante jam dixerat. Veruntamẽ clementer indulsit, eosdémque abire permisit, animalibus restitutis.

Sulpitius in vita l. 2. c. 4.

XVI.

Pratum spirit. c. 1. XVI. Duò Senes Monachi cum uno fratre iter agentes, & errantes de via, inter sata inventi sunt, & aliqua de satis volentes nolentésque pedibus conculcaverant. Quod cùm vidisset Agricola, (erat enim in agro operans) cœpit contra illos multa maledicta proferre, cùm iracundia dicens: Vos Monachi estis? vos DEUM timetis? Si timorem DEI ante oculos vestros habuissetis, profectò hoc non fecissetis: Tunc ait unus senior sociis suis: Per Dominum, nullus ei respondeat. Conversúsque ad illum dixit: Rectè dixisti, fili mi. Ille rursum furens, contumelijs impetebat eos. Rursúmque dixit senior ad illum: Vera prosequeris, fili; Nam si veri Monachi essemus, istud non fecissemus: Sed per Dominum indulge nobis, quoniam peccavimus. Stupefactus ille ad tantam senis humilitatem, accessit propiùs, prostravítque se ad pedes senis, dicens: Peccavi, indulge mihi, & per Dominum assume me vobiscum. Rustius ergò secutos illos, accepit habitum.

Mansi discr. 9. n. 9. XVII. Accidit eo tempore, ut disputatio solemnis deberet cum Hæreticis ventilari, ad quam cùm Episcopus loci cum multa se pompa præpararet iturum, dixit ad eum Præco Christi: Non sic, mi Domine Pater, non sic est contra filios superbiæ procedendum, humilitatis ac patientiæ, Religionis, aliisque virtutum exemplis convincendi sunt veritatis adversarii, non fastu elationis, & ostentatione gloriæ sæcularis. Discalceati contra Goliath procedamus. Assentit Episcopus; discalceati sunt omnes; cúmque de via dubitarent, obviam habuerunt Hæreticum, quem Catholicum existimabant, qui eos ad locum recto itinere, ut spoponderat, non perduxit, sed ad nemus quoddam perfidus malitiosè seduxit; ubi inter vepres & spinas pedes eorum vulnerati sunt, & crura sanguine respersa. Tum pugil DEI, cùm omni patientia sustinens, & in jucundam DEI laudem prorumpens, ad collaudandum, & sustinendum cum patientia omnes hortatus est dicens: Confidite in Domino charissimi, quia de cœlo vos manet triumphus, jam enim peccata vestra sanguine expiantur. Cernens malignus ille miram eorum, & lætam patientiam, optimisque sermonibus Sancti compunctus, malitiam confessus, hæresin abjuravit; venientibus autem ad locum rectis corde orta est lætitia, perversis verò confusio & tristitia.

Ibid. discr. 10. n. 3. XVIII. Contigit, ut quidam puerulus in schola, Fulbertus nomine, à socio suo tabulâ percussus ad mortem usque perductus sit. Appropinquante exitu istius, vir Domini fortè sopori deditus lectulo incubabat, cùm ecce vidit in somnis ipsius animam à corpore sublatam angelico ministerio ad cœlum deferri, se quoque miro & ineffabili ministerio, DEO disponente, pariter comitari, cúmque cœli secreta penetrâssent, pueri præfati animam in quandam purpuream mansionem conspexit introduci, & inter agmina Martyrum collocari: Ibique ei datum est agnovisse, quòd, quia ipse puer vulnus sibi illatum satis patienter, & animam fratris usque ad mortem diligens, pro percussore suo nimium benignè intercessit, patientiam & benignitatem ejus DEUS divina remunerante pietate, inter Martyrum choros deputatus sit.

XIX. Dominico Anadono Ord. Prædic. ad Valentini Cœnobii fores excubanti de more, mendicabuli habitu pannosus lacera in veste Satanas se obtulit; ac stipem infimis precibus instituit eblandiri. Anadonus & suopte ingenio in pauperes facilis, & importunis precibus impulsus, quan quàm consuetæ liberalitatis horâ jam abierat, jusculi patinam tamen dedit. Hic verò proprius bonorum hostis, patinam ipsam in os benefici sen s adeò violenter est jaculatus, ut annis ac laboribus in becillum humi affligeret quidem, sed tamen victoriam, quam eâ petebat injuriâ, non reportaret; nam Anadoni patientia contumeliam dissimulantis, superbissimam belluam in fugam egit. Beatè cum religiosis domibus ageretur, si ea præ foribus virtus pervigil excubaret. Rho. l. 6. c. 13. n. 3.

XX. Bellovacensis de S. Antonio refert; quòd, cùm Dœmones verberâssent B. Antonium usque ad mortem, & ipse immobilis perseveraret in bono proposito suo, DEUM invocans, lux emissa à DEO dœmones fugavit, Antonium sanavit, JESUM Christum sibi assistentem ei demonstravit, cui Antonius: Ubi eras, bone JESU, cùm dœmones ita malè me tractarent? Ego, ait DEUS, eram juxta te, cernens, & gaudens de victoria patientiæ tuæ; *juxtà est enim DEUS his, qui tribulato sunt corde.* Mansi discr. 13. n. 7.

Necessitas.

XXI. Frater quidam erat in Congregatione inquietus, & frequenter movebatur ad iram; Dicit ergo in semetipso: vado, & solus alicubi habitabo, & cùm non habeam, in quo dicam, vel audiam, ero quietus, & quiescet à me passio iræ. Egrediens ergo manebat in spelunca solus; Una autem die implens sibi surisculam aquæ, posuit illam in terra: Contigit autem, ut subitò versaretur, ille verò implevit secundò, & iterum versata est, deinde tertiò implens, posuit eam, & rursum versata est, qui commotus furore, tenuit vasculum illud, & fregit. In se autem reversus cognovit, quia ab eodem dœmone iracundiæ sit illusus, & dixit: Ecce ego, & solus sum, & vicit me; Revertar ergo in Congregationem, quia ubique labore & patientiâ opus est. Vit. PP. l. 5. libell. 7. n. 336.

Dignitas.

XXII. S. Antoninus factum quoddam mirabile refert fœminæ cujusdam magni spiritûs, Bona nomine, quæ pœnitens S. Dominici existens in turri quadam juxta portam S. Joannis Lateranensis solitaria agebat; cùm enim hæc per infirmitatem quandam à DEO visitata fuisset, quæ totum pectus in continuum quasi vulnus redegerat, indéque scaturirent vermes, eosdem tanto cum cordis jubilo excipiebat, adeóque charos & gratos habebat, ut, si fortuitò aliquis ho- S. Antonin. in 3. p. Chron. tit. 23. c. 4.

horum vermium in terram cecidisset, ipsa subitò magna cum diligentia illum recolligere, & in vulnus pectoris cum aliis reponere solita fuerit; Accidit autem, quòd, cùm ad illam accedens S. Dominicus vermes illos videret, unum ex illis sibi donari magna cum instantia petierit, at verò postquam id ei sæpiùs denegâsset, tandem repetitis instantiis superata, unum ex vermibus ei consignavit, cum hoc tamen pacto, ut mox sibi restitueret, quem cùm S. Dominicus vix manibus attigisset, in lapidem pretiosum conversum vidit; cúmque S. Viri comites eum multa cum efficacia obtestarentur, ne illum ei restitueret, eámque ob causam V. Bona amarè plangens, promissionis adimpletionem exigeret, tandem gemma illa præfatæ mulieri restituta, in speciem vermis denuò rediit, sicut priùs fuerat.

Vit. PP. l. 5. libell. 16. n. 15. XXIII. Senex quidam habens probatum discipulum, quem aliquando contristatus expulit foras, ille verò discipulus exspectabat sedens foris; & aperiens senex invenit eum, & pœnitentiam egit senex apud eum dicens: Tu pater meus es, quia humilitas & patientia tua vicit pusillanimitatem animi mei. Veni intus, amodò enim tu senex & Pater, ego autem juvenis & discipulus, quoniam opere tuo superasti meam senectutem.

§. III.

EXEMPLA DOMESTICA.

Rho. lib. 6. c. 5. Nostra n. 1. I. IGnatium, quem natura præferocis, ardentísque ingenii formaverat, longa virtutum exercitatio contrarium in habitum reformavit; nam patientiæ, indolentiæque quotidiana edens documenta, lentioris genii fidem Medicis propemodum fecerat. Peregrinabatur per avia Lainio socio, quùm accurrens vicino à grege adolescentulus, sive novo advenarum habitu, sive quâ aliâ causâ effusus in cachinnos irridebat, substitit Ignatius, séque procaci puero affatim irridendum præbuit, Lainium, qui ut gradum faceret, monebat, docens non esse puero eam subtrahendam voluptatem. Habitabat Romæ modico in cubiculo, ex quo in vicini atrium erat despectus; id non ferens homo inurbanus, ut Ignatio ægrè faceret, gallinas, anseres, pavones in eam veluti caveam conjecit, quorum irrequieto cantu, atque clangore commentanti atque meditanti obstreperetur. Hanc molestiam non jurgio, mutuísque clamoribus, sed perpetuo silentio ita demum vicit Ignatius, ut à schola patientiæ, quam silentii Matrem dixêre sapientes, prodiisse nemo dubitaret. Sed Ibid. c. 4. n. 8. & de admiranda eius patientia in morbis sic scribit: Crebris Ignatii virtus exercita est valetudinibus; ne quid in illo ad perfectum virtutis magisterium posset requiri. Constans enim semper, & tranquilla homini patientia fuit, non modò morbis, sed improbis curationibus inexpugnabilis; quod difficilius esse arbitror, quasi, qui morbos aut Dei jussu, aut naturæ labe, aut proprio errore contractos modestè ferunt, hominum aut ignorantiæ, aut improbitati legitimè irascantur. Adolescente Medico utebantur socii parùm docto, nec multùm attento; hic interno calore languenti Ignatio, adeò calida omnia medicamenta adhibuit, ut exiguo ac generosissimo mero ad potum dato hepar incenderet, corruptáque stomachi temperie dirè cruciaret, multáque injectâ veste ad continendum calorem, haud dubiè enecaret. Quo in periculo Ignatius, quamquàm inscitiam adolescentis sentiret, séque eâ curatione periclitari videret, nullum tamen verbum ea de re fecit, nec minimùm questus est, præclaram sibi patientiæ segetem oblatam tacitè secum gaudens. Verùm frementibus domesticis, atque indignantibus, unius nec optimi Medici negligentiâ communem parentem perdi, Alexander Petronius evocatur, qui vociferans, hominem calidis fomentis suffocari, datâ affatim frigidâ, apertóque auræ cubiculo, quùm salutem reddidisset, interrogare ausus, inepta imperia, atque in non dubiam perniciem urgentia, exequi cur sustinuisset, nobilem illum, & patientiæ tuendæ ab obedientia commodatum Laconismum elicuit: Obediendum est, nec in eâ causâ verbum ampliùs addidit Ignatius.

II. Claudius Aquaviva in media Urbe, plusquam Japoniam invenit, ut se patientiæ alumnum comprobaret. Juraverat homo furiosus, atque iræ dementissimæ, quem primum posset, Jesuitam se fuste dedolaturum egregiè; quàm essent iniquæ causæ, quamquàm ego satis novi, rei, quam agimus, parùm interest. Ibat ergo Claudius sub meridiem cum socio oculis humi dejectis, totóque corporis habitu ad modestiam compositus, quùm in eum involat importunus, & fustuario cædere aggreditur. Dum se indè Claudius proripere tentat, ortus prætereuntium clamor domesticos Aquavivij Cardinalis è vicinâ excitavit, qui propè accurrentes, ut, quod ageretur viderent, strictis illicò gladijs in sceleratum invasorem irruebant; de illatâ Cardinalis patruo, tam luculenta injuriâ vindictam reposcentes. Verùm Claudius quiescere jussis, hominémque dimittere, ipse atrocem contumeliam, quasi ad alium spectaret, silentio, atque dissimulatione transmisit. Idem l. 6. c. 3. n. 4.

III. Simillima in Ægidio Gonzalio est laus, efferaverat in ultimam rabiem adversa alea hominem de vulgi fece nescio quem. Is à ludo amenti similis digrediens, Gonzalo homini gravissimo, ac tum totius Ordinis Assistenti, qui primus furenti occurrit, colaphum insolentissimè infregit, quod Ægidius Christianæ memor disciplinæ, adeò dissimulanter habuit, támque composito gradu, quò ceperat, ire perrexit; comes ut dubitaret, verè ne depalmatus fuisset, an ipse falsus videndo. Verùm clarè id intellectum est, quùm altera die, domum nostram jam sibi redditus percussor venit, crebróque gemitu, ac singultu expiatus est. Ibid. n. 5.

IV. Jacobus Miro, quem rerum gestarum nobilitas Indicæ Xaverij famæ in Lusitaniâ exæquabat, aliam Evangelicæ ultionis viam ingressus est; interfuerat Miro Concioni, ad quam qui dicebat, nec bonus civis, nec bonus orator, Ibid. n. 8.

con-

contumeliarum plaustra, mirum, quàm ingenti stomacho in Societatem effuderat; luculentior erat injuria, quàm ut dissimulari posset. Nec distulit vindictam Miro; descendenti è suggestu obviàm factus, totus ad modestiam compositus, manum ad oscula sibi dari rogat, quod cùm ille facere sustinuisset, magnâ cum reverentiâ, & quodam animi sensu demississimè osculatur. Meruit egregia virtus spectantis Concionis plausum, qui lacrymæ fuerunt, quibus si quid ex importunè dictis nostro nomini maculæ adhæsisset, id totum potuit abstergi.

Ibid. n. 10. V. Nicolaus Arnaia, gravissimis calumnijs, inimicorum arte, longè latéque Mexicanâ regione vulgò proscissus ac vexatus, tantâ egit patientiâ, ut rem totam DEO committeret, & tempestatis violentissimæ finem, domestico tranquillæ conscientiæ in portu, nihil expostulans, nihil quærens, neminique succensens, securus exspectaret. Juvat sæpiùs non timere; nam plerumque quamvis magno se murmure cœlum misceat, sine fulmine detonuit.

Ibid. n. 11. VI. Eâdem patientiâ Balthasar Alvarez calumnias noverat refutare; moverant quosdam eximia, quæ ad divina contemplanda; dona accepisse ferebatur, & ea erant tunc in Hispania tempora, ut ostentantibus se per inscitissimam superbiam novæ Illuminatorum sectæ Magistris, extraordinaria hæc munera non immeritò viderentur formidolosa. Itaque cum suspicionibus haud dubiæ audiebantur calumniæ, ac viri fama undíque carpebatur. Ad hæc in Patrum Conventu Provinciali accusatus, parem se virtutum quod profitebatur, ostendit Magisterio. Nam & accusationem, amici usus consilio, silentio dissimulatam disjecit, & interiorem animi rationem libello comprehensam ad eos, quibus jus erat inquirere, ita transmisit, ut omnia patientiæ librâ expensa videri possint, de re agens, nemine ne leviter quidem læso. Quas ipsa virtus falsitatis arguit calumnias, oblocutionésque patienter ferre, magnum esse non equidem negaverim! At ubi virtus ipsa læditur, longè difficiliùs vincimus; nam virtutem nobis detrahi, quàm vitia affingi, impotentiùs dolemus; quia facilius est extra vitia vivere, quàm cum virtutibus.

Ibid. n. 12. VII. Hieronymus Platus, qui luculento opere religiosi statûs bona complexus, effecit, ut sua si bona nosse velint viri religiosi, felicibus esse liceat. Eodem ingenio, atque eruditione, de perfectione Christiani Officij libros plures elaboraverat, jámque ad umbilicum perductos, ac typis paratos habebat, non sine magna eorum, qui viderant, approbatione, quùm tyronis unius incogitantiâ perierunt, jusserat Hieronymus chartas, quas in mensa offendisset, concerpere, atque auferre; ille obedientiæ properus, ac parùm attentus, ut ea ætas solet, libros in eâdem fortè mensâ jacentes invadit, ac temerè conceptos, fœdiùs etiam dispergit. Quàm gravi petitione Hieronymi animum ea percusserit jactura, non est, opinor, interrogandum: sed nihilominùs suæ mentis fuit, vocis ac vultûs, ut etiam renidens exanimati adolescentis pudorem timorémque discusserit. Quàm profundè de virtutibus, illis chartis disputaret, uno loco palàm factum est experimento.

VIII. Franciscus Lupius ter in exilium actus, inter feras, & (quod dirius est) inter latrones subterraneo in specu vitam traduxit; qui ab hostibus captus, infinitâ, & cruentâ in gladiorum licentiâ duram servivit servitutem: qui corpus ipse suum flagello, ac cilicijs excruciatum in spectrij formam extenuavit; qui vitam cibo propemodum nullo sustentabat: qui inter acerbissimos Romanæ fidei hostes vitam ærumnosissimam ita transegit, ut, quibus mortalitas potest exerceri, omnibus ærumnarum modis toleratis, moreretur demum nudus, omníque solatio humano destitutus, quippè cui ad pauciores abeunti, præter cadaver, ac triti corij frustulum, superfuit nihil. O præclaram ad nos devolutam patientiæ hæreditatem! dignam profectò, cui adeundæ, Oceani sævitiam, ac barbarorum immanitatem, (quod & strenuissimè factum est) socij experiantur: *Ibid. n. 13.*

IX. Qui primi de Societate Brasiliam sunt ingressi, feracissimam dulcium arundinum regionem, tot sunt ærumnis excepti, ut, quibus non decorum modò, verùm etiam dulce pro JESU Christo est pati, invidiam moveant. Hi viginti numero quùm essent, casulam è luto, ac levi palea à se ipsis constructam, quatuordecim in longum, decem in latum pedibus incoluerunt: hi vestem ex navalium velorum frustis, quæ nautæ donabant, atramento utcunque infectis, sibimet ipsi suebant; hi ligneam illam Mandiocæ farinam, & olusculà, in esculenta, in potum decoctam ex milio frigidam habuêre. Hi cæsâ in sylvis, atque humeris, quantùm conniti poterant, convectâ materiâ templum construxerunt, cui quantùm defuit elegantiæ, tantùm superfuit pietatis. Et hæc illis veluti domi nascebantur decora, quæ quamquam ad patientiæ laudem amplissima essent, nullis tamen partibus cum ijs, quæ pro animarum salute peregrinantibus obveniebant, possent comparari. Hujusmodi enim olim fuêre, aut etiam nunc alicubi sunt, eæ peregrinationes, ut qui eas ingrediuntur, triumphalia mereri posse credam. Itur ad dissitos & silvestres barbaros per alta nemora, feris atque serpentibus infesta, & ab orbe condito mortalibus inaccessa. Itur autem? erravi, etenim securibus cæduntur antiquissimæ sylvæ ab ævo intactæ, atque in transversum enatis truncis, aut casu, atque ætate procumbentibus implicatissimæ; quúmque vix post ferrum pateat aditus, nivibus sepe, sæpe glacie, aut ineluctabili camporum ac paludum uligine excipiuntur. Itaque non semel factum est, ut integro anno, labore maximo itineris rationem sideribus metientes, quùm apertæ silvestris viæ passuum millia CCC. perfecissent socij, omni rerum necessitate vexati, tum demum sparsos in montibus barbaros indipiscerentur, ipsis, quas in silvis evaserant, feris immansores. Ad hæc, quicumque militiæ nomen dedimus, erudiri *Ibid. n. 15.*

diri fas est; patriam enim dubio procul sic peregrinantes obtinebimus.

Ibid. n. 23. X. Henricus Henriquez ajebat, neminem sibi videri Religiosum, qui non aliquid lucri quotidiè in patientiæ rationes referat. Ille olim, qui nihil dederat, diem sibi periisse dixit, & gentium plausu benefica hominum generi excepta vox est. Iste diem se perdidisse credebat, in quo nihil tulisset adversi; nam quia contraria cœli terrarúmque est disciplina, quæ nobis hic dextera sunt, illic sinistra accidunt, & cùm intonuit lævum, sospitamur.

Ibid. n. 26. XI. Leo Henricus ibat longissima in supplicatione prior homini parùm attento, qui, ut erat corpore procerus, elatum supra Henrici pusilli, & calui hominis vertice, funale cereum præferebat, ex quo perpetuum ferventis ceræ in ejus caput stillicidium caderet, quod septem ipsas horas, quot nimirum ea duravit supplicatio, patientissimè dissimulavit Henricus, domúmque reversus, hactenus questus est, ut diceret per jocum: Enimverò me, ut mancipium, egregiè cereo mactâsti stillicidio. Qui hujus patientiæ magnitudinem voluerit æstimare, is aliquot stillis experiatur; vereor, ne ad illas tota defluat patientia.

Idem c. 4. n. 1. ex nostris. XII. Guilielmum Fauchelium Adolescentem Logicæ præceptis operam dantem invasit, & plures per annos exercuit dira valetudo, quæ Medicis ignorata, nullo ab his nomine insignita est; concutiebatur violentissimè totis artubus, & manus bis terque validissimè complodebat, tunc pectus pugnis, quantâ poterat, vi incussis plangebat, totúmque se ita evibrabat, atque veluti tormento excussum ejaculabatur, ut binos ei perpetuò adesse, ac manibus exceptum, ne ad solum affligeretur impetu ipso, sequi necesse esset: ubi in lectulum erat repositus, ingenti cum suspirio animam trahebat. Hoc illi propè continuum erat: subindè verò contractus in globum, informem in modum ita torquebatur, ut vel advolantes insidentésque muscæ acerrimum ipso levissimo attactu dolorem afferrent. Accessit castaneæ instar, sed magnis exasperatus acuminibus calculus, quo renes continenter configerentur, quem secto corpore videntes inhorruerunt Medici, dolorum immanitatem conjectantes. At nulla fuit tanta atrocitas, quæ adolescentis patientiam vinceret, animo semper supra valetudinis mala eminente, ac sibi præclarè constante, séque omni virtutum cultu diligentissimè exercente.

Ibid. n. 7. XIII. Immensis angoribus æstuare Stephanum Tuccium fuit necesse, cui enormis in cervice tumor (nattam vocant) continuo actu excrescens, lentissima in morte ad extremum, compressis faucibus, spiritum interclusit. Nulla illi quies, nisi corpore genibus excepto, & in lectuli spondam acclinato; demum, quùm nihil per angusta faucium, sine præsenti suffocatione, transmitteret, pingui assæ, ac fumantis adhuc è furno panis odore, vitam ultimis diebus, omnibus mactam doloribus, ægerrimè traxit. Hic diuturnâ maximarum virtutum exercitatione calidus, patientiam, pacémque animi nullâ hostili turbatam impressione retinuit, atque amicis subindè rogantibus, quî tantam dolorum ferret acerbitatem, cùm vix spiritum angustissimè meantem posset in verba formare: libenter, libenter, respondebat, & magnitudinem animi morbi immanitate majorem, vultu oculísque præferebat.

§. IV.

EXEMPLA PROFANA.

I. S. Bonaventura sequens de quodam Alexandri M. Ephebo recenset exemplum: Legitur, inquit, quòd Alexandro Macedoni Regi immolanti puer nobilis cum incenso astabat, super cujus brachium ardens carbo delapsus est; Licèt ergo ignis carnes adureret ita, ut odor exustionis ad nares omnium adstantium perveniret, puer tamen adeò patiens fuit, propter reverentiam Domini sui Regis, quòd non solùm dolorem silentio pressit, sed brachium omninò immobile tenuit, tanquam vilipenderet pœnam ignis. Ergo si tanta fuit patientia ob reverentiam Regis Dæmonibus immolantis, quanta deberet esse in hominibus Christianis ad suum Regem, qui ad hoc propter nos pati voluit, ut nos patientes esse doceret? *S. Bonav. ser. 3. de S. Andrea.*

II. Pueri apud Lacedæmonios in Ara Dianæ flagellis quotannis stato die festo cædebantur ex more, totum diem. Itáque frequenter durabant ad mortem, atque hilares ac læti concertantes inter se de victoria, quis eorum diutissimè fortissiméque toleraret verbera; unde nec gemitum, nec vocem dabant, nec scapulas, aut corpus contrahebant, tantùm ad hoc, ut victoriæ hujus nomen ac decus obtinerent. *Plutarchus in Lacon.*

III. Cujusdam Philosophi discipulus peccavit; dum sibi peteret dimitti, dixit ei Philosophus; Nec indulgeo tibi, nisi tribus annis alijs dederis mercedem his, qui te injurijs & convitijs affecerunt. Quo facto dixit ei Philosophus: veni modò, & ingredere civitatem Atheniensium, ut illic sapientiam addiscas. Ad portam autem urbis erat quidam senex sapientiæ studiosus, qui omnes ingredientes experiendi causâ convitijs afficiebat & injurijs, quod cùm dicto juveni faceret, ipse risit, cui Senex: Quomodo, inquit, cùm ego injuriam tibi faciam, tu rides? Respondit Juvenis, quòd tribus annis mercedem dedi pro hoc, quod tu gratis impendis. Tunc senex ait: Ingredere civitatem, quia dignus es. *Bellovac. spec. mor. l. 2. dist. 88.*

§. V.

SIMILITUDINES.

Qualitas.

I. Sicut rupes, quò pluribus fluctibus verberatur, ipsa quidem clarior efficitur, ac no *S. Chrysost. epist. 107.*

ne tantillum quidem emovetur; aquarum autem, quæ illi alliduntur, tumorem nullo negotio dissipat, ac delet, non jam percutiens eas, sed ab illis percussa: eodem scilicet modo is quoque, qui patientiâ exploratus est, insidias omnes superat, quódque mirandum est, plus roboris hinc colligit, non inferendis, sed perpetiendis malis, eos qui inferunt, mira facilitate frangens, ac dissolvens.

Bellovac. spec. mor. l. 1. dist. 18.

II. Sicut latrones libenter invadunt loca, in quibus sciunt esse thesaurum, & cùm arcam fregerint, thesaurum rapiunt: Sic dæmones libentiùs, & vehementiùs impugnant viros justos, habentes thesaurum; id est, copiam meritorum, & cùm cor fregerint per impatientiam, totus thesaurus virtutum & meritorum amittitur, quia cor fatui quasi vas confractum: Benè servantur viri justi per patientiam; quia sicut dicitur 1. Petri 4. *Qui patiuntur secundùm voluntatem DEI, fideli Creatori commendant animas suas.*

S. Anselmus apud Mans. disc. 10. n. 1.

III. Sicut luminaria cœli non curant, quomodo exerceant dies, & noctes, quamvis tanta mala videant fieri super terram, & sicut luminaria patienter ferunt, quicquid de eis homines fingunt; ita justi debent patienter ferre omnes, etiam falsas, de se criminationes; nam qui perdiderit tolerantiam, non est quasi luminare clarum desuper, sed obscuratus est, & de cœlo cadit; Lucetis, inquit, sicut luminaria in Mundo.

Necessitas.

S. Bernard. ibidem. disc. 1. n. 1.

IV. Sicut Gubernator in fine navis existens, undique considerat pericula, ne incidat in ea, ne impingat in saxum, vel terram, vel sabulum; declinando vitat ventum contrarium. Sic homo patiens debet undique esse circumspectus, pericula declinando, ne navis animæ frangatur per impatientiam. Patientia est quasi anchora mentis, firmans eam, & tenens immobilem in tempestate adversitatis. Patientia similis est cuidam pisci, qui dicitur Echinus, de quo legitur in historia transmarina, quòd si adhæserit navi, reddit eam immobilem.

S. Zeno ser. de patient.

V. Sicut cera ut plurimùm, nisi recalescat, aut præmolliatur, non facilè in se recipit sigilli impressionem; ita & homo; nisi laborum & multifariæ infirmitatis probetur exercitio, neutiquàm sinet insigniri se signaculo divinæ gratiæ. Ob quod Paulo respondit Dominus: *Sufficit tibi gratia mea, virtus in infirmitate perficitur.*

Mans. disc. 10. n. 3.

VI. Sicut granum, priusquam granario infertur, in area flagellis percutitur, in aëra sublevatur, purgatur, & cribratur, ita quoque priusquam instar grani in cœlum deferamur; (*triticum autem congregate in horreum meum*) tolerata in adversis patientia præcedere debet.

Æquitas.

Mans. disc. 10. n. 5.

VII. Sicut viator secum portans quandam literam cambialem in pera sua, virtute cujus v. g. Antuerpiæ triginta scutorum millia recepturus est, tametsi innumeris cum periculis, molestijs, sudoribus, & anxietatibus, iter illud prolixum & laboriosum Româ Antuerpiam usque conficiat, propter certitudinem tamen, quâ se Antuerpiæ divitem futurum esse novit, itineris molestias æquanimiùs sustinet: Eodem prorsus modo omnes nos, qui viatores sumus, & ad cœlestem patriam peregrinamur, omnes miseræ hujus vitæ labores & angustias libenter sustinere debemus, confortati spe vivâ æternæ retributionis.

Utilitas.

VIII. Sicut arbores firmas ventorum impetus irruens, & undique jactans, non evellit, sed & solidiores, firmiorésque his incursibus reddit, sic & animam sanctam, & hîc viventem, tentationum incursus & tribulationum non supplantant, atque etiam ad majorem patientiam præparant. *S. Chrysost. ho. 4. ad Pop.*

IX. Sicut qui malè agit, bona sibi convertit in malum, ita qui bene patitur, mala ea sibi vertit in bonum, nempe in perferendis malis, ipse bonus evadit. *Marsil. Ficin. l. 5. epist. ad Bapt. Salvin.*

X. Sicut qui in literis formandis tyrocinium ponit, plùs proficit, dum solus ipse magno labore & contentione literas utcunque hinc inde lituris efformat, quàm dum Magistro manum ejus ducente elegantèr, & nullo propemodùm studio eas depingit: ita fit, dum in virtutum exercitatione, quodammodo destituti supremos conatus adhibemus. *Pennequin p. 2. c. 17.*

Dignitas.

XI. Sicut Gubernatorem navis tempestas, Athletam stadium, militem acies, magnanimum calamitas, sic Christianum hominem tentatio probat; & quemadmodùm athletas certaminum labores coronis ad se alliciunt, ita etiam homines Christianos probatio, quæ ex tentationibus descendit; ad perfectionem ducit, si modò cum decenti tolerantia, & omni gratiarum actione, quæ à Domino ordinantur, susceperimus. *S. Basilius orat. 11.*

§. VI.

MOTIVA.

I. QUia per patientiam rependimus passionem Christi, ut S. Bonaventura indicavit dicens: Patientia singularis est retributrix Passionis Christi; Talia enim studet rependere, qualia ab eo accepit, qui dolores nostros portavit, & hæc est singularis lætitia Sanctorum, in tribulatione patientium & gaudentium, quòd sic occasionem habent, & opportunitatem aliquo modo retribuendi Domino, pro illa magna charitate, quâ pro nobis animam suam posuit, saltem aliquid sustinendo. *S. Bonav. l. 1. de perfect. Relig. c. 36.*

II. *Quia DEUS plura patitur à nobis*, uti

Idiota lib. de vera patient. Idiota sapienter advertit dicens: Ideò dum tribulamur, fortitudinem & firmitatem virtutis habere debemus, quia non tanta à te toleramus, quanta à te ex nobis miseris tolerantur; Et ideo sine dubio leviùs tolerare debemus minora, quæ patimur, quando cernimus oculo puræ mentis illa, quæ tibi inferimus. Idem paulò ante dixerat: Tu es DEUS, Judex justus, fortis & patiens, nec irasceris per singulos dies. O misericordissime Domine DEUS meus, si tu patiens es erga nos miserabiles peccatores, super iniquitatibus nostris, quantò magis patientes esse debemus in tribulationibus & adversitatibus nostris, quas propter scelera & peccata nostra quotidiè sustinemus?

S. Bern. t. 1. Serm. 6. art. 3 c 8. III. *Quia patientibus omnia convertuntur in bonum*: Quanti lapis ille æstimandus foret, qui ex congenita sibi proprietate plumbum in aurum commutare posset? Jam verò S. Bernardus inquit: Cum dicat Apostolus ad Rom c. 8. *Diligentibus DEUM omnia cooperantur in bonum*: hoc est, quòd justis omnia adversa per supportationem & patientiam convertuntur in bonum; propterea non oramus: Libera nos à tribulatione & pœnis, sed, à malo, quia adversitates convertuntur justis ad gloriam, & coronam. Cœteræ nempe virtutes utuntur hominis bonis, sed patientia utitur ejus malis. Idem alibi postquam hominem in hac vita tribulationem nequaquam declinare posse, ostendisset, mox, quæ inter hominem perfectum & impium est, differentiam in hæc verba considerat: Tribulatio patientiam operatur, scilicet in sapiente, qui per tribulationem lucratur talem virtutem, sed stultus in tribulationibus nesciens esse patiens, angustias & flagella portat, & nullum lucrum inde scit habere. Ad hoc nempe pertinet exemplum de duobus, qui sub pœna mille ducatorum, vel mortis, in carcerem missi erant, quibus à devoto viro duræ bursæ, cum totidem florenis, projectæ sunt per fenestram, quibus carcerati percussi sunt, quorum unus ægrè ferens percussionem bursæ, ipsam extra fenestram projecit, alter verò suam pro evadenda morte dedit debitoribus suis. Spiritualiter nos omnes sumus debitores non carni, sed divinæ justitiæ pro peccatis; DEUS autem nobis proijcit bursam patientiæ cum flagello, quam qui eijcit, meritum perdit, & tamen pœnam flagelli non evadit; imò sibi tantò gravior fit, quantò minùs voluntariè flagella susceperit. Hoc autem est sciendum de divina misericordia, quòd tribulationes ultra vires non permittit, sed, ut inquit Apostolus *Fidelis est DEUS, qui non patitur vos tentari supra id quod potestis, sed facit etiam cum tentatione proventum.*

S. Isidor. Pelus. l. 2. epist. 67. IV. *Quia per patientiam tribulationes leviùs tolerantur*; uti præclarè ostendit Isidorus Pelusiota dicens: considera, si quis illatam sibi injuriam ulcisci velit, quasnam acerbitates perferat. Primò furore perfunditur; deinde ab ira interrumpitur; primò enim ebullit affectus, deinde ad vindictæ cupiditatem exstimulatur; Tertiò infinitos fluctus excitat. Quartò mille cogitationum vias ingreditur. Quintò metus subit, ac tremor, animique angor, iracundiâ nimirùm eum interrumpente, ac metu concutiente, dum illud secum agitat, quonam pacto, quod cupit, assequatur, acceptamque injuriam vindicet. An non videtur tibi hujusmodi homo, ante eum, qui pœnas daturus est, ipsemet pœnas dare? At qui patientiam adhibet, ab his omnibus rebus exemptus est. Ac sanè meritò, nam hoc in ipsius arbitrio situm est, atque ipse totum absolvit. Ille autem alter, non item. Verùm & temporis commoditate opus est, & loco, & fraude, & versutâ improbitate, & armis, & machinis, & adulatione, & servitute, hypocrysi. Vidésne, quemadmodum difficilis res sit, vitium; facilis autem, virtus? Atque illud quidem tumultibus scateat, hæc autem ab omnibus perturbationibus remota sit. Qui ulciscendæ injuriæ studet, infinitam inimicitiam reddit; qui autem patientiâ utitur, eam quàm ocyssimè opprimit, & extinguit; Unde importunum etiam ac sævum hominem mitigat, atque ad amicitiam allicit. S. Bernardus inquit: Quomodo natus sibi videtur homo, si labores fugitans & dolores? aut quomodo scit, se esse hominem, qui ad id paratus non est, ad quod natus? Homo, inquit, natus ad laborem. Cùm igitur homini necessariò patiendum sit, nunquid meliùs faciet, si cum merito patiatur, quàm ex desperatione? Hoc enim faciens ex necessitate facit virtutem. Confirmat hoc ipsum Bellovac. inquiens: Infirmus necesse habet corporaliter sustinere dolores, velit, nolit; quos si non patienter sustinet, gravatur dolor, quia cum afflictione corporis est etiam desolatio cordis, & suæ facit animæ detrimentum; si autem haberet patientiam, leviùs sustineret, citiùs & faciliùs curaretur, & infirmitas sibi fieret in meritum, & salutem; sic in his quæ patimur, faciamus de necessitate virtutem, ut quæ nobis essent damnationis occasio, fiant nobis materia exercendæ virtutis, & acquirendæ salutis.

V. *Quia sine patientia graviores efficiuntur tribulationes*, uti rectè advertit Fullonius dicens: Non modò non exeunt malis suis, qui obluctantur, sed ea per ipsam obluctationem augent: & impatientiam, quæ tristitiæ genus est, cordique dolorem imprimit, aliis doloribus superadjiciunt. Febricitans, quantumlibet sese in lecto convolvat, febrim non excutiet, imò agitatione magis accendet. Latro à satellitibus comprehensus, si obsistit, manicas præterea patietur, & pedibus pulsabitur, & nodosos stipites sentiet. Laqueos, inquit Seneca Lib. de consol. ad Helviam, fera, dum jactat, attingit. Aves viscum dum trepitantes excutiunt, plumis omnibus illinunt. Nullum tam arctum jugum est, quod non minùs lædat ducentem, quàm repugnantem. Ajunt medici, cùm venenum ab animali epotum est, cor, quod illo maximè petitur, intumescere, *Fullonius in bona volunt p. 3. sect. 3. n. 4.*

agitari,

agitari, poros calore distendere, ut se defendat, & eâ ipsâ defensione venenum citiùs ad se trahere, atque intra suscipere. Ita impatientes nimiâ adversus dolores repugnantiâ, & commotione, plùs doloris concipiunt, aditúmque illi ad cordis intima aperiunt. Narrant, Agesilao Spartanorum Regi, arthritide vexato, Carneadem Philosophum affuisse. &, ne molestus esset, sermonem abrumpere, & abire voluisse: At illum ostensis manibus, ac pedibus primùm, dein cordis sede, dixisse malum illic esse, huc autem nondum penetrâsse: itaque assideret, & confabularetur. Longè aliter cum impatientibus agitur, quibus majus malum à mali odio, quàm ab ipso malo est? & qui optimè dicere de se possint, quod aliâ sententiâ Tobias: *Quale mihi gaudium erit, qui in tenebris sedeo, & lumen cœli non video?* quid lætitiæ illis erit, qui DEI providentiam, per calamitates ad æterna ducentem, non adspiciunt?

Idem n. 5. VI. *Quia jactura præmii per patientiam obtinendi, est inæstimabilis*; ita idem insinuat his verbis: crescit infortunium ex eo, quòd ingentem thesaurum meritorum impatientiâ suâ miserè prodigi perdant. Quantùm miles inter vulnera, aulicus inter dignitates quotidianas, ancillæ & servi inter dura imperia, artifices in laboribus, quilibet hominum in suis calamitatibus, lucri cum DEO facere potuerant, si toleranter ferre incommoda ingruentia voluissent! Sed heu! viri divitiarum dormierunt somnum suum, & nihil invenerunt in manibus suis. Struthio, crassum & stupidum animal, alas habet, sed non subvolat. Habuêre isti alas, quibus in cœlum evolarent: in Sabulo ac cœno hærere maluerunt. Hoc infidelibus exprobrabat Augustinus lib. 1. de civitate: Perdidistis utilitatem calamitatis, & miserrimi facti estis, & pessimi permansistis. Salvianus lib. 7. de providentia, idem de ætatis suæ hominibus conquerebatur: Quid hoc mali est? jumenta & pecudes sectione curantur: nos nec cauterii adustione, nec ferri desectione curamur, imò, quod pejus est, curâ ipsa deteriores sumus.

§. VII.

MEDIA

Did. Nyss. p. 1. Sabb. post. 5. Dom. quadr. §. 5. I. PRimarium sit exemplum Christi. Cùm in cruce pendulus hæsitavero, inquit Christus assertor noster, omnia ad me traham, hoc est, omnes homines ad me rapiam, ut ex receptissima sententia Hugo Cardinalis id hâc suâ paraphrasi exponit: Omnia traham ad me ipsum, omnia genera hominum, sive in linguis omnibus, sive in ætatibus omnibus, sive in gradibus honorum omnibus, sive in artium licitarum, & utilium professionibus, sive in aliis omnibus. Quando avidus venator per abrupta, perque densa sylvarum timidulum insectando fatigat cuniculum, solet is, ut paratam effugiat necem, intra concava saxorum se recipere, ut venatorem mortémque adeò effugiat, juxta illud Psalmistæ Ps. 103. 18. ex translatione LXX. Petra refugium cuniculis, atque eâ ratione omnis diligentia, industriáque venatoris frustratur: Verùm ubi nulla sunt saxa, nulla antra, nulla spelæa, ibi obtinet venator, prædámque non tam difficilè assequitur. Dicit nunc Ambrosius: Antequam Christus dux noster, & antesignanus passus esset, videntur homines, cùm ad patienter ferendum molesta piis exhortationibus urgebantur, qualicunque titulo tergiversari, & refutare onus potuisse, ac dicere: nolo pati, Christo Duce suo, ac Magistro nondum in carne passo, nullum habentes ejus exemplum, quo ad tolerandum libenter gravia permoverentur. Poterant meticulosi illi cuniculi ad saxa confugere, & intra specus talium excusationum sese abdere. sed Christo jam passo, ac mortuo, petræ scissæ sunt, omnes fictæ excusationes sublatæ, ob quas passionem defugere posse videbantur, nec habet deinceps homo, quo se purget, non habet, quâ evadat, quando Ecclesiæ venatores, prædicatores dico, illum insequuntur, hortantur, obstringunt, ut magno & æquo animo adversa omnia ferat. Postquàm enim caput, Rex & Dominus tam multa ac dura passus est, quid excusationis obtendere possunt membra, subditi, mancipia, ut non libenter quidvis tollerent? Circumcisionis jugum quàm molestum & terribile fuerit, scimus, de quo S. Petrus actor. 15. 10. dixit: *Quid tentatis DEUM, imponere jugum super cervices discipulorum, quod neque Patres nostri, neque nos portare potuimus?* voluit DEUS hanc tam gravem legem invehere, & populo suo servandam dare, atque ob id præcepit Moysi Duci populi sui, ut is quendam filium suum circumcideret, cui jussioni ut obtemperaret, Sephora Uxor ejus, circumcidit præputium filii sui. Exodi 4. 25. Quæri potest, cur ad introducendam hanc tam duram legem primus Moysis filius eam subire debuit? Quare hoc gravissimi mandati onus ante omnes alios excipere debuit filius Ducis? Respondet acutè Tertull. l. advers. Jud. cap. 2. Idcircò filium Moysis futuri Ducis instigat Angelus circumcidi, ut, cùm cœpisset per eum populo dare præceptum circumcisionis, non aspernaretur populus, videns exemplum istud in filio jam Ducis celebratum. Aptissimè dictum: Caro & sanguis omnem vehementer defugiunt passionem, perdere charam ac dulcem vitam, ut ne prodas fidem, perdurum accidit; verùm ut facilè reddatur, neque excusare quisquam à passionum, mortísque lubente tollerantia se possit, Filium suum unigenitum Pater in cruce suspendit, ut, dum creatura suum Creatorem, & reus innoxium tam indigna tollerare cernit, ob oculos tanti amoris in vicem debiti officii, támque eximiæ charitatis, libentissimè, ac liberalissimè impendat facultates, voluptates, honores, vitam,

Io. Servilius tit. de prodig. pyramid.

tam, & quæ illa cúnque habet. Joannes Servilius hoc prodigiosum refert, quòd Ægyptii Reges, ut erant in sumptuosa ædificia & superbas pyramides excitandas effusè propensi, quas regiorum cinerum suorum fatalia monumenta volebant; ita quendam eorum, cùm hac re majoribus suis antecellere vellet, pyramidem adornare voluisse eô artificiô, elegantiâ, sublimitate, ut cæteris splendorem, existimationémque detraheret, hominibus verò stuporem adferret. In tantam autem altitudinem fastigiatam eam voluit, ut sculptores, cælatores, fabri, & quicunque operam huc suam conferebant, prosequi opus non auderent, quos ut ad perficiendam rem cœptam incitaret, in culmine ædificii figi prælatam trabem, & affigi trabi filium quendam suum jussit. Moti, animatique eo spectaculo opifices adjecerunt pectus, manúsque ad opus, nec submoverunt, donec ad culmen educerent, quamvis præsentaneo cum vitæ periculo conjunctum esset. Ita enim secum reputabant: Si Rex non pepercit filio suo, tantùm ut tantam molem excitaret, cur nos tantam vitæ nostræ rationem habeamus, qui sumus subditi? Quod ille superbus Rex à vanitate sua incitatus fecit, hoc æternus Pater sui infiniti amoris, & charitatis erga homines immensæ impulsu egit. Salvationis moles, quæ excitanda erat, tam est vasta, & sublimis, ut ad eam erigendam homo (Si id res postulet) facultates honorem, vitam, & quæcunque sua periculo exponere, & huc vertere debeat: Quoniam verò id arduum est, & grave homini accidit, omnia illa à se abjicere, ut facilè tamen iis homo renunciaret, quid fecit æternus Pater? Tulit, ut filius suus in summo calvariæ montis vertice celsam in crucem ageretur, ut non solùm per illum redimeret homines (quod primum, præcipuúmque tunc agebatur) verùm etiam tali exemplo doceret, quòd ille ipse filius suus vitam & honorem, & sanguinem totum vertere, & convertere in usus hominum, salutémque sciret, tametsi nulla hoc eum necessitas adduceret, uti hi etiam, cùm Dominum, ac DEUM suum tanta pericula, & incommoda adire cernerent, pro ejusdem amore honorem, gloriam, omniáque sua volentes, lubentésque profunderent. Hoc est, quod ait Christus: *Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum.* Omnia, hoc est, corpus & animam, inquit S. Augustinus, omnes sensus, affectus, cogitatus, voluntatem, memoriam, intellectum, vitam & cœtera, quibus illa constat, ad me rapiam. Jeremias dicebat: *Non sum turbatus*; sive ut habent LXX. *non laboravi, te pastorem sequens*, Jerem. 17. 16. hoc est: cùm te à tergo, O pastor, sequens, video illud tam crudeliter sulcatum, & excarnificatum flagris, non modò non molestè accipio, cùm vapulo, verùm etiam nihil me pati existimo, nam & dolor mitescit: & omne pus suum mea extemplò vulnera exspuunt, quoties te sine causa passum considero, & me

Ier. c. 17.

atrociora magnis modis promeritum cogito. Admirabilem sponsæ suæ venustatem, & formæ decentissimam speciem cum ingenti voluptate apud se reputabat sponsus, quando hæc dicebat: *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias*; Cant. 2. 2. S. Bernardus ait, hoc loco non solùm commendari pulchritudinem, sed etiam formidari pericula, itaque exclamat: O candens lilium! O tener, O delicatule flos! Increduli, & subversores sunt tecum. Vide, quomodo cautè ambules inter spinas, plenus est mundus spinis, in terra sunt, in aëre sunt, in carne tua sunt spinæ, quæ te è proximo petunt, velut in tuam perniciem conjurârint. Sed quid egit sponsa in medio fœderatorum, & infensissimorum tot hostium posita, ut inter eas angustias respirare posset, neque prorsùm deficeret animo? Mox subjunxit: *Sicut malus inter ligna sylvarum, sic dilectus meus inter filios*, ibid. vers. 3. videamus quo consilio hæc sponsa dixerit. Sed mellifluus Bernardus id nobis aperiet, cujus sunt iterum ista: Hoc loco non prædicatur Magnus Dominus, & laudabilis nimis, sed parvus Dominus, & amabilis nimis, parvus utique, qui natus est nobis, non majestas hic attollitur, sed commendatur humilitas. Videte nunc verborum sponsi, & sponsæ, mutuam consonantiam. Ut graves sponsæ persecutiones, quibus exposita vexabatur, sponsus indicaret, lactei, & molliculi lilii eam similem dixit, quod præacutis spinis incinctum punctim, cæsimque ab eis, velut in perniciem ejus conjuratis, certatim appetatur. Unde verò inter has angustias solatium sibi sponsa accersit? Id à verbis ipsius superioribus accipias, quæ talia sunt, ac si dixisset: quid mirum, quòd ego sim, quale lilium inter hamatas spinas, sic dilectus meus sicut malus inter arbores sylvestres? mihi hoc inter meas spinas & ærumnas incredibile adfert levamen, quòd video summam DEI majestatem inter homines humilem, in carne mortali abbreviatam, & angustatam, probrísque & ludibrio expositam. At si sponsum meum, eundémque DEUM, ac Dominum meum sic angustatum doloribus, sic attritum cruciatibus video, parùm est, quòd ego calamitates quascunque meas vultu hilari, & æquo animo feram.

Nyss. Domin. infra octav. ascensionis §. 2.

II. *Amor DEI*, uti Tertullianus indicavit, dum causam inquirens, cur S. Joannes Evangelista Romæ ante portam Latinam ab igne manserit illæsus, ita scribit: Flamma pectus ejus comburens, ignis actionem, qui lebetem agebat, suspendit, ibique duos ignes inter se prælio dimicantes, tandem ignis amoris superior evasit, victoriam reportans.

Tertull. lib. de præscr.

III. *Peccata sua agnoscere*; nam ut S. Laurentius Justin. rectè advertit, tunc patienter illata flagella toleramus, cùm in secreto mentis ad mala perpetrata recurrimus, quia per hoc, quòd culpæ pondus agnoscitur, afflictionis pœna levigatur. Patienter unusquisque adversa portat, cùm piè meminit, quod in se

S. Laur. Iust. de lig. vit. c. 5.

Digitized by Google

se habeat fortasse, in quo ipse debeat tolerari, & quasi aquâ ignis extinguitur, cùm surgente furore animi, cuique ad mentem culpa revocatur, quia erubescit peccatis alienis non parcere, qui proximo, vel Domino sæpè se recolit parcenda perpetrâsse.

Marg. hist. 14. n. 5. IV. *A minorum perpessione inchoare*; uti senex quidam verbo & exemplo docuit, de quo Bellovacensis sic scribit: Venerunt quidam fratres ad S. quendam senem in solitudine, juxta quem pascebant pueri pecora, clamosè & inhonestè aliquando loquentes; qui dicebant ei: Quomodo potes, Abba, portare verba puerorum istorum, & non præcipis eis, ut taceant? Qui respondit: Volui, tam diu est, sed vici cogitationem meam dicens: Si hoc modicum non potes portare, quomodo, si venerit tibi majus, portabis? Job. 4. *Ubi est fortitudo tua?* Glossa: *Qui se vincit, contra omnia fortis est.*

S. August. l. de bono patient. c. 5. V. *Exempla hominum malorum ob oculos ponere*, uti S. Augustinus sequentibus verbis monet: Pro apertis sceleribus, non ut ea puniant, sed ut perpetrent, multa homines gravissima perferunt. Nonne de quodam nobilissimo Patriæ parricida (de Catilina loquitur) sæcularium litterarum loquuntur auctores, quòd famem, sitim, frigus ferre poterat, ejusque erat corpus patiens inediæ, algoris, vigiliæ, supra quam unicuique credibile est? Quid de latronibus dicam, quorum omnes, cùm insidiantur viatoribus, noctes perpetiuntur insomnes, atque ut transeuntes excipiant innocentes, sub qualibet cœli asperitate noctem animum corpusque defigunt? In his miranda potiùs, quàm laudanda patientia. Nihil autem illic jure laudandum, nihil utiliter imitandum. Tantòque rectiùs majori supplicio dignum judicaveris animum, quantò magis vitiis subdit instrumenta virtutum. Patientia comes est sapientiæ, non famula concupiscentiæ; patientia amica est bonæ conscientiæ, non inimica innocentiæ.

S. Gregor. lib. 10. mor. c. 12. VI. *Præmii magnitudinem ponderare*; Nam ut S. Gregorius rectè advertit, mala præsentis vitæ tantò duriùs animus sentit, quando pensare bonum, quod sequitur, negligit, & quia non vult præmia considerare, quæ restant, graviora æstimat esse, quæ tolerat. Unde & contra flagelli ictum cogitatio cæca conqueritur, & quasi infinita calamitas creditur, quæ diebus cursu labentibus quotidiè finitur. At si semel quisque ad æterna se erigat, atque in his, quæ immutabiliter permanent, oculum cordis figat, propriè nihil esse hoc conspicit, quidquid ad finem currit. Præsentis vitæ adversa tolerat, sed quasi nihil esse omne, quod labitur, pensat, quò enim internis gaudiis robustiùs se inserit, eò minùs exteriùs dolores

S. August. in Ps. 36. sentit. Quod confirmans S. Augustinus, cùm attenderis, inquit, quid sis accepturus, omnia tibi erunt vilia, quæ pateris, nec digna æstimabis, pro quibus illud accipias; miraberis, tantùm dari pro tanto labore; nam utique, fratres, pro æternâ requie labor æternus subeundus erat; Æternam felicitatem accepturus, æternas passiones sustinere deberes; sed si æternum sustineres laborem, quando venires ad æternam felicitatem? Hinc de S. Francisco Seraphico legitur, quòd interrogatus, quomodo vestitu tam tenui posset se ab hyemalis algoris asperitate tueri, responderit: Si supernæ Patriæ flammâ contegeremur interiùs, frigus illud exteriùs facilè portaremus. Idem confirmavit Mater S. Symphoriani adolescentuli, quæ ob tenellam filii ætatem valdè metuebat, ne ob carnificum violentiam adeò terreretur, ut periculum esset, ne à corona recederet Martyrii. In hac igitur perplexitate constituta sapiens Mater quid fecit? Filium suum intra manus carnificum constitutum hisce verbis inclamavit: Nate, nate, memento æternæ vitæ, cœlum suspice, & ibi regnantem intuere, tibi enim vita non eripitur, sed mutatur in melius; Quæ verba sanctus Adolescentulus audiens, fortiter JESU Christi causâ carnifici collum præbuit.

VII. *Voluntatem divinam agnoscere, & venerari*; ita Christus ipse S. Catharinæ Senensi suasit dicens: Volo te nosse, quòd omnes pœnæ, quibus homines in mundo affliguntur, in voluntate consistunt, quia si voluntas esset ordinata, & concors cum voluntate mea, caretet quodammodo pœnâ. Quamvis enim, qui hac sancta ordinataque voluntate præditus est, sentiat laborem, & dolorem, quicquid tamen amore mei spontè patitur, quasi sine pœna portat; libentissimè enim illud sustinet, considerans, & sciens, meam esse voluntatem, atque permissionem, ut patiatur. Blosius in conclavi animæ c. 10. Hoc medio S. Lupus Episcopus usus est, de quo Cardinalis Baronius scribit, quòd cùm Attila formidabili exercitu instructus ad destructionem Trojæ in Francia accinctus esset, S. Lupus Civitatis illius Episcopus pontificaliter vestitus, toto Clero comitante obviam ei processerit, eique dixerit: Tu quis es? qui tot devictos Reges, desolatas tot Provincias tuo subjicis imperio? Cui ille respondit: Ego sum Attila Hunnorum Rex, flagellum DEI. Moxque DEI Episcopus subjecit: Ecquis flagello DEI resistet? Veni igitur, ô flagellum DEI mei, utereque liberè omni eo, quod is tibi est concessurus; quibus verbis Rex barbarus mitigatus, à facta resolutione civitatem illam exterminandi, remisit, sanctúmque Episcopum benignè amplectens, ejusque se orationibus recommendans discessit. Ex qua historia clarè deducitur, quòd dum flagella à DEO provenire agnoscimus, eadem cum æquanimitate recipere debeamus, utpotè ad majus bonum nostrum, majoremque DEI gloriam ordinata. Baronius Anno 451. n. 46. Tertull. in lib. de patientia ait: Quòdsi à Domino nonnulla credimus incuti, cui magis patientiam, quàm Domino præbeamus? quin insuper gratulari, & gaudere nos decet dignatione divinæ castigationis. Ego, inquit, quos diligo, castigo.

Digitized by Google

§. VIII.

MISCELLANEA ET CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Qualitas.

[*Nyss. Dom. 10. post Pent. §. 23.*] I. JUssus fuit Abraham immolare filium suum, cùmque in cervicem ejus suspensum jam libraret acinacem, promptum in cædem brachium vox Angeli detinuit, ne tamen omninò illius propensa frustraretur voluntas, in jugulum arietis demisit gladium, de quo Gen. 22. 13. dicitur: *Levavit Abraham oculos suos, viditque post tergum arietem inter vepres hærentem cornibus, quem assumens obtulit holocaustum pro filio.* S. Zeno Veronensis cùm in horum consideratione versaretur, dicebat hæc perdifficilia verba serm. 1. de Abraham: *Nec mutatus est vultus ejus, cùm esset victima commutata*: cum tanta lætitia arietem obtulit, cum quanta obtulerat & filium. In quibus hæc postrema mihi equidem difficultatem non qualemcunque ingerunt: cum tanta lætitia arietem, cum quanta obtulerat & filium. Nam si exactè rem perpendas, videtur dicere debuisse, majore cum lætitia obtulisse arietem, quàm filium, in ariete enim sola pecudis animula occumbebat, in Isaaco vita hominis, & filii primogeniti occidebat. Quid ergo, ait S. Zenon, tam magnanimum fuisse Abraham, ut æquè gaudenter arietem ac filium obtulerit, paratus tanta cum alacritate immolare filium, quanta brutum animal mactârat victimam? Dicam, postquam Abrahæ certum erat demetere filio caput, eamque, quod ad animi illius promptitudinem spectat, jam obtruncârat, pati cœperat, quantùm maximè poterat: Quid enim acerbius & intolerabilius homini accidere possit, quàm ut sua ipsius viscera laniet? quàm ut violentas manus pius pater unico, eique optimo filio afferat, sanguinémque ejus, qui dedit, vertat? Postquam ergo hæc animo Abrahæ semel pertinaciter sententia insedit, néque explicare eam in opus potuit, ingens valentissimi pectoris fortitudo fuit, summáque constantia, quòd ne vultum quidem immutavit, quando tantæ gloriæ sibi ereptam de manibus occasionem, sortémque proximæ felicitatis sic permutatam vidit, ut pro Isaaco arietem immolare debuerit, cui si concessum fuisset filium mactare, summum pro DEO dolorem passus, summam simul gloriam illius passionis tolerantiâ sibi conflâsset. Et hoc est, quod S. Zenon voluisse videtur, cùm ait: cum tanta lætitia arietem obtulit, cum quanta obtulerat & filium. Hinc æstimate, quàm gloriosum, ac magnificum sit pro DEO pati.

[*Blosius in Conclavi animæ c. 10.*] II. Refert Blosius, quòd, cùm Virgo Gertrudis commiseratione mota oraret pro quadam persona, quam audierat impatienter conquerentem, quòd DEUS gravamina sibi immitteret saluti suæ minùs convenientia, responderit ei Dominus: Dices illi, pro qua oras, ut, quia sine aliqua saltem tribulatione vel molestia Regnum obtineri non potest, eligat, atque indicet, quænam gravamina sibi utilia putet, & cùm hæc ipsi evenerint, servet patientiam. In quibus verbis Domini Gertrudis intellexit, periculosissimum genus impatientiæ esse, quando homo perversè ac superbè eligere vult, quæ ferat, dicens saluti suæ minùs congruere, séque non posse sustinere ea gravamina, quæ sibi à DEO immittuntur.

III. In vita S. Perpetuæ legitur, quòd Sancta quadam cum impatientia martyrium unà cum Sodalibus suis subire desiderans, gratiam à DEO obtinuerit octavo mense anticipandi partum, idque cum perfecta natæ prolis salute; Acciderit autem, quòd dum acerbissimos, quos inter parturiendum patiebatur dolores, supra modum lacrymaretur, persecutoris ministri eam interrogârint, qua ratione acerbissima martyrii tormenta, quæ pro sequenti die præparabantur, passura esset? Quibus sapiens mulier respondit inquiens: Naturæ debitas pœnas naturali tantùm virtute ægrè sustineo; quæ autem quantumvis immania pietatis causâ subire cogar, divina gratia superabit.

[*Nyss. Sabatho post 1. Dom. Quadrag. §. 3.*] IV. *Hic est Filius meus*, dicebat illi Pater æternus, cùm in cacumine gloriosi montis Thabor illustres gloriæ suæ splendores, caris servis suis festivus ostentabat, qui in probroso Calvariæ monte Patrem suum illum agnoscebat, & porrò appellabat, dicens: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum*; Luc. 33. vers. 46. Non minùs se filium illius ostendit in medijs probris Calvariæ montis, quàm inter glorias Thaboris. Ut nobis documento esset, ei, qui se Filium DEI, & filij illius naturalis æmulatorem gloriatur, premenda esse ejusdem vestigia, exprimendos mores, ut sit idem inter supplicia, qui inter delicias; idem inter pœnas, qui inter glorias, eisdémque oculis amarum, & asperum spectet, quibus suave, & dulce fuit arbitratus.

[*Ibidem.*] V. Fuit Elcana, ut sacræ habent litteræ, vir religiosus, ac devotus, duarum simul uxorum maritus, quarum una Anna, Phenenna altera vocabatur. Ex his Annam; quòd virtus ejus, & morum honestas, & publici fuga merebantur, impensiùs amabat. Improlis sancta hæc mulier, & sterilis erat, ut fœcunda Phenenna, & fructu benedictionis cumulata. Sterilitatem Annæ permolestè ferebat Elcana, quòd eam occultiùs amaret. Hoc ita constituto adoriamur mysterium, quocum sacer Textus hæc memoraturus orditur narrationem Historiæ: *Fuit vir unus de Ramathaim sophim, de monte Ephraim, & nomen ejus Elcana*; inquit primi libri Regum, primis statim verbis. Origenes Adamantius notat loquendi formulam, quâ sacer Scriptor usus, non ait, fuit vir quidam, sed, fuit *vir unus.* Dicit porrò, videri non satis attentè sic dictum, aut supervacaneum esse, quòd Religiosus hic Elcana, vir unus pronuntiatur, postquàm duo non erant, nec adeò necessarium, ut ille vir unus diceretur. Sed exploratissimum est, nec apicem

esse

Digitized by Google

esse absque Sacramento, nec sine mysterio litterulam aliquam in litteris sacris; dic nobis, magne Origenes, quid occulti huic sententiæ insit, quâ Elcana Annæ conjunx *vir unus* pronunciatur. Placet, inquit Origenes: vos ex me illud accipite. Vide, si hoc non pertinet ad laudem justi, quòd dicitur de eo. *Erat vir unus.* Nos, qui adhuc peccatores sumus, non possumus hunc titulum laudis acquirere, quia unusquisque nostrum non est unus, sed est multi. Intuere autem alicujus vultum nunc irati, nunc iterum tristis, paulò pòst rursum gaudentis, & iterum turbati, & rursum lenis, hæc ille. Non absque mysterio Elcana vir unus dicitur, qui sanctus & justus erat, eòque à peccatoribus distabat, qui multiplices sunt; Susceperat Elcana ex Phenenna liberos, ex pientissima Anna nullos habebat. Poterat horum alterum illi immodicam parere tristitiam, alterum abundans gaudium. Qualis verò Elcana, fœcunditatem Phenennæ inter, & sterilitatem Annæ, fuit? Fortè an elatus ex liberis istius, aut desperabundus ex sterilitate hujus? Non sanè. Fuit vir unus in utróque fortunæ statu, eadémque fronte excepit alterius sterilitatem, fœcunditatem alterius, neque ob illam animo lapsus, neque ob hanc elatus. habet hoc justus, & habere debet, quisquis Deo Patre gloriatur, ut sit perpetuò unus idémque, neque varius, aut multiplex, ut sunt miseri peccatores, qui pro statu rerum, in quibus versantur, vel nimium præfidunt inter felicitates, vel plùs satis impatientes sunt inter adversa.

Ibidem. VI. Quàm accurratè Paulus observabat Leges filiorum DEI, quando Philippensibus scribens, ajebat c. 4. vers. 12. *Scio humiliari, scio & abundare (ubique & in omnibus institutus sum) & satiari & esurire, & abundare, & penuriam pati.* Sed qualis in statibus Doctor gentium perseverabat? Respondet Theophilactus: Neque ob hanc laxabatur, neque ob inopiam comprimebatur. Non illum rerum copia extollebat, non inopia dejiciebat, non illum penuria tristem, non affluentia arrogantem, non esuries pusillanimem reddebat.

Ibidem. VII. Invitabat olim Sponsa Aquilonem, & Austrum, ut suo spiritu odoriferos flores amœni horti sui blandè afflarent, sic inquiens; *Surge Aquilo, & veni Auster, perfla hortum meum, & fluent aromata* illius, Cant. 4. v. 16. S. Justus Orgelitanus pressit in hac verborum formula, quòd Sacra sponsa quanquàm duos simul ventos compellaret, non, *Perflate* tamen, sed *perfla* dixit. Sed quomodo duobus ventis, quorum sunt tam diversæ, & adversæ conditiones, tanquàm uni loquitur? Auster nimirum, ut est Autor Aristoteles in Problem. sect. 4. blandus, serenus, suavis est; Aquilo èconträ rigidus, durus, asper. Secundùm hæc, quî factum, quòd cùm duo essent venti, & venti tam contrarij, tamen velut uni loqueretur, dixerit? *Perfla hortum meum*? Respondet Justus justè in rem præsentem: Quoniam in duobus unus advertitur, non ait, perflate, sed perfla; tanquàm dixisset: Quòd sponsa uno duorum tam adversorum ventorum à spiritu perflari horti sui aromata petijt, ea causa est, quoniam in duobus unus advertitur, & ventus uterque unus est. Seu Aquilonis furor omnia miscens, tentationes, tribulationes, persecutiones moveat, & ærumnas excitet, seu blandus Zephyrus consolationum, quietis, felicitatis, ac prosperitatis aspiret, utérque illi unus flatus est, nec enim emarcent ejus flores, quamquàm Aquilo furat, nec evanidi fiunt, vel si suavis Auster blandè aspiret, Quoniam in duobus unus advertitur, Justus enim DEI filius, & servus est, semper unus, constanti inter omnia vultu, & fronte.

VIII. Improvidus miles est, inquit Bellovacensis, qui se fortem in pace gloriatur; Nemo quippè quantum proficit, nisi inter adversa cognoscit. Unde in vitis Patrum sequens doctrina legitur: Hæc est magna virtus, quando in infirmitatibus tolerantia fuerit, & gratiarum actio mittitur ad DEUM. Si amittimus oculos, graviter non feramus, extollentiæ enim instrumentum amisimus, sed interioribus oculis gloriam Domini speculemur. Surdi facti sumus? Non contristemur, quia auditum vanum amisimus. Manus nostræ ex aliqua passione debilitatæ sunt? Sed interiores paratas habeamus adversus inimici tentationes. Infirmitas totum corpus nostrum tenet? sed nostro interiori homini sanitas crescit. *Bellovac. l. 1. spec. mor. dist. 80.*

IX. Quando quis qualitatem agri alicujus explorare cupit, an scilicèt sterilis sit, an fertilis, communiter illum ligone, vel aratro proscissum, ac fœtido sterquilinio contectum, deinceps seminat, vidérque qualem sequenti anno fructum producat; si enim urticas, lolia, stirpes, fruteta proferat, mox agrum illum maledictum & pessimum esse dicit. Sicut è contrà optimum pronunciabit, si laboribus, sudoribus, & culturæ agricolæ per fructum abundanter illatum corresponderit; Eodem prorsus modo, si homo per injurias, contemptus, & nonnunquam percussionibus ad livorem exceptus, in honore & existimatione diffamatus, sannis & derisionibus expositus, confestim irascatur, ac in vindictam, odium, & inimicitias prorumpat, pessimum vobis licebit de illo formare conceptum; At verò si patiens fuerit, si dissimulaverit, tacuerit, bonum pro malo reddiderit, tunc talem verum virtutis specimen edidisse liberè asseretis, quia doctrina viri per patientiam noscitur; Et ideo talis per agrum illum significatur, in quo divinum semen ex uno grano in centuplicatum fructum excrevit: *Quod autem in terram bonam, hi sunt, qui corde bono & optimo audientes, verbum retinent, & fructum afferunt in patientia.* *Blanfi disc. 70. n. 1.*

Æquitas.

X. Athletas videmus, quibus virium cura est, cum fortissimis quibusque confligere, & exigere ab his, per quos certamini præparantur, ut totis contra ipsos viribus utantur; cædi se, vexarique patiuntur, & si non inveniunt singulos pares, pluribus simul objiciuntur; marcet enim sine adverso virtus, tunc autem apparet *Seneca c. 2. de provid.*

quanta sit, quantùm valeat, polleátque, cùm, quid possit, patientia ostendit. Non vides, quantò aliter patres, aliter matres indulgeant? illi excitari liberos ad studia jubent obeunda maturè, feriatis quoque diebus non patiuntur esse otiosos, & sudorem illis, & interdum lachrymas excutiunt; At matres fovere in sinu, continere in umbra volunt, nunquam flere, nunquam tristari, nunquam laborare. Patrium habet DEUS adversus bonos viros animum, & illos fortiter amat, & operibus, inquit, laboribus, ac damnis exagitentur, ut verum colligant robur.

S. Bern. in ser. 70. in Cant. XI. Pono primam omnium innocentiam, & si huic jungere continentiam quivero, divitem me putabo in possessione liliorum. Rex sum autem, si tertiam his adjungere potero patientiam. Et quidem possunt sufficere illæ, sed quia & deficere in tentationibus possunt, siquidem tentatio est vitâ hominis super terram, opus profectò patientiâ est, quæ utrique quasi sit tutrix quædam & custos.

S. Bernardinus to. 2. serm. 66. art. 1. c. 2. XII. In Paradisum terrestrem, qui cœlestis viridarii repræsentativus erat, nemo intrare poterat, nisi priùs per flammeum Cherubini gladium pertransiret, id quod ex mente S. Bernardini denotabat, quòd cœlum non recipit nisi probatum, id est, nisi transeat per flammeum gladium atque versatilem, qui Geneseos 3. positus est ad custodiendum lignum vitæ; sed hoc nullus facere potest, nisi qui patientiam habet in sua tribulatione. Gladius quippe flammeus atque versatilis tribulatio est affligens, & crucians animam, & corpus. Exemplum patet in tritico, quod in terram projicitur, & sepelitur, quod moritur in hyeme, congelatur grandine, & pluvia maceratur, hominibus & bestijs conculcandum exponitur, & depascendum; In æstate calore siccatur, verberatur flagellis, & de palea excutitur, & conteritur inter molas, & post alias ejus vexationes in clibano decoquitur, & in his omnibus virtutem suam semper retinet, & vigorem, ideo in fine in cibum ante Regem honorificè portatur. Sic etiam vir patiens in tribulationibus perseverans, præsentabitur coram æterno Rege DEO, scilicet glorioso.

Mansi disc. 1. n. 2. XIII. Quodnam in eo latuisse putas mysterium, quòd S. Petrus egressurus è carcere Herodis in mundum, ad convertendos populos, ab Angelo jussus fuerit se calceare maximè, cùm Christus apud S. Mathæum c. 10. contrarium præceperit, ne scilicèt Apostoli sui calceos in pedibus haberent, neque calceamenta? Responderi quidem posset, nequaquam convenisse, ut calcei S. Petri apud Hebræos, & multò minùs apud impium ac sacrilegum illum Regem permanerent, siquidem coram illis in omnibus sæculis futuris omnes & singuli, etiam formidabiles totius Mundi Monarchæ, se in signum subjectionis prosternere debebant, iisque cum reverentia devotissima oscula imprimere; Veruntamen melius ad nostrum propositum in sensu morali respondet S. Antonius de Padua, S. Petrum ab Angelo jussum fuisse, ut calceis se indueret, ne in via à lapide læderentur pedes; calcei autem hi patientiam denotant, quæ est necessaria in adversis hujus mundi, quia cùm in hac vita, quamdiu sumus viatores, dum sumus in corpore, peregrinamur, ne ad quemlibet gressum impingamus ad offendiculum, allidamúsque ad lapidem pedem nostrum, hanc nobis nessariam patientiæ virtutem subministravit. Hæc autem offendicula B. Laurentius Justinianus his verbis innuit: Peregrinanti homini in hac valle miseriæ multa occurrunt adversa; aliqua ex innata infirmitate, aliqua ex inolita consuetudine: quædam ex justitia divina, nonnulla verò ex malorum hominum malignitate; Ideo ne offendamus, & lædamus pedem, mystico hoc calceo nobis opus erat.

Necessitas.

XIV. In Genesi de Isaac legitur, quòd Jacob filio suo dixerit: *Accede ad me, & da mihi osculum Fili mi*; Hoc tamen paternæ dilectionis signum in eum non contulit, nisi postquàm manuum suarum contactu, quis sit, explorav isset, id quod Hugo Cardinalis considerans ait: Post tactum demum fit osculum, id est, post patientiam flagellorum. *Mansi disc. 19. n. 5.*

Utilitas.

XV. De Viro illo Apostolico Joanne de Avila, qui superiori sæculo sacrum in Hispanijs fuit oraculum, P. Rho refert sequentia: Hujus tantæ in hominibus patientiæ vim omnem, atque ortum, præclarâ usus imagine, suis olim discipulis Avila explicabat. Vidésne fabros ferrarios, ut candentis ferri massam validis ictibus tundant, & qualibet induant figurâ? Unde tanta metallo ferendi constantia? Resiliret profectò, nisi grandi forcipe prehensum, idem qui tundit, ac fingit, sub ictu validè contineret faber, tantúmque firmando metallo, quantùm tundendo virium adhiberet, ne validiore ictu excussum artem eludat: quæ in hac nostra imbecillitate naturæ tanta esse potest animi firmitas, ut morbis, veluti malleatoribus, corpus objiciat immotum, animúmque præstet, nullâ victum querelâ? Nimirùm idem, qui affligit, allevat DEUS, & quos duriùs fingit, validiùs firmat. Idem ipse quondam nocturnis doloribus victus, cùm levissimo gemitu inducias impetrâsset ad somnum, manè ubi evigilavit, postulati pœnitens, auditúmque se dolens, à DEO egregiè vapulâsse, ac colapho cæsum fuisse, professus est; quòd patientiæ per ea cruciamenta operandi materiam sibi subtraxisset. *I. Rho. l. 6. c. 4. n. 3.*

XVI. Apud Plinium hanc experientiam descriptam reperio, quòd flammæ, quæ ex monte, qui Chymæra dicitur, erumpunt, solo compescantur fœno; eæ verò, quæ *Plinius l. 2. c. 106.*

ex

ex monte Hecla in Hybernia exsurgant, sola extinguantur stuppa; unde sequens validum formari argumentū posse existimo videlicet, si admirabiles hosce effectus operatur natura, multò magìs idem concedendum erit gratiæ, quòd nimirum per æquanimitatem, & invictam patientiam, aliorum iracundiâ excitatum incendium possit extinguere. Quas enim & quantas furoris sui flammas infernus in Jobi perniciem non evomuit? Et tamen nulla inopia, fames, morbus, cruciatus, liberorum neces, amicis, inimicis, uxore, & servis irruentibus, nulla demum humanæ miseriæ fuit ærumna, quæ non sit in ejus corpore exhausta. Quonam verò modo, ut D. Chrysostomus notat, magnum hoc patientiæ speculum ingens hoc incendium extinxit, & compescuit: Clarus hic & insignis victor impetum omnem mira virtute sustinuit; sola patientia fuit fœnum, & stuppa, quæ ingentem illam flammam sine ulla sui læsione suppressit.

Mansi dis. 17. n. 1. XVII. Cùm Philistæi arcam Domini in prœlio cum Israëlitis habito, in prædam accepissent, DEUS illos punire volens, præter immissam inter illos ingentem murium multitudinem, eosdem pariter in secretioribus corporis partibus per pœnosam valdè & fœtidam infirmitatem castigavit; quod flagellum à se removere satagentes, satrapas suos consuluerunt de adhibendo remedio, à quibus fuêre persuasi, ut mures aliásque effigies aureas funderent, iisque DEO Israël oblatis, Arcam fœderis Hebræis denuò restituerent; Quo adimpleto satraparum consilio, protinùs inter illos omne flagellum cessavit, omnia autem hæc in figura contingebant illis; siquidem DEUS per hæc nos erudire voluit, ut flagella ferrea & chalybea, quibus castigamur, & cædimur, per veram, virtuosam, & voluntariam patientiam, aurea redderemus, tunc enim futurum fore, ut à flagellis liberemur æternis, efficiamúrque ex Philisthæis Israëlitæ, id est, videntes DEUM.

Ibid. n. 4. XVIII. Si Principi alicui integram deberes auri millionem, quæ summa quædam est, cujus solutio tibi, utpotè viro pauperi & egeno, esset omninò impossibilis, nunquid magnam tibi censeres fieri gratiam, si idem Princeps creditor tuus suum tibi panderet ærarium, ut acceptis exinde thesauris suis posses illi satisfacere? Utique gratiam illam omninò velut immensam ubique deprædicares. Simile verò quid fit in præsenti, nam patientia ingens quoddam DEI donum est, maximúsque thesaurus, hæc enim moneta quædam est tanti valoris atque pretij, ut per illam summam quantumvis grossissimam peccatorum tuorum diluere possis; Cogita igitur, quòd, quando DEUS aliquas tibi adversitates, aut sinistros eventus immittit, ipse tunc ærarium suum tibi ad solutionem debitorum tuorum faciendam aperiat.

Pennequin, dissert. 7. n. 11. XIX. Dixit aliquando S. Birgittæ, beata Agnes Martyr: Veni, filia, & impone tibi coronam factam ex septem lapidibus pretiosis. Primus lapis est Jaspis, quem tibi imposuit contumeliosus ille, qui tibi dixit; nescire se, quo spiritu loquereris; utiliúsque tibi esse, si more aliarum mulierum filia duceres, quàm de scripturis disputares. Secundus lapis est Saphyrus, ab illo tibi impositus, qui coram tibi faventia verba dicebat, à tergo verò detrahebat. Tertius Smaragdus, quem apposuit ille, qui falsa tibi imposuit, dixítque, te protulisse ea, quæ nec cogitâras, nec dixeras. Quartus est Margarita, quam tibi imposuit ille, qui te præsente amicum DEI vituperavit, ex cujus vituperio plus turbabaris, quàm de tuo. Quintus est Topazius, ab illo tibi impositus, qui amara tibi loquebatur, cui è contra benedixisti. Sextus est Adamas, ab illo tibi appositus, qui corporale damnum tibi intulit, quod patienter tulisti, nec eum dehonestare voluisti. Septimus est Carbunculus, hujus occasionem dedit tibi ille, qui filium tuum Carolum vitâ functum falsò denunciavit, quod, committens DEO voluntatem tuam, tulisti patienter. Constans esto, filia, & cùm tuæ coronæ alij præterea lapides desint, pro illa amplianda sanctos imitare, qui ex probatione illustriores facti sunt.

XX. S. Mechtildi Christus dixit: qui gravamen aliquod, vel dolorem etiam permodicum tali intentione præfert, ut proponat pro amore & laude nominis mei, libenter majorem dolorem, vel laborem sustinere, si id mihi placeret, is quantumcunque aridum, & peccatorum rubigine obductum cor habeat, in ipsa hora revirescit, & gratiæ meæ capax efficitur. *Blosius in conclav. animæ c. 10.*

XXI. Memoranda hoc loco est porta illa ferrea, quæ ad urbem Hierosolymitanam ducebat, quæ Angelo & S. Petro ultrò aperta est, quando ruptis & solutis catenis è carcere egrediebatur; S. Petrus autem eo in loco hominem patientem tunc præfigurabat, qui solutis vinculis, quæ eum in hujus corporis carcere vinctum tenent, cœlestem Hierosolymam portis ultrò apertis ingreditur; venerunt ad portam ferream, quæ ducit ad civitatem, quæ ultrò aperta est eis. Ubi S. Bernardus ait: Porta cœli humilis patientia, quæ est porta ferrea, ducens ad civitatem. *Act. Apost. 12. v. 10.*

XXII. Apud Jobum dicitur: *Ab Aquilone aurum venit*; At verò scire percuperem, cur potius in gelido Septentrione, quàm ab alijs Mundi partibus auri venæ reperiantur? S. Bonaventura hac de re ita scribit: Prudens facit solvere omnia debita sua de his, quæ nihil videntur valere, scilicet de malis pœnæ, quæ sustinet, ut DEUS remittat sibi debitum culpæ, & solvendo nihil expendit de suo, imò de his, quæ accepit ab initio, sicut de opprobriis & contumeliis, solvit quæcunque, & quidquid debet DEO; & cum alienis se retinendo, scit acquirere gratiam in præsenti, & gloriam in futuro; & ideo dicitur: *Ab Aqui-* *S. Bonav. in Diat. sal. tit. 9. c. 7.*

quilone aurum venit, quod patiens acquirit in tribulatione.

Dignitas.

S. Bern. serm. 7. super Psal. Qui habitat.

XXIII. In honorem quidem Prophetæ Regii in libris Regum dicitur: *Sedens in cathedra sapientissimus*; Et tamen ex altera parte jumentum se appellat, inquiens: *Ut jumentum factus sum apud te.* Quæ duo, scilicet sapientia, & jumentum, cui ignorantia & stoliditas attribuitur, inter se contraria esse videntur: Et tamen S. Bernardus utrumque inter se conciliat inquiens: Puto, imò non puto, sed scio similitudinem aliquam jumentorum homini commendari, sed planè non eam, quæ in non intelligendo, & insipientiæ, sed sapientiæ imitatione consistat. Neque enim succensentis similiter, sed ne plangentis quidem videretur vox si dixisset: Homo cùm sub onere DEI esset, non recalcitravit, ut jumentum factus est apud eum &c. ut jumentum esto, minimè tamen jumentum, patienter quidem sustinens onus, sed honorem intelligens. At verò quisnam est honor ille, de quo S. Doctor loquitur? Ille nimirùm, quem Apostolus indicat, dum suadens inquit: *Glorificate, & portate DEUM in corpore vestro.* Etenim inter omnia animalia nullum à filio DEI magìs honoratum fuit, quàm jumentum, hoc enim in nativitate sua juxta præsepe positum habere voluit, ut halitu suo ejus calefaceret corpusculum; Similiter in triumpho Palmarum asinum elegit, cui insideret, non equum: *Sedens super asinam*, idque ob illam præcipuam causam, quia asinus Patientiæ typus est; DEUS enim in animabus hac virtute dotatis, libenter quiescit.

Tertull. de patient. c. 1.

XXIV. Bonum etiam, qui cæcè vivunt, summæ virtutis appellatione honorant; Philosophi quidem, qui alicujus sapientiæ animalia reputantur, tantùm illi subsignant, ut cùm inter sese variis sectarum libidinibus & sententiarum æmulationibus discordent, solius tamen patientiæ in communi memores, huic uni studiorum suorum commiserint pacem.

Mansi disc. 6. n. 4.

XXV. David à Saule ad mortem quæsitus, poterat in spelunca Odolla ad sui defensionem injustæ Saulis persecutioni ponere terminum, per unicum solùm lanceæ ictum cordi Saulis impactum, simúlque diadema Regium à Regis vertice sublatum capiti suo imponere; veruntamen per heroicam patientiam, non solùm appetitum vindicativum interius exstimulantem devicit, verùm insuper omnibus se opposuit, quos secum habebat, militibus, qui omni cum conatu eum adigere conabantur, ut manu ferro appositâ se & illos per mortem Saulis ab imminentibus periculis eximeret; Quæ omnia cùm impius Rex intellexisset, tantæ patientiæ, & mansuetudinis actum admiratus, Davidem filii titulo honoravit, atque amarè flens, illiusque sanctitatem in conspectu omnium deprædicans, in hæc verba prorupit: *Nunc scio, quia certissimè regnaturus sis, & habiturus in manu tua Regnum Israël.* Et quidem argumentum, quod formabat, infallibile erat; intelligebat námque, quòd tot virtuosos patientiæ actus exercendo, colligebat in sinu patientiæ lapides pretiosos.

Idem disc. 4. n. 7.

XXVI. Dixit olim DEUS ad Moysen: *Constitui te DEUM Pharaonis.* At verò quanam præcipuè in re se obstinati hujus Regis DEUM esse monstravit? Scio quidem, quòd hanc divinæ omnipotentiæ delegationem super creaturis ostenderit, Elementa v. g. obedire faciendo; transmutando aquas in sanguinem, cœlum grandinibus, turbinibus, fulminibus armando; veruntamen Pharao in propria persona ab omnibus illis decem plagis exemptus fuit. Veruntamen dubium hoc facile solvitur, dicendo, quòd Moyses DEI patientiam æmulari volens, patientiam & ipse diuturnam cum Pharaone habuerit exspectando eum ad pœnitentiam. Unde Oleaster ait: Expende quæso, quanta sit dignitas sancti Moysis, quem DEUS sic evexit, ut DEUM Pharaonis constituerit, & similiter, quanta sit misericordia ejus, ut non illum statim occideret, sed patientiâ, quasi DEI, tulerit, & monuerit.

S. Ambros. l. 1. de offic. c. 7.

XXVII. S. Ambrosius Moysen à Spiritu sancto commendatum, velut virum totius generis humani mansuetissimum (*Erat Moyses vir mitissimus super omnes homines*) admirans ait: Quantas à populo illatas Moyses absorbebat contumelias, cùm miti sermone post injurias appellabat, quomodo consolabatur in laboribus, oraculis deliniebat; fovebat oneribus? meritò æstimatus & super homines, ut & vultui ejus non possent intendere.

S. Zeno, serm. de patientia.

XXVIII. Diu ante illum Joseph patriarcha divinam æmulatus fuerat patientiam, de quo proinde S. Zenno ita scribit: Joseph patiens invenitur è pascuo, cùm à fratribus capitur; patiens, cùm in puteum demittitur; Patiens, durâ cùm hastâ distrahitur, patiens in carcere; in regno patientior, patientissimus desideratos cùm fratres agnosceret, & ubi jactantia se non potest continere, positus in honore continuit. Cœlestis profectò est ipsa patientia, quam à suo statu, non ærumna, non felicitas, non affectus potuit commovere.

S. Gregor. apud Bellovac. l. 1. dist. 88.

XXIX. Minor est victoria, urbes expugnare, quia extra sunt, qui vincuntur; majus autem est, quòd per patientiam vincitur, quia ipse à se animus superatur; Unde Bragmanni scripserunt Alexandro, quòd pugnabat contra hostes exteriores, quos vincebat, ut nutriret hostes interiores, à quibus vincebatur, quos dicebant animi sui impetus, & cupiditates. Aristoteles contra Alexandrum, cùm nollet cuidam iracundiam remittere, probavit ei, quod nobiliorem triumphum acquireret, vincendo seipsum, quàm in eo, quòd vicerat, & sibi subjecerat totum mundum; quòd si se, vel animum suum non vinceret, non erat victor, sed victus.

Mansi disc. 14. n. 4.

XXX. S. Gregorius magnopere celebrat factum illud Davidis, quando se à Michol con-

conjuge sua per adeò vituperosum ludibrium patientissimè audivit contemni, eò quòd saltâsset coram Arca Domini; Ita enim S. hic Pontifex loquitur: Quid de ejus factis ab aliis sentiatur, ignoro; Ego David plùs saltantem stupeo, quàm pugnantem. Quæ sententia primâ facie paradoxa esse videtur, an non enim S. Gregorius memoriâ suâ tenet illam contra Goliath reportatam à Davide victoriam? An oblitus est tot stragum, quas inter Philisthæos armis suis ad immortalem gloriam paravit? An illa memoriam ipsius effugiunt facinora, quibus generositatem suam omnibus retro sæculis probavit? Quam habent modici saltus proportionem, cum mortificatione prædictorum facinorum patienter tolerata? Veruntamen causam asserti Pontificii ex ejus velim ore auscultetis; Dicit igitur: Pugnando quippe hostes subdidit, saltando autem & patiendo insultus, semetipsum vicit. B. Laurentius Justinianus de viro patiente ait: Vincit se ipsum; quod genus vincendi rarissimum, & nobilissimum est; *Melior est*, inquit scriptura, *vir patiens viro forti, & qui dominatur animæ suæ, expugnatore urbium*; Innumerabiles sunt, qui populos, qui urbes in potestate habuerunt, paucissimi, qui se.

Nyss. §. 8. fer. 4. post 2. Dom. quad. XXXI. Magnum mysterium habet, quòd Christus, antequàm in crucem penetraret, permisit, ut sibi albæ vestis irrisorio amictu Herodes illuderet. Quare concesserit, ut vestimentum illi album injicerent? Ut significaret id, quod dicere cœpimus. Plutarchus Problem. 46. ait: eos, qui Romæ Magistratum petebant, candidâ veste indutos fuisse, atque ex illa dictos Candidatos. Christus ergo priusquàm crucis copiam nactus est, candidè vestijt, ut significaret, suæ se crucis fuisse ambitiosum, res nimirùm, tam præstans, ac divina, qualis est pro DEO pati, seriò admodùm expeti, & ardentissimè prensari debet. Faxit DEUS, ut tantum bonum, felicitatémque tam sublimem obtineamus, ut æquanimiter tolerantes præsentes ærumnas, perveniamus ad lauream gloriæ futuræ.

Idem §. 2. fer. 6. post 4. Dom. quadrag. XXXII. Magdalena Christum frequenter, ac tam familiariter attrectavit, ut ipse, cùm eam adversus Pharisæi murmura defensaret, diceret: *Ex quo intravit, non cessavit osculari pedes meos*; Luc. 7. 45. Et Lucas ipse 6. 19. ait: *Omnis turba quærebat eum tangere*, tangique ab omnibus promiscuè Christus patiebatur. Revixit, cúmque Magdalena rem in pristino statu versari arbitrata, pro nupero more libare pedes ejus vellet, audivit: *Noli me tangere*; Joan. 20. 17. qui tamen Thomæ manibus palpari permisit, inquiens: *Infer digitum tuum huc, & affer manum tuam.* Ibid. v. 27. Quæstio nunc est, cur se antea tangi passim ab omnibus permisit, post resurrectionem verò etiam suam Magdalenam à suo attactu prohibuit, & Thomæ tamen ad palpandum obtulit? Quî hoc jam Magdalena demeruit? quo se facinore attaminavit, ut tractari ab illa sacrum Corpus suum Christus noluerit? voluit sine dubio Dominus indicare, quantùm distet corpus, dolores, cruciatus, mortem expertum, ab inexperto. Nam ut corpus passione sacrum manet, consecratúmque, ita ille ante suam passionem ab omnibus palpari permisit, at post mortem toleratam dicit Magdalenæ: *Noli me tangere*, tractari deinceps à te corpus meum non debet, quod Cruce & reliquis tormentis, quæ pertulit, sacratum fuit, religiosè illud posthac coli, magnáque in veneratione esse debet. Dicas mihi: Quomodo ergo Thomas illud palpavit? Immò id rei nostræ robur addit. Vides calicem, & patenam à viris, mulieribus, denique ab omnibus sine discrimine attrectari, moxque dicis: Res istæ non sunt consecratæ, at quando soli ministri contingunt, qui tractandi usum, potestatémque habent, inquis: consecratæ sunt. Christus ergo antequàm passus, cùm omnis turba quærebat eum tangere, non prohibuit, post passionem verò à Thoma, tanquàm Sacerdote, qui hoc e Officio posset, palpari permisit. Quod totum Redemptor noster fecit, ut in se ipso nobis indicaret, quàm magnificum sit, pati, cùm ille post passionem Corpus suum, quanquàm idem ipsius esset, reverentiùs haberi, & religiosiùs, quàm antè coli voluit.

XXXIII. Postquàm S. Job ab omnibus ærumnis suis respirârat, & in statum pristinum redierat, *venerunt ad eum omnes fratres sui, & universæ sorores suæ, & cuncti, qui noverant eum priùs, & comederunt cum eo panem in domo ejus, & consolati sunt eum super omni malo, quod intulerat Dominus super eum*, Job 42. 11. quod non fecerunt, quandò ille in medijs angustijs positus, magìs eorum consolationem requirere videbatur. Jam mala illius omnia prætererant, jam calamitatum illius mare deferbuerat, quid ergo nunc eum consolabantur? nam ubi nihil ærumnarum sit, non videtur esse locus consolationi, & compassioni, inquit insignis Historiæ hujus Interpres Pineda. Respondeo. Consolabantur illum non de adversitatibus jam exantlatis, sed quia viderant tam incommodam fortunam tam æquanimiter, tantáque cum voluptate tolerâsse, ut vermes, qui ex vivo illius cadavere scaturierant, gemmarum loco, & sterquilinium velut thronum Regium, & juges pœnas pro summa gloria habuerit; itaque consolati sunt eum non de alio, quàm quòd jam pati cessâsset: Nam ut vir justus quisque præsentes ærumnas pro summa felicitate habet, felicitatem autem ærumnarum loco; sic, dum benè cum illo agitur, solatio opus habet, dum autem exercetur incommodis, & affligatur adversis, nullius compassionem, aut commiserationem requirit; quod enim optabilius animæ refrigerium, quàm pro Deo pati? *Idem §. 1. Dom. 10. post Pent.*

XXXIV. Vide, quàm veraciter dictum, pro DEO pati gloriosum esse: *Intonuit de cœlo Dominus, & altissimus dedit vocem suam*; inquit David Psal. 17. vers. 14. De quo cœlo David loquitur, & quando Dominus dedit vocem suam, qui singulari mysterio hîc altissimus audit? S. Ambrosius l. 3. de fide c. 2. ait: Dubitari non potest, quòd altissimus Christus sit, cùm Da- *Idem §. 5. sabb. post Cin.*

vid dixerit de mysterio suæ passionis, *Altissimus dedit vocem suam.* Unde vocem suam dedit? E cœlo crucis, quando pro hominibus duros, ac diros ferebat cruciatus, & loquebatur verba, quæ illum Evangelistæ pronuntiâsse affirmant. Itanè verò Regius Propheta nomine Altissimi donat cœlorum Regem, quando illum probris dehonestatum, crucis ignominiosissimo ligno, flagitiosissimi, sceleratissimique instar, fixum, tam ferali passioni expositum, Propheticis oculis indè arbitratur? Immò hoc agit, ut tali nos exemplo doceret, tam sublimem rem esse, pro DEO pati, ut fastigium suum supra omnia mundana, quamvis excelsa, attollat. Ergo benè dixi, felicem hanc navem nunquàm magìs altam fuisse, quàm cùm alto in mari tempestatibus exposita fuit. Nimirum tanta est sublimitas, pro DEO pati.

Ibidem. XXXV. Altissimus fuit hac de re sancti Cypriani cogitatus, qui, ut consolatorijs litteris sanctum Lucium Papam, propter fidei defensionem exilio mulctatum confirmaret, rogabat, ut cogitaret, Româ se pulsum, non ut pastor urbem destitueret, sed ut dignitate auctus aliquando reverteretur: Non ut Episcopus relegatus, & pulsus Ecclesiæ deesset, sed ut ad Ecclesiam major rediret, inquit D. Cyprianus epist. 58. Ubi ad verba hæc extrema, ut major rediret, vos attentissimos velim. Sciscitari hìc lubet, quomodo Cyprianus dicere potuit, Lucium relegatum, & exulare coactum esse, ut major rediret, qui Ecclesiæ Episcopus universalis erat, & Vicarius Christi, & quidam in terris Vice-DEUS, adeò in ipso apice supremæ dignitatis constitutus? si tantùm simplex Sacerdos, aut etiam Episcopus qualiscunque emigrâsset, atque in ipso exilio summi Pontificatûs honorem adeptus fuisset, rectè dixisse Cyprianus videretur; Sed quòd major redire potuerit, qui Pontifex summus exierat, id difficile intelligitur. Quid ergo est, quod dixit Cyprianus? Præclara quædam auxesis, & exaggeratio fuit, quâ D. Cyprianus exprimere voluit, quàm sublimis res sit, pro DEO exilium, sivè aliud quidpiam pati, & indicare, si quis Pontifice summo altior esse posset, eum non alium fore, quàm qui pro DEI honore sive tutando, sive asserendo, adversa in hoc mundo tolerat.

Tertullianus lib. adversus Marcionem c. 1. XXXVI. Tertullianus tantam ait fuisse olim Martyrum existimationem, ut, qui ab Ecclesia, & fide, seu fragilitate, seu necessitate defecerant, tum verò erratorum & reatuum suorum pœnitentes redire ad Orthodoxiam vellent, non priùs admitterentur, quàm Martyrum suffragijs & calculis, ex animo profectam resipiscentiam, certum facerent: Pacem quidam in Ecclesia non habentes, à Martyribus in carcere exorare consueverunt, inquit ille; & Pamelius in illorum verborum commentario: Vide quanta fuerit olim Martyrum authoritas, quæ sola facere fidem ijs poterat, qui fidem deseruerant, ut fidelium cœtui denuò insererentur.

Jucunditas.

XXXVII. Dignum consideratu est, quod amanti Sponso cum sua chara Sponsa evenit. *Messui myrrham meam cum aromatibus meis, ajebat* ille Cant. 5. v. 1. Indubitatum est, hoc loco nomine myrrhæ significari omnes afflictiones, persecutiones, calumnias, injurias, labores, & quæcunque pro DEO adversa tolerantur. Quid opus dicere, quòd ita sentiant uterque Gregorius, Nyssenus scilicet, & Magnus, Apponius, Philo, Isidorus, Beda, & alij plures, cùm res sit tam nota, & vulgata? Quod ergo Sponsus Sponsæ ait, messuisse myrrham suam amaram, perinde fuit, ac si jussisset venire, & pati persecutiones, probra, ærumnas; ad myrrham, ad labores, & persecutiones sponsam invitat, inquiunt isti Patres. Sed quem in locum eam vocat, cùm ad amaram persecutionum myrrham, & diram laborum tolerantiam invitat? *veni in hortum meum, soror mea Sponsa*, dicit. Ad horti mei gratas amœnitates te voco. Gilbertus serm. 40. in Cant. dicit: De craticula vocatur ad hortum, & dum in craticula erat, ab horto non aberat. Ab ardente laborum, & persecutionum craticula (quæ est myrrha) vocata fuit Sponsa ad jucundum hortum, ut de ærumna una transiret ad aliam, & cruciatu hoc ad illum, & quamdiu in his miserijs versata fuit, non excessit horto: De craticula vocatur ad hortum, & dum in craticula erat, ab horto non aberat. *Nyss. in Phem. l. 7. c. 4.*

XXXVIII. Quid est præcipuum, inquit Seneca, in tolerantia ærumnarum? posse læto animo adversa tolerare, quidquid acciderit, sic ferre, quasi tibi volueris accidere. Flere, queri, ingemere, desciscere est. Ita Seneca in præfat. ad lib. natural. qq. Quod excellentissimum patientia habet, illud est, ut hoc à se obtineat, qui in ærumnis miseram degit vitam, ut hilari animo adversa ferat, lætòque vultu, cum risu ea excipiat, & omnem infelicitatem & calamitatem tam gratanter admittat, acsi ipse sibi eam expetiisset, & accersiisset. Hoc est præcipuum patientiæ insigne; nam qui sub onere ingemiscit, qui plorat, & querulus est, ille supremæ Philosophiæ partibus, & scholæ, quæ rectè & generosè patiendi disciplinam tradit, obligationi minimè satisfacit. *Ibidem.*

XXXIX. S. Franciscus, qui talem fundavit Religionem, quæ veræ perfectionis & sanctitatis basis est, & fundamentum, patientiam in suis primis Discipulis permagni æstimavit, eo vel maximè, ut qualis singuli Spiritûs essent, exindè experiri valeret; unde in Opusculis suis ita scribit: Quamvis fratres minores in omni terra dent bonum exemplum magnæ sanctitatis, & ædificationis, ibi tamen non est perfecta lætitia; & quamvis frater *Opusc. S. Franc. to. 1. c. 18.*

ter minor illuminet cæcos, contractos extendat, Dæmones pellat, surdis auditum, claudis gressum, mutis verbum restituat, & quod majus est, quatriduanum resuscitet mortuum, ibi non est perfecta lætitia. Et si Frater Minor sciret omnium gentium linguas, & omnes scientias, & scripturas, ita ut sciret prophetare, & revelare non solùm futura, sed etiam conscientias aliorum, ibi non est perfecta lætitia. Si Frater Minor loquatur linguâ Angelicâ, & sciat stellarum cursus, & virtutes herbarum, & sint ei revelati omnes thesauri terrarum, & si cognosceret virtutes, & proprietates avium, piscium, animalium, hominum, radicum, lapidum, arborum & aquarum, ibi non est perfecta lætitia. Et si frater Minor sciret tam solemniter prædicare, quòd converteret omnes infideles ad fidem; ibi non est perfecta lætitia. Sed quando venimus ad locum S. Mariæ de Angelis sic balneati pluvia, & frigore congelati, luto etiam deturpati, & fame afflicti, & ad portam loci pulsabimus, & veniet portarius iratus dicens: Qui estis vos? Et nos dicemus: Sumus duo ex fratribus vestris; Et ille è contrario diceret: Imò estis duo Ribaldi, qui itis circumquáque per mundum, pauperum eleemosynam rapiendo, & non aperiret nobis, sed faceret nos stare ad nivem & aquas, in frigore, & fame usque ad mortem, tunc si nos tot injurias, & repulsas sine turbatione & murmuratione toleraverimus patienter, & cogitaverimus humiliter, & charitativè, quòd ille Portarius veraciter nos cognoscit, & quòd DEUS excitat linguam illius contra nos; scribe, quia ibi est perfecta lætitia; Et si nos in pulsando perseveraverimus, & ille tanquam importunus exeat contra nos, & durissimè nos afficiat alapis dicens: Recedite hinc, vilissimi pultrones, & ite ad hospitale, qui enim estis vos? Hîc penitus non manducabitis; Et si nos patienter hæc portabimus, & injuriati cum amore pepercerimus ex toto corde; scribe, quia ibi est perfecta lætitia; Et si nos undique afflicti, fame urgente, frigore affligente, nocte insuper appropinquante pulsabimus, clamabimus, & fletu instabimus, ut aperiat nobis, & inde ille stimulatus dixerit: Isti sunt homines procacissimi & protervi, & exiens cum uno fuste nodoso, capiens nos per caputium, ad terram super nives & lutum projiciet, & nos verberabit cum fuste, & nos plagis implebit, si tot mala, tot injurias, & verbera cum gaudio toleramus, considerantes, quòd pœnas Christi benedicti tolerare, & portare debemus, scribe, & nota diligenter, quòd ibi est perfecta lætitia, & audi conclusionem. Inter omnia charismata Spiritûs sancti, quæ Christus servis suis concessit, & concedet, præcipuum est, vincere se ipsum, & libenter propter DEUM, & charitatem DEI opprobria sustinere. Ex qua tam sancti & illuminati viri doctrina evidenter colligitur veri spiritûs, perfectæque sanctitatis specimen, à patientia longè clariùs, quàm à quocunque alio dono, aut virtute desumi & colligi.

§. IX.

AXIOMATA.

I. Cuivis dolori remedium est patientia. *S. Gregor.*

II. Agere & pati fortia, Romanum (aut potiùs Christianum) est. *Mutius Scævola.*

III. Benè facere, & mala pati, Christianum est. *Philo Carpathius.*

IV. Tantò quisque ostenditur minùs doctus, quantò convincitur minùs patiens. *S. Greg. homil. 35. in Evang.*

V. Doctrina viri per patientiam noscitur. *Prov. 19.*

VI. Nil crus sentit in nervo, cùm animus fuerit in cœlo. *Tertul. c. 2. ad Mart.*

VII. Non sentire mala sua, non est hominis; Non ferre, non est viri. *Seneca de consol. ad Polyb.*

TITULUS LV.

PAUPERTAS.

§. I.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Qualitas.

S. Basilius in Reg. brev. interrog. 205. I. Hi sunt mendici spiritu, qui non aliam ullam ob causam ad mendicitatem devenerunt, quàm ob doctrinam Domini, qui dixit: *Vade & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus.*

S. Hieron. apud Mansi tr. 69. disc. 1. n. 1. II. Ne quis autem putaret paupertatem, quæ nonnunquam necessitate portatur, à Domino prædicari, adjunxit: *Spiritu*; ut humilitatem intelligeres, non penuriam. Unde pauperes spiritu sunt, qui propter Spiritum Sanctum voluntate sunt pauperes.

S. Bernardus serm. 1. in vig. Nativit. III. Errat, qui sublimia palatia quærenda esse arbitratur, ubi cum gloria Rex gloriæ susciperetur, sed non propter hoc à Regalibus sedibus venit, nam *in sinistra ejus gloria, & in dextera longiturnitas vitæ.* Horum omnium affluentia in cœlis suppetebat, sed paupertas non inveniebatur in eis, in terris autem abundabat, & superabundabat hæc species, & nesciebat homo pretium ejus; Hanc itaque DEI Filius concupiscens descendit, ut eam eligat sibi, & nobis quoque sua æstimatione faciat pretiosam. Reclinavit eum in præsepio, & pannis eum involvit.

Necessitas.

S. Francisc. opusc. 1. coll. 5. IV. Evangelica hæc paupertas nostri Ordinis est fundamentum, cui substrato primariè sic omnis structura Religionis innititur, ut ipsius firmitate firmetur, & eversione funditus evertatur.

Utilitas.

Orig. tr. 8. in Matth. V. Simul ut tradiderit bona sua pauperibus, dicimus eum quasi receptaculum DEI factum, suscipere omnes virtutes, & malitiam universam ponere.

S. Francisc. opusc. 8. VI. O Domine JESU Christe, ostende mihi semitas tuæ dilectissimæ paupertatis; scio enim, quòd testamentum vetus, novi fuit figura. Illis promisisti, quia omnis locus, quem calcaverit pes vester, vester erit; calcare est contemnere; paupertas omnia calcat, ergo est omnium Regina.

S. Ambros. l. 5. in Luc. VII. Primam hanc beatitudinem uterque Evangelista posuit; Ordine enim prima est, & parens, generatióque virtutum.

VIII. Nutrix est confidentiæ, orationis adjutorium, peregrinationis exhortatio, & perfectionis porta, sine qua nemo coram DEO in spiritu diu perdurare poterit. S. Laur. Iust. de lig. vit. c. 1.

IX. Exterminat paupertas iniquitates per subtractionem occasionum peccandi, quia sicut cum affluentia divitiarum crescunt, sic voluntariâ paupertate minuuntur. Idem. c. 1.

X. Paupertatem scitote fratres specialem viam esse salutis, tanquam humilitatis fomentum, perfectionísque radicem, cujus est fructus multiplex, sed occultus. Hæc enim est Evangelici agri thesaurus absconditus. S. Bernard. serm. 1. in festo Om. SS.

XI. Pauperes spiritu etiam in hac vita jam re ipsa regnant, regno planè cœlesti, longè feliciùs, quàm Reges & Principes terræ. Hi enim ut plurimùm veriùs gravissimam serviunt servitutem, quàm regnant, multos enim patiuntur tyrannos, discrutiati ab avaritia, ira, livore, cupiditate bonorum, ac vindictæ. At homo humilis terrenarum facultatum ac bonorum inops, liber est ab hujuscemodi curis, tranquillo semper existens pectore, securè exspectans dona cœlestia. Cornel. Iansenius apud Mansi. tr. 69. disc. 5.

XII. Pauperibus claves regni cœlorum non tantùm promissivè, sed possessivè conceduntur; Hujusmodi ratio est, quia Evangelica paupertas nihil habet, quod mundi sit; sed quia prudentissimus Creator & gubernator, nullam creaturam sine loco fecit, cùm paupertas locum in mundo non habeat, ideò ei possessivè ex nunc cœlicas sedes dedit. S. Bernardinus t. 3. serm. 2. de multip. pauper. art. 3. c. 3.

XIII. Hæc est illa celsitudo altissimæ paupertatis, quæ vos charissimos fratres meos hæredes, & reges cœlorum instituit, pauperes rebus fecit, virtutibus sublimavit; hæc sit portio vestra, quæ deducit in terram viventium. S. Franc. op. 8. c. 6.

Dignitas.

XIV. De illis, qui expeditis aut omnibus, aut penè omnibus sarcinis, Salvatoris viam sequuntur, & Dominum JESUM Christum, non sanctitate tantùm, sed etiam paupertate imitantur, nihil est, quod dici possit, nisi illud tantùm, quod etiam Propheta dixit: *Mihi autem nimis honorati sunt amici tui DEUS.* Salvian. l. 2. ad Eccl. Cath.

XV. Hos ego non aliter, quàm imitatores Christi honoro; non aliter, quàm Christi imagines colo, non aliter, quàm membra Christi suscipio. Idem.

XVI. Cœlestem monstravit (Christus) esse paupertatem, cùm non habere, neque velle terrena, gerat similitudinem Angelorum, qui ter- S. Bernard. l. c.

terrena concupiscere, neque possidere noverunt, Angeli sunt terrestres.

Guenir. Abbas in fest. OO. SS. XVII. Rectè itaque Dominus beatitudinem prædicans pauperum, non ait: *ipsorum erit Regnum cœlorum*, sed est: non solùm propter Jus firmissimum, non solùm quia paratum est eis ab origine mundi, sed etiam, quia in quandam ejus possessionem cœperunt introduci, jam habentes thesaurum cœlestem in vasis fictilibus, jam portantes DEUM in corporibus suis, & cordibus. Quàm beata gens, cujus est Dominus DEUS ejus! quàm vicini sunt DEI Regno, qui Regem ipsum, cui servire regnare est, jam possident, & gestant in corde suo.

Iucunditas.

S. Ambros. l. 1. epist. 1. XVIII. Verè dives, qui in conspectu DEI potest dives videri, in cujus conspectu terra exigua, mundus ipse angustus est, sed solum illum DEUS divitem novit, qui sit dives æternitati, qui non opum, sed virtutum fructus recondat. Quis autem ante DEUM dives, nisi quietus & modestus spiritus, qui nunquam corrumpitur? Nónne tibi videtur dives, qui habet pacem animi, tranquillitatem quietis, ut nihil concupiscat, nullis exagitetur cupiditatum procellis, nec vetera fastidiat, & nova quærat, & semper desiderando fiat in summis divitijs inops! Ea est pax verè dives, quæ superat omnem mentem.

S. Bernard. apud Mansi tr. 61. disc. 5. n. 1. XIX. Quod pauperes spiritu jam quodammodo in præsenti sint beati, clarescere etiam potest, si considerentur quatuor, quæ paupertas spiritus conformia facit statui Beatorum. Facit enim impassibiles, agiles, subtiles & divites. Primò facit impassibiles, quia non dolent de temporalium amissione, imò de hoc gaudent. Secundò facit agiles, scilicet ad faciliter sequendum Christum: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.* Tertiò facit subtiles, seu graciles ad intrandum in paradysum, sicut è contra divitibus, scilicet avaris, difficile est. Quartò facit divites ad emendum Regnum cœlorum, proinde Augustinus in persona Domini ait: venale habeo; quid? regnum cœlorum. Quo emitur? Paupertate regnum, utilitate gloria, labore requies.

§. II.

EXEMPLA SACRA.

Qualitas.

S. Laurent. Iust. de lig. vit. de paup. c. 2. I. Christus cùm esset dives in omnibus, factus est in hoc mundo omnium pauperrimus, ut quàm magnum esset bonum paupertatis virtus, priùs ostenderet exemplo, quàm verbo. Sed & S. Bonaventura id confirmans, Christum, inquit, paupercula Mater pauperem peperit, ut nos ad paupertatem invitaret, & suâ inopiâ ditaret, secundùm illud: *Scitis gratiam Domini JESU Christi: quoniam propter nos &c.*

II. S. Philippus Nerius dicere solebat: vellem, quòd ad tantam redigerer paupertatem, ut unico Julio opus haberem, nec esset, qui illum mihi daret. Mansi disc. 1. n. 2.

III. P. Giojosa Capuccinus, qui unus ex primis Franciæ, multorúmque statuum, & territoriorum Dominus fuit, saccum suum, nec non & habitum sæpè indicibili cum lætitia osculari solebat, in hæc prorumbens verba: O mi habitus, parùm agnitus, paucisque notus! inassequibilis enim pariter, & inexplicabilis est quies & tranquilitas interior illius, qui paupertatem ex toto corde amplexatur. Mansi disc. 3. n. 2.

§. III.

EXEMPLUM PROFANUM.

Elianus de sapientibus Græcis testatur, eosdem bonorum temporalium inopes virtuosissimè vixisse, dicereque solitos, paupertatem subsidium esse ad Philosophiam, quia, quæ Philosophia verbis persuadere conatur; ad ea cogit paupertas. Idem disc. 2. n. 2.

§. IV.

SIMILITUDO.

Sicut pueros Babylonicos non incendit ignis, sed dissolvit eorum vincula, sic eorum, qui in camino paupertatis gratias agunt, solvuntur vincula peccatorum, & incenduntur paupertatis igne juxta illud Isaiæ: *Elegi te in camino paupertatis.* S. Laur. Iust. c. 3 de lig. vit. Isaia c. 48. v. 10.

§. V.

MISCELLANEA ET CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Utilitas.

I. Nescio, an aliquando adverteritis, quòd, quando S. Petrus coram Christo solemniter protestabantur dicens: *Ecce nos reliquimus omnia*, ab eodem Redemptore nostro apellatus fuerit *Bariona*, quod idem est, ac filius columbæ. Enim verò columba animæ puræ est symbolum, non solùm propter candorem suum, verùm etiam propter pernicissimum volatum, quo modo anima viri pauperis pernicissimo volatu in cœlum contendit. S. Hieronymus ad Exuperantium de S. Petro Bariona appellato ita scribit: Quasi diceret, quia omnibus jam nudus, velocior columbâ volare poteris ad me, nudus & levis ad cœlum evola, ne alas virtutum tuarum auri deprimant pondera; elementa enim, quæ naturâ suâ gravia sunt, deorsum semper tendunt. B. Humbertus de utilitate paupertatis c. 20. ita scribit: Elementa levia sursum tendunt, sic & fratres, qui se omnibus perfectè nudant, liberè cœlos petunt. Mansi disc. 5. n. 8.

II. Ex libro quarto Regum constat, quòd, dum S. Hieron. epist. 34.

dum Elias in curru igneo raperetur in cœlum, deorsum cadere suum permiserit pallium. Sed cur id factum esse arbitraris? Num fortè timebat, ne ab igne combureretur? Nequaquà, idem namque periculum alius suis metuere poterat vestimentis. Pallium igitur Eliæ onus designat bonorum terræ hujus, quod non solùm in effectu, verùm etiam in affectu deponendum est illi, qui in cœlum evolare cogitat. Unde S. Hieronymus ait: Elias ad cœlorum regna festinans, non potest ire cum pallio, sed mundo immundo vestimentum demitti. B. Laurentius Justinianus hactenus adducta confirmat, inquiens: Qui nihil habet in mundo, quod diligat, nihil est, quod eum ab æternorum desiderio impediat, teste namque sacro eloquio, frustra jacitur rete ante oculos pauperum pennatorum, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. *B. Laurent. Just. de lig. vit. c. 1.*

III. S. Bernardinus in prooemio Sermonis secundi in paupertate, sequentem adducit parabolam: Rex quidam duas filias habuit, unam pulcherrimam, aliam turpissimam; Pulchra appetebatur ab omnibus, & honorabatur; turpem verò nullus ne dum amare, sed nec videre volebat. Hæc autem amarissimè flebat in conspectu Regis; cui Rex: Noli flere, inquit, dilectissima filia mea, nam qui in sponsam duxerit sororem tuam, nihil secum accipiet, nisi pulchritudinem ejus; Qui verò sponsam acceperit te, dabo illi Regnum meum. Mysticè autem filia pulchra est gloriosa sæculi vita, divitiis, deliciis, & magnificentiis plena; filia verò turpis, paupertas voluntaria est, plena penuriis, plena cruciatibus, plena despectionibus. Tamen voluntariis pauperibus solatium est, penuriam pati, cruciatibus fatigari, & ab insensato mundo despici, & contemni. Hanc turpem filiam, qui acceperit in uxorem, promittit ei Dominus regnum suum, dicens: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum Cœlorum.* *S. Bernard. ser. 2. in Proœm.*

Dignitas.

IV. Panem & aquam natura desiderat, nemo ad hæc pauper est, intra quæ quisquis desiderium suum clausit, & cum ipso Jove de felicitate contendet. *Seneca epist. 25.*

TITULUS LVI.

PECCATUM MORTALE.

§. I.
EX S. SCRIPTURA.

Qualitas.



I. LUcerna impiorum peccatum. *Prov. c. 21. 4.*

II. Ecce vos omnes accendentes ignem, accincti flammis, ambulate in lumine ignis vestri, & in flammis, quas succendistis. *Isaia c. 50. 11.*

III. Quasi rhomphæa bis acuta, omnis iniquitas: plagæ illius non est sanitas. *Eccl. 21. 4.*

Damnum.

IV. Polluisti sanctificationem tuam: producam ergo ignem de medio tui, qui comedat te, & dabo te in cinerem. *Ezech. c. 28. 18.*

V. Quomodo facti sunt in desolationem, subitò defecerunt, perierunt propter iniquitatem suam. Velut somnium surgentium, Domine, in civitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges. *Ps. 72. 19. 20.*

VI. Impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest. *Isaia c. 57. 20.*

VII. Parturijt injustitiam, concepit dolorem, & peperit iniquitatem. *Ps. 7. 15.*

VIII. Vidi eos, qui operantur iniquitatem, & seminant dolores, & metuunt eos. *Job. c. 4. 8.*

IX. Contritio & infelicitas in viis eorum, & viam pacis non cognoverunt: non est timor DEI ante oculos eorum. *Ps. 13. 3.*

X. Orientur in domibus ejus spinæ, & urticæ: & erit cubile Draconum, & pascua struthionum, & occurrent Dœmonia. *Isaia 34. 13.*

XI. Pavor his, qui operantur malum. *Prov. c. 10. 29.*

XII. Iniquitates suæ capiunt impium. *Ibid. c. 5. 22.*

XIII. Abscondisti faciem tuam à nobis, & allisisti nos in manu iniquitatis nostræ. *Isaia 64. 7.*

§. II.
EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Qualitas.

I. ETsi multi gehennam omnium malorum supremum atque ultimum putant, ego tamen sic censeo, sic assiduè prædicabo, multò acerbius esse, Christum offendere, quàm gehennæ malis vexari. *S. Chrysost. ho. 17. in Matth.*

II. Dicere possumus, omne peccatum esse mendacium, non enim peccamus, nisi voluntate, ut bene sit nobis, & tamen hinc malè est nobis *S. August. l. 14. de civ.*

Damnum

III. Qui semel in sinu mentis flagitii flammam *S. Ambros. in Ps. 1.*

mam' ferventis adoleverit, citò vestimenta comburet. Et ut in stipulam ignis exiliens inhæret, ac permanet, ut omne, quod corripuit, absumat, ita vel exigua scintilla peccati, si quo vitiorum fomite fuerit excitata, incendium grande excitat.

S.Hieron. in c. 10. Isaia. IV. Omnes sibi ignem succendunt, flammámque coroborant, habent enim in se fœnum, ligna, stipulam, spinas, & tribulos ac lolium, quæ æterno tradentur incendio, unde & in Proverbiis scriptum est: *In multis lignis viget ignis.*

Oleaster apud Mansi disc.1.n.7. V. Fortia nimis sunt incendia peccatorum, quæ comparantur incendio calcis, quod lapides ipsos ita comburit, ut, licèt integri videantur, intus tamen dissoluti sunt, aut proximi dissolutioni.

Did. Stella in c. 16. Luc. VI. Usitatum est unicuique, ut in propria Parochia sepeliatur: jus suum Diabolus districtè sibi defendit, nec patitur eum, qui suæ debetur Parochiæ, alio loco sepeliri.

S.Chrysol. s. 115. VII. Reus peccati plus de conscientia, quàm de gehennæ cruciatur incendio.

S. Ambros. 1. de Luc. VIII. Etiamsi (peccatores) videantur vivere, miseriores tamen sunt omnibus mortuis, carnem suam sicut tumulum circumferentes, cui infelicem infoderunt animam suam.

Cyprianus de lapsis n. 104. IX. Si quem de tuis charis mortalitatis exitu perdidisses, ingemisceres dolenter, & fleres, facie incultâ, vultu nubilo, ore dejecto, indicia mæroris ostenderes. Animam tuam misera perdidisti, spiritualiter mortuam; supervivere hìc tibi videris, & ipsa ambulans, funus tuum portare cœpisti, & non acriter plangis, non jugiter ingemiscis?

S.Fulgent. apud Mansi disc.7.n.6. X. Prima mors animæ, quam sibi homo intulit, secundæ mortis est causa; & secunda mors, quam DEUS homini reddit, primæ mortis est pœna. Et quia istam sibi homo injustus injustè intulit, illam à justo judice justè percepit, ut, qui in ista volens semen iniquitatis seminat peccator improvidus, in illa metat fructum punitionis invitus.

Dion. Carth. de pecc.enorm a. 1. XI. Cùm DEUS sit fons totius salutis, omnísque nobilitatis ac suavitatis origo causalis, constat, quòd mens creata ab ipso aversa, vera beatitudine spolietur, spirituali gratuita nobilitate privetur, & omni syncera dulcedine denudetur.

S. Antoninus ho. 31. XII. Dona spiritus in peccatore reperiri non possunt; nam sapientia per insipientiam deijcitur, ut divina non gustet; intellectus per hebetudinem obscuratur; Consilium per præcipitationem perijt, ut sine examinatione cuncta faciat; Fortitudo per pusillanimitatem & impatientiam prosternitur; scientia per ignorantiam conculcatur, non sufficienter discernens verum à falso, circa mores & fidem; pietas, quæ est DEI cultus, vel proximo subveniens, ab impietate dejicitur; & timor per superbiam absorbetur.

S. Bonav. in Theol. myst. c. 2. XIII. Scito, & vide, quia durum, & asperum est, reliquisse te Dominum DEUM tuum, duplicem infelicitatem ipsam significans incurrisse; quia enim per malitiam creaturæ inferiori inverecundè adhæsit, propter momentaneam delectationem, justo DEI judicio non oblectationem, sed amaritudinem potiùs reportabit, ut qui satiari voluit in ipsis delectationibus creaturarum, infinitis amaritudinibus repleatur.

S.Chrysost. in Ps. 48. XIV. Tale est peccatum, ut priusquam factum sit, suam velet turpitudinem, ebrietate voluptatis suam prætexens abominationem: sed postquam factum fuerit, & libidinis quidem voluptas parumper cessavit, conscientiæ autem accusatio invaserit, nudam ac solam rationem flagellans, tum maximè cernitur, quàm sit perniciosum.

S. Laur. Iust. c. 4. lig. vit. XV. Accusator erit proprium scelus; tunc loquentur simul opera nostra, & dicent: Tu nos egisti, opera tua sumus, non te deseremus, tecum erimus, & tecum ad judicium pergemus.

S. Thom. l. 3. de erudit. princ. c. 1. XIV Peccator ad se ipsum malè se habet, quoniam plùs vult se esse malum, quàm bonum, Diaboli servum, quàm DEI filium, in statu latronis, quàm in statu Regis, qui in mortali est, in statu latronis est, infernali patibulo adjudicatus.

Abulensis to. 6. in Matth. 4. XVII. Mali non verè diligunt seipsos, quia non volunt conservare integritatem interioris hominis, neque appetunt bona spiritualia ejus, neque operantur ad hoc, neque est eis delectabile convivere sibi ipsis, redeundo ad proprium cor; quia non inveniunt ibi nisi mala, quæ abhorrent; præsentia, quæ cogitant; præterita, quæ egerunt; futura, quæ timent se facturos, & passuros; & est dissensio, neque concordant sibi ipsis propter conscientiam remordentem.

§. III.

EXEMPLA SACRA.

Qualitas.

Bzovic. to. 1. hist. ord. anno 1515. I. P. Franciscus Siacca Siculus Capuccinus Borcherij ditionis Siracusanæ oppido, ad Concionem in peccatum lethale invectus, fætorem illius, extinctæ recens lampadis nidori comparans, digitum in ardentem ante summum altare lampadem intendebat, quando illa subitò, nulla cujusquam operâ interveniente, extincta tanto fætore, tam putido totum templum implevit, ut nemo eum ferre posset, omnes obturatas tenerent nares. Contrà eodem mox hominis divinâ præditi gratiâ pulchritudinem ac suaveolentiam laudante, ac lampadi plenæ balsamo accensæ comparante, eadem lucerna, ut antè suâ sponte fuerat extincta, ita iterum sponte accensa, ex se gratissimum toti concioni odorem aspiravit. Credo, ut intelligerent homines, quàm grata esset virtus DEO, tam esse illi peccatum abominabile.

Surius in vit. II. S. Catharina Senensis, impudicæ secum loquentis mulieris fætorem non tolerans, nares obturavit: Patri verò Raimundo, qui illi à Confessionibus erat, gestum hunc admiran-

ranti, dixit, se, nî hoc fecisset, præ animæ illius fœtore, fuisse vomituram.

2. Mach. c. 6. III. Quando Sacrilegi Elcazaro seniori persuadere satagebant, ut saltem se carnes à lege vetitas manducare fingeret, aut simularet, ut sacrilegi Regis Antiochi jussa exequi videretur, sanctus hic senex illos à se repellens, generosè respondit, præmitti se velle in infernum; quasi dixisset: malo vivus præcipitari in infernum, quàm culpâ coinquinari.

B. Beda l. 3. hist. Anglic. IV. Venerabilis Beda sequentem refert visionem de beato Fursco: cùm in altum esset elatus, jussus est ab Angelis, qui eum ducebant, respicere in mundum. At ille oculos in inferiora deflectens, vidit quasi vallem tenebrosam subtus se in imo positam. Vidit & quatuor ignes in aëre non multùm ab invicem distantes, & interrogans Angelos, qui essent hi ignes, audivit hos esse ignes, qui mundum succendentes essent consumpturi. Primum scilicet esse Mendacij, cùm hoc, quod in Baptismo renuntiare nos Satanæ, & omnibus operibus ejus promisimus, minimè implemus. Secundum cupiditatis, cùm mundi divitias amori cœlestium præponimus. Tertium Dissensionis, cùm animas proximorum etiam in supervacuis rebus offendere non formidamus. Quartum Impietatis, cùm infirmiores spoliare, & eis fraudem facere pro nihilo ducimus. Crescentes verò paulatim ignes usque ad invicem sese extenderunt, atque in immensam adunatæ sunt flammam, cùmque appropinquassent, pertimescens ille dixit Angelo: Domine, ecce ignis mihi appropinquat! At ille; quod non incendisti, non ardebit te, nam etsi terribilis & grandis rogus ille videatur, tamen juxta merita operum singulos examinat, quia uniuscujusque cupiditas in hoc igne ardebit; sicut enim quis ardet in corpore per illicitam voluptatem, ita solutus corpore ardebit per debitam pœnam.

Cæsarius l. 3. c. 17. V. Decem Hæretici in urbe Argentina, quæ est Strasburg, comprehensi sunt, qui, cùm negarent, per judicium candentis ferri convicti, sententiâ incendij sunt damnati. Die statuto, cùm ducerentur ad ignem, quidam ex comitantibus uni illorum dicebat: Miser, damnatus es, age vel nunc pœnitentiam, ne post incendia corporis, quæ momentanea sunt, animam tuam ignis gehennalis æternaliter comburat. Cui cùm ille diceret: considero quidem me errâsse, sed timeo, pœnitentiam tantæ necessitatis minùs acceptam esse DEO. Respondit alter: ex corde tantùm confitere: DEUS est misericors, & pœnitentem suscipiet. Mira res; mox enim, ut homo confessus est perfidiam, manus ejus plenam recepit sanitatem. Tardante in confessione, cùm à Judice vocaretur ad pœnam, Confessor ejus judici respondit: non justum est, ut homo innocens damnetur injustè. In cujus manu, cùm nullum vestigium combustionis reperiretur, dimissus est. Habebat idem homo uxorem itidem hæreticam, non longè à civitate manentem, horum, quæ dicta sunt, prorsus ignaram, ad quam, cùm venisset gaudens, dixisset que: Benedictus DEUS, qui me liberavit hodie ab interitu corporis & animæ, causam ei exponens, respondit illa: quid fecisti, ô miserrime! quid egisti? ut quid propter momentaneum dolorem recessisti à fide tua sana & sancta? Immemor ille beneficij sibi divinitus collati, immemor tam evidentis miraculi, consilio uxoris acquievit, & errorem pristinum resumpsit. DEUS verò non immemor vindictæ, pro tanta ingratitudine, manum plagavit utriusque. Renovatum est incendium in manu hæretici, & quia conjux auctrix extitit resumpti erroris, consors facta est redivivi doloris. Tam vehemens erat incendium, ut ossa manuum penetraret; & cùm uti non auderent clamoribus in villa, quos vis extorsit doloris, fugerunt in nemus vicinum, illic, ut lupi ululantes. Quid verbis immorer? Proditi sunt, in civitatem reducti sunt, simúlque in ignem nondum planè extinctum missi, & in cinerem redacti.

VI. Sedebat quidam de senioribus Monachis in cellula sua, & subitò venit ad eum vox dicens: Egredere foras, & ostendam tibi opera hominum, & surrexit, & egressus est foras: duxit autem eum, & ostendit ei æthiopem nigrum, cum securi cædentem ligna, & facientem grandem sarcinam, & tentabat sublevare sarcinam illam, & non poterat præ magnitudine portare eam, sed redibat, & cædebat iterum alia ligna, & addebat super sarcinam illam. Iterum autem ostendit ei alterum hominem stantem super lacum & haurientem aquam de lacu, & mittentem eam in collectaculum, & de alia parte defluebat aqua desubter in eodem loco. Quid verò hæc visio significârit, declarat idem Arsenius dicens: ille, qui aquam de lacu hauriebat, homo est, qui aliqua bona operatur, sed quia mala etiam ampliùs per peccata operatur, ea ideo pereunt, & delentur etiam opera bona, quæ facit. *Vit. Patr. l. 5. n. 18.*

VII. Legitur de quadam Virgine, quæ diu castè vixerat, & cùm instigaretur à diabolo de luxuria ad experiendam delectationem ejus maximam, & quidam etiam vivens honestè, nimis familiariter cum ea conversaretur, etiam tentatus est ipse ad experiendam hujusmodi delectationem. Demum victi à diabolo, commixti sunt simul. Quâ delectatione expertâ, ad tantam amaritudinem devenit, quòd virginitatem amisisset, propter vilem, & turpem & momentaneam delectationem, quòd præ amaritudine mortua est. *S. Anton. p. 4. tit. 14. n. 6. §. 7.*

§. IV.

SIMILITUDINES.

Qualitas.

I. Sicut pisces in lacubus seu vivarijs gelu rigidissimo obductis, nihil patiuntur, sed sunt veluti insensibiles, qui tamen tunc vel maximè moveri & agitari incipiunt, quando tor- *Mansi disc. 2. n. 9.*

torrendi super prunis ardentibus in craticulis hærent: ita quoque multis accidit reprobis, in piscibus præsignatis (quos DEUS à sacrificijs suis proscripsit.) dum enim in hac mortali vita degunt in terris insensati, ac proinde in libro sapientiæ ipsimet dicunt: *Nos insensati* &c. ad minas, ad correctiones, denique ad flagella & supplicia iræ DEI nequicquam moventur, solùm quando jam in limine inferni se positos esse conspiciunt, ad DEUM se convertere nituntur, sed seriùs, & sine ullo fructu.

S. Antoninus I.a. c.9. §.6. II. Sicut qui carcerem inhabitant, semper quidem in anxietate ac doloribus sunt, sed maximè eo die quo sunt educendi, & ad ipsas fores judicantis ducendi, & ante cancellos stantes, judicantisque vocem intus audientes, metu suffocantur, & nihilò meliori sunt specie, quàm mortui; sic & anima ipso quidem peccati tempore maximè affligitur, & premitur, sed multò magis, quando hinc avulsa, ad rationes illic reddendas, & ad terribile illud judicium adduci debet.

Idem p. 2. tit. 2. c. 8. III. Sicut si liber homo ambulans per viam, juxta quam est fovea profundissima, projiceret se in eam, non est liber ad exeundum nisi alterius adjutorio; ita & in foveam peccati, quod ad infernum ducit, liber est quilibet per se ad intrandum, sed non ad exeundum, nisi DEUS porrigat ei manum gratiæ, quod agnoscens David Psal. 143. dicebat: *Emitte manum tuam de alto, libera me, & eripe me de aquis multis*, scilicet vitiorum, *quia scilicet per me non valeo.*

Mansi disc. 11. n. 4. IV. Sicut si miles aliquis ex omni parte bene sit munitus, si tamen ex una fuerit nudus, & in ea parte lethaliter sauciетur, sic cadit, quemadmodum si totus fuisset nudus; sic & Christianus, si justitiam fecerit, & in uno peccaverit, similiter peccator statuitur, quemadmodum si semper peccâsset.

Dionysius Carth. a. 1. P. de enorm. pecc. V. Sicut in inferno sunt ignis, & frigus, fœtor, caligo, vermis, confusio, sitis &c. ita in peccatore est ignis iræ, impatientiæ, avaritiæ, frigus invidiæ, fœtor luxuriæ, vermis conscientiæ, sitis concupiscentiæ, inordinatio, atque perversitas animi, detestatioque virtutum.

B. Iordan. apud Bolland. 13. Febr. VI. Sicut si quis veniens ad portam istam, videret unum scholarem, sedentem in porta, similiter cras, similiter multis diebus, nónne de facili cogitaret: Iste Scholaris intrabit ordinem? Quomodo ergo non credibile, quòd illi intrent in infernum, qui tamdiu sedent ad portam inferni?

Didacus Stell. in c. 11. Luc. VII. Sicut multi adversùs viduam insurgere solent, quia neminem habet, qui suas partes possit defendere; ita omnes dæmones, & omnes creaturæ insurgunt adversùs animam, DEI præsidio & auxilio destitutam; unde Regius vates: *Qui quærebant animam meam, consilium fecerunt in unum, dicentes:*
Ps. 70. 11. *DEUS dereliquit eum; comprehendite, quia non est, qui eripiat.*

Idem. VIII. Sicut in discessu Regis omnes, qui sunt in curia, abeunt; ita cùm DEUS discedit ab anima, omnia bona opera, quæ peccator in statu gratiæ est operatus, amittit, & nullius sunt valoris.

Dion. Carth. a. 12. de enorm. pecc. IX. Sicut virtutes, ac dona Spiritûs Sancti, vires animæ reddunt ad bene agendum expeditas, ac faciles, à ratione quoque, & Spiritu Sancto bene promptéque mobiles; sic peccata & habitus vitiosi vires præfatas à bonis retardant, ad bona agenda infirmas efficiunt, ad mala pronas constituunt, ad diabolicum instinctum, passionumque impetum assequendum, faciles reddunt.

S. Anton. p. 1. tit. 5. c. 3. X. Sicut corpus mortuum non potest aliquem juvare, nec ab aliquo juvari, ita mortuus per peccatum in anima, non est capax operis boni, quod fit pro eo, in quantum est ipsum satisfactivum; nec per se satisfacere potest per opera, quantumcunque pœnalia, ut jejunia, peregrinationes, & Eleemosynas, & hujusmodi; Peccator enim inimicus DEI constituitur propter offensam commissam. Durante ergo inimicitiâ, non acceptat DEUS aliquam satisfactionem, cùm deficiat amicitia, quâ acceptatur.

Lac. Alvar. to. 1. proœm. XI. Sicut ægrotus cibos dulcissimos, & opiparos aversatur, non quia illi amari sint, sed quia ejus palato humoribus noxijs infecto, amari videntur; ita homo peccati tabe corruptus, & propè exanimis effectus, virtutem ori non admovet, non quia illa sit injucunda, sed quia palatum animæ, perditis moribus, quasi malis humoribus vitiatum, ejus suavitatem non valet percipere.

S. Bernardinus to. 1. f. 12. a. 1. c. 4. XII. Sicut si quis in aliqua domo haberet perpetuum censum, qui illam irreparabiliter destrueret domum, non solùm unius anni censum, sed infinitorum annorum census eidem auferret! sic & qui se, ipsum irreparabiliter destruit, non unius diei servitium solùm sibi aufert, sed totius futuræ perpetuitatis innumerabilia, infinitáque servitia; Nonenim sola præsentis temporis servitia DEO debentur, sed etiam futura, quæ tantò præstantiora sunt præsentibus, quantùm gratiam gloria antecellit.

Author. oper. imp. ho. 24. XIII. Sicut qui suscipiunt jugum Christi, Christus eos delectat in spiritu, ne fatigentur in bonis operibus, sic & qui jugum suscipiunt Diaboli, Diabolus eos delectat, & decipit, ne discedant à malo impij usque ad mortem suam.

S. Hieron. ap. Mansi. disc. 15. n. 6. XIV. Sicut mare fervens quiescere non potest, sed redundant fluctus ejus, & revolvuntur ad littora, atque iterum resorbentur, & in se fracti lutum efficiunt: quòd pedibus conculcatur; sic impij æternæ conculcationi subjacebunt, quorum nullum est gaudium, qui & nullâ pace requiescunt, in eo quòd impij perseverant.

S. Chrys. hom. 2. in Matt. XV. Sicut videmus oculos corporis, cùm in fumo fortè remorantur, lacrymas semper effundere! si verò potiantur aëre purgato, & florentibus pratis, & hortis virentibus, & fontibus inter amœna fluentibus, & saniores esse, multóque majori aciei fulgore rutilare;

Talis profectò est & mentis oculus, si in pratis spiritualis pascatur eloquij, erit totus sine dubio purus, ac lucidus, & acutius cuncta perlustrans; si verò in fumum sæcularium negotiorum fuerit ingressus, ad innumera prorsus mala lacrimabitur, & flebit, & in hoc quidem sæculo, sed multò amarius in futuro: Fumo enim sunt humana negotia comparanda: Propterea & ille ait: *Defecerunt sicut fumus dies mei.*

Berchor. V. peccat.

XVI. Sicut scorpio facie lambit, & caudâ pungit; sic peccatum in principio per tentationem allicit, & ultimò per mortem æternam officit. Ideo dicebat David: *Non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum.*

Iac. Alvar. to. 1. l. 1. p. 1. c. 4.

XVII. Sicut qui cogeretur, guttulam mellis in magnum vas fellis & absynthij injectam potare, non dulcedinem, sed amarorem sentiret; Ita qui modicam, & umbratilem peccati dulcedinem, tot angoribus, & conscientiæ accusationibus circumdatam bibit, concupitam suavitatem experiri non valet.

Mansi disc. 10. n 3.

XVIII. Sicut is, qui bibit, in actuali intemperantia sua nihil aliud sentit, præterquam gustum vini & saporem illius, postea verò peregrinos ebrietatis experitur effectus, propter damnum, quod animæ & corpori adfert; eodem modo quoad peccatum accidere solet; dum enim committitur, magnam sensualitati & inordinato appetitui præbet satisfactionem, mox verò ut patratum est peccatum, acerbissimum peccator experitur remorsum; quia peccatum nostrum contra nos est semper.

Rupert. Abb. l. 6. in Ose.

XIX. Sicut mulier ad tempus quidem dissimulare potest, sed tandem parturiendo, doloribus attestantibus, occulta prodit; sic quisquis eiusmodi est, peccatum suum utcunque dissimulare ad tempus, & abscondere potest; sed in tempore suo cuncta cordis ejus occulta cum dolore manifestabuntur; juxta illud: *Nihil opertum, quod non reveletur, neque occultum, quod non sciatur.*

Dion. Carth. de enorm. peccat. 18.

XX. Sicut esca in hamo decipit piscem; sic peccatum fallit peccantem, quia dum vanè impiéque delectat, ad tristitiam sempiternam perducit.

§. V.

MOTIVA AD FUGIENDUM HOC PECCATUM.

S. Eucher. in Caten.

I. **Q**Uia est mors animæ; uti S. Eucherius indicavit dicens: *In quocunque die comederis, &c.* Gen. 2. 17. Mortem dicit animæ, non corporis, quia non eo tempore mortui sunt, quando comederunt; ergo hanc, quam tunc DEUS comminatus est mortem, non eam debemus accipere, quâ caro separatur ab anima, sed hanc, quâ hæc alienatur à DEO, qui est vita sua, tanquam si diceret: Qua die me deserueritis per inobedientiam, deseram vos per justitiam; sicut enim corpus vivit ex anima, ita anima, ut beatè vivat, vivit ex DEO. Ergo deserta à DEO anima, jure dicitur mortua, ex qua tres postea secutæ sunt mortes; Prima in anima: secunda in carne: Tertia in damnatione. Et idipsum confirmans. S. Augustinus quid est, inquit, mori ipsius (animæ) quid est mori carni tuæ? est, amittere vitam tuam: vita carnis tuæ anima tua, vita animæ tuæ DEUS tuus; Quomodo moritur caro amissâ animâ, quæ vita est ejus, sic moritur anima, amisso DEO, qui vita est ejus. Unde meritò Isidorus Pelusiota ait: Vehementer miror, ac stupore defigor, qui fiat, ut ij, quos peccata delectant, cùm semper moriantur, nunquam tamen mortuos se esse existiment. Unde etiam, quemadmodum scripsisti, in quæstionem illud venire potest, quod ad primò fictos homines dictum est: *In quacunque die de ligno comederitis, morte moriemini.* Facinorosus enim, ac sicarius tum demum propriè moritur, cùm leges vivat, ac scelus admittit, quantumlibet alioqui vitæ usurâ frui videatur. Et Cæsarius Arelatensis, carnem, inquit, quam non possumus resuscitare, plangimus; & animam mortuam non plangimus, quam possumus ad statum pristinum revocare.

S. August. tr. 47. in Ioan.

S. Isidor. Pelus. l. 3. ep. 232.

Cæsarius rel. ho. 1.

Did. Stella in c. 12. Luc.

II. *Quia per peccatum mortale homo à DEO deseritur*; quod sic explicat Didacus Stella: Peccatum, DEUM in animos per gratiam existentem, ab ipsa reijcit, non eo modo, quo alter te fortior, & excellentior à loco aliquo expellit; nam peccatum non est fortius Deo; eijcit tamen illum per propria demerita: nam cùm peccator DEUM existentem in anima, vitijs turpitudinibúsque inhonorat, tunc dicitur DEUS eijci & expelli à peccatore. Vides DEUS, pluris æstimare nos stercora, glandes hujus mundi, quàm ipsum, & ideo hospitium deserit, & abit, tot convicijs & injuriis affectus. Nam si tu in domo tua in capite mensæ Æthiopissam accumbere faceres immundam, incomptam, & inhonestam, & ipsa tanquam Domina sederet; uxori verò præciperes, quæ illustris & Princeps est, ut mensæ ministraret, nonne gravem injuriam Dominæ huic inferres? Hoc modo peccator cum DEO agit: suos appetitus & libidines pluris habet, quàm illum, & creaturas Creatori anteponit, propter quod molestè ferens hæc omnia, domum & hospitium DEUS deserit. Unde Dionysius Alexandrinus concludit: Nihil exitiosius est, quàm à DEO ita deseri, ut nullà nostri curâ, & providentiâ tangatur; nec ullum ob gravissima crimina gravius supplicium irrogari potest, quàm ut quispiam à DEO destituatur: qui enim Servatoris DEI ope ac præsidio caret, hic sub hostium ac prædonum potestate est. Quia, ut S. Chrysostomus notat, discedente DEO, confestim venit in animam peccatorum fœtor, corruptio criminum, vitiorum putredo, conscientiæ vermis; & fit in corporis sepulchro vivo funus anima jam sepulta: Hinc meritò S. Bonaventura quæritur: Perdit homo bovem, & solicitè eum quærit, perdit equum, & non quiescit, perdit ovem, & post eam vadit; sed perdit homo peccando Christum, & quiescit, comedit, & bibit, & non quærit.

Dionys. Alex. apud Mansi disc. 8. n. 4.

S. Chrys. hom. 1. 19.

S. Bonav. S. de S. Maria Mag.

III. *Quia*

S. Basil. ho. in princ. Prov. III. *Quia omnia merita auferuntur per tale peccatum*; hinc S. Basilius exclamat: Miserandum sanè spectaculum, post jejunium, post asperam degendæ vitæ rationem, post assiduas preces, post uberes lacrymas, post continentiam annorum fortasse viginti, aut triginta, propter animæ negligentiam, & incuriam, omnibus orbari, ac similem esse eum, qui mandatorum divinorum operatione ac quæstu affluebat, locupletissimo cuidam negotiatori, qui amplissimas merces secum efferens; ac secundo vento periculosa maria emensus, in ipso littore fractâ navi omnibus opibus repentè privatur; siquidem hic quoque ea, quæ innumeris laboribus, & sudoribus quæsiverat, unico dæmonis impetu perdit, peccato nimirum, non secùs ac sævo quodam turbine pressus, ac submersus. Hinc sanè, qui virtutes omnes tanquam naufragio amiserit, vox hæc convenit: *Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me.* *S. Vincent. Ferr. S. 2. in Sabb post Remin.* Et confirmans idipsum S. Vincentius Ferr. super verba Lucæ: *Dissipavit substantiam suam:* discurrens; Ex isto textu, inquit, habetur, quòd quilibet, qui peccat mortaliter, perdit omnia bona, & merita, quæ congregavit. Unde si quis haberet omnia merita Prophetarum & Apostolorum, si peccaret mortaliter, statim perderet omnia illa, & nihil remaneret sibi. Peccatum mortale ad instar mortis omnia mortificat. In morte homo omnia dimittit, etiamsi esset Dominus totius Mundi; sic peccatum mortale aufert homini omnia merita. Non solùm perduntur virtutes contrariæ, sed etiam omnia alia. v. g. si peccas per superbiam, non credas, te solùm perdere merita, quæ acquisisti per humilitatem, sed etiam omnia alia: Ratio est, quia omnia merita in gratia DEI fundantur, quâ perditâ, omnia merita perduntur, quia destructo fundamento, cadit omne ædificium.

Dion. Carth a. 18. de inerm. pec. IV. *Quia fœdissimam maculam affert animæ*; uti Dionysius Carthus. indicat his verbis: Maculat animam, quæ maculatio gratuitorum spoliationem concomitatur, éstque amissio spiritualis pulchritudinis, & nitoris; nam sicut in corporalibus macula est perditio propriæ pulchritudinis ac nitoris, ex contactu alicujus immundi, ita in spiritualibus, ponitur macula pro amissione spiritualis nitoris. Anima autem duplicem sortitur nitorem: unus est luminis naturalis, seu rationis: Alius est Divinæ illuminationis per gratiam. Porrò dum anima inferioribus, terrenis, atque carnalibus rebus inhæret, agit utique contra lumen naturalis rationis, & gratiam divinæ illustrationis, sicque spiritualis nitor, quantùm ad lumen naturale, minoratur, & obfuscatur, sed quoad lumen gratiæ omnino aufertur.

S. Aug. in Ps 98. V. *Quia impotentem ad bene operandum facit animam*, uti sat clarè indicat S. Augustinus, dicens. Idoneus est homo ad vulnerandum se; nunquid idoneus est ad sanandum se? Quando vult, ægrotat; non quando vult, surgit! ut jaceret ægrotus, intemperantiam suam habuit necessariam; ut surgat autem, necessariam habet artificis medicinam. Sic ergo, ut peccet homo, ipse sibi sufficit ad peccandum, ut justificetur, non sibi sufficit, nisi ab illo justificetur, qui solus est justus. Et iterum: Quid boni operari potest perditus, nisi quantùm fuerit à perditione liberatus? nunquid libero voluntatis arbitrio? Et hoc absit. Nam libero arbitrio malè utens homo, & se perdidit, & ipsum: sicut enim qui se occidit, utique vivendo se occidit, sed se occidendo non vivit, nec seipsum potest resuscitare, cùm occiderit; ita cùm libero peccaret arbitrio, victore peccato, amissum est & liberum arbitrium, à quo enim quis devictus est, huic & servus addictus est. Unde meritò alibi hortatur: Implorat auxilium qui sic positus est, & noverit suum esse, quod cecidit, non suum esse, quod surgit. Jam enim liberatus agnoscens gratiam liberatoris sui dicit: *Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia DEI per JESUM Christum Dominum nostrum.* Clarus etenim est sequens Oseæ textus: *Perditio tua, Israël, tantummodo in me auxilium tuum.*

Idem in Enchir. c. 30.

Idem l. 83. qq. 66. q

Abulens in c 13 Matt. q. 301. VI. *Quia opera omnia mortificat*, uti Abulensis indicat dicens: opera facta in peccato mortali, sunt mortua: id est, tunc, quando fiunt, non sunt meritoria vitæ æternæ; sed quod res non habuit in sua origine, si sit de substantialibus, nunquam potest postea habere; cùm ergo non fuerit prædictum opus à principio meritorium, nunquam poterit postea effici meritorium; atque ideo mirum non est, quòd anima peccatrix, & quæ ab illa, dum in statu peccati est, fiunt opera, Deo sunt abominabilia. Cujus fundamentalem rationem afferens S. Antoninus sic discurrit: Quia Charitas est radix merendi, secundùm Thomam in 4. Quodlibet autem mortale contrariatur Charitati, ideo existens in mortali, nullo modo potest mereri, nec pro se, nec pro alio aliquod bonum gloriæ, seu gradum præmij æterni. Nec etiam reverso tali ad veram pœnitentiam, illa bona reviviscunt ad prœmium gloriæ.

S. Anton. p. 1. tit. 7. c. 8.

S. Gregor. in caten. S. Thom. VII. *Quia asperum jugum imponit homini*, uti S. Gregorius testatur, his verbis: Asperum jugum, & durum servitutis pondus est, subesse temporalibus, ambire terrena, retinere labentia, velle stare in non stantibus, appetere quidem transeuntia, sed cum transeuntibus nolle transire. Dum enim contra votum cuncta fugiunt, quæ priùs mentem ex desiderio adeptionis affixerant, postea pavore amissionis premunt.

S. Aug. in Ps 30. VIII. *Quia vehementer torquet peccatorem*, uti S. Augustinus indicat sic loquens: Peccatoribus non est locus in his, quæ foris sunt, quia ibi patiuntur tribulationes, ubi conscientia illos non consolatur: Non est bene illis secum, quia bene esse cum malo non potest; quisquis autem malus est, malè secum est; torqueatur, necesse est, sibi se ipso tormento; ipse est enim pœna sua, quem torquet conscientia sua; Fugit ab inimico, quò potuerit; à se quò fugiet? Unde S. Petrus Damian. ait: Diaboli figuram etiam

etiam herinacius repræsentat; qui nimirum cùm toto corpore spinis sit obsitus, vindemiarum tempore ingreditur vineam, & quam meliorem viderit, occupat uvam, quam morè tam violenter exagitat, ut omnia ejus in humum grana prosternat, indéque discedens, tam diu super eadem grana provolvitur, donec spinarum ejus aculeis omnia transfigantur. Unde S. Ambrosius: adversarius nobis omnis vitiorum est usus, adversaria est nobis libido, adversaria avaritia, adversaria omnis improbitas, adversaria omnis iniqua cogitatio, omnis denique mala conscientia, quæ nos & hic afficit, & in futuro accusabit, & prodet. Et iterum alibi: Quæ enim pœna gravior, quàm interioris vulnus conscientiæ? quod severius judicium, quàm domesticum, quo unusquisque sibi est reus?

S. Ambros. in c. 12. Luc.

Idem l. 3. offic. c. 4.

S. Antonin. p. 1. tr. 5. c. 2. §. 12.

IX. *Quia omne lucrum spirituale impedit*; unde S. Antoninus ait: Fatuissimus est operarius ille, qui difficillimis laboribus se fatigat, & tamen nihil stipendii, vel mercedis in fine reportat. Quot laboribus & periculis difficillimis se exponunt homines pro peccato? isti pro voluptatibus, illi pro cupiditatibus, isti pro vanitatibus: Inexplicabile est dicere. Et quod erit stipendium? Certè mortis supplicium, & infernale dispendium. Rom. 6. *stipendium peccati, mors*. Et ideo postquam Salomon præmisit Sap. 1. 12. Nolite zelare mortem in errore vitæ vestræ; signanter adjunxit: *Neque acquiratis perditionem in operibus manuum vestrarum*; Quasi dicat, nullum aliud lucrum habebitis præter peccatum.

S. Bern. l. 2. de consid. c. 12.

X. *Quia occultari nequit*; nam, ut S. Bernardus rectè advertit, est turpium pœna Deus, lux est enim; Et quid tam invisum obscœnis, flagitiosísque mentibus? profectò omnis, qui malè agit, odit lucem. Sed dico: Nunquid non poterunt declinare? minimè, lucet ubique, etsi non omnibus. Denique in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehendunt. Videt tenebras lux, cui hoc est videre, quod lucere, sed vicissim à tenebris ipsa non videtur, quia tenebræ eam non comprehendent.

§. VI.

MEDIA.

S. Thomas Vill. in Conc. de S. Ægid. Abb.

I. IN genere, quot media nobis offerat Deus ad peccata vindicanda, indicavit S. Thomas Villan. dicens: Per varia media nos dirigit Deus in finem, nonnunquã minis, & terroribus nos concutit, objiciens nobis pœnas damnatorum, infortunia, & miserias peccatorum, assidua flagella, & frequentes molestias inimicorum, & importabile tormentum iniquorum; malum enim & amarum nimis est, Deum habere inimicum; quòd si minæ non sufficiunt, flagellis, & infortuniis affligit nos, in camo & fræno maxillas nostras constringens, ut revertamur ad ipsum; & si hâc viâ magis induratur cor nostrum, mille blanditiis, & favoribus nos mulcet, augens dona, subsidia multiplicans, accumulans beneficia, si fortè vel sic ad amorem largitoris provocemur. Quòd si hæc parva videntur, multò majora promittit, ingerens nobis futuram gloriam, quam præparavit diligentibus se, & innumerabiles gratias, quas hîc confert custodientibus præcepta ejus. His itaque & aliis modis exhortando, monendo, corripiendo, terrendo, mulcendo, favendo, promittendo, largiendo, diligendo, ut Pater piissimus, ac munificentissimus, vitam, salutémque nostram inquirit, nihil omittens omnino eorum, quæ nobis prodesse poterunt ad salutem; unde per Prophetam ait? *Quid faciam tibi Juda? quid debui facere vineæ meæ, & non feci?* Sed ô duritiam! O pertinaciam cordis nostri! Hæc omnia DEI incitamenta & blandimenta quasi nihil, contemnimus, & flocci pendimus, neque dignamur vel à longè ea inspicere, & considerare, quasi ex debito redderentur, neque terroribus flectimur, neque flagellis emollimur, neque beneficiis allicimur, neque promissionibus provocamur.

Did. Stella in c. 6. Luc.

II. *Consideratio gravitatis peccati hujus*, uti Didacus Stella suasit sequentibus verbis: Tu, quisquis es, qui DEUM audes offendere, fac illud, quod Angelus Raphaël consuluit Tobiæ, exentera piscem, & tolle fel; bonum enim est ad visum; sic tu exentera peccatum, ut videre possis ipsius amaritudinem, quo facto expelles ignorantiam, & oculos aperies, & videbis, quanta sit peccati malitia, & feritas.

Did. Nyss. p. 1. polit. c. 8.

III. *Consideratio præsentiæ DEI*, nam, ut benè discurrit Didacus Nyssenus, si potens quispiam offendatur, id reliquum est solatii, quod scelus in ipsum commissum scientiam illius fugiat, notitiámque prætereat. Apud potentes terræ id accidere, & ratio ista valere nonnunquam solet, nec enim semper ii vel vident, vel audiunt, quæ contrà ipsos aguntur, sicque offensæ illorum, & injuriæ impunè transeunt. Sed hoc locum non habet apud nostrum supremum Conditorem, & Judicem, nam, ut Philosophus noster Seneca loquitur epist. 83. & Fides præclarius docet; nihil DEO occlusum est, interest animis nostris, & cogitationibus mediis intervenit, nullæ fores lynceis illius oculis imperviæ, in abstrusissima cordium nostrorum suam habent oculi ejus jurisdictionem, nihil tam reconditum in penitissimis animis nostris, quod non studiosè advertat, non attentè notet, non perspicaciter arbitretur, & expendat. Juxta hæc, quis illum offendere etiam in abditissima animæ suæ parte possit, vel ausit, cùm nulla tam sit remota ab oculis, nulla tam abstita, & occulta, quam ille non velut in medio sole luculentissimè pervideat? Unde meritò ulteriùs sic infert: Nihil est, quod æquè perhorrescamus, ac rugitum leonis. Itaque Salomon, ut præferocis alicujus Regis furiosam iram expressam daret, non aliâ comparatione id commodiùs facere posse putavit, quàm rugitûs, quem hæc immanis fera edere solet, inquiens: *Sicut rugitus leonis, ita terror regis*; Proverb. 20. 2. Et Propheta Amos cap. 3. v. 8. ait: *Leo rugiet, quis non timebit?* cujus non erigantur præ formidine

formidine capilli? cujus non cor intra corpus emoriatur? cujus non contabescat metu animus? Huc spectavit Innocentius III. cùm ait: Quis non timeat judicem potentissimum, sapientissimum, justissimum? potentissimum, quem nemo potest effugere; sapientissimum, quem nemo potest latere, justissimum, quem nemo potest corrumpere? Juxta hæc, quis est, qui videns talem potentiam, tam magnum Dominum offendat? qui cognoscens talem sapientiam, exasperet talem DEUM, talem judicem irritet, non ignorans talem Justitiam? Quod confirmans S. Joannes Damasc. Turbæ vitiorum, ait, universæ resisti poterit, si semper & assiduè cogitaverit, DEUM operum suorum inspectorem, Angelum Custodem, virtutis nobilitatem, voluptatem momentaneam, peccati spurcitiem, vitam labilem, mortem incertam, gaudium, seu cruciatum sempiternum, puræ conscientiæ pacem, hominis dignitatem, DEI beneficium, & super omnia Christi vitam, mortem, & crucem. Quæ enim, & qualis vita, si vix homo ex sepulchro progressus, rursum ad sepulchrum pergat, & demum in perpetua gehennæ flamma se sepeliat?

Innoc. III. l. 3. de contempt. Mund. c. 14.

S. Io. Damasc. de octo pass.

IV. *Consideratio infernalium tormentorum*, uti S. Augustinus suasit dicens: supplicia terreant, quem præmia non invitant: vile tibi est, quod DEUS pollicetur, contremisce, quod minatur. Et confirmans idipsum S. Bernardus, primum, ait, consideret peccata sua, qualia, & quanta perpetravit, quæ considerare non multùm prodesset, si non pro illis in gehenna puniri metueret: & ideo considerationi peccatorum, rectè adjungitur consideratio gehennæ. Item, si considerentur, quæ & quanta sint tormenta gehennæ, & nulla peccatorum memoria haberetur, secura mens forsitan gehennam considerarer, cùm nulla eam recordatio peccatorum perterreret; Hac de causa in mente contemplatoris utrumque, & peccata, & gehenna conjungitur, ut ex utroque terror incutiatur, & timor, utpote qui securissimum est peccati frænum: unde Poëta canit: Oderunt peccare mali formidine pœnæ. Chrysostomus ad populum suum Antiochenum prædicans ait: Nihil tantùm peccata quidem consumit, virtutem verò crescere facit, & germinare, quantum continui timoris natura: propterea, qui non vivit in timore, rectè illum agere non est possibile; sicut vicissim cum timore viventem, est impossibile peccare.

S. Aug. in ps. 49.

S. Bern. 4. in parabol. de nuptiis Filii Regis.

V. *Consideratio aliorum damnorum*, ea præcipuè, de quibus S. Antonius Pad. locutus est, dum super illa verba Prophetæ (*Meditatus sum nocte cum corde meo, & exercitabar, & scopebam spiritum meum*) ita scribit: Nota ista tria: Meditari, exercitari, scopare. Peccator in nocte peccati existens, debet meditari corde suo, quid amisit, quid sibi acquisivit. Commisit animæ suæ mortem; amisit gloriam; acquisivit gehennam. Et pro his debet se exercitare in contritione & amaritudine cordis; & scopare, id est, mundare fœtorem cordis peccati, in confessione oris.

S. Anton. Pad. Dom. 16. post Pent.

VI. *Radicis evulsio*, de qua S. Hieronymus sic discurrit: Donec recens est, parvam radicem è pectore tuo evelle, ne alioqui, cùm pullularit, & radices suas altè infixerit, postea non nisi longo tempore ac magno cum labore extirpari possit. Ob id enim majora peccata quotidie ad nos aditum habent, atque in animas nostras imperium obtinent, quoniam iis, quæ minora esse videntur, hoc est, improbis cogitationibus, inhonestis sermonibus, malisque colloquiis consentanea correctio minimè adhibetur; ut enim in corporibus, qui parva vulnera negligunt, saniem plerumque, ac mortem sibi ipsis accersunt, ad eundem modum etiam in animis hoc usu venit, ut, qui minima vitia ac peccata nihili pendunt, graviora sibi invehant. Aliam radicem assignavit S. Beda, dum dixit: Oriuntur cuncta peccata ex carnali concupiscentia. Quicquid est peccatorum in dictis, in cogitationibus, in factis, non exoriuntur, nisi ex illicita cogitatione. Huic ergo illicitæ cogitationi resistimus, si non consentiamus, si non velut arma ministremus; Non regnet peccatum in nostro mortali corpore, peccatum enim antè regnum perdit, & sic perit; regnum perdit, quando post concupiscentias nostras non imus.

S. Hier. in vita Iosaphat. l. 1.

V. Beda apud Mansi disc. 3. tr. 79. n. 1.

§. VII.

ASCETICA.

I. **I**Mprimis nosse debet Asceta, quòd nullum in terris detur verum malum, præter peccatum, præsertim mortale. Id quod Didacus Nyss. bene declarat sequenti discursu: Nocte cœnæ, cùm orationem ad æternum Patrem suum, pro salute discipulorum Christus funderet, sic ad illum ajebat: *Non rogo, ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos à malo.* Joan. 17. v. 15. De hoc malo communiter affirmant omnes, esse peccatum. Ita Sancti Augustinus, Chrysostomus, Euthymius, Theophylactus. At si Christus optavit discipulos suos servari à peccato, cur hoc perspicuis verbis non petiit? Cur dixit: Rogo, ut serves eos à malo; cùm dicere posset, rogo, ut serves eos à peccato? Fecit hoc, ut intelligeremus, nullum esse malum, nisi peccatum, sicut nullum est bonum, nisi gratia. Ærumnæ, adversitates, persecutiones, infirmitates, sitis, fames, tam non sunt mala iis, qui sunt in gratiâ DEI, ut potiùs sint bona, & occasio incrementi gratiæ. Propterea dicebat S. Joannes Chrysostomus in homil. de Abraham. to. 1. In rem nostram sunt tentationes. Quantùm afflictionum, cruciatuum, calamitatum hujus vitæ habet Justus, tantùm habet auri, argenti, & gloriæ cœlestis. Omnia in illius utilitatem, & honorem cedunt; Majestas autem, & potentia, bona valetudo, venustas, opulentia, & cætera fortunæ bona conjuncta cum peccato, tam non sunt bona, ut etiam majorem damnationem adferant illi, qui ea habet. Ergo non est aliud bonum, præter gratiam, nec aliud malum, præter peccatum.

Did. Nyss. in vita Abrah. l. 2. c. 9.

tum. Audiamus hanc in rem etiam Cajetanum, qui in superiora Domini verba sic disserit: non dicit, ut serves eos à tribulationibus, ab odiis, à persecutionibus, sed à malo, hoc est, ut serves eos, ne aliquid proveniat eis in malum, quòd est æternæ separationis à DEO. Eapropter sanctus Paulus omnes creaturas provocabat, illásque, & omnes vitæ hujus ærumnas, gloriarter appellabat, dicens: *quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius?* Rom. 8. 35. *Nihil horum, certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate DEI*, ibid. v. 38. 39. Joannis Cluniacensis serm. 67. tom. 2. ait: omnia provocavit, & de solo peccato tacuit. Cùm pro animi sui magnitudine omnia provocare Paulus ausus fuerit, solum peccatum lacessere timuit. Alia enim omnia non habent eas vires, ut avellere quenquam ab amicitia DEI queant, unú, solúmque peccatum obliterare, abolere, extinguere eam momento potest; Itaque solum etiam peccatum est malum, cetera bona esse possunt, si cum gratia DEI sint conjuncta. Hinc etiam Ecclesia ait: *Tunc nulla nobis nocebit adversitas, si nulla dominetur iniquitas.* Mala cætera, quæcunque hoc nomine censentur, non habent quidquam contagionis, ærumnæ non habent virus, non habent toxicum dolores, quo inficiant, & interficiant, nisi peccatum illis suum venenum affundat.

II. *Nôsse pariter debet, quòd solum peccatum mortale sit causa ignis & damnationis æternæ*, uti S. Salvianus præclarè sequentibus verbis ostendit: Propheticum hoc (*Producam ergo ignem de medio tui, qui comedat te*) ad nos dicitur: Ecce omnes vos ignem accenditis, & vires præbuistis flammæ, ingredimini in lucem ignis vestri, & flammæ, quam accendistis; totum namque humanum genus hoc ordine in pœnam æternam ruit, quo scriptura memoravit. Primum enim ignem accendit, postea verò vires ignibus præbet, postremò flammam ingreditur, quam paravit. Quando igitur sibi primum homo æternum accendit ignem? scilicet cùm primum peccare incipit; Quando autem vires ignibus præbet? Cùm utique peccata peccatis cumulavit. Quando vero ignem æternum introibit? Quando irremediabilem jam malorum omnium summam, crescentium delictorum iniquitate complevit. Ezech. 28. 18.

S. Anton. p. 1. tr. 7. c. 3. §. 1. III. *Nôsse etiam debet, quomodo peccatum hominem ad bona opera facienda inhabilem reddat*, id quod egregiè S. Antoninus sic ostendit: voluntas multùm est remissa ad bonum propter peccatum, adeò quòd bonum, quod intelligit, & in generali proponit, agere non valeat. Figuratur per claudum, qui videt quidem, quò pergere debeat, sed rectò gressu incedere non valet; quibus claudis per Eliam dicitur, 3. Reg. 18. *Usquequo claudicatis in duas partes?* claudicat ex parte dextra, qui præcepta ad DEUM nos ordinantia non servat; claudicat ad sinistram, qui mandata erga proximum nos dirigentia non custodit, nec talis diu in peccatis permanere potest, quin labatur in alia. Pergit idem Antoninus ostendere, qualiter pars inferior, & sensitiva, ratione culpæ rebellet; ait enim: Potentia sensitiva multipliciter vexatur Passionibus propter peccatum; sic enim DEUS instituit hominem, ut ratio subjiceretur sibi, & inde sensualitas omnino erat subdita rationi, sed propter peccatum inobedientiæ, rebella, ratio DEO immediatè, & caro recalcitravit spiritui; in cujus signum, secundùm Augustinum, primi parentes senserunt stimulum carnis, propter quod erubescentes ad invicem, fecerunt sibi perizomata, id est, cooperimenta: & potentia quidem concupiscibilis non appetit nisi delectabilia sensibus, etsi contraria spiritui: *caro enim concupiscit adversùs spiritum*, ut dicitur Gal. 5. in cujus figuram ancillæ Agar concepisse se videns ex Abraham, despiciebat proterva Dominam suam Sarai, & cùm verberibus angeretur, ab ea fugam arripuit, ad designandum, quòd sensualitas, quæ est ancilla rationis, postquam per concupiscentiam conceperit peccatum, ex viro, ex appetitu rationali, despicit postea rationem, nec vult ei obedire; sed etsi aliquando cogatur quibusdam pœnis, ut jejuniis, & disciplinis, ipsa sensualitas fugit à ratione, nec propter hoc ei obedit, sed ut libera vagatur, & in tantùm excrescit concupiscentia, ut nec deferat naturali fœderi, seu propinquis; ut patet in Amnon primogenito David, qui amore concupiscentiæ insaniens in Thamar sororem suam, violenter constupravit eam: & in Ruben, qui ascendit cubile patris sui: & in Semiramide bellicosissima Regina Ninive, quæ duxit in maritum filium suum, sed ab ipso interfecta est. Irascibilis potentia plena est perturbationibus & vindictis illicitis: Unde Saul, qui priùs erat pacatissimus, adeò quòd despicientes Dominium ejus, sibi à Domino traditum, patienter toleravit, nec in aliquo molestari voluit; post victoriam autem magnam habitam contra Ammonitas, postquam à Domino recessit per peccatum, ita turbulentus, & furiosus effectus est, ut per se & per alios mortem quæsierit generi sui David, ei fidelissimi, & octoginta quinque sacerdotes occidi fecerit, quia Abimelech Princeps eorum favorem fecerat Davidi, concedendo panes & gladium Goliath, & consulendo pro eo Dominum. Quod etiam confirmans S. Bernardinus, advertendum est, ait: secundum Thomam. 22. q. 86. Quòd triplex est bonum. Primum naturæ; secundum gratiæ, tertium habilitatis ad actum, seu aptitudinis ad benefaciendum. Primum est bonum naturæ, ut puta intellectus, atque voluntas; & hoc bonum per quodcunque peccatum nec tollitur, (sicut nec per tenebras aër tollitur) nec sub- S. Bernardin. to. 3. serm. de calamit. senect. a. 1. c. 4.

substantia aeris minuitur. Secundum est bonum gratiæ; & hoc per peccatum omnino ab anima removetur: unde sicut lumen per tenebras, & per cæcitatem, sic per culpam gratia amovetur. Tertium est bonum habilitatis ad actum, & hoc non tollitur, sed per peccatum diminuitur. Paulò aliter eandem doctrinam declarat S. Bonaventura sequentibus verbis: Per peccatum corrumpitur potestas liberi arbitrii dupliciter: scilicet in agendo, & suscipiendo; in agendo quidem, quia non potest semper facere, quod oportet, nec vitare, quod nocet. In suscipiendo autem, quia gratiam stabilem non potest suscipere in hac vita. Item corrumpitur ratio in hac vita dupliciter; scilicet quantùm ad discretionem judicii, inter bonum, & malum; & quantùm ad deliberationem consilii, inter expediens, & inexpediens. Item corrumpitur affectus dupliciter; scilicet in ordine, & in modo, quia nec semper est moderatus.

S. Bonav. l. 3. c. 7. comp. Theol.

IV. *Nosse debet, quàm multa, graviáque damna afferat peccatum mortale*, quæ quidem clarissimè Dionysius Carthus. enumerat dicens: Peccatum semper pluribus nocet: Primò ei, qui peccat; secundò proximis & toti Ecclesiæ, quia interim proximus scandalizatur, & ipsa Ecclesiæ acies ad standum contra Diabolum quodammodo minoratur, ac infirmatur in eo, qui impiè conversatur. Nocet in Purgatorio constitutis, quia non juvantur tam efficaciter ab injustis, sicut à bonis. Nocet damnatis, quia, quò plures in infernum descendunt, tantò est illic major horror, ululatus, ac cruciatus, siquidem ibi locum non habet, quod dicitur: Solatium est miseris socios habere miseriæ. Nocet quodammodo beatis in Patria, per modum subtractionis, quò etenim copiosior est numerus beatorum, eò præmium accidentale fit majus ex societate felici, uno de felicitate alterius gloriante.

Dionys. de norm. pec. a. 18.

V. *Nosse debet, quid prosint opera in peccato mortali facta*; quod quidem egregiè S. Laurentius Justin. ostendit dicens: Ex sola charitate singulorum merita causantur; suffragantur tamen (sed non ad æternæ vitæ meritum) cœtera bona opera sine charitate, & non benè consummata, valent ad mitigandam pœnam, quæ justè ex omissione & præcepti transgressione debetur, si non fierent: præstant temporalia bona, honores videlicet, divitias, incolumitatem corporis, longævitatem vitæ, terrenam felicitatem, propagationem filiorum, successúsque prosperos. Occupant hominem, nec permittunt operantem ad exteriora labi. Assuefaciunt ad bene operandum, delectant mentem, restringunt fomitem, arcent peccati fluxum, atque ad susceptionem gratiæ gratum facientis habilitant cor. Exigua verò universa sunt in comparatione retributionis æternæ. Quod etiam confirmans Gerson, fac interim, ait, dum es in peccato mortali, quidquid boni potes, ut DEUS illustret cor tuum; nam bonum opus de genere, & morale, etiam factum extra charitatem, utilitatem affert multam, quoniam propter tale opus disponitur homo ad opera virtutum, & ad faciliùs resurgendum trahitur.

S. Laurent. Just. l. de spir. anim. interit.

Gerson t. 3. prol. reg. moral.

§. VIII.

MISCELLANEA ET CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Gravitas.

I. IN Epistola, quam S. Paulus ad Hebræos dedit, cùm docere vellet, unde accersere nobis solatium inter ærumnas, & robur ad fortiter perferenda adversa debeamus, jubebat attentis oculis Christum Magistrum, & Ducem nostrum arbitrari, qui omnia cruciatuum & dolorum genera expertus fuerit, atque idcircò non misereri non possit eos, qui rebus afflictantur adversis. Non habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, *tentatum autem per omnia pro similitudine, absque peccato*; Hebr. 4. 15. Hic locus multas dubio procul patitur difficultates. Nam quantùm verba Apostoli sonant, videtur ille dicere, quòd Christus solùm apparenter tentatus fuit: Tentatum pro similitudine; quòdque illius tormenta fuerunt magìs picta, quàm vera. Sed cùm fidei certum dogma habeat; Apostolúsque ipse doceat, quòd Christus reapse, non imaginariè, verè, non apparenter passus est, quomodo verba ejus rectè accipiemus? verus illorum sensus facilis est, & obvius. Nonne dicit S. Paulus, Christum fuisse tentatum, vexatum, passum absque peccato? certum est: Quod ergo dicit, tale est: Non ajo ego, Christum non fuisse verè tentatum, afflictum, cruciatum, passum; hoc dicere volo, tantam esse peccati malitiam, ut omnes miseriæ, cruciatus, dolores, si cum illo conferantur, magìs picti, quàm veri videantur, ut propterea Christus, quia absque peccato fuit, magìs pro similitudine tentatus; quàm reapse; & apparenter potiùs, quàm verè passus fuerit, quamvis inexplicabiles cruciatus tulerit. Granditer, & magnificè amplificavit Apostolus malitiam peccati, quæ tanta sit, ut dolorum, & cruciatuum nomen non mereantur quantivis illi dolores, & cruciatus à quibus absit peccatum.

Did. Nyss. ser. in vit. Abrah. l. 14. c. 9.

II. S. Bruno alicubi ait: Superflua, & nociva sola peccata sunt. Graviter dictum illud superflua sola peccata sunt. Superfluum vocatur id, quod nulli usui est; ex quo nihil utile fieri possit. Solum ergo peccatum superfluum est; ex illo enim nihil nisi malum, & noxium hauriri potest. Cœtera mala superflua dici nequeunt, nam *diligentibus DEUM* (ut sanctus Paulus Rom. 8. 28. habet) *omnia cooperantur in bonum*, etiam illa, quæ mundus in malis non bene censet. Ingeniosa charitas & alchimiæ sanctioris perita, solerter ex ferro ærumnarum producit aurum, ad conficiendam coronam gloriæ, & tanquàm sedula apis ex omnibus legit mel, non ex suavi rosmarino solùm; verùm ex a-

S. Bruno s. de Nat.

mariore genistâ etiam. Ex omnibus meritorum lucra facit servus DEI. Ergo si omnia mala, quæ conjunctam habent gratiam DEI, convertuntur in bona, nullum aliud malum erit præter peccatum, quod omnia bona sic pervertit, ut convertat in mala.

S. Thom. 2. 2. q. 144. a. 3. III. Quærit Angelicus Doctor S. Thomas, utrùm in virtuosis hominibus possit esse verecundia? hoc est, an habeant, quod illis adferre ruborem queat. Ac postquàm ventilavit quæstionem, sic de illâ pronunciat: *Senes, & virtuosi carent verecundiâ, sunt tamen sic dispositi, ut, si in eis esset aliquid turpe, de hoc verecundarentur.* Quàm appositè hoc in loco Angelicus Doctor senes virtuosis adjunxit? Senem quidvis decet, nullius rei illum pudet. Ubique loqui, & sedem, quam vult, deligere potest. Non illum dedecet neglectior vestitus, horridula verba quanquàm proferat, tametsi ejus impexa sit oratio, tametsi incompti inornatíque sermones, non erubescit. Tales sunt etiam virtutis studiosi, verecundiâ carent, solum peccatum est, quod illis dedecori esse posset, solum peccatum vident esse indecorum, & adferre posse ignominiam.

S. Ambros. lect. 18. in Ps. 118. IV. Salomon inter alia sapienter dixit: *Laudavi magis mortuos, quàm viventes; & feliciorem utroque judicavi; qui nec dum natus est.* Eccles. 4. v. 3. velut dixisset: Expendi in statera vivos, mortuos, nondùm natos, & in alterâ quidem lance posui vivos, cæteros in alterâ, & visa sunt mihi graviora pondera horum, quàm illorum. Possemus hîc jam sciscitari, cur Salomon mortuos suprà vivos extulerit, & utrísque feliciores arbitratus fuerit eos, qui nondum in hanc lucem editi essent. Videtur enim is, qui non est, in comparationem eorum, qui sunt, vel certè fuerunt, venire non posse. Sanctus Ambrosius hanc nobis adimit dubitationem, inquiens: Mortuo præfertur, qui natus non est, quia peccare nescivit. Qui nescit, quid sit peccare, nescit quid sit esse infelicem: proptereà ille verè infelix est, qui vivit, eóque nomine beatior illo est, qui mortuus; jam enim cessavit peccare; & absolutè loquendo, major est infelicitas illius, qui actualiter peccator est, quàm ejus, qui æternis apud inferos cruciatibus addictus, quia hic jam non est in eo statu, in quo peccare queat: (quanquàm viventi etiamnum peccatori spes sit reliqua, quòd à malo statu suo cùm opitulatricis gratiæ DEI auxilio evadere possit) & mortuum, cui vita, simúlque potestas peccandi decessit, hac re superat ille, qui nunquàm vixit, quia nunquam etiam, quid esse malè agere, scivit. Itaque tametsi inter non natum, & denatum, sit quædam conditionis inæqualitas, altérque alterum excedat, ambo tamen felicitate præstant vivo, quia hic potest delinquere: illi verò, vel non possunt, vel prorsus nesciunt, quid sit DEUM offendere. Hinc arbitrari licet, quanta sit miseria, peccare, & quod hæc sola sit suprema infelicitas. Et videtur Salomon invenire non potuisse, unde censeret hominis beatitatem, nisi inde, quòd vel peccare nequiret, vel quid sit peccare, ignoraret.

V. Jacob Patriarcha quibusdam domesticorum suorum sic ajebat: *Abiicite Deos alienos: surgite, & ascendamus in Bethel, ut faciamus ibi altare DEO.* Gen. 35. 3. Illud *surgite* est vox accendentis animos ad strenuè agendum, quemadmodum copiarum militarium ductor verbis exhortatoriis incitare & inflammare suos milites ad fortiter dimicandum solet. Ubi notandum, quòd nunquàm sic locutus fuit familiæ suæ Jacob, in quantocunque periculo versaretur, ac ne tunc quidem, quando fratrem suum manu armata venturum timebat, & nil nisi certam ab illo necem, extremámque stragem exspectabat. Tametsi enim domesticos suos ad modum aciei ordinatæ digessit; Verùm hîc, cùm eos ad abiiciendos Deastros hortaretur, tanquam ad rem ancipitem & discrimine plenam excitasset, ajebat: surgite, quod verbum curam, solicitudinem, diligentiam, ac vigilantiam significat. Cur verò sanctus Patriarcha suos ea occasione tam vehementer erigere, tam acriter incitare studuit? Erâtne periculi aliquid præ foribus? Aut hostis à tergo fortè imminebat? Aut buccinarum clangor aures illi, pectúsque perstringebat? Aut splendentium armorum hostilium apparatus, strepitus, aspectus cor illius exterrebant? Nihil horum. Quid ergo illum tam solicitum, & anxium habebat? Abdicatio falsorum deorum, quos vernaculorum quidam colebant: Abiicite deos alienos, ajebat, abstinere à peccando, & unum, solúmque DEUM venerari suadens. Hóccine verò tantùm curæ, solicitudinísque illi adferebat? Hóccine animum illius discruciabat? Hóccine pervigilem & insomnem faciebat? Prorsus istud illum solicitabat vehementer, & premebat graviter, & torquebat acriter. Nam peccatum, est inter hostes maximus, perniciabilissimus inter inimicos, inter adversarios omnes maximè formidandus. Nam iratus, & armatus ad necem frater, & furiosus Caban, & totæ ærumnarum cohortes contra hominem aliquem fœderatæ, parvi momenti sunt, dummodò à conjuratione illa unum absit peccatum. Ac proptereà Jacob ad hoc abjiciendum, fugandum, aut fugiendum tam studiosè excitat suos, & totis animis rem istam agere hortatur. Ad hunc nempe inimicum ex anima eijciendum, & conficiendum, omne animæ robur verti debet, quia illud est sola, & suprema infelicitas, cui mala omnia de via cedunt, & concedunt, & tributa pendunt.

Nyss. pol. p. 2. l. p. c. 1.

VI. Quæstio non levis est, cur divina severitas permiserit, ut discipulorum, quotquot fuerunt, ac futuri sunt perfidiosissimus, sævus ille suiipsius carnifex, cùm in sublimissimo ligno suspensus esset, creparet medius. Quod ad communem aliorum cautionem annotandam Archi-Apostolus Petrus putavit, dicens: *Suspensus crepuit medius, & diffusa sunt omnia viscera ejus;* Act. 1. 18. Mirus supplicii, & vindictæ

Dionys. Carth. apud Nyss. in Phœnice, l. 1. c. 6.

ctæ modus! cùm autem tam variæ essent pœnarum genera, quas expetere à periuro illo, & sacrilego proditore divina providentia potuisset, quid causæ sit, quod ad eum modum plectere illum voluit, ut ex arbore pendulus disrumperetur medius; suspensus crepuit medius? Ecstaticus Doctor Dionysius Carthusianus in eorum verborum commentario ait: Crepuit medius, qui DEI, & hominum mediatorem tam vili pretio impiissimè vendidit. Titulus honoris, quo Gentium Apostolus instauratorem orbis donat, is est, quod sit Deum inter, & homines sequester: *Mediator DEI & hominum Homo Christus JESUS*, inquit: 1 Tim. 2. v. 5. Hoc ille in crucis arbore administravit, ibi extincta omnis inimicitia, & pax pretio sanguinis illius constabilita. Quid verò sceleratus discipulus egit? Magistrum suum indignissimè, quia minimo pretio vendidit, Mediatorémque DEI, & hominum, in manus sanguinariorum hostium illius contradidit, ut probrosæ crucis pœnali uncino laceratus, turpem vitæ faceret inter supplicia clausulam. Hoc fuit maledicti Apostoli nefarium crimen. Quæ verò illius pœna? Ea, quòd suspensus crepuit medius. Pendulus ex arbore, rupto ventre crudelia, fœda, & fœtida tota profudit viscera. At si hoc illius flagitium fuit, quòd Mediatorem DEI, & hominum vendidit, consequenter in lignum egit, luat hoc ita Judas, ut in ligno moriatur, & rumpatur medius. Ut hinc intelligas, per ea plecti hominem, per quæ DEI incurrit offensam: suspensus crepuit medius, qui DEI, & hominum mediatorem tam vili pretio impiissimè vendidit.

VII. S. Ambrosius in Lucam scribens, dicere videtur, stridorem dentium, vermes, & fletum in inferno propriè & effectivè non esse, sed Scripturam sacram solùm per stridorem dentium exprimere voluisse immensam acerbitatem pœnarum inferni. En verba ipsiúsmet sancti Doctoris: Neque corporalium stridor aliquis dentium, neque ignis aliquis perpetuus flammarum corporalium, neque vermis est corporalis; sed hæc ideo, quia sicut ex mala cruditate febres nascuntur & vermes, ita si quis non decoquat peccata sua, velut quadam interpositâ sobrietate & abstinentiâ, sed miscendo peccata peccatis, tanquàm cruditatem quandam veterum, & recentium delictorum, igne aduretur proprio, & suis vermibus consumetur: unde & Isaias ait: *Ambulate in lumine ignis vestri* &c. ignis est, quem generat mæstitia delictorum; vermis est, eò quòd irrationabilia animæ peccata mentem rei, sensúmque compungant, & quædam exedant viscera conscientiæ, quæ tanquam vermes ex unoquoque nascuntur, tanquam ex corpore peccatoris. Denique Dominus id per Isaiam declaravit dicens: *Et videbunt membra hominum prævaricantium in me, & vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* Stridor quoque dentium prodit indignantis affectum, eò quòd serò unumquemque pœniteat. Sed contraria sententia asserens

S. Ambros. l. 7. in Luc.

Tanner to. 1. d. 4. n. 14.

R. P. Lohn. Auctor. Bibl.

damnatos vero & corporeo igne cruciari, communis & certa est, teste Tannero.

VIII. Quæstio est, quæ ratio sit, quòd, cùm peccator portatilem quendam secum deferat infernum, nihilominus tripudiet, saltet, rideat, gaudeat, & jucundetur, haud secus, quàm si in delicijs degeret Paradisi? Pro hujus quæstionis resolutione observandum est, quòd, quando filij à Parentibus in ea valle, à qua Gehenna nomen suum desumpsit, Idolo Moloch sacrificabantur, ne matres & proximo sanguine filijs sacrificandis conjuncti, ex eorum clamoribus, ululatibus, & gemitibus inauditis contristarentur, harmonicos solebant excitare organorum, cantuum, tympanorum, tubarúmque strepitus, qui horribiles infantium illorum stridores penitus absorbebant, adeò ut nec quicquam audirent. Eodem pariter artificio serpens ille astutus utitur circa peccatores: ne enim hi ad considerandum miserabilem, in quo degunt, statum, mentem suam applicent, eosdem voluptatum, deliciarum, gaudiorúmque mundanorum blandimentis totaliter occupat: Tenent tympanum & cytharam, gaudent ad sonitum organi, ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.

Mansi disc. 1. n. 9.

IX. De talpa scribunt naturales Philosophi, quòd intra terram cæca vivat, eáque pascatur, & nutriatur, oculos autem suos nunquam aperiat, nisi quando moritur. Certè in ordine ad explicandam impij peccatoris conditionem, nulla potest in medium adduci aptior similitudo; hic enim ad imitationem serpentis infernalis patris sui (vos ex patre Diabolo estis, & desideria Patris vestri vultis perficere) terram comedit omnibus diebus vitæ suæ: statuerunt oculos suos declinare in terram: conglutinatus est in terra venter eorum; ipsóque sapiente teste, cæci sunt; Excæcavit enim eos malitia eorum; in articulo autem mortis aperiunt oculos suos, nunquam in æternum in tenebris illis infernalibus claudendos. Unde S. Gregorius Magnus ait: Oculos, quos culpa claudit, pœna aperit; tunc igitur, quantumvis inviti, distinctè videbunt, & intelligent omnia peccata sua, quibus tot annis Creatorem & Salvatorem suum offenderunt; qui tamen tunc Salvator ipsorum non erit, utpote cujus justissimâ sententiâ fuerunt ad æternæ perditionis barathrum condemnati. Tunc sive quis rapuit, sive avarè quæsivit, sive injustè inimicus cujusquam fuit, inquit D. Chrysostomus, sive quid aliud improbum designârit, universus peccatorum chorus designatur, & oculis sese offert, státque acerbus conscientiæ accusator.

Idem disc. 5. n. 1.

Damnum.

X. Cùm in protoparentem nostram stomachosus Judex pronunciaret, hanc illi pœnam inter alias denuntiavit: *In dolore paries filios*, Gen. 3. 16. velut aliis verbis dixisset: Acerbissimi erunt dolores, & vehementissimi cruciatus, quibus afflictaberis, quoties uteri tui pignora

Nyssen. in Phren. l. 1. c. 7.

 gnora

gnota edere, & ad usuram lucis communem e-
Basil. Se-
leuc. orat.
3.
uiti voles. Basilius Seleutiensis ea sacri textûs verba sic illustrat: Tu, cùm fructu interdicto te non abstinueris, fructu uteri tui miserè cruciaberis. Mortalium viventium ærumnosæ matris prima culpa ea fuit, quòd ad vetitam arborem manum cupidam prælicenter extendit, *tulitque de fructu illius, & comedit*, Gen. 3. 6. Quòd filii vocentur fructus ventris, id sacrarum litterarum trita phrasis habet. *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam*; ajebat ille Psal. 131. v. 11. Et beata Elizabeth Mariæ: *Benedictus fructus ventris tui*: Lucæ 1. 42. sunt alia præterea sine numero loca, ubi tali nomine donantur liberi. Ut ergo intelligeremus, in eo quemque plecti, in quo deliquit, & ex ferro culpæ ab artifice DEO cudi gladium pœnæ, idcirco hæc nobis doctrina in primo supplicio, quod de primâ peccatrice sumptum, tradita fuit, & salutare illud documentum datum! nam quoniam in arboris vetitæ fructu peccavit, in sui ventris fructu, hoc est, filiorum difficili partu pœnas luit. Cùm fructu interdicto te non abstinueris, & fructu uteri tui miserè cruciaberis.

Ibid. c. 3.
XI. Non intempestivè etiam huc veniet quædam Moysis Bar-Cephæ observatio, qui sciscitatur, quid mysterij subesse possit supplicio, quo DEUS Protoparentum nostrorum seductorem castigavit: illud his verbis expressit Dominus: *Quia fecisti hoc, super pectus tuum gradieris, terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ*. Gen. 3. v. 14. Sed quare hunc primi sceleris solicitatorê, qui blandiloquentiæ suæ lenocinijs primos peccatores in culpam impulit, tali pœnâ multavit, ut per terram secundùm pectus reptaret, & solùm pro victu tenuem pulverem haberet? & cùm in victu decernendum ejus supplicium esset, cur magìs ad terram, quàm aliam quandam rem vilem comedendam damnatus fuit? Ad hoc respondet Auctor, quem dixi, libri de Parad. part. 1. Pulverem comedes omnibus diebus vitæ tuæ, nempe in pulverem redegisti primos parentes, pulvere igitur vescêris totâ vitâ. Pœna, quam primis Parentibus pro suæ prævaricationis merito Dominus inflixit, sic habebat: *Pulvis es, & in pulverem reverteris*. ibid. v. 19. Hæc pœna suam originem duxit ex transgressione, in quam veterator serpens Evam, Eva conjugem suum Adam pertraxit, de vetitæ autem arboris fructibus comedere sub certa inevitabilis mortis mulcta interdictum erat, idque his verbis: *De ligno scientiæ boni, & mali ne comedas; in quocumque enim die comederis, ex eo morte morieris*. Gen. 2. v. 17. sed accedamus ad rem, ut videamus, quàm congruat conceptus cum argumento hujus capitis. Evam per serpentem, tanquàm instrumentum induxit Dæmon, ut ambitiosâ cupiditate consequendæ Deitatis vetitum comederet fructum. Malè circumscripta mulier recens nupto marito persuasit, ut eundem degustaret fructum, qui postquàm illius precibus cessisset, solam ex convivio mortem cùm ipse, tum uxor reportavit, ex quâ in pulverem ambo indeclinabiliter convertendi erant. Omnem hanc illi tragædiam dolosus serpens suis officijs adornavit. Dicit nunc Dominus: Cùm serpens eo deliquerit, quòd fuit solicitus incitator, ut homines verterentur in pulverem, sic etiam deinceps tam venenosæ bestiæ cibus non alius, quàm pulvis, ut palàm fiat, quòd DEUS parem sceleribus inferre pœnam sciat, & ad eum modum punire hominem, quô ab illo offenditur. In pulverem redegisti primos parentes, pulvere igitur vescêris totâ vitâ.

XII. Admiranda fuit olim divitis Epulonis *Ibid.* obsecratio, quâ ex ardenti pœnæ suæ stagno Abrahamum interpellavit; Guttulam aquæ nonnisi unicam, ad inflammatæ linguæ refrigerium supplex deposcebat. Oratio eius talis erat: *Pater Abraham, miserere mei, & mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam*; Luc. 16. v. 24. O! in quantam miseriam, & penuriam reductus fuit homo, paulò ante tam splendidè, & lautè vivere, atque epulari solitus! Extremum Lazari digitum implorat, deciduámque ab illo stillulam aquæ petit, quâ linguæ ardorem vel nonnihil mitigaret, quo intolerabiliter affligebatur. O quàm subtile, & commodum est thema nostro, quod in hanc rem beatissimus Papa Gregorius excogitavit! Is lib. 18. moralium c. 12. sic scribit: Videmus in verbis divitis et subtilissimo DEI judicio, quàm digna tali culpæ pœna responderit. Agente namque inopiâ illic usque ad minima petenda compulsus est, qui agente tenaciâ usque ad minima, neganda pervenit. Quid retribui subtilius, quid districtius potest? Diligenter considerandum secretum DEI judicium, quo in divitem illum epulonem animadvertit, quando tam inopem fecit, ut inter ultrices flammas unicam solam, nec aliam, quàm aquæ guttulam postularet. Quamobrem verò, tali supplicio addictus fuit, ut unam aquæ guttulam anhelus peteret, & consequi non posset? Attentis oculis legite, quæ apud S. Lucam dives, & avarus epulo pauperi Lazaro faciebat, cùm ad ejus fores fame tantùm non enectus iaceret. *Iacebat ad januam ejus cupiens saturari de micis, quæ cadebant de mensâ divitis, & nemo illi dabat*. ibid. v. 20. 21. Tam importuna, & molesta esuries ulcerosum infestabat Lazarum, ut latratus & exactiones immanes inanis ventriculi, solis micis fortuitò relictis, ante mensam avari divitis delapsis compescere vellet, & neque tam facile, tenuéque, & parabile famis levamen illi quisquam ferret. Dicit nunc Gregorius. Notate mihi hic magnitudinem sapientiæ omnipotentis Domini, & iusti Judicis, quomodo divitem epulonem eo torqueat, quo peccavit. Ille nolebat occurrere naturali desiderio, quo miser Lazarus suam diræ famis duram necessitatem micis decidui panis depulsam optabat: Luat ergo tantam inhumanitatem suam expectatione, & expetitione stillulæ aquæ, & nunquàm obtineat; ut vel hinc liqueat, num sapienter supremus Judex noverit disponere, ut ex ferro culpæ conflетur gladius pœnæ, hoc est, ut affligatur guttâ a-

quæ

quæ petitæ, neque impetratæ, qui deliquit micâ panis postulati, & non concessi. Quàm digna tali culpæ pœna respondit! namque illic usque ad minima petenda compulsus est, qui hucusque ad minima neganda pervenit: quid retribui subtilius, quid districtius potest?

Ibid. XIII. In ipsis adeo brutis animalibus reperiemus, quo thema nostrum constabiliamus, de quibus patientiæ Sponsus Job dixit, ut iis nonnunquàm pro magistris, & vitæ moderatoribus utamur, inquiens: *Interroga jumenta, & docebunt te*: Job. 12. v. 7. Videamus ergo, quid phœnix noster Basilius dicat; de iis animalibus, quæ de morte vivunt animalium aliorum. Animalia, quæ sanguine gaudent, & quæ aliis exitium adferunt, certum est longè minùs fœcunda esse; quapropter leonis vix leæna mater evadit. Hæc ille homil. 9. in Hexam. At quid latentis mysterii habere potest, quòd animalia, quæ venatu, & cæde vivunt aliorum animalium, & vitali sanguinis alieni pascuntur liquore, eo plectuntur supplicio, ut rarum habeant propagationis suæ speciei fructum, quem natura tam ardenter desiderat? In promptu causa est ea, de quâ hîc agimus, quòd videlicet Dominus eâ re nos vult docere, quòd eo soleat ille uti ad vindictam, quo peccans utitur ad culpam, id quod in ipsis adeò brutis animantibus observat, ut propterea illis non permittat longam posteritatis successionem, quæ aliis abbreviant vitam, ut producant suam. Animalia, quæ aliis exitium adferunt, certum est, longè minùs fœcunda esse, scilicet, ut ne diu in sobole vivant, quæ vivere diu alia non sinunt.

Idem §. 2. in Domem. §. quadr. XIV. Peccatum quidam simile esse volunt particulæ negationis, *non*, quæ, ut Logicorum axioma habet, est malignantis naturæ, quia, quidquid post se invenit dictionis, destruit; sit quisquam prudens, sapiens, sanctus, solitarius, & plurimis aliis virtutibus excultus, ut omnia hæc illi ornamenta detrahas, quid facto opus? A capite omnium encomiorum, quæ in illum congessisti, unum *Non* statue, ita illa elogia prorsum abolevisti, ut ille, quem antea à tam multis commendasti, jam non prudens sit, non sapiens, non sanctus, non solitarius, quia negatio (quæ est illius insignis malitia) omnia corrumpit, ac destruit, quæcunque post se invenit.

Ibid. XV. Cicero dicebat, vitam justi debere esse instar carminis, cui si vel syllaba desit, aut exerret, exsibilaris: nihil accedere superfluum versui, nihil decedere necessarium debet; tantam requirit res ista integritatem & æquitatem. Talis debet esse vita justi, sit quispiam amans aliorum, sit patiens, sit frugi, sit dives virtutum, uno peccato evertere omnem illum apparatum potest.

Ibid. XVI. Quadrat huic proposito illud cujusdam sancti emblema, quo ille pro consiliorum suorum, & rerum, quas animo designarat, insignibus utebatur: erátque brachium præferens gladium, quo detruncabat septem capita Hydræ Herculeæ, cùm hac adscriptione. Aut omnia, aut nullum; commodum est causæ præsenti emblema; serpens enim, ut ferunt, quocum Hercules depugnavit, septiceps erat, quem ut expugnaret, necessum erat omnia, uno ictu simul demetere capita; nam cùm unum solum amputabatur, ex illo alia septem renascebantur. Itaque fortissimus Hercules septem capita ejus simul desecuit, & sic de Hydra triumphavit. Hoc propositum habere debet homo Christianus, & curare, ut aut omnia flagitiorum monstra obtruncet, aut nullum expugnâsse putet; nisi enim omnia peccata capitalia subigas, nunquam exibis victor; nam si unum solum reliquum facias, id te superare, ac dejicere poterit. In quam rem dixit S. Dorotheus doctrinâ 11. si unicam tantùm passionem anima habituatam habuerit, ex eâ subjecta jam hosti morâ etiam minimâ, in captivitatem ducetur.

XVII. Alexander Magnus Callisthenem, quòd illius vitam reprehenderet, turpiter obtruncavit. Fuit Callisthenes Philosophorum sui seculi facilè sapientissimus, ac modestissimus. Illud ergo Alexandri factum, cùm expenderet Seneca qq. natural. l. 6. cap. 23. dicebat: Hoc est Alexandri crimen æternum, quod nulla virtus, nulla bellorum felicitas redimet, quod unum omnibus, quæ in illo sunt illustria, obfuscandis sufficit. Nam quoties quis dixerit: occidit Persarû multa millia, idque militum penè paucorum operâ, opponetur: Et Callisthenem occidit, cujus internecionis umbra totam triumphorum illius lucem, & gloriam obscurat. Majus est hujus flagitii pondus, quàm omnium virtutum. Quoties dictum erit: occidit Darium, penes quem tunc magnum regnum erat, opponetur: & Callisthenem occidit: ista occisio tanti illius triumphi mors erit. Quoties dictum erit: omnia oceano tenus vicit, ipsum quoque tentavit novis classibus, & imperium angulo Thraciæ usque ad Orientis terminos protulit, sic, ut nullum esset regnum, quod non invaderet, & occuparet; non aliqua natio, quam non subigeret, dicitur: Callisthenem occidit; & quid illa omnia, quando una Callisthenis obtruncatio perpetuâ Alexandrum fœdat notâ; vel si illis multò plura, & memorabiliora præstitisset, omnia licet antiqua Ducum, Regúmque exempla transierit, ac superârit, longissimóque post se intervallo reliquerit; nihil tam magnum erit, quàm scelus Callisthenis. Hinc videamus, quanta sit unius peccati malitia, quàm violentum illius venenum, cùm Seneca putârit, unicum solum sat fuisse obliterandis omnibus Alexandri triumphis, quos magnitudine animi, brachii robore, & industriâ ingenii sibi paravit: Nihil tam magnum erit, quàm scelus Calisthenis. Ibid.

XVIII. Per peccatum occidit homo animam suam; ubi nota, quòd peccator assimilatur mortuo propter tria. Primo propter consimilem defectum, propter similem effectum, S. Antonin. p. 1. tit. 5. c. 1. §. 12.

R. P. Lohn. Auctar. Bibl.

ctum, propter similem aspectum. Primò corpus distemperatur; Secundò infirmatur; Tertiò moritur; Quartò portatur extra domum; Quintò sepelitur; Sextò à vermibus consumitur. Isto modo anima primò distemparatur, per tentationem & cogitationem de peccato; secundò infirmatur, per comitantem delectationem: Tertiò moritur, per consensum: Quartò asportatur, & elongatur ab hominibus, per culpæ suæ abominationem, & diffamationem apud homines: Quintò sepelitur, per malam consuetudinem; similiter enim, ut terra vel lapis superpositus onerat, & opprimit corpus, ut non resurgat, ita mala consuetudo, quæ est quædam moles gravissima, opprimens, & incitans homines ad peccandum: Sextò corpus mortuum à vermibus consumitur, & mens privata vita gratiæ, à verme conscientiæ, desperationis, & finalis impœnitentiæ, corroditur, mordetur.

Idem. XIX. Mors facit corpus rigidum, frigidum, putridum, horridum, terreum, atque ponderosum; Isto modo peccatum mortale facit animam rigidam, & superbam, & inobedientem ad DEUM; Frigidam per invidiam; Fœtidam per luxuriam; Putridam per gulæ immoderantiam. Quantumcunque homo fuerit amabilis, pulcher, & delicatus, statim post mortem erit horribilis, turpis, & abominabilis, & à communione hominum separandus; sic anima ante peccatum pulcherrima & formosa videtur, adeò, ut de illa dici possit illud Canticorum quartò: *Tota Pulchra es amica mea, & macula non est in te*; sed per peccatum spoliatur gratuitis, & vulneratur naturalibus; fit fœtida, & abominabilis coram DEO, ut dicat illud Ezechielis 16. *Abominabilem fecisti decorem tuum.* Et tunc per peccatum anima misera separatur à communione fidelium, & ab amicitia DEI, & Angelorum bonorum. Proverb. 14. *Miseros facit populos peccatum.*

Did. Stella in c. 11. Luc. XX. Didacus Stella de peccatò sequentem habet considerationem? Vipera non inficitur suo proprio veneno, nec Basiliscus, nec aliquis alius serpens, nec quidem bestiæ suo proprio veneno interimuntur: at verò peccatum ita pessimæ conditionis, & naturæ est, ut sua propria subjecta perdat, & destruat: Apud Isaiam dicitur: *Ova aspidum ruperunt: qui comederit de ovis eorum, morietur, & quòd confotum est, erumpet in regulum.* Porrò ova aspidum exteriorem speciem habent pulcherrimam, valdéque placentem: at vero interiùs venenum continent pestiferum, & ex iis, dum fota sunt, aspides egrediuntur; Ita quoque voluptates, & delitiæ mundanæ & carnales, appetitibus nostris quidem placent, sensúsque carnis recreant, & oblectant, cùm tamen animæ & corpori necem & ærumnas inferant æternas.

XXI. Olim in monte Ephraim certus quidam vir nomine Micha habitabat, qui fabricatum quoddam à se idolum, in capellam quandam collocârat, atque ad idem debito cultu venerandum prædivite stipendio Levitam quendam, qui ei ministraret, conduxerat. *Mansi disc. disc. 4. n. 2. Iudic. 17. & 18.* Accidit autem, ut nonnulli de tribu Dan in illis finibus circumvagarentur milites, armatâ manu domum viri illius ingressi, ut tanquam in regione illa prorsus peregrini, de via, quam inituri essent, ab ipso informarentur, conjectóque oculo in prædictum idolum, quod pretiosum erat, illud unà cum ornamentis sacerdotalibus sustulerunt, reclamantem verò Levitam, ne se illis opponeret, Tribus suæ Sacerdotio provisum secum duxerunt; Micha autem domum revertens, furtúmque idoli sui subitò notans, propero gressu milites insecutus est, clamans & ejulans; Milites autem se ejulatûs hujus causam nescire fingentes, cùm eum interrogarunt: Quid tibi vis? cur clamas? Quibus desolatus Micha respondit: *Deos meos, quos mihi feci, tulistis, & Sacerdotem, & omnia, quæ habeo, & dicitis mihi, quid tibi est?* Mira profectò res hæc fuit, etenim hic Micha nihil aliud perdiderat, quàm partem quandam marmoris vel metalli, id est, falsum quoddam simulachrum, ex marmore vel metallo fabricatum, in quo DEUM suum venerabatur, tametsi revera Dæmon honorem illum acciperet; & tamen tam amarè plorabat dicebátque, omnia sibi sublata esse, quæ habebat: Et omnia, quæ habeo. Nos verò revera sumus illi, qui, quando per peccatum DEUS nobis eripitur, seu à nobis recedit, verè dicere possumus, DEUM meum, & omnia, quæ habeo, amisi; Unde S. Seraphicus Franciscus dicere solebat: DEUS meus, & omnia; tamen tantùm abest, ut propter hoc lamentemur, & ploremus, ut potiùs lætemur, cùm malè fecerimus, & exultemus. Porrò Michæ invito fictum hoc numen sublatum fuit; nos verò facimus, quidquid possumus, omnémque industriam adhibemus, ut illud amittere valeamus; siquidem multis cum sudoribus & molestiis peccandi occasiones inquirimus, ut verè dicere possimus: Lassati sumus in via iniquitatis, ambulavimus vias difficiles: cæterum verò nemo infinitum hoc bonum, id est, DEUM nobis eripere potest, nisi ultrò, citróque volentibus; ac proinde sanctus ille Monachus, qui jugi semper gaudio perfusus conspiciebatur, gaudii sui causam edicere rogatus, respondit: Quia Christum à me tollere nemo potest.

XXII. Est certum quoddam genus fulminis, quod aurum sacculo inclusum absorbet, & consumit, sacculo exteriùs remanente, sicut prius erat, sine ullo læsionis vestigiò. *Idem disc. 11. n. 4.* Idem quoque per culpam mortalem accidit animæ, hæc enim insensibiliter thesaurum divinæ gratiæ animæ Christianæ eripit, ipsâ animâ in oculis nostris manente, sicut prius erat,

erat, adeò, ut, licèt peccator ad ignem condemnatus ſit immortalem, & extra gratiam DEI poſitus, poteſtati Dæmonis ſit traditus, nihilominus ſæpè poſt exſatiatos appetitus ſuos lætior & jucundior erit, quàm unquam aliàs fuerit.

ſ. Bonav. l. 5. c. 7. compend. Theol.

XXIII. Simile peccatum eſt Sacerdotii Degradationi, quo ſpectaculo nullum dari poteſt funeſtius, aut lacrymabilius, quia eidem indumentis ſacerdotalibus àmicto, & calicem in manibus portanti; hìc ab Epiſcopo è manibus illius tollitur, ornamentis quoque & veſtibus ſacerdotalibus ſigillatim exuitur, idque verbis improperium indignitatis ſuæ expreſſivis, adhibitis; ac tandem juſtitiæ ſæculari extraditur, ut per ſententiam criminalem mortis ſupplicio pro meritò adjudicetur. Sed Eheu! quàm eſt funeſtior, & compatibilior degradatio, quâ anima ab æterno Pontifice Chriſto in conſpectu totius curiæ cœleſtis degradatur, dum opulentis deſpoliatur gratiarum, donorum, virtutum, & meritorum, omniúmque aliorum bonorum operum ornamentis, ac tandem in manibus & poteſtate Dæmonum relinquitur. Quid mirum igitur, ſi eidem animæ in poteſtate Dæmonis relictæ, vires ampliùs non ſuppetant, eidem Diabolo reſiſtendi?

Manſi diſc. 12. n. 3.

XXIV. DEUS in libro Levitici Moyſi; quoad ferentes ſacrificia, præcepit dicens: *Offeret pro peccato ſuo ſimilæ partem Ephi decimam, non mittet in eam oleum; nec thuris aliquid imponet, quia pro peccato eſt.* Portò, omnia hæc in figura contingebant illis; nunquid enim de bobus cura eſt DEO? quid intererat ſapientiæ illi increatæ ejuſmodi ritus, & minutias pro oblationibus faciendis præſcribere, niſi in illis latuiſſet aliquod myſterium, animabúſque utile & ſalutare documentum? Porrò quòd in hoc ſacrificio pro peccato faciendo, excluſum fuerit oleum, hujus ratio facilè intelligitur, quia cùm per oleum denotetur lætitia: (unxit te DEUS tuus oleo lætitiæ) minimè conveniebat oleum, quia quando de peccati expiatione agitur, compunctio potiùs, & planctus requiritur? At verò quamobrem etiam incenſum, quod orationis eſt ſymbolum, ab oblatione facienda rejicitur? Oleaſter nodum hunc ſolvit dicens: Si enim per thus orationes intelligas, deprehendes, quàm ægrè ferat Dominus bona malis involuta. S. Hieronymus in Epiſtola quadam ad Celantiam, multorum reprehendit errorem, qui multa bona opera, cum conſcientia & remorſu gravis peccati conjungunt, perſuadentes ſibi, illa quoque DEO placitura eſſe, ſéque indè habituros eſſe meritum ſalutis æternæ; ita enim ſcribit: Quid autem prodeſt tenuari abſtinentiâ corpus, ſi animus intumeſcat ſuperbia? Quam laudem merebimur de pallore jejunii, ſi invidiâ lividi ſimus? Quid virtutis habet, vinum non bibere, & irâ, atque odio inebriari?

S. Hier. l. 2. ep. 2.

S. Greg. l. 23. moral. c. 9.

XXV. S. Gregorius ſuper illa verba Jobi: *Circumdedit me lanceis ſuis, convulneravit lumbos meos*; acutè obſervat, Prophetam non dicere: vulneravit; ſicut enim loqui aliquando unius eſt, colloqui verò duorum, vel fortaſſe multorum; ſic antiquus hoſtis, quia nos ad culpam ſine noſtra voluntate non rapit, nequaquam lumbos noſtros vulnerare, ſed convulnerare dicitur, quia hoc, quod ille malum ſuggerit, nos ſequentes, & voluntate propriâ implemus, & quaſi cum ipſo nos pariter vulneramus, qui ad perpetrandum malum ex libero arbitrio ducimur. Quónam reſpicere creditis illud à S. Paulo nobis ſuggeſtum conſilium: *Nolite locum dare Diabolo*? Quisnam adeò reperietur incurius, qui vel in domum ſuam, vel in lectum ſuum, maximè verò in ſinum ſuum excipere, aut admittere velit ſerpentem: Multò igitur minùs admittet dæmonem: Et tamen quotidie videmus, quòd illi indulgeatur aditus, non ſolùm intra ſinum, verùm etiam intra cor noſtrum.

Idem l. 18. mor. c. 12.

VXVI. Idem Sanctus exponendo textũ alium Jobi: *Aſpergatur in Tabernaculo ejus ſulphur*; hanc ſupplicii hujus reddit rationem. Sulphur enim quid aliud, quàm fomentum ignis eſt? quod tamen ſic ignem nutrit, ut fœtorem graviſſimum exhalet. Quid itaque in ſulphure, niſi peccatum carnis accipimus? Quod dum perverſis cogitationibus, quaſi quibuſdam fœtoribus mentem replet, æterna ei incendia præparat, & cùm fœtoris ſui nebulam in mente reproba dilatat, contra eam flammis ſubſequentibus quaſi nutrimenta ſubminiſtrat; nam quia per ſulphur fœtor carnis accipitur, ipſa ſacri eloquii hiſtoria teſtatur, quæ contra Sodomam, ignem, & ſulphur pluiſſe, Dominum narrat: Qui cùm carnis ejus ſcelera punire decreviſſet, ipſâ qualitate ultionis notavit maculam criminis. Sulphur quippe fœtorem habet, ignis ardorem, qui itaque ad perverſa deſideria ex carnis fœtore arſerant, dignum fuit, ut ſimul & igne & ſulphure perirent.

S. Anton. S. 6. poſt Dom. 1. Quadr.

XXVII. S. Antonius Paduanus ait: Quinque porticus ſunt quinque conſiderationes, quas debet habere peccator: debet enim conſiderare *Majeſtatem*, quàm offendit: *Si peccaverit vir in virum, placari poteſt ei DEUS, ſi autem in Dominum peccaverit, quis orabit pro eo?* 1. Reg. 25. *Maculam*, quam contraxit; Quid enim tam fœdum, quàm peccatum? Jerem. 3. 2. *Leva oculos tuos indirectum, & vide ubi non proſtrata ſis.* *Bonitatem*, quam contempſit, Rom. 2. 4. *An divitias bonitatis ejus, & patientiæ & longanimitatis contemnis?* *Gloriam*, quam amiſit, Pſ. 108. 18. *Noluit benedictionem, & elongabitur ab eo.* *Pœnam*, quam promeruit æternam, Matth. 25. 41. *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum.*

S. Chryſoſt. in c. 14. Iſaiæ.

XXVIII. In Apologo quodam de ericio dicitur, quòd ſpinis toto corpore refertus, cùm ſe velut in rotundum quendam, & parvulum globulum conſtrinxiſſet; à diverſis animalibus locum ſibi in eorum cavernis indulgeri petierit, eò quod venatores ſuum latibulum totaliter deſtruxiſſent; At verò cùm apud

omnia petitionis suæ passus esset repulsam, adeò blandè se apud vulpem insinuare novit, ut de nulla sibi inferendâ molestiâ secura, eum sic intra se contractum hospitiolo suo exceperit; postquam verò ericius vulpis foveam ingressus fuisset, paulatim adeò se dilatare cæpit, ut spinæ vulpem pungentes eandem foveam suam egredi, & derelinquere coëgerit; Ex qua fabula utilissimam quandam nobis elicere moralitatem licet, quæ, ni fallor, ab Isaia Propheta tacitè insinuata fuit; nam de anima quadam DEO rebelli in sensu morali differens ait: *Ponam eam in possessionem ericii*; enim verò Dæmon se ex multis animabus perfectis exclusum videns, ab iisdem parvulum sibi in corde ipsorum aditum indulgeri postulat, blandam illis ingerendo suggestionem, appetitui nostro consentaneam, v. g. voluptatis sensualis, honoris, gulæ, vel alterius similis; & si contingat primos hosce motus ab illis recipi, & per aliquam indultam moram blandè tractari, mox ipse pro obtinendo in peccatum consensu strenuè laborare non cessat, donec impetret, quod intendebat; hoc pacto, inquit Chrysostomus, si introierit, cuncta dilatat, & amplificat, illi enim duntaxat initiis opus; si verò nactus fuerit initium nocendi, omnia sibi ipsi suopte ingenio vestigat, & amplificat.

Nauf. disc. 4. n. 2. XXIX. Cancer marinus, dum ostreis & conchyliis venando insidiatur, à naturæ magisterio hâc præditus est proprietate, ut ad hoc, ut ostreæ compos fiat, occasionem exspectet, quâ illa suam aperiat domunculam, in qua latet, mox enim ut hæc aperitur, ipse subitò quendam ejus labiis interjicit lapillum, vel lignum, vel aliud quid simile, ne totaliter claudi possit; & hoc adhibito artificio ingreditur domunculam, & ostream devorat. Serpens erat callidior cunctis animantibus terræ; id est, Diabolus; hic enim animæ nostræ, quam Redemptor noster margaritæ similem dixit, indefessè insidiatur; hic igitur mox, ut cor nostrum, quod mysterium quoddam est conchylium, creaturis aperimus, in iisque affectum aliquem inordinatum exponimus, hac occasione benè utisciens, per suggestiones, blandimenta, & allecebras suas, tantùm efficit, ut sensim & paulatim animam ingrediatur, ejúsque possessionem capiens, inæstimabilem illam devoret, aut deprædetur gemmam, de qua facet textus ait: *Inventâ unâ pretiosâ margaritâ, abiit, & vendidit omnia, quæ habuit, & emit eam.*

XXX. Latrones magis experti hanc habent consuetudinem, ut, quando domum aliquam directè & immediatè ingredi nequeunt, ne dejiciendo portas, vel ostia, aut aperiendo fenestras strepitum faciant, qui illos in auribus incolarum prodat, parvulum quendam astutum, & ad hoc edoctum juvenem per crates ferreas, vel alias modicas domus aperturas, in eandem domum immittant, qui tandem fores domûs intus aperiat, per quas commodè ad deprædandam domum ingrediuntur. Eodem quoque artificio latro infernalis nobiscum frequenter utitur, ut domum animæ nostræ omnibus spiritualibus donorum, gratiarum, & meritorum thesauris, quæ cœlo comparando congregaveramus, despoliare possit. In Apocalypsi quidem DEUS ipse dicit: *Veniam ad te tanquam fur*: meliùs autem verba ista inimico generis humani adaptari possunt; hic enim, ut nobis in tenebris ignorantiæ & cæcitatis constitutis, cœlum, & salutem æternam furando eripere possit, diligenter attendit, ad aperturam malæ alicujus nostræ propensionis, per quam postea modicam quandam venialis culpæ intromittit suggestionem, v. g. alicujus verbi inhonesti, incauti obtutus, vani gestûs, vel blandæ alicujus salutationis; singula enim ista ei sufficiunt, ut portam cordis ad delectationem morosam, ad desiderium, ad consensum, ac denique ad opus aperiri faciat, & sic misera anima omnibus bonis suis exuitur, & spoliatur. *Idem. n. 4.*

XXXI. Peccatum, teste S. Bonaventura, est sicut falsitas in panno: nam sicut mercator de falso panno non ostendit emptori medium, neque finem, sed tantùm caput; sic Diabolus, qui est mercator peccati, ostendit fatuo emptori solum caput panni, id est, delectationem culpæ, non medium, id est, remorsum conscientiæ; vel finem, id est, pænam gehennæ. *S. Bonav. in diat. sal. tit. 1. c. 3.*

PEC-

TITVLVS LVII.

PECCATUM VENIALE.

§. I.

Definitio.

Jac. Alvar. lib. 2. h. 1. p. 1. c. 1. f. 18.

I. *Eniale peccatum est actio libera, dictaminis quidem rationis, & jussioni legis adversa, ac ob id DEO invisa; sed quæ ob sui parvitatem, nec vitam spiritualem animæ auferat, neque hominem à regno cælesti excludat, nec æternis cruciatibus destinet; licet juxta sua malitia quantitatem temporalem pœnam subeat.*

Divisio.

S. Vincent. Ferr. Dom. 3. post Pent.

II. Tria sunt genera peccatorum venialium. De istis tribus differentijs peccatorum venialium dicit Apostolus: *Si quis ædificaverit super fundamentum hoc*, scilicet fidei, *ligna, fœnum, stipulam, detrimentum patietur; ipse autem salvus erit; sic tamen quasi per ignem.* Nota, lignum, fœnum, stipulam: Hæc tria significant tria peccata venialia. Lignum, quod difficiliùs comburitur, quàm fœnum, significat peccata venialia majora; quia pro talibus multùm sudant in purgatorio. Fænum, quod citiùs comburitur, venialia peccata mediocria: Stipula, id est palea, significat peccata venialia minima, de quibus statim purgantur, & purificantur, transeundo per purgatorium.

S. Aug. S. 41. de SS.

III. S. Augustinus longum culparum venialium in specie texit catalogum, dum in sermone quodam ita scribit: Quæ sunt minuta peccata, licèt omnibus nota sint, tamen quia longum est, ut omnia replicentur, opus est, ut ex eis vel aliqua nominemus. Quoties aliquis in cibo aut potu plùs accipit, quàm necesse sit, ad minuta peccata noveris pertinere. Quoties plùs loquitur, quàm oportet, aut plùs tacet, quàm expedit: Quoties pauperem importunè petentem exasperat. Quoties, cùm corpore sit sanus, alijs jejunantibus prandere voluerit, aut somno deditus tardiùs ad Ecclesiam surgit. Quoties, excepto desiderio filiorum, uxorem suam cognoverit. Quoties in carcere clausos, & in vinculis positos, tardiùs requisierit. Quoties infirmos tardiùs visitaverit: Si discordes ad concordiam revocare neglexerit; si plùs aut proximum, aut uxorem, aut filium, aut servum exasperavit, quàm oportet: si ampliùs fuerit blanditus, quàm expedit, si cuicunque majori personæ, aut ex voluntate, aut ex necessitate adulari voluerit; si pauperibus esurientibus cibum non dederit, aut nimiùm sumptuosa aut delitiosa sibi convivia præparaverit; si se in Ecclesia, aut extra Ecclesiam fabulis otiosis, de quibus in die Judicij ratio reddenda est, occupaverit. Si dum incautè juramus, & cùm hoc per aliquam necessitatem implere non poterimus, utique pejeramus. Et cùm omni facilitate vel temeritate maledicimus: (leviter intellige) cùm aliquid suspicamur temerè, quod tamen plerùmque non ita, ut credimus, comprobatur; hæc & his similia ad minuta peccata pertinere non dubium est, quibus licèt occidi animam non credamus, tamen eam, velut quibusdam pustulis, & quasi horrendâ scabie replentia, deformem faciunt.

§. II.

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas.

I. Si quis superædificat super fundamentum hoc ligna, fœnum, stipulam, uniuscujusque opus, quale sit, ignis probabit. 1. Cor. 3.

II. Septies cadet justus, & resurget. Prov. c. 24. 16.

III. Qui in modico iniquus est, & in majori iniquus est. Luc. c. 16. 10.

IV. Qui timet DEUM, nihil negligit. Ecclesiast. c. 7. 19.

Damnum

V. A scintilla una augetur ignis. Eccli. c. 11. 14.

VI. Ecce quantus ignis, quàm magnam silvam accendit! Jac. c. 3. 5.

VII. Qui spernit modica, paulatim decidet. Eccli. c. 19. 1.

VIII. Muscæ morientes perdunt suavitatem unguenti. Eccles. c. 10. 1.

IX. Peccata vestra absconderunt faciem ejus à vobis (in purgatorio) manus vestræ pollutæ sunt sanguine (peccati mortalis) & digiti vestri iniquitate seu peccato veniali. Isaia c. 59. 2.

X. Pro mensura peccati erit & plagarum modus. Deut. c. 25. 2.

XI. Nescitis, quia modicum fermentum totam massam corrumpit? 1. Cor. 5. 6.

§. III.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Fuga.

I. Minima neglecta eò turpiùs moribus maculam ingerunt, quò vitari faciliùs cognita potuerunt. S. Bonav. in prol. spec. disc.

II. Frontem meretricis habet, qui post divinam Majestatem intimè cognitam, post am- Al. ar. l. c. c. 9. f. 81.

plissima

plissima ejus dona suscepta, post gustatam cælestium contemplationum suavitatem, audet, sciens & advertens aliquid Domino displicere, illud, licèt levissimum, coram oculis sui Domini & Creatoris patrare.

S. Chrys. de lev. peer. peric. III. Divina vindicta ipsam (uxorem Loth) in salis materiam transmutavit, ut ex hoc appareat, non qualitatem delicti debere quemquam intendere, sed divina jussa totâ veneratione servare; nec debere hominem, quid jubeatur, expendere, sed magìs, quis jusserit, cogitare.

Eusib. Emyss. ho. 6. ad Monach. IV. Quid prodest, quòd nos pretiosis vigilijs, laboribusque conficimus, & ea, quæ maximè DEUS noster desiderat, non habemus? Hoc est, cor mundum, & liberum ab istis minutijs negligentiarum?

Alvar. lo. c. 181 V. Signum est amoris satis tepidi, velle amatum in solis rebus gravibus, & magni momenti non offendere, & in alijs, quæ non tanta severitate præcepit, ejus placitum ac voluntatem procaciter violare.

Damnum.

Ibid. c. 10. VI. Est peccatum veniale, inquit Alvarez, si attentè ipsum inspiciamus, non quidem mors animæ, quod tantùm crimini seu peccato lethali competit; sed est adversa valetudo & infirmitas animæ, quæ & ipsam animam fœdat, atque deformat, & à debita dispositione bene & fervide operandi disjungit, citátque S. Bernardum in sermone de triplici genere bonorum, ita scribentem: sicut corporis natura est sanitas, ita cordis natura est puritas, quia turbato oculo non videbitur DEUS, & cor humanum ad hoc factum est, ut suum videat Creatorem. Si verò sanitati corporis sollicita est providenda custodia, puritati cordis tanta sollicitior est impendenda, quantò pars ista dignior illâ esse convincitur. subdítque idem P. Alvarez hanc similitudinem, inquiens: sunt peccata ista levia, sicut pestilentes morbi, quos si diligentissimâ medicinâ non comprimas, certissimam, & citissimam mortem intentant.

S. Gregor. l. 10. mor. c. 9. VII. Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere: Esus quippe, potúsque ad ludum impulit, ludus ad idololatriam traxit, quia si vanitatis culpa nequaquam cautè compescitur, ad iniquitatem protinus mens incauta devolvitur, Salomone attestante, qui ait: *Qui modica spernit, paulatim decidet*: si enim curare parva negligimus, insensibiliter seducti, audenter etiam maiora perpetramus.

Ibid. VIII. Dum moderari lingua otiosa verba negligit, more inolitæ remissionis capta, audax ad noxia prorumpit: dum gulæ incumbitur, ad levitatis protinus insaniam proditur; cúmque mens subigere delectationem carnis renuit, plerumque & ad perfidiæ voraginem ruit. Unde bene Paulus plebis Israeliticæ damna conspiciens, ut imminentia ab auditoribus mala compesceret, curavit ex ordine transacta narrare, dicens: *Neque idololatræ efficiamini, sicut quidam ex ipsis, &c.*

IX. Leviorum culparum nec affectus extinguere, nec occasiones vitare laborant, libertatem largioris vitæ desiderant, à divinis officiis, cæterisque actionibus conventualibus abesse gaudent, delicatum, superfluúmque cibum, ac potum percipere gestiunt, opportunitates nugandi exquirunt, inordinati risûs solatia affectant, sæcularia audire, vana videre, curiosa in suos particulares usus accipere audent, propriam complacentiam, ineptam lætitiam, otium, vaniloquia, fabulas, gestus incompositos, cæteráque huiusmodi vitia, aut non esse vitia, aut vix esse vitia iudicant, & ideo sine scrupulo conscientiæ ea admittunt. Nimirum insensibiles effecti, vulneribus acceptis se sanos existimant, ob ídque nec mala sua plangere, nec vitam corrigere student; sed quid dicunt? Non sunt, inquiunt, vulnera, aut si sunt, vulnera admodum parva, ferè nulla sunt. O Monachos infelices! ô Monachos dementes! ô Monachos non Monachos! nam quantumlibet parva vulnera videantur, quia tamen non cavent, ne ea suscipiant, nec postquam susceperunt, debitam curam adhibent, omnia mortifera redduntur; ut interim omittam, quòd etiam ex tali negligentia, frequenter ipsi in superbiam, rebellionem, inobedientiam, murmurationem, furorem, detractionem, odium, invidiam, contemptum, gulam, & alia enormia peccata corruant. Blosius instr. vit. Asc. diu. 7.

X. Verè culpæ leves & imperfectiones, vulpes parvulæ sunt, in quibus nihil magnum, nihil nimis noxium aspicimus, sed hæ vineam, id est animam demoliuntur, quia eam sterilem faciunt, dum cœlum ei æneum esse faciunt, & pluviam cœlestis auxilij impediunt. Alv. Jo. 1. p. 1. l. 1. c. 14.

XI. Qui spernit modica, id est, qui non curat vitare parva peccata, successivè corruit ad majora; venialia namque minora, disponunt ad venialia crassiora, & omnia simul ad mortalia; adducítque testimonium Ecclesiastis dicentis: *qui timet DEUM, nihil negligit*, nempe quò quis magìs illuminatur à DEO, tantò ampliùs ponderat, & abhorret etiam minimas culpas. Dionys. Carth. in c. 19. Eccli.

XII. Culpa venialis majus est malum, quàm sint omnia mala pœnæ in unum collecta, quia malum superioris ordinis est, quod gravitatem sumit à persona offensa, quæ est infinitæ dignitatis. Hinc qui ingenui sunt animi, metuunt DEUM offendere etiam in minimis, quia non respiciunt ad peccatum, quod parvum reputatur, sed ad ipsum DEUM, qui magnus est, & de minimis etiam rationem exigit; sicut econtra qui hoc non curant, abjectos & ignobiles se produnt servos, qui nolunt parere Domino, nisi grandia impetet, aut stricto gladio, minisve eos terreat. Anth. Ignot. apud Mansi dise. 1. n. 6.

XIII. Quis hinc præsumptionis Spiritus, qui tantam in animo nostro operatur audaciam, ut cùm sanctos homines de levibus etiam culpis videamus punitos esse, & nos quotidie in S. Hieron. in reg. mon.

In majoribus, & pluribus delinquentes, intactos in media damnatione fore credamus? Quanquam nusquam leve sit, DEUM etiam in exiguo contemnere, qui non tantùm ad qualitatem respicit peccati, sed etiam ad personæ contemptum, propter quod non solùm homini intendendum, quale sit, quod jubetur, sed quantus sit ille, qui jubet.

Facilitas incurrendi.

S. Leo s. 4. de quadr. XIV. Necesse est de mundano pulvere etiam corda religiosa sordescere; nec enim facilè provenit cuiquam tam incruenta victoria, ut inter multos hostes, frequentésque conflictus, etiam si sit liber à morte, sit quoque immunis à vulnere.

Ibid. c. 18. XV. Peccata illa, quæ stipulis designantur, & non ex vitijs nostræ menti insidentibus, neque ex malitia & inverecundia scientèr peccantis, sed ex infirmitate carnis & ex humanæ naturæ imbecillitate procedunt, difficillimè caventur, adeò ut nullus Sanctorum præter Christum Salvatorem, qui DEUS est, & peccare non potuit, & præter B. Virginem, quæ Mater DEI est, & singulari privilegio omni caruit peccati nævo, ab illis inveniatur immunis.

S. Aug. in Psal. 40. XVI. Quis numerat capillos capitis sui? multò minùs peccata, quæ excedunt numerum capillorum; minuta videntur, sed multa sunt. Præcavisti magna, jam non facis adulterium, jam non facis homicidium, non rapis res alienas, non blasphemas, non dicis falsum testimonium, moles istæ sunt peccatorum. Magna præcavisti, de minutis quid agis? Annon times minuta? Projecisti molem; vide, ne arena obruaris.

§. IV.

EXEMPLA SACRA.

Fuga.

Mauß disc. 1. n. 9. I. FLorentiæ in monasterio S. Marci, quod est Ordinis Prædicatorum, duo erant hujus ejusdem Ordinis Sacerdotes, quorum unus F. Zenobius Mediceus, alter verò F. Servantius Minus vocabatur. Convenerant isti inter se, ut singulis quibúsque noctibus, priusquam ad Matutinas accederent; mutuò peccata confiterentur. At humani generis hostis tanti boni invidus, nocte quadam duas circiter horas, antequam consuetum daretur signum, Zenobij cubiculum pulsat, inclamátque: Heus tu, surge, imminet hora. Hac voce experrectus ille, statim lecto exsiliens, ad Ecclesiam se confert, ibíque ementitum Servantium reperit, prope sedem deambulantem. Quamobrem Zenobius ratus, ipsum verè esse Servantium, supplex genuflectit, ut peccata confiteatur. Assidet dæmon, & confessionem excipit, ad singulas tamen culpas, quas pœnitens confitebatur; Nil istud, nil culpæ, ajebat. Imò cùm culpam sibi graviorem visam Zenobius subjungeret, ajebat itidem; Futilia sunt ista. Hæc audiens Zenobius, Satanæ laqueos veritus, Crucis signo se muniens, mendacii parentem ita compellat? Num tu dæmon infernalis? Ad hæc is spe lucri frustratus, ignominiæ plenus evanuit. Nullus igitur, inquit Chrysostomus, se frivolâ illa ratione consoletur, quâ universa protervitas in animam introducitur; illâ, inquam, ratione nullus utatur, dicens: Quid hoc est, aut illud? Mille certè hinc mala oriuntur. Veterator enim malorum diabolus cùm sit, magnâ malitiâ, multâ operâ, ingenti studio, condescensionéque nonnullâ ad perditionem hominum utitur. A minimis enim plerumque incipit, quod intueri hoc modo licet. Studebat in Pythonyssæ nugas, ac delitamenta Saul Regem detrudere, sed id si ab initio suasisset, mentem ille non adhibuisset, quando enim id fecisset, qui Pythonyssas expellebat? propterea sensim & paulatim illum inducit: nam quoniam Samuel non obtemperavit, & holocausta illo absente offerri præparavit, accusatus ait: *Necessitas hostium facta est major*. Cùmque flere oportuisset, quasi nihil mali fecisset, lætabatur. Jussit rursum nonnulla de Amalecitis DEUS, hæc quoque transgressus fuit. Hinc adversùs David insanivit, & sic paulatim labens, ad ipsum perditionis barathrum seipsum immisit. Idque pariter in primo reprobo, Cain videlicet, exemplificat, quem astutus ille serpens sensim & paulatim in magnum illud præcipitium deturbavit; subdit enim: similiter etiam de Cain factum esse videmus; non enim confestim cædem fratris ille suggessit, ne magnitudine rei commotus, tam scelestum facinus abominaretur, sed priùs persuasit deteriora offerre, nullum esse id, dicens, peccatum; deinde invidiæ veneno succendit, nihil enim hinc mali secuturum, persuadendo. Ita sensim in eum illapsus, ad cædem fratris, & ad negationem sceleris impulit, nec priùs cessavit, quàm malorum omnium verticem imposuit.

II. Quædam Monastici Ordinis Virgo, quæ piè admodum vixerat, veniens ad mortis horam, gravibus mentis angustiis Deo permittente, purgari ante exitum debuit ab hac culpa, quòd quandoque gratiam Sacramentalis Confessionis neglexerat; nonnunqam enim, cùm aliæ sociæ virgines ad Confessionem coram sacerdote faciendam sese præpararent, illa nullum in conscientia sua gravioris culpæ sentiens remorsum, minimè satagebat per verba Sacerdotis absolvi, saltem à pulvere venialium culparum, sine quibus humana vita non ducitur, sed simulabat se interdum dormire, quando Sacerdos confessiones excepturus aderat. *Blosius concl. animæ. c. 5. n. 2.*

III. Refert S. Augustinus de Matre sua S. Monica, quòd, cùm tenellæ etiamnum esset ætatis, surrepserat ei vinolentia. Nam cùm de more, tanquam puella sobria, juberetur à parentibus de cuppa vinum depromere, sub- *S. Augusti. l. 4. conf. c. 16.*

misso poculo, quâ desuper patet, priusquam in lagunculam funderet merum, primoribus labris sorbebat exiguum, quia non poterat amplius, sensu recusante; non enim ulla temulentâ cupidine faciebat hoc, sed quibusdam superfluentibus ætatis excessibus, qui ludicris motibus ebulliunt, & in puerilibus animis majorum pondere premi solent. Itaque ad illud modicum quotidiana modica addendo (quoniam qui modica spernit, paulatim decidit) in eam consuetudinem lapsa erat, ut prope jam plenos mero caliculos inhiantes hauriret.

Surius 14. Maii. IV. In vita S. Pachomii scribitur, sanctum hunc spiritus malignos in hisce actionibus conspexisse occupatos. Videbantur multo consensu concutere multa folia arboris, allatisque funibus ea fortiter colligabant, utrinque autem stantes se invicem hortabantur trahere folia, tanquam maximum aliquem lapidem. Quonam verò fine ridiculam hanc actionem exercuerint, historia his verbis manifestat: Hoc verò faciebant, sic existimantes, cor sancti ad risum dissolvere, ut vel in hoc possent de eo gloriari.

Petrus Dam. l. 2. ep. 15. V. Clericus Coloniensis Ecclesiæ vadum fluminis transibat, & ecce B. Severinus, ejusdem Ecclesiæ nuper Episcopus, equi ejus habenas apprehendit, cùmque retinens sistit, cùmque ille in stuporem versus, & graviter admiratus, cur illic tam clarus, & tam celebris famæ vir moraretur, inquireret: da mihi, ait, manum tuam, & quæ circa me sunt, non auditu disce, sed tactu: cùmque datam manum fluctibus Episcopus impressisset: tantus eam ardor absorbuit, ut undique carnes ejus resolutæ diffluerent, & ossa nuda vix hærentibus articulis remanerent. Ad quem Clericus: Nomen, inquit, tuum in tanta benedictione est apud nos, & fama tua consonis totius Ecclesiæ præconiis cùm celebretur, cur te pestilens hæc vorago constringit, tantóque, prô dolor, incendio cruciaris? Ad quem sanctus Episcopus: Nihil, ait, aliud in me remansit ultione plectendum, præter hoc tantùm, quia cùm in aula regia constitutus, Imperialibus me consiliis vehementer implicui, Canonicæ Synaxis officia, per distincta horarum spatia non persolvi. Manè quippe simul omnia coacervans, totâ die negotiis ingruentibus securâ libertate, vacabam. Ob hanc itaque negligentiam Horarum, ardoris hujus fero supplicium.

Surius in vit. Hug. VI. Surius in vita Hugonis Abbatis Cluniacensis, refert de Durando Archiepiscopo Toletano (qui olim ejusdem Ordinis Religiosus fuerat) quòd, quia is sibi mirè in facetiis complacuerat, ideóque ab eodem Hugone multoties fuerat correctus & monitus, quòd nisi à similibus se facetiis averteret, pro illis condignas post mortē pænas esset daturus, ideo idipsum ei post mortem revera acciderit? siquidem defunctus Durandus post aliquod tempus, cuidam monacho, cui Sigwinus nomen erat, apparuit, præseferens in facie os inflatum, & labia ulceribus plena, eundémque rogavit, ut nomine suo Abbatem requireret, pro faciendis pro salute animæ ipsius acceleranda, orationibus. Quare dictus Abbas septem præcepit Noviciis, ut septem diebus continuis se se per rigorosum & indispensabile mortificarent silentium, illúdque in subsidium & favorem animæ dicti defuncti, DEO offerrent. Quia verò unus illorum septem impositum sibi mandatum transgressus fuerat, ideo Archiepiscopus eidem apparuit, lamentando vehementer de novitii illius inobedientia, utpote ob quam liberatio ejus etiamnum retardabatur; mox verò ut præfata pœnitentia alteri imposita, & ab eodem executioni mandata fuit, anima Archiepiscopi in cœlum feliciter evolavit.

VII. Abbas Paulus in tantùm cordis puritate, quiete solitudinis, silentióque profecerat, ut ne dicam vultum fæmineum, sed ne vestimenta quidem sexûs illius conspectui suo pateretur offerri: nam cùm eidem pergenti ad cujusdam senioris cellam unà cum Abbate Archenio, ejusdem solitudinis accolâ, casu mulier obviasset, offensus occursu ejus, tantâ fugâ ad suum Monasterium (prætermisso, quod arripuerat piæ visitationis officio) recurrit, quantâ nullus à facie leonis, vel immanissimi draconis aufugeret, ita ut ne memorati quidem Abbatis Archenii revocantis eum clamore ac precibus flecteretur, ut ad requirendum senem, quemadmodum proposuerat, cœpto itinere tenderent. Quod licet Zelo castitatis, & puritatis ardore sit factum, tamen, quia non secundùm scientiam præsumptum est, sed in observantia disciplinæ jussæque districtionis excessus est modus (non enim solam familiaritatem, quæ verè est noxia, fœminarum, sed ipsam quoque figuram sexûs illius credidit execrandam) tali confestim correptione percussus est, ut ejus universum corpus paralyseos valetudine solveretur, nullúmque in eo membrum penitus explere suum prævaleret officium; siquidem non solùm pedes ac manus, sed etiam linguæ motus, quo elocutio vocis exprimitur, ipsæque aures ita auditûs proprii amiserant sensum, ut in eo nihil ampliùs ex homine, quàm immobilis atque insensibilis figura remaneret. Eò autem redactus est, ut infirmitati ejus nullo modo virorum diligentia deservire sufficeret, nisi sola ei mulieris sedulitas ministrasset, per annos fermè quatuor, id est, usque ad vitæ suæ terminum. *Cassian. coll. 7. c. 26.*

VIII. Abbas Moyses, qui in deserto commorabatur, cùm ipse singularis & incomparabilis esset, ob reprehensionem unius sermonis, quem contra Abbatem Macharium disputans, paulò duriùs protulit, quadam scilicet opinione præventus, tam diro confestim traditus est dæmoni, ut humanas egestiones ore suo suppletas ingereret. Quod flagellum purgationis gratiâ se Dominus intulisse, ne scilicet in eo vel momentanii delicti macula resideret, velocitate curationis ejus, atque authore remedii demonstravit. Nam continuò Abbate Machario in oratione submisso, dicto citiùs nequam Spiritus ab eo fugatus abscessit. *Idem c. 27.*

IX. S. Dorotheus illis, qui animam suam securè *S. Doroth. doct. 2.*

securè salvare seriò contendunt, sequens dedit saluberrimum documentum, videlicet illis valde cavenda esse prima peccati semina; quòd si tamen illis aliquis incautè, & inconsideratè patefactus esset aditus, subitò extirpanda esse, ob ingens, quod ex iisdem eis immineret aliàs, periculum; Hic statim, nisi se revocet & resipiscat, sensim labitur: Idem quoque lapsum refert cujusdam Monachi, qui Religiosum aliquem laudari audiens, eum deridendo contemnens, dicere solebat, neminem laude dignum esse, præterquam Zosimum, & Monasterij ipsius fratres. Postea nec illos alicujus æstimavit, asserendo neminem laudem mereri, præter Macharium. Paulò pòst verò dicebat; Et quis est Macharius? nemo in pretio haberi meretur, quàm solus Basilius & Gregorius. Nec multum præteribat temporis, cùm ecce & hosce contemnebat, dicendo, solos Apostolos Petrum & Paulum, passim ab omnibus in veneratione esse habendos. Cui ego prædixi, inquit S. Dorotheus, quod & evenit, fore, ut hos quoque suo tempore contemneret, quod sane factum est, nam eos quoque sprevit, & nullo habendos esse in pretio, præter Trinitatem asserere cæpit, statímque in DEUM quoque, factus insolentior, exarsit, intumuit. Demum verò idem sanctus Pater in hæc verba concludit: Nobis igitur luctandum est cum prima, ne in secundam paulatim labamur superbiam.

Vit. PP. l. 1. c. 20. X. In vita S. Macarij Romani legitur, quòd, cùm in nuptijs suis, ad imitationem S. Alexij, eâdem nocte, priusquam conjugij frueretur fructibus, relictâ post se sponsâ, secretò se, Angelo suo sancto duce, in desertum quodam horridum contulisset, ad faciendam ibidem austerissimam pœnitentiam, acciderit post aliquod tempus, quòd gravissimè tentaretur à Diabolo, idque sequenti adhibito stratagemate: Die quadam horâ quasi septimâ (verba sunt ipsiusmet S. Macarij) è spelunca foras egressus, sole fervescente resedi, tunc subitò subtile fasciolum, & oculis delectabile, juxta me in terra positum aspexi. Ego verò in memetipso cogitans, dixi: unde in hac solitudine fasciolum? Æstimans tamen, quia in veritate esset fasciolum, oblitúsque ego miserrimus me signo Crucis munire, (quoniam quidem sacrosanctæ Crucis signaculum omnem inimici enervat phantasiam) misi manum, & levans fasciolum, reportavi in speluncam. Ecce qualiter in hoc facto transgressus fuerit, licèt ignoranter, illud S. Pauli consilium: *Nolite locum dare Diabolo.* Hoc autem modicum lucratum pignus ei sufficiebat, ad audenda circa ipsum majora, progrediendúmque ulteriùs ad validiores ei tentationes inferendas; subdit enim idem S. Macarius: Alterâ nihilominus die egressus, calceos fœmineos reperi jacentes in terra, sed nec tunc miser ego insidias Diaboli advertens, nec Crucis vexillo me muniens, calceos levavi; & in speluncam portans, fasciolo junxi. Tertiâ autem jam die iterum exiens, Diabolum in decore, vel specie mulieris, vestibus pretiosis indutæ, stantem inveni: ego verò miserabilis, nec sic quidem laqueos inimici recordans, nec aliquo modo me signans, sed credens in veritate, quia mulier esset, ajo ad illam: unde huc advenisti? aut quis te in hanc adduxit solitudinem? Illa continuò flere amarissimè cœpit. Tunc ego misellus simul cum illa veluti compatiendo, valde ploravi. Post hæc respondens dixit: Ego miserrima, ô Pater sanctissime, filia sum viri Romani, qui cùm me invitam ac nolente desponsâsset juveni cuidam nobilissimo Romano, ac dies nuptiarum venirent, & thalamum ac convivium ordinarent, inter nuptias ipsas sponsus meus disparuit. Cúmque turbati omnes huc illúcque eum inquirendo vagarentur, ego gavisa effecta clàm exivi, & nocte eâdem iter arripiens, nec itineris Ducem aliquo modo habens, per angusta montium & vallium errando, huc usque perveni. Hæc ego cùm audissem, & omnia ita esse credidissem, simul & sponsam meam fore sperans, per manus apprehendi illam, & in hanc introduxi speluncam: Lachrymæ verò ab ejus oculis nullatenus cessabant. Tunc ergo miseriis & lachrymis ejus compatiens, & valde super eam dolens, sedere eam juxta me feci, similiter & glandes illi ad manducandum præbui, non enim insidias Diaboli intellexi, neque ullatenus Crucis me signo munivi, sed similiter sedentes diutiùs colloquia simul habuimus.

Pœna.

XI. Laurentius Surius in vita S. Macarii Alexandrini refert, quòd eidem nocte quadam in cella sua quiescenti, vespa quædam ejus momorderit pedem, propter quod ipse iratus vespam occidit. Ad se verò reversus, ut errorem emendaret commissum, semetipsum hâc pœna mulctavit, ut scilicet per sex menses continuos, in agris Scythicis, in quibus circumvagantium vesparum non est numerus, nudus persistens ab iisdem eòusque transfigeretur aculeis, morsibúsque infestaretur, donec quis esset, dignosci, nisi ex sola voce, non posset. Surius in vit.

XII. In vita S. Antonini Archiepiscopi Florentini refertur, quòd aliquando temporis injuriis & molestiis aliquamdiu infestatus, tandem in verba impatientiæ proruperit, dicendo: Quousque igitur hoc triste & molestum tempus durabit? Postea verò considerans, quòd hac in re voluntatem suam divino non conformasset beneplacito, primò quidem erroris à se commissi à DEO humiliter postulârit veniam, postea verò ad culpam hanc in seipsum castigandam, grávi quâdam corpus suum accinxerit catenâ, eámque serâ aliquâ clauserit, clavem verò seræ illius, ne eam aperire posset, in Arnum Florentiam perlabentem fluvium conjecerit. Tandem verò post integrum elapsum septennium, dum in culina ejus piscis quidam exenteraretur, clavicula prædicta in piscis hujus visceribus inventa, sancto Archiepiscopo allata fuerit; qui In Vita.

gnota edere, & ad usuram lucis communem emitti voles. Basilius Seleutiensis ea sacri textûs verba sic illustrat: Tu, cùm fructu interdicto te non abstinueris, fructu uteri tui miserè cruciaberis. Mortalium viventium ærumnosæ matris prima culpa ea fuit, quòd ad vetitam arborem manum cupidam prælicenter extendit, *tulitque de fructu illius, & comedit*, Gen. 3. 6. Quòd filii vocentur fructus ventris, id sacrarum litterarum trita phrasis habet. *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam*; ajebat ille Psal. 131. v. 11. Et beata Elizabeth Mariæ: *Benedictus fructus ventris tui*: Lucæ 1. 42. sunt alia præterea sine numero loca, ubi tali nomine donantur liberi. Ut ergo intelligeremus, in eo quemque plecti, in quo deliquit, & ex ferro culpæ ab artifice DEO cudi gladium pœnæ, idcirco hæc nobis doctrina in primo supplicio, quod de primâ peccatrice sumptum, tradita fuit, & salutare illud documentum datum! nam quoniam in arboris vetitæ fructu peccavit, in sui ventris fructu, hoc est, filiorum difficili partu pœnas luit. Cùm fructu interdicto te non abstinueris, & fructu uteri tui miserè cruciaberis.

Basil. Seleuc. orat. 3.

XI. Non intempestivè etiam huc veniet quædam Moysis Bar-Cephæ observatio, qui sciscitatur, quid mysterij subesse possit supplicio, quo DEUS Protoparentum nostrorum seductorem castigavit: illud his verbis expressit Dominus: *Quia fecisti hoc, super pectus tuum gradieris, terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ*. Gen. 3. v. 14. Sed quare hunc primi sceleris solicitatorē, qui blandiloquentiæ suæ lenocinijs primos peccatores in culpam impulit, tali pœnâ mulctavit, ut per terram secundùm pectus reptaret, & solùm pro victu tenuem pulverem haberet? & cùm in victu decernendum ejus supplicium esset, cur magìs ad terram, quàm aliam quandam rem vilem comedendam damnatus fuit? Ad hoc respondet Auctor, quem dixi, libri de Parad. part. 1. Pulverem comedes omnibus diebus vitæ tuæ, nempe in pulverem redegisti primos parentes, pulvere igitur vescêris totâ vitâ. Pœna, quam primis Parentibus pro suæ prævaricationis merito Dominus inflixit, sic habebat: *Pulvis es, & in pulverem reverteris*. ibid. v. 19. Hæc pœna suam originem duxit ex transgressione, in quam veterator serpens Evam, Eva conjugem suum Adam pertraxit, de vetitæ autem arboris fructibus comedere sub certa inevitabilis mortis mulcta interdictum erat, idque his verbis: *De ligno scientiæ boni, & mali ne comedas; in quocunque enim die comederis, ex eo morte morieris*. Gen. 2. v. 17. sed accedamus ad rem, ut videamus, quàm congruat conceptus cum argumento hujus capitis. Evam per serpentem, tanquàm instrumentum induxit Dæmon, ut ambitiosâ cupiditate consequendæ Deitatis vetitum comederet fructum. Malè circumscripta mulier recens nupto marito persuasit, ut eundem degustaret fructum, qui postquàm illius precibus cessisset, solam ex convivio mortem cùm ipse, tum uxor reportavit, ex quâ in pulverem ambo indeclinabiliter convertendi erant. Omnem hanc illis tragædiam dolosus serpens suis offucijs adornavit. Dicit nunc Dominus, Cùm serpens eo deliquerit, quòd fuit solicitus incitator, ut homines verterentur in pulverem, sit etiam deinceps tam venenosæ bestiæ cibus non alius, quàm pulvis, ut palàm fiat, quòd DEUS parem sceleribus inferre pœnam sciat, & ad eum modum punire hominem, quô ab illo offenditur. In pulverem redegisti primos parentes, pulvere igitur vescêris totâ vitâ.

Nyss. l. 9. c. 8.

XII. Admiranda fuit olim divitis Epulonis obsecratio, quâ ex ardenti pœnæ suæ stagno Abrahamum interpellavit; Guttulam aquæ nonnisi unicam, ad inflammatæ linguæ refrigerium supplex deposcebat. Oratio eius talis erat: *Pater Abraham, miserere mei, & mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam*; Luc. 16. v. 24. O! in quantam miseriam, & penuriam reductus fuit homo, paulò ante tam splendidè, & lautè vivere, atque epulari solitus! Extremum Lazari digitum implorat, deciduámque ab illo stillulam aquæ petiit, quâ linguæ ardorem vel non nihil mitigaret, quo intolerabiliter affligebatur. O quàm subtile, & commodum est themati nostro, quod in hanc rem beatissimus Papa Gregorius excogitavit! Is lib. 18. moralium c. 12. sic scribit: Videmus in verbis divitis et subtilissimo DEI judicio, quàm digna tali culpæ pœna responderit. Agente namque inopiâ illic usque ad minima petenda compulsus est, qui agente tenaciâ usque ad minima neganda pervenit. Quid retribui subtilius, quid districtius potest? Diligenter considerandum secretum DEI judicium, quo in divitem illum epulonem animadvertit, quando tam inopem fecit, ut inter ultrices flammas unicam solam, nec aliam, quàm aquæ guttulam postularet. Quamobrem verò, tali supplicio addictus fuit, ut unam aquæ guttulam anhelus peteret, & consequi non posset? Attentis oculis legite, quæ apud S. Lucam dives, & avarus epulo pauperi Lazaro faciebat, cùm ad ejus fores fame tantùm non enectus iaceret. *Jacebat ad januam ejus cupiens saturari de micis, quæ cadebant de mensâ divitis, & nemo illi dabat*. ibid. v. 20. 21. Tam importuna, & molesta esuries ulcerosum infestabat Lazarum, ut latratus & exactiones immanes inanis ventriculi, solis micis fortuitò relictis, ante mensam avari divitis delapsis compescere vellet, & neque tam facile, tenuéque, & parabile famis levamen illi quisquam ferret. Dicit nunc Gregorius. Notate mihi hic magnitudinem sapientiæ omnipotentis Domini, & iusti Judicis, quomodo divitem epulonem eo torqueat, quo peccavit. Ille nolebat occurrere naturali desiderio, quo miser Lazarus suam diræ famis duram necessitatem micis decidui panis depulsam optabat: Luat ergo tantam inhumanitatem suam expectatione, & expetitione stillulæ aquæ, & nunquàm obtineat; ut vel hinc liqueat, num sapienter supremus Judex noverit disponere, ut ex ferro culpæ confletur gladius pœnæ, hoc est, ut affligatur guttâ a-

Ibid.

quâ

quæ petitæ, neque impetratæ, qui deliquit micâ panis postulati, & non concessi. Quàm digna tali culpæ pœna respondit! namque illic usque ad minima petenda compulsus est, qui hucusque ad minima neganda pervenit: quid retribui subtilius, quid districtius potest?

Ibid. XIII. In ipsis adeo brutis animalibus reperiemus, quo thema nostrum constabiliamus, de quibus patientiæ Sponsus Job dixit, ut iis nonnunquàm pro magistris, & vitæ moderatoribus utamur, inquiens: *Interroga jumenta, & docebunt te*: Job. 12. v. 7. Videamus ergo, quid phœnix noster Basilius dicat: de iis animalibus, quæ de morte vivunt animalium aliorum. Animalia, quæ sanguine gaudent, & quæ aliis exitium adferunt, certum est longè minùs fœcunda esse; quapropter leonis vix leæna mater evadit. Hæc ille homil. 9. in Hexam. At quid latentis mysterii habere potest, quòd animalia, quæ venatu, & cæde vivunt aliorum animalium, & vitali sanguinis alieni pascuntur liquore, eo plectuntur supplicio, ut rarum habeant propagationis suæ speciei fructum, quem natura tam ardenter desiderat? In promptu causa est ea, de quâ hîc agimus, quòd videlicet Dominus eâ re nos vult docere, quòd eo soleat ille uti ad vindictam, quo peccans utitur ad culpam, id quod in ipsis adeò brutis animantibus observat, ut propterea illis non permittat longam posteritatis successionem, quæ aliis abbreviant vitam, ut producant suam. Animalia, quæ aliis exitium adferunt, certum est, longè minùs fœcunda esse, scilicet, ut ne diu in sobole vivant, quæ vivere diu alia non sinunt.

Idem §. 1. in Domin. 5. quadr. XIV. Peccatum quidam simile esse volunt particulæ negationis, *non*, quæ, ut Logicorum axioma habet, est malignantis naturæ, quia, quidquid post se invenit dictionis, destruit; sit quisquam prudens, sapiens, sanctus, solitarius, & plurimis aliis virtutibus excultus, ut omnia hæc illi ornamenta detrahas, quid facto opus? A capite omnium encomiorum, quæ in illum congessisti, unum *Non* statue, ita illa elogia prorsum abolevisti, ut ille, quem antea à tam multis commendasti, jam non prudens sit, non sapiens, non sanctus, non solitarius, quia negatio (quæ est illius insignis malitia) omnia corrumpit, ac destruit, quæcunque post se invenit.

Ibid. XV. Cicero dicebat, vitam justi debere esse instar carminis, cui si vel syllaba desit, aut exerret, exsibilaris: nihil accedere superfluum versui, nihil decedere necessarium debet; tantam requirit res ista integritatem & æquitatem. Talis debet esse vita justi, sit quispiam amans aliorum, sit patiens, sit frugi, sit dives virtutum, uno peccato evertere omnem illum apparatum potest.

Ibid. XVI. Quadrat huic proposito illud cujusdam sancti emblema, quo ille pro consiliorum suorum, & rerum, quas animo designarat, insignibus utebatur: erátque brachium præferens gladium, quo detruncabat septem capita Hydræ Herculeæ, cùm hac adscriptione, Aut omnia, aut nullum; commodum est causæ præsenti emblema; serpens enim, ut ferunt, quocum Hercules depugnavit, septiceps erat, quem ut expugnaret, necessum erat omnia, uno ictu simul demetere capita; nam cùm unum solum amputabatur, ex illo alia septem renascebantur. Itaque fortissimus Hercules septem capita ejus simul desecuit, & sic de Hydra triumphavit. Hoc propositum habere debet homo Christianus, & curare, ut aut omnia flagitiorum monstra obtruncet, aut nullum expugnâsse putet; nisi enim omnia peccata capitalia subigas, nunquam exibis victor; nam si unum solum reliquum facias, id te superare, ac dejicere poterit. In quam rem dixit S. Dorotheus doctrinâ 11. si unicam tantùm passionem anima habituatam habuerit, ex eâ subjecta jam hosti morâ etiam minimâ, in captivitatem ducetur.

XVII. Alexander Magnus Callisthenem, quòd illius vitam reprehenderet, turpiter obtruncavit. Fuit Callisthenes Philosophorum sui seculi facilè sapientissimus, ac modestissimus. Illud ergo Alexandri factum, cùm expenderet Seneca qq. natural. l. 6. cap. 23. dicebat: Hoc est Alexandri crimen æternum, quod nulla virtus, nulla bellorum felicitas redimet, quod unum omnibus, quæ in illo sunt illustria, obfuscandis sufficit. Nam quoties quis dixerit: occidit Persarũ multa millia, idque militum penè paucorum operâ, opponetur: Et Callisthenem occidit, cujus internecionis umbra totam triumphorum illius lucem, & gloriam obscurat. Majus est hujus flagitii pondus, quàm omnium virtutum. Quoties dictum erit: occidit Darium, penes quem tunc magnum regnum erat, opponetur: & Callisthenem occidit: ista occisio tanti illius triumphi mors erit. Quoties dictum erit: omnia oceano tenus vicit, ipsum quoque tentavit novis classibus, & imperium angulo Thraciæ usque ad Orientis terminos protulit, sic, ut nullum esset regnum, quod non invaderet, & occuparet; non aliqua natio, quam non subigeret, dicitur: Callisthenem occidit; & quid illa omnia, quando una Callisthenis obtruncatio perpetuâ Alexandrum fœdat notâ; vel si illis multò plura, & memorabiliora præstitisset, omnia licet antiqua Ducum, Regúmque exempla transierit, ac superârit, longissimóque post se intervallo reliquerit; nihil tam magnum erit, quàm scelus Callisthenis. Hinc videamus, quanta sit unius peccati malitia, quàm violentum illius venenum, cùm Seneca putârit, unicum solum sat fuisse obliterandis omnibus Alexandri triumphis, quos magnitudine animi, brachii robore, & industriâ ingenii sibi paravit: Nihil tam magnum erit, quàm scelus Callisthenis. *Ibid.*

XVIII. Per peccatum occidit homo animam suam; ubi nota, quód peccator assimilatur mortuo propter tria. Primo propter consimilem defectum, propter similem effectum, *S. Antonin. p. 1. tit. 5. c. 1. §. 12.*

ctum, propter similem aspectum. Primo corpus distemperatur; Secundò infirmatur; Tertiò moritur; Quartò portatur extra domum; Quintò sepelitur; Sextò à vermibus consumitur. Isto modo anima primò distemparatur, per tentationem & cogitationem de peccato; secundo infirmatur, per comitantem delectationem: Tertiò moritur, per consensum: Quartò asportatur, & elongatur ab hominibus, per culpæ suæ abominationem, & diffamationem apud homines: Quintò sepelitur, per malam consuetudinem; similiter enim, ut terra vel lapis superpositus onerat, & opprimit corpus, ut non resurgat; ita mala consuetudo, quæ est quædam moles gravissima, opprimens, & incitans homines ad peccandum: Sextò corpus mortuum à vermibus consumitur, & mens privata vita gratiæ, à verme conscientiæ, desperationis, & finalis impœnitentiæ, corrod.tur, mordetur.

Idem. XIX. Mors facit corpus rigidum, frigidum, putridum, horridum, terreum, atque ponderosum; Isto modo peccatum mortale facit animam rigidam, & superbam, & inobedientem ad DEUM; Frigidam per invidiam; Fœtidam per luxuriam; Putridam per gulæ immoderantiam. Quantumcunque homo fuerit amabilis, pulcher, & delicatus, statim post mortem erit horribilis, turpis, & abominabilis, & à communione hominum separandus; sic anima ante peccatum pulcherrima & formosa videtur, adeò, ut de illa dici possit illud Canticorum quartò: *Tota Pulchra es amica mea, & macula non est in te*; sed per peccatum spoliatur gratuitis, & vulneratur naturalibus; fit fœtida, & abominabilis coram DEO, ut dicat illud Ezechielis 16. *Abominabilem fecisti decorem tuum.* Et tunc per peccatum anima misera separatur à communione fidelium, & ab amicitia DEI, & Angelorum bonorum. Proverb. 14. *Miseros facit populos peccatum.*

Did. Stella in c. 11. Luc. XX. Didacus Stella de peccatò sequentem habet considerationem? Vipera non inficitur suo proprio veneno, nec Basiliscus, nec aliquis alius serpens, nec quidem bestiæ suo proprio veneno interimuntur: at verò peccatum ita pessimæ conditionis, & naturæ est, ut sua propria subjecta perdat, & destruat: Apud Isaiam dicitur: *Ova aspidum ruperunt: qui comederit de ovis eorum, morietur, & quòd confotum est, erumpet in regulum.* Porrò ova aspidum exteriorem speciem habent pulcherrimam, valdéque placentem: at vero interiùs venenum continent pestiferum, & ex iis, dum fota sunt, aspides egrediuntur; Ita quoque voluptates, & delitiæ mundanæ & carnales, appetitibus nostris quidem placent, sensúsque carnis recreant, & oblectant, cùm tamen animæ & corpori necem & ærumnas inferant æternas.

XXI. Olim in monte Ephraim certus quidam vir nomine Micha habitabat, qui fabricatum quoddam à se idolum, in capellam quandam collocârat, atque ad idem debito cultu venerandum prædivite stipendio Levitam quendam, qui ei ministraret, conduxerat. Accidit autem, ut nonnulli de tribu Dan in illis finibus circumvagarentur milites, armatâ manu domum viri illius ingressi, ut tanquam in regione illa prorsus peregrini, de via, quam inituri essent, ab ipso informarentur, conjectóque oculo in prædictum idolum, quod pretiosum erat, illud unà cum ornamentis sacerdotalibus sustulerunt, reclamantem verò Levitam, ne se illis opponeret, Tribus suæ Sacerdotio provisum secum duxerunt; Micha autem domum revertens, furtúmque idoli sui subitò notans, propero gressu milites insecutus est, clamans & ejulans; Milites autem se ejulatûs hujus causam nescire fingentes, cùm eum interrogarunt: Quid tibi vis? cur clamas? Quibus desolatus Micha respondit: *Deos meos, quos mihi feci, tulistis, & Sacerdotem; & omnia, quæ habeo, & dicitis mihi; quid tibi est?* Mira profectò res hæc fuit, etenim hic Micha nihil aliud perdiderat, quàm partem quandam marmoris vel metalli, id est, falsum quoddam simulachrum, ex marmore vel metallo fabricatum, in quo DEUM suum venerabatur, tametsi revera Dæmon honorem illum acciperet, & tamen tam amarè plorabat dicebátque, omnia sibi sublata esse, quæ habebat: Et omnia, quæ habeo. Nos verò revera sumus illi, qui, quando per peccatum DEUS nobis eripitur, seu à nobis recedit, verè dicere possumus, DEUM meum, & omnia, quæ habeo, amisi; Unde S. Seraphicus Franciscus dicere solebat: DEUS meus, & omnia; tamen tantùm abest, ut propter hoc lamentemur, & ploremus, ut potiùs lætemur, cùm malè fecerimus, & exultemus. Porrò Michæ invito fictum hoc numen sublatum fuit; nos verò facimus, quidquid possumus, omnémque industriam adhibemus, ut illud amittere valeamus; siquidem multis cum sudoribus & molestiis peccandi occasiones inquirimus, ut verè dicere possimus: Lassati sumus in via iniquitatis, ambulavimus vias difficiles: cæterum verò nemo infinitum hoc bonum, id est, DEUM nobis eripere potest, nisi ultrò, citróque volentibus, ac proinde sanctus ille Monachus, qui jugi semper gaudio perfusus conspiciebatur, gaudii sui causam edicere rogatus, respondit: Quia Christum à me tollere nemo potest. *Mansi disc. disc 2. n. 2. Iudic. 17. & 18.*

XXII. Est certum quoddam genus fulminis, quod aurum sacculo inclusum absorbet, & consumit, sacculo exteriùs remanente, sicut prius erat, sine ullo læsionis vestigiò. Idem quoque per culpam mortalem accidit animæ, hæc enim insensibiliter thesaurum divinæ gratiæ animæ Christianæ eripit, ipsâ animâ in oculis nostris manente, sicut priùs erat, *Idem disc. 11. n. 4.*

erat, adeò, ut, licèt peccator ad ignem condemnatus sit immortalem, & extra gratiam DEI positus, potestati Dæmonis sit traditus, nihilominus sæpè post exsatiatos appetitus suos lætior & jucundior erit, quàm unquam alias fuerit.

S. Bonav. l. 3. c. 7. compend. Theol.

XXIII. Simile peccatum est Sacerdotii Degradationi, quo spectaculo nullum dari potest funestius, aut lacrymabilius, quia eidem indumentis sacerdotalibus amicto, & calicem in manibus portanti, hic ab Episcopo è manibus illius tollitur, ornamentis quoque & vestibus sacerdotalibus sigillatim exuitur, idque verbis improperium indignitatis suæ expressivis, adhibitis; ac tandem justitiæ sæculari extraditur, ut per sententiam criminalem mortis supplicio pro merito adjudicetur. Sed Eheu! quàm est funestior, & compatibilior degradatio, quâ anima ab æterno Pontifice Christo in conspectu totius curiæ cœlestis degradatur, dum opulentis despoliatur gratiarum, donorum, virtutum, & meritorum, omniúmque aliorum bonorum operum ornamentis, ac tandem in manibus & potestate Dæmonum relinquitur. Quid mirum igitur, si eidem animæ in potestate Dæmonis relictæ, vires ampliùs non suppetant, eidem Diabolo resistendi?

Mansi disc. 13. n. 9.

XXIV. DEUS in libro Levitici Moysi, quoad ferentes sacrificia, præcepit dicens: *Offeret pro peccato suo similæ partem Ephi decimam, non mittet in eam oleum, nec thuris aliquid imponet, quia pro peccato est.* Portò, omnia hæc in figura contingebant illis; nunquid enim de bobus cura est DEO? quid intererat sapientiæ illi increatæ ejusmodi ritus, & minutias pro oblationibus faciendis præscribere, nisi in illis latuisset aliquod mysterium, animabúsque utile & salutare documentum? Porro quòd in hoc sacrificio pro peccato faciendo, exclusum fuerit oleum, hujus ratio facilè intelligitur, quia cùm per oleum denotetur lætitia: (unxit te DEUS tuus oleo lætitiæ) minimè conveniebat oleum, quia quando de peccati expiatione agitur, compunctio potiùs, & planctus requiritur? At verò quamobrem etiam incensum, quod orationis est symbolum, ab oblatione facienda rejicitur? Oleaster nodum hunc solvit dicens: Si enim per thus orationes intelligas, deprehendes, quàm ægrè ferat Dominus bona malis involuta. S. Hieronymus in Epistola quadam ad Celantiam, multorum reprehendit errorem, qui multa bona opera, cùm conscientia & remorsu gravis peccati conjungunt, persuadentes sibi, illa quoque DEO placitura esse, séque indè habituros esse meritum salutis æternæ; ita enim scribit: Quid autem prodest tenuari abstinentiâ corpus, si animus intumescat superbia? Quam laudem merebimur de pallore jejunii, si invidiâ lividi simus? Quid virtutis habet, vinum non bibere, & irâ, atque odio inebriari?

S. Hier. l. 4. ep. 14.

S. Greg. l. 33. moral. c. 9.

XXV. S. Gregorius super illa verba Jobi: *Circumdedit me lanceis suis, convulneravit lumbos meos*; acutè observat, Prophetam non dicere: vulneravit; sicut enim loqui aliquando unius est, colloqui verò duorum, vel fortassè multorum; sic antiquus hostis, quia nos ad culpam sine nostra voluntate non rapit, nequaquam lumbos nostros vulnerare, sed convulnerare dicitur, quia hoc, quod ille malum suggerit, nos sequentes, & voluntate propriâ implemus, & quasi cum ipso nos pariter vulneramus; qui ad perpetrandum malum ex libero arbitrio ducimur. Quónam respicere creditis illud à S. Paulo nobis suggestum consilium: *Nolite locum dare Diabolo*? Quisnam adeò reperietur incurius, qui vel in domum suam, vel in lectum suum, maximè verò in sinum suum excipere, aut admittere velit serpentem: Multò igitur minùs admittet dæmonem: Et tamen quotidie videmus, quòd illi indulgeatur aditus, non solùm intra sinum, verùm etiam intra cor nostrum.

Idem l. 17. Mor. c. 16.

VXVI. IdemSanctus exponendo textū alium Jobi: *Aspergatur in Tabernaculo ejus sulphur*; hanc supplicii hujus reddit rationem. Sulphur enim quid aliud, quàm fomentum ignis est? quod tamen sic ignem nutrit, ut fœtorem gravissimum exhalet. Quid itaque in sulphure, nisi peccatum carnis accipimus? Quod dum perversis cogitationibus, quasi quibusdam fœtoribus mentem replet, æterna ei incendia præparat; & cùm fœtoris sui nebulam in mente reproba dilatat, contra eam flammis subsequentibus quasi nutrimenta subministrat; nam quia per sulphur fœtor carnis accipitur, ipsa sacri eloquii historia testatur, quæ contra Sodomam, ignem, & sulphur pluisse, Dominum narrat: Qui cùm carnis ejus scelera punire decrevisset, ipsâ qualitate ultionis notavit maculam criminis. Sulphur quippe fœtorem habet, ignis ardorem, qui itaque ad perversa desideria ex carnis fœtore arserant, dignum fuit, ut simul & igne & sulphure perirent.

S. Anton. S. expos. Dom. 1. Quadr.

XXVII. S. Antonius Paduanus ait: Quinque porticus sunt quinque considerationes, quas debet habere peccator: debet enim considerare *Majestatem*, quam offendit: *Si peccaverit vir in virum, placari potest ei DEUS, si autem in Dominum peccaverit, quis orabit pro eo?* 1. Reg. 25. *Maculam*, quam contraxit; Quid enim tam fœdum, quàm peccatum? Jerem. 3. 2. *Leva oculos tuos indirectum, & vide ubi non prostrata sis. Bonitatem*, quam contempsit, Rom. 2. 4. *An divitias bonitatis ejus, & patientiæ & longanimitatis contemnis? Gloriam*, quam amisit, Ps. 108. 18. *Noluit benedictionem, & elongabitur ab eo. Pœnam*, quam promeruit æternam, Matth. 25. 41. *Discedite à me maledicti in ignem æternum.*

S. Chrysost. in l. 1. de Isaia.

XXVIII. In Apologo quodam de ericio dicitur, quòd spinis toto corpore refertus, cùm se velut in rotundum quendam, & parvulum globulum constrinxisset, à diversis animalibus locum sibi in eorum cavernis indulgeri petierit, eò quod venatores suum latibulum totaliter destruxissent; At verò cùm apud

omnia petitionis ſuæ paſſus eſſet repulſam, adeò blandè ſe apud vulpem inſinuare novit, ut de nulla ſibi inferendâ moleſtiâ ſecura, eum ſic intra ſe contractum hoſpitiolo ſuo exceperit; poſtquam verò ericius vulpis foveam ingreſſus fuiſſet, paulatim adeò ſe dilatare cæpit, ut ſpinæ vulpem pungentes eandem foveam ſuam egredi, & derelinquere coëgerit; Ex qua fabula utiliſſimam quandam nobis elicere moralitatem licet, quæ, ni fallor, ab Iſaia Propheta tacitè inſinuata fuit; nam de anima quadam DEO rebelli in ſenſu morali diſſerens ait: *Ponam eam in poſſeſſionem ericii*; enim verò Dæmon ſe ex multis animabus perfectis excluſum videns, ab iiſdem parvulum ſibi in corde ipſorum aditum indulgeri poſtulat, blandam illis ingerendo ſuggeſtionem, appetitui noſtro conſentaneam, v. g. voluptatis ſenſualis, honoris, gulæ, vel alterius ſimilis; & ſi contingat primos hoſce motus ab illis recipi, & per aliquam indultam moram blande tractari, mox ipſe pro obtinendo in peccatum conſenſu ſtrenuè laborare non ceſſat, donec imperret, quod intendebat; hoc pacto, inquit Chryſoſtomus, ſi introierit, cuncta dilatat, & amplificat, illi enim duntaxat initiis opus; ſi verò nactus fuerit initium nocendi, omnia ſibi ipſi ſuopte ingenio veſtigat, & amplificat.

Hanſi diſc. 4. n. 2. XXIX. Cancer marinus, dum oſtreis & conchyliis venando inſidiatur, à naturæ magiſterio hâc præditus eſt proprietate, ut ad hoc, ut oſtreæ compos fiat, occaſionem exſpectet, quâ illa ſuam aperiat domunculam, in qua latet, mox enim ut hæc aperitur, ipſe ſubitò quendam ejus labiis interjicit lapillum, vel lignum, vel aliud quid ſimile, ne totaliter claudi poſſit; & hoc adhibito artificio ingreditur domunculam, & oſtream devorat. Serpens erat callidior cunctis animantibus terræ, id eſt, Diabolus; hic enim animæ noſtræ, quam Redemptor noſter margaritæ ſimilem dixit, indefeſsè inſidiatur; hic igitur mox, ut cor noſtrum, quod myſterium quoddam eſt conchylium, creaturis aperimus, in iiſque affectum aliquem inordinatum exponimus, hac occaſione benè utiſciens, per ſuggeſtiones, blandimenta, & illecebras ſuas, tantùm efficit, ut ſenſim & paulatim animam ingrediatur, ejúsque poſſeſſionem capiens, inæſtimabilem illam devoret, aut deprædetur gemmam, de qua ſacer textus ait: *Inventâ unâ pretioſâ margaritâ, abiit, & vendidit omnia, quæ habuit, & emit eam.*

XXX. Latrones magìs experti hanc habent conſuetudinem, ut, quando domum aliquam directè & immediatè ingredi nequeunt, nè dejiciendo portas, vel oſtia, aut aperiendo feneſtras ſtrepitum faciant, qui illos in auribus incolarum prodat, parvulum quendam aſtutum, & ad hoc edoctum juvenem per crates ferreas, vel alias modicas domus aperturas, in eandem domum immittant, qui tandem fores domûs intus aperiat, per quas commodè ad deprædandam domum ingrediuntur. Eodem quoque artificio latro infernalis nobiſcum frequenter utitur, ut domum animæ noſtræ omnibus ſpiritualibus donorum, gratiarum, & meritorum theſauris, quæ cœlo comparando congregaveramus, deſpoliare poſſit. In Apocalypſi quidem DEUS ipſe dicit: *Veniam ad te tanquam fur*: meliùs autem verba iſta inimico generis humani adaptari poſſunt; hic enim, ut nobis in tenebris ignorantiæ & cœcitatis conſtitutis, cœlum, & ſalutem æternam furando eripere poſſit, diligenter attendit, ad aperturam malæ alicujus noſtræ propenſionis, per quam poſtea modicam quandam venialis culpæ intromittit ſuggeſtionem, v. g. alicujus verbi inhoneſti, incauti obtutus, vani geſtûs, vel blandæ alicujus ſalutationis; ſingula enim iſta ei ſufficiunt, ut portam cordis ad delectationem moroſam, ad deſiderium, ad conſenſum, ac denique ad opus aperiri faciat, & ſic miſera anima omnibus bonis ſuis exuitur, & ſpoliatur. *Idem. n. 4.*

XXXI. Peccatum, teſte S. Boaventura, eſt ſicut falſitas in panno: nam ſicut mercator de falſo panno non oſtendit emptori medium, neque finem, ſed tantùm caput; ſic Diabolus, qui eſt mercator peccati, oſtendit fatuo emptori ſolum caput panni, id eſt, delectationem culpæ, non medium, id eſt, remorſum conſcientiæ; vel finem, id eſt, pænam gehennæ. *S. Bonav. in diat. ſal. tit. 1, c. 2.*

PEC-

TITVLVS LVII.

PECCATUM VENIALE.

§. I.

Definitio.

Ian. Alvar. l. 1. 2. h. 1. p. 1. t. 1. f. 18.



I. *Veniale peccatum est actio libera, dictaminis quidem rationis, & jussioni legis adversa, ac ob id DEO invisa; sed quæ ob sui parvitatem, nec vitam spiritualem animæ auferat, neque hominem a regno cælesti excludat, nec æternis cruciatibus destinet; licetjuxta sua malitiæ quantitatem temporalem pœnam subeat.*

Divisio.

S. Vincent. Ferr. Dom. 3. post Pent.

II. Tria sunt genera peccatorum venialium. De istis tribus differentijs peccatorum venialium dicit Apostolus: *Si quis ædificaverit super fundamentum hoc*, scilicet fidei, *ligna, fœnum, stipulam, detrimentum patietur; ipse autem salvus erit; sic tamen quasi per ignem.* Nota, lignum, fœnum, stipulam: Hæc tria significant tria peccata venialia. Lignum, quod difficiliùs comburitur, quàm fœnum, significat peccata venialia majora; quia pro talibus multùm sudant in purgatorio. Fœnum, quod citiùs comburitur, venialia peccata mediocria: Stipula, id est palea, significat peccata venialia minima, de quibus statim purgantur, & purificantur, transeundo per purgatorium.

S. Aug. S. 41. de SS.

III. S. Augustinus longum culparum venialium in specie texit catalogum, dum in sermone quodam ita scribit: Quæ sunt minuta peccata, licèt omnibus nota sint, tamen quia longum est, ut omnia replicentur, opus est, ut ex eis vel aliqua nominemus. Quoties aliquis in cibo aut potu plùs accipit, quàm necesse sit, ad minuta peccata noveris pertinere. Quoties plùs loquitur, quàm oportet, aut plùs tacet, quàm expedit: Quoties pauperem importunè petentem exasperat. Quoties, cùm corpore sit sanus, alijs jejunantibus prandere voluerit, aut somno deditus tardiùs ad Ecclesiam surgit. Quoties, excepto desiderio filiorum, uxorem suam cognoverit. Quoties in carcere clausos, & in vinculis positos, tardiùs requisierit. Quoties infirmos tardiùs visitaverit: Si discordes ad concordiam revocare neglexerit; si plùs aut proximum, aut uxorem, aut filium, aut servum exasperavit, quàm oportet: si ampliùs fuerit blanditus, quàm expedit, si cuicunque majori personæ, aut ex voluntate, aut ex necessitate adulari voluerit; si pauperibus esurientibus cibum non dederit, aut nimiùm sumptuosa aut deliciosa sibi convivia præparaverit; si se in Ecclesia, aut extra Ecclesiam fabulis otiosis, de quibus in die Judicij ratio reddenda est, occupaverit. Si dum incautè juramus, & cùm hoc per aliquam necessitatem implere non poterimus, utique pejeramus. Et cùm omni facilitate vel temeritate maledicimus: (leviter intellige) cùm aliquid suspicamur temerè, quod tamen plerùmque non ita, ut credimus, comprobatur; hæc & his similia ad minuta peccata pertinere non dubium est, quibus licet occidi animam non credamus, tamen eam, velut quibusdam pustulis, & quasi horrendâ scabie replentia, deformem faciunt.

§. II.

EX S. SCRIPTVRA.

Qualitas.

I. Si quis superædificat super fundamentum hoc ligna, fœnum, stipulam, uniuscujusque opus, quale sit, ignis probabit. 1. Cor. 3.

II. Septies cadet justus, & resurget. Prov. c. 24. 16.

III. Qui in modico iniquus est, & in majori iniquus est. Luc. c. 16. 10.

IV. Qui timet DEUM, nihil negligit. Ecclesiast. c. 7. 19.

Damnum

V. A scintilla una augetur ignis. Eccli. c. 11. 14.

VI. Ecce quantus ignis, quàm magnam silvam accendit! Iac. c. 3. 5.

VII. Qui spernit modica, paulatim decidet. Eccli. c. 19. 1.

VIII. Muscæ morientes perdunt suavitatem unguenti. Eccles. c. 10. 1.

IX. Peccata vestra absconderunt faciem ejus à vobis (in purgatorio) manus vestræ pollutæ sunt sanguine (peccati mortalis) & digiti vestri iniquitate seu peccato veniali. Isaiæ c. 59. 2.

X. Pro mensura peccati erit & plagarum modus. Deut. c. 25. 2.

XI. Nescitis, quia modicum fermentum totam massam corrumpit? 1. Cor. 5. 6.

§. III.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Fuga.

I. Minima neglecta eò turpiùs moribus maculam ingerunt, quò vitari faciliùs cognita potuerunt. S. Bonav. in prol. spec. disc.

II. Frontem meretricis habet, qui post divinam Majestatem intimè cognitam, post amplissima Al. ar. l. 6. c. 9. f. 84.

plissima ejus dona susceptà, post gustatam cælestium contemplationum suavitatem, audet, sciens & advertens aliquid Domino displicere, illud, licèt levissimum, coram oculis sui Domini & Creatoris patrare.

S. Chrys. de lev. pecc. perie. III. Divina vindicta ipsam (uxorem Loth) in salis materiam transmutavit, ut ex hoc appareat, non qualitatem delicti debere quemquam intendere, sed divina jussa totâ veneratione servare; nec debere hominem, quid jubeatur, expendere, sed magis, quis jusserit, cogitare.

Eusch. Emyss ho. 6. ad Monach. IV. Quid prodest, quòd nos pretiosis vigilijs, laboribusque conficimus, & ea, quæ maximè DEUS noster desiderat, non habemus? Hoc est, cor mundum, & liberum ab istis minutijs negligentiarum?

Alvar. Lo. c. 121 V. Signum est amoris satis tepidi, velle amatum in solis rebus gravibus, & magni momenti non offendere, & in alijs, quæ non tanta severitate præcepit, ejus placitum ac voluntatem procaciter violare.

Damnum.

Ibid. c. 10. VI. Est peccatum veniale, inquit Alvarez, si attentè ipsum inspiciamus, non quidem mors animæ, quod tantùm crimini seu peccato lethali competit; sed est adversa valetudo & infirmitas animæ, quæ & ipsam animam fœdat, atque deformat, & à debita dispositione bene & fervidè operandi disjungit, citátque S. Bernardum in sermone de triplici genere bonorum, ita scribentem: sicut corporis natura est sanitas, ita cordis natura est puritas, quia turbato oculo non videbitur DEUS, & cor humanum ad hoc factum est, ut suum videat Creatorem. Si verò sanitati corporis sollicita est providenda custodia, puritati cordis tanta sollicitior est impendenda, quantò pars ista dignior illâ esse convincitur. Subdítque idem P. Alvarez hanc similitudinem, inquiens: sunt peccata ista levia, sicut pestilentes morbi, quos si diligentissimâ medicinâ non comprimas, certissimam, & citissimam mortem intentant.

S. Gregor. l. 10. mor. c. 9. VII. Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere: Esus quippe, potúsque ad ludum impulit, ludus ad idololatriam traxit, quia si vanitatis culpa nequaquam cautè compescitur, ad iniquitatem protinus mens incauta devolvitur, Salomone attestante, qui ait: *Qui modica spernit, paulatim decidet*: si enim curare parva negligimus, insensibiliter seducti, audenter etiam maiora perpetramus.

Ibid. VIII. Dum moderari lingua otiosa verba negligit, more inolitæ remissionis capta, audax ad noxia prorumpit: dum gulæ incumbitur, ad levitatis protinus insaniam proditur; cúmque mens subigere delectationem carnis renuit, plerumque & ad perfidiæ voraginem ruit. Unde bene Paulus plebis Israëliticæ damna conspiciens, ut imminentia ab auditoribus mala compesceret, curavit ex ordine transacta narrare, dicens: *Neque idololatræ efficiamini, sicut quidam ex ipsis, &c.*

Blosius instr. vit. Asc. c. 7. IX. Leviorum culparum nec affectus extinguere, nec occasiones vitare laborant, libertatem largioris vitæ desiderant, à divinis officiis, cæterisque actionibus conventualibus abesse gaudent, delicatum, superfluúmque cibum, ac potum percipere gestiunt, opportunitates nugandi exquirunt, inordinati risûs solatia affectant, sæcularia audire, vana videre, curiosa in suos particulares usus accipere audent, propriam complacentiam, ineptam lætitiam, otium, vaniloquia, fabulas, gestus incompositos, cæteráque huiusmodi vitia, aut non esse vitia, aut vix esse vitia iudicant, & ideo sine scrupulo conscientiæ ea admittunt. Nimirum insensibiles effecti, vulneribus acceptis se sanos existimant, ob ídque nec mala sua plangere, nec vitam corrigere student; sed quid dicunt? Non sunt, inquiunt, vulnera, aut si sunt, vulnera admodum parva, ferè nulla sunt. O Monachos infelices! ô Monachos dementes! ô Monachos non Monachos! nam quantumlibet parva vulnera videantur, quia tamen non cavent, ne ea suscipiant, nec postquam susceperunt, debitam curam adhibent, omnia mortifera redduntur; ut interim omittam, quòd etiam ex tali negligentia, frequenter ipsi in superbiam, rebellionem, inobedientiam, murmurationem, furorem, detractionem, odium, invidiam, contemptum, gulam, & alia enormia peccata corruant.

Alv. to. 1. p. 2. l. 1. c. 16. X. Verè culpæ leves & imperfectiones, vulpes parvulæ sunt, in quibus nihil magnum, nihil nimis noxium aspicimus, sed hæ vineam, id est animam demoliuntur, quia eam sterilem faciunt, dum cœlum ei æneum esse faciunt, & pluviam cœlestis auxilij impediunt.

Dionys. Carth. in c. 19. Eccli. XI. Qui spernit modica, id est, qui non curat vitare parva peccata, successivè corruit ad majora; venialia námque minora, disponunt ad venialia crassiora, & omnia simul ad mortalia; adducítque testimonium Ecclesiastis dicentis: *qui timet DEUM, nihil negligit*, nempe quò quis magìs illuminatur à DEO, tantò ampliùs ponderat, & abhorret etiam minimas culpas.

Auth. incert. apud Mansi dosc. 1. n. 6. XII. Culpa venialis majus est malum, quàm sint omnia mala pœnæ in unum collecta, quia malum superioris ordinis est, quod gravitatem sumit à persona offensa, quæ est infinitæ dignitatis. Hinc qui ingenui sunt animi, metuunt DEUM offendere etiam in minimis, quia non respiciunt ad peccatum, quod parvum reputatur, sed ad ipsum DEUM, qui magnus est, & de minimis etiam rationem exigit; sicut econtra qui hoc non curant, abjectos & ignobiles se produnt servos, qui nolunt parere Domino, nisi grandia impetet, aut strictο gladio, minisve eos terreat.

S. Hieron. in reg. mon. XIII. Quis hinc præsumptionis Spiritus, qui tantam in animo nostro operatur audaciam, ut cùm sanctos homines de levibus etiam culpis videamus punitos esse, & nos quotidie in

In majoribus, & pluribus delinquentes, intactos in media damnatione fore credamus? Quanquam nuſquam leve ſit, DEUM etiam in exiguo contemnere, qui non tantùm ad qualitatem reſpicit peccati, ſed etiam ad perſonæ contemptum, propter quod non ſolùm homini intendendum, quale ſit, quod jubetur, ſed quantus ſit ille, qui jubet.

Facilitas incurrendi.

S. Leo ſ. 4. de quadr. XIV. Neceſſe eſt de mundano pulvere etiam corda religioſa ſordeſcere; nec enim facilè provenit cuiquam tam incruenta victoria, ut inter multos hoſtes, frequenteſque conflictus, etiam ſi ſit liber à morte, ſit quoque immunis à vulnere.

Ibid. c. 18. XV. Peccata illa, quæ ſtipulis deſignantur, & non ex vitijs noſtræ menti inſidentibus, neque ex malitia & inverecundia ſcienter peccantis, ſed ex infirmitate carnis & ex humanæ naturæ imbecillitate procedunt, difficillimè caventur, adeò ut nullus Sanctorum præter Chriſtum Salvatorem, qui DEUS eſt, & peccare non potuit, & præter B. Virginem, quæ Mater DEI eſt, & ſingulari privilegio omni caruit peccati nævo, ab illis inveniatur immunis.

S. Aug. in Pſal. 49. XVI. Quis numerat capillos capitis ſui? multò minùs peccata, quæ excedunt numerum capillorum; minuta videntur, ſed multa ſunt. Præcaviſti magna, jam non facis adulterium, jam non facis homicidium, non rapis res alienas, non blaſphemas, non dicis falſum teſtimonium, moles iſtæ ſunt peccatorum. Magna præcaviſti, de minutis quid agis? Annon times minuta? Projeciſti molem, vide, ne arena obruaris.

§. IV.

EXEMPLA SACRA.

Fuga.

Mansi diſc. 1. n. 3. I. Florentiæ in monaſterio S. Marci, quod eſt Ordinis Prædicatorum, duo erant hujus ejuſdem Ordinis Sacerdotes, quorum unus F. Zenobius Mediceus, alter verò F. Servantius Minus vocabatur. Convenerant iſti inter ſe, ut ſingulis quibúſque noctibus, priuſquam ad Matutinas accederent, mutuò peccata confiterentur. At humani generis hoſtis tanti boni invidus, nocte quadam duas circiter horas, antequam conſuetum daretur ſignum, Zenobij cubiculum pulſat, inclamátque: Heus tu, ſurge, imminet hora. Hac voce experrectus ille, ſtatim lecto exſiliens, ad Eccleſiam ſe confert, ibíque ementitum Servantium reperit, prope ſedem deambulantem. Quamobrem Zenobius ratus, ipſum verè eſſe Servantium, ſupplex genuflectit, ut peccata confiteatur. Aſſidet dæmon, & confeſſionem excipit, ad ſingulas tamen culpas, quas pœnitens confitebatur; Nil iſtud, nil culpæ, ajebat. Imò cùm culpam ſibi graviorem viſam Zenobius ſubjungeret, ajebat itidem; Futilia ſunt iſta. Hæc audiens Zenobius, Satanæ laqueos veritus, Crucis ſigno ſe muniens, mendacii parentem ita compellat? Num tu dæmon infernalis? Ad hæc is ſpe lucri fruſtratus, ignominiæ plenus evanuit. Nullus igitur, inquit Chryſoſtomus, ſe frivolâ illa ratione conſoletur, quâ univerſa protervitas in animam introducitur; illâ, inquam, ratione nullus utatur, dicens: Quid hoc eſt, aut illud? Mille certè hinc mala oriuntur. Veterator enim malorum diabolus cùm ſit, magnâ malitiâ, multâ operâ, ingenti ſtudio, condeſcenſionéque nonnullâ ad perditionem hominum utitur. A minimis enim plerumque incipit, quod intueri hoc modo licet. Studebat in Pythonyſſæ nugas, ac deliramenta Saul Regem detrudere, ſed id ſi ab initio ſuaſiſſet, mentem ille non adhibuiſſet, quando enim id feciſſet, qui Pythonyſſas expellebat? propterea ſenſim & paulatim illum inducit: nam quoniam Samuel non obtemperavit, & holocauſta illo abſente offerri præparavit, accuſatus ait: *Neceſſitas hoſtium facta eſt major*: Cùmque flere oportuiſſet, quaſi nihil mali feciſſet, lætabatur. Juſſit ruſſum nonnulla de Amalecitis DEUS, hæc quoque tranſgreſſus fuit. Hinc adversùs David inſanivit, & ſic paulatim labens, ad ipſum perditionis barathrum ſeipſum immiſit. Idque pariter in primo reprobo, Cain videlicet, exemplificat, quem aſtutus ille ſerpens ſenſim & paulatim in magnum illud præcipitium deturbavit; ſubdit enim: ſimiliter etiam de Cain factum eſſe videmus; non enim confeſtim cædem fratris ille ſuggeſſit, ne magnitudine rei commotus, tam ſceleſtum facinus abominaretur, ſed priùs perſuaſit deteriora offerre, nullum eſſe id, dicens, peccatum; deinde invidiæ veneno ſuccendit, nihil enim hinc mali ſecuturum, perſuadendo. Ita ſenſim in eum illapſus, ad cædem fratris, & ad negationem ſceleris impulit, nec priùs ceſſavit, quàm malorum omnium verticem impoſuit.

II. Quædam Monaſtici Ordinis Virgo, quæ piè admodum vixerat, veniens ad mortis horam, gravibus mentis anguſtiis Deo permittente, purgari ante exitum debuit ab hac culpa, quòd quandoque gratiam Sacramentalis Confeſſionis neglexerat; nonnunqam enim, cùm aliæ ſociæ virgines ad Confeſſionem coram ſacerdote faciendam ſeſe præpararent, illa nullum in conſcientia ſua gravioris culpæ ſentiens remorſum, minimè ſatagebat per verba Sacerdotis abſolvi, ſaltem à pulvere venialium culparum, ſine quibus humana vita non ducitur, ſed ſimulabat ſe interdum dormire, quando Sacerdos confeſſiones excepturus aderat. *Bleſius conci. anim. c. 5. n. 2.*

III. Refert S. Auguſtinus de Matre ſua S. Monica, quòd, cùm tenellæ etiamnum eſſet ætatis, ſurrépſerat ei vinolentia. Nam cùm de more, tanquam puella ſobria, juberetur à parentibus de cuppa vinum depromere, ſub- *S. Auguſt. l. 4. conf. c. 16.*

Digitized by Google

securè salvare seriò contendunt, sequens dedit saluberrimum documentum, videlicet illis valde cavenda esse prima peccati semina; quòd si tamen illis aliquis incautè, & inconsideratè patefactus esset aditus, subitò extirpanda esse, ob ingens, quod ex iisdem eis immineret aliàs, periculum; Hic statim, nisi se revocet & resipiscat, sensim labitur: Idem quoque lapsum refert cujusdam Monachi, qui Religiosum aliquem laudari audiens, eum deridendo contemnens, dicere solebat, neminem laude dignum esse, præterquam Zosimum, & Monasterij ipsius fratres. Postea nec illos alicujus æstimavit, asserendo neminem laudem mereri, præter Macharium. Paulò pòst verò dicebat; Et quis est Macharius? nemo in pretio haberi meretur, quàm solus Basilius & Gregorius. Nec multum præteribat temporis, cùm ecce & hosce contemnebat, dicendo, solos Apostolos Petrum & Paulum, passim ab omnibus in veneratione esse habendos. Cui ego prædixi, inquit S. Dorotheus, quod & evenit, fore, ut hos quoque suo tempore contemneret, quod sanè factum est, nam eos quoque sprevit, & nullo habendos esse in pretio, præter Trinitatem asserere cœpit, statimqne in DEUM quoque, factus insolentior, exarsit, intumuit. Demum verò idem sanctus Pater in hæc verba concludit: Nobis igitur luctandum est cum prima, ne in secundam paulatim labamur superbiam.

Vit. PP. l. 1. c. 20. X. In vita S. Macarij Romani legitur, quòd, cùm in nuptijs suis, ad imitationem S. Alexij, eâdem nocte, priusquam conjugij fruerentur fructibus, relictâ post se sponsâ, secretò se, Angelo suo sancto duce, in desertum quodam horridum contulisset, ad faciendam ibidem austerissimam pœnitentiam, accideri post aliquod tempus, quòd gravissimè tentaretur à Diabolo, idque sequenti adhibito stratagemate: Die quadam horâ quasi septimâ (verba sunt ipsiusmet S. Macarij) è spelunca foras egressus, sole fervescente resedi, tunc subitò subtile fasciolum, & oculis delectabile, juxta me in terra positum aspexi. Ego verò in memetipso cogitans, dixi? unde in hac solitudine fasciolum? Æstimans tamen, quià in veritate esset fasciolum, oblitusque ego miserrimus me signo Crucis munire, (quoniam quidem sacrosanctæ Crucis signaculum omnem inimici enervat phantasiam) misi manum, & levans fasciolum, reportavi in speluncam. Ecce qualiter in hoc facto transgressus fuerit, licèt ignoranter, illud S. Pauli consilium: *Nolite locum dare Diabolo.* Hoc autem modicum lucratum pignus ei sufficiebat, ad audenda circa ipsum majora, progrediendúmque ulteriùs ad validiores ei tentationes inferendas; subdit enim idem S. Macarius: Alterâ nihilominus die egressus, calceos fœmineos reperi jacentes in terra, sed nec tunc miser ego insidias Diaboli advertens, nec Crucis vexillo me muniens, calceos levavi; & in speluncam portans, fasciolo junxi. Tertiâ autem jam die iterum exiens, Diabolum in decore, vel specie mulieris, vestibus pretiosis indutæ, stantem inveni: ego verò miserabilis, nec sic quidem laqueos inimici recordans, nec aliquo modo me signans, sed credens in veritate, quia mulier esset, ajo ad illam: unde huc advenisti? aut quis te in hanc adduxit solitudinem? Illa continuò flere amarissimè cœpit. Tunc ego misellus simul cum illa veluti compatiendo, valde ploravi. Post hæc respondens dixit: Ego miserrima, ô Pater sanctissime, filia sum viri Romani, qui cùm me invitam ac nolente desponsâsset juveni cuidam nobilissimo Romano, ac dies nuptiarum venirent, & thalamum ac convivium ordinarent, inter nuptias ipsas sponsus meus disparuit. Cúmque turbati omnes huc illúcque eum inquirendo vagarentur, ego gavisa effecta clàm exivi, & nocte eâdem iter arripiens, nec itineris Ducem aliquo modo habens, per angusta montium & vallium errando, huc usque perveni. Hæc ego cùm audissem, & omnia ita esse credidissem, simul & sponsam meam fore sperans, per manus apprehendi illam, & in hanc introduxi speluncam: Lachrymæ verò ab ejus oculis nullatenus cessabant. Tunc ergo miseriis & lachrymis ejus compatiens, & valde super eam dolens, sedere eam juxta me feci, similiter & glandes illi ad manducandum præbui; non enim insidias Diaboli intellexi, neque ullatenus Crucis me signo munivi, sed similiter sedentes diutiùs colloquia simul habuimus.

Pœna.

XI. Laurentius Surius in vita S. Macarii Alexandrini refert, quòd eidem nocte quadam in cella sua quiescenti, vespa quædam ejus momorderit pedem, propter quod ipse iratus vespam occidit. Ad se verò reversus, ut errorem emendaret commissum, semetipsum hâc pœna mulctavit, ut scilicet per sex menses continuos, in agris Scythicis, in quibus circumvagantium vesparum non est numerus, nudus persistens ab iisdem eòusque transfigeretur aculeis, morsibúsque infestaretur, donec quis esset, dignosci, nisi ex sola voce, non posset. *Surius in vit.*

XII. In vita S. Antonini Archiepiscopi Florentini refertur, quòd aliquando temporis injuriis & molestiis aliquamdiu infestatus, tandem in verba impatientiæ proruperit, dicendo: Quousque igitur hoc triste & molestum tempus durabit? Postea verò considerans, quòd hac in re voluntatem suam divino non conformasset beneplacito, primò quidem erroris à se commissi à DEO humiliter postulârit veniam, postea verò ad culpam hanc in seipsum castigandam, gravi quadam corpus suum accinxerit catenâ, eámque ferâ aliquâ clauserit, clavem verò seræ illius, ne eam aperire posset, in Arnum Florentiam perlabentem fluvium conjecerit. Tandem verò post integrum elapsum septennium, dum in culina ejus piscis quidam exenteraretur, clavicula prædicta in piscis hujus visceribus inventa, sancto Archiepiscopo allata fuerit; qui cùm *In vita.*

unus quidem ex intrinseca dispositione membrorum, & coloris; alius autem ex exteriori charitate superveniente; ita etiam in anima est duplex nitor: Unus quidem habitualis, quasi intrinsecus: Alius autem actualis, quasi exterior fulgor. Peccatum autem veniale impedit quidem nitorem actualem, non tamen habitualem, quia non excludit, neque diminuit habitum charitatis, & aliarum virtutum, sed solùm impedit earum actum.

S. Bern. de tripl. bono. IV. Sicut Corporis natura est sanitas, ita cordis natura est puritas; quia turbato oculo non videbitur DEUS, & cor humanum ad hoc factum est, ut suum videat Creatorem. Si verò sanitati corporis sollicita est providenda custodia, puritati cordis tantò sollicitior est impendenda, quantò pars ista dignior illâ esse convincitur.

Mansi disc. 15. n. 5. V. Non est verus amicus, qui deliberatè vellet amico infligere vulnus leve, etsi non lethale; imò, si quis non vellet adhibere curam, ne offendat DEUM venialiter, hoc ipso convinceretur non esse amicus DEI.

Damnum.

Idem ho. 5. ad popul. VI. Sicut juxta præcipitium vadens, quamvis non decidat, tremit tamen, & sæpenumero ab ipso subversus timore decidit; ita & non procul peccata fugiens, sed secus ipsa vadens cum timore vivit, & in ipsa labitur sæpius. Tertullianus eosdem funambulonibus in aëre super funes saltitantibus assimilat: hi enim quovis momento in evidenti sunt præcipitii periculo, & communiter talis esse solet infelix ipsorum exitus.

Mansi disc. 4. n. 2. VII. Sicut vulnera modica non curata infistulantur, & sanam carnem corrumpunt: Eodem modo culpæ, licet leves, si non curantur, sed negliguntur, gangrænam spiritualem inducunt.

Alvar. to. 3. l. 1. p. 1. c. 12. VIII. Sicut qui assuetus est loco infimo cadere, facilè cadet, & nesciet subsistere in loco sublimi positus; ita qui modicis peccatorum levium tentationibus vincitur, gravi tentatione pulsatus difficulter à gratia in mentis stabilitate retinetur.

Hugo Card. IX. Sicut nemo habitat libenter in domo plenâ muscis, imò fugit & abominatur eam: Sic DEUS mentes muscosas declinat: Nec habitat in animabus, peccatorum venialium sordibus contaminatis? id est, per gratiarum cœlestium & specialium auxiliorum abundantiam non assistit, sicut facturus fuisset, si, quantùm humana fert fragilitas, immaculatam se conservasset.

S. Franc. Sales. l. 4. c. 1. de amor. X. Sicut adamas magnetem suâ præsentiâ impedit, quò minùs ferrum sibi attrahat, nec tamen magnetem ideo naturali sua virtute & proprietate privat, sed solùm pro tunc eandem suspendit; videmus enim per experientiam, quòd, quamprimum adamas à magnete recedit, subitò hic ferrum ad se trahat. Eodem modo, licèt peccatum veniale amorem DEI ab anima non auferat, ejus tamen æstum refrigerat, ejúsque fervorem adeò retardat, ut illas virtutum actiones non operetur, quibus aliàs incubitura fuisset.

XI. Sicut quando calor naturalis nimiùm se in exteriores corporis nostri partes extendit, stomachum magno ad bonam digestionem subsidio privat, ac proinde generantur cruditates, & pravi humores, qui febres, aliásque infirmitates mortales causant: Eodem modo si cor hominis Christiani, quod ad Creatorem suum diligendum omnino intentum esse deberet, per inordinatas affectiones ad amorem diffundatur creaturarum, amor ille, quem creatori nostro debemus, tantò magis intepescit, & diminuitur. Unde Alvarez tale format argumentum: Si magna perfectio, magna charitas est, & magna charitas est magnus amor, & magnus ac ardens amor eum, quem amamus, nec leviter contristare permittit, quomodo eximiè amabimus DEUM, & perfectam ergà illum charitatem habebimus, quem quotidianis imperfectionibus lædere non veremur? Idem quoque alio in loco sequentem adducit similitudinem: *Mansi disc. 7. n. 4.* *Alvar. Tom 1 lib. 5. p. 1. c. 16. f. 1073.*

XII. Cinis carbonibus superinjectus, ipsorum tum splendorem fuscat, tum ardorem impedit, adeò ut juxta eos positi nullum sentiamus calorem. Peccata hæc pulvis & cinis sunt: pulvis, quia splendorem charitatis obnubilant; cinis, quia debilitant conceptum ex charitate fervorem. Videbis aliquos justos in meditatione frigidos, in oratione segnes, in divinis laudibus tepidos, qui nunquam lacrymis irrigantur, nunquam interna suavitate irrorantur, vix compunctionis sensu tanguntur; &, si causam hujus insensibilitatis scruteris, non aliam, quàm defectuum multitudinem, & in vitandis modicis peccatis insignem oscitantiam invenies. *Idem to. 3. l. 1. p. 1. c. 11. f. 69.*

XIII. Sicut modici sumptus imprudenter iterati magnam etiam substantiam exhauriunt, & dum minùs putamus, divitem pecuniis, vacuum & egenum relinquunt: sic per levia peccata passionibus crebrescentibus, & insolentiùs se ostentantibus, virtutes subruuntur, & ingruente gravi tentatione, dum ei quis assensum præbet, manifestè deficiunt. Sunt velut irremissæ ægrotatiunculæ, quæ vitam quidem non dissolvunt, sed ita corpus extenuant, ut accedente aliquo gravi morbo, corpus vires non habeat resistendi. *Ibid.*

XIV. Sicut balista quædam, globo suæ vastitati proportionato onusta, habilis est, & idonea, ut repetitis explosionibus turrim quandam optimè munitam in terram prosternere & demoliri possit, & tamen parvulus quidam clavus digiti longitudinem duntaxat habens, ad eandem militarem machinam inutilem reddendam abundè sufficit: Idem quoque in hac spirituali militia, quæ ab animo contra infernum geritur; contingit: Etenim unica culpa venialis, unica inordinata affectio, unica demum non penitus refrænata passio satis supérque sufficit, ut, dum cum adversario pugnam inire paramus, omnem nostrum vigorem & fortitudinem pla- *Mansi disc. 8. n. 5.*

nè enervet. Pharao Moysi indulgebat licentiam, ut omnes Israëlitas ex Ægypto sacrificii offerendi causâ educeret, cum hac tamen conditione, ut greges & armenta sua post se in Ægypto relinquerent. Idem quoque est astuti serpentis gehennalis artificium : permittit enim, ut in multis bonis operibus exerceamur, ita tamen, ut peccato alicui veniali per affectum adhærescamus. Porrò Moyses, cui latentem sub hac à Pharaone datâ licentiâ dolum suboluit, eidem Pharaoni protestatus est, dicens : *non remanebit ex eis ungula.*

S. Greg. l. 4. Dial. c. 40.

XV. Sicut ad lucem solis minimi conspiciuntur atomi, qui sole absente oculis etiam lynceis invisibiles sunt: ita culpæ etiam levissimæ, quas nos nihili ducimus, vel non advertimus, aut minimè agnoscimus, coram oculis Dei graves sunt, quæ proinde à nobis ex ejusdem DEI ordinatione per ignem diluendæ sunt.

S. August. S. 244. de temp.

XVI. Sicut quælibet ex modicis plagis modicum potest saluti corporali inferre periculum, veruntamen omnes simul junctæ vires corporales adeò extenuare possent, ut deinceps alteri superventuro malo nequaquam possent resistere: Eodem igitur modo licèt singula peccata venialia animam necare nequeant ; attamen quia, quodlibet peccatum veniale spiritualem animæ vigorem debilitat, tentatorisque vires & temeritatem valde adauget, contingere posset, quòd à tam impetuoso infestaremur insultu, ut inermes, ac aliunde usquequaque haud bene provisi caderemus turpiter, & laberemur.

S. Anselm. l. de simil. c. 22.

XVII. Sicut pisces decurrente aquâ vivarii moriuntur, si clausuræ ipsius minutatim ac sæpe crepant, nec reficiuntur ; ita omnis religio Monastici Ordinis funditus perit, si custodia eius per modicarum contemptum culparum paulatim à fervore sui tepescit, attestante scriptura, quæ dicit: *Qui modica spernit, paulatim decidet.*

Alvar. l. 1. f. 70.

XVIII. Sicut compedes, quæ affectus tenent infimis rebus obstrictos, ne ad cœlestia & superiora ferantur, sunt catenæ, quæ manus animæ ligant, ne nostram perfectionem operentur ; ita retardant hæc levia peccata hinc migrantes ad gloriam. Quantum damnum hoc sit, nôrunt illi, qui sciunt, quàm intolerabile malum est animæ hinc discedenti, vel ad momentum DEI conspectu, ac fruitione privari.

Mansi disc. 18. n. 14.

XIX. Sicut ferculum pretiosum, si multis contegatur muscis, propter hoc suam quidem non amittet substantiam & saporem, veruntamen is, qui indè gustaturus est, fastidium illius propter hoc facilè concipit, & nauseam: Eodem quoque modo in præsenti proposito nostro dicere possumus, quòd, tametsi culpæ veniales nos DEI amicitiâ, bonorúmque operum meritis hactenus comparatis non privent, DEO tamen aliqualem displicentiam & nauseam afferant : Quia tepidus es, incipiam te evomere.

Ibid. disc. 39. n. 4.

XX. Sicut, licèt ex decem illis chordis novem aptè sint ad harmoniam faciendam dispositæ, si tamen una ex illis discordet, hæc unica totam confundit & destruit aliarum consonantiam ; ita quoque observantia novem præceptorum prorsus est ad salutem inutilis, si vel unius duntaxat præcepti obedientia deficiat : Omne enim instrumentum musicum, ut Philo Hebræus ait, deficit, etiamsi unum tantùm discrepet

S. Chrysost. ho. 19. ad pop.

XXI. Sicut sæpius domos ædificantes homines, & tectum imponentes, unius tegulæ excussæ curam non gerentes, totam domum perdiderunt ; Et in vestimentis hoc ipsum evenire, quis cernere possit : etenim parva in illis facta scissura magnam fecit disruptionem. Hoc & in torrentibus multoties evenit, etenim & illi, si vel minimum ceperint ingressum, totum introducunt fluentum. Ita & tu, licèt te undique munieris, si tamen aliqua pars immunita dimissa est, etiam hanc Diabolo obstrue, ut sis ab omni parte firmatus.

Mansi disc. 10. n. 2.

XXII. Sicut filia Pharaonis nunquam sibi persuadere potuisset, eundem illum puerum progressu temporis, regnum illud decem severissimis flagellis percussurum, ab eodémque patrem suum in maris Erithræi undis submergendum esse ; sic quoque peccata venialia in primis principijs, eò quod exilia sint, nobísque satisfactionem & complacentiam pariant, non repelluntur, aut fugantur à nobis, imò fovemus, & nutrimus ea, non considerantes, quàm nobis in progressu temporis caro sint pretio diluenda.

§. VI.

MOTIVA.

Ad Fugam.

Dionysius Carth. l. 2. a. 9. de rem. pecc.

I. Quia *peccata venialia sunt magnum impedimentum ad perfectionem*, uti Dionysius Carthusianus indicavit, dicens : Veniale perfectionis adeptionem tantò plus impedit, quantò minùs vigilanter vitatur, ac deploratur. Idcirco & multi Religiosi ad veram religionem parùm propinquant, vel nunquam attingunt, quoniam venialia cum incessabili diligentia non declinant, nec mentem suam in divinæ æternæque lucis præsentia semper timoratam constituunt, imò faciliùs ad inania resolvuntur. Nam perfectæ & sincerissimæ sanctitatis volens cultores suos facere Salvator, jussit ab eis cautissimè etiam minima servari, scilicet, ut quàm pura est pupilla hominis, tam pura esset Christiani hominis vita.

Cabolanus l. 3. de prov.

Ibid.

II. *Quia impediunt devotionem*, teste eodem Carthusiano, dicente : Familiaritatem mentis cum DEO, spiritualémque illam secretam consolationem spiritûs sancti, & gustum bonitatis divinæ non modicè impedit, nisi quis quotidiano fervore venialia ista deploret, castiget, extirpet.

S. Bonav. l. 1. c. 15. comp. Theol. Ver.

III. *Quia retardant à gloria* ; nam homo, qui decedens alioqui posset statim evolare ad cælum, post mortem cogitur per venialia ad tempus in purgatorio expectare ; nunquam enim ab aliquo facies ejus videbitur, donec

solvat

solvat minimum quadrantem venialium peccatorum, scilicet per pœnam. Quod confirmans S. Basilius exemplo Moysis dicit: Illum magnum, & qui tanto honore à DEO dignus habitus est, ut illud audiret: *Novi te, præter cæteros omnes, & invenisti gratiam in conspectu meo*; hic, cùm de aqua contentio esset, nec ullius alterius rei gratiâ, nisi quòd solùm populo murmuranti, ob penuriam aquæ dixisset: *Num ex hac petra educam vobis aquam?* hujus solius rei causâ, statim ei DEUS minitatus est, dicendo: *In terram, quam recepi me vobis daturum, non intrabis*, quæ erat tum ex his promissionibus, quæ factæ erant Judæis, princeps, & primaria.

Alvarez, apud Mansi disc. 17. n. 1.

IV. *Quia actiones hominis inficiunt*, nec enim dubium est, inquit Alvarez, peccata levia studiosas actiones inficere. Cibus quidem, quamvis de se salubris, ac suavis, duabus de causis minùs gratus invenitur, aut quia ipse insulsus est, & malè præparatus, aut quia in vase immundo nobis offertur. Quare igitur non erunt minùs gratæ Domino, quas offerimus, virtutis actiones, si cor nostrum, in quo, velut in catino offeruntur, peccatis immundum invenitur? Ubi Organum vitiosum est, inquit Ambrosius in Psal. 35. in principio, quomodo potest cantus non esse vitiosus.

Idem apud eundem,

V. *Quia fontem divinæ largitatis obstruunt*; videbis aliquem semper in oratione aridum, in divinis laudibus desolatum, in Eucharistiæ susceptione durum, & in omni tempore nullo ferè gustu cælestis consolationis affectum, nulla rerum divinarum cognitione compunctum: & tantæ paupertatis nullam aliam causam, nisi vivendi negligentiam, & incuriam quotidianorum defectuum vitandorum invenies.

Abulensis c. 25. in Matt. q. 104.

VI. *Quia per accidens æternâ pœnâ puniuntur*; DEUS enim, ut ait Abulensis, nihil inordinatum relinquit, sed non potest ordinari culpa sine pœna. In illis autem, qui damnantur, non potest aliqua culpa dimitti, neque aliquis reatus tolli, cùm sine charitate maneant, per quam culpa purgatur, & remittitur reatus? Et ideo in morientibus in mortali, semper remanebit culpa venialis, si erat, quando decesserunt; aut manebit reatus pœnæ, si erant obligati ad aliquam pœnam pro venialibus, dato quòd culpa venialis dimissa fuisset; & illa pœna manebit in æternum, quæ sit ei æterna per accidens, scilicet quia est sine charitate.

S. Valerianus ho. 16.

VII. *Quia fuga illorum juvat ad magna peccata vitanda*; nam virtus, quæ in parvis promitur, faciliùs in maximis exhibetur; sic dum consuescimus minora vincere, majora discimus devitare. Quod confirmans Alvarez, cura, inquit, fugiendi minora peccata, quodammodo à casu majorum liberat, & ad ea declinanda facilem viam nobis ostendit; quo enim pacto in detractionem incidet, qui verbum otiosum timet? aut in rei minùs honestæ consensum impinget, qui levissimam cogitationem virtuti adversam fugit? & D. Chrysostomus: si levium peccatorum magnitudo noscatur, & majorum facillimè pernicies noscitur; unde fit,

S. Chrysost. de pœnit.

ut perpensâ diversitate culparum, declinentur levia, detestentur enormia, atque omnia ob hoc omnino damnentur peccata.

Alv. to. 2. l. 1. p. 1. c. 17. S. Gregor. l. 14. mor. c. 4.

VIII. *Quia severa de illis ratio reddenda*, quis autem litigator in re minima Judicis sui filium offenderet, si posset ob illam levem offensam expeditioni causæ suæ aliquam afferre jacturam? at verò, ut S. Gregorius ait: Sic Dominus uniuscujusque considerat vias, sic dinumerat gressus, ut ne minutissimæ quidem cogitationes ejus judicio, ne verba tenuissima, quæ apud nos usu viluerunt, indiscussa remaneant. Et in progressu ejusdem capitis in hæc verba concludit: Sancti viri tantò se subtiliùs in cogitatione constringunt, quantò se à superno Judice districtiùs considerari conspiciunt.

Alv. l. c. c. 21.

IX. *Quia si non solam mortem corporis, & ea, quæ mortem important, sed quæcunque etiam adversa corpori fugimus, cur solam mortem animæ, & quæ ad illam disponunt, & non quoque quæcunque mala alia fugiamus?* Maximè quòd ista mala, seu damna leviorum peccatorum non levia sunt, sed magni momenti.

§. VIII.

MEDIA.

S. Bernard. apud Mansi disc. 12. n. 4.

I. M*aturè occurrere cogitationibus malis occurrentibus*; ita S. Bernardus monuit dicens: oportet, si mundas conservare volumus animas nostras, adhuc longè agentibus cogitationibus, hujusmodi multa cum indignatione occurrere, & exsufflare à nobis, ut nullus eis detur accessus. Et primum quidem genus cogitationum otiosarum, scilicet ad rem non pertinentium, lutum est, sed lutum simplex, id est, non inhærens sed fœtens, nisi fortè diutiùs immoretur in nobis, & per incuriam & negligentiam nostram in alterum genus cogitationum vertatur, quod quotidie experimur; Dum enim otiosa tanquam minima spernimus, ad turpia atque inhonesta dilabimur.

Blosius in Parad. an. n. 1.

II. *Humilis agnitio*; Scito, inquit Blosius, quia ipsa levia peccata efficaciùs in te delebuntur, si culpam agnoscens, humiliter, & amanter te ad DEUM converteris, quàm si ea morosiùs apud te pertractare, & in eorum consideratione diutius cum pusillanimitate occupare volueris.

Idem in conclav. anim. c. 5. n. 1.

III. *Crebra confessio*, uti Christus ipse S. Birgittæ revelavit, dicens: Qui spiritum & gratiam meam adipisci ac retinere desiderat, utile est, crebrò peccata, & negligentias suas coram sacerdote confiteri, ut expurgetur; Et cùm ipsa Birgitta videret animam mariti sui Ulfonis in purgatorio, dixit: O felix anima, quid præcipue tibi profuit ad salutem? Ille respondit, confessio mea, quam feriis sextis, dum sacerdotis copiam habebam, facere sum solitus, cum firmo me emendandi proposito.

IV. Con-

S. Chrysost. in ps. 6. IV. *Consideratio damnorum* : ita S. Chrysostomus monuit dicens : Quando parvam animæ perturbationem susceperis, ne eam neglexeris, quòd parva sit, sed consideres, quòd id, quod ex ea alitur, maxima mala parit. Etenim postquam in domo aliqua parum stuppæ accensum viderimus, conturbamur, & tumultum movemus ; non enim attendimus initium, sed ex initio finem considerantes, movemur, & concurrimus, ut totum caminum extinguamus ; hoc igne vehementiùs animam exedit vitium. Oportet itaque prævenire, nam si fuerimus negligentes, id correcta evadet difficilius. Et iterum, noli aspicere, quòd unum hoc verbum sit, sed quantùm periculi habeat, expende: An ignoras inimicitiarum tempore, incandescente irâ, animóque prorsus ardente, etiam minimum videri aliquid magnum ? Hæc parvula & homicidia sæpe peperunt, & urbes sæpe integras subverterunt.

S. Cyrillus apud Mansi disc. 17. n. 2. V. *Periculorum, quæ indè oriuntur, prospectio*, quam sequentibus verbis S. Cyrillus commendat : ad aquarum plenitudinem cum columba properandum est, in his enim sponsæ describitur pulchritudo. Ferunt hoc genus avis, cùm ad aquas venerit, quia ibi solet accipitris insidias pati, venientem desuper inimicum, volitantis umbrâ in aqua conspectâ, deprehendere, & oculorum perspicaciâ fraudem periculi imminentis evadere : quòd si & tu ita prospicere potueris insidias Diaboli, & cavere, in sacrificium DEO columbas obtuleris. Quod confirmans Alvarez, quemadmodum, inquit, cum aliis pugnans, qui nec permittit ad se hostem accedere, nunquam ab eo dejicietur, neque illidetur in terram ; sic, qui primum adversarii fugit accessum, difficilimè in peccatum alicujus momenti deturbabitur. Sciebat hoc optime Eusebius sanctissimus apud Theodoretum, qui zonâ ferreâ in collum injectâ, curvus & inclinatus incedens, cùm interrogaretur, quamnam utilitatem ex illa mortificatione susciperet, istâ memorabili sententiâ respondit : Ne malignus Dæmon de magnis bellum gerat, conans auferre temperantiam, & justitiam, & iram armans, & cupiditatem accendens, &, ut fastu efferar, & superbiâ intumescam, efficiens, & quæcunque adversus meam machinatur animam, conor hostem ad hæc parva traducere.

§. VIII.

ASCETICA.

Blosius in parad. an. c. 3. n. 3. I. NOsse debet *discrimen inter affectatè, & deliberatè, commissa peccata ab iis, quæ ex fragilitate committuntur*, de quo sic loquitur Blosius : Aliud est labi in levia peccata ex occasione, aut humana fragilitate duntaxat, & aliud labi ex affectata negligentia ; nam qui ex infirmitate sola delinquit, dum liber apud semetipsum est, odit vitia, eorúmque vitat occasiones ; quando tamen se se offerunt ipsæ occasiones, facilè, aut linguæ incontinentiâ, aut sensuum nimia libertate, aut passione affectionéque indignâ, aut consimili aliqua transgressione offendit, sed mox, ut ad se redierit, dolet, & penitus adversatur vel minimam peccatorum labem, ob idque veniam repentè consequitur. Ille verò, qui ex affectata negligentia peccat, dum malorum occasionibus è medio sublatis, liber apud semetipsum esse potest, miris modis concupiscit easdem occasiones, illísque plurimùm afficitur, non sanè propter peccatum, sed propter oblectationem, labitur quidem & ipse ex fragilitate fortassis : sed non ex mera fragilitate, qui tamen, si statim post culpam admissam innovato proposito verè pœnitentiam ageret, ipse quoque celerrimè obtineret delicti remissionem. Quod confirmans Alvarez, dictum est, ait, perfectam charitatem levissima quæque peccata non admittere, quia diligentissimâ curâ ea cavet, &, si inciderint, lachrymis & gemitibus diluit. Perfectioris ergo hujus vitæ puritas in hoc sita reperitur, ut omnia gravia peccata penitus fugiat, & corporalem mortem, imò & ipsos gehennæ cruciatus potiùs, quàm aliquod grave crimen admittat ; & ut levia peccata nunquam de industria perpetret, & quæ humana fragilitas secum affert, quotidie numero minuat, imminuta qualitate extenuet, extenuata sæpissime odio ipsorum, & DEI ferventissimo amore consumat.

II. *Nôsse debet, quousque peccata venialia vitari possint* : qua de re sic loquitur S. Bonaventura : Nota, quòd homo potest esse sine peccato mortali, sed non sine veniali ; Et ratio hujus est, quia homo, dum unum veniale vitat, aliud incurrit. Unde dicunt Doctores, quòd homo potest vitare quodlibet veniale in particulari, sed non in generali : & est exemplum de navi, in qua sunt multa foramina, quorum quodlibet in particulari nauta oppilare potest, sed non omnia simul, & ideo sine veniali vix homo esse potest, dicente Joanne : *Si dixerimus, quòd peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est*. Unde Blosius prudenter monet, quòd ad veniales quotidianásque culpas attinet (à quibus, dum hic vivimus, omnino liberi esse non valemus) monendi estis charissimi, ne nimis solliciti sitis, neque conturbemini, si non omnes in confessione expresseritis. Illas humiliter ac seriò DEO confitebimini, & contrito, devotóque corde vos reos coram eo accusabitis ; sic enim iis, qui Confessionibus audiendis adhibentur, nimis multùm temporis non auferetur : sanè tales culpas generaliter exposuisse satis est. Peccata venialia multis modis delentur, puta contritione, Dominicæ orationis prolatione, genuflexione, aquæ benedictæ aspersione. S. Bonav. apud Mansi disc. 23. n. 4. Blosius l. de consol. pusill. §. 4.

III. *Nôsse debet triplicem modum, quo venialia peccata remittuntur*, quem S. Thomas sequentibus verbis assignat : triplici ratione ali- S. Thom. p. 3. q. 87. & 3.

liqua causant remissionem peccatorum venialium; uno modo, in quantùm in eis infunditur gratia, quia per infusionem gratiæ tolluntur venialia peccata; & hoc modo per Eucharistiam, Extremam unctionem, & universaliter per omnia Sacramenta novæ legis, in quibus confertur gratia, peccata venialia remittuntur. Secundo in quantùm sunt cum aliquo motu detestationis peccatorum; & hoc modo confessio generalis; tunsio pectoris, & oratio Dominica operantur ad remissionem venialium. Tertio modo, in quantum sunt cum aliquo motu reverentiæ in DEUM, & ad res divinas; Et hoc modo benedictio Episcopalis, aspersio aquæ benedictæ, quælibet Sacramentalis unctio, oratio in Ecclesia dedicata, & si aliqua alia sunt hujusmodi, operantur ad remissionem venialium peccatorum.

S. Antoninus p. 1. tr. 18. c. 1. IV. *Nosse debet quomodò venialia peccata ad mortale disponant*. Quod S. Antoninus sic ostendit: Qui peccat venialiter ex genere, prætermittit aliquem ordinem; & ex hoc, quòd consuescit voluntatem suam in minoribus debito ordini non subjicere, disponitur ad hoc, quòd etiam voluntatem suam non subjiciat ordini ultimi finis, eligendo id, quod est peccatum mortale ex genere; & secundùm hunc ordinem, id est, dispositionem, intelligendum est, quod dicit Augustinus de Pœnit. dist. l. c. Scilicet quòd illa peccata, quæ humanæ fragilitati, quamvis parva, tamen crebra surrepunt, si collecta contra nos fuerint, ita nos gravabunt, & oppriment, sicut unum aliquod grande peccatum, scilicet mortale. Et confirmans idipsum Alvarez, levia, inquit; peccata contempta nos in manifestum perditionis discrimen adducunt, non quia ipsa sufficiant nos perdere, sed quia sæpè sufficiunt ad grave crimen inclinare, in quo sensu dixit Augustinus Epist. 108. de levibus peccatis; quæ si collecta contra nos fuerint, ita nos gravabunt, & oppriment, sicut unum aliquod grave peccatum; quid enim interest ad naufragium, utrùm uno gravi fluctu navis operiatur, & obruatur, an paulatim subrepens aqua in sentinam, & per negligentiam derelicta, atque contempta impleat navim, atque submergat? Neque enim id sapientissimus Pater dixit, quia putaret multa levia peccata, uni gravi coæquari, sed quia hæc, si non navim nostri cordis operiunt, at aperiunt, ut magnum fluctum peccati gravis suscipiant.

Alvarez. to. 1. l. 1. p. 3. c. 16.

Did. Stella in c. 4. Luc. V. *Nosse debet, cur periculosiora quandoque sint venialia peccata, quàm mortalia*; de quo sic discurrit Didacus Stella: Febris magna, ut erat hæc, quâ laborabat socrus Petri, citò curatur; at febris, quæ in ossibus latet, hæc vitium rapit, & ad interitum ducit. Ita magnum peccatum rarò nos in infernum ducit, nam ipsius magnitudo nos terret, ita ut in cognitionem ejus veniamus, quò fit, ut illius pœnitentiam agamus, cum mentis nostræ meliori resipiscentia. At hæc peccata parva, in quæ quotidiè delabimur, & ad quæ, ob ipsorum parvitatem, non respicimus; hæc, inquam, sunt, quæ in interitum celeri cursu nos vocant. Et confirmans id iterum Alvarez, magna inquit, & aperta peccata eò justis minùs periculosa sunt, quò vel aspectum eorum satis enormem & terrum exhorrent; at minima, eò ipso, quòd minima, periculosiora videntur, quia dissimulanter intrant, latenter cor possident, & abscondité ad miserabilem ruinam disponunt.

Alv. to. 1. l. 1. p. 3. c. 16.

S. Bernardinus s. 5. fer. 5. post Pasch. VI. *Nosse debet astutias Diaboli in hac materia usurpari ab eo solitas*, quas S. Bernardinus paucis verbis indicavit dicens: Tantæ quippe astutiæ est serpens antiquus, ut hominem DEUM timentem non mox invadat suggestione aperti sceleris, sed primùm paululùm restringit rigorem justæ discretionis, qui autem modica spernit (ut dicit Ecclesiasticus) paulatim decidet. Unde meritò S. Ephrem hortatus est dicens: vos hortor, obsecróque, fratres, ut non solùm à gravioribus peccatis ac vitiis temperetis, sed etiam ab illis, quæ parva apparent, & levia, quæ tanquam minimi ac nullius momenti, ferè ab hominibus negligi, sperníque solent, quasi nulla de similibus reddenda foret ratio, cùm interim per ejusmodi nos spernere etiam quærat Diabolus. Omni ergo diligentiâ ac studio, etiam in minimis illis, dolos atque insidias Diaboli cavete, ut cum Christo sempiternâ gloriâ fruamini. S. Ephrem.

§. IX.

MISCELLANEA ET CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Damnum.

I. Didacus Stella ad nostram instructionem ita scribit: Cavendum est diligenter à prioribus peccatis, nam licet parva tibi in principio videantur, paulatim, & sensim in gravissima incides, & in profundum malorum, ideoque Ecclesiasticus ait: *Tanquam à facie colubri fuge peccatum.* Videbitur tibi parum commendasse fugam peccati, siquidem non dixit: Fuge peccatum tanquam ab unguibus leonis, aut tanquam à Tigridis dentibus, aut tanquam à facie Draconis, nam coluber parùm veneni habet. Intelligit hic Ecclesiasticus parvum peccatum, à quo fugere debet. Quare? quia Isaias dicit cap. 14. quòd *ex radice colubri egredietur regulus.* Basiliscus inter reliqua animalia venenosissimus est, & adeò malus est, ut solo intuitu homines interficiat, atque ideo per illud intelligitur gravissimum omnium peccatorum. Fuge igitur à parvis, & à prioribus peccatis, ne fortè oculis Basilisci interficiaris, si- Did. Stell. in c. 1. Luc.

quidem ex parvis peccatis gravissima oriuntur. In Ægyptum misit Dominus Cyniphes, quæ musculæ sunt parvæ, at postea magnas muscas misit; ut inde intelligas, post parva mala majora subsequi.

Olaus Mag. l. 14. c. 15. II. Refert Olaus, quòd, dum avis quædam in Suecia in celsissimis montibus Doffrinis densissimâ nive contectis volitaret, contigerit, ut alarum suarum concussione aliquantulam nivem commoverit, quæ super aliam nivem decidens, eandem secum raptabat, donec tandem magìs, magisque adauctæ nives in vastam quandam molem, & veluti montem niveum excreverint, quæ ingenti cum impetu deorsum cadens, omniáque obvia saxa & ligna secum raptans, in castellum quoddam cecidit, ad radices dicti montis situatum, ejúsque muros, domúsque, cunctis Castelli incolis interfectis, in terram prostravit. Quam historiam credibilem esse existimo, cùm factum, quod in ea refertur, non sit impossibile. Et verò sicut castri hujus totalis destructio, & tot hominum inibi habitantium strages, à modica nive per volitantem avem in montis vertice commota suam traxit originem, ita quoque multæ civitates in periculosas sæpe rediguntur factiones & schismata, & per strages & intestina ac irreparabilia bella totaliter desolantur; & si in harum irreconciliabilium inimicitiarum inquiratur causam, omnes hásce calamitates sæpe ex unico lascivo aspectu, vel verbo pungente & contumelioso, suam traxisse originem deprehenditur.

Rich. à S. Vict. apud Mansi disc. 5. n. 5. III. Debet nos semper illud Nabuchodonosoris somnium, & cautos reddere, & sollicitos efficere; vide obsecro visionis ejus statuam, vide, inquam, à quanta sublimitate incipitur, & in qualem tandem finem deducitur. Sæpe videmus aliquos, quibus aliud in vita sua transacta non fuit studium, quàm ut in virtutibus & perfectione Christiana proficientes quotidie vitam agerent integerrimam, optimis moribus decoram, exemplarem, & ædificatoriam, postea nihilominus horrendum in modum, quasi de cælo in cœnum, ut S. Bernardus ait fuisse prolapsos. At verò quisnam terribilis illius naufragii scopulus extitit? Quisnam aries aut quænam machina fuit, quæ ingentem hunc Colossum in terram miserabiliter prostravit? *Abscissus est lapis sine manibus*; exiguus lapillus, id est, unicus impudicus aspectus idipsum fecit; unicum verbum ex iræ passione prolatum, intestinum aliquod & inveteratum odium parturire prævalet. Statua, quæ ex auro incipit, inquit præfatus Richardus, & in testam desinit; puto, quia nemo repente fit turpissimus, sed qui minima negligit, paulatim defluit.

Fabianus Iustinian. in c. 4. Tob. IV. In occidentalis Indiæ Insula, Isabella dicta, minutissimi insecti genus inter arenas nasci ferunt, quod Ninguam vocant, id postquam pedes incedentium invaserit, intrans digitorum ungues, & cutem, vix initio sentitur, attamen nisi statim crebra lotione, & scalpro interimatur, quidam in cute oriuntur folliculi, in quibus maxima lendium copia, ab eo generata, ita brevi tempore multiplicatur, ut cuncta excedens, nullum aliud deinde remedium relinquat, nisi membri præcisionem; aut ustionem.

V. In antiquis legitur historiis, quòd, dum ad transferendas ingentis magnitudinis & ponderis militares machinas cannabini funes sive rudentes deessent, fœminæ loci illius ad communem patriæ defensionem, capitum suorum comas unanimiter sibi præscindi fecerint, ex iisdémque in locum rudentum ex cannabe complexorum, validissimi confecti fuerint funes, canabinis minimè cedentes. *Militia est vita hominis super terram*, in qua inimicus infernalis, munitissimum animæ justæ fortalitium strenuè impugnat, quia verò huic ad deducendas in suggestus tormentarios machinas suas peccatorum gravium & mortalium validissimi rudentes desunt, ideo peccata venialia, levia licèt, instar capillorum eousque multiplicare satagit, ut exinde rudentes, validique ad promovendas machinas suas funes fiant. *Mansi disc. 5. n. 1.*

VI. Quòd Absolon comam nutrierit, quòd eandem eodem, quo aurum, pretio vendiderit, quòd elegantem adeò & speciosam in capite suo capillaturam portârit, soli vanitati attribui, adeóque parvi æstimari poterat; & tamen videte, quisnam hujus capillaturæ ejus finis fuerit. Ait enim sacer textus: *Accidit, ut occurreret Absolon servis David, sedens mulo; cúmque ingressus fuisset mulus subter condensam quercum, & magnam, adhæsit caput ejus quercui, & illo suspensô inter cœlum & terram; mulus, cui insederat, pertransivit.* Hócque modo ex capillis suis ad quercum suspensus, tribus lanceis perfossus fuit. In quo facto DEUS nobis insinuare voluit, quòd, dum capilli, id est, peccata levia multiplicantur, ipso permittente fiat, ut in peccata mortalia incidamus, ideóque tandem in patibulo infernali suspensi hærere cogamur. Verum quidem est, quòd cor ejus tribus lanceis transfossum fuerit, hoc tamen infortunium capillorum suorum culpâ ei accidit; Licet enim sola peccata mortalia mortem homini æternam adsciscant, attamen hoc homini ut plurimùm contingit in pœnam peccatorum venialium, quorum emendationem socorditer neglexit. *ibid. n. 4.*

VII. Cornelius à Lapide ait verba illa Ecclesiastici: *Qui spernit modica*, multis accommodari posse, ut studioso, qui parva negligit, in scholis, & studiis, paulatim decidet, nec scientiam acquiret, sed perdet; infirmo, qui morbos modicos negligit, incidet in majores; militi & Capitaneo, qui parva in bello negligit, paulatim decidet, séque & exercitum perdet; Patrifamilias, qui parva familiæ damna negligit, decidet in magna. Mercatori, qui parva lucra spernit, amittet majora: unde mercatorum ditescere satagentium hoc est axioma: Nullum lucrum quantumvis exiguum negligito. Idem sibi præfigat mercium spiritualium, id est, virtutum, meritorum & coronarum cœlestium mercator, ut ne minimam quidem augendæ virtutis, *Cornel. in c. 19. Eccli.*

tutis, meriti, & coronæ occasionem amittat. Quocirca Patres passim hanc sententiam adaptant peccatis levibus, quasi dicant. Qui spernit peccata levia, & venialia, sensim defluet, & tandem incidet in gravia & lethalia.

Cassiodorus l. 1. var. 35. VIII. Videmus nonnunquam vastum aliquod navigium, opulentis mercibus onustum, explicatis undique, ventóque tumidis velis Oceani undas tanta cum velocitate perferrans, ac si alas haberet, mox verò idem videbitis navigium, adeò fortiter in ijsdem undis immobiliter hærere defixum, ac si ad eiectam hæreret anchoram, & tamen hujus morosæ hæsitationis & defixionis causa, est parvulus quidam pisciculus, Remora communi nomine à Naucleris appellatus. Quis diceret, hunc pisciculum tanta esse naturali vi præditum, ut in alto mari vastum aliquod tam immobiliter, tantóque tempore firmare & immobiliter sistere posset navigium? Quæ ergo talis mora, inquit Cassiodorus, ut in tantis tranquillitatibus velocia necdum fuerint destinata navigia? Cùm stellarum non mergentium lucidum sidus, tendi carbasa festinantes invitet, & aëris sereni fides, properantium nequeant vota terrere? Aut fortè incumbente Austro, remigiisque juvantibus meatus navium Echeneis morsus inter undas liquidas alligavit? Aut Jndici maris conchæ, simili potentiâ labijs suis navium dorsa fixerunt, quarum quietus tactus plùs dicitur retinere, quàm exagitata possint elementa compellere? Stat pigra ratis, tumentibus alata velis; & cursum non habet, cui ventus arridet. Sine anchora figitur, sine rudentibus alligatur, & tam parva animalia plùs resistunt, quàm tot auxilia prosperitatis impellunt. Enim verò anima nostra cœlo possidendo à DEO creata, & pretioso Christi sanguine redempta, instar navigij cujusdam, pretiosis virtutum, donorum, & gratiarum cœlestium mercibus onusti, in hujus mundi mari magno explicatis & vento tumidis velis velociter progreditur, ut ad fortunata beati Regni littora feliciter appellat, & tamen sæpe contingit, quòd in medio cursu, per aliquod notabile tempus, firmiter sistatur, & retardetur, ut DEO se conjungere, & ad portum ardenter desideratum pertingere non possit, ideóque suspirat & ingemiscens sæpe dicit; *Heu mihi! quia incolatus meus prolongatus est: quando veniam, & apparebo ante faciem DEI?* Undenam verò fastidiosam hanc moram provenire existimas? Nimirum ab unica Remora, ab unico parvo pisciculo, id est peccato veniali; idipsum animæ nostræ navigio contingit. Anima enim in pœnam peccati venialis, non solùm per dilationem beatificæ visionis DEI punitur, quando jam est soluta à corpore, verùm etiam quando adhuc corpori unita est, retardatur, ut S. Thomas de Aquino ait, ne promptè in DEUM feratur.

S. Bernard. s. 1. de pr. sanct. IX. Anima electa in sacris Canticis dicebat: *Si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis.* At verò quonam mysterio ostium illud solis tabulis cedrinis, non verò ex quovis alio ligni genere formatis occludi voluit? Pro responsione notandum est, quòd lignum cedrinum solidum sit, & densum, nec ullas rimas admittat, nec tineas patiatur; per ostium verò cor intelligitur: *Ego sto ad ostium & pulso.* Vult igitur, ut ostium illud, id est, cor compingatur ex tabulis cedrinis, id est, ita obturetur & occludatur Diabolo, ne etiam per minimum quodvis peccatum eò penetrare possit: *Nolite locum dare Diabolo.* Audite S. Bernardum dicentem: Quid à te quærit, qui tanta solicitudine te quæsivit, nisi te sollicitum ambulare cum DEO tuo? Hanc autem solicitudinem non facit, nisi spiritus sanctus, qui nec minimam paleam intra cordis, quod possidet, habitaculum patitur residere.

S. Gregor. l. 19. mor. c. 15. X. Isaias Propheta olim sanctè gloriabatur dicens: *Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in DEO meo, quia induit me vestimentis salutis, & indumento justitiæ circumdedit me:* Qualisnam verò hæc prærogativa, quâ sanctus hic Propheta gaudebat, fuerit, ex sequenti S. Gregorij doctrina intelligere possumus; Hic enim ita scribit: Justitiâ indutus sum, & vestivi me, sicut vestimento. Vestimento utique, dum vestimur, ex omni parte circumdamur. Ille ergo Justitiâ sicut vestimento vestitur, qui se undique bono operé protegit, & nullam partem actionis suæ peccato nudam relinquit: nam qui in aliis actionibus iustus est, & in aliis injustus, quasi hoc latus cooperuit, illud nudavit, nec jam bona sunt opera, quæ subortis aliis pravis operibus inquinantur.

Philo l. de temul. XI. Vide sæpe cymbala magna & bene sonantia inutilia redacta, non quia in frusta contracta fuerint, sed quia nescio quo vulnere scissa, & perdita reperiuntur. Dum autem vis in eis inutilitatis causam inquirere, etsi millies ea undique circumlustres, non invenies, senties tamen, si pulses, quia raucè sonant: nam scissura illa adeò subtilis, & imperceptibilis est, ut præcipi, aut discerni nullo modo possit. Sic quoque sæpe videbitis virum æstimatum ab omnibus, tanquam eximiâ virtute & perfectione præditum, juvandis animabus planè deditum, austeritate vitæ, continentiâ, & solitudine se conficientem, cujus tamen vox in auribus Dei ingrata erit, nec tamen hujus displicentiæ causam, etiamsi studiosè inquiratis, invenire poteritis: licet revera causa illius sit, vel occulta quædam illius superbia, & præsumptio de suâ ipsius virtute & perfectione, vel aliqua interiùs in animo delitescens inordinata ambitio, vel alia similis passio; hæc enim sola ad confundendam & destruendam omnium operum suorum cæteroquin virtuosorum & meritoriorum harmoniam sufficit.

S. Gregor. l. c. XII. Si qua civitas contra insidiantes inimicos magno valletur aggere, fortibus cingatur muris, ex omni parte insomni muniatur custodia, unum verò in ea foramen tantummodo immunitum per negligentiam relinquatur, undè procul dubio hostis ingreditur, qui undique exclusus videbatur, ascendit. Civitatem mentis suæ, quanta munitione vallaverit Pharisæus, audiamus. *Jejunio bis in Sabbato, decimas do omnium, quæ possideo*, cui permisit: *Gratias ago tibi, &c.* magna certè munimina adhibuit; sed videamus, ubi insidianti hosti immunitum foramen reliquit; *quia non sum*, *sicut Publicanus iste*; Ecce civitatem cordis sui insidiantibus per elationem aperuit, quam frustra per jejunia, & eleëmosynas clausit. Incassum munita sunt cætera, cùm locus unus, de quo hosti patet aditus, munitus non est. Gratias rectè agit, sed perversè se super Publicanum extulit; civitatem cordis sui extollendo prodidit, quam abstinendo & largiendo servavit. Victa est per abstinentiam gula, destructa veneris ingluvies, superata est largitate tenacitas. Quibus hoc laboribus actum credimus? Sed ò quot labores uno vitio percussi ceciderunt! quanta bona unius culpæ gladio sunt perempta!

XIII. Christus legem appellavit jugum omnium præceptorum; *Tollite*, inquit, *jugum meum super vos.* Ubi diligenter est animadvertendum, quòd non dicit: Tollite jugum super collum vestrum, aut super humeros vestros, sed, super vos totos; Universa enim Christiani hominis pars, jugum legis asportare debet; quo sanè argumento concluditur, quòd qui hujus oneris partem recusaverit, sciat, se totum jugum abjecisse. Did. Stell. in c. 1. Luc.

XIV. S. Thomas Aq. in illud Christi: *Iota unum non præteribit, &c.* sic discurrit: Secundùm Rabanum *Iota* significat Decalogum, apex significat minimam particulam præcepti, vel minimum significativum legis. Vult ergo dicere, quòd jota unum, id est, unum de decem mandatis, aut unus apex, id est, minimum significativum in lege, non peribit à lege, donec omnia fiant, id est, non remanebit, quin impleantur & perficiantur.

TITULUS LVIII.

PERSEVERANTIA.

§. I.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Qualitas.

In Psal. 87. I. Eraphicus Bonaventura ait: Obedientia semen recipit, patientia fructificat, perseverentia metit.

Necessitas.

S. Bernard. to. 1. Serm. 66. a. 1. d. 3. II. Omnes virtutes absque perseverantiâ contra vitia pugnare possunt, sed sine perseverantia omninò vincere non possunt, Domino dicente: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.*

S. Greg. 3 p. Pastor. c. 35. III. Admonendi sunt, qui inchoata bona minimè consummant, ut cautâ circumspectione considerent, quia, dum proposita non perficiunt, etiam quæ fuerint cœpta, convellunt.

Utilitas.

S. Laur. Iust. de lign. vit. c. 4. IV. Perseverantia & stabilitas in operatione patenter ostendit, operantem in Electorum numero computandum, ac virtute perseverantiæ esse redimitum; Solùm non perseverâsse, est amisisse coronam.

Ibidem c. 1. V. Perseverantia filia singularis est summi Regis, finis virtutum, earúmque consummatio, sine qua neque qui pugnat, victoriam, nec victor palmam consequitur.

VI. Perseverantia sola est, cui æternitas redditur, vel potiùs, quæ æternitati hominem reddit, dicente Domino: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Ibidem.

S. Hieron. epist. 3. VII. Felix & omni dignus beatitudine, quem extrema dies Christo occupat servientem, quem Salvatori militantem invenit; *qui non confundetur, cùm loquetur inimicis suis in porta.*

S. Isidorus l. 1. synon. in fine. VIII. Esto in pœnitentia firmiter confirmatus, vitam bonam, quàm cœpisti tenere, non deseras, propositum bonæ vitæ, conserva jugiter, beatus eris, si permanseris; beatus, si perseveraveris; Salus perseverantibus promittitur, præmium perseverantibus datur. *Beati, qui custodiunt judicium, & faciunt justitiam in omni tempore*; Non est beatus, qui bonum fecit, sed qui bonum incessabiliter facit.

S. Bernardinus ibidem. IX. Absque perseverantia neque qui pugnat victoriam, nec palmam victor consequitur; Victrix est ad meritum, mediatrix ad præmium, soror patientiæ, constantiæ filia, amica pacis, amicitiarum nodus, unanimitatis vinculum, sanctitatis propugnaculum.

S. Laur. Iust. de lign. vit. c. 2. X. Perseverantia impetrat, quod vult, unde Dominus ait de amico, qui media nocte vadit ad amicum, ut panem, si perseveraverit pulsans, obtineat, etsi non dabit, eò quod amicus ejus sit, propter improbitatem tamen ejus surget, & dabit, quotquot habet necessarios; Si enim homo perseveranti petenti dat ex tædio, multò magis DEUS, qui sine tædio largissimè donat, quod petitur,

petitur, perseveranter petenti donat ex amicitia. Et quomodo non dabit perseverantibus in prece, qui ut gratis tribuat nobis, hortatur, ut petamus?

§. II.

EXEMPLA SACRA.

Vit. S. Philip. Ner. l. 2. c. 11. n. 5. I. S. Philippus Nerius tantus fuit perseverantiæ amicus & cultor, ut, postquam voluntatem DEI esse cognovisset, ut Romæ manens, bono spirituali publico illius urbis deserviret, ibidem sexaginta annis firmiter permanserit, absque eo, quòd unquam indè egressus fuerit, præterquam ad visitandas septem Basilicas, ac proinde jure dicere potuit: Justificationem, quam cœpi tenere, nunquam deserui. Suis quoque illud passim insinuando repetebat: Non qui inceperit, sed qui perseveraverit usque ad finem, hic salvus erit.

Ioan. Rho. lib. 4. c. 7. n. 1. II. Qui fortitudinis numeros omnes expunxerit, Heros ille mihi, Chrstophorus Columbus occurrit, cujus nomen, dum stabit hæc rerum machina, quænam obliterabit vetustas? id perseverantiâ factum est, quâ per annos plures superbo aulicorum fastidio rejectus, atque pro insano facere creditus, quòd novum orbem attendentibus polliceretur, Anglicanam, Lusitanicam, & Castellanam aulas diu, ac frustrà fatigavit. Sed vicit perseverando, ipsâque repulsæ nobili patientiâ Isabellam Reginam à condito ævo sapientissimam perpulit, ut levi Caravellarum (myoparonum id genus est) periculo, promissorum fidem vellet experiri. Idem, quamquam post primam navigationem, temporis vitio res essent implicatissimæ, navigare tamen, ac nova littora per ignota maria posteris aperire perseveravit, nulla laborum intermissione, donec quartò in Hispanias reversus, in ipso novarum rerum molimine, fato extinctus est, gloriæ immortalitate omnibus omnium seculorum heroibus anteferendus.

Ibidem n. 3. III. Quâ die de Mauris capta est Ceptua urbs, hærentibus proceribus, atque ob formidolosas hostium in propinquo vires in ejus præsidio futuros se negantibus, unus Didacus Menesius inventus est, qui Regi operam suam deferret; maurósque scipione, quem in manibus haberet, abacturum se pollicetur. Audax dictum, & pugnacis animi nobilem impetum perseverantia nobilitavit. Duodeviginti, quibus eo in præsidio superfuit, annis, ut Mauro semper imminenti, occurrere semper promptus esset, hamis consertam loricam nunquam exuit, ut illa instar vestis jam sponte in frusta decideret. Plus quàm ferrea homini fuit perseverantia, cui ferrea fatiscente loricâ, vis illa indomiti animi perseverayit; sed gloriæ aurum nullo nisi ferro emitur perseverantiæ.

Ibidem n. 4. IV. Triennalis Ostendæ obsidio, meritó Alberto Austriaco Belgii Domino, debetur, in qua sæpiùs periculo propiores fuisse legimus, qui vicerunt. Sed quamvis senescente militum, centurionum, ac tribunorum virtute, absumptisque copiis, abeundi consilia non modò ut honesta agitarentur, verùm ut necessaria urgerentur, perseverandum tamen duxit Albertus, & vicit; Nam mala, quæ tempus invehit, tempore mitigata vincuntur; quùm idem venenum sit, & antidotum.

V. Stetit olim Mariæ Velæ Virgini Hispanæ sententia, ut, quoties precationis, quam sibi privatâ pietate præscripserat, appeteret hora, toties illa ad materteram, apud quam eodem Virginum Collegio fuerat Religioni educata, modestè adiret, & rogaret, si quid se vellet, solemnibus verbis: Quid jubes Domina? Id illa animum induxerat facere, memor laudatissimæ Pauli vocis, quâ se Deo, utcunque placuisset, fingendum, nulla exceptione, permisit, dicens, *Domine quid me vis facere?* Rem ut meditanti facilem, sic experienti difficillimam, quùm sæpè cursandum per domum esset, & sæpiùs veniret in mentem, operam ludi; satis jam constituto orationis tempore; tenuit tamen constantissimè decennio toto, nec nisi materteræ morte finita ea est, obedientiæ, ac modestiæ exercitatio. Ibidem n. 7.

VI. Joannes Tellerius Ordinis minimorum, haustæ à puero in Odeo canendi Deo disciplinæ ad miraculum usque erat retinentissimus. Quamquàm enim tum Magistratibus plurimis, tum etiam supremo generalatûs honore olim occupatus, supra octogesimam ageret ætatem, consuetas canendi vigilias nunquàm omisit, & quamdiu vita superfuit, à divinis laudibus nunquàm absuit; quod & suis admirationi fuit, & omnibus exemplo erit, ne Magistratûs aut ætatis excusatione usi, ea studia intermittant, in quibus mori decorum est. Vera virtus non nisi ad metam mortis adjungit. Ibidem n. 9.

§. III.

EXEMPLA DOMESTICA.

Immani triginta annorum tractu, tantâ casuum varietate, quanta legitimo propè humani ævi spatio, ignoto apud Sinas capiti, atque avitas Religiones conatu ultimo convellere nitenti, accidisse facilis est conjectura, probatam perseverantiam in medium adfert Matthæus Riccius, quem Sinenses suæ fidei Magistrum venerantur. Excellens planè hominem virtus imbuit, atque inter lenta difficillimæ molitionis tœdia exercitum roboravit. Etenim cùm sibi parùm plerisque aliis nihil apud eam gentem proficere videretur, atque adeò aliò migrandi, quo eum parátior atque uberior fructus invitaret, illi fieret potestas; ipse tamen locum, stationémque obtinere decrevit perseverantiâ incredibili. Itaque perfecit demum sedendo, quod alij properando impediverant; & quod suspicacia inter ingenia, atque inextricabilis linguæ ambages Io. Rho. l. 5. c. 7. n. 1. ex nostris.

quinque propemodum lustra, quasi operam luderet, pauculos ad Christum Iesum Dominum aggregaverat; extrema demum senectâ plurimos genuit, eâ virtutum, ac litterarum apud barbaros æstimatione, ut & mortuum amplissimo sepulturæ honore fuerint prosecuti, & socios operis ac laborum ejus maximè commendatione receperint. Certissimus igitur est perseverantiæ fructus, qui licèt serò, nunquam tamen dubio fallit eventu.

Ibidem n. 5. II. Extra hujus nostræ mortalitatis fines, qui perpetua rerum vicissitudine incursantur, agere videbatur Thomas Sanctius; tam firma illi per omnem ætatem virtus fuit. Vivebat autem ex Ephemeride, in qua singulos per temporum articulos, ac diei cuiusque momenta, quid sibi continuò esset agendum, anxiè descripserat. Non ipsi cœlo, ausim dicere, tam fixæ ac ratæ sunt leges, quàm Thomæ suæ illæ virtutum tabulæ, quæ si æreæ fuissent, vim tamen temporis fortiùs non restitissent. Nullâ unquam mutavit die, quod semel indixerat sibi. Addebatur ad singula: Id verò non facias, etiamsi disrumparis; invenitque eum suprema dies propositi tenacem, adeò, ut in cilicio tantùm non confecerit. Hoc demum est virtutem colere, quæ cùm æternitatis rudimentum sit, quis nisi pessimo consilio, eam tempori accommodet?

Ibidem n. 6. III. Joannis Lorini insignem in studiis perseverantiam, tum spissæ eruditionis ingentia decem volumina testantur, tum nos adolescentes Romæ satis admirari vix potuimus, quùm in Bibliotheca stantem, atque laboriosissimè studentem statis perpetuò horis, hoc est, majore ac meliore diei parte, nullo feriarum discrimine intueremur. Idem quinquaginta ampliùs annis ad primum nolæ ictum è lectulo exiliverat, idem divinum Missæ Sacrificium ad supremam usque ætatem nullo unquam die atro, nisi quo fieri nefas est, obtulerat; aliáque plurima virtutum decora, quamquam annosus senex, ab usque primâ retinebat adolescentiâ; ut non eadem esset ætas, eadem tamen erat virtus, quam nec ferunt anni venientes, nec auferunt recedentes.

Ibidem n. 7. IV. Jacobum Crucium senem annosissimum (nam duos supra nonaginta annos natus excessit) proximis hisce annis severitatis pristinæ, ac modestiæ retinentissimum vidimus; quam enim à puero in Societate hauserat officiorum rationem, in ea nihil mutavit. Admonitus sæpè ab amicis, ut sibi aliquid indulgeret, posse hoc fieri, nullo virtutis, quam in tuto haberet, nullo exempli damno; quis enim grandævam illam ætatem molliùs habendam ignoret? Nolle se deterioribus assuescere, per jocum respondebat. Itaque præclaro modestiæ edito, relictóque posteris exemplo, dignissimus, ut puer centum propemodùm diceretur annorum, in sinu perseverantiæ conquievit. Pari virtute Mantuæ Carpentanorum supremos benè longæ vitæ dies transegit Gonzalius, cui & ipsi cùm res gestæ, tum ætas quietem, atque otium persuadere poterant, si potuisset virtus pati, verùm huic otiari, atque emori, idem quùm sit, Ægidius Gonzalius fruges se consumere nolle, dicebat, posse virtutem ultra consuetam senectutis metam decurrere, quæ sæpiùs ante adolescentiæ carceres currere incipiat; cui nempe illam juris esse, quæ nihil tempori debeat.

Ibidem n. 8. V. Nunnius Ribera, qui suscepta semel animarum procuratione apud Molucas, eo in opere per immensa rerum discrimina plures jam annos magnis ærumnis perfunctus, salutem illis afferre sategerat, ad extremam usque vitæ horam in opere perseverare voluit, eique immori. Veneno à Barbaris propinato septem supremos vitæ dies, dum conficitur, quùm pedibus ingredi non posset, circumferri suorum manibus se jussit, & de fide, deque Christianæ vitæ officiis disputans, ac sacramentorum ope confirmans, non antea de aliis benemereri destitit, quàm vivere. Ut enim tunc flumina labi, terrásque irrigare desinunt, cùm in mare prorumpunt; sic virtus, nisi ad Deum venerit, cessatione torpere nescit.

Ibidem n. 9. VI. Jneuntis, abeuntísque anni dies perseverantiæ semper habuit operatos Didacus Martinius; Nam sub anni initium operum omnium, quæ sibi facienda censeret, syllabum conficere, sub ejusdem exitum, eorum rationem exigere consuevit, tantâ perseverantis animi laude, ut his vitæ rationariis omnibus subscribere potuerit: Factum est. O viros verè numeris omnibus absolutos, qui destinata felicissimè absolverent.

§. IV.

MOTIVA.

I. EXemplum Dei, *apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio,* ut dicit S. Jacobus c. 1. Boëtius quoque ait: Immobilisque manens dat cuncta moveri. *S. Laur. Just. de ligno vit.*

II. *Exemplum Sanctorum*, qui in amando & fruendo DEO omnes sunt fixi, stabiles, & immobiles, absque eò, quòd unquam per totam æternitatem retrocedere possint: in qua beatitudine, inquit S. Augustinus, quod semel adipiscetur, semper tenetur. S. quoque Bernardinus de cœlestis Paradisi incolis ait: Incessanter laudant Creatorem suum. *Manual. 10. dist. 11 n. 4.*

III. *Exemplum sæcularium*, videmus enim per quotidianam experientiam, quòd avari in habitis divitijs non quiescant, sed eas magis magisque semper accumulent; Carnales in voluptatibus carnalibus sectandis insatiabiles existant; Ambitiosi, tametsi ad dignitates & honores capacitate & meritis suis superiores ascenderint, ijs tamen minimè acquiescant, sed ad gradus altiores se evehere continuo studio satagant. Erubescat igitur anima conversa ad DEUM (verba sunt S. Bernardi) minori affectu sectari justitiam, quàm iniquitatem antea sectaretur. Sed audite differentiam, quam sanctus & mellifluus Doctor hac in re assignat; Ita enim *S. Bernard. Epist. 1. c. 11.*

Ibidem

ibidem subdit : Est enim quoque causa valdè dissimilis, stipendia quippe peccati mors, fructus autem spiritûs vita æterna ; Pudeat proindè negligentiùs nunc in vitam, quàm priùs in mortem ire, & minori studio salutis acquirere, quàm perditionis augmentum. Nonne ipsorum insatiabilia desideria arguunt nos negligentiæ & tepiditatis ? Pudeat certè spiritualium nos bonorum minùs cupidos inveniri.

S. August. de Ver. convers. ... IV. *Exemplum irrationabilium creaturarum* ; Nam cœlestia corpora, ex quo à DEO creata sunt, continuò peragunt cursus suos. Idem aquæ fontium, & fluminum servant, quæ continuò fluunt. Naturæ arborum, & plantarum semper continuant, quoadusque perveniant ad debitum fructuum complementum. 2. Petr. 3. *Omnia perseverant ab initio creaturæ* ; Et dicit Ecclesiasticus : *Opera, quæ fecit DEUS, perseverant* ; unde Propheta ait : *Ordinatione tuâ perseverat dies.*

§. V.

MEDIA

Mansi l. c. disc. 1. n. 5. I. E*Xemplum Christi* ; Nam ut rectè S. Bernardus advertit, à Christo dicti sumus Christiani ; Nonne igitur eâ viâ, quâ Christus ambulavit, ambulare debemus, qui non solùm ad redemptionem nostram consummendam de cœlo in terram descendit, verùm etiam, ut nobis Christianis in operibus nostris velut norma, speculum, & exemplar imitandum ob oculos versaretur ? Unde S. Paulus exhortabatur Hebræos, dicens : *Curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei & consummatorem JEsum.* Quasi diceret, ne in stadio virtutis currentes aberremus, vel defatigemur, vivæ considerationis oculum in Salvatorem dirigamus, qui nullum unquam opus inchoavit, quod non pariter ad ultimam suam perfectionem usque perduxerit ; Ac proinde priusquam in cruce exspiraret, in celebri illo sermone, quem præcedentis vesperi crepusculo ad Apostolos suos peroravit, his æternum Patrem suum verbis est affatus : *Opus consummavi, quod dedisti mihi, ut faciam.* Rupertus l. 2. in Apoc. c. 3. Idem medium etiam Rupertus Abbas suasit dicens : Ejusdem perseverantiæ, quam persuadet, dicens : *Esto fidelis usque ad mortem*, in semetipso exemplum præbuit, *factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Quando in crucis patibulo suspensus hærebat, obstinatissimi Hebræi hisce verbis ei acclamârunt ; *Descendat nunc de cruce, & credimus ei.* Quam verò ob causam de cruce descendere noluit, maximè, quando id faciendo omnes Hebræos ad fidem amplectendam inducere poterat ? Nunquid de cœlo eo fine descenderat, ut se filium DEI esse manifestaret : Ut credat mundus, quia tu me misisti ? Nunquid specialiter Judæis protestatus fuerat dicendo : *Non sum missus, nisi ad oves, quæ perierunt domus Israël* ? Enim verò ad hoc, ut in eum crederent, per triginta tres annos inter ipsos cœlestem potiùs quàm humanam vitam duxerat, Evangelium prædicârat, patraverat miracula, Ecclesiam fundârat, instituerat Sacramenta ; ob eundem quoque finem præcedenti vespere se captivum abduci permiserat, sanguinem sudârat, amarissimúmque passionis calicem lubens acceptârat ; Et tamen nunc, quando se in ipsum credere velle protestantur, dummodo de cruce descendat, nullum eis præbet auditum, & haud secùs ac si surdus esset, eorum petitionibus ne verbum quidem reposuit. Quid ad hæc dicemus ? S. Bernardus in serm 1. de resurrectione ita scribit : sed dicunt : *Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere ?* Imò verò, si descenderit, neminem salvum faciet. Cùm enim salvus esse non possit, nisi qui perseveravit usque in finem, quantò minùs poterit esse Salvator ? Alios ergo salvos fecit, nam salvatione, cùm sit salus, ipse non indiget. Operatur salutem nostram, nec eandem deesse patitur Sacrificio vespertino, hostiæ salutari. Novit, inique, quid cogites. Non tibi dabit occasionem surripiendæ nobis perseverantiæ, quæ sola coronatur.

II. *Oratio* ; Hinc S. Philippus Nerius suos assiduò exhortabatur, ut Dominum continuè rogarent pro doni perseverantiæ concessione, ac proindè laudabilem illam introduxit consuetudinem, quotidiè circa crepusculum dicendi quinque Pater & quinque Ave Maria, ut DEUS iis permotus, constantem in ejus servitio perseverantiam clementer concederet. Vit. S. Philipp. Ner. l. ... c. ... n. 5.

III. *Propositorum renovatio crebra* : Hinc iterum S. Philippus Nerius suos monebat, ut quotidiè optima quæque renovarent proposita, nec unquam in tentationibus, quæ contra illa à Dæmone patiuntur, à spe deciderent, quoniam DEUS, quotiescunque hominem vult insigni aliqua decorare virtute, vitiis eum priùs oppugnari oppositis permittit. Docebat ampliùs, spiritum devotionis initio abundè cœlitùs impertiri, sed postea Dominum nonnunquam fingere se longiùs ire, ac proindè in tali casu hominem constantem esse debere. Ibidem.

IV. *Pauca sibi proponere* ; Hanc ipsam ob causam S. Philippus Nerius asserebat, non facilè intermittenda esse pietatis opera, quæ unusquisque sibi præscripserit, ideóque minùs prudenter agere eos, qui spiritualibus exercitationibus plùs nimiò se onerant. Suos igitur monebat, ut modicam sibi rerum spiritualium provinciam deligerent, eámque semel susceptam nunquam deponerent : Quoniam si Dæmon vel semel ad quid pium intermittendum hominem inducat, eundem iterum ac tertiò ad idem inducere non desistet, quò tandem prorsus omnia evanescant. Quam ob causam sæpenumerò illud suis repetebat : *Nulla dies sine linea.* Vit. l. c.

V.

S. Hieron. in Ezech. c. 16. v. 15. V. *Aliorum ruinas considerare*; uti S. Hieronymus suasit dicens: aliorum ruinæ exempla justorum sunt. Quantumvis enim Tertullianus Zelosissimus fuerit fidei Catholicæ professor; Quantacunque etiam Origenes penes eandem Ecclesiam sibi merita comparârit, prout de utroque tum ex eorum libris, pietate & doctrina plenis, tum ex Annalibus Ecclesiasticis abundè constat: attamen ambo in hæresin turpiter sunt prolapsi; unde deducitur, quanti referat illud observare documentum Apostolicum: *Cum metu & tremore salutem vestram operemini.* Seneca moralis ait: Felix sapientia, quæ ex aliorum discitur insipientia.

§. VI.

MISCELLANEA ET CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Qualitas.

Mansi tr. 80. disc. 1. n. 1. I. SAnctus Paulus Apostolus Corinthios, quos ad fidem converterat, catechizare volens, virtutem perseverantiæ in operibus bonis, utpote proprium veri hominis Christiani characterem, præcipuè commendavit; Nam ut S. Hieronymus in epistola quadam ait: Non quæruntur in Christianis initia, sed finis; Paulus malè cœpit, sed benè finivit; Judæ laudantur exordia, sed finis proditione damnatur. S. Augustinus usque ad triginta & ampliùs annorum ætatem sensualitati habenas laxavit; respiciens autem, divinóque se servitio addicens, ad ultimam & decrepitam usque ætatem baptismalem conservavit innocentiam. Idem S. Paulus Colosenses pariter ita monet: *Sicut ergo accepistis JESUM Christum Dominum; in ipso ambulate radicati, & superædificati in ipso, & confirmati.* Ubi D. Chrysostomus ly radicati in favorem nostrum, hoc modo exponit: Radicati, hoc est, fixi, ac stabiles; Quod enim est radicatum, seu radices egerit, non poterit transplantari. Vide quàm proprias & appositas ponit distinctiones. Similiter aliud verbum, scilicet, & confirmati in ipso, ponderans ait: Hoc est, ipsum tenentes tanquam super fundamentum ædificati; si quis in tuto non ædificaverit, labascit. Enim verò radix est, quæ truncum arboris sustinet, ramos arboris vegetat, totámque arborem fructificare facit. Cùmque profundiùs in terram penetraverit radix, arborem evellere, aut eradicare impossibile est, nisi fortè recenter plantata fuerit. Apostolus igitur inprimis illis fidelibus, adinstar fundamenti alicujus, requirebat stabilitatem & firmitatem, ut bonorum operum fructus reddere possent.

In Symb. p. 2. c. 8. II. Ludovicus Granatensis in introductione ad symbolum refert, quòd dum quidam ex Germaniæ Primatibus interrogaretur, quamnam sectam, populi territorio suo vicini profiterentur, respondit: Anno superiori talem quidam tenebant, qualem autem hoc anno profiteantur, profectò ignoro. Imo idem Granatensis de superiori suo sæculo, id est, immediatè præterito, scribit, quòd habitâ sectarum, ad illud usque tempus in diversis locis traditarum ratione, deprehensum fuerit, quòd hæretici à primo hæreseos exordio, usq; ad tempus illud centum octodecim diversas sectas professi fuerint.

III. Notum est illud Spiritus sancti testimonium dicentis: *Justus ut palma florebit.* S. Gregorius exponens locum illum Jobi; *in nidulo meo moriar, & sicut palma multiplicabo dies*; de palma ita scribit: Palma tardè proficit, sed diu in viriditate subsistit. Idem S. Doctor aliam ejusdem palmæ assignat proprietatem, inquiens: Palma vastior in summitate est, quàm esse cœperit in radice, quia sæpe electorum conversio plus finiendo peragit, quàm proponit inchoando; Quam eandem proprietatem paulò post melius declarat dicens: Hoc habet palma, quo à cunctis aliis arborum generibus differt. Omnis namque arbor in suo robore juxta terram vasta subsistit, sed crescendo superiùs angustatur, & quantò paulisper sublimior, tantò in altum subtilior redditur. Palma verò minor ab imis inchoat, & juxta ramos ac fructus ampliori robore exurgit, & quæ tenuis ab imis proficit, vastior ad summa succrescit; Cùm igitur palma, quæ paulatim magis semper proficit, virtutem perseverantiæ adeò vivaciter repræsentet, consequens est, ut ab illa desumpta similitudo justis & fidelibus conveniat. S. Greg. l. 19. mor. c. 16.

IV. Sanctus Petrus primos fideles, & cum illis omnes successivè illorum posteros, in Epistola sua paternè monet, ne in hoc nimium confidant, quòd scilicet ad fidem vocati fuerint, nisi etiam eidem per opera bona perseveranter fuerint cooperati; *Satagite*, inquit, *ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis.* Quonam verò modo vocationem nostram certam facere possimus, Glossa nos docet, inquiens: Certam facit vocationem, qui in bonis operibus perseverat. 2. Petr. c. 1.

V. Paradisus utique terrestris, cœlestis Paradisi verus est typus; observastis ne autem, quodnam DEUS ad illius paradisi januam statuerit impedimentum, ut aditum nobis ad eundem præcluderet? *Collocavit ante Paradysum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atque versatilem*; ad denotandum, quatuor esse præcipuè, quæ nobis obstaculo sunt, ne consequamur gloriam, scilicet cupiditas nimia sciendi, quæ in Cherubino denotatur, cui propria est scientia; Secundum, concupiscentiæ carnali nimis deditum esse, quæ significatur in igne (flammeum.) Tertium est odium, sive vindicta, quarum typus est ensis, vel gladius. Quartum denique nimia nostra in benè operando instabilitas, & volubilitas (versatilem.) Mansi l. c. disc. 2. n. 7.

VI. Isaias ait: *Semita justi recta est, rectus callis justi ad ambulandum.* Dic sodes, quænam est differentia inter viam rectam, & cur- Ibid. n. 8.

servum? Hæc nimirùm, quòd in via recta, quantò magis proceditur, tantò magis homo à termino à quo elongatur, Non verò id fit in via, quæ in gyrum vertitur, quantò enim diutiùs in illa procedis, tantò magis appropinquas ad locum, unde recesseras. Idem prorsus accidit reprobis, de quibus dicitur; In circuitu impii ambulant; tametsi enim ab hac vel illa suspecta conversatione recessisse videantur, in bonis tamen propositis nequaquam persistunt, sed subitò ad peccata pristina revertuntur. *Præcordia fatui, quasi rota currí, & quasi axis versatilis cogitatio illius*, inquit Ecclesiasticus: Talibus proinde dici potest: *Vos ex Patre Diabolo estis, desideria patris vestri vultis perficere*; tales enim eâdem cum ipso viâ incedunt, circumeundo; Ipsemet namque Dæmon apud Jobum ait: *circuivi terram*; Et S. Petrus de eodem inquit: *circuit quærens, quem devoret.* Cœterùm via viri justi, & perfecti recta est, rectus callis justi; *viam mandatorum tuorum cucurri*, inquit Psalmista; Et S. Apostolus ad Philippenses de seipso scribit: *Ad anteriora extendens me ipsum, ad superna vocationis bravium.* Consideratione digna sunt, quæ S. Bernardus in hæc verba scribit: Qui in circuitu ambulat proficiscitur quidem, sed nihil proficit; Væ homini, qui sequitur hunc circuitum! si conaris avellere, paululùm sequi videbitur, sed in dolo, circuitus est, aliundè reditum parat. Væ homini illi, qui sequitur hunc circuitum! Ly autem væ, communiter est æternæ comminatio damnationis.

S. Hieron. in ps. 83. VII. Propheta Regius inquit: *Beatus vir cujus est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit.* Circa quæ verba S. Hieronymus ità scribit: Propterea dicuntur & in Psalterio Psalmi Graduum quindecim, & primus dicitur: *Ad Dominum cum tribularer, clamavi*; Et in secundo: *Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi*; *& semper procedit & proficit, & ascendit in subliniora.* Quod dicit, hoc est, *ascensiones in corde suo disposuit*; felix est, qui quotidiè proficit, qui non considerat, quid heri fecerit, sed quid hodie faciat, ut proficiat. Sanctus ascensiones in corde suo ponit, peccator descensiones. Quomodò qui Sanctus est, quotidie proficit, ita qui peccator est, quotidiè decrescit. *Beatus vir, qui disponit ascensiones in corde.* Videte consequentiam scripturarum: *Etenim benedictionem dabit &c.*

S. Chrysol. ser. 91. VIII. D. Chrysologus de magni Baptistæ genitoribus differens (de quibus sacer Textus hoc perhibet testimonium: *Erant ambo justi ante DEUM, incedentes in omnibus mandatis*) Incedentes, inquit, ut ostenderet, cucurrisse in virtutibus, non stetisse, & ambulâsse in via justitiæ, non sedisse.

Mansi disc. 4. n. 11. IX. In Sacris Canticis anima sancta tribus vicibus in sublime ascendisse legitur, & quotiescunque de hisce ascensionibus fit mentio, sacer Textus semper loquitur cum admiratione. Etenim Cantic. 3. dicitur: *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi*; Cant. 6. habetur: *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens?* Denique Cant. 8. dicitur: *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto deliciis affluens, innixa super dilectum suum?* Sciendum verò est, quod tribus hisce ascensionibus tres correspondeant gradus, vel status vitæ spiritualis, incipientium videlicet, proficientium, & perfectorum. Prima ascensio fit à terra, & è deserto adinstar fumi, qui suam à terra habet originem, & hæc est ascensio eorum, qui se naviter DEI servitio dedicare incipiunt; Horum enim conversio fumo assimilatur incensi & myrrhæ, ob amaritudinem, quam pœnitentia extrinsecus solet habere annexam. Secunda ascensio est proficientium, eâque cœlum versùs dirigitur, ubi planetæ lucidissimi, stellæ nimirùm, luna, sol resplendent, & virtutes, exempla, operúmque virtuosorum, & Sanctorum merita denotat; unde Christus ait: *Luceat lux vestra coram hominibus, & videant opera vestra bona.* Tertia ascensio est Perfectorum, & hæc donis & gratiis adeò copiosis, & abundantibus est referta, ut dicatur deliciis affluens, siquidem consolationes, quibus anima DEUM intimè amans perfunditur, sunt inexplicabiles; Observandum verò est id, quod vel maximè proposito nostro deservit, quòd in omnibus hisce tribus statibus, etiam perfectorum semper fiat mentio saliendi, ascendendi &c. quia ut S. Bernardus ait: Nemo perfectus est, qui perfectior esse non appetit, & in eo quisque perfectiorem se probat, quòd ad majorem tendit perfectionem.

X. Dilaudat cœlestis Magister fidum quendam, & officio suo probè functum œconomum, inquiens: *Quis putas est fidelis dispensator, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram?* Luc. 12. 24. Probi & integri dispensatoris partes in multis hæ sunt, ut domesticis annonam, & quæcunque victus requirit humanus, tempestivè ministret. Subdit autem statim divinus Magister: *Beatus ille servus, quem cùm venerit Dominus ejus, invenerit ita facientem*, ibid. v. 43. Notavit in modo loquendi Christi, Cardinalis Cajetanus, quòd non eum, quem sic aliquando fecisse, sed quem ita facere tunc invenerit, cùm Dominus illius venerit, beatum fore affirmavit: Beatus ille servus, inquit, quem invenerit, sic facientem, non quòd ita fecerit, sed quòd ità perseveret faciendo. Beatus, non quia, in bonis actibus diu vixit, sed quia his immortuus fuit. Itaque parùm proderit homini Christiano, quòd tanquam strenuus miles in Palæstra virtutum contra passiones suas fortiter dimicare cœpit, bellúmque sanguinolentum omnibus animæ suæ hostibus indixit, si mox ut ignavus cedat, & tanquam me- Nyssen. l. 1. c. 7 in vit. Abrah.

meticulosus fugiat. Persoverare constanter, pugnare pertinaciter debet, ut labor illius sit fructuosus, & defatigatio suâ obtineat coronam.

Ibidem. XI. Quæstio est, quid mysterii habeat, quòd Simoni Petrus adjungitur, quando obedientia cum salute, hoc est, Simon cum JESU locutus fertur? Non satis erat dixisse, *dixit Simon ad JESUM?* Non erat satis, inquit præclarè S. Petrus Damianus. Tametsi enim Simoni, hoc est, obedienti jure sit debita salus æterna, debet tamen comitem habere Petrum, qui significat petram, ut sit nobis documento, quòd ille solùm obediens lauro in cœlis immortali coronabitur, cujus obedientia pro basi habet petram, sive rupem, sic ut neque nutet, neque vacillet, sed religiosa cum pertinacia, & gloriosa contumacia in finem usque pergat. Verba, quibus Sanctissimus Cardinalis ea expressit, sic habent: Solis obedientibus æterna salus hæreditario jure debetur, si tamen ibi sit Petrus, id est, si obedientia non vacillet, aut titubet, sed fundata sit supra firmam petram.

S. Gregor. l. 4. mor. c. 14. XII. Huc ibant Regis Prophetæ oculi, quando ajebat: *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ*; Psalm. 64. v. 12. Beatissimus Papa Sanctus Gregorius Magnus de his verbis sic habet: Quasi corona anni benedicetur, cùm finito laboris tempore, virtutum remuneratio confertur, dies verò hujus anni sunt singulæ quæque virtutes. Sed quid est, quòd non mensibus, non diebus, non horis, sed anno tantùm benedicetur? *Benedices coronæ anni.* Cùm annum hunc dies virtutum faciant (dies verò hujus anni sunt singulæ quæque virtutes) cur non eisdem præmium addicitur, sed soli anno corona promittitur? causa ea est, quòd, tametsi singulæ virtutes suam habebunt remunerationem, eam tamen absque perseverantia consequi non possumus, idcircò anno promittuntur benedictiones, quia ille est finis pugnæ, terminus laboris, exitus vigiliarum, clausula defatigationum: Nam fuisse pium, & virtutis studiosum uno mense, fuisse unâ hebdomate sanctum, unâ horâ castum, humilem, probum, parùm proderit, nisi in finem vitæ versemur in illis. Itaque annus, & finis benedictionem habebit, non mensis, non hebdomas, non dies, non hora, quia solus ille salvus erit, qui in finem anni, seu vitæ perseveraverit.

S. Petrus Dam. to. 3. opusc. 15. c. 27. XIII. Suadet S. Petrus Damianus, ut firmiter, animoséque perduremus in itinere virtutum, ut perennis quietis palmam consequamur, & concludit exhortationem his verbis: vitæ modum, quem semel arripueris, perseveranter tene, constanter exequere, ne scenicâ, quod absit, à temetipso vertigine videaris discrepare. Hæc ille difficilia verba! Quid autem voluit sibi vir Sanctus, cùm ait: Ne scenica à temetipso vertigine videaris discrepare? Quid est vertigo Scenica? Ego dicam. Prodit in scenam histrio, ut personam amantis; Principis, Capitanei, Imperatoris referat. Repræsentat ille amantis blanditias, Principis potentiam, Capitanei fortitudinem, Imperatoris Majestatem. Et quid posthæc? Statim à scena ad suum hominis vulgaris statum redit. Facile est cernere, hunc neque Capitaneum esse, neque Principem, neque Imperatorem, quia Regiis tam subitò depositis insignibus non aliâ, quàm quilibet è vulgo, veste utitur. Dicit tunc Damianus: Persta firmus, & animosus in felici virtutum via, quam semel tenere cœpisti, ne scenicâ à temetipso videaris vertigine discrepare, ne videaris velut in Scena repræsentare aliquamdiu personam hominis pii, pœnitentis, humilis, religiosi, liberalis in egenos, continentis, & casti, denique verò exeas, quâ intrâras, virtutisque, & pœnitentiæ, & religiositatis, & liberalitatis, & continentiæ, & castitatis vestitum abiicias: Nihil feceris, si ita feceris, neque optatum laborum tuorum fructum consequêris. Ut obtineas, quod expetis, non debes esse histrionicus Christianus, sed in uno sanctæ vitæ proposito usque ad extremum vitæ spiritum constanter perdurare. Fortè aliud quid voluit magnus Cardinalis, quod cum Bernardi sententiâ superiori admodùm congruat, cùm jubet curare, ne Scenicâ quis videatur à semetipso vertigine discrepare. Quid agitur in comœdia, quid in Scena, sive theatro? Nullus locus crebriores habet vicissitudines, & mutationes, nullus tam varias larvas, quàm contabulatio Scenica. Qui pridiè sanctum referebat, is postridie latronem viarum repræsentat, qui heri personatus erat amasius, ille hodie pastorem agit. Quælibet dies habet suas speciales figuras. Dicit nunc S. Petrus Damianus: Si vis consequi, mi frater, beatitudinem, si DEO æternùm frui, vitæ modum, quem semel arripueris, perseveranter tene, constanter exequere, unam tantum boni, & religiosi hominis personam repræsenta, unum semper bonum, & impigrum DEI servum referre stude, cujus unicum perpetuumque studium sit, colere virtutem, & mandata Dominica observare, & hisce operibus usque ad supremam vitæ periodum immorari.

XIV. Hunc in finem creavit DEUS hominem, & posuit illum in theatro hujus mundi, ut repræsentationi det operam. At quemnam repræsentabit? DEUM ipsum. Hoc Dominus affirmâsse videtur, quando de homine creando deliberans ajebat: *faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram* Genes. 1. 26. Qui Imperatorem repræsentat, ille imaginem, similitudinem, figuram illius referre dicitur. Idem dicit supremus Conditor, & Benefactor, cùm ait: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*, ut imaginem & similitudinem nostram repræsentet. At quomodo id rectè & decenter perficiet. Sanctus Ambrosius hoc dicet, qui Deutronomium adire jubet, illudque legere, quod ibi dicitur: *Audi Israël, Dominus Deus noster Dominus unus est*; Deut. 6. v. 4. Quid voluit Dominus iis verbis indicare? Respondet sacer Doctor, id voluisse, ut, velut ipse semper u- Nyssen. l.

num

nus est, ita semper unus sit, qui illum sic vult repræsentare in terris, ut comprehendere, & consequi possit in cœlis. Quare sic concludit: Ad similitudinem Domini unus est, atque idem, non hodiè sobrius, cras ebriosus, hodie pacificus, crastinâ die litigiosus. Hæc ille epist. 1. tom. 5. Qui hodiernum diem inesus transmittit, cras cibis se infarcit superfluis. Qui hodie est pœnitens, cras laxus: Qui heri modestus, hodiè dissolutus, ille imaginem DEI non repræsentat. Verùm qui in colenda castitate, in observantia, temperantia, in studio virtutum semper unus est, ille benè refert similitudinem ejus, ad cujus imaginem est factus, eoque æternum fruetur. Soli enim perseverantiæ decreta est palma, & constituta laurus. Quare rectè dicebat Bernardus: Stude perseverantiæ, quæ sola virtutum coronatur, non inveniatur apud vos, Est, & Non, ut sitis filii Patris vestri.

Necessitas.

Mansi Tr. 80 disc. 2. n. 6. XV. Ingens illa statua Nabuchodonosori in somno repræsentata caput habebat aureum, pectus argenteum, ventrem æneum, tibias ferreas, ac denique pedes testaceos. Quæ statua adeò vivaciter delineat illum, qui virtuosè vivendo cœpit, pessimè tamen postea consummat, ut aptior ad illum exprimendum similitudo excogitari non posset. Etenim auro amor Dei denotatur, qui vitæ perfectioris est fundamentum; Per argentum verò divinæ legis observantia innuitur, juxta illud Psalmi: *Eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum*; Per ferrum & chalybem solidissima metalla, diuturna in operibus bonis stabilitas, & perseverantia designatur; Per pedes verò testaceos, qui causa fuerunt, ut ingens illa statua corrueret, & comminueretur, omniaque prædicta metalla in pulverem redigerentur, pessimus intelligitur finis, quem illi, qui ad ultimum usque spiritum non perseverant, communiter habere solent. Unde Richardus de S. Victore ait: Opus detestabile, & dignum confusione, quod inchoatur ex auro, & consummatur in testa & ferro. O confusibiles operarios, qui in initio conversionis suæ opus suum inchoant ex auro, & consummant in luto.

Ibidem n. 5. XVI. Nulli ignota est ingens illa strages, quam DEUS Ezech. cap. 9. inter homines cujuscunque ætatis, sexûs, conditionis, & professionis, cum hoc tamen pacto instituit: *Omnem, super quem videritis Thau, ne occidatis.* Verùm scire percuperem, cur omnes illi, qui hoc signo Thau insigniti erant, ab hoc flagello remanserint immunes & exempti? Hugo Cardinalis observat, hanc literam Thau, in Alphabeto Hebraico esse postremam, figurámque crucis præseferre; Ac proinde figurare perseverantiam: Ultima litera in Alphabeto signatur, inquit Hugo, ad denotandum, quòd qui omnia præcepta non servaverit usque ad ultimum, occidetur. Idem quoque S. Bernardinus in supradicto sermone innuit. Ecce igitur, qualiter in hac strage à DEO ordinatâ, universum genus humanum edoceatur, qualiter irreparabilia æternæ mortis damna redundent in eos, qui hoc perseverantiæ charactere signati non sunt.

XVII. In Exodo increata Sapientia vestem nobis describit summi Sacerdotis, quâ Sanctuarium ingressurus indui debebat; Inter alias autem hujus vestis conditiones, una est, quòd scilicet in extremitate seu fimbria vestis illius, quæ ad pedes usque propendebat, mala punica per circuitum suspendi debuerint: *Deorsum verò ad pedes ejusdem tunicæ per circuitum, quasi mala punica facies.* *Ibidem disc. 4. n. 11.* Circa quod nascitur quæstio, cur potiùs DEUS mala punica, seu poma granata, non verò alia poma, maximè in fimbria vestis suspendi voluerit? Omnia in figura contingebant illis. Petrus Blesensis in epistola quadam ita scribit: Omnis gloria ejus filiæ Regis ab intus, in fimbriis aureis; fimbriæ sunt vestimenti extremitates; Est ergo gloria sanctimonialis in fimbriis; nihil enim prodest gloria bonæ conversationis in principio, nisi sit gloriosus & finis. Porrò nemo est, qui malum granatum inter omnes alios arborum fructus hoc privilegio gaudere ignoret, quòd scilicet verticem coronatum habeat. Atque ideo symbolum est perseverantiæ, quæ sola coronatur; Unde anima, quæ in cœleste Sanctuarium ingredi desiderat (de quo Psalmista canit: *Donec intrem in Sanctuarium DEI*) in fimbria vestis, id est, in vitæ suæ fine perseverantiam habere debet.

Ibidem n. 4. XVIII. Ingeniosam apud Doctorem Seraphicum observationem invenio, siquidem ad illum se Apostoli textum reflectens: *Omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium*, ita scribit: Sic de virtutibus potest dici, nam virtutes ad Regnum Christi currunt, sed una sola accipit bravium. Nam currunt mundi contemptus, paupertas, vigiliæ, eleëmosynæ, abstinentia, patientia; sed sola perseverantia coronatur, nam *qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.*

Bid. Nyss. ... Dom. ... XIX. De mancipiis Hebræorum hæc in vetere lege statuerat Dominus: *Si emeris servum Hebræum, sex annis serviet tibi, in septimo egredietur servus liber gratis. Cum quali veste intraverit, cum tali exeat*; Exodi 21. 2. 3. An fortè Sacramenti aliquid habeat, quòd post absolutam sexennem servitutem cum tali veste servus abire jussus est, quia cum advenit? Quid emolumenti adferre poterat homini jam libero, quòd similiter vestitus esset post exantlatos labores, ac tum, cum primùm eos adierat? Beatissimus Pater S. Gregorius monet, à cortice literæ transire ad nucleum spiritûs, ut inveniamus mysterium, quod hac in re est magnum. Servus est omnis homo, sex anni omne tempus præsens, quo vitam hanc laborando exigimus, quia enim DEUS sex diebus mundum hunc fabricatus est, & die septimo requievit, rectè senario numero omnis vita, quam in mundo agimus, significatur, post quam dabitur denarius diurnus quietis æternæ his, qui strenuè laborârint. Sex ergo

annos, hoc est, per omnem vitam, homo DEO servit, demum verò donabitur quiete, si tamen, cum quali veste intravit, cum tali exeat. Quomodo hoc fiet ? si primordiis vitæ extrema respondeant, si, quod strenuè cœpit, fortiter prosequatur, & in finem constanter perducat : Nam si mox languere incipiat, & remittat primos spiritus, & torpescat, statimque vestem mutet, id est, à bono proposito desistat, quid juvat inchoâsse ? Verba Magni Gregorij in hanc rem ex homil. 3. lib. 1. in Ezech. sic habent : cum quali veste intraverit, cum tali exeat ; quia omninò necesse est, ut unusquisque nostrûm in hoc, quod incipit, perseveret, atque usque ad finem operis in ea, quam inchoavit, intentione perduret.

Utilitas

Mansi disc. 4. n. 7. XX. Axioma Philosophorum est ab omnibus receptum, *quod scilicet forma dat esse rei* ; Sicut igitur charitas est, quæ operibus nostris valorem & pretium attribuit, ita perseverantia omnibus virtutibus dat formam, omniaque merita ita extollit, ut neque charitas, & amor DEI præmium vitæ æternæ sine perseverantia acquirerent, quia ut S. Augustinus ait ; Perseverantia informat meritum. Et S. Bernardus in epistola quadam dicit : Perseverantia sola meretur viris gloriam ; coronam virtutibus.

Idem disc. 7. n. 3. XXI. In Deutronomio legitur : *Aperiet Dominus thesaurum suum optimum, cælum* ; At verò quandonam DEUS hoc ærarium aperturus erit ? in tempore suo ; DEUS enim tempus hoc oportunum longè melius novit, quàm nos. Unde S. M. Ecclesia in Collecta quadam sic DEUM precatur : *Tua nos, quæsumus Domine, gratia semper præveniat, & sequatur, ac bonis operibus jugiter præstet esse intentos.* Cùm igitur quando mysticæ hujus messis tempus futurum sit, ignoremus, necessum est, ut semper præparati simus, atque in operibus bonis perseveremus.

Ibidem n. 5. XXII. Apud S. Marcum c. 8. legitur : copiosam quandam multitudinem pedestri itinere nullâ prorsus ciborum annonâ provisam, in asperum quoddam desertum Christum secutam fuisse diu, noctuque, idque non uno aut duobus diebus, sed per integrum triduum (*cùm turba multa esset, nec haberent, quod manducarent*, vel, ut Syrica legit : *Nec esset quicquam, quod ederent*) tandem verò miraculoso illo convivio ad satietatem usque fuisse refectam, nam sacer textus ait ; *Manducaverunt* ; Nec hoc solùm, verùm etiam *saturati sunt, & sustulerunt, quod superaverat de fragmentis, septem sportas.* Hæc autem saturitas illam figurabat cœlestis convivij abundantiam, de qua David ait : *Satiabor, cùm apparuerit gloria tua* : at verò quinam illi fuerunt, qui huic mensæ accubuerunt ? Utique non omnes, qui Christum à principio fuêre secuti, sed illi tantùm, qui cum patientia ad finem usque illum sustinuerunt, & ad tertium usque diem in fame & siti illum perseveranter fuêre secuti. Unde Paulus de Palatio ait : Satiantur in fine tridui, non initio conversionis, vel in medio, sed in fine. Motivum quoque, quod Salvatorem nostrum induxit, ut tam lauto illos convivio pasceret, fuit illa perseverans patientia, quam triduo in fame & siti illum sequendo exhibuerant, ait enim : *Ecce jam triduo sustinent me.* apud S. Matthæum loco sustinent, habetur : *perseverant mecum.*

Dignitas.

XXIII. Ibat quondam Sponsa tam concitis pedibus, ut suavi admiratione perfunderet non solùm terræ habitatores, verùm etiam cœlorum Palatinos ; ut certatim utrique (ex sententia melliflui Bernardi, Hailgrini Cardinalis, Abbatis Sancti Pantaleonis Wölver, & aliorum) non sine magno stupore exclamarent : *Quæ est ista, quæ progreditur, quasi aurora consurgens, pulchra, ut luna, electa ut Sol.* Cant. 6. 9. Matthæus Cantacucenus ex Rege Monachus Basilianus, Vincentius Richardus illius interpres, & alii, quos jam dixi, ajunt : Admirantium est ista vox. Sed unde ista nasci admiratio potuit, unde tam novum videri illis, quod sponsa lentis sensim incrementis augescere, & luce paulatim majore splendere cœpit, ac primùm quidem ut aurora obscurè micare, deinde ut luna rutilare ampliùs, demùm ut sol radiis suis mundum totum implere ? Hoccine tanquàm novum sit, & inauditum, in stuporem adducere potuit, homines pariter, ac Angelos ? Potuit. Immò si contrà egisset, atque ut sol primùm splendicare cœpisset, dein verò ut aurora pauculâ luce scintillâsset, nihil mirum fecisset, quia hoc fit communiter, & passim ab omnibus, ut cum fervore bonum suscipiant, & mox cum tepore & torpore dimittant. Luctuosum, ac miserandum, quam vulgare Christianorum penè omnium vitium. At si quæ anima progrediatur, quasi aurora consurgens, tacitisque & continuis profectibus eò perveniat, ut solis instar fulgeat, illa admirabundorum hominum, & Angelorum voces mereatur, digna, cui Superi, atque inferi acclament : *Quæ est ista, quæ progreditur, &c.* Digna, quam velut singulare quoddam prodigium attoniti prædicent, & in cœlum laudibus vehant. *Nyssen. in vit. Abrah. 41. b. 6.*

XXIV. Est & alia historia in sacra Scriptura proposito nostro accommoda ; Etenim Spiritus Sanctus, qui Hagiographorum movit, & direxit calamos, totus est in vaccis quibusdam nobis commendandis, animalibus cæteroquin, prout constat, stolidis, ut proinde illis Apostolus dicat : *Nunquid de bobus DEO est cura* ? cùm enim Philisthæi Arcam plaustro novo superimposuissent, eidem trahendo duas admoverunt vaccas. Ibant autem in directum vaccæ per viam, quæ ducit Bethsames, & itinere uno gradiebantur, & pergentes & mugientes, & non declinabant, neque ad dexteram, neque sinistram, ob quam in gradiendo constantiam & stabilitatem, *Mansi disc. 1. n. 3.*

litatem, absque eo, quod retrospicerent; licèt vitulos suos mugientes audirent, dignæ æstimatæ sunt, quæ in Sacrificium divinæ Majestati offerrentur, & excitato ex lignis plaustri, quod traxerant, igne concremarentur. Omnia autem in figura contingebant illis. Etenim in Arca, quam vaccæ super plaustrum deducebant, reclusæ erant divinæ Legis tabulæ; Animalia autem hæc, quæ arcam hanc, absque eo, quòd retrogrederentur, aut retrospicerent, portabant, illos præfigurabant fideles, qui constanter & perseveranter, non respicientes retrò, humeris sub præceptorum Evangelicorum jugum submissis gradiuntur in Bethsames; id est, in veram solis illius civitatem, qui tribus radijs seu luminibus in una luce resplendet.

Ibidem disc. 4. n. 5. XXV. Sponsa in sacris Canticis (per quam Ecclesia figurabatur) de cœlesti sponso suo ait: *Crura illius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas*; ex quibus verbis deduci posse videtur, tam caput, quàm plantas Sponsi aureas fuisse, nam paulò antè eadem Sponsa dixerat: *Caput ejus aurum optimum.* Ergone viliorem, & infirmam corporis partem, qualis pes est, qui sordes & immunditias continuò tangit, & calcat, à Sponsa per instinctum Spiritus sancti ex eodem metallo concretam fuisse dicit, ex quo caput factum fuerat? Ergone tam caput, quàm pedes aurei sunt? Omninò, ita se res habet, sed omnia in figura. Per caput enim aureum principium operis boni ex amore DEI eliciti, & in gratia DEI facti intelligitur; Quando verò in anima hæc capitis & pedum mutua relatio, & correspondentia reperitur, certum nobis æternæ prædestinationis signum ab eadem insinuatur, quia qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.

TITVLVS LIX.

DE POENITENTIA. NON PROCRASTINANDA.

§. I.

EX S. SCRIPTVRA.

Eccli. 5. 8. I. On tardes converti ad Dominum; & ne differas de die in diem; subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.

Luc. 14. 5. II. Cujus vestrum asinus aut bos in puteum cadet, & non continuò extrahet illum?

Prov. c. 1. 24. III. Vocavi, & renuistis: extendi manum meam, & non fuit, qui aspiceret. Despexistis omne consilium meum; & increpationes meas neglexistis. Ego quoque in interitu vestro ridebo; & subsannabo, cùm vobis id, quod timebatis, advenerit.

Eccles. c. 7. 18. IV. Ne impiè agas multùm, ne moriaris in tempore non tuo.

Ad Gal. c. 6. 7. V. Nolite errare, Deus non irridetur; quæ enim seminaverit homo, hæc & metet.

Eccli. c. 3. 27. VI. Cor durum habebit malè in novissimo.

Prov. c. 1. 28. VII. Tunc invocabunt me, & non exaudiam: manè consurgent, & non invenient me: eò quòd exosam habuerint disciplinam, & timorem Domini non susceperint, nec acquieverint consilio meo, & detraxerint universæ correptioni meæ.

2. Cor. 6. Ad Rom. c. 13. 12. VIII. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. Abijciamus ergo opera tenebrarum, & induamus arma lucis, sicut in die honestè ambulemus.

IX. Nescit homo finem suum: sed sicut pisces capiuntur hamo, & sicut aves laqueo comprehenduntur, sic capiuntur homines in tempore malo, cùm eis extemplò supervenerit. Eccl. 9. 12.

X. Si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. Deut. c. 23. 21.

XI. Verterunt ad me tergum, & non faciem, & in tempore afflictionis suæ dicent: Surge, & libera nos. Ubi sunt Dij tui, quos fecisti tibi? surgant, & liberent te in die afflictionis tuæ. Jerem. c. 2. 27.

XII. Hodie si vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda vestra. Et isti non cognoverunt vias meas: ut iuravi in ira mea, si introibunt in requiem meam. Psalm. 94. 8. & 11.

XIII. Panis ejus in utero illius vertetur in fel aspidum intrinsecus. Job. c. 20. 14.

XIV. Non demoreris in errore impiorum: ante mortem confitere. A mortuo quasi nihil, perit confessio. Confiteberis vivens, vivus & sanus confiteberis, & laudabis Deum, & gloriaberis in miserationibus illius. Eccli. c. 17. 26.

XV. De propitiato peccato noli esse sine metu, neque adijcias peccatum super peccatum. Et ne dicas: Miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur; misericordia enim & ira ab illo citò proximant, & in peccatores respicit ira illius. Quæ verba Paulus de Palatio ita exponit: Miseratio Domini magna est, non ut adijcias peccata, sed Eccli. 5. 5.

ut remittenda credas, si ampliùs ea non committere decreveris.

§. II.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

I. NOs peccata velociter quidem promptóque animo committimus, pigrè verò postmodum ac serò pœnitentiam agimus.

S. Basil. ho. 8. in divit. avar.

II. Conversionem, pœnitentiámque differre, est tempus non solùm infructuosè, imò & vitiosè expendere, spiritualia lucra negligere; hoc est, profectum in omni gratia & virtute, in multiplicatione meritorum, in incremento cælestium præmiorum impedire, propriam animam vitiis lacerare, dæmonibus deservire, Deo altissimo prorsus ingratum existere, qui conversionem iniqui tam misericorditer præstolatur, qui eis pro malis tot bona largitur, & ipsum ad meliora hortatur, qui in seipso infinitæ est bonitatis, sanctitatis, ac dignitatis, ut solo ejus amore debeamus ad honorificentiam, & amorem ejus allici, & accendi.

Dionys. Carthus. Opusc. de conv. pecc. a. 2.

III. Sine me, quæso, inquis, utar carne ad perfruendas res turpes, voluter in cæno voluptatum, sanguine imbuam manus, diripiam aliena; peierabo, mentiar, & tunc pœnitentiam, ubi abstinuero à malis, agam. At si bona res est peccatum, tuere, ac tene hoc usque in finem: sin verò ei, qui illud perpetrat, noxium est, quid rebus pernitiosis adhæscis? Num putas, Deum non videre, quæ aguntur? Num non percipit tuas cogitationes? Num opem fert tuis iniquitatibus? Ingenti te scelere adstrinxisti, inquit ille, eò quòd existimaris, me tui similem fore. Tu cùm mortalis viri amicitiam ambis, beneficiis illum ad te, dicendo, & faciendo, quibus intellexeris hominem gaudere, allicis; At quando cum Deo coniungi, ac in numerum filiorum te recipi vis, ea, quæ inimica sunt Deo, perpetrans, & legem transcendendo ignominiâ ipsum afficiens, ex his quibus ipsum vel maximè offendis, coniunctionem, & consortium speras? Vide, ne redemptioni studendo, malorum multitudinem tibi coacerves, ac peccatum aggreges, nec tamen veniam impetres.

S. Basil. orat. de pœn.

IV. Timeamus, ne, dum redemptionis ac veniæ spe multa vitia nobis colligimus, ita peccatum aggeramus, ut remissionem interim non consequamur. Quandoquidem navis majus mercium pondus aliquousque suffert, ultra modum autem onerata deprimitur, aquisque obruitur. Caveamus, ne, cùm similia ijs, atque adeò veniâ maiora & graviora flagitia perpetraverimus, antequam speratos portus respicere queamus, naufragium faciamus.

S. Antonin. p. 2. tit. 9. c. 19. §. 1.

V. Cùm Esau de venatu rediisset, & cognovisset, quòd Iacob benedictionem, quam ipse expectabat, accepisset, vehementer doluit, & flevit, quòd & antea primogenita, & nunc benedictionem perdidisset, sed licèt ubertim fleret, tamen pœnitentiæ locum non invenit, per quam primogenita, quæ dudum vendiderat, recuperaret, ipse sumeret, quia serò flevit, & serò pœnitentiam quæsivit. Sic & vos præcavete, ne, cùm post mortem debetis recipere benedictionem, reprobemini, & locum pœnitentiæ tunc non inveniatis, si modò primatum vestræ dignitatis propter brevem aliquam delectationem perdideritis. Tardè enim in illo sæculo quæritur pœnitentia, cùm jam fratres nostros benedictionem, quàm sperabamus, accepisse cognovimus, & nos sine benedictione relictos esse; Nunc enim tempus est pœnitentiæ, non tunc.

S. Ansel. ap. Mansi. tr. 81. disc. 5. n. 5.

VI. Erit eis verbum Domini: *Manda, remanda*, scilicet aliquam commoditatem: *Exspecta, reexspecta*, me scilicet ad pœnitentiam: *Modicum ibi, modicum ibi*, ut vadant, & cadant retrorsùm. Non enim videt, qui cadit retrorsùm, quòd cadit, & lethaliter cadit, sicut Heli ex tali casu mortuus. Unde dicitur Eccl. 29. *Repromissio nequissima perdit.* Repromissio, scilicet cogitatio, quâ peccator pluries promittit sibi longam vitam, tanquam esset de ea certus, & ex qua disponit multa facere in mundo, & propter mundum, & inter cætera etiam pœnitere. Ista est nequam, nequior, & nequissima. Nequam siquidem est ista repromissio, quia sibi usurpat peccator hoc, quod est proprium Dei, scilicet de futurò disponere; nam dicit Christus. Actor. 1. *Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate.* Bernardus contra talem de futuro præsumentem ait: quid de futuro miser tam temerariè præsumis, tanquam Pater tempora & momenta in tuâ, non in suâ posuerit potestate? Nequior est ista repromissio; quia tempus infiniti valoris sibi à DEO datum fatuè expendit, & cum hoc præsumit, quod adhuc sit ei daturus spatium & gratiam pœnitendi. Nequissima est, quia non solùm tempus datum perdidit, sed & in contumeliam Creatoris convertit, & uti disponit.

S. Antonin. l. 2.

VII. Amat mortem, qui vitæ præcepta non servat; & horret vitam, qui peccata morti debita desperatâ mente frequentat; ut enim per observantiam legis vita acquiritur, ita per contemptum mors à contumacibus invenitur.

S. Chrys. ho. 7. in Vet.

VIII. Datur quidem etiam in extremis pœnitentia, quia non potest denegari. Sed Authores tamen esse non possumus, quòd, qui sic petierit, mereatur absolvi. Quomodo pœnitentiam agere possit, qui nulla jam pro se opera satisfactionis operari potest? Et ideo pœnitentia, quæ ab infirmo petitur, infirma est; pœnitentia, quæ à moriente tantùm petitur, timeo, ne & ipsa moriatur.

S. August. ser. 57. de temp.

IX. Salubris conversio duplici ratione consistit, si nec pœnitentia sperantem, nec spes deserat pœnitentem, ac per hoc, si ex toto corde quisquam renunciet peccato suo, & toto corde spem ponat remissionis in Deo; etenim nonnunquam aut spem pœnitenti homini Diabolus adimit, aut speranti pœnitentiam tollit; unum, dum onerat, comprimit; alterum, dum elevat, deijcit.

S. Fulgent. ad ep. 7. c. 5.

X. In-

Idem l. 2. de remiss. pecc. X. *Judicium sine misericordia illi fiet, qui non fecerit misericordiam*; Ordo autem misericordiæ continet, ut misericordiam, quam homo impendere iubetur alteri, priùs exhibeat sibi, dicente scriptura Eccl. 30. v. 34. *Miserere animæ tuæ; placens Deo.* Proinde si quis placere non vult, animæ suæ misericordiam denegat, & qui animæ suæ misericordiam in præsenti sæculo noluerit donare, nullâtenus misericordiam apud Deum poterit invenire.

S. Chrysol. serm. 18. XI. Medicus non vulneri, sed curæ proficit, & saluti; Nec putredini, nec morbis, sed soli congaudet ille sanitati. Ita & DEUS, qui pro magnitudine vulneris, adhibuit magnitudinem, vigorémque medicinæ, & nec peccato, sed homini largitus est gratiam, nec ad multiplicanda, sed ad delenda delicta, imbrem suæ pietatis effudit. Nemo sic de ægritudine gratuletur, ut velit in vulnere permanere. Ingratus medico, inimicus est curæ, qui semper curari æstuat, nec unquam desiderat hîc sanari, & ita DEI gratiam suis cupit exuberare peccatis, ut sibi cupiat peccata cumulari.

S. August. tr. 33. in Jo. XII. Intendant, qui amant in Domino Mansuetudinem, timeant veritatem; Etenim dulcis, & rectus Dominus. Amas, quòd dulcis est? time, quòd rectus est. Tanquam mansuetus dixi: Tacui; sed tanquam rectus. Nunquid semper tacebo? *Misericors & miserator Dominus.* Ita planè; adhuc adde: Longanimis: adhuc adde: Et multùm misericors, sed time quòd est in novissimo: Et verax, quo enim modo sustinet peccantes, Judicaturus est contemnentes: *An divitias longanimitatis & mansuetudinis ejus contemnis, ignorans quia patientia DEI ad pœnitentiam te adducit? Tu autem secundùm duritiam cordis tui, & cor impœnitens, thesaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis justi Judicii DEI.*

Idem serm. 101. de temp. XIII. Quantò diutiùs exspectat, tantò gravius vindicat: Quando enim prolixis temporibus peccamus, & nihil mali à Domino sustinemus, patientia est, non negligentia, non ille potentiam perdidit, sed nos ad pœnitentiam reservavit.

S. Gregor. hom. 12. in Evang. XIV. Ibi jam à DEO non potest mereri, quod petit, qui hic noluit audire, quod jussit, quia qui tempus congruæ pœnitentiæ perdidit, frustra ante regni januam cum precibus venit.

S. Anton. p. 1. tit. 9. c. 13. n. 1. XV. Cùm quis moratur in peccato, diabolus non multùm eum impugnat, qui suus est; sed cùm perpendit, quòd velit recedere ab eo per pœnitentiam, multùm repugnat, & quidem tantò plùs, quantò diutius possedit, & vel maximè in articulo mortis, quia scit se amplius tempus non habere.

Innoc. III. serm. 1. de Adv. XVI. Justo DEI judicio fit, ut, quia cùm potest homo converti, & non vult; cùm vult, fortè converti non possit; Tunc enim securum est homini pœnitere, cùm potest ipse peccare.

XVII. Nihil aliud clamat dilatio, quàm ista: Regnum in me teneat peccatum, postea regnabit quoque aliquando Christus: Exhibebo membra mea arma justitiæ ad iniquitatem, deinde exhibebo etiam ea arma DEO. Sic nimirum Cain quoque sacrificium offerebat, nempe prima ac præstantiora usui suo, ac voluptati; secunda ac deteriora Creatori ac donatori DEO. *S. Basil. ap. Mansi. disc. 21.*

XVIII. Magna fatuitas ostenditur, non facere diligentiam pro anima, quam facit pro caliga: unde Bernardus. O nimia insania hominum, pudet sordes abstergere, scilicet per confessionem, & non pudet contrahere; abstergitur caliga, scilicet à luto, & contemnitur anima, & manifestum est, quòd non solùm in capite anni abstergatur caliga à luto, sed quasi quotidie, ne corrodatur à luto. *S. Antonin. l. c.*

XIX. Sed multis, inquis, dedit DEUS privilegium, ut in ultima senectute confiterentur. Quid igitur? Nunquid & tibi dabit? Fortasse dabit, inquis: Cur dicis, fortasse? Contingit aliquando: sed cogita, quòd de anima deliberas. *S. Chrysost. hom. 22. in 2. ad Cor.*

XX. Quando homo peccare potens pœnitet, & vitam suam vivens ab omni crimine corrigit, sine dubitatione, quando ei mors advenerit, ad æternam perveniet requiem; qui autem malè vivit, & in morte pœnitentiam agit, sicut damnatio illius est incerta, ita & remissio illius dubia, qui ergo securus cupit esse in morte de indulgentia, in sanitate pœnitentiam agat, & in sanitate peccata sua lugeat. Igitur quia miseratio DEI occulta est, sine intermissione flere necesse est. *S. Bernard. serm. 17. de modo benè viv.*

XXI. Tu homo sæpius inter ista omnia considera, si justum est, ut per totam vitam tuam vitiis & peccatis servias, & ad acquirendam vitam jam semivivus assurgas. Nunquid tibi hoc fieri vis à servo tuo, ut quamdiu fortis ac iuvenis fuerit, inimicis tuis serviat; & cùm ad senectam venerit, tunc ad tuum servitium redire velit? quod ergo non vis pati à servo tuo, non est justum, ut facias Domino tuo: cùm tamen multos noverimus, cùm sani essent, & frequenter dixisse, pœnitentiam se toto corde desiderare, sed tamen quia illam statim agere noluerunt, sine ipsius remedio de hoc seculo recesserunt. *S. Cæsar. Arelat. homil. 6.*

§. III.

EXEMPLA SACRA.

I. S. Mater Ecclesia in sacris ritibus suis à Spiritu Sancto directa S. Paulum speciali prærogativâ honorat, dum ipsi soli inter multos alios hoc attribuit privilegium, ut ejus conversionem solemni quadam festivitate celebret, cujus Mysterium Dionysius Carthusianus in sermone quodam de hoc festo his verbis exponit. Mirabilissima fuit tam repentina & integra mutatio mentis & voluntatis ipsius; subitò enim postquam ad cognoscendam veritatem per lucem cœlitus delapsam in- *Mansi tr. 81. disc. 1. n. 4.*

interiùs illuminatus fuit (*circumfulsit eum lux de cœlo*:) claves animæ suæ Christo, tanquam absoluto Domino suo & Patrono, statim consignavit, ipsique voluntatis suæ donum est impertitus, dicendo: *Domine, quid me vis facere?* Audite, quidnam ipsemet de hac sua repentina conversione Galathis scribat: *Cùm autem placuit ei, qui me segregavit ex utero matris meæ, & vocavit per gratiam suam, ut revelaret filium suum in me, ut evangelizarem illum in gentibus, continuò non acquievi carni & sanguini &c.* ubi observanda est dictio illa, *continuò.* Per hanc enim indicat, quòd ne momentum quidem temporis prætereire permiserit, quin Christo ipsum ad conversionem suam invitanti promptissimè responderet: quia igitur Ecclesia in institutione hujus Festi præcipuè fructum intendit, qui ex illo in fideles redundare potest (siquidem, ut S. Bernardus dicebat: ut quid sanctis laus nostra? bonorum nostrorum non egent) hinc est, quòd hujus sancti potiùs, quàm aliorum celebret conversionem, ut omnibus Christianis exemplo sit, & stimulum addat, ut ad imitationem ipsius, ne momento quidem temporis ad DEUM converti tardemus. Quòd si Ecclesia de conversione S. Augustini Officium instituisset, vel festivitatem, nequaquam indè tantam accipere potuissemus utilitatem, & exemplaritatem, quantam ex conversione S. Pauli: Etenim, S. Antoninus de S. Augustino ita scribit: de tarditate ad conversionem accusabat se Augustinus in libro Confessionum, dicens: Non erat, quod responderem tibi (scilicet DEO) dicenti mihi: surge, qui dormis, scilicet in peccatis, nisi verba somnolenta, & lento modo, cras, cras: sine modò, sine paululùm; sed illud modò non habebat modum, & illud paululùm ibat in longum.

Dionys. Carthus. in spec. de amat. mund. II. Dionysius Carthusianus, de quodam defuncto scribit, illum ex divina dispensatione alteri apparentem, ad nostram eruditionem, in memorabilia hæc prorupisse verba: O cras, cras! quàm longam restim mihi fecisti, & in baratrum mortis me procrastinando traxisti!

Mansi disc. 6. n. 5. III. In thomo 2. libri, cui titulus est; mortes peccatorum pessimæ, sequens narratur factum, quod hoc nostro sæculo in persona cujusdam Marchionis Parisiis contigit, qui, dum se interiùs ad societatem JESU amplectendam moveri sentiret, jamque omnino quidem hanc vocationem exequi reipsa decrevisset; mundum tamen deserere vix valens, propositum hoc exequi de die in diem procrastinavit; quid verò ei tandem acciderit, ex ipsiusmet authoris verbis clariùs & distinctiùs intelligere non pigeat: Infelix turpi se, dum præceps in mortem currit, vitæ, vitiorùmque captivum dedidit servituti; quia verò vocanti DEO cordis januam clauserat, ædium quoque suarum, (ne Religiosorum hominum voces, monitáque illuc se infunderent) militari custodiâ adhibitâ, fores clausit, illud imprimis suis mandans, ne ullum Societatis JESU hominem, qui se alloqui vellet, intus admitterent. Quoniam verò *non est sapientia, non est prudentia contra DEUM*, hominúmque cogitationes Altissimus salutis cupidus, non secùs ac manifestè deliras, è cœlo respicit, subsannátque: dum miser à negotiis sociísque liber atque expeditus, solus per diem in remotiori cubiculo manet, en tibi duo dictæ Religionis viri in cubiculum extemplò intrant, hominem amicè salutant, qui ab eo per humaniter, etsi per simulationem excepti, ubi divinis de rebus cum ipso verba fecère, nonnulla in rem salubriter adjicientes monita, è loco jam discessuri hæc addiderunt: Tuæ jam, tuæ, inquiunt, negotium animæ, dum per tempus vacat, seriò posthac, constantérque agita, neque ad DEI voces infelix adeò obsurdescas; quibus dictis se ab ejus oculis statim proripiunt, vir interim, cui inexspectatus adeò, inopinatúsque Religiosorum hominum adventus, ac sermo item de cœlestibus parùm gratus fuit, militem, quem suis custodiendis ædibus præfecerat, ad se vocatum acerbis verbis increpat, incusátque, quòd se invito ac nolente, intra domesticos lares, atque ad sui insuper conspectum admiserit. Obstupuit miles, utpote sibi de re fideliter gestâ conscius, adeóque, quicquid herus amarulento animo dixit, nedum ægrè tulit, sed & somnium aut fabulam credidit, id unum pro omnimoda sui excusatione asserens, quòd ab ostio domûs ne latum quidem unguem recesserat, & quòd Religiosos, quos ille meminerat, non vidisset, jurejurando affirmans: Dominus verò rem totam mendacio confici, & se à famulo decipi arbitratus, quantocyus ad societatis JESU Collegium quendam certum hominem mittit, num aliqui inde ex Patribus in domum suam venissent, exploraturus. Certior verò eorundem Patrum testimonio redditus ad se è loco neminem divertisse, haud quicquam viso divinitùs objecto proficiens, parùmque salutis providus, omnem prorsus unà cum verbis ab animo sui curam, & à corde metum excussit, adeò, ut ante actorum oblitus, domo egressus, curru per urbem recreandi animi causâ excurreret. At suis miser impendentem cervicibus, quem admonitus præcavere noluit, ultionis gladium, intellexit. Armatos quippe homines casu per viam offendit, qui districtis irruentes gladiis hominem confecere; Unico namque ictu is, cui propria parùm cordi salus steterat, in corde percussus, nullo Sacramentorum remedio revelatus, & absque ulla salutis spe, illico humi exanimis cecidit; sic qui DEI voces audire neglexit, & DEO cordis ostium pulsanti pertinacissimè clausit, à cœlo demum & DEI regno exclusus, uti perditus, in exteriores tenebras projectus est.

IV. Stupendum exemplum accidit in Catalonia diebus nostris in civitate prope Valentiam de juvene quasi decem & octo annorum, qui *S. Bernardin. tom. 2. 17. in Dom. 2. Quadr.*

qui parentibus inobediens latro & criminosus effectus, propter mala sua opera captus, & patibulo suspensus fuit: Jámque illo defuncto, & adhuc in patibulo pendente, cùm esset omnino imberbis, vidente ac mirante cuncto populo paulatim emittit barbam, mutat faciem, capilli capitis pendent, gradatim senescens, ac canens, usque ad decrepitam senectutem, & quasi nonaginta annorum ætatem ostendens, cuncto populo admirabilis factus est; cucurrit ad miraculum Episcopus cum universo Clero, & cuncto quasi civitatis populo; stupent omnes, ignorant mysterium, exspectant ejus revelari secretum. Surgit in loco eminenti Episcopus doctus, manúque silentium indicens, turbæ ait: viri, fratres, & filii mei dilecti, nostis juvenem hunc, quâ culpa, quâ vita, quâ etiam ætate interiit; Conspicite eum nunc ætate senem, decrepitum, atque canum, ut intelligatis per hoc patens judicium DEI, quòd huic diu victuro, à DEO misericorditer propter sua crimina, & parentum inobedientiam abbreviata est vita, ut verificetur illud Psalmi: Viri sanguinum: & dolosi, non dimidiabunt dies suos. Quod si igitur inobedientia parentibus carnalibus exhibita id effecit, ut DEUS huic impio notabiliter vitam decurtârit, quantò magis vitam abbreviatam merebitur, quisquis erga illum Patrem contumax & rebellis existit, quem quotidie his verbis invocamus - *Pater noster, qui es in cœlis*, quíque de nobis lamentatur dicens: *Vocavi, & renuistis, despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis?*

Bzovius in ann. 1276. n. 17. V. In regno Poloniæ miles quidam, in proprios subditos juxta ac in externos impius, & sævus, de vita futura nihil pensi gerens, cùm assiduis prævaricationibus in DEUM, confiteri, & pœnitere pro ludibrio ducens, iras in se cœlestium coacervasset, in gravem incidit languorem, sed ne tunc quidem scelerum conscientia pertactus, quidquam sibi de impetranda propitiatione divina, ratus se supervicturum, & suas transgressiones resumpturum, prospexit. Invalescente tandem morbo, fratres Prædicatores per consortem illius, pro sananda mente ægri acciti, militem ad pœnitendum multifariè per salutaria monita inducebant, quibus miser homo commotus; seriùs, inquit, me ad pœnitentiam impellitis, seriùs confessionem judicato, & jam damnato persuaderis, cùm pœnitentiæ & gratiæ tempore elapso, confessionis & pœnitendi spatio mihi subrepto, justo DEI judicio in potestatem traditus sim spirituum tenebrarum. Urgentibus deinde majori instantiâ ægrum fratribus, ne quâ desperatione commissorum facinorum à confitendo & pœnitendo abstraheretur, spem divinam, si confiteri & pœnitere vellet, pollicentibus, extremam edidit vocem: Frustra, inquit, urgetis de confitendo monita, proprio damnato arbitrio, & jam in Dæmonum potestate consistenti, à quo cum catervis superimminentibus torquendus, & flagellandus jam appetor. Audite illicò sunt percussiones horrendæ, ictus horrendi, & atrocissimo ex sonitu & collisione, atque ex reciprocatione flagellationum verbera, & in ægri corporis livore plagæ, vulneráque à Fratribus circumstantibus visibiliter ab invisibilibus tortoribus illata, conspecta. Inter quæ ille infelix execrandus nec vocem, nec gemitum edens, miserabiliter exspiravit. In quæ B. Augustini sermo, pro divino oraculo cuilibet peregrinanti retinendus impletus est. Hæc est, inquit justissima lex DEI, ut qui vivendo obliviscebatur DEI, moriendo obliviscatur sui.

VI. Insignis quidam; fidéque dignissimus Author sequens refert exemplum: Toleti in Hispania nobilis adolescens ante annos non adeò multos, ignobilem sanè, & vel sanguineis deplorandam lacrymis, vitæ suæ clausulam imposuit. Exuto religionis suscipiendæ consilio, quod aliquando secum deliberârat, Canonicum induit. Et initio quidem officio suo functus est non illaudabili industriâ. Sed quemadmodum cerea Juventus facilis est ad omnem ductum, ita improvidus homo nactus pessimos ductores, presso vestigio secutus fuit præeuntes ad vitia; Tandem & ipse factus aliorum antesignanus ad scelera non mediocria, duxit sequentes: Miserum juvenem! si putabat turpitudines suas, aut citiùs abscondi sub toga serica, aut speciosiùs palliari; sed tandem sicut DEUM habuit inspectorem suæ improbitatis, ita & vindicem expertus est; Nam brevi eum febricula expedivit, jussítque ad plures ire, sive sub terra in cinere suo fatiscentes mortuos, sive ad ipsos Erebi incolas, magnum infelicissimæ societatis numerum. Audi, O bone, & obstupesce, non tantùm vim, robúrque imbibitæ semel impietatis, sed etiam severi Numinis formitanda judicia. Vix rumor urbem pervasit de morbo Canonici, jam passim à probris suis insolentiâque infamis. Cùm Toletanus Ecclesiastes ægrum adit, monétque, ut conscientiam excutiat, erratorúmque semper periculoso onere sese levet. Negare ille ejus rei necessitatem tunc esse; si ægritudo accreverit, memorem fore animum datæ admonitionis. Interim medicus pone assistens, nescio ex quibus signis deprehenderit, mortem intra paucu- *Rebentner in Prom. l. 4. §. 1. n. 25.*
las horas adfuturam. Quare consternatus Ecclesiastes, magis cœpit instare, etiam divini judicii interposito rigore. Ubi verò æthiopem se lavare vidit, cubili egressus, nobiles, quos obvios sibi habuit, familiares decumbentis, in partem laboris sanctissimi vocat; Jamque omnes hominem Christiani officii, in eo discriminis articulo commonefaciunt: sed nullo effectu. Adest iterum Medicus, iterúmque vicinum nunciat periculum; post horam actum fore cum vita ægrotantis.

Itaque Ecclesiastes, cæterique lecto circumfusi, maxima, quâ possunt, vehementiâ contendunt, ut salutarem Canonico morituriенti dolorem persuadeant, scelerumque ex præscripto divinæ legis faciendam confessionem: Sed neque tunc quidem proficiunt, asserente ægro, periculum remotius esse, quàm ipsi arbitrentur. Mox obmutuit miser, & ratione turbatâ nihil ampliùs pro sano egit. Ergo desperatis jam propè rebus, opem à Numine implorandam censuit Ecclesiastes, simulque apprehensâ Christi è cruce pendentis effigie, Psalmum *de profundis* exorsus est, jámque ad illa venerat Davidis verba: *Fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ*, cùm ecce tibi, lignea imago, totâ præsentium coronâ inspectante, brachia ad crucem fixa resolvit, & utrâque manu aures obserans, formidabilem hanc vocem misit: *Quia vocavi te, & renuisti, ego quoque in interitu tuo ridebo.* Fulmen hoc fuit, quod ubi ab imagine jactum est, infelicem animam ex corpore scelerati juvenis in tartarum deturbavit. Unde hoc loco juvat memorare illam S. Bernardi sententiam: quanta est hæc injuria, & quam graviter vindicanda, cùm vilissimus vermis clamantem ad se audire dedignatur Creatorem universitatis!

Vita Thom. Mori, c. 34. VII. In vita Thomæ Mori, Regni Anglicani Magni Cancellarii, & Martyris, sequens impii cujusdam legitur exemplum, in Tom. 1. lib. 2. cap. 13. operis, quod Mortes peccatorum pessimæ, intitulatur, his verbis recensitum: Rogabant amici amicè hominem, ut maturaret ad meliorem mentem redire, sed responsum aliud non tulerunt, quàm plenum illud vanissimâ præsumptione, cùm migrandum hinc fuerit, tribus se verbulis DEUM ad clementiam expugnaturum, & cœlum exoraturum. Verùm res aliter cecidit, cùm enim postea equitando transiret, in ponte fluvium, & improvidum pedem equus impingeret saxo, unà secum sessorem Herum in subjectam aquam effudit. Jam miserando casu præcipitabatur eques, cùm subitò, ubi periculum animadvertit, sensitque intra fluctus non siccâ se morte occubiturum, contentissimo nisu clamavit tria novissima verba. Et quæ illa? utique quibus salutem, & astra momento uno apud DEUM impetraret, quemadmodum jactaverat non semel, facturum se in ultimo vitæ discrimine? Dixerit itaque cum Regio vate: *Miserere mei DEUS:* Aut illud: *Tibi soli peccavi*; vel cum publicano: *DEUS propitius esto:* sed heu! de sceleribus suis, de cœlo, de DEO altum servavit silentium, illud unum ingeminavit; Rapiat omnia Dæmon. Ita miserum sua memoria destituit, & cum deberet in eo casu tria salutis verba dicere, tria desperationis protulit, tractus inter vortices ad eum, quem vocibus ultimis compellavit.

Mansf. disc. in 4. n. 7. VIII. In historica Anglicanà, ab Episcopo Cæsar-Augustano conscripta legitur, juvenem quendam lascivis moribus totaliter deditum, dum ad mortem usque infirmaretur, multis cum lacrymis, veræque compunctionis signis Sacrosanctæ Confessionis, & Communionis recepisse Sacramenta, idque tali cum devotione, ut omnes astantes compuncti fuerint, mortémque ejus adeò quoad exteriorem apparentiam, sanctam summopere fuerint demirati. Idem verò juvenis post mortem cuidam amicorum suorum apparuit, & quidem in specie tam horribili, ut vel hæc sola miserabilem æternæ damnationis suæ statum prodere potuisset. Quem amicus ejus sciscitabatur dicens: Eheu! numquid in articulo mortis tuæ multa edidisti veræ compunctionis signa? Nullus fuit inter astantes, qui tuam pœnitentiam veram, & salutarem fuisse non judicaret. Nunquid in majori copia fuerunt lacrymæ tuæ, quàm peccata tua fuerint? Nunquid Sacramentorum fructû recepisti? Subjecit miserabilis juvenis: verè quidem ita est, Pœnitentia mea & Contritio valida fuit & vera, sed me jam quasi in Dei manibus positurum spiritum, cogitatio levis lasciviæ agreditur, cui ut semper assentiri consueveram, sic tunc quasi coactus assensum præbui, & obii, & me in tartara præcipitavi.

Spe corrupt. v. convers. 4. IX. In Perusino monasterio, sancti videlicet Salvatoris, cui nuper & ipse præfui, quidam Monachus paulò ante fuerat, nomine Cunizo, astutus nimis & calidus, secularibus argumentis ac litigiosis contentionibus vehementer intentus. Hic itaque dum & immutandis Abbatibus, & Fratribus perturbandis æstuans non quiesceret, ad hoc usque pervenit, ut Diaboli ad superandos æmulos patrocinium quæreret, & ejus se ditioni etiam corporaliter manciparet: cui tamen seductor spiritus exigenti antè promisit, quòd tertio die priùs, quàm moreretur, suum exitum sibi nunciaret. Credidit infelix, & diu postmodum vivens, ita sub hac deceptoria securitate permansit. Tandem in ægritudinem lapso adest fidejussor iniquus, & post triduum futurum, sicut spoponderat, obitum notificat. Protinus advocatis ille fratribus cuncta hæc, quæ cum nequissimo pepigerat spiritu, per ordinem narrat; cúmque illi instarent; dicentes: esto confessus, age pœnitentiam repentè ille obdormivit, & sive pulsantibus, sive clamantibus, evigilare non poterat. Si verò illi conticescerent, vel aliud quid præter pœnitentiam loqui vellent, mox ille experrefactus invicem loquebatur: sed rursus audito nomine pœnitentiæ protinus obrigescebat insensibili sopore correptus, donec horrendæ morti traditus, ad eum cui devotionem fecerat, sit infeliciter devolutus. Postmodum verò per plures noctes nigra canum turma non cessavit sepulturæ ejus assistere, & quasi depositum custodire, ita ut non minimo videntes horrore concuterentur. Ex Petro Damiano.

S. Beda in gest. Angl. l. 15.

X. S. Beda in gestis Anglorum inter alia sic loquitur : Novi etiam fratrem quendam (quem utinam non novissem ! cujus nomen etiam, si hoc aliquid prodesset, dicere possem) positum in monasterio nobili, quamvis vitâ ignobili, & ipsum ignobiliter viventem; corripiebatur quidem sedulò à fratribus ac maioribus loci, atque ad castigatiorem vitam converti admonebatur ; & quamvis eos audire noluisset, tolerabatur tamen ab eis longanimiter ob necessitatem operum ipsius exteriorum (erat enim fabrili arte singularis) serviebat autem multùm ebrietati, & cæteris vitæ remissioris illecebris, magisque in officina sua die noctúque residere, quàm ad psallendum atque orandum in Ecclesia, audiendúmque cum fratribus verbum vitæ concurrere consueverat. Unde accidit illi, quod solet dicere quidam, quia qui non vult Ecclesiæ januam sponte humiliatus ingredi, necesse habet januam inferni non sponte damnatus introduci. Percussus enim languore, atque ad extrema perductus, vocavit fratres, & multùm mœrens, ac damnato similis cæpit narrare, quia videret inferos apertos & satanam demersum in profundum tartari : Caipham quoque cum cæteris, qui occiderunt Dominum, juxta eum flammis ultricibus traditum. In quorum vicinio, inquit, heu misero mihi ! locum conspicio æternæ perditionis esse præparatum. Audientes hæc fratres cœperunt diligenter exhortari, ut vel tunc positus adhuc in corpore pœnitentiam ageret, Respondit ille desperans : non est mihi tempus mutandi vitam, cùm ipse viderim judicium meum jam esse completum. Talia dicens, sine viatico salutis obiit, & corpus ejus ultimis est Monasterij locis humatum, neque aliqui pro eo missas facere, vel psalmos cantare, vel saltem orare præsumebant. O quàm grandi distantia divisit Deus lucem & tenebras! Beatus Protomartyr Stephanus passurus mortem pro veritate, vidit cælos apertos, vidit Gloriam Dei, Iesum stantem à dextris Dei, &, ubi erat futurus ipse post mortem, ibi oculos mentis ante mortem, quò lætior occumberet, misit. At contrà, faber iste tenebrosæ mentis & actionis, imminente morte vidit tartara, vidit damnationem Diaboli, & sequacium ejus, vidit etiam suum infelix inter tales carcerem, quò miserabilius ipse desperatâ salute periret, sed viventibus qui hæc cognovissent, causam salutis suâ perditione relinqueret. Factum est hoc nùper in Provincia Bernaçorum, ac longè latéque diffamatum, multos ad agendam & non differendam scelerum suorum pœnitudinem provocavit. Quod utinam ex hac etiam nostrarum lectione literarum fiat.

Spec. Ex. V. pœnit. ex. 11.

XI. Magister Ioannes de Villa Abbatis Sabinensis Episcopus Cardinalis dicit, quòd fuit quidam fænerator, quem cùm moneret Sacerdos ejus ad pœnitentiam, semper dicebat : Bene adhuc faciam : Et cùm improbo instaret Sacerdos videns periculum, ille subitò rapitur, quasi mortuus, & cùm rediret statim, & adhuc instaret Sacerdos, clamavit æger : O pœnitentia, ubi es ? de cætero pœnitere non valeo, hoc indicante iusto Iudice, quia dum facere pœnitentiam potui, non volui. Et hoc dicens mortuus est. Ioannes Algrini de Abbatis Villa, Ordinis D. Benedict. Episc. & Cardinalis.

§. IV.

SIMILITUDINES.

I. Thom. Valisn. Mansi. trast. 8 n. 5.

I. Sicut fermentatam massam azymam reddere, difficilimum est, ita carnem & mentem fermento peccatorum, & amurcâ vitiorum infectam, in pristinam restitui munditiam, solius DEI opus est. Peccator unius diei, aut duorum dierum persacilè curatur, quia non ita omnino peccato infectus est, sed quatriduanus vix unquam à peccato resurgit.

Mansi. disc. 9. n. 7.

II. Sicut, licet omnes aliæ aviculæ cantum suum habeant, quo viatores demulcent, corvus semper crocitat *cras, cras*, idque vel maximè, dum putridis bestiarum cadaveribus & morticiniis insidet ; Ita quoque major pars obstinatorum peccatorum, qui de die in diem, de anno in annum pœnitentiam differunt, ideo præcipuè hoc faciunt, quia totum suum affectum in desideriis carnalibus positum habent, ideóque à cœlo abhorrent, & nauseant ; seminant in carne, & de carne metunt corruptionem.

S. Bonav. in diat. salut.

III. Sicut piscis in retibus se agitando, ampliùs involvit, & avis plùs ambulans per virgam inviscatam, fortiùs se capit ; sic peccator magis elongatur à DEO, & strictiùs illaqueatur à Diabolo, quia de tali dicitur : Tenebitur planta illius laqueo.

§. V.

MOTIVA.

Bellovac. spec. mor. dist. 2. l. 1. §. 6.

I. *Quia procrastinatio talis valde periculosa est*, nam qui converti differt, iniquus est in DEUM : Job. 31. *Iniquitas maxima, & tentatio contra DEUM est, osculari manum suam*, scilicet blandiri sibi de opere suo malo, & differre conversionem. Iniquus est in DEUM ; Primò, quia in esca ejus fel ponit, scilicet dilationem in bono. Secundò, quia illud, quod maximè odit Dominus, ante oculos ejus gerit. Tertiò, quia eum misericorditer vocantem contemnit. Quartò, quia patrem misericordem dies moræ suæ computantem, suâ tarditate affligit. Tob. 9. *Scis, quia dies computat pater meus, & si tardavero unâ die plùs, contristabitur anima ejus.* Quintò, quia Diabolo meliorem, DEO deteriorem partem vitæ suæ tribuit : Illi florem, DEO fæces. Sextò. DEI misericordiam in damnationem suam convertit, scilicet

licet hoc, quòd sperat, quòd eum DEUS misericorditer debet expectare, ipse econtrà ei incessanter repugnat. Rom 2. *Ignoras, quòd benignitas DEI ad pœnitentiam te adducit? Tu autem secundum duritiam & impœnitens cor tuum, thesaurizas tibi iram*, hoc est, de misericordia DEI congregas tibi malitiam peccatorum. Septimò. In Angelum est impius, quem de exspectatione gaudii, quod sperat de ejus conversione, affligit. Prov. 13. *Spes, quæ differtur affligit animam*; quia ad monitionem se non Corrigit, sed eam potiùs contemnit, quia apud DEUM irreverenter se gerit. Octavò. Iniquè agit contra seipsum, quem potiùs vult habere malum, quàm bonum; infirmum, quàm sanum; servum, quàm liberum; Mortuum, quàm vivum; In statu latronis, quàm Regis; Pauperem, quàm divitem: Et omnium bonorum Ecclesiasticorum expertem, quàm participem, & consortem dæmonum potiùs, quàm angelorum.

Mansi disc. 14. n. 4. II. *Quia gravissima damna infert*, de quibus Josephus Mansi sic discurrit: Tametsi per divinam revelationem infallibilem, & indubitatam de facienda in articulo mortis pœnitentia, & de assecurandâ æternâ tuâ salute certus, & securus esses, nullo tamen modo ad illud usque tempus tuam deberes procrastinare conversionem, ob multa damna, quæ inde resultant, non solùm lucri cessantis, sed & damni emergentis; Et quidem damnum lucri cessantis pateris, quia in decursu multorum annorum vitam agens vitiosam, & in gratia DEI constitutus, ingens comparaturus esses pro cœlo acquirendo, multorum insignium meritorum lucrum: Unde si animæ beatæ in cœlis alicujus essent capaces tristitiæ, hæc sine dubio vel maxima foret, quòd scilicet non plùs laboraverint tempore vitæ suæ mortalis, ut hac ratione sublimiori in cœlis fruerentur beatitudine. Præterea summum in mundo sibi comparare potuissent honorem, juxta illud: *Nimis honorati sunt amici tui, DEUS.* Pateris quoque jacturam per damnum emergens, quia quando culpa in articulo mortis dimittitur, pœna in flammis purgantibus ad expiandam culpam sustinenda nihilominus residua manet; præterquam quòd damnum notabilissimum sit illud, de quo illi, licèt incassùm, lamentabantur peccatores dicentes: *Lassati sumus in via iniquitatis; ambulavimus vias difficiles, Justitiæ lumen non luxit nobis.*

S. Chrysost. ho. 69. III. *Quia periculum in mora est*, ut sapienter advertit S. Chrysostomus dicens: sepelire Patrem discipulis vetuit, & non permisit Dominus. Atqui nulla res tam necessaria videtur, quàm sepeliendi patris officium: Christus autem non permisit: Quamobrem? paratus semper Diabolus est, ut ingressum ubique attentè quærit, & si parvæ tarditatis causam apprehenderit, magnam indè conflabit desidiam.

Cæsarius Arel. ho. 7. IV. *Quia in extremum salutis discrimen ducit*; uti Cæsarius his verbis indicavit: In ipsis vulneribus & fracturis corporum, infirmitates cognoscere possumus, & animarum; si enim alicui pes frangatur, aut manus, cum labore solet ad pristinum officium revocari: si verò secundò & tertiò frequentiùs in eodem loco membra ipsa frangantur, potest intelligere charitas vestra, cum quantis doloribus vulnera ipsa curanda sint: Et tamen post longas & multas curas, si vixerit homo, ad pristinum statum membra ipsa vix valent revocari; similis ratio in animarum fracturis, seu vulneribus credenda est: si semel aliquis, vel secundò peccaverit, & sine aliqua dissimulatione ad pœnitentiæ medicamentum confugerit, pristinam incolumitatem sine mora aliqua recipiet; si verò peccata peccatis cœperit addere, & animarum vulnera tegendo, vel defendendo putrescere, quæ confitendo & pœnitentiam agendo curare noluit, timendam est, ne illud impleatur, quod Apostolus dixit: *An ignoras, quòd benignitas DEI, &c.* Hinc rectè monet S. Augustinus: Nemo nec post centum peccata, nec post mille crimina, de misericordia divina desperet: Sic tamen non desperet, ut fine ulla mora DEUM sibi repropitiari festinet, ne fortè si consuetudinem peccandi fecerit, etiamsi velit de Diaboli laqueis liberari, non possit. S. Aug. 1. de temp.

Mansi disc. 13. n. 7. V. *Quia numerum peccatorum à DEO ad reprobationem prædefinitum citiùs impleri facit*; nam certum est, DEUM uniuscujusque omnes enumerâsse passus & gressus, quibus à divinorum præceptorum suorum semita deviavit; dicente patientiæ speculo: *Tu quidem gressus meos dinumerasti*; Paulò pòst clariùs inquit: *Signasti quasi in sacculo delicta mea*: Divina enim justitia certum quendam limitavit peccatorum præfixum numerum, ad quem usque tolerare vult impium, filum vitæ ipsius detruncaturus, mox ut ad illum peccatorum numerum impius pervenerit; Unde apud S. Jobum spiritus sanctus ait: *usque huc venies, & non procedes ampliùs, & hic confringes tumentes fluctus tuos*: Cùm igitur, ad quem usque peccatorum numerum, DEUS nos exspectare decreverit, ignoremus, meritò de unoquoque peccato, quod futurum sit ultimum, timendum nobis erit.

Hugo de S. Vict. VI. *Quia licèt pœnitentibus venia, non tamen perinde etiam pœnitendi gratia promissa est*, uti rectè Hugo de S. Victore cum aliis advertit dicens: Ego scripturam audio dicentem, *quia in quacunque hora ingemuerit peccator, salvus erit.* Ezech. 33. Non dicit biduo, aut biennio ante mortem si ingemuerit, sed in quacunque hora ingemuerit, salvus erit; At verò mox paulò pòst subjungit: Nec tamen sub hac spe securè tibi peccandum est, propterea quòd in fine, si conversus fueris, salus tibi promittitur. Nam quamvis etiam tunc venia tibi, si verè pœnitueris, promittatur, non tamen tibi, ut tunc verè pœnitere debeas, promittitur, valde difficile est, ut tunc vera sit pœnitentia.

Dion. Carth. a. 12 de convers. pecc. VII. *Quia omnes SS. Patres, & sapientes viri talem procrastinationem dissuadent.* De quo motivo sic discurrit Dionysius Carthus: Huic materia acquiescendum est prudentibus, & exper-

expertis in illa materia. Cùm ergo ipsemet Dominus noster JESUS Christus, Sapientia DEI Patris, & magni consilii Angelus, & universi sancti ipsius Apostoli; & Prophetæ; & sancti doctores hanc pœnitentiæ dilationem omnino dissuadeant, concorditer reprobent; ac vehementer condemnent, certum est, quòd stultissimum & iniquum sit, pœnitentiam sic differre. S. Augustinus in homilia quadam ita scribit: Audiant omnes verba scripturæ divinæ. O male dilator, O Crastini malè appetitor, audi dominum dicentem, audi scripturam sanctam prædicentem. De isto loco speculator sum. *Ne tardes converti ad dominum; neque differas de die in diem; subitò enim veniet ira ejus, & in tempore vindictæ disperdet te.* Nunquid ego scripsi hoc? Nunquid ego delere illud possum? Si delevero, timeo deleri; illud possum tacere. Timeo tacere. Prædicare cogor, territus terreo. Nunquid igitur manifesta est stultitia, proprio potiùs credere velle judicio, quàm claris & indubitatis sacrarum litterarum, omnium Sanctorum Patrum, Theologorum, Magistrorúmque spiritualium decisionibus.

S. Aug. h. 7 i ad FF.

VIII. *Quia cùm omnia, quæ usurpamus in vita, bona esse velimus, ante omnia decet, ut bonam etiam vitam habere velimus*, uti præclarè indicat S. Augustinus sic discurrens; Fortè dicis: longa erit vita mea: dico; si longa erit, bona sit; si brevis & ipsa bona sit; Prandium, etsi longum, non vis habere malum; Et vitam longam vis habere malam? Villam emis? bonam desideras; Uxorem vis ducere? bonam quæris? filios tibi nasci bonos optas; Et ut etiam de rebus vilissimis loquar; caligas emis, & non vis malas; quid ergo vitam amas malam? Si vitam vis malam, inter omnia bona tua eris malus.

§. VI.

MEDIA.

Mans. disc. 16. n. 1.

I. *Bene ponderare circumstantias mortis, nè illuc usque differatur emendatio vitæ*; in illo enim articulo in iis, qui malè vixerint, illud adimplebitur: *Coangustabunt te inimici tui, &c.* Qui enim unquam sunt humanæ animæ majores inimici, quàm maligni spiritus? qui animam à corpore exeuntem obsident; quam in carnis amore positam, deceptoriis delectationibus fovent, quam vallo circumdant, quia ante mentis ejus oculos reductis iniquitatibus, quas perpetravit, hanc ad societatem suæ damnationis trahentes coarctant. Animam coangustant undique, quando ei non solùm operis, verùm etiam locutionis, atque insuper cogitationis iniquitates replicant, ut quæ priùs se per multa dilatavit in scelere, ad extremum de omnibus angustetur in retributione. Quæ omnia confirmans, & succinctiùs proponens S. Gregorius: quàm angustæ, inquit, viæ erunt undique reprobis? superiùs erit Judex iratus, subtùs horrendum chaos, à dextris peccata accusantia, à sinistris infinita dæmonia ad infernum trahentia, intus conscientia urens: Miser peccator sic deprehensus, quò effugiet?

S. Gregor. ibid. cit.

II. *Benè ponderare causas, ob quas dilata conversio tam difficilis censetur*, quas quidem Bellovacensis breviter sic exponit: difficilior est conversio dilata, propter causas duodecim: Primò propter malæ consuetudinis indurationem. Secundò propter malitiæ occupationem, quæ est tinctura mala, in qua cùm pannus diu mansit, non potest de facili recipere alium contrarium colorem. Tertiò facit ad hoc bonorum naturalium consumptio. Quartò vasis cordis longa infectio. Quintò peccatorum longa & assidua oneratio. Sextò elongatio à DEO, qui difficilius audit clamantem, difficiliùs potest redire ad eum. Septimò cura circa mortem est maximè difficilis, propter solicitudinem de rerum & domûs dispositione. Octavò, quia justum est, ut in fine à DEO contemnetur, qui eum contempsit, quamdiu vixit. Nonò, quia tunc Diabolus magis insidiatur; & tunc magis paratur contra eum. Decimò, amaritudo diuturnæ infirmitatis, quæ tunc maximè sentitur, scilicet veteris peccati, quod facit bona desipere. Undecimò, amaritudo memoriæ mortis, quæ separat à præsentibus bonis. Duodecimò, timenda est dilatio conversionis usq; ad finem, maximè propter malorũ diversorũ occasionem, quæ concurrunt, & incurrunt circa mortem, quæ ducit hominum in boni oblivionem, propter malorum oppressionem; vel etiam in desperationem. Quæ omnia pariter confirmans Taulerus, sic loquitur: Conversio dilata difficilis est, propter tria. Primò, quia quantò aliquis diutiùs manet in peccato, tantò erit major pœna peccati: Unde S. Hieronymus: quantò autem major est numerus temporum, quibus obliviscimur DEUM, tantò erit major pœna peccati. Secundò, quia quantò aliquis diutiùs manet in peccato, tantò ampliùs oneratur à peccatis; Unde S. Augustinus: perseverare in peccato, dat augmentum scelerum; Et Gregorius: Peccatum, quod per pœnitentiam non diluitur, mox suo pondere ad aliud trahit, ideo difficiliùs surgit; qui ergo non surgit oneratus parùm, quomodo surget, quando multùm? Tertiò, quia homo circa mortem habet multa impedimenta, videlicet de dispositione domûs, & filiorum; de infirmitate, quæ non permittit eum cogitare de anima sua; Sicut dicit Hieronymus: Dum infirmitate opprimeris, nil aliud cogitare potes, quàm quod sentis; Propter hoc Augustinus dicebat: Pœnitentiam scio, nec laudo, nec vitupero: Nam morbus urget, pœna terret, filii & uxor, quos illicitè diligit, & mundus eum ad se vocat; & sæpe ex divino judicio hoc accidit homini; quòd moriens obliviscatur sui, qui dum viveret, oblitus est DEI.

Bellovac. l. 3. spec. dist. 2.

Tauler. de Christ. Ib. stat.

III. *Benè ponderare, quàm difficile sit, in casu necessitatis verum actum contritionis elicere*, quam quidem difficultatem fat clarè S. Bernardinus sequentibus verbis ostendit: Claret igitur ex jam dictis, quòd durum & arduum

S. Bernardin. to. 1. s. 13. a. 2. c. 1.

duum est, quòd talis DEUM super omnia amet, quem antea super omnia odiebat. Exempli causa; si quis foret cordialis amicus Regis Granatæ, naturaliter tamen subditus Regi Aragoniæ, & faveret juxta posse Regi Granatæ, atque noceret toto conamine Regi Arragoniæ, & in hac inimicitia perseveraret per quatuor annos, & superveniret casus, quòd Rex Aragoniæ caperet eum, multisque cruciatibus torqueret illum, nonne quasi impossibile esset, & incredibile, quòd captus talis verteret amorem ad Regem Aragoniæ, totóque corde eum diligeret super cunctos homines totius orbis, super socios, super amicos, super filios, & cœteros consanguineos suos? Insuper addatur, quòd eum specialiter diligeret, quia eum captum teneret, & cruciaret, & è converso averteret amorem suum à Rege Granatæ, & illum odiret super omnes homines mundi, quem tamen priùs dilexit, nullámque causam dederit ei de novo odio generando. Sic utique in proposito esset de Rege vero, Domino JESU Christo, & ejus adversario infernali, atque homine peccatore in extremis agente prædicto modo. Detur etiam in exemplum alter, qui in furto à quodam justo judice comprehensus est, perseveravítque longo tempore in furando, finaliter justâ sententiâ condemnatur ad mortem, ducitur ad patibulum, quod ante se conspiciens lacrymabiliter veniam poscit, dicens, non se imposterum similia patraturum; Quis existimabit hoc illum dicturum amore reipublicæ, vel justi Domini, aut Judicis, & non potiùs timore, atque pavore mortis? Sic est in proposito de eo, quem pœnitet in extremis? Quod ipsum Josephus Mansi aptè sequenti discursu declarat: Explicemus, inquit, idipsum pulchrâ quadam, omnibúsque notâ similitudine: sit enim v. g. servus aliquis emptitius, contumax, infidelis, suóque Domino rebellis, qui post fugam à Domino suo factus captivus, ab eodem cum omni severitate flagellaretur, & torqueretur; crederésne, quòd talis sub flagellis & livoribus totum corpus occupantibus constitutus, Dominum suum vehementissimo cordis affectu amaturus esset? utique potiùs crederes, quòd illum mortali prosecuturus esset odio, licèt exteriùs fidelia ipsi servitia promittat. Si enim priùs, quàm tam sævis verberibus à Domino suo affectus fuerat, illum non amavit, sed ab ejus servitute declinare & fugere voluit, quantò magìs idipsum nunc faciet, quando se in procinctu mortis constitutum videt, scitque pro certo, quòd si supervixerit, flagella, ferrum & compedes ipsi sine dubio sint duplicandi? Enimverò peccator est hic servus, qui amissâ verâ filiorum DEI libertate, à jugo divinæ legis se subducere molitur; Vadam post amatores meos, &c. DEUS autem post longam patientiam, infidelitatem ejus per hanc vel illam infirmitatem mortalem, vel per hoc vel illud lethale vulnus, unde sibi moriendum esse videt, castigat, & flagellat, ipse verò quia se sub tam sævis flagellis constitutum cernit, fidelem deinceps ipsi per omnem vitam servitutem exhibere promittit, licèt eum anteà contempserit, & vatiniano odio prosecutus fuerit; Credamúsne, quòd talis se in limine inferni positum esse, & à DEO justè castigari cernens, eundem sit amaturus? Nequaquam, illum quidem timebit, sed timor hic servilis ad ejus salutem non sufficit. Etenim si, quando per tot annos sibi beneficus fuit, indulgendo sanitatem, divitias, honores, delicias, cunctásque alias prosperitates temporales, illum nihilominus non amavit, sed obstinatissimus ejus inimicus fuit, & ad omnes ejus voces surdus, credísne, quòd ille tunc, quando sub virga positus est, odium in benevolentiam & amorem sit mutaturus? Si id credis, graviter erras. Hinc rectè S. Bernardus, lapsus ex voluntate, inquit, non ex æquè ex voluntate resurgere jam liberum habet; quia etsi datum fuit voluntati, posse stare, ne caderet, non tamen resurgere, si caderet, non enim tam facilè quis valet exire de fovea, quàm facile in eam labi. *S. Bern. de grad. & libero arbit.*

§. VII.

MISCELLANEA ET CONCEPTUS PRÆDICABILES.

I. DEUS per prophetam Isaiam comminatur; *Ponam eam in possessionem Ericii.* Porrò Ericius, quando in lucem editurus est suos fœtus, metuens, ne à fœtuum suorum spinis transfigatur, quantùm potest, & valet, parturire differt, sed non intelligit, quòd hoc faciendo majus sibi ipsi damnum inferat, quia quantò longiùs differt, tantò magis pungentes fœtuum suorum spinæ crescunt, & indurantur. Idem quoque multis contingit, qui conversionem suam procrastinant, metuentes, ne vitæ pœnitentis rigores subire debeant, nec tamen cogitant, quòd, quantò ampliùs pœnitentiam prolongant, tantò magìs peccata in ipso multiplicentur, & crescant, simúlque cum ipsis nascatur ingens ab omni pietate & virtute aversio, & nausea. Theophilactus de Zacheo inquit: Talia promittens, imò faciens; Non enim dixit: *Dabo dimidium, & reddam quadruplum*, sed: *ecce do, & reddo.* Audierat enim Salomonis admonitionem: *Ne dicas, rediens redi, & cras dabo.* Christus evangelizat ei salutem: Hodie enim, inquit, das, hodie tibi & salus. *Mansi disc. 3. n. 5.*

II. Nautæ postquam in littore diu ventum expectarunt navigationi suæ favorabilem, mox ut illum exurgere vident, sine mora vela pandunt, & à littore solvunt, séque itineri proposito accingunt, ne bonam navigandi occasionem negligant; quòd si enim diutiùs morarentur, tempus utique commodum, ventúmque propitium cum manifesto naufragandi periculo amitterent. De hac vita no- *Ibid. n. 7.*

stra

ſtra ſcribitur : *Hoc mare magnum & ſpatioſum &c.* Per hoc autem mare trajiciendum nobis eſt, ut appellamus ad vitæ beatæ portum; At verò ſine favorabili divinæ gratiæ vento, ad fortunata illa littora appellere, eſt impoſſibile; Atque ideo mox, ut hæc hominem aſpirare incipit, ſine ulla interpoſita dilatione vela affectuum noſtrorum explicare oportet, quia cœleſtis hic ventus ſpirat per modum tranſeuntis, non permanentis, nec habemus illum ad beneplacitum, & ad libitum noſtrum, & ideo illo utendum eſt, quando DEO illum nobis communicare placuerit; Siquidem fieri poteſt, quòd deinceps non ampliùs ſpiret, quia ſpiritus, ubi vult, ſpirat, ſed neſcis, unde veniat, aut quô vadat. Et ideo niſi ſanctas ejus ſequamur inſpirationes, meritò periclitabimur de naufragio, dicetúrque nobis; quod olim DEUS per Sapientem lamentabatur inquiens: *Vocavi, & renuiſtis, extendi manum meam, & non fuit, qui aſpiceret, deſpexiſtis omne conſilium meum*, id eſt, ut Dionyſius Carthuſianus interpretatur: Vocavi, id eſt, variis modis ad emendationem & pœnitentiam vos invitavi, ac monui per inſtinctum divinum, per Evangelicas inſpirationes, per Apoſtolos & Prophetas, per Prælatos, & Prædicatores, ac proximos virtuoſos. *Extendi manum meam*, beneficia largiendo, & per adverſa paternè caſtigando: Poteſtatem meam demonſtravi in vobis, per proſpera & adverſa, quatenus per proſpera vos ad obſequium meum allicerem, & meâ charitate accenderem; per adverſa, ut terrerem, & illuſtrarem, eò quòd vexatio vobis intellectum conferret. Juxta illud Jerem. 30. *Caſtigabo te in judicio, ut non tibi videaris innoxius*; At verò, quia hæc anima propitio huic vento vela non explicavit, juſtè naufragari meruit; Unde ſubditur: *Ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo, cùm vobis id, quod timebatis, advenerit, cùm irruerit repentina calamitas, & interitus quaſi tempeſtas ingruerit.*

Ibid. n. 8. III. Cœlum verno quoque tempore rorem ſuum ſuper vaſtiſſimam maris diſtillat ſuperficiem: Conchæ autem eodem tempore ſeſe aperientes acceptas in ſinu ſuo roris ſtillas, in pretioſiſſimas tranſmutant margaritas; quæ verò ex Conchiliis ſeſe non pandunt, inanes, & gemmæ illius expertes manent, ſed propriâ ipſarum culpâ. Porrò divinus inſpirationum, gratiarúmque cœleſtium ros, ex parte ſua in animas noſtras influere non deſinit: *quia charitas DEI diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis.* Unde S. Eccleſia DEUM his verbis frequenter interpellat: *Sancti Spiritus, Domine, corda noſtra mundet infuſio, & ſui roris intimâ aſperſione fœcundet*; At verò quid fit? Animæ illæ, quæ ſinum, & cor ſuum diſtillanti aperiunt, illúmque excipiunt, nec bonam ſinunt ſibi elabi occaſionem, egregiè locupletantur, at verò quæ tardæ ſunt & pigræ, gratiæ cœleſtis expertes manent, cum irreparabili ipſius quoque gloriæ amiſſæ damno.

IV. Piſcis, Remora dictus, hunc habet admirabilem naturæ ſuæ inſtinctum, ut vaſtiſſima quæque navigia explicatis undique velis navigantia, immobiliter hærere faciat, non tamen hanc habet poteſtatem, ut ventum aliquem favorabilem excitare poſſit; navium curſum tardare poteſt, non verò velociter illas movere; ita pariter liberum hominis arbitrium, DEI inſpirationibus reſiſtere poteſt, verùm ut illæ nobis inſpirentur, in ejus non eſt poſitum facultate, nec de hoc ſibi quicquam poteſt compromittere; ſpiritus, ubi, vult, ſpirat, nec ejus motiones à noſtra dependent voluntate, ſed ab ejus liberalitate, & beneplacito; ac proinde neceſſum eſt, ut promptè DEI inſpirationes acceptemus, quamprimùm nobis immittuntur. *Idem diſc. 1. n. 7.*

V. Celebris eſt illa Iſaiæ, æternæ reprobationis pœnam comminantis prophetia: Ait enim: *Væ, qui trahitis iniquitatem in funiculis!* ubi de iis loquitur, qui, ut effrænes appetitus ſuos diutiùs explere poſſint, converſionem ſuam de die in diem differunt. Nam ut S. Iſidorus ait: Trahit iniquitatem ut funiculum, qui tardat converti ad DEUM, trahere enim iniquitatem, eſt moram facere iniquitati; unde & Pſalmiſta ait: *Prolongaverunt iniquitatem ſuam.* At verò quodnam hi tales indè referunt ſupplicium? Pſalmiſta immediatè ſubjungit: *Dominus juſtus concidit cervices peccatorum.* Ubi notanda eſt dictio *cervices*: quia cùm tales ſæpius invitati & vocati ſemper reſiſtant, optimè illis convenit, quòd incredulis & obſtinatis Judæis S. Protomartyr Stephanus his verbis improperavit: *Durâ cervice, & incircumciſis cordibus, vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis.* *Idem diſc. 6. n. 8.*

VI. Jairus Archiſynagogus tam præclarum habebat de omnipotentia Salvatoris conceptum, ut de reſuſcitatione filiæ ſuæ nec quicquam dubitaret: *Procidit ad pedes ejus, & deprecabatur eum multùm, dicens: quoniam filia mea in extremis eſt; veni, impone manum ſuper eam, ut ſalva ſit, & vivat:* Imò S. Matthæus Archiſynagogum Chriſto filiam ſuam jam mortuam annuntiaſſe dicit: *Filia mea modò defuncta eſt.* & tamen ſpem firmam habuiſſe, quòd ab eo revocanda iterum eſſet ad vitam: Econtra verò S. Martha, licèt frequenter Chriſtum recipiebat hoſpitio, ejúſque fides adeò eſſet eximia, ut, teſte S. Joanne, ad Chriſtum dixerit: *Ego credidi, quia tu es Chriſtus, filius DEI vivi, qui in hunc mundum veniſti*; ac denique licèt Chriſtum innumera, prodigioſa etiam in reſuſcitatione mortuorum, patraſſe miracula ſciret, Nihilominus fratris ſui Lazari reſuſcitationem vix & ne vix quidem ſperare audebat, ideóque pro illius quantumvis à Chriſto magnopere dilecti reſuſcitatione non ſupplicabat. Quamnam hujus cauſam fuiſſe dicemus? Num fortè id facere omiſit ex defectu fidei erga divinum hunc ſuum Magiſtrum? Aut verò in eâ defectus fuit compaſſionis & dilectionis erga dilectum fratrem ſuum? Nihil horum. Sed difficultatem hanc *Idem diſc. 8. n. 6.*

hanc verba illa: *quatriduanus est, jam fœtet*, plenariè solvunt. Filius porro viduæ Naimiticæ, præterquam quòd jam jam recenter mortuus fuerat, adolescens etiamnum erat: *Adolescens, tibi dico surge*: Filia pariter Archisynagogi iuvencula erat: *& surrexit puella*: atque insuper vix ante horam è vivis excesserat: Hi autem duo mortui illas designant animas, quæ non diu in morte peccati hæserunt: his enim prompto remedio succurrere, easque ad vitam gratiæ resuscitare facile est, at verò Lazarus peccatorem habituatum, & in malis peccandi consuetudinibus inveteratum præfigurabat: qui, ut ad vitam revocentur, omnipotentia & misericordia Dei interveniat, necessum est; siquidem duritiam & obstinationem peccatoris vincere difficillimum est. Alios duos mortuos summa cum facilitate vitæ restituit: *Tenuit manum ejus, & surrexit puella: Adolescens tibi dico, surge; & resedit, qui erat mortuus.* At verò in resuscitatione Lazari ipsemet in persona ad sepulchrum accedere voluit: atque insuper lachrimatus est Iesus: fremens in semetipso venit ad monumentum: *infremuit spiritu*, & turbavit seipsum: *Iesus autem elevatis sursum oculis dixit: Pater gratias ago tibi, quia tu semper audisti me: voce magna clamavit: Tollite lapidem, Lazare veni foras, solvite eum &c.* quonam obsecro spectant hæ tot, & tam notabiles hujus resuscitationis circumstantiæ? Respondeo; resuscitatio Lazari conversionem animæ in peccatis inveteratæ præfigurabat, ad quam perficiendam necessaria sunt miracula, quia talis jam mortuus est à corde, in vitiis & peccatis sepultus, ut ait. S. Thomas à Villa Nova.

Idem disc. 25. n. 2. VII. Dux aliquis bellicus civitatem hostilem obsidens, inducias quidem pro aliquo tempore cum eâdem inibit, ut se ad capitulandum secum resolvat, & cum pactis conditionibus sese tradat: At verò si obstinata fuerit, obsidionem urgebit, machinis militaribus eandem concutiet, cuniculos aget, sicque tandem violentiâ manu eandem invadens, deprædabitur illam, & igne conflagrabit, terram sanguine inundari faciet, muros demolietur, totámque civitatem in miserabilem quendam lapidum acervum rediget. Idem prorsus sæpenumero mysticæ animæ civitati contingit, Deus enim ipsi per multos annos inducias quidem indulgebit, emendationem præstolabitur, dissimulabit, suos mittet Heroldos, & legatos, id est, sanctas suas inspirationes: qui eam ad sui deditionem inducant; At verò si obstinata permanserit, spirituum rebellium exercitum illi immittit, ut is eam in suam potestatem redigat; Hi coangustant undique, & ad terram prosternunt, eò quòd non cognoverit tempus visitationis suæ.

Idem disc. ib. n. 7. VIII. Observastisne aliquando, quisnam in toto genere humano primus fuerit, qui Deo sacrificia obtulit, num fortè Adam, vel Eva, vel Abel is fuit? Nequaquam, sed Cain, primus ille reprobus; Id quod ex sacra scriptura clarè deducitur. Cur igitur sacrificium illius à Deo acceptatum non fuit, sed repudiatum? Num fortè id contigit, quia Cain de fructibus terræ obtulit? dicente scripturâ: *Factum est, ut offerret Cain de fructibus terræ munera Domino*: nequaquam, oblatio ejus ideo reiecta fuit, dedit enim ipse in oblationem id, quod habebat, fuit autem Cain agricola, qui præter fruges terræ nil habent. *Abel* autem, qui pastor erat, *obtulit de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum*? Et tamen *respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius, ad Cain verò, & ad munera illius non respexit.* Quid igitur dicemus, quandoquidem, ut S. Paulus ait, *non est personarum acceptio apud Deum*; cùm igitur Cain priùs, quàm frater ejus, ad sacrificium offerendum permotus fuerit, sacrificium illius præ fratris sui oblatione Deo longè gratius esse debuisse, haud immeritò videri posset. Verùm enim verò ipsamet scriptura sacra dubium hoc solvit: dum ait: *Factum est autem post multos dies, ut offerret Cain munera Domino*; Ac proinde Cain typus erat illorum, qui conversionem suam in longum usque tempus procrastinant, id quod probabile est reprobationis indicium. S. Ambrosius hujus repudiationis, sacrificij à Cain oblati, duas assignat rationes, inquiens: Duplex in Cain culpa fuit, una est, quòd post dies multos obtulit; Altera, quòd non ex primis fructibus. Unde quando quis Dæmoni, mundo, & carni, primum dat ætatis suæ florem, annósque meliores, reservatis Deo ultimis vitæ fæcibus, hoc verè est imitari primum reprobum, & ad ejus imitationem vitam suam pessimo fine claudere. S. Ambrosius ibidem subdit: sacrificium & celeritate commendatur, & gratiâ, unde præceptum est: *Si voveris votum, non facias moram reddere illud.*

IX. In cap. 19. Iudicum scribitur de Levita quodam, qui, postquam cum socero suo in aliquot dies genialiter vixisset, jámque in procinctu esset, ut rediret in Patriam: Idem disc. 17. n. 1. *Dixit pater puellæ ad generum suum: quæso te, ut hodie hic maneas, pariterque lætemur*; At ille consurgens cœpit velle proficisci, & nihilominus obnixè eum socer tenuit, & apud se fecit manere. *Mane autem facto parabat Levites iter, cui ut socer rursum: Oro te, inquit, ut paululùm cibi capias, & assumptis viribus, donec increscat dies, postea proficiscaris: comederunt ergo simul; surrexitque Adolescens, ut pergeret cum uxore sua, cui rursum locutus est socer: Considera, quòd dies ad occasum declivior sit, & propinquat ad vesperam, mane apud me etiam hodie, & duc lætum diem, & cras proficisceris.* Omnia autem hæc in figura contingebant: hæc namque historia consuetudinem agendi serpentis antiqui ad vivum delineat, siquidem hic aliquos ab eius se servitute eximere, & in divinorum præceptorum viam abire, veráque filiorum Dei libertate frui velle videns, eosdem de die in diem, de septimana in septimanam morari, bonúmque illorum propositum procrastinare

ſtinare fecit, Prout S. Baſilius Magnus his verbis vivaciter exponit, inquiens: Criminator ille ſapiens eſt ad mala perpetranda: Videt nos homines in diem vivere, videt omnem actionem noſtram, juxta id, quod inſtat, peragi, ideo hodiernum diem per fraudem nobis abripiens, ſpem nobis craſtini relinquit; ſiquidem peccatum hodie committere non cogit, juſtitiam tamen in craſtinum ut reſervemus, perſuadet; Deinde ubi craſtinus dies illuceſcit, rurſum accedit iniquus ille partium diviſor, & hodiernum diem ſibi ipſi cedere expedit, craſtinum verò Domino ut tribuamus concedit, atque hac ratione ſanè nos, præſens nimirum tempus per voluptatem ſubtrahendo, futurum verò ſpei noſtræ reliquendo, ne ſentientes quidem è vita expellit.

Ibid. n. 2. X. Mercator quidam fuiſſe legitur, qui ſuper oſtium tabernæ ſeu officinæ ſuæ hæc verba majuſculis litteris inſcribi fecerat: *Hodie in hoc loco nihil venditur credito, ſed cras*; ac proinde nunquam tempus illud appropinquabat, in quo ſub credito quidpiam apud ipſum comparari poſſet, quia quocunque die veniebant emptores, ſemper eandem deprehendebant oſtii domûs ſuæ inſcriptionem. Eadem prorſus aſtutiâ ſagaciſſimus Dæmon cum peccatore utitur, cui ſemper perſuadet, hodie mihi, cras Domino; Die autem ſequenti ſupervenientè tot illum moratur illecebris, ut craſtinus dies ad ſerviendum Domino nunquam adveniat. Certum eſt autem, quòd, quanto diutius nos moratur, & à ſervitio DEI retrahit, tantò majus ſibi in nos jus poſſeſſionis acquirat, maiorique cum dominii Tyrannide nobis principetur, quia creſcunt catenæ, de quibus Eccleſia ait: Delictorum catenâ conſtringitur.

Idem diſc. 10. n. 3. XI. Romæ confraternitas S. Joannis Baptiſtæ hoc habet privilegium, ut quendam ex malefactoribus ad patibuli ſupplicium condemnatis, è carceris liberare poſſit ergaſtulo; at verò dic mihi ſodes, nunquid fatuum iudicares illum, qui omni cum libertate homicidia, Aſſaſſinia, rapinas, proditiones, & alia capitalia ſcelera committeret ſub ſpe illa, quòd ſors liberationis ſuper illum caſura ſit, cùm tamen ſors illa ex centum reis unico duntaxat contingat? Simili prorſus modo, ſi ex eo, quòd exemplum noveris cuiusdam in extremo mortis articulo ſalvati, ſpem concipis, etiam te in eodem ultimo vitæ momento ſalvandum eſſe, cur non potiùs times, ne fortè ſis de numero illorum centum, qui damnabuntur, aut deſperati morientur? Si bene memini (verba ſunt S. Bernardi) in toto canone ſcripturarum unum latronem invenies ſic ſalvatum, noli ergo huic tam perículoſæ exſpectationi credere temetipſum.

Idem ibid. n. 6. XII. In cap. 11. Judicum de Jephte inſigni belli Duce, qui in Galaad commorabatur, inter cætera refertur, quòd præſides Regiminis nationalis ſimul congregati, eundem ſine ulla data causâ aut prævio demerito à ſe expulerint; accidit autem, quòd, dum ab Ammonitis durum illis bellum moventibus, arctàque illos obſidione cingentibus opprimerentur, nec ullum habentes à quo defenſionis expectare præſidia pôſſent, quique majorem in arte militari, quàm Jephte haberet peritiam & experientiam, illum rogare coacti fuerunt, ut ipſorum in ſe ſuſcipere dignaretur protectionem & tutelam: *Veni, & eſto princeps noſter & pugna contra filios Ammon.* At verò quodnam illos reſponſum retuliſſe exiſtimatis? Sacer textus Jephte in hunc modum reſpondiſſe ſubjungit: *Nonne vos eſtis, qui odiſtis me, & ejeciſtis de domo patris mei, & nunc veniſtis ad me neceſſitate compulſi?* Enimverò ſcire ab impijs illis percuperem, an verum ſit, quòd toties DEUM à ſe rejecerint, ejúsque divinis inſpirationibus reſtiterint, ut diabolicis ſuggeſtionibus aditum panderent? quòd ſi hoc verum eſt, quâ fronte ſe DEUM, ejúſque diſpoſitiones in ſuo habere beneplacito credere præſument? Porrò de quibus paulò antè dictum fuerat, quòd ad tantam veniſſent mentis veſaniam, ut dicere auderent: *Recede à nobis, quia ſcientiam viarum tuarum nolumus*, de illis paulò pôſt ſubditur: *ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt.* Idem timendum eſt ijs, qui quamdiu vivunt, ſurdas DEI vocibus aures præbent, & tamen DEUM in hora mortis impertinentes illorum preces exauditurum eſſe, ſibi ſtultè promittunt.

XIII. Hoc in D. Paulo commendatur, illo, inquam, quem DEUS nobis exemplum propoſuit, & ſignum peccatorum prædeſtinatorum: etenim hoc maximum eſt indicium, ſi, quàmprimum DEI vocem percipiunt, peccato renuntient, ejúſque vocationi celeres obtemperent: E contrario en tibi Pharaonem reproborum exemplar: nam illum ipſum ut talem nobis DEUS aſſignavit, ut ait D. Paul. *in hoc ipſum excitavi te, ut oſtendam in te virtutem meam &c.* quid non egit DEUS cum illo? quot voces? quot vulnera? quot flagra, quibus DEUS illum conatus eſt excitare? quâ cum illo non utitur patientiâ, quâ non benignitate? *Suſtinuit in multa patientia.* Et quid reſpondit? Maledictus erat corvus, inquit D. Aug. Habebat vocem corvinam. Perpende, qualiter Moyſes ex DEI nomine Regem accedat, libertatem populi ab eo poſtulaturus: uno & altero cædit illum flagello, quid reſpondet? *Cras, cras, cras* dimittam. O maledicte corve! cùm illa tua ſit vox, maris profundo demerſus interibis. O tales miſeris miſeriores! cras, inquit, ecce quoties dicis: *cras, cras*, factus es corvus; ecce dico tibi, cùm facis vocem corvinam, occurrit tibi ruina: nam ille corvus, cujus vocem imitaris, exiit de Arca, & non rediit. *De la Nuza bo. 18. §. 14. n. 9.*

XIV. Pone, hominem in circo eſſe, ubi ſciat, ſe nihil minùs cogitantem inopinatò à tauro ſævo invadendum, & cornibus appetendum. Si videres, quòd quis fortiſſimo clavo ſeipſum ligno affigeret, illumque repetito verbere profundiùs adigeret, & ad caput uſque imprime- *Nuza bo. 13. §. 16. n. 14.*

primeret, sciretque, se illum nullis suis viribus, nec aliter extrahere posse, nisi faber ferrarius suis adjuvet forcipibus, quem multis contumeliis onerasset, ac propterea perinsensum haberet: Si ab illo percontareris: Amice, nostin, quid agas? An nescis, quòd taurus subitò erumpet, téque invadet, & miserè inter ejus cornua peribis, cùm effugere non poteris? Si tibi responderet: Domine, nihil timeo: quia quamprimum videro taurum accurrentem, advocabo fabrum ferrarium, qui forcipibus suis instructus mihi subveniat, & cum illius favore me exsolvam, sicque aufugiam, & evadam incolumis; An non tale responsum rideres? Annon ejus in hoc clavo certum judicares interitum? stulte, quid scis, utrum taurus tibi tempus permittet, quo fabrum advoces ferrarium? Et qui nôsti, an ille advocatus venire velit, quem toties probro affecisti? Et quomodo scis, annon stabit videns, & ridens pernitiem tuam, ut quem adeo dehonestasti? Meritò hominem talem rideres, te verò ipsum multo magis ridere potes, & responsum tuum, quod dare in re simili soles: dicito mihi, charissime, an non in hujus vivis mundi stadio, in quo prosiliet mortis taurus, quando minimè putabis? *In hora qua non sperant, veniet*, ait Christus: *Cùm dixerint pax, & securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus.* Nonne vidisti, quod superiori die obijt tibi intimus adolescens, qui se immortalem putabat? Nónne mortua est puella illa venustissima, quando una ineundi matrimonij cogitatio eam vel solam, vel maximè occupatam habebat? Nónne alter è vita decessit, quando sibi videbatur arripere Episcopatum, & locum dignitatis inscendere? quid agis, O infelix, qui peccatum illud infigis uno & altero actu, unóque & altero tum die, tum anno, ictum ictui addens, in penitissimum cor usque adigis; quis te reddit securum? Cùm mihi ægrè esse sensero, ais, & periculum ex morbo imminere, ad DEUM confugiam, rogabóque illum, ut mihi eximat peccatum, & condonet, adsciscam confessarium, qui illius vices gerit, tunc inhonestæ consuetudini renuntiabo, tunc aliena restituam, tunc diligam inimicum. O Proditor, quid scis, num tibi tempus suppetet, DEUM invocandi? quid scis, utrùm venire voluerit, & suæ gratiæ forcipibus accurrere? Támne vicinum illum habes, qui nihil aliud laborasti, quàm ut te ab illo elongares, illúmque repelleres, & à te procul abijceres? An tibi tam obstrictum tenes, qui hoc unum unicè egisti, ut illum offenderes? Vide, quid dicat: *Ego in interitu vestro ridebo: cùm quæsierint me, non invenient me, &c.* Quid scis, an tempus tibi superrerit advocandi Confessarium? &c.

Ibid. § 27. n. 51. XV. Admirabilis est historia, quam narrat Spiritus sanctus in libro Judicum, & horribilia sunt verba, quæ sancta Prophetissa Debbora dixit post obtentam de Sisara victoriam. Bella movit, armáque sumpsit contra DEI populum ferus ille dux exercitûs Sisara, certamen inijt satis durum, at sibi sinistrum, quia referre pedem, & fugam capessere coactus fuit. Fugiens igitur ex prœlio & multo labore fatigatus, sitiénsque, sanctæ, prudentique occurrit mulieri Jahel in ostio sui tabernaculi, à qua frigidam siti extinguendæ poposcit, illa vero lac illi in grandi vase obtulit. Ille lassitudine, & vaporibus oppressus obdormivit. Simul hoc vidit mulier, & clavum arripiens, in tempora ejus impactum transadegit, solóque affixum reliquit: qui soporem morti consocians defecit, & mortuus est, Mater, uxorésque Sisaræ, cùm illum tardare cernerent, laborare solicitudine, & vitæ illius timere cœperunt. Una ex omnibus, quæ majorem prudentiæ existimationem habebat, sive quæ sapientior cæteris uxoribus ejus, hæc socrui verba respondit: Non est, quod hîc nos solicitas habeat; Sisara namque est strenuus Imperator, & in hoc conflictu viribus suis magnificè usus fuerit. Hæc hora est, quâ triumphat de suis hostibus, nunc lætus suâ gaudet victoriâ, & opulentam civitatis prædam inter milites suos dispertit. Forsitan nunc dividit spolia &c. Vestes diversorum colorum Sisaræ traduntur in prædam, & supellex varia ad ornanda colla congeritur. Jacebat autem interim miser clavo confixus, infaustam exhalans animam, & cum extremis mortis angustijs dimicans. Videns illum, ait Debbora: *Sic pereant omnes inimici tui Domine*! Quoties, heu quoties contingit, quòd obiit ille vir in venerem, vagámque libidinem profusus, & infandâ lue, tabóque consumptus: & ille sordibus usurarius, sanguisuga pauperum: & ille profanus, qui simplicem vitiavit virginem: & ille murmurator, qui nullam reliquit integram famam; & quia in extrema vitæ hora Crucifixum in manus accepit, & Christo in crucem olim acto dixit: *Miserere mei DEUS*: Audias amicos ejus, & cognatos dicentes: Rectâ in cœlum abiit, ut alter quidam Franciscus mortuus est, mortem obiit cujusdam Carthusiani, tanquam angelus quidam hinc decessit. Hæc est horâ, quâ festa gaudia in illâ supernâ cœlorum regiâ lætantissimè celebrat. Miser ille autem suo confixus peccato, inferorum pœnis cruciatur. Quid putas, tam leve, ac facile esse mori instar sancti Francisci, aut pij cujuspiam Carthusiani?

XVI. Nihil facilius, quàm inter rupes formari echo, quæ voces tuas quascunque reddat. *Ibid.* Non est echo vox humana, sed ei tam similis, ut qui eam audit, humanam esse arbitretur. Inter montium concava exclamas, JESUS, & quoties nomen illud pronuntias, toties idem repetunt, non quia nomen illud percipiunt (sunt enim petræ durissimæ, nec eas vox penetrat) sed quòd vox tua repercutiatur, atque ex ea formetur in illis alia vox, voci tuæ similis, quæ ad te revertitur. Ita hîc contingit. Est vir quidam corde lapideo, duro, in quo nihil penetravit, sic ut apud ipsum neque conciones, nec minæ, nec inspirationes, nec conscientiæ stimuli quidquàm valuerint. Subita eum arripit infirmitas, febris invalescit, fitque, ut animam

mam agere incipiat. Accedis illum, & inclamas: JESUS, respondet ille: JESUS. Rursum ei dicis: Maria mater gratiæ: Respondet: Maria mater gratiæ: Putásne eum hæc intelligere? Credisne hanc esse vocem humanam? Est echo, quæ vocem tuam repulsat, & ad te remittit, sic ut non eam percipiat, durities autem intùs manet, qualis antè erat.

Ibid. ps. 10. XVII. Aliam quoque ex his verbis elicere possimus considerationem: *Infixæ sunt Gentes in interitu, quem fecerunt*, sumptam ex eo, quod fit, cùm tormenta bellica clavis confixa obstruuntur. Vivit Gubernator in sua arce benè contentus, & se tutum æstimat, eò quod tormentis æneis; & Machinis fulminaribus validis est cincta, ut propterea nullum timeat inimicum, à quo obsideri queat; confidit enim, si quis veniat, quòd sua in illum explodere tormenta, & ab hac parte quibusdam, ex aliâ aliis exoneratis hostem abiget, & difflabit, totúmque in fugam vertet, & repellet exercitum. Contingit, ut illo nescio tormenta clavis fortibus obstruantur. Venit hostis, illum oppugnatum. Is ad defensionem se præparat, & ignem admovet foculo, ex quo pulvis accenditur tormentarius; & exsurgit spisa crassáque flamma, diceres ad interiora penetrâsse, glandémque summo impetu evolâsse; at cùm tormentum sit obstructum, non pervadit ignis, hæret tantummodò in illa exteriori flamma atque idcircò non extorquet, neque impellit glandem in hostem, & quia nihil contra eum moliri potest efficaciter, irrumpit adversarius, & facilè locum sibi subijcit, captivúmque ducit Gubernatorem, gloriatur. O bone Deus, quantis hoc contingit peccatoribus! quantam sibi pollicentur, fingúntque securitatem! quàm quieti, quàm incurij vivunt in sceleribus, & quàm illa committunt impavidi! Quanta cum quiete hæres in tuâ, homo lascive, profanitate, lupæ tuæ ædes ingrediens, ac egrediens? quot decurrerunt anni, quibus injusta lucra sectaris, absque omni perditionis tuæ formidine? quid illud te tam præfidentem facit? Validè munitus sum majoribus tormentis, inquis, intellectus, quo de mihi necessarijs disponam, tum liberæ voluntatis, & arbitrij, jaculis, inquam, quæ divinâ gratiâ confortata globos in hostem explodent, quibus cunctos in fugam dispergam inimicos. Intellectus ejaculabitur glandem ferventissimæ orationis cum actibus fidei, qui meritis Christi subnixi vires habent fortissimas, libera voluntas contritionem explodet amarissimam, & relictâ creaturâ, ad DEUM se ex toto corde convertet. O quàm sunt hæc fortia jacula! Explosit David ex penito pectore unicum illud, *Peccavi Domino*, & contra cunctas se potentias inferni defendit. Publicanus ille tantùm dixit, *DEUS propitius esto mihi peccatori*, & omnes dæmonis copias prostravit. *Pater, peccavi*, ajebat ille Prodigus, & res suas in tuto collocavit. Uno illo. *Domine memento mei*, quidâ latro omnes principes tenebrarum exterruit, & obstupefecit. Hoc idē ego præstabo. O te miserum! annon vides, quòd hæc tormenta nō advertens configis, & obstruis?

R. P. Lohn. Auctar. Bibl.

XVIII. *Cavete*, ait Christus, *ut non fiat fuga vestra in hyeme, vel sabbato.* Ne fugere differas in hyemem. Non loquitur (inquit D. Ambr.) de hyeme, ut est pars anni, sed de infirmitate: Hyems non temporis, sed infirmitatis; quâ sol intellectus obnubilatur, stellæ sensuum obscurantur, pluviæ dolorū pœnarúmq; imbres torrentem implent, qui alveo suo effusus, cunctos dissipet discursus, & febres excitant volutabra, quæ itinerantibus iter præcludunt? Est hyems non solis, sed mentis, quando animus frigidus illabitur, quando vapor animæ evanescit, quando solvitur vigor sensûs, quando nimius humor exundat, & mentem gravat, quando interior calligat adspectus. Plurimi conficiendi sunt passus, latissima regio percurrenda, transeundum tibi à delicijs ad dolores, à voluptate ad pœnas, ad execrationem ab amore, potentiæ pes intellectivæ plures debet gradus facere, cognoscere commissi peccati malitiam, injuriam DEO illatam, & actus fidei ergâ DEUM exercendos. Similiter & voluntas longum debet iter suscipere, spei, charitatis, detestationis tam culpæ contra Deum patratæ, quàm damni proximo illati. Ne differas in diem sabbati, diem quietis, horam mortis ultimam, quando jam sensus fatigati contabescunt; intellectus humoribus oppressus, qui caput conturbant, victus succumbet. Lethargiâ voluntas obdormiscet quasi seipsam movere non valens; infirmata concidet, dissolutione & fortissimâ pusillanimitate obruta elanguescet: Mementote (ait D. Gregor. ad concionis suæ epilogum) quid veritas dicat: *Orate, ne fiat fuga vestra hyeme, vel sabbato*, Per legis quippe mandatum, ambulare longiùs sabbato non non licet. Hyems quoque ad ambulandum impedimento est, quia gressus ambulantium torpor frigoris adstringit. Ait ergo: *Orate, ne fiat fuga vestra hyeme vel sabbato.* Ac si apertè dicat: Videte, ne tunc quæratis potentiâ vestra fugere, quando jam non licet; modò debet cogitari, dum licet; illa hora nostri exitûs est semper intuenda, ista Redemptoris nostri admonitio ante mentis oculos semper est ponenda, qui ait: *Vigilate itaque, quia nescitis diem, neque horam.* Ibid.

XIX. In eo, quòd Dominus ait, non differendam fugam ab inimicis in sabbatum, alludere videtur ad illud, quod ipse decreverat, quando populo de cœlo pluit Manna in alimoniam, & victum quotidianum. Præcepit enim Moysi, ut cunctum populum præmoneret; quoniam sabbatum dies esset quietis, nemo differret colligere Manna in suæ necessitatis usum usque in diem sabbati, futurum enim, ut illo die non inveniretur, sed præcedenti, nempe Veneris die, colligerent: *Requies sabbati sanctificata est Domino, hodie quodcumque operandum est; facite.* Qui obedientes fuerunt, & ita fecerunt, ut Moyses dixerat, fuit illis abundè provisum. Erant autem & aliqui parùm creduli, qui dicerent: Ibid.

etas quoque dabitur opportunitas, licèt enim sit dies quietis, licet nihilominùs nobis de cibo Manna providere, & se delusos viderunt, egressi quippe ut colligerent Manna, non invenerunt: *Veniteque septima dies, & egressi de populo non invenerunt, sed vacui domum redierunt.* Conceptus est hic D.Gregorii Nysseni. O mortis hora, tempùsque infirmitatis! hoc enim dicitur dies quietis; constat etenim nihil tum temporis ita desiderare ægrù, quàm parùm quiescere, ad hoc attenditur, ut dormiat, ob hoc submovent strepitum, domum, familiàmque omnem compescunt, ob hoc iniungunt tempora, ut capiate quietem infirmus possit. Noli quæso, in illam horam differre curam colligendorum eorum, quæ sint animæ tuæ necessaria: fieri enim potest, ut ea non invenias, vacuùsque redire cogaris: *Quærite Dominum, dum inveniri potest, invocate eum, dum propè est.* Interim, dum sani sunt animæ pedes, intellectus, sensus, voluntas; quære DEUM, tuúmque subsidium. Interim, dum vales Judicio, memoriâ recenti, sensibus integris, DEUM invoca: si enim differas, usque dum omnia obtundantur, tuque magis quietem optabis, quàm ad labores idoneus fueris, maximoperè periclitaberis.

Ibidem. XX. Digna est circumstantia, quam Spiritus sanctus memorat in morte Saulis. Prælium iniit hic rex contra Philisthæos, at sinistro Marte, cúmque vidisset fusum, dissipatúmque suum exercitum, irruens super gladium suum; seipsum interemit. Aderat tunc ibi adolescens, qui arbitratus, Davidi jucundum fore, si persecutoris sui acerbissimi necem intelligeret (per quam scilicet regni quietam posset inire possessionem) tulit de capite Saul regium diadema, armillámque auream de brachio, tradiditque David, & ait: *Domine mi, Saul mortuus est.* Unde nosti: *Indè scio, quia præsens adfui, & sum ego is, qui illum prorsus confeci. Fortuitò veni in montem Gelboe, & vidi Saulem irruisse in gladium suum, & suo volutari in sanguine, & acerbissimis afflictari doloribus. Vidit me, &, ut potuit, advocavit, & interrogavit, quisnam es tu? & ajo ad eum; Amalecites ego sum. Tunc ille porrò ultra: cum igitur me tot cernas vulneribus confossum cum proxima morte confligere, sta super me, & interfice me; à vita mea me simul, & panis absolve. Stansque super eum, occidi illum &c. & tuli diadema, quod erat in capite ejus, & armillam de brachio illius, & attuli ad Dominum meum huc.* Movet hic dubium Philo. Quis illuc adduxit Amalecitem illum? Bellum sæviebat contra Philisthæos, quid inter eos negotii illi Amalecitæ, cujus jam Saul omnem perdiderat memoriam? Ulterius, ad quid accurit Amalecites in hora mortis extrema Saulis? Quis eum coram adduxit? deinde, cur ab eo quærit Saul: quisnam es tu? cùm qualislibet aptus esset, ut ei vitam adimeret, Chananæus licet, aut Pherezæus &c. Altum hìc latet mysterium, ait Philo, & scire debemus, quòd, licèt adolescens indicârit, se casu illuc venisse, verumtamen DEO non fuit fortuitum, qui summo consilio disponit, quod nobis videtur fortuitum. Res est, quòd DEUS præceperat à multis retrò annis Sauli, ut gladio cunctos interficeret Amalecitas hostes suos, sic ut nec uni quidem vitam condonaret: ille verò huic præcepto parùm obediens, aliquos servavit vivos. Siccine verò, perfide, noluisti, cùm viveres, & posses, cunctos meos inimicos internecione delere Amalecitas, sed eos ad meam vivos ignominiam reservâsti? Dum igitur mortalibus urgeberis angustiis, & eorum prorsus immemor fueris, veniet quidam ex illis, quorum non recordabaris, & te obtruncabit, vitámque inauspicato adimet.

O Christiane! tibi mandat DEUS, ut omnes ejus interficias inimicos, quæ sunt peccata tua, neque vel uni parcas. Hæc audis, & repugnas, quia non solum illa non demoliris, sed & alis, & conservas. Quàm integrum servas concubinatum illum tuum, ut nunquam illum volueris relinquere? quàm diligenter reposita servas bona aliena sic, ut nunquam volueris illi, cui fuisti injurius, sua damna resarcire? quàm diuturna in peccatis perseverantia? Tu illa, dum potes, non occidis, illa igitur in extremis mortis angustiis posito, se tibi offerent, crudáque movebunt prælia. Ibi prodibit in medium virgo constuprata, & conjugata à te ad flagitium invitata, & pauper oppressus, & Ecclesiasticus infamatus, & quæ fueras oblitus crimina, advenient, teque interficient, & in peccato morieris. Eja igitur tam sævum hostem occidito. Qui enim suo blanditur inimico, ejus corruit manibus.



TITU-

TITULUS LX.

PRUDENTIA.

§. I.

QUO AD ESSENTIAM.

Definitio.

S. August. l. de mor. Eccl. c. 15.

I. Rudentia à S. Augustino sic describitur: Est amor, ea, quibus adjuvatur in DEUM, ab his, quibus impeditur, sagaciter eligens; & hunc amorem, non cujuslibet, sed DEI esse diximus, id est, summi boni, summæ sapientiæ, summæque concordiæ. Non describit autem S. Augustinus prudentiam per amorem, quòd existimet, eam non esse intellectûs habitum: nam eodem libro sic habet: Ad Prudentiam pertinet dignoscentia appetendorum, & vitandorum; sed potiùs, ut significet, eam ab amore, quem summi DEI appellat, hoc est, à charitate proficisci; vel ad prudentiam spiritûs pertinere, ex amore agere, charitateque ferri ad ea eligenda, quibus adjuvatur in DEUM.

S. Gregor. l. 2. mor. c. 25.

II. Hæc Prudentia non solùm virtus est, ad proprias actiones ritè obeundas instituta, sed maximè ideo virtus est, quia aliarum etiam virtutum officiis ita præest, ut eorum norma sit, ad quam omnia dirigantur. Ideò S. Gregorius sic scribit: cæteræ virtutes, nisi ea, quæ appetunt, prudenter agant, virtutes esse nequaquam possunt.

Divisio.

III. S. Thomas triplicem assignat; una, inquit, simpliciter dicta, quæ ordinatur ad bonum proprium: alia œconomica, quæ ordinatur ad bonum commune domûs, vel familiæ: & tertia politica, quæ ordinatur ad bonum commune civitatis, vel Regni. Et hæc postrema adhuc duplex est, ut idem docet: Alia Regia in Principe, qui custos est justitiæ, & boni publici procurator, alia militaris, præsertim in exercitûs duce, cujus consilio insultantes hostes comprimuntur.

Actus.

Drexel. in Rosa p. 2. c. 6.

Actus Prudentiæ plerumque tres principales Theologi assignant. Primus horum est, consiliũ; nam fine, ad quem tenditur, constituto, voluntas intelligentiam impellit, ut ea viam inveniat, quâ ad finem illum perveniatur. Siracides monet: *Fili, sine consilio nihil facias, & post factum non pœnitebis.* Sed parùm est, inquit, in me consilii. Nil interest, sive tuo, sive alieno consilio utaris: eo enim utendum est, & sæpe tutiùs alieno uteris, quàm tuo. Quocirca, quod Tobias jubet, *consilium semper à sapiente perquire.*

2. Alter Prudentiæ actus est Judicium, cùm quis rationem init, quâ illud obtinendum sit, quod humanâ prudentiâ obtentum cupit. Exempli causâ: Est, qui castitatem ambiat, quis modus virtutis hujus assequendæ? judicium hos suggerit modos: Primus omnium est: nunquam otiari. Alter, oculos coërcere. Tertius, omnes ad lasciviam occasiones, malos socios, fœminarum commercium, impuros libros, mensarum luxum amoliri. Quartus, precandi ac lectitandi studium conjungere. Quintus, diversis corpus rigoribus, præsertim inediâ exercere. Sextus, Sacramentorum usum identidem iterare. Septimus, DEI præsentiam & æternitatis præmium assiduè cogitare. Atque hos tales modos judicium, alter prudentiæ actus, suggerit. Eadem in aliis virtutibus obtinendis ratio est.

3. Tertius Prudentiæ actus, est Imperium, cùm intelligentia imperat voluntati, ut id, quod rectè judicatum est, illa exequatur studiosè. Augustinus de prudentiâ mentionem injiciens: Hujus, inquit, excubiæ, atque diligentissima vigilantia est, ne subrepente paulatim malâ suasione fallamur. Et ad Hieronymum: Certè hinc persuadent, inquit, qui unam virtutem habuerit, habere omnes; & omnes deesse, cui una defuerit, quòd prudentia, nec ignava, nec injusta, nec intemperans potest esse. Prudentia doctrix morum, ordinatrix affectuum, moderatrix & auriga virtutum: murus tutissimus prudentia.

§. II.

EXEMPLA SACRA.

I. DE Martino V. sic scribit Platina: Martinus V. Pontifex summus in consultationibus miræ prudentiæ vir est habitus: nam & quid agendũ, & quid vitandũ esset, statim re propositâ acutissimè dijudicabat. Brevis in dicendo, cautior in agendo, adeò ut priùs rem factam cernerent homines, quàm ab eo excogitatam putarent. Ejus autem sermo plenus sententiis erat. In dandis quoque beneficiis mirâ usus est prudentiâ: non enim unicuique expetenti conferebat, sed statim mente agitabat, quis potissimùm esset idoneus, cui talis cura demandaretur. Quòd si homines provinciarum non nôsset, in quibus vacare beneficia contigisset, — Platina in vitis Pontif.

sentiret imminere: angebatur animo, an indolentiæ simulatione singulari, rem agi ac ferri fineret; an verò modestè id Rectori significaret. Hinc ab insito vitæ amore trahi, virtutis indè specie allici. Stat, consilium Gonzali Gundisalvi severissimi senis, peræquè ac prudentissimi super eâ re sententiam sciscitari. Illè ubi de ægro rem omnem intellexit, vehemens auctor fuit, ne oblatam crescendi opportunitatem elabi per animi mollitiem fineret, quam olim doleret amissam: præstare vitæ virtutem, eámque veram esse patientiam, quæ patientis in sinum congesta reliquorum conscientiam fugeret, frugifero virtutis compendio; quòd si mori contingeret, id enim verò viro forti in votis esse, togatúmque martyrium videri. His ubi dictis ægrum patientiæ jam certum reliquit, properè ad Rectorem adiit, peractòque indicio, ne tanta virtus unius tyrunculi negligentiâ concideret, sapientiâ perfecit. Maximam humanæ felicitatis partem esse, prudentibus uti consultoribus, servata vita, & virtus ægri patefecit.

§. III.

EXEMPLA PROFANA.

S. Damascenus in hist. c. 14. interp. Trapezunt. I. S. Barlaam Prudentiæ primarium officium ingeniosè sequenti parabolâ demonstrabat: Civitatem quandam didici fuisse magnam, cujus cives talem habebant consuetudinem antiquitus, ut assumerent extraneum aliquem, & ignotum virum, nihil legum civitatis suæ, & traditionum scientem, & hunc sibi Regem constituebant, qui omnem potestatem accipiebat, & suarum voluntatum perficiendarum facultatem habebat, usque ad completionem unius anni. Deinde in omni securitate eo permanente, deliciisque, ac suavitatibus sine ulla formidine, & secum semper permansurum regnum existimante, repentè surgentes cives illi contra eum, regali ablatâ stolâ, nudum per totam trahentes civitatem, exulem transmittebant in magnam ac longiùs remotam insulam, in qua neque cibum inveniens, neque vestimentum, in fame ac nuditate malè atterebatur, voluptate scilicet, atque animi hilaritate, quæ præter spem ipsi concessa fuerat, in mœrorem, rursus præter spem omnem, & exspectationem commutatâ. Interea juxta morem consuetudinum civium illorum ordinatus est quidam vir in regno, qui non exiguo mentis intellectu vigebat, qui tanta, ac tali ex improviso accidente sibi abundantiâ mox non est dissolutus, nec ab ea raptus, neque eorum, qui ante eum regnaverunt, & miserrimè ejecti fuerunt, incuriam secutus est, sed solicitudinem gerebat, & laborabat animo, quomodo se, & sua benè disponeret; Dum ergo assiduâ meditatione diligentiùs ista pertractaret, cognovit per quendam sapientissimum consiliarium suum, consuetudinem civium, & locum perennis exilii, & quomodo oporteret semetipsum custodire, sine errore edoctus est. Hoc ergò, ut agnovit, & quia oporteret eum prius paululum ad illam applicare insulam, hoc quoque caducum regnum & peregrinum alienigenis rursus derelinquere: apertis thesauris suis (quorum tunc liberam habebat facultatem, & de illis, quod vellet facere) accepit pecuniarum multitudinem, auri videlicet & argenti, & lapidum pretiosorum amplissimum pondus, & fidelissimis committens famulis in illam præmisit, ad quam ducendus erat, insulam. Peracto igitur anni termino, in seditionem versi cives, nudum, (sicut & illos, qui ante eum fuerunt,) in exilium transmiserunt. Tunc cœteri stulti & temporales reges malè fame cruciabantur. Ille verò qui divitias ante ibi deposuerat in abundantia perpetua vivens, & delitias infinitas habens, timoréque prorsus inconcusso, infidelibus & malignis civibus, sapientissimo seipsum beatificavit consilio. Civitatem ergò intellige vanum istum & deceptorem Mundum; cives autem, principes & potestates dæmonum, Mundi rectores tenebrarum seculi hujus: sapientem verò, qui regem præmonuit de consuetudine civitatis, quemlibet sanctum doctorem & prædicatorem; exilium, futuram vitam, ubi, qui anno suo, id est, tempore hujus vitæ deliciis servierant, in perpetuas miserias detrudendi sunt. Qui verò de futuris solliciti, opera bona, tanquam divitias præmiserunt, æternis deliciis fruituri sunt.

II. Erat quidam nobilis adolescens, qui valde sagax ingenio, regi patri successit in regno. Hinc accidit, ut in regia civitate nundinis constitutis, Rex cum sodalibus suis ad inspiciendos institores & res venales circuiret. Et videns hominem grandævum ætate sedentem in nundinis, quærit, quis sit, & si quid venale haberet. Cui ille: Dicor, inquit, Philosophus, sapientiam venalem habeo. Ad hoc gavisus Rex, & subridens: benè, inquit, ut juvenem constitutum in regimine, mihi competit sapientiam habere? tu autem videas, quantùm velis vendere pro centum marcis. Et senex: unum inquit, tibi pro statuto pretio dicam, quod si benè tenueris, optimè per illud regeris, & reges. Temerè nil loquaris, temerè nil attentes, nisi priùs cogites, quid sequatur; si plùs volueris, addas & pretium. Ad hoc igitur omnibus concitatis in risum, Rex consideratiùs verbi pondus advertit, & Philosopho statim solvi pretium promissum imperavit. Verbum autem, quod acceperat in superliminaribus Palatii, & in mensis, & in scyphis aureis, & manutergiis scribi fecit. Hinc postea successu temporis Rex in sapientia & virtute proficiens, instituit fortiùs animum, eripere populum humilem de manu potentium, qui à nobilibus terræ graviter premebantur, & regnum suum in omni justitia gubernare. Pro quo nobiles sui in seditionem versi, Spec. Ex. dist. 1. ex. 97.

versi, cùm nequaquam in manifesto, propter favorem populi, contra eum auderent aliquid attentare, occultè quendam rasorem pretio conduxerunt, ut regem in conclavi radendum novaculâ jugularet. Ergò ubi Rex humectatâ barbâ se radendum exhibuit, dictus rasor in manutergio, quod erat circa collum Regis, scriptum legit: Temerè nil attentes, nisi priùs cogites, quid sequatur. Et super proposito scelere pavefactus, expalluit, & manum tremulam mox retraxit. Quo viso Rex causam exegit, nec sine causâ eventum considerans, dissimulantem rasorem, quasi hoc sibi ex infirmitate contigisset, extendit ad pœnam, & veritatem rei cum tormentis extorsit. Sic ergò Rex liberatus à morte, verè didicit, quia melior est sapientia cunctis opibus, & omnia, quæ desiderantur, huic non valent comparari.

In.Rho. l.3. c.1. n.6. III. Panquiacus erat Camagræ Reguli filius, natu maximus, cui cùm ditio esset illis in montibus, qui Peruccio imminent, arcta cum Hispanis Pizarro, Almagro, aliisque aurum per eas regiones quærentibus erat amicitia, &, qui ejus tunc erat finis, aurum largiter donabat, ut rem domui suæ non necessariam. Quod cùm illi librâ odiosè appenderet, ac rixa ab avaritiâ obortâ gladios stringerent, medium se inferens, ac lances auro graves impactâ palmâ indignabundus evertens Panquiacus, Hæccine, inquit, ô viri, gladiorum caussa? non pudet, ob aurum sanguinem dare? verùm si tanta ægro jecori auri est rabies, huc mecum agite; duxit hæc increpans altissimam in cacumen, unde & mare, quod pacificum vocant: Et regionem argenti aurique ditissimam despectarent. Tum addit; Illic affatim auri esse, posse omnibus fieri satis.

Ib. n. 1. IV. Sequitur ab eodem mundi cardine iisdem Hispanis datum à barbaro sene prudentissimum monitum. Jactabant se, suámque potentiam, & virtutem DEO proximam, qui eò, post primos, appulerant, ut gentes illas magno DEI judicio novam in sobolem reparandas, sævitiâ insaturabili exhaurirent; admonuit Caziquorum antiquissimus (sic Principes vocant) quem longa ætas, & indoles minimè barbara audentem faciebat, ne in innoxios, atque inermes sævirent, sed potiùs, collatis beneficiis, vellent imperare; omnia enim nostra æternorum, quæ demortuos excipiunt, lance esse pendenda.

Ib. n. 8. V. Exutum paterno Japoniæ imperio Gysonium Nobunangæ filium, habebat tamen in aula Faxiriba, ex centurione jam Taicosama, hoc est, Imperator, homo solertissimi ingenii, sed ambitione in crudelitatem corrupti. Itaque solemnes inter ludos, quibus sororis filium Quabacondonum successioni propiùs admoverat, pupugit senis animum, quòd eidem saltanti, choreásque ducenti, clariùs, sibi (nam ad hæc demiserat majestatem popularis auræ coronatum mancipium) seni, miniméque vegeti roboris, plausisset theatrum. Ergo dissimulatâ irâ, ut eam tamen quantulamcunque demum gloriosæ partem Quabacondono eriperet, accitum ad se Gysonium saltare jubet, certus elegantiâ totius actionis, & decore membrorum ante Quabacondonum futurum. Sed non fefellit adolescentem veteris ac præsentis fortunæ comparatione cautissimum, imminens à victo Principe periculum; nam occultissimi senis invidiam non introspexerat. Itaque studio aberrare, & in elegantiam artis peccare quam plurima. Quod ut vidit Taicosama, qui alienum à Quabacondono animum celatum tunc maximè vellet, arctè juvenem complexus est, ac prudentiam laudavit: quasi æquum sit, iis, quos fortuna imperio omnibus antetulit, artibus ingenióque neminem præire:

VI. Nec subticenda hoc loco Solymanni Turcarum Regis Prudentia. Bizantii Judæus Christiano certam auri summam mutuam dederat, uti constitutâ die præter sortem, usuræ loco, duas carnis ejusdem Christiani uncias reciperet. Die illâ sortem reddit Christianus, fœnus negat. Aditur Solymannus, ut rem decidat. Ille Judæum animo detestatus, novaculam adferri jubet, & Judæo potestatem facit, ut, qua velit membri parte, debitori duas carnis uncias exscindat, eâ lege, ut omnino duas tantùm: si minùs, plùsve exsciderit, capite luiturum. Non ausus Judæus hanc aleam subire, Christianum absolvit. *Æneas Sylvius l. 2. de gestis Alphons.*

§. IV.

ASCETICA.

I. *Imprimis curandum est Asceta, ut veram prudentiam à falsa bene distinguere discat,* nam, ut S. Basilius sapienter advertit, una est prudentia proprii commodi custos, & alieni doli observatrix, qualem serpens habet; ille si quid periculi imminere viderit, caput super omnia custodit; ea videtur esse versutia illa, quæ prona est ad proprium commodum, & simpliciores defraudandos, quali prudentiâ fuit ille seculi prudens, & injustitiæ œconomus apud Evangelium; vera autem prudentia eorum, quæ agenda sunt, & non agenda, cognitio est, quam si quis rectè sectatus fuerit, nunquam ab officio virtutéque, discedet, nunquam vitiorum pestem incurret. Hæc eadem divisio prudentiæ est apud Apostolum, qui ait, *Prudentia carnis mors est*; *Prudentia autem spiritûs, vita & pax: quoniam sapientia carnis inimica est DEO: Legi enim DEI non est subjecta*: Ut verò faciliùs utraque cognoscatur, sequentia indicia exhibet S. Gregorius dum ait: carnis prudentia est, cor machinationibus tegere, sensum verbis velare; quæ falsa sunt, vera ostendere; quæ vera sunt, fallacia demonstrare, irrogata ab aliis mala multipliciùs reddere, ac cùm vires suppetunt nullis resistentibus cedere. E diverso veræ prudentiæ actus sunt, nil per ostensionem fingere, sensum verbis aperire, vera, ut sunt, *S. Basil. 12. Homil. in 1. Prov.*

di-

diligere; falsa devitare; bona gratis exhibere, mala libentiùs tolerare, quàm facere; nullam injuriæ ultionem quærere, contumeliam pro veritate lucrum putare, pro maledicentibus orare. Hæc vera est prudentia, hanc dominicum præceptum exigit: *Estote prudentes.*

S. Albert. Mag. in paradis. c. 34.

II. *Nosse debet, quid in specie prudentia discernere, & dictare debeat*; id quod S. Albertus Magnus sequentibus verbis indicat: Discretio vera est, prudenter judicare inter Creatorem & creaturam, quid sit Creator, & quid creatura. Item quid sit bonum, quid melius, quid optimum; quid malum, quid pejus, quid pessimum. Quantum bonum sit appetendum, quantum malum detestandum. Item quantam reverentiam debeat homo superiori, quantam clementiam inferiori & compassionem, qualem societatem æquali: qualiter debeat se habere ad mortuos, qualiter ad vivos, qualiter ad prædecessores, qualiter ad successores, qualiter ad amicos, ut diligantur in DEO; qualiter ad inimicos, ut diligantur propter DEUM; qualiter coram DEO occultè, qualiter coram homine manifestè: quæ refectio carni, quæ spiritui impendenda sit: quibus vestibus induendum: quando comedendum, quando bibendum, quando abstinendum, & quantum & à quibus cibis: quando vigilandum, & quando dormiendum, & quantum, & quamdiu: quando orandum, quando flendum, quando aliquod opus faciendum: quomodo se habendum ad laudem, quomodo ad reprehensionem, quomodo loquendum, quomodo tacendum, & quando, quantum, & de quibus causis, cum quibus, quo loco, quo tempore: quando accipiendum, quando retinendum, quando largiendum, & quantum, & quibus, & quo tempore. De omnibus his ordinatè & prudenter dijudicare, est vera discretio. Hæc virtus est magistra omnium virtutum, statuens omnibus modum & ordinem; ubi autem discretio non est, ibi charitas non servat ordinem, nec modum.

S. Bern. S. 3. de Resurr.

III. *Nosse debet, ante omnia Prudentiam requirere, ut quis non nimiùm innitatur prudentiæ suæ*, uti sapienter S. Bernardus advertit, dum dixit: Lepra proprii consilii eò perniciosior est, quò magis occulta, & quantò plus abundat, tantò sibi quisque sanior esse videtur; hæc illorum est, qui zelum habent DEI, sed non secundùm scientiam, sequentes errorem suum, & obstinati in eo, ita ut nullis velint consiliis acquiescere; hi sunt unitatis divisores, inimici pacis, charitatis expertes, vanitate tumentes, placentes sibi, & magni in oculis suis, ignorantes DEI justitiam, & suam volentes constituere; & quæ major superbia, quam ut unus homo toti congregationi judicium suum præferat, tanquam ipse solus spiritum DEI habeat? Idololatriæ scelus est, non acquiescere, & quasi peccatum ariolandi, repugnare. Sunt nunc, qui se faciunt religiosiores aliis, qui non sunt sicut cœteri hominum, ecce Arioli, & Idololatræ facti sunt.

IV. *Nosse debet, nihil perinde ad prudentiam necessarium esse, quàm discretionem* uti sat clarè Cassianus indicavit, dicens: Tam beati Antonii, quàm universorum, sententiâ definitum est, discretionem esse, quæ fixo gradu intrepidum hominem perducat ad DEUM, prædictásque virtutes jugiter conservet illæsas, cum qua ad consummationis excelsa fastigia minore possit fatigatione conscendi, & sine qua multi etiam propensiùs laborantes perfectionis nequiverint culmen attingere; omnium namque virtutum generatrix, custos, moderatrixque, discretio est. Id quod etiam Thomas Kempensis confirmavit, dum ait: discretus labor sit, ne corrumpat infirmum, aut ad divina reddat ineptum. Nam quod moderatum est, meliùs perseverat. Ipse enim JESUS post itineris fatigationem residebat super fontem, expectans cibum, & humiliter postulans aquæ potum. Indubitatum est, esse laborandum in via virtutis. Sed hoc etiam animadvertendum, debere stadium esse moderatum, & par facultati virium, ne æquo gravior sarcina nimiùm prægravet, & opprimat infirmos humeros, viatorémque reliquo itineri perficiendo relinquat ineptum. Exemplum hujus rei Dominus noster nobis præluxit, qui lassus è longiore via consedit ad fontem Sichem, submissè aquam petiit, quâ corporis nimium ardorem refrigerare, & defatigationem levare posset. Sed & Salomon idipsum insinuat, dum de immensa divinæ dextræ potestate sic pronunciat: *Attingit à fine usque ad finem fortiter & disponit omnia suaviter*; Sap. 8. 1. hoc est, cùm opus qualecunque suscipit, hoc etiam perficit, nec ullis impedimentis retinetur, quin ad fastigium educat, viámque omnem feliciter, ut ingreditur, sic & egreditur: & cùm semel introire cæpit semitam, certum possumus nobis promittere illius exitum. Et hoc est attingere â fine usque ad finem, à fine inchoationis usque ad finem consummationis, inquit Richardus de S. Victore. Quid causæ sit, cur etiam servus Dei feliciter absolvit curriculum, quod semel prospere inire cæpit, subjicit mox rationem Sapiens: *disponit omnia suaviter*; cordatè, discretè, atque eâ passûs moderatione utitur, ut persequi professionem usque ad extremam lineam possit. Attingit à fine, usque ad finem, quia disponit omnia suaviter, inquit Richardus. Itinerandi itaque perseverantia ex proficiscendi moderatione sequitur. Tu fortiter inchoas, tepidè consummas. Cur hoc, nisi quia non disponis omnia suaviter, nec scis operari sapienter? incipis, curris, festinas, anhelus lassæcis, deficis; non dicam ad finem, sed nec ad medium pertingis. Itaque ut feliciter perficiatur curriculum necessum est imitari Dominum, qui à fine usque ad finem pertingit fortiter, eò quod vadit suaviter, ubi non est suavis & moderata ordinatio

Cassian. col. lat. 2. c. 4.

Thom. Kemp. S. 20. §. 3.

Rich de S. Vict., p. 1. in Psal. 91.

dinatio mediorum, ibi felix assecutio finis esse non potest.

Cassian. coll. 24. c. 8. V. *Nosse debet, non minimum Prudentiæ officium esse, quod Cassianus sequentibus verbis indicat: Mensuram virium suarum convenit unumquemque nostrûm diligentiùs antè pensare, atque ad ejus modulum arripere, quam libuerit, disciplinam, quia quamvis omnes utiles sint, tamen apta cunctis, cuncta esse non possunt.* Qua in re pulchrum exemplum in Iacobo Patriarcha habemus, de quo sic discurrit Didacus Nyssenus. Offerebat Esau fratri suo Iacobo suam viæ societatem, opitulationémque, si occurrens aliqua necessitas fortè requireret. Huic tam officiosæ, & comi oblationi respondit sanctus Patriarcha noster demissè, ac humiliter, non posse tam insignitum admittere beneficium, eò quòd teneros, & parvulos haberet filios, oves item, & vaccas gravidas, quas una die perire necessum esset, si passu paulùm celeriore carpere viam cogerentur. Itaque & rogavit, ut ipse præcederet, séque paulatim, ac pedetentim sequi permitteret, inquiens: Nosti, Domine, quòd parvulos habeam teneros, & oves, & boves fœtas mecum, quas si plùs ambulando fecero laborare, morientur unâ die cuncti greges. Præcedat Dominus meus ante servum suum, & ego sequar paulatim vestigia ejus, sicut videro *parvulos meos posse*. Hæc verba habent sensum, & doctrinam moralem perutilem, cui valde inhærere debeant quidam imprudentes, & indiscreti, quâ prætermissâ virium suarum expensione, tam properanter feruntur per viam spiritûs, ut antè deficiant, quàm perficiant iter, & inepti reddantur ad reliquum curriculû absolvendum. Sunt, qui tanto fervoris impetu pœnitentem vitam aggrediantur, ut post non multos passus prorsum corruant, idque, quòd onus ad momenta virium suarum non expenderunt, neque curârunt, ut parem humeris sarcinam exciperent. Faciant itaque, quod Iacob, qui dicebat: *sequar paulatim, sicut videro parvulos meos posse*: vires eorum, quos in viâ comites habebat, dimensus est, & ad modulum earum voluit, ut per viam pergerent: ut perdurabilis sit profectio, necessum est prudentiâ duce uti, & justam virium rationem habere, ad earúmque mensuram moderari iter. Ita suadet Doctor mellifluus. serm. 49. in cant. inquiens: discretio omni virtuti ordinem ponit, ordo modum tribuit & decorem etiam, & perpetuitatē. Denique ait: Ordinatione tuâ perseverat dies; diem virtutem appellans. Est ergo discretio non tam virtus, quàm quædam moderatrix, & auriga virtutum, ordinatrixque affectuum, & morum doctrix. Ubi itinerandi nullus est ordo, nullus modus, discretio nulla, quomodo rectè sua cuique diei via designari, & continuari profectio potest? Nonnunquàm sensim progredi, nonnunquàm accelerare passum, & grandire gradum, nonnunquàm moderari, rursúmque figere tantisper pedem, & conquiescere est necessum. Qui semper vult properare, & impetu incitatiore per viam pergere, ille facit, ut intermittenda sit profectio, & postremò nihil fecerit, postquàm tam raptim, ac præproperè inire viam cœpit.

Nyss. p. 1. polit. c. 9.

Genes. 33. 13. 14.

VI. *Denique nosse debet, quomodo defectus prudentiæ per obedientiam suppleri possit*: uti S. Bernardus indicavit: dicens: Ne incurrat, qui currit, illuminari necesse est lumine discretionis, quæ mater virtutum est, & consummatio perfectionis; hæc nimirum docet, ne quid nimis; at verò, quia omnino rara est avis in terris, hujus discretionis locum in vobis, fratres, suppleat virtus obedientiæ, ut nihil plùs, nihil minùs, nihil aliter, quàm imperatum sit, faciatis. S. Bern. apud Ribe. signat. lib. 3. c. 9.

§. V.

MEDIA.

I. *Oratio assidua*, sic enim præter S. Iacobum dicentem: *Si quis vestrûm indiget sapientiâ, postulet à Deo &c.* indicavit Cassianus dicens: Est discretio non mediocris virtus, nec quæ humanâ valeat industriâ comprehendi, nisi divinâ fuerit largitate collata. Cassian. coll. 2. c. 1.

II. *Consideratio crebra*, cujus necessitatem sic ostendit Didacus Nyssenus. Hoc deplorabit, & quis non illi collachrimetur, Propheta Ieremias, cap. 12. v. 11. dicens: *desolatione desolata est omnis terra, quia nullus est, qui recogitet corde.* Periit Mundus, quia perdidit considerationem rerum necessariarum; jacet Mundus, quia abiecit memoriam eorum, quorum recordari vel semper, vel persæpè deberet. Nam si ex animo, & seriò cogitarent homines, & quâ par est, attentione pensarent, quanta sit unius peccati gravitas, quàm fugitiva voluptas, quàm longiturnus cruciatus, quàm strictæ rationes, quàm rigidum judicium, quàm tenax recti judex, nunquam ita in vitia se effunderent, nec tam insipienter, ac *stultè agerent*. Audite. Inter duos latrones medius hærebat Christus probroso Crucis ligno fixus, crudelésque, & efferati hostes illius, pro eo, ut acerbissimis ignominiosissimísque ejus cruciatibus compaterentur, & condolerent, id unicè agebant, quo augerent dolores, exaggerarent tormenta: itaque ut Centurio blasphemias falsitatis argueret, & dilueret injurias, aiebat: *Verè hic homo Filius Dei erat*: errátque, quisquis aliter de illo, quàm de vero Dei Filio sentit. Hîc jam quæro, quid causæ esse possit, quare, cùm cæci illi, & perditissimi homines nullo misericordiæ sensu erga Christum in cruce, & clavis pendulum moverentur, quin & opprobriis, & blasphemiis illum præterea lacesserent, ac lancinarent, solus illum tam plurimùm & honoraret, & laudarit Centurio, ut filium Dei appellaret, ac prædicaret? quî factum, quòd hic Christum supra astra extolleret, illi in

Did. Nyss. §. 3. in ser. 1. post Dom. 1. quadr.

in abyssum deijcerent? Audite sanctos Marcum & Mathæum, quid dicant: periuri, *Iudæi, ac perfidi scribæ prætereuntes blasphemabant eum*, inquit Matth. c. 12. v. 39. & de centurione Marcus: *Ex adverso stabat*, cap. 15. v. 39. Ex adverso Christi positus centurio gradu, sed animo magis fixo acutissimè arbitrabatur patientiam Christi raram, humilitatem profundam, charitatem nunquàm auditam ejus, qui etiam pro eis Deum Patrem obsecrabat, à quibus jam tunc crucifigebatur, motúsque tali spectaculo, Filium Dei illum pronunciabat: sed infames ac nefarij Iudæi prætereuntes blasphemabant, prætéribant, & non considerabant id, quod centurio advertebat, qui ex adverso stans, fixo animi vestigio præmebat id, quod ob oculos habebat, & coràm erga Christum agebatur. Et quoniam Iudæi solùm in transitu, obitérque rem spectabant, indè factum, ut Christum tam inverecundè, propudioséque blasphemarent. Hinc etiam venit tua peccandi levitas, ac liberatas, quòd cogitando vix leviter attingas lethalis noxæ pondus, & rigorem iudicij; quæ si exemplo centurionis presiè, atque intentè meditareris, profectò non tot culpis te obstringeres, neque tot flagitijs attaminares.

III. *Discussio quotidiana conscientiæ*, uti S. Bernardus suasit sequentibus verbis: Integritatis suæ, inquit, curiosus explorator, vitam tuam, in quotidianâ discussione examina. Attende diligenter, quantùm proficias, vel quantùm deficias, qualis sis in moribus, & qualis in affectibus: quàm similis sis Deo, vel quàm dissimilis: quàm propè vel longè non locorum intervallis, sed morum affectibus. Stude cognoscere te, quia multò melior & laudabilior es, si te cognoscis, quàm si te neglecto cognosceres cursus siderum, vires herbarum, complexiones hominum, virtutes gemarum, proprietates aquarum, naturas animalium, & haberes omnium cælestium & terrestrium scientiam. Redde ergo te tibi, statue te ante te, tanquam ante alium, & sic temetipsum plange. Hæc est optima prudentiæ actio.

§. VI.

MISCELLANEA ET CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Cùm suprà nullas ex S.S. Patribus sententias attulerim, eò quod in ipso Bibliothecæ opere sufficientes fuerint adductæ, earum loco hic sapientum Ethnicorum, qui ex instituto Philosophos, seu sapientiæ ac prudentiæ Amatores, ac professores sese profitebantur, afferam, & eo quidem ordine, quem ipsi ferè Ascetæ de perfectione differentes solent observare, ut vel sic erubescamus, doleamúsque, nos ex tot revelationibus, illustrationibus & libris, quibus Christiana Religio abundat, tantùm luminis ac notitiæ nec dum hausisse, quantùm ipsi Ehnici ex solo naturæ lumine hauserunt; nec tantâ contentione, perfectionem supernaturalem fuisse consectatos, quantâ ipsi ad perfectionem naturalem, stabilémque animi quietem pervenire contenderunt.

DICTAMINA ET PRINCIPIA ETHNICORUM PHILOSOPHORUM.

DE VERÆ SAPIENTIÆ STUDIO.

§. I.

Quid sit sapientia.

Senec. Ep. 94. I. Æc est sapientia, in naturam converti, & eò restitui, unde publicus error expulerit.

Senec. Ep. 76. II. Quid in homine proprium? Ratio. Hæc certa & consummata, felicitatem hominis implevit.

Sen. Ep. 20. III. Huc cogitationes tuæ tendant, hoc cura, hoc opta omnia alia vota DEO remissurus, ut contentus sis temetipso, & ex te nascentibus bonis. Quæ potest esse felicitas DEO propior?

Sen. Ep. 20. IV. Quid est sapientia? semper idem velle, atque idem nolle. Non enim potest cuiquam idem semper placere, nisi rectum.

§. II.

De fine hominis.

V. Quæ conditio rerum, eadem & hominum est. Gladium bonum dices, non cui deauratus est baltheus, nec cui vagina gemmis distinguitur, sed cui ad secandum subtilis acies, & mucro munimentum omne rupturus. Regula non quàm formosa, sed quàm recta sit, quæritur. Eo quodque laudatur, cui comparatur, quod illi proprium est. Ergo in homine quoque nihil ad rem pertinet, quantùm aret, quantùm fœneret, à quàm multis salutetur, quàm pretioso incumbat lecto, quàm pellucido poculo bibat, sed quàm bonus sit: Bonus autem est, si ratio explicita & recta est, & ad naturæ voluntatem accommodata. Hæc vocatur virtus, hoc est honestum, & unicum hominis bonum; nam cùm sola ratio perficiat hominem, sola ratio perfecta beatum facit. Sen. Ep. 76.

Epist. c. 23. Enchir. VI. Actorem esse fabulæ talis, qualis Magistro probata fuerit, te memento. Si brevis, brevis; si longa longæ; si mendicum agere te voluerit, fac eam quoque Personam ingeniosè repræsentes. Ita si claudum, si principem, si plebeium. Hoc enim tuum est, Personam bene effingere; eam autem eligere, alterius.

Epist. c. 16. Enchir. VII. Si quid proficere studes, istiusmodi cogitationes missas facito: Si mea neglexero, non erit unde vivam: Nisi puerum castigâro, malus erit. Præstat enim perire fame, timoris ac molestiæ expertem, quàm copiis omnium rerum circumfluentem animo vivere perturbato. Et puerum malum esse præstat, quàm te infelicem.

VIII. Id actum est ab illo mundi conditore, qui nobis vivendi jura descripsit, ut salvi essemus, non delicati: ad salutem omnia parata sunt, & in promptu, deliciis omnia miserè, & solicitè comparantur. Utamur ergo hoc naturæ beneficio inter magna numerando: & cogitemus, nullo nomine meliùs illam meruisse de nobis, quàm quia, quidquid ex necessitate desideratur, sine fastidio sumitur.

§. III.

De Anima hominis.

Senec. Ep. 102. IX. MAgna & generosa res est, humanus animus, nullos sibi poni, nisi communes, & cum DEO terminos patitur.

Epist. 8. X. Cogita in te præter animum nihil esse mirabile, cui magno nihil magnum est.

Epist. 41. XI. Animus magnus & sacer, & in hoc demissus, ut propiùs divina nossemus, conversatur quidem nobiscum, sed hæret origini suæ. Illinc pendet, illuc spectat, ac nititur, nostris tanquam melior interest: Quis ergo est hic? animus, qui nullo bono, nisi suo, nititur.

Epist. 102. XII. Magnus animus, conscius sibi melioris naturæ, dat quidem operam, ut in hac statione, quâ positus est, honestè se, atque industriè gerat, cæterùm nihil horum, quæ circa ipsum sunt, suum indicat, sed ut commodatis utitur, peregrinus, & properans.

§. IV.

De Corpore.

Sen. Ep. 14. XIII. FAteor, insitam esse nobis corporis nostri charitatem. Fateor, nos hujus gerere tutelam: nec nego indulgendum illi, serviendum nego; multis enim serviet, qui corpori servit, qui pro illo nimiùm timet, qui ad illud omnia refert; Sic gerere nos debemus, non tanquam propter corpus vivere debeamus, sed tanquam non possimus sine corpore. Hujus nos nimius amor timoribus inquietat, solicitudinibus onerat, contumeliis obiicit. Honestum civile est, cui corpus nimis charum est: agatur ejus diligentissimè cura, ita tamen ut, cùm exiget ratio, cùm dignitas, cùm fides, mittendum in ignem sit. Nihilominus, quantùm possumus, evitemus incommoda quoque, non tantùm pericula: & in tutum nos reducamus, excogitantes subinde, quibus possint timenda depelli. Quorum tria, ni fallor, genera sunt, timetur inopia, timentur morbi, timentur, quæ per vim potentioris eveniunt.

XIV. Hebetis ingenii signum est, in rebus corporis immorari, velut exerceri diu, edere diu, potare diu, &c. Nam hæc quidem facienda sunt obiter, cura autem omnis ad animum transferenda. Epist. c. 63. Enchirid.

XV. Major sum, & ad majora genitus, quàm ut mancipium sim mei corporis: quod equidem non aliter aspicio, quàm vinculum aliquod libertati meæ circumdatum. Contemptus corporis sui, certa libertas est. Senec. Ep. 65.

§. V.

De DEO.

XVI. NOn sunt ad cœlum elevandæ manus, nec exorandus æditus, ut nos ad aures simulachri, quasi magis exaudiri possimus, admittat; propè est à te DEUS, tecum est, intus est. Sacer intra nos Spiritus sedet, malorum bonorúmque nostrorum observator & custos: hic prout à nobis tractatus est, ita nos ipse tractat. Bonus vir sine DEO nemo est. Senec. Ep. 41.

XVII. Universa ex materia & ex DEO constant: DEUS ista temperat, quæ circumfusa Rectorem sequuntur, & Ducem. Potentiùs autem est, quod facit, quod est DEUS, quàm materia patiens DEI. Sen. Ep. 65.

XVIII. Sic vivendum est, tanquam in conspectu vivamus, sic cogitandum, tanquam aliquis in pectus intimum inspicere possit: & potest, quid enim prodest ab homine aliquid esse secretum? nihil DEO clausum est. Interest animis nostris, & cogitationibus mediis intervenit. Sen. Ep. 83.

XIX. Primus est Deorum cultus, DEOS credere; Deinde, reddere illis majestatem suam, reddere bonitatem, sine qua nulla majestas est; scire, illos esse, qui præsident mundo, qui universa vi sua temperant, qui humani generis tutelam gerunt, interdum curiosi singulorum. Hi nec dant malum, nec habent: Cæterùm castigant quosdam, & coërcent, & irrogant pœnas, & aliquando specie boni puniunt. Vis DEOS propitiare? bonus esto, satis illos coluit, quisquis imitatus est. Sen. Ep. 95.

XX. Sive alios observare volueris (liberius enim inter aliena judicium est) sive teipsum favore seposito; & senties hoc, & confiteberis, nil ex his optabilius, & charis utile esse, nisi te contra levitatem casus, rerúmque casum sequentium, instruxeris: nisi illud frequenter & sine querela, inter singula damna dixeris: Dijs aliter visum est. Imò mehercule, ut carmen fortius ac justius petam, quo animum tuum magis fulcias, hoc dicito, quoties aliquid aliter, quàm cogitabas, evenerit. Dij meliùs. Sic composito nihil accidet. Sen. Ep. 98.

XXI. Re-

Epict.c.38. Euch. XXI. Religionis erga DEOS immortales præcipuum illud esse scito, rectas de ijs habere opiniones, ut sentias, & esse eos, & bene, justéque administrare universa: parendum eis esse, & omnibus ijs, quæ fiant, acquiescendum: & sequenda ultro, ut quæ à mente præstantissima regantur; sic enim nec incusabis eos unquam, nec ab eis negligi te, conquereris.

Sen. Ep.96. XXII. In omnibus, quæ adversa videntur, & dura, sic formatus sum. Non pareo Deo! Sed assentior. Ex animo illum, non quia necesse est, sequor. Nihil unquam mihi incidet, quod tristis excipiam, quod malo vultu: nullum tributum invitus conferam: omnia autem, ad quæ gemimus, quæ expavescimus, tributa vitæ sunt.

Epict. l.3. dissert.c. 4.6. XXIII. Mihi quidem optabile est, à morte me invadi, nulla alia re, nisi voluntate meâ curandâ occupatum, ut perturbatione vacuus & liber dicere possim DEO: num gubernationem tuam reprehendi? numquid ad alia abusus sum facultatibus, quas mihi dedisti? ægrotavi, quia voluisti. Pauper fui te volente, sed lætus. Nunquam appetivi imperium, nunquid me unquam hac de causa tristiorem vidisti? nunquid unquam vultu minùs hilari te accessi? paratus, si quid mandes, si quid imperes. Hæc me cogitantem, hæc scribentem, hæc legentem, occupet mors.

§. VI.

De Creaturis.

Epict.c.11. Euch. XXIV. Quemadmodum in navigatione subducto navigio, si aquatum exieris, obiter fortassis etiam cochleotam colliges aut bulbum: animo autem in navigium intento esse oportet, ac continenter sollicito, ne Gubernator vocet, ac tum illa omnia relinquere, ut ne vinctus tanquam oves in navim conjciaris; ita etiam in vita si tibi vice cochleæ aut bulbi detur uxorcula & puer, nihil impediet; at si Gubernator vocàrit, curres ad navim relictis illis omnibus, neque respicies.

Epict.c.11. Euch. XXV. Nullâ alienâ præstantiâ efferaris animo: si equus semet jactans diceret: sum pulcher: ferendum esset. Tu verò cùm insolenter gloriaris, te pulchrum equum habere, scito, equo te bono superbire. Quid igitur est tuum? usus visorum. Quapropter cùm in usu visorum ita moratus fueris, quemadmodum natura postulat, tum efferêris, tum enim aliquo tuo bono lætaberis.

Sen. Ep.74. XXVI. Aut ista bona non sunt, quæ vocantur, aut homo felicior DEO est; quoniam quidem, quæ nobis parata sunt, non habet in usu DEUS: nec enim libido ad illum, nec epularum lautitia, nec opes, nec quidquam ex his hominem inescantibus, & vili voluptate ducentibus, pertinet. Ergo aut, quod incredibile est, bona DEO desunt; aut hoc ipsum argumentum est, bona non esse, quæ DEO desunt. Adijce, quòd multa, quæ bona videri volunt, animalibus, quàm homini pleniora contingunt. Illa cibo aviditis utuntur; Venere non æquè fatigantur: Virium illis major est, & æquabilior firmitas. Sequitur, ut multò feliciora sint homine, nam sine nequitia, sine fraudibus degunt; fruuntur voluptatibus, quas & magis capiunt, & ex facili, sine nullo pudoris aut pœnitentiæ metu. Considera tu itaque, an id bonum vocandum sit, quo DEUS ab homine vincitur. Summum bonum in animo constituamus: obsolescit, si ab optimâ nostri parte ad pessimam transit, & transfertur ad sensus, qui agiliores sunt animalibus mutis. Non est summa felicitatis nostræ in carne ponenda. Bona illa sunt vera, quæ ratio dat: solida ac sempiterna, quæ cadere non possunt, nec decrescere quidem, aut minui. Cætera opinione bona sunt; & nomen quidem habent commune cum veris, proprietas in illis boni non est.

§. VII.

De Concupiscentiis, & voluptatibus.

XXVII. Multis paràsse divitias, non finis miseriarum fuit, sed mutatio. Non hoc miror, non est enim in rebus vitium, sed in ipso animo. Illud, quod paupertatem gravem fecerat, & divitias graves fecit. Quemadmodum nihil differt, utrùm ægrum in ligneo lecto, an in aureo colloces, quocunque illum transtuleris, morbum suum secum transfert; sic nihil refert, utrùm animus æger in divitiis, an in paupertate ponatur, malum suum illum sequitur. Sen. Ep.17.

XXVIII. Si vis Pythoclea divitem, honestum facere, esse in perpetua voluptate, non divitiis, honoribus, voluptatibus adjiciendum, sed cupiditatibus detrahendum. Sen. Ep.21.

XXIX. Quis hostis in quemquam tam contumeliosus fuit, quàm in quosdam voluptates suæ sunt? quorum impotentiæ atque insanæ libidini ob hoc unum possis ignoscere, quòd, quæ fecêre, patiuntur. Sen. Ep.39.

XXX. Non est emolliendus animus; si voluptati cessero, cedendum est dolori, cedendum labori, cedendum est paupertati. Sen. Ep.51.

XXXI. Vidisti aliquando canem missa à Domino frusta panis aut carnis aperto ore captantem? quidquid excepit, protinus integrum devorat, & semper ad spem futuri hiat. Idem evenit nobis, quidquid exspectantibus fortuna projecit, id sine ulla voluptate demittimus, statim ad rapinam alterius erecti & attenti. Hoc sapienti non evenit: plenus est, etiam si quid obvenit, securè excipit, ac reponit: Lætitiâ fruitur maximâ, continuâ, suâ. Sen. Ep.72.

§. VIII.

De Virtutibus.

XXXII. Nihil est virtute præstantius, nihil pulchrius: & bonum est, & optabile, Sen. Ep.67.

bile, quidquid ex hujus geritur imperio.

Sen. ep. 76. XXXIII. Id in quoque optimum est, cui nascitur, quo censetur. In homine optimum quid est? ratio, hâc antecedit animalia, Deos sequitur.

Sen. ep. 79. XXXIV. Nulla virtus latet; & latuisse, non ipsius damnum est; Veniet, qui conditam, & sæculi sui malignitate compressam, dies publicet.... si quod est pretium virtutis ex fama, nec hoc interit.... nulli non virtus & vivo, & mortuo, retulit gratiam, si modò illam bonâ secutus est fide.

Sen. ep. 81. XXXV. Virtutum omnium pretium in ipsis est; non enim exercentur ad præmium. Rectè facti, fecisse merces est.

Sen. ep. 74. XXXVI. Virtus extollit hominem, & supra cara mortalibus collocat: nec ea, quæ bona; nec ea, quæ mala vocantur, aut cupit nimis, aut expavescit.

§. IX.

De Peccatis.

Sen. ep. 28. XXXVII. Initium est salutis, notitia peccati; nam qui peccare se nescit, corrigi non vult, deprehendas te oportet, antequam emendes.... Ideo quantùm potes, teipse coargue: inquire in te; accusatoris primùm partibus fungere, deinde Judicis, novissimè deprecatoris: aliquando te offende.

Sen. ep. 94. XXXVIII. Non est per se Magistra solitudo innocentiæ, nec frugalitatem docent rura: sed ubi testis ac spectator abscessit, vitia subsidunt, quorum, monstrari & conspici, fructus est. -- Nemo oculis suis lautus est, ne paucorum quidem & familiarium, sed apparatum vitiorum suorum pro modo turbæ spectantis expandit. Itaque irritamentum est omnium, in quæ insanimus, admirator & conscius. Ne concupiscamus, efficies, si, ne ostendamus, effeceris. Ambitio, & luxuria, & impotentia, scenam desiderant: sanabis ista, si absconderis.

Sen. ep. 44. XXXIX. Duo sunt, propter quæ delinquimus, aut inest animo pravis opinionibus malitia contracta: aut etiamsi non est falsis præoccupatus, ad falsa proclivis est, & citò specie, quò non oportet, trahente, corrumpitur. Itaque debemus aut curare mentem ægram, & vitiis liberare: aut vacantem quidem, sed ad pejora pronam præoccupare, utrumque decreta Philosophiæ faciunt.

Sen. ep. 11. XL. Aliquis vir bonus nobis eligendus est, ac semper ante oculos habendus, ut sic tanquam illo spectante vivamus, & omnia tanquam illo vidente faciamus.... Magna pars peccatorum tollitur, si peccaturis testis assistat. Aliquem habeat animus, quem vereatur, cujus authoritate etiam secretum suum sanctius faciat. --- O felicem qui sic aliquem vereri potest, ut ad memoriam quoque ejus se componat, atque ordinet! Qui sic aliquem vereri potest, citò erit verendus.

§. X.

Media ad virtutes acquirendas.

MEDIUM I.

Temporis ratio habenda.

XLI. Omnia aliena sunt, tempus tantum nostrum est. In hujus rei unius fugacis ac lubricæ possessionem natura nos misit, ex qua nos expellit, quicunque vult. Hinc si volueris attendere, magna vitæ pars elabitur malè agentibus, maxima nihil agentibus, tota aliud agentibus. Sen. ep. 1.

XLII. Omnes ergo horas complectere; sic fiet, ut minùs ex crastino pendeas, si hodierno manum injeceris. Sen. ep. 1.

XLIII. Id agamus, ut omne tempus nostrum sit: non erit autem, nisi priùs nos nostri esse cœperimus. Sen. ep. 71.

XLIV. Infinita est velocitas temporis, quæ magis apparet respicientibus; nam ad præsentia intentos fallit, adeò præcipitis fugæ transitus levis est. Sen. ep. 49.

MEDIUM II.

Judicia hominum spernenda.

XLV. Nunquam volui populo placere; nam quæ ego scio, non probat populus; quæ probat populus, ego nescio. Malis artibus popularis favor quæritur; similem te illis facias, oportet, non probabunt, nisi agnoverint. Sen. ep. 29.

MEDIUM III.

Solicitudo amanda.

XLVI. Quid tibi vitandum præcipuè existimes, quæris? Turbam. Nondum illi te tutò commiseris. --- Nunquam mores, quos extuli, refero: aliquid ex eo, quod composui, turbatur; aliquid ex his, quæ fugavi, redit.... Inimica est multorum conversatio. Nemo non aliquod nobis vitium aut commendat, aut imprimit, aut nescientibus allinit. Et quò major est populus, cui commiscemur, hoc periculi plùs est.... Democritus ait: unus mihi pro populo est, & populus pro uno. Bene & ille, à quo cùm quæreretur, quò tanta diligentia artis spectaret, ad paucissimos perventuræ? satis sunt, respondit, mihi pauci, satis unus, satis est nullus. Sed & Epicurus: Hæc ego non multis, sed tibi: satis enim magnum alter alteri theatrum sumus. Sen. ep. 7.

MM

MEDIUM IV.

Rebus se commodare, non tradere.

Sen. ep. 62. XLVII. Mentiuntur, qui sibi obstare ad studia liberalia turbam negotiorum videri volunt. Simulant occupationes, & augent & ipsi se occupant. Vaco, mi Lucili, vaco, & ubicunque sum, meus sum. Rebus enim non me trado, sed commodo.

MEDIUM V.

Notitia sui.

Sen. ep. 50. XLVIII. Ideo difficulter ad sanitatem pervenimus, quia nos ægrotare nescimus, ut Harpaste mulier fatua & cæca, nescivit esse se cæcam, sed domum tenebrosam dixit; id etiam nobis evenit. Nemo se avarum esse intelligit; nemo cupidum. Cæci tamen Ducem quærunt, nos sine Duce erramus.

MEDIUM VI.

Eadem sæpius repetenda.

XLIX. Nunquam nimis dicitur; quod satis nunquam discitur. Quibusdam remedia monstranda sunt; quibusdam inculcanda.

MEDIUM. VII.

Locorum mutatio fugienda.

Sen. ep. 28. L. Socrates cuidam querenti, quòd per locorum mutationum melior non fuisset factus, dixit: quid miraris, nihil tibi peregrinationes prodesse, cùm te circumferas? premit te eadem causa, quæ expulit. Quid terrarum iuvare novitas potest? quid cognitio urbium; aut locorum? in irritum cedit ista jactatio; quæris, quare te fuga ista non adiuvet? tecum fugis. Onus animi deponendum est: non ante tibi ullus placebit locus.

MEDIUM. VIII.

Paupertas amanda.

LI. Si vis vacare animo, aut pauper sis, oportet, aut pauperi similis, non potest studium salutare fieri sine frugalitatis cura; frugalitas autem paupertas voluntaria est.

Epist. 4. Sen. LII. Magnæ divitiæ sunt, lege naturæ composita paupertas. Lex autem illa naturæ, scis, quos nobis terminos statuit? non esurire, non sitire, non algere. Parabile est, quod natura desiderat, & expositum: ad supervacua sudatur.

Idem ep. 17. LIII. Perpessi sunt exercitus inopiam rerum omnium, vixerunt herbarum radicibus, & dictu fœdam tulerunt famem. Hæc omnia passi sunt pro regno alieno. Dubitabit aliquis ferre paupertatem, ut animam furoribus liberet?

MEDIUM. IX.

Correctio non omittenda.

LV. Non possum scire, an ei profuturus sim, quem admoneo. Illud scio, alicui me profuturum, si multos admonuero. Spargenda est manus: non potest fieri, ut non aliquando succedat multa tentanti. Senec. ep. 29.

LVI. Ne illud quidem curo, quòd quibusdam nimis horridi animi videtur, & tetrici. Ariston aiebat; malle se adolescentem tristem, quàm hilarem & amabilem turbæ. Vinum enim fieri bonum, quod recens durum & asperum visum est: non pati ætatem; quod in dolio placuit. Sen. ep. 36.

MEDIUM. X.

Onera verbis jungenda.

LVII. Facere docet Philosophia; non dicere; & hoc exigit, ut ad legem quisque vivat; ne orationi vita dissentiat; ut ipsa inter se vita unius, sine actionum dissensione, coloris sit. Maximum hoc est & officium sapientiæ, & indicium, ut verbis opera concordent, ut & ipse ubique par sibi, idemque sit. Quis hoc præstabit? pauci; aliqui tamen. Est difficile hoc: nec dico sapientem semper uno iturum gradu, sed una via. Sen. ep. 20.

MEDIUM. XI.

Ratio in consilium adhibenda.

LVIII. Ob hoc seipsum homo, suaque miretur, quòd non potest vinci; quòd mala ipsa sub se tenet, quòd ratione, quâ valentius nihil est, casum dolorémque & iniuriam subigit. Ama rationem, huius te amor contra durissima armabit. Sen. ep. 74.

MEDIUM. XII.

Seria resolutio.

LIX. Quidquid facere te potest bonum, tecum est, quid tibi opus est, ut sis bonus? velle: quid autem melius potes velle, quàm eripere te huic servituti, quæ omnes premit; quam mancipia quoque conditionis extremæ, & in his sordibus nata, omni modo exuere conantur? Tu non concupisces quanticunque ad libertatem pervenire, qui te putas in illa natum? Sen. ep. 40.

MEDIUM. XIII.

Exempla ob oculos habenda.

LX. Cùm aliquid negotii tibi futurum est cum aliquo, ex proceribus præsertim, ipse tibi Epict. c. 51. Enchi.

tibi proponito, quid in ea re facturus fuisset Socrates, aut Zenon. Ita fiet, ut te ratio non deficiat, quâ id, quod obiectum fuerit, ritè administres.

Sen. ep. 52. LXI. Adiuvare nos possunt non tantùm, qui sunt, sed & qui fuerunt. Ex iis autem qui sunt, eligamus eos; qui vitâ docent: qui cùm dixerint, quòd faciendum sit, probant faciendo: qui docent, quid vitandum sit, nec unquam in eo, quod fugiendum dixerint, deprehenduntur. Eum elige Adiutorem, quem magìs admireris, cùm videris, quàm cùm audieris.

Sen. ep. 6. LXII. Plùs tibi & viva vox & convictus, quàm oratio, proderit. In rem præsentem venias, oportet. Primum, quia homines amplius oculis, quàm auribus credunt: deinde quia longum iter est per præcepta, breve & efficax per exempla.

MEDIUM. XIV.

Lectio fructuosa.

Sen. ep. 2. LXIII. Illud vide, ne lectio omnis generis voluminum habeat aliquid vagum & instabile. Certis ingeniis immorari & innutriri oportet, si velis aliquid habere, quod in animo fideliter sedeat. Nusquam est, qui ubique est, in peregrinatione vitam agentibus hoc evenit, ut multa hospitia habeant, nullas amicitias. Idem accidat necesse est, iis, qui nullius se ingenio familiariter applicant, sed omnia cursim & properanter transmittunt. Non prodest cibus, nec corpori accedit, qui statim sumptus emittitur. Nihil æquè sanitatem impedit, quàm remediorum crebra mutatio: Non venit vulnus ad cicatricem, in quo crebrò medicamenta tentantur: non coalescit planta, quæ sæpe transfertur. Nihil tam utile est; quod in transitu prosit. Distrahit animum librorum multitudo. Fastidientis stomachi est, multa degustare, quæ, ubi varia sunt & diversa, inquinant, non alunt. Probatos itaque semper lege, & si quando ad alios divertere libuerit, ad Priores redi.

Idem ep. 45. LXIV. Non refert, quàm multos, sed quàm bonos habeas libros. Lectio certa prodest, varia delectat. Qui, quo destinavit, pervenire vult, unam sequatur viam, non per multas vagetur: non ire istud, sed errare est.

MEDIUM XV.

Sermo brevis.

Sen. ep. 38. LXV. Plurimùm proficit sermo, qui minuatim irrepserit animo. Disputationes præparatæ & effusæ audiente populo, plùs habent strepitûs, minùs familiaritatis. Ad verba submissiora veniendum est. Faciliùs intrant, sed & hærent; nec enim multis opus est, sed efficacibus. Seminis modo spargenda sunt, quod, quamvis sit exiguum, cùm occupavit idoneum locum, vires suas explicat, & ex minima in maximos actus diffunditur.

§. II.

Doctrina pro conversatione.

PRIMA.

Nil mali postulandum ab altero.

LXVI. Si munera desiderata parare queo, conservatâ verecundiâ, & fide, & animi magnitudine, vosque ejus rei viam ostenderitis, parabo. Sin id postulatis, ut bona ego mea perdam, quò vos ea, quæ in bonis non sunt, acquiratis, videte ipsi, quàm iniqui sitis & temerarii, utrum verò præoptatis? pecuniámne, an amicum verecundum & sincerum? *Epict. c. 31. Ench.*

SECUNDA.

Æmulatio cavenda.

LXVII. Est tibi prælatus aliquis in convivio, aut salutatione, aut dandi consilii officio? siquidem ista bona sunt, gratulari debes illi, cui ea contigerunt. Sin mala, ne doleas, te in ea non incidisse; sed mememento: cùm ea non agas, quibus illa parantur, quæ in nostra potestate non sunt, fieri non posse, ut eadem tibi tribuantur. *Epict. c. 36. Ench.*

TERTIA.

Iactantia fugienda.

LXIIX. In familiaribus congressibus absit facinorum aut periculorum tuorum prolixa & immoderata commemoratio, nec enim ut tibi jucundum est tuorum certaminum meminisse, sic & aliis suave est, ea quæ tibi acciderunt, audire. *Idem c. 48. Ench.*

QUARTA.

Nemo temerè iudicandus.

LXIX. Lavat quispiam citò, ne dicas, lavisse malè, sed citò: bibit quispiam multùm vini, ne dicas, bibisse malè, sed multùm. Priusquam enim id decretum dijudicâris, unde scis, an malè? sic usu tibi veniet, ut alia visa certò comprehensa habeas, aliis assentiaris. *Epict. c. 67.*

QUINTA.

Respectus deponendus.

LXX. Cùm facis aliquid, quod faciendum esse statuisti, nunquam recuses inter id agendum conspici, tametsi futurum est, ut vulgus de eo secùs judicet. Nam si perpe- *Epict. c. 77. Ench.*

tam

ram facis, rem ipsam fuge: sin rectè, quid eos vereris, qui non rectè, reprehendunt.

SEXTA.

Maledicta spernenda.

Epict. c. 48. Ench. LXXI. Si quis nuntiârit, quendam tibi maledicere, ne refuta, quæ dicta sunt, sed responde, eum nescisse cœtera tua vitia, nam alioqui non illa solùm fuisse dicturum.

SEPTIMA.

Temerè non loquendum.

Epict. c. 69. Ench. LXXII. Si apud imperitos de præcepto aliquo sermo inciderit, maxima ex parte taceto. Magni enim periculi est statim evomere, quod non concoxeris.

§. XII.

De pace obtinenda.

MEDIUM I.

Opinio corrigenda.

Epict. c. 10. Ench. LXXIII. Homines perturbantur non rebus, sed iis, quas de rebus habent, opinionibus: verbi causa: mors non est malum; alioqui enim & Socrati ita visum esset: sed opinio de morte, quæ malum eam facit. Cùm igitur impedimur, aut distrahimur, non alios culpemus, sed nosmetipsos, hoc est, nostras opiniones. Senec. ep. 13. Plura sunt, quæ nos terrent, quàm quæ premunt, & sæpius opinione, quàm re laboramus.

MEDIUM II.

Voluntas propria deponenda.

Epict. c. 13. Ench. LXXIV. Ne postules, ea, quæ fiunt, arbitratu tuo fieri; sed, si sapis, ita fieri quæque velis, ut fiunt. Morbus est corporis impedimentum, instituti non item, nisi ipse velis. Claudicatio pedis est impedimentum, instituti non item. Quòd si singulis in rebus, quæ incidunt, consideràris, invenies eas alterius cujuspiam rei, non tui, esse impedimentum.

MEDIUM III.

Iudicium verum formandum.

Epict. c. 3. Ench. LXXV. Memento, si ea, quæ naturâ serviunt, libera putâris, & aliena pro tuis habueris; fore ut impediaris, lugeas, perturberis, Deos, Hominesque accuses: Sin id solùm tuum existimâris, quod tuum est; aliena verò, ut sunt aliena: te nemo coget unquam, nemo impediet, neminem accusabis, neminem criminaberis, nihil ages invitus, nemo te lædet, inimicum non habebis.

MEDIUM IV.

Nihil proprium censendum.

LXXVI. Nunquam te quidquam perdidisse dicito, sed reddidisse. Filiolus obiit? redditus est. Prædium est ereptum; an non id quoque est redditum? at improbus est, qui eripuit? quid id tua refert, per quem, is qui dederat, abs te repetierit? Epict. c. 15. Ench.

MEDIUM V.

Fructus ex omnibus capiendus.

LXXVII. Si corvus inauspicatum crocitârit, ne te visum illud moveat. sed ipse tecum divide statim, & dic: nihil istorum mihi portenditur, sed aut corpusculo meo, aut recutæ meæ, aut existimationi, aut liberis, aut uxori; mihi autem fausta omnia portenduntur, si ego voluero. Quidquid enim istorum acciderit, ex eo, penes me est, fructum ut capiam. Epict. c. 24. Ench.

MEDIUM VI.

Testimonio conscientiæ acquiescendum.

LXXVIII. Si quando acciderit, ut foras promineas, & alicui placere cupias, te de statione tua dejectum esse scito. Quare in omnibus rebus illud tibi satis sit, te esse Philosophum; sin alicui etiam videri Philosophus cupis, tibi vidère, idque tibi satis esto. Epict. 30. Ench.

LXXIX. Bona conscientia turbam advocat, mala etiam in solitudine anxia, & sollicita est. Si honesta sunt, quæ facis, omnes sciant: si turpia, quid refert, neminem scire, cùm tu scias? O te miserum, si contemnis hunc testem. Senec. ep. 43.

MEDIUM VII.

Quidvis, ut oportet, accipiendum.

LXXX. Unaquæque res duas habet ansas, unam tolerabilem, aliam intolerabilem. Si frater injuriam fecerit, non eâ prehende, quâ facit injuriam, ea enim ejus ansa non est tolerabilis; sed illinc potiùs, esse fratrem, esse unà educatum. Sic prehendes eum, quâ est tolerabilis. Epict. c. 67. Ench.

MEDIUM VIII.

Nemo læditur, nisi à seipso.

LXXXI. Plebeij status & nota est, nunquam à seipso vel damnum exspectare, vel utilitatem, sed à rebus externis. Philosophi status Epict. c. 71. Ench.

statūs, & expressa imago est, omnem utilitatem & damnum à semetipso exspectare.

MEDIUM IX.

Præparandus animus.

Senec. ep. 18. LXXX. In ipsa securitate animus ad difficilia se præparet, & contra injurias fortunæ inter beneficia firmetur. Miles in media pace decurrit sine ullo hoste, vallum jacit, & supervacuo labore lassatur, ut sufficere necessario possit.

MEDIUM X.

Miseria non anticipanda.

Senec. ep. 13. LXXXI. Illud tibi præcipio, ne sis miser ante tempus, cùm illa, quæ velut imminentia expavisti, fortasse nunquam ventura sint: certè nondum venerint. Quædam ergo nos magis torquent, quam debeant. Quædam antè torquent, quam debeant, quædam torquento omnino non debeant. Aut augemus dolorem, aut fingimus, aut præripimus.

Senec epist. 98. LXXXII. Nil est miseriùs, nec stultiùs, quàm prætimere. Quæ ista dementia est, malum suum antecedere? Plùs dolet, quàm necesse est, qui ante dolet, quàm necesse sit.

MEDIUM XI.

Dolore inutili abstinendum.

Senec. ep. 99. LXXXIII. Supervacaneum est dolere, si nihil dolendo proficias; Deinde iniquum est, queri de eo, quod uni accidit, & omnibus restat.

MEDIUM XII.

Conformatio cum divina voluntate.

Senec. ep. 107. LXXXIV. Ad hanc legem animus noster aptandus est, hanc sequatur, huic pareat, & quæcunque fiunt, debuisse fieri putet, nec velit objurgare naturam: optimum est pati, quod emendare non possis; & DEUM, quo Authore cuncta proveniunt, sine murmuratione comitari. Malus miles est qui Imperatorem gemens sequitur. Hic est magnus animus, qui se DEO tradidit: at contrà pusillus ac degener, qui obluctatur, & de ordine Mundi malè existimat, & emendare mavult Deos, quàm se.

Epist. c. 77. LXXXV. In quovis incepto hæc optanda sunt. Duc me, O Jupiter, & tu Fatum, eò, quò sum à vobis destinatus. Sequar enim alacriter. Quòd si noluero, & improbus ero, & sequar nihilominus.

§. XIII.

MISCELLANEA QUÆDAM.

Mors æquo animo ferenda.

LXXXVI. Quid est turpius, quàm in ipso limine securitatis esse sollicitum? causa autem hæc est, quòd inanes omnium bonorum sumus, quorum in fine vitæ desiderio laboramus; non enim apud nos pars eius ulla subsedit, transmissa est, & effluxit. Nemo, quàm bene vivat, sed quamdiu, curat, cùm omnibus possit contingere, ut bene vivant; ut diu, nulli. Senec. ep. 49.

Lætitia vera quæ?

LXXXVII. Nolo tibi unquam deesse lætitiam, volo illam tibi domi nasci: Nascitur, si modo intra teipsum sit. Cæteræ hilaritates non implent pectus, sed frontem remittunt, leves sunt: nisi fortè tu judicas illum gaudere, qui ridet. Animus debet esse alacer, & fidens, & super omnia erectus. Mihi crede, res severa est gaudium verum. In hujus gaudii possessione esse te volo. Nunquam deficiet, cùm semel, unde petatur, inveneris. Hæc, quibus delectatur vulgus, tenuem habent ac perfusoriam voluptatem; & quodcunque invectitium gaudium est, fundamento caret. Hoc de quo loquor, ad quod te conor perducere, solidum est, & quod plùs pateat introrsus. Sen ep. 23.

LXXXXIIX. Omnes tendunt ad gaudium, sed unde stabile, magnúmque consequantur, ignorant. Omnes oblectamenta fallacia & brevia decipiunt: sicut ebrietas, quæ unius horæ hilarem insaniam, longi temporis tædio pensat. Hoc ergo cogita, hunc esse sapientiæ effectum, gaudii æqualitatem. Talis est sapientis animus, qualis mundi status super Lunam. Semper illîc serenum est; Habes ergo, quare velis sapiens esse; quia nunquam sine gaudio est. Gaudium hoc non nascitur, nisi ex virtutum conscientia. Sen. ep. 59.

Nobilitas vera quæ?

LXXXIX. Si quid aliud est in Philosophia boni, hoc est, quod stemma non inspicit. Omnes si ad primam originem revocentur, à Diis sunt. Bona mens omnibus patet: omnes ad hoc sumus nobiles. Patritius Socrates non fuit. Platonem non accepit nobilem Philosophia, sed fecit. Neminem, ait Plato, regem non ex servis esse oriundum, neminem non servum ex regibus. Omnia ista longa varietas miscuit, & sursum deorsum fortuna versavit. Quis ergò generosus? ad virtutem à natura bene compositus. Hoc unum est intuendum. Non facit nobilem atrium plenum fumosis imaginibus. Nemo in nostram gloriam vixit: nec quod ante nos fuit, nostrum est. Animus facit nobilem, cui ex quacunque conditione supra fortunam licet surgere. Sen. ep. 44.

Discrimen

Discrimen inter sapientem & proficientem.

Sen. Ep. 72. XC. Hoc interest inter sapientiæ consummatæ virum, & alium procedentis, quod inter sanum, & ex morbo gravi ac diutino emergentem. Cui sanitatis loco est, levior accessio. Hic, nisi attendit, subinde gravatur, & in eadem revolvitur. Sapiens recidere non potest, ne incidere quidem amplius. Corpori enim ad tempus bona valetudo est: quam medicus etiam si reddidit, non præstat; sæpe ad eundem, quem advocaverat excitatur. Animus semel in totum sanatur.

Idem Ep. 47. XCI. Hoc habent inter cætera boni mores, placent sibi, & permanent. Levis est malitia, sæpe mutatur, non in melius, sed in aliud.

Cur bonis viris mala accidant.

Senec. L. de Provid. c. 2. XCII. Cùm videris bonos viros, acceptósque Diis, laborare, sudare, per arduum ascendere, malos autem lascivire, & voluptatibus fluere: Cogita, filiorum nos modestiâ delectari, vernularum licentiâ; illos disciplinâ tristiori contineri, horum ali audaciam. Idem tibi de DEO liqueat. Bonum virum in deliciis non habet, experitur, indurat, sibi illum præparat.

Ibid. c. 2. XCIII. Nihil accidere bono viro mali potest. Non miscentur contraria. Quemadmodum tot amnes, tantùm supernè dejectorum imbrium, tanta medicatorum vis fontium, non mutant saporem maris, nec remittunt quidem: ita adversarum impetus rerum viri fortis non vertit animum. Manet in statu, & quidquid evenit, in suum colorem trahit.

Ibid. c. 2. XCIV. Vir fortis, omnia adversa, exercitationes putat, quis autem, vir modò, & erectus ad honesta, non est laboris appetens justi, & ad officia cum periculo promptus? cui non industrioso otium pœna est? Athletas videmus, quibus virium cura est, cum fortissimis quibusque confligere, & exigere ab his, per quos certamini præparantur, ut totis contra ipsos viribus utantur: cædi se vexarique patiuntur: &, si non inveniunt singulos pares, pluribus simul objiciuntur. Marcet sine Adversario virtus. Tunc apparet, quanta sit, quantùm valeat, polleátque, cùm quid possit, patientia ostendit. Scias licet, idem viris bonis esse faciendum.

Ibid. c. 2. XCV. Ecce spectaculum dignum, ad quod respiciat intentus operi suo DEUS. Ecce par DEO dignum, vir fortis cum mala fortuna compositus: utique si & provocavit. Non video, inquam, quid habeat in terris Jupiter pulchrius, quàm ut spectet Catonem, jam partibus non semel fractis, stantem nihilominus inter ruinas publicas rectum.

Ibid. c. 4. XCVI. Miserum te judico, quòd nunquam fuisti miser: transisti sine adversario vitam. Nemo sciet, quid potueris, ne tu quidem ipse; opus est enim ad notitiam sui experimento; quid quisque posset, nisi tentando non didicit. Gaudent magni viri aliquando rebus adversis, non aliter, quàm fortes milites bellis.

Ibid. c. 4. XCVII. Quare DEUS optimum quemque aut malâ valetudine, aut alijs incommodis afficit? Quare in castris quoque periculosa fortissimis imperantur? Dux lectissimos mittit, qui nocturnis hostes aggrediantur insidiis, aut explorent iter, aut præsidium loco dejiciant. Nemo eorum, qui exeunt, dicit: Malè de me Imperator meruit; Sed: bene judicavit. Idem dicant, quicunque jubentur pati, timidis ignavisque flebilia: Digni visi sumus DEO, in quibus experiretur, quantùm humana natura posset pati: *Ibid. c. 5.* Hoc est propositum DEO, quod sapienti viro, ostendere hæc quæ vulgus appetit, quæ reformidat, nec bona esse nec mala: apparebunt autem bona esse, si illa non nisi bonis viris tribuerit; & mala esse si malis tantùm irrogaverit.

Ibid. c. 6. XCIIX. Puta itaque DEUM dicere: quid habetis, quod de me queri possitis vos, quibus recta placuerunt? aliis bona falsa circumdedi, & animos inanes, velut longo, fallacíque somnio lusi: Auro illos, argento & ebore ornavi: intus boni nihil est: Isti, quos pro felicibus aspicitis, si non quà occurrunt, sed quà latent, videritis, miseri sunt, sordidi, turpes, ad similitudinem parietum suorum extrinsecus culti. Non est ista solida & sincera felicitas: crusta est, & quidem tenuis. Itaque dum illis licet stare, & ad arbitrium suum ostendi, nitent, & imponunt: cùm aliquid incidit, quod disturbet, ac detegat, tunc apparet, quantùm altæ ac veræ fœditatis alienus splendor absconderit. Vobis dedi bona certa, mansura: quantò magis versaveritis, & undique inspexeritis, meliora majoráque permisi vobis, metuenda contemnere, cupienda fastidire: non fulgetis extrinsecus, bona vestra introrsus obversa sunt. Sic mundus exteriora contempsit, spectaculo sui lætus. Intus omne posui bonum. Non egere felicitate, felicitas vestra est.

In sapientem non cadere iniuriam.

Sen. L. de Constant. c. 4. XCIX. Ad tantas ineptias perventum est, ut non dolore tantùm, sed doloris opinione vexemur, more puerorum, quibus metum incutit umbra, & personarum deformitas, & depravata facies; Lacrymas verò evocant nomina parùm grata auribus, & digitorum motus, & alia, quæ impetu quodam erroris improvidi refugiunt. Injuria propositum hoc habet, aliquem malo afficere: malo autem sapientia non relinquit locum. Unum enim malum illi est turpitudo, quæ introire eò, ubi jam virtus, honestúmque est, non potest.

Ibid. c. 5. C. Omnis injuria deminutio est eius, in quem incurrit, nec potest aliquis injuriam accipere sine aliquo detrimento vel dignitatis, vel corporis, vel rerum extra nos positarum: sapiens autem nihil perdere potest, omnia in se reposuit, nihil fortunæ credit: bona sua in solido habet, contentus virtute, quæ fortuitis non indiget.

Ideóque nec augeri, nec minui potest. Nam in summum perducta, incrementi non habent locum. Nihil eripit fortuna, nisi quod dedit: virtutem autem non dat, ideo nec detrahit. Libera est, inviolabilis, immota, inconcussa; sic contra casus indurata, ut nec inclinari quidem, nedum vinci possit. Validius debet esse, quod lædit, eo quod læditur, non est autem fortior nequitia virtute; non potest ergo lædi sapiens. *Ibid. c. 7.*

TITULUS LXI.

PURGATORIUM.

§. I.

QUO AD ESSENTIAM. *& existentiam.*

I. Purgatorium est locus quidam à divina justitia in visceribus terræ destinatus, ad purgandum fidelium defunctorum animas, in gratia Dei constitutas, nondum tamen satis integrè à culpis expiatas, idque per ignem & alias pœnas, donec novissimum quadrantem exsolverint. *Mansf. to. 4. tr. 86. disc. 2. n. 2.*

II. S. Bernardinus Senensis de hoc Purgatorio sic loquitur: Describunt Doctores, quòd quatuor sunt purgatoria. De primo in quarto Dialogorum Gregorius mentionem facit: dicens: Quod est in Sicilia in monte de Pectena, ubi navigantes sæpe audivêre voces petentes eleemosynas spirituales, & temporales, & qui fuerunt ibi, dicunt; quòd in illo monte semper ardet. Secundum purgatorium stat in centro terræ, in loco arcto, & privato, quia, qui habuerunt proprium, arctum, & privatum amorem in hoc mundo plus, quàm in Deo, dabitur illis locus arctus in centro terræ. Tertium Pugatorium reperitur esse in hoc mundo. Quartum est ignis. *S. Bernard. sen. to. 4. S. 15. extrav.*

III. Idem S. Pater quinam in hoc purgatorio torqueantur, in hæc verba declarat: Prima veritas est, quòd nullus vadit in Purgatorium, qui moritur in peccato originali; secunda veritas est, quòd illi vadunt in purgatorium, qui sunt in aliquo peccato veniali, vel qui non fecerunt debitam pœnitentiam in hoc mundo pro suis peccatis. *Ibid.*

IV. Pœnarum verò diversitatem, idem Doctor his verbis indicat: Quærunt Doctores, quæ pœnæ, & quantæ sunt in purgatorio? Et dicunt, quòd animæ dupliciter tormentantur in purgatorio; Uno modo, quia sunt privatæ seu semotæ à consolatione Dei. Secundo modo, quia habent pœnas similes, pœnis Infernalibus, sed differunt ab animabus, quæ sepultæ sunt in inferno, in hoc, quia damnati sunt in æternum, æternáque gloriâ Paradisi privati, & sentiunt æternam pœnam sine spe Redemptionis, quia in inferno nulla est redemptio. *Ibid.*

V. Existentia Purgatorij probatur ab Authoribus quadruplici argumento. Primò ex S. Scriptura, quod argumentum sic proponit Iacobus Munfordus in præclaro libello; quem de misericordia animabus præstanda scripsit. In secundo libro Machabœorum c. 12. legitur Iudas Machabœus, *factâ collatione duodecim millia drachmas argenti misisse Hierosolimam offerre pro peccatis mortuorum sacrificium.* V. 43. At fortè scriptura solummodò refert, non verò approbat hanc Machabæi in milites suos demortuos pietatem? imò certè vel maximè approbat: sequitur enim in versu. 46. *Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur.* Commendat ergo Scriptura hanc ejus pietatem ut sanctam, commendat ut salubrem & imitatione dignissimam. Illud præterea ex hac historia constat, non solum Iudam Machabœum credidisse, Animas in purgatorio detineri, sed idem etiam credidisse Iudæos omnes, quia tam liberaliter contribuerunt pecuniam suam, ut Sacrificium offerretur pro peccatis mortuorum, eo fine, ut à peccatis suis solverentur. Addo, quòd in hodiernum usque diem Iudæi omnes purgatorium credunt, & preces pro defunctis fundunt, ut ex eorum Ritualibus est manifestum. Secundo Authoritate Apostolorum, uti S. Chrysostomus testatur dicens: Non temerè ab Apostolis hæc sancita fuerunt, ut in tremendis mysterijs Defunctorum agatur commemoratio; sciunt enim illis indè multum contingere lucrum, utilitatem multam. Hæc Chrysostomus, cuius testimonio liquet, constitutas ab Apostolis fuisse orationes pro defunctis, ob ingens, quod ex orationibus nostris fidelium Animabus provenit emolumentum. Tertio Authoritate Ecclesiæ, quæ iis ipsis sæculis, quibus, si unquam aliàs, purissimus fuit Religionis cultus, orationem pro mortuis comprobavit. Constat hoc ex Concilio tertio Carthaginensi, cui subscripsit S. Augustinus, quodque Synodus sexta confirmavit. Hoc enim Concilium non solùm numerat duos Machabœorum libros inter canonicas scripturas (Canone 47.) sed decernit etiam in hæc verba: Ut Sacramenta Altaris non nisi à jejunis celebrentur: nam si pomeridiano tempore defunctorum commendatio facienda est, solis orationibus fiat. Unde S. Augustinus de hoc argumento sic loquitur: In Machabæorum libris, inquit, legimus oblatum pro mortuis sacrificium, sed etsi nusquam in scripturis veteribus legeretur, non parva est universæ Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret, authoritas, ubi in precibus Sacerdotis, quæ

Iacob. Mundford in trac. de Miseric. animab. præstand. c. 1. n. 1.

S. Chrys. ho. 69. ad pop.

S. Augustinus li. de cura pro mort. c. 1.

quæ Deo ad ejus Altare funduntur. Locum suum habet etiam commendatio defunctorum. Quintò Authoritate SS. PP. Augustini, Athanasij, Tertulliani, Cypriani, Ambrosij, Hieronymi apud Bellarminum de purgatorio: quos, licèt in aliis errare posse credamus, nemo tamen nisi imprudentissimus dixerit, eos in illis rebus, quas ante oculos suos quotidie gestas conspexerunt, referendis errâsse. Quintò ratione, (*Ioa. Munf. l. 1. c. 2. n. 1. & 4.*) cùm enim, ut rectè argumentatur citatus Munfordus, ex una parte certum sit, dari aliqua peccata venialia, eáque non satis in hac vita expiari; ex altera verò parte pariter ex Scriptura constet, nihil coinquinatum in cœlum admitti, necessariò sequitur, concedi aliquem locum debere, in quo animæ à talibus maculis mundentur.

§. II.

EX S. SCRIPTVRA.

Existentia.

(*Psal. 141. 8.*) I. EDuc de custodia animam meam, ad confitendum nomini tuo, me exspectant justi, donec retribuas mihi.

(*Isaiæ c. 4. v. 4.*) II. Si abluerit Dominus sordes filiarum Sion, & sanguinem Ierusalem laverit de medio ejus, in spiritu Judicii, & spiritu ardoris.

Qualitas.

(*Iob. c. 13. v. 24.*) III. Cur faciem tuam abscondis, & arbitraris me inimicum tuum?

(*Apoc. c. 18. v. 7.*) IV. Quantùm glorificavit se, & in deliciis fuit; tantum date illi tormentum.

(*Isaiæ c. 25. v. 7.*) V. Secundùm magnitudinem operis, visitatio eorum.

(*Psalm. 10. v. 7.*) VI. Ignis, & sulphur, & spiritus procellarum, pars calicis eorum.

(*Isaiæ c. 30. v. 33.*) VII. Flatus Domini, sicut torrens sulphuris succendens eam.

§. III.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Qualitas.

(*Apud Munf. disp. 1. n. 2.*) I. S. Augustinus dicit, quòd est tanta damnatorum pœna sensitiva, purgativa, & dolor, & sensus omnis generis tormentorum, quòd in hoc mundo cogitari non potest, nec probari, nec aliter considerari, quia omnes pœnæ, quæ possunt excogitari in hoc mundo, & pœna Christi, & omnium aliorum Martyrum, cæterarúmque personarum, & creaturarum, nihil sunt respectu pœnæ purgatorii, & tantùm interest inter ignem nostrum naturalem, ab igne purgatorii, quantùm differt ignis pictus à vero igne naturali.

II. S. Bonaventura de acerbitate pœnæ Purgatorii sic loquitur: In Purgatorio Duplex est pœna, una est damni de carentia divinæ visionis; Alia sensûs de afflictione ignis; & quantum ad utramque minima pœna purgatorii major est maximâ pœnâ mundi; (*S. Bonav. in 4. comp. l. 7. c. 3.*) istud patet de pœna damni, quia affectus, quo desideratur summum bonum post hanc vitam ab omnibus sanctis, intensior est, quàm aliquis affectus rei temporalis in vita, maximè cùm jam tempus habendi advenerit, ideo carentia eius molestiùs toleratur. Istud etiam patet de pœna sensûs, quia cùm dolor non sit essentialiter læsio, sed læsionis sensus, tantò magis dolet anima, quantò magis sentit sensitivum aliquod, ideo ab igne in ipsum agente maximè affligitur. Ratio acerbitatis pœnæ purgatorij hæc est, quia cùm DEUS magis quærat emendam, quàm pœnam, plùs ponderat in pœnitentia virtutem bonæ voluntatis, quàm pœnam afflictionis. Unde plùs ponderat DEUS modicam pœnam voluntariam in præsenti, quàm multò majorem non ita voluntariam in futura, sicut plùs valet modicum auri, quàm multùm plumbi, unde oportet, ut, quod ibi deficit in voluntate, hic suppleatur in acerbitate.

III. Futurum quoque est, ut quidam corripiantur in ira tua: & ideo, Domine, flagella, (*Ven. Beda sup. Ps. 17.*) seca, ure, purgatum me hic redde, ut non corripias me tunc in ira tua. Corripiantur in ira DEI, qui Christum fundamentum habent, sed non tantùm aurum, argentum, lapides pretiosos superædificant, sed etiam intermiscent lignum, fœnum, stipulas, id est, committunt quædam venialia peccata graviora, & leviora, & ideo necesse est, ut hi tales in ira corripiantur, id est, in purgatorio igne nunc interim ante diem judicii ponantur, ut, quæ in eis immunda sunt, per illum exurantur. Demum verò pœnarum illarum acerbitatem aggravans subjungit: Nec immeritò tantùm timor iste hanc correctionem, quia attendit eam esse graviorem, quàm quicquid unquam passi sunt latrones, vel sancti Martyres, vel quicquid gravius homo posset excogitare.

IV. Hi qui temporalibus pœnis digna gesserunt, de quibus Apostolus dicit; *Si cujus opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem salvus erit*, quasi per ignem, per fluvium igneum, de quo propheticus sermo memorat, (*S. August. ho. 16 de resurr. l. 50. hom.*) *& fluvius igneus currebat ante eum*, per fluvium, inquam, igneum, & vada ferventibus globis horrenda transibunt. Quanta fuerit peccati materia, tanta erit transeundi mora; quantùm exegerit culpa, tantùm sibi ex homine vindicabit quædam flammæ rationalis disciplina; & quantùm stulta iniquitas sugesserit, tantùm sapiens pœna desæviet. Nec refert, quòd iste locus de novissimæ mundi conflagrationis igne à nonnullis accipitur. Nam & ille divinæ justitiæ, potentiæque instrumentum erit, & justorum reliquas sordes purgabit, atque adeò, quod de illo dixit, diceret de lustrali Augustinus. Et verò Paulinus Epist. 9. ad Severum, Purgatorium vocat ignem sapien-

pientem, & quodam in Carmine ignem arbitrium nuncupat, scilicet quatenus pro cujusque meritis vehementiam suam vel intendit, vel remittit, non suapte quidem sponte, sed divinæ Justitiæ, cui omnino subiicitur arbitratu,& attemperatione.

V. Ignis ille Purgatorius non minùs calidissimum, qui unquam in hoc mundo exarsit, ignem calore suo superat, quàm calidissimus ille ignis depictum in pariete, ignem suo excedit calore. Ita ipse. Hac quoque ratione SS. Patres, quos antea protulimus, affirmant minimum ab igne lustrali cruciatum, accerbiorem esse maximo, qui hac in vitâ possit excogitari. Ex quibus omnibus D. Thomæ sententia, nimirum minimam purgatorii pœnam, maximâ hujus vitæ, atrociorem esse, affatim probata esse videtur, si quidem illa de acrimoniâ sua nihil remittat, quod aliqui Theologi volunt,ut videlicet pij manes eò citiùs purgentur, quò acriùs.

S. Thom. in 4. dist. 21. q. 1. a. 2.

VI. Venialia charitati adjuncta possunt per aliquam pœnam consumi, & ideò convenienter secundùm metaphoram significantur per illa, quæ per ignem consumuntur. Et quia quantò aliquod peccatum est gravius, tantò difficiliùs purgatur, in peccatis autem venialibus invenitur unum altero gravius, ideò convenienter eorum diversitas significatur per diversitatem eorum, quæ faciliùs, & tardius consummuntur ab igne. Et quia perfectio cujuslibet, quantitatis ternario comprehenditur, propter principium, medium,& finem,ideò triplex differentia ponitur, quia sunt gravissima in genere venialium, & difficillimè purgabilia, & hæc per lignum signantur. Quædam minima, quæ per stipulam, quædam media, quæ per fœnum significantur.

§. IV.

EXEMPLA SACRA.

Qualitas.

Bellovac. spec. Mor. l. 2. p. 1. dist. 10.

I. Bellovacensis refert, Angelum quendam viro cuidam apparuisse, eique dixisse, quòd si tunc mori vellet, unico tantùm die in purgatorio moraturus esset; secùs autem, longam, & dolorosissimam toleraturus esset infirmitatem; Elegit igitur statim ex hac vita migrare; sed audite, quid tandem contigerit. Cùm idem Angelus paulò pòst mortem ad animam intra flammas purgatorii hærentem, eandem consolaturus accessisset, anima se ab ipso graviter deceptam fuisse,conquesta fuit,eò quòd jam non una die, sicut Angelus promiserat, sed multis annis in ijsdem derelictus fuisset. Cui Angelus respondit: Ita quidem tibi videtur ob tormentorum acerbitatem, cæterùm verò ex viginti quatuor horis, quibus in hisce pœnis commorari debes, non nisi una solùm hora prætererijt. Tunc anima Angelum instanter rogavit, ut se apud DEUM precibus suis interponeret, ut denuo in hanc vitam redire posset, promptam se offerens ad omnium atrocissimorum tormentorum carnificinam, toto futuræ vitæ tempore, pro divinæ voluntatis arbitrio tolerandam.

II. S. Cyrillus scribit, se ab uno ex tribus mortuis per S. Hieronymum resuscitatis sequentia intellexisse: Quales putas credis esse pœnas paratas non solùm damnatis, sed etiam in purgatorio existentibus: ad quod ego: Puto, quòd majores sint pænis præsentis vitæ. Et ille; si omnes, quæ in mundo sunt, pænæ, tormenta, & afflictiones comparentur minori pœnæ, quæ illic habetur, velut solatia, apparebunt. Mallet namque viventium quilibet, si illas per experientiam nosceret, omnibus pænis his simul sine remedio cruciari usque ad finem mundi, quas omnes homines ab Adam, usque in præsens sigillatim perpessi sunt, quàm uno die inferno, aut purgatorio affligi minori pæna, quæ ibi habetur. Et paulò pòst acerbissimum quoddam indicat tormentum dicens: Tanta pœna est, dæmones intueri, quòd unusquisque mortalium potiùs se præberet ardentibus flammis arsurum, quàm jugiter oculis formas illorum vellet inspicere, quorum formis nihil pœnosius, nihil horribilius potest excogitari.

Dion. Cart. l. 4. nov. l. 3. a. 18.

III. Petrus Cluniacensis sequentem narrat visionem: Pervenimus in regionem spatiosam, visu valde horrendam, in qua fuit multitudo innumerabilis inenarrabilibus suppliciorum immanitatibus exposita. innumerabiles pænarum species vidi ibi; Hi enim torquebantur; Hi in sartagine frigebantur. Hi unguibus sulcabantur, usque ad dissolutionem compagum. Alii puniebantur in balneis confectis ex pice, & sulphure, aliisque liquaminibus ex ære, plumbo, aliisque metallis, cum fœtore horrendo. Quosdam vermes monstrosi, dentibus venenatis rodebant. Et hæc quidem omnia in primo purgatorio ipsum vidisse scribit, de secundo verò purgatorio in hunc modum refert: vidimus profundissimam vallem, in qua erat flumen altissimum, quod nebulam indicibilis exhalabat fœtoris; Erat quoque in ea ignis, qui videbatur usque ad cœlum pertingere; Atque ex ex alia parte fuit tanta immanitas frigoris, ut nihil pœnalius eâ me conspexisse putaverim. Ibi erant innumerabiles animæ, quæ nunc in flumen illud fætidissimum mergebantur, nunc inde erumpentes, ignibus involvebantur, ac inde exeuntes asperrimis frigoribus tradebantur. Tandem in alterum descendit purgatorium, de quo sequentia refert: Post hæc venimus ad tertium purgatorii locum, qui ultra, quàm mente concipi potest, horribilis extitit, & pœnalis, imò nulla lingua exprimere posset minima loci illius supplicia. Venimus ergo ad maximum campum, quem operiebat chaos horrendum, cui admixtus fuit fluvius sulphureus immensi fœtoris, nebula quoque & flamma, instar picis nigerrima spargebatur confusè per campum. Planities campi scatebat multitudine vermium; vermes illi super omnem æstimationem erant horribiles, monstrosi, deformes, aspectu pavendi, & naribus

Ibidem.

bus ignem execrabilem spirantes, qui turmas miserorum voracitate insatiabili lacerabant, & super miseros illos Dæmones cursitabant, ac more insanientium sæviebant in eos, atque per ferramenta ignita, eos frustratim per singula membra truncabant? nunc omnem carnem usque ad ossa funditus abradebant. Nunc igni injectos liquefecerunt velut metalla. Parùm est hoc, testor DEUM, imò tanquam nihil, quicqid dicere nitimur de pœnis loci illius. In brevissimo enim temporis spatio intuebar eos, centum vel amplius pœnarum diversitatibus quasi annihilatos, & mox restauratos, & iterum ferè in nihilum redactos.

Mans. disc. 1. n. 4. IV. In Promptuario Exemplorum legitur, quòd, dum ex duobus Religiosis, qui familiares invicem amici erant, uni morti vicino revelatum fuisset, quòd in purgatorio eò usque moraturus esset, donec pro ipso aliquod Missæ Sacrificium offerretur, alterum Religiosum amicum rogarit, ut, postquam animam exhalasset, subitò pro se Missam celebraret; quod cùm is punctualiter adimplesset, anima per illud sacrificium liberata, priusquam in cœlum conscenderet, eidem amico apparens, de dilata nimiùm Missæ celebratione graviter lamentata fuit; credebat enim se viginti annis intra purgatorij flammas fuisse commoratam, cùm tamen non nisi illo temporis spatio in eo fuisset, intra quod Missa de requiem absolvi poterat.

Iac. Hautinat in patroc. desf. l. som. 505. V. Boverius, PP. Capucinorum historicus anno 1586. memorat, P. Constantinum à Salvatore, virum planè sanctum, nonnullis post obitum diebus Patri cuidam apparuisse, & de salutis suæ rebus interrogatum, inter alia hæc dixisse: Heu! Heu frater! quàm districta Domini judicia sunt, atque ab hominum sensu ac sententiâ longè remota! Quæ enim viventibus virtutes videntur, à DEO plerumque, qui rectè omnia metiri novit, vitia reputantur. Ego quidem DEI miseratione salutem consecutus, jam cœlesti gloriâ fruor, verumtamen in purgatorio igne triduo pœnas exsolvi, quæ trium millium annorum spatium diuturnitate æquare visa sunt. Tum geminam eorum causam reddidit: prior, quòd diuturno in regimine non paucas maculas, quas nec maculas putabat, contraxisset; altera nominatim, quòd in animi relaxationibus indulgentior æquo in subjectos fuisset, unde nonnulla dissolutio enata esset. Aliam historiam narrat idem Author anno 1567. de quodam alio fratre defuncto, cui dimidiatæ horæ intervallum, quo Missa pro eo facta fuerat, plùs anno durasse visum sit.

Ex lit. Paraquar. ann. 1650. VI. Sodalis quidam Parthenius ex Paraquariâ de vitandis levibus noxis sæpe admonitus, etiam intentato purgantis ignis terrore, correctionem negligebat, quando superis placuit, hac eum ratione ad officium urgere. Nocte quadam splendidos juvenes sibi adstare conspexit, cum iisque medium virum è Societate. Tunc illi, nunc, inquiunt, te docebimus, quàm non contemnendæ sint piaculares flammæ, correptúmque strato in ardentem rogum conjiciunt, quintâ pòst, ut ajebant, die extrahendum: flammas ille vix senserat, cùm exclamare cœpit, se per plures annos in iis jacuisse; Falleris, reponunt, nondum dimidiati quadrantuli pars effluxit: disce deinceps illas non flocci pendere; hísque dictis sese subduxêre. At hic totus sudore diffluens, & adhuc æstuans ad lucem usque, scilicet meliora proposuit, pòstque insigni noxarum correctione ostendit, non inane visum fuisse. Ita literæ Paraquarienses anni 1650. Quod totum cùm citra mortem, extráque purgatorium peractum sit, scilicet vi imaginatricis facultatis, omninò credibile est, priorem narrationem eodem pacto accipiendam esse, maximè cùm Carthusianus referat Franciscanum quendam virum alioqui inclytæ virtutis, nocte quadam, in spiritu, ut ajunt, post matutinas preces sensisse purgantes flammas, cúmque ante pulsum ad primam, sibi redditus esset, existimâsse, centum & quinquaginta annis sese in iis versatum fuisse.

VII. Cùm B. Wilhelmus Villariensis Abbas in Brabantia ad Generale Capitulum iter arripuisset, accidit, ut quidam Conversus infirmitate prægravatus Superiorem advocans, eidem confiteretur quoddam inter cætera peccatum, cujus absolutionem Abbas sibi reservaverat. Quo audito, Superior existimans, mortis non imminere periculum, dixit ei, quòd peteret ab Abbate suo Absolutionem de illo delicto. Quid moror; ingravescente infirmitate ex hac vitâ discessit in verâ contritione, & afflictione cordis; quòd quidem ita inopinatò accidit, ut nec superiorem vocare, nec Confessionem reiterare valeret. Cùm autem Abbas de Capitulo rediisset, & sequenti die orationibus, & sanctis meditationibus vacâsset, spiritus defuncti nuper Conversi apparuit illi. Porrò Abbas viso illo, & præmisso Benedicite, inquirere cæpit de statu suo. At ille, cùm recessisses, inquit, à nobis, mandatum accepi à Superiore in Confessione, quòd peterem à vobis benedictionem pro hoc delicto; ecce venio, & vestram benedictionem instanter exoro, & desidero. Quâ acceptâ ab Abbate, iterum requirit defunctus, quid debeat facere, ut ab illa culpa mundetur? cui Abbas: præcipio tibi, inquit, quòd permaneas per annum integrum in Purgatorio. At ille exclamare cæpit, & dicere: Heu me! Pater, quare tam duram tulisti contra me sententiam? Ego potiùs eligerem septem annis in ignita fornace Villariensi cruciari, quàm per unum integrum annum esse in Purgatorio: & Oratio Dominica semel dicta suffecisset. His auditis Abbas vehementer contristatus, absolvere eum voluit à simili pœnâ. At ille: non est, ait, in tua potestate liberare me: tu tuam sententiam tulisti; lata permanet: precibus autem, & aliis obsequiis evadere potero pœ- *Henriquez in flor. 18. Cistert.*

nam

purgatorio subiisse; at jam iis absolutis abiisse in cœlum; obiit autem Salomon juxta Salianum anno ab orbe condito 3059. ante Christum 994. adeoque sic in purgatorio fuit annis bis mille sexcentis.

In libel. suppl. anim. purg. XIV. In Provincia Gallo Belgica Anno 1050. in Cœnobio Insulis adjacente, Religiosus senex festi S. Cæciliæ privilegio in somno vidit Religiosum armis igne rubentibus coopertum: quem cùm rogaret, quis esset, respondit, se illius loci Religiosum esse, & jam quadraginta annis sub his armis arsisse, ac decem insuper superesse. Causam pœnæ esse, quòd æquales despexerit, alienæ famæ detraxerit, ad usus proprios aliqua sumpserit. Ideo eius se preces poscere.

Mat. Ram. n. 2. XV. In Chronica S. Francisci legitur l. 4. c. 7. fuisse quendam sanctitatis celebrem eius Ordinis mortuum, pro quo cùm omnes altero die Sacrum fecissent, excepto uno, qui quidem cùm crederet virum tam sanctum eâ ope non egere, pro eo non fecit; alterâ nocte apparuit huic mortuus, & questus est, se defectu huius Sacri pati diutiùs; Is verò veniam petit, causamque prætermissi Sacri recenset: Cui alter: longè omnem rationem humanam superat, quàm rigidè DEUS ibi judicet, puniátque quidquid hîc non plenè est expiatum.

§. V.

ASCETICA.

Mansi disc. 2. n. 3. INprimis nosse debet Asceta, *unde gravitas pœnarum Purgatorii oriatur*, quod equidem author quidam innominatus apud Mansi sic ostendit: Ad dolorem tria concurrunt, & simul uniuntur, scilicet potentia, objectum, & utriusque unio. Quod attinet potentiam, clarum est, potentiam animæ capaciorem esse potentiâ corporis, ac proinde animam acerbioris doloris esse receptivam; Quod verò spectat ad subjectum, pœna sensus atrocissima est, quia infligitur per ignem realem, sine ullâ comparatione activiorem, igne nostro elementari; hic enim in comparatione illius est, quasi esset depictus, éstque ad hoc ordinatus, ut tanquam instrumentum divinæ justitiæ, eidem rigorosè satisfaciat, nec non ut rigor ille, ejúsque incrementum animas magis, magísque purificet, & emundet; quod verò attinet unionem potentiæ cum objecto, pœna quoque intensissima est, quia si demus exemplum corporis alicujus, quod in medias flammas projectum, carbonibúsque accensis copiosè contectum, hoc certè nullam habet proportionem, si comparetur cum anima in eundem ignem conjecta, quia unio, quæ fit inter corpus & ignem, fit per extremas utriusque partes, & superficies, adeo, ut, quando corpus ad ignem accesserit, ignis ossa illius, omnésque corporis partes penetret, ita tamen, quòd paulatim idipsum faciat; At verò cùm anima voracissimo igni integrè & totaliter sit alligata, ab eodem penetrata, unita, atque ab ejus activitate absorpta, utpote qui ad gradus fortè ut octo ascendit, ab acerbissimo illo dolore nunquam desistere poterit, & ideo quis excessivum hunc ardorem, ejúsque intensissimam activitatem assequi valebit. Suarez adductis multorum sanctorum Patrum aliorúmque classicorum doctorum authoritatibus, pœnas purgatorii à pœnis inferni solâ perpetuitate discrepare asserit; cujus rationem à priori, ab ordinatione divinæ justitiæ desumendam esse dicit; nec non ab offensæ quantumvis minimæ adversùs ipsum commissæ gravitate, quæ altioris rationis est, quàm omne malum creaturæ: Et ideo licèt non semper æternam meretur, meretur tamen pœnam graviorem, & quasi altioris rationis, quàm DEUS in vita futurâ cum rigore exigit, quia homo in hac vitâ tempore sibi concesso usus est ad benigniorem compensationem faciendam. Notandum quippe est, quòd, quantò res aliqua est magis sensitiva, tantò quoque vehementiùs dolorem sentiat, quemadmodum in nervis, digitis, & tibiis experimur, quia nervi sunt sensûs tactûs, instrumenta; Anima igitur quæ in flammis purgantibus patitur; in gradu superlativo sensitiva existit, utpote quæ primum mobile & prima causa est omnium sensuum; Nam, ut habet axioma illud Philosophicum: Propter quod unumquodque tale, & illud magis tale. Ideo, ut author quidam scribit: Cùm agit in ipsam aliquod agens læsivū, ipsam maximè lædit, & tantò magis, quantò læsivum est magis activum, ignis autem inter omnia elementa est magis activus.

II. *Nosse debet, cur Purgatorium à DEO decretum sit*; id quod S. Bonaventura sequentibus verbis declarat: Omnes adstricti tenentur ex decreto divinæ justitiæ, donec reddiderint novissimum quadrantem; cujus ratio est: quia in supernam Jerusalem nihil inquinatum intrare potest; impossibile est animam intrare regnum gloriæ, quamdiu habet aliquid purgandum. Hoc figuratum est in libris Regum, ubi dicitur: *Malleus & securis non sunt audita in ædificatione templi*, prius enim quadrabantur, & dolabantur lapides, & ligna in Libano, & postea collocabantur in templo: Sic lapides vivi necessariò in hac vita quadrantur, & polliuntur merito, vel post hanc vitam igne purgatorio, antequam superædificentur in cœlo. *S. Bonav. l. 7. comp. Theol. c. 3.*

III. *Nosse debet, an verè per rotas & alia crudelitatis instrumenta torqueantur*, de qua re sic discurrit Hautinus: Quamobrem quæ Tondalus quidam apud Carthusianum de 4. noviss. c. 21. perhibet, se vidisse in purgatorio, bestiam nimirùm horribilem (cujus ventri animæ immersæ dirissimas pœnas dabant, & velut canum, ursorum, leonum, serpentium, & aliorum truculentiam animalium perpetiebantur. Item carnifices cum cultris, securibus, dolabris, falcibus, terebris, & hujusmodi crudelitatis instrumentis: item alia, quæ videre sibi visi sunt alii, non aliud significabant, quàm crudelissima, *Hautinus l. 1. c. 3. 4.*

dissima, quæ fingi animo, & exerceri possunt apud mortales, supplicia, non quidem ea ipsa per sese, sed in igne purgatorio eminenter, ut aiunt, contenta reperiri.

IV. *Nôsse debet causas, ob quas eadem pœna damni tam gravis accidat purgantibus animabus*; quas quidem fusè explicat Hautinus, dum ait, gravitatem hanc oriri. Primo ex dilatione visionis beatificæ, de qua sic discurrit Suarez: Tale est illud bonum, scilicet visio, ut si opera nostra, vel afflictiones per se spectentur, esset superabundans præmium illorum, etsi ad breve solùm tempus concederetur; ergo è contrario retardatio tanti boni, & privatio ejus, licèt temporalis, maximum malum est, infinitè (ut ita dicam) excedens omnia hujus vitæ nocumenta. Secundo ex desiderii, quo Deum videre desiderant, vehementia.; nam, ut S. Thomas rectè advertit, quantò aliquid magìs desideratur, tantò ejus absentia est molestior, & quia affectus, quo desideratur summum bonum post hanc vitam, in animabus sanctis est intensissimus, quia non retardatur mole corporis, & etiam quia tempus fruendi summo bono jam advenisset, nisi, aliquid impediret, & ideò de retardatione maximè dolent. Tertio ex privatione amoris beatifici; etsi enim optimum Numen in illo carcere vehementer ament: sed cùm adhuc in fidei caligine, & ipsæ versentur, noverintque, quemcunque amorem suum nihil esse ad amorem patriæ, quo jam potirentur, nisi cecordiâ suâ, divino lumini rebelles antehac fuissent, scilicet amoris sui frigus damnant, dolentissiméque ferunt, non posse se tam eximio illo, ac cœlesti amore totas nunc inflammari. Eò maximè, quòd (nescio quo peccato) amor hic expetendus videtur præ visione Dei, ac possessione: Nam possessio quidem, spei meta est, atque (ut vocant) obiectum: amor autem beatificus castissimi amoris scopus ac votum: quarè mallent omnino quælibet tormenta, & cujusvis boni jacturam perennem perpeti, quàm brevissimam hujus amoris (quippe longè præstabilioris boni, gratiorísque rectæ voluntati) quàm horribilis sit, vel jactura quælibet, vel miseria. Itaque hâc maximè causâ ingemiscunt amantissimæ animæ cum propheta. Ps. 119. *Heu mihi! quia incolatus meus prolongatus est! habitavi cum habitantibus Cedar*: sive, ut Hebræi, *cum tabernaculis Cedar*. Quæ vox tenebras, ac nigredinem notat, atque adeò simul fidei caliginem, simul tenebras purgantium locorum, ubi licet non domos mansuras, sed tabernacula peregrinantium incolant pii manes, tamen præ dolore exclamant: Multùm, id est, nimis incola fuit anima mea. Quarto ex jactura gaudij beatifici, etsi enim illorum mœror illi gaudio ex æquo respondere nequeat, cùm & ipse mœror longè sit inferioris ordinis, ut & cognitio, & amor piorum manium; tamen boni, quod gaudio beatifico continetur, magnitudo, jacturæ illius magnitudinem denotat, & hæc tristitiæ ex eâ ortæ gravitatem. Certè ludus est, & iocus, omnis alius mœror illi collatus. Quinto ex jactura graduum gloriæ amissorum, de qua sic loquitur Suarez: Existimo, tristitiam illam, ut est pœna per se imposita ad purgationem culparum, magìs esse de gradibus beatitudinis perpetuò amissis, seu non lucratis propter otium, & venialia peccata; quàm propter solam dilationem beatitudinis aliquando consequendæ: & hoc igitur modo graviùs tristantur animæ imperfectiores, & quæ majorem reatum habent. Sexto ex reiectione gratiæ actualis, & sanctificantis: cùm enim gratiam, & illius augmentum quærere, & admittere optabilissimum sit; repudiare, non potest non esse turpissimum. Nam philosophorum scitum est, ex contrariis contraria consequi. Et sanè in gratiæ repudiatione inest aliquis illius, imò, & Numinis eam offerentis, contemptus. Gratiæ quidem, propterea quòd rem omnium augustissimam, & præstantissimam, homo tanti non æstimat, quanti abiectissimas Mundi quisquilias, quas utique magno labore, gratiam vix levi vult mercari. Numinis autem despectio indè promanat, quoniam, qui donum tantum ac tale reiicit, donantem contemnere censetur. Etenim quemadmodum honoris excellentia à personâ honorantis petenda est, ita & doni, quod honoris habet rationem, pretium à dignitate dantis promanat. Et ita moribus hominum comparatum est, ut torques ac bullæ à regibus donatæ, etsi per se non admodum pretiosæ, maximi æstimentur. Sicut ergo qui regis donum vili penderet, pariter ejus dignitatem haberet contemptui; ita qui gratiam (summum Dei donum) contemnit, Deum contemnit. Septimo ex peccatorum recordatione: nam, ut S. Ambrosius ait, nullus dolor major est, quàm qui peccati mucrone vulnerat conscientiam. Octavo ex neglectâ satisfactione, tam ex opere operantis, quàm opere operato: id, quod Hautinus sic ostendit: Queritur Ierusalem, plangítque apud Ieremiam vatem Threnorum cap. 1. 15. rem mirandam. Nam de Deo judice loquens: *vocavit, ait, adversum me tempus.* Quorsum scilicet, ut ipsum tempus miseram illam ream, vel testis, vel accusator ageret. Quid ita? Quoniam cùm conditum esset, eique concessum, ad præstandum vero Numini obsequium, ac cultum, malesana ad idololatriam, & scelera, omne genus tempore abusa esset. Non dissimili ratione ingemiscunt pij manes, graviter redargui se à tempore, quod in vivis transegêre: quia, cùm datum eis esset ad facilem pro culpis suis satisfactionem, per intolerabilem socordiam suam otiosè illud fefellêre. Porro tot sunt illius voces, quot horæ, imò quot momenta: nec pauciora capita accusationis. Propterea quòd omnia præterita

Suarez. de purg. d. 3.

S. Thomas in 4. dist. 21. q. 1. a. 1.

Suarez. l. 1.

Hautinus l. 1. c. 137.

teritæ vitæ momenta eorum mentibus sese obtrudant, simúlque propriam singulis momentis satisfaciendi opportunitatem, cujus neglectum accusant. Atque hinc non modicus piorum manium mœror; hinc illi gemitus, nolui dum possem! non possum, dum vellem. O! mihi præteritos referat si Conditor annos? sed heu! tempus non erit ampliùs. Apoc. 10. *E heu! homo vanitati similis factus est, dies ejus sicut umbra prætereunt.* ps. 143. Quàm enim vanum atque insanum est, finire, ut dies, & anni præterfluant velut umbra, quippe inanes, & meriti, & satisfactionis, cùm utroque pleni duci possent, & facili negotio pretióque longos, & ingentes cruciatus redimere? Ecce, clamat, & ingemit unaquæque anima: *mensurabiles posuisti dies meos, & brevi sanè mensurâ, & tamen substantia mea tanquam nihilum ante te.* ps. 38. cùm enim breve spatium vitæ cumulandis meritis, solvendisque levi pretio noxarum mearum pœnis, totum impendendum fuisset, eheu! propè totum vacuum abiit, & licèt variis negotiis distentum, laboribúsque exercitum, judicio divino instar flocci, ac nihili reputatum est, quia mundo, non Deo, ac saluti impensum. Ita, quod Iobus gemebat cap. 17. *dies mei transierunt: cogitationes meæ dissipatæ sunt, torquentes cor meum:* illæ, inquam, cogitationes, quibus lactabam animam spe inani aliquando satisfaciendi, dissipatæ quidem sunt, attamen non cessant jam distorquere, & excruciare animum.

S. Bern. Sen. to. 2. ser. 65. a. 2. c. 1. VI. *Nôsse debet, quòd, etsi maxima sit animarum purgantium pœna, non tamen illæ sint omnis solatij & gaudii expertes.* Nam, ut S. Bernardinus Senensis advertit, multiplici titulo gaudent. Imo quia confirmatæ sunt in gratia, nec valent malum velle, nec agere. Secundò quia sunt certæ de gloria. Tertiò quia affectæ sunt benè erga Justitiam divinam in se. Ideo delectantur, patienter tolerando divinam justitiam in se. *Lætabitur justus, cùm viderit vindictam* (Ps. 57.) scilicet super se exerceri. Quartò ob conformitatem cum DEI voluntate, ideo voluntariè sustinent omnia. Ut enim testatur Hugo de arrha Sponsæ: si pœna Inferni esset voluntaria, non esset pœna. Hinc patet, etiam inter hæc gravissima tormenta, meliorem & feliciorem esse statum earum animarum, quàm hominum, qui sunt in mundo. ibid. a. 2. c. 1. Quintò ob Sanctorum affectionem; Sancti enim assiduè orant DEUM pro illis proximis suis, quos cruciari cernunt. Sextò ob justorum participationem, sicut enim membra jam nutrita subveniunt aliis membris; sic & ij, qui è purgatorio transierunt in paradisum, precibus suis juvant animas in purgatorio. Septimò ob propriam perfectionem: Nam secundùm S. Augustinum, qui in hoc sæculo magis meruit alios adjuvare, in altero ampliùs juvatur. Pone, quòd moriatur pauper cum multis meritis, tamen habens aliquid ad purgandum? & moriatur dives aliquis cum paucis meritis, habens plurima ad purgandum. Dico, quòd eleëmosynæ per divitem dispensatæ pauperi, proderunt ampliùs sive minùs, prout suis orationibus, meritis, & exemplis, in præsenti vita juvit divitem illum vivum sine defectu. Ex quo patet, quòd utile sit Orationibus, & meritis, & exemplis, vivos vel mortuos divites & quoslibet adjuvare: cùm hæc plùs proficiant facienti, quàm recipienti. Octavò ob proximorum subventionem, quæ animabus innotescit, divinâ inspiratione, vel Angelicâ revelatione, vel noviter morientium annuntiatione, vel experientiæ cognitione: quia scilicet propter suffragia, quæ illis impenduntur, sentiunt sibi minui pœnam. Et hoc conveniens est, ut, cùm de purgatorio fuerint liberatæ, gratias suffragatoribus suis referre sciant. Non enim possibile est, ut ingratitudo vel aliud quodcunque vitium locum habeat in gloria sempiterna. ibid. a. 2. c. 2. serm. 65. Nonò aliud est gaudium animæ recipientis, nam magis prosunt suffragia illis, pro quibus fiunt. Decimò est gaudium facientis, nam talia suffragia plùs prosunt facienti, quàm aliud aliquod opus misericordiæ, quia quantò est miseria major, tantò est major misericordia. Unde S. Joannes Damasc. in serm. de his, qui in fide dormierunt, ait: quicunque proximi salutem temporalem curat, primùm sibi prodest, secundùm proximo; Ideo ista suffragia facta in charitate, prosunt facienti æternaliter, sed recipienti non nisi temporaliter. De tali æternali profectu, qui provenit facienti, gaudent etiam, qui in purgatorio sunt. Si autem is, pro quo fit oratio, est in inferno, ad facientem revertitur suffragii virtus; si autem in cœlo, tunc salvatus obligatus est ad orandum pro suffragante: & piè creditur, quod id proficiat. Undecimò Gaudium est particulare; nam suffragia, quæ fiunt pro uno, plùs ei prosunt, quàm si eadem pro pluribus fierent. Ubi secundùm Richardum in 4. dist. 41. nota, ad curandam pœnam concurrit virtus agentis, & dispositio patientis: quia juxta Philosophum l. 2. de anima, actus activorum sunt in patiente prædisposito. Potest ergo diminui pœna, vel propter diminutionem virtutis ex parte agentis; vel propter diminutionem dispositionis ad patiendum ex parte sustinentis. Unde inæqualiter dispositi ad patiendum ab æquali virtute, inæqualiter patiuntur. v. g. pœna magnum onus portantis minui potest, vel per diminutionem oneris, vel per aliquam confortationem virtutis illius, quæ portat onus. Sic & pœna purgatorii minuitur. Primò per satisfactionem. Secundò per consolationem, quantùm ad diminutionem pœnæ. Primò modo suffragia pro uno facta aliis quidem nihil prosunt; Secundo tamen modo facta pro uno, aliis prosunt, quia per DEI misericordiam suffragia pro quovis in purgatorio existente aliis omnibus innotescunt; & quia se invicem diligunt in charitate; ideo omnes gaudent de illius pœnæ alleviatione, pro quo suffragia facta sunt. Non credo tamen, quòd tantum gaudium in eis sit, ut totam eorum pœnam totaliter tollat: nec fortè abbreviat, sed fortè intensionem patientis mitigat. Duodecimò Gaudium est

est generale vel universale : quod fit, quando generalia suffragia pro defunctis fiunt. Tunc quidem talia suffragia melioribus prosunt,quia juxta ordinem justitiæ distributivæ, meliora bona communia, melioribus secundùm virtutem distribuuntur.

§. VI.

MISCELLANEA ET CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Qualitas.

Mansi disc. 1. n. 1. I. IN Offertorio Missæ, quæ pro animabus defunctorum celebratur, lacûs cuiusdam fit mentio, qui ad lacum Leonum, in quem Daniel projectus fuit, alludit : dicitur enim : *Libera eas de ore leonis, & de profundo lacu.* Et certè ex omnibus sacræ scripturæ locis, ad vivaciter nobis describendum animæ alicuius in flammis illis purgantibus detentæ statum, aptior, magisque propria hâc lacûs figurâ alia seligi non poterat. Enimverò Rex Babyloniæ permisit, ut Propheta Daniel, licèt ipsi summo amore deditus esset, in prædictum lacum proiiceretur, avidis ferarum illarum faucibus exponendus, atque ab iisdem devorandus ; permisit, inquam, vel invitus, prout ex verbis illis colligitur : *Abiit Rex in domum suam, & dormivit incænatus, cibíque non sunt allati coram eo, insuper & somnus recessit ab eo* ; *Permisit verò idipsum, ut Medorum atque Persarum legibus satisfaceret, secundùm quas Regi in hac pœna dispensandi facultas non erat.* Eâdem quoque ratione DEUS (licet animæ purgantes in gratia & amicitia ipsius constitutæ sint, & de sua æterna gloria securæ ; licèt etiam illas summopere diligat, utpote ipsi deinceps per omnem æternitatem conjungendas) his non obstantibus, in communibus inviolabilis justitiæ suæ legibus nequaquam dispensat ; siquidem semel statuit, quòd nil coinquinatum intret in regnum cœlorum, ac proinde quòd, priusquam in regnum cœlorum aditum habere possint, purificari debeant ab omnibus sordibus peccatorum suorum contractis. Septem leones ad dilacerandum Prophetam destinati, septem præfigurabant vitia capitalia ; reatus item, & reliquias peccatorum, à quibus in mystico hoc lacu expurgantur. In leonibus adeò excessivus prædominatur calor, ut semper ob eundem febri laborent : unde meritò non solùm propter truculentiam, verùm etiam ob ignem, quem sibi congenitum habent, flammas illas purgantes aptissimè præfigurant. Observanda quoque in hac historia est notabilis quædam circumstantia ; sicut enim Rex nihil adeò desiderabat, quàm condemnati Danielis liberationem, prout ex jubili & lætitiæ demonstrationibus, quas post Danielem liberatum edidit, manifestè deducitur ; ita quoque DEUS nihil adeò vehementer desiderat, quàm ut animæ illæ ex hoc pœnoso carcere liberentur : divinæque suæ justitiæ debita solvatur satisfactio : In cuius figuram motus est DEUS, ut Angelum quendam è cœlo in Judæam amandaret, ut per apprehensum, & ex capillo suspensum Abacuc, Prophetæ famelico in lacu suo prandium deportaret, quod præfigurabat suffragia, quæ (DEO inspirante) à devotis fidelibus in utilitatem & subsidium animarum illarum offeruntur, & specialiter incruentum Missæ Sacrificium, quod præ cunctis aliis efficax est, & satisfactorium. Observandum tamen hoc loco est, quòd Angelus ille Danieli cibum hunc non immediatè attulerit, sed Abacuc induxerit, ut prandium hoc illi ministraret. Ipse quidem ad hoc multùm contulit, dum Abacuc in brevissimo tempore in regionem adeò procul dissitam, quemadmodum Judæa à Babylonia distat, deportavit. Per quod DEUS indicare voluit, quòd Angeli, utpote qui non sunt viatores, nec in statu merendi constituti, opera satisfactoria pro illis animabus offerre nequaquam possint, cùm hoc solum ad nos pertineat, ipsi tamen partibus suis non desint, utpote qui in beneficium illarum animarum corda fidelium ad hæc suffragia ferenda pro virium suarum possibilitate movent, & inspirant.

II. Rupertus Abbas præ quavis alia figura, Cherubinum considerat, ad ingressum terrestris paradisi collocatum, à quo gladio flammeo, & versalitati homines arcebat, dicente sacro textu : *Collocavit ante Paradisum voluptatis Cherubinum, & flammeum gladium, atque versatilem* : dicitque prædictus Rupertus Abbas. Flammeum gladium, atque versatilem ante Paradisum esse collocatum, ut quicunque deinceps admittendi sunt illuc, transeant per examinatorium ignem. Observandum porrò est, hunc Cherubinum cum gladio illo flammeo ibidem non fuisse collocatum, ad arcendum ab ingressu Paradisi homines, nisi post perpessam innocentiæ & justitiæ originalis jacturam ; ut per hoc insinuetur, quòd pariter ignis purgatorii nos ab aditu in Paradisum cælestem excludere nequeat, nisi quando nostrâ culpâ innocentiam amisimus baptismalem. Quærendum porrò occurrit hoc loco, quo mysterio DEUS ex omnibus novem Angelorum choris potiùs Cherubinum elegerit, & non aliquem ex Potestatibus, vel Dominationibus, vel Seraphinis, qui ad hoc munus magìs apti fuisse videbantur, eò quòd præ nimio amoris incendio scintillarent, & arderent ? Respondet Rupertus : Rectè angeli, qui hujusmodi præsunt, Cherubin, de plenitudine scientiæ vocantur, ipsi namque judicandi plenam habent scientiam ; sciunt enim, quid in libro cujusque nostrûm scriptum sit, & in novissimo recitaturi sunt libros illos, de quibus in Daniele scriptum est : *Judicium sedit, & libri aperti sunt.* Bene etiam habent memoriæ traditum, quid boni aut mali gesserit quisque nostrum. *Flammeum, &c.* Per ignem tribulatio, & ærumnæ hujus vitæ denotantur, quia DEUS tanquam aurum in fornace probavit electos : qui autem peccata per adversitates patienter toleratas non purgat

Rupertus Abb. l. 3. in Gen. c. 31.

purgat, neque ullos contritionis, & amoris super omnia actus (qui pariter per ignem figurantur, de quo dicitur: *Ignem veni mittere in terram*) in hac vita excitant, illis opus est, ut per flammas purgantes pertranseant. *Gladium.* Porrò gladius justitiæ signum est; *Justus Dominus, & justitias dilexit, aequitatem vidit vultus ejus.* Et ideo DEUS indispensabilem condidit legem, quòd nulla anima verâ filiorum libertate perfrui possit, nisi priùs debitis in hac præsenti vita contractis plenè satisfecerit. *Versatilem*: per hoc quòd ensis hic flammeus versatilis sit, DEUS indicare voluit, pœnam purgatorii amovibilem esse, non verò item pœnam inferni, ubi nulla est redemptio. Advertenda quoq; est alia qæudam notabilis circumstantia, scilicet quòd sacer textus non dicat: Hunc gladium, húncque ignem in manibus Cherubini fuisse positum, sed potiùs ita habeat: *Collocavit ante Paradisum Cherubim*; & postea separatim subdat: *Et flammeum gladium, atque versatilem.* Quia Angeli nequaquam pœnarum nostrarum ministri sunt: quin potiùs in utilitatem nostram fideles devotos instigant, ut animabus suffragia porrigant, quamdiu ibi sunt detentæ. Et ideo antiquus quidam interpres *Versatilem* considerans, inquit: Gladius versatilis dicitur, quia potest removeri.

Mansi disc. 1, n. 19. III. David Rex Legatis illis, qui ab Ammonitis adeò indignè tractati fuerant, præcepit, ne coram facie sua apparerent in regiâ, sed manerent in Jericho, donec crescerent barbæ eorum, id est, ut Glossa exponit, donec digni habeantur præsentiâ sui regis, quòd si igitur hi Legati citra ullam ipsorum culpam tam indignè tractati, aliquamdiu expectare debuerunt, donec conspectu regio digni efficerentur, quantò convenientius est, ut anima mundetur, & purificetur, ut sit non habens maculam, neque rugam, priusquam in conspectu Regis gloriæ compareat?

Ib. disc. 2. n. 4. IV. Nescio, an paradoxum sit, dicere, ignem purgatorii pœnosiorem esse igne illo, quo puniuntur damnati. Porrò Aristoteles in ea est opinione, quod flamma activior & voracior sit in summitate, quàm in fundo; cujus dicti veritate suppositâ dici posset, ignem purgatorii acerbiorem esse igne inferni, hic enim est infimus, id est, in centro: Ille verò altior est, circa vastam illius globi terrestris superficiem: Ad idem probandum alia quoque adduci posset melior ratio: quia Justitia DEI reprobos punit citra condignum. At verò ab animabus purgantibus eadem DEI Justitia summo cum rigore & punctualitate satisfactionem exigit. *Non exies inde donec reddas novissimum quadrantem*, quia ex toto rigore justitiæ in purgatorio secundùm mensuram præscriptam satisfacere debemus.

Tertull. de patient. V. Job aliquando inter alia questus est: *In amaritudinibus moratur oculus meus*: de oculo queritur, inquit Tertullianus, qui totus in tormentis positus est. At verò ex quo totum ipsius corpus vulneribus à vermibus exesis saucium fuerit, mirum est, quare de solo oculo fuerit conquestus. Omnia in figura; repræsentabat namque Job quandam in purgatorio constitutam animam, quæ tametsi atrocissimis & innumeris absorbeatur doloribus, specialiùs tamen ex oculo affligitur, id est, ex eo, quia DEUM videre non possit. Unde continuò ait: *quando veniam, & apparebo ante faciem DEI?* Omnes quidem aliæ pœnæ tolerabiles sunt, at verò pæna damni omnes alias excedit. Tametsi enim anima purgans de gloria, quæ in clarâ DEI visione consistit, certissima sit, & secura, attamen ex illa gloriæ dilatione longum quendam & pœnosissimum sustinet infernum. Nam, ut Sanctus Antoninus ait: Anima à corporis gravamine separata, tunc intelligit DEUM summum bonum, & quod ad illud adipiscendum est creata; & quia immediatè ipsum summum bonum possideret, si non esset in ea impedimentum. Duplex igitur tormentum animam cruciabit, scilicet hæc dilatio impatientissima secum DEO uniendi, innumeris aliis purgantis ignis pænis conjuncta; & remorsus vermis voracissimi, quo cor illius continuò rodetur, eò quòd DEUM adeò erga se beneficum offenderit: id quod tunc per lumen sibi infusum, pérque vivacem apprehensionem evidentiùs cognoscet.

VI. Sacer textus de Absolone refert, quòd, *Mansi disc. 1 n. 5.* cùm interveniente Joab, in gratiam Davidis patris sui restitutus esset, jámque eum ab exilio revocari jussisset, cum hoc tamen pacto, ne ante faciem suam compareret (*Revertatur in domum suam, faciem autem meam non videat*) adeò contristatus fuerit ex eo, quòd patris, quem exasperaverat, faciem videre prohiberetur, ut pænam hanc veluti clavum cordi suo infixum senserit, unde in hasce prorupit voces: *Obsecro ergo, ut videam faciem Regis: quòd si memor est iniquitatis meæ, occidat me.* Videre igitur faciem Davidis, potiorem æstimabat gratiam, quàm vitam commodam agere. At verò finiti ad infinitum nulla est proportio. Facies etenim DEI glorificat, omnésque animas, quæ in cœlo sunt, beatas efficit, & bonum quoddam infinitum conciliat, cùm beatitudo sit status omnium bonorum aggregatione perfectus: Econtra verò in purgatorio degere, non solùm est pati pœnas inferni quoad sensum, verùm etiam pœnam damni sustinere, licèt solùm ad tempus. At verò ex alia parte quia animæ illæ securæ sunt, quòd tandem aliquando coram facie DEI sint comparituræ, hæc tam immensi boni dilatio, tantò plùs illas cruciat, quantò boni hujus infiniti consecutionem ardentiùs suspirant; Nam spes, quæ differtur, affligit animam: unde sicut juxta proportionem spei crescit, & augetur afflictio, consequens est, quòd, cùm animæ purgatorii pro objecto spei suæ bonum aliquod habeant infinitum, de quo aliquando consequendo securæ existunt, infinitam pariter sustineant pænam ex dilatione consecutionis.

VII. Israëlitæ, qui in Babylonia detinebantur captivi, lamentabantur dicentes: *Super flumina Babylonis illic sedimus, & flevimus.* At *Ibid.*

 verò

verò cur juxta flumina illa sedentes plorabant? num fortè quia luto immersi erant? vel quia in cavernis subterraneis detinebantur? Aut verò quia pedes eorum compedibus, manus verò catenis vinctæ erant? vel denique quia in humeris suis immensa cogebantur portare pondera ad muros Babyloniæ restaurandos? Nihil horum illos ad fletum permovebat: quid ergo? hoc solum; *cùm recordaremur tui, Sion.* Omnia in figura contingebant illis. Cuncta namque excessiva tormenta corporalia tanti non faciebant, quanti hoc unicum, quòd scilicet se tam procul ab Hierosolyma positos esse recordarentur. At verò quænam terrenam inter & cælestem Hierosolymam est proportio? Ad hanc Propheta regius suspirabat, dum inquit: *Quando veniam & apparebo ante faciem DEI? fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie: ubi est DEUS tuus?*

S. Bonav. de S. Laur. a. 1. VIII. S. Bonaventura ait: Plùs satisfacit hîc homo valde modicâ pænâ voluntariâ pro peccatis assumptâ, quàm ibi per maximam; sive quia ibi est involuntaria, sive quia, si ibi est voluntaria, est tamen ratione statûs immeritoria, nullâ laude vel præmio digna. Timeant igitur peccatores hunc ignem, qui nihil relinquit intactum, vel nihil penitus impunitum, sive verbum fuerit permodicum, sive opus inutile, sive quid modicum in corde peccatum: unde dicitur: *Quis stabit ad videndum eum?*

Did. Nyss. § 1 in fer. 2. post Dom. 1. Quadr. IX. Abierunt in Ægyptum Fratres Josephi, comitémque habebant Benjamin, quòd Joseph id ita præcepisset. Erat Benjamin, Josephi uterinus frater. Cúmque illum coràm vidisset percontatus est, num frater ipsorum esset: ut audivit esse, *commota fuerunt viscera ejus super fratre suo*, inquit scriptor Gen. 43. v. 30. quod LXX. transtulerunt? Torquebantur viscera ejus. Quid verò illud, quòd animum ejus tantoperè exulcerabat, qui præsentem habebat fratrem tam vehementer expetitum? Respondet S. Ambrosius l. de Joseph. c. 10. Torquebantur viscera ejus, quia complectendi ejus, quem desiderabat, libertas differebatur. Ratio statûs non permittebat, ut sub id tempus sui erga fratrem affectûs signa ederet; cùm è contra amor plurimùm sollicitaret, ut illum suavi complexu stringeret, nec sui nescium relinqueret, denique etiam luculentis signis sibi charissimum, amantissimúmque demonstraret. Cúmque illum coràm habere, nec gaudere illo, uti optabat, posset, idcircò torquebantur viscera ejus, hæc illi læthalis anxietas erat, nec enim alia tam est crudelis, quàm frui non posse bono, quod pr[illegible] habeas.

Ibid. X. Ivit cœlorum Regina invisum cognatam suam Elizabeth, quæ profundissimæ humilitatis exercitatio fuit. Dum tecta subit, ut DEO fœta erat, gloriámque cœlorum, ac terræ castissimo utero gestabat, ita vix dulcem, amicámque salutationem Mariæ Elizabeth audivit, quando exultavit infans in utero ejus, quando Joannes intra maternam alvum subsiluit. Hos saltus sacri Expositores volunt fuisse indicia, & effectus notitiæ hospitis, qui illi advenerat. Quid verò significare voluerit infans Joannes, quando Salvatoris sui certior factus intra maternorum viscerum clustra saltibus lusit, taliáque indicia edidit ipse nondũ editus? S. Joannes Chrysostomus in explicatione istius verbi; *Exultavit*; peculiare aliquid scribit, dicens: Tanquam injustam custodiam quatiebat matricem, in claustra naturæ insultabat calcibus & clausis labiis vociferabatur figuris, tali matri dicens: Injustè facis, O mater, quæ tardas Prophetam, gestas in utero præcursorem Christi Regis, Martyrem stringis. Hæc ex illo Metaphrastes apud Surium, 24. Junij. Ut aves caveis inclusæ, & angusti carceris impatientes, omnia pertentant, si quà fortè in liberum evadere aërem contingat: Ita Joannes, quod usus linguæ negabat, toto corporis gestu, & subsultatione satis indicabat, quàm invitus illis materni corporis circumscriberetur angustiis, & quàm vehementer prodire in lucem cuperet. Sed illud in verbis Joannis expendendum, quòd matri velut dixisse fertur: Martyrem stringis. Unde verò nasci potuit Martyrium Joannis, aut quis carnifex mortem illi intra uterum parare, & adornare matris? Quis carnifex, dicis; quis tyrannus? Non alius quam vicinitas boni propinqui. Itaque bene dixit Joannes: Martyrem stringis, nam ad manum habere DEUM, nec illo frui pro voto posse, hoc est, esse martyrem, & grave aliquid pati, nec enim crudelius est tormentum, quàm habere bonum coràm, nec posse illo gaudere.

XI. Anxia, & saucia animo sponsa dulcem & amabilem sponsum perquirebat, qui nonnunquam (ut sincerior, puriorque sponsæ suæ amor evaderet) fastidia illi adferre quædam solebat, post quæ gratiores, ac jucundiores ipsæ suavitates accidunt: *In lectulo meo* (in quo castè, ac dulciter conquiescere consuevimus) *per noctes quæsivi, quem diligit anima mea: quæsivi illum, & non inveni.* Ait illa Cant. 3. v. 1. Discesserat scilicet sponsus à molli strato, ubi illum sponsa indagabat. Gilberti Abbatis observatio est, nunquã majores animi angustias passam sponsam, quàm hac vice, & occasione. Cujus hanc subjicit rationem: Nemo enim; quod ardenter quærit, non anxiè caret, tantòque cumulatiore angustiâ, si vicina spe jam jamque apprehensura fraudatur. Proxima erat sponsa delitioso sponsi lecto, in quo castas, honestásque voluptates captare solita; quas tunc illi, ut merendi copiam majorem faceret, sponsus negabat. Hoc verò, ait Gilbertus, fuit pati cumulatiore angustiâ atrociores cruciatus; habere enim vicinum bonum, nec eo frui posse, pœna quædam pœnarum est, & tormentorum tormentum.

TITU-

TITULUS LXII.

RESIGNATIO IN DIVINAM VOLUNTATEM.

PRo hac materia non video, quòd melius augmentum afferre possim, quàm si compendium referam Doctrinarum ad hanc virtutem pertinentium, ab Asceta quopiam collectum; & præterea etiam Dialogum de hac ipsa materia inter Christum & S. Catharinam Senensem institutum adiungam; in his enim devotus voluntatis Divinæ æmulator reperiet, quidquid ad perfectam dictæ resignationis praxin desiderare potest.

PARS I.

Continens Doctrinas & fundamenta ad veram Resignationem obtinendam pertinentia.

§. I.

PROOEMIUM.

I. SI vis ad veram perfectionem, animique tranquillitatem per breve compendium pervenire, ante omnia laborandum tibi est, ut sequentia tria fundamenta benè percipias, & per ea in omnibus casibus particularibus te dirigas, ut infrà declarabitur.

FUNDAMENTUM I.

Summa nostra felicitatis, & perfectio in hac & altera vita, consistit in perfecta conformatione voluntatis nostra cum divina, quam tanti faciunt ipsi etiam Beati, ut eam gloria sua longè præferant, ideòque coronas suas ante pedes ejus ponant, parati amittere eas, quandocunque sic sanctissimæ ejus voluntati visum foret. Uti pulchrè P. Jeremias Drexelius ostendit, sic loquens: Illud hîc singulariter observandum, beatos in cœlo copiosiùs lætari de executione voluntatis Divinæ, quàm de magnitudine suæ gloriæ. Hinc omnes & suo singuli præmio contentissimi sunt, nec ulli displicet, se minùs altero habere. Sic enim; qui DEUM vident, ad divinam voluntatem non tantùm conformati, sed ab illa etiam absorpti, transformatique sunt in illam, ut iam solius DEI velle velint, & magis gaudeant, hanc esse DEI voluntatem, ut sint beati, quàm se beatitudine hac frui. Hanc humanæ voluntatis cum divina conformitatem sequitur excellentissimus amoris affectus, qui non tam conformitas, quàm humanæ voluntatis cum Divina unitas vocari potest. Et hæc beatos sic afficit, ut totis viribus, & quàm ardentissimè velint DEUM esse, qui est, tam sapientem ac potentem, tam misericordem ac justum, quàm est, tam dignum omni honoris & gloriæ amplitudine, ac majestate.

Drexel. Heliotrop. l. 1. c. 5. §. 14.

Nota;

II. Ita 1. DEUS Sanctæ Catharinæ Senensi, cupienti veram & brevem viam ad perfectionem cognoscere, indicavit his verbis: scias, servorum meorum salutem, perfectionémque hoc uno constare, ut meam solius faciant voluntatem, atque eam summo semper studio adimplere nitantur, quantòque diligentius in id incumbunt, tantò perfectioni propiùs accedere; Quoniam mihi, qui summa sum perfectio magis pressiúsque adhærent. Addidit, hoc exercitium omnes virtutes, scripturarum volumina, & multiplices prædicationes complecti, ita ut, si ipsa suam ibi faciem contemplatura sit, seque ad illud composuerit, quidquid patet, & latet in divinis sermonibus, adimpletura sit, & sempiternâ lætitiâ & pace fruitura.

III. Ita 2. Thomas Kempensis; in persona Christi sic loquens: Non ergo æstimes, te veram pacem invenisse si nullam senseris gravitatem: nec tunc totum esse bonum, si neminem pateris adversarium: nec hoc esse perfectum, si cuncta fiant secundùm tuum affectum. Neque tunc aliquid magni te reputes, aut specialiter dilectum existimes, si in magna fueris devotione atque dulcedine: quia in istis non cognoscitur verus amator virtutis: nec in istis consistit profectus & perfectio hominis. In quô ergò Domine? In offerendo te ex toto corde tuo voluntati divi-

Thom. Kemp. l. 3. c. 25.

Divinæ, non quærendo quæ tua sunt, nec in parvo nec in magno, nec in tempore, nec in æternitate: ita ut unâ æquali facie, in gratiarum actione permaneas, inter prospera & contraria, omnia æquâ lance pensando. Si fueris tam fortis & longanimis in spe, ut subtractâ interiori consolatione, etiam ad ampliora sustinenda cor tuum præparaveris, nec te justificaveris, quasi hæc, tantáque pati non deberes; sed me in omnibus dispositionibus justificaveris, & sanctum laudaveris, tunc in vera & recta via pacis ambulas, & spes indubitata erit, quòd rursus in jubilo faciem meam sis visurus. Nihil ergò amatorem tuum, & cognitorem tuorum beneficiorum, ita lætificare debet, sicut voluntas tua in eo, & beneplacitum æternæ dispositionis tuæ, de qua tantùm contentari debet, & consolari, ut ita velit libenter esse minimus, sicut aliquis optaret esse maximus. Et ita pacificus & contentus in novissimo, sicut in loco primo: atque ita libenter despicabilis & abjectus, nullius quoque nominis & famæ, sicut cæteris honorabilior & maior in mundo. Nam voluntas tua, & amor honoris tui, omnia excedere debet; & plùs eum consolari, magísque placere, quàm omnia beneficia sibi data, vel danda.

Exercitorum l. 3. Thom. Kemp. c. 22.

Alphon. Madril. cap. 1. & 2.

Ita 3. Alphonsus Madriliensis c. 1. & 2. fusè & benè addens, hoc exercitium alia in tantum superare, quantùm sol splendorem candelæ, & mare integrum unicam guttam excedit.

Rodriq. p. 1. tr. 8. c. 1.

IV. Ita quartò Alphonsus Rodriquez sic loquens: Cæterùm caput Divinissimæ ipsius doctrinæ princeps hoc fuit, ut sanctissimæ ipsius voluntati, plenè, integrè, perfectéque nos dederemus, consecraremúsque rebus in omnibus ac singulis. Neque verò verbis duntaxat (quando orare nos docuit) ita instruxit, ut, ab æterno Patre postularemus, fieri voluntatem eius sicut in cœlo, ita & in terra, sed, & ipsi huic se doctrinæ perfectissimè accommodavit; *ad hunc etenim finem descendi*, ait ipse, *de cælo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me.* Atque implere jam volens opus redemptionis nostræ, in oratione illa facta in horto, tametsi corpus, appetitúsque sensitivus naturaliter mortem refugeret, quod satis ipsemet expressit, dicendo: *Pater, si possibile est, transeat à me calix iste*: nihilominus tamen voluntas appetitúsque superior promptus, expeditúsque semper fuit ad calicem, quem dederat illi Pater, alacriter bibendum; unde mox subdidit: *non quod volo ego, sed quod tu.* Ut verò hanc rem in radice, penitúsque inspiciamus, duo hîc brevia quidem at substantialia fundamenta debemus supponere, quibus veluti duobus cardinibus, totius sequentis dispositionis superinjecta moles, debet inniti. Primum est omnem profectûs, perfectionísque rationem in hac conformitate voluntatis nostræ cùm Divinâ consistere, ita ut, quò hæc fuerit major, maior etiam futurus sit profectus. Facilis ac plana est fundamenti huius intelligentia. Certum enim est, perfectionem essentialiter consistere in charitate, timoréque DEI: Plena doctrinæ huius omnia sunt Evangelia, plenæ Pauli Epistolæ, pleni sanctorum Libri. *Hoc est maximum & primum mandatum. Charitas est vinculum perfectionis. Major horum est charitas & amor DEI*, huius autem amoris DEI pars altior, purior, perfectior, est isthæc cum voluntate DEI conformitas in omnibus. Eadem velle, & eadem nolle, firma amicitia est, vox est magni Hieronymi ex Cicerone petita. Quantò igitur arctiùs quis se adstrinxerit voluntati DEI, tantò melior erit, perfectiórque. Præterea clarum etiam est, nihil voluntate DEI melius esse, nihil perfectius. Ergò perfectissimus is erit, qui se DEO perfectissimè conformaverit, atque coniunxerit.

Blosius in farrag. ascet. institut.

V. Ita quintò Blosius his verbis: quisquis ita bonâ præditus est voluntate, ut sese abneget, & propriæ renuntiet voluntati, séque libertimè resignet, ac dedat voluntati DEI, eius bona voluntas est perfecta, idémque absque formidine, & anxiâ sui curâ vitam transigit, caducáque ac labentia cuncta proculcat, & de vita æterna obtinenda quandam se sentit habere certitudinem. Eiusdem in omnibus cum DEO voluntatis est, & pacem habet cum DEO, & in DEO imperturbabilem. Hic ex DEO natus, & verus Christi discipulus est: quia mitis est, & humilis corde. Moderatè, suaviter, ac tranquillè ferre novit, & verba aspera, & truces gestus, sæva opera, & quidquid demum injuriæ, sivè in ipsum, sivè in amicos eius conferri possit. Eum nihil perturbare potest, neque jactura rerum terrenarum, neque corporis adversa valetudo, neque ignominia, neque mors, neque vita, neque purgatorium, neque Dæmon, neque infernus. Quia enim ex verò amore Divinæ se resignavit voluntati, & nulliuâ mortiferi peccati conscientiâ mordetur, facile illi tolleratu est, quidquid de eo mandat fieri DEUS, in tempore & æternitate. Itáque cùm aliquid patitur, & in omni rerum eventu, ità cogitat, ac dicit: Domine, sicut ipse ab æternitate, antequàm ego essem, voluisti, ita fiat, & non ut ego volo. Non meum commodum, non meam oblectationem quærere debeo, sed tuum honorem & tuam laudem. Gratior mihi est tua sancta voluntas, quàm optandi libertas. En igitur me ipsum dedo, resigno, & permitto tibi, DEUS meus, non in tempore modò, sed etiam in ævum sempiternum.

S. Paulus ad Rom. 12.

VI. Ita sextò S. Paulus ad Romanos scribens: *nolite conformari huic sæculo, sed reformamini in novitate sensûs vestri: ut probetis, quæ sit voluntas DEI bona* (Id est, quæ DEUS vult benè placens id est, quo modo DEUS vult) *& perfecta* (id est, quia DEUS vult singula facientes) uti docet P. Gaudier p. 2. S. 2. c. 12. his verbis perfecta conformatio voluntatis nostræ cum Divina requirit, ut non tantùm velimus idem, quod DEUS vult, & nolimus, quod non vult: sed etiam id velimus, & nolimus eo modo, & propter eandem rationem, propter quam DEUS vult.

VII. Ita septimò P. Antonius Gaudier, addens,

Bonlier. p.1.8.1.c.1. dens, hanc praxin habere tres proprietates valdè optandas, 1. quòd sit valdè facilis, & idcircò maximè conveniens, non eruditis tantùm, sed etiam rudibus & idiotis, præcipuè iis, qui in afflictione aliqua positi, Divini consilii rationes non intuentur, nec facilè aliis mediis pervenire possunt ad perfectionem, cùm sæpè impediantur, ne multa agere possint, quæ tamen videntur requiri ad perfectionem; nam ij facilè hoc uno actu iuvantur. Prætereà quid facilius infanti ignoranti, & cæco, quàm matris aut alterius ductum sequi? quid ergò pariter facilius, quàm se proijcere in amplexus optimi Patris, & tutissimum providentiæ Divinæ sinum? Secundò quòd sit maximè simplex; pauca enim requirit, eáque non difficilia cognitu, & tamen, licet sit simplex, involvit omnem perfectionem imaginabilem, sicut actus ipse voluntatis DEI simplicissimus omne prorsùs bonum habet pro objecto, tam proprium, quàm creaturarum, quæ creaturæ si quid perfectionis habent, vi illius actûs unius habent. 3. Quòd sit valdè expedita; nam idcircò tam multa, eáque evidentia signa voluntatis suæ dedit DEUS, ut facilè in omnibus penè rebus & actionibus possimus eam cognoscere, quod valdè nos juvat, ut facilè & expeditè eidem nos conformemus.

Drex. in Heliot. l.2. c.4. VIII. Ita 8. Jeremias Drexelius sequentibus verbis: omnes humanæ actiones pretium sui habent à fine, quem spectant: hinc illæ tam bonæ vel malæ, quàm illarum finis est. At verò finem actionum nostrarum nec meliorem, nec sublimiorem reperiemus ullum voluntate Divinâ, hoc est, ipso DEO: Ergo nec meliores, nec sublimiores actiones ullæ sunt, quàm quæ proximæ huic fini. Hinc illud Basilii Magni effatum, totam sanctitatis summam in homine Christiano esse, ut is rerum omnium, quà grandium, quà exilium causas ad unum solùmque DEUM referat, & sese in omnibus divinæ voluntati promptissimè subijciat. Hæc illa est sanctis patribus, & sanctioris vitæ Magistris toties ac tantopere commendata Resignatio, quam vocant, principium omnis tranquillitatis, ut quæ hominem in DEI longè tutissima manu collocat, ita quidem ut homo jam nolit esse suus, sed DEI, nec sibi vivere, sed DEO, & nihil non facere propter DEUM, tam adversis concentis, quàm prosperis. Hoc DEUS adeò in amoribus & delicijs habet, ut Hebræum regem David, augustissimo titulo donans, appellârit virum secundùm cor suum, qui faciat omnes voluntates suas. Adeò enim Rex ille affixum habebat cor divino cordi, ut ad omnes Dei nutus se promptum ac paratum sisteret. Hac omnino ratione plurimùm quotidie promereri quis potest, si actiones illas omnes ex se nec vituperio, nec laude dignas, uti sunt edere, bibere, deambulare, dormire, &c. ad Divinam referat voluntatem, neque ideò edat aut bibat, quòd esuriat aut sitiat, sed quòd DEO id fieri placeat.

R.P. Labe Auctar Bibl.

§. II.

FUNDAMENTUM II.

IX. *SEmper in nostra potestate est, supposito ordinaria gratia Divina auxilio, voluntatem divinam perfectè adimplere, cum ad hoc plùs non requiratur, quàm ut faciamus, quæ DEUS vult, quomodo vult, & quia vult, quod semper in nostra est potestate.*

Nota.

X. Ita 1. DEUS ipso dicente: *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodiè, non supra te est, neque procul positum, nec in cælo situm &c. sed juxta te est sermo valdè, in ore tuo, & in corde tuo, ut facias illum.* *Deuter. c.30.*

XI. Ita 2. Christus, dum S. Catharinæ scire cupienti, quæ sit voluntas ejus, dixit his verbis: si paucis & collectim scire desideras voluntatem meam, hæc est, ut summè & semper ames me. Si autem me perfectè amare vis, hæc tria facere necesse est. 1. ut voluntatem tuam ab omni amore, affectúque terreno & carnali prorsus amoveas, ità ut nihil temporale ames, nisi propter me, quoniam Divinus amor terreni affectûs, aut alterius amoris consortium pati non potest. 2. Ut omnes cogitationes & opera ad meum honorem & gloriam dirigas, & des operam verbis, precibus, & exemplis, ut alii quoque omnes me unum norint, ament, & colant. 3. Ut nolis non solum malum, sed & bonum, quod ipse nolim, atque adeò per quemcunque casum non frangatur mens tua, sed inconcussâ fide semper teneas, me DEUM tuum omnipotentem magis amare te, quàm tu te ipsam. *In Dialog.*

XII. Ita 3. Joannes Ximenus Coadjutor è Societate JESU, qui dicere solebat, se tres habere interpretes voluntatis Divinæ, scilicèt DEUM in cœlo, Superiorem in Capitulo, rationem domi. *Vita P. Balth. Alvarez.*

XIII. Ita 4. P. Gaudier dicens: hæc esse signa voluntatis Divinæ: 1. Præceptum. 2. Consilium DEI. 3. Christi vita & exemplum. 4. Vocatio DEI ad statum vel officium. 5. Obedientiæ vox, sive viva superiorum, sive mortua regularum & consuetudinum. 6. Consilium virorum bonorum, eorum præcipuè, qui post superiores animarum nostrarum Directores sunt, imò verò aliorum omnium Judicium, quod non est malum; etsi nostrum videatur melius, tamen humili, & DEUM amanti ordinariè sequendum est, nisi aliqua alia signa DEI voluntatis obstent. 7. Operationes DEI supernaturales, v. g. inspirationes, exempla aliorum, prædicatio. 8. Permissio peccatorum. In dubiis autem idem assignat sequentes tres regulas 1. cæteris paribus semper inclinandum est in id, quod vilius est, & plùs abnegationis continet; hoc enim tutissimum, & non tantùm nostro merito, sed etiam Evangelicæ Regulæ, quæ jubet novissimum locum eligere, conformius est!

& certum est, id magis placere tunc Divinæ Majestati. 2. In dubiis semper inclinandum est in favorem proximi, & amplectenda pars ipsi utilior, honoratior, lenior, & quæ futura est majori ædificationi, & minus periculum perturbationis continet. 3. Si neutrum hoc sufficiat, duo sunt facienda. Imprimis res accuratè DEO semel iterúmque in oratione commendanda est. Deinde proponendum constanter, quòd velit majorem DEI Gloriam quærere, idque eligendum, quod videbitur ad hunc finem convenientius; fieri enim non potest, quin DEUS signum aliquod aperiat, quo vel suam voluntatem declaret, vel saltem ad prosperum deducat exitum, quod tam sincerè ad gloriam suam deductum est.

§. III.

FUNDAMENTUM III.

XIV. *Hòc ipsò, quòd DEUS sit summè potens, sapiens, & bonus, potest, scit, & vult semper id, quod optimum est, circa nos ordinare, nec nos quidquam melius optare, aut eligere possumus, quàm quod de facto de nobis ipse disposuit; cum sine illius voluntate fieri nihil possit.*

Nota.

In Dialog. XV. Ita 1. Christus S. Catharinæ Senensi cupienti viam cognoscere, quâ posset ad perfectam voluntatis suæ cum Divina conformationem pertingere, indicavit his verbis: Volo ut certâ fide, altâ mente, ac frequenti consideratione mediteris, me DEUM tuum gloriosissimum, qui te ad beatitudinem fruendam creavi, æternum esse, summum, omnipotentem, vobísque omnia, quæ mihi sunt placita, facere, nec esse, qui vel tantillum meæ possit resistere voluntati, nec quidquam sine eâdem voluntate meâ vobis accidere, nihil prorsùs nisi me permittente provenire, ut per Prophetam vobis enuntiavi, non esse malum in civitate, quod non ipse fecerim, id est, permiserim. Mediteris pariter, me DEUM tuum esse summæ sapientiæ, perfectissimæ cognitionis, & intelligentiæ, omnia certa ratione videntis, & acutissimè penetrantis, ut ad cœlum, terram, mundum totum, & universa gubernanda, nullâ possim ratione falli, nullo errore turbari: quod si non ita esset, nec DEUS essem, nec sapientissimus. Et ut tantillùm percipias vim hujus sapientiæ meæ, scias, de malo culpæ & pœnæ me longè majus bonum, quàm sit malum, elicere. 3. Velim consideres, me eundem DEUM tuum non minùs summè bonum esse, & hac de causa non posse, nisi, quæ bona sunt, utilia, & salubria tibi, & aliis velle; non posse à me aliquid malum provenire, nihil odisse, & hominem, ut meâ bonitate creavi, ita per me semper inæstimabili dilectione prosequi. His verò per firmam fidé mente ac meditatione collectis, cognosces, tribulationes, tentationes, difficultates, dolores, infirmitates, & adversa omnia ob nullam aliam causam me gubernante provenire, nisi utilitatis & salutis vestræ gratiâ, ut per ea, quæ videntur vobis mala, à pravitate corrigamini, & ad virtutem, quâ itur ad verum & summum bonum vobis incognitum, perducamini. Cognosces præterea hoc fidei lumine illustrata, me DEUM tuum magis scire, posse, & velle bonum tuum, quàm tu, téque id nec posse, nec scire, nec velle absque gratia mea.

XVI. Ita 2. Salomon: *Bona & mala, vita & mors, paupertas & honestas, à DEO sunt.* *Eccl. c. 11.*

XVII. Ita 3. S. Augustinus dicens: Prorsus ad DEUM tuum refer flagellum tuum, quia nec Diabolus tibi aliquid facit, nisi ille permittat, qui desuper habet potestatem. *S. August. in Ps.*

XVIII. Ita 4. Rodriquez sic discurrens: Alterum fundamentum est: citra voluntatem DEI nihil prorsus in Mundo posse contingere, secluso peccato, cujus DEUS auctor nec est, nec verò esse potest. Sicuti enim naturæ ignis repugnat frigefacere, aquæ calefacere, solis obtenebrare, sic infinities magis repugnat immensæ bonitati DEI, amare peccatum. *Mundi sunt oculi tui* (loquitur de DEO Abacuc) *ne videas malum, & respicere ad iniquitatem non poteris*; sicuti cùm volumus dicere de aliquo, quòd alterum oderit, dicimus: Non potest illum videre. Quoniam non DEUS volens iniquitatem est. De hoc DEI erga peccatum odio, plena est omnis scriptura. Hoc inquam seposito, alia omnia, etiam mala pœnæ, ex voluntate DEI eveniunt, & fortuna in Mundo nulla est, quod Ethnici somniabant. Bona enim, quæ Mundus fortunæ nominat, non ab hac, sed à solo DEO sunt. Ac tametsi non negemus etiam causis secundis suam afficientiam, certum tamen est, nihil fieri in vasta hac Mundi republica, nisi voluntate, ordinationéque summi illius Imperatoris & Monarchæ, DEI, qui eam moderatur. Respectu DEI, casus nullus est, sed dextera DEI facit omnia. Unus ipse in numerato habet omnia ossa corporis, omnes capillos capitis tui, ex quibus nec unus peribit sine nutu, permissúque DEI, sed quid dico de homine? nec avicula quidem laqueo venatoris, sine dispensatione DEI, implicatur. *Nonne duo passeres veneunt dipondio? & unus ex iis non cadet super terram sine Patre vestro?* sed nec frondes moventur in arbore sine DEO. Et quid de ipsis sortibus? mittuntur in sinum, sed à Domino temperantur, sic & sors cecidit super Mathiam, non casu, sed decreto & providentiâ magni DEI, qui illum habere voluit Apostolum per hanc viam. *Rodriq. p. 1. tr. 8. c. 6.*

XIX. Ita 5. Drexelius sic loquens: Omnia Mundi mala (peccatum excipimus) à DEO esse, hac ratione docent Theologi. In omni peccato duo sunt: culpa, & pœna. DEUS est Auctor pœnæ, quæ in peccato est, sed neutiquam culpæ. Ideò si demamus culpam, nullum est malum pœnæ, quod non fiat à DEO, aut ipsi non placeat. Sicut autem mala pecca- *Drexel. in Heliotrop. l. 1. c. 1. § 2.*

ti,

ti, seu, pœnæ, sic & mala naturæ oriuntur à Divina voluntate. Naturæ mala vocamus, famem, sitim, morbos, dolores, &c. Quæ sæpissimè nihil habent cum peccato commercij. Itaque DEUS reipsâ (&, ut in scholis loquuntur, effectivè positivè) omnia pœnæ naturæque mala vult (intentione saltem secundariâ) ob justissimas causas, solum peccatum, seu, culpam permittit. Ideò hæc DEI voluntas Permittens, illa Ordinans vocatur. Id igitur omne, quod nos malum vocamus, à DEI voluntate est. Ita Theologi. Hoc fundamentum altissimè in animo jaciendum, maximi enim refert, probè istud capere, idque semper persuasissimum habere, pœnarum & malorum omnium causam primam esse voluntatem Divinam, culpâ tamen, ut monuimus, semper seclusâ.

Thomas Kemp. l. 3. c. 46. XX. Ita 6. Thomas Kempensis his verbis: qui in me confidit, nec proprio judicio stare appetit, absque humano terrore erit. Ego enim sum Judex & cognitor omnium secretorum: ego scio, qualiter res acta est; ego injuriantem novi, & sustinentem. A me exiit verbum istud, me permittente hoc accidit, ut revelentur ex multis cordibus cogitationes. Ego reum & innocentem judicabo, sed occulto judicio utrumque antè probare volui. Atque hæc sunt tria illa fundamenta, quibus, ut dixi firmissimè homo inniti debet, si ad solidam perfectionem per compendiosissimam viam pervenire, verámque animæ tranquillitatem obtinere cupit, id quod ex sequentibus corollariis clariùs intelliget.

§. IV.

CORALLARIA EX DICTIS FUNDAMENTIS DEDUCTA.

COROLLARIUM I.

Tristitia. XXI. Itaque ex dictis fundamentis colliges 1. *te non debere de ulla re tristari, quàm de peccato, cùm hoc solum separet te à voluntate Divina, atque adeò verâ felicitate te privet, reliqua verò omnia separare te à voluntate Divina non possint, nisi tu ipse consentias.*

Nota:

Salomon prov. c. 12. XXII. Ita 1. DEUS per Salomonem: *non contristabit justum, quidquid ei acciderit.*

S. Paul. ad Rom. c. 8. XXIII. Ita 2. S. Paulus dicens: *diligentibus DEUM omnia coöperantur in bonum.*

S. August. l. de verb. Dom. XXIV. Ita 3. S. Augustinus, sic animans: quid timet homo in sinu DEI positus? tu de sinu illius noli cadere, & quidquid ibi passus fueris, ad salutem valebit, & non ad perniciem.

Rodriq. p. 1. tr. 8. c. 4. XXV. Ita 4. S. Catharina Senensis dicere solita: Justos Christo similes esse, qui etiam in hac vita non caruit beatitudine.

Heliotr. l. 1. c. 1. XXVI. Ita 5. Mendicus, de quo Drexelius sic narrat: Fuit olim magni nominis Theologus, qui octennium ipsum assiduis precibus DEUM obsecravit, hominem sibi monstraret, à quo viam doceretur ad cœlum compendiosissimam. Eo igitur die, quo hujus hominis alloquendi desiderio maximo tenebatur, nec aliud mallet, quàm videre Magistrum tam arcanæ veritatis, vocem cœlitus allatam audire sibi visus, quæ sic moneret: exi foràs ad templi vestibulum, & qualem quæris, reperies hominem: Prodit ergò in publicum, & ad ædis sacræ limina mendicum invenit tibiis ulcerosis, & multo pure fluentibus; vestis mendici vix trium obolorum erat. Huic Theologus candidum precatus est & prosperum manè. Cui mendicus: non memini ait, me unquam habuisse adversum. Hîc literatus ille, primam salutationem velut correcturus: Eja, inquit, fortunatum te reddat DEUS: at ego, inquit mendicabulum, infortunatus nunquam fui. Obstupuit ad hanc vocem Theologus, sed ne forsan errâsset audiendo, votum suum repetens, sed paullò aliis verbis: ecquid ais, inquit, felicem esse te jubeo. Mox iterum mendicus: nunquam, ait, infelix fui. Theologus argutari credens dicacem mendiculum, &, ut hominis ingenium experiretur: Eveniant, inquit, volo tibi, quæ optas, atque id fiat. Non est, ait iste, quod hîc querar: omnia fiunt, ut volo; quamvis fortunæ mea consilia non applicem. At doctor ille denuò salutans an valedicens: servet te DEUS, inquit, vir bone; si quidem fortunam oderis. Sed dic obsecro, túne solus inter calamitosos mortales beatus? Job ergò falsus, qui asserit: *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis*; & quomodo tu solus evasisti omnes malos dies? non satis assequor animi tui sensa. Ad quæ mendicus: sic est, mi Domine, ut dixi. Optanti manè prosperum, negavi me unquam habuisse inprosperum. Sorte meâ, quam mihi DEUS hîc assignavit, contentissimus sum: non egere felicitate, felicitas mea est. Monstra illa, Fortuna & Infortunium neminem lædunt nisi volentem, aut certè timentem lædi: nec ego unquam fortunæ supplico, sed Patri cœlesti, qui rerum omnium eventus gubernat. Ita me nunquam infelicem fuisse ajo, ut cui omnia ex voto cadunt. Quòd si fame urgear, DEUM providissimum patrem ob id laudo. Si frigus me urat, si nimbus in me ruat, si aliis cœlum injuriis me impetat, DEUM æquè laudo; cùm aliis ludibrio sum, DEUM non minùs laudo. Nam certus sum, horum omnium auctorem esse DEUM, nec posse non esse optimum, quod DEUS facit. Idcircò quicquid DEUS vel tribuit, vel evenire permittit, gratum sit an ingratum, dulce an amarum, juxta habeo, nam hæc omnia velut de manu Parentis optimi lætus accepto, & hoc unum volo, quod vult DEUS; Ita omnia fiunt, ut volo. Miser est, qui fortunam aliquid in se posse credit, & is demum verè infelix est, qui nescio quam felicitatem in hoc orbe somniat. Hæc vera est felicitas in hac vita, soli voluntati

tati divinæ quàm tenacissimè inhæreret. DEI voluntas, optima, rectissima voluntas, quæ non rectior fieri, nec mala esse potest. Hæc de omnibus judicat, de hac nulla. Ut hanc sequar, meum ego studium omne confero, in hanc unam curam totâ mente incumbo, ut, quicquid vult DEUS, hoc & ego nunquam non velim. Eâ de causâ, nequaquam infelicem me censeo, quando meam omnem voluntatem sic integrè in divinam transfudi, ut apud me non aliud velle sit, aut nolle, quàm quod DEUS vult, aut non vult. Itáne verò, inquit Theologus, tu ista ex animi tui sententiâ profers? sed dic, obsecro, eadámne tibi mens esset, si te DEUS ad inferos statuisset præcipitare? cui promptè mendicus: Me, inquit, ille ad inferos præcipitare? ad inferos ille? At scias, duo mihi esse brachia miri roboris, his ego illum arctissimè stringerem complexu insolubili. Unum brachium est, subjectissima Humilitas per sui oblationem, alterum charitas sincerissima per DEI dilectionem. His ego me brachiis DEO sic innecterem, ut quocunque ablegarer, illuc eum unà mecum traherem. Et sanè multò foret optatiùs, extra cœlum esse cum DEO, quàm in cœlo sine illo. Theologus ad has voces attonitus, cum animo suo agitare cœpit, hanc illam esse compendiosissimam semitam ad DEUM. Sed libuit ulteriùs sciscitari, & sapientiam in domo tam incommodâ habitantem elicere in apertum: & unde tu, inquit: huc advenisti? à DEO veni, respondit mendicus. Cui Theologus iterum: & ubinam locorum, inquit, reperisti DEUM? ubi res creatas omnes, ait iste, deserui. Theologus denuò: ubi verò, ait, DEUM reliquisti? subjecit pauper: in mentibus puris, ac bonæ voluntatis. Ecquid tandem hominis es? ait Theologus. Mox alter: quisquis sim, inquit, sorte meâ tam contentus sum, ut eam cum omnium Regum opulentiis non commutaverim. Rex est, quisquis sibimet novit imperare. Ergóne te Regem credam? inquit alter, ubi regnum tuum? illic, ait mendicus, & simul digito cœlum monstravit: Rex est, cui Regnum illud in alto certis Chirographis transscriptum est. Denique Theologus finem facturus quæstionibus: quis ista, inquit, te docuit, quis hunc tibi animum injecit? respondit alter, dicam Domine: totos ego dies sileo & jam vel precibus, vel piis cogitationibus vaco: & hoc unicè curo ut DEO semper sim conjunctissimus. Conjunctio & familiaritas cum DEO, divinâque voluntate docet hæc omnia. Plura quærere volebat Theologus, sed in aliud tempus id differendum ratus, in præsenti valedixit. Dum abit, multa secum cogitans: En, ajebat ipse sibi, doctorem reperisti rectissimæ ad DEUM viæ. Quàm verè Augustinus: surgunt indocti, & cœlum rapiunt, & nos cum doctrinis nostris sine corde, ecce ubi volutamur in carne & sanguine?

XXVII. Ita 6. Rodriquez sic loquens: quicunque igitur hanc conformitatem suæ voluntatis cum divina integrè perfectéque attigerit, omnia tanquam de manu DEI descendentia cupidè amplexando, hic utique beatitudinem possederit in terris, fruetur enim perfundetúrque perenni quodam gaudio, & lætitiâ inenarrabili animæ, quâ quidem felicitate gaudent in hac vita magni servi & amici DEI. Certum siquidem est illud Apostolicum: *non est Regnum DEI esca & potus, sed justitia & pax, & gaudium in Spiritu Sancto.* Meritò autem dicitur alma hæc pax, beatitudo, quodam enim modo facit nos similes beatis. Uti enim in cœlo nulla est vicissitudo, nullum, ut sic dicam, vade & veni, sed jugis consistentia beatorum in uno esse, gaudendo in & de DEO: ita & illi, qui hic adepti sunt dictam conformitatem, ut omnis ipsorum gustus & oblectatio sit ipse gustus & beneplacitum DEI, exulat omnis inquietudo, atque turbatio, quæ aliis ex rerum hujus mundi vicissitudine perpetua accidit; etenim illorum mens ita absorpta in DEO est, ut, cùm videant à DEO proficisci universa, & in omnibus impleatur sanctissima, rectissimáque eius voluntas, molestiæ ipsæ, curæque vitæ præsentis, vertantur ipsis in gaudium, quia magis quærunt voluntatem Dei, quàm suam. Atque ita nihil est, quod illis aliquam possit ingenerare molestiam. Si enim adversa omnia, uti jam diximus, ab ipsis accipiantur, tanquàm singulares à DEO immissi favores, & consolationes, nihil profectò est, quod altissimam illam eorundem quietem possit vel in minimo interturbare. *Rodriq. p. 1. tr. 8. c. 4.*

XXIIX. Ita 7. Drexelius his verbis veritatem hanc confirmans: Quisquis hanc propriæ voluntatis cum divina conformationem perfectè attigeris, omniáque velut de manu Dei cupidè amplexatus fueris: hæc tua in hoc orbe inferiore beatitudo erit; frueris perenni quodam gaudio, & lætitiâ non multis notâ, hac enim felicitate fruuntur homines intimâ familiaritate Deo coniuncti: Beatus es, & bene tibi erit. Certum siquidem Paulinum illud: non est Regnum Dei esca & potus, sed iustitia, & pax, & gaudium in Spiritu Sancto. Qui enim in hoc servit Christo, placet Deo, & probatus est hominibus. Uti autem in Cœlo nulla est vicissitudo, nullum (ut sic loquar) heri aut hodiè, sed continuus quidam sibíque semper simillimus æternæ voluptatis affluxus, ísque invariabilis, & nunquam non simul totus: Quoniam mille anni ante oculos tuos tanquam dies hesterna, quæ præteriit: Ita & ij, qui hanc suæ & divinæ voluntatis unionem adepti sunt, jam penè immutabiles, quicquid ærumnosæ vicissitudinis intercurrit, rationis imperio premunt: omnis eorum gustus & oblectatio est Dei beneplacitum; exulat hinc inquietudo atque turbatio, quarum alioquin aliæ atque aliæ sine numero quotidiè nascuntur: voluntas illorum à Dei voluntate sic suaviter sopita est, ut, cùm videant à Deo proficisci universa, sanctissi- *Drex. l. 1. c. 6.*

ctissimámque ejus voluntatem in omnibus impleri, molestiæ ipsæ ærumnæque particulam gaudij secum afferant, quia in his ipsis molestijs ærumnisque Divinam voluntatem reperiunt, & certiùs, quàm in rebus secundissimis. Ita quietem illorum altissimam, si fortè quid incurrat, nihil est certè, quod evertat. *Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion, non commovebitur in æternum.*

XXIX. Ita 8. Deus ipse sanctæ Catharinæ Senensi dicens: volo te nôsse, quòd omnes pœnæ, quibus homines in hoc mundo affliguntur, in voluntate consistunt, quia, si voluntas esset ordinata, & concors cum voluntate mea, careret quodam modo pœnâ. Quamvis enim is, qui hac sanctâ ordinatáque voluntate præditus est, sentiat laborem & dolorem, quidquid tamen amore mei sponte patitur, quasi sine pœna portat, libentissimè enim sustinet illud, considerans & sciens, meam esse voluntatem atque permissionem, ut patiatur. Mens ejus in quovis dolore corporali libera est, cùm voluntas ipsius in omnibus sit conformis, & unita voluntati meæ. — *In Dial.*

COROLLARIUM. II.

XXX. Colliges 2. *nulli hominum te ob ullum temporale, aut spirituale bonum invidere debere, cùm semper occasionem habeas eodem bono fruendi, scilicet beneplacito Dei.* — *Invidia.*

Nota.

XXXI. Ita 1. David exemplo suo docuit, dum dixit: *Particeps ego sum omnium timentium te, & custodientium mandata tua.* — *Ps. 118.*

XXXII. Ita 2o. Seneca dicens: scito, quòd nulli invidet vir bonus; quis autem magis bonitate præditus est, quàm qui in omnibus regulæ omnis bonitatis, id est, voluntati Divinæ se conformat? — *Sen. in epist.*

XXXIII. Ita 3. Thomas Kempensis sic Deum alloquens: omnia, quæ in anima habemus & corpore, & quæcunque exteriùs vel interiùs, naturaliter vel supernaturaliter possidemus, tua sunt beneficia, & te beneficum, pium, ac bonum commendant, à quo bona cuncta accepimus. Etsi alius plura, alius pauciora accepit, omnia tamen tua sunt: & sine te, nec minimum potest haberi. Ille, qui maiora accepit, non potest merito suo gloriari, neque super alios extolli, nec minori insultare; quia ille major & melior, qui sibi minùs adscribit, & in regratiando humilior est, atque devotior. Et qui omnibus viliorem se existimat, & indigniorem se iudicat, aptior est ad percipienda maiora. Qui autem pauciora accepit, contristari non debet, nec indignanter ferre, neque ditiori invidere: sed te potiùs attendere, & tuam bonitatem maximè laudare, quòd tam affluenter, tam gratis & libenter, sine personarum acceptione tua munera largiris. Omnia ex te, & ideò in omnibus es laudandus. Tu scis, quid unicuique donari expediat! & cur iste minùs, & ille ampliùs habeat, non nostrum, sed tuum est hoc discernere, apud quem singulorum definita sunt merita. Nihil ergo amatorem tuum, & cognitorem beneficiorum tuorum, ita lætificare debet, sicut voluntas tua in eo, & beneplacitum æternæ dispositionis tuæ: de qua tantum contentari debet & consolari, ut ita libenter velit esse minimus, sicut aliquis optaret esse maximus: & ita pacificus & contentus in novissimo, sicut in loco primo; atque ita libenter despicabilis & abjectus, nullius quoque nominis & famæ, sicut cæteris honorabilior & maior in mundo. Nam voluntas tua, & amor honoris tui, omnia excedere debet, & plùs eum consolari, magísque placere, quàm omnia beneficia sibi data vel danda. — *L. 3. de imit. c. 22.*

COROLLARIUM III.

XXXIV. Colliges 3. *te non tristari debere, si advertas, te minora, quàm alij, talenta possidere, quia omnia talenta sunt tantùm instrumenta ad voluntatem DEI faciendam, unde si pauciora tibi dedit talenta, minùs quoque à te requiret, atque adeò æquè poteris beneplacitum Divinum per tua minora talenta, quàm alius per majora procurare.* — *Talentorum distributio.*

Nota.

XXXV. Ita 1. S. Hieronymus docuit dicens: in templo DEI offerat unusquisque quod potest, alii aurum & argentum, & lapides pretiosos: alii byssum & purpuram, & coccum offerunt, & hyacinthum: mecum benè agetur, si obtulero pelles animalium & caprarum pilos. — *S. Hieron. in prolog. Galeat.*

XXXVI. Ita 2. Joannes Avila: nullum credo in mundo fuisse Sanctum, qui non voluerit esse melior, quàm fuit, sed non propterea animi sui pacem hi amittebant; neque enim id tam ex propria cupiditate, utpotè quæ nunquam dicit, sufficit, desiderabant, quàm propter DEUM, cuius divisione ac distributione munerum satis erant contenti, etsi ipsis dedisset minùs, rati in illo verum amorem consistere, quòd contenti viverent eô, quod ipse iis daret, quàm in multa habendi desiderio, etsi id amor proprius non nisi ad meliùs DEO serviendum fieri, dicat. — *Avila e. 13. sup. audi filia.*

XXXVII. Ita 3. Thomas Kempensis. Sic DEUM alloquens, inquit. Unde Domine DEUS, pro magno etiam reputo beneficio, non multa habere, unde exteriùs & secundùm homines, laus & gloria appareat; ita ut consideratâ quis paupertate & vilitate personæ suæ, non modò nullam gravitatem, aut tristitiam, vel dejectionem indè concipiat, sed potiùs consolationem & hilaritatem magnam: quia tu DEUS pauperes & humiles, atque huic mundo despectos, tibi elegisti in familiares & domesticos. Testes sunt ipsi Apostoli tui, quos principes super omnem terram constituisti. Fuerunt tamen sine querela conversati in mundo etiam humiles & simplices, sine omni malitia & dolo, ut — *Th. Kemp. l. 3. c. 22.*

ut etiam pati contumelias gauderent pro nomine tuo: & quæ mundus abhorret, ipsi amplecterentur affectu magno.

S. Paulus ad Cor. 1. c. 12. XXXVIII. Ita 4. S. Paulus, *hæc omnia*, inquiens, *operatur unus, atque idem spiritus, dividens singulis, prout vult.*

Rodriq. p. 1. tr. 8. c. 13. XXXIX. Ita 5. Rodriquez dicens: omnino convenit, unumquemque ijs talentis intellectûs, ingenij, habilitatis aliarúmque qualitatum esse contentum, quæ divina bonitas ipsi communicavit, nec propterea, quòd in iis multis fortasse aliis concedat, debet animo esse dejectior. Res istæ ita in hoc mundo sunt ordinatæ, atque dispositæ, ut nemo sit, cui non aliquid desit: & tametsi videantur sibi aliqui in nonnullis rebus esse eximii, & verò etiam sint, habent nihilominus semper etiam alia, quæ ipsos humilient, in quibus opus habent hac conformitate. Viri sancti, quia periculum magnorum talentorum verè penetrabant, non solùm ea non prensabant, sed & seriò refugiebant. Audi Davidem: *Ab altitudine diei timebo*: & hinc DEO magis placebant, qui servos suos humiles vult, non elatos. O si semel capaces fieri possemus saluberrimæ doctrinæ huius, omnia videlicet esse nugas & vanitatem, præterquam facere voluntatem DEI. Si tu absque litteris, vel saltem iis leviter tinctus, plùs sapis, & places DEO; quid tibi cum litteris? si ob aliquem finem deberes illas velle, certè ob id unum velle debetes, ut DEO placeres; jam si DEO plùs places, vel nihil, vel parùm sciendo, uti revera plùs places, quandoquidem ipse est, qui hanc distributionem fecit, quorsum te ipsum affligis? cur vis esse plùs, cùm te DEUS velit esse minùs? non placuerunt DEO magna illa sacrificia, quæ ipsi Rex Saul voluit offerre, quia res non erant conformes Divinæ voluntati, quare nec placebunt eidem alta tua sublimiáque desideria. Non consistit bonum nostrum nec in profectu nostro litterario, nec in magnis qualitatibus, nec in re alia ulla, quàm in voluntate DEI, & in bona exactáque reddenda ratione eorum, quæ DEUS nobis tradidit. In his figendus est oculus cordis, & non in donis.

COROLLARIUM IV.

Indifferentia. XL. Colliges 4. *te ad omnia loca, & officia, indifferentem esse debere, cùm in uno æque ac altero occasionem habeas, finem tuum, id est, beneplacitum Divinum obtinendi.*

Nota.

S. Paulus 1. ad Cor. 4. XLI. Ita 1. S. Paulus dicens: *spectaculum facti sumus Mundo, Angelis & hominibus &c. non ergò refert, quam personam, sed quàm benè agas.*

S. August. l. 10. confess. c. 26. XLII. Ita 2. S. Augustinus: optimus minister ille est, qui non magis nititur à te audire, quod ipse voluerit, sed potiùs velle, quod à te audiverit.

Vita. XLIII. Ita 3. B. Aloysius dicere solitus, Religionem navi esse similem, in qua æquè magnum spatium vehendo conficiunt, qui ad remos, quàm qui ad clavum sedent.

XLIV. Ita 4. Thomas Kemp. Munit parùm locus, si deest spiritus fervoris; nec diu stabit pax illa quæsita forinsecus, si vacat à vero fundamento status cordis, hoc est, nisi steteris in me, permutare te potes, sed non meliorare. Thom. Kemp. l. 1. c. 17.

XLV. Ita 5. Rodriquez sic loquens: Apposita est ad hanc rem declarandam similitudo eorum, qui comœdias exhibent, quorum laus non regulatur à persona, quam repræsentant, sed à modo, dexteritate, & gratia, quâ cum repræsentant, agunt, movent, loquuntur. Unde si hæc meliùs præstet is, qui rusticum exprimit, eò, qui Cæsarem, laus & præmium ab æquis censoribus illi adsignatur, non huic. Ita quod DEUS in nobis potissimùm attendit in hac vita (quæ quid aliud est, nisi comœdia, & utinam in Tragœdiam non terminetur!) non est persona, quam repræsentamus, v. g. superioris, concionatoris, sacristæ seu æditui, Janitoris, sed illud unum, quàm benè scilicet suam quisque personam repræsentet. Quarè si melius munere suo fungatur Coadjutor, superiore, vel Concionatore, recipiet maius his in cœlo præmium, magisque à DEO honorabitur. Non potuisset interdum aliquis repræsentare Personam Regis, repræsentando verò personam famuli vel pastoris, honorem laudémque retulit; sic non fuisses tu fortassis idoneus ad sustinendam personam concionatoris, aut superioris, jam verò benè laudabilitérque sustines personam Confessarii, Ministri, vel Coadjutoris. Novit optimè DEUS dare cuique, quod ipsi congruit, & secundùm propriam virtutem. Nemo igitur aut affectet, aut appetat personam sibi non convenientem, nec talenta sibi indebita. Sed hoc sit studium cuiusque, ut donum, quod DEUS ipsi est elargitus, fructuosè ad eiusdem gloriam collocet, hoc enim & DEO erit longè gratius, & copiosius in cœlo præmium percipiet. Rodriq. 15.

S. Ignat. 7. const. c. 2. §. 1. XLVI. Ita 6. S. Ignatius Loiola, asserens eos, qui in Societate vivunt, debere esse indifferentes, ad proficiscendum, & residendum in quacunque plaga mundi, quocunque eos miserit obedientia, inter fideles, & infideles, sive ad Indos, Hæreticos, &c. Et quidem circa hoc faciunt Professi quartum votum solenne Romano Pontifici, obligando se ad eundum promptè & liberè, nullâ obtentâ excusatione ad quamcunque mundi partem, ad quam eos sua Sanctitas miserit, nihil petendo viatici, nec per se, nec per alios, nec temporale quicquam, idque sive pedibus, sive equo, cum pecuniis, vel sine, petendo Eleëmosynam, prout Sanctitati suæ melius in Domino videbitur. Et asserit ibi S. P. N. finem & intentionem faciendi hoc votum esse, ad conformandum se magis voluntati Divinæ, cùm enim primi illi Patres diversarum essent Regionum, & non constaret, ubinam terrarum magis esset placitum DEO, ipsos occupare, fidelésne inter, an infideles, ad constituendum se in bilan-

bilance divinæ voluntatis, consecrârant se per hoc votum Vicario Christi, ut ipse dispiceret, quónam potiùs ad majorem DEI gloriam essent mittendi. Ipsa verò persona Societatis (inquit) non se debet intromittere, nec ullo modo procurare, ut vel eat, vel consistat in uno loco potiùs, quàm in alio, sed debet esse omninò indifferens, totam dispositionem relinquendo in manibus superioris, qui loco DEI ipsum gubernat, ad majus obsequium & gloriam suam. Ut autem videamus, quàm indifferentes nos esse hac in parte voluerit S. P. N. legimus in vita ipsius, dixisse ipsi aliquando Patrem Jacobum Lainium, sentire se desiderium ad Indos proficiscendi, ad procurandam salutem gentis illius, defectu operariorum miserè pereuntis. Ego verò, inquit Ignatius, nihil horum desidero, rogatúsque ejus rei causam, respondit, quia nos cùm devoverimus summo Pontifici, ut ipse exploret, ubinam majus DEI servitium obeatur, indifferentes nos esse convenit, ita ut non magìs ad unam, quàm ad alteram partem inclinemus. Imò (addit) si ego me sentirem inclinatum, uti tu, proficisci in Indiam, conarer me impellere in partem alteram, ad attingendam illam æqualitatem indifferentiámque, quæ ad consequendam obedientiæ perfectionem est necessaria. Neque ideò dicere intendimus mala esse vel imperfecta ejusmodi desideria; sunt enimverò sancta, quin & bonum est, ea superiori proponere, cùm DEUS illa inspirat. Sic enim dicit ibi P. N. gaudent superiores, tibi talia exponi: signa enim sunt divinæ Vocationis ad loca, & suaviùs hoc modo omnia fiunt. Sed id tamen dico, ut videatur indifferentia: animique promptitudo, quam P. N. vult in nobis vigere ad eundum, manendúmve in quacunque mundi parte.

Ann. Franc. l. 7. c. 5.

XLVII. Ita 7. B. Ægidius, cui S. Franciscus licentiam dederat eundi, quocunque vellet, habitandique in Provincia, & monasterio, quæ ipsi magis arriderent, omninodam ipsi, ob ipsius merita & sanctitatem, relinquendo libertatem: quid fit? vix quatriduum in ista licentia exegit, cùm magnam sentire cœpit in animo inquietudinem. Redit igitur ad sanctum Franciscum, petitque instantissimè ut locum Monasteriúmque ipsi designet, in quo ipsum de reliquo velit vivere, magno ipsi hanc libertatem licentiámque stetisse, certúmque se esse, liberam, largámque hanc obedientiam nullam ipsi quietis partem relicturam. Boni ferventésque Religiosi, pacem adimpletione propriæ voluntatis non inveniunt, sed turbas & amaritudinem, ac propterea, nec hanc nec alium locum affectant, sed sese totos in manu DEI, superiorúmque perfectè constituunt, persuadentes sibi id, quod verè est, hanc esse voluntatem DEI, in qua sola conquiescunt.

COROLLARIUM V.

Orationis moderatio.

XLVIII. Colliges 5. *Turbari te non debere, si advertas, te modicum tempus & occasionem habere, multas orationes peragendi, cùm ideò solùm debeas orationi vacare, quia DEUS vult, eam te peragere ad laudandum ipsum, variáque tibi & aliis dona impetranda; Hos fines autem meliùs obtinere possis, si ex voluntate DEI aliquid agas.*

Notæ.

S. Aug. in Ps. 148.

XLIX. Ita 1. S. Augustinus inquiens: vis semper laudare DEUM? bene fac omnia, & laudâsti DEUM.

Blosius in farrag.

L. Ita 2. Blosius dicens: verissima devotio sita est in verissima resignatione, abnegatione, nihili pensione, & annihilatione sui ipsius. Hanc habet, quisquis divinâ fretus ope, DEO semper inhæret per amorem, idque perinde in penuria, ut in abundantia, in mœrore ut in gaudio. Itaque qui in quibuscunque eventibus integrâ cum DEO pace, DEO unitus permanet, is, quid sit vera & integra vita, veráque devotio, perspectum habet. Et in spec. spirit. c. 9. Nihil melius postulare, nullam præstantiorem orationem fundere potes coram DEO, quàm ut petas fieri voluntatem ejus.

Vita c. 2.

LI. Ita 3. P. Balthasar Alvarez è Societate JESU, qui cùm adverteret nimiùm in se desiderium orationis, statuit non plùs temporis orationi dare, quàm obedientia permitteret, amplectens pro Regula suæ orationis consilium Tobiæ de Eleemosyna filio datum: quomodo potueris, esto misericors; si multum tibi fuerit, abundanter tribue; si exiguum tibi fuerit, etiam libenter impertiri stude. Cùm enim orare, sit, esse cum DEO, si quo tempore ille vult operâ tuâ uti, ipsum hac defraudes, jam non erit ipse tecum. Et, si ille tecum non sit, quomodo tua solitudo poterit esse oratio? servus faciens, quidquid Dominus ejus jubet, tempúsque in eo expendens, quod ipse præcipit, paratus ad omnia, quæ ejus sunt obsequii, non gratis comedit panem, potéstque omnem deponere scrupulum.

Ibid. c. 34.

Aliis verò dicebat cuipiam: cupis proficere, orationique tuæ benè attendere ut placeas DEO? permittas te ab eo gubernari, & incipias amorem, quem erga illum habes, in eo ostendere, quòd sis contentus & placatus, quomodocunque & quâcunque viâ voluerit ille te ducere, & cum eo, quod ille dare voluerit, modicum aut multum, aut nihil. Et crede certò, te magis illi placiturum, si gaudeas, & tranquillus sis cum paupertate, quamdiu ille te non eduxerit ex illa, quàm si obtineres imaginariam tuam celsitatem. Satis hactenùs eo modo servisti DEO, qui tibi placuit; incipias jam eidem servire, vel unico die, quomodo ipse cupit.

Ibid. c. 50.

Cùm verò quondam videret, se multis externis occupationibus

bus premi, & proponeret DEO teneras quasdam querelas, quòd sibi tempus deesset ad manendum cum ipso seorsim, factum est, inquit, hoc verbum Domini in me : satis tibi sit, quòd operâ tuâ utar, quamvis te non habeam mecum : ex quo mansi jucundus & lætus. Aliàs circa eandem materiam hoc sensit : fieri quidem potest, ut multis hominibus Societatis tempus desit liberum explendæ suæ voluntati; sed non deerunt occupationes, & opportunæ occasiones ad explendam divinam. Quòd si, ut granum frumenti fructum afferat, necesse est, ut moriatur; quæ melior & major felicitas? quæ verò major stultitia, quàm dolere de tali occupatione? si DEUS electionē nobis mortis permitteret, quàm nam jucundiorem invenire possemus illâ, in qua neque cauteria, neque opprobria adhibentur? quid autem aliud sunt hominum societatis occupationes, quàm stationes, in quibus DEUS illos ponit; spatia quædam ipsius obedientiis plena; venæ apertæ; ex quibus totus sanguis effluit propriarum voluntatum; quæ magis in oculis DEI splendent, quàm lapides pretiosi : aptissimæ ac ditissimæ viæ ad perfectionem? Dicebat etiam, præcipuum omnis bonæ orationis finem, & optimum fructum ex ea colligendum esse : dare DEO, quidquid à nobis petierit; magnâque cum conformitate acquiescere ei in omnibus, quæ de nobis statuerit. Et velut honesta uxor non alia de causa se exornat, quàm ut marito placeat, cui si sine his ornamentis placeret, parata esset illa mox abjicere, etsi ab aliis deformis haberetur, & contemneretur : ita & nos in omnibus soli DEO placere studeamus.

COROLLARIUM VI.

Sollicitudo de fructu. LII. Colliges 6. *Te in tuis negotiis non turbari debere, si optatus fructus non sequatur; cùm intentio tua ad solum beneplacitum divinum ferri debeat, quem fructum semper obtinere potes; sed & de reliquo is fructus laborum optimus censeri debeat, quem providentia divina nobis concessit.*

Nota.

Isaiæ 5. 2. LIII. Ita 1. DEUS ipse dicens : *Quid est, quod debui facere vineæ meæ, & non feci? Sepivit eam, & lapides elegit ex illa, & plantavit eam electam, & ædificavit turrim in medio ejus, & exspectavit, ut faceret uvas, & fecit labruscas. Nunc ergò, habitatores Jerusalem, & viri Juda, judicate inter me, & vineam meam.*

Li. 4. rev. c. 81. LIV. Ita 2. B. Virgo S. Birgittæ dicens : Amici DEI non habent attædiari in servitio DEI; sed laborare, ut homo malus fiat melior, & homo bonus veniat ad perfectiora. Nam quicunque voluntatem haberet sibilandi in aures omnium transeuntium, quòd JESUS Christus esset verè filius DEI, & faciendo conaretur, quantùm posset, ad aliorum conversionem, licet nulli vel pauci converterentur, nihilominus eandem mercedem obtineret, ac si omnes converterentur, sicut per exemplum dico tibi : si duo Mercenarii ex præcepto Domini foderent montem durissimum, & alius inveniret aurum electum, alius verò nihil, isti propter laborem & voluntatem digni essent æquali mercede.

LV. Ita 3. S. Chrysostomus sic loquens : Utinam oratio nostra aliquid proficiat! Quòd si post longam admonitionem in iisdem vitiis perseveraverint, ne sic quidem desistemus, illis, quod rectum est, consulere, quandoquidem & aquarum venæ, etsi nullus veniat aquatum, manant tamen : & fontes, quamvis hauriat nemo, tamen scatebras emittunt : & amnes, etsi nemo bibat, nihilò seciùs fluunt, sic oportet & illum, qui concionatur (& conversatur) quamvis nullus auscultet, tamen præstare, quidquid in ipso situm est. Siquidem hæc lex nobis, qui sacri sermonis administrationem suscepimus à benigno præscripta est DEO. *S. Chrysost. ho. 3. in 1. Cor.*

LVI. Ita 4. S. Bernardus Eugenium sic adhortans : noli diffidere, inquit, curam exigeris, non curationem. Denique audisti : Curam habe illius, & non, cura, vel sana illum. Verum dixit quidam : *Non est in Medico semper relevetur ut æger.* At melius propono de tuis tibi. Paulus loquitur : *Plus omnibus laboravi.* Non ait, Plus omnibus profui, aut plùs omnibus fructificavi, verbum insolens religiosissimè vitans. Alias autem noverat Homo, quem docuit DEUS, quia unusquisque secundùm suum laborem accipiet, non secundùm proventum. Ita, quæso, & tu fac, quod tuum est: nam DEUS, quod suum est, satis absque tua anxietate & sollicitudine curabit. Planta, riga, fer curam, & tuas explevisti partes; sanè incrementum, ubi voluerit, dabit DEUS, non tu. Ubi fortè noluerit, tibi deperibit nihil, dicente scripturâ. Sap. 10. *Reddet DEUS mercedem laborum Sanctorum suorum.* Securus labor, quem nullus valet evacuare defectus. *S. Bern. l. 4. de Consid. c. 4.*

LVII. Ita 5. S. Ignatius, qui, si quem, omnia expertus, tamen è peccatorum cœno extrahere non potuisset, non ideò contrahebat animum, vel se angori dabat, quasi oleum & operam perdidisset, sed conscientiæ & officii fructu contentus, acquiescebat in alto providentiæ divinæ consilio. Idem alios, teste Ribadeneirâ, l. 5. c. 11. facere hortabatur, Angelorum Tutelarium exemplo, qui quos à DEO sibi commissos acceperunt, monent quoad possunt, defendunt, regunt, urgent, & ad bonum juvant; sed si voluntatis libertate abutantur illi, & inobedientes atque obstinati sint, propterea tamen nullo anguntur mœrore, nullâ afficiuntur molestiâ; Curavimus, inquiunt, Babylonem, & non est sanata.

LVIII. Ita 6. Thomas Kemp. loquens in persona Christi : Fili, desideria & sæpè accen- *Thom. Kemp. l. 3. c. 11. & 49.*

tendunt, & vehementer impellunt: sed considera, an propter honorem meum, an propter tuum commodum magis movearis. Si ego sum in causa, benè contentus eris, quomocunque ordinavero: si autem de proprio quæsitu aliquid latet, ecce hoc est, quod te impedit, & gravat. Et iterum: Quare vano mœrore consumeris? cur superfluis curis fatigaris? Sta ad beneplacitum meum, & nullum patieris detrimentum. Si quæris hoc vel illud, & volueris esse ibi vel ibi, propter tuum commodum, & proprium beneplacitum magis habendum, nunquam eris in quietudine, nec liberâ solicitudine, quia in omni re reperietur aliquis defectus: & in omni loco erit, qui adversetur.

COROLLARIUM VII.

Zelus animarum. LIX. Colliges 7. *Etiam tunc turbari te non debere, quando occasionem non habes, proximi salutem procurandi; Quia & hanc non aliter, quàm juxta mensuram beneplaciti divini procurare velle debes, & præterea voluntas cum divina conformata, optimum etiam medium est, proximo necessaria ad salutem auxilia impetrandi.*

Nota.

Blosius in farrag. LX. Ita 1. Blosius dicens: Multò acceptius DEO est: ut cum Apostolo ex animo dicamus: *Domine, quid me vis facere?* quàm, si mira quædam, ex voluntate propria, pro illius amore nos libenter facere velle dicamus; super omnia námque, quæ vel dicere vel facere possemus, hoc à nobis maximè deposcit DEUS, ut intùs corde dicamus: Domine, fiat gratissima voluntas tua.

Avila 2. Epist. LXI. Ita 2. M. Avila cuidam scribens: Ne, quæso, respicias ad id, quod faceres, si sanus esses, sed cogita potiùs, quàm placiturus sis DEO, si in morbo tuo (aut aliquo opere) cum DEI voluntate te conformes.

S. Bonav. de grad. virt. c. 14. LXII. Ita 3. Bonaventura dicens: perfectius est, adversa tolerare patienter, quàm bonis operibus insudare.

Vita c. 44. LXIII. Ita 4. P. Balthasar Alvarez, qui, cùm ægrotum quendam visitaret, ferventem valde Operarium, & conquerentem, quòd in lecto jacens nec orare posset, nec Sacrum facere, nec confessiones excipere, aliaque ministeria præstare, quæ sanus faciebat, eidem dixit, pluris facere DEUM, quòd quis eum in morbo per mensem sustineat, ac toleret, quàm quòd in hujusmodi Ministeriis per integrum annum illi serviat.

COROLLARIUM VIII.

Casus tristes amicorum. LXIV. Colliges 8. *Etsi humanum sit, casibus amicorum condolere, nunquam tamen te inordinatè ob eos tristari debere; cùm eadem causa te movere debeat ad eos deserendos, quæ ad agendum cum iis te impellere debeat, scilicet beneplacitum divinum.*

Nota.

LXV. Ita 1. Christus valedicens Matri suæ, & hæc vicissim Filium dimittens ad mortem tam acerbam, quia sic DEUM velle videbant. *S. Bonav. in vita Christi.*

LXVI. Ita 2. S. Job in oppressione liberorum id unum ingeminans: *Sicut Domino placuit, ita factum est; sit nomen Domini benedictum.* *Job. c. 1.*

LXVII. Ita 3. Thomas Kemp in persona Christi sic loquens: Fili, si ponis pacem tuâ cum aliqua persona propter tuum sentire & convivere, instabilis eris & implicatus. Sed si recursum habes ad semper viventem, & manentem veritatem, non contristabit amicus recedens, aut moriens. In me debet amici dilectio stare: & propter me diligendus est, quisquis tibi bonus visus est, & multum charus in hac vita: sine me non valet, nec durabit amicitia: nec est vera & munda dilectio, quam ego non copulo. Ita mortuus debes esse talibus affectionibus dilectorum hominum, ut (quantum ad te pertinet) sine omni humano optares esse consortio. *Th. Kemp l. 3. c. 42.*

LXIIX. Ita 4. S. Hieronymus ad Paulam: bonus est DEUS, & omnia, quæ bonus facit, bona sint, necesse est. Mariti orbitas irrogatur? plango quod accidit, sed quia sic placet Domino, æquo animo sustinebo. Unicus raptus est filius? durum quidem, sed tolerabile, quia sustulit ille, qui dederat. *S. Hieron. ep. ad Paul.*

LXIX. Ita 5. S. Augustinus sic adhortans: Illum quære, qui deesse non potest; subtrahuntur, quæ dedit, nunquid subtrahitur, qui dedit? applica ad ipsam etiam voluntatem divinam. *S. Augus. Ps. 34.*

COROLLARIUM IX

LXX. Colliges 9. *Te ob nullum eventum futurum, inordinatè angi debere, cùm certò persuadere tibi possis, & debeas, id futurum, quod DEO placuerit; id autem tibi malum non futurum, nisi tu per voluntatem propriam tibi in malum torqueas.* *Sollicitudo de futuris.*

Nota.

LXXI. Ita 1. Christus exspectans usque ad Passionis tempus, & tunc ad orationem confugiens, dicénsque: *Pater, si possibile est, transeat à me calix iste.* Etiam alios tam sollicitè monuit; *Nolite solliciti esse in crastinum, crastinus enim dies sollicitus erit sibi ipse. Quærite primùm Regnum* (id est voluntatem) *DEI, & hæc omnia adjicientur vobis.* *Matt. 6. c.*

LXXII. Ita 2. Thomas Kemp. inquiens: quid importat sollicitudo de futuris contingentibus, nisi tristitiam super tristitiam habeas? *Th. K. l. 3. c. 10.*

beas? Crede in me, & in misericordia mea habeto fiduciam.

Vitae. c. 5. LXXIII. Ita 3. P. Balthasar Alvarez, qui eum, qui sub obedientia vivit, nolebat cogitare, quid cras de se futurum esset, aut quid ipse acturus esset? responsio enim in promptu est: Faciam, quod jubebor; erit, quod volet DEUS. Et ita hoc totum meum lucrum est, ut te DEUM meum contentum habeam, tibíque satis faciam.

COROLLARIUM X.

Angor de præteritis. LXXIV. Colliges 10. *Neque de præteritis te tristari inordinatè, sed in providentia divina, quæ ob altissimas causas talia fieri permisit, acquiescere debere, & verò etiam utilius posse.*

Notæ.

S. Cath. in Epist. LXXV. Ita 1. S. Catharina Senensis in quadam Epistola sic scribens: Si omnia peccata simul in uno homine coacervata essent, non deberent eum impedire, quò minùs fructum Sanguinis Filii DEI in se reciperet, modò vera fides & spes infinitæ misericordiæ DEI in eo remanerent. Cùm peccatum solummodò in malâ perversâque voluntate situm sit, homo videns bonam voluntatem sibi à DEO concessam esse, debet omni confusione spiritûs abjectâ, perseverare in sanctis operibus, & exercitiis, ambularéque in lumine gratiæ, quam invenit in se absconditam in munere DEI, qui bonam voluntatem in se conservat. Debet Diabolo, confusionem vel desperationem suggerenti respondere: Si gratia DEI in me non esset, & ego pravas suggestiones tuas sequerer: jam verò confido in pio Domino meo JESU Christo, qui me semper intuebitur, ac salvum faciet, propter immensam misericordiam suam.

Blosius in Instit. spir. c. 8. LXXVI. Ita 2. Blosius dicens: Quando Asceta peccat, sibi soli peccatum suum imputet, magisque doleat, & deplangat, quòd DEUM fidelissimum, dulcissimúmque Patrem suum offenderit, quàm quòd commeruerit, ut gravibus, vel etiam æternis suppliciis puniatur. Molestiam illius acerbæ reprehensionis, quâ tunc intùs à DEO conteritur, non quærat effugere, sed humiliter illam, tanquam salutare antidotum sustineat. Exaggeret quidem offensas suas, non tamen desperet. Si ex lapsu factus est humilior, atque cautior, res jam non usque adeò malè se habet. Ergò postquam lapsus est, non nimis scrupulosè perquirat, unde id acciderit, neque diutiùs, quàm oportet, defectum suum apud se (quasi fugiens à DEO) revolvat: sed citò se in DEUM recipiat, & contrito atque amanti corde ad Christum conversus (etiamsi sensibilis contritio non adsit) dicat: Domine, ego ad te confugio, culpam agnosco: propitius esto mihi peccatori. Projicio iniquitates & negligentias meas in abyssum miserationum tuarum. Renuntio omnibus, quæ tibi displicent, & quidquid tu non es, relinquo. Propono per gratiam tuam corrigere me: ablue me pretioso sanguine tuo. In te spero, Clementissime mi, & amabilem dexteram tuam, quæ me cadentem semper excipit, deosculor. Præstat omninò post peccatum admissum mox reverti, quàm diu in peccato discutiendo occupari, detinerique. Neque enim contracta dissimilitudo meliùs alibi, quàm in DEO deponetur. Revera cùm DEUS sit fons immensæ misericordiæ, non potest non succurrere, non potest non ignoscere ei, qui ipsum humiliter & confidenter invocat, etiamsi is peccata totius mundi millies commisisset. Fasciculus lini in ingentem ignem conjectus, non tam repentè inceditur, quàm paratus est DEUS veniam dare homini pro peccatis suis verè dolenti. Inter bonitatem DEI, & peccatorem pœnitentem nullum prorsus medium est.

LXXVII. Ita 3. idem Blosius sic loquens: Asceta propter eos defectus, quos nullâ ratione in se devincere potest, non perturbetur, sed DEO se resignans, reputet illos veluti fimum esse, quo conspersus ager animæ suæ uberiorem fructum affert. DEUS enim nævos aliquos spirituales, & modicum quid reprehensibile, etiam in charissimis Electis suis sæpè relinquit (qui ut plurimum ad iram & vehementiam procliviores sunt, vel primorum motuum molestiâ longo tempore fatigantur) ut sibi & aliis cogniti, magìs humilientur, indéque gratia, quam à Domino acceperunt, velut ignis sub cinere occultetur, ac meliùs conservetur. Sæpe numero accidit, ut hi, qui irresignati adhuc sunt, & grandes in oculis suis, viriliùs primos in se motus compescant, & fortiùs adversa quæque extrinsecus perferant, quàm humiles & verè resignati DEI amici. Isti enim secundùm interiorem quidem hominem tranquilli in adversis permanent, sed secundùm sensualitatem plerúmque turbantur, atque pœnas exhorrent. Igitur Asceta roget Christum, ut omnem suam imperfectionem suppleat. Si longanimis fuerit, tandem ab ipso Christo istud intus audire merebitur: Gratias tibi ago, Fili, quòd defectus tuos ad finem usque patienter tolerando, mecum crucem meam portaveris. *Ibid.*

LXXVIII. Ita 4. Idem: Sancti Patres affirmant, eum, qui DEI erga se justitiam perindè ut misericordiam, ad æternam ejusdem sui Domini gloriam exosculatur, ac diligit, tam facilè peccatorum omnium, & pœnarum illis debitarum plenam veniam obtinere, quàm facilè una aquæ guttula in ardente fornace consumitur. *Idem in Speculo. c. 9.*

LXXIX. Ita 5. B. Aloysius exemplo suo docuit, qui, si quid deliquisse se cognosceret, non nimiâ tristitiâ contrahebat animum, sed semet ad pedes Domini projiciens, seque confessione expiaturum peccatum decernens, animóque dolens, acquiescebat. Dicere item solebat, nimium de levibus erratis affligi, indicium esse hominis semet ignorantis, qui enim se *Vit. l. 2. c. 5.*

senôrit, non posse esse nescium, hortum suum tribulorum ac spinarum suapte sponte feracem esse.

Th. Kemp. l.3.c.57. LXXX. Ita 6. Thomas Kemp. in persona Christi hominem sic animans: Animæquior esto, & ad majorem sustinentiam accingere. Non est totum frustratum, si te sæpiùs percipis tribulatum, vel graviter tentatum. Homo es, & non DEUS: caro es, non Angelus. Quomodo tu posses semper in eodem statu virtutis permanere, quando hoc defuit Angelo in cœlo, & primo homini in Paradiso. Ego sum, qui mœrentes erigo sospitate, & suam cognoscentes infirmitatem ad meam proveho divinitatem.

COROLLARIUM XI.

Persecutiones. LXXXI. Colliges 11. *te nullius persecutionis causâ irasci, aut indignari debere, cùm nemo tibi nocere possit, aut plus, quàm DEUS permittat, te affligere; quidquid autem DEUS permiserit, id totum in summum bonum tuum ordinet.*

Notæ.

L.1.Reg. c.16. LXXXII. Ita 1. Christus non apetiens os, cùm consisteret peccator adversus ipsum.

Th Kemp. l.3.c.36. LXXXIII. Ita 2. S. David dicens: *Dimittite eum, ut maledicat: Dominus enim præcepit ei, ut malediceret David: & quis est, qui audeat dicere, quare sic fecerit?*

LXXXIV. Ita 3. Thom. Kemp. sic loquens; Quis tu, ut timeas à mortali homine? Hodie est, & cras non comparet. DEUM time, & hominum terrores non expavesces. Quid potest aliquis in te verbis, aut injuriis? sibi potiùs nocet, quàm tibi: nec poterit Judicium DEI effugere, quicunque est ille.

LXXXV. Ita 4. S. Antonius dicens dœmonibus, in diversis formis animalium apparentibus: si quam DEUS dedit vobis potestatem in me, ecce, irruite in me; si autem nullam à DEO ad hoc potestatem habetis, cur frustra laboratis?

LXXXVI. Ita 5. S. Lupus, qui, cùm ab Attila Troiam Galliæ urbem occupare volente quæsiisset, quis es tu? & ille respondisset, se esse flagellum Dei, mox aperiri portas jussit, dicens: Salve flagellum Dei. Ergò & tu latissimè aperi portas cordis tui, & persecutorem cum maximo charitatis & gaudii affectu excipe.

Vita PP. l.7.c.74.n.4. LXXXVII. Ita 6. Monachus ille, qui, quantò plùs eum aliquis injuriis afficiebat, & incitabat, tantò magis ad eum recurrebat dicens: Isti sunt, qui nobis occasionem præbent ad perfectionem nostram; qui autem beatificant nos, ipsi decipiunt nos, & semitam pedum nostrorum subvertunt.

L.3.Insin. c.63. LXXXVIII. Ita 7. Christus S. Gertrudi, cùm turbata ob aliorum persecutionem esset, dixit: Ne contristare, delector enim tuâ cohabitatione, ideò ut mecum maneas, mitto tibi amicos contrarios, ut, dum in nulla creatura fidelitatem reperis, ad me pleniùs recurras. Aliàs verò eidem dixit: singula verba detrahentium sume tibi loco virtutum, quibus exornata pervenies ad me; & ego compassiva pietate mea compulsus, benignè suscipiam te. Et quantò plùs conversatio tua sine culpa reprobatur, eò ampliùs cor meum amatoriâ beatitudine tibi condescendit, quia per hoc efficieris mihi simillima, qui in operibus meis semper habui perversores. Et iterum, dum eidem dixit, se ideò præ cæteris creaturis, quæ in humanitate ipsi deservierunt ad commoda corporalia (ut sunt vasa, quibus in infantia balneatus est) multò majorem honorem spineæ coronæ, lanceæ, &c. contulisse, ut & ipsi dilecti adversariis majorem amorem, quàm benefactoribus impenderent. L.4.c.63.

Ita 8. P. Balthasar Alvarez, dum tempestas aliqua gravis contra ipsum fervebat, tantùm solatium in oratione & Sacro ponens; in quo, cùm aliquando esset valdè compresso animo ex re adversâ, accepit sequentia responsa: 1. *fidelis est DEUS, qui non patietur te tentari supra id, quod potes.* 2. Si Religioni eiusmodi fel deesset; quid tibi mei causâ ferendum superesset? & tunc mihi occurrebat, quod si ego essem, qualis esse deberem, debuissem potiùs similes fellis haustus, imò etiam amariores optare; & si huiusmodi difficilia & ingrata vitæ justi desint, idem esse, atque si Christi Domini coronæ spinæ deessent, aut auri Cuspides pretiosæ vesti. 3. Hoc fac, id est, sanguinem & Corpus meum sume (erat enim sub sacrificio) ex quo vires accipias ad angustias tuas ferendas. 4. Conquiesce, & in hoc te solare, quòd hæc tua pressura geratur, vidente & cognoscente DEO, qui etsi posset, non tamen illam removet, etiamsi plus te diligat, quàm tu te ipsum. Sed & ipse se ipsum animabat, & spiritum resumebat, alloquens se ipsum, & dicens: Erras, si cogitas, te integrum, & non benè contusum, perventurum ad cœlum: cœlorum enim regnum est detruncatorum, tentatorum, afflictorum, contemptorum Regnum, & qui has & similes alias ærumnas & calamitates experti sunt. Quomodo igitur auderes inter tot adeò celebres & decantatos Duces, ac Capitaneos comparere, adeò timidus? Vit. c.40. *Vit. c.40.*

COROLLARIUM XII.

Desolationes. LXXXIX. Colliges 12. *etiam in summis desolationibus te perfectam animi aquitatem servare debere; cùm semper tibi solida illa, quam quærere debes, consolatio ex voluntatis Divinæ adimpletione supersit.*

Nota.

LXXXX. Ita 1. Christus tristis usque ad mortem, usurpans illam orationem: *Pater, si possibile est, &c.*

Rodriq. p.1.tr.8.c.29. LXXXXI. Ita 2. Amicus ille Christi, qui post quinquennalem desolationem Angelos consolari

lari volentes respuit, dicens; abundè sibi ad consolationem sufficere, quòd DEI in se voluntas perficeretur.

Rodriq. l. c. LXXXXII. Ita 3. Alius DEI famulus dicens: Jam quadraginta annis Domino servio, & in oratione me exerceo, nunquam tamen ullam in eo consolationem vel gustum habui; quo tamen die in eam incumbo, eo magnum posteà in me vigorem, ad quælibet virtutis exercitia subeunda sentio; at si quo die eam omittam eo, adeò torpidus & flaccidus sum, ut me ad opus aliquod bonum faciendum ne à terra quidem alæ valeant sustollere.

Idem tr. 8. c. 18. LXXXXIII. Ita 4. S. Catharina Senensis, sic seipsam desolationis tempore alloquens: Tu vilissima peccatrix nullis consolationibus digna es. Quid enim? nonne tibi satis fuerit, si non damneris, etiam si toto vitæ tuæ tempore has cruces & tenebras ferre deberes? Certè non ideò elegisti servire DEO, ut hîc consolationes ab eo recipias, sed ut in cœlo fruaris illô in æternum. Surge igitur, & consueta exercitia tua prosequere, Dominóque tuo fidelis permane.

Avila in c. 16. Audi filia. LXXXXIV. Ita 5. Mirula dicens: Infinities plus est, ac dignius, in adversitatibus, cruce, desolationibus, ariditatibus & tentationibus jugiter vivere, si idipse ita velit, quàm quos cunque gustus, consolationes, & contemplationes habere, Dei voluntate cum iis non concurrente.

Taulerus apud Blosium in appendice post instit. spirit. XCV. Ita 6. Præclarè Thaulerus in hunc modum: Postquàm homo ab omnibus abstractus jam, puer esse desiit, & abundè refocillatione Divinæ dulcedinis roboratus est, tum DEUS panem cibarium ei porrigit, utpotè viriles annos in spirituali vita assecuto; expedit prorsus, ut ille solido duróque cibo pascatur, nec decet, eum deinceps lacte foveri. Necesse est, ut ipse jam puerilibus ludis relictis negotiari, & victum suo labore conquirere, cœlique sævitiam ac tempestates perferre discat. DEUS igitur vastam, tenebrosam, desolatámque viam illi proponit, per quam eum deducens aufert & occultat ab eo dona omnia, quæ illi unquam largitus fuerat. Hîc jam homo totus sibi ipsi relinquitur, ita ut nullam Dei notitiam in se remansisse putet. Omnia exercitia sua, & quæcunque facit, aut dimittit, prorsus insipida sunt, unde & anima illius præ tædio in illis dormitat. Vix ad momentum in pia aliqua cogitatione persistere potest, adeò instabilis est mens eius: si ad DEUM se revocat, ut illi intendat, mox indè veluti repellitur, excutitúrque. Totum tempus suum se perdere, & in his, quæ agit (quantumvis ea bona sint) cœlestem sponsum se offendere arbitratur; pro quibus etiam graves pœnas post hanc vitam se luiturum formidat. In initiis conversionis eius volens eum DEUS ad se allicere, sicut auceps avem escâ objectâ allicit, crebrò suis illustrationibus visitabat, suavissimóque amoris sui igne inflammabat, & dulcedinem suam gustare faciebat, muneribus gratiæ suæ voluntatem eius ita trahens, ut, quidquid ipse vellet, etiam ille vellet. At nunc aliâ viâ ei gradiendum est. Jam enim DEUS austeritatem prætendit, & dura atque aspera exhibet. Unde ille sibi derelictus gravissimam in se rebellionem sentit, & talem, ac tantam pressuram plerúmque incurrit, ut, utrùm DEUM unquàm benè habuerit, vel etiamnùm habeat, penitùs ignoret. Tam acerbo dolore coarctatur, ut amplissima mundi spatia illi nimis angusta esse videantur. DEUM non sentit, DEUM non cognoscit, & tamen cætera omnia nihil eum delectant, nihil sapiunt. Ipse itaque pendet velut inter duos parietes, in quorum neutro requiem capere potest. Non est, quo se vertat, non est, quod agat, nisi hoc tantùm, ut secessum recipiat, & dicat; salve amaritudo amarissima, gratiæ plena. Certè si infernus in hac vita haberi posset, graviùs inferno sibi videretur esse, impensè amare DEUM, & tamen eodem dilecto penitùs carere. Jam verò fœdæ acerbæque cogitationes, & vitia, quæ jam pridem se vicisse credebat, vires in eo resumunt, gravissiméque illum impugnant, & fortè molestiùs, quàm olim, cùm iisdem vitiis malè subjectus viveret. Sed plerúmque, quò sacratiora sunt tempora, eminentioresque Solennitates, eò magis affligitur, obruitúrque impedimentis, ita ut nec unam orationem Dominicam vel salutationem Angelicam liberè explere possit. Insuper permittit DEUS, ut omnis vita & conversatio eius, tanquam vana à plurimis irrideatur, utque ipse etiam ab his, qui boni esse, & exteriori sanctitate præcellere videntur, vilis habeatur, contemnatúrque. Tu quisquis hæc experiêris, non declines ad vana solatia, sed esto fidelis cœlesti sponso, viriliter age, probè te gere, nam certissimè DEUS tutus tibi proximè adest. Tantùm vivæ fidei stipite fortiter innitere, indubitanter meliùs habebis, omnia prosperè cedent. Sed quid dicimus, cùm huiusmodi desolato ac misero homini, quamdiu in hac gemebunda afflictione positus est, persuaderi nequeat, intolerabilem hanc obscuritatem, & internas tenebras, posse unquàm in lucem mutari; omninò tamen, si vera pace vult gaudere, debet in huiusmodi derelictione, pressurâ, & spiritûs paupertate resignatus esse, atque ab omnibus internis deliciis animum liberum, expeditúmque habere. Deprimat igitur sese in gratissimam Dei voluntatem, paratus hanc calamitatem sustinere, quamdiu illi visum fuerit. Profectò multò veriùs, utiliúsque in tanta spiritualis hyemis asperitate DEUM præsentem habet, quàm unquàm in omnibus jucundæ consolationis æstatibus habuit. Porrò interim dùm tantis afflictionibus à Domino exercetur, satis edat, & bibat, ut par sit illis ferendis. Huiusmodi autem pressuræ nonnunquàm ex naturali hominis indispositione, nonnunquàm ex aëris inæqualitate, nonnunquam ex maligni spiritûs operatione aboriri solent; sed undecunque accidant, de manu Domini suscipiendæ sunt, cuius permissu eveniunt.

XCVI. Ita 7. Blosius: Quando videris tibi magna *Blos. spec. spir. c. 9.*

magna obscuritate, ariditatéque contabescere; & gravibus angustiis premeris, si tunc conformis Divinæ voluntati, miseriam & afflictionem illam cum benigna tranquillitate propter Deum toleras, multò gratior DEO es, quàm si Divino lumine multùm irradiaveris, & intùs florerent omnia. In pressura & afflictione homo non ita facilè se ipsum quærere potest, sicut in sensibilis dulcedinis, consolationísque affluentia; in hac enim plerúmque natura se admiscet, & anima, si incautior fuerit, per immodicam delectationem, citò maculam contrahit. Sanè fieri non potest, ut aliquis resignato corde quidpiam sustineat pro gloria Dei, quin saporem quendam Divinitatis percipiat. Licèt enim illi nihil fortassis sentire, id est, sensibiliter gustare contingat (DEO se ad tempus occultante) hôc ipsô tamen ei, quod patitur, benè sapit, quòd se illud ad æternam Dei Gloriam ferre velle, cognoscit. Idem in farrag. sic loquitur: si quando sentias naturæ torporem, mœstitiam, & grave pondus, téque gustu, appetitione, & impulsu erga res spirituales destitutum, itémque miserum, inopem, desolatum, atque sine ulla consolatione relictum esse à DEO, & quodam erga quævis tam externa, quàm interna exercitia tædio laborare, nihil hinc animô consternetis, sed Domini manibus te permittens ac resignans, illius optes fieri voluntatem, & quòd ad eius sit honorem. Crede mihi, hæc atra ac tristis nubes propediem dissipabitur, & lux, splendórque radiantis solis (qui est Dominus noster Jesus Christus) maiori cum gratia ac consolatione te perfundet, atque illustrabit, quàm unquam anteà, atque hoc ipso senties, te diligi à DEO, téque illi placere. Si quis magnoperè cuperet, Divinam intra se consolationem, Deique præsentiam instar aliorum piorum hominum sentire, DEUS autem hoc illi negaret, & ille hac in parte se totum pro DEI Gloria, Divino beneplacito resignaret: multò veriùs ei hoc ipsum præstaretur, quàm si sensibiliter idem percepisset. In propria siquidem voluntatis abnegatione centuplò plùs gratiæ ac præmii est, quàm in ipsa sensibili consolatione, in qua proprietas retinetur.

Th. Kemp. l.3. c.2. XCVII. Ita 8. Thomas Kempensis: Non est grave, humanum contemnere solatium, cùm adest Divinum. Magnum est, & valde magnum, tàm humano, quàm Divino carere posse solatio, & pro honore Dei libenter exilium cordis velle sustinere, & in nullo se ipsum quærere, nec ad proprium meritum respicere.

Vit. c. 50. XCVIII. Ita 9. P. Balthasar Alvarez dicens: Intellexi, DEUM parciùs consolationes spirituales elargiri, eò quòd ad ipsius obsequium ita expediat; nam eò anima est meliùs præparata ac disposita, quò magis assimilatur suo Redemptori, qui in hac vita fuit calamitatibus plenus, ejúsque anima multis desolationibus, & tristitiis refecta; solatium autem simile debet esse refrigerio & levamini, quô viator in hospitio est refectus, non ut in eo maneat, sed ut majori animo & robore pergat ulteriùs.

XCIX. Ita 10. Rodriquez sic discurrens: verùm ut clariùs perspicias fructum ac valorem talis orationis, & quàm ipsa grata sit DEO, peto ego abs te, quam meliorem Numinique acceptiorem potest quis facere orationem eâ, quæ multum sudoris: fatigationis, patientiæ, & in DEUM habet resignationis? quidnam vel aliud vel majus in nostra oratione quærimus? quando igitur DEUS mittit ariditatem, tentationémque in illa, cur non conformas te DEO in illa? cur non patienter acceptas istam animi desolationem? ex qua maximos, præstantissimósque actus patientiæ amorísque DEI potes efficere? Dicitur, & verum est, amorem consistere in patiendo pro re amata; & quò labor, qui fertur, est durior, hoc & amor major. Jam igitur, labores servorum DEI omnium durissimi, sunt cruces, & mortificationes istæ spirituales, nimiùm quantùm molestiores temporalibus istis, aut etiam corporalibus, quæ ex valetudine & fortuna sentiuntur. Eò igitur ascendere, ut dictæ cruces & molestiæ æquanimiter, imò & cum gaudio portentur, etiam (si ita DEO videretur) per longissimum tempus, omnémque vitam, idque tantùm amore ipsius. Profectò res est altissima, & summæ perfectionis, talisque oratio maximè proficua, adeò certè, ut aliqui doctores tales appellent excellentes Martyres. Ultimò tantùm peto, quò aliò respicias & collinees in oratione, nisi ad acquirendam humilitatem & cognitionem tui propriam? Quoties petivisti à DEO cognoscere, quis sis? Ecce tibi jam hoc obtinuisti: per hunc enim modum DEUS tibi aperuit oculos cognoscendi teipsum. Aliqui fundant orationem suam in multis lacrymis, & magno sensu doloris pro peccatis. At errant. Hoc enim DEUS facit, non ipsi. Sed si ibi hæreas, ut saxum & stipes, hoc tu es, & nisi DEUS saxum percusserit, non fluet indè nec aqua, nec mel. In hoc igitur cognitio est tui, fons mille bonorum, quorum plenam utramque manum habebis, si sis, ut dictum est, in ejus voluntatem resignatus, hic siquidem esse debet orationis tuæ fructus & pretium. *Rodriq. l. c. c. 16.*

COROLLARIUM XIII.

C. Colliges 13. *Te nullius laudis aut vanæ Gloriæ causâ quidquam agere debere, cùm alia tibi, atque infinities præstantior laus & gloria ex beneplacito divino offeratur.* *Laus & vana Gloria.*

Notæ

CI. Ita 1. S. Chrysostomus: nôn laudet ille, nihil enim profuerit; & si vituperaverit, nihil nocebit, in DEO enim utraque habent aliquid lucri vel jacturæ; at apud homines omnia vana, & in hoc æquamur DEO, quòd *S. Chrysost. ho. 4. ad pop.*

quod ab hominibus ille gratiâ non indigeat; ait enim: Gloriam ab hominibus non cupio. Parúmne igitur hoc? cùm noles gloriam contemnere, dic: DEO par fio, si contempsero, & statim contemnes.

Vit.p.2.c.17. CII. Ita 2. S. Clara de se fassa, quòd si à toto mundo honoraretur, nullam mutationem in se, nec initium habituram; nec si ab hominibus vilipenderetur, se ob id turbatum iri.

Thom. Kemp l.2. c.6. CIII. Ita 3. Thomas Kemp. inquiens: qui temporalem requirit gloriam, aut non ex animo contemnit, minùs amare convincitur cœlestem. Non es sanctior, si lauderis; nec vilior, si vituperteris; quod es, hoc es; nec major dici vales, quàm DEO teste sis; si attendis, quid apud te sis intùs, non curabis,

L.3.c.14. quid de te loquantur homines foris. Item, Quomodo potest erigi vaniloquiô, cujus cor in veritate subjectum est DEO? non eum totus mundus eriget, quem veritas sibi subjecit: nec omnium laudantium ore movebitur, qui totam spem suam in Deo firmavit. Lege utrumque caput totum, uti & l.3.c.9 & 40. Et dic cum eodem: Quærant Judæi gloriam, quæ ab invicem est: ego hanc requiram, quæ à solo DEO est. Omnis quidem gloria humana, omnis honor temporalis, omnis altitudo mundana æternæ gloriæ tuæ comparata, vanitas est. & stultitia.

CIV. Ita 4. natura beneplaciti divini; quod est præmium maximum, (nam sancti præferunt Gloriæ suæ) præsens, (nam confertur eo momento, quo opus peragitur) inauferibile, nam fieri non potest, ut, quod semel DEO placuit, per totam æternitatem non placeat.

Surius 7. Mart. CV. Ita 5. S. Thomas Aquinas, quæsitus à DEO: quod præmium peteret? & respondens: Non aliud quàm te, Domine.

Vit l. 5. c.3. CVI. Ita 6. S. Ignatius intra multos annos ne minimam quidem vanæ gloriæ tentationem passus, dicensque, se nihil minùs, quàm illam timere.

COROLLARIUM XIV.

Tentationes. CVII. Colliges 14. *Te turbari non debere, si variis tentationibus DEUS vexari te permittat, cùm has ipsas piissima DEI voluntas in bonum tuum ordinet, nec passura sit, te tentari suprà id, quod potes, & præterea scuto bonæ voluntatis suæ te protegat.*

Nota.

Deut.c.13. CVIII. Ita 1. DEUS: *Si surrexerit in medio tui Propheta* (Diabolus) *& dixerit tibi: Eamus, & sequamur Deos alienos* (creaturas) *& serviamus eis; non audies verba Prophetæ illius aut somniatoris: quia tentat vos Dominus DEUS vester, ut palàm fiat, utrum diligatis eum, an non, in toto corde, & in tota anima vestra.*

Iac.c.1. CIX. Ita 2. S. Jacobus: *Omne gaudium existimate fratres mei, cùm in tentationes varias incideritis, scientes, quòd probatio fidei vestræ patientiam operatur, patientia autem opus perfectum habet.*

CX. Ita 3. Angelus Tobiæ: *Quia acceptus eras DEO, necesse fuit, ut tentatio probaret te.* Tob.c.12.

CXI. Ita 4. Abbatissa Sara tredecim annis à fornicationis spiritu tentata, & nunquam orans, ut recederet ab ea hujusmodi pugna, sed hoc solùm dicens: da mihi fortitudinem DEUS. Vitæ Patrum lib.5. num.10.

CXII. Ita 5. Christus S. Brigittæ querenti, quòd cogitationibus inutilibus, & tentationibus vexaretur, dicens: hæc vera est justitia, ut, sicut priùs delectabaris in vanitatibus mundi contra voluntatem meam, ita modò tibi molestæ sint variæ, perversæque cogitationes contra voluntatem tuam. Veruntamen time Judicium meum moderatè, & cum discretione, firmiter semper confidens in me DEO tuo. Certissimè enim scire debes, malas cogitationes, quibus mens reluctatur, & quas detestatur, esse purgationem animæ atque coronam.

CXIII. Ita 6. Thomas Kemp. sunt tentationes homini sæpè valdè utiles, licèt molestæ sint, & graves: quia in illis homo humiliatur, purgatur & eruditur. Thom. Kemp l.1. c.13.

COROLLARIUM XV.

CXIV. Colliges 15. *Te neque tristari debere, si non proficias in studio perfectionis, quantum velles, cùm summus profectus tuus sit velle, quod DEUS vult, atque adeò satis tibi esse debeat, te eam mensuram in profectu & meritis supernaturalibus attingere, quam DEUS tibi præfixit.* Profectus in Virtute.

Nota.

CXV. Ita. 1. Blosius: Licet jucundum sit, cum pro virtutibus & gratia oramus, id obtinere à DEO, quod petimus, longè tamen delectabilius, atque utilius est, totum se DEI beneplacito resignare. Super omnia enim, quæ vel facere, vel dicere possumus, hæc à nobis maximè exposuit DEUS, ut intùs in corde dicamus: Domine, fiat gratissima voluntas tua. Blosius in farrag.

CXVI. Ita 3. Avila: non credo ullum unquam in terris fuisse sanctum, qui non desideraverit esse perfectior, meliórque, quàm fuerit, sed ex hoc ipsi pacis internæ jacturam nullam fecère, quia hoc non ob propriam voluntatem, quæ nunquam dicit, sufficit, sed propter DEUM desiderârunt, cujus bonorum divisioni acquieverunt, etiamsi illis parùm donorum suorum communicâsset, existimantes, verum amorem magis elucere ex eo, quòd quis contentus sit eo, quod DEUS dat, quàm desiderare ampliùs, etiamsi amor proprius suggerat, desiderium hoc esse ad maiorem DEI gloriam. Rodriq. p. 1.tr.8.c. 30.

CXVII. Ita 4. S. Bonaventura dicens, mul-

S. Bonav. de profect. l. 2. c. 33. tos homines magis servire DEO sine possessione virtutum, desiderando tamen eas, quàm si eas haberent; quia hoc modo ambulant in humilitate, solliciti semper ire de virtute in virtutẽ & per hoc ipsum recurrunt sæpius ad DEUM; & si virtutes haberent, fortè intumescerent, existimantes, se habere jam omnia, quibus egerent, & ulteriùs progredi, pensi non haberent.

Rodriq. P. 1. tr. 8. c. 30. CXVIII. Ita 5. Rodriquez, sic discurrens: quemadmodum in summa Dei voluntate, totus debes conquiescere, quomodocunque tractet te in oratione, ita & conquiescere debes in eâdem, quomodocunque tractet te in aliis omnibus virtutibus, donis, ac prærogativis suis spiritualibus. Optimum est, sanctumque desiderium omnium virtutum, optimúmque suspirare, enixéque laborare pro illis consequendis. Verùm enimverò, ita semper desiderare debemus ex iis proficere, ut tamen, si eas non consequamur, Dei voluntati obsecundemus, conformemúrque. Si DEUS neget tibi puritatem, castitatémque Angelicam, sed velit te multis gravibúsque exerceri carnis tentationibus, perfer eas, nec multum te defectu tantæ puritatis eviscera. Plùs siquidem, tibi commodabit patientia. Si DEUS nolit tibi dare humilitatem S. Francisci: Nec Moysis, aut sancti Davidis mansuetudinem; nec Jobi patientiam, confundere, & humilia te tantò magis, occasionémque hinc pete, tibi tantò ampliùs displicendi. Non autem multum querere, & inanibus te ipsum ob id curis consume; alioquin verâ & solidâ pace nunquam gaudebis.

COROLLARIUM XVI.

Morbi. CXIX. Colliges 16. *Etiam in morbis te tranquillum & resignatum esse debere, cùm & hi à voluntate divina, perinde ac sanitas, proficiscantur, atque adeò ad singularem utilitatem tuam à DEO ordinentur, ità ut infirmitas gravis non sobriam duntaxat* (ut Eccl. c. 31. dixit) *sed etiam sanctam, & meritis pinguem faciat animam.*

Nota.

Rodriq. P. 1. tr. 8. c. 14. CXX. Ita 1. S. Clara 28. annis, morbis gravissimis exercita, & Reginaldo Confessario dicens: ex quo Domini nostri JESU Christi gratiam per servum ejus Franciscum cognovi, nulla mihi infirmitas dira visa fuit, nulla pœna molesta, nulla pœnitentia onerosa.

Ibid. CXXI. Ita 2. senex ille discipulo ægrotanti dicens: noli, fili mi, ob hanc infirmitatem contristari, sed ingentes DEO potiùs propter eam gratias age; si enim ferrum sis, per hunc ignem rubiginem & scoriam depones: si aurum, per eundem purgaberis, & purior redderis; magna quippè virtus est, & insignis religio, in infirmitate DEO gratias agere.

Blos. in farrag. CXXII. Ita 3. Blosius: si voluntas Dei tibi dulcis est, quando ipse te sanum esse, & vivere vult; amara verò est, quando te vult infirmum esse, vel mori, nondum plenè resignatus es, nondum habes cor satis rectum; si vis, ut ipsum cor tuum jam non sit curvum, subjunge illud in omnibus voluntati divinæ, quæ semper recta est. Unicè opta, ut semper voluntas ejus fiat, & eadem voluntas sit summa consolatio tua.

Cassianus c. 7. de inst. CXXIII. Ita 4. Cassianus: corporis infirmitas nullum est ad cordis puritatem habendam impedimentum, quin imò mirificè juvat, si quis illam ita, prout oportet, novit accipere: vide ergo, ne corporis ægritudo ad animam transeat, quod fieret, si ex ea occasionem propriæ voluntatis faciendæ, aut impatientiæ occasionem sumeres.

Vita c. 21. CXXIV. Ita 5. P. Balthasar Alvarez, qui ferventi Operario conquerenti, quòd ob morbum nec orare, nec Sacrum facere, nec confessiones excipere, aliáque munera, quæ sanus præstiterat, obire posset, respondit, pluris facere DEUM, quòd quis eum per mensem sustineat, ac toleret, quàm quòd in ejusmodi ministeriis per integrum annum illi serviat. Et rectè, cùm enim DEUS vult Religiosum ægrotare, nihil ille tunc facere potest, quòd ejus divinæ Majestati magis placeat, quàm tolerare benè, quod ille mittit, & propterea, quia ille mittit.

COROLLARIUM XVII.

Mortis tempus & genus. CXXV. Colliges 17. *Neque de mortis genere aut hora, nimiùm sollicitum esse te debere, cùm ea hora aut genus optimum tibi esse debeat, quod sapientissima DEI voluntas tibi ordinavit, utpotè qui solus novit, quando ob omnes circumstantias tibi expediat, ex hac vita discedere.*

Nota.

Blosius in spec. c. 9. CXXVI. Ita 1. Blosius: Etiamsi non ita pridem incepisses meliùs vivere, & jam tibi moriendum esset, nihilominus sis resignatus, nec scire, aut perscrutari velis, utrùm te DEUS post mortem missurus sit ad purgatorium, an mox recepturus ad cœlum: sic tibi placeat dulcedo misericordiæ ejus, ut tamen non displiceat pulchritudo justitiæ illius: vox hominis benè resignati hæc est: Domine DEUS meus, si in tui vergeret laudem, ut post obitum meum annis 50. flammis purgatoriis cruciarer; illicò me sub pedes tuos abjicere, & in tui honorem pœnas illas animo paratissimo acciperem.

S. Cyprianus in laud. mortis CXXVII. Ita 2. S. Cyprianus inquiens: Meminisse debemus, voluntatem nos nonnostram, sed Dei facere debere, secundùm quod nos Dominus jussit quotidie orare. Quàm præposterum est, quam est perversum, ut, cùm Dei voluntatem fieri postulemus, quando

do evocat nos, & accersit de hoc Mundo DEUS, non statim voluntatis ejus imperio pareamus? quid oramus, & petimus, ut adveniat Regnum cœlorum, si captivitas nos terrena delectat? Quid precibus frequenter iteratis rogamus, & poscimus, ut acceleret dies regni, si majora desideria & vota potiora sunt, servire istic Diabolo, quàm regnare cum Christo?

S. Ambros. l. de bono mort. CXXIIX. Ita 3. S. Ambrosius sic discurrens: Christus Rex noster est, & ideò, quod Rex jubet, deserere non possumus, & contemnere. Quantos Imperator terræ hujus in peregrinis locis aut honoris specie, aut muneris alicujus causâ, jubet degere? numquid hinc inconsulto Imperatore discedunt? Et quantò ampliùs est, divinis parere, quàm humanis? Vivere ergo, sancto Christus est, & mori lucrum.

S. Bern. ep. 105. CXXIX. Ita 4. S. Bernardus dicens: Volo te mortem, etsi non effugere, certè non timere. Justus quippe mortem etsi non cavet, tamen non pavet, denique si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit.

COROLLARIUM XVIII.

Calamitates propria. CXXX. Colliges 18. *Te à nulla calamitate propria, liberationem petere debere, nisi adjectâ clausulâ: Veruntamen non mea, sed tua voluntas fiat. Imò perfectius absolutè faceres, si non desideres aut labores, à cruce liberari, sed ad mortem usque cum Christo in eâdem perseverare optes.*

Nota.

Matth. 27. 40. CXXXI. Ita 1. Christus nolens descendere de cruce, licèt Judæi dixerint: *Si filius DEI es; descende de cruce.*

Surius in vit. CXXXII. Ita 2. S. Andreas rogans Deum ne fineret eum deponi de cruce.

Blosius, c. 2 Appendices fol. 967. CXXXIII. Ita 3. Thaulerus sic loquens: Felix est, qui angustiis & pœnis afflictus, non aliquid inquirit, quo eas evadat, sed ad finem, & ultimum usque punctum eas sustinet, nolens de cruce descendere, nisi DEUS illum solvat, ac deponat. Felix planè, qui se in abyssum Divini beneplaciti ita demergit, & terribilibus occultísque Dei Judiciis ita resignat, ut in huiusmodi doloribus, ac pressuris non tantùm unâ hebdomadâ, aut uno mense, sed usque ad extremi Judicii diem, vel etiam perenniter persistere paratus sit, non recusans ipsius quoque inferni tormenta (si DEUS ita vellet) subire. Quæ quidem resignatio omnem aliam resignationem longè vincit. Vel mille mundos relinquere, in huius resignationis comparatione, nihil est. Hoc ipsum, quòd Sancti Martyres animas pro DEO fuderunt, huic resignationi collatum parùm est. Illi enim Divinâ consolatione affluentes, pœnas omnes pro ludo habebant, hilaritérque mortem excipiebant: sed intus carere DEO, pœnas omnes incomparabiliter excedit.

CXXXIV. Ita 4. Virgo illa, quæ interrogata, quibus exercitiis ad perfectionem pervenisset? respondit: nunquam ita doloribus & pressuris obruta fui, quin majores pro Dei amore perferre optarem, indignam me illis ipsis tam præclaris Dei donis reputans. Idem in monil. c. 10.

CXXXV. Ita 5. Alia Virgo apud eundem, quæ ineffabili pressurâ Dei permissione correptâ, cruciatus infernales sibi sentire videbatur. Et cùm ita diu fuisset afflicta, tandem toto corde ad DEUM conversa dixit: Dulcissime DEUS, memor quæso esto, benignéque considera, me pauperem creaturam tuam esse, te verò Dominum & Creatorem esse meum. Ecce, ego me in æquissimum judicium tuum offero, & gratissimæ voluntati tuæ integrè resigno, paratáque sum sustinere hunc infernalem cruciatum, quamdiu tibi placuerit: utere me, sicut vis in tempore, atque æternitate. Hâc resignatione factâ, mox Dominus Virginem illam sibi univit, & in amabilem Divinitatis suæ abyssum feliciter immersit. Blos. ibid.

CXXXVI. Ita 6. Ferdinandus II. Imperator, cuius quotidianæ preces erant: Domine, si est ad laudem & gloriam tuam, & salutem meam, ut maior sim, quàm sum, extolle me, & glorificabo te: si est ad laudem tuam, decúsque tuum, ut persistam in gradu, quo sum, conserva me, & glorificabo te. Si est ad laudem & gloriam tuam, ut in humiliore gradu sim, humilia me, & ego glorificabo te. Vit. c. 6.

CXXXVII. Ita 7. S. Lydwina identidem repetens: hoc mihi, Domine, acceptissimum erit, ut affligens me dolore non parcas, cùm tuæ voluntatis impletio sit mihi summa consolatio. Sur. tt. 7.

CXXXVIII. Ita 8. Balthasar Alvarez, qui dicere solebat, in huiusmodi occasionibus debere unumquemque attendere omnes, qui in cœlo sunt, sanctos, ipsum aspicere & exspectare, quomodo ipse difficultatem illam superet, & ex ea proficiat; imò etiam ipsum Christum, ne jure conqueratur, quòd ejus verbum & exemplum parvi faciamus. Cogita, inquit, quid sentiat superior, si se primo veniente ad communes collegii occupationes, id non sufficiat, ut alii ad easdem exactè, & ad nutum conveniant, & se domum purgante, alii non imitentur, & se ad orationem surgente, alii ex ignavia in lecto remaneant; si igitur homo pulvis graviter fert, verba, & exempla sua optato fructu carere, quid sentiet Christus, si verbo suo non obediatur, & exemplum oblivioni tradatur? Aliàs verò cuidam Personæ sic scripsit: magno desiderio tenetur DEUS in nobis videndi filii sui imaginem ad vivum depictam: quòd si nos videre vult solos, & ærumnis contritos & oppressos, non aliò tendunt ejus curæ & cogitationes, quàm ut illa imago in omnibus perficiatur. Postquam ejus filius (in quo valdè complacet sibi) insignia illa induit. Vit. c. 40. §. 1.

duit, quæ fides nos docet, ac prædicat; non potest eidem placere, quòd nos eidem indui non studeamus; & quòd, cùm ipse nos eis induerit, nos genua non flectamus, & cum magni amoris ac reverentiæ significatione gratias non agamus.

COROLLARIUM XIX.

Gloria æternæ possessio.

CXXXIX. Colliges 19. *Neque de bonis gloriæ plùs te optare aut possidere velle debere, quàm DEO placuerit, sed eâ mensurâ contentissimum esse, quam ipsius summa sapientia, & immensa bonitas dare decreverit.*

Nota.

CXL. Ità 1. Christus orare docens, *ut fiat voluntas DEI; sicut in cœlo & in terra*, quod fit, si pluris beneplacitum Divinum, quàm omne nostrum emolumentum, adeóque possessionem ipsam cœli & terræ æstimemus.

Rodriq. tr. 8. c. 31. CXLI. Ita 2. Beati in cœlis, qui plùs de adimpletione divinæ voluntatis, quàm de magnitudine gloriæ suæ lætantur.

Relat. Canoniz. CXLII. Ita 3. S. Ignatius, malens gloriam Dei per factum nobile augere, & dubius de salute manere, quàm, eo omisso, statim cœlum subire.

CXLIII. Ita 4. S. Martinus dicens: si populo tuo sum adhuc necessarius, non recuso laborem.

P. 1. Tract. 8. c. 31. CXLIV. Ita 5. Rodriquez dicens. Hoc est maximum in homine, si ad conformandum se divino nutui, velit statim mori, & habere minùs gloriæ, quàm mori post viginti annos, & habere plùs. Et contrà, etiamsi certus essem de consecutione æternæ gloriæ, si jam morerer, & ego nihilominùs contentus sum, ut maneam in hoc exilio, infinitis ærumnis & laboribus, si DEO ita placet, circumseptus, & oppressus. Et sanè quis nam Regum aut Principum non putaret se obligatum, ad conservandum defendendúmque servum aliquem suum, cui amplissimam aliquam offerret gratiam; eam tamen reipsa illi dare nollet, nisi priùs Heroicum ipse aliquod facinus patraret: quis inquam, talem non tueretur; quandoquidem eâ se gratiâ privatum velit servus, in solius Domini ac Principis sui honorem & obsequium? quod si ergò homines id præstant ingrati alioqui, & meritorum clientum suorum sæpè parùm memores, quid de æterno illo Rege sperare par erit? Qui sua nos gratiâ & pervenit, & comitatur, & sequitur? quid, inquam, periculi timere unquam poterimus? quâ ratione deserere nos poterit, qui beatitudinem nostram, beatificámque fruitionem in solius ipsius honorem gloriámque in longius tempus rejecimus, atque distulimus?

Conclusio.

CXLV. Ille beatè, & perfectè vivit; qui semper fruitur summo & inauferibili bono. Seu, ut S. August. l. 13. de Trin. ait, qui habet, quidquid vult, & nihil malè vult.

Atqui hoc habet, qui Dei voluntati perfectè se conformat, seu qui semper agit, & patitur, quæ DEUS vult, quomodo vult, & quia vult. Ergo semper beatè & perfectè vivit.

PARS II.

DIALOGUS

Inter Christum, & S. Catharinam Senensem institutus.

ETsi multa iam ex hoc Dialogo in priori parte sint indicata, quia tamen magìs expediens videtur, ut totus Dialogus, prout inter Christum & S. Catharinam institutus est, accuratè perlegatur, ideò placet eundem, ut conceptus est, huc apponere.

I. CUm anima quædam ab auctore lucis illuminata, propriam fragilitatem & miseriam, ignorantiam scilicèt, & pronam ad malum naturam recognosceret, aliquantulum DEI magnitudinem, sapientiam (inquam) potentiam, bonitatem, cæterásque ipsius præstantiæ partes suspiceret.

Dignus DEUS ut ei serviatur.

II. Vidit, quàm dignum & necessarium esset, ut idem perfectè coleretur, & sanctè: Dignum, quia cùm Pater universorum & Dominus sit, omniáque, ut suum ipsius nomen collaudent, & ad suam referantur gloriam, fecerit; congruum & æquum est, ut servus Dominum suum observans, ei serviat, & obsequio pareat. Necessarium, quia, cùm ipse DEUS, rationale animal spiritu & corpore compositum, hac conditione condiderit, ut, si voluntariè usque ad mortem fidelem sibi præstiterit servitutem, ad vitam perveniat sempiternam, aliter felicitatem illam omni bonorum aggregatione cumulatam consequi nequeat: perpaucos autem hoc adimplere, sicque perpaucos salvari, quòd ferè omnes quærant, quæ sua sunt, non quæ DEI.

Necessarium.

Vita incerta & mors.

III. Vidit prætereà breves dies hominis esse, incertam horam, punctúmque, quo id momentaneum promerendi tempus finiatur; in inferno verò nullam esse redemptionem, sed unumquemque in futura vita immutabili & inevitabili sententiâ, præmia pœnásve, prout in hoc suo vivendi genere fit meritus, justâ consequi retributione.

IV. Vidit etiam multos multa dicere, & diversimodè, multifariámque prædicare, ac loqui de virtutibus, quibus Deus fideli servitute colatur; Rationalis autem creaturæ capacitatem modicam, intellectum hebetem, memoriam debilem, ut nequeat vel multa percipere, vel percepta fideliter continere, ac idcircò, licèt multi studeant semper addiscere, quàm paucissimos tamen integritatis perfectionem attingere, DEO, ut dignum, & necessarium esset, deservire, sed ferè omnes curis anxios, mentis agitationibus fluctuantes, extremo semper in periculo degere.

Quaris compendiaria via ad perfectionem? Eccl.

V. Videns igitur hæc omnia anima illa, spiritu coram Domino exurgens, ardenti desiderio, ac vehementi affectu, ab ipsius Majestate efflagitavit, ut succinctè & brevibus verbis præcepta aliqua tradere vellet, quibus vita nostra sanctè institui ac perfici posset, quæque vi sententiarum, prædicationum veritatem, & universas complecterentur scripturas, quorum observatione, & ipse debitâ servitute coleretur, & ex hac brevi, mortali ac misera vita, ad eam, ad quam creaverat, felicitatem perveniremus.

VI. DEUS itaque, qui & sancta desideria inspirat, & eadem suscepta irrita non esse permittit, statim hinc animæ in mentis excessu constitutæ affuit, hæc dicens: Dilecta mea, placent mirum in modum hujuscemodi desideria tua, & adeò placent, ut eis longè magìs cupiam ipse satisfacere, quàm ipsa sibi cupiant satisfieri; Ingens namque meum optatum est, ea in vobis (volentibus vobis) beneficia conferre, quæ saluti vestræ utilia, commoda, & necessaria sint, atque ideo tuum adimplere desiderium, & te voti compotem efficere paratissimus sim.

VII. Quare attende & diligenter observa, quæ tibi ipse, ineffabilis, & nunquam fallens veritas, dicturus sum, quoniam tuæ annuens petitioni breviter proponam, quid sit, quod summam perfectionem, omnésque contineat virtutes; ac simul scripturarum volumina, & multiplices complectatur prædicationes, ut si tuam tibi faciem speculata fueris, & te ad illud composueris, ac servandum formaveris, quidquid patet, & latet in divinis sermonibus, ad impletura sis, & sempiternâ lætitiâ, & perpetuâ pace fruitura.

Compendium perfectionis quod sit.

VIII. Scias igitur, servorum meorum salutem, perfectionémque hoc uno constare, ut meam solius faciant voluntatem, atque eam summo semper studio adimplere nitantur, ut mihi uni obsequi, me unum observare, me unum attendere, omnibus vitæ suæ contendant

Perfectio in quo consistat.

dant momentis ; Quantóque diligentiùs in id incumbant , tantò perfectioni propiùs accedere, quoniam mihi, qui sum summa perfectio, magis pressiùsque adhærent, copulantur, junguntur.

IX. Ut autem planiùs hanc (licet ineffabilem) breviter tamen traditam veritatem intelligas, respice in faciem Christi mei, in quo mihi benè complacui. Ipse namque exinanitus servili formâ assumptâ , factúsque in similitudinem carnis peccati est , ut vos cœcâ caligine obrutos, & à via veritatis aversos , suæ lucis splendore illuminans, ad rectum iter, & verbo converteret , & exemplo. Obediens fuit usque ad mortem , sic suâ perseveranti obedientiâ vos edocens, salutem vestram ex faciendæ solius voluntatis meæ stabili instituto pendere.

Exemplum Christi IESV.

X. Nam si quis diligenti studio & consideratione , ipsius tùm vitam tum doctrinam meditari velit, perspiciet procul dubio, mortalium integritatem perfectionémque in nulla re alia constare , quàm in jugi, perpetua, ac fideli meæ voluntatis observatione , quod idem Dux vester toties attestando repetit. Ait enim : *Non omnis , qui dicit mihi , Domine , Domine , intrabit in Regnum cœlorum , sed omnis, qui fecerit voluntatem Patris mei.*

Resignatio Filii DEI.

XI. Et attende, quòd non frustra repetit bis , *Domine, Domine* ; quoniam , cùm omnis transitoria conditio ad duo universalia genera reducatur , Religiosum scilicet, & sæculare ; significare vult, neminem , cujuscunque conditionis sit , æternæ vitæ gloriam consecuturum , licèt omnem mihi extrinsecùs honorem exhibeat , nisi meam fecerit voluntatem. Item alio loco : *Non veni facere voluntatem meam, sed ejus , qui misit me , Patris.* Et iterum : *Meus cibus est , ut faciam voluntatem ejus, qui misit me* : Item : *Non mea voluntas , sed tua fiat.* Et sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.

XII. Si vis ergò, Salvatoris tui exemplum imitatura , meam facere voluntatem , quam constat esse bonum tuum, necesse est, ut tuam omnibus in rebus contemnas facere voluntatem , illámque abneges, & extinguas : quoniam quantò magis morieris in te , tantò magis vives in me ; & quò purgatiùs ejicies, quod tuum est, eò abundantiùs ipse reponam , quod meum est.

XIII. Postquam illa anima hæc veritatis saluberrima documenta percepit , tota lætabunda dixit : Pater & DEUS meus , placent summoperè, & plùs quàm explicare queam , quæ servulæ tuæ narrare dignatus , & quàm magnas possum , benignæ Majestati tuæ gratias ago: quoniam quanta meâ rudi intelligentiâ consequi possum, non aliter est, quàm mihi per Salvatoris exemplũ præclarè ac lucidè demonstrâsti ; cùm enim tu summum & omne bonum sis, non volens iniquitatem , sed justitiam tantùm, & honestatem , quidquid faciendum est, perago, si tuam voluntatem adimpleo, si meam propter te abnego , quam tu minimè violare vis; quoniam mihi idcircò liberam tradidisti, ut ego spontè eam tibi subigendo , & tuam solius facere, semper intendendo , gratior tibi fiam , & majora apud te mea sint merita.

XIV. Volo igitur, ac vehementer desiderò id adimplere, quod præcipis : sed non planè scio , quibus rebus tua continеatur voluntas, quóve tibi fideli obsequio mancipari queam : si arrogans non sum, & mea temeritas non abutitur tuâ lenitate, supplex obsecro , ut juxta petitionem meam , id quoque me paucis doceas.

Quæ sit voluntas Dei.

XV. At Dominus : si paucis & collectim scire desideras meam voluntatem, ut eam integrè valeas adimplere, hæc mea voluntas est, ut summè & semper ames me , sicut præcepto mandavi vobis, ut toto corde , totâ animâ , & omnibus viribus vestris diligatis me , hujùsque præcepti observatione tua perfectio continetur: quoniam finis præcepti est charitas , & plenitudo legis est dilectio.

XVI. Anima ad hæc: Teneo, voluntatem tuam,& perfectionem meam , in summo tui amore collocatam esse , ipsáque te (ut par est, summo amore ac vehementissimâ dilectione prosequi vellem ; sed quonam pacto id efficere possim aut debeam , satis mihi compertum non est. Quocircà orans expeto , ut me hac quoque in parte brevibus instruas.

XVII. Tunc DEUS : audi igitur , & ad ea , quæ dicam , tota mentis attentione invigila. Si me perfectè amare vis , te tria hæc facere necesse est. Primò , ut voluntatem tuam ab omni amore , affectuque terreno & carnali prorsus amoveas , segreges , mundifices , itáut in ista vita nihil transitorium, nihil caducum , nihil temporale ames , nisi propter me, nec (quod magis & maximum est) ames me propter te , sed ames me propter me , te propter me , & proximum propter me.

Quid sit amare DEVM.

XVIII. Quoniam divinus amor terreni affectûs , aut alterius cujusvis amoris consortium pati non potest. Unde quantum eum terrenarum rerum contagione inficeris , tantum & in mei amore peccabis , & de tua perfectione deperdes. Mentem quippe , ut munda & sancta sit , omnia quæ corpus sentit, fastidire necesse est. Effice igitur , ne quidquam ex his , quæ à bonitate meâ vestros in usus profecta sunt , te à me amando impediat, sed omnia adjuvent , accendant , inflament. Quoniam vobis illa creando concessi , ut bonitatis meæ largitatem latiùs ex ipsis dignoscentes ; me abundantiore amore prosequeremini.

XIX. Pedes igitur appetitû , lumbisque succinctis, ac vigilanti custodiâ te semper observans , terrenis concupiscentiis , quas undecunque tibi mortalis vitæ miseria,& corrupta suggerit natura , alacriter resiste, ut cum Propheta meo dicere possis : qui perfecit pedes meos, id est, affectus, qui animæ pedes sunt,

tanquam cervorum, ad fugiendum canes, id est, laqueos concupiscentiæ terrenarum rerum, super excelsa statuens me, id est, in contemplatione.

Intentio pura.

XX. Cùm hoc primum impleveris, ad secundum, quod etiam altioris perfectionis est, pervenire poteris, ut omnes cogitationes, actus, & opera tua dirigas ad meum solummodò honorem & gloriam, sempérque solius meæ laudis studiosissimam des operam, precibus, verbis & exemplis, & quomodo possis, ut non tu tantùm sic, sed alii omnes tecum pariter, & eodem modo affecti sint, útque universi me unum nôrint, ament, colant: hócque mihi magìs placet, quàm primum, quoniam magìs implet voluntatem meam.

XXI. Tertium, quod reliquum est, si assecuta fueris, tibi nihil deesse, téque consummatam integritatem consecutam, scito. Illud autem hoc est, ut summo desiderio quæras, nitaris, studeas ad hanc pervenire mentis dispositionem, ut mihi ità conjuncta sis, tuáque meæ (quæ perfectissima est) ità similis sit conformísque voluntas, ut nolis non solùm malum, sed & bonum, quod ipse nolim; útque eveniat, quidquid velit, & undecunque velit, in istius vitæ miseria, sivè spiritualibus, sivè temporalibus in rebus, minimè frangatur pax tua, turbetúrve quies mentis tuæ, sed inconcussâ fide semper teneas, me DEUM tuum omnipotentem magìs amare te, quàm tu te ipsam, méque tui diligentissimam habere curam, & multò diligentiorem quàm tu. Quantò magìs sic te mihi commiseris dederísque, tantò magìs te adjuvans, tibi semper adero, & tu ipsa clariùs cognosces, ac uberiùs senties circa te dulcissimam charitatem meam.

Conformitas cum voluntate Divina.

Abnegatio sui necessaria.

XXII. Ad hanc autem perfectionem perveniri non potest, nisi per stabilem, constantem & omnimodam sui ipsius abnegationem: quam qui præstare negligit, simul hanc excellentissimam perfectionem negligit; qui verò libens præstat, simul integerrimam voluntatem meam integerrimè exequitur, mihíque summè placet, & me secum habet: quoniam mihi gratius & jucundius nihil est, quàm per gratiam vobiscum agere, & in vobis habitare, meæque sunt deliciæ, cum filiis hominum esse, & ut volentes ipsi (nolo enim liberi Jus arbitrii violare) à me in me per gratiam transformentur, ut sint unũ mecum participatione perfectionis meæ, præcipuéque pacis ac tranquillitatis meæ.

Cur Verbum sit incarnatum.

XXIII. Ut autem planiùs intelligas, quàm ardenti desiderio cupiam vobiscum esse, útque magìs accendaris ad subigendam mihi, copulandámque meæ voluntatem tuam, vide, & altâ mente considera, voluisse me, ut Unigenitus meus incarnaretur, útque mea Divinitas Majestatis dignitate sepositâ, vestræ copularetur humanitati, ut tanto amoris, & charitatis exemplo, tantâ ineffabilis dilectionis demonstratione vos ad pariter conjungendam meæ vestram voluntatem, unique mihi jugiter adhærendum provocarem, allicerem, traherem. Voluisse præterea, ut ille ipse dilectus Filius meus tam horrendam, immanem, crudelémque Crucis mortem subiret, ut suis tormentis vestrum peccatum tolleret. Peccatum, inquam, quod inter me & vos separationem fecerat, & meam à vobis faciem ita averterat, ut nullo vos pacto possem respicere.

XXIV. Parâsse insuper mensam maximi, & parùm agniti Sacramenti Corporis ipsius & Sanguinis, ut in cibum sumentes transformemini, mutaremini que in me, ac sicut panis & vinum, quibus vescimini, in substantiam transeunt corporalem, ità & vos manducantes ipsum, qui mecum unum est, sub panis & vini specie, in substantiam spiritualem, & in me ipsum convertamini. Et hoc illud est, quod Augustino servo meo his verbis dixi: Cibus sum grandium, cresce, & manducabis, nec tu me mutabis in te, sed tu mutaberis in me.

XXV. Cùm audisset anima illa quænam esset DEI voluntas, & quemadmodum in eam implendam necessaria etiam erat perfecta charitas, perfectámque charitatem propriæ voluntatis abnegatione constare, dixit: significasti mihi, Domine DEUS meus, voluntatem tuam; significasti, Domine, quòd si perfectè amavero te, nihil terrenum aut mortale, nec etiam me ipsam amabo propter me, sed quidquid amabo, secundùm te, & propter te amabo. Dixisti, ut summo semper studio tuam solius laudem, honorem & gloriam velim perquirere, simulque operam dare, ut alii quoque videantur facere: & ut quæcunque adversa mihi in hac misera adveniant vita, ea compositâ mente & æquo animo ac lætanti tolerare contendam.

Abnegatio amplectenda.

XXVI. Nunc quoniam hæc per propriæ voluntatis abnegationem efficienda sunt, doce, quæso, quonam pacto ad hanc pervenire abnegationem, ac tantam virtutem comparare, & assequi queam: ut enim per tuæ doctrinæ lumen video: tantum in te vivo, quantùm in me morior.

XXVII. Deus autem, qui sancta nunquam frustratur desideria, sic intulit. Perfectâ tui abnegatione tuum omne bonum constare, certum est, quoniam te tantum meâ gratiâ repleo, quantùm te tuâ voluntate evacuas: & perfectionem tuam efficit participatio divinæ bonitatis meæ per gratiam, sine quâ humana creatura (quantùm ad virtutem & dignitatem suam) nihil est. Ad hanc igitur si pervenire vis, tibi est in summa humilitate perstandum, & ex vera atque intima miseriæ & inopiæ tuæ cognitione id unum jugiter vehementérque affectandum, ut mihi soli pareas, meámque solius voluntatem observes. Quò autem id præstare queas, necesse est, ut per mentis conceptum & animi existimationem, tibi habitaculum circùm undique concameratum ex solius

lius meæ voluntatis materia construas, téque eo concludas, & semper inhabites, ut quocunque prospicias, nunquam aspicias, sed tuos mentis & corporis sensus mea semper circumstet voluntas, nec quidquam aliud loquaris, cogites, aut efficias, nisi quod mihi placet, & meæ esse voluntatis credas, sicque te quidquid agendum erit, S. Spiritus docebit.

XXVIII. Aliâ etiam viâ ad propriæ voluntatis abnegationem perveniri potest, si adsunt, qui te secundùm me instruant, regántque, his propriam subjiciendo voluntatem, te totam, ac tua omnia his committendo, his parendo, & eorum semper consilia sequendo, quoniam qui fideles & prudentes servos meos audit, me audit.

XXIX. Sed ad hæc volo, ut certâ fide, altâ mente, ac frequenti consideratione mediteris, me DEUM tuum gloriosissimum, qui te ad beatitudinem perfruendam creavi, æternum esse, summum, omnipotentem, vobisque omnia, quæ mihi placita sunt, facere; nec esse, qui vel tantillum meæ possit resistere voluntati; nec quidquam sine eâdem voluntate meâ vobis accidere, nihil prorsùs, nisi me permittente provenire, ut per Prophetam vobis enuntiavi, non esse malum in civitate, quod non ipse fecerim, id est permiserim.

Nihil fit sine voluntate DEI & cognitione.

XXX. Mediteris pariter, DEUM tuum summæ esse sapientiæ, perfectissimæ cognitionis, & intelligentiæ, omnia certâ ratione videntis & acutissimè penetrantis, ut ad cœlum, terram, Mundum totum, & universa gubernanda, nullâ possim ratione falli, nullo errore turbari. Quod si non ità esset, nec DEUS essem, nec sapientissimus. Et ut tantillùm percipias vim hujus summæ sapientiæ meæ, scias, de malo culpæ & pœnæ me longè majus bonum, quàm sit malum, elicere.

XXXI. Tertiò velim, consideris, me eundem DEUM tuum non minùs summè bonum esse, & summo amore benevolentiâque vos complecti, & hac de causâ non posse, nisi quæ bona sunt, utilia, & salubria, tibi & aliis velle; non posse à me aliquid malum provenire, nihil odisse, & hominem, ut mea bonitate creavi, ità per me semper inæstimabili dilectione prosequi.

XXXII. His verò per firmam fidem mente ac mediatione collectis, cognosces, tribulationes, tentationes, difficultates, dolores, infirmitatates, & adversa omnia ob nullam aliam causam, me gubernante provenire, nisi utilitatis & salutis vestræ gratiâ, ut per ea, quæ videntur vobis mala, à pravitate corrigamini, & ad virtutem, quâ itur ad verum & summum bonum vobis incognitum, perducamini. Cognosces præterea, hoc fidei lumine illustrata, me DEUM tuum magis scire, posse, & velle bonum tuum, quàm tu, téque id nec posse, nec scire, nec velle absque gratiâ meâ. Id igitur cùm ita sit, danda tibi summô studiô opera est, ut voluntatem tuam Divinæ voluntati meæ prorsus subjicias, quoniam sic placidâ semper mente quiesces, & me semper tecum habebis (factus est enim in pace locus meus) nec erit tibi scandalum peccati, hoc est, offendiculum aliquod ad peccatum, nec per impatientiam, nec aliquo quôvis modo.

DEUS omnia ad salutem ordinat.

XXXIII. Nam pax multa diligentibus Nomen meum, & non est illis scandalum. Tantum etenim amant legem meam, id est, meam voluntatem, meaque lex est, quâ cuncta reguntur, tantumque mihi per ipsam copulati sunt, & in ipsius delectantur observatione, ut eveniat, quidquid velit, & undecunque velit, cujuscunque generis & æstimationis sit, nullâ re præterquàm culpâ, quâ fiat mihi injuria, perturbari queant.

Pax, resignatio.

XXXIV. Prospiciunt namque claro & purgatissimo mentis oculo, à me summo universi gubernatore, mirificâ sapientiâ, charitate, & ordine cuncta administrante, non nisi bona posse provenire, méque sibi ac rebus suis meliùs, utiliusque prospicere, quàm ipsimet per se sciant, possint ac velint, sicque omnibus in rebus, quæ eveniant, quásque sustineant, utut sint, me auctorem, & non proximum, firmo considerantes proposito, quâdam invictâ & inexpugnabili patientiâ ità roborantur, ut non solùm æquo animo, sed libenti ac gaudenti sustineant, degustantes in omnibus sive intrinsecùs, sive extrinsecùs accidunt, meæ ineffabilis dulcedinem charitatis: quod est, sentire de me in bonitate; In omnibus (inquam) tribulationibus, difficultatibúsque attendere, credere, & læto animo, gratóque meditari, me disponere omnia suaviter, & ex profundo meæ dilectionis fonte cuncta provenire.

Omnia DEO bona tribuit, & mala accipit de manu ejus.

XXXV. Atque hujus ultimæ considerationis, compositionísque sanctissimæ maximũ bonum nil aliud corrumpit, impedit & perdit, quàm propria voluntas vestra, & amor vestri, quæ si tollerentur à vobis, tolleretur & infernus à vobis; tùm ille, qui maledictis æterno mentis & corporis tormento paratus est; tùm ille quem in mortali vita multiplici agitatione animi, ac vario curarũ æstu, imò sustinetis errore. Igitur si vivere cupis, & in hoc labenti sæculo per gratiam, & in stabili sempiternóque per gloriam, fac moriaris, temetipsum abnegans, & propriam voluntatem deponens. Beati enim mortui, qui in Domino moriuntur, & beati pauperes spiritu, quoniam tales me vident in peregrinatione per mutuum amorem, visuri deinde in Patria per gloriam & honorem,

Propria voluntatis malitia.

Amen.



TITVLVS LXIII.

SACERDOS.

§. I.

EX S. SCRIPTVRA.

Qualitas.

Levit. c. 20. v. 26. I. Ritis mihi Sancti, quia Sanctus sum ego Dominus, & separavi vos à cæteris populis, ut essetis mei.

Eccl. c. 45. v. 20. II. Ipsum elegit ab omni vivente, offerre sacrificium DEO, immensum & bonum odorem, in memoriam placare pro populo suo.

Hebr. c. 5. v. 1. III. Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad DEUM, ut offerat dona, & sacrificia pro peccatis.

Utilitas.

Deut. c. 18. v. 1. IV. Non habebunt Sacerdotes & Levitæ, & omnes, qui de eâdem tribu sunt, partem & hæreditatem cum reliquo Israël: Dominus enim ipse est hæreditas eorum, sicut locutus est illis.

Dignitas.

Ps. 138. v. 17. V. Nimis honorificati sunt amici tui, DEUS: Nimis confortatus est principatus eorum.

Num. 5. 9. VI. Omnes quoque primitiæ, quas offerunt filii Israël, ad sacerdotem pertinent: &, quidquid in Sanctuarium offertur à singulis, & traditur manibus Sacerdotis, ipsius erit.

Sacerdos Malus.

Ier. c. 2. v. 9. VII. Sacerdotes non dixerunt: ubi est Dominus? & tenentes legem nescierunt me, & pastores prævaricati sunt in me.

Osea c. 4. v. 6. & 9. VIII. Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi. Et erit sicut populus, sic sacerdos.

Malach. c. 1. v. 10. IX. Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum: & munus non suscipiam de manu vestra.

Ibid. c. 2. v. 8. X. Vos autem recessistis de via, & scandalizastis plurimos in lege: irritum fecistis pactum Levi. Propter quod & egò dedi vos contemptibiles, & humiles, omnibus populis, sicut non servastis vias meas, & accepistis faciem in lege.

Osea c. 4. v. 8. XI. Peccata populi mei comedent, & ad iniquitatem eorum sublevabunt animas eorum.

Malach. c. 2. v. 1. XII. O sacerdotes; si nolueritis audire, & si nolueritis ponere super cor, ut detis gloriam nomini meo, ait Dominus exercituum: mittam in vos egestatem, & maledicam benedictionibus vestris, & maledicam illis: quoniam non posuistis super cor.

§. II.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Qualitas.

S. Gregor. ho. 11. in Lev. I. Sicut ego excedo omnes creaturas, atque ab universis, quæ à me facta sunt, segregor, ita & vos segregati estote ab omnibus, qui non sunt sancti, nec DEO dicati, segregati autem non locis, sed affectibus; non regionibus, sed conversationibus.

S. Cyprian. in c. 18. num. II. Mirum valde est, quòd te solo sit DEUS tuus contentus, neque velit aliam præter te hæreditatem habere; tu verò eo non contentus, ad terrenas inhies divitias, & hæreditates: sufficiat tibi, quæso, DEUS tuus, sicut tu sufficis DEO tuo.

S. Chrysost. ho. 10. in 1. ad Tim. III. Eum quippe, qui regendos alios suscipit, tantâ decet gloriâ virtutis excellere, ut instar solis, cæteros veluti stellarum igniculos, in suo fulgore obscuret. Debet hujusmodi vitam habere immaculatam, atque compositam, ut omnes in illum, & in ejus vitam, veluti in exemplar aliquod excellens intueantur.

Durandus apud Mans. disc. 7. n. 5. IV. Attendat studiosè sacerdos, ut signum sine significato non ferat; id est, ut vestem sine virtute non portet, ne fortè similis sit sepulchro foris dealbato, intus verò omni spurcitiâ pleno: quisquis enim sacerdos indumentis ornatur, & honestis moribus non induitur, quantò venerabilior apparet hominibus, tantò redditur indignior apud DEUM.

Utilitas.

Abb. Eril. Med. p. 13. conc. 11. V. O magna & inclyta DEI instrumenta, sacerdotes! à quibus omnium populorum pendet beatitudo. Spiritus est, qui vivificat.

S. Prosper. l. 2. de vit. cont. c. 2. VI. Sacerdotes per DEI gratiam fiunt divinæ voluntatis Iudices, Ecclesiarum Christi post Apostolos, fundatores, fidelis populi Duces, veritatis assertores, pravæ doctrinæ hostes, omnibus bonis amabiles, vindices oppressorum, Patres in fide Catholica regene-

generatorum, prædicatores cælestium, Phalanges, Præliatores invisibilium præliorum.

Idem c. 3. VII. Ipsi sunt Ecclesiæ decus, in quibus ampliùs fulget Ecclesia; ipsi columnæ firmissimæ, quibus in Christo fundatis innititur omnis multitudo fidelium. Ipsi januæ civitatis æternæ, per quas omnes, qui credunt in Christum, ingrediuntur ad Christum. Ipsi janitores, quibus claves datæ sunt Regni cœlorum. Ipsi etiam dispensatores regiæ domûs, quorum arbitrio in aula regis æterni, dividuntur gradus, & officia singulorum.

Dignitas.

S. Cyprian. de habitu Virg. VIII. Flos sunt Ecclesiastici germinis, decus atque ornamentum gratiæ spiritualis, DEI imago, respondens ad Sanctimoniam Christi, illustrior portio gregis Christi; uti Josephus Mansi illis accommodari posse, ait.

Oleaster in c. 18. Num. IX. Magna dignatio Domini, si tamen eam sacerdos cognoscas, quòd velit Dominus DEUS tuus esse pars tua, & hæreditas tua. Quid non habebis, si DEUM habeas?

Petrus bless. l. 47. X. Ascendit ad familiaris dignitatem; in opere Creationis, non fuit qui adjuvarat Spiritum Domini, aut consiliarius ejus esset; in Mysterio verò Redemptionis nostræ voluit habere coadjutores, dicens: *Hoc facite in mei commemorationem.* Est ergo Sacerdos, coadjutor Redemptoris.

Theophilact. in c. 20. Ioan. XI. Vide sacerdotum dignitatem, quòd divina sit: DEI enim est, remittere peccata; sic igitur illi honorandi sunt, ut DEUS, nam quamvis indigni sint, quid hoc? Divinorum donorum ministri sunt, & gratia operatur per eos.

Rupertus Ab. l. 7. in Gen. c. 31. XII. Quemcunque ad sanctum Altare Divina vocat gratia, fidémque ejus electio S. Spiritûs sacerdotali dignitate remunerat, eò ipso quòd vocatur & eligitur ad tale munus, profectò jubetur illi, ut tollat filium suum, quem diligit, Isaac, eúmque Domino in terra visionis in holocaustum offerat.

S. August. ep. 128. XIII. Hoc honore nihil in hac vita præstantius & acceptabilius apud homines esse potest, nihilque etiam apud DEUM beatius, si eo modo in eo militetur, quo cœlestis ipse Imperator jubet.

Flavianus ep. ad Leonem Pap. XIV. Nihil honorabilius sacerdotibus; omnis nostra spes, atque salus, & repromissio promissorum bonorum, in iis est.

Sacerdos malus.

Author oper. imp. hom. 3. XV. Verè magna confusio sacerdotum, & omnium Clericorum, quando laici inveniuntur fideliores ac justiores; quomodo autem non sit confusio, esse illos inferiores laicis, quos etiam esse æquales, magna confusio est?

S. Greg. hom. 17. in Evang. XVI. Aurum quippe obscuratum est, quia sacerdotum vita, quondam per gloriam virtutum clara, nunc per actiones infimas ostenditur reproba; color optimus est mutatus, quia ille sanctitatis habitus, per terrena & abjecta opera ad ignominiam despectionis venit; dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum: ecce jam penè nulla est sæculi actio, quam non sacerdotes administrent: in capite omnium platearum dispersi sunt, quia & jacent per ministerium operis, & honorari volunt de imagine Sanctitatis.

XVII. Plerique sacerdotes suæ magis utilitatis causâ, quàm gregis, præesse desiderant; nec ut prosint, Præsules fieri cupiunt, sed magis, ut divites fiant, & honorentur, suscipiunt sublimitatis culmen, non pro pastorali regimine, sed pro solius honorifica ambitione, atque abjecto opere dignitatis, solam nominis appetunt dignitatem. S. Isidor. l. 3. sent. c. 38.

XVIII. Nihil est turpius, quàm excellentem esse quemlibet culmine, & despicabilem vilitate. Quid est dignitas indigno, nisi ornamentum in luto? & ideo cunctos, qui sacri Altaris suggestu eminent, tantum excellere oportet merito, quantùm gradu. Salvianus l. 2. ad Eccl. Cath.

XIX. Ingrediuntur electi, inquit, sacerdotum manibus expiati, cælestem patriam, & sacerdotes ipsi per viam reprobam ad inferni supplicia festinant. Cui ergo rei similes dixerim sacerdotes malos, nisi aquæ Baptismatis, quæ peccata Baptizatorum diluens, illos ad regnum cæleste mittit, & ipsa postea in cloacas descendit. S. Gregor. loc. cit.

§. III.
EXEMPLA SACRA.

Æstimatio.

I. Marcellus Corvinus in vita Cardinalis Bellarmini, tantâ doctrinâ, raráque sanctitate insignis, tradit, quendam apud eum propter certa delicta accusatum fuisse sacerdotem; quæ ubi negâsset delatus, innocentem judicavit Eminentissimus, inquiens, verisimile neutiquam videri, sacerdotem aliquod mendacii verbum prolaturum. Mansi disc. 1. n. 10.

II. Gloriosus Franciscus ait Fratribus suis: Audite, fratres mei, si Beata Virgo honoratur, ut dignum est, quia Filium DEI portavit in sanctissimo utero suo; si Baptista contremuit, & non audet contingere sanctum DEI verticem, si sepulchrum, in quo per aliquod tempus latuit, tantâ reverentiâ veneratur; quantùm debet esse sanctus & justus, & dignus, qui jam non mortuum, sed glorificatum, & in æternum victurum, in quem desiderant Angeli prospicere, contrectat manibus, corde, atque ore assumit, & aliis quoque porrigit ad sumendum? S. Bernard. sen tom. 1. serm. 20. c. 1. n. 7.

III. Cardinalis Baronius de Leontio Episcopo Tripolitano in Lydia scribit, quòd, cùm ab Eusebia Augusta, muliere superba & fastuosa vocaretur, is ei hunc in modum responderit; quòd si velis, ut ad te veniam, conservatâ in omnibus Episcopis debitâ reverentiâ, ego intrabo Baron. ann. 355. n. 15.

trabo quidem ad te, tu verò subitò de sublimi solio tuo descendens, reverenter mihi occurres, & benedictionem à me recepturа, caput tuum meis subjicies manibus, móxque ego sedebo, tu verò magna cùm modestia stabis, donec à me sedere jubearis; si hæ tibi placent conditiones, veniam utique; secùs vero, si illas abnuas: Húncque honorem Leontius, tanquam Sacerdotio debitum, ab Augusta exigebat; quem Episcopum Baronius proinde à nonnullis Regulam Ecclesiæ appellatum fuisse dicit, propter exactam rituum Ecclesiasticorum observantiam, licèt aliàs, à Communione Catholica exclusus esset.

Ibid. IV. Idem Baronius historiam prosequens, Justum DEI ponderat judicium, circa Valentinianum Imperatorem demonstratum; quia enim hic adveniente S. Martino Episcopo, è throno surgere, & coram eo in pedes erectus reverenter stare noluit, ignis à sede ipsius egressus est, qui ipsum adegit, non solùm ut surgeret Episcopo, occurreret, suúmque caput ejus manibus submitteret, verùm etiam, ut ad pedes ejus se venerabundus prosterneret.

Eusebius l. 3 de vit. Constant. V. Eusebius in historiis suis venerationem, quâ Constantinus Magnus Ecclesiasticos, maximè in Concilio Nicæno prosecutus fuit, his verbis refert: significabant hoc oculi submissi, rubor in vultu, decens ingredientis motus, morum humanitate, Imperialisque clementiæ mansuetudine permixtâ, positâ modicâ quadam sede, non sedit, priusquam à ministris Ecclesiæ annueretur.

Baronius ann. 863. VI. Nicolaus IV. Papa ad Michaelem III. Imperatorem scripsit, eúmque monuit, ut sacerdotes, qualescunque illi sint, ob amorem Domini, cui serviunt, ubique veneraretur: convenit enim, inquit, ut bene attendas, non quales sint sacerdotes Domini, sed quid ipsi DEI nomine loquantur; nec aliud quidpiam in sacerdotibus spectare debes, quàm quod ipsi in beneficium Ecclesiarum & salutis tuæ laborent. Certum est enim, quòd illis nequaquam inferiores esse dices super cathedra Moysis sedentibus scribis, & Pharisæis, de quibus Christus ait: *Quæcunque dixerint vobis, servate & facite, secundùm opera illorum nolite facere*; Hoc igitur considerans, ô Imperator, dicito: si Christus eos, qui super cathedra Moysis sedent, audiendos esse affirmavit, quantò magis eis, qui in Cathedra Petri sedent, benignæ, & morigeræ præbendæ sunt aures?

S. Vincent. Ferr. s. de S. Marco. VII. S. Vincentius Ferrerius in quodam sermone, reverentiam antiquitus Clero deferri solitam, his verbis describit: Antiquitus, inquit, quando unus Clericus transibat per viam, vel per vicum, omnes assurgebant, dicendo: DEUS me habeat in vestris orationibus: modò autem sunt tot vitia & vanitates sacerdotum & Clericorum, quòd pejus loquuntur de ipsis, quàm de Judæis ex illorum mala vita.

S. Ephrem. de Sacerdotio. VIII. S. Ephrem de Sacerdotio scribens, suadet, ne quispiam debitum sacerdotibus obsequium, & reverentiam exhibere detrectet, eo quòd an tali honore digni sint, ignoret: quia ad hoc respiciendum non est, sed ad DEUM, qui Sacerdotes honorandos esse præcipit; dicit enim: Quòdsi de illo, qui sacerdos est, ignoras, dignúsne an indignus sit tantâ sublimitate, tu ob præceptum ipsius Christi, eum non despexeris.

IX. Basilius Imperator Leonem filium suum exhortans ad honorem & obedientiam Ecclesiæ, ejúsque ministris exhibendam, ita loquitur: Honor enim, qui sacerdotibus habetur, ad DEUM refertur; & sicut propter te ministros tuos in honore habere justum est, ita & te propter DEUM, sacerdotes ejus magnificare, & in pretio habere, sanctum. Bibl. PP. to. 5. c. 5.

Fuga Sacerdotii.

X. B. Ammonius contra voluntatem suam à furente populo ad sacerdotium & Episcopatum tractus, auriculam sibi succidit, dicens: Lex divina neminem præcisâ aure permittit fieri sacerdotem. Cùm nihilominus populi ad Timotheum Patriarcham recurrerent, ut eum per obedientiam astringeret, utpote propter sanctitatem tali dignissimum gradu, quantumvis auribus & naribus destitutus esset; Reduci itaque, sibique violentiam inferenti populo, respondit intrepidè: Linguam meam, propter quam vobis placeo, si me ulteriùs cogitis, propriis dentibus amputabo: & tandem sibi relictus est. Petrus Bless. ep. 123.

XI. Non absimile nobis exemplum Vitæ exhibent SS. Patrum, de B. Theodoro, qui, cùm Diaconatûs Ordine insignitus esset, ut ad ulteriorem sacerdotii gradum progrederetur, vel Diaconatûs munus exerceret, persuaderi nunquam potuit; cúmque à suis hujus sui propositi causam edicere rogaretur, se pro divina voluntate explorandâ orationem ad DEUM instituisse respondit, in eáque se columnam quandam igneam, cœlum tangentem vidisse, indéque egressam audiisse vocem, dicentem: Si instar columnæ hujus, igne flagras charitatis, ministerio fungere Diaconatûs. Vita PP. l. 3. §. 115.

Sacerdos malus.

XII. In Revelationibus S. Birgittæ de libidinoso quodam sacerdote refertur, quòd, cùm sæpiùs, sed incassùm, ad se emendandum monitus fuisset, acciderit, ut, cùm die quadam ad pascendum equum in pratum suum concessisset, plura cælitus dilapsa fuerint fulmina, quæ ei percusso subitam intulerunt mortem: & quidem, ut manifestum fieret, supplicium hoc ei in suæ impudicitiæ, & libidinis pœnam accidisse, toto corpore ab ignibus illæso manente solæ arserunt & consumptæ sunt partes genitales. Revel. l. 6. c. [illegible]

XIII. Fertur in narrationibus Patrum, vidisse Laicum quendam suis oculis sacerdotem Ecclesiæ, quam frequentabat, in crimine Franc. Turrian. l. 1. de Hierarch. Ordinat.

ne adulterii deprehensum: adiisse eum tamen fidenter, & absque ulla dubitatione, cùm postero die sacrificaret, ut ex manibus ejus sanctam Evcharistiam acciperet; postquam verò accepisset, petiisse ab eo, ut frontem, quam habebat leprosam, cruce signaret; quod cùm fecisset, lepram quidem tanquam squamam excidisse; frontem verò sanam, & nitidam apparuisse. Res profectò stupenda, & divini judicii plena. Facit miraculum vacuus gratiâ, ne præberetur locus obtrectationi sacerdotum, & ne quævis judicarent: imò habuit gratiæ efficacitatem propter dignitatem sacerdotii, ut doceremur, cùm ad sacerdotes imus, non ad homines, sed ad DEUM nos ire, qui per eos nobis tribuit dona, nósque sanctificat, & quòd is, qui cum fide accedit, efficiatur voti compos; quòdque nec vitium sacerdotis alterius fidei noceat, neque rursus sola vita sacerdotis nos ad credendum juvet; sacerdos enim quatenus homo est, & infirmitate præditus, non potest juvare, ut neque tu rursus eum, cui sis par in infirmitate: homo enim homini prodesse non potest: at sacerdos sacerdotii dignitate præditus, gratiam sibi conciliat: siquidem donum DEI est sacerdotium, per gratiam verò efficitur DEO propinquior.

§. IV.

EXEMPLA PROFANA.

Plutarch. in probl. I. PLutarchus de sacerdotibus refert ministrorum Romanorum, qui Diabolo, mendaciorum Patri & Authori, famulabantur, in tanta fuisse veneratione, adeóque æstimatos fuisse veridicos, ut in nullo penitus judicio pro quacunque causa ad juramentum astricti fuerint, quin potiùs in quibuscunque etiam gravissimi momenti rebus, sola eorum assertio, nudúmque verbum, juratæ æquivalebat veritati.

Baron. ann. 1126. 14. II. Gentiles, ut observat Baronius, etiam quoad imperium politicum, sacerdoti suo obediebant: (nam, ut Strabo de Æthiopibus scribit, apud illos sacerdotibus erat summa potestas, adeò ut etiam nonnunquam Reges occidi imperârint, alium in illius locum juxta beneplacitum eligendo. Sacerdotes Ægyptii leges promulgabant, Judicésque populi erant: In Persia Magi sacerdotes olim regnârunt, postea verò mutatâ hac regiminis specie nihilominus in tanta existimatione permanserunt, ut eorundem consilio regnum gubernaretur. In Republica Romana Augures tantâ authoritate pollebant, ut (sicut Tullius refert) unus illorum consilia senatûs annullare, consulésque deponere potuerit; Hæc omnia referunt Annales Ecclesiastici.

Diodor. l. 2. de fat. Ægypt. III. Diodorus de sacerdotibus Ægyptiis scribit, eos reditus puplicos in tres partes dividere solitos fuisse: Priorem verò eorum portionem, percipiebat sacerdotum collegiũ; unde Philo, libro de sacerdotio hanc deducit consequentiam, dicens: Ex his rebus liquet, juxta Regis judicium, sacerdotes æquiparari majestate atque honore Regibus siquidem illis, tanquam principibus, conferri tributa imperat.

IV. Alexander Magnus tametsi notitiæ veri DEI expers esset, tamen cùm tot esset regnorum gloriosus victor, & exasperatus à populo Hebræo, Jerosolymam misisset exercitum, ut se per totius Levitici ordinis stragem de injuriis receptis vindicaret; Jaddo verò sacerdos vires suas ad resistendum impares esse videns, vestimentis Pontificialibus solemniter indutus, multisque aliis sacerdotibus stipatus, ei occurreret, Alexander mox ad eorum conspectum irâ depositâ, placatus sacerdotem non solùm non indignè habuit, verùm etiam summè veneratus est, & omnia, quæ postulabat, ei gratiosè concessit. Cúmque, cur id fecisset, interrogaretur: Non hunc adoravi, respondit Alexander, sed DEUM, cujus sacerdotio fungitur. *Ioseph. l. 11. antiq. c. 8.*

§. V.

SIMILITUDINES.

Qualitas.

I. SIcut artifex ex omnibus lapidibus eligit meliores, & ponit à foris in facie ædificii, cæteros autem lapides qualescunque mittit intus: Sic Ecclesia meliores christianos eligit & ponit in facie Ecclesiæ; id est, alios facit sacerdotes, alios Diaconos, cæterósque ministros Ecclesiæ. *Author. op. imperf. hom. 40.*

II. Sicut lapides, qui sunt intus in ædificatione, nemo aspicit, sed eos, qui foris sunt, considerant omnes; sic sæcularium hominum vita ac mores neque sic considerantur, neque sic nocent Ecclesiæ; quamvis omnis populus sæcularis fuerit indisciplinatus, tamen si Clerici boni fuerint, tota Ecclesia speciosa videtur. *Ibid.*

III. Sicut vinum, vas specialiùs & diligentiùs præparatum, in quo servetur, exigit, quàm panis; sic sub specie vini sangùis Christi sumendus solis sacerdotibus conceditur, tanquam vasis Domini ad hoc specialiter consecratis, & sacrâ religione constrictis, & virtutum pulchritudine excellentiùs præordinatis. *S. Thomas opusc. 58. c. 29.*

IV. Sicut soli oculi nostri inter omnia alia membra nostra lucem habent, illísque DEUS communicavit lumen, ut corpori, multísque operationibus ejus, qui à visu oculorum diriguntur; ducatum præstent; eâdem proportione dicere possumus; quòd DEUS in mystico Ecclesiæ suæ corpore sacerdotes, velut partem magis nobilem, haud secùs ac oculos collocarit, majúsque illis lumen, suíque, bonorúmque spiritualium, & æternorum notitiam contulerit, ut hac ratione aliis ducis loco serviant, divinæque gratiæ bona communicent. *S. Isidor. l. 1. ep. 111.*

S. Cyrillus Alex. c. 3. in Isaiam. V. Sicut cor inter alia membra in corpore humano est primum mobile, ita quoque sacerdos in Republica est primum, & præcipuum omnium bonorum gratiæ instrumentum, in quo vita animæ consistit; & sicut à corde spiritus vitales corpus vivificantes, illisque calorem, motum & vitam subministrantes, in omnes corporis partes transfunduntur; ita pariter à sacerdotibus in alios spiritus vitales gratiæ Sacramentorum, aliorúmque bonorũ spiritualium transmittuntur.

Acta Mediol. l. 4. c. 2. VI. Sicut nautæ periculosis maris tempestatibus jactati, ad accensas in altis turribus faces iter dirigunt, cursúmque intendunt; Ita sanè homines variis infestissimi sæculi agitati procellis, in sacerdotum vitam, ac mores, tanquam in lumina quædam clarissima, oculos intendunt.

S. Ephrem. to. 1. de sacerd. VII. Sicut fulgidissimum aurum, licèt luto contaminatum non percipit detrimentum, neque speciosissima margarita ex contactu quarundam immundarum specierum: ad eundem modum nec sacerdotium ab ullo sordidum redditur, quantumvis etiam indignus sit is, qui illud suscepit.

Mansi disc. 1. n. 7. VIII. Sicut macula in lino candido apertiùs, quam in veste pelliceâ vel rusticâ conspicitur; ita quoque defectus aliquis in homine sæculari non æquè, ac in sacerdote aliquo notatur.

S. Bern. de triplici custod. IX. Sicut pretiosam vestem exigua quævis macula turpius decolorat; ita à nobis multò magis exigitur justitia, cùm in aliis nævus, in nobis sit gravis macula.

Salvian. l. 4. de prov. X. Scut si servos nostros quispiam cædat, nos in servorum nostrorum injuria cædit; & si à quoquam filius verberetur alienus, in supplicio filii pietas paterna torquetur; Ita & cùm servus DEI à quocunque læditur, Majestas Divina violatur.

S. Chrysost. ho. 66. in Gen. XI. Sicut honor, qui propter DEUM Sacerdotibus impenditur, multùm parit fiduciæ (propria enim sibi facit DEUS, quæ in servos suos collocantur) ita & illorum contemptus multam è supernis pœnam nobis deferet. Igitur, sicut suum esse honorem, ita contemptum ducit.

Sacerdos malus

Auct. oper. imp. ho. 38. XII. Sicut in corpore, si aliquod infirmatum fuerit membrum, non omninò languet & stomachus; si autem stomachus languerit, omnia membra inveniuntur infirma: sic si aliquis Christianorum peccaverit, non omninò peccant & sacerdotes; si autem & sacerdotes fuerint in peccatis, totus populus convertitur ad peccandum.

Idem. XIII. Sicut agricola videns arborem pallentibus foliis marcidam, colligit, quia læsuram in radicibus habet! Ita cùm videris populum indisciplinatum, & irreligiosum, sine dubio cognosce, quia sacerdotium ejus non est sanum.

Hugo Card. in c. 15. Io. XIV. Sicut lignũ vitis optimũ est, cùm ligno adhæret, cùm disjungitur, in nullo utile, nisi ad succensionẽ fornacis Babyloniæ, illa enim malleolis succenditur, ut dicitur Dan. 3. Ita est de Clericis & Religiosis, quando Christo adhærent, optimi sunt, & optimum, & multum fructum faciunt: quando autem à Christo separati sunt, nutrimentum sunt ignis, peccati in præsenti, & in futuro ignis infernalis. Ligna itaque vitis tantò sunt contemptibiliora, si in vite non manserint, quantò gloriosiora, si manserint. S. Aug. apud Mansi disc. 30. n. 11.

Author oper. imperf. ho. 43. XV. Sicut stultus esset infirmus ad mortem usque languens, qui, cùm sanari non possit, nisi per venæ incisionem, illam tamen admittere nollet, eò quòd chirurgus lanceolam non habeat auream, sed ferream. Simili modo vos, qui in peccato mortali estis, Absolutione Sacramentali, tanquam unico remedio, indigetis; cur ergo vultis sacerdotem aureum, quando sacerdos ferreus, id est, malus, necessitati vestræ æquè potest succurrere? Hinc rectè dixit nonnemo de talibus sacerdotibus: si bene vixerint eorum est lucrum, si bene docuerint, nostrum; Accipite, quod vestrum est, & nolite discutere, quod alienum est.

§. VI.

MOTIVA.

Ad sacerdotes honorandos & amandos.

S. Bernardin. t. 1. s. 20. a. 2. c. 7. I. **Q**uia *potestatem habent amplissimam*; nam teste S. Bernardino, potestas Sacerdotis est, sicut potestas Divinarum Personarum, quia in panis transsubstantiatione, tanta requiritur virtus, quanta in Mundi creatione. Unico verbo omnes produxit DEUS Mundi hujus creaturas: *Dixit, & facta sunt*: Sacerdos pariter pauculis verbis Creatorem universi de throno cœlesti descendere, súbque speciebus sacramentalibus se occultare facit, substantiâ panis & vini in sacratissimum ejus transmutatâ corpus: Sacerdos suo Ministerio, inquit idem sanctus Bernardinus, transfert verissimum corpus Christi de empyreo cœlo ad ipsum altare sacrum. S. Vincentius Ferrerius ad idem discurrens intentum, ait: Sacerdos existens in terra, habet potestatem, ut aperiat cœlos, & faciat descendere Filium MARIÆ in Altare in manibus suis. Magno utique, idem subjungit Sanctus, attribuitur miraculo, Manna Moysis de cœlo depluens, Eliæque ignis è cœlestibus sphæris eductus: majus mirabile est hic, quoniam sacerdos nec de aëre, nec de sphæra ignis, nec de cœlo Lunæ, Mercurii, aut Martis, nec de cœlo stellato, seu firmamento, aut crystallino, sed de cœlo empyreo, facit Christum descendere. Admiramur omnes Josue, dum properum stitit Solis cursum: *Sol, contra Gabaon ne movearis*: paruitque Dominus, siquidem sol stetit, obediente DEO voci hominis. Sed miraculorum S. Vincent. Ferr. s. 1. in festo corp. Christi.

ma-

maximum in ultima contigit cœna in cœnaculo Sion. Ipsúmque perseverabit ad finem usque innumerabilium sæculorum, quando sol Justitiæ Christus promptissimè obedivit, & obediet linguæ sacerdotis.

S. Ambros. l. de vid.

II. *Quia est Dispensator mysteriorum DEI*; uti S. Ambrosius indicavit dicens: Sacerdotis officium est Spiritûs Sancti; sicut enim tertia sanctissimæ Triadis persona, donorum, bonorúmque spiritualium est thesaurarius, ita sacerdotes instituti sunt, ut sint eorundem thesaurorum dispensatores, quos proinde Apostolus vocat *Dispensatores mysteriorum DEI.*

S. Chrysost. hom. 5. de verb. Isaiæ.

III. *Quia est Judex mundi*; nam sacerdotis Thronus, teste S. Chrysostomo, in cœlo collocatus est, & de cœlestibus negotiis pronuntiandi habet authoritatem: quid cum hoc honore conferri possit? A terra judicandi principalem authoritatem sumit cœlum: Nam Judex sedet in terra, Dominus sequitur servum, & quidquid hic in inferioribus judicârit, hoc ille in supernis comprobat. Hanc authoritatem sanctus Petrus Damianus in quodam Sermone de sancto Petro his verbis admiratur: Præcedit Petri sententia, sententiam Redemptoris, quia non quod Christus, hoc signat Petrus; sed quod Petrus, hoc ligat Christus. O quàm potens dignitas, quàm digna potentia! judicat Petrus, & Petri judicia confirmat omnipotens, & est in manu Petri Manus Altissimi, solúsque ille efficitur familiaris. Quis unquam Rex aut Monarcha reperietur, qui regni sui Ministris tantam delegarit potestatem, ut absolvere possint omnia delicta læsæ Majestatis, etiam in primo capite? vel abolere possint omnes condemnationes, omnes rescindere etiam ab ipsomet Principe fulminatas sententias? condonare omnia scelera quantumvis enormia contra ejus Majestatem commissa? eósque, qui illa admiserunt, præter impertitam delictorum veniam, filios declarare adoptivos, & Regni ejusdem Regis, à similibus sceleratis offensi cohæredes? Quæ profectò similitudo optimè servit ad exprimendam quadantenus authoritatem, in remittendis peccatis, gratiâ infundendâ, peccatoribus in amicitiam DEI restituendis, dandáque beati illius Regni investitura, & professione, concessam.

S. Petrus Dam. ser. 27.

S. Chrysost. in 1. Timoth. c. 2.

IV. *Quia Pater est totius orbis*; uti iterum S. Chrysostomus indicavit dicens: Quasi communis quidam totius orbis pater est Sacerdos. Dignum igitur est, ut omnium curam agat omnibúsque provideat; Ideo quoque in quodam Canone hæc verba leguntur: Sacerdotes pro populo interpellant, & peccata populi comedunt; quia peccata precibus suis delent, atque consumunt. Hinc & S. Augustinus: Talem, ait, oportet esse Domini Sacerdotem, ut, quod populus pro se apud DEUM non valuerit, ipse pro populo mereatur, quod proposuerit, impetrare.

S. August. in Ps. 36.

Durand. in Ration. Div. off. l. 2. c. 10.

V. *Quia Doctor est hominum*; uti Guilielmus Durandus advertit dicens: dicitur autem Presbyter, quasi aliis vivendi præbens iter, vel præbens beatum iter; videlicet populo DEI de Mundi exilio ad Patriam Paradisi.

Hugo Card. in 1. Petr. c. 5.

VI. *Quia est forma Gregis Christiani*, juxta Hugonem, qui verba illa S. Petri: Forma facti gregis ex animo: sic exponit: id est, *perfectio*: in hoc monet eos ad regulam, & exemplum exterioris bonæ conversationis: & *ex animo*; móxque propriam illius nominis *forma* in hæc verba explanat significationem: *Formam* dicit, ut ad ejus aspectum alii majores informentur, & concipiant fœtus similes. Hinc & S. Hieronymus, conversatio tua, inquit, quasi in speculo constituta, Magistra est publicæ disciplinæ; quidquid feceris, omnes faciendum putant.

S. Hieron. in ep. ad Heliod.

Dionysius Carth. in c. 3. Ezech.

VII. *Quia sunt speculatores Ecclesiæ*, uti Dionysius Carth. notavit, qui super illa verba Ezechielis: *Speculatorem dedi te domui Israel*, ita scribit: Quemadmodum speculator Principis in turri locatur, ut undique circumspiciat, & quidquid adversitatis venire videt, domino & populo suo annunciet; sic Pastor, Prædicator, Prælatus, seu Doctor, populo insidias dæmonum, pericula vitiorum, pœnitentiæ fructum intimare sollicitè debet. Hugo Card. eadem verba ita exponit: Speculatorem, inquit, dedi te, non dormitorem, vel dominatorem; domui Israël, id est, Ecclesiæ. Citátque sanctum Gregorium, qui ad propositum nostrum dicit: debet oculos habere antè & retrò, & in circuitu, & intus, sicut dicitur Apocalypseos. 4. nam speculatoris officium est, vigilem esse, cuius hanc assignat rationem: quia sunt custodes castrorum, & vigiles, qui custodiant civitatem: unde Isaias cap. 62. *DEUS dicit: super muros tuos, Jerusalem, constitui custodes.*

Author. op. imperf. hom. 40.

IIX. *Quia coloni sunt populi Christiani*, teste Authore oper. imperf. dicente: Coloni sunt sacerdotes, qui colentes populum, quasi vineam, cùm acutissimo ferro sermonis, faciunt eos bonos fructus justitiæ Domino exhibere: sicut autem duram terram ferrum emollit, sic & verbum duritiam cordis relaxat: sicut rastro ferreo herbæ radicitus evelluntur à vinea, sic & acri sermone vitia de populo resecantur.

S. Gregor. l. 1. epist. 24.

IX. *Quia Præcones sunt Ecclesiæ*; nam juxta S. Gregorium, Præconis officium suscipit quisquis ad Sacerdotium ascendit: Sacerdos si prædicationis est nescius, quam clamoris vocem daturus est præco mutus? Hinc est enim quòd super pastores primos in linguarum specie Spiritus S. insedit, qui nimirum, quos repleverat, de se protinus loquentes fecit.

S. Chrysost. hom. 2. de S. Andrea.

X. *Quia Reges Mundi sunt*; nam, ut S. Chrysostomus rectè pronunciavit, multò digniori est honore ac veneratione Sacerdos, quàm Rex; quantò ad majorem vocatus est principatum. Cujus præeminentiæ hanc alio in loco assignat rationem, dum ait: Regi corpora commissa sunt, Sacerdoti animæ: Rex maculas corporis remittit, Sacerdos peccatorum. Ille cogit, hic exhortatur, ille necessitate, hic consilio. Ille habet arma sensi-

bilia, hic spiritualia: Quantùm animarum gubernium excedit directionem corporum, tantò sacerdotalis dignitas vincit regalem: Hic in vitam temporalem, substantiam, corpora, & subditos dominium habet; ille in animas. Imperium nos ipsi gerimus, inquit Nazianzenus, multò præstantius, & perfectius Regno terreno: etenim sacerdotibus in Exorcismis dæmones obediunt, imò & Angeli boni, & ipsemet Filius Dei; hinc tantum est superius regno sacerdotium, quantùm est inter spiritum & carnem intervallum. Ac propterea sicut potentes potenter tormenta patientur, ita ipsi quoque severam DEO rationem reddere debebunt, uti S. Petrus Damianus indicavit, dicens: Quàm pavendum est, ac tremefactis visceribus formidandum omnibus, nunc in Ecclesiastica dignitate præcellere, quos æquè necesse est, & ante omnes in tremendi Judicis examine respondere? ut, à quibus judicium incipiet; ut, qui primi sunt in culpa, etiam principales sint in pœna. Quod confirmans S. Augustinus, si diligenter, ait, attenditis, Fratres charissimi, omnes Sacerdotes Domini, non solùm Episcopos, sed etiam Presbyteros, & Ministros Ecclesiarum, in grandi periculo esse cognoscitis; si enim pro se unusquisque vix poterit in die judicii rationem reddere, quid de Sacerdotibus futurum est, à quibus sunt omnium animæ requirendæ? Et clariùs S. Chrysostomus, dum ait: criminandi sunt omnes, qui legem transgrediuntur, sed maximè omnium, qui Doctoris funguntur authoritate; dupliciter namque & tripliciter jure condemnantur: Primùm, quia transgrediuntur; deinde cùm in corrigendis aliis ipsi claudicant: Tertiò, quia, cùm ut doctores præsideant, nequitiâ suâ facilè cæteros corrumpant.

S. Naz. Orat. ad civ. Naz.

S. Petrus Dam. l. 3. epist. 3.

S. August. l. 50. ho. 7.

§. VII.

MEDIA

Ad Sacerdotis officium dignè sustinendum.

I. O*Ratio fervens, & crebra*; uti S. Carolus Borromæus suasit, qui à suis Diœcesanis, priùsquam ad sacros Ordines promoverentur, spiritualia, unius saltem mensis, Exercitia peragi volebat, sub alicujus illuminatæ, & ab Archiepiscopo approbatæ personæ directione; decretum utique celeberrimum, neque tamen modernum, siquidem juxta historias veteres, multi, priùsquam gradum sacerdotalem aut Episcopalem conscenderent, fundamentum jacere voluerunt orationis, & recollectionis. Quemadmodum S. Augustinus à Valerio Episcopo, ut jugo pastorali suos submitteret humeros, adstrictus, temporis petiit inducias, quas ab initio Quadragesimæ usque ad Pascha præmitteret in solitudine, mentisque ad DEUM elevatione. Id quod & S. Nazianzenus præstitit fidelissimè, dum, priusquam Episcopalem thronum conscenderet, sancto vacavit recessui, inquiens: Bonum enim est, & DEO sese parumper subducere,

Acta Mediolan. p. 4. c. 468.

II. *Exemplum bonum*; nam, teste Hugone, bona conversatio est condimentum populi, propter hoc sunt sal: sed propter verbum doctrinæ, sunt lux: Priùs sal, postea lux, quia oportet priùs bene vivere, quàm bene docere; unde de Salvatore nostro, cujus omnis actio nostra fuit instructio, sanctus Lucas ait: *Cœpit JESUS facere, & docere.* Hinc & S. Augustinus ait: Pascite oves verbo, & exemplo; nolite eis cœlum claudere; clauditis, dum non corrigitis; clauditis, dum malè vivere ostenditis.

Hug. Card. in c. 5. Matth.

S. August. serm. 10. ad Fr.

III. *Vigilantia indefessa*; nam, ut S. Bernardus ait: Pastorum est, vigilare super greges, propter tria necessaria, videlicet ad disciplinam, ad custodiam, & ad preces; ad disciplinam, propter morum correctionem: Ad custodiam, propter diabolicam suggestionem: ad preces, propter tentationum instantiam. Hinc quicunque Pastor animarum Jacob Patriarcham imitetur oportet, dicentem: *Diu noctúque æstu urebar & gelu, fugiebátque somnus ab oculis meis.* Ex quo zelo hanc S. Damasus eruit consequentiam: si ergo sic laborat, & vigilat, qui pascit oves Laban, quanto labore, quantisque vigiliis debet intendere, qui pascet oves DEI?

S. Bernard. in sentent.

S. Damasus in c. 31. Genes.

IV. *Scientia solida*; nam absque sermone, id est, doctrinâ, conversatio, quantùm exemplo prodest, tantùm silentio nocet; nam & latratu canum, & baculo pastoris luporum rabies depellenda est. S. Isidorus verò idipsum confirmans, sicut iniqui, ait, & peccatores ministerium sacerdotale assequi prohibentur, ita indocti, & imperiti à tali officio retrahuntur; illi enim exemplis suis vitam bonorum corrumpunt, isti sua ignavia iniquos corrigere nesciunt. Hinc & Laurentius Justin. ait: Sacerdos quisque priùs studeat scire, quàm posse, quoniam in illo potestatem præcedere debet scientia. Nónne Ecclesiæ quoddam est decus, inscium videre Presbyterum, cui utique congruit erudire populum, & ad se confluentibus monita propinare salutis? Ad arentem fontem quis pergeret, ut aquam hauriret? sic tales aridi, non solùm malum doctrinæ imbrem populis propinant sitientibus, verùm etiam mala consilia præstant, quibus plebeculæ moriuntur, unde superstitiones vigent, mandata contemnuntur, peccata fiunt.

S. Hieron. ep. ad Ocean.

S. Isidor. l. 3. sent. c. 31.

S. Laurent. Just. l. de spir. animæ interitu.

Idem de compunct.

V. *Cupiditas opum moderata*; nam impedimenta hæ sunt, non adjumenta, teste Salviano, onera, non subsidia; possessione enim & usu opum, non fulcitur religio, sed evertitur. Hinc lamentans Psalmista Ps. 25. 10. ait: *Dextera eorum repleta est muneribus*: Ubi Hugo Cardinalis ait: Manus enim sacerdotum modò inunctæ sunt pice cupiditatis ad retinendum, quæ deberent esse inunctæ unctione charitatis ad largiendum.

Salvian. l. 1. ad Eccl.

Hug. Card. in cit. Ps.

VI. *Recta distributio redituum*; nam tales reditus sunt vota fidelium; pretia peccatorum, & patrimonia pauperum; hinc clamant nudi, clamant famelici, conqueruntur

Urbanus Pap. apud Mansid. 56. n. 1.

S. Bern. ep. ad Sen. epist. runtur & dicunt: nobis fame, & frigore laborantibus quid conferunt tot mutatoria servata in domibus vestris? nostrum est, quod effunditis; nobis crudeliter subtrahitur, quod inaniter expenditis; nostris necessitatibus detrahitur, quidquid accedit vanitatibus vestris; duo denique mala de una prodeunt radice cupiditatis, dum vos vanitate operitis, & nos spoliando perimitis.

Philo l. 1. de mon. VII. *Exuere affectum erga consanguineos*; nam, ut Philo Hebræus sapienter advertit, DEO dicatus, ductórque factus sacrati ordinis, debet abdicari omnibus cognationis affectibus, ut charitatem erga parentes, liberos, fratres posthabeat religioni. Hinc S. Hieronymus de sacerdotibus Ægypti, ab eo tempore, quo se Diis suis dedicarunt, ita scribit: Nunquam mulieribus se miscuerunt, nunquam cognatos & propinquos, ne liberos quidem vident; quòd si igitur illi, qui Dæmonibus in falsis numinibus serviebant, intelligere poterant, quanti referret, à sanguine alienum vivere, quantum hæc à parentibus alienatio sacerdotibus nostris convenientior erit? Cavendum ergo, ne verificatur illud Poëtæ: (S. Hieron. l. 2. cont. Iovin.)

Mansi disc. 17. n. 4.

Cùm factor rerum, privaret semine Clerum:

Ad satanæ votum, successit turba nepotum.

§. VIII.

ASCETICA.

Acta Mediol. p. 4. con. 480. I. *Inprimis nosse debet Asceta, quibus dotibus ornatus esse debeat Sacerdos*, quas quidem breviter indicavit S. Carolus Borromæus, dum dixit: Quàm ab omni labe puros nos esse oporteat, quàm à perturbationibus animi alienos, quàm castissimis moribus præditos, quàm omni virtutum exemplo præstantes, quàm divini cultûs zelo accensos, quàm salutis animarum cupidos & appetentes, quàm doctos, omnísque disciplinæ sanctæ peritos. Et idipsum etiam confirmavit Pontificale Romanum, dum in collatione Tonsuræ sic jubet orari: Oremus Fratres charissimi Dominum nostrum JESUM Christum pro his famulis suis, qui ad deponendum comas capitum suorum pro ejus amore festinant, ut donet eis Spiritum Sanctum, qui habitum Religionis in eis perpetuum conservet, & à mundi impedimento, ac sæculari desiderio corda eorum defendat, ut, sicut immutantur in vultibus, ita dextera manus ejus virtutum tribuat eis incrementa. Sed & ipse Christus has dotes significasse videtur, dum ad S. Birgittam dixit: Quibus (sacerdotibus) dedi quinque bona pretiosiora omni auro, scilicet conscientiam, intelligentiam super omnia rationabilia, ut discernant inter bonum & malum, inter verum & falsum. Secundò dedi eis spiritualium rerum intelligentiam, & sapientiam. Tertiò dedi eis castitatem. Quartò temperantiam omnium rerum, & abstinentiam ad corporis moderationem. Quintò stabilitatem in bonis moribus, verbis, & operibus. (Pontific. Roman. — Revel. 8. Birgitt. l. 4. c. 53.)

II. *Nosse debet, quid corona capitis significet in sacerdote*; neque enim, ut S. Beda scripsit, ob id tantùm in coronam attondemur, quia attonsus ita est Petrus: sed quia Petrus in memoriam Dominicæ Passionis ita attonsus est, idcirco & nos, qui per eandem Passionem salvari desideramus, ipsius Passionis signum cum illo in vertice, summâ videlicet corporis nostri parte, gestamus. Et paulò pòst iterum ait: suo quemque in capite tonsuram ferre, ut se irrisiones & opprobria pro illo libenter ac prompto animo sufferre, ipso etiam frontispicio doceant; ut coronam vitæ, quam repromisit DEUS diligentibus se, semper expectare, próque hujus perceptione & adversa mundi, & prospera contemnere, designarent. (V. Beda l. 5. de gest. Anglor. c. 22.)

III. *Nosse debet, quæ præparatio ad sacerdotium sit adhibenda*; nimirum ea, quam S. Philippus Nerius indicavit: dum cuidam interroganti, quantum præparatio ad Missam requireret tempus; Respondit: præparatio equidem necessaria, sed omnium excellentissima est jugis sacerdotis integritas, ita semper viventis, ut quâcunque horâ paratus sit dicere Missam, & communicare. Unde Tertullianus pariter ad nostrum inquit propositum: Ei offero optimam & majorem hostiam, quam ipse mandavit, orationem de carne pudica, de anima innocenti, de Spiritu Sancto profectam. (Vit. l. 1. c. 20. n. 17. — Tertull. adv. gent. c. 30.)

IV. *Nosse debet, quam gratitudinem pro beneficio vocationis ad sacerdotium exhibere debeat*; id quod breviter indicavit S. Bernardinus dicens: Quapropter, sicut super omne hominum genus propter hoc Mysterium DEUS vos honoravit; ita & vos eum super omnes diligere, venerari, & honorare curate. (S. Bern. sen. t. 1. & 20. a. 2. c. 7.)

V. *Nosse debet, cur summa continentia & castitas requiratur in Sacerdotibus*, ut Origenes insinuavit: Ante omnia Sacerdos, qui divinis assistit Altaribus, castitate debet accingi. Nimirùm cum omnes (Sacerdotes præcipuè) templum simus DEI, illato in nos & consecrato Spiritu Sancto, ejus templi æditua, & antistes Pudicitia est, quæ nihil immundum, nec prophanum inferri sinat. Hinc S. Hieronymus, quid, inquit, sacerdoti decentius, quàm decor & puritas castitatis? sit pius, sit fervidus, sit humilis, sit devotus, sit quicquid vis, si non est castus, nihil est, altari non congruit. Clariùs verò rationem affert S. Petrus Damianus dum ait: Niveus pudicitiæ candor efflorescat in iis, qui sacris mysteriis familiariùs appropinquant: nam quia Dominicum Corpus in virginalis uteri tem- (Orig. l. 4. in Levit. — Tertull. de cultu fem. — S. Hieron. ad Dis. — S. Petrus Damianus l. 2. ep. 4.)

plo coaluit, nunc etiam à Ministris suis continentis pudicitiæ munditiam quærit.

Acta Med. f. 147. VI. *Nôsse debet, cur specialiter venerandi sint Sacerdotes*; nimirùm ob rationem à S. Carolo Borromæo indicatam, dum ait: dignitatem sacerdotalem, Clericaléanque, non à persona eorum, qui illam obtinent, sive nobili, sive humili genere nati sint, sed ab officii munere, administrationéque pendere, nec propterea illos æstimandos esse, quatenus homines sunt, sed tanquam dispensatores mysteriorum DEI, quorum omnis administratio illis commissa, ad populi salutem, & perpetuam utilitatem spectat. *S. Chrysost. ho. 3. in 2. Cor. c. 5.* D. Chrysostomus verò verba illa: Pro Christo legatione fungimur, exponens, ita scribit: Quamdiu in hac sede sedemus, quamdiu habemus præsidentiam, habemus & authoritatem, & virtutem; additque circumstantiam valdè considerabilem, inquiens: Etiamsi simus indigni, Legati enim, quicunque ii fuerint, propter dignitatem Legationis, multum honorem assequuntur.

Mansi disc. 16. n. 5. VII. *Nôsse debet, cur vitia sacerdotum à privatis personis dissimulanda, & tegenda sint*; nimirum propter reverentiam iisdem debitam, uti S. Franciscus indicavit, de quo sic scribit Mansi: Tradunt Annales Fratrum Minorum, Hæreticum quendam Sacerdotis Catholici bonæ insidiantem famæ, propter concubinatum, populo dixisse, ne verbis ejus ullam adhiberent fidem, nullum illi præstarent respectum, reverentiam, aut obedientiam; siquidem manibus iis meretricibus Corpus Christi attrectaret; Sanctus itaque Franciscus periculum advertens, quod temerarius illius hominis intentabat error, coram universo populo dicti Sacerdotis genibus advolutus, in hæc prorupit verba: Si tales sint manus illius, quales iste dicit, nescio; sed licèt tales forent: scio, non posse inquinare virtutem divinorum Sacramentorum. Quia ergo per istas multa beneficia & charismata populo DEI fluunt, eas exosculor ob reverentiam eorum, quæ ministrant, & cujus authoritate ministrant. *Author oper. imperf.* Hinc rectè dixit Author Op. Imp. nunquid propter vilem terram pretiosum aurum contemnitur? non; sed aurum eligitur, & terra contemnitur: sic & vos doctrinam accipite, & mores relinquite. *S. Bernardin. to. 3. s. 4. &c.* Et in eundem sensum S. Bernardinus, nec à tua utilitate, inquit, te retrahat quorundam Clericorum deformis vita, cùm non despicias in tua necessitate candelam, alios quidem illuminantem, séque continuè consumentem; nec insuper despicias crucem in capite viæ iter tibi monstrantem, nec tamen seipsam inde moventem; nec quoque despicitur ipsa campana ad prædicationem alios vocans, nec tamen ipsa aliquándo ad prædicationem descendens.

§. IX.

MISCELLANEA ET CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Qualitas.

I. INgeniosa est illa Hugonis Card. super sequentia S. Pauli verba: Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad DEUM; facta observatio, dicentis: In hoc quod dicitur: ex hominibus: notatur, quòd debet excedere vita Sacerdotis, vitam plebis: Et ideo quando nostri ipsius ad divinum perpetuum cultum factam oblationem, primum pedem in domum DEI figimus, Psalmus 23. recitatur, in quo Psalmista interrogat dicens: *Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus?* móxque sine ulla hæsitatione respondetur: Innocens manibus & mundo corde. Causam verò, ob quam hæc innocentia requiritur, DEUS ipse subindicat, dum ait: *Eritis mihi sancti, quia sanctus sum ego Dominus*; ac proinde quando Episcopus Clerico habitum sacrum imponit, hæc verba pariter pronuntiat: *Induat te Dominus novum hominem, qui secundùm DEUM creatus est in Justitia, & sanctitate veritatis.* *Hugo Card. in c. 5. Hebr.*

II. Nabuchodonosor Rex ex toto Hebræorum populo, paucorum quorundam stirpis regiæ jussit fieri delectum, qui in ejus regia proximè sibi ab obsequiis assisterent; at verò audite, quibúsnam illi conditionibus vestiti esse debuerint: De semine Regio pueros, in quibus nulla esset macula, decoros forma, & eruditos omnia sapientia. Quod si igitur Rex ille hunc in finem in eligendis raras adeò conditiones desideravit, longè utique æquius est, ut, qui pro domo DEI, pro templo, pro palatio Regis gloriæ ad Sacrosanctum ejus ministerium eliguntur, viri sint vitâ immaculatâ & irreprehensibili præditi. Ac proinde idem author subdit: Nullam debent habere maculam, neque in verbo, neque in cogitatu, neque in facto, neque in opinione, quia sunt Pulchritudo Ecclesiæ, & si mali fuerint, totam deturpant Ecclesiam. *Mansi disc. 1. n. 3.*

III. Theodoretus illum Psalmistæ textum: *Vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis*; explicans, per hunc vultum Ordinem sacerdotalem intelligit, dicens: Sacerdotum Ordo, veluti quædam facies est Ecclesiæ, tanquam majori spiritûs dignitate exornatus. Macula enim vel labes si in alia quacunque corporis parte resideat, non parit indecentiam, nec tanta apparet, sicut in facie; ita pariter defectus, vitia, scandala, tantum in sæcularibus non pariunt præjudicium, quantum in Ecclesiasticis. *Theodor. in Ps. 44.*

IV. De Sacerdotibus Divina Sapientia ait: *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei*; *Zach. 2. c. v. 7.*

Unde

Unde per pupillam Ecclesiastici intelliguntur. Cui consonat epithetum, à S. Isid. Pelus. Sacerdotibus attributum, hos namque oculos Ecclesiæ appellat. Quis autem adeò rerum ignarus est, quòd in pupillis quilibet quantumvis minimus pulveris atomus dolorem & detrimentum intollerabile adferat? in pedibus quidem, per quos in corpore mystico denotantur sæculares, lutum & macula facilè tolerantur, utpote quæ continuò terram contingunt, & terunt; at verò personæ DEO consecratæ, quæ sunt veluti oculi, imò pupillæ ipsiusmet DEI, ne umbram quidem nævi admittere debent.

Hugo Card. in c. 1. Matth. V. Ingeniosa profectò est illa Hugonis Cardinalis super illa psalmistæ verba: *Prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ*: facta observatio; Quærit enim, quonam spectet illa à Davide inter transgressores terræ, & alios, insinuata distinctio? Etenim post rebellium Angelorum, qui peccatores terræ non erant, quis est qui nesciat, unicum & solum culpæ & peccati locum esse præsentem hanc vallem lachrymarum? ut proinde optimè S. Bernardus dicat: Tuta habitatio Paradisus, nullum enim serpens antiquus in superna aditum habere valet; cur igitur ait: peccatores terræ? Demum vero respondet: Peccatores terræ dicit ad differentiam peccatorum cœli, quæ magna est, quia Adam peccavit in terra, & veniam consecutus est; Lucifer in cœlo, & Diabolus factus est: sic & differunt peccata Laicorum, & Clericorum, qui in Ecclesia peccare non formidant: Clerici sunt peccatores cœli, quia in domo DEI peccant, unde admirativè conqueritur Dominus Jerem. 11. *Quid est, quòd dilectus meus in domo mea fecit scelera multa?*

S. August. in Ps. 44. VI. S. Augustinus textum illum Canticorum: *Dentes tui sicut grex tonsarum*; ponderans, dicit, quid est, *dentes tui*? per quos loqueris. Dentes igitur Ecclesiæ, per quos loquitur Ecclesia, Quales dentes tui? Tanquam grex tonsarum, quare detonsarum? quia sarcinas sæculi deposuerunt. *Hugo Vict. in c. 4. Cant.* Hugo de S. Vict. de tonsura Clericali disserens, ait: Capillos antè præcidimus, & ab eis sensuum instrumenta liberamus, ut hoc signo curarum illecebras, frequenter redeuntes, & cogitationes supervacuas, à cordibus nostris resecare discamus.

Mansi disc. 3. n. 7. VII. DEUS olim in vetere testamento ordinavit, ut omnia sibi offerrentur primogenita, tam de hominibus, quàm de pecoribus, ita tamen ut certâ quadam monetæ specie redimi possent; Veruntamen Levitas nullo, quantocunque etiam pretio, redimi volebat; idque non quia illos nihili faceret, quin potius per hoc se illos summo in pretio habere demonstrabat, quasi dicere vellet; Levitæ redimendo nulla potest reperiri æquivalens moneta; vel etiam per hoc illis indicare volebat, quòd, sicut ipse per nullum qualecunque pretium ad illis renuntiandum induci poterat; ita quoque justum sit, ut ipsi pro nulla re hujus vitæ se permittant induci ad ipsi renunciandum; unde apud Ezechiel conqueritur, dicens: *Propter fragmen panis, & pugillum hordei violabant me*: per hoc quoque, quòd pro Levita nullam admittere volebat redemptionem, vel lutum, insinuare iisdem voluit, se illos velle totaliter divino servitio suo addictos esse, absq; eo quòd se ad quamcunq; aliam rem terrenam diverterent.

VIII. Increata sapientia, quæ omnia in pondere, numero, & mensura disposuit, è numerosissimo Israëlitico populo aliquos in summum designatum Sacerdotium, miraculosum adhibuit Virgæ Aaronicæ signum, dum prius arida, & sicca, confestim florescere cœpit: sed ecce in processu modum: *Invenit germinasse Virgam Aaron in domo Levi, & turgentibus gemmis eruperant flores, qui foliis dilatatis in amygdalas deformati sunt.* Nunquid sufficeisset arida fructificatio ligni absque vigore? Notate successum: primò namque virga dicitur sicca; exinde verò suas producere gemmas, & flores; & tandem dilatatis foliis apparuisse amygdalas. In eo namque docemur, omnes per varios virtutum, & non Minorum duntaxat, Majorumque Ordinum gradus ad Sacerdotium nobis conscendendum fore, juxta illud Psalmistæ effatum: *Ibunt de virtute in virtutem, videbitur DEUS Deorum in Sion*, meritò equidem in Sion, ibi namque templum fabricatum erat. Unde Lyranus: Germinat, inquit, flore, celebritate famæ, frondet veritate, & fructificat sanctitate vitæ, & ideo sibi debetur dignitas vitæ sacerdotalis. *Num. 17. v. 6. Mansi disc. 2. n. 2.*

IX. Quando Judas traditor pœnitentiâ ductus, triginta argenteos retulit sacerdotibus, hi illos accipere detrectârunt, hanc allegantes rationem: *Non licet eos mittere in Corbonam, quia pretium sanguinis est.* Quia verò eosdem ultrò, citròque in templum projecerat, illos in rem collocarunt pientissimam, scilicet in emptionem agri figuli, in sepulturam peregrinorum. Quod factum profectò omnes Ecclesiasticos docet, cum quanta anxietate & sollicitudine tractandi sint reditus Ecclesiæ, qui pretium sunt Sanguinis Christi: *Non licet eos mittere in Corbonam, quia pretium sanguinis est*, id est, nequaquam sunt accumulandi, aut erogandi ad locupletandum parentes. *Mansi disc. 36. n. 4.*

X. In sacris Canticis dicitur: *Manus illius tornatiles aureæ*, quæ verba S. Greg. Nyssenus de manibus sacerdotalibus exponit; hæ enim deauratæ, id est charitate præditæ, & auro plenæ, atque insuper tornatiles, id est, in torno elaboratæ esse debent; quod enim in torno elaboratur, ut plurimùm rotundum est & sphæricum, cui si quid superimponatur, decidit subito: tales quoque Sacerdotum manus esse debent; neque enim aurum illis impositum in eis sistere & morari, sed in manus pauperum pro eorundem sublevatione cadere debet: Unde S. Greg. Nazianz. ait: Minimè, fratres, & amici mei, minimè committamus, ut rerum earum: quæ nobis divino munere datæ sunt, mali œconomi & præpositi *Ibid. n. 6.*

fieri

ſteri inveniamur : ne alioquin dicentem Petrum audiamus : *Erubeſcite, qui aliena detinetis.* In ſexta Synodo Romanâ ſub Symmacho Papa habitâ, ita inter cœtera dicitur : Nec aliquo ſe ante tribunal Chriſti obſtaculo muniat, qui à religioſis animabus ad ſubſtantiam pauperum derelicta, contra fas ſine aliqua pietatis conſideratione diſpergit.

Ibid. diſc. 32. n. 6.

XI. Quærunt nonnulli, cur in Rationali Aaronis, cui varii lapides pretioſi infixi erant, non etiam Adamas repertus ſit ; ſed & S. Joannes pariter, ut ex Apocalypſi deducitur, lapides pretioſos fundamentis cœleſtis Jeroſolymæ injectos enumerat, nec tamen inter illos adamantem pariter nominat, cùm tamen valore, æſtimatione, & pulchritudine omnes alias gemmas forſan longè ſuperet. Cur igitur hunc inter alios pretioſos lapides omiſſum fuiſſe exiſtimatis ? Pro reſolutione ſciendum, quòd, gemmæ illæ varias præfiguraverint virtutes, quibus locupletatus eſſe debet Sacerdos ; ac proinde ex ſingulari Myſterio adamas aliis gemmis non annumeratur, quia ſymbolum eſt affectionis ad ſanguinem, ad parentelam, & conſanguinitatem, à qua Eccleſiaſtici remotiſſimi eſſe debent ; habet enim hæc gemma illam proprietatem, quòd, tametſi à nullo alio etiam ferro, & chalybe frangi poſſit, attamen ab hirci ſanguine continuò frangatur.

Tertull. c. 5. adv. Gnoſtic.

XII. Confeſtim, ut Populus Iſraëliticus in deſerto idololatrare cœpit, Moyſes de monte deſcendit, Deíque contumeliati cultum & honorem zelans, dixit : *Si quis eſt Domini, jungatur mihi* ; Cúmque omnes Levitæ ſe ipſi junxiſſent, præcepit iiſdem, dicens : *Ponat vir gladium ſuper femur ſuum, & occidat unuſquiſque fratrem & amicum, & proximum ſuum* : ubi enim de religione agitur, non eſt reſpiciendus cognatus, quantumvis proximo ſanguine junctus : Quia proximum parentem, DEUM offenderant, inquit Tertullianus, ac proinde eos in proximos cognatos deſævire voluit : At verò S. Ambroſius appoſitè quærit, cur Moyſes Levitis præceperit, ut femur ſuum gladio accingerent, dicens : *Ponat vir gladium ſuper femur ſuum ?* quis enim gladium femori ſemper applicari ignorat ? cur igitur hanc circumſtantiam ſpecificat ? advertendum eſt igitur, quòd, quia in femore origo eſt generationis ; ideò Levitas femora gladio accingere jubet, id eſt, irreconciliabile adversùs quemvis inordinatum erga conſanguinitatem & parentelam affectum, voluit adoriri bellum. Ut contemplatione, atque amore reverentiæ divinæ premeretur omnis affectus neceſſitudinis ; ex hoc autem facto tribus illa divinam promeruit benedictionem : *Ut detur vobis benedictio* ; quia tunc nos divinis benedictionibus dignos efficiemus, quando omni amore & affectu erga conſanguineos, ſuperiores erimus.

Dignitas.

S. Bernardinus t. 1. s. 20. a. 1. c. 7.

XIII, S. Bernardinus hanc concluſionem circa poteſtatem & dignitatem ſacerdotalem ſtabilit, dicendo : Poteſtas ſacerdotalis ſuperat poteſtatem Virginis glorioſæ : hiſque verbis dictis, ad MARIAM Virginem ſe convertens, dicit : Virgo amoroſa, & benedicta, excuſa me apud te, quia non obloquor contra te, cùm veritatem, quam dixit filius tuus, fatear coram te, & ſacerdotium in templo ipſe prætulit ſupra te. Etenim poteſtas Sacerdotum Virginis poteſtatem, juxta ſanctum Bernardinum, in quatuor punctis excedit. Primò in brevitate ; ſi enim quis clavem haberet, quæ quinquies circumverſa, portam aliquam aperiret, hæc utique melior futura eſſet illâ, quæ ad illam aperiendam octies circumvolvi deberet : Lingua autem Virginis, clavis exſtitit Paradiſi, & in octo dictionibus, tanquam in octo linguæ quaſi clavis revolutionibus, aperuit cœlum. Sanctus Bernardinus enim obſervat, quòd beata Virgo octo verba protulerit, ut verbum Patris in ſinum ſuum evocaret ; Unde idem Sanctus ait ; Angelo nuncianti reſpondit octo verba, ſcilicet : *Ecce Ancilla Domini ; fiat mihi ſecundùm verbum tuum* ; iiſque dictis, Filius DEI in ejus utero præſens fuit. At longè major eſt in hoc Sacerdotalis dignitas, & poteſtas, cùm per quinque conſecrationis verba, januas aperiat Paradiſi, atque de cœlis ad terram Chriſtum trahat. Secundò excedit poteſtatem Virginis in majoritate : nam cùm Chriſtus in uterum virginis venit, carnémque aſſumpſit, tantâ brevitate circumactus eſt, ut, ſi jam conceptus in virgine poſitus fuiſſet ſuper palmam manûs, vix eum humanus oculus percepiſſet, licèt divinitus & animâ, & corpore : atque omnibus interioribus, & exterioribus membris, & lineamentis, perfectè completus eſſet : Sed ad Sacerdotis prolationem verborum, deſcendit Chriſtus, tam magnus in manibus ejus, ſicut in altiſſimo cœlo regnat. Tertiò excedit virginis poteſtatem in immortalitate ; Nam in ventre virginali mortalis fuit ; in altari verò eſt impaſſibilis & immortalitate dotatus. Quartò, Virginis quoque poteſtatem antecellit in replicabilitate ; nam ſi Beata Virgo millies replicâſſet illa ſui conſenſûs verba, ſcilicet *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum* ; Filius DEI nunquam ampliùs de illa ſumpſiſſet carnem : Nam ſicut impoſſibile eſt Patri producere aliud verbum, pro eo quod Verbum ſuum genitum ſit perfectiſſimum, totámque potentiam generandi exhauſit ; ita in tempore, impoſſibile eſt Matri poſſe parere alium Filium unigenitum DEI, cùm per Chriſtum in ſua conceptione, potentia concipiendi DEUM, quæ ſecundùm corpulentam ſubſtantiam ab Adam in virginem deſcendit per lumbos Patrum, ita exhauſta ſit, quòd

impossibile esset virgini, alium Filium DEI generare, sed Sacerdos toties, quoties secundum ritum, quem tenet Ecclesia, consecrat Corpus Christi, toties ascendit de cœlo Filius DEI.

Sacerdos Malus.

Matth. 12. 5. & Chrys. h. 42. XIV. Apud S. Matthæum de Salvatore nostro dicitur: *Venit in synagogam, & ecce homo manum habens aridam, & ait homini: Extende manum tuam, & extendit: & restituta est sanitati.* Enimverò si Christus in synagoga eum, qui manum contractam habebat, tolerare non potuit, sed eundem miraculosè sanare voluit: Quantò majorem curam habebit, ne Altaris sui ministri, qui sacratissimum ejus Corpus quotidiè tractant, manus habeant aridas & contractas? Observandum quoque, quòd Evangelista, dum nobis in synagoga infirmum ob oculos ponit, non repræsentet aliquem, qui Paralyticus, vel cæcus, vel mutus, vel surdus sit; sed hominem manum aridam habentem; quæ utique omnia in figura contingebant; Per hoc namque incarnata Sapientia nobis insinuare voluit, unum præcipuè in Ecclesia morbum necessariò curandum esse & sanandum, scilicet tenacitatem Cleri in dispensandis reditibus Ecclesiasticis, atque ideò Christus hunc hominem manum suam extendere jussit; Unde D. Chrysologus ait: Orate, fratres, ut sola synagoga tali debilitate fuscetur, nec sit in Ecclesia, cujus manum arefaciat cupiditas; contrahat avaritia, rapina debilitet; tenacitas ægrotum constringat; & si acciderit idipsum, audiat Dominum, & citò eam in opere pietatis extendat.

XV. Si quando inter horrendam maris tempestatem, navis, cui quis inest, periculum incurreret submersionis, ob ventorum violentiam & undarum fluxum atque refluxum; ipseque navis gubernator extremo luctaretur in discrimine, reliqui autem vectores tripudiarent festivè, nónne omnes amentes, fatuósque appellares? Hoc mare magnum, de hoc sæculo astruit Psalmista, nósque Christiani per DEI gratiam omnes navem conscendimus Ecclesiæ, ut ad littus Paradisi adnavigemus: sed eheu! *Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me.* Quot equidem tentationum, periculorum, & discriminum procellæ nos in abyssum usque demergunt? qui nostri sunt naucleri; qui hanc dirigunt navem; nisi Ecclesiastici? qualiter ergo quisquam nostrûm gaudere, aut exultare præsumet, si quando eos humana fragilitas periclitari fecerit? Mansi discurs. 13. n. 7.

TITVLVS LXIV.

SACRIFICII MISSÆ OBLATIO.

§. I.

QUOAD ESSENTIAM.

Conc. Trid. sess. 22. c. 1. I. Hristus Corpus & Sanguinem suum sub speciebus panis & vini DEO Patri obtulit, & sub earundem rerum symbolis, Apostolis, quos tunc Novi Testamenti Sacerdotes constituebat, ut sumerent, tradidit, & eisdem eorúmque in Sacerdotio successoribus, ut offerrent, præcepit per hæc verba: *Hoc facite in meam commemorationem.* Etsi semel seipsum in ara crucis, morte intercedente, DEO Patri oblaturus erat, ut æternam illic redemptionem operaretur; quia tamen per mortem Sacerdotium ejus exstinguendum non erat; in cœna novissima, quâ nocte tradebatur, ut dilectæ sponsæ suæ Ecclesiæ, visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret Sacrificium, quo cruentum illud semel in cruce peragendum repræsentaretur, ejúsque memoria in finem usque sæculi permaneret, Sacerdotem secundùm ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans, Corpus & Sanguinem suum sub speciebus panis & vini DEO Patri obtulit.

II. Fuit autem Christus non solùm Sacerdos, & hostia, sed Sacrificium quòque, quia, ut ait Augustinus l. 4. de Trinit. omne Sacrificium visibile, est invisibilis Sacrificii Sacramentum; id est, sacrum signum. Ideò expositio, quâ Christus tam infallibiliter se exposuit in extremis in hostiam & sacrificium, tam in isto Sacramento, quàm in crucis patibulo, signum est illius ineffabilis expositionis & sacrificationis, quâ Spiritum suum jugiter immolavit DEO Patri prô nobis in templo latissimo cordis sui; in quo se ipsum obtulit à conceptionis suæ instanti, usque ad horam mortis; universa, quæ dixit, fecit ac pertulit, pro nostrâ agendo & patiendo salute; ad gloriam Patris. Omnia namque quæ Christus fecit, ac passus est, meritoria nobis fuerunt. Ideò tota vita Christi in sæculo quasi una solemnissima Missa fuit, in qua ipse fuit altare & templum, Sacerdos & hostia. Dion. Carth. l. de vita. curat. art. 16.

III. Sacrificium Missæ à tribus offertur, à Christo, ab Ecclesia, à Ministro; sed non eodem Bellarm. l. 1. de Missa c. 4.

eodem modo; Christus enim offert primarius Sacerdos, & offert per Sacerdotem hominem, ut per suum proprium ministrum; Ecclesia non offert, ut Sacerdos per ministrum, sed ut populus per Sacerdotem. Itaque Christus per inferiorem offert, Ecclesia per superiorem; Sacerdos enim quatenus talis, major est reliquo populo, quippe qui ut mediator quidam pro populo apud DEUM intercedit, nec est propriè in ea re minister Ecclesiæ, sed Christi Principalis.

S. Bonav. l. 4. sent. 3 dist. 1. dist. 2.

IV. Quæritur, quare Missa sic nominetur; etsi in omni Sacrificio mittatur hostia? Respondeo, Missa dicitur, quia mittitur cœlestis missus. Cœlestis ille missus (sicut exponit Innocentius) est magni consilii Angelus. Iste mittitur ad consecrandum, quia iste est Sacerdos invisibilis, qui consecrat, & conficit hoc Sacramentum, ubicunque conficiatur. Confirmátque hactenus dicta, authoritate Hugonis de S. Victore p. 9. c. 14. ita scribentis: Ipsa hostia sacra, Missa vocari potest, quia transmissa est; Primùm scilicet à Patre, ut esset nobiscum; postea à nobis Patri, ut apud Patrem pro nobis intercederet. Primùm à Patre nobis mittitur per incarnationem; Secundùm à nobis Patri per passionem; Similiter in Sacramento. Primùm à Patre nobis per sanctificationem, quâ nobiscum esse incepit; postea à nobis Patri per oblationem, quâ pro nobis intercedit. Idem Seraphicus Doctor alibi de expositione Missæ tractans, idipsum confirmat in hæc verba: Dicitur autem Missa à mittendo, & repræsentat legationem inter homines & DEUM; DEUS enim mittit filium suum Christum in altari, & iterum mittit Ecclesia fidelis eundem Christum ad Patrem, ut pro peccatoribus intercedat.

§. II.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Qualitas.

S. Bonav. to. 7 de confit. mervit. p. 1. c. 11.

I. NOn minùs videtur DEUS facere in hoc, quòd quotidiè dignatur descendere de cœlo super altare, quàm cùm de cœlo descendens, naturam humani generis assumpsit factus homo; & ideo hoc est memoriale totius dilectionis suæ, & quasi compendium quoddam omnium beneficiorum suorum, quod nobis reliquit, & incarnationis, redemptionis, glorificationis, & justificationis figuram in hoc inclusit.

Idem comp. Theol. Virt. 6. c. 13.

II. Missa tam plena est mysteriis, sicut mare guttis, sicut sol atomis, sicut firmamentum stellis, sicut cœlum empyreum Angelis.

Necessitas.

Rup. Abb.

III. Aufer à cœtu Ecclesiæ quotidianas Salvatoris nostri hujusmodi exequias, & vide, quàm meritò dicat ipse Salvator; *Quæ utilitas in sanguine meo?* Refrigescente enim eâ, quæ in hoc mundo nunc ubique calet, ejus memoriâ, refrigescet universa charitas, muta erit fides, claudicabit spes, conticescet magnus ille clamor sanguinis justi Abel, qui per traditum tanti Sacrificii ritum, quotidiè laxat os hiagentis, & vociferantis terræ, scilicet Ecclesiæ, maledictum coarguens Cain, & mutuè indignè fusi Sanguinis vindictam reposcens. Calente ergo memoriâ tam celebri, charitas Christi concalescit, perstat super fundamentorum suum ædificium fidei.

de div. off. l. 2. c. 10.

IV. Tolle hoc Sacramentum de Ecclesia, & quid erit in mundo, nisi error, & infidelitas & populus Christianus erit quasi grex porcorum dispersus, & idololatriæ deditus, sicut expressè patet in cæteris infidelibus.

S. Bonav. de præpar. ad Miss. c. 1.

Utilitas.

V. Tantùm valet celebratio Missæ, quantùm mors Christi in cruce; Unde Thomas de Aquino ait: In qualibet Missa invenitur omnis fructus & utilitas, quam Christus in die Parasceves operatus est in cruce cum morte sua.

Discipul. ser. 48.

VI. Dicendum, quòd Eucharistia non tantùm est Sacramentum, sed etiam est Sacrificium; in quantùm autem est Sacramentum habet effectum in omni vivente, in quo requiritur vitam præexistere; sed in quantum est Sacrificium, habet effectum etiam in aliis, pro quibus offertur, in quibus non præexigit vitam spiritualem in actu, sed in potentia tantùm, & ideò si eos dispositos inveniat, eis gratiam obtinet, virtute illius veri Sacrificii, à quo omnis gratia in nos influxit; & per consequens peccata mortalia in eis delet, non sicut causa proxima, sed in quantùm gratiam contritionis eis impetrat.

S. Thom. in 4. sent. dist. 12. q. 2. a. 2. ad 4.

VII. Solet, qui beneficium aliquod ab alio impetrare desiderat, muneribus datis, ejus voluntatem disponere; Sic ergo Patris æterni voluntatem cura tibi Christi oblatione, ut nihil tibi neget eorum, quæ petis. Sed obsecro, qui gratis & sine ullo pretio innumera bona concedere solet, qui pro minimis maxima donat, quid tibi negabit Christum offerenti? obtulit Abraham filium, & continere se non potuit, quin diceret: *Benedicens benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli*; quid negabit offerenti Christum? Quid amplius Ecclesiæ dari potuit, ut confidenter universa peteret, quàm Christus, quem offerat, in eorum pretium, quæ petit?

Osorius to. 4. de serv. Miss.

VIII. Sanè nullo alio Sacrificio honorificentiùs laudatur DEUS, quàm per Altaris immaculatam hostiam, quam præcipuè ob divinæ laudis exhibitionem complendam, Ecclesiæ suæ Christus offerendam instituit.

S. Laur. Just. serm. de Corp. Christi.

IX. Optima beneficiorum custos est ipsa memoria beneficiorum, & perpetua gratiarum actio, propterea & reverenda, ac salutaria illa mysteria, quæ in omni certè Ecclesiæ congregatione

S. Chrysost. hom. 26. in Matt.

gatione celebramus, Eucharistia, id est, gratiarum actio nuncupatur. Sunt enim beneficiorum recordatio plurimorum, capútque ipsum divinæ erga nos charitatis ostendunt, nósque faciunt debitas DEO gratias semper exolvere.

Osor. to. 4. conc. de div. Sacrific. X. Si Pater negotiatori Filio decem millia auri talenta daret, ut negotiaretur, parvâ adhibitâ diligentiâ maximum reportaret lucrum; attende quas tibi Pater in Missa dat, ut similis sis homini negotiatori quærenti bonas margaritas; Cura, ut plurima tibi acquiras; dat tibi Christum Dominum, *& qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non cum illo omnia nobis donavit?* Donat ergo tibi Filium, & omnia illius merita, satisfactiones, & investigabiles eius divitias, ut eorum particeps fias. Ecce quæ quotidiè in Missa accipias. Sed quæ lucra reportâsti? Esne de illis, de quibus Paulus ait: *quoniam divites estis facti in illo, in omni gratia?* Si ditissimus non es, id negligentiâ tuâ factum est.

Disc. serm. 48. XI. Qui Missam audivit, prosperabitur in illo die, in laboribus, in artificio, in emptionibus, in peregrinationibus, & Dominus confortat eum in corpore & anima. Si contingeret te illo die, quo Missam audisti, mori, tunc Christus præsens erit tibi in extremis, & vult tibi astare, sicut tu præsens fuisti, & sibi astitisti Missam audiendo. Angeli delectabiliter morantur cum illo homine, & solicitè eum custodiunt, qui ipse se fecit socium ipsorum in assistendo, & laudando Regem Angelorum.

Dignitas.

S. Leo serm. 8. de passione. XII. Nunc etiam carnalium Sacrificiorum varietate cessante, omnes differentias hostiarum, una corporis & sanguinis tui implet oblatio, quoniam tu es verus *Agnus DEI, qui tollis peccata mundi*; & ita in te universa perficia mysteria, & sicut unum est pro omni victima Sacrificium, ità unum de omni gente fit regnum.

S. Algerus l. 1. de Sacr. c. 3. XIII. Nec solùm pius Dominus umbras & figuras veteres & superfluas, superveniente novitate & veritate sui Sacrificii, distulit; sed & multiplicitati Sacrificiorum veterum singularitate sui Sacrificii abbrevians, occupationem exteriorum nobis minuit, beneficiorum nobis gratiam multiplicavit, unò unico suo Sacrificio redemptionem, remissionémque peccatorum faciens, profectúque fidei, cæterarúmque virtutum ad vitam æternam perducens. Sciendum enim, quòd ideò DEUS tam multa Sacrificia dedit in lege, ut nullum eorum sufficiens esse ostenderet, quia cætera essent superflua, si unum sufficere posset, ut unum suum sufficiens magis desideraretur.

S. Laur. Just. serm. de Corpore Christi. XIV. Quâ nulla major hostia, nulla utilior, nulla amplior, nullique oculis divinæ Majestatis est gratior, dum honorem DEO, Angelis contubernium, exulibus cœlum, religioni cultum, justitiæ debitum, normam Sanctitati, obedientiam Legi, gentibus fidem, lætitiam mundo, credentibus gaudium, unitatem populis, Sacramentis legalibus finem, initium gratiæ, virtuti robur, hominibus pacem, lucem mentibus, spem laborantibus, peregrinantibus viam, & pervenientibus tribuit speciem.

Sacr. A. 7. serm. 91. XV. Quando Sacerdos offert hoc Sacrificium, Pater æternus intuens donum illud, non sistit in Sacerdote, sed in illo respicit personam Filii sui, quem repræsentat, & ideò acceptat illam purissimam oblationem, & summè gratam & acceptabilem sibi.

S. Laur. Just. de Christi corpore. XVI. Offertur æterno Patri Nati assumpta humanitas, quatenus cognoscat ipse, quem genuit, quémque pro hominum salute misit in terras, ut interventione ipsius, delinquentibus veniam, lapsis manum, & justificatis prærogat vitam. Clamat idem Redemptor ad Patrem, corporis sui cicatrices ostendens, quatenus ab æternis suppliciis sua homines interpellatione custodiat. *Advocatum*, inquit Joannes Apostolus, *habemus apud Patrem, IESUM Christum justum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi.* Vides perspicuè, nullum acceptabilius DEO posse offerri Sacrificium, ad impetrandam indulgentiam.

§. III.

EXEMPLA SACRA.

Veritas.

Surius in vita 30. die Nov. I. CUm S. Andreas Apostolus constanter pro Christo Ægeæ Proconsuli sese opposuisset, eíque S. Crucis mysterium fusè docuisset, tum dixit Ægeas: Ista verba illis narrare debes, qui tibi credunt: mihi autem nisi hoc consentias, ut Sacrificium Diis omnipotentibus offeras, in ipsa cruce, quam laudas, te fustigatum affigi præcipiam. Andreas respondit: omnipotenti DEO, qui unus & verus est, ego omni die sacrifico, non thuris fumum, nec taurorum mugientium carnes, nec hircorum sanguinem: sed immaculatum Agnum quotidiè in altari crucis sacrifico: cuius carnes posteaquam omnis populus credentium manducaverit, & eius sanguinem biberit, agnus qui sacrificatus est, integer perseverat, & vivus: & cùm verè sacrificatus sit, & verè carnes eius manducatæ sint à populo, & verè sanguis eius sit haustus; tamen (ut dixi) integer permanet, & immaculatus & vivus. Ægeas dixit: Quomodo potest hoc fieri? Andreas respondit: Si vis discere, quomodo hoc potest fieri, assume formam discipuli, ut possis doceri, quod quæris. Ægeas dixit: Ego à te tormentis exigam huius rei notitiam. Andreas dixit, miror te hominem prudentem tam stultè locutum. Ergo tu tormentis putas me divina pandere Sacrificia? Audisti mysterium crucis, audisti mysterium Sacrificii. Si credideris Christum Filium Dei, qui crucifixus est à Judæis, verum DEUM esse, pandam tibi, quo ordine occisus vivat Agnus: qui cùm sacrificatus fuerit, & comestus, integer tamen, & immaculatus in suo regno permanet.

net. Ægeas dixit; cùm sit occisus, & ab omni populo (ut asseris) devoratus, quomodo integer perseverat, & vivus? Andreas respondit: Si credideris ex toto corde tuo, discere poteris; si non credideris, penitus nunquam tu ad indaginem hujus veritatis attinges.

Idem 7. Sept. II. Cùm S. Evortius Aurelianensis Episcopus rem sacram aliquando faceret, ecce ipsâ horâ confractionis panis cœlestis, cùm ex more Sacerdotali hostiam elevatis manibus tertiò DEO benedicendam offerret, tanquam nubes splendida apparuit super caput eius, & manus porrectis digitis tertiò oblatam benedicens. Ritè autem peracto Sacrificio, dixit vir sanctus ad eos, qui aderant, incipiens ab Episcopis usque ad extremum de plebe: Dicite, quæso, beatissimi fratres, num quod miraculum sub Sacrificio videritis? illis negantibus, Subdiaconus Baudilius, cuius tum erant ministerii vices; Vidi ego, inquit, sed præ timore vix ausus sum eloqui. Videbatur mihi te elevante hostiam, manus de nube, quæ operuerat caput tuum, tertiò benedicere DEO oblatum. Episcopus ait: Beatus es, frater charissime, cui tanta sunt mysteria ostensa. E populo quoque duo reperti sunt tantæ visionis participes, Elusinus pœnitens, & Procopia Castimonialis: quibus Episcopus dixit: *Beati estis etiam vos, quia non caro & sanguis hæc revelavit vobis, sed DEUS, qui in cœlis est.* His verò compertis, omnis Ecclesia clamavit: *Gratias tibi agimus, Domine DEUS noster, qui abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis, quorum Angeli te semper vident in cœlis sedentem; & fecisti nobiscum mirabilia, sicut locutus es per os sanctorum tuorum Prophetarum, qui à sæculo sunt.*

Idem 4. Iul. III. Nec prætereundum puto, qualiter cœlestis signi visione sanctum Udalricum Episcopum Augustanum voluerit Dominus mirificare. Nam in ipso die sancti Paschæ, multâ fratrum catervâ adstante, dum sanctus Sacerdos divina celebraret mysteria, dextera quædam apparuit superna, quæ cum ipsius dextera divina sanctificavit Sacramenta. Expletis verò Missarum solenniis, quidam Henricus Presbyter, qui eo die Cantoris officium agens tanto interfuit miraculo, sequens Episcopum usque ad cubiculum, ad ejus pedes cecidit, atque in præsentia popularium personatum eandem visionem minùs cautè explanavit. Cui vir DEI: Meliùs, inquit, tibi fuisset tacere, quàm talia in aures vulgi proferre. Mox ille rubore perfusus exiit, & in vestibulo cubiculi residens tantas lacrymas emisit, ut ex illarum suffusione cogeretur lucis hujus suspendia sustinere. Vir autem DEI memor suæ fragilitatis cavebat favorem humanæ laudis, ne caderet in præcipitium elationis, semper gratias agens DEO super inenarrabili ejus dono.

Specul. exempl. dist. 1. ex. 80 IV. Princeps cuiusdam civitatis Presbyterum habebat sanctæ conversationis, & in divinis officiis, præcipuè in solennitate Missarum, indesinenter assiduum. Qui cùm quotidiè sacris mysteriis reverenter insisteret, Angelus Domini ex consuetudine veniebat, & vidente Principe, Sacramentum Dominici Corporis ex offerentis manibus assumebat. Sed criminalis hujus vitæ lubrica, & incerta conditio! Nam qui Angelicis fruebatur mundis obsequiis, in fœdæ luxuriæ voraginem repentè prolapsus est. Quid plura? Peragendi sacri mysterii tempus advenit, Presbyter consuetudine foris exigente compellitur, sed graviter intus conscientiâ remordente torquetur, ornatur, accedit, trepidat, palpitat, tamen offerre præsumit. Ecce Angelus, ut assuetus fuerat, venit, & inspectante Principe spongiam infectam aquâ super caput illius expressit, totúmque corpus illius tergendo purgavit. Expletis autem mysteriis eandem spongiam rursus expressit, omnésque sordes atque squalores, quas ex corpore illius antè contraxerat, membris eius omnibus iterum superfudit. Hoc viso Princeps admiratus obstupuit, Presbyterúmque semotis omnibus secretè convenit. Inquisitus itáque Presbyter, si novi aliquid criminis admisisset, primò quidem, quasi perhorrescens, facinus abnegat: Deinde sibi malè conscius, de Principis auctoritate compulsus, tandem se corruisse nocte præteritâ in quandam eiusdem Principis cubiculariam confitetur.

V. In Monasterio Saviensi sub venerabili Patre eiusdem Monasterii Serione contigit, quod relatu dignum credimus. Nam die quodam cùm frater quidam divino fungeretur officio, veniens ad illa verba: Supplices te rogamus omnipotens DEUS, jube hoc perferri per manus sancti Angeli tui in sublime altare tuum, inclinans se juxta morem, & supplicans, vidit Angelicos cives in circuitu altaris astantes hilares & jucundos, & stolis miræ pulchritudinis indutos: Inter quos unus supereminens apparebat forma sublimior, & vultu venustior, qui & præ cæteris solus de altari sacram hostiam accipiebat, solus sursum deferebat, & solus divinis conspectibus præsentabat. Cæteri verò, qui astabant in tantùm illi Angelo congratulabantur, ac si quisque hostiam acciperet, si deferret, si præsentaret. Reflexis oculis Sacerdos ad altare reposita reperit, missa sumpsit sanctificantia se, & sanctificata, & sic plenus gaudio agenda implevit. *Ibidem dist. 9. exempl. 181.*

Utilitas.

VI. Anno Domini duodemillesimo novis motibus contigit Galliam agitari. Ascendit Robertus Rex in Burgundiam cum magno exercitu pugnatorum, ducens etiam secum Richardum Rothomagorum Comitem, cum triginta millibus Northmannorum, quoniam Burgundiones ei fuêre rebelles, nolentes eum suscipere in civitatibus & castris, quæ fuerant Ducis Henrici, ejus videlicet avunculi, quin potiùs sibi in proprias divisere partes. Deveniens quoque Rex primitùs cum omni exercitu civitatem Antisiodorum, eam obsidione circumdedit. Qui diu ibi crebris assultibus fatigatus recedens, non adversus eam prævaluit, quæ fertur nunquam fraude vel hoste fuisse decepta. *Baron. an. 998 n. 8.*

cepti. Relictâ namque civitate, Rex cũ universo apparatu bellico convertit se ad castrum beati Præsulis Germani expugnandum, quod munito aggere præpollens hæret civitati: vallaverat enim illud Landrici Comitis exercitus, nec non ejusdem loci familiares viri, hostium siquidem metuentes sacri gregis diremptionem. Occurrit interea furenti Odilo Venerabilis Abbas Cluniacensis Monasterii, cupidus intervenire inter partes utrasque: Sic quidem ut Regi exhiberetur honorificentia, solidaretur concordia Principum, pax patriæ firmaretur. Qui minùs posse fieri cernens, quod decreverat, hortabatur fratres octo tantummodo, qui ad Confessoris custodiam relicti fuerant (nam cæteros cum suo Abbate, Hilderico nomine, jussio Regis inde exire compulerat) ut orationi instarent assiduè, si fortè Domini pietas eos, pariterque locum à tanta obsidione dignaretur eripere. Sexto igitur obsidionis die illucescente, nimio Rex arreptus furore, indutus lorica, simul & galea, omnémque exercitum dictis acuens, habens etiam secum Hugonem ejusdem Urbis Pontificem, solum ex omni Burgundia parti Regis faventem. Eidem namque Regi in procinctu jam constituto occurrit Venerabilis Abbas Odilo, illum increpans, ejúsque Primates redarguens, cur adversus tantum DEI Pontificem scilicet Germanum, hostili manu insurrexissent, cui specialiter (ut in gestis illius invenitur) usui fuit, DEI auxilio & bella compescere plurima, & Regum ferocitati obsistere. Cujus verbis minùs auditum præbentes, quo tendebant, pervenerunt, cingentésque supradictum castrum in coronæ modum, certatim illud expugnaturi inierunt. Alternis quoque partibus diu multúmque decertantibus, domus suæ parti DEI subitò affuit præsens auxilium. Nam ejusdem castri universa capacitas ita repleta est hora prælii teterrimâ nebulâ; ut nemini hostium à foris pervius foret jaculandi aditus, cùm ab intro repugnantibus cernerent se gravi cæde prosterni; sicque cum suorum, maximè Northmannorum concisione dimiserunt castrum incolume: quos, licèt tardè pœnituit adversus magni meriti locum arma sumpsisse. Contigit etiam, ut horâ, quâ Regis exercitus adversus locum sacrum certamen inire cœpisset, vir religiosus Gislebertus, ejusdem loci Monachus, super altare beatæ Mariæ semper Virginis, quod decentiùs cæteris in vertice ejusdem constat Ecclesiæ (quemadmodum hora diei tertia quotidiè consueverat) Missarum Sacramenta celebrare inciperet; quod scilicet factum satis cœlitus præstitæ congruit victoriæ. Sequenti igitur die egrediens Rex inde processit, igne cremando res hominum præter civitates & castra tutissima usque ad superiores Burgundiæ partes. Qui in Franciam rediens, post hæc tamen, licèt tardiùs, ad se reversis Burgundionibus prosperè universam obtinuit regionem.

Idem ibi. sept. VII. P. Joannes Bonifacius sequens refert exemplum: Cùm in publica custodia, ait, facinorosi plurimi asservarentur, illorum quidam tam desperato fuit animo, tamque perditâ & vesanâ linguâ, ut DEUM ipsum, à quo fati, generatique sumus, pessimis conviciis lacesseret, séque pro impio, infidelique jactaret, non quòd inferos esse abnueret, in quos se detrudendum fatebatur; sed quia de DEI clementia diffideret, à quo se esse relictum & destitutum impudentissimè & insanissimè querebatur. Hunc adiit religiosus quidam vir, & amicè consolatus, audiendæ rei divinæ auctor, suasorque fuit: fore enim, ut in suam causam DEO, cui omnia sunt curæ, commendet; res hominis perditæ & afflictæ recreentur, ad portúmque perveniat, malorum fluctibus, vel omninò repressis, vel aliqua ex parte sedatis. Paruit obstinatus ille: cúmque in sacello carceris res divina peracta esset, vinctúsque præsens fuisset, secuta est die postero libertas hominis, cui ex ipso altari Christus benignissimus liberationem pœnè est visus polliceri; tantúmque medicina illa profuit, ut corporis animique salutem ipsa una præstiterit.

VIII. Superat omnem admirationem, quod de Guidone de Lachia memorat Bernardus Luxemburgicus in Catalogo Hæreticorum lit. G. hunc in Episcopatu Brixensi ita simulâsse sanctitatem, ut pro altero Joanne Baptista à populo haberetur; sepultus ita fuit honorificè. Post mortem certis testimoniis Inquisitores deprehenderunt, hæreticum fuisse; quare de consilio Episcopi, & aliorum prudentium assessorum, sententiam tulerunt, cadaver exhumandum, comburendúmque. Exhumatur astante populo, & ossa proiiciuntur in ignem; sed ecce tibi, statim Dœmones (qui nulli cernebantur) ex rogo elevant, & in aëre suspensa tenent. Inde nata populi indignatio, exclamant: Occidatur Episcopus & Monachi, qui stimulati livore, ossa sancti viri comburere conati sunt. Quid cessamus? DEUS id sibi non placere demonstrat. Extimuit Episcopus, sed Inquisitores eum adhortati sunt; ut ad Missam celebrandam se accingeret; DEUM potiùs miraculum facturum, quàm fidei causam sinat in periculo versari. Ubi ventum est ad Corporis Dominici elevationem, Dœmones in aëre clamare cœperunt: O Guido de Lachia, nos defendimus te, quantùm potuimus, sed modò non plùs possumus, quia adest major nobis. Confestim ossa in rogum recidêre, & incendio in cineres redacta fuere. *Delrio in disquisit. mag. l. 6. c. 1. sect. 1. q. 3.*

IX. In vita B. Petri de Alcantara l. 2. c. 14. legitur, quòd, cùm in die ultimo Paschatis in territorio del' Pedroso magna solennitas fieri consuevisset, incolæ illius B. Petrum ad Missam ibidem celebrandam invitârint; quia verò Ecclesia ad populum, qui ad eam solemnitatem concurrerat, capiendum ampla satis non erat, altare quoddam extra Ecclesiam turi sub dio erexerunt, cúmque viro DEI Missam inchoante omnes circumstantes ad compunctionem moverentur, accidit, ut post dictum *Credo*, aër, qui antea serenus erat, turbari cœperit, mòxque excitatus fuit ventus adeò impetuosus, ut omnes vehementer metuerent, ne altare, in quo Missa *Vita B. Petri de Alcantara l. 2. c. 14.*

 diceba-

dicebatur, ex impetuosi venti vehementia invertetetur, unde omnes ex hoc turbine vehementer commoti sunt, tametsi pauci à Sacrificii loco recederent, Sanctus autem vir DEI cùm in sua quiete persistens, ad primum *Memento* pervenisset, dæmones haud secus acsi à fulminis sagittis percussi fuissent, per aëra fremebundi discurrebant, atque ut Sacrificium turbarent, longè severiorem excitarunt tempestatem, horrendis excitatis tonitruis, evibratis ex fulmine sagittis, obscurato aëre, & copiosâ dilapsâ pluviâ. Inter hæc vetuit Sanctus conjurationes fieri à Parocho, neque toto eo tempore, vel minima super altare, vel super circumstantes, qui Missæ assistebant, cecidit gutta, licèt circumcirca rivi diffluerent aquarum; imò nec venti quantumcúnque impetuosi, luminaria delere potuerunt. Quare Sanctus, ut pro tam singulari protectione Domino gratias agerent, præcepit, dicendo, miraculum hoc virtuti Missæ, eorúmque qui illi devotè assistunt, merito adscribendum esse.

Vital. l. c. 3. X. Eo tempore, quo S. Bernardinus in civitate Mediolanensi præsens, in Ecclesia S. Ambrosij Missam celebraret, sequens accidisse legitur eventus; cùm enim ad sanctum virum DEI adducta fuisset energumena quædam per multos annos adeò graviter vexata, ut monstro similis esse videretur, Sanctus Abbas illam propè Altare adduci & teneri præcepit; quoties verò de more sacrosanctam Hostiam signabat, toties ad mulierem quoque conversus, eodem signo crucis edito, spiritum nequam fortis Athleta impugnat. Expletâ autem oratione Dominicâ, efficaciùs hostem aggreditur, Patenæ siquidem calicis Sacrum Domini Corpus imponens, talia loquebatur: Adest ille, qui pro nostra salute passurus, tunc, inquit, princeps hujus mundi ejicitur foras. Hoc illud Corpus, quod de corpore virginis sumptum est, quod in stipite crucis extensum est, quod in tumulo jacuit, quod de morte surrexit, quod videntibus Discipulis ascendit in cœlum. In hujus ergo Majestatis terribili potestate tibi, spiritus maligne, præcipio, ut ab hac ancilla ejus egrediens contingere eam deinceps non præsumas. Post quæ verba protinus egressus est spiritus malignus, & energumena deinceps semper libera remansit.

Discip. ser. 14. de S. Steph. XI. Fuit quædam mulier tristata valdè, & à Diabolo multùm tentata, quæ sibi laqueum ad suspendendam se ipsam præparavit, quæ dum cœpta conaretur perficere, ecce pro elevatione Corporis Christi, juxta morem audivit campanulam; tunc flexis genibus, sicut à juventute in consuetudine habuit, oravit, & dixit, Domine JESU Christe, Fili DEI vivi, miserere, & ecce mox trabs, & funis suspendii confractæ sunt, dæmonibus fugientibus, & dicentibus, quia virtus præsentiæ Corporis Christi te liberavit à temporali, & æterna morte.

XII. In historiis selectis Augustini Manni sequens refertur historia; cùm enim juvenis quidam insano erga mulierem quandam, raræ pulchritudinis, accensus amore, eandem promissis, precibus & blandimentis in sua conatus fuisset seducere desideria, ac tandem eâdem potitus fuisset; mulier illa mox erroris sui commissi pœnitens, eundémque amarè deplorans, omnem carnali huic juveni aditum præclusit. Qui repulsam hanc sufferre nequaquàm volens, quandam prædictæ mulieris ancillam conveniens, eidem, si commoditatem sibi dominam ipsius adeundi subministraret, ingentem pecuniæ summam pollicitus fuit; quæ auri amore excæcata, sequentem eam conveniendi modum lascivum juvenem edocuit, videlicet ut Dominâ suâ ad Missam audiendam è domo egressâ, ipse domum illius ingrediens, clàm in cubili abscondaretur; Juvenis Lænæ consilium executus, muliere prædictâ in Ecclesia Missam auscultante, domum mulieris ingressus, in abditissimis ejus se recondidit penetralibus, ut desideratam exspectaret prædam; subdit verò historia: Cùm mulier reversa esset Sacrificiis munita, ille ex improviso objicit sese conspectui mulieris, œstro libidinis, & spiritu nequissimo comitatus, insurgit rogans, &, ne diutiùs deneget ei, quod tam vehementer concupiscebat, variis blanditiis animum mulieris primùm sollicitabat. Turbata est illa in conspectu ejus, & expavit, & cœlum suspiciens, quantâ potuit vi, juvenis rejecit petulantiam. Deinde cùm pararet ei violentas manus inferre, astitit illicò canis ferocissimus, qui fœminæ patrocinium suscipiens, contra juvenem dente iracundo prosilivit, & apprehenso collo eius tam ferociter, tam immaniter huc & illuc discerpsit, donec amputatum à corpore separaret. Canis cruentum caput secum detulit, & disparuit. *August. Manni hist. c. 137.*

XIII. Quidam à Persis in servitutem redactus, & in carcerem quendam conjectus fuit, qui Lethe appellabatur; Persis autem lex firma erat, quòd, quisquis in hunc carcerem conjiciebatur, inde erui nunquam posset, ac proinde Lethe vocabatur, quod Latinè idem significat, quod oblivio. Cùm autem quidam è Perside fugientes, in Cyprum venissent, parentibus hujus adolescentis ipsum in carcere mortuum esse dixerunt, quo nuncio permoti parentes, tres quovis anno Missas pro ejus anima celebrari curârunt. Post quatuor verò annos adolescens è carcere fugiens, in domum rediit paternam, quem pater & mater ejus, non ut è carcere fugitivum, sed ut à morte redivivum, ingenti cum stupore videntes, post multos inter se habitos sermones ei indicârunt, pro anima ipsius quovis anno ex paterna pietate tres Missas procuratas fuisse, videlicet in festo Epiphaniæ, Paschatis, & Pentecostes, quibus ipse subjunxit, se iisdem quoque à viro quodam, qui ardentem portabat lampadem, à vinculis suis exsolutum *Baron. anno 413. c. 18.*

omni

omni gavisum fuisse securitate, cùm tamen diebus sequentibus iisdem se vidisset vinculis nexum, quibus anteà.

Vita l. 2. c. 11. n. 9. XIV. S. Philippus Nerius, quando rem aliquam efficaciter impetrare, suúmque intentum infallibiliter consequi volebat, ad Missæ Sacrificium semper confugiebat. Inter cætera verò de quatuor adolescentibus Hebræis eodem patre progenitis in vita ejusdem Sancti refertur, quòd, cùm longo tempore, ut ad fidem nostram compararentur, diu oppugnati fuissent, ipsi verò semper obstinati, & inconcussi persisterent, S. Philippus tandem vesperi quodam eos rogârit, ut velint DEUM Isaac, Jacob, Abrahæ interpellare, ut eorum mentes veritatis luce collustrare dignaretur, spoponderítque se proximo advenienie die vim DEO facturum; Animadversum igitur fuit, eo prorsus tempore, quo Philippus Missam celebrabat, illos ad suscipiendam Christi fidem aures aperuisse, & ut Christiani fierent, consensum dedisse. Interea verò unus illorum in febrim incidit, atque adeò sextâ die morbus exasperatus est, ut à Medicis desereretur; quem cùm Sanctus Vir DEI visitaret, dixit ei: ex hoc morbo, fili, nolim decedas; jactarent enim Hebræi tibi à Christianis mortem illatam; quaquopter juveni se die sequenti pro ejus salute rogaturum esse promisit. Rem miram! vix Sanctus Sacrificium perfecerat, adolescens planè sanus consurgit, & lecto insidens, totaliter à febri liber remansit.

Mansi disc. 6. n. 6. XV. Miles quidam privatus alapam impegerat juveni nobili, atque vivacis spiritûs, cui nomen Leo Pererius, qui vindictæ avidus persecutorem insequens, inque Ecclesia assequens, pectori ejus pugionem superimposuit, confossurus adversarium, quando hic opportunissimè ob amorem hostiæ, quæ tunc elevabatur, adolescenti supplicat, dicens: Per hanc, te obsecro, parce. Res stupenda! Mox juvenis retractô brachio, vultúque, ast corde longè magis serenatus, in hæc prorupit verba: Hæc te servat.

Tho. Bozius to. 2. de sign. Eccl. c. 2. sig. 58. XVI. Thomas Bozius memorabile quoddam refert exemplum à Petro Cluniacensi in honorem Missæ Sacrificii ad perpetuam memoriam in hæc verbo conscriptum: Est in Gratianopolitano Episcopatu locus, in venis subterraneis plurimum ferri habens, quod multo incolarum & rusticorum sudore assiduè eruitur, à fornacibus coctum & expurgatum, per circumjacentes terras fabris ferrariis, vel quibuslibet pro lucro venditur; inde & villa, quam iidem homines juxta incolunt, ferraria nuncupatur. Solent autem hujusmodi homines, dum terræ abdita fodiendo perscrutantur, spe majoris lucri longiùs procedere, & per subterraneos specus pertinaciter majorem ferri materiam perscrutari. Huic operi dum quodam tempore quidam rusticus indefessus instaret, & intima terræ fodiendo, acriter rimaretur, repentè maxima moles terræ delapsa, aditum, per quem ingressus fuerat, obturavit; quia tamen fodiendo longiùs processerat, ac multùm post se spatii exhausta terra inane reliquerat, mortem evasit, & velut in domo clausa, ac validis munitionibus undique circumsepta egredi quidem non potuit, incolumis tamen permansit, sed tenebris tam tenebricosi carceris circumseptus, spe omni evadendi sublatâ, ac velut in amplo sepulchro sepultus, mortem ipsam adhuc vivens jam se cernere existimabat, quem jam per aliquot dies non apparentem uxor sua mortuum credens, ad animam ejus spiritualibus beneficiis adjuvandam conversa est; Unde per annum integrum omni hebdomadâ unam ei Missam celebrari à Sacerdotibus faciens, & pro eo panem & candelam offerens, salutari Sacramento, ut mos est Ecclesiæ, animæ defuncti mariti subvenire satagebat. Una tamen in ànno hebdomada extitit, quâ mulier aliis intenta negotiis Missam, ut proposuerat, marito providere neglexit. Et ecce totius anni penè immenso spatio rursus fossores metalli officio assueti, irrequieti instantes, ad lacum, in quo jam dictus rusticus adhuc vivens latebat, paulatim fodiendo perveniunt, quorum dū voces & malleorum sonitus jam appropinquantium rusticus inclusus audisset, quantis potuit, nisibus vociferari cœpit, cujus illi vocem audientes, & (utpotè artis illius periti) hominis subterranei esse cognoscentes, sese invicem cohortati sunt, & ad eum tandem post multùm fossionis laborem pervenerunt; quem accensis luminibus curiosè circumspicientes, illum esse, quem anno jam præterito ibidem obrutum esse sciebant, agnoverunt. Admirati, &, ut par erat, tanta rei novitate stupefacti, quomodo illic vivere potuisset, instantissimè requirebant; at ille respondit: Isto, quem modò removistis, terræ obice foramini, per quod intraveram, objecto, cùm hoc carcere, quem videtis, retentus fuissem, atque aliquantis diebus sine cibo & lumine permansissem, subitò mihi penè deficienti, cum pane simul & lumine quidam astitit, qui me confortans, & ad cibum capiendum admonens, tetras tenebras illâ candelâ, quam ferebat, clarissimè illustrabat, & pane per spatium septem aut octo dierum, ut mihi videbatur, refectus, totidem diebus illâ candelâ illustratus, & famis periculum evadebam, & hujus fossæ tenebras evitabam; post septem verò vel octo dies, rursum ille, qui priùs cum recenti pane & renovato lumine adveniebat, eáque mihi dimittens, recedebat. Hoc per unius (ut mihi videbatur) anni excursum æquo penè temporis intervallo nunquam facere destitit, excepto unius hebdomadæ spatio, quo mihi præsentiam suam, munúsque solitum, nescio qua de causa, subtraxit. Hoc illi ab eo audientes, & quòd illi uxor ejus per totum annum fecerat, ad mentem revocantes, cuncta ei protinus exposuerunt.

XVII. Anno 871. postquam exercitus Danorum irreparabilibus Angliam Orientalem de- Baron. ad an. 871. n. 102.

devaſtâſſet deſolationibus atque minis, victorioſus & inſolens adAngliæ Occidentalis ſe convertit exterminium, ubi intrepidam conſtantémque ab Etelredo Rege expertus eſt reſiſtentiam. De hoc autem piiſſimo Principe alias inter virtutes principaliter memoratur & illa, quòd, dum Miſſæ aſſiſtens ſub tentorio ſuo ſæpè ſæpiùs ad conflictum invitaretur, & provocaretur ab hoſtibus, docerêntque circumſtantiæ illam opportuniſſimam nequaquam omittendam præliandi occaſionem, nihilominùs pientiſſimus Rex ſe nec pedem promoturum aſſeruerit, donec Miſſam finiſſet Sacerdos; ac proinde ſacrâ illâ hoſtiâ fortificatus & animatus, poſtea ptorupit in Danos, cum glorioſiſſimæ victoriæ ſucceſſu.

Manſi diſc. 8. n. 10. XVIII. Æneas Silvius, qui poſtea ſummus Pontifex factus Pii II. nomen ſibi aſſumpſit, hiſtoriam quandam refert, præſenti propoſito peropportunam; dicit enim in Provincia Iſtriæ Nobilem quendam fuiſſe admodùm pium, qui tamen, DEO ita diſponente, à dæmone continuò moleſtabatur, ut laqueo ſibi vitam adimeret; Fuitque hæc tentatio adeò vehemens, ut ſæpiùs in procinctu fuerit exequendi, quod à Dœmone continuò ſuggerebatur. In hiſce verò anguſtiis conſtitutus, ſtatum conſcientiæ ſuæ Religioſo cuidam docto & timorato aperuit, ſalutare ab ipſo popoſcens auxilium; qui poſtquam illum pluribus conſolatus fuiſſet, hoc tandem ei ſuggeſſit conſilium, ut videlicet Sacellanum quendam conduceret, qui quotidiè coram eo Miſſam diceret; cúmque remedium hoc Nobilis velut opportunum amplexus fuiſſet, cum Sacerdote quodam ſtipendium pactus, cum eodem in arcem quandam benè munitam, quam ruri habebat, ſeceſſit; Cúmque annum integrum quietus in eâdem cum Sacerdote vixiſſet, contigit, quòd die quadam prædictus Sacerdos licentiam ab hoc Nobili peteret adeundi villam quandam arci prædictæ vicinam, ut cum Sacerdote loci illius amico ſuo feſtum occurrens celebraret, quam à Nobili facilè obtinuit, utpotè qui ad eundem ſe locum cum Sacerdote conferre, ibidémque Miſſam auſcultare decreverat; veruntamen per occurrens aliquod negotium ad tempus uſque meridianum impeditus fuit, quo abſoluto cùm ab arce valdè anxius digrederetur, timens ne tempus Miſſam auſcultandi elapſum fuiſſet, in priſtinam denuò incidit tentationis vehementis moleſtiam; tandem verò cùm ab obvio quodam ruſtico à prædicta villa redeunte, officia divina in Eccleſia terminata eſſe intellexiſſet, maledicere cœpit iis, qui illum à Miſſa ea die audienda impediverant, jam enim ſe perditum, & de ſalute ſua actum eſſe exiſtimabat. Ruſticus autem illum conſolaturus his eum verbis eſt affatus: Ne affligaris quæſo, Domine mi, nam Miſſam, quam audivi, nec non & meritum, quod indè apud DEUM mihi comparavi, libenter tibi reſignabo, dummodo aliquam mihi impertitus fueris retributionem; oblationem ſibi factam libenter acceptavit Nobilis, & ruſtico veſtem quandam, quâ indutus erat, dare promiſit, eâque ruſtico datâ ab eodem receſſit. Nobilis igitur cœptum proſecutus eſt iter, ut in Eccleſiâ villæ illius, ubi feſtum agebatur, communes cum aliis fidelibus lucraretur Indulgentias; in reditu autem, O res admiranda! cùm ad locum, ubi Miſſæ meritum ſibi per Simoniam comparârat, perveniſſet, prædictum ruſticum ex arbore quadam ſuſpenſum invenit, DEO idipſum permittente, eò quòd tam vili pretio inæſtimabilem Miſſæ theſaurum vendidiſſet, ſeque validiſſimis privaſſet armis, quibus inimico infernali reſiſtere poterat. Nobilis autem in devotione Miſſæ audiendæ magìs confirmatus, deinceps ſemper, quoties tentabatur, Miſſæ Sacrificio adhibito victor ſemper evaſit. Meritò igitur S. Ignatius Martyr primos Eccleſiæ Epheſinæ fideles ad Miſſam audiendam his verbis aſſiduè invitabat: Date operam, ut ſæpiùs congregamini ad Evchariſtiam & gloriam DEI, cùm enim ſæpiùs in idem loci convenitis, labefactantur vires Sathanæ.

XIX. S. Ferdinandus de Telanera primus Archiepiſcopus Granatenſis, dum in aula ageret, multis gravibúſque occupatus regni negotiis plurimos patiebatur æmulos, qui, cùm innocentem accuſare non poſſent, adverſus quotidianum ejus Sacrificium murmurare cœperunt eorum alioqui, qualiter ſcilicèt tanta, támque ardua pertractans negotia, animum diſpoſitum, quietum, & ad quotidiè celebrandum recollectum habere continuò poſſet, quaſi in monaſterio degeret; quòd cùm Cardinalis Hiſpanus & Archiepiſcopus Toletanus, Joannes Gonzaſez de Mendozza, die quadam eidem familiariter inſinuaret, reſpondit ſervus DEI: Ita Domine, quia Majeſtas ſua tam arduis me implicavit negotiis, onúſque mihi impoſuit, meis ſuperius viribus, ideo ne in terram prolabar, quod unicùm mihi ſupereſt refugium, inquiro quotidiè ſcilicet altare ſanctum, ut eo mediante negotia feliciter terminare, optatámque de omnibus valeam reddere rationem. *Rodriq. p. 2. tr. 8. c. 14.*

Miſſa lecta.

XX. Surius in vita S. Petri Cœleſtini refert, quod, dum die quadam ex una parte ſublimem de cœlo in ſanctiſſimum Sacramentum & Sacrificium deſcendentis Majeſtatem, ex alia verò parte indignitatem ſuam conſideràſſet, ſimúlque in memoriam revocâſſet Paulum primum Eremitam, S. Antonium Magnum, S. Franciſcum Aſſiſinatem, pluréſque alios DEI ſervos altiſſimum Miſſæ myſterium exercere auſos non fuiſſe, circa frequentiam hujus myſterii multùm anxius per aliquos dies præ timore ac reverentia tanti Domini, ab hoc ſanctiſſimo Sacramento & Sacrificio abſtinuerit, donec tandem Romam accedere decreverit, ſummum Pontificem conſulturus, an non melius foret, à celebratione illius Sacri- *Surius in vita S. Cœleſtini.*

crificii per tempus aliquod totaliter abstinere? Cùm igitur cum hac intentione Romam versus iter institueret, sanctus quidam Abbas, haud pridem mortuus, in via ei apparuit, à quo habitu monastico indutus fuerat, qui ei dixit: Quis est, O Fili, qui licet Angelus sit, celebratione hujus mysterii dignus dici possit? Veruntamen suadeo tibi, ut cum amore & reverentia erga DEUM, prout hactenus consuevisti, celebrare pergas.

Idem in vita S. Odil. XXI. S. Thomas Herfordensis in Angliâ Episcopus, vir cibi & potûs abstinentiæ deditissimus, & castissimus, tanta animi pietate & devotione rebus divinis intererat, ut intuentium fidem & mores informaret, tanta in Missæ Sacrificio lacrymarum ab ejus oculis copia manabat, ac si coram se Christum Dominum in carne humana patientem vidisset.

Daniel. l. 3. tit. 27. exempl. 8. XXII. Scribunt Historici, neminem ante Nicolaum III. Papam religiosiùs sacrificare visum, cùm semper, dum solemnia ageret, lacrymas funderet: erat enim Religionis observantissimus, dotibus animi & corporis ornatissimus, adeò ut multa fecerit, plurima intentaverit, suam prudentiam & animi magnitudinem ostendentia. Vacantibus Ecclesiis nullus Pontifex celeriùs ac maturiùs consuluit; Notarios & tabellarios, utpote sanguine pauperum & litigantium viventes, à se ut pestiferos amovit.

Surius 20. Mart. XXIII. S. Cuthbertus Episcopus Lindisfarnensis tantum compunctionis erat deditus, tantum cœlestibus ardebat desideriis, ut Missarum solennia celebrans, nequaquam sine profusione lacrymarum implere posset officium: sed congruo satis ordine, dum passionis Dominicæ mysteria celebraret, imitaretur ipse, quod ageret, se ipsum videlicet DEO in cordis contritione mactando, sed & astantes sursum corda habere, & gratias agere Domino DEO nostro, magis ipse cor, quàm vocem exaltando; potiùs gemendo, quàm canendo admoneret.

Missa audita.

Mansi dist. 49. 6. XXIV. Frater Franciscus Durasse in Oiera, Religiosus Franciscanus, culinæ servitio destinatus, quotidie pro sua devotione multis Missis inservire solitus erat; at verò cùm die quadam ob ejus à culina absentiam in præjudicium refectorii notabile damnum accidisset, à Superiore jussus est post ministratam primam Missam subitò in culinam se recipere, nec ab ea recedere, cui præcepto promptè obedivit, ità tamen ut quotiescunque audiret signum elevationis hostiæ, genua sua flectendo in terram, hostiam illam è longinquo adoraret. Accidit verò, quòd dum in præcipua quadam solennitate signum elevationis in Missa solenni factæ, omnibus simul campanis compulsatis dari audiret, in genua corruens, dixerit; O dulcissime Salvator, ex quo Præsidum voluntate in culina detineor, careo ea voluptate, quam mihi dulcissimam pariebat cultus divinæ hostiæ coràm adoratæ; sed benè ac beatè res habet, quam tu utcunque habere voluisti. Vix autem hæc verba elocutus fuerat, cùm ecce inauditum hoc contigit miraculum, nam muri inter templum & coquinam interjecti aperti sunt adeò, ut DEI servus Christi corpus in ara cernere, & adorare posset, qui tamen continuò rejuncti sunt, non obscuris recessus hujus prodigiosi notis relictis.

XXV. Anno 1570. Mense Novemb. sequens hic propè Romam accidit casus. Tres Eugubienses ad nundinas convenerant in loco, cui nomen Cisterno, idémque elegerant hospitium. Finitis nundinis, duo illorum de itinere cras instituendo discurrere cœperunt, conclusêruntque sub auroram discedere, ut eodem vesperi in patriam pervenirent. Audiens hoc alter protestari cœpit, dicens: Ego quidem cras, cùm sit dies Dominicus, Sacro inaudito nullo pacto discedam, ideo si simul abire volumus, prius Missam audiamus, ac deinde paululùm cibo refecti in nomine Domini proficiscamur. Quòd si Eugubium pervenire nequibimus, in Oppido Castelli diversabimur. Saluberrimo hujus consilio non acquieverunt cæteri, sed replicantes, sese postridiè Vesperi Eugubium omninò pervenire velle, Deumque ipsos, si pro ista vice Missam audire non possent, excusatos habiturum; sequenti die Dominico sacræ rei adesse non curantes, summo manè equos conscenderunt, ac Eugubium versus iter dirigentes, ad flumen usque Corfuone appellatum, à Cisterna oppido per duo ferè milliaria distans, perrexerunt; cúmque ambo ligneum pontem equis conscendissent, ut flumen, quod ob magnos, qui præcedenti nocte defluxerant imbres, valdè rapidum erat, pertransirent, pons valido aquarum impetu ictus repentè decidit, amboque unà cum pecuniis, quas ex mercium venditione secum deferebant, justo DEI judicio demersi sunt, ac eodem puncto vitam, facultates (& utinam non animæ salutem) miserrimè perdiderunt: quorum corpora jam extincta à vicinis, qui illuc accurrerant, ad ripam extracta fuêre, equis in tuto deductis; qui quidem pons eo tempore ad perpetuam hujus rei memoriam nunquam refectus fuit. Alius, qui remanserat, socius prudentior & timens DEUM, auditâ Missâ, & ipse alacri animo ingressus est iter, cúmque ad flumen pervenisset, in duo sociorum cadavera nihil tale cogitans, ibidem propè ripam jacentia, magno animi terrore incidit, quo facto valdè commotus, cognito DEI judicio, gratias ipsi DEO agens, suum iter sanctiùs cœptum, feliciùs absolvit. *Aug. Man. ms hist. select. c. 145.*

XXVI. S. Ludovicus Rex Franciæ, rarò accidebat, quin quotidiè duas Missas audiret; & frequenter tres vel quatuor; cùm autem audisset, quòd nobilium aliqui murmurabant super hoc, quòd tot Missas audiret, respondit: *Rayn. ann. 1270. num. 9.*

dit : quod si duplo tempore poneret in ludendo ad aleas , & currendo per sylvas pro venationibus , & aucupiis , nemo super his loqueretur.

Osorius in hist. Hisp. to. 4. conc. de sacrific. Missæ.

XXVII. Erat Comes Castellæ Garsias Ferdinandez filius insignis Comitis Ferdinandi Gonzalez in oppido , quod nuncupatur, Stantistenam de Garmaz. Venit contra eum Rex Cordubæ nomine Almancor cum ingenti Maurorum exercitu. Decrevit verò Comes Castellæ in crastinum pugnam inire cum Mauris ; summo ergo manè Comes cum suis Sacro audito in pugnam prodiêre. Sed inter nobiles milites quidam erat , qui dicebatur Paschual Vivas,cui tanta inerat à multis annis affectio ad Missæ Sacrificium , ut, cùm semel in Ecclesiam intrâsset, ab ea non exiret , donec omnes Missas , quæ in illa celebrabantur , audiret. Hic ergo solus armis circumdatus in Ecclesia , quæ divo Martino sacra erat , mansit , donec octo Missæ celebratæ sunt, is enim numerus Sacerdotum Religiosorum in ea erat domo. Minister verò eius ante Ecclesiæ januam erat tenens Domini sui equum , lanceam & scutum , & incusabat Dominum, quòd ad pugnam non prodiret. Reportata insignis victoria à Mauris est : sed omnibus visum est, solum Pascualem Vivas eam obtinuisse, quia ille vexillum Maurorum prostravit, & antesignanum eorum occidit,& plurimos alios , ita ut ei soli victoria tribueretur , cùm ille in Ecclesia fuisset , nec pugnasset ; pugnavit verò eius loco Angelus DEI in eius figura. Partâ Victoriâ Comes Castellæ accersiri jussit Pascualem Vivas, ut ei gratias referret pro obtenta victoria. Ille verò in Ecclesia erat , nec præ pudore ad Comitem venire volebat. Adductus tandem est , apparuerúntque in armis eius & equo , ictus & vulnera , quæ visa fuerunt in eo , qui eius personam susceperat in prælio. Ex quo omnibus manifestum factum est , propter viri illius singularem devotionem ad Missæ Sacrificium , Angelum loco illius pugnâsse , ac hostes profligâsse, quia tunc penitus devicti Mauri fuêre , cùm octava Missa finita fuit. Sicut ergo audiente illo Sacrum , Angelus eius personam suscepit , & meliùs pugnavit , quàm ille pugnâsset , ita audiente te devotè Sacrum, Angelus negotia tua geret, meliùs quàm tu.

Surius in vit.

XXVIII. S. Wenceslaus Bohemorum Rex non contentus erat Missæ Sacrificio quotidiè præstò adesse , sed etiam messis & vindemiæ tempore, oblitus quasi dignitatis suæ , metebat & vindemiabat, quæ pro Sacrificio Sacerdotum manibus afferret.

Vita c. 6.

XXIX. Thomas Morus Martyr , Regni Angliæ Cancellarius , quod ad DEI cultum attinet , religiosam penè vitam ducebat ; singulis diebus ante alia negotia quæcúnque (studiis interdum valdè matutinis exceptis) sacrum audiebat. Quod quidem quotidianum pensum ita defixum habebat , strictéque observabat , ut à Rege ipso fortè accersitus , quùm Sacro audiendo intenderet , ad Regem iterum & tertiò vocatus venire noluerit , donec totum absolutum fuisset : vocantibus & urgentibus eum , ut relicto Sacro Regem accederet , respondens : se meliori Domino obsequium præstare & perficere priùs oportere. Quod memorabile factum planè simile est ei , quod Carolo Magno Imperatori exhibuit S. Ludgerus primus Episcopus Monasteriensis vir sanctissimus.

Vit. Ludg. l.

XXX. S. Elisabeth consuevit ab adolescentia sua cum humilitate maxima Missarum semper sacris mysteriis interesse. Oculis namque fidei excellentiam ineffabilem intuens Sacramenti , ad propriæ conditionis parvitatem respiciens , ornatum corporis exteriorem, capitis , pectoris , brachiorum , digitorum , cæterorúmque membrorum intra Missæ Officium solvit , imminuit , inclinavit , vel penitus removit. Horâ verò Evangelicæ lectionis , & canonis , & quâ Dominicum Corpus & Sanguis immolatur à Sacerdote , & sumitur , hanc humiliationem præcipuè studuit exhibere. Flagrabat erga Sacramentum hoc fervore omnium medullarum, stupore admirans grandi illam charissimam dignationem , & dignissimam charitatem.

Missæ ministerium.

Chron. min. p. 1. l. 1. c. 17.

XXXI. De F. Joanne Parmensi sic scribit Chronicon Minorum : Factum est, ut diuturnioribus antelucanis precationibus fatigatus , ita somno oppressus jacuerit , ut horâ etiam ministrandi Sacro proximâ nihilominùs consopiretur. Interea vir sanctus ministrum perquirit, nec reperit ; Sacris se accingit peragendis , spe ministri proximè more suo venturi. Hora constituta aderat , nec comparebat Frater , adest Angelus , & fit minister vultu ac veste referens Religiosum. Sacrificio ad finem perducto adhuc quiescens frater , in somnis se à Fratre Joanne accersitum percipit ; excitatur , Sacerdotem adit , & ait : Placétne Pater Sacrum facere ? Tunc vir DEI cognovit , Angelum , non Religiosum Sacro ministrâsse.

Mastr. hist. 10. c. 4.

XXXII. P. Franciscus Mastrilli dum in urbe studiis vacaret , quodam vacantiarum die ad domum abiit Professam Societatis JESU , ingressúsque Sacristiam , Patrem Evangelistam de Gatti , ut jamjam celebraret , procinctum reperit , sed clerico ministro destitutum, quare ille suum obtulit servitium. At discretus Pater primitus repulsam dedit , dicendo, diem illum studentium recreationi destinatum esse , ideóque tardiùs eum ad villam venturum cum reliquis , maximè cùm ipse celebrans in Missa admodum prolixus esset , nihilominùs adolescens suæ insistens petitioni . contentionem vicit , ad altare ministraturus abiit. In Memento igitur ministrum remuneraturus celebrans , ipsum efficaciter recommendavit DEO , quatenùs hujus actionis merita speciali aliquo præmiaret favore. Post multos verò annorum circulos dictus Mastrilli in Goa ante S. Francisci Xaverij sepulchrum orans , causam petiit , quare tot inter alios , se longè capaciores ad illam

illam Japoniæ Missionem, tot S. Patris prodigiis comprobatam, electus fuisset à DEO; cui respondit Sanctus, id factum fuisse in remunerationem ministerii, & servitii illius, quod ante tot annos tali die Neapoli præstiterat, Missæ ministrando Patris Evangelistæ, in qua Pater ille magno cum fervore oraverat pro eo, quo audito, relationem subitò per litteras Neapolim eidem misit Patri, immensas pro ejus intercessione gratias agens. Et sanè qui martyrii illius coronam servitio dicto radicaliter adscriberet, nequaquam à vero aberraret, præsertim si sequentis orationis secretæ enucleatiùs considerentur verba: In tuorum, Domine, pretiosa morte justorum Sacrificium illud offerimus, de quo martyrium omne sumpsit principium.

Thom. Kemp. p. 3. serm. ad Novit. 7. num. 11.

XXXIII. Fuit in civitate Swollensi meo tempore (inquit Thomas à Kempis) civis quidam Hermannus de Oever nomine, dives & honestus, pius & misericors super pauperes, atque in Hospitali S. Spiritûs fidelis infirmorum & egenorum procurator. Hic quadam turbatione ortâ in civitate contra eum, & quosdam concives eius, confugit ad Monasterium nostrum in monte S. Agnetis Virginis, hospitandi gratia. Qui pro sua probitate, & mansuetudine susceptus est, & benignè tractatus cum multa charitate, & fraterna benevolentia. Modico autem tempore transacto didicit *Confiteor* legere, & Sacerdoti ad Missam ministrare, licèt jam senex esset, & litteras penitùs ignoraret; quod cum tanta diligentia & devotione fecit, ut aliis aliundè occupatis, sæpè bis vel ter uno die Sacerdotibus ad Missam libenter & alacriter ministraret. Siquidem venerabili Patri nostro Wilhelmo Vormker, tunc temporis Priori domûs nostræ, speciali amatori S. Agnetis, frequenter infra summam Missam, choro canente, ipse rettò in Ecclesia, superpellico indutus, magno cum affectu ministravit. Nondum enim sua resignaverat, sed sicut hospes & amicus fidelis inter fratres in ambitu claustri habitabat.

§. Pœna indignè sacrificantium.

Bredenbach l. 1. c. 45.

XXXIV. In Teutonicis partibus Presbyter quidam, dum religiosam vitam agere videretur, & pœnè quotidiè sacra Missarum solennia celebraret, dúmque sibi minùs cautè provideret, hostis antiqui insidias incurrit, & in turpem, sed occultam peccati foveam, carnis delectationem delapsus est. Sanctimonialem námque quandam dum imprimis visitationis gratiâ adiret, ad postremum assiduitate colloquii, & incautâ familiaritate allectus, miserabili casu in illam incurrit. Qui cùm post lapsum ad cor redire, & quàm citissimè redire debuisset, propriis fæcibus delectatus diu converti distulit, & peccatum peccato adjungens, usum peccandi fecit, sicque longum funem, quo arctiùs stringeretur, assiduè peccando contexuit. Cúmque in luto scelerum volutaretur, non verebatur tamen ad altare Domini irreverenter accedere, & Sacramenta redemptionis nostræ, Missam frequentiùs celebrando, temerare. Quod cùm longo tempore, abjecto DEI timore, agere non formidaret, iram pariter & misericordiam Domini, ut subjecta declarant, erga se miserabiliter persensit; Nam cùm & scelus non desereret, & Sacra divina impuris manibus (ut sæpè dictum est) attrectaret, contigit quadam die, dum usque ad perceptionem sacri Corporis Christi, totam de more Missam explicâsset, jámque se ad Sacramenta ipsa sumenda pararet, repentè Caro Christi cum Sanguine, tam immundum ultrà non ferens habitaculum, ab ipsius jam penè tenentis manibus evanuit: admirans ille, & obstupescens, ab altari citissimè, Missâ finitâ, recessit. Cúmque indignationem Domini, tam evidentis signi ostensione, circà se commotam cognosceret, volens tamen hoc certiùs comprobare, secundò Missam aggressus est. Cui universa, ut priùs peragenti, cùm ad Sacramenta sumenda ventum esset, simul omnia, ut priùs, subtracta sunt. Jam verò, ut dignum erat, in metum & trepidationem non modicam perductus, ut de toties repetito miraculo jam absque ulla hæsitatione certissimus redderetur, tertiò quoque, quod jam bis contigerat, attentare veritus non est: sed cùm omnibus, ut ante peractis, jam sollicitior, quæ opposita erant, oculis observaret, & manibus contrectaret, ósque ad sumendum aptaret; subitò oculis, manibus, & ori, tertiò invisibiliter sublata disparuerunt. Tandem igitur tam evidenti miraculo tremefactus Presbyter, se pessimè egisse, séque terribilem Dei iram incurrisse, absque ulla dubitatione cognoscens, & qualiter evadere ex tanto periculo posset, sollicitus cogitare cœpit. Ultimum ergo peccantibus remedium esse sciens pœnitentiam, ad eam toto corde confugit, & proprium Episcopum adiens, ei cuncta, quæ fecerat, quæque contigerant, cum lacrymis multis patefecit, impositúmque sibi ab eo laborem pœnitendi, toto animi nisu, tam devotè, quàm constanter exercuit. Jejuniis namque & vigiliis, verberibúsque & variis cruciatibus, jumentum lasciviens, hoc est, corpus suum, secundùm Apostolum castigans, qui concupiscentias suas sequendo, reprobus factus fuerat; eas in se ipso damnando, electorum numero adjungi elaborabat. In qua corporis & cordis contritione multo tempore emenso, cùm eius mentem de venia præsumere securior jam conscientia suaderet, adiit Episcopum, & quid egerit indicans, utrum, ut antè consueverat, ad Sacra accedere auderet, consuluit. Qui nondum plenè DEO reconciliatum metuens, ut adhuc pœnitentiæ insisteret, admonuit, quatenùs dignis pœnitentiæ fructibus DEO exhibitis, purgatior & securior congruo tempore, altaris Sacramenta, non ad judicium, sed ad salutem percipere posset æternam. Acquievit ille salubri admonitioni, & ad propositum pœnitentiæ reversus, totâ carnis & spiritûs virtute, ad fores divinæ pietatis pulsabat, & spiritu contri-

bulato, lacrymisque indeficientibus, iram Domini in misericordiam converti cogebat. Quid multa? longo rursus temporis spatio in hac pœnitudine transacto, ad Episcopum rediit, eique ut patri, secretò cuncta pandens, ut Sacramentorum particeps esse mereretur, suppliciter deprecatus est. Cujus conversionem jam DEO acceptam, tam ex his, quæ ab eo audiverat, quàm ex his, quæ in eo videbat, confidens, ut Sacerdotale officium aggrederetur, assensit. Quod ille de Domini bonitate, & conscientiæ testimonio confisus, non jam præsumptione, sed devotione implere curavit: Accedens itaque ad altare, totúmque se lachrymis, & contritione cordis immolans DEO, usque ad perceptionem Sacramentorum universa ritè peragens pervenit. Et ecce novo & inaudito nostris duntaxat sæculis miraculo, trium ante dictarum Missarum panes, qui indignè sumere volenti sublati fuerant, cœlitùs allati sunt, eóque jam divino judicio ad hæc sumenda digno facto, ante eum super altare positi apparuerunt. Cúmque etiam oculos in calicem admovisset, conspexit penè usque ad summitatem sanguine repletum, & illarum Missarum detrimenta ad istius provenisse augmenta. Admiratus igitur, & toto hominis interioris jubilo DEO gratias agens, suámque pœnitentiam susceptam, ac Domini Majestatem placatam cognoscens, certus factus est de Domini misericordiâ, & qui unum apposuerat, quatuor panes, immò unum Christi Corpus, & Sanguinem, cum multa, ut dignum erat, exultatione percipit.

Surius 17. Novem. XXXV. In vita Hugonis Lincolniensis Episcopi, qui ante trecentos annos virtutibus Pastoralibus ornatissimus apud Anglos floruit, sic Surius ex antiquo Scriptore scribit: In villa, inquit, quadam Sacerdos erat vitæ valdè dissolutæ; quem hoc ordine divina bonitas ad pœnitentiam vocavit. Celebrans ille Missarum solennia, manibus cœpit indignis Regem tractare Majestatis: cúmque venisset ad illum locum, ubi hostia frangenda erat, sanguis protinùs emanavit; territus ille, vitam mutavit in melius, cunctísque audire volentibus factum publicavit. Accidit autem B. Hugonem per eam villam iter facere, Sacerdotémque accersitum, non propter miraculum, sed ob vitæ Sanctitatem, de quibusdam spiritalis vitæ studiis interrogare. Tanta enim pœnitentiæ austeritate pristinam vitam jam correxerat, ut sanctum eum fama cunctis proclamaret; cúmque sancto Episcopo narrasset prodigium, quod ipsi acciderat, hortatus est eum, ut cruorem ipsum tanquam veritatis testem inspiceret, sed penitus non acquievit: Quinimò famulis suis idem suggerentibus ita fertur respondisse: Habeant ipsi signa infidelitatis suæ; nobis autem, qui verè credimus, sub speciebus Sacramentalibus verum Corpus & Sanguinem Christi contineri, signa quid proderunt? Quosdam etiam abire volentes, ut viderent, duriùs objurgabat, quòd non devotione, sed curiositate id facerent, siquidem scriptum noverat: *Beati, qui non viderunt, & crediderunt.*

§. IV.

ASCETICA.

I. *Sex præcipuè doctrinas specialiter circa Sacrificium Missæ benè cognoscere, aliisque inculcare debet Asceta. Primum est, ut benè cognoscat necessitatem Sacrificiorum in quavis lege institutorum*, quam quidem benè ostendit S. Thomas dum ait: Naturalis ratio dictat homini, quòd alicui superiori subdatur propter defectus, quos in se ipso sentit, in quibus ab aliquo superiori eget adjuvari & dirigi, & quidquid illud sit, hoc est, quod apud omnes dicitur DEUS. Sicut autem in rebus naturalibus naturaliter inferiora superioribus subduntur; ita etiam naturalis ratio dictat homini secundùm naturalem inclinationem, ut ei, quod est supra hominem, subjectionem & honorem exhibeat secundùm suum modum. Est autem modus conveniens homini, ut sensibilibus signis utatur ad aliqua exprimenda, quia ex sensibilibus cognitionem accipit, & ideo ex naturali ratione procedit, quòd homo quibusdam sensibilibus rebus utatur, offerens eas DEO in signum debitæ subjectionis & honoris, secundùm similitudinem eorum, qui Dominis suis aliqua offerunt in recognitionem Dominij. Quâ suppositâ veritate, sequitur naturaliter, quòd homo ad suam DEO exhibendam protestandámque subjectionem, Sacrificium ei offerre debeat. Quale autem DEO gratius, efficacius, utiliúsque quàm hoc incruentum offerri poterit; quod omni momento (utpotè jugè Sacrificium) Ecclesia sancta per suos offert filios? *S. Thom. 2. 2. q. 85. a. 1.*

II. *Secundum est, ut benè cognoscere studeat discrimen inter Sacrificium Crucis & Missæ*, quod quidem Tannerus sequentibus verbis assignat: Sacrificium crucis erat meritorium, satisfactorium, & impetratorium, verè & propriè; quia Christus tunc mortalis erat, & mereri & satisfacere poterat. Sacrificium Missæ propriè solùm est impetratorium; quia Christus nunc immortalis nec mereri, nec satisfacere potest. Cùm autem dicitur propitiatorium vel satisfactorium, id intelligendum est ratione rei, quæ impetratur. Dicitur enim propitiatorium, quia impetrat remissionem culpæ; satisfactorium, quia impetrat remissionem pœnæ; Meritorium, quia impetrat gratiam benefaciendi, ac merita acquirendi. *Tanner. tr. 4. d. 5. q. 9. dub. 4. n. 84.*

III. *Tertium est, ut dignam de hujus Sacramenti efficacia æstimationem concipiat*; de quâ Osorius sic loquitur: Statim ut placare possis DEUM, placa eum munere dato ingenti, offer illi Christum, eius merita, & satisfactionem. Plùs ille Patri placuit, quàm tu displicere potueris, & universus mundus. Dic ergo Patri, indignus ego veniâ sum; peccavi super numerum arenæ maris; sed ecce Filium tuum, quem mihi dedisti, tibi offero, qui plùs tibi placuit, quàm ego displicuerim, majora eius sunt merita, quàm peccata mea. *Osor. to. 4. de Sacrificio.*

IV. *Quar-*

S. Epiphan. hæref. 37.

IV. *Quartum est; ut benè cognoscat summam ad hoc Sacrificium dignè offerendum puritatem requiri*, cujus necessitatem S. Epiphanius sic ostendit: Serpens cùm venerit ad bibendam aquam priusquam bibat, extra fontem evomit venenum suum, & postea bibit; ita & nos, quando ad altare DEI accedimus, seponamus venenum pessimum; venenum verò animarum nostrarum est odium, invidia, rapina, concupiscentia carnalis, & omnia alia peccata, quæ æternam nobis mortem conciliant. Omnes domestici ad Jacob Patriarchæ familiam spectantes, mox ut altare illud erigendum esse intellexerunt, promptissimam Jacob exhibuerunt obedientiam, dicit enim Textus: *Dederunt ergo ei omnes Deos alienos, quos habebant, & inaures, quæ erant in auribus eorum; at ille infodit ea subter terebinthum.* Quo exemplo omnes meritò incitari deberent Christiani, ut sacro altari cum fructu assistere possent, sepeliendo subter terebinthum, id est, sub arbore crucis omne inordinati affectûs idolum; Missa etenim nihil est aliud, quàm viva quædam effigies, & repræsentatio Sacrificii cruenti, & crucifixionis Christi. Quod confirmans S. Augustinus aptè declarat mysterium, cur sancta Mater Ecclesia fideles, omnibus diebus festivis & solemnibus, quibus ad Missam audiendam singuli obligantur, ab operibus servilibus abstinere, & feriari voluerit; nimirùm ut ab omni negotio & strepitu mundi expediti, tantò possent promptiùs vacare animarum saluti: Sciendum est, inquit, quòd ideò à SS. Patribus constitutum est Christianis, & mandatum, ut in solemnitatibus Sanctorum, & in Dominicis diebus otium haberent; ut à terreno negotio vacarent, & paratiores, ac promptiores essent ad divinum cultum, relinquerentque eo tempore terrenam sollicitudinem.

Opusc. S. Franc. Seraph. to. 1. epist. 12.

V. *Quintum est, ut benè cognoscat reverentiam, quâ par est, Sacrificium hoc administrari*, quam optimè insinuavit S. Franciscus Seraphicus, dum suos his verbis est allocutus: Videte, Fratres Sacerdotes: dignitatem vestram, & estote Sancti, quia ipse Sanctus est: & sicut super omnes propter hoc mysterium honoravit vos Dominus DEUS, ita & vos propter hoc mysterium diligite eum, reveremini, & honorate. Magna miseria & miseranda infirmitas, quando ipsum sic præsentem habetis, & aliquid aliud in toto mundo curatis. Totus homo paveat, totus mundus contremiscat, & totum cœlum exultet; quando super altare in manibus Sacerdotis est Christus Filius DEI vivi. O admiranda altitudo, O stupenda dignatio, O sublimitas humilis, quòd Dominus universitatis DEUS, & DEI Filius sic se humiliat, ut pro nostra salute sub modica panis formula se abscondat! Cui adstipulans Cæsarius, si Sacerdos legalis, inquit, oraturus pro salute populi, solus ingrediebatur in sancta sanctorum, & omnis populus, sicut de Zacharia legitur, erat foris exspectans horâ incensi, ne orantem impediret; quantò magis Sacerdos gratiæ, qui jam non corruptibile pro una gente Sacrificium, sed pro totius mundi salute, Patri offert filium, summam in altari pacem requirit & silentium? Unde B. Ambrosius post Evangelium monere solebat populum, ut à tussi & omni inquietudine se temperaret tempore canonis. Magna profectò miseria; inquit S. Anastasius: Magna socordia nostra est; nam cùm in omni orationis ac deprecationis genere intentos nos ardentésque esse oportet, tum verò vel maximè in illa divinorum operatione mysteriorum, & hujusmodi Synaxi cum timore ac tremore assistamus Domino. Nunc autem neque purâ oratione, neque contritis mentibus, sensibúsque offerentes utimur, lites, causas, résque vanissimas his inconvenientibus agitamus. Unde rectè concludit Concilium Braccarense: Cùm omne crimen atque peccatum oblatis DEO Sacrificiis deleatur quid de cætero pro delictorum expiatione Domino dabitur, quando in ipsa Sacrificii oblatione peccatur?

S. Anastas. de sacr. Synaxi.

Concil. Braccar. sess. 1. c. 1.

VI. *Sextum est; ut benè cognoscat, quantùm demateur de fructu Sacrificii hujus, si per malum Sacerdotem offeratur*; qua de re sic loquitur S. Bonaventura: Omnes Missæ sunt æquè bonæ, quantum ad opus operatum, una tamen est melior alterâ, quantùm ad opus operans; Unde meliùs est audire Missam boni Sacerdotis, quàm mali; sicut in mensa corporali eundem cibum jucundiùs accipimus à mundo ministro, quàm ab immundo. Unde S. Ambrosius sic DEUM allocutus est. Quoniam me peccatorem, inter te & eundem populum tuum, medium esse voluisti, licèt in me aliquod boni operis testimonium non agnoscas, officium saltem dispensationis creditæ non recuses, ne per me indignum, eorum salutis pereat pretium; pro quibus victima salutaris dignatus es esse redemptio. Ad quam veritatem confirmandam non parùm conducet sequens exemplum, quod in vitis Patrum hunc in modum refertur; Solitarium quendam statis temporibus convenire solebat certæ cujusdam Basilicæ Sacerdos; ut in Missa coram eo celebrata eundem communicaret. Hic verò solitarius tandem auditâ ab alio quodam sinistrâ de hoc Sacerdote relatione, sinistrum quoque & ipse de eo formavit judicium; ac proinde cùm idem Sacerdos pro sua consuetudine reverteretur ad dicendam Missam, & Eucharistiam Solitario ministrandam, bonus Eremita jam de hoc Sacerdote scandalizatus, eum à se repulit, nec ostium cellæ aperire voluit; quo viso Sacerdos recessit. Et ecce vox facta est ad Solitarium dicens: Tulerunt sibi homines judicium meum; & factus est velut in excessu mentis, & videbat quasi puteum aureum, & situlam auream, & funem aureum, & aquam bonam valdè; videbat autem & quendam leprosum haurientem, & refundentem in vase, & cupiebat bibere, & non po-

S. Ambros. or. prep. ad Miss. serm. 4.

Digitized by Google

terat, quia leprosus esset ille, qui hauriebat; & iterum vox ad eum dicens: Cur non bibis ex aqua hac? quam causam habet, qui implet? Implet enim solummodò & effundit in vase. In se autem reversus Solitarius, considerans virtutem visionis, vocavit Presbyterum, & fecit eum, sicut & priùs sanctificare sibi oblationem.

§. V.

MISCELLANEA ET CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Mansi disc. 4. n. 1. I. S. Prophetæ Jeremiæ in plateis Jerosolymitanis ingens quædam virorum morientium in spiritu ostensa est strages, quæ ipsum commovit, ut in hæc verba lamentaretur: *Cùm deficerent quasi vulnerati in plateis civitatis, cùm exhalarent animas suas.* At verò quamnam existimatis hujus mortalitatis fuisse causam? nimirum, quia deerat eis triticum, & vinum, & ideo Propheta statim subjungit: *Ubi est triticum & vinum?* Quæ verba ad propositum nostrum applicare possumus, quia, quando ab inimicis angustiamur, ad Missam nobis recurrendum est, dicendo; *Ubi est triticum & vinum?* Ubi est sacrificium illud cruentum, in quo panis & vinum in Corpus & Sanguinem Christi transsubstantiata, omnes à nobis repellunt bellorum, hostiliúmque armorum angustias, omnémque à nobis metum auferunt? Ut proinde Ecclesia longè prosperioribus auspiciis dicere possit, quod olim dixit Numa Pompilius, cui, cùm annunciatum fuisset, in propinquo adesse hostilem exercitum, respondit ille: & ego sacrificabo.

Ibid. n. 3. II. Eo tempore, quo electus DEI populus à Gedeone tanquam Judice gubernabatur, à numeroso quodam hostili exercitu omnes præ timore consternati trepidabant; Nam ut sacer Textus ait: *Omnes Orientales populi fusi jacebant in valle, ut locustarum multitudo*; & tamen certi cujusdam panis augurio innumerabilis hic exercitus dispersus & dissipatus fuit; dicebat enim Gedeon: *Videbatur mihi quasi subcinericeus panis volvi, & in castra Madian descendere, cúmque pervenisset ad tabernaculum, percussit illud, atque subvertit, & terræ funditus coæquavit.* Quod utique in figura contingebat illis, nam panis ille Evcharisticum præfigurabat Sacrificium, cujus est illa propria virtus; quòd hostiles dissipare queat exercitus; panem verò illum à Gedeone visum, Evcharistici Sacrificii fuisse figuram, Cajetanus ex sequenti observatione demonstrat, inquiens: Ex eo, quòd scribitur volutus insinuatur, quòd hujusmodi panis erat orbicularis figuræ; hæc enim figura ad motum revolutionis valdè est habilis; ac proinde hostiam sacram significat, quæ in Missa consecratur, hæc enim secundùm usitatum Ecclesiæ ritum, figuram præ se fert rotundam, adeòque habilis est, ut ad dissipandos hostiles exercitus in eosdem devolvatur.

Ibid. disc. 12. n. 1. III. S. Patriarcha Jacob, ut videre est Gen. 5. in principio loquens à Domino accepit præceptum: *Surge, & ascende Bethel, & habita ibi, facque Altare DEO.* Observandum verò est, quòd, priusquàm in executionem hujus præcepti, altare pro Sacrificio offerendo erigeret, priùs sollicitus fuerit, ut domûs suæ familiares DEO gratos redderet, & acceptos, nam ut Scriptura ait: *Jacob verò omni convocatâ domo suâ ait: Abjicite Deos alienos, qui in medio vestri sunt, & mundamini*; hac autem mundatione peractâ, domesticis suis dixit: *Surgite, & ascendamus in Bethel, ut faciamus ibi altare.* Quia autem omnia in figura contingebant illis, ideo sine dubio divina sapientia nos Christianos docere voluit, quòd, priusquàm pro Sacrificio Missæ celebrando, vel audiendo, ad altare accedamus, si condignum inde fructum percipere volumus, necessum sit, ut priùs è domo cordis & conscientiæ nostræ, idola, id est, inordinatos affectus, appetitus, vitia & peccata penitùs eliminemus, & ideò mundamini; quia, ut Oleaster ait: Qui summo DEO est litaturus, oportet eum mundari intus & extra.

Ibid. n. 2. IV. In Exodi Libro Aaroni & Filiis ejus DEUS præcepit: *Facies labrum æneum cum basi sua ad lavandum, ponésque illud inter tabernaculum testimonii, & altare.* Quo verò fine DEUS lavacrum istud erigi præceperit, sacer Textus manifestè declarat, dum inquit: *Missâ aquâ lavabunt in ea Aaron & filii ejus manus suas ac pedes, quando ingressuri sunt ad altare, ut offerant in eo.* Circa quæ verba persuadere mihi facilè possem, solùm in ministris Sacerdotalibus hanc requiri munditiam, & puritatem interiorem; nisi Oleastro videretur, eandem quoque requiri in omnibus aliis, qui ad altare accedunt, etiam Missam duntaxat auscultaturi, quod convenienus esse existimo, licet non sit necessarium, nec omissio ejus mortaliter culpabilis existat. Adumbrat, inquit Oleaster, lotus iste examen, quod quisque facere tenetur, cùm ingreditur domum DEI, ut non nisi lotus ingrediatur, sed timendum est valdè, ut Augustinus notavit, ne maculas à corpore extergas & laves, non autem à mente. Ubi præcipuè notanda sunt verba illa: Quisque facere tenetur,

V. S. Proclus Missam olim longissimam fuisse, postea verò à S. Basilio abbreviatam, ac tandem à S. Joanne Chrysostomo, ob pigritiam & nauseam Christianorum, in Ecclesia potiùs lenocinantium, quàm Missam auscultantium, compendiosiorem factam fuisse tradit. Idem Baronius refert, quòd inter alios abusus à S. Augustino sublatos unus fuerit, quòd videlicet multi è Missa recederent, priusquam eidem finis impositus fuisset, alter *Baron. ad an. 446. n. 22.*

verò

verò, quòd, quo tempore Missa celebratur, circumstantes fabulis vacare consueverint, quem utrumque abusum præcipuè verò Missarum prolixitatem fastidientium, idem Augustinus graviter reprehendit.

Mansi disc. 14. n. 3. VI. Cùm aliquando insigni illi DEI servo Angelo de Paze annunciaretur plurium querela, qui illum prolixam nimis Missam celebrare lamentabantur, is se excusavit; dicendo: certus sum, quòd Missa mea nunquam ad illud usque tempus se extendat, quòd Christus Missæ Sacrificii cruenti in monte Calvario celebratæ impendit, hæc enim quatuor horarum spatio duravit.

Ibidem. VII. Considerent, obsecro, hi, qui de Missæ prolixitate conqueruntur, damnum, quod sibi ipsis concilians, quia si subditus prolixam Principis sui desiderat, & ambit audientiam, benignúmque & familiare illius colloquium, quantumvis diuturnum, ut hac ratione desideratos ab eo favores & gratias implorare, aut ad beneficia aliis impetranda occasionem habere possit; quantò magis Christianus gaudere deberet, se opportunitatem fuisse nactum, ut in Missa longo tempore, præsentiâ corporali Filii DEI, ibidem ad nos divinâ gratiâ suâ cumulandos, bonorumque terrenorum prosperitate locupletandos, realiter existentis, frui possit? D. Chrysostomus, se intelligere non posse profitetur, quomodo Christianus comœdiis profanis quantumcunque prolixis oculos & aures avidas sine ullo fastidio præbere possit, & postea verbum DEI auscultare fastidiat. Hic verò, inquit, ubi loquitur DEUS, ne exiguum quidem patientiæ tempus exspectet. Quæ verba etiam illis, qui longas Missas impatienter audiunt, facilè applicare possumus, in hac enim non solùm DEUS in propria persona loquitur, verùm etiam ipsemet est Sacerdos, victima, & Sacrificium. En ipsamet D. Chrysostomi verba: Centum & sexaginta horas habenti in hebdomada, unam & solam horam sibi segregavit DEUS, & hanc in opera sæcularia & ridicula, & conventicula infamis?

TITULUS LXV.

SANCTORUM CULTUS ET FESTA.

§. I.

QUOAD ESSENTIAM SEU INSTITUTIONEM.

Origo Festorum.

D. Chrysost. ho. 10. in Gen. I. DIerum Festorum sanctificatio, immediatè & sine dilatione post conditum Mundum à Deo præcepta fuit, quando scilicet die septimo à creaturarum productione ulteriùs prosequendâ cessavit; prout ex verbis (*benedixit diei septimo* &c.) clarè deducitur: quid enim est (*& sanctificavit illum*) interrogat D. Chrysostomus: nihil profectò aliud, quàm ab aliis illum segregavit, docente nos Divinâ scripturâ; propter quod, postquam dixit: *Et sanctificavit illum*, adjicit: *eò quòd in illo requieverat ab omnibus operibus suis, quæ cœperat DEUS facere*. Jam hinc ab initio doctrinam hanc nobis insinuat DEUS, erudiens, in circulo hebdomadis diem unum integrum segregandum, & reponendum in spiritualem operationem.

Lippoman. in c. 2. Gen. II. Lippomannus quoque censet, Moysen per hoc verbum *benedixit*, modum exprimere voluisse, qui in obsequio & cultu DEO exhibendo servandus est: Unde ly *benedixit* ita exponit: id est, in eo sibi benedictiones ad laudes fieri voluit, sibique consecravit; cæteros quidem operum exercitio deputans, illum verò suo cultui mancipans; sanctificatio enim idem est, quod ad divina obsequia applicatio.

III. Cur autem DEUS diem septimum potiùs suo cultui destinârit, hujus sacer textus sequentem assignat rationem: *Quia requievit ab universo opere, quod patrârat*; quibus verbis modus festa sanctificandi innuitur, qui in eo consistit, ut in illis ab omni opere servili abstineatur. Doctor Angelicus inter multas rationes, institutionis & sanctificationis hujus diei, talem quoque adducit: Primò datum fuit ad destructionem erroris: prævidit enim Spiritus S. quòd futuri erant aliqui, dicturi mundum semper fuisse, de quibus S. Petrus loquitur: voluit ergo DEUS, ut custodiretur unus dies in memoriam, quòd DEUS omnia creaverat in sex diebus; & in septimo quievit à novis creaturis condendis. Porro hujus præcepti renovationem ex universâ sacræ Scripturæ serie nullibi factam fuisse colligitur, nisi postquam populus Israeliticus in deserto substitit: antea enim præceptum hoc eidem populo implicitè quidem traditum fuit, quando nimirum DEUS illis Manna suum liberaliter impertiens, disposuit, ut hoc illis quotidie deplueret, quo- *Mansi tr. 18. disc. 1. n. 3.*

Digitized by Google

quotidiè pariter ab illis colligendum, præterquam in die Sabbati: *Sex diebus colligetis, in die autem septimo Sabbatum est Domini, idcirco non invenietur.* At verò quia in servitute Ægyptiaca à Pharaone in luti, lateribusque operibus continuò occupati, & oppressi, hanc Sabbati sanctificationem dudum neglexerant, non obstante, quòd DEUS illis eo die cœlestem huius Manna annonam minimè depluisse dixisset; ideo dixit Dominus ad Moysen: *usquequo non vultis custodire mandata mea, & legem meam? videte, quòd Dominus dederit vobis Sabbatum, & propter hoc die sexta tribuit vobis cibos duplices; & Sabbatizavit populus die septimo.* Tandem verò in monte Sinai præceptum hoc, quod inter alia Decalogi tertium est, unà cum aliis expressim his verbis eidem imposuit populo: *Memento, ut diem Sabbati sanctifices; sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua, septimo autem die Sabbatum Domini DEI tui est, non facies omne opus in eo, tu, & filius tuus, & filia tua, servus tuus, & ancilla tua, jumentum tuum, & advena, qui est intra portas tuas: sex enim diebus fecit Dominus cœlum & terram, & mare, & omnia, quæ in eis sunt, & requievit in die septimo, idcirco benedixit Dominus diei Sabbati, & sanctificavit eum.*

Ibid. IV. Præter Sabbati Sanctificationem, DEUS eidem populo alios per annum dies festos præscripsit: quales erant dies Paschæ & Pentecostes, festum item, quod Tubarum dicebatur, festum propitiationis vel expiationis, festum Tabernaculorum & Collectarum: præter quæ ipsimet Judæi alia quatuor festa instituerunt; nimirum liberationis, quæ Judæis per Esther Reginam obtigit: festum dedicationis Templi, Encœnia dictum; Festum ignis Sacri, de quo, 2. *Machab. 1. v. 4.* legitur; ac denique festum ob Nicanoris mortem institutum, *de quo primo ejusdem Historiæ lib. c. 7.* scribitur.

Ibid. V. Tandem verò Sabbatum olim à populo Judaico sanctificatum, ab Ecclesia in Dominicam translatum fuit, ne populus Christianus Judaizare videretur; maximè verò quia hoc eodem die Salvator noster, è sepulchro redivivus surrexerat, id quod ex præhabito, inter Apostolos consilio, statim post Resurrectionem factum fuisse dicere oportet; clarum enim in Apocalypsi huius argumentum habemus: nam *cap. 1,* S. Joannes dicit: *fui in spiritu in Dominica die*; præterquam quod S. Ignatius Martyr, Apostolorum coëtaneus, Dominicæ mentionem faciat, eámque specioso hoc titulo Reginam & Principem omnium dierum condecoret. In antiquo etiam Concilio sequentia verba expressa leguntur: Christianorum Religiosæ devotionis (quæ, ut creditur, ex Apostolorum traditione, imò Ecclesiæ authoritate descendit) mos inolevit, ut in memoriam Dominicæ Resurrectionis, diem Dominicum venerabiliter atque honorabiliter colat, quoniam eo die DEUS lucem condidit mundi; eo die Christus à mortuis resurrexit; eo die Spiritum S. Paraclitum Apostolis misit de cœlo; eo die Manna pluit. Sed & in Concilio quodam anno 1203. sub Innocentio III. in Scotia celebrato, dum in Dominicæ originem diligens instituereretur indago, prout in annotationibus dicitur, celebris quidam Prædicator sequentia asseruisse legitur: Hoc mandatum subscriptum de observatione diei Dominicæ, venit de cœlo. Mandatum sanctum diei Dominicæ, quod de cœlo venit in Jerusalem, & inventum est super altare S. Simeonis, quod est in Golgotha, ubi Christus Crucifixus est pro peccatis mundi. Et mandavit Dominus hanc Epistolam, quæ apprehensa est super altare S. Simeonis, quam per tres dies, & tres noctes, homines aspicientes corruerunt in terram, orantes Dei misericordiam: & post horam tertiam, erexit se Patriarcha, & Azarias Archiepiscopus, & expenderunt infulam, & sanctam acceperunt Epistolam DEI, quam cùm accepissent, invenerunt superscriptum istud: *Ego Dominus, qui præcepi vobis, ut observaretis diem sanctum Dominicum, & non custodistis eum, & de peccatis vestris non pœnituistis, &c.* Ex qua historia, quanto cum Zelo DEUS exactam Dominicæ observantiam urgeat, clarè deducitur: cuius diei ab antiquis Patribus multa eximia conscripta encomia legimus. Eo die, inquit D. Chrysostomus, destructus est infernus, extinctum maledictum, disparuit peccatum, confractæ inferorum portæ, captivus factus est Diabolus, diuturnum bellum diremptum, conciliati DEO homines, nostrúmque genus ad pristinam, imò ad majorem rediit dignitatem, viditque sol inopinatum & admirabile illud spectaculum, quòd homo factus est immortalis.

VI. S. Bernardinus duodecim enumerat Dominicæ prærogativas; 1. Quia omnium dierum prima existit. 2. Quia omnium dierum ultimus erit. 3. Quia noctem præcedentem non habuit. 4. Quia noctem subsequentem non habebit. 5. In dominica DEUS cœlum & terram creavit. 6. Quia in ea omnes Angeli fuêre creati, ex quibus boni glorificari, mali verò puniri meruerunt. 7. Quia in hoc die lex data fuit populo Israëlitico. 8. Quia in ea natus Christus, & Manna primitus è cœlo dilapsum fuit. 9. Quia in ea Christus inferno devicto, electisque animabus è sinu Abrahæ eductis, ad vitam resurrexit immortalem. 10. Quia in Dominica omnium mortuorum continget resurrectio, justáque singulis pro meritis præmia assignabuntur. 11. Quia hoc die super Apostolos Spiritus Sanctus descendit. 12. Quia eodem die in Paradiso initium erit æternitatis illius, quam omnes animæ electæ, perennes DEO laudes & gratias persolvendo, sine fine continuabunt. *S. Bernardin. to. 1. s. 10. a. 1. & 2.*

VII. S. Antoninus inter alias causas, ob quas sanctificandus est dies Dominicus, hanc quoque adducit; cùm enim corpus nostrum de terra sumptum sit, naturâ suâ bona hæc terrena appetit, iisdémque per affectus suos immersum vivit, quibus ne nimiùm insordescat, opus habet, ut ad bona cœlestia mentem suam nonnunquam elevet, eóque fine opportunum sibi tempus destinatum *S. Antonin. in summ. tit. 14. c. 4.*

natum habeat ; ideóque, inquit, oportet habere certum tempus , in quo cùm non liceat ei vacare operibus , detur ei materia vacandi Spiritualibus. Sicut enim corpus indiget aliquo tempore ad refectionem sui , quæ fit per somnum , comestionem & hujusmodi , aliàs deficeret in operando , & vivendo ; ita & anima indiget refectione spirituali , ne deficiat , quæ fit per orationes & alia spiritualia.

Mansi l. c. n. 9. VIII. Quemadmodum verò præter hanc Sabbati sanctificationem, ut paulò antè diximus, aliæ quoque Hebræorum populo præscriptæ fuerunt solemnitates , ita etiam Ecclesia nobis Christianis, præter diem Dominicum , multa alia festa in honorem DEI & Filii eius, ipsiúsque Sanctissimæ Matris , & aliorum Sanctorum præscripsit. S. Bernardinus quærit , quare alia festa ultra diem Dominicam addita ? Respondétque , id principaliter factum esse propter rememorationem beneficiorum , quæ nobis à DEO in talibus diebus collata sunt. Sic enim festum natalis celebratur in honorem nativitatis nostri Salvatoris ; Pascha in memoriam resurrectionis eius ; Epiphania , ad recolendà tria illa tam insignia mysteria, &c. Sic pariter varias celebramus sanctissimæ Virginis solemnitates, ob multas perfectiones , quas in se habuit, inquit S. Bernardinus , & nobis divino Numine inspirante, participat & confert. Præterquam quòd SS. Virginis festa ob aliud quoddam emolumentum nostrum celebremus, quia nimirum est divinarum opum thesauraria , quarum participio tantopere indigemus. Quod verò alios Sanctos attinet , hi quidem , ut S. Bernardus ait , bonorum nostrorum non egent, nec quidquam eis per nostras devotiones præstatur, sed planè quòd eorum memoriam veneramur , nostrâ interest, non ipsorum : dum enim eorum solennitates celebrando , nos pro beneficiis, quæ eorum suffragiis interveniéntibus ,continuò recipimus , gratos exhibemus , eosdem ad patrocinii continuationem obligamus, simúlque DEI nobis amicitiam comparamus, cui honor, servis, & amicis eius exhibitus mirè placet : Unde David non dubitat spondere : *Voluntatem timentium se faciet , & deprecationem eorum exaudiet.* Quis , inquit S. Augustinus, magnitudini timentium DEUM, æqualem se audebit dicere , qui paratum habent DEUM voluntati eorum ? Et S. Bernardinus in eodem sermone, eadem hæc utilissima motiva considerans, ait : Nec sanè parùm fructuosa invenitur memoria festiva sanctorum , languorem , teporem , errorémque depellens, cùm eorum intercessione juvetur infirmitas nostra , consideratione beatitudinis excitetur negligentia nostra, ignorantia quoque nostra ipsorum erudiatur exemplis. S. Augustinus de profectu, quem Christianus ex festis Martyrum colligere debet , differens, quis finis in eorum celebratione iis præfigendus sit, his verbis docet : ut ea celebritate, inquit, & DEO vero de illorum victorijs gratias agamus , & nos ad imitationem talium coronarum atque palmarum, eodem invocato in auxilium , ex eorum memoriæ renovatione adhortemur.

& P. Lohn. Auctar. Bibl.

§. II.

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas.

I. Benedixit DEUS diei septimo , & sanctificavit illum. *Gen. 2.*

II. Memento , ut diem Sabbati sanctifices. *Exod. 20.*

III. Hæc dicit Dominus : Vade , & sta in porta filiorum populi, per quam ingrediuntur Reges Juda, & egrediuntur ; & in cunctis portis Jerusalem , & dices ad eos : audite verbum Domini , Reges Juda & omnis Juda , cunctique habitatores Jerusalem , hæc dicit Dominus: custodite animas vestras , & nolite portare pondera in die Sabbati , & nolite eijcere onera de domibus vestris in die Sabbati , & omne opus non facietis. *Jerem. c. 17.*

IV. Locutus est Dominus ad Moysen , dicens : loquere filiis Israël , & dices ad eos : hæ sunt feriæ Domini , quas vocabitis Sanctas. Sex diebus facietis opus ; dies septimus , quia Sabbati requies est , vocabitur sanctus , omne opus non facietis in eo , quod paulò pòst magis declarat , dum ait : Nullum servile opus facietis. *Levit. 23.*

V. Dies septimus celeberrimus & sanctus erit vobis : omne opus servile non facietis in eo. *Num. 28.*

VI. Audite verbum Domini , Principes Sodomorum , populus Gomorhæ : quò mihi multitudinem victimarum vestrarum , dicit Dominus ? Plenus sum. Ne offeratis ultrà sacrificium frustra : incensum abominatio est mihi ; Neomeniam , & Sabbatum , & festivitates alias non feram ; iniqui sunt cætus vestri ; Calendas vestras , & solemnitates vestras odivit anima mea : facta sunt mihi molestia , laboravi sustinens. Et , cùm extenderitis manus vestras , avertam oculos meos à vobis : & cùm multiplicaveritis orationem, non exaudiam. *Isaiæ 1. 13.*

Utilitas.

VII. Si averteris à Sabbato pedem tuum , facere voluntatem tuam in die sancto meo , & vocaveris Sabbatum delicatum , & sanctum Domini gloriosum , & glorificaveris eum, dum non facias vias tuas , & non invenitur voluntas tua : Tunc delectaberis super Domino , & sustollam te super altitudines terræ , & cibabo te hæreditate Jacob Patris tui , os enim Domini locutum est. *Ibid. 58.*

VIII. Si sanctificaveritis diem Sabbati , ne faciatis in eo omne opus, ingrediéntur per portas civitatis hujus Reges & Principes , sedentes super solium David , & ascendentes in curribus & equis , ipsi , & Principes eorum , viri Juda , *Jerem. 17.*

&

& habitatores Jerusalem, & habitabitur civitas hæc in sempiternum.

Levit. 26. IX. Custodite Sabbata mea, & dabo vobis pluvias temporibus suis, & terra gignet germen suum, & pomis arbores replebuntur, apprehendet messium tritura vindemiam, & vindemia occupabit sementem, & comedetis panem vestrum in saturitate, & absque pavore habitabitis in terra vestra. Dabo pacem in finibus vestris: dormietis, & non erit, qui exterreat: auferam malas bestias, & gladius non transibit terminos vestros: persequemini inimicos vestros, & corruent coram vobis. Respiciam vos, & crescere faciam: Multiplicabimini, & firmabo pactum meum vobiscum: Ponam Tabernaculum meum in medio vestri.

§. III.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Qualitas.

S. Isid. l. 1. de Off. Eccl. c. 34. I. OMnes festivitates pro varietate Religionum, diversaque in honorem Martyrum tempora, ideo à viris prudentibus instituta sunt, ne fortè rara congregatio populi, fidem minueret in Christo; propterea ergo, dies aliqui constituti sunt, ut in unum omnes pariter convenirent, ut è conspectu mutuo & fides crescat, & lætitia major oriatur.

S. Chrys. hom. 1. de Laz. II. Judæi putant, sibi Sabbatum otij gratiâ fuisse datum: verùm non ista est causa, sed potiùs, ut abducti à curis rerum temporalium, otium omne consumerent in spiritualibus; quod enim Sabbatum non otij, sed spiritualis actionis materia fit, dilucidum est, ex ipsis rebus.

S. Petr. Damian. l. 4. ep. 16. III. Ille Sabbatum Domini veraciter celebrat, qui sic ab his, quæ mundi sunt, operibus vacat, ut à spiritualibus tamen actibus non quiescat: unde Veritas ait: aut non legistis, quia Sacerdotes in templo Sabbatum violant, & sine crimine sunt?

Origenes ho. 23. in Num. IV. Si ergo desinas, inquit, ab omnibus sæcularibus operibus vaces, ad Ecclesiam convenias, lectionibus divinis aurem præbeas, & de cœlestibus cogites, de futura spe solicitudinem geras, venturum judicium præ oculis habeas, non respicias ad præsentia & visibilia, sed ad invisibilia & futura; hæc est observatio Sabbati Christiani.

S. Beda l. de alleg. V. Conscientia cùm à vitiis purgata, DEO inhabitatore gaudet, Jerusalem rectè potest vocari; quæ sunt hujus portæ Jerusalem, nisi sensus corporis nostri, videlicet visus, auditus, gustus, olfactus, & tactus? per quos illa, quæ foris aguntur, ad notitiam nostræ mentis, quasi intrando pertingunt, quos in die Sabbati claudere jubemus; ut, cùm DEO vacare, Psalmis sive orationibus nos occupando, quærimus, omne, quod exterius agitur, ab animo procul ejiciatur.

VI. Debemus in iis cavere culpam; nam peccatum opus servile est; quia, ut dicitur Joann. 8. *Qui facit peccatum, servus est peccati*; unde cùm dicitur: *Omne opus servile non facietis in eo*, potest intelligi de peccato, & ideo contra præceptum hoc facit quis, quando in sabbatho peccat, quia operando & peccando DEUS offenditur. Et ideo DEUS apud Isaiam protestatur, inquiens: *Sabbatum & festivitates alias non feram:* & quare? *Quia iniqui sunt cœtus vestri.* *S. Thom. op. Manip. disc. 3. n. 8.*

VII. Quo circa festa celebramus, non ut mos est, in Publicis festis & solemnitatibus, per luxum & lasciviam, atque hujusmodi oblectationem, sed spiritualiter, atque ut DEO gratum est, non mundi ritu, id est, voluptariè, & ut Mundi Princeps cupit; sed supra mundi ritum, id est Angelicè, non res nostras, id est, quæ ad cultum, & observantiam nostri, sed quæ ad cultum Christi spectent. *Nicetas orat. 38. Naz.*

VIII. Nobis sollicitiùs providendum est, ut solemnem diem non tam ciborum abundantiâ, quàm spiritûs exultatione celebremus, quia valde absurdum est, nimia saturitate velle honorare Martyrem, quem scimus DEO placuisse jejuniis. *S. Hier. ad Eustoch.*

IX. Tanta est nequitia Dæmonum, & nocendi cupiditas, quòd, quidquid à DEO pro charitate generanda, & augmentanda, & conservanda institutum est, totum conentur avertere in opprobrium divinæ dilectionis, & detrimentum nostræ salutis. Statuerat DEUS sacras solemnitates & dies festos, ut cessaremus à vitiis, vacaremus ab operibus mundanis, & insisteremus divinis; jamque corda nostra prægustando suavitates & præludia æternorum, delicata Sabbata celebrarent; sed insidiante humani generis inimico, quod statutum fuerat ad DEI gloriam, & nostram salvationem, jam utique conversum est ad DEI ignominiam & nostram damnationem. *S. Bernardin. to. 2. S. 10.*

X. Christiano spirituale Sabbatum agere, est, à laboriosa rerum temporalium cupiditate quiescere, solis orationum, ac lectionum studiis insudare, sæcularium negotiorum pondus de mentis cervice projicere, ad contemplanda cœlestia totâ cordis intentione vacare, carnis oblectamenta contemnere, de sola spe cœlestium spirituali jucunditate gaudere; de hoc enim dicit Apostolus: *Relinquitur ergo sabbatismus populo DEI.* *S. Petrus Damian. ep. 16.*

XI. Sanctorum solemnitates celebrandas Patres censuerunt, ut vel eorum in animis nostris excitarent imitationem, vel ut eorundem meritis consociati, beatarum mentium precibus iuvaremur: nam, ut ait Augustinus: solemnitates Martyrum exhortationes martyriorum sunt, ut eos imitari non pigeat, quos celebrare delectat. *Concil. Narbon. 1609. n. 5.*

XII. Martyrum Festa non ex dierum circuitu solùm, sed etiam ex eorum animo, qui ea celebrant, æstimantur. Exempli causa: Imitatus es Martyrem? virtutem ejus æmula- *S. Chrys. l. 1. c. ser. 59.*

ius

tu es ? etiam cùm festum non esset Martyris, celebrasti festivitatem Martyris. Honor Martyris, imitatio est Martyris.

Idem hom. 3. de S. Anna. XIII. Festa non multitudo convenientium facere solet, sed virtus; non sumptuosus vestitus, sed pietatis ornatus; non mensæ dapsilitas, sed cura animæ: maximum enim festum est, conscientia bona.

S. Cyrillus Alex. ho. 23. de Pasch. XIV. Quemadmodum divinus ait Psaltes: Tempus faciendi, Domine, sanctam videlicet, purissimámque celebritatem; usitatum est plerumque festos dies agentibus, vestibus egregiè nitidis cultos atque ornatos conspici, omníque labe sordium purgata indumenta gestare, ea namque tempori convenire aliquis dixerit. Veruntamen haudquaquam ut externis tantummodo effulgeamus ornamentis, dandam à nobis operam esse, arbitror, sed ut animæ sordes eluamus, omni à nobis studio laborandum puto.

S. Gregor. apud Manss. disc. 13. n. 8. XV. Ecce Paschalia solemnia agimus, sed ita vivendum est nobis, ut pervenire ad æterna festa mereamur. Transeunt cuncta, quæ temporaliter festiva celebrantur: curate, qui his solemnitatibus interestis, ne ab æterna solemnitate separemini. Quid prodest, interesse festis hominum, si deesse contingat festis Angelorum? umbra venturæ solemnitatis est solemnitas præsens, idcirco hanc annuè agimus, ut ad illam, quæ non est annua, sed continua, perducamur. Frequentatione gaudii temporalis, ad æterna gaudia mens incalescat, & ferveat, ut ex veritate lætitiâ perfruatur in Patria, quod de umbra gaudet meditator in via.

Rup. Abb. l. 1. in Naham. c. 2. XVI. Quid prodest qualescunq; festivitates celebrare deforis, nisi festivitas contemplationis in mente fuerit? proinde celebra, Juda, festivitates tuas, & redde vota tua. Psalmistam interroga, & ipse tibi dicet, quomodo facere debeas. *Quoniam*, inquit, *cogitatio hominis confitebitur tibi; & reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi, vovete & reddite Domino DEO vestro omnes, qui in circuitu affertis munera.* Istæ sunt tuæ festivitates, ut cogitatio tua DEO confiteatur, & si non omnis cogitatio festiva esse potest & splendida, saltem reliquiæ cogitationis diem festum agant, id est, saltem post infestationes malarum cogitationum, locum mentis obtineant cogitationes bonæ, juxta illud: peccasti? quiesce.

S. Chrys. s. de S. Phil. XVII. An non absurdum, tantam habere curam rerum corporalium, ut appropinquante festo, multis antè diebus vestem è scrinio depromptum diligenter appares, emas calceamenta, mensa largior splendidiórque paretur, denique variam undique rerum copiam excogites, omnibúsque modis temetipsum ornes, animæ verò neglectæ, squalidæ, famæ contabescentis nullum habeas respectum?

Orig. hom. 23. in Num. XVIII. Habet DEUS dies festos suos; est enim ei magna festivitas, humana salus. Ego puto, quòd per singulos quoque credentium, per singulos, qui convertuntur ad DEUM, qui proficiunt in fide, festivitas Domini oritur. Quomodo putas, lætificat eum, cùm is, qui fuerat impudicus, fit castus; qui fuerat injustus, justitiam colit; & qui fuerat impius, efficitur pius? Istæ omnes singulorum quorumque conversiones, festivitates generant DEO. Nec dubium, quin & Dominus noster JESUS Christus, qui pro salute nostra etiam Sanguinem suum fudit, agat festivitatem maximam, cùm operæ pretium videt esse, quòd se humiliavit, factus obediens usque ad mortem. Agit festa pariter & Spiritus Sanctus, ubi plura sibi videt in iis, qui convertuntur ad DEUM, templa præparata. De Angelis verò quid dicam, ad quorum festivitatem lætantium dicuntur accedere omnes, qui convertuntur ad Dominum? Aut non est illis magna festivitas, cùm *lætantur in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente, magis, quàm super nonaginta novem justis, qui non indigent pœnitentia?* agunt ergo etiam Angeli diem festum, lætantes super his, qui refugientes consortia dæmonum, per exercitia virtutum angelicis se festinant sociare consortiis. Mirum fortasse sit, quod dicere volo. Causas (ut videtur) festivitatis & lætitiæ nos DEO & Angelis damus, nos occasionem lætitiæ & exultationis, in terris positi, cœlo præbemus, dum super terram ambulantes, conversationem habemus in cœlis, & per hoc sine dubiò diem festivum cœlestibus virtutibus generamus.

XIX. Cui festivitas est celebranda sublimior, ipse quoque in ea reperiatur ornatior: Si enim rationabile, & quodammodo religiosum videtur, & per diem festum in vestitu nitidiore prodire, & habitu corporis hilaritatem mentis ostendere; si ipsam quoque orationis domum propensiore tunc curâ & ampliore cultu, quantùm possumus, adornamus: Nonne dignum est, ut anima Christiana, quæ verum vivúmque DEI Templum est, speciem suam prudenter exornat? & omni circumspectione præcaveat, ne ulla eam maculam iniquitatis obfuscet? quid prodest honestatis formam præferens cultus exterior, si interiora hominis aliquorum sordeant contaminatione vitiorum? omnia igitur, quæ animi puritatem, & speculum mentis obnubilant, abstergenda sedulò. *S. Leo S. 3 de quad.*

XX. Ineptum, si sanctis, qui res orbis universas contempserunt, his esse opus commendationibus, putamus, igitur nostri tantùm causâ profectûs, sat fuerit illorum celebrare memoriam; non enim indigent laudibus nostris ornari, sed nos ipsorum vitæ historiâ, & commemoratione imitationis gratiâ indigemus; quemadmodum enim ex igne naturaliter emicat splendor, ex unguento quoque præstanti diffunditur odor, sic è sanctorum commemoratione festorum ad omnes provenit utilitas. *S. Basil. ho. 19. in Gord. M.*

XXI. In sanctis suis laudari DEUS desiderat, & honorari in terris: ut accidat, quod ait Psalmographus: *Laudate Dominum* *Decreta Ecci. Gall. l. 4. c. 13.*

rum in sanctis suis, non quòd honorum nostrorum, aut laudum præconiis egere noscantur, sed, ut per merita gloriosa sanctorum, quos veneramur in terris, eorum intercessionibus adiuti propitiationem mereamur obtinere in cœlis. Divus quoque Chrysostomus aliam quandam adfert rationem, dicens: Atque ex septem his diebus unum ad communis omnium Domini cultum servitiúmque collocandum meritò arbitramur; nonne ridiculum est, ut famulos nostros in nostris semper negotiis occupatos velimus, nos verò nullum DEO exhibere servitium, præsertim cùm nostra omnis servitus nihil ei quicquam conferat? DEUS enim nullâ re indiget, sed ad nostram penitus redundat utilitatem.

S. Aug. c. 21. contra Faust. XXII. Populus Christianus memorias martyrum religiosâ solennitate concelebrat, ad excitandam imitationem, ut meritis eorum consocietur, atque orationibus adjuvetur.

Idem S. 26. de Sanctis. XXIII. Quotiescunque Martyrum memorias celebramus, prætermissis omnibus sæculi actibus, sine aliqua dilatione concurrere debemus ad Domum DEI, reddere illis honorificentiam, qui nobis salutem effusione sui sanguinis pepererunt, qui tam sacratam hostiam pro nostra propitiatione Domino se obtulerunt: præsertim cùm dicat ad sanctos suos Omnipotens DEUS: *Qui vos honorat, me honorat; & qui vos spernit, me spernit.*

Idem S. de S. Io. Bapt. XXIV. Tunc pro nobis Sanctus, quidquid petierimus, poterit obtinere, si nos festivitatem suam sobrios, castos, absque ullo turpiloquio cognoverit celebrare.

§. IV.

EXEMPLA SACRA.

Cultus Sanctorum.

Iacob. de Voragine in vit. S. Andreæ. I. EPiscopus quidam religiosam vitam agens, beatum Andream inter cæteros, & supra Sanctos cæteros in veneratione habebat, ita quòd in cunctis suis operibus hunc semper titulum præponebat: *Ad honorem DEI, & beati Andreæ.* Invidens igitur viro sancto hostis antiquus, ad eum decipiendum totâ calliditate se contulit, séque in formam pulcherrimæ mulieris transformavit. Venit igitur ad Palatium Episcopi, asserens, se velle confiteri eidem. Mandat Episcopus, ut suo Pœnitentiario confiteatur, cui plenitudinem tradiderat potestatis. Renunciat illa, quòd nulli hominum nisi sibi secreta suæ conscientiæ revelabit; sicque victus Episcopus, eam ad se venire præcepit. Cui illa: Obsecro, Domine, miserere mei. Ego enim in annis puellaribus, (ut cernitis) constituta, & à pueritia delicatè enutrita, nec non & regiâ stirpe progenita, huc in peregrino habitu sola veni. Nam pater meus Rex, utique valde potens, cuidam magno Principi me volebat in conjugium sociare, cui respondi, quòd omnem thorum abominarer maritalem, quia virginitatem meam Christo dedicavi in perpetuum, & ideo nunquam possem in carnalem copulam consentire. Denique sic arctata, quòd oportebat me aut ejus voluntati durissimæ obedire, aut certè diversa subire supplicia, latenter fugam inii, magis eligens exulare, quâm sponso meo fidem infringere. Audiens verò vestræ sanctitatis præconium, sub alas vestræ protectionis confugi, sperans, me apud vos reperire locum quietis, ubi possim contemplationis capere secreta silentia, præsentísque vitæ vitare naufragia, & perturbationes Mundi perstrepentis fugere. Admirans in eâ Episcopus nobilitatem generis, pulchritudinem corporis, tam immensum fervorem, & tantæ eloquentiæ venustatem, placidâ & benigna voce respondit: *Esto secura, ô filia, nec formides: quia ille, ob cujus amorem te & tuos, & tua tam viriliter contempsisti, tibi ob hoc & in præsenti cumulum gratiæ, & in futuro plenitudinem gloriæ largietur.* Sed & ego servus me & mea tibi offero; eligásque tibi, ubi placuerit, mansionem; volo autem, ut mecum hodie prandere debeas. Cui illa: Noli, inquit, Pater, noli de hac re me rogare, ne fortè ex hoc aliqua suspicionis causa proveniat, & nitor famæ vestræ denigrationem aliquam patiatur. Ad quam Episcopus dixit: Plures erimus, & non soli, & ideo nullus malæ suspicionis scrupulus in aliquo poterit generari. Venientes itaque ad mensam, Episcopus & illa ex opposito consederunt, cæteris residentibus hinc & inde; intendit in eam Episcopus crebrò, ejúsque faciem intueri non desinit, & pulchritudinem admirari, sicque dum oculus figitur, animus sauciatur; &, dum ejus faciem non desinit intueri, antiquus hostis cor ejus gravi jaculo vulneravit; perpendit ipse diabolus hoc, & pulchritudinem suam cœpit magis ac magis augere. Jámq; Episcopus proximus erat consensui, ut eam de illicito opere attentaret, quando possibilitas se offerret. Tunc subitò quidam peregrinus venit ad ostium, crebris ictibus, & magnis clamoribus sibi postulans aperiri. Cúmque sibi aperire nollent, & ille clamoribus & ictibus nimis eis fieret importunus, interrogat Episcopus mulierem, si ingressum illius hominis acceptaret. Cui illa dixit: proponatur sibi aliqua quæstio satis gravis, quam si enodare sciverit, admittatur; si autem nescierit, tanquam inscius & indignus Episcopi præsentiâ, repellatur. Favent omnes ejus sententiæ, & quis sufficiens esset hanc quæstionem proponere, sciscitantur. Cúmque nullus sufficiens inveniretur, Episcopus dixit; quis nostrum ad hoc sufficiens est, quàm vos, O Domina, quæ cæteros nos & eloquentiâ præceditis, & sapientiâ plùs nobis omnibus rutilatis? vos ergo hanc proponite quæstionem; Tunc illa dixit: Interrogetur, quod est majus miraculum, quod

DEUS

DEUS unquam in parva re fecerit ? interrogatus de hoc peregrinus per nuncium, dixit, diversitas & excellentia facierum. Inter tot enim homines, qui fuerunt ab initio mundi, & usque ad finem futuri sunt, duo reperiri non possunt, quorum facies per omnia similes essent. In ipsa quoque tam minima facie DEUS Omnipotens omnes sensus corporis collocavit. Audientes omnes ejus responsionem, admirantes dixerunt: vera & optima est solutio quæstionis. Tunc mulier ait: Proponatur ei quæstio secunda gravior, in qua melius possimus ejus sapientiam experiri: quæratur ab eo, ubi terra sit altior omni cœlo ? percontatus de hoc peregrinus, respondit: in cœlo Empyræo, ubi residet Corpus Christi. Corpus enim Christi, quod est altius omni cœlo, est de nostra carne formatum, porro caro nostra quædam terrea substantia est: cùm igitur Corpus Christi super omnes cœlos sit, & de nostra carne originem duxerit, caro autem nostra de terra sit condita, constat, quòd, ubi corpus Christi residet, ibi procul dubio terra altior cœlo manet. Refert nuncius, quid responderit peregrinus; ecce omnes responsionem ejus mirabiliter approbant, & magnificè ejus sapientiam laudant. Tunc iterum illa dixit: fiat ei tertia quæstio gravissima, & occulta, & ad solvendum difficilis, & obscura, ut sic ejus sapientia tertiò comprobetur, & dignus sit, quòd ad mensam Episcopi meritò admittatur. Quæratur igitur sic ab eo, quantum spatii sit à terra usque ad cœlum. Requisitus de hoc peregrinus, nuncio dixit: vade ad eum, qui te misit ad me, & de hoc eum diligentiùs percontare, ipse enim meliùs me novit hoc, & ideo tibi de hoc meliùs respondebit, nam ipse illud spatium mensuravit, quando de cœlo in abyssum cecidit, ego autem nunquam de cœlo cecidi, & ideo nunquam illud spatium mensuravi. Non est enim mulier, sed Diabolus, qui se posuit in similitudinem mulieris. Audiens hoc nuncius vehementer expavit, & ea, quæ audierat, coram omnibus recitavit. Mirantibus itaque omnibus & stupentibus, antiquus hostis de medio eorum evanuit. Episcopus autem rediens ad se, amarè redarguit semetipsum, & de perpetrata culpa veniam lamentabiliter precabatur. Misitque unum, ut introduceretur peregrinus, sed nequaquam ampliùs invenitur. Episcopus verò tunc populum convocavit, & ei evidenter exposuit ordinem gestæ rei, præcepitque, ut omnes jejuniis & orationibus insisterent, si fortè Dominus alicui revelare dignaretur, quisnam ille peregrinus fuerit, qui eum à tanto periculo liberavit. Revelatum est illâ nocte Episcopo, quòd beatus Andreas fuerit, qui pro liberatione Episcopi apparuerit in habitu peregrini. Cœpit igitur Episcopus in devotione beati Andreæ magis crescere, & eum exinde in reverentia plùs habere.

II. Fuit quidam frater magnæ devotionis ad DEUM, & sanctos ejus: hic tam devotus erat ad festa Christi, quòd quodlibet ejus festum habebat sigillatim in charta depictum, & quamdiu quodlibet festum durabat, tamdiu chartam illius festi depictam (quam in inchoatione festi in pariete cellæ suæ pependerat) pendere dimisit, ante illam sedendo, & devotè inspiciendo orabat, gemebat, & plorabat. Tam devotus etiam erat ad festa Beatæ Virginis, quòd quodlibet ejus festum aliquibus diebus ante suscipiendo dicebat mille Ave Maria. Tam devotus præcipuè ad festum omnium Sanctorum, quòd antea per unam septimanam jejuniis, & castigationibus se ad suscipiendum festum ipsum præparabat, & per octo dies ad honorem omnium Sanctorum festum devotione sedulâ peragebat. Tam devotus insuper extitit in suis Missis, quòd multùm gravabatur, si minister vel alia persona staret, ubi faciem ejus videre poterat, quia de oculis ejus fluebant lachrymæ, quibus genas suas ubertim irrigabat, quod hominibus celatum esse cupiebat. Iste verò tam devotus in Sanctos, in die omium Sanctorum migravit ad Dominum. Qui post aliquas septimanas apparuit cuidam devoto fratri in somnis pulcher, & jucundus, indicans, se Sanctorum collegiis feliciter sociatum. *Ex vitis FF. Erem. S. Aug.*

III. Clauserat pretiosissimis ex divite metallo affabrè facto thecis, Philippus II. Philippi III. Pater, undeunde quæsitas, & Pontificum bonâ veniâ ad Escuriale collatas Sanctorum Reliquias, ingentem, & pio Rege dignum thesaurum. Illas ergo thecas, atque conditoria, si quid pulveris adhæsisset, peniculo à Philippo jam Principe tergi, atque in splendorem dari iubebat. Princeps, ne paternæ concederet pietati, lubentissimè, atque, ut aliquid adderet de suo, præstabat de genu. O verè nimis honoratos DEI amicos, ut Davidis verbo utar, quorum honoribus famulares sunt Regum manus! *Io. Rho. l. 3. c. 3. n. 2.*

IV. Incredibile propè videtur, quod de Cæsaris Baronii in Principes Apostolorum observantia narratur: nulla enim illi dies abiit, quâ Vaticanam Basilicam, animo supra tempestatum varietatem constanti, venerabundus non inviseret: neque unius anni ea fuit exercitatio: sex enim integra lustra occupavit; nec illi facilis, aut prompta via, quùm & transeundus Ælius pons, æstivis caloribus infamis, & hyberno cœlo bona urbis pars lutosis usque viis esset lustranda. Tenuit tamen inceptum vir verè magnus: nam quæ domi nullo labore nascuntur, ea ævum non ferunt. *Ibid. n. 4.*

V. Cùm in die omnium Sanctorum Ecclesiæ sancti Petri Custos ex devotione omnia altaria circuisset, & omnium Sanctorum suffragia implorasset, & demum ad altare sancti Petri redijsset, ibi paululùm conquiescens extra se rapitur. Et ecce vidit Regem Regum in solio sublimi consistentem, & omnes Angelos in ejus circuitu commorantes. Tunc Virgo virginum *Petrus de Natal. l. 10. c. 1.*

in diademate præfulgenti advenit, quam innumerabilis multitudo Virginum, & continentium sequebatur. Huic Rex protinus assurrexit, & posito solio juxta se sedere fecit. Post hoc advenit quidam vestitus pilis Camelorum, quem sequebatur multitudo venerabilium seniorum: deinde advenit alius Pontificali habitu decoratus, quem aliquorum cohors in habitu consimili sequebatur. Postea verò processit innumerabilis militiæ multitudo. Post quos advenit turba diversarum gentium infinita. Omnes igitur ante Regis solium advenerunt, & ipsum flexis genibus adoraverunt. Is autem, qui in Pontificali habitu erat, Matutinas, cæteris prosequentibus, inchoavit: Angelus autem, qui prædictum Custodem ducebat, eidem visionem exposuit, asserens virginem in prima acie Matrem DEI esse: vestitum de pilis camelorum, Joannem Baptistam cum Patriarchis pariter & Prophetis. Pontificali ornatum habitu, Petrum cum cæteris Apostolis, Milites, Martyres. Turbam reliquam, Confessores. Qui ideo omnes ante Regem venerunt, ut pro honore sibi hac die à mortalibus exhibito gratias agerent, & pro Orbe universo orarent. Deinde ad locum alium ipsum duxit, & utriusque sexus homines alios in stratis aureis, alios in mensis gaudentes diversis deliciis, alios nudos & inopes auxilium mendicantes ostendit. Dixit autem hunc Purgatorii locum esse, abundantes verò animas illas esse, quibus ab amicis per multa suffragia copiosè subveniebatur. Egentes verò esse, quorum cura nullatenus habebatur. Jussit ergo, ut omnia ista summo Pontifici intimaret, ut post festum omnium Sanctorum, diem statueret animarum, ut saltem generalia suffragia pro illis illâ die fierent, qui specialia habere nequirent.

Festorum observatio.

Mansi dist. 1. n. 4.

VI. S. Ambrosius invenerat in Archiepiscopalis suæ curæ initio, in diœcesi sua, diuturno usu receptum fuisse, quòd dies festi hujusmodi mercatibus, tripudiis, hastiludiis, crapulis, ludis, aliísque similibus insolentiis, indifferenter contaminarentur, quibus proinde sensim & paulatim eliminandis abusibus, toto pectore incubuit, suósque diœcesanos ad tantam demum observantiam reduxit, ut non solùm Mediolani, sed & in universa illa vastissima diœcesi suâ populus diebus festivis, nulli alteri rei, quàm Missis, Prædicationibus, Exhortationibus spiritualibus, aliísque devotionis exercitiis deditus esse cerneretur. Inter alia verò, quæ Parochis præscripsit, ut animabus sibi subjectis omni cùm sollicitudine inculcarent, unum fuit, dierum sanctorum sanctificatio; voluit námque, ut quilibet Parochus, eidémque subjecti fideles suum agnoscerent debitum, sacrum illud tempus in exercitiis sanctis, Christianæque pietatis operibus fructuosè impendendi, quantúmque id ad vitam, Christiano homini idoneam, animarúmque salutem conferat: in casu verò contraventionis, se contra hujusmodi transgressores per pœnas comminatas, imò & per Excommunicationem processurum esse minabatur.

VII. In Germania miles quidam messores ad prata demetenda sub pacto stipendio conduxerat; quia verò in sequentem diem festum aliquod Sancti cujusdam incidebat ex præcepto in foro festivum, ideo Vesperarum tempore unus è messoribus à cæteris laboris consortibus paravit discessum, dicendo: Jam sequentis diei festum suum sumit exordium; quem hi deridentes, minimè verò imitantes, cœptum suum prosequebantur laborem: ille verò postridie diei festi ad laborem suum complendum, reversus, quia multa adhuc illi demetenda restabant ex iis, quæ alii pro parte sua decusserant, à cæteris tantò magis derisus fuit. Qui patienter ferens risus omnium & cachinnos, ubi falcem ad manum posuit, ante se pendentem in surculo graminis, Drachmam miræ & invisæ magnitudinis auream mox invenit; curvatus ergo genibus cum lachrymis Dominum benedixit. Ad quam messoris fortunam miles prati Dominus, aliique collaboratores accurrentes vident divinum miraculum, scriptum que milesliteratus in nummo voce patriâ legens, hæc ut interpretari potuimus, continebat: *Manus DEI me compegit, & in domum me redegit pauperis, qui non infregit diem sanctè celebrem.* Thom. Cap. l. 2. c. ... p. ...

VIII. Christophoru Columbo tantam fuisse sacrorum dierum Religionem, ut festâ luce nunquam anchoras tolleret, nunquam vela faceret, fortasse non omnes nôrunt. Nimirum inter assultantis Oceani fremitus, stridorem rudentium, nautarúmque clamores, modica hæc interpellantis religionis quies minùs animadvertitur. Semel creberrimis, ac periculosissimis in navigationibus necessitati paruit, veritus, ne, cùm suprema jam fames alimentis consumptis immineret, religio temeritatis viciniâ, in superstitionem migraret. Ibid. l. ... c. 6. n. 2.

IX. Invitaverat Dominicum Ansalonium puerulum novennem Antonius Pater, ut, quoniam profestis diebus Scholarum molestissimis occupationibus impediretur, quò minùs auram liberiorem ad maris oram, ipso in portu Messanensi obambulans caperet; festo die conscenso secum curru, liberiore cœlo frui vellet, cui Dominicus ætatem pietate prævertens: Ego verò, Domine, inquit, festis diebus longè majoribus occupationibus distineor; hi enim divino cultui ac magnæ Matris venerationi debentur: ob hanc rem, bonâ tuâ veniâ ego ad templum adibo. O puerum jam cœlo dignum, ubi æternum festum agat felicitatis! Ibid. n. 5.

X. S. Carolus Borromæus, ut lapsos in hac etiam parte Christianos mores ad veterem revocaret disciplinam, leges sanctissimas tulit. Annonam publicè vendi, quamdiu matutina sacra solemni ceremoniâ fiunt, aut vespertinæ preces decantantur, interdixit. Circulatores per idem diei tempus circulos in foro cogere, personatum quemquam etiam in ipsis Bacchanalibus incedere, militares ludos sive hastis in annulum inferendis, sive in pectus ex adverso Ibid. n. 6.

con-

concurrentium adigendis, frangendisque exerceri, nullâ vitorum Principem offensione deterritus, constantissimè vetuit. Contrà verò, ne iners otium populi caussari quisquam posset, exercitationes pietatis plurimas, quas solerter excogitavit, feliciter in mores induxit, quibus hodieque Mediolani plebs dies festos magna ex parte sanctissimè transigit.

Ibid. n. 5. XI. Stanislaus Hosius Cardinalis, ut Festorum devotioni tranquilliori animo serviret, quod contaminatis hæreticâ peste in pagis urbibusve minùs commodè fieri poterat, longissima itinera diu, noctuque sine cibo ac somno continuare non dubitabat, ne sacras illas dies in terra tenebrarum agitare cogeretur.

Ibid. n. 6. XII. Sanctorum dierum religionem studio litterarum minimè violari, sapientum omnium suffragijs constare, non dubitabat, opinor, Petrus Pitœus, vir longè doctissimus; nec, si quid ex illo lucri capitur, ejus quasi sordibus infici eorundem sanctitatem. Verumtamen ne qualis ea cumque demum esset, ex salariis sportulisve, aut minervalibus crearetur injuria, & ne vel levissima querelæ daretur occasio; quæcumque sacris diebus suo ex munere (erat autem Patronus celebris, qui causas ageret magnas, & de Jure consulentibus responderet) lucra faceret; ea in mendicabulorum stipem sponte seposita; illis exinde summâ fide distribuebat, ratus, pauperum bono atque commodis sacrati temporis otium, honestissimas per artes optimè transigi; ac minimè sordido, sed illustri ac maximè decoro negotio implicari. Itaque ut religioni satisfaceret, misericordiam intendebat.

Pœna Violantium Festa.

Boll. in vit. c. 16. n. 63. XIII. Bollandus de S. Anchario refert, quòd postquam in Frisia prædicando sanctificationem diei Dominico debitam inculcâsset iis, qui in eodem per opera servilia prævaricabantur, gravia supplicia comminando, nonnulli auditorum suorum parùm timorati, quia cœlum serenum affulgebat, vix ab auscultato Viri DEI sermone, templo egressi, arreptâ falce ad prata se receperint, ut fœnum demeterent, demessumque fœnum in cumulos adegerint; sed quisnam indè subsecutus est eventus? Advesperascente die, omnes illi acervi, qui eâdem die facti fuerant, divinitus igne consumpti sunt, illæsis illis permanentibus, qui in anterioribus diebus in medio præparati constabant; quo facto populi in circuitu manentes, fumum à longè cernentes, hostes adesse putantes, timuerunt valde.

Idem in vita S. Rabani c. 7. n. 43. XIV. In vita pariter S. Rabani Mauri scribitur, quòd, quia occurrente SS. Martyrum Januarii & Magni festo, omnibus, qui jurisdictioni Monasterij Fuldensis subjecti erant; tam viris, quàm mulieribus opera servilia exercere prohibitum erat, quidam ex iis Christianis, qui in illa quodam servitutis jugo adstricti erant; cultum & venerationem prædictis Sanctis debitam contemnens in campum ad metendum egressus fuerat, jámque multos segetum manipulos collegerat, crimen hoc gravi pœnâ luere debuerit. Nam aër densissimus crevit in nubes, & tempestas sæva exorta est, fulgura ventique vehementer undique ferebantur, coruscationes quoque valde terribiles & fulgura discurrentia horrorem nimium mortalibus ingerebant, factúmque grande miraculum, Domino discernente inter venerantes, & festa sanctorum ejus contemnentes; omnes enim acervi frugum, quos miser ille ea die messos congesserat, cœlesti igne consumpti sunt, cæteris, quos vel ipse, vel concives ejus pridie messuerant, illæsis permanentibus.

XV. In vita Camilli de Lellis, magni servi DEI, & Religionis ministrantium infirmis institutoris, eum in observantia sanctificationis dierum festivorum adeò exactum & punctualem fuisse scribitur, ut ne quidem Ecclesiam scopis emundari, aut altaria in illis diebus accommodari permiserit, sed ejusmodi opera pridiano die fieri præceperit; quia verò in Bachianico, Patrio videlicet solo, nonnullos pauperes à divitibus in diebus festis ad laborandum cogi advertit; ijsdem imminentem DEI vindictam prædixit, prædicando, quòd, nisi ab ejusmodi sacrilega temeritate abstinerent, agri eorum penitus devastandi essent; id quod postea reipsâ, prout prædixerat, evenit; nam paulò pòst Regio illa per tredecim dies continuos tanta nivium copiâ oppressa fuit, ut multæ inde arbores olivarum, aliorúmque fructuum feraces, ruptæ, irreparabilia incolis damna conciliarint. Vit. l. 2. c. 16.

XVI. S. Gregorius Turonensis de quodam refert, quòd cùm festum diem S. Mariani, exemplo aliorum concivium concelebrare, & sanctificare abnuisset, ignis quidam cœlitus super domum ejus delapsus fuerit, qui omnem ejus supellectilem, omnésque illius greges & armenta, sine ulla vicinorum vel minima læsione absumpsit. S. Gregor. de glor. conf. c. 81.

XVII. Beatus Petrus Damian. in sermone quodam de S. Ruffino nonnullorum refert lamenta, qui festa in honorem hujus S. Martyris instituta, ab operibus servilibus abstinendo celebrare abnuebant. Tumultuabantur enim, onerosum esse dicentes, populum geminatis unius Sancti solemnitatibus feriari; Unde contumaciter cœperunt cum suis mulieribus non modò textrinis operibus audacter insistere, verùm etiam ruralibus exercitijs liberiùs insudare. Sed protinus in eos sententia Divinæ animadversionis ulciscitur; Casas eorum repentè flamma corripuit, & non solùm domestica quæque, sed quæ in agris erant, omnia globis inextinguibilibus conflagravit. Cúmque ad extinguendum hunc ignem omnes ad vicinum flumen accurrerent, in illúdque multa, quæ jam ab igne correpta ardebant, injecissent, elementum illud ignis sibi activitatem vendicavit, ut perspicuè probaretur, hoc non casum, sed divini furoris esse indicium; quicquid mergebatur, extingui non poterat. Miro igitur modo elementum illud vires sui ejus & partium tenebat, & ex parte prodiderat, nam & liquida erat aqua, ut immersa quæque fluctu dehiscente reciperet, S. Petr. Dam. s. de S. Ruffino.

Digitized by Google

cipperet, & quodammodo humida non erat, ut ardorem extinguere posset : Sed quid minima immoror, cùm & ipsa hominum membra flamma prosiliens occupaverit, & extinctionis remedium invenire, quocunque se verterent, non valerent ; Tandem ustulati, fumigati, & in modum turis combusti, ad altare B. Ruffini cum magnis ululatuum stridoribus confugiunt, indulgentiam petunt, & commissi piaculi emendationem de cætero per pœnitentiam pollicentur, & incolumes ad propria sunt reversi.

Spec. ex. v. Ecclef. ex 5. XVIII. Duobus calceamenta facientibus, & juxta se laborantibus, unus quidem habebat filios multos, & uxorem, & Patrem, & matrem. Vacabat verò Ecclesiæ sine intermissione, & omnes propter DEUM alebat de arte suâ. Alter autem, quamvis doctior illo esset, eò quòd non permaneret in Ecclesia, sed etiam Dominicis diebus laboraret, seipsum tantùm nutrire valebat. Invidebat ergo ille vicino suo, & unâ vice non sufferens invidiam, dicit ei cum ira : Unde tu sic dives factus es : ego verò vacans plùs, quàm tu arti meæ, in paupertatem deveni. Dicit ergo ei volens facere eum vacare Ecclesiæ : Invenio pretium in terra, & inde paulatim dives factus sum, sed si vis, semper voco te, veni mecum, & quidquid invenerimus, accipies dimidium. Cùm ergo ille adquiesceret, & sequeretur eum euntem ad Ecclesiam, sine intermissione benedixit ei DEUS, & divitem fecit : propter hoc ergo sanctus Patriarcha fecit illum bonum consiliarium, presbyterum, tanquam dignum ; erat enim Lector. *Ex vita S. Ioannis Eleemosin. §. 48.*

Ib. v. Festum ex. 7. XIX. Legitur in vita S. Hugonis Lincolniensis, quomodo pistor quidam semper Die Dominica farinam conspersent, atque fermentaverit, de qua nocte sequenti panes decoqueret, quos die sequenti venderet recentes : quos dum semel manè secundæ feriæ extraheret de clibano, unus panis calidus frangitur, unde mox rivus sanguinis, qui panem circumquaque infecerat, effluxit. Expavit ille ; & panem istum cruentatum frustratim comminuit, & per singulas fracturas cruorem stillare vidit. Alios etiam omnes panes similiter cruentatos invenit, quos panes per octo dies apud se occultavit, sed mercenarii hoc ad publicam notitiam perduxerunt Episcopi, & ad ejus præsentiam unus panis fuit allatus, qui sic esse conspexit. Erant etiam alii panes in clibano positi, qui post crepusculum diei Dominicæ erant fermentati & impositi, qui cùm extraherentur, & frangerentur, nil prodigiosum habentes in sua naturali qualitate ad usum hominum vendebantur. Primi autem per monasteria & Ecclesias in monumentum facinoris de transgressione Sabbati ad terrorem hominum diligenter conservabantur.

Ibid. ex. 8. XX. Cùm quidam devotus Pastor in partibus Westphaliæ nonnullos Laniones videret spe vendendarum carnium, temporalibus mercantiis sub summa Missâ occupatos, nonnullos etiam otiositatis causâ confabulationibus & levitatibus ante Laniorum domus tempus expendentes, & diem Sabbati violantes, zelo Domini tactus in fervore spiritus, ut verus pastor, errantes oves ad viam veritatis reducere prædicationibus & admonitionibus laboravit, minitans vindictam DEI ipsis affuturam, nisi à tam enormi mandatorum ipsius transgressione resipiscerent. Et quoniam populum duræ cervicis subitò à tam prava consuetudine omnino revocare non potuit, laboravit ad hoc, quatenus, etsi omni Sabbato deberent meritò, maximè tamen in quatuor principalioribus festis anni, circa visitationes Ecclesiarum occupati, ab hac pessima consuetudine animum revocarent. Aderat ergo non longa post tempora festum Pentecostes, & quidam Sacerdotis sui præceptis atque imprecatione conterriti, timore vindictæ ipsius mandatis, imò non ipsius, sed Domini, obediebant. Unus verò filius Belial animo pertinaci macellum ipsum carnes suas venditurus ingreditur, quosdam de sua sorte contra sacerdotis imperium animando : Et ecce virga Domini super eum. Nam secundâ aut tertiâ die Pentecostes tantam aëris inclementiam Dominus excitavit, coruscationes atque tonitrua, ut porta civitatis ipsius ictu fulmineo scinderetur, descendénsque fulmen, & vaccas suas, inter quamplures alias vaccas sub eâdem portâ quiescentes inveniens, extinxit continuò, ut scilicet palàm daretur intelligi, quoniam hæc vindicta esset inobedientiæ contemptoris illius. Domus quoque istius lanionis eodem fulgore ita quassata est, ut scutellis, ollis, atque cacabis tinnitum dantibus, ipsa casum subitum minaretur. Factus est post hoc vir ille infamis in tota illa civitate, omnibus clamantibus contra eum, quoniam dignâ eum plagâ propter Sabbati irreverentiam, Dominus tetigisset.

§. V.

EXEMPLA DOMESTICA.

I. BErnardi Colnagi nomen, cùm virtutum multis admirabilitatibus, tum singulari in Antonium Patavinum, & Franciscum Paulanum pietate, Italiâ totâ celebratum est, quàm familiariter cum illis, quasi præsentibus ageret ; quàm fidens ab illis, quæ vellet cumque peteret, atque auferret : quantis celebraret laudibus, vix possit explicari. De illorum laudibus miro animi sensu dicere, festos dies celeberrimos agere, hymnis, & plurimo carmine, quod illi facili ac nitidissimâ venâ fluebat, in eorum gratiam ludere ; demùm quùm ipse humi cubaret, illorum sigilla in lectulo mollissimè collocare, ut, quantùm illis tribuerit, vel sic palàm faceret, voluntariæ homo simplicitatis, quùm alioquin divinâ humanâque Philosophiâ, quàm plures per annos explicaverat, longè esset illustrissimus. Sed ludente cum hominibus in hoc terrarum orbe DEI sapientiâ quid adeò mirum sit, viros sa- *Rho. n. 4 [illegible] Bris.*

pien-

Google

pientiâ ac pietate insignes, cum superis ludendi, quasi licentiam usurpare? cœli dignatio, terræ audaciæ reprehensionem adimit, fiduciæ laudem relinquit.

Ibid. n. 6. 7. II. Quos Joannes Ledesma delegisset sibi Patronos, eos quæsitissimis modis colebat, atque reliquos omnes ante, Josephum DEI parentis sponsum, mortalium omnium hâc suâ sorte felicissimum. Composuerat ipse horarias preces ad Sacerdotalium imitationem, quibus Patronos suos anniversariis ipsorum coleret celebritatibus. Eos porrò dies ita transigebat, ut aut de Sanctorum felicitate, & quibus illam artibus invasissent, meditando cogitaret; aut in illis virtutibus, quarum ope ad tantam evaserant amplitudinem, se studiosissimè exerceret, quòd & amor similitudinem, & hæc amorem pariat.

Ibid. n. 10. III. Francisco Hortulano Coadjutori ex eadem Societate debet Sardinia tot Sanctorum pignora, quæ altè olim defossa, ne barbaris insulam invadentibus ludibrio essent, per oblivionem neglecta jacebant pariter, atque ignorabantur. Itaque haud dubio Divinitatis instinctu ad ea refodienda, atque in lucem, honorémque eruenda Episcopos ac Magistratus adhortari Hortulanus, ac loca monstrare, avia sæpe, & nullâ suspicione notabilia, ut mirarentur, qui scire potuisset.

Pemequin. p. 3. I. sing. c. 21. IV. Quàm liberaliter Sancti etiam minima obsequia compensent, patet ex sequenti exemplo. volebat quidam frater ex societate JESU, post omnia superiorum dissuadentium consilia, Christi castra deserere; unus aliquis è Patribus hominis misertus rogavit, ut vel unum *Pater & Ave* paucis diebus in honorem S. P. Ignatij recitaret; importunis precibus victus, promisit se facturum: & fecit, sed tam negligenter & tepidè, ut puniendus potiùs ob socordiam & contemptum, quàm juvandus videretur! & huius tamen tam projectæ orationis fructum aliquem sensit: cœpit enim angi animo, ut nullam quietis partem caperet; hinc noctu consurgens, & levandi animi gratiâ hortum suspiciosus inambulans, continuò splendido lumine circùm omnia propè se coruscare videt; atque in medio luminis adesse S. Ignatium, cujus aspectu perculsus, animóque totus immutatus, ad pedes ejus procidens: O Pater, inquit, tantúmne mihi confers gratiæ pro uno *Pater & Ave*? Fili mi, respondit S. Pater, paucis ego contentus sum; oculóque benignissimo illum intuitus disparuit: ille tum humi procumbens, ac præ gaudio lachrymis madens, & inconstantiæ pœnitens, reliquum noctis prostratus exegit: ubi diluxit, Superiorem convenit, veniam petit, & impetrat, & sanctè deinde vitam ad usque mortem in Religione, severus in se ipsum, &, ubi aspectûs & verborum S. Ignatij subibat recordatio, ubertim plorans, cum aliorum ædificatione transegit. Ecce ob unum *Pater: & Ave:* amorem sanctum non modò imminutum, sed planè deperditum, misero homini invocatus S. Ignatius restituit, quid non impetrabunt in hoc genere, die natalitiis alicujus Sancti consecrato, ferventes preces, & obsequia cum ardore præstita?

§. VI.

ASCETICA.

Circa cultum Sanctorum.

I. *Sancti tripliciter considerari possunt.* Pemeq. in I. sing. p. 3. c. 8. 11. 6. 11.
1. Prout simul constituunt cœlum & Ecclesiam triumphantem in cœlis, ac simul omnes coli & honorari possunt. 2. Prout quisque eorum natali, & festo die ab Ecclesia militante celebratur in terris. 3. In quantùm aliquos eorum in Patronos elegimus, aut sorte accepimus, ad mensem, vel annum, vel etiam omnem vitæ decursum. Quantùm ad primum attinet, non est dubium, quin amor sanctus in suorum animis magnam imprimat cœlestis illius Jerusalem æstimationem, in qua cœlestes cives laureati triumphant, & amicti paludamentis gloriæ, in supremi Numinis laudibus, & amore sine satietate perennant. Collige animo, quidquid unquam splendidum & magnificum oculos spectantium admiratione sui tenuit defixos, & lutum reputabis, si cum unico gradu gratiæ, multóque magis gloriæ conferatur: quid jam erit, si cum illa sanctorum multitudine luminibus gloriæ undiq; coruscante conferatur! Jam verò, si, ut quidam volunt, charitas patriæ specie à charitate viæ differt, atque, ubi id contingit, inferioris speciei eminentissima perfectio, ad minimum superioris speciei gradum pertingere, ut dicunt, non potest; adeóque minima Patriæ charitas, quidquid unquam in mortalium pectoribus flammarum arsit in viâ, purissimo sui ignis splendore antecellit; quàm optabile est alis amoris & fidei ad illam cœlestem curiam evehi, atque ibi non transcursim, sed aliquo tempore inter ista charitatis immensa incendia Sanctos contemplari, & eorum flammis incalescere. Ità agebat Paulus, &, ut alii imitarentur, optabat, cùm diceret: *Nostra conversatio in cœlis est.* Quàm dulce est, JESUM Christum inter millia millium, auro gemmísque cœlestibus fulgentium, eúmque unicè amantium; & immensis laudibus extollentium, splendidissimo supra cæteros gloriæ amictu radiantem intueri! quis ex tali conspectu totus flammis sanctissimi Amoris non inardescat? quis Christo de tantâ gloriâ, tot spoliis; quis Sanctis de Christi consortio, de tanta in illos munificentia, de amicitiæ gloriosæ æternitate non congratuletur! Apparuit aliquando S. Pater noster Ignatius cum nomine JESU in corde literis aureis descripto, ut, quanto ejus amore arserit in terris, & nunc in cœlis ardescat, ostenderet! non dubito, quin beatorum quisque hoc Sanctissimum Nomen stylo amoris pectori habeat insculptum

sculptum: O gloriosa amantium spectacula, & ad inflammandos mortalium frigidos animos opportuna! Itaque si cœtum illum Beatorum honorare volumus, eisque gratificari; gratulemur illis, & unà exultemus, quòd DEUS illos æternæ suæ gloriæ non tantùm consortes; sed velut præcones fecerit: agamus cum illis Sanctissimæ Trinitati pro tantis in illos collatis beneficiis prolixas gratias: congratulemur Christo de tam excellenti laborum suorum messe, & tot voluntariis Amoris Sancti in æternum captivis, hoc enim maximè à nobis exigunt Sancti, ut scilicet omnium corda in amorem Christi, laudationémque continuam rapiantur; & quod illis à nobis votum offerri potest accepissimum, hoc est, ut cum illis ad amorem Christi purissimum & intensissimum, DEI gratiâ opitulante, aspirare, & occurrere aliquando possimus.

Ibid. II. *Ut verè intelligatur, quomodo quilibet Sanctorum die suis honoribus singulariter dedicato colendus sit: considerandi veniunt quatuor amores. Unus, quo DEUS illum ab æternitate gratuito amore è multis millibus elegit ad gloriam*, ac seriem gratiarum toto vitæ decursu ei liberaliter suis temporibus dandam cum sanctâ usque in finem perseverantiâ, ac deinde gloriæ sempiternæ coronâ decrevit; quâ jam ipse inter DEI amabiles amplexus & gratiarum actiones immortales fruitur in cœlis.

Alter est amor JESU Christi, quo sanctum illum prosecutus est in terris, & cum illo jam conglutinatur in cœlis; dum viveret inter hujus vitæ discrimina, eum protexit, ejus vulnera Sanguine suo abluit, & in meritorum suorum communionem sæpiùs admisit, & tandem felicitate perenni cumulavit. Si singula arenæ grana toto mundo dispersa, in tot Seraphinorum myriadas commutarentur; imò si omnes res creatæ, quæ de facto sunt, & quæ creari possunt, in tot cœlos, tot Seraphinorum miriadibus plenos verterentur, qui, quantum vires ferrent, supremum Numen amarent, nunquam tamen æquarent amorem, quo vel minimum Sanctorum Christus totâ æternitate prosequetur: O incomprehensibile amoris incendium!

Tertius Amor est ipsius Sancti erga DEUM & Dominum nostrum JESUM Christum: cùm enim æternam illam supremæ Majestatis pulchritudinem, & bonitatem propiùs divino lumine adjuti contuentur; atque infinito, si dari posset, amore dignum vident, in flammas amoris toti abeunt, & interminabili illo pulchritudinis, & charitatis oceano penitus absorbentur. Cùm verò in Christi Humanitatem oculos convertunt, & illam propter immensæ gloriæ, donorúmque prærogativam summè amabilem aspiciunt, & insuper coronam immortalitatis, quam gestant, ejus meritis contextam, & paludamentum gloriæ, quo resplendent, ejus cruore, velut gemmis respersum, tinctúmque cognoscunt, & insuper ab illo se amari intensissimè, & ita æternùm amandos, ac ejus amabili societate fruituros, clarè contemplantur, quibus, quæso, putamus amoris ignibus illos accendi? S. Brigittæ inter orandum, Sanctorum in cœlo regnantium unus aliquis apparens, hæc dixit: Si qualibet horâ, quâ in mundo vixi, mortem pro DEO sustinuissem, & semper iterum revixissem: nunquam tamen his repetitis suppliciis & mortibus, grates beneficiis pares referre possem; nunquam ab gaudiorum ejus participatione, nunquam ab ejus gloriæ conspectu, nunquam in ejus Societate exultantium cantu, & harmoniâ percipiendâ, vel momento desistere possem.

Ex his deducitur. 1. *Sanctos, qui in cœlis regnant, eos omnes honores, qui diebus eorum natalitiis ab Ecclesiâ deferuntur, supremo Numini, à quo gratiam conferente, & merita coronante, proficiscuntur, in grati animi argumentum offerre*: Si enim Joannes in Apocalypsi vidit seniores ante thronum DEI procumbentes, & coronas gloriæ capitibus detractas ad pedes ejus deponentes; quorsum, quæso, id etiam non facerent de omnibus honoribus ab Ecclesia militante collatis? 2. Deducitur, *hoc etiam habere in votis, ut, quidquid singuli vel jejunando in pervigilio, vel Sacramenta pœnitentiæ & Eucharistiæ ipso eorum natali die usurpando, aut divinis officiis assistendo, quidquid inquam, obsequiorum, honorum, laudum congerimus; hoc ad gratias DEO pro ipsis agendas, & in honoris divini amplificationem, quàm maximo affectu à nobis referatur*: neque enim sibi vivunt, aut triumphant, sed DEO soli, cujus bonis affluunt & absorbentur.

Quartus Amor est Sancti erga cultores suos, ad quos juvandos, & amore divino inflammandos toto fertur affectu; Si enim Sanctus ille, dum viveret, tanto salutis alienæ ardebat desiderio, si omnes ad Amoris sancti signa sequenda excitabat, quid nunc aget in cœlis, ubi æternis charitatis flagrat incendiis? quæ spes tam optatæ flammæ obtinendæ se offert, cùm tot ad illam mihi procurandam & dandam vota concurrunt? Si centum è Sanctis illustrioribus, quorum ingentem in DEUM charitatem flammei radii circa eorum capita coruscantes ostenderunt, in unum simul conspirarent, ut junctis precibus pro Amore sancto mihi impetrando apud DEUM ardenter agerent, rem ego tum confectam, & me votorum meorum compotem continuò futurum esse crederem: Cur non etiam modò?

Circa Festorum Observationem.

III. Hanc specialiter Ecclesiasticis convenire sequenti discursu probat Josephus Mansi: Mansi disc. 1. n. 7.
Apud S. Lucam Salvator noster à malignis Scribis, & Pharisæis cinctus, mirabilem in quæstionem

nem proposuisse legitur: *Cùm intraret JESUS in domum cujusdam Principis Pharisæorum, Sabbato manducare panem, & ipsi observabant eum: & ecce homo quidam hydropicus erat ante illum: & respondens JESUS, dixit ad legis peritos: si licet Sabbato curare?* Supervacanea hæc quæstio fuisse videtur; quis enim eo meliùs scire poterat, licitúmne, an verò illicitum esset, in die festo sanare infirmum, quando is idem ipse erat, qui hoc præceptum Sabbati colendi condiderat? cur ergo hanc iis interrogationem fecit? nimirum quia omnis Christi actio, nostra est instructio, ideo tametsi hoc licitum esse sciret, Doctorum tamen Legis, Sacerdotum, & Capitum Synagogæ opinionem desuper exquirere voluit, ut in hoc tam anxio Sanctificationis festorum puncto nos instrueret, quòd, quando in iis, quid operandum est, quod apparenter, juxta exilem vulgi capacitatem, dubium est, an sit servile, an non, priùs à peritis, & maximè à superioribus poscendum sit consilium, eorúmque requirenda sententia, non verò juxta proprium cujusque cerebrum procedendum.

IV. Modum verò convenientissimum talia Festa celebrandi, sequens historia indicabit: In libro *Summa Prædicantium* intitulato, de quodam, qui certo cuidam Sancto valde se ferventer commendabat, refertur, quòd idem Sanctus diu vocatus affuit, quærens, quid tantùm ad eum clamaret; cui ille: inter omnes Sanctos post DEUM & Matrem ejus, tu es specialiter amicus meus, & in te plùs confido, ideo ad te in necessitate mea clamo. Sed quale hunc hominem à dicto Sancto responsum retulisse, putatis? num fortè in præbendo ei auxilio repulsam dedit? at minimè, quin potiùs eidem dixit: quomodo amicus ero inimico Domini mei? si vis, quòd sim amicus tuus, vel te audiam, fac priùs, quòd tu sis amicus DEI, quis enim apud Mundum istum auderet amicitias ostendere inimico & proditori Regis? tandem dictus scriptor his terminat verbis: Ad hoc ergo, ut in diebus festivis DEUS & Sancti tibi propitientur, *memento, ut diem Sabbati sanctifices*; id est, sic teipsum dispone, ut tu sanctus sis in die festo. Hinc inter alia à Sancto Francisco Seraphico suis relicta monita, hoc quoque recensetur: Festivitates Domini & aliorum Sanctorum, magìs honorantur inopiâ & paupertate, per quam ipsi cœlum ingressi sunt, quàm curiositate & superfluitate, per quam omnia elongantur à cœlo.

Idem disc. 5. n. 4.

§. VII.

MISCELLANEA ET CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Circa festorum observationem.

S. Bernardin. [illegible] S. 10. [illegible]

I. S. Bernardinus ingeniosè observat, quòd DEUS decem Decalogi præcepta condens, nulli alteri mysticum hoc verbum: *memento* præmiserit, nisi huic tertio, in quo Sabbati sanctificationem hominibus sollicitè præcipit. Consideremus, inquit, recordationem, quia ait, *memento*. In nullo aliorum præceptorum Dominus hoc verbum *memento* usurpans, prævideràt humanæ fragilitatis conditionem, & quantùm in aliis diebus totius hebdomadæ, mundanorum solicitudines memorias hominum occuparent, intelligentias excederent, & voluntates delectabiliter insisterent, ideo ut animarum provideret ruinæ, tutásque redderet ante casum, memento, ait, ut diem Sabbati sanctifices: dicit enim in fronte hujus præcepti, memento.

II. Adrichomius in descriptione Terræ Sanctæ circa vocem Engaddi refert, in Ægypto quendam scaturire fontem, in quo Sanctissima Virgo, Herodis fugiens persecutionem, divinum suum lavit infantem, qui proinde JESU fons communi nomine appellatur; cujus aquis hortus quidam balsami, eidem fonti contiguus irrigatur; quia verò aqua hæc horto illi irrigando non sufficit, ex vicino quodam puteo, mediâ rotâ à 4. bobus gyratâ, hauritur aqua, quanta pro horto sufficit; idem verò auctor ad intentum nostrum subdit; Mirum dictu, verum tamen, à meridie Sabbati usque ad auroram diei Lunæ, boves nullo verbere impelli possunt, ut in protrahenda aqua laborent: quod est fidei nostræ testimonium celebre. Adrichom. Ver. Engad.

III. S. Bernardinus verba illa, quæ Christus paulò antè Apostolis suis dixerat, scilicet: *Vos ascendite, ego enim non ascendam ad diem festum istum*, considerans quærit; quid est, quòd Salvator noster dicat; *non ascendam*, cùm tamen paulò pòst ipse ascenderit, móxque ex ore ipsiusmet Salvatoris respondet: *Ego non ascendam ad diem festum istum*, scilicet ad ista festa mundana, vana, & temporalia. Alia sunt spiritualia festa & ad illa ivit Christus in occulto; festa spiritualia sunt, displicentia peccati, dolendo de peccato facto; similiter, gaudere de bono, & DEO. S. Bernardin. 10. 4. S. 15.

IV. Olim Manna in deserto quotidiè Hebræorum populo depluebat, solo die Sabbati excepto, & quidem, ut hoc die perfectiùs feriari possent, voluit DEUS, ut præcedenti die duplicem sibi colligerent annonam. Die sexto collegerunt cibos duplices, quos si aliis diebus congregâssent, subitò indè vermes scaturiissent, hujus autem Divinæ providentiæ ratio hæc unica fuit; *quia requies Domini Sanctificata est Domino*: pari quoque modo, si nos festa debitè sanctificaremus, justúmque DEI cultum in iis exhiberemus Domino; Manna gaudiorum & consolationum spiritualium, nobis utique defuturum non esset; quia verò illa transgredimur, vermes, id est, malæ conscientiæ remorsus experimur, corda nostra corrodentes. Mansi disc. 1. n. 6.

V. S. Paulus in 1. Ep. ad Corinthios his verbis exhortatus fuerat: *Pascha nostrum immolatus est Christus; itaque epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ, sed in azymis sinceritatis & veritatis.* Ex quo Ibid. n. 9.

R. P. Lohn. Auct. Bibl.

Textu D. Chrysostomus deducit, quamvis animam fidelem quovis tempore, suum posse celebrare Pascha: nam, ut idem Doctor observat, quando Apostolus hæc scripsit, nec Pentecostes, nec Pascha erat, ac proinde indicat, non tempus, sed conscientiam mundam festum efficere, nihil enim aliud gignit, quàm bonorum operum conscientia.

Idem disc. 7. n. 5. VI. Salomon, ut DEUS olim Davidi Patri ejus prædixerat, sumptuosissimum Jerosolymis Templum erexit, ut ad illud ex omni parte concurrerent, quotquot veri DEI fidem & notitiam habebant, ibidémque per oblationes, sacrificia & alios sacros ritus debitum DEO cultum in solemnitatibus, in ejus honorem institutis, exhiberent: at verò Jeroboam mox, ut decem tribuum Rex creatus fuit, in Samaria, nimirum in Dan & Bethel duo idola erexit, suósque subditos ad ea adoranda constringendo, populum à templo sancto Jerosolomytano divertit. Omnia in figura contingebant; hoc enim est ipsummet Satanæ artificium, quòd, ut Christianos in dierum festorum sanctificatione, ab obsequio, DEO debito, seducat, ijsdem varia lascivorum objectorum, lucrorum sæcularium, spectaculorum profanorum, aliarúmque vanitatum idola proponere soleat, ne Ecclesias adeant, neve ex stationibus, indulgentiis, aliísque lucris spiritualibus, quæ per horum dierum sanctificationem, consequi possent, in animabus proficiant.

Ibid. n. 6. VII. DEUS olim per Malachiam Prophetam comminabatur, dicens: *disperdam super cultum vestrum stercus solemnitatum vestrarum*: sed quo fine Spiritus Sanctus vili adeo loquendi Phrasi hîc utitur, ut festa non observata, sed profanata, turpis stercoris nomine appellet? scitisne causam? ideo nempe id facit, quia sicut ex omnibus sordibus, quæ ex quibusvis domûs alicujus locis, vel ex plateis vicinis colliguntur, quidam fit sterquilinij cumulus, ita & Dæmon in magnam nostram perniciem & probrum, ex omnibus gulæ, lasciviæ, avaritiæ, vanitatum, luxuum, inimicitiarum, aliorúmque vitiorum immunditiebus, turpe quoddam congregat sterquilinium, quo festorum observantiam, defœdat, & coinquinat; vix enim ullus est vitii excessus, qui in sanctis illis diebus à dæmone colligi non possit.

Idem disc. 8. n. 1. VIII. At dicet aliquis: nonne DEUS idem ipse erat, qui in Exodo, Levitico & alibi, sacrificia, holocausta, victimas, oblationes, incensa, thymiamata, festa, cunctásque alias solemnitates, & ritus sacros, in honorem sui exhiberi præceperat? cùm igitur DEUS de seipso dicat: *Ego Dominus, & non mutor*, qua ratione nunc reijcit, repellit, & abhorret, quidquid in divini cultûs sui honorem antea præceperat? quo pacto dicere potuit: *Calendas vestras, solemnitates vestras odivit anima mea*, quando hæc festa ejus erant, quæ in suum obsequium celebrari jusserat? sed facilis est ad hæc responsio; etenim verum quidem est, quòd hæc omnia festa ab eo ordinata fuerint, quódque populus ejus illa adimpleverit: at verò in honorem ejus idipsum non fecit; unde S. Hieronymus notat, quòd non suas nominet festivitates, sed eorum, qui malè his abutuntur: ideóque DEUS in illis solemnitatibus nihil suum cernebat, illa quidem solùm quoad externam apparentiam ad se ordinata esse videbat; cæterum verò eadem ob fines & lucra sua temporalia celebrari, non ignorabat.

Circa Cultum Sanctorum.

IX. Jobi cap. 33. v. 20. describit Eliu hominem ad extrema redactum, cui nec panis sapiat, nec quidquam desiderabile hujus vitæ. *Abominabilis ei fit in vita sua panis, & animæ illius cibus antè desiderabilis; tabescet caro ejus, & ossa, quæ tecta fuerant, nudabuntur.* Si ad extrema redigantur omnia, jámque desperent Medici, adhuc est reserva quædam v. 23. *Si fuerit pro eo Angelus loquens.* Per hominem, cui abominabilis fit panis, & cibus desiderabilis, intelligitur Catholicus, cui non ampliùs sapit panis animæ, verbum DEI; non vult ampliùs audire conciones, nisi tales, ubi sit humanum illicium, doctæ fabulæ, copia verborum, acumen conceptuum; non autem, ubi veritates æternæ proponuntur simpliciter, & Apostolicè; iterum si desipiat lectio librorum spiritualium, oratio, templi frequentatio, imò & cibus desiderabilis, Evcharistia. Cum ejusmodi homine sinè dubio periculosum est, nulla medicina per os, per aures, per oculos, per cor potest intromitti. Nihilominus *si fuerit Angelus loquens unus de millibus* (sunt tot millia Angelorum ut penè superent omnes arenas & guttas maris, & atomos aëris) *Miserebitur ejus* (Angelorum & Misericordiarum Pater) *& dicet* (ad advocatum) *libera eum, ut non descendat in corruptionem.* Quasi dicat: dono tibi talem miserabilem creaturam, erue ex manibus mortis, ex faucibus orci. Si unus Angelus tantum potest, quid facient novem, quid duodecim legiones? quid millia millium? omnes invocantur his diebus: Omnes Angeli & Archangeli! omnes Sancti beatorum Spirituum Ordines! Intelliguntur quoque nomine Angelorum, omnes animæ Sanctorum, quia ijs dicitur: *Erunt sicut Angeli DEI.* Matth. 22. v. 30. præsertim viri Apostolici: *Ite Angeli veloces.* Isa. 18. v. 2. *Sacerdotes omnes.* Malach. 3. v. 1. Si unus de millibus exorari se sinat, ô quàm bene tibi erit, ne pereas. *Phil. Marchant. Conc. 1. v. Dom. 5. post Pascha.*

X. S. Gennadium Episcopum à Sixto 2. Pontifice in Gallias missum, pro unius moribundi protectione, cum aliis cælitibus disputantem audiamus: ita scilicet Sancti miserorum Patrocinia affectant. Iacebat quidam adolescens Prito moribundus in villâ, Monasterio S. Salvatoris, in quo S. Gennadij coluntur reliquiæ, propinquæ; ac propterea à dicti Monasterij Religioso omnibus Sacramentis ad mortem munitus fuerat; cùm ecce audiuntur cum dæmonibus pugnantium voces, dicentiúmque: quid, maligni spiritus, hîc expectatis? noster *Ibid.*

hic

hic est per DEI clementiam: Nam de nostris regionibus huc peregrinus advenit, dignúmque est, ut, quorum servus fuit corpore, ab ipsis sublevetur in æterna requie: dæmonibus verò contrà dicentibus, homines, qui aderant, voces quidem audiebant: Cùm ecce adfuit continuò ad caput infirmi S. Gennadius, fugatísque dæmonibus, conversúsque ad tres Episcopos, qui aderant, & inter quos cum dæmonibus fuerat altercatio, dixit: Quid hic Domini expectatis? responderunt, se esse dominos ipsius infirmi. Episcopósque Britanniæ, venisséque, ut eum in æternam requiem perducant. Tum Gennadius: Bene fecistis, inquit, quòd vestrorum curam habetis: hunc verò à meis Monachis Sacramentis munitum, mihíque commissum meæ tutelæ relinquite: dignum enim est, ut quem hactenus custodivi, ego ipse Domino JESU offeram: atque his auditis recesserunt tres illi Præsules; móxque infirmus apertis oculis, quorum fuerunt, quas audierunt voces, & Episcoporum nomina astantibus manifestavit, móxque iterum iis clausis exspiravit. Erant autem Episcopi, Paulus præsul Lernensis, de quo 12. Martii. Machulus Alethensis, de quo 15. Novemb. & Sampson Dolensis: 28. Julii. Beata anima, quæ Patronos suos ita obstrinxit obsequiis, ut pro illâ in articulo mortis juvandâ fuerit inter Patronos amica concertatio.

ibid. §. 3. XI. Periisset Loth cum Sodomitis, nisi pro eo intercessisset Abraham, cùm enim DEI decretum percepisset, his se verbis interposuit: *Absit à te, ut rem hanc facias, & occidas justum cum impio.* quasi dicat, Domine, decétne hoc misericordiam tuam, ut filius fratris mei, pro quo intercedo, pari calamitate involvatur? & fuit tam efficax oratio, ut dicat Scriptura Gen. 19. v. 29. *Cùm subverteret Dominus civitates regionis illius, recordatus Abrahæ, liberavit Loth de subversione urbium.* Periisset Aaron propter vitulum fabrefactum, nisi intervenisset Moyses. Periisset populus Israël à superbo Nicanore oppressus, qui urbem junxerat, templo ruinam minatus fuerat, sacerdotibus necem, populóque vastationem intentârat, nisi Sancti intervenissent. Cùm enim fortissimus Judas Machabæus sollicitus mœrore collaberetur, vidit in spiritu Oniam Sacerdotem, qui ante paucos dies vitâ excesserat, sibi alioquin amicissimum, supplices DEO manus tendentem pro populo. Post hunc vidit virum ætate, & gloriâ mirabilem, & magni decoris habitudine: quem cùm nosse cuperet, audiit: Hic est fratrum amator, & populi Israël, hic est, qui multùm orat pro populo, & universa sancta civitate, Hieremias Propheta DEI.

ibid. XII. Sunt Sancti stellis similes, majores & minores, uti S. Paulus 1. Cor. 15. disputat. Sicut stellæ influunt in corpora, ita Sancti & in corpus, & in animam. Planetæ certis membris communicant speciales operationes, quod ex Calendariis novimus; certi Sancti etiam præsunt certis affectionibus: capiti B. Virgo Lauretana, vel S. Cæsarea, oculis S. Lucia, dentibus S. Apollonia, gutturi S. Blasius, manibus S. Gerebrenus, pectori S. Martyr Ignatius, pedibus S. Julianus, intestinis S. Erasmus. Non vult DEUS operari in mundo, nisi mediis stellis; ita & gratias suas non vult concedere, nisi mediâ Sanctorum intercessione. Meliori jure dicere possumus de Sanctis, quod Absalon dixit ad animos devinciendos Israëlis. *Si non est aliquis constitutus à Rege in Palatio, quem interponas, nullum bonum recipiendum à Rege speres.* 2. Reg. 15. v. 3. addo, nullum malum avertendum.

XIII. Isaias c. 11. DEUM describens: *Erit justitia cinctorium lumborum ejus, & fides cingulum renum ejus.* Septuaginta, quorum versionem sequebantur Apostoli, legunt: *Erunt justi cinctorium lumborum ejus, & fides cingulum renum ejus.* Quasi dicat, cingent renes & lumbos DEI. Et quæ ista loquendi forma? an lumbos DEUS habet, & cingi se patietur? Mysterium! Justi Deum cingunt & continent, ne contra nos justo in furore procedat. Ligavit illum Moyses adhuc in terra constitutus, cinctorio precum, ita ut DEUS ligatum se agnosceret: *Dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos, & deleam eos.* Exodi 32. v. 10. Dissolve mihi vincula, quibus me ligas, & non permittis, ut vindicem. Non dicit DEUS, dimitte me, ut arripiam fulmina, ut extraham gladium, ut jaculer sagittas; sed, ut irascatur furor meus, quia oratio justi non tantùm DEO ligat manus, sed voluntatem, ut ne quidem exurgat ira, nisi DEI amicus non intercedat. Sunt lumbi, locus voluptatum, juxta Philosophum: voluptas justitiæ est, ulcisci, hanc oratio justi ligat. Cant. 4. v. 3. Sponsus cœlestis labia sponsæ comparat vittæ coccineæ: *Sicut vitta coccinea labia tua.* Ad quid coccinea vitta? ut liget DEUM & ligatum ducat, quo vult. Labia justi, DEI manus ligant, ut non punire queat, quod vidimus in Moyse. ib. §. 4.

XIV. Exodi 25. v. 30. Præcipit DEUS: *Pones super mensam panes propositionis in conspectu meo semper.* Duodecim panes illi, juxta Origenem Homil. 13. in Levit. adumbrant duodecim Patriarchas, quorum memoriam DEUS semper vult in sacris esse adytis, ut DEUM propitium reddant. Multùm enim valet eorum recordatio, qui jam vivis excessêre & sunt quodammodo panis DEI. Et cur sub pane repræsentantur? commune hominis nutrimentum, panis est, sine quo vivere non possumus. Nutriunt quidem alia, sed sinè illis vivere possumus. Collige, quàm non utilis modò, sed necessaria sit Sanctorum intercessio, quorum sola memoria repræsentata, est instar precum ad DEUM fusarum. ib. §. 6.

Ibid. §. 7. XV. Matth. 11. Laudans Dominus S. Joannem Baptistam, inquit: *à diebus autem Joannis Baptistæ regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Quis cœlo vim inferre ausit? an fabula hæc est, an parabola? veritatis ipsius est oraculum; & apertissima veritas. S. Joannes Chrysostomus homil. 38. in Matth. quem refert S. Thom. Aquin. in Catena, vim istam precibus Joannis Baptistæ attribuit, postquam is [carcere mortalitatis excessit. Preces enim Sanctorum, dum vivunt, DEUM mulcent, movéntque: at verò, dum animam egerunt, trahunt, impellunt, & vim faciunt vel invito. Ergo à diebus Joannis regnum cœlorum vim patitur, & rapiunt illud violenti, ii videlicet, qui precibus utuntur S. Joannis Baptistæ, vel cujuscunque alterius, & per illius ossa ac cineres DEUM obtestantur, nam juxta phrasim Doctoris melliflui, per Sanctorum cineres & ossa orare, est, cœlum violentè pulsare. Et hæc causa est ossium sacrorum relictorum, DEO pro nobis aliquid melius providente, ut ait S. Paulus Hebr. 11. v. 39. Distulit corporibus beatitatem, ut Beati studio majori in nostrum bonum intenderent, cùm adhuc cives nostri sint, & dimidiam sui partem hîc habeant.

Ibid. XVI. Distinguit Paulus inter Sanctos, & differentiam ait esse eandem, quæ inter stellas est; has scimus in quatuor magnitudines distinctas, stella differt à stella in claritate, sic & resurrectio mortuorum. At verò Christus Dominus indiscriminatim omnes beatos futuros asserit instar Solis. Tunc *justi fulgebunt, sicut sol in regno Patris eorum.* Matth. 13. v. 43. Si omnes, ut sol, ergo stellæ non erunt. Origenes hom. in cap. 13. Matth. ait, Paulum locutum de Sanctis, dum adhuc in terris sunt, in ordine ad efficaciam precum, ita ut unus magis prosit, quàm alter; at verò in regno Patris, etsi pari gloria præditi non sint, quilibet tamen eorum solem refert, quia unusquisque omnia hominibus bona procurare sufficit.

Didacus Nyssenus l. 9. de Abrah. c. 7. XVII. Dicebat Dominus ad Abimelech de Abrahamo: *Orabit pro te, & vives,* Gen. 20. *Audiit hæc Rex, & tulit oves, & boves, & servos, & ancillas, & dedit Abraham,* ibid. v. 14. qui eis ex rebus valdè locupletatus fuit. Sed quamobrem illa dedit? Respondet Abulensis: ut inclinaret Abraham ad rogandum pro se, dedit & munera. Cogitavit nimirùm, quantùm preces justorum apud DEUM valeant, & quàm facilè iram illius mitigare queant. Pulchrè, & aptè in rem istam dixit Philo Judæus in lib. de migratione Abrahæ: Revera fulcrum generis humani justus est, suas dotes communicans, & in Publicum usum conferens. Idem quidquid apud seipsum non invenit, à DEO solo ditissimo postulat, at ille aperto cœli promptuario, nivis, imbrísque in morem bona depluit affatim, ut inde omnes terrenæ lacunæ restagnent. Quid amplius dici, vel expectari potuit? Profectò quisquis justus est, idem basis est & columna mundi, & Atlas, qui subjectis suarum virtutum, ac sanctitatis humeris, orbem terrarum excipit, ac sustentat, suorúmque meritorum opulentiâ homines reliquos locupletat. Quòd si ei desint, quæ in alios dispertiat, mox ad DEUM confugit, atque ex illius copiosissimo ærario suis precibus tantum exobsecrat, quantùm mundo beneficiis opprimendo sat esse posset. O potentiam justorum! O gratiam amicorum DEI!

XVIII. Judicum c. 3. post commemoratas verbis benè paucis virtutes Othonielis, Judicis Hebræorum, sic finit narrationem Scriptor Sacer: *Quievit terra quadraginta annis, & mortuus est Othoniel filius Cenez.* Jud. 3. v. 11. Origenes homil. 3. in lib. Jud. ait: Vides, quàm larga est divina clementia. Octo annis servierant filii Israël pro multorum delictis, quadraginta annis per unius justitiam in pace perdurant. Immensitatem bonitatis DEI inficiari nemo potest, qui vel hoc secum reputet, quòd pro unius Justi merito, quadraginta annorum tranquillitate felicitavit Israëlitas, quos pro magnis plurimorum sceleribus octenni tantùm servitute plexerat. Revertamur ad id, quod superior historia narrat: neque enim Origenes nos omninò dimisit. Mortuus est Othoniel, inquit Scriptura, ille, qui Salvator sui populi audire meruerat. De quo ibid vers. 9. ista: *Clamaverunt ad Dominum, qui suscitavit eis Salvatorem & liberavit eos, Othoniel videlicet filium Cenez.* Cùm in ea legendo incidisset Origenes, ajebat: Itáne vir Sanctus, & Judex rectus, è vivis decessit? Itáne fax illa tam flagrans, & splendida extincta fuit? rem video periculosam, ingens populo discrimen imminet, incidétque rursùm in manus suorum hostium, erítque relapsio deterior, quàm omnis anterior casus fuit: Defunctus est Othoniel, quia jam indignus erat populus, qui haberet talem judicem; inquit magnus Adamantius. Volebat DEUS cædere populum, sed preces, & patrocinia Sancti Othonielis obstrictas illi tenebant manus. Ut ergo liberè castigare malè meritos Israëlitas posset, sustulit è medio Othonielem, facémque illam exsufflavit, & hoc primo supplicio ingratitudinem illius populi est ultus. Et satis experti sunt periculum, quod illis Origenes timuit, & quàm gravis fuerit relapsus. Nam qui anteà Chusan Regi Mesopotamiæ servierant octo annis: *Servierunt post hæc Eglon Regi Moab decem & octo annis* ibid. v. 14. Hinc arbitrari potestis, quàm meritò dixerit Philo: Revera fulcrum generis humani justus est, Atlas Mundi est, cùmque suis orationibus sustentat. Ibid.

XIX. Petrus Berchorius ex sententia Rabbani, & astrologorum affirmat, tantam esse pernicitatem motûs, quo cœlum rotatur, ut nisi ei moras contrarius Planetarum motus adfer-

ferret, jam pridem Mundi machinam totam solvisset. Cœlum movetur velocissimè, inquit ille lib. 5. Reductorij moral. cap. 2. num. 7. & ideò ne motûs ejus velocitas Mundi machinam dissiparet, voluit eum natura motu Planetarum retardare. Quid tam velox, tam rapidum, tam incitatum, quàm ira, & furor DEI? *DEUS noster ignis consumens est*, Hebræor. 12. v. 29. ignis celerrimus, fulmen, quo nihil magis volvere, quod momento ferire simul, & conficere, in quæcunque incidit, potest? quis iræ illius impetum retardabit? Quis furoris celeritatem morabitur? Quis motum tam rapidi cœli moderabitur? Planetæ, viri sancti, amici DEI, suis lachrymis, orationibus, Patrocinijs. Nisi ij sese irato DEO humiles, ac supplices, & lachrymis tantùm, precibúsque armati objecissent, dudùm fortè Mundus universus eversus, dissipatúsque fuisset.

Idem ser. 5. post Cin. n. 4. XX. Res est omnibus cognita, quàm sapiens fuerit inter Abderitas celeberrimus ille Philosophus Democritus. Vixit ille, quo tempore princeps medicinæ Hippocrates. Ex morbo ad insaniam quandam, & vitæ extrema adductus Democritus, magnum attulit popularibus suis mœrorem, qui pro oraculo, tantúmque non pro DEO quodam etiam illum habebant, ideò ad Hippocratem de medicinæ experientia notissimum cucurrebant, obsecrabántque, ut tantum ejus municipem artis suæ industriâ sospitaret, servarétque. Ut verò ille se exorari pateretur, his verbis conveniendum putarunt: Adsis, optime vir, curaturus virum insignem, non medicus, sed conditor sacratiorem totâ Joniâ nobis murum circumdabis. Sic in epist. Abderitarum ad Hippocratem in ejus Operibus, Ubi verba horum postrema premito, qui propugnaculo fortissimo se obmunitos putabant, dum unum Democritum modò sospitem concivem penes se haberent. Et verè quisquis vir justus est, ac probus, idem pro mœnibus est his, cum quibus degit, facitque, ut nulla penetrare ad eos mala queant.

Ibid. 8. Chrysost. ho. 33. in acta. XXI. Divo Chrysostomo homines sancti dicuntur leones, qui talem metum afferant Dæmonibus, ut illorum præsentiam tolerare non possint. Assuesce, ait, proinde, ut pavimenta domûs à sanctis calcentur pedibus, & non calcabit dæmon illic, nam ubi sanctum est unguentum, ibi suffocatur dæmon. Reverentur diaboli Sanctorum vestigia, sicut leonum vulpes. Introducamus hos leones in domum, & omnes abigentur bestiæ, non clamantibus, sed simpliciter loquentibus illis, si enim solùm loquantur, devolant. Felix, qui horum leonum operâ uti novit; felix, qui illos sub tectum suum admittit, tutus scilicet ab hostium pessimorum insidijs futurus, donec talibus comitatus.

Idem, §. 2. Dom. 4. post Epi. XXII. Cùm hostes nominis DEI minarentur Ezechiæ, velle se unam toti regno ipsius adferre vastitatem, & omnia diripere, quæcunque ad illum pertinerent, misit is Eliacim, & Sobnam scribam, & seniores de sacerdotibus opertos saccis ad Isaiam Prophetam &c. Isai. 37. 2. Quo consilio hos sic indutos ablegavit ad Isaiam? Respondet eruditissimus Forerius: DEUM propitium optabat, & eum, quem mediatorem, atque intercessorem inter DEUM, & populum noverat, ad misericordiam movere volebat. Hoc amicorum DEI munus est proprium, ut DEUM ad reponendum in vagina gladium adducant, ut flagellum illi è manibus eximant, ut irati, & in vindictam parati impetum sistant. At nonne sufficiebat DEUS? inquit porrò Forerius. Dicerent idem magnis vocibus Lutheri, & Calvini, malorum ovorum mali pulli, si quem hodie sacco indutum ad aliquem sanctorum converti viderent, & idolomaniam, & insignem DEI injuriam (sed injuriâ) clamarent. Sufficiebat utique DEUS, sed vult nobis innotescere, quantùm gratiâ apud illum, quos habet amicos, valeant, propterea disponit, facitque, ut primò illos adeamus, submittamúsque sequestres, qui vultum ejus nubilum serenent, & mitigent iram.

XXIII. Peracuta est Cajetani observatio, *Ibid.* quòd Scriptura simul narrat, & Samuelis mortem, & Philisthæorum congregationem adversus Saülem, cum quibus cùm inféliciter signa contulisset, miseram & probrosam mortem tùm ipse oppetiit, tum filijs suis adduxit. *Samuel autem mortuus est, planxitque eum omnis Israël*: inquit Sacer Scriptor, 1. Reg. 28. 3. & mox. v. 4. *congregati sunt Philisthijm*: ubi Cajetani Commentarius sic habet: commemoratur prius scripta mors Samuelis, ad manifestandum, tempore, quo Saul desertus fuit à DEO, fuisse etiam destitutum ope Samuelis, utpote mortui. Fuit eâ commemoratione significatum, quantùm possint justi: cùm enim illi obsecrant DEUM, & suas apud illum preces pro alijs interponunt, detinent iram DEI, ut ne effundatur in peccatores, qui, cùm tali præsidio nudantur, tunc relinquitur DEO locus, ut justitiam suam adversus eos exerat. De quo hæc Hieronymus Oleaster in cap. 22. Exodi: Ligatum habent Sancti DEUM, ut non puniat, nisi permiserint ipsi. Expectat Dominus in cœlo Petri ligamina, & solutionem, neque eum in cœlis ligat, aut solvit, nisi quem Petrus in terra solverit, vel ligaverit. O insignem & grandem sanctorum potestatem. O quantùm valent justi, qui DEUM pedes, manúsque velut obligatum habent! videtur DEUS nec persequi posse peccatorem, nec gladium adversus eum educere, pro quo se illi sanctorum quispiam objectat.

XXIV. Hujus rei quidpiam assecuti sunt etiam veteres Ethnici, qui laurum appingebant ei, quem Dijs charum significare volebant, cujus rationem Richardus Brixianus talem tradit: quia loci, ubi lauri consitæ sunt, vel affixæ, incolumitatem præbere crediti sunt vel quod, ubi lauri sunt, fulmina non iciant. Quòd extra ictum fulminis sint loca, quæ laurus inumbrat, experientia testis est, cùm in tam arborem recipere se aves soleant, quoties *Ibid. Richardus Brixian. comment. symb. to. 1. V. Laurus.*

cœlum fulmina, aut tempestates minatur, quas pertimescunt. Prudenter ergo ab antiquis per lauros designati sunt divorum gratiosi, viri justi, apud quos paratum invenire possis semper Patrocinij subsidium. Quæ enim tales lauri contra furoris DEI fulgura, quales Sancti?

Ibid. XXV. Simoniæ vitio pariter se obstrinxerunt Giezi, & Simon, à quo vitium hoc turpem suam nomenclaturam traxit; & ille quidem pro sceleris sui merito egressus est leprosus, quasi nix. 4. Reg. 5. 27. eandémque pœnam omnes illius posteri luerunt; hic verò nullas pœnas dedit. Certè Simonis erat in novâ Lege deterius, quàm Giezi in vetere peccatum. Quî factum ergo, ut impunis evaderet, qui graviùs deliquerat? Respondet Abulensis in illud, 4. Reg. q. 47. Non fuit aliquis, qui oraret pro Giezi, ideò punivit illum, tanquam non habentem auxiliatorem. Simon autem Magus oravit Apostolos, ut deprecarentur pro eo. Act. 8. 24. & sic ad eorum preces remissum est, & doluit de peccato suo. Ita bonum est, habere bonos, qui causas nostras apud tribunal DEI boni Patroni agant.

Sortitio & Cultus Menstruus Sanctorum.

Sodalis Parthenius L.2.c.6.n.1. XXVI. Neapoli septuagenarius senex postremos vitæ annos Sodalitio consecraverat, atque hos tantùm se vixisse dictitabat, amisisse reliquos nullo fructu. Hic moriens mandavit suis, ut Schedulas menstruas filo collectas collóque suspensas, sepulturæ secum inferrent, testimonium pietatis.

Ibid. XXVII. Alter Aletij easdem in speciem monilis contextas, sibi jussit collo circumdari, ut eo seu ornatu, seu patrocinio, Mortem contra audentior iret.

XXVIII. In eâ Brasilorum Sodalitate, quæ à Patribus Collegii Fluminis Januarij regitur, Sodalis quidam à vicinis hostibus occupatus, confracto vulneribus capite, & corpore confecisso, pro mortuo fuerat relictus. Is cùm primùm corpus sentiendi vires recepit, cruce frontem muniens, S. Barnabæ Apostoli, menstrui Patroni, opem imploravit. Tum vasto flumini se commisit, sensitque auxilium, quod postulârat. Nam & vitam polliceri, & animum addere, & quasi prætenta manu natantem adjuvare visus est Sanctus: ita incolumis evasit, & præter omnium exspectationem, sanitatem quoque recuperavit. Ibid. n. 8.

XXIX. Quidam quamvis omni vitiorum generi immersus, ad Patres tamen Societatis accessit, atque ab iis Patronum aliquem in tali Scheda scriptum sibi dari petiit: datus est S. Hieronymus sorte eductus: sequenti nocte cùm se quieti dedisset, vidit sanctum senem illum truci vultu, ardentibus oculis, accensam digito sibi fornacem monstrare, atque horribili voce dicere: in hos quamprimum conijcieris ignes, nisi aliam vivendi rationem instituas. Alius acceptâ Schedulâ, somno se dedit, sed à Dæmone excitari se sensit, & per vim è lecto extrahi, & cùm contra tam fœdum hostem nulla aptiora arma infelici juveni suppeterent, quantâ maximâ poterat vocis contentione, tutelarem sanctum appellabat, ecce tibi illico niveis inducta vestibus mulier, & Dæmonem contuens: An nescis, inquit, quibus juvenis hic hodie præsidiis sese firmaverit? non tulit longiorem orationem fœdissimum mancipium, & in suas se tenebras conjecit: mulier ex oculis abiit. Ibid. n. 9.

Vita emendatè postea instituta est.

TITU-

TITULUS LXVI.

SCANDALUM.

§. I.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

S. Hieron. apud Beyrlinck, ibidem. I. Scandalum (de quo hîc sermo est) *est dictum vel factum minùs rectum, quod ex se occasionem ruinæ præbet alteri.* Unde Tertullianus ait: Scandalum non bonæ rei, sed malæ exemplum est, ædificandi ad delictum; nam bonæ res neminem scandalizant, nisi malam mentem, ex se enim, quod rectum est, potiùs instruit, & munit proximum ad tutum viæ progressum.

Divisio.

Beyrlinck ibidem. II. Dividitur 1. *In Scandalum datum & acceptum, seu activum & passivum. Illud est dictum vel factum occasionem ruinæ alteri præbens*, ut suprà dictum. Et hoc, juxta Theologos, semper est peccatum in eo, qui scandalizat, cùm ipsum opus sit peccatum, vel speciem habens peccati; unde vitandum est, ne proximus ad idem pedem impingat, & labatur. *Istud, seu passivum est, quod provenit ex bono alterius opere, aut saltem ex dicto, factóve speciem boni habente*; & hoc propriè in eo, qui scandalizatur, locum habet, éstque pariter peccatum, si quis sine rationabili causa occasionem suæ ruinæ accipiat.

III. Dividitur 2. *In scandalum per se, & per accidens. Illud committitur, quando directè intenditur ruina alterius*, ut si adulter alienam sollicitet ad adulterium. *Istud est, quando non quidem directè intenditur talis ruina, prævidetur tamen probabiliter secutura*, ut si coram pusillis quis peccet, vel die vetito carnes comedat, dicendo, quòd habeat veniam.

§. II.

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas.

Psalm. 140. I. Custodi me à laqueo, quem statuerunt mihi, & à scandalis operantium iniquitatem.

Psalm. 139. II. Funes extenderunt in laqueum: juxta iter scandalum posuerunt mihi.

Fuga.

Prov. 11. III. Via Justorum absque offendiculo.

IV. Vade post me Sathana; scandalum es mihi, quia non sapis ea, quæ DEI sunt, sed quæ hominum. Matt. c. 16.

V. Studeo sine offendiculo conscientiam habere ad DEUM, & homines semper. Actuum Apost. c. 24.

Damnum.

VI. Homo de Israël, quicunque scandalum iniquitatis statuerit, contra faciem suam, ponam faciem meam super hominem illum, & faciam eum in exemplum, & proverbium, & disperdam eum de medio populi mei. Ezech. c. 14.

VII. Mittet Filius hominis Angelos suos, & colligent de Regno ejus omnia scandala, & eos, qui faciunt iniquitatem, & mittent eos in caminum ignis. Matt. 13. v. 41.

VIII. Qui autem scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris. Matt. 18. v. 6.

IX. Impossibile est, ut non veniant scandala; væ autem illi, per quem veniunt scandala. Luc. c. 17.

X. Scandalizastis plurimos, propter quod & ego dedi vos contemptibiles omnibus populis. Malach. c. 2. v. 8.

XI. Peccantes in fratres, & percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis. 1. Corinth. c. 8. v. 12.

§. III.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Qualitas.

I. Calumniatores dicere possumus omnes iniquos, non solùm, qui exteriora bona rapiunt, sed etiam qui malis suis moribus, & vitæ reprobæ exemplo interna nostra dissipare contendunt, illi namque ea, quæ nobis extrà sunt, invadere ambiunt; isti verò nos prædare quærunt. Et tandem paulò post subjungit, inquiens: Quantùm morum vita à rerum distat substantiâ, tantò gravior calumniator est, qui malè vivendo vim infert nostris moribus, quàm qui violenter opprimendo damna ingerit rebus; nihil iste de nostra sustentatione subtraxit, sed exempla nobis perditionis apposuit. S. Greg. l. 16. mor. c. 10.

Necessitas.

II. Sunt homines, qui putant, sibi in benè viven- S. Aug. ser. 9. c. 9.

vivendo, sufficere conscientiam, & non valdè curant, quid de illis aliter existimetur, ignorantes, quia cùm homo viderit hominem bonæ conscientiæ negligentiùs viventem, ædificatur non ad ea, quæ perscrutatur, sed ad ea, quæ suspicatur; neque enim potest intrare in conscientiam tuam, quam vidit DEUS. Conscientia tua coram DEO est; conversatio tua coram fratre tuo, si de te ille aliquid mali suspicans, perturbatus ædificatur ad aliquid faciendum, quod te putat facere, dum sic vivis, quid prosit, quia venter conscientiæ tuæ hausit aquam puram, & ille de tua negligentia conversationem bibit turbatam?

S. Chrys. hom. 25. ad Rom.

III. Si etiam per se ipsas graves sunt delictorum nostrorum pœnæ, ubi & istæ accedent, scilicet exemplorum malorum, quando salvabimur? non enim putemus, hos excusationem habituros, si quando delictorum socios invenerimus, nam istud, supplicium magìs augebit.

Damnum.

Bellov. apud Mansi tr. 27. disc. 10. n. 9.

IV. Peccata majorum, id est, Principum Sæcularium, & Prælatorum Ecclesiæ, præcipuè faciunt nomen DEI blasphemari, unde minores excusant se à peccatis suis propter peccata majorum.

S. Greg. p. 3. past. c. 1. admon. 9.

V. Scire Prælati debent, quòd, si perversa unquam perpetrant, tot mortibus digni sunt, quot ad subditos suos perditionis exempla mittunt.

Dion. Carthus. in c. 1. Petr. 2.

VI. Qui alios scandalizant, & impiè conversantur, DEUM, quantùm in ipsis est, vilificare & maculare feruntur; propter quod DEUS per Ezechielem ait Judæis: *Commaculastis nomen sanctum meum.* Et iterum: *Polluistis Nomen meum in gentibus.*

S. Bernard. apud Mansi Disc. 13. n. 3.

VII. Si Dominus pretium sanguinis dedit in pretium Redemptionis animarum, non tibi videtur graviorem sustinere ab eo persecutionem, qui suggestione malâ, exemplo pernicioso, scandali occasione avertit ab eo animas, quas redemit, quàm ab illo, qui sanguinem suum fudit?

S. Thom. Villan. ser. de S. ...

VIII. Si eripere pallium vel tunicam alicujus, malum est, uxorem verò pejus, & vitam deterius; quantò omnium horum pessimum est, ejus animam interficere, eam æternis ignibus perpetuò torrendam adigere? *væ, qui devorat plebem Domini, sicut escam panis.*

S. Chrysost. hom. 25. ad Rom.

IX. Igitur & tu quoque, si reliquis perditionis causa fueris, graviora patiêris, quàm qui per te subversi fuerint, neque enim peccare tantum in se perditionis habet; quantum quod reliqui ad peccandum inducuntur.

§. IV.

EXEMPLA SACRA.

Qualitas.

Mansi disc. 7. n. 2.

I. ORigo primaria, seu primus scandali inventor Lucifer fuit, qui pessimum hoc lolium primò in Paradiso cœlesti seminavit, & postea in terrestri, priùs in natura Angelica, & postea in humana, qui tertiam stellarum partem seduxit, præcipitavit, & ex firmamento æterno extraxit, eâque in lethales fecit degenerare Cometas; quibus transactis ad Evam se contulit, eámque seduxit, eâque mediante Adamum. Atque hanc ob causam Verbum incarnatum, quando Petrum redarguit, ab humanæ Redemptionis calice bibendo eum retrahere volentem, Sathanam nuncupavit, dicens: *vade, post me Sathana*; cuius hanc immediatè subjunxit rationem: *Scandalum es mihi*; volens per hoc demonstrare, eos dœmones potiùs, quàm homines appellandos esse, qui aliis præbent scandalum.

Fuga.

II. Christus Matrem suam S. Josepho desponsari voluit, ne lapidaretur à Judæis ut adultera; sive ut omne arceret scandalum, quod aliàs Judæi ex ipsius nativitate concipere potuissent; Idem quoque Redemptor noster ab omni erat tributi debito immunis, utpote in cuius femore scriptum erat: *Rex Regum, & Dominus dominantium*, & tamen S. Petrum sollicitè ad mare dimisit, ut ex ore piscis monetam erueret, quâ pro se & Petro tributum exsolvere posset; idque ut sapiens Magister noster ait: *ut non scandalizemus eos*; ob eandem quoque rationem circumcidi, & infami filiorum Adæ signo notari voluit. *S. Hieron. in c. 1. Matt.*

III. S. Theodorus Studita videns, quod per pessimum Constantini VI. Imperatoris obscœnitatis exemplum, quod legitimam conjugem suam à se repellendo edebat, multi quoque etiam in remotis Provinciis similes excessus committerent, repudiando à se uxores suas, aliásque juxta libidinem superinducendo, ne hoc venenum serperet ulteriùs, postquàm illum acriter reprehendisset, contra ipsum in eius præsentia, & in conspectu omnium Excommunicationis fulminavit sententiam. *Baron. anno 795. n. 57.*

IV. S. Bernardus de semetipso ait: Mori timeo, quoniam non sum paratus; malo tamen mori, & misericordiæ DEI me committere, quia benignus & misericors est. At verò quamobrem Doctor hic mellifluus mori cupiebat magìs, quàm vivere; num fortè Ecclesiæ aliqua hæresum, schismatis, vel persecutionis imminebat gravis tempestas? aut verò mortem desiderabat, ob habitualis & pœnosæ cujusdam infirmitatis, quâ tenebatur, violentiam? aut verò, quàm fieri poterat, citissimè DEO uniri anhelabat? nihil horum; Sed audite verum huius desiderii motivum, ipsiusmet mellifluì Doctoris ore expressum: Malo mori, inquit, quàm de mala mea conversatione alicui scandalum dare; & tamen non jam dico, anima eius, sed corpus ipsius, vehementer extenuatum, utpote verum Spiritûs sancti sacrarium, ad integrum quendam Mundum ædificandum sufficiebat. *S. Bern. s. 35. de intern. domo.*

V. Eleazarus senex ab amicis, multisque aliis *l. 2. Machab. c. 6.*

alis suasus, ut ad dandam Antiocho satisfactionem saltem simularet, se vetitas in lege carnes manducare, intrepidè respondit: *præmitti se velle in infernum.* Cujus hanc subjunxit rationem: *Non enim ætati nostræ dignum est, fingere, ut multi adolescentium arbitrantes, Eleazarum nonaginta annorum transiisse ad vitam alienigenarum, & ipsi propter meam simulationem, & propter modicum corruptibilis vitæ tempus decipiantur.* Radicémne fructiferorum horum germinum dignoscere cupitis? à puero optimæ conversationis actus, per nonaginta solidos annos vitam duxerat exemplarem, virtutémque solam colere didicerat; hic unius impulsus erat, qui eum ab omni etiam scandali umbrâ avellebat, & absterrebat.

S. Cyprian. in Gloss. Cujus constantiam S. Cyprianus etiam veneratur Discursu sequenti: Non juvenibus tantùm, sed & senibus congruit, fratrum imbecillitati consulere, ne senectus perire provocet juventutem, ex qua debent omnia salutaria documenta procedere. Maluit vitam suam tormentis objicere, quàm cuiquam causa perditionis existere; & nos, ubi nulla tormenta sunt, fluxibus solis nolumus salvandos fratres anteponere, nec contenti sumus sine ullis cruciatibus tam nobis prodesse, quàm cæteris, cùm ille noluit vivere moriturus.

Surius 8. Jul. VI. Surius de S. Procopio Martyre refert, quòd in persecutione Diocletiani manibus illius à Judice igniti carbones impositi fuerint, ut ab eorundem ardore victus eosdem super aram projiceret, atque hoc signo circumstantibus se Diis sacrificare se declararet; at verò invictus Martyr manus potiùs sibi comburi permisit, quàm ut tale circumstantibus præberet scandalum. Similiter de *Baron. an. 304. n. 63.* S. Barlaam, qui, utpotè rusticus, vilibus quidem erat natalibus oriundus, sed per Martyrium valdè illustris factus, referunt Annales Ecclesiastici, quòd pagani, posito super Altare igne, manum dexteram, granis incensi repletam, violenter coëgerint in altare excutere; ille verò manum in mediis carbonibus tenuit immobilem, illam potiùs conflagrari permisit, quàm ut scandalum daret. Unde S. Basilius illum meritò DEO dicere potuisse ait: *Tenuisti manum dexteram meam & in voluntate tua deduxisti, & cum gloria suscepisti me.*

Damnum.

Lib. 3. Reg. c. 21. & 4. Reg. c. 9. & 10. VII. Supplicium, quo divina Justitia in Regem Achab animadvertit, severum quidem & rigidum fuit, multò tamen atrocius fuit illud, quod de Jezabel conjuge ejus sumpsit; ille enim in bello infeliciter mortuus est, & modicam sanguinis sui partem canes linxerunt: septuaginta quoque capita totidem filiorum suorum, à Jehu, qui ei in Regno successit, præscissa post mortem ejus in aliquot cophinis missa fuerunt; Jezabel autem è fenestra præcipitata, & totaliter ex-

cepto cranio, pedibúsque ac summis manibus, à canibus devorata fuit. Abulensis causam examinans, cur hæc majori cum rigore punita fuerit, inquit: Quantò peccata sunt majora, tantò gravior eis pœna correspondet, & tamen cæteri de progenie Achab occidendi erant, & Jezabel peccaverat plùs, quàm omnes illi, ergo illi debebatur pœna major, quàm mors, & istud erat, quòd proculcaretur ab equis, & laceraretur à canibus. In alia verò quæstione difficultatem totaliter solvit, dicens: *Ipsa incitabat Achab ad omne malum*; erat enim calix aureus Babyloniæ, qui illum inebriavit; quia nihil ferè istorum fecisset, nisi Jezabel movisset eum. *Abul. q. 14. in 4. Reg.*

VIII. De Heli & Filiis ejus prædixit DEUS: *Facio verbum, quod quicunque audierit, tinnient ambæ aures ejus.* At verò cur, obsecro, divina Justitia indignata tot in hanc domum iræ suæ fulmina vibravit? Sacer Textus ait: *Erat ergo peccatum puerorum grande nimis coram Domino*; At verò in quonam illud peccatum consistebat? num fortè in eo, quòd carnes sacrificatas sibi rapuerint? si ita est, peccatum hoc adeò grave esse non videtur, cùm DEUS per os Psalmistæ dicat: *Numquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo?* Respondeo igitur, malitia peccati ipsorum non consistebat in eo, sed execrandus excessus, quem DEUS in illis execrabatur, scandalum publicum erat, quia retrahebant homines à Sacrificio DEI; Et ideo S. Gregorius ait: Grande nimis peccatum esse cognoscitur, quod pœnitentiæ lacrymis non deletur. Et paulò post ait: Grande nimis peccatum erat coram Domino, quia ad peccandum alios pertrahebat. *S. Gregor. in l. 2. Reg. c. 2.*

IX. Simeon inter fratres suos solus à Josepho in carcere fuit retentus; quia, ut Dionysius Carthusianus ait, magìs peccavit in Joseph suâ crudelitate, & alios incitavit contra eundem. Dignum autem erat, ut plùs castigaretur, qui reliquos animârat fratres ad tribulationes contra Joseph, quando eum occidere meditabantur; & tandem morte in servitutem commutatâ, ipsum ut mancipium vendiderunt. *Dion. Carth. in c. 42. Gen.*

X. Quisquis libros Regum evolvet, inveniet, nullum inter omnes Reges Israël atrociùs fuisse à DEO castigatum, quàm Jeroboam; sæpè autem, dum fulminum, à divina Justitia in ipsum emissorum, fit mentio, ratio illorum his verbis insinuatur: *quia peccare fecit Israël*; duos enim vitulos aureos à subditis suis adorandos erexit; unum in Bethel, in Dan verò alterum; duo autem vituli, ut Bellovacensis ait, duo exemplorum malorum genera significant, in Principibus, Magistratibus sæcularibus & alterum in Prælatis & personis Ecclesiasticis; hic est vitulus, quem posuit in Bethel, id est, in domo DEI, ad ruinam populi: vitulus in Dan, qui judicium interpretatur, significat exemplum malum terrenorum Principum. *Bellov. p. 3. spec. mor. l. 3. dist. 17.*

Esther c. 1. v. 17. XI. Regina Vasthi quia invitata à Rege ad convivium venire recusavit, hanc transgressionem tam gravem Concilium Regale judicavit, ut decernere non dubitârit : *Non solùm Regem læsit, sed & omnes populos, & Principes, qui sunt in cunctis Provinciis Assveri ; egredietur enim sermo Reginæ ad omnes mulieres, ut contemnant viros suos, & dicant : Rex Assverus jussit, ut Regina Vasthi intraret ad eum, & illa noluit ; atque hoc exemplo omnes Principum conjuges Persarum atque Medorum parvi pendent imperia maritorum ; unde Regis justa est indignatio.* Cujus historiæ textus nostro imprimis favet proposito, siquidem docet, quòd vel unica anima, quantumvis Regis gloriæ sit sponsa, multísque cumulata meritis, si tamen fortè fortuitò malum aliquod præbuerit exemplum, principaliter autem, quando aliis tanquam exemplar prælucere debuisset, mereatur ut repudietur, & æterno exuatur Regno.

Bellv. l. c. XII. Bellvacensis narrat, quòd Episcopi quidam itineri se accinxerint, ut Hæreticis Albigensibus prædicando, eosdem ab erroribus & hæresibus suis dimoverent ; adibant verò illos in fastu & pompa equorum, comitatuum, aliarúmque similium vanitatum ; unde hæretici scandalizati dicebant : Ecce quomodo isti prædicant nobis Christum Dominum suum, equites peditem, divites pauperem, pomposi humilem. Et sic sine fructu de terra confusi recedere debuerunt. Supervenit igitur S. Dominicus, qui omnia ab Episcopis & Abbatibus data scandala restauravit, dum ad illos discalceatus venit, & nudis pedibus spinas calcavit, pauper, humilis, & cilicio vestitus, quo habitu illos compunxit, convicit, omnésque DEO lucratus fuit.

S. Gregor. l. 2. Dial. c. 8. XIII. Florentius Presbyter, dum felicia instituti S. Benedicti auspicia, cujus tunc prima jaciebantur semina, tolerare non posset, furiis stimulatus infernalibus, septem induxit mulieres, quæ nudæ in horto saltarent, monachorum illorum incolatui vicino ; quare & Sanctus dictum subitò deseruit locum, cui veluti triumphans illætatus impius, solario domus suæ ex improviso oppressus fuit, atque ita in verticem ipsius iniquitas ejus descendit.

§ V.

SIMILITUDINES.

Qualitas.

Salmeron apud Mansi disc. 12. n. 7. I. Sicut majorem universaliter admirationem stuporémque causant eclipses Lunæ & Solis, quàm aliorum inferiorum planetarum defectus ; ita quoque si quis privatus malâ vitâ suâ proximos suos scandalizet, minus damnum causat, quàm alius in dignitate constitutus.

Ibid. n. 8. II. Sicut in exercitu omni, ut experientia docet, oculus & cura in desolationem & contritionem intenditur principalium ; ita quoque inimicus communis in bello isto, de quo scriptum est ; *militia est vita hominis super terram* ; Ipse enim inimicus infernalis ad hoc præcipuè conatur, ut illos vel maximè prævaricari faciat, qui authoritate & sanctitate sunt eminentiores.

S. Bonav. ibid. disc. 15. n. 8. III. Sicut magna crudelitas est, affligere ægrotantes ; sic magna perversitas, seducere simplices, nam de pusillis dicitur ; ne coram cœco ponas offendiculum.

Damnum.

Mansi disc. 12. n. 7. IV. Sicut in navigatione exilis putatur error, quem quis admiserit è communi viatorum turba ; gravissimus autem & periculosissimus, qui perpetratur à Nauclero ; ita quoque in Reipublicæ gubernio, quando aliqua persona privata peccat, sibi ipsi præjudicat ; qui autem gubernium tenet, habenásque dirigit imperii, nocet omnibus delictô suô, siquidem ad omnes transfunditur, & quandoque omnibus malum ejus imprimitur exemplum.

Ibid. V. Sicut sol, quantumvis splendeat, non tamen consideratur singulariter ; benè tamen quando patitur ; & iterum quòd sicut horologium, non quando fluens, horas indicat, sed quando sistit, transeuntium in se oculos rapit ; ita quoque si quis superior malum dederit exemplum, omnes ipsum observant, murmurant, quódque pejus est, major subditorum pars idem sibi licitum esse, & imitari posse, arbitratur.

S. Thom. Villa. ser. de S. Mich. VI. Sicut, si quod ædificium atteritur, se ipso plerumque corruere facit muros vicinos, divellit, rumpítque pavimenta, trabes, domósque contiguas ; ita quoque scandalosus unicus non solus cadit, & ruit, sed etiam alios cadere facit amicos, cognatos, socios, omnésque alios, ad quos malum ejus transmittitur exemplum : idéoque S. Thomas de Villa nova nos adhortatur, dicens : Caveamus scandalum præbere pusillis, & dare illis occasionem ruinæ ? sufficiunt nobis peccata nostra, non simus apud DEUM etiam alienorum peccatorum rei.

Mansi disc. 10. n. 7. VII. Sicut Pharao in extremam ruinam & desolationem populum DEI præcipitare decreverat, ideóque voluit, ut se occuparent in operibus luti & lateris ; ast laboribus illis homines authoritate pollentes præesse jussit ; præposuit eis magistros operum ; Ita quoque Pharao infernalis populum electum luxuriæ luto immergere volens, ordinat, & disponit, ut malum iis obtingat superiorum exemplum, dicente Origene : Ideo præfecit eis Magistros operum, qui eos cogant discere opera carnis.

Ibid. VIII. Sicut is, qui integram civitatem toxico molitur inficere, venenum suum fontibus

tibus injicit, qui postea aquam intoxicatam in omnes civitatis partes derivent; scit enim quòd hoc pacto cum facilitate ad unumquemque insensibiliter dilatandum sit venenum. Eâdem quoque astutiâ dæmon utitur, quando integrum quendam populum, Provinciam, vel Regnum inficere intendit, tunc enim fontem principalem veneni toxico imbuit, id est, efficit, ut Princeps vel Rex publicum scandalum continuò præbeat, quo foveantur impii: similiter volens familiæ alicujus ruinam, caput domûs invadit, illúdque pessimis motibus vivere facit; denique integræ alicujus Diœcesis perditionem meditans, Episcopum depravat: *Percutiam pastorem, & dispergentur oves gregis.*

Ibid. disc. 9. n. 6. IX. Sicut, dum in cœlo funestus aliquis cometa, vel alia infausta aëris impressio exoritur, universa terra exinde patitur: talia enim errantia sidera famem, strages, pestilentias, seditiones, terræ motus, & quævis alia ærumnarum genera comminantur; eodem modo, quando, qui imperio præsunt, subditis suis scandalum præbent, Reipublicæ varia supplicia, flagella & damna imminent.

S. Chrysost. ser. 139. X. Sicut infœcunda arbor, si fuerit in vinea, dum fundit mortiferam subjectis vitibus umbram, inimica non sibi soli, sed etiam palmitibus fit fœcundis, ita homo deses, ignavus, si præsit populis, non sibi soli fit noxius, sed multis, dum sequentes se suo vitiat & perdit exemplo.

Scandalum passivum vitandum.

Philip. Hartungus in Dom. 6. post Pasc. in Conc. Civ. §. 15. XI. Sicut fontes in hyeme calidiores propter circumstans frigus redduntur, iidem verò in æstate propter circumstantem æstum frigus suum intendunt; ita nos virtutem & devotionem intendemus, quoties in medio malorum nos deprehenderimus.

Ibid. XII. Sicut rosæ propè allium olent suaviùs, & lilia inter spinas speciosiùs albicant; ita nos medias inter tentationes, & scandala, amœniùs florebimus, & germinabimus.

Ibid. XIII. Sicut nives in monte Ætna non absumuntur à flammis, sed integræ perdurant; ita nos in maligno hujus mundi igne positi niveam servare puritatem, illibatámque procurare innocentiam satagemus.

Ibid. XIV. Sicut ex boum cadaveribus apes enascuntur; ita ex visis aliorum sceleribus cœlestes enascentur cogitationes, & melleæ ad DEUM aspirationes evolabunt.

Ibid. XV. Sicut amarâ ex thymo dulcissimos legunt favos apiculæ; ita & nos ex aliorum impietate suavissimum devotionis mel sugemus.

§. VI.

MOTIVA.

Abulens. q. 91 in c. 18. Matth. I. GRavitas, quam benè ostendit Abulensis observans, in Palæstina, molendina, non per viam aquæ, ut usitatum est nobis, sed ab asino quodam circumagitari consuevisse. Et ideo S. Matthæus, & S. Marcus saxum istud molam asinariam appellant; vel etiam ad denotandam saxi magnitudinem, quia nonnullæ molæ parvæ sunt, quæ manibus circumaguntur; quæ trahuntur ab asinis, inquit Abulensis, molæ magnæ sunt, & hanc magnitudinem exprimere voluerunt; quia verò dicitur, *quod suspendatur mola in collo, & demergatur in mare*, voluit Christus tangere magnitudinem pœnæ; in terra enim Chanaan sive Palæstina, in qua Christus erat, consuetudo vigebat, pro maximis criminibus reos sic demergi, ideo per hoc significavit, quòd pæna, quæ datur à scandalizantibus proximos, major est, quàm maxima pœnarum, quæ dantur hic pro criminibus, & ita eos terret.

II. *Fœditas*; Ob quam etiam Angeli detestantur hoc vitium, uti Salvator noster indicavit, dum ubi comminatus est scandalum præbentibus commeritum supplicium, immediatè pòst Angelorum faciat mentionem, quod utique sine mysterio factum non est; quia quando malum exemplum proximis nostris præbemus, sumúsque causa ruinæ animarum illorum, eodem tempore pariter Angelos offendimus, qui illarum custodiæ invigilant, qui proinde Zelo exstimulati, Divinæ Justitiæ gladium contra nos apprehendent; ac proinde Christus ait: *Videte, ne contemnatis unum ex his pusillis meis, dico enim vobis, quia Angeli illorum in cœlis semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est; venit enim Filius hominis salvare, quod perierat*; quibus verbis rationem assignat, cur nulli hominum præbendum sit scandalum, quisquis demum sit, ne quidem parvulis, quia ipse nimirum de cœlo descendit ad salvandas animas, quas scandalosus malo suo exemplo perdere studet, ac proinde vult dicere: Angeli Zelantes honorem meum, & sibi commissorum salutem, suo tempore rigorosum de illis supplicium sumere non intermittent; Nam, ut S. Bernardus in quodam sermone ait, nil æquè offendit, & ad indignationem provocat eos, quomodo scandala, si fortè inveniantur in nobis. S. Bern. ser. 1. de S. Mich.

III. *Insanabilitas*; nam quando in S. Scriptura de alijs peccatis sermo est, ex modo, quo de illis loquitur, satis colligitur, quòd eorum speret emendationem; unde & pro illis pietas cœlestis imploratur: At verò de scandalosis loquitur tanquam de hominibus à DEO separatis, vel tamquam de membris à corpore præcisis, unde hisce nulla spes vitæ reliqua esse poterit. Mansi disc. 6. n. 7.

IV. *Proclivitas*; nam, ut S. Hieronymus ait, proclivis est malorum imitatio, & quorum virtutes assequi nequeas, certè imitaris vitia. Id quod etiam in naturalibus patet, siquidem mala herba & lolium naturaliter crescit; bonam verò cum industria & cultura producere necessum est. Quæ proinde veritas, nec ipsos etiam gentiles latere potuit, reliquos S. Hieron. ep. 7. ad Lætam.

R. P. Lohn. Anctar. Bibl.

liquos inter ita discurrente Senecâ : Unum exemplum aut luxuriæ, aut avaritiæ multùm mali facit ; convictor delicatus paulatim enervat & emollit ; vicinus dives cupiditatem irritat ; malignus comes quamvis candido & simplici, rubiginem suam affricat ; Ita quicunque se à cursu, qui faciliter & naturaliter præcipitat, deorsúmque trahit, in quo vitium denotatur, se abripi sinit.

S. Thom. Villa in Fest. S. Mich. V. *Difficultas in reparando damno* ; Non enim sic erit in nostra potestate corrigere, quos læsimus ; qui enim scandalo obedivit, fortè non obtemperabit consilio, & videbis fratrem in tuo exemplo labentem, nec succurrere poteris pereunti : Unde in hoc quodammodo ab alienis peccatis magìs formidandum est, quàm à proprijs, quia minùs nostræ potestati subest eorum remedium & medela.

§. VII.

MEDIA.

S. Ambr. apud Mansi disc. 13. n. 3. I. CHristi Amor, uti S. Ambrosius suasit dicens : quantùm valeat salus fratris, ex morte Christi cognoscitur. Itaque qui scit, quantùm constet, confirmare illum debet, non scandalizare. *Cornel. à Lap.* Qui enim scandalizant proximum, in Christum peccant, quia Christi fabricam, puta proximorum probitatem & salutem, quam Christus suo sanguine construxit, malo suo exemplo destruunt, & evertunt.

In Vit. PP. de verbis Sen. libello 9. n. 9. II. *Sua propria peccata considerare*, uti Joannes Major sequenti exemplo docet: Factus est aliquando conventus in Scithi, & loquebantur Patres de quodam fratre culpabili. Abbas autem Prior tacebat: Postea verò surgens egressus est, & tollens saccum implevit eum arenâ, & portabat eum in humeris suis, & mittens in sportella modica de eadem arena, portabat etiam ipsam ante se. Interrogatus autem à Patribus, quid hoc esset ? Ille respondit : Saccus iste, qui multum habet arenæ, mea peccata sunt, & quoniam multa sunt, posui ea supra dorsum meum, ne doleam pro ipsis, & plorem. Ista autem arena modica peccata sunt istius fratris, & sunt ante faciem meam, & in ipsis exerceor judicans fratrem : Quod non oportet ita fieri, sed mea magis peccata ante me debent esse, & de ipsis cogitare, & rogare, DEUM, ut ignoscat mihi. Audientes autem Patres dixerunt : Verè hæc est via salutis.

S. Aug. tr. 42. in Ioan. III. *Malitiam hujus vitij ponderare*; quam S. Augustinus sequentibus verbis depingit: videte genus homicidij, fratres : homicida dicitur diabolus, non gladio armatus, non ferro accinctus ad hominem venit, verbum seminavit, & occidit. Noli ergo putare, te non esse homicidam, quando fratri tuo mala persuades; si fratri tuo mala persuades, occidis : quis enim nescit, magis persuasiva esse exempla, quàm verba ? si quidem infallibilis est S. Leonis sententia, dicentis : validiora sunt exempla, quàm verba. Quisquis scandalizat, mortem infert animæ proximi, sanguini injuriatur Redemptoris, quo anima illa tincta, & abluta erat.

§. VIII.

ASCETICA.

I. INprimis nôsse debet Asceta, quomodo intelligẽda sint verba illa Christi: *si oculus tuus scandalizaverit te, erue eum, & proijce abs te :* id quod S. Thomas Villan. explicat dicens: Non ad literam suffodiendum oculum, aut præscindendam manum, vel pedem, intelligas, sed spiritualem oculum, aut manum, aut pedem, id est, amicum, qui tibi pro oculo est in consilio, aut pro manu in auxilio, aut pro pede in lucro ; etsi dexter sit, & ad bonum te inducit, si aliàs te in peccatum trahit, proijce abs te, declina ab eo, fuge, fuge illius societatem. *S. Thom. Villa. ser. de S. Mich.*

II. *Nôsse debet, quòd scandali malitia tantò gravior sit, quantò major est ejus, qui scandalizat, authoritas* ; si enim tam gravis est pœna illius, qui pusillum unum scandalizaverit, quid erit de illis, quos DEUS tanquam mundi lucem posuit super candelabra, ut omnibus lucerent ? qui jam Episcopatus, Dignitates, & Principatus obtinent, non ut populum ædificent exemplo & verbo, sed in scandalum sunt multorum, & in ruinam populi totius, videntis eorum potentiam, delicias, avaritiam, superbiam, qui ovibus sunt in scandalum. *Did. Stella in c. 17. Luc.* Quod confirmans S. Isidorus, Reges, inquit, vitam subditorum facilè exemplis suis vel ædificant, vel subvertunt, ideóque Principem non oportet delinquere, ne formam peccandi faciat peccati ejus impunita licentia ; nam Rex, qui ruit in vitia, citò viam ostendit erroris, sicut legitur de Jeroboam, *qui peccavit, & peccare fecit Israel* ; illi namque ascribitur, quidquid exemplo ejus à subditis perpetratur. *S. Isidorus l. 3. sent. c. 50.* Hinc etiam Innocentius III. in epistola quadam ait : Quantò Antiochena Ecclesia majori, Domino disponente, præeminet dignitate, tantò vobis est sollicitiùs providendum, ne fieri contingat aliquid in eadem, quod alicujus pravitatis exemplo mentes posset corrumpere subditorum ; quia ea, quæ vident fieri à majoribus, facilè solent trahere in exemplum. *Innoc. [illegible] l. 3. Regis 13. ep. 20.* Et meritò, nam nemo, teste S. Gregorio, in Ecclesia magis nocet, quàm qui perversè agens, nomen vel ordinem Sanctitatis habet ; delinquentem enim hunc redarguere nullus præsumit, & in exemplum culpa vehementer extenditur, quando reverentiâ Ordinis peccator honoratur. *S. Greg. past. part. 3. c. 1. adm. 5.*

III. *Nôsse debet fraudem Dæmonis quoad hanc materiam* ; quam quidem optimè detexit idem S. Gregorius dicens : Callidus serpens cùm à bonorum cordibus repelli se conspicit, eos, qui ab illis valdè diliguntur, exquirit, & per eorundem verba blandiùs loquitur, qui plùs cæteris amantur, ut, dum vis amoris cor perfodit, facilè persuasionis ejus gladius ad intimæ rectitudinis munimina irrumpat. *Idem l. 3. mor. c. 7.*

IV.

Philipp. Hartung in Dom. 6. post Pasch. conc. xiv. §. 11. IV. *Nosse debet, quomodo passivum scandalum vitare debeat*; id quod Philippus Hartung hunc in modum explicat: Babylonij, teste Andrea Tiraquello tom. 4. de Nobilitate c. 31. nullo utebantur in urbe Medico, sed infirmos in foro deponebant, ut de origine malorum pro cautela suasani consulerent; neque fas erat cuiquam, infirmum præterire silentio, quin diligenter exploraret, quo quisque laboraret ex morbo: itaque consulebat sanus ægroto, quanam ipse ratione similem morbum aliquando effugisset, aut alium effugisse sciret. Ecce præclaram medendi methodum, non à Medicis, sed infirmis exquisitam! Morbi animæ vitia sunt: qui superbiâ laborat, Luciferum consulat; qui iracundiâ furit, Cainum quærat; qui luxuriâ tabescit, filium adeat prodigum; qui avaritiâ corripitur, Judam interroget. Ex præcipiti Luciferi casu, ex mortifero Caini terrore, ex prodigi sordibus, ex suspensi, crepantisque Judæ spectaculo plùs proficiet, quàm ab humilis Lazari, patientissimi Abelis, mundissimi Josephi, &c. exemplis.

§. IX.

MISCELLANEA ET CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Damnum.

S. Bruno in 1. Corinth. 5. v. 2. I. S. Bruno Carthusianorum Patriarcha textum illum Apostoli, in quo Corinthijs persuadet, ut scandalosum illum incestuosum è medio Societatis suæ auferant & amoveant: *ut tollatur è medio vestrûm, qui hoc opus fecit.* Hunc, inquam, textum exponens, subjungit: Hunc, & omne malum tollite de medio vestrum; quasi dicere vellet scandalum centrum esse, & omnis malitiæ nidum.

S. Thom. & Dionys. Carth. in cit. loc. II. Apostolus in c. 5. ep. 1. ad Corinth. de scandalo tractans, ipsum fermento assimilat dicens: *Nescitis, quia modicum fermentum totam massam corrumpit?* & paulò pòst, eidem allusioni insistens, quale venenum annexum habeat, subnectit, inquiens: *fermentum malitiæ & nequitiæ.* Quam pariter ob causam olim DEUM severissimè inhibuisse arbitror, ne Israëlitæ quidquam fermenti in ædibus suis asservarent, *non erit fermentum in domibus vestris, quicunque comederit fermentatum, peribit anima illa de Israël.* Sed quorsum obsecro cum tanto rigore mortis pœna illi intentabatur, qui massam hanc domi suæ asservaret? scilicet ut in eo disceremus, quòd vel unius duntaxat scandalum, in fermento figuratum, sufficiens pestis sit, quæ inficiat, mortéque mulctet omnes in tali familia degentes. Unde S. Thomas inquit: sicut per modicum fermentum tota massa corrumpitur, ita per unum peccatorem tota societas inquinatur: in cujus confirmationem illum adducit Ecclesiastici Textum: *ab una scintilla augetur ignis, & ab uno doloso augetur sanguis*; & hoc quidem contingit, dum per peccatum unius alij provocantur æqualiter ad peccandum. Quem pariter textum Dionysius Carthusianus exponens, sub titulo fermenti ad homines alludit scandalosos, dum ait: sic unum peccatum, seu unus pestilens & perversus totam massam, id est, vestram congregationem contaminat, inficit, & seducit, nisi auferatur.

III. Consideratione dignus est modus, quo incarnata & increata sapientia in prædicta zizaniorum parabola loquitur, dicit enim, quòd supremus Judex Angelos suos in fine sæculorum velut totidem messores in Ecclesiam suam militantem missurus sit, ut in cœleste granarium frumentum congregent, zizania autem in ignem infernalem conjiciant; quætendum enim hîc venit, cur, ex quo per hanc malam herbam, vel zizania, quævis culpa, omnísque perversitas intelligitur, nulla fiat specialis peccati mentio, præterquam scandali? Dicit enim sacer Textus: *Sicut ergo colliguntur zizania, & igni comburuntur, sic erit in consummatione sæculi; mittet filius hominis Angelos suos, & colligent de Regno ejus omnia scandala*; cur nullam facit mentionem de sacrilegiis, de apostasiis, de hæresibus, de atheismo, de paganismo, de incestibus, de blasphemiis, de Simoniis, de homicidiis, de usuris &c.? Cur sola Scandala memorat? scitisne, quodnam hujus sit mysterium? hoc nimirum, quia cùm ibi de igne infernali agatur, nullum est peccatum, quod majorem cum illo igne relationem habeat, quàm scandalum; hoc enim unica causa existit, cur DEUS abyssi illius voraginem aperuerit, etenim à principio quidem Creator totum universum produxit: *In principio creavit DEUS cœlum & terram*, sed sine inferno. Quando igitur justitia vindicativa ignem illum centro terræ invisceravit, ibidémque tenebricosum illum dilatavit carcerem? tunc videlicet, ut diximus, quando Draco infernalis tertiam naturæ Angelicæ partem scandalo suo in abyssum protraxit: *Michaël & Angeli ejus præliabantur cum Dracone, & Draco pugnabat, & angeli ejus, & non valuerunt, neque locus eorum ampliùs inventus est in cœlo, & projectus est Draco ille magnus serpens antiquus, qui vocatur Diabolus & Satanas.* Causa igitur, cur ipsi & sequacibus ejus barathrum apertum fuerit inferni est hæc, quia seduxit universum orbem, postquàm seduxisset magnam cœlestis curiæ partem. Mansi disc. 7. n. 7.

IV. Quæri non immeritò potest, cur Adam & Eva à DEO interrogati fuerint, serpens verò non item, & tamen hic instrumentum & auctor omnis mali fuerat, quod dubium Procopius his verbis resolvit: Mirabile vide judicium, deceptos interrogat, deceptorem non interrogat, sed quasi malum & mali authorem & penitùs incorrigibilem, veniâque indignum affatur. Voluit nimirum Divina Sapientia, quæ omnia alto cum mysterio disponit, ab ipsis mundi crepundijs nos Ibid. n. 8.

docere,

docere, illos, qui offendiculum sunt, & ruina animarum, ut plurimùm incorrigibiles, veniæ incapaces, & perditæ salutis homines esse. Non enim fuit examinatus serpens, nec vocatus ad se defendendum, aut rationem de se reddendam, sicuti primi parentes, sed ex abrupto maledictus & condemnatus fuit: *quia fecisti hoc, maledictus eris*; Non enim opus est examine aut processu, ad condemnandum illos, qui scandalum præbent, nimis potens & detestabile est scelus illorum, & quia in flagranti crimine deprehenduntur, tanquam atrocium delictorum rei, inauditi condemnantur.

S. Chrysol. serm. 27. V. D. Chrysologus de malitia scandali scribens, alia huius comminatæ pœnæ mysteria in medium adducit; quare, inquit, non lapis, sed lapis molaris? quia lapis molaris dum triticum terit, dum farinam fundit, à polline furfurum dum secernit, panem piè laborantibus subministrat. Benè ergo illi, qui eligit minister scandali magis esse, quàm pacis, ad collum lapis alligatur molaris, ut hoc illum ad mortem trahat, quod illum trahere debuisset ad vitam, quia sensus ad vitam datos, mortis convertit in scandalum, suadendo aliud videre, aliud audire, aliud sentire, aliud sapere, quàm in Christo erat, quàm erat in scientia salutari. Hinc angularem lapidem, hinc adjutorii lapidem, hinc lapidem sine manibus abscissum, quod est Christus, sic pusillorum circuit, & traxit ad scandalum, ut non panem vitæ, sed panem lachrymarum conficeret & doloris, sicut Propheta testatur dicens: *qui manducatis panem doloris.*

Mansi disc. 8, n. 4. VI. Considerandum est, quòd reus, qui saxo ad collum alligato in mari submergitur, penitus ab oculis nostris subducatur, non verò item qui in publico foro justitiæ supplicio afficiuntur, hi enim, quia omnibus expositi sunt, in spectatoribus excitant compassionem, atque ad porrigendum pro anima illorum precum subsidium populum commovent, econtrà verò qui in mare demergitur & profundatur, exosus declaratur omnibus, & indignus, qui videatur, ne dum adjuvetur. Hanc autem detestationem & abominationem scandalosi pœnæ loco sustinebunt, quia exosi sunt Deo, hominibus & multò magis Angelis.

Ibid. n. 5. VII. Per experientiam videmus, quòd, si pes v. g. in offendiculum aliquod impingens, graviter lædatur, non ob id subitò præscinditur, aut separatur à corpore, imò ad pedem curandum manus confestim accurrit, oculus similiter ad qualitatem mali discernendam quaquaversum vertitur; denique stomachus haud invitus est ad sustinendam pro cura pedis diætam; uno verbo pro invicem sollicita sunt membra; cur igitur tam Christus, quàm S. Paulus ad Galatas, nociva membra præscindi suadent, & à corpore projici, quod idem est, ac si dicerent, totaliter separetur scandalosus à communione, & consortio nostro, tanquam excommunicatus & præscitus? cur non potiùs ad correctionem admittitur, & per exhortationes ad sui emendationem permovetur & inducitur? Respondeo, prosequendo eandem similitudinem membri putridi corporis nostri, quamdiu enim spes est, ut sanari possit, pars aliqua corporis infirma, toleratur in corpore, & ad illud curandum omnis generis remedia adhibentur; at verò quando evidens est periculum, ne ex eo totum corpus inficiatur, tunc à corpore præscinditur, & in terra sepelitur: eodem modo de aliis peccatoribus & vitiosis dici potest, quòd ad faciendam pœnitentiam magìs sint dispositi, magísq; emendationis capaces, & ideò sine perversionis periculo cum illis, utpotè spem salutis suæ promittentibus tutè & securè agere & conversari possumus; at verò scandalosi sunt veluti membra putrida, quæ sana corporis membra inficiunt & destruunt, nec aliud superest pro illorum salute remedium, quàm sectio; ac proinde benè S. Paulus ait: *Utinam abscindantur*; Et Salvator: *Abscinde, & projice.*

VIII. Manassi gravissimum cœlitus inflictum supplicium Scripturæ sacræ commemorant, qui, ut lib. 2. Paralip. asserit, vitam suam in prædam dederat, abominationibus horrendis, ita ut non modò carnis desideriis fræna laxâsset, sed insuper veri Dei cultû conculcaret dicente Scripturâ sacrâ: *fecit malum coram Domino, juxta abominationes gentium.* Et paulò pòst idem sacer Textus astruit, quòd populum seduxerit, ut eorundem gentilium sectaretur abominationes; igitur Manasses seduxit populum. Et nihilominùs si totam percurreritis Scripturam sacram, nuspiam invenietis, eum actu aliquo positivo Israëlem ad Idololatriam instigâsse; qualiter igitur eum seduxit? sufficisset equidem, Spiritum S. dixisse, quòd Rex idololatra erat; hoc enim sufficiebat ad inferendam hanc aliam consequentiam, scilicet quòd populum seduxisset; quia, ut S. Bernardus ait: Principis error multos involvit, & tantis obest, quantis præest; damnum equidem exile est, quando is, qui scandalum præbet, homo privatus est, quia si quis de populo deviat, solus perit; Princeps iter faciens, numerosum post se comitatum trahit, & ideo si extra viæ limites egrediatur, per ejus sequelam omnes à recta semita deviant, & in præcipitia labuntur. Unde verissima est illa magni Gregorii omnibus manifesta propositio dicentis: cùm pastor per abrupta graditur, consequens est, ut grex in præcipitium feratur. *Idem disc. 9. n. 1.*

IX. In Exodo incredibilis illa strages refertur, in qua Moyses ex instinctu Divino aliquot Hebraici populi millia, quæ sua ante vitulum aureum genua flexerant, peremit: Cecidertúntque in die illa quasi viginti tria millia hominum; & tamen numerus idololatrarum ad ejusdem vituli adorationem concurrentium, utique longè major erat, qui salvus remanserat; Unde meritò quærendum venit, cur injuria divino cultui facta, in minori injuriantium numero vindictam suam luat! Sed facilis est ad hoc responsio, quia DEUS præcipuè illos punire voluit, qui Idololatriam promo-

ve-

verant, illiúsque Authores & capita fuerant, quia hi non solùm propriarum culparum rei existunt, sed etiam omnium illarum, quæ ob malum illorum exemplum ad alios transfunduntur. Et ideo S. Isidorus Pelusiota ait: Cùm omnes penè in desertо vitulum effecissent, quidam pœnas dederunt, (hoc est fortassè, qui scelus auspicati erant:) quidam autem veniam consecuti sunt, ij nempe, qui per fraudem & imposturam illorum vestigijs institerant. Etenim illi aliqua ex parte excusabiles censeri debent, qui malo Principum & Prælatorum exemplo provocati errant, quia hoc illos incantat, illorúmque scelus certo quodam modo canonizat.

S. Isidor. Pelus. l. 3. ep. 131.

X. Quæstio est, quæ fuerit origo Idololatriæ, quæ insatiabile inferni barathrum, dæmones pro Dijs adorari faciendo, per tot sæcula implevit? nimirum antiquus serpens, considerans, homines ad delicias, voluptates, gulam, avaritiam, vindictas, & similia scelera vehementer esse propensos, Deos adinvenit; hisce illorum appetitibus valdè proportionatos, ut peccata prædicta per exemplum Deitatis, quam venerabantur, non solùm impunitate gauderent, verùm juxta falsam illorum fidem, per imitationem meritum conciliarent; sic enim pro impudicis adinvenit impudicam Deam, Venerem; pro avaris Mercurium; pro vindicativis Martem, denique Bacchum pro epulonibus.

Mansi disc. 10. n. 1.

XI. Considerabilis est quædam S. Hieronymi super Danielem scribentis ponderatio; ut enim statua illa aurea adorationis cultum reciperet, sequens emanavit edictum, ut scilicet Satrapæ & Principes primi essent, qui coram illa genua sua flecterent; ait enim Sacer Textus: *Tunc congregati sunt Satrapæ, Magistratus & Judices, Duces & Tyranni, ac Optimates, qui erant in potestatibus constituti, & universi Principes gentium, ut convenirent ad adorationem statuæ;* tametsi enim per quotidianam experientiam videamus, quòd infirma plebs, & fæx hominum prima esse soleat, quæ matutino tempore surgens, ad satisfaciendum devotioni propriæ Ecclesiam adeat; econtra verò Nobiles & Principes ultimi esse consueverint: Nihilominùs Rex ille sapienti consilio statuit, ut Principes primi essent, qui statuam illam adorarent; cujus rationem S. Hieronymus indicat, dum ait: Principes congregantur ad adorandum, ut per Principes seducantur & gentes.

Ibid. n. 3.

XII. Apud Jeremiam DEUS introducitur in hæc verba loquens: *Ecce ad te, mons pestifer, ait Dominus, qui corrumpis universam terram, & extendam manum meam super te, & dabo te in montem combustionis;* Enimverò nullus est morbus, qui communiter in universum populum magis dilatetur, quàm pestis, nulli enim parcit sexui, conditioni aut professioni personarum; at verò quando ipsos quoque Principes inficit, signum est, quòd stragem quandam faciet irreparabilem; utique oraculum Propheticum non sine mysterio hanc adducit similitudinem, quia quando in Superioribus & Magnatibus scandalum reperitur, subitò omnes indè inficiuntur. Montes pestiferi, inquit Bellvacensis, sunt Majores, quorum corruptio derivatur in inferiores. Unde Principis alicujus scandalosi regimen, per Cathedram, è qua docetur, & leges promulgantur, denotatum, cathedra pestilentiæ appellatur, de qua Psalmista ait: *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit.* Tunc autem, S. Hugo de Victore ait, rectè cathedra pestilentiæ fit, quando parvum opus in exemplum veniens, plures corrumpit.

Jerem. 51.

Bellv. p. 1. spec. l. 3. dist. 7.

Psal. 1.



R. P. Lohn. Auctar. Bibl.

TITVLVS LXVII.

SOCIETAS.

§. I.

EX S. SCRIPTVRA.

Societas bona.

Pf. 83. I. E Legi abjectus esse in domo DEI mei magis, quàm habitare in tabernaculis peccatorum.

2. Cor. 6. II. Quæ participatio justitiæ cum iniquitate?

1. Cor. 1. III. Fidelis DEUS, per quem vocati estis in Societatem Filii ejus JESU Christi Domini nostri.

Societas mala.

Fuga.

Pf. 1. IV. Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit.

2. Thess. 3. V. Denunciamus autem vobis, Fratres, in nomine Domini nostri JESU Christi, ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè.

Prov. c. 22. VI. Non habitaveris cum viro furioso, ne fortè discas vias ejus, & sumas laqueos animæ tuæ.

Damnum.

Pf. 105. VII. Commixti sunt inter gentes, & didicerunt opera eorum, & servierunt sculptilibus eorum, & factum est illis in scandalum.

Eccl. c. 41. v. 8. VIII. Filii abominationum fiunt filii peccatorum, & qui conversantur secus domos impiorum.

§. II.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Qualitas.

S. Bonav. l. 4. Pharet. c. 4. I. HOc unicuique proprium est, ut, qualis ipse fuerit, tales sibi conjungi & alios velit, ut diversitatem vitæ refugiat, atque hoc imitandum imprimat quod amat. Nihilominus ab hac regula lubricam sanctus Bernardinus excipit juventutem, severâ disciplinâ & magnâ indigam custodiâ: proindéque ait: sequatur conversationis electio, ut adjungantur probatissimis quibusque senioribus. In iis, qui cum juvenibus conversaturi sunt, eandem minimè requirit ætatem & professionem, quin potiùs annos plures, authoritatem, & prudentiam eminentiorem, cujus hanc assignat rationem: nam ut æqualium usus dulcior, ita senum tutior est, qui magisterio quodam edocti vitæ colorant mores adolescentium, & velut murice probitatis inficiunt. Non nego equidem, juvenibus gravem quandoque esse maturiorum conversationem, ast oculus in id, non quod oblectat, sed quod utilitatem animarum affert, bonósque mores promovet, convertendus est.

II. Inter profanos sanctus, inter obscœnos mundus, pius inter impios, bonus inter malos, tanquam smaragdus in luto, tanquam margarita in arena est. *Origen. in c. 30. Iob.*

III. Qui cum pejoribus conversari appetit, satis se depravatum ostendit. *Hugo Vict. de instit. novit. c. 5.*

Necessitas.

IV. Qui priùs fueras Canonicus Regularis, factus es Canonicus Insularis. Solitudinem Congregationi prætulisti, & Insulam Claustro, fecisti te anathema fratribus tuis, terram promissionis pro Ægypto, pro Babylone Jerusalem, & cœlum deseris pro inferno. Quid tibi & solitudini? Multos in discrimen animi solitudo dejecit. Erraverunt in solitudine quidam, & à serpentibus perierunt. *Petrus Blesens. epist. 9.*

V. Quàm vera sit hæc sententia (væ soli &c.) ego novi: qui triginta annis, & eò ampliùs vices Episcopi in diversis provinciis, & diœcesibus habui. Qui in hoc articulo, quo Religiosi vel soli vadunt in viis, vel soli manent in curiis, horrenda mala, horrenda scandala, horrendáque pericula frequenter audivi, quæ nunquam sustinuissent adjuncto socio, vel fecissent. *Thomas Cantiprat. l. 2. apum c. 11. & 2.*

VI. Volenti perperam agere, & desertum abundantiam habet, & nemus umbram, & silentium solitudo. Malum quippe, quod in me videt, nemo arguit. Ubi autem non timetur reprehensor, securiùs accedit tentator, licentiùs perpetratur iniquitas. In conventu verò bonâ, si quæ facis, nemo prohibet; mala autem si facere vis, non licèt, mox enim à pluribus comperitur, arguitur, emendatur. *S. Bern. apud Hyffson. Pharet. l. 4. c. 4.*

VII. Dicam, quod sentiò, etsi invitè ab improbis audiatur. Credo, solis, & sine socio foris ambulantibus, mille infortunia, & plura, quàm credi potest, sæpiùs occurrisse, in quibus nec opere, nec saltem animo offendissent, si justus fratris socius affuisset. *Cantipr. l. c.*

Æqui-

Æquitas.

S. Chrysost. in Ps. 4. VIII. Tu autem, si in civitate aliquâ sis habitaturus, de aëre curiosè inquiris, an sit salubris, num temperatus, num siccus? de anima autem rationem initurus, non es sollicitus de eorum consuetudine, qui cum ea sunt congressuri, sed temerè & inconsideratè eam omnibus permittis? Dic tu mihi, quomodo veniam assequêris, si eam sic negligis?

Utilitas.

S. Basilius in Constit. c. 19. IX. Ubi multi unus & unus non solus, sed in pluribus, huic vitæ instituto quid est, quod jure æquiparari possit? quid beatiùs dici? Quid hâc conjunctione & unitate aptiùs excogitari? Quid elegantius fingi mutuâ inter se morum, animorúmque contemperatione? Hîc infirmo parata medicina, hîc tristis sua habet solatia, hîc rerum necessariarum ignarus magistros, hîc debilis confortationem, hîc tepidus calorem; & si quis cadat, plurimos, qui manum offerant, & erigant; & si stet, innumeros, qui confirment, vel sustentent, ne ruat. Hæ sunt Cœnobiticæ utilitates; solitariæ autem conversationis incommoda illa, quæ toto hoc capite carptim perstrinximus. Hinc accipimus, quantùm debeamus Magno Patri Basilio propterea quòd Monachos solitarios ad communem in sacris Conventibus vitam adduxit, quos proinde à procellosis tot periculorum tempestatibus ereptos in tranquillo, tutissimóque portu constituit.

S. Chrysost. in Ps. 4. X. Undenam existimas eos, qui deserta incoluerunt, admirabiles & claros evadere? nonne quòd strepitus, & fora fugiant? nónne quòd longè à fumo negotiorum, quæ sunt in medio, se collocârint? eos ipse quoque imitare, in media Civitate solitudinem persequens. Quomodo hoc autem erit? si fugias improbos, si bonos sequaris; ita enim majorem percipies securitatem, quàm qui in desertis habitant, non solùm in iis, qui prosunt. Si enim malos quidem fugias, bonos autem sequaris, utrimque & virtus augescet, & decrescet vitium.

S. Bernard. Sen. apud Mansi disc. 14. n. 4. XI. Duplex affert lucrum, inquit S. Bernardinus, societas bonorum: Primum est, cognitio malorum ad evitandum; nam ubi plures virtuosi simul congregati sunt, habentes plures spirituales oculos, plura vident, perspicatioresque sunt, atque ampliùs oculati ad evitandum mala; nam quod unus non cognoscit, alius intellexit, & cautiùs unus per alium incedere noscit. Virtuosâ utens societate, diversa sibi potest promittere subsidia. Juvatur, inquit idem Sanctus, à sociis contra insurgentes tentationes, consilijs & exhortationibus sanctis.

S. Ambros. l. 1. Offic. c. 20. XII. Ubique inter admiranda opera, & reverenda secreta, sancto Moysi individuus adhærebat JESUS; unde factum est, ut, qui fuerat socius conversationis, fieret successor potestatis.

S. Gregor. ho. 5. in Ezech. XIII. Qui sancto viro adhæret, ex ejus assiduitate visionis, usu locutionis, exemplo operis, accipit, ut accendatur in amorem veritatis; peccatorum suorum tenebras fugat, in desiderio lucis exardescit.

Societas mala.

S. Cyprian. in Ps. 48. XIV. Deplorandus ille status est, ubi jam non vitiis excusatio, sed authoritas datur: nullum enim malum difficiliùs extinguitur, quàm quod multitudinis consensu asseritur, & excusatione blanditur.

S. Bernardin. Sen. 6. in Dom. 3. Pent. a. 2. XV. Nec mirum est, si fragilis perversi socius perversus efficitur, cùm in terra & in cœlo perversa societas perversi sathanæ perversam fecerit tertiam partem stellarum, id est, Angelorum cœli; & misit eas in terram. Prima pars fuit, quæ divinæ voluntati adhæsit; secunda, quæ vacillavit, sed tandem DEO conjuncta est; tertia verò, quæ ex seductione Luciferi perversi socii à DEO perversa fuit, & misit eas in terram.

S. Cyprian. de sing. Cler. XVI. Mala societas corruptionem seminat, ruinas ædificat, perditione gaudet, interitum fovet, confusionem mercatur, criminationes exaggerat, & per infinita dedecora, simplices mentes invehit in perditionem.

S. Bern. Sen. h. c. XVII. Mira res! tanta est malitia, quam docente diabolo quidam perversi discunt, ut multas nequitias per eos in Mundo dæmones operentur, quas operari quodammodo nequirent per se ipsos, majorémque potestatem habent sancti viri super dæmones, quàm super hos perversos homines. In hujus Mysterium, Dominus convocatis duodecim discipulis suis, dedit eis potestatem spirituum immundorum, ut ejicerent eos: & non dedit eis potestatem super homines malos.

S. Bernard. S. 41. in Cant. XVIII. Versari inter spinas, & minimè lædi, divinæ potentiæ est, non virtutis tuæ.

S. Clement. Alex. l. 3. c. 11. pæd. XIX. Vitæ usum cum improbis hominibus planè suillum agnoscens sapientissimus per Moysen Pædagogus, seniori populo porcis vesci prohibuit, significans, non oportere eos, qui DEUM invocant, cum impuris versari hominibus.

§. III.

EXEMPLA SACRA.

Fuga Malæ societatis.

Isaias Abb. orat. 22. I. De Christo Isaias Abbas dixit: Nec Dominus JESUS priùs ascendit in Crucem, quàm Judam expulisset è medio discipulorum. In Collegio Apostolico Christus suam fundaverat Ecclesiam sponsam, quam acquisivit Sanguine suo; nolebat itaque Redemptor Judam post mortem suam reliquos inter demorari discipulos, prævidens, illos ex hujusmodi commercio,

contaminationis incursuros periculum, siquidem modicum fermentum totam massam corrumpit. Hinc & S. Leo, postquam, inquit, Judas persuasus à Diabolo, discessit à Christo, séque à corpore Apostolicæ unitatis abscidit, nullo Dominus pavore turbatus, sed de sola redimendorum salute sollicitus, omne temporis spatium, quod à persequentium vacabat incursu, mysticis sermonibus, sacratæque doctrinæ, sicut Joannis Evangelio declaratur, impendit, elevans ad cœlum oculos, & pro universa Ecclesia supplicans Patri. Notat autem Sanctus, Christum non antè pro sua Patrem exorasse Ecclesia, nisi separato priùs traditore. Quia nimirum, sicuti (juxta tritum proverbium) unicus peccator pessundat navigium, ita prævidebat Christus, unico scelerato & traditore Juda inter Apostolos reliquos permanente, mysticam suam posse periclitari navim: Noverat perfectissimè Verbum incarnatum, quantum Ecclesiæ triumphanti damnum solus intulerat Lucifer, tertiam ex firmamento secum in abyssum trahens stellarum partem; quo exterminato, inquit S. Joannes, *audivi vocem magnam de cœlo, dicentem, nunc facta est salus, & virtus, & regnum DEI nostri, & potestas Christi ejus, quia projectus est accusator fratrum nostrorum.* Paulò antè præmiserat, dicens: *Angeli ejus præliabantur cum dracone, & draco pugnabat, & Angeli eius, & non prævaluerunt, neque locus inventus est eorum ampliùs, & projectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus & Sathanas.*

S. Leo S. 7. de Pass.

II. S. Joannes Apostolus, teste D. Irenæo domum quandam ingressus, ubi ex improviso Cerinthum reperit hæreticum, sine mora indè prosiliit, clamans & vociferans: recedite, profugite, timeo namque loci hujus exterminium, vel ob unius impij istius præsentiam.

S. Iren. l. 3. adv. hær. c. 3.

III. S. David de seipso fatetur: *Quoniam misericordia tua ante oculos meos est, & complacui in veritate tua: ideo non sedi cum Concilio Vanitatis, & cum iniqua gerentibus non introibo; odivi Ecclesiam malignantium & cum impijs non sedebo.*

Psal. 25.

IV. B. Ægidius interrogatus, an quis in sæculo DEI gratiam & salutem assequi posset; respondit; potest utique, ego tamen malo vel unicum gratiæ gradum in Religione, quàm decem in Mundo; illa namque gratia faciliter crescit, & conservatur, siquidem Religio à malis divinæ gratiæ oppositis conversationibus & exemplis sequestrat, plurimámque in spiritualibus subministrat opem, sæculum autem bene operantibus mille infert præjudicia.

Mansi disc. 23. n. 7.

Damna malæ Societatis.

V. Refert Petrus Alphonsus, quòd duo Clerici euntes per quandam civitatem, in quadam taberna audierunt dulcissimos cantus, & accedentes invitati per residentes, ita dixit unus alteri: Dixit sapiens quòd non est transeundum per sedes gentis iniquæ, sed fugiendæ sunt, & ideo nullo modo intrabo. Alter verò lætus pro dulcedine cantûs, & aviditate potûs, intravit ad eos, altero recedente. Dum ergo ibi fruerentur lætitiâ, subitò venit Rector civitatis, & cepit eos omnes, eò quòd alibi fecissent homicidium. Et cùm omnes fuissent adjudicati suspendio, & Clericus unà cum eis, dum esset in morte, cœpit dicere intra se: Nunc cognosco, & experimento percipio, quòd malum est cum malis se associare; vestem suam, quando potest, non lavare; pannum pretiosissimum in manibus mali sartoris ponere; vas balsamo plenum in latrinam projicere. Sed quia tardè dolui, justum est, ut sim damnatus.

Spec. Ex. S. V. Societas ex. 3.

VI. D. Petrus, quando gloriosissimam emisit Divinitatis Christi confessionem, quando ferventissimi amoris adactus incendiis, ad mortem, & ad quæcunque alia pro Magistro toleranda sese obtulit supplicia, in Christi & Apostolorum degebat societate: Cum sancto sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris. At perjurus inter reprobos & sacrilegos Caiphæ ministros; *sedebat cum ministris.* Ecce vobis infallibilem regulam: *Cum perverso pervertêris.* Fac, elice, repete, quæcunque volueris, proposita bona; in virtutibus profeceris; nequaquam sufficit; si namque temerarius malorum te consortijs ingesseris, certus esto, quòd cum perverso pervertêris.

Mansi disc. 1. n. 4.

VII. Missus ad Jeroboam Propheta, qui imminentia ei supplicia denunciaret, ad probandum missionis suæ veritatem, altare divisit, brachium Regis exsiccavit, quod & postea rogatus pristino restituit vigori, & tandem omnia Regis Jeroboam quantumvis pretiosa repudiavit munera: *Si dederis mihi mediam partem domûs tuæ, non veniam tecum, nec comedam panem, nec bibam aquam in loco isto; sic enim mandatum est mihi in sermone Domini præcipientis.* Eundem nihilominus thaumaturgum, tantæque sanctitatis virum, ipso eodem in die reperimus miserabiliter interemptum: Invenit eum leo in via, & occidit, & erat cadaver ejus projectum in itinere, in pœnam scilicet transgressionis divinæ, dum contra DEI præceptum falsò se adjunxit Prophetæ, qui multo cum artificio & stratagemate miserum pervertit, inquiens: *Et ego Propheta sum similis tui, & Angelus locutus est mihi in sermone Domini, dicens: reduc eum tecum in domum tuam, ut comedat panem, & bibat aquam: fefellit eum, & reduxit secum.*

3. Reg. c. 13.

VIII. Alipius Romæ, cùm ab amicis ad Amphitheatrum invictus fuisset perductus, repentè insano ludorum gladiatoriorum amore fuit correptus: spectavit, clamavit, exarsit.

S. August. l. 6. Conf. c. 8.

IX. Zwollis, oppido insigni Trajectensis Diœcesis, quidam Scholares suâ concessione uti volentes, eo pacto lusuri campos intraverunt, ut hi, qui ludentes amitterent, bibendam illo vespere cerevisiam soli solverent, subque victores ab expositione tutarent. Cùmque hujusmodi lusibus diem duxissent in vesperum, ac sufficiens Symbolo facto remeandum viderent, unus ex illis, qui eorum signifer atque dux ad insolentiam videbatur: quoniam, inquit, sufficiens symbolum lusûum judicio factum est, abundatque

Spec. Ex. P. Angel. ex. 10.

quæ pecunia hoc vespere in potibus consumenda, nunc quia urgentibus tenebris est oppidum repetendum, vel semel adhuc eâ lege ludamus, ut, quisquis nostrûm victor extiterit, quodcunque libuerit, eo pacto aliis imperet, ut, qui imperantis jussa implere contempserit, unus & solus futuræ cœnæ solvat impendia, atque sic lucrata hactenus pecunia in aliud tempus reservetur. Placet omnibus concepta, propositaque inventio, & reparato ludo, quisque, ut sic præcipere cæteris liceat, arte atque industriâ, quâ potest, elaborat. Verùm quia frequenter feliciora fata pravis arrident, soleátque improbos comitari fortuna secundior, is, qui omnibus nequior erat, juvante victoriâ, præceptor effectus est, unde solemni, celebríque cœnâ completâ, cunctis imperat, se sequantur. Quo imperato surgit nequam à cœna, exit, præcedit; cæteri ignari & nescii quò, iterum sceleris ducem subsequuntur. Heu res nefanda! ingreditur lupanar infaustus lupus, & postquam completâ libidine exijsset, ut similiter vicissim omnes facerent, sub pœnalis pacti evasione turpis bellua imperavit. Parent omnes nefando præcepto libenti animo, nam libidine æstuabant: quod agere jussi sunt, adimplerunt. Unus tamen ex eis, quem non solùm forma corporea, quæ in eo elegantissima erat, decorum effecit, verùm etiam probitas & honestas, nec non & virgineus quidam rubor pulchris reddiderat pulchriorem, ad exitiale præceptum exhorrens, pallentibus genis intremuit, petit sodales, ut liber sibi præberetur egressus, maximè quia hactenus servâsset inviolata castra pudoris, firmassetque animo, se vitam potiùs, quàm virginitatem perditurum. His adolescentis verbis non compuncti, sed provocati sodales, vi abstractum è collo palliolum tenent, nec se illud redditurum affirmant, nisi expectantis se fœminæ amplexibus jungeretur. Num tu, inquiunt, servatâ castimoniâ unus & solus nostram omnium luxuriam irridebis? Tum juvenis, ut obstinatam sodalium malitiam vidit, non ignarus consilii, lætos atque festivos reinduit vultus, & lacerum doloribus animum serenâ fronte dissimulans; si omnino, inquit, libet, me vestris complexibus habere consortem, valeat nunc felix virginitas, & cùm id tempus exegerit, memorem se faciat, quòd hactenus cum summa veneratione in meis sit laribus hospitata. Et cùm hæc dixisset, rapido cursu se ad cubile meretricis, quasi concubiturus ingessit. In cujus limine cùm introiturus consisteret, versâ in tergum fronte, ut minùs notaretur, sodalibus inclamavit: Num solis Virginibus cœli patebunt? & non etiam post adulteria David & plures alii regna meruêre mansura? Ad hæc sodales in risum concitati, plausum fecerunt. Ipse tamen anxiè satìs in intimis cordis sui penetralibus Dominum nostrum JESUM Christum precabatur, ne Caveam scorti, naufragum videlicet pelagus virginei pudoris ingressus, castitatis dispendia pateretur. Atque sic introiens, firmatis solicitiùs forium seris, ne, quid cum fœmina loqueretur, expectantes præ januis sodales rescirent, & gestientem in suos amplexus fœminam paululùm declinans, huiusmodi verbis affatur. Quoniam non ignoro, infelix soror, quòd te in hanc miseram, infamémque vitam non tam pudicitiæ odium, quàm capiendæ pecuniæ amor transmiserit, ausus sum introire ad te, & nunc amotis arbitris colloqui tibi, cùm tamen longè sit anima mea, ut tecum (in pudicitiæ vastum periculum) velim quicquam perversè agere, vel virginitatem meam, quam gratiâ DEI usque ad mortem inviolatam tuebor, tuis, aliarúmve fœminarum amplexibus constuprare. Quia igitur me ad te non tam lascivia invexit, quàm compulit temerata malis prava societas, redimere malo, quàm violare pudorem. Interim apertis marsupiis non contemnendi valoris argenteum nummum protulit, quem fœminæ tribuens ait: sume hunc nummum & secretum habe, nullíque pandas, quod salvis virginitatis sigillis, abs te hac horâ secessrim; alioquin si sodalibus res hæc innotesceret, se in mea damna armarent. Accepit nummum prostituta fœmina, & videns pudicitiam juvenis, verecundámque effigiem, admirata est vehementer, adolescentem tenerum annis, tantâ morum honestate & verborum gravitate stare conspicuum, ut nec in eam, nec in quamlibet polluti cubilis partem pudicum lumen dujecerit. Unde adhortata est eum, ne à propositi sui puritate decideret, se rem secretam retenturam spopondit, & in pace abire præcepit. At juvenis cùm ad socios expectantes rediisset, & post insolentes discursus, & varios platearum circuitus, tempus profundæ noctis quiescendum præciperet, ab eis divisus, ad propria commeavit. Verùm quia indecens fuerat tantæ probitati, tam improbis sodalibus sui præbere consortium, non est passus pijssimus DEUS, qui semper, quos diligit, arguit & castigat, hanc offensam impunè prætergredi, sed tanquam benignissimus Pastor balantis oviculæ suæ hoc modo emendavit errorem. Gradiebatur solus per viam, ut iret domum, haud parum in semetipso admirans, quòd potuisset illam metuendæ leænæ caveam illæsus, intactúsque evadere. Cùmque talia memorans, gyrato in obliquum gradu, in alium vicum divertisset, qui recto itinere ad suum hospitium dirigebat, subitò vidit ante se per horrendæ noctis caliginem personam quandam, cujus virilis facies (nam vir videbatur) micantium astrorum lumen revincens invisâ plateam luce perfudit. Qui appropinquans dexterâ manu, tanto ictûs impetu in maxillam juvenis palmam fixit, ut vi verberis in terram relisus palpitaret, dicens: vel hoc verbere doctus pravæ sodalitatis virulenta contagia vereâre. At juvenis cùm post brevissimam moram casûs sui resurgeret, visurus, quisnam ipsum tam violentâ alapâ consternâsset, nullum præter se circa se vidit. Qua ex re, Angelum suum fuisse, qui divino imperio ipsum de errore commisso corrigeret, non ambiguâ æstimatione arbitratus, ad hospitium alacer repedavit, non minùs de prodigiosâ & profuturâ sibi

correctione gavisus, quàm de verberis acerbitate sollicitus. Cæterùm ne phantasticum aliquid circa se contigisse juvenis crederet, & somnio se magis deceptum, quàm re gestâ instructum esse putaret, divinâ dispensatione factum est, quòd per plures dies cæsa maxillâ in tantum distensâ pelle tumuerit, ut ad aliquot dies in publicum procedere, tantâ genarum disparilitate, vereretur. O felix justi rigoris, & è celsissimis cœlis missa censura, quæ, dum unius errorem digno verbere cæcidisti, evidens dedisti documentum posteris, quantùm DEO, Angelisque displiceat, insontem adolescentum ætatem insolentibus sodalibus commisceri.

Utilitas.

Baron. ann. 482. n. 40. X. Tossotius S. Paulæ filius, quæ sanctitatem ex S. Hieronymi imbibit conversatione, conjugem duxit Lætam, filiam pagani & antiquæ superstitionis Pontificis Albini, qui idololatra & implacabilis Christiani nominis hostis, in ultimis vitæ suæ annis, hujus generi sui societatem frequentans, totâ obstupescente Româ, in devotum mutatus est Catholicum.

Maff. l. 1. c. 18. XI. Tempore S. Ignatii Lojolæ, prout in vita ejus traditur, Romam venit juvenis quidam Lutheranus, præclarissimâ ex æquo præfulgens origine, ingenio, atque indole, qui suæ infrenis per urbem disseminare hæresis venenum, Ecclesiasticos extremè calumniari, aliaque similia impietatis adoriri molimina ausus est, nihil suppliciorum minis, nihil Theologicis (quantumvis convincentibus) obstantibus disputationibus; præhabito itaque maturo consilio, expediens judicarunt omnes, ut sancto Ignatio consignaretur, cujus ad aliquod tempus usus consortio, hæreticalia sua detestatus est dogmata, omnimodam suam mutationem & conversionem, sanctorum illorum Religiosorum exemplarissimæ conversationi asscribens.

§. III.

EXEMPLA DOMESTICA.

Lancic. opusc. 4. f. 178. I. P. Ludovicus Gonsalvus Minister S. Ignatii scriptis ad Joannem III. Regem Lusitaniæ literis (à quo jussus erat, omnia dicta, factaque S. Ignatii accuratè observare) sanctè affirmavit, se nullo tempore lectionis vel orationis ad pietatem tantoperè commoveri, & ad amorem DEI accendi, quàm eo tempore, quo ut minimùm semel de die juxta regulam Ministri, sanctum Patrem visitaret, ejusque conspectu, & consuetudine frueretur.

Rho. l. 1. c. 3. n. 12. ex nostris. II. Haud facile fuerit inexpertis credere, quanta sit mutuæ consensionis vis, & quàm admirabiles cieat animorum motus; quamquam enim tacendo, persuadet amoris eloquentia. Exorientis Romæ Societatis homines, non gentis, non morum, non ætatum similitudo, sed mutua ita invicem colligaverat charitas, ut & domi lætissima pax, & foris ingens hominum admiratio consequeretur. Itaque homo Germanus, cui rectam rerum æstimationem, quamvis magno suo malo hausta hæresis, nondum excusserat, admiratus, quam à suis sectarum Magistris exulantem frustra reposcebat concordiam, suavissimamque in tam dissimilibus ingeniis charitatem, errores ultro abdicavit, illorumque se fidei permisit, quam Discipulorum Christi esse, Evangelica amoris tessera comprobavit.

§. V.

EXEMPLA PROFANA.

I. Claudius Imperator Neronem in suum adoptans filium, eum disciplinæ atque instructioni commisit Senecæ Moralis, in cujus virtuosissimi Philosophi directione per duos annos dimorans, tantos in mansuetudine fecit progressus, ut non modò nullum persequeretur Christianum, sed nec ulli, quantumvis justæ, præsumeret subscribere mortis sententiæ; ast vix cum vitiosis conversari cœpit, ut primùm adulatores se ejus potuerunt insinuare amicitiæ, novimus omnes, in quam execrabile sese præcipitârit omnium iniquitatum barathrum. Mans. disc. 11. n. 1.

II. Simmachus de quodam eximiæ virtutis, scientiæque Philosopho, cui nomen Horus, refert, eum dicere solitum, principalioribus fortunæ bonis annumerandos esse socios bonos. Inter prima numerat bona fortunæ, si optimis quibusque jungatur. Simmachus l. 1. ep. 31.

III. Diogenes adolescenti formoso ad convivium eunti dixit: Noli ire, deterior redibis; reversus verò è convivio Adolescens cùm dixisset Diogeni: Ivi, nec deterior redii; respondit Diogenes: Deterior igitur; significans, fieri non posse, ut adolescens ex convictu impiorum non fiat deterior. Laertius l. 6.

VI. Hippocrates, cùm ei aliquando adolescens obvius fuisset, quem amator sequebatur, erubescenti adolescenti dixit: cum his oportet ambulare, cum quibus conspectus colorem non mutes. Plutarchus in Laconi.

§. VI.

SIMILITUDINES.

Qualitas.

I. Sicut natura tendit ad hoc, sicut vult Philosophus, ut separet nobile ab ignobili; similiter & gratia ad hoc tendit, ut pretiosum à vili segregetur, & hoc ostendit Dominus in principio scripturæ; *Vidit*, inquit, *DEUS Lucem, quod esset bona, & separavit lucem à tenebris*; per lucem boni intelliguntur, juxta illud Apostoli assertum: *Ut Filii lucis ambulate*; illa à tenebris, id est, à malis sequestranda est: quia ut sanctus Bernardinus ex Seneca probat: convictor delicatus B. Albertus M. in Ps. 105.

tua paulatim enervat, & emollit; necesse est, aut imiteris, aut oderis; utrumque autem devitandum est; ne autem similis malus fias, cum his conversare, qui meliorem te facturi sint; illos admitte, quos tu potes facere meliores.

II. Sicut aqua elementum est fluidum & insipidum, ita pariter multi delinquunt, non quia ad id à proprio incitantur genio aut gustu, sed ut torrentem sequantur suorum sodalium. Hinc Job de quodam improbo disserens inquit: *Abominabilis & inutilis homo, bibit quasi aquam iniquitatem.*

III. Sicut sol sine pollutione effundit radios suos, super loca & corpora non tantùm immunda ac fœtentia, ac sordibus plena, ex quorum contactu & homines, & plura alia inficiuntur, & tamen radii solis, ea contingentes, remanent impolluti; sic profectò solaris homo & justus, juxta gratiam à Domino sibi datam, impartitur peccatoribus inquinatis, sine pollutione sui, radios solares, vel salutares, ad gloriam summi DEI.

IV. Sicut faciliùs est, morbo alieno infici, quàm sanitatem largiri; ita faciliùs est, vitium contrahere, quàm virtutem impertiri.

V. Sicut terra à semetipsa & sine ulla agricolæ industriâ, lolia, vepres, urticas, aliasque inutiles ac noxias herbas, non verò triticum vel alia utilis frumenti genera, quæ aratrum, ligonem, hominúmque laborem industriámque exposcunt, progerminat; ita quoque natura nostra ad vitium proclivis, malum facillimè addiscit, & operatur, etiam deficientibus malis aliorum exemplis; bonum verò minimè, utpote quod magistrorum regulam & disciplinam requirit. Unde sic arguere possumus; quod si à nobismetipsis absque ullo impulsu alieno, ad malum adeò proclives sumus, quantò ad id faciliores erimus, si aliorum imitatio, si stimulus, si exhortationes, si mala contubernalium nostrorum exempla accedant, quibus pervertamur, inque communem perversorum rapiamur torrentem?

VI. Sicut aër hic ejus, quod fortè attraxit, vel fragrantiam, vel fœtorem acquirit; sic nos etiam quàm celerrimè tales evadimus, quales sunt proximi nostri.

VII. Sicut proprium est ovibus imitari id, quod ab aliis fieri vident, unâ saltante omnes saliunt, errante unâ deviant omnes; ita & potissima pars animarum fidelium dictis & malis aliorum seducitur exemplis.

Societas mala.

VIII. Sicut multa bona habet communis vita sanctorum; sic plurima mala societas affert malorum; proinde sequendum est consilium Cassiodori, qui exponens illud Psalmi, *declinate à me maligni*, ait: remedium enim est, quem converti velle non videris, vitare, si possis.

IX. Sicut mellis plurimo parum absynthii injectum, velocem amaritudinem inducit, mellis verò etiamsi duplum absynthio inficiatur, non poterit ejus obtinere dulcedo; ita faciliùs est, ut boni à malis pervertantur, quàm ut hi per bona justorum exempla & communicationem ad bonam frugem proficiant.

X. Sicut nigredo picis hæret eam contrectanti; ita superbia ei, qui communicaverit superbo.

XI. Sicut qui contagiosâ inficiuntur peste, non eam contrahunt voluntariè, sed ex commercio & praxi cum personis infectis; ita & plurimi, dum malorum frequentârunt consortia, eorum imbiberunt culpas & vitia; longe licèt invitissimi, eorundem incurrunt pariter pœnas & dispendia.

XII. Sicut is, qui est scabie refertus, iis etiam, qui sani sunt, eam impertit; ita etiam sæpe contingit in consuetudine improborum hominum: & ideo etiam suasit Christus, non solùm eos, qui sunt tales, fugere, sed etiam exscindere, sic dicens: *Si oculus tuus dexter te scandalizat, erue eum.*

XIII. Sicut vel unicum filum infectum potest transfundere pestem; ita vel unicum verbum, gestus, vel malum exemplum unicum, quæcunque res mala, quantumvis minima, sufficiens est, ut nos contaminet.

XIV. Sicut speculum quantumvis clarum & mundum, vel unico obducitur flatu, ita & anima quantumcunque pura & immaculata per blanda amicorum colloquia & conversationes conspurcatur; Cum viro innocente innocens eris; ecce vobis speculum limpidum; cum perverso perverteris; ecce vobis idem vel unius perversi communicatione & consortio obsectum.

XV. Sicut venenum artificialiter factum, conficitur ex commixtione plurium frigidorum, & dum res frigida frigidis copulatur, frigiditas augetur, & sic naturali calori fortiùs adversatur; proinde contingit sæpe, quòd id, quod non est per se nocivum, fit venenum ex nocivorum commixtione: sic contingit plerisque non perversis, quia cum impiis copulantur, perversissimi fiunt.

XVI. Sicut muscæ morientes perdunt suavitatem unguenti; sic malus homo mixtus bonis, plurimos contaminat.

XVII. Sicut auceps ponit columbam, quæ confictos oculos habet in decipula sua, ad quam aliæ accedentes non intelligunt eam captam, & quod mirum est, cum illa, quæ non videt, capiuntur aliæ, quæ oculos habent; sic diabolus per unum excæcatum capit alios oculatos.

XVIII. Sicut perfecti viri perversos proximos non debent fugere, quia illos sæpe ad rectitudinem trahunt, & ipsi ad perversitatem nunquam trahuntur; ita infirmi quique societatem debent declinare pravorum, ne mala, quæ frequenter aspiciunt, & corrigere non valent, etiam delectet imitari.

§. VII.

§. VII.

MOTIVA.

S. Bern. ser. in Dom. Pent. a. 1. c. 1.

I. Necessitas; quam S. Bernardinus sequentibus verbis ostendit: Hoc docet DEUS, scilicet sociabiles esse, per naturam, quam ipse creavit; nam omnes quinque corporis sensus, videlicet oculos, aures, nares, & quasi omnia ejus membra, & venas, & ossa, & nervos multiplicavit; ut, quod unum non posset, aliud suppleret, ac per hoc virtus singulorum fortior in omnibus redderetur, dum unum alteri junctum esset. Nullum profectò in humano corpore membrum est, quod non egeat altero; patet de corde, quod cùm nobilissimum membrum sit, minimè vivere posset, nisi pulmo de aëre subveniret; nec etiam ipse pulmo aërem contrahere posset, nisi ei cor vitam & motum administraret; & sic de cæteris membris considerandum est; nullum sibi satis est, nisi altero adjuvetur; hanc omnino ob causam reciproca inter homines exigitur communicatio: sic profectò in hominibus manifestè contingit, quia unus alteri necessarius est, ne deviet à via virtutum.

S. Bonav. l. 4. phar. c. 22.

II. *Jucunditas*; nam, ut S. Bonaventura ait, cùm in itinere comes jungitur, via quidem non detrahitur, sed tamen de Societate comitis labor itineris leviatur. Sed & S. Ambrosius, amicus fidelis, ait, solatium vitæ hujus est, ut habeas, cui pectus aperias tuum, qui tibi in tristibus compatiatur, in persecutionibus adhortetur. Facilis vox est & communis: tuus sum totus sed paucioris est effectus.

S. Ambros. l. 3 de off. c. 16.

III. *Utilitas*; nam, teste Senecâ, non magis utilis est ager cum reditibus amplis, quàm vicinus æqualis cum moribus bonis.

Seneca ep. 11.

IV. *Æquitas*; cùm, ut idem Seneca ait, feras quoque videas convictu nostro mansuescere, si hominis contubernio diu pasta est.

Idē l. 3. de ira.

§. VIII.

ASCETICA.

Aristot. l. 1. Rhet. c. 11.

I. Inprimis nôsse debet Asceta, *cur homini tam jucunda accidat societas*; nimirum quoniam, quod secundùm naturam est, jucundum est, ut homo homini, equus equo: hinc & proverbia celebrata sunt, quòd æqualis æqualem delectat, quódque semper à simili simile amatur.

Plutarch. apud Mansi disc. 1. n. 4.

II. *Nôsse debet, quomodo Societas bona ab adulatione distinguatur*; id quod Plutarchus indicat dicens: principium amicitiæ ac stabilitas, in similitudine studiorum ac morum maximè consistit, earundémque rerum omnino appetitio, aut aversatio, ob affectuum animi similitudinem, primò homines conjungit ac continet; adulatio autem in vitio potiùs, & proprio commodo fundatur.

III. *Nôsse debet, cum quibus præcipuè Societas ineunda sit*, nimirum ut jungatur quis probatissimis, quibusque senioribus. Hinc Seneca monuit, antè circumspiciendum, cum quibus edas & bibas, quid edas, & bibas. Seneca ep. 12.

IV. *Nôsse debet, cur fugienda sint malorum consortia*; nempe quia, ut S. Bernardinus sapienter advertit, per assiduitatem citò peccatur: sæpe familiaritas implicavit, sæpe occasionem peccandi dedit: sæpe quos voluntas non potuit, assiduitas superavit. Et licet malorum sermo non statim officiat, semina tamen in animo relinquit, sequitúrque nos etiam, cùm discesserimus ab illis, resurrecturum postea malum, ut rectè Seneca dixit. S. Bern. ser. in Dom. 1. Pent. a. 1. a. 1.

V. *Nôsse debet, cur faciliùs malorum, quàm bonorum exempla sequantur homines*; nimirum quia licèt firma, & stabilia nobis faciamus proposita cavendi, ne à malorum torrente, in illorum rapiamur sequelam, vel mala ipsórum imitemur exempla, attamen, quia natura nostra ad vitium prona est, magna cum facilitate ab eodem attrahitur, & imbuitur. Idipsum Diodorus Siculus confirmat dicens: declivis ad peiora callis est, descensum habens perquam facilem, quo factum, ut multi non exiguâ morum integritate præditi, occultis voluptatum blanditijs inescati, in deterrima sæpe flagitia lapsi sint. Hinc Theodora meretrix coram præclarissimo Philosopho Socrate, quondam jactitâsse legitur, se omnibus eum facili negotio destituturam discipulis, perversuram cunctos, inque suam attracturam consortium, sine ulla spe, à suis eos unquam avellendi amoribus; cui sapienter Philosophus: Bene quidem dicis, quia tu ad declivem tramitem omnes rapis; ego verò ad virtutem cogo, ad quam arduus & plerisque insolitus est ascensus. Ut adeò rectè dixerit S. Bernardinus: Rerum natura sic est, ut, quoties bonus malo conjungitur, non ex bono malus melioretur, sed ex malo bonus contaminetur. Diod. Sic. lib. 12. Biblioth. c. 12. S. Bern. se. l. c. c. 1.

VI. *Nôsse debet modum, quo mali bonos pervertunt*; quem S. Gregorius his verbis indicavit. Unde bene per Salomonem dicitur: *Fili mi, si te lactaverint peccatores, ne acquiescas eis*: peccatores enim lactant, dum vel perpetranda mala blandimentis inferunt, vel perpetrata favoribus extollunt; an non lactatur peccator in desiderijs animæ suæ, & qui iniqua gerit, benedicitur? difficile enim emendatur peccatum, quod linguis pravorum nutritur. Hinc alibi monet: vigilanter debemus respicere, quòd antiquus adversarius non solùm per semetipsum, sed per eos etiam, qui nobis adhærent, statum satagit nostræ mentis inclinare; cur enim cor nostrum suâ persuasione non subruit, ad hoc nimirum per linguas adhærentium rapit. Duobus autem modis antiquus hostis tentare consuevit, ut videlicet corda stantium aut tribulationibus frangat, aut persuasionibus molliat. S. Gregor. l. 4. mor. c. 21. Idem l. 5. mor. 1. c. 6.

VII. *Nôsse debet, cur Spiritualibus præcipuè viris consortia humana vitanda sint*; id quod Mansi Mansi d. 6. 17. n. 10.

Mansi his verbis indicavit: Non sine mysterio, Levitis distincta à reliquis tribubus non obtigit habitatio: Nec acceperunt Levitæ aliam in terra partem, nisi urbes ad habitandum, & suburbana earum ad alenda jumenta & pecora sua. Cur tribus hæc locum non eligit sibi beneplacitum? cur ad unum specialem restricta fuit? sequentem pro intento nostro quidam interpres rationem assignat, inquiens: Expeditissima responsio est; sic enim vitæ commoditatem facilè secuti, se omnes in amœnissimas regiones contulissent: ad hæc, nisi seorsim habitâssent, qui peculiariter divino cultui dicati erant, verendum fuisset, ne vulgi vitijs assuescerent; eorum enim moribus facilè informamur, quorum assiduo utimur conturbernio atque convictu.

Jos. 14. 4.

VIII. *Nôsse denique debet præcipua mala, quæ ex mala societate sequuntur*, & S. Bernardinus sequentibus verbis enumerat: Propter septem à nobis vitandi sunt mali; Primò *ne comprimamur ab eis.* 2. *Ne ab eis impediamur.* 3. *Ne demus eis malignandi occasionem.* 4. *Ne irritemus eos.* 5. *Ne involvamur cum eis.* 6. *Ne bonorum authoritas minuatur.* 7. *Ut confundantur de malis.* Sed, pro dolor! his plurimísque alijs efficacissimis non obstantibus rationibus, innumerabiles nihilominus, se ab improbis decipi sinunt amicis. Unde Dion. Carthusianus ait: Idcirco DEUS frequenter ac districtè prohibuit Filijs Israël consortia Chananæorum, quæ quia non vitaverant, in idololatriam inciderunt; sic nunc innumerabiles ad diversa peccata mortalia, ex pravorum societate labuntur.

S. Bern. Ser. l. c.

§. IX.

MISCELLANEA ET CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Qualitas.

I. Zizaniorum mentionem ingerenti, zelosi illi occurrunt operarij, qui multa cum instantia Patremfamilias inducere attentarunt, ut consentiret in zizaniorum eradicationem: *Vis, imus & colligimus ea?* Quibus ille: *nequaquam: Ne fortè colligentes zizania, eradicetis cum eis simul & triticum.* Sed quomodo? servis fortasse defecerant oculi; aut certè inter bonam malámque herbam discernere nesciebant? ita sanè, siquidem granum bonum, seménque malum, dum crescere & pullulare incipiunt, adeò sibi invicem assimilantur, ut perquam difficile sit ea discernere; ast mysterium contemplaturi, per zizania malos intelligamus sodales, qui externam multæ virtutis, bonitatisque speciem præseferentes, difficulter dignoscuntur, difficiliùs devitantur, id quod tamen faciliùs nobis factu fuerit: si sancto Cypriano paruerimus, dicenti; Profectò implanator animam suam decipit, qui non cavendo contraria noxijs rebus semetipsum commiserit; ille autem tutiùs sibi consulit, qui circa malos semper insidus, species quascunque noxias extimescit.

S. Cyprian. de sing. Cler.

Utilitas.

II. Meritò observandum est, quandónam cæcus Evangelicus Christo propter illuminationis beneficium gratias egerit, quando suum recognoverit benefactorem, quando in terram sese prosternens, Salvatorem latriæ cultu honoravit? Postquam è Synagoga exterminatus fuit: *Ejecerunt eum foras; & cùm invenisset eum, dixit ei: Tu credis in Filium DEI?* cui indilatè illuminatus cæcus: *Credo, Domine, & procidens adoravit eum.* Ecce vobis expressum S. Cyrilli Alexandrini conceptum, inquientis: Pharisæi quidem illum priùs cæcum ejiciebant, sed Christus eum suscipiebat. Tunc magis meruit cognoscere Christum, cùm ejectus est de consortio inimicorum Christi.

S. Cyrill. Alex. lib. 6. c. 10. Ioan.

Ioan. 9.

Damnum

Societatis malæ.

III. Seriam meretur ponderationem quoddam S. Cyrilli Alexandrini assertum inquientis: Modus peccandi nondum apparuerat, cùm homo unus tantummodo esset. Quamdiu solus degebat Adam, nesciebatur in terris, quid esset peccatum; sed ut primùm sociæ & consortis suæ, seu conjugis mentionem fecit, in eodem pariter tempore, sese divinæ transgressionis confessus est reum, & culpabilem: Dixitque Adam: *Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi.* Adeóque peccatum, quod innumerabilibus aliis, usque ad sæculorum finem committendis, barathrum patefecit, à malæ societatis culpa originem traxit: *Mulier, quam dedisti mihi sociam.*

S. Cyrill. l. 1. in Gen.

IV. Cornelius à Lapide (ex *Ioannis Mauburni Abbatis Liuriacensis Roseto t. c. 3.*) refert, cur variæ Religiones à primævo, vel antiquo Fundatorum suorum spiritu, degenerârint; id namque in Cluniacensibus per otium; in Cisterciensibus per negotia, seu (ut meliùs dicam) in nimia agrorum colendorum occupatione; in Præmonstratensibus ob nimia Missarum & Chori onera; in Mendicantibus ex nimia cum secularibus familiaritate & conversatione accidisse asserit; juxta illud Psalmistæ: *Commixti sunt inter gentes, & didicerunt opera eorum.* Carthusiani præ cæteris in antiqua sua semper & constanter perseverarunt observantia ob solitudinem, adeóque rigidam & austeram à sæcularibus sequestrationem.

Cornel. à Lap. in c. 2. Osee f. 81.

Ps. 105. 35.

V. Patriarcha Jacob ad Joseph dicebat: *Dormiam cum Patribus meis*; instanter urgens, ut ossa sua postmodum in terram Chanaan in Hebron transportarentur, ubi requiescebant Abraham & Isaac. Ex quibus Oleaster hanc ad intentum nostrum infert doctrinam: Non solùm in vita, sed etiam in morte, fugienda sunt

Oleaster in c. 47. Gen.

sunt malorum consortia. Poteritne efficacius quid in malæ societatis detestationem adduci? Porro idem auctor ad simile Josephi præceptum (*asportate ossa mea vobiscum*) sese reflectens, postea subdit: Audis hic, quàm mala sit conjunctio malorum, ut non solùm vivi, sed etiam defuncti justi cum eis commorari nolint. Neque his contentus idemmet auctor, ad Exodum digressus dum translationem ossium Joseph à Moyse factam (*tulit quoque Moyses ossa Ioseph secum*) considerat, sequens exinde elicit documentum, inquiens: Non æquo animo ferebant Sancti, inter impios requiescere: neque cadavera sua permittebant inter impios haberi.

S. Gregor. l. 11. mor. c. 1. VI. Ex variis S. Scripturæ locis colligimus, judicia olim ad urbium portas solita fuisse celebrari, cujus cæremoniæ diversas interpretes sacri adduxere rationes. S. Gregorius ait: Ut urbem, in qua concorditer oporteret vivere, discordes minimè intrarent. S. Hieronymus non dissimilem his verbis causam adducit: In porta fuisse legimus judicia, ne agricola ad causam veniens, frequentiâ civitatis & novitate terreretur aspectûs: quasi diceret, inconveniens erat, ut rustici in simplicitate gradientes, civium plerumque malitiosè viventium turmis se immiscentes, sinceritatis & naturalis ingenuitatis suæ incurrerent discrimen.

Mansi disc. 10. n. 10. VII. Genesis c. 1. dicitur Creator in quinto die volatilibus & piscibus benedictionem suam impertiisse: *Benedixit dicens: crescite & multiplicamini.* Cur, obsecro, animalia terrestria, die sexto producta, benedictione caruêre? Doctus quidam respondet interpres: An ideo fortè animalibus sextæ diei non benedixit DEUS, quia inter omnia erat & serpens, cui post paululùm erat ipse maledicturus? verè itaque *modicum fermentum totam massam corrumpit.* Innumerabiles animalium erant productæ species & individua, & nihilominus unicus, paulò post maledicendus, qui cum reliquis animalibus degebat serpens, omnia benedictione destituit Creatoris. Terrena privata sunt benedictione, inquit Anastasius Synaita, quoniam in eis erat serpens Evæ hostis & contrarius, & futurus erat obnoxius execrationi. Voluit namque Dominus vel ab ipso Mundi principio docere, quantum præjudicium & damnum integræ bonorum communitati afferat unicus impius & perversus.

VIII. Variæ à variis assignantur rationes, cur Salvator transfigurationi suæ in monte Thabor tres tantùm voluerit adesse discipulorum suorum: cùm enim per gloriosum hoc spectaculum eos in divinitatis fide, fideique constantia inter cruciatus & tormenta confirmare voluerit, æquum animo videri posset, omnes inibi debuisse esse præsentes. S. Joannes Damascenus ad nostrum peraccommodè respondet intentum, inquiens: Omnes Christi amore præditi, sed unus pecuniæ studio flagrans Judas, unus hic duntaxat indignus erat, qui Divinitatem spectaret. Ne autem Christus hanc Judæ publicaret improbitatem, ne eum coram omnibus diffamaret, expediens iudicavit, tres tantummodo eligere ex omnibus, licèt cum præjudicio aliquo cæterorum octo.

S. Io. Damasc. de Transfig.

IX. S. Petrus, cùm Christus de Passione sua loqueretur, dixit: *Absit à te, Domine, non erit tibi hoc.* At omniscius dæmonis subitò fraudes technásque detegens, magnâ cum indignatione consultorem pessimum asse repulit: *Qui conversus, dixit Petro: vade post me, satanâ, scandalum es mihi, quia non sapis ea, quæ DEI sunt.* Ast qualiter eum probroso satanæ afficit titulo, qui non modo à dæmone obsessus non erat, sed & super infernum potestatem acceperat? Respondeo, Christum optimè cognovisse inimici astutias, Petrum (quantumvis nihil hujusmodi advertentem) veluti suum adhibentis instrumentum, eâ spe pleni, fore, ut per familiarissimum Christi discipulum, tanquam per omnipotens medium, Christus ab imminenti retraheretur morte. Eandem versipellis adhibuit machinam in ipsa nocte mortis Christi, antiquas artis insidias repetens, qui ut Christi mortem præpediret, Pilatum à ferenda mortis sententia dimovere conatus est per uxorem. *Multa passa sum per visum hodie &c.* At differentiam notate in verbis Christi; dæmoni namque ipsi, se ad idololatriam provocanti in monte respondit: *Vade Satana.* Ad Petrum autem ait: *Vade post me Satana;* moxque subdit: *Scandalum es mihi, non sapis ea, quæ DEI sunt*: incomparabiliter enim quocunque dæmone pejor est vel unicus socius malus. Nulla pestis est perniciosior ad nocendum, inquit Boëtius, quàm familiaris inimicus. Mansi disc. 10. n. 9.

X. Suppliciorum Passionis Christi gravissimum fuit, quod intulerunt spinæ, utpote caput, partem corporis præ reliquis magis sensitivam lædentes; cùm itaque juxta infallibilem veritatem, nostræ Christum transfixerint peccata (*Siquidem propter scelus populi mei percussi eum*) concludere possumus, gravissima omnium scelera esse, maximùmque Salvatori inferre tormentum, illa, quæ in pravis societatibus, ad perversorum sodalium impulsum admittuntur; quia, teste Nahum, *sicut spinæ se invicem complectuntur, sic convivium eorum pariter potantium.* Ibid. disc. 11. n. 1.

XI. Jacobus Patriarcha Mesopotamiam petens, quadam vice nocturnis præventus tenebris, in nuda terra quietem cepit. Quærunt interpretes sacri, cur non intrârit Luzam? proximè ad eum locum situatam civitatem, ubi indubiè commodum reperisset hospitium, maximè cùm opulenti patris esset filius, & verisimile videatur, ipsum quoque sufficientes secum pro itinere contulisse expensas. Respondet Josue Hebræus apud Lyranum: *Nolle hospitabatur in campis, suspe-* Ibid. n. 4.

Hos habens habitatores civitatum, propter eorum malitiam. Ne igitur admiremini, quòd cœlum ipse fuerit contemplatus apertum, quòd scalam cœlestem, pérque eam gradientes conspexerit Angelos, quòd cœlestes habuerit apparitiones & revelationes; qui enim à consortio creato alieni degunt, maximè inter omnes divinorum participes facti sunt favorum.

S. August. c.3. solit. XII. Surdo, simúlque muto sanitatem impertiturus Salvator, *apprehendens eum de turba seorsim, misit digitos suos in auriculas ejus.* Digiti illa denotabant, quæ Christus misero infundebat Spiritûs S. dona: *Dextræ DEI tu digitus.* Notate mysterium: quando DEUS suas ab aliqua anima vult exaudiri inspirationes, linguámque in divinas resolvi laudes; ante omnia ipsam à turba, à conversatione, à malorum separat sodalium commerciis. Væ surditati illi, inquit S. Augustinus, quando non audiebam te!

Berchorius l.3 c.10.n. 8. XIII. Petrus Berchorius inter cætera ait: vox unius si sit dissona, multorum bene canentium turbat harmoniam. Audias musicorum chorum tam suavè canentem, ut cùm odei cœlestis symphoniam referat, tum eorum, qui coràm adsunt in terris, totos animos abripiat, & suspendat; Fit, ut unus quidam à tono cadat, & à justâ mensurâ deerret, illius absurdo cantu tota musices symphonia solvitur, tota suavitas vitiatur! vox unius dissona multorum benè canentium turbat harmoniam. Sic in choro communitatis unus malus pacem plurimorum solvit, facitque non solùm domorum privata, sed & regnorum publica dissidia, atque ut non Conventuum modò verùm etiam Ordinum amplissimorum diciplina religiosa corruat.

XIV. Exodi cap. 30. 10. dicitur: *Et deprecabitur Aaron super cornua altaris semel per annum, in sanguine quod oblatum est pro peccato, & placabit super eo in generationibus vestris.* Pagninus prima verba sic reddit ex Hebræo: *Et expiabit Aaron super cornua ejus*, hoc est, *altaris*, Ubi sacro ritu latera aræ mundare summus Sacerdos jussus fuit. Oleastro novus accidit hic ritus, quærit adeò, cur mundari debuerint cornua, sive extrema latera altaris DEO consecrari, dicens: Quid quæso, altare peccavit, ut sanguinis expiatione indigeat? Respondet: Contagiosa valde sunt peccata nostra, ut non solùm nos contaminent, sed etiam sancta DEI; nam quæcunque peccator tangit, etiamsi sacerdos sit, immunda reddit; Illa ergo vetus ara, quoniam tangebatur à sacerdote, qui, quòd homo esset, non semper absque omni peccato erat, sanguine expiari, & mundari debuit. Tam virulentum est malæ vicinitatis contagium, ut in ipsas DEI sacras aras se diffundat corruptorum morum pestis.

Oleaster apud Nyss. §. 1. in Dom. 13. Pent.

Societas bona.

XV. Fertur paucis ab hinc annis inter viros verè Religiosos, spiritu ferventes, hæc controversia ventilata, quâ viâ, medio, modo, aut methodo quis citissimè & certissimè ad apicem perfectionis, & sanctitatis pervenire posset? varii in varias abière sententias. Primus nihil efficacius ad perfectionem conducere affirmavit, quàm jugi orationi inhærere; hanc esse elevationem mentis in DEUM, quâ homo velut cœli civis, cum DEO consuescit, & familiarissimè sermocinetur; atque huic ferventer & constanter insistendo, plurimos ad sublimem sanctitatis gradum conscendisse: nam ut aureo ore S. Chrysostomus dixit: is novit rectè vivere, qui novit rectè orare. Alter brevissimam, ac certissimam, viam crucis assignavit, mortificationem Christi in corpore nostro circumferendo; atque hâc nos ducere sanguinolenta Christi vestigia. Tertius his longè sublimius & sanctius duxit, in conversionem animarum incumbere, quia juxta S. Dionysium: divinorum omnium Divinissimum est, cooperari DEO in salutem animarum, pro ijs se totum, vitam & sanguinem profundere; hinc divino fretus oraculo adjunxit: *Majorem charitatem nemo habet, quàm ut animam suam ponat.* Quartus se rem acu tetigisse arbitratus, omnem perfectionem in contemptu rerum terrenarum & voluntariâ paupertate collocatam esse dictitabat, juxta illud Salvatoris Consilium, adolescenti Evangelico datum: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, quæ habes, &c.* Post hæc tam varia, tam dissita, tam diversa Patrum suffragia, senior quidam spiritu DEI plenus assurrexit, qui, ubi prædictas omnes aliorum sententias solidè refutâsset, hanc suam edixit; nullum medium potentius ad perfectionem, nullum remedium præsentius ad omnes defectus & imperfectiones extirpandas, ad omnem sanctitatem, quàm citissimè, & certissimè consequendam, quàm viris perfectionis consuescere, cum iis commorari, colloqui, conversari, secundùm illud Regii Vatis: *cum sancto sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris, & cum electo electus eris.* *Engelgra in festo B. V. Visit.*



TITULUS LXVIII.

SPES ET FIDUCIA IN DEUM.

§. I.

QUOAD ESSENTIAM.

Franc. Arias to. 2. thes. tr. 3. c. 1.

I. SPes, una ex virtutibus Theologicis est, quia DEUM pro objecto habet, sperans beatitudinem, quæ in ipsius Dei visione ac possessione consistit, eidémque DEO, & divino ipsius auxilio ad illam consequendam innitens. Atque ita sperat infinitum bonum, quod DEUS est, & ad illud adspiciendum infinitæ virtuti innititur, quæ est potentia ejusdem DEI. Et sequitur fidem spes eo ordine, quem virtutes inter se habent, cùm generantur in anima, eásque DEUS illi infundit: Siquidem virtute fidei, quæ in intellectu est, cognoscimus & apprehendimus bonum infinitum, quod est DEUS, idque cognoscimus ut bonum nostrum, in quo nostra consistit beatitudo, & ut bonum, quod arduum ac difficile, ad consequendum tamen ejusdem DEI ope possibile est. Ex hac cognitione oritur in voluntate desiderium possidendi DEUM, eóque fruendi, ac post desiderium spes, quæ desiderio addit certum quendam conatum, ejusdémque voluntatis elevationem, quâ anima DEO magis appropinquat, ipsúmque DEUM adipisci conatur, & ad eum in æterna vita possidendum, videndum, ac fruendum accedere, idque per media à DEO ad hunc finem consequendum ordinata quærit.

Ibidem.

II. Hinc colligi potest, quid sit spes, videlicet donum, sive habitus supernaturalis, animæ à DEO infusus, quo se movet voluntas, elevátque supra omnes naturales vires ad sperandam cum auxilio & gratia divina, nec non bonorum operum ab eadem DEI gratia, auxilióque procedentium meritis, æternam beatitudinem. Debétque hæc spes esse certa, ita ut à DEO beatitudinem, & ad eam consequendam auxilium certò speremus. Quam certitudinem accipit, & participat spes à virtute fidei, quâ certissimè credimus, DEUM esse omnipotentem, & infinitam bonitatem, & qui paratus sit, suam beatitudinem omnibus, qui eam merentur, omniáque ad eam consequendam ac promerendam necessaria auxilia & favores dare, réque ipsa omnibus det, qui ex hac vita in ipsius gratia, & cum æternæ vitæ merito discedunt. Ex hac fidei certitudine, quæ est in intellectu (potentiâ, in qua propriè certitudo sita est) proficiscitur alia quædam certitudo spei in voluntate, quæ certitudo dicitur, quia cum intellectûs certitudine habet similitudinem, déque ea participat. Et consistit hæc certitudo in eo, quòd motus, conatúsque voluntatis ad beatitudinis finem adspirantis, certus est, neque fallitur, eúmque certò consequitur, neque in illius consecutione deficit.

Ibidem.

III. Dependet autem hæc certitudo ex multis causis. Prima, primariáque est DEI bonitas & liberalitas, qui hominem ad beatitudinem ordinavit, eíque omnia ad illius consecutionem necessaria media tribuit. Altera est fides, quâ verbo DEI, qui hanc revelavit veritatem, credimus. Tertiò dependet eadem certitudo ab ipso habitu, ac virtute spei, quæ DEI liberalitati innitens voluntatem cum certitudine inclinat, eámque ad consequendum hunc finem immediatè movet. Et hæc certitudo ex habitu, ac virtute spei oriunda, propria spei certitudo est, à fidei certitudine distincta. Et quoniam in hominibus usum rationis habentibus, ad consequendum beatitudinis finem propria merita requiruntur, dependet hæc certitudo etiam à charitate, omnibúsque cæteris virtutibus, cùm omnes voluntatem ad hunc beatitudinis finem, ad quem ordinantur, inclinent, omnésque bonorum operum, quibus hunc finem meremur, causa sint; quo pacto hanc spei certitudinem augent. Hinc sequitur, tametsi in fidei certitudine defectus, dubiumvè esse nequit (cùm innitatur soli primæ, summæque veritati, quæ nec deficere, nec falli potest; Unde si quis voluntariè de iis, quæ docet fides, dubitaret, fidem amitteret, ut suprà ostendimus) tamen in certitudine spei defectum esse posse, cùm innitatur non solùm liberalitati, ac promissioni DEI, quia deficere & falli non potest, sed etiam hominis bonæ vitæ, ac meritis, in quibus, quia homo ad bonum & malum est liber, defectus & deceptio esse potest.

§. II.

EXEMPLA SACRA.

Sulpitius in vita.

I. S. Martinus animæ suæ puritate, & quod ei DEUS infuderat, divinæ sapientiæ lumine, pietatem clementiámque Christi erga peccatores adeò benè cognoscebat, tantámque, ac tam certam spem habebat, eum omnibus quantisvis peccatoribus, quos ex corde pœniteret, veniam daturum, ipsósque in suam gratiam recepturum, ut hanc Christi pietatem imitatus, & hac spe nixus, quosvis peccatores ad se pro remedio confugientes, etiamsi in er-

tores

rores fidei, & in sacrilegia contra religionem lapsi essent, ad Sacramenta & unionem Ecclesiæ admitteret, si præmisso diligenti examine veros esse pœnitentes judicâsset; quin etiam horum quosdam, quos in virtute profecisse cernebat, in Monasterium suum pro Religiosis susciperet. Quod cùm Diabolus ægerrimè ferebat, apparens ei in forma visibili, cœpit ipsum reprehendere, déque tanta pietate objurgare. Respondit illi Sanctus, per pœnitentiam purgari omnia peccata, hócque misericordiam DEI postulare, ut quicunque pœnitentes venirent, absolverentur. Ad quod excepit Dœmon, illis, qui contra fidem, & contra baptismum peccâssent, remedium omninò non esse. Hîc Sanctus cum ingenti fervore, inque divinam misericordiam fiduciâ exclamans: Si te miserum, inquit, ex corde tuorum peccatorum pœniteret, tanta Christi misericordia est, ut ego ex parte ejus veniam illorum tibi promitterem: significans per hanc exaggerationem, quàm ineffabilis, quámque certa sit DEI erga omnes peccatores pœnitentes misericordia, & quàm ipse de ea sit securus. Neque hanc sententiam Sanctus sine bono fundamento dixit. Tametsi enim diabolus nequeat pœnitentiam agere, neque hoc pro eo sit, utpotè obstinato, tamen si eum pœniteret, quia talem pœnitentiam sine altissimo, ac supernaturali DEI favore habere non posset, signum clarum foret, eum, qui illi talem favorem ad pœnitendum, pœnitentiámque agendam daret, etiam peccatorum suorum veniam daturum. Et hæc erat fiducia, quam Sancti habebant in DEI misericordia circa pœnitentium peccatorum veniam, ac salutem.

Leon. Iustin. in eius vita. II. S. Nicolaus vehementer onus sui Episcopatûs timuit, & quoad potuit, fugit, persuasum habens, se tanto muneri prorsùs esse imparem; at ubi id suis humeris à DEO impositum vidit, magnoperè certissimóque in bonitate illius, ac misericordiâ confidit, ipsum sibi tantum favoris impertiturum, ut abundè ijs omnibus, ad quæ ex officio, & ex lege charitatis teneretur, satis posset facere; & quod à DEO speravit, liberaliter obtinuit ad exequendum non modò, quod debebat, sed multò etiam plùs, quàm debebat.

Surius in Nov. III. S. Hugo Episcopus in omnibus rebus, quæ illi in hac vita, quantumvis graves, & asperæ accidebant, aut accidere poterant, securissimus, cum ingenti, quam in DEUM habebat, spe, id sibi in omnibus eventurum, quod magis è re animæ suæ foret, dum ipse in DEI obsequio perseverâsset. Idque sic esse reipsa comperit, ut quantò ipse diligentius res divinas, & quæ ad DEI cultum spectabant, procurabat, tantò ipsi faciliùs idem DEUS de omnibus rebus necessarijs provideret. Et cum hac magna in DEUM fiducia quando se teneri, aut magis è re divini honoris esse censebat, non dubitabat Regem, ac Magnates peccatorum, quæ committebant, arguere, quamvis ipsi minitarentur, adeóque strictos gladios capiti ejus intentarent, quia de divina bonitate certus erat, se quoad suæ spirituali saluti expediret, ab omni periculo liberatum iri. Quantumvis etiam gravia, periculosa, perplexáque negotia sese illi offerrent, cum hac ingenti in DEUM fiducia nihil turbabatur, nec de sua pace & quiete quicquam perdebat, nec de necessario ad vitam conservandam somno remittebat; faciens enim, quantùm in se erat, sibique ipsi multum diffidens, certus erat, DEUM in omni re manum suam admoturum, bonúmque in omnibus exitum daturum, & quod magis in bonum animæ suæ, divinámque gloriam cederet, eventurum.

IV. B. Fr. Ægidius è B. Dominici familia, postquàm de suis magnis peccatis pœnitentiam egisset, multáque cum patientia tentationes, & hominum, dæmonúmque persecutiones gravissimas pertulisset, his probationibus in virtute spei de salute sua usque eo crevit, illámque tantam & tam certam assecutus est, ut adhuc mortalis magna cum securitate pacem, & quam sperabat, æternæ vitæ gustum sentiret. Vixítque cum ingenti lætitia, & extraordinaria consolatione, certæ hujus spei filiâ, donec in cœlum abijt. *Castillo in hist. s. Dominic p. 1. l. 2. c. 62.*

V. S. Catharina Bononiensis cùm prius ingentibus tentationibus exercita, probatáque fuisset, ad tantam humilitatem pervenit, ut, quamvis clarissimum sanctitatis speculum inter sui Monasterij religiosas fœminas esset, se tamen pro maxima peccatrice, omniúmque vilissima, &, quæ inter ipsas versaretur, indignissima duceret. Et cum hac humilitate spem salutis tam certam habebat, ut omni careret tristitiâ, jámque sibi ob eam, quam habebat, certitudinem, cœlestis aulæ civis esse videretur, neque hoc de se quicquam præsumendo, sed totum à bonitate & auxilio DEI, in quem suam spem collocabat, sperando. *Ibidem.*

VI. Admirationi fuit constantissima Cæsaris Ferdinandi II. spes, qui rebellantium populorum, ac totius penè Septentrionis conjuratione petitus, regnis, aut raptis, aut laceratis, vultu nihilominùs clades illas audiret renidenti, illud patriâ linguâ identidem usurpans; DEUS ex hac aqua me eruet. Nec illum spes confudit, quippe firmissimâ veluti anchorâ solido divinæ bonitatis fundo comprehenso, victor hostium, frementes nequicquam fluctus, cùm maximè humano judicio desperata salus esset, ponere vidit, immanésque conjuratorum Regum conatus ad nihilum recidisse, ac ne regnorum horum minutijs spes magna tantùm occuparetur, supremæ admonitus necessitatis, professus, se quamquam peccatis obnoxium, nihil tamen eorum, quæ meliora putâsset, omisisse, erectissimo ad beatitudinem animo se comparavit. Ille demum justissimè sperat, qui nihil unquam pro DEO timuit. *Io. Rho l. 4. c. 9. exempl. 1.*

VII. Joannes Avila paupertatem professus, ut expeditior Evangelio prædicando esset, sibi nihil persuaserat defuturum; quúmque plurimos annos eodem vitæ instituto transegisset, *Ibid. ex. 2.*

ajebat, sibi optimum semper fundum fuisse illam Christi Domini pollicitationem: *Quærite primum regnum DEI, & hæc omnia adjicientur vobis*, neque mensam hanc unquam fefellisse. Qua porrò spe ad suprema illa bona, beatámque vitam grassaretur, vel in ipso mortis confinio præclarè docuit, dum astantem sibi Sacerdotem, eodem ritu facere jussit, quo de resurrectione fieri consuevit; tantâ enim erat animi, ac spei sublimitate, ut semimortuus resurrectionis felicitatem cogitatione præciperet. Quid enim temporis, quamquam longissimi moras æstimet, qui vela pandit æternitati?

VIII. S. Gertrudis, quæcunque à DEO receperat bona, soli confidentiæ tribuit, æstimans illa eò magis gratuita, quantò verè gratis atque citra ullum meritum hoc nobile confidentiæ donum à DEO gratiarum omnium Largitore recepisset. Hac confidentia adeò confortabatur, ut mori sæpenumero desideraret, divinæ tamen semper unita voluntati, cui se adeò conformabat, ut tam vivere quàm mori perinde illi esset. Per mortem namque sperabat æternam obtinere beatitudinem, vivendo verò divinæ laudis incrementum. Contigit aliquando per viam ambulanti, ut in ascensu collium ad decliviora iterum caderet, propter quod multò hilarior facta in spiritu Domino loquebatur: Amabilissime JESU quàm bene mihi contigisset, si casus ille mihi ad te celerius perveniendi dedisset occasionem! Hæc verba dum inter nos admiraremur, percontantes, formidarétne Sacramentis non munita mori? respondit: toto corde Sacramentis salutiferis opto ante muniri, quàm moriar, ijs tamen confidenter præfero providentiam, & Domini DEI voluntatem. Hanc saluberrimam non ambigo esse ad mortem præparationem: propterea morte aut subitâ, aut diutinâ, utrum illi placuerit ad eum optatius est mihi venire. Spero enim qualicunque morte hac luce defuncta fuero, DEI misericordiam nunquam mihi defuturam, sine qua æquè mihi certa incubat damnatio, tam in ea morte, quæ improvisa irruit, quàm in illa, quæ longè ante prævisa est. Hoc modo in omnibus, quæ sibi evenerunt, exultabat, quia securam semper ad DEUM habuit confidentiam, alacrémque & fortem animum, qui nunquam deficiens perpetuò florebat.

§. III.

EXEMPLA DOMESTICA.

Ibid. ex. 4. ex nostris. I. Josephum Scammacam supremo jam senio, absolutæque disciplinæ hominem placidè, ac quasi per ludum à nobis ad pauciores abeuntem, eáque sæpiùs usurpantem: *Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus*; &c, *Fulcite me malis, stipate me floribus*; rogavit adstantium quispiam, æternæ hæreditatis capessendæ esséne illi certa spes? tum ille paululùm commotus: Nunquid ego Mahometo servivi per tantum ævi, ut nunc de Domini mei bonitate dubitem: utramque spei alam explicavit, quarum altera si desit, affligitur humi spes.

IX. Utriusque laudis, quæ spei contingere solet, haud quaquam egens Bernardinus Realinus, ita de DEI bonitate securus acquiescebat, ut quùm Lupiense Collegium regeret, monente non semel Ministro nihil esse domi, quod socijs cœnaturis apponeretur, subridens ille, hominísque trepidationem blandè castigans, consuetâ nihilominùs horâ dato signo evocari juberet in cœnationem; nunquam falsus, nam in ipso rei articulo, quod satis esset ad religiosam refectionem, ex insperato submittebatur. Sed beatitatis tam certa illi fiducia, ut se amicis inde adfuturum, liberaliter polliceretur. Verùm dilatâ in annum quartum supra octogesimum abitione suâ, ipsam senectutem sibi solatio esse dicebat, Apostolicum illud ad levandam dilatæ missionis afflictionem crebriùs usurpans, quod senescit, propè interitum est. Ita demùm excessit, ut ibi jam esse sibi aliisque videretur. *Ibid. ex. 16. ex nostris.*

§. IV.

MOTIVA.

I. P*Rimum, quia altissimum Dei præceptum est, ut in eum speremus, nostrámque in ipsum spem collocemus*; ídque non uno divinæ Scripturæ loco reperitur. *Spera in Domino*, inquit David, *& hac spe fac bonitatem, & quidquid ex DEI lege justum, bonúmque esse scis, diligenter exequere, & inhabitabis terram cum magna pace, & pascèris hic divitijs, bonisque spiritualibus gratiæ, & in terra viventium bonis cælestibus atque æternis.* Cui Sapiens in proverbijs succinit: *Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo.* *Franc. Arias tr. 4. tr. 3. c. 3.*

II. *Necessitas ad salutem*; nisi enim homo speret, se à DEO ad servandam ipsius legem adjutum iri, ac nisi ab eodem propter bona opera beatitudinem speret, neque animum ad laborandum, neque vires ad faciendum, neque omninò voluntatem ad quicquam boni desiderandum habebit. Quare ut in vita bona elaborare, &c, siquidem peccator est, pœnitentiam agere; sin autem justus, perseverare, mala sufferre, difficultatésque vincere possit, necesse est, ipsum à DEO auxilium ad bonum, nec non bonorum operum præmium ac mercedem sperare. *Debet* enim, Apostolo teste, *in spe, qui arat, arare; & qui triturat, in spe fructus percipiendi*, id est, quemadmodum, qui agriculturam exercet, à terra, quam colit, bona sperare debet, quæ nisi speret, nec propter ea laborabit; sic qui in DEI obsequio elaborat, ab eodem favores, auxiliáque ad laborandum, & suorum laborum præmia speret, necesse est, quâ spe si careat, nec laborabit, nec omnino *Ibidem.*

nò salvabitur. Hinc divina Scriptura passim tradit, spem nos salvos facere, spe nos salvos fieri. *DEUS*, inquit Daniel, *salvat sperantes in se.* Et Apostolus: *Spe salvi facti sumus.* Salvat spes, quia homo sperans in DEUM, facit, quidquid debet, ut eum idem DEUS ab omni malo liberet; & quia spes viva, principium ac pignus est æternæ salutis ac gloriæ.

Ibid. III. *Utilitas*; siquidem misericordiæ DEI, ejúsque liberalitatis dona, omnibus ex corde in ipsum sperantibus, uberrimè communicantur. *Sperantem in Domino*, ait David, *ejusdem misericordia circumdabit*, ex omni cum parte protegens, defendens, liberánsque ab omnibus malis, & implens ac cumulans veris tàm hujus, quàm alterius vitæ bonis. Suntque hæ misericordiæ, quas DEUS sperantibus in se facit, adeò certæ & magnæ, ut mensuræ spei, misericordiarum iisdem communicandarum abundantia responsura sit, eodem Prophetâ teste; *Fiat misericordia tua, Domine, super nos, quemadmodum speravimus in te*; immensas ejus opes, secundùm spei nostræ modum, nobis impertire.

Ibid. IV. *Iucunditas*: Nam parit etiam spes in hominis justi corde securitatem, pacem & quietem in mediis turbis, summisque periculis, siquidem is omnipotentem DEUM protectorem suum, cui innititur, habet. Quod expertus David dixit: *In DEO speravi, non timebo, quid faciat mihi homo. Dominus mihi adjutor, non timebo.* Quamobrem Apostolus æternæ salutis spem galeam vocat, & anchoram; Illud, quia sicut galea defendit corpus, sic spes ab omni malo superiorem animæ partem, quâ unitur cum DEO per charitatem; hoc, quia quemadmodum anchora humi defixa navem retinet, ne frangatur in mari, aut à ventis & fluctibus damnum capiat, ita spes animam in DEO, cœlique commoratione fixam, & firmam facit, ut solida, quietáque consistat, neque ab ullo inimicorum suorum detrimentum patiatur. Atque hæc spei nobis imposita necessitas est, hæc, quam nobis affert, utilitas, hi mirabiles illius effectus.

Ibid. V. *Æquitas*; Nam homini pauperi ac debili naturalis ratio dictat, ut se homini diviti, à quo sustentetur; & potenti, à quo foveatur, adjungat. Tenemur bonam vitam ducere, & beatitudinis consequendæ incumbit nobis necessitas: Pauperes sumus, neque boni quicquam ex nobis ipsis habemus, neque facultates ullas ex parte nostra ad benè vivendum; debiles sumus, omni virtute, viribúsque domi natis ad consequendam beatitudinem destituti: Scimus DEUM esse omnipotentem, & infinitam bonitatem, qui nobis omnem ad sanctè vivendum, beatitudinémque acquirendam necessarium favorem, auxilia & gratias dare potest, ac vult: Ipsa naturalis ratio docet, obligátque nos, ut accedamus ad eum, omnémque favorem, & quicquid boni nobis opus est, ab ipso petamus, atque speremus. *Quis ex vobis*, inquit Isaias, *timens Dominum, audiens vocem Salvatoris, filii ejus, quamvis ambulaverit in vitiorum tenebris, & non sit gratiæ lumen ei*? quod ad omnem favorem, & quicquid boni desiderat, obtinendum facere debet, hoc est, speret in nomine, virtute, auxilioque Domini, & innitatur super DEUM suum, in eúmque spem suam collocet. O quàm securam spem nostram reddit; ejúsque certitudinem confirmat, quòd nos DEUS ipse in se sperare jubet! Cùm enim DEUS infinitæ potentiæ, & infinitæ bonitatis, neque ulla in eo duplicitas, aut fictio sit, cúmq; nos ipse jubeat ad se accedere, séque niti, & nostram in se spem ponere, clarum est, eum, cum accesserimus, ipsique innixi fuerimus, non subtracturum sese, neque manum, ut cadere nos, periréque sinat, absconditurum, sed ipsummet accessurum ad nos, suisque potentibus brachiis, ac benedictis manibus nos excepturum, &, ne cadamus, sustentaturum; quicquid ab ipso boni speramus, nobis daturum, nósque constantes facturum, ut perseveremus, & in nobis impleatur, quod ipse per Prophetam suum dixit: *Qui confidunt in Domino, erunt firmi, inquo bono constantes, sicut mons Sion, qui fixus est, neque loco suo mobilis.*

VI. *Christi amor & merita*; quo motivo S. Augustinus se ad spem excitavit dicens: Tu, Domine, es vita mea, quâ vivo; spes, cui inhæreo; gloria, quam adipisci desidero. In te DEO meo, & Domino nostro JESU Christo dulcissimo & benignissimo uniuscujusque nostrûm & portio, & Sanguis, & Caro est, quia verè naturam humanam assumpsisti, & divinæ tuæ personæ unitam habes: Ubi ergo portio mea regnat, ibi regnare me credo: Ubi caro mea glorificatur, ibi gloriosum me esse cognosco. Quamvis peccator sim, de hac tamen communione gratiæ non diffido. Et si peccata mea prohibent, substantia mea requirit: Et si delicta propria me excludunt, naturæ communio non repellit. Non enim tam immitis est Dominus, ut non diligat carnem suam, membra sua, & viscera sua. Desperare utique potuissem, propter nimia peccata mea & vitia, culpas, & infinitas negligentias meas, quas egi, & quotidiè indesinenter ago corde, ore, & opere, & omnibus modis, quibus humana fragilitas peccare potest; Nisi verbum tuum, DEUS meus, Caro fieret, & habitaret in nobis. Sed sperare jam audeo, quoniam subditus ille tibi usque ad mortem, mortem autem crucis, tulit chirographum peccatorum nostrorum, & affigens illud cruci, peccatum crucifixit, solvendo pro eo, & mortem destruxit, merendo nobis vitam. In ipso confido, me per virtutem ac merita ejus salvum fore; mediante pœnitentiâ, ejúsque mandatorum observantiâ, ad fruendam tuam beatitudinem me perventurum spero. Tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio, per omnia secula, Amen. S. August. in manual. c. 14. & 15.

§. V.

§. V.

MEDIA.

Arias Thes. to. 2. tr. 3. c. 29. I. BOnorum operum constans exercitium; cùm enim spes præter principale fundamentum, quod est auxilium divinum, fundetur etiam in meritis hominis justi, ideò postquàm divinâ virtute generata est, crescit in nobis per exercitium bonorum operum, vitæque puritatem; Hæc enim bona opera, quia ex gratia DEI procedunt, merentur augmentum virtutis infusæ spei; Unde quò plura opera bona homo justus facit, quòque majore cum puritate ac devotione ea facit, hôc illa ampliùs crescit. Et quia hæc bona opera sunt secundum spei fundamentum ac fulcrum, eadem virtus spei cum ipsis fortificatur, fitq; in dies robustior ac perfectior. Quamobrem Spiritus Sanctus, qui in divinis Scripturis nos docet, jubétque sperare in DEUM, jubet nos simul benè operari, ut spes sit viva, hortatúrque nos ad operandum fortiter ac ferventer, ut spes perfecta sit. *Exspecta Dominum*, inquit David, & dum exspectas, noli esse negligens & otiosus, sed viriliter age, operáque Domini operare.

Ibid. §. 3. III. *Patientia fortis & constans*; crescit quippe etiam spes tolerando in hac vita humiliter & patienter, & propter DEUM res adversas, & quæ hominem affligunt, ac cruciant. Talis enim magnorum malorum tolerantia, majoris virtutis, meritíque exercitium est, quàm bona opera facere; Idque propterea, quia in malis pœnæ tolerandis sentit natura majorem repugnantiam ac difficultatem, homo magìs seipsum abnegat, magìs ostendit, quanti DEUM, propter quem patitur, æstimet, suúmque DEI amorem, qui ipsum ad patiendum movet, testatiorem facit, & ad facienda bona opera majus in natura (quippè quæ ipsum ad benefaciendum inclinat) præsidium invenit, majorémque facilitatem ac gustum sentit; unde tantâ ad benefaciendum virtute, Deíque amore, quantâ ad malum eo, quo decet modo ferendum, non eget. Hinc fit, ut quemadmodum spes crescit cum merito bonorum operum, sic etiam crescat, multóque magis perficiatur per sanctam malorum pœnæ tolerantiam. Quare homines justi pro magno DEI beneficio, misericordiáque deputant, quòd ipsis in hac vita pœnas, ærumnásque immittat; neque tantùm eas patienter (ad quod obligantur) sufferunt, sed plùs, quàm teneantur, faciunt, hoc est, amant eas, sibique spiritualiter gratulantur. Rursum crescit, quia per illas homo justus magìs assimilatur Christo, qui propter nos passus est; & sic plùs participat de ejus meritis, donis, gratiis & favoribus, quibus virtus, & bonæ vitæ meritum, & spes æternæ gloriæ ampliùs crescit. Ita S. Leo Papa: Certa, inquit, atque secura est exspectatio promissæ beatitudinis, ubi est participatio Dominicæ Passionis; sicut Apostolus ait, *Si viræ hujus afflictiones, tribulationésque tolerantes, Christo compatimur, & conglorificabimur.*

III. *Oratio fervens, & frequens*; cùm enim præcipuum spei nostræ fulcrum, fundamentúmque sit, auxilium divinum, crescente hoc per continuam, quâ petitur, orationem, crescit etiam valdè spes ipsa, quæ in illo fundatur. Quod S. Augustinus monet his verbis: Spem tuam semper in DEO pone, & in quacunque re, quæ tibi occurrerit, sive bona, sive mala, tam ut facias, quod bonum fuerit, quàm ut feras, quod malum, dic semper DEO ex toto corde tuo, & pura sinceráque cum intentione: *Domine in adjutorium meum intende: ad juvandum me festina.* Si vis salvari, stude hunc versiculum semper in corde tuo dicere, ne unquam tibi inde excidat, cum hoc dormi, & cum hoc vigila; quasi diceret, cum hoc dormitum concede, & cum hoc expergiscere. *S. August. serm. 1. de tempore quadrag.*

IV. *Promissionem præmiorum ob oculos ponere*; nam ex hac consideratione, inquit Magnus Basilius, nascebatur, quòd sancti Martyres tam generosè dedignarentur equuleum, tam fortiter aspernarentur catastas, tam magnanimè despicerent laminas, ipsam adeò mortem pro nihilo putarent, ut qui non præsentem pœnam, sed futuram gloriam spectabant. Vide, quàm eleganter hoc à magno Religionum Patriarcha expressum: Pericula non respicit Martyr, coronas respicit, plagas non horret, sed præmia numerat, non videt lictores infernè flagellantes, sed Angelos supernè lætis omnibus acclamantes imaginatur, non spectat ad temporalia pericula, sed ad præmiorum æternitatem. *S. Basil. hom. de Barlaam*

V. *Credere, quòd DEUS, qui dedit velle, daturus sit & perficere*, uti præclarè Didacus Nyssenus sequenti discursu ostendit: Digressus à Socero suo Labano Jacob Patriarcha, postquàm mutuam cum illo amicitiam instauràrat, & religioso juramento constabilierat, prosequebatur iter suum, cúmque vix aliquantum processisset, occurrerunt illi numerosæ copiæ cœlestium spirituum, quales generosi & strenui milites, quos ut vidit, incredibili perfusus gaudio, ajebat: *Castra DEI sunt hæc*; Genes. 32. v. 2. exercitus cœlorum sunt, indè huc submissi, ut me tueantur, & firmo suo præsidio defendant, ut difficultates itineris submoverent, & per viam illum protegerent, ac propugnarent. Priusquam enim ad patrem suum perveniret, multa illum exspectabant pericula, quæ superaret, multa impedimenta, quæ vinceret. Animadvertendum hîc, quòd iter illud DEI jussu susceperit, qui ei dixerat: *Revertere in terram patrum tuorum, & ad generationem tuam.* Genes. 31. 3. velut pluribus dixisset: Tempus est, ut parentes tuos consoleris, quare mando tibi, ut patriam repetas. Et quamquàm aliquæ se offerant difficultates, *Did. Nyss. l. 6. Polit. s. c. 1.*

rates; quamquàm impedimenta occurrant, & obstacula se objiciant, nil propterea metue, quia ego ero tecum, ego comitabor, custodiámque, ne quod à tergo te malum invadat, omnipotens dextera mea tuum scutum erit, mea jussio tuus salvus conductus, quæ te ab omnibus tutabitur adversis, & periculis. Ubi enim ex mea authoritate descendit præceptum, ibi ex mea potestate venit auxilium; & ubi mea voluntas jubet, ibi mea manus obsequendi vel adimit, vel minuit difficultatem. Nam si illi Navarcho vela vento dare timenti, eò quòd sævi maris furentes fluctus supremum exitium minarentur, Cæsar, quem vehebat, dixit, ut est apud Lucium Florum lib. 4. c. 2. *Quid times? Cæsarem vehis.* Quid trepidas, quid vereris conjicere navem in oceanum, qui Cæsarem proximè ad manum habes, cujus unicus nutus iratum placare mare, & omnem sedare tempestatem potest? Si hoc dixit homo (qui hoc titulo tantoperè gloriabatur, quòd Cæsar esset) ut nauclerum meticulosum erigeret, cur formidat homo, qui immensum DEUM vitæ comitem habet, & tutorem? ero tecum. Age ergo, mi Jacob, & viam securus, intrepidúsque capesse, nam cùm ad meum imperium iter suscipias, ego te liberum, inoffensum perducam, quò tendis, quantavis in te incursârint pericula. *Quid times? DEUM vehis*: Infinitam imperantis DEI potestatem sociam viæ habes, proinde tutissimus vadis. Meo hortatu & mandato iter ingrederis prosperùm, itaque futurum est, & felicem habiturum clausulam. Quando enim Dominus onus aliquod imponit, aut imperat opus, simul auxilium præbet, & vires, quibus confici, & absolvi possit, ministrat.

§. VI.

ASCETICA.

Arias l. c. t. 25.

I. PRæter ea, *quæ in ipsa Bibliotheca manuali dicta, unicum, scituque dignissimum dubium benè explicare, & resolvere debet Asceta, an scilicet justis eò usque spes crescere possit in hac vita, ut eos certos de salute efficiat?* ad quod dubium malo alienis Francisci Ariæ, quam propriis meis verbis respondere. Sic ergo ille propositam quæstionem resolvit: Quanquàm verum sit, uti sacræ litteræ, communisque Sanctorum doctrina habet, & sacra Concilia definierunt, hujus gratiæ ac misericordiæ DEI, sine speciali & evidenti revelatione, non posse hominem habere tantam certitudinem, quanta est ea, quam fides divina in anima gignit, fundatam in divina revelatione, toti Ecclesiæ, aut aliquibus hominibus justis in particulari facta; Nec quantam evidentia rationis, humanum intellectum convincens, efficit; tamen, sicut iidem Sancti, & experientia testatur, ipsáque divina docet Scriptura, potest homo justus tantam hujus gratiæ ac doni DEI certitudinem habere, ut omnem ei dubitationem, metúmque eximat; quemadmodum videmus in multis casibus humana testimonia facere, quæ tantam generant certitudinem, ut omnem dubitationem tollant. Cujusmodi certitudo est, quam homines habent, quòd sit Italia, & Græcia, & India; licèt has provincias propriis oculis non viderint, sed solùm ita persuasum habeant ex communi omnium, qui eas viderunt, sermone: Similémque certitudinem, quæ eos dubitare non finit, habent, quòd sint Catholicorum parentum filii, quódque in tali civitate nati; Nam licèt ipsi, utpotè cùm nascerentur infantes ex se judicium de hac re ferre non possint, ex communi tamen multorum, qui eos nasci viderunt, famâ credunt citra ullam dubitationem, tali se matre, & in tali civitate natos esse. Quemadmodùm igitur humana testimonia sufficiunt ad faciendam hujusmodi certitudinem, sic etiam testimonia divina ad eandem certitudinem gignendam efficacia sunt. Et quanquam certitudinis istius causa divina est, nempe viva spes, ceteráque testimonia, quæ Spiritus sanctus in cordibus operatur, quam ob rem aliquâ ratione divina certitudo dici potest, tamen quia dependet etiam à conjecturis, signísque humanis, quæ sunt bonæ operationes interiores & exteriores liberi arbitrii, quæ cùm DEI dona sint, hominis etiam sunt opera, & propter similitudinem, quam cum humana certitudine habent, dicitur certitudo moralis. Divina testimonia, parata, acquisitáque bonorum operum exercitio, patientiâ in adversis, & oratione, quæ hanc certitudinem efficiunt, sunt ista: Ingens peccatorum odium, & horror, quem homo in suo corde sentit, firmissimum propositum non offendendi DEUM ob ullam rem hujus mundi, à longo tempore nihil deliberatè contra DEI voluntatem peccâsse; licèt enim multa venialia peccata per hebdomadem, adeòque per diem ex fragilitate & incuria commiserit, nullum tamen commisit advertenter & deliberatè; sentire in corde suo magnum erga proximos, etiam inimicos, à quibus injurias accepit, amorem; hæc magna sunt testimonia gratiæ in anima, & bona signa, ipsum in bono cœpto perseveraturum. Alia specialiora testimonia sunt, amor experimentalis DEI, ingens ac continuum desiderium placendi ipsi, déque hoc exilio ad videndum eum, perfectéque amandum exeundi, facilitas & suavitas in domandis passionibus, & divinis præceptis servandis; contemptus sui ipsius, omniúmque rerum temporalium; donum contemplationis; pax & quies spiritualis, si valdè magna sit & abundans, quam Isaias flumini comparat, & S. Paulus ait, tam magnum & supernaturale donum DEI esse, ut illud intelligere, ac ponderare, omnem creatum intellectum hominum & Angelorum exsuperet; ac denique lætitia spiritualis admiranda, quam DEUS justorum animabus communicat, de qua Sapiens dicit, esse quasi juge convivium spirituale, quod suaviter recreat, & delicatè pascit animas, quas DEUS per illam visitat; & quam S. Petrus vocat inenarrabilem & glorificatam, id est, habentem aliquam similitudinem cum gaudio & & gloria bea-

beatorum. Hæc ſunt divina teſtimonia, quæ dat Spiritus ſanctus juſtorum cordibus, quæ notitiam ac ſpem certam pariunt, quòd homo in gratia ſit, & ſalvandus. Hanc ipſam doctrinam etiam SS. Patres paſſim confirmant & imprimis S. Gregorius: mens, inquit, quæ divino Spiritu impletur, habet evidentiſſima ſigna ſua, virtutes ſcilicèt, & humilitatem; quæ ſi utraque perfectè in una mente conveniunt, liquet, quòd de præſentia Sancti Spiritûs teſtimonium ferat. S. Baſilius: certò, ait, perſuaſus eſſe aliquis poteſt, DEUM ſibi peccata remiſiſſe, ſi affectionem animi in ſe eſſe animadverterit ſimilem illius, qui dixit: *Iniquitatem odio habui, & abominatus ſum.* S. Cyrillus: qui omni virtute, ait, mentem ſuam purgârint, Spiritus Sancti illuminatione receptâ, oculis animi habitantem in ipſis DEUM videbunt. S. Auguſtinus: redeat, inquit, unusquiſque ad cor ſuum: ſi ibi invenerit charitatem fraternam, ſecurus ſit, quia tranſiit à culpæ morte ad gratiæ vitam. S. Anſelmus: per hoc, inquit, quòd Spiritus Sanctus charitatem nobis infundit, quæ nos facit imitatores eſſe divinæ bonitatis, ut diligamus inimicos noſtros, evidenti teſtimonio declarat menti noſtræ, nos eſſe filios DEI. S. Bernardus ait: Si ſenſero mihi aperiri ſenſum, ut intelligam Scripturas, aut infuſo lumine deſuper revelari myſteria, non ambigo Sponſum in anima mea adeſſe; Quòd ſi ſe pariter infuderit humilis quædam, ſed pinguis intimæ adſperſionis devotio, quæ odium vanitatis Mundi in me generet, ac contemptum, tunc æternum patrem in anima mea adeſſe non dubito. Intelligit Sanctus de certitudine morali, quæ animam quietam, ſerenámque facit, & dubiis ipſam turbantibus, affligentibúsque liberat. Doctor Alexander Alenſis quoque docet, certum exprimentum eſſe, quòd anima habeat gratiam à DEO infuſam, quando habet lumen in parte rationali, lætitiam in parte concupiſcibili, & pacem in parte iraſcibili. Intelligens, ut ſe ipſe explicat, de morali certitudine, quæ in anima juſti experientiam parit, quòd in ſe ſigna, effectúsque gratiæ habeat, præſertim lætitiam & pacem ſpiritualem, quæ ſunt divini amoris excellentiſſimi effectus.

S. Gregor. l. 1. Dial. c. 1. — *S. Baſil. in qq. brev. q. 12. p. 296.* — *S. Cyrill. l. 10. in Ioan. c. 3.* — *S. Auguſt. tr. 1. in epiſt. Ioan.* — *S. Anſelm. ad Rom. 5.* — *S. Bern. ſerm. 69. in Cant.* — *Alenſis p. 3. q. 71. memb. 3. n. 14*

§. VII.

MISCELLANEA ET CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Did. Nyſſen. §. 1. in Sabb. poſt Dom. 1. quadr.

I. **S.** Gregorius Nyſſenus, quærit, cur ſacer Propheta tàm multis pſalmis hæc paucula præſcripſerit: *In finem*; quibus nos exhortatur, ut intentis ſemper oculis finem ſpectemus. Textus Græcus habet: *in victoriam*; tanquam admonens, ut victoriam habeamus ob oculos. Dicit nunc Nyſſenus: Quorſum tantoperè nobis commendatur conſideratio finis, & victoriæ? Fortè an malum eſſet cogitare initium ac bellum, quando etiam *militia eſt*, nec aliud quidpiam, *vita hominis ſuper terram*? Job. 7. v. 1. Quare ergo tanquam negligentes principii, ſemper reſpiciamus finem, aut velut incurii pugnæ, ſpectemus victoriam? Reſpondet Nyſſenus Tract. 2. in Pſalm. Cùm omnis certaminis victoria ſit finis, ad quam, qui certamen ingrediuntur, omnia ſua referant, eáque freti pugnare incipiant, mihi planè perſuadeo, finis nomine, velut brevi quadam commonitione excitari omnes, qui in hujus vitæ ſtadio per virtutis exercitationem decertant, ut finem reſpicientes, ſpe coronæ obtinendæ, certaminum laborem levent, & minuant. Variis in hoc mundo urgemur undique præliis, monſtra ſæpe multarum, & magnarum miſeriarum ſubigenda; ut verò quisque ardenter pugnet, & fortiter dimicet, præliatoribus omnibus occlamat contentâ voce David: *In finem, in victoriam*: tanquam diceret: Certa viriliter, fortis Athleta Chriſti, committe intrepidè, animosè congredere, fidenter dimica, quando vides, quòd ad remunerandum tuos labores, ad præmiandum tuos ſudores, ad compenſandum tuas fatigationes cœlum coronas tibi æternas adornat, & lauros perpetuas paratas ſervat. Et quis non ſe ipſum ad pugnandum excitet, qui certa conſtituta operi ſuo præmia, eáque tam præclara certò novit?

II. Huc alluſit Salomon, cùm ait: *Exaltatio oculorum eſt dilatatio cordis*: Prov. 21. v. 4. Qui tametſi difficilis ſit locus, ob variam interpretum expoſitionem, rei tamen præſenti ſervit cujuſdam Moderni (Salazar) commentarium, qui id ſic dictum vult à Salomone, ut, ſi quis anguſtiis pectoris inter hujus vitæ adverſitates, quæ tolerantur, laborans dilatari animo, & ex ærumnarum arcto in apertum evadere velit, non figat obtutum in calamitates præſentes, ſed erigat magìs, & ſurſum aſpiciens videat, paratam eſſe his afflictionibus gloriam, conſtitutam his ærumnis remunerationem, atque hinc futurum, ut mitigentur dolores, extenuentur angores, reſpirétque inter anguſtias, & dilatetur animus. Nec enim aliud eſt, quo latiùs explicetur, quàm quòd certò ſciat, conſtitutam eſſe ſuam cuique labori, & adverſitatum tolerantiæ remunerationem. Et hoc eſt, quod ait Salomon: *Exaltatio oculorum eſt dilatatio cordis*; Scilicet magnum illis robur venit ab oculis, qui ſurſum ſedulò ſpectant, & quæ merces fortiter adverſa ferentibus præparata ſit, diligenter conſiderant. Hinc illud Marci Senecæ epito. controv. l. 5. controv. 1. Tolle ſpem hominibus, nemo victus tentabit arma, nemo infeliciter expertus negotiationem, alios apperet quæſtus; nemo naufragus vivet. Spes eſt ultimum adverſarum rerum ſolatium. *Ibidem*

III. Populus DEI, quem miſera confuſæ Babylonis ſervitus oppreſſum tenebat, de ſe ipſo quidpiam pronuntiat, quod obſcurum habet *Ibidem*

bet sensum : *Super flumina Babylonis illic sedimus, & flevimus, dum recordaremur tui, Sion*; ajebat Psalm. 136. Est hæc figura eorum, quæ Christianis in hac Mundi Babylone captivis accidunt, donec sursum in superam cœlorum Sionem emergant. Sed animadvertendum studiosè, diligentèrque, quod ajebant : *Super flumina Babylonis illic sedimus* : quòd quis, sivè tristi, sivè hilari animo in viridi, & opacâ ripâ pellucidarum aquarum præterlabentium sedeat, id quotidiè videas; sed ut quispiam inconstantibus & fluxis in aquis, tanquàm in solido ac firmo pavimento sedeat, aut hæreat, nec subsidat, qui fieri possit ? At si ita est, quid est quod captivi isti ajunt, se tam fuisse agiles, tam leves, ut super aquas sederint, nec abrepti ab eis, aut mersi fuerint ? *Super flumina sedimus.* Unde illis tanta tum agilitas, tum stabilitas, ut nec sorbere eos aquæ, nec deorsum abstrahere secum potuerint ? Non vides, quid ipsi illi dicant : *Super flumina sedimus, dum recordaremur tui Sion* : Gloriam Sionis animo volebant, quietem cœlorum, æterna præmia cogitabant, hæc illis inter medias aquas tantarum adversitatum addebant alas, & stabilitatem, ut nec per tristitiam eos sorbere, nec per desperationem abripere possent. Abbatis Tuitiensis hæc tam sapiens est cogitatio, quam talibus verbis reddidit : Illorum erat hoc dicere, qui recordabantur Sion. Tales nimirùm non sub aquis fluminis absorpti erant, sed super sedebant, similes aviculis, quas aquæ imperio DEI produxerunt paratas ad volandum.

Theophilactus in c. 5. Luc.

IV. De subulcis scribit Theophilactus : Porcorum pastores cùm non possunt compescere porcum clamantem, resupinantes illum efficiunt, ut minùs clamet. Debent hoc agere Pastores, & Prædicatores cum rationali grege, quem illis DEUS commendavit. Si quem viderint, qui ærumnarum impatiens demurmuret, qui calamitates animo iniquiore ferat, resupinantes illum efficient, ut minùs clamet, cùm obmurmuratio & impatientia hominum ex eo nascantur, quòd quis terram spectat, & solas adversitates præsentes considerat, fac, ut subducant oculos, & in gloriam, quietémque, quæ illos post hæc exspectat, figant, ita efficies, ut minùs clament, lacrymásque illis absterges, & cor dilatabis. Sic enim habet Tertullianus l. ad Martyr. c. 3. Nihil crus sentit in nervo, cùm animus est in Cœlo. Ornantur compedibus, non onerantur pedes eorum, qui animo cœlorum amplitudinem, gaudia, voluptates penetrant. Eæ enim sunt quæstus, aut lucri vires, ut omnem ærumnarum velut consopiant acerbitatem, & amaritudinem.

S. August. in Psal. 47.

V. S. Augustinus in tit. Psalm. 47. usitatâ suâ subtilitate sic in ea verba inquirit ; Si ergo nondum habes petitiones cordis tui unde delectaris in Domino ? Gaudemus rebus præsentibus, futuram autem exspectamus, quamcunque petimus, à DEO felicitatem, quid ergo jubet David delectari in Domino ob ea, quæ ab illo petimus, neque hactenus habemus, sed deinceps speramus, & præstolamur ? Nonne magis consequens fuisset, si jussisset tunc gaudere, cùm eorum, quæ rogabamus, copia nobis facta esset, ex quibus lætitia oriri poterat ? quid mihi præcipis, delectare in præsenti, cui & ais, dabit tibi in futuro ? Respondet Augustinus, magno mysterio factum, quòd jussus jam nunc in præsenti delectari, quanquàm ea, quæ nunc petis, posthæc primum accepturus ; Quia certam tenes promissionem ejus, qui se efficit promittendo debitorem. Suadet, in præsenti gaudere de bonis, quæ rogatus DEUS futuris diebus dabit, quia illius verba tam sunt certa, & promissa tam firma, atque ineffabilia, ut de eo, quod ab illo speras, tanquam si habeas, gaudere possis, & de eo, quod desideras, tanquam si possideas, lætari. Ea propter dicit Augustinus, se prævelle sperare ea, quæ Dominus promisit, quàm possidere quæcunque hæc vita dare potest : Omnes deliciæ meæ in hac vita non sunt in re, sed ipsa spes tam certa est, ut omnibus hujus sæculi divitiis præponenda sit ; causam dicti subjungit, dicens : vita enim hæc qualibet redundans felicitate multos fallit, DEUS neminem, quia promissorum videri, & haberi tenacem, summæ gloriæ ducit.

VI. Tertius Liber Regum memorat, ita penè congelâsse Davidem, ut, cùm operiretur vestibus, non calefieret. Deliberârunt eius famuli, quo remedio afferre calorem regi suo possent, opportunissimúmque visum est, accersere puellam, quæ illi accumbens frigida membra concalefaceret ; *Quæramus Domino nostro Regi virginem adolescentulam*, ajebant, *& foveat eum, dormiátque in sinu suo, & calefaciat Dominum nostrum Regem* ; Regum 1. vers. 2. Dictum, factum, conquisitáque Virgo algidos frigidi senecionis artus calefecit. S. Antiochus hom. 2. quærit, quid illo facto significatum ? Respondet, in Davide frigidum, inertémque peccatorem, abumbratum, eum, qui ad virtutem incalescere nolit, neque excitare sese, ad strenuè ineundum pietatis curriculum. Quo verò is remedio curari queat, & inflammari ? Quæramus adolescentulam Virginem ; prodeat spes præmij, dormiátque cum deside, quia hæc illum calefaciet, cunctantémque ac segnem adeò confirmabit, & excitabit, ut ex testudine in aquilam vertat. Hæc enim est efficacitas lucri, & vis gloriæ, quæ certò exspectatur. Propterea etiam spes (ut est apud S. Eligium hom. 11.) est dicta, quòd sit spes, & progrediendi facultas, quòd claudo pedes, manco lacertos ac brachia, omnibus denique vires ministrat, ut vim sibi in via virtutis inferant. S. Antiochus ho. 2.

VII. Quartus liber Regum narrat, descendisse inde currum igneum, flammeósque equos, qui scintillas emittebant, ut Eliam è terris in cœlum subveherent : *Ecce currus igneus, & equi ignei, & ascendit Elias per turbinem in cœlum* ; 4. Regum. 2. Versicul. 11. Vix currum Propheta sanctus vidit, quando subintravit. Quis non admiretur factum Prophetæ, quodque nihil veritus ignem, nihil extimescens flammas, quas ejaculabantur equi, currum intrepidos S. Chrysost. hom. 28. in Gen.

R. P. Lohn. Anth. Bibl.

Digitized by Google

dus conſcenderit ? præſertim cùm nihil ſit, quod homini majorem metum afferat, quàm ignis, ut propterea in limine Oſtij Paradiſi excubitor poſitus ſit Cherub cum gladio flammeo, qui aditu prohiberet intrare volentes, de quo S. Bernardus ſerm. 5. de verbis Iſaiæ ſic ait: Nec incongruè forſitan Cherubim flammeus traditur gladius, ut à ligno vitæ inciſio pariter & incenſio, quibus nihil carni terribilius, manum prohibeant corporalem. At ſi tam formidabilis eſt ignis, quomodo non abſterrent Eliam flammæ, nec morantur ſcintillæ, quin plenus animi, nihilque veritus ineat currum igneum, tanquam is ex argento, vel auro conflatus fuiſſet ? diſcuſſit ſapientiſſimè hanc dubitationem ſanctus Baſilius Magnus hom. de Baptiſmo: his tam politis verbis: Elias currus, equóſque igneos minimè expavit, verùm itineris ſuperni deſiderio incenſus, contra formidoloſa eſt auſus, ac hilaris gaudénſque flammantes aſcendit currus, cùm adhuc eſſet in carne. Hæc ille. Sciebat ſacer vates, non eſſe alium currum, quò iretur ad aſtra, ſciebat illo peti, ac penetrari paradiſum, itaque ſpernebat ſcintillas; cùm enim gloriam ob oculos haberet, ad quam ille currus ſubvehebat, nihil extimuit, ſpes namque præmij, & deſiderium gloriæ ridet pericula, & flocci facit omnes difficultates: Itineris ſuperni deſiderio incenſus, contra formidoloſa eſt auſus, ac hilaris gaudénſque flammantes aſcendit currus. Nam, ut eſt apud S. Chryſoſtomum hom. 28. in Gen. Talis neque gladium timet, neque præcipitium, neque ferarum dentes, neque tormenta, neque lictorum manus, neque aliquid triſte in hac vita, ſed etſi carbones videat ſubſtratos, quaſi prata & paradiſos videns tranſilit.

Nicol. Lyran. in c. 27. Gen.

VIII. Iſaac in confinio mortis poſitus, & ſupremam benedictionem primogenito ſuo impertire cupidus, dicebat ad Eſau: *Tolle arma tua, pharetram, & arcum, & egredere foras, cúmque venatu aliquid apprehenderis, fac mihi indè pulmentum, ſicut velle me noſti, & affer, ut comedam, & benedicat tibi anima mea, antequàm moriar*, Gen. 27. 3. 4. Nicolaus Lyranus quærit, quamobrem Iſaac præcipere à filio cibos voluit, priusquàm illi extremam benedictionem relinqueret. Reſpondet, quia filius recipiens benedictionem, debebat patri facere obſequium, & ſervire in menſa. Propoſitum erat patri, extremùm benè precari filio, utque hic illum obſequiis eò impelleret, & parenti quandam benefaciendi obligationem filius adferret, voluit Iſaac deceſſurus è vita accipere ab Eſau eſculenta, ut pro his illi relinqueret benedictionem. Qui officium, idem vices mutuas reddendi neceſſitatem admittit, ſperare autem ab illo beneficia, cui nulla præſtiteris officia, ſtulta præfidentia eſt, & inſignis amentia, ein vierecktte Narrethey / oder Thorheit.

Abulenſis in c. 27. l. 1. Reg.

IX. David propter ferocientis Saulis immanitatem exul, in terram Regis Achis tranſiit, cúmque videret non ſine moleſtia Regis fieri, quòd in aula ejus verſaretur, alterius loci gratiam petiit, ubi citra illius incommodum degere poſſet, dicens: *Si inveni gratiam in oculis tuis, detur mihi locus in una urbium regionis hujus, ut habitem ibi*; 1. Reg. 27. 5. *Dedit ei itaque Achis in die illa Siceleg.* ibid. v. 6. Quærit Abulenſis, dominiúmne civitatis, an uſum ſolum petierit David. Reſpondet q. 10. Dicendum, quòd noluit urbem petere in titulum; ſed quid cauſæ habuerit ſanctus David, ut ſolum domicilium petierit, dominium autem ſimul rogare auſus non fuerit? occurrit iterum: Quia verecundum ſibi erat, quod ipſe peteret, unam urbem in titulum à Rege Achis, cui nihil unquam ſervierat. Nulla extabant Davidis in Regem Achis officia, quâ fronte ergo ab illo civitatis dominium expectaret. Vana eſt, ſine meritis, ſpes omnis mercedis. Verecundum erat Davidi petere ab eo, cui nunquam ſervierat.

S. Juſtus Orgelit. in c. 6. Cant.

X. Diſcedebat ab opulenta & lauta Sponſi ſui domo Sponſa, jámque aliquantùm abierat, quando ille dulcem conjugem ſuam his verbis identidem revocabat, dicens: *Revertere, Sulamitis, revertere, revertere, ut intueamur te.* Cant. 6. 12. Quæri hoc loco poteſt, cur tot voces dederit ſponſus, ut ſponſa rediret, & videndi ſui copiam faceret, cùm vox una facilè ſat fuerit illi revocandæ, cujus ſolius res hîc agebatur, & ſponſus nihil utilitatis ex reditu illius exſpectare potuerit, cur ergo toties, ac tantoperè illam inclamavit? Reſpondet egregiè S. Juſtus Orgelitanus: Idcircò tam crebrò ei, *revertere*, dicitur, ut ſi jam converſa daliquerit, in deſperationem non decidat, ſed à peccandi conſuetudine ſpei indulgentiâ reſipiſcat. Qui crebris vocibus abeuntem quempiam revocat, quantùm illius reditum expetat, ſatis indicat, cujus unaquæque vox deſiderium, quo erga illum fertur, velut proclamat. Propterea Sponſus abeuntem à domo ſua Sponſam tot vocibus revocat, ut ei animum fidenter revertendi faciat, ne timeat, quantumvis offendiſſe ſciat; nec deſperet, graviſſimè licèt, atque enormiſſimè irritáſſe noverit, qui enim tot clamores edit, ut eam revocet, admittere illam in gratiam priſtinam vehementer deſiderat: Idcircò tam crebrò ei dicitur, *revertere*, ut etiamſi converſa deliquerit, non decidat in deſperationem, ſed à peccandi conſuetudine ſpei indulgentiâ reſipiſcat.

S. Greg. Nyſſ. tr. 1. in Pſ. c. 7.

XI. S. Gregorius Nyſſenus verba hæc: *Quoniam mille anni ante oculos tuos, tanquam dies heſterna, quæ præteriit*: ſic explicat: Licet vita infinitis ſcelerum maculis notata ſit, ut collectio illa peccatorum mille annorum eſſe videatur, pro nihilo tamen illam congeriem reputatum iri, dummodò pedem referat, nam divinus oculus præſentia ſemper intuetur, præteritum verò non æſtimat, ſed inſtar unius diei, vel noctis, quæ jam præterijt; à DEO habetur. Hæc ille tr. 1. in pſal. c. 7. Senſus ergo Davidis ex commentatione Nyſſeni eſt, de benignitate DEI, & peccatorum ſuorum remiſſione diffidere neminem debere, ſi modò peccâſſe seriò doleat, quamvis pauculo tempo-

re

re tam multis flagitijs se contaminaverit, quanta alius per millenos, & his plures annos vix perpetrare potuerit, idque eam ob causam, quod plurimùm amet veræ pœnitentiæ studiosos, & præsenti tempore, quo pœnitentiæ strenuam dant operam, sic oblectetur, ut præteritos annos, quos peccando exegerunt, non æstimet, sed instar unius diecula, ejúsque jam dudum elapsæ, habeat.

Idem in 2. vat. 2. de beat. XII. Propheta Regius ait: *Credo videre bona Domini in terra viventium*; Pf. 26. 13. hoc est: Firmissima spe teneor, quòd oculis aliquando usurpabo ea Domini bona, quibus viventium terra fruitur, S. Gregorius Nyssenus ait, quosdam velle Prophetam Regium Davidem de illa terra materiata hîc loqui, in qua boni & mali, sancti & peccatores cohabitantes vivimus. Verùm huic ille se opponit opinioni, aítque Davidem, cùm ista ex suo, omniúmque servorum DEI nomine dixit, non fuisse tam corrupto palato, vel judicio, ut præmio tam exili, tenui, paupere contentus esset, suósque labores dignè remuneratos putaret hujus perituræ, caducæque terræ expectatione, ab eo maximè, cujus tanta est munificentia, támque generosa prolixitas, ut exigua officia, & parvas ærumnas animo magno pro se toleratas ingenti mercede soleat compensare. Videamus causam, ob quam non cum alijs consentit Nyssenus: in Orat. 2. de Beatitud. sic habet: Quid igitur opus est ijs inferna terra, quorum vita spe suspensa est? Omnes justi, & sancti fide à DEO infusâ noverunt, præmium extremum, quod pro suis laboribus exspectant, non in hac passionibus obnoxiâ, sed in illa gloriosa terra conferendum. Quamdiu hîc mortales vivunt, semper anhelant, perpetuóque suspirant vitam æternam, exclamántque identidem cum Psalmographo: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est!* Psal. 119. 5. Heu quantùm tardat tam longis votis expetita patria? Dicit nunc Nyssenus: Spes protracta, & diuturnum desiderium ejus, quod appetitur, tam acerbè cruciat, tam acriter affligat, ut justus luto vilius putaret totius terræ dominium, si illi offerretur, sed cum onere longæ exspectationis, nullus ei honor offerri videretur, plùs enim torquet spes, quæ differtur, quàm imperium, quod longè latéque diffunditur.

Cornel. in c. 13. Prov. XIII. Cornelius à Lapide verba illa Salomonis; *Spes, qua differtur, affligit animam* (Prov. 13. sic explicat: Sicut corpus cruciatur, dum extenditur ultra naturalem modum, & situm in equuleo, sic pariter cruciatur animus, dum extenditur distensione spei, & longâ exspectatione rei desideratæ. Quod ergo est corpori equuleus, hoc est animæ dilatio rei speratæ. Ut enim corpus funibus immodicè contentis luxatur, sic anima dilatione diuturnâ pœnaliter convellitur, & distrahitur.

Did. Nyss. p. 2. Polit. 26. XIV. Duo poli, quibus omnis bona & prudens gubernatio nititur, & geminæ columnæ, quæ sustentant virtutem, stabiliunt æquitatem, coercent, rectéque informant mores, sunt pietas, & justitia, suavitas & asperitas, timor & spes, supplicium & præmium, laurus & gladius. Hæc sunt fundamenta, ex quibus omnis bonæ actionis felix successus pendet. His duobus sociis comitatus homo per viam suam animosus, securus ac tutus pergit. Si autem ab alterutro horum destituitur, aut deficiet animo, aut suæ confidentiæ manibus conficietur, ac peribit. Inter spem & metum, tanquam duas molas versari debemus, inquit Pontifex Maximus Innocentius III. serm. 1. Dom. 3. Advent. ut videlicet timor temperet spem, ne præsumamus, spes verò timorem, ne desperemus. Palàm est, quòd rectè moli triticum, commodàque pani coquendo farina confici nequeat, nisi saxum saxo immineat, ejúsque rabido, & valido rotatu tritum frumentum pro rubicundis, aut fulvis granis candidos pulveres reddat. Concurrere ad eum effectum saxa necessum est. Nam id quod in orbem semper agitur parùm efficit absque socio, & illud, quod immotum perpetuò jacet, non satis est solum, si non juvetur ab eo, quod nunquam conquiescit, ambo saxa, quod impendet, quódque succumbit, conjuncta aptant commodiori alimoniæ triticum. Jam ut frumentum inter duos lapides molares versari debet, quò apta pani, & victui farina indè fiat, inquit Innocentius: Sic etiam vita spiritualis, & omnis bona reipubl. procuratio inter spem & timorem, rigorem & lenitatem, gaudium & dolorem, pœnam & remunerationem, pietatem & justitiam versari debet, ut asperitatem unius leniat, suavitas alterius, & rigorem timoris mitiget dulcedo spei; hæc enim nos roborat, quando ille angit, & in officio timor continet eos, qui à spe intumescunt superbia. Huc procul dubio allusit secundùm sensum spiritualem Dominus in lege veteri, quando & hanc, præter multas, tulit, quâ severissimè cavit, ne quis pignoris loco ab Hebræo lapidem qualemvis molarem aufferret, quo ille ad molendum seu triticum, seu aliud quodcunque necessarium familiæ suæ, & usui frumentum uteretur: *Non accipies loco pignoris inferiorem, & superiorem molam*, ajebat ille 24. 6. Quid mystici sensûs subest huic jussioni, quod nobis indicatum voluit Legislator.

XV. Subnotavit S. Laurentius Justinianus mysticas circumstantias, quæ concurrerunt in conversione Vicarii Christi, quasque divinus Magister conjungit, ut infidum ad resipiscentiam & lacrymas permoveret discipulum, de quo Lucas ibid. v. 62. *Et egressus foras Petrus flevit amarè*, commigrānsque è Babylone palatii transiit contritionis Jerosolymam. Concurrunt autem cantus galli, & visus Magistri ad conversionem sacri Apostoli. Quid verò sibi vult ista rerum talium conjunctio, cùm nulla sit in Scripturâ, & Domini nostri *S. Laur. Iustin. de agon. Christi.*

 gestis

gestis circumstantia, quæ plurimis gravida mysteriis? Respondet magnus Venetorum Patriarcha de Agone Christi c. 9. In galli cantu Judicis terror, in aspectu Christi gratiæ cœlestis infusio. Præcedit judicii pavor, subsequitur autem benevolentia charitatis. Ambo tamen immutant propositum, adducunt fletum, dilectionem ingerunt, amoris enutriunt flammam, & convertunt ad Christum. Gallus regiæ Majestatis est symbolum. Corona, quam capite præfert, hoc loquitur. Vox illius ferocissimum quemvis leonem terrefacit, ut ajunt Pierius, Berchorius, Ricciardus, Bartholomæus, Anglicus, & Vincentius Belvacensis & alii non pauci. Est prætereà contentiosum, & pugnacissimum animal, cujus severiorem indolem produnt, & erectum collum & rigida cervix, & flagrantes oculi, & ipsa incessûs immodica gravitas. Oculi Domini plurimùm sunt pietatis illius, & amoris signa. Conspersæ sunt divinæ litteræ crebris testimoniis, quæ hanc veritatem comprobent. Quod ergo ad conversationem Petri, & ad extrahenda ab intimo illius corde per oculorum fenestras pignora doloris, ad lacrymas, inquam, proliciendas concurrerunt terror severitatis adumbratæ in gallo, & dulcedo pietatis natæ ex benevolo intuitu Domini, id factum, ut judicio & documento esset, quòd ad conversionem peccatoris, & gratiæ divinæ stabilitatem fovendam, conservandámque, nulla sunt aptiora, & commodiora remedia, quàm terror judicii, qui est pater timoris, & suavitas divinæ clementiæ, quæ est spei mater. Ex his parentibus nascitur perennitas & conservatio statûs divinæ gratiæ.

Didac. Nyss. p. 2. polit. l. 1. c. 7.

XVI. Provida natura duo ubera constituit, tanquam duos fontes, qui suam infantibus dulci scaturigine alimoniam lacteam fundant. Sunt autem gemini fontes, ut, cùm unus fatigari cœperit, alter illum suo onere tantisper levet, pietatisque ministerium leviùs illis accidat, dum per vices obeunt. Sic etiam ut charitas nutriatur, & crescat, utróque timoris & spei ubere alenda est, inquit S. Laurentius Justinianus, ambo amoris enutriunt flammam. Quòd si te alterum uberum sua horribili specie terreat, arripe alterum, cujus elegantior, amabiliórque forma, spes enim præmii vehementer allectat, & roborat. Si autem spes nimis præfidentem faciat papillam timoris invade, ut is immodicam temperet præsumtionem. Una enim mamilla absque altera perfectè, ut videtur, nutricari, & conservare amantem in statu gratiæ non potest.

Tuffus in c. 8. Eccles.

XVII. Decreverat Dominus nominare summum Sacerdotem fratrem Moysis, ad placandos animos, præoccupandámque, & avertendam omnem tanti honoris ambitionem. Præcepit ergo, ut quisque duodecim tribuum Princeps virgam adferret, cujus summitati nomen uniuscujusque inscriptum esset. De Aarone hoc seorsim mandavit: *Nomen autem Aaron erit in tribu Levi.* Tum jussit, ut virgas in tabernaculo collocarent, & ab eâ, quæ sola ex omnibus germinaret, discerent, quis summi Pontificatûs sedem occupare deberet. Obtemperatum est divino hortatui, & die sequenti admirabile visum portentum, quod Sacer Scriptor his verbis exponit; *Invenit Moyses germinâsse virgam Aaron, & turgentibus gemmis eruperant flores, qui foliis dilatatis in amygdalas deformati sunt*; Ibid. v. 7. Dubitari potest, neque de nihilo, quo consilio Dominus, cùm tam admirabili modo Pontificem, & summum populi Sacerdotem declarare vellet, ad hanc rem, uti voluerit aridâ, & exsuccâ virgâ, quæ repentè viruit, fronduit, floruit, germinavit, cùm alia media prodigiosa infinita illi non deessent, quibus indicare posset illo munere dignissimum, quémque ille præ omnibus aliis Pontificem cuperet. Cur alta illius providentia elegit virgam primùm siccam, deinde viridem, & florentem, quæ designaret eum, qui ex universo populo aptissimus esset tam sublimi ministerio? Multi multas acutas, & congruentes hujus facti rationes excogitârunt, docti verò alicujus de hac re cogitatus causæ præsenti commodus venit, & sic habet: Virga, quâ Aaronis electio designata est, floruit, cùm esset arida, ut significaret, etiamsi virgam nobis in superiorem eligamus excisam trunco, nihil humoris ab arbore, aut terra trahentem, & aridam, facturum DEUM, ut florescat, & fructus nobis pariat. Sic Tuffus in c. 8. Eccl. v. 7. Hinc accipiemus, quòd Dominus, cùm alicui officium curandum imponat, aut committit, quanquàm is truncus sit, vel stipes, vel lignum aridum, faciet, ut virescat, frondescat, fragret. Quod DEI jussione & ordinatione fit, quantumvis sit arduum, ac difficile, id semper feliciter perficitur, qui, cùm onus immittit, vires simul submittit, quibus ferri queat: Pro nomine suo præliantibus auxilium pollicetur. Certissima est victoria, ubi ex DEI imperio etiam cum innumeris hostibus pugnatur.

XVIII. Propheta Regius inter alia dicebat: *Fiat misericordia tua, ut consoletur me, secundùm eloquium tuum servo tuo*, Psalm. 118. v. 76. Alia versio habet: *Fiat misericordia tua, ut exhortetur me.* Quamobrem Propheta rogabat, ut Dominus illum, & adhortaretur ad passionem, & sui eloquii decreto, divinæque voluntatis suæ mandato decerneret ærumnas, quascunque tolerare necessum esset? Cur tam anxiè obsecrabat positus inter adversa David, ut hoc DEUS illi significaret, singulari providentiæ ejus consilio constitutum esse, quicquid calamitatum subiret, quòd hoc ipsi maximam inter gravissimas ærumnas consolationem allaturum esset? Huic quæsito respondebit S. Ambrosius Octonario 10. in Psal. 118. inquiens: Non omnis passio digna consolatione est, sed quæ passio pro Christo est, hæc consolationem Christi meretur. Pulchrè autem addidit, *secundùm verbum tuum servo tuo*, ipse enim Dominus pro suo nomine præliantibus

S. Ambros. octon. 10. in Ps. 118.

Digitized by Google

bus auxilium pollicetur. Optabat ergo Propheta scire, ex DEI ordinatione venire, quòd adversitatibus affligeretur, cùm hoc non ignoraret, certò adfuturam sibi Domini opem, si quam ex illius constitutione subiret calamitatem. Semper enim DEUS suum pollicetur adjutorium his, qui pro illius nomine, ac jussu incommoda tolerant. Pulchrè addidit, *secundùm verbum tuum servo tuo.* Imperet DEUS pugnare, & indubitata sequetur victoria. Injiciat DEUS humeris cujuspiam onus tribulationis, & non deerunt vires ferendi.

TITULUS LXIX.

SUPERBIA.

§. I.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

I. *S. Thomas 2. 2. q. 162. a. 1.*

Superbia nominatur ex ex hoc, quòd aliquis per voluntatem tendit supra id, quod est; unde dicit Isidorus in lib. Etymolog. Superbus dictus est, quia super vult videri, quàm est. Qui enim vult supergredi, quod est, superbus est; habet enim hoc ratio recta, ut voluntas uniuscujusque feratur in id, quod est proportionatum sibi. Et ideo manifestum est, quòd superbia importat aliquid, quod adversatur rationi rectæ. Unde Abulensis clariùs sic eam definit: *Superbia est appetitus immoderatus honoris, quo homo contra DEUM extollitur nolendo ei subjici, vel nolendo confiteri, quod ab eo aliquid recepit; aut contra proximum extollitur, injustè nocere volendo.* *Abulensis q. 18. in c. 15. Matth.*

Divisio.

II. *Habet Superbia quatuor differentias.* *Prima* est, quando homo attribuit sibi bonum, quod habet; *Secunda* est, quando etsi non sibi, tamen suis meritis. *Tertia* est, quando jactat se habere, & non habet; *Quarta*, quando se existimat aliis prævalere. Æstimare, bonum à seipso habere; desuper sibi datum, pro suis suscepisse meritis, credere: gloriari, se habere, quod non habet; &, cæteris despectis, singulariter videri appetere; quatuor sunt superbiæ species. S. Anselmus alias quatuor assignat: quædam est *Exaltatio in opinione*, quædam *in voluntate*, quædam *in sermone*, quædam *in opere*; *Exaltatio in opinione est*, cùm quis reputat se dignum Episcopatu, vel aliqua dignitate, tamen nollet eam habere. *Exaltatio in voluntate est*, cùm quis vellet habere Episcopatum, tamen non reputat se dignum, vel etiam opinatur. *Exaltatio in sermone est*, quando nec se dignum reputat, nec vellet habere, tamen loquitur ampullosè de aliqua scientia, ut magis appareat. *Exaltatio in opere est*, quando aliquis nec se dignum reputat, nec vellet habere, nec loquitur magna, tamen exaltatur in opere, ut quando vocatur ad consilia, & hujusmodi. *S. Bonav. in centil. p. 1. s. 40.* *Ibid.*

Actus.

III. Carnalis superbia his indicijs (& actibus) demonstratur. Est clamosa; cùm tacet, amara & indignabunda, & indissoluta lætitia, risus irrationabilis & sine causa; in tristitia sua est severa, dura; reprehendit cum rancore, non ex compassione; Verba profert passim sine aliqua cordis gravitate, vel ponderatione; expers patientiæ & charitatis, aliena audacter injuriat, sed pusillanimiter injuriam patitur; difficulter aliis obedit, exhortationem recipere spernit, in propria voluntate permanens, non vult consilium ab aliquo recipere, magis sibi credens, quàm sapientibus. *Idem de profectu spir. c. 7.*

Filia.

IV. Superba ex usu voluntas, in magna sæpe cordis inopia, tumentum efficit animum; unde procedunt vana gloria, fiducia sui, negligentia DEI, Jactantia, inobedientia, contemptus, præsumptio, & cæteræ animæ pestes: quæ proficere solent ex tumore, & usu superbiæ. *S. Bernard. de vitis solit.*

§. II.

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas.

I. Tetendit adversùs DEUM manum suam & contra Omnipotentem roboratus est; cucurrit adversus eum erecto collo, & pingui cervice armatus est. *Job c. 15. v. 25.*

II. Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, qui manè oriebaris? Corruisti in terram, qui vulnerabas gentes? qui dicebas in corde tuo: in cœlum conscendam, super astra DEI exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus aquilonis, ascendam super *Isaia c. 14. v. 13.*

per altitudinem nubium, ero similis altissimo.

Ps. 18. v. 14. III. Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero, & emundabor à delicto maximo; id est, superbiâ, ut SS. Patres interpretantur.

Ps. 73. v. 23. IV. Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper.

Damnum.

Luc. c. 1. v. 51. V. Fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui.

Isaia 2. v. 11. VI. Oculi sublimes hominis humiliati sunt, & incurvabitur altitudo virorum, exaltabitur autem Dominus solus in die illa.

Prov. c. 15. v. 25. VII. Domum Superborum demolietur Dominus.

Ps. 30. v. 24. VIII. Retribuet abundanter facientibus superbiam.

Job c. 20. v. 6. IX. Si ascenderit usque ad cœlum Superbia ejus, & caput ejus nubes tetigerit, quasi sterquilinium in fine perdetur, & qui eum viderant, dicent: ubi est?

Ps. 35. v. 12. X. Non veniat mihi pes Superbiæ, & manus peccatoris non moveat me: ibi ceciderunt, qui operantur iniquitatem, expulsi sunt, nec potuerunt stare.

Ps. 100. v. 7. XI. Non habitabit in medio domûs meæ, qui facit Superbiam.

Sap. c. 5. v. 8. XII. Quid nobis profuit Superbia? aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? in malignitate nostra consumpti sumus.

Eccli. c. 10. v. 7. XIII. Odibilis coram DEO est & hominibus Superbia.

Ezech. c. 16. v. 49. XIV. Hæc fuit iniquitas Sodomæ, Superbia, saturitas panis, & abundantia, & otium ipsius.

Prov. c. 11. v. 2. XV. Ubi fuerit Superbia, erit & contumelia.

Ibid. c. 13. v. 10. XVI. Inter Superbos semper jurgia sunt.

§. III.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Qualitas.

S. Bernardin. Serm. 54 in Cant. I. Lata fovea hîc, quæ nolo vos lateat, de qua is ipse superbiæ spiritus tanto periculosiùs, quantò occultiùs (sicut habetis in Psalmo) insidiatur quasi leo in spelunca sua. Nam si impedire non prævalet actionem, tentat intentionem, suggerens & suadens, quatenus effectum gratiæ arroges tibi; quod quidem superbiæ genus longè illo priore intolerabiliùs esse, non ambigas.

S. August. ep. 56. II. Vitia cætera in peccatis; Superbia verò etiam in rectè factis timenda est; ne illa, quæ laudabiliter facta sunt, ipsius laudis cupiditate amittantur.

S. Chrysost. ho. 20. ad Rom. III. Exosi sunt superbi, non solùm propter verba, sed & per ipsam corporis figuram ridiculi; quid enim (dic quæso) cervicem in altum extendis? quid summis pedum articulis incedis? Quid supercilia extollis? Quid pectus inflas? Capillum capitis tui non potes vel album, vel nigrum facere, & non aliter quàm si Dominus esses omnium, elatus quasi in aëre incedis. Forsitan optares tibi & pennas innasci, ne super terram incederes? forsitan prodigium esse desideras? Imò verò nunc prodigium ac monstrum ex te ipso fecisti, qui, cùm homo sis, volare conaris, imò & ab intus volas.

Bellovac. spec. mor. l. 3. p. 3. IV. Superbis tumor in cogitatione, clamor in locutione, amaritudo in silentio, dissolutio in lætitia, furor in tristitia, inhonestas in actione, erectio in incessu, rancor in responsione.

Damnum.

Cassianus l. 12. c. 4. V. Ut gravissimam Tyrannidis ejus potentiam agnoscamus, Angelum illum, qui præ nimietate splendoris ac decoris sui Lucifer nuncupatus est, nullo alio, quàm hoc vitio dejectum cœlitus invenimus, & ex illa beata sublimique Angelorum statione telo Superbiæ vulneratum ad inferna fuisse collapsum.

Richardus de S. Vict. in Cant. Habacuc. Ps. 106. 26. VI. Citò mens se in Superbiam erigit, quæ se ad virtutis culmen excrevisse perspexerit, sed quantò quis altiùs super se per superbiam erigitur, tantò inferiùs sub se, deserente DEO, per culpam deiicitur, sicut scriptum est: *Ascendunt usque ad cœlos, & descendunt usque ad abyssos.*

S. Chrysost. ho. 31. in Gen. V. Etsi quis innumera bona fecerit, virtutémque omnem absolverit; Si tamen magnum quid de se sentit, maximè omnium miserabilis est, & miser.

Cassianus l. 12. c. 3. VIII. Nullum est vitium aliud, quod ita omnes virtutes exhauriat, cunctáque Justitiâ & Sanctitate hominem spoliet ac denudet, ut superbiæ malum, tanquam generalis quidam, ac pestifer morbus; non enim unum membrum, partémve ejus debilitare contentus, sed solùm corpus lethali corrumpit exitio, & in virtutum jam fastigio collocatos gravissimâ ruinâ deiicere, ac trucidare conatur.

S. August. S. de Obed. & humil. IX. Qui Superbiam habet, sine causa habet alias virtutes, imò eas non habet, sed videtur habere; qui enim hoc habet, quod DEO contrarium est, quomodò potest habere, quod DEO amicum est?

S. Gregor. l. 34. mor. c. 18. X. Alia vitia eas solummodo virtutes impetunt, quibus ipsa destruuntur, ut videlicet ira patientiam, gastrimargia abstinentiam, libido continentiam expugnet. Superbia autem, quam vitiorum radicem diximus, nequaquam unius virtutis extinctione contenta, contra cuncta animæ membra se erigit, & quasi generalis ac pestifer morbus corpus omne corrumpit, ut quidquid illa invadente agitur, etiamsi virtus esse ostenditur, non per hoc DEO, sed soli vanæ gloriæ serviatur; quasi enim Tyrannus quidam obsessam civitatem intercipit, cùm mentem superbia irrumpit, & quo ditiorem quemque coperit, eò in Dominio durior exurgit.

XI. Ni-

S. Bernard. 1. in festo Purif. XI. Nihil ita oculos ejus (DEI) offendit, sicut superbia, quæ angelum de cœlo, & hominem expulit de paradiso. Meritò hæc oculos Christi offendit, quæ pulcherrimum opus ejus in cœlo, & in paradiso fœdavit, quæ fecit de Angelo Diabolum, & de homine nuper creato Justo perfidum; quæ, sicut & peccatorum primum & maximum, sic & omnium regina & mater vitiorum est.

S. Climac. grad. 23. XII. Superbia est negatio DEI, inventum Diaboli, despectus hominum, parens temerarij Judicii, seu condemnationis alienæ, mala progenies laudum, sterilitatis argumentum, auxilij Divini obstaculum, lapsuum procuratrix, fons furoris, simulationis seu hypocrisis janua, propugnaculum Dæmonum, Custos peccatorum, Immanitatis seu immisericordiæ causa, Commiserationis ignoratio, hostis DEI, Blasphemiæ radix, Divini auxilii negatio.

S. Gregor. l. 34. moral. c. 7. XIII. Justo judicio superborum facies Dominus in foveam mergit, quia intentionem cordis eorum sese ultra homines erigentem inferiùs deijcit; ima enim respicit, cujus facies fovea attendit. Et bene de superbia dicitur, quòd eorum facies in foveam demerguntur, quia ima petunt, dum superbiendo altiora appetant, & quò magis se extollendo erigunt, eò magis ruendo inferiùs tendunt. Terrenam námque gloriam quærunt & infima sunt, quæ prospiciunt, dum superbiendo alta sequuntur.

S. Ambros. 8. in Psal. 118. XIV. Quid hôc peccato potest esse deterius, quod à DEI cœpit injuria? ideóque Scriptura dicit: *Dominus superbis resistit.* Tanquam suæ contumeliæ propulsator veluti quoddam suscepit adversùs superbiam speciale certamen, tanquam dicat: Meus iste adversarius est, qui me lacessit, mihi debetur ista congressio.

S. Bernard. in flor. c. c. 203. XV. Quid superbis, terra & cinis? si superbientibus Angelis DEUS non pepercit, quantò magis tibi, putredo & vermis? Nihil ille fecit, nihil operatus est, tantùm cogitavit superbiam, & in momento in ictu oculi irreparabiliter præcipitatus est, quia in veritate non stetit.

S. Laur. Iust. de compunct. XVI. Nulli unquam pepercit superbienti, sivè in cœlo, sive in terra, quod Propheta considerans, Dominum deprecatur dicens: *Non veniat mihi pes superbiæ, & manus peccatoris non moveat me.* Ibi prorsus ceciderunt, qui operantur iniquitatem, expulsi sunt, nec potuerunt stare. Quamobrem diligenter consideret peccator homo, si angelis superbientibus non pepercit DEUS, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit, in judicium cruciandos reservari, quid perpessurus est ipse, si adversùs Conditorem cordis sui cervicem levaverit.

§. IV.

EXEMPLA SACRA.

Qualitas.

I. PEccavit primus homo per superbiam, inordinatè appetendo divinam similitudinem, non modò quantùm ad scientiam boni & mali, quam principaliter appetijt, sed etiam quantùm ad propriam operandi potestatem, appetendo proprijs viribus consequi divinam felicitatem: nullo autem modo naturæ divinæ similitudinem appetiit. Duplex est similitudo: una omnimodæ æquiparantiæ, & hanc similitudinem primi parentes non appetierunt, quia talis similitudo ad DEUM non cadit in apprehensione, præcipuè sapientis. Alia autem est similitudo imitationis, qualis possibilis est creaturæ ad DEUM, in quantùm videlicet participat aliquid de similitudine ipsius, secundùm suum modum. Eadem enim similia sunt DEO, & dissimilia; illud quidem secundùm contingentem imitationem, hoc autem secundùm quod causata minùs habent à causa. Quodlibet autem bonum in creatura existens, est quædam participata similitudo primi boni. Et ideo ex hoc ipso, quòd homo appetiit aliquod spirituale bonum supra suam mensuram, consequens est, quòd appetierit divinam similitudinem inordinatè. S. Thomas 2.2.q.163. a. 2.

II. David præsumptione virtutis elatus dixerat: *non movebor in æternum*: statim insolentiæ hujus pœnam subiisse memoravit dicens: *avertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus.* Si ipse Dominici generis auctor insolentiæ excepit offensam, quantò magis nos peccatores, quibus nulla suffragatur prærogativa meritorum, insolentiæ scopulum timere debemus, in quo naufragium sit bonorum! S. Ambros. de Ioseph. c. 1.

III. In Annalibus Ecclesiasticis mentio fit Hæresiarchæ Valentini, qui primò professione fuerat Philosophus Platonicus; hic postquam tum in Ægypto, tum Romæ promulgasset Evangelium & fidem Catholicam, ac propterea non esset promotus, uti prætendebat ad Episcopatum (alius enim propter prærogativam, quam habebat, martyrii, ei prælatus fuit) tantâ exarsit irâ, ut fidem illam, quam anteà prædicaverat, acerrimè impugnare, & dilacerare cœperit. Baronius ann. 145. n. 3.

IV. Annales ijdem de Origene hoc referunt Testimonium, quòd fuerit vir summæ honestatis, patientiæ, filius Martyris, propter amorem Christi omnibus se spoliaverit bonis & divitijs, aliquoties propter fidei confessionem martyrio affectus, summo dotatus ingenio, Magister innumerabilium doctorum Sacerdotum, Confessorum, & Martyrum: ast quis fuit ille scopulus, ad quem allisit, & naufragium passa fuit navis tam opulentis onusta mercibus? Donis DEI & gratiis sibi communicatis bonus ille Idem ann. 256. n. 46.

vir abusus fuit, quia nimiùm proprio fidit judicio, sibi quoque nimiùm credidit, plùs reliquis omnibus præsumpsit scire, & sapere, majorum doctrinam ac traditiones Ecclesiasticas sprevit, & contempsit.

Idem ann. 360. n. 35. V. De Eunomio hæretico Galata legimus, eum in tantam elatum fuisse superbiam, ut, quemadmodum scribit Theodoretus, asseruerit, nihil esse in divinis, quod ipsum lateret, eò quòd divinam comprehenderet substantiam, eandémque cum DEO, quâ cognoscit se ipsum, haberet cognitionem, unde hæretici hujus asseclæ dicere solebant, ita se cognoscere Deum, sicut Deus cognoscit seipsum.

Idem. 362. n. 234. VI. Hilarius Ecclesiæ Romanæ Diaconus non se separavit duntaxat ab Ecclesia Catholica, verùm etiam eandem hæresi infecit, asserens, Baptismum Hæreticorum non esse admittendum. Missus erat hic Hilarius à Liberio Papa ad Constantium unà cum Lucifero Legato, & post verbera & carceres perpessos, tandem cum Lucifero relegatus fuit in exilium; at infelix homo actus in superbiam, propter gloriam nobilis suæ confessionis, despiciendo cæteros, non schismaticus solùm, sed etiam hæreticus factus est. Pelagium insuper legimus jactitantem se, & gloriantem, quòd fœminarum cinctus catervâ ne minimùm infestaretur aut molestaretur à concupiscentia, multò minùs ei subjectus esset: etenim de me dictum est, (sic jactanter de se ipso loquebatur) *lapides sancti elevabuntur super terram*; ac *Zach. 9. 16.* propterea similes haud sentio molestias, utpote, qui virtute liberi arbitrij circumfero Trophæum Christi.

Cæsarius l. 4. c. 5. VII. Obsessum quendam amici sui ad quoddam cœnobium Ordinis nostri, spe liberationis, traxerunt. Ad quem egressus Prior, assumpto secum Monacho, magnæ opinionis adolescente, quem noverat Virginem corpore, ait dæmoni: si præceperit tibi monachus iste, ut exeas, quomodo audes manere? Respondit Dæmon: non eum timeo, superbus est enim.

Damnum.

Spec. Exempl. v. eod. n. 5. VIII. Refert Frater Wilhelmus, Lugdunensis Episcopus, quoniam fuit quidam frater in monasterio quodam multùm verbosus, & semel accidit, quòd loquebatur de non sibi commissis: tunc Abbas dixit sibi seriosè: vade, & tace. Qui recedens ab Abbate, & cordi suo imprimens illa verba Abbatis, ampliùs in monasterio silentium tenuit. Et cùm sic tacuit, tunc ab intra in spiritu in tantùm profecit, quòd DEUS sibi multa secreta revelavit, ita quòd alij fratres mirabantur de taciturnitate sua. Accidit autem, quòd quidam Eremita in sylva non longè à monasterio infirmabatur, qui misit ad Abbatem, ut ad eum veniret, & sibi Ecclesiastica Sacramenta porrigeret; tunc Abbas duxit illum taciturnũ secum, & ivit cum Sacramentis ad communicandum illum Eremitam. Tunc in via quidam latro audiens campanam parvam secutus est eos usque ad cellam Eremitæ, & mansit foris, reputans se indignum, quòd deberet intrare cellam tam sancti viri, sed postquam Eremita confessus est, & communicavit, tunc latro stans prope januam cum humilitate cordis sui dixit: ô si essem talis, qualis es tu? Et Eremita in elatione mentis, & complacentiâ sui ipsius dixit: Hoc libenter deberes velle, quòd esses talis, qualis ego sum. Tunc frater ille taciturnus cœpit flere amarè, & postquam Abbas & frater ille recesserunt, tunc latro ille cucurrit à remotis post eos, & invocavit DEUM, ut daret sibi contritionem veram, & vitæ emendationem, quia jam profuit illi Abbati confiteri, & ampliùs nunquam peccare velle, sed pœnitentiam pro peccatis assumere; & sic in veloci cursu ille cecidit, & mortuus est immediatè. Quod videns frater iste, cœpit lætanter ridere; sed postquam Abbas cum isto fratre ad Conventum rediit, quæsivit ab isto fratre, quare sic taceret? & respondit: Pater, semel dixistis ad me, vade & tace, & ab illo die semper tacui, nisi interrogatus fuissem. Tunc Abbas dixit: quare tu flevisti, cùm illum sanctum Eremitam communicavi, & tu risisti, cùm ille malus latro post nos cucurrit, volens nos spoliare, vel occidere, & sic peccando in peccatis suis obiit. Tunc frater respondit: Pater, causa fletûs mei fuit ista, quia cùm communicâsti illum Eremitam infirmum, tunc latro stetit foris januam ex humilitate cordis, dicens: ô si essem talis, qualis tu es? & Eremita respondit in elatione mentis: Hoc posses libenter velle; & sic mortuus est, & damnatus, ideo flevi, sed latro, qui post nos cucurrit, habuit firmum propositum confitendi, & non spoliandi, nec occidendi, & sic currens cecidit, & obiit, & Angeli ejus animam rapuerunt, & ad cœlum cum gaudio deduxerunt, quia sua contritio fuit tanta, quòd delevit pœnam & culpam, ideò risi.

IX. Virgo quædam à juventute servivit DEO, quandam tamen spiritualem superbiam in se habuit, in complacentia sui ipsius. Quæ venit ad extrema, & Episcopus illius loci personaliter eam visitabat, & cum Sacramentis eam procurabat, & propter sanctitatem vitæ ipsius Virginis dixit circumstantibus: Meritò dies ista est celebranda, in qua ista Virgo devota & sancta est moritura. Illa verba ista audivit, & valdè sibi ipsi complacuit, & sic obijt; & infra spatium 30. dierum apparuit ipsi Episcopo dicens, se esse damnatam propter sui ipsius complacentiam, & spiritualem superbiam, quam in se habuit in extremis suis, quando illa verba audivit. *Discip. in Prompt. lit. T. ex. 21.*

X. Alia quædam Virgo devota tam arctam vitam duxit jejunando, vigilando, orando, & castigando se, quòd ab hominibus sancta reputabatur. Contigit autem eam infirmari usque ad mortem, cujus Confessionem quidam devotus Sacerdos audivit, & suam spiritualem superbiam ignoravit. Cui post obitum ipsa apparuit nigra valdè & horribilis. *Idem f. 137. lit. X.*

Et

Et Sacerdos expavescens, quæsivit, quidnam esset. Et ipsa fatebatur, se esse illam Virginem, quæ ab hominibus quasi sancta reputabatur, & subjunxit dicens: Ego infelix tradita sum infernalibus incendijs cum inferioribus Dœmonijs, & cum infimis damnatis æternaliter crucianda, propter vanitatem, & meam propriam complacentiam, & spiritualem superbiam, quam habui, quòd nullum æqualem mihi reputavi, sed super omnes me extuli, & alios homines judicavi, & sprevi; propterea ad profundum inferni descendi, de quo nunquam liberabor. Nam si siccatæ essent aquæ maris, & fundus repletus papavere, & una avicula omni anno unum granum educeret, quod & tunc possem salvari, omnes pœnas inferni eligerem, usque ad illud tempus sustinere: si finito illo tempore cœlum possem intrare; sed non ita fiet, quia in inferno nulla redemptio. Unde Pater sancte, nec tu, nec aliquis alius oret pro me: quia nunquam liberabor.

1. Mach. c. 9. v. 8. XI. In quantam superbiam ascenderit Antiochus, quia *ex abundantia cordis os loquitur*, ex verbis ejus id intelligemus: *qui sibi videbatur etiam fluctibus maris imperare, supra humanum modum superbia repletus, & montium altitudines in statera appendere.* Paulò antè Sacer textus, qualis priùs erat, jam indicaverat,
Ib. v. 7. nempe, superbiâ repletus, ignem spirans; at subitò, quando jam in supremo elationis & superbiæ gradu constitutus erat, obruit eum, ac tetigit ira divina: *humiliatus ad terram in gestatorio portabatur, manifestam DEI Virtutem in semetipso contestans, ita ut de corpore impij vermes scaturirent, ac viventis in doloribus carnes ejus effluerent, odore etiam illius & fœtore exercitus gravaretur, & qui paulò antè sidera cœli contingere se arbitrabatur, eum nemo poterat propter intolerantiam fœtoris portare. Hinc igitur cœpit ex gravi superbiâ deductus, ad agnitionem sui venire divinâ admonitus plagâ.*

Bellovac. l. 5. specu. 3. dist. 1. XII. Episcopus Bellovacensis profert exemplum Sennacherib: Regi Antiocho non absimilis. Contra DEUM superbierat, ut legitur 4. Reg. cap. 18. quem ut magis confunderet, noluit eum occidere cum suo exercitu, unâ siquidem nocte Angelus de cœlo veniens,
L. 4. Reg. c. 19. v. 35. magnam in exercitu fecit stragem, occidendo centum octoginta quinque millia hominum; ipsum verò Sennacherib reservavit vivum, ut solus rediret confusus, & reversus trucidaretur à filijs: nam in terram suam cum confusione reversus, coram DEO suo in templo ejus, ubi adorabat, ad majorem sui confusionem à filijs suis occisus est.

S. Bonav. in Bibliothec. paup. l. 4. Ambitio. XIII. F. Justinus, qui opulento Baronatu, & Regis Hungariæ favoribus spretis, Institutum Minorum suscepit, contemplationi deditus, initio sæpè ecstases patiebatur, & raptus. Sui Institutoris vestigia, & SS. Limina veneraturus, venit in Italiam, ac demum in urbe substitit. In Conventu Aræ cœli, qui nuper ad Observantes translatus fuerat, dum quadam die pro more inter prandendum pia Sanctorum gesta legerentur, extra se raptus, diu immobilis, & velut exanimis mansit, in altum corpore elatus è regione cujusdam imaginis B. Virginis super Fratrum capita depictæ, ubi retractis cruribus in modum genuflexi in aëre pependit. Aderat tunc B. Joannes Capistranus Ordinis Vicarius, qui dimissis Fratribus in templum, ut gratias agerent secundùm consuetudinem, solus cum socio clausô ostiô remansit, finem exploraturus. Post longam moram vidit, omnia se benè habere, & ex signis placidæ mentis, sereni vultûs, humilitate animi, alijsque notis, alienum hoc esse à vanitate & præstigijs. His auditis Eugenius Pontifex hominem accersit, ac pedes osculari volentem ulnis excipit & osculo, jussitque propè sedere: Longo dein tempore protracto sermone, munuscula addidit, & Indulgentias. Inde factus altior Justinus, domum regressus alter ab illo, qui erat egressus, occurrit Capistrano, eóque corporis habitu & vanitate cœpit jactare Pontificis in se benevolentiam, ut, quem antè per revelationem acceperat, ejus casum nunc coram experiretur. Igitur ingemiscens ait: Heu fratercule! ita te honores mutârunt? Angelus abiisti, Diabolus rediisti; resipisce &c. At ille insolentior quotidiè factus, omnes alios habuit contemptui. Jussus est ergo iterum in Hungariam redire: non longè aberat ab urbe, quando ad fontem sedens, & manducans cum socijs, priùs petulanti verbo, dein cultro unum sauciavit. Retractus ad Capistranum, conjectus est in carcerem; deinde post aliquod tempus expletâ pœnitentiâ aufugit in Regnum Neapolitanum, ubi ea perpetravit, ob quæ iterum relegatus est in Urbem, & in vinculis miserè decessit.

§. V.

SIMILITUDINES.

Qualitas.

I. Sicut exercitati ac dextri Prædones, & fures per foramen puerum priùs in domum intromittunt, qui domûs aperiat ostium, per quod ipsi postea intrent domum spoliaturi; eodem utitur artificio sagax serpens infernalis; tentavit primò protoparentes nostros vanitate, præsumptione, & arrogantiâ, & postea in illos intravit cum tota peccati malitia, spolians illos innocentiâ & justitiâ originali. Mansi dist. 1. n. 9.

II. Sicut si quis, cùm staturâ cubitum non superet, instar montium, imò altiorem se putet, ac ideo se quasi montes excessurus erigat, nullum aliud argumentum suæ insaniæ quærimus; sic cùm inflatum videris hominem, qui meliorem se cæteris arbitretur, contemnique opinetur, si cæteris hominibus conferatur, nullum jam aliud signum vecordiæ hominis exquiras. Tanto quippe ridiculosior hic est ijs, qui naturâ insaniunt, quantò ipse sponte hunc sibi morbum injecit. S. Chrys. ho. 59. in Matth.

S. Bernar. de pass. Dom. c. 17. III. Sicut si quis plurium annorum decursu percurrisset maria, magnámque accumulasset pecuniæ summam, prædivitem congregasset thesaurum, hunc verò sponte prædæ exponeret piratarum, an non amentem illum & fatuum pronuntiares? Talis est superbus, qui, dum propter operum bonorum merita superbit & intumescit, cunctorum facit jacturam meritorum, æternámque amittit mercedem. Multæ Virgines excludentur (ait S. Bernardus) quia superbarum nulla ingreditur. Anima in pœnam suæ superbiæ omnibus exuitur divitiis & thesauris spiritualibus, & ad extremam redigitur inopiam; Unde S. Joannes Climacus ait: *S. Clim. grad. 23.* Superbia est extrema animæ inopia, quæ sibi divitias in tenebris fingit, adeóque execrata illa pestis non solùm progredi non finit adscendentem, sed ex alto etiam deturbat. Et in progressu ejusdem gradûs de hoc præcipitio ita discurrit: qui à Superbia occupatus est, & captus, auxilio divino indiget; Vana enim apud hujusmodi salus hominum: quod idem est dicere, salutem æternam superborum esse difficilem.

Damnum.

S. Nilus de oct. Vitios. cogit. IV. Sicut prædones in eum potissimùm navem, quæ mercibus onusta est, impetum faciunt; eodem quoque modo diabolus peccatoribus non admodum infestus hostis est, verùm justis acerrimum bellum indicit.

S. Bernar. c. 40. de int. dom. V. Sicut Superbia est origo omnium criminum, ita est ruina omnium virtutum. Ipsa enim est in peccato prima; ipsa in conflictu postrema; ipsa aut in exordio mentem per peccatum prosternit, aut in fine de virtutibus dejicit. Idcirco est omnium peccatorum pessima, quia tam per virtutes, quàm per vitia humanam mentem exterminat.

S. Bonav. in diat. Sal. tit. 1. c. 9. VI. Sicut aranea se eviscerat texendo telam, ut muscas capiat, sic superbus perdit animam, ut capiat laudem humanam.

Ibid. S. August. in Ps. 36. v. 20. XII. Sicut fumus magis ascendendo deficit: sic superbus plùs exaltatus, plùs evanescit; juxta illud: *Mox ut honorificati fuerint, & exaltati, deficientes; quemadmodum fumus deficient.* Fumus à loco ignis erumpens in altum extollitur & ipsâ elatione in globum erumpens intumescit, sed quanto fuerit ille globus grandior, tantò fit vanior, ut videas ipsam ei obfuisse magnitudinem. Ipsa experientia hoc idipsum verum esse comprobat; quòd fumus tantò citiùs evanescit, quanto altius exaltatur, idem accidit superbis, qui quanto sunt in apice suæ arrogantiæ, cùm sint exosi, non DEO duntaxat, sed & ipsis hominibus, casui tunc sunt viciniores:

Tolluntur in altum,
Ut lapsu graviore ruant;

Fumus insuper nuncupatur superbus, quia dum ascendit in altum, & in camino ventum obvium habet, sibi obsistentem, qui eum repellat, & redire cogat totam adimplet suâ caligine domum, ut omnes, ne cæcutiant, & offendantur oculi, domo cogantur exire. Idem planè est cum arrogantibus & superbis, prorumpunt in actus iracundiæ, indignationes, improperii, clamoris, & insolentiæ ac propterea, quia redduntur intolerabiles, necesse est, illos declinemus, & fugiamus, nisi velimus incurrere periculum rixandi cum illis, & frangendi pacem & charitatem. Neque solùm fumus Superbiæ fugat homines, sed etiam ipsum DEUM à nobis recedere facit. Unde D. Chrysostomus: ne extollaris in specie tua, ne forte propter superbiam tuam advertatur DEUS. Fumus præterea est effectus, & certissimum signum ignis; superbia pariter magnam habet connexionem cum igne infernali; quamvis enim peccatum accenderit infernum, superbia tamen principalis extitit causa, quæ incendit, & aperuit fornacem illam inextinguibilem; Superbia quoque fumus appellatur specialiter, hic enim caligine sua privat nos lumine, & splendore, oculorúmque obtenebrat lucem; idem pariter effectus est, quem operatur Superbia in anima nostra; lumen, quod quis primo à DEO obtinuerat, disperdit, divináque gratiâ, quæ est lux vera, quæ illuminat nos, privat: Ut tenebræ alienæ sunt à luce (inquit Climacus) ita Superbus ab omni virtute est alienus.

VIII. Sicut contagiosus morbus in totum corpus, sic ipsa quoque Superbia in totam animam serpit. *S. Nilus Loc. cit.*

IX. Sicut navis absque gubernatore à ventis hinc inde agitatur, ita & superbus levis circumfertur instabilis per actus suos. *S. August. 19. 4. de O. per c. 13.*

X. Sicut fulmen quandam brevem claritatem habet, sed tamen teneris creaturis valde nocuam; ita etiam est de Superbis, quia lucere volunt in hoc sæculo per elatam Superbiam, per quam tamen pauperes incenduntur; dicitur enim in Psalmo 9. *Dum superbit impius, incenditur pauper.* *B. Albert. S. in Dom. 3. Advent.*

XI. Sicut Elementum ignis innatam sibi habet proprietatem, ut semper ascendat, ita Superbia, veluti suprà jam dictum est, ascendit semper. Ignis nunquam satiatur quacunque materiâ combustibili; Superbus etiam nunquàm suâ sorte contentus est, insatiabili corde; Ignis vult esse superior, & eminere supra alia elementa; talis pariter Superborum natura est, ambiunt semper præesse aliis. Ignis lucet, & resplendet, at generat fumum, qui obcæcat, aut ad minùs obfuscat lumen oculi: Superbus quoque in honoribus, obsequiis, in imperio & regimine suo, timetur, respicitur, honoratur: at eodem tempore amittit lumen divinum, intellectûs & judicii sui, lux manet obfuscata. Ignis subjectum fomentum, quo conservatur, & alitur, consumit, Superbus pariter bona opera & merita vitæ æternæ disperdit, & destruit superbiendo. *Mansi disc. 11. n. 8.*

§. VI.

§. VI.

MOTIVA.

S. Greg. l. 21. moral. 11.

I. *Quia contra naturam humanam est Superbia*, ut S. Gregorius insinuavit dicens: ex cap. 9. Gen. *Et terror vester ac tremor sit super cuncta animalia terræ*; Non enim ait: sit super homines qui futuri sunt, sed sit super cuncta animalia terræ; homo quippe animalibus irrationalibus, non autem cæteris hominibus naturâ prælatus est, & idcirco ei dicitur, ut ab animalibus, & non ab homine timeatur, quia contra naturam superbire est, ab æquali velle timeri. Cui consentiens S. Laurentius Justin: A propria, inquit, cognitione, & laudabili virtutum studio, communique deviat lege naturæ, quicunque Superbiæ inflatus spiritu, renuit humiliare se DEO, ipsiusque præcepta servare, cui profectò cuncta, quæ facta sunt, sive supercœlestes spiritus, throni scilicet, & Dominationes, Principatus, Potestates, atque virtutes; seu cœlestia corpora, Sol, luna, & stellæ: sive quæ vegetantur in terræ, aut gradiuntur super terram, vel moventur in aquis, obtemperant; quibus omnibus, perhibente Prophetâ, præceptum posuit, & non præteribunt; hinc hominum contumacia, hinc meritò inobedientium redarguitur Superbiæ vitium, dum creaturis cæteris proprio Authori famulantibus, ipsi se extollentes, eidem negligunt esse subjecti.

S. Laur. Just. l. de inst. & reg. Præl.

S. Bonav. l. de prof. rel. cap.

II. *Quia DEO directè contraria*, ut S. Bonaventura ostendit dicens: In hoc autem contrariatur DEO, quia cùm omnia subjecta sint ei, ipsa vult esse sui juris, & spoliat eum debito honore suo, id est, universali dominio, quantùm est in se. Et S. Bernardus: Ille primus superbus, qui secundùm Scripturam *rex est super omnes filios superbiæ*, dixisse non legitur, altior ero, sed *ero*, inquit, *similis altissimo*. Attamen non mentitur Apostolus, quoniam ille *extollitur supra omne, quod dicitur DEUS*, aut quod colitur. Horret humanus auditus verbum, sed utinam horreat similiter animus cogitatum malignum, pariter & affectum. Dico enim vobis, quòd non tantùm dæmon, sed & omnis superbus extollitur supra Deum. Vult enim Deus fieri voluntatem suam, & superbus vult fieri voluntatem suam, jam videtur æqualitas, sed attende malè congruam proportionem; DEUS quidem in his tantùm, quæ ratio approbat, suam vult fieri voluntatem, superbus verò & cum ratione, & contra rationem.

S. Bernar. s. 5. in Vigil. Nativ.

2. Thess. 2.

S. Bonav. l. 9. comp. Theol. l. 3. c. 15.

III. *Quia diabolo assimilat*; ipse enim est *Rex super omnes filios superbiæ*. Unde sicut Dominus ait de charitate: *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem*; ita potest diabolus dicere de superbia. Ubinam Lucifer posuit ac plantavit metropolin suæ Tyrannidis? quis ita ignarus, ut hoc nesciat? in Babylonia, quæ fuit superbiæ symbolum & constructa fuit à gigantibus, qui ex turri illius altitudine cum DEO contendere & dimicare contendebant. Notatu dignum est discrimen illud, quod assignat D. Augustinus inter civitatem DEI & diaboli: Quapropter ait, quòd nunc in civitate DEI, & civitati DEI in hoc sæculo peregrinanti maximè commendatur humilitas, & in ejus Domino, qui est Christus, maximè prædicatur, contrariùmque huic virtuti elationis vitium in ejus adversario, qui est diabolus, maximè dominari sacris literis edocetur; profectò ista est magna differentia, quâ civitas, unde loquimur, utraque discernitur, una scilicet societas piorum hominum, altera impiorum, singula quæque cum Angelis ad se pertinentibus, in quibus præcessit hàc amor DEI, hàc amor sui. Digna quoque notatu est ponderatio sive expositio illa, quam S. Anton. de Padua adhibet huic textui Eccles. *Non ventiles te in omnem ventum, & non eas in omnem viam*; quæ est (ita declarat Sanctus) Superbia, à qua omnes viæ Diaboli procedunt. Ipse est *Rex super universos filios superbiæ*.

Joan. 13. 35.

Eccli. 5. 11.

Job. 41. 25.

IV. *Quia divinis gratiis privat*; hinc comparatur vento propter tria, quia ventus extinguit lucem, & exsiccat rorem, & exsufflat pulverem; Sic superbia extinguit lumen sapientiæ, exsiccat rorem gratiæ, exsufflat pulverem vanitatis mundanæ. Unde de ea Propheta locutus videtur dicens, *Montes Gelboë, nec ros, nec pluvia veniat super vos*. Per hos montes, qui erant altissimi, denotabantur superbi, in quos DEUS non influit, nec infundit rorem gratiarum suarum; Supra hos montes meritò fuit extinctus Saul; siquidè cùm in primo regni sui ingressu valde humilis esset, (*absconderat namque se, ne inveniretur*,) adeò superbus evasit postmodum, ut DEO rebellis, & propter superbiam, cum sui maxima confusione (veluti ei per Prophetam Samuelem DEUS significari jussit:) regno exutus fuerit. Id quod Cæsarius per aptam similitudinem declarat dicens: optimè nostis, quia pluvia, si montem nimis erectum invenerit, citò in vallem decurrit, & ideo, qui se ad accipiendam benedictionem humiliter inclinantes quasi valles faciunt, ipsi pluviam divinæ benedictionis accipiunt; & impletur in eis illud, quod scriptum est: *Omnis vallis implebitur & omnis mons & collis humiliabitur*. Quid est: *Omnis vallis implebitur, nisi, omnis qui se humiliat, exaltabitur*? Inde S. Bernardinus exponens verba illa: *Erraverat in solitudine in loco inaquoso*, sic ait: Nec mirum, quòd solitudini huic *inaquosum* additur, ut dicatur in solitudine, in inaquoso; Sicut enim in solitudinibus aquæ deesse solent, & loca deserta sterilia quæque & arida esse consueverunt, sic superbiam impœnitentia comitatur, elatum enim cor durum & expers est pietatis, ignarum compunctionis, siccum ab omni rore gratiæ spiri-

Idem in Aret. tit. 6. c. 3.

2. Reg. 1. 21.

1. Reg. 10. 22.

Cæsarius Arel. ho. 30.

Luc. 3. 5.

S. Bernar. de pass. Dom. c. 17. III. Sicut si quis plurium annorum decursu percurrisset maria, magnámque accumulasset pecuniæ summam, prædivitem congregasset thesaurum, hunc verò sponte prædæ exponeret piratarum, an non amentem illum & fatuum pronuntiares? Talis est superbus, qui, dum propter operum bonorum merita superbit & intumescit, cunctorum facit jacturam meritorum, æternámque amittit mercedem. Multæ Virgines excludentur (ait S. Bernardus) quia superbarum nulla ingreditur. Anima in pœnam suæ superbiæ omnibus exuitur divitiis & thesauris spiritualibus, & ad extremam redigitur inopiam; Unde S. Joannes Climacus ait: Superbia est extrema animæ inopia, quæ sibi divitias in tenebris fingit, adeóque execrata illa pestis non solùm progredi non finit adscendentem, sed ex alto etiam deturbat. Et in progressu ejusdem gradûs de hoc præcipitio ita discurrit: qui à Superbia occupatus est, & captus, auxilio divino indiget; Vana enim apud hujusmodi salus hominum: quod idem est dicere, salutem æternam superborum esse difficilem.

S. Clim. gra. 23.

Damnum?

S. Nilus de oct. Vitios. cogit. IV. Sicut prædones in eum potissimùm navem, quæ mercibus onusta est, impetum faciunt; eodem quoque modo diabolus peccatoribus non admodum infestus hostis est, verùm justis acerrimum bellum indicit.

S. Bernar. c. 40. de int. dom. V. Sicut Superbia est origo omnium criminum, ita est ruina omnium virtutum. Ipsa enim est in peccato prima; ipsa in conflictu postrema; ipsa aut in exordio mentem per peccatum prosternit, aut in fine de virtutibus dejicit. Idcirco est omnium peccatorum pessima, quia tam per virtutes, quàm per vitia humanam mentem exterminat.

S. Bonav. in diat. Sal. tit. 1. c. 9. VI. Sicut aranea se eviscerat texendo telam, ut muscas capiat, sic superbus perdit animam, ut capiat laudem humanam.

ibid. S. August. in Ps. 36. v. 20. XII. Sicut fumus magis ascendendo deficit: sic superbus plùs exaltatus, plùs evanescit, juxta illud: *Mox ut honorificati fuerint, & exaltati, deficientes; quemadmodum fumus deficient.* Fumus à loco ignis erumpens in altum extollitur & ipsâ elatione in globum, erumpens intumescit, sed quanto fuerit ille globus grandior, tantò fit vanior, ut videas ipsam ei obfuisse magnitudinem. Ipsa experientia hoc id ipsum verum esse comprobat; quòd fumus tantò citiùs evanescit, quanto altius exaltatur, idem accidit superbis, qui quanto sunt in apice suæ arrogantiæ, cùm sint exosi, non DEO duntaxat, sed & ipsis hominibus, casui tunc sunt viciniores:

Tolluntur in altum,
Ut lapsu graviore ruant;

Fumus insuper nuncupatur superbus, quia dum ascendit in altum, & in camino ventum obvium habet, sibi obsistentem, qui eum repellat, & redire cogat totam adimplet suâ caligine domum, ut omnes, ne cæcutiant, & offendantur oculi, domo cogantur exire. Idem planè est cum arrogantibus & superbis, prorumpunt in actus iracundiæ, indignationes, improperii, clamoris, & insolentiæ ac propterea, quia redduntur intolerabiles, necesse est, illos declinemus, & fugiamus, nisi velimus incurrere periculum rixandi cum illis, & frangendi pacem & charitatem. Neque solùm fumus Superbiæ fugat homines, sed etiam ipsum DEUM à nobis recedere facit. Unde D. Chrysostomus: ne extollaris in specie tua, ne fortè propter superbiam tuam advertatur DEUS. Fumus præterea est effectus, & certissimum signum ignis; superbia pariter magnam habet connexionem cum igne infernali, quamvis enim peccatum accenderit infernum, superbia tamen principalis extitit causa, quæ incendit, & aperuit fornacem illam inextinguibilem; Superbia quoque fumus appellatur specialiter, hic enim caligine sua privat nos lumine, & splendore, oculorúmque obtenebrat lucem; idem pariter effectus est, quem operatur Superbia in anima nostra; lumen, quod quis primo à DEO obtinuerat, disperdit, divináque gratiâ, quæ est lux vera, quæ illuminat nos, privat. Ut tenebræ alienæ sunt à luce (inquit Climacus) ita Superbus ab omni virtute est alienus.

VIII. Sicut contagiosus morbus in totum corpus, sic ipsa quoque Superbia in totam animam serpit. S. Nilus loc. cit.

IX. Sicut navis absque gubernatore à ventis hinc inde agitatur, ita & superbus levis circumfertur instabilis per actus suos. S. August. 19. 4. de Ord. c. 11.

X. Sicut fulmen quandam brevem claritatem habet, sed tamen teneris creaturis valde nocuam; ita etiam est de Superbis, quia lucere volunt in hoc sæculo per elatam Superbiam, per quam tamen pauperes incenduntur; dicitur enim in Psalmo 9. *Dum superbit impius incenditur pauper.* B. Albert. S. in Dom. 2. Advent.

XI. Sicut Elementum ignis innatam sibi habet proprietatem, ut semper ascendat, ita Superbia, veluti suprà jam dictum est, ascendit semper. Ignis nunquam satiatur quacunque materiâ combustibili; Superbus etiam nunquàm suâ sorte contentus est, insatiabili corde; Ignis vult esse superior, & eminere supra alia elementa; talis pariter Superborum natura est, ambiunt semper præesse aliis. Ignis lucet, & resplendet, at generat fumum, qui obcæcat, aut ad minùs obfuscat lumen oculi: Superbus quoque in honoribus, obsequiis, in imperio & regimine suo, timetur, respicitur, honoratur; at eodem tempore amittit lumen divinum, intellectûs & judicii sui, lux manet obfuscata. Ignis subjectum fomentum, quo conservatur, & alitur, consumit, Superbus pariter bona opera & merita vitæ æternæ disperdit, & destruit superbiendo. Mansi dist. 11. n. 6.

§. VII.

§. VI.

MOTIVA.

S. Greg. l. 21. mor. c. 11.

I. **Q**Uia contra naturam humanam est Superbia, ut S. Gregorius insinuavit dicens: ex cap. 9. Gen. *Et terror vester ac tremor sit super cuncta animalia terra*; Non enim ait: sit super homines qui futuri sunt, sed sit super cuncta animalia terræ; homo quippe animalibus irrationalibus, non autem cæteris hominibus naturâ prælatus est, & idcirco ei dicitur, ut ab animalibus, & non ab homine timeatur, quia contra naturam superbire est, ab æquali velle timeri. Cui consentiens S. Laurentius Justin: A propria, inquit, cognitione, & laudabili virtutum studio, communique deviat lege naturæ, quicunque Superbiæ inflatus spiritu, renuit humiliare se DEO, ipsiusque præcepta servare, cui profectò cuncta, quæ facta sunt, sive supercœlestes spiritus, throni scilicet, & Dominationes, Principatus, Potestates, atque virtutes; seu cœlestia corpora, Sol, luna, & stellæ: sive quæ vegetantur in terræ, aut gradiuntur super terram, vel moventur in aquis, obtemperant; quibus omnibus, perhibente Prophetâ, præceptum posuit, & non præteribunt; hinc hominum contumacia, hinc meritò inobedientium redarguitur Superbiæ vitium, dum creaturis cæteris proprio Authori famulantibus, ipsi se extollentes, eidem negligunt esse subjecti.

S. Laur. Just. l. de inst. & reg. Prał.

S. Bonav. l. de prof. rel. c. 9.

II. *Quia DEO directè contraria*, ut S. Bonaventura ostendit dicens: In hoc autem contrariatur DEO, quia cùm omnia subjecta sint ei, ipsa vult esse sui juris, & spoliat eum debito honore suo, id est, universali dominio, quantùm est in se. Et S. Bernardus: Ille primus superbus, qui secundùm Scripturam *rex est super omnes filios superbia*, dixisse non legitur, altior ero, sed *ero*, inquit, *similis altissimo*. Attamen non mentitur Apostolus, quoniam ille *extollitur supra omne, quod dicitur DEUS*, aut quod colitur. Horret humanus auditus verbum, sed utinam horreat similiter animus cogitatum malignum, pariter & affectum. Dico enim vobis, quòd non tantùm dæmon, sed & omnis superbus extollitur supra Deum. Vult enim Deus fieri voluntatem suam, & superbus vult fieri voluntatem suam, jam videtur æqualitas, sed attende malè congruam proportionem; DEUS quidem in his tantùm, quæ ratio approbat, suam vult fieri voluntatem, superbus verò & cum ratione, & contra rationem.

S. Bernar. s. 5. in Vigil. Nativ.

2. Thess. 2.

S. Bonav. l. 3. comp. Theol. l. 3. c. 15. Joan. 13. 35.

III. *Quia diabolo assimilat*; ipse enim est *Rex super omnes filios superbia*. Unde sicut Dominus ait de charitate: *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem*; ita potest diabolus dicere de superbia. Ubinam Lucifer posuit ac plantavit metropolin suæ Tyrannidis? quis ita ignarus, ut hoc nesciat? in Babylonia, quæ fuit superbiæ symbolum & constructa fuit à gigantibus, qui ex turris illius altitudine cum DEO contendere & dimicare contendebant. Notatu dignum est discrimen illud, quod assignat D. Augustinus inter civitatem DEI & diaboli: Quapropter ait, quòd nunc in civitate DEI, & civitati DEI in hoc sæculo peregrinanti maximè commendatur humilitas, & in ejus Domino, qui est Christus, maximè prædicatur, contrariùmque huic virtuti elationis vitium in ejus adversario, qui est diabolus, maximè dominari sacris literis edocetur; profectò ista est magna differentia, quâ civitas, unde loquimur, utraque discernitur, una scilicet societas piorum hominum, altera impiorum, singula quæque cum Angelis ad se pertinentibus, in quibus præcessit hâc amor DEI, hâc amor sui. Digna quoque notatu est ponderatio sive expositio illa, quam S. Anton. de Padua adhibet huic textui Ecclesi. *Non ventiles te in omnem ventum, & non eas in omnem viam*; quæ est (ita declarat Sanctus) Superbia, à qua omnes viæ Diaboli procedunt. Ipse est *Rex super universos filios superbia*.

Eccli. 5. 11.

Job. 41. 25.

IV. *Quia divinis gratiis privat*; hinc comparatur vento propter tria, quia ventus extinguit lucem, & exsiccat rorem, & exsufflat pulverem; Sic superbia extinguit lumen sapientiæ, exsiccat rorem gratiæ, exsufflat pulverem vanitatis mundanæ. Unde de ea Propheta locutus videtur dicens, *Montes Gelboë, nec ros, nec pluvia veniat super vos*. Per hos montes, qui erant altissimi, denotabantur superbi, in quos DEUS non influit, nec infundit rorem gratiarum suarum; Supra hos montes meritò fuit extinctus Saul; siquidè cùm in primo regni sui ingressu valdo humilis esset, (*absconderat namque se, ne inveniretur*,) adeò superbus evasit postmodum, ut DEO rebellis, & propter superbiam, cum sui maxima confusione (veluti ei per Prophetam Samuelem DEUS significari jussit:) regno exutus fuerit. Id quod Cæsarius per aptam similitudinem declarat dicens: optimè nostis, quia pluvia, si montem nimis erectum invenerit, citò in vallem decurrit, & ideo, qui se ad accipiendam benedictionem humiliter inclinantes quasi valles faciunt, ipsi pluviam divinæ benedictionis accipiunt; & implerur in eis illud, quod scriptum est: *Omnis vallis implebitur & omnis mons & collis humiliabitur*. Quid est: *Omnis vallis implebitur, nisi, omnis qui se humiliat, exaltabitur*? Inde S. Bernardinus exponens verba illa *Erraverat in solitudine in loco inaquoso*, sic ait: Nec mirum, quòd solitudini huic *inaquosum* additur, ut dicatur in solitudine, in inaquoso; Sicut enim in solitudinibus aquæ deesse solent, & loca deserta sterilia quæque & arida esset consueverunt, sic superbiam impœnitentia comitatur, elatum enim cor durum & expers est pietatis, ignarum compunctionis, siccum ab omni rore gratiæ spiri-

Idem in diat. tit. 6. c. 3.

2. Reg. 1. 21. 1. Reg. 10. 22.

Cæsarius Arel. ho. 19.

Luc. 3. 5.

Rrrrr 3

Spiritualis, quia *Superbis DEUS resistit, humilibus autem dat gratiam.*

Hugo Vict. apud Mansi disc. 6, n. 1. V. *Quia ipsum DEUM aufert* ; uti Hugo Victorinus insinuavit dicens : Superbia aufert mihi DEUM, invidia proximum, ira me ipsum. Superbia DEO est odibilis, & quidem præ cæteris hoc peccatum DEO exosum est, non quia DEUS à nobis recedit, sed quia Deum superbiâ nostrâ spernimus, & conculcamus. Audite modum loquendi superbi : Qui dixerunt DEO: *Recede à nobis, scientiam Viarum tuarum nolumus. Quis est omnipotens, ut serviamus ei?*

S. August. in Psalm. 18. VI. *Quia causa est passionis Christi*, uti S. Augustinus indicavit dicens : propter hoc vitium, propter hoc magnum superbiæ peccatum, DEUS humilis venit. Hæc causa, hoc peccatum magnum, iste ingens morbus animarum omnipotentem Medicum de cœlo deduxit, usque ad formam servi humiliavit, contumeliis egit, ligno suspendit, ut per salutem tantæ medicinæ curetur hic tumor. Jam tandem erubescat homo esse superbus, propter quem factus est humilis DEUS. Et consentiens Cassianus, (Cassian. lib. 12, cap. 8.) ideò, inquit Universitatis Creator & medicus DEUS, causam principiúmque morborum cognoscens esse superbiam, contrariis sanare contraria procuravit, ut ea scilicet, quæ per superbiam corruerant, per humilitatem resurgerent. Ille namque dicit : *in cœlum conscendam*; hic dicit : *humiliata est in terra anima mea.* Ille dicit, *& ero similis Altissimo*; hic cùm *esset in forma DEI, exinanivit semetipsum formam servi accipiens, humiliavítque se, factus obediens usque ad mortem.* Ille dicit : *Super astra cœli exaltabo solium meum*; iste dicit ; *discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* Ille dicit : *nescio Dominum & Israel non dimittam*; Iste dicit: *si dixero, quia non novi eum, ero similis vobis mendax, sed novi eum, & mandata ejus servo.*

S. Ambros. s. 7. in Psalm. 118. VII. *Quia pariter est causa perditionis humanæ* ; uti rectè advertit S. Ambrosius dicens : Maximum peccatum in homine superbia est, quandoquidem inde manavit nostri origo delicti, hoc telo nos primùm Diabolus vulneravit, ac perculit. Nam nisi homo serpentis persuasione deceptus esset, DEUS esse noluisset.

S. Bern. Sen. 10. 3. S. de reg. aul. 4. 5. VIII. *Quia est signum reprobationis* ; uti ipse DEUS per Psalmistam indicavit dicens : *Non habitabit in medio domûs meæ, qui facit superbiam.* Et ratio triplex est. Prima, quia in regno DEI est omnimoda subjectio quoad Deum ; superbus autem non vult subjici DEO, nec potest, quia subjectus est Diabolo, qui est *Rex super omnes filios superbiæ.* Secunda ratio, quia in regno DEI est omnimoda pax & concordia quoad proximum, juxta Psalmistam : *Pax multa diligentibus legem tuam, &c.* Superbus autem non potest esse in pace, sed discordat cum aliis : Proverb. 13. *inter superbos semper jurgia.* Tertia ratio, in regno DEI est omnimoda quietatio quoad se ipsum, quilibet enim contentus est eo, quod habet ; superbus verò non, sed semper extendit se super terminos per appetitum voluntatis. Unde dicit Anselmus in lib. de similitud. quòd superbia dicitur, quia super ea, quàm debet, graditur. Hinc & S. Ephrem (S. Ephrem de recta Viv. rat.) dixit ; Initium desertionis hominis est recessus ab humilitate. Qui autem à DEO deseritur, ab improbo spiritu præfocabitur, sicut Saul.

IX. *Quia summæ stultitiæ est indicium* ; nam, teste S. Chrysostomo, naturâ stultum esse, nihil (S. Chrysost. ho. 10. ad Rom.) habet criminis ; magnificè verò de se sentiendo stultum fieri, veniâ caret, & majus adfert supplicium. Tales sunt, qui in sapientia superbiunt, inque extremam incidunt arrogantiam ; nihil enim adeò stultum facit, quemadmodum arrogantia ; unde & Propheta barbarum ita vocabat dicens : *stultus autem stulta loquetur.* Ut autem & ab ipsis verbis stultitiam ipsius discas audi, quid dicat : *Supra astra cœli ponam*, inquit, *thronum meum*, *eróque similis Altissimo. Apprehendam manu mea orbem, sicut aviculæ pullum, & sicut ova relicta tollam illum.* His itaque verbis, quidnam poterit fieri stultius? Si singula arrogantium verba in medium adduxero, cognosci non poterit, verbáne sint arrogantis, an stulti, ita unum est atque idem in utroque vitium. Nam & alius item barbarus dicit, *ego sum DEUS, & non homo.* Rursum & alius, *non poterit DEUS salvare vos, aut eripere ex manibus meis.* Et Ægyptius ille ; *Dominum* inquit, *non novi*, & *stultus* ille apud Prophetam talis est, *dicens in corde suo non est DEUS.*

X. *Quia excusationem non habet* ; ut S. Augustinus rectè advertit dicens : simpliciter dico vobis, omnia peccata odio habet DEUS, (S. August. to 9. de Obed. c. 2.) mendacium, perjurium, furtum, & cætera, in quibus si quis deprehensus fuerit, non potest oculos levare, sed sic eum habemus quasi execrabilem. Si quis superbus est, multò pejus facit, quàm adulterium, & tamen loquimur cum eo ; qui fornicator est, potest aliquid dicere : Vicit me caro mea superavit me adolescentia mea. Non dico, quòd sibi hoc facere liceat, aut quòd se excusare debeat, siquidem & hoc odio habet DEUS, sed in comparatione mali dico: Quicunque aliud peccatum fecerit. v. g. si furtum, se excusare potest, quid enim dicit? propterea furtum feci, quia algebam, quia fame moriebar, quia ægrotabam. Superbus quid dicere potest? Ideo superbia majus malum est, quia excusationem non habet.

§. VII.

MEDIA.

I. Humilitas ; uti S. Ephrem suasit dicens: humilitatem diligito, & nunquam laqueis Diaboli capieris : Velocissimis enim hu- (S. Ephrem de recta Viv. rat. c. 91.) militatis alis semper sublevatus sublimior eris, quàm ut inimici retibus capi possis. Idipsum etiam S. Bernardus confirmavit dicens : Diabolus per superbiam & cupiditatem dixit : *in cœlum ascendam* : Christus cum humilitate dixit: (S. Bernardus serm. 37. de modo bene vivendi.) *humiliata est in pulvere anima mea* : Diabolus per superbiam & cupiditatem dixit : *Ero similis Altissimo* ; Christus per humilitatem *factus est*

est obediens Patri usque ad mortem. Ad ultimum diabolus per superbiam præcipitatur in infernum, Christus verò per humilitatem ad cœlos elevatur. Unde rectè concludit alibi: idcirco nisi omnia opera nostra humilitas præcesserit, comitata, & consecuta fuerit, proposita, quam intueamur; apposita, cui adhæreamus; interposita, quâ reprimamur, totum de manu extorquet superbia; quantalibet sit Justitia operis apud internum Judicem, nulla est, si hanc elevet tumor mentis.

Bell. l. 3. Spec. p. 3. dist. 1. II. *Conditionem Vilitatis suæ considerare*; uti Bellovacensis indicavit dicens: Ab hujusmodi appetitu debent nos retrahere vilitas humanæ conditionis, fragilitas nostræ corruptionis. Unde S. Chrysostomus, quî te vocabo, inquit? Quomodo arrogantiam dejiciam? si cinerem te dixero, & pulverem, & humum, & cœnum, Vilitatem quidem dixero, nondum tamen satis exactè similitudinem eam, quam volebam, consecutus fuero. Hinc Rex Mogoris mirè prudens, si quos homines, ignobiles licèt & externos, deprehendebat officio apud se gerendo idoneos, eos in suam familiam adsciscebat; ac munere aliquo imposito honorabat. Verùm ne inde superbirent, volebat ut signum prioris sui statûs palàm ante se gestari curarent, instrumentum artis, quàm professi sunt.

S. Chrysost. ho. 10. ad Rom.

Ex annuis 1591.

Cassianus l. 12. c. 9. III. *Meminisse, à quo acceperimus omnia*, uti Cassianus monuit dicens: Itaque hunc nequissimi spiritûs laqueum taliter poterimus evadere, si in singulis, quibus senserimus nos virtutibus profecisse, illud Apostolicum dixerimus: *Non ego, sed gratia DEI mecum, & gratia DEI sum id, quod sum.*

S. Doroth. tr. 2. de renunciat. IV. *Accedere ad DEUM per familiaritatem*; nam, teste S. Dorotheo Sancti Viri, quantò priùs & viciniùs ad DEUM accedunt, tantò viliores se aspiciunt, & peccatis magis onustos; sic Abraham, cùm videre Dominum meruisset, terram se vocavit & cinerem. Job 42. *Nunc oculus meus videt te, idcircò me reprehendo.*

S. Thomas Vill. 2. de Ascen. V. *Christi exemplum & præceptum considerare*, uti S. Thomas Villanov. suasit dicens: ô miserandam stultorum hominum insaniam, & phrenesin nimis dolendam; ô mentis cæcitatem nunquam pro merito deploratam! Qui Christiano nomine censentur, qui fidem Christi ejúsque doctrinam Evangelicam profitentur, quid dico profitentur, imò qui de populi Christiani ducatu, magisterióque gloriantur, hi superbiæ facibus magìs ardent, hi honoribus & dignitatibus insatiabilibus inhiant; horum omnis cura & solicitudo est, qualiter inter homines magni & honorati videantur. Quid delirius, quid insanius, quàm sub humilitatis vexillo ambitioni militare? Et in magistri humilis schola superbiam profiteri? Quomodo hi audierunt cœlestis verba magistri: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde?*

S. Basil. in reg. brev. q. 35. VI. *Odium DEI erga superbiam ponderare*, ita S. Basilius monuit, dum interrogatus, quomodo sanari possit superbus? Respondit, si fidem habeat sententiæ illius, qui dixit: *Dominus superbis resistit.*

S. Bernardin. Sen. de multipl. Instin. S. 4. a. 1. c. 2. VII. *Peccata sua ob oculos habere*; sic enim more pavonis pennas demittat; hinc S. Bernardinus dixit: cùm homo considerat, quòd propter superbiam primi hominis exul factus est in hac misera vita, atque tot & tantas miserias hîc in se & à se sentit, magnam habet materiam & occasionem, imò necessitatem se ipsum humiliandi: Unde Eccles. 10. *quid superbit terra & cinis?* & alibi quidam ait: Unde superbit homo, cujus conceptio culpa, nasci pœna, labor vita, necesse mori?

§. VIII.

ASCETICA.

S. Thomas 2. 2. q. 162. a. 5. I. *Inprimis nosse debet Asceta, quando superbia peccatum mortale sit*; id quod ex S. Thoma discere poterit dicente: superbia est ex genere suo peccatum mortale, quo quis DEO rebellis fit. Rationem assignat: Superbia humilitati opponitur; humilitas autem propriè respicit subjectionem hominis ad DEUM. Unde è contrario superbia propriè respicit defectum hujus subjectionis, secundùm scilicet quòd aliquis se extollit supra id, quod est sibi præfixum secundùm divinam regulam, vel mensuram: contra id quod Apostolus dicit. 2. Cor. 10. *Nos autem non in immensum gloriabimur, sed secundùm mensuram, quam mensus est nobis DEUS.* Et ideò dicitur Eccles. 10. quòd *initium superbiæ hominis est apostatare à DEO*, quia scilicet in hoc radix superbiæ consideratur, quòd homo aliqualiter non subjicitur DEO, & regulæ ipsius. Manifestum est autem, quòd hoc ipsum, quod est non subjici DEO, habet rationem peccati mortalis. Hoc enim est averti à DEO. Sed hæc omnia sunt intelligenda de completa superbia, quia, quamdiu homo vult manere subjectus, adhuc aliquid habet humilitatis, ac proin superbia illius est imperfecta, & veniale duntaxat peccatum.

S. Bonav. l. 3. Compend. c. 15. II. *Nosse debet, cur superbia initium omnis peccati dicatur*; nimirum triplici ratione juxta S. Bonaventuram. Primò propter causam quæ invenitur in omni peccato, quia in omni peccato invenitur contemptus DEI, qui est quædam causa peccati; iste autem contemptus est aversio à Creatore, quæ in omni peccato est, ubi præponitur bonum commutabile bono incommutabili; quia sicut sine charitate aliæ virtutes nihil sunt, ita sine superbia alia vitia nihil. Secunda ratio, quam adducit, est: quia primum peccatum fuit; hoc enim genere peccavit diabolus in cœlo, & homo in paradiso. Tertia ratio, quia ex ea nascuntur alia vitia, secundùm prius & posterius.

Hugo Card. in Psalm. 118. III. *Nosse debet, cur peccatum maximum dicatur*; Nimirum, ut Hugo Card. explicat, origine, genere, numerositate, temporis antiquitate. Origine dico, quia, ut dicitur Eccles. 10. *Initium omnis peccati superbia*; genere, quia,

ne

ut dicitur, in glossa: Superbia natione cœlestis, sublimium mentes inhabitat. Paulò aliter S. Thomas hanc quæstionem decidit dicens: [*S. Thomas l. cit. ad 4.*] Superbia dicitur gravissimum peccatorum ex eo, quòd per se competit principio, ex quo attenditur gravitas in peccato. Et ideò superbia causat gravitatem aliorum peccatorum. Inter graviora peccata primum est superbia, sicut causa, per quam alia peccata aggravantur. Et id, quod est primum in causando peccata, est etiam ultimum in recedendo, ideò super illud Psalm. *Emundabor à delicto maximo*, dicit glossa, hoc est, à delicto superbiæ, quod est ultimum redeuntibus ad DEUM, & primum recedentibus. Unde rectè notat Beirlinck dici gravissimum peccatum, non quòd in se sit gravissimum inter omnes species peccatorum (cùm odium DEI sit gravius) sed respectivè tantùm, respectu eorum, in quibus aversio interpretativè tantùm, & non directè volita censetur, ut sunt, quæ ex ignorantia, infirmitate, vel alicujus boni temporalis amore perpetrantur.

[*S. Thomas 2.2. q.162. a. 8.*] IV. *Nôsse debet, cur inter vitia capitalia communiter numeretur superbia*, cùm tamen S. Thomas neget eam esse capitale peccatum; ad quod dubium ipse respondet hoc modo: Superbia dupliciter considerari potest, uno modo secundùm se; prout scilicet est quoddam speciale peccatum; alio modo secundùm quod habet quandam influentiam in omnia peccata. Capitalia autem vitia ponuntur quædam specialia peccata, ex quibus multa genera peccatorum oriuntur. Et ideò quidam considerantes superbiam, secundùm quod est quoddam speciale peccatum connumeraverunt eam aliis vitiis capitalibus; Gregorius verò considerans universalem ejus influentiam, quam habet in omnia vitia, non connumeravit eam aliis capitalibus vitiis, sed posuit eam reginam vitiorum & matrem.

[*Cassianus L. 12. c. 7.*] V. *Nôsse debet causam, ob quam DEO tantopere exosa sit superbia:* eam Cassianus his verbis assignavit: quantum est malum Superbia, ut non Angelum, non alias virtutes sibi contrarias, sed ipsum DEUM adversarium habere mereatur! Notandum siquidem est, quòd nequaquam dixerit super his, qui cæteris sunt vitiis involuti, quòd habeant sibi DEUM resistentem, id est, DEUS gastrimargis, fornicariis, iracundis, seu philargyris adversatur, sed solis superbis. Illa namque vitia vel in unumquemque delinquentium tantummodo retorquentur, vel in suos participes, id est, in alios homines videntur admitti: hæc verò propriè pertingit ad DEUM, & idcircò eum specialiter digna est habere contrarium.

VI. *Nôsse debet radicem superbiæ, ut ad eam extirpandam efficaciter queat cooperari*; assignavit autem illam S. Bernardus per hæc verba: [*S. Bernard. serm. 17. in Cant.*] Quemadmodum ex notitia tui venit in te timor DEI, atque ex DEI notitia, DEI itidem amor; sic è contrario de ignorantia tui superbia, ac de DEI ignorantia venit desperatio. Sic autem superbiam parit tibi ignorantia tui, cùm meliorem, quàm sis, decepta & deceptrix tua cogitatio te esse mentitur.

§. IX.

MISCELLANEA ET CONCEPTUS PRÆDICABILES.

[*S. Anton. Pad. serm. in Sabb. hebd. 4. Quadr.*] I. S. Antonius Paduanus declarando hunc textum Evangelii: *qui sequitur me, non ambulat in tenebris*; ingeniosam, nostróque proposito conformem habet observationem dicens: *qui sequitur me, non ambulat in tenebris*; Magna gloria est, sequi DEUM, dicit Sapiens, & singulariter dicit, *sequitur*; quia superbus vult DEUM præcedere, ut præsumptuosus & arrogans, cui dicitur: *Vade retrò, Satana*, id est, adversarie, *quia non sapis quæ DEI sunt*; tales enim quia hanc lucem non sequi, sed præcedere volunt, in manus incident inimici.

[*Mansi disc. 6. n. 1.*] II. Insignis quidam Artifex, Imperante Tiberio Cæsare, vitrum confecerat, cujus materiam talibus secretis naturæ qualitatibus sibi notis temperaverat, ut in terram seu corruens, seu projectum, non frangeretur. Timens ergo Imperator, ne propterea aurum vilesceret, vitri hujus authori exiguam retribuit mercedem, cùm illum morte mulctari jussit, prohibuitque simul hujus secreti notitiam, & praxin. Astutus serpens (*serpens erat callidior &c.*) adinvenit superbiam, quæ vitri instar lucidi splendorem solum & fulgorem habet exteriorem, at quale damnum confert animabus fidelibus? Viles efficit ac nullius valoris gemmas, quibus coronæ æternæ gloriæ concinnantur, id est, virtutes ac merita bonorum operum disperdit. Multorum temporum labores, & orationes, & eleemosynæ, & jejunia, & vigiliæ, si cum superbia finem habuerint, pro nihilo apud DEUM computantur, ait S. August. loc. cit. B. Petrus Damianus, cujus hactenus exhibuimus eruditionem moralem, refert causam finalem, ob quam Tiberius vitri illius auctorem vitâ privaverit; reputans, quia si hujus artis exquisita subtilitas in communem hominum notitiam deveniret, aurum conspueretur ut lutum, omniúmque vilesceret species metallorum. Hanc historiam applicat deinde morali materiæ, & nostro quoque proposito adaptari potest. Sicut vitrum fragilis natura depretiat, & soliditatis robur cætera metalla commendat; ita per ira-

eundiam (nos dicere possumus per superbiam) tota virtutum structura collabitur. Convenienter insuper vitro, ejúsque fulgori, qui apparentiâ suâ oculos decipit, adaptari & comparari potest superbia, quæ nidum suum habet in homine apparenter solùm, non re ipsâ bono.

S. Climac. gr. 23. III. S. Climacus fabulam de cornice narrat, quæ ab omnibus & singulis avibus aliis unam mutuò acceperat pennam, ac propterea pulchra ac speciosa quâdam vice coram omnibus comparebat, & de sua formositate non parùm glorians, & superbiens, credebat se cæteris formosiorem; at singulis avibus propriam ex ea recipientibus pennam remansit cornix cum pristina sua deformitate delusa, & risui exposita. Turpe est, alienis plumis superbire. Sed extremæ dementiæ, ob cœlestia dona extolli, eáque sibi arrogare. *DEUS* noster *superbis resistit*; Si superbus extollitur propter dona à DEO illi concessa, subitò DEUS illa tollit à superbo, qui tum risui & prædæ exponitur Dæmonis.

Mansi disc. 14. n. 2. IV. In mare intrant innumerabilia & navigabilia flumina: (*omnia flumina intrant in mare*) illud tamen minimè intumescere faciunt, neque sunt in causa, quòd mare tempestuosas excitet, extollátque undas ad stellas usque, & profundâ abysso absorbeat naves mercibus onustas, & prædivites; siquidem mare non redundat. At quis causat tempestates? quis tumidum efficit oceanum? quis navibus infert naufragia? Ventus. Neque aquæ tribulationum in causa sunt, ut in mari hujus vitæ animæ submergantur, & deglutiantur à profunda inferni abysso. Bene quidem totum hoc malum causat ventus superbiæ. *Omnia flumina intrant in mare.* Continget, quòd domus aut familia aliqua plurimis opulentis gaudeat reditibus, & tamen mare non redundet, nimirum, non propterea dives ille superbiat; quia mens illius non agitatur vento vanæ gloriæ & arrogantiæ; & unde hoc procedit? non superbit terra & cinis; fragilitatem & vilitatem naturæ suæ diligenter & attentè considerat, ad ipsum nullum habet aditum ventus superbiæ ex divitiis conceptus; sed cogitat, *sicut ventus est vita mea.*

V. Zeno Stoicus animadvertens Juvenem quendam ex discipulis inflatum ac superbientem, percutiens dixit: Non, si magnis fueris, bonus eris, sed si bonus, eris magnus. *Brisson. l. 1. de regn. Persar.*

VI. Sacerdos quidam Nicolaus nomine, Romæ spe cupiti honoris excidens, indignatus in Orientem abiit, ubi plurimos Saracenos à se in fraudem inductos, à veri DEI cultu ipse jam alienus, suasit quidem, ut idola desererent, sed non aliam doctrinam sequerentur, quàm ipse eis esset traditurus. Ibi in Mahometem incidens, eum erudivit, promisitque, Regem eum Saracenorum se facturum, idque astu sic egit. Columbam enim è nido sumpsit, eámque assuefecit, è Mahometis auribus cibum capere. Ita columba sensim assueta ejus auribus, ubi primùm Mahometem vidit, ad humerum ejus advolans, rostrum auribus applicabat. Ubi ergo omnes sequentes Saracenos Nicolaus collegit, dicebat expedire, ut eum sibi Regem deligerent, quem Spiritus Sanctus in forma columbæ delapsus monstraret. Assentientibus illis, mox dato conscìis fraudis signo, columba emissa pro veteri consuetudine in humerum Mahometis insidens, auri rostrum admovet. Eò miraculo moti Saraceni Mahometem Regem pronunciârunt. Alii hanc circa Mahometem fraudem Sergio sectæ Nestorianæ tribuunt. *Pietro Messia silv. var. Lect. p. 1. c. 11.*

R. P. Lohn. Auctar. Bibl.

gestis circumstantia, quæ plurimis gravida mysteriis? Respondet magnus Venetorum Patriarcha de Agone Christi c. 9. In galli cantu Judicis terror, in aspectu Christi gratiæ cœlestis infusio. Præcedit judicii pavor, subsequitur autem benevolentia charitatis. Ambo tamen immutant propositum, adducunt fletum, dilectionem ingerunt, amoris enutriunt flammam, & convertunt ad Christum. Gallus regiæ Majestatis est symbolum. Corona, quam capite præfert, hoc loquitur. Vox illius ferocissimum quemvis leonem terrefacit, ut ajunt Pierius, Berchorius, Ricciardus, Bartholomæus, Anglicus, & Vincentius Belvacensis & alii non pauci. Est prætereà contentiosum, & pugnacissimum animal, cujus severiorem indolem produnt, & erectum collum & rigida cervix, & flagrantes oculi, & ipsa incessûs immodica gravitas. Oculi Domini plurimùm sunt pietatis illius, & amoris signa. Conspersæ sunt divinæ litteræ crebris testimoniis, quæ hanc veritatem comprobent. Quod ergo ad conversationem Petri, & ad extrahenda ab intimo illius corde per oculorum fenestras pignora doloris, ad lacrymas, inquam, proliciendas concurrerunt terror severitatis adumbratæ in gallo, & dulcedo pietatis natæ ex benevolo intuitu Domini, id factum, ut judicio & documento esset, quòd ad conversionem peccatoris, & gratiæ divinæ stabilitatem fovendam, conservandámque, nulla sunt aptiora, & commodiora remedia, quàm terror judicii, qui est pater timoris, & suavitas divinæ clementiæ, quæ est spei mater. Ex his parentibus nascitur perennitas & conservatio statûs divinæ gratiæ.

Didac. Nyss. p. 2. polit. l. 1. c. 7.

XVI. Provida natura duo ubera constituit, tanquam duos fontes, qui suam infantibus dulci scaturigine alimoniam lacteam fundant. Sunt autem gemini fontes, ut, cùm unus fatigari cœperit, alter illum suo onere tantisper levet, pietatísque ministerium leviùs illis accidat, dum per vices obeunt. Sic etiam ut charitas nutriatur, & crescat, utróque timoris & spei ubere alenda est, inquit S. Laurentius Justinianus, ambo amoris enutriunt flammam. Quòd si te alterum uberum sua horribili specie terreat, arripe alterum, cujus elegantior, amabiliórque forma, spes enim præmii vehementer allectat, & roborat. Si autem spes nimis præfidentem faciat papillam timoris invade, ut is immodicam temperet præsumtionem. Una enim mamilla absque altera perfectè, ut videtur, nutricari, & conservare amantem in statu gratiæ non potest.

Tuffus in c. 8. Ecclef.

XVII. Decreverat Dominus nominare summum Sacerdotem fratrem Moysis, ad placandos animos, præoccupandámque, & avertendam omnem tanti honoris ambitionem. Præcepit ergo, ut quisque duodecim tribuum Princeps virgam adferret, cujus summitati nomen uniuscujusque inscriptum esset. De Aarone hoc seorsim mandavit: *Nomen autem Aaron erit in tribu Levi.* Tum jussit, ut virgas in tabernaculo collocarent, & ab ea, quæ sola ex omnibus germinaret, discerent, quis summi Pontificatûs sedem occupare deberet. Obtemperatum est divino hortatui, & die sequenti admirabile visum portentum, quod Sacer Scriptor his verbis exponit; *Invenit Moyses germinâsse virgam Aaron, & turgentibus gemmis eruperant flores, qui foliis dilatatis in amygdalas deformati sunt;* Ibid. v. 7. Dubitari potest, neque de nihilo, quo consilio Dominus, cùm tam admirabili modo Pontificem, & summum populi Sacerdotem declarare vellet, ad hanc rem, uti voluerit aridâ, & exsuccâ virgâ, quæ repentè viruit, fronduit, floruit, germinavit, cùm alia media prodigiosa infinita illi non deessent, quibus indicare posset illo munere dignissimum, quémque ille præ omnibus aliis Pontificem cuperet. Cur alta illius providentia elegit virgam primùm siccam, deinde viridem, & florentem, quæ designaret eum, qui ex universo populo aptissimus esset tam sublimi ministerio? Multi multas acutas, & congruentes hujus facti rationes excogitârunt, docti verò alicujus de hac re cogitatus causæ præsenti commodus venit, & sic habet: Virga, quâ Aaronis electio designata est, floruit, cùm esset arida, ut significaret, etiamsi virgam nobis in superiorem eligamus excisam trunco, nihil humoris ab arbore, aut terra trahentem, & aridam, facturum DEUM, ut florescat, & fructus nobis pariat. Sic Tuffus in c. 8. Eccl. v. 7. Hinc accipiemus, quòd Dominus, cùm alicui officium curandum imponat, aut committit, quanquàm is truncus sit, vel stipes, vel lignum aridum, faciet, ut virescat, frondescat, fragret. Quod DEI jussione & ordinatione fit, quantumvis sit arduum, ac difficile, id semper feliciter perficitur, qui, cùm onus immittit, vires simul submittit, quibus ferri queat: Pro nomine suo præliantibus auxilium pollicetur. Certissima est victoria, ubi ex DEI imperio etiam cum innumeris hostibus pugnatur.

S. Ambros. Octon. 10. in Ps. 118.

XVIII. Propheta Regius inter alia dicebat: *Fiat misericordia tua, ut consoletur me, secundùm eloquium tuum servo tuo,* Psalm. 118. v. 76. Alia versio habet: *Fiat misericordia tua, ut exhortetur me.* Quamobrem Propheta rogabat, ut Dominus illum, & adhortaretur ad passionem, & sui eloquii decreto, divinæque voluntatis suæ mandato decerneret ærumnas, quascunque tolerare necessum esset? Cur tam anxiè obsecrabat positus inter adversa David, ut hoc DEUS illi significaret, singulari providentiæ ejus consilio constitutum esse, quicquid calamitatum subiret, quòd hoc ipsi maximam inter gravissimas ærumnas consolationem allaturum esset? Huic quæsito respondebit S. Ambrosius Octonario 10. in Psal. 118. inquiens: Non omnis passio digna consolatione est, sed quæ passio pro Christo est, hæc consolationem Christi meretur. Pulchrè autem addidit, *secundùm verbum tuum servo tuo,* ipse enim Dominus pro suo nomine præliantibus

Digitized by Google

bus auxilium pollicetur. Optabat ergo Propheta scire, ex DEI ordinatione venire, quòd adversitatibus afflictaretur, cùm hoc non ignoraret, certò adfuturam sibi Domini opem, si quam ex illius constitutione subiret calamitatem. Semper enim DEUS suum pollicetur adjutorium his, qui pro illius nomine, ac jussu incommoda tolerant. Pulchrè addidit, *secundùm verbum tuum servo tuo.* Imperet DEUS pugnare, & indubitata sequetur victoria. Injiciat DEUS humeris cujuspiam onus tribulationis, & non deerunt vires ferendi.

TITULUS LXIX.

SUPERBIA.

§. I.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

S. Thomas 2.2.q.162.a.1.

I. Uberbia nominatur ex ex hoc, quòd aliquis per voluntatem tendit supra id, quod est; unde dicit Isidorus in lib. Etymolog. Superbus dictus est, quia super vult videri, quàm est. Qui enim vult supergredi, quod est, superbus est; habet enim hoc ratio recta, ut voluntas uniuscujusque feratur in id, quod est proportionatum sibi. Et ideo manifestum est, quòd superbia importat aliquid, quod adversatur rationi rectæ. Unde Abulensis clariùs sic eam definit: *Superbia est appetitus immoderatus honoris, quo homo contra DEUM extollitur nolendo ei subjici, vel nolendo confiteri, quòd ab eo aliquid recepit; aut contra proximum extollitur, injustè nocere volendo.*

Abulensis q. 52. in c. 15. Matt.

Divisio.

S. Bonav. in centiloq. p.1. s. 40.

II. *Habet Superbia quatuor differentias. Prima* est, quando homo attribuit sibi bonum, quod habet; *Secunda* est, quando etsi non sibi, tamen suis meritis. *Tertia* est, quando jactat se habere, & non habet; *Quarta*, quando se existimat aliis prævalere. Æstimare, bonum à seipso habere; desuper sibi datum, pro suis suscepisse meritis, credere: gloriari, se habere, quod non habet; &, cæteris despectis, singulariter videri appetere; quatuor sunt superbiæ species. S. Anselmus alias quatuor assignat: quædam est *Exaltatio in opinione*, quædam *in voluntate*, quædam *in sermone*, quædam *in opere*; *Exaltatio in opinione est*, cùm quis reputat se dignum Episcopatu, vel aliqua dignitate, tamen nollet eam habere. *Exaltatio in voluntate est*, cùm quis vellet habere Episcopatum, tamen non reputat se dignum, vel etiam opinatur. *Exaltatio in sermone est*, quando nec se dignum reputat, nec vellet habere, tamen loquitur ampullosè de aliqua scientia, ut magis appareat. *Exaltatio in opere est*, quando aliquis nec se dignum reputat, nec vellet habere, nec loquitur magna, tamen exaltatur in opere, ut quando vocatur ad consilia, & hujusmodi.

Ibid.

Actus.

III. Carnalis superbia his indicijs (& actibus) demonstratur. Est clamosa; cùm tacet, amara & indignabunda, & indissoluta lætitia, risus irrationabilis & sine causa; in tristitia sua est severa, dura; reprehendit cum rancore, non ex compassione; Verba profert passim sine aliqua cordis gravitate, vel ponderatione; expers patientiæ & charitatis, aliena audacter injuriat, sed pusillanimiter injuriam patitur; difficulter aliis obedit, exhortationem recipere spernit, in propria voluntate permanens, non vult consilium ab aliquo recipere, magis sibi credens, quàm sapientibus.

Idem de pugna spir. c. 7.

Filia.

IV. Superba ex usu voluntas, in magna sæpe cordis inopia, tumentum efficit animum; unde procedunt vana gloria, fiducia sui, negligentia DEI, Jactantia, inobedientia, contemptus, præsumptio, & cæteræ animæ pestes: quæ proficere solent ex tumore, & usu superbiæ.

S. Bernd. de vit. solit.

§. II.

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas.

I. Tetendit adversùs DEUM manum suam & contra Omnipotentem roboratus est; cucurrit adversus eum erecto collo, & pingui cervice armatus est. *Iob c. 15. v. 16.*

II. Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, qui manè oriebaris? Corruisti in terram, qui vulnerabas gentes? qui dicebas in corde tuo: in cœlum conscendam, super astra DEI exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus aquilonis, ascendam super *Isaia c. 14. v. 13.*

per altitudinem nubium, ero similis altissimo.

Ps. 18. v. 14. III. Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero, & emundabor à delicto maximo; id est, superbiâ, ut SS. Patres interpretantur.

Ps. 73. v. 23. IV. Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper.

Damnum.

Luc. c. 1. v. 51. V. Fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui.

Isaia 2. v. 11. VI. Oculi sublimes hominis humiliati sunt, & incurvabitur altitudo virorum, exaltabitur autem Dominus solus in die illa.

Prov. c. 15. v. 25. VII. Domum Superborum demolietur Dominus.

Ps. 30. v. 24. VIII. Retribuet abundanter facientibus superbiam.

Job c. 20. v. 6. IX. Si ascenderit usque ad cœlum Superbia ejus, & caput ejus nubes tetigerit, quasi sterquilinium in fine perdetur, & qui eum viderant, dicent: ubi est?

Ps. 35. v. 12. X. Non veniat mihi pes Superbiæ, & manus peccatoris non moveat me: ibi ceciderunt, qui operantur iniquitatem, expulsi sunt, nec potuerunt stare.

Ps. 100. v. 8. XI. Non habitabit in medio domûs meæ, qui facit Superbiam.

Sap. 5. v. 8. XII. Quid nobis profuit Superbia? aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? in malignitate nostra consumpti sumus.

Eccli. c. 10. v. 7. XIII. Odibilis coram DEO est & hominibus Superbia.

Ezech. c. 16. v. 49. XIV. Hæc fuit iniquitas Sodomæ, Superbia, saturitas panis, & abundantia, & otium ipsius.

Prov. c. 11. v. 2. XV. Ubi fuerit Superbia, erit & contumelia.

Ibid. c. 13. v. 10. XVI. Inter Superbos semper jurgia sunt.

§. III.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Qualitas.

S. Bernardin. Ser. 54 in Cant. I. LAta fovea hîc, quæ nolo vos lateat, de qua is ipse superbiæ spiritus tanto periculosiùs, quantò occultiùs (sicut habetis in Psalmo) insidiatur quasi leo in spelunca sua. Nam si impedire non prævalet actionem, tentat intentionem, suggerens & suadens, quatenus effectum gratiæ arroges tibi; quod quidem superbiæ genus longè illo priore intolerabiliùs esse, non ambigas.

S. August. ep. 56. II. Vitia cætera in peccatis; Superbia verò etiam in rectè factis timenda est; ne illa, quæ laudabiliter facta sunt, ipsius laudis cupiditate amittantur.

S. Chrysost. ho. 10 ad Rom. III. Exosi sunt superbi, non solùm propter verba, sed & per ipsam corporis figuram ridiculi; quid enim (dic quæso) cervicem in altum extendis? quid summis pedum articulis incedis? Quid supercilia extollis? Quid pectus inflas? Capillum capitis tui non potes vel album, vel nigrum facere, & non aliter quàm si Dominus esses omnium, elatus quasi in aëre incedis. Forsitan optares tibi & pennas innasci, ne super terram incederes? forsitan prodigium esse desideras? Imò verò nunc prodigium ac monstrum ex te ipso fecisti, qui, cùm homo sis, volare conaris, imò & ab intus volas.

IV. Superbis tumor in cogitatione, clamor in locutione, amaritudo in silentio, dissolutio in lætitia, furor in tristitia, inhonestas in actione, erectio in incessu, rancor in responsione. *Bellovac. spec. mor. l. 3. p. 3.*

Damnum.

V. Ut gravissimam Tyrannidis ejus potentiam agnoscamus, Angelum illum, qui præ nimietate splendoris ac decoris sui Lucifer nuncupatus est, nullo alio, quàm hoc vitio dejectum cœlitus invenimus, & ex illa beata sublimique Angelorum statione telo Superbiæ vulneratum ad inferna fuisse collapsum. *Cassianus l. 12. c. 4.*

VI. Citò mens se in Superbiam erigit, quæ se ad virtutis culmen excrevisse perspexerit, sed quantò quis altiùs super se per superbiam erigitur, tantò inferiùs sub se, deserente DEO, per culpam deiicitur, sicut scriptum est: *Ascendunt usque ad cœlos, & descendunt usque ad abyssos.* *Richardus de S. Vict. in Cant. Habacuc. Ps. 106. 26.*

V. Etsi quis innumera bona fecerit, virtutémque omnem absolverit; Si tamen magnum quid de se sentit, maximè omnium miserabilis est, & miser. *S. Chrysost. ho. 31. in Gen.*

VIII. Nullum est vitium aliud, quod ita omnes virtutes exhauriat, cunctáque Justitiâ & Sanctitate hominem spoliet ac denudet, ut superbiæ malum, tanquam generalis quidam, ac pestifer morbus; non enim unum membrum, partémve ejus debilitare contentus, sed solùm corpus lethali corrumpit exitio, & in virtutum jam fastigio collocatos gravissimâ ruinâ deiicere, ac trucidare conatur. *Cassianus l. 12. c. 3.*

IX. Qui Superbiam habet, sine causa habet alias virtutes, imò eas non habet, sed videtur habere; qui enim hoc habet, quod DEO contrarium est, quomodò potest habere, quod DEO amicum est? *S. August. S. de Obed. & humil.*

X. Alia vitia eas solummodo virtutes impetunt, quibus ipsa destruuntur, ut videlicet ira patientiam, gastrimargia abstinentiam, libido continentiam expugnet. Superbia autem, quam vitiorum radicem diximus, nequaquam unius virtutis extinctione contenta, contra cuncta animæ membra se erigit, & quasi generalis ac pestifer morbus corpus omne corrumpit, ut quidquid illa invadente agitur, etiamsi virtus esse ostenditur, non per hoc DEO, sed soli vanæ gloriæ serviatur; quasi enim Tyrannus quidam obsessam civitatem intercipit, cùm mentem superbia irrumpit, & quo ditiorem quemque coperit, eò in Dominio durior exurgit. *S. Gregor. l. 34. mor. c. 18.*

XI. Ni-

S. Bernard. S. in festo Purif. XI. Nihil ita oculos ejus (DEI) offendit, sicut superbia, quæ angelum de cœlo, & hominem expulit de paradiso. Meritò hæc oculos Christi offendit, quæ pulcherrimum opus ejus in cœlo, & in paradiso fœdavit, quæ fecit de Angelo Diabolum, & de homine nuper creato Justo perfidum; quæ, sicut & peccatorum primum & maximum, sic & omnium regina & mater vitiorum est.

S. Climac. grad. 23. XII. Superbia est negatio DEI, inventum Diaboli, despectus hominum, parens temerarij Judicii, seu condemnationis alienæ, mala progenies laudum, sterilitatis argumentum, auxilij Divini obstaculum, lapsuum procuratrix, fons furoris, simulationis seu hypocrisis janua, propugnaculum Dœmonum, Custos peccatorum, immanitatis seu immisericordiæ causa, Commiserationis ignoratio, hostis DEI, Blasphemiæ radix, Divini auxilii negatio.

S. Gregor. l. 31. mor. c. 8. XIII. Justo judicio superborum facies Dominus in foveam mergit, quia intentionem cordis eorum sese ultra homines erigentem inferiùs deijcit; ima enim respicit, cujus facies fovea attendit. Et bene de superbia dicitur, quòd eorum facies in foveam demerguntur, quia ima petunt, dum superbiendo altiora appetant, & quò magis se extollendo erigunt, eò magis ruendo inferiùs tendunt. Terrenam námque gloriam quærunt & infima sunt, quæ prospiciunt, dum superbiendo alta sequuntur.

S. Ambros. S. in Psal. 118. XIV. Quid hoc peccato potest esse deterius, quod à DEI cœpit injuria? ideóque Scriptura dicit: *Dominus superbis resistit.* Tanquam suæ contumeliæ propulsator veluti quoddam suscepit adversùs superbiam speciale certamen, tanquam dicat: Meus iste adversarius est, qui me lacessit, mihi debetur ista congressio.

S. Bernard. in fler. s. c. 203. XV. Quid superbis, terra & cinis? si superbientibus Angelis DEUS non pepercit, quantò magis tibi, putredo & vermis? Nihil ille fecit, nihil operatus est, tantùm cogitavit superbiam, & in momento in ictu oculi irreparabiliter præcipitatus est, quia in veritate non stetit.

S. Laur. Iust. de compunct. XVI. Nulli unquam pepercit superbienti, sivè in cœlo, sive in terra, quod Propheta considerans, Dominum deprecatur dicens: *Non veniat mihi pes superbiæ, & manus peccatoris non moveat me.* Ibi prorsus ceciderunt, qui operantur iniquitatem, expulsi sunt, nec potuerunt stare. Quamobrem diligenter consideret peccator homo, si angelis superbientibus non pepercit DEUS, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit, in judicium cruciandos reservari, quid perpessurus est ipse, si adversùs Conditorem cordis sui cervicem levaverit.

(o)

§. IV.

EXEMPLA SACRA.

Qualitas.

I. PEccavit primus homo per superbiam, inordinatè appetendo divinam similitudinem, non modò quantùm ad scientiam boni & mali, quam principaliter appetijt, sed etiam quantùm ad propriam operandi potestatem, appetendo proprijs viribus consequi divinam felicitatem: nullo autem modo naturæ divinæ similitudinem appetiit. Duplex est similitudo: una omnimodæ æquiparantiæ, & hanc similitudinem primi parentes non appetierunt, quia talis similitudo ad DEUM non cadit in apprehensione, præcipuè sapientis. Alia autem est similitudo imitationis, qualis possibilis est creaturæ ad DEUM, in quantùm videlicet participat aliquid de similitudine ipsius, secundùm suum modum. Eadem enim similia sunt DEO, & dissimilia; illud quidem secundùm contingentem imitationem, hoc autem secundùm quod causata minùs habent à causa. Quodlibet autem bonum in creatura existens, est quædam participata similitudo primi boni. Et ideo ex hoc ipso, quòd homo appetiit aliquod spirituale bonum supra suam mensuram, consequens est, quòd appetierit divinam similitudinem inordinatè. *S. Thomas 2. 2. q. 163. a. 2.*

II. David præsumptione virtutis elatus dixerat: *non movebor in æternum*: statim insolentiæ hujus pœnam subiisse memoravit dicens: *avertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus.* Si ipse Dominici generis auctor insolentiæ excepit offensam, quantò magis nos peccatores, quibus nulla suffragatur prærogativa meritorum, insolentiæ scopulum timere debemus, in quo naufragium fit bonorum! *S. Ambros. de Ioseph. c. 1.*

III. In Annalibus Ecclesiasticis mentio fit Hæresiarchæ Valentini, qui primò professione fuerat Philosophus Platonicus; hic postquam tum in Ægypto, tum Romæ promulgasset Evangelium & fidem Catholicam, ac propterea non esset promotus, uti prætendebat ad Episcopatum (alius enim propter prærogativam, quam habebat, martyrii, ei prælatus fuit) tantâ exarsit irâ, ut fidem illam, quam anteà prædicaverat, acerrimè impugnare, & dilacerare cœperit. *Baronius ann. 145. n. 3.*

IV. Annales ijdem de Origene hoc referunt Testimonium, quòd fuerit vir summæ honestatis, patientiæ, filius Martyris, propter amorem Christi omnibus se spoliaverit bonis & divitijs, aliquoties propter fidei confessionem martyrio affectus, summo dotatus ingenio, Magister innumerabilium doctorum Sacerdotum, Confessorum, & Martyrum: ast quis fuit ille scopulus, ad quem allisit, & naufragium passa fuit navis tam opulentis onusta mercibus? Donis DEI & gratiis sibi communicatis bonus ille vir *Idem ann. 256. n. 46.*

vir abusus fuit, quia nimiùm proprio fidit judicio, sibi quoque nimiùm credidit, plùs reliquis omnibus præsumpsit scire, & sapere, majorum doctrinam ac traditiones Ecclesiasticas sprevit, & contempsit.

Idem ann. 360. n. 35. V. De Eunomio hæretico Galata legimus, eum in tantam elatum fuisse superbiam, ut, quemadmodum scribit Theodoretus, asseruerit, nihil esse in divinis, quod ipsum lateret, eò quòd divinam comprehenderet substantiam, eandémque cum DEO, quâ cognoscit se ipsum, haberet cognitionem, unde hæretici hujus asseclæ dicere solebant, ita se cognoscere Deum, sicut Deus cognoscit seipsum.

Idem, 362. n. 224. VI. Hilarius Ecclesiæ Romanæ Diaconus non se separavit duntaxat ab Ecclesia Catholica, verùm etiam eandem hæresi infecit, asserens, Baptismum Hæreticorum non esse admittendum. Missus erat hic Hilarius à Liberio Papa ad Constantium unà cum Lucifero Legato, & post verbera & carceres perpessos, tandem cum Lucifero relegatus fuit in exilium; at infelix homo actus in superbiam, propter gloriam nobilis suæ confessionis, despiciendo cæteros, non schismaticus solùm, sed etiam hæreticus factus est. Pelagium insuper legimus jactitantem se, & gloriantem, quòd fœminarum cinctus catervâ ne minimùm infestaretur aut molestaretur à concupiscentia, multò minùs ei subjectus esset: etenim de me dictum est, (sic jactanter de se ipso loquebatur) *lapides sancti elevabuntur super terram*; ac *Zach. 9. 16.* propterea similes haud sentio molestias, utpote, qui virtute liberi arbitrij circumfero Trophæum Christi.

Cæsarius l. 4. c. 5. VII. Obsessum quendam amici sui ad quoddam cœnobium Ordinis nostri, spe liberationis, traxerunt. Ad quem egressus Prior, assumpto secum Monacho, magnæ opinionis adolescente, quem noverat Virginem corpore, ait dæmoni: si præceperit tibi monachus iste, ut exeas, quomodo audes manere? Respondit Dæmon: non eum timeo, superbus est enim.

Damnum.

Spec. Exempl. v. eod. n. 5. VIII. Refert Frater Wilhelmus, Lugdunensis Episcopus, quoniam fuit quidam frater in monasterio quodam multùm verbosus, & semel accidit, quòd loquebatur de non sibi commissis: tunc Abbas dixit sibi seriosè: vade, & tace. Qui recedens ab Abbate, & cordi suo imprimens illa verba Abbatis, ampliùs in monasterio silentium tenuit. Et cùm sic tacuit, tunc ab intra in spiritu in tantùm profecit, quòd DEUS sibi multa secreta revelavit, ita quòd alij fratres mirabantur de taciturnitate sua. Accidit autem, quòd quidam Eremita in sylva non longè à monasterio infirmabatur, qui misit ad Abbatem, ut ad eum veniret, & sibi Ecclesiastica Sacramenta porrigeret; tunc Abbas duxit illum taciturnū secum, & ivit cum Sacramentis ad communicandum illum Eremitam. Tunc in via quidam latro audiens campanam parvam secutus est eos usque ad cellam Eremitæ, & mansit foris, reputans se indignum, quòd deberet intrare cellam tam sancti viri, sed postquam Eremita confessus est, & communicavit, tunc latro stans prope januam cum humilitate cordis sui dixit; ô si essem talis, qualis es tu? Et Eremita in elatione mentis, & complacentiâ sui ipsius dixit: Hoc libenter deberes velle, quòd esses talis, qualis ego sum. Tunc frater ille taciturnus cœpit flere amarè, & postquam Abbas & frater ille recesserunt, tunc latro ille cucurrit à remotis post eos, & invocavit DEUM, ut daret sibi contritionem veram, & vitæ emendationem, quia jam profuit illi Abbati confiteri, & ampliùs nunquam peccare velle, sed pœnitentiam pro peccatis assumere; & sic in veloci cursu ille cecidit, & mortuus est immediatè. Quod videns frater iste, cœpit lætanter ridere; sed postquam Abbas cum isto fratre ad Conventum rediit, quæsivit ab isto fratre, quare sic taceret? & respondit: Pater, semel dixistis ad me, vade & tace, & ab illo die semper tacui, nisi interrogatus fuissem. Tunc Abbas dixit: quare tu flevisti, cùm illum sanctum Eremitam communicavi, & tu risisti, cùm ille malus latro post nos cucurrit, volens nos spoliare, vel occidere, & sic peccando in peccatis suis obiit. Tunc frater respondit: Pater, causa fletûs mei fuit ista, quia cùm communicâsti illum Eremitam infirmum, tunc latro stetit foris januam ex humilitate cordis, dicens: ô si essem talis, qualis tu es? & Eremita respondit in elatione mentis: Hoc posses libenter velle; & sic mortuus est, & damnatus, ideo flevi, sed latro, qui post nos cucurrit, habuit firmum propositum confitendi, & non spoliandi, nec occidendi, & sic currens cecidit, & obiit, & Angeli ejus animam rapuerunt, & ad cœlum cum gaudio deduxerunt, quia sua contritio fuit tanta, quòd delevit pœnam & culpam, ideò risi.

IX. Virgo quædam à juventute servivit DEO, quandam tamen spiritualem superbiam in se habuit, in complacentia sui ipsius. Quæ venit ad extrema, & Episcopus illius loci personaliter eam visitabat, & cum Sacramentis eam procurabat, & propter sanctitatem vitæ ipsius Virginis dixit circumstantibus: Meritò dies ista est celebranda, in qua ista Virgo devota & sancta est moritura. Illa verba ista audivit, & valdè sibi ipsi complacuit, & sic obijt; & infra spatium 30. dierum apparuit ipsi Episcopo dicens, se esse damnatam propter sui ipsius complacentiam, & spiritualem superbiam, quam in se habuit in extremis suis, quando illa verba audivit. *Discip. in Prompt. lit. T. ex. 21.*

X. Alia quædam Virgo devota tam arctam vitam duxit jejunando, vigilando, orando, & castigando se, quòd ab hominibus sancta reputabatur. Contigit autem eam infirmari usque ad mortem, cujus Confessionem quidam devotus Sacerdos audivit, & suam spiritualem superbiam ignoravit. Cui post obitum ipsa apparuit nigra valdè & horribilis. *Idem f. 137. lit. X.*

Et

Et Sacerdos expavescens, quæsivit, quidnam esset. Et ipsa fatebatur, se esse illam Virginem, quæ ab hominibus quasi sancta reputabatur, & subjunxit dicens: Ego infelix tradita sum infernalibus incendijs cum inferioribus Dœmonijs, & cum infimis damnatis æternaliter crucianda, propter vanitatem, & meam propriam complacentiam, & spiritualem superbiam, quam habui, quòd nullum æqualem mihi reputavi, sed super omnes me extuli, & alios homines judicavi, & sprevi; propterea ad profundum inferni descendi, de quo nunquam liberabor. Nam si siccatæ essent aquæ maris, & fundus repletus papavere, & una avicula omni anno unum granum educeret, quod & tunc possem salvari, omnes pœnas inferni eligerem, usque ad illud tempus sustinere: si finito illo tempore cœlum possem intrare; sed non ita fiet, quia in inferno nulla redemptio. Unde Pater sancte, nec tu, nec aliquis alius oret pro me: quia nunquam liberabor.

2. Mach. c. 9. v. 8. XI. In quantam superbiam ascenderit Antiochus, quia *ex abundantia cordis os loquitur*, ex verbis ejus id intelligemus: *qui sibi videbatur etiam fluctibus maris imperare, supra humanum modum superbia repletus, & montium altitudines in statera appendere.* Paulò antè Sacer textus, qualis priùs erat, jam indicaverat, *Ib. v. 7.* nempe, superbiâ repletus, ignem spirans; at subitò, quando jam in supremo elationis & superbiæ gradu constitutus erat, obruit eum, ac tetigit ita divina: *humiliatus ad terram in gestatorio portabatur, manifestam DEI Virtutem in semetipso contestans, ita ut de corpore impij vermes scaturirent, ac viventis in doloribus carnes ejus effluerent, odore etiam illius & fœtore exercitus gravaretur, & qui paulò antè sidera cœli contingere se arbitrabatur, cum nemo poterat propter intolerantiam fœtoris portare. Hinc igitur cœpit ex gravi superbiâ deductus, ad agnitionem sui venire divinâ admonitus plagâ.*

Bellovac. l. 5. specul. 3. dist. 1. XII. Episcopus Bellovacensis profert exemplum Sennacherib: Regi Antiocho non absimilis. Contra DEUM superbierat, ut legitur 4. Reg. cap. 18. quem ut magis confunderet, noluit eum occidere cum suo exercitu, unâ siquidem nocte Angelus de cœlo veniens, *L. 4. Reg. c. 19. v. 35.* magnam in exercitu fecit stragem, occidendo centum octoginta quinque millia hominum; ipsum verò Sennacherib reservavit vivum, ut solus rediret confusus, & reversus trucidaretur à filijs: nam in terram suam cum confusione reversus, coram DEO suo in templo ejus, ubi adorabat, ad majorem sui confusionem à filijs suis occisus est.

S. Bonav. in Biblio-ther. pamp. l. 4. Ambitio. XIII. F. Justinus, qui opulento Baronatu, & Regis Hungariæ favoribus spretis, Institutum Minorum suscepit, contemplationi deditus, initio sæpè ecstases patiebatur, & raptus. Sui Institutoris vestigia, & SS. Limina veneraturus, venit in Italiam, ac demum in urbe substitit. In Conventu Aræ cœli, qui nuper ad Observantes translatus fuerat, dum quadam die pro more inter prandendum pia Sanctorum gesta legerentur, extra se raptus, diu immobilis, & velut exanimis mansit, in altum corpore elatus è regione cujusdam imaginis B. Virginis super Fratrum capita depictæ, ubi retractis cruribus in modum genuflexi in aëre pependit. Aderat tunc B. Joannes Capistranus Ordinis Vicarius, qui dimissis Fratribus in templum, ut gratias agerent secundùm consuetudinem, solus cum socio clausô ostiô remansit, finem exploraturus. Post longam moram vidit, omnia se benè habere, & ex signis placidæ mentis, sereni vultûs, humilitate animi, alijsque notis, alienum hoc esse à vanitate & præstigijs. His auditis Eugenius Pontifex hominem accersit, ac pedes osculari volentem ulnis excipit & osculo, jussitque propè sedere: Longo dein tempore protracto sermone, munuscula addidit, & Indulgentias. Inde factus altior Justinus, domum regressus alter ab illo, qui erat egressus, occurrit Capistrano, eòque corporis habitu & vanitate cœpit jactare Pontificis in se benevolentiam, ut, quem antè per revelationem acceperat, ejus casum nunc coram experiretur. Igitur ingemiscens ait: Heu fratercule! ita te honores mutârunt? Angelus abiisti, Diabolus rediisti; resipisce &c. At ille insolentior quotidiè factus, omnes alios habuit contemptui. Jussus est ergo iterum in Hungariam redire: non longè aberat ab urbe, quando ad fontem sedens, & manducans cum socijs, priùs petulanti verbo, dein cultro unum sauciavit. Retractus ad Capistranum, conjectus est in carcerem; deinde post aliquod tempus expletâ pœnitentiâ aufugit in Regnum Neapolitanum, ubi ea perpetravit, ob quæ iterum relegatus est in Urbem, & in vinculis miserè decessit.

§. V.

SIMILITUDINES.

Qualitas.

I. Sicut exercitati ac dextri Prædones, & fures per foramen puerum priùs in domum intromittunt, qui domûs aperiat ostium, per quod ipsi postea intrent domum spoliaturi; eodem utitur artificio sagax serpens infernalis; tentavit primò protoparentes nostros vanitate, præsumptione, & arrogantiâ, & postea in illos intravit cum tota peccati malitia, spolians illos innocentiâ & justitiâ originali. *Mansi disc. 2. n. 9.*

II. Sicut si quis, cùm staturâ cubitum non superet, instar montium, imò altiorem se putet, ac ideo se quasi montes excessurus erigat, nullum aliud argumentum suæ insaniæ quærimus; sic cùm inflatum videris hominem, qui meliorem se cæteris arbitretur, contemnique opinetur, si cæteris hominibus conferatur, nullum jam aliud signum vecordiæ hominis exquiras. Tanto quippe ridiculosior hic est ijs, qui naturâ insaniunt, quantò ipse sponte hunc sibi morbum injecit. *S. Chrys. ho. 19. in Matth.*

S. Bernar. de pass. Dom. c.17. III. Sicut si quis plurium annorum decursu percurrisset maria, magnámque accumulasset pecuniæ summam, prædivitem congregasset thesaurum, hunc verò sponte prædæ exponeret piratarum, an non amentem illum & fatuum pronuntiares? Talis est superbus, qui, dum propter operum bonorum merita superbit & intumescit, cunctorum facit jacturam meritorum, æternámque amittit mercedem. Multæ Virgines excludentur (ait S. Bernardus) quia superbarum nulla ingreditur. Anima in pœnam suæ superbiæ omnibus exuitur divitiis & thesauris spiritualibus, & ad extremam redigitur inopiam; Unde S. Joannes Climacus ait: S. Clim. grad. 23. Superbia est extrema animæ inopia, quæ sibi divitias in tenebris fingit, adeóque execrata illa pestis non solùm progredi non finit adscendentem, sed ex alto etiam deturbat. Et in progressu ejusdem gradûs de hoc præcipitio ita discurrit: qui à Superbia occupatus est, & captus, auxilio divino indiget; Vana enim apud hujusmodi salus hominum: quod idem est dicere, salutem æternam superborum esse difficilem.

Damnum.

S. Nilus de oct. Vitios. cogit. IV. Sicut prædones in eum potissimùm navem, quæ mercibus onusta est, impetum faciunt; eodem quoque modo diabolus peccatoribus non admodum infestus hostis est, verùm justis acerrimum bellum indicit.

S. Bernar. c. 40. de int. dom. V. Sicut Superbia est origo omnium criminum, ita est ruina omnium virtutum. Ipsa enim est in peccato prima; ipsa in conflictu postrema; ipsa aut in exordio mentem per peccatum prosternit, aut in fine de virtutibus dejicit. Idcirco est omnium peccatorum pessima, quia tam per virtutes, quàm per vitia humanam mentem exterminat.

S. Bonav. in diat. sal. tit. 1. c. 9. VI. Sicut aranea se eviscerat texendo telam, ut muscas capiat, sic superbus perdit animam, ut capiat laudem humanam.

ibid. S. Augus. in Ps. 30. v. 20. XII. Sicut fumus magìs ascendendo deficit: sic superbus plùs exaltatus, plùs evanescit, juxta illud: *Mox ut honorificati fuerint, & exaltati, deficientes; quemadmodum fumus deficient.* Fumus à loco ignis erumpens in altum extollitur & ipsâ elatione in globum, erumpens intumescit, sed quanto fuerit ille globus grandior, tantò fit vanior, ut videas ipsam ei obfuisse magnitudinem. Ipsa experientia hoc id ipsum verum esse comprobat; quòd fumus tantò citiùs evanescit, quanto altius exaltatur, idem accidit superbis, qui quanto sunt in apice suæ arrogantiæ, cùm sint exosi, non DEO duntaxat, sed & ipsis hominibus, casui tunc sunt viciniores:

Tolluntur in altum,
Ut lapsu graviore ruant;

Fumus insuper nuncupatur superbus, quia dum ascendit in altum, & in camino ventum obvium habet, sibi obsistentem, qui eum repellat, & redire cogat totam adimplet suâ caligine domum, ut omnes, ne cæcutiant, & offendantur oculi, domo cogantur exire. Idem planè est cum arrogantibus & superbis, prorumpunt in actus iracundiæ, indignationes, improperii, clamoris, & insolentiæ ac propterea, quia redduntur intolerabiles, necesse est, illos declinemus, & fugiamus, nisi velimus incurrere periculum rixandi cum illis, & frangendi pacem & charitatem. Neque solùm fumus Superbiæ fugat homines, sed etiam ipsum DEUM à nobis recedere facit. Unde D. Chrysostomus: ne extollaris in specie tua, ne fortè propter superbiam tuam advertatur DEUS. Fumus præterea est effectus, & certissimum signum ignis; superbia pariter magnam habet connexionem cum igne infernali; quamvis enim peccatum accenderit infernum, superbia tamen principalis extitit causa, quæ incendit, & aperuit fornacem illam inextinguibilem; Superbia quoque fumus appellatur specialiter, hic enim caligine sua privat nos lumine, & splendore, oculorúmque obtenebrat lucem; idem pariter effectus est, quem operatur Superbia in anima nostra; lumen, quod quis primo à DEO obtinuerat, disperdit, divináque gratiâ, quæ est lux vera, quæ illuminat nos, privat: Ut tenebræ alienæ sunt à luce (inquit Climacus) ita Superbus ab omni virtute est alienus.

VIII. Sicut contagiosus morbus in totum corpus, sic ipsa quoque Superbia in totam animam serpit. S. Nilus Loc. cit.

IX. Sicut navis absque gubernatore à ventis hinc inde agitatur, ita & superbus levis circumfertur instabilis per actus suos. S. August. l. 4. de Civ. Dei c. 12.

X. Sicut fulmen quandam brevem claritatem habet, sed tamen teneris creaturis valde nocuam; ita etiam est de Superbis, quia lucere volunt in hoc sæculo per elatam Superbiam, per quam tamen pauperes incenduntur; dicitur enim in Psalmo 9. *Dum superbit impius, incenditur pauper.* B. Albert. 3. in Dom. 3. Advent.

XI. Sicut Elementum ignis innatam sibi habet proprietatem, ut semper ascendat, ita Superbia, veluti suprà jam dictum est, ascendit semper. Mansi disc. 11. n. 2. Ignis nunquam satiatur quacunque materiâ combustibili; Superbus etiam nunquàm suâ sorte contentus est, insatiabili corde; Ignis vult esse superior, & eminere supra alia elementa; talis pariter Superborum natura est, ambiunt semper præesse aliis. Ignis lucet, & resplendet, at generat fumum, qui obcæcat, aut ad minùs obfuscat lumen oculi: Superbus quoque in honoribus, obsequiis, in imperio & regimine suo, timetur, respicitur, honoratur; at eodem tempore amittit lumen divinum, intellectûs & judicii sui, lux manet obfuscata. Ignis subjectum fomentum, quo conservatur, & alitur, consumit, Superbus pariter bona opera & merita vitæ æternæ disperdit, & destruit superbiendo.

§. VI.

§. VI.

MOTIVA.

S. Greg. l. 21. moral. c. 11. I. QUia contra naturam humanam est Superbia, ut S. Gregorius insinuavit dicens: ex cap. 9. Gen. *Et terror vester ac tremor sit super cuncta animalia terræ*; Non enim ait: sit super homines qui futuri sunt, sed sit super cuncta animalia terræ; homo quippe animalibus irrationalibus, non autem cæteris hominibus naturâ prælatus est, & idcirco ei dicitur, ut ab animalibus, & non ab homine timeatur, quia contra naturam superbire est, ab æquali velle timeri. Cui consentiens S. *S. Laur. Just. l. de inst. & reg. Præl.* Laurentius Justin. A propria, inquit, cognitione, & laudabili virtutum studio, communíque deviat lege naturæ, quicunque Superbiæ inflatus spiritu, renuit humiliare se DEO, ipsiúsque præcepta servare, cui profectò cuncta, quæ facta sunt, sive supercœlestes spiritus, throni scilicet, & Dominationes, Principatus, Potestates, atque virtutes; seu cœlestia corpora, Sol, luna, & stellæ: sive quæ vegetantur in terræ, aut gradiuntur super terram, vel moventur in aquis, obtemperant; quibus omnibus, perhibente Prophetâ, præceptum posuit, & non præteribunt; hinc hominum contumacia, hinc meritò inobedientium redarguitur Superbiæ vitium, dum creaturis cæteris proprio Authori famulantibus, ipsi se extollentes, eidem negligunt esse subjecti.

S. Bonav. l. 2. de prof. rel. c. 29. II. *Quia DEO directè contraria*, ut S. Bonaventura ostendit dicens: In hoc autem contrariatur DEO, quia cùm omnia subjecta sint ei, ipsa vult esse sui juris, & spoliat eum debito honore suo, id est, universali dominio, *S. Bernar. s. 5. in Vigil. Nativ.* quantùm est in se. Et S. Bernardus: Ille primus superbus, qui secundùm Scripturam *rex est super omnes filios superbiæ*, dixisse non legitur, altior ero, sed *ero*, inquit, *similis altissimo*. Attamen non mentitur Apostolus, quo- *2. Thess. 2.* niam ille *extollitur supra omne, quod dicitur DEUS*, aut quod colitur. Horret humanus auditus verbum, sed utinàm horreat similiter animus cogitatum malignum, pariter & affectum. Dico enim vobis, quòd non tantùm dæmon, sed & omnis superbus extollitur supra Deum. Vult enim Deus fieri voluntatem suam, & superbus vult fieri voluntatem suam, jam videtur æqualitas, sed attende malè congruam proportionem; DEUS quidem in his tantùm, quæ ratio approbat, suam vult fieri voluntatem, superbus verò & cum ratione, & contra rationem.

S. Bonav. l. 3. comp. Theol. c. 15. Joan. 13. 35. III. *Quia diabolo assimilat*; ipse enim est *Rex super omnes filios superbiæ*. Unde sicut Dominus ait de charitate: *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem*; ita potest diabolus dicere de superbia. Ubinam Lucifer posuit ac plantavit metropolim suæ Tyrannidis? quis ita ignarus, ut hoc nesciat? in Babylonia, quæ fuit superbiæ symbolum & constructa fuit à gigantibus, qui ex turris illius altitudine cum DEO contendere & dimicare contendebant. Notatu dignum est discrimen illud, quod assignat D. Augustinus inter civitatem DEI & diaboli: Quapropter ait, quòd nunc in civitate DEI, & civitati DEI in hoc sæculo peregrinanti maximè commendatur humilitas, & in ejus Domino, qui est Christus, maximè prædicatur, contrariúmque huic virtuti elationis vitium in ejus adversario, qui est diabolus, maximè dominari sacris literis edocetur; profectò ista est magna differentia, quâ civitas, unde loquimur, utraque discernitur, una scilicet societas piorum hominum, altera impiorum, singula quæque cum Angelis ad se pertinentibus, in quibus præcessit hàc amor DEI, hàc amor sui. Digna quoque notatu est ponderatio sive expositio illa, quam S. Anton. de Padua adhibet huic textui Eccles. *Non ventiles te in omnem ventum, & non eas in omnem viam*; quæ est (ita declarat Sanctus) *Eccli. 5. 11.* Superbia, à qua omnes viæ Diaboli procedunt. Ipse est *Rex super universos filios superbiæ*. *Job. 41. 25.*

Idem in diat. tit. 8. c. 3. IV. *Quia divinis gratiis privat*; hinc comparatur vento propter tria, quia ventus extinguit lucem, & exsiccat rorem, & exsufflat pulverem; Sic superbia extinguit lumen sapientiæ, exsiccat rorem gratiæ, exsufflat pulverem vanitatis mundanæ. Unde de ea Propheta locutus videtur dicens, *Montes Gelboe, nec ros, nec pluvia veniat super vos*. Per hos *2. Reg. c. 1. v. 21.* montes, qui erant altissimi, denotabantur superbi, in quos DEUS non influit, nec infundit rorem gratiarum suarum; Supra hos montes meritò fuit extinctus Saul; siquidè cùm in primo regni sui ingressu valde humilis esset, (*absconderat namque se, ne inveniretur*,) adeò superbus evasit postmodum, ut DEO rebellis, & propter superbiam, cum sui maxima confusione (veluti ei per Prophetam Samuelem DEUS significari jussit.) regno exutus fuerit. Id quod Cæsarius per aptam similitudinem declarat dicens: optimè nostis, quia *Cæsarius Arel. hom. 17.* pluvia, si montem nimis erectum invenerit, citò in vallem decurrit, & ideo, qui se ad accipiendam benedictionem humiliter inclinantes quasi valles faciunt, ipsi pluviam divinæ benedictionis accipiunt; & implentur in eis illud, quod scriptum est: *Omnis vallis implebitur & omnis mons & collis humiliabitur*. Quid *Luc. 3. 5.* est: *Omnis vallis implebitur*, nisi, *omnis qui se humiliat, exaltabitur*? Inde S. Bernardinus exponens verba illa: *Erraverat in solitudine in loco inaquoso*, sic ait: Nec mirum, quòd solitudini huic *inaquosum* additur, ut dicatur in solitudine, in inaquoso; Sicut enim in solitudinibus aquæ deesse solent, & loca deserta sterilia quæque & arida esse consueverunt, sic superbiam impœnitentia comitatur, elatum enim cor durum & expers est pietatis, ignarum compunctionis, siccum ab omni rore gratiæ

 spiri-

Spiritualis, quia *Superbis DEUS resistit, humilibus autem dat gratiam.*

Hugo Vict. apud Mansi disc. 6. n. 1. V. *Quia ipsum DEUM aufert*; uti Hugo Victorinus insinuavit dicens: Superbia aufert mihi DEUM, invidia proximum, ira me ipsum. Superbia DEO est odibilis, & quidem præ cæteris hoc peccatum DEO exosum est, non quia DEUS à nobis recedit, sed quia Deum superbiâ nostrâ spernimus, & conculcamus. Audite modum loquendi superbi: Qui dixerunt DEO: *Recede à nobis, scientiam Viarum tuarum nolumus. Quis est omnipotens, ut serviamus ei?*

S. August. in Psalm. 18. VI. *Quia causa est passionis Christi*, uti S. Augustinus indicavit dicens: propter hoc vitium, propter hoc magnum superbiæ peccatum, DEUS humilis venit. Hæc causa, hoc peccatum magnum, iste ingens morbus animarum omnipotentem Medicum de cœlo deduxit, usque ad formam servi humiliavit, contumeliis egit, ligno suspendit, ut per salutem tantæ medicinæ curetur hic tumor. Jam tandem erubescat homo esse superbus, propter quem factus est humilis DEUS. Et consentiens Cassianus, Cassian. lib. 12. cap. 8. ideò, inquit Universitatis Creator & medicus DEUS, causam principiúmque morborum cognoscens esse superbiam, contrarijs sanare contraria procuravit, ut ea scilicet, quæ per superbiam corruerant, per humilitatem resurgerent. Ille namque dicit: *in cœlum conscendam*; hic dicit: *humiliata est in terra anima mea.* Ille dicit, *& ero similis Altissimo*; hic cùm *esset in forma DEI, exinanivit semetipsum formam servi accipiens, humiliavítque se, factus obediens usque ad mortem.* Ille dicit: *Super astra cœli exaltabo solium meum*; iste dicit; *discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* Ille dicit: *nescio Dominum & Israel non dimittam*; Iste dicit: *si dixero, quia non novi eum, ero similis vobis mendax, sed novi eum, & mandata ejus servo.*

S. Ambros. s. 7. in Psalm. 118. VII. *Quia pariter est causa perditionis humanæ*; uti rectè advertit S. Ambrosius dicens: Maximum peccatum in homine superbia est, quandoquidem inde manavit nostri origo delicti, hoc telo nos primùm Diabolus vulneravit, ac perculit. Nam nisi homo serpentis persuasione deceptus esset, DEUS esse noluisset.

S. Bern. Sen. to. 3. s. de reg. vel. c. 5. VIII. *Quia est signum reprobationis*; uti ipse DEUS per Psalmistam indicavit dicens: *Non habitabit in medio domûs meæ, qui facit superbiam.* Et ratio triplex est. Prima, quia in regno DEI est omnimoda subjectio quoad Deum; superbus autem non vult subjici DEO, nec potest, quia subjectus est Diabolo, qui est *Rex super omnes filios superbiæ.* Secunda ratio, quia in regno DEI est omnimoda pax & concordia quoad proximum, juxta Psalmistam: *Pax multa diligentibus legem tuam, &c.* Superbus autem non potest esse in pace, sed discordat cum alijs: Proverb. 13. *inter superbos semper jurgia.* Tertia ratio, in regno DEI est omnimoda quietatio quoad se ipsum, quilibet enim contentus est eo, quod habet; superbus verò non, sed semper extendit se super terminos per appetitum voluntatis. Unde dicit Anselmus in lib. de similitud. quòd superbia dicitur, quia super ea, quàm debet, graditur. Hinc & S. Ephrem dixit: Initium desertionis hominis est recessus ab humilitate. Qui autem à DEO deseritur, ab improbo spiritu præfocabitur, sicut Saul. S. Ephrem de recta Viv. rat.

IX. *Quia summæ stultitiæ est indicium*; nam, teste S. Chrysostomo, naturâ stultum esse, nihil habet criminis; magnificè verò de se sentiendo stultum fieri, veniâ caret, & majus adfert supplicium. Tales sunt, qui in sapientia superbiunt, inque extremam incidunt arrogantiam; nihil enim adeò stultum facit, quemadmodum arrogantia; unde & Propheta barbarum ita vocabat dicens: *stultus autem stulta loquetur.* Ut autem & ab ipsis verbis stultitiam ipsius discas audi, quid dicat: *Supra astra cœli ponam*, inquit, *thronum meum, eróque similis Altissimo. Apprehendam manu mea orbem, sicut aviculæ pullum, & sicut ova relicta tollam illum.* His itaque verbis, quidnam poterit fieri stultius? Si singula arrogantium verba in medium adduxero, cognosci non poterit, verbáne sint arrogantis, an stulti, ità unum est atque idem in utroque vitium. Nam & alius item barbarus dicit, *ego sum DEUS, & non homo.* Rursum & alius, *non poterit DEUS salvare vos, aut eripere ex manibus meis.* Et Ægyptius ille; *Dominum* inquit, *non novi*, & *stultus* ille apud Prophetam talis est, *dicens in corde suo non est DEUS.* S. Chrysost. ho. 10. ad Rom.

X. *Quia excusationem non habet*; ut S. Augustinus rectè advertit dicens: simpliciter dico vobis, omnia peccata odio habet DEUS, mendacium, perjurium, furtum, & cætera, in quibus si quis deprehensus fuerit, non potest oculos levare, sed sic eum habemus quasi execrabilem. Si quis superbus est, multò pejus facit, quàm adulterium, & tamen loquimur cum eo; qui fornicator est, potest aliquid dicere: Vicit me caro mea superavit me adolescentia mea. Non dico, quòd sibi hoc facere liceat, aut quòd se excusare debeat, siquidem & hoc odio habet DEUS, sed in comparatione mali dico: Quicunque aliud peccatum fecerit, v. g. si furtum, se excusare potest, quid enim dicit? propterea furtum feci, quia algebam, quia fame moriebar, quia ægrotabam. Superbus quid dicere potest? Ideo superbia majus malum est, quia excusationem non habet. S. August. to 9. de Obed. c. 2.

§. VII.

MEDIA.

I. *Humilitas*; uti S. Ephrem suasit dicens: humilitatem diligito, & nunquam laqueis Diaboli capieris: Velocissimis enim humilitatis alis semper sublevatus sublimior eris, quàm ut inimici retibus capi possis. Idipsum etiam S. Bernardus confirmavit dicens: Diabolus per superbiam & cupiditatem dixit: *in cœlum ascendam*: Christus cum humilitate dixit: *humiliata est in pulvere anima mea*: Diabolus per superbiam & cupiditatem dixit: *Ero similis Altissimo*; Christus per humilitatem *factus est* S. Ephrem de recta Viv. rat. c. 91. S. Bernardinus serm. 37. de modo bene vivendi.

est obediens Patri usque ad mortem. Ad ultimum diabolus per superbiam præcipitatur in infernum, Christus verò per humilitatem ad cœlos elevatur. Unde rectè concludit alibi: idcirco nisi omnia opera nostra humilitas præcesserit, comitata, & consecuta fuerit, proposita, quam intueamur; apposita, cui adhæreamus; interposita, quâ reprimamur, totum de manu extorquet superbia; quantalibet sit Justitia operis apud internum Judicem, nulla est, si hanc elevet tumor mentis.

Bell. l. 3. Spec. p. 3. disc. 1. II. *Conditionem Vilitatis suæ considerare*, uti Bellovacensis indicavit dicens: Ab hujusmodi appetitu debent nos retrahere vilitas humanæ conditionis, fragilitas nostræ corruptionis. Unde S. Chrysostomus, quî te vocabo, inquit? Quomodo arrogantiam deijciam? si cinerem te dixero, & pulverem, & humum, & cœnum, Vilitatem quidem dixero, nondum tamen satis exactè similitudinem eam, quam volebam, consecutus fuero. Hinc Rex Mogoris mirè prudens, si quos homines, ignobiles licèt & externos, deprehendebat officio apud se gerendo idoneos, eos in suam familiam adsciscebat; ac munere aliquo imposito honorabat. Verùm ne inde superbirent, volebat ut signum prioris sui status palàm ante se gestari curarent, instrumentum artis, quàm professi sunt.

S. Chrysost. ho. 10. ad Rom.

Ex annuis 1591.

Cassianus l. 12. c. 9. III. *Meminisse, à quo acceperimus omnia*, uti Cassianus monuit dicens: Itaque hunc nequissimi spiritûs laqueum taliter poterimus evadere, si in singulis, quibus senserimus nos virtutibus profecisse, illud Apostolicum dixerimus: *Non ego, sed gratia DEI mecum, & gratia DEI sum id, quod sum.*

S. Doroth. tr. 1. de renunciat. IV. *Accedere ad DEUM per familiaritatem*; nam, teste S. Dorotheo Sancti Viri, quantò priùs & viciniùs ad DEUM accedunt, tantò viliores se aspiciunt, & peccatis magis onustos; sic Abraham, cùm videre Dominum meruisset, terram se vocavit & cinerem. Job 42. *Nunc oculus meus videt te, idcircò me reprehendo.*

S. Thomas Vil. 1. de Ascen. V. *Christi exemplum & præceptum considerare*, uti S. Thomas Villanov. suasit dicens: ô miserandam stultorum hominum insaniam, & phrenesin nimis dolendam; ô mentis cæcitatem nunquam pro merito deploratam! Qui Christiano nomine censentur, qui fidem Christi ejúsque doctrinam Evangelicam profitentur, quid dico profitentur, imò qui de populi Christiani ducatu, magisterióque gloriantur, hi superbiæ facibus magis ardent, hi honoribus & dignitatibus insatiabilibus inhiant; horum omnis cura & solicitudo est, qualiter inter homines magni & honorati videantur. Quid delirius, quid insanius, quàm sub humilitatis vexillo ambitioni militare? Et in magistri humilis schola superbiam profiteri? Quomodo hi audierunt cœlestis verba magistri: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde?*

S. Basil. in reg. brev. q. 35. VI. *Odium DEI erga superbiam ponderare*, ita S. Basilius monuit, dum interrogatus, quomodo sanari possit superbus? Respondit, si fidem habeat sententiæ illius, qui dixit: *Dominus superbis resistit.*

S. Bernardin. Ser. de multipl. Inflict. S. 4. a. 1. c. 2. VII. *Peccata sua ob oculos habere*; sic enim more pavonis pennas demittat; hinc S. Bernardinus dixit: cùm homo considerat, quòd propter superbiam primi hominis exul factus est in hac misera vita, atque tot & tantas miserias hîc in se & à se sentit, magnam habet materiam & occasionem, imò necessitatem se ipsum humiliandi: Unde Eccles. 10. *quid superbit terra & cinis?* & alibi quidam ait: Unde superbit homo, cujus conceptio culpa, nasci pœna, labor vita, necesse mori?

§. VIII.

ASCETICA.

S. Thomas 2. 2. q. 162. a. 5. I. *INprimis nosse debet Asceta, quando superbia peccatum mortale sit*; id quod ex S. Thoma discere poterit dicente: superbia est ex genere suo peccatum mortale, quo quis DEO rebellis fit. Rationem assignat: Superbia humilitati opponitur; humilitas autem propriè respicit subjectionem hominis ad DEUM. Unde è contrario superbia propriè respicit defectum hujus subjectionis, secundùm scilicet quòd aliquis se extollit supra id, quod est sibi præfixum secundùm divinam regulam, vel mensuram: contra id quod Apostolus dicit. 2. Cor. 10. *Nos autem non in immensum gloriabimur, sed secundùm mensuram, quam mensus est nobis DEUS.* Et ideò dicitur Eccles. 10. quod *initium superbiæ hominis est apostatare à DEO*, quia scilicet in hoc radix superbiæ consideratur, quòd homo aliqualiter non subjicitur DEO, & regulæ ipsius. Manifestum est autem, quòd hoc ipsum, quod est non subjici DEO, habet rationem peccati mortalis. Hoc enim est averti à DEO. Sed hæc omnia sunt intelligenda de completa superbia, quia, quamdiu homo vult manere subjectus, adhuc aliquid habet humilitatis, ac proin superbia illius est imperfecta, & veniale duntaxat peccatum.

S. Bonav. l. 3. Compend. c. 15. II. *Nôsse debet, cur superbia initium omnis peccati dicatur*; nimirum triplici ratione juxta S. Bonaventuram. Primò propter causam quæ invenitur in omni peccato, quia in omni peccato invenitur contemptus DEI, qui est quædam causa peccati; iste autem contemptus est aversio à Creatore, quæ in omni peccato est, ubi præponitur bonum commutabile bono incommutabili; quia sicut sine charitate aliæ virtutes nihil sunt, ita sine superbia alia vitia nihil. Secunda ratio, quam adducit, est: quia primum peccatum fuit; hoc enim genere peccavit diabolus in cœlo, & homo in paradiso. Tertia ratio, quia ex ea nascuntur alia vitia, secundùm prius & posterius.

Hugo Card. in Psalm. 118. III. *Nôsse debet, cur peccatum maximum dicatur*; Nimirum, ut Hugo Card. explicat, origine, genere, numerositate, temporis antiquitate. Origine dico, quia, ut dicitur Eccles. 10. *Initium omnis peccati superbia*; genere, quia, ut

ut dicitur, in glossa: Superbia natione cœlestis, sublimium mentes inhabitat. Paulò aliter S. Thomas hanc quæstionem decidit dicens: Superbia dicitur gravissimum peccatorum ex eo, quòd per se competit principio, ex quo attenditur gravitas in peccato. Et ideò superbia causat gravitatem aliorum peccatorum. Inter graviora peccata primum est superbia, sicut causa, per quam alia peccata aggravantur. Et id, quod est primum in causando peccata, est etiam ultimum in recedendo, ideò super illud Psalm. *Emundabor à delicto maximo*, dicit glossa, hoc est, à delicto superbiæ, quod est ultimum redeuntibus ad DEUM, & primum recedentibus. Unde rectè notat Beirlinck dici gravissimum peccatum, non quòd in se sit gravissimum inter omnes species peccatorum (cùm odium DEI sit gravius) sed respectivè tantùm, respectu eorum, in quibus aversio interpretativè tantùm, & non directè volita censetur, ut sunt, quæ ex ignorantia, infirmitate, vel alicujus boni temporalis amore perpetrantur.

S. Thomas l. cit. ad 4.

IV. *Nôsse debet, cur inter vitia capitalia communiter numeretur superbia*, cùm tamen S. Thomas neget eam esse capitale peccatum; ad quod dubium ipse respondet hoc modo: Superbia dupliciter considerari potest, uno modo secundùm se; prout scilicet est quoddam speciale peccatum; alio modo secundùm quod habet quandam influentiam in omnia peccata. Capitalia autem vitia ponuntur quædam specialia peccata, ex quibus multa genera peccatorum oriuntur. Et ideò quidam considerantes superbiam, secundùm quod est quoddam speciale peccatum connumeraverunt eam aliis vitiis capitalibus; Gregorius verò considerans universalem ejus influentiam, quam habet in omnia vitia, non connumeravit eam aliis capitalibus vitiis, sed posuit eam reginam vitiorum & matrem.

S. Thomas 2.2. q.162. a. 8.

V. *Nôsse debet causam, ob quam DEO tantopere exosa sit superbia*: eam Cassianus his verbis assignavit: quantum est malum Superbia, ut non Angelum, non alias virtutes sibi contrarias, sed ipsum DEUM adversarium habere mereatur! Notandum siquidem est, quòd nequaquam dixerit super his, qui cæteris sunt vitiis involuti, quòd habeant sibi DEUM resistentem, id est, DEUS gastrimargis, fornicariis, iracundis, seu philargyris adversatur, sed solis superbis. Illa namque vitia vel in unumquemque delinquentium tantummodo retorquentur, vel in suos participes, id est, in alios homines videntur admitti: hæc verò propriè pertingit ad DEUM, & idcircò eum specialiter digna est habere contrarium.

Cassianus l. 12. c. 7.

VI. *Nôsse debet radicem superbiæ, ut ad eam extirpandam efficaciter queat cooperari*; assignavit autem illam S. Bernardus per hæc verba: Quemadmodum ex notitia tui venit in te timor DEI, atque ex DEI notitia, DEI itidem amor; sic è contrario de ignorantia tui superbia, ac de DEI ignorantia venit desperatio. Sic autem superbiam parit tibi ignorantia tui, cùm meliorem, quàm sis, decepta & deceptrix tua cogitatio te esse mentitur.

S. Bernard. serm. 17. in Cant.

§. IX.

MISCELLANEA ET CONCEPTUS PRÆDICABILES.

I. S. Antonius Paduanus declarando hunc textum Evangelii: *qui sequitur me, non ambulat in tenebris*; ingeniosam, nostróque proposito conformem habet observationem dicens: *qui sequitur me, non ambulat in tenebris*; Magna gloria est, sequi DEUM, dicit Sapiens, & singulariter dicit, *sequitur*; quia superbus vult DEUM præcedere, ut præsumptuosus & arrogans, cui dicitur: *Vade retro, Satana*, id est, adversarie, *quia non sapis quæ DEI sunt*; tales enim quia hanc lucem non sequi, sed præcedere volunt, in manus incident inimici.

S. Anton. Pad. serm. in sabb. hebd. 4. Quadr.

II. Insignis quidam Artifex, Imperante Tiberio Cæsare, vitrum confecerat, cujus materiam talibus secretis naturæ qualitatibus sibi notis temperaverat, ut in terram seu corruens, seu projectum, non frangeretur. Timens ergo Imperator, ne propterea aurum vilesceret, vitri hujus authori exiguam retribuit mercedem, cùm illum morte mulctari jussit, prohibuitque simul hujus secreti notitiam, & praxin. Astutus serpens (*serpens erat callidior &c.*) adinvenit superbiam, quæ vitri instar lucidi splendorem solum & fulgorem habet exteriorem, at quale damnum confert animabus fidelibus? Viles efficit ac nullius valoris gemmas, quibus coronæ æternæ gloriæ concinnantur, id est, virtutes ac merita bonorum operum disperdit. Multorum temporum labores, & orationes, & eleemosynæ, & jejunia, & vigiliæ, si cum superbia finem habuerint, pro nihilo apud DEUM computantur, ait S. August. loc. cit. B. Petrus Damianus, cujus hactenus exhibuimus eruditionem moralem, refert causam finalem, ob quam Tiberius vitri illius auctorem vitâ privaverit; reputans, quia si hujus artis exquisita subtilitas in communem hominum notitiam deveniret, aurum conspueretur ut lutum, omniúmque vilesceret species metallorum. Hanc historiam applicat deinde morali materiæ, & nostro quoque proposito adaptari potest. Sicut vitrum fragilis natura depretiat, & soliditatis robur cætera metalla commendat; ita per ira-

Mensa dist. 4. n. 5.

fundiam (nos dicere possumus per superbiam) tota virtutum structura collabitur. Convenienter insuper vitro, ejusque fulgori, qui apparentiâ suâ oculos decipit, adaptari & comparari potest superbia, quæ nidum suum habet in homine apparenter solùm, non re ipsâ bono.

I. Climacus gr. 23. III. S. Climacus fabulam de cornice narrat, quæ ab omnibus & singulis avibus aliis unam mutuò acceperat pennam, ac propterea pulchra ac speciosa quâdam vice coram omnibus comparebat, & de sua formositate non parùm glorians, & superbiens, credebat se cæteris formosiorem; at singulis avibus propriam ex ea recipientibus pennam remansit cornix cum pristina sua deformitate delusa, & risui exposita. Turpe est, alienis plumis superbire. Sed extremæ dementiæ, ob cœlestia dona extolli, eáque sibi arrogare. *DEUS* noster *superbis resistit*; Si superbus extollitur propter dona à DEO illi concessa, subitò DEUS illa tollit à superbo, qui tum risui & prædæ exponitur Dæmonis.

Mansi disc. 14. n. 2. IV. In mare intrant innumerabilia & navigabilia flumina: (*omnia flumina intrant in mare*) illud tamen minimè intumescere faciunt, neque sunt in causa, quòd mare tempestuosas excitet, extollátque undas ad stellas usque, & profundâ abysso absorbeat naves mercibus onustas, & prædivites; siquidem mare non redundat. At quis causat tempestates? quis tumidum efficit oceanum? quis navibus infert naufragia? Ventus. Neque aquæ tribulationum in causa sunt, ut in mari hujus vitæ animæ submergantur, & deglutiantur à profunda inferni abysso. Bene quidem totum hoc malum causat ventus superbiæ. *Omnia flumina intrant in mare.* Contingit, quòd domus aut familia aliqua plurimis opulentis gaudeat reditibus, & tamen mare non redundet, nimirum, non propterea dives ille superbiat; quia mens illius non agitatur vento vanæ gloriæ & arrogantiæ; & unde hoc procedit? non superbit terra & cinis; fragilitatem & vilitatem naturæ suæ diligenter & attentè considerat, ad ipsum nullum habet aditum ventus superbiæ ex divitiis conceptus; sed cogitat, *sicut ventus est vita mea.*

V. Zeno Stoicus animadvertens Juvenem quendam ex discipulis inflatum ac superbientem, percutiens dixit: Non, si magnus fueris, bonus eris, sed si bonus, eris magnus. Brisson. l. 1. de regn. Persar.

VI. Sacerdos quidam Nicolaus nomine, Romæ spe cupiti honoris excidens, indignatus in Orientem abiit, ubi plurimos Saracenos à se in fraudem inductos, à veri DEI cultu ipse jam alienus, suasit quidem, ut idola desererent, sed non aliam doctrinam sequerentur, quàm ipse eis esset traditurus. Ibi in Mahometem incidens, eum erudivit, promisitque, Regem eum Saracenorum se facturum, idque astu sic egit. Columbam enim è nido sumpsit, eámque assuefecit, è Mahometis auribus cibum capere. Ita columba sensim assueta ejus auribus, ubi primùm Mahometem vidit; ad humerum ejus advolans, rostrum auribus applicabat. Ubi ergo omnes sequentes Saracenos Nicolaus collegit, dicebat expedire, ut eum sibi Regem deligerent, quem Spiritus Sanctus in forma columbæ delapsus monstraret. Assentientibus illis, mox dato consciis fraudis signo, columba emissa pro veteri consuetudine in humerum Mahometis insidens, auri rostrum admovet. Eò miraculo moti Saraceni Mahometem Regem pronunciârunt. Alii hanc circa Mahometem fraudem Sergio sectæ Nestorianæ tribuunt. Pietro Messia silv. var. Lect. p. [illegible]

R. P. Lohn. Auctar. Bibl.

TITULUS LXX.

TACITURNITAS.

§. I.

EX S. SCRIPTURA.

Isaia c. 30. 15. I. Æc dicit Dominus DEUS, Sanctus Israël, si revertamini, & quiescatis, salvi eritis.

Ps. 106. 30. II. Et lætati sunt, quia siluerunt, & deduxit eos in portum.

§ II.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Qualitas.

S. Gregor. l. 3. Pastor. admon. 15. I. DIscretè quippè vicissitudinum pensanda sunt tempora, ne aut cùm restringi lingua debet, per verba inutiliter defluat; aut cùm loqui utiliter potest, semetipsam pigrè restringat, ait S. Gregorius: Idque illustrat aliquâ similitudine allegatâ ex Psalmista, desumptâ à Janua seu ostio, quod non semper tenetur clausum: sed tempore convenienti aperitur, & clauditur: quod bene Psalmista considerans dicit: *Pone, Domine, custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labijs meis*: non enim poni ori suo parietem, sed ostium petit, quod videlicet aperitur & clauditur; unde & nobis cautè providendum est, quatenus & os discretè & congruenti tempore vox aperiat, & rursum congruo taciturnitas claudat. Tetigit quoque hoc punctum S. Ambrosius, cùm ait: quid igitur? Mutos nos esse oportet? Minimè: est enim tempus tacendi, & tempus loquendi; deinde si pro otioso verbo reddemus rationem, videamus, ne reddamus & pro otioso silentio. Jam cap. antecedenti asseverat: Sapientia DEI dixit: *Dominus dedit mihi linguam eruditionis, ut sciam quando oporteat sermonem dicere*: meritò ergo sapiens, qui à Domino accipit, quo tempore sibi loquendum sit: unde bene ait Scriptura: *Homo sapiens tacebit usque ad tempus.*

Smaragd. in reg. S. Bened. c. 6. II. Qui taciturnitatis virtutem veraciter amat, necesse est, ut ad tempus etiam à bonis locutionibus taceat, ut virtutes cæteras ad tempus tacendo nutriat: quas nutritas, iterum tempore congruo sapienter proferat.

Necessitas.

S. Ambros. l. 3 de Virg. III. Citò insidiator pudoris verbum excipit, quod revocare desideres. Si Evæ clausa fuisset janua, nec Adam deceptus fuisset, nec respondisset, hoc est, per Evæ ostium.

IV. In nullo statu & ordine stabit pax & disciplina, si non adest censura silentij, quietis amica, quæ est devotionis nutrimentum, & contentionis obturatio. Thomas Kemp. S. 4. ad Novit.

V. Quia murum silentij non habet, patet inimici jaculis civitas mentis, & cùm se per verba extra semetipsam ejicit, apertam se adversario ostendit, quam tantò ille sine labore superat, quantò & ipsa, quæ vincitur, contra semetipsam per multiloquium pugnat. S. Gregor. l. c.

VI. Mens, quæ non habet murum silentij, de facili penetratur jaculis inimici, & ideo dicit Augustinus, murum debet esse os hominis, nisi ad tria, scilicet ad laudem DEI, & accusationem sui, & utilitatem proximi. S. Bonav. in reg. novit. c. 25.

VII. Quid præ cæteris debemus discere, quàm tacere, ut possimus loqui, ne priùs me vox condemnet mea, quàm absolvat aliena? scriptum est enim: *ex verbis tuis condemnaberis.* Quid opus est igitur, ut properes periculum suscipere condemnationis loquendo, cùm tacendo possis esse tutior? S. Ambr. l. 1. de offic. c. 2.

VIII. Verè in magno periculo sunt homines sine silentio, ut equitantes equum rabidum sine fræno: in domo succensâ sunt sine obstaculo; in via, in qua est fovea abyssalis sine baculo; sunt, ut castrum sine clausula: sunt ut urbs sine porta: ut navis sine anchora: ut vinea sine sepe. Bellovac. Spec. l. 3. dist. 4. p. 13

Utilitas.

IX. Quia neminem sciebat (David) castum servare posse (ait S. Ambrosius) ab immunditia sermonis, ipse sibi silentio legem imposuit innocentiæ, ut tacendo culpam, declinaret, quam vix effugere posset loquendo. S. Ambros. l. c.

X. *Silentium*, docente Isaia, *cultus justitiæ est*, & *bonum est expectare*, ut docet Jeremias, *salutare DEI cum silentio*; ad hunc ergo justitiæ cultum, ad hanc omnium virtutum matrem, nutricem, custodem, & te, & alios, quicunque tui similes proficere cupiunt in virtutibus, invito & provoco. S. Bernar. ep. 89.

XI. Est magnum & negotiosum silentium, ut erat Susannæ, quæ plùs egit tacendo, quàm si esset locuta; tacendo enim apud homines, locuta est DEO; nec ullum majus indicium suæ castitatis invenit, quàm silentium. In eodem capite prosequendo silentij laudem, ait: Et cui nisi unicuique nostrûm scriptum est: *Sepi possessionem tuam spinis, & aurum & argentum tuum alliga, & ori tuo fac ostium & vectem, & verbis tuis jugum & stateram.* Possessio S. Ambr. l. 3. de offic. c. 1.

sio tua, mens tua est; aurum tuum est; argentum tuum, eloquium tuum est; eloquia Domini argentum igne examinatum: bona etiam possessio, mens bona. Denique possessio pretiosa, homo mundus. Sepi ergò hanc possessionem & circumvallato.

Dignitas.

S. August. apud Manfr. tr. 28. disc. 8. n. 4.

XII. Majus est, linguam refrænare, quàm capere civitatem; quia illud insultat exteriùs, sed istud interiùs.

Facilitas.

S. Petrus Dam. serm. 14.

XIII. Nunquid non laboriosius est linguam per tot prolixæ loquacitatis verba discurrere, quàm in suo quietam silentio permanere? unde non immeritò de quibusdam per Jeremiam dicitur: *docuerunt linguam suam loqui mendacium; ut iniquè agerent, laboraverunt*; laboràsse namque dicuntur, ut nequitèr agerent, qui tacendo sine peccato utique meliùs quievissent.

§. III.

EXEMPLA SACRA.

Qualitas.

Mansi disc. 2. n. 4.

I. S. Lucas Evangelista Evangelico suo penicillo Mariam Magdalenam in domo Simonis Pharisæi depinxerat initio peccatricem. *Et ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix*; Surrexit illa nihilominus à pedibus Salvatoris munda & sancta, & quidem Sanctitate eminentis perfectionis: *Dilexit multùm*. Scitisne causam? charitas patiens est; sed in qua re eluxit hæc charitas patientiæ? Quandò audivit improperia & opprobria Pharisæi, non aperuit os suum, nec minimùm defendit se, imò causam suam ad pedes Salvatoris peroravit silentio. In alia pariter occasione, quando in Bethania Martha soror ejus ipsam reprehendit, quòd non se occuparet quoque in parando convivio, sed tacita ad pedes sui cœlestis Magistri sederet: ipsa nec verbulum respondit, ac propterea Christum habuit sui defensorem, ipsam hisce laudantem verbis: *Maria optimam partem elegit; quæ non auferetur ab ea*: Alia quadam vice quandò pretiosissimum illud profudit unguentum supra Caput Christi, de quo strenuè contra ipsam murmurabat Judas, nullum prorsus legimus prolatum ab ipsa verbum; & totum hoc singularis suæ virtutis ac perfectionis erat indicium.

S. Gregor. N. in silent. Quadrag. jejunii.

II. S. Gregorius Nazianz. per integram Quadragesimam penitus tacuit, cujus rei rationem ipse reddit, his verbis. Tum denique piorum virorum præscriptis obtemperans, labia mea quasi pessulo quodam obdidi: cujus facti mei si causam quæris; idcircò à sermone prorsus abstinui, ut sermonibus meis moderari discam. Postea: Nam qui res parvas assequitur, non satis certus est, an magna quoque, etiamsi impensè cupiat, assecuturus sit. At qui in majoribus rebus superior existit, perspicuum est sanè, eum minores quoque, si ita libeat, egregiè confecturum. Atque hæc mihi causa fuit, cur sermonis vim omninò constringerem, sic enim fore speravi, ut non jam ex ore meo sermo immodicus exundet.

Laur. Sur. in vita. c. 6. 18. Aug.

III. Quodam die in conventu fratrum quippiam prolocuturus S. Arnulphus non potuit more Francorum exactè verbum exprimere. Dixit ergo ei Abbas, ut ad horam sileret, ne utilitas causæ differretur. Quod silendi mandatum ille corde simplici, & veræ obedientiæ zelo per menses aliquot observavit, donec à fratribus nunciatum est Abbati. Qui cognovit ex eo causam diuturni silentii fuisse, quòd ipse eum tacere jussisset! & admirans in eo renovatam Pauli simplicitatem, præcepit, ut ædificationis causâ fratribus interdum mutuæ collocutionis officium exhiberet.

Necessitas.

Ferd. Castil. p. 1. hist. Præd. l. 2. c. 6.

IV. S. Jordanes, qui Dominico proximè in gubernatione Ordinis successit, dicere solitus erat suis, studioso perfectionis non modò verba otiosa, & quæ ad rem non pertinent, esse vitanda; sed etiam, quæ res serias continent, & ædificant, si multa sint, & diutius pertrahantur. Nam homini loquendi avido proclive est, ex bonis sanctisque colloquiis, si longiora fuerint, in otiosa prolabi, & indè in noxia decidere. Quemadmodum in concentu Musicorum accidit, in quo cantorum voces ex arte Symphoniam inchoantes, paulatim à regula, mensuráque deflectunt, vel mentis inconsideratione, vel defatigatione gutturis, unde necesse est à chori Magistro ad leges musicas & harmoniam Symphoniacos, ab errore, lapsúque revocari. Quòd si non ob aliud, certè ob longitudinem peccatur: quia, ut ait vetus auctor epistolæ ad Demetriadem, quod laudabile est in genere suo, fit de nimietate suâ culpabile.

Bellov. Spec. p. 1. l. 2. dist. 4.

V. Abbas Pastor quæsivit ab Abbate Vestorio, unde tantam acquisiverat virtutem, ut quando Abbas aliquid injungeret in monasterio, ipse non loqueretur. Ait adjuratus; Quando intravi in monasterium, dixi: Tu & asinus unum estote, ut sicut asinus verberatur, & non loquitur, injuriam patitur, & non respondet, sic & tu; sicut in Psalmo legitur: *ut jumentum factus sum apud te*.

Mansi disc. 1. n. 21.

VI. Homo quidam magnæ experientiæ & spiritûs dicere solebat, quòd ad reformandam Religionem aliquam sufficeret, eandem reformare in silentio; quia, dum quilibet sibi attendit, cessant lamentationes & murmurationes, cessant circuli, conversationes, ac tempus utiliter impenditur orationibus, & studiis.

Vit. PP. l. 8. c. 1. VII. Vidimus alium non procul à civitate in solitudine, nomine Theona, virum sanctum, in domuncula seorsum inclusum, qui tempore viginti annorum silentium exercuerat: is cùm plurimas virtutes perageret, habebatur pro Propheta: Exibant enim ad ipsum multitudo ægrotantium, quibus manus imponens per fenestram, dimittebat eos abire salvos. Licebat videre ipsum habentem vultum angeli, lætis oculis, & totum plenum maximâ gratiâ.

§. IV.

EXEMPLA PROFANA.

Stobæus in ser. de tacit. I. Diogenes ad quendam, qui se contentiosè Philosophum profitebatur: vah miser, inquit, cùm id, quod optimum est in vita Philosophi, corrumpas, verbis tamen audes te Philosophum jactare: est autem Philosophi etiam munus tacere, cùm res responsione digna non est.

Ibid. II. Æschines Socraticus reprehensus de silentio, cùm Socratem præceptorem habuisset, non loqui solùm (dixit) à Socrate, sed etiam silere didici. In eodem sermone recenset, quod occurrit Soloni, homini pariter sapienti: Solon inter pocula tacitus, interroganti Periandro, an propter inopiam verborum, aut ob stultitiam taceret, respondit: Atqui nullus stultorum in convivio silentium præstare potest. Ex hisce veterum Philosophorum, aliisque similibus, quæ referre possem, responsis, apertè colligitur, ipsos etiam majorem partem perfectionis collocasse in custodia linguæ.

Plutarch. in vit. Alex. III. Aristoteles Callisthenem auditorem suum ad Alexandrum mittens monuit, ut cum eo quàm rarissimè, aut quàm jucundissimè loqueretur, quo scilicet, apud regias aures, vel silentio tutior, vel sermone esset acceptior.

Seneca de vit. beat. IV. Tradit Seneca, Gentiles in egressu templorum suorum hanc adhibuisse diligentiam, publicè nimirum curabant proclamari & divulgari silentium, acclamando: *Favete linguis, silentium observate.*

Mansi disc. 7. n. 9. V. Refert Jovius in vita Solimanni Turcarum Imperatoris, quòd ipso ingrediente Rhodos urbem principalem Liciæ cum exercitu triginta millium militum, nec unus ex illis loqui ausus fuerit, ob prohibitionem ab Imperatore factam; unde hostiliter quidem currebant per urbem, at sicut monachi silentium tenentes.

Stob. s. 33. VI. Cùm quidam ad Cleanthem dixisset: tu quid taces? atqui jucundum est cum amicis confabulari. Jucundum quidem, respondit Cleanthes, sed quod jucundum est, eò magis in hoc amicis oportet concedere.

Plut. apud Mansi disc. 10. n. 3. VII. Refert Plutarchus Catonem, cùm ei diceretur: improbant istam tuam taciturnitatem, sapienter conformiterque proposito nostro respondisse: Dummodo vitam non improbent: Ego verò tum demum taciturnitatem meam abrumpam, cùm talia dicere valebo, quæ non sunt digna taciturnitate.

Stob. Ser. 126. VIII. Xenocrates apud Stobæum, singulis negotiis diei partes assignans, silentio quoque suam partem dabat. Harpocratem Philosophum, qui rebus omnibus silentium anteponebat, tanquam DEUM Græci coluerunt: eùmque digito labra comprimentem fingebant. Quantùm cordi esset Pythagoræ, legistis. Corroborat hanc rationem naturalem, Salomonis locus de tempore duplici tacendi & loquendi, nunquam satis laudatus. Ad hoc incitamentum referre placet quàm paucissimis, decem rationes colendi silentii, quas fusiùs explicat Turrecremata. Prima, quia vitantur peccata, quæ à loquacitate oriuntur. 2. Vitantur scandala dissensionum, & pericula, in quæ loquaces incurrunt. 3. Quia convenit statui discipulorum, silere, quales sunt Religiosi, qui exercentur assiduè in schola virtutum. 4. Juvat homines ad perfectionem, in quo Philosophi ipsi requirebant silentium. 5. Operatur ad veritatem Religionis, quæ sine silentii ratione aliqua, vana reputatur. 6. Roborat hominem, cùm portam obstruit hostibus. 7. Adjuvat pacem societatis, quæ in claustris maximè necessaria est. 8. Præparat ad contemplationem, & collocutionem cum DEO. 9. Conservat fervorem devotionis. 10. Signum est sapientis, & argumentum prudentis viri. Ex his rationibus aliquot exemplificatæ sunt à me: nonnullæ in fructibus continentur, reliquæ sunt assiduâ meditatione dignissimæ.

§. V.

SIMILITUDINES.

Qualitas.

I. Sicut sine clave aperiri nequit janua occlusa, ità oris nostri ostium nunquàm aperire poterimus sine clave rectæ rationis; si illud servaverimus occlusum, muniti hac clave nunquàm errabimus. S. Chrysost. in Ps. 140.

II. Sicut navigamus aliquando velis naves explicantes, aliquando anchoris frænantes retinemus: Eadem gubernatio ob linguam adhibenda est, ut aliquando silentio reprimamus. Plato apud Mansi disc. 10. n. 6.

Necessitas.

III. Sicut qui thesaurum custodire cupit, ostium claudit; sic qui cupit animam suam custodire, os suum claudere debet. Hinc S. Chrysostomus dixit: Os nostrum perpetuò custodiamus, ei rationem quasi clavem adhibeamus. S. Bernardin. t. 3. in die Ciner. S. Chrysost. in Ps. 140.

IV. Sicut avis solo pedis ungue illaqueata, licet totum reliquum corpus liberum habeat, nihil ei libertas talis prodest, cùm totum adhuc S. Ephrem. de malign. ling.

huc corpus retineatur; ita quamvis Religiosus reliquos omnes astuti serpentis fugiat laqueos, nisi tamen omni diligentiâ simul custodierit linguam, seducit cor suum: nisi refrænaverit linguam suam, hujus vana est religio.

S. Bernar. S. de Ord. vit.

V. Sicut fornax, cujus os semper apertum est, non potest in se retinere fervorem, sic nec cor devotionis in se poterit gratiam conservare, cujus os non fuerit gratiâ silentii reclusum. Eandem hanc similitudinem in alio quodam authore expressam reperio hisce verbis: sicut clibani ore obstructo calor intrinsecus confovetur, ita servato silentio gratia Spiritûs Sancti in animo conservatur.

Utilitas.

Mansi disc. 1. n. 5.

VI. Sicut si ager aliquis, hortus, vel pomarium sepe aut muro circumdatum est, adest spes colligendi fructûs, non ita quandò cujusvis transeuntis rapinæ expositum est. Hoc idem accidit in custodia linguæ; si refrænetur, si reprimatur discreto decentique silentio, copiosè indè sperari possunt virtutum ac meritorum fructus.

S. Laur. Just. c. 11. de Monast. discipl.

VII. Sicut ignis, quantò magis ad unum colligitur, tantò ampliùs nutritur, ac flammas evaporans sursum impetuosiùs erumpit; ita & mens, cùm diutius intra se commorata fuerit, & ardentiùs per amoris incendium urit in se, & per desiderium elevatur in DEUM; sed si tunc verba quædam protulerit, tota ignita, sapientiæ nectare condita, veritatis splendore irradiata, & divinarum laudum suavitate plena erunt.

§. VI.

MOTIVA.

S. Bernar. de pass. c. 21.

I. Necessitas; quam clarè indicavit S. Bernardus dicens: Nemo sibi de Religionis habitu blandiatur, qui adhuc linguam suam non didicit religare; religa tuam linguam, si vis esse Religiosus, quia sine linguæ religatione Religio vana est: Unde Patres sanctissimi Religionum Institutores, & eorum sequaces sapientissimè (sicut à spiritu sapientiæ docti fuerant) districtè instituerunt observationem silentij, non ignorantes, quia sicut urbs patens, & absque murorum ambitu; ita vir, qui non potest in loquendo spiritum suum cohibere. Hinc omnes boni tantò magis student silentium servare, quantò virtutum culturæ viciniores existunt; unde de fratre quodam, qui discere volebat, & quasi in usum reducere linguæ correctionem, legitur, quòd per triennium quendam lapidem portabat in ore; de alio verò, quòd triginta annos non fuerat locutus quicquam.

Cass. Coll. 14. c. 9.

II. *Utilitas multiplex 1. ad perfectionem assequendam*, de qua sic loquitur Cassianus: Observate igitur imprimis, & maximè tu Joannes, cui magis ad custodienda hæc, quæ dicturus sum, ætas adhuc adolescentior suffragatur: ne studium lectionis ac desiderij tui labor, vanâ elatione cassetur, ut indicas summum oti tuo silentium. Hic est enim primus disciplinæ actualis ingressus; omnis quippe labor hominis in ore ipsius; & , ut omnium seniorum instituta atque sententias intento corde, & quasi muto ore suscipias, ac diligenter in pectore tuo condens, ad perficienda ea potiùs, quàm ad docenda festines. 2. *Ad Religionem conservandam*; uti sapienter advertit Gerson dicens: Religionum fundatores considerantes multiplex in linguæ vitio pendere animæ periculum, sanxerunt providentissimè pro summo remedio, juge pro loco & tempore suis sequacibus silentium, certas pœnas in robur sanctionum suarum, contra transgressores adijcientes. Et clarum est, experientiâ docente, quòd, ubi censura hæc silentij servatur arctiùs, ibi religio viget laudabilius, & perfectiùs. 3. *Adorationem fructuosiùs instituendam*; quam utilitatem S. Basilius sic proponit: Levavit se super se: se elevat supra se, quia DEUM esuriens anima, à terrenis se rerum obtutibus erigit, & in divinæ contemplationis arce suspendit. Huic conformis est doctrina S. Bernardi: Est fructuosum, inquit, & negotiosum silentium; tacendo enim apud homines; meliùs loquimur DEO; multæ enim contemplationes sunt, quibus anima devota DEO, tacendo mirabiliter pascitur. 4. *Ad Dæmonis insidias & insultus superandos*: Nam ut S. Climacus advertit, silentium cum prudentia seu scientia conjunctum, non solùm animam ab hostibus defendit, sed hostes nec accedere quidem propiùs permittit. 5. *Ad artem loquendi addiscendam*; id quod Salomon Eccles. c. 3. indicavit, dum non ait: *tempus loquendi, & tempus tacendi*: sed tempus tacendi, & tempus loquendi, quia priùs in silentio forma loquendi sumitur, quæ post modum tempore loquendi in voce teneatur. Hinc & Ezechiel Propheta, antequam prædicationis officium sumeret, revelationum mysteria vidit, & Dominum audivit ad se loquentem verba hæc: *Fili hominis, omnes sermones meos, quos loquor ad te, assume in corde tuo, & auribus tuis audi, & vade, ingredere ad transmigrationem ad filios Israel, & loqueris ad eos, &c.* Propterea quicunque sapientiæ verba utiliter fari desiderat, in silentio priùs discat intùs, quod postmodum vivâ voce foris loquatur; Re quippe verâ nullus scit fructuosè loqui, qui ignorat prudenter tacere; taciturnitas namque benè loquendi principium est.

Hugo de S. Vict. c. 16. Inst. 1. Monast.

III. *Dignitas*; quia teste S. Hieronymo tanta hujus mali libido mentes hominum invasit, ut etiam, qui procul ab alijs vitijs recesserunt, in istud tamen, quasi in extremum laqueum diaboli incidant. Unde Aristoteles interrogatus à quodam, quis arcanum sermonem retinere posset? respondit, qui carbonem quoque ignitum linguâ retinere potest. Sed & Chion rogatus (sic legitur in Laërtio) quid esset difficilè? Arcanum inquit, reticere; tanta est linguæ maximè volubilis incontinentia, cùm alloqui videatur facilius, quàm silere. Quantò ergò

S. Hieron. ad Celant.

go difficilior est hæc virtus, tantò etiam præstantior meritò censetur.

§. VII.

MEDIA.

Mansi disc. 4. n. 6. I. FAmiliaritas cum DEO; nam qui gaudet alloquio unius Principis, & cum eodem discurrit de negotiis alicujus momenti, vel etiam familiariter cum eo conversatur, is alijs loqui, aut Principis alloquium declinare non audet, summa enim ea esset inurbanitas: Idem dici potest in casu nostro; qui DEI lumine præditus est, intelligítque, quòd orare est tractare cum suprema illa Majestate, quam adorant Dominationes, tremunt Potestates, is ad aliorum se non convertet colloquia.

Guerricus S. 3. de annunc. II. *Christi exemplum ob oculos habere*; quod medium Guerricus Abbas, postquam dixerat; Verbum æternum sub silentio se premit: Converso ad Religiosos suos sermone, sic proponit; Vobis tamen, fratres, istud silentium verbi loquitur, vobis clamat, vobis utique disciplinam silentij commendat. *In silentio enim & spe erit fortitudo vestra*, sicut Isaias promittit, qui cultum justitiæ silentium diffinivit: sicut namque puer ille conceptus in utero, ad maturitatem partûs sub alto, & diuturno profecit silentio, sic spiritum hominis disciplina silentij nutrit, format, & roborat, & quantò occultiùs, tantò tutiùs & salubriùs incrementum præstat. Nescit homo animalis, qui non percipit, quæ sunt spiritûs DEI, quæ sit via spiritûs, & quomodo compingantur ossa in ventre prægnantis; sed non occultatum os meum à te, ait sanctus DEO, quòd fecisti mihi in occulto mentis sub secreto silentij. Sed nec à vobis occultatum est hoc mysterium, fratres mei, quorum experientia & confessio testis mihi est, quomodo quietus & modestus spiritus sub silentio roboretur, pinguescat, & floreat; quomodò è contrario per verba, velut quandam paralysin dissolvatur, & defluat, quomodo marcescat & aridus decidat. Denique si in silentio fortitudo non esset, Salomon nequaquàm dixisset: *sicut urbs patens & absque murorum ambitu; ita vir, qui non potest cohibere spiritum suum.*

Stobæus Ser. 31. III. *Affectuum moderatio*; nam, ut rectè Stobæus advertit, continentia linguæ non exigua virtutis pars, rationi subjici, & morigera fieri non potest, nisi quis multo studio, curâ & industriâ pessimos affectus, qualis ira est, devicerit.

S. Laur. Iust. l. de discip. & perf. mon. c. 22. IV. *Amicitias particulares devitare*, ut quæ sunt magnum obstaculum Taciturnitatis; nam hæ, ut rectè S. Laurentius Justin. advertit, secum gerunt lethale venenum, & simplicium animas, valido perditionis mucrone confodiunt. Semper hujusmodi discurrunt: semper similium consortia quæritant, in angulis, & latibulis silentij tempore, ut plurimum confabulari appetunt. Et post: Hic amor cùm in corde imprudentis exortus radices mittere, ac pullulare cœperit, corporalem quærit dilecti præsentiam: cum eodem cohabitare: cum eodem loqui desiderat: sicut autem ex ipsius gaudet aspectu, ita absentiâ contristatur. Solus vult cum eo, quem sensualiter diligit, loqui, &c.

§. VIII.

ASCETICA.

S. Laur. Iust. c. 15. de monast. discipl. I. INprimis natura hujus virtutis bene cognoscenda est, quæ non in eo consistit, ut nihil quis loquatur, sed potiùs ut sciat, quando loquendum sit, & tacendum; uti rectè S. Laurentius Justin: advertit, dicens: silentii virtus hæc est, non semper tacere, sed illa sola, quæ loqui non licet. Hanc namque discretionis regulam multi ignorantes graviter delinquunt. Quidam enim istorum extremo se restringunt silentio, & solam taciturnitatem virtutem esse putant. Tacent utilia proferre iis, quibus prodesse valerent, & interdum necessaria proximis interrogantibus respondere negligunt. Regium silentii iter patefacit sanctus Propheta, cùm dicit in Psalmo: *dixi, custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea*; non ut taceam, inquit, sed ut non delinquam. Quæ omnia pulchrè confirmans S. Chrysostomus, non est, inquit: omne silentium pulchrum, sed id solum, quod à mala abducit oratione, quod justi à DEO precibus postulant, quemadmodum ipse quoque David dicens: *Pone Domine, custodiam ori meo, & portam attentionis circa labia mea*, ostendens autem se orasse silentium à dictis nefariis, statim subjunxit: *Ne inclines cor meum in verba malitiæ.* S. Chrys. in Ps. 140.

Idem hom. 36. in 1. Cor. II. *Bene cognoscere debet, quibus potissimum in locis speciatim observari silentium oporteat*, nimirùm 1. *In templo*: nam Ecclesia est locus Angelorum, locus Archangelorum, regia cœli, cœlum ipsum. Quemadmodum igitur si cœlum quispiam in angustum redactum illuc inducat: etiam si patrem, etiam si fratrem videas: tamen præ stupore, non alloquare; sic neque hic aliud quicquam, quàm sancta sonare decet. Num & hîc cœlum dubitas? mensam istam vide, cujus gratiâ constituta sit, & quapropter: cogita, quis hîc sit progressurus: ante progressum certè horrebis. Juverit hunc impulsum consideratio reverentiæ silentiique ab Judæis in templo Jerosolymitano servati, quod nostrarum Ecclesiarum figura fuerat. De quo Aristeas: silentium verò tantum inest, ut, cùm septingenti ferè ministrorum continenter adsint: & offerentium libamina multitudo ingens: ne unum quidem hominem in loco versari putes. Summâ namque veneratione cuncta, & magnâ DEI pietate perficiuntur. Hinc merito S. Ambrosius an quidquam, ait, indignius est, quàm oracula divina circumstrepi, ne audiantur, ne credantur, ne revelentur; circumsonari Sacramenta confusis vocibus, ut impediatur oratio pro Arist. l. de 70. interpr. c. 7. S. Ambros. l. 3. de virg.

pro salute deprompta omnium, cùm Gentiles idolis suis reverentiam tacendo deferunt? Certè Cassianus de sui temporis monachis testatur, quòd cùm solemnitates, quas ipsi synaxes vocant celebraturi conveniunt; tantum à cunctis silentium præbeatur, ut, cùm in unum tam numerosa fratrum multitudo conveniat, præter illum, qui consurgens Psalmum decantat in medio, nullus hominum penitus adesse credatur. Ac præcipuè cùm consummatur oratio: in qua non sputum emittitur, non excreatio obstrepit, non tussis intersonat, non oscitatio somnolenta dissutis malis, & hiantibus trahitur. Nulli gemitus, nulla suspiria etiam astantes impeditura promuntur: nulla vox præter vocem Sacerdotis precem concludentis auditur.

Cass. L. 2. c. 10.

2. *In Sacristia*; uti Synodus Trevirensis indicavit dicens: Dum Sacerdos Missam celebraturus se præparat: & in sactario vestibus sacris induitur, summum ibi silentium omnes observent: ne quovis modo, vel causâ celebrantis devotio interturbetur: & tremendum illud mysterium summâ, quâ fieri potest, devotione conficiatur.

Synodus Trevirens.

3. *In Refectorio*, uti S. Isidorus monuit dicens, tempore convescentium fratrum omnes disciplinæ gerant silentium, Apostolo obtemperantes, qui dicit: *Cum silentio operantes suum panem manducent.* Certè de Essenis Josephus scribit: velut in sanctum quoddam templum, in cœnaculum veniunt: quibus ibi cum silentio residentibus, pistor quidem panes ordine, unum autem vasculum ex uno pulmento singulis coquus apponit.

S. Isid. reg. c. 9. *Joseph. de Bello Iud. l. 2. c. 7.*

4. *Ante focum vel fornacem tempore hyemis*; nam, ut S. Bonaventura bene advertit, usitatum est hosti, homines ad prunas seducere; Dominum sprevit Rex Joachim, negavit Petrus.

S. Bonav. p. 1. spec. p. 4. 96.

5. *Inter labores aut ordinarias occupationes*, de quibus sic loquitur S. Laurentius Justin: In sanctis cogitationibus occupanda mens est, cùm corporale fit opus; ut pariter cordis, & corporis gratum Altissimo offeratur holocaustum. Quòd si hoc fieri nequit, pronuntietur verbum ædificationis, vel vocalis saltem non deseratur oratio, ut Dominus dupliciter laudetur. Post, licet interdum, quamvis rarò, cùm communia fiunt exercitia, quædam humana & jocosa proferri verba, pro propriâ, aut pro fratris sublevandâ fragilitate, & deprimendâ tristitiâ. Paucorum enim est, rigorem ubique servare silentii.

S. Laur. Iust. c. 22. de discipl.

III. *Scire debet, quòd silentium non modò voce, sed etiam strepitu lædatur*, uti rectè Camaldulenses notârunt dicentes: quoniam verò silentium non solùm loquendo frangitur; sed etiam & magis aliquo sonitu, rumore, vel strepitu: ideo inviolabili observatione caveatur, ne unquam horis silentio deputatis, aliquid in cella, vel extra cellam Monachi, vel conversi in officinis quidquam operentur, quod sonitum aliquem aut strepitum possit causare. Indè ortum aliqui putant silentiariorum officium, non infimum in Palatiis Imperatorum, quorum ministrorum munus erat curare, ne quies Principis, sive dormientis, sive commendantis, sive alia negotia tractantis, ullâ ratione turbaretur.

Camald. constit. c. 41.

§. IV.

MISCELLANEA ET CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Qualitas.

I. Observastisne in Canticis labia sponsæ assimilari vittæ? Sicut vitta coccinea labia tua. Richardus de S. Victore exponit Mysterium: Labia sponsæ, inquit, vittæ comparantur: quia sicut vitta constringit crines, ne dissolutè diffluant: ita devota anima labia sua ligat, & cohibet, ne mala vel inutilia loquatur. Verùm advertendum, sponsum non dixisse duntaxat: *sicut vitta*: sed adjunxisse: *coccinea*, allúdendo ad charitatem, quæ exprimitur colore rubeo, quo voluit nobis simul indicare, quòd silentium alicujus animæ perfectæ virtutéque præditæ procedere debeat ex motivo charitatis, non ex quadam causa politica: debeat habere pro objecto amorem DEI & proximi, ad hoc ut sit actus virtutis & meriti: ac propterea addit idem Richardus: quæ vitta coccinea dicitur, quia per coccinum charitas intelligitur, quo labia hæc ligantur. Huic nostro proposito inservit quoque textus ille Apostoli ad Thessalonicenses: *iis autem, qui ejusmodi sunt, denunciamus, & obsecramus in Domino JESU Christo, ut cum silentio operantes suum panem manducent.* In Græco textu loco dictionis hujus, *silentio*, legitur: *cum quiete operantes, suum ipsorum panem edant*: Ex quo colligitur relatio, quæ est inter silentium, & pacem & quietem.

Richardus de S. Vict. in c. 4. cant.

II. Stobæi verba sunt: Aut dic aliquid silentio melius, aut sile. Pythagoras dicere solebat, aut oportet silere, aut afferre meliora silentio. Aut silentium tempestivum, aut orationem utilem habeat.

Stobæus ser. 34.

III. Dion Philosophus dicere solebat: naturam probè egisse, quæ geminas aures & linguam unicam nobis fabricavit, ut ad audiendum essemus, quàm ad loquendum, promptiores.

Mensa dissr. 9. n. 31.

Necessitas.

IV. Dixit quidam expertus, quidquid boni tacendo colligo, hoc ferè totum loquendo cum hominibus dispergo. Docet experientia, quòd in domibus Religiosorum, in quibus regularis viget observantia, silentium excitet spiritum devotionis, virtutis, perfectionis & ædificationis, adeò, ut quia nullus ibi strepitus, sed magna quies & men-

Idem n. 6.

tis

tis recollectio advertitur, de iisdem verificari possit: *Verè Dominus est in loco isto, non est hic aliud nisi domus DEI & porta cœli.*

D. Chrysostom. hom. 52. in Matth. V. Consilium, quod D. Chrysostomus hac in materia valdè utili & necessaria, posteritati consecravit, fuit illud; Magìs quàm pupillam oculi, linguam tuam custodias. Ecquis ignorat oculi pupillam obfuscari & obtenebrari quocunque etiam minuto pulveris atomo? Ad eundem modum, inquit, & infert S. Doctor, puritas animæ & conscientia nostra unico solo verbo malitioso, aut malitiosè prolato, maculari potest. Ad hæc notetur dictio illa: *Magis*; etenim si obscuretur oculi pupilla, deperditur lux corporalis: at si obtenebretur lux animæ, nempè, gratia, amittitur æterna salus: Ecce quantus ignis quàm magnam sylvam incendit. Lingua constituitur in membris nostris, quæ maculat totum corpus, & inflammat rotam nativitatis nostræ inflammata à gehenna, ait S. Jacobus.

S. Petrus Dam. ser. 74. VI. Portatis, fratres mei, vobiscum, portatis clavem cellulæ, portate & clavem linguæ; opponitis pessulum ostio, adhibete retinacula salubriter ori vestro.

Æquitas.

Idem. VII. Anima nostra superni Regis est sponsa, cui accepto pignore Sancti Spiritûs, signaculo fidei est desponsata. Maneat ergò in suis penetralibus virgo, non indecenter in publicum prodeat, non per oris limen egressa in supervacua se verba, ac sæcularia effundat, ne, si deviare eam sponsus à modesta suæ pudicitiæ gravitate conspexerit, quandoque objurgans dicat: *Si ignoras te, O pulchra inter mulieres, egredere, & abi post vestigia gregum.* In cubiculo igitur suo, virginali more, resideat, oris ostium clausum teneat, & nunquam, nisi quæ ad exspectandum pertinent sponsi cœlestis adventum, locutura procedat, sub umbra silentii se reprimat.

Utilitas.

Mansi disc. 1. n. 1. VIII. Quando Zacharias ab Angelo felix illud faustúmque recepit Evangelium, de nativitate Joannis Baptistæ, silentium simul eidem intimatum fuit: *Et ecce eris tacens, & non poteris loqui.* Et cur in summo gaudiorum apice, bonus & sanctus hic senex affligitur, privatur usu loquelæ, ac mutus efficitur; omnia in figura contingebant illis: Partus in lucem edendus qualis erat? *Vocabis nomen ejus Joannem,* quod interpretatur Gratia; ad hanc assequendam optima dispositio silentium est. De quo S. Antoninus discurrit in hunc modum: Gratiam positivè gignit, in cujus figuram Zacharias tacens Joannem, qui interpretatur, *Gratia,* genuit.

IX. Multa jurgia cessare facit, qui tacet. *Idem disc. 2. n. 6.* Cui conformiter proposito Drexelius facetam refert historiam: Mulier quædam Confessario suo dolenter exponebat multa jurgia & rixas, quas cum marito suo frequenter habebat, eò quod hic domum rediret semper ebrius, & quotiescunque ab ipsa reprehenderetur, toties ille majori accensus irâ pessimè ipsam tractaret. Confessarius tales excipiens querelas, pro remedio suggessit mulieri, ut aquam, videlicet, ex certo quodam fonte haustam tamdiu in ore teneret, donec maritus, ebrius domum rediturus, obdormivisset. Obedivit illa, cúmque aliquot vicibus eo remedio usa fuisset, bonum cessantis litis effectum, quem indè experiebatur, acceptum referebat virtuti talis aquæ, non reflectens se ad silentium, à quo procedebat. Quàm opportunè & appositè ei dici poterat: *Qui dimittit aquam, caput est jurgiorum.*

X. Notandæ sunt verba illa Jeremiæ Prophetæ cap. 8. *Ingrediamur civitatem munitam, & sileamus ibi*: quæ comparatio inter silentium & civitatem munitam? si dixisset, dormiamus sine periculo, sine timore vivamus, transire posset; at sileamus, cum quo hoc concordat? In sensu mystico si intelligamus verba Prophetæ, alludit ad animam, quæ benè custodit linguam; quamdiu hæc taciturna est, non est, quòd vereatur insidias, aut assultus antiqui adversarii, secura vivit, ac si munitam inhabitaret arcem. Celebre est illud Agathonis Abbatis exemplum in vitis Patrum; Tribus annis ille gestavit in ore lapillum, ut silentii & custodiæ linguæ acquireret habitum, quæro, cur in hunc effectum elegerit sibi lapidem potiùs, quàm lignum, vitrum, aut ferrum aliquod, vel plumbum, aut aliud quid simile? omninò mihi imaginor, & credo, eum alludere voluisse ad mysterium muri reprimentis hostis assultus, puta, ad taciturnitatem & silentium: quis ignorat, murum ædificari ex lapidibus? ergò si murus est, videlicet silentium, ædificemus, in se ipso sanctus ille senex dicere poterat. *Idem disc. 7. n. 4.*

Dignitas.

XI. Nihil tam cognatum Sapientiæ, quàm locis & temporibus aptare sermones, Personarum, quæ aderunt, æstimatione in medium vocatâ. *Macrobius in Saturnalibus.*

Jucunditas.

XII. Quidam Frater interrogavit Senem, usquequo servandum est silentium? Respondit Senex: usquequo interrogeris; in omni enim loco si taciturnus fueris, requiem possidebis. *Vitæ PP. in l. 7. c. 14.*

TITU-

TITVLVS LXXI.

TEMPLUM.

§. I.

Definitio.

S. Bonav. p. 1. de ded. Eccl. I.

E*St locus sanctis operibus destinatus, scilicet orationum frequentationi, lectionum recitationi, divinæ laudis dedicationi, & veri sacrificii oblationi.* Quod confirmans S. Bernardus, quis, inquit, Ecclesiæ parietes sanctos dicere vereatur, quos manus sacratæ Pontificum tantis sanctificavêre mysterijs? Ex tunc quoque & deinceps inibi lectionum resultare frequentia, sanctarum orationum devota murmurare susurria, sanctarum reliquiarum honorari beata præsentia, sanctorum spirituum indefessa noscitur custodia vigilare. *S. Bernard. apud Mansi Tr. 20. disc. 2. n. 1.*

Carolus in act. med. p. 7. f. 1038. II. S. Carolus Borromæus finem Templorum fusiùs declarans sic loquitur: Quòd si homines in actionibus & negotiis mundanis non casualiter aut modo fortuito agunt, sed per judicium & prudentiam se gubernantes, optimè id, quod faciunt, considerant; sicut & finem, ob quem ita faciunt, ut eam operi faciendo adhibeant diligentiam & industriam, quam operis qualitas & momentum requirit, quantò est rationabiliùs, quòd, quando ad Ecclesias, stationes, & indulgentias (tantæ nimirum considerationis negotia) contenditis, bene consideretis, quid facturi sitis, aut quo fine illud facere debeatis? Ecclesiæ eo præcipuè fine visitantur, frequentantúrque Domini nostri & sanctorum solemnitates, ut mysteria illarum solemnitatum colantur, & venerentur reliquiæ, ad participandam earum virtutem & efficaciam, ut per illas ad sanctorum excitemur exempla; ut dies illi sanctificentur; ut sanctis illis mediantibus peccatorum veniam, aliásque à DEO gratias obtineamus. Item Ecclesiæ eo fine frequentantur, ut venerando & tremendo Altaris sacrificio præsentes adsimus; ut fructum mortis & passionis Christi participemus; ut Psalmodiam & hymnos ad divinæ Majestatis laudem & gloriam decantatos auscultemus; Ad Ecclesiam ideo accedetis, ut orationes vestras simul cum precibus totius Ecclesiæ Catholicæ à sacerdotibus oblatis conjunctas divino conspectui præsentetis; Ideo eo contenditis, ut sanctorum intercessiores pro vobis procuretis; ut pro peccatis vestris misericordiam, à tribulationibus & ærumnis mundi hujus liberationem, in necessitatibus vestris divini auxilij subsidium, contra tentationes victoriam, & pro virtutibus acquirendis gratiam postuletis. Qua igitur ratione possibile erit, quòd ob fines hosce prædictos Ecclesiam adeuntes, nullam prorsus detis operam, ut in ea reverenter, devotè, silenter, in vobismetipsis recollecti, & ad omnia, quæ in illis fiunt, aut dicuntur, prompti & parati, divinis officijs assistatis, & sequamini præceptum Sapientis, qui dicit: *Custodi pedem tuum ingrediens domum DEI.* Refrænando videlicet omnes tuos affectus, cavendóque, ne quidquam loquaris aut committas, quòd loci illius sanctitati repugnet.

§. II.

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas.

I. VNam petij à domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo domini omnibus diebus vitæ meæ, ut videam voluptatem Domini, & visitem templum ejus. *Ps. 26.*

II. Domum tuam decet sanctitudo in longitudinem dierum. *Ps. 92.*

III. Domus mea domus orationis vocabitur. *Matt. 21.*

IV. Ego autem in multitudine misericordiæ tuæ introibo in domum tuam. *Ps. 5.*

V. Domine, dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ; ubi habitans glorificaris, inquit Interlinearis, ut non sibi, sed tibi detur gloria, & ideo non simpliciter habitationis, sed ubi habitat gloria, dicitur. *Ps. 25.*

VI. Dominus in templo sancto suo; sileat à facie eius omnis terra. *Habacuc. 2.*

VII. Introibo in domum tuam, adorabo ad Templum sanctum tuum in timore tuo. *Ps. 5.*

VIII. Introibo domum tuam in holocaustis, reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea. *Psalm. 65.*

IX. Introibimus in tabernaculum ejus, adorabimus in loco, ubi steterunt pedes ejus. *Ps. 131.*

X. Verè Dominus est in loco isto, & ego nesciebam, pavénsque, quàm terribilis est, inquit, locus iste! Non est hic aliud, nisi domus DEI, & porta cœli. *Gen. c. 28.*

XI. Ne appropinquas huc, solve calceamentum de pedibus tuis; locus enim, in quo stas, terra sancta est. *Exod. c. 3.*

Utilitas.

Pf 64. XII. Replebimur in bonis domûs tuæ, sanctum est templum tuum.

2. Par. 6. XIII. Si deprecati te fuerint in loco isto, dimitte peccata servis tuis, & doce eos viam bonam, per quam ingrediantur.

Pf. 49. XIV. Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter, quo ostendam illi salutare DEI.

Pf 83. XV. Quàm dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! concupiscit & deficit anima mea in atria Domini: Cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum: Etenim passer invenit sibi domum, & turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos: Altaria tua, domine virtutum, Rex meus & Deus meus: Beati qui habitant in domo tua, domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.

Iucunditas.

Isaia c. 56. XVI. Adducam eos in montem sanctum meum, & lætificabo eos in domo orationis meæ, holocausta eorum & victimæ eorum placebunt mihi super altari meo, quia domus mea domus orationis vocabitur cunctis populis.

Ibid. c. 66. XVII. Quæ est ista domus, quam ædificabitis mihi? & quis est locus quietis meæ?

Pf. 42. XVIII. Introibo ad altare DEI, ad DEUM, qui lætificat juventutem meam.

Irreverentia.

Jerem. c. 11. XIX. Quid est, quòd dilectus meus in domo mea fecit scelera multa.

Pf. 73. XX. Incenderunt igni sanctuarium tuum, polluerunt tabernaculum nominis tui.

Agg. c. 1. XVI. Respexistis ad amplius, & factum est minus; & intulistis in domum, & exsufflavi illud; quam ob causam, dicit Dominus Exercituum? quia domus mea deserta est, & vos festinâstis unusquisque in domum suam.

§. III.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Qualitas.

I. Hinc & illud quoque accidet, ut omnium *Conc. Eph. l. 5. c. 11.* penè mentibus insitum sit, naturaliterque persuasum, quæ DEO semel dedicata sunt, ea neque prophanari, neque ullâ hominum insolentiâ, divinâ vi obnitente, posse attingi; quo enim pacto fieri queat ut ea polluantur, quæ suapte natura semper sunt munda, cæteráque emundant omnia?

II. Maxima reverentia exhiberi debebat in *Abulens. in c. 34. Ex.* loco, ubi talis manifestatio DEI in signo fiebat, & sic nos, cùm in omnibus locis deputatis ad cultum DEI, eum colamus, nullus tamen est locus, in quo magis eum in reverentia magna habere debeamus, quàm ubi est sacratissimum Corpus Redemptoris, cùm nihil sit, in quo manifestior DEI præsentia appareat.

III. Quippe si orationis domus est, id tibi *Mansi disc. 3. n. 3.* oportet agere, quod vocatur, id est, orare, psallere, peccata confiteri, amaris oculorum lachrymis, & mentis gemitibus peccata abluere, & fiducialiter veniam de commissis culpis implorare; est quippe ibi specialiter respectus divinus. Assistunt ibi Angelici ordines pro populo deprecantes, qui preces nostras ad aures proferunt Domini Sabaoth.

IV. Omnes ad orandum in idem loci convenite, sit una communis precatio, una spes *S. Ignat. M. in epist. ad Magn.* in charitate & fide inculpata in Christum JESUM, quo nihil præstantius est; omnes velut unus quispiam ad templum DEI convenite, velut ad unum altare, ad unum JESUM Christum Sacerdotem.

V. Non autem in hoc solùm divini timoris officium est, ad domum DEI corporaliter convenire, & visibiliter genu flectere, sed animam supplicationis affectu, impetrationis fructu dignam facere, & ad exorandum fide & operibus præparare. *S. Eucherius ho. oportet semper orare.*

VI. Filiationem vestram, charissimi, commonemus, ut convenientes ad sacratissimum DEI Templum, id diligenter pertractare studeatis, ad quod venistis; si enim veraciter creditis templum DEI esse illud, ad quod convenitis, id procul dubio inibi operari debetis, quod ei placeat, cujus templum est, ad quod convenitis. Cùm enim ubique DEUS sit, in suo tamen templo specialiter debet requiri, & quantum ipse inspirare dignatus fuerit, inibi quod ei placet, debet expeti. *Concil. quoddam apud Mansi tr. 10. disc. 4. n. 9.*

VII. Nolens aliquid in domo sua terrenæ negotiationis, ne ejus quidem, quæ honesta putaretur, exhiberi, dispulit negotiatores: Quid ergo, fratres mei, putamus, faceret dominus, si rixis diffidentes, si fabulis vacantes, si risu dissolutos, vel alio quolibet scelere reperiret irretitos, qui hostias quæ sibi immolarentur, ementes in templo vidit, & eliminare festinavit? *V. Beda in c. 2. Ioan.*

VIII. Quid facis homo, mulieris speciem curiosus in Ecclesia perscrutaris, nec horrescis tantâ templum DEI afficiens contumeliâ? Prostibulúmne tibi videtur Ecclesia, & foro ignobilior? Nam in foro erubescis, etiam times, ne quis te videat mulierem sectari; in Ecclesia verò DEI, cùm ipse DEUS te alloquatur, & ab istis deterreat, eo ipso tempore maximè fornicationi & adulterio vacas, quo tibi magna voce intonatur, ut ab his fugias, nec horrescis, nec stupes. *S. Chrysost. ho. 74. in Matth.*

IX. Adumbrat locus iste (*facies & labrum æneum*) examen, quod quisque facere tenetur, cùm ingreditur domum DEI, ut non nisi lotus ingrediatur, sed timendum valde est, ut Augustinus notavit, ne maculas à corpore extergas & laves, non autem à mente. Mirum valde est, quòd non audens illotis manibus, aut ore Ecclesiam intrare, audeat verò illotâ mente, & plenus perjuriis & adulteriis, & id genus aliis peccatis, Ecclesiam introire. Si macula in corpore aut in veste apparet, non audes intra- *Oleaster in c. 30. Ex.*

trare; si verò sordida mens & conscientia, nihil times. Specula mandat Dominus poni juxta fontem aquæ: specula vero tua, mandata sunt DEI. *Tunc*, ait Justus, *non confundar, cùm perspexero in omnibus mandatis tuis.*

S. August. 3. de dedic. Eccl. X. Restituat dominus fidelibus suis tam piè, tam hilariter, tam devotè ista operantibus, ut eos quoque ipsos in suæ fabricæ constructione componat; quò currunt lapides vivi fide formati, spe solidati, charitate compacti; ubi sapiens ille Architectus Apostolus fundamentum posuit Christum JESUM; fundamenta ergo in cordibus vestris Apostolica, & Prophetica monita jacite, humilitatem sicut pavimentum sine offensione prosternite; salutarem in corde vestro doctrinam orationibus ac sermonibus tanquam firmis parietibus communite; divinis eos testimoniis tanquam luminaribus illustrate; infirmos sicut columnæ sufferte; inopes sicut tecto protegite, ut vos Dominus in æternum perfectos, dedicatósque possideat.

S. Bernard. apud Engelgrav. dom. 9. post Pent. XI. Terribilis planè locus, & dignus omni reverentiâ, quem fideles viri inhabitant, quem Angeli sancti frequentant, quem suâ quoque præsentiâ Dominus ipse dignatur.

Ibid. XII. Est locus Angelorum, locus Archangelorum, regia cœli, cœlum ipsum: Quemadmodum igitur si cœlum quispiam in angustum redactum illuc inducat: etiamsi Patrem, etiamsi fratrem videas, tamen præ stupore non alloquâre: sic neque hic aliud quidquam quàm sancta sonare debent. Idem S. Nilus inculcat: ut templum aditurus, se cœlum ingredi cogitet: Ecclesiam, inquit, non secùs ac cœlum frequenta, nihilque in ea aut loquere, aut age, quod terram sapiat.

Utilitas.

Gerson Dom. 19. post. Pent. XIII. Inter sævientes, turbidósque aëreatum potestatum, ac spiritualium nequitiarum insultus, inter crebra periclitantis mundi discrimina, summus Architector JESUS domum struxit, æternis basibus stabilitam, quæ euntibus in ipsam esset in domum refugii, in asylum protectionis tutissimum.

Idem de vit. clerie. XIV. Crux & Crucifixus nònne loquuntur, ut pœnitentiam agamus? cùm talem ipsum Christum ante oculos statuant, quo nullus unquam acerbiùs doluit, non pro suorum, sed pro nostrorum satisfactione peccatorum. Sanctorum rursus, sanctarúmque imagines idem suadent, ingerentes memoriæ nostræ, quòd per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum DEI. Denique tumbarum sculpturæ magnis nos vocibus & lamentis ad pœnitentiam provocare non cessant, ingerentes quid illæ sunt, quid fuerunt, quid nobis meruerunt, quid exigunt ut suum, quorum corpora incinerata tegit tellus.

S. Chrysost. 10. 1. hom. 69. XV. Habes Ecclesiam, sacrificium, quod perficitur, habes Patrum orationes, habes Spiritus Sancti domum, Martyrum memorias, & sanctorum congregationem, multáque alia, quæ sunt hujusmodi, quæque possunt te à peccatis ad justitiam revocare.

XVI. Vitæ diligentiam & puritatem nihil sic efficit, & corrigit, ut continua in templis conversatio, & alacre ad audiendum verbum DEI studium. Idem ho. 10.

§. IV.

EXEMPLA SACRA.

Qualitas.

I. DAvid Rex supra omnes veteris testamenti sanctos hoc encomio insignitus & nobilitatus fuit, ut ab illo vocaretur vir secundùm cor DEI: *Inveni virum secundùm cor meum*: sed quonam merito hoc sibi privilegium præ omnibus aliis comparavit? Certè non alio, quàm quia præ cæteris honorem & decorem domûs DEI zelavit; quis enim alius per tot sæculorum curricula de erigenda DEI domo, Ecclesia, vel templo aliquo adeò sumptuosè cogitavit aut sollicitus fuit, quàm ipse, qui pro hoc ædificio ad honorem DEI erigendo tot auri & argenti milliones congregavit, cui operi adeò intentus erat, ut pro vehementia sollicitudinis oculi ejus somnum vix capere possent? *Sicut juravit Domino, votum vovit DEO Jacob, si introiero in tabernaculum domus meæ; si ascendero in lectum strati mei; si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, & requiem temporibus meis, donec inveniam locum Domino, tabernaculum DEO Jacob.* Mansi disc. 1. n. 2.

II. De Matre S. Gregorii scribit Nyssenus: Quòd in conventibus locisque sacris nunquam illius vox audita sit, necessarias tantùm illas & mysticas excipio, ut nullum ab illius ore verbum in Ecclesia prodierit, nisi quod cum lachrimis DEO funderet. Plus ille dicit de religiosissima matre sanctissimus filius: venerandæ mensæ nunquam terga vertit, nec divinum solum conspuendo inquinavit. Tam urbana erat erga sacram aram, ex qua panis, qui de cœlo descendit, dispensabatur, ut religioni duceret, dorsum illi obvertere, ipsum autem pavimentum templi sic devenerabatur, ut labem fœdam sacro loco afferre putaret, si vel excrearet; rusticam etiam profanationem, aut profanam rusticitatem arbitraretur, nisi muto silentio, & toto ad reverentissimam observantiam composito corpore locum cœlestem, solium permagnificum, imperialem thronum augustissimæ omnipotentiæ DEI quàm urbanissimè coleret. O divina mulier! si insolentias, vanitates, impietates, quæ in templis DEI à nobis hoc tempore exercentur, videres, vivere dolor non sineret. Didac. Nyss. p. 4. 5. Domin. ult. post Pent.

III. S. Hieronymus de seipso scribit: Quando iratus fuero, & aliquid mali meo animo cogitavero, & me nocturnum phantasma delu- S. Hieron. contr. Vigilant. l. 1. n.

serit

ſerit, Baſilicas Martyrum intrare non audeo, ita totus & corpore & animo contremiſco.

S. Nilus in ep. ad Anaſt. IV. S. Nilus in epiſtola quadam ad Anaſtaſ. de D. Chryſoſtomo Miſſam celebrante ita ſcribit: Cum cœpiſſet ſacrificium, plurimæ ſtatim ex illis virtutibus, è cœlo deſcendentes, ſtolis indutæ ſplendidiſſimis, nudis pedibus, intentis oculis, pronæ altari, magno cum ſilentio & reverentia, quoad venerandum illud myſterium expletum fuerit, circumſteterunt.

Amphil. in vit. S. Baſil. V. Amphilochius de S. Baſilio M. refert, quòd vix unquam celebraverit: quin ſemper cœleſti aliquâ viſione frueretur: ſemel tantùm culpâ diaconi cujuſdam, qui ei aſſiſtebat, illâ privatus remanſit, eò quòd Diaconus ille laſcivum in mulierem oculum defixiſſet, tunc enim ſubitò Angelici ſpiritus diſparuerunt, quem tamen mox, ut à ſe removit, priſtinos viciſſim favores experiri cœpit.

Manſi diſc. 3. n. 3. VI. De Abulenſi Leontio in Prato ſpirituali refertur, quòd Angelum dextero altaris cornui aſſiſtentem conſpexerit, ſibi dicentem: Ex quo ſanctificatum eſt altare iſtud, ego jugiter illi adſtare juſſus ſum.

Drexel. l. 2. Tribun. c. 3. §. 1. VII. Drexelius ſcribit, Philippum II. dum rei ſacræ regio ſtipatus comitatu intereſſet, duos è ſuis magnatibus ſibi vicinos familiariùs inter ſe fabulantes obſervaſſe; redeuntem verò in conclave, illos ipſos atroci vultu notâſſe, ac dixiſſe: Vos à conſpectu meo poſt hac abite; quo velut fulmine icti, ita perturbati ſunt, ut alter mœrore ſenſim contabuerit; alter emotâ mente, attonito ſimilis, in omnem vitam manſerit; quid erit aſpectu DEI, in quem deſiderant Angeli proſpicere, & in quo omne bonum contemplantur, in æternum arceri? quod Iſaias prædixit olim populo ſacrilego: *in terra ſanctorum iniqua geſſit, non videbit gloriam Domini.*

Io. Rho l. 3. c. 7. n. 2. VIII. S. Franciſcus Xaverius memor Apoſtolici dicti, levabat ubique manus ſuas in oratione, ſed nihilominus, quum in templis adorandi, exorandique DEI copia dabatur, in ea ſe libentiſſimè abdebat, & noctes inſomnes ante aram traducebat: certè templum illi Goæ pro conclavi fuit, in quo quietem in precibus caperet, nihilque illis demeret, niſi quantùm ſibi ineluctabili ſomnus raperet neceſſitate.

Ibid. n. 4. IX. Carolus Scribanius è Societate JESU, vir rebus agendis, & litterarum ſtudiis, ſcribendiſque libris occupatiſſimus pro feſtis tamen diebus aras, & totius templi ornatum ipſe per ſe componere conſueverat. Haud ſatis erat homini religioſiſſimo auctoritate, quâ plurimùm valebat, apud viros principes ac ditiſſimos mercatores ſatagere, ut magnificè templa omni ſacrâ ſupellectili inſtruerentur; niſi ſuam quoque operam adjungeret, ac laborem; quod tantò eſt laudabilius, quantò in hujuſmodi occupatis ac litteratis hominibus rariùs videtur.

Ibid. n. 6. X. Jacobus Granadus ex eadem Societate, ſacras DEO ædes, luteas ſcilicet has noſtras cœleſtium templorum imagines, quum præter tranſiret, aperto capite, ubi primùm fuerat conſpicatus, incedebat; in peregrinationibus verò, quùm oppidorum procul turres & tecta ſumma cœperant apparere, tum prima Granado cura templi oculis perveſtigandi, quod mox detecto ad reverentiam capite, ſacris hymnis, ac precibus conſalutaret. Quorum verò templorum curatio Societati obveniſſet, ea quàm magnificentiſſimè ſplendere cupiebat; & quidem quum res ad ipſum ſpectaret, ne quidquam ad ornatum, elegantiámque deſiderari poſſet, nullâ ſumptuum habitâ ratione, procurabat. Enimvero ſi Domini eſt aurum, illi iure optimo redditur.

XI. Superiori ſæculo in ſolo Regno Mexicano, vix tum ad Chriſti fidem traducto, fuère extructa octoginta Religioſorum domicilia: Deinceps autem, hoc eſt, ab ejuſdem ſæculi anno ſeptuageſimo numerata ſunt ſeptuaginta, & eo ampliùs templorum millia, à Caſtellæ Regibus ibidem condita; in quibus ſunt quadraginta ampliſſimi & ditiſſimi Epiſcopatus. Scribanius in polit. præfat.

XII. Jacobus Rex. 2000. templa B. V. ædificavit. Berry. in Parad. à ſ. c. 6. devot. 8.

XIII. Reges Hiſpaniæ in ſolo Occidente ſupra ſeptuaginta templorum millia, ditiſſimâ pietate erexerunt.

XIV. Templum S. Sophiæ Conſtantinopoli ea fuit majeſtate, ut cùm dedicatio ejus celebraretur primò, exclamâſſe feratur Juſtinianus Imperator: ἐνίκησά σε Σαλομών: Superavi te, Salomon. Unde & in ejuſdem templi pariete quaſi victus & mœſtitiâ perfuſus pictus erat Salomon, ceu victum ſe ſe à Juſtiniano doleret, ſi viveret, ac videret Sophiæ templum. Iac. Goar. in Miſſ. S. Chryſoſt. n. 18.

XV. Ferdinandus Magnus Caſtellæ Rex cùm mortem propinquam ſentiret, Sacrum fieri juſſit in æde S. Iſidori Hiſpalenſis, in eóque ſacrâ ſe communione refecit. Die ſequenti vocatis Epiſcopis, Abbatibus, & viris religioſis ad Eccleſiam diademate coronatum, & regali cultu fulgentem deportari ſe juſſit, cúmque ad S. Iſidori tumulum veniſſet, coram eo adſtans, clamavit ad Dominum altâ voce: Tua eſt Provincia, tuum eſt regnum, Domine, tu es ſuper omnes Reges, tuo imperio omnia ſubjecta; quod te donante accepi, reſtituo tibi regnum, tantùm animam in æterna jubeas luce collocari: His dictis exutus regalibus ornamentis pro venia exorabat: Et receptâ ab Epiſcopis pœnitentiâ, & extremâ unctione, indutus cilicio & cinere conſperſus, duobus diebus in pœnitentia ſupervixit. Thom. Blanck. in Pſalm. 2. n. 92.

XVI. Franciſcani cùm initio in tugurio derelicto extra urbem Aſſiſium habitarent, & libris ad pſallendum carerent, rogarent Patrem unum eruditum, qui de cruce Chriſti jugiter eis habebat ſermonem, ut ipſos doceret orare, dixit: Cùm orabitis, dicite, *Pater noſter.* &: Adoramus te Chriſte, ad omnes Eccleſias tuas, quæ ſunt in toto mundo, & benedicimus tibi, quia per crucem tuam ſanctam redemiſti mundum. In hiſt. Seraph. Relig. l. 1. c. 4.

dum.

dum. Docuit præterea, DEUM laudare in omnibus, & ex omnibus creaturis præcipuè honorare Sacerdotes; servabant illi hæc diligenter, & ad omnes Ecclesias & cruces, quas è longinquo videre poterant, se humiliter prosternebant.

Bavar. sanct. vol. 1. XVII. S. Bruno ex Ragspurgensium familia pòst P. M. Leo IX. dictus, Norimbergam iturus à duobus nobilibus viris à Schwarzenburg invitatus, ut Sacellum, quod in transitu esset situm, consecraret, ductâ manu in modum crucis, sic ut equo insedit, nullâ aliâ admotâ ceremoniâ nobiles dimisit; illi haud dum rati Sacellum consecratum unâ manûs inflexione, rogâverunt, ut dignaretur in ipso templo consecrare templum. At ille, si non omnes consecrationis notas reversi in Sacello videritis, revocate me, inquit. Nobiles reversi, omnia pro more indicia consecrati templi reperêre; Templum scilicet, oleo delibutum, cruces, literas in pulvere &c. cœlitum utique ministerio.

Ibidem. XVIII. B. Bertha Henrici Hilpolsteinij, & Bertæ filia, cœnobium, quod Biburgi exstruxit, ipsa adjuvit manuum labore, lapides & cæmenta nudis pedibus apportando. Idem legitur de Matre Eberhardi Biburgensis Abbatis, pòst etiam Archiepiscopi Salisburgensis; quod exemplum plurimæ fœminæ tunc secutæ, utrique se socias addidere.

Albert. Konowscky c. 3. not. XIX. Est in oppido Mitivo templum S. Petro sacrum, quod dicitur Boëmicè Sliwice, quod latinè sonat: Iverunt plures: Quia illud templum magno miraculo nunquam ita potest hominibus repleri, quin plures capiat. Ejus stupendi miraculi modum deprehensuri nonnulli nobiles conspirarunt, & subditos suos ad multa millia ad certum diem adduxêre. Templum ipsum ferreâ catenâ circumdederunt, visuri, num forte parietes discederent, ut tanto populo locus superesset; sed immotâ catenâ, immotisque parietibus ingresso populo universo superfuit locus pluribus ingressuris. In eo templo statua est, S. Petri lapidea olim è terra eruta, quæ interdum dicitur fieri tam gravis, ut à nemine loco moveri possit. Aliàs templo illo egressa viatoribus in vijs publicis occurrebat.

Drex. p. 3. c. 1. Aur. ttfod. XX. Rex David pro sumptu Templi destinavit & reliquit centum & octo millia talenta auri; argenti vero decies centena & septendecim millia. Hæc omnia auri & argenti talenta pene ter millies decies centena millia nummorum nostratum aureorum conficiunt, hoc est ter mille milliones. Cornelius à Lapide ait: Salomoni pro Templo reliquit Pater bis mille & quadringentos milliones auri. Ratione monetæ Italicæ facit auri & argenti Ducatos 3282. milliones: insuper centum triginta quatuor millia & viginti quatuor. Ad calculum Hispanicum facit ea summa 2812. milliones, octo millia; trecentos septuaginta quinque Ducatos Hispanicos. Ad Gallicum calculum 2745. milliones unum & quinquaginta millia, sexcentos & sexaginta sex aureos nummos Gallicos. Hanc auri summam, ut tota ex auro sit, non ferrent decem millia curruum nongenta & octoginta, quamvis singuli currus caperent ducenta & quinquaginta millia aureorum; ut ait Salianus, *de amore DEI lib. 8. c. 7. in fine.* In hoc Templo ædificando laborârunt homines supra centum sexaginta quinque millia. Præfectorum tria millia trecenti: Proselytorum in monte onera portantium septuaginta millia: Latomorum & Saxa Templo parantium octoginta millia. Ita Chronicon Regum. *2. Paralip. c. 2.*

Car. Sigon. l. 1. an. 589. de Italia. XXI. Narrat Sigonius fluvium Athesis Anno 589. in Urbe Veronensi adeò inundâsse, ut ad Ecclesiam S. Zenonis usque pertigerit, ubi tametsi portæ paterent, ipséque fluvius ad fenestras usque Templi intumuisset, ipsum tamen Templum minimè ingredi præsumpsit. Sic quoque S. Greg. Thaumaturgus montem quendam, qui Ecclesiæ cujusdam, quam dictus Sanctus moliebatur erigere, fabricam impediebat, retro cedere, sufficientémque muris Ecclesiæ fabricandis situm & spatium indulgere jussit.

Utilitas.

Mansi disc. 8. n. 3. XXII. S. Maria Ægyptiaca vitam duxerat lubricissimam & libidinosissimam, & tamen quando Hierosolymis templum S. Crucis ingressa fuit, non tam ut adoraret, quàm ut ab amasijs suis adoraretur, DEUS ibidem cor ejus tetigit, mox ut pedem suum sacro templi illius limini intulit. Unde licet Psalmista dicat: *suscepimus misericordiam tuam in medio templi tui*, attamen peccatrix illa, uti ipsamet Zosimo sanctissimo Monacho retulit, dum in pressura ingentis cujusdam multitudinis hominum, urgendo templum ingredi conaretur, & juxta templi portam posita nullâ ratione penetrare posset, quin potiùs se invisibili quadam virtute bis terve ab Ecclesiæ foribus retrahi & dimoveri experiretur, tandem in limine Ecclesiæ divinam erga se experta est pietatem; siquidem ad semetipsam conversa, suámque indignitatem considerans, atque ab invisibili quodam divinæ misericordiæ radio tacta, suscepit misericordiam suam, non in medio, sed in ingressu templi sui, docuit eam viam bonam, per quam ingrederetur; nam intrinsecus in corde suo compuncta vitam suam pro viribus emendare decrevit, pectúsque suum percutiens, & peccata sua amarè deplorans ingressa est, talémque in se mutationem experta fuit, ut ex tunc vitam pœnitentem, rigidam, & immaculatam, ut omnibus constat, exorsa fuerit.

Irreverentia castigata.

S. Athan. ep. ad solitarios. XXIII. S. Athanasius circa annum trecentesimum quinquagesimum sextum refert, quòd Constantio Imperatore Ariano Imperij habenas gubernante, multi dissoluti juvenes Alexandrinam ingressi fuerint Ecclesiam, quorum

rum unus ingenti cum petulantia in throno Episcopali se ad sedendum collocavit, ac demum eundem contemptibiliter à loco suo dimovere conatus fuit: omnes autem fornicarios ronchos, nullâ majestatis loci sacri ratione habitâ ducebant è naribus: sed non diu abfuit ultrix DEI Manus. Nam ut Azotij olim ausi Arcam tangere interibant, sedium tormentis priùs excruciati, ita quoque miser iste ausus sedem convellere: fragmento ligni inde in ventrem ipsius resiliente, & quasi ab ipsa ultione impacto, sua intestina perforavit, & eâdem vi, qua solium disrumpere conabatur, ruptâ alvo suo intestina effudit.

S. Gregor. Tur. c. 105. de glor. Mart. XXIV. S. Gregorius Turonensis alteri cuidam è prophanatoribus, irrogato supplicio testimonium per sequentem perhibet à se conscriptam historiam: Cùm Chilperici milites in homines passim desævirent, multi ad eorundem declinandam barbariem, in Basilicam sancti Vincentij confugientes, in eadem securos se futuros esse credebant. Milites autem in eandem Basilicam nusquam invenientes aditum, primò quidem Basilicæ foribus ligneis ignem admoverunt, qui, dum omni sua activitate destitutus, nihil eis commodi præstaret, illas securi confregerunt; direptisque, quæ in Basilicam intulerant, cunctis eorum bonis, gladio tandem omnes in Basilica repertos trucidârunt: sed non diu hæc remanserunt inulta, alij à dæmone correpti, nonnulli in flumine Garumnæ necantur, multi etiam à frigore occupati, diversis in partibus diversorum morborum genere vexabantur.

Manss. Loc. cit. n. 13. XXV. Aretas Archiepiscopus circa annum 912. de Alexandro Imperatore scribit, quòd ingentem die quadam ex naribus & secretioribus corporis sui partibus sanguinis copiam egesserit, indéque mortuus sit, eò quòd arroganter, & ex mero contemptu, contecto capite, Ecclesiam fuerat ingressus; Et quia aliàs sacram mensam in templo spoliaverat, in mentis incidit delirium, à quo vix unquam postea sibi plenè restitutus fuit.

§. V.

EXEMPLA PROFANA.

Vita S. Franc. l. 3. c. 8. I. Oblata S. Francisco ovis ad B. V. de Portiuncula, fuit ei perchara, eam monuit, ut laudibus divinis intenderet, & ab omni Fratrum offensa caveret. Ovis autem jussa miraculosè executa est. Nam audiens Choro cani, adfuit, & spontè genua curvavit, balans ante Aram B. Virginis, velut eam salutaret, sub elevatione item genua flectebat, idque nemine docente.

S. Ambr. l. 3. de Virg. prope init. II. S. Ambrosius scribit, Alexandro sacrificante Macedonum Rege, puerulum barbarum, qui ei lumen accenderat, excepisse ignem brachio: atque adusto corpore mansisse immobilem, nec dolorem prodidisse gemitu, nec tacito pœnam indicâsse fletu: tanta in puero barbaro fuit disciplina reverentiæ, ut naturam vinceret; atque ille non deos, qui nulli erant, sed Regem timebat. Quid enim timeret eos, qui, si idem ignis eos contigisset, arsissent?

III. Seneca testatur, ipsa quoque collapsorum templorum rudera, lapides & cœmenta, à cæcis gentilibus in summâ habita fuisse veneratione: Non magìs, inquit, contemnitur sapiens, cùm jacuit, quàm sacrarum ædium ruinæ calcantur, quas religiosè, æquè ac stantes adorant. *Seneca ad Alb. 91.*

IV. S. Hieronymus Philosophos Platonicos & Stoicos, ut majorem in virtutibus moralibus facerent progressum, in domibus, quæ sacris locis vicinæ erant, commorari solitos fuisse, his verbis scribit: Platonici, & Stoici in templorum locis & porticibus versabantur, ut admoniti augustioris habitaculi sanctitate nihil aliud quàm de virtutibus cogitarent. *S. Hieron. l. 2. contra Iovin.*

V. De Turcis refertur, quòd cœnaculum montis Syon, in quo sanctissimum Altaris Sacramentum institutum fuit, ingressuri, præ reverentia, quâ locum illum venerantur, sese discalceent, nudisque illud pedibus ingredientes, interdictum sibi esse persuadeant, ne oris sui salivam in illud exspuant; habétque hæc veneratio suam ab antiqua quadam traditione originem, quæ inter Turcas circumfertur, quòd nimirum Christus eodem in loco olim solemnem quandam instituerit Cæremoniam. *Novarin. apud Mans. disc. 1. n. 5.*

VI. Cyrus Rex, Templum Jerosolomytanum denuò in honorem DEI fabricari, & restaurari præcepit, eúmque in finem plurima subsidia subministravit: Protulit vasa templi Domini, quæ tulerat Nabuchodonosor de Jerusalem, & posuerat ea in templo DEI sui, omnia vasa aurea & argentea, quinque millia quadringenta. *1. Esdræ c. 6.*

VII. Darius pariter Cyri exemplum imitatus, licèt & ipse idololatra esset, idem DEI templum honoravit, illud suis sumptibus perfici curando. *Mansf. l. c. n. 8.*

VIII. De Alarico Gothorum Rege in Annalibus Ecclesiasticis refertur, quòd, tametsi in cunctis alijs actionibus barbarus esset, attamen, postquam post diuturnam obsidionem urbem Romanam potestati suæ tandem subjecisset, vetuit per edictum publicum, ne ulla ijs inferretur molestia, qui securitatis causâ ad loca sacra, & præcipuè in Sanctorum Petri & Pauli confugissent Basilicam. Accidit autem, ut, dum potens quidam Gothus per urbem oberrans in certa quadam domo Virginem sacram provectæ ætatis invenisset, omne aurum & argentum ab ea sibi extradi postulârit. Cui Virgo constanti fide, animóque magnam auri argentíque sibi quidem copiam esse respondit, eandémquè ei videndam ob oculos posuit (erant enim vasa sacra penes ipsam majoris securitatis causâ in custodiam deposita, quæ haud sine divina inspiratione barbaris revelanda esse censuit) cúmque barbarus hic Gothus ingentem hunc thesaurum summo stupore vidisset, Virgo Christi: En, inquit, hæc sunt vasa sacra S. Petri Apostoli, rape illa, *Baron. ann. 410. n. 23.*

si

si audes, & videbis, quis indè tibi eventus sit secuturus, ego interea, quæ ad hunc thesaurum à raptoribus tuendum minimè sufficio, illa quoque mihi reservare non præsumo. Barbarus autem hæc omnia ad Alaricum retulit, qui omnia prædicta vasa sacra ad Basilicam Principis Apostolorum sine mora deportari, præfatam quoque virginem, & omnes Christianos, qui prædicta vasa sacra ad Basilicam usque S. Petri comitarentur, cum omni securitate ab omnibus injuriis immunem tutari mandavit. Magna igitur cum pompa omnia illa vasa aurea & argentea â diversis super caput imposita prolixo itinere (cùm domus præfata ab Ecclesia S. Petri procul posita esset) deportata fuerunt, stipantibus utrumque portatorum latus plurimis militibus districtum in manu sua gladium tenentibus, decantatísque publicè tam à Romanis, quàm à barbaris in honorem DEI hymnis & canticis.

Apud Mansi disc. 11. n. 18. IX. Idem de quodam Maurorum belli Duce, viro sagaci & experto, cui nomen Cabaon erat, refertur, eum suorum nonnullis præcepisse, ut, si Wandali exercitum moventes, aliquas orthodoxorum Ecclesias prophanarent, ipsi easdem ab hostibus dehonestatas repararent, & ad cultum DEO in iis debitum exsolvendum disponerent; dicebat enim, DEUM Christianorum, qui ab orthodoxis colebatur, utique castigaturum iniquos, qui illum offendunt, & auxiliaturum iis, qui ipsi fideliter serviunt: Cùm igitur Wandali Arianâ labe respersi Ecclesias Catholicorum contaminâssent, Cabaoni militantes exercitus iis recedentibus, easdem Ecclesias sic prophanatas mundabant, & expoliebant, gratísque & odoratis suffitibus adimplebant, ipsos quoque Catholicos Sacerdotes suis denuò honoribus & Ecclesiis restitutos, in pristinum dignitatis & authoritatis gradum reponebant; Qua executione per suos factâ, Cabaon adversus inimicos suos exercitum movit, magnámque in illis stragem edidit, adeò ut pauci ex iis ad domum propriam reverti possent.

Oros. & S. Bernardin. X. Orosius, & ex ipso sanctus Bernardinus de Pompejo Magno scribunt, quòd, postquam viginti duos in Oriente Reges debellâsset, multósque de omnibus inimicis suis, contra quos dimicaverat, retulisset gloriosos triumphos, tandem quoque Hierosolymam arctâ obsidione diu cinctam invaserit, omnésque, qui ad templum confugerant, occiderit, illúdque in stabulum equorum convertens, suos in eo equos collocarit: unde divino Judicio factum est, inquit S. Bernardinus, ut, qui antè in omnibus victor erat, post hoc infeliciter victus fuerit.

Ex litteris Malacæ datis 1554. XI. In quadam urbe Regni Regu vidit Rev. P. Mendozius Idolum, quod dictum est DEUS somni, qui sub capite habebat 48. pulvinaria è saxo, fuit idolum longum 90. pedes, & jacens uno brachio faciem tegebat. Rogati incolæ, cur Deos tam magnos effingerent, responderunt, quia DEUS ipse esset magnus, decere eum magnis rebus repræsentari. In eo Regno templum est, cujus Idolum dicitur ab incolis esse DEUS centum & decem millium Deorum Dominus, dicúntque esse inibi totidem Deorum simulacra, quæ tamen numerare Patrem, qui inibi fuit, pigebat.

XII. Templum Dianæ Ephesinæ 220. annis à tota Asia ædificatum est, in quo aliud quoddam miraculum erat, columnæ 127. à singulis Regibus factæ, 60. pedum altitudine. *Maiolus in canic. colloq. 25. f. 971.*

XIII. Templum Upsalæ tantæ erat venustatis, ut pavimentum, muri, columnæ auro tectæ, ipsum quoque tectum ex auro confectum fuerit, & catena insuper aurea totum templum ambiverit. *Ibid.*

XIV. Vespasianus Imperator in restitutione combusti Capitolii ruderibus purgandis manus primus admovit, ac suo collo quædam extulit. *Suetonius in vit. c. 8.*

XV. In eo diplomate, quo Sinarum ac Tartarorum Rex Xunchi anno 1650. templum à P. Adamo Schall Pecchini exstructum honoravit, & legem Christi approbare se dixit, & laudare, tandem subjungit: Ideóque ad perpetuam hujus rei memoriam hunc illius Ecclesiæ Titulum præfigo: Tun hiven hia kim, id est, excellens penetrando cœlo locus. *Kirckerus in China illustri p. 2. c. 8.*

XVI. Adstabat Christianorum sacrificio Rex Christianæ adhuc mansuetudinis ignarus, & quamquam sub ramalibus à sacerdote fieret, majestas nihilominus, & latens mysteriis Divinitas attonitum habebat, animóque suspensum. Inter hæc nobiles Ephebos ante mapalis ostium perstrepentes audit, ratúsque violatam, ut non ineptè interpretabatur, præsentis Numinis majestatem, non nisi adolescentium cæde posse expiari, rapi illico ad supplicium jubet. Luissent sanguine irreverentiam adolescentes, nisi Lusitanus docuisset, DEO, uti quàm maximè cordi sit reverentia, magis tamen adhuc mansuetudine illum delectari, eo præsertim sacrificio, quod incruentum esse sancivit. *Io. Rho l. 5. c. 1. n. 7.*

§. VI.

SIMILITUDINES.

I. Sicut cœlum Empyreum est locus contemplationis, ita Ecclesia materialis est locus orationis, non quòd oratio & contemplatio de necessitate determinent vel exigant locum, sed quia sic decet, ut in loco altissimo habitent, qui DEO fruuntur, & in locum consecratum conveniant, qui Dominum deprecantur. *Dion. Carth. in c. 56. Isaiæ.*

II. Sicut is, qui eodem tempore, quo Henrico III. memoriale præsentabat, cultrum quoque in eum stringens, ipsum contrucidavit, parricida erat; ita quoque, si is, qui ad Ecclesiam orandi causâ accedit, eodem tempore per irreverentiam, dissolutionem, & scandala sua, domum orationis prophanat, DEUM utique mortaliter offendit. *Mansi disc. 4. n. 3.*

III. Sicut in Paradiso terrestri DEUS vi- *Idem disc. 6. n. 6.*

tæ arborem plantavit, quâ mediante homo in longiſſimum uſque tempus producturus fuiſſet vitam quandam inalterabilem & felicem: Ita quoque divina & infallibilis Providentia in Paradiſo Eccleſiæ ſuæ, ad ſpiritualem & immortalem animarum noſtrarum vitam promovendam, & confirmandam, arborem veræ vitæ plantavit: *Ego ſum Panis vivus, qui de cœlo deſcendi: ſi quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* De qua arbore multi ſervi DEI participantes ad noſtram utilitatem quotidie multa operantur mirabilia.

Idem diſc. 13. n. 1. IV. Sicut arca Domini, & Dagonis idolum, ſeſe mutuò in uno eodémque templo non compatiebantur; ita quoque, quando ſublatâ à locis ſacris debitâ reverentiâ, Diabolo potiùs, quàm DEO in iiſdem ſervimus, à DEO protinus deſeruntur, quia domum DEI decet ſanctitudo. *Quæ enim participatio Iuſtitiæ cum iniquitate? aut quæ ſocietas luci ad tenebras? quæ conventio Chriſti ad Belial?*

§. VII.

MOTIVA.

S. Bonav. a. 1 de dedic. I. *Angelorum Exemplum*; de quo ſic S. Bonaventura locutus eſt; Debet enim reverentia ipſis adſtantibus exhiberi, & glorioſi angelici ſpiritus nobis adeſſe credendi ſunt, cùm divinis mancipamur obſequiis vel officijs. In eodem ſermone ſubjungit dicens: Non dubitare licet, ubi Dominici Corporis & Sanguinis myſteria geruntur, ſupernorum civium adeſſe conventus, qui monumentum, in quo Venerabile Corpus poſitum fuerat, & jam reſurgendo abſceſſerat, tam ſedulis excubijs ſervaverunt; debet igitur eis adſiſtentibus reverentia exhiberi.

Concil. Eph. h. q. c. 21. II. *Paganorum Exemplum*; nam, ut Concilium Epheſinum ait: ſi falſa veterum paganorum religio, quæ quidvis obvium prò DEO colebat, adeò ſuperſtitionis ſuæ ſervans fuit, ut altaria non quibuſvis, ſed ſacerdotibus duntaxat ad hoc inſtitutis committeret, neque fana ſua rurſum ubilibet, ſed in arcibus, aliíſque munitioribus locis tantùm erigeret, ibíque idola ſuâ magna cum veneratione adoraret, quantò magis par eſt, & nos religionem noſtram, omni cum obſervatione, pietate, ac diligentiâ obſervare, tuerique nitamur, ad quos DEUS ipſe cum vero religionis cultu, cœlo interim non deſerto, deſcendit.

S. Chryſoſt. ho. 5. c. 21. III. *Dæmonum Exemplum*; nam teſte Chryſoſtomo, domum, ubi repoſitum fuerit thus, timet Diabolus, nec audet accedere, multò magis ubi reponitur Corpus Chriſti, & celebrantur divina myſteria. Idem quoque ſanctus Doctor, Dæmones Eccleſiam ingredi minimè præſumere dicit: Extra Eccleſiam, inquit, ſtat Diabolus, quippe ſacrum iſtud in ovile non audet intrare; ubi enim Chriſti grex eſt, lupus non comparet, ſed foris ſtat.

S. Ambroſ. l. 3. de Virg. IV. *Brutorum Exemplum*, quod S. Ambroſius ſequentibus verbis ob oculos ponit: Frequens ſermo eſt, cùm plurima ranarum murmura religioſæ auribus plebis obſtreperent, ſacerdotem DEI præcepiſſe, ut conticerent, & reverentiam ſacræ deferrent orationi, tunc ſubitò circumfuſos ſtrepitus quieviſſe. Silent igitur paludes, homines non ſilebunt? Et irrationabile animal per reverentiam recognoſcit, quod per naturam ignorat, hominum tantam eſſe immoleſtiam, ut plerique deferre nequeant mentium religioni, quod deferunt aurium voluptati.

V. *Utilitas*; quam paucis explicavit S. Carolus Borromæus his verbis: Hæc ſacra loca elegit DEUS, ut in ijs fidelium orationes exaudiat; ut medijs Sacramentis ſuam nobis largiatur gratiam; ut mediante ſacroſancto Verbo ſuo prædicato, donis nos ſpiritualibus locupletet. In ſacris hiſce locis per ſacerdotes, alióſque miniſtros Eccleſiaſticos cæleſtis beatorum Angelorum & Sanctorum Hierarchia repræſentatur; eò fideles concurrunt, ut in una fide, in uno ſpiritu, & quaſi uno eodémque ore, tanquam unius ejuſdémque Eccleſiæ membra orationes ſuas unanimiter perſolvant. Hæc & alia multa bona, in Eccleſijs copioſè recipimus. Cui conſentiens S. Chryſoſtomus, qui huc, inquit, cum fide, ac ſtudio venditat, innumeris theſauris ditatus abſcedit, & ſi tantùm os aperuerit, omni ſuavitate continuò, ac ſpiritualibus opibus complebit illos, qui congreſſu ejus fruuntur, & ſi ſexcentæ ingruerint calamitates, omnes æquo animo feret, utpote qui ex ſcripturis divinis, patientiæ, Philoſophiæque ſufficientem occaſionem hinc acceperit. Et iterum: Neque verò tantùm ex admonitione, ſed etiam ex precibus, ex paterna Benedictione, ex communi conventu, Fratrúmque charitate, atque alijs ſexcentis ex rebus, multa utilitate, atque omni oblectatione perceptâ ſolet diſcedere, atque innumera bona domum reportare. *S. Carol. p. 7. act. Med. f. 1040.* *S. Chryſoſt. to. 1. ho. 59.*

§. VIII.

ASCETICA.

I. *Inprimis nôſſe debet Aſceta cauſas, ob quas præcipè templa intramus*, quas S. Bonaventura his verbis indicat: Quatuor de cauſis intramus Eccleſiam: ut laudemus DEUM: unde hoc: *Laudate ſervi Dominum*; quandoque, ut oremus: *Domus mea domus orationis*; quandoque, ut inſtruamur: *Venite ad me, & ego docebo vos*; quandoque, ut reficiamur ſuſceptione Sacramenti, quod in Eccleſia præſentatur. *S. Bonav. in Pſ. 127.*

II. *Nôſſe debet, cur Eccleſia domus orationis vocetur*; nimirum ob octo cauſas, ab eodem Sancto indicatas; *Prima* eſt, quia ibi peccator rectè orans, obtinet peccatorum remiſſionem. *Secunda*, quia tentatus, ibi rectè orans, obtinet liberationem. *Tertia*, quia contra ſterilitatem, obtinet ejuſdem fœcunditatem. *Quarta*, quòd infirmus impetrat ſalubritatem. *Quinta*, triſtis conſequitur jucunditatem. *Sexta*, alienigena impetrat proſperitatem. *Septima*, conver- *Idem S. 4. de dedic.*

ſus

sus ad DEUM habebit victoriam. *Octava*, quòd captivatus adipiscetur incolumitatem, & quidem, ut idem Doctor Seraphicus notat, omnes hæ utilitates, quas in domo DEI consequimur, à Salomone *3. Reg. c. 8. & 2. Paral. c. 7.* specia-timexpressæ fuere. Et pro his octo beneficijs, inquit idem Seraphicus, quæ conferuntur in domo orationis, celebravit Judas Machabæus per octo dies solemnitatem dedicationis, sicut dicitur, *1. Mach. 4.*

Hugo Card. in c. 4. 10.
III. *Nosse debet, cur Ecclesia sit aptior ad preces DEO offerendas*; id quod Hugo Card. sequentibus verbis indicavit: Notandum, quòd locus sacratus DEO, & Benedictus, aptior, & utilior est ad orandum. Primò, quia ibi magis excitatur devotio, & ferventior fit oratio. Item benedictio Episcopalis & oratio ejus, majorem efficaciam confert orationi ad impetrandum, quia associatur orationibus Ecclesiæ generalis; item quia Dominus domum sibi dicatam, & habitantes, & psallentes in ea, quadam speciali gratiâ custodit, & visitat. Cui consentiens Gerson, sanctius, inquit, & DEO placentius, & fructuosius est, regulariter, orare DEUM in templis, & locis sibi dicatis, quàm in alijs; hujúsque asserti sui rationem his verbis assignat: Valor quippe orationum ibi factarum cumulatur ex oratione generali, & loci majestate, ex qua fit devotionis major incitatio, propterea non absque grandi ratione sedula religio Patrum nostrorum particularia oratoria vetabat.

Gerson t. 3. de vit. Cler.

S. Bernard. in c. 1. 8. 10. 4 g. c. l.
IV. *Nosse debet, Christum, dum jussit, ut in cubiculum pro oratione intremus, non præjudicasse Templorum frequentationi*; nam ut S. Bernardinus bene advertit, ille cubiculum suum intrat, qui omnes humanos sensus ad interiora revocat: ille quoque ostium suum claudit, qui cordis cogitationes, ne extra vagentur, frænat; Unde hisce verbis Christus unicuique privatam (quoad faciendam orationem) nequaquam Domui DEI præferre voluit.

Rupertus Abb. lib. 1. de div. offic. c. 23.
V. *Nosse debet, cur templa auro, & alijs rebus pretiosis ornanda sint*; id quod Rupertus Abbas his verbis indicat: Auro, & argento, lapidibus pretiosis, pro posse fidelium, singulis in locis splendet festiva devotio; quæ, cùm in sæcularibus ambitionis insignia sint, in Ecclesiasticis, & divinis rebus pietatis officia sunt; non quia DEUM, qui spiritus est, plùs aurea, quàm lutea; plùs gemmata, quàm nuda delectent corpora, sed quòd homines, quod diligunt, cùm DEO libenter offerunt, dilectione DEI, quâ illud à se separant, quidquid illud sit, DEO pretiosum efficiunt.

S. August. s. 257. de temp.
VI. *Nosse debet, quod magis decor & ornatus interioris templi, seu animæ procurandus sit*, uti rectè S. Augustinus monuit dicens: Decorem domus DEI, & locum Tabernaculi claritatis ejus diligimus, & nos ipsi sumus; quid enim decor est Domûs DEI, & locus Tabernaculi claritatis ejus, nisi templum ejus, de quo Apostolus dicit: *Templum enim DEI Sanctum est, quod estis vos*; sicut ergo in fabricis manufactis, cùm eleganter & magnificè construuntur, cor-

Idem s. 251. de temp.

poralis noster mulcetur aspectus, ita cùm lapides vivi, corda fidelium, charitatis vinculo continentur, decor est Domûs DEI, & locus Tabernaculi claritatis ejus. Et alibi: quamvis sancta sint templa, quæ videmus de lignis & lapidibus fabricari, tamen plùs apud DEUM pretiosa sunt templa cordis & corporis nostri, quia illa fiunt ab homine carnali, ista ab artifice Mundi. Hinc & Rupertus Tuitiensis Abbas circa Populum Hebræum è Babylonia redeuntem observat, quòd reversus de Babylonia populus, altare tantùm fecerat fortuitis (ut ait Hieronymus) & impolitis lapidibus, absque templo, & putabant minorem esse cultum religionis, quia templo ornatus deerat; nec intelligebant, omnipotentem DEUM, non aurum, gemmásque, & hostiarum multitudinem quærere, sed offerentium voluntatem.

Rupert. l. 1. de div. offic. c. 23.

§. IX.

MISCELLANEA ET CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Qualitas.

I. QUærunt nonnulli, cur potiùs Seraphini, qui supremo Hierarchiæ & celsissimi Chori eminentissimi Angeli sunt, tam ab Evangelista, quàm à Propheta Evangelico visi fuerint, & non potiùs alii spiritus inferiores, maximè quando de obsequio & reverentia, DEO in throno Majestatis consedenti exhibendâ agitur. Sed facilis est responsio, si consideremus, quòd, quantò magis lumen est, quod habent Angeli, tantò pariter magis in ipsis proportionaliter crescat, & augeatur eorum erga DEUM reverentia. Et ideo observandum, quòd de Angelis, qui Dominationibus comparati, minorem DEI habent cognitionem, dicatur, quòd laudent DEUM (*quem laudant Angeli*) Dominationes verò, quæ minùs illuminatæ sunt, quàm Potestates, adorare DEUM dicantur: (*adorant Dominationes*) at verò Potestates, quæ in cognitione Angelis & Dominationibus superiores sunt; tremere dicantur: (*Tremunt Potestates*) ac proinde Seraphini, qui cunctis spiritibus Angelis in lumine seu cognitione infinitæ illius Majestatis præcellunt, meritò Isaiæ adeò venerabundi & obsequiosi ante thronum DEI in templo residentis, exhibiti fuerunt, ut nimirum ab ipsorum Angelico exemplo discamus, quàm sit immensa & inexcusabilis irreverentiæ nostræ enormitas & gravitas, qui non solùm Angelis, quibus loca divino cultui consecrata plena sunt, nullum respectum deferimus, verùm etiam ne ipsum quidem DEUM, quem adorant Dominationes, tremunt Potestates, prout par est, reveremur & colimus, & tamen Christiani sumus, magnóque fidei lumine illuminamur, ac proinde mirum non est, si suo quoque tempore rigidiùs puniamur; unde cuilibet illorum Christianorum dici poterit: *sicut lumen ejus, ita & tenebræ ejus.*

Mansi disc. 1. n. 10.

II. Alia

Ibid. II. Alia quæstio est, cur Seraphini, quos vidit Isaias, faciem velarint; hi verò, quos Joannes viderat, id minimè faciebant, & tamen utroque in loco Seraphini clamabant: *Sanctus &c.* & respondetur, diversitatis rationem esse, quia Joannes Seraphinos illos ante thronum DEI in cœlo Empyreo circumstantes conspexit: Isaias verò illos vidit in templo Hierosolymitano; illi autem qui in Paradiso erant, nullam habebant faciem suam velandi causam, eò quod nihil ibi videatur, quod offendere possit. *Nihil coinquinatum intrat in regnum cælorum.* In templo autem plurima ejusmodi offendicula conspiciuntur, & ideo purissimi illi spiritus suam obtegebant faciem: ne populi illius in Ecclesia irreverentiam, scandala, dissolutiones videre cogerentur, de quo populo idem Isaias ait: *Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate!* In medio populi polluta labia habentis ego habito.

B. Albertus M. in Isa. III. B. Albertus Magnus quatuor templi Hierosolymitani atria fuisse observat, videlicet atrium interius, in quo altare holocaustorum positum erat, in quod solis Sacerdotibus & Levitis ingredi licebat. Secundum erat, in quod sæculares illi, qui mundi erant, solùm ingrediebantur, ut ad prædicti atrii fores suas DEO oblationes immolarent. Tertium atrium illud erat, in quod etiam mulieribus, quæ mundæ erant, ad faciendas orationes suas, aditus liber patebat: Quartum atrium immundorum, in quod etiam Gentiles aliquando intrabant, & in illo animalia vendebantur jussu Sacerdotum; adeoque hic vendentium & ementium mercatus, ex Sacerdotum non tam permissione, quàm jussu, non fiebat in sanctuario, nec in atrio interiori, sed in ultimo & infimo instituebatur. Et tamen idem Albertus ait: Non erat licitum, quia Domino fuit dedicatum; undè facilè arguere licèt, quantùm divinâ punitione justiùs corripiantur fideles Christiani, qui DEUM in ipsomet Sanctuario, in illo scilicet loco, in quo jam non Arca, sed sanctissimum Corpus Christi à cœlestium spirituum Hierarchiis cum metu & tremore adoratur, aspernantur, vilipendunt, variisque irreverentiæ & scandali generibus contumeliantur.

Mansi disc. 16. n. 11. IV. In Levitico pœna quædam describitur, quam divina Justitia Nadab, & Abiu summi sacerdotis Aaronis filiis immisit: Dum enim hi in ministerio suo se exercentes, ut DEUM pro suis, aliorúmque peccatis placarent, ad incensum DEO offerendum (quod ad sacerdotum manus propriè pertinebat) sese accingerent, accidit, ut ab igne cælitus descendente vivi combusti & consumpti fuerint: *Egressusque ignis à Domino devoravit eos.* Sed quódnam, obsecro, delictum eorum fuit, ob quod tanta cum severitate à DEO castigati fuerunt? Nimirum pro adolendo incenso igne prophano & communi, non verò sacro usi fuerant: Et hoc propriè est delictum, quod hodie singulis diebus multi Christiani pàrùm timorati committunt, tametsi enim in Ecclesiis frequenter esse, inibique longam moram trahere videantur, attamen fulminum indignationis & iræ divinæ rei fiunt. Et causa est, quia qui cordium suorum thuribulis ignem sacrum, id est, desideria & affectus pietatis, religionis & devotionis immittere, eóque fine Ecclesias ingredi debeant, ut divinæ majestati cultum & obsequium debitum exhiberent, atque ex bonis, quæ ibi dispensantur, eximiè proficerent, corda sua econtra lascivo & impuro amore succendunt, nec quicquam aliud cogitant, quàm ut carnales appetitus suos nutrire, & fovere possint. DEUM interea, ejúsque Sacramenta parùm aut nihil curantes, qui proinde ab ira DEI valde sibi cavere debent.

V. Difficulter quidem credi potest, quòd de antiquo Salomonis templo narratur, veruntamen, quia id Sacrâ Scripturâ perhibente asseritur, in dubium revocari penitus nequit. In illa namque fabrica tot milleni & trecenti opificum Magistri, & octuaginta tria millia artificum, quos Rex Tyri miserat, & totidem ab Ægypti Rege missi laborabant; & tamen in hac innumerabili murariorum, lapicidarum & fabrorum ferrariorum multitudine, in tam varia tot instrumentorum ex ferro & chalybe confectorum, limarum, martellorum, serrarum, trullarúmque congerie, unicus duntaxat Regis nutus sufficiebat, ut ne vel minimus uspiam audiretur laborantium strepitus: *Malleus & securis & omne ferramentum non sunt audita in domo, cùm ædificaretur.* At verò dicite sodes, nunquid verum est, quòd *ecce plusquàm Salomon hic?* Et tamen Redemptor noster per tot decreta, tot Canones, Synodos, Concilia, Leges Ecclesiasticas à fidelibus suis hactenus obtinere non potuit, ut in Domo suâ linguas suas refrænarent, caverent garrulitatum strepitus, & venerabundi inibi & reverentes morarentur. Qua in re pagani nos utique confundunt, de quibus Seneca scribit, quòd eo tempore, quo divina Diis suis obsequia persolvebant, præconis officium fuerit, ut omnes divinis assistentes, fanum circumeundo, modestiæ & silentii his verbis commonefaceret: *Favete linguis, silentium observate.* *Ibid. disc. 17. n. 1.*

VI. Rupertus Abbas prolixo quodam discursu detonat adversus templum Jerosolymitanum, utpote quòd cum omni sua magnificentia, divitiarum amplitudine, & infinita, quam penes universum mundum habebat, veneratione, postquam tanto cum dispendio, ingentiúmque thesaurorum plusquàm regio sumptu fabricatum fuisset, impedire nequivit, quin illud per manum exercitûs Babylonici accenderetur, & penitus conflagraret: Erudiendus namque erat Mundus, inquit Venerabilis hic Abbas, eatenus juvenis & luxuriosus, ne putaret, *Rupert. l. 1. in c. 2. Jerem.*

taret, quòd habitator cœlorum DEUS auro templi manufacti, vel civitatum opibus delectetur, & non potiùs hominum fide & bonis operibus, quibus intus in anima templum illi præparatur, qui solo delectetur, ubi adoretur, in quo videri, præsens agnosci dignetur, sine quo frustra foris lampadibus vel auro templi manufacti requiratur.

S. Chrysost. ho. 51. in Evang. VII. Observant aliqui, quòd S. Petrus aliquanto spatio à Salvatore super mare ambulante remotus, postquam magna cum fiducia dixisset: *Jube me ad te venire super aquas*; liquidum illud elementum generosâ fide calcare cœperit, cúmque ad Christum propinquiùs accessisset, impetuosum quendam validúmque ventum sentiens, metu gravi percussus fuerit: propter quod Christus illum increpavit dicens: Modicæ fidei, quare dubitasti? ubi D. Chrysostomus ait: Magna cum fiducia in aquas descendit, ad ventorum autem impetum, animi magnitudinem retinere non potuit, præsertim cùm jam prope Christum esset: maximè autem proposito nostro deserviunt sequentia ejusdem sancti Doctoris verba: Nihil certè prodest, loco juxta Christum esse, si fide non sis; quid enim prodest, si domum DEI frequenter visites, ubi Sacramenta administrantur, ubi cœlorum thesauri dispensantur, ubi signatura est gratiæ, ubi DEUS ipse corporaliter præsens assistens, si qui eò accedere debebas, ut bonis hisce locupletarêris, eò te cum intentione DEUM per scandala & dissolutiones injuriis afficiendi, Domúmque ejus sanctam prophanandi conferas.

TITULUS LXXII.

TEMPUS.

§. I.

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas.

Eccles. c. 3. I. OMnia tempus habent, & suis spatiis transeunt universa sub cœlo.

Ibid. c. 8. II. Omni negotio tempus est, & opportunitas, & multa hominis afflictio.

Act. 1. III. Non est vestrum, nôsse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate.

Eccl. c. 20. 6. IV. Est tacens, non habens sensum loquelæ; & est tacens, sciens tempus aptum.

Thren. c. 1. V. Vocavit adversùm me tempus.

1. Petr. c. 1. VI. In timore incolatûs vestri tempore conversamini.

Utilitas.

2. Cor. c. 4. VII. Momentaneum hoc & leve tribulationis nostræ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis.

§. II.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Qualitas.

S. Bernardinus to. 1. ser. 15. a. 3. I. O Vita præsens, quàm multos decipis, quæ dum cognosceris, nihil es; dum videris, umbra es; qui te quærunt, non te cognoscunt, & qui te cognoscunt, non te quærunt; qui te fugiunt, ipsi te intelligunt. Vera non est via, quam tu ostendis, fugitiva est velut somnium. Aliis ostendis te longam, ut perdas in finem; aliis largam, ut faciant quæcunque volunt; aliis angustam, ut non faciant bonum; aliis tristem, ut non consolentur de bono. Hæc sunt duodecim pericula, quibus Psalmista in persona hujusmodi peccatoris dicit, *pericula inferni invenerunt me.*

II. Unaquæque res eò magis diligenda est, quò pluris esse cognoscitur; præstat quippe æstimationem rei ipsius agnita virtus, quæ tunc apparet amabilis, cùm primæ innititur veritati, & quæstu suo locupletes suos esse facit in cœlo. Hinc indulti temporis pretiositas commendatur. S. Laur. Iust. de vit. solit. c. 10.

III. Dissipat substantiam suam, scilicet tempus, quod est majoris pretii omnibus aliis rebus mundi, quia tempus tantùm valet, quantùm DEUS; quia si Diabolus haberet unum modicum tempus, in quo posset pœnitere, sicut nos, ipse salvaretur, & acquireret Deum, & per consequens tantùm valet tempus, quantùm DEUS. S. Bernardin. to. 4. ser. 18. p. 1.

IV. Tam pretiosum est tempus, quòd damnati darent omnes thesauros mundi, si haberent in potestate suâ, pro habendo momentum temporis, in quo possent pœnitere; & evadere tantas pœnas. S. Antoninus p. 2. t. 9. c. 14. §. 1.

V. Heu! quàm mortalium est ista plangenda conditio, detestanda cœcitas, infelicitas fugienda. Abutuntur perversi homines naturalibus bonis; veniæ tempus otiosè conversando consumunt. O si agnoscerent, quanti æstimandum sit, quod sine consideratione S. Laur. Iust. l. c.

amit-

tis recollectio advertitur, de iisdem verificari possit: *Verè Dominus est in loco isto, non est hic aliud nisi domus DEI & porta cœli.*

D. Chrysostom hom. 52. in Matth. V. Consilium, quod D. Chrysostomus hac in materia valdè utili & necessaria, posteritati consecravit, fuit illud; Magìs quàm pupillam oculi, linguam tuam custodias. Ecquis ignorat oculi pupillam obfuscari & obtenebrari quocunque etiam minuto pulveris atomo? Ad eundem modum, inquit, & infert S. Doctor, puritas animæ & conscientia nostra unico solo verbo malitioso, aut malitiosè prolato, maculari potest. Ad hæc notetur dictio illa: *Magis*; etenim si obscuretur oculi pupilla, deperditur lux corporalis: at si obtenebretur lux animæ, nempè, gratia, amittitur æterna salus: Ecce quantus ignis quàm magnam sylvam incendit. Lingua constituitur in membris nostris, quæ maculat totum corpus, & inflammat rotam nativitatis nostræ inflammata à gehenna, ait S. Jacobus.

S. Petrus Dam. ser. 74. VI. Portatis, fratres mei, vobiscum, portatis clavem cellulæ, portate & clavem linguæ; opponitis pessulum ostio, adhibete retinacula salubriter ori vestro.

Æquitas.

Idem. VII. Anima nostra superni Regis est sponsa, cui accepto pignore Sancti Spiritûs, signaculo fidei est desponsata. Maneat ergò in suis penetralibus virgo, non indecenter in publicum prodeat, non per oris limen egressa in supervacua se verba, ac sæcularia effundat, ne, si deviare eam sponsus à modesta suæ pudicitiæ gravitate conspexerit, quandoque objurgans dicat: *Si ignoraste, O pulchra inter mulieres, egredere, & abi post vestigia gregum.* In cubiculo igitur suo, virginali more, resideat, oris ostium clausum teneat, & nunquam, nisi quæ ad exspectandum pertinent sponsi cœlestis adventum, locutura procedat, sub umbra silentii se reprimat.

Utilitas.

Mansi disc. 1. n. 7. VIII. Quando Zacharias ab Angelo felix illud faustúmque recepit Evangelium, de nativitate Joannis Baptistæ, silentium simul eidem intimatum fuit: *Et ecce eris tacens, & non poteris loqui.* Et cur in summo gaudiorum apice, bonus & sanctus hic senex affligitur, privatur usu loquelæ, ac mutus efficitur; omnia in figura contingebant illis: Partus in lucem edendus qualis erat? *Vocabis nomen ejus Joannem,* quod interpretatur Gratia; ad hanc assequendam optima dispositio silentium est. De quo S. Antoninus discurrit in hunc modum: Gratiam positivè gignit, in cujus figuram Zacharias tacens Joannem, qui interpretatur, *Gratia,* genuit.

IX. Multa jurgia cessare facit, qui tacet. Idem disc. 2. n. 6. Cui conformiter proposito Drexelius facetam refert historiam: Mulier quædam Confessario suo dolenter exponebat multa jurgia & rixas, quas cum marito suo frequenter habebat, eò quod hic domum rediret semper ebrius, & quotiescunque ab ipsa reprehenderetur, toties ille majori accensus irâ pessimè ipsam tractaret. Confessarius tales excipiens querelas, pro remedio suggessit mulieri, ut aquam, videlicet, ex certo quodam fonte haustam tamdiu in ore teneret, donec maritus, ebrius domum rediturus, obdormivisset. Obedivit illa, cúmque aliquot vicibus eo remedio usa fuisset, bonum cessantis litis effectum, quem indè experiebatur, acceptum referebat virtuti talis aquæ, non reflectens se ad silentium, à quo procedebat. Quàm opportunè & appositè ei dici poterat: *Qui dimittit aquam, caput est jurgiorum.*

X. Notandæ sunt verba illa Jeremiæ Prophetæ cap. 8. Idem disc. 7. n. 4. *Ingrediamur civitatem munitam, & sileamus ibi*: quæ comparatio inter silentium & civitatem munitam? si dixisset, dormiamus sine periculo, sine timore vivamus, transire posset; at sileamus, cum quo hoc concordat? In sensu mystico si intelligamus verba Prophetæ, alludit ad animam, quæ benè custodit linguam; quamdiu hæc taciturna est, non est, quòd vereatur insidias, aut assultus antiqui adversarii, secura vivit, ac si munitam inhabitaret arcem. Celebre est illud Agathonis Abbatis exemplum in vitis Patrum; Tribus annis ille gestavit in ore lapillum, ut silentii & custodiæ linguæ acquireret habitum, quæro, cur in hunc effectum elegerit sibi lapidem potiùs, quàm lignum, vitrum, aut ferrum aliquod, vel plumbum, aut aliud quid simile? omninò mihi imaginor, & credo, eum alludere voluisse ad mysterium muri reprimentis hostis assultus, puta, ad taciturnitatem & silentium: quis ignorat, murum ædificari ex lapidibus? ergò si murus est, videlicet silentium, ædificemus, in se ipso sanctus ille senex dicere poterat.

Dignitas.

XI. Nihil tam cognatum Sapientiæ, quàm locis & temporibus aptare sermones, Personarum, quæ aderunt, æstimatione in medium vocatâ. Macrobius in Saturnalibus.

Jucunditas.

XII. Quidam Frater interrogavit Senem, Vita PP. in l. 7. c. 32. usquequo servandum est silentium? Respondit Senex: usquequo interrogeris; in omni enim loco si taciturnus fueris, requiem possidebis.

TITU-

TITULUS LXXI.

TEMPLUM.

§. I.

Definitio.

S. Bonav. T. 1. de ded. Eccl. I. *St locus sanctis operibus destinatus, scilicet orationum frequentationi, lectionum recitationi, divinæ laudis dedicationi, & veri sacrificii oblationi.* Quod confirmans S. Bernardus, quis, inquit, Ecclesiæ parietes sanctos dicere vereatur, quos manus sacratæ Pontificum tantis sanctificavêre mysterijs? Ex tunc quoque & deinceps inibi lectionum resultare frequentia, sanctarum orationum devota murmurare susurria, sanctarum reliquiarum honorari beata præsentia, sanctorum spirituum indefessa noscitur custodia vigilare. *S. Bernard. apud Mansi Tr. 20. disc. 8. n. 1.*

Carolus in act. med. p. 7. f. 1028. II. S. Carolus Borromæus finem Templorum fusiùs declarans sic loquitur: Quòd si homines in actionibus & negotiis mundanis non casualiter aut modo fortuito agunt, sed per judicium & prudentiam se gubernantes, optimè id, quod faciunt, considerant, sicut & finem, ob quem ita faciunt, ut eam operi faciendo adhibeant diligentiam & industriam, quam operis qualitas & momentum requirit, quantò est rationabiliùs, quòd, quando ad Ecclesias, stationes, & indulgentias (tantæ nimirum considerationis negotia) contenditis, bene consideretis, quid facturi sitis, aut quo fine illud facere debeatis? Ecclesiæ eo præcipuè fine visitantur, frequentanturque Domini nostri & sanctorum solemnitates, ut mysteria illarum solemnitatum colantur, & venerentur reliquiæ, ad participandam earum virtutem & efficaciam, ut per illas ad sanctorum excitemur exempla; ut dies illi sanctificentur; ut sanctis illis mediantibus peccatorum veniam, aliásque à DEO gratias obtineamus. Item Ecclesiæ eo fine frequentantur, ut venerando & tremendo Altaris sacrificio præsentes adsimus; ut fructum mortis & passionis Christi participemus; ut Psalmodiam & hymnos ad divinæ Majestatis laudem & gloriam decantatos auscultemus; Ad Ecclesiam ideo accedetis, ut orationes vestras simul cum precibus totius Ecclesiæ Catholicæ à sacerdotibus oblatis conjunctas divino conspectui præsentetis; Ideo eo contenditis, ut sanctorum intercessiones pro vobis procuretis; ut pro peccatis vestris misericordiam, à tribulationibus & ærumnis mundi hujus liberationem, in necessitatibus vestris divini auxilij subsidium, contra tentationes victoriam, & pro virtutibus acquirendis gratiam postuletis. Qua igitur ratione possibile erit, quòd ob fines hosce prædictos Ecclesiam adeuntes, nullam prorsus detis operam, ut in ea reverenter, devotè, silenter, in vobismetipsis recollecti, & ad omnia, quæ in illis fiunt, aut dicuntur, prompti & parati, divinis officijs assistatis, & sequamini præceptum Sapientis, qui dicit: *Custodi pedem tuum ingrediens domum DEI.* Refrænando videlicet omnes tuos affectus, cavendóque, ne quidquam loquaris aut committas, quod loci illius sanctitati repuguet.

§. II.

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas.

I. UNam petij à domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo domini omnibus diebus vitæ meæ, ut videam voluptatem Domini, & visitem templum ejus. *Ps. 26.*

II. Domum tuam decet sanctitudo in longitudinem dierum. *Ps. 92.*

III. Domus mea domus orationis vocabitur. *Matt. 21.*

IV. Ego autem in multitudine misericordiæ tuæ introibo in domum tuam. *Ps. 5.*

V. Domine, dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ; ubi habitans glorificaris, inquit Interlinearis, ut non sibi, sed tibi detur gloria, & ideo non simpliciter habitationis, sed ubi habitat gloria, dicitur. *Ps. 25.*

VI. Dominus in templo sancto suo; sileat à facie eius omnis terra. *Habacuc. 2.*

VII. Introibo in domum tuam, adorabo ad Templum sanctum tuum in timore tuo. *Ps. 5.*

VIII. Introibo domum tuam in holocaustis, reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea. *Psalm. 65.*

IX. Introibimus in tabernaculum ejus, adorabimus in loco, ubi steterunt pedes ejus. *Ps. 131.*

X. Verè Dominus est in loco isto, & ego nesciebam, pavénsque, quàm terribilis est, inquit, locus iste! Non est hic aliud, nisi domus DEI, & porta cœli. *Gen. 28.*

XI. Ne appropinquas huc, solve calceamentum de pedibus tuis; locus enim, in quo stas, terra sancta est. *Exod. c. 3.*

Utilitas.

Ps. 64. XII. Replebimur in bonis domûs tuæ, sanctum est templum tuum.

2. Par. 6. XIII. Si deprecati te fuerint in loco isto, dimitte peccata servis tuis, & doce eos viam bonam, per quam ingrediantur.

Ps. 49. XIV. Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter, quo ostendam illi salutare DEI.

Ps. 83. XV. Quàm dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! concupiscit & deficit anima mea in atria Domini: Cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum: Etenim passer invenit sibi domum, & turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos: Altaria tua, domine virtutum, Rex meus & Deus meus: Beati qui habitant in domo tua, domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.

Iucunditas.

Isaiæ c. 56. XVI. Adducam eos in montem sanctum meum, & lætificabo eos in domo orationis meæ, holocausta eorum & victimæ eorum placebunt mihi super altari meo, quia domus mea domus orationis vocabitur cunctis populis.

Ibid. c. 66. XVII. Quæ est ista domus, quam ædificabitis mihi? & quis est locus quietis meæ?

Ps. 42. XVIII. Introibo ad altare DEI, ad DEUM, qui lætificat juventutem meam.

Irreverentia.

Jerem. c. 11. XIX. Quid est, quòd dilectus meus in domo mea fecit scelera multa.

Ps. 73. XX. Incenderunt igni sanctuarium tuum, polluerunt tabernaculum nominis tui.

Agg. c. 1. XVI. Respexistis ad amplius, & factum est minus; & intulistis in domum, & exsufflavi illud; quam ob causam, dicit Dominus Exercituum? quia domus mea deserta est, & vos festinâstis unusquisque in domum suam.

§. III.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Qualitas.

Conc. Eph. l. 5. c. 11. I. Hinc & illud quoque accidet, ut omnium penè mentibus insitum sit, naturalitérque persuasum, quæ DEO semel dedicata sunt, ea neque prophanari, neque ullâ hominum insolentiâ, divinâ vi obnitente, posse attingi; quo enim pacto fieri queat ut ea polluantur, quæ suapte natura semper sunt munda, cæteráque emundant omnia?

Abulens. in c. 34. Ex. II. Maxima reverentia exhiberi debebat in loco, ubi talis manifestatio DEI in signo fiebat, & sic nos, cùm in omnibus locis deputatis ad cultum DEI, eum colamus, nullus tamen est locus, in quo magis eum in reverentia magna habere debeamus, quàm ubi est sacratissimum Corpus Redemptoris, cùm nihil sit, in quo manifestior DEI præsentia appareat.

Mansi disc. 3. n. 3. III. Quippe si orationis domus est, id tibi oportet agere, quod vocatur, id est, orare, psallere, peccata confiteri, amaris oculorum lachrymis, & mentis gemitibus peccata abluere, & fiducialiter veniam de commissis culpis implorare; est quippe ibi specialiter respectus divinus. Assistunt ibi Angelici ordines pro populo deprecantes, qui preces nostras ad aures proferunt Domini Sabaoth.

S. Ignat. M. in epist. ad Magn. IV. Omnes ad orandum in idem loci convenite, sit una communis precatio, una spes in charitate & fide inculpata in Christum JESUM, quo nihil præstantius est; omnes velut unus quispiam ad templum DEI convenite, velut ad unum altare, ad unum JESUM Christum Sacerdotem.

S. Eucherius ho. oportet semper orare. V. Non autem in hoc solùm divini timoris officium est, ad domum DEI corporaliter convenire, & visibiliter genu flectere, sed animam supplicationis affectu, impetrationis fructu dignam facere, & ad exorandum fide & operibus præparare.

Concil. quoddam apud Mansi tr. 20 disc. 4. n. 9. VI. Filiationem vestram, charissimi, commonemus, ut convenientes ad sacratissimum DEI Templum, id diligenter pertractare studeatis, ad quod venistis; si enim veraciter creditis templum DEI esse illud, ad quod convenitis, id procul dubio inibi operari debetis, quod ei placeat, cujus templum est, ad quod convenitis. Cùm enim ubique DEUS sit, in suo tamen templo specialiter debet requiri, & quantum ipse inspirare dignatus fuerit, inibi quod ei placet, debet expeti.

V. Beda in c. 2. Ioan. VII. Nolens aliquid in domo sua terrenæ negotiationis, ne ejus quidem, quæ honesta putaretur, exhiberi, dispulit negotiatores: Quid ergo, fratres mei, putamus, faceret dominus, si rixis diffidentes, si fabulis vacantes, si risu dissolutos, vel alio quolibet scelere reperiret irretitos, qui hostias quæ sibi immolarentur, ementes in templo vidit, & eliminare festinavit?

S. Chrysost. ho. 74. in Matth. VIII. Quid facis homo, mulieris speciem curiosus in Ecclesia perscrutaris, nec horrescis tantâ templum DEI afficiens contumeliâ? Prostibulúmne tibi videtur Ecclesia, & foro ignobilior? Nam in foro erubescis, etiam times, ne quis te videat mulierem sectari; in Ecclesia verò DEI, cùm ipse DEUS te alloquatur, & ab istis deterreat, eo ipso tempore maximè fornicationi & adulterio vacas, quo tibi magna voce intonatur, ut ab his fugias, nec horrescis, nec stupes.

Oleaster in c. 30. Ex. IX. Adumbrat locus iste (*facies & labrum aneum*) examen, quod quisque facere tenetur, cùm ingreditur domum DEI, ut non nisi lotus ingrediatur, sed timendum valde est, ut Augustinus notavit, ne maculas à corpore extergas & laves, non autem à mente. Mirum valde est, quòd non audens illotis manibus, aut ore Ecclesiam intrare, audeat verò illotâ mente, & plenus perjuriis & adulteriis, & id genus aliis peccatis, Ecclesiam introire. Si macula in corpore aut in veste apparet, non audes intta-

trare; si verò sordida mens & conscientia, nihil times. Specula mandat Dominus poni juxta fontem aquæ: specula vero tua, mandata sunt DEI. *Tunc*, ait Justus, *non confundar, cùm perspexero in omnibus mandatis tuis.*

S. August. s. de dedic. Eccl. X. Restituat dominus fidelibus suis tam piè, tam hilariter, tam devotè ista operantibus, ut eos quoque ipsos in suæ fabricæ constructione componat; quò currunt lapides vivi fide formati, spe solidati, charitate compacti; ubi sapiens ille Architectus Apostolus fundamentum posuit Christum JESUM; fundamenta ergo in cordibus vestris Apostolica, & Prophetica monita jacite, humilitatem sicut pavimentum sine offensione prosternite; salutarem in corde vestro doctrinam orationibus ac sermonibus tanquam firmis parietibus communite; divinis eos testimoniis tanquam luminaribus illustrate; infirmos sicut columnæ sufferte; inopes sicut tecto protegite, ut vos Dominus in æternum perfectos, dedicatósque possideat.

S. Bernard. apud Engelgrav. dom. 9. post Pent. XI. Terribilis planè locus, & dignus omni reverentiâ, quem fideles viri inhabitant, quem Angeli sancti frequentant, quem suâ quoque præsentiâ Dominus ipse dignatur.

Ibid. XII. Est locus Angelorum, locus Archangelorum, regia cœli, cœlum ipsum: Quemadmodum igitur si cœlum quispiam in angustum redactum illuc inducat: etiamsi Patrem, etiamsi fratrem videas, tamen præ stupore non alloquâre: sic neque hic aliud quidquam quàm sancta sonare debent. Idem S. Nilus inculcat: ut templum aditurus, se cœlum ingredi cogitet: Ecclesiam, inquit, non secùs ac cœlum frequenta, nihilque in ea aut loquere, aut age, quod terram sapiat.

Utilitas.

Gerson Dom. 19. post. Pent. XIII. Inter sævientes, turbidósque aëreatum potestatum, ac spiritualium nequitiarum insultus, inter crebra periclitantis mundi discrimina, summus Architector JESUS domum struxit, æternis basibus stabilitam, quæ euntibus in ipsam esset in domum refugii, in asylum protectionis tutissimum.

Idem de vit. elerie. XIV. Crux & Crucifixus nónne loquuntur, ut pœnitentiam agamus? cùm talem ipsum Christum ante oculos statuant, quo nullus unquam acerbiùs doluit, non pro suorum, sed pro nostrorum satisfactione peccatorum. Sanctorum rursus, sanctarúmque imagines idem suadent, ingerentes memoriæ nostræ, quòd per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum DEI. Denique tumbarum sculpturæ magnis nos vocibus & lamentis ad pœnitentiam provocare non cessant, ingerentes quid illæ sunt, quid fuerunt, quid nobis meruerunt, quid exigunt ut suum, quorum corpora incinerata tegit tellus.

S. Chrys. st. 11. 1. ho. 69. XV. Habes Ecclesiam, sacrificium, quod perficitur, habes Patrum orationes, habes Spiritus Sancti domum, Martyrum memorias, & sanctorum congregationem, multáque alia, quæ sunt hujusmodi, quæque possunt te à peccatis ad justitiam revocare.

XVI. Vitæ diligentiam & puritatem nihil sic efficit, & corrigit, ut continua in templis conversatio, & alacre ad audiendum verbum DEI studium. *Idem ho. 10.*

§. IV.

EXEMPLA SACRA.

Qualitas.

I. DAvid Rex suprà omnes veteris testamenti sanctos hoc encomio insignitus & nobilitatus fuit, ut ab illo vocaretur vir secundùm cor DEI: *Inveni virum secundùm cor meum*: sed quonam merito hoc sibi privilegium præ omnibus aliis comparavit? Certè non alio, quàm quia præ cæteris honorem & decorem domûs DEI zelavit; quis enim alius per tot sæculorum curricula de erigenda DEI domo, Ecclesia, vel templo aliquo adeò sumptuosè cogitavit aut sollicitus fuit, quàm ipse, qui pro hoc ædificio ad honorem DEI erigendo tot auri & argenti milliones congregavit, cui operi adeò intentus erat, ut pro vehementia sollicitudinis oculi ejus somnum vix capere possent? *Sicut juravit Domino, votum vovit DEO Jacob, si introiero in tabernaculum domus meæ; si ascendero in lectum strati mei; si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, & requiem temporibus meis, donec inveniam locum Domino, tabernaculum DEO Jacob.* *Mansi dist. 1. n. 2.*

II. De Matre S. Gregorii scribit Nyssenus: Quòd in conventibus locisque sacris nunquam illius vox audita sit, necessarias tantùm illas & mysticas excipio, ut nullum ab illius ore verbum in Ecclesia prodierit, nisi quod cum lachrimis DEO funderet. Plus ille dicit de religiosissima matre sanctissimus filius: venerandæ mensæ nunquam terga vertit, nec divinum solum conspuendo inquinavit. Tam urbana erat erga sacram aram, ex qua panis, qui de cœlo descendit, dispensabatur, ut religioni duceret, dorsum illi obvertere, ipsum autem pavimentum templi sic devenerabatur, ut labem fœdam sacro loco afferre putaret, si vel exscrearet; rusticam etiam profanationem, aut profanam rusticitatem arbitraretur, nisi muto silentio, & toto ad reverentissimam observantiam composito corpore locum cœlestem, solium permagnificum, imperialem thronum augustissimæ omnipotentiæ DEI quàm urbanissimè coleret. O divina mulier! si insolentias, vanitates, impietates, quæ in templis DEI à nobis hoc tempore exercentur, videres, vivere dolor non sineret. *Didac. Nyss. p. 2. s. 5. Domin. ult. post Pent.*

III. S. Hieronymus de seipso scribit: Quando iratus fuero, & aliquid mali meo animo cogitavero, & me nocturnum phantasma delu- *S. Hieron. contr. Vigilan. l. 3. c.*

ferit, Basilicas Martyrum intrare non audeo, ita totus & corpore & animo contremisco.

S. Nilus in ep. ad Anast. IV. S. Nilus in epistola quadam ad Anastas. de D. Chrysostomo Missam celebrante ita scribit: Cùm cœpisset sacrificium, plurimæ statim ex illis virtutibus, è cœlo descendentes, stolis indutæ splendidissimis, nudis pedibus, intentis oculis, pronæ altari, magno cum silentio & reverentia, quoad venerandum illud mysterium expletum fuerit, circumsteterunt.

Amphil. in vit. S. Basil. V. Amphilochius de S. Basilio M. refert, quòd vix unquam celebraverit: quin semper cœlesti aliquâ visione frueretur: semel tantùm culpâ diaconi cujusdam, qui ei assistebat, illâ privatus remansit, eò quòd Diaconus ille lascivum in mulierem oculum defixisset, tunc enim subitò Angelici spiritus disparuerunt, quem tamen mox, ut à se removit, pristinos vicissim favores experiri cœpit.

Mansi disc. 3. n. 3. VI. De Abulensi Leontio in Prato spirituali refertur, quòd Angelum dextero altaris cornui assistentem conspexerit, sibi dicentem: Ex quo sanctificatum est altare istud, ego jugiter illi adstare jussus sum.

Drexel. l. 2. Tribun. c. 9. §. 1. VII. Drexelius scribit, Philippum II. dum rei sacræ regio stipatus comitatu interesset, duos è suis magnatibus sibi vicinos familiariùs inter se fabulantes observasse, redeuntem verò in conclave, illos ipsos atroci vultu notâsse, ac dixisse: Vos à conspectu meo post hac abite; quo velut fulmine icti, ita perturbati sunt, ut alter mœrore sensim contabuerit; alter emotâ mente, attonito similis, in omnem vitam manserit; quid erit aspectu DEI, in quem desiderant Angeli prospicere, & in quo omne bonum contemplantur, in æternum arceri? quod Isaias prædixit olim populo sacrilego: *in terra sanctorum iniqua gessit, non videbit gloriam Domini.*

Jo. Rho l. 3. c. 7. n. 2. VIII. S. Franciscus Xaverius memor Apostolici dicti, levabat ubique manus suas in oratione, sed nihilominus, quum in templis adorandi, exorandique DEI copia dabatur, in ea se libentissimè abdebat, & noctes insomnes ante aram traducebat: certè templum illi Goæ pro conclavi fuit, in quo quietem in precibus caperet, nihilque illis demeret, nisi quantùm sibi ineluctabili somnus raperet necessitate.

Ibid. n. 4. IX. Carolus Scribanius è Societate JESU, vir rebus agendis, & litterarum studiis, scribendísque libris occupatissimus pro festis tamen diebus aras, & totius templi ornatum ipse per se componere consueverat. Haud satis erat homini religiosissimo auctoritate, quâ plurimùm valebat, apud viros principes ac ditissimos mercatores satagere, ut magnificè templa omni sacra supellectili instruerentur; nisi suam quoque operam adjungeret, ac laborem; quod tantò est laudabilius, quantò in hujusmodi occupatis ac litteratis hominibus rarius videtur.

Ibid. n. 6. X. Jacobus Granadus ex eadem Societate, sacras DEO ædes, luteas scilicet has nostras cœlestium templorum imagines, quum præter transiret, aperto capite, ubi primùm fuerat conspicatus, incedebat; in peregrinationibus verò, quùm oppidorum procul turres & tecta summa cœperant apparere, tum prima Granado cura templi oculis pervestigandi, quod mox detecto ad reverentiam capite, sacris hymnis, ac precibus consalutaret. Quorum verò templorum curatio Societati obvenisset, ea quàm magnificentissimè splendere cupiebat, & quidem quum res ad ipsum spectaret, ne quidquam ad ornatum, elegantiámque desiderari posset, nullâ sumptuum habitâ ratione, procurabat. Enimvero si Domini est aurum, illi iure optimo redditur.

Scribanius in polit. præfat. XI. Superiori sæculo in solo Regno Mexicano, vix tum ad Christi fidem traducto, fuêre extructa octoginta Religiosorum domicilia: Deinceps autem, hoc est, ab ejusdem sæculi anno septuagesimo numerata sunt septuaginta, & eo ampliùs templorum millia, à Castellæ Regibus ibidem condita; in quibus sunt quadraginta amplissimi & ditissimi Episcopatus.

Berry. in Parad. a 5. c. 8. devot. 8. XII. Jacobus Rex. 2000. templa B. V. ædificavit.

XIII. Reges Hispaniæ in solo Occidente supra septuaginta templorum millia, ditissimâ pietate erexerunt.

Iac. Goars in Miss. S. Chrysost. n. 18. XIV. Templum S. Sophiæ Constantinopoli ea fuit majestate, ut cùm dedicatio ejus celebraretur primò, exclamâsse feratur Justinianus Imperator: ἐνίκησά σε Σαλομών: Superavi te, Salomon. Unde & in ejusdem templi pariete quasi victus & mœstitiâ perfusus pictus erat Salomon, ceu victum se se à Justiniano doleret, si viveret, ac videret Sophiæ templum.

Thom. Blanck. in Psalm. n. 92. XV. Ferdinandus Magnus Castellæ Rex cùm mortem propinquam sentiret, Sacrum fieri jussit in æde S. Isidori Hispalensis, in eóque sacrâ se communione refecit. Die sequenti vocatis Episcopis, Abbatibus, & viris religiosis ad Ecclesiam diademate coronatum, & regali cultu fulgentem deportari se jussit, cúmque ad S. Isidori tumulum venisset, coram eo adstans, clamavit ad Dominum altâ voce: Tua est Provincia, tuum est regnum, Domine, tu es super omnes Reges, tuo imperio omnia subjecta; quod te donante accepi, restituo tibi regnum, tantùm animam in æterna jubeas luce collocari. His dictis exutus regalibus ornamentis pro venia exorabat: Et receptâ ab Episcopis pœnitentiâ, & extremâ unctione, indutus cilicio & cinere conspersus, duobus diebus in pœnitentia supervixit.

In hist. seraph. Relig. l. 1. c. 4. XVI. Franciscani cùm initio in tugurio derelicto extra urbem Assisium habitarent, & libris ad psallendum carentes, rogarent Patrem unum eruditum, qui de cruce Christi jugiter eis habebat sermonem, ut ipsos doceret orare, dixit: Cùm orabitis, dicite, *Pater noster.* & Adoramus te Christe, ad omnes Ecclesias tuas, quæ sunt in toto mundo, & benedicimus tibi, quia per crucem tuam sanctam redemisti mundum.

dum. Docuit præterea, DEUM laudare in omnibus, & ex omnibus creaturis præcipuè honorare Sacerdotes; servabant illi hæc diligenter, & ad omnes Ecclesias & cruces, quas è longinquo videre poterant, se humiliter prosternebant.

Bavar. sanct. vol. 3. XVII. S. Bruno ex Ragspurgensium familia pòst P. M. Leo IX. dictus, Norimbergam iturus à duobus nobilibus viris à Schwarzenburg invitatus, ut Sacellum, quod in transitu esset situm, consecraret, ductâ manu in modum crucis, sic ut equo insedit, nullâ aliâ admotâ ceremoniâ nobiles dimisit; illi haud dum rati Sacellum consecratum unâ manûs inflexione, rogâverunt, ut dignaretur in ipsô templo consecrare templum. At ille, si non omnes consecrationis notas reversi in Sacello videritis, revocate me, inquit. Nobiles reversi, omnia pro more indicia consecrati templi reperêre; Templum scilicet, oleo delibutum, cruces, literas in pulvere &c. cœlitum utique ministerio.

Ibidem. XVIII. B. Bertha Henrici Hilpolsteinij, & Bertæ filia, cœnobium, quod Biburgi exstruxit, ipsa adjuvit manuum labore, lapides & cæmenta nudis pedibus apportando. Idem legitur de Matre Eberhardi Biburgensis Abbatis, pòst etiam Archiepiscopi Salisburgensis; quod exemplum plurimæ fœminæ tunc secutæ, utrique se socias addidere.

Albert. Koneuvscky e. 3. not. XIX. Est in oppido Mitivo templum S. Petro sacrum, quod dicitur Boëmicè Sliwice, quod latinè sonat: Iverunt plures: Quia illud templum magno miraculo nunquam ità potest hominibus repleri, quin plures capiat. Ejus stupendi miraculi modum deprehensuri nonnulli nobiles conspirarunt, & subditos suos ad multa millia ad certum diem adduxêre, Templum ipsum ferreâ catenâ circumdederunt, visuri, num forte parietes discederent, ut tanto populo locus superesset; sed immotâ catenâ, immotísque parietibus ingresso populo universo superfuit locus pluribus ingressuris. In eo templo statua est, S. Petri lapidea olim è terra eruta, quæ interdum dicitur fieri tam gravis, ut à nemine loco moveri possit. Aliàs templo illo egressa viatoribus in vijs publicis occurrebat.

Drex. p. 3. c. 1. Aurifod. XX. Rex David pro sumptu Templi destinavit & reliquit centum & octo millia talenta auri; argenti vero decies centena & septendecim millia. Hæc omnia auri & argenti talenta pene ter millies decies centena millia nummorum nostratum aureorum conficiunt, hoc est ter mille milliones. Cornelius à Lapide ait: Salomoni pro Templo reliquit Pater bis mille & quadringentos milliones auri. Ratione monetæ Italicæ facit auri & argenti Ducatos 3282. milliones: insuper centum triginta quatuor millia & viginti quatuor. Ad calculum Hispanicum facit ea summa 2812. milliones, octo millia; trecentos septuaginta quinque Ducatos Hispanicos. Ad Gallicum calculum 2745. milliones unum & quinquaginta millia, sexcentos & sexaginta sex aureos nummos Gallicos. Hanc auri summam, ut tota ex auro sit, non ferrent decem millia curruum nongenta & octoginta, quamvis singuli currus caperent ducenta & quinquaginta millia aureorum; ut ait Salianus, *de amore DEI lib. 8. c. 7. in fine.* In hoc Templo ædificando laborârunt homines supra centum sexaginta quinque millia. Præfectorum tria millia trecenti: Proselytorum in monte onera portantium septuaginta millia: Latomorum & Saxa Templo parantium octoginta millia. Ita Chronicon Regum. *2. Paralip. c. 2.*

Car. Sigon. l. 1. an. 589. de Italia. XXI. Narrat Sigonius fluvium Athesis Anno 589. in Urbe Veronensi adeò inundâsse, ut ad Ecclesiam S. Zenonis usque pertigerit, ubi tametsi portæ paterent, ipséque fluvius ad fenestras usque Templi intumuisset, ipsum tamen Templum minimè ingredi præsumpsit. Sic quoque S. Greg. Thaumaturgus montem quendam, qui Ecclesiæ cujusdam, quam dictus Sanctus moliebatur erigere, fabricam impediebat, retro cedere, sufficientémque muris Ecclesiæ fabricandis situm & spatium indulgere jussit.

Utilitas.

Mansi disc. 8. n. 3. XXII. S. Maria Ægypriaca vitam duxerat lubricissimam & libidinosissimam; & tamen quando Hierosolymis templum S. Crucis ingressa fuit, non tam ut adoraret, quàm ut ab amasijs suis adoraretur, DEUS ibidem cor ejus tetigit, mox ut pedem suum sacro templi illius limini intulit. Unde licet Psalmista dicat: *suscepimus misericordiam tuam in medio templi tui*, attamen peccatrix illa, uti ipsamet Zosimo sanctissimo Monacho retulit, dum in pressurâ ingentis cujusdam multitudinis hominum, urgendo templum ingredi conaretur, & juxta templi portam posita nullâ ratione penetrare posset, quin potiùs se invisibili quadam virtute bis terve ab Ecclesiæ foribus retrahi & dimoveri experiretur, tandem in limine Ecclesiæ divinam erga se experta est pietatem; siquidem ad semetipsam conversa, suámque indignitatem considerans, atque ab invisibili quodam divinæ misericordiæ radio tacta, suscepit misericordiam suam, non in medio, sed in ingressu templi sui, docuit eam viam bonam, per quam ingrederetur; nam intrinsecus in corde suo compuncta vitam suam, pro viribus emendare decrevit, pectúsque suum percutiens, & peccata sua amarè deplorans ingressa est, talémque in se mutationem experta fuit, ut ex tunc vitam pœnitentem, rigidam, & immaculatam, ut omnibus constat, exorsa fuerit.

Irreverentia castigata.

S. Athan. ep. ad solitarios. XXIII. S. Athanasius circa annum trecentesimum quinquagesimum sextum refert, quòd Constantio Imperatore Ariano Imperij habenas gubernante, multi dissoluti juvenes Alexandrinam ingressi fuerint Ecclesiam, quorum

rum unus ingenti cum petulantia in throno Episcopali se ad sedendum collocavit, ac demum eundem contemptibiliter à loco suo dimovere conatus fuit: omnes autem fornicarios ronchos, nullâ majestatis loci sacri ratione habitâ ducebant è naribus: sed non diu abfuit ultrix DEI Manus. Nam ut Azotij olim ausi Arcam tangere interibant, sedium tormentis priùs excruciati, ita quoque miser iste ausus sedem convellere: fragmento ligni inde in ventrem ipsius resiliente, & quasi ab ipsa ultione impacto, sua intestina perforavit, & eâdem vi, qua solium disrumpere conabatur, ruptâ alvo suo intestina effudit.

S. Gregor. Tur. c. 105. de glor. Mart. XXIV. S. Gregorius Turonensis alteri cuidam è prophanatoribus, irrogato supplicio testimonium per sequentem perhibet à se conscriptam historiam: Cùm Chilperici milites in homines passim desævirent, multi ad eorundem declinandam barbariem, in Basilicam sancti Vincentij confugientes, in eadem securos se futuros esse credebant. Milites autem in eandem Basilicam nusquam invenientes aditum, primò quidem Basilicæ foribus ligneis ignem admoverunt, qui, dum omni sua activitate destitutus, nihil eis commodi præstaret, illas securi confregerunt; direptisque, quæ in Basilicam intulerant, cunctis eorum bonis, gladio tandem omnes in Basilica repertos trucidârunt: sed non diu hæc remanserunt inulta, alij à dæmone correpti, nonnulli in flumine Garumnæ necantur, multi etiam à frigore occupati, diversis in partibus diversorum morborum genere vexabantur.

Mansi Lect. vit. n. 13. XXV. Aretas Archiepiscopus circa annum 912. de Alexandro Imperatore scribit, quòd ingentem die quadam ex naribus & secretioribus corporis sui partibus sanguinis copiam egesserit, indéque mortuus sit, eò quòd arroganter, & ex mero contemptu, contecto capite, Ecclesiam fuerat ingressus; Et quia aliàs sacram mensam in templo spoliaverat, in mentis incidit delirium, à quo vix unquam postea sibi plenè restitutus fuit.

§. V.

EXEMPLA PROFANA.

Vita S. Franc. l. 3. c. 8. I. OBlata S. Francisco ovis ad B. V. de Portiuncula, fuit ei perchara, eam monuit, ut laudibus divinis intenderet, & ab omni Fratrum offensa caveret. Ovis autem jussa miraculosè executa est. Nam audiens Choro cani, adfuit, & spontè genua curvavit, balans ante Aram B. Virginis, velut eam salutaret, sub elevatione item genua flectebat, idque nemine docente.

S. Ambr. l. 3. de Virg. prope init. II. S. Ambrosius scribit, Alexandro sacrificante Macedonum Rege, puerulum barbarum, qui ei lumen accenderat, excepisse ignem brachio: atque adusto corpore mansisse immobilem, nec dolorem prodidisse gemitu, nec tacito pœnam indicâsse fletu: tanta in puero barbaro fuit disciplina reverentiæ, ut naturam vinceret; atque ille non deos, qui nulli erant, sed Regem timebat. Quid enim timeret eos, qui, si idem ignis eos contigisset, arsissent?

Seneca ad Alb. 71. III. Seneca testatur, ipsa quoque collapsorum templorum rudera, lapides & cœmenta, à cæcis gentilibus in summâ habita fuisse veneratione: Non magìs, inquit, contemnitur sapiens, cùm jacuit, quàm sacrarum ædium ruinæ calcantur, quas religiosè, æque ac stantes adorant.

S. Hieron. l. 2. contra Iovin. IV. S. Hieronymus Philosophos Platonicos & Stoicos, ut majorem in virtutibus moralibus facerent progressum, in domibus, quæ sacris locis vicinæ erant, commorari solitos fuisse, his verbis scribit: Platonici, & Stoici in templorum locis & porticibus versabantur, ut admoniti augustioris habitaculi sanctitate nihil aliud quàm de virtutibus cogitarent.

Novarin. apud Mansi disc. 1. n. 7. V. De Turcis refertur, quòd cœnaculum montis Syon, in quo sanctissimum Altaris Sacramentum institutum fuit, ingressuri, præ reverentia, quâ locum illum venerantur, sese discalceent, nudisque illud pedibus ingredientes, interdictum sibi esse persuadeant, ne oris sui salivam in illud exspuant; habétque hæc veneratio suam ab antiqua quadam traditione originem, quæ inter Turcas circumfertur, quòd nimirum Christus eodem in loco olim solemnem quandam instituerit Cæremoniam.

1. Esdræ c. 1. VI. Cyrus Rex, Templum Jerosolomytanum denuò in honorem DEI fabricari, & restaurari præcepit, eúmque in finem plurima subsidia subministravit: Protulit vasa templi Domini, quæ tulerat Nabuchodonosor de Jerusalem, & posuerat ea in templo DEI sui, omnia vasa aurea & argentea, quinque millia quadringenta.

Mansi l. c. n. 8. VII. Darius pariter Cyri exemplum imitatus, licèt & ipse idololatra esset, idem DEI templum honoravit, illud suis sumptibus perfici curando.

Baron. ann. 410. n. 23. VIII. De Alarico Gothorum Rege in Annalibus Ecclesiasticis refertur, quòd, tametsi in cunctis alijs actionibus barbarus esset, attamen, postquam post diuturnam obsidionem urbem Romanam potestati suæ tandem subjecisset, vetuit per edictum publicum, ne ulla ijs inferretur molestia, qui securitatis causâ ad loca sacra, & præcipuè in Sanctorum Petri & Pauli confugissent Basilicam. Accidit autem, ut, dum potens quidam Gothus per urbem oberrans in certa quadam domo Virginem sacram provectæ ætatis invenisset, omne aurum & argentum ab ea sibi extradi postulârit. Cui Virgo constanti fide, animóque magnam auri argentique sibi quidem copiam esse respondit, eandémquè ei videndam ob oculos posuit (erant enim vasa sacra penes ipsam majoris securitatis causâ in custodiam deposita, quæ haud sine divina inspiratione barbaris revelanda esse censuit) cúmque barbarus hic Gothus ingentem hunc thesaurum summo stupore vidisset, Virgo Christi: En, inquit, hæc sunt vasa sacra S. Petri Apostoli, rape illa,

si audes, & videbis, quis indè tibi eventus sit secuturus, ego interea, quæ ad hunc thesaurum à raptoribus tuendum minimè sufficio, illa quoque mihi reservare non præsumo. Barbarus autem hæc omnia ad Alaricum retulit, qui omnia prædicta vasa sacra ad Basilicam Principis Apostolorum sine mora deportari, præfatam quoque virginem, & omnes Christianos, qui prædicta vasa sacra ad Basilicam usque S. Petri comitarentur, cum omni securitate ab omnibus injuriis immunem tutari mandavit. Magna igitur cum pompa omnia illa vasa aurea & argentea à diversis super caput imposita prolixo itinere (cùm domus præfata ab Ecclesia S. Petri procul posita esset) deportata fuerunt, stipantibus utrumque portatorum latus plurimis militibus districtum in manu sua gladium tenentibus, decantatísque publicè tam à Romanis, quàm à barbaris in honorem DEI hymnis & canticis.

Apud Mansi disc. 11. n. 18.

IX. Idem de quodam Maurorum belli Duce, viro sagaci & experto, cui nomen Cabaon erat, refertur, eum suorum nonnullis præcepisse, ut, si Wandali exercitum moventes, aliquas orthodoxorum Ecclesias prophanarent, ipsi easdem ab hostibus dehonestatas repararent, & ad cultum DEO in iis debitum exsolvendum disponerent; dicebat enim, DEUM Christianorum, qui ab orthodoxis colebatur, utique castigaturum iniquos, qui illum offendunt, & auxiliaturum iis, qui ipsi fideliter serviunt: Cùm igitur Wandali Arianâ labe respersi Ecclesias Catholicorum contaminâssent, Cabaoni militantes exercitus iis recedentibus, easdem Ecclesias sic prophanatas mundabant, & expoliebant, gratísque & odoratis suffitibus ad implebant, ipsos quoque Catholicos Sacerdotes suis denuò honoribus & Ecclesiis restitutos, in pristinum dignitatis & authoritatis gradum reponebant; Qua executione per suos factâ, Cabaon adversus inimicos suos exercitum movit, magnámque in illis stragem edidit, adeò ut pauci ex iis ad domum propriam reverti possent.

Oros. & S. Bernardin.

X. Orosius, & ex ipso sanctus Bernardinus de Pompejo Magno scribunt, quòd, postquam viginti duos in Oriente Reges debellâsset, multósque de omnibus inimicis suis, contra quos dimicaverat, retulisset gloriosos triumphos, tandem quoque Hierosolymam arctâ obsidione diu cinctam invaserit, omnésque, qui ad templum confugerant, occiderit, illúdque in stabulum equorum convertens, suos in eo equos collocarit: unde divino Judicio factum est, inquit S. Bernardinus, ut, qui antè in omnibus victor erat, post hoc infeliciter victus fuerit.

Ex litteris Malaca datis 1554.

XI. In quadam urbe Regni Regu vidit Rev. P. Mendozius Idolum, quod dictum est DEUS somni, qui sub capite habebat 48. pulvinaria è saxo, fuit idolum longum 90. pedes, & jacens uno brachio faciem tegebat. Rogati incolæ, cur Deos tam magnos effingerent, responderunt, quia DEUS ipse esset magnus, decere eum magnis rebus repræsentari. In eo Regno templum est, cujus Idolum dicitur ab incolis esse DEUS centum & decem millium Deorum Dominus, dicúntque esse inibi totidem Deorum simulacra, quæ tamen numerare Patrem, qui inibi fuit, pigebat.

XII. Templum Dianæ Ephesinæ 220. annis à tota Asia ædificatum est, in quo aliud quoddam miraculum erat, columnæ 127. à singulis Regibus factæ, 60. pedum altitudine. *Maiolus in canic. colloq. 23. f. 971.*

XIII. Templum Upsalæ tantæ erat venustatis, ut pavimentum, muri, columnæ auro tectæ, ipsum quoque tectum ex auro confectum fuerit, & catena insuper aurea totum templum ambiverit. *Ibid.*

XIV. Vespasianus Imperator in restitutione combusti Capitolii ruderibus purgandis manus primus admovit, ac suo collo quædam extulit. *Suetonius in vit. c. 8.*

XV. In eo diplomate, quo Sinarum ac Tartarorum Rex Xunchi anno 1650. templum à P. Adamo Schall Pecchini exstructum honoravit, & legem Christi approbare se dixit, & laudare, tandem subjungit: Ideóque ad perpetuam hujus rei memoriam hunc illius Ecclesiæ Titulum præfigo: Tun hiven hiá kim, id est, excellens penetrando cœlo locus. *Kircherus in China illustri p. 2. c. 8.*

XVI. Adstabat Christianorum sacrificio Rex Christianæ adhuc mansuetudinis ignarus, & quamquam sub ramalibus à sacerdote fieret, majestas nihilominus, & latens mysteriis Divinitas attonitum habebat, animóque suspensum. Inter hæc nobiles Ephebos ante mapalis ostium perstrepentes audit, ratúsque violatam, ut non ineptè interpretabatur, præsentis Numinis majestatem, non nisi adolescentium cæde posse expiari, rapi illico ad supplicium jubet. Luissent sanguine irreverentiam adolescentes, nisi Lusitanus docuisset, DEO, uti quàm maximè cordi sit reverentia, magis tamen adhuc mansuetudine illum delectari, eo præsertim sacrificio, quod incruentum esse sancivit. *Io. Rho l. 3. c. 1. n. 7.*

§. VI.

SIMILITUDINES.

I. Sicut cœlum Empyreum est locus contemplationis, ita Ecclesia materialis est locus orationis, non quòd oratio & contemplatio de necessitate determinent vel exigant locum, sed quia sic decet, ut in loco altissimo habitent, qui DEO fruuntur, & in locum consecratum conveniant, qui Dominum deprecantur. *Dion. Carth. in c. 56. Isaiæ.*

II. Sicut is, qui eodem tempore, quo Henrico III. memoriale præsentabat, cultrum quoque in eum stringens, ipsum contrucidavit, parricida erat; ita quoque, si is, qui ad Ecclesiam orandi causâ accedit, eodem tempore per irreverentiam, dissolutionem, & scandala sua, domum orationis prophanat, DEUM utique mortaliter offendit. *Mansi disc. 4. n. 9.*

III. Sicut in Paradiso terrestri DEUS vi- *Idem disc. 6. n. 6.*

tæ arborem plantavit, quâ mediante homo in longissimum usque tempus producturus fuisset vitam quandam inalterabilem & felicem: Ita quoque divina & infallibilis Providentia in Paradiso Ecclesiæ suæ, ad spiritualem & immortalem animarum nostrarum vitam promovendam, & confirmandam, arborem veræ vitæ plantavit: *Ego sum Panis vivus, qui de cælo descendi: si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* De qua arbore multi servi DEI participantes ad nostram utilitatem quotidie multa operantur mirabilia.

Idem disc. 13. n. 1. IV. Sicut arca Domini, & Dagonis idolum, sese mutuò in uno eodémque templo non compatiebantur; ita quoque, quando sublatâ à locis sacris debitâ reverentiâ, Diabolo potiùs, quàm DEO in iisdem servimus, à DEO protinus deseruntur, quia domum DEI decet sanctitudo. *Quæ enim participatio Iustitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? quæ conventio Christi ad Belial?*

§. VII.

MOTIVA.

S. Bonav. s. 1. de dedic. I. **A**Ngelorum Exemplum; de quo sic S. Bonaventura locutus est; Debet enim reverentia ipsis adstantibus exhiberi, & gloriosi angelici spiritus nobis adesse credendi sunt, cùm divinis mancipamur obsequiis vel officijs. In eodem sermone subjungit dicens: Non dubitare licet, ubi Dominici Corporis & Sanguinis mysteria geruntur, supernorum civium adesse conventus, qui monumentum, in quo Venerabile Corpus positum fuerat, & jam resurgendo abscesserat, tam sedulis excubijs servaverunt; debet igitur eis adsistentibus reverentia exhiberi.

Concil. Eph. h. 4. c. 21. II. *Paganorum Exemplum*; nam, ut Concilium Ephesinum ait: si falsa veterum paganorum religio, quæ quidvis obvium prò DEO colebat, adeò superstitionis suæ servans fuit, ut altaria non quibusvis, sed sacerdotibus duntaxat ad hoc institutis committeret, neque fana sua rursum ubilibet, sed in arcibus, aliísque munitioribus locis tantùm erigeret, ibíque idola sua magna cum veneratione adoraret, quantò magis par est, & nos religionem nostram, omni cum observatione, pietate, ac diligentiâ observare, tuerique nitamur, ad quos DEUS ipse cum vero religionis cultu, cœlo interim non deserto, descendit.

S. Chrysost. ho. 5. c. 21. III. *Dæmonum Exemplum*; nam teste Chrysostomo, domum, ubi repositum fuerit thus, timet Diabolus, nec audet accedere, multò magis ubi reponitur Corpus Christi, & celebrantur divina mysteria. Idem quoque sanctus Doctor, Dæmones Ecclesiam ingredi minimè præsumere dicit: Extra Ecclesiam, inquit, stat Diabolus, quippe sacrum istud in ovile non audet intrare; ubi enim Christi grex est, lupus non comparet, sed foris stat.

S. Ambros. l. 3. de Virg. IV. *Brutorum Exemplum*, quod S. Ambrosius sequentibus verbis ob oculos ponit: Frequens sermo est, cùm plurima ranarum murmura religiosæ auribus plebis obstreperent, sacerdotem DEI præcepisse, ut conticerent, & reverentiam sacræ deferrent orationi, tunc subitò circumfusos strepitus quievisse. Silent igitur paludes, homines non silebunt? Et irrationabile animal per reverentiam recognoscit, quod per naturam ignorat, hominum tantam esse immolestiam, ut plerique deferre nequeant mentium religioni, quod deferunt aurium voluptati.

S. Carol. p. 7. act. Med. f. 1040. V. *Utilitas*; quam paucis explicavit S. Carolus Borromæus his verbis: Hæc sacra loca elegit DEUS, ut in ijs fidelium orationes exaudiat; ut medijs Sacramentis suam nobis largiatur gratiam; ut mediante sacrosancto Verbo suo prædicato, donis nos spiritualibus locupletet. In sacris hisce locis per sacerdotes, aliósque ministros Ecclesiasticos cælestis beatorum Angelorum & Sanctorum Hierarchia repræsentatur; eò fideles concurrunt, ut in una fide, in uno spiritu, & quasi uno eodémque ore, tanquam unius ejusdémque Ecclesiæ membra orationes suas unanimiter persolvant. Hæc & alia multa bona, in Ecclesijs copiosè recipimus. Cui consentiens S. Chrysostomus, qui hunc, inquit, cum fide, ac studio venditat, innumeris thesauris ditatus abscedit, & si tantùm os aperuerit, omni suavitate continuò, ac spiritualibus opibus complebit illos, qui congressu ejus fruuntur, & si sexcentæ ingruerint calamitates, omnes æquo animo feret, utpote qui ex scripturis divinis, patientiæ, Philosophiæque sufficientem occasionem hinc acceperit. Et iterum: Neque verò tantùm ex admonitione, sed etiam ex precibus, ex paterna Benedictione, ex communi conventu, Fratrúmque charitate, atque alijs sexcentis ex rebus, multa utilitate, atque omni oblectatione perceptâ solet discedere, atque innumera bona domum reportare. *S. Chrysost. to. 1. ho. 5.*

§. VIII.

ASCETICA.

S. Bonav. in Ps. 127. I. **I**Nprimis nôsse debet *Asceta causas, ob quas præcipuè templa intramus*, quas S. Bonaventura his verbis indicat: Quatuor de causis intramus Ecclesiam: ut laudemus DEUM: unde hoc: *Laudate servi Dominum*; quandoque, ut oremus: *Domus mea domus orationis*; quandoque, ut instruamur: *Venite ad me, & ego docebo vos*; quandoque, ut reficiamur susceptione Sacramenti, quod in Ecclesia præsentatur.

Idem s. 4. de dedic. II. *Nôsse debet, cur Ecclesia domus orationis vocetur*; nimirum ob octo causas, ab eodem Sancto indicatas; *Prima* est, quia ibi peccator rectè orans, obtinet peccatorum remissionem. *Secunda*, quia tentatus, ibi rectè orans, obtinet liberationem. *Tertia*, quia contra sterilitatem, obtinet ejusdem fœcunditatem. *Quarta*, quòd infirmus impetrat salubritatem. *Quinta*, tristis consequitur jucunditatem. *Sexta*, alienigena impetrat prosperitatem. *Septima*, conversus

sus ad DEUM habebit victoriam. *Octava*, quòd captivatus adipiscetur incolumitatem, & quidem, ut idem Doctor Seraphicus notat, omnes hæ utilitates, quas in domo DEI consequimur, à Salomone *3. Reg. c. 8. & 2. Paral. c. 7.* speciatim expressæ fuere. Et pro his octo beneficijs, inquit idem Seraphicus, quæ conferuntur in domo orationis, celebravit Judas Machabæus per octo dies solemnitatem dedicationis, sicut dicitur, 1. *Mach. 4.*

Hugo Card. in c. 4. 10.

III. *Nôsse debet, cur Ecclesia sit aptior ad preces DEO offerendas*; id quod Hugo Card. sequentibus verbis indicavit: Notandum, quòd locus sacratus DEO, & Benedictus, aptior, & utilior est ad orandum. Primò, quia ibi magis excitatur devotio, & ferventior fit oratio. Item benedictio Episcopalis & oratio ejus, majorem efficaciam confert orationi ad impetrandum, quia associatur orationibus Ecclesiæ generalis; item quia Dominus domum sibi dicatam, & habitantes, & psallentes in ea, quadam speciali gratiâ custodit, & visitat. Cui consentiens Gerson, sanctius, inquit, & DEO placentius, & fructuosius est, regulariter, orare DEUM in templis, & locis sibi dicatis, quàm in alijs; hujúsque asserti sui rationem his verbis assignat: Valor quippe orationum ibi factarum cumulatur ex oratione generali, & loci majestate, ex qua fit devotionis major incitatio, propterea non absque grandi ratione sedula religio Patrum nostrorum particularia oratoria vetabat.

Gerson t. 2. de vit. Cler.

S. Bernard. to. 1. s. 10. a. 3. c. 1.

IV. *Nôsse debet, Christum, dum jussit, ut in cubiculum pro oratione intremus, non præjudicasse Templorum frequentationi*; nam ut S. Bernardinus bene advertit, ille cubiculum suum intrat, qui omnes humanos sensus ad interiora revocat: ille quoque ostium suum claudit, qui cordis cogitationes, ne extra vagentur, frænat; Unde hisce verbis Christus uniuscujusque privatam (quoad faciendam orationem) nequaquam Domui DEI præferre voluit.

Rupertus Abb. lib. 1. de div. offic. c. 23.

V. *Nôsse debet, cur templa auro, & alijs rebus pretiosis ornanda sint*; id quod Rupertus Abbas his verbis indicat: Auro, & argento, lapidibus pretiosis, pro posse fidelium, singulis in locis splendet festiva devotio; quæ, cùm in sæcularibus ambitionis insignia sint, in Ecclesiasticis, & divinis rebus pietatis officia sunt; non quia DEUM, qui spiritus est, plùs aurea, quàm lutea; plùs gemmata, quàm nuda delectent corpora, sed quòd homines, quod diligunt, cùm DEO libenter offerunt, dilectione DEI, quâ illud à se separant, quidquid illud sit, DEO pretiosum efficiunt.

S. August. s. 257. de temp.

VI. *Nôsse debet, quod magis decor & ornatus interioris templi, seu animæ procurandus sit*, uti rectè S. Augustinus monuit dicens: Decorem domus DEI, & locum Tabernaculi claritatis ejus diligimus, & nos ipsi sumus; quid enim decor est Domûs DEI, & locus Tabernaculi claritatis ejus, nisi templum ejus, de quo Apostolus dicit: *Templum enim DEI Sanctum est, quod estis vos*; sicut ergo in fabricis manufactis, cùm eleganter & magnificè construuntur, corporalis noster mulcetur aspectus, ita cùm lapides vivi, corda fidelium, charitatis vinculo contineantur, decor est Domûs DEI, & locus Tabernaculi claritatis ejus. Et alibi: quamvis sancta sint templa, quæ videmus de lignis & lapidibus fabricari, tamen plùs apud DEUM pretiosa sunt templa cordis & corporis nostri, quia illa fiunt ab homine carnali, ista ab artifice Mundi. Hinc & Rupertus Tuitiensis Abbas circa Populum Hebræum è Babylonia redeuntem observat, quòd reversus de Babylonia populus, altare tantùm fecerat fortuitis (ut ait Hieronymus) & impolitis lapidibus, absque templo, & putabant minorem esse cultum religionis, quia templo ornatus deerat; nec intelligebant, omnipotentem DEUM, non aurum, gemmásque, & hostiarum multitudinem quærere, sed offerentium voluntatem.

Idem s. 255. de temp.

Rupert. l. 1 de div. offic. c. 23.

§. IX.

MISCELLANEA ET CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Qualitas.

Mans. disc. 1. n. 10.

I. QUærunt nonnulli, cur potiùs Seraphini, qui supremo Hierarchiæ & celsissimi Chori eminentissimi Angeli sunt, tam ab Evangelista, quàm à Propheta Evangelico visi fuerint, & non potiùs alii spiritus inferiores, maximè quando de obsequio & reverentia, DEO in throno Majestatis considenti exhibendâ agitur. Sed facilis est responsio, si consideremus, quòd, quantò magis lumen est, quod habent Angeli, tantò pariter magis in ipsis proportionaliter crescat, & augeatur eorum erga DEUM reverentia. Et ideo observandum, quòd de Angelis, qui Dominationibus comparati, minorem DEI habent cognitionem, dicatur, quòd laudent DEUM (*quem laudant Angeli*) Dominationes verò, quæ minùs illuminatæ sunt, quàm Potestates, adorare DEUM dicantur: (*adorant Dominationes*) at verò Potestates, quæ in cognitione Angelis & Dominationibus superiores sunt; tremere dicantur: (*Tremunt Potestates*) ac proinde Seraphini, qui cunctis spiritibus Angelis in lumine seu cognitione infinitæ illius Majestatis præcellunt, meritò Isaiæ adeò venerabundi & obsequiosi ante thronum DEI in templo residentis, exhibiti fuerunt, ut nimirum ab ipsorum Angelico exemplo discamus, quàm sit immensa & inexcusabilis irreverentiæ nostræ enormitas & gravitas, qui non solùm Angelis, quibus loca divino cultui consecrata plena sunt, nullum respectum deferimus, verùm etiam ne ipsum quidem DEUM, quem adorant Dominationes, tremunt Potestates, prout par est, reveremur & colimus, & tamen Christiani sumus, magnóque fidei lumine illuminamur, ac proinde mirum non est, si suo quoque tempore rigidiùs puniamur; unde cuilibet illorum Christianorum dici poterit: *sicut lumen ejus, ita & tenebræ ejus.*

taret, quòd habitator cœlorum DEUS auro templi manufacti, vel civitatum opibus delectetur, & non potiùs hominum fide & bonis operibus, quibus intus in anima templum illi præparatur, qui solo delectetur, ubi adoretur, in quo videri, præsens agnosci dignetur, sine quo frustra foris lampadibus vel auro templi manufacti requiratur.

S. Chrysost. ho. 51. in Evang. VII. Observant aliqui, quòd S. Petrus aliquanto spatio à Salvatore super mare ambulante remotus, postquam magna cum fiducia dixisset: *Iube me ad te venire super aquas*; liquidum illud elementum generosâ fide calcare cœperit, cúmque ad Christum propinquiùs accessisset, impetuosum quendam validúmque ventum sentiens, metu gravi percussus fuerit: propter quod Christus illum increpavit dicens: Modicæ fidei, quare dubitasti? ubi D. Chrysostomus ait: Magna cum fiducia in aquas descendit, ad ventorum autem impetum, animi magnitudinem retinere non potuit, præsertim cùm jam prope Christum esset: maximè autem proposito nostro deserviunt sequentia ejusdem sancti Doctoris verba; Nihil certè prodest, loco juxta Christum esse, si fide non sis; quid enim prodest, si domum DEI frequenter visites, ubi Sacramenta administrantur, ubi cœlorum thesauri dispensantur, ubi signatura est gratiæ, ubi DEUS ipse corporaliter præsens assistens, si qui eò accedere debebas, ut bonis hisce locupletarêris, eò te cum intentione DEUM per scandala & dissolutiones injuriis afficiendi, Domúmque ejus sanctam prophanandi conferas.

TITVLVS LXXII.

TEMPUS.

§. I.

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas.

Eccles. c. 3. I. OMnia tempus habent, & suis spatiis transeunt universa sub cœlo.

Ibid. c. 8. II. Omni negotio tempus est, & opportunitas, & multa hominis afflictio.

Act. 1. III. Non est vestrum, nôsse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate.

Eccl. c. 20. 6. IV. Est tacens, non habens sensum loquelæ; & est tacens, sciens tempus aptum.

Thren. c. 1. V. Vocavit adversùm me tempus.

1. Petr. c. 1. VI. In timore incolatûs vestri tempore conversamini.

Utilitas.

2. Cor. c. 4. VII. Momentaneum hoc & leve tribulationis nostræ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis.

§. II.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Qualitas.

S. Bernardinus to. 1. ser. 12. a. 3. I. O Vita præsens, quàm multos decipis, quæ dum cognosceris, nihil es; dum videris, umbra es; qui te quærunt, non te cognoscunt, & qui te cognoscunt, non te quærunt; qui te fugiunt, ipsi te intelligunt. Vera non est via, quam tu ostendis, fugitiva est velut somnium. Aliis ostendis te longam, ut perdas in finem; aliis largam, ut faciant quæcunque volunt; aliis angustam, ut non faciant bonum; aliis tristem, ut non consolentur de bono. Hæc sunt duodecim pericula, quibus Psalmista in persona hujusmodi peccatoris dicit, *pericula inferni invenerunt me.*

II. Unaquæque res eò magis diligenda est, quò pluris esse cognoscitur; præstat quippe æstimationem rei ipsius agnita virtus, quæ tunc apparet amabilis, cùm primæ innititur veritati, & quæstu suo locupletes suos esse facit in cœlo. Hinc indulti temporis pretiositas commendatur. S. Laur. Iust. de vit. solit. c. 10.

III. Dissipat substantiam suam, scilicet tempus, quod est majoris pretii omnibus aliis rebus mundi, quia tempus tantùm valet, quantùm DEUS; quia si Diabolus haberet unum modicum tempus, in quo posset pœnitere, sicut nos, ipse salvaretur, & acquireret Deum, & per consequens tantùm valet tempus, quantùm DEUS. S. Bernardin. to. 4. ser. 18. p. 1.

IV. Tam pretiosum est tempus, quòd damnati darent omnes thesauros mundi, si haberent in potestate sua, pro habendo momentum temporis, in quo possent pœnitere; & evadere tantas pœnas. S. Antoninus p. 3. t. 9. c. 14. §. 1.

V. Heu! quàm mortalium est ista plangenda conditio, detestanda cæcitas, infelicitas fugienda. Abutuntur perversi homines naturalibus bonis; veniæ tempus otiosè conversando consumunt. O si agnoscerent, quanti æstimandum sit, quod sine consideratione amit- S. Laur. Iust. l. c.

amittunt. Cæterùm quid pretiosius tempore? quid quæso, illo fructuosius? quid carius? quid excellentius? quidve amabilius? sed prô dolor! penè ab omnibus nihil habetur vilius, nil tractatur inutiliùs, nil indignius possidetur.

S. Gregor. Naz. apud Mansi disc. 14. n. 7. VI. Vita nostra quasi mercatus est, cujus tempus, cùm abierit, tempus amplius non erit emendi, quæ velis. Non debemus perdere occasionem redimendi tempus, quando nobis offertur, secùs incurremus periculum perdendi lucrum, quod facere possumus, quod est omnium maximum, ac propterea *dum tempus habemus, operemur bonum.*

Alcuin. ep. 8. VII. Ineffabilis DEI pietas humano providebat generi, breviter laborare, & æternaliter coronari, ideo pretiosa nobis debent esse tempora, ne perdamus per negligentiam, quod per bonæ vitæ exercitium habere poterimus æternum.

S. Laur. Just. l. c. VIII. Cætera, quæ habemus in mundo, à nobis aliena sunt, tempus autem proprium nostrum est, si tamen illo utimur ad salutem. Illud siquidem divina nobis clementia contulit, ad plangendum errata, ad pœnitentiam faciendam, ad promerendam indulgentiam, ad virtutes acquirendas, ad multiplicanda merita, ad vindicandam gratiam, ad inferni supplicia evadenda, ad æternam gloriam consequendam.

Hugo de S. Vict. ho. 13. in Eccl. IX. Ille prudentissimus est, qui sic scit transeuntia in usum vertere, ut tamen non nôrit in eorum defectu mentem à sua stabilitate inclinare, omnia enim suo tempore benè utenti sunt bona.

Simon de Cassia l. 13. X. Frustrà est tristitia temporum labentium perditorum (ita discurrit Simon de Cassia) reprehendi solùm possunt, aut in tabula damnata depingi tempora vacua, quæ præteritum in suo jure suscepit; corrigi autem nunquam, nec in charta satisfactoris adscribi. Potiùs, malè actùm, per pœnitentiam sequentem diluitur, quàm recuperari possit bonum, quod excidit ex incuria, aut negligentia, vel quomodolibet prætermissum. Non ergo prætereamus horam nostram, quia nescimus horam divinam. Hora nostra est actionis, dijudicationis est hora divina; ait enim ipse Salvator, vigilate itaque, quia nescitis diem, neque horam.

S. Aug. serm. 17. de verb Dom. XI. Si tibi vinum minuatur in utre, tristaris; diem perdis, & gaudes.

Eucherius ad Monachos. XII. Illum diem vixisse te computa, quem non malitia, non invidia, non superbia commaculavit, qui peccato non cessit, qui Diabolo repugnavit.

Damnum.

S. Bernard. to. 1 ser. 3. n. 3. & 4. XIII. Si non vigilaveris, veniam ad te tanquam fur; fur etiam ad hoc venit, ut thesaurum indiligenter custoditum tollat. Thesaurus utique indiligenter custoditus est pretiosissimum tempus, quod meritò Dominus peccatori tollit, quia illud male vivendo in lucro non ponit; Unde Matt. 13. inquit benedictus JESUS: *Qui enim habet, dabitur ei, & abundabit; ei autem qui non habet, & quod videtur habere, auferetur ab eo.* Habet utique justus tempus, quod benè expendit; huic tempus habenti, tempus in fine datur, & spatium cogitandi, & etiam purgandi conscientiam suam; & abundabit, scilicet plenitudine verâ, veniâ magnâ, gratiâ largâ, & gloriâ infinitâ. Ille verò non habet, qui malè vivendo amisit pretiosissimum tempus; & divino judicio, & diabolico opere fit, ut, sicut peccator stultè tempus, cùm viveret, amisit; sic stultissimè in incerto tempore mortis speret. Ita, quòd, dum tempus pœnitendi in fine se sperat habere, digno judicio DEI per inexspectatam vel subitaneam mortem, spatium pœnitendi non valeat obtinere. *Matt. 13. 12. & 25. 29.*

Usus.

XIV. Cur tibi adhuc proferenda tam longa temporum promittis spatia? Imò etiam si vel unam horam in hac vita facias? An fortè mente excidit, quod Salvator in Evangelio dicit, *vigilate, quia nescitis diem, neque horam*? Quapropter discute torporis inertiam, sempérque memento, quia regnum cœlorum non tepidi, non molles, non desides, sed violenti, atque ferventes diripiunt. *S. Isidor. l. de conflict. vitior. & virt.*

§. III.

EXEMPLA SACRA.

Qualitas.

I. S. Franciscus Salesius de se ipso scripsit: Ah! quando considero, quibus hactenus impenderim tempus DEI, magnis premor angustijs, timens, ne me velit excludere ab æterna gloria; hanc enim non nisi tempus benè impendentibus communicare intendit. Ex quibus hoc jam conficio argumentum, quantò majorem illi habebunt occasionem timendi DEUM, qui tempus inutiliter profundunt in ludos, recreationes, convivia, ac similes dissolutiones, súntque hostes laboris? *S. Franc. Salesius l. 7 ep. 81.*

II. Domina de Cantal fuit primogenita spiritualis filia S. Francisci de Sales, nec non prima petra fundamentalis, cujus operâ ille instituit Ordinem Visitationis; de ista in vita sua legitur lib. 1. pag. 28. quòd totò tempore viduitatis suæ nunquam visa aut inventa fuerit otiosa, in ipsismet conversationibus non abhorrebat laborem. Cuidam illam roganti, ut spiritum nonnihil relaxaret, & arcum nimiâ occupatione tensum tantisper remitteret, gratiosè replicans dicebat: Si unicum momentum temporis perderem, furti me ream existimarem, illud enim Ecclesiæ & pauperibus totaliter dedicavi. *Vita l. 1. fol. 28.*

III. S. Augustinus alicui hæc verba scripsit: Sed mi Frater, & tu, credo, quòd noveris, quanta *S. August. epist. 136.*

quanta sint in manibus meis, quibus ob diversas curas, quas nostræ servitutis necessitas habet, vix mihi paucissimæ guttæ temporis stillantur, quas aliis rebus si impendero, contra officium meum mihi facere videor.

Vita lib. 3. n. 14. IV. Servus DEI Juvenalis Ancinæ, dignus filius S. Philippi Nerii, de cujus Beatificatione jam agitur in Congregatione Rituum, erat inimicus otij; Unde in eius vita legitur, quòd, cùm frater eius illi scripsisset, ut inter domesticos computus inquireret, & videret, quanta esset summa pecuniæ, quam quidam deberet, ut illam exigere posset, respondit: Sufficit, ego non habeo tempus inquirendi huiusmodi quisquilias; malo fraudem pati, quàm tempus pretiosissimum conterere.

Petr. Pomeranus p. 3. Isagog. c. 9. V. Beati Cœlites inter cætera S. Mechtildi dixerunt: Si homines pretium temporis, & quot uno die, bono eius usu, meritorum cumulos exaggerare possent, benè apprehenderent, continuò, ubi manè evigilârunt, in labores pro DEO incumberent, nec momentum infructuosè præterlabi sinerent.

Ibidem. VI. Cùm Episcopum quendam virum probum in extremis agentem adiisset Cardinalis doctus simul & Sanctus, rogassetque quî animo valeret; respondissetque ille: Benè, nullius enim, inquit, peccati, quod sanguine Christi abluere non sim conatus, me remordet conscientia. Benè habet, inquit Cardinalis, & verum te loqui arbitror, si de peccatis commissionis agitur; sed si de peccatis omissionis examen DEUS instituat, quid respondebis? Heu me! intulit ille, cum alto suspirio & lacrymis, si omissiones meas appendere voluerit DEUS, quò ibo?

Barry in solitud. fol. 436. VII. P. Paulus Barry narrat, Dæmonem fassum, si DEUS illi post diem judicii indulgeret unicum punctulum temporis ad promerendum cœlum, facturum se plùs pro DEO, quàm fecerint omnes Sancti. Alius jussus dicere, quod tormentum sit summum apud inferos? dixit: jactura temporis.

Lyraeus de Christ. patient. l. 1. c. 8. VIII. Vir quidam admodum Religiosus, qui toto triennio acutissimos podagræ dolores pertulit, usque ad obitum, mortuus cuidam viro spectabilem se dedit, dixitque: Si tantillum sibi adhuc temporis superesset, æternitati vitæ novæ exercitiis curandæ, & in hac vita merendi, quod sufficeret ad recitandum unum *Ave*, se libentissimè altero iterum triennio acutissimum quodvis podagræ genus ultrò toleraturum; modò tantillum temporis, tantis doloribus emere posset.

Bellov. spec. p. 6. l. 3. dist. 6. IX. Cùm quidam dives Clericus vigilaret Parisiis ad fenestram studens, & quidam cantaret in vico quandam cantilenam, quæ dicebat Gallicè: *Tempus vadit, & ego nihil feci; tempus venit, & ego nihil operor*: incepit recogitare circa dulcedinem cantûs, & pòst circa verbi sententiam cogitans, quòd sibi competeret, quasi sermonem à DEO sibi missum illum recipiens, in manu omnia relinquens, Ordinem Fratrum Prædicatorum intravit.

X. Magnus quidam vir toties suspirabat, quoties audivit signa sonantis horologij, interrogatus, cur suspiraret toties, sapienter respondit, non parùm se indè affligi, quòd sciret, se DEO redditurum rationem, quo videlicet modo tempus impendisset, nec non de omnibus defectibus ab eo tempore commissis, quo rationis usum habere cœpisset. *Mansi disc. 1. n. 9.*

§. IV.

MOTIVA.

I. Quia vita nostra brevis; uti S. Jacobus insinuat dicens: *Qua est vita nostra? vapor est ad modicum parens, deinceps exterminabitur.* Et confirmans id ipsum S. Augustinus recole, ait, annos ab Adam usque in hodiernum diem; percurre Scripturas. Heri penè Adam ille de Paradiso delapsus est, tot sæcula emensa voluta sunt. Ubi sunt præterita tempora? Si pauca, quæ restant, utique pertransibunt. Si toto illo tempore viveres, ex quo Adam de paradiso dimissus est, usque in hodiernum diem, certè videres, vitam tuam non fuisse diuturnam, quæ sic avolâsset. Unius autem cujusque hominis vita quanta est? Adde quantoslibet annos, duc longissimam senectutem, quid est? Nonne aura est matutina? *S. Jacobus c. 4.* *S. August. in Ps. 36.*

II. *Quia tempus molæ simile est versatili*, cui si materiam utilem proterendam, & frumentum, hordeum, aliúdve hujuscemodi subjeceris, non sine fructu eam tibi restituet; sin verò arenam, aut paleam; & illam corrumpes, & fructu, quem alioquin colligere poteras, tuâ incuriâ & vecordiâ carebis. *Penneq. differt. 6. n. 10.*

III. *Quia exempla agricolarum, vinitorum, Institorum, Pauperum*, tempus sementis, putationis, nundinarum, eleëmosynæ accipiendæ, tam studiosè observantium *excitare deberent.* *S. Bern. de tripl. cust.*

§. V.

ASCETICA.

I. *Inprimis nosse debet Asceta, cur tantoperè æstimandum sit tempus*; id quod S. Bonaventura his verbis indicavit: Ecce tempus, quo nihil pretiosius; quapropter magnoperè pensandum, qualiter dispensandum, ne fortassis indecenter in defectibus expendatur. Et nota, quòd tempus plangendi, tempus acquirendi & tempus custodiendi; quorum primo nihil pretiosius pœnitenti; secundo nihil pretiosius perficienti; tertio nihil pretiosius pervenienti. *S. Bonav. in Ps. 118.*

II. *Nosse debet, quinam sint dies mali, de quibus Apostolus Eph. c. 5. dixit: Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt*: Nimirum, ut Dionysius Carthusianus interpretatur: Dies mali sunt, non quòd dies in se mali sint, sed quia mala insunt hominibus in diebus sæculi hujus vi- *Dionys. Carth. in cit. loc.*

ventibus ; Scriptura enim tempori ea adscribit, quæ fiunt in tempore ; quemadmodum 1. Machab. inducitur : *Videns Jonathas , quia tempus eum juvat.* Hinc enim Salvator : *Sufficit* , inquit , *diei malitia sua* ; & in Genesi Jacob asseruit : *Dies peregrinationis meæ mali & parvi.*

Ibidem. III. *Nosse debet, quomodo perditum tempus recuperari queat*, nimirum (ut idem ait) tempora , quæ infructuosè expendistis , reparentes per fructuosissimam occupationem temporis præsentis atque restantis , quatenus priores negligentias & impietates recompensetis , per ardentissimam conversationem temporis nondum elapsi , quo estis victuri , ne inter impios numeremini , de quibus canit Psalmista : *Viri sanguinum &c.* Quod confirmans S. Anselmus , tempus , inquit , redimimus, quando anteactam vitam, quam lasciviendo perdidimus, flendo reparamus; dum enim malè agimus , tempus , in quo benè operari deberemus , amittimus ; sed damnum temporis redimimus , si ita vitam commendamus , ut ea bona , quæ olim facere neglexímus , & ea , quæ nunc facere debemus, faciamus.

S. Anselm. apud Man si dis. 14. n. 4.

Aristot. l. 2. Rhetor. c. 434. IV. *Nosse debet, non malè impendi tempus, cùm relaxationi honestæ impenditur*: Nimirùm omnium rerum vicissitudo jucunda est , teste Aristotele ; quia, quod semper est idem, in exuberantiam transit , & præsentem habitum corrumpit. Hinc & Seneca , inter se, inquit , ista scilicet , quies & actio miscenda sunt , & quiescenti agendum, & agenti quiescendum ; cùm rerum natura delibera, illa dicet tibi, se diem fecisse,& noctem. Unde Religiosum ex Ordine Cisterciensi Robertum nomine, quem nimia animi applicatio de rationis usu dejecerat , apud S. Birgittam pro ejus valetudine deprecantè condemnat DEUS, hâc in medium allatâ similitudine : Unus aliquis ad excolendam vineam conductus fuit, quæ , cùm plurium dierum laborem exigeret , ille lucri captus cupiditate , totam culturam uno die voluit absolvere ; ac nimiâ laboris contentione in morbum incidens , & vineam majori ex parte incultam reliquit,& mercede fraudatus est; Hoc scilicet damni intulit indiscreta cupiditas : ego tamen tuis precibus inclinatus hominem pristinæ sanitati restituam. Rectè ergo S. Bernardus Sponsæ exemplum adducens , ut potita , inquit, votis anima , aliquantus tantò ardentiùs redeat in idipsum, quantò infructuosiùs intermisisse meminerit , & iterum sumpto contemplationis gustu , valentiùs ad conquirenda lucra solitâ alacritate recurrat.

Senec. Epist. 3.

Vita S. Birgitt.

S. Bernard. serm. 17. in Cant.

Plato l. 8. de republ. c. 4. V. *Nosse debet , quomodo ejusmodi tempus utiliter usurpari queat* ; scilicèt ut , quemadmodum Plato monuit , Medicinæ loco adhibeatur. Medicina sumitur in remedium restituendæ sanitatis per labores debilitatæ, ut nimirùm pristinis recuperatis viribus rursum operari possimus ; ita fiat in honestis recreationibus , omnésque , qui virtutem amant, sempérque se fatigare conantur , cogitent necessè est ; etenim *spiritus quidem promptus est, caro autem infirma* ; ut igitur in cursu perfectionis perseverare , tentationibúsque resistere , ac majori conatu in servitio proficere valeant , refocillatione opus est. Verùm illud quoque observandum, quòd quemadmodum Medicina nociva esset , nisi potio sumenda sit limitata & moderata juxta morbum &complexionem sumentis ; ad eundem modum recreationes, quibus timorati vacare cogitant , intra convenientes subsistant limites, oportet. Attendendum (ait S. Thomas) sicut in omnibus humanis actibus, ut congruat personæ , loco , tempori , & secundùm alias circumstantias debitè ordinetur, ut scilicet sit tempore & homine dignum.

Pennequin p. 3. Hag. c. 4. n. 6. VI. *Nosse debet fontes, ex quibus malus usus temporis oritur*, quos Petrus Pennequin indicavit, dum citans S. Bernardum dicentem : Esse aliquos semper , quod non habent , cupientes ; & quod habent , fastidientes , & propterea in neutro proficientes : Ait, hoc ex tribus inconstantiæ fontibus oriri , vel ex impatientia laboris, quem supra vires assumimus ; vel ex levitate naturæ (ut enim rectè notat idem Sanctus : Pusillanimitas facit propositum relinquere; levitas mutare:) vel denique ex naturæ nostræ ad vicissitudinem propensione. Hâc animi nostri ad mutationem inclinatione , ad labefactandam in rebus benè constitutis constantiam , utitur Dæmon, ac meliorum specie , præsentia corrumpit ; ordinéque perturbato , pacem etiam animi, & res agendas perturbat & evertit : frænandi omnes impetus , & naturæ mutabilitas coërcenda , imitandúsque insignis , & à S. Ephrem laudatus Eremi Athleta Abrahamus, qui eundem temporis ordinem , actionúmque canonem totis quinquaginta annis , quibus in eremo vixit , constanter tenuit.

§. VI.

MISCELLANEA ET CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Aretius apud Mansi disc. 1. n. 4. I. DE tempore dixit Aretius : Qui illud vendit , furatur ; qui illud emit, decipitur ; qui desuper facit contractum , est usurarius ; qui tempus promittit , mendax est ; qui illud donat , est stolidus & stupidus; qui illud acceptat , deluditur ; totum hoc ideo , quia tempus non habet pretium, neque est vendibile , neque ullius contractûs potest esse materia : Et tamen illud est , quod cæteris omnibus rebus confert , & aufert pretium.

Seneca de brevit. vit. c. 3. II. Non malè de tempore abutentibus discurrit Seneca : Omnia, licèt , quæ unquam ingenia fulserunt , in hoc unum consentiant, nunquam satis hanc humanarum mentium caliginem mirabuntur. Prædia sua occupari à nullo

nullo patiuntur, & si exigua contentio est de modo finium, ad lapides & arma discurrunt; in vitam suam incedere alios sinunt, imò verò ipsi etiam possessores ejus futuros inducunt. Nemo invenitur, qui pecuniam suam dividere velit; vitam unusquisque quàm multis distribuit? Adstricti sunt in continendo patrimonio; si autem ad temporis jacturam ventum est, profusissimi in eo, cujus unius honesta avaritia est.

Mansi disc. 8. n. 7. III. Aversamur, & detestamur Domitianum Imperatorem, quòd plurimos dies vitæ suæ consumpserit muscas pugione insequendo & transadigendo; Ast quot & quanti hisce reperiuntur temporibus majori correpti dementiâ? Domitianus namque homo infidelis & gentilis, nec æternam gloriam, nec tempus datum esse ad illam promerendam credebat; at quot sunt, qui Christiani professione censentur, & nonnisi muscas capiendo tempus insumunt? Telas araneæ texuerunt. Eviscerat se aranea, ut telam conficiat ad capiendas muscas; hoc idem multis contingit, qui cum magno sudore annos vitæ suæ transigunt; at fini temporali, & suis phantasiis intenti, ut capiant muscas. De Artabo Rege Hircaniæ legitur, quòd talpas capiebat; & de Biante Rege Lydiæ, quòd filo inserebat ranas; & quis hujusmodi fatuitatem & stultitiam in talibus hominibus, qui Regnorum administrationi invigilare debebant, non abominaretur? sed quid? An non quoque detestanda est multorum Christianorum stultitia, qui à DEO creati sunt, & redempti propter Regnum cœleste, & tempus ad hoc concessum expendunt in capturam ranarum? An non sunt talpis cæciores? quot & quanti sunt, qui totum tempus matutinum in poliendo sese, comendo, & fumificando consumunt? quot sunt, qui dies suos in jocos, ludos, venationes, & similes occupationes expendunt? Hinc S. Bernardus: considerate, ait, quàm multi modo moriuntur, quibus si hæc hora ad agendam pœnitentiam concederetur, quæ tibi concessa est, quomodo per altaria, & quàm festinanter currerent, & ibi flexis genibus, vel certè toto corpore in terram prostrato tam diu suspirarent, plorarent, orarent, donec plenissimam peccatorum veniam à Domino consequi mererentur? Tu verò comedendo, bibendo, jocando & ridendo, tempus otiosè vivendo perdis, quod tibi indulserat DEUS ad acquirendam gratiam, & promerendam gloriam.

S. Bernardus c. 63. de domo interna.

Mansi disc. 14. n. 7. IV. Nonnunquam continget, quòd mercator toto die, vel etiam septimanâ stabit in sua officina, & nullas prorsus divendet merces; at tali postea poterit accidere etiam occasio, quod suffragante fortunâ, ac propriâ industriâ, transcendente lucro antecedens resarciat damnum. Multi fortassis sunt, qui vixerunt otiosi, dissoluti, pigri in via DEI, & profectu animæ suæ; Ast cùm postea se convertunt, tanto cum fervore Spiritûs cooperantur divinæ gratiæ, tantòque cum virtute præteritæ negligentiæ excutiunt somnum, ut brevi temporis spatio plurimùm proficiant in spiritu & perfectione, & proficiendo superent multos, qui diuturno tempore in divino servitio se fatigârunt.

V. Si fructum percipere de novo anno (idem est de alio tempore) vis, hoc facito, ubi annum expletum videris, gratias age Domino, qui te ad hanc annorum circuitionem perduxit; vitæ tuæ tempus tecum reputa, tecum ad hunc modum verba facito: dies prætereunt, anni finiuntur, magnam vitæ nostræ partem confecimus; quid boni à nobis factum est? Judicium DEI præ foribus est, & reliquum vitæ tempus ad senectutem vergit. *S. Chrysost. in Cal. Ian.*

VI. S. Anselmus, negligentes (tempus) imitantur, ait, pauperes insipientes: Siquidem pauper insipiens, cùm obolum acquirit, aut aliud quid parvi munusculi, dicit: Ad quid illud tantillum servarem? non propter hoc dives ero; expendam itaque hoc in pomis, aut nucibus, aut qualibet aliâ re mihi delectabili: Non enim illud custodiendo sollicitus haberi volo. Sic stolidus dum parvipendit minora, nunquam proficit ad majora: Sapiens autem pauper, parva, quæ nanciscitur, custodit, & quò minùs se habere considerat, eò magis retinere desiderat, quatenus ex parvulorum congerie ad majora queat quandoque pertingere. *S. Anselm. in similit. c. 155.*

VII. Ducem Albanum in conflictu Caroli Quinti cum Principibus Germanis Lutheranis, in quo Dux Saxoniæ & Lantgravius Hassiæ victi, captique fuêre, cùm à Rege Franciæ interrogaretur, an verè duo Soles tum in cœlo paruissent, respondisse ferunt, ita se tum occupatum in prælio, cujus primos ordines ducebat in terris, ut ad ea, quæ in cœlo parebant, non attenderit; quàm vereor, ne pleríque eorum, quos res publicæ ita captivos tenent, fateri aliquando, & Christo rerum gestarum rationes reposcenti idem, sed serò, respondere cogantur, nempe se pro accessorio principale, pro mundi applausu animi culturam, pro terra cœlum neglexisse. *Pouucq. in l. c. n. 10.*

VIII. Genesis c. 50. parentârunt Jacobo Ægyptii penè per quintam anni unius partem, diebus videlicet septuaginta. *Flevit eum Ægyptus septuaginta diebus.* v. 3. è contra Filii non nisi hebdomadam dedêre luctui, teste Moyse c. eodem v. 10. *Fratres verò impleverunt septem dies* Quid hoc? magisne amârunt advenam Ægyptij, quàm filii patrem? absit, luctus non à tempore, sed à vehementia doloris æstimetur, ait Nyssenus: ad quam alludens vehementiam sacer Historicus: *Celebrantes exequias planctu magno, atque vehementi, impleverunt*; quasi dicat: Septuagies major fuit dolor filiorum, quàm exterorum; ideóque ampliùs isti præstitêre diebus septem, quàm illi diebus septuaginta. Sepelimus & nos hunc an- *Phil. Marchant. conc. rust. in Domin. infra Nativit. §. 7.*

annum, & deflemus damna dierum; fiet autem, si planctus magnus sit, ut ultimis quatuor quadrantibus horæ, impleamus quatuor anni quadrantes. Magnis solùm opus est desideriis, sicut enim, juxta S. Thomam, unus ab altioris sanctitatis gradu incipit, quàm sit summum alterius, ad quod per totam vitam suam alter pervenit, ita & fieri potest, ut in fine anni tantùm DEO quis placeat, quantùm alter priori tempore toto. Quod idem etiam ad alia tempora applicari potest.

S. Thomas opusc. 17. c. 3.

IX. S. Bernardus expendens illud Enochi elogium Sap. 4. *Consummatus in brevi explevit tempora multa*, non longævitate, ait, sed longanimitate explevit, quanta sanè tempora, non dierum numero, sed mentis devotione, & inextinguibili proficiendi desiderio percurrere potuit, tanta sibi in meritis non immeritò vendicavit. Retinet quidem virtute, quod amisit in tempore.

Ibidem §. 6.

X. Quidam ingeniosum emblema excogitàrunt, quo Sionis filiæ super flumina Babylonis sedebant, & flebant, explorantium verò lacrymis clepsydræ ad horarum dimensionem fiebant cum lemmate: *Nos flendo reducimus horas.*

Ibidem.

TITULUS LXXIII.

TIMOR DEI.

§. I.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Qualitas.

S. August. epist. 50.

I. Sicut meliores sunt, quos dirigit amor, ita plures sunt, quos dirigit timor.

S. Greg. M. in 1. Reg. c. 12. v. 19. & 20.

II. Plerique divinæ districtionis judicia (inquit S. Gregorius) metuunt, & tamen prava agere non desistunt; cujus rationem reddit: Paventi quidem corde futura judicia cogitant, sed præsenti voluptate devicti, mala committere nequaquam vitant. Benè ergo post timorem Domini ejus servitia memorantur, quia ille solus timor probabilis, qui dum mentem concutit, ad boni operis studium trahit.

Cass. collat. 11. c. 13.

III. Quisquis in hujus fuerit charitatis perfectione fundatus, necesse est, ut ad illum sublimiorem timorem gradu excellentiore conscendat, quem non pœnarum terror, non cupido præmiorum, sed amoris generat magnitudo, quo vel filius indulgentissimum Patrem, vel frater fratrem, vel amicum amicus, vel conjugem conjux sollicito reveretur affectu, dum ejus non verbera, neque convitia, sed vel tenuem amoris formidat offensam, atque in omnibus non solùm actibus, verùm etiam verbis attonitâ semper pietate distenditur, ne erga se quantulumcunque fervor dilectionis illius intepescat.

S. Bonav. t. 6. l. de sept. donis spirit. 8. c. 1.

IV. Per ipsum redditur anima benè mobilis ab inspirationibus Spiritûs Sancti, & quasi per talem timorem se Spiritui Sancto omninò subjicit, & in nullo repugnat, prout possibile est in via, unde Gilbertus Porretanus dicit, quòd timor ille filialis, quid nisi amor esse conatur, quia jam nescit officium timoris, & penè timor esse desiit? Hunc timorem sibi charitas perfectè collaterat indivisibiliter.

S. Bernardus ser. 54. in Cant.

V. Beatus es, si cor tuum triplici timore repleveris, ut timeas quidem pro accepta gratia, longè ampliùs pro amissa, longè plùs pro recuperanda. Time ergo cùm arriserit gratia; time, cùm abierit; time, cùm denuò revertitur. Cùm adest, time, ne indignè operetis ex ea; si recesserit, multò magis timendum, quia ubi tibi deficit gratia, ibi deficis & tu. Time ergo subtractâ gratiâ, tanquam mox casurus. Time, quia reliquit te custodia tua. Pro omni tempore time DEUM, & ex omni corde tuo. Tunc demum, si plenè, si perfectè timueris, dabit tibi saporem charitatis.

Idem ser. 23. in Cant.

VI. Aliud est multas divitias scire, aliud possidere, nec notitia divitem facit, sed possessio. Sic prorsus aliud est, nôsse DEUM, & aliud timere; nec cognitio sapientem, sed timor facit, qui afficit; & benè *initium sapientiæ timor Domini*, quia tunc primùm DEUS animæ sapit, cùm eam afficit ad timendum, non cùm instruit ad sciendum. Times DEI justitiam, times potentiam, & sapit tibi justus, potens DEUS, quia timor sapor est. Porro sapor sapientem facit, sicut scientia scientem, sicut divitiæ divitem.

S. August. serm. 214. de temp.

VII. Timeat Christianus, credat, & intelligat, se peregrinari à Domino, quamdiu vivit in corpore, quod corrumpitur, & aggravat animam. Tantò minor sit timor, quantò patria, quo tendimus, propior; major enim timor debet esse peregrinantium, minor propinquantium, nullus pervenientium.

Necessitas.

S. Laur. Iust. lign. vit. c. 2. de tim. DEI.

VIII. Nubes carnalium cogitationum, & affectionum (timor) fugat; Nam si ad momentum à domo mentis discedat timor, quasi absente dominâ, cogitationum se clamor, veluti

luti ancillarum garrula turba multiplicat, & affectionum carnalium ignis accenditur; ut verò ad mentem timor redierit, mox confusio tumultuosa compescitur, & more ancillarum, se ad injunctum opus mens ipsa tacitè reprimit.

S. Chrysost. to. 4. serm. 5. ad Philipp. IX. Dic rogo, Paule, quid tibi vis? Non ut me audiatis, sed, *ut cum timore & tremore vestram salutem operemini.* Nefas est enim eum, qui sine timore vivit, quippiam rectum & admirandum edere; neque tantùm dixit *timore*, sed addidit, & *tremore*, qui major quidam & vehementior timor est, nimirum id studens, ut illos attentiores reddat. Hunc habebat timorem Paulus, propterea etiam dicebat: Timeo, *ne quo modo, cùm aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.* Nam si quæ ad vitam hanc pertinent, sine timore rectè acquiri non possunt, multò minùs spiritualia? Quis artem sine timore tenuit? Quòd si, ubi non imminet Diabolus, sed sola negligentia impedimento est, tanto opus est labore, ut solam illam naturalem negligentiam vincamus; ubi tantum impendet bellum, tanta impedimenta, quî fieri unquam potest, ut sine timore salutem consequamur?

S. Ant. de Pad. in Dom. infra octav. Epiph. X. Ne spes præsumptione corrumpatur, (ita discurrit S. Antonius de Padua) debet timor conjungi, qui est initium sapientiæ, ad cujus saporis dulcedinem nullus potest pervenire, nisi priùs degustet timoris amaritudinem, unde Exod. 15. dicitur, quòd filii Israël, antequam venirent ad Mannæ dulcedinem, invenerunt in Marath aquæ amaritudinem.

S. Laur. Iust. l. c. cap. 4. XI. Quicunque desiderat sapientiâ & scientiâ repleri, & qui salutari spiritu munitus anhelat ad culmen pertingere virtutum, non aliundè incipiat, quàm à timore Domini, nam ipse timor est robur animæ, lumen intelligentiæ, & spes salutis.

S. Hieron. tr. de mort. S. Eus. XII. Qui sanctior & sapientior est, plus semper timeat, nam qui altior est, cadens majores casus recipit. Esca Diaboli electa est, de malis non curat, quia sui sunt. Cecidit ille sapiens Salomon, cecidit & ejus genitor David, electus secundùm cor DEI. Timeatis fratres, iterum rogo, unàque timeatis, quia beatus est vir timens Dominum.

S. Aug. ser. in fer. 4. pass. XIII. Ideo B. Petrum paululùm Dominus subdeseruit, ut in illo totum genus humanum posset agnoscere, nihil se sine DEI gratia prævalere.

S. Greg. lib. 25. mor. c. 9. XIV. Væ miseris nobis, qui de electione nostra nullam adhuc DEI vocem cognoscimus, & jam in otio quasi de securitate torpemus; debet profectò, debet non solùm in spe esse securitas, sed etiam timor in conversatione, ut & illa certantes foveat, & iste torpentes pungat.

Utilitas.

S. Laur. Iust. c. 1. de tim. Dom. XV. *Venite, & audite me, quia timorem Domini docebo vos.* Non cursus siderum, non rerum naturas, neque cœlorum secreta, sed *Domini timorem docebo vos.* Horum scientia sine timore, inflat; timor autem absque scientia illorum, salvat.

S. Chrysost. ho. 15. ad pop. XVI. Timor nihil aliud est, quàm murus, munimentum, ac turris inexpugnabilis, etenim multâ nobis munitione opus est, quia multæ sunt undique insidiæ.

Hugo Card. in ps. Beatus vir. XVII. De timore venitur ad dilectionem, & de declinatione mali ad executionem boni, unde addit: *in mandatis ejus volet nimis.* Benè dicit, *volet*, quia ubi non potest homo plus facere, sufficit bona voluntas. Benè dicitur, *volet nimis*; quia plùs debemus velle, quàm possumus facere, & talis viri, scilicet timentis & volentis, *potens in terra erit semen ejus*, quia Prov. 14. in timore Domini fiducia fortitudinis, & filiis ejus erit spes.

S. Laur. l. 1. de spir. anim. interitu. XVIII. Si DEUM metueret, illiúsque beatâ visione privari expavesceret, nequaquàm tam impudicè peccare præsumeret. Nam ubi adest timor DEI, abest procul dubio delinquendi voluntas: Legis prævaricatio, dominandi ambitio, præsidendi amor, odium proximorum, terrenarum facultatum immoderata cupido, & quicquid divinæ adversum est voluntati.

Hugo Card. supra cit. Prov. 28. v. 14. XIX. *Beatus vir, qui semper est pavidus.* Pavidus pro pœna futura, ad quam initialis timor unum habet oculum; & alium ad gloriam, propter quam, etsi securus esset à pœna, nullo modo peccaret. Beatus autem dicitur pavidus. Primò, quia quantò plùs timetur pœna, tantò sollicitiùs cavetur culpa; & quantò minùs timetur, tantò districtior portabitur ira judicii. Secundò quia per timorem firmiter stat homo, unde Ecclesiastici 27. *Nisi tenueris te instanter in timore Domini, citò subvertetur domus tua.* Tertiò, quia lætificat animam, Ecclef. 1. *Timor Domini delectabit cor, & dabit lætitiam, & gaudium in longitudinem dierum.* Quartò quia timor est thesaurus Domini, Isaiæ. 33. *Divitiæ salutis sapientia & scientia, timor Domini ipse est thesaurus ejus.* Quintò, quia timor abundantiam sive plenitudinem bonorum operum tribuit; timor Domini ad vitam, & in plenitudine coronabitur.

S. Laur. Iust. c. 1. de tim. Dei. XX. Timor hominum, peccandi differt facultatem, & operationem, non autem aufert, sed retinet voluntatem, donec habeat opportunitatem vel occasionem, unde & quos suspendit à crimine, avidiores reddit ad crimen, & æstuat animo quousque perficiat, quod malum cogitat. Solus DEI timor est, qui nocentes corrigit, fugat crimina, & perpetem confert benè agendi voluntatem.

Petr. Cel. lens. l. de pan. c. 1. XXI. Quasi custos super innumerabiles Gazas, sic timor in ultimo charismatum ponitur ad conservandas innumerabiles gratias.

Guerr. Abb. serm. 1. de S. Benedicto. XXII. Pone tibi virilem & fidelem custodiam, quæ omni custodiâ servet cor tuum; dico autem timorem Domini, qui nihil negli-

gligit, qui nullum indiscussum intrare permittit, sæpius interrogans etiam Angelum lucis, noster es, an adversariorum?

S. Aug. tr. 9. in 1. Io. XXIII. Timor DEI sic vulnerat, quomodo Medici ferramentum putredinem tollit, & quasi videtur vulnus augere; ecce putredo quando erat in corpore, minus erat vulnus, sed periculosum; accedit ferramentum Medici, minùs dolebat illud vulnus, quàm dolet modò, cùm secatur; plùs dolet cùm curatur, quàm si non curaretur; sed ideo plùs dolet accedente medicinâ, ut nunquam doleat succedente salute.

S. Aug. ser. 254. de temp. XXIV. Cùm timetur pœna, quam minatur, discitur amari præmium, quod pollicetur; ac sic per timorem pœnæ bona vita retinetur, per bonam vitam bona conscientia comparatur, ut per bonam conscientiam nulla pœna timeatur.

Dionys. Carthus. in c. 33. Isaiæ. XXV. Thesaurus interdum vocatur repositorium, quo divitiæ continentur; interdum verò thesaurus pro divitiis sumitur, & utroque modo timor Domini filialis, castus & sanctus, qui permanet in sæculum sæculi, est thesaurus salutis; per timorem enim salus conservatur, quoniam timor Domini expellit peccatum, quod solum aufert salutem. Timor etiam in tantum ornat, perficitque salutem & sapientiam, ut in libro Job dicatur: Ecce timor Domini ipsa est Sapientia; Et Ecclesiastic. 23. *Beatus, cui datum est habere timorem DEI*; Itémque Ps. 33. *Timete Dominum omnes Sancti, quoniam nihil deest timentibus eum.* Quòd autem timor Domini sit thesaurus salutem custodiens, maximè constat ex eo, quod scriptum est Eccles. 27. *Si non in timore Domini tenueris te instanter, citò subvertetur domus tua*; ideo cùm Psalmista dixisset: *Beatus vir, qui timet Dominum*, post pauca adjecit: *Gloria & divitiæ in domo ejus*, hoc est, in corde ejus, per gloriam, intelligens salutem, per divitias, sapientiam atque scientiam.

S. Laur. Iust. lib. 2. de spir. animæ resurr. XXVI. Hujusmodi timore correpti, ô quàm salutaria concipiunt desideria, consilia provida, sanctos cogitatus, affectus pios, vota castissima, ex quibus pariunt laudabilia opera virtutum, germina morum, fragrantissimos flores spiritus, & uberes fructus, de quibus Apostolus: *Fructus autem spiritus est charitas, gaudium* &c. Vides, quàm fœcundus sit hujus Sancti timoris Domini conceptus, quámque fructuosus exitus, per quam anima placens efficitur Domino, commendabilis proximo, utilis sibi?

S. Ambros. ser. 2. de Eliseo. XXVII. Quamvis Diabolus colligat sibi turbas, & crudeli eas armet insaniâ, tamen facilè destruuntur, quia melioribus populum suum Salvator circumdat auxiliis, ait enim: Angelus Domini immittet in circuitu timentium eum, & eripiet eos. Quòd si Angelus Domini timentem eum de periculis eripit, non potest timere barbarum, qui timuerit Salvatorem; nec potest metuere hostis impetum, qui Christi præcepta servaverit, præcepta enim Christi arma sunt Christianis, & divinus timor terrorem à nobis hostilem pellit.

XXVIII. Timor Domini fiduciam fortitudinis præstat, quia nimirum mens nostra tantò valentiùs terrores rerum temporalium despicit, quantò se Auctori earum veraciùs per formidinem subdit. Filii autem timoris Domini dicuntur, qui divino timore reguntur. *S. Hieron. c. 14. Prov.*

XXIX. Quantò quis magìs DEUM timet, tantò sapientior apparet, & quantò sapientior, tantò plenior fructibus bonorum operum, non enim timor DEI est otiosus, sed donis virtutum replet vitam hominis, & thesauris scientiæ spiritualis cor ejus illustrat. *Rabanus in c. 18. Eccles.*

Facilitas.

XXX. *Beati omnes, qui timent Dominum*, Rectè dixit: Omnes; significans, quòd sive pauper, sive mancus & mutilus corpore, ac denique quicunque sit, nihil eorum vetat, quò minùs habeat hanc, quam ipse dicit, beatitudinem. *S. Chrysost. in Ps. 127.*

Jucunditas.

XXXI. Timor est lætitia, quia, ut nihil hominis animum magìs debet contristare, (intelligentibus loquor) quàm peccatum, ita nihil magìs exhilarare, quàm carere peccato; At timor DEI expellit, non admittit peccatum. Probate (inquit Thomas de Villa nova) obsecro, & videbitis, quanta sit animæ consolatio, quanta conscientiæ securitas, & tranquillitas. *Paulus de palat. apud Mansi disc. 12. n. 9.*

XXXII. Habet amœnitatem, sicut Paradisus dulcedinem & delectationem, unde in Psalmo: *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te!* *S. Bonav. e. 6. Diæt. salut. c. 2.*

XXXIII. Reples pacem, id est, in præsenti pacem pectoris, & in futuro pacem æternitatis perficiens, per hoc, quod facit inquietudinem vitiorum vitari, & per hoc pacem illam supernam, quæ exuperat omnem sensum, adipisci, ideo scriptum est Psalmo 33. *Nihil deest timentibus eum.* *Dion. Carth. in c. 1. Eccl.*

§. II.

EXEMPLA SACRA.

I. INter varia virtutum merita, quibus insignitus erat Ceadda, in Mertiorum Provincia Episcopus, in tantùm erat timori Domini subditus, in tantùm novissimorum suorum in omnibus operibus suis memor, ut, si eo fortè legente, vel quid aliud agente, repentè flatus venti major assurgeret, continuò misericordiam Domini invocaret, & eam generi humano propitiari rogaret. Si autem violentior aura insisteret, jam clauso codice pro- *S. Beda l. 4. hist. Angl. c. 4.*

procideret in faciem, atque obnoxius orationi incumberet. At si procella fortior, aut nimbus perurgeret, vel etiam corusci ac tonitrua terras & aëra terrerent, tunc veniens ad Ecclesiam sollicitus orationibus ac psalmis, donec serenitas aëris rediret, fixâ mente vacaret. Cùmque interrogaretur à suis, quare hoc faceret. Respondebat, non legistis? *Quia intonuit de cœlo Dominus, & altissimus dedit vocem suam. Misit sagittas suas, & dissipavit eos: fulgura multiplicavit, & conturbavit eos?* Movet enim aëra Dominus, ventos excitat, jaculatur fulgura, de cœlo intonat, ut terrigenas ad timendum se suscitet, ut corda eorum in memoriam futuri judicii revocet, ut superbiam eorum dissipet, & conturbet audaciam, reducto ad mentem tremendo illo tempore, quando ipse cœlis & terris ardentibus venturus est in nubibus, cum potestate magna & majestate, ad judicandos vivos & mortuos; propter quod oportet nos admonitioni ejus cœlesti debito cum timore & amore respondere, ut, quoties aëre commoto manum ad feriendum quasi minitans erexerit; Nec adhuc tamen percutit, mox ejus imploremus misericordiam, & discussis penetralibus cordis nostri, atque expurgatis vitiorum ruderibus, solliciti, ne unquam percuti mereamur, agamus.

[Surius 2. Jan. in vita.] II. Godefridus Comes Cappenbergensis, vir summâ mansuetudine, & gratiâ singulari, consilio prudens, & in militia strenuus, sed militandi Regi immortali, & cum illo ferendæ crucis cupientissimus. Cùm aliquando suos videret aliena diripere, & prædas agere, sic Dominum est deprecatus: Obsecro immensam bonitatem tuam, bone JESU, ut me è medio iniquitatis hujus eripias, & in die judicii purum & immaculatum me tibi exhibeas. Scio enim, æquissime Judex, in meum redundare caput, quidquid à meis delinquitur, &, si quid à me dissimulatum erit, te id severiter vindicaturum. Cùm adhuc sæculari tegeretur habitu, bellum ei fecêre cives Monasterienses. Itaque quidam ex Ministris ejus cum multis aliis multa pecora abegit, & cum illa præda, stante in porta Comite, gloriabundus adventabat. Sed vir pius, justitiæ tenax, ubi cognovit, quid ab illo esset actum, animo commotus, ait ad servos suos: Ite ad nefarium illum raptorem, dicitéque illi, ne sit ausus unquam in meum venire conspectum nisi priùs satisfaciat eis, quos præter jus, fásque læsit, restituátque prædam universam; Etsi enim cives Monasterienses in præsens nobis, fortassis non absq; culpa nostra infesti sunt, non tamen debuit temerarius homines ruricolas & innocentes sub nostri nominis prætextu vexare & affligere. Hæc postquam ille rescivit, figulis quibusque res ablatas anxiè restituit.

[Mansi disc. 6. n. 8.] III. B. Bernardus, primus S. Francisci Socius, moriens dicebat: Nunc sentio, quid sit in DEI timore vixisse, nunc enim pro toto mundo nollem me aliam vitam instituisse. Nunc gaudeo, & exulto, quòd mundum spreverim, quòd in humilitate & paupertate DEO servierim.

IV. S. Philippus Nerius quando jam erat in maxima existimatione sanctitatis, ditatus extasibus, revelationibus, visionibus, donis miraculorum & prophetiæ, quando penetrabat secreta cordium, oracula summorum Pontificum, & apud omnes in summa veneratione, solitus tamen erat dicere DEO: Domine, noli mihi fidere, quia ego te tradam, & prodam. [Idem disc. 8. n. 9.]

V. S. Hieronymus dicebat: Ego peccatorum sordibus inquinatus, diebus ac noctibus operior cum timore reddere novissimum quadrantem, & quòd mihi dicatur: Hieronyme, veni foras. [S. Hieron. epist. 5.]

VI. Andream Avellinum C. R. Theatinum senio, ac magnarum virtutum experimentis nobilem, sublimis hic timor adeò corripuerat, ut omnia etiam tuta verentem domestici admirarentur. Nam sæpiùs in die humanæ consuetudinis labeculas, quæ Sanctis etiam viris asperguntur, plurimis prolutus lacrymis abluebat, vereri se dicens, ne divino judicio, in quo nihil dissimulari potest, satis mundus sisteretur, & quod timentium argumentum esse consuevit, vel adolescentiores interrogare non dubitabat, speraréntne, sibi olim benè beatéque futurum? Agnosceres Apostoli discipulum, non sine timore salutem operantem; & certè quò ditior est navis, eò acrior Navarchum timor excitare consuevit. [Io. Rho. l. 2. c. 6. n. 1.]

VII. Cùm Joannes à S. Facundo sæpiùs in die peccata sua confiteretur, movit insueti moris religiosa diligentia Joannis collegas, ut de illo publicè Patrum in conventu quererentur, factíque rationem reposcerent. Ad eas voces humi abjectus Joannes: Vos verò, Patres, mihi parcite, inquit; morimur improvisi, & nulla non hora mors ante oculos est; & quis nostrûm novit, odione summi Principis, an amore sit dignus? Ego quidem sæpiùs in die peccata eluo, quia singulis horis sæpiùs pecco. [Ibid. n. 4.]

VIII. Alexander Luzagus nobilis Brixianus cùm sub ipsa cœna subvereri cœpisset, ne lethali se nexu obstrinxisset, hæsit primùm, mox æstuantis ab illa suspicione animi agitationem non ferens, proripit se celeriter è convivio, ad viciniæ Curionem advolat, ejúsque super ea cogitatione sententiam rogat, opem, si opus foret, imploraturus. Sensit prudens Sacerdos, hominem longè ab ea contagione abesse, jussúmque de divina clementia benè sperare, serenato animo tranquillum remisit ad suos. Rideant Alexandri timores, qui icto cum inferis fœdere, veluti putrida cadavera, vel altas plagas non sentiunt. Sana corpora minimæ mordent punctiunculæ. [Ibid. n. 5.]

IX. S. Petrum Alcantaranum, cùm vox & vita jam deficerent, nondum saluberrimus hic timor [Ibid. n. 10.]

timor deserebat; Eo monitore frequens inter suprema, ea illi vox; *amplius lava me Domine*. Quin algentem in cilicio cùm adductâ veste operire paululùm vellet fratrum unus, addens, sineret se foveri, ipse animo minimè infracto: Sine, inquit, fili, sine me: adhuc certandum est; nondum extra ictum sumus; quid arma ponamus?

§. III.

SIMILITUDINES.

Qualitas.

S. Bonav. in Diat. salut. tit. 6. c. 1. I. SIcut filius super omnia timet offensam Patris, etiamsi pater non intenderet eum percutere; sic, qui habet timorem Domini filialem, instar boni filii timet, & cavet offensam Patris cœlestis, etiamsi ex offensa illa nihil mali deberet sibi accidere. De hoc etiam timore dicitur in Ps. *Timor Domini sanctus permanet in sæculum sæculi.* Iste timor à sanctis Doctoribus vocatur castus timor. Sine hoc timore verecundiæ, nihil rectum esse poterit, nihil honestum, ut dicit Tullius.

S. Franc. Salef. apud Mansi disc. 4. n. 6. II. Sicut domicella, ne panem otiosa comedat, instar mulieris commendatæ à Salomone, semper est intenta labori suo, telam acu pingit, inducendóque diversi coloris fila serica, aurum argentúmque, varios intexit flores, totúmque hoc opus perficit, ac perforat, ubicúmque fila serica, vel aurum aut argentum innectere cogitat; Ast acum telæ non infigit, ut ibi maneat semper hærens, sed ut introducat duntaxat aut fila serica, aut argentea, vel aurea, post quorum introductionem acus extrahitur. Ad eundem modum, cùm divina bonitas varias animæ nostræ virtutes inserere, eámque speciali sancti sui amoris auro contexere intendit, adhibet acum timoris servilis, quâ pungit corda nostra, at non semper ibi remanet. *Initium sapientiæ, timor Domini*; quia timor locum præparat charitati (sic post præfatam similitudinem exponit S. Augustinus) cùm autem cœperit charitas habitare, pellitur timor, qui ei præparavit locum, quantùm enim illa crescit, ille decrescit; & quantùm illa fit interior, timor pellitur foras. Major charitas, minor timor; minor charitas, major timor; si autem nullus timor, non est, quà intret charitas.

Necessitas.

Idem lib. 5. de amor. p. 2. c. 17. III. Sicut non semper acus operi perfecto, & completo infixa relinqui solet, nisi quando operans ob urgentia aliqua negotia ab opere se divertere cogatur, tunc enim acum operi, quod habet præ manibus, sinit inhærere, & abit; Eodem modo quando DEUS nobis intexit virtutes, præcipuè verò sanctum suum amorem, imprimendo illum cordi nostro, ibidem relinquit timorem servilem & mercenarium, quousque in nobis perficiat charitatem, quâ perfectâ acum pungentem tollit, sicque in hac vita, in qua nunquam charitas adeò perfecta erit, ut ab omni periculo existat libera, semper indigemus timore.

IV. Sicut equi indomiti multa incurrerent præcipitia, & nos secum præcipitarent, nisi fræno coërcerentur; eodem proportionali modo asserere possumus, quòd in cursu vitæ nostræ adeò difficilis & laboriosæ omni passu prolaberemur, nisi timoris frænum dirigeret, ac reprimeret effrænem equum appetitus nostri sensitivi. *S. Chrysost. ho. 2. ad Pop.*

V. Sicut in Capitulo increpatur, & recognoscitur, & punitur culpa; ita in hoc capitulo timoris DEI corriguntur peccata, quia ut dicitur in Prov. *Timor Domini odit malum*; & sicut Religio nulla esset, si correctio Capituli deficeret; sic si timor in Capitulo cordis non esset, totum veritatis ædificium deperiret. *S. Bonav. l. c.*

VI. Sicut Naucleri, dum secundo vento & aurâ propitiâ è portu, soluto fune, recedunt, non obliviscuntur funium, anchoræ, aliorúmque, quibus tempestatis tempore indigent; Ista anima quantumvis divini amoris sudo gaudeat, conscientiæque serenitate potiatur, non propterea tamen oblivisci, & ab animo menteque sua eliminare debet timorem divini Judicii, mortis, & inferni, ut vehementioris tentationis tempore se defendere, ac tueri possit. *S. Franc. Salesius l. 6.*

VII. Sicut fundamentum est principium domûs intrinsecum; ita similiter Domini timor est principium intrinsecum spiritualis ædificationis. *Lyranus in c. 1. Eccli.*

Utilitas.

VIII. Sicut ignis quandocunque ferrum cœperit contortum, vel rubigine confectum, clarum reddit ac pulchrum, ferruginem abstergens, &, quod in eo erat perversum & inflexum, perfectissimè corrigit, ita DEI timor vel exiguo tempore facit omnia. *S. Chrysost. in Ps. 127.*

IX. Sicut in paradiso est affluentia amœnitatis, & miri decoris arborum, & herbarum, fluminum & gemmarum; sic timori filiali annexæ sunt virtutes, & dona, fructus & beatitudines, consolationes ac merita. Hinc Ecclesiast. c. 40. dicitur: *Timor domini sicut Paradisus benedictionis.* *Dionys. Carth in c. 40. Eccl.*

X. Sicut qui habent corporis membra clavis transfixa, ad actionem quamlibet immobilia retinent; sic ij, quorum animam occupavit DEI timor, omnem prorsus importunam peccati & obstreperam occasionem vitant. *S. Basil. in Psal. 33.*

XI. Sicut principium arboris non desumitur à frondibus, à fructibus, à ramis, à trunco; sed à radice, quæ degit sub terra, nec videtur; eâdem proportione dicere possumus, in hac mystica arbore, nimirum homine, quidquid boni producitur & conspicitur, cùm videlicet flores odoramur, multorum bonorum propositorum, cùm multorum operum virtutis gustamus fructus; cùm trunci admiramur soliditatem, id est, rectitudinem & stabilitatem in bono, totum hoc esse effectum timoris DEI, qui veluti origi- *Hugo Card. apud Mansi disc. 10. n. 5.*

originale principium in quodcunque, quod agimus, opus bonum, suum transfundit vigorem.

Cornelius à Lapide in c. 1. Eccl.

XII. Sicut agricolæ, dum arborem excolere volunt, excolunt ejus radicem stercorando, & irrigando; ex radice enim pendet tota arboris fertilitas; ita pariter si sapientiam omnémque virtutem vis excolere & augere, excole & auge timorem Domini, hic tibi dabit omnem fertilitatem spiritualem.

S. Bonav. in Diat. lib. 4. c. 8.

XIII. Sicut thesaurus, qui est res pretiosa, facit hominem semper sollicitum de custodia; sic timor DEI de se, & de virtutibus semper est sollicitus, & de DEI gratia, cùm habetur; de perdita, ut recuperetur; de recuperata, ut à recidivo conservetur.

Idem.

XIV. Sicut nautæ videntes naufragium imminere, merces, quæ in navi sunt, projiciunt in mare, ut evadant periculum naufragij; sic timor Domini bona temporalia facit abjicere, ut possit ab æterno naufragio liberari, & propterea dicebat Job: *Semper quasi tumentes super me fluctus timui DEUM, & pondus eius ferre non potui.*

S. Chrysost. hom. 55. in Joan.

XV. Sicut quercus altiùs demissis radicibus nullius venti viribus sternitur, ita animam divino confixam timore nullus tentationum ventus evellet; clavis enim affixum esse amplius est, quàm radicatum esse; idcircò inquit Propheta: *Confige timore tuo carnes meas*; ita & tu configere, quasi clavo quodam, & adhæreas.

Jucunditas.

S. Bonav. in Ps. 9.

XVI. Sicut ebrietas corporalis aufert officium membrorum, usum sensuum; sic ebrietas spiritualis: unde *confige timore tuo carnes meas*, ut sensus mei non habeant potestatem, nisi ad DEUM.

§. IV.

MOTIVA.

S. Laur. Justin. de tim. Dei.

I. R*Uina Angelorum*; de qua sic discurrit S. Laurentius Justinianus: Si Angelis peccantibus DEUS non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, in judicium reservari; &, qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in judicium magni diei, vinculis æternis sub caligine reservavit; quantò magis, qui habitant domos luteas, & terrenum habent fundamentum, consumentur velut à tinea, si mandata DEI prætierierint?

Idem.

II. *Consideratio misericordiæ DEI* (ut S. Laurentius Justinianus suadet) quam nobis exhibet in præsenti, quæ est judicium magnitudinis justitiæ, quam exhibebit in futuro. Lento enim gradu ad vindictam sui divina procedit ira, tarditatémque supplicii cum gravitate compensat, Altissimus enim patiens est redditor. Patiens redditor dicitur, quia, quos diu ut convertantur, tolerat, non conversos duriùs damnat; & quantò diutiùs exspectat, ut emendentur, tantò graviùs judicabit, si neglexerint.

Idem.

II. *Consideratio facilitatis pereundi spiritualiter & corporaliter*; quod quotidie in multis cernitur. Unde nimiùm præceps est, qui transire contendit, ubi conspexerit alium cecidisse; & vehementer effrænis est, cui non incutitur timor de alieno casu.

Idem.

IV. *Criminosorum hominum timor*; de quo sic idem Sanctus loquitur: Si tantum timet aliquis criminosus, qui scit, se reum esse unius criminis, cùm est in conspectu unius terreni Principis, quantùm timere debet, qui multorum se reum esse cognoscit delictorum, de examine regis æterni? Et tantâ curâ pertimescitur judicium pulveris, quâ intentione cogitandum, & quâ diligentiâ formidandum est judicium tantæ Majestatis?

Mansi disc. 1. n. 9.

V. *Timor inferni*; Nam Aphorismus medicinæ est: Ignis igni remedio est; ne ergo æternis cruciemur, & ardeamus inferni flammis, unicum illud adhibendum est remedium, nimirum, ut illas timeamus, quamdiu vivimus.

Idem n. 10.

VI. *Amor vitæ longævæ*; cùm in omnibus anteactis sæculis experientia docuerit, eos diutius vixisse sanos & incolumes ad ultimam usque senectutem, qui DEO in sancto timore serviebant.

§. V.

MEDIA.

S. Chrysost. lib. 4. hom. ad Philipp.

I. P*Ræsentia DEI ob oculos habita*; sic S. Chrysostomus suasit, dicens: Quâ ratione hic in nobis excitabitur timor? Si illud in animo habuerimus, ubique adesse DEUM, omnia audire, omnia videre, non ea solùm, quæ fiunt ac dicuntur, sed etiam quæcunque in cordibus & recessu mentis latent. Quod confirmans S. Thomas Villan. Solo, inquit, hominum timore multi arcentur à malis; si non esset Judex, quot mala fierent? O hominum stultissime, times alium hominem tui similem, qui fortè nescit peccatum tuum, aut si sciverit, poteris fugere eum, aut decipere, vel placare; & totum, quod potest facere, est auferre à te vitam temporalem, quam aliquando relicturus es; & non times DEUM, qui totum, quod agis, videt; neque potes ab eo fugere, vel decipere eum, qui quotidiè potest tibi reddere mille retributiones, & postea infernum? Unde Dominus in Evangelio: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, & non habent ampliùs, quid faciant, sed eum timete, qui potest, &c.*

S. Thom. Villan. serm. de purif. B. V.

S. August. lib. de grat. & lib. arbit. c. 16.

II. *Oratio fervens*, uti S. Augustinus suasit, his verbis: Certum est, nos mandata servare posse si volumus; sed quia præparatur voluntas à Domino, ab illo petendum est, ut tantum velimus, quantum sufficit, ut volendo faciamus

mus. Certum est nos velle, cùm volumus, sed ille facit, ut velimus bonum, de quo dictum est: *à Domino gressus hominis dirigentur, & viam eius volet*; de quo dictum est: *DEUS est, qui operatur in nobis & velle*. Certum est, nos facere, cùm facimus, sed ille facit, ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati, qui dixit: *Faciam, ut in justificationibus meis ambuletis, & judicia mea observetis, & faciatis.*

§. VI.

ASCETICA.

S. Thom. 2. 2. q. 19. art 2. I. *Ante omnia nosse debet Asceta diversitatem timoris*, quam S. Thomas sequentibus verbis assignat: Quilibet timor, aut filialis, aut initialis, aut servilis, aut mundanus est: Hìc est sermo de timore, ut per ipsum homo à DEO vel avertitur, vel ad eum convertitur; si avertitur à DEO propter mala, quæ ab inimicis DEI timet, dicitur timor mundanus; si autem ad DEUM convertatur, & ei inhæreat propter timorem pœnæ, est servilis; si ob timorem culpæ, est filialis, quia filius timet offensam patris; si propter utrumque, est initialis.

S. Bonav. in Ps. 2. II. *Nosse debet causas, ob quas etiam perfecti timere debeant*, quas S. Bonaventura his verbis indicavit: Omnis perfectus debet eum timere propter tria; Propter culpam occultam, unde hoc: *Delicta quis intelligit?* & Apostolus: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum.* Propter sui insufficientiam, unde hoc: Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram &c. Et propter futuram ruinam, scilicet ne peccet in futuro. Unde hoc: *Beatus homo, qui semper est pavidus.*

Idem in Diat. tit. 6. c. 1. III. *Nosse debet, hunc timorem nunquam deponendum esse, quantumcunque quis in sanctitate profecerit*, uti præclarè S. Bonaventura per sequentem similitudinem indicavit dicens: Timor Domini est sicut bonus Ferrarius vel speculator. Sicut tempore belli non sinit dormire milites; sic timor Domini, cùm sit modò tempus belli contra carnem, mundum, & diabolum, non permittit dormire spiritum per delectationem, vel consensum, unde dicitur: *Beatus homo, qui semper est pavidus.* Non solùm autem tempore belli debet homo esse pavidus, imò etiam tempore pacis debet esse timorosus, sicut videmus, quòd magni Reges & sapientes, quamvis actu non sit guerra, muniunt tamen castra sua. De incautis dicit Apostolus: *Cùm dixerint, pax & securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus.* Et Ecclesiastes: *Qui timet DEUM, nihil negligit*; quia nec bonum nec malum, tanquam nocivum, & bonum formidat, & nescit, si est gratum, unde dicit Job: *Verebar omnia opera, sciens, quia non parceres delinquenti.* Imò, teste S. Augustino: quidquid aliquod prosperum est, Fratres, magis metuendum est, quæ putatis prospera, magis tentationes sunt. Naves ditiores & onustiores facilius incurrunt; ac proinde magis timere debent periculum submersionis in aquis dulcibus fluminis, quàm in aquis salis, & tempestuosis maris; hæ namque validiores sunt, & majoris virtutis ad sustentandum navis onus; quod prosperum venit, magis metuendum est.

IV. *Nosse debet hunc timorem præcipuè in custodia sensuum exteriorum versari debere*, uti sapienter S. Bonaventura observavit dicens: Iste vigil, vel speculator mandat custodiri portas sensuum, quia ibi est quasi totum periculum: sicut (ad litteram) illi qui sunt in munitione, summè custodiunt portas, cùm vident castrum ab hostibus obsessum; sic spirituales viri, qui habent timorem DEI, custodiunt portas, scilicet quinque sensuum, ne intrent inimici, timentes, quod dicitur, *ascendit mors per fenestras nostras.* S. Bonav. l. c.

V. *Nosse debet, nunquam sua virtuti quemquam confidere posse*; nam ut rectè S. Cyrillus Alexandrinus dixit: Nostra vis, nisi divinitùs sustentetur, nulla penitùs est; quid sumus, si à Conditoris nostri protectione deseramur? Hinc S. Leo pulchrè declarat causam & finem, ob quem Christus Dominus permisit lapsum Petri, dicens: ut nemo auderet de sua virtute confidere, quando mutabilitatis periculum nec Petrus potuisset evadere. Quam doctrinam egregiè confirmat Mansi sequentibus verbis: Vidit S. Joannes in sua Apocalypsi casum stellarum ex firmamento cœli, quem Draco caudâ suâ causaverat: *Cauda ejus trahebat tertiam partem stellarum cœli, & misit eas in terram.* Formemus modò argumentum, quod convincit: Si fixæ de cœlo cadunt stellæ, quantò magis errantes sibi timere debebunt? Si Angeli mutantur in dæmones, quantò magis pervertentur illi, quos notat Apostolus, *lutea vasa portantes*, & de quibus pariter Job: *Homo natus de muliere*, nunquam in eodem statu permanet? Unde meritò S. Augustinus ad DEUM clamat: Videmus multos, Domine, ex Patribus nostris (quod utique sine magno tremore non recolo, sine multo timore non confiteor) ascendisse primitùs quodammodo usque ad cœlos, & inter sidera nidum suum collocâsse, postmodum autem cecidisse usq; ad abyssos, & animas eorum in malis obstupuisse. Vidimus stellas de cœlis cecidisse, ab impetu ferientis caudæ Draconis. S. Cyrill. Alex. l. 11. in Ioan. c. 21. S. Leo serm. 9. de pass. Mansi disc. 7. n. 6. S. Aug. c. 29. Solilog.

VI. *Nosse debet, ex quo fundamento Timor dicatur initium sapientiæ*; quam veritatem sic explicat S. Thomas: Initium sapientiæ potest dici aliquid dupliciter. Uno modo, quia est initium ipsius sapientiæ, quantùm ad ejus essentiam; alio modo quantùm ad ejus effectum; sicut initium artis secundùm ejus essentiam sunt principia, ex quibus procedit ars; initium autem artis secundùm ejus effectum est, unde incipit ars operari, sicut si dicamus, quòd principium artis ædificativæ est fundamentum, quia ibi incipit ædificator operari. Cùm autem sapientia sit cognitio divinorum, aliter consideratur à nobis, & aliter à Philosophis. S. Thom. 2. 2. q. 19. art. 7.

Quia

Quia enim vita nostra ad divinam fruitionem ordinatur, & dirigitur secundùm quandam participationem divinæ naturæ, quæ est per gratiam; sapientia secundùm nos, non solùm consideratur ut est cognoscitiva DEI, sicut apud Philosophos; sed etiam ut est directiva humanæ vitæ, quæ non solùm dirigitur secundùm rationes humanas, sed etiã secundùm rationes divinas. Sic ergo Timor sapientiæ, secundùm ejus essentiã, sunt prima principia sapientiæ, quæ sunt articuli fidei, & secundùm hoc fides dicitur, sapientiæ initium. Sed quantùm ad affectum, initium sapientiæ est, unde sapientia incipit operari, & hoc modo timor est initium sapientiæ. Aliter tamen timor servilis, & aliter filialis; timor enim servilis est, sicut principium extrà disponens ad sapientiam, in quantùm aliquis timore pœnæ discedit à peccato, & habilitatur per hoc ad sapientiæ effectum, secundùm illud Eccli. 1. *Timor Domini expellit peccatum.* Timor autem castus vel filialis, est initium Sapientiæ, sicut primus Sapientiæ effectus. Cùm enim ad Sapientiam pertineat, quòd humana vita reguletur secundùm rationes divinas, hinc oportet sumere principium, ut homo DEUM revereatur, & se ei subjiciat. Sic enim consequenter in omnibus secundùm DEUM regulabitur. Breviùs idipsum Paulus de Palatio sic ostendit: Placuit Doctoribus nostris hoc loco mentionem esse de timore servili, qui pœnam à DEO timens, cessat à culpa. Hic timor licèt non sit sapientiæ comes, est tamen ejus initium, quia est veluti acus ingerens sapientiæ filum. At nimis credibile est, Ecclesiasticum suum non variâsse sermonem, sed quòd, ùt cœperat timorem filialem (qui ex reverentia DEI, abhorret à culpa) laudare, ita nunc prosequatur. Tunc sensus est, initium, caput, fundamentum, summa sapientiæ est timor ille; Nam Hebræis initium est, *ressit*, quod caput & summam significat. Et planè reverentia erga DEUM, cujus causâ culpam horremus, ea est fundamentum & initium vitæ Christianæ; ea enim causatur ex notitia & dilectione divina. Eò enim reveremur DEUM, quia agnoscimus & diligimus ejus Majestatem, quam offendere pertimescimus.

Apud Mansi disc. 8. n. 3.

VII. *Nosse debes, quomodo defendi possit illud Davidis*: Non est inopia timentibus eum. Cùm de facto tam multi justi inopes existant. Ad quod dubium respondet S. Thomas sic loquens: contingit aliquando, timentem DEUM parùm habere, sed non contingit eum esse inopem; inops est, qui se deficientem reputat; qui timent DEUM, his contenti sunt, quæ habent. Philip. 4. ubique & in omnibus institutus sum. Observat S. Augustinus alium Apostoli textum, 1. Corinth. 4 *Usque in hanc horam esurimus, & sitimus, & nudi sumus*; quomodo ergo non est inopia timentibus eum? Et dicit, quòd DEUS est nutritor & medicus; medicus autem subtrahit nutrimentũ infirmo, & facit esurire & sitire, quia expedit sanitati. Ita DEUS secundùm quod expedit saluti nostræ, quandoque inopiam immittit, quandoque divitias confert, quandoque longitudinem dierum concedit, quandoque brevitatem adducit.

S. Thom. l. c.

§. VII.

MISCELLANEA ET CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Necessitas.

I. HEbræi egressi ex mari rubro omninò illæsi, viderunt Ægyptios mortuos super littus maris, timuitque populus. Videtur rationi congruentius fuisse, si populus Hebræus affectum jubili & triumphi excitâsset, videns se è manibus inimici ereptum, à dura servitute liberatum, hostem verò & persecutorem suum divinitùs extinctum, denique justissimam vindictam injuriæ DEO illatæ à Pharaone; cur igitur timuit populus? Respondetur, quòd anima, quò pluribus agnoscit se à DEO dotatam esse beneficiis, eò magis semper sibi timere debeat, ne ingratitudinis incurrat notam: Præterea timuerunt, quia videntes punitionem istorum rebellium, timere poterant, severiori se fore multandos pœnâ, si DEUM offenderent. *Mansi disc. 8. n. 8.*

II. Jusserat pientissimus Salvator noster servis & famulis illis, qui ministrabant conviviis in nuptiis Canæ Galilææ: *implete hydrias aquâ*; intendebat nimirum Dominus hydrias has adimplere generoso vino, at disposuit eas priùs repleri aquâ, per quam S. Bernardus intelligit timorem DEI, & per vinum amorem; quidnam verò hoc indicetur mysterio, statim declarat, dicens: Incutite metum, & spiritu timoris non tam vasa, quàm corda replete, quia ut ad charitatem perveniant, initiandi sunt à timore, ut dicant & ipsi, à timore tuo concepimus, & parturivimus spiritum salutis. *S. Bern. serm. de nuptiis Galilææ.*

III. Thomas Villanovanus in expositione morali illius textûs S. Lucæ: *intravit JESUS in quoddam castellum &c.* per castellum illud intelligit animam hominis, in quam intrat Salvator noster, eàmque tanquàm locum munitum inhabitat. Adaptat deinde singula castelli hujus munimenta, eorùmque munia singulis virtutibus; At timori DEI qualem assignat stationem aut officium? Talis sanè obtingit ei officii ratio, talis statio, à qua dependet salus ejus maxima: Habeat, inquit de hoc animæ castro, rigidum janitorem, timorem Domini, qui omnes violentos appetitus etiam sensuales, in hoc ostium irrumpentes, facilè jugulet, & disperdat. Inutiles planè sunt cujuscunque castelli, aut arcis etiam munitissimæ circumvallationes, aggeres, inutilis quævis annona, generosa militum audacia, inutilis quoque gubernatoris peritia, & experientia, ad defensionem cujuscunque munimenti, si is, qui tenet claves portæ, non est fidelis; Ast timori DEI ascribitur custodia talis sitûs & loci, quem custodiri permagni interest, *S. Thom. de Villanov. conc. 4. de assumpt.*

eſt, eáque officii ratio ei attribuitur, ut ejus nobis intimetur neceſſitas, & utilitas; ergo de anima, quæ à multis obſidetur tentationibus, & aſſultibus, hoc idem aſſerere poſſumus, quòd ſi timor DEI cordis portam benè cuſtodierit, & clauſam tenuerit, de nullo ſibi timere debeat; Unde benè ait S. Joannes Climacus: Fieri non poteſt, ut qui verè DEUM timet, timiditati ſit obnoxius, cùm ipſe dixerit, nullum præter ipſum timendum.

Manſi diſc. 9. n. 10. IV. Job. c. 29. legitur: *Si ridebam cum ſervo meo, non credebat.* Quid exiſtimatis ſanctum virum tali modo loquendi voluiſſe inferre? Interrogemus D. Gregor. qui fuit fideliſſimus hujus libri interpres: Ridere etenim DEI eſt, reſpondet ille, ſanctorum vias proſequenti favore proſperari, ſicut de iis quoque per uſum dicitur, quos in hoc ſæculo felicitatis blandimenta comitantur: arriſit illis tempus; ſed electi quique, quamdiu in hac vita ſunt, ſecuritatis ſibi confidentiam non promittunt, horis enim omnibus contra tentamenta ſuſpecti, occulti hoſtis inſidias metuunt, nam ſæpè multis grave periculum incauta ſecuritas facit. In exemplum producit S. Paulum; quis non credidiſſet, eum in portu tunc extitiſſe ſecurum, quando aliquoties jam attigerat littora cœli? Raptus in paradiſum. *Vas electionis eſt mihi iſte?* timebat enim & tremebat: *Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc juſtificatus ſum; Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo, ne fortè cùm aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar.* Ecce arridenti ſibi divinæ gratiæ (verba ſunt Gregorii M.) jam credit per ſpem, & nec dum tamen credit per ſecuritatem. Conſilium hoc nobis ſuggeſſit S. Auguſtinus libro, cui titulus de ſancta virginitate: Noli, inquit, altum ſapere, ſed time, ut homo nec de ſuorum peccatorum defenſione, nec de juſtitiæ præſumptione ſe extollat. Nam & ipſe Paulus, qui dixit; *Non enim accepiſtis ſpiritum ſervitutis iterum in timore;* tamen timore comite charitatis ait, *cum timore & tremore multo fui apud vos.*

Æquitas.

Idem diſc. 8. n. 4. V. Omnibus nota ſunt verba illa præfationis: *Majeſtatem tuam laudant Angeli, adorant dominationes, tremunt poteſtates;* totum oppoſitum videbatur aſſerendum, videlicet quòd Angeli (qui ſunt ſervi infimi ordinis) deberent tremere, & non poteſtates, quæ ſunt ſpiritus ſublimioris ordinis, majorique gaudent lumine, ac cognitione DEI; experientiâ compertum eſt, hîc in mundo famulos, & ſervos inferioris conditionis majorem habere timorem, quàm alios Principi familiariſſimos, ita eſt; At in DEO non militat hæc regula, quia quò plus aliquis proficit in lumine & notitia DEI, divinorúmque attributorum, tantò magis etiam, quia cognoſcit illum omni ſervitio & obſequio dignum, creſcit in eodem timor, ne illum offendat, creſcit timor reverentialis; ideóque Dominationes, quæ Angelos ſuperant in lumine & cognitione DEI, dicuntur adorare DEUM; poteſtates verò, quæ in eadem cogitione excellentiores adhuc ſunt, & ſuperant Dominationes, dicuntur tremere.

VI. In libro Levitici legitur de oblatione, *Abulenſ. q. 6. in hunc loc.* ſive holocauſto, quod offerebatur pro expiando peccando; *Non mittet in eam oleum, neque thuris aliquid imponet, quia pro peccato eſt.* Videbatur potiùs adhibendum incenſum, ad tollendum vel mitigandum fœtorem, qui ex ſordibus peccati prodire ſolet; cur igitur prohibitum fuit incenſum? Rationem hujus reddit Abulenſis: Cauſa eſt, ait, quòd thus, quia boni odoris eſt, ſignificat acceptationem divinam, & qui pro peccato ſacrificium offert, non debet ſecurus eſſe de acceptatione. Quamvis interdum exiſtimemus, noſtræ parti, & officio noſtro nos ſatisfeciſſe pro peccati deteſtatione: attamen nequaquam ſecuri eſſe debemus: *Nihil mihi conſcius ſum*, dicebat S. Paulus: *ſed non in hoc juſtificatus ſum*; & qualem hujus adducebat cauſam? *Qui judicat me, Dominus eſt*, neſcimus, an DEUS acceptet hoc Sacrificium.

Utilitas.

VII. Lex illa, quæ in Levitico præſcribit *Caſſianus l. 4. inſtit. 38.* matribus purificationem poſt partum, conſideratione digna eſt: *Sumet duos turtures, vel duos pullos columbarum, unum in holocauſtum, & alterum pro peccato.* Turtures, uti & columbæ, ſunt aves timidæ, & iſtæ præcipiuntur offerri DEO in holocauſtum, & pro peccato; quia ad purificandas animas noſtras à peccato, timor optimum & efficaciſſimum medium eſt. Joannis Caſſiani doctrina eſt: Principium noſtræ ſalutis ejuſdémque cuſtodia, timor Domini eſt; per hunc enim & initium converſionis, & vitiorum purgatio, & virtutum cuſtodia, his, qui imbuuntur ad viam perfectionis, acquiritur.

VIII. Enumerat Propheta Iſaias cap. 11. *Manſi diſc. 7. n. 4.* ſeptem dona Spiritûs S. ac ultimo loco ponit timorem: *Requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini; Spiritus ſapientiæ, & intellectûs, ſpiritus conſilii & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ & pietatis, & replebit eum ſpiritus timoris Domini.* Verùm ſi timor DEI ædificii ſpiritualis animæ fundamentum eſt, & hunc in finem illud primò jaciendum, & inſuper certum eſt, quòd *initium ſapientiæ timor Domini*, cur igitur Propheta ultimum ei aſſignavit locum? Reſpondet Petrus Cellenſis: quaſi cuſtos ſuper innumerabiles Gazas; ſic timor Domini in ultimo Chariſmatum ponitur, ad conſervandas incomparabiles gratias.

IX. Eccleſiaſticus hanc inſinuat ſimilitudinem: *S. Hieron. in Reg. Monach.* *Radix ſapientiæ eſt, timere Dominum.* Quænam proportio inter timorem DEI, &

& radicem? Audite Hug. Card. Sicut radix in profundo terræ est, sic timor Domini in profundo humilitatis tenet hominem; quantò altiùs crescit arbor, & ramos suos attollit versùs cœlum, quò plures etiam profert fructus, tantò profundiores jacit radices sub terra. Et hoc Ecclesiasticus nobis insinuare intendebat, quòd nimirum simus tanquam arbores: *lignum quod plantatum est secus decursus aquarum*: quò altiùs consurgimus cœlum versùs meritis, ac fructibus bonorum operum præditi, tantò magìs nos deprimamus, oportet, abjiciamus, vilipendamus, semper timeamus, ac tremamus necesse est. Quamobrem S. Hieronymus Monachos exhortabatur hisce verbis: Nunquam tuta est humana fragilitas, & quantò magìs virtutibus crescimus, tantò magìs timere debemus, ne de sublimibus corruamus. Unde & sententia S. Paschasij proposito nostro accommodata est: Tunc maximè pertimescendum est, cùm virtutibus & miraculis supra nos elevantur. Tunc vel maximè nobis timendum est, quando secundùm discursum humanum non videtur aliquid instare, quod timendum sit; tunc videmus instare lunæ mutationem, quando est in sua plenitudine: Luminare, quod minuitur in consummatione.

S. Greg. l. 7. mor. c. 33. X. Pluribus videtur esse paradoxon, quòd per viam timoris possimus inimicum superare, quia, ut docet experientia, in arte militari timor est causa perdendi victoriam. Audiamus Gregorium M. In via DEI à timore incipitur, ut ad fortitudinem veniatur; Nam sicut in via sæculi audacia fortitudinem, ita in via Domini audacia debilitatem parit, & sicut in via sæculi timor debilitatem, ita in via Domini timor fortitudinem gignit, Salomone attestante, qui ait, *in timere fiducia fortitudinis.*

Dignitas.

S. Hieron. in Eccles. c. ult. XI. Ajunt Hebræi, cùm inter cætera scripta Salomonis, quæ antiquata sunt, nec in memoria duraverunt, & liber Ecclesiastis oblitterandus videretur, eò quòd vanas asserat DEI creaturas, & totum putaret esse pro nihilo, & cibum & potum, & delicias transeuntes præferret omnibus. Ex hoc uno capite meruisse auctoritatem, ut in divinorum voluminum numero poneretur, quòd totam disputationem suam, & omnem catalogum suum hâc quasi coarctaverit, & dixerit, finem sermonum suorum auditu esse promptissimum, nec aliquid in se habere difficile, scilicet DEUM timeamus, & ejus præcepta faciamus, ad hoc enim natum esse hominem, ut Creatorem suum intelligens veneretur, cum metuat honore, & opere mandatorum.

Iucunditas.

XII. S. Bernardus observat, in nuptiis Canæ Galilææ celebratis vinum miraculosè à Christo Domino procreatum, quod præfigurabat internam animæ timentis lætitiam; hoc enim vinum ita disposuit Dominus, ut hauriretur ex hydriis purificationis: Bonum vinum non ex vinea impuritatis, sed ex hydria purificationis hauritur. Quò magis mundabitur & purificabitur vas conscientiæ, eò plus etiam accrescet vinum spiritûs & jubili interni. Notat idem Sanctus sermone sequenti, S. Paulum priùs dixisse; *Justitia & pax*, deinde, *& gaudium in Spiritu Sancto.* Attendis & intendis, quia gaudium in fine est? prosequitur deinde sermonem: Prius est, justitiam facere, inquirere pacem, & prosequi eam, & sic demum apprehendere gaudium, imò à gaudio comprehendi. *S. Bern. serm. 1. de verb. Apost. ad Rom.*

XIII. Legimus in Genesi, mandatum DEI datum Abrahamo, ut in holocaustum offerret DEO unicum suum filium, indicavit insuper ei locum, ad quem tendere deberet: *Vade in terram visionis.* Quid hoc indicatur mysterio, quòd ei præscribatur ac limitetur situs & locus Sacrificii? An non sufficiebat sacrificium? Ad quid hæc circumstantia? vade in terram visionis: respondet, & exponit Oleaster, ut Abrahamum stimularet ad ejusmodi opus heroicum, apposuit ei sanctum suum timorem. Verùm posses mihi objicere: Isaac idem est, & sonat, quod risus: *Risum fecit mihi DEUS*; quòd si igitur hic mactandus est, timor repellet risum & omne gaudium, Respondetur: DEUM noluisse eum mactari & offerri, sed disposuisse, ut vivus remaneat, cum majori Abrahami gaudio & jubilo, veluti postea declaravit: *Nunc cognovi, quòd timeas DEUM*; quotiescúnque nos DEI timore stimulati dispositi sumus ad sacrificandum arietem, nimirum ad mortificandos & reprimendos effrænes, inordinatósque appetitus nostros, nostrísque nos privamus deliciis & mundanis illecebris, DEUS corda nostra verâ solidâque replet lætititiâ: *Timor Domini delectabit cor*; vivus remanet Isaac, nec non verum à DEO nobis communicatur spiritûs, & devotionis gaudium. *Mansi disc. 12. n. 10.*

TITVLVS LXXIV.

VANA GLORIA.

§. I.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

Beirlink in Theatro V. eadem. I. 
Est inordinatus gloriæ vanæ seu inanis appetitus; circa quam definitionem rectè notant aliqui, vanam gloriam propriè non esse peccatum, sed peccati objectum in alio existens, sumitur tamen impropriè pro ipso actu Voluntatis appetente talem gloriam, unde rectiùs Vana gloriatio diceretur.

Divisio

Ibidem. II. *Tres assignari possunt hujus vitij species*, juxta tres modos, quibus quæritur vana gloria, *Prima est, quando de simulata excellentia quæritur opinio vel fama*, uti Hypocritæ, & alij, qui fingunt falsè, se artis cujuspiam esse peritos, faciunt. *Secunda, si major quæratur gloria, quàm par sit, aut de rebus indignis*, uti jactabundi faciunt, & omnes, qui de opibus & rebus inanibus gloriantur. *Tertia, si apud eos, qui de rebus non possunt judicare, gloria quæratur*, sicut si quis coram imperitis disputaret, ut sapiens ab eis habeatur.

S. Philipp. Nerius apud Mansi disc. 6. n. 4. III. S. Philippus Nerius alias tres vanæ gloriæ species assignavit, quarum primam vocavit *Dominam*, quia tunc vana gloria instar Dominæ est, quotiescunque illa præcedit, & propter illam fit opus. Secundam vocavit *Sociam*, quando homo non facit quidem directè opus propter finem vanæ gloriæ, nihilominus in ipso opere percipit aliquam propriam complacentiam & vanam gloriam. Tertiam dixit esse *servam sive ancillam*, quandò ex opere peracto consurgit vana gloria, at subitò reprimitur, undè monere solebat suos dicens: Attendite diligenter; & ad minùs curate, ne vana gloria sit Domina.

Filiæ vanæ gloriæ.

S. Thomas 2.2.q.132. a.5. IV. *Septem* à S. Thoma assignantur, quæ tali modo demonstrantur; quia vana gloria consistit in manifestatione propriæ excellentiæ, sive veræ, sive fictæ, hæc autem manifestatio dupliciter fieri potest: Primò directè, idque vel per verba, & sic est *jactantia*: vel per facta, quæ si vera sint, & aliquid admirationis habeant, erit *præsumptio novitatum* (has enim solent homines magis admirari) si falsa sint, erit *hypocrisis*. Secundò indirectè, quatenus scilicet vis ostendere te non esse altero minorem, idque quadrupliciter: Vel ratione intellectûs, quod fit per *pertinaciam*, quâ quis nimis inhæret suæ sententiæ, nolens credere alteri meliori; vel ratione voluntatis, quod per *discordiam* contingit, quâ quis non vult consentire alteri; vel quoad verba, sicque *contentio* oritur; vel quoad facta, dum quis non vult exequi præceptum superioris, ne videatur minor, quod fit per *inobedientiam*.

§. II.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Qualitas.

I. Lubricus est humanæ gloriæ morbus, nam velut umbra corpus, ita gloria ubique sequitur virtutem, etiam in intimas solitudines, ut eam mactet, & perdat. S. Hieron. ep. 22. ad Eustoch.

II. Omnia vitia superata marcescunt, & devicta per singulos dies infirmiora redduntur; hoc verò devictum acriùs convalescit. Cætera genera vitiorum eos tantùm impugnare solent, quos in certamine superârint; hoc suos victores acriùs insectatur, quantóque fuerit validiùs elisum, tantò vehementiùs victoriæ ipsius elatione congreditur. Cassianus l. 11. c. 7.

III. Hæc est spiritualium bonorum ratio, ut, cùm ea summo labore constet acquiri, tam facilè pereant, ut vix possit intelligi, & indè est, quòd nos interdum sanctos putamus, quia lucra de laboribus æstimamus, & detrimenta subsequentia deprehendere non valemus; quàm frequenter indicationis malum, vanitatis ac jactantiæ morbum, dum non sentimus, incurrimus? Eusebius ho. 2. ad Monach.

IV. Quas vires nocendi habeat humanæ gloriæ amor, non sentit, nisi qui ei bellum indixerit, quia, etsi facilè est cuique laudem non capere, dum negatur, difficile tamen est ei non delectari, cùm offertur. S. Prosper c. 117. de Sent.

Fuga.

V. Joseph, cùm domum & omnia bona Ægyptij Domini sui sibi credita sciret, Dominam non ignoravit exceptam, & ob hoc non acquievit contingere. *Non est*, inquit, *ex omnibus* S. Bernard. s. 13. in Cant.

nibus bonis Domini mei, quod non sit mea potestate sit, vel non tradiderit mihi, præter te, quæ uxor ejus es. Mulierem noverat gloriam esse viri, & iniquum sibi judicabat vice contraria inglorium facere eum, qui se fecerat gloriosum. Advertit homo DEI sapientiâ prudens, virum uxorem fortiter tanquam propriâ zelare gloriam, sibique ipsi retinuisse servandam, non alij credidisse, & manum ad non concessum extendere non præsumpsit. Quid ergo? Homo zelat gloriam suam, & DEUM audet velle fraudare de sua, quasi non zelantem? Sed audi, quid dicat: *gloriam*, inquit, *meam alteri non dabo.* Quid ergo dabis nobis Domine?

Idem. VI. Secura tunc erit unicuique laus à DEO, his duntaxat, qui humanas laudes contempserint. Nam gloria in confusione eorum, qui terrena sapiunt, dicente etiam David, *qui hominibus placent, confusi sunt, quoniam DEUS sprevit eos.* Fratres, si hæc scitis, nemo vestrum velit laudari in vita sua, quia quicquid hic favoris captas, quod ad DEUM non retuleris, ipsi furaris. Tibi enim unde gloria, putide pulvis, tibi undè? De vitæ sanctitate? *Sed spiritus est, qui sanctificat*, spiritus dico, non tuus, sed DEI. Et si prodigijs aut signis effulgeas, in manu tua fiunt, sed virtute DEI. An blanditur popularis favor, quòd verbum bonum & bene fortè deprompseris? Sed Christus donavit os & sapientiam, nam lingua tua, quid nisi calamus scribæ? & hoc ipsum mutuò accepisti.

Idem de tripl. glor. VII. Noverat Apostolus, gloriam propriam esse Creatoris, non creaturæ: secundùm illud: *gloriam meam alteri non dabo*, itémque: *Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* Sed consideravit, rationalem creaturam adeò affectare gloriam, ut, aut vix, aut nunquam ab hoc compesci desiderio possit, quippe quæ ad imaginem facta est Creatoris, propterea secundùm datam sibi à DEO sapientiam saluberrimum adinvenit consilium dicens: *Quandoquidem persuaderi nobis non potest, non gloriari, saltem qui gloriatur, in Domino glorietur.*

S. Chrysost. ho. 1. ad Tit. VIII. Porrò honoris esse negligentem, maximo labore indiget magnæ philosophiæ, & animæ cujusdam angelicæ, & quæ ipsum verticem cardinis cœlestis attigerit, certum argumentum.

S. Hieron. l. 2. ep. 17. IX. Nec satis religiosa velis videri, nec plùs humilis, quàm necesse est, ne gloriam fugiendo quæras; plures enim paupertatis, misericordiæ, atque jejunij arbitros declinantes, hoc ipso cupiunt placere, quòd placere contemnunt, & mirum in modum laus, dum vitatur, appetitur.

Hugo Card. in Psal. 7. X. Valde cavendum est vitium, quod de victoria surgit vitiorum.

Damnum.

S. Gregor. l. 19. mor. c. 11. XI. Eleazar in prælio Elephantem feriens stravit, sed sub ipso, quem extinxit, occubuit. Quos ergo iste significat, quem sua victoria oppressit, nisi eos, qui vitia superant, sed sub ipsis, quæ subjiciunt, superbiendo succumbunt? quasi enim sub hoste, quem prosternit, moritur; qui de culpa, quam superat, elevatur.

XII. Pestis insidiosa, inquit, laudis amor, clàm etiam per cuniculos quosdam in hominum mentes irrepit, dum virtuti incumbunt, atque ipsa opera sancta absque strepitu maxima cum quiete emedullant, solisque relictis inanibus paleis, absque ullo sensu perdentis, cuncta, quæ intus sunt, auferunt. *Franc. Luceburg. in c. 6. Matth.*

§. III.

EXEMPLA SACRA.

Fuga.

I. CHristus humillimus Dominus noster binos illuminans cœcos præcepit eis: *Videte, ne quis sciat, illi autem exeuntes diffamaverunt eum in tota terra illa.* In quem locum ita commentatur D. Gregorius: Sed quærendum nobis est, quid sit hoc, quòd ipse Omnipotens, cui ipsum est velle, quod posse, & taceri virtutes suas voluit, & tamen ab his, qui illuminati sunt, quasi invitus indicatur? nisi quòd servis suis se sequentibus exemplum præbuit, ut ipsi quidem virtutes suas occultare desiderent, & tamen, ut alij eorum exemplo proficiant, inviti, & quidem sua occultando, seipsos custodiant, sed dum produntur inviti, bona ad proximos suos exempla transmittant. Bene notat D. Bernardus, quòd Filius DEI Rex gloriæ non potuerit subjectus esse vanæ gloriæ, cur igitur semper ostendit se alienum? Nunquid inanem gloriam metuebat? quid timeret ab inani gloria, qui est gloria Patris? utique timebat, sed non sibi, timebat nobis ab illa, quibus noverat esse timendum, nobis cavebat, nos instruebat. *S. Greg. l. c. S. Bernar. s. 2. de Epiph.*

II. S. Thomas Villan. existimat, B. Virginem nulli prorsus, neque etiam ipsi Josepho Sponso suo revelâsse altissimum illud secretum, tametsi ipsum videret totum anxiosum, sciretque ad ipsum pertinere cœlestis illius partûs educationem, sed exspectâsse tempus, quo ei ex parte DEI Patris per cœlestem nuncium hoc ipsum declaratum fuit. *Mansi disc. 5. n. 6.*

III. S. Petrus, cùm homines turmatim accurrerent ad spectandum miraculum ab eo factum, in medium prodiit, & cum protestatione dixit miraculosam claudi hujus restitutionem, non sibi, sed Christo JESU Crucifixo adscribendam, ac proinde ei soli dandam esse omnem laudem & gloriam: *Respondit ad populum: Viri Israelitæ, quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quasi nostrâ virtute aut potestate fecerimus hunc ambulare? DEUS Abraham &c.* *Act. c. 3.*

IV. S. Augustinus non obstante, quòd damna hujus vitij optimè cognosceret, & contrarium ageret, dolenter conquerebatur: Hoc mihi ipse canto quotidiè, & tamen vehemen- *S. August. Ep. 64. ad Aurel.*

ter cum adversario dimicans sæpè ab eo vulnera capio, cùm delectationem oblatæ laudis mihi auferre non possum.

Vita l. 4. c. 10. V. De S. Dominico legitur, quòd, cùm prædicando & concionando copiosissimam animarum collegisset messem, ac propterea ab omnibus ei applauderetur, honorésque exhiberentur maximi, fugæ se dederit; interrogatus, cur id fecisset, respondit: quia plures ibi me honorant, hîc verò omnes me impugnant: quod dixit eo in loco, ad quem se receperat, ubi plurimos videlicet habebat persecutores, & continuas cum hæreticis controversias.

Mansf. disc. 3. n. 10. VI. S. Antonius innumerabiles dæmonum assultus sustinuit, præsertim verò eo tempore, quando jam in perfectione religiosa, vitæque sanctitate multùm profecerat; nihil tamen effecerunt, sed semper confusi & fatigati abierunt. Unde unus formam in se suscepit adolescentis æthiopis, & ante pedes servi DEI se prosternens dixit: Multos ego decepi, multósque magnæ etiam Sanctitatis viros ad lapsum protraxi & seduxi: sed à te me fateor victum. Quo stratagemate astutus serpens Athletam Christi ad vanam gloriam pertrahere sperabat, & pertraxisset, fortassis, nisi DEUS dæmonis astutiam ei manifestâsset.

Mansf. disc. 6. n. 4. VII. De S. Philippo Nerio in ejus vita sequentia leguntur: Multi quotidianâ ejus gaudentes conversatione observârunt, quòd in suis actionibus nunquam propriam habuerit complacentiam; ità humilis extitit, ut, sicuti de S. Thoma Aquinate legitur, vanæ gloriæ nullum prorsus senserit stimulum, curam insuper omnem adhibuit, ut sui hanc conquirerent virtutem, & quemadmodum S. Joannes Evangelista continuò suis inclamabat discipulis: *Diligite vos invicem*, ita Philippus aliud non dicebat, nisi: *estote humiles*, idque semper urgebat. Quapropter cùm die quodam Franciscus Maria Tarugi sermonem haberet, magnóque fervore spiritûs exaggeraret excellentiam & utilitatem patientiæ, idque cum universali auscultantium applausu, sanctus Pater audiens hunc discursum, quia suspicabatur verbi divini præconem vanâ inde correptum esse gloriâ, solito more suo strepitum excitare cœpit, ac surgens postmodum, manúsque columnam vicinam compulsans, omnium auditorum ad se pertraxit vultus, quod tam diu continuavit, quousque sermoni fuit impositus finis; at quamprimùm Concionator è Cathedra descendit, ipse ascendit, altâque voce dixit, neminem è Congregatione sua habere occasionem sese jactandi & superbiendi, eò quòd nullus in eam usque horam inventus fuisset, qui minimam sanguinis guttam pro Christi amore profudisset; benè quidem ex illius servitio & sequela reportâssent, ac reportarent continuò honorem & reverentiam; & hanc materiam satis dilatabat, cum magna auscultantium ædificatione. Exhortabatur suos insuper, Dominum DEUM orarent, ut, si quam eis dignaretur elargiri virtutem, aut donum aliquod, prorsùs celarent, quatenùs se continerent in humilitate, nec superbiendi caperent occasionem; unde quotiescunque aliud dicebant, quod in eorum resultabat laudem, subitò respondens dicebat: secretum meum mihi, secretũ meum mihi.

VIII. S. Joannes Apostolus, qui Evangelistæ fungebatur officio, in sua historia simul mentionem facere voluit, specialis, eximiique illius honoris à cœlesti suo Magistro sibi exhibiti, quòd videlicet supra pectus Domini in cæna recubuerit: ast ne desuper gloriari sibique complacere videretur, loquitur & ipse de se in tertia persona: Erat recumbens unus ex discipulis ejus in sinu JESU, quem diligebat JESUS. Ubi bene observat S. Cyrillus Alexandrinus, dicens: Nomen suum celavit, ne inanis cujusdam gloriæ causâ diligi se à Christo dicere videretur. Diceres fortassis, aliquantulùm saltem propriæ laudis ex suo profluxisse calamo, cùm scribit: Discipulus ille erat notus Pontifici. Verùm respondeo, ipsum hoc scribendo voluisse potiùs tegere, & celare amorem suum, quem præ alijs Apostolis habebat excellentiorem in Christum, dum ipsum in passione semper secutus fuit; hanc enim continuam sequelam suam palliavit hoc prætextu, quasi familiaris & amicus aulæ huc accesserit: Animadverte (ait D. Chrysostomus) quomodo propriæ laudi demit, ne quis enim diceret, quomodo omnibus aufugientibus ipse ingressus est, causam affert, quòd esset notus Pontifici. *S. Cyrill. Alexand. l. 9. in. 10. c. 15.*

IX. S. Thomas Aquinas semotus fuit ab omni umbra vanæ gloriæ, ut, tametsi tempore suo totius Christianitatis fuerit oraculum, tùm ob eminentem suam sapientiam, tùm etiam ob admirabilem sanctitatem, nunquam nec per umbram infestatus fuerit à vana aliqua complacentia; undè in vita ejus postremò in lucem edita à P. Paulo Frigerio Ordinis sui Sacerdote, legitur, quòd à primis annis hostis extiterit applausûs popularis in studijs, & ad imitationem S. Ephrem Syri, desideraverit non videri sanctus, sed potiùs esse, nunquàm ex ore ejus audita fuerint verba propriæ æstimationis, nunquam etiam in anima sua senserit delectationem aut complacentiam vanæ gloriæ: undè cum bona occasione dixit & confessus est P. Reginaldo: DEO gratias ago immortales, cùm inanis superbiæ morbo nunquàm laboraverim. *Vit. l. 2. c. 19.*

X. In vita S. Ruggerij Ord. S. Francisci legitur, quòd post eximia à DEO recepta dona patri suo spirituali dixerit: Quid habet homo, de quo gloriari possit? De gratijs & donis, quæ ex liberali DEI manu suscipit, tanquam de re sua, quæ ad ipsum solum pertinet, gloriari potest? Solebat insuper dicere, quòd, si ipse omnium hominum esset probissimus & integerrimus, id non ob aliam causam & finem sciri desideraret, nisi ut DEUS laudaretur in donis suis, quibus ex infinita sua bonitate vilissimum quoque honoravit vermem. Hac munitus humili cogitatione & opinione, nunquàm ullum vanæ gloriæ passus est stimulum. *Mansf. disc. 5. n. 10.*

§. IV.

§. IV.

SIMILITUDINES.

Qualitas.

Mansi disc. 3. n. 6. I. Sicut febris maligna extrinsecus non apparet, quia intus operatur & decipit; ita facit vana gloria, quæ est majoris malignitatis; foris ostendit alienationem à laudibus, contemptum humanæ gloriæ: at intus in corde complacet sibi de bona, quam habet apud alios, existimatione.

Fuga.

S. Basilius in Ps. 118. II. Sicut divites divitias suas abscondunt, ne surripiantur; ita & qui spirituales divitias habet in animo suo, illas abscondit, ne has per inanem gloriam prædatores animarum furentur.

Procopius apud Mansi disc. 4. n. 9. III. *Sicut* amygdali nucleus triplici sub cortice latet, ita virtus in animi habitu recondita, non in corporis est conspectu.

S. Antiochus ho. 45. IV. Sicut apes flores collectos sine dilatione ad alvearium deferunt, & intra favum recondunt, ita sancti viri opera sua in animo abscondunt, ne ab inani gloria corrumpantur.

Mansi disc. 6. n. 11. V. Sicut celebriores ac peritiores pictores imagines planè nudas depingunt, ut hac ratione magistralem artem suam cunctis notam faciant, ac manifestam: alii verò pictores minùs periti talibus imagines & figuras depingunt coloribus, ut undequaque exceptâ facie, appareant vestitæ, nec frustrà, sic enim minùs subjiciuntur censuræ de erroribus hujus artis ferendæ; ad eundem modum sancti, qui sunt perfectiores, magisque stabilitati in virtutibus & spiritu perfectionis, liberiùs functiones publicas obire, ac sine periculo propriæ complacentiæ & vanæ gloriæ, in conspectu populi exercere possunt stupenda & sancta opera: *Ut glorificent patrem, qui in cœlis est.* At illi, qui adhuc imperiti sunt in virtute, & in eâ nondum satis fundati, facilè incurrere possunt periculum vanæ gloriæ. Quapropter attendant, ne justitiam faciant coram hominibus, cauti sint, & circumspecti.

Damnum.

Idem disc. 6. n. 10. VI. Sicut rubigo consumit fulgorem ferri, & tinea corrodit subtilem pannum; ita idem prorsus damnum operantur, rubigo & tinea vanæ gloriæ, devorant animæ merita, & monetam congregatam pro comparanda æterna gloria, consumunt.

S. Nilus orat. 7. de vana glor. 7. Sicut hedera arborem complectitur, ut, cùm altiùs se sustulerit, radicem arefaciat; Sic inanis gloria juxta virtutes nascitur, ut non recedat, priusquàm vim illarum exciderit.

§. V.

MOTIVA AD FUGAM.

I. *Quia, sicut origo fontium & fluminum omnium mare est*, ait S. Bernardus, *ita virtutum & scientiarum Dominus IESUS Christus*; Quis enim Dominus virtutum, nisi ipse est Rex gloriæ? Sed juxta Annæ Canticum, idem ipse DEUS scientiarum Dominus est. Continentia carnis, cordis industria, voluntatis rectitudo, ex illo fonte manant, non solùm, sed & si quis callet ingenio, si quis nitet eloquio, moribus placet, indè est, indè scientiæ, indè sapientis sermo. Quid? casta consilia, justa Judicia, sancta desideria, nónne rivuli fontis illius sunt? Ad locum ergò, undè exeunt (sic consulit S. Bernardinus) revertantur flumina gratiarum, ut iterùm fluant. Revertatur ad suum principium cœleste profluvium, quo uberiùs terra refundatur. Qualiter, inquis, qualiter dicit Apostolus: *In omnibus gratias agentes*; quicquid sapientiæ, quicquid te virtutis habere confidis, DEI virtuti, & DEI sapientiæ deputa Christo. Et quis tam insanus, ais, ut aliundè præsumat? *S. Bernard. s. 13. in Cant.*

II. *Quia DEUS operatur in nobis velle & perficere*: non nobis proin, sed nomini ipsius danda gloria est. Undè rectè S. Bernardus, sufficit mihi, ait, gratanter suscipio, quod relinquis, & relinquo, quod retines. Sic placet, sic meâ interesse non dubito. Adjuro gloriam prorsus, ne fortè si usurpavero non concessum, perdam meritò & oblatum. *Mansi disc. 1. n. 3. S. Bernard. loc. cit.*

III. *Quia stultum est, pro tam vili pretio merces tam preciosas vendere*; uti rectè ostendit Mansi dicens: si ex mercibus in foro divenditis lucratus fuisses Thesaurum sufficientem, ad te tuámque familiam ditandam, venderésne illum alicui, qui non nisi mera verba, quibus te palparet, laudaret ac prædicaret, vicissim reponeret? *Negotiamini, dum venio*, ait Salvator noster. Opera virtutum, facta in amicitia DEI, sunt merces, quibus possumus negotiari & lucrari Paradisum; DEUS solvit illa remuneratione æternæ gloriæ, hac tamen conditione, si facta & relata fuerint ad ipsius gloriam; nam si fiant ad capiendam laudem & honorem ab hominibus, jam apertè se declarat: *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.* *Mansi disc. 2. n. 3.*

IV. *Quia solus DEUS, utpote spirituum ponderator, est competens æstimator & remunerator.* Unde iterum idem Author hanc similitudinem proponit: Fingamus & imaginemur nobis, unum invenisse gemmam pretiosam, qui pretium illius scire cupiens, accedit quendam lapicidam amicum suum, gemmam inventam hic æstimat uno valere scuto, cùm verè valeat mille. Si à me petatis, uter illorum plùs erraverit, existimarem illum, qui exiguo pollens judicio gemmam detulit ad lapicidam, utpote ignarum, ad æstimandum valo- *Ibidem n. 11.*

valorem illius, & non ad aurifabrum, aut alium qui gemmarum habet notitiam. Quid hoc exemplo inferre volo? opera, quæ facimus in gratia DEI constituti, inæstimabilis valoris sunt & pretii, iis enim comparamus regnum cœlorum; at si à mundo, ab hominibus præstolemur & exigamus operum nostrorum valorem, æstimationem, laudem & applausum, *animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritûs DEI*, non æstimabunt illa justo & digno pretio. Quapropter solius DEI æstimationi, judicio, & remunerationi ea submittamus, operantes omnia ad ejusdem honorem & gloriam.

4. Reg. c. 20. V. *Quia per ostentationem omnia perduntur*, sicut Ezechiæ propterea, quòd divitias suas ostenderit Legatis Babylonicis, dictum est à Propheta: *Audi sermonem Domini: Ecce dies venient, & auferentur omnia, quæ sunt in domo tua, & quæ condiderunt patres tui usque in diem hanc, in Babylonem, non remanebit quicquam, ait Dominus.*

§. VI.

MEDIA.

Mansi disc. 4. n. 1. I. *Sua opera tegere*; uti Mansi sequenti discursu suadet: Inter alias ordinationes à DEO præscriptas ipsi Moysi in lib. Exodi, hoc quoque ei mandatum fuit: *Duos quoque Cherubim aureos & productiles facies, ex utraque parte oraculi. Cherub unus sit in latere uno, & alter in altero. Utrumque latus propitiatorii tegant, expandentes alas & operientes oraculum, respiciántque se mutuò versis vultibus in propitiatorium, quo operienda est arca.* (Exodi 25. 18.) Verùm si oraculum erat ex purissimo auro & aspectu nobile, si propitiatorium pariter miræ erat pulchritudinis, cur noluit illa patere omnium conspectui, & esse detecta; *utrumque latus propitiatorii tegant*? Verùm semper est axioma illud Apostoli: *Omnia in figura contingebant illis.* Audiamus ex Oleastro mysterii hujus explanationem: Considera, quid te hic admoneat DEUS summus benefactor, & nihilominus tectus, ut te doceat benefacere, & nolle videri in bonis operibus, nolle velle videri, jam enim mercedem tuam accepisti, non aliam in futuro sæculo habiturus. Vultísne scire causam, cur Cherubini describantur, quatuor instructi alis? annon duæ, quibus in altum se elevarent, sufficiebant, præsertim cùm sint puri spiritus? observandum, per Cherubinos denotari scientiâ & sapientiâ præditos, & quis ignorat, quòd scientia inflat? facilè est, multa scientem irretiri à vana complacentia, & ostentatione, ideóque necessariæ sunt adhuc duæ alæ aliæ, ad occultandam & velandam sapientiam, quæ illucescit: Non plùs sapere, quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem. Hugo de S. Victore in præfatum textum scribit: Duabus alis à terrenis se elevat, & duabus alis, ne oculis vana gloria videatur, corpus velat.

II. *Oblivisci suorum operum*; uti S. Chrysostomus suasit dicens: Sic sunt etiam divitiæ virtutum, si eas in memoria quasi venales assiduè portemus, armamus hostem, irritamus inimicum, & dolosum invitamus ad furtum; si verò nemo alter id scierit, nisi quem nulla occulta latere possunt, tutissimo in loco pretiosa consistent. Subdit deinde nobilem hanc sententiam: Satis tectus thesaurus rectè factorum oblivio. S. Chrysostomus homil. 7. in Matth.

III. *Christi exemplum ob oculos ponere*; uti Oleaster suasit his verbis: Quid facitis, filii Adam, vanissimum genus, quærentes populi frequentiam, ac populosas urbes ad ostentandam gloriam, ac divitias vestras, cùm videatis DEUM vestrum tam latenter, velle ostentare divitias gloriæ suæ? Uni soli, in solitudine, & secretiori montis supercilio, à quo homines & jumenta arcere jubet, gloriam suam ostendit, neque solùm homines, sed etiam jumenta suspecta habet, cùm gloriam suam ostendere vult. Quod confirmat exemplo adducto de Thabor, ex quo hanc deducit conclusionem: Considera discrimen. Nos si injuriam pati debeamus, latebras & solitudines quærimus; Si quid verò honoris ostendendum est, publica loca. Christus verò ad dedecora & ignominiam populosam urbem requirit, ad gloriam verò ostendendam, secretissimum montem. Oleaster in c. 34. Exod.

IV. *Sui ipsius cognitio profunda*, juxta illud Thomæ Kempensis. Qui bene se ipsum cognoscit, sibi ipsi vilescit, nec laudibus delectatur humanis. Thomas Kempen. l. 1. c. 2.

V. *Opera sua DEO quotidie sincerè dedicare*; uti, teste Mansi, insignis quidam spiritûs Magister suasit: unde si postea superveniret vana gloria, appetitus laudis, propriæ æstimationis, & applausûs mundani, qui horum bonorum operum meritum suffurari niteretur, statìm opponerent, & dicerent, omnia bona ista opera jam esse donata, imò adeò consecrata DEO, ut ampliùs profanari non possent. Mansi disc. 11. n. 10.

VI. *Virtutes altissimas sibi proponere*, exemplo illius Monachi, qui altissimarum virtutum appellationes in cella scripsit, & quandò à vana gloria tentabatur, eas legens dicebat sibi: cùm has omnes possederis, tunc scies, quàm longè adhuc à DEO sis, & servus inutilis. S. Clim. grad. 25.

§. VII.

ASCETICA.

I. *In primis nôsse debet Asceta, cur gloria soli DEO sit adscribenda*, id quod Josephus Mansi sequenti similitudine aptè demonstrat: Imaginemini, inquit, vobis, duos sociali fœdere junctos operam dare mercaturæ, & lucrum indè emergens inter se partiri, quorum unus adhibeat laborem & industriam, alter subministret summam capitalem pecuniæ; ad eum modum considerari potest, præsentem vitam Mansi disc. 7. n. 3.

tum à DEO datam esse hunc in finem, ut negotiemur, & lucrum ingens faciamus (*negotiamini dum venio*) non alterius profectò rei, nisi æternæ & cœlestis gloriæ; in hujus tamen mercaturæ exercitio non negotiatur solus homo, neque DEUS vult esse solus, undè celebris est illa D. Augustini propositio: qui creavit te sine te, non salvabit te sine te; DEUS dicitur subministrare, & numerare summam capitalem, videlicet, divinam gratiam, quâ lucrari possumus, dicebat namque Apostolus: *DEUS operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate; non ego, sed gratia DEI mecum.* Homo è contra adhibet voluntatem, arbitrium, industriam & diligentiam suam, in hac ergo partitione DEUS contentus est lucro honoris, & gloriæ: Invisibili soli DEO honor & gloria: deindè vult, ut nobis in futura vita cedat gloria, non vana, sed essentialis, immortalis & beata.

S. Bernardus in c. 13. Matth. II. *Nosse debet, quòd ad extirpandam omnimodè vanam gloriam requiratur, ut opera sua non tantùm ante alios, sed etiam ante se ipsum abscondat*, uti sapienter S. Bernardus advertit, super illa Christi verba: *Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro*: sic discurrens: Necesse igitur est abscondere interim, si quid habemus boni, quoniam thesaurum regni cœlorum, qui invenit homo, abscondit; necessaria ergò est hæc absconsio, non solùm ante oculos aliorum, sed etiam multò magìs ante seipsum. Ubi S. Mellifluus Doctor tangit rem magni momenti & emolumenti, quòd nimirum vanam complacentiam & inanem gloriam de nostris operibus apud alios non solùm, sed etiam secretò apud nosmetipsos fugere debeamus, cogitantes, & omnino existimantes, nihil boni nos effecisse. Id quod ipse Christus alibi indicavit, dum dixit: *nesciat sinistra tua, quid faciat dextra tua.* Super quæ verba S. Chrysostomus, hic quoque ait, non manus voluit intelligi, sed exaggeratum posuit hunc sensum: Si inquit, possibile est, te ipsum quoque ignorare, quod facis, sit tibi hoc prorsus in studio, & si fieri potest, nec manus, quibus id peragitur, consciæ sint. Cui consentiens Doctor Angelicus, per sinistram, inquit, intentio perversa designatur vanæ laudis, per dexteram intentio sancta implendi præcepta DEI, ut dicit Augustinus, unde *nesciat sinistra tua*, id est, non se immisceat perversa intentio laudis, vel elationis, *quid faciat dextera tua*, id est, cùm præcepta DEI implere contenditis.

Matt. c. 6.

S. Chrys. hom. 19. in Matth.

S. Thomas in c. 6. Matthæi.

Mansi disc. 6. n. 1. III. *Nosse debet, quid sit, abscondere sua opera*; id quod Mansi his verbis iterum declarat: Exemplo Eleemosynæ insinuavit nobis Salvator noster, quo modo & quo fine instituenda sint cætera bona opera, ne meritorum suorum patiantur jacturam: *Ut sit Eleemosyna tua in abscondito*, ait Salvator noster, *& pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi*; tametsi verum sit, non omnem Eleemosynam posse esse secretam, attamen (ut interpretatur Jansenius) ad intentionem, quâ opera bona exercenda sunt, alludere voluit: Si accipiatur ut præceptum, ad intentionem referri debet; non enim præcipitur, ut omninò secreta sit Eleemosyna, sed ut intentio facientis aliena sit ab eo, ut quærat videri ab hominibus; & quantùm ad se spectat, in abscondito fiat. Si autem accipiatur ut cautela, instruimur, ut nostræ infirmitati consulentes, ne obrepat in Eleemosyna vana gloria. Et confirmans id ipsum S. Gregorius, aliquandò, inquit, sancti viri & coram hominibus compelluntur bona facere, aut eadem hominibus sua facta narrare, sed ad eum finem omnia referentes, ut non ipsi eisdem operibus, sed Pater eorum, qui in cœlis est, debeat glorificari. Idque ostendit exemplo Concionatoris. Dum enim sancta prædicant, ipsa prædicatio eorum fortasse despicitur, quorum vita nescitur; compelluntur ergò vitam suam dicere, ut auditorum suorum valeant vitam mutare. Idem S. Pontifex lib. 8. mor. hanc tradit doctrinam: Si enim dantis gloriam quærimus, etiam publica nostra opera in conspectu illius occulta servamus; si verò per hæc nostram laudem concupiscimus, foras ab ejus conspectu jam fusa sunt, etiamsi à multis ignorentur. Tandem concludit: Fit plerumque ut bonum opus & in occulto sit, cùm fit publicè; & rursus in publico, cùm agitur occultè; qui enim in publico bono opere non suam, sed superni Patris gloriam quærit, quod facit, abscondit, quia solùm illum testem habuit, cui placere curavit; & qui in secreto suo bono opere deprehendi ac laudari concupiscit, & nullus fortasse vidit, quod exhibuit, tamen hoc coram hominibus fecit, quia tot testes in bono opere secum duxit, quot humanas laudes in corde quæsivit.

S. Gregor. l. 19. mor. c. 16. & l. 8. mor.

IV. *Nosse debet discrimen inter vanam & veram gloriam*; quod Cicero his verbis insinuavit: solida quædam res, & expressa, non adumbrata, ea est consentiens laus, incorrupta vox bene judicantium de excellenti virtute, cui resonat tanquam imago: Hæc, quia rectè factorum plerumque comes est, non est bonis viris repudianda. Audite insuper, quomodò describat gloriam, quam denominat vanam: quæ vera imitatrix esse vult, est temeraria, atque inconsiderata, & plerumque peccatorum vitiorúmque laudatrix, fama popularis, simulatione honestatis, formam ejus pulchritudinemque corrumpit. Sed rectiùs Mansi, juxta dictamen, inquit, Lucis Evangelicæ solida gloria Christi dicenda est illa, quæ soli DEO attribuitur: Soli DEO honor & gloria, quemadmodùm etiam Sacerdos celebrando Sacrificium Missæ frequenter cantat: *Gloria in excelsis DEO.* Ex hac recognitione, quâ Christianus DEO debitum confert tributum gloriæ & honoris, redundat in eum lucrum gloriæ æternæ; conformiter attestatur illud oraculum: *Glorificantes me glorifico.* Gloria vana est illa, quæ independenter à DEO, ortum suum habet ab homine, & nuncupatur vana, quia non fundatur in virtute, neque permanens & stabilis est, cùm opinioni & volubilitati vulgi innitatur.

Cicero l. 3. Tusc.

Mansi disc. 8. n. 2.

V. Nos-

Mansi disc. 11. n. 3. V. *Nosse pariter debet discrimen inter eos, qui militant sub vexillis hominum, & eos, qui militant sub vexillo Christi*; Illi proprio labore & sudore satagunt se promovere in bello, exponendo se periculis vulnerum & mortis, proprio Marte & generosè pugnando viam sibi sternunt ad victorias & triumphos, ideò merentur, ut intuitu generosæ suæ decertationis, laborum & sudorum erigantur illis trophæa; sed aliter res constituta est cum militantibus sub vexillo Christi; nobis pugnantibus, colluctantibus cum mundo, carne & dæmone omnem vigorem & virtutem tribuit divina gratia; DEUS nos illuminat, ut detegamus astuti serpentis insidias, ejusdémque effugiamus fraudes & nequitias. Quapropter quia cunctæ nostræ victoriæ fructus sunt divinæ assistentiæ & patrocinii, omninò decens est, ut columnarum instar in templo gloriæ per omnia sæcula sæculorum attestemur & dicamus in omnibus victoriis: *Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.*

§. VIII.

MISCELLANEA ET CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Fuga.

Mansi disc. 1. n. 4. I. PRotoparentes nostri rerum omnium creatarum potiebantur dominio: *Omnia subjecisti sub pedibus ejus*; in signum homagii DEUS ab iis exegit duntaxat hunc actum obedientiæ; ne comederent fructum talis pomi: *De omni ligno paradisi comede, de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas.* Tametsi etiam fame periisset, obedire tamen tenebatur, ad nobilem namque Creaturæ statum evectus, non ut hâc, sed futurâ frueretur vitâ, creatus erat. Ex transgressionis hujus inflicta pœna, in claram devenimus notitiam gravitatis peccati, quo homo offendit DEUM. Casui nostro applicemus hanc historiam: bonorum innumerabilium, quibus liberalissimus DEUS noster in præsenti vita nos ditavit, & infinitorum aliorum, quæ nobis præparavit in futurâ, texamus catalogum: Bonorum nostrorum non eget, aliud à nobis non prætendit, nisi ut non usurpemus & tribuamus nobis gloriam ipsi debitam ab omnibus creaturis, ergone adeò temerarii & audaces erimus, ut illam ipsi surripiamus.

Idem disc. 3. n. 2. II. Inter alia dicta Jobi singulariter observandum est, quòd dicat de Dæmone: *habet fiduciam, quod influat Iordanis in os ejus.* Non meminit maris, pelagi, oceani, esto insatiabilis, sed Jordanis, quia spiritu prophetico prævidebat, per hunc fluvium figurari & denotari perfectos & Sanctos: præterquam enim quòd sinu suo complexus est Arcam Domini, vidit Spiritum Sanctum in forma columbæ, & aquis suis (ministerio manuum magni Baptistæ) baptizavit, & lavit verbum æternum incarnatum. Ecce igitur mysterium, cur dicatur, quòd Diabolus speret absorbere Jordanem, quia malignus hic spiritus incessanter desiderat devorare innocentes: non per viam extorsionis, adulterii, apostasiæ, sacrilegii, aut similium excessuum: bene quidem per vanam complacentiam, vanámque gloriam in propriis operibus, quæ aliàs perfecta essent, & sancta.

III. Si Lucifer neque ipsum DEI filium eximere voluit à suis assultibus & in tentationibus (disponente ita æterno suo Patre, ut per omnia fratribus assimilaretur: tentatum per omnia) cur exspectavit ad trigesimum usque annum? observate unam vocem in S. Matthæo, quæ non ponitur sine mysterio: *Tunc IESUS ductus est in desertum à spiritu, ut tentaretur.* Ast illud, *tunc*, ad quid refertur? Ad illud nimirum, quod idem S. Evangelista, & alii cum ipso jam retulerunt de eminentissime sanctitate Christi, cœlesti testimonio palàm confirmatâ, & à præcursore in ripa Jordanis demonstratâ: *Ecce agnus DEI.* Quamprimùm igitur astutus serpens advertit Redemptorem nostrum donis, virtutibus, meritis omnibus cumulatum, nec posse sibi occurere ditiorem prædam, tentavit illum: *Tunc accedens tentator dixit ei*: ast quâ viâ tentavit illum, aut quem modum fini & scopo suo censuit esse congruentiorem, aptiorémq; ? Vanam gloriam: Dæmon haud sibi persuadere poterat, Christum esse filium DEI, tametsi cœlitus audivisset illius testimonium, nihilominus vanâ eum palpavit laude, & gloriosissimum hunc ei dedit titulum: *Si filius DEI es*, petens simul lapides oblatos transmutari in panes: *Dic ut lapides isti panes fiant*, Non dixit, si esuris, (observatio D. Chrysostomi est) sed *si filius DEI es*, videlicet, existimans posse aliquid per laudum blandimenda suffurari: *Serpens erat callidior.* Post adhibitam omnem vafritiem & sagacitatem suam, efficacius, aptiúsque non adinvenit medium, quo, quem filium Altissimi suspicabatur, daret præcipitem, quàm vanam gloriam, hæc enim illa est, quâ suffragante parantur assultus, struuntur insidiæ navibus opulentis, gratiæ mercibus oneratis. Ibid. n. 6.

IV. In republica apum benè ordinata, sunt aliquæ, quæ apparent esse apes, at non sunt: fucus, genus est insecti apis similitudine, sed majori corpore, quod non mellificat, neque operam aliquam præbet in faciendo operi, consumit alimenta, quæ apes congesserunt. In anima alicujus homini Christiani reperietis nonnunquam multas apes, puta, virtutes, quæ componunt, mensæque præparant divinæ mel suavissimum. De simili ape S. Urbanus Papa dicebat Christo, loquens de S. Cæcilia: quasi apis argumentosa sibi deservit; at quid contingit frequenter arte & operâ diabolicâ? intervenit vana gloria, quæ devorat & consumit meritum omnium actuum virtutum, qui aliàs æternâ digni erant remune- Ibid. n. 7.

muneratione, eósque planè inutiles reddit ob vanam complacentiam: virtutum fucus.

Ibid. n. 6. V. Judicum cap. 2. recensetur historia, quæ casui & proposito nostro accommodari potest: Reportaverat Jephte de hostili exercitu victoriam; at quia DEO, si vinceret, votum fecerat, ut primum, quod ei domum redeunti & triumphanti occurret & offerret in sacrificium, contigit, ut ei occurreret unigenita filia sua cum tympanis, & choris. Observat Jephte (esto temerariè) votum factum, ac propriâ manu obtulit filiam in holocaustum. *Militia est vita hominis super terram*: in præsenti vita strenuè pugnamus, & militamus vincendo pravos nostros appetitus jejuniis, disciplinis, vigiliis, ciciliis, eósque voluptatibus suis, ad quas anhelant, privando. Aggredimur pariter mundum inimicum, spernendo mundum, spernendo nullum, spernendo nosmet ipsos, spernendo denique sperni & contemni; humiliamus, & subjicimus nos alterius voluntati & obedientiæ, mortificamus quoque appetitum vindicativum odii, remittimus injurias, benefacimus his, qui oderunt nos, ac plures alias victorias reportamus de pravis nostris affectibus & inordinatis passionibus, ut immarcessibilis gloriæ potiamur coronâ; Verùm sæpè contingere solet, quòd triumphantibus nobis occurrat vana gloria, non cum tympanis, sed blandis laudibus: non cum choris, sed applausibus, nósque intus exstimulat, ut actus virtutum, dona, merita, cunctáque alia bona opera offeramus, & sacrificemus vanitati blandæ complacentiæ & vanæ gloriæ.

Rabanus in cit. loc. VI. Numerorum cap. 19. mira alia præscribitur ordinatio; non vacans mysterio: *Vas, quod non habuerit operculum & ligaturam desuper, immundum erit*: Quòd si aliàs vas illud mundum & purum esset, cur ut immundum & sordidum æstimandum esset deficiente ligaturâ & operculo? Quasi vas sine operculo vel ligaturâ (Rabani verba sunt) polluitur, qui per studium ostentationis patens, nullo velamine taciturnitatis operitur. Vasa hæc operculo & ligaturâ destituta illos significant, qui opus aliquod devotionis exercent, v. g. orationis mentalis, mortificationis, Communionis, aut opus exequuntur misericordiæ corporalis, ut recipiant aliquem applausum: tales igitur in conspectu DEI sunt tanquam vasa immunda, & sordida. Quapropter cœlestis Magister constituit: *Tu autem cùm oraveris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora Patrem tuum in abscondito, & Pater tuus, qui videt in abscondito: reddet tibi.* S. Bernardus S. 8. in Cant. considerando hoc consilium Evangelicum, ait: orare volentes jubemur intrare cubiculum, ne coram orantibus laus humana orationis furetur fructum, frustretur effectum.

Stephanus Cantuar. in alleg. VI. Exod. c. 20. legitur: *Quòd si altare lapideum feceris mihi, non ædificabo illud de sectis lapidibus; Si enim levaveris cultrum super eum, polluetur.* Præcepti hujus rationem reddit Stephanus Cantuariensis hisce verbis; Altare est mens hominis, ubi non est construendum ædificium de sectis vel politis lapidibus; lapis enim non politur, nisi ut videatur, unde lapis, qui in fundamento ponitur, non politur, quia videri non potest; ille ergò construit altare de sectis lapidibus, qui ideò facit opera sua, ut videatur: abscondendum est opus: quia *justus*, ut ait Salomon, *quasi fundamentum subsistit*; si ergo elevaveris cultrum, id est, opus tuum curâ & arte humanâ polire volueris, polluetur.

Mansi disc. 4. n. 6. VIII. Pro Emblemate aliquando expositum fuit cœlum stellatum cum hoc apposito symbolo: *pulchriora latent*: Et verè pulchriora in cœlo abscondita sunt: ad eum modum de Sanctis, qui excellunt in spiritu & perfectione, dicere possumus: quamvis forinsecùs videantur illæ Ecstases, jejunia, solitudo, austeritas victûs, conformitas, mansuetudo, charitas, similésque excellentes virtutes, abscondunt nihilominus dona, quæ eximiam eorum exprimunt, & testantur sanctitatem, ut sunt revelationes, visiones, actus interni amoris divini, & alii hujusmodi: *pulchriora latent.*

Petrus Damianus s. de S. Barbara. IX. In Apocalypsi S. Joannes cap. 4. se vidisse testatur præter alia: *Et quatuor animalia, singula eorum habebant alas senas in circuitu, & intus plena sunt oculis, & requiem non habebant die ac nocte dicentia: Sanctus, Sanctus, Sanctus*; porrò inter hæc animalia unum hominis habebat faciem: Et tertium animal habens faciem quasi hominis, ubi observandum, eandem visionem referri ab Ezechiele Propheta, at hanc ille addit circumstantiam: *Manus hominis sub pennis eorum.* Quale illud mysterium, quòd manus occultaverint sub alis? per manus, uti satis notum est, intelliguntur opera: hæc igitur servi DEI abscondunt, & subtrahunt ab oculis hominum; totum contrarium illi, quod faciunt Hypocritæ: occultanda sunt, fratres, bona, quæ agimus (B. Petri Damiani consilium est) ne hæc in hujus vitæ itinere incauti portantes, latrocinantium spiritum incursione perdamus.

Glossa in c. 2. Matt. X. Pulchrè glossa in Matthæum speculatur, qua ratione tres reges seu Magi thesaurum suum, quem è longinquis regionibus secum asportaverant, non aperuerint, nisi post accessum & ingressum in tugurium Bethlehemiticum: apertis Thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus & myrrham. Magnum religionis Sacramentum hic aperitur, ut fide prævià thesauros nostros in via non pandamus, donec præteritis hostibus soli DEO ex occultis cordium offeramus. Ezechias, quia thesauros alienigenis prodidit, condemnatur in posteris. Sancti & sapientes hi Reges thesauros suos non aperuerunt in Jerusalem, multò minùs in itinere, sed in supremi duntaxat Monarchæ, quem pannis involutum adoraverunt, præsentiâ; & quale indè documentum: habemus thesaurum in vasis fictilibus; naturali propensione nimis (prò dolor) avidi sumus propriæ laudis,

dis, æstimationis, vanæ gloriæ; quapropter quos pro obtinenda æterna beatitudine accumulamus thesauros, quamdiu Viatores sumus, diligenter custodire, nempe abscondere debemus bona opera, & merita alterius vitæ, ne latrones, puta jactantia, vana complacentia, propria æstimatio nobis hunc thesaurum suffurentur. Solùm igitur in conspectu DEI oportet illum aperire, id est, operari, ut DEO placeamus duntaxat.

Origenes ho. 11

XI. Sapiens illa mulier, inspectâ eleganti Moysis facie, tribus mensibus eum occultavit; Videns eum elegantem, abscondit tribus mensibus, non attentâ feroci persecutione tyranni illius, qui transgressoribus severissimam minitabatur pœnam. Ex quo facto hanc elicit moralitatem Origenes, subdens: Ita nos debemus occultare bona, quæ facimus, ne demergantur in profundum inanis gloriæ. Præcipitur in Moyse abscondito, ne bonos actus in publico geramus, ne justitiam nostram coram hominibus faciamus; nisi enim in occulto fuerit, diripietur ab Ægyptiis, & fluctibus submergetur.

S. Petrus Chrysol. s. 9.

XII. S. Petrus Chrysologus explicans verba illa Christi: *Nesciat sinistra tua*; sic discurrit: putas, quàm vult nescire alterum, qui te ipsum, qui facis, vult aliquâ tui parte nescire? Thema hujus sermonis est: Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus. Movet igitur hoc dubium: Justitia, lux rerum, consiliis non velatur obscuris; Justitia, cùm sibi facto claret, omnes illustrat exemplo. Et quid est, quod eam Dominus coram hominibus non vult fieri, per quam statum capiunt res humanæ? Et ubi est illud *sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona & glorificent patrem vestrum, qui in cælis est?* Qomodò Justitiam vult celare, cujus opera vult elucere? Et proposito nostro conformiter difficultatem solvit dicens: Fratres, hæc præceptio cœlestis vult jactantiam tollere, auferre pompam, vanitatem demere, submovere inanem gloriam, sic justitiam vult celare. Justitia, quæ per se sibi abundat ad gloriam, spectaculum populi, vulgi laudes, favores hominum, mundi gloriam, non requirit; à DEO genita cœlum spectat, in oculis agit divinis, supernis virtutibus mixta semper à DEO solo, ut glorificetur, exspectat: sed hæc est justitia, quæ ex DEO est, illa verò justitia, quæ est hypocrisis, justitia non est, mentitur oculis, fallit aspectum, videntibus illudit, trahit populos, seducit turbas, famam vendit, emit clamorem: fit sæculo, DEO non fit, mercedem rapit præsentem, præmium non quærit in futuro, cœcat oculos, cœca ipsa, non videns vult videri.

Pineda in c. 27. Iob n. 18.

XIII. Pulchrè sacer quidam Interpres describit, qua ratione araneæ miro artificio retia sua texant, & conficiant circumferentiam: primò partiuntur quatuor filis æquali spatio à se distitis, & ad modum crucis distentis per quatuor partes, & ab his per circuitum deducunt alia fila, ita tamen ut ab omni parte æquales relinquant sectiones: Nectunt suas telas, inquit author ille, in quatuor circulorum quasi sectiones, quorum quælibet sectio viginti item sectiunculas alias, & fila viginti contineat, ut inspicientibus curiosiùs constare poterit; Octoginta circulis igitur aut sectionibus constat tela tota. Videbitis hanc bestiolam, cùm in labore suo occupata est, centies ac millies mirâ velocitate hinc & inde currentem, recurrentem, per gyrum ducentem fila, quandoque per transversum eadem attexentem; at quis ejus finis? eviscerat se, enervátque, ut rete suum ordiatur, & perficiat. Sed quid? Unicus venti flatus, unicus motus scoparum dissipat, destruit, ac secùm tollit totum istum laborem. Ecce propriissimam pro casu nostro similitudinem. Erit quispiam DEO serviens in timore, sanctitate, & justitia, triginta aut quadraginta annorum spatio, multa & varia colliget merita bonorum operum, eleemosynarū, jejuniorum, ciliciorum, mortificationum, orationum, diversarum peregrinationum: operum misericordiæ, tùm spiritualium, tùm corporalium, at denique quid erit? Vafri serpentis infernalis stratagemate, concitabitur unicus flatus vanæ gloriæ, unicus actus propriæ complacentiæ, qui cunctos hos labores & sudores, tanto tempore exantlatos, apud DEUM prorsus inutiles efficiet ac invalidos: *Omnia opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus*: Et quid indè sequetur? attendite ipsum DEI oraculum, de quo scriptum est: spirituum ponderator est; *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.*

S. Anselm. in cit. cap.

XIV. Joannis cap. 10. Redemptor noster nobis demonstrat, quis sit mercenarius, & non pastor: asserens: *Mercenarius autem, cujus non sunt oves propriæ, dimittit oves, & fugit, & lupus rapit, & dispergit oves.* In sensu morali varij dantur mercenarij, & quidem in sensu accommodo nostro proposito docet S. Anselmus hominem deditum vanæ gloriæ esse hunc mercenarium, qui pro applausu mundano vendit opera bona, quæ aliàs apud DEUM inæstimabilis essent pretij; & quia ex ijs vanam concipit gloriam, non jam bona sunt opera, eò quòd priven ipsum immortali retributione: hujus non sunt oves propriæ, quia virtutes, quas in se ipso custodire videtur, ab eo sunt alienæ. Notatu dignum verbum illud: *Omnia opera sua faciunt, ut videantur*, ubi notat etiam D. Chrysostomus subdens: Non hæc aut illa, hoc verò expulit eos omninò à charitate. Qui operatur bene, ut videatur solùm ab hominibus, is non operatur propter amorem DEI, undè necessariò sequitur, tales esse alienos à charitate, quæ sola valorem confert actionibus nostris, ésque DEO gratas, ac æternæ vitæ meritorias efficit.

Ioseph l. 11 antiq.

XV. Josephus Hebræus refert in templo Hierosolymitano quotidiè tale contigisse miraculum: quando nimirum pro offerendis sacrificijs mactabantur boves, oves, aliáque animalia, eorúmque profundebatur sanguis, nulla ibidem musca visa, vel etiam advolare ausa fuit; Econtrà quando gentiles suis falsis dijs in sacrificium

ficium offerebant carnes similium animalium, tantus advolabat, comparebátque muscarum numerus, ut primario idolo suo imposuerint nomen Belzebub, quod idem est ac DEUS muscarum. Curiosos vos esse haud ignoro, ut ex hoc miraculo percipiatis mysterium aliquod morale; Musca est figura vitij hujus vanæ gloriæ; quemadmodum enim musca, si adhæreat alicui unguento odorifero, & ibidem moriatur, dissipat & perdit ejusdem fragrantiam: Muscæ morientes perdunt suavitatem unguenti; eâdem proportione dicere possumus, quotiescunque hoc vitium inhæserit cordi, quod spirat bonum virtutis odorem (Christi bonus odor sumus) suavem odorem boni exempli, Charitatis, humilitatis, obedientiæ, &c, perdit, & dissipat fragrantiam horum bonorum spiritualium; etenim DEUS abominatur actiones illas, quas pallio devotionis & pietatis tegimus, ut indè recipiamus gloriam vanissimam & applausum mundi, sui inimici. Certum est, quòd per sacrificia antiquæ legis figurabantur nostra bona opera; si igitur DEUS miraculum patrare voluit, ne muscæ advolarent propiùs, & carnes attingerent, eò quod sint (licet remotè) umbra & typus vanæ gloriæ; quantò magis in sanctis & Christianis nostris actionibus abominabitur hoc idem vitium? Si DEUS has muscas proscribebat, & exterminabat ab agnis, arietibus, vitulis, & bobus, qui mactabantur, quantò magis à nostris operibus factis in lege gratiæ, puta orationibus, eleemosynis, Confessionibus, Communione, & alijs similibus vult exterminari & proscribi omnem vanitatem, omnémque pruritum propriæ æstimationis, & complacentiæ?

Didac. Nyss. Dom. 1. post Epiphan. P. 4. XVI. Apud S. Matthæum plurimùm hortabatur Dominus, ut, cùm boni operis quidpiam exercemus, non imitemur pessimum fictorum sanctulorum morem, qui, cùm bene aliquid agunt, id faciunt, ut plausum sibi apud spectatores conflent; verba Domini apud Evangelistam sic habent: *Cùm facis eleemosynam, noli canere tubâ ante te, sicut hypocritæ faciunt in synagogis, & in vicis, ut honorificentur ab hominibus, liberalitatisque aliquam opinionem sibi apud eos nundinentur; nam si ita feceris, tua te expectatio ludet, sicut illos sua fefellit. Amen enim dico vobis, receperunt mercedem Matth. 6. 2.* Vatablus hæc postrema vertit: *Abstulerunt mercedem suam*, hoc est, sibi ipsis ademerunt, & prodegerunt suam mercedem. Translatio Vatabli non cohæret satis, imò pugnare cum verbis Domini videtur. Cùm enim Christus affirmet, Hypocritas recepisse remunerationem suam, quomodo huic cohæret, quod Vatablus ait, abstulisse sibi, adeò perdidisse illam? Abstulerunt, receperunt? Optimè convenit utriusque verbis, quódque Christus ait, recepisse mercedem suam, id pulchrè exposuit Vatablus dicens, abstulisse sibi; quid ambiunt hypocritæ, cùm sive stipem in egenos erogant, sive aliud quid boni operis factitant? Respondet Christus: *Ut honorificentur ab hominibus*, existimationémque aliquam sanctitatis apud eos obtineant, quorum levem favorem sic ipsi rebus consectantur, ut per easdem DEO placere non curent. Quid ergo dicit DEUS? Itáne verò, ait, perfidissimi, & propudiosissimi hominum hypocritæ, inanem popularis favoris ventum captare studetis per hoc, quòd benè agitis, ut meam gratiam susque déque habeatis? Ego vos pro meritis habebo, faciámque, ut homines intelligant, & videant, non alio consilio à vobis opera bona exerceri, quàm ut virorum bonorum & sanctorum famam vobis paretis, ex quo consequetur, ut offensionem, sinistrámque existimationem apud illos incurratis, adeóq; & meâ gratiâ excidatis, & nullam apud eos obtineatis, & omnium jacturam faciatis, jam nec mihi grati eritis, nec illis accepti, sed his exosi & mihi invisi. Itaque & receperunt mercedem suam abalienatione hominum mulctati, quorum plausum, favoremque expetebant, & abstulerunt mercedem suam, dum se ipsos destituerunt benevolentiâ DEI, quam sibi demereri potuissent, nisi plausus humani aucupes stulti esse voluissent.

XVII. Ibat Christus excitatum à mortuis filiam Jairi Archisynagogi, & non admisit quenquam se sequi, nisi Petrum & Jacobum, & Joannem fratrem Jacobi. Marci 5. 37. Voluit Elias revocare in vitam piæ viduæ, & hospitis suæ filium, eámque ob rem tulit eum de sinu matris ejus, & portavit in cœnaculum, ubi ipse manebat. 3. Reg. 17. 19. Hic jam in foribus occurrit dubitatio, quid causæ sit, quòd Christus totius humilitatis consummatissimus Magister ob oculos quinque testium redanimatæ puellæ miraculum perpetravit, cùm Elias & Eliseus, quando similia prodigia moliebantur, ita lucem defugerunt, támque secretò egerunt, ut ne matres quidem parvulorum, quos resuscitabant, coram adesse voluerint. Ingeniosa quæstio, quam authori suo Abulensi discutiendam relinquo. Is in cap. 9. Matthæi sic respondet: Dicendum, quòd hoc fuit, quia illi non suscitabant mortuos, ad aliquid probandum, sed solùm ad bene faciendum, ideò testibus non egebant; Christus autē miracula faciebat, principaliter ad ostendēdam virtutem suam, ut sciretur, quòd erat Messias, & quòd erat DEUS, ideò indigebat testibus miraculorum suorum: Hinc accipimus, valdè occultandum esse opus bonum, cùm solùm ad benefaciendum dirigitur, ne quod à publico (quod proclive) damnum accipiat, & de vani plausus ambitione tentetur, qui illud fecit. *Idem Dom. 3. post Epiphan. P. 4.*

XVIII. Theophilactus ait, pluvias, quæ noctu decidunt, majorem plantis adferre utilitatem, & fertilitatem, quàm quæ interdiu descendunt, hócque eam ob causam, quòd per absentem tunc solem delapso humore diutius frui possint. Verba Theophilacti ex l. 3. de caus. plantarum c. 17. sic habent; Nocturni imbres præstant diurnis, fit enim, ut plantæ humore potiri ampliùs valeant, cùm Sol non protinùs illum consumat. Subdit autem statim magnus agriculturæ magister: Et tutiùs quoque sic agi, nullum dubium est. Si ad spiritualem agriculturam ha- *Ibidem.*

hæc transferas, multò veriora reperies. Ut pluvia terram fertilem reddit, sic animam bona opera fæcundant, sed uberiorem tamen faciunt eam, si nocte irrorent, si lucis opera in tenebris fiant, si non in forum ad ostentationem proferantur; & tutiùs sic agi, nullum dubium est, quòd extra periculum sunt, quæ extra conspectum hominum aguntur; experientiam huc adsciscoteſtem, & adstipulatricem.

Ibidem. XIX. S. Athanasius q. 34. in Scriptur. sciscitatur: quare cum discipulis suis post resurrectionem suam Christus edere voluit, nec alia pars est inventa, quàm assi piscis, & de apiario favo? quod de favo respondet, huc facit, & sic habet: favum habuit propter signaculum, quo per Baptismum omnes fideles signavit; etenim thesaurus mellis, quantò magis munitus est à favo, tantò est tutior; Consimili modo & gratiæ divinæ tantò sunt tutiores divitiæ, in homine, subaudi, quantò magis intra conscientiam, velut alvearium quoddam absconsæ; ut ergo favi tenacitate liquidum mel cohibetur, ne ex apiario in publicum profluens inimicarum Bestiarum voracitati exponatur: sic curare debemus, ut opera nostra bona occultemus, & arcæ solitudinis, ac recessûs includamus, & humilitatis custodia ab infestis oculis defendamus, ut clavis adulterina vanæ gloriæ, quantumvis secretum nostrum aperire, & deoperire opera ea velit, non valeat.

Idem s. 1. in die Cin. p. 5. XX. Novum penè accidit S. Bernardo, quòd nocte Christus nasci voluit, cujus natalis tam vehementer omnium sæculorum votis expetebatur, quàm erat saluti eorum, & remedio necessarius: Nonne satius fuisset, orbis lucem in media urbe Hierosolymorum luce mediâ exoriri, ut omnes tam immensæ misericordiæ opus agnoscere, & plurimis verbis magnopere prædicare possent, quàm quòd Christus se intra stabuli latebras retrusit, & obscuræ noctis tenebris involvit, talique velut pallio contexit, ut nemini esset conspicuus? quid ergo nobis liber Sapientiæ. c. 18. dicit? *cum quietum silentium contineret omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet, Omnipotens sermo tuus de cœlo à regalibus sedibus prosilivit?* Quis Rex ditionum suarum possessionem aditurus, non maximos, & magnificentissimos apparatus instruit, ut gloriæ suæ ac potentiæ ostentationem faciat? quorsum ergo Christus Regum Supremus tam silenter, humiliterque in Mundum advenit? S. Bernardo tam persuasum erat id ob unam maximè vanæ gloriæ cupiditatem damnandam factum, ut indignabundo similis exclamârit: Jam verò nocte voluit nasci, ubi ergo sunt, qui tam impudenter gestiunt ostentare semetipsos? Ita ille serm. 3. de Nativit. tanquàm putârit, post tam luculentum submissionis exemplum neminem posse vanæ laudis ambitu oblectari, nisi qui verecundiæ fines semel totus longè transierit. Itaque quo primùm pede Christus terram pressit, eodem formam expressit, quam in vani plausûs contemptione imitari debeamus, tenebrásque nobis ostendit, quas petere debeamus, cùm lucis opera facere instituimus.

XXI. Sed quàm divinæ nos sui imitatione ad eandem humilitatis virtutem, & vani plausûs contemptionem erudiit, cùm Sacramentum, sub quo nobis semper corporaliter, quanquam invisibiliter, præsens adesset, instituit! Hoc opus relicti Corporis & Sanguinis sui in alimoniam nostram, in cibum & potum nostrum, tam est admirabile, ut sit omnium prodigiorum DEI quædam summa & compendium, quod his verbis prædixisse, & prædicâsse S. David videtur, cum ait: *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors, & miserator Dominus, escam dedit timentibus se.* Psalm. 110. v. 45. fortè an in hoc tanto opere, quo thesaurorum suorum infinitas copias, & ardentissimæ charitatis incendia ostentat, oblitus fuit nos docere, quomodo nostra opera bona obtegere, & virtutes dissimulare debeamus. Minimè omnium, imò in hoc uno mysterio plusquam in alio quopiam, hujus rei præceptiones, ac modos pulcherrimos tradit Angelicus Doctor S. Thomas, opusculi 57. c. 8. ait, in hoc divinissimo Sacramento patescere veritatem Vaticinij Isaiæ, qui c. 45 v. 15. DEUM Eucharisticis speciebus tectum appellans dicit: *Verè tu es DEUS absconditus*, sive, *DEUS absconsionum*, (ut alij vertunt) *DEUS Israël Salvator.* Absconsionum autem plurium DEUS dicitur, quia non unam tantùm rem in Eucharistia abscondit, sed plures, scilicet personam suam, opus, & modum, inquit Angelicus Ecclesiæ Doctor, latent omnia in hoc Sacramento, divinitas, humanitas, corpus, anima, modus adeò, quo hæc ipsa ibi latent. Quorsum istud? Reponit Doctor gloriosus: In his discimus, in nobis quoque tria virtuosè abscondi, nostram personam, opera nostra bona, & bonorum operum intentionem. Sub ipso Sacramento absconditus DEUS noster abscondere nostra docet, ut, velut ille albo specierum Sacramentalium pallio circumtegit personam, opus, & modum, ita nos quoque abdamus, non solum, quæ bona facimus, sed consilium etiam, quo illa facimus, ut simus ipsi nobis quædam Sacramenta, dum secreta servamus, velóque modestiæ, & larvâ humilitatis celamus, si quid ex virtute agimus. *Ibidem.*

TITU-

TITULUS LXXV.

VERBUM DEI.

§. I.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

Hebr. c. 4. v. 12. I.  St, prout hic accipitur, *sermo DEI per homines promulgatus*; de quo S. Paulus dixit: *vivus est sermo DEI, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti.*

Divisio.

S. Bernar. s. in Dom. 4. post Pent. II. Præter eas divisiones, quæ in Bibliotheca Manuali sunt assignatæ, S. Bernardus aliam quandam accidentalem assignat, dicens: Arbitror, non incongruè quinque lapidibus istis, quinquepartitum verbum intelligi, scilicet comminationis, promissionis, dilectionis, imitationis, & orationis. Horum quippe verborum latè patens copia in divinarum reperitur serie scripturarum; & fortè ipsa sunt quinque verba, quorum meminit Paulus, malens quinque verba loqui in sensu, quàm decem millia in lingua, &c. Jam verò collectos istos lapides, contra superbiæ spiritus dimicaturus David in vase memoriæ suæ reponat, considerans, quanta nobis comminetur DEUS, quanta promittat, quantam nobis exhibeat charitatem, & quam multa nobis sanctitatis exempla proponat, quemadmodum denique orationum nobis ubique commendet instantiam.

§. II.

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas.

Io. c. 6. v. 64. I. VErba, quæ ego locutus sum vobis, Spiritus & vita sunt.

Io. c. 8. v. 47. II. Qui ex DEO est, verba DEI audit: propterea vos non auditis, quia ex DEO non estis.

Ps. 118. v. 140. III. Ignitum eloquium tuum vehementer, & servus tuus dilexit illud.

Necessitas.

Isaia c. 1. v. 9. IV. Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, & quasi Gomorrha similes essemus. Audite Verbum Domini, Principes Sodomorum, percipite auribus legem DEI nostri. Quò mihi multitudinem victimarum vestrarum?

Utilitas.

V. Verba, quæ dedisti mihi, dedi eis, & ipsi acceperunt, & cognoverunt verè, quia à te exivi. Io. c. 17. v. 8.

VI. Sciant Filij tui, quos dilexisti, Domine, quoniam non nativitatis fructus pascunt homines, sed sermo tuus hos, qui in te crediderint, conservat. Sapient. 16. v. 26.

VII. Suscipite insitum verbum, quod potest salvare animas vestras. Iac. 1. v. 21.

VIII. Beati, qui audiunt Verbum DEI, & custodiunt illud. Luc. c. 11. v. 28.

IX. Declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat parvulis. Ps. 118. v. 130.

X. Lucerna pedibus meis, verbum tuum, & lumen semitis meis. Ib. v. 105.

XI. Verbum meum, quod egredietur de ore meo, non revertetur ad me vacuum, sed faciet, quæcunque volui, & prosperabitur in his, ad quæ misi illud. Isai. c. 55. v. 11.

XII. Sustinuit anima mea in verbo ejus. Ps. 129. v. 5.

XIII. In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi. Ps. 118. v. 11.

XIV. Tuus, Domine, sermo sanat omnia. Sap. c. 16. v. 12.

XV. Nunquid non verba mea sunt quasi ignis dicit Dominus, & quasi malleus conterens petram? Ierem. 23. v. 29.

XVI. Factus est sermo DEI, quasi ignis exæstuans in corde meo. Idem c. 20. v. 9.

XVII. Assumite gladium Spiritûs, quod est Verbum DEI. Eph. c. 6. v. 17.

XVIII. Dominus dabit Verbum Evangelizantibus virtute multa. Ps. 67. v. 12.

XIX. Oves meæ vocem meam audiunt, & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum. Io. c. 10. v. 27.

XX. Amen, amen dico vobis, qui verbum meum audit, habet vitam æternam. Id. c. 5. v. 24.

Jucunditas.

XXI. Inventi sunt sermones tui, & comedi eos, & factum est mihi verbum tuum in gaudium, & in lætitiam cordis mei. Ierem. c. 15. v. 16.

XXII. In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus divitijs. Ps. 118. v. 14.

XXIII. Beatus, quem tu erudieris, Domine, & de lege tua docueris eum. Ps. 93. v. 12.

Damnum neglecti Verbi DEI.

XXIV. Cor fatui quasi vas confractum, & omnem sapientiam non tenebit. Verbum sapiens quodcunque audierit scius, laudabit, & ad se adjiciet. Eccli. c. 21. v. 17.

Ier. c. 26. v. 6. XXV. Hæc dicit Dominus, si non audieritis me, ut ambuletis in lege mea, quâ dedi vobis, ut audiatis sermones servorum meorum Prophetarum, quos ego misi ad vos, & non audistis, dabo domum istam sicut Silo, & urbem hanc in maledictionem cunctis gentibus terræ.

Ib. c. 6. v. 10. XXVI. Cui loquar? & quem contestabor ut audiat? Ecce incircumcisæ aures eorum, & audire non possunt; Ecce verbum Domini factum est eis in opprobrium, & non suscipient illud.

Io. c. 12. v. 48. XXVII. Qui spernit me, & non accipit verba mea, habet, qui judicet eum; sermo quem locutus sum, ille judicabit eum.

Hebr. c. 2. v. 1. XXVIII. Propterea abundantiùs oportet observare nos ea, quæ audivimus, ne fortè pereffluamus: si enim qui per Angelos dictus est sermo, factus est firmus, & omnis prævaricatio, & inobedientia accepit justam mercedis retributionem, quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem?

Matt. c. 7. v. 26. XXIX. Omnis, qui audit verba mea, & non facit ea, similis erit viro stulto, qui ædificavit domum suam super arenam.

§. III.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Qualitas.

Bellov. l. 3. p. 1. disc. 30. spec. I. A Quocunque proferatur verbum DEI, non est attendendum à quo proficiscatur verbum, sed cujus sit verbum, quia Matth. 10. dicitur: *Non vos estis, qui loquimini sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.*

Necessitas.

S. Aug. in ps. 36. II. Tentavimus consolari eum de verbo DEI, sed ille non erat de sapientibus formicis, quæ sibi æstate collegerunt, unde hyeme vivant; cùm enim res sunt tranquillæ, tunc homo sibi debet colligere verbum DEI, & recondere in imis cordis sui, quemadmoformica abscondit in cavernosis penetralibus labores æstatis; per æstatem enim vacat hoc agere; venit autem hyems, id est, intervenit tribulatio, & nisi intus invenerit, quod edat, necesse est, ut fame dispereat, iste enim sibi non collegerat verbum DEI.

S. Bernardin. to. 2. s. 30. a. 1. c. 2. III. Quid est fides, nisi humanæ intelligentiæ lumen? Et unde in hoc lumine illuminantur Christiani, nisi per verbum DEI? Ideo dicitur ad Rom. 10. *Fides ex auditu, auditus autem per verbum DEI*: Ergo si deficeret verbum DEI in mundo, deficeret fides Christi, & omne lumen necessariæ veritatis.

S. Chrysost. to. 1. h. 47. IV. Apud nos homo est, non is tantùm, qui pane vescitur, sed qui priusquàm de ullo cibo, divinis, ac spiritualibus eloquiis perfruitur. Hoc autem hominem esse, disce ex his, quæ Christus effatus est: *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore DEI.* Itaque duplex vitæ nostræ est alimentum, unum deterius, alterum verò præstantius, & hoc præcipuè capessendum est, ut & animam alere possimus, neque fame illam torqueri sinamus.

Æquitas.

V. Vellem scire, si ab illa hora, quâ verbum DEI prædicari cœperit, semper pretiosissimas gemmas, & inaures, vel annulos aureos erogare volemus, utrum stare, vel accipere vellent filiæ nostræ? sine ulla dubitatione, cum grandi ambitione, quæ illi offeruntur, acciperent. Nos verò, quia ornamenta corporalia offerre nec possumus, nec volumus, ideo non libenter audimur; sed non est justum, ut spiritualia ministrantes superflui judicemur. Qui enim verbum DEI libenter audit, inaures aureas, de patria Paradisi transmissas se suscepisse non dubitet. *S. Aug. to. 10. ho. 26.*

VI. Interrogo vos fratres, vel sorores, dicite mihi: Quid vobis plùs esse videtur, Corpus Christi? an verbum Christi? Si verum vultis respondere, hoc dicere debetis, quòd non sit minùs verbum DEI, quàm Corpus Christi: Et ideo quantâ sollicitudine observamus, quando nobis Corpus Christi ministratur, ut nil ex ipso è manibus nostris in terram cadat; tantâ sollicitudine observemus, ne Verbum DEI. quod nobis erogatur, dum aliud aut cogitamus, aut loquimur, de puro corde depereat; quia non minùs reus erit, qui verbum DEI negligenter audierit, quàm ille, qui Corpus Christi suâ negligentiâ in terram cadere permiserit. *S. Bernardin. l. cit.*

Utilitas.

VII. Est Ecclesia DEI mercatus quidam spiritualis, medicorùmque officina animabus; & par est, ut, sicut qui ad nundinas veniunt, indè multis mercibus conquisitis redeamus; vel quasi è Medici domo, receptis, quæ animabus nostris congruunt, medicamentis exeamus. *S. Chrysost. ho. 32. in Genes.*

VIII. Vide, quàm congruè dicitur Verbum DEI, semen: sicut enim in terra semen seminatum, germinat, & crescit: Primò enim, ut dicitur Marc. 4. facit herbam, & deinde spicam, deinde plenum frumentum in spica: sic verbum DEI seminatum in corde peccatoris, primò facit herbam contritionis, secundò spicam confessionis, quæ se in altum erigit per spem remissionis. Tertiò plenum frumentum satisfactionis, de quo Psal. 64. valles, id est, humiles pœnitentes, abundabunt frumento satisfactionis, ut pœna respondeat culpæ. *S. Anton. Paduan. in sexag.*

IX. Verbum, quando est prædicatum dignè *S. Vinc. Fer. s. 4. in*

D. Th. 3. p. 9. 8. Pag. 6. — gnè, & auditum devotè, illuminat auditores in cognitione spiritualium; quia illa, quæ sunt fidei, per aures habent intrare in corde, non per oculos, nec aliter. Ita sunt alta & transcendentia illa quæ fidei sunt, quòd non possunt intrare in corde, nisi per aures, v. g. vos creditis, quòd quando homo moritur, & anima separatur à corpore, quòd vivit, & vadit in Paradisum, si fuit bonæ vitæ; vel in purgatorium; vel, si fuit impœnitens; in infernum: ista veritas non intrat in corde vestro per oculos, quia non potestis videre animam, quando recedit à corpore, quantumcunque aspiciatis: sed ista veritas intrabit per aures, quia ita dicit Apostolus: *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi.*

S. Bern. Vol. 1. in feria. — X. Innumeras utilitates facit Verbum DEI in anima, ut ait Bernardus, nam frænat eam à peccatis, vivificat, illuminat, inflammat, mundat, pascit, confirmat, sanat, fœcundat, emollit, & totius boni capacem facit: Etenim Verbum DEI est frænum, vita, lux, ignis, cibus, medicina, virtus, & purificatio cordium.

S. Ambros. in ps. 42. — XI. Ibi bonum Consilium, ubi bonum est DEI Verbum. Misit DEUS Verbum suum, ut sanaret hominem, non ut perderet. Hoc verbum medicina est.

S. Bernardinus to. 2. s. 9. in Dom. 1. Quadr. — XII. Sæpe ad auditum ejus mollitur, & cedit illa otiosa duritia cordis, in qua homo non sentit se, nec alium veretur; Pietate non flectitur, nec precibus removetur, exemplis non inducitur, minis non terretur, beneficiis induratur, non eruditur flagellis, frontosus ad turpia, pronus ad illicita, subdi nescius, nisi cùm resistere non potest. Et in omnibus exemplum sit tibi Pharao cordis duri: sancta est enim violentia, & virtus Verbi DEI, ut non sit cor petrinum, & durum, quod sentiens vires illius non confringatur, & emollescat: Unde Jerem. 23. *Verba mea sunt quasi ignis ardens, dicit Dominus, & quasi malleus conterens petras.* In vitis Patrum, ait Joannes Abbas: Quid durius lapide? quid mollius aquâ? Et tamen,

Gutta cavat lapidem, non vi, sed sæpe cadendo:

Sic verbum DEI cor durum aperit ad timorem, & amorem DEI. Unde Psal. 17. 9. *Ignis à facie ejus exarsit*, id est, ardens à notitia Verbi DEI descendit: carbones, id est, homines in peccatis excæcati, succensi sunt ab eo.

Jucunditas.

S. August. s. 91. de temp. — XIII. Nunc festinemus cœleste Manna suscipere; istud enim Manna, prout vult quisque, talem saporem sapit: Audi enim & Dominum dicentem his, qui accedunt ad se: *Fiat tibi secundùm fidem tuam.* Et tu ergo si Verbum DEI, quod in Ecclesia prædicatur, totâ fide, & totâ devotione suscipias, fiet tibi ipsum verbum, quodcunque desideras, v. g. si tribularis, consolatur te, dicens: *Cor contritum & humiliatum DEUS non despicies.* Si lætaris prosperè, cumulat tibi gaudium dicens: *Lætamini in Domino, & exultate justi.* Si iracundiæ es, mitigat te, dicens: *Dominus sanat omnes languores tuos.* Si paupertate consumeris, consolatur te, dicens: *Dominus suscitat de terra inopem, & de stercore erigit pauperem.* Sic ergo Manna Verbi DEI reddit in ore tuo saporem, quemcunque volueris.

S. Bernard. s. 10. in Cant. Dom. — XIV. Verba DEI sunt pascua vitæ, refectio animæ, dulcedinis pocula, dilectorum Christi lætificantia corda, chariora diligentibus Christum super aurum & lapidem pretiosum multùm, & dulciora super mel & favum.

Audiendum.

Ibidem s. 1. in fest. SS. Petri & Pauli. — XV. Unum timeo, ne toties audita verba salutis, vilescere nobis incipiant, tanquam verba. Vilis siquidem & volatilis res, verbum hominis, nullius molis, nullius ponderis, nullius pretii, nullius soliditatis. Aërem verberat, unde & verbum dicitur; & sicut folium quod vento rapitur, efflat, & non est, qui consideret. Nemo vestrûm, fratres, decipiat, nemo sic despiciat Verbum DEI: Dico enim vobis, bonum illi fuisset, si non audisset homo ille. Fructus vitæ sunt verba illa, non folia, & si folia, sed aurea sunt. Proinde non parvipendantur, non pertranseant, non prætervolent. Ipsa quoque *collige fragmenta, ut pereant.* Terra enim, quæ sæpe supervenientem susceperit imbrem, si non fecerit fructum, terra reproba est, proxima maledicto.

S. Gregor. l. 18. mor. c. 10. — XVI. In sinu cordis abscondimus, quando mandata illius non transitoriè, sed implendo opere audimus. Hinc est, quod de ipsa Matre Virgine scriptum est: *MARIA autem conservabat omnia verba hæc conferens in corde suo.*

§. IV.

EXEMPLA SACRA.

Verbum DEI æstimatum.

In Rho. l. 1. n. 3. ch. 31 — I. JOannes Franciscus Bithatus, Ordinis Minimorum, dies, noctésque de DEO sermonem continuare didicerat, modò, qui audire vellent, non deessent; nec dicenti ulla oboriebatur lassitudo, quin ab aliis operibus defessus his colloquiis vires sibi maximè instaurari sentiebat. Fuit quum de Petri lapsu disputans, tantâ diceret incitatione animi, corporisque, ut illius vim hoc non assequens, facto quasi vitæ devotio sine sensu concideret; ubi verò sibi redditus fari potuit, lenissimâ voce, vultûsque in modestiæ argumentum composito: Mi DEUS, inquit, ego altiùs, quàm possum, volui evolare.

II.

Digitized by Google

Ib. ex 4. II. S. Philippo Nerio, ore suavissimo de DEO loqui datum est, tantâ dexteritate, atque efficaciâ, ut & familiarissimè congrederetur, & vehementissimè flexanimâ illa suavi loquentiâ hominibus animos immutaret. Disseruit ille inter initia novæ disciplinæ è suggestu, utebatúrque submisso atque pedestri dicendi genere, cujusmodi à suis voluit usurpari; verùm quùm impetu amoris in DEUM ageretur, abstinendum censuit à publico, domesticisque collocutionibus agendum. Itaque frequentabatur ejus cubiculum à summis civibus, atque Principibus. Hos solitâ exceptos hilaritate, jactisque sacræ confabulationis seminibus, jucundissimè detinebat, quos divinis plenos cogitationibus à se dimittens messem ipse colligebat amplissimam.

Ibid. ex. 2. seq. III. Petrus Faber è Societate JESU, cùm eum latera infirmiora & crebræ valetudines à suggestu arcerent, ubicunque tamen pedem poneret; in Italia, Germania, Hispania, Lusitania, frequentissimo celebrabatur concursu hominum, quos suavissimâ de rebus ad animæ salutem spectantibus confabulatione sæpiùs æger, ac decumbens detinebat, atque arcana divinæ, interiorisque sapientiæ edocebat. Itaque illius diversoria erant admirabilium sermonum officinæ, quibus libenter inscriberes vetus illud Antiphonis: Hîc mœrentibus consolatio adhibetur.

Surius vitæ c. 29. IV. In vita S. Antonii de Padua refert Surius, dum prædicante hoc servo DEI, nobilis quædam matrona compungeretur in corde, ingentémque spiritûs conciperet fervorem, Dæmon, ut hunc verbi DEI effectum in ipsa impediret, speciem cursoris cujusdam assumpsit, eique filium ejus ab inimicis in servitutem abductum, & occisum esse annunciavit. Sanctus autem vir DEI, fraude dæmonis conspectâ in præsentia totius populi matronam his verbis affabatur: Ne timeas, Domina, filius tuus, & vivit, & rectè valet; cursor autem iste diabolus est, ad quas voces instar fumi, cursor evanuit.

Euseb l. 4. c. 33. V. Constantinus Magnus integris horis Verbum DEI, stans in pedes erectus, summâ cum veneratione audiebat; qui cùm ab Episcopo sedere jussus esset, respondit: Nefas videri, institutis de DEO disputationibus aures præbere negligentes; Quin etiam ipsúmmet Imperatorem, si qua inter dicendum incidisset occasio, loquendi de Theologia, assurrexisse, eóque habitu tamdiu constituisse vultu contracto, & depressâ voce, atque tanta prudentiâ, & moderatione, ut præsentium animos cælesti disciplinâ initiare, ac devovere videretur.

Sur. c. 25. VI. Surius in vita S. Antonii de Padua refert, quòd cùm devota quædam mulier avida esset Apostolicum hunc virum prædicantem audiendi, nec tamen maritus infirmus dimittere eam vellet, ut foris extra civitatem in campo quodam spatioso ipsum prædicantem audire posset, ascendit in solarium domûs suæ, & ex fenestra locum concioni destinatum cupida respexit, ut vel sic nonnihil suo desiderio satisfaceret. Accidit tum res admiratione digna; dum enim ad duo milliaria abesset locus ille, vocem viri DEI prædicantis audivit. Cujus suavitate delectata, hæsit diutius ad fenestram, quàm vir ejus ferre posset, qui etiam eo nomine objurgavit eam: sed illa respondit, se Patrem Antonium audire concionantem, qúod ille audiens, irrisit eam, delirare eam existimans. Illâ contra asserente se optimè audire eum, ascendit vir ad fenestram eandem, & etiam ipse viri DEI vocem meritis fidelis conjugis percepit, atque ab eo die nunquam ab illius concione abesse voluerunt.

VII. In vita B. Joannis Columbini legitur, quòd ultimo vesperi dierum Bacchanalium in hospitali civitatis Aretinæ in mensa cum multis aliis constitutus, tanto cum Spiritu & energia de DEO ratiocinari cœperit, ut discursum suum per totam noctem sine ullius fastidio, vel nausea continuârit, adeò ut illucescente diluculo sine ullo cibo sumpto ad Ecclesiam pro accipiendis sacris cineribus properârint. *Mansi disc. 3. n. 6.*

VIII. Simile factum in vita S. Claræ virginis legitur; cùm enim sæpius sanctum Franciscum, cujus spiritualis filia erat, instanter rogâsset, ut solidam refectionem unà secum die quadam sibi collibitâ sumere dignaretur; vir autem Seraphicus hanc ejus petitionem multo tempore dissimulâsset, tandem die quadam conventum est inter utrumque, ut ad Ecclesiam B. Mariæ Angelorum simul se conferrent, ubi cùm frugalis mensa præparata fuisset, jámque prandere cœpissent, Seraphicus Pater de rebus divinis tanta cum suavitate spiritûs discurrere cœpit, ut relicto penitus cibo, omnes in ecstasim evecti fuerint. *Ibid.*

Utilitas.

IX. S. Ludovicus seu Aloysius Bertrandus Ord. Prædic. fabulabatur cum Joanne Alarconio, sodali suo, de rebus divinis, & qui hominis, cùm in eos ingrederetur sermones, mos erat, ardenti animo, atque ore disserebat. Detinuit ea species hominem adolescentem, qui acceptam injuriam, fuste sub pallio armatus, ultum ibat. Enim verò concepit è propinquo divini amoris ignem, quo irarum flammæ consederunt. Itaque propiùs accedens: Sospitet te DEUS, mi Pater, inquit, prohibuisti à me hoc tuo sermone scelus, paratámque misero pestem avertisti. *Io. Rho. l. 1. c. 8. ex. 1.*

X. In miraculis B. Andreæ legitur, cùm B. Andreas convertisset concubinam cujusdam Præpositi in prædicatione sua, dedit ei Evangelium, ut illud portaret, & ut ejus memoriâ, & virtute ipsius, à peccato sibi caveret: uxor autem prædicti Præpositi adhuc habens eam suspectam, fecit eam capi, & ad lupanar trahi, & lenonibus tradi, ut ab eis ludificaretur, & cùm accedebant ad eam, perdebant vires suas. Cùm autem vestem ejus scinderet unus ex eis, & eâ de- *Bellov. l. 9. p. 1. diss. 10.*

de sinu ejus cadente, vellet vim ei inferre, illâ clamante ad Dominum, leno suffocatur; & angelus apparuit ei confortans eam, & liberans; si hæc in arido, quid in viridi?

Vit. PP. l. 5. libell. 10. n. 92. XI. In Vitis Patrum legitur, quòd Frater interrogavit senem dicens: Ecce ego rogo seniores, & dicunt mihi de salute animæ meæ, & nihil retineo de verbis eorum; quid autem rogo eos, nihil proficiens? Totus enim sum in immunditia. Erant autem duo vasa vacua, & dixit ei senex: vade, & affer unum de vasis istis, & mitte in eo oleum, & accende intus stuppam, & refunde oleum, & pone in locum suum: & fecit sic; Et dixit ei: Fac iterum sic, & cùm fecisset hoc sæpius, dixit ei senex: Affer modò utraque vasa, & vide, quod eorum mundius sit, & respondit: Illud, ubi oleum misi; cui respondet senex: sic est & anima de his, quæ interrogat, quamvis nihil retineat eorum, quæ audit, tamen plùs ipsa mundabitur, quàm illa, quæ non interrogat quidquam.

S. Vincent. s. 4. in Dom. 3. XII. S. Vincentius Ferrerius similem casum refert de quodam, qui sanctum quendam Eremitam conveniens, ut audiret verbum DEI, contristabatur, quòd nihil memoriæ ipsius adhæresceret eorum, quæ audiebat, sed confestim cunctorum oblivisceretur. Tunc sanctus homo volens illi ostendere ad oculum effectum verbi DEI, in purificando à culpis & maculis peccatorum, misit eum ad fontem cum una cistella foraminibus plena & immunda, ut portaret sibi aquam in cistella. Ille autem nolens sancto homini contradicere, ivit, & implevit cistellam, sed quando extrahebat eam de fonte, statim cistella evacuabatur, sed fuit purificata. Qui veniens de fonte, dixit, se aquam non posse portare. Sed Eremita ait: Quando tu ivisti ad fontem, erátne cistella immunda? Respondit, quod sic, & modò est pulchra. Ita pari modo, quando tu ivisti ad sermonem, de quo Eccl. 1. *Fons sapientiæ verbum DEI in excelsis*: cistella immunda, est conscientia & vagabunda, & crapulosa, & quando audis verbum DEI, impletur tota; & licèt memoria nihil retineat, tamen purificatur. Adducítque supradictam ex Joanne authoritatem: *Iam vos mundi estis propter sermonem.*

Surius 18. April. XIII. Surius de S. Eleutherio, à S. Aniceto Papa ad prædicandum misso refert, quòd, cùm multas conversiones infidelium feliciter operatus fuisset, inimicus infernalis, truculentam quandam adversus ipsum Hadriani Imperatoris suscitaverit persecutionem, in qua præfatus Imperator eum ad mortem inferendam quærens, Felicem, exercitus sui ducem, ad eum investigandum dimisit, qui Ecclesiam, in qua S. Eleutherius prædicabat, militibus suis cinxit, ipse verò instar furibundi leonis Ecclesiam ingressus fulmina iræ & furoris sui in eum evibrare constituit; sed quid accidit? Ubi vidit Episcopum suavissimum doctrinæ fluentum profundentem, & ornatissimè pietatem annunciantem ijs, qui cum eo versabantur, mirum in modum admirabatur Christi virtutem, & statim mutatâ sævitiâ (visus est enim habere animum aptum ad suscipiendum semina pietatis) fit ovis pro lupo, & pro persecutore discipulus: Ejus verbis illuminatus, & baptizatus, idololatriæ caligine exuitur.

XIV. Comes quidam lubricus, cùm diu in peccatis vixisset; & semel Ecclesiam intraret, & verbum DEI audiret, illud Ezech. 18. *Quâcunque horâ ingemuerit peccator, &c.* ad se ipsum reversus, imploravit DEI misericordiam, ut sibi sua peccata indulgeret, quia ampliùs ei usque ad mortem servire vellet, & postea mundum deseruit, Religionem intravit, & DEO fideliter servivit, & post mortem ejus, inventum est supra sepulchrum ejus scriptum litteris aureis illud Psalmi: *Immisit DEUS verbum suum, & sanavit eum.* Quis obstinatior & durior reperiri poterat S. Augustino, qui usque ad ætatem triginta trium annorum in luto carnalitatis suæ defixus, tot divinas inspirationes, tot amicorum, & præcipuè sanctissimæ matris suæ saluberrima monita, eum ad resipiscentiam exstimulantia surdis auribus excepit? Ecquisnam verò malleus ille fuit, qui cordis ipsius duritiem contrivit? Sola S. Ambrosij Concio, quam frequenter auscultabat, non ut fructum indè animæ suæ adferret, sed delectationis causâ, ob eximiam ejusdem S. Doctoris eloquentiam exstimulatus ad eam accessit. Cùm cor aperirem, inquit ipsemet Augustinus, ad excipiendum, quàm disertè diceret, pariter & intrabat, quàm verè diceret. Stabat namque attentus, & à verbis S. Ambrosij pendebat, non considerando res, quas dicebat. Imò potiùs illas contemnendo, sed in sola ipsius eloquentia se oblectando; & tamen sermo dicentis ipsum verè convertendi vim habuit. *Mansi dist. 10 n. 0.*

XV. In vita S. Philippi Nerij scribitur, quòd die quadam vocato ad se pœnitenti cuidam suo coram se genuflexo, cui Franciscus Zazara nomen erat, (qui adolescens existens, ut ditior fieret, ac sibi famam in Urbe conciliaret, Jurium Civilium studijs operam dabat, in iisque se perficere satagebat, ut in Curia Romana magnus evaderet) abblandiri vir DEI cœperit, dicendo: O te beatum! nunc studijs incumbis, mox Doctoratûs lauream consequêris: Hinc factus Jure-Consultus vim argenti maximam comparabis, familiam opibus, ac splendore amplificabis, ac tandem quis denegет te ad maximas dignitates evolaturum? O te certè beatum! Tunc magnus factus, me pusillum aspicere dedignaberis. Existimabat Juvenis, hæc seriò à viro sancto proferri, cùm protinus sibi ipsum pectori admovens, sic ejus auribus insusurrat: Et quid tandem? Altè animo vox hæc juvenis animo hæsit, ut domum reversus, id unum secum repeteret: Ego studeo, ut in Mundo promovear, & quid tandem? Quæ cùm defixâ cogitatione perpendisset, nec à mente sua illa deponere posset, statuit deinceps cœlestibus duntaxat divitijs, honoribúsque comparandis incumbere, ac demum Philippo *Vita S. Philippi Ner. l. 2. c. 15. n. 14.*

lippo mortuo nostram Oratorij congregationem ingressus est, in qua maximæ integritatis sacerdos, probis, magnisque viris apprimè charus, & de Congregatione optimè meritus vixit. Qui cùm sibi injunctam Beati Patris inter sanctos referendi causam, summo labore ac studio executus esset, atque à sacra rituum Congregatione approbatum de illo Officium ad libitum recitandum obtinuisset, tandem ab optimo Parente suo, ut piè credi potest, ad meliorem vitam evocatus fuit.

Mansi disc. 13. n. 5. XVI. Josephus Mansi de seipso sequentia narrat. Cùm essem in alma urbe Notarius, mihique pro stipulando instrumento quodam exeundum esset, Solis ardores ingentes (quia æstas erat, fugere volens, per Ecclesiam S. Mariæ de Vallicella eo tempore, quo prædicti sermones habebantur, transiens, curiositate ductus, auscultare volui, quid Pater ille, qui pro tempore sermocinabatur, in medium adduceret; Audivi igitur illum de pœnarum infernalium æternitate disserentem, ac tandem hac æternitate cum voluptatum carnalium brevitate comparatâ, sæpius exclamantem: O æternum, quod nunquam habiturum est finem! Quæ verba cordi & memoriæ meæ adeò tenaciter remanserunt impressa, ut, quotiescunque de lasciva societate, cui innexus eram, cogitabam, semper cordi meo insonari hæc verba viderentur: O æternum! sive scriberem, sive animi causâ per prata obambularem, sive manducarem, sive quidquam aliud facerem, semper hæ voces mihi obversabantur: O æternum! illæque sufficiebant, ut susceptæ cum lasciva illa fœmina conversationi nuntium remitterem, factâque generali Confessione Mundum pedibus meis substernerem, vitámque pœnitentem & Religiosam amplecterer.

Iucunditas.

Bellovac. l. 3. p. 1. dist. 10. XVII. De duobus Fratribus legitur in Vitis Patrum, quòd cùm comparassent refectionem post jejunium, inceperunt loqui de DEO, & usque in crastinum ita loquendo de DEO assiduè perseveraverunt, quòd cibum corporis accipere obliti fuerint.

Bollandus 1 febr. f. 164. XVIII. Bollandus in vita S. Brigidæ virginis refert, quod sequitur: cùm convenirent in unum locum sanctus Pater (de S. Patritio loquitur) & S. Brigida cum suis, Beatus Pontifex Patribus per tres dies, & noctes non cessavit prædicare verbum DEI populo, & nec sol occidit eis, sed omnes putabant esse unam horam, cúmque forinsecus perturbarentur: Dixit illis S. Pontifex: Per quadraginta dies, & noctes ita fuissemus, nisi aliquis indicasset nobis, & nullam lassitudinem, vel esuriem sensissemus.

Damnum spreti verbi DEI.

Surius 19. Ian. XIX. Wolstanus Wigorniensis Episcopus solebat omni die Dominica, sedulâ devotione populo verbum DEI prædicare: Et quidem verisimile est idipsum fecisse, priusquam Episcopus esset, quem Frater quidam increpans, solius asseruit esse Pontificis, prædicare; monacho verò silentium & claustrum competere: cui sanctus respondit, verbum DEI non esse alligatum, nihilque DEO gratius, quàm Christum annunciare, populúmque ab errore viæ suæ revocare, ideòque se non omissurum. Nocte sequente Frater ille ad tribunal ignoti Judicis in visione ductus, & cur servum suum objurgâsset, redargutus, in pavimentum visus est sterni, & cædi: Lacrymæ in maxillis, & livores evidentes in scapulis evigilantis apparuerunt. Vult enim DEUS, ut non desint Ministri, qui verbum suum annuncient; ac proinde væ illis, qui nihil indè proficiunt! quòd si verò nonnunquam Prædicatores ad manum non sint, id sæpe fit, ut minùs castigemur, DEO modicum fructum prævidente, quem indè homines reportaturi essent.

XV. S. Antoninus refert, quòd, cùm quadam vice quidam magnus Prædicator deberet certâ die assignatâ sermonem facere ad populum ipsâ die statutâ infirmatus est graviter; populus autem venit ad Ecclesiam illius Ordinis, cujus erat ille Frater, copiosissimè ad audiendum: Prior autem illius Conventus multùm anxiabatur super tali defectu Prædicationis, & cùm per Conventum discurreret, cogitando, quid agendum esset, ecce subitò venit ad portam quidam notabilis frater illius Ordinis in apparentia, sed diabolus latens in essentia, tanquam hospes, & petit Priorem: Ducitur ad ipsum, & post salutationem consuetam, respicit ille simulatus hospes in faciem Prioris, & dicit: Pater Pijssime, ut perpendo, vos debetis esse amaricatus super aliquo negotio; non miror, hoc enim sæpe solet contingere Prælatis, propter varios casus, sed oportet habere bonam patientiam: *necesse est*, ut dicit Evangelium, *quòd veniant scandala*; compatior vobis; si placeret vobis mihi referare materiam vestræ angustiæ, libenter si possem, in aliquo vellem juvare. Respondit Prior: Revera, verum est, quia multam tristitiam habeo, & causam vobis explano, declarans defectum Prædicationis faciendæ. Tunc ille, scilicet diabolus; Bone Pater, inquit, confidatis in Domino DEO, quia non deficiet vobis: Ego spero in DEO, quòd ipse supplebit per me defectum istum, ita quòd auditores remanebunt consolati; scitis, quia omnia nova placent, & ego satis studui, & habui practicam bonam in arte hac; faciatis, possim intrare librariam, videndo aliquos libros; citò inveniam, quod mihi erit necessarium. Interrogat de aliquibus libris solemnioribus, utpote Summâ sancti Thomæ, cum scriptis, & operibus Alberti Magni, & illis sibi ostensis, revolvit libros hinc indè. Populo innumerabili congregato ascendit Frater Diabolus umbonem. Advenerat autem ad Prædicationem quidam vir sanctus, qui videns ascendere illum pulpitum, & cognoscens diabolum S. Anton. p. 2. tit. 9. c. 11. §. 5.

bolum, obstupuit; Nil tamen alicui dicit, sed expectat finem videre. Cœpit Frater diabolus prædicare de bonis Paradisi, de pœnis Inferni, de peccatis, & miserijs Mundi, propter quæ & illa perduntur, & inferna sequuntur; & cum tantâ efficaciâ, & rationibus, quòd commovit omnes ad lacrymas compunctionis. Finitâ Prædicatione descendenti illi occurrit sanctus vir, & vocans eum ad partem, & contestans ex parte DEI, inquit: O miser, & deceptor hominum, te agnosco, quomodo præsumpsisti tantum officium Christi, & Apostolorum suscipere? etsi specialem causam nesciam, scio tamen, quòd non nisi ex mala intentione egisti. Unde adjuro te per DEUM vivum, ut dicas mihi causam hujus operis. Tunc Frater Diabolus adjuratus, inquit: Tacere non possum causam, propter quam assumpsi, ut vides, speciem Fratris Prædicatoris; causa, ob quam prædicavi, est ista. Ecce audisti, quot & quanta bona dixi de gloria Paradisi, de pœnis inferni, & de peccatis horum populorum; & vidisti, ad quantum luctum permoti sunt. Scio mores eorum, parùm temporis transibit, & obliti verborum omnium, nil facient de his, quæ proposuerant agere, & indè omnia verba audita, erunt eis ad maius judicium: quo dicto, evanuit.

Mansi disc. 26. n. 8. XXI. Rusticus quidam, qui nunquam volebat audire aliquid de DEO, mortuus est; cùm ad Ecclesiam esset delatus, & Sacerdos, & alij Clerici Officium legendo, & cantando circa corpus peragerent, imago Crucifixi cœpit obturare aures suas, manibus à Cruce separatis: quod cum omnes adstantes aspicerent, mirabantur. Tunc Sacerdos ait: scitis, quale signum est hoc? Vos scitis, quòd iste, qui hîc jacet, nunquam voluit audire Verbum DEI, & ideo est modò in manu Diaboli: Idcirco Christus obturavit aures suas, ne audiat preces, quas pro eo fundimus: & cessaverunt omnes orare.

Idem disc. 27. n. 8. XXII. Apud Janum Nicium in libro de virtutibus & vitiis sequens legitur, quod Genuæ circa quosdam Juvenes dissolutionibus suis Prædicatorem sub Concione turbantes, accidit, memorabile exemplum. Hi enim in ædes sacras coibant, eâ præsertim horâ, quâ Concio tota rerum divinarum Interpreti operam dabat, ibíque totâ populi istius offensione concurrerant, impudentissimè mulierum formas contemplari, inter se colloqui, cachinnos tollere, multáque alia facere, quibus ludibrio haberi DEUS videbatur. Concionator nullum privatis admonitionibus relictum esse locum animadvertens, statuit, impiam illorum contumaciam de loco superiori palàm arguere; quod cùm magnâ vi vocis, & contentione animi ageret, ad objurgationes minas addidit, atque inter cætera interminatus esse dicitur, si impii in DEUM esse pergerent, neque mores corrigerent, fore, ut ille Crucis baculo ipsorum nequitiæ obviam iret. Quâ illi oratione vehementer commoti, universi eum adiêre, ac verborum contumeliis antea oneratum monuerunt, ut linguam compesceret; nam si pergeret esse molestus, ac dicere, ipsos Crucis baculo verberandos, fore, ut alius antea illi valido fuste scapulas & brachia dolaret. Quibus vir DEI in præsenti quid responderet, non habuit, verùm rem totam in DEUM rejecit. Neque verò prædictionem suam fefellit eventus: Nam DEUS injuriam sibi factam ultus est probè, siquidem intra anni unius spatium ad unum omnes ferro interempti perierunt.

Idem disc. 40. n. 3. XXIII. Cùm vivente S. Laurentio Justiniano Venetiarum Patriarchâ, Respublica illa propter bella, quæ eidem cum Duce Mediolanensi intercedebant, in gravi perditionis periculo consisteret, Senator quidam Venetus ad quendam sanctissimæ vitæ Eremitam, qui illis temporibus in Corsu morabatur, accessit, ut ab hoc servo DEI, quemnam bellum illud sortiturum esset exitum, intelligeret: qui eidem, juxtà revelationem sibi cælitus factam, respondit, DEUM Venetis graviter esse iratum, eò quòd populus ille Verbum DEI penitus negligeret, jámque dudum civitatem illam in justam injuriæ illius vindictam, in desolationem futuram fuisse redactam, nisi B. Laurentius Justin. eandem efficacissimis suis precibus conservâsset.

§. V.

SIMILITUDINES.

Qualitas.

Origen. ho. 3. in Num. I. Sicut una & eadem species Mannæ, aliis vermes & putredines generabat, aliis verò salubrem cibum conferebat, & vitæ necessarium; ita & nostrum Manna est Verbum DEI, & apud nos sermo DEI aliis efficitur ad salutem, aliis ad pœnam.

Mansi disc. 3. n. 5. II. Sicut Agricola non nisi in tempore congruo, & mente opportuno seminat, propitiásque constellationes observat; ita quoque, qui in animabus fructum producere contendit, similem habere debet providentiam, ut Verbum DEI tempore, loco, & occasionibus opportunis disseminetur. Unde apud Amos dicitur: *Ideo prudens in tempore illo tacebit, quia tempus malum est*, id est, ut Lyranus exponit, cessabit à correctione vestra, videns quòd non esset ad vestram emendationem, sed magis ad peccatorum vestrorum aggravationem.

Ibid. n. 7. III. Sicut semen non subitò fructum suum producit, sed post multos menses; ita quoque nonnunquam accidit prædicationi Verbi DEI, quod non subitò operationem suam exerit, sed suo tempore idipsum faciet.

Didac. stella in Luc. IV. Sicut semen inprimis radices agit, deinde surgit in caulem, postea in arborem, frondibus, ramis, floribus, fructibus ornatam; sic verbum divinum in animo humano hærens, radicibus primùm, deinde virtutibus omnibus coloratum, ramis, floribúsque, virescit

rescit, donec perfectum in gloria sempiterna cultori suo fructum parit. Hoc est, quod Christus dixit: *Regnum DEI intra vos est.* Hæc verba de hoc semine intellexit, quia Verbum DEI producit, & virtualiter continet in se Regnum DEI: Ex Verbo enim DEI oriturFides, & ex Fide Spes, Charitas, cæteræ virtutes, & opera bona, quibus regnum cœlorum debetur.

Mansi l. c. n. 9. V. Sicut semen tunc in securo est positum, deque ipso sperare licet, quòd radices & germina producturum sit, quando est terrâ coopertum; semen enim nudum & publicè patens, à volucribus facilè devorari potest. Eodem modo sperare licet, quòd Verbum DEI tunc præcipuè fructus in nobis sit producturum, si illud in corde nostro reposuerimus.

Ibid. n. 10. VI. Sicut semen copiosiorem est allaturum fructum, si terra à spinis, herbis perniciosis, lapidibus, tribulis, aliisque similibus rebus noxiis fuerit repurgata; Eodem quoque modo Verbum DEI majorem in anima pura, & mundo corde profectum faciet, quàm in corde quodam multis inordinatis affectibus coinquinato: Ac proinde Jeremias Propheta ait: *Novate vobis novale, & nolite serere super spinas.*

Dionys. Carthus. in c. 3. Joan. VII. Sicut unusquisque libenter audit loqui de re, quam diligit; ita, qui diligit DEUM, & vitam beatam, DEI verba libenter audit, & affectuosè conservat; & in hoc salus nostra consistit. Debemus ergo verba sacra cum magna attentione, intimâ affectione, humili reverentiâ legere, audire, proferre, tanquam epistolas nobis divinitus missas. Beda aliam habet considerationem, quæ etiam in aliis legitur; dicit enim: Interroget se unusquisque, si verba DEI in aure cordis percipit, & intelliget, unde sit. Cælestem Patriam desiderare Veritas jubet, carnis desideria conterere, Mundi gloriã declinare, aliena non rapere, propria largiri. Penset ergo apud se unusquisque vestrûm, si hæc vox DEI in cordis ejus aure convaluit, & quia jam ex DEO sit, agnoscet.

Author. oper. imperf. hom. 41. VIII. Sicut cibus non prodest, nisi cùm fuerit masticatus, & in stomachum descenderit; sic non proficit ad salutem verbum, nisi cùm fuerit intellectui & memoriæ traditum: Nam sicut cibus nihil prodest, si manducaverimus, & iterum evomimus eum de stomacho; sic nihil in nobis prodest verbum, quod audimus, si obliviscimur illud; cibus, qui in stomacho stat, ille confortat; & sermo, qui in memoria manet, ille salvat.

Necessitas.

S. Ambr. l. 7. in Luc. IX. Sicut luce semper indigemus In tenebris noctis, & multò magis in die: Ideo nocturno tempore accendimus lucernam; de die verò sol suum nobis lumen copiosè ministrat. Eodem modo Verbum DEI lucerna appellatur, quia lumen nobis præfert, ne offendamus in gressibus nostris: *Lucerna pedibus meis verbum tuum*, inquit David. Et S. Ambrosius ait: Nobis lucerna ejus luceat, ne possimus errare: & lucerna verbum est, sicut verum lumen est Verbum, quod totum illuminat Mundum.

X. Sicut, juxta Philosophos, omnes morerentur, si unâ die cessaret sol facere cursum suum, qui habet splendorem, calorem, & vigorem; ita si Verbum DEI non prædicaretur, & non communicaretur animabus, ut possent incitari, & illuminari splendore veritatis, & calefieri in ardore illius, omnes spiritualiter morerentur. *S. Bernardinus to. 4. serm. 5. in Dom. 1. Quadr.*

XI. Sicut corpus sine alimento subsistere nequit; ita nec anima vivere potest sine Verbo DEI; Elias bis pastus exprimit nostræ naturæ infirmitatem, quibus non sufficit simplex pastus, sed duplex, quatenus ad superna valeamus ascendere; sicut enim corpus sine alimento corporali subsistere nequit, ita nec anima vivere potest sine Verbo DEI. *Glossa in 3. Reg. c. 19.*

XII. Sicut tempore messium, vel vindemiarum, unde caro nostra possit sustentari, colligitur; ita in diebus Quadragesimæ, quasi in spirituali vindemiarum, vel messium tempore, unde anima nostra in æternum possit vivere, congregetur; quia sicut negligens quisque, si opportuno tempore nihil collegerit, per totum anni spatium fame torquebitur; ita qui hoc tempore spirituale triticum, & cœleste mustum in horreis animæ suæ providere neglexerit, in æternum durissimam sitim, & crudelem inopiam sustinebit. Certissimè scitote, Fratres, quia qualis est caro, quæ post multos dies percipit cibum, talis est anima, quæ assiduè non pascitur Verbo DEI: Et quomodo caro per famem & inopiam tenuis & sicca, velut quoddam simulachrum efficitur, ita & anima, si Verbi DEI cibo non pascitur, arida & inutilis, & ad nullum opus bonum congrua invenitur. *S. Augustin. serm. 16. de temp.*

XIII. Sicut caro pascitur cibo; sic reficitur anima DEI verbo, ut totus homo, id est, & exterior & interior, de sancto & salubri convivio satiatus exurgat. Nam si sola caro reficitur, & anima DEI verbo non pascitur, ancilla satiatur, & domina fame torquetur. *Idem l. c.*

Utilitas.

XIV. Sicut solis natura est, eis, qui in hoc mundo sunt, ordinante DEO corporaliter dare vitam, illam conservare, insuper & augmentare; sic etiam Verbum DEI in anima hæc tria spiritualiter operatur. *S. Bernardin. ser. 9. in Dom. 1. Quadr.*

XV. Sicut Verbum DEI æternum est pabulum Angelorum in cœlo; ita Verbum DEI est pabulum sanctarum animarum in terra; unde Christus dixit Diabolo, qui jejunus erat ab hoc cibo: *non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo &c.* hoc cibo Magdalena reficiebatur ad pedes Domini, audiens verba oris ejus, ut oblivioni traderet cibum ventris. *Bellovaci. L. 3. spec. p. 1. dist. 10.*

XVI. *Sicut descendit imber, & nix de cœlo, & illuc ultrà non revertitur, sed inebriat terram, & infundit eam, & germinare eam facit, & dat semen serenti, & panem comedenti, sic erit Verbum* *Isaiæ c. 55. v. 10.*

bum meum, quod egredietur de ore meo, non revertetur ad me vacuum.

Mansi disc. 1. n. 1. XVII. Sicut ex seminibus herbæ, fructus, frumentum, & alia grana progerminantur, quæ vitam corporalem in nobis nutriunt; ita pretiosum hoc semen verbi DEI vitam in nobis spiritualem & immortalem gignit, alit, & sustentat.

S. Chrysost. ho. 16. XVIII. Sicut ignis natura, quantò magis auri naturæ adhærebit, tantò magis rubiginem consumet; sic & verborum timor, quantò magis menti imprimitur, tantò magis peccatum impudicitiæ nostræ purgatur. Hoc igne nos examinemus, verbo scilicet doctrinæ, quò minùs idipsum cogamur examinare gehennæ igne.

S. Bernardin. t. 7. de mundit. cord. a. 1. c. 2. XIX. Sicut in speculo vides tuam turpitudinem, & deformitatem, &, si habes aliquam tincturam in facie, illam vides & cognoscis, & sic te lavas; Ita est Verbum DEI, per quod vides tua peccata, & potes illa cognita lavare per Confessionem & pœnitentiam.

Mansi disc. 9. n. 4. XX. Sicut medicina corpus malè affectum purgando, viscera interiùs commovendo, pravósque humores evacuando, sitim communiter provocat; Eundem quoque effectum Verbum DEI in peccatore habet; efficit enim, ut peccata detestetur, omnes malignitates per Confessionem foras ejiciat, dùmque ei salutem spiritualem conciliat, simul in eo sitim ejusdem divini verbi provocat, adeò ut, quantumvis frequenter illud auscultet, nunquam tamen audiendo satietur.

Idem disc. 9. n. 9. XXI. Sicut Medicinæ sæpe sumuntur etiam ab hominibus sanis, tanquam præservativum ad occurrendum morbis, qui furtivè nos aggredi possent; Eodem quoque modo, licèt, dum timore DEI vivimus, hoc remedio non admodum indigeamus, servit tamen velut præservativum contra mala ventura, à quibus infestari possemus; unde Psalmista ait: *In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi.* Præterea, licèt medicina ab infirmo Medico præscribatur, eosdem tamen operatur effectus sanandi, ac si ab homine sanissimo administrata fuisset; eodem modo licèt Verbum DEI prædicetur ab homine impio, pessimíque exempli, non tamen per hoc suâ destituitur virtute sanandi infirmitates nostras spirituales. Denique sicut medicina nisi tempore opportuno adhibeatur, ad nihilum prodest, quin potiùs obest; ita quoque nemo nescit, quòd sermo opportunus est optimus.

S. Gregor. ho. 22. in Ezech. XXII. Sicut silex, cùm sit lapis durus, & frigidus, nihilominus percussus scintillas emittit; sic verba sunt sacri eloquii, quæ quidem per narrationem literæ frigida tenentur, sed si quis hæc, aspirante Domino, intento intellectu pulsaverit, de mysticis eis sensibus ignem producit, ut in ejus verbis pòst animus spiritualiter ardeat, qui priùs per literam ipse quoque frigidus audiebat.

Mansi disc. 11. n. 16. XXIII. Sicut gladius ferire nequit, nisi sit nudus; nam intra vaginam constitutus, quantumvis sit pretiosus & acutus, non scindet, nec vulnerabit; ita Verbum DEI, ut impiorum corda vulneret, nudum esse debet, id est, sine figurarum Rhetoricarum ornamento, aut vanæ eloquentiæ floribus, debet pronunciari.

XXIV. Sicut corporalis cibi appetitus judicium est bonæ valetudinis; ita desiderium spiritualis doctrinæ, manifestissimum argumentum est animæ bene habentis. Multi autem sunt, qui prædicationem auscultant ex consuetudine, ut faciant, quod alii faciunt, non verò propter finem, ob quem est instituta. S. Chrysost. ho. 31. in Gen.

Damnum.

XXV. Sicut non posse percipere cibum corporalem, est signum mortis corporalis; ita non percipere legendo, vel audiendo Verbum DEI, quod est cibus animæ, est signum mortis animæ. S. Antonin. p. 2. t. 9. c. 11. §. 2.

XXVI. Sicut aquâ in horto deficiente, flores, fructus, cunctæque aliæ tenellæ plantulæ arescunt, & languent; ita quoque vivo hoc fonte Verbi divini in Ecclesiâ deficiente, omnes virtutes languescunt, & tabescunt. Mansi disc. 15. n. 8.

§. VI.

MOTIVA.

Ad Verbum DEI fructuosè audiendum.

I. QUia *Verbum DEI est fundamentum perfectionis.* Nam quod Tobias senior Filio dixit: *Audi, Fili mi, verba oris mei, & ea in corde tuo quasi fundamentum construe*: Idipsum quoque à Verbo Incarnato unicuique animæ fideli dici videtur. At verò dices, quænam inter verbum DEI, & fundamentum est proportio? Fundamentum totum sustinet ædificium, aulas, cubilia, cœnacula, ambulacra, solaria, atria, & quicquid boni & pulchri in vasta aliqua fabrica continetur. Cogitas magnam fabricam construere celsitudinis? quærit S. Augustinus, de fundamento priùs cogita humilitatis (nos in præsenti dicere possumus, de fundamento priùs cogita Verbi DEI) Et quantam quisque vult & diponit superimponere molem ædificii, quantò erit majus ædificium, tantò altius fodit fundamentum. Quantò quis in perfectione altiùs desiderat proficere, tantò profundiùs Verbum DEI fundamentum debet jacere, quia huic omnes solidissimæ virtutes unicè innituntur. S. Augustin. s. 10. de verb. Domi.

II. *Quia à peccatis præservat*, juxta illud Davidis: *In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi.* Hinc & S. Bernardinus, Verbum DEI, inquit, purgat delinquentes, quia per verbum DEI, cognitâ veritate, animæ à suis sceleribus convertuntur. Unde Psalmista ait: *Lex Domini immaculata, convertens animas*; eò quòd DEI Verbum eum, quem reperit immaculatum, à culpa præservat, & Ps. 118. v. 11. S. Bernardin. to. 1. s. 10. in Dom. 1. Quadr.

&, quem invenit inquinatum, purificat, & immutat.

III. *Quia emollit induratos* Quantos, inquit S. Thomas Vill. peccatores induratos & vidimus, & legimus, ex auditu Verbi DEI fuisse conversos, mutâsse vitam, emendâsse mores! S. Bernardus in sermone de multiplici utilitate Verbi DEI in hæc verba scribit: Si cor tuum induratum est, memento Scripturæ dicentis: *Emittet verbum suum, & liquefaciet ea.* & item: *Anima mea liquefacta est, ut Dilectus locutus est.* Si tepidus es, & evomi jam formidas, non discedas ab eloquio Domini, & inflammabit te, quia eloquium ejus ignitum valde.

S. Thomas Vill in sexag.

S. Bern. S. de util. verb.

IV. *Quia vigorem animo confert*; nam hôc inebriati martyres, se rebus temporalibus denudabant, vulnera, & cruciatus corporis pro nihilo ducebant, imò ad mortem alacriter properabant: Subditque authoritatem S. Bernardi dicentis: Quem talis gustus inebriaverit, ad omne opus, & omnem laborem hilarescit, laborat, nec lassescit: festinat, nec deficit; dolet, & non sentit; laceratur, & nescit; irridetur, & non advertit.

Bellovac l. 3. p. 1. dist. 10.

V. *Quia ad charitatem excitat*, uti S. Thomas indicat, versum illum: *Concaluit cor meum intra me*: ita exponens. Id est, concitatus est calor charitatis in ore meo. Prov. 6. *Nunquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta ejus non ardeant?* sic impossibile est, quòd homo abscondat verba DEI, cùm inflammatur cor charitate. Sed & S. Bonaventura exponens illa Discipulorum in Emaus euntium verba: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, cùm loqueretur in via &c.* ita scribit: verbum namque Christi inflammaverat corda eorum, quia verbum DEI igneam habet naturam, propter inflammationem amoris; unde Jeremias: *Nunquid non verba mea quasi ignis?* Et: *Ignitum eloquium tuum vehementer, & servus tuus dilexit illud*: Hoc autem facit Verbum, immittendo Spiritum Sanctum. Unde Beda: Ex audito sermone, cor priùs torpore incredulitatis & timoris frigidum, igne S. Spiritûs est accensum, ut superno desiderio ardeat, quot enim præceptis instruitur homo, quasi tot facibus inflammatur.

S. Thomas in Ps. 38.

S. Bonav. in c. 24. Luc.

VI. *Quia contra Dæmonem defendit*; nam sermo DEI ignitus est clypeus, teste S. Bernardino, in quo clypeo secundùm Apostolum ad Ephes. 6. *Extinguuntur omnia tela nequissimi hostis.* Tela enim nequissimi Diaboli sunt omnes modi, quibus nos tentat; unde Psal. ait: *Scuto circumdabit te veritas ejus*, scilicet Verbi ejus; *Non timebis à timore nocturno, à sagitta &c.* ibi enim exprimuntur septem modi, id est, septem tela, quibus dæmones nos impugnant, qui omnes extinguuntur per Verbum DEI.

S. Bernardin. to. 2. S. 9. a. 3. c. 2.

VII. *Quia experientia certa docet*, teste S. Bernardino, *populos tantùm à Domino flagellari, quantùm rebelles inveniuntur in Verbo DEI.*

S. Bern. l. c.

VIII. *Quia plurimas utilitates alias affert*; est enim Verbum DEI frequenter prædicatum, Primò mentis Illuminativum; Secundò affectûs inflammativum; Tertiò affectûs adjuvativum, sive firmativum; Quartò est ad gloriam æternam inductivum. Quid ergo melius? Quid animæ dulcius? Quid homini fructuosius, quàm ut verbum DEI prædicabile audiamus devotè? Hinc istam utilitatem intendens Ecclesia, inquit S. Augustinus, cùm excludat à Missa, & à divinis Officiis Interdictos, Schismaticos, Excommunicatos, hæreticos, infideles, à prædicatione tamen non separat quemquam. Stet populus sine prædicatione triginta annis, & consueto modo audiat Missas; alius quoque consimilis populus absque celebratione Missarum, stet etiam per totidem annos, & sæpè audiat Verbum DEI; & licèt utrumque nocivum sit, tamen, cæteris paribus, experientiâ teste, majus incomparabiliter sentiret in fide, & moribus detrimentum, absque audientia Verbi DEI, quàm sine Missarum celebratione. Nonne quotidie experimur, quis timor DEI, vel amor? quæ cognitio divinorum? quis est peccatorum fœtor, & horror? Quæ cognitio virtutum, atque amor? Quæ Sacramentorum veneratio, atque frequentatio, ubi absfuerit Verbum DEI?

S. Bonav. 1. de Evang.

S. August. apud Mansi disc. 1. n. 3.

IX. *Quia est Epistola DEI*; uti S. Bernardinus indicavit, dicens: si unus magnus Princeps scribit unam literam suo populo, omnes convocantur, & omnes præparant se ad audiendum, cum magno desiderio sciendi, & cum magna reverentia, & Cancellarius ascendit in altum coram Populo, & cum magna reverentia aperit literam, quia repræsentat Personam Domini, & omnes stant reverentes & attenti. Si igitur hoc in temporalibus fit, quantò magis in spiritualibus, cùm Prædicator sit Cancellarius magni Regis æterni.

S. Bernardin. to. 4. S. 1. in Dom. 1. Quadr. p. 3.

X. *Quia equitas id exigit*, teste S. Ambrosio dicente; videte, Fratres, si justum est, ut caro de terra facta, interdum bis in die capiat cibum, & anima nostra, imago DEI, vix vel post plures dies accipiat DEI Verbum.

S. Ambros. to. 5. S. 35.

§. VII.

MEDIA.

I. **T**imor DEI; nam basis quædam Verbi DEI est timor sanctus; sicut enim simulachrum aliquod si in basi statuatur, tunc majorem habet gratiam, standíque accipit firmitatem; ita Verbum DEI in timore sancto meliùs statuitur, fortiùs radicatur in pectore timentis DEUM, ne labatur verbum de corde viri, ne veniant volucres, & auferant illud de incuriosi & dissimulantis affectu.

S. Ambros. l. 5. in Ps. 118.

II. *Magna æstimatio*; nam infinitus est thesaurus, ait Bellovacensis, hominibus, non DEO, id est, ad utilitatem, non DEI, sed homi-

Bellov. l. 3. p. 1. dist. 10.

ssilsum, tàm ipsius, cui servandus committitur, quàm illorum omnium, quibus communicatur. Pergit idem Præsul ulteriùs, & ostendens, cum qua reverentia & devotione verbum audiendum & custodiendum sit, sequenti utitur potentissimo argumento: si sudorem, qui fluxit è Corpore Christi, vel lachrymam de oculo, vel stillam Sanguinis de quocunque membro possemus habere, cum magna reverentia servaremus; quantò magis verbum, quod de cordis ejus intimis manavit? Psal. 44. *Eructavit cor meum verbum bonum.* Hoc, inquam, verbum de corde DEI productum per Legem, Prophetas, & Apostolos vobis missum, imò & per ipsum DEI Filium, Verbum scilicet carnem factum, nobis audibile, visibile, & legibile, verbaliter propinatum, ut saltem verbum ejus contemnere non possemus.

S. August. s. 218. de temp. III. *Silentium & quies*, uti S. Augustinus commendavit dicens: Rogo vos, Fratres charissimi, ut secundùm consuetudinem fidelium, cum silentio, & quiete ea, quæ à nobis prædicantur, accipiatis. Animus enim noster, quando potuerit, donante DEO, aliquid de lectione Sanctarum Scripturarum concipere, spiritualem nidum in cordibus vestris desiderat invenire, & ideo velut castissimi turtures, divina verba Sancti Spritûs fervore in nido cordis vestri fovere contendite.

Mansi disc. 47. n. 1. IV. *Dispositio bona animi*; sicut enim eo tempore, quo terra nive contecta est, granum super illam non ejicitur, eò quòd intra frigus illud sine fructu congelaretur; Eodem modo, ut Verbum DEI in nobis fructum proferat, necessum est, ut omne frigus absit, nostràque voluntas per fervorem & devotionem disposita sit ad faciendum fructum ex illo, quod auditum fuit. Hinc Divus Chrysologus: Pectora parate, non chartam, sensum acuite, non calamum: Et audita, non atramento, sed Spiritu ministrante describite: in ipsa arca animæ, in ipsa Bibliotheca interni Spiritûs est locandum. Sed & S. Thomas Villan. necessarium est primum, quod audiat corde bono, & optimo. Audit corde bono, qui audit libenter, & cum gaudio, & sine fastidio: Audit corde optimo, qui audit intentione, & desiderio proficiendi.

S. Chrysol. serm. 58.

S. Thom. Vill. in Sexages.

§. VIII.

ASCETICA.

S. Bernardin. to. 2. s. 10. a. 3. c. 2. I. INprimis nôsse debet Asceta, *cur nullum præceptum datum sit de Verbo DEI audiendo*; id quod resolvit S. Bernardinus dicens, id non factum ab Ecclesia propter obligationem Curatorum; nam qui habet animarum curam, tenetur populo suo prædicare, prout habetur, *dist. 36. c. Qui Ecclesiasticis.* Et ideo non fuit necesse præceptum iterare: Diebus etenim ex præcepto festivis, illis, quibus animarum cura incumbit, præceptum erat, ut in medio Missæ Verbum DEI annunciarent: Qui ritus etiamnum in multis Diœcesibus, & specialiter in Germania conservatur. Secunda ratio, quam assignat, est, propter paucitatem Prædicatorum, quia rari sunt; rariores, qui prædicent Christum. Tertiò propter incommoditatem.

II. *Nôsse debet, cur viva vox prævaleat mortuæ voci librorum*; quam quæstionem S. Thomas Vill. decidit, dicens: Nec mihi dicas, sapiens sum, literatus sum, habeo in domo mea Sermones Augustini, Bernardi, Chrysostomi, quos legam. Nam litera mortua est, vox viva; Habet enim, nescio, quid latentis energiæ vox viva, quam non habet litera; vivus est enim sermo DEI &c. non sic litera; Plùs enim movet sermo, quàm lectio: Prædicator enim viva vox DEI est, qui loquitur in illo; non venis audire hominem, sed DEUM in homine. S. Thom. Vill. s. in Sexag.

III. *Nôsse debet, cur apud tam multos, tam parvum fructum afferat Verbum DEI*; nimirum quia sicut semina à formicis arrosa non ampliùs crescunt, ita idem in nobis persæpe serpens fraudulentus operatur; ne enim semen hoc in beneficium nostrorum fructificet, ipse efficere conatur, ut nos illud sinistrè interpretemur, existimando, quòd alijs, non verò nobis hoc vel illud prædicatum fuerit, vel etiam ne Prædicatori fidem adhibeamus, efficit, ut bonæ Prædicatoris famæ, interiùs in corde nostro detrahamus. Aliam rationem insinuabat Concionator quidam, qui suis Auditoribus dicebat: optarem, vos omnes mensæ Verbi DEI accumbere, tanquam convivas, non verò tanquam sectores epulares: Convivæ etenim ex appositis cibantur epulis; sector verò epularum, appositos cibos dividit alijs, sibi aliud nihil reservans, præterquam nuda ossa. Multi sunt, qui, cùm spiritualem Verbi DEI cibum in memoriam, in intellectum, in cor suum tanquam in stomachum reponere deberent; cibum illum pro alijs præparatum esse existimantes, eundem scindunt, dividunt, & partiuntur, quicquid audierunt; his videlicet documentum aliquod, alijs quandam reprehensionem, alijs verò comminationem, ac tandem sibimetipsis nihil reservant, nisi quòd loco profectûs animæ propriæ acquirendi, suos innocenter censuraverint proximos. Mansi disc. 3. n. 9.

IV. *Nôsse debet, cur non desistendum sit ab prædicatione Verbi Divini, etiamsi fructus non sequatur*; ne dicamus, inquit S. Chrysostomus, quid nobis opus est, tot verbis? nulla ex hoc sermone promanat utilitas. Nam & agricola, ubi semel atque iterum, ac sæpius semen arvo commisit, nec votis respondet proventus, rursus eandem exercet segetem; neque rarò fit, ut totius temporis jacturam uno sarciat anno; sic & negotiator, quanquam crebrò fecit naufragium, non tamen abstinet à portu, sed posteaquam navem detraxit, & nautas conduxit, pecunijs mutuò acceptis eadem aggreditur negotia. S. Chrys. to. 5. conci. 5. de Laz.

V. *Nôsse debet, quòd, licèt fructum non sentiamus, non tamen nullum referamus ex Verbi Divini* Origenes apud Mansi disc. 2. n. 6

Divini auditione, uti pulchrè ostendit Origenes dicens: solent Medici præbere interdum cibum aliquem, interdum etiam potum dare, v. g. ad discutiendam caliginem visûs, nec tamen in edendo ipso cibo, vel in potando sentimus, quia utile est, & prodest oculis; sed cùm transierit visum, cibi illius aut poculi virtus, paulatim purgat aspectum, & tunc demum sentire incipimus, quia cibus ille, vel potus profuit oculis; sed & in alijs similiter corporis partibus eadem fieri solent. Hoc ergo modo credendum est, etiam de Scriptura Sancta (& idem affirmari potest de prædicatione Evangelica) quia utilis est, & animæ prodest, etiamsi sensus noster ad præsens intelligentiam non capit; quoniam, ut diximus, & bonæ virtutes, quæ nobis adsunt, reficiuntur in his sermonibus, & pascuntur.

Author op. imperf. ho. 41. VI. *Nôsse debet, quomodo Verbum DEI fructuosè audiendum sit*; id quod aptè per similitudinem ostendit Author operis imperfecti, dum ait: sicut qui mittit in os suum fragmentum panis, aut qualemcunque cibum, primum molit eum dentibus, & ita demittit in stomachum; sic & cùm audimus omne verbum, necesse est ipsum meditari, & in ore sensûs, quasi quibusdam dentibus, id est, tractatibus molere, & videre, quid est, quod dicit, aut unde dicit, aut propter quam rem dicit. Aliam industriam insinuat Mansi dicens: Experientia docet, quòd terra fructum referat illius sementis, quæ super ipsam dispersa fuit, v. g. si super terram seminatum est triticum, germinat & maturefacit triticum; si avena, avenam; si hordeum, hordeum, & ita de alijs seminibus discurrere licet. Veruntamen observandum est, verissimum esse, quod Apostolus ait, scilicet: *Neque, qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, DEUS:* semen enim calore, motu, & luce Solis indiget, nec non influentijs cœlestibus, pluvijs, frigore, calore, & alijs similibus qualitatibus, singulis quatuor anni temporibus correspondentibus: Ab his namque semen adjutum, subtiliores terræ partes sibi attrahit, càsque in propriam substantiam convertendo fructum producit, & suo tempore maturefacit. Eodem igitur modo anima (discursus est Patris Ariæ) Verbum DEI, quasi semen Christi, intra se recipit, illúdque in corde suo repositum meditatur, amat, eíque subijcitur, & in virtute illius novum hominem, novúmque spiritum producit; Ad hoc tamen necessarium est, ut Sol justitiæ cor moveat, calore, & luce sanctarum inspirationum suarum excitet, & flammis divini sui amoris calefaciat; sic enim tandem fiet, ut anima ab hac cœlesti virtute fortificata, partes viciniores sibi, purioresque, id est, potentias suas, memoriam, intellectum, & voluntatem, illarúmque operationes & effectus sibi attrahat, ut ad producendum vitæ æternæ fructum, qui ex divino hoc semine expectatur, eidem uniantur.

S. Vincent. s. 4. in Dom. 3. post Pasch. VIII. *Nôsse debet, quis præcipuè fructus quærendus sit in auditione verbi divini*; ille nimirum, quem (ut suprà jam insinuatum est) S. Vincentius Ferr. indicavit dicens: Verbum DEI, quando est dignè prædicatum, & devotè auditum, facit tria. Primò illuminat in cognitione de rebus spiritualibus: secundò inflamat in dilectione de bonis cœlestibus: Tertiò purificat ab infectione de culpis mortalibus.

VIII. *Nôsse debet, triplicem auditum esse necessarium auditoribus verbi divini*, ut Hugo Card. notat, scilicet auditum naturæ, quo verbum suscipitur; auditum intelligentiæ, quo sensus verbi discernitur; Auditum obedientiæ, quo res verbi efficitur. Hugo Card. apud Mansi disc. 27. n. 8.

IX. *Nôsse debet, quomodo intelligendi sint SS. PP. Quando verbum DEI Corpori Christi præferunt*: nimirum quòd hoc verum sit, non quoad essentiam, sed quoad efficientiam, secundùm Glossam. Quin imò major fructus sequitur ex verbo DEI Prædicato, quàm Corpore Christi sumpto: Nam per Sacramentum nullus justificatur, si accedit indignè, & incontritus, sed augetur iniquitas sua; sed obstinatissimi homines, audiendo prædicationem, convertuntur. S. Anton. p. 3. tit. 8. c. 11.

§. IX.

MISCELLANEA ET CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Qualitas.

I. S. Isidorus Pelusiota in Epistola Zosimo Presbytero scripta cùm retulisset angustiam, quâ quidam premebatur, eò quod ab aliquo Sacramenta receperat, divináque mysteria participârat, qui ob vitam suam lubricam pessimâ famâ laborabat; significat, se talem hominem sequentibus verbis instruxisse: Nullo detrimento is, qui suscipit, afficitur, etiamsi is, qui tribuit, indignus esse videatur; neque incontaminata mysteria conspurcantur, etiamsi sacerdos omnes mortales improbitate superet. Id quod exemplo corvi Eliæ probat, qui, licèt avis sit deformis, cadaveribus bestiarum fœtidissimis devorandis assueta, vorax, rapax, cunctísque exosa, nihilominus à DEO electus fuit, ut Prophetam adeò sanctum, adeóque bene meritum pane & carnibus manè & vesperi sustentaret: Neque Elias provisionem hanc per longum tempus ab hoc corvo accipere renuit, sed gratanter & libenter eandem acceptavit, ut vitam suam mortalem, cibíque indigam hac ratione sustentaret; Imò nonnulli sacri expositores in eâ sunt opinione, carnes illas, & panes, ex sacrilegi Achab inimici DEI mensa fuisse surreptos: Quòd si mihi diffidis (scribit Isidorus ad Zosymum) corvum cogita, impurum, inquam, illud, atque in pullos suos crudele animal, cujus operâ ille in cœlum excurrens, ac cœli civis Elias alebatur. Quotiescunque igitur anima nostra pane verbi DEI indiget (*non enim in solo pane vivit homo, sed in omni verbo,* S. Isidor. l. 3. epist. 140.

quod

quod procedit de ore DEI (audacter alimentum hoc spirituale, & salutare accipiat, licèt ei à corvo, id est homine avaro, carnali, iracundo, aut aliàs vitioso subministretur.

Mansi disc. 21. n. 4. II. Vera est etiamnum Ezechielis querela cap. 33. *Factum est verbum Domini, tanquam carmen musicum.* Audivistis subinde nocturnos grassatores, qui gratissimam faciunt musicam, nunquid placuit? & complures ex lectulo ad fenestram excivit; sed quid finitâ musicâ dixistis, aut certè cogitastis? cogitâstis certe: ô quàm bene! & ad lectulum redijstis. Fortè & ventriculum nocturno ex frigore infrigidastis. Verbum DEI tanquam carmen musicum. Sic fit multis peccatoribus, altùm stertentibus. Concionatorem audiunt, evigilant, approbant, nisi forsan stomachentur, ad lectulum redeunt, & Concionem habent pro carmine: vox, prætereàque nihil ex omnibus retinetur; debet retineri verbum DEI, inquit Magnus Gregorius: si cibus non retinetur in stomacho, quid prodest homini?

Necessitas.

Joannes Cluniac. to. 2. s. 38. III. Joannes Cluniacensis, & plures alij dubitare cœperunt, quo Mysterio factum sit, quòd Christus nullum, quantùm quidem ex Evangelistis colligi potest, patravit miraculum beneficum tempore passionis suæ, præter hoc unum, quo Malcho amputatam auriculam, reposuit sanam. Quamobrem verò per talis miraculi operationem tunc se potissimùm prodere Christi potentia voluit, qui alia antehac usitata prodigia facere, & vel leprosos sanare, vel oculorum usu donare cæcos, vel membrorum agilitatem restituere claudis, & paralyticis poterat? Id procul dubio factum, ut significaretur, quanta sit & utilitas, & necessitas prædicationis verbi DEI, quod auribus hauritur; *fides* enim *ex auditu, auditus autem per verbum Christi.* Rom. 10. 17. Cùm ergo tempus advenisset, quo Christus & sanguinem, & vitam daturus erat, priùs improbi servi aurem curavit, velut dixisset, parum profuturam suam passionem, parùm utilitatis allaturum Sanguinem, quem effusurus erat, nisi præter cruciatus, quos tulit, & cruorem, quem fudit, relinqueret prædicationem. Aut hoc indicare certè voluit, quod propter prædicationem patiebatur, id eò spectare, ut surdæ curarentur, & ægræ sanarentur aures; quomodo enim audient sine prædicante? inquiebat Apostolus.

Hartunck, tom. Aul. in Dom. 3. quadr. §. 1. IV. Cùm scandalum dedoceret Magister divinus, etsi jusserit & oculos erui, & pedes manúsque abscindi, eò quòd *melius sit, luscum vel claudum in cœlum intrare, quàm duos oculos, & pedes, manúsque habentem mitti in ignem æternum.* Matth. 5. & Marci 9. de auribus tamen nihil dicit, ut abscindantur, si scandalizant; quasi insinuaret, placere illum DEO non posse, qui auribus caret. Cùm enim *sine fide impossibile sit placere DEO*, Hebr. 11. v. 6. *Fides autem ex auditu.* Rom. 10. v. 17. auritos vult omnes, qui omnes desiderat esse fideles. Quid? quod contra oculos excipiat: *Beati qui non viderunt.* auribus verò beatitudinem addicat, *Beati qui audiunt.*

Utilitas.

V. Magnæ vir experientiæ scripto consignavit, se per quinquaginta & amplius annos, tres hominum quæsivisse, & nusquam vidisse, legisse, audivisse; videlicet laboriosum, qui panem non habuisset, abstemium, qui brevis ævi fuisset; sedulum verbi divini auditorem, qui probè non vixisset. Citiùs album corvum, nigrum cygnum invenies, quàm verbi divini Auditorem sedulum, qui malus sit. *Idem §. 2.*

VI. Convivium instruxerat Dominus, & quidem ultimum, cui etiam Judam adhibuit, eique manu propriâ buccellam intinctam, in signum synceri amoris porrexit. Cùm ergo accepisset ille buccellam, exivit continuo: erat autem nox. Joan. 13. v. 3. quid ita properas Juda? tam citò satur es? tot te urgent negotia? Mane saltem cum cæteris, donec pro more gratias post mensam dixeris, an non respectum habes cæterorum? quid dicent de tua hac incivilitate? quid suspicabuntur? At Judas nihil horum ponderat, sed currit festinè. Permittamus illum currere. Quàm timeo, ne incurrat in laqueum, & hæreat. S. Cyrillus Alexand. l. 9. c. 19. quærit, quo instigatore properaverit Judas? & respondet, sine omni dubio impulsorem fuisse illum, qui homines à Concionibus abstrahit, vel extrahit ante finem. Stratagema hoc fuit nequissimi hostis, qui suspicatus est futuram probabiliter à cœna concionem, sicut etiam fuit pulcherrima, descripta à Joan. c. 13. 14. 15. 16. 17. qua illos hortaretur ad constantiam, revocaret ad frugem; & cùm deberet esse ultima Concio, omnes nervos eloquentiæ intenderet ad persuadendum: timuit idcirco diabolus, ne suum Judam perderet: veni proinde citò foras, mi pullule, priusquam audias, & convertaris de peccato ad Justitiam, de perfidia ad pietatem, de inimicitia ad fidem. Timebat diabolus, ne morando locus Pœnitentiæ daretur: hac de causa festinat. Ita D. Cyrillus. *S. Cyrillus Alex. l. 9. c. 19.*

VII. S. David Ps. 46. ait: omnes gentes plaudite manibus, jubilate DEO in voce exultationis; Et paulò infrà: *Subjecit populos nobis, & gentes sub pedibus nostris* v. 4. quando nimirum Apostoli indomitam gentilitatem jugo Evangelij subdiderunt. Quærit hoc loco S. Joannes Chrysostomus, quomodo Mundus subactus, & tanta variarum gentium ferocia domita fuerit. Respondet, id factum in voce exultationis, verbis Evangelij, hoc est, votivis, & gaudiosis novæ gratiæ nuntiis. Subdit autem mox S. Doctor: solent exercitus, quando inclinat exercitus hostium, non uti extremâ victoriâ, sed concordi voce, & clamore, fractos jam, & abjectos eorum animos conquassare: quod est claræ victoriæ, & trophæi maximi argumentum, quando bellum non *S. Chrysost. in Ps. 46.*

non manibus, sed clamore decernitur, isque loco manuum, & armorum sufficit. Itaque pugna manibus geritur, vocibus victoria debetur. Dicit nunc Propheta: *Iubilate DEO in voce exultationis*: velut diceret; Labores, & sudores prælii, quo contra inimicos nostros dimicatum, debentur (neque hoc negari potest) sanguini, quem magnus Dux noster Christus fudit, verùm triumphus, & victoria voci divini verbi adscribenda sunt; verbo enim DEI proscripta sunt idola, verbo DEI conversa est Gentilitas; verbo DEI proclamata est pro cœlo victoria; Verbo DEI erudiuntur peccatores, & omnis nobis felicitas paratur: Bellum non manibus, sed clamore decernitur, isque loco manuum & armorum sufficit. Huc allusit Tertullianus, quando de Christo hæc dixit lib. de Patient. Taceo, quòd figitur; ad hoc enim venerat; de Domino fit Magister; tanquam dixisset: Plurimas gratias debeo Redemptori pro immensâ liberalitate, quâ in crucis stipite sacrosanctum suum sanguinem fudit; contentiosiore prælio decertare non potuit, quando tam pretiosum liquorem inter dimicandum fudit: At enim de Domino fit Magister, nec videretur etiam ita quicquam præstitisse, nisi Magister factus, & ipse nobis verba salutis annuntiâsset, & alios Evangelij satores, ac præcones, ignaro rerum salutis suæ orbi terrarum, submisisset.

Tertull. l. de Patient.

VIII. S. Bernardinus utilitatem hanc exemplo Lazari demonstrat dicens: unde animæ in peccato mortali defunctæ resurgent ad vitam gratiæ, nisi ex vivificante calore divini verbi? Hinc Prov. 13. dicitur: *Lex DEI, fons vitæ, ut declinet à ruina mortis.* In suscitatione Lazari voce magnâ clamavit: *Lazare, veni foras! & statim prodiit, qui erat mortuus*, ut ostenditur, quòd in Verbo DEI animam vivificante, est veritas in voce, charitas in magnitudine, & potestas in clamore, statim prodiit ad vitam gratiæ, qui mortuus fuerat in interitu culpæ. Joann. 5. *Venit hora, & nunc est, quando mortui audient vocem Filii DEI, & qui audierint, vivent.*

S. Bernard. to. 2. S. 9. in 1. Dom. Quadr. a. 1. c. 1.

IX. DEUS olim Ezechielem Prophetam ad agrum quendam remisit, calvariis, nudisque mortuorum ossibus plenum, qui, cùm in eodem loco hinc indè circumspexisset, à DEO in hæc verba interrogatus fuit: *Fili hominis, putásne, vivent ossa ista?* cui Propheta respondit: *Domine DEUS, tu nosti*, Præcepit igitur illi DEUS dicens: *Vaticinare de ossibus istis, & dices eis: ossa arida audite verbum Domini.* At verò quodnam in eo latet mysterium, quòd increata sapientia Ezechielem huic tam ingenti ossium mortuorum multitudini, quæ nec aures, nec animam, nec intellectum habent, prædicare jusserit, dicendo: *Ossa arida, audite verbum Domini*? Quo fine jubebatur divinum ipsius Verbum prædicare in vanum? *hæc dicis Dominus ossibus his* (verba sunt Prophetæ prosequentis relationem ejus, quod operatus est DEUS) *Ecce ego intromittam in vos spiritum, & vivetis, & dabo super vos nervos, & succrescere faciam super vos carnem, & scietis, quia ego Dominus.* Enimverò continget nonnunquam, quòd peccator aliquis habituatus, in cujus ossibus hoc vel illud vitium firmiter radicatum sit; hujus cor aridum sit instar silicis; continget, inquam, quòd si talis prædicationi cujusdam Ezechielis v. g. vel alterius Apostolici Prædicatoris præsens assistat, sub eáque compunctus in corde suo convertatur, suámque pristinam duritiam detestans, ad vitam gratiæ redeat; de hoc tunc verè dici poterit: *Ecce crescere faciam super vos carnem, & super extendam in vobis cutem, & dabo vobis spiritum, & vivetis, & scietis, quia ego Dominus.* Et verò vix prædicare cœperat, cùm ecce Propheta dicit: *Factus est sonitus, prophetante me, & ecce commotio, & accesserunt ossa ad ossa, & unumquodque ad juncturam suam; steterunt super pedes suos exercitus grandis nimis.* Ecce tibi, quæ Verbum DEI patrat miracula, nimirum defunctorum ossa revivificat, & revirescere facit, atque ex frigidis cineribus integros armat exercitus.

Mansi disc. 13. n. 6.

V. Mysterio non vacat tributum illud, quod subditi Prophetæ Jobi, post superatas omnes illius ærumnas, reverenter, & obsequiosè eidem obtulerunt; dicit enim sacer textus: *Dederunt ei unusquisque ovem unam, & inaurem auream unam.* Enim verò quòd ei ovem unam singuli donârint, haud difficulter intelligitur, cur id fecerint, quia pretiosiores illius sæculi divitiæ, non in argento auro, sed in gregibus, armentis, aliisque similibus rebus fructiferis consistebant; quod verò vel maximè admirationem meretur, est, quòd singuli præter ovem, etiam inaurem auream unam obtulerint; quæ enim est inter ovem, & inaurem proportio, quòd simul hæc duo conjunxerint? Pro responsione advertendum est, inaurem auriculæ esse ornamentum, Mysticéque denotare facilitatem, optimámque dispositionem ad audiendum; ac proinde ovi, quæ animæ ad gloriam prædestinatæ est symbolum, meritò inauris adjungitur, ad denotandum, quòd audiendo, & adimplendo vocem DEI, æterna prædestinatio comparetur: nam, ut Didacus Stella ait: Habent divina verba nescio quid divini, & Paterni amoris, quòd audientes filii DEI, qui ad æternam beatitudinem destinati sunt, in ipsis agnoscuntur, gaudent, & exultant.

Idem disc. 15. n. 1.

Dignitas.

XI. Guerricus Abbas, tres ait esse Christi matres, quarum prima Virgo MARIA, secunda Gratia, tertia Sapientia, quæ suis erga Christum officiis sibi admodum sint similes, illúdque commune habeant, quòd suo quæque modo illum inumbret, contegat, & obnubat, & major sit omnium erga illum reverentia. Mox ut natus est Christus, Mater MARIA quibusdam assumentis pannorum involvit infantem.

Guerricus S. 5. de nat. Christi.

Sis

Sic mater Gratia dispensatoriis speciebus rerum (panis puta, & vini in Sacramento Eucharistiæ) ejusdem sacri Corporis nobis obtegit veritatem: Sic etiam mater Sapientia ænigmatibus, & figuris arcanam divini Verbi contegit majestatem, ut sit majore in pretio, enixiusque colatur, quod minùs intelligitur. Hinc accipio, quantùm revereri debeamus Prædicationem divinâ, & sapientiam Evangelicam, cùm sit mater DEI & Verbi æterni, per quam fit, ut in animabus nostris generetur. Certè cultum illi nihilo inferiorem debemus, quàm matri Gratiæ, quæ in augustissimo Altaris Sacramento elucet.

S. Paschasius apud Didac. Nyss. §. 8. Fer 2. post Dom. 3. Quadr.

XII. Vendidit Magistrum suum Judas, & triginta non amplius argenteis vendidit: *constituerunt ei triginta argenteos.*, inquit S. Matthæus c. 26. Quærit S. Paschasius ibidem, quod consilium esse potuit perfidiosi & infamis discipuli, qui triginta solùm argenteis Christum vendidit? Respondet, id Judam ac Judæos fecisse, ut eum utrimque, quàm possent, despicatissimè abjectum facerent, adeò triginta (quod nulli homini alteri probrum accidit) argenteis venalem dedisse. Triginta ac tres annos inter homines homo Christus egerat, ex quibus triginta priores totidem argenteis, uno videlicet quemque annum argenteo, emerunt, quo significare voluerunt, tam vilem ac sordidam fuisse ipsius vitam, ut majoris quàm argenteo unusquisque illius annus emi nec posset, nec deceret, nisi quòd etiam sic nimiam in illo pecuniam collocari putarent: Tot argenteis emitur, quot annis peregrinatus est in hoc Mundo usque ad baptismum, inquit ille. Hîc ergo illud quæro, quî factum, quòd reliquis tribus, quos Christus supra triginta vixit, annis non constituerunt pretium, non deputârunt suum cuique vel argenteum? causa fuit, quòd ii fuerunt anni Prædicationis, quibus suam illis doctrinam ministravit; & quanquam eam audissent ab homine, de quo abjectissimè sentiebant, sat illis tamen erat, fuisse Prædicationis eos annos, ut nullum iis pretium designarent: Tametsi enim improbissimi, & contaminatissimi essent Scribæ, ac Pharisæi, tametsi perfidissimus Judas, par tamen iis annis pretium invenire non posse putabant, quos vel Christus, quem vilissimum habebant, prædicando transmiserat.

Ibid.

XIII. Aod, cùm designasset animo necem, quam inferre Eglon regi volebat, sedentémque illum in æstivo cœnaculo solum reperisset, sic appellavit: *Verbum DEI habeo ad te.* Judic. 3. 20. Vix audivit mentionem Verbi DEI fieri Eglon, quando, tametsi erat crassus nimis, ut eum Scriptura delinear, & Rex, statim surrexit de throno. Quare istud? Respondet Abulensis: In reverentiam Verbi DEI, ut non audiret illud sedendo. Dixerat Aod, Verbum DEI se habere, quod illi annuntiaret, quando is statim à Sella se proripiens constitit, ut eo DEI Verbum cultu deveneraretur, indignum arbitratus, si illud sedens auscultaret. At si homo gentilis tantùm detulit DEI Verbo, quantùm illud observare debet Christianus Catholicus, quod est mater Sapientiæ, quod est ros animarum, & nutrimentum earundem, quod aperit fores gratiæ, & inducit in gloriam?

S. Aug. l. de S. Virg. cap. 3. in tr. 10 sup. Io.

XIV. Tantæ dignitatis divinum Verbum est, ut major ex dignissima ejusdem perceptione, Deiparæ accedere visa sit dignitas, quàm ex corporali verbi incarnandi conceptione. Non mea, sed magni Augustini hæc est oratio: Materna propinquitas nil MARIÆ profuisset, nisi felicius DEUM Corde, quàm Carne gestasset: Beatior ergo MARIA percipiendo fidem Christi, quàm concipiendo Carnem Christi. Hæc S. Augustinus. Quanquam nec ventre conceptura Christum fuisset virgo benedicta, si mente priùs non concepisset, antequam parturiret, peperit, inquit de Deipara Vates Evangelicus Isa. 66. v. 7. in quæ verba Rupertus. c. 31. in Is. Antequam Filium visibilem ederet, peperit, & Mater ejusdem verbi effecta est; concepit enim corde, & verbum DEI peperit ore. Quare & Prædicatores omnes in Matre DEI figuratos vult Bernardus serm. 8. MARIA Prædicatores significat: qui enim alijs Evangelizant, quasi JESUM in utero portant, & alijs pariunt. Beati proinde, qui audiunt verbum, ut concipiant in corde suo JESUM.

Hartung. loc. h. 8.

XV. Sed & ex eo colligi videtur posse Verbi divini dignitas, quòd majorem apparatum adhibere DEUS visus sit, Concionatores instituendo, quàm divinissimam Eucharistiam dispensando: ad hujus enim præparationem pedes Apostolicos, adhibito in ministerium aquæ elemento, abluit; at verò, cùm prædicatores adornandi, Spiritus Sanctus in ignis (Elementorum principis) specie, cœlo descendit, & non pedes modò, sed caput, & manus, & Apostolos totos depuravit, ut sua prædicando divino Verbo, constaret dignitas: *Beati, qui audiunt verbum DEI.*

ib. §. 9.

XVI. Pater æternus, qui ante Filij in carne apparitionem non nisi semel locutus dicitur: *Semel locutus est DEUS*, Psal. 61. v. 12. posteaquam unigenitus prædicationis suæ officium inchoâsset, semel, iterúmque loqui auditus est: *Hic est filius meus dilectus, ipsum audite.* Audiri jubet filium, non videri, non tangi, non gustari. Cur audiri potiùs, quàm miracula spectari? quàm Corpus sacrosanctum manducari; quàm fimbriam vestimenti ejus contingi? imò, quàm cum eo tormenta sustinere? cum eo sacrificium litare? *Sacrificium & oblationem noluisti, aures autem perfecisti mibi.* Psal. 39. Non imperat Sacrificium offerendum, sed aures Verbo divino audiendo commodandas; quia à Verbo audito veræ felicitatis sumitur exordium. Audire divinum Verbum, est filio DEI assimilari, & in filium altissimi faustissimâ metamorphosi transmutari? Dixit id Pater cœlestis ore Davidico, Psal. 81. vers. 6. *Ego dixi Dij estis, & filij Excelsi omnes.* Repetijt eandem confirma-

vitque sententiam filius DEI Joan. 8. Illos dixit DEOS, ad quos sermo Dei factus est. Ut indubitatum sit, ratione divini Sermonis, divinum homini Nomen communicari, inquit Eminentissimus Cajetanus.

Damnum neglecti verbi divini.

Ib. §. 4. XVII. Ex Genealogia Christi excluduntur à sancto Matthæo tres: Ochozias, Joas, Amasias; cur hi præ cæteris, quos extra dubium est, sceleratiores hac triade fuisse? Respondet S. Augustinus q. 88. in nov. testam. Quia alij nequissimi Reges, qui nominantur, habuêre parentes saltem bonos, quorum merito referuntur ipsi in syllabum progenitorum Christi; hi autem habuêre idololatras parentes; & ipsi fuêre tales, ut constet, quantùm virtus parentum filijs prosit. Respondet deinde S. Hieronymus, S. Hilarius, S. Paschasius, Abulensis, Divus Thomas, & alij: Quia fuere filij, nepotes, & abnepotes Regis Achabi, cui DEUS minatus fuerat, se omnem ejus posteritatem usque ad quartam generationem deleturum. 3. Reg. 21. v. 2. Tantùm nocet majores habuisse malos! Respondet præterea Rupertus Abbas hîc, tres Reges ideo omissos, quia non audiverunt Verbum Domini, sed illius præcones interemerunt. De Ochozia constat ex 2. Paral. 22. v. 4. quòd contemptis Prophetis, malos Consiliarios adhibuerit in interitum suum. Joas occidit Zachariam, 2. Paral. 24. v. 22. Amasias contradixit Prophetæ. 2. Paral. 25. v. 16. *Num consiliarius Regis es? quiesce ne interficiam te.* Hi proinde non sunt digni Genealogiâ Christi, ob Verbi divini contemptum. Ex quo infero, deletos videri de libro vitæ, qui non sunt in numero Auditorum verbi divini. Ruperti verba sunt: Isti soli de memoria præsenti, de libro generationis JESU Christi repulsi sunt, qui verbum audiri, vel præcones verbi DEI vivere passi non sunt.

Mansi disc. 25. n. 6. XVIII. In vita S. Odonis legitur, quòd, cùm Religiosus quidam in extremo agone cum morte luctaretur, is alijs Monachis confratribus suis lectum ejus instar coronæ cingentibus magna cum animi anxietate se recommendaverit, elatâ voce clamando: Modò raptus sum ad judicium, ibique protulit contra me accusator humani generis de micis panis sacculum plenum, quas colligere secundùm consuetudinem nolui, & de mensa ceciderunt. Quantò igitur est verisimilius, quòd DEUS ad nostri justissimam condemnationem suo tempore faciendam minutissimam habiturus sit rationem micarum spiritualium Panis Verbi divini, de quibus præceptum habemus manifestum: *Collígite fragmenta, ne pereant.*

XIX. In libro 4. Reg. c. 7. legitur, quòd, cùm Samaria arctâ obsidione cincta, adeò extremâ urgeretur fame, ut matres propriarum prolium vescerentur carnibus, & Elisæus Propheta prædiceret, futurum, ut sequenti die ingens in urbem panis abundantia advehenda esset, unus è Ducibus verbum hoc risu excepit; At verò Propheta hanc ei pœnam prædixit: videbis oculis tuis, & indè non comedes: Et revera ita accidit, quia à nimia populi multitudine & pressurâ suffocatus fuit; per istum verò, qui fuit incredulus verbo Elisei, ut Lyranus ait, intelligitur quilibet incredulus verbo prædicantis Verbum DEI, & ideo sicut ille Dux ex hoc incurrit mortem corporalem, sic iste mortem spiritualem. Ibidem n. 8.

XX. Advertendum est, quòd de illis, qui Manna nauseârunt, dicentes: *Anima nostra nauseat super cibo isto levissimo*, sacer textus mox subjungat: Quamobrem misit Dominus in populum ignitos serpentes, ad quorum plagas & mortes plurimorum &c. Idem quoque supplicium DEUS frequenter illis immittere solet, qui pretiosissimum divini verbi Manna nauseant, & aversantur; scilicet, quòd illos potestati serpentum infernalium dimittat, permittendo, ut omnigenæ tentationis nidus fiant, & centrum, vel etiam ut à quolibet quantumvis horrendo serpente, id est, peccato intoxicentur. Porrò multi sunt, qui graves in hac vita experiuntur sibi obvias ærumnas, & adversitates, quæ tamen, si cunctæ bene considerentur, sæpe hujus à nobis abominati & neglecti, vel contempti Verbi DEI pœnæ sunt, & supplicia. S. Augustinus in Tom. 9, tr. 5. de tempore Barbarico ita scribit: Advenit tempus illud, quod prædixit Dominus, Putas, cùm venerit filius hominis, fidem inveniet in terra? quis habet fidem? quis credit Verbis divinis? Prædicamus, & non facimus; auditis, & facere non curatis. Meritò omnes sub flagello conterimur, & Doctor, & Auditor, & contemptor. S. Aug. to. 9. de temp. Barb. tr. 5.

TITU-

TITVLVS LXXVI.

VIRTUS.

§. I.

QUOAD ESSENTIAM.

Arias tit. 2. thesaur. tr. 1. c. 1. I. Irtus vocatur *certa quædam qualitas & habitus animæ ad bene operandum inclinans, faciénsque, ut homo bene vivat: neque potest homo eo malè uti.* Sic eam definit S. Augustinus, negátque, hominem virtutis habitu malè uti posse, quia adeò verè, determinatéque ad id, quod bonum est, inclinet ac moveat, ut, si homo eo uti, cúmque eo operari debeat, nihil quicquam facere queat mali. Unde quando homo pro ea, quâ pollet, libertate, mali quid facit, non sequitur in eo habitum virtutis, sed contra id facit, ad quod eum virtutis habitus inclinat ac movet. In quem eundem sensum Philosophus virtutem definiens, ait, esse habitum, qui habentem perfectum reddat, faciátque, ut opus ejus sit bonum.

Ibid. II. Ex istis virtutibus quædam vocantur *Theologicæ*, sive de DEO, ita dictæ, quia DEUM pro objecto habent, respiciendo eum, & immediatè circa eum operando. Hæ sunt *Fides, Spes, & Charitas*; quæ ex toto supernaturales, itáque sublimes sunt, ut nequeat homo eas omnibus naturæ suæ viribus acquirere, nec propriè se ad eas disponere, sed oporteat ipsas liberè, gratuitóque à DEO dari, & infundi. Et quamvis homo, postquam eas consecutus est, ijsdem augmentum ipsarum mereri possit, tamen antequam eas habeat, non potest ipsas ullo modo mereri. Aliæ virtutes sunt *Morales*, quæ propriè hominem bonum & virtuosum efficiunt, sic appellatæ, quia ad bona opera sunt inclinationes; &, quemadmodum bona quæpiam consuetudo ad bonum inclinat, ita hæ virtutes hominem ad bene operandum, vivendúmque inclinant, ac movent. Earundem primariæ (*Cardinales* dictæ, quia ex ipsis velut ex fonte, cæteræ virtutes omnes oriuntur, & velut principio, ijs ipsis innituntur) sunt quatuor: *Prudentia, Iustitia, Fortitudo, & Temperantia.* Et harum virtutum unaquæque multas alias, tanquam suas partes, quæ sub ipsis comprehenduntur, & ad eas pertinent, habet. Ad virtutem prudentiæ spectant *Providentia*, quæ res futuras respicit, ut, quod ad eas necessarium est, provideat: *Circumspectio*, quæ omnes negotij circumstantias, ut rectè de eo judicet, considerat. *Sancta Cautela*, quæ virtutis impedimenta, ut evitentur, attendit: *Diligentia, bonáque solicitudo*, quæ res à Prudentiâ imperatas suo tempore exequitur. Ad justitiæ virtutem, tanquam ejus partes, pertinent *Religio, Pietas, Obedientia, Gratitudo, Veracitas, Liberalitas, Affabilitas*, seu *Comitas*, *Observantia*, & aliæ virtutes his similes: Ad virtutem Fortitudinis revocantur *Magnanimitas, Bona fiducia, Magnificentia, Patientia, Longanimitas, Perseverantia, Bona Animositatis*, & id genus aliæ. Ad Temperantiam spectant *Abstinentia, Castitas, Mansuetudo, Clementia, Sancta Severitas, Modestia, Humilitas*, multæque aliæ virtutes, quæ illi subjectæ sunt, aut certè convenientiam cum illâ habent, & affinitatem.

III. Porrò harum virtutum moralium quædam vocantur *acquisitæ*, quippe quas homo continuo exercitio acquirit & comparat; siquidem operante homine virtuosè, in anima habitus ad similia opera inclinans generatur, qui dicitur Virtus acquisita, proprióque Marte hominis parta. Et hæ virtutes pro regula habent rationem humanam; pro fine, bonum, cujus cognitionem naturalis ratio hominis assequitur, tam pro fine universali, qui est DEUS, quàm pro particulari virtutis cujusque in specie. Neque hæ virtutes acquisitæ per quodcunque peccatum mortale, quod homo committit, amittuntur, adeò ut si quis virtute Justitiæ, & Castitatis, & Temperantiæ præditus, proximo suo verbum injuriosum diceret, aut jejunium violaret, non idcirco virtute castitatis, neque Justitiæ, neque Temperantiæ, quamvis contra eas operatus esset, excideret: quandoquidem habitus diuturno exercitio comparati, non penitus destruuntur uno actu contrario, tametsi imperfecti remanent ac debiles. Aliæ sunt virtutes morales, Prudentiæ, Justitiæ, Fortitudinis, & Temperantiæ, cum omnibus cæteris, à DEO supernaturaliter *infusæ*. Has homo non operatur, neque bonorum operum exercitio acquirit, sed DEUS per se ipse animæ infundit atque communicat; infantibus eas unâ cum gratiâ infundit, mediante Sacramento Baptismi; adultis, qui eas unà cum Baptismo perceptas amiserunt, mediante vivâ Fide, Pœnitentiæque Sacramento denuò infundit, ita quidem, ut si homo per contritionem, aut certè per Pœnitentiæ Sacramentum ad gratiam se præparat, hanc cum virtutibus Theologicis recipiens, omnes etiam virtutes Morales infusas recipiat: Adeò ut licèt homo eas non operetur, sed DEUS per se solus, tamen idem homo se ad eas per auxilia supernaturalia, & divinæ inspirationi, vocationique consentiendo, disponat. At postquam eæ à DEO infusæ sunt, tametsi homo bonorum operum exercitio eas non auget, virtute suâ ipsarum augmentum operando, tamen bonis, quæ facit, operibus meretur, ut eas ipsi DEUS augeat; idque *Ibid.*

DEUS ita facit, ut quantò plùs homo se in bonis operibus exercet, tantò ei ampliùs gratiam, omnésque Virtutes infusas augeat. Habent verò hæ virtutes infusæ pro regula non solam rationem humanam, sed Legem Divinam & Evangelicam, quæ multò plus docet, quàm naturalis ratio assequitur. Habent item pro communi & ultimo fine DEUM, objectum beatificum, ac finem supernaturalem lumine fidei revelatæ cognitum: alios quoque particulares fines, supra humanam rationem elevatos, & ad hunc ultimum finem, qui est clara DEI visio, beatificáque possessio, proportionatos, ac ordinatos habent. Quæ denique virtutes omnes per quodlibet mortale peccatum amittuntur, quia gratiam & charitatem comitantur. Ac quemadmodum per quodvis peccatum mortale amittitur gratia, & charitas, quæ est vita & perfectio Fidei, ac Spei, habitúsque fidei & spei mortui remanent, sine perfectione ac statu virtutum; sic universæ quoque virtutes Morales infusæ amittuntur, manétque homo peccator secundùm animam nudus, & illis omnibus exutus.

§. II.

MOTIVA.

1. Petri, c. 1. I. QUia Virtus est unicum bonum hominis; sunt enim virtutes bonum ingens, bonum perfectissimum, pretiosissimumque, de quo S. Petrus loquens, *DEUS*, inquit, *pretiosa nobis promissa donavit*, id est, bona, quæ magnitudine ac valore, quidquid dici potest, superant, súntque in seipsis aliorum, quæ in altera vita speramus, majorum bonorum pignus ac promissio. Et hæc sunt propria hominis bona, ad ipsum principaliter secundùm animam spectantia, quippe quam implent, & optimè tranquillant: súntque bona, quæ homo possidet, & ad arbitrium suum conservat, neque nolenti quisquam auferet; neque ulla in cœlo, neque in terra, creata vis est, quæ invitum ijs spoliare possit: sunt inquam, bona, quæ ille non modò hâc temporali vitâ durante possidet, sed etiam in æternitate, ad quam eum ex hac vita comitantur, & in qua meliorata, summéque perfecta durant in sempiternum.

S. Greg. in Evang. II. *Quia virtus, est verus Thesaurus & divitiæ hominis*, uti S. Gregorius indicavit, dicens: solæ divitiæ veræ sunt, quæ nos virtutibus divites efficiunt. Ad has divitias quærendas cœlestis Magister Christus tam seriò & tanta cum authoritate ac verborum pondere nos hortatus est, dicens: *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi* si metalla sint, *ærugo*; si panni, *tinea demolitur*, si gemmæ, aut lapides pretiosi, aut vasa, signáve aurea, *fures* loca, in quibus ea asservantur, *effodiunt*, & *furantur*. Quasi dicat, si verè divites esse, si veris potiri divitijs, veósque thesauros possidere vultis, nolite vestrum desiderium ac solicitudinem ponere in cumulandis terrenis, (Matt. c. 6.) bonis prædiorum, redituum, honorum, dignitatum, voluptatum, & deliciarum, cùm bona sint caduca, temporalia, innumeris periculis, ac casibus, quibus consumuntur, & cum sui possessoris damno pereunt, obnoxia: *Thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo, ubi neque ærugo, neque tinea demolitur, & ubi fures non effodiunt, neque furantur*: hoc est, omnem vestrum affectum, solicitudinem, laborémque ad acquirendas, exercendas, sanctisque charitatis, misericordiæ, ac patientiæ operibus, nec non pijs orationis, contemplationis, pœnitentiæ, ac mortificationis exercitijs augendas virtutes convertite, quando hæ summi pretij opes, & immensi valoris thesauri sunt, quibus comparantur cœlestia bona, in quibus hominis felicitas & gloria consistit, quæ sunt vita æterna, bona immortalia atque perennia, quæ cum perpetua securitate jucundissimè possidentur.

III. *Quia virtus est vera dignitas & nobilitas hominis*; uti S. Bernardus dixit, sola virtus Mater gloriæ est, & teste S. Hieronymo, summa apud DEUM nobilitas est, clarum esse virtutibus; & meritò, hæc enim est, quæ illos spiritualiter, id est, per vitæ, Sanctorúmque morum imitationem, propinquos & filios Patriarcharum, Prophetarum, Divorúmque Regum constituit: hæc, quæ per gratiæ communicationem eosdem generi seu prosapiæ DEI inserit, & per adoptionem filios facit admodum claros, charósque eidem DEO, Domino immensæ majestatis, & omnium conditarum rerum absoluto Regi: & denique Fratres Christi, universalis cœlorum, ac terrarum Regis summè gratiosos. Hinc cùm aliquando Christus in quadam domo verba ad circumsedentem turbam faceret; eôdem sanctissima ejus Mater cum aliquot suis consanguineis ad ipsum audiendum concessit: & cùm intrare nequirent, præ foribus eum præstolabantur; Moniti ergo quidam, qui eos ibi viderunt, interpellantes Dominum: *Ecce*, inquiunt, *mater tua, & fratres tui* (fratres, Hebraico more, cognatos secundùm carnem vocant) *foris stant, quærentes te*: quibus ille respondit; *quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei? Et* circumspiciens, *manúmque in præsentes discipulos suos extendens: ecce, ait, mater mea, & fratres mei: quicunque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse meus frater, & soror, & mater est.* Quâ sententiâ significavit, prosapiam carnalem, quamvis illustrem, exiguo apud DEUM pondere esse, neque propter eam homines secundùm divinæ legis ac judicij veritatem pluris æstimari: contrà verò stirpem, cujus DEUS magnam ducit rationem, & quapropter homines plurimi facit, esse spiritualem, quæ ex virtute petitur, quâ quis sanctis Patribus assimilatur, obedit DEI voluntati, ejusdémque mores & perfectiones imitari studet. Unde meritò pronuntiavit S. Chrysostomus: Illa sola, veráque nobilitas, & cognatio cum Christo est, quæ in facienda DEI voluntate consistit.

(S. Bernar. s. 1. de nat. B. Virg. S. Hier. lib. 2. ep. 20. Matth. 12.)

Hic

Hic mirabilis honor, hæ incredibiles virtutis vires sunt, quæ virtuosos homines ad tantam dignitatem evehunt, quanta est, esse Fratres & Matrem Christi; & cùm tam altus honor sit, esse Matrem DEI, ut omnem laudem excedat, participat eum homo justus, quia DEI voluntatem facit.

Arias l. 6. c. 5. IV. *Quia virtus est præcipuum ornamentum & vestis animæ, quâ comitur & operitur anima, fitque Pulcherrima, & DEI oculis longè gratissima.* Vestes materiales corpori nec adimunt deformitatem, nec quâ caret, pulchritudinem tribuunt, sed deformitatem ejus tegunt, & bonam quandam speciem foris ei conferunt: At hæ vestes animæ, virtutes, inquam, omnem ab eâ deformitatem verè tollunt, tantámque ei pulchritudinem & gratiam, támque divinum dant splendorem, ut omnium universi mundi rerum visibilium pulchritudinem, venustatémque quàm maximè excedat. De his vestibus ipsa veritas Christus, per Joannem cum peccatore, qui iis carebat, loquens: Dicis, inquit, quia dives sum, & nullius egeo; nescis, quia tu es miser, & spiritualium bonorum pauper, & gratiâ, virtutéque nudus, suadeo tibi emere à me aurum ignitum probatum, id est, studere veræ charitati, divinæque sapientiæ, per pœnitentiam tuorum peccatorum, à liberalitate ac misericordiâ mea impetrandæ, quâ veris divitiis locuples fias, & vestimentis albis, splendidísque virtutum induaris, & orneris, & coram DEO non appareat confusio nuditatis tuæ. Romani, si quem magistratum, honorémve Publicum ambirent, per eos dies, quibus competebant, veste candidâ induti comparebant in campo Martio, ubi comitia habebantur, populúsque de mandandis honoribus suffragia ferebat: unde qui eos petebant, candidati, hoc est togâ candidâ amicti, vocabantur: Eóque modo vestiti incedebant, donec honorem acciperent; quo obtento alium majoris authoritatis vestitum sumebant. Idem fidelibus, qui regnum cœlorum petunt, usuvenit, ut toto tempore, quo hæc petitio durat, toto, inquam, vitæ hujus curriculo, vestibus candidis, pulchris, splendidis, gratiâ & multiplici virtute amœnis ornati incedant, donec cœlestis regni dignitatem obtineant: tùm demum pretiosiùs vestiuntur, cùm stolâ gloriæ, quæ pretio, pulchritudine, splendore, jucunditatéque incomparabiliter omnia, quæcunque in hac lacrimarum valle possidentur, bona superat, induuntur.

V. *Quia virtus etiam in hac vita beatum facit*; nam virtus cœlitus infusa, æternæ beatitudinis principium, radix, fons ac pignus est, habéntque virtuosi actionem seu jus ad beatitudinem, & certam ejus spem, minimèque vulgarem gustum. Id quod Apostolus de fidelibus virtute, & gratiâ, quam Christus promeruit, prædiris, non uno loco affirmavit. DEUS, inquit Corinthiis scribens, gratiâ suâ, ac donis divinis unxit nos, qui & fide suâ, vitæque suæ imitatione signavit nos, & dedit signum spiritûs, hoc est, gratiam & virtutem, quâ mediante Spiritus Sanctus nostras animas inhabitat, in cordibus nostris. Pignus vocatur sive artha, quia sicut hæc in contractu venditionis ad ejusdem certitudinem datur, & in sponsaliorum contractu ad matrimonij securitatem, sic gratia & virtus securos nos, certósque de eâ, quam expectamus, beatitudine reddit. Et ad Ephesios scribens ait: *Credentes vos in Christo, verbóque ejus obedientes, signati estis spiritu promissionis sancto, qui verbo DEI obedientibus communicatus, est pignus hæreditatis vestræ, nempe æternæ quam in cœlo expectamus, beatitudinis.* Et quoniam in divinis literis una eadémque res est beatitudo, & regnum cælorum, cùm virtus, quæ in hac vitâ possidetur, inchoata beatitudo sit, & meritum, radix, ac fundamentum, beatitudinis completæ, atque perfectæ, quæ in alterâ vitâ possidetur, consequens est, ut etiam virtus regnum cœlorum sit, virtuosique regnent, & cæli sint Reges, & jam in hac vitâ, ubi virtutem habent & exercent, regnum obtineant, & regnare incipiant, & in alterâ vitâ, ubi virtutis præmium percipitur, cœlestes Reges futuri sint, & in regno DEI una cum Christo, qui supremus cœlorum Rex est, perfectè regnaturi. quod totum nobis Sacra Scriptura testatum facit. Loquens enim Christus præcipuè illis, qui fide vivâ credebant: *Regnum DEI*, inquit, *intra vos est*; hoc est, intra animas vestras dona sunt, quibus mediantibus vos regnatis, & DEUS regnat in vobis. Et divus Paulus hoc regnum explicans: *Regnum DEI*, ait, sive bonum, quo mediante DEUS in nostris animabus regnat, nósque regnamus & regnaturi sumus: *est justitia*, quâ DEO, proximo, nobisque ipsis, quicquid debemus, tribuimus; *& pax*, id est, unio cum DEO & proximo per charitatem, *& quies* nostræ conscientiæ; *& gaudium*, cujus author est Spiritus Sanctus, quo lætamur de gloria DEI, déque bonis proximi, & animæ nostræ, & libenter ac cum devotione bona opera facimus; Hoc est regnum DEI, & regnum cœlorum, quod in hac vita incipit, consistítque in perfectâ virtute, quæ nos Dominos, ac reges nostri ipsorum, & passionum, appetituúmque nostrorum facit, & subjicit nos in omni re divinæ voluntati, ut ille nobis imperet, nec aliud in nobis velle regnet, quàm DEI. Et hac virtute meremur ac consequimur in alterâ vitâ regnum perfectum, & æternum cœlorum, in quo tanquam gloriosi triumphatores cum Christo regnabimus, & Christus regnabit per gloriam in nobis. Hoc DEI regnum est, quod desiderare, magni facere, totóque corde quærere, & ad quod obtinendum omnes nostros nervos, omniáque DEI, quæ idcirco habemus, auxilia contendere nos oportet: medium verò promerendi, comparandique, virtus est; quapropter virtus, regnum DEI dicitur, quia est titulus, quo id meremur & medium, quo idem acquirimus. Ad hoc exhortans animásque nos Christus: quærite, inquit, primùm ac præ-

præcipuè non temporalia bona, quasi magnum quid, cùm vana sint, sed post gloriam & honorem quærendum pro DEO in omni re, pro vobis ante omnia regnum DEI, ut cum eo in ipsius gloriâ æternùm regnetis, fruentes ipso, possidentes ipsum, perfectéque ab ipso possessi: & quærite justitiam ejusdem DEI, hoc est, fidem ipsius, obedientiam, amorem, omnémque perfectam virtutem, quâ justitiâ verè justi sumus, Deique regnum & meremur, & consequimur in æternitate.

§. III.

MEDIA.

S. Isidor. l. 3. ep. 324. I. *Ardens desiderium virtutes acquirendi*; nam, ut S. Isidorus Pelusiota rectè advertit, qui virtutem amant, ac sapientiæ studio tenentur, inexplebili quadam cupiditate flagrantes, divinam hanc facem in animis suis excitare minimè intermittunt, hoc quidem pro serio opere, alia autem omnia pro rebus levioris operæ ducentes. Ac propterea parva esse, videntur, quæ alij magna & ampla existimât, atq; ea, de quibus alii digladiantur, risui habent, & quæ alij suspiciunt, pedibus proculcant, cœlestiáque sola expetunt. Cùm igitur ad hujusmodi chorum nomen tuum adscribere in animum induxeris (scribit Strategio monacho) æquum profectò fuerit, te insomnem animæ oculum conservare, nimirum, ad attendendum studio virtutum. Cui etiam S. Laurentius Justin. adstipulatur dicens: ad Perfectionis fastigium, quod triumphus est pugnæ, virtutum desiderio impellente pertingitur. In ipso prærogatur gratia, dimicandi subsistit peritia; per ipsum quoque additur robur, adversariorum debilitantur vires, virtus augetur, spe erigitur animus, paténtque cœlestia, virtute præcedente ac concomitante Sancti naturam vicerunt: superaverunt dæmones, debellaverunt mundum, sublegerunt seipsos; diripuerunt cœlum, imitatores facti sunt DEI. Quid referam amplius: Virtutis desiderium præcellit miraculorum operationem; prophetiæ donum, linguarum genera, interpretationem sermonum, sanitatum gratiam, & cognitionem cœlestium. Multi talibus ornati perierunt, virtutibus autem nemo. Semper virtutum desiderio munitus incedat, qui vi cœlorum conatur diripere regnum. Hinc S. Gregorius Nazianzenus, primo post DEI auxilium loco ponit desiderium, causam sui profectûs. Ita demum, inquit, progrediebamur, DEO & cupiditate adjutoribus utentes.

(S. Laur. Inst. c. 9. de intern. Conflict.)

II. *Oratio crebra & ardens*, uti S. Jacobus c. 1. suasit dicens: *Siquis vestrûm indiget sapientiâ* (seu virtute, quæ est vera sapientia) *postulet, à DEO, qui dat omnibus affluenter, & non improperat; & dabitur ei. Postulet autem in fide, nihil hæsitans.* Hoc ipsum medium etiam præ cœteris suasit P. Petrus Faber è Societate JESU, qui inter monita Sodalitati Parmensi (L. 1. vit. c. 7.) à se relicta, hoc quoque reliquit: Ubi sacerdos Christi Corpus ritè confecerit, aut elevatum ab arâ sublime populo præmonstrârit, tum vos (quod in summis numerandum est donis) petetis à DEO famem sitimque Justitiæ.

III. *Exercitatio assidua virtutum*; nam, ut rectè S. Bernardus dixit, virtutes non natura sed usus facit. Et, ut ait Aristoteles, sicut ædificando ædificatores, citharizando citharædi efficiuntur, ita quoque justa agendo justi, temperantia temperantes, fortia fortes evadimus. Non dat natura virtutem, inquit Seneca: Ars est, bonum fieri, virtus non contingit animo, nisi instituto & edocto, & ad summum assiduâ exercitatione perducto. Omnis habitus & facultas, ait Epictetus, assiduis actionibus conservatur, & crescit. Et, ut ait Plutarchus, si vel parùm pergas superaddere parvo, idque frequenter agas, magnum citò habebis acervum. Non de pecuniâ duntaxat augendâ, verum est, sed ad omnia pertinet, maximè ad virtutis incrementum, cùm ad doctrinam assidua atque efficax adjungitur assuefactio. Hinc noster P. Petrus Faber malebat propter virtutum inopiam, quàm propter quotidianas noxas minimas, compungi. Quo in errore, hi plerumque versantur, qui sanctitati præ cœteris student, ut ad errata quotidiana magis intendant aciem, quàm ad lucra virtutis. Cujus & aliquando fraudis Fabrum piguit, studiosiùs forsitan prosecutum artes errandi, atque cadendi, ut ipse in quodam suo scripto loquitur, quàm ipsa decora & ornamenta virtutum. Quamquam enim virtus est, vitia fugere, ut præstans Poëta dixit: tamen in unis deplorandis, contemplandísque peccatis, perpetuò hærere defixum, nec ad majora & potiora suspicere, id animi retardat impetum grandia molientis, & ipsa infringit atque hebetat incrementa virtutis, quæ denique ipsa esse non possunt, sine fugâ & diminutione vitiorum.

(S. Bern. l. de consid. c. 11. — Aristot. l. 4. Eth. c. 4. — Vita l. 2. c. 11.)

§. IV.

ASCETICA.

Quia virtutis studiosi non parvam difficultatem sentiunt in cognoscendo, quantùm in virtutibus proficiant, placet, indicia hujus profectus ex probatis Authoribus huc apponere.

I. *Primum* itaque *indicium est, si opera quotidiana virtutum promptiùs & faciliùs eliciantur, quàm antea*; nam, ut rectè advertit S. Theodorus Studita, inquietum est quid virtus, quæ haud cessat unquam, quin præditos se, in melius provehat semper. Quod demonstrans Apostolus ait: *Quæ retrò sunt, obliviscens, ad ea verò, quæ sunt priora, extendens me ipsum, ad destinatum persequor ad bravium supernæ vocationis, in Christo IESU*; ut quies sit in virtute nulla. Nam à virtute quies, vitii est exordium. Itaque nec nos quiescamus, fratres, à virtutis curriculo, sed assiduò

(S. Theodor. S. 108.)

duo pernices ac novitii, è robore in robur provehamur, dum in virum adultum evadamus, nec in mensuram ætatis plenitudinis Christi.

Collat. 14. c. 3. apud Cass. II. *Secundum est, si cum minore repugnantia amoris proprii, & vitiata natura fiant*, nimirum, ut Abbas Nestero ait: ita virtutum perfectione, mens sit nostra formata, ut talis non jam coacta, & quasi violento imperio, subjecta famuletur, sed tanquam naturali bono delectetur, atque pascatur. Hanc repugnantiam in bono, abigit frequentatio bonorum operum. Nam, uti docuit Christus Dominus S. Brigittam: Ego habeo unum gazophylacium, in quo sunt reposita, & gravia quasi plumbum, & cella, ubi ista sunt, est circumsepta acutis aculeis pungentibus. Sed qui hoc primò incipit vertere, & revolvere, & deinde portare didicerit, levia videntur sibi postea, quasi pluma, & sic levissima fiunt, quæ antea ponderosa videbantur; & suavia, quæ antea pungere videbantur. Hoc gazophylacium, est amor meus; via, quæ ducit ad illud, est abnegatio, & abjectio propriæ voluntatis. In amore autem meo videtur aliquibus esse onus, quasi plumbum, quia, cùm jejunare debent, & vigilare, seu refrænare carnem, quasi plumbum sibi portare videntur. Si autem verba & contumelias audierint, si in religione, & oratione morantur, quasi inter aculeos resident, & in omni hora angustiantur. Sed qui in amore meo esse vult, incipiat primò vertere onus, id est, faciat ea quæ potest, cogitando sic: Hoc bene facere possum, si DEUS dederit mihi auxilium; deinde perseverans in incepto, cum tantâ alacritate, quæ videbantur sibi priùs esse onerosa, incipit portare, quòd omnis labor in jejuniis, seu vigiliis, & aliis laboribus quibuscunque, est sibi tam levis, quasi pluma. Et in tali sede quiescunt amici mei, quæ est malis, & desidiosis, quasi circumsepta aculeis & spinis: sed amicis meis est summa quies, & levis quasi rosa. Ad hoc gazophylacium, est via recta, contemptus propriæ voluntatis, quando homo consideratâ passione & charitate meâ, non curat facere voluntatem suam, & resistit totis viribus, & conatur semper ad majora. Et licèt ista via in principio, sit aliquantulùm gravis, tamen in processu multùm delectat, in tantùm, quòd ea, quæ priùs videbantur ad ferendum impossibilia; fiunt postea levissima, ut meritò dicat intra se: *Jugum DEI suave est.*

III. *Tertium est, si cum gustu quodam & delectatione fiant*, uti S. Barlaam promittebat
Vit. c. 19. Sancto Josaphat à se converso: omnibus, inquit, viribus assuesce virtutibus, easque ita cole, atque exerce, ut earum habitus tibi comparetur. Nam si paulùm laboris in ipsis susceperis; atque earum habitum contraxeris, postea, DEO adjuvante, citra laborem ullum
S. Aug. l. 9. conf. c. 1. proficies. Uti reipsa se expertum S. Augustinus fatetur dicens: Quàm suave mihi subitò factum est carere suavitatibus nugarum, & quas amittere metus fuerat, jam dimittere gaudium erat. Ejiciebas enim eas à me, tu vera & summa suavitas, & intrabas pro eis, omni suavitate dulcior.

IV. *Quartum est, si cum majori fervore & actuum intensione fiat*, quod indicium S. Abbas Cassianus coll. 6. c. 10.
Theodorus apud Cassianum indicavit dicens: cùm ità spiritus ardore succensus, ad ea, quæ invisibilia sunt & æterna, tota animi alacritate transmigrat, ut nequaquam se credat jam in carne consistere. Hoc est, ac si non esset in carne, sed totus spiritus quidam, ob fervorem spiritûs. Imò lumine naturæ edoctus Plutarchus in Moralibus ait: ut non est verus amor, qui caret zelotypiâ, ita non amat vehementer virtutem, nisi qui ardet æmulatione rectè factorum ab aliis. Ideo S. Climacus ait: Monachus est, qui ita virtutibus affectus est, ut esset voluptatibus alius: scilicet affectu magno & fervore.

V. *Quintum est, si constanter, etiam tempore adversitatum exerceatur*; Nam, ut rectè S. Dorotheus dixit, quantò magis anima profecerit, tantò robustior efficitur, & ad quævis molesta ferenda validior. Adeò violentus debet esse amor virtutis, ait S. Chrysost. atque, ut ita loquar, tyrannicus, ut nulli cedat occasioni, sed continenter inhæreat amantis animo, neque committat, ut ulla afflictio, aut ullus labor superet animum. Nam ut ait S. Bernardus, virtus si perfecta sit, facilè animum victorem sui, & invictum reddit ad omnia. Bene dixit, ad omnia: scilicet non tantùm ad adversa, sed etiam ad prospera, quorum desiderio multi resiliunt à studio virtutum.

S. Doroth. s. 7.
S. Chrysost. ho. 1. ad Philip.
Serm. 85. in Cant.

VI. *Sextum est, si celeriter, & quasi connaturali inclinatione eliciatur*; nam, ut S. Ambrosius rectè dixit, opus DEI præproperam etiam festinationem exigit: Talis erat virtus S. Ignatii Loiolæ, de quo apud Orlandinum dicebat P. Andreas Frusius (quem Ignatius aliique noti, ob innocentiam vitæ, singularémque sapientiam, Angelo simillimum judicabant) cælestem Christi gratiam in Ignatio, quasi ingenitam ac naturalem videri; adeò constanter, ac semper ubique, adeóque facile, modum, virtutémque servabat.

S. Ambros. l. de 42. mans. n. 16.
Orland l. 16 hist. Soc. n. 119.

VII. *Septimum est, si quis alios etiam ad similem virtutis amorem perducere studeat*; sicque illud Plinij encomium mereatur, quod dedit Trajano Imperatori: Tantò laudabilior es, quòd, cùm ipse sis optimus, omnes circa te, similes tui effecisti. Quod quidem ijs potissimùm curandum est, qui vel præsunt alijs, vel ad talem statum sunt vocati, cujus finis est, in aliorum quoque salutem ac perfectionem incumbere: ij enim conari debent juxta Apostolum, ut exhibeant omnem hominem, perfectum, in Christo JESU. Nec contenti esse debent levi aliquâ perfectione, sed ad altissimam aspirandum est. Medici animarum, inquit S. Gregorius Nazianzenus, scopus est, animæ pennas addere, ac mundo eam eripere, Deóque dare, &

S. Gregor. Naz. orat. 1.

& Christum, per Spiritum Sanctum, in pectoris domicilium admittere. Atque, ut summatim dicam, eum, qui superni agminis sit, DEUM efficere, ac supernam beatitudinem ei comparare.

§. V.

MISCELLANEA ET CONCEPTUS PRÆDICABILES.

S. Ambros. l.3 de spir. S.c. 18.

I. ISaias vidit Dominum in throno excelso, & elevato, & duos Seraphim, qui contentis vocibus, & alternis vicibus illi occlamabant: *Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Isa. 6. 3. Ergone aliud nihil aut viderunt, aut invenerunt in tanta Majestate ardentes illi præcones, quod admirarentur, ac dilaudarent, quàm unicam, solámque sanctitatem? Non poterant prædicare omnipotentiam, omniscientiam, justitiam, misericordiam, & ex infinitis attributis ejus alia aliqua? Respondet S. Ambrosius, à sanctitate potissimùm extulisse DEUM, ut intelligeremus, sanctitate nihil debere esse nobis antiquius, nihil carius, aut venerabilius. DEUM enim ipsum cùm à sanctitate laudamus, à digniore commendare non possumus: Nihil pretiosius invenimus, quo DEUM nominare possimus, nisi ut sanctum appellemus, inquit ille lib. 3. de Spiritu S. c. 18. Plutarchus Tract. de doctrinâ Principum (ut ne illud Ambrosij nimiùm mireris) plus dixit: Non felix est DEUS vitæ spatio, inquiens, sed eò quòd est princeps virtutis: nisi enim DEUS esset æquè sanctus, ac æternus, miseram ageret æternitatem, aut æternam miseriam. Quomodo ergo possit homo de quacunque gratia gloriari, dum illâ careat, charum, gratúmque DEO quæ facit? Ut desint cætera, hæc una illum locupletissimum facit; abundet alijs, absque hâc omni mendicabulo magis mendicus est.

S. Gregor. Nyssen. l. de virgin. c.12.

II. Lucæ 15. ajebat Dominus: *Quæ mulier habens drachmas decem, si perdiderit drachmam unam, nonne accendit lucernam, & everrit domum, & quærit diligenter, donec inveniat eam?* S. Gregorius Nyssenus plurimùm admiratur tam sedulam, solicitam, & avaram hujus mulieris in conquirenda una drachma curam, quæ fecit, ut & lucernam medio die accenderet, & everreret, tantúmque non everteret domum, & omnia locis suis moveret, & nullum angulum inexploratum relinqueret. Si novem reliquas perdidisset, magnitudo jacturæ tantum conquirendi laborem meruisse videri potuisset. Quæ verò drachma illa fuit, quam tanto studio indagavit, sine quâ nullam putavit habere reliquam, tametsi novem superessent, quâ solâ se magis divitem putavit, quàm cæteris omnibus? Respondet S. Nyssenus, hanc drachmam esse gratiam DEI, quæ nos in illius amicitiam asserit, quæ nos illi acceptos, & charos facit. Ea verò sola tam studiosè, ac solicitè investigatur, cæterarum præ hac ratio nulla habetur. Quæ gratiâ DEI destituta est anima, ea tam est orphana, tam vidua, ut cæteris omnibus bonis, donis, ornamentis exutam, nudatámque existimare possis, reliqua nempe omnia absunt, ubi non adest illa: Et si omnes adsint (puta virtutum quarumvis facultates) illa tamen una remota sit ab animo illo viduo, nulla existit utilitas.

Anastas. Nicenus q. 18.

III. S. Joannes Chrysostomus apud Anastasium Nicenum q. 18. magnoperè admiratur Moysen, quòd tantum vestium ornatum Aaroni concesserit, quo ad ministerium DEI uteretur, ipse verò nihil pontificalium ornamentorum sibi usurpaverit, qui tamen cum DEO familiariùs, quàm Aaron, quin & facie ad faciem loquebatur. Erat Moyses illâ veste nudatus, Moyses non fuit unctus oleo, non gestavit vestem sacerdotalem, inquit ille. Quamobrem verò non similiter ac Aaron, cùm vestitûs sacri majestate ille magis uti debuisse videbatur, qui cum DEO familiariùs communicabat? Respondet sanctus Doctor: ut discas, quòd ei, qui est secundùm DEUM perfectus, ornamentum sufficit virtutis. Quòd Moyses non splendidè, ut Aaron, & cæteri sacerdotes, se vestivit, non id factum, quòd ejusmodi ornamenta non plùs illis mereretur, sed ut nos admoneremur, perfectionem neque in Pontificiâ, neque in aliâ seu regiâ, seu majore potestate positam esse, sed in eo, quòd quis sit impiger DEI servus, & gratiosus illius; seu Pontificiam cidarim, seu regium diadema capite gestes, nihilo illustriorem facit ornatus, si gratiâ nudus est animus: Ei verò, qui est secundùm DEUM perfectus, ornamentum virtutis sufficit.

Epiph. l.3. hær. 79.

IV. Quis Christo conjunctior in terris, quàm quæ illum peperit terris? cui alteri tam propensè addictus ille fuit, quàm suæ sanctissimæ Matri? Erga illam prolixus fuit, quantùm erga hominum aliorum neminem. In illam congestit donorum, & gratiarum ornamenta, quanta conferri in creaturam aliquam possunt, & hoc tamen illi non dedit, quod plurimis alijs longè inferioribus, ut solennem Baptismum conferre, consecrare, benedicere, & alia his affinia facere posset; sed neque hoc indulsit, ut Regina mundo imperaret, quod mulieres aliæ nonnullæ fecerunt. Quamobrem talia Matri optimæ Filius potentissimus negavit? S. Epiphanius lib. 3. hær. 79. Respondet: Non permisit DEUS BEATÆ MARIÆ dare Baptisma, non benedicere discipulos, non imperare in terrâ jussit, sed solùm ipsam sanctificationem esse voluit. Exornavit, locupletavítque Matrem suam eâ virtutum copiâ, eâ sanctitatis affluentiâ, quâ nullum in terris hominem, nullum in cœlis Angelum, cui baptizandi, consecrandi, benedicendi munia non concessit, ut hinc intelligeremus, beatitudinem etiam vitæ præsentis, quâ mater ejus suprà omnes gavisa fuit, positam esse non in dignitatibus officiorum, non in honorum titulis, non in majestate imperij, sed in solâ sanctitatis gratia, inque DEI amicitiâ, ut proinde sola ea omni studio anxiè quæri, & ardentissimis votis experi debeat.

S. Chrys. ho. 51. in Gen.

V. Postquam è terra, & aulâ Regis Abimelech Isaac Patriarcha noster expulsus fuit, apparuit ei nocte quadam Dominus, utque timore percul-

perculsum, & anxiam in medijs sollicitudinibus consolaretur, ait: *Ego sum DEUS Abraham patris tui, noli timere; quia ego tecum sum;* Genes. 26. 24. Quamdiu enim ego lateri tuo adhærebo, non erit, quod formides conjuratos in tuam perniciem hostes, aut persecutores adversarios pertimescas. Videtur hoc loco Dominus imperium suum angustis limitibus circumscripsisse, & plurimum coarctasse Jurisdictionē, inquit ferè Sanctus Joannes Chrysostomus, cùm se unius tantùm subditi dominum facit. At nonne ad ostentandam magnitudinem potentiæ, & amplitudinem regni sui meliùs fecisset, si terræ, cœlorumque Dominum, & totius universi Monarcham absolutum se pronuntiasset? Quid ergo est, quòd jurisdictionem suam, & monarchiam sic contrahit, ut unius tantùm hominis Dominum se vocet? Respondet Chrysostomus homil. 51. in Genes. Orbis Conditor unius hominis DEUM se dicens, non concludit, & abbreviat cum Patriarchæ appellatione suum Dominium. Ita, inquit, eum mihi feci proprium, ut apud me reputetur tanti, quanti alij homines. Quòd ergo unius Abrahæ Dominum se DEUS vocavit, eâ re non in arctum coëgit suum imperium, sed indicare voluit, unum Abraham sibi omnium reliquorum hominum instar esse. Docemur eâ re, verissimum esse, quod hujus capitis titulus habet, nempe magnitudinem rei cujuspiam non in multitudine, neque pretium in mole, sed in valore, & qualitate positum esse. Nam unius Abrahæ in unâ bilancis parte positi pondera apud DEUM graviora erant, & pretium majus, quàm totius mundi reliqui: Ita cum mihi feci proprium, ut apud me reputetur tanti, quanti alij homines. Sic videmus unum Solem stellis omnibus potiorem esse, & adamantem unum multis radius saxis præstantiorem.

Guil. Eborac. in c. 26. Gen. clauf. 4. q. 11.

VI. Concepit sterilis Rebecca, & geminos, Esau & Jacob, quanquam magnis cum doloribus, enixa est. Quorum ille abominabilis fuit DEO, hic pergratus oculis supremæ illius majestatis. Fuit conceptio miraculosa, & postquàm Jacob peperit, alios posthæc edidisse liberos, sacer textus non memorat, qui tamen hoc non dissimulasset, si illa prolem aliam mundo dedisset. Quærit ergo nunc eruditus interpres Guilielmus Eboracensis in cap. 26. Genes. clausf. 4. q. 11. quamobrem formosa Rebecca finem pariendi fecit, postquàm mundum felici illo partu Jacob nobilitavit? Respondet quæstioni: Quòd non plures filios ediderit, hoc ideò fortè fuit, quia post dictum miraculum redijt ad pristinum statum, scilicet sterilitatis; debuit enim illi sufficere genuisse Jacob, qui appretiari poterat super mille alios filios. Plus satis erat sterili matronæ, quòd DEUS illi aperuerat fœcunditatis fores, per quas ad illustrandum Mundum prodiret tam magnus, & insignis Patriarcha, quàm erat Jacob, qui solus liberos millenos exæquare poterat.

S. Petrus Chrysol. s. 73.

VII. Sacrum oraculum, quod inter angustias posita Rebecca consuluit, hoc illi responsum dedit: *Duæ gentes sunt in utero tuo, & duo populi ex ventre tuo dividentur, populusque populum superabit, & major serviet minori:* Gen. 25. 23. hoc est, Esau Jacobo. Sed cur minor Jacob reportabit benedictiones, & obtinebit primogenituram, cæterisque privilegijs domus Isaac potietur, & meliorem locum occupabit, quàm natu major Esau? una omnium Expositorum responsio est, id factum, quòd Jacob esset vir sanctus, perfectus, & qui ad amussim voluntatis DEI vitam suam instituerit. Esau verò homo (ut illum Apostolus vocat Heb. 12. 16.) profanus, simoniacus, gulæ deditus, aliisque flagitijs addictus, quibus animam suam contaminavit, & genus suum dedecore aspersit. Præcedat ergo sanctus peccatorem, profanum Religiosus, quamquàm profanus & peccator tempore sit major, priorque ab utero matris in mundum prodeat, ut hunc accipiamus, illum in domo DEI esse antiquiorem, qui virtutum ditior; illum esse majorem tempore, qui bonorum operum meritis affluentior. Ille primus est (inquit sanctus Petrus Chrysologus serm. 73. de his ipsis gemellis loquens) quem cœlestis gratia generat, non natura mortalis; ille primus, quem gratia semper beatè victurum gignit, non quem caduca natura propediem dissolvendum emittit.

Origenes Adamant. hom. 3. in Gen. 18. 3.

VIII. Sacer scriptor cùm ab annis Abrahamum, honestamque ejus conjugem describeret, quos habebant, quando Angelus miraculosam, & sanctam illis posteritatem promittebat, sic ait: *Erant ambo senes, provectæque ætatis;* Genes. 18. 11. Origenes Adamantius, hom. 3. in Genes. & Philo Alexandrinus lib. de Abraham, hunc sacri Textûs loquendi morem diligenter expenderunt, atque illud in his verbis subnotârunt, quòd horum conjugum provectior ætas prima commemoratur, sic ut majorum, quos habuerunt, nullus senex factus in ullâ scripturæ parte superiore narretur. Hunc primum nominant seniorem, inquit Philo, quamvis majores ejus triplo, & ampliùs longæviores fuerint, quorum neminem legimus hac appellatione dignum habitum. Quid Mysterij habeat, quòd primus hic noster Patriarcha Abraham venerabilis senis appellatione cohonestari meruit, cùm illum ad id temporis usque plurimi annis plurimis superârunt, & non pauci secula tota, neque pauca supra quàm ille, vixerint? Seth fuit annorum nongentorum & duodecim, Enos nongentorum quinque, Cainan nongentorum decem, Malaleel Octingentorum nonaginta quinque, Mathusalem nongentorum sexaginta novem, Lamech septingentorum septuaginta septem, & alij plurimi in longiores annos produxerunt vitam suam, quàm Abraham. Quid sibi vult ergo, quòd hi tam decrepitis, & Abrahamo tam multò provectioribus honorificus senum titulus denegatur, quibus debitissimus videbatur, & uni credentium Patriarchæ ante omnes tribuitur? Respondet Philo: Proavorum Abrahæ neminem legimus hac appellatione dignum habitum, & meritò. Cur meritò? Nam reverâ senior non ex longitudine

temporis, sed ex laudata vita putatur. In illa cœlorum Regia non vocatur antiquus, qui longos annos exegit; nec qui secula pluscula transmisit, sed qui multis meritis excellit: Et quoniam Abraham majores suos omnes, à quibus ætate superabatur, virtutum copijs, & perfectionis gradu longè infrà se relinquebat, idcircò huic gloriosum senecionis vocabulum conceditur, non illis. Ex quo intelligimus, antiquitatem, ut eam DEUS suppetat, nach Gottes Rechnung / non à longis annis, sed à multis, & magnis meritis æstimari: siquidem, ut Philo Hebræus in hujus rei amplificationem porrò inquit, qui multum ætatis in tempore vixerunt sine probitate, longævi pueri dicendi sunt.

S. Ignat. in epist. 6. IX. Ablegabat Dominus Jeremiam ad prædicandum, cum amplissima commissione, *ut evelleret, & destrueret, & disperderet, & dissiparet, & ædificaret, & plantaret, constituens illum super gentes, & super regna.* Cùm se tam sublimi provinciæ impositum, tantique muneris dignitate auctum sanctus Propheta cerneneret, oculósque ad rudem ætatem, suam converteret, & annos teneros cum asperitate operosi officij componeret, deprecabatur tam grave onus, ætatem prætendens, quæ tam arduo, & negotioso muneri præmodùm impar esset. Prætextum alium, quàm ætatis immaturæ, & perimbecilis, nullum reperit, quo præfecturæ tam gravis pondera à suis humeris prohiberet. Verùm Dominus respondit, longè infirmissimam esse eam rationem, quâ injuncti officij susceptionem effugere posse putârit, inquiens: *Noli dicere, puer sum*; Jerem. 1. 7. non est bona de paucitate annorum petita excusatio, non enim in annis posita est virtus, sed in recto rationis judicio, & sensuum maturitate, hæc enim est, quæ annos facit, & annosos eos, qui rudes ætate. Nam ut sanctus Ignatius *epist. 6. Tom. 3. Biblioth. Vet. PP.* habet, non annosi continuò sapientes sunt, nec senes intelligentiam possident, sed spiritus, qui in hominibus est. Samuel parvulus Heli nonagenarium reprehendit; similiter Jeremias audit à DEO, ne dicas, Junior sum: Adolescentia igitur non est contemnenda, quoties DEO consecrata fuerit, verùm is contemnendus est, qui improbo est animo, tametsi multorum dierum tempore plenus sit. In domo namque DEI, qui sanctior, idem antiquior, & qui virtutum splendorem habet majorem, is decentiore loco honoratur, & cæteris antefertur.

Petrarcha l. 1. eclecti. in med. X. Ignavissimorum quorundam hominum consuetudo est, ut, cùm inter vitia senuerint, nullique pares sint, solâ se præferant senectute, inquiebat Franciscus Petrarcha in quadam *breviloq. in medit. lib. 1.* sunt, neque pauci, qui in solis canis omne existimationis suæ præsidium habent constitutum, & ob unicam diuturnè actam vitam, & exactam ætatem omnibus magnæ venerationi, & admirationi esse volunt. At stultum est, ex ea re sola singularem observantiæ cultum in domo DEI expectare, in qua ille antiquior habetur, qui consenuit in usu virtutum, & maturus in bonis meritis.

XI. Sapiens cùm de annis loqueretur, quos *Robertus Holc. lect. 79. in Prov.*
vivendo improbi homines percurrunt, ait, perbreves fore, & angustis liminibus circumscribendos, Justorum econtrà prolongandos, & extendendos. Verba illius Proverb. 10. vers. 27. sic habent: *Timor Domini apponet dies, & anni impiorum breviabuntur.* Habet suam hæc sententia difficultatem. Nam si ita est, ut Salomon affirmat, quomodo cum illo cohæret, quod in dies crebro experimento discimus, homines sanctissimos magno sæpe compendio exigere vitam, conscelerâtos verò, qui nullâ, nisi pessimâ ex flagitijs famâ sunt insignes, longos annos degere, & tota vivendo secula exæquare, non etiam nunquam superare? secundùm hæc quomodo illa Salomonica parœmia accipienda, quæ seram ætatem timenti DEUM spondet, impio autem parva temporis spatia minatur? Occurrit huic difficultati Robertus Holcot. lect. 79. in Proverbia, inquiens: Potest dici, quòd dies bonorum augentur, malorum autem abbreviantur, quia solus ille dies dicitur noster, in quo benè viximus. Et quoniam unumquodlibet opus bonum velut dies quidam est vitæ, & justi opera bona plurima facere student, propterea de ijs dicitur, quòd multos annos vivunt; de improbis verò, concisum ætatis tempus degere, eò quod illos operum laudabilium, & virtutis spiritus destituat. Itaque plùs vivit, qui plùs boni operatur, & qui diem quempiam sine boni alicujus operis exercitatione transmisit, illum obliterare, & è numero dierum vitæ suæ expungere potest, adeò non vixisse putet annos, quos malè vixit.

XII. Refert Sacer textus obitum Ismaëlis, *Lyranus in*
& Abrahæ patris ejus mortem quoque narrat. *c. 25. Gen.*
Et Ismaëlis quidem occasum sic describit: *Anni vitæ Ismaëlis centum triginta septem*: Genes. 25. 17. Abrahæ verò totam ætatem ad hunc modum recenset: *Fuerunt dies vitæ Abrahæ centum septuaginta quinque anni*: ibid. v. 7. Sed est observandum mysterium, quod habet textus Hebræus in computatione annorum vitæ Abrahæ, qui apud Nicolaum Lyranum Abulensem, & Honcalam talis est: *Fuerunt dies annorum vitæ Abrahæ centum anni, & septuaginta anni, & quinque anni.* Tam distinctè annos Ismaëlis idem textus non enumerat, quid ergo Sacramenti subest, quòd Sancti Patriarchæ anni tam articulatim, partitè, distributéque calculantur, filij autem anni confusè, verbo, ut sic dicam, unico indicantur? Respondent Doctores paulò antè nominati, quòd vita Abrahæ per cæteros annorum articulos tam enucleatè, distinctéque digesta fuit, id factum, ut significaretur, quia Patriarcha in quolibet ætate congruam ei perfectionem habuit: illic autem non explicatur nomen annorum per singulos numeros, quia Ismaël pluribus vitæ suæ annis minùs piè vixit. Sic Lyranus. Vita ergo Abrahæ per certos numeros discreta fuit,

Digitized by Google

fuit, Ismaëlis non item, ut indicio esset, quòd Abraham vitam semper integerrimam, perfectámque duxit, ætatem suam fructuosè transmisit, & vitam pretiosissimam, hoc est, cum virtute conjunctam vixit, atque idcircò dicitur, quòd diem suum obijt plenus dierum, ij nempe sunt pleni dies, & vita plena, atque perfecta ea vocari potest, quæ benè, & laudabiliter operando exigitur. Non sic loquitur Sacer Scriptor de Ismaële, cujus anni omnes velut conglobatim, aut cumulatim exprimuntur, quasi unus annus fuisset omne tempus, qui vixit, quia minùs piè vixit, & probabile est, malè collocasse suos annos, adeò virtutis annum nullum vixit, quæ fortè causa sit, quòd deficiens mortuus esse dicitur, hoc est, jam mortuus occubuisse. Nam qui vivit, & vitæ suæ tempus non exigit in actionibus sanctis, & laude dignis, ille, cùm moritur, sepulchro infertur non tunc primùm defunctus, sed pridem in vita præmortuus. Ille nimirùm potest dici vivus, qui bonorum meritorum est studiosus; ille multos annos habet, cujus animus multis virtutibus est collocupletatus. Huc spectat, quod noster Cordubensis Philosophus, Seneca epist. 93. ait: Non, ut diu vivamus, curandum est, sed ut satis; nam ut diu vivas, fato opus est; ut satis, animo, longa est vita, si plena est, si conferta meritis, si dives virtutibus.

Lonzana apud Did. Nyss. p. 1. sel. l. 4. 3. XIII. Jacobus de Lonzona apud Holcot memorat, Rebus-Publicis benè institutis olim magnæ curæ fuisse designare homines, qui ex officio totas ostiatim obirent civitates, domósque ex ordine singulas inviserent, & quibus studijs quisque in diem supremum usque occuparetur, solicitè perquirerent, diligenter adnotarent, denique post cujusque obitum, subductis accuratè rationibus, non alios vitæ dies numerarent, quàm quos benè agendo transmisisset. Postquàm ergo ad calculos omnia fideliter revocassent, ætatem virtutis, non vitæ dies tumulo ejus adscribebant. Illi dies sic collecti in fine sculpebantur in sepulchris eorum. Ita quòd unus, qui quadraginta annorum erat, etiam quatuor habuit, & sic similiter de alijs. Hæc ille ibi. Fiebat ergo, ut alicui; qui annos natus quadraginta vivere desierat, ejusmodi monumentum ponerent: *Hic homo quatuor tantùm annos vixit, & mortuus est quadragesimo.* Alterius epitaphium tale erat: *Hic homo obijt quinquagenarius, & nullum diem vixit.* Alterius sepulchro illud ex Sap. 4. 13. insculpebatur: *Consummatus in brevi explevit tempora multa*; sive *hic jacet, qui anno ætatis trigesimo mortuus annos supra mille vixit.* Nam ut Seneca epistolâ illâ superiore 93. dicebat: Octoginta annis quis vixit. Interest, mortem ejus, ex quo die numeres. At ille obiit viridis, sed officia boni viri, boni amici executus est, in nulla parte cessavit, licèt ejus ætas imperfecta sit, vita perfecta est. Octoginta annis vixit, nisi fortè sic vixisse eum dicis, quomodo dicuntur arbores vivere,

XIV. Antiquus Pater Algerus quærit, quæ causa sit, cur Dominus permittere voluerit, ut charus illius præcursor in teneris vitæ suæ annis, inter mortales agere desineret; in florentissima quippe ætate jussit illum obtruncari effœminatus Rex Herodes, & decollavit eum in carcere. Marci 6. 27. Fuit Joannes, si virtutum ejus copias spectes, maximus; si vitæ sanctitatem, & prærogativas consideres, illustrissimus; & omnium ex mulieribus oriundorum eminentissimus. Hoc de illo pronuntiavit perfectionum, quæ in hominem cadere possunt, scientissimus, & justissimus, & falli nescius arbitrator, spirituum ponderator Dominus. Proverb. 16. 2. Penes quem sunt pondera, numeri, & mensuræ meritorum omnium, Christus, æterna sapientia Patris, cujus est illud effatum: *Non surrexit inter natos mulierum major Joanne Baptistâ*; Matt. 11. 11. quod, cùm ita habeat, cur tam parùm vixit, & annos vitæ triginta tres non explevit? Triginta duorum, & semis esse voluit: Triginta duobus annis, & medio solùm spiravit hominum, post Christum, ejúsque Matrem Virginem optimus, maximus, inquit venerabilis ille Doctor. *lib. 2. de Sacram. Alt. capit. 7. Tom. 6. Bibliothec. Vet. PP.* Cur non exæquavit annos Abrahæ, ætatem Isaaci, & tempora Jacob, & vitam Patriarcharum aliorum, quorum fuerunt longissimi dies, & vita prolixissima, ut suprà dicebamus? Cur? ut intelligamus, annorum multitudinem, & vitæ longævitatem non de numero dierum, sed de cumulo meritorum æstimandam, adeóque Joannes diutiùs omnibus vixit, quia intra paucum illud tempus incitatiore cursu majora spatia emensus est, quàm alij omnes. Et ut multùm itineratus dicitur, non qui multas horas eundo trivit, sed qui plura milliaria post se reliquit, sic ille multos annos vixisse dicendus, qui multos benè vivendo consumpsit.

XV. Fulcrum subjiciam huic veritati responso, quod Barlaam Josaphato dedit, cùm in illius colloquium primò venit. Venerabatur hic illius canos, suspiciebat vultum, admirabatur senium; quod tam longævum illi videbatur, tanquàm ex primis mundi hominibus quidam fuisset. Interrogatus autem Barlaam de annis, quos exegisset, respondit: vitæ annos quadraginta quinque, neque plures numero. Attonitus inexpectatâ responsione Josaphat, comiter illi, ac perturbanè his ferè verbis occurrit: Fieri non posse videtur, ut frons hominis non adultioris tam crebris, & profundis sit exarata rugis, & vir decrepitus, qualem te incanum caput loquitur, non longiores vixerit dies. Cui venerabilis, & sanctus Senecio apud B. Joannem Damascenum historiæ Barlaam, & Josaphat capit. 18. Si computem annos, quibus DEO vixi, ij tantùm sunt quadraginta quinque, & hos tantùm annos vitæ computo; cæteros, quos in vanitate transegi, mortis annos reputo. Itaque desines mirari, postquàm ex his, quæ dixi, acce- Ibid. Vita c. 18.

accepisti, à DEO illos tantùm recenseri in annis vitæ, quos benè merendo benè collocamus; illos verò numerari in annis mortis, quos peccando malè prodigimus. Non vivit peccator, nunquàm moritur justus, & qui in plures incumbit virtutes, is magis longævus æstimari potest.

TITULUS LXXVII.

VOCATIO
AD VITÆ STATUM ELIGENDUM ET AMPLECTENDUM.

§. I.

QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

I. VOcationis nomine hoc loco aliud nihil intelligitur, quàm *dispositio providentiæ divinæ, quæ pro suo beneplacito diversa, in republica tam Ecclesiasticâ, quàm politicâ, officia distribuit, atque ad eadem ritè obeunda gratiam, aliasque qualitates necessarias subministrat.* Ut adeò quivis ex hominibus sibi applicare possit illud Christi (*Jo. 15.*) dictum: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* Et illud S. Pauli (*ad Hebr. 5.*) *Nullus sumit sibi honorem* (& officium seu statum) *sed qui vocatur à DEO.*

Divisio.

Hier. Platus l. 3. de bono stat. Relig. c. 96. § Quin etiam. II. Quemadmodum duæ sunt animi potentiæ principales, voluntas & Intellectus, ita *duo* quoque *vocationum genera, voluntatis & intellectûs* reperiri. *Vocatio voluntatis* dicitur, *quando voluntas ad certum vitæ genus sic movetur, ut eadem intellectum rapiat, & ejus approbationem quasi extorqueat. Vocatio intellectûs* est, *quando ratio illuminatur, ut status cujuspiam commoda, & aptitudinem ad ultimum finem à se consequendum, cognoscat, & ipsam etiam voluntatem ad statum talem amplectendum permoveat.*

III. Alio modo etiam dividi potest *in perpetuam, & non perpetuam*, seu *ad tempus. Illa* est, *per quam quis ad statum vocatur, in quo per totam vitam permaneat; Ista est, per quam quis à DEO vocatur, ut tantùm per aliquod tempus in eo permaneat*; qualem vocationem dari P. Nicolaus Lancizius ex communi Ascetarum sensu affirmat; solet enim svavis DEI sapientia aliquibus inijcere desiderium amplectendi certum aliquem Ordinem, non quòd velit, ut eum ingrediantur, vel perpetuò in eo maneant, sed ut probet eorum obedientiam & amorem erga se: primùm illis inspirat affectum ad aliquem ordinem, vel eorum complexioni minùs repugnantem (ut postea ad asperiorem eos inducat) vel certè priùs ad asperrimum illos impellit, ut heroicâ electione rei difficilioris plurimùm mereantur; postea verò ad mitiorem amplectendum efficaciter movet, sciens, illos non habere vires illas corporis, quas exigit Ordo asperior, vel alia ad eum requisita. Sic videmus Christum vetuisse primùm, ne Apostoli gentibus prædicarent, quos tamen postea ad easdem misit. Sic S. Benedictus ab initio vitam Eremiticam duxit, & postea primùm suum Ordinem instituit. Sic S. Dominicus priùs Oxoniensis Ecclesiæ Canonicus Regularis fuit, deinde Ordinis Fratrum Prædicatorum Author extitit. Sic S. Antonius Patavinus pariter priùs Canonicorum Regularium Institutum suscepit, & postea ad Franciscanorum Ordinem transijt. Quid ni ergo alijs etiam idem contingere possit? negari tamen non debet, quin major in tali mutatione suscipienda consideratio sit adhibenda, ne per speciem majoris boni amor proprius illudat.

Nicol. Lancic. opusc. 1. n. 238.

§. II.

EX S. SCRIPTURA.

Qualitas.

I. NOn turbetur cor vestrum; in domo Patris mei mansiones multæ sunt. *Jo. c. 14. v. 1.*

II. Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat. *1. Cor. c. 7. v. 20.*

III. Quis est homo, qui timet Dominum? Legem statuit ei in via, quam elegit. *Psal. 24. v. 12.*

IV. Obsecro itaque vos ego vinctus in Domino, ut dignè ambuletis vocatione, quâ vocati estis. *Ephes. c. 4. v. 1.*

V. Æqua pars erit descendentis ad prælium, & remanentis ad sarcinas, & similiter divident. *1. Reg. c. 30. v. 24.*

VI. In veritate comperi, quia non est personarum acceptor DEUS; sed in omni gente, qui timet eum, & operatur justitiam, acceptus est illi. *Act. 10. v. 34.*

§. III.

§. III.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Qualitas.

S. Chrysost. l. 3. c. 5. adversus Vitup. Monast.

I. NOn una salutis via, nec unus modus est, verùm permulti ac differentes. Quod quidem Christus indefinitè dicit, cùm multas in Patris domo mansiones esse asserit. Paulus verò sub distinctione quadam idem loquitur, sic scribens: *Alia claritas solis, alia lunæ, & alia stellarum, stella enim differt à stella in claritate.*

1. Cor. 15. 41.

S. Ambr. lib. de Ioseph, c. 4.

II. Quia omnes vult salvos fieri Dominus DEUS noster, dedit per Joseph etiam ijs, qui sunt in servitute, solatium, attribuit Magisterium, ut non desperent etiam in ultima conditione posse mores esse superiores, nec ullum statum immunem esse virtutis, si animus uniuscujusque cognoscat, carnem servituti subditam esse, non mentem, multósque servos esse Dominis liberiores, si in servitute positi à servilibus putent operibus abstinendum. Servile est omne peccatum, libera innocentia; unde & Dominus ait: *Omnis, qui facit peccatum, servus est peccati.*

S. Chrysost. hom. 43. in Gen.

III. Verè admirari licet vehementer justi hujus (Loth) virtutem, quòd conversans in medio tam impiorum non solùm non fuit indè negligentior factus, sed & majorem virtutem præ se tulit, & cùm omnes (ut ita dicam) in præceps ruerent, ipse solus in tanta multitudine rectam ambulavit viam. Ubi igitur sunt, qui dicunt, quòd non sit possibile in media civitate versantem servare virtutem, sed opus esse secessu, & montanâ quadam conversatione, & non posse domui suæ præfectum, & habentem mulierem, & filios curantem ac famulos, virtute præditum esse? videamus ergo justum illum cum muliere, & pueris, & famulis, & in civitate degentem, & inter tam malos ac impios conversantem; & quasi scintillam quandam in medio mari lucentem, & non solùm non extingui, sed & quotidie lucem clariorem emittere.

Ibidem.

IV. Et hæc dico, non prohibens secessum ab urbibus, neque interdico, montium & solitudinum conversationem; sed monstro volenti sobriè agere & vigilare, nihil indè obstaculi esse. Sicut igitur negligenti ac supino nihil prodest solitudo: neque enim locus nos virtute facit præditos, sed mens & mores; ita & prudens atque vigil non offenditur, etiam in media civitate vivens.

S. Hieron. ep. 13.

V. Non Hierosolymis fuisse, sed Hierosolymis bene vixisse, laudabile est; singuli credentium non locorum diversitatibus, sed fidei merito ponderantur, & veri adoratores neque Jerosolymis, neque in monte Garizin adorant Patrem, quia DEUS Spiritus est; *Spiritus autem ubi vult spirat*, & de Jerosolymis & Britannia patet aula cœlestis, *Regnum DEI intra nos est.*

Euseb. Emiss. hom. 3. ad Monach.

VI. Quid prodest, quòd discedis, qui undique astrictus es vinculis passionum, quem hinc atque inde circumvallant vitia sua? Quid, inquam, prodest, quòd discedis, qui quocunque locorum vadis, te tecum portas? Dignè aliquis discessit, si illò ire possit, ubi illum Diabolus invenire non possit. Nemo se fallat, non fugiat adversarium de loco ad locum, sed de vitio ad virtutem, de passione ad emendationem.

Hugo Card. in Ps. 18.

VII. In quocunque statu sive vocatione homo fuerit, quamdiu ei cor est, & respirat, nunquam se excusare poterit, quòd DEUM amare nequeat, & proximum propter ipsum: *Non est, qui abscondat se à calore ejus.* Nec est, qui se possit excusare, quin eum diligere non possit, interpretatur Hugo Cardinalis.

S. Bernar. in Festo OO. SS.

VIII. Quod martyrium gravius est, quàm inter epulas esurire, inter vestes multas & pretiosas algere, paupertate premi inter divitias, quas offert mundus, quas ostentat malignus, quas desiderat noster appetitus?

§. IV.

EXEMPLA SACRA.

Vocationis

Per vanitatem Mundi ostensam.

Platus l. 3. c. ultimo.

I. ROlandus, cùm diem integrum lætus inter convivia, choreas, ac lusus exegisset, tandem vespere ad se reversus hæc animo volvit: Hem! ubi nunc est festum, quod egimus? ubi tota hujus diei lætitia, quæ jam abijt? Itáque secum perpendens, sic totam vitam abituram, nihílque permansurum præter dolorem, & pœnitentiam, postero die Divi Dominici Religionem ingressus est.

Nadasi 8. menf. ann. dier. memor. Soc. Iesu.

II. Joannes Darius, cùm Juris esset Doctor, viderétque causâ justissimâ cecidisse quempiam, propter potentiam partis adversæ, motus fuit, ut sæculum nequam fugeret, & Religioni se junxit.

Idem 11. Octob. ex Ann. Neapolit. 1579.

III. Joannes Nicolaus Pedelongus, cùm Jurisprudentiæ peritissimus videret innocentem quempiam contra Jus & fas damnari ad mortem, crudeli sæculo nuntium remisit, & facultatibus suis in egenos distributis, Religionem est amplexus.

Per Necessitatem.

Anonymus in Methodo relig. stat.

IV. Abbas Moyses metu mortis, quæ ei propter homicidij crimen intendebatur, impulsus ad monasterium se recepit; qui ita necessitatem conversionis arripuit, ut eam in voluntatem propriâ animi virtute convertens, ad perfectionem summam pervenerit.

Idem.

V. S. Paulus Eremita primus, dum fugiens Decij & Valeriani Imperatorum sævitiam, casu specum

specum ingressus aliquamdiu latuisset, cœpit delectari solitudine, & quod priùs necessitate fecerat, deinceps voluntate totâ vitâ tenuit.

Per contemptum hominum.

Platus l. c.

VI. Petrus Consalvus ad delicias, & Mundi vanitatem omnem pronus, cùm quadam die equo superbè vectus, totam urbem cum suis æqualibus obiret, accidit, ut à jumento lasciviente in profundum lutum excuteretur; ex quo cœnosus extractus à puerorum grege circumstante, & aliis procaciter sannis, ac risibus exceptus vehementer confusus fuit, sibique iratus; quandoquidem, inquit, ô Munde, sic à te tractor, cui tam gnaviter servivi, ego quoque vicissim te, prout mereris, tractabo. Itaque eo momento statuit, DEO se famulaturum, atque paulò post est executus.

Bartolus p. 1. Histor. Europ. l. 1. c. 4.

VII. Solebant Londini in Anglia dies Christo nascenti, & Epiphaniæ interjecti, chorearum, musices, ludorum & comœdiarum apparatu incredibili celebrari; concurrebat flos Londinensis, & circumvicinæ juventutis spectaturus, aut spectaculo futurus. Instituendi festi, & sumptuum cura penes illum erat, cui præ cæteris demandare illam Reginæ placuisset. Incidit in Thomam Pondo Anno 1569. sibique plurimùm gratulatus est honorem juvenis, quòd & in sumptu faciendo videri gauderet splendidus, & quòd arte saltandi, & elegantiâ corporis, parem aula haberet neminem. Ejus specimen artis, & Magisterium editurus, Saltationis elegit formam, quæ in sustentando pedis unius extremis articulis, & circumagendo simul in gyros corpore desivit, durante per tot vertigines puncto nixas, agilitate & roboris & capitis firmitate. Saltavit Thomas tam eleganter, & doctè mimum versatilem egit, ut ei tota acclamaret, & adplauderet scena, manum ejus Regina prenderet nudâ manu, saltationis datæ præmio valdè singulari; galerum Comitis Leicestriensis, operiendo sudanti mitteret, ac post interludia quædam invitaret ad saltationem iterandam. At hic arrecto in pedis articulos corpore, dum se rotat, agénsque in gyros multiplices vexat, obnubilante oculos vertigine capitis, humi toto corpore sternitur; exploditúrque haud minori sannarum, & ludibrij sonitu, quàm quo illi antè adplausum fuerat; Regina indignans dedecoratam ab eo festi lætitiam, insultat jacenti, &, surge bos, inquiens, crudeli sarcasmo risus integrat spectatorum, cum ignominia jacentis. Assurgit in genu cernuus, & venerabundus se illi inclinat; illud quidem tacitè apud se mussitans, sic tamen, ut perciperetur à circumstantibus: *Sic transit gloria mundi.* Exin aulam, & urbem, & publicum exosus, Belmontio suo se condit solus, ubi suo ex casu, ejúsque mercede præmium reputans servitutis, in Mundi obsequio collocatæ, virorum stultissimum se incusat, & stultissimorum miserrimum; haud tamen (quæ DEI est gratia) illorum, qui tunc solùm aperiunt oculos, cùm cadunt in sepulchrum, nunquam surrecturi. Post ex se ipse inquiritans, quantò tunc secum beatiùs ageretur, si DEO se sacrâsset, & rationibus externis, quæ Reginæ oculis in DEI contemptum, & Religionis Sacrosanctæ, tum egerat, tum passus fuerat, atque profuderat, magnam sui concepit miserationem, & horrorem; & ex præteriti revocandi desperatione, tam ardens & constans emendandi futuri propositum, ut per annos exinde quatuor supra quadraginta, alius omninò ab eo, qui fuerat, vixerit (erat verò tunc annorum triginta) & quotidianis virtutum accessionibus vitam cumulârit, ac se totum daturus, sacræ religioni addicere decreverit, in Societatem JESU à P. Everardo Mercuriano Præposito Generali receptus.

Per mortis timorem.

VIII. Gerardus à Kampis Toparcha opulentus amplas sibi ædes, ac percommodas exstruxerat, supellectili omni non modò necessariâ, sed per quàm sumptuosâ adornatas. Ad has regio epulo instructo dominos suo territorio vicinos invitârat, ut geniali haustu novam fabricam irrigaret. Capaciorem fortè sub bellariis scyphum manu prensans convivas percunctatus est, quid sibi, quid suæ fortunæ deesse putârent: an non se, ut verè felicem, suspicerent? omnibus applaudentibus unus mentis candidæ hæc effatus est; Cognate mi, has, quas ædificâsti, ædes percommodas & amplissimas, censeo esse imperfectas, quia foramen aliquod priùs obturandum est, ut opus omnibus numeris absolutum censeatur; Et quodnam illud? quærit Gerardus; reponit alter, ostium, per quod ex hoc diversorio brevi ad cœmeterium transiturus es, & hanc domum brevi alteri relicturus: Quod viri sanè prudentis dictum ita Gerardi animum movit, ut sæculo spreto ad Religiosum claustrum commigrârit. *Boiterus in Larva Mundi præfat.*

IX. Franciscus Cajetanus cùm videret domestici famuli adolescentiâ, & morum comitate florentissimi, repentinum funus; quod diu coxit, maturavit; & ne ardor mundi infidi relinquendi rem itteret, calvariam cubiculo intulit, eique pulvino subjectæ indormivit. *Rho. l. 5. c. 3. n. 3. ex aspris.*

X. Joannes Ribera ad Societatem venit, illâ sibi canens: Fallax gratia, & vana est pulchritudo! eâ videlicet occasione, quòd consanguineæ suæ pulchritudinem, tantâ omnium oculorum admiratione laudatam, vidisset in morte repentè miserandum in modum fœdatam. *Ann. Philippina 1620.*

Per Inspirationes.

XI. Cùm Claudio Aquavivæ venisset in mentem illud Domini dictum: *Oves meæ vocem meam audiunt.* Jo. 10. invasit eum timor, ne, si cœlesti illi consilio non obediret, non esset *Platus l. 3. c. 38.*

esset ex ovibus Christi. Qua de causa eadem hora, ac penè momento ad Societatis JESU domum venit, seque ei toto animo addixit.

Thom. Bozius l. 11. de signis Eccl. XII. Alexander Capochius Florentinus tribus noctibus ter illum versiculum insusurrari sibi audiit: *Docebo iniquos vias tuas &c.* Psal. 50. Quo incitamento ille se Ordini Prædicatorum devovit, in eoque sanctissimè doctrinâ, virtute, & miraculis clarus vixit, præsertim dono curationum celebris.

Ann. Belg. 1602. XIII. Bernardus Cornelius hilarem illam ante cineres noctem agebat lætus in sæculo juvenis, ingenio tamen turbido, & ad vana projecto. Repentè illa nocte tactus divinæ lucis radio de æternitate ad socios tantâ efficacitate verba fecit, ut, qui nugari hominem primò putabant, ubi serio agentem viderunt, stupuerint mutationem dexteræ Excelsi: duobus, qui aderant, viris primariis, repentè hujus oratione ad meliora conversis. Ipse verò Societate illâ desertâ, Societati JESU se addixit, exquisitè ad omnem rerum divinarum, & officii sui apud agros tractationem attentus.

Ann. Neapol. Anno 1601. XIV. Sacerdos quidam omni studio, diligentiâque sibi à quorundam Religiosorum consuetudine cavebat: verebatur enim, ne, quâ dicendi arte pollere illos existimabat, facilè persuaderent, ut nuntium terrenis rebus mitteret. Hæc dum fortè secum agitaret, quandam vocem dicentem sibi exaudire visus: Non est, cur de me queraris in extremo judicii die, Religioni tibi nomen dandum esse prædixi, salutis viam ostendi, tuum erit, vel hanc ingredi, vel aliò te conferre. Permotus his vocibus ad Religiosos accurrit, rem aperuit, omnibus precibus admitti petiit, & exauditus est.

Per auditionem verbi divini.

Vita. XV. S. Antonius ingressus Ecclesiam, ibique audiens ex Evangelio, *Qui non odit patrem & matrem, & filios, insuper & animam suam, non potest esse meus discipulus: Et, si vis perfectus esse, vade, & vende, quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & veni sequere me.* Luc. 14. Præceptum hoc Domini velut specialiter ad se directum cum summa cordis compunctione suscepit, confestimque cunctis renuntians secutus est Christum.

Vita. XVI. S. Franciscus audiens Evangelium de SS. Apostolis recitari, & in eo illis prohiberi, ne aurum, argentúmque possiderent, pecuniam in zonis, in via peram ne ferrent: nec duas haberent tunicas, vel calceamenta, Divinâ luce fuit illustratus, calceos exuit, baculum, pecuniámque abjecit, unâ contentus tunicâ, cingulum coriaceum, quo fuit adstrictus, posuit, & se fune succinxit, atque sic vitam Apostolicam inchoavit.

Per lectionem.

S. Aug. l. 8. confess. XVII. S. Augustinus cùm cogitationû æstu miserrimè agitaretur, audivit: *Tolle, lege, tolle, lege.* Accipio, inquit *lib. 8. Confess.* aperui, & legi in silentio capitulum, quo primùm conjecti sunt oculi mei: *Non in comessationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudicitiis, non in contentione, & æmulatione: sed induimini Dominum JESUM, & carnis providentiam ne feceritis in concupiscentiis.* Nec ultra volui legere, nec opus erat. Statim quippe cum fine hujusce sententiæ, quasi luce securitatis infusâ, cunctæ meæ dubitationis tenebræ diffugerunt.

XVIII. S. Hilarius Abbas ex Tuscia oriundus, cùm puerulus epistolas S. Pauli legeret, divino spiritu inflammatus, & à Senatore quodam de vita solitaria instructus annorum tredecim, DEUM rogavit, ut eum ad locum deduceret, ubi ipsi servire posset Eremita. Cui Angelus apparuit, ut eum Urbe Romanâ eductum, ad montem similiter comitatus est, ubi in sanctitate vitæ DEO soli vacare cœpit. *Petrus de Natal. lib. 1. c. 156.*

R. P. Lohn. Auctar. Bibl.

EXEMPLA.

Perfectorum in vario statu.

XIX. Esther vixit in aula Regis gentilis & idololatræ, cui acceptus erat Aman, non defecit tamen, imò crevit in spiritu & servitio veri DEI; veluti colligitur ex ejusdem protestatione, quam fecit: *Tu scis necessitatem meam, quòd abominer signum superbiæ & gloriæ meæ &c. & nunquam lætata sit ancilla tua, ex quo huc translata sum usque in præsentem diem, nisi in te, Domine DEUS Abraham.* *Esther c. 14. v. 16.*

XX. In vita D. Gregorii Magni legitur de quodam S. Eremita, quod multis annis vixerit solitarius; post austeras frequentésque peractas pœnitentias, aliáque devotionis, & orationis exercitia, instanter DEO supplicavit, ut dignaretur ei manifestare præmium in cœlis sibi præparatum propterea, quòd deseruisset domûs suæ delicias, ac DEO in ista mendicitate servivisset. Nocte in somno ei responsum fuit, tale sibi exspectandum præmium, quale deberetur paupertati Gregorii Papæ. Audiens hujusmodi responsum Eremita, attonitus & turbatus hæsit, existimans DEO non placuisse paupertatem suam, si non majus, sed idem cum tam divite Principe, qualis erat Gregorius, præmium recepturus esset; & quia die noctúque deplorabat infelicem suum statum, dormiens alia nocte audivit Dominum sibi dicentem, non bona, neque bonorum possessionem facere homines divites, sed affectum; quomodo tu, inquiebat, divitias Gregorii cum tua paupertate conferre, & comparare audes, qui cattum, tugurii tui incolam pluris æstimas & diligis, quàm Gregorius omnia sua bona, cunctósque, quos possidet, thesauros, quos ne quidem amat, sed spernit, & animo benefico erogat in pauperes, ut propterea in corde suo te sit longè pauperior? *Mag. ss. disc. 1. n. 4.*

XXI. Non absimile exemplum legitur in vita S. Severini Archiepiscopi Coloniensis, *Ibid. n. 5.*

 quod

Digitized by Google

quod hucusque dicta mirum in modum confirmat. Magnus quidam Dominus ipso die nuptiarum suarum ab Angelo invitatus fuit, ut ipsum sequeretur, desereret sponsam, divitias, dominium, & omnia quæ haberet in sæculo. Conductus ergo fuit ad eremum, ubi pluribus annis vitam duxit valde austeram; cúmque & ipse die quodam corriperetur curiositate sciendi, quale sibi in Paradiso destinatum esset præmiũ, in quadam visione intellexit, parem ipsum esse Severino Archiepiscopo Coloniensi. Quare hunc sine dilatione videre desiderat, accedit, intrat Ecclesiam, & Severinum in throno Pontificiali conspicit, sedentem cum magna majestate, totum stipatum Clero, pluribúsque aliis Principibus & nobilibus. Sacro finito pergit ad palatium, ubi sanctum Archiepiscopum deprehendit præsidem lautissimæ mensæ, cui & plurimi assidebant comites & nobiles. Hæc omnia ubi spectat Eremita, abjicit animum, suspicatúrque, DEO fortè minimè gratam esse vitæ suæ austeritatem, eò quod promitteretur retributio præmii æqualis utrique, sibi, & tali Præsuli, qui viveret in tanto Majestatis splendore, in talibus delicijs. Verùm nocte sequenti Angelus cœlestis meliùs ipsum instruxit, errorémque suum ei detexit; nempe quòd nimiùm laguncule suæ (hanc cingulo appensam gestare solebat) Severinus autem nullum prorsus haberet affectum ad honores, thesauros, & delicias, esto quis ei totum donaret Mundum.

Pallad. c. 61. XXII. In vitis Patrum legitur de S. Abbate Paphnutio eremi cultore, quòd secundâ vice ei irrepserit desiderium sciendi, cui Sanctorum similis haberetur, apparueritque ei Angelus dicens: Tu es similis Protocomiti vicini hujus pagi. Paradoxon hoc illi videbatur, quòd aliquis homo sæcularis nobilitate, divitiis, dominio præditus, sibi in vita spirituali, quam jam pluribus annis transegisset in variis virtutum exercitiis, comparari posset; Unde accessit illum, & subitò Comes occurrit adventanti hospiti eúmque humillimè excepit, introduxit in domum, prostratúsque ante pedes ejus, uti in more habebat, profusis lacrymis illos plùs abluit, quàm aquâ. Præstitô hôc charitatis officiô, S. Eremitam deduxit ad aulam, ubi mensam lautissimis instructam reperit cibis. Hisce omnibus spectatis attonitus Paphnutius intra se dicebat: ego in horrido illo deserto, inter asperrimas rupes me affligo, continuus ferarum socius, famelicus; & hic homo inter delicias domûs suæ lucrabitur cœlum? Quocirca inter epulas ab hospite suo petit, qui actus ei, quod studium, cujúsque operis haberet exercitia, protestatúrque, nihil se ex cibis sumpturum, nisi priùs vitæ suæ institutum sibi referret; tum dixit Comes, magnum se esse peccatorem, nec quicquam se præstare boni, neque dignum se esse, qui ei solveret calceamenta; mirabatur verò Comes Paphnutium tam avidè inquirere in vitæ suæ institutum, & quia illius petiit scire causam, respondit S. Eremita, ab Angelo sibi fuisse dictum: vade, quia ille Comes multis monachis evasit superior. Videns ergo comes se astringi, dixit: Triginta jam completi anni sunt, quibus unà cum conjuge mea vixi ut frater cum sorore; suscepi autem ex ea tres filios, horum enim causâ solummodò cognita mihi uxor est, nec præter eam alia nec ipsa ultra jam cognita. Suscipere hospites nunquam cessavi, sed ita eis ministravi, ut neminem ante me pateret advenienti occurrere peregrino. Non dimisi unquam de domo mea hospitem sine viatico, pauperem nullum despexi, sed quæ necessaria fuerunt, præbui. Si in judicio sedi, nec filii mei personam contra justitiam accepi. Alieni laborum fructus nunquam introierunt in domum meam. Litem si vidi, nunquam præterivi, donec reconciliarem dissidentes ad pacem. Nemo unquàm deprehendit in culpa famulos meos. Nunquam greges mei læserunt fruges alienas. Quantùm in me fuit, nunquam permisi, ut potentior infirmum premeret. Semper studui in vita mea, ut neminem contristarem. Judicium si fuit apud me, neminem condemnavi, sed dissidentes revocare in concordiam studui. Hæc interim mihi vitæ institutio, DEO donante, hactenus fuit. Audiens hæc Paphnutius, Comitem amplexatus est, & difficulter ab eo recessit, cogitans apud se: Si, qui sunt in sæculo, tot & tanta faciunt opera bona, quantò magis nos, qui perfectionem majorem profitemur, bonis operibus insudare & vacare debemus? vidit postea animam Comitis hujus ab Angelis deferri in cœlum, qui cantabant: *Beatus, quem elegisti, & assumpsisti, inhabitabit in atriis tuis.* Mansi disc. 6. n. 6.

XXIII. B. Catharina de Genua, quæ vivebat in sæculo, die quodam Religiosum audivit sibi dicentem, quòd in religioso statu DEUM longè ferventiùs amare posset, quàm in sæculo; id audiens repleta sancta quadam indignatione respondit: Nullam hucusque creaturam sibi fuisse impedimento vel obstaculo, quò minùs DEUM amâsset, quantùm voluisset, & potuisset. Palladius c. 65.

XXIV. Refert Theodoretus, Angelum DEI tradidisse Paphnutio regulam in cœlo compositam, quam per multorum annorum decursum observaverat, & quia eidem conformem etiam, immaculatam, summéque austeram duxerat vitam, optabat divinitus informari, quis similis sibi esset in cursu perfectionis; unde DEUS sive ad mortificandum illum, sive ad excitandos sæculares in perficiendo cursu virtutis & salutis, per Angelum ei intimari curavit, Alexandriæ morari aliquem fistulatorem & tympanistam, qui ei in merito & sanctitate æqualis esset. Quare sine mora inquisivit illum, & invenit; at quò propiùs accedebat, eò magis fugiebat ille, ac si ex instinctu profundæ humilitatis voluisset ad imitationem S. Petri dicere: Exi à me, quia homo peccator sum. Tandem tamen substitit audiens, DEI voluntatem revelante Angelo manifestatam, ut huic Eremitæ totam vitæ suæ

suæ referret seriem; retulit post modestam renitentiam, & dixit: Nihil quidem boni mihi cùm conscius, nisi quòd, cùm elapso tempore cum aliis latronibus & lupis ululares, peregrinantes exspoliarem, cœteri verò collegæ mei intercepissent virginem aliquam, cui honorem & pudorem eripere vellent, ego defenderim illam; eripiendo illam ex manibus eorum, & restituendo domui suæ intactam & illæsam; ex quo etiam periculo eripui plures alias mulieres; subjunxit deinde, quòd frequenter distribueret eleemosynas pro liberandis captivis: Illud verò, quod lucraretur ex arte fistulandi, erogaret in pauperes; totámque suam curam in eo positam esse, ut proximum suum amaret, & juvaret, eique benè faceret. Audivistis jam hujus fistulatoris bona opera, cùm hisce optarem nunc conferri ipsius Paphnutii ecstases, visiones, revelationes, raptus, miracula, prophetias, conversiones, solitudinem, cilicia, rigorosa jejunia, vigilias, aliásque similes austeritates; nunquid mirum & consideratione dignum, quòd cum omnibus hisce operibus & austeritatibus Paphnutij, ipso judicio DEI, concertent merita unius fistulatoris? Publicani & peccatores præcedent vos in Regno DEI.

Mansi disc. 8. n. 2. XXV. S. Francisca Romana quamvis tota proclivis esset ad vitam religiosam, DEUS tamen mediante Confessario ei significavit, Divinæ suæ esse voluntati conforme, si nuberet, & in statu conjugali ei serviret; obedivit illa, regimen domûs & familiæ conjunxit cum solitudine mentis, cui sæpe ipsa vacabat, absque tamen domûs, familiæque detrimento ac præjudicio, simúlque adimplevit illud S. Hieronymi consilium, quod olim suggesserat Celantiæ dicens: Ita habeto sollicitudinem domûs, ut aliquam tamen vacationem animæ tribuas; eligatur tibi opportunus, & aliquantùm à familiæ strepitu remotus locus, in quem velut in portum, quasi ex multa tempestate curarum, te recipias: tantum ibi sit divinæ lectionis studium, tam crebræ orationum vices, ut omnes reliqui temporis occupationes, facile hac vacatione compenses. Duo S. Francisca selegerat sibi eremitoria, unum in sublimiori parte domûs, alterum in aliqua horti caverna, ubi à strepitu domestico separata, mente in Deum elevabatur, & frequenter orabat. In voto, quod composuit Cardinalis Bellarminus in ejus canonizatione, reperimus ipsam in Ecclesia DEI lucidissimi instar speculi præfulsisse in variis vocationibus: B. Francisca omni statui, omni sexui, omni gradui exemplar virtutum proponetur, quippe ab ipsa infantia multis annis virginitatem coluit, aliis non paucis, in casto conjugio versata est, postea etiam laboriosam viduitatem exercuit: ad ultimum vitam perfectam & religiosam in Monasterio duxit: Itaque & Virginibus, & Conjugatis, & Viduis, & Sanctimonialibus ejus declarata sanctitas mirificè proderit.

R. P. Lohner. Bibl. Anct.

Pœna neglectæ vocationis.

XXVI. Anno 1591. quidam Taurini ad certam Religionem admissus, cùm properaret ad domum probationis, in ipso itinere mutavit mentem, flexit in patriam miser. Vix eam attigerat, cùm ab homine, nescio, quo, qui se in hostem suum incidisse putabat, gladio fuit trajectus. In terram ruens, has, inquiebat, do pœnas, ob neglectam religionem, ad quam vocabar, & expiravit. *Annua Taur. 1591.*

XXVII. Philippus quidam domûs illustris germen egregium, cùm flagranter Societatem JESU expeteret, parentis blandiloquentia obstitit, & animum mutavit; Paulò post in pugnâ cum Nobili ortâ confossus occidit, nullius Sacramenti ope adjutus. *Nadasi in Annuis trist.*

XXVIII. Quidam in Hispania Nobilissimus Juvenis vocationem habuit Societatis JESU, sed ei restitit per annos aliquot, & distulit. Factus dein Canonicus Toletanus inter divitias & luxum, vitámque vitiosam penitùs evanuit, & vocationem neglexit. Monebatur sæpiùs, abstineret à vita flagitiosa, quam (etsi non notoriè) vivebat; & confiteretur. Frustra. Quodam tempore faciebat iter Toleto Complutum, hìc incidit in febriculam, sed quam contemnebat. Visebat illum P. Æmilianus Garcias Societatis Concionator Sanctus, & modestè ad Confessionem hortabatur: Promisit ille se facturum, cùm convaluisset: Instare Pater sæpiùs, tandem post triduum se confessurum pollicetur juvenis. Tunc in aurem insusurrat Medicus præstantissimus, ipsum tamdiu non victurum, quare magis Sacerdos urgere: Ille abnuere, hìc rem acriùs aggredi, & ægro denunciare Medici sententiam, non fore sex dies reliquos; Imò Medicus Patri ingerere: sed neque sex horas. Ridere ad omnia Canonicus, abnuere, reliquerent sese, nolle se nunc confiteri. Convocat ergo omnes dominos extra cubiculum stantes Concionator, periculum denuntiat, ante ægrum in genua procidit, orat, velit sibi consulere; Orant alii, sed irritæ fuerunt preces, renuit infelix. Tum Sacerdos, oremus, inquit, pro obstinato, producit Crucifixum & incipit Psalmum *De profundis*, cæteris prosequentibus. Cùm perventum fuisset ad illa verba: *Fiant aures tuæ intendentes* &c. Christus crucifixus brachiis & manibus sponte è crucis stipite solutis, aures suas obturavit, missis in auriculas digitis, & converso ab ægro (pallente, & sudore mortuali perfuso) vultu intonuit, *quia vocavi te, & renuisti, ego quoque in interitu tuo ridebo.* Recensuit Patri Stephano Vito Soc. JESU P. Caspar Mena Theologiæ Professor, qui hoc factum Salmanticæ coram aliquot millibus narravit. *P. Casp. Mena s. l.*

XXIX. Juvenis quidam Societatem JESU ingrediendi instinctum voto firmaverat: verùm nescio, quo suorum suadente, in ipso ad No- *Annua Granat. 1628.*

Novitiatum itinere ad aliud institutum deflexit. Dum cujusdam bonorum præfecturâ fungeretur, animo semper mœsto erat, atque à conscientia torquebatur; demum fluctuantem mors inexspectata occupavit. Nam cum aliquot Hispanis colloquentem absque ullo, quod hominem æternitati præpararet, verbo, vel signo, vita deseruit.

Pœna avocantium à vocatione.

Annua Mediol. 1591. XXX. Taurini Adolescens quidam ad certam Religionem animum appulerat, sed acceptis literis ab amico disuadente abjecit consilium; tum Sacerdos quispiã re cognita dissuasori scripsit, admonens; ut, si benè alteri vellet, adhortaretur ad ingressum. Retulit in litteris historiam de juvene ex alia Provincia, qui, cùm DEO non pareret vocanti, assumptus in partem facinorum à latronibus, eorum scelerum & suspendii particeps fuit. Paucis post diebus comprehensus cum turba grassatorum, & conjectus in vincula ad eundem dedit literas, veniam petiit, simul atque significavit, sibi commissum scelus cum sociis capitali supplicio esse luendum.

Annua Austriaca. 1615. XXXI. Alius Adolescens rescivit suum condiscipulum Societatis JESU studiosissimum ei se velle dedere. Quod cùm matri retulisset, causa fuit illius è scholis educendi; graves propterea pœnas dedit; nam ex eo tempore adeò infausta illi omnia acciderunt, ut sibi ipsi vitam eripuerit, & dein à canibus fuerit discerptus.

Annua Polon. 1602. XXXII. Cùm ad Societatem JESU Adolescens quidam animum adjecisset, & parenti aperuisset, nec assensum impetrare posset: hanc tandem ab irato extorsit vocem, me superstite vide, ne quid ejusmodi in mentem inducas tuam, me sublato è vivis, fas tibi erit, quod voles, aggredi. Mirum vix biduum intercessit, cùm parens repentè moritur, & filius cogitata perficere toto pectore laboravit.

Annua Mechlin. 1617. XXXIII. Mechlivienses anno 1617. perhibent, Juvenem Religioni nomen dare optantem, à matre, atque vitrico prohibitum esse, ac Lovanium missum, ut consortio uteretur unius ibi degentis cognati; cui Mater curavit significari, malle se filium sibi peste abreptum, quàm Religioni adscriptum audire. Non multò post illam pestis vivis eripuit, vitrico & filio mox secutis.

Generosa executio vocationis.

Beda in eius vita c. 2. XXXIV. S. Columbanus obstanti Matri, & limini ostij inhærenti supplicavit, annueret, ac benediceret properanti ad Monasterium: At illa ejulans, ac pavimento prostrata negavit, se id permissuram. Hic adolescens limen, matrémque transilijt, & ad cœnobium confugit.

Vita. XXXV. S. Joannes Chrysostomus solitudinis, & divini servitij amore captus, sanctóque actus instinctu, nihil matris quamvis viduæ, nihil sororculæ precibus motus fuit. Nec curans fecundissimam auram popularem, divitias paternas, florem ætatis, affluentiam divitiarum, amicorum, cognatorúmque dissuadentium eloquentiam, spes certas honorum magnorum, totum se Divino obsequio, Asceterium ingressus mancipavit, in quo mirus disciplinæ vigebat rigor.

Vita. XXXVI. S. Bernardus Religiosum statum meditatus, à parentibus, cognatis, amicis fuit gravissimè oppugnatus, sibi tamen fortis constitit, & triumphavit tam feliciter, ut dissuadentes in suam traxerit sententiam. Nam suo patruo, fratribus tribus, & alijs triginta vitam Religiosam persuasit, & cum ijs Cisterciensi familiæ nomen dedit.

Plutarch. l. 11. c. 13. XXXVII. Albertus ex Germania oriundus illustri admodùm familiâ, quippe Falchenpergensis Comitis filius, & Regi Galliæ affinitate junctus, ad quem missus fuit, ut cum Regijs liberis Lutetiæ educaretur. At ille ad cœlestem militiam animum adjecit, eámque in sacro Prædicatorum Ordine est aggressus. Quod ubi ad patrem perlatum est, etsi jam natu grandis esset, Lutetiam tamen cum magno suorum comitatu advolavit, omnésque machinas ad filij unici voluntatem piam evertendam admovit, sed frustra. Amor divinus carnalem vicit, & novum Christi militem firmavit. Successit pugna ferè difficilior. Theodoricus consobrinus dolore ardens, omnia tela vibravit ad sternendum sacrum Tyronem, puta lacrymas, preces, argumenta familiæ desertæ, stirpis perituræ, matris denique infelicitatem, quam præ doloris magnitudine, aut jam mortuam esse, aut moribundam decumbere lamentabatur. Consederant ambo è regione iconis cujusdam, in qua Christus (ut pingi solet) inter Matrem & Joannem discipulum in Cruce pendebat. Tum Albertus oculos, ac digitum in eam tabulam intendens, en, inquit, DEI Filius, cùm Matrem & consobrinum, utrumque sibi tam charum, doloris gladio confossum videret, tamen è crucis patibulo (quod facilè poterat) descendere noluit; sed in eo cum suo, & illorum cruciatu usque ad mortem permansit. Quarè nec ego hanc crucem vitæ religiosæ deseram unquam, quamvis & Matrem, & te consobrinum ad pedes meos exanimes jacere viderem: quin tu potiùs hanc eandem crucem mecum conscendis, téque mundi hujus laqueis expedis, in quibus cum tanto periculo hæres? quid plura? Tantùm valuit constantis adolescentis oratio, ut eum permoverit ad idem institutum amplectendum, totâ civitate obstupescente, eò magis, quòd is antea omnibus vanitatibus fuisset admodùm addictus.

Annua Mediol. 1593. XXXVIII. Puer quidam Taurinensis, cùm sibi aditum in Societatem JESU undique clausum videret, quòd & unicus esset, & Patris confectâ jam ætate filius; facinus edidit memorabile. Religiosissima oppidi Taurini templa adire, DEUM, Deique Parentem, Divósque omnes enixè orare instituit, ut alterum parentibus suis filium darent, quo sibi liber, & expeditus

ditas in Societatem pateret ingressus. Nec illum sua pietas, nec spes fefellit. Haud ita multò post pater sexagenarius ex conjuge filium genuit. Ubi puer se voti compotem factum comperit, mirè lætus instare parentibus, ut, quando eis DEUS novum heredem dedisset, priorem filium DEO consecrarent. At illi nihilominus pio filij consilio obstabant, & aliàs Mediolanum, aliàs Papiam studiorum causâ ablegabant, ut ibi à mente piâ deduceretur. Sed tandem omnes parentum conatus ad nihilum reciderunt. Puer ubicunque esset, per literas summoperè nostros urgebat, ut, quemadmodùm à DEO impetrâsset, ut unicus non esset; impetraret ab eis, ut impedimento, quod unum erat, sublato, in Societatem adscriberetur: & per idem tempus pater mortuus est. Contrà illa lachrymis, maternísque blanditijs filij animum attentare, nuptijs pellicere, honorum illecebris irretire, idémque ut facerent, cognatos & propinquos magnoperè rogare instituit. Puer omnium certaminum victor, ad extremum, cùm satis pietati fecisse videretur, ad salutis perfugium relictâ matre profugit.

§. IV.

SIMILITUDINES.

Qualitas.

Idem disc. 2, n. 4. I. Sicut scala, per quam ascenditur in altum, ex varijs composita & constructa est gradibus, ita fideles redemptionis & meritorum Christi effecti participes, per varios gradus vocationum, professionum & statuum ascendunt ad cœlum.

Anonymus. II. Sicut in Comœdia non attenditur, quam personam quis repræsentet, sed quomodo id faciat, consideratur; ita non tàm curandum est, ad quem statum quis vocatus sit, quàm, quomodo vocationi satisfaciat.

Idem. III. Sicut in aula Principis omnes sunt honorabiles, quia omnium finis est, Principi servire; ita quicunque DEO serviunt, honore digni sunt, licèt in humili statu constituti sint; quia servire DEO, regnare est.

§. V.

MOTIVA.

Ad vocationem sedulò inquirendam & exequendam.

I. *Quia sic honor & gloria DEI exigit*; Nam ut rectè S. Climacus discurrit: Si vocante nos terreno Rege, & in suum obsequium nos militare jubente, nihil moraremur, neque occasiones fugiendi quæreremus, sed omnibus dimissis illi summâ cum alacritate pareremus: Attendamus nobis ipsis, caveamúsque diligenter, ne fortè Regi Regum, & Domino Dominantium, & DEO DEORUM nos vocante ad cœlestem hunc Ordinem, propter nostram desidiam & negligentiam obtemperare recusemus, & postmodùm ante tribunal illud horrendum inexcusabiles inveniamur. Sed & S. Cyprianus idipsum indicat his verbis: Ipse de servo tuo exigis servitutem, & homo hominem tibi obedire compellis; & cùm sit eadem vobis sors nascendi, conditio una moriendi, corporum materia consimilis, animarum ratio communis, nisi tibi pro arbitrio tuo serviatur, nisi ad voluntatis obsequium pareatur, imperiosus & nimius servitutis exactor flagellas, verberas, fame, siti, frequenter & carcere affligis, & crucias, & non agnoscis miser Dominum DEUM tuum, qui sic exerceas in homine dominatum? *S. Cyprianus.*

II. *Quia salus nostra à vocatione dependet*; uti S. Gregorius ad Mauritium Imperatorem scribens, eúmque ob edictum, quo militibus ingressum in Religionem interdixit, reprehendens insinuavit, dum dixit, hanc legem iniquam esse, quòd per eam multis via cœlorum clauderetur; quoniam licèt multi sint, qui etiam in statu sæculari bonam vitam ducere possunt, plerique tamen, nisi omnia reliquerint, salvari nullatenus possunt. Licèt enim vocatio ad Religiosum statum sit consilium tantùm, atque adeò per se sine peccato executioni non mandari queat, multi tamen damnantur ob peccata mortalia, in quibus DEUS eos morituros præviderat, si in sæculari statu morerentur: ad quod proinde exitium præcavendum, illos ad statum Religiosum vocâverat. Ut adeò meritò timeri possit, ne tales illa Salvatoris Matt. 15. Sententia comprehendat: *Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus cœlestis eradicabitur.* Et ut Salomon Sap. 4. 3. dixit: *Spuria vitulamina, seu plantæ adulterinæ, quæ non sunt in veritate, sed mendacio fundatæ, non dabunt radices altas. Et si in ramis in tempore germinaverint, infirmiter posita, à vento commovebuntur, & eradicabuntur ex loco*, in quo ab adultero suo affectu collocari sese excitârunt. *S. Gregor. l. 2. epist. 61.*

III. *Quia ipsa ratio dictat, nihil æquius esse, quàm ut vocanti DEO promptissimè, perfectissiméque per omnia pareamus.* Quid enim conformius est, quàm ut is, qui personam in comœdia quapiam sustinere vult, circa electionem talis Personæ totum se arbitrio Choragi committat? Atqui teste S. Paulo 1. Cor. 4. *Spectaculum facti sumus mundo, Angelis, & hominibus*; cùm ergo DEUS, velut supremus hujus comœdiæ Choragus, per infinitam suam sapientiam optimè noverit, quæ cuique persona sit maximè conveniens; an non æquissimum erit, ut Personam ab eo designatam promptissimè accipiamus; perfectissiméque repræsentare studeamus? Quid itidem magis ratio dictat, quàm ut servus seu mancipium, illud in domo officium suscipiat, quod eidem à Domino fuerit præscriptum? An non autem omnes homines servi & mancipia DEI sumus? An non omnibus dictum est: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies?* Quod si ergo *Anonymus.*

go officium & statum ab eo præscriptum libenter amplectamur, & studiosè geramus? An non ulteriùs idem lumen nostrum rationale dictat, vel maximè decens, imò & necessarium esse, ut milites in exercitu non aliud munus aut stationem ambiant, quàm quæ à Duce fuerint imperata? Atqui teste Job c. 7. *Militia est vita hominis super terram*; cur ergo, ut tantò peritiùs militemus, victoriámque certiùs obtineamus, non statum & stationem à DEO, velut supremo Archistratego assignatam, præ alijs nobis convenientem arbitremur, & æquissimo animo teneamus? Quodsi denique nos ipsos, velut membra corporis mystici consideremus, omnémque influxum à Christo (qui jam olim dixit: *sine me nihil potestis facere*) velut capite accipere debere credamus; An non iterum rationi convenientissimum est, ut nostro officio contenti, capiti nostro perfectissimè pareamus, & pro arbitrio non nostro, sed ipsius dirigi nos sinamus, sicque influxus illius, & gratiam constanter recipere mereamur?

Idem. IV. *Quia certum est, ex recta electione statûs, vocationisque suæ impletione, magna ex parte dependere lætitiam cordis nostri, conscientiæ pacem, profectum in Spiritu, bonam vitæ nostræ directionem, in virtute perseverantiam, & ipsam nostram salvationem. Contrà verò ex hujus electionis errore provenire, ut tota vita nostra multas patiatur tristitias, tribulationes in multis defectibus, & erroribus, cum ingenti damnationis nostræ periculo.* Dic enim mihi, inquit idem Author, an aliquid sit magis periculosum, quàm quòd quis gravissimum aliquod sibi onus imponat, non habens vires & sufficientia auxilia ad illud portandum? aut quid sperari possit de ingenti aliqua ædificij mole, supra levi & falso fundamento exstructi? Quæ igitur prudentia est, eum statum amplecti, qui nec viribus & facultatibus tuis conveniat, & respondeat, ex quo non possit aliud sperari, quàm quòd ipsum onus à te projicias, corruátque ædificium cum jactura æternæ vitæ? Quamvis enim verum sit, DEUM nulli denegare auxilia necessaria ad salutem consequendam, nostro tamen humano modo loquendo licet dicere, DEUM non teneri vires suppeditare ad onus portandum, quod ipse non imposuit, nec subsidia ad eum statum, ad quem ipse non vocavit; Quâ enim fiduciâ auxilium petes à DEO ad calamitates & afflictiones occurrentes in eo statu, quem ut tuam sequereris voluntatem, contra ipsius divinam elegisti? aut quomodo habebis animum ab eo petendi, ut eruat te è periculis, in quæ incideris officio, quod solâ tuâ ambitione, nihili faciens voluntatem divinam, obtinuisti? jure enim tibi respondere poterit, ut pro auxilio recurras ad eum, qui te vocavit, & ut ab angustijs & anxietatibus liberet, qui te in illas conjecit. Ita evenit Israëlitis, cùm de DEO conquererentur dicentes: *DEUS meus, cognovimus sanctum nomen tuum, cur nos deseruisti in angustijs nostris?* quibus ipse per Oseam respondit: *Projecit Israel bonum, inimicus persequetur eum. Ipsi regnaverunt, & non ex me: Principes extiterunt, & non cognovi.* Ose. 8. 3.

§. VI.

MEDIA.

I. *Gratiam divinam invocare, in qua se electurus DEO humilem, & ad omnia paratum sistat, atque magnâ fiduciâ postulet, ne ipsum in negotio tanti momenti, vel à dæmone, vel affectu, aut homine decipi permittat.* Unicum remedium seu refugium oratio est, & frequens gemitus ad DEUM, ut quid, quando, & quatenùs nos facere velit, assiduè nobis demonstrare dignetur, ut ait S. Bernardus serm. 57. in Cant. aderit verò DEUS optimus, & faciet cum servo suo secundùm misericordiam suam, atque docebit justificationes suas. S. Bernar. ser. 57. in Cant.

II. *Conscientiæ puritatem procurare, cùm in malevolam animam non intret sapientia.* Sap. 1. nec fas sit immundo, ac spurco vasi balsamum pretiosissimum divinæ gratiæ committi. Ideo præ omnibus mandata divina accuratè servanda sunt. Juveni Evangelico affirmanti se præcepta Decalogi ab ineunte ætate observâsse, dixit Christus: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, & sequere me.* Hinc allaborandum, ut vocationem inquisiturus, malos habitus peccatorum (si quos fortè habet) deponat, & sibi discat imperare. Hi enim mali habitus erunt stimuli ad peccandum, & consuetudinem inducent, alteram propè naturam, quæ sicut delinquendo roboratur in malo, ita animum ad bonum prorsus enervat, oculum mentis excæcat, ut non videat, multò minùs probet, quæ sit voluntas DEI bona, & beneplacens, & perfecta. Matt. c. 19. Rom. c. 12.

III. *Sancti cujusdam, vel plurium, maximè Reginæ Sanctorum, & Angeli Custodis opem frequenter implorare*, quibus suam deliberationem (rem tanti momenti) sedulò commendet, maximè sub Sacrificio Missæ, post Confessionem, sub sacra Communione, alijsque temporibus, pro devotione deliberaturi. Method. p. 1. c. 5. n. 3.

IV. *Pia opera usurpare*, ut eleemosynas, spontaneas corporis afflictiones per cilicia, flagella, jejunia &c. Pro animabus in flammis purgantibus detentis frequenter divino Numini supplicare, atque ita in has esse misericordem, ut & ipse misericordiam consequatur. Ibid. n. 4.

V. *Indifferentiam ad omnem statum procurare*, uti S. Climacus insinuavit asserens; in divina voluntate indagandâ necessarium est, ita nos comparare, ut nostra omnis voluntas cesset, ac in neutram partem magis vergat. Nam cùm ea ab omni proprio affectu purgata, & nudata fuerit, apta erit ad DEI instinctum percipiendum. Ad hanc indifferentiam plurimùm facit S. Patris Ignatij in libello Exercitiorum, præludium ad electionem faciendam, in quo hæc habet; Ad bene quidpiam S. Climacus grad. 26.

piam eligendum nostræ sunt partes, ut oculo puro, ac simplici spectemus, quorsum fuerimus creati, nimirùm ad laudem & gloriam DEI, & salutem nostram. Quapropter sunt eligenda ea tantùm, quæ conducunt ad hunc finem, cùm ubique fini medium, non medio finis debeat subordinari. Unde errant, qui uxorem ducere primitùs, aut Ecclesiasticum munus, seu beneficium adipisci statuunt, atque ita demum DEO postea inservire; utentes præposterè fine, ac medio, nec ad Deum tendentes rectâ, sed obliquè ipsum ad perversa sua vota pertrahere conantes. Atqui è contrario planè agendum est: proposito primùm Divino cultu tanquàm fine nostro, & electo deinceps conjugio, vel Sacerdotio, cæterisque rebus omnibus, quatenus expedit, ad præfixum finem ordinatis. Ideircò nihil movere nos debet, ad utendum medijs quibusvis, aut supersedendum, nisi habitâ imprimis tam divinæ laudis, quàm nostræ salutis certâ ratione.

VI. *Peritum Directorem eligere*, qui discretione polleat, puram DEI gloriam spectet, ardens amore sancto, & gravitate morum ornatus. Consultissimum verò est, ut sit ipse, qui deliberanti est à Confessionibus, & cui conscientia hujus est perspecta: poterit enim meliùs, & fidentiùs dirigere, amovere obstacula, præscribere media magis congrua, in pio proposito firmare: His usi sunt B.B. Aloysius, & Stanislaus Koska, ut eorum vitæ referunt. Causam adhibendi affert S. Laurentius Justinianus his verbis: vocati ad Mundi contemptum, & ad obedientiæ gloriosum conflictum, discernendorum spirituum regulam nequaquam contemnant, verùm neque ipsi eandem se habere confidunt. Rara utique virtus est, & paucissimis collata, illis videlicet, ut arbitror, qui sunt corde humiles, mente puri, atque tentationibus varijs diutissimè probati; Donum quippe DEI est, & à S. prorogatum Spiritu, non minùs ad illorum, quàm ad ipsorum recipientium utilitatem. In rebus igitur arduis, & præsertim in renunciatione sæculi, & in arripienda institutione novæ vitæ, nullus sibi in re propria credat: sed eorum acquiescat consilio, qui discretione pollent, & proximorum dilectione flammescunt, atque morum sanctitate clarescunt. Hæc divus. S. Joannes Climacus grad. 25. similitudine navis, necessitatem hujus cum Confessario consultationis explicat: Sicut navis perito gubernatore instructa facilè ad portum pervenit; sic anima, quæ pastorem bonum delegerit, licèt per se rudis sit, facilè verum cœlestis gloriæ portum assequitur; at contra sicut qui ductore caret; etiamsi sapiens sit, sæpè tamen errat in via, sic, qui suam voluntatem, ac judicium in hac vita spirituali sequi decernit, licèt omnem sapientiam obtineret solus, facilè tamen in animæ exilium ruet. Hinc nullò modò amici carnales, aut propinqui in consilium quoad hoc negotium adhibendi; nam sicut ille, qui vult ædificare, aut ex aliquo morbo decumbit, non aliquem nautam, aut sutorem vocat, sed architectum hic, ille medicum, & uterque quidem peritum & optimum: Ita in hoc tanto opere, quo ædificanda est illa turris Evangelica, & domus spiritualis, quæ nimirum stet firma adversùs ventos, grandines, torrentes, ac flumina, an eorum judicium requiramus, qui vel nullam in his rebus habent notitiam, experientiam, peritiam, atque judicium? vel id ipsum ob varios, vanos, & sæpe impios affectus perversum, eversum? Quid stultius, quàm si vel terrâ, vel mari iter sis facturus, eum ducem eligere, qui nunquam vitâ omni suâ iter illud confecit? Maximè, cùm habeas plurimos, qui nihil aliud totâ vitâ suâ egerunt. Hinc S. Gregorius Venantio amicos suos consulenti scribens: De causa vitæ, inquit, consilium à fautoribus mortis quæris, qui dum non te, sed res tuas diligunt, nulla tibi, nisi quæ ad tempus placent, loquuntur; si consiliarium quæris, me ipsum accede, nullus enim tibi potest esse consiliarius fidelior, quàm qui non res tuas, sed te diligit. Istis, qui hac in re hujusmodi homines consulunt, evenit, quòd Christus Dominus dixit Matt. 15. *Si cæcus cæco ducatum præstat, ambo in foveam cadunt*, nempè deceptionis in hoc mundo, & postea in ipsum infernum; cæci enim sunt, quorum animæ oculos excæcat amor, nec patitur eos aliud videre, quàm quod est carni & sanguini plausibile.

S. Laur. Just. l. de obed. c. 26.

S. Greg. in ep. 13. l. 1.

§. VII.

ASCETICA.

I. *Hoc in genere præcipuè benè instructum esse oportet Ascetam, ne, si cæcus cæcum ducat, ambo in foveam cadant. Itaque*

II. *Primò nôsse debet, & verò etiam electuro proponere fundamenta ad vocationem spectantia, quæ ferè sequentia assignantur à Doctoribus.*

Primum est. Omnis creatura ab ipsa natura impetu ad bonum suum appetendum, & quærendum inclinatur; ideò ex ipsa hac inclinatione Philosophi bonum definiunt, dicûntque bonum esse, quod omnia appetunt.

Secundum est; Bonum cujusque rei nihil aliud est, quàm finis, ad quem creata est, possessio; uti præclarè indicavit Seneca epist. 76. dum dixit: Id cuique optimum est, cui nascitur, quo censetur. Navis bona dicitur, non quæ pretiosis coloribus picta est, nec cui argenteum & aureum rostrum est, nec cujus tutela ebore celata est, nec quæ fiscis & opibus regijs pressa est, sed stabilis & firma, & juncturis aquam excludentibus spissa, ad ferendum maris incursum solida, gubernaculo parens, velox & consentiens vento. Gladium bonum dices, non cui deauratus est baltheus, nec cui vagina gemmis distinguitur, sed cui ad secandum subtilis acies, & mucro munimentum omne rupturus.

Tertium

Tertium fundamentum est : Finis hominis secundùm esse naturale spectati, est, juxta rectæ rationis præscriptum vivere, uti iterum Seneca l. c. indicavit dicens : In homine optimum quid est ? Ratio ; hâc antecedit animalia, Deos sequitur. Ratio ergo perfecta proprium hominis bonum est, cœtera illi cum animalibus, satisque, communia sunt.

Quartum est : Finis hominis secundùm statum elevationis spectati est, DEUM amare, & per hunc amorem in hac vita ipsum inchoativè, in altera verò perfectè possidere. Ita S. Augustinus in Conf. indicavit, dum dixit : Fecisti nos, Domine, ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te. Et clariùs in Psal. 102. dum ait : Bonum tuum quære, ô anima ; est enim bonum aliud alteri ; & omnes creaturæ habent bonum quoddam suum. Quære tuum bonum, id est, summum bonum. Quid ergo deest, cui summum bonum, bonum est ? sunt & inferiora bona, quæ aliis & aliis bona sunt. Pecori quid bonum est, nisi implere ventrem, carere indigentiâ, dormire, gestire, vivere, sanum esse, generare ? Tale tu bonum quæris, cohæres Christi ? Quid gaudes, quia socius es pecoris ? Erige spem tuam ad DEUM, bonum bonorum omnium.

Quintum : amare, est idem velle, & nolle cum altero ; per hanc quippe voluntatem homo moraliter DEO, velut summo bono unitur ; eúmque, prout potest, possidet. Hinc rectè nonnemo dixit : Eadem velle & nolle, vera amicitia est. Et ipse Christus Jo. 15. *Vos amici mei estis, si feceritis, quæ ego præcipio vobis.*

Sextum ; vult DEUS, ut faciamus bonum ; & non vult, ut faciamus peccatum : atque adeò in his duobus capitibus tota perfectio hominis consistit, uti S. David Ps. 33. indicavit dicens : *Quis est homo, qui vult vitam, diligit dies videre bonos ? Declina à malo, & fac bonum.* Et confirmavit Salomon Eccles. 12. *DEUM time* (per peccatum scilicet offendere) *& mandata ejus observa ; hoc est enim omnis homo.*

Septimum : In specie vult DEUS, ut quisque opera statui & vocationi suæ convenientia faciat. Est autem status nihil aliud, quàm certa quædam vivendi ratio, in corpore Ecclesiæ mystico suscipi peragíque solita : sicut enim ad conservationem, gubernationémque corporis humani oportebat diversa membra eundem quidem finem, non tamen perinde etiam eundem usum habentia constitui ; ita in corpore quoque Ecclesiæ mystico conveniebat, ut varii status constituerentur, & quidam quidem, ut S. Paulus ait, *Essent Apostoli, alii Prophetæ, Evangelistæ, Doctores, Pastores ; alii alia officia sustinerent in consummationem Sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem & perfectionem corporis mystici.* Hinc tanta officiorum varietas reperitur inter homines, ut omnes aliquod suæ capacitati & facultati accommodatum invenire possent, in quo salutem & perfectionem consequi queant, si velint. Omnes autem hos status dirigit, movétque unus Christi Spiritus, qui eos charitate connectit, & ad propria cujusque status officia conformiter movet ; sicut una eadémque anima movet diversa corporis membra.

Ad Ephes. 4. 11.

Octavum : Quemadmodum in ordinata aliqua communitate, vel Republicâ officia non à quolibet pro libitu assumuntur, sed à supremo moderatore distribuuntur ; ita in ipsa quoque hominum universorum communitate officium & statum, quem quisque tenere debet, non pro arbitrio proprio, sed DEO velut supremo mundi Gubernatore assignari convenit ; uti sat clarè iterum S. Paulus indicavit dicens : *Divisiones verò gratiarum sunt, idem autem spiritus. Et Divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus. Et Divisiones operationum sunt, idem verò DEUS, qui operatur omnia in omnibus, dividens singulis, prout vult.* 1. Cor. 12.

Nonum : sicut autem supremus Gubernator, qui officia distribuit, etiam sumptus & media confert, ad illud ritè administrandum ; ita multò magis DEUS illis, quos ad certum statum, seu vitæ genus vocavit, necessaria auxilia subministrat, ad statum talem cum debita perfectione & satisfactione sustinendum, uti sat clarè iterum S. Paulus Philippensibus indicavit dum dixit : *Cum metu & tremore salutem vestram operamini ; DEUS est enim, qui operatur in vobis & velle, & perficere pro bona voluntate.* Unde & alibi fatetur : *Abundantiùs illis omnibus laboravi ; non ego autem, sed gratia DEI mecum.* Philip. c. 2. 1. Cor. 15.

Decimum est ; non modò non impossibile, sed potiùs è contrario facile admodùm esse, cognoscere vocationem, uti colligitur ex ardentissimo illo desiderio, quo *DEUS*, teste S. Paulo, *Omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire* ; uti ex incarnatione Christi, & adventu in mundum, qui, ut ipse fassus est, ideo contigit, *ut homines vitam habeant*, colligitur. Ex quibus testimoniis sic argumentari licet : Qui vult finem, vult etiam media ad illum finem consequendum necessariâ ; Atqui ad salutem nostram medium vel maximè necessarium est, ut quisque vocationem suam ritè intelligat, ut in priori parte ostensum est ; ergo dubitandum non est, quia DEUS, sicut salutem nostram ardentissimè desiderat, ita & paratissimus quoque sit ad voluntatem suam circa status electionem manifestandam, ut meritò cum S. Davide exclamare possimus : *Signatum est super nos lumen vultûs tui : Dedisti lætitiam in corde meo*, illam scilicet, quæ ex cognitione voluntatis tuæ oritur. Hoc ipsum videtur Salomon sequentibus verbis indicare voluisse : *Nunquid non sapientia clamitat, & Prudentia dat vocem suam ? In summis excelsisque verticibus, supra viam, in mediis semitis stans, juxta portas civitatis in ipsis foribus loquitur, dicens : O viri ad vos clamito, & vox mea ad filios hominum : Deliciæ meæ esse cum filiis hominum : Beati, qui custodiunt vias meas.* Clarissimè verò S. Bernardus id ipsum indicavit, dum dixit : 1. Thim. c. 2. Joan. c. 10. Ps. 4. Prov. 8. S. Bern. s.

[illegible] c. xit: nec enim laborandum est, ut ad vocis hujus perveniatur auditum. Labor est potiùs aures obturare, ne audias. Nimirùm vox ista se offert, ipsa se ingerit, nec cessat pulsare ad ostia singulorum. Est enim non tantùm vox virtutis, sed & radius lucis, annuncians hominibus peccata eorum, & illuminans abscondita tenebrarum. Quæ sententia (inquit P. Hieronymus Platus) illam quoque rationem habet certam & evidentem, quòd, cùm DEUS ideo nos vocet, ut ad se accedamus, frustra vocaret, nisi ita vocaret, ut à nobis percipi possit. Quis enim herus servo aliquid imperans, quod eum exequi velit, non ita imperat, ut ipse intelligat? Magistri autem cùm id spectent, ut discipulos erudiant, non solùm ea afferant, oportet, quæ ab illis capiantur, sed ad illorum quoque intelligentiam adhuc satis tenuem sese accommodent, eáque, si opus sit, sæpiùs iterent, & involuta explicent: quod nisi faciant, vitio ipsis datur, quod quidem vitium non cadit in DEUM. Neque dicas, si de salute tua tantoperè sollicitus est DEUS, cur non clariùs nobis manifestat per se ipsum suam voluntatem, ut tantò certiores & securiores de vocatione nostra essemus? Nam hoc ipsum, ob commodum nostrum, non fecit, scilicet ut occasionem exercendæ fidei, obedientiæ, humilitatis, aliarúmque virtutum haberemus, sicut ob eandem causam articulos fidei non per se ipsum, sed per alios revelare, & solâ fide credi voluit. Unde quilibet sibi illud Salomonis monitum applicare debet: *Sentite de Domino in bonitate, & in simplicitate quærite illum; quoniam invenitur ab his, qui non tentant illum; apparet autem eis, qui fidem habent in illum.*

Platus l. 3, de stat. relig. c. 36.

Sap. 1.

III. *Nôsse debet, quomodo Vocatio Voluntatis cognosci queat*; nimirùm ex sequentibus indiciis. 1. *Si ab ipsa pueritia diu & constanter sentiatur, potissimùm dum oratur, & cum DEO agitur.* 2. *Si quis ita constitutus sit, ut, nisi putaretur à DEO venire talis impulsus, eidem nullo modo obsequi vellet.* 3. *Si semper ab eo ad bonum moveatur, nihilque nisi animæ salutem & gloriam DEI spectet.* 4. *Si in illius statu, ad quem impelli se sentit, consideratione ante oculos Domini, non item in alterius, conquiescat.* 5. *Si, dum ad talem statum suscipiendum se offert, serenum & tranquillum se esse, & bona spe repleri; dum verò se ab eo avertit, & aliò applicat, malè affici, nec sibi satisfacere advertit.* 6. *Si sentiat, sibi quasi vires promitti ad constantiam, & servandum probitatis tenorem; è contrario verò difficultates & impugnationes Diaboli non horrere.* 7. *Si rationibus & exemplis aliò ferentibus non multùm se affici, & quidquid alii faciant, etiam amici, perstare tamen in suo sentiat.* Hujusmodi voluntatis affectionibus, nisi lumen intellectûs valdè repugnet; & manifestæ rationes pro meliori & convenientiori statu occurrant, meritò quis obsequi potest, maximè si ad Religiosum statum inclinetur; nam, ut rectè aliqui advertunt, si ad sæcularem statum quis impellatur, non tam facilè iis est assentiendum; cùm inordinatus sui amor, & vitæ liberioris studium hîc magis se insinuent, & animum in transversum agant; Unde ulteriori ipsius etiam intellectûs examine opus erit.

IV. *Nôsse debet, quomodo Vocatio intellectûs indagari, & cognosci queat*; nimirùm si sequentes industriæ adhibeantur. Primò suadendum, *ut certò quôdam die, quo quis deliberationem instituere decrevit, Confessione & Communionis Sacramenta devotè ad hunc finem obeantur, & hoc negotium Christo hospiti illis S. Apostoli verbis*: Domine, quid me vis facere? *sedulò commendetur.* Secundò, *ut, quoniam DEUS, dum ad cor loqui animæ decrevit, eam in solitudinem ducere*, teste Oseâ c. 2. *consuevit, deliberaturus à turbis & arbitris remotum in locum se conferat, & invocato Spiritûs Sancti auxilio, & SS. Patronorum pro hoc fine electorum Patrocinio, ipsam deliberationem sequenti ferè modo aggrediatur.* Tertiò, *cum res præcipuè sint status, de quibus deliberari potest, an sint suscipiendi, nempè Matrimonij, Cælibatûs, & Religionis; quivis separatim ante oculos statuendus, & de sequentibus capitibus discutiendus est.* 1. An specialis in animo inclinatio ad illum sentiatur. 2. Quæ commoda aut incommoda contineat ad finem ultimum certiùs, & faciliùs obtinendum. 3. An corporis, animíque talenta meliùs & perfectiùs in eo impendi queant. 4. An eundem alteri, quem æque ac me ipsum nôssem & diligerem, suasurus essem, si meam hoc in negotio sententiam, consiliúmque requireret. 5. An hunc ipsum statum elegisse me vellem, quando moriendum mihi, & severa coram tremendo Judice ratio reddenda fuerit. 6. An plures pro eo, quàm pro alio suscipiendo rationes militent; his enim accuratè & prudenter discussis, electio tandem, juxta modum, qui indicabitur, erit facienda.

V. *Nôsse debet & deliberaturo proponere commoda, & incommoda variorum statuum, quæ quidem sequentia ferè assignantur.*

I.

Pro Matrimoniali Statu.

Incommoda.

Hæc in genere S. Paulus 1. Cor. 7. indicavit, dum dixit: *Si nupserit virgo, non peccavit, tribulationem tamen carnis habebunt hujusmodi.* In specie verò Christus in nuptiis Canæ Galilææ insinuavit, dum sex hydrias aquâ plenas sibi afferri jussit; cùm enim per aquas in Sacra Scriptura frequenter tribulationes intelligantur, ut, cùm Cant. ult. dicitur: *Aquæ multæ non poterunt extinguere charitatem*: Per hydrias has Christus *sex species tribulationum in statu maritali* occurrentium voluit indicare, quorum

Prima est, tribulationum ex ipsa conjugum

persona orientium, qui, cùm frequenter ingenio ac indole, moribúsque sint discordes, hôc ipsô in gravia dissensionum, odiorum, & contentionum incommoda eos incidere necesse est.

Secunda est tribulationum ex liberis proficiscentium; dum sæpè nulli, licèt maximè optentur, haberi possunt: sæpè nimis multi contra voluntatem acquiruntur: sæpè citiùs, quàm gratum sit, eripiuntur: Et quod caput est, corruptâ indole, moribúsque, & ipsa sustentationis, educationísque cura, ac sollicitudo innumera fastidia ac molestias creant.

Tertia species est tribulationum ex domesticis servis occurrentium; qui, cùm frequenter inobedientes admodùm, infidi, & immorigeri, negligentésque sint, tantò graviores displicentias & indignationes creare solent, quantò majora ex talibus eorum negligentiis, moribúsque damna timentur.

Quarta species est tribulationum ex consanguineis oriri solitarum; qui hoc ipso, quòd arctiùs nobis conjuncti sunt, tanto frequentiorum nobis tristitiarum, & dolorum causa existunt, quantò pluribus variarum miseriarum, atque ipsius etiam mortis periculis, casibúsque sunt subjecti, quos omnes sicut ad nos quoque pertinere judicamus, ita non aliter quoque, ac nostros ejusmodi casus dolemus.

Quinta species est tribulationum à vicinis, seu concivibus, vel aliis, quibuscum agendum est, aut quibus subesse debemus, creari solitarum, quæ etiam tantò graviores & frequentiores sunt, quantò plures sunt, qui vel invidere nobis bona nostra, vel subtrahere, vel minuere, vel, si superiores sunt, durè tractare conjuges, aut opprimere possunt.

Thom. Kemp. l. 3. c. 12. n. 4. *Sexta species est tribulationum à propria cujusque persona proficiscentium*; quas Thomas Kemp. indicavit, dum dixit: interdum relinqueris à DEO; interdum à proximo exercitaberis: & quod ampliùs est, sæpè tibimetipsi gravis: propter fastidia scilicet, impatientias, & tristitias, quæ ex oneribus & curis sustentandæ & gubernandæ, & conservandæ domûs, & rerum temporalium oriuntur.

Commoda.

Etiam hæc videntur à Christo indicata in dictis Canæ Galilææ nuptiis, dum aquam in vinum convertit, ut ostenderet, si nuptiæ præsente se, seu ex legitima vocatione, & fine celebrentur, tribulationes matrimonij in non leves consolationes conversum iri.

Inprimis enim *non levis est consolatio, numerum hominum augere*, & per hoc DEI gloriam, Ecclesiæ tam Ecclesiasticæ, quàm civilis incrementum & bonum procurare. *Nec minor secundò consolatio est, si liberis vita non tantùm temporalis, sed etiam æterna, eáque felicissima procuretur*; quò forsan allusit Christus, Io. c. 16. dum dixit: *Mulier cùm parit, tristitiam habet, quia venit hora ejus; cùm autem pepererit puerum, jam non meminit pressuræ, quia natus est homo in mundum. Tertiò magna quoque consolatio censenda est, quod onera & miseria hujus vitæ faciliùs per mutuum amorem & concordiam supportentur*; sicut enim si duo boves eidem jugo subdantur, leviùs laborem tolerant; ita jugum grave, quod teste Siracide creatum est super filios Adæ, faciliùs portabunt conjuges, si vires suas jugo tali annexi conjungant. Eccl. c. 40. Quod alibi quoque confirmans Salomon, *Væ soli!* inquit, *melius est esse duos simul, quàm unum; habent enim emolumentum societatis suæ; si unus ceciderit, ab altero fulcietur.* Eccl. c. 4. Et si quispiam prævalebit contra unum, duo resistunt ei. *Quartò ex ipsis etiam consanguineis non exigua hauritur consolatio, ob auxilium & solatium, quod in variis necessitatibus præstant, propter vinculum necessitudinis, quo ad mutuum auxilium ferendum adstringuntur.* Prov. c. 18. Unde iterum Salomon dixit: *Frater, qui adjuvatur à fratre, quasi civitas firma erit. Quintò consolatio magna ex ipso etiam Sacramento, quod conjuges suscipiunt, oritur*; Si enim cuipiam grave onus ferenti non modicum crearet solatium, qui medium offerret ad vires roborandas idoneum; quidni magna quoque consolatio oriatur conjugibus ex Sacramento matrimonij, quod specialiter institutum est ad gratiam pro oneribus matrimonij leviùs ferendis largiendam. *Sextò* denique *non minima consolatio est, quòd ipsa etiam res familiaris per concordem cohabitationem non modicè augeatur*; cùm juxta commune axioma: concordiâ res parvæ crescant, discordiâ maximæ dilabantur.

II.

Pro Cœlibatu.

Incommoda.

Primum est, quòd oneribus & curis temporalibus non modicè gravetur hic status. Secundum, quòd gravibus periculis incontinentiæ sit subjectus. Tertium, quòd in adversis casibus fido auxilio plerumque destituatur, juxta illud Salomonis: *Væ soli, quoniam, si ceciderit, non habet sublevantem se. Quartum, quòd frequentibus suspicionibus, oblocutionibus & detractionibus sit obnoxius, maximè si diversi sexus cohabitant.*

Commoda.

Primò *Libertas à molestiis & curis, quæ ex conjugum cohabitatione & liberis oriuntur*. Secundò *meriti & gloriæ augmentum ex castitate servata, aliisque mediis ad majorem perfectionem conducentibus*. Tertiò *occasio frequentior orationi, aliísque exercitiis spiritualibus vacandi*, juxta illud S. Pauli. *Qui sine uxore est, sollicitus est, quæ Domini sunt, quomodo placeat DEO.* 1. Cor. c. 7. Quartò, *facilior supportatio adver-*

versitatum, & victoria tentationum ob majus auxilium statui à DEO, utpotè cui gratior, conferri solitorum.

III.

Pro Sacerdotio.

Commoda.

Occasio divinæ gloriæ, salutis propriæ & alienæ perfectiùs promovendæ, per sacrificium Missæ, Horas Canonicas, Sacramentorum administrationem, verbi divini prædicationem, instructionem parvulorum, infirmorum & moribundorum consolationem. *Secundò exemptio à potestate sæculari, & oneribus, quibus sæculares premuntur. Tertiò, Auxilium & consanguineis, & pauperibus, per pias largitiones & eleemosinas præstandum.*

Incommoda.

Primò pericula otij, tentationum, vitiorum, salutis. Secundò, Libertas perniciosa, & plurimorum malorum ferax. Tertiò, cura molesta œconomiæ & familiæ, & consanguineorum vexatio, ac murmuratio. Quartò gravis ratio DEO pro tot animabus reddenda.

IV.

Pro statu religioso in genere.

Commoda.

Vivitur jucundiùs ante mortem, propter carentiam sollicitudinis de rebus ad corporis sustentationem necessariis: propter majorem quietem & gustum in cibo & somno capiendo, aliisque corporis delectationibus: propter securitatem conscientiæ, quia, ut S. Bernardus rectè notavit, Religiosus vivit puriùs, cadit rariùs, surgit velociùs, incedit cautiùs, & irroratur & roboratur frequentiùs & validiùs per divinas consolationes & illustrationes: denique propter paternam curam Superiorum, & Fratrum auxilium. *Vivitur* quoque *secundò jucundiùs in morte* tum propter vitam æternam promissam; tum propter vitam sanctiùs transactam; tum propter Sanctorum Patronorum ferventiùs cultorum, & sibi conciliatorum, assistentiam; tum propter fratrum, precibus suis contra tentationes defendentium, auxilium. Unde meritò S. Bernardus dixit: O vita secura, ubi mors absque formidine exspectatur; imò & exoptatur cum dulcedine & excipitur cum devotione. *Vivitur tertiò etiam jucundiùs post mortem*; tum quia purgatur citiùs ob satisfactionem præteritam propriam, & alienam per indulgentias, & commilitonum sacrificia & suffragia; & remuneratur copiosiùs tum propter centuplum à Christo promissum; tum quia, ut S. Greg. rectè notavit, animam suam justi in vano non accipiunt, quia intentione continuâ ad ejus utilitatem referunt, quidquid corporaliter operantur, quatenus & transeunte opere, operis causa non transeat, quæ vitæ præmia post mortem parat.

S. Bern. s. 1. ad milit.

S. Greg. l. 7. mor. c. 14.

Incommoda.

Per incommoda hæc, non intelliguntur talia onera, quæ Religioso per se damnum afferunt (nam ut sic immeritò illis nomen incommodi tribuerentur) cùm potiùs grandia commoda dicenda sint, utpote non minima perfectionis assequendæ subsidia; sed quæ non modicam difficultatem continent, atque adeò non facilè ab alio assumenda sunt, nisi ab eo, qui legitimè ad talem statum vocatum se sentit, ideóque ob gratiam vocationis se parem iis portandis futurum confidere potest, qualia sunt, *Primò tria vota essentialia, paupertatis, castitatis: & obedientiæ. Secundò stabilitas loci*, quæ sive propter locum ipsum solitarium, sive propter stabilem superiorem, eumque durum & rigidum, sive propter imperfectos & ingratos Fratres non modicè gravitatem status Religiosi auget. *Tertiò opera pœnitentiæ*, puta flagellationis, cilicii, jejunij, nuditatis, & similium, ex voto vel consuetudine obeunda. *Quartò, Chori & aliarum orationum prolixa frequentatio. Quintò, ministeria varia, periculosa, & difficilia, ad nutum Superiorum suscipienda. Sextò victus, vestitus, & habitatio quandoque vilis & tenuis, & carentia quasi perpetua corporalium delectationum*: quæ omnia benè perpendenda sunt priùs, quàm quis Religiosum statum suscipiat; hi enim sunt sumptus illi, quos Christus inquiri voluit ab eo, qui turrim Evangelicæ perfectionis ædificare decrevit.

§. VIII.

Pro Religioso statu in specie.

Commoda.

Religionum non mendicantium, ut Canonicorum S. Augustini, S. Benedicti, S. Bernardi, S. Norberti. *1. Occasio commodissima serviendi DEO. 2. Cura & vigilantia Superiorum. 3. Vota tria Religiosa, & regulæ salutares. 4. Absentia periculorum & occasionum peccandi. 5. Usus frequentissimus SS. Sacramentorum. 6. Exempla sancta Religiosorum confratrum &c. 7. Lectio pia, & quotidiana meditatio. 8. Adhortationes piæ, Examina conscientiæ. 9. Instructiones Patrum spiritualium. Horum cura paterna. 10 Devotio in choro &c. & extra illum. 11. Usus operum pœnitentiæ, & aliarum virtutum.*

Incommoda.

In iis votum stabilitatis sæpè grave, maximè sub uno eodque, dum vivit, perpetuo Prælatu;

lato; si Religioso minùs sit gratus, vel benevolus. Hôc ipsô aggravatur, *Primò ex convictu apud confratres*, si mores eorundem non arrideant, vel quædam orta sit alienatio animorum ex quacúnque causa. *Secundò cùm vivendum sit per totam vitam in eodem loco*, qui subinde nec ad gustum, nec ad valetudinem est. *Tertiò eadem semper sunt ministeria, occupationes &c. Quartò, solitudo quoque votum hoc gravius reddit*, si sit Cœnobium in locis infrequentibus, minùs celebribus pagis &c. *Quintò perpetuitas Superiorum*, quæ subinde imperium acerbum, & despoticum reddit &c. *Sextò paupertas*, interdum videtur in leges charitatis, & prudentiæ impingere &c. *Septimò frequens est Parœciarum administratio, cum curâ animarum, quam plerique soli in pagis obeunt*: His itaque incumbunt omnia onera & incommoda Parochorum; nec desunt pericula propter fœminas, & alia. *Octavò. Chorus. Sæpe nulla, vel non adeò magna studiorum occasio, aut horum usus. Nonò, Ministrorum sæcularium licentia*, qui non rarò sibi indulgent liberiùs, & devorant panem filiorum DEI. *Decimò, visitatio cœnobiorum sæpè per personas non sui ordinis, & sæculares &c.*

§. IX.

Commoda Religionum Mendicantium, ut PP. Franciscanorum, Capuccinorum, Carmelitarum, Dominicanorum, Societatis JESU, & similium.

PRæterea, quæ omnibus Religionibus sunt communia. 1. *Major occasio serviendi proximo. 2. Mutatio Superiorum, ministeriorum, domiciliorum. 3. Facilior ad mediatos Superiores recursus. 4. Major subordinatio & dependentia subditorum à Superioribus, 5. Major fidelium in has religiones favor, commiseratio. 6. Pro defunctis plura suffragia.*

Incommoda.

1. *Apud quosdam Chorus. 2. Status pœnitentiæ*, jejunia, vigiliæ, &c. In quibusdā vestis austeritas, nuditas pedum, & aliæ asperitatis. 3. *Item vivere mendicato, & stipē colligere sæpè solum, & sine aliquo socio, non sine periculo animæ, & magnis corporis incommodis.* Ipsa mendicatio libertatem agendi cum hominibus, & eis corrigendis adimit. 4. *Subinde minor subordinatio erga superiores immediatos, atque obedientia, quæ Exemptis maximè prodesse non potest. 5. Mutatio locorum, ministeriorum valdè ingrata. 6. Studium literarum, subinde intensum. 7. Probationes in virtute diuturnæ, & prolixæ &c.*

VI. *Nosse debet, & docere, quid post electionem factam observari debeat à deliberante*; nimirùm sequentia. 1. *Gratias DEO humiliter agat*, eique frequentissimè supplicet, ut cujus rei lumen gratissimum misericordissimè concessit, & amorem Religionis est largitus, illius quoque tum suscipiendi opportunitatem; tum ad felicem exitum hujus sancti negotij perducendi facultatem, & gratiam impertiatur. 2. *Suum Confessarium frequenter consulat*, & ei, si quid occurrit, fideliter & filiali affectu manifestet, atque sequatur directionem. Ejusdem utatur operâ apud Superiores illius Religionis, quam elegit. 3. *Valdè necesse erit, ut eligens paulatim comparet se ad illum statum, quem decrevit inire.*

Unde *primò* investiget, ac cognoscat spiritualia sui propositi impedimenta, eàque removeat. *Secundò* præparet animam ad DEI servitium per accommodationes suarum virium ad exercitationes illius Religionis, quam elegit. Itaque abjiciat gaudia & oblectamenta, quæ in Religione sacra locum non habent, ut sunt comessationes, saltationes, lusus &c. Similiter excutiat licentias in usu proprij arbitrij, prolixis, ac lubricis confabulationibus, singularitatibus locorum, vestium &c. Dein assuefaciat corpus illis, quæ sunt ei Religioni usitata, ut opera pœnitentiæ, labor studiorum, oratio prolixior, lectio spiritualis, frequens Sacramentorum usus, totum pendere ex arbitrio majorum. Quantùm enim in his veluti rudimentis profecerit, tantùm emolumenti, & facilitatis in Ordine experietur. 4. *Caveat omnimodo, ne abreptus errore vulgi, titulo valedictionis plus sibi indulgeat, & malignis cupiditatibus pabulum, & libertatem concedat.* Sentiet profectò in Ordine maximas dein difficultates, multa & (utinam!) non levia peccata committet; sæpiùs postea à recurrentibus antiquis speciebus infestabitur, & periculum erit, ne succumbat, vel in desperationem ruat &c. Quod verò pessimum erit, majorem sui tyrocinij partem in perturbationibus, erroribus, & forsan DEI offensione transiget, vix cuiquam tolerabilis. Certè ad hunc valedictionum scopulum non pauci naufragi perierunt. Declinavit eum Bernardus Mentonius, qui vocanti DEO ad Religionem, cum Samuele respondit. *Ecce ego*; 1. Reg. 3. 4. initio memorabili conatu vidisses omnia in melius commutari, ab ipso Sacramenta, orationem, sancta opera solito frequentiùs iterari, eum ab hominum congressu, & oblectamentis, etsi honestis, se subducere. Quæ agendi ratio longè à plurium imprudentium consuetudine abhorret, qui mundo nuntium remissuri priùs in omnem vitæ licentiam se effundunt, à Bacchanalibus ad jejunia, more delirantis vulgi, transituri. Atque hic postremus Dæmonis conatus est. Quis verò unquam vidit, vitia potuisse virtuti viam sternere? hinc evenit, ut libertas animi voluptate illecta fræna sibi laxet, & salutis jacturam faciat. 5. *Labor sit, ut secundùm S. Scripturæ loquendi morem Eccli. 2. præparet animam suam ad tentationem, & sanctificationem, more omnium, qui DEUM timent, & in conspectu ejus ambulant.* Maximo autem studio se armet contra illud genus tentationum, quod poterit eum impedire ab ingressu Religionis, vel retardare; ut sunt, affectus immoderatus erga parentes, & consanguineos, atque horum blanditias; erga bona, & divitias, singulares amores, & desideria carnis

Digitized by Google

tis &c. Errant verò illi, qui vel juvenibus aureos montes promittunt, vel ipsi juvenes cum solem ac cœlum semper serenum futurum sibi imaginantur. Ad quamcunque professionem (ait S. Augustinus Conc. 1. in Psal. 36.) te converteris, para te, pati fictos (tibi nempe clam adversantes) alioquin si non te paraveris, invenies, quod non sperabas, & deficies aut perturbaberis. Religio est schola crucis, in qua Magistro discipulus dignus non est, qui non accipit crucem suam & Crucifixum præeuntem sequitur. 6. *Sit cura ad externa impedimenta removenda, si quæ fortè sunt, ut debita, obligationes, & officia, imò & vota*: Etsi enim in Religione sit amplissima facultas circa horum dispensationem, expedit tamen, ut ante ingressum persolvantur, cùm non soluta soleant aliquos totâ vitâ vexare. 7. *Caveat, ne propositum revelet, priusquàm cum Superiore Ordinis, quem elegit, egerit*: Frequenter enim, & graviter nocuit intempestiva hujusmodi secreti manifestatio. Quâ verò ratione cum Superiore illo debeat agere, consulat suum Confessarium, & hujus directioni obtemperet. 8. *Electionem legitimè factam, esto nullo voto, vel juramento sit firmata, ob nullam deinceps tentationem, vel desolationem in dubium revocet*, quandoquidem in humanis securior, & exactior non restat via ad voluntatem divinam pernoscendam, ut multis declarat Platus de bono status religiosi l. 2. c. 36. nisi aliquod impedimentum animi vel corporis antè non notatum innotesceret. Verùm & tunc erit dissimulandum, quoad certiora de illo constiterint: Poterit enim subesse illusio Sathanæ, à pio proposito eligentem nitentis abstrahere, dum majora fingit obstacula, quàm in statu electo inveniantur. Sicut etiam communiter fallaciam tegit, quidquid turbationis post legitimum electionis processum supervenerit. 9. *Non differat vocationem suam exequi*; hæc enim dilatio executionis, est consuetum & ultimum, quo salutaria vitæ melioris consilia Dæmon disturbare nititur; ideòque & DEO summopere displicet eadem dilatio, gravissima infert damna, & nonnunquam mortem sempiternam. S. Bernardus ad quendam, qui vocatus ad statum Religiosum annuas quasi inducias ad absolvenda literarum studia postulaverat, sic scribit: Obsecro, redi ad cor, & adverte hunc annuum terminum, quem tu tibi indulsisti, esse injuriam DEI, non esse annum placabilem Domino, sed discordiæ seminarium, iræ fomitem, nutrimentum Apostasiæ, qui spiritum extinguat, gratiam intercludat, teporem afferat illum, qui DEO solet vomitum provocare. Benè dixit Sanctus, hanc dilationem vergere in injuriam DEI, quia sic ingressum differre sine justa causa, est, ac si diceres: Domine, nolo modò venire, exspecta me, post aliquot hebdomadas veniam, vel post tot menses. Auderesne hoc respondere Regi, te ad se vocanti, & quidem si scires, eum vocare, ut te faceret Principem, vel te ditaret? Ecce, inquit S. Augustinus, indulgentiæ Doctor aperit tibi ostium, quid moraris? gaudere deberes, si aperiret aliquando pulsanti; non pulsanti,

S. Bernard. ep. 108.

S. Aug. ser. 45. de verb. Dom.

sti, & aperit, & foris remanes? ne ergo differas. In eundem sensum S. Chrysostomus locutus est, dicens: Dum tibi fervens est amor (vocationis) abi statim ad illos ipsos Angelos (Religiosos) eùmque magis accende; ne dicas: Alloquar priùs propinquos, résque meas expediam. Torporis initium est hæc dilatio, Patrem discipulus sepelire voluit, nec id Christus permisit. Quid ita? quoniam acer instat Diabolus, ut se in animum insinuet, & si vel brevem arripuerit vacationem, vel prorogationem, ad magnum inducet torporem, unde quidam admonet: ne differas de die in diem.

§. X.

MISCELLANEA ET CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Qualitas.

I. ÆGyptus, mundi hujus typus erat; è contrà terra Promissionis, veram figurabat terram viventium, quæ est cœlum. Hebræi repræsentabant fideles, electos; quem servavit modum æterna nunquam aberrans Providentia, ut populo suo ad terram illam, ad quam tanto tempore suspiraverant, præberet aditum? *Qui divisit mare rubrum in divisiones. In mari via tua, & semitæ tuæ in aquis multis.* Rupertus Abbas existimat, virgam Mosaicam, percutiendo aquas, non unam, sed duodecim aperuisse vias, per quas utpote herbis virides & solidas, quælibet tribus ambulare, & progredi poterat: Campus germinans de profundo; volens per hoc nobis denotare, per diversas vocationes ad terram illam beatam, fluentem lacte & melle æternorum, beatorúmque gaudiorum nos tendere posse.

Mansi disc. 14. n. 24.

Ps. 135. ver. 13. Ps. 76.

Sap. 19. 7.

II. Post resurrectionem Christi legitur de Petro, utpote piscationis Apostolicæ Capite: *Simon Petrus traxit rete in terram, plenum magnis piscibus centum quinquaginta tribus.* Nec mirum, quia Salvator noster jam ordinaverat: *Mitte in dexteram navigii rete, & invenietis. &c.* Omnes hi pisces figurabant electos ad dexteram collocandos. Sed quid indicat certus & limitatus ille numerus piscium 153? S. Hieronymus scribit: Ajunt, qui de animantium scripsere naturis, de quibus Oppianus Cilix Poëta doctissimus, centum quinquaginta tria esse genera piscium, quæ omnia capta sunt ab Apostolis, & nihil remansit incaptum, dum & nobiles & ignobiles, & divites & pauperes, & omne genus hominum de mari hujus sæculi extrahitur ad salutem. Rupertus Abbas per numerum illum intelligit tres status personarum, in quibus homines communiter vivere solent, ita ut per numerum centesimum intelligantur conjugati, per quinquagesimum status continentiæ viduæ, & per numerum ternarium status continentiæ virginalis, seu virginum, quæ sunt in exiguo numero.

Joan. 21. 11.

S. Hieron. in c. 47. v. 9. Ezech.

III. In officinis variæ conficiuntur & efforma

Mansi discursus 40. n. 6. mantur Sanctorum imagines. Aliæ imprimuntur chartæ; aliæ penicillo in panno lineo effinguntur, & depinguntur coloribus; aliæ scalpro inciduntur ligno aut alicui metallo; aliæ funduntur, conflantur, aut cuduntur mediante aliâ formâ. Ubi observandum, quòd, tametsi omnes hujusmodi imagines sivè effigies repræsentent Sanctos, quos in Ecclesijs, ac locis sacris veneramur; magnum tamen inter eas intercedat discrimen; quia quæ imprimuntur chartæ, sub prælo facillimè imprimuntur, non ita aliæ, quæ ligno aut lapidi inciduntur, aut quæ mediante igne conflantur, vel cuduntur. Quid volo insinuare hac similitudine? Ut vitæ sanctitatem assequamur, & in cœlis glorificemur, DEUS varios nobis præscripsit modos: Alij lapidati sunt, secti sunt, in occisione gladij mortui sunt, &c. Econtra de alijs disposuit, ut faciliori viâ perveniant ad perfectionem, nimirum per exercitium virtutum Christianarum; in pratis illis cœlestis Paradisi non solùm florent rosæ martyrum; sed etiam miram odoris fragrantiam diffundunt lilia virginum, & infinitorum Confessorum violæ, absque eo quòd vitam & sanguinem sub Tyrannis profuderint.

Ibid. n. 7. IV. Quòd S. David in tanta sit apud DEUM & Ecclesiam æstimatione, causa est, quia in quocunque statu fuit, sanctam vitam duxit, & ex casu suo, è quo surrexit, novit elicere ac lucrari majora merita, dum peccatoribus pœnitentibus omni tempore verum extat speculum. Existens adhuc pastor ovium, gratissimus DEO esse debuit, qui ab eo acceperat gratiam, & robur, manibus suis dilaniandi ac discerpendi leones, & ursos. Assumptum de pecoribus Samuel jussu altissimi Regis Israël consecravit. In statu privati militis de Goliath gloriosum reportavit triumphum. In aula Regis Saul inter adversitates, & aulicorum æmulationes, summam conservavit mansuetudinem. In persecutionibus ingratissimi Regis, invictâ semper fuit præditus patientiâ: *Non reddens malum pro malo, nec maledictum pro maledicto.* Ad Regnum deinde & thronum Regalem evectus, inter Regales etiam delicias æmulabatur Religiosos: *Mediâ nocte surgebam ad confitendum tibi. Septies in die laudem dixi tibi. Genua mea infirmata sunt à jejunio, & caro mea immutata est propter oleum.* Quamvis hostes profligaret, in fugam converteret, ac reportaret victorias; legimus tamen in ipsius laudem: *Sedens in cathedra sapientissimus.* Licèt divitijs abundaret & thesauris, *divitiæ si affluant, nolite cor apponere*, consuluit. Aulam esto haberet florentissimam, optimè tamen dicere potuit: *Perambulabam in innocentia cordis mei, in medio domûs meæ.* An non igitur cunctis fidelibus meritò proponi potest tanquam exemplar, speculum & norma cujuscunque vocationis, utpote qui in omni statu fuit perfectus, & immaculatus? *Fecit omnes voluntates meas.*

S. Petr. Dam. ep. 1. V. S. Petrus Damianus Cinthio cuidam hanc instructionem dedit: Cave, ne propter peculiaris orationis studium, quibus insistere fortè contendis, disciplinam tam innumerabilis populi, qui tibi commissus est, negligas, & propter proprium commodum communem salutem plebis, quæ justitiam à te præstolatur, omittas. Verùm quia opponi poterat Evangelicum illud dictum: *Quærite primùm regnum DEI, & justitiam ejus*; & simul astrui, orationem omnibus alijs præmittendam, ideò idem Sanctus subjungit illud oraculum Ecclesiastici: *Qui conservat legem, multiplicat orationem*; est salutare sacrificium, attendere mandatis; justitiam ergò facere, quid est aliud, quàm orare? Alibi quoque scriptum est: *Justitia elevat gratias, & beati*, inquit, *qui custodiunt judicium, & faciunt justitiam in omni tempore.*

VI. Docet S. Bernardinus: Regula firma est in sacra Theologia, quòd quandocunque DEUS per gratiam aliquem eligit ad aliquem statum, omnia dona illi dispensat, atque largitur, quæ illi statui necessaria sunt, & illum copiosè decorant. Quando Moyses in excusationem adducebat linguæ suæ vacillationem, ob quam minùs aptus esset, ut apud Pharaonem causam DEI ageret, dixit ei DEUS: *Quis fecit os hominis?* Quis in amplissimo totòque S. Scripturæ veteris Testamenti volumine reperitur DEO familiarior, intimiórque ipso Moyse? facie ad faciem loquebatur ei, sicut amicus ad amicum, locumtenens fuit divinæ Omnipotentiæ; & verò quis ita rudis, ut nesciat eum quadraginta annis in aula unius Regis Ægypti, unius Pharaonis demoratum fuisse, honoribus & imperio fulgentem, delicijs affluentem, thesauris prædivitem, honoratum tanquam filium filiæ istius Monarchæ? Quis ignoret eundem annis pariter quadraginta vitam & officium egisse Pastoris in Madian, ubi non homines, non populos, non regna, non exercitus, sed pecora gubernabat? Quis nescit ipsum matrimonij fœdere junctum cum filia Jethro; & ex Sephora progenuisse filios aliquot? Quadraginta deinde annorum spatio, veluti omnibus manifestum est, tanquam Dux generalis electus à DEO, imperavit populo Hebræo, ducens illum ad terram promissionis; in omnibus tamen hisce statibus, & occasionibus illæsam servavit innocentiam, ac semper magìs magìsque profecit in gratia & amicitia DEI. *S. Bern. Sem. 10. §. fer. depo-rif. a. 2. c. 1.*

VII. S. Joannes vidit olim capillos Filij DEI, Regis gloriæ, candidos instar lanæ mundæ; *Caput autem ejus, & capilli erant candidi tanquam lana alba.* Caput Ecclesiæ est Christus; capilli, qui capitis sunt ornamentum, Sancti; sed quale illud mysterium, quòd capilli sint instar, non lanæ duntaxat, sed lanæ albæ? Fortè propter candorem conscientiæ? propter albedinem honestatis? Propter canitiem & maturitatem morum? Glossa totum solvit dubium: Sicut lana alba est ad quoscunque colores suscipiendos, sic Sancti. Certum est, eos, qui magis uniti & conjuncti sunt Christo, per consequens esse sanctiores, & qui plùs adimplent suam divinam voluntatem, esse quoque *Mansi discursus 4. n. 9.*

per-

Digitized by Google

perfectiores: *Fiat voluntas tua sicut in cœlo, & in terra. Ministri ejus, qui facitis voluntatem ejus*; laus est, quæ Angelicis attribuitur Spiritibus. Ecce igitur in hac visione S. Joannis denotatur, quòd illi magìs adornent Christi caput, majorémque addant decorem & venustatem, qui majora illi præstant obsequia, majorémque exhibent devotionem; qui non restringunt se ad certam, & specialem vocationem, proprio ducti genio & propensione, propriæque inhærentes opinioni & sententiæ, sed dispositi sunt & parati ad omnem, quam DEUS illis insinuabit, suscipiendam vocationem.

Idem disc. 6. n. 4. VIII. David Rex Israël, Regio insidens throno, ad excipiendas subditorum causas, querelásque expositus, publicísque expediendis intentus negotijs, ille, inquam, qui frequenter militiæ assistebat, bello personaliter præerat, asserit nihilominùs, incolam se esse eremi: *Ecce elongavi fugiens, & mansi &c.* Quomodo id possibile fuit? Videtur implicare contradictionem. Glossa hunc textum exponit de contemplatione, à qua existimat Prophetam haud fuisse alienum, licèt regni negotijs immersus esset: Fugiens se elongat, quia turbâ desideriorum terrenorum dimissâ, in alta se DEI contemplatione sublevat. Huic conformis est expositio illa, quam subministrat Incognitus, Generalis & splendor Carmelitanæ Religionis: *Mansi*, inquit, *in solitudine*, scilicet mentis, ubi nullus cum eo nisi DEUS, ubi quies. Manet enim in solitudine, qui contemplando DEUM, manet in remota mentis intentione. In hujus confirmationem adducit Authoritatem S. Gregorij lib. 30. Mor. c. 23. Duplex est solitudo, mentis, & corporis. Secunda non valet sine prima; sed prima benè sine secunda.

TITVLVS LXXVIII.

VULNERA CHRISTI.

§. I.

EX SACRA SCRIPTVRA.

Zachar. c. 13. v. 6. I. Uid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? Et dicet: His plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me.

Isaia. c. 53. v. 5. II. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra.

Galat. c. 6. 17. III. De cætero nemo mihi molestus sit, ego enim stigmata Domini JESU in corpore meo porto.

Isaiæ. 1. 6. IV. A planta pedis usque ad verticem, non est in eo sanitas: vulnus & livor, & plaga tumens non est circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo.

Ibidem. c. 12. 3. V. Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.

Psal. 21. 18. VI. Foderunt manus meas, & pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea.

Iob. c. 16. 15. VII. Concidit me vulnere super vulnus; irruit in me quasi gigas.

Ps. 68, 27. VIII. Quoniam quem tu percussisti, persecuti sunt, & super dolorem vulnerum meorum addiderunt.

Figuræ veteris Testamenti.

Gen. 45. 22. IX. Joseph dedit suo Beniamin 300. argenteos, cum quinque stolis optimis. Jesus suis fratribus quinque sua vulnera dat, ut pretiosè vestiantur. Hoc nimirùm est induere Jesum Christum. *Quicunque enim in Christo baptizati estis* (sanguine è vulneribus profluo) *Christum induistis.*

X. Quinque Cortinæ constituuntur ad vestiendum Tabernaculum, quinque vectes, quinque columnæ in introitu tabernaculi omnibus conspicuæ. Præclara quinorum vulnerum symbola! hæc enim quinque cortinæ sunt, quæ vestiunt, tegúntque Divinitatem; quinque vectes sunt, qui claudunt infernum, quinque columnæ, quæ spem nostram sustentant. *Exod. 26.*

XI. In Levitico celebre illud promissum statuitur: Persequentur quinque de vestris centum alienos. Quinque nempe vulnera devotè cordi impressa, integras adversitatum, & periculorum centurias solent fugare, & exterminare. *Levit. 26.*

XII. Oblationes DEO à tribubus factæ, numero quinario constabant, videlicet arietes quinque, hirci quinque, agni anniculi quinque. Quidquid DEO obtulerimus, placebit minùs, si quinque Jesu vulneribus non sit unitum. *Num. 7.*

XIII. Moyses separavit tres civitates trans Jordanem ad Orientalem plagam, ut essent peccatoribus in asylum. Tres civitates sunt vulnera manuum, vulnera pedum, & lateris, ad quæ omni tempore, potissimùm tamen in mortis periculo, patet accessus, & asylum, si peccata operum, omissionum, & affectuum nos persequuntur, & mortalis culpæ reos agunt. *Deuteron. 4.*

XIV. Viri Dan miserunt quinque viros exploratores terræ; mittamus quinque vulnera in cœlum, & referent idem nobis, quod exploratores illi: *Surgite ascendamus ad eos, vidimus enim terram valdè opulentam, & uberem, nolite negligere, nolite cessare, eamus, & possideamus, nullus erit labor.* *Iudic. 18.*

XV. David elegit sibi quinque limpidissi- *1. Reg. 17.*

mos lapides, quibus se adversùs turrim carneam Goliathi armavit. Quinque Jesu vulnera, totidem victoriosi sunt lapides, quibus hostis nunquam non sternitur. Testem appello Alphonsum primum, contra innumerabilem Maurorum exercitum adhibitis quinque Jesu vulneribus pugnare, & vincere cœlitus edoctum. Nullus nos hostis superare poterit, nullum non hostem superabimus, si quinque vulnera, cordium nostrorum fuerint insignia.

Isaias 19. XVI. Isaias inter alia prædixit: *erunt quinque civitates in terra Ægypti, & una vocabitur civitas Solis, & mittet eis Salvatorem, & propugnatorem.* Quinque Civitates quina sunt vulnera, inter quæ vulnus lateris meritò vocari potest civitas Solis. Qui has civitates in cor suum, velut terram angustiarum, & tribulationum (ita enim Ægyptum interpretamur) reposuerit, mox sentiet adesse sibi Salvatorem, & propugnatorem.

Ezech. 40. XVII. Quinque cubitis mensus est Angelus vestibulum templi. Vestibulum cœli est mors justi, hanc Archangelus Michaël ex quinque vulneribus Salvatoris mensurat; si enim opera tua fuerint inventa in mensura vulnerum, in horum nempe honorem peracta, justus es, templum DEI es, cœlo natus es.

Figura novi Testamenti.

Matt. 14. XVIII. Quinque Christi vulnera sunt quinque panes, quibus satiat omnem multitudinem.

Matt. 25. XIX. Sunt quinque talenta, quibus æternas quinque sensuum voluptates promeremur.

Luc. 19. XX. Sunt quinque Mnæ, quas qui benè exponit, lætissimum Euge aliquando auditurus est.

Joan. 5. XXI. Sunt quinque porticus piscinæ probaticæ, ad quas languentes confluunt, ut persanentur.

Luc. 12. 52. XXII. Sunt quinque in domo una divisi, quia in domo cordis sensualitates dividunt, & inordinatum affectum excludunt.

Matt. 25. XXIII. Sunt quinque prudentium virginum lampades, ad adventum Sponsi indeficienter ardentes.

§. II.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Qualitas.

S. Bern. apud Caraff. in fascic. Myrrh. l. 3. consid. 2. I. O Homo vide, quæ pro te patior. Non est dolor, sicut quo crucior. Ad te clamo, qui pro te morior: vide pœnas, quibus afficior; vide clavos, quibus confodior, cùm sit dolor tantus exterior, interior est planctus gravior, cùm te tam ingratum experior.

Idem c. 3. de Pass. Dom. II. Ad hoc perforatum est latus tuum, Domine, ut nobis patescat introitus. Ad hoc vulneratum est cor tuum, ut in illo, & in te ab exterioribus perturbationibus absoluti habitare possimus. Nihilominùs & propterea vulneratum est, ut per vulnus visibile, vulnus invisibile amoris videamus: quomodo hic ardor meliùs ostendi potest, nisi quòd non solùm corpus, verùm etiam ipsum cor lanceâ vulnerari permisit? carnale ergo vulnus, vulnus spirituale ostendit.

Utilitas.

III. Noli dicere: In cœlo non ero. Tenemus mortem Christi. Desperarem utique sed non despero, quia vulnerum Christi recordabor. *S. August. ser. 74. ad Fratr.*

IV. Simili verborum formâ utitur D. Bernardus: Peccavi peccatum grande, turbatur conscientia, sed non perturbat, quoniam vulnerum Domini recordabor. *S. Bern. ser. 61. in Cant.*

V. Filius DEI altissimi jubetur occidi, ut vulneribus meis, id est, peccatis pretioso sui sanguinis balsamo mederetur; & subjungit: Agnosce ô homo, quàm gravia sunt vulnera, pro quibus necesse est, Dominum Christum vulnerari. *Idem in Fascic. Caraf. l. 1. consid. 8.*

VI. Si quis fugiet, vivet. Tutum refugium contra hostes, Vulnera Salvatoris. Ante te est turris, recordare Christum, & intra in turrim, recordare cogitando, cùm aliquid pateris, quia prior, plùs, & purè propter te passus est. Et quo fine? ut resurgeret, & tu talem finem spera, & non consenties inimico, & intrâsti in turrim. *S. August. ibid.*

VII. O beata lancea, & beati clavi, qui apertionem hujusmodi facere meruerunt! O si fuissem loco illius lanceæ, exire de Christi latere noluissem, sed dixissem: *Hæc requies mea in seculum seculi, quoniam elegi eam.* *Fascic. cit. l. 1. consid. 9.*

VIII. Præ nimio amore aperuit sibi latus, ut tibi tribuat cor suum: sibi etiam voluit pedes & manus perforari, ut, cùm ad ipsum perveneris, sic tuæ manus intrent in suas, ac pedes tui in suos, ut sibi inseparabiliter conjungaris. Obsecro secundùm Apostolum, anima mea, omnia probra hæc coneris experiri: & non dubito, quod si fueris aperta, omnia præter ipsum & ejus vulnera, amaritudinem reputabis. *ibid. n. 22.*

IX. Duas habet patrias verus Christianus, altera est vulnerum, in qua gignitur gratia; altera cœli, in qua renascitur immortalis ad gloriam; ùtque in morte certus sis de futura cœli patria, fac in vita præsenti sis vulnerum civis. *ib. consid. 24. n. 1.*

X. Clavi, qui manus pedésque transfixerunt, perpetuis diabolum fixêre vulneribus; sic suam Christo consummante victoriam, ut in ipso omnes, qui in eum crederent, triumpharent. *ib. consid. 37. n. 2.*

XI. Inde tolerantia martyrij provenit, quòd in Christi vulneribus tota devotione versetur, & jugi conversatione demoretur. Et addit causam; quia non mirum, si exul à corpore dolores non sentiat corporis. Neque tamen ob id redditur insensibilis; quare sequitur *ib. consid. 41.*

tur. Submittitur enim sensus, non amittitur, nec deest dolor, sed superatur, sed contemnitur; & non facit hoc stupor, sed amor. O felix transitus à vulneribus corporis proprij ad vulnera corporis Christi, à corpore mortis ad corpus veræ vitæ. Si in semetipso habitaret Martyr, ferrum profectò sentiret, succumberet, negaret. At verò commorando in corpore & vulneribus Christi non pavet ferrum, dolorem nescit, & invictus persistit in voce fortissimæ confessionis.

S. August. ibid. fol. 388. XII. Attendamus ad judicium dilectionis, & promissionis DEI. Quales arrhas accepimus? tenemus mortem Christi, tenemus Sanguinem Christi. Si non amaret, talia pignora non daret.

S. Bern. super Cant. XIII. O homo securum habes accessum ad DEUM, ubi habes matrem ante Filium, Filium ante Patrem; Filius ostendit Patri vulnera, & latus; Mater ostendit Filio pectus, & ubera, nulla ergo esse poterit repulsa, ubi tot sunt charitatis insignia.

S. Anselm. Dialog. de Passione c. 15. XIV. Respice in faciem Christi tui, qui tibi usque ad mortem obediens factus est, nec recedant ab oculis tuis cicatrices vulnerum ejus in perpetuum, ut memineris quantam satisfactionem pro peccatis nostris ab eo susceperis.

S. August. Manual. c. 21. & 22. XV. Tuta & firma requies est infirmis, & peccatoribus in vulneribus Salvatoris, securus illic habito, patent mihi viscera per vulnera, quicquid ex me mihi deest, usurpo mihi ex visceribus Domini mei, quoniam misericordiæ affluunt, nec desunt foramina, per quæ effluant. Per foramina corporis patent mihi arcana cordis; patet magnum pietatis Sacramentum; patent viscera misericordiæ DEI nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto, vulnera JESU Christi plena sunt misericordiâ, plena pietate, plena dulcedine, & charitate; foderunt manus ejus, pedes ejus, & latus ejus lanceâ perforaverunt; per has rimas licet mihi gustare, quàm suavis est Dominus DEUS meus, quoniam reverà suavis & mitis, & multæ misericordiæ est omnibus invocantibus in veritate, omnibus inquirentibus, & maximè diligentibus; copiosa redemptio data est nobis in vulneribus JESU Christi Salvatoris nostri, magna multitudo dulcedinis, plenitudo gratiæ, & perfectio virtutum. Cùm me pulsat aliqua turpis cogitatio, recurro ad vulnera Christi, cùm me premit caro mea, recordatione vulnerum Domini mei resurgo; cùm diabolus mihi parat insidias, fugio ad viscera misericordiæ Domini mei, & recedit à me; si ardor libidinis moveat membra mea, recordatione vulnerum Domini nostri, Filij DEI extinguitur. In omnibus adversitatibus non inveni tam efficax remedium, quàm vulnera Christi; in illis dormio securus, & requiesco intrepidus. Christus mortuus est pro nobis; nihil tam ad mortem amarum, quod morte Christi non sanetur, tota spes mea est in morte Domini mei; mors ejus meritum meum, refugium meum, salus, vita & resurrectio mea; meritum meum miseratio Domini; non sum meriti inops, quamdiu ille miserationum Dominus non defuerit, & si misericordiæ Domini multæ, multus ego sum in meritis. Quantò ille potentior est ad salvandum, tantò ego sum securior.

XVI. Quicunque vult perfectè DEO adhærere, se totum intra se recipiat, nec aliud unquam objectum inibi mente attendat, quàm solùm JESUM Christum vulneratum, sicque per eum in eum, id est, per hominem in DEUM, per vulnera humanitatis, ad intima Divinitatis suæ, sedulò & obnixè intendat. *S. Albert. M. de adhær. DEO. c. 2.*

Jucunditas.

XVII. Bonum est nos hîc esse, scilicet in vulneribus Christi, & faciamus hic tria tabernacula, unum in pedibus, unum in manibus, aliud continuum in latere; ubi volo quiescere, & vigilare, bibere, comedere, legere, adorare, & omnia mea negotia pertractare, ubi loquar ad cor ejus, & ab ipso, quod voluero, impetrabo. *S. Bonav. apud Caraff. in Fasc. consid. 1.*

XVIII. In vulneribus est multitudo dulcedinis, plenitudo gratiæ, & perfectio virtutum. *S. August. ibid. consid. 31.*

XIX. Accurre anima, ex consilio S. Anselmi, ad sacra vulnera, & suavissimas illas guttas lambe; Accurre cum Augustino ad sacrum pectus MARIÆ, & lac dulcissimum suge, & cum eodem dic: Hinc pascor à vulnere, hinc lactor ab ubere, positus in medio, quo me vertam, nescio. *Ibid. consid. 37.*

XX. Hæc vulnera quinque sanctissima plùs pulchritudinis, decoris, & claritatis toti cœlesti curiæ conferunt, quàm omnia alia, quæ in vita perenni (exceptâ Divinitate) habentur. *Ibid. l. 3. consid. 7.*

XXI. O cæcitas filiorum Adæ, qui per hæc vulnera in Christum nesciunt intrare. An ignoratis, quòd Christus est gaudium Beatorum? cur ergo tardatis per sui corporis foramina in illud gaudium introire? Ecce aperta est janua Paradisi, ecce lignum vitæ tam in ramis, quàm in stipite perfossum: in quibus foraminibus, nisi pedes, id est, affectus posueris, non poteris capere fructus ejus. *Ibid. consid. 13.*

§. III.

EXEMPLA SACRA.

Cultus.

I. S. Franciscus Xaverius identidem orabat hanc Collectam: Domine JESU Christe, DEUS cordis mei, per quinque illa vulnera, quæ tibi in cruce nostri amor inflixit, tuis famulis subveni, quos pretioso sanguine redemisti. *Caraffa in Fasc. consid. 8.*

II. B. Virgo revelavit S. Birgittæ, omnem suam *Ibid l. 3. consid. 23.*

uam vitam mixtam fuisse doloribus, & consolationibus. Doloribus, propter vulnera Filij: consolationibus, quod nosset eam esse DEI voluntatem, cederéque in salutem hominum. Quando considerabam loca clavorum in manibus, quas secundùm Prophetas crucifigendas audivi: Tunc oculi mei replebantur lacrymis, & cor meum quasi scindebatur præ tristitia. Sed consolabar, cùm considerabam potentiam Deitatis ejus, quòd ipsa sic vellet, & sic expediret: & sic erat semper lætitia mea mixta cum dolore.

Ibid. l. 3. confid. 38. III. S. Comes Elzearius sic ad conjugem scripsit: Si me videre cupis, quære me in vulnere lateris Christi: Ibi enim habito, & ibi me poteris invenire.

Kisell. alveo 6. in Rosis exhort. 5. §. 2. IV. Piissimus Bambergæ Episcopus Joannes Godefridus de se ipso dixit: in veritate ego jam inde à prima pueritia semper dilexi quinque vulnera Salvatoris, & quandocunque ad ea sub meis orationibus cogitationes meas, animúmque converto, singulari sensu pietatis, & motione quadam suavissimâ cœlitùs afficior: quotiescunque verò ab illorum spirituali contuitu, non advertens mentis oculos deflecto, in varias illicò evagationes abripior, & sine devotione preces meas absolvo.

Caraffa in fasc. l. 2. confid. 13. n. 10. V. S. Mechtildis à DEO inspirata, hâc utebatur oratione: O salutifera vulnera dulcissimi mei JESU Christi, salvete, salvete, salvete in potentia Patris, qui vos dedit; In sapientia Filii, qui in vobis sustinuit; in benignitate Spiritus Sancti, qui in vobis opus nostræ redemptionis perfecit.

Ibid. n. 9. VI. S. Bernardus assiduò dicere solebat: Nolo, Domine, vivere sine vulnere, cùm te video vulneratum.

Ibid. n. 1. VII. Revelavit aliquando DEUS S. Catharinæ, quòd, cùm via ad cœlum destructa esset, miserit Filium in nostra carne in terras, ut illâ instar pontis uteremur, & per vulnera ceu gradus scanderemus à terris in cœlos: eos qui in peccato mortali occumbunt, decidere ex hoc ponte, & præcipites in infernum ruere.

Hartunck. Dom. in Albis. conc. civ. §. 9. VIII. S. Edmundus antequam exspiraret, vulnera Christi exosculatus: Amodò hauriam aquas de fontibus Salvatoris, dixit, & vixit.

Utilitas.

Mansi disc. 15. n. 7. IX. In Prato spirituali legitur de viro quodam devoto, quòd quia in honorem 5. vulnerum quotidie magna cum devotione spiritûs 5. *Pater & Ave* recitabat, eidem die quadam Redemptor noster apparens, per unumquodque vulnus adeò immensam suavitatem & gaudium communicârit, ut deinceps omnia Mundi gaudia fastidiverit, nec in ulla alia re consolationem senserit, quam in passionis Dominicæ recordatione.

Hartunck. Dom. 2. Quadr. §. 3. X. Narrant Annales Eremitarum S. Augustini beatum Joannem de Incontris, juvenem tenerrimum, cùm rigorem Ordinis in tyrocinio ferre non posset, reditum ad sæculum cogitâsse, cui aspectabilis JESUS latus suum detexit, & texit: fili, ubi cibus tibi aridior, lectus durior, molestiores fuerint vigiliæ, ingredere vulnus hoc, & intinge illa in sanguine lateris mei, & illicò dulcescent omnia. Paruit juvenis, & paradisum habuit in terris.

XI. B. Alquirinus Cisterc. rogatus in agone, quomodo haberet? benè habeo, respondit. Parata sunt omnia, præventus sum in benedictionibus dulcedinis. Rogatus denuo, nunquid visione quapiam cœlitus donatus esset? modò aparuit mihi JESUS Christus, qui sereno me vultu intuitus vulnera sua ostendit, & dixit: Ecce peccata tua deleta, veni, vide, deosculare vulnera, quæ tantoperè dilexisti, & toties in meis infirmis fovisti, Ecce, qui infirmos fovet, vulnera Christi fovet, fovendus ab iisdem, cum in fine vitæ, tum in vita altera sine fine. *Ibid. Dom. in Alb. conc. civ. §. 7.*

XII. S. Mechtildis audivit Christum de hisce vulneribus ita loquentem, vulnera mea sunt animarum gazophilacia, ad supplendam earundem paupertatem; sunt lavacra, ad abluendas earundem sordes; sunt gratiarum fluenta, ad merita perficienda. *Ibid. §. 8.*

XIII. Similiter Soror B. Mechtildis S. Gertrudis, cùm opera sua vulneribus Dominicis commendâsset, vidit perfici, & emendari singula, & supplementum ex iis copiosum ad placendum Patri, placandúmque accedere; Unde hanc suadere solita est precatiunculam in fine præcipuorum operum dicendam: Supple pie JESU per vulnera tua imperfectum meum. *Ibid.*

XIV. Consueverat pia quædam Persona pro animabus purgatorii recitare quinquies Pater & Ave, in honorem quinque vulnerum, quæ etiam affectuosissimè eodem fine suaviabatur. Fortè pium hoc opus exercens pro certa quadam anima ad osculum lateris, ecce conspicit profluere sanguinem & aquam de se vaporem quendam exspirantes. Quod erat indicium liberatæ animæ. *Ibid. n. 3.*

XV. B. Joannes de Alvernia obsecrare solebat per intercessionem Sanctorum vulnerum à DEO misericordiam animabus purgatorii: & ecce aliquando tantam inde multitudinem vidit prodeuntem, ut multitudinem scintillarum è magna & ardenti fornace prodeuntium exæquaret. *Ibid.*

XVI. Recensuit quondam Christus D. Gertrudi, quòd semper ante Patrem stet, vulnera offerens in satisfactionem nostrarum culparum. Et quidem pro peccatis cordis hominum offerre se cor suum immaculatum; pro peccatis operum vulnera manuum & pedum. *Ibid. l. 2. confid. 7. n. 8.*

XVII. Apparuit aliquando Christus S. Mechtildi, & dixit: sepeli intra cor tuum me, & vulnera mea; eritque cor argenteum habens operculum aureum in signum puritatis & charitatis. *Ibid. confid. 16. n. 3.*

XIIX. Viro eximiæ sanctitatis inter precandum medium efficacissimum pro excitando in se amore divino flagitanti, respondit Christus *Ibid. confid. 17. n. 1.*

ſtus, ut ſe in conſideratione ſuæ humanitatis vulneratæ, & in paſſione ſauciatæ exerceret; ſiquidem in illa mirum in modum reſplendet charitas DEI: Exerce te in humanitate mea paſſionata vulnerata, nam in ea maximè lucet mea charitas, non aliter, quàm ſol in ſuo ſplendore, roſa rutilans in ſuo odore, ignis vehemens in ſuo flagranti æſtu, & ardore.

Hartunck. Dom. in Albis Conc. tiv. §. 9. XIX. Sub Friderico Imperatore miles triſtur triduo in patibulo vivus hæſit, nec mori valuit, dum Sacramentali abſolutione à Sacerdote expiaretur, eò quòd ſceleratus licèt, honori SS. Vulnerum quinquies orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam quotidiè recitâſſet.

§. IV.

SIMILITUDINES.

Beyerlinck. in Paſſ. 2. Thom. §. 4. I. Sicut Noë in Arca januam fecerat, per quam intrarent animalia non peritura diluvio: Sic Chriſtus, cujus typum geſſit Noë, in arca corporis ſui januam hanc aperuit; per quam qui intraret, non interiret diluvio æternæ damnationis.

Ibidem. II. Sicut germen arbori inſertum fructum adfert, vimque ejus, cui inſertum eſt, accipit; ita inſerimur nos quoque Chriſto: Vulnera ſciſſuræ ſunt, Chriſtus arbor, à quo omne robur accipimus.

Ibidem. III. Sicut quandoque infirmos videmus ità malè ſe habere; ut Medici eos tolli; & in alio ſolo, cœlum mutare præcipiant, ita Patria noſtra vulnera Chriſti ſunt, per quæ renati ſumus; utpotè è quibus noſtræ ſalutis medicinæ profluxerunt Sacramenta, ut dicit Gloſſ. Ordin. in cujus ſignum è latere ejus exivit ſanguis & aqua.

§. V.

MOTIVA.

Caraf. Faſcic. l. 1. Conſid. 7. n. 1. I. *Quia vulnera Chriſti ſunt optimum medium ad gratitudinem DEO exhibendam*; uti rectè indicavit, qui dixit: Quid retribuam Domino pro omnibus beneficijs ejus? Vulnera Salvatoris. Quid retribuam Domino pro omnibus peccatis meis? Vulnera Redemptoris. *Ibidem Conſid. 34. n. 1.* Unde & S. Cyprianus dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*; id eſt; in meam imitationem, ſeipſum in mortem offerendo, ſicut videt, ſe Chriſtum offerre. Et hæc eſt ſola retributio; cùm ſanguis ſanguine compenſatur. *Ibidem l. 3. Conſid. 14. n. 2.* Sed & S. Mechtildi idipſum indicatum eſt; cùm enim aliquando exquireret à Domino; quid agere tandem poſſet, ut ſe pro beneficio vulnerum gratam oſtenderet, apparuit Chriſtus, & dixit: Pro vulneribus pedum offeres mihi omnes tuos affectus, & deſideria: Pro vulneribus manuum offeres actiones tuas, & paſſiones: Pro vulnere lateris, perfectam conformitatem cum voluntate mea.

R. P. Lobner. Bibl. Aſcet.

II. *Quia optimum ſunt medium ad ſatisfactionem pro peccatis præſtandam.* Hinc cùm devota quædam anima DEUM precaretur, ut ſe id, quod homini ſummè foret utile, edoceret, reſponſum accepit: utiliſſimum fore homines ſcire, & in memoria ſæpius habere, quòd ego Virginis Filius, pro ſalute eorum adſto ante DEUM Patrem, & cùm ex humana fragilitate delinquunt corde, offero pro eis cor meum immaculatum, & transverberatum: & cùm offendunt opere, exhibeo manus meas perforatas, & ſtatim innocentiâ meâ placo Patrem. *Ibidem l. 2. Conſid. 8. n. 1.* Et verò etiam confirmavit S. Catharina Senenſis, *Ibidem Conſid. 7. n. 3.* quam cùm ad deſperationem deducere cupiens Dæmon increpabat de vita peſſimè acta, liberè illa reſpondit: Vera ſunt, quæ dicis, ego me peccatricem fateor. Verùm Domini vulnerum recordor, in quibus omnem ſpem meam repoſui. In Domini vulneribus abſcondar, & ejus pretioſo ſanguine abluam animam meam; & omnia peccata mea delebo. Fregêre tam potentia verba Dæmonem, & in fugam egerunt.

Ibidem Conſid. 17. n. 1. III. *Quia ſunt optimum medium ad Judicium divinum mitigandum*, uti ſequens viſio indicat: S. Mechtildem in viſu captam ad Judicium, accuſârunt Angeli Sancti, & creaturæ omnes. Seraphini ob teporem in amando. Cherubini ob exilitatem ſciendi. Throni incuſabant defectum pacis. Apoſtoli exiguam doctrinæ ſuæ curam. Martyres in fortitudine puſillam magnanimitatem. B. Virgo in fidelitate erga Filium ſuum integritatem. Omnes creaturæ in uſu ſui abuſum. Inter hæc Chriſtus ad Mechtildem verſus, eam bono animo eſſe juſſit, & intentata crimina diluit. Ex quo illa animoſior facta talem, ac tantum Advocatum in brachia ſumpſit; offerens ejus vulnera; & inde manantem ſanguinem cum meritis paſſionis pro ſuis defectibus, & quidem humilitatem pro ſua ſuperbia, charitatem pro ſua tepiditate. Hac itaque oblatione ſatisfecit Judici, & Judicij pœnas declinavit.

Ibidem Conſid. 33. l. 1. IV. *Quia ſunt optimum medium ad peccata vitanda*, uti P. Caraffa indicavit dicens: Una vulnerum Chriſti memoria tantarum eſt virium; ut quemadmodum à luce tenebræ, à vita mors, ſic ab ea pellatur & deſtruatur omne peccatum, de peccato damnavit peccatum, inquit Apoſtolus. Chriſtus ſuis vulneribus, hoc eſt, ſacrificio pro peccato oblato, damnavit, & deſtruxit peccatum. Et S. Bernardus: Tanta eſt virtus vulnerum Chriſti, ut ad eorum memoriam totius peccati & mortis fugetur exercitus.

Conſid. 35. l. 2. V. *Quia ſunt optimum medium ad voluptates ſpernendas*, uti experta mulier, ad quam ab amore carnali & mundano convertendam apparuit Dominus ceu noviter paſſus; quaſi plagis recentibus crucifixus, & dixit ei: Me diligas, qui ſum formoſus, bonus, dulcis, & generoſus. His dictis evanuit; mulier verò plena jubilo & exultatione omnem tentationem *Ibid. l. 3. Conſid. 3. n. 3.* excuſſit. Sed & aliàs cuidam, creaturarum pulchritudini plùs æquo alligatæ, apparuit Chri-

Digitized by Google

Christus ostendens vulnera pulcherrima & gloriosissima, itáque recentia, ut eâ horâ inflicta viderentur: tantúmque fuit lumen, & pulchritudo, quæ indè promicabat, ut anima illa capta Christi amore omnem creatum exuerit. S. quoque Theresia ex solo unius vulneris manûs aspectu ita immutata animo fuit, ut hanc illius pulchritudinem & lumẽ adamaret super omnia, & ab illa hora omnem amorem, & pulchritudinem Mundi abhorreret. Quare optimè hinc deducit Blosius, quòd post DEUM maxima cœli pulchritudo consistat in Christi vulneribus. Hæc quinque vulnera sanctissima plus pulchritudinis, decoris & charitatis toti cœlesti curiæ conferunt, quàm omnia alia, quæ in vita perenni (exceptâ Divinitate) habentur. Hinc pariter deducamus, quantoperè dolendum sit, quòd in tantam hæc vulnera oblivionem devenerint.

Ibidem l. 1. Consf. 15.

VI. *Quia sunt optimum medium ad Dæmonis tentationes vincendas.* Hinc Mariam Magdalenam in deserto vehementer à Dæmonibus oppugnatam, apparens Angelus munivit cruce Domini. Visebantur in ea quinque vulnera, & mysteria passionis. Erexit autem eam ad ostium speluncæ: ex quo tempore immunis fuit ab insultibus Magdalena. Et confirmans idipsum S. Ambrosius, si in te, inquit, insurrexerit lupus, petram cape, & fugiet. Petra tua Christus est perforata vulneribus. Hanc Petram quæsivit Petrus, cùm titubaret in fluctibus: & invenit, quod quæsivit, quia dexteram amplexus est Christi.

Ibidem l. 2. Confid. 11. n. 1. & 3.

VII. *Quia optimum sunt medium ad adversa fortiter toleranda*; Nam, teste S. Bernardo, ideo voluit Christus oculos in sua sustolli vulnera, ut exemplo sui reddat ad tolerandum fortiores. Non enim sentit sua vulnera miles, qui sui Ducis vulnera intuetur. Hinc cùm quædam persona vehementer afflicta esset, hanc audivit vocem: Surge, & cogita vulnera mea. Fecit, & se consolatam mox invenit. Alius qui à Religione ad seculum revertebatur, à Christo his vocibus in proposito confirmatus est. Omne asperum intinge in latus meum, & erit tibi dulce. Tribulatio, inquiebat S. Catharina Sen. similis sit duro pani, qui in Christi sanguine intingendus est.

Ibidem Confid. 12.

VIII. *Quia optimum sunt medium ad virtutes acquirendas.* Nam in SS. vulneribus, juxta S. Bonaventuram, est fundamentum fidei, erectio spei, inflammatio charitatis. Est fundamentum fidei, quia in illis Christus se demonstrat verum DEUM, & verum hominem; ut dolorosus, verum hominem; ut gloriosus, verum DEUM. Est excitamen veræ spei, ob pretium sanguinis. Est incendium amoris ob summum dolorem. Eadem sunt exemplum quatuor virtutum Cardinalium, Prudentiæ, Temperantiæ, Fortitudinis, Justitiæ. Prudentiæ, dum ascendit in arborem crucis, ut ligno vitæ destrueret lignum mortis. Temperantiæ, non refigendo manus, sed clavis affixas tolerando. Justitiæ, satisfaciendo pro libertate manuum Adami, sua conclavatione. Fortitudinis, inceptum opus Redemptionis non interrumpendo usque ad mortem. In ijsdem sanctissimis vulneribus deprehenduntur in excellentissimo gradu, virtutes humilitatis, obedientiæ, patientiæ. Quæ major humilitas, quàm pendere ceu principem in medio latronum? Quæ major obedientia, quàm pro obedientia mori? Quæ major patientia, quàm pro malo reddere bonum, & orare pro ijs, qui de facto in crucem agebant, & subsannabant?

Ibidem Confid. 10.

IX. *Quia sunt optimum medium ad Zelum accendendum*, uti iterum Caraffa indicavit dicens: Medium efficacissimum, in nobis Zelum animarum excitandi, est attenta & devota consideratio vulnerum Christi. Vulneratus est propter iniquitates nostras, ut nos ab eis liberet. Ea nihilominus pro cœlo retinuit, ut eis Patrem Mundo reconciliet. Itaque si amas Christum vulneratum, cooperare ejus fini, & scopo, salutémque animarum procura, postulando omnibus effectum sacrorum vulnerum. Considera itaque cum S. Augustino, in vulneribus dolorem & amorem; quantum pro qualibet anima dolorem exhauserit, quantoperè dilexerit. Ad sustinendum exemplo Christi, pro salute animarum omnem dolorem, & contemnendum omnem alium amorem. Eâdem consideratione Christus piam quandam animam roboravit. Apparuit ei in forma crucifixi præferentis vulnera recentia, & sanguinem stillantia, dixitque: En contemplare, charissima, ut vulnera mea clamant ad te, ut te in salutem animarum impendas, ne frustra sanguinem fuderim, & sine causa mortem perpessus sim. Eandem ob causam priusquàm Apostolos in Mundum ad prædicandum dimitteret, ostendit eis manus & pedes, ut ex vulnerum conspectu eum fervorem conciperent, qui Prædicatoribus necessarius est.

Ibidem Confid. 18. l. 3.

X. *Quia sunt optimum medium ad Beatitudinem certò obtinendam?* Hinc S. Bernardus ait: Vulnera Christi sunt clavis reserans & clavus penetrans. Neque unus effectus ab altero separatur. Est clavis & clavus. Est clavis, quia tibi reserat cœlum: Est clavus, quia tibi carnem transfigit; quod si mortificationem clavi fugis, scito te consolationem clavis quoque perditurum. Quid cogitas? si in Christo non fuit clavus tantùm reserans, sed etiam penetrans; *oportuit* enim *pati Christum, & intrare in gloriam suam*; An aliam in te legem sperabis, volésque claves absque clavis? Hanc ergo, ut veritatem certissimam, animo tuo insculpe. Clavus tribulationis cum patientia supportatæ, est clavis Paradisi; neque ulli clavis erit Paradisi, nisi priùs sit clavus tribulationis. Non est clavis reserans, nisi prius sit clavus penetrans. Sustinuit S. Carolus à clavo in processione sibi pedẽ transfigi, ut tolerato clavo mereretur agnoscere clavẽ. Arbitrare, hæc tibi à clavo tribulationis dici.

Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.

Sustine, & salvaberis. Sustine clavum, & habebis clavem.

§. VI.

§. VI.

ASCETICA.

S. Bernard. ser. de passion. c. 3. I. INprimis nôsse debet *Asceta causas, cur Christus retinere vulnera etiam post mortem voluerit*, quæ quidem sequentes ab Authoribus assignantur 1. *ut amorem suum clariùs demonstraret*; propterea namque, inquit S. Bernardus, vulneratum est cor Christi; ut per corpus visibile, vulnus amoris invisibile videremus, quod vulnus quamdiu videri potest, tamdiu de perennante eius amore dubitari non potest. 2. *ut ad mutuum amorem incitaret*; si enim Cæsium Scævam mille vulneribus lacerum hostes amârunt, & vulnera deosculati sunt; quidni amemus JESUM amicorum charissimum, qui vulnera servavit in corpore, ut nos vulneraret sua charitate? 3. *ut proximum nostrum ardentiùs amemus.* Nam de unoquoque nostrum apud Isaiam scriptum est: Ecce in manibus meis descripsi te, clavo usus pro calamo, sanguine pro atramento. Qui me vulnerat, Christum vulnerat; qui Christi amat vulnera, me pariter amare tenetur, eò quòd propter me illa suscepta & servata sint. 4. *ut suppleret defectus nostros, &c.* uti Christus ipse S. Mechtildi revelavit, dicens: Vulnera mea sunt animarum Gazophylacia ad supplendam earundem paupertatem; sunt lavacra ad abluendas earundem sordes, sunt gratiarum fluenta ad merita perficienda. Hanc suadere solita est precatiunculam in fine præcipuorum operum dicendam: Supple JESU pie per vulnera imperfectum meum. 5. *Ut signa prædestinationis forent cultoribus suis*; sunt enim illa civitates refugij. 1. Paralip. 6. Sunt quinque portæ ad templum gloriæ, omnibus morientibus apertæ; sunt petræ in fossa humo à facie timoris Domini. Is. 2. Sunt cavernæ maceriæ contra iram aquilæ, divinæ, inquam, justitiæ, & contra infernalis accipitris astum ac insidias. 6. *causa à S. Eusebio Emysseno assignatur dicente: Hoc modo facit Dominus noster, quomodo fortissimi quique bellatores, & principes cunctis hostibus facere solent, qui non solum victorias, sed cicatrices suas exprimi, & patriæ aspectibus exponi volunt. Hi itaque incliti Duces inter laudum celebranda præconia gloriosè gesta, gaudent exprimi etiam vulnera sua, gaudent, optant inter coronas inseri excepta duris ossibus tela, ut inter umbratos colores merita viri fortis velut proprio cruore pingantur, & præferant non solùm lætitiâ triumphantem, sed & pugnâ vincentem: ut hostilis sanguis afferat fortitudinem, proprius pietatem, ac propugnatorem suum plùs diligat per horrentes plagas restituta libertas. Ita & Dominus noster JESUS Christus, non solum Divinitatem, sed etiam Crucem in mortem suam post futuris voluit seculis celebrari, ut à peccatis, propter quæ moriebatur, non solùm nos DEI mandata revocarent, sed illata pro nobis supplicia, & vulnera deterrerent.* Hinc S. Augustinus dixit: Postquam intellexi me pretioso sanguine Christi redemptum, nolui me ampliùs venalem exhibere.

Hartunk. Conc. Civ. Dom. in Alb. §. 5. — Ibid. §. 7. — Ibid. §. 8. — Ibid. §. 9.

II. *Nôsse debet, cur quinque talia grandiora vulnera recipere voluerit*; cujus rationem assignavit S. Petrus Damianus, dum ait: Vulnera Redemptoris quinque sunt, quia nos eramus quinque sensuum vulneribus sauciati, & per has quinque plagas saluti sumus restituti. Peccavimus cogitatione & desiderio, quasi pedibus animæ, pedes enim animæ sunt affectus, inquit S. Augustinus in Psalm. 94. Ad quæ peccata abluenda sacratissimorum pedum suorum sanguinem Salvator offert; peccavimus linguâ, ex plenitudine cordis os loquitur, cordis proinde sanguine peccata linguæ Christus eluit; peccavimus opere & omissione, ecce vulnera dextræ & sinistræ.

S. Petrus Damianus apud Hartunk Conc. Civ. Dom. in Albis. §. 5.

III. *Nôsse debet finem considerationis vulnerum Christi, quem quidem triplicem assignavit S. Bonaventura*, dum dixit: ea considerari debere 1. *ad imitandum & compatiendum.* Hæc sit nostra consolatio, subdit idem, progressus in hac imitatione, ex qua nascitur condolentia sentiens dolores personæ amatæ, & per imitationem expressæ, ceu proprios. 2. *Ad admirandum, & exultandum.* Admiranda immensa charitas DEI: Exultandum de fructibus vulnerum, de redemptione generis humani, restauratione ruinæ Angelicæ, & gloria DEI. 3. *Ad resolvendum & quiescendum*, se in Christum transformando, & quiescendo in ejus sanctissimis, & dulcissimis vulneribus, absque ulla alia sollicitudine.

S. Bonav. in Caraffa Fascic. Consid. 23. l. 3.

IV. *Nôsse debet, quid in SS. vulneribus præcipuè considerandum sit*, id quod Hartunck sequentibus verbis indicat: si suaviores tibi meditandi praxes arrident, meditare ad vulnera pedum, quanta pro te itinera Salvator tuus confecerit; perpende ad vulnera manuum, quot miracula & beneficia perpetrârit; recogita ad vulnus lateris, quantâ te ingratum charitate DEUS homo dilexerit, & ex hoc latere similem cum Augustino vocem audire cogita: Non ita Longini quondam sævijt acuta cuspis, ac scelera tua; quoniam per te, & propter te, apertum latus est, & intrare noluisti, infer ergo digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & infer in latus meum, & agnosce, quæ pro te, & à te, ô impietas humana, pertulerim. Poteris & ad vulnera tuas, tuorúmque necessitates commendare; Benefactores pone in vulnus dextrum; inimicos tuos in sinistrum; cordi vulnerato charissimos tuos commenda; ad pedem dextrum ora pro justis omnibus, in quocunque statu sint, ad sinistrum pro peccatoribus, iisque potissimùm, qui in próximo damnationis æternæ discrimine consistunt. Sed & Christus S. Gertudem docuit, quid faciendum sit, cùm imaginem Crucifixi intuetur. Imagi-

Hartunk Conc. Civ. in Dom. 2. Quadrag. §. 4. — Fasc. Consid. 4. lib. 3

Imaginabitur, inquiebat, se has à Crucifixo voces accipere: En vides, quomodo pro te sum vulneratus in cruce. Si saluti tuæ expediret, vellem pro te solo tolerare omnia, quæ toleravi pro toto Mundo. Tantus est amor, quo te prosequor, tantum tuæ in me salutis desiderium. S. Brigittæ hæc dixit: Si fieri posset, ut toties morerer, quot sunt animæ in inferno: ego promptissima voluntate, & perfectissima charitate corpus meum traderem: eandémque passionem & mortem pro qualibet anima sustinerem, quam sustinui pro omnibus. Idem suum desiderium aperuit Christus Carpo vindictam de scelerato quodam postulanti. Cui apparens cum vulneribus hæc dixit: Paratus sum corpore iterum pro salvandis hominibus pati. Tu, Carpe, mortem peccatori illi postulas: scito tamen, me tam pro ipso, quàm pro quocunque hominum paratum esse denuò pati, & mori.

Ibid. fol. 371. V. *Nôsse debet, quomodo Corolla de SS. vulneribus recitari debeat*, nimirùm quòd contineat hæc Corona in se quinque decades, quarum quælibet divisa est in quinque Pater noster, & quinque Ave Maria. In Pater noster considerabis dolores Christi, in Ave Maria dolores B. Virginis. Ad hæc in quolibet vulnere nova gratia, novúmque beneficium petitur; in vulnere pedis sinistri remissio peccatorum; in vulnere dextri acquisitio virtutum, maximè fortitudinis adversus tentationes; In vulnere manus sinistræ liberatio ab inferno, in dextra adeptio gloriæ; in latere purus amor JESU & MARIÆ. In fine cujuslibet Decadis dices: Sancta Mater istud agas, Crucifixi fige plagas cordi meo validè. Amen.

Ibid. fol. 380. VI. *Nôsse debet, quomodo salutari debeant hæc SS. Vulnera*, videlicèt hoc modo: Salvete monumenta charitatis, testimonia obedientiæ, signa visionis Paternæ, & pretia redemptionis humanæ. Salvete fortitudo Martyrum, patientia Confessorum, gaudium Apostolorum, gloria Sanctorum omnium. Salvete, salvete. Sanctificate animas nostras in potentia Patris, in sapientia Filij, in bonitate Spiritûs sancti. Salvate nos ab æterna damnatione, & sanctificate nos in vestra dilectione, cum abundantia vestrarum gratiarum in hac vita, & cum plenitudine gloriæ in altera, Amen. Vel si singula quis seorsim salutare velit, id sequenti modo præstare poterit.

Ad dexteram manum.

Ibid. fol. 480. Ave manus dextra Christi, perforata plaga tristi, nos ad dextram jube sisti, quos per Crucem redemisti. Pater noster. Ave.

Ad sinistram manum.

Ave manus Christi læva, sic confixa manu sævâ, nos ab omni malo leva, quod produxit Mater Eva. Pater. Ave.

Ad dextrum pedem.

Ave vulnus dextri pedis, pedem mentis piè lædis, dum ad eam sæpè redis, esto nobis spes mercedis. Pater. Ave.

Ad sinistrum pedem.

Ave vulnus lævæ plantæ, quâ virtutum crescunt plantæ, nos ab hoste supplantante, contuere pòst & antè. Pater. Ave.

Ad vulnus lateris.

Ave latus perforatum, unde fluxit flumen gratum, præbe nobis conducatum, ad æternæ vitæ statum. Pater. Ave.

℣. Vulneratus est propter iniquitates nostras.

℟. Attritus est propter scelera nostra.

Oremus.

Domine JESU Christe, qui pro salute humani generis quinque vulnera pati voluisti: Tribue, quæsumus, ut ob reverentiam illorum vulnerum absolvi merear ab omnibus peccatis meis, & præsentem vitam bono fine terminare, & à tuæ dulcissimæ visionis contemplatione nunquam separari. Qui vivis & regnas DEUS per omnia sæcula sæculorum. Amen.

VII. *Nôsse debet, optimum colendi illa modum esse imitationem*, uti iterùm Caraffa noster indicavit dicens: Imitatio Christi crucifixi, & virtutum ejus necessaria est animæ in actu: Passionis verò, & vulnerum corporis in præparatione animi: quia, ut docet S. Thomas, filius adoptivus assimilari debet quàm maximè filio naturali, & membra capiti. Nec passio Christi, ceu causa universalis effectum sortitur absque cooperatione hominis, ut causæ particularis. Arca in qua conservatur gratia, duabus clavibus diversis custoditur, neque una absque altera aperiri potest. Hæ sunt crux nostra, & Christi: vulnera Christi, & nostra. Clavis Passionis Christi semper parata est, sed necesse est, ei nostram uniri, quod est cooperari & compati. Unde rectè nonnemo concludit: Quisquis livorem, vel plagas pro honore cœlestis Regis hîc non susceperit, in futuro Judicio miles gloriosus non apparebit. Consid. 10. l. 3. Consid. 47. lit. m. à.

§. VII.

§. VII.

MISCELLANEA ET CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Mertunk, conc. cru. Dom. in Albis. §. 4.

I. MArius septies Romæ Consul cùm de suo in patriam amore suspectus esset, hac se suspicione liberavit, dum vulnera adverso pectore in patriæ gratiam accepta Senatoribus ostendit, ac dixit : Ista meum in patriam amorem loquantur. Simili usus eloquentiâ miles Julii Cæsaris, ut læsæ Majestatis crimen, cujus appellatus erat, à se removeret, vulnera suo in pectore accepta Cæsareis admovit oculis, & exclamavit : Hæc ego pro te, Cæsar. Imò Cæsar ipse Julius arte simillimâ placare Senatum, populúmque Romanum conatus est, cùm suas pro patria adverso Marte toleratas cicatrices demonstravit, hoc addito super cicatribus acroamate : Has ego pro patria. Antipater quoque odii coram Alexandro delatus, suam in defensionem vestes discidit, vulneráque indigitans peroravit : En malevolentiæ meæ in Alexandrum testimonia, defendant illa reum. Sicùt ergo profani isti duces, militésque ad contestandum amorem non evanidum adversus rempublicam, patriámve, vulnera retinuerunt ; ita & regum Rex æternum suum erga unumquemque mortalium contestaturus amorem, vulnera asservâvit, ex quibus incessabili proclamaretur voce : Ecce quomodo amavi te !

Ibid. §. 5.

II. Elephantem cicurant venatores, dum in fossam industriè priùs præparatam decidenti, & à venatorum aliquo ex composito vulneratæ bestiæ venator alius succurrit, séque pro ea pugnare, ac vulnerari simulat ; quo obsequio ita sibi Elephantem demeretur, ut eundem deinceps cicurem, & omnia promptum ad obsequia circumducat. Ecce Christum vulneratum ! ut efferos nostros cicuret animos, suique rapiat in amorem.

Garaffa in Fascic. myrrh. l. 1. consid. 4.

III. Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris. S. Bernardus per hos Salvatoris fontes intelligit quinque vulnera. Primus fons est misericordiæ, secundus sapientiæ, tertius gratiæ, quartus charitatis, quintus gloriæ & vitæ æternæ. Primi quatuor ad præsentem vitam spectant, quintus significatus per vulnus lateris, ad futuram. Et ideo Salvator vivus vulnera manuum, & pedum excepit ; at illud lateris mortuus. Ad postremum hunc fontem suspirabat Propheta, cùm dicebat : *Sitivit anima ad DEUM fontem vivum.* Foret enim exigui momenti, participem fieri in præsenti vita bonorum gratiæ, nisi adjungantur illa gloriæ.

Ibid. consid. 17.

IV. David bellaturus adversus Goliathum, delegit quinque limpidissimos lapides de torrente, & misit eos in peram pastoralem, quam habebat secum ; & cùm appropinquâsset Philistæo, misit manum suam in peram, tulítque unum lapidem, & fundâ jecit, & circumducens percussit Philistæum in fronte ; cúmque prævaluisset, nec gladium haberet in manu, arreptô Philistæi gladiô præcidit caput ejus. Hi quinque lapides significant quinque vulnera Christi, quæ primum in pera memoriæ sunt accuratissimè servanda. Dein fundâ intellectûs attentè, & pensiculatè expendenda (& circumducens) circumducendo eam in cœlum, in terras, in infernum, ubicunque ejus effectus deprehendi possunt. Tertiò in tentationibus opponenda sunt inimicis nostris, certam enim victoriam nobis adferent.

Ibid. l. 2. consid. 15. n. 3.

V. Inter documenta S. Mechtildi data fuit non postremum, ut in suis vulneribus tanquam in centro, aut portu securissimo conquiesceret. Et desideria quidem vulneribus pedum crederet, opera verò manui dextræ istinc purificanda ; afflictiones, sinistræ istinc velut melleo malagmate condiendas & temperandas ; lateri amorem, ut, quemadmodum Christus dicebat, cor tuum cum corde meo in unum ita coalescat, ut ferrum cum igne, quo igne factum est.

Ibid. conf. 27.

VI. Ex prudentiæ serpentinæ argumentis non postremum, judicio S. Augustini est, quòd, ut nova se veste & pelle vestiat, veterem detrahat, transmisso per arctum foramen corpore. Ut pellem vitiorum deponamus, per foramen stigmatum Christi transeamus. Quod fit consideratione, considerando infinitum amorem, quem Dominus in illis vulneribus demonstravit. Est enim in amore vis transformandi & convertendi in suam naturam. Ubi itaque consideravit vulnera tam amabilia, & amore infinito & divino plena, vestiet se anima veste nuptiali amoris, & exuet veste peccati.

Ibid. conf. 32.

VII. Montes excelsi cervis, petra refugium herinaceis. Maximi Sanctorum, significati per cervos, degunt per contemplationem in sublimibus montibus Paradisi : Inferiores verò in petra, quæ est Christus : & potissimùm in ejus latere. Sanctiùs dixerimus, adstruendo quòd iidem utrobique versentur juxta diversitatem affectuum. Tempore consolationis, ceu sitibundi cervi, decurrunt immensam Paradisi planitiem ad extinguendam in vivis fontibus sitim. Desolationis verò tempore, & cùm gravitatem suorum delictorum ruminant, ceu timida animalia, aut herinacei, recurrunt ad præsidium securum lateris Christi.

Kysell. in Rosis fol. 21. §. 5.

VIII. Indorum Gymnosophistæ suis in arcanis prodidêre ; Si quis phialam oleo rosaceo plenam, dexterâ manu conceptísque verbis DEO ritè obtulerit, & se postmodùm hoc oleo inunxerit, tam gratiosum cuique Principi, quem compellaverit, evasurum, ut, quidquid ab eo petierit, abnuere nequeat, aut denegare. Sodales ! rosaceum hunc liquorem exprimite ex quinque rosis sanctissimorum vulnerum, inungite vestras preces pretiosissimo sanguine JESU Crucifixi, offer-

re

te illis cœlesti Patri; quid ambigitis? certi estote, quidquid per sancta vulnera flagitaveritis, obtinebitis.

Ibid. §. 6. IX. Rem æquè mirabilem finxit Homerus, cùm Achilles in Trojana obsidione interfecisset Hectorem, ejúsque cadaver canibus, lupis, voracibúsque bestiis, & alitibus dilaniandum objecisset, Venus illud inunxit oleo Rosaceo, cujus fragrantissimus odor omnes illas feras longè fugavit, ut nulla vis illi corpori illata fuerit. Narro fabulam. Hoc tamen scio, meos Sodales esse sollicitos, ut aliquando in supremo agone, sint tuti contra lupos, leones & canes illos infernales, qui quærunt, ut devorent animas nostras; itaque hoc agite, Rosarium quinque sanctissimorum vulnerum, sive vestras preces, non oleo rosaceo, sed guttis pretiosissimi Sanguinis JESU crucifixi inungite; Hôc Rosariô vos armate, credite mihi, fugient Dæmones; nihil contra vos poterunt, etiam portæ inferorum, silebit infernalis Cerberus, cùm sentiet odorem harum Rosarum.

Caraf. l. 2. conf. 39. X. Septem sunt principes excellentiæ Paradisi terrestris. Serenitas aëris, fertilitas terræ, quatuor flumina, arbor vitæ, fructus prohibitus scientiæ, justitia originalis, & certitudo gloriæ æternæ. Iisdem prærogativis fruitur anima, quæ in hoc cœlesti Paradiso lateris Christi habitat. Efficitur enim expers omnis turbationis, fertilis virtutum operibus, ornata quatuor virtutibus cardinalibus; sapientiâ, justitiâ, temperantiâ, fortitudine. Amplexatur humilitatem, spernit gloriam Mundi, pacifica est per charitatem DEI & proximi, & vivit cum spe futuræ beatitudinis æternæ.

XI. Isaias Propheta unumquemque nostrum hortatur, inquiens: *Abscondere in fossa humo, à facie timoris Domini.* At verò dicet fortassè quispiam, nunquid Psalmista ait: *Quò ibo à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum, tu illic es, si descendero in infernum, ades, si sumpsero* &c. quocunque demum inimicus DEI suum accipiat confugium, nullibi tamen à DEI supplicio immunis erit; quâ igitur ratione Isaias suadet inquiens: *Abscondere in fossa humo?* S. Bernardus verborum illorum explicat mysterium inquiens: Etsi intellexerimus fossam humum illam, quæ ait: *Foderunt manus meas, & pedes meos,* non erit ambigendum de sanitate in ea citiùs adipiscenda animæ vulneratæ, quæ in ea demorabitur; Quid enim tam efficax ad curanda conscientiæ vulnera, nec non ad purgandam mentis aciem, quàm Christi vulnerum sedula meditatio? *Isa. 2. 10.* *Ps. 138. 7.* *S. Bernardus ser. 62. in Cant.*

TITULUS LXXIX.

ZELUS.

§. I.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Qualitas.

Abulens. q. 4. in c. 20. Exod. I. Z*Elus, est amor privatus, nolens habere consortium in amato,* & sic viri dicuntur habere zelum de uxoribus suis, quia volunt, quòd uxores suæ solos illos ament: sic etiam DEUS volebat, quòd Judæi eum solum colerent, & eum ut DEUM cognoscerent; & quando alius coleretur ut DEUS, vel cognosceretur ut DEUS, dolebat, tanquam si videat uxorem suam amantem aliud virum.

S. Antonin. p. 1. t. 2. §. 6. II. Causatur seu producitur Zelus ab amore intenso, ut effectus ejus, quod ostenditur autoritate, ratione & distinctione; autoritate quidem, ut B. Dionysij dicentis 4. cap. de Divin. Nomin. quòd DEUS appellatur Zelotes, juxta illud Exod. 20. *Ego sum Dominus DEUS tuus fortis, Zelotes,* propter multum amorem, quem habet ad existentiam, & maximè ad ea in quibus posuit, & impressit imaginem suam, sicut ad Angelum & hominem. Ratione verò idem probatur sic: quantò virtus aliqua intensiùs tendit in alia, tantò fortiùs repellit omne contrarium, & repugnans; Cùm ergo zelus proveniat ex intensione amoris, ut paret, ad zelum pertinere videtur, quòd aliquis non patiatur consortium, vel amorem contrarium in amato, ipsum refutans, quantùm potest. Tertiò probatur idem inductivè; nam dicitur quis zelare pro DEO, & pro amico; & pro DEO dicitur quis zelare, quando ea, quæ sunt contra honorem & voluntatem DEI, repellere secundùm posse conatur, sicut legitur de Elia. 3. Reg. 20. *Zelo zelatus sum pro Domino DEO* &c. & Num. 25. de Phinees dicit Dominus: *Avertit Phinees iram meam à filiis Israel, quia zelo meo succensus,* id est, magno ardore honoris mei motus *est contra eos,* scilicet virum Israëlitam & mulierem Madianitidem, interficiens eos coëuntes simul. Pro amico zelare dicitur, quando aliqua fiunt, vel dicuntur contra bonum amici, quæ homo repellere studet.

III. Per Phineem, qui illum perfodit, expressi

Dionys. Cart. in c. 25. num. pressi sunt (inquit Dionysius Carthusianus) viri virtutum, qui zelo DEI accensi sunt, qui etsi propriam, non tamen Creatoris iniuriam pati queunt. Et paulò post: Docemur ex sententia omnipotentis, factum illud Phinees magnificè commendantis, ac multipliciter remunerantis, quàm acceptus sit DEO verus justitiæ zelus; qui discretione conditur, ut immolatio DEI, seu zelus divini honoris, quô zelo renititur homo pro viribus suis omni peccato, & DEUM ab universis cupit, & satagit honorari.

S. Ambros. in Exod. IV. Zelum qui habent, omnes sibi inimicos suos putant, qui sunt hostes DEI, quamvis Patrem, fratres, sorores.

Abulens. q. 31. in c. 5. Matth. V. Zelus disponit ad vindicationem, in quantùm importat quendam fervorem amoris, & amor est prima radix vindicationis: nam ex eo quòd quis amat DEUM, & proximum, injurias illis inflictas reputat esse suas; & vult vindicare illas tanquam suas, sicut Elias dixit. 3. Reg 19. *Zelo zelatus sum pro Domino DEO Israël, Sacerdotes tuos occiderunt, & altaria tua suffoderunt.* In quo innuebat, quòd propter istas injurias DEO illatas ipse occidit Prophetas Baal, & in hoc apparet, quòd vindicatio sit Zelus virtutis, quia zelus pertinet ad charitatem, & quælibet virtus habet radicem à charitate, quantùm ad actum suum.

S. Bonav. in Phar. l. 4. c. 36. VI. Bonus zelus est fervor animi, quo mens, abjecto humano timore, pro defensione veritatis accenditur, & eò magis comendabilis, quò quælibet prava, quæ viderit, corrigere satagit; si nequit, tolerat, & gemit.

S. Aug. in ps. 139. VII. Comedebat eum zelus Domûs DEI, quam tamen zelabat Christo, non sibi, sponsus enim sibi zelat sponsam suam, amicus autem sponsi non sibi eam zelare debet, sed sponso.

S. Bernard. s. 4. de verb. Isaiæ. VIII. Zelus absque scientia, quò vehementiùs irruit, eò graviùs corruit, impingens nimirum, atque resiliens.

Hildebert. ep. 2. IX. Citra profectum proficit, quisquis alteri, cùm potest, non prodest. Virtus est, etiam malè usuro virtutis ministrare materiam.

Idem ep. 1. X. Aurum non signatum meliùs rutilat, quàm signatum. Nihil à vilibus tophis gemmæ differunt, nisi in medium deducantur; scientia quoque distributa suscipit incrementum, & avarum dedignata possessorem, nisi publicetur, elabitur.

Æquitas.

S. Chrysost. ho. 3. in Gen. XI. Nihil ita gratum DEO, & ita curæ, ut animarum salus; sicut clamat Paulus dicens: qui *vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*, & iterum DEUS ipse ait: *Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat*: & propter hoc etiam creaturam hanc omnem produxit, & nos formavit, non ut pereamus, neque ut suppliciis nos torqueat, sed ut salvet, & ab errore liberatis regno frui nobis concedat. Talem igitur habentes Dominum, tam misericordem, tam benignum, tam mansuetum, tum nostræ, tum fratrum nostrorum curam geramus, nam & hoc nostræ salutis argumentum erit, & occasio, si non solùm pro nobis ipsis solliciti, sed & proximo utiles fuerimus, ipsum ad viam veritatis manu ducentes; & ut sciatis, quantum bonum sit, cum salute nostra, & alios lucrari, audi Prophetam ex persona DEI dicentem; qui educit preciosum, à vili, quasi os meum erit. Quid hoc? qui ab errore ad veritatem, ait, manu duxerit, vel à peccato ad virtutem proximum induxerit, pro virili humano, me imitatur: etenim ipse cùm DEUS sit, propter nihil aliud nostram induit carnem, & omnia alia humana sustinuit, & crucem quoque suscepit, nisi ut nos peccato obnoxios à maledicto liberaret. Et hoc quoque Paulus clamat dicens: *Christus nos redemit à maledicto Legis, factus pro nobis maledictum.* Si igitur ipse, qui DEUS est ineffabilis essentiæ, ob misericordiam ineffabilem hæc omnia propter nos, & salutem nostram suscepit; cur non & nos erga fratres justi sumus, agnoscentésque eos, ut membra, & eripientes ex Diaboli faucibus in viam virtutis inducimus.

Necessitas.

XII. Angeli quoque sine Zelo nihil sunt, & substantiæ suæ amittunt prærogativam, nisi tam Zeli ardore sustentent. S. Ambros. in ps. 118.

Dignitas.

XIII. Tam copioso munere ipsa redemptio agitur, ut homo DEUM valere videatur. Euseb. Emyss. ho.

XIV. Ille in charitate DEI est perfectior, qui ad ejus amorem plures convertit, gratissimumque DEI sacrificium Zelus est animarum, & sicut Christus graviorem non potest pati persecutionem, quàm ut quis verbo aut exemplo animas suo sanguine liberatas ab ipso avertat, sic gratiorem honorationem impendere ei non valemus, quàm animas deviantes convertendo ad ipsum. S. de Cassch. S. August. apud Mansi dist. toties 971.

§. II.

EXEMPLA SACRA.

Eccli. 48. I. DE Zelo Eliæ dicit Siracides: Surrexit Elias Propheta quasi ignis, & verbum ipsius quasi facula ardens.

Dion. Carth. apud Mansi disc. 8. n. 4. II. De Moyse legitur c. 16. Num. *Iratúsque Moyses valde ait ad Dominum.* Nunquid DEUS Moysen mitissimum jam declaraverat totius mundi? quomodo igitur nunc dicitur: iratus valde? respondet Carthusianus: Ista sancti viri iracundia, fuit ira per Zelum, siquidem divinitatis amore, & vera æquitate repletus, tantam omnipotentis injuriam, & potestatis à DEO collatæ contemptum, amplius ferre

re nequivit. Intus arsit ignibus amoris, foris accensus est Zelo severitatis.

Mansi disc. 8. n. 4. III. Modum Nero Tyrannus invenit irritandi & accendendi canes, & feras, in furorem, & exinde in sanctos Martyres: hos nimirum, animalium sylvestrium, puta, cervorum, & leporum cooperiebat pellibus, ut harum extrinseca decepti ac irritati specie, nullo habito respectu, in eos pleno furore irruerent, imò eos dilaniarent ac devorarent: Zelosus fuit hic pastor noster, ut morti se traderet, animas nostras redimeret; at ne agnosceretur, nostrâ se operuit & vestivit carne: In similitudinem hominum factus, formam servi accipiens: siquidem si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.

Idem disc. 8. n. 11. ex actis Mediolan. IV. Cùm quadam die advenientibus negotiatoribus, multa venalia in foro Romanæ urbis fuissent proposita, multique ad emendum undique confluxissent, contigit & S. Gregorium adhuc Monachum præterire, qui cernens inter alia pueros corpore candidos, formâ pulcherrimos, vultu venustos, capillorúmque nitore perspicuos esse venales, interrogavit mercatorem, de qua patria illos attulisset; ille respondit: de Britannia Insula, cujus incolarum omnium facies simili candore fulgescit. Gregorius dixit: Christiani sunt iidem Insulani, an adhuc paganis tenentur erroribus? Mercator respondit: non sunt Christiani. Tunc Gregorius graviter ingemiscens: heu! prô dolor, quàm splendidas facies Princeps tenebrarum nunc possidet! Tunc ad Benedictum Pontificem accedens, summis ab illo precibus obtinuit, ad Insulam illam ut mitteretur, ad eripiendas è Dæmonis potestate pretiosissimas animas.

Joan. Rho. l. 1. c. 12 n. 1. V. Quàm ardentem S. Carolus Borromæus zelum conceperit, testatur Joannes Rho, dum scribit, eum sex Provincialia Concilia Episcoporum coëgisse, undecies Synodum Diœceseos vocâsse, eandem per aspera montium etiam diffusam, & summo quidem labore, pluries lustrâsse, Cleri, ac populi mores lapsos castigâsse, publicatis libellis, ac voce continuam morum censuram egisse, religiones, ac sacra instaurâsse, nulli hominum, aut sacrorum ordini defuisse unquam: hoc ejus fuit, qui summum decus summo labore consequendum putaret: quæ omnia tamen, ut diligentissimè daret perfecta, minimâ sui curâ, ætatem mediam laboribus abrupit.

Ibid. n. 2. VI. Pium V. Pontificem Maximum, jam Senem ac valetudinarium, non ideo tamen sibi parcentem, sed rebus cognoscendis, agendísque intentum, ut sibi parceret, atque à tantis laboribus vacationem aliquam daret, quùm medici, ac familiares urgerent, quasi ejus violaretur charitas, egregiè iratus, respondisse fertur: Ego verò alienis, non meis commodis curandis huic admotus sum Vigiliæ; una mihi cura, ut omni officiorum genere conscientiæ satisfaciam: valetudinem, ac vitam in postremis habere, Pontificem decet.

VII. S. Thomas Villanovanus Archiep. Valentinus summarium habuit totius Diœcesis, ut, quid ubique sanum, ac validum, quid ubique ægrum, atque invalidum, nosset; habebat criminosorum omnium nomina in schedis, suas in classes digesta, salubribus ubique adnotatis remediis, quibus facilè sanarentur; cæterùm quùm toti Diœcesi nominatim cognoscendæ, (quod ex Evangelica formula Pastori pernecessarium esse conjiciebat) impares hominis unius, quantumvis navi, atque industrii, essent vigiliæ, vehementiùs per litteras egit cum Carolo Cæsare, ut è reditibus Valentiniani Sacerdotii partem alternam novo Episcopo curaret à Pontifice designari, quò in duas ea divisa provincia, proprias oves uterque pastor faciliùs ad opima pascua posset educere; non enim pascere posse videtur, qui non agnoscit. *Ibid. n. 5.*

VIII. Joannis Riberæ Archiepiscopi Valentini tanta fuit docendorum populorum solicitudo, ut, quia absentibus concionando adesse non poterat, pastoris tamen vocem à suis oviculis, quæ illam lubentissimè sequebantur, desiderari sæpiùs nollet. Itaque veterum more scribere aggressus, jussitque in conventibus, quas dederat, solemnioribus Festis Epistolas recitari, & sic infinitas populis attulit commoditates. Sed nunquam ad pastorale decus magìs animum erexit, quàm quùm post mollissimas artes, quibus Mauriscos sanare diu multúmque, sed casso labore conatus, ut Lyciscarum genus illud rabidum, ipsáque dissimulatione ferum, Hispaniâ totâ pelleretur, agendo, rogando, monendo tandem evicit. Intelligebat enim, malè ovibus cum luporum progenie convenire. *Ibid. n. 7.*

IX. Guilielmus Sirletus Cardinalis, sancti Marci Episcopus creatus, cùm reliquis omnibus, quæ Episcopum decent, commissum sibi gregem officiis regere: tum quotidiano DEI verbi pabulo, antiquorum Patrum imitatione, pascere instituit, memor, non ideo à Sacerdotis labiis scientiam divinarum legum custodiri, ut silentio obruant, sed ut sanam incorruptámque promant. Demum, quod pro omni laude sit, tantus in hoc munere administrando Sirletus fuit, ut eum magistri loco habere, ejúsque facta imitari se Carolus Borromæus gloriaretur. *Ibid. n. 8.*

X. Alexius Menesius Archiepiscopus Goanus desertissimas Christianorum reliquias, in asperrimis montibus adhuc perdurantes, invisere, ac persanare non dubitavit. Thomæi à primo fidei conditore Apostolo vocantur, gens veteris religionis tenacissima, quippe quæ vicinis regnis ad idola revolutis, una totius Indiæ se Christianam huc usque sit professa; verùm corrupto à Nestorio ac Macedonio Oriente, & ipsi errorum eâdem peste afflati, constantiáque in pertinaciam abeunte, obstinatissimè retinentes, eripi sibi superstitionem passuri non videbantur. Doluit tanta subditæ sibi gentis clades Menesio, & quamquam ingentibus vitæ periculis denunciatis, semel, iterúmque à Prore- *Ibid. n. 9.*

gibus

gibus Goæ sit detentus, ire tandem perseveravit, adiitque intrepidus, contemptis insidiis, quæ in illius caput fuerunt comparatæ, superatisque montibus, & perfidiæ antesignano Archidiacono facessere jusso, parœcias lustravit, errores dedocuit, ritus ac cæremonias, quibus depravatissimis utebantur, ad Catholicam amussim exegit, ac solemni ritu Christianæ militiæ oleo consignatis, confirmatisque populis, de manubiis animorum magno Pastori Christo optatissimum erexit trophæum.

§. III.

MOTIVA.

S. Bern. ep. 109. I. *Christi exemplum*; quod sic proponit S. Bernardus: Ipse diligit vos, tanquam viscera sua, tanquam fructum pretiosissimum Crucis suæ, tanquam dignissimam recompensationem effusi Sanguinis sui. Qui animam pretio sanguinis sui censuit dignam, ille met est, de quo scriptum est: *Spirituum ponderator est*; non potest ille falli nec decipi, siquidem S. Joannes ait: *Ipse enim sciebat, quid esset in homine.* Et S. Augustinus scribit: Nemo fallit Redemptorem suum: egit hic commercium, pretium solvit, sanguinem, inquam, fudit unicus Filius DEI pro nobis. O anima, erige te, tanti vales! quia Filius DEI dedit vitam suam, num difficile nobis videbitur impendere labores & sustinere adversitates pro eodem lucro?

S. Carolus in act. Mediol. II. *Ecclesiæ exemplum*; de quo sic loquitur S. Carolus Borromæus: Hunc Ecclesiæ spiritum nobis Joannes ostendit præclarâ illâ, quam descripsit, visione? *signum magnum apparuit in cœlo, mulier amicta sole, & luna sub pedibus ejus, & in capite ejus corona stellarum duodecim, & in utero habens, & clamabat parturiens, & cruciatur, ut pariat.* O quàm magnum habet desiderium pariendi? Angustiatur, affligitur, cruciatur, dolet, clamat, quamdiu militans est; nec cessabit, donec perfectè & omninò triumphanti jungatur. Hoc unicum ipsius negotium, & filiorum ejus itidem est, hoc maximè spectat in omnibus actionibus, synodis, visitationibus, decretis, ministerijs, DEI verbi prædicatione, correctione, universo denique regimine. Ubi & Sanctus nonnullorum, qui se excusant, satisfacit oppositionibus: Sed novi, quid multi dicant; Et quis illuc se conferat, ubi est summa rerum omnium inopia? ubi nonnisi prærupti montes, difficillima loca? ubi die noctuque laborandum, & incommoda maxima sustinenda? Et idcircò peribunt igitur, fratres, animæ, Christi pretiosissimo sanguine redemptæ, ut nos commodi simus? Præferentur ergò nostræ deliciæ animarum saluti?

Ennod. apud Mansi disc. 9. n. 6. III. *Pastorum sæcularium exemplum*, qui continuò, die noctuque expositi sunt aëris & temporum injurijs, laboribus, periculis, mille nisque alijs ærumnis & adversitatibus. Quamvis cana nivibus juga (S. Ennodij verba sunt) Alpium transituris minaretur exitium mortiferum frigus, & concretas algore glebas, fidei ardor exuberat. Nescivimus parcere sanguini nostro, dum servamus alienum. Nam in tanta circumspectione salutis omnium, solùm pro nobis timere non novimus.

IV. *Negotiatorum exemplum*; quod S. Hieronymus ob oculos habendum, Rustico scribens, his verbis suasit: Perspicuum est, inquit, si negotiatores sæculi tanta sustinent, ut ad incertas, periturásque divitias perveniant, & servent cum animæ discrimine, quæ multis periculis quæsierunt; quid Christi negotiatori faciendum sit, qui venditis omnibus quærit pretiosissimam margaritam, qui totis substantiæ suæ opibus emit agrum, in quo reperiat thesaurum, quem nec fur effodere, nec latro possit auferre. S. Hier. ep. 4.

V. *Propriorum peccatorum deletio*; ad quam obtinendam Zelum hunc efficacissimum esse medium, Josephus Mansi exemplo Davidis sic ostendit. Regius Propheta Psal. 50. modo imperativo DEO loquens ait: *Redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me.* Et unde hic sanctus Propheta talem concepit audaciam, reus existens peccatorum adeò execrabilium? Ponderate, quæ sequuntur, verba: *Docebo iniquos vias tuas, & impij ad te convertentur; libera me de sanguinibus DEUS, DEUS salutis meæ.* Qui cooperatur alterius conversioni, & salvat animas Christi sanguine redemptas, quodcunque vult & desiderat, petat, & obtinebit, quia maximo, quod dari potest, gaudet pignore gratiæ & amoris divini. David commiserat adulterium, homicidium, nec non grave populo sibi subdito dederat scandalum; Saulus pariter Christi, Christianorúmque fuerat persecutor implacabilis: *Spirans minarum & cædis in discipulos Domini*; & tamen de hoc dicit DEUS: *Vas electionis est mihi iste. Raptus in paradisum audivit arcana verba*: de altero pronunciavit: *Inveni hominem secundùm cor meum*; desideratisne utriusque percipere merita? Illos divina clementia à peccatis per remissionem efficit liberos, quos prævidet utilitati Ecclesiæ post conversionem profuturos. Unde meritò S. Gregorius exclamat: O quàm utilis est peccatorum remissio, quæ conversos à peccatis non solùm liberos efficit, sed etiam alios ab impietate, & injustitia retrahens, flammâ charitatis accendit. Hæc est enim charitatis evidens probatio, ut cui per gratiam DEI contigerit à peccatorum vinculis eripi, ipse ex Zelo justitiæ studeat ad spem veniæ delinquentes hortari. Nullum quippe tam gratum DEO est sacrificium, quàm Zelus animarum. Mansi disc. 10. n. 3. S. Greg. in Ps. 4. pæn.

§. IV.

ASCETICA.

S. Thom. 1. 2. q. 28. art. 4. I. ANte omnia Asceta naturam veri Zeli bene intelligere debet, quam quidem optimè S. Thomas declarat dicens: Amor amicitiæ quærit bonum amici, unde quando est intensus, facit hominem moveri contra omne illud, quod repugnat bono amici, & secundùm hoc, aliquis dicitur Zelare pro amico, quando si quæ dicuntur, vel fiunt contra bonum amici, homo repellere studet, & per hunc etiam modum aliquis dicitur Zelare pro DEO, quando ea, quæ sunt contra honorem, vel voluntatem DEI, repellere secundùm posse conatur, secundùm illud: *Zelatus sum pro Domino exercituum.* 3. Reg. 19. Quod confirmans alius quidam author à Mansi citatus, sic loquitur. Mansi disc. 5. n. 5. Zelus sæpissimè accipitur, prout est quidam amoris affectus ab ipso amore ortus, sicut rivulus à fonte, & sicut ardor ab igne, ut explicat *Aristoteles. 2. Ethic. cap. 8. D. Th. 1. 2. q. 28. art. 4.* Perfectissimus Zelus dimanat ab amicitiæ amore, quo quis quærit bonum ipsius amici, quia bonum est amico: hujusmodi autem Zelus erat in sanctis viris per respectum ad honorem DEI, & propulsandi, quæ ei adversantur.

S. Bern. S. 44. in Cant. II. *Bene cognoscere quoque debet connexionem, quæ reperitur inter Zelum & amorem DEI*; quam tangit quoque S. Bernardus, dicens: Si amas Dominum JESUM toto corde, totâ animâ, totâ virtute tuâ, nunquid si videris ejus injurias, contemptúmque, ferre ullatenus æquo animo poteris? Minimè. Sed mox arrepto spiritu judicij, & spiritu ardoris, & tanquam potens crapulatus à vino, repletus Zelo Phinees, dices cum David: *Tabescere me fecit Zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei*; & cum Domino: *Zelus Domûs tuæ comedit me.*

S. Bern. S. 49. in Cant. III. *Cognoscere debet discretionem, quæ in Zelo adhibenda est*; Nam ut S. Bernardus rectè advertit, Zelus minùs absque scientia efficax, minúsque utilis invenitur, plerumque autem & perniciosus valde sentitur; quo igitur Zelus fervidior, vehementior spiritus, profusiórque charitas, eò vigilantiori opus est scientiâ, quæ Zelum supprimat, spiritum temperet, ordinet charitatem. S. Anton. Pad. s. 3. post Dom. 3. Quadr. Alium quoque discretionis hujus actum assignat S. Antonius Pad. dum ait: Primùm est discretio, quam habet ille, qui corripit de eo, de quo ipse non est vitiosus: secùs de illo, qui vel facit, quod reprehendit; vel docet, quod non facit; talis enim seipsum proprio ore condemnat, imò tales divinam indignationem incurrunt.

S. Chrysol. s. 10. IV. *Cognoscere debet, ad quos præcipuè Zelum suum extendere debeat*, de quibus S. Chrysologus sic loquitur. Afferte Domino baptizandos; afferte, quos fides concipiat, non caro; afferte, quos DEI gratia generet, non mundana natura; afferte, afferte, quos spontè venire, aut necessitas vetat, aut ætas impedit, aut ignorantia retardat, aut tenent vitia, aut delicta remorantur.

§. V.

MISCELLANEA ET CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Qualitas.

I. S. Thomas Villan. considerans illa S. Mariæ Magdalenæ verba: *Et ego eum tollam*: sic exclamat: O admirabilis mulieris audacia! o mulier, non mulier; nullum locum excipit, nihil anteponit, sine timore dicit, absolutè promittit: *dicito mihi, ubi posuisti eum, & ego eum tollam.* O mulier magna est constantia tua, magna est fides tua, sed quomodo, mulier, quâ valetudine, quibus viribus, quo ingenio corpus tam grave posses portare sola? cum una fueris de portatoribus ad sepulchrum, nunquid tecum tuas socias habere te credis? recesserunt. Audite, quomodo sanctus hic Prælatus concludat loquendo in persona illius: *Et ego eum tollam*; amor enim impossibile suâ opinione reducit, & quod nequit efficere, posse se credit. S. Thomas Vill. apud Mansi disc. 5. n. 8.

II. Cant. cap. 4. legitur: *Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Eodem cap. paulò post legitur: *Vulnerâsti cor meum, soror mea sponsa, vulnerâsti cor meum in uno crine colli tui.* Collum principalis pars est corporis nostri, per quod transeunt spiritus vitales, & è capite descendunt ad reliqua membra, hoc igitur collum depingit Spiritus sanctus munitissimæ instar turris; præterea sauciatum se declarat cœlestis sponsus ab uno crine istius colli. Vultisnè intelligere hujus mysterium? Audite Richardum de S. Victore: Collum caput & membra conjungit. Collum itaque mihi es, dum animas convertere, & mihi conjungere studes. Unus crinis colli est unica cogitatio, & præcipua intentio, quâ circa hoc laboras. Rapitur, & suaviter amore divino vulneratur DEUS noster, quandò finis operationum nostrarum est lucrum animarum: observetur hoc: unica cogitatio, quia qui DEO dedicati sunt, nonnisi de hoc, & de nullo alio cogitare & solliciti esse deberent, quia Redemptor noster à sacerdotis officio non quærit aurum, sed animas. Mansi disc. 9. n. 11.

III. Repetebat domum suam Regulus; quod cùm famuli ejus scirent, læti, hilarésque ei occurrerunt, expectatissima filij jam sani nuntia perferentes: quæ cùm accepisset, interrogabat horam ab eis, in quâ meliùs habuerit. Quærere hîc libet, unde ista Reguli descenderit interrogatio. An fortè ab incredulitate? Nihil minùs, quamprimùm enim audivit Christum dicentem, *vade, filius tuus vivit*, extempló *credidit homo sermoni, quem dixit ei JESUS*, quod Did. Nyss. §. 5. in Dom. 20. post Pentec.

quod ijs verbis affirmat S. Joannes : unde ergo factum, quòd tempus sciscitabatur, quo ægrè esse filio desierit? Respondet Glossa interlinearis, à pietate erga Christum natam fuisse interrogationem, inquiens : Non diffidit de misericordiâ Domini, sed desiderat, ut virtus divina servorum confessione plurimis innotescat. Nihil ille de fide verborum Christi dubitabat, qui incolumem filium pronuntiarat; famulos nihilominus de horâ valetudinis illius melioris interrogabat, ut, cùm illi intelligerent, eo momento convaluisse Domini sui Reguli filium, quo sanum Christus affirmârat, etiam ipsi Christo crederent, & benedicerent, & famam miraculi evulgarent. Et studium pientissimi Reguli quàm fructuosum fuerit, mox sese prodidit, nam *credidit ipse, & domus ejus tota.* Idem curare debet, quisquis fidus DEI servus videri, & haberi cupit, ut parum putet, quòd ipse DEO studiosè, diligentérque serviat, nisi etiam adlaboret, ut alios quoque ad DEI cultum observantiámque adducat. Idcircò hic Regulus non contentus, quòd ipse Christo crederet, etiam hoc sibi agendum putavit, ut omnem suam familiam ad Christi agnitionem adduceret, desiderans, ut virtus divina servorum confessione plurimis innotescat.

ibid. IV. Vix in Mundum Mundi salus advenerat, quando Angeli laudes ejus cantibus celebrare cœperunt, atque in hæc verba modulari: *Gloria in altissimis DEO, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*; Lucæ 2. 14. Libet hoc loco iterum interrogare, cur bonæ voluntatis potiùs, quàm acris intellectûs, & ingenij hominibus in terris, pax è cœlis promittitur? Respondi ad hoc alibi ex S. Cæsario, hîc nunc ex operandi modo illarum potentiarum, intellectûs, ajo, & voluntatis, conceptum proposito commodum eliciam. Quâ ratione intelligit intellectus? Adducendo res ad se, ut propterea Angelicus Doctor 1. 2. q. 108. art. 1. ad 3. & 1. 2. q. 8. art. 1. dixerit, intelligere, idem esse, quod intus legere, atque ad se intrò accersere, quod inibi legat. At voluntas quomodo amat; quomodo vult, aut cupit? Non adductione rerum ad sese, sed insecutione earum. Ob hanc causam Ecclesiasticus ut hominem describeret, quem nulla auri cupiditas abripuerit, nullus illius metalli fallax splendor seduxerit, sive ad se duxerit, ajebat : *Beatus dives, qui inventus est sine macula, & qui post aurum non abiit*; Eccl. 31. 8. Huc etiam vadit illud, quod sponsus ajebat, ut vehementissimum suum erga sponsam amorem indicaret, dicens : *Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum, & in uno crine colli tui.* Cant. 4. 9. S. Gregor. Nyssenus transtulit : *Excordasti me*; & sic habent LXX. Alij autem verterunt. *Cor mihi rapuisti*, tanquàm idem sit, amore, & corde destitui, aut animo in illum, quem diligimus, emigrare. Hinc profani amatores dicere solent, ademptum sibi cor ab amiculâ, quam depereunt. Quod ergo Angeli pacem voluntati magìs, quàm intellectui annuntiârunt, tale est, ac si dixissent, DEO magìs etiam acceptos esse, qui morem agendi observant, quem voluntas habet, quàm qui ad modum, quo intellectus utitur, operantur. Hoc est, quod ajo : qui ad se omnia trahunt, & in sua commoda transferunt, & hoc solum curant, ut sint ipsi probi, & DEO serviant, neque simul soliciti sunt, ut alios habeant ad DEI ministeria, & obsequia socios, & cultûs illius consortes, non ij tantùm placent DEO, quantùm illi, qui pro similitudine voluntatis, ad alios contendunt, eósque prosequuntur, & hortantur, ut communem Dominum communibus officijs colant, pari observantiâ venerentur, ament, adorent. Hinc enim amoris erga DEUM fervor dignoscitur. Si totis viribus huc coneris, ut omnes ad illius amorem, & observantiam adducas, si plurimos in illius castra pertrahas, qui sub illius signis militent, & pro gloria nominis ejus fortiter dimicent.

V. Propheta Rex ajebat : *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo*; Psal. 33. 2. Velut dixisset: Quoniam dulcissimum Dominum, & amantissimum Patrem te nobis per omnia exhibes, ratio postulat, ut in laudibus tuis recensendis & decantandis perpetuus Encomiastes verser, & hæc sit tota linguæ meæ occupatio, ut elogia tua infatigabili studio, & magnis vocibus prædicet, passimque evulget. Verùm notate, quòd vix hoc mente conceperat, vix sermone expresserat votum, quòd Dominum benedicere solus vellet, quando adjecit : *Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen ejus in idipsum*; ibid. v. 4. hoc est : Adeste huc, mortales omnes, & paribus vocibus augustum, & sacrosanctum supremi Domini nomen mecum celebrate. Sed quid est, quòd paulò antè solus Domino laudes adornabat, jam verò omnes ad illum glorificandum invitat? Respondet S. Aug. quòd David alios ad laudes DEI secum decantandas advocavit, id perinde esse, ac si dixisset : Nolo solus magnificare Dominum; nolo solus amplecti. Tanto amoris DEI incendio animus sanctissimi Regis deflagrabat, ut nihil esse putaret, quòd solus illum & amaret, & coleret, sed omnes uni, ac soli huic negotio dare piam, diligentémque operam vellet, sic ut non vir esset super, non mulier in Mundo (si fieri posset) reliqua, quæ non DEUM ardentissimè amaret, ac religiosissimè observaret : Nolo solus magnificare Dominum, nolo solus amplecti. Paucis nempe contentus est, cui hoc satis, quòd ipse solus DEUM amet, neque curat ut omnes, vel certè plurimos habeat in eo amore rivales. Monet porrò beatissimus Augustinus, ut ne tam illustre exemplum prætermittamus vacuum, sed mutuemur à pœnitente Rege, quod imitemur, dicens : Excitate ergo in vobis amorem, fratres, & clamate unicuique vestrûm, & dicite : Magnificate Dominum mecum, sit in vobis iste fervor.

Fervor. Si amatis DEUM, rapite omnes ad amorem DEI, qui vobis junguntur, & omnes, qui sunt in domo vestra. Ergò rapite, quos potestis, hortando, rogando, disputando, rationem reddendo cum mansuetudine, cum lenitate.

Ibid. VI. Moyses cum Terræ primam originem narraret, ajebat: *Terra autem erat inanis, & vacua*, Gen. 1. 2. Alii transferunt: *Terra erat invisibilis.* At quid terræ vacuæ cum invisibili? nec enim ex eo, quòd invisibilis erat, fieri videtur fuisse vacuam, & inanem. Respondet Sanctus Gregorius Nyssenus, magno mysterio factum, quòd Moyses ait, terram fuisse vacuam, & nulli rei utilem, quando dicitur fuisse invisibilem, inornatam, opertam aquis, idque perinde fuisse ac si dictum: Erat, & non erat terra, quæ nec oculis exposita, nec ullis usibus commoda. Propterea Theodotion apud eundem Nyssenum vertit: *Terra erat inanis, & nulla.* Et Aquila: Erat nihil, & nihilum pro nihilo erat, quæ ad nihilum valebat. Ita statue de scientiâ, & eruditione tuâ, eam, quantumvis magna sit, nihil esse, nisi ad profectum aliorum vertas. Nam ut Ecclesiasticus c. 20. v. 32. ait: *Sapientia absconsa, & thesaurus invisus, quæ utilitas in utrisque?* quid refert plurima & scire, & habere, si nulla ex his utilitas ad ignaros, egenósque redundat; Curemus ergo, ut quomodocunque possumus, aliis commodemus, serviamus, usui simus.

[I]dem in [illegible] l. c. 3. VII. De magno Sacerdote & Rege Melchisedech affirmat aliquid Apostolus, quod sit difficile creditu. *Sine patre, sine matre, sine genealogia fuit, neque initium dierum, neque finem habens*, inquit. Hebr. 7. 3. Abstrusum habent ea verba sensum, in quem penetrare nemo facilè queat. Cùm enim Melchisedech fuerit creatura, omnis autem creatura suam habeat originem, & definitos durationis limites, quid est, quòd Sanctus Apostolus de rege, & Sacerdote summi DEI Melchisedecho ait, fuisse sine Patre, sine matre, & neque initium dierum, neque finem vitæ habuisse? Sanctus Joannes Chrysostomus orat. 12. in c. 7. ad Heb. paucis decidit hanc difficultatem, dicens: sine patre, & sine matre, neque initium dierum, neque finem habens, propterea quòd scripta non sunt. Res indubitata est, habuisse Melchisedech patrem, & matrem, velut cœteros hominum; item vivere cœpisse, ac desiisse, quemadmodùm homines alii nati sunt, ac denati. Quod ergo dicitur, nec primordia vitæ habuisse, neque finem, & parentibus caruisse, id fit, quâ origo ejus, & clausula, nullis est literis consignata ut proinde notitiam hominum parentes ejus fugiant, omnésque lateat, quis vitæ illius introitus, quis exitus. Propterea quòd scripta non sunt; nam tametsi res aliqua sit, aut fuerit, quamdiu hæc ignota sunt, perinde est, ac si nunquam in Mundo fuerit. Ut eleganter dixerit Magnus Basilius in Psal. 48. Si quæ in cordis arcano bona quis habet, nolit in apertum sermone exprimere, huic illud dicetur: *Sapientia occulta & thesaurus absconditus, quæ utilitas in utroque?* Eccles. 20. 32. Si quis ingentes omnium scientiarum copias intra pectoris armarium rea lusos teneat, neque in publicum forum, usùmque per linguæ fores producat, quid ex commodi adferre hominibus queunt? Bonum enim quod non lucet, sed oculos fugit, & in usum non venit, sic est, tanquam non esset.

VIII. Difficultatem ingerere in bona Astrologiâ potest, quod sacer historiographus, cùm infantium Mundi, & exortûs illius primordia describens ait, quando de sole, & luna loquens refert, duas à supremo Artifice lampadas ex cæruleâ testudine hujus templi, cujus orbibus undique includimur, suspensas, ut alternis successionibus Mundum vicissim illuminarent: *Fecit*, inquiens, *duo luminaria magna, luminare majus, ut præesset diei, & luminare minus, ut præesset nocti*. Gen. 1. 16. In his luminare vocat etiam Lunam. At si benè res expendas, inquit sapientissimus scripturæ expositor Tostatus, invenies, quòd secundùm demonstrationes astrologicas quolibet astro visibili Luna ad minus octo vicibus minor est. Hæc ille in c. 1 Geneseos, quæ si vera sunt, quomodo sol, & Luna vocantur luminaria magna, tanquàm vastitatis mole singulariter hæ faces excellant: quòd soli majoris luminaris illustri appellatione donatur, nihil incommodi habere videtur; at quòd luna simili grandioris luminaris nomine insignitur, quæ tanto minor est omnibus conspicuis astris, quomodo rectâ cohærere cum ratione potest? Respondet quæsito magnus Doctor, dicens: Luna vocatur magnum luminare, non quantùm ad rem, sed quantùm ad apparentiam; propinquitas enim hujus orbis ad nos, in comparatione ad alios orbes, facit magnitudinem apparentiæ. Omnibus aliis planetis, & stellis, quæ sub visum cadunt, oppidò minorem esse lunam, inficiari nemo potest, nam cùm reliqua sidera magnitudine octuplâ eam superent, facile est intelligere, quantus sit vastitatis excessus. Vocatur nihilominùs luminare majus, non quòd absolutè majus sit, sed quòd tale videatur, eò quòd illa plùs lucis terræ affundat, quàm ceteræ stellæ conjunctim omnes. Ut ergo sacer scriptor nos doceret, bona usque eò magna esse, quò talia se visui & usui offerunt, granditatémque illorum non in eo positam esse, ut sint, sed ut videantur, & appareant grandia, idcircò Lunæ datur nomen luminaris majoris, quia etsi minor stellis, magìs tamen iis lucet; post solem namque nihil est, quòd æquè terram irradiet, illustrétque ac Luna. *Ibid.*

IX. Perdifficilia quoque videri possunt verba S. Joannis præcursoris, quando de Christo dixit: *qui post me venturus est*: quid enim sibi vult istud, *qui post me venturus est*? Triginta anni, & supra sunt, quòd illum jam tunc venisse nuntiavit, etiam indè ex obscuro alvi maternæ ergastulo, adventúmque ejus singulari inauditâque exultatione gratulabundus excepit, & nunc illum venturum ait! *Qui venturus* *Ibid.*

turus est ? quomodo hoc rectè intelligi debet? Huic difficultati occurrit Abulensis Episcopus Tostatus q. 66. in c. 3. Matthæi dicens: Christus jam venerat, quantùm ad subsistentiam personalem, quia jam erat; non tamen venerat, quantùm ad operationem, ad quam ipse mittebatur. Triginta annos jam in Mundo exegerat Christus, ergo tantò ante homo per nativitatem etiam advenerat, verùm officio, ad quod ab æterno Patre inprimis destinatus fuerat, ità supersederat, veluti nondum advenisset. Ut nos redimeret, & in libertatem assereret, non solùm nasci illum oportebat, & in Mundum venire, sed etiam concionari, novas leges ferre, facere miracula, denique post acerbam passionem pretiosissimum sanguinem suum in ligno crucis fundere. Quoniam verò in illum diem usque nihil eorum rerum operatus fuerat, dicebat Joannes, Messiam venturum: *qui venturus est*. Hæc ita dilucidat Tostatus: Christus non venerat in Mundum, ut homo esset, sed ut salutem nostram operaretur. Et quia Christus nihil adhuc fecerat de illo, ad quod veniebat, rectè dicitur nondum venisse. Hinc illud documenti eruimus, quòd gratiæ, dona, & quæcunque sive corporis, sive animæ facultates, velut non sunt, quamdiu apud nos feriatæ delitescunt, nec ad usum aliorum exprimuntur. Qui enim vires exercendi alicujus operis accepit, easque in opus demandatum non exerit, is est tanquam non sit, inanimæ statuæ, quàm vivo homini similior.

Idem l. 4. c. 6. X. S. Ambrosius acutè notat distantiam, à Regio Prophetâ tributam mysticæ illi arbori, quæ tam copiosos, & opimos reddit fructus: *Et erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo: & folium ejus non defluet, & omnia, quæcunque faciet, prosperabuntur*; inquit Psal. 1. 3. Nemo, quantumvis ambitiosus, & anhelus rerum secundarum insectator, potuit sibi majorem expetere felicitatem eâ, quæ hac metaphora designatur, arboris, quæ suo tempore plurimos ubertim edit fructus, neque ullo unquam destituitur folio, & optatum semper habet eventum, omnium corporum jam pervulgatum est, per folia hujus designari verba, quæ procedunt ab ore justi, & opera hujus bona per illius fructus denotari. Ita communiter sentiunt Expositores, Hugo Cardinalis, Jacobus de Valentia, Ludolphus Carthusianus, Joannes Baptista Folongius, Titelmanus, & alii sine numero. At videamus nunc quisnam ille tam felix, commodus, & opportunus locus, in quo illa ex omni parte fœcunda, & facunda, inque foliis, & fructibus, in verbis, & operibus summè felix arbor sita fuit. *Lignum hoc plantatum est secus decursus aquarum*, inquit Propheta pœnitens. Et Sancti Ambrosij commentarius in hunc Psalmum to. 2. ita habet: Plantatus ergo justus rectè dicitur secus decursus fluminum, non in ipsis decursibus, ut finitimum, non demersum intelligas. Aquæ sunt symbolum populorum, secundùm id, quòd Angelus cœlo delegatus dixit*, discipulorum charissimo Joanni, Apoc. 17. 15. Velut enim aquæ aliæ post alias, jugi & continuo fluxu transeunt, & omnes sua mari tributa pendunt: Ita omnes quasi aquæ dilabimur, & ad mortis mare properamus, ubi flumina quæque, etiam abundantissima, perdunt sua nomina, & omnem deponunt autoritatem. Ad rem nunc. Quonam in loco plantata fuit arbor proferens fructum, quo aluntur, & nutriuntur folia illa, tam medica, & utilia? Secus decursus aquarum, non in ipsis aquis, seu fluminibus. Nam quæ vel in mediis fluminibus, vel nimis remotè ab aquis plantaretur arbor, non redderet optatos fructus. Ut verò expectatos liberaliter proferat fructus, ubi serenda? secus decursus plantandum fructiferum lignum, ut finitimum, non demersum intelligas. Quod si fiat, tunc aqua facit, quod ignis facere ex justâ distantiâ solet. Eâ mysticâ comparatione arboris monemur, quòd homo justus, & vir spiritualis, ut optatum fructum proferat, nec tam procul secedere debet, ut nunquam sui copiam faciat aquis, hoc est, populis, nec tam penitùs se ingurgitare in aquas, hoc est, in vulgi consuetudinem insinuare, ut nimiâ familiaritate non solùm nihil commodi patiat, verùm etiam corruptelam fortè adferat, & destruat, quos ædificare oportebat: secus decursus aquarum, ut finitimum, non demersum intelligas.

Ibid. XI. De paternâ Patris familias vigilantiâ & amabili diligentiâ hoc nobis dicit Sanctus Evangelista Matthæus, quòd plenus curarum sub cœptam matutinam abierit, ut vineæ suæ cultores conquireret: *Exiit primo manè conducere operarios in vineam suam*, inquit ille c. 20. 1. *Iterum autem egressus est circa horam tertiam*. Non remisit de studio ad meridiem. Non dormivit horâ nonâ, neque undecimâ curam, solicitudinémque deposuit: *Iterùm exiit circa sextam, & nonam horam, circa undecimam verò exiit*. Nónne advertitis, quomodo suavissimus Pater, nostri amore inflammatus, ardenter in forum prosilit, ut vineæ cultores conquirat, idque omni tempore, & quâvis horâ. Cardinalis Cajetanus hoc loco dicit: Potuisset componi parabola, describendo Patrem familias continuò manentem in foro, sed non describitur continuus, sed certis horis, atque ut discreti nomen ei conciliaretur, non dicitur jugiter hæsisse in foro. At si operarios indagabat, si homines colendæ vineæ perquirebat, quam ob rem sedulus pater non totum in foro exegit diem? noluit omnes diei horas in foro transmittere, ut sibi prudentis opinionem conflaret: proinde magno mysterio non describitur continuus; quâ re monitos voluit Patres spirituales, & Prædicatores, & quotquot sunt ab officiis supremi Domini in causâ animarum, & in procurandæ salvationis summo negotio eidem serviunt, quòd sacris vestigiis divini Patris inhærere debeant, qui non à primulo diluculo in seram noctem in foro hæsit, dum operarios quæsivit, & conduxit, verùm commodo tempore, & opportuno

portunis horis abiit, rediit, remque suam confecit; Non describitur continuus, sed certis horis. Si nunquam in forum exiisset, frustratus amor fuisset: Si perpetuò in foro hæsisset, modum statio excessisset, supervacaneáque, & inconsulta mora fuisset. Quid ergo faciendum Patribus, & Prædicatoribus? illud, ut commodis horis, & opportuno tempore prodeant, justámque solùm, & sufficientem moram adhibeant; fortè enim tantùm damni adferre potest, si continuò assistant, quantùm, si nunquàm accedant.

Utilitas.

Mans. disc. 6. n. 4. XII. Fabula est, quòd lancea Achillis habuerit virtutem curandi vulnus ab eâdem causatum. Catholica veritas est, cujus & testimonium perhibet Spiritus Sanctus in Deuteronomio, quòd eadem lancea justitiæ & Zeli DEI percutiat, & sanet: *Ego occidam, & ego vivere faciam, percutiam, & ego sanabo.* Fervidus Zelus, quem DEUS ostendit in castigandis & puniendis peccatoribus, ad eorum emendationem & conversionem, ordinatus est amore & clementia. Tanta summi Patris pietas (ait Sanctus Paulinus) ut etiam ira ejus misericordia sit, & ideo castigat, ut parcat.

Dignitas.

Idem disc. 2. n. 2. XIII. Quando Phinees læsum DEI honorem propugnavit ac vindicavit, arrepto pugione transfodiendo principem de cognatione & tribu Simeonis, ob enorme scelus patratum in conspectu totius populi, factum hoc DEUS plurimum commendavit hisce verbis: *quia Zelo meo commotus est contra eos.* Non constat, coelitus eum recepisse quandam revelationem, vel commissionem, exequendi hujusmodi heroicam actionem; si ergo ad hujus executionem proprio motus fuit zelo, cur ait DEUS: *Zelo meo commotus est.* Responderi potest, DEUM tanti appretiari Zelum zelantis honorem DEI, & propter amorem illius ab homine susceptum, ut illum reputet tanquam suum proprium, sibique illum tribuat nuncupando se zelantem: *Ego sum Dominus DEUS tuus Zelotes.* Dominus Zelotes nomen ejus; pretiosissima gemma, quæ thronum supremæ, Divinæque Majestatis, imò diadema illius adornat, est ipse Zelus: Zelotes nomen ejus.

XIV. Joannis c. 10. Legimus hæc Christi verba: *Sicut novit me Pater, & ego agnosco Patrem, & animam meam pono pro ovibus meis.* Scire cuperem, quam haberent connexionem posteriora verba cum prioribus? quæ connexio reciprocæ cognitionis inter Patrem & Filium, cum expositione vitæ pro salute animarum? Ecce quanti Christus appretiatur animas! voluit indicare, quòd in hoc manifestè ostendat, æterni Patris sui se esse Filium, & quidem prædilectum, quòd vitam suam morti exponeret pro animabus: Ac si apertè dicat (subdit S. Gregor.) in hoc constat, quia ego agnosco Patrem, & agnoscor à Patre, quia animam meam pono pro ovibus meis, id est, eâ charitate, quâ pro ovibus morior, quantùm Patrem diligam, ostendo.

IN-

INDEX CONCIONATORIUS.

Etsi plures Conceptus pro formandis concionibus tum in ipsis Bibliothecæ Manualis titulis, tum in fine ejusdem Bibliothecæ assignârim, visum tamen est operæ pretium futurum, si pro majori varietate & facilitate concionatoribus adhuc non admodum exercitatis plures ejusmodi conceptus suppeditarentur; qui tamen ipsi, si non placeant, doctrina certè in illis contenta servire poterit, ut per materias in hoc Auctario indicatas facilè in concionem efformari queat.

Ut verò hic Index utiliter usurpetur, relegere oportet Monitiones, quas ante Indicem Concionatorium Bibliothecæ Manualis breviter annotavi. Quibus hoc loco hanc unicam adjungo, nempe me sæpius in utroque Indice Concionatorio Lectorem ad P. Matthiæ Fabri conciones remisisse, eò quòd persuadeam mihi, nullum facilè fore Parochum aut Concionatorem, qui conciones hujus Authoris ob materiæ copiam sanè utilissimas ad manum non habeat. Cæterùm ut faciliùs hos ipsos conceptus dilatare & amplificare queat; non parùm proderit, si Instructionem meam septimam de munere concionandi Anno 1679. Dilingæ editam comparârit, & studiosè evolverit; in ea quippe totum Artificium Oratorium ab optimis quibusque concionatoribus mutuatum, & variis etiam paradigmatis pro præcipuis Festis aut occasionibus aliis illustratum inveniet; quòd si diligenter adhibuerit, & proprium etiam laborem conjunxerit (hunc enim summopere etiam necessarium esse, commune axioma indicat, quo dici solet: *Concionator, qui cathedram ascendit sine labore, descendet sine honore*) dubitari vix poterit, quin utiles admodum conciones sit formaturus, ipsámque adeò DEI gloriam, suámque & Auditorum salutem insigniter promoturus.

INDEX CONCIONATORIUS in Festa.

PRO FESTO CIRCUMCISIONIS.

I.



Pro Xenio potest offerri Imago Christi Pueruli, sed diversis statibus diversa. Et Clericis quidem aurea, ut inde discant 1. Sicut aurum præstantius est omnibus aliis metallis, ita statum suum omnibus aliis superiorem esse, atque adeò etiam virtutibus excellere debere. 2. Sicut aurum omnia pectora ad se trahit, ita ipsos omnes sæculares exemplo & verbo ad se trahere debere. 3. Ut aurum mirè cor confortat, ita ipsos consolari & roborare animas sibi commissas debere. 4. Ut aurum ex igne puriùs exit, & percussum non frangitur, ita ipsos cum S. Paulo dicere debere: Quis me separabit à charitate Christi? Conjugatis argentea imago offeratur 1. Ut discant, se quoad statum inferiores esse Sacerdotibus, atque adeò debitam reverentiam exhibere debere. 2. Sicut argentum purum est valde, nec sordes facilè contrahit, ita ipsos puritati conscientiæ adeò studere debere: ut dicere possint cum Christo: quis arguet me de peccato? 3. Sicut argento omnia necessaria pro se & aliis emi possunt, ita ipsos Domesticis omnia ad vitam necessaria procurare debere. 4. Ut argentum crebrò manibus versatum easdem maculat, ita ipsos cavere debere, ne vel liberiori conversatione, vel nimio opum usu animas commaculent. Iuvenibus cerea imago offeratur. 1. Ut discant, ceræ in modum tractabiles esse. 2. Ut meminerint, statum suum fragilem esse instar cereæ imaginis, atque adeò cautè vivant. 3. Ut conentur instar imaginis candidæ & rubicun-

portunis horis abiit, rediit, rémque suam confecit; Non describitur continuus, sed certis horis. Si nunquam in forum exiisset, frustratus amor fuisset: Si perpetuò in foro hæsisset, modum statio excessisset, supervacaneáque, & inconsulta mora fuisset. Quid ergo faciendum Patribus, & Prædicatoribus? illud, ut commodis horis, & opportuno tempore prodeant, justámque solùm, & sufficientem moram adhibeant; fortè enim tantùm damni adferre potest, si continuò assistant, quantùm, si nunquàm accedant.

Utilitas.

Mans. disc. 6. n. 4. XII. Fabula est, quòd lancea Achillis habuerit virtutem curandi vulnus ab eâdem causatum. Catholica veritas est, cujus & testimonium perhibet Spiritus Sanctus in Deuteronomio, quòd eadem lancea justitiæ & Zeli DEI percutiat, & sanet: *Ego occidam, & ego vivere faciam, percutiam, & ego sanabo.* Fervidus Zelus, quem DEUS ostendit in castigandis & puniendis peccatoribus, ad eorum emendationem & conversionem, ordinatus est amore & clementia. Tanta summi Patris pietas (ait Sanctus Paulinus) ut etiam ira ejus misericordia sit, & ideo castigat, ut parcat.

Dignitas.

Idem disc. 3. n. 2. XIII. Quando Phinees læsum DEI honorem propugnavit ac vindicavit, arrepto pugione transfodiendo principem de cognatione & tribu Simeonis, ob enorme scelus patratum in conspectu totius populi, factum hoc DEUS plurimum commendavit hisce verbis: *quia Zelo meo commotus est contra eos.* Non constat, cœlitus eum recepisse quandam revelationem, vel commissionem, exequendi hujusmodi heroicam actionem; si ergo ad hujus executionem proprio motus fuit zelo, cur ait DEUS: *Zelo meo commotus est.* Responderi potest, DEUM tanti appretiari Zelum zelantis honorem DEI, & propter amorem illius ab homine susceptum, ut illum reputet tanquam suum proprium, sibique illum tribuat nuncupando se zelantem: *Ego sum Dominus DEUS tuus Zelotes.* Dominus Zelotes nomen ejus; pretiosissima gemma, quæ thronum supremæ, Divinæque Majestatis, imò diadema illius adornat, est ipse Zelus: Zelotes nomen ejus.

XIV. Joannis c. 10. Legimus hæc Christi verba: *Sicut novit me Pater, & ego agnosco Patrem, & animam meam pono pro ovibus meis.* Scire cuperem, quam haberent connexionem posteriora verba cum prioribus? quæ connexio reciprocæ cognitionis inter Patrem & Filium, cum expositione vitæ pro salute animarum. Ecce quanti Christus appretiatur animas! voluit indicare, quòd in hoc manifestè ostendat, æterni Patris sui se esse Filium, & quidem prædilectum, quòd vitam suam morti exponeret pro animabus: Ac si apertè dicat (subdit S. Gregor.) in hoc constat, quia ego agnosco Patrem, & agnoscor à Patre, quia animam meam pono pro ovibus meis, id est, eâ charitate, quâ pro ovibus morior, quantùm Patrem diligam, ostendo.

IN-

Digitized by Google



INDEX CONCIONATORIUS.

Etsi plures Conceptus pro formandis concionibus tum in ipsis Bibliothecæ Manualis titulis, tum in fine ejusdem Bibliothecæ assignârim, visum tamen est operæ pretium futurum, si pro majori varietate & facilitate concionatoribus adhuc non admodum exercitatis plures ejusmodi conceptus suppeditarentur; qui tamen ipsi, si non placeant, doctrina certè in illis contenta servire poterit, ut per materias in hoc Auctario indicatas facilè in concionem efformari queat.

Ut verò hic Index utiliter usurpetur, relegere oportet Monitiones, quas ante Indicem Concionatorium Bibliothecæ Manualis breviter annotavi. Quibus hoc loco hanc unicam adjungo, nempe me sæpius in utroque Indice Concionatorio Lectorem ad P. Matthiæ Fabri conciones remisisse, eò quòd persuadeam mihi, nullum facilè fore Parochum aut Concionatorem, qui conciones hujus Authoris ob materiæ copiam sanè utilissimas ad manum non habeat. Cæterùm ut faciliùs hos ipsos conceptus dilatare & amplificare queat; non parùm proderit, si Instructionem meam septimam de munere concionandi Anno 1679. Dilingæ editam comparârit, & studiosè evolverit; in ea quippe totum Artificium Oratorium ab optimis quibusque concionatoribus mutuatum, & variis etiam paradigmatis pro præcipuis Festis aut occasionibus aliis illustratum inveniet; quòd si diligenter adhibuerit, & proprium etiam laborem conjunxerit (hunc enim summopere etiam necessarium esse, commune axioma indicat, quo dici solet: *Concionator, qui cathedram ascendit sine labore, descendet sine honore*) dubitari vix poterit, quin utiles admodum conciones sit formaturus, ipsámque adeò DEI gloriam, suámque & Auditorum salutem insigniter promoturus.

INDEX CONCIONATORIUS in Festa.

PRO FESTO CIRCUMCISIONIS.

I.

Pro Xenio potest offerri imago Christi Pueruli, sed diversis statibus diversa. Et Clericis quidem aurea, ut inde discant 1. Sicut aurum præstantius est omnibus aliis metallis, ita statum suum omnibus aliis superiorem esse, atque adeò etiam virtutibus excellere debere. 2. Sicut aurum omnia pectora ad se trahit, ita ipsos omnes sæculares exemplo & verbo ad se trahere debere. 3. Ut aurum mirè cor confortat, ita ipsos consolari & roborare animas sibi commissas debere. 4. Ut aurum ex igne puriùs exit, & percussum non frangitur, ita ipsos cum S. Paulo dicere debere: Quis me separabit à charitate Christi? Conjugatis argentea imago offeratur 1. Ut discant, se quoad statum inferiores esse Sacerdotibus, atque adeò debitam reverentiam exhibere debere. 2. Sicut argentum purum est valde, nec sordes facilè contrahit, ita ipsos puritati conscientiæ adeò studere debere: ut dicere possint cum Christo: quis arguet me de peccato? 3. Sicut argento omnia necessaria pro se & aliis emi possunt, ita ipsos Domesticis omnia ad vitam necessaria procurare debere. 4. Ut argentum crebrò manibus versatum easdem maculat, ita ipsos cavere debere, ne vel liberiori conversatione, vel nimio opum usu animas commaculent. Iuvenibus cerea imago offeratur. 1. Ut discant, ceræ in modum tractabiles esse. 2. Ut meminerint, statum suum fragilem esse instar ceræ imaginis, atque adeò cautè vivant. 3. Ut conentur instar imaginis candidæ & rubi-

cun-

cundæ, puritatem animi cum verecundia conjungere. Famulis offeratur imago fictilis, ut discant. 1. Statu suo contenti esse, memores, quòd fictilis imago Christi perinde ut aurea æstimetur, & colatur. 2. Ut Christi exemplum, qui à juventute in laboribus erat, ob oculos ponere & imitari studeant. 3. Ut meminerint, sicut terra valde frugifera est, ita statum suum occasionem præbere, præstantis, summarum virtutum, puta humilitatis, obedientiæ, patientiæ, charitatis geminæ, & perseverantiæ, exercitio. Infirmis & tribulatis lignea imago offeratur, ut discant. 1. Sicut lignũ est aptissima pro igne accendenda materia, ita tribulationes optimam præbere occasionem charitatis divinæ exercendæ. 2. Ut discant, se tractabiles exhibere Superioribus, Medicis, Chirurgis, infirmari, sicut lignum pro libitu secari, & dolari se permittit. 3. Ut meminerint, sicut lignum durum est, & non facilè frangitur, ita nec ipsos doloribus, & molestiis morbi cedere, frangique debere, cùm gaudeat patientia duris, juxta commune proverbium: Du deinem Ubel weiche nit / sondern ihm keck entgegen tritt. Vide Instr. 7. f. 370.

II. Ex occasione thematis: *Et vocatum est nomen ejus JESUS*: ostendatur, quod in hoc nomine maximè verificetur versus ille: *Conveniunt rebus nomina sæpe suis.* Eò quòd Christus triplici in occasione se Salvatorem ostendere soleat. 1. In universali Redemptione generis hnmani; cujus beneficii magnitudo ostendatur ex dictis tit. Passio Christi, & inferatur cum S. Bernardo: Si totum debeo pro me facto; quid addam pro me refecto? 2. In Justificatione cujusvis hominis privati; cujus beneficii magnitudo ostendatur ex similitudine Rei ad ignem vel rotam damnati, cui pœna ob pauca verba pœnitudinem significantia dimitteretur, simúlque inter Amicos Regis offensi cum magnis donis reciperetur: inferatúrque æquum esse, ut, cui multùm dimittitur, multùm diligat. 3. In liberatione à variis miseriis & tribulationibus, & tentationibus, uti S. Bernardus indicavit dicens: Nihil ita &c. & Tristatur aliquis vestrum &c, vide Bibl. tit. Christus §.3.n.11. n.12. unde svadendum, ut morem Judæorum sequantur Auditores, dicentium in adversis casibus: Eamus ad Filium MARIÆ, ut hilares fiamus.

III. Ex eodem themate ostendatur, quale sit hoc nomen, & quàm magnum ex triplici titulo. 1. Quia à magno Domino datum, scilicet à DEO. 2. Quia significationem magnam habet, uti Josephi Ægyptiaci, sed magis Salvator JESUS, id quod ex comparatione beneficiorum ostendatur. 3. Quia per magna facinora obtentum est, dum humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem Crucis. Incitentur proin Auditores, ut dicant cum Josepho & Azaria 1. Mach. c. 5. Faciamus & ipsi nobis nomen &c. per similia facta.

IV. Ostendi potest, quomodo felicem annum, imò & totam reliquam vitam habere possint Auditores, scilicet per voluntatis suæ cum divina perfectam unionem, pro qua doctrina implenda conducere possunt ea, quæ Christus S. Catharinam Senensem docuit, uti in Bibl. Tit. Resig. §. 11. n. 3. & in Auctario Tit. eodem videre est.

V. Offerri potest pro Xenio Calendarium, quod certò indicet, qualem annum quisque habiturus sit, nempe qualem voluerit, sicut Rusticus quidam dicebat, se semper optimam habere tempestatem, eò quòd aliam habere noluerit, quàm à DEO missam, & ideo fruges & messem semper optimam habuerit, de quo vide Bibl. tit. Resignatio §. 5. n. 22. & §. 3. n. 22 & seq.

VI. Offerri potest pro Xenio doctrina, quâ bene se & alios dirigere, & sic felicissimum annum obtinere queant; ad quem finem narretur inprimis historia de Philosopho Regi Juveni Sapientiam vendente, & hanc doctrinam: *Nihil incipe, donec exitum consideres*: suggerente. Dein ostendatur, quomodo in praxi usurpari debeat hæc doctrina. 1. In occasionibus peccandi. 2. In actionibus quotidianis perficiendis. 3. In tribulationibus perferendis. De quo vide Bibl. tit. Prudentia §. 7. & §. 12. n. 1. & fusiùs in Instruct. 7. fol. 298.

VII. Simili modo offerri potest pro Xenio triplex doctrina à Philomela Aucupi data. 1. Rem, quæ apprehendi nequit, apprehendere ne tenta, scilicet libertatem ab omni tribulatione in hac vita. 2. Rem, quæ non est verosimilis, non credito, scilicet felicitatem veram in divitiis, honoribus, voluptatibus consistere. 3. Rem perditam, quæ recuperari nequit, ne plangito, videlicet jacturam divitiarum certarum, amicorum mortuorum, temporis. De quo conceptu vide tit. Prudentia in Bibl. §. 12. n. 9. & tit. Divitiæ, ac Tempus, ac Felicitas.

IIX. Ex occasione thematis: *Completi sunt dies octo, ut circumcideretur puer*: ostendi potest, quomodo se quisque spiritualiter circumcidere debeat, tollendo præputium concupiscentiæ, & quomodo per hanc circumcisionem obtineat circumcisus Salvatoris nomen, dum suam & aliorum salutem efficaciter per hanc circumcisionem procuret. Unde de hac circumcisione intelligenda est sententia act. 15. nisi circumcidamini, non potestis salvari. De quo vide Bibl. tit. Concupiscentia §. 3. 9. & 10. n. 3. & 4.

PRO FESTO EPIPHANIÆ.

I. Ex occasione Thematis: *Obtulerunt ei munera*: Ostendatur, quod munus sit gratissimum, illud videlicet, de quo Thomas Kemp. l. 3. c. 8. ait in persona Christi: Quid magis à te requiro, quàm ut te studeas mihi ex integro resignare? unde declaretur: 1. Quid sit se offerre, scilicet alterius arbitrio & voluntati se committere. 2. Quis fructus ex tali oblatione sperari possit, scilicet ut

ut DEus vicissim se totum possidendum offerat, sicque dicere possit offerens : Venerunt mihi omnia bona pariter cum illo. Vide tit. Resignatio,& DEUS, in Bibl.

II. Ex occasione thematis : *Videntes stellam gavisi sunt gaudio magno valde* : ostendi potest magnitudo gaudii , quod ex Fide divina percipitur, id quod ostendi potest ex beneficio visûs cœco restituti. Unde in prima parte comparetur carentia Fidei cum cæcitate corporali, ut de qua veriùs dicatur illud Tobiæ c. 4. Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, & lumen cœli non video ? In secunda parte ostendatur, quomodo Fides interna & externa sint duo oculi animæ, simúlque eorum utilitas ex aptitudine ad vitandum lapsum, & errorem itineris, ad functiones peragendas, ad objecta delectabilia cum voluptate aspicienda declaretur. Vide tit. Fides in Bibl. §. 3. & 5.

III. Ex occasione thematis : *Ecce Magi ab Oriente venerunt Ierosolymam.* Matt. c. 1. dici potest, hos Magos ex Gentilibus fuisse primos Christianos, atque adeò in exemplum proponi debere, quomodo vitam Christianam ducere oporteat, scilicet, ut, quemadmodum quidam S. Pater advertit, sit in corde Christiani charitas, in ore veritas, in corpore castitas; quæ proin fusiùs explicanda erunt.

IV. Ex occasione Thematis : *Et procidentes adoraverunt illum, & apertis thesauris obtulerunt ei munera* : ostendi potest non sufficere solam fidem ad nomen Christiani obtinendum, sed etiam opera requiri, uti fusiùs ostendi potest ex iis, quæ in Bbil. Man. tit. Christianus. §. 5. n. 1, & 3. & in Auctario tit. Fides. §. 7. sunt dicta.

V. Ex occasione thematis : *Videntes stellam gavisi sunt* : potest per stellam præsentia DEI intelligi, & ostendi, quantam lætitiam illa pariat, si ob oculos versetur seu antecedat in quotidianis actionibus, in tribulationibus, in tentationibus, ad quæ deducenda servire multùm potest titulus, DEI Præsentia, in Auctario.

VI. Ex occasione thematis : *Obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham* : declarari potest, quæ potissimùm munera à Christianis offerri debeant, scilicet aurum charitatis seu observationis mandatorum, thus orationis, & myrrha mortificationis, de quibus vide titulos speciales in Bibliotheca Manuali, & Auctario.

PRO FESTO PURIFICATIONIS.

I. EX occasione thematis : *Postquam impleti sunt dies Purificationis* : Luc. 2. potest ostendi, quomodo B. V. se reputare potuerit peccatricem indigentem remedio Purificationis, & ex hac occasione ulteriùs declarari potest, quomodo se quivis homo juxta exemplum S. Francisci Seraphici, & S. Borgiæ maximum peccatorem reputare, & vocare poterit, quem conceptum explicatum vide in Biblioth. tit. Humil. §. 10. q. 2. Item apud Alphonsum Rodriq. p. 2. tr. 3. c. 34.

II. Ex eodem themate occasio sumi potest demonstrandi, quomodo quivis homo purificari debeat per frequentem usum contritionis, confessionis & examinis conscientiæ; simúlque ostendi, quantam inde lætitiam ante, in, & post mortem sit concepturus, juxta illud Thomæ Kemp. effatum l. 2. c. 6. Si est gaudium in hoc mundo, hoc utique possidet puri cordis homo. Vide in Bibl. & Auctario titulos Contritio, Confessio, & Examen Conscientiæ.

III. Ex occasione thematis : *Tulerunt eum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino* : ostendi potest, quomodo per bonam intentionem omnes actiones nostras velut partus nostros in Jerusalem cœlestem portare, & Domino DEO sistere seu offerre debeamus. Unde ostendi ulteriùs potest, quomodo facienda sit intentio, & quem fructum quis ex tali intentione sperare possit. De quo conceptu vide plura in Biblioth. & Auctario, tit. Intentio Bona.

IV. Ex occasione thematis : *accepit enim in ulnas suas* : potest narrari historia de mendico semper læto inter adversa, qui præter alia dicere solebat, se DEUM duobus brachiis tam arctè complexum fuisse, ut nunquam ab eo separari queat ; hæc autem brachia esse humilitatem & charitatem; quorum proin exercitium breviter ostendendum erit, pro quo servient tituli Humilitas & Charitas, & Heliotropium Drexelij l. 2. c. 1.

V. Ex occasione thematis : *Lumen ad revelationem gentium* : Luc. c. 2. possunt juxta morem receptum cerei distribui, Sacerdotibus, Senibus, viduis, virginibus, conjugatis, & monstrari, quid singuli à Simeone, Anna Prophetissa, B. Virgine, Josepho in præsenti historia addiscere possint, quem conceptum fusiùs explicatum vide apud Fabrum in Festo Purif. c. 8.

VI. Ex occasione thematis : *Nunc dimittis servum tuum, Domine* : potest explicari, quæ sit optima dispositio ad mortem ; ad quem finem referri potest, quòd Joannes Berchman, Studiosus è Societate JESU in morte Crucifixum, Rosarium, & Regulas in manum sumpserit, dixeritque : Cum his tribus libenter moriar : unde inferatur, amorem Christi Crucifixi, B. Virginis, & mandatorum Dei observationem esse optimam dispositionem ad mortem; de quibus vide tit. Passio Christi & Hyperdulia in Bibl. & Auctario.

PRO FESTO S. MATTHIÆ.

I. EX occasione thematis : *Discite à me, quia mitis sum* : Matth. 11. Ostendendum est, cur Christus pro Magistro eligendus, & audiendus. Nempe 1. Quia est artis, quam docet,

docet, peritissimus, uti pluribus exemplis docuit. 2. Quia est etiam paratus docere, ut qui ultrò invitat ad scholam; & pariter multis in vita indicijs populum docendo probavit. 3. Quia habet facilem modum docendi, uti Thomas Kemp. l. 3. c. 43. in Persona Christi ostendit dicens: Ego sum, qui humilem in puncto elevo mentem, ut plures æternæ veritatis capiat rationes, quàm si decem annis studuisset in Scholis. Si ergo juxta S. Ambrosium primus discendi ardor nobilitas est Magistri, facilè patet, quanto cum fervore hic Magister audiendus sit, illáque pij Ascetæ verba l. 2. c. 2. ad eum dicenda: loquere, Domine, quia audit servus tuus &c.

II. Ex ejusdem thematis occasione declarari possunt conditiones Discipuli, quarum prima est à Christo ipso Luc. c. 14. indicata: Nisi quis renunciaverit omnibus, quæ possidet, non potest meus esse Discipulus. Secunda, ut diligenter auscultet Magistrum loquentem verbo aut exemplo, ejúsque doctrinam magni æstimet, seriò ponderet, & praxin illius bene addiscat. Tertia, ut assiduò lectionem præscriptam repetat, in eáque se exerceat. Quarta, ut sæpius se super eandem reflectat, & quantùm profecerit, vel defecerit, se examinet. Quinta, ut gratiam divinam frequenter & ferventer imploret, de quibus vide Auctar. tit. Humilitas.

III. Ex occasione thematis: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde*, ostendi potest veritas sententiæ à Thoma Kemp. l. 1. c. 2. prolatæ: Hæc est altissima & utilissima lectio sui ipsius vera cognitio & despectio: ostendendo, quòd humilitas sit efficacissimum medium ad triplicem viam perfectionis, purgativam scilicet, illuminativam, & unitivam celeriter decurrendam: vel ad triplicem finem, gloriæ divinæ, propriæ, & alienæ salutis obtinendum, pro quibus conceptibus deducendis videri potest Bibl. & Auctarium tit. Humilitas.

IV. Ex eodem themate occasio sumi potest, media ad veram humilitatem acquirendam demonstrandi, quorum potissimum est cognitio sui, uti docuit Senex, qui quæsitus, quomodo humilitas obtineri possit, respondit: si sua tantummodo, & non aliena mala quis consideret. Quod ipsum etiam S. Basilius confirmavit dicens: Tria sunt, quæ radicata nutriunt humilitatem, scilicet assiduitas subjectionis, consideratio propriæ fragilitatis, & ponderatio rei melioris, de quibus vide cit. tit. Humilitas.

V. Ex occasione thematis: *Et invenietis requiem animabus vestris.* Matt. 11. Ostendi potest, quomodo humilis triplicem requiem inveniat, scilicet *cum DEO*, qui dat humilibus gratiam eósque specialiter amat, & fovet: *cum Proximo*, qui humilem singulariter æstimant & amant; unde sicut inter Superbos sunt semper jurgia, ita inter humiles pax & concordia viget: *Secum ipso*, quia hoc ipso, quòd honores & gloriam hominum non appetat, ab omnibus sollicitudinibus, & motibus, quibus ambitiosi inquieti redduntur, liber est. Vide Auctarium tit. Humilitas, præsertim §. 5. n. 3.

VI. Ex occasione Sententiæ: *Discite à me, quia mitis sum*: Ostendi potest, quàm mansuetus fuerit Christus, uti in Bibl. tit. Mansuetudo §. 5. n. 1. videre est; & ex actibus §. 1. indicatis ulterius probari potest. Unde inferatur hanc virtutem præ alijs decere Christianum, uti S. Chrysostomus indicavit, dum accepta à Sami Præfecto colapho dixit: repercussissem, nisi Christianus essem.

VII. Ex occasione thematis: *Jugum enim meum suave est, & onus meum leve.* Matt. 11. ostendatur, per quæ media jugum Christi leve efficiatur, nimirum per gratiæ comparationem; hinc S. Paulus dixit: omnia (facilè) possum in eo, qui me confortat. 2. Per suum exemplum, & Sanctorum; imò & Filiorum Sæculi; nihil enim difficile æstimatur, quod jam ab alio factum conspicitur. 3. Promissione præmij; de quo sic loquitur S. Chrysostomus: Si nautis minaces pelagi fluctus, si tempestates atque hyemes Agricolis, si vulnera, cædésque militibus, si gravissimi ictus, plagæque pugilibus leves videntur atque tolerabiles propter spem temporalium ac pereuntium bonorum, multò magis cùm cœlum proponatur pro præmio, nihil ex adversitatibus his præsentibus sentiatur, vide tit. Exemplum & Beatitudo.

PRO FESTO ANNUNTIATIONIS B. VIRGINIS.

I. Ex occasione thematis *Ave gratia plena?* potest dignitas & plenitudo gratiæ demonstrari, quam B. V. accepit per & propter Maternitatem, ita ut Suarez probaverit, eam in primo instanti conceptionis omnes Angelos & homines collectivè sumptos superâsse, & hanc gratiam singulis momentis duplicâsse. Unde Auditores ad eam condignè æstimandam & honorandam excitentur. Pro quo conceptus vide in Bibl. tit. Hyperdulia. §. 3. n. 28. & seq. Item §. 9. n 3. Item in Auctario eod. tit. §. 1. n. 12. & seq. item §. 5. n. 6. & 7.

II. Ex occasione thematis? *Benedicta tu inter mulieres*: ostendi potest, cur benedicta meritò dicatur, nimirum primò quia Mater DEI est. Secundò quia Mater viventium. Tertiò quia Mater Defunctorum. Unde excitandi Auditores, ut tanquam Matrem DEI magnifaciant, & peculiari cultu venerentur? tanquam ad Matrem suam singularem semper fiduciam gerant; & tanquam Matrem Defunctorum illis per varias preces & obsequia conciliare nitantur. Vide Bibl. cit. tit.

III. Ex occasione thematis: *Ne timeat MARIA, invenisti enim gratiam apud DEUM.* Ostendi potest, quàm nullam habeat causam timendi, qui gratiam apud DEUM invenit, ut qui dicere possit cum S. Paulo. Si DEUS pro nobis, quis contra nos? Ostendatur ergo in specie

specie quomodo non timere audeat DEUM, Homines, Diabolos, sed meritò illud S. Chrysostomi sibi applicare possit: Quid timet homo in sinu DEI positus? tu de sinu illius noli cadere, &, quidquid tibi illic evenerit, in bonum cedet.

IV. Ex occasione thematis: *Ecce Ancilla Domini*: potest ostendi, quomodo B. Virgo se ut Ancilla vilissimam, & omni bono indignam reputârit: vilissimis in officijs se constanter exercuerit: & nihil sibi attribuerit ex laboribus, & operibus suis, sed omnia DEO lucrata sit: ab hominibus despectum & injuriam illatam patientissimè tulerit; unde inferatur, cùm nos Filij simus hujus Ancillæ, & partus sequatur ventrem juxta Juristas, æquissimum esse, ut nos quoque cum ea non tam verbis, quàm opere per illius imitationem dicamus: Ecce mancipium Domini.

V. Ex occasione thematis: *Benedicta tu inter mulieres*: potest institui comparatio inter illam & Evam, quòd scilicet sicut Eva per inobedientiam perdidit mundum, ita ipsa eundem per obedientiam reparârit, atque adeò Mater viventium, sicut Eva morientium sit facta, & ideò meritò benedicta dicatur; unde hortandi Auditores, ut eam & ipsi non tam verbis, quàm operibus benedicant, quod fiet, si omnia sua opera post DEI gloriam ad honorem ipsius referant, & hac ipsa de causa cum magna diligentia & perfectione absolvere conentur. Vide Bibl. tit. Hyperdulia §. 10. n. 22.

VI. Ex occasione thematis: *Ave gratia plena*: potest B. Virgo Estheri comparari ob quinque titulos, scilicet pulchritudinem, gratiam apud DEUM, liberationem populi Christiani, dimidium regni (id est, misericordiam) non promissum duntaxat, sed collatum, ob duas ancillas Angelicam & humanam; unde excitandi Auditores, ut ad ipsam perinde ut Judæi ad Estherem confugiant, & liberari ab interitu petant.

VII. Ex occasione thematis: *Fiat mihi secundùm verbum tuum*: potest imprimis ostendi, quid involvant hæc verba, scilicet ut quis semper faciat, quæ vult DEUS, quo modo vult, & quia vult, scilicet propter solum ipsius beneplacitum. 2. Demonstrari potest efficacia horum verborum, eò quòd ad illorum prolationem Christus incarnatus sit, & verò etiam nunc in mentibus eorum, qui ea cum veritate proferunt, spiritualiter incarnetur, id est, moraliter cum homine uniatur, ita ut dicere possit cum S. Paulo: vivo autem jam non ego, vivit verò in me Christus.

PRO FESTO S. IOSEPHI.

I. Ex occasione thematis: *Joseph autem vir ejus cùm esset justus*: Math. 1. potest ostendi, in quo justitiam exercuerit S. Josephus, scilicet in hoc, quòd cuique jus suum tribuerit, DEO debitum obsequium per impletam perfectè ejus voluntatem: Proximo per laborem fabrilem in ejus utilitatem susceptum, & Christum Servatorem sollicitè nutritum & custoditum: Sibi ipsi, dum animæ suæ salutem tam studiosè procuravit; unde excitentur Auditores ad justitiam hanc, pro viribus procurandam, simúlque fructus hujus justitiæ ostendatur, demonstrando, quòd in eo impleta sit sententia Salomonis Sap. c. 8. Si Justitiam quis diligit, labores hujus magnam habent virtutem; ante mortem, quia quærenti justitiam, teste Christo, omnia necessaria adjicientur: in morte, quia non contristabit justum, quidquid ei acciderit, atque adeò neque mors ipsa. Post mortem, quia justi in perpetuum vivent, & apud Dominum est merces eorum.

II. Ex ejusdem tituli occasione ostendi potest, quòd S. Joseph non immeritò Patronus eorum, qui vitam occultam degunt, dicatur, quia sanctitas ejus verè occulta erat. Itaque in prima parte declaretur, quid sit vita & Sanctitas occulta, scilicet ut opera privata, quæ extra conspectum hominum fiunt, magna cum diligentia ad DEI honorem peragantur, & generosæ quædam de seipso victoriæ soli DEO notæ reportentur. In secunda parte ostendatur, quem fructum ex hac vita occulta reportaverit, quòd scilicet cum Christo ætate non materiali duntaxat, sed etiam spirituali (de qua S. Gregorius dixit: vitæ Christianæ dies sunt virtutes singulæ, menses autem multiplicia facta virtutum) Sapientiâ, seu sapidâ cognitione DEI, & gratiâ apud DEUM & Homines profecerit. Unde Auditores ad imitationem excitandi.

III. Ex eodem themate deduci potest Josephum ita se in omnibus divinæ voluntati conformâsse, ut meritò DEUS de illo dicere potuerit: Inveni Joseph virum secundùm cor meum, qui faciat omnes voluntates meas, id est, semper faciat, quæ volo, & quomodo volo, & quia volo. Unde & ulterius de eo dicere potuit: Oleo sancto meo (lætitiæ) unxi eum, manus enim mea auxiliabitur ei, & brachium meum confortabit eum. Quos effectus etiam Auditores sperare possunt, si cum eodem viri secundùm cor DEI esse studeant.

IV. Ex eodem themate sumatur occasio Josephum cum Josepho Ægyptiaco comparandi, præcipuè in tribus. 1. In convenientia nominis, quod idem significat, atque augmentum DEI, vel Filius accrescens, in gratia & gloria, in qua juxta Suarez & alios, omnes Sanctos præter B. Virginem superavit. 2. In virtutibus, præcipuè in castitate & patientia, in qua utraque excelluit Joseph Protex, sed magis S. Josephus. 3. In officio & fidelitate, quia domum summi Regis, id est, Familiam Christi summa cum sollicitudine administravit. Quare excitentur Auditores, ut dictum sibi in necessitatibus suis putent: Ite ad Joseph: magnáque ad eum cum fiducia confugiant.

V. Ex eodem themate occasio sumi potest ostendi pretium & utilitas laborum corporalium propter DEUM susceptorum, cùm S. Josephus potissimam vitæ partem in laboribus corpo-

corporalibus consumpserit, & tamen ad tantam gloriam evectus sit, ut meritò dicere potuerit : videte oculis vestris, quia modicum laboravi, & inveni mihi multam requiem. Ostendatur ergo, quomodo S. Josephus labores suos peregerit, quid ante, in, & post illos egerit. Vide Bibl. Man. tit. Labor. §. 9. & 10.

VI. Ex occasione thematis : *Cùm esset desponsata Mater ejus MARIA Ioseph.* Matt. c. 1. possunt MARIA & Joseph in speculum conjugibus proponi, & ostendi. 1. Quomodo in desponsatione se gerere debeant, voluntatem divinam sedulò indagando. 2. in conjugio, amorem conjugalem, concordiam, & fidelitatem exercendo. 3. Post conjugium in morte conjugis, modicè deplorando, honestè & piè sepeliendo, copiosis & efficacibus suffragijs succurrendo. De quibus vide Fabrum Dom. 2. Epiph. co. 3. & Bibl. Man. tit. Matrimonium.

PRO FESTO S. GEORGIJ.

I. EX occasione thematis : *Manete in me, & ego in vobis. Io. 15.* ostendi potest, quomodo S. Georgius manserit in Christo, ut qui tot, tantáque tormenta pro eodem sustinuerit, ut jure merito dicere potuerit cum S. Paulo : Quis me separabit à charitate Christi ? Excitentur proin Auditores ad Christianam hanc fortitudinem pro viribus imitandam. Quem in finem vide tit. Fortitudo & Patientia in Bibl. & Auctario.

II. Ex occasione thematis : *Ego sum vitis, vos palmites* : ostendi potest, quàm pretiosa vitis sit Christus, id quod ex vino ab hac vite producto probari potest, nimirum ex Sanguine pretioso, per quem Angeli & Homines lætificantur, confortantur, inebriantur; qui tres effectus fusiùs explicari possunt, simúlque Auditores invitari ad hoc vinum bibendum per illa verba : Venite, inebriamini, charissimi, bibite vinum, quod miscui vobis. Vide Fabrum in hoc festo conc. 1. n. 2. lit. O.

III. Ex eodem themate ostendi potest, quòd, cùm homines sint palmites hujus vitis, eosdem suo tempore circumcidi per mortificationem oporteat; demonstretur propterea modus hanc circumcisionem seu mortificationem instituendi, de quo vide tit. Mortificatio in Bibl. §. 11. n. 4. & in Auct. tit. eod.

IV. Ex themate : *Sine me nihil potestis facere* : dicatur, S. Georgium plerúmque ut Equitem cum Dracone pugnantem, & per hoc S. Margaretam liberantem pingi, ut indicetur nobis, quomodo ad illius exemplum contra Draconem ferocissimum, scilicet peccatum, pro anima nostra liberanda, cum lancea generosæ fortitudinis pugnare debeamus; unde in prima parte fiat comparatio peccati cum Dracone : in secunda parte ostendatur dignitas & pulchritudo animæ, quæ meritò excitare debet, ut libenter pro ea pugnare debeamus : In tertia parta ostendatur, quàm convenienter lancea cum fortitudine comparetur, & quomodo usurpanda sit. Pro quibus dilatandis vide tit. Peccatum, Anima, ac Fortitudo, in Bibl. & Auct.

V. Ex occasione thematis : *Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos* : Ostendi potest, quòd, sicut Pater dilexit Filium suum deputando ad mortem corporalem, ita diligat Christus suos deputando ad mortem & Martyrium spirituale, per patientiam & mortificationem; explicetur propterea quàm verè dicantur hæ duæ virtutes Martyrium spirituale, & quomodo fructus & privilegia Martyrum, scilicet consolationes, liberationem à Purgatorio, Laureolam Martyrum participet. De quibus vide Fabrum in hoc Festo co. 3. n. 2. & 6. ac 7. Item Bibl. & Auct. v. Mortificatio.

VI. Ex occasione thematis : *Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum* : Ostendi possunt fructus, quos percipiunt ij, qui per charitatem in Christo manent, quorum primus est meritum cœlestis præmij, secundus satisfactio pro peccatis, & liberatio à purgatorio : tertius impetratio variarum gratiarum & donorum cœlestium : quartus ædificatio & salus proximi, de quibus vide Fabrum co. 7. n. 3.

VII. Ex occasione thematis : *Si quis non manserit in me, mittetur foras.* Ostendi possunt mali fructus peccati mortalis, quod scilicet 1. mittatur foras, seu separetur à DEO, sicut palmes à vite. 2. Arescat, seu nullum fructum bonorum operum ferat. 3. Colligatur à Dæmonibus, quorum potestati traditur. 4. In ignem inferni mittatur. 5. Ardeat in eodem igne. Qui omnes fructus fusius explicati videri possunt apud Fabrum co. 3. tota. Vide etiam Bibl. & Auctar. tit. Peccatum Mortale & Infernus.

PRO FESTO SS. PHILIPPI ET JACOBI.

I. EX occasione thematis : *Non turbetur cor vestrum* : Io. 14. Ostendatur, quòd, ut sapienter Epictetus advertit Ench. c. 10. Homines non perturbentur rebus, sed quas de rebus habent opinionibus, unde potissimum medium tollendi turbationem est Phantasiæ correctio, quomodo autem hæc corrigi debeat, idem Epictetus c. 38. sic ostendit: Religionis erga DEOS immortales præcipuum illud esse scito, rectas de ijs habere opiniones, ut sentias & esse eos, & bene, justéque administrare universa, parendum eis esse, & omnibus, quæ fiunt, acquiescendum; & sequenda ultro, ut quæ à mente præstantissima regantur; sic enim nec incusabis eos unquam, nec ab ijs negligi te queréris Juvabit ad hunc conceptum dilatandum, similitudo imaginis, quæ à dextris Christum, à sinistris Diabolum repræsentat, & secundùm diversum aspectum diversos affectus ciet. Vide Bibl. tit. Patientia. §. 10. n. 12.

II. Ex eodem themate ostendi potest, homines frequenter turbari ob judicia DEI tam varia; unde narretur ipsis historia de Eremi-

m. cui DEUS per Angelum judiciorum suorum æquitatem revelavit, ut in Speculo Exemplorum narratur V. Judicium DEI, &c, quæ Angelus Eremitæ ibidem dixit, sententijs Doctorum & alijs historijs confirmentur.

III. Ex eodem themate demonstretur, quòd propter tribulationes etiam & persecutiones turbari non debeant, si triplicem finem, propter quem à DEO immittuntur, bene considerent, scilicet filialem castigationem, probationem, & amoris demonstrationem, pro quâ doctrina fusiùs deducenda vide Bibl. & Auctarium tit. Patientia.

IV. Ex occasione thematis: *In domo Patris mei mansiones multa sunt*: Ostendi potest quemvis in statu suo perfectum fieri posse, id quod triplici ex capite ostendi potest. 1. Quia Christus omnes ad perfectionem invitavit dicens: Estote perfecti, sicut Pater vester cœlestis perfectus est. 2. Ex natura perfectionis, quæ in charitate consistit, quam simplex Anus tam bene exercere potest, ac doctissimus quisque, ut olim S. Bonaventura Fratri Ægidio dixit. 3. Ex revelationibus varijs, quibus revelavit DEUS, aliquos sæculares in meritis S. Macario, S. Paphnutio similes fuisse. Excitentur proin Auditores, ut illud Siracidis sibi dictum putent: Confide, & mane in loco tuo, quia facile est in oculis DEI subitò honestare pauperem.

V. Ex occasione thematis: *Domine, ostende nobis Patrem, & sufficit nobis*: Ostendatur, cor humanam per nullam rem creatam satiari posse, uti ex exemplo Salomonis patet, qui non prohibuit cor suum, quin omni voluptate frueretur, & tamen in ijs non nisi vanitatem & afflictionem animi reperit. Dein ostendatur, solum DEUM satiare cor humanum posse, capacem namque DEI, quidquid DEO minus est, replere non potest. Hinc cor triangulare singillatim factum est, ut innueretur illud non per rotundum mundi globum, sed per solam Trinitatem satiari posse. Vide Fabrum conc. 6. n. 9. & conc. 7. lit. c. n. 3. Item in Bibl. V. Gaudium.

VI. Ex occasione thematis: *Quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam*: Ostendatur, cur DEUS toties non exaudiat preces, nimirum 1. Quia malè petunt homines, ut in concupiscentijs suis insumant. 2. Quia opponunt nubem peccati. 3. Quia DEUS differt dona, ut magis grata efficiat. Vide Bibl. V. Oratio. §. 11. num. 6. & Auctar. tit. eod. §. 7. n. 4.

PRO FESTO S. JOANNIS BAPTISTÆ.

I. EX occasione thematis: *Multi in nativitate eius gaudebunt.* Luc. c. 1. Ostendendum, quomodo & nos spiritualem nativitatem, quæ consistit in firmo proposito declinandi à malo, & faciendo bonum. Dein ostendatur, quale gaudium viventes, & defuncti, præcipuè verò ipse ante, in & post mortem habiturus sit. Vide Fabrum conc. 1. in hoc Festo. Item Bibl. tit. Gaudium.

II. Ex occasione thematis: *Joannes est nomen ejus.* Ostendi potest, quomodo S. Joannes id, quod nomen ejus significavit, impleverit, & quomodo & nos nomen in Baptismo acceptum implere debeamus, præcipuè nomen Christiani. Vide tit. Christianus. & Fabrum. conc. 6. n. 5.

III. Ex occasione thematis: *Elisabeth impletum est tempus pariendi, & peperit Filium*: Ostendi potest, quomodo non tantùm concipere bona proposita, sed etiam parere debeamus; ad quem finem possunt offerri adjumenta ad benè pariendum, nempe gratia DEI invocata, Patrocinium Sanctorum, præcipuè B. Virginis, Obstetrix bona, seu auxilium Patrum spiritualium. Pariter possunt impedimenta felicis partûs indicari, nempe appetitus noxiorum, nimius labor et motus, nullum conatum adhibere velle. Ostendatur proin, quomodo hæc adjumenta usurpanda, & impedimenta removenda sint.

IV. Ex occasione thematis: *Benedictus Dominus DEUS Israel*: ostendi potest, quomodo pro beneficijs acceptis statim gratias agere debeamus, & quem fructum ex tali gratitudine sperare possimus. De quibus vide Bibl. & Auctarium, uti & Fabrum conc. 6. n. 6.

V. Ex occasione thematis: *Quis putas, puer iste erit?* potest ostendi, quàm verè Præcursoris nomen & officium impleverit S. Joannes Baptista. 1. Quia præcurrit efficaciter pro nobis intercedendo; non enim surrexit major, ergo nec gratior ipso. 2. Præcurrit protegendo, præcipuè contra vitia, prædicando, & exhibendo pœnitentiam. 3. Præcurrit vitæ exemplo; præcipuè innocentiâ, insigni contemptu mundi, humilitate, patientia, Zelosâ charitate, ad quas proin virtutes imitandas excitandi erunt Auditores.

VI. Ex occasione thematis ejusdem dici poterit, hanc quæstionem jam solvisse ipsum Christum, dum dixit: Non resurrexit major Joanne Baptista; sed quia multi dubitabunt, unde provenerit hæc majoritas, ideo hoc explicatum iri. Dicendum itaque eam ex generosa sui victoria provenisse juxta axioma: Tantùm proficies, quantùm tibi vim intuleris, unde ostendatur. 1. Quomodo sibi vim intulerit in victu & vestitu moderando. 2. In asperitate vitæ. 3. In tolerando Martyrio, alijsque adversitatibus. Deinde declaretur, quomodo per hanc victoriam profecerit in gratia, meritis, virtutibus, gloriâ.

PRO FESTO SS. PETRI ET PAULI.

I. EX occasione thematis: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Matt. 18. potest ostendi, quàm firma sit Petra ipsa Ecclesia, utpote tot procellis Ethnico-

nicorum, Iudæorum, & Hæreticorum concussa; unde excitandi erunt Auditores, ut super hanc petram ædificent fidem & vitam suam, certóque sibi persuadeant, quòd portæ inferi non prævalebunt adversus eam.

II. Ex occasione thematis ejusdem ostendi potest, quomodo S. Petrus & S. Paulus Ecclesiam fundârint indefesso labore prædicationis, vitæ & morum sanctitate, virtute miraculorum, martyrio & sanguine suo. Unde more Societatis JESU eisdem tanquam Fundatoribus candela ardens, id est, ob vitæ innocentiam candida, ob virtutum colores varios depicta, & per fervorem vitæ & boni exempli accensa offerenda est. Vide Fabrum in Silva nova seu Auctario.

III. Ex occasione thematis: *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*: ostendi possunt motiva credibilitatis, præcipuè ex miraculis petita, simúlque Auditores excitari, ut, sicut hanc unam esse veram fidem agnoscunt, ita debitas pro ea communicata gratias persolvant, eandémque bonis operibus confirment, & condecorent. Vide Bibl. tit. Fides. §. 10. n. 5. Item Auctarium eod. tit. §. 10.

IV. Ex occasione Thematis: *Tu es Christus Filius DEI vivi*: Ostendendum, quàm merito dixerit S. Teresia, omnes errores & peccata ex defectu fidei vivæ oriri, atque adeò primò ostendatur, quid sit viva fides, scilicet ea, quâ certi quidam articuli fidei in recenti semper memoria habeantur, quales sunt, DEUM ubique præsentem esse; omnia in bonum nostrum ordinare; tanquam fontem omne bonum continere; quæ proximo fiunt, sibi facta reputare. Deinde ostendatur, quòd is, qui talem confessionem facit, sit Petra, seu immobilis in adversis & tentationibus futurus. Vide Bibl tit. Fides & Tentatio.

V. Ex occasione thematis: *Quem dicunt homines esse Filium hominis*; ostendendum est, & cur quousque homines curam boni nominis habere debeant, nimirum 1. Quia DEUS exigit dicens per Siracidem c. 41. Curam habe de bono nomine. 2. Quia proximus exigit, nam teste D Augustino, duæ res sunt necessariæ, conscientia tibi, fama proximo. 3. Quia proprium tuum bonum exigit; quia bonâ famâ nihil est præstantius, hinc natum proverbium: omnia si perdas famam servare memento, quia, ut idem Siracides dixit, hæc magis proderit, quàm mille thesauri. Dein ostendatur, quomodo conservari possit, scilicet rara conversatione, cautâ collocutione, & bonâ operatione, de quibus vide Bibl. tit. Fama. §. 7. & Fabrum conc. 6.

VI. Ex occasione thematis: *Alii Ioannem Baptistam, alii autem Eliam, aut unum ex Prophetis*: ostendatur, quàm varia sint humana judicia, atque adeò non curanda. Interdum tamen prudentes, pios, & zelosos viros interrogandos: Vos autem quem me esse dicitis? ut corrigi queant, quæ his corrigenda videntur. Vide Bibl. tit. Iudicia temeraria. Item Fabrum conc. 8. n. 2. & 3.

PRO FESTO S. MARIÆ MAGDALENÆ.

I. EX occasione thematis: *Vides hanc mulierem?* Ostendi potest inprimis, quàm gravis peccatrix fuerit S. Magdalena, utpote ex qua septem Dœmonia, id est, septem peccata mortalia ejecta sint. 2. Ostendi potest, quomodo ex occasione tantorum delictorum causam ardentissimæ dilectionis sumpserit, & vicissim dilecta sit, extraordinarios favores accipiendo, ut adeò nemo ob præteritam vitam malam, desperare, sed occasionem pœnitentiæ arripere debeat, & dicere cum S. Bernardo ad DEUM: De misera vita mea sume, obsecro, residuum annorum meorum: pro his verò, quos vivendo perdidi, quia perditè vixi, cor contritum & humiliatum non despicies. Vide tit. Pœnit. in Bibl. & Auctario.

II. Ex occasione thematis: *Erat mulier in civitate peccatrix*: potest S. Maria Magdalena Pœnitentibus in exemplum proponi, quia 1. Pœnitentiam citò arripuit. 2. Quia intimè confusa & contrita erat. 3. Quia perfectè & copiosè satisfecit per asperam vitam 30. annis susceptam; & quia instrumenta malitiæ in instrumenta dilectionis & obsequii divini convertit. Vide Fabrum conc. 2.

III. Ex occasione thematis: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm.* Ostendi possunt motiva, quæ S. Mariam Magdalenam ad tantam dilectionem moverint, & quemvis peccatorem movere debeant, scilicet Persona offensa, Persona offendens, offensæ qualitas, effectus, multitudo, de quibus vide Bibl. tit. Pœnitentia §. 11. n. 11.

IV. Ex occasione thematis: *Ut cognovit, quòd IESUS accubuerit in Domo Pharisæi*: afferri possunt rationes, cur pœnitentia non sit procrastinanda, nimirum 1. quia talis dilatio periculosa est. 2. quia valde nociva. 3. Quia numerum peccatorum à DEO definitum citiùs impleri facit. 4. Quia pœnitentia sera, rarò vera; quæ omnia fusiùs probata vide in Auct. tit. de Pœnit. §. 5. & §. 6. n. 2. & 3.

V. Ex occasione thematis: *Lacrymis cœpit rigare pedes ejus*; Potest ostendi, quòd lacrymæ non tantùm sint vinum Angelorum eosdem lætificans, maiúsque gaudium creans super uno peccatore, quàm super 99. justos; sed etiam DEUM, qui, teste S. Chrysostomo, delinquentium gemitus esurit & sitit lacrymas peccatorum: & proximum, quibus jucundum est videre Fratres emendatos & ferventes: & seipsum; est enim quædam flere voluptas. Vide Bibl. tit. Lachrymæ. §. 7. n. 4. & Fabrum conc. 4.

VI. Ex occasione thematis: *Quæ & qualis est mulier, quia peccatrix est*: ostendi potest, quòd peccatores non temerè iudicandi, nec spernendi sint ob sequentes causas. 1. Quia fortè jam emendati sunt. 2. Quia fortè brevi convertentur. 3. Quia fortè in uno tantùm deliquerunt, nos verò in pluribus.

bus. 4. Quia fortè graves tentationes passi sunt. 5. Quia fortè meliores resurgent. Unde meritò suasit S. Bernardus: Excusa intentionem, si opus non potes, puta ignorantiam, puta subreptionem, puta casum. Vide hunc conceptum fusiùs explicatum apud Fabrum conc. 7. & Bibl. Man. tit. Judicium temerarium.

PRO FESTO S. JACOBI.

I. EX occasione thematis: *Accessit ad eum Mater Filiorum Zebedæi* Matt. 20. dicere potest concionator, reprehensos quidem esse hos Filios, quòd Matrem ad hanc petitionem faciendam instigârint, se autem permittere liberè, imò suadere, ut ad Matrem suam, nempè B. Virginem accedant, & cum eo ad regnum cœleste admittantur. Ostendatur proin quàm meritò confugere debeant ad hanc Matrem, quia potest imperare, quod petit tanquam Mater Christi, cui ille perindè, ut Salomon Matri suæ, dicturus sit: Pete, Mater mea, neque enim fas est, ut avertam faciem tuam. Et vult impetrare tanquam mater viventium, unde rectè B. Virginis amor inter potiora signa prædestinationis censetur. Vide tit. Hyperdulia in Bibl. & Auctario.

II. Ex occasione thematis: *Dic, ut sedeant hi Filii mei, unus ad dexteram, alter ad sinistram*: potest ostendi ambitionem esse illegitimum modum perveniendi ad honores; Verum autem & efficacem modum ostendisse Romanos, dum duo templa, alterum honori, alterum virtuti ædificârunt tali situ, ut, quicunque in templum honoris ingredi vellet, priùs per virtutis templum intrare deberet. Ostendatur itaque, virtutem esse optimum medium ad honores obtinendos, conservandos, deponendos. Vide Bibl. tit. Honor. & Virtus. Item Fabrum conc. 2.

III. Ex occasione thematis: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* ostendi potest, cur calicem passionis libenter acceptare, & exhaurire debeant homines, nempè 1. propter offerentem, qui est DEUS. 2. Propter commemorationem Christi velut summi Imperatoris & Benefactoris. 3. Propter conformitatem cum Sanctis, qui priùs illum exhauserunt. 4. In sanitatem eorum, qui DEO bene addicti sunt, uti sunt viventes boni, & defuncti. 5. In sanitatem propriam. Quæ omnia vide fusiùs explicata in Bibl tit. Patientia. §. 11. n. 14.

IV. Ex eodem themate dici potest, Si hodie Christus eandem quæstioné proponeret, multos responsuros: non possumus; nam alii dicerent, eum sibi immeritò offerri: alii sibi solis exhauriendum quærerentur: alii nimis amarum: alii nimis capacem esse quiritarent: alij contra personas offerentes exciperent: quos omnes excusationes refutatas vide apud Fabrum conc. 5.

V. Ex occasione thematis: *Nescitis, quid petatis*: ostendendum, quid & quomodo petendum, nempe honorifica DEO, utilia proximo, salubria sibi. Petenda autem ab in gratia constituto, cum debita resignatione, seriò, & ferventer, cum longanimi perseverantia; de quibus vide Bibl. tit. Oratio §. 11. n. 4. & Auctarium.

VI. Ex occasione thematis: *Calicem quidem meum bibetis*; ostendantur rationes, cur DEUS iis, quos præ aliis diligit, calicem passionis exhauriendum propinet, nimirum 1. ut occasionem majoris gloriæ promerendæ offerat. 2. Ut Christo conformiores sint. 3. Ut contra Diabolum eos persequentem gloriosè triumphent, uti fusiùs probatur in Biblioth. tit. Patientia. §. 11. n. 5.

PRO FESTO S. LAURENTII.

I. EX consideratione thematis: *Si mortuum fuerit, multum fructum affert*. Potest grano Eleemosina comparari, ostendique, quòd in hac vita afferat fructum trigesimum in temporalibus bonis obtinendis: in morte sexagesimum propter spem beatitudinis, quæ toties in Evangelio misericordibus promittitur, certò obtinendæ: Post mortem centesimum in gloria; qui enim seminat in benedictionibus, in benedictionibus & metet. Vide tit. Miseric. in Bibl. & Auctario. Item Fabrũ conc. 1.

II. Ex occasione thematis: *Nisi granum frumenti mortuum fuerit, ipsum solum manet:* Ostendi potest, quàm verè dicatur de S. Laurentio, quòd granum mortuum fuerit morte corporali per discessum animæ à corpore, & spirituali per sui abnegationem. Deinde quàm copiosum fructum attulerit DEO per gloriam ipsius augmentatam, proximo per eleemosynam & exemplum fortitudinis, sibi per præmium beatitudinis obtentum. Excitentur proin Auditores, ut saltem spiritualiter mori studeant.

III. Ex occasione thematis: *Si quis mihi ministraverit, me sequatur*: ostendatur, quomodo S. Laurentius Christum secutus sit, cum ipso, & pro ipso moriendo, & quidem morte crudelissimâ. Et quomodo à Christo honorificatus in cœlo per gloriam singularem; in terris per cultum specialem suorum clientũ; in Purgatorio, dum privilegium illi concessit, ut singulis sextis Feriis purgatorium ingredi, & animam eripere queat.

IV. Ex occasione thematis: *Ubi ego sum, ibi & minister meus erit*; ostendatur, ubi Christus fuerit in hac vita, nimirum 1. in iis, quæ Patris sui erant. 2. In civitatibus benefaciendo corporaliter & spiritualiter. 3. In cruce & passione: Excitentur proin Auditores, ut etiam in his esse & occupari studeant, ut aliquando cum Christo etiam in cœlis esse possint.

V. Ex occasione thematis: *Qui odit animam suam, inveniet eam*: Ostendatur 1. quomodo S. Laurentius oderit animam suam tam cru-

crudele ignis tormentum tam fortiter sustinendo. 2. Ostendatur, quòd sicut ij, quorum manus v.g. ab igne adusta est, eandem igni admovent, & curant, ita S. Laurentius per ignem amoris divini materialem ignem superârit; unde de eo dictum est: Fortior erat ignis, qui intus arsit, quàm qui foris ussit. Videatur in Bibl. & Auctario tit. Carit.

VI. Ex eodem themate ostendi potest, quales fructus seu effectus ignis S. Laurentii in Auditoribus producere debeat nempe 1. calefacere, & ad tribulationes fortiter ferendas animare. 2. Illuminare, ut cognoscamus, quàm fideliter & potenter DEUS adjuvet sperantes in se, & pro ejus honore certantes. 3. Ignem inferni nobis in memoriam revocando, ubi nunquam dici poterit: Assatum est satis: atque adeò efficiendo, ut timore illius ignis temporalem ignem tribulationum præsentium facilè toleremus. Quem conceptum fusiùs explicatum Vide apud Fabrum conc. 6.

PRO FESTO ASSUMPTIONIS B. VIRGINIS.

I. EX occasione thematis: *MARIA optimam partem elegit.* Luc. c. 10. ostendi potest, quàm vere dicatur B. Virgo optimam partem elegisse *ante mortem*, dum vitam voluntati DEI undequaque conformem vixit, ubique familiarem suam formulam: Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum: usurpando. *In morte*, dum præsente Christo & Apostolis ex amore, & absque dolore occubuit: *post mortem*, dum corpore & animo assumpta in cœlum, exaltata est super omnes choros Angelorum. Unde velut Regina cœli peculiari studio colenda est. Vide tit. Hiperdulia in Bibl. & Auctario. Item Fabrum conc 4.

II. Ex eodem themate: Ostendi possunt causæ tantæ exaltationis, scilicet humilitas, obedientia, patientia, ita ut de ea verè dici potuerit: Humiliavit semetipsam obediens facta usque ad mortem; propterea exaltavit eam DEUS, & dedit illi nomen super omne nomen. Pro quo conceptu vide Bibl. & Auctarium; & Fabrum conc. 5.

III. Ex occasione thematis: *Dic ergo illi, ut me adjuvet.* Ostendi potest, cur peculiarem fiduciam ad B. Virginem habere debeant Christiani, videlicet 1. quia est mater *pulchræ dilectionis*, præcipuè respectu Christianorum, velut dilecti populi DEI. 2. Quia est Mater *agnitionis*. Agnoscens etiam, & remunerans minimum cultum ipsi exhibitum. 3. Quia est Mater *Sanctæ spei*, utpote quæ nullum unquam ad se confugientem dereliquisse scitur, de quo conceptu vide cit. tit. Hyperdulia, & Fabrum conc. 8.

IV. Ex eodem themate ostendi potest, quomodo Christum in domo cordis nostri dignè excipere possimus, si videlicet juxta exemplum Marthæ actiones & labores corporales ad obsequium Christi sedulò peragamus; & juxta exemplum S. Mariæ Magdalenæ ad pedes Christi suo tempore sedeamus, id est, actiones spirituales orationis, Confessionis, Communionis, auditionis Missæ, & Concionum cum magna devotione persolvamus, quam esse optimam partem, seu efficacissimum medium ad reliquas actiones fructuosiùs peragendas, fusiùs demonstretur.

V. Ex themate: *Optimam partem elegit MARIA*: excitari possunt Auditores ad columnam ad honorem hujus Virginis in corde suo erigendam, similem illi, quam Maximilianus I. Elector Bavariæ in foro medio urbis Monacensis erigi curavit, ita ut pro basi statuatur magna æstimatio de hac Virgine. 2. Pro columna fiducia erga ipsam. 3. Pro imagine imitatio ejusdem. 4. Pro quatuor militibus contra Draconem pugnantibus potest statui generosa victoria contra quatuor impedimenta à sincero cultu B.V. absterrentia, Dæmonem, tepiditatem, inconstantiam, diffidentiam. 5. Pro quatuor lucernis statui possunt quatuor modi cultum B. Virginis in aliis promovendi, videlicet desiderio, exemplo, oratione, verbo. Quem conceptum vide fusiùs explicatum in Instr. 7. f. 137. Item Bibl. & Auctario tit. cit.

VI. Ex occasione thematis ejusdem, dici potest, multos desiderare ad cœlum pervenire, sed non omnes veram & securam viam amplecti; optimam autem videri B. V. amorem; hæc namque est via certissima, quia rectà ducit ad cœlum, &c. 2. Via plana & trita, quia per illam plerique catholici ad cœlum tendunt. 3. Via securissima; quia teste S. Bonaventura, non sic timent hostes visibiles castrorum multitudinem copiosam, sicut aëreæ potestates MARIÆ vocabulum, patrocinium & exemplum. Vide plura tit. cc. & Instr. 7. f. 133.

PRO FESTO S. BARTHOLOMÆI.

I. EX occasione thematis: *Vocavit Discipulos, & elegit ex eis duodecim* Luc. 6. ostendi potest beneficium vocationis ad Catholicam fidem ex triplici capite. 1. Quia ex tot millionibus elegit. 2. Quia immeritos ex sola benevolentia elegit. 3. Quia præ aliis longè innocentioribus elegit. Unde inferatur, quandopere deceat, ut Christum vocantem sequantur, eique constanter adhæreant.

II. Ex occasione thematis: *Qui vexabantur à Spiritibus immundis, curabantur.* Ostendatur, optimum & efficacissimum esse remedium contra tentationes luxuriæ frequentem sumptionem Eucharistiæ, id quod ex SS. Patrum sententiis, & exemplis ostendi potest, simulque doceri, quomodo Communio devotè & cum fructu peragi queat.

III. Ex occasione thematis: *Erat pernoctans in oratione DEI*: ostendi potest, cur Christus orationem nobis verbo & exemplo

tanta

tantopere commendârit, nempe ob necessitatem, utilitatem, æquitatem, dignitatem, jucunditatem; pro quibus motivis fusiùs probandis vide Bibl. V. Oratio. §. 9. n. 1. & seq.

IV. Ex occasione ejusdem thematis ostendi potest, quomodo sine intermissione, diu, noctéque orare possimus, si scilicet omnia opera ad DEI honorem, & gloriam dirigantur, & bene peragantur, juxta illud S. Augustini: vis semper laudare DEUM? bene fac omnia, quæ agis, & semper laudâsti DEUM. Quod genus orationis tria habet privilegia. 1. Quòd ab omnibus æqualiter usurpari queat. 2. Quòd distractionibus non sit tantopere obnoxium. 3. Quòd propter obedientiæ exercitium magis sit gratum DEO, quàm orationes proprio arbitrio susceptæ. Vide tit. Oratio. in Bibl. & Auctario.

V. Ex occasione thematis: *Omnis turba volebat eum tangere*: ostendatur, hæc verba non malè detrahentibus applicari, cujus vitij gravitas ut ostendatur, probetur, tales detractores carnificibus S. Bartholomæum excoriantibus crudeliores esse. 1. Quia cutem boni nominis detrahunt, quod est ornamentum animæ. 2. Quia vitam moralem, seu famam auferunt, vita naturali chariorem. 3. Quia non uni, sed pluribus, scilicet detractionis auditoribus etiam nocent. 4. Quia non semel, sed frequenter detrahunt. 5. Quia non ex obedientia, ut carnifices, sed ex odio & malitia detrahunt; unde graviter plerumque à DEO sunt puniti. Quæ omnia sententiis SS. Patrum & exemplis fusiùs probari possunt; uti in Bibl. & Auctario videre licet V. Detractio.

VI. Ex eodem themate ostendi potest, quomodo, detractionem patientes gerere se debeant juxta exemplum S. Bartholomæi, nimirum 1. cum silentio supportare, & dicere cum S. Augustino: Senti de me, quodcunque volueris, sola me in oculis DEI conscientia non accuset. 2. Ignoscere, tanquam cæcis, phreneticis, energumenis à Dæmone impulsis. 3. Orate pro illis tanquam Benefactoribus, exemplo Christi dicentis: Pater ignosce illis &c. 4. Gaudere & exultare juxta monitum Christi, quia merces copiosa in cœlis reservatur. 5. Committere DEO famæ defensionem cum Josepho Patriarcha, Susanna, & pluribus aliis. Videantur tituli cc.

PRO FESTO SS. ANGELORUM CUSTODUM.

I. EX occasione thematis: *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei.* Matt. c. 18. Potest 1. Angelica custodia tum ex S. Scriptura & Doctorum consensu, tum ex historiis, tum ratione probari. Denique verò etiam ostendi, quòd plures quisque Angelos custodes sibi cum aliis communes habeat, utpote singulis mundi partibus, Provinciis, Diœcesibus, Urbibus, Parochiis, Domibus &c. assignatos, de quibus videatur Bibl. & Auct. Tit. Angelus. & præcipuè Faber in Festo S. Michaëlis conc. 1. & conc. 10. n. 2. Item Paulus Barrij fusè integro libro de hac materia discurrens.

II. Ex eodem themate potest magnitudo beneficii per custodiam Angelicam exhibiti demonstrari per verba S. Bernardi: Mira dignatio, & verè magna dilectio charitatis. Quis enim, quibus, de quo, quid mandavit. Quæ quatuor capita fusiùs deduci & probari possunt, tum ex dicto sermone S. Bernardi de SS. Angelis, tum ex dictis in tit. Angelus in Bibl. & Auctario.

III. Ex eodem themate declarari possunt beneficia Spiritualia SS. Angelorum Custodum ex comparatione liberationis S. Petri ex carcere, & 1. Ostendi, quomodo adstet consolando, & orationes nostras offerendo. 2. Illuminando, dum lumen refulsit in habitaculo. 3. Excitando, dum percusso latere Petri excitavit eum dicens: *Surge velociter*; ita & nos à somno peccatorum excitat. 4. Dum ad Petrum dixit: *sequere me*, & nos quoque ad sequendum in via incitat. 5. Dum per custodias illæsum duxit; & nos quoque per tentationes ducit illæsos. 6. Dum sicut S. Petrum in libertatem eduxit, ita & nos ad cœlum; quæ omnia fusiùs probata Vide apud Fabrum conc. 2. in Festo S. Michaëlis.

IV. Ex occasione ejusdem thematis ostendi potest, quæ beneficia corporalia exhibeant SS. Angeli Custodes: nimirum 1. Quòd ut S. Tobiæ fecit, ducant, & comitentur ad locum, ad quem peregrinantes tendimus. 2. Victum procurent. 3. Nuptias prosperent. 4. Hostes compescant. 5. A periculis custodiant. 6. Medicinas præparent. 7. Omni bono repleant. Unde excitandi Auditores, ut gratos se pro tantis beneficiis exhibeant, & S. Custodi per omnia obsequentes se præbeant, & magnam ad eum fiduciam concipiant. Vide Fabrum. conc. 3. in Festo S. Mich.

V. Ex occasione ejusdem thematis ostendatur, quid Angelo vicissim debeamus, videlicet ut S. Bernardus suadet, reverentiam pro præsentia, devotionem pro benevolentia, fiduciam pro custodia. Quæ proin tum ex ipso Sermone S. Bernardi, tum ex dictis in Biblioth. & Auctario fusiùs deduci possunt. Videatur etiam Faber conc. V. ubi alia sex obsequia illis deberi probat, nimirum honorem, timorem, amorem, familiaritatem, obedientiam, & imitationem.

VI. Ex eodem themate ostendatur, quomodo Angeli Custodes Comitis officio erga nos fungantur, & 1. Sint periti viæ, per quam tendimus ad Patriam. 2. Sint fideles juxta S. Bernardi testimonium: Fideles sunt, prudentes sunt, potentes sunt; tantùm adhæreamus eis, & in protectione cœli commorabimur. 4. Sint jucundi & amabiles, uti imagines eorum ostendunt. Quæ omnia per exemplum Tobiæ junioris probari possunt.

PRO FESTO NATIVITATIS B. VIRGINIS.

I. EX occasione: *Iacob autem genuit Ioseph virum MARIÆ*. Matt. 1. ostendi potest quàm verè Ecclesia de hac SS. Virgine canat: Nativitas tua gaudium attulit universo mundo, nempe DEO, Angelis, Parentibus, Patribus in limbo, animabus Purgatorii, hominibus viventibus. Dein ostendatur, quomodo Auditores simile gaudium creare possint, si cum ea, spiritualiter renasci studeant. Vide Bibl. tit. Hyperdulia. §. 10. n. 6. & Faber conc. 6.

II. Ex eodem themate ostendi potest, quòd nomen MARIÆ sit post nomen Christi nomen super omne nomen, ut in nomine MARIÆ flectantur genua cœlestium, terrestrium, & inferorum, id quod sententiis SS. PP. & historiis ex Bibl. & Auct. petitis probari potest.

III. Ex eodem themate ostendi potest, Quòd ex ipsa significatione nominis MARIÆ innuatur modus eam ritè colendi. Nam 1. dum significat *congregationem aquarum*, seu gratiarum cœlestium, innuitur primus modus colendi, seu æstimatio major, quàm omnium Sanctorum. 2. Dum idem significat, ac *stella maris*, innuitur fiducia erga ipsam concipienda juxta illud S. Bernardi: In periculis, in dubiis respice stellam, voca MARIAM. 3. Dum idem significat ac *Domina*, innuitur cultus per varia obsequia ac devotiones exhibendus. De quibus Vide Bibl. & Auctarium. Item Fabrum conc. 8. & 4.

IV. Ex eodem themate ostendatur B. Virginem esse nubeculam parvam à Puero Eliæ in Carmelo visam, quæ signum fuit copiosæ pluviæ subsecuturæ; nam 1. erat parva per humilitatem. 2. Ascendebat de mari infinitæ patientiæ & misericordiæ DEI. 3. Crevit, & cœlum obduxit, facta mediatrix inter cœlum & terram. 4. In pluviam copiosarum gratiarum hominibus communicatarum resoluta est. De quibus vide Bibl. & Auct. ac Pistorium in Matre admirabili conc. 5.

V. Ex eodem themate ostendi potest, quòd, cùm Ecclesia canet de B. V. quòd Nativitas ejus gaudium attulerit universo mundo, ideóque causa nostræ lætitiæ dicatur, rectè cellæ vinariæ comparetur, quia 1. erat profunda per humilitatem. 2. Instructa optimo vino gratiarum & consolationum cœlestium. 3. Ampla per misericordiam universis exhibitam. 4. Semper aperta per amorem & promptitudinem exaudiendi, & succurrendi, unde meritò omnes illius servi dicere possunt cum Sponsa: Introduxit me Rex in cellam vinariam, & ordinavit in me charitatem.

VI. Ex eodem themate ostendi potest, cur B. Virgo Lunæ comparetur, & pulchra ut Luna dicatur. 1. Quia sicut Christus Sol seu luminare majus, ita Ipsa Luna velut luminare minus vocatur. 2. Sicut Luna omne lumen à Sole accipit, ita ipsa per respectum ad Christum omnem suum splendorem accipit, quia videlicet est mater ejus. 3. Quia ut Luna splendore reliqua sidera, ita ipsa omnes Sanctos dignitate superat. 4. Quia ut Luna, plena erat omnibus gratiis; hinc Angelus ei dicebat: Ave gratiâ plena. 5. Quia ut Luna exercebat Dominatum in sublunaria per influentias suas. Hinc rectiùs quàm Judæi & Saraceni Lunam materialem, Christiani hanc Lunam spiritualem salutant, adorant, & omni studio venerantur. Vide Bibl. §. 10. n. 9.

PRO FESTO S. MATTHÆI.

I. EX occasione thematis: *Sequere me*: Matt. 9. ostendi potest causa, cur S. Matthæus Christum tam celeriter secutus sit, quia nimirum vox illius erat vox potentis, sapientis, amantis, præmiantis, quas voces plerúmque libenter sequuntur homines; quem conceptum fusiùs explicatum vide in Bibl. tit. obedientia. §. 12. n. 7.

II. Ex eodem themate ostendi potest, quàm rectè dixerit Siracides c. 23. quòd magna gloria sit sequi Dominum, quia servire DEO regnare est; nam in hac vita, teste Seneca: Rex est, qui metuit nihil; Rex est, quísque cupit nihil, hoc regnum sibi quisque dat: in altera vita verò regnum cœlorum, in quo est omnis mali absentia, omnis boni præsentia, & utriúsque perpetua indesinentia. Inferatur proin, quàm optandum sit duplex hoc regnum, quámque adeò propter illud Christus libenter sequendus.

III. Ex themate: *Surgens secutus est eum*: indicari possunt potissima impedimenta, ob quæ multi Christum sequi detrectant. Nimirum 1. Quia tenet eos inveterata consuetudo, quæ est altera natura, unde teste S. Chrysostomo, nihil tam firmum est in rebus humanis, quàm veteris consuetudinis Tyrannis. 2. Amor possessionum; uti expertus est Adolescens ille Evangelicus, qui, quia multos habuit possessiones, Christum sequi renuit. 3. Horror difficultatis & labor certaminis, qui, teste Thoma Kemp. præcipuè impedit à profectu & ferventi emendatione vitæ. Quare ostendendum, quomodo hæc impedimenta removenda sint, de quo vide tit. Consuetudo, & Mortificatio, & Divitiæ in Bibl. & Auctario.

IV. Ex occasione thematis: *Misericordiam volo, & non sacrificium*: ostendi potest, cur DEUS misericordiam tantopere velit. Nimirum. 1. Quia Patri cœlesti similes facit juxta illud Christi Luc. 6. Estote misericordes, sicut Pater vester cœlestis misericors est. 2. Quia sibi factum putat DEUS, quod uni ex minimis præstatur; unde quò liberaliores nos erga ipsum ostendimus, tantò liberaliorem ipse se vicissim exhibet. 3. Quia dilectionem mutuam à Christo tantopere commendatam conservat; hinc Christus in processu judicij descripto solius

lius misericordiæ rationem habiturum se dixit. Excitentur proin Auditores, ut hoc triplici vinculo adstricti, totos se misericordiæ addicant. Vide tit. Misericordia in Bibl. & Auctario.

V. Ex eodem themate potest ostendi ratio, cur tam pauci misericordiam ament, & exerceant, nimirum quia excusatos se putant; 1. Quòd ipsimet nihil habent. 2. Quòd census minuatur per eleëmosynas. 3. Quòd nullum effectum sentiant. 4. Quòd Liberis & amicis servare bona sua debeant. 5. Quòd in morte dare velint. Quas omnes excusationes ut frivolas refutare oportet, ut in Bibl. tit. cit. §. 10. n. 4. videre licet.

VI. Ex eodem themate ostendi potest modus Misericordiam exercendi, nimirum 1. ut mundo corde offeratur. 2. ut cum bona intentione. 3. ut cum hilaritate; hilarem quippe datorem diligit DEUS. 4. ut cum celeritate; Qui enim citò dat, bis dat. 5. ut cum liberalitate juxta monitum Tobiæ: Quantùm potueris, esto misericors. 6. ut cum constantia fiat. Quas omnes conditiones vide explicatas in Bibl. §. 9. n. 3.

PRO FESTO S. MICHAELIS.

I. EX occasione thematis: *Angeli etiam in cœlis vident faciem Patris mei.* Matt. c. 18. potest inprimis ostendi gloria S. Michaëlis, ut qui in locum supremi olim Angeli substitutus sit. Deinde verò causa hujus gloriæ ostendi, scilicet victoria sui, de cujus victoriæ excellentia reliqua in parte concionis tractetur, pro quo conceptu videri possunt tituli de Abnegatione & Mortificatione in Bibliothec. & Auctario.

II. Ex eodem themate ostendi potest, quo præcipuè medio Supremum inter Angelos gradum obtinuerit S. Michaël, nempe 1. Quia Christum præ alijs agnovit, & confessus est. 2. Quia eidem se præ alijs subjecit. 3. Quia præ alijs illum specialiter honoravit. Unde & Auditores excitentur ad hæc tria officia erga Christum exercenda, ut à DEO exaltari mereantur.

III. Ex eodem themate ostendi potest, cur S. Michaël specialiter à Christianis honorandus & colendus sit nempe 1. propter DEUM, quem S. Michaël præ cæteris Angelis amavit, & coluit; quod beneficium pluris æstimare debemus, quàm si nobis fuisset collatum. 2. Propter Matrem Ecclesiam, cujus specialis custos & defensor est. 3. Propter ipsius Personam, quia sicut dignior est omnibus alijs Angelis, ita etiam præ illis honorari meretur. 4. Propter beneficia hominibus concessa (dum summum illorum hostem Luciferum vicit) & adhuc concedenda in morte, dum animas nostras Judici sistit, eásque conciliat, easque in Patriam paradisi perducit; unde cum magna fiducia invocandus per verba Ecclesiæ: S. Michaël Archangele, defende nos in prælio, ut non pereamus in tremendo judicio.

IV. Ex occasione thematis: *Quis putas major est in regno cœlorum*: Ostendi potest, humilitatem esse illam virtutem, ob quam quis præ alijs exaltari meretur, juxta illud Christi: Qui se humiliat, exaltabitur. Deinde ostendi potest, quomodo S. Michaël præcipuum humilitatis actum exercuerit, qui est subijcere se DEO, cujus actûs natura, æquitas, & excellentia fusiùs declaretur, tum ex ijs, quæ de humilitate in Bibl. & Auctario dicuntur, tum ex Alphonsi Rodriq. p. 2. tr. 3. c. 30. 31. & 33.

V. Ex occasione thematis: *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & projice abs te*: potest dici, quòd hæc sententia locum habeat non tantùm in oculis, sed reliquis etiam sensibus, ut qui frequenter adeò scandalizant; id est, inducunt homines ad peccandum, ut meritò de illis dici queat: Mors ascendit per fenestras, quod inductione facilè probari potest. Deinde ostendatur, quomodo hi sensus erui, seu mortificari per mortificationem debeant, de quo vide tit. Mortificatio, Oculorum custodia, Luxuria, Gula & Ebrietas in Bibl. & Auctario. Item Julium Tatium de Mortif.

VI. Ex occasione thematis: *Angeli eorum semper vident faciem Patris*: Ostendi potest, quomodo ij, qui aliorum curam gerere debent, in eadem Angelos imitari debeant. Et 1. quidem eam cum summa promptitudine suscipere, etiamsi unus tantùm, isque vilissimus vel rudissimus committatur. 2. Omnem conatum in ea gerenda adhibere, & non deserere, etiamsi fructus non sequatur; nihil autem de propria perfectione perdere. 3. Non tristari ob frustraneum laborem, æquali quiete curam relinquere, quâ suscepit, fructum omnem DEO adscribere. Vide Bibl. & Auct.

PRO FESTO SS. SIMONIS ET JUDÆ.

I. EX occasione thematis: *Si mundus vos odit, scitote, quia me priorem odio habuit:* Joann. 15. potest causa ostendi, cur Mundus odio habeat Sectatores Christi, scilicet quia ut impij Sap. c. 2. dixerunt, inutilis est nobis, contrarius est operibus nostris, & improperat nobis peccata Legis, & diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ; quæ quatuor capita fusiùs deduci possunt, simúlq; ostendi in secundâ parte, quàm longè alia olim in die judicij universalis dicturi sint, nimirum hi sunt, quos habuimus in derisum, &c. Sap. 5. ecce quomodo computati sunt inter Filios DEI, & inter Sanctos sors illorum est. Vide plura c. tit.

II. Ex occasione thematis: *Si me persecuti sunt, & vos persequentur*: Ostendi potest triplex titulus, cur persecutiones quisque libenter tolerare debeat, nimirum 1. quia non est servus super Dominum. 2. Quia non est Discipulus supra Magistrum. 3. Quia non est creatura super Creatorem; qui omnes tituli non difficulter fusiùs

fusiùs explicari, & non modicè ad persecutiones fortiter tolerandas excitare possunt. Vide in Bibl. tit. Patientia. Item Auctarium eod. tit.

III. Ex eodem themate ostendi potest, quòd nostra vita sit velut Academia, in qua discitur ars amandi DEUM; unde sicut in Academijs doctiores ad publicam disputationem, admittuntur, in qua varij oppugnantes constituuntur, quibus in fine gratiæ aguntur pro optimis & doctissimis argumentis; ita id ipsum in hac vitæ Academia fieri solere, unde persecutiones pro magno beneficio habendæ, & gratiæ potiùs agendæ, quàm indignatio concipienda. Vide titulum cit.

IV. Ex occasione ejusdem tituli in memoriam revocari potest sententia Christi Matt. 5. prolata: Beati estis, cùm maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversus vos, mentientes propter me; gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. Ostendatur ergo cur copiosa sit, nempe 1. Quia famæ rerum omnium pretiosissimæ jactura patienter toleratur. 2. Quia DEO defensio famæ cum magna fiducia committitur. 3. Quia per tales persecutiones homo Christo similior redditur, ut qui semper habuit contradictores, ut ipse quondam Sanctæ Virgini fassus est. Vide tit. cit.

V. Ex occasione thematis: *Mementote sermonis mei, quem ego dixi vobis*: Ostendi potest, quomodo exemplum Christi sit efficacissimum medium ad persecutiones fortiter tolerandas. 1. Quia ostendit, non mirari, nec tristari nos debere ob tales persecutiones, cùm Christus ipse ut caput nostrum liber ab illis non fuerit, ut qui potiùs erat in signum contradictionis. 2. Quia ostendit modum tales persecutiones sufferendi, quem ipse indicavit dicens: Obmutui & nõ aperui os meum, cùm consisteret peccator adversum me. 3. Quia etiam fructum talium persecutionum fortiter toleratarum ostendit, dum dixit, copiosam fore mercedem in cœlis. Vide Fabrum conc. 4.

VI. Ex occasione thematis: *Si opera non fecissem, peccatum non haberent*: Ostendi potest, quomodo opera Christi omnem excusationem sint adeptura, cur piè non vixerimus. 1. Quia erant opera communia ad facilem imitationem ordinata. 2. Quia erant opera miraculosa doctrinas à Christo datas efficaciter confirmantia. 3. Quia erant opera utilissima ad summam beatitudinem in hac & altera vita acquirendam ordinata; quæ tria capita meritò quemvis ad imitationem provocare debebant, cùm homines opera longè viliora plerúmque imitari soleant. Vide Thom. Kemp. l.3.c.3.

PRO FESTO OMNIUM SANCTORUM.

I. EX occasione thematis: *Beati mundo corde, quoniam ipsi DEUM videbunt*: Matt. 5. explicari potest primarium motivum, propter quod omnes Sanctos colere debemus, quia videlicet ipsi sine intermissione DEUM honorant, laudant, & amant intensissimè, & quoad omnes vires, quæ obsequia, cùm DEUM plùs, quàm nos amemus, pluris facere debemus, quàm si nobis fuissent exhibita; cùm ergo si nobis exhibita essent illa obsequia, æquissimum judicaremus, ut vicissim illos indesinenter coleremus, laudaremus, & amaremus, multò magis nunc faciendum. Ostendatur ergo modus hoc faciendi, si scilicet omnia opera nostra post DEI gloriam ad ipsorum quoque honorem ordinemus, & hac ipsa de causa cum omni diligentia faciamus, nam ut rectè quidam dixit, Sanctorum est cultus gratissimus optima vita, quia hic cultus est *purissimus*, utpote omni peccato carens: *amplissimus*, quia universas nostras actiones complectitur: & *constantissimus*, quia diu noctúque sine intermissione durans.

II. Ex eodem themate ostendantur rationes ex ipsis Sanctorum qualitatibus petitæ, ob quas ipsos specialiter venerari, & familiaritatem cum ipsis contrahere debeamus; Si enim, teste experientiâ, vehementer amamus, & libenter conversamur cum Personis sapientibus, pulchris & amabilibus, Sanctis, & magnâ dignitate ac potentiâ pollentibus, ob quam nobis multùm prodesse possint, quidni & Sanctos, qui omnes has qualitates in excellenti gradu possident, singulariter quoque amare, & magnam cum illis familiaritatem contrahere studeamus. Probetur ergò Sanctos his qualitatibus eximiè præditos esse, uti apud Fabrum conc. 4. in Auctario seu Silva nova videre licet.

III. Ex eodem themate ostendatur ingens utilitas, quam ex constanti Sanctorum cultu nos ipsi percipimus, scilicet quòd hoc modo omnes Sancti sint futuri spectatores, Advocati, & Protectores nostri, id quòd fusiùs probandum erit, simúlque inferendum, quantam inde in actionibus nostris perficiendis alacritatem, in precibus persolvendis fiduciam, in adversis tolerandis constantiam simus acquisituri, ut meritò S. Basilij Sententiâ solari nos possimus dicentis: Paratum hîc est Christianis auxilium, Ecclesia videlicet Martyrum (& aliorum Sanctorum) exercitus triumphantium, chorus laudantium DEUM. Sæpe laborâstis, sæpe operam dedistis, ut unum pro vobis orantem inveniretis, quadraginta (imò innumeri sunt) hi unam orationis emittentes vocem; ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine Domini, ibi DEUS est. Ubi verò quadraginta (& innumeri) fuerint, quis dubitet, DEUM esse præsentem, & preces exaudientem?

IV. Ex occasione thematis: *Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis*: ostendi potest magnitudo hujus mercedis per quinque fontes, ex quibus nascitur beatitudo, scilicet 1. Ex loci amœnitate & amplitudine. 2. Ex societate Sanctorum tam multorum, tam concordium, tam speciosorum.

3. Ex

3. Ex oblectatione sensuum. 4. Ex corporis gloriosi dotibus. 5. Ex visione & fruitione DEI: ut meritò Dæmon olim fassus sit, se, si unico momento frui hac beatitudine liceret, libenter omnia Inferni tormenta usque ad diem judicij toleraturum. Vide Bibl. & Auct. tit. Beatitudo, & Sanctorum cultus; Item Fabrum co. 7. in Dom. 2. Quadrag.& conc.3. in hoc Festo.

V. Ex occasione thematis: *Beati mundo corde, quoniam DEUM videbunt*: ostendi potest, quos affectus hoc Festum in nobis excitare debeat, nimirum 1. *Affectum desiderij*; nam teste S. Cypriano, magnus illic nos charorum numerus exspectat, Parentum, Fratrum, Filiorum frequens nos & copiosa illic turba desiderat, jam de sua immortalitate secura, & adhuc de nostra Salute sollicita. 2. Affectum *spei*, quo speremus eandem nos beatitudinem consecuturos. 3. Affectum Fortitudinis & patientiæ in laboribus & tribulationibus perferendis; non enim sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam: unde Sancti nos illis Siracidis verbis alloquuntur: Videte oculis vestris, quia modicum laboravimus, & invenimus nobis multam requiem. 4 Affectum *perseverantiæ*, quia qui perseveravit usque in finem, hic salvus erit. Videatur Faber in Auctario vel Silva nova conc.5.

VI. Ex occasione ejusdem thematis resolvi possunt tres principales quæstiones, sine quarum resolutione stare non potest invocatio Sanctorum. Nimirum 1. An sciant nostras preces & miserias? & resolvatur affirmativè cum S. Gregorio: quid enim illi non vident, qui omnia videntem vident? 2. An possint nos juvare? & iterum resolvatur affirmativè, si enim in terris poterunt, quidni magis in cœlis? 3. An velint succurrere? & resolvatur, dubitari non posse; nam, ut S. Bernardus rectè advertit, cum putredine carnis non exuunt se visceribus pietatis, nec sibi induerunt Stolam gloriæ, ut nostræ pariter miseriæ oblivionem induerent. Non est terra oblivionis, quam anima Sanctorum inhabitat; non terra laboris, ut occupentur in ea: non denique terra, sed cœlum est. Numquid cœlestis habitatio animas, quas admittit, indurat, aut memoriâ privat, aut spoliat pietate?

PRO COMMEMORATIONE FIDELIUM DEFUNCTORUM.

I. EX occasione thematis: *Venit hora, & nunc est, quando mortui audient vocem Filij Dei*. Joan. c. 5. potest Purgatoriũ piscinæ probaticæ comparari, & animæ languentibus ibi detentis comparari, atque adeò suaderi, ut Auditores sint homo, qui eas juvet; ut tandem à languore suo curentur, de quo conceptu videatur Bibl. Man. tit. Misericordia erga Defunctos §. 10. n. 6. & Faber conc. 2.

II. Ex eodem themate ostendatur acerbitas pœnarum Purgatorij ex pœna damni, pœna sensus, duratione incerta, quâmque adeò immisericordes sint, qui juvare negligunt, cùm tam facilè possint. De quo conceptu videatur Bibl. Man. eod. tit. §. 7. & seqq. & Auctar. tit. Purgator. §. V. Item Faber conc. 3.

III. Ex eodem themate ostendantur motiva ad succurrendum animabus, videlicet necessitas, æquitas, utilitas, & facilitas hujus succursus, de quo vide cit. tit. Item Fabrum conc. 4. & in Auctar. seu Silva nova conc. funebri 18.

IV. Ex eodem themate ostendi potest præstantia Eleemosynæ animabus præstitæ, quia 1. exhibetur summè indigentibus. 2. Quia sanctis & DEO charis. 3. res præstantissima, scilicet beatitudinis adeptio. 4. Ex bonis, quibus ipsi indigemus. 5. affectu maximo. De quo vide Bibl. tit. eod. § 9. n. 3.

V. Ex eodem themate ostendatur, quòd sive nos convertamus supra nos ad DEUM & Sanctos, quibus hæc misericordia est gratissima: sive infra nos ad animas purgantes, quæ sunt imago & templum DEI, Fratres & commembra nostra, indigentissimi pauperes: sive extra nos ad hostes undique nos oppugnantes: sive intra nos ad nosmetipsos, qui certiùs, citiùs & copiosiùs beatitudinem per hanc misericordiam obtinemus, undique urgemur ad succurrendum animabus, de quo vide Bibl. cit. tit. §. 7. & 10. n. 1. & Fabrum in Auctar. conc. funebri & 19.

VI. Ex eodem themate ostendantur media inutilia ad subsidium animarum, nempe ut S. Augustinus ait, pompa funebris, agmina exequiarum, sumptuosa diligentia sepulturæ, monumentorum opulenta constructio (adde, lacrymæ amicorum) viventium sunt qualiacunque solatia, non adjutoria mortuorum. Offerantur itaque horum loco alia efficaciora subsidia, qualia sunt sacrificium Missæ, preces, opera mortificationis, jejunia, patientia in adversis, actiones quotidianæ, indulgentiæ, & similia, de quibus vide Bibl. tit. cit. & Fabrum conc. 6. & in Silva nova exhort. funebri 14. 15. 16. 18. & 20.

PRO FESTO S. MARTINI.

I. EX occasione thematis: *Nemo accendit lucernam, & in abscondito ponit*. Luc. 11. dicatur, inter alias causas, cur Festa Sanctorum celebrantur, præcipuam esse, ut illorum virtutes & modum vivendi imitemur. in S. Martino verò præcipuè modum moriendi esse imitandum, qui in sequentibus consistebat. 1. in præparatione optima per misericordiæ exercitium; nam ut S. Hieronymus testatur, non legitur ullum malè fuisse mortuum, qui libenter opera charitatis exercuit; habet enim multos Intercessores & impossibile est, multorum preces non exaudiri. 2. In perfecta resignatione; hinc dicebat: Domine, si adhuc Populo tuo sum necessarius, non recuso laborem; sciebat nempe optimum esse tempus, genus

& locum mortis, quod DEUS præscripserit. 3. In desiderio aspiciendi DEUM, & precibus fusis; hinc assiduâ DEUM oratione precabatur, ut se ex illo mortali carcere liberaret; & oculis ac manibus in cœlum semper intentus, invictum ab oratione spiritum non relaxabat. 4. In pugna contra dæmonem; hinc conspecto Diabolo dicebat: Quid adstas cruenta bestia? nihil in me funeste reperies.

II. Ex occasione thematis: *Lucerna corporis est oculus tuus*: dici potest, DEUM imitari Principes, qui interdum certamen Jaculatorium instituunt, & varia præmia proponunt scopum attingentibus; hinc sicut alij remotiùs, alij propinquiùs tangunt centrum metæ, alij omnino aberrant, ita idipsum fieri in certamine isto; nam omnino aberrant, qui malam intentionem præfigunt operi; remotiùs tangunt metam, qui servilem faciunt intentionem; propius, qui mercenariam; proximè, qui filialem, soli DEO placere cupientes, hoc ut obtineatur, sinister oculus claudendus est, id est, omnis commodi proprij amor abesse debet: manus immota teneri, seu constantia servari. Vide Bibl. tit. Intentio.

III. Ex occasione thematis: *Si autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebrosum erit*: potest ostendi multiplex oculus nequam. 1. eorum, qui vanam gloriam de operibus concipiunt. 2. Qui vanam laudem quærunt. 3. Qui amorem proprium sectantur. 4. Qui aliorum facta malè interpretantur; pro quibus proin omnibus varia media præscribantur, qualia vide in Bibl. tit. Gloria, Laus, Amor proprius, Judicium temerarium.

IV. Ex occasione thematis: *Nemo accendit Lucernam, & ponit eam sub modio.* Ostendatur, qui ponant Lucernam sub modio, nimirum 1. qui fidem suam publicè profiteri non audent. 2. Qui talentis suis, uti decet, ad aliorum utilitatem non utuntur. 3. Qui potestatem suam, ubi oportet, non exercent in vitijs subditorum corrigendis, vel puniendis. 4. Qui vires suas & gratiam à DEO communicatam ad bene vivendum non applicant, tepidè viventes; quæ omnia fusiùs deducta vide apud Fabrum conc. 4.

V. Ex occasione thematis: *Si oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tenebrosum erit*; possunt indicia malæ intentionis proponi, qualia sunt 1. Si quis desideret sua opera in publico potiùs, quàm abscondito facere. 2. Si ægrè ferat, quando malè succedunt. 3. Si tristatur, cùm alij laudantur præ ipso. 4. Si non æquè paratus est ad vilia, quàm honorifica opera. 5. Si inter opera semper distrahatur sollicitus de successu. 6. Si majori alacritate peragat opera, per quæ magnam laudem exspectat. Quæ omnia, quomodo corrigenda sint; ostendatur. Vide Bibl. & Auctarium. V. Intentio.

VI. Ex occasione thematis: *Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit*: præscribi possunt media ad puritatem intentionis obtinendam videlicet 1. Cor mundum juxta illud psalmi 50. Cor mundum crea in me DEUS, & spiritum rectum innova in visceribus meis. 2. Charitatis divinæ studium. 3. Sæpe ponderetur, quantùm præponderet solius DEI judicium & beneplacitum, omnium hominum & Angelorum judicio & laudi. 4. Assuescere de omnibus operibus suis laudem DEO tribuere, & dicere cum Davide: non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. 5. Sua opera libenter abscondere, de quibus vide Bibl. tit. cit.

PRO FESTO PRÆSENTATIONIS B. VIRGINIS.

I. EX occasione thematis: *Beatus venter, qui te portavit.* Luc. 11. ostendi potest, quòd S. Anna verè beata & laudanda sit, quia ad exemplum Tobiæ Senioris Filiam suam ab infantia timere DEUM docuit. Unde ostendatur 1. quid & quotuplex sit timor, & quomodo Filialis servili, & mercenario præferendus. 2. Quomodo B. Virgo ab infantia eum exercuerit, atque adeò meritò nunc ad nos dicat: Venite Filij, audite me, timorem Domini docebo vos. Vide Bibliothec. tit. Timor DEI.

II. Ex eodem themate ostendi potest, quàm necessaria, utilis, & jucunda, honorificáque sit liberorum educatio, & quomodo ea convenienter institui queat; de quo vide Bibl. & Auctarium tit. Educatio.

III. Ex eodem themate ostendi potest, quomodo Parentes suos liberos in templo præsentare debeant. Nimirum 1. eos ad templum portando pro baptismo & Sacramento Confirmationis suscipiendo. 2. Eos assuefaciendo, ut libenter templa frequentent, & officijs divinis reverenter assistant. 3. Eos in templo frequenter DEO, & Sanctis commendando. 4. Laborando, ut per honestos mores & vitam efficiantur dignum templum & habitatio Spiritus Sancti, de quibus vide tit. cc. & tit. Baptismus.

IV. Ex occasione thematis: *Beati, qui audiunt verbum DEI, & custodiunt illud*: ostendi potest, quomodo B. Virgo in templo perfectissimè subdita fuerit Superioribus, & ideo, sicut postea Christus ejus Filius, profecerit ætate, Sapientiâ, ac gratiâ apud DEUM & homines; pro quo conceptu fusiùs deducendo vide Bibl. tit. Obedientia. §. 12. n. 1. & seq.

V. Ex occasione thematis: *Beatus venter, qui te portavit, & ubera quæ suxisti*: ostendi potest, 1. Quas ob causas Matres ipsæmet liberos suos lactare debeant post nativitatem. 2. Quòd magis ipsis præbere debeant ubera spiritualia doctrinæ & exempli boni, ex quibus candidissimum, purissimum, & dulcissimum lac honestorum & innocentium morum exsugant; pro quo vide Bibl. tit. Educatio & Exemplum.

VI. Ex occasione thematis: *Beati, qui audiunt*

audiunt verbum DEI, & custodiunt illud: ostendi potest, quòd triplex verbum sit cuivis Christiano audiendum. 1. Verbum DEI incarnatum, Christi doctrinam & exempla observando. 2. Verbum DEI in concionibus explicatum. 3. Verbum DEI à Superioribus propositum, id est, imperia & voluntatem eorum implendo. In secunda parte ostendatur, quàm verè beati dici queant, qui triplex hoc verbū diligenter & reverenter audiunt, & accuratè custodiunt. Vide Bibl. & Auct. tit. Obedientia. Verbum DEI. Christus.

PRO FESTO S. CATHARINÆ.

I. EX occasione thematis: *Quæ paratæ erant, intraverunt cum eo*: Matt. 25. ostendi potest, quomodo S. Catharina triplicem aureolam Virginum, Doctorum, & Martyrum assecuta sit, & quomodo æquivalentem etiam assequi queat quivis Christianus, si castitatem suo statui congruentem illibatam servat: si alios, quantùm status suus permittit, instruere laboret: si tribulationes amore DEI patienter sustineat. Vide Fabrum conc. 4.

II. Ex occasione thematis ejusdem ostendi potest, magnam quidem fuisse pulchritudinem S. Catharinæ corporalem, utpote quam etiam Cæsar concupierit; Sed Spiritualem longè præstantiorem fuisse, ita ut de illa meritò dici potuerit, quod Sponsa de Sponso dixit: Dilectus meus candidus & rubicundus. Unde ostendatur, quàm candida fuerit S. Catharina per candorem puritatis corporis & animæ: & quàm rubicunda per Martyrium & Sanguinis effusionem.

III. Ex occasione thematis: *Prudentes Virgines acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus*: ostendi potest, quam prudens fuerit S. Catharina, dum Sponsum cœlestem terrestri, regnum cœlorum regno Mundano, voluptates cœlestes & perpetuos terrenis & perituris præposuit, & quibus motivis se ad hoc faciendum excitârit.

IV. Ex occasione thematis: *Simile est regnum cœlorum decem Virginibus*: ostendi possunt præmia Virginum à dignitate, utilitate, & jucunditate, quæ omnia facilè amplificari possunt ex ijs, quæ in Bibliotheca & Auctario tit. Castitas, sunt dicta.

V. Ex eodem titulo occasio sumi potest potiores virtutes indicandi, quæ à Virginibus observari debent, quales sunt cauta & rara cum altero sexu conversatio, amor solitudinis, solida devotio, cauta & infrequens locutio, sensuum accurata custodia, obedientia prompta & similes, de quibus vide Bibl. & Auctarium, & Fabrum conc. 1. in hoc Festo.

VI. Ex occasione thematis: *Et quæ paratæ erant, intraverunt cum eo*: indicari potest, quomodo se quævis anima Christiana ad mortem parare debeat, scilicet 1. Lampadem cordis oleo charitatis divinæ, & dilectionis proximi implendo. 2. Vigilando, & adventum Sponsi in singulas horas exspectando. 3. Eundo illi obviam, id est, primæ ejus voluntati circa mortem plenissimè resignando. Pro quo conceptu vide Bibl. & Auctarium tit. Mors, & Fabrum conc. 5.

PRO FESTO S. ANDREÆ.

I. EX occasione thematis: *Venite post me*: possunt explicari causæ, cur S. Andreas crucem tantopere amârit, nimirum quia videbat in ea reperiri omnes titulos, ob quos alii gloriantur, & se felices putant, nempe veras divitias, dignitates, voluptates, ut adeò meritò dixerit cum S. Paulo: Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini mei JESU Christi: Vide Bibl. & Auct. tit. Crux §. 9. n. 2.

II. Ex eodem titulo ostendi potest, quomodo crux sit tollenda, & post Christum portanda, nimirum 1. ardenter eam desiderando. 2. Alacriter & cum gaudio eam suscipiendo. 3. Constanter eam usque ad vitæ finem portando, exemplo Christi, descendere ex ea nolentis, etiamsi à Judæis ad id incitatus fuerit, quæ omnia quomodo S. Andreas observârit, facilè ex illius vita ostendi possunt.

III. Ex eodem themate ostendi potest, cur S. Andreas de cruce deponi noluerit, nimirum 1. Propter exemplum Christi pariter descendere nolentis. 2. Propter desiderium laureolæ Martyrum assequendæ. 3. Propter amorem DEI, quo desiderabat dissolvi, & esse cum illo. Ostendatur itaque, quàm pauci sint, qui ipsum in hoc imitentur; & quomodo in certis casibus optare, & petere possimus, ut deponamur de cruce. Vide Biblioth. tit. Crux.

IV. Ex occasione thematis: *Illi autem relictis retibus statim secuti sunt eum*: Ostendi potest, quomodo quivis Christianus Christum sequi possit, & debeat. 1. Quia ab ipso emptus & redemptus est proprio Sanguine, unde locum habet illud S. Bernardi: Si totum debeo me pro me facto, quid addam pro me refecto & redempto? 2. Quia Christianus propterea dicitur, ut Christum sequatur. 3. Quia sicut socius passionis & doloris fuerit, ita & gloriæ ac honoris erit. De quibus Vide tit. Christus, & Christianus in Bibl.

V. Ex eodem themate ostendi potest, quomodo quivis homo omnia relinquere, & pauper spiritu esse possit, si scilicet consilium S. Pauli sequantur, &, si, qui habent uxores, tanquam non habentes, & qui utuntur hoc mundo, tanquam non utentes sint; & qui divitias habent, cor non apponant; sic enim & de Apostolis dixit S. Gregorius: Hac in re, Fratres carissimi, affectum potiùs debemus pensare, quàm censum; & ut S. Ambrosius dicere solebat, voluntas divitem aut pauperem collationem facit, & pretium rebus imponit; hinc Eremitæ quondam dicebantur, ipsum majorem affectum habere ad suam felem, quàm S. Gregorius ad omnes suas divitias & honores habe-

21. 2. Ostendatur, quomodo etiam Christianus quilibet centuplum sperare possit, & quid sit illud centuplum; de quo Vide tit. Paupertas in Bibl. & Auct.

VI. Ex occasione thematis : *Faciam vos piscatores hominum* : Dici potest, S. Andream & socios reliquisse quidem retia materialia, non tamen spiritualia; hæc enim tanquam piscatoribus vel maximè erant necessaria. Ostendatur itaque 1. quænam sint retia spiritualia, scilicet actiones ad proximi salutem procurandam ordinatæ, quæ non debent esse ruptæ seu obiter factæ, & suo tempore per renovationes spiritûs refici. Item debent habere plumbum humilitatis & diffidentiæ in propriis viribus. Et suber confidentiæ in vocationis gratia. 2. Ostendatur, quomodo uti hoc reti debeat, scilicet ut ad imperium Christi ejiciatur; ad dextrum latus in verbo DEI laxetur: ut sociis annuatur ad auxilium ferendum. Vide Bibl. tit. Zelus §. 12. n. 5. ubi alius modus hanc artem piscandi exercendi assignatur.

PRO FESTO S. NICOLAI.

I. EX occasione thematis : *Domine, duo talenta tradidisti mihi, ecce alia duo super lucratus sum*: Matt. c. 25. Ostendi potest, quomodo S. Nicolaus duo talenta, corporis scilicet & animæ vires fidelissimè ad majorem DEI gloriam impenderit, & alia duo, nempe propriam & alienam salutem lucratus sit; quæ omnia ex ipsius vita dilatari possunt.

II. Ex occasione thematis : *Eugè serve bone, & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui* : explicari potest, in quo fidelitas ista consistat, ut scilicet per servitium suum non suum lucrum, sed Domini sui quærat; atque adeò cùm DEI lucrum sit ipsius gloria, eam semper intactam relinquat, nihilque de ea sibi attribuat, sed cum S. David dicat: Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Dein ostendatur, quomodo DEUS eum super multa constituerit, dum ei beatitudinem contulit, de qua jure dicere potuit : Venerunt mihi omnia bona cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius. Vide in Bibl. tit. Beatit. & Intentio.

III. Ex occasione thematis : *Tradidit illis bona sua* : explicari potest, quàm laudabilem misericordiam exercuerit S. Nicolaus erga tres Virgines pauperes: dein ostendatur, quomodo quisque eum imitari possit in triplici misericordia erga pauperes, peccatores, & animas purgatorii exercenda. de quo vide tit. misericordia erga viventes, & defunctos, & Zelus. in Bibl.

IV. Ex eodem themate ostendi potest, cur suum quisque talentum bene impendere debeat, scilicet 1. propter dantis benevolentiam & sapientiam, quâ convenientissimum cuique talentum largitur. 2. Propter nostrum commodum per illa verba : super multa te constituam: indicatum. 3. Propter timorem pœnæ & talentum malè collocatum infligendæ.

V. Ex occasione thematis : *Uni dedit quinque talenta, alii duo, alii vero unum*. Ostendi poterit, cur quisque talento suo contentus vivere debeat, nempe 1. quia DEI voluntas & dispositio sic ordinavit, quæ, ut pius Author l. 3. c. 22. dixit, plùs eum consolari magisque placere debet, quàm omnia beneficia sibi data vel danda. 2. Quia majorem habet occasionem fidelitatis suæ ostendendæ; hinc dictum est servo, quia super pauca fuisti fidelis. 3. Quia qui minùs accepit, minùs rationem reddere debet. Vide pulcherrimum caput citatum, & hoc applica.

VI. Ex eodem themate ostendatur, quomodo Parentes suis liberis ad imitationem S. Nicolai tres globos aureos largiri debeant, scilicet timorem & amorem DEI per observationem mandatorum DEI demonstrandum; sic enim dicere poterunt ad illos: Pauperem quidem vitam gerimus, sed multa bona habebimus, si timuerimus DEUM, & fecerimus bene. 2. Sedulitatem in scientiis & artibus, quibus vita sustentanda est, addiscendis. 3. modestiam & civilitatem morum, ut quæ maximè Adolescentiam exornet, & per totam vitam observanda sit. Vide tit. Timor DEI. Otium, & Modestia in Bibl. & Auctario.

PRO FESTO CONCEPTIONIS B. VIRGINIS.

I. EX occasione thematis : *Mathan autem genuit Joseph virum MARIÆ*. Ostendi potest, & probari B. Virginem esse sine macula originali conceptam 1. ex congruentiis, 2. ex variis revelationibus. 3. ex miraculis hunc in finem patratis. 4. ex authoritate & unanimi consensu Doctorum plerorumque & pio affectu Fidelium. 5. ex ratione, quâ S. Augustinus & alii asserunt B. Virgini attribui debere, quiquid sine inconvenienti tribui potest. Unde Auditores ad hoc Festum singulariter colendum excitentur. Vide Instruct. 7. fol. 111.

II. Ex eodem themate ostendi potest, cur Festum hoc specialiter celebrandum sit nimirum 1. quia B. Virgo ipsa revelavit, sibi gratissimam esse hanc celebrationem, dum Clerico submerso, & à se vitæ restituto præcepit, ut in grati animi signum hoc Festum celebraret. 2. Quia per illud celebratur memoria illius privilegii, quod illi soli ex omnibus puris hominibus convenit : unde sicut Virgini cuipiam summè placeret, si diceretur omnium pulcherrima, ita B. Virgini gratissimum fore creditur, si sine macula concepta dicatur. 3. Quia hoc ipso, quòd nihil ab Ecclesia definitum sit circa hanc materiam, atque adeò liberum sit cuivis defendere hanc immaculatam conceptionem, meritò valde illi placiturum creditur, si quis ad partem magis honorificam illi se determinet, & suum erga illum affectum hoc modo clariùs osten-

ostendat. Unde plurimi etiam voto se ad eandem Conceptionem defendendam obligarunt.

III. Ex eodem themate B. Virgo Estheri comparari potest. 1. Quia ut Esther, erat inter omnes mulieres pulcherrima, utpote cui in re dici queat: Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te. 2. Quia ut Esther, præ aliis placuit DEO, & invenit gratiam in oculis ejus. 3. Quia, sicut Estheri Asverus, ita DEUS B. Virgini dimidium regni, id est, misericordiam, servatâ sibi omnipotentia, non promisit tantùm sed actu contulit. 4. Quia sicut Esther duas ancillas habuit, quarum uni innitebatur, altera vestes colligebat, ita B. V. pro ancillis Angelicam & humanam naturam servientem habuit. 5. Quia sicut Esther Populum Judaicum, ita B. V. Christianum ab interitu liberat, unde meritò hic ad eam clamat: Sub tuum præsidium confugimus, Sancta DEI Genitrix, nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris. Vide Bibl. & Auct. V. Hyperdulia.

IV. Ex eodem themate ostendi potest, quòd, sicut Matres pulchræ summopere gaudent, si Filios aut Filias sibi valde similes habeant, ita immaculatè conceptæ Virgini summè placiturum sit, si liberi sui esse pulchri studeant, & macula in illis non sit. Unde inferendum est, hunc modum obsequii illi gratissimum fore.

V. Ex eodem themate ostendi potest B. Virginem hodie ut auroram consurrexisse 1. Quia ut aurora est prænuntia diei, & Solis, ita B. Virgo erat prænuntia Christi, qui Sol est Justitiæ, venturi. 2. Quia sicut Aurora est Mater roris, ita ipsa B. Virgo fuit Mater Christi, de quo clamabant Patres: Rorate cœli desuper & nubes pluant justum. 3. Quia sicut Aurora per rorem fœcundat terram & fructus; ita & B. Virgo fœcundavit mundum per Christum. 4. Quia sicut Aurora homines ad surgendum è lecto, & laborandum invitat, ita B. Virgo verbo & exemplo servos sibi devotos ad excutiendum socordiæ soporem, & labores animæ utiles, Deóque gratos suspiciendos excitat.

VI. Ex eodem themate ostendi potest quòd ex hoc titulo immaculatæ Conceptionis verè de illa dicatur: Qui me invenerit, inveniet vitam, triplicem nempe, corporalem per conservationem: Spiritualem per gratiæ recuperationem: æternam per gloriæ adeptionem, quæ sicut ipsi præ aliis debetur, ita ipsius quoque cultoribus meritò confertur. Vide Tit. Hyperdulia.

PRO FESTO S. THOMÆ.

I. Ex occasione thematis: *Quia vidisti me, Thoma, credidisti*: Jo. c. 20. ostendi potest, quòd, sicut mercatores ditescere volentes, in remotas regiones auri & argenti feraces, proficiscuntur, & ob hujus lucri spem omnes labores & pericula cum gaudio tolerant, pretiosissimas merces emunt, & in iis iterum vendendis nullum tœdium concipiunt, etsi totos dies in nundinis consumere debeant, ita S. Thomas quoque has omnes conditiones studiosè impleverit, dum in peregrinas regiones profectus, solas animas velut pretiosissimas merces quæsivit, & propter illas lucrandas nulli labori, imò nec vitæ & sanguini pepercit. Vide tit. Anima, Zelus, in Biblioth. & Auctario.

II. Ex occasione thematis: *Noli esse incredulus, sed fidelis*: potest ostendi, quòd rectè dixerit S. Theresia: omnes ferè defectus ex defectu vivæ fidei oriri; id quod ex inductione facilè probari potest, & testimonio Davidis dicentis: dixit insipiens, non est DEUS (cognoscens, judicans, puniens vel præmians) corrupti & abominabiles facti sunt usque ad unum. Vide tit. DEUS in Bibl. & Auctario tit. DEI præsentia.

III. Ex eodem themate ostendi potest, quem fructum perceperit S. Thomas ex suo lapsu, videlicet ingentem dolorem de sua incredulitate; ingentem ruborem de sua fragilitate & inconstantia: & ingentem fervorem in secuta confessione Fidei, usque ad vitæ sanguinisque profusionem protracta. De quibus vide tit. Fides. Contritio. Fervor. in Bibl. & Auctario.

IV. Ex themate: *Beati, qui non viderunt, & crediderunt*, potest ostendi, quàm beati & Sancti futuri sint etiam in hac vita, qui credunt viva fide quatuor has veritates: DEUS ubique præsens, & omnia videt: DEUS omnia sapientissimè administrat, & ad suam majorem gloriam, ac nostram salutem dirigit: In DEO velut fonte omne bonum puriùs, recentiùs, abundantiùs reperitur: DEUS, quidquid proximo facimus, sibi factum reputat. Quæ omnia ex titulo DEUS & DEI præsentia facilè deduci possunt.

V. Ex occasione thematis: *Dominus meus, ac DEUS meus*: Ostendi potest, quomodo Christus noster DEUS ac Dominus dici queat, nimirum 1. quia, ut Ecclesia canit, se nascens dedit Socium. 2. Quia convescens se dedit in edulium. 3. Quia se moriens dedit in pretium. 4. Quia regnans se dabit in præmium; quorum beneficiorum magnitudo facilè fusiùs amplificari potest ex Biblioth. & Auctario V. Eucharistia. Passio Christi. Beatitudo. Item Fabrum in silva nova th. 3.

VI. Ex occasione thematis: *Infer digitum tuum huc, & mitte manum tuam in latus meum*: potest ostendi, quem fructum vulnera Christi afferant, si corporaliter, vel spiritualiter per considerationem intellectus attingantur, quòd videlicet 1. excitent amorem, dum pro nobis ea passum videmus. 2. Excitent dolorem de peccatis, dum tantopere per ea vulneratum summum nostrum Benefactorem pensamus. 3. Excitent fervorem in tolerandis adversitatibus; non enim sentit sua vulnera

ra miles, dum ducis sui vulnera intuetur, pro quo conceptu dilatando vide Auctarium tit. Vulnera. Myrrhæ fasciculum P. Vincentij Caraffæ.

PRO FESTO NATIVITATIS CHRISTI.

I. EX occasione thematis: *Natus est nobis hodie Salvator*. Luc. 2. declarari potest triplex Nativitas Christi. 1. æterna, quæ admiranda, veneranda, gratulanda est. 2. Nativitas temporalis, quæ cum magno gaudio celebranda, cum singulari devotione & gratitudine peragenda. 3. Nativitas spiritualis per vitæ emendationem, quæ Christo gratissima est, quia est cultus purissimus, amplissimus, & constantissimus, facitque, ut Christi nativitas suum finem & fructum obtineat; unde hæc Nativitas maximè suadenda. Vide Fabrum in hoc Festo conc. 3.

II. Ex eodem themate ostendi potest quòd tres præcipuè Personæ hodie singulariter gaudere debeant. 1. Peccatores, quibus natus est Salvator. 2. Justi, quibus natus est hodie Magister. 3. Tristes & afflicti, quibus hodie natus est consolator. Qui tres tituli proin fusiùs & cum Emphasi explicandi erunt. Vide tit. Christus, Pœnitentia. in Bibl.

III. Ex occasione thematis: *Invenietis infantem pannis involutum, & positum in præsepio*: dici potest sicut olim S. Augustinus de cruce dixit, quòd non sit tantùm lectulus morientis, sed etiam Cathedra docentis, ita hoc ipsum etiam de præsepio dici queat. Ostendatur itaque, quomodo tres principales virtutes, quas P. Balthasar Alvarez è Societate JESU tres comites Christi vocabat, paupertatem scilicet per indigentiam, humilitatem per contemptum, patientiam per dolores docuerit, pro quo conceptu vide Fabrum conc 4. & 7.

IV. Ex occasione thematis: *Gloria in excelsis DEO*: ostendi potest, quanta cum gratitudine hoc festum sit celebrandum. 1. Quia DEO summa gloria inde obvenit tum per Christi vitam, tum per Christi imitatores Christianos. 2. Quia humana natura per Incarnationem supra omnes Angelos exaltata est. 3. Quia humano generi Salvator natus est, multò beneficentior, quàm fuerit Josephus Salvator Ægyptius, quia à graviori jugo liberavit, frumentum nobilius præparavit, sapientiùs gubernavit.

V. Ex occasione thematis: *Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis*: Ostendatur 1. in quo consistat vera pax animi, scilicet in hoc, ut nihil contra voluntatem accidat. 2. Ostendatur, quomodo hæc pax per bonam, id est, voluntati divinæ conformem obtineatur. 3. Quomodo Christus hanc pacem attulerit, dum ab infantia voluntatem suam cum divina conformare docuit. Vide tit. Resignatio & Pax in Biblioth. & Auctario.

VI. Ex occasione thematis: *Transeamus usque Bethlehem, & videamus, hoc verbum quod factum est*: explicari possunt circumstantiæ nativitatem Christi comitantes. 1. Quis ad nos venit? 2. ad quos venit. 3. Quomodo venit? 4. ad quem finem venit? quæ omnia fusiùs explicata Vide apud Fabrum in Silva conc. 1.

PRO FESTO S. STEPHANI.

I. EX occasione thematis: *Benedictus, qui venit in nomine Domini*: Matt. 23. Ostendi potest, quàm verè dicere potuerit S. Stephanus cum S. Paulo: Bonum certamen certavi, fidem servavi, cursum consummavi, de reliquo reposita est mihi corona justitiæ &c. quàmque nobilis hæc fuerit corona propter victoriæ difficultatem, quam reportavit de se ipso, de inimicis, de Diabolo. Pro quo conceptu Vide Biblioth. & Auctarium. tit. Dilectio inimicorum.

II. Ex eodem themate ostendantur motiva, cur inimicos exemplo S. Stephani diligere debeamus, scilicet 1. quia conducit ad placandum DEUM juxta illud: Dimittite, & dimittemini. 2. Quia conducit ad placandum inimicum, quem sæpè conciliatum fuisse per talem condonationem, variæ sententiæ Doctorum & historiæ testantur. 3. Quia conducit ad seipsum placandum, id est, odium & cupiditatem vindictæ, quæ hominem maximè inquietum reddunt, deponendum, plerúmque animo pacem restituendam. Vide citatum titulum.

III. Ex eodem themate proponi possunt excusationes, ob quas homines ferè impossibile judicant, injuriam dimittere, quarum 1. desumitur ex injuriæ gravitate. 2. Ex personæ vilitate aut ingratitudine. 3. Ex aliarum personarum, quibus injuria cognita est, & qui timidum judicabunt, si non ulciscatur, respectu. 4. Ex propriæ famæ conservandæ necessitate. 5. Ex naturali ad vindictam sumendam inclinatione, uti in ipsis bestiis patet; quæ omnes excusationes solidè refutentur, prout in Bibl. cit. tit. §. 11. n. 5. videre est.

IV. Ex eodem themate ostendi potest, quomodo difficultas ignoscendi possit tolli, inspiciendo exempla aliorum, præcipuè DEI, Christi, S. Stephani & aliorum Sanctorum, Ethnicorum, ex quorum consideratione tria haurientur commoda, quorum primum est correctio Phantasiæ, quâ creditur tam difficilis vindictæ omissio. Secundum salutaris rubor, quòd leviora dimittere nolimus, cùm ipsi tam graves offensas dimiserint. Tertium generosus impulsus ad injuriæ oblivionem cogitatione, verbo, & opere suscipiendam. Vid. cit. tit.

V. Ex eodem themate ostendi potest, quomodo DEUS S. Stephanum ad talem pugnam fortiter suscipiendam animârit, scilicet cœlos apertos ostendendo; ex quo probetur, unum ex efficacissimis signis prædestinationis ad vitam æternam esse dilectionem inimicorum, uti

uti facilè textibus S. Scripturæ & SS. Patrum, & historiis probari potest.

VI. Ex eodem themate ostendi potest, quàm verè S. Stephanus Protomartyr dicatur nimirum 1. quia primus Novi Testamenti Martyr post Christum fuit. 2. Quia pulcherrimum posteris exemplum præbuit, quomodo se erga persecutores gerere debeant. 3. Quia, dum cœlos apertos vidit, ipso hoc facto confirmavit SS. Martyrum privilegium, quòd rectà & sine purgatorio ad cœlum ascendant. Excitentur proin Auditores ad hoc exemplum, saltem per martyrium spirituale, corporali martyrio quidem mitius, sed diuturnitate longius & crudelius fortiter sequendum.

PRO FESTO S. JOANNIS.

I. Ex occasione thematis: *Vidit illum Discipulum, quem diligebat JESUS.* Jo. 21. c. possunt ostendi causæ, propter quas S. Joannes tantopere à Christo dilectus sit, nimirum 1. ob pulchritudinem animæ, ratione cujus candidus & rubicundus dici poterat. 2. Propter fiduciam singularem, quam erga Christum multis documentis ostendit. 3. Propter teneriorem amorem, quo Christum prosecutus est. Incitentur proin Auditores ad hos modos promerendi Christi amorem pariter adhibendos. Vide Fabrum conc.

II. Ex eodem themate afferri possunt rationes, cur S. Joannes specialiter à nobis diligendus & honorandus sit; nimirum 1. quia illum singulariter diligebat JESUS, unde & nos in hoc conformari ipsi debemus. 2. Quia ipse vicissim specialiter diligebat JESUM, quem amorem nos perinde, imò pluris æstimare debemus, ac si nobis exhibitus esset. 3. Quia clariorem nobis de divinitate & humanitate notitiam per apocalypsin suam communicavit. 4. Quia nostro nomine sub cruce stans B. Virginem in matrem accepit, atque adeò peculiari titulo Frater noster est.

III. Ex eodem themate ostendatur, cur tanta rerum cœlestium notitia illi sit communicata, ut pro symbolo illi aquila appingatur, nimirum quia cùm teste Christo, beati sint mundo corde, quoniam DEUM videbunt, hanc munditiem S. Joannes peculiariter semper procuravit, & custodivit: Ostendantur proin media ad eandem exemplo S. Joannis procurandam.

IV. Ex occasione thematis: *Quid ad te:* potest ostendi multiplex curiositas hominum in rebus ad se non pertinentibus scrutandis; nimirum 1. in rebus fidei, & judiciis divinis examinandis. 2 In aliorum moribus & factis judicandis. 3. In rebus inutilibus & noxiis videndis vel audiendis. 4. In futuris rebus indagandis: pro quibus omnibus efficacia media proponantur, illud maximè à Christo præscriptum: Tu me sequere. Vide Fabrum conc. 4.

V. Ex occasione thematis: *Hic autem quid?* dicatur hanc quæstionem sat crebrò à multis malè usurpari, hodie tamen non malè de cæremonia vini in honorem S. Joannis benedicendi moveri, quare ostendendum 1. unde ortum duxerit hæc consuetudo. 2. ob quem finem benedicatur, scilicet 1. in honorem DEI & S. Joannis, 2. in signum fraternæ dilectionis, 3. In sanitatem nostram, ut per merita & intercessionem S. Joannis ab omni damno, quod per vinum creari posset custodiamur; quæ omnia exemplis confirmare oportet.

VI Ex occasione thematis: *Recubuit super pectus JESU*: potest ostendi quantus hic favor fuerit; deinde quomodo & Auditores illum per singularem dilectionem & fiduciam ad Christum participare queant; de quo Vide Biblioth. tit. Charitas & Spes. Item Fabrum in Silva them. 15.

PRO FESTO SS. INNOCENTIUM.

I. Ex occasione thematis: *Mittens occidit omnes Pueros.* Matt. c. 2. ostendi possunt causæ, cur DEUS Innocentûm cædem permiserit, nimirum 1. Ob Christi dignitatem & manifestationem. 2. Ob gloriam DEI, quæ non modicè augebatur ex tot victimarum gratissimarum oblatione. 3. Ob bonum Infantium, ne adultiores facti perirent. 4. Ob correptionem parentum, qui noluerunt Messiam natum agnoscere. Vide Fabrum in hoc Festo conc. 3.

II. Ex occasione thematis: *Surge & accipe puerum & Matrem ejus, & fuge in Ægyptum*: potest obedientia S. Josephi commendari, uti & B. Virginis ob tres causas. 1. quia erat *prompta*, dum statim surrexit. 2. Quia erat *cæca*, & non inquirens, cur DEUS non alio modo Christum custodierit. 3. Quia erat *fortis*, nullam difficultatem prætendens, de quibus Vide Bibl. & Auctarium tit. Obedientia. & Fabrum conc. 6. n. 2.

III. Ex eodem themate ostendi potest, quòd mali socij adolescentiam scandalizantes plùs noceant, quàm satellites Herodis. 1. quia isti tantùm corporalem, illi spiritualem vitam adimunt. 2. Quia satellites publicè, socii verò occultè & fraudulenter perimunt. 3 Quia satellites semel duntaxat, socii sæpius occidunt. 4. Satellites biennes duntaxat occiderunt, sed hi adultiores, quod magis dolendum. 5. Satellites tantùm Infantibus nocuerunt, socii mali etiam Parentibus & consanguineis. Unde monendi Parentes, ut maturè subducant liberos talibus sociis; ipsi liberi verò, ut studiosè fugiant.

VI. Ex occasione thematis: *Mittens occidit omnes pueros*: Ostendi potest Innocentum preces valde DEO gratas esse ob triplicem titulum. 1. Quia puro corde offeruntur. 2. Quia, ut alij Martyres, sanguinem suum profusum cum precibus offerunt. 3. Quia valde multi sunt; impossibile autem est, multorum preces non exaudiri. In altera parte ostendatur, à qui-

quibus præcipuè invocandi sint, videlicet 1. ab Adolescentibus, quia, cùm in hoc statu jaciantur fundamenta futuræ vitæ, hi præ aliis indigent auxilio, quod Innocentes illis, utpote similibus, libenter præstabunt. 2. A Juvenibus, quia hic status propter calorem internum, vigorem corporis, insidias Lenonum, Diaboli oppugnationem, parentum conniventiam, ætatis licentiam, majori periculo innocentiæ perdendæ subjectus est. 3. A Parentibus, ut SS. Innocentes gratias impetrent pro novellis arboribus ritè colendis; & tanquam exercitus eorum liberos ab hostibus, qui adolescentiæ maximè insidiantur, protegant; unde hortandi Auditores, ut huic exercitui stipendium quotidiani cultus & precum diligenter persolvant.

V. Ex eodem themate dicatur, morem, quo Infantes aufffindlet werden/ non omnino reprehendendum, eò quòd per illum innuatur correctionem liberis necessariam esse; unde ostendatur necessitas, utilitas, & modus hujus correctionis, qui in tribus præceptis consistit, nempe ut opportunè, suaviter, efficaciter suscipiatur, de quo Vide Tit. Ordinatio in Biblioth.

VI. Ex eodem themate ostendi potest, quomodo Satellites Herodis infernalis dignosci possint videlicet ex caputiis tectis (Nebelkappen) nam 1. aliqui nigras habent, qui ad nocturnas grassationes & levitates invitant. 2. Alii rufa (leibfarb) qui ad carnis illicitas voluptates alliciunt. 3. Alii viridia cum straminea corona; qui ad compotationes incitant. 4. Alii discoloria, qui varia axiomata perversa instillant. Qui omnes cur & quomodo fugiendi sint, ostendendum. Vide tit. Educatio & Societas.

PRO FESTO DEDICATIONIS TEMPLI.

I. EX occasione thematis: *Hodie salus facta est huic domui*: Luc. 19. doceri potest ars bene administrandi familiam (Wollzuhaußen) quinque doctrinis comprehensa, quarum prima est: Reddite, quæ sunt DEI, DEO. Secunda, Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, seu Proximo. Tertia, Date, & dabitur. Quarta: Concordiâ res parvæ crescunt, discordiâ maximæ dilabuntur. Quinta: Fac quod tuum est, DEUS faciet, quod suum est. Quas doctrinas vide fusiùs explicatas in Instruct. 7. f. 225.

II. Ex eodem themate ostendi potest, qualis Ecclesia sit domus. 1. Ein Betthauß/ 2. Ein Proviantthauß/ quia ibi cibus animæ per conciones & Sacramentum Eucharistiæ porrigitur. 3. Ein Lazarethauß/ quia ibi morbi animæ per confessionem, aliaque media curantur. 4. Ein Wachthauß/ quia ibi anima reperit fortissimum præsidium. 5. Ein Lusthauß/ quia in templo reperit anima summas animi delicias. 6. Ein Rathhauß/ ad quam sicut Moyses, pro divino responso confugiamus. 7. Ein Wohnhauß/ tanquam palatium summi Regis, in quo proin audientia apud DEUM, variaque dona impetrari possunt, de quibus Vide dictam Instruct. 7. f. 221.

III. Ex eodem themate ostendatur, quare & quomodo in templo se gerere quisque debeat, nempe 1. quia rectè novit vivere, qui rectè novit orare. 2. In oratione observetur monitum S. Davidis ps. 46. monentis: Psallite DEO nostro per linguam *distinctè*: per memoriam *attentè*: per intellectum *intelligenter*: per voluntatem *ardenter*: per corpus *reverenter*: Vide tit. Oratio in Bibl. & Auctar.

IV. Ex eodem themate ostendi potest, quomodo Auditores perpetuam dedicationem habere possint, & semper læti esse, si scilicet voluntatem suam cum divina conformare studeant, uti Christus ipse S. Catharinæ Senensi ostendit in Dialogo cum ipsa instituto, quem Vide in Auctario tit. Resignatio.

V. Ex occasione thematis: *Hodie oportet me in domo tua manere*: potest ostendi, quomodo Christo ex voluntate divina gratissimum convivium instrui possit, hanc quippe gratissimum sibi cibum esse, ipse Christus ostendit dicens: Meus cibus est, ut faciam voluntatem Patris mei. Quòd autem optimum sit convivium, probatur 1. quia continet epulas fictitias (Schaueſſen) non enim licet tangere & examinare voluntatis divinæ justitiam. 2. Continet Hauptspeissen/ quia satiat, nutrit, augmentat, & roborat, ut cibi solidi. 3. Continet bellaria dulcia (Confect) id est singularem animo lætitiam & quietem animi affert. De quibus effectibus Vide plura in Biblioth. V. Resignatio. Item Instruct. 2. f. 237.

VI. Ex eodem themate possunt reprehendi abusus, qui in dedicatione intervenire solent, indicari, & reprehendi. 1. Quia Templum DEI, id est, animas plurimi Baccho & Veneri consecrant. 2. Quia loco templi frequentantur hospitia, & loco orationis lusibus & compotationibus vacatur. 3. Quia loco renovationis interioris renovantur peccata & mala proposita peccandi, & varias alias absurditates & fraudes committendi. 4. Quia loco Eleemosinarum, quibus pauperes hoc die recreare deceret, pecunia in convivia superflua & lusus impenditur. Ut ergo à talibus abusibus Auditores tantò diligentiùs abstineant, ostendatur, quantam ex illis injuriam DEO & Sanctis, quanta quoque sibi ipsis & aliis damna creent.

INDEX CONCIONATORIUS in Dominicas.

PRO DOMINICA I. ADVENTUS.

I.



EX occasione thematis : *Virtutes cœlorum movebuntur* : Luc. 21, potest Judicii extremi timor inculcari, eò quòd Judex sit infallibilis propter omniscientiam : inevitabilis propter omnipotentiam : inflexibilis propter justitiam ; quæ omnia facilè sententiis & historiis probari possunt, ut in Bibl. & Auctario videre est.

II. Ex occasione thematis : *Videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magna & Majestate* : potest processus terribilis judicii extremi explicari ex quadruplici capite 1. Ex Judicis majestate & potentia. 2. Ex præsentium multitudine. 3. Ex omnium actorum revelatione. 4. Ex sententiæ ferendæ irrevocabilitate ; de quibus Vide Bibl. & Auctar.

III. Ex eodem themate potest dici, DEUM hunc in hac vita agere, quod Tamerlanes Tartarorum Princeps fecit, qui civitatem oppugnaturus, primò vexillum album suspendi jussit, secundò rubrum, tertiò nigrum, ut indicaret, se, si primo die se dederent, vitam donaturum ; si secundò se non dederint, omnes occisurum : si nec tertiò die se dederent ; totam civitatem vastaturum. Nam & DEUS primò per prosperitates ad pœnitentiam & sui deditionem invitat ; deinde per tribulationes ; quæ si non proficiunt, tandem in interitum hominem præcipitat, quæ omnia pulchris historiis probari possunt, uti in Bibl. & Auctario videre est.

IV. Ex eodem themate Judicium extremum cum tempestate comparari potest, simulque ostendi, quòd optimum contra illam remedium sit, si sub B. V. pallium velut Laurum confugiant ; nam sicut Laurus à fulmine secura dicitur ; ita qui sub præsidio Virginis constitutus est, à fulmine ultimæ sententiæ : Ite maledicti : tutus est, uti ex iis, quæ in Biblioth. & Auctario dicta sunt tit. Hyperdulia, videre est.

V. Ex occasione Thematis : *Verba mea non præteribunt* : potest veracitas DEI in promissis præmiis, in comminandis suppliciis, & in auxiliis conferendis demonstrari, atque inde Auditores ad salutarem timorem, & fiduciam, & fervorem in servitio DEI animari.

VI. Ex occasione thematis : *Levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra* : Ostendi potest, quomodo quivis Christianus se tempore Adventûs gerere, & ad Natalitia Festa præparare debeat. Nempe 1. ardenter *desiderando* Christi adventum, & clamando cum antiquis Patribus, Rorate cœli desuper, & nubes pluant justum. 2. *Purgando* habitaculum cordis sui per sinceram confessionem & contritionem ; ideo enim ab Ecclesia color violaceus, qui est signum tristitiæ, adhibetur, & illa S. Pauli verba occinuntur ; Fratres, hora est, jam nos de somno surgere, abjiciamus ergo opera tenebrarum. 3. *Orationi* ardentiùs insistendo : ideo enim & ab Ecclesia plures hoc tempore Missæ cantantur, & longiores in Breviario preces præscribuntur. 4. *Operibus bonis* sedulò vacando, eaque juxta exemplum Christi cum majori diligentia obeundo ; sic enim Ecclesia monet, ut arma lucis arripiamus, & Christum induamus. Vide Fabrum conc. 1. in Dom. 2. Adv.

PRO DOMINICA II. ADVENTUS.

I. EX occasione thematis : *Tu es, qui venturus es, an alium exspectamus* ? potest examen particularis judicii explicari, & 1. quidem ostendi, quanti momenti sit, cùm in eo de Ascensu in cœlum, vel descensu in purgatorium vel infernum agatur. 2. Quàm rigidum sit, utpotè in quo ad omnes quæstiones circa actiones & cogitationes nostras respondendum erit. 3. Quænam sint quæstiones proponendæ ; videlicet quomodo DEUM & proximum dilexerimus, vocationi nostræ responderimus, quàm sollicitè & studiosè proin ad has quæstiones nos præparando. Vide Fabrum conc. 2.

II. Ex eodem themate ostendi potest, quomodo nos ad Christi adventum in particulari judicio præparare debeamus. Videlicet 1. *Lumbos præcingendo*, id est, concupiscentias domando, & sic à vitiis abstinendo. 2. *Lucernas ardentes* bonorum operum in manibus gerendo. 3. *Exspectando* Domini adventum, id est, paratam semper ad moriendum voluntatem præseferendo. De quo conceptu Vide Bibl. tit Judicium. §. 11. n. 4.

III. Ex occasione thematis : *Pauperes evangelizantur* : ostendi potest cur DEUS tot pauperes in hoc mundo vivere permittat, nempe 1. propter majorem suam gloriam. 2. Propter humani generis conservationem. 3. Propter instructionem & utilitatem divitum. 4. Propter utilitatem ipsorum pauperum. Ex quo

quo quadruplici fine pulchræ & utiles doctrinæ erui possunt, uti apud Fabrum conc. 4. videre est.

IV. Ex eodem themate potest ostendi, quomodo pauperes in paupertate sua se solari possint. 1. Exemplo DEI, qui ante Mundi creationem nihil habebat, hinc altissima paupertas vocatur. 2. Exemplo Christi summam paupertatem eligentis. 3. Exemplo Religiosorum voluntariam paupertatem voventium. 4. Exempla Ethnicorum, qui, ut Philosophari commodiùs possent, ultrò paupertatem amplexi sunt: de quibus Vide Fabrum conc. 4. & Bibl. tit. Paupertas.

V. Ex occasione thematis: *Cùm audisset Joannes in vinculis opera Christi*: Ostendi potest, quare DEUS Sanctos homines tot tribulationibus affligi permittat. Nimirum 1. propter correctionem filialem. 2. Propter Magistralem probationem, ut ostendant profectum in virtute. 3. Propter amorem amicalem, eò quòd ipsos secum habere, & olim gloriosiores reddere velit; de quibus Vide tit. Patientia in Biblioth. & Auct.

VI. Ex eodem themate ostendi potest, quàm optanda sint vincula tribulationum 1. Quia nos alligant DEO, cui magis unimur, & gratiores efficimur. 2. Quia nos alligant Christo, cui similiores hoc modo evadimus. 3. Quia nos colligant cum Sanctis, qui omnes per multas tribulationes intrârunt in regnum cœlorum. 4. Quia alligant nos proximo, dum auxilia ab iisdem petimus, & accipimus. 5. Alligant nos persecutoribus & inimicis, ut nostram erga eos dilectionem ostendamus. 6. Alligant nos ipsos, ut manus & pedes ad peccata non extendamus. Vide tit. cit.

PRO DOMINICA III. ADVENTUS.

I. EX occasione thematis: *Tu quis es?* ostendi potest, quàm sit noxia inquisitio in aliorum mores. 1. Quia injuriosa DEO, cui soli competit inspectio cordium. 2. Injuriosa Christo Judici, cujus officium arrogatur. 3. Injuriosa illi, in cujus mores inquiritur absque licentia. 4. Injuriosa aliis audientibus, quibus scandalum præbetur. 5. Injuriosa sibi, quia impedit, ne proprii mores inspiciantur, & corrigantur. Vid. tit. Judicium temerarium in Bibl.

II. Ex eodem themate ostendi potest, quàm utiliter se quisque interroget: Tu quis es? quòd nimirum sequantur præcipuè duo fructus à S. Bernardo indicati, dum dixit: O homo, si te videres, mihi placeres, & tibi displiceres. Sed quia te non vides, tibi places, & mihi displices. Veniet tempus, quando nec mihi placebis, nec tibi; mihi, quia peccasti; tibi, quia ardebis. Quæ sententia fusiùs explicari poterit ex iis, quæ tit. Cognit. in Biblioth. dicuntur.

III. Ex occasione thematis: *Confessus est, & non negavit*, Ostendi potest, quando laudabiliter confiteri veritatem debemus, nempè 1. In confessione nullum peccatum voluntariè reticendo. 2. Quando testimonium in re aliqua ferre jubemur, maximè si etiam juramento ad id adigimur. 3. Si à superioribus quærimur, an aliquod delictum commiserimus. 4. Si proximus à nobis aliquid scire cupit. 5. Quando virtus humilitatis requirit, ut proprios nostros defectus coram aliis aperiamus; de quibus Vide tit. Confessio & Humilitas.

IV. Ex occasione thematis: *Quid dicis de te ipso?* explicari possunt causæ, ob quas propria laus & jactantia fugienda sit, nimirum 1. Quia vanissima est, dum laudamus mendaciter, & delectamur inaniter. 2. Quia stultissima est, juxta id: Non te collaudes, nec te culpaveris ipse: Hoc faciunt stulti, quos gloria vexat inanis. 3. Summè noxia DEO, cui sua gloria eripitur: & sibi, quia meritum perditur, dicitúrque: Recepisti mercedem tuam. Vide Fabrum conc. 4. & Biblioth. tit. Laus.

V. Ex occasione thematis: *Confessus est, & non negavit*: Potest facilitas & suavitas confessionis ostendi 1. respectu judicii extremi. 2. Respectu damnationis & confusionis æternæ. 3. Respectu vermis conscientiæ. 4. Respectu fructus multiplicis & gaudii, quod ex confessione oritur. Vide Bibl. & Auctar. V. Confessio. Item Fabrum conc. 6.

VI. Ex eodem themate possunt defectus in confessione committi soliti proponi. 1. Ante illam in confessario eligendo, & contritione elicienda. 2. In confessione per narrationem inutilium: per reticentiam eorum, quæ necessariò erant explicanda; per ambiguam explicationem peccatorum: 3. Post confessionem, per nimiam anxietatem de confessione rectè instituta, vel scandalo de aliorum longis confessionibus accepto, aut pœnitentia tepidè aut tardè nimis persolutâ. de quibus Vide tit. Confessio. in Bibl. & Auctar.

PRO DOMINICA IV. ADVENTUS.

I. EX occasione Thematis: *Vox clamantis in deserto.* Luc. 3. potest ostendi, quomodo DEUS alloquatur animam 1. in deserto solitudinis corporalis juxta illud Oseæ c. 2. Ducam eam in solitudinem, & lactabo eam, & loquar ad cor ejus. 2. In deserto creaturarum, juxta cap. 8. l. 2. de imit. 3. In deserto sollicitudinum, quæ vel maximè impediunt attentam auditionem divinæ vocis. Vide tit. Oratio.

II. Ex occasione thematis: *Parate viam Domino*: Ostendi potest, quæ via Domino paranda sit. 1. non lapidosa & aspera per iræ asperitatem, ideóque lapides per contritionem vel confessionem tollendi. 2. Non lutosa per carnis vitia. 3. Non præceps per elationem mentis. 4. Non avia, seu declinans à vita & moribus Christi. 5. Non periculosa

&

& latronibus insidiantibus obsessi per vanam laudem; quæ omnia vitia proin, quomodo corrigenda aut declinanda sint, ostendatur. Vide Fabrum conc. 4.

III. Ex occasione thematis: *Rectas facite semitas ejus*: Ostendatur, quomodo homines plerumque declinent à via recta ad cœlum per sinistras intentiones, quas operibus suis præfigunt; demonstrandum proin ulterius erit, quomodo rectas facere vias per legitimam intentionem debeant. Vide tit. Intentio. in Bibl. & Auctario.

IV. Ex occasione thematis: *Vox clamantis in deserto*: Ostendantur impedimenta, cur vox non audiatur; quorum primum est organi destructio, si non creditur DEUS loqui. 2. Digitus auri insertus, id est, carnales delectationes. 3. Strepitus curarum & sollicitudinum. 4. Hominum obloquentium garrulitas; quæ omnia, quomodo removenda sit, solidè ostendatur. Vide tit. Obed.

V. Ex occasione thematis: *Parate viam Domine*: ostendendum, quomodo cor nostrum Christo pro præsepio offerre debeamus, atque adeò 1. sit *arctum*; quia Christus non vult alium admittere. 2. Fœno humilitatis instratum. 3. Linteo mundo puræ conscientiæ coopertum, de quo vide tit. Humilitas. Charitas. Conscientia in Biblioth. & Auctar.

VI. Ex citato themate: *Vox clamantis in deserto*: dicatur per hanc vocem rectè inspirationes divinas intelligi, atque adeò eas sedulò audiendos esse. 1. propter dignitatem loquentis. 2. Propter utilitatem audientis. 3. Propter periculum & damnum eas negligentis & contemnentis.

PRO DOMINICA INFRA OCTAVAM NATIVITATIS.

I. EX occasione thematis: *Positus est hic in signum, cui contradicetur.* Luc. c. 2. ostendi potest 1. cur Christus tot & tales contradictiones sit passus, nempe quia dissimilis erat operibus contradicentium, & sic impletum, quod impii in libro Sapient. c. 5. dixerunt. 2. Ostendatur, quomodo tulerit tales contradictiones, videlicet dicendo cum S. Davide: obmutui, & non aperui os meum, cùm consisteret peccator adversum me. Incitentur proin Auditores, ut non concidant animis, si tales contradictiones etiam ipsi patiantur, & exemplo Christi se solentur, & roborent.

II. Ex eodem themate ostendatur, cur ejusmodi contradictiones patiantur justi: nimirum 1. Ob gloriam DEI, quæ non modicè augetur, si per easdem non patiantur se à DEI servitio abstrahi. 2. Ob profectum ipsorum, quia scientiæ potissimùm concertando addiscuntur. 3. Ob conservationem virtutis; nam, teste Seneca, marcescit sine adversario virtus; & arbores per ventos magis radicantur. 4. Ob amorem, quo illos prosequitur; unde ut secum maneant, contradictores mittit, ut eos ad se fugere compellant: Vide tit. Patientia in Bibl. & Auctar.

III. Ex occasione thematis: *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Ostendatur, quàm crudelis fuerit hic gladius. 1. Quia erat acutissimus, utpote ipsam etiam animam penetrans. 2. Longissimus, quia toto vitæ tempore durabat. 3. Latissimus, quia omnes dolores & cruciatus, quos Christus in corpore & anima patiebatur, ipsa quoque per compassionem sentiebat, uti fusè P. Casparus Tausch in Matre dolorosa probat.

IV. Ex occasione thematis: *Non discedebat de templo jejuniis & obsecrationibus serviens.* Potest ostendi, cur oratio in templis magis, quàm aliis locis sit peragenda. Nimirum 1. quia DEUS propter preces Ecclesiæ in consecratione adhibitas faciliùs exaudit, ut in templo Salomonis propter hujus preces promisit. 2. Quia multorum preces ibi conveniunt; atque adeò, si, ubi duo vel tres convenerint, „omnia impetraturos dixit Christus, multò magis, si tam multi conveniant, impetrabunt, quod volent. 3. Quia per mutuum exemplum se inflammant (ut olim Seraphini ab Ezechiele visi, alis se percutientes) ad preces ardentiùs fundendas. 4. Quia Sanctorum Patronorum templi intercessio conjuncta non modicum precibus pondus adjicit. Vide Bibl. tit. Oratio. §. 11. n. 8.

PRO DOMINICA I. POST EPIPHANIAM.

I. EX occasione thematis: *Ecce Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te* Luc. c. 2. ostendi potest, quomodo Christus quærendus sit, nempè 1. *Dolenter* per actum serium contritionis aut confessionis. 2. *Constanter*, per iteratos actus hujusmodi, & media ad ipsum inveniendum idonea constanter adhibita. 3. *Ardenter*, per vehementia desideria ipsum inveniendi. 4. *Devotè & piè* in templo, tum preces devotè pervolvendo, tum Doctores & Concionatores audiendo. Vide Fabrum conc. 1.

II. Ex occasione thematis: *JESUS autem proficiebat ætate, Sapientiâ, & gratiâ apud DEUM & Homines*: dici potest, quòd, sicut quondam DEUS S. Antonio scire cupienti, quomodo tempus vitæ transigere debeat, misit Angelum qui modò flectens orabat: modò librum legebat, modò laborabat, modò comedebat, modò dormiebat; ita nobis Filium submiserit, qui suo exemplo doceret, quomodo actiones nostras perficere deberemus, sicque summam perfectionem, quæ in hoc Exercitio consistit, acquirere possemus. Quare ostendatur, quomodo has actiones perfecerit, scilicet piè (ad optimum finem referendo) diligenter, alacriter, constanter. Vide Fabrum conc. 2.

III. Ex eodem themate ostendi potest, quomodo Christiani in viros perfectos evadere possint, scilicet observando tria documen-

ta à S. Carolo Borromæo suppeditata, quorum primum est, æstimare se quotidie incipere. Secundum, DEUM semper sibi præsentem imaginari. Tertium, omnia opera sua ad DEUM dirigere; quæ fusiùs explicata vide apud Fabrum conc. 5. n. 2. lit. c.

VI. Ex eodem themate ostendi potest, quod sit optimum medium in gratia & meritis proficiendi, nempe sui victoria & assidua mortificatio, juxta commune proverbium: Tantùm proficies, quantùm tibi vim intuleris. Unde ostendatur, quare hæc victoria tam meritoria sit, nempe 1. Quia fortissimus hostis vincitur; quis enim habet fortius certamen, quàm qui nititur vincere seipsum, ait rectè Thomas Kemp. 2. Quia aperto Marte pugnandum est, & solis propriis viribus. 3. Quia pugna hæc continua est. Vide tit. Mortific. in Bibl. & Auct. & Fabrum conc. 5. lit. D. n. 3. & in Silva.

V. Ex occasione thematis: *Ascendentibus illis in Ierusalem secundùm consuetudinem diei Festi remansit puer in Ierusalem*: Ostendi potest 1. cur dies Festi colendi 1. Quia DEI cultus & beneficia sic exigunt. 2. Quia Ecclesia Mater præcipit, cui par est, reverenter obedire. 3. Quia utilis est talis cultus corpori, animæ, Famulis, rei domesticæ. Dein ostendatur, quomodo celebrandi sint dies Festi, nimirum 1. recedendo à domibus & negotiis. 2. Accedendo ad templum velut ad audientiam in palatio Principis. 3. In his, quæ Patris cœlestis sunt, versando, puta devotâ oratione, attentâ auditione verbi divini, fructuosâ perceptione Sacramentorum. 4. Honestè animum relaxando amicâ collocutione, vel modicâ deambulatione vel jucundâ lectione; de quibus Vide Fabrum conc. 7. & 8. n. 5.

VI. Ex occasione thematis: *Mater ejus conservabat omnia verba hæc conferens in corde suo*: Ostendi potest, quomodo verbum DEI fructuosè audiendum sit; videlicet 1. avidè & attentè audiendum, velut optimus cibus animæ. 2. Conferendum seu ruminandum, sibique applicandum. 3. Conservandum in memoria, operéque implendum, de qua materia Vide tit. Verbum DEI in Bibl. & Auctar.

PRO DOMINICA II. POST EPIPHANIAM.

I. EX occasione thematis: *Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ*. Jo. 2. Ostendi potest, quòd Christus ideo voluerit interesse his nuptiis, ut significaret, tunc fore felices nuptias, quando ipse iisdem præsens, suámque benedictionem largitus fuerit. Itaque demonstretur, quomodo Christus invitandus sit ad nuptias, nimirum 1. Si *propter ipsum* (id est, quia hic instituit, & quomodo instituit, id est, propter educandos liberos, remedium concupiscentiæ, augendum numerum Beatorum) atque adeò etiam gloriam DEI ineatur. 2. Si *cum eo* ineatur, id est, ipsius auxilium per benedictionem in templo susceptam petatur, 3. Si *in ipso* suscipiatur, id est, in gratia, atque adeò confessionis, & communionis Sacramenta priùs devotè suscipiantur. Vide Fabrum conc. 1.

II. Ex eodem themate possunt, explicari officia conjugum, scilicet Maritus similem sibi habeat uxorem in honore, alimentis, thalamo; uxor verò sit adjutorium in generandis liberis, in educandis, in re domestica; de quo conceptu Vide Fabrum conc. 7. & Bibl. atque Auctarium tit. Matrimonium.

III. Ex eodem themate ostendi potest, præcipua Conjugum officia significari per annulum aureum sibi mutuò oblatum. Nam 1. Aurum significat, quòd, sicut aurum omnibus metallis præfertur, ita ipsi quoad amorem omnibus se præferre debeant. 2. Sicut aurum per ignem probatur, ita & conjugium. 3. Sicut annulus rotundus finem non habet, ita nec amor conjugum. 4. Sicut annuli effigies semper ante oculos versatur, ita & conjugis aspectus, ut non facere præsumat eo absente, quod se præsente facere non auderet. Vide Bibl. tit. Matrim. §. 10. n. 5.

IV. Ex occasione ejusdem thematis declarari potest, quodnam sit præcipuum instrumentum felicis matrimonii obtinendi, scilicet concordia. Quia juvat 1. Ad natum amorem conjugalem conservandum. 2. Quia juvat ad onera matrimonii faciliùs portanda. 3. Quia juvat ad rem familiarem augendam, benedictionémque cœlestem obtinendam, quia inter ea, quæ Siracides DEO valde placere dixit, etiam vir & uxor bene consentientes numerantur. 4. Quia defendit contra hostes; si enim Frater, qui adjuvatur à Fratre quasi civitas firma erit, quantò magis conjux, quæ adjuvatur à conjuge, talis civitas erit. Vide Fabrum conc. 4. n. 5.

V. Ex occasione thematis: *Quodcunque dixerit vobis, servate, & facite*: potest ostendi modus preces nostras efficaces faciendi, si scilicet faciamus priùs, quod DEUS vult 1. Quia sic DEUS vicissim voluntatem timentium se faciet. 2. Quia sic puras manus, id est, conscientiam ad DEUM levamus, hinc verificatur illud S. Joannis: charissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad DEUM, &, quodcunque voluerimus, fiet nobis. 3. Quia sic amici DEI erimus, & ut tales exaudiri merebimur, vinúmque lætitiæ obtinere.

VI. Ex occasione thematis: *Vinum non habent*: ostendi potest, quomodo si in tristitia constituti vinum lætitiæ desideramus, illud per B. Virginem impetrare debeamus juxta illud S. Bernardi: Totis medullis cordium, totis præcordiorum affectibus MARIAM hanc veneremur, quia sic est voluntas ejus, qui omnia nos habere voluit per MARIAM. Vide plura in Biblioth. V. Hyperdulia.

PRO

PRO DOMINICA III. POST EPIPHANIAM.

I. EX occasione thematis : *Si vis, potes me mundare* : potest ostendi, quomodo quisque in omnibus necessitatibus voluntati divinæ se conformare debeat, tanquam æquissimæ, sapientissimæ, & benignissimæ; de qua vide tit. Resignatio in Biblioth. & Fabrum conc. 2.

II. Ex occasione thematis : *Vade, ostende te Sacerdoti* : ostendi potest, quomodo nostro tempore renovetur historia Naamani Leprosi ab Elisæo curati, & inde facilitas confessionis ostendi, cùm tantùm huic leproso dicatur, ut per aquas pœnitentiæ & lacrymarum se lavet, & à lepra curetur.

III. Ex occasione thematis : *Domine, puer in domo mea jacet paralyticus, & malè torquetur* : potest peccatum mortale Paralytico comparari: 1. Quia nihil potest talis peccator benè operari ad salutem animæ. 2. Quia jacet in lecto corporis & ignaviæ; quia videt opera sua frustranea esse. 3. Quia malè torquetur per stimulum conscientiæ. Unde meritò petit liberari ab hac Paralysi. Vide Peccatum in Bibl. & tit. Peccatum mortale in Auctario.

IV. Ex occasione thematis : *Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum* : potest duplex dignitas Communicantium ostendi, quarum prima est ex parte communicantis, & tantùm requirit, ut faciat, quantùm in se est, & hæc sufficit. Secunda ex parte Christi, quam nullus hominum participat, hinc nec requiri potest. Ostendatur ergo quomodo, quod in se est, facere queat; scilicet 1. Mundando cordis hospitium seu habitaculum per confessionem. 2. Ornando illud virtutum tapetibus propriis, vel aliunde mutuatis. 3. Salutando reverenter hospitem per varias preces, & in hospitium cordis introducendo cum gaudio. 4. Conversando fiducialiter cum eodem, suásque necessitates exponendo. 5. Gratias amplissimas agendo pro dignatione visitationis. Vide tit. Communio in Bibl.

V. Ex occasione thematis : *Multi ab Oriente & Occidente venient* : Ostendi potest, quàm graviter olim Aulici, Milites, Mercatores, Operarii nos accusaturi sint, quòd illi tanta & tam difficilia pro temporali lucro, aut gloria, aut hominis gratia egerint, quorum nos nec centesimam partem egimus pro gloria DEI, & animæ salute. Vide Thomam Kemp. l. 3. c. 3.

VI. Ex occasione thematis : *Vide, ne cui dixeris* : Ostendi potest, quantopere vana gloria fugienda sit, ut quæ nec bonis temporalibus, nec corpori aut animo, nec gratiæ aut meritis augendis prosit, sed potiùs corpus laboribus frangat, animam meritis & præmio spoliet, & tandem omnino in infernum aut purgatorium præcipitet. Pro quo vide Biblioth. & Auctar. Tit. Vana Gloria.

PRO DOMINICA IV. POST EPIPHANIAM.

I. EX occasione thematis : *Domine salva nos, perimus* : Matt. 8. ostendi potest, quid in tempestate afflictionum agendum sit, nempe id quod nautæ faciunt. 1. Anchora spei figenda. 2. Onera peccatorum ejicienda. 3. Vela liberioris vitæ contrahenda. 4. Strenuè laborandum. 5. Ardenter invocandum DEI auxilium; quæ omnia fusiùs explicata vide in Fabro conc. 4. & Silva nova them. 6.

II. Ex occasione thematis : *Ecce motus magnus factus est in mari* : Ostendi potest, quid agendum, si motus concupiscentiæ in animo exurgant, nempe 1. dicendum: tace, obmutesce. 2. Contemnendi, quia non nocet sensus, si desit consensus. 3. Animus per anchoram spei fixam colligendus. 4. Mens avocanda per varias occupationes. 5. DEUS instanter invocandus. De quo conceptu vide Fabrum conc. 2.

III. Ex eodem themate potest Ecclesia naviculæ comparari, causæque ostendi, cur eam DEUS tot fluctibus concuti permittat nimirum 1. Propter gloriam DEI, ut habeat occasionem suæ potentiæ, sapientiæ, & bonitatis ostendendæ. 2. Propter gloriam Christi, ut Ecclesia firmam de ipso fidem concipiat, quòd promissa sua sit impleturus, & non permissurus, ut portæ inferi prævaleant adversus eam. 3. Propter gloriam Christianorum, ut eandem per varias tribulationes fortiter toleratas augeant, variósque aliarum virtutum actus eundem in finem eliciant. Vide Fabrum in Silvâ nova them. 3. ubi alias adhuc adducit rationes.

IV. Ex occasione thematis : *Ipse verò dormiebat* : Ostendi potest, quantâ animi tranquillitate in mediis tempestatibus fruantur, qui DEO se totos commiserunt; quia nimirum credunt has tempestates nihil nocere sibi posse, sed diligentibus DEUM omnia cooperari in bonum. Vide tit. Resignatio. in Biblioth. & Fabrum co. 5.

V. Ex eodem themate ostendi potest, quòd etiam illi, qui bonam conscientiam habent, semper læti & tranquilli maneant ante, in, & post mortem juxta illud Thomæ Kemp. l. 2. c. 6. Si gaudium est in hoc mundo, hoc utique possidet puri cordis homo. Vide tit. Conscientia in Biblioth. & Auctar. Item Fabrum conc. 6.

VI. Ex occasione thematis : *Quid timidi estis modicæ fidei* : Ostendi potest, omnem timorem & pusillanimitatem in adversis ex modica fide oriri, quia scilicet non credimus ea à DEO provenire, & ad DEI gloriam, nostrámque salutem ordinari, id quod ex variis particularibus casibus ostendendum, simulque Auditores ad eam excitandi per memorabilem S. Chrysostomi sententiam : Quid timet homo in sinu DEI positus? tu de sinu illius noli cadere,

dere, & quidquid ibi evenerit, in bonum cedet. Vit. tit. Spes & Fides in Bibl. & Auctario.

PRO DOMINICA V. POST EPIPHANIAM.

I. EX occasione thematis: *Sinite utraque crescere:* Matt. c. 13. Ostendi potest, cur DEUS malos inter bonos toleret, nimirum 1. ut exerceant bonos. 2. Ut remunerentur à DEO propter exigua quædam opera charitatis. 3. Ut appareat DEI clementia, Justitia, & potentia. de quibus Vide Fabrum conc. 1. & in Silva conc. 2.

II. Ex occasione thematis: *Venit inimicus ejus, & superseminavit Zizania:* Ostendi potest, cur DEUS peccata permittat nimirum 1. ad majorem DEI gloriam; quia Majestas. Sapientia, bonitas, & potentia magis inde manifestatur. 2. Ad bonum peccantis; ut agnoscat fragilitatem suam, se humiliet, & fortior resurgat. 3. Ad bonum justorum, ut casus alienus cautiores faciat, & eorum virtus per peccatores probetur. Vide Fabrum in Silva. them. 1.

III. Ex ejusdem thematis occasione ostendatur, cur mali vocentur Zizania. Nimirum 1. Quia mali, cùm sint, volunt boni videri, & inter triticum computari. 2. Quia bona terrestria ad se trahunt. 3. Quia conantur bonos quasi frumentum destruere sua conversatione, & exemplo. 4. Quia igni velut inutiles herbæ adjudicantur. Vide Fabrum in Silva nova. them 3.

IV. Ex occasione thematis: *Colligite Zizania, & alligate ea in fasciculos:* Ostendatur quænam Zizania sint eradicanda, videlicet impuri, blasphemi, otiosi; hi enim potissimùm quà verbis, qua Exemplis nocere solent bono tritico, id est, justis. Vide Fabrum in Silva them. 4.

V. Ex occasione thematis: *Unde habet zizania?* potest ostendi triplex causa, ob quam homines perversi fiant, quorum prima est, & potissima dormitio Pastorum. Secunda, odium Dæmonis, aliorúmque inimicorum, qui superseminant zizania persecutionum, & tentationum. Tertia exemplum sociorum malorum, qui varia dictamina mala doctrinis bonis inspergunt. Vide tit. Societas & Exemplum in Biblioth. & Auctario.

VI. Ex occasione thematis: *Nonne bonum seminasti in agro tuo?* Ostendi potest triplex semen, quod in agro cordis seminari debet, quorum primum est triticum seu usus legitimus Sacramentorum. Secundum Siligo (Rocken) bonorum operum, præcipuè orationis, & eleemosynæ. 3. Hordeum pœnitentiarum voluntariarum vel à DEO, & proximo inflictarum, in quibus qualia zizania inspergere soleat Inimicus Dæmon, breviter indicari potest.

PRO DOMINICA VI. POST EPIPHANIAM.

I. EX occasione thematis: *Simile est regnum cœlorum grano Sinapis.* Matt. 13. possunt afferri causæ, cur mansio in cœlis regnum dicatur, nimirum ob tres causas, 1. Quia beati omnes ut Reges erunt summo in honore, juxta illud: nimis honorificati sunt amici tui DEUS: nimis confortatus est principatus eorum. 2. Habebunt ut Reges, quod volent, nec ullus eorum voluntati repugnabit. 3. Erunt potentes ut Reges; hinc absque ullo timore cujusque mali erunt, ut merito in illis verificatum censeatur, quod Seneca dixit: Rex est, qui metuit nihil, Rex est, quique cupit nihil, hoc regnum sibi quisque dat. Vide Bibl. & Auct. tit. Beatitudo. & Fabrum conc. 3.

II. Ex eodem themate possunt indicari tria minima bona, quæ in magnam arborem excrescunt, seu copiosos fructus afferunt, quorum primum est intentio bona, quæ facit, ut omnia opera meritoria regni cœlestis fiant. 2. Tempus minimum, seu momentum, quo DEUM & cœlum lucrari valemus. 3. Minimus actus contritionis, per quem ab æterna damnatione liberari, & sempiternam felicitatem obtinere possumus; quæ proin minima singulariter commendanda erunt juxta titulos eosdem in Bibl. & Auctario.

III. Ex eodem themate indicari possunt tria minima mala, quæ copiosos fructus malos afferunt, quorum primum est cogitatio unica mortaliter peccaminosa, ob quam multi regnum cœlorum amiserunt, & æternam damnationem incurrerunt. Secundum, verbum unicum inconsideratum, quod sæpe cædes, aliáque grandia mala creavit. Tertium minimum opus scandalosum, quod multos sæpe in perniciem traxit: Vel minimum peccatum veniale, quod tantas pœnas in purgatorio promeretur præter alia grandia mala. Vel minimus oculorum intuitus, qui multos in exitium temporale & æternum præcipitavit. Vide tit. Oculorum custodia, Peccatum veniale, Lingua in Bibl. & Auctario.

IV. Ex ocasione thematis: *Simile est regnum cælorum grano Sinapis:* potest ostendi, cur regnum cælorum (per quod hîc via ad cœlum, seu vita Christiano modo instituta intelligitur) grano Sinapis, comparetur, nempe ut significetur, non nisi per asperas tribulationes ad cœlum perveniri, quod tres ob causas ordinavit DEUS. 1. Ne hîc patriam suam esse putent homines. 2. Ut cœlo digni per propria merita fiant. 3. Ut dulcior eis fiat gloria cœlestis, si magno pretio constitit. Vide Fabrum in Silva them. 4.

V. Ex occasione thematis: *Simile est regnum cælorum fermento:* Ostendi potest, quomodo regni cælestis spes tria sata cogitationum, verborum, & operum condiat, ut ex iis sapidus, Deòque gratus cibus efficiatur. Vel per

per tria sata intelligi queant triplices generis afflictiones, videlicet indigentia, dolores, contemptus, quæ homini sapidæ apparent, si spes regni cœlestis illis immisceatur. Vide tit. Beatitudo in Bibl. & Auct.

VI. Ex occasione thematis: *Et sine parabolis non loquebatur illis*: Ostendi possunt causæ, cur Christus per parabolas sit locutus, nimirum 1. Quia Parabolæ propter collationem sensibilium cum spiritualibus, perquam efficaces sunt ad voluntatem nostram flectendam, uti Propheta Nathan in Davide expertus est. 2. Quia Parabolæ per sensibiles species propositæ firmiùs hærent in memoria, uti ipsimet quotidie experimur. 3. Propter morem sapientum, & Syrorum, qui ut paucis multa & sapienter dicerent, assiduò Parabolis utebantur. Unde inferatur, magnam Parabolis à Christo prolatis reverentiam habendam, & doctrinas, quæ per illas insinuantur, magno fervore executioni mandandas, maximè duas, quæ in hodierno Evangelio proponuntur, ideóque explicandæ sunt, uti apud Fabrum conc. 8. videre est.

PRO DOMINICA SEPTUAGESIMÆ.

I. EX occasione thematis: *Ite & vos in vineam meam*: Matt. 20. Ostendi possunt motiva ad animam suam velut vineam ritè colendam, nimirum 1. Benevolentia DEI vocantis. 2. Vineæ seu animæ præstantia. 3. Laboris f[illegible]ilitas & jucunditas. 4. Mercedis quantitas, quæ ex vini lætificantis comparatione explicari potest. Vide tit. Beatitudo. Anima. Labor. in Bibl. & Auctario. Item Fabrum conc. 1. & them. 1. in Silva.

II. Ex occasione thematis ejusdem possunt explicari media, quibus vinea fructuosior effici queat. Qualia sunt 1. Si diligenter stercoretur, id quod per humilitatem fieri debet. 2. Si bene fodiatur per constantem laborem. 3. Si diligenter pastinetur per mortificationem inordinatorum affectuum. 4. Si firmiter alligentur palmites, seu actiones nostræ ipsi viti per bonam intentionem seu conformitatem voluntatis nostræ cum divina. Vide Fabrum conc. 3.

III. Ex occasione thematis: *Tolle, quod tuum est, & vade*: ostendi potest, quomodo quivis homo contentus esse debeat mercede suorum operum, quam illi DEUS dabit. Ad quem finem exemplum Beatorum in cœlis proponi, causæque indicari possunt, cur quivis illorum suâ gloriâ contentissimus sit, uti Faber conc. 4. fusè ostendit.

IV. Ex occasione thematis: *Accipientes murmurabant adversus Patremfamilias*: Ostendi potest, quòd nemo causam habeat invidendi alteri majora dona, quæ accepit à DEO. 1. Quia omnes æqualiter participare possunt summum bonum hominis, scilicet voluntatem & beneplacitum DEI juxta illud Davidis: Particeps ego sum omnium timentium te, & custodientium mandata tua. 2. Quia potest quivis alterius donum suum facere congaudendo, ut S. Ambrosius docet dicens: Habet aliquis Virginitatem? congaude illi, & tua est. 3. Quia sumus commembra, Fratres & Socii. Vide tit. Invidia in Bibl. & Auct. & Fabrum conc. 7.

V. Ex occasione thematis: *Sic erunt novissimi primi*: Matt. 20. Ostendi potest, quomodo brevi tempore aliquis in meritis & gloria aliis in magno gradu sanctitatis constitutis æquari possit, nimirum 1. per tres illas virtutes, per quas Christus nomen super omne nomen acquisivit, dum *humiliavit* se, factus *obediens* usque ad mortem crucis per generosam *patientiam*; de quibus vide speciales titulos in Biblioth. & Auctar.

VI. Ex occasione thematis: *Murmurabant adversus Patremfamilias*: Ostendi potest, quomodo aliquis invidiam passivam evitare possit, nimirum 1. Si nulla in re eximius esse velit. 2. Si bona sua non ostentet. 3. Si opes suas duro labore comparet. 4. Si bona sua libenter aliis communicet. 5. Si contemnat invidos, quos evitare nequit. Vide Fabrum conc. 7. lit. H.

PRO DOMINICA SEXAGESIMÆ.

I. EX occasione thematis: *Aliud cecidit juxta viam, & conculcatum est*: Luc. c. 8. Ostendi potest, quomodo verbum DEI juxta viam cadat, nempe 1. apud eos, qui terrenis implicantur. 2. Apud eos, qui id contemnunt. 3. Apud eos, qui illius statim iterum obliviscuntur. Vide tit. Verbum DEI in Bibl. & Auct. Item Fabrum conc. 1.

II. Ex occasione thematis: *Aliud cecidit supra petram*: Ostendi potest, quinam intelligantur per hanc petram, nempè 1. duri & obstinati. 2. Qui certo vitio adhærent. 3. Inconstantes, de quibus vide tit. citatos & Fabrum lit. C.

III. Ex occasione thematis: *Aliud cecidit inter spinas*: Ostendi potest, quinam per terram spinosam intelligantur, nimirum 1. qui nimiis sollicitudinibus se onerent. 2. Qui divitiis inordinatè adhærent. 3. Qui voluptatibus dediti sunt. Vide iterum tit. co.

IV. Ex occasione thematis: *Aliud cecidit in terram bonam*: Potest ostendi, illos homines censeri terram optimam, qui statu suo contenti, voluntati & dispositioni divinæ acquiescunt; ad quod incitari deberent triplici titulo. 1. Quia DEUS sapientissimè omnia disponit, adque adeò unumquemque ad statum ei convenientissimum vocat. 2. Quia in quovis statu quisque perfectus fieri potest. 3. Quia, quod deest in status qualitate, fervore Spiritus compensare potest. Vide Fabrum conc. 4.

V. Ex occasione thematis ejusdem potest ostendi, cur aliqui ex semine verbi divini opti[illegible]

ta miles, dum ducis sui vulnera intuetur, pro quo conceptu dilatando vide Auctarium tit. Vulnera. Myrrhæ fasciculum P. Vincentij Caraffæ.

PRO FESTO NATIVITATIS CHRISTI.

I. EX occasione thematis : *Natus est nobis hodie Salvator.* Luc. 2. declarari potest triplex Nativitas Christi. 1. æterna, quæ admiranda, veneranda, gratulanda est. 2. Nativitas temporalis, quæ cum magno gaudio celebranda, cum singulari devotione & gratitudine peragenda. 3. Nativitas spiritualis per vitæ emendationem, quæ Christo gratissima est, quia est cultus purissimus, amplissimus, & constantissimus, facitque, ut Christi nativitas suum finem & fructum obtineat; unde hæc Nativitas maximè suadenda. Vide Fabrum in hoc Festo conc. 3.

II. Ex eodem themate ostendi potest quòd tres præcipuè Personæ hodie singulariter gaudere debeant. 1. Peccatores, quibus natus est Salvator. 2. Justi, quibus natus est hodie Magister. 3. Tristes & afflicti, quibus hodie natus est consolator. Qui tres tituli proin fusiùs & cum Emphasi explicandi erunt. Vide tit. Christus, Pœnitentia. in Bibl.

III. Ex occasione thematis : *Invenietis infantem pannis involutum, & positum in præsepio :* dici potest sicut olim S. Augustinus de cruce dixit, quòd non sit tantùm lectulus morientis, sed etiam Cathedra docentis, ita hoc ipsum etiam de præsepio dici queat. Ostendatur itaque, quomodo tres principales virtutes, quas P. Balthasar Alvarez è Societate JESU tres comites Christi vocabat, paupertatem scilicet per indigentiam, humilitatem per contemptum, patientiam per dolores docuerit, pro quo conceptu vide Fabrum conc 4. & 7.

IV. Ex occasione thematis : *Gloria in excelsis DEO* : ostendi potest, quanta cum gratitudine hoc festum sit celebrandum. 1. Quia DEO summa gloria inde obvenit tum per Christi vitam, tum per Christi imitatores Christianos. 2. Quia humana natura per Incarnationem supra omnes Angelos exaltata est. 3. Quia humano generi Salvator natus est, multò beneficentior, quàm fuerit Josephus Salvator Ægyptius, quia à graviori jugo liberavit, frumentum nobilius præparavit, sapientiùs gubernavit.

V. Ex occasione thematis : *Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis :* Ostendatur 1. in quo consistat vera pax animi, scilicet in hoc, ut nihil contra voluntatem accidat. 2. Ostendatur, quomodo hæc pax per bonam, id est, voluntati divinæ conformem obtineatur. 3. Quomodo Christus hanc pacem attulerit, dum ab infantia voluntatem suam cum divina conformare docuit. Vide tit. Resignatio & Pax in Biblioth. & Auctario.

VI. Ex occasione thematis : *Transeamus usque Bethlehem, & videamus, hoc verbum quod factum est* : explicari possunt circumstantiæ nativitatem Christi comitantes. 1. Quis ad nos venit? 2. ad quos venit. 3. Quomodo venit? 4. ad quem finem venit? quæ omnia fusiùs explicata Vide apud Fabrum in Silva conc. 1.

PRO FESTO S. STEPHANI.

I. EX occasione thematis : *Benedictus, qui venit in nomine Domini* : Matt. 23. Ostendi potest, quàm verè dicere potuerit S. Stephanus cum S. Paulo : Bonum certamen certavi, fidem servavi, cursum consummavi, de reliquo reposita est mihi corona justitiæ &c. quàmque nobilis hæc fuerit corona propter victoriæ difficultatem, quam reportavit de se ipso, de inimicis, de Diabolo. Pro quo conceptu Vide Biblioth. & Auctarium. tit. Dilectio inimicorum.

II. Ex eodem themate ostendantur motiva, cur inimicos exemplo S. Stephani diligere debeamus, scilicet 1. quia conducit ad placandum DEUM juxta illud : Dimittite, & dimittemini. 2. Quia conducit ad placandum inimicum, quem sæpè conciliatum fuisse per talem condonationem, variæ sententiæ Doctorum & historiæ testantur. 3. Quia conducit ad seipsum placandum, id est, odium & cupiditatem vindictæ, quæ hominem maximè inquietum reddunt, deponendum, plerúmque animo pacem restituendam. Vide citatum titulum.

III. Ex eodem themate proponi possunt excusationes, ob quas homines ferè impossibile iudicant, injuriam dimittere, quarum 1. desumitur ex injuriæ gravitate. 2. Ex personæ vilitate aut ingratitudine. 3. Ex aliarum personarum, quibus injuria cognita est, & qui timidum iudicabunt, si non ulciscatur, respectu. 4. Ex propriæ famæ conservandæ necessitate. 5. Ex naturali ad vindictam sumendam inclinatione, uti in ipsis bestiis patet; quæ omnes excusationes solidè refutentur, prout in Bibl. cit. tit. §. 11. n. 5. videre est.

IV. Ex eodem themate ostendi potest, quomodo difficultas ignoscendi possit tolli, inspiciendo exempla aliorum, præcipuè DEI, Christi, S. Stephani & aliorum Sanctorum, Ethnicorum, ex quorum consideratione tria haurientur commoda, quorum primum est correctio Phantasiæ, quâ creditur tam difficilis vindictæ omissio. Secundum salutaris rubor, quòd leviora dimittere nolimus, cùm ipsi tam graves offensas dimiserint. Tertium generosus impulsus ad injuriæ oblivionem cogitatione, verbo, & opere suscipiendam. Vid. cit. tit.

V. Ex eodem themate ostendi potest, quomodo DEUS S. Stephanum ad talem pugnam fortiter suscipiendam animârit, scilicet cœlos apertos ostendendo; ex quo probetur, unum ex efficacissimis signis prædestinationis ad vitam æternam esse dilectionem inimicorum, uti

uti facilè textibus S.Scripturæ & SS. Patrum, & historiis probari potest.

VI. Ex eodem themate ostendi potest, quàm verè S. Stephanus Protomartyr dicatur nimirum 1. quia primus Novi Testamenti Martyr post Christum fuit. 2. Quia pulcherrimum posteris exemplum præbuit, quomodo se erga persecutores gerere debeant. 3. Quia, dum cœlos apertos vidit, ipso hoc facto confirmavit SS. Martyrum privilegium, quòd rectâ & sine purgatorio ad cœlum ascendant. Excitentur proin Auditores ad hoc exemplum, saltem per martyrium spirituale, corporali martyrio quidem mitius, sed diuturnitate longius & crudelius fortiter sequendum.

PRO FESTO S. JOANNIS.

I. EX occasione thematis: *Vidit illum Discipulum, quem diligebat JESUS.* Jo. 21. c. possunt ostendi causæ, propter quas S. Joannes tantopere à Christo dilectus sit, nimirum 1. ob pulchritudinem animæ, ratione cujus candidus & rubicundus dici poterat. 2. Propter fiduciam singularem, quam erga Christum multis documentis ostendit. 3. Propter teneriorem amorem, quo Christum prosecutus est. Incitentur proin Auditores ad hos modos promerendi Christi amorem pariter adhibendos. Vide Fabrum conc.

II. Ex eodem themate afferri possunt rationes, cur S. Joannes specialiter à nobis diligendus & honorandus sit; nimirum 1. quia illum singulariter diligebat JESUS, unde & nos in hoc conformari ipsi debemus. 2. Quia ipse vicissim specialiter diligebat JESUM, quem amorem nos perinde, imò pluris æstimare debemus, ac si nobis exhibitus esset. 3. Quia clariorem nobis de divinitate & humanitate notitiam per apocalypsin suam communicavit. 4. Quia nostro nomine sub cruce stans B. Virginem in matrem accepit, atque adeò peculiari titulo Frater noster est.

III. Ex eodem themate ostendatur, cur tanta rerum cœlestium notitia illi sit communicata, ut pro symbolo illi aquila appingatur, nimirum quia cùm teste Christo, beati sint mundo corde, quoniam DEUM videbunt, hanc munditiem S. Joannes peculiariter semper procuravit, & custodivit: Ostendantur proin media ad eandem exemplo S. Joannis procurandam.

IV. Ex occasione thematis: *Quid ad te:* potest ostendi multiplex curiositas hominum in rebus ad se non pertinentibus scrutandis; nimirum 1. in rebus fidei, & judiciis divinis examinandis. 2. In aliorum moribus & factis iudicandis. 3. In rebus inutilibus & noxiis videndis vel audiendis. 4. In futuris rebus indagandis: pro quibus omnibus efficacia media proponantur, illud maximè à Christo præscriptum: Tu me sequere. Vide Fabrum conc. 4.

V. Ex occasione thematis: *Hic autem quid?* dicatur hanc quæstionem sat crebrò à multis malè usurpari, hodie tamen non malè de cæremonia vini in honorem S. Joannis benedicendi moveri, quare ostendendum 1. unde ortum duxerit hæc consuetudo. 2. ob quem finem benedicatur, scilicet 1. in honorem DEI & S. Joannis, 2. in signum fraternæ dilectionis, 3. In sanitatem nostram, ut per merita & intercessionem S. Joannis ab omni damno, quod per vinum creari posset custodiamur; quæ omnia exemplis confirmare oportet.

VI Ex occasione thematis: *Recubuit super pectus JESU*: potest ostendi quantus hic pavor fuerit; deinde quomodo & Auditores illum per singularem dilectionem & fiduciam ad Christum participare queant; de quo Vide Biblioth. tit. Charitas & Spes. Item Fabrum in Silva them. 15.

PRO FESTO SS. INNOCENTIUM.

I. EX occasione thematis: *Mittens occidit omnes Pueros.* Matt. c. 2. ostendi possunt causæ, cur DEUS Innocentûm cædem permiserit, nimirum 1. Ob Christi dignitatem & manifestationem. 2. Ob gloriam DEI, quæ non modicè augebatur ex tot victimarum gratissimarum oblatione. 3. Ob bonum Infantium, ne adultiores facti perirent. 4. Ob correptionem parentum, qui noluerunt Messiam natum agnoscere. Vide Fabrum in hoc Festo conc. 3.

II. Ex occasione thematis: *Surge & accipe puerum & Matrem ejus, & fuge in Ægyptum*: potest obedientia S. Josephi commendari, uti & B. Virginis ob tres causas. 1. quia erat *prompta*, dum statim surrexit. 2. Quia erat *cœca*, & non inquirens, cur DEUS non alio modo Christum custodierit. 3. Quia erat *fortis*, nullam difficultatem prætendens, de quibus Vide Bibl. & Auctarium tit. Obedientia. & Fabrum conc. 6. n. 2.

III. Ex eodem themate ostendi potest, quòd mali socij adolescentiam scandalizantes plùs noceant, quàm satellites Herodis. 1. quia isti tantùm corporalem, illi spiritualem vitam adimunt. 2. Quia satellites publicè, socii verò occultè & fraudulenter perimunt. 3 Quia satellites semel duntaxat, socii sæpius occidunt. 4. Satellites biennes duntaxat occiderunt, sed hi adultiores, quod magis dolendum. 5. Satellites tantùm Infantibus nocuerunt, socii mali etiam Parentibus & consanguineis. Unde monendi Parentes, ut maturè subducant liberos talibus sociis; ipsi liberi verò, ut studiosè fugiant.

VI. Ex occasione thematis: *Mittens occidit omnes pueros*: Ostendi potest Innocentum preces valde DEO gratas esse ob triplicem titulum. 1. Quia puro corde offeruntur. 2. Quia, ut alij Martyres, sanguinem suum profusum cum precibus offerunt. 3. Quia valde multi sunt; impossibile autem est, multorum preces non exaudiri. In altera parte ostendatur, à qui-

quibus præcipuè invocandi sint, videlicet 1. ab Adolescentibus, quia, cùm in hoc statu jaciantur fundamenta futuræ vitæ, hi præ aliis indigent auxilio, quod Innocentes illis, utpote similibus, libenter præstabunt. 2. A Juvenibus, quia hic status propter calorem internum, vigorem corporis, insidias Lenonum, Diaboli oppugnationem, parentum conniventiam, ætatis licentiam, majori periculo innocentiæ perdendæ subjectus est. 3. A Parentibus, ut SS. Innocentes gratias impetrent pro novellis arboribus ritè colendis; & tanquam exercitus eorum liberos ab hostibus, qui adolescentiæ maximè insidiantur, protegant; unde hortandi Auditores, ut huic exercitui stipendium quotidiani cultus & precum diligenter persolvant.

V. Ex eodem themate dicatur, morem, quo Infantes aufffindlet werden / non omnino reprehendendum, eò quòd per illum innuatur correctionem liberis necessariam esse; unde ostendatur necessitas, utilitas, & modus hujus correctionis, qui in tribus præceptis consistit, nempe ut opportunè, suaviter, efficaciter suscipiatur, de quo Vide Tit. Ordinatio in Biblioth.

VI. Ex eodem themate ostendi potest, quomodo Satellites Herodis infernalis dignosci possint videlicet ex caputiis tectis (Nebelkappen) nam 1. aliqui nigras habent, qui ad nocturnas grassationes & levitates invitant. 2. Alii rufa (leibfarb) qui ad carnis illicitas voluptates alliciunt. 3. Alii viridia cum straminea corona; qui ad compotationes incitant. 4. Alii discoloria, qui varia axiomata perversa instillant. Qui omnes cur & quomodo fugiendi sint, ostendendum. Vide tit. Educatio & Societas.

PRO FESTO DEDICATIONIS TEMPLI.

I. EX occasione thematis: *Hodie salus facta est huic domui*: Luc. 19. doceri potest ars bene administrandi familiam (Wollzuhausen) quinque doctrinis comprehensa, quarum prima est: Reddite, quæ sunt DEI, DEO. Secunda, Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, seu Proximo. Tertia, Date, & dabitur. Quarta: Concordiâ res parvæ crescunt, discordiâ maximæ dilabuntur. Quinta: Fac quod tuum est, DEUS faciet, quod suum est. Quas doctrinas vide fusiùs explicatas in Instruct. 7. f. 225.

II. Ex eodem themate ostendi potest, qualis Ecclesia sit domus. 1. Ein Betthauß / 2. Ein Proviantthauß / quia ibi cibus animæ per conciones & Sacramentum Eucharistiæ porrigitur. 3. Ein Lazarethauß / quia ibi morbi animæ per confessionem, aliaque media curantur. 4. Ein Wachthauß / quia ibi anima reperit fortissimum præsidium. 5. Ein Lusthauß / quia in templo reperit anima summas animi delicias. 6. Ein Rathhauß / ad quam sicut Moyses, pro divino responso confugiamus. 7. Ein Wohnhauß / tanquam palatium summi Regis, in quo proin audientia apud DEUM, variaque dona impetrari possunt, de quibus Vide dictam Instruct. 7. f. 221.

III. Ex eodem themate ostendatur, quare & quomodo in templo se gerere quisque debeat, nempe 1. quia rectè novit vivere, qui rectè novit orare. 2. In oratione observetur monitum S. Davidis ps. 46. monentis: Psallite DEO nostro per linguam *distinctè*: per memoriam *attentè*: per intellectum *intelligenter*: per voluntatem *ardenter*: per corpus *reverenter*: Vide tit. Oratio in Bibl. & Auctar.

IV. Ex eodem themate ostendi potest, quomodo Auditores perpetuam dedicationem habere possint, & semper læti esse, si scilicet voluntatem suam cum divina conformare studeant, uti Christus ipse S. Catharinæ Senensi ostendit in Dialogo cum ipsa instituto, quem Vide in Auctario tit. Resignatio.

V. Ex occasione thematis: *Hodie oportet me in domo tua manere*: potest ostendi, quomodo Christo ex voluntate divina gratissimum convivium instrui possit, hanc quippe gratissimum sibi cibum esse, ipse Christus ostendit dicens: Meus cibus est, ut faciam voluntatem Patris mei. Quòd autem optimum sit convivium, probatur 1. quia continet epulas fictitias (Bschaueffen) non enim licet tangere & examinare voluntatis divinæ justitiam. 2. Continet Hauptspeissen / quia satiat, nutrit, augmentat, & roborat, ut cibi solidi. 3. Continet bellaria dulcia (Confect) id est singularem animo lætitiam & quietem animi affert. De quibus effectibus Vide plura in Biblioth. V. Resignatio. Item Instruct. 2. f. 237.

VI. Ex eodem themate possunt reprehendi abusus, qui in dedicatione intervenire solent, indicari, & reprehendi. 1. Quia Templum DEI, id est, animas plurimi Baccho & Veneri consecrant. 2. Quia loco templi frequentantur hospitia, & loco orationis lusibus & compotationibus vacatur. 3. Quia loco renovationis interioris renovantur peccata & mala proposita peccandi, & varias alias absurditates & fraudes committendi. 4. Quia loco Eleemosinarum, quibus pauperes hoc die recreare deceret, pecunia in convivia superflua & lusus impenditur. Ut ergo à talibus abusibus Auditores tantò diligentiùs abstineant, ostendatur, quantam ex illis injuriam DEO & Sanctis, quanta quoque sibi ipsis & aliis damna creent.

IN-

INDEX CONCIONATORIUS in Dominicas.

PRO DOMINICA I. ADVENTUS.

I.


Ex occasione thematis: *Virtutes cœlorum movebuntur*: Luc. 21. potest Judicii extremi timor inculcari, eò quòd Judex sit infallibilis propter omniscientiam; inevitabilis propter omnipotentiam: inflexibilis propter justitiam; quæ omnia facilè sententiis & historiis probari possunt, ut in Bibl. & Auctario videre est.

II. Ex occasione thematis: *Videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magna & Majestate*: potest processus terribilis judicii extremi explicari ex quadruplici capite 1. Ex Judicis majestate & potentia. 2. Ex præsentium multitudine. 3. Ex omnium actorum revelatione. 4. Ex sententiæ ferendæ irrevocabilitate; de quibus Vide Bibl. & Auctar.

III. Ex eodem themate potest dici, DEUM hunc in hac vita agere, quod Tamerlanes Tartarorum Princeps fecit, qui civitatem oppugnaturus, primò vexillum album suspendi jussit, secundò rubrum, tertiò nigrum, ut indicaret, se, si primo die se dederent; vitam donaturum; si secundò se non dederint, omnes occisurum: si nec tertiò die se dederent; totam civitatem vastaturum. Nam & DEUS primò per prosperitates ad pœnitentiam & sui deditionem invitat; deinde per tribulationes; quæ si non proficiunt, tandem in interitum hominem præcipitat, quæ omnia pulchris historiis probari possunt, uti in Bibl. & Auctario videre est.

IV. Ex eodem themate Judicium extremum cum tempestate comparari potest, simulque ostendi, quòd optimum contra illam remedium sit, si sub B. V. pallium velut Laurum confugiant; nam sicut Laurus à fulmine secura dicitur; ita qui sub præsidio Virginis constitutus est, à fulmine ultimæ sententiæ: Ite maledicti: tutus est, uti ex iis, quæ in Biblioth. & Auctario dicta sunt tit. Hyperdulia, videre est.

V. Ex occasione Thematis: *Verba mea non præteribunt*: potest veracitas DEI in promissis præmiis, in comminandis suppliciis, & in auxiliis conferendis demonstrari, atque inde Auditores ad salutarem timorem, & fiduciam, & fervorem in servitio DEI animari.

VI. Ex occasione thematis: *Levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra*: Ostendi potest, quomodo quivis Christianus se tempore Adventûs gerere, & ad Natalitia Festa præparare debeat. Nempe 1. ardenter *desiderando* Christi adventum, & clamando cum antiquis Patribus, Rorate cœli desuper, & nubes pluant justum. 2. *Purgando* habitaculum cordis sui per sinceram confessionem & contritionem; ideo enim ab Ecclesia color violaceus, qui est signum tristitiæ, adhibetur, & illa S. Pauli verba occinuntur; Fratres, hora est, jam nos de somno surgere, abjiciamus ergo opera tenebrarum. 3. *Orationi* ardentiùs insistendo: ideo enim & ab Ecclesia plures hoc tempore Missæ cantantur, & longiores in Breviario preces præscribuntur. 4. *Operibus bonis* sedulò vacando, eaque juxta exemplum Christi cum majori diligentia obeundo; sic enim Ecclesia monet, ut arma lucis arripiamus, & Christum induamus. Vide Fabrum conc. 1. in Dom. 1. Adv.

PRO DOMINICA II. ADVENTUS.

I. Ex occasione thematis: *Tu es, qui venturus es, an alium exspectamus*? potest examen particularis judicii explicari, & 1. quidem ostendi, quanti momenti sit, cùm in eo de Ascensu in cœlum, vel descensu in purgatorium vel infernum agatur. 2. Quàm rigidum sit, utpotè in quo ad omnes quæstiones circa actiones & cogitationes nostras respondendum erit. 3. Quænam sint quæstiones proponendæ; videlicet quomodo DEUM & proximum dilexerimus, vocationi nostræ responderimus, quàm sollicitè & studiosè proin ad has quæstiones nos præparando. Vide Fabrum conc. 2.

II. Ex eodem themate ostendi potest, quomodo nos ad Christi adventum in particulari judicio præparare debeamus. Videlicet 1. *Lumbos præcingendo*, id est, concupiscentias domando, & sic à vitiis abstinendo. 2. *Lucernas ardentes* bonorum operum in manibus gerendo. 3. *Exspectando* Domini adventum, id est, paratam semper ad moriendum voluntatem præseferendo. De quo conceptu Vide Bibl. tit. Judicium. §. 12. n. 4.

III. Ex occasione thematis: *Pauperes evangelizantur*: ostendi potest cur DEUS tot pauperes in hoc mundo vivere permittat, nempe 1. propter majorem suam gloriam. 2. Propter humani generis conservationem. 3. Propter instructionem & utilitatem divitum. 4. Propter utilitatem ipsorum pauperum. Ex quo

quo quadruplici fine pulchræ & utiles doctrinæ erui possunt, uti apud Fabrum conc. 4. videre est.

IV. Ex eodem themate potest ostendi, quomodo pauperes in paupertate sua se solari possint. 1. Exemplo DEI, qui ante Mundi creationem nihil habebat, hinc altissima paupertas vocatur. 2. Exemplo Christi summam paupertatem eligentis. 3. Exemplo Religiosorum voluntariam paupertatem voventium. 4. Exempla Ethnicorum, qui, ut Philosophari commodiùs possent, ultrò paupertatem amplexi sunt: de quibus Vide Fabrum conc. 4. & Bibl. tit. Paupertas.

V. Ex occasione thematis: *Cùm audisset Joannes in vinculis opera Christi*: Ostendi potest, quare DEUS Sanctos homines tot tribulationibus affligi permittat. Nimirum 1. propter correctionem filialem. 2. Propter Magistralem probationem, ut ostendant profectum in virtute. 3. Propter amorem amicalem, eò quòd ipsos secum habere, & olim gloriosiores reddere velit; de quibus Vide tit. Patientia in Biblioth. & Auct.

VI. Ex eodem themate ostendi potest, quàm optanda sint vincula tribulationum 1. Quia nos alligant DEO, cui magis unimur, & gratiores efficimur. 2. Quia nos alligant Christo, cui similiores hoc modo evadimus. 3. Quia nos colligant cum Sanctis, qui omnes per multas tribulationes intrârunt in regnum cœlorum. 4. Quia alligant nos proximo, dum auxilia ab iisdem petimus, & accipimus. 5. Alligant nos persecutoribus & inimicis, ut nostram erga eos dilectionem ostendamus. 6. Alligant nos ipsos, ut manus & pedes ad peccata non extendamus. Vide tit. cit.

PRO DOMINICA III. ADVENTUS.

I. EX occasione thematis: *Tu quis es?* ostendi potest, quàm sit noxia inquisitio in aliorum mores. 1. Quia injuriosa DEO, cui soli competit inspectio cordium. 2. Injuriosa Christo Judici, cujus officium arrogatur. 3. Injuriosa illi, in cujus mores inquiritur absque licentia. 4. Injuriosa aliis audienibus, quibus scandalum præbetur. 5. Injuriosa sibi, quia impedit, ne proprii mores inspiciantur, & corrigantur. Vid. tit. Judicium temerarium in Bibl.

II. Ex eodem themate ostendi potest, quàm utiliter se quisque interroget: Tu quis es? quòd nimirum sequantur præcipuè duo fructus à S. Bernardo indicati, dum dixit: O homo, si te videres, mihi placeres, & tibi displiceres. Sed quia te non vides, tibi places, & mihi displices. Veniet tempus, quando nec mihi placebis, nec tibi; mihi, quia peccasti; tibi, quia ardebis. Quæ sententia fusiùs explicari poterit ex iis, quæ tit. Cognit. in Biblioth. dicuntur.

III. Ex occasione thematis: *Confessus est, & non negavit*, Ostendi potest, quando laudabiliter confiteri veritatem debemus, nempe 1. In confessione nullum peccatum voluntariè reticendo. 2. Quando testimonium in re aliqua ferre jubemur, maximè si etiam juramento ad id adigimur. 3. Si à superioribus quærimur, an aliquod delictum commiserimus. 4. Si proximus à nobis aliquid scire cupit. 5. Quando virtus humilitatis requirit, ut proprios nostros defectus coram aliis aperiamus; de quibus Vide titt. Confessio & Humilitas.

IV. Ex occasione thematis: *Quid dicis de te ipso?* explicari possunt causæ, ob quas propria laus & jactantia fugienda sit, nimirum 1. Quia vanissima est, dum laudamus mendaciter, & delectamur inaniter. 2. Quia stultissima est, juxta id: Non te collaudes, nec te culpaveris ipse: Hoc faciunt stulti, quos gloria vexat inanis. 3. Summè noxia DEO, cui sua gloria eripitur: & sibi, quia meritum perditur, diciturque: Recepisti mercedem tuam. Vide Fabrum conc. 4. & Biblioth. tit. Laus.

V. Ex occasione thematis: *Confessus est, & non negavit*: Potest facilitas & suavitas confessionis ostendi 1. respectu judicii extremi. 2. Respectu damnationis & confusionis æternæ. 3. Respectu vermis conscientiæ. 4. Respectu fructus multiplicis & gaudii, quod ex confessione oritur. Vide Bibl. & Auctar. V. Confessio. Item Fabrum conc. 6.

VI. Ex eodem themate possunt defectus in confessione committi soliti proponi. 1. Ante illam in confessario eligendo, & contritione elicienda. 2. In confessione per narrationem inutilium: per reticentiam eorum, quæ necessariò erant explicanda; per ambiguam explicationem peccatorum: 3. Post confessionem, per nimiam anxietatem de confessione rectè instituta, vel scandalo de aliorum longis confessionibus accepto, aut pœnitentia tepidè aut tardè nimis persolutâ. de quibus Vide tit. Confessio. in Bibl. & Auctar.

PRO DOMINICA IV. ADVENTUS.

I. EX occasione Thematis: *Vox clamantis in deserto.* Luc. 3. potest ostendi, quomodo DEUS alloquatur animam 1. in deserto solitudinis corporalis juxta illud Oseæ c. 2. Ducam eam in solitudinem, & lactabo eam, & loquar ad cor ejus. 2. In deserto creaturarum, juxta cap. 8. l. 2. de imit. 3. In deserto sollicitudinum, quæ vel maximè impediunt attentam auditionem divinæ vocis. Vide tit. Oratio.

II. Ex occasione thematis: *Parate viam Domino*: Ostendi potest, quæ via Domino paranda sit. 1. non lapidosa & aspera per iræ asperitatem, ideòque lapides per contritionem vel confessionem tollendi. 2. Non lutosa per carnis vitia. 3. Non præceps per elationem mentis. 4. Non avia, seu declinans à vita & moribus Christi. 5. Non periculosa &

& latronibus insidiantibus obsessi per vanam laudem; quæ omnia vitia proin, quomodo corrigenda aut declinanda sint, ostendatur. Vide Fabrum conc. 4.

III. Ex occasione thematis: *Rectas facite semitas ejus*: Ostendatur, quomodo homines plerumque declinent à via recta ad cœlum per sinistras intentiones, quas operibus suis præfigunt; demonstrandum proin ulterius erit, quomodo rectas facere vias per legitimam intentionem debeant. Vide tit. Intentio. in Bibl. & Auctario.

IV. Ex occasione thematis: *Vox clamantis in deserto*: Ostendantur impedimenta, cur vox non audiatur; quorum primum est organi destructio, si non creditur DEUS loqui. 2. Digitus auri insertus, id est, carnales delectationes. 3. Strepitus curarum & sollicitudinum. 4. Hominum obloquentium garrulitas; quæ omnia, quomodo removenda sit, solidè ostendatur. Vide tit. Obed.

V. Ex occasione thematis: *Parate viam Domino*: ostendendum, quomodo cor nostrum Christo pro præsepio offerre debeamus, atque adeò 1. sit *arctum*; quia Christus non vult alium admittere. 2. Fœno humilitatis instratum. 3. Linteo mundo puræ conscientiæ coopertum, de quo vide tit. Humilitas. Charitas. Conscientia in Biblioth. & Auctar.

VI. Ex citato themate: *Vox clamantis in deserto*: dicatur per hanc vocem rectè inspirationes divinas intelligi, atque adeò eas sedulò audiendos esse. 1. propter dignitatem loquentis. 2. Propter utilitatem audientis. 3. Propter periculum & damnum eas negligentis & contemnentis.

PRO DOMINICA INFRA OCTAVAM NATIVITATIS.

I. EX occasione thematis: *Positus est hic in signum, cui contradicetur*. Luc. c. 2. ostendi potest 1. cur Christus tot & tales contradictiones sit passus, nempe quia dissimilis erat operibus contradicentium, & sic impletum, quod impii in libro Sapient. c. 5. dixerunt. 2. Ostendatur, quomodo tulerit tales contradictiones, videlicet dicendo cum S. Davide: obmutui, & non aperui os meum, cùm consisteret peccator adversum me. Incitentur proin Auditores, ut non concidant animis, si tales contradictiones etiam ipsi patiantur, & exemplo Christi se solentur, & roborent.

II. Ex eodem themate ostendatur, cur ejusmodi contradictiones patiantur justi: nimirum 1. Ob gloriam DEI, quæ non modicè augetur, si per easdem non patiantur se à DEI servitio abstrahi. 2. Ob profectum ipsorum, quia scientiæ potissimùm concertando addiscuntur. 3. Ob conservationem virtutis; nam, teste Seneca, marcescit sine adversario virtus; & arbores per ventos magis radicantur. 4. Ob amorem, quo illos prosequitur; unde ut secum maneant, contradictores mittit, ut eos ad se fugere compellant: Vide tit. Patientia in Bibl. & Auctar.

III. Ex occasione thematis: *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius*. Ostendatur, quàm crudelis fuerit hic gladius. 1. Qui a erat acutissimus, utpote ipsam etiam animam penetrans. 2 Longissimus, quia toto vitæ tempore durabat. 3. Latissimus, quia omnes dolores & cruciatus, quos Christus in corpore & anima patiebatur, ipsa quoque per compassionem sentiebat, uti fusè P. Casparus Tausch in Matre dolorosa probat.

IV. Ex occasione thematis: *Non discedebat de templo jejuniis & obsecrationibus serviens*. Potest ostendi, cur oratio in templis magis, quàm aliis locis sit peragenda. Nimirum 1. quia DEUS propter preces Ecclesiæ in consecratione adhibitas faciliùs exaudit, ut in templo Salomonis propter hujus preces promisit. 2. Quia multorum preces ibi conveniunt; atque adeò, si, ubi duo vel tres convenerint, omnia impetraturos dixit Christus, multò magis, si tam multi conveniant, impetrabunt, quod volent. 3. Quia per mutuum exemplum se inflammant (ut olim Seraphini ab Ezechiele visi, alis se percutientes) ad preces ardentiùs fundendas. 4. Quia Sanctorum Patronorum templi intercessio conjuncta non modicum precibus pondus adjicit. Vide Bibl. tit. Oratio. §. 11. n. 8.

PRO DOMINICA I. POST EPIPHANIAM.

I. EX occasione thematis: *Ecce Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te* Luc. c. 2. ostendi potest, quomodo Christus quærendus sit, nempè 1. *Dolenter* per actum serium contritionis aut confessionis. 2. *Constanter*, per iteratos actus hujusmodi, & media ad ipsum inveniendum idonea constanter adhibita. 3. *Ardenter*, per vehementia desideria ipsum inveniendi. 4. *Devotè & piè* in templo, tum preces devotè pervolvendo, tum Doctores & Concionatores audiendo. Vide Fabrum conc. 1.

II. Ex occasione thematis: *IESUS autem proficiebat ætate, Sapientiâ, & gratiâ apud DEUM & Homines*: dici potest, quòd, sicut quondam DEUS S. Antonio scire cupienti, quomodo tempus vitæ transigere debeat, misit Angelum qui modò flectens orabat: modò librum legebat, modò laborabat, modò comedebat, modò dormiebat; ita nobis Filium submiserit, qui suo exemplo doceret, quomodo actiones nostras perficere deberemus, sicque summam perfectionem, quæ in hoc Exercitio consistit, acquirere possemus. Quare ostendatur, quomodo has actiones perfecerit, scilicet piè (ad optimum finem referendo) diligenter, alacriter, constanter. Vide Fabrum conc. 2.

III. Ex eodem themate ostendi potest, quomodo Christiani in viros perfectos evadere possint, scilicet observando tria documen-

ta

ta à S. Carolo Borromæo suppeditata, quorum primum est, æstimare se quotidie incipere. Secundum, DEUM semper sibi præsentem imaginari. Tertium, omnia opera sua ad DEUM dirigere; quæ fusiùs explicata vide apud Fabrum conc. 5. n. 2. lit. c.

VI. Ex eodem themate ostendi potest, quod sit optimum medium in gratia & meritis proficiendi, nempe sui victoria & assidua mortificatio, juxta commune proverbium: Tantùm proficies, quantùm tibi vim intuleris. Unde ostendatur, quare hæc victoria tam meritoria sit, nempe 1. Quia fortissimus hostis vincitur; quis enim habet fortius certamen, quàm qui nititur vincere seipsum, ait rectè Thomas Kemp. 2. Quia aperto Marte pugnandum est, & solis propriis viribus. 3. Quia pugna hæc continua est. Vide tit. Mortific. in Bibl. & Auct. & Fabrum conc. 5. lit. D. n. 3. & in Silva.

V. Ex occasione thematis: *Ascendentibus illis in Ierusalem secundùm consuetudinem diei Festi remansit puer in Ierusalem*: Ostendi potest 1. cur dies Festi colendi 1. Quia DEI cultus & beneficia sic exigunt. 2. Quia Ecclesia Mater præcipit, cui par est, reverenter obedire. 3. Quia utilis est talis cultus corpori, animæ, Famulis, rei domesticæ. Dein ostendatur, quomodo celebrandi sint dies Festi, nimirum 1. recedendo à domibus & negotiis. 2. Accedendo ad templum velut ad audientiam in palatio Principis. 3. In his, quæ Patris cœlestis sunt, versando, puta devotâ oratione, attentâ auditione verbi divini, fructuosâ perceptione Sacramentorum. 4. Honestè animum relaxando amicâ collocutione, vel modicâ deambulatione vel jucundâ lectione; de quibus Vide Fabrum conc. 7. & 8. n. 5.

VI. Ex occasione thematis: *Mater ejus conservabat omnia verba hæc conferens in corde suo*: Ostendi potest, quomodo verbum DEI fructuosè audiendum sit; videlicet 1. avidè & attentè audiendum, velut optimus cibus animæ. 2. Conferendum seu ruminandum, sibique applicandum. 3. Conservandum in memoria, operéque implendum, de qua materia Vide tit. Verbum DEI in Bibl. & Auctar.

PRO DOMINICA II. POST EPIPHANIAM.

I. EX occasione thematis: *Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ*. Jo. 2. Ostendi potest, quòd Christus ideo voluerit interesse his nuptiis, ut significaret, tunc fore felices nuptias, quando ipse iisdem præsens, suámque benedictionem largitus fuerit. Itaque demonstretur, quomodo Christus invitandus sit ad nuptias, nimirum 1. Si *propter ipsum* (id est, quia hic instituit, & quomodo instituit, id est, propter educandos liberos, remedium concupiscentiæ, augendum numerum Beatorum) atque adeò etiam gloriam DEI ineatur. 2. Si *cum eo* ineatur, id est, ipsius auxilium per benedictionem in templo susceptam petatur. 3. Si *in ipso* suscipiatur, id est, in gratia, atque adeò confessionis, & communionis Sacramenta priùs devotè suscipiantur. Vide Fabrum conc. 1.

II. Ex eodem themate possunt explicari officia conjugum, scilicet Maritus similem sibi habeat uxorem in honore, alimentis, thalamo; uxor verò sit adjutorium in generandis liberis, in educandis, in re domestica; de quo conceptu Vide Fabrum conc. 7. & Bibl. atque Auctarium tit. Matrimonium.

III. Ex eodem themate ostendi potest, præcipua Conjugum officia significari per annulum aureum sibi mutuò oblatum. Nam 1. Aurum significat, quòd, sicut aurum omnibus metallis præfertur, ita ipsi quoad amorem omnibus se præferre debeant. 2. Sicut aurum per ignem probatur, ita & conjugium. 3. Sicut annulus rotundus finem non habet, ita nec amor conjugum. 4. Sicut annuli effigies semper ante oculos versatur, ita & conjugis aspectus, ut non facere præsumat eo absente, quod se præsente facere non auderet. Vide Bibl. tit. Matrim. §. 10. n. 5.

IV. Ex occasione ejusdem thematis declarari potest, quodnam sit præcipuum instrumentum felicis matrimonii obtinendi, scilicet concordia. Quia juvat 1. Ad natum amorem conjugalem conservandum. 2. Quia juvat ad onera matrimonii faciliùs portanda. 3. Quia juvat ad rem familiarem augendam, benedictionémque cœlestem obtinendam, quia inter ea, quæ Siracides DEO valde placere dixit, etiam vir & uxor bene consentientes numerantur. 4. Quia defendit contra hostes; si enim Frater, qui adjuvatur à Fratre quasi civitas firma erit, quantò magis conjux, quæ adjuvatur à conjuge, talis civitas erit. Vide Fabrum conc. 4. n. 3.

V. Ex occasione thematis: *Quodcunque dixerit vobis, servate, & facite*: potest ostendi modus preces nostras efficaces faciendi, si scilicet faciamus priùs, quod DEUS vult 1. Quia sic DEUS vicissim voluntatem timentium se faciet. 2. Quia sic puras manus, id est, conscientiam ad DEUM levamus, hinc verificatur illud S. Joannis: charissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad DEUM, &c. quodcunque voluerimus, fiet nobis. 3. Quia sic amici DEI erimus, & ut tales exaudiri merebimur, vinúmque lætitiæ obtinere.

VI. Ex occasione thematis: *Vinum non habent*: ostendi potest, quomodo si in tristitia constituti vinum lætitiæ desideramus, illud per B. Virginem impetrare debeamus juxta illud S. Bernardi: Totis medullis cordium, totis præcordiorum affectibus MARIAM hanc veneremur, quia sic est voluntas ejus, qui omnia nos habere voluit per MARIAM. Vide plura in Biblioth. V. Hyperdulia.

PRO

PRO DOMINICA III. POST EPIPHANIAM.

I. EX occasione thematis : *Si vis, potes me mundare* : potest ostendi, quomodo quisque in omnibus necessitatibus voluntati divinæ se conformare debeat, tanquam æquissimæ, sapientissimæ, & benignissimæ ; de qua vide tit. Resignatio in Biblioth. & Fabrum conc. 2.

II. Ex occasione thematis : *Vade, ostende te Sacerdoti* : ostendi potest, quomodo nostro tempore renovetur historia Naamani Leprosi ab Elisæo curati, & inde facilitas confessionis ostendi, cùm tantùm huic leproso dicatur, ut per aquas pœnitentiæ & lacrymarum se lavet, & à lepra curetur.

III. Ex occasione thematis : *Domine, puer in domo mea jacet paralyticus ; & malè torquetur* : potest peccatum mortale Paralytico comparari: 1. Quia nihil potest talis peccator bene operari ad salutem animæ. 2. Quia jacet in lecto torporis & ignaviæ ; quia videt opera sua frustranea esse. 3. Quia malè torquetur per stimulum conscientiæ. Unde meritò petit liberari ab hac Paralysi. Vide Peccatum in Bibl. & tit. Peccatum mortale in Auctario.

IV. Ex occasione thematis : *Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum* : potest duplex dignitas Communicantium ostendi, quarum prima est ex parte communicantis, & tantùm requirit, ut faciat, quantùm in se est, & hæc sufficit. Secunda ex parte Christi, quam nullus hominum participat ; hinc nec requiri potest. Ostendatur ergo quomodo, quod in se est, facere queat ; scilicet 1. Mundando cordis hospitium seu habitaculum per confessionem. 2. Ornando illud virtutum tapetibus propriis, vel aliunde mutuatis. 3. Salutando reverenter hospitem per varias preces, & in hospitium cordis introducendo cum gaudio. 4. Conversando fiducialiter cum eodem, suásque necessitates exponendo. 5. Gratias amplissimas agendo pro dignatione visitationis. Vide tit. Communio in Bibl.

V. Ex occasione thematis : *Multi ab Oriente & Occidente venient* : Ostendi potest, quàm graviter olim Aulici, Milites, Mercatores, Operarii nos accusaturi sint, quòd illi tantâ & tam difficilia pro temporali lucro, aut gloria, aut hominis gratia egerint, quorum nos nec centesimam partem egimus pro gloria DEI, & animæ salute. Vide Thomam Kemp. l. 3. c. 3.

VI. Ex occasione thematis : *Vide, ne cui dixeris* : Ostendi potest, quantopere vana gloria fugienda sit, ut quæ nec bonis temporalibus, nec corpori aut animo, nec gratiæ aut meritis augendis prosit, sed potiùs corpus laboribus frangat, animam meritis & præmio spoliet, & tandem omnino in infernum aut purgatorium præcipitet. Pro quo vide Biblioth. & Auctar. Tit. Vana Gloria.

PRO DOMINICA IV. POST EPIPHANIAM.

I. EX occasione thematis : *Domine salva nos ; perimus* : Matt. 8. ostendi potest, quid in tempestate afflictionum agendum sit, nempe id quod nautæ faciunt. 1. Anchora spei figenda. 2. Onera peccatorum ejicienda. 3. Vela liberioris vitæ contrahenda. 4. Strenuè laborandum. 5. Ardenter invocandum DEI auxilium ; quæ omnia fusiùs explicata vide in Fabro conc. 4. & Silva nova them. 6.

II. Ex occasione thematis : *Ecce motus magnus factus est in mari* : Ostendi potest, quid agendum, si motus concupiscentiæ in animo exurgant, nempe 1. dicendum : tace, obmutesce. 2. Contemnendi, quia non nocet sensus, si desit consensus. 3. Animus per anchoram spei fixam colligendus. 4. Mens avocanda per varias occupationes. 5. DEUS instanter invocandus. De quo conceptu vide Fabrum conc. 2.

III. Ex eodem themate potest Ecclesia naviculæ comparari, causæque ostendi, cur eam DEUS tot fluctibus concuti permittat nimirum 1. Propter gloriam DEI, ut habeat occasionem suæ potentiæ, sapientiæ, & bonitatis ostendendæ. 2. Propter gloriam Christi, ut Ecclesia firmam de ipso fidem concipiat, quòd promissa sua sit impleturus, & non permissurus, ut portæ inferi prævaleant adversus eam. 3. Propter gloriam Christianorum, ut eandem per varias tribulationes fortiter toleratas augeant, variósque aliarum virtutum actus eundem in finem eliciant. Vide Fabrum in Silvâ nova them. 3. ubi alias adhuc adducit rationes.

IV. Ex occasione thematis : *Ipse verò dormiebat* : Ostendi potest, quantâ animi tranquillitate in mediis tempestatibus fruantur, qui DEO se totos commiserunt ; quia nimirum credunt has tempestates nihil nocere sibi posse, sed diligentibus DEUM omnia cooperari in bonum. Vide tit. Resignatio. in Biblioth. & Fabrum co. 5.

V. Ex eodem themate ostendi potest, quòd etiam illi, qui bonam conscientiam habent, semper læti & tranquilli maneant ante, in, & post mortem juxta illud Thomæ Kemp. l. 2. c. 6. Si gaudium est in hoc mundo, hoc utique possidet puri cordis homo. Vide tit. Conscientia in Biblioth. & Auctar. Item Fabrum conc. 6.

VI. Ex occasione thematis : *Quid timidi estis modicæ fidei* : Ostendi potest, omnem timorem & pusillanimitatem in adversis ex modica fide oriri ; quia scilicet non credimus ea à DEO provenire, & ad DEI gloriam, nostrámque salutem ordinari, id quod ex variis particularibus casibus ostendendum, simúlque Auditores ad eam excitandi per memorabilem S. Chrysostomi sententiam : Quid timet homo in sinu DEI positus ? tu de sinu illius noli ca-

per tria sata intelligi queant triplices generis afflictiones, videlicet indigentia, dolores, contemptus, quæ homini sapidæ apparent, si spes regni cœlestis illis immisceatur. Vide tit. Beatitudo in Bibl. & Auct.

VI. Ex occasione thematis: *Et sine parabolis non loquebatur illis*: Ostendi possunt causæ, cur Christus per parabolas sit locutus, nimirum 1. Quia Parabolæ propter collationem sensibilium cum spiritualibus, perquam efficaces sunt ad voluntatem nostram flectendam, uti Propheta Nathan in Davide expertus est. 2. Quia Parabolæ per sensibiles species propositæ firmiùs hærent in memoria, uti ipsimet quotidie experimur. 3. Propter morem sapientum, & Syrorum, qui ut paucis multa & sapienter dicerent, assiduò Parabolis utebantur. Unde inferatur, magnam Parabolis à Christo prolatis reverentiam habendam, & doctrinas, quæ per illas insinuantur, magno fervore executioni mandandas, maximè duas, quæ in hodierno Evangelio proponuntur, ideóque explicandæ sunt, uti apud Fabrum conc. 8. videre est.

PRO DOMINICA SEPTUAGESIMÆ.

I. Ex occasione thematis: *Ite & vos in vineam meam*: Matt. 20. Ostendi possunt motiva ad animam suam velut vineam ritè colendam, nimirum 1. Benevolentia DEI vocantis. 2. Vineæ seu animæ præstantia. 3. Laboris f..ilitas & jucunditas. 4. Mercedis quantitas, quæ ex vini lætificantis comparatione explicari potest. Vide tit. Beatitudo. Anima. Labor. in Bibl. & Auctario. Item Fabrum conc. 1. & them. 1. in Silva.

II. Ex occasione thematis ejusdem possunt explicari media, quibus vinea fructuosior effici queat. Qualia sunt 1. Si diligenter stercoretur, id quod per humilitatem fieri debet. 2. Si bene fodiatur per constantem laborem. 3. Si diligenter pastinetur per mortificationem inordinatorum affectuum. 4. Si firmiter alligentur palmites, seu actiones nostræ ipsi viti per bonam intentionem seu conformitatem voluntatis nostræ cum divina. Vide Fabrum conc. 3.

III. Ex occasione thematis: *Tolle, quod tuum est, & vade*: ostendi potest, quomodo quivis homo contentus esse debeat mercede suorum operum, quam illi DEUS dabit. Ad quem finem exemplum Beatorum in cœlis proponi, causæque indicari possunt, cur quivis illorum suâ gloriâ contentissimus sit, uti Faber conc. 4. fusè ostendit.

IV. Ex occasione thematis: *Accipientes murmurabant adversus Patremfamilias*: Ostendi potest, quòd nemo causam habeat invidendi alteri majora dona, quæ accepit à DEO. 1. Quia omnes æqualiter participare possunt summum bonum hominis, scilicet voluntatem & beneplacitum DEI juxta illud Davidis: Particeps ego sum omnium timentium te, & custodientium mandata tua. 2. Quia potest quivis alterius donum suum facere congaudendo, ut S. Ambrosius docet dicens: Habet aliquis Virginitatem? congaude illi, & tua est. 3. Quia sumus commembra, Fratres & Socii. Vide tit. Invidia in Bibl. & Auct. & Fabrum conc. 7.

V. Ex occasione thematis: *Sic erunt novissimi primi*: Matt. 20. Ostendi potest, quomodo brevi tempore aliquis in meritis & gloria aliis in magno gradu sanctitatis constitutis æquari possit, nimirum 1. per tres illas virtutes, per quas Christus nomen super omne nomen acquisivit, dum *humiliavit* se, factus *obediens* usque ad mortem crucis per generosam *patientiam*; de quibus vide speciales titulos in Biblioth. & Auctar.

VI. Ex occasione thematis: *Murmurabant adversus Patremfamilias*: Ostendi potest, quomodo aliquis invidiam passivam evitare possit, nimirum 1. Si nulla in re eximius esse velit. 2. Si bona sua non ostentet. 3. Si opes suas duro labore comparet. 4. Si bona sua libenter aliis communicet. 5. Si contemnat invidos, quos evitare nequit. Vide Fabrum conc. 7. lit. H.

PRO DOMINICA SEXAGESIMÆ.

I. Ex occasione thematis: *Aliud cecidit juxta viam, & conculcatum est*: Luc. c. 8. Ostendi potest, quomodo verbum DEI juxta viam cadat, nempe 1. apud eos, qui terrenis implicantur. 2. Apud eos, qui id contemnunt. 3. Apud eos, qui illius statim iterum obliviscuntur. Vide tit. Verbum DEI in Bibl. & Auct. Item Fabrum conc. 1.

II. Ex occasione thematis: *Aliud cecidit supra Petram*: Ostendi potest, quinam intelligantur per hanc petram, nempè 1. duri & obstinati. 2. Qui certo vitio adhærent. 3. Inconstantes, de quibus vide tit. citatos & Fabrum lit. C.

III. Ex occasione thematis: *Aliud cecidit inter spinas*: Ostendi potest, quinam per terram spinosam intelligantur, nimirum 1. qui nimiis sollicitudinibus se onerent. 2. Qui divitiis inordinatè adhærent. 3. Qui voluptatibus dediti sunt. Vide iterum tit. cc.

IV. Ex occasione thematis: *Aliud cecidit in terram bonam*: Potest ostendi, illos homines censeri terram optimam, qui statu suo contenti, voluntati & dispositioni divinæ acquiescunt; ad quod incitari deberent triplici titulo. 1. Quia DEUS sapientissimè omnia disponit, adque adeò unumquemque ad statum ei convenientissimum vocat. 2. Quia in quovis statu quisque perfectus fieri potest. 3. Quia, quod deest in status qualitate, fervore Spiritus compensare potest. Vide Fabrum conc. 4.

V. Ex occasione thematis ejusdem potest ostendi, cur aliqui ex semine verbi divini opta-

dem, spem, & charitatem per tres discipulos indicatas; sic DEUS de eo dicet: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Vide Fabrum in Silva them. 2.

II. Ex occasione thematis: *Bonum est nos hic esse*: potest Familiaritas cum JESU commendari ex eo, quòd, ut Thomas Kemp. l. 2. c. 8. ait, esse cum JESU dulcis sit Paradisus, quia cum illo adest omnis boni præsentia, omnis mali (veri, id est, peccati) absentia, & utriusque indesinentia. Vide cit. cap. & Bibl. tit. Christus.

III. Ex occasione thematis: *Hic est filius meus dilectus*: Ostendi potest, cur Christus tantopere fuerit dilectus à DEO Patre nempe 1. Quia solam illius gloriam quæsivit. 2. Quia obediens illi fuit usque ad mortem. 3. Quia homines velut Filios & imagines ipsius æterni Patris ab interitu sempiterno vindicavit. Unde Auditores ad imitationem harum virtutum excitentur, si quidem dilecti ejusdem Patris Filii esse velint. Vide tit. Intentio. Obed. Zelus in Bibl. & Auctario.

IV. Ex occasione thematis: *Transfiguratus est ante eos*: poterit ex eo, quòd S. Lucas dixerit: Facta est, dum oraret, species vultus ejus altera: ostendi, orationem esse optimum medium ad transfigurandum, & immutandum hominem, juxta S. Augustinum dicentem: rectè novit vivere, qui rectè novit orare. Quia per orationem illustratur intellectus, movetur & accenditur voluntas. & passiones domantur. de quibus effectibus vide Fabrum conc. 9. lit. B.

V. Ex occasione thematis: *Duxit illos in montem excelsum seorsim*: Ostendi possunt causæ, cur eos in montem duxerit Christus, nempe 1. ut doceret vim orationis, & orandi modum. 2. Ut doceret, non sine labore beatitudinem obtineri posse. 3. Ut doceret, beatitudinem non in hac vita velut miseriarum valle quærendam esse. Vide Fabrum conc. 10. lit. D.

VI. Ex eodem themate ostendi potest qualitas bonorum cœlestium, videlicet quòd 1. sint vera ac solida. 2. Pura & sincera. 3. Secura & stabilia. 4. Perfecta & completa. 5. Facili pretio comparabilia. Quæ omnia fusiùs explicata videri possunt apud Fabrum conc. 2.

PRO DOMINICA III. QUADRAGESIMÆ.

I. EX occasione thematis: *Cùm venerit, invenit eam scopis mundatam*: Luc. 11. possunt damna raræ confessionis, & frequentis commoda explicari, nempe 1. quia ubi rara confessio est, ibi multæ sordes reperiuntur, & è contra. 2. Quia multæ Dœmonis machinationes inveniuntur & vicissim. 3. Quia facilis lapsus ad graviora. 4. Quia difficilis fit confessio. Vide Fabrum in Silva nova.

II. Ex occasione thematis: *Erat JESUS ejiciens Dæmonium, & ipsum erat mutum*: Potest ostendi, quodnam sit illud Dœmonium mutum, scilicet 1. quod impedit, ne veritas ubi oportet, dicatur. 2. Quod impedit, ne oratio debito tempore fiat. 3. Quod impedit, ne peccata in confessione ritè aperiantur. Simúlque ostendatur, quomodo expelli debeant hæc dœmonia. Vide tit. Oratio. Confessio. Mendacium. In Bibl. & Auctario.

III. Ex eodem themate dici potest, Christum quidem olim ejecisse Dæmonium mutum, sed hodie magis garrulum Dœmonium ejiciendum. 1. Quod incitat ad garriendum in templo. 2. Quod incitat ad detrahendum aut murmurandum in colloquio. 3. Quod incitat ad impatientia verba aut blasphemandum in adversitate vel persecutione. Quæ omnia cur & quomodo ejicienda sint, demonstrandum. Vide tit. Lingua. Taciturnitas. Patientia. Blasphemia. in Biblioth. & Auct.

IV. Ex eodem themate potest ostendi, quomodo ejiciendum sit Dæmonium garrulum; scilicet ori appendendo seram parvulam rotulis literalibus constantem; quæ non aperiri queat, nisi quando tria hæc verba, quæ olim Monachus quidam januæ appendit, necessitas, utilitas, charitas, prodeant. de quo vide tit. Taciturnitas & Lingua in Bibl. & Auctario.

V. Ex occasione thematis: *Quin imò beati, qui audiunt verbum DEI, & custodiunt illud*: Potest dici, quòd mundani, quando vident aliquem divitiis, honoribus, & voluptatibus affluentem, dicere soleant: Beatus venter, qui te portavit &c. Sed Christus hos omnes corrigat dicendo, potiùs beatos esse, qui voluntatem DEI perfectè implent, hos enim veras divitias, honores, & voluptates possidere, id quod fusiùs probandum ex titulis Divitiæ. Honor. Voluptates. Resignatio. et Bibl.

VI. Ex occasione thematis: *Fiunt novissima hominis illius pejora prioribus*: potest status hominis malam consuetudinem habentis cum Pharaone Ægyptiaco comparari, & primò quidem ostendi, quomodo impediat animam suam, ne DEO debitum cultum exhibeat, deinde verò eam fugere volentem persequatur, & tandem in mari rubro Passionis & Sanguinis Christi submergatur; pro quo conceptu vide tit. Consuetudo in Biblioth. & Fabrum conc. 8. lit. B.

PRO DOMINICA IV. QUADRAGESIMÆ.

I. EX occasione thematis: *Accepit ergò JESUS panes, & cùm gratias egisset, distribuit discumbentibus*: Jo. c. 6. proponi possunt causæ, cur frequenter communicandum sit, nempe 1. Beneficium maximum Institutionis hujus Sacramenti. 2. Summa nostra indi-

digentis. 3. Summus noster fructus. de quibus vide tit. Eucharistia in Biblioth. & tit. Communio in Auctario. & Fabrum in Silva them. 1.

II. Ex eodem themate potest probari, quòd Eucharistia, sit optimum medium ad varias tentationes superandas juxta illud Davidis Psal. 115. Parâsti in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant nos, præcipuè tribulationem carnis, persecutionum, & mortis. de quibus vide tit. Eucharistia & Communio in Bibl. & Auctar.

III. Ex occasione thematis: *Facite illos discumbere*: Ostendatur, quid requiratur ad dignam sumptionem, scilicet probatio, quæ in quatuor capitibus consistit. 1. In fide viva. 2. in seria pœnitentia. 3. In reverentia exteriori & interiori. 4. In profundissima humilitate. Vel rectiùs 1. in debita præparatione. 2. Devota sumptione. 3. Affectuosa gratiarum actione; de quibus vide tit. cit.

IV. Ex occasione ejusdem thematis potest ostendi, quoties permittenda sit communio. 1. Sacerdotibus. 2. Religiosis, maximè fœminis 3. Laicis, maximè conjugatis. 4. Adolescentibus; simúlque salutaria præcepta circa frequentiam hanc suggerantur, maximè quomodo supplere possint hanc frequentiam. Vide tit. cit.

V. Ex occasione thematis: *Distribuit discumbentibus, quantùm volebant*: Ostendi potest, quòd multi, quoties volunt, ad communionem accedant, & tamen optatum fructum & saturitatem non reportent, idque contingat 1. Ex defectu debitæ intentionis. 2. Ex defectu legitimæ dispositionis. 3. Ex defectu legitimæ collectionis; de quibus vide Biblioth. tit. Eucharistia.

VI. Ex eodem themate incitari possunt Auditores ad spiritualem communionem frequenter peragendam, eùmque in finem explicari. 1. Quid sit. 2. Quantos fructus afferat. 3. Quæ privilegia habeat præ reali communione, scilicet, quòd à vana gloria sit libera; quòd brevis sit, atque ideo majori fervore peragi possit; Quòd sæpius in die repeti queat. Vide Bibl. & Auctar.

PRO DOMINICA PASSIONIS.

I. EX occasione thematis: *Abraham Pater vester exultavit, ut videret diem*: Jo. 8. Ostendi potest, cur Ecclesia nobis his diebus memoriam Passionis refricet, videlicet 1. Quia memoria hæc est Christo valde grata, uti non semel revelavit. 2. Quia est nobis valde utilis ad varias virtutes exercendas, præcipuè patientiam in tribulationibus. 3. Quia illam gratitudo pro beneficio passionis exigit. Vide tit. Passio Christi in Bibl. & Auct. simúlque ostendi, quomodo hæc memoria refricanda sit, scilicet per affectuosam meditationem, per dolorosam compassionem, per ferventem gratiarum actionem.

II. Ex occasione thematis: *Ego non quæro gloriam, est, qui quærat*: Ostendatur 1. Quare vana gloria fugienda sit, nempe quia vana, falsa, noxia DEO, & nobis est. 2. Quomodo si nos eam fugiamus, DEUS illam quærat, faciendo, ut magis honorificemur, à DEO & hominibus, uti ex Vitis Sanctorum passim colligitur.

III. Ex occasione thematis: *Ipse autem abscondit se*: Ostendi 1. potest, quòd & contra nos homines sæpe tollant lapides judiciorum, detractionum, persecutionum. 2. Quomodo contra tales lapides defendere nos debeamus, scilicet scuto taciturnitatis, humilitatis, & patientiæ; de quibus vide Biblioth. & Auct. V. eodem.

IV. Ex occasione thematis ejusdem ostendi potest, quàm grave sit vitium blasphemiæ, & quomodo Magistratus, & quilibet homo audiens eas, lapides tollere, id est, corrigere, & punire debeat blasphemantes. de quo vide tit. Blasphemia in Bibl. & Auct.

V. Ex occasione thematis: *Ero similis vobis mendax*: potest ostendi, quantopere mendacium hominem dedeceat, sive consideretur ut Filius DEI: sive ut Christianus; sive ut homo ad societatem natus; sive ut ingenues & liberi; sive ut vir, de quo dicitur: Ein Mann / ein Mann / ein Wort / ein Wort: sive ut Germanus, cui propria creditur veracitas; quæ omnia facilè ampliùs deduci possunt.

VI. Ex occasione ejusdem thematis ostendi potest, quinam sint mendaces occulti, id est, qui nolunt videri mendaces, & tamen sunt mendaces, quàm maximè. Nimirum 1. falsi & tepidi Christiani, qui fidem habent sine operibus. Qui 2. falsi amici, qui amicitiam ore, inimicitiam opere profitentur. 3. Falsi Sacerdotes & Religiosi, qui habitu clericum, factis sæcularem præseferunt. 4. Hypocritæ, qui exterius Sanctitatem, intus malitiam monstrant; quæ omnia facilè ex propriis titulis dilatari, & probari possunt.

PRO DOMINICA PALMARUM.

I. EX occasione thematis: *Alii autem cædebant ramos de arboribus*: Matt. c. 21. Ostendi potest, quòd optimi rami palmarum Christóque gratissimi sint, concupiscentiæ & occasiones peccandi abscissæ, maximè concupiscentiæ carnis oculorum, & superbiæ; item malorum sociorum; ad quem finem varia media offerenda. de quo vide tit. cit.

II. Ex eodem themate ostendi potest, quòd rami omnium gratissimi sint, qui de arbore crucis abscinduntur, id est, tribulationes patienter toleratæ, maximè dolores in corpore, contemptus in fama, & desolationes in anima occurrentes, de quibus vide tit. Patientia in Biblioth. & Auct.

III. Ex occasione thematis ejusdem ostendi

di potest, quomodo rami palmæ præcidi debeant in difficultatibus circa confessionem, communionem, & emendationem vitæ occurrentibus, quæ omnes facilè consideranti occurrent.

IV. Ex occasione thematis : *Dominus his opus habet*: Ostendi potest, quid Christus hac hebdomade exigat à nobis. Scilicet 1. majorem collectionem, & dispositionem curarum fecularium. 2. Majorem devotionem in templo & precibus frequentandis. 3. Majorem mortificationem in pœnitentiæ operibus suscipiendis. 4. Majorem compassionem in Christi cruciatibus considerandis, & fructuosè sibi applicandis. Vide tit. Passio Christi in Bibl. & Auctario. Item Fabrum conc. 3.

V. Ex occasione thematis : *Straverunt vestimenta sua in via* : Ostendi potest, quomodo virtutes varias, quæ sunt ornamenta & vestimenta animæ, substernere debeant Auditores, nempe fidem, spem, charitatem, humilitatem, obedientiam, & similes, quæ pro sin, quomodo tempore communionis exerceri possint, fusius ostendendum.

VI. Ex occasione thematis : *Benedictus, qui venit in nomine Domini* : Ostendi potest, quàm multi tempore communionis dicant: Benedictus, qui venit in nomine Domini: & mox eum deserant. Uti 1. ij, qui post Corpus Christi acceptum mox recedunt, sine gratiarum actione, & colloquio cum Christo. 2. Qui post Confessionem peractam mox ad antiqua vitia revertuntur. 3. Qui multa proposita & ferventia desideria emendationis concipiunt, & statim iterum derelinquunt, quæ omnia facilè practicè demonstrari possunt.

PRO FERIA V. COENÆ DOMINI.

I. EX occasione thematis : *Cœpit lavare pedes Discipulorum* : Jo. 13. Possunt causæ hujus lotionis explicari; nimirum; 1. ut ostenderet, animam priùs per confessionem aut contritionem lavandam, quàm corpus Christi sumatur. 2. Ut exemplum Humilitatis relinqueret. 3. Ut insinuaret, se Sanguine suo peccata nostra abluturum; quæ omnia fusiùs explicata, vide apud Fabrum conc. 1. & passim in libris Meditationum, unde & sequentia themata non nisi breviter indicabuntur.

II. Ex occasione thematis : *Cum dilexisset suos, in finem dilexit eos* : Possunt ostendi causæ institutionis, videlicet 1. ut esset memoriale passionis. 2. Juge sacrificium. 3. Pingue convivium. de quibus vide Fabrum conc. 2.

III. Ex eodem themate possunt explicari circumstantiæ Institutionis, & singularum rationes asserri, videlicet 1. cur sub duplici specie panis & vini instituerit. 2. Cur pridie quàm pateretur. 3. Cur post agni Paschalis comestionem. 4. Cur nocturno tempore. 5. Cur in cœna. 6. Cur in cœnaculo grandi & strata. 7. Cur tali ritu panem in manus sumendo, gratias agendo, benedicendo, frangendo, dando discipulis &c. 8. Cur sub tali verborum formula. Quæ omnia explicata vide apud Fabrum. conc. 3. & 4.

IV. Ex eodem themate explicari possunt primaria attributa, quæ elucent in hoc Sacramento, nimirum Potentia, Sapientia, Bonitas, Misericordia, & Justitia, de quibus vide Fabrum conc. 5.

V. Ex eodem themate explicari possunt primariæ virtutes, quas in Eucharistia instituenda Christus ostendit, nimirum 1. Charitas. 2. Religio. 3. Humilitas. 4. Obedientia. 5. Patientia. 6. Constantia. 7. Fides, quæ passim apud Auctores in meditationibus explicantur.

VI. Ex occasione Thematis : *Exemplum dedi vobis, ut, quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis* : Ostendi potest, quòd eodem ritu, quo Christus typicum agnum Paschalem sumpsit, agnum verum seu Corpus Christi sumere debeamus, videlicet 1. accincti renibus per continentiam. 2. Calceati per contemptum mundi. 3. Tenentes baculos per spem & fiduciam. 4. Festinanter per ardens desiderium. 5. Integrè per consumptionem physicam & moralem specierum, eas in suum usum convertendo. Vide Fabrum conc. 6.

PRO FERIA VI. PARASCEVES.

I. EX occasione thematis : *Plangent eum planctu magno quasi super unigenitum, & dolebunt super eum* : Zach. c. 12. Potest narrari historia de Nobili Anglo, qui cum Saraceno in die Parasceves per silvam transiens omnes aviculas expansis alis arbori ad modum crucis adhærentes vidit, simulque ostendi, quomodo Christiani nunc pariter duabus alis affectûs (gratitudinis, fiduciæ, contritionis, amoris &c.) & effectûs multa pro & cum ipso sustinendo & abstinendo adhærere debeant; quem conceptum vide in Instruct. 7. f. 389.

II. Ex occasione thematis : *Per multas tribulationes oportet introire in regnum DEI*: Act. 14. Ostendi potest, quòd cùm periculosa itinera suscipientes, comites fideles adsciscant, Auditores comites tres Christi (ut P. Balthasar Alvarez Societatis JESU Sacerdos vocabat) indigentiam, dolorem & contemptum eligere debeant; id quòd in Exemplo Christi monstrandum. Vide cit. Instr. f. 391.

III. Ex occasione thematis : *Duxerunt eum, ut crucifigerent* : Matt. c. 27. Potest spiritualis processio institui ad quinque loca præcipua passionis, videlicet ad montem oliveti. 2. Ad locum flagellationis. 3. Ad locum coronationis. 4. Ad locum bajulationis Crucis.

cis. 5. Ad montem Calvariæ, & in singulis brevis exhortatio haberi.

IV. Ex eodem themate potest spiritualis processio, ut in die Parasceves fieri solet, institui, & 1. Crux præferri, per cujus aspectum animentur eam sequentes. 2. Turba flagellantium sequi, qui inordinatum amorem velut sanguinem flagellis spiritualibus expellant. 3. Subsequi turba crucigerorum crucem suarum tribulationum portantium. 4. Agmen claudere turba expansis brachiis orantium; quæ omnia facilè fusiùs deduci possunt.

V. Ex occasione thematis: *O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, & videte, si est dolor similis dolori meo.* Thren. 1. Potest tragœdia spectanda exhiberi, in qua quinque actus constituant quinque præcipua mysteria passionis, videlicet agonia, flagellatio, coronatio, crucis bajulatio, crucifixio, & spectatores ad varios affectus eliciendos incitari.

VI. Ex occasione thematis: *Et factus est sudor ejus, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.* Luc. c 22. Possunt omnes Sanguinis Christi effusiones proponi, & per eas Auditores ad odio habendum & persequendum peccatum incitari, sicut Elephanti sanguine conspecto ad furorem concitari solent. Possunt autem singulis effusionibus singula peccata mortalia opponi.

PRO DOMINICA RESURRECTIONIS.

I. Ex occasione Thematis: *Surrexit, non est hic.* Marci 16. Ostendi potest, quomodo cum Christo verè resurgendum, scilicet 1. verè & non simulatè vitam priorem detestando. 2. Apparendo Simoni seu Sacerdoti per legitimam confessionem. 3. Sumendo cibum Eucharistiæ per communionem, sicque probando se verè surrexisse. Vide Forerum in Dom Resurr. n. 1.

II. Ex eodem themate potest triplex Resurrectio proponi. 1. Phantastica, qualis fuit Samuelis à Pythonissa excitati. 2. Imperfecta seu hominis denuò morituri, qualis fuit Lazari. 3. Perfecta & perpetua, qualis fuit Christi, qui non moritur ampliùs. Quæ omnes tres Resurrectiones in sensu morali explicari possunt. Vide tit. Resurrectio in Bibl.

III. Ex occasione thematis: *Nolite expavescere*: ostendi potest, cur non timere debeamus, sed potiùs gaudere in hoc Festo juxta sensum Ecclesiæ dicentis: Hæc dies, quam fecit Dominus: exultemus & lætemur in ea. 1. Quia Victoria generalis de triplici hoste, mundo, Dœmone ac carne reportata. 2. Quia devicta peccata, & velut Pharao cũ exercitu suo in mari rubro demersa. 3. Quia mors quoque superata, juxta illud: O mors, ubi est victoria tua? 1. Cor. 15. quæ fusiùs explicata vide apud Fabrum conc. 1.

IV. Ex eodem themate ostendi potest, cur hoc tempore assiduò ab Ecclesia Alleluja cantetur? nimirum quia idem significat, ac *laudate Deum*, propter beneficium Redemptionis, propter gaudium Resurrectionis, propter favorem multiplicis apparitionis. Quæ beneficia paulò amplius demonstrari possunt, de quo vide Fabr. conc. 6.

V. Ex occasione thematis: *Quis revolvet nobis lapidem?* possunt tres lapides à vera resurrectione impedientes indicari, de quibus Thomas Kemp. l. 3. c. 12. ait: Obsistet inolita consuetudo, sed meliori consuetudine devincetur: Remurmurabit caro, sed fervore spiritus frænabitur: Instigabit & exacerbabit te serpens antiquus, sed oratione fugabitur: insuper & labore utili aditus ei magnus obstruetur, Vide tit. Consuet. Dœmon. in Biblioth. & Auct.

VI. Ex occasione thematis: *Surrexit, non est hic*: Ostendi potest, cur Christus primò B. Virgini, dein mulieribus, Magdalenæ apparuerit, & ubique salutares doctrinæ eruendæ, quales videri possunt apud Fabrum conc. 16. n. 6. & 7. Item conc. 9. n. 3. lit. D.

PRO FERIA II. PASCHATIS.

Ex occasione thematis: *Duo ex Discipulis ibant in castellum nomine Emaus.* Luc. 24. potest ostendi, qui Christiani in Emaus oder Nebenaus ire soleant, videlicet 1. Qui exiguam ad DEUM fiduciam habent. 2. Qui beatitudinem in hac vita obtineri posse putant. 3. Qui sine patientia cœlum intrare volunt. 4. Qui à confessione & communione Paschali se subducunt. De quibus vide Fabrum in sylva nova them. 1.

II. Ex occasione thematis: *Surgentes eâdem horâ regressi sunt in Jerusalem*: Ostendi possunt causæ, cur multi post communionem Paschalem ad antiqua vitia redeant. Nimirum 1. Temeritas & præsumptio in occasionibus peccati iterum frequentandis. 2. Defectus serii propositi. 3. Consuetudo; pro quibus proin idonea remedia præscribantur, qualia in Fabro conc. 1. videri possunt.

III. Ex occasione thematis: *O stulti & tardi corde ad credendum*: potest ostendi modus corrigendi proximum. Nimirum 1. ut sit privata. 2. Ut sit suavis. 3. Ut sit efficax; de quibus vide tit. Dilectio Proximi in Biblioth. & Auctar.

IV. Ex occasione thematis: *Finxit se longius ire*: potest dici, esse antiquum morem, ut Fabula Paschalis hoc tempore narretur, itaque & hunc morem nunc servatum iri. Narretur itaque Fabula de lupo, qui à Rustico in furto deprehensus promisit, se deinceps non ultra septem obolorum pretium furaturum; Sed paulò pòst occurrente vaccâ cum vitulo, sibi persuasit, vaccam nonnisi quatuor, vitulum verò trium obolorum pre-

pretium æquare, ac proin utrumque devoravit. Ex qua deducatur, quomodo Peccatores promissa sua secus interpretantes antiqua peccata repetant, uti variis instantiis ostendi potest. Vide Instr. 2. f. 356.

V. Ex occasione ejusdem thematis narrari potest fabula de duobus musculis urbano & villano, quorum prior cùm villanum visitans non nisi mucidum panem accepisset, eundem secum in arcem & penuarium instructissimum perduxit; sed cum ibidem à fele insidiante ferè deprehensi essent, valedixit villanus urbano, dixitque, malle se mucido pane cum pace, quàm deliciis urbanis cum perpetuo timore frui. Ex qua fabella inferatur, quàm verè dixerit Salomon: Melior est buccella sicca cum gaudio, quàm domus plena jurgiis. Atque adeò vita privata præ aulica aut deliciis & opibus abundante sit amanda. Vide ibid. f. 359.

VI. Ex occasione ejusdẽ thematis narretur fabula de sartore Jovem accusante, quòd reos non puniendo malè ageret, unde à Jove in cælum evocatus & in throno collocatus, jussus est ostendere modum bene regendi, cùm ergo puerum in horto poma furantem vidisset, magno furore suppedaneum scabellum in ipsum projecit. Quod cùm vidisset Juppiter, accessit ad illum, dixitque: En, O Sartor nequissime, quàm malè mundum regeres; si enim ego in te, tuique similes toties scabellum meum projicere voluissem, ubi scriniarios sufficientes pro scabellis fabricandis acquirere potuissem. Inferatur ex hac fabella, quàm patienter mutuos defectus sufferre debeamus, memores, quòd iisdem defectibus, & pluribus ipsi subjaceamus.

PRO FERIA III. PASCHATIS.

I. EX occasione thematis *Habetis hic aliquid quod manducetur?* possunt ova paschalia distribui, & 1. quidem Clericis deauratum, in quo Christus in specie Hortulani depictus est, sicut S. Magdalenæ apparuit. 2. Magistratui rubrum, in quo vigiles sepulchrum custodientes depicti sunt. 3. Patribus familias cœruleum, in quo Christus in Galilæam præcedens repræsentetur. 4. Mulieribus violaceum, in quo repræsententur Mulieres ad sepulchrum euntes. 5. Juvenibus partim album, partim rubrum, quod Angelum in sepulchro sedentem exhibeat; quæ omnia quid moraliter significent fusiùs ostendatur, uti fit in Instr. f. 543.

II. Ex eodem themate unicum ovum offeratur, illud nempe, quod vicinus quidam vicino suo malè rem familiarem administranti obtulit ea conditione, ut singulis diebus in singulas domus partes portaret, quod faciendo, cum omnia sibi melius succedere advertisset, tandem aperiens invenit hanc schedam: Willst dass dir dein Sach wohl geling / schau all Tag selbst zu deim Ding. Unde doceatur, quomodo animam inspicere debeamus, tempore examinis, confessionis & annuæ recollectionis, aut quomodo frumentum bonorum operum, penuarium talentorum, passionum velut pecorum cura, vinum conscientiæ bonæ, laboratorium quotidianorum laborum se habeat, quæ fusiùs vide in tit. Inst. f. 53.

III. Ex occasione thematis: *Pax vobis.* Ostendatur, qualis pax optetur à Concionatore Auditoribus, nimirum 1. Sibi ipsi inter animam & conscientiam. 2. Conjugibus inter se. 3. Domesticis, liberis & Famulis. 4. Pax in civitate & Provincia; de quo vide Fabrum in Sylva them. 5.

IV. Ex occasione thematis: *Pax vobis.* Potest explicari, in quo consistat vera pax animi, ejusque necessitas, utilitas & jucunditas, demonstrari; de quo vide tit. Pax in Bibl. f. 793.

V. Ex eodem themate possunt quatuor impedimenta pacis interioris demonstrari, videlicet 1. Culpa mordens. 2. Cura pungens. 3. Affectus vigens. 4. Tribulatio crucians; & pro singulis salutaria remedia afferri. Vide Bibl. tit. Pax.

VI. Ex occasione thematis: *Ego sum, nolite timere*: Indicari possunt causæ, cur quis præsente Christo timere non debeat, quia videlicet est prudentior, fidelior, potentior quocunque exercitu humano & Angelico. Hinc meritò cum S. Davide dicere potest: Si consistant adversum me castra, non timebo, quoniam tu mecum es. Vide tit. Pax cit.

PRO DOMINICA IN ALBIS.

I. EX occasione thematis: *Pax vobis*: Jo. 20. Ostendi potest, quomodo pacem cum DEO habere possimus, videlicet per duo media à Davide indicata: Declina à malo, & fac bonum, inquire pacem, & persequere eam. Vide Fabrum conc. 1. lit. B.

II. Ex eodem themate ostendi potest, quomodo pacem cum proximo habere possimus, scilicet per mutuam dilectionem, per unam Religionem, per mutuam subventionem, de quibus vide l. c. lit. C.

III. Ex eodem themate probari potest, quomodo pacem nobiscum ipsis habere possimus, scilicet 1. eradicando concupiscentiam, juxta illud S. Jacobi: Unde lites in vobis? nonne hinc? ex concupiscentiis vestris. 2. Tollendo nimias sollicitudines, de quibus Thomas Kemp. l. 3. c. 30. Quid importat sollicitudo de futuris contingentibus, nisi ut tristitiam super tristitiam habeas. 3. Conformando voluntatem suam cum divina, sic enim nihil contra voluntatem suam fiet. Vide tit. Resignatio & Concupiscentia in Bibl.

IV. Ex occasione thematis : *Venit IESVS & stetit in medio* : Ostendi 1. potest, quomodo DEI præsentia semper ob oculos haberi possit. 2. Fructus hujus præsentiæ explicari possunt, scilicet Puritas mentis in fugiendis peccatis, quorum, teste Seneca, pars magna tollitur, si peccaturis testis assistat: Ardor ad pugnandum cum hostibus, Duce inspectante: Collectio in oratione; quis enim aspiciens coram se Regem non attendat sedulò ad eum? Consolatio spiritualis; juxta illud Davidis: Renuit consolari anima mea: memor fui DEI, & delectatus sum. Hinc S. Ephrem dixit: Semper DEI memineris, & cælum mens tua evadet. Vide Fabrum conc. 6.

V. Ex occasione thematis : *Infer digitum tuum huc* : Ostendi possunt caussæ, cur Christus quinque vulnera retinere voluerit, scilicet 1. Propter gloriam & beneplacitum æterni Patris. 2. Propter gloriam suam. 3. Propter gaudium Beatorum. 4. Propter terrorem damnatorum. 5. Propter solatium & auxilium viventium. Vide tit. Vulnera. in Auctario. & Fabrum conc. 3.

VI. Ex occasione thematis : *Beati, qui non viderunt, & crediderunt* : Ostendi potest, quid potissimùm credi debeat, ut etiam in hac vita beati simus, scilicet ut Christus S. Catharinam Senensem docuit, Potentia DEI, sine qua nihil fit in mundo: Sapientia illius, quâ malum in bonum convertere novit: bonitas, quâ omnia ad summum nostrum bonum ordinat. 2. Ostendat, quomodo, qui credunt ista, beati sint, quia semper habent quod volunt. Vide tit. Resignatio. in Auctario.

PRO DOMINICA II. POST PASCHA.

I. EX occasione thematis : *Cognosco oves meas.* Jo. 10. Ostendi potest, ex quibus indiciis veræ oves Christi, seu prædestinati ad vitam æternam cognosci queant, videlicet 1. Ex mansuetudine. 2. Ex patientia. 3. Ex misericordia. 4. Ex humilitate. De quibus vide Fabrum conc. 6. lit. B. C. D. K. & Auct. them. 3.

II. Ex eodem themate possunt alia indicia verarum ovium proponi, nimirum 1. Timor peccati. 2. Fuga luporum, id est, malorum sociorum. 3. Sacramentorum pius & frequens usus, velut proprius pastus ovium Christi. 4. Concordia. 5. Obedientia. Quæ omnia si nimis multa videantur pro una concione, potest unum tandem aut alterum, maximè ex tribus ultimis, assumi, & dilatari. Vide Fabrum locis cit.

III. Ex eodem themate ostendi potest ex ipsis Christi verbis, quæ conditiones ad veram ovem requirantur, nam 1. ex illis verbis : *Cognoscunt me meæ* : deducitur fidem, per quam Christi agnoscitur, esse necessariam. 2. Ex verbis : *Vocem pastoris audiunt, & sequuntur eum* : Obedientia Pastoribus exhibenda colligitur. 3. Ex verbis : *Alienum non sequuntur, sed fugiunt.* Fuga hæreticorum, & Diaboli colligitur, de quibus Vide Fabrum conc. 8. lit. D.

IV. Ex eodem themate deduci potest, quinam non sint veræ oves, seu hædi; nimirum 1. qui facilè transiliunt mandata, ut hædi septa, nocentque tenellis arboribus. 2. Qui pilos habent versùs terram pendentes, ut hædi, id est, non nisi terrena sapiunt. 3. Qui propter mala exempla graviter fœtent ut hædi. 4. Qui per inimicitias proni sunt ad arietandum ut hædi. Vide Fabrum conc. 7.

V. Ex occasione thematis : *Ego sum Pastor bonus* : Ostendi potest, quomodo quisque Pastor sui ipsius esse debeat. 1. Dominando affectibus, sensibus, & membris. 2. Seipsum & suos defectus cognoscendo. 3. Ad bona pascua educendo. 4. Vires suas custodiendo. 5. Pro iisdem pugnando. Vide Fabrum conc. 5.

VI. Ex occasione thematis : *Fiet unum ovile, & unus Pastor* : demonstretur veritas nostræ fidei ex eo, quòd habeat 1. Unum ovile, scilicet Ecclesiam. 2. Unum Pastorem, scilicet Pontificem. 3. Unum pascuum, scilicet Sacramentorum, & verbi divini tam traditi, quàm scripti usum. Vide Fabrum conc. 8. lit. G. & H.

PRO DOMINICA III. POST PASCHA.

I. EX occasione thematis : *Modicum, & non videbitis me.* Jo. 16. potest ostendi, quàm omnia sint in mundo modica. 1. Dignitates, & honores. 2. Robur & pulchritudo corporis. 3. Divitiæ & voluptates. 4. Favor & gratia hominum. 5. Regimen & imperium. Vide Fabrum conc. 1.

II. Ex eodem themate ostendi potest, modicum temporis, quàm studiosè observandum. 1. Quia maxima per illud bona obtinere possumus. 2. Quia gravissima per illud damna incurrimus. 3. Quia severissimam de illo rationem DEO reddere cogemur. Vide Fabrum conc. 2. lit. B. G. H.

II. Ex eodem themate potest ostendi duplex memoria æternitatis miseræ & felicis, pro myrothecio spirituali (für ein Balsam-Büchlein) offerri, simúlque ostendi, quomodo per illud in abstinendo ab illicitis voluptatibus, & tolerando temporales adversitates roborare & solari debeamus. Vide in Bibl. tit. Æternitas, Beatitudo, Infernus. Item in Auctario.

IV. Ex eodem themate ostendi potest vitæ nostræ brevitas, & inde tres doctrinæ erui. 1. Ut non simus nimium solliciti de divitiis accumulandis, quia brevi itineri modicum viaticum est necessarium. 2. Ut bonis operibus, quibus in æternum fruemur, accumulandis impensè studeamus. 3. Ut miserias hu-

jus vitæ patienter & alacriter sustineamus, utpote non nisi modico tempore duraturas.

V. Ex occasione thematis : *Gaudium vestrum nemo tollet à vobis* : Ostendi potest, quomodo solidum ac verum gaudium in solò DEO, ejúsque amore inveniatur, eúmque in finem referri potest, quod de Martyre quodam refertur, qui, cùm inter tormenta se continuò lætum ostenderet, causam hujus lætitiæ rogatus respondit : Quia DEUM meum tollere nemo potest. Ostendatur proin, quòd hoc gaudium sit 1. Solidum & verum, utpote satians animam. 2. Sit purum, quia nulli peccato immixtum. 3. Sit perpetuum, quia contra voluntatem amitti non potest. Vide Fabrum conc. 6. lit. B.

VI. Ex eodem themate ostendi potest gaudium bonæ conscientiæ. 1. Quia est testimonium gratiæ apud DEUM inventæ. 2. Quia spem certam felicitatis perpetuæ obtinendæ ingenerat. 3 Quia tolli invito non potest. Vide tit. Conscientia & Beatitudo in Bibl. & Auctario.

PRO DOMINICA IV. POST PASCHA.

I. EX occasione thematis : *Quò vadis?* Ostendi potest, quomodo semper memoria mortis in mente sit habenda ob triplicem causam. 1. Ut maturè disponamus domui nostræ præparando nos ad eam. 2. Ut moderemur cupiditatibus nostris, cogitantes, nos non habere hîc manentem civitatem. 3. Ut facilem nobis illius adventum reddamus, uti Seneca suasit dicens : Effice mortem tibi cogitatione familiarem, ita ut si sors tulerit, possis illi obviam ire. Vide Bibl. & Auct. tit. Mors. Item Fabrum conc. 3. lit. H.

II. Ex occasione ejusdem thematis ostendi potest, quòd frequenter etiam iudicii post mortem secuturi memoria sit habenda, ob tres pariter causas. 1. Ut Judicem nobis maturè per grata illi opera conciliare studeamus. 2. Ut ad quæstiones ibi proponendas maturè nos præparemus. 3. Ut Patronos, qui ibi nobis assistant, variis obsequiis conciliemus. Vide in Bibl. & Auctar. tit. Judicium.

III. Ex eodem themate ostendi potest, quòd similiter ob tres causas memoria Purgatorii sæpe sit refricanda. 1. Quia conducit ad venialia peccata, quæ tam graviter puniuntur, æstimanda & fugienda. 2. Quia excitat ad satisfactionem in hac vita per opera bona & indulgentias præstandam. 3. Quia incitat ad misericordiam purgantibus animabus exhibendam, ut similem aliquando misericordiam expetiri mereamur. Vide tit. Purgatorium in Bibl. & Auctar.

IV. Ex eodem themate ostendi potest, quòd etiam memoria Inferni tam à Justis, quàm Peccatoribus frequenter ob tres causas sit refricanda. 1. Quia conducit ad peccata mortalia, quibus ea pœna decreta est, odio habenda, & fugienda, dicamúsque : non emo tanti pœnitere. 2. Ut omnes hujus mundi miserias faciliùs toleremus, si cum S. Francisco Borgia ad mentem reducamus, quid in inferno ob peccata sustinere debuissemus. 3. Ut zelum ad succurrendum peccatoribus concipiamus, &, ne ipsi veniant in locum horum tormentorum, cum divite Epulone solliciti simus. Vide Bibl. & Auctarium tit. Infernus.

V. Ex eodem themate ostendi potest, quòd præsertim memoria beatitudinis æternæ assiduò sit recogitanda ob tres pariter causas. 1. Quia conducit ad fervorem in bonis operibus frequentandis excitandum. 2. Quia conducit ad tribulationes fortiter & cum gaudio sustinendas, dum credimus, non esse condignas passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. 3. Quia conducit ad fastidium rerum temporalium ingenerandum, ut cum S. Ignatio dicamus : O quàm sordet mihi terra, cùm cœlum aspicio, & considero. Vide tit. Beatitudo in Bibl. & Auctar.

VI. Ex occasione thematis : *Expedit vobis, ut ego vadam* : Ostendi potest, quàm expediens sit, ut DEUS quandoque à nobis discedat, & in varias tribulationes, desolationes, tentationes, imò & peccata cadere permittat. 1. Ut ad ipsum in tribulationibus & tentationibus recurrere studeamus, juxta illud Psalmi : Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea acceleraverunt. 2. Ut in desolationibus eum purè quærere, eique propriis expensis servire discamus. 3. Ut propter lapsum in peccata humiliemur, & cautiores fiamus. Vide Fabrum conc. 9. lit. C.

PRO DOMINICA V. POST PASCHA.

I. EX occasione thematis : *Petite, & accipietis* : Potest necessitas orationis demonstrari ex quatuor causis. 1. Ex voluntate DEI, qui rogari vult, ut dona accipiendâ mereamur, eáque cum majori solatio accipiamus ; simúlque DEO magis familiares efficiamur. 2. Ex indigentia nostra tam quoad corporis, quàm animi necessitates. 3. Ex frequentibus peccatis, quorum veniam impetrare cogimur. 4. Ex impugnatione Dæmonis, contra quam assiduo DEI præsidio indigemus. Vide Bibl. & Auctar. V. Oratio & Fabrum conc. 1.

II. Ex eodem themate potest jucunditas orationis demonstrari ex variis titulis. 1. Quia *Mendici* sumus ; quid autem jucundius mendico, quàm mendicare posse à tali Domino, qui liberalem stipem certò porrigat. 2. Quia *Rei* sumus, & ad graves pœnas purgatorii vel inferni damnati ; quid autem jucundius reo, quàm cum Judice loqui, & veniam impetrare posse. 3. Quia *Discipuli* sumus ; quid autem jucundius discipulo, quàm

à sapientissimo Magistro in saluberrima scientia instrui posse. 4. Quia *Sponsæ* DEI sunt animæ nostræ; quid autem jucundius sponsæ, quàm cum amantissimo sponso colloqui posse? Vide Bibl. & Auctar. V. Oratio.

III. Ex eodem themate potest utilitas orationis demonstrari probando veritatem sententiæ à S. Augustino prolatæ: *Rectè novit vivere, qui rectè novit orare.* Nam 1. Utilis est ad peccata vitanda, quia teste S. Chrysostomo, impossibile est, hominem orationis studiosum (saltem graviter) peccare. 2. Utilis est ad virtutes plantandas; uti Christus S. Catharinæ indicavit, dicens: Noveris Filia charissima, quòd in oratione humili, continua, & fideli cum perseverantia lucratur anima perfectionem & omnem virtutem. 3. Quia per orationem gustat anima, quàm suavis sit DEUS; atque adeò gustato spiritu desipit omnis caro. Vide cit. tit.

IV. Ex eodem themate possunt circumstantiæ orationem efficacem facientes explicari. Videlicet 1. Reverentia interior & exterior. 2. Fiducia firma. 3. Perseverantia. De quibus vide Bibl. & Auct. Item Fabrum conc. 5.

V. Ex eodem themate possunt causæ & remedia distractionum proponi. Videlicet 1. Culpa mordens. 2. Cura pungens. 3. Affectus vigens. 4. Tribulatio crucians; de quibus vide Bibl. & Auctarium l. c.

VI. Ex eodem themate ostendi potest, quomodo occurri possit tentationibus circa orationem occurrentibus, quarum prima est consolationum defectus. 2. Defectus attentionis. 3. Defectus temporis ad orandum. 4. Defectus exauditionis; pro quibus remedia Vide in tit. Oratio, Bibl. §. 11. n. 6.

PRO FERIIS ROGATIONUM.

I. EX occasione thematis: *Quis habet amicum & ibit ad illum*: Luc. 11. Ostendi potest, quomodo processiones piè & fructuosè sint instituendæ, videlicet ad exemplum trium Regum in Bethlehem peregrinantium, quia 1. Bonam intentionem Christum quærendi habuerunt. 2. Stellam Ducem secuti sunt, & devotè Christum adorârunt, quod & peregrinantes facere debent, non discedendo à vexillo, & in templo preces devotè persolvendo. 3. Munera obtulerunt, quos imitari debent peregrinantes, thus devotæ orationis, myrrham contritionis vel confessionis, aurum charitatis offerendo. 4. Per aliam viam reversi sunt in regionem suam; peregrinantes autem per sinceram vitæ emendationem. Vide Instruct. 7. f. 157.

II. Ex eodem themate ostendi potest tunc similes processiones fructuosè institutum iri, si procedant terribiles, sicut castrorũ acies ordinata. Et 1. quidem omnes sani sint, non tam quoad corpus, quàm animam. 2. Si non tantùm plebei, sed etiam primariæ personæ velut Duces compareant. 3. Si bonum ordinem servent, ut in exercitu fieri solet. 4. Si benè conjuncti & concordes sint. 5. Si armis spiritualibus, puta Rosariis & libellis precatoriis benè sint instructi. 6. Si non discedant ante finem Processionis, & gratias persolutas ob felicem successum. Quæ omnia fusiùs explicata videri possunt in cit. Instruct. 7. f. 158. n. 5.

III. Ex eodem themate ostendi potest, quòd in processione oratio sit DEO gratior & efficacior ob tres causas. 1. Quia per illum Sanctum, ad cujus honorem processio instituitur, DEO offertur. 2. Quia plures simul orant; multi autem minimi, teste S. Ambrosio, dum congregantur unanimes, fiunt magni, & multorum preces impossibile est non audiri. 3. Quia oratio humiliantis se (id quod peregrinantes pedibus incedentes faciunt) penetrat nubes, &, donec propinquet, non consolabitur, & non discedet, donec Altissimus aspiciat. Vide cit. Instr. f. 162. n. 6.

IV. Ex eodem themate potest ostendi, unde natum sit proverbium, quo dicitur: *Qui multùm peregrinantur, rarò sanctificantur*: Nimirum ex defectu veræ intentionis: Quia 1. aliqui comitantur processionem, ut locum ad quem tendunt, ejúsque thesaurum vel alia visu ibidem digna videant, & mala curiositas est. 2. Alii, ut cognatos & amicos visitare queant, & inanis vanitas est. 3. Alii, ut comedere & bibere, vel alia commoda temporalia participare possint, & turpis quæstus est. Meliùs ergo 5. alii eunt, ut ædificent, & bonum exemplum aliis præbeant, & prudentia est. Et tandem optimè alii 6. eunt, ut ædificentur, id est, vel gratias pro accepto beneficio referant, vel varias gratias, sibi aliisque impetrent, & hoc charitas est, facitque, ut tales peregrinantes verè sanctificentur. Vide cit. Instr. f. 157.

V. Ex eodem themate proponi possunt, & refutari excusationes frivolæ, propter quas aliqui se Processionibus subducere conantur, quarum prima est respectus humanus: quid dicent homines? Secunda timor damni in bonis temporalibus aut lucro cessante patiendi. Tertia, horror molestiæ per peregrinationem subeundæ, cùm tamen DEUS & Sancti ubique quæri & invocari queant; quas excusationes vide refutatas in cit. Inst. 2. f. 165.

VI. Ex occasione thematis: *Pulsate & aperietur vobis*: declarari possunt causæ, cur DEUS non statim, aut omnino non audiat preces. Nempe 1. Quia malè petitur, hinc S. Jacobus dixit: Petitis, & non accipitis, eo quòd malè petatis. 2. Quia sæpè non exaudit ad votum, ut exaudiat ad salutem; sicut medicus cum ægroto, aut Mater cum Filio noxia petente facit. 3. Quia differt sua dona, non aufert; ut ardentiùs petamus, magísque æstimemus, si difficiliùs fuerint obtenta; nam

citò

citò obtenta vilescunt; diu desiderata dulciùs obtinentur, teste S. Augustino. 4. Quia opponunt nubem peccati. Vide Biblioth. tit. Oratio. §. 11. n. 6. Item Fabrum conc. 4.

PRO FESTO ASCENSIONIS.

I. EX occasione thematis: *Assumptus est in cœlum, & sedet à dextris DEI.* Marci ult. possunt proponi causæ, ob quas Christus in cœlum assumptus sit, nimirum 1. ob gloriam Patris, quæ non modica illi orta est ob Filium tantopere exaltatum. 2. Ob gloriam ipsius Christi, quam tot tantisque meritis comparavit. 3. Ob gloriam nostram, pro qua nobis obtinenda cœlum reseravit. Vide Fabrum conc. 3.

II. Ex eodem themate potest ostendi, quòd, sicut Reges ob devictum hostem capitalem magno gaudio excipiuntur, & in signum gratulationis varia illis spectacula exhibentur, ita idipsum tantò æquiùs erga Christum præstandum sit, quantò & à graviori hoste liberavit, & majorem felicitatem procuravit. 1. Itaque ignes missiles variorum affectuum, puta fidei, spei, charitatis, gratulationis, gaudii &c. jaciendi. 2. Comœdia exhibenda, in quà gloriosa Christi vita per imitationem repræsentetur. 3. Certamen contra seipsum per generosam sui victoriam instituendum.

III. Ex eodem themate potest ostendi, quòd, sicut Christus virtute propriâ ascendit ad cœlum; ita quivis Christianus pariter virtute propria, maximè per humilitatem, obedientiam, & patientiam ascendere debeat; de quibus vide Bibl. circa eosdem titulos, uti & Auctarium.

IV. Ex eodem themate potest specialiter magnitudo gloriæ Christi, ejúsque exaltatio humilitati ejusdem adscribi juxta illud S. Pauli ad Ephes. c. 4. Quod autem ascendit, quid est, nisi quia & descendit. Unde explicetur 1. Humilitas illius per gradus. 2. Ostendatur, quomodo competens tantæ descensioni ascensio responderit. De quo Vide Bibl. tit. Humilitas. & Auctar.

V. Ex occasione thematis ejusdem potest ostendi, quòd inter alias causas, cur Christus in cœlum ascenderit, etiam fuerit, ut esset advocatus noster, juxta illud 1. Jo. 2. Sed etsi quis peccaverit, Advocatum habemus apud Patrem JESUM Christum. Unde excitentur Auditores ad fiduciam in eo ponendam. 1. Quia potest à Patre omnia impetrare ratione meritorum suorum. 2. Quia vult impetrare ratione Fraternitatis, quam nobiscum participare dignatus est. 3. Quia scit causam nostram agere ratione infinitæ sapientiæ suæ; ut adeò nihil desit, quod ad Advocatum undequaque absolutum requiri posse videatur. Vide Fabrum conc. 3. lit. E.

VI. Ex eodem themate potest ostendi, quomodo non obstante Ascensione dixerit Christus: Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi. Nimirum 1. manet per realem existentiam in Eucharistia. 2. Per cooperationem in operibus nostris, uti ipse insinuavit dicens: Sine me nihil potestis facere. 3. Per protectionem, teste S. Cypriano dicente: Qui pro nobis semel mortem vicit, semper vincit in nobis. 4. Per Patrocinium, ut dictum est in priori numero.

PRO DOMINICA VI. POST PASCHA.

I. EX occasione thematis: *Et vos testimonium perhibebitis de me.* Joan. 15. Ostendi potest, quomodo quivis Christianus testimonium de Christo perhibere debeat, scilicet quatuor modis, quibus communiter testimonium ferre solemus, nempe 1. vivâ voce, cùm occasio se offert. 2. Duorum digitorum erectione, scilicet faciendo bonum & cavendo malum. 3. Sigilli impressione, extraordinaria quædam pietatis opera præstando. 4. Subscriptione, id est manu & opere contestando, se esse verum Christianum, Christíque imitatorem & Discipulum. Vide Fabrum conc. 1.

II. Ex occasione thematis: *Hæc locutus sum vobis, ut non scandalizemini*: possunt tres præcipuè occasiones proponi, in quibus frequenter homines scandalizari solent. 1. in clericis. 2. In Religiosis. 3. In superioribus; doceatur proin modus ejusmodi scandala vitandi, quem Faber tradit conc. 4. lit. C. & D.

III. Ex occasione thematis: *Ille* (Spiritus veritatis) *testimonium perhibebit de me*: Ostendi potest, cur spiritus veritatis tam exosus sit hominibus. Nimirum 1. Quia adversatur sensui impiorum. 2. Quia eorum mores redarguit. 3. Quia invictus est. De quibus Vide Fabrum conc. 5. lit. F. G. H.

IV. Ex eodem themate ostendi potest, quæ testimonia exhibeat spiritus veritatis de nostra fide, nimirum 1. Consensum SS. Patrum. 2. Constantiam Martyrum. 3. Multitudinem miraculorum. 4. Sanctitatem Fidei rectâ ad finem hominis ultimum assequendum perducentem, de quibus vide tit. Fides in Bibl. & Auctario. Item Fabr. conc. 7.

V. Ex eodem themate dici potest, Pilatum quidem olim quæsivisse, quid est veritas? sed hodie magis quæri posse, ubi est? Nam 1. in cogitationibus pauci sunt, qui res apprehendant, ut verè apprehendendæ sunt. 2. In verbis quoque pauci sunt, qui saltem potentioribus veritatem dicere audeant. 3. In factis, quia pauci sunt, qui operâ suæ professioni conformia producunt. Vide tit. Mendacium in Bibl. & Auct.

VI. Ex occasione thematis: *Cùm venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis*: Osten-

stendi potest, quomodo se quivis Christianus ad Spiritus Sancti adventum præparare debeat, scilicet 1. secedendo, quantùm fieri potest, à turbis. 2. Orationi vacando. 3. Concordiam servando. 4. Cum Virginea Matre preces jungendo. Vide tit. Spiritus sanctus in Bibl. & Auctario. & Fabrum conc. 2. in Festo Pentec.

PRO FESTO PENTECOSTES.

I. EX occasione thematis: *Paraclitus autem Spiritus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia.* Jo. c. 14. possunt ostendi causæ, cur Spiritus S. in mundum missus sit, nimirum ut esset Magister Mundi. Unde ostendatur, quàm perfecti omnes veri Magistri proprietates possideat, videlicet 1. Quòd scientiam & artem omnium præstantissimam, utilissimam, & summè necessariam doceat, nempe artem amandi DEUM. 2. Quod etiam perfectissimè calleat, cùm sit ipse Amor Patris & Filii. 3. Quòd habeat facillimum modum docendi, cùm unico momento doctissimos in hac arte efficiat, uti in Apostolis patuit. Quòd sit sanctissimus quoad mores, ita ut nullum sit perversionis periculum; unde Spiritus sanctus per Antonomasiam vocatur. 5. Quòd sit benignissimus, atque adeò *velit* etiam hanc artem docere. Unde excitandi erunt Auditores, ut se illius disciplinæ totos committant, & lectionem ab eo præscriptam diligenter addiscere studeant. Vide tit. Spiritus Sanctus in Bibl.

II. Ex eodem themate ostendi potest, in quo consistat scientia seu ars amandi, quam Spiritus S. docet, scilicet in tribus præceptis à S. Davide Ps. 33. indicatis, quorum primum est: *Declina à malo*: nam proprium est amantium, fugere, quidquid amato displicet. Et hoc præceptum ad viam purgativam spectat. Secundum est: *Fac bonum*, seu virtutes exerce; nam proprium etiam amantium est facere semper, quod amato placet; & hoc præceptum ad viam illuminativam pertinet. Tertium est: *Inquire pacem*: seu perfectissimam voluntatis tuæ cum divina conformitatem: nam proprium amantium est unum fieri; & hoc ad viam unitivam spectat. Vide cit. tit.

III. Ex eodem themate explicari possunt conditiones ad verum Spiritus Sancti Discipulum pertinentes, quorum prima est *magna æstimatio magistri*; nã primus discendi ardor est nobilitas magistri. Secunda conditio est vehemens desiderium artis addiscendæ, quod ex considerata illius præstantia & utilitate concipitur. Tertia est, indefessa industria in ejus doctrinis seu inspirationibus accipiendis. Quarta constans exercitium in iisdem doctrinis practicandis, & executioni mandandis.

IV. Ex eodem themate potest ostendi, quomodo advenientem talem hospitem excipere debeamus, nimirum 1. vehementer desiderando, ad quod præstantia tanti Hospitis considerata non modicè juvabit. 2. Humiliter invitando, cũ Ecclesia, assiduò hoc tempore dicente: Veni S. Spiritus, reple tuorum corda Fidelium. 3. Cum summa reverentia excipiendo. 4. Totam dispositionem domus seu cordis ei committendo 5 Omne, quod ei displicet, fortiter removendo.

V. Ex eodem themate ostendi potest, quòd, cùm Spiritus S. sit amor divinus, nullum corrivalem patiatur, atque adeò omnis amor alius priùs expelli debeat, præsertim lascivus, sensualis, proprius, qui proin explicari debeat, simúlque demonstrari, quòd omnia bona, quæ ab his percipi queant, ab illo infinities meliùs sperari queant. Vide tit. Char. in Bibl. & Auctar.

VI. Ex occasione thematis ejusdem dici potest, quòd Spiritus Sanctus præter alias artes etiam artem rectè loquendi doceat, unde de hac arte per hós tres dies tria docenda sunt, in quo consistat hæc ars, quare studiosè discenda, & quibus mediis. Hodie ergo dicatur artem hanc in tribus consistere, videlicet ut 1. raró. 2. Consideratè. 3. Charitativè loquamur. de quibus Vide tit. Lingua in Bibl.

PRO FERIA II. PENTECOSTES.

I. EX occasione thematis: *Sic DEUS dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret.* Jo. c. 3. Ostendi potest dilectio DEI erga homines triplici ex capite. 1. considerando, quis dederit. 2. Quem dederit. 3. Pro quo dederit. 4. Quem ob finem dederit. 5. Qua conditione dederit. Vide Fabr. conc. 5.

II. Ex eodem themate ostendi potest, quomodo Apostoli vicissim dilexerint Deum, quod explicari potest per illa verba: *musto pleni sunt.* 1. Quia quasi emotæ mentis homines nihil de terrenis rebus senserunt. 2. Quia ut ebrii pocula & vinum, ita illi solum DEUM eructabant, loquentes magnalia DEI. 3. Quia audaces & intrepidos faciebat, ut ebrii esse solent. 4. Quia ut ebrii inflammabantur, sed non nisi divino amore. 5. Quia ut ebrii discurrebant per mundum provocantes ad amorem. 6. Quia lætos & hilares faciebat ut ebrios. Vide Fabrum conc. 6.

III. Ex eodem themate ostendi potest, quomodo verificatum sit illud Eph. 4. *Ascendens in altum dedit dona hominibus*, simúlq; declarari, quàm pretiosum sit donum Spiritus Sanctus, sive 1. In seipso spectetur, nam ut sic infinitæ bonitatis & dignitatis est. Sive 2. Ratione dantis, quia ut sic ex infinito amore & liberalitate procedit. Sive 3. Ex parte accipientis ponderetur, quia ut sic mundo ingratissimo & immerito collatum est. Sive 4. ex parte fructificationis spectetur, quia ut sic quasi infinitum fructum producit. Vide Bibl. eod. tit. & Fabrum conc. 1.

IV.

IV. Ex occasione ejusdem thematis possunt explicari causæ, cur Spiritus S. in specie ignis, venti, columbæ, nubis, linguæ igneæ apparuerit, & ex quavis specie salutaris doctrina erui, & commendari Vide Bibl. tit. Spiritus S. §. 10, n. 2. 3. 4.

V. Ex eodem themate potest inprimis explicari, quid sit donum Spiritus Sancti in genere, videlicet impulsus ad patranda heroica virtutum opera. Deinde possunt ex septem talibus donis priora tria explicari, videlicet 1. Donum *Sapientiæ*, quo contemplamur divina & æterna, & secundùm illa de rebus omnibus iudicamus ex fide & scripturis sacris. 2. Donum *Scientiæ*, quæ versatur circa res creatas, & docet nos ferre judicium de rebus agendis, modum rectè utendi mediis ad salutem, aperit fraudes Dæmonis, mundi, & carnis, suggerens veritatem ad vincendas illas. 3. Donum *Intellectus*, quo discutimus scripturarum difficultates & nodos, sensus litterales & mysticos, figuras & tropos, indéque salutaria documenta capimus, discutimus etiam fidei controversias, conscientiæ scrupulos & laqueos tollimus, & causas litigantium difficiles dijudicamus. Vide Fabrum conc. 4. lit. B. C. D.

VI. Ex eodem themate ostendi potest, quanta damna per linguam malè usurpatam DEO, Christo, Proximo, nostræ Personæ, & rebus nostris inferantur, quámque adeò indigeamus auxilio Spiritus Sancti, qui doceat nos artem loquendi. Vide Bibl. tit. cit.

PRO FERIA III. PENTECOSTES.

I. EX occasione thematis: *Ego veni, ut vitam habeant, & abundantius habeant.* Jo. 10. Potest inprimis ostendi, quæ sit vita illa, propter quam Christus venit, scilicet vita æterna, quæ sola, quia caret omnibus miseriis, & morti non est obnoxia, vera vita dici potest. Deinde ostendi potest, quomodo suo exemplo docuerit, quomodo abundantiùs participari possit hæc vita, scilicet per humilitatem, obedientiam, patientiam, & similes virtutes.

II. Ex occasione ejusdem ostendi potest, quomodo vita in hoc sæculo & statu viæ consistat in charitate DEI, Proximi, & sui ipsius ordinatâ, & quomodo Christus hanc triplicem charitatem velut ignem in nobis accendat. De quo Vide Bibl. tit. Spiritus Sanctus. §. 11. n. 7.

III. Ex eodem themate ostendi potest, quomodo vitam prædictam animæ conservare possimus, nimirum 1. per respirationem, id est, mentis ad DEUM frequentem elevationem, seu orationem. 2. Per cibum varium, puta verbi divini, Evcharistiæ, voluntatis divinæ, seu mandatorum DEI. 3. Per potum aquæ salientis in vitæ æternæ, seu gratiæ divinæ conservationem; vel etiam sanguinis Christi ex frequenti Sacramentorum usu hausti. 4. Per somnum seu animi quietem, dum certis temporibus anima à curis & negotiis sæcularibus avocatur, & rebus divinis applicata quiescere sinitur.

IV. Ex occasione thematis: *Ego sum ostium*: Ostendi potest, quotupliciter *Christus sit ostium*, nimirum 1. Ostium Pastoralis officii, quia hoc nemo nisi per potestatem ab ipso acceptam habere potest. 2. Ostium Ecclesiæ, quia in hanc nemo, nisi per Christi fidem & baptismum ingreditur. 3. Ostium gratiæ; quia nemo hanc obtinere potest, nisi per merita Christi. 4. Ostium gloriæ, quia nemo ad hanc intrare potuisset, nisi ipse cælos reserâsset. Incitentur proin Auditores, ut de Christo dictum putent illud Prov. 8. Beati, qui vigilant ad fores meas quotidie, & observant ad postes ostii mei; qui me invenerint, invenient vitam, & haurient salutem à Domino. Vide Fabrum conc. 9. lit. C.

V. Ex occasione thematis: *Ego veni, ut vitam habeant*: explicari possunt reliqua quatuor dona Spiritus Sancti videlicet 1. Donum *consilii*, quo instruimur, priusquam magnum aliquid, & periculosum aggrediamur, definiamus, mandemus, loquamur. 2. Donum *Fortitudinis*, quo coroboratur cor nostrum, ut quodvis temporale damnum pati velimus, ne æternum incurramus. 3. Donum *pietatis*, quo excitat nos Spiritus Sanctus ad Religionem & amorem cultus divini, nec non ad curam proximi, emolliens cor nostrum, ut DEI voluntati ac cultui se submittat, & ad proximum inclinet. 4. Donum *timoris*, quo immittit in cor varia argumenta, quæ superbiam & vanitatem nostram retundant, ac timere DEUM faciunt. Vide Fabrum fer. 2. post Pentec. conc. 4. lit. E. F. G. H.

VI. Ex eodem themate ostendi possunt media ad artem rectè loquendi, per quam vel maximè vita animæ abundantiùs acquiritur, addiscendam, quorum primum est *oratio*, per quam dicatur cum Davide Ps. 140. Pone Domine, custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis. Secundum *silentii amor*; nemo enim securè loquitur, qui non libenter tacet. Tertium *consideratio*: ut S. Augustinus suasit dicens: omne verbum priùs veniat ad limam, quàm ad linguam. Quartum *mulcta* pro transgressionibus imponenda, ita ut cum Seneca dicatur: Ego mihi irascor, & ego à me pœnas exigam. Quintum *radicis extirpatio*; quæ est, teste Thoma Kempensi l. 1. c. 10. quòd per mutuas locutiones consolari ab invicem quærimus, & libenter de his, quæ multùm diligimus, vel cupimus, vel contraria nobis sunt, loquimur. Vide Biblioth. tit. Lingua.

PRO FESTO SS. TRINITATIS ET DOMINICA I. POST PENTECOSTEN.

I. EX occasione thematis: *Docete omnes Gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*: Matth. 28. potest 1. ostendi, quàm meritò mysterium SS. Trinitatis credatur tum ob figuras veteris testamenti, tum ob textus novi, tum ob miracula hunc in finem edita. 2. Cur quivis Christianus eam profiteri debeat, nempe quia hæc professio est nostra tessera contra infideles: est scopus & regula nostrarum actionum, unde dicitur: Gloria Patri &c. est clypeus contra Dœmones: est cythara laudis divinæ, per quam cum Angelis canimus: Sanctus, Sanctus, Sanctus &c, Vide Bibl. tit. DEUS. & Fabr. c. 1. & 2.

II. Ex eodem themate ostendi potest 1. cur hoc Festum à Christianis summa cum devotione sit celebrandum, quia scilicet est Festum omnium trium Personarum, atque adeò celeberrimum. 2. Quomodo debeat celebrari, nimirum firmiter eam credendo, firmiter in eam sperando (quia potest juvare propter potentiam Patris: & scit juvare propter sapientiam Filii, & vult juvare propter bonitatem Spiritus Sancti) atque adeò semper cogitando, quæ placeat illi propter patrem, loquendo propter Filium, operando propter Spiritum Sanctum. Vide Bibl. l. c.

III. Ex eodem themate ostendi potest, quomodo SS. Trinitati perpetuum *Gloria Patri*, aut *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, cani possit, si videlicet omnes cogitationes, verba, & opera purissimè ad majorem DEI gloriam referantur; aut si semper facere studeamus, quæ DEO magis placent, quo modo magis placent, & quia magis placent. Ostendatur proinde, quàm excelsus, Deóque gratus, atque adeò & nobis utilis futurus sit hic modus colendi SS. Trinitatem. Deinde quomodo hic ipse modus practicè usurpari possit, & debeat.

IV. EX occasione ejusdem thematis ostendatur, quòd homo peculiari ratione obligetur ad colendam SS. Trinitatem, eò quòd creatus sit ad imaginem ejusdem; quem enim magis amaret imago si posset, quàm illum, cuius est imago? ostendatur ergo 1. vel ex ipso corde triangulari, atque anima, tribúsque potentiis, quòd creatus sit ad imaginem SS. Trinitatis; dein quomodo imaginem hanc venerari, mundam conservare, &, ubi opus fuerit, renovare debeat.

V. Ex occasione ejusdem thematis ostendi potest, quomodo quivis Christianus hodie imitari debeat servum illum, qui à Domino suo ad conventum Dœmonum ductus, & lucifero homagium præstare jussus, renuit id facere, dicénsque: Reddo me SS. Trinitati, Patri, Filio, & Spiritui Sancto: totum conventiculum dissipavit. Ostendatur proin, quomodo quisque se reddere SS. Trinitati debeat, videlicet. 1. Per seriam detestationem vitæ præteritæ. 2. Per novum propositum, seriò & constanter illi serviendi. 3. Per novam oblationem omnium suarum actionum ad majorem gloriam ejusdem SS. Trinitatis.

VI. Ex eodem themate ostendatur, cur quivis homo se totum SS. Trinitatis obsequio cum summa fiducia consecrare debeat ob tria attributa eidem specialiter convenientia, scilicet ob potentiam Patris, sapientiam Filii, bonitatem Spiritus Sancti, de quibus vide Fabrum conc. 5.

PRO DOMINICA II. POST PENTECOSTEN.

I. EX occasione thematis: *Homo quidam fecit cœnam magnam*: Luc. 14. Potest ostendi, quòd cœna hæc magna sit ipsa vita æterna seu beatitudo, quæ meritò dicitur magna 1. Quia in ea reperiuntur omnis generis delitiæ velut epulæ. 2. Quia ibi satietas & abundantia plenissima habetur. 3. Quia musica præstantissima & suavissima beatorum DEUM laudantium auditur. Unde excitentur Auditores ad magnum desiderium hujus cœnæ concipiendum, & ut diligenter se ad eam præparent vocationi suæ respondendo. Vide Fabrum conc. 10. lit. c.

II. Ex eodem themate potest Evcharistia huic cœnæ magnæ comparari, quia continet triplicis generis fercula in conviviis splendidis apponi solita. 1. Fercula oculos solùm delectantia, & admiranda (Bschauessen) quia in ea plurima continentur miracula, quæ solùm oculo Fidei aspici & credi debent. 2. Fercula solida (Hauptspeissen) quia Evchatistia animam satiat, nutrit, pinguefacit, roborat. 3. Bellaria (Confect) quia præbet delicias Regibus, id est, qui super seipsos regnant. Vide Bibl. tit. Evch. & Auctarium tit. Communio.

III. Ex eodem themate potest Evcharistia comparari convivio Assueri. 1. Propter dignitatem instituentis. 2. Propter multitudinem invitatorum. 3. Propter cibos & potum præstantissimum. 4. Propter sumptionem, ad quam nemo cogebatur, sed quisque sumebat, quantùm volebat, id est, juxta dispositionem: Vide ll. cc.

IV. Ex occasione thematis: *Et cœperunt se omnes excusare*: possunt frivolæ excusationes, per quas aliqui à frequenti communione se excusant, afferri, & refutari, quarum prima est, respectus humanus; quid dicent homines? Secunda, quòd Ecclesia semel duntaxat communionem quovis anno præcipiat. Tertia consuetudinis malæ deponendæ difficultas. Quarta, quòd nullus advertatur fructus. Quinta, quòd frequentior usus pariat contemptum. Sexta negotiorum multitudo. Septima, quòd quis non audeat ampliùs lætus esse ob perpetuam recollectionem.

Octava,

Octava, quod indignus sit tam frequenti communione. Nona, quòd reverentia exigat rariorem communionem.

V. Ex occasione thematis : *Et vocavit multos :* possunt causæ afferri, cur solemnis processio circa hanc octavam instituatur, videlicet 1. Ut gratos nos pro beneficio Eucharistiæ institutæ exhibeamus. 2. Ut compensemus, quod per annum neglexinus. 3. Ut aliorum injuriæ resarciantur. 4. Ut hæreticorum perfidia redarguatur. 5. Ut oppida & arces muniantur contra hostes, exemplo S. Claræ, hostes per Eucharistiam fugantis. Vide Bibl. tit. Eucharistia §. 11. n. 21.

IV. Ex eodem themate ostendi potest, quomodo Christum in corpus nostrum per privatam processionem introducere debeamus. 1. Præferendo crucem confessionis. 2. Perticas ornatas floribus per modestiam exteriorem & interiorem corporis portando. 3. Musicos choros congregando per laudes Christo cantatas. 4. Angelos introducendo per varias virtutes exercitas. 5. Christum in argentea capsa per puritatem, & deaurata per charitatem portando. 6. Proceres seu cœlites ad comitandum Christum invitando. 7. Ignes festivos per tormentorum explosionem excitando, id est, actus charitatis erga DEUM, proximum, & seipsum exercitos. 8. Hymnum Ambrosianum per gratias actas cantando, vel dicendo. Vide tit. cit. & Fabrum in Sylva them. 5.

PRO DOMINICA III. POST PENTECOSTEN.

I. EX occasione thematis : *Nonne dimittit 99. oves in deserto, & vadit ad illam quæ perierat.* Luc. c. 15. Ostendi potest, cur animæ cura omnibus præponenda sit, nempe 1. Quia cùm ad imaginem DEI facta, & pretioso Christi Sanguine sit redempta, omnibus rebus creatis, exceptis Angelis præponderat; hinc nihil aliud prodest, si anima perdatur. 2. Quia unam duntaxat animam habemus, quâ perditâ omnia perdidimus. 3. Quia anima est pretiosissimum talentum à DEO concreditum, de quo proin severissima ratio est reddenda. Vide Bibl. tit. Anima. & Auct.

II. Ex occasione thematis : *Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam, quæ perierat :* potest ostendi utilitas pænitentiæ 1. Ob reparationem gratiæ. 2. Ob restitutionem meritorum. 3. Ob restitutionem tranquillitatis conscientiæ. 4. Ob famam recuperatam. De quibus vide Bibl. & Auct. tit. Pœnitentia. & Fabrum conc. 2. & in Sylva them. 2.

III. Ex occasione thematis : *Gaudium erit coram Angelis DEI :* Ostendi potest, cur Angeli gaudeant super peccatore pænitentiam agente, nimirum 1. propter DEUM, cujus imago reparatur. 2. Propter Christum, cujus ovicula summè amata inventa est. 3. Propter Spiritum Sanctum, cujus templum mundatum & reconciliatum est. 4. Propter ipsos Angelos, quorum numerus instauratur. 5. Propter ipsos peccatores, qui ab æterno interitu liberantur. 6. Propter dæmones, quibus præda gratissima eripitur. Vide Fabrum conc. 9. & in Sylva them. 3.

IV. Ex eodem themate ostendi potest, cur majus gaudium sit super uno pœnitente, quàm 99. justis, nimirum 1. Quia jucundius DEO spectaculum exhibetur per vim & victoriam à peccatore de seipso relatam. 2. Quia propter peccatores Christi incarnatio & passio, ex quibus infinita bona provenerunt, decreta est. 3. Quia peccatores hoc ipso, quòd dimissa sint illis peccata multa, cum S. Magdalena plùs diligunt. Vide Fabrum in Sylva.

V. Ex occasione thematis : *Si perdiderit drachmam, nonne accendit lucernam ?* Potest ostendi, quòd etiam damnum ex peccato veniali ortum sit magnifaciendũ ac reparandum, quia talia peccata, multa bona auferunt, putà conscientiæ tranquillitatem, favorem DEI, meriti augmentum, gratias DEI speciales, profectum in virtutibus. 2. Multa mala inferunt, puta maculam animæ, imminutionem charitatis, vitium animæ debilitatem, dispositionem ad peccatum mortale. Vide ibid. them. 2.

VI. Ex eodem themate potest ostendi, cur DEUS in nobis accenderit lucernam conscientiæ, nempe 1. ut sciremus, quid agendum aut omittendum. 2. Ut retraheret à malo, & impelleret ad bonum. 3. Ut actionum nostrarum esset testis. 4. Ut esset accusator nostrarum actionum, & tutor proximi. Vide l. c. them. 5.

PRO DOMINICA IV. POST PENTECOSTEN.

I. EX occasione thematis : *Cùm turba irruerent in IESUM, ut audirent Verbum DEI.* Luc. 5. Potest ostendi, cur verbum DEI libenter & studiosè sit audiendum. Nimirum 1. Propter DEUM, cujus Epistola est verbum DEI. 2. Propter amorem Christi, qui est increatum verbum DEI. 3. Propter nostram necessitatem & utilitatem, quia est signum prædestinationis : cibus spiritualis animæ; myrothecion spirituale : armamentarium animæ : optimum instrumentum ad perfectionem acquirendam. Vide Bibl. tit. Verbum DEI §. 8. & Auctarium tit. eodem. §. 6.

II. Ex eodem themate possunt proponi & solvi utiles quædam quæstiones de hac materia. 1. Cur nullum præceptum datum sit de verbo DEI audiendo. 2. Cur viva vox prævaleat mortuæ voci librorum. 3. Cur SS. Patres præferant Verbum DEI corpori Christi. 4. Quis sit triplex auditus, quem Doctores requirint ad fructuosè audiendum verbum DEI, scilicet auditus naturæ, quo ver-

bum suscipitur : auditus intelligentiæ, quo sensus verbi discernitur : auditus obedientiæ, quo res verbi efficitur. Vide Auctar. tit. eod. §. 8.

III. Ex eodem themate possunt aliæ quæstiones circa fructum verbi divini proponi, nimirum 1. Quis fructus sit quærendus in audiendo verbo DEI. 2. An semper aliquis sentiatur. 3. Cur sæpe non magnus sequatur. 4. An in tali casu desistendum ab auditione. 5. An desistendum tunc à prædicatione; 6. Quomodo reportandus fructus. Quas quæstiones vide solutas in cit. §. Auctar. Item in Bibl. §. 10.

IV. Ex occasione thematis : *Duc in altum, & laxate retia vestra in capturam:* Ostendi potest, quomodo quivis Christianus perfectus esse possit, & debeat. 1. Quia hanc perfectionem exigit natura, DEUS, Christus, & exempla Sanctorum. 2. Quia consistit in duobus tantùm præceptis : Declina à malo & fac bonum. 3. Quia ad hæc præcepta omnes habent copiosa media, scilicet Instructores, auxilia DEI, Sacramentorum usum, exempla sociorum. Vide tit. Perfectio in Bibl. & Fabrum conc. 4. & Sylva them. 4.

V. Ex eodem themate possunt proponi industriæ, quibus multa & magna merita non magno labore comparari queant. Videlicet si 1. Intentio sit purissima ex solo charitatis motivo elicita. 2. Si alacritas in operibus ostendatur 3. si difficultates occurrentes generosè superantur. 4. Si liberales nos erga DEUM ostendamus. Vide Fabrum in Sylva them. 5.

VI. Ex occasione thematis : *In verbo tuo laxabo rete* : Ostendi potest, quantam efficaciam habeat obedientia. 1. Ad DEI beneplacitum augendum. 2. Ad meritorum incrementum. 3. Ad fructum in proximi salute copiosum obtinendum. Vide tit. Obedientia in Bibl. & Auctar.

PRO DOMINICA V. POST PENTECOSTEN.

I. EX occasione thematis : *Nisi abundaverit Iustitia vestra plus, quam Pharisæorum.* Matt. 5. Potest ostendi, quàm multipliciter vitium Hypocrisis regnet in mundo, & 1. apud Christianos, qui nomen sine operibus habent. 2. Aqud devotos, qui fictam pro vera & solida virtute exercent. 3. Apud politicos, qui curam boni reipublicæ se habere præ se ferunt, cùm tamen nonnisi proprium interesse quærant. 4. Apud falsos amicos, qui veram amicitiam simulant. 5. Apud Religiosos & Clericos, qui habitu perfectionem mentiuntur, nihil minùs autem opere præstant. Vide tit. Hypocr. in Bibl.

II. Ex eodem themate potest ostendi, in quo consistat vera justitia & virtus, nimirum 1. Ut ex bona intentione eliciatur, vel ex communi motivo charitatis divinæ, vel ob specialem honestatem cujusque virtutis. 2. Ut discretè eliciatur, nam discretio omnibus virtutibus modum & ordinem præscribit. 3. Ut constanter eliciatur, nam ficta in naturam suam citò recidunt, uti ex fucata pulchritudine patet. Vide Bibl. & Auct. tit. Virtus, & Hypocrisis.

III. Ex eodem themate ostendi potest, quàm odiosum, inexcusabile, perniciosum, & curatu difficillimum, ac Diabolicum sit hoc vitium, de quibus vide Bibl. tit. Hypocrisis §. 7.

IV. Ex occasione thematis : *Omnis, qui irascitur Fratri suo, reus erit judicio*: Potest ostendi, quòd ira sit similis triplici lanceæ, quâ Absalon à Joabo perfossus est, nam corpori, animæ, & rebus fortunæ tum propriis, tum alienis nocet gravissimè. Dein ostendatur, quomodo contra hanc triplicem lanceam pectus triplici ære, seu lorica, scilicet consideratione longanimitatis divinæ, consideratione proximi, ut instrumenti Justitiæ divinæ, consideratione propriæ fragilitatis muniendum sit. Vide Bibl. & Auct. tit. Iracundia.

V. Ex eodem themate possunt variæ quæstiones circa iracundiam proponi & solvi. Nimirum 1. Quod sit discrimen inter iram & indignationem. 2. Quando ira peccaminosa sit. 3. Qui sint gradus iræ. 4. Quomodo ira sit usurpanda. 5. Quibus non irascendum, quæ omnia Vide in Auctario tit. Ira. §. 9. & Fabr. conc. 4.

VI. Ex occasione thematis : *Vade prius reconciliari Fratri tuo*: potest ostendi 1. Cur inimicitia DEO tam exosa sit. 2. Cur Christo. 3. Cur hominibus. 4. Cur ipsi iracundo, de quibus vide tit. Iracundia in Bibl. & Auct.

PRO DOMINICA VI. POST PENTECOSTEN.

I. EX occasione thematis : *Unde ememus panes?* Marc. 8. Ostendi potest, cur & quando consilium petendum; hinc 1. Ostendatur necessitas, quia nemo sibi sapiens satis : utilitas, quia salus, ubi multa consilia : jucunditas, quia sicut odoribus delectatur cor, ita bonis amici consiliis anima dulcoratur : & securitas, quia si quis sine consilio nihil faciat, post factum non pœnitebit. Deinde ostendatur, in quibus casibus sit maximè petendum, nimirum 1. in electione status. 2. In reformatione vitæ. 3. In tentationibus & adversitatibus, in quibus animus perturbatus, quid agendum sit, difficulter videre potest. 4. In gravioribus negotiis, præcipuè patriæ salutem concernentibus. Vide Bibl. tit. Consilium.

II. Ex occasione thematis : *Unde istos quis poterit saturare panibus?* Potest ostendi, quomodo homines in egestate habere se debeant, videlicet per triduum Fidei (quâ credatur, ipsum scire, posse & velle juvare) spei, (quâ auxilium ab ipso petatur) & charitatis, quâ mandata ipsius observentur, & voluntas ipsius æquo animo acceptetur, nec murmuretur. Vide tit. virt. in Bibl.

III,

III. Ex occasione thematis : *Misereor super turbam* : Ostendi potest, erga quos præcipuè misericordiam ostendere debeamus, videlicet 1. erga pauperes. 2. Erga afflictos. 3. Erga peccatores. 4. Erga defunctos, de quibus vide tit. Misericordia in Bibl. & Auct.

IV. Ex eodem themate ostendi potest potissimum motivum misericordiæ exercendæ, videlicet quòd sit signum prædestinationis ad vitam æternam, idque probetur 1. ex promissione Christi : Beati misericordes, quoniam misericordiam consequentur. 2. Ex textibus S. Scripturæ. 3. Ex SS. Patribus. 4. Ex experientia, quâ S. Hieronymus testatur, se nunquam vidisse malâ morte defunctum, qui libenter opera misericordiæ exercuit. 5. Ex æquitate; quia conveniens est, ut, quâ mensurâ alteri metimur, eâdem & nobis DEUS metiatur.

V. Ex eodem themate ostendi potest, quòd Christus Luc. 6. dicens: Estote misericordes, sicut Pater vester cœlestis misericors est : omnium doctrinarum ad misericordiam spectantium compendium exhibuerit. Nam 1. ostendit quomodo sit exercenda, offerens pro Idea exemplum Patris æterni. 2. principale motivum, scilicet summam dignitatem ex eo ortam, quòd Patri cœlesti nos similes faciat. 3. Medium efficacissimum suggerendo, scilicet exemplum misericordiæ, quam Pater cœlestis erga nos ostendit. Unde meritò dicitur : nónne & te oportuit misereri conservi tui ? Vide cit. tit.

VI. Ex eodem themate ostendi potest, quomodo misericordiam metiri & exhibere proximo debeamus, scilicet 1. dando mensuram bonam per bonam voluntatem. 2. Confertam per actualem eleemosinam. 3. Coagitatam per liberalitatem. 4. Supereffluentem per hilaritatem. Dein ostendi potest, quomodo vicissim accepturi simus mensuram bonam in temporalibus bonis : confertam per augmentum gratiæ in virtutibus & meritis : coagitatam per felicem mortem & liberationem è purgatorio : super effluentem per copiosum gloriæ augmentum. Vide tit. cc.

PRO DOMINICA VII. POST PENTECOSTEN.

I. EX occasione thematis : *Omnis arbor bona bonos fructus facit.* Matt. c. 7. Ostendi potest 1. quàm convenienter homo à nonnullis arbori inversæ comparetur, quæ ramos versus cœlum exporrigat. 2. Quàm præstans sit arbor, sive rectitudinem, sive altitudinem, sive fœcunditatem attendas. 3. Quanto studio colenda, cùm arbores materiales longè viliores tanto studio colamus.

II. Ex eodem themate ostendi potest, quomodo arbor animæ nostræ colenda sit; videlicet 1. danda opera, ut firmas agat radices timoris DEI. 2. Ut stercoretur, vel irrigetur per Sacramentorum usum, aliáque media ad gratiam obtinendam & retinendam necessaria. 3. Ut inutiles rami concupiscentiæ inordinatæ præscindantur. 4. Ut à vermibus tentationum defendatur. 5. Ut DEO vel Sanctis custodienda commendetur, ut olim certis Diis commendabantur.

III. Ex eodem themate ostendatur, ex quibus indiciis arbor bona cognoscatur, nempe primo ex floribus bonorum desideriorum (auß der Blühe) Secundò ex foliis efficacium propositorum. Tertiò ex fructibus operum statui convenientium.

IV. Ex eodem themate ostendatur, quare bonis operibus sedulò vacandum, scilicet 1. ob necessitatem, quia ex bonis operibus homo justificatur. 2. Ob utilitatem; quia opera ista sunt veræ divitiæ spirituales. 3. Ob jucunditatem; quia gaudebit homo semper vespere, si diem insumat fructuosè. 4. Ob dignitatem, quia per bona opera assimilatur Deo, qui vidit opera sua, & erant valde bona : & Christo, qui omnia bene fecit. 5. Ob facilitatem, quia Deus magis pensat, ex quanto, quàm quantùm quis agat; hinc Christus onus suum leve, & jugum suave esse dixit. Vide Bibl. tit. Opus Bonum.

V. Ex occasione thematis: *Non omnis, qui dicit : Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum* : potest ostendi, quinam hæc verba malè usurpent, nimirum 1. Hæretici, qui credunt, se per solam fidem justificari. 2. Tepidi Christiani, qui solo nomine contenti sunt. 3. Devoti Christiani, qui in solis externis signis suam devotionem ponunt. 4. Inconstantes Christiani, qui multa proponunt, pauca exequuntur. Vide Fabrum conc. 4.

VI. Ex occasione thematis : *Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium* : ostendi potest, quòd per hos Prophetas rectè designentur hæretici, qui vestimenta ovium gerunt, ob sequentes causas. 1. Quia semper verbis apparenter piis utuntur, dicentes se esse Evangelicos & Catholicos. 2. Quia in aliquibus articulis conveniunt cum Catholicis. 3. Quia assiduò S. Scripturam allegant. 4. Quòd quasdam doctrinas bonas & laudabiles tradant. 5. Quòd in quibusdam bonis operibus sint valde ferventes v. g. in oratione, verbi divini auditione, eleemosyna danda, & similibus. Quare detrahantur illis hæc vestimenta, ostendendo, quòd lupi potiùs dicendi sunt, ob insidias veris ovibus structas.

PRO DOMINICA IIX. POST PENTECOSTEN.

I. EX occasione thematis : *Diffamatus est apud eum, quasi dissipâsset bona illius.* Luc. c. 16. potest ostendi, quàm multi sint ejusmodè villici dissipantes varia bona. Et 1. quidem bona animæ, puto gratiam & virtutes, scientiam & doctrinam, honorem & famam. 2. Bona corporis, puta formam & pulchritudinem, robur & valetudinem, ipsam vitam. 3. Bona fortunæ, puta divitias, nobilitatem, digni-

gnitatem, fruges; quæ omnia quomodo dissipentur, vide apud Fabrum conc. 3.

II. Ex eodem themate ostendi potest pessimum villicum dissipantem bona Domini sui esse, qui tempus dissipat. 1. Quia nihil nobilius tempore, utpote per quod Deus emi potest. 2. Quia damnum temporis irrevocabile est. 3. Quia teste Seneca, omnia alia aliena sunt, solum tempus nostrum est. Vide Bibl. & Auctar. Tit. Tempus.

III. Ex occasione thematis: *Facite vobis amicos*: potest ostendi, quòd amici præ aliis faciendi sint pauperes. 1. Quia potentes sunt ad intercedendum pro nobis utpote ab eleemosyna comitatur. 2. Quia fideles sunt, utpote ad ipsum usque Judicem comitantes. 3. Quia multi sunt; impossibile autem est, multorum preces non audiri.

IV. Ex eodem themate potest ostendi, per hos amicos potissimùm intelligi à SS. Patribus Sanctos in cœlis existentes. Utpote qui 1. sciunt juvare, utpote plenam miseriarum nostrarum notitiam habentes. 2. Possunt juvare utpote intimi amici DEI, & sua ac Christi merita prætendentes. 3. Volunt juvare, quia summè diligunt nos, ideóque specialiter curabunt, ut, sicut ipsi recepti sunt in æterna tabernacula, ita & nos quoque in illa recipiamur. Vide tit. Sanctorum cultus in Bibl. & Fabrum conc. II. lit. F.

V. Ex occasione thematis: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis*: explicari potest, cur divitiæ mammona iniquitatis vocatæ sint. Nimirum 1. Quia sæpe per iniquitatem comparantur. 2. Quia facilè iniquos faciunt. 3. Quia sæpe cum iniquitate usurpantur. 4. Quia frequenter iniquè & inæqualiter dispensantur; unde Auditores excitandi sunt, ut meliùs easdem usurpando vitium illarum corrigant. Vide Bibl. tit. Divitiæ.

VI. Ex occasione thematis: *Filii hujus sæculi prudentiores sunt Filiis lucis*: ostendi potest, in quo sint prudentiores, nimirum 1. Quia magis seduli & industrii sunt ad saginandum corpus. 2. Quia magis attenti sunt ad temporalia bona obtinenda. 3. Quia magis vigilant ad nocendum aliis. 4. Quia plura sæpe faciunt & excogitant; ut tueantur sua scelera, ut defendant, & propagent hæreses. 5. Quia diligentiùs sibi in futurum prospiciunt de rebus necessariis in hac vita, quàm justi pro æternitate. Unde inferendum cum Thoma Kemp. l. 3. c. 3. Erubesce ergo, serve piger & querulose, quòd illi paratiores inveniantur ad perditionem, quàm tu ad vitam. Gaudent illi ampliùs ad vanitatem, quàm tu ad veritatem. Vide cit. caput & Fabrum Conc. II. lit. G. & silvam them. 2.

PRO DOMINICA IX. POST PENTECOSTEN.

I. EX occasione thematis: *Venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo.* Luc. 19. potest ostendi, quomodo hæc omnia in morte hominis præsertim peccatoris contingent. Et 1. Inimici circumdabunt vallo, nempe dœmones, peccata, curæ sæculares. 2. Coangustabunt undique, quia supra se videbit severum Judicem, infra se infernum aut purgatorium, intra se vermem conscientiæ, extra se amicos & bona deserenda. Ante se mortem appropinquantem, post se judicium incertum. 3. Ad terram prosternent, id est, sepulchrum, ut esca vermium fiat. 4. Non relinquent lapidem super lapidem, quia omnibus suis bonis temporalibus, imò & spiritualibus, si in malo statu est, privabitur, quæ omnia vide fusiùs apud Fabrum Conc. 1.

II. Ex occasione thematis: *Videns Jerusalem flevit super illam*: Potest ostendi, quòd Christus quadruplicis generis lacrymas effuderit in vita. 1. In infantia lachrymas naturæ. 2. In morte & resurrectione Lazari lacrymas amoris. 3. In fletu super Jerusalem lacrymas admonitionis. 4. In cruce, dum offerendo satisfactionem suam effudit lacrymas satisfactionis. ex quibus omnibus morales doctrinæ eruendæ, uti Forerus in hac Domin. ostendit.

III. Ex eodem themate ostendi potest; duplicis generis lacrymas effundi ab hominibus solere. 1. Bonas, quæ vel ex devotione aut auditione verbi divini, vel ob peccata propria aut aliena, vel compassionem cum proximo eliciuntur. 2. Malas, si ex dolo & falso corde, aut invidia, pusillanimitate, aut desperatione, ex ira, aut immoderato luctu super mortuos funduntur; quarum ambarum utilitas vel damnum demonstratur. Vide For. l. c.

IV. Ex occasione thematis: *Si cognovisses & tu*: Ostendi potest, quantopere conducat ad vitam meliùs instituendam, novissimorum consideratio juxta illud Siracidis: In omnibus operibus tuis memorare novissima, & in æternum non peccabis: id quod clariùs per inductionem probari potest. Vide in Bibl. & Auctario tit. Mors, Judicium, Infernus, Beatitudo.

V. Ex occasione thematis: *Domus mea domus orationis est*: Ostendi potest, non tantùm eam esse domum orationis, sed etiam reconciliationis pro pœnitentibus, Instructionis pro audientibus verbum DEI: & jubilationis ac laudis juxta Psf. 87. In Ecclesiis benedicite DEO. Unde excitentur Auditores ad templa ob hos fines frequenter & devotè visitanda Vide Forer. l. c.

VI. Ex occasione thematis: *Cœpit ejicere in illo & ementes, & vendentes*: Ostendi potest, quomodo triplici funiculo ejici debeant garrientes in templo; quorum primus est offensa DEI, quia blasphemia, Sacrilegium, & Idololatria committitur. Secundus offensa proximi, nimirum SS. Angelorum & reliquorum cœlitum, quibus hæc irreverentia summè displicet; hominum devotorum, qui-

quibus impedimentum & dolor creatur; parvulorum; qui graviter scandalizantur. Tertius offensa propria, per jacturam favoris divini, meritorum, & benedictionis divinæ, famæ.

PRO DOMINICA X. POST PENTECOSTEN.

I. EX occasione thematis : *DEUS gratias ago tibi*. Luc. c. 18. Ostendi potest, cur gratiæ DEO devotè persolvendæ. Quem in finem ob oculos poni possunt tot flumina in orbe creata, ut ab illis grati esse discamus; nam 1. Sicut omnia flumina exeunt à mari, ita omnia beneficia proveniunt à DEO. 2. Sicut omnia flumina redeunt ad mare, & quasi cum gratitudine restituunt mari aquas, ita & homo per gratitudinem DEO sua beneficia restituere debet. 3. Sicut flumina intrant mare, ut iterum fluant; ita homo gratus esse debet pro beneficiis, ut nova recipere mereatur. Pro quo conceptu Vide Bibl. & Auctarium tit. Gratitudo.

II. Ex eodem titulo ostendi potest, quòd DEUS omnia beneficia *optimo modo* contulerit, videlicet in creatione dando intelligere velut optimum essendi modum: in Redemptione totum sanguinem & vitam profundendo, cùm unica gutta sufficisset: in Eucharistia totam divinitatem & humanitatem cum omnibus communicando: in Justificatione gratiam velut præstantissimum Entis genus infundendo, cùm sola voluntas sufficisset: in glorificatione visionem beatificam conferendo; cùm mille alios modos obsequia nostra compensandi habuisset. Unde inferatur, quòd deceat etiam modo optimo gratias agere, scilicet omnes gratitudinis gradus implendo, id est, cogitatione, verbo, & opere gratias agendo, seu agnoscendo, laudando, & serviendo perfectissimè. Vide Bibl. & Auctar. tit. Gratitudo.

III. Ex occasione thematis : *Duo homines ascenderunt in templum, ut orarent* : Ostendi potest, quid in templis agendum, scilicet 1. Silendum. 2. Sensus custodiendi. 3. Vigilandum, & non dormiendum. 4. Corpus debitè componendum. 5. Orationi vacandum. 6. Finis officiorum divinorum exspectandus. Vide Fabrum conc. 1.

IV. Ex eodem themate ostendi potest, quâ præparatione ad templum sit accedendum, scilicet 1. corde contrito. 2. Cum exclusione curarum domesticarum. 3. Cum humilitate. 4. Cum bona intentione. 5. Cum debita tempestivitate. Vide Fabrum conc. 1.

V. Ex occasione thematis : *Qui se exaltat, humiliabitur* : Potest ostendi, quod neque 1. Sapiens ob sapientiam suam. Nec 2. Dives ob divitias suas, etiam spirituales seu opera bona. Nec 3. Fortis in dignitate & potestate magna constitutus ob fortitudinem suam, gloriari possit, sed ob hoc solum, quòd sciat, & noscat, & amet DEUM. Vide tit. Humilitas. in Bibl. & Auct.

VI. Ex occasione thematis : *Qui se humiliat, exaltabitur* : Potest ostendi quomodo humiles exaltet DEUS, dando ipsis nomen & æstimationem, apud cœlestes, terrestres, & inferos, quæ omnia facilè per varias S. Scripturæ, & SS. Patrum sententias, historiásque probari possunt. Uti in Bibl. & Auctario videre licet.

PRO DOMINICA XI. POST PENTECOSTEN.

I. EX occasione thematis : *Adducunt ei surdum & mutum* : Marc. c. 7. Ostendi potest, quomodo quisque proximum suum ad Christum, ut curetur, adducere debeat, scilicet oratione verbo, & exemplo juxta illud S. Bernardi ep. 101. Nunc autem manent tria hæc, verbum, exemplum, oratio; major namque horum oratio, hæc namq; operi & voci gratiam & efficaciã tribuit. Dein ostendatur, cur eum dicto modo adducere debeat, scilicet 1. Quia voluntas DEI & Christi id exigit. 2. Quia Christianum tanquam Fratrem id decet. 3. Quia dignitas & utilitas operis id suadet. Vide Bibl. & Auctarium tit. Zelus. item Fabrum in Sylva them. 1.

II. Ex occasione thematis : *Loquebatur rectè* : Ostendi potest ex ipsa linguæ structura, quomodo rectè loquendum sit. Nam 1. Lingua radicem in corde habet, ut corde consentiat. 2. Unica est, ut loquaris parcè. 3. In ore calido est, ut spiret ædificationem & amorem. 4. In ore humido est, ut loquaris cautè. 5. Infra oculos, aures & nares est sita, ut loquaris, postquam audieris, circumspexeris, & docueris teipsum. 6. Ori quasi carceri inclusa est, septa duplici vallo dentium & labiorum, ut rarò & considerate loquaris, vide Fabrum in Sylva them 4. & Bibl. v. Lingua.

III. Ex eodem themate ostendi potest, quando tacendum sit, nempe 1. quando nullus fructus speratur. 2. Quando arcana sunt credita. 3. Quando sermo proximo est nocivus. 4. Quando beneficium alteri collatum est. 5. Quando propria causa agitur. Vide Fabrum in Sylva them. 5.

IV. Ex occasione Thematis : *Adducunt ei surdum* : Ostendi potest, quinam malè sint surdi, & curatione egeant, nempe 1. Qui bona consilia & correctiones non audiunt. 2. Qui verbo DEI aures occludunt. 3. Qui litigantium causas non audiunt, vel expediunt. 4. Qui veniam petentes audire nolunt.

V. Ex occasione thematis : *Bene omnia fecit* : Ostendi potest, inprimis hoc elogium esse omnium præstantissimum, cùm juxta Ascetas summa Christiani perfectio sit, quotidiana opera bene perficere. Dein ostendatur, quid

quid requiratur, ut bene fiant, nempe 1. ut cum bona intentione fiant. 2. Ut studiosè & hilariter peragantur. 3. Ut fortiter & constanter fiant. 4. Ut in gratia DEI fiant. Vide Rodriq. tr. 2. Bibl. tit. Perfectio. Fabrum conc. 5.

VI. Ex eodem themate ostendi potest, quomodo DEUS omnia bene faciat, id est, ad salutem hominum dirigat, idque probatur ex scriptura dicente, quòd diligentibus DEUM omnia cooperentur in bonum. 2. Ex SS. Patribus dicentibus DEUM omnia tam bene facere, ut meliùs non possit. 3. Ex ratione, cùm enim bonitas DEI sit infinita, optima eum facere necesse est. 4. Ex experientia multarum historiarum, quæ in Bibliotheca tit. Resignatio videre licet unde inferatur, quod hoc fundamentum singulariter conducat ad summam voluntatis suæ cum divina conformitatem, animíque tranquillitatem obtinendam.

PRO DOMINICA XII. POST PENTECOSTEN.

I. EX occasione thematis: *Diliges Dominum DEUM tuum.* Luc. 10. Declarari possunt tres præcipuæ causæ, cur DEUS diligi debeat. Nimirum 1. Quia *DEUS* est fons omnis boni in quo omnia bonum puriùs, recentiùs & abundantiùs invenitur. Quia tuus est, id est, omnia propter te, & tuam utilitatem fecit. 3. Quia *Dominus* est, & continuus benefactor, te creans, conservans, protegens, nutriens, præmians, & quidem excellenti modo. Vide Fabrum in Sylva them. 2. & Bibl. atque Auctar.

II. Ex eodem themate ostendi potest, in quo consistat vera dilectio, nempe in purissima intentione faciendo omnia propter beneplacitum DEI, & operatione totis viribus facta; hinc enim sponsæ dixit: Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum. Seu in faciendo, quæ ipsi magis placent, quomodo magis placent, & quia magis placent. Vide tit. Caritas in Bibl. & Auct.

III. Ex eodem themate possunt duo charitatis officia per pulsum Arteriæ; ut enim hæc duplicem habet motum, unum per quem putridum aërem repellit; alterum per quem recentem aërem attrahit; ita charitas per unum motum creaturas à corde repellit; & per alterum ad se trahit DEUM, & per illum vivit. Vide tit. cc.

IV. Ex occasione thematis: *Proximum autem sicut teipsum*: Ostendi potest, quomodo quis proximum sicut seipsum diligere debeat, nimirum servando regulas à DEO & natura præscriptas: Quòd tibi vis fieri, etiam alteri facias, & quod tibi non vis fieri, alteri non facias: quæ regulæ aptis instantiis sunt illustrandæ, & exemplo pulchro in append. Speculi magni ex. 12. confirmandæ sunt. Vide etiam Dilectio proximi. in Bibl. & Auctar.

V. Ex eodem themate declarari possunt causæ, cur proximus sit diligendus, nempe 1. Quia est imago DEI quidquid proximo confertur, sibi factum reputantis. 2. Quia est membrum corporis Mystici seu Ecclesiæ, cujus caput Christus est. 3. Quia Frater noster eodem Christi sanguine renatus, & cœli cohæres. De quibus vide tit. cit.

VI. Ex eodem themate potest alia regula dari, ut scilicet diligatur proximus, sicut Christus eum dilexit, videlicet 1. *Prudenter* præmittendo bonam intentionem, diligendi eum propter DEUM. 2. *Universaliter*, omnes æquali amore diligendo; pro omnibus enim mortuus est. 3. *Efficaciter*, salutem illius procurando etiam cum sanguinis, & vitæ profusione. 4. *Constanter*; cùm enim dilexisset suos, in finem usque dilexit, teste S. Joanne. Vide cit. tit Dilectio proximi.

PRO DOMINICA XIII. POST PENTECOSTEN.

I. EX occasione thematis: *Occurrerunt illi decem leprosi*: Luc. 17. Potest peccatum mortale lepræ comparari. 1. Quia gravem fœtorem creat ut lepra hinc Angelus quondam coram peccatore transiens nasum compressit. 2. Quia fœdè commaculat animam, ut lepra corpus. 3. Quia exosum est DEO & justis, sicut lepra sanis, hinc etiam separationem ab utrisque perpetuam inducit. 4. Quia difficilis est curantionis, ut lepra. Vide tit. Peccatum mortale. in Bibl. & Auct. Item Fabrum in Sylva.

II. Ex occasione thematis: *Ite, ostendite vos Sacerdotibus*: Possunt refutari excusationes, ob quas aliqui horrent se Confessariis ostendere, quarum prima est erubescentia. Secunda timor infamiæ apud confessarium incurrendæ. Tertium horror pœnitentiæ imponendæ, & reprehensionis patiendæ. Quartum desperatio emendationis. De quibus vide Fabrum in Dom. 3. Quadrag. conc. 6.

III. Ex eodem themate potest ostendi, quinam non verè se ostendunt Sacerdotibus, videlicet 1. qui tantùm in genere se accusant, ut hæretici solent. 2. Qui peccatum aliquod grave voluntariè omittunt. 3. Qui debitas circumstantias non exprimunt. 4. Qui sine debito dolore confitentur. Vide Fabrum in Dom. 3. Adventus conc. 7. Item Bibl. & Auct.

IV. Ex eodem themate potest ostendi, quòd frustra homines difficilem sibi confessionem imaginentur, cùm multis ex capitibus ejus facilitas demonstrari queat. 1. Respectu expiationum ab aliis nationibus peragi solitarum. 2. Respectu tribunalis mundi. 3. Respectu damnationis æternæ. 4. Respectu vermis conscientiæ. 5. Respectu fructus ex ea percipi soliti. Vide Fabrum in Dom 3. Adv. conc. 6.

V. Ex occasione thematis: *Non est inventus, qui rediret, & daret gloriam DEO.* Ostendi pos-

sunt, & declarari ingratitudinis gradus, quorum primus est oblivisci beneficium. Secundus debitum sibi beneficium reputare. Tertius beneficia non DEO, sed alteri Authori adscribere. Quartus omnino illud repudiare. Quintus in injuriam Benefactoris convertere, & malum pro bono rependere. Quorum proinde graduum turpitudo & indignitas ulterius demonstretur. Vide Fabrum conc. 1.

VI. Ex occasione ejusdem thematis ostendi potest, quanta mala incurrat ingratus; nimirum 1. Malum maledictionis. 2. Malum infamiæ. 3. Malum culpæ. 4. Malum pœnæ; de quibus Vide in Biblioth. lit. Ingratitudo, & Fabrum conc. 3.

PRO DOMINICA XIV. POST PENTECOSTEN.

I. EX occasione thematis: *Nemo potest duobus Dominis servire*: Matt. 6. Ostendi potest cur DEO potiùs, quàm mundo serviendum. 1. Ob potentiam & dignitatem, quâ omnes terrenos Dominos infinitè excellit. 2. Ob sapientiam, quâ sapientissimè regit subditos. 3. Ob liberalitatem, quâ providet suis Famulis, eisque proemium maximum largitur.

II. Ex occasione thematis: *Nolite ergo solliciti esse*: Ostendi potest, quæ sollicitudo sit fugienda. Nimirum 1. ne solliciti simus de temporalibus cum desperatione divini auxilii; scit enim Pater, quia his omnibus indigetis. 2. Ne simus solliciti præsumptuosè, putantes, quòd omnia necessaria viribus propriis obtinere valeamus. 3. Ne solliciti simus de futuro tempore, sed ad præsentia attendamus; hinc dixit Christus: Nolite solliciti esse in crastinum. 4. Ut non simus solliciti cum jactura spiritualium bonorum; hinc idem Christus dixit: Quærite primùm regnum DEI. Vide de his plura ad Fabrum. conc. 9. lit.

III. Ex occasione thematis: *Respicite volatilia cœli*: Ostendi potest, quid ab avibus discere debeamus, nimirum 1. ut non nimis solliciti simus de victu aliisque necessariis. 2. Ut cibo, potúque, quem DEUS submittit, contenti simus. 3. Ut non plùs sumamus de cibo & potu, quàm natura exigat. Vide Fabrum conc. 4.

IV. Ex eodem themate certæ aves variis personis in exemplum proponi possunt. Et 1. quidè Clericis passer Canarinus (Canari Vogel) cum lemmate: *Sic psallere pulcherrum est*, ut discant potissimum suum munus esse, DEO psallere. 2. Reipublicæ, apes, cum lemmate: *Sic vivite cives*: unde discat magistratus sine aculeo regere; subditi verò apium more obedientes esse superioribus. 3. Conjugatis turtures, cum Lemmate: *Sic vivere discite sponsi*, nimirum castè & sine felle iracundiæ. 4. Juvenibus *Parum* (ein Maisen) cum lemmate: *viridis ne credito ramo*, ut discant hilares

R.P. Lohner. Bibl. Auct.

quidem esse, sed simul cauti, ne capiantur, & ideo alieno malo sapiant. 5. Famulis & ancillis Alaudam, cum Lemmate: *Sic pulchrè quæritur esca*: Ut discant labore suo victum quærere, & tamen sub labore in altum per mentis elevationem in DEUM elevare. Vide Fabrum conc.

V. Ex occasione thematis: *Quærite primùm regnum DEI, & justitiam ejus*: Ostendi possunt septem tituli, ob quos DEUS tenetur necessaria suppeditare regnum DEI quærentibus, nimirum 1. quia creatura est principalis, ob quam reliquæ sunt creatæ. 2. Quia homo Sanguine Christi redemptus. 3. Quia Christianus & membrum electi populi, non gressibus corporis, sed morum sequens Christum. 4. Quia servus fidelis & prudens, atque adeò super omnia bona constituendus. 5. Quia amicus, cui cum DEO omnia communia sunt. 6. Quia Filius cœli hæres. 7. Quia sponsa dilecta, cui non dimidium regni ut Estheri, sed totum regnum promissum est.

VI. Ex occasione thematis: *Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis*: Ostendi & declarari possunt officia Patris, quæ erga nos DEUS exercet. 1. Quòd genuerit nos dando corpus & animam. 2. Quòd nutriat nos dando omnia necessaria corpori & animo, præcipuè cibum Corporis sui & verbi divini ac voluntatis suæ cum potu Sanguinis sui. 3. Educet nos honestissimè, verbo & exemplo nos instruens in scientia honestissima & utilissima amandi DEUM. 4. Defendat nos, ut nemo nocere possit, nisi volentibus. 5. Hæreditatem amplissimam, & perpetuò duraturam provideat: Unde excitandi Auditores, ut vicissim Filiorum officium per tenerum amorem & timorem, per filialem fiduciam, & perfectam obedientiam exactè præstent. Vide Fabrum conc. 9. lit. P.

PRO DOMINICA XV. POST PENTECOSTEN.

I. EX occasione Thematis: *Ecce defunctus efferebatur*: Luc. 7. Possunt motiva ad expetendam mortem proponi, nimirum 1. Quia immunitatem à peccatis, tentationibus, visione multorum laborum, hominibus præstat. 2. Quia est transitus ad meliorem vitam; nam justus si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit. 3. Quia est debitum omnibus solvendum; quis autem non optet grandi debito liberari? Vide Bibl. & Auct. tit. Mors.

II. Ex eodem themate possunt proponi motiva ad timendam mortem, nimirum quia 1. est certissima quoad substantiam. 2. Incertissima quoad tempus. 3. Acerbissima quoad præsentiam. Vide cc. tit.

III. Ex eodem themate possunt proponi motiva ad considerandam mortem. 1. Quia facit facilem mortem; hinc Seneca ait:

Effice mortem tibi cogitatione familiarem, ut, si ita res tulerit, possis illi obviam ire. 2. Quia facit, ut bene moriamur, uti S. Augustinus advertit, dicens: Mors omnium vitiorum peremptoria est, atque adeò sicut bene vivere, ita & mori facit bene. 3. Quia à Diaboli tentationibus liberat; sicut Perdices, ut Aucupis effugiant insidias, glebâ terræ se contegunt. 4. Quia ad gaudium in morte disponit; nam teste S Cypriano, non est dignus in morte accipere solatium, qui se non cogitat esse moriturum. Vide cc. tit.

IV. Ex eodèm themate ostendi potest, quæ sit optima præparatio ad mortem, illa nempe, quam Christus ipse Marc. 13. indicavit dicens: Videte, vigilate, orate; nescitis enim, quando tempus sit; ubi per verbum *Videte*, indicatur memoria mortis, nam teste S. Gregorio, sic mors ipsa, cùm venerit, vincetur, si priùs, quàm venerit, ipsa timeatur. Per verbum *Vigilate*, id est, ut idem Sanctus ait, in conditione mortalitatis vestræ oculos figite, venienti ad vos Judici per fletus quotidie & lamenta præparate. Per verbum *Orate* indicatur, tunc maximè esse orandum, cùm Diabolus calcaneo insidiatur Vide tit. cc.

V. Ex eadem occasione explicari potest alia præparatio ad mortem à Christo his verbis: *Sint lumbi vestri præcincti &c.* indicata: quorum primo indicatur mortificatio delectationis, nam cinctura est lumborum, in quibus præcipuè est motus delectationis venereæ, restrictio. Secundum per lucernas ardentes indicat operum fervorem & dilectionem. Tertium per exspectationem Domini, vigilantia in prima vigilia Juventutis, in secunda ætatis virilis, & tertia Senectutis indicat.

VI. Ex occasione ejusdē thematis possunt variæ quæstiones circa mortē proponi, & resolvi, nempe 1. Cur mors decreta à DEO. 2. Cur eandem incertam esse voluerit. 3. Cur multi tam immaturâ, & quandoque repentinâ morte occumbant. 4. Cur justi quandoque tam acerbam mortem, sustinere cogantur. 5. Cur vita hominum modò tam brevis sit. 6. Cur juxta Siracidem laudandi magis mortui, quàm viventes, de quibus vide Bibl. tit. Mors. §. 11. & 12. & Fabrum conc. 2. 3. & 4.

PRO DOMINICA XVI. POST PENTECOSTEN.

I. EX occasione thematis: *Si licet Sabbato curare?* Luc. c. 14. Possunt causæ, cur dies Festi peculiari studio colendi sint, proponi. Nimirum 1. Quia DEUS & Sancti tum propter suam dignitatem & collata nobis beneficia id exigunt. 2. Quia utilitas nostra tam quoad corpus & animam, quàm rem domesticam id commendat. 3. Quia etiam Famuli & pecora ob quietem, & virium conservationem id merentur. Ostendatur dein quàm meritò DEUS gravissimas de Transgressoribus pœnas exegerit, quales plures in Auctario tit. Sanctorum cultus & Festa legi possunt, uti & apud Fabrum conc. 1.

II. Ex eodem themate ostendatur, quòd Diabolus diebus Festis imitetur Pharaonem, qui, ne Israëlitæ DEO sacrificare vellent, eos laboribus opprimi jussit. Ostendatur itaque quod & Dœmon variis laboribus & illicitis opprimere, & à Festorum cultu impedire studeat. 1. Laboribus manualibus non necessariis. 2. Lusibus immodentis. 3. Compotationibus nimiis tam quoad quantitatem, quàm durationem. 4. Saltationibus indecentibus. 5. Conversatione noxiâ & immoderatâ. 6. Otio non necessario; quæ omnia, quousque liceant, clariùs explicandum. Vide Fabrum conc. 3.

III. Ex occasione thematis: *Cùm intraret IESVS Sabbato manducare*: Ostendi potest, quid circa convivia sit observandum, nimirum 1. Ut sint rara. 2. Moderata, & non nimis sumptuosa. 3. Ut sint honesta, nihilque contra decentiam agatur, aut dicatur. 4. Ut sint charitativa, nullúsque vel absens, vel præsens dicteriis vel detractionibus lædatur. 5. Sint brevia, ne nobile tempus perdatur. 6. Sint pia per devotam orationem præmissam & subjunctam. Vide Fabrum conc. 6.

IV. Ex occasione thematis: *Et ipsi observabant eum*: Ostendi potest, quæ sint bonæ & malæ observationes. Et bonæ quidem sunt 1. Quando observantur aliorum virtutes pro imitatione, uti S. Antonius fecit. 2. Quando ex officio observantur aliorum mores, ut corrigantur. 3. Quando observantur aliorum opera admiranda potiùs, quàm imitanda, ut DEUS propter illa laudetur. Malæ observationes sunt 1. Si aliorum vitia cum scandalo observantur. 2. Si mores observentur, ut carpi queant. 3. Si observentur actiones, ut alii propter respectum impediantur ab iis. Quarum proinde omnium observationum commoda vel damna fusiùs explicentur.

V. Ex occasione thematis: *Recumbe in novissimo loco*: Potest declarari, quomodo quis possit se maximum peccatorem æstimare, nimirum 1. non per intellectum, judicando se verè talem, cùm certò supponere possit plures graviores peccatores reperiri; Sed 2. practicè, optando, ut ab aliis perinde ac gravissimi peccatores tractari solent, tractetur, hoc est, contemnatur, reprehendatur, persecutiones & odia patiatur, aliísque modis inhonoretur; Sic enim & Christus dixit, se esse opprobrium hominum, & abjectionem plebis.

VI. Ex occasione ejusdem thematis, ostendi potest in illis S. Pauli verbis: Exinanivit semetipsum &c. totum humilitatis compendium contineri, nam 1. Dum dicitur formam servi accepisse, proponitur Idea humilitatis. 2. Per verba Datum est nomen super omne nomen, ostenditur fructus humilitatis. 3. Per verba: hoc sentite: proponitur medium efficacissimum

num ad humilitatem acquirendam, scilicet exemplum Christi.

PRO DOMINICA XVII. POST PENTECOSTEN.

I. EX occasione thematis: *Diliges Dominum DEUM ex toto corde tuo*: Matt. c. 22. Ostendi potest 1. quid sit DEUM toto corde diligere, scilicet præter ipsum nullam creaturam in cor admittere, nam Dilectus tuus, inquit Thomas Kemp. talis est naturæ, ut non velit alienum admittere, sed solus vult cor tuum habere. 2. Quid sit ex tota anima diligere, scilicet omnes potentias animæ externas & internas applicare ad id, quod ipsi summè placet. 3. Quid sit ex tota virtute amare, nempe vires suas omnes contendere ad ipsum amandum. 4. Quid sit ex tota fortitudine amare, scilicet dicendo cum S. Paulo: Quis me separabit à charitate DEI? Vide tit. Charitas in Bibl.& Auct. Item Fabrum conc. 4.

II. Ex eodem themate ostendi possunt motiva præcipua ad diligendum DEUM, scilicet ea ipsa, quibus Ethici amorem excitari docent. Et 1. quidem *Bonitas*, quæ infinita in DEO est, juxta illud: Ostendam omne bonum tibi. 2. *Pulchritudo*; atqui in DEUM desiderant Angeli prospicere. 3. *Similitudo*: atqui homo creatus est ad imaginem DEI. 4. *Amor*; atqui sic DEUS dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum, & cum eo omnia daret. Vide plura tt. cit.

III. Ex eodem themate declarari possunt indicia charitatis, quorum primum est, semper cogitare de dilecto. Secundum, semper cum illo conversari velle. Tertium, illi soli placere velle. Quartum, unum cum illo velle & nolle. Quintum, paratum esse pro & cum illo omnia pati. Sextum, etiam imaginem ipsius, aliáque ad ipsum pertinentia propter ipsum amare. Vide tit. cc.

IV. Ex eodem themate explicari potest mandatum DEI Lev. 6. datum: *Ignis semper in altari meo ardebit*: & 1. Quidem probari, quàm convenienter charitas igni comparetur, quia semper sursum tendit, purificat, illuminat, calefacit, & omnia superat ut ignis. 2. Quomodo nutriendus sit hic ignis, scilicet subdendo ligna, seu considerationem frequentem motivorum priori numero indicatorum; & beneficiorum tam communium, quàm specialium à DEO acceptorum. Vide tit. cit.

V. Ex eodem themate ostendi potest, cur & quomodo Christus diligendus sit; quem in finem narrari potest, quòd Regi Tygrani cum sua uxore à Rege Cyro capto contigit, quòd scilicet, cùm Cyrus aliquando quæreret, quid pro uxore redimenda dare vellet? ipse respondit, se vitam & sanguinem pro ejus redemptione offerre; quæ responsio adeò Cyro placuit, ut utrumque dimitteret. Cùm autem in via Tygranes uxorem quæreret, quomodo illi humanitas Cyri placuerit, responderit illa, se ad hoc quæsitum respondere non posse, eò quòd ab illo momento, quo vitam & sanguinem præ illius redemptione obtulit, ad nullum alium quàm ad ipsum oculos converterit. Quanto magis ergo erga Christum hoc observandum qui vitam actu pro nobis dedit.

VI. Ex eodem themate ostendi possunt motiva ad proximum diligendum, scilicet 1. ex parte DEI, mandatum, beneplacitum, promissio. 2. Ex parte proximi titulus similitudinis quoad naturam, Fraternitatis, quoad Christi Sanguinem, & gratiam commembri propter corpus Ecclesiæ. 3. Ex parte nostra propter necessitatem, utilitatem, & jucunditatem. Qui triplex funiculus vehementer sanè nos obstringit ad fraternam dilectionem summo studio exercendam. Vide tit. Dilect. proximi in Bibl. & Auctario.

PRO DOMINICA XVIII. POST PENTECOSTEN.

I. EX occasione thematis: *Venit in civitatem suam.* Matt. 9. Potest ostendi 1. Quæ civitas dici mereatur civitas Christi, nimirum illa, in qua viget fides viva Christi: Singularis fiducia in Christum: servatur charitas & concordia tantopere à Christo commendata: Verbum Christi libenter auditur: Zelus honoris DEI per frequentationem Templorum reperitur. 2. Ostendi potest, quàm præstans sit hoc elogium, quamque adeò magnum honorem ab hominibus: copiosam benedictionem à DEO: & constantem protectionem à Christo sperare possit. Vide Fabrum conc. 1. & in Sylva them. 1. & 2.

II. Ex occasione thematis: *Offerebant ei Paralyticum jacentem in lecto*: Possunt huic Paralytico convenienter animæ purgantes comparari. 1. Quia seipsas movere non possunt, id est, liberare ab hac pœna. 2. Quia in duro lecto jacent, scilicet in igne, quem aliqui eundem cum igne infernali putant. 3. Quia graviter torquentur, ita ut juxta aliquos minima pœna sit gravior omnibus cruciatibus hujus mundi. Excitentur proin Auditores, ut offerant eas Christo tum per SS. Missæ Sacrificium, tum per S. Communionem, & ardentes preces. Vide Fabrum conc. 2. lit. F.

III. Ex eodem themate ostendi potest, quinam alii gravi Paralysi laborent. Scilicet 1. Magistratus ac Parentes non punientes vitia subditorum & liberorum. 2. Euctiones, eleemosinam dare recusantes. 3. Negligentes, cultum & officia divina. 4. Otiosi, laborare, & quæ officii sui sunt; præstare negligentes, qui omnes proin ad Christum adducantur, & quomodo per ipsius verba & exempla curari de-

debeant, ostendatur. Vide Fabrum l. c.

IV. Ex occasione thematis: *Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris?* potest solatium afferri iis, qui variis cogitationibus contra voluntatem vexantur. Et 1. quidem cogitationibus contra fidem. 2. Contra castitatem. 3. Contra charitatem per suspiciones & judicia temeraria. 4. Contra Religionem DEO debitam per distractiones in orationibus. Pro quibus proin omnibus apta media præscribantur.

V. Ex occasione thematis: *Confide, Fili, remittuntur tibi peccata tua*: possunt ad spem erigi, qui 1. timent, ne peccata ob multitudinem & gravitatem remittantur à Christo Judice. 2. Qui timent, ne ritè ea confessi sint, aut confiteantur. 3. Qui timent, ne ea ob consuetudinem malam vitare non possint. Quare ostendatur, quomodo hos timores expellere possint, ad quem finem Blosius de consolatione pusillanimium, aut pars 4. Bibliothecæ meæ domesticæ servire poterit.

VI. Ex occasione thematis: *Videntes autem turbæ timuerunt, & glorificaverunt DEUM*: Ostendi potest, quomodo timentibus DEUM bene sit 1. *Ante mortem* juxta testimonium Tobiæ: Multa bona habebimus, si timuerimus DEUM: Et juxta David: non est inopia timentibus eum. 2. *In morte*, juxta testimonium Siracidis c. 1. Timenti Dominum bene erit in extremis. 3. *Post mortem*, nam ut S. Paulus 1. Tim. c. 4. ait, pietas (seu ut alii interpretantur, timor DEI) ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & in futuro. Vide etiam Fabrum conc. 7.

PRO DOMINICA XIX. POST PENTECOSTEN.

I. EX occasione thematis: *Simile est regnum cœlorum homini Regi, qui fecit nuptias filio suo.* Matt. 22. Ostendi potest, quomodo DEUS cum anima fideli nuptias contrahat, quámque admirandæ sint hæ nuptiæ. 1. Si dignitas Sponsi, & ignobilitas Sponsæ consideretur. 2. Si dos sponsæ spectetur. 3. Si nexûs indissolubilitas attendatur. 4. Si proles generandæ considerentur. 5. Si conjunctio utriusque in communione pensetur. Unde inferatur, quàm fideliter sponsa sponso adhærere debeat, quámque grave crimen sit, si velut adultera ab eo discedat. Vide Fabrum in Sylva. them. 1. n. 3.

II. Ex occasione thematis: *Multi enim sunt vocati, pauci vero electi*: Ostendi potest 1. quàm pauci sint electi, etiam ex Catholicis. 2. Unde colligere quis possit se esse electum, videlicet si habeat vestem nuptialem charitatis divinæ. 3. Quantas gratias DEO debeamus, quòd ex tam multis nos elegerit. Vide Fabrum conc. 1.

II. Ex eodem themate ostendi possunt varii modi, quibus DEUS suos electos vocare solet, nimirum 1. per scripturas & libros. 2. Per concionatores & confessarios. 3. Per exempla hominum sanctorum. 4. Per Beneficia & prosperitates. 5. Per internas inspirationes. Unde ostendatur, quomodo his vocationibus respondere debeamus. Vide Fabrum conc. 6.

IV. Ex occasione thematis: *At ille obmutuit*: Ostendi potest 1. quàm justè peccator mortalia committens gravissimâ inferni pœnâ puniatur. 2. Quàm justè etiam æternum sit illud supplicium, quæ duo capita sat difficulter capere possunt. Vide Bibl. tit. Æternitas & Peccatum mortale. Item Fabrum conc. 4.

V. Ex occasione ejusdem thematis ostendi potest, cur vocationi quisque suæ promptè & studiosè respondere debeat; Nimirum 1. propter vocantem. 2. Propter vocatum. 3. Propter finem & statum, ad quam vocatur. 4. Propter modum, quo vocat, idque non semel, sed sæpius. 5. Propter pœnam neglectæ vocationis. Vide Auctar. tit. Vocatio, & Fabrum conc. 8. lit. D.

VI. Ex occasione thematis: *Ibi erit fletus & stridor dentium*: Potest ostendi, quàm justas & graves causas habituri sint damnati hujus fletus & stridoris, videlicet 1. Quia ibi invenient omnis boni absentiam. 2. Omnis mali præsentiam. 3. Omnis pœnæ indesinentiam, de quibus vide Bibl. & Auctar. tit. Infernus. & Fabrum conc. 2.

PRO DOMINICA XX. POST PENTECOSTEN.

I. EX occasione thematis: *Reliquit eum febris.* Jo. 4. Potest peccatum veniale febri comparari. 1. Quia pulchritudinem animæ imminuit, ut febris, ideóque etiam minùs amabilem facit. 2. Quia valde debilitat hominem. 3. Quia varios paroxismos inquietudinis conscientiæ causat. 4. Quia appetitum ad spirituales animæ cibos aufert. 5. Quia gravius malum affert, quàm sint omnia naturalia mundi mala. 6. Quia disponit ad mortem Spiritualem, seu peccata mortalia. Inferatur proinde, quantopere detestandum, & fugiendum sit. Vide Bibl. & Auct. tit. Peccatum veniale.

II. Ex occasione ejusdem thematis possunt proponi media ad febrem spiritualem curandam, quorum primum est procuratio sudoris, per quem intelligitur usus frequentis contritionis & confessionis. 2. Sumptio medicinæ, per quam intelligitur ipsa Eucharistia, quæ, teste S. Bernardo, sensum minuit in minimis, & in gravioribus omnino tollit consensum. 3. Evomitio materiæ febrim causantis, id est, concupiscentiæ juxta illud Thomæ Kemp. Desine concupiscere, & desines malè habere. 4. Jejunium spirituale, seu generosa victoria, quâ sæpius abstinetur ab ejus-

jusmodi peccatis. De quibus vide tit. cit.

III. Ex eodem themate possunt aliquæ perutiles quæstiones circa peccata venialia resolvi. 1. Triplicis generis peccata à Theologis assignari. *Maxima*, quæ in se mortalia sunt, sed ob defectum plenæ advertentiæ venialia reputantur. *Media*, quæ in se venialia sunt, & deliberatè committuntur. *Minima*, quæ ex fragilitate & cum semiplenâ advertentia committuntur. 2. Quousque venialia peccata vitari queant. 3. Quomodo peccata venialia ad mortalia disponant. 4. Cur peccata venialia à virtutis affeclis specialiter vitanda sint. Quas omnes quæstiones in Bibliotheca & Auctario resolutas vide.

IV. Ex occasione thematis: *Erat quidam Regulus, cujus Filius infirmabatur.* Potest ostendi, & probari veritas communis axiomatis: *Ægrum corpus parit bonas cogitationes*: Nam prima cogitatio est, quâ cognoscuntur fructus peccati ex morbi doloribus. Secunda cogitatio est, quâ inferni pœnæ in memoriam revocantur. Tertia est, quâ vanitas rerum mundanarum cognoscitur. Quarta, quâ B. V. & Sanctorum patrocinium necessarium cognoscitur. Quinta est, quâ melioris vitæ instituendæ proposita concipiuntur, quæ omnia facilè fusiùs deduci possunt.

V. Ex eodem themate morborum commoda & fructus explicari possunt, quia videlicet per eos DEUS glorificatur, uti Christus de morbo Lazari dixit. 2. Quia purificat & perficit ipsum ægrotum. 3. Quia ædificat proximum tum per visas ægri virtutes, tum per varias cogitationes ingestas. De quibus Vide Fabrum conc. 1.

VI. Ex eodem themate ostendi potest quomodo infirmi se tempore morbi gerere debeant, ut optatum fructum ex eo referant. Ostendatur ergo 1. Quid initio morbi. 2. Quid durante morbo. 3. Quid post morbum observare debeant, uti fusiùs in prima parte Bibl. Manu. domesticæ tract. 1. ostenditur.

PRO DOMINICA XXI. POST PENTECOSTEN.

I. EX occasione thematis: *Redde quod debes*: Matt. c. 18. Ostendi potest, in his tribus verbis omnem substantiam rationis DEO olim reddendæ consistere, ut scilicet 1. Reddamus DEO, quod debemus, honorem, amorem, & obedientiam. 2. Proximo, dilectionem, subventionem, & concordiam. 3. Nobis ipsis Fugam peccati, operum bonorum exercitium, perseverantiam in istis.

II. Ex eodem themate potest Justitiæ amor commendari ex triplici capite. 1. Quia DEUS summè eam requirit, teste Michæa: Indicabo tibi, quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te, utique facere judicium & justitiam. 2. Quia bonum Reipublicæ, cujus pars sumus, justitiam summè exigit, nam, teste S. Augustino, justitiâ solâ respublica sustentatur. 3. Quia ad bonum nostrum privatum augendum summè conducit, teste Salomone dicente: Si Justitiam quis diligit, hujus labores magnas habent virtutes. Vide tit. Justit.

III. Ex occasione thematis: *Cœpit rationem ponere cum servis*: Potest ostendi, quàm rigida sit ratio, quam Christus in particulari judicio à nobis exiget. 1. Quia erit *exactissima* de omnibus etiam minimis cogitationibus, verbis, & operibus. 2. Quia erit *severissima*; nihil impunitum relinquens. 3. Quia erit *immutabilis*; nam quidquid in ea conclusum fuerit, ratum manebit in æternum. Unde Auditores ad salutarem timorem hujus judicii excitandi, ut dicant scilicet cum Jobo: Verebar omnia opera mea, sciens, quòd non parceres delinquenti.

IV. Ex eodem themate suadendus serius & sedulus usus quotidianus Examinis conscientiæ. 1. Quia conducit ad rigidum examen Judicii particularis effugiendum aut leniendum; Si enim nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur. 2. Quia hoc Examen est officina præstantissimarum virtutum, quæ in eo exercentur. 3. Quia conscientiam tranquillat, summamque adeò jucunditatem animo conciliat. Vide tit. Examen conscientiæ. & Fabrum Dom. 4. post Pentec.

V. Ex eodem themate ostendi potest aliud medium ad judicii divini rigorem moderandum, quod ipse Christus indicavit dicens: Nolite judicare, & non judicabimini: cujus medii efficaciam expertus est Monachus ille, qui cætera non admodum Religiosus in morte lætum valde se ostendit, eò quòd peccata sua ob hanc causam ab Angelis deleta fuisse intellexisset. Ostendatur ergo, quomodo hoc medium practicandum sit, scilicet per consilium S. Bernardi dicentis: Excusa intentionem, si opus non potes, puta ignorantiam, puta subreptionem, puta casum. Et sequere monitum Apostoli, dicentis: nónne de iis, qui foris sunt, vos judicatis? Was dich nicht brennt / das blaß nicht: Was dich nicht angeht / urtheil nicht.

VI. Ex occasione thematis: *Non exibis hinc, donec solvas novissimum quadrantem*: potest hæc Sententia animabus purgantibus applicari, & inde Auditores excitari ad solvendum pro ipsis propter tres rationes, quarum prima est, quòd hac ratione ipsum Christum etiam redimamus, reputantis sibi factum, quod aliis facimus. Secunda, quia sic eandem liberationem olim sperare poterimus. Tertia, quia ipsas animas, imò omnes Sanctos, quorum accidentalis gloria per hanc liberationem non modicè promovetur, plurimùm nobis obligabimus ad varias gratias impetrandas. Vide tit. Misericordia erga Defunctos in Bibl. & Auct. Item Fabrum in Sylva them. 5.

Digitized by Google

PRO DOMINICA XXII. POST PENTECOSTEN.

I. EX occasione thematis: *Cujus est imago hæc?* Matt. c. 9. Potest ostendi inprimis breviter, quàm verè dicatur homo imago DEI, scilicet ut, quemadmodum Pater cœlestis cognoscendo seipsum generat Filium, & postea uterque se mutuò amando spirat Spiritum Sanctum, ita & homo per cognitionem & amorem DEI eidem assimiletur, & sic beatus & perfectus evadat. Vide tit. Anima in Bibl. & Auct. & Fabrum conc. 5.

II. Ex eodem themate ostendi potest, cur cor hominis, ut Psalmista ait: singillatim sit factum. Scilicet 1. triangulare est factum, ut disceret homo, quemadmodum vas triangulare à nullo globo perfectè impleri potest; ita & hominis cor à toto mundi globo impleri non posse, sed à solo DEO trino & uno; capacem enim DEI, quidquid DEO minus est, replere non potest. 2. Suprà latum & apertum creavit, ut innueret, ad DEUM & cœlestia amanda & capienda semper patulum & apertum esse debere. 3. Infra acuminatum creavit, ut ostenderet, illud terrena bona non nisi in puncto, quantùm DEI voluntas & necessitas permittit, tangere, & usurpare debere, ut juxta Pauli monitum, Mundo utantur quasi non utantur.

III. Ex eodem themate ostendi potest, quomodo imago hominis renovari debeat. Scilicet 1. eam abluendo per aquam calidam pœnitentiæ. 2. Colores novos variarum virtutum apponendo. 3. Cortinam custodiæ sensuum & cordis prætendendo, ne iterum facilè deturpetur.

IV. Ex eodem themate ostendi potest peccatores esse gravissimos Iconoclastes. 1. Quia imaginem DEI confringunt per blasphemias negando ei divinitatem. 2. Quia luto immundarum voluptatum commaculant. 3. Quia igne iracundiæ & vindictæ comburere conantur, de quibus vide tit. Blasphemia, Luxuria, Ira in Biblioth. & Auctar.

V. Ex occasione thematis: *Quid me tentatis Hypocritæ?* Ostendi potest, quinam malè tentent DEUM? nimirum 1. qui sine omni reverentia DEUM adorant; hi enim ejus bonitatem tentant. 2. Qui DEO diffidunt; hi enim ejus providentiam tentant. 3. Quia peccata peccatis addunt; hi enim ejus longanimitatem tentant. 4. Qui per miraculum aliquid petunt; hi enim potentiam tentant. 5. Qui peccant quasi DEUS non videret; hi enim sapientiam DEI tentant. Vide Fabrum in Sylva them. 5.

VI. Ex eodem themate suaderi potest, ut omnes Auditores seipsos frequenter quærant, cujus est hæc imago? id est, quam Personam geris in spectaculo exhibendo toti mundo, & Angelis? Itaque considerandum, quid loqui deceat talem Personam; quomodo vestita, id est, quibus virtutibus ornata esse debeat, & hæc omnia à Christo velut commisso quà verbis, quà exemplis instruente inquiri.

PRO DOMINICA XXIII. POST PENTECOSTEN.

I. EX occasione thematis: *Filia mea modo defuncta est: veni, impone manum tuam.* Matt. 9. Potest ostendi, quomodo opus misericordiæ spiritualis animabus purgantibus præstitæ suo modo omnia misericordiæ corporalis opera præstantiori modo contineat, atque adeò meritò sperari queat, quòd lætissimum illud: Venite benedicti: auditurus sit, qui ea exercet. Vide tit. Misericordia erga defunctos. in Bibl. & Auct.

II. Ex eodem themate ostendi potest, quòd patronis animorum, si cor ipsum oleo misericordiæ erga Defunctos repletum fuerit, dici meritò queat: Vade, vende creditori tuo, nam tales verè satisfaciunt debito, quod DEO, proximo, sibi ipsis debent; uti fusiùs in Bibl. videre est.

III. Ex occasione thematis ejusdem dici potest, animas purgandas esse agrum illum, de quo S. Augustinus dixit: Fœcundus est ager pauperum; citò reddet donantibus fructum; nam reddunt fructum trigesimum in hac vita, dum defendunt à malis & plurima bona impetrant, Sexagesimum in morte & judicio, dum adstant, & defendunt; & centesimum copiosæ gloriæ, post mortem, ob genus præstantissimum misericordiæ. Vide tt. cc.

IV. Ex occasione thematis: *Exiit fama hæc in universam terram*: Ostendi potest vanitas inanis gloriæ. 1. Quia DEO eripit suam gloriam, quam non vult alteri dare. 2. Quia Dœmonum ludibrio exponitur, quibus se similem facit. 3. Quia ab hominibus æstimatur, & laudatur mendaciter. 4. Quia perdit omnem fructum laborum suorum, & audire cogitur: Recepisti mercedem tuam. Vide Bibl. tit. Vana gloria & Fabrum them. 2.

V. Ex themate eodem ostendi potest, cùm omnes horreamus mortuos, ideòque quamprimùm possumus, ex domo deportemus, quantoperè peccatum mortale horrere debeamus, quod est mors animæ. 1. Quia separat hominem à DEO, qui est vita ipsius. 2. Quia separat etiam ab amicis cælestibus. 3. Quia privat omnibus bonis meritorum. 4. Quia inhabilem facit ad operationes bonas. 5. Quia fœtere facit gravissimè coram DEO & hominibus. 6. Quia summè deformem facit animam. Vide Peccatum Mortale. in Bibl. & Auctario.

VI. Ex occasione thematis: *Et deridebant eum*: Ostendi potest, cur judicia & derisiones hominum spernendæ sint, nimirum 1. quia qui hæc inordinatè timent, temerè agunt, dum putant se humana judicia effuge-

re

re posse, quod nemo hactenus potuit, ne ipse quidem Christus. 2. Quia stultè agunt, dum cœcum de coloribus judicantem attendunt, aut sonum foliorum in arboribus, anserum sibilos, infantum jacula timent. 3. Noxiè agunt, quia sic nulla opera perfectè faciunt quia obliquæ alienorum judiciorum regulæ ea conformare student. Vide Bibl. eodem tit.

PRO DOMINICA XXIV. POST PENTECOSTEN.

I. EX occasione thematis : *Sicut enim fulgur exit ab oriente, & patet in occidentem, ita erit adventus Filii hominis.* Matt. 24. Potest dies judicij fulguri comparari. 1. Quia erit repentinus & inexspectatus, ut fulgur. 2. Quia ut fulgur omnia illustrabit, & manifestabit. 3. Quia ut fulgur erit valde terribilis. Vide Fabrum in Sylva nova them. c.

II. Ex occasione thematis : *Væ prægnantibus & nutrientibus in illa die* ; possunt peccatores graves his prægnantibus comparari, quia habent pessimum fructum in anima, scilicet peccatum mortale, cujus gravitas colligitur 1. Ex suppliciis à DEO propter illud inflictis, puta ejectione Adami ex Paradiso, Diluvio, Sodomitano incendio, Ægyptiorum interitu in rubro mari. 2. Ex Passione Christi. 3. Ex cladibus quotidianis. 4. Ex mundi universi ultima vastatione. 5. Ex pœnis inferni, de quibus vide tit. Peccatum mortale in Bibl. & Auct. & Fabrum conc. 3.

III. Ex occasione thematis : *Tunc qui in Judæa sunt, fugiant ad montes* : Possunt ostendi varii montes, ad quos tempore judicij confugere possimus, quorum primus est Christi passio : Secundus Sancti Cælites. 3. Superiores, si debitam ipsis obedientiam præstemus, tunc enim ipsi pro nobis respondebunt. 4. Ad inimicos, quibus libenter ignovimus ; tunc enim verificabitur : dimittite, & dimittemini. 5. Ad pauperes, tam vivos, quàm defunctos, quibus misericordiam libenter impendimus, tunc enim verificabitur illud Eccles: conclude eleemosinam in sinu pauperis, & ipsa exorabit te ab omni malo. Vide tit. Misericordia. Inimicorum dilectio. Obedientia in Bibl. & Auct.

IV. Ex occasione thematis : *Videbunt Filium hominis venientem in Majestate* ; potest 1. ostendi, quòd judicij dies sit tempestati similis futurus propter fulgur, tonitru seu sonitum tubæ, fulmen ultimæ sententiæ, dividens justos ab injustis, denigrans, seu ignobilem faciens, urens non animam duntaxat, sed & corpus. 2. Ostendi potest, quòd, sicut tria media contra tempestatem adhibentur, scilicet descensus in profundum locum, perfugium ad laurum arborem, ita & pro tempestate Judicii adhiberi eadem conveniat, nimirum ut per humilitatem infra terram descendamus, ut Achab : ad B. Virginem tanquam Laurum recurramus : Crucem Christi in pectore habeamus ; tunc enim servi crucis Christi accedent cum magna fiducia. Vide tit. Humilitas. Hyperdulia. Crux in Bibl. & Auctario.

V. Ex occasione thematis : *Væ autem prægnantibus in illa die* : Ostendi potest, quibus maximè timendum sit judicium : nempe 1. *Potentibus*, qui potenter *tormenta patientur*. 2. Qui Christum confiteri erubescunt ; hos enim & ipse erubescet, cùm venerit in majestate. 3. Qui specialia dona acceperunt à DEO, & malè impenderunt ; cùm enim augentur dona, rationes etiam crescunt donorum. 4. Qui immisericordes se exhibent proximo ; nam judicium sine misericordia fiet illi, qui non fecit misericordiam. Vide tit. Judicium in Bibl. & Auct. Item Fabrum conc. 6.

VI. Ex occasione thematis : *Verba mea non præteribunt* : Ostendi potest quomodo hæc verba variæ Personæ pro myrothecio spirituali usurpare possint (Für ein Balsam-Büchslein) Et 1. quidem pauperes, si considerant, quid illis promiserit. 2. Laborantes perpendendo præmium laboribus promissum. 3. Infirmi. 4. Contempti, & persecutionem patientes. 5. Magni peccatores. De quibus omnibus vide convenientes titulos in Bibliotheca & Auctario.



INDEX MEMORABILIORUM MATERIARUM IN HOC OPERE CONTENTARUM.

Etsi divisionem Titulorum hujus Auctarij, ordinémque doctrinarum in quovis Titulo contentarum spectando totus hic liber Index videri queat, (ob quam causam in ipsa Bibliotheca manuali nullam similem Indicem subjunxi) quia tamen sæpius audivi, Indicem talem in dicta Bibliotheca à pluribus fuisse desideratum, eò quòd materias quasdam, quas certò in ea contineri sciebant, difficulter reperire potuerint, ideo ut in hoc saltem opere eorum desiderio satisfacerem, placuit quartum hunc materiarum Indicem etiam subjungere; ita tamen, ut nonnisi rerum magis memorabilium mentionem in eo facerem; nam quæ minutiora sunt, cùm plerumque in ipso tituli decursu facilè reperiri queant, meritò, ne Index nimiùm excresceret, prætereunda videbantur. Fruere ergo, amice Lector, subsidio hoc pro majori tua commoditate præparato, & vale.

A.

Bilan-

Dei præsentia.

Dei providentia.

Desperatio.

Detractio.

Dilectio Inimici.

Dilectio Proximi.

Divitiæ.

Dæmon.

Diffi-

Do-

Singularis gratitudinis exempla, fol. 343.n.2.3. 5.&4. 4.n.5.
Cohibet dæmonis potestatem. ib. n. 6.
Mirè compensata. fol. 344.n.7.
Bestiarum gratitudo. fol. 345.n.1 & seq.
Quanti faciendum beneficium creationis. fol. 347.n.7.
Conservationis. ib.n.8.
Redemptionis fol. 348.n.9. f. 350.n.5.
Vocationis ad fidem. ib.n.10.
Justificationis. ib. n.11.
Etiam pro minimis gratitudo exhibenda. ib. n.5.
Corde puro persolvenda. fol. 349.n.2.

Gula.

Ejus subjugatio Paradisum in hac vita concilíat. 352. n. 4.
S. Spiritus dona obruit. ib. n. 5.
Reddit Deo abominabilem. ib. n. 8.
Quibus artibus expugnanda. fol. 352. n. 1.
Prima gula. fol. 35 ... n. 4.
Est potissimum instrumentum Diaboli ad homines impugnandos. fol. 354. n. 1.
Ineptum facit ad dona spiritualia capienda. ib. n. 4.
Est incurabilis morbus. ib. n. 4. fol. 356. n. 5.
Insatiabilis est. ib. n. 7.
Laboriosissimum vitium. ib. n. 8.
Brevitas illius. fol. 355. n. 4.
Cur Religiosis præcipuè vitanda. 356. n. 1.
Quando grave peccatum sit. ib. n. 2.
Cur primi Parentes in meridie seducti. 356. n. 4.
Ægyptij cur ante sepulturam ventrem exsciderint. n. 2.
Venter saturior non exaudiendus. ib. n. 4.
Sanitatem conservat ejus expugnatio. fol. 357. n. 6.
Abusus epularum. ib. n. 7.
Cur fletus & stridor dentium in Inferno erit. ib. n. 8.

H.

Henricus Suso.

Ejus erga Passionem Christi devotio, fol. 649. n. 2.

Hieronymus Platus.

Rara illius in jactura scripti libri æquanimitas. fol. 26. n. 7.

Homo.

Cur rectus conditus. fol. 66. n. 1.

Honor.

Tristitia replet. fol. 29. n. 6. 9.
Exponit periculo casus. fol. 29. n. 7.
Oblatus mortem attulit. fol. 30. n. 10.
Declinatus à Claudio Jajo, Aquaviva, Lainio, Nonnio Barreto, Societate universa, fol. 30. & 31.
Honorum instabilitas. fol. 34. n. 5.
Brevitas, ib. n. 1. fol. 37. n. 6. fol. 38. n. 10.
Quomodo acceptandi. fol. 35. n. 2.
Non homini, sed DEO deberi pulchro facto ostenditur. fol. 36. n. 6.
Honores mutant mores. fol. 37. n. 1.
Statuæ quatuor aureæ cur erectæ. fol. 38. n. 10.
Cur Sacerdotes antiqui tecti capite Rem divinam fecerunt. fol. 39. n. 15.
A Moyse cur declinatus. fol. 42. n. 18.
Armus cur Sauli à Samuele appositus in convivio. fol. 43. n. 30.

Humilitas.

Vera quæ? fol. 357. n. 1. 4. fol. 358. n. 1.
Ficta quæ? ib. n. 5.
Tres illius gradus. fol. 358. n. 6.
Est oculus animæ. ib. 9. 1. n. 3.
Cœmentum cordis. ib. n. 6.
Cur Christus eam tam sollicitè commendarit. ib. n. 7.
Abundantia gratiarum ob humiliationem nostram non conceditur. n. 8. 9.
Est fundamentum sanctitatis, ib.
Et cæterarum consummatio virtutum. fol. 359. n. 15.
Virginitatis defectum supplet. ib. n. 9. 10. 11.
Est compendium totius justitiæ. n. 12.
Ejus dignitas. fol. 360. n. 26. 29.
Eam dæmon non potest imitari. fol. 362. n. 13. 17.
Obtinet sapientiam. fol. 364. n. 19.
Extollit, & divinis gratiis replet. fol. 364. n. 18. 19. fol. 370. n. 9. 14. 17. 19.
Probata. fol. 365. n. 5.
Quam grata DEO. fol. 370. n. 11. 18.
Juvat ad victoriam. ib. n. 21.
Est virtus prudentissima. fol. 370. n. 16.
Cur ad DEUM descensum descendendo pervenitur. fol. 372. n. 20.
Est corona in tecta. fol. 373.
Est nominis expers. ib. n. 23.

Hyperdulia Mariana.

B. Virgo est minimum & maximum, fol. 373. n. 21.
Dolorum ejus in passione magnitudo. fol. 374. n. 1, & seq.
Ejusdem dignitas, fol. 375. n. 11. & seq.
Cur post Christum etiam invocanda. ib. n. 18. & seq.
Nomen illius singulari gustu honoratum. ib. n. 1.
A peste mirabiliter liberat. ib. n. 2.
Et à mortis periculo. fol. 376. n. 3. 4.
Orbem ab interitu servat. ib. n. 5. 6. 7.
Compensatum salutationis officium. fol. 377. n. 11. 12. 14. 16.
Pauca verba ab impedito pro integro Rosario accipit. fol. 378. n. 17.
Ejus imagines cum magno fructu honorantur. fol. 379. n. 18. & seq.
Antiphona *Salve Regina*, quàm illi grata, fol. 380. n. 25. & 26.
Quinque Psalmis Nomen illius piè & fructuosè honoratum. ib. n. 27.
Officii recitatio mirè compensata. ib. n. 29.

R.P. Lalmer Bibl. Anst.

A Ubi

Iejunium.

Iejunium Quadragesimale.

S. Ignatius.

Infernus.

Intentio.

Invidia.

Vitam adimit. fol.410.n.5.7.
Quomodo eludenda. fol.411.n.6.
Somnum adimit. fol.411.§.5.n.4.
Facit omnia cooperari in malum. fol.412.n.9.
10. fol n.5.6.n.6.
Basilisco deterior. ib.n.11.
Est DEO directè contraria. fol.412.n.1.
Brutis facit viliorem. ib.n.3.
Est difficulter curabilis. fol.413 n.9.
fol.414.n.7. fol 415.n.4.
Est irrationabile vitium. ib.n.11.
Quando peccatum mortale sit. ib.§.1.
Cur Christianum dedeceat. fol.415.n.5.
Alienam invidiam evitare difficile. ib.n.6.
Genuini Christi velut aquilæ pulli non sunt, quia aliena bona aspicere non possunt. ib. n. 2.
Dæmon non DEUS habitat in invidi pectore. ib.n 3.
Diaboli in pœnam collocati in aërem. fol. 416. n.4.
Cedit in honorem invidiam tolerantis. ib.n.7. fol.417. n.10.11.

S. Joannes Baptista.

Quomodo lucerna ardens, & lucens fuerit. fol.334.n.3.

Joan. Baptista Sanctius.

Dicere solebat, sibi moriendum fore, si certò sciret, se in sequentem diem supervicturum. fol.133.n.15.

S. Joannes Evangelista.

Angelus à B. Virgine vocatus. fol.58.n.6.

Ira.

Duplex est, bona & mala. fol.419.n.2. fol.428.n.3.
Ira mala triplex. ib.n.5.
Hominem in feram convertit. fol.420.n.1.2.
Quando mala. ib.n.4. fol.424.n.2.
Nihil sinit honestè agere. n.5. fol.421.n.17.
Quomodo fugienda. fol.421.n.10.
Est origo plurium vitiorum. ib.n.11.n.12.
Tria de illa specialiter notanda. ib.n.15.
Species irati horrenda. ib.n.16.
Spiritum S. excludit ib.n.18. fol.426. n.5.
Aufert imaginem DEI. ib n.19.
Est diaboli flabellum. ib. n. 1.2. fol. 426. n.6.
Mortem infert. fol.422.n.3.4.5.6.7.
Miranda senis irati correctio. fol.423.n.14.
Impetuosa Caligulæ iracundia. fol.424.n.1.
Similis C. Cæsaris. n.3.
Et Cyri Regis. ib.n.2.
Iræ moderatio signum perfecti viri. fol.427. n. 13.
Societatem humanam dissolvit. fol.426.n.9.
Sanitatem corporis perdit. ib.n.7.
Discrimen inter indignationem, & iram. fol. 428. n.1.
Gradus iræ. fol.429.n.5.
Quomodo superanda. ib.n.6.
Cur, Superioribus maximè cavenda. ibid. n.7.
Ejusdem iniquitas. ib.n.7.
Quomodo irascendum. fol.430.n.9.10.
Utendum irâ, velut milite, non duce. fol. 431.n.7.
Ira cornu Rhinocerotis, non tauri simile esse debet. ib.n.7.

Judicium extremum.

Illius veritas. fol.431.n.1.2.
Aspectus Judicis intolerabilis. ib.n.3.
Tribulationes prænuntiæ Judicii. ib.n.4.
Accusator mundus. ib.n.5. fol.442.n.7.
Liber conscientia. ib.n.6.
Non meminisse Judicii gravis pœna. fol. 433.n.15.
Memoria illius utilissima, ad omne bonum faciendum, & omne malum fugiendum. ib. n.15.
S. Ephrem quantopere illud timuerit. ib.n.1.
Sententiæ severitas. fol.436.n.8.9.
Quàm justè institutum hoc judicium. fol. 438. n 1.
Cur judicii dies magnus vocetur. fol.439.n 1.
Cur diem ultimum occultum voluerit DEUS. fol.440.n.6.
Cur Christus in referendo processu Judicii nullam mentionem spiritualium operum misericordiæ fecerit. fol.441.n.10.
Latro bonus per judicium conversus. ib.n.1.
In principio libri Moysis Deus etiam ut Judex propositus. ib.n.2.
Tintinnabula in veste Sacerdotis appensa, ut diem judicii prædicarent. ib.n.4.
Signa judicii diem præcessura. fol.442.n.6.
Verba: *Venite benedicti*: quid significent. ib n.9.
Quomodo timor judicii expelli possit. ib.n.12.
Judicii timor ad cælestes nuptias dispositum facit. ib.n.13.
Cur Christus Sol Justitiæ dicatur. fol. 444. n 19.
De beneficiis reddenda ratio cur specialem timorem incutiat. fol.445.n.20.21.22.23.

Judicium temerarium.

Deus summè id aversatur. fol. 447. n. 2.3.8.9. fol.451.n 6.
Cur fugiendum. ib.n.4. fol. 452. n.7 fol. 452.n.21.
Dæmonis est munus. ib. n.12. fol. 451. n. 4. fol.455.n.2.
Vitalius Abbas cum meretricibus agens, temerè judicatus, & à Deo absolutus. fol. 448.n 4.
Errores varii in hoc judicio commissi. fol.449. n.6.7.
Cum magno fructu vitatur. ib.9.
Cum grandi damno conceptum. fol. 450. n.13. 15.16.17. fol.456.n.5.
Quomodo vitandum. ib.n.6. fol.457.n.9. fol. 458.n.14.
Quæ sit radix illius. fol.455.n.1.3.
Sutor ultra crepidam judicans ab Apelle correo-

rectus. fol.456.n.7.

L.

Lætitia.

Vera quæ. fol.754.n.17.

Lainias.

Ejusdem fervor admirandus in legendis Authoribus. ib.n.2.

Lectio spiritualis.

Quid sit? fol.458.n.1.
Quotuplex sit. ib.n.2.
Est turris David, de quo mille clypei pendent. fol.460 n.25.
Illius utilitas. ib. n. 15. & seq. fol. 465. n. 1. & seq.
Obscenæ damnum. fol. 461.n.25. fol.470. n.8.
Item profanæ. n.10.fol.462.n.15.& seq.
Est sanæ animæ indicium. fol.464.n.1.
Est nervus orationis. ib.n.2.fol.470.n.5.
Nimia opprimit spiritum. ib.n.4.
Apum more usurpanda. ib.n.6.
Item columbatum. ib.n.10.
Ut cibi sumptio. ib.n.13.
Ejus prærogativæ præ concione. fol.466.n.8.
Media ad fructuosè instituendam lectionem. fol.467.n.1 & seq.
Qui libri legendi. ib.n.2.
Profani quomodo legendi. fol.469.n.3.
Quo fine legendi libri. ib.n.4.
Facit, ut nunquam soli simus. fol.470.n.4.

Leontius Episcopus.

Honorem summum ab Eusebia Augusta sibi exhiberi petiit. fol.791.n.3.

Lingua.

Quem in finem data fol.472.n.1. fol. 475.n.1. fol.476.n.11.f.481.§.9.n.1.
Multiplex divisio. ib.n.2.3.
Cur in corde radicata. fol.475.n.3.
Cur custodienda. ib.n.4 7.8.12.17.25.26.37 fol. 481.n.1.11.
Quando loquendum. ib.n.5.fol.180.n.9.
Benè custodita est divinum manus. ib.n.16.
Reddit omnibus amabilem. ib.n.15.
Obscœna verba vitanda. ib.n.18.19.27.fol. 480.n.8.
Perditionis causa. ib.n.21.23.24.32.36.
Nocet occultè & manifestè. 472.n.30.
Nihil sævius & violentius. ib.n.33.
Est vipera tres inficiens. ib.n.34.
Suppressa præservat à jurgiis. fol.478.n.6.7.15.
Verbum unicum injuriosum Monarchiam Turcicam excitavit. fol.478.n.9.
Linguæ usus mutæ mulieri à S. Vincentio cur non impetratus. fol.420.n.10.
Cur in lingua sapientia dignoscitur. ib.§.6.n.1.3.fol.482.n.12.
Devotionem aufert. ib.n.14.
Mortem affert. fol.481.n.18.
Est dæmonis instrumentum. 482.n.7.
Cur inferiùs ligata, superiùs libera. fol.484.n.2.
Cur tam facilè laxetur. ib.n.3.
Cur dentibus & labris sit munita. ib.n.4.
Cur carnea sit. n.5.
Cur flammea. ib.n.7.
Cur per salivam madefacta. ib.n.8.fol.487.n.4.
Cur una tantùm data. ib.n.9.
Quomodo perfectus sit, qui in lingua non labitur. ib.n.10.
Cur Religiosis præcipuè custodienda. fol.485. n.12.
Cur breviloquium amandum. ib.n.13.n.2.
An & quousque verba ridicula licita. ib.n.14.
Septem discretiones linguæ. ib.n.15.
Quomodo Deum semper laudare queat. ib.n.16.
Cur ultima exerceat suum officium. fol.486.n.2.
Cur sub tribus sensibus collocetur. ib.n.6.
Jobo cur labia illæsa relicta. fol.488.n.4.

S. Lucianus Martyr.

Multos infideles per suam modestiam & vitam exemplarem ad veram fidem perduxit. fol. 322.n.7.

Ludovicus de Fossabruno Capuccinus.

Ob ambitionem plurima mala intulit Ordini, & tandem omninò defecit. fol.29.n.4.

Ludovicus Rex.

Volebat nautarum vices supplere, ut confiteri possent. fol.172.n.1.
Insigne illius de merito patientiæ testimonium. 666.n.13.

Ludovicus Tholosanus.

Anniversarium ante mortem 14. annis celebravit. fol.567.n.17.

Ludus.

Lusor lusum facit Deum suum. fol.489.§. 3.n.1.
Plus tribuit taxillis, quàm ossibus Christi. ib. n. 2.
Nihil ita infamem facit. ib.n.4.
Damna ex eo oriri solita. ib. n.5.7.9.11. fol. 495. n. 3.
Semper perdit. fol.490.n.16.
Lusor mirabiliter à S. Bernardo conversus. ib.n.1.
Alius miraculo alio conversus. fol.491.n.4.
Crudele facinus à filio lusibus assueto patratum. ib.n.5.
Infelix alterius interitus. ib.n.8.
Victores in ludo interempti. fol.492.n.9.
Gravissimæ pœnæ blasphemis lusoribus inflictæ. fol.492.n.11.12 14 16.17.
Ludus à diabolo inventus. fol.493.n.2.fol.495. n.2.
Lusor testamento præcipiens, ut ex ossibus suis taxilli fierent. 494.n.5.
Moderatio in ludo necessaria. ib.n.4.

Tim

Digitized by Google

Tres leges per eum violantur, naturalis, positiva, divina. ib.n.7.
Qando sit peccatum grave. ib.§.8.n.1.
Ludi mali Epitheta. fol.496.n.4.

Luxuria.

Momentum respectu pœnæ æternæ. fol. 497. n.1.
Omnem devotionem extinguit, ib.n.2.
Porcis comparatur, ib.n.3.
Similis cepis & alliis. ib.n.4.
Ob illam pœnituit Deum, quòd fecerit hominem. ib. n.8.
Gehennæ similis. ib.n.8. fol. 498.n.15. fol.505. n.17.
Prostravit summos Heroes. ib.n.10.
Nullum vitium magis subdit diabolo. ib.n.11. 12.
Vitiorum mater est. fol. 498. n. 16. 18. fol. 506. n. 3.
Etiam terram arefacit. ib.n.1.
Obstat conversioni Hæreticorum. ib n.
Crudelis exitus luxuriosi. ib.n.5.
Quanta vis hujus consuetudinis. fol.499.n.7.
Monachus turpiter à diabolo speciem mulieris assumente delusus. ib.n.9.11.
Theotimus maluit oculis, quàm copulâ carere. ib. n.12.
Benedictus IX. propter hoc vitium damnatus. fol.500.n.14.
Dæmon horruit fœtorem luxuriæ. fol. 501. n. 15. fol. 503. n.7.
Dulcitius Præses cacabos loco mulieris amplectitur. ib.n.16.
Optimum contra illam medium fuga. fol.502. n.19. fol.404.n.1.
Sex speciales damna illius. fol.503.n.2.
Est vitium insanabile propè. fol. 504. n. 8. fol. 506.n.5. f. 508.n.15. f.515 n.19.
Cur spiritualibus viris præcipuè fugiendum. ib.n.4.
Lascivi Salamandræ similes. fol 505.n.1.
Propter luxuriem mundus in fine vastabitur. ib.n.5.
Dalilæ similis lascivia. ib.n.7.
Caro vulpem imitatur, & mortuam se simulat. ib. n.9.
Ut Jahel sollicitat, & perimit. fol.508.n.12.
Ad cœnam magnam non veniens ob uxorem ductam cur excusatum se haberi non petierit, ut alii. ib.n.14.
Tragicus Prædicatoris luxuriosi casus fol. 515. n. 16

S. Lyduvina.

Injuriantem beneficio afficit. fol.18.n.2.
Coronam patientiâ injuriarum absolvit. fol. 519.n 10.
Passionem Christi specialiter colit. fol.657. n.11.

M.

Machiavellus.

Dixit, malle se cum Aristotele, Platone, aliisque doctis damnari, quàm cum indoctis Apostolis cœlum intrare. fol.394.n.8.

Mahometes.

Ejus mirabilis ad regnum evectio. fol.132. n.11.

S. Malachias.

Erat regula fratrum. fol.322.

Mansuetudo.

Maximè inter sævos & agrestes exercetur. fol. 516.n.1.f.525.n.12.
Mali cedendo potiùs, quàm respondendo vincuntur. ib.n.3.
Christianum præcipuè decet. fol. 517.n.6.
Dæmonibus formidabilem facit. ib.n.10.
Probat virtutem. ib.n.11.
Martyribus & Angelis similem facit. ibid. n. 13.
Deo assimilat. ib.n.15.
Clementis VI. insignis erga injuriantem clementia. fol 517.n.1.
Ira aliena mansuetudine extincta. fol. 519.n.8. 11. 12.
Cur exercenda. fol. 520. §. 5. n. 2.3.4. fol.525.n. 12.14.15.
Quomodo exercenda. fol.521.n.6.
Est honestior vincendi modus. ib.n.2. fol.524. n.6.7.10.
Anima mansueta calci aut bituminosæ terræ similis. 524.n 2.3.
Quomodo inimicus odio habendus. ib n.4.5.
Est porta cœli. 525.n.11.15.
Non sceptro, sed plectro animi subjunguntur. fol.526.n.18.
Est satellitium. ib.n.19.
Suavior modus agendi efficacior. ib. n. 21. 22.
Aquila mansueti hominis signum. fol. 527.n. 25.
Quanti facienda mansuetudo in injurijs. fol. 528 n.28.
Quando injuriantibus respondendum. ib.n.1.

Maria Oegniacensis.

Admiranda illius in Dei Matrem pietas & constantia. fol.377.n.11.

Maria Virgo.

Sanavit quotidie dicentem: Beatus venter &c. fol.5.n.12.
Ipsamet salutationem suam pronuntiavit. fol. 54.n.43.

Marina Escobar.

Decem Angelos quotidie ministrantes habuit. fol.50.n.18.

Martinus Episcopus.

Insignis illius inter verbera patientia. fol 666. n.15.
Admiranda spes in divina bonitate. fol 872. §. 2.n.1.

Martinus V. Pontifex.

Mira illius prudentia. fol. 641. n. 1.

Meditatio.

Ejus necessitas. fol. 629. n. 65.
Utilitas. ib. n. 66. 67.
Ejus officium. ib. n. 68.

Mendacium.

Quid sit. fol. 519.
Tres conditiones ad illud requisitæ. ib. n. 1.
Quando committatur. fol. 530. §. 1. n. 1.
Nunquam est licitum. ib. n. 2. 3. 4. 5.
Extrema est malitiæ linea. fol. 531. n. 7.
Cur fugiendum. ib. n. 10. 11. 14.
Dissolvit societatem humanam. ib. n. 12.
Perdit authoritatem. ib. n. 17. fol. 532. n. 21.
Facit de mundo DEI mundum Diaboli. fol. 532. n. 20.
Diabolo assimilat. ib. n. 22.
Rempublicam perdit. fol. 533. n. 9.
Illius fuga ad honores promovet. ib. n. 10.
Graviter à Claudio Imp. punitum. ib. §. 5. n. 3.
Est Diabolicum inventum. fol. 534. n. 3.
Est laboriosum vitium. ib. n. 5.
Cur illicitum sit. fol. 535. n. 3.
Quomodo omnis homo mendax. ib. n. 4.
Cur Religiosis præcipuè vitandum. fol. 536. n. 8. fol. 532. n. 6.
Tria specialiter damna mendacii. ib. n. 9.
Fugiendum esse ipsa linguæ formatio docet. fol. 537. n. 1.
Christo summè exosum. ib. n. 2. 3.
Eudoxiæ Imperatrici carò stitit. fol. 538. n. 11.
Variè castigatum. fol. 537. n. 13. 14. 15. 16.

Misericordia erga Defunctos.

Septem opera misericordiæ corporalis eminenter comprehendit. fol. 556. n. 2.
In nostrum meritum commutatur. ib. n. 6. 7.
Orationis pro Defunctis efficacia & fructus. fol. 556. n. 10.
Neglecta non excusabilis est. fol. 557. n. 11.
Pater, Ave, Credo, quàm gratum DEO, & Defunctis proficuum. fol. 559. n. 8.
Oratio in peccato mortali peracta illis non prodest. fol. 559. n. 7.
Missa *Requiem* quàm salutaris Defunctis. ib. n. 8. 10. fol. 562. n. 8.
Item Psalmus: *De Profundis.* ib. n. 9.
Plurima per Defunctos beneficia obtinentur. fol. 560. n. 11. 12.
Defendit contra hostes. ib. n. 14.
Quæ fit uni Defuncto, indirectè alijs prodest. fol. 561. n. 4.
Angeli & Sancti orant pro illis, & visitant, & consolantur. ib. n. 5.

Misericordia erga vivos.

Duos actus continet. fol. 541. n. 1. fol. 540. n. 9. fol. 554. n. 6.
Etiam voluntas sufficit. ib.
Misericordem esse est miserum cor habere. ib. n. 2. 3.
Nihil sic DEUM conciliat. fol. 541. n. 5.
Quatuor gratias confert. ib. n. 7.
Torquet Dæmonem. ib. n. 13.
DEO similem facit. n. 16. 17.
Esurientes pascens. fol. 542. n. 18. fol. 545. n. 9.
Sitientes potans. ib. n. 21. fol. 545. n. 13.
Nudos tegens. ib. n. 24. fol. 546. n. 16.
Captivos redimens. ib. n. 26. fol. 546. n. 20. fol. 548. n. 18.
Infirmos visitans. ib. n. 28. fol. 546. n. 22.
Hospites colligens. fol. 543. n. 32. ib. n. 3. fol. 547. n. 28.
Sepeliens mortuos. ib. n. 35. fol. 548. n. 34.
Mira in egenos Francisci à Puero JESU charitas. fol. 544. n. 5.
A periculis & morbis liberat. ib. n. 4. 5. 6.
Convertit Manichæum. fol. 548. n. 30.
Quomodo exercenda. fol. 553. n. 1. 2. 3. 4. 5. 6.
Cur Christus in processu Iudicij solius misericordiæ mentionem faciat. fol. 554. n. 7. fol. 554. n. 8. 9.
Per septem Candelabra à S. Joanne visa præfigurata. ib. n. 3.
Sola ea, quæ pauperibus damus, nostra sunt. ib. n. 4.
Roborat adversus hostes. ib. n. 7.
Superat pœnitentiam, charitatem, & justitiam. fol. 555. n. 13.

Mors.

Omnia comminuit, & in nihilum redigit. fol. 563. n. 5. 6.
Nihil illâ fortius. fol. 564. n. 9. 10.
Nemini parcit. ib. n. 11.
Sapienter à DEO decreta. ib. n. 13.
Quàm utilis ejus consideratio. fol. 564. n. 17. 19. fol. 572. n. 8. fol. 577. n. 1. & seq.
Bonæ mortis felicitas. ib. n. 20. 21.
Quomodo bona mors obtinenda. f. 565. n. 25.
Malæ mortis infelicitas. ib. n. 28. 29.
Regum & Principum in morte sensus. ib. n. 2. 3. 4.
Judicium in hora mortis repræsentatum. fol. 566. n. 9.
Pulchra in morte adhortatio. ib. n. 10.
Mirabiliter B. Margaritam de Cordona convertit. fol. 567. n. 12.
Meditatio mortis primarium Philosophiæ opus. ib. n. 15.
Memoria mortis salutaris. fol. 565. n. 18. 19. 20. 22. 24. fol. 584. n. 18. 19.
Mortis malæ tragica exempla. fol. 569. n. 27. 28. 29.
Cur metuenda. fol. 571. n. 36. fol. 575. n. 1. & seq. fol. 579. n. 4.
Saladininus Princeps Saracenorum ingenioso facto mortis demonstravit effectum. ib. n. 1.
Ethnicorum salubria inventa ad mortis memoriam refricandam. fol. 572. n. 7. 8. 9. 10.
Ludo Schachi similis. ib. n. 1.
Cur expetenda. fol. 574. n. 1. & seq.
Qualia media adhibenda ad felicem mortem obtinendam. fol. 577. n. 1.
Cur incertam voluerit Deus. fol. 579. n. 2.
Quæ præparatio optima. ib. n. 3.

Cur

Digitized by Google

Cur somnus dicatur. fol.580.n.7.
Mors propinquorum quomodo accipienda. ib.n.8.
Lapis admirandus Alexandro Magno oblatus ad mortis naturam agnoscendam. fol. 580. n.11.
Cur cum falce pingatur. fol. 580.n.4.
Cur ex deposito citari dicamur à morte. ib.n.7.
Sepulchra cur extra civitates constituantur. fol.583.n.17.
Unicorni comparata. fol.584.n.22.
Memoria mortis variis modis retincata. fol.585.n.26.27.
Basilisco comparata. fol.585.n.28.

Mortificatio.

Duo sacrificia requirit DEUS. fol.586.n.1.2.
Corpus ut equus tractandum. ib.n.6.
Martyres facit. fol.587.n.7.8.
Est gratissima DEO. ib.n.9.
Insignis juvenis Monachi abnegatio. ib.n.3.
Paucitas eorum, qui cum Christo crucifixi sunt. ib.n.3.
Christus asperitatem mortificationis mitigat. fol.587.n.4.5.
Pœna memorabilis neglectæ mortificationis. fol.588.n.16.
Necessaria ad cognitionem DEI. ib.n.4.
Quid sit mors spiritualis. fol.586. n.1. fol.592.n.18.
Quid sit hostiam viventem DEO offerre. fol.590.n.1.2.3.15.
Discretio ad illam necessaria. ib.n.5.
Cur DEUS homini creato in faciem spiraculum vitæ inspirârit. ib.n.6.
Adamum imitantur carni velut Evæ obsequentes. ib.n.8.
Æquitas. ib.n.9.
Est potens contra Dæmones remedium. fol.591.n.10.
Cur lampades & non cerei in templo Salomonis accensi. ib.n.12.
Eam Christus præ gaudio proposito elegit. fol.591.n.13.
Citharæ comparata. ib.n.14.
Gratiam specialem confert DEUS pro hoc exercitio. fol.592.n.16.
Medicum Christus in hoc imitatur. ib.n.17.

N.

Nobilitas.

Vera quæ. fol.574.n.89.

Nonnius Barretus.

Insignis illius erga captivos charitas. fol.549.n.1.

O.

Obedientia.

Omnibus obvia. fol.339.n.1.
Illius proprietates. ib.n.2. 3.4. fol.600.n.2.
Nescit moram. n.5. fol.607.n.7.
Necessitas. ib.n.67.
Æquitas. ib.n.9. fol.604.n.2.3. fol. 608.n.10.
Utilitas. ib.n.7.11 13. 14.19.23. fol.605.n.5.7.8.10.
Dignitas. fol.594 n.27.28.29. 31. 33.34. 37. fol.605.n.11.
Martyres facit. ib.n.32.
Jucunditas. fol.595.n.35.36.37. fol.605.n.12. fol.612.n.41.45.
Insignis obedientiæ exempla. fol.595.n.1.2.3.4.
Miracula confirmata. fol.596.n.7.8.10.14.19. fol. 602. n.6.
Compensat orationem. fol.597. n.13.
Magnam gloriam meretur. fol.598 n.16. fol.599.n.18.20.
Dæmonis insidias eludit. ib.n.13.
Lætitiam singularem animo creat. fol. 599.n.13.
Exempla bestiarum. fol.602.n.1. & seq.
Est sal devotionis. fol.604.n.4.
Cur cuivis superiori obediendum. fol. 606. n.3.4.
Fulguri comparata. fol.602 n.6.
Item jumento. ib.n.8.
Cur obedientia tam excellens. fol.609. n.17.
Est melior quàm oratio. fol. 610. n.25.26.27.28.
In ea omnes virtutes inclusæ. fol. 602. n.10.11. fol.34.42.
Est petra firmum, solidúmque efficiens. fol.603.n.32.
Heliotropio similis. fol.604.n.19.
Est clavis aperiens cœlum. fol.615.n.41.

Oculorum custodia.

Cur in summo capite positi. fol.616.n.12.
Cur non possint disjungi. ib.n.7.
Necessitas. ib.n.9.10. fol.616.n.1.
Non figendi in mulierum vultu. fol.617. n.11.
Evæ ruina ab oculis. ib.n.12.
Damna neglectæ custodiæ. ib.n.13. 14.17.19.21.
Rara hujus custodiæ exempla. fol.619. n.7.8.10.14.
Oculi sunt naturales animi circuli. fol.623. n.1.
Pyrobioli lapides sibi proximati accenduntur. fol.624.n.4.
Oculi sponsæ cur lacte lotæ dicantur. fol.625.n.8.
Parabola aptè oculorum custodiæ fructum demonstrans. fol.625.n.9.

Oratio.

Duæ illius alæ humilitas & charitas. fol.626.n.1.
Ejus proprietates. ib.n.5.6.
Peccatorum oratio non exauditur. ib.n.7.8. fol.640.n.8.

Semper

Semper orat, qui benè semper operatur. ib. n.10 f.
Non est grata sine attentione. ibid n.11. 15.
Distractiones quomodo arcendæ. ibid. n.16.
Necessitas. fol. 617. n.19.20.21.24. 48 fol. 636. n.10. & seq.
Omnibus operibus jungenda. ib n.22.
Est nuntius ad Deum. ib. n.23.
Utilitas. ib. n.26.27.32.34.
Est scutum animæ. fol. 628 n.34.
Dignitas. ib. n.42.43 fol. 630 n.26.
Jucunditas. ib. n. [illegible]
Perseverantia orantibus necessaria. fol. 629 n. 49. fol. 638 §. 7 n.2. fol. 643. n.23.
Facilitas. ib. n.50.51.52. fol. 644. n.10.
Orationis Dominicæ excellentia. ib. n.35 & seq. fol. 646 n.38.39.40.41.42.
Orationis publicæ utilitas. fol. 629. n. 58 & seq. fol. 640. n.5. fol. 646. n. 34.35.37.
Dæmon eam impedire conatur. fol. 630. n. 1. 4. fol. 639. n.5. fol. 641. n.8. fol. 643. n.16.
Paucæ attentè recitatæ præstant pluribus obiter persolutis. ib. n.3.
Hymni Ambrosiani excellentia. fol. 631. n.5.
Dominicus Anadonus quotidiè coram centum Altaribus oravit. ib. n.6.
Circa meridiem cur orandum. fol. 632 n. 9.
Clerici minores omnibus horis orant per vices. ib. n.18.
Joan Baptista Vitellius quindecim quotidie horis orabat. fol. 632 n.14.
Pellit frigus. ib. n.16.
Fugat hostes. 633. n. 18.20.
Illuminat. ib. n.22.
Cooperandum orationi. fol. 634 n.20.
Dæmones arcet. ibid. n.25. fol. 637. n.1. fol. 643. n.14.
Est thesaurus perpetuus. ib. n.1.
Cur non exaudiatur. ib. n.4.
Quomodo semper orandum. fol. 640. n.6. fol. 645. n.26.
Quid petendum. ib. n.37. fol. 635. n.30.
Quomodo discenda. fol. 641. n.9.
Mortificationi jungenda. fol. 641. n.3.4.5.6. 7.
Est aquæ ductus. fol. 642. n.9.
Est virtutum principium, progressus & complementum. fol. 643. n.12.
Matutina cur opportunior. ib. n. 15.
Est medicus animæ. fol. 644. n.17.
Ubique peragi potest. ib. n.20.21.27.

P.

Passio Christi.

Quantum beneficium. fol. 648. n.1.2.3.4.5. fol. 652. n.5.6.9.
Cur suscepta. ib. n.7.8.
Est inæstimabilis thesaurus. fol. 649. n.9.
Est liber vitæ. ib. n. 10.11.
Ejus consideratæ utilitas. ib. n. 12.13. fol. 653. n.1.
Operatur mirabiles conversiones. fol. 652. n. 19.20.21.
Mitigat difficultates Ordinis. fol. 653. n. 22.
Jucunditas. ib. n.29. fol. 650. n.31.
Carnem subjugat. ib n.2.
Dæmonem vincit. fol. 654. n.4.
Roborat in adversis. ibid. n. 4. fol. 658. n.12.
Felicem mortem procurat. ib. n.6.
Purgatorium minuit. fol. 655. n.7.
Beatitudinem certiùs procurat. ib. n.8.
Quæ præcipua causa Passionis. ibid. n.1. fol. 657. n.4.
Modus optimus Passionem colendi. ib. n.2.
Quomodo sibi applicanda. fol. 656 n.9.
Quomodo adimplenda, quæ desunt Passionum Christi. fol. 657. n.1.2.
Cur die Veneris peracta. fol. 659. n.16.
Cur corona spinea Christo non ablata. ibid. n.17.
Christus Pellicano comparatus. fol. 660. n.20.
Cooperatio necessaria. ib. n.21.
Imitatio assumenda. ib. n.23.

Patientia.

Christianorum propria virtus. fol. 661. n. 1.
Probat vera grana in Ecclesia. ib. n.2.3. fol. 662. n.23 fol. 671. n.11. fol. 677. n.9.10 fol. 667. n.21.
Necessitas. ib. n. 6. fol. 671. n.4.5.6.
Quomodo in patientia possideamus animas nostras. ib. n. 7.10.
Reddit tolerabiliora incommoda. ib. n. 6. fol. 679. n. 8.
Utilitas. fol. 662. n.13.14.15. fol. 665. n. [illegible] 667. n.16.17.
Martyres facit. ib. n.18 fol. 667. n.18.
Jucunditas. ib. n.25.26. fol. 681 n.19.
Quæ sit differentia inter ferre & tollere crucem. fol. 663. n.10.
Cur gaudendum in tribulationibus. ibid. n.1.
Dignitas fol. 681. n.31.33.35.
Insignis inter injurias patientia. fol. 664. n. 4. 5 fol. 668. n.3.4.5.
Vincit dæmones. fol. 665. n.7. fol. 667. n.20.
Miraculo illustrata. ib. n.21.
Extraordinaria in Brasilia Sociorum JESU patientia. fol. 669. n. 9.
Singularis Leonis Henrici patientia. ib. n. 11.
Item Guiliemi Fauckelli. fol. 670. n. 12.
Item P. Stephani Tucci. n.13.
Puerorum Lacedæmoniorum inter sævissimam flagellationem generosa patientia. ib. §. 4. n.8.
Rupi similis. ib. n.5. [illegible]

Lo-

Digitized by Google

Co-

Corollaria inde deducta, fol 771.§.4 1010.
Dialogus inter Christum, & Catharinam Senensem de hac materia. fol.786.

Robertus Bellarminus.

Ejus in orando fervor. fol.635,n,2.

S. Romualdus.

Gulam miro artificio expugnavit. fol.353.n.2.

Rusbrechius.

Deum semper præsentem imaginabatur. fol. 249.n.8.

S.

Sacerdos.

Sit segregatus affectibus à mundo. fol. 690,n. 1,fol 798,n.3.6,11.
Sit Deo contentus. ib.n.2.
Debet esse exemplar excellens, ib.n.3, fol, 793. n.1.2.3.fol.798.n.1.
Non ferat signum sine significato, ib,n 4.
Utilitas illius, ib,n,5.6 7.
Est Coadjutor Redemptoris. fol 791,n 10.
Illius dignitas. ib.n,11,12,13,14 fol.799 n.7.
Magna confusio est, si sit Laicis æqualis,ib, n 15.
Nihil turpius Sacerdote malo. ib n.18.
Est similis aquæ baptismali, si sit malus. ib, n.19,
Summè ipsum dedecet mendacium, ib,n,19.
Valerianus Imp. igne cœlesti S. Martinum honorare coactus. fol 792.n.4.
Cur honorandus. ib,n.6.8.9 fol,794 n 1 & seq. fol.798 n 6.
Primorum Christianorum erga Sacerdotes reverentia. ib.n 7.
Fuga Sacerdotij. ib,n.10.11.
Sacerdos malus miraculosè lepram curat. ib. n.13.
Gentiles Sacerdotes quanto in honore habiti. fol.793.n.1.2.4.
Affectus erga Nepotes exuendus Sacerdoti.fol. 797,n.7.fol.800.n.11.12.
Quibus dotibus ornatus esse debeat. ib,n.1. fol 798.n.2.
Quid corona in capite significet. ib.n.2.
Vitia Sacerdotum cur dissimulanda. f. 798.n.7.
Est oculus Ecclesiæ. fol 798.n.4.
Sacerdos malus est peccator cœli. fol.799.n.5.
Redditus Ecclesiæ non malè impendendi à Sacerdote. ib.n.9.
Potestas Sacerdotis superat potestatem B. Virginis multipliciter. fol.800.n.13.

Sacrificium Missæ.

Tota vita Christi una solemnissima Missa erat, fol.801.n 2.
A tribus offertur. n.3.
Cur Missa dicatur, fol.802.
Est compendium omnium beneficiorum.ib.n.2.
Plenum mysteriis. ib.n.1.
Necessitas. ib.§.2.n.4.
Tantùm valet, quantùm mors Christi.ib.n.5.
Omnia impetrat. ib.n.7.
Est optima gratiarum actio. ib.n.9.
Utilitas. fol.803.n 10 11.
Omnia sacrificia eminenter complectitur. ib. n 12 13.
Dignitas. ib,n.14.
Angeli offerunt, fol.804 n.5.
Dæmones fugat. fol.805.n.9.10.18.
Inimicos conciliat. fol.807.n.15.
Vitam servat. ib.n.16.
Hostes vincit. fol.807.n.17.27.f.814.n 2.
Negotia promovet. fol.808.n.19.
Missa legenda potius, quàm omittenda. fol. 808.n.20.
Iter accelerat. fol.809 n.25.
Angeli ministrant. fol.810.n.31.fol.804.n.4.5.
Ministerium Missæ P.Mastrillo vocationem ad Indos aperuit. ib.n.32.
Indignè celebrans graviter castigatus. fol 811. n.34.35.
Discrimen inter sacrificium Crucis & Missæ. fol.812.n.2.
De Missa longa non querendum. f.815.n.1.

Sanctorum cultus.

Specialis Cultor omnium Sanctorum quem fructum tulerit. fol 822.n.2.
Omnium Sanctorum Festum in cœlo quomodo celebratum. ib.n.5.
Quomodo etiam levia obsequia compensent. fol.825 n.4.
Sancti tripliciter considerari possunt. ib.n.1.
Eorum intercessio quàm efficax. fol 828 n.9. 10.11.15.17.
Sunt stellis similes. fol.829.n 12.16.
Mitigant iram Dei. ib.n.13.19.23.
Defendunt à malis. fol.831.n.20.
Dæmones arcent. ib,n,21.
Cur Deus invocari eos velit. ib.n.22.
Lauro comparati. ib,n.24.
Sancti Menstrui cum magno fructu culti. fol. 832,n,16.& seq.

Scandalum.

Quid sit. fol.835.n.1.
Quotuplex. ib.n.2 3.
Gravius nocet, quàm qui rebus externis. ib. §. 3.n.1.
Cur vitandum. ib,n,2.3. 5.fol.836 n.6 fol 837. n.1.2.3.fol.839.n.2.
Deum vilificat. fol.834.n.6.
Gravius est homicidio. ib.n 7.8.
Ejus inventor Lucifer. ib.n.1.fol. 841.n.10.
Fugientium hoc vitium rara exempla. ib.n.4. 5.6.
Pœnæ pro hoc vitio inflictæ. fol. 835. n.7.8.9. 10.13.
Cur Superioribus præcipuè vitandum. fol.836. n.4.5.8.9.f.838.§.n.2.f.840.n.8.n.12.
Passivi utilitas. fol.832.n.1.& seq.
Fraus dæmonis in hoc vitio. ib.n 3.
Passivum quomodo vitandum. fol.839.n.4.
Est centrum & nidus omnis malitiæ. ib.n.1.
Cur lapis molaris scandalizanti alligandus dicitur à Christo. fol.840 n.5.6.
Est vitium difficulter sanabile.837.n.3.f.840.n.7. 8.9.

Sophiæ templum Salomonis templo præstantius. fol.884.n.14.
Templum divinitus consecratum. f.885.n.17.
Aliud,quod nunquam impleri potuit. ib.n.19.
Sumptus à Davide pro templo relicti. fol.885. n.20.
Pœnæ inhonorantium templa. ib,n.23.24.25. fol.887.n.10.
Honor ab Ethnicis habitus. fol.886. n.3.5.8.9.15.
Cur Ecclesia domus orationis vocetur. fol.888.§.8. n.2.
Cur aptius sit templum ad preces fundendas. fol.889. n.3.
Cur Seraphini in templo visi faciem tegere. fol.890,n,2.
Cur irreverentes in templo pœnam Filiorum Aaron timere debeant. fol.890.n.4.
Æquitas reverentiæ. ib.n.5.
Cur templum Hierosolymitanum incendi à DEO permissum. ib,n.6.
Nihil prodest,si quis loco in templo sit,non fide. fol.981.n.7.
Monacense S.Michaëlis laudatum. f.52.n.34.

Tempus.

Pretium illius. f.891.n.2.3.4.5.7.8. f.893.n.5.8.
Est mercatus. ib.n.6.
Est irreparabile. ib.n.10.
Exempla rara æstimantium tempus. fol.892.n.1.2.
Omissiones etiam judicandæ. ib.n.6.
Jactura temporis summum inferorum supplicium. fol.893.n.7.
Quomodo redimendum. fol [illegible] fol.895.n.4.5.8.
Tempus etiam per recreationem bene impenditur. ib.n.4.
Sed ut medicina impendendum. ib.n.5.
Illius solius honesta avaritia. fol.895.n.2.
Stultitia negligentium tempus. ib.n.3.

Tepiditas.

Duplex. fol.22.n.1.
Quando sit peccatum mortale. fol.22.n.2.
Medium efficax ad ad illam pellendam. fol.23.n.3.
Impugnat maximè tempore communionis. ib.n.4.
Cur tam difficulter curetur. ib.n.5.
Tepidi cur DEO magis quàm frigidi exosi. ib.n.6.
Discrimen inter ferventem & tepidum. fol.24.n.4 & 5. fol.25.n.6.
Oritur ex neglecta consideratione. f.25.n.9.
Est arcus pravus. fol.26.n.10.

Tertullianus.

Ob ambitionem ab Ecclesia defecit. fol.19.n.21.

Theodosius Imperator.

Ad constantiam in fide Filios hortatur. fol.333.n.24.

S.Thomas Aquinas.

Nunquam à vana gloria tentatus. f.909.n.9.

Thomas Morus.

Mira illius in Patrem pietas & observantia. fol.302.n.21.
Dum Missæ interest,ter ad Regem vocatus venire renuit ante finem. fol.810.n.29.

Timor DEI.

Quis bonus. fol.896.n.2.3.
Quotuplex. fol.902.n.1.
Triplex timor concipiendus de gratia. ib.n.5.
Quomodo sit initium sapientiæ. fol.896.n.6.10.11. fol.902.n.6.
Est munimentum animæ. ib.n.16.
Cur beatus dicatur homo pavidus. ib.n.19.
Est similis ferramento medici. fol.898.n.23.
Est thesaurus salutis. ib.n.25.
Roborat in adversis. ib.n.28.
Lætitiam creat. ib.n.31.32. fol.899.n.1.
Insignia Timoris exempla. ib.n.1.2.6.
Timor servilis quomodo usurpandus. fol.900.n.2.4.
Est similis correctioni Capituli. ib.n.5.
Nunquam deponendus etiam justis. ib.n.6. fol.902.n.3.
Est radix omnis boni. ib.n.11.12.
Quomodo non sit inopia timentibus DEUM. fol.903.n.7.
Est via ad amorem. ib.n.2.
Securitas non præsumenda. fol.904.n.6.

V.

Vana Gloria.

Quid sit. fol.906.n.1.
Quotuplex. ib.n.2.3.
Septem illius Filiæ. ib.n.4.
Devicta acriùs invalescit. ib.§.2.n.2.
Cur fugienda. fol.907.n.6.10. fol.909.&seq. fol.913.n.6.
In Domino gloriandum. ib.n.7.
Damna. ib.n.11.
Christus cur gloriam fugerit. ib.n.1. fol.916.n.20.21.
Generosa fuga vanæ gloriæ. fol.908.n.3.5.9.10.
Febri comparata. fol.909.n.1.
Cur imperfectis præcipuè fugienda. ib.n.3.
Cur DEO soli gloria adscribenda f.910.§.7.n.1.
Discrimen inter veram & vanam gloriam. fol.911.n.4.
Vanæ gloriæ sectatores fucis comparati. fol.912.n.4.
Post victoriam obviat ut Jephte Filia. fol.913.n.5.
Abscondenda opera,ut dici queat: pulchriora latent. ib.n.8.9.10.11.18.
Comparatur araneis. fol.914.n.9.
Item mercenario. ib.n.15.
Quando coram aliis facienda opera. fol.915.n.17.

Verbum DEI.

Virtus.

Vocatio.

Vulnera Christi.

F I N I S.

Digitized by Google